2° 7 Can 4

Leg 11

R. P. PETRI
CATALANI
È SOCIETATE JESU
THEOLOGIA
MORALIS
Duobus Tomis distributa.

Dropkins Town Children's

WORKALLS

THEOLOGY

EVOCKELTNIE JEFFS

CATALANI

FABERKEL

Collegij S. J. Monachij 1736.

R. P. PETRI
CATALANI
E SOCIETATE JESU
UNIVERSI JURIS
THEOLOGICO-MORALIS
CORPUS INTEGRUM
Duobus Tomis comprehenſum,
& in Partes Quatuor diſtributum;

Quarum Prima PRODROMUM ad Univerſum Jus Theologico-Morale continet. Secunda eſt DE DEO LOQUENTE. Tertia DE CHRISTO SANCTIFICANTE. Quarta demum DE ECCLESIA JUBENTE, PUNIENTE, & FAVENTE, in qua copioſiſſimus DE SANCTÆ CRUCIATÆ BULLA Tractatus habetur.

ACCESSERUNT PROPOSITIONES A' SUMMIS PONTIFICIBUS DAMNATÆ, & cuique Tomo Index Rerum ampliſſimus.

Tomus Primus

PRIMAM ET SECUNDAM PARTEM COMPLECTENS.

VENETIIS,
Apud CHRISTOPHORUM ZANE ſub Signo S. IGNATII.

MDCCXXVIII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

R. P. PETRI

GATALANI

E SOCIETATE IESU

UNIVERSI IURIS

THEOLOGICO-MORALIS

CORPUS INTEGRUM

Duobus Tomis comprehensum,

& in Partes Quatuor distributum;

Quarum Prima PROLOMENON ad Universum Jus Theologico-Moralis continet: Secunda de DE DEO LOQUENTE. Tertia DE CHRISTO SANCTIFICANTE. Quarta demum DE ECCLESIA JUBENTE, PUNIENTE, & HABENTE, in qua copiosissimus DE SANCTA CRUCIATE BULLA Tractatus habetur.

ACCESSERUNT PROPOSITIONES A SUMMIS PONTIFICIBUS DAMNATÆ, & cuique Tomo Index Rerum amplissimus.

TOMUS PRIMUS

PRIMAM ET SECUNDAM PARTEM COMPLECTENS.

VENETIIS.

Apud Christophorum Zane (& Soc.) sub Signo S. Ignatii.

MDCCXXXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Bayerische Staatsbibliothek München

INTENTIO AUCTORIS,
ET
SYNOPSIS TOTIUS OPERIS.

ANIMO ſemper inſedit meo, & jam votis arriſere Benigniſſimus Deus, & ejus Integerrima Mater, univerſum Jus Theologico Morale in Corpus integrum redigere, illudque in quatuor Partes diſtribuere ex ſuis membris coaleſcentes; non arbitrariè quidem inter ſe compactas, ſed merito, & ratione. Cùm enim ordinetur Jus Theologico Morale ad ita rectè componendos hominum mores, ut gratia Dei ornati digni evadant ſempiterna Beatitudine; ideò

Prima Pars inſcribitur Prodromus, quia viam ſternit ad rectam Intelligentiam dicendorum, ac explicat Regulam tum Internam, tum externam humanarum actionum, inſuper virtutes omnes aſſequendas per exercitium talium actionum, ac vitia, & Peccata præcavenda. Continet duasdecim Quæſtiones in ſua Capita diviſas, quarum diſtinctus Index apponitur in calce hujus Primæ Partis.

Secunda Pars eſt Deus loquens, explicatio videlicet Decem Præceptorum Decalogi à Deo Supremo Legislatore dictatorum, ſine quorum obſervatione nemo poteſt ad vitam ingredi; explicantur pariter ea omnia, quæ ad Decem Decalogi Præcepta attinent. Complectitur viginti duas Quæſtiones cum ſuis Capitibus, quarum Index apponitur in fine hujus Secundæ Partis.

Tertia Pars eſt Chriſtus ſanctificans, ſcilicet explanatio omnium Sacramentorum novæ Legis, & eorum, quæ ad Sacramenta pertinent: cum enim pariter obſervanda ſint, quæ Chriſtus Dominus Auctor, & Inſtitutor Sacramentorum omnium novæ Legis præcepit circa ritè conficienda, miniſtranda, & recipienda Sacramenta; ideò poſt Deum loquentem apponendus eſt Chriſtus ſanctificans. Continet hæc Pars quindecim Quæſtiones per ſua Capita diſtinctas, quarum etiam Index in fine ipſius habetur.

Quarta denique pars eſt Eccleſia Jubens per ſua quinque Præcepta; Puniens per Cenſuras, Irregularitates, ac per alias Pœnas Eccleſiaſticas; & tandem Favens ſpiritualiter per ſuffragia, Indulgentias, Jubilæa, & Bullam Cruciatæ; ſpiritualiter, & tem-

poraliter per Beneficia Eccleſiaſtica; & per Prohibitionem non alienandi Bona Eccleſiaſtica. Obſervanda quoque veniunt Præcepta Eccleſiæ, & omnes Canonicæ Sanctiones per Summos Pontifices, & oecumenica Concilia ſtatutæ, ac à Pontificibus firmatæ; ideoque poſt Chriſtum Sanctificantem explananda remanet Eccleſia Jubens, Puniens, & Favens. Complectitur hæc Pars quindecim Quæſtiones in ſua Capita diviſas, quas diſtinctè demonſtrat Index in fine ipſius appoſitus.

Placuit ergo merito, & ratione Corpus hoc integrum univerſi Juris Theologico moralis in has quatuor Partes diſtribuere, quas ſequens Diſtichon includit.

Dat Prodromum Pars Prima, Decem Mandata Secunda,
Tertia dat Chriſti, Quartaque Jura Petri.

Curavi, ut ſic diſtributum nec excreſceret in Gigantem, nec decreſceret in Pigmeum; ſed ordinaria, & media ſtatura polleret. Additæ ſunt ad uberiorem notitiam Propoſitiones à Summis Pontificibus damnatæ, quarum multæ in decurſu Operis referuntur, & refelluntur. Sententias conatus ſum ſeligere ex probatis, & laudatis Doctoribus, ne à communiori ſenſu aberrarem, & proprio fiderem judicio. Si quid boni in hoc Opere erit, Deo tribuatur, cui ſoli ſemper honor, & Gloria; ſi verò quid mali, meum erit, niſi fortè ignoſcendum hominum conditioni.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

A POTIORI

CONCERNENTES STATUM INTERNUM HOMINIS,

ET

THEOLOGIAM MYSTICAM.

DECRETUM

INNOCENTII PAPÆ XI.

Quo damnantur Propoſitiones 68. Michaelis de Molinos.

Feria V. die 28. Aug. & iterum 19. Nov. 1687.

AD abolendam perniciosiſſimæ hæreſis pravitatem, quæ in pleriſque mundi partibus, non ſine maximo Animarum diſcrimine invaluit, rigor debet Apoſtolicus excitari, ut Pontificiæ ſollicitudinis authoritate, & providentia, hæreticorum protervia in ipſis ſuæ falſitatis conatibus elidatur, & Catholicæ veritatis lumen in S. Eccleſia reſplendens, eam ubique demonſtret ab omni execratione falſorum dogmatum expiatam. Cùm igitur compertum fuerit quemdam *Michaelem de Molinos* perditionis filium, prava dogmata, tum verbis, tum ſcriptis paſſim docuiſſe & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu Orationis, Quietis, contra doctrinam & uſum à SS. Patribus, ab ipſis Eccleſiæ naſcentis primordiis receptam fideles à vera Religione & à Chriſtianæ pietatis puritate, in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant; *Sanctiſſimus* D. N. INNOCENTIUS Papa XI. cui cordi eſt, ut fidelium Animæ ſibi ex alto commiſſæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum ſalutis portum tutò pervenire poſſint, pro re tam gravi, auditis pluries coram ſe Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus, ac pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis, tum voce, tum ſcripto ſuſceptis, maturèque perpenſis, implorata etiam Sancti Spiritus aſſiſtentia, ad damnationem infra ſcriptarum Propoſitionum ejuſdem *Michaelis de Molinos*, à quo fuerunt pro ſuis recognitę, & de quibus Propoſitionibus tamquam à ſe dictatis, ſcriptis, communicatis & creditis, & ipſe convictus, & reſpectivè confeſſus, devenire, ut infrà, decrevit.

PROPOSITIONES.

1 NEceſſarium eſt annihilari potentias; & hæc eſt Via interna.

2 Velle operari activè, eſt offendere Deum, qui vult ſolus Agens eſſe, & ideo neceſſe eſt derelinquere ſe in illo, & deinde ſe habere corporis mortui inſtar.

3 Vota faciendi aliquam rem, ſunt impeditiva perfectionis.

4 Activitas naturalis eſt inimica gratiæ, & impedit operationem Dei & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis ſine nobis.

5 Anima nihil operando annihilat ſe, & redit ad ſuum principium & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, ubi manet transformata, & divinizata; & tunc Deus manet in ſe ipſo, quia tunc non ſunt ampliùs duæ res unitæ, ſed una ſola, & ſic vivit & regnat Deus in nobis, & anima ſe annihilat in eſſe operativo.

6 Interna via eſt illa, in quâ non cognoſcitur aut lumen, aut amor, aut reſignatio, neque neceſſarium eſt cognoſcere Deum, & ſic bene proceditur.

7 Non debet anima cogitare, aut præmium, aut pœnam, aut Paradiſum, aut infernum, aut mortem, aut æternitatem.

8 Non debet velle ſcire, an ambulet cum voluntate Dei, an ſit reſignata illi, vel non; nec eſt neceſſe, ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihilum; ſed ſeſe habeat quaſi corpus mortuum.

9 Non debet anima memor eſſe, vel ſui ipſius, vel Dei, vel illius rei, & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ſupra ſuas actiones humanas ac proprios defectus.

10 Si propriis defectibus aliquis ſcandalizat alterum, *non eſt neceſſe* ad id facere reflexionem, dummodo non ſit voluntas ſcandalizandi; & non poſſe reflectere ad proprios defectus, *eſt donum Dei*.

11 Ad dubia, quæ accidunt, rectene procedamus, an non, *non eſt neceſſarium* reflectere.

12 Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re, nec de *inferno*, nec de Paradiſo, nec de habendo deſiderio ſuæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ Salutis, à cujus etiam ſpe ſe purgare debet.

13 Dum conſignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura & cogitatio omnium rerum noſtrarum, & permitti, ut in nobis ſine nobis ſuum Divinum faciat velle.

14 Qui reſignatus eſt Divinæ voluntati, non debet à Deo quidquam petere, quia petere eſt imperfectio, cùm ſit actus propriæ voluntatis & electionis, & eſt quodammodo velle, ut Divina voluntas noſtrę ſe conformet, & non noſtra voluntati Divinæ: & illud, *Petite & accipietis*, ex Evangelio, non fuit dictum à Chriſto pro animabus internis, quæ *nolunt* habere voluntatem; quin & iſtæ eò deveniunt, ut non poſſint à Deo quidquam petere.

15 Unde ſicut *nihil* debent à Deo rogare, etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re, quia utrumque eſt æqualiter actus propriæ voluntatis.

16 Non oportet quærere Indulgentias pro pœna debita peccatis propriis, quia melius eſt ſatisfacere Divinę juſtitiæ, quàm quærere miſericordiam; nam illud procedit ex puro Dei amore, & hoc ex amore intereſſato, id eſt, perſonalis commodi noſtri, & non eſt res grata Deo, nec meritoria, quia eſt velle ſubterfugere crucem.

17 Ex quo traditum eſt Deo liberum arbitrium, cura etiam ac cogitatio animæ noſtræ, non debent ulterius æſtimari tentationes, nec alia fieri illis reſiſtentia niſi negativa non utendo induſtria: & ſi natura inde patitur, neceſſe eſt illam ſinere pati, quia natura eſt.

18 Qui

18 Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum *in spiritu, & veritate*.

19 Qui amat Deum, prout illum Ratio argumentando repræsentat, aut intellectus comprehendit, non amat Deum verum.

20 Dicere, in Oratione utendum discursu, & cogitatibus tunc, cùm Deus non loquitur unquam, illius loqui, est operari; semperque in anima operatur, dum ista suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21 In Oratione manendum est in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione omnis alterius cogitationis particularis, & distinctæ attributorum Dei, & Trinitatis: atque standum in præsentia Dei ad eum adorandum, amandum, eique serviendum; verùm sine productione ullorum actuum; Deus namque id genus rebus non delectatur.

22 Non est hæc cognitio Fidei actus quispiam productus à creatura, sed cognitio quædam illi à Deo data, quam creatura non novit se habere, neque adeò postea scit se habuisse; idemque dicendum de amore.

23 Mystici cum S. Bernardo *in Scala Claustralium*, distinguunt quatuor, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper est in primo, numquam transit ad secundum. Qui semper est in secundo, numquam ad tertium pertingit, quæ est Contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodo Deus non trahat animam, nihil tale expectantem, ad Contemplationem infusam: & hac cessante, redeundum est Animę ad gradum tertium, & in eo consistendum, non ampliùs revertendo ad secundum aut primum.

24 Quantęcumque cogitationes inter orandum accidant, etiam impurę, quin, & contra Deum, & Sanctos, contra Fidem, & Sacramenta, *si non voluntariè* foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei: imò illam reddunt perfectiorem, quia Anima magis est resignata voluntati Divinę.

25 Tametsi superveniat somnus, & dormiatur, omnino tamen oratur, & contemplatio fit actualiter; quia Oratio, & Resignatio, Resignatio, & Oratio, totum est idem; & quamdiu continuatur Resignatio, utique etiam Oratio continuatur.

26 Tres hę Vię, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ineptia est maxima, quę unquam prolata sit in ipsa Mystica, cùm non sit nisi Via unica, id est, Via interna.

27 Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat nec quęrit Deum, sed seipsum: quique per Viam internam incedit; malè facit eam desiderando ac habere conando, sive in locis sacris, sive diebus solemnibus.

28 Bonum est tędium rerum spiritualium; quia sic ab amore proprio expurgamur.

29 Cùm anima interna fastidit discursus de Deo, & Virtutibus, manetque frigida, non sentiendo se ad fervorem accendi, bonum signum est.

30 Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est, sordidum, & immundum.

31 Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci à sensibus. Perdere oportet virtutes.

32 Nec ante, nec post Communionem alia opus est prępparatione, aut gratiarum actione (pro animabus hisce internis) quàm ut se teneat in solita Resignatione passiva; quia in hac invenitur amor, qui supplet modo perfectiori, quàm omnes alii virtutum actus: qui fieri possunt; & fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione Communionis accidant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus; aliter enim sunt impulsus naturę, nondum mortuę.

33 Malè facit anima, quę Via ista Interna graditur; si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem Devotionis; quia animabus internis omnes dies sunt pares; omnes festi: idemq; est de locis sacris, cùm omnia loca his animabus sint paria.

34 Deo gratias agere lingua, & verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non præbentes Deo impedimentum, quominus iniis operetur: & quantò ampliùs se Deo resignant, tantò magis experiuntur impotentiam dicendi, *Pater noster*.

35 Animabus hujus vitę internę non convenit, ut faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate, alioqui mortuę non forent. Nec debent facere actus amoris erga D. Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi; quia cùm hæc sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa.

36 Nulla creatura, neque D. Virgo, nec Sancti, sedem habere debent in corde nostro, quia Deus solus vult occupare illud & possidere.

37 In occasione tentationum etiam vehementium, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum, sed tenere se in supradicto amore, & resignatione.

38 Crux voluntaria mortificationum gravis est, & sine fructu, ideòque omittenda.

39 Opera sanctissima, & austeritates, quas Sancti subierunt non sufficiunt ad animam vel uno assultu liberandam.

40 B. Virgo numquam opus aliquod externum fecit, & omnium Sanctorum fuit sanctissima: Igitur perveniri potest ad Sanctitatem sine opere externo.

41 Deus, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertingere faciat, permittit, & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dęmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo illis physicè manus aliaque membra contra earum voluntatem; & idem dicendum est in ordine ad alios actus per se peccaminosos: quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus.

42 Potest dari casus, quo hæ violentiæ ad actus carnales existant in eodem tempore ex parte duarum personarum; id est, viri, & fœminæ, & consequatur actus ex parte amborum.

43 Deus temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium tyrannorum, hodie eos facit per medium dæmonum; qui dum illis causant dictas violentias, facit, ut ii magis se vilificent, & annihilent in se ipsis, seque in Deo resignent.

44 Job blasphemavit, & tamen in eo *non peccavit labiis suis*; quia id fuit per violentiam dæmonis.

45 Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias dæmonis; unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ego; sed quod volo malum, hoc facio*.

46 Hæ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem, & unionem: neque alia est via; estque via facilior, & securior.

47 Cùm hæ violentiæ accidunt, oportet sinamus satanam agere, non utendo propria industria, aut viribus, sed consistendo in nihilo nostro: ac tametsi accidant pollutiones, actusque obscœni manibus procurati, atque etiam his magis insolita, & peregrina, non opus est his inquietari, sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores, quia anima magis illuminata, robustiorque, & candidior efficitur, & acquiritur sancta illa libertas. At in primis non oportet ea confiteri, fitque sanctissimè illa non confitendo, quia sic vincitur dæmon, & thesaurus quidam pacis obtinetur.

48 Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deinde esse graves defectus ad inquietandam Animam; ut non progrediatur in via interna: unde ad tollendas illi vires prestat ea non confiteri, quia ne quidem sunt peccata venialia.

49 Job per violentiam dæmonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, quo *mundas habebat ad Deum perces*. Ita interpretando in tali sensu textum quemdam Cap. 16. Job.

50 David, Jeremias, & multi è Prophetis sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum.

51 In scriptura Sacra multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut Sampsonis, qui per violentiam occidit sejpsum cum Philistæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice; quæ alias erant res prohibitæ, & fuissent peccata: Item Judith, quæ mentita est Holoferni; Elisei, qui pueris maledixit; Elię, qui igne consumpsit duos Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediate à Deo, vel dęmonis ministerio; ut in aliis accidit animabus, in dubio relinquitur.

52 Quando hæ violentię, etiam impurę, veniunt sine mentis offuscatione, tunc anima potest se unire Deo, & reipsa semper magis unitur.

53 Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de re habeo, non solum est, quòd protestentur hæ animæ se non consensisse, vel quòd non possint jurare se consensisse; ac-

quòd

quòd videamus esse animas, quæ profectum faciunt in Via interna, sed præsertim me dirigo lumine quodam quod superius est cognitione humana, ac Theologica, quo cognosco certò cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentiam; hoc lumen certus sum venire à Deo, quia mihi venit conjunctum cum securitate, quod veniat à Deo, neque mihi vel umbram dubii in contrarium relinquit; eum in modum, quo interdum accidit, ut Deus revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse, qui eam revelationem facit, neque anima possit in contrarium dubitare.

54 Spirituales illi vitæ ordinariæ, *in* hora mortis se fefellos, & confusos invenient, cum omnibus passionibus in altero mundo expurgandis.

55 Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa tolerantia, ad expurgationem & mortificationem omnium passionum, ita ut nihil ampliùs sentiatur, nihil, nihil planè, neque percipiat quis inquietudinem ullam perinde ut corpus quoddam mortuum, neque anima se ampliùs in diversa transferri sinat.

56 Duæ leges & duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant, quamdiu amor proprius durat: unde ubi hic expurgatus & mortuus fuerit, uti fit per Viam internam, non ampliùs ibi sunt illæ duæ leges, neque duæ voluntates, nec ultra fit ulla subreptio, aut motus improvisus; neque aliquid porrò sentitur, ne unum quidem veniale peccatum.

57 Per contemplationem acquisitam pervenietur ad statum non peccandi ampliùs, seu mortaliter seu venialiter.

58 Ad ejusmodi statum pervenietur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione.

59 Via interna separata est à Confessione, à Confessariis, & à casibus conscientiæ, à Theologia & à Philosophia.

60 Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, quin & eò, ut mortuæ sint, jam pertingunt, *Deus nonnumquam* impossibilem reddit Confessionem. ipseque supplet tantumdem ipsis largiendo gratiæ præservantis, quantum reciperent ex Sacramento: ideoque his animabus non expedit eò casu Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non possunt.

61 Anima cùm ad mortem mysticam pertingit, non potest ultrà velle aliud, quàm vult Deus; quia non habet ampliùs voluntatem. & Deus illam ipsi ademit.

62 Per viam Internam pervenietur ad continuè consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili.

63 Pervenitur etiam mediante via *Interna* ad mortem sensuum; imò signum, quòd quis in nihilo illo consistat id est, mortuus sit morte mystica, est, si sensus externi non magis jam repræsentent res sensibiles, quam si non existerent, quando quidem non efficiat, ut intellectus se iis applicet.

64 Theologus minùs est dispositus quam simplex & idiota, ad hoc ut sit contemplativus: Primò quia non habet fidem tam puram; Secundo, quia non est tam humilis; Tertiò, quia non curat perinde de sua salvatione: Quartò, quia habet caput plenum phantasmatibus & speculationibus; & in eum nequit verum lumen intrare.

65 Superioribus obediri debet in exteriore, & latitudo voti Obedientiæ Religiosorum pertingit solummodo ad exterius, aliud est in interiore, quò solus Deus & Director intrant.

66 Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei; Animam ad *interna* quod attinet gubernari debere per Episcopum; & si is idoneus non fuerit, eundum animæ ab illo ad suum Directorem. Dico novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores unquam id dixerunt, neque dicere possunt, quia *Ecclesia non judicat de occultis*, habetque jus Anima, ut eligat, quem maluerit.

67 Dicere, opus esse, ut internum manifestetur tribunali externo Superiorum, & esse peccatum nisi fiat, ea est deceptio manifesta, quia *Ecclesia non judicat de occultis*: atque animabus suis damnum adferunt fraudibus hisce & fictionibus.

68 In mundo non est facultas nec Jurisdictio ad mandandum, ut manifestentur litteræ directoris circa internum animæ: idcirco monitos esse oportet esse hunc assultum quemdam satanæ.

Quas quidem propositiones tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & scandalosas respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus; deque eisdem & similibus, omnibus & singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus; & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis ipso facto perpetuò privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, à quo nisi à *nobis* & à Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi. Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus & damnavimus omnes Libros, omniaque Opera quocumque loco & idiomate impressa, nec non omnia Manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos*, vetuimusque, ne quis, cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sub iisdem verbis, sive sub æqualibus aut equipollentibus sive absque nomine, seu ficto aut alieno nomine, ea imprimere vel imprimi facere, neque impressa seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere & consignare teneatur sub eisdem pœnis superiùs *inflictis*: qui Ordinarii & Inquisitores statim ea igni comburant & comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos* ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto Processu, & auditis dilectis filiis Consultoribus nostri Sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia & in Jure Pontificio Magistris, cum eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium *unanimi* voto, dictum *Michaelem de Molinos* tamquam reum convictum & confessum respectivè, & uti hæreticum formalem, licèt pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato Juris ordine damnavimus, mandantes, ut die & hora præfigendis in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per Concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor Processûs, stante in suggestu eodem *Michaele de Molinos*, unà cum sententia inde secuta legeretur. Et postquam idem *Michael de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores & hæreses publicè abjurasset, dedimus facultatem Dilecto Filio nostri Sancti Officii Commissario, ut eum à Censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret: quæ omnia in executione dictæ nostræ Ordinationis die 3. Septembris labentis solemniter adimpleta sunt.

Et licèt suprà narratum Decretum mandato nostro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum & divulgatum fuerit; nihilominus hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus, Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione supradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus; iterum supradictas Propositiones definitivè damnantes & reprobantes, Libros que & Manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes & interdicentes sub eisdem pœnis & Censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernentes insuper præsentes Litteras semper & perpetuò validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes & functuros ubique judicari & definiri debere, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane, quidquid secùs super iis à quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus Litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D.

INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XII.

Damnatio, & prohibitio Libri Parisiis anno 1697. impressi, cui titulus:

Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure &c.

12. Martii 1699.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad Perpetuam rei Memoriam.

CUM aliàs ad Apostolatus Nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure, par Messire Francois de Salignac Fenelon, Archeveque Duc de Cambray Precepteur des Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry A Paris chez Pierre Abovin, Pierre Emery, Charles Clousier 1697.* Ingens verò subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeò percrebuit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eumdem Librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, maturè, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porrò hi mandatis obsequentes, postquam in quamplurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examine discussserunt, quid *super* earum *singulis* sibi videretur, tam voce, quàm scripto Nobis exposuerunt. Auditis igitur *in pluribus* itidem coram nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum Sententiis, Dominici Gregis Nobis ab Æterno Pastore crediti periculis; quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicę potestatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque *impressum*, aut imposterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensum in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tamquam continentem Propositiones sive in obvio earum *verborum* sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respectivè, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus: Volentes, & Apostolica authoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penès se habuerint, illum statim, atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Cæterùm Propositiones in dicto libro contentæ, quas Apostolici censura judicii, sicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum versæ sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

1 Datur habitualis *status* amoris Dei, qui est Charitas pura, & sine ullla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem: Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, atque proter felicitatem in eo amando inveniendam.

2 In statu Vitæ contemplativæ, seu unitivè amittitur omne motivum *interessatum* timoris, & spei.

3 Id quod est essentiale in directione Animæ, est, non aliud facere, quàm sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire Cor huic Verbo, quod adeò durum est Animabus adhuc sibimet affixis & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4 In statu sanctæ indifferentiæ Anima non habet ampliùs desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus; in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5 In eodem statu sanctæ *indifferentiæ* nihil nobis, omnia Deo volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6 In hoc *sanctæ indifferentiæ* statu nolumus ampliùs salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem *nostrorum meritorum*, ut nostrum interesse omnium Maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

7 Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam JESUS Christus à nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri *ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium*. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo Perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam *æternum*.

8 Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab Animabus quàm maximè *disinteressatis circa* earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non potest esse *absolutum* in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium *fit aliquo modo absolutum*.

9 In extremis probationibus *potest* animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se *justè* reprobatam esse à Deo.

10 Tunc Anima divisa à semetipsa expirat cum Christo in Cruce *dicens*: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. In hac involuntaria impressione desperationis *conficit* Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11 In hoc statu Anima amittit omnem spem *sui proprii* interesse, sed *numquam* amittit in parte superiori, id est in suis actibus directis, & intimis *spem* perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12 Director tunc potest huic Animæ permittere ut simpliciter *acquiescat* jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.

13 *Inferior* Christi pars in Cruce non communicavit Superiori suas involuntarias perturbationes.

14 *In* extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris Animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione; nam totum, quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.

15 Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facilè distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16 Datur Status Contemplationis adeò sublimis, adeòque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties Anima actu

orat,

erat, ſua Oratio ſit Contemplativa, non diſcurſiva: Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem ejuſque actus methodicos.

17 Animæ Contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo JESU Chriſti duobus temporibus diverſis. Primò, in fervore naſcente earum contemplationis. Secundò, Anima amittit intuitum JESU Chriſti in extremis probationibus.

18 In Statu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctè, non cogitando, quòd ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult, & amor Zelotypus ſimul efficit, ne quis ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non eſt.

19 Poteſt dici in hoc ſenſu, quòd anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult ampliùs, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolùm quatenus eſt id, quod Deus à nobis vult.

20 In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21 Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22 Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica, in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini Juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

23 Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium & unicum motivum omnium actuum qui deliberati, & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes litteræ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & authoritate præfata decernimus; ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita, ut ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Martii MDCXCIX. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

I. F. CARD. ALBANUS.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti 1699. Indictione 7. die verò 12. Menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii, Divina Prov. Papæ XII. anno ejus octavo, ſupradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum, ejuſdem SS. D. N. Papæ Curſorem.

Sebaſtianus Vaſellus Mag. Curſ.

PROPOSITIONES DAMNATÆ
A POTIORI

Spectantes ad materiam Morum, ſeu ad Theologiam Moralem.

DECRETUM I.
ALEXANDRI VII.

Feria V. die 24. Septembris 1665. emanatum.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſſimo D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. audivit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem SS. D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & dein Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infrà ſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

PROPOSITIONES.

1 HOmo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, Anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſim. Cardinalium, viſa & tolerata eſt.

4 Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5 Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6 Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7 Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

8 Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9 Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10 Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipen-

stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam; non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato

14 Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: ut suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes; ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat maritus, occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.

21 Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideòque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opinionem æquè probabilem, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si Liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea Idem Sanctissimus re maturè considerata, statuit, & decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, ac prohibet: ita, ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à quo non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Locus † Sigilli. *Joannes Lupus, S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.*

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi, millesimo, sexcentesimo, sexagesimo quinto, Indictione 3. die verò 2. Mensis Octob. Pontificatus autem SS. in Christo Patris D. N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum, ejusdem SS. D. N. & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Romæ, Typis Rev. Cameræ Apostol. 1665.

DECRETUM II.

ALEXANDRI VII.

Feria 5. die 18. Martii 1666. emanatum, in quo continuat Damnationem.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Alexandro, Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die XXIV. Septembris proximè elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò & accuratè usque ad hanc diem infrà scriptis aliis, quadragesimum quintum numerum implentibus per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos & Reverendissimos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

PROPOSITIONES.

29 IN die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii: nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31 Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, &, etiamsi iter unius diei conficiant.

32 Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.

35 Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Conc. Trid.

37 Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi *quamprimum*, est consilium, non præceptum.

39 Illa particula *quamprimum* intelligitur, dum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.

41 Non

41 Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42 Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quàm per 10. annos.

44 Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.

45 Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat ac prohibet; ita, ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem; à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Loco † Sigilli. *Joannes Lupus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.*

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, indictione quarta, die verò 23. mensis Martii Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Carolum Molinum, ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Romæ Typis Rev. Camer. Apost. 1666.

DECRETUM I.

INNOCENTII XI.

Feria 5. die 2. Martii 1679.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano coram SS. D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, & in tota Repub. Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexand. VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas & partim noviter adinventas Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reveren. DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, subjecit. Quibus Propositionibus sedulò & accuratè sæpius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis, Idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata statuit, & decrevit pro nunc sequentes Propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

PROPOSITIONES.

NON est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3 Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

5 An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8 Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9 Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10 Non tenemur, proximum diligere actu interno & formali.

11 Præcepto, proximum diligendi, satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderari, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est, absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidem ut malum patris; sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15 Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16 Fides *non* censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17 Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18 Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei glorioſum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19 Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20 Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habeat supernaturalem.

21 Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22 Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24 Vocare Deum in testē mendacii levis, non est tanta irreverentia; propter quam velit, aut possit damnare hominē.

25 Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26 Si quis, vel solus, vel coram aliis; sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.

27 Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30 Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31 Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32 Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33 Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35 Videtur probabile, omnem fœtum quamdiu in utero est carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36 Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37 Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

40 Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42 Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43 Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44 Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46 Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47 Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores; ut excludat indignos; vel tandem loquitur quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49 Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum conjugata, consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58 Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59 Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63 Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis Domini Nostri JESU Christi.

65 Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de iis disputativè publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem SS. in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Loco † Sigilli. *Franciſ. Richard. S. R. & Univerſ. Inquiſ. Not.*

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti 1679. *indict.* 2. *die verò* 4. *Menſis Martii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocent. Divina providentia Papæ XI. anno tertio: ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Florę, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum, ejuſdem SS. D. N. & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.*

Romæ, Typis Rev. Cameræ Apoſt. 1679.

DE-

DECRETUM II.

INNOCENTII XI.

Circa Communionem Quotidianam.

CUM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in Feria 6. Paraſceve, & simul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam esse à jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inoleviſſe, videlicet, quòd aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domis, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam, in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares, aliique in Communione accipientes plures formas ac particulas, vel grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sac. Cong. Cardinalium, Concil. Tridentini Interpretum, eadem Sacr. Congreg. prævia matura discussione super prædictis unanimi sententiâ ita censuit: etsi frequens, quotidianusve SS. Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; numquam tamen, aut sæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quod nec Conc. Trid. præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cùm inquit; Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent, idque non immeritò, multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ econtra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cùm humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate atque integritate, & consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad Pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospiciente eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Conjugatis autem hoc ampliùs animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum; puriorique mente ad cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliquid deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis, quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino, provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo rariùs aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus, ita incaluerint, ut dignę frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam prętер Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cùm fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum prępara-tione orationem habeant, generatimque, eos, quid ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi Cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores, sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini Judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem prępara-tionem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentię, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentię parcendum, ut omnis irreverentię, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur: quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, Divina pręstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs reficì cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam prępara-tionem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, Communionem quotidianam esse de Jure Divino, doceant in Ecclesia, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto; quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prędicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani. Si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in Feria 6. Paraſceve, Missalis Rubricę, & Ecclesię Romanę usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistię Formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes, secùs egerint, sciant, Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis JESU, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de prędmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac prędens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c. Datum Romę 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Pręf.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterbiens. Secr.

Die 15. Mensis Febr. 1679. suprad. Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Scagius, Apost. Curs.

DECRETUM I.

ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VIII.

Circa duas Propositiones de Peccato Morali. Feria V. die 24. Augusti 1690.

SAnctissimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses seu propositiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, & cum

cum sui Pastoralis Officii munus sit, oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus Inquisitoribus sedulò commisit, qui pluries re maturè discussa infrascriptis Thesibus seu Propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; Formalis verò in conformitate actus cum Regula morum: Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: NUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

II. Peccatum Philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale, est Transgressio liberæ Divinæ Legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pena dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plenè, & maturè consideratis, primam Thesin, seu propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in Jure expressis. Secundam Thesin seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet: ità ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii, prohiber omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, & Status etiam specialis, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesin seu Propositionem ad praxim deducant.

DECRETUM II.

ALEXANDRI VIII.

Maximè circa Sacramentum Pœnitentiæ. Feria V. die 7. Decembris 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Alexandro, Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. ALEXANDER Divina Providentia Papa VIII. prædictus, pro pastorali cura ovium à Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulò ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim detulerunt.

PROPOSITIONES.

1 IN statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2 Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ea ipsa non excusat à peccato formali.

3 Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4 Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5 Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6 Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm pernicioſa est, sicut proinde meritò possimus petere: à gratia sufficienti *Libera nos Domine*.

7 Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8 Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10 Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11 Omne, quod non est ex fide Christianorum supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.

13 Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14 Timor gehennæ non est supernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus; ac supernaturalis.

16 Ordinem præmittendi satisfactionem Absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17 Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus.

18 Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi tam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19 Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20 Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21 Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22 Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23 Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24 Oblatio in templo, quæ fiebat à Beata Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis sufficienter testantur, quod indiguerit Purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundùm verba legis.

25 Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26 Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27 Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, &c.* prætermissis illis, *Ego te baptizo*.

28 Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, *Non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

29 Fu-

29 Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum Auctoritate, atque in Fidei Quæstionibus decernendis infallibilitate.

30 Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31 Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit & decrevit, 31. supradictas Propositiones tamquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respectivè esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet, ità, ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status etiam speciali & specialissima nota dignis, ne predictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Romanæ & Universalis inquisitionis Not.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo, indict. 13. die 29. Decemb. Pontificatus autem SS. D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VIII. anno secundo, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis per Franciscum Perinum SS. D. N. PP. & SS. Inquisitionis Cursorem.

Joannes Baptista de Comitibus Mag. Curs.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa liberum arbitrium, Gratiam Divinam, & Charitatem à potiori respicientes Theologiam Speculativam, & Dogmaticam.

SANCTI PII V.

Constitutio innovata per GREGORIUM XIII. contra Michaelem Bajum, uti sequitur.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea, quæ à Prædecessoribus Nostris emanarunt, suadente maximè Fidei Catholicæ conservatione, ubicumque ipsis opus est, producantur. Quare nos tenorem litterarum fel. record. PII. V. Papæ Prædecessoris Nostri in ejus Registro repertum, describi, & præsentibus annotari fecimus, qui talis est.

PIUS Episcopus Servus Servorum DEi. Ad perpetuam rei memoriam. *Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animam nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus, antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim & promiscuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illi simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: magno enim mœrore afficimur, quòd plerique spectatæ alioquin probitatis & doctrinæ, in varias Sententias, offensionis & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in scholis invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes:*

1 Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur Gratia.

2 Sicut opus malum ex Natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3 Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces & non Gratia.

4 Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5 In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6 Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in Obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7 Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur Gratiæ; quo fit, ut tantùm merita, non etiam Gratiæ debeant nuncupari.

8 In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritū, quod non sit gratis indigno collatum.

9 Dona concessa homini integro & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici Gratia, sed quia secundùm usum Scripturæ nomine Gratiæ tantùm ea munera intelliguntur, quæ per JESUM malè merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, nec merces, quæ illis redditur, Gratia dici debet.

10 Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè manet, & corporis resurrectionem propriè nonnisi meritis Christi adscribenda esse.

11 Quòd piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè Gratiæ DEI, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ justo DEI Judicio deputandum est: nec in hac retributione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam Institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut justo DEI Judicio Obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12 Pelagii Sententia est: Opus bonum citra Gratiam adoptionis factum, non est Regni Cęlestis meritorium.

13 Opera bona à Filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis, inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea pręstatur obedientia legi.

14 Opera bona justorum non accipient in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo DEI judicio mererentur accipere.

15 Dicit, rationem meriti non consistere in eo, quòd qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solùm, quòd obedit Divinæ legi: quam Sententiam sæpiùs repetit, & multis rationibus probat ferè toto libro.

16 In eodem libro sæpiùs repetit: Quòd non est vera legis obedientia, quæ sit sine charitate.

17 Dicit, sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18 Dicit, opera Catechumenorum, ut Fidem & Pœnitentiam ante remissionem peccatorum factam, esse vitæ æternæ merita, quam vitam non consequentur Catechumeni, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19 Videtur insinuare, quòd opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem.

20 Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21 Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium Divinæ Naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22 Cum Pelagio sentiunt, qui Textus Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de Gentibus Fidei Gratiam non habentibus.

23 Absurda est eorum Sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali gratuitoque supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24 A vanis & otiosis hominibus secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei Filium adoptatus.

25 Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26 Integritas primæ Creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio; quam sententiam repetit & probat per plura Capitula.

27 Liberum Arbitrium sine gratiæ DEI adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28 Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29 Non solùm fures ii sunt & latrones, qui Christum viam, ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiam conscendi posse, dicunt.

30 Aut qui docent, tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.

31 Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & Fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32 Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33 Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34 Distinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est, commentitia & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata.

35 Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36 Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

37 Cum Pelagio sentit, qui bonum aliquod naturale, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38 Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur.

39 Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.

40 Suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41 Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42 Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in Filium DEI & secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturę consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivere; & DEI mandatis obedire possit.

43 In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

44 Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis DEI pareant, cujusmodi sunt: obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiæ & veræ legis Justitiæ; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45 Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm Generali illa, qua omne opus, quod fit, ut Sanctæ Societate DEO homo inhæreat.

46 Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.

47 Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48 Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49 Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi DEI repugnet.

50 Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: *Non concupisces*.

51 Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52 Omne scelus ejus est conditionis, ut suum Auctorem & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53 Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54 Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.

55 Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56 In peccato duo sunt, Actus & reatus: transeunte autem Actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57 Unde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis Absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

58 Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo DEO, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.

59 Quando per elemosynas aliaque pietatis opera DEO satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium DEO pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.

60 Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61 Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariàm impleri: altero modo, quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm: alterum, quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est & explodenda.

62 Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariàm bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit; vel quia est meritorium Regni æterni; eò quod fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur.

63 Similiter & illa Distinctio duplicis Justitiæ: alterius, quæ fit per Spiritum Charitatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ legis justificatio impleatur, odiosissima & pertinacissima rejicitur.

64 De-

64 Denique & illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum, & inchoatio per DEI gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minimè congruens.

65 Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ità sentit & docet.

66 Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67 Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.

68 Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69 Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere legem.

70 Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71 Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen (extra casum necessitatis, aut Martyrii) sine actuali susceptione Sacramenti.

72 Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job & Martyres, quæ passim sunt, propter sua peccata passi sunt.

73 Nemo præter Christum est absque peccato Originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati Actualis vel Originalis.

74 Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75 Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*, unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76 Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.*

77 Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, restantem post culpam condonatam.

78 Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79 Falsa est Doctorum Sententia, primum hominem potuisse à DEO creari & institui sine Justitia Naturali.

Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, ac quæcumque super iis, verbo scriptoque emissa præsentium Auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, deque eisdem & similibus posthac, quocumque pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus: Qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, Beneficiis, & Officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo liberare. Cæterùm ut jam commoti bis de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint; simulque animarum saluti pleniùs consulatur, Dilecto Filio Nostro Antonio tituli S. Bartholomæi in insula Presbytero Cardin. Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum Sententiarum & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia & Disputationes, quid denique ad Unionem & pacem cum communi omnium & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendum facto opus sit, in primis diligenter expendat; Deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate & honore optima judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ Unitate, etiam per alium seu alios fide, doctrina & Religione præstantes ocyùs exequatur, faciatque, quidquid decreverit, inviolatè ab omnibus observari, Contradictores quoslibet per censuras & pœnas prædictas, cæteraque juris & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus, quòd forsitan ab Apostolica Sede sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, exemptionibus, indulgentiis & litteris Apostolicis specialibus vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeant quomodolibet vel differri, & quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, Decreti, mandati, Privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo Calendis Octobris, Pontificatus Nostri Anno secundo, Cæterùm volumus, ut earumdem litterarum tenori hic inserto illa ipsa omnino adhibeatur fides, ubicumque & quandocumque sive alibi ille fuerit adhibitus vel ostensus, sicut illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur vel ostenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Ano 1579. quarto Calendas Februarii Pontificatus Nostri Anno VIII.

DECRETUM
INNOCENTII X.
INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM occasione Impressionis Libri, cui Titulus *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor verò prafatarum Propositionum est, prout sequitur.

PRima: Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Secunda: Interiori gratiæ in statu Naturæ lapsæ numquam resistitur.

Tertia: Ad merendum & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc errant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ec-

cleſia Dei Nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tamquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis, ſecurè navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit, pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis à pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones, ut ſuprà nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata maturatè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audivimus.

Cùm autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem ferventiùs, ac per Nos ſollicitè implorata Sancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Divino Numine favente, ad infraſcriptam devenimus declarationem & definitionem.

Primam prædictarum propoſitionum: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blaſphemam, anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc errant Hæretici, quòd vellent eam gratiam eſſe, cui poſſet humana volùntas reſiſtere, vel obtemperare: Falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semi-Pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe: Falſam, Temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit: Impiam, Blaſphemam, Contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus; ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliàs præſumant, quàm in hac præſenti noſtra Declaratione, & Definitione continetur ſub cenſuris & pœnis contra Hæreticos & eorum fautores in Jure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut Contradictores, & Rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque Juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis omnino coerceant, & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Janſenii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo tertio, pridie kal. Junii, Pontificatus Noſtri Anno nono.

HI. DATARIUS.

G. Gualterius.
F. Ciambinus.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti 1653. Indictione 6. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii, Divina Providentia Papæ X. anno ejus Nono, die verò nona Menſis Junii, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſia Lateran. ac Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Maſcellam SS. D. N. Papæ Curſorem.

Pro Domino Mag. Curſorum P. Paulus Deſiderius Curſor.

CONSTITUTIO
CLEMENTIS XI.

Contra Paſchaſium Gueſnellium.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNIGENITUS Dei Filius pro noſtra, & totius mundi ſalute Filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium; quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt Sectas perditionis ſub imagine ſanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes ſanctarum Scripturarum, adeoq; etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii parentes exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum attendatur Authoritas.

His non verè Divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quemdam, gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions morales ſur chaque verſet &c. à Paris 1699.* Aliter verò; *Abbregè de la Morale de l' Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de ſaint Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l' Apocalypſe; ou Penſees Chretiennes ſur le Texte de ces Livres ſacrez &c. A Paris 1693. & 1694.* Tametſi aliàs à Nobis damnatum, ac reverà Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem à pluribus haberi, Chriſti fidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudiosè nimis quaquaversùm diſſeminari, etiam latinè redditum, ut pernicioſę inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, de Regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atq; fallaciis creditum Nobis Dominicum gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummoperè doluimus, adeoque Paſtoralis non minùs curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus orthodoxę Fidei zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Gallię Epiſcoporum, litteris ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quęque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providę noſtrę conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; cùm Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo à Nobis hactenùs indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis propoſitionibus, diſtin-

distinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque universis Christi Fidelibus noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirùm denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore, ut omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maximè è re Catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum; conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodùm necessarium, non modò præfati Episcopi, sed & ipse in primis charissimus in Christo Filius noster Lodovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpiùs nobis est contestatus: repetitis propterea verè piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantociùs Apostolici censura Judicii consuleremus.

Hinc, adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto Libro, juxta suprà recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones à compluribus in sacra Theologia Magistris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri textu exactissimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet.

1 Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad opus bonum?

2 JESU Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne bonum; absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.

3 In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

4 Ita Domine; Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5 Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6 Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7 Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? quæ verò felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

8 Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9 Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum numquam possumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

10 Gratia est operatio manus omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11 Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotens DEI, jubentis, & facientis, quod jubet.

12 Quando Deus vult salvare animam quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem DEI.

13 Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suę manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14 Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando JESUS se ei videndum exhibet lumine salutari suę gratiæ, oportet, ut se dedat, occurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15 Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16 Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti.

17 Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad JESUM Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.

18 Semen verbi, quod manus DEI irrigat, semper affert fructum suum.

19 DEI gratia nihil aliud est quàm ejus omniporens voluntas: Hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20 Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

21 Gratia JESU Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis; utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis DEI incarnantis, & resuscitantis Filium suum.

22 Concordia omnipotentis operationis DEI in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fontem atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à DEO sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23 Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24 Justa idea quam Centurio habet de omnipotentia DEI, & JESU Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25 Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

26 Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.

27 Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28 Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29 Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30 Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31 Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem in intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32 JESUS Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, Electos de manu Angeli exterminatoris.

33 Proh? Quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum JESUM, ejus amorem, mortem, & Mysteria, ut fecit Sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

34 Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35 Gratia Adami est sequela creationis, & erit debita naturæ sanæ integræ.

36 Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quòd primam unusquisque in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona JESU Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37 Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia Christiana nos sanctificando in JESU Christo, est omnipotens, & digna filio Dei.

38 Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39 Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad sé vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40 Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41 Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42 Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43 Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut

moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44 Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert; & propter hoc ipſum fit malus.

45 Amore DEI in corde Peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

46 Cupiditas, aut Charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

47 Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt charitas. Quando DEI amor eſt illius principium interius, & DEI gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

48 Quid aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate.

49 Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

50 Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.

51 Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.

52 Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tamquam in ſuo germine, & ſemine; Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

53 Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & JESUM Chriſtum.

54 Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

55 Deus non coronat, niſi Charitatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56 Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.

57 Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

58 Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.

59 Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

60 Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiám, quò hęc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.

61 Timor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

62 Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt Reus coram Deo.

63 Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

64 Sub maledicto legis, numquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.

65 Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quòd ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

66 Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii.

67 Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

68 Dei Bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.

69 Fides uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

70 Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

71 Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72 Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quòd ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & juſtos terræ, & omnium Sæculorum.

73 Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ſinu adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?

74 Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò Sanctos ut membra.

75 Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

76 Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, qua omnes Electi, & juſti omnium Sæculorum illam componunt.

77 Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.

78 Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

79 Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.

80 Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

81 Obſcuritas Sancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

82 Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturárum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

83 Eſt illuſio ſibi perſuadere, quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum ſcientia, ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

84 Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

85 Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.

86 Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

87 Modus plenus ſapientia, lumine, & Charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi, ad minus, ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88 Ignoramus, quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.

89 Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quòd, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

90 Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.

91 Excommunicationis injuſtæ metus, numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: Numquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo JESU Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.

92 Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.

93 JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; JESUS reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.

94 Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95 Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra commune caput fidelium; Neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.

96 Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit niſi Divinæ gratiæ.

97 Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſię ſunt, reſpici, atque

tracta-

tractari tamquam indigna, ut sint in ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed Justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Christo.

99 Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

100 Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit -- Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo Impium, & sacrificamus Diabolo Dei Servum.

101 Nihil spiritui Dei, & doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones perjerandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumq; Theologorum suffragiis, diviniq; in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio; omnes, & singulas Propositiones prænsertas, tamquam falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, pernicioſas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates sæculi contumelioſas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes, respectivè, hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne indictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem Nostra Constitutione continetur: ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit ediderit, aut de eis, etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisq; contra similia perpetrantes à Jure statutis pœnis ipso facto, absq; alia declaratione subjaceat.

Cæterùm per expressam præfatarum Propositionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenùs approbare intendimus; cùm præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse diximus, & minimè necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compereri-mus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot Sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut imposterum (quod absit) imprimendum, Auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scripto, quàm typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis; nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prafatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsertim transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1713. sexto Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno Decimo tertio.

I. CARD. PRODATARIUS.

F. Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinetus.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo septingentesimo decimotertio, indict. 6. die verò 10. Septemb. Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno decimo tertio, supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Mag. Curs.

INDEX

INDEX
QUÆSTIONUM, ET CAPITUM
Primæ Partis.

QUÆSTIO I.

De Conscientia.

Cap. 1. Quid sit Conscientia, & Quotuplex?
Cap. 2. De Conscientia erronea.
Cap. 3. De Conscientia Opinante, & Probabili.
Cap. 4. De Conscientia Dubia.
Cap. 5. De Conscientia Scrupulosa.

QUÆSTIO II.

De Legibus in Communi.

Cap. 1. Unde dicta Lex; & quid ea sit?
Cap. 2. De Multiplicitate Legum.
Cap. 3. Quinam potestatem habeant Leges Civiles condendi?
Cap. 4. Quinam habeant facultatem condendi Leges Ecclesiasticas?
Cap. 5. De Materia Legum.
Cap. 6. Resolvuntur nonnulla Quæsita spectantia ad obligationem Legis.
Cap. 7. De subjecto legis, seu personis, quæ tenentur legibus tam Civilibus, quàm Ecclesiasticis.
Cap. 8. An lex humana tam Civilis, quàm Ecclesiastica obligare possit sub peccato?
Cap. 9. Qua intentione satisfaciendum sit Legi, aut Præcepto?
Cap. 10. Quibus actibus satisfieri possit Legi, aut præcepto?
Cap. 11. Quæ obligatio habetur apponendi media; aut non apponendi, vel tolendi impedimenta, quæ observationem legis, aut præcepti impediunt?
Cap. 12. De Lege Pœnali.
Cap. 13. De Lege Irritante.
Cap. 14. Quonam pacto lex humana interpretanda sit?
Cap. 15. De cessatione Legis.
Cap. 16. De Consuetudine.

QUÆSTIO III.

De Dispensationibus Legis.

Cap. 1. Quid sit Dispensatio, & an cadere possit supra ea, quæ sunt Juris Naturalis; & divini?
Cap. 2. De dispensatione in lege humana.
Cap. 3. Cum quibus personis dispensari possit.
Cap. 4. De causis requisitis ad dispensandum.
Cap. 5. Quænam conditiones servandæ sint ab eis, quibus dispensationis Pontificiæ executio committitur?
Cap. 6. De causis, propter quas Rescriptum dispensationis possit esse invalidum.
Cap. 7. De modis, quibus dispensatio cessare possit, & vim suam amittere.
Cap. 8. Cujus expensis obtinenda sit dispensatio?

QUÆSTIO IV.

De Privilegiis.

Cap. 1. Quid sit privilegium, & quomodo ab aliis differat?
Cap. 2. Quotuplex sit Privilegium?
Cap. 3. Quis privilegia concedere possit, & cui; & an requiratur Causa ad privilegium concedendum?
Cap. 4. An ad privilegium obtinendum, vel dispensationem requiratur scientia, aut Mandatum privilegiandi, aut dispensandi?
Cap. 5. Ad Validitatem privilegii an requiratur scriptura, vel notitia, seu promulgatio illius?
Cap. 6. De materia, & effectibus privilegii; & quomodo, ac quo loco privilegiatus uti possit privilegio.
Cap. 7. Quomodo interpretandum sit privilegium?
Cap. 8. An privilegium, rescriptum, & dispensatio amittantur per mortem concedentis, aut illius, cui conceduntur, & delegantur?
Cap. 9. An privilegium amittatur per renuntiationem?
Cap. 10. An privilegium amittatur per non usum, contrarium usum, aut abusum illius?
Cap. 11. An per revocationem amittatur privilegium?

QUÆSTIO V.

De virtutibus Theologalibus: & primò de Fide:

Cap. 1. De Fide, & ejus essentia.
Cap. 2. De necessitate Fidei, & ejus obligatione.
Cap. 3. Quando adest obligatio Fidem exteriùs confitendi?
Cap. 4. De obligatione faciendi professionem Fidei.
Cap. 5. De Infidelitate
Cap. 6. Quænam communicatio prohibita sit Fidelibus cum Infidelibus?
Cap. 7. De hæresi, & apostasia à Fide.
Cap. 8. De obligatione denunciandi Hæreticos, & Apostatas; & de credentibus, Faventibus, receptantibus, & defendentibus Hæreticos; ac de eorum pœnis.
Cap. 9. De confessario sollicitante ad Venerem.

QUÆSTIO VI.

De Spe.

Cap. 1. Quid sit Spes; Quodnam ejus Objectum; & quomodo distinguatur à Fide, & Charitate?
Cap. 2. De actibus Spei; & in quibus reperiatur Habitus Spei, & Timoris.
Cap. 3. An detur præceptum Spei; & quando obliget?
Cap. 4. De desperatione, & præsumptione Virtuti Spei contrariis

QUÆSTIO VII.

De Charitate.

Cap. 1. Quid sit Charitas; quodnam ejus objectum; & quomodo à Fide, & spe distinguatur?
Cap. 2. De præcepto charitatis erga Deum; & quo tempore obliget.
Cap. 3. De præceptis charitatis erga proximum.
Cap. 4. De ordine servando in dilectione personarum.
Cap. 5. De eleemosyna, quæ est effectus externus Charitatis.
Cap. 6. De correctione proximi.
Cap. 7. De vitiis charitati contrariis.
Cap. 8. De Scandalo.

QUÆSTIO VIII.

De prudentia, quæ est prima inter virtutes Cardinales.

Cap. 1. Quid sit prudentia; & quomodo à cæteris Virtutibus distincta?
Cap. 2. Quotuplex sit prudentia; & quæ munia exerceat?
Cap. 3. Quomodo peccari possit contra prudentiam?

QUÆSTIO IX.

De Justitia.

Cap. 1. Quid sit Justitia; & circa quod versetur?
Cap. 2. An præter justitiam particularem detur justitia Generalis, seu Legalis?
Cap. 3. Dividitur justitia simpliciter dicta in suas Species.

Cap. 4. Quid sit jus; quomodo sit objectum justitiæ; & Quotuplex sit?
Cap. 5. De speciebus juris realis.
Cap. 6. De possessione.
Cap. 7. Dominium quibus competat; & in quæ?
Cap. 8. Quomodo acquiratur Dominium rerum, & præcipuè hominum?
Cap. 9. Quomodo acquiratur Dominium per præscriptionem, & usucapionem?
Cap. 10. De Virtutibus justitiæ annexis.

QUÆSTIO X.

De Fortitudine.

Cap. 1. Quid sit Fortitudo; & quas functiones exerceat?
Cap. 2. Quænam Vitia Fortitudini opponantur; & quale peccatum in ipsis?
Cap. 3. De virtutibus cum Fortitudine annexis; & Vitiis oppositis eis.

QUÆSTIO XI.

De Temperantia.

Cap. 1. Quid sit Temperantia in genere; quodnam munus exerceat; quotuplex sit; & quæ Vitia ei opponantur?
Cap. 2. De Abstinentia, & vitiis ei oppositis.
Cap. 3. De Sobrietate, & vitiis ei oppositis.
Cap. 4. De Castitate, pudicitia, & Virginitate; ac de vitiis eis oppositis.
Cap. 5. De Virtutibus Temperantiæ annexis, & Vitiis eis oppositis.

QUÆSTIO XII.

De Peccatis.

Cap. 1. De Voluntario, & libero.
Cap. 2. An voluntas possit pati vim in se, & suis potentiis; & quænam possint voluntarium auferre?
Cap. 3. De peccato originali.
Cap. 4. De peccato Actuali, & habituali.
Cap. 5. De peccato mortali, & Veniali.
Cap. 6. Ex quibus causis peccatum ex genere suo mortale possit fieri per accidens veniale?
Cap. 7. Ex quibus causis peccatum ex genere suo Veniale possit fieri per accidens mortale?
Cap. 8. Quanta sit malitia peccati; & an dari possit actus indifferens nec bonus, nec malus in genere moris?
Cap. 9. Quando delectationes, & desideria objecti mali sint peccata?
Cap. 10. De Distinctione specifica, & numerica peccatorum.
Cap. 11. De Peccato omissionis, & ejus causis.
Cap. 12. De peccatis capitalibus, & eorum Filiabus.
Cap. 13. De Causis, subjecto, & effectibus peccati.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET CAPITUM
Secundæ Partis.

QUÆSTIO I.

De Adoratione.

Cap. 1. PRæmittuntur ea, quæ spectant ad præcepta Decalogi in communi.
Cap. 2. De Adoratione.
Cap. 3. De iis, quæ pertinent ad adorationem Latrię.
Cap. 4. De iis, quæ spectant ad adorationem Hyperduliæ, & Duliæ.
Cap. 5. De iis, quæ spectant ad adorationem sacrarum Reliquiarum.

QUÆSTIO II.

De Oratione in Communi.

Cap. 1. Quid sint devotio, laus, & Gratiarum actio?
Cap. 2. Quid sit Oratio, Quotuplex, & quid in ea petendum?
Cap. 3. Quos orare possumus, & qui possunt orare?
Cap. 4. Pro quibus orandum; Quæ circumstantiæ in oratione servandæ; & an oratio necessaria ad salutem.

QUÆSTIO III.

De oratione in particulari recitationis privatæ Horarum Canonicarum.

Cap. 1. De personis, quæ tenentur ad horas canonicas privatim recitandas.
Cap. 2. Quodnam officium recitare teneantur Clerici in Sacris, Religiosi, & Beneficiarii?
Cap. 3. De modo recitandi divinum officium, ut præcepto satisfiat.
Cap. 4. De tempore, ordine, loco, & situ corporis, quibus divinum officium est recitandum.
Cap. 5. De causis excusantibus à Recitatione Divini Officii.
Cap. 6. De pœnis impositis non recitantibus divinum officium.

QUÆSTIO IV.

De Recitatione publica Divini Officii in Choro; & distributionibus.

Cap. 1. Quinam teneantur ad publicam recitationem divini officii in choro?
Cap. 2. An canonici, & præbendati graviter peccent si non assistant divinis officiis in choro?
Cap. 3. Resolvuntur varia quæsita ad recitationem divini officii in choro spectantia.
Cap. 4. Quid sint distributiones; quæ species earum; quo jure introductæ; & an distinctæ à fructibus?
Cap. 5. De qualitatibus requisitis in eo, qui ad Distributiones admitti possit.
Cap. 6. Quibus competat jus ad distributiones?
Cap. 7. Ob quas causas præbendatus absens à Choro distributiones acquirere possit?
Cap. 8. An præbendati à Choro absentes, & qui distributiones non lucrantur; teneantur solvere onera distributionibus annexa?
Cap. 9. Quibus accrescant distributiones absentium à Choro?

QUÆSTIO V.

De Superstitione, Idololatria, divinatione, vana Observatione, & Maleficio.

Cap. 1. De Superstitione
Cap. 2. De Idololatria.
Cap. 3. De Divinatione.
Cap. 4. De Vana Observatione.
Cap. 5. De Maleficio.

QUÆSTIO VI.

De Blasphemia, & Tentatione Dei.

Cap. 1. Quotuplex sit Blasphemia, & quomodo committatur?
Cap. 2. Quale peccatum blasphemia; quamnam obligationem inducat; Et quibus pœnis subjaceat?
Cap. 3. De Tentatione Dei.

QUÆ-

INDEX

QUÆSTIO VII.

De Sacrilegio.

Cap. 1. Quid sit Sacrilegium, & quotuplex sit?
Cap. 2. Quale peccatum Sacrilegium, & quænam pœnæ debeantur Sacrilegis?

QUÆSTIO VIII.

De Simonia.

Cap. 1. Quid Simonia, & quotuplex?
Cap. 2. Quænam sint ea, quæ habent rationem pretii ad simoniam requisiti?
Cap. 3. An semper pecunia, vel alia res temporalis tradita sit pretium rei spiritualis?
Cap. 4. De iis, quæ spectant ad triplicem simoniam mentalem, conventionalem, & realem.
Cap. 5. Quo jure prohibita simonia; & quale peccatum?
Cap. 6. Quænam sit materia, seu objectum, circa quod versatur simonia?
Cap. 7. De simonia quoad sacramenta.
Cap. 8. De simonia quoad sacramentalia, & sepulturam.
Cap. 9. An committatur simonia vendendo exercitium cujusvis virtutis?
Cap. 10. An possit accipi pretium absque simonia pro labore in operibus spiritualibus; & pro obligatione faciendi illa?
Cap. 11. An committatur simonia vendendo exercitium cujuslibet Virtutis?
Cap. 12. An res sacræ, & spirituales ex se sint tantum materia simoniæ; an etiam illæ, quæ rebus spiritualibus, & Sacris sunt annexæ?
Cap. 13. Beneficia Ecclesiastica an vendi possint sine Simonia?
Cap. 14. Quid de pensionibus, commendis, coadjutoriis, cappellaniis, & hospitalibus? Est ne eorum venditio Simoniaca?
Cap. 15. An vendi possit absque simonia jus patronatus, & alia officia Ecclesiastica?
Cap. 16. An permutatio beneficiorum, & aliarum rerum spiritualium fieri possit sine simonia?
Cap. 17. Quænam simonia accidere potest in Resignatione Beneficiorum?
Cap. 18. Quænam simonia committatur in Resignatione confidentiali beneficii?
Cap. 19. Quænam pactio sit licita in componenda lite; & quomodo redimi possit vexatio in beneficiis.
Cap. 20. Quæ pœnæ latæ, vel ferendæ sunt contra simoniacos?
Cap. 21. Quænam simoniacè acquisita restitui debeant; & cui?

QUÆSTIO IX.

De Juramento.

Cap. 1. Quid sit juramentum?
Cap. 2. Quotuplex sit juramentum?
Cap. 3. An juramentum licitum sit; & quæ requiruntur, ut sit tale?
Cap. 4. Defectus veritatis, & justitiæ, ac Judicii in juramento assertorio, vel promissorio quodnam peccatum sit?
Cap. 5. Quænam est materia juramenti?
Cap. 6. Quodnam peccatum sit juramentum amphybologicum, aut fictum in judicio, vel extra illud?
Cap. 7. An possit exigi juramentum ab eo, qui pejeraturus existimatur, aut juraturus per falsos Deos?
Cap. 8. An juramentum factum dolo, vel errore inducat obligationem?
Cap. 9. An juramentum per injuriam exactum, vel metu extortum inducat obligationem?
Cap. 10. De nonnullis juramentis, quorum materia dubia est, an sit licita; adeoque an inducat obligationem.
Cap. 11. An juramentum factum circa materiam per Legem prohibitam possit obligare?
Cap. 12. An juramentum possit confirmare Contractum alioqui invalidum?
Cap. 13. Quomodo juramentum explicari possit?
Cap. 14. An consuetudo jurandi inducat gravem culpam?
Cap. 15. Quænam personæ jurare possint?
Cap. 16. De irritatione, relaxatione, & commutatione juramenti.
Cap. 17. De Adjuratione.

QUÆSTIO X.

De Voto.

Cap. 1. Quid sit Votum?
Cap. 2. Quænam deliberatio; seu Libertas requiratur ad votum constituendum?
Cap. 3. Quomodo metus, error, aut ignorantia impediant Libertatem ad Votum requisitam?
Cap. 4. De voluntate requisita ad vovendum, ac de promissione facta per Votum.
Cap. 5. An vota soli Deo fieri possint? Et quomodo fiant de meliori bono?
Cap. 6. Quotuplex sit Votum? Et quomodo obliget Conditionale?
Cap. 7. Quænam sit materia Voti?
Cap. 8. Quomodo materia Voti debeat esse in potestate voventis? Et quid dicendum de materia partim apta ad Votum, & partim non?
Cap. 9. Quæ, & qualis sit obligatio voti? Et quomodo adstringat, quando ejus materia non est determinata?
Cap. 10. Pro quo tempore urgeat obligatio Voti, ad hoc ut adimpleatur?
Cap. 11. An votum ita obliget voventem, ut non possit per alium adimpleri?
Cap. 12. An obligatio per votum contracta transeat ad hæredes?
Cap. 13. Quamnam obligationem inducat votum Castitatis, & votum non nubendi?
Cap. 14. De obligatione, quam inducit votum Religionis?
Cap. 15. Quænam personæ vota emittere possint?
Cap. 16. Quomodo obligatio voti dissolvi possit per irritationem?
Cap. 17. Quomodo tollatur voti obligatio per dispensationem?
Cap. 18. Quomodo tollatur voti obligatio per Commutationem?

QUÆSTIO XI.

De Votis Religiosis.

Cap. 1. De natura status religiosi; & quotuplex sit?
Cap. 2. De personis, quæ Religiosum statum assumere possunt; & quæ impediuntur ab eo assumendo.
Cap. 3. De impedimentis specialibus pro ingressu in Societatem Jesu.
Cap. 4. De conditionibus requisitis ad licitum, & validum ingressum, ac de obligationibus novitii, & ejus privilegiis.
Cap. 5. Quomodo peragendus novitiatus, ut licita, & valida sit professio post ipsum emissa?
Cap. 6. De dispositione bonorum suorum, quam facere debet novitius ante professionem.
Cap. 7. De susceptione status religiosi per professionem; & quibus modis fieri possit professio.
Cap. 8. De conditionibus requisitis ex parte profitentis, & admittentis, ut valida sit professio emissa; & an eædem requirantur pro Votis simplicibus biennii Societatis Jesu?
Cap. 9. An professio facta sine aliqua conditione essentiali inducat aliquam obligationem? Et an professio nulla ratificari possit?
Cap. 10. De effectibus professionis Religiosæ, & Votorum biennii Societatis Jesu.
Cap. 11. De obligatione Religiosi professi ex vi Voti paupertatis.
Cap. 12. De obligatione professi ex vi Voti Castitatis;
Cap. 13. De obligatione professi ex vi Voti Obedientiæ.
Cap. 14. De aliis Votis, & Obligationibus annexis statui Religioso; ac de eorum Relaxatione, & præcipuè in Societate Jesu.

QUÆ-

INDEX

QUÆSTIO XII.

De Clauſura Religioſorum, & pœnis impoſitis violantibus illam.

Cap. 1. Quid ſit Clauſura, & quonam jure introducta?
Cap. 2. Quænam Moniales teneantur ad Clauſuram, & ſub quibus pœnis, & quinam jus habeant cogendi illas ad clauſuram?
Cap. 3. Quinam poſſint facultatem legitimè concedere monialibus exeundi è monaſterio, & quibus ex cauſis?
Cap. 4. Qualis ingreſſus in monaſteria monialium ſit violatio clauſuræ, & ſub quibus pœnis prohibitus?
Cap. 5. Qualis acceſſus ad monaſteria monialium ſit prohibitus, & ſub quibus pœnis?
Cap. 6. De clauſura virorum religioſorum?
Cap. 7. Quomodo interdicta ſit religioſis dimiſſio habitus ſuæ religionis?
Cap. 8. Recenſentur actiones, & officia religioſis prohibita ad continendos eos intra clauſuram.
Cap. 9. Quomodo prohibitus ſit religioſis tranſitus ex una religione ad aliam; & ſub quibus pœnis?
Cap. 10. De religioſis fugitivis, apoſtatis, & ejectis; nec non de eorum obligationibus, & pœnis; ac de obligationibus religionis erga ipſos.
Cap. 11. Quomodo teneantur ad vota, & præcepta ſuæ religionis regulares promoti ad Cardinalatum, Epiſcopatum, vel parochiam?
Cap. 12. Quomodo prohibitum ſit fœminis monaſteria virorum ingredi, & religioſis eas admittere; & ſub quibus pœnis?

QUÆSTIO XIII.

De Obſervatione Feſtorum.

Cap. 1. Quodnam præceptum habeatur de obſervatione Feſtorum; & quale illud ſit?
Cap. 2. Quinam poſſint feſta inſtituere; & quinam obligentur ad obſervationem eorum?
Cap. 3. An præceptum obſervandi feſta ſit affirmativum; an verò negativum? Et an detur in eo parvitas materiæ?
Cap. 4. Quænam opera præcipiantur diebus feſtivis; & quænam opera ſervilia prohibeantur?
Cap. 5. Quænam actiones liberales licitæ ſint die feſto; & quænam prohibitæ?
Cap. 6. Quænam cauſæ excuſent ab obſervatione feſti?

QUÆSTIO XIV.

De immunitate locorum ſacrorum, & reverentia eis debita.

Cap. 1. Quid ſit immunitas Eccleſiaſtica, & quo jure introducta?
Cap. 2. Quibus locis debeatur immunitas, & reverentia iſta?
Cap. 3. Quænam perſonæ immunitate iſta gaudere poſſint?
Cap. 4. De caſibus exceptis ab immunitate Eccleſiarum.
Cap. 5. De effectibus immunitatis Eccleſiaſticæ.
Cap. 6. Quandonam confugientes ad Eccleſiam tradi poſſunt poteſtati ſæculari; & quomodo id faciendum?
Cap. 7. De culpa, & pœnis, quas incurrunt indebitè extrahentes ab Eccleſia confugientes ad illam.

QUÆSTIO XV.

De immunitate perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Reverentia eis debita, & earum bonis.

Cap. 1. Quid ſit libertas Eccleſiaſtica, ſeu immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum; & quo jure introducta?
Cap. 2. Quænam ſint perſonæ Eccleſiaſticæ Privilegio Fori, & libertatis Eccleſiaſticæ gaudentes?
Cap. 3. Quis ſit judex in dubiis de privilegio Fori? Et in quibus cauſis poſſit judex Eccleſiaſticus laicos judicare?
Cap. 4. De exemptione Eccleſiaſticorum in cauſis criminalibus.
Cap. 5. De exemptione Eccleſiaſticorum in cauſis civilibus; & ab obligatione ſervandi Leges Civiles.
Cap. 6. De exemptione Eccleſiaſticorum à Gabellis, & Tributis realibus.
Cap. 7. Quæ culpa, & pœna contrahatur à violante iſtam immunitatem; & an privilegium iſtud amitti poſſit per renuntiationem; aut conſuetudine amitti, vel diminui poſſit?

QUÆSTIO XVI.

De reverentia debita Parentibus à Filiis.

Cap. 1. Quid per honorem; & quid per Patrem, & Matrem veniat?
Cap. 2. Ad quem honorem teneantur filii ex vi hujus præcepti?
Cap. 3. Ad quam obedientiam, & reverentiam teneantur Filii erga parentes ex vi hujus præcepti?
Cap. 4. Quomodo Filii teneantur ſubvenire parentibus?
Cap. 5. De obligatione parentum erga Filios.
Cap. 6. De obligatione mariti erga uxorem, & uxoris erga maritum.
Cap. 7. De obligatione Fratrum, & ſororum inter ſe.
Cap. 8. De obligatione dominorum, & ſervorum.

QUÆSTIO XVII.

De homicidio.

Cap. 1. Quid ſit homicidium; Quotuplex; & quale peccatum?
Cap. 2. An licitum ſit malefactores occidere?
Cap. 3. An privata authoritate licitum ſit aliquem occidere ob propriam defenſionem?
Cap. 4. An quando licitum eſt alicui alterum occidere, poſſit per alium id præſtare? Et an aggreſſus teneatur fugam arripere, ſi ſic poſſit evadere imminentem mortem ab injuſto aggreſſore?
Cap. 5. An licitum ſit occidere injuſtum aggreſſorem bonorum, honoris, & pudicitiæ?
Cap. 6. An etiam ob defenſionem Vitæ, bonorum, honoris, & pudicitiæ proximi liceat aggreſſorem injuſtum interficere?
Cap. 7. An liceat ſeipſum occidere, aut mutilare?
Cap. 8. An liceat innocentem occidere?
Cap. 9. An aliquando liceat duellum?
Cap. 10. An licitum ſit bellum; & quomodo?

QUÆSTIO XVIII.

De peccatis ad luxuriam ſpectantibus.

Cap. 1. An motus ſenſualitatis, & delectatio moroſa de re venerea ſint peccaminoſa?
Cap. 2. An, & qualia peccata ſint oſcula, amplexus, tactus, Turpiloquia, & aſpectus extra matrimonium?
Cap. 3. De ſpeciebus luxuriæ conſummatæ naturalibus: & primò de fornicatione, & Concubinatu.
Cap. 4. De Adulterio.
Cap. 5. De Stupro.
Cap. 6. De Raptu.
Cap. 7. De Inceſtu.
Cap. 8. De Sacrilegio.
Cap. 9. De peccatis luxuriæ contra naturam: & primò de pollutione, ſeu mollitie.
Cap. 10. De Sodomia.
Cap. 11. De beſtialitate, congreſſu cum dœmone, & conjunctione naturali indebito modo facta.

QUÆSTIO XIX.

De Furto, & Rapina.

Cap. 1. Quid ſit Furtum? Quidve Rapina? Et qualia peccata?
Cap. 2. Quæ quantitas requiritur ad peccatum mortale furti? Et quomodo peccet, qui minuta furta committit?
Cap. 3. An licitum ſit furripere in neceſſitate?
Cap. 4. De Furtis filiorum, uxoris, Religioſorum, & Famulorum.

QUÆ-

INDEX

QUÆSTIO XX.

De Reſtitutione.

Cap. 1. Quid ſit Reſtitutio? Et quomodo neceſſaria ad ſalutem?
Cap. 2. Quænam ſunt radices, ex quibus oritur reſtituendi obligatio?
Cap. 3. Ad quid teneatur inferens injuriam damnoſam materialiter, ſeu poſſeſſor bonæ fidei?
Cap. 4. Dubitans, rem eſſe alienam; tenetur ne illam, & fructus ex ea perceptos reſtituere?
Cap. 5. Ad quid teneatur inferens injuriam damnoſam formaliter, ſeu poſſeſſor malę fidei?
Cap. 6. An teneantur ad reſtitutionem cooperantes ad damnum alienum?
Cap. 7. Quomodo teneatur ad reſtitutionem jubens, & mandans damnum inferri.
Cap. 8. Quomodo teneatur conſulens.
Cap. 9. Quomodo teneatur conſentiens.
Cap. 10. Quomodo teneantur palpans, receptans, & participans.
Cap. 11. Quomodo teneantur mutus, non obſtans, non manifeſtans.
Cap. 12. Quomodo teneantur ad reſtitutionem impedientes alios à conſecutione alicujus boni.
Cap. 13. An teneantur reſtituere in ſolidum, & quo ordine cooperantes ad damnum alterius modis ſuperiùs dictis?
Cap. 14. Quid reſtituendum ſit, & quantum, ut obligationi reſtituendi ſatisfiat?
Cap. 15. An accepta ob cauſam honeſtam aliàs debitam reſtituenda ſint?
Cap. 16. An accepta ob turpem cauſam reſtituenda ſint, & cui?
Cap. 17. An bona incerta reſtituenda ſint, & cui?
Cap. 18. An bona vacantia, derelicta, theſauri, Gemmæ, & Metalla è venis eruta reſtituenda ſint?
Cap. 19. An animalia Venatione, Aucupio, aut Piſcatione capta reſtituenda ſint?
Cap. 20. De tempore, loco, & modo, quo fieri debeat Reſtitutio.
Cap. 21. De ordine in Reſtitutione ſervando tum inter debita, tum inter perſonas, quibus facienda eſt.
Cap. 22. De cauſis differendi reſtitutionem.
Cap. 23. De cauſis omittendi reſtitutionem.
Cap. 24. De aliquibus reſtitutionibus in particulari.

QUÆSTIO XXI.

De Contractibus.

Cap. 1. Quid ſit contractus, & quotuplex?
Cap. 2. Quinam conſenſus requiratur ad validitatem contractus?
Cap. 3. Quinam contrahere poſſint? Et quibus concedatur reſtitutio in integrum ob damnum ex contractu?
Cap. 4. An contractus celebrati abſque ſolemnitate à jure requiſita ſint validi? Et ex qua culpa teneantur contrahentes ad reſtitutionem?
Cap. 5. De promiſſione, & donatione.
Cap. 6. De emptione, & venditione. Et quibus prohibita ſit negotiatio.
Cap. 7. De mutuo, & uſura.
Cap. 8. De cenſibus.
Cap. 9. De cambiis.
Cap. 10. De emphyteuſi, Feudo, & Livello.
Cap. 11. De locatione, & conductione.
Cap. 12. De depoſito, commodato, & precario.
Cap. 13. De fidejuſſione, aſſecuratione, pignore, & hypotheca.
Cap. 14. De ſocietate.
Cap. 15. De ſponſione, & ludo.
Cap. 16. De tutela, curatela, teſtamentis, & legatis.

QUÆSTIO XXII.

De injuriis contra proximum ſive in judicio, ſive extra.

Cap. 1. Quid ſit mendacium? Quotuplex ſit? Et quale peccatum?
Cap. 2. De injuriis, quæ in judicio judex committere poteſt.
Cap. 3. De injuriis judicis contra formam juris.
Cap. 4. De accuſatore, Denuntiante, & teſtibus.
Cap. 5. De reo, advocato, Procuratore, & notario.
Cap. 6. De judicio temerario, ſuſpicione, & dubitatione.
Cap. 7. De detractione.
Cap. 8. Quænam ſit materia gravis, vel levis in detractione.
Cap. 9. An quis poſſit infamare ſeipſum?
Cap. 10. De audiente detractionem.
Cap. 11. Quomodo facienda ſit reſtitutio famæ? Et à quibus perſonis? Et quibus?
Cap. 12. Quænam excuſent à reſtitutione famæ?
Cap. 13. De contumelia, deriſione, ſuſurratione, & earum reſtitutione.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & approbatione del *P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro Intitolato *Univerſi Juris Theologico Moralis Tomi quattro &c. Auctore Petro Catalano* non v' eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Chriſtofforo Zane Stampatore* che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 24. *Luglio* 1727.

(*Carlo Ruzini Kav. Proc. Ref.*
(*Alviſe Piſani Proc. Ref.*
(*Zan Pietro Paſqualigo Ref.*

Agoſtino Gadaldini Secretario

PARS

PARS PRIMA UNIVERSI JURIS THEOLOGICO-MORALIS.

PRODROMUS.

COntinet hæc Prima Pars Quæstiones præambulas ad Jus Theologico-Morale, nempe de Conscientia, Legibus, Virtutibus omnibus, Vitiis, & Peccatis; quæ viam aperiunt cæteris Partibus Jus prædictum componentibus: adeò ut sine ipsarum intelligentia redderetur difficilis reliquarum Quæstionum explanatio. Meritò igitur ab ea initium facimus, ùt suo ordine ea, quæ possumus claritate, cæteras Partes faciliùs explanemus.

QUÆSTIO PRIMA.

DE CONSCIENTIA.

CUM Conscientia sit Regula interior humanarum actionum, Leges verò Regula exterior illarum; inde est, quòd priùs Conscientiam explicare debemus, dein Leges.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Conscientia, & quotuplex?

1 *Conscientia quid Nominis, & quid Rei?*
2 *Conscientia multiplex.*
3 *Quid Conscientia Recta, & quid Erronea?*
4 *Quid Certa, & Probabilis?*
5 *Quid Dubia, & Scrupulosa?*
6. *Recta, Erronea & Probabilis sunt revera Conscientia; non sic tamen dubia, & Scrupulosa.*
7 *Quid Conscientia Speculativa, & Practica?*
8 *Non semper inter se pugnant Conscientia Speculativa, & Practica.*

1 COnscientia, si vim nominis spectemus, nihil aliud significat nisi simul scientiam: à *Conscio* enim, seu *simulscio* originem trahit. Et varias habere potest acceptiones, quas refert D. Thomas 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. & 6. Hìc tamen accipitur, prout facit ad præsens institutum, pro Regula illa interna, seu dictamine rationis, quo iudicatur aliquid sequendum, vel fugiendum esse, ut omnes ferè Doctores testantur. Hinc fit, Conscientiam consistere in actu illo intellectus, & dictamine rationis, quo judicat, quid hìc, & nunc agendum, vel omittendum sit à Voluntate tamquam bonum, vel malum, per modum præcepti, vel consilii.

2 Quamvis communiter dictamen istud Rationis, & Judicium intellectus (nam non quicumque actus intellectus est Conscientia, sed judicativus juxta supradicta) rectum sit, & verum dictet; aliquando tamen non ita se habet. Hinc est, quòd Conscientia multiplex esse possit, Recta videlicet, Erronea, Certa, Probabilis, Dubia, & Scrupulosa.

3 Recta dicitur, quando judicat, & dictat, quod verum, & rectum est in se. Erronea verò, quando dictat aliquid aliter, ac in se sit: ut si dictet sequendum aliquod, quod in se malum sit; & fugiendum aliquod, quod in se bonum sit: proponit siquidem cum errore intellectus aliquod ut bonum, cùm revera non sit tale; & aliquod, ut malum, quod in se bonum sit; adeoque meritò dicitur Conscientia ista dictamen falsum rationis, & intellectus.

4 Conscientia Certa est dictamen, & judicium certum intellectus, saltem moraliter; de quo videlicet prudenter dubitari non possit. Quod quidem judicium, si Authoritati Divinæ nitatur, dicitur Fides Divina, ac

emnem certitudinem habet; ſi verò humanæ nititur authoritati, dicitur Fides Humana, & varios habere poteſt certitudinis gradus juxta teſtimonium Perſonarum id dicentium. Conſcientia verò Probabilis, ſeu Opinativa eſt judicium non certum, ſed infirmum alicujus partis, cui adhæret, ſed cum formidine, & timore partis oppoſitæ, ne forte ea vera ſit: quapropter conſcientia Opinativa præbet quidem ſuum aſſenſum uni parti, ſed cum formidine alterius.

5 Conſcientia dubia eſt, quando intellectus non valet ſe inclinare in unam potius partem, quàm in aliam; adeoque neque aſſentitur, neque diſſentitur, ſed remanet anceps, & veluti in æquilibrio ſuſpenſus. Quòd ſi nulli parti aſſentiatur, ſed magis inclinet ad unam partem, quàm ad aliam, quamvis ſine aſſenſu; erit ſuſpicio, & dicetur conſcientia ſuſpicans: nam dubium licèt excludat aſſenſum utriuſque partis, ut excludit ſuſpicio: nihilominus nondicit inclinationem in unam potius partem, quàm in aliam, ut dicit ſuſpicio. Conſcientia verò Scrupuloſa eſt apprehenſio quædam inanis, & ex levibus rationibus orta, ac ex quadam puſillanimitate, qua judicium certum, vel probabile partis oppoſitę non excluditur; & inde ſequitur timor, & anxietas alicubi eſſe peccatum, ubi revera non eſt. Sic ſcrupuloſus ſcit aliquod non eſſe peccatum, ut e.g. ſpuere in eccleſia, nihilominus ob leves rationes, & ex inani apprehenſione fluctuat, & ambigit, an inreverentiam irroget loco ſacro ſpuens, & conſequenter an peccet. Ut patet, fundamentum leve eſt, ſed vehementer à ſcrupuloſo apprehenſum: quòd ſi fundamentum non eſſet leve, tunc non eſſet ſcrupulus, nec inanis appræhenſio; ſed ſaltem Opinio.

6 Ex dictis colligitur 1 quamvis conſcientia Recta, Erronea, Certa, & Probabilis ſint revera conſcientia, eo quia Dictamen rationis, & Judicium intellectus continent, in quibus re vera, & propriè conſcientia ſita eſt; Non ſic tamen dubia, & ſcrupuloſa, quæ non continent dictamen rationis, & judicium intellectus: ſed Dubia hæret ſuſpenſa, & nullum judicium profert; ſcrupuloſa ob inanem apprehenſionem inveſtigat rationes ad judicium ferendum, & dictamen formandum; adeoque neutra in rigore conſcientia erit, ut rectè adnotant Vaſquez 1. 2. *diſp.* 67. *cap.* 2, *num.* 7. & Sanchez *lib.* 1. *in decalogum cap.* 9. *num.* 7.

7 Dividi etiam ſolet conſcientia in ſpeculativam, & practicam. Speculativa dicitur illa, quę in genere dictat, aliquod eſſe bonum, vel malum; faciendum, vel non faciendum. Sic dictamen illud, & Judicium, quod dicit: jejunandum diebus ab Eccleſia præceptis; audiendum ſacrum die feſtivo; non ſurripiendum alienum; ceſsandum die feſtivo ab operibus ſervilibus, dicitur conſcientia ſpeculativa, quia in genere dictat, quid faciendum, aut omittendum ſit; conſcientia verò Practica eſt dictamen illud, & Judicium, quod in particulari, & in ſpecie dictat, quid hìc, & nunc, ac in talibus circumſtantiis ſit bonum, vel malum; faciendum, vel omittendum. Sic judicium illud, & dictamen, quo in talibus circumſtantiis, & hìc, & nunc judico, jejunandum eſſe hoc die ab Eccleſia præcepto; audiendum ſacrum hoc die feſtivo, non accipiendum alienum in tali circumſtantia; ceſſandum ab opere ſervili hoc die feſtivo; dicitur conſcientia Practica, eo quia in particulari, ac in talibus circumſtantiis dictat, quid faciendum; idem eſſet, ſi dictaret non faciendum, & omittendum.

8 Adnotandum hìc: quòd licèt aliquando hæ duæ conſcientiæ ſpeculativa, & Practica; ſeu hæc duo judicia, & dictamina ſpeculativa, & practica videantur opponi inter ſe, ita ut aliqui Doctores dixerint; licitum eſſe operari cum conſcientia practica ex ſufficientibus motivis contra conſcientiam ſpeculativam certam; nihilominus revera non opponuntur inter ſe, ſed ſunt valde conformes: ratio eſt, quia judicium generale non ſe extendit ad caſum in particulari, & illis circumſtantiis veſtitum; adeoque qui judicat, hìc, & nunc ob infirmitatem excuſari à jejunio, non judicat generaliter, obligationem jejunandi urgere etiam infirmos habentes talem infirmitatem; ſed potiùs generaliter judicat, omnes infirmos talem infirmitatem habentes excuſari à Lege univerſali jejunii & ſic conſcientia practica erit conformis ſpeculativæ; & quod recta ratio dictat in caſu particulari dictat in genere illo, nec judicium particulare erit contrarium generali. Sed quidquid ſit de hac controverſia, unum extra controverſiam eſſe debet: actiones humanas regulandas eſſe à judicio practico, & in particulari, quod hìc, & nunc ac in talibus circumſtantiis formatur; & hoc ſequi tenemur, ut principium regulans actiones noſtras; prout rectè probat Sanchez plures referens *lib.* 2. *Matrim. diſp.* 41. *num.* 8.

CAPUT II.

De Conſcientia Erronea.

1 *Erronea alia Invincibilis, Vincibilis alia.*
2 *Adeſt obligatio ſequendi conſcientiam Erroneam invincibiliter, ſi aliquid dictet faciendum, vel omittendum ſub præcepto.*
3 *Solvuntur oppoſita in contrarium.*
4 *Peccat non faciens quod faciendum dictat conſcientia invincibiliter errans; ſicuti faciens quod dictat omittendum; & operans juxta eam meretur ſecundùm ſpeciem virtutis propoſitę.*
5 *Peccat operans juxta dictamen conſcientiæ vincibiliter Errantis, niſi Errorem deponat; quiſi deponi nequeat, tranſit in invincibilem.*
6 *Sequens unam partem contradictionis ex duabus æquè propoſitis, ut malis, ex errore invincibili non peccat; ſecus verò ſi ſequatur eam, quæ ut majus malum proponitur.*
7 *Detentus in carcere, etiam ſi putet ex conſcientia Erronea, ſe graviter peccare non audiendo Sacrum; revera non peccat.*
8 *Non obedire conſcientiæ invincibiliter Erranti eſt peccatum mortale, vel veniale juxta naturam rei dictatæ, & ejuſdem ſpeciei objecti propoſiti.*
9 *Efficere aliquid contra conſcientiam dictantem illud, ut peccatum in confuſo, non diſtinguendo inter materiam gravem, vel levem; mortalem, aut venialem; eſt grave peccatum.*
10 *Operans contra conſcientiam non actu, ſed habitu Errantem, non peccat.*
11 *Putans ex conſcientia Erronea aliquod indifferens eſſe malum in genere: ſi id efficiat, peccat ea ſpecie, qua vult Deum offendere.*
12 *An gravius peccet ſequens conſcientiam vincibiliter Errantem, quàm ſi eam non ſequeretur?*
13 *An conſcientia Errans graviùs liget, quàm Præceptum Superioris?*
14 *Quomodo deponenda conſcientia Errans?*
15 *An aperienda in confeſſione circumſtantia mutans ſpeciem ex Errore concepta?*
16 *An attendenda conſcientia ſequens poſt actum commiſſum?*

1 COnſcientia Erronea, quæ videlicet cum Errore intellectus procedit dictantis malum bonum, & bonum malum; dupliciter poſtet eſſe talis, invincibiliter ſcilicet, ac inculpabiliter, & vincibiliter, ac culpabiliter. Tunc dicitur invincibiliter, & inculpabiliter Errans, quando Error moraliter vitari non potuit; vel quia de illo nulla ſuſpicio orta eſt; vel quia penitus ignoratur: adeoque nec voluntarius dicendus erit, nec imputabilis ad culpam. Et Conſcientia iſta ſolet dici Recta ſecundùm quid, ſcilicet non in ſe, ſed reſpectivè ad nos. Tunc verò dicitur vincibiliter, & culpabiliter Errans, quando Error vitari poterat, & debebat; vel quia orta eſt ſuſpicio de illo; vel quia non penitus, ſed craſsè, ſupinè, aut affectatè ignorabatur. Et hic Error ut pote vincibilis, & ſuperabilis, nequit dici involuntarius, adeoque imputabilis ad culpam; & conſcientia ex illo reſultans nullatenus dici poteſt Recta, nec abſolutè, & in ſe; nec reſpectivè ad nos.

2 Jam verò non ſolùm habetur obligatio ſequendi conſcientiam Rectam abſolutè, ut per ſe patet, & extra controverſiam eſt; ſed etiam conſcientiam Rectam ſecundùm quid, ſeu Erroneam invincibiliter, quando dicat aliquid faciendum, aut omittendum ſub præcepto; non verò ſub concilio tantùm; ratio eſt, quia cùm voluntas ſit potentia cæca, nec ferri queat in incognitum; inde eſt, quòd teneatur obedire præceptis, prout ab intellectu repræſentantur; Ergo ſi intellectus, quamvis invincibiliter Errans, repræſentat hìc, & nunc, tale præceptum adeſſe; tenebitur voluntas ad amplectendum illud; cùm enim regula noſtrarum actionum ſit conſcientia, ideo obligat voluntatem ad faciendum, quod ipſa dictat. Eſt communis Catholicorum ſententia, & ab ea recedere fieri nequit abſque temeritate, & periculo

er-

erroris; ut docent *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 19. *cap.* 2. *num.* 6. *Salas quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. unic. sect.* 6. *num.* 16. & alii, qui probant sententiam istam ex Scripturis, Patribus; & Decretis Pontificum.

3 Neque dicas, conscientiam erroneam aliquando dictare aliquid contra Jus Divinum; & nemo tenetur sequi conscientiam errantem contra Legem Divinam: ut si quis invincibiliter putaret, obligatum esse ad mentiendum, ut vitam proximo salvet: maximè quia Deus non potest esse sibi metipsi contrarius: quapropter si mandat ob nullum casum mentiendum esse, non poterit mandare, ut obediamus conscientiæ erroneę, quæ dictat mentiendum ob salvandam vitam proximi; sic enim sibi esset contrarius. Insuper si Deus mandare posset, ut obediremus conscientiæ erranti, quamvis invincibiliter; esset author mali moralis, & alicujus falsi, nempe mendacii, quod per conscientiam erroneam proponeretur in casu adiecto. Non obstant, inquam, hæc dicta nostræ Sententiæ: nam conscientia invincibiliter errans, esto materialiter dictet aliquid contra Jus, & Legem Divinam, cui videtur contrariari; revera tamen nec formaliter dictat aliquid contra Legem Divinam, nec ipsi contrariatur: eo quia cùm Lex vera Divina non sit in intellectu judicante per errorem Legi Divinæ oppositum; inde est, quòd nec ipsi formaliter contrarietur, nec ipsam teneatur sequi. Et quamvis nemo possit sequi malum formaliter, & cognitum ut tale; poterit tamen aliquando obligari ad sequendum malum materialiter, cognitum videlicet ut bonum, & ut tale dictatum à conscientia invincibiliter errante. Nec tunc Deus esset sibi contrarius, cùm contrarietas non sit in Legibus immediatè latis à Deo, in quibus nulla contrarietas esse potest; sed contrarietas materialis tantùm, & nullo modo formalis esset in Legibus ab homine sibi præscriptis à dictamine rationis; quæ dictat conscientiam esse sequendam, & etiam invincibiliter per errorem dictat, mentiendum esse ob salvandam vitam proximi. Nec denique Deus esset physicè, vel moraliter causa mali moralis, vel alicujus falsi; cùm neque præcipiat, neque consulat, nec inclinare faciat ad mentiendum formaliter; sed ut causa universalis ad errorem concurrit, quem non tenetur specialiter auferre; & ex suppositione erroris concurrit ad id, quod conscientia dictat & tunc per accidens præcipit, & consulit mentiri.

4 Hinc fit 1. peccare eum, qui non facit, quod faciendum dictat conscientia *invincibiliter errans*: ratio est, quia facit contra rationem, & contra obligationem sibi propositam sequendi dictamen conscientiæ: sic putans esse jejunandum, quando jejunandum non est; peccat, si non jejunet. Fit 2. peccare eum, qui facit, quod non faciendum dictat eadem conscientia invincibiliter errans: sic putans mentiendum esse, ut proximus liberetur; peccat, si non mentiatur. Fit 3. operantem juxta Dictamen conscientiæ invincibiliter errantis mereri secundùm eam speciem virtutis, secundùm quam mereretur, si revera à Deo res illa præcepta esset: sic furans, vel mentiens, ut proximo subveniat, putans id à Deo præcipi ex dictamine suæ conscientiæ; meretur, ac si actus Misericordiæ à Deo præceptos exerceret: nam nec formalem malitiam haberent in isto casu furtum, & mendacium; & aliunde actus isti bonitatem acciperent ab objecto repræsentato, ut bono, & cum honestate finis: objectum namque tribuit speciem actui, prout hic, & nunc ab intellectu proponitur, ut docet *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 15. *art.* 5. *Sic Sanchez lib.* 1. *Decal. cap.* 11. *num.* 17. *Salas* 1. 2. *tract.* 8. *disp. unic. sect.* 3. *num.* 20. *Castropalaus de Conscien. disp.* 1. *pun.* 2. *num.* 6., *& Bonacina alios referens disp.* 2. *de Peccat. quæst.* 4. *pun.* 6. *num.* 13. Qui omnes pariter discurrunt de eo, qui operatur contra dictamen conscientiæ errantis: peccat enim, ac demeretur æquè, ac si operaretur contra rem à Deo revera præceptam; censetur namque habere affectum, & voluntatem ad peccatum, & contemnendi revera Voluntatem Dei, ac ejus Legem juxta illud B. Pauli ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: videlicet omne, quod non est secundùm conscientiam, peccatum est; ut explicant passim Sancti Patres cum *D. Ambrosio*, *Chrysostomo*, *Theophilacto*, *Anselmo*, *& aliis quos refert Vasquez* 1. 2. *disp.* 19. *num.* 8.

5 Doctrina hucusque tradita procedit de conscientia invincibiliter errante, & per consequens inculpabiliter; non verò de conscientia errante vincibiliter, & culpabiliter; quæ videlicet ex ignorantia vincibili dictet aliquod malum bonum, aut bonum malum; vel aliquod præceptum esse, aut prohibitum, quod revera non est. Nulla enim obligatio absoluta sequendi conscientiam vincibiliter errantem, adeoque nullum peccatum commitatur eam non sequendo dummodo prius deponatur. Ex hoc sequitur, quòd non possit contrarium effici; eò quia stante conscientia illa erronea, quamvis vincibili, non habetur judicium dictans, contrarium esse faciendum; adeoque priùs vincendus, & deponendus est error, ne imprudenter, & culpabiliter operemur: in potestate siquidem nostra est, errorem vincibilem superare, aliàs cum periculo errandi operaremur; quod enim ex conscientia vincibiliter erronea fit, voluntariè indirectè fit, & imputabiliter ad culpam: ut docet *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 15. *art.* 5. & communiter Doctores eum sequentes. Quòd si error vincibilis conscientiæ deponi non possit; vel quia non habetur commoditas vincendi errorem; vel quia licèt aperans aliquando dubitaverit de errore illo, nunc verò non dubitat; tunc error iste transit in invincibilem, adoque conformans se dictamini hujus conscientiæ non peccat: sicuti non peccat ille, qui sequitur ductum conscientiæ errantis absolutè invincibilis. Sic *Sanchez lib.* 1. *Decalog. cap.* 11. *num.* 12. *infine*, *Joannes Sancius in Select. disp.* 41. *num.* 26., *& Castropalaus de Conscien. disp.* 1. *pun.* 2. *num.* 4.

6 Quæres 1. An qui putat ex conscientia erronea invincibili utramque partem contradictionis esse malam, peccet alterutram sequens? sit exemplum: quis excommunicatus, per quem non stet, ut ab excommunicatione absolvatur; putat peccare, si missam audiat die festivo, utpote excommunicatus; putat quoque peccare, si eam non audiat, quia invincibiliter credit, teneri ad audiendam missam, quamvis excommunicatus. Aut invincibiliter putans obligatum se esse ad audiendam missam, etiamsi curam graviter ægrotantis habeat; & pariter putet, se obligatum esse ad non relinquendum ægrotum, etiam ab missam audiendam. Resp. si putet, majus peccatum committere sequendo unam partem contradictionis, quàm aliam, peccat sequendo eam, in qua gravius peccatum agnoscit: eo quia ex duobus malis à conscientia invincibiliter erronea dictatis minus eligere debet juxta illud: ex duobus malis minus est eligendum. Si tamen discernere nequeat, quænam gravius sub peccato prohibeatur; tunc non peccabit seligendo unam ex illis partibus, quam maluerit: ratio est, quia in casu adjecto non haberetur libertas necessaria ad peccandum; cùm enim una pars ex illis duabus contradictoriè oppositis necessario seligenda sit, & in utraque peccatum æquè agnoscitur; deneccesse peccatum seligi debet; adeòque non habetur libertas necessariò requisita ad peccandum. Et quamvis electio unius partis, potius quàm alterius sit libera; non est tamen libertas sufficiens ad peccatum: nam licèt vitam possit hæc pars determinata liberè, nequit tamen vitari alia pars, in qua simile peccatum agnoscitur. Sic *Adrianus quæst. de Restit. incipit*: *Quia dictum est*. *Sanchez lib.* 1. *Decal. cap.* 11. *num.* 14. *Rodriquez tom.* 2. *Summ. cap.* 11. *num.* 6. *Sancius in Select. disp.* 41. *num.* 27. *in fine*, *Castropalaus de Conscien. disp.* 2. *pun.* 5. *num.* 2. *& Bonacina de Pecc. disp.* 2. *pun.* 6. *num.* 27. *referens Becanum*, *Reginaldum*, *Suarez*, *& Layman*.

7 Hinc inferunt citati Doctores *Sanchez*, *Sancius*, *Castropalaus*, *& Bonacina l. c. num.* 24. non peccare eum, qui in carcere detentus putat ex conscientia errante, se peccare non audiendo Sacrum: nam licèt iste talis habeat hoc judicium erroneum purè speculativè, in praxi tamen omissio Sacri non pendet ab illo, nec ab ejus libertate; sed à Carcere, in quo detinetur: adeòque nullatenus dicitur habere libertatem ad peccandum in omissione Sacri, quæ ab extrinseco est ipsi impedita.

8 Quæres 2. quod nam peccatum sit non sequi conscientiam invincibiliter errantem, eique non obedire? Resp. esse Mortale, vel Veniale juxta naturam rei ab ipsa conscientia propositam eodem prorsus modo, qui evenire solet in conscientia rectè dictante. Insuper esse peccatum illius ejusdem speciei, ad quam spectat objectum propositum: quapropter si dictat, mentiendum esse, ut proximi vita salvetur; omittere mendacium illud erit contra Charitatem proximi; sicuti si dictaret, die non festivo audiendum Sacrum, illud omittere esset contra Religionem.

9 Quòd si dictet aliquid in confuso malum, videlicet esse peccatum, absque eo quòd distinguat materiam gravem, vel levem; mortalem, aut venialem; ut evenire solet in pueris habentibus usum rationis, rusticis, & mulierculis; tunc grave peccatum erit id efficere: ratio est, quia voluntas advertens ad malitiam simpliciter tenetur inquirere, an gravis, vel levis sit; & dum non inquirit,

ſupponitur quantum eſt ex ſe ita affecta, ut parata ſit ad mortale: ſed qui affectum habet ad grave peccatum, graviter peccat; ut patet in dubitante de objecto venialiter malo an mortale ſit, & tamen ſi illud amplectitur, ex communi ſententia mortaliter peccat; ergo etiam in caſu noſtro ob paritatem rationis, cùm utrobique operans exponat ſe periculo graviter peccandi. Sic *Sanchez lib. 1. Decal. cap. 11. num. 6. Azor. part. 1. lib. 2. cap. 8. quæſt. 6. Sayrus in Clave Regia lib. 1. cap. 4. pun. 3. num. 6. Bonacina de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 2.* referens *Vaſquez, Rodriquez, & Filliuccium*, Non nego, oppoſitam ſententiam, quòd videlicet veniale tantùm committatur, defendi cum ſua probabilitate à *Navarro, Ludovico Lopez, Valentia, Salas, Antonio Perez, & aliis* penes *Caſtropalaum de Conſcien. diſp. 1. pun. 3. num. 1.* qui nobiſcum ſentit *num. 6.* cum *Sancio in Selectis disp. 18. num. 1.* & aliis, ſed non recedendum à noſtra ſententia.

10 Quæres 3. an qui ex conſcientia erronea putavit, aliquod eſſe peccatum, ſed cùm actu id efficit immemor eſt conſcientiæ errantis, & dictantis eſſe peccatum; an inquam peccet? Quod ſub aliis terminis proponi ſolet; an ſit peccatum agere contra conſcientiam, non actu errantem, ſed habitu? ut ſi quis erroneè putaret, in hac hebdomada eſſe diem feſtivum, aut diem jejunii, cùm non ſint: v. g. diem Jovis eſſe pervigilium S. Ioannis Baptiſtæ, & diem Veneris eſſe ejus Feſtum; adventibus tamen his diebus jejunium, & miſſam amittit immemor antecedentis dictaminis conſcientiæ errantis an inquam peccet? Res. aliquos Doctores putaſſe, revera peccare; eo quia ſemel ac non revocatum fuerit illud dictamen antecedens, cenſetur moraliter perſeverare; adeòque qui agit contra illud, peccat. Verùm probabilior ſententia docet, non peccare; ratio eſt, quia actu non habetur conſcientia dictans omittere jejunium, & auditionem ſacri eſſe peccatum; nec dubium inſurgit de tali obligatione, vt ſuppono; ergo omittens non peccat. Et ratio ulterior eſſe poteſt, quia ſi revera talis obligatio eſſet non à conſcientia errante, ſed recta; adhuc inadvertentia excuſaret à peccato; ergo multo magis excuſabit in caſu adjecto, ubi revera non adeſt obligatio jejunandi, & audiendi Sacrum: maximè quia omiſſio jejunii, & miſſæ nec oritur, nec oriri poteſt à Voluntate, & dictamine præterito nullo modo perſeverantibus moraliter, cùm nec adſint in ſe, nec in effectu aliquo. Sic *Vaſquez 1. 2. diſp. 60. cap. 3. Azor. 1. part. lib. 2. cap. 8. quæſt. 12. Caſtropalaus de Conſcien. diſp. 1. pun. 4. num. 3. Salas diſp. unic. ſect. 3. num. 29. Bonacina de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 28., & Sanchez lib. 1. Decalog. cap. 11. num. 7.*

11 Quæres 4. an ſi quis ex conſcientia erronea putaret, aliquod opus indifferens eſſe malum, & peccaminoſum in genere, non diſtinguens ſpeciem mali, & peccati illius, peccaret efficiendo illud? ut ſi quis putaret malum, & peccaminoſum refricare manus, tondere barbam die Veneris, & ſimilia. Reſ. quidquid ſit de poſſibilitate talis cogitationis, ſic genericè excogitatæ, & ſine determinatione ſpeciei, cùm conſcientia practica ſit, & ad opus dirigat; tunc actum illum eſſe peccaminoſum, ſed in aliqua ſpecie infima conſtituendum eſſe, cùm non poſſit omnes ſpecies vitii in ſe continere, aliàs eſſet gravius peccaminoſus præ odio Dei, infidelitate, &c. adeòque peccatum ſic commiſſum erit in ea ſpecie, in qua eſt actus, quo vellet Deum offendere. Sic *Caſtropalaus de Conſcien. diſp. 1. pun. 3. num. 2.*

12 Quæres 5. an peccet graviùs quis ſequendo conſcientiam vincibiliter errantem, quàm eam non ſequendo; ſi nolit diligentiam requiſitam ad illam deponendam adhibere? Reſ. hoc dignoſcendum eſſe ex gravitate, vel levitate rei propoſitæ: quapropter aliquando gravius peccatum erit, aliquando levius: ſic ſi conſcientia vincibiliter errans dictet, mentiendum eſſe, ut proximi vita ſalvetur; gravius peccatum erit eam non ſequi, quàm ſequi: ratio eſt, quia ſequendo committitur peccatum veniale mendacii, ſupponimus enim eſſe mendacium officioſum; non ſequendo verò erit peccatum mortale, quia eſt contra conſcientiam graviter dictantem, eripiendum eſſe proximum à morte cum mendacio. Et è contra: ſi conſcientia vincibiliter errans dictet furandum ad dandam eleemoſynam pauperibus; gravius peccatum erit eam ſequi, quàm non: cùm ſequendo peccatum furti committatur, quod ſupponimus verſari circa materiam gravem, & contra juſtitiam; non ſequendo tamen minus peccatum, cùm eſſet tantùm contra charitatem. Nec obſtat ratio *Baſſolis* ſuſtinentis *in 2. diſt. 39. quæſt. unic. art. 3.* ſemper gravius peccatum eſſe ſequi conſcientiam vitioſè errantem, quàm illam non ſequi: eo quia ſequendo contemnitur præceptum Dei, & rectæ rationis; ſecus verò eam non ſequendo. Contra enim eſt, quia ut rectè habent *D. Thom. in 2. diſt. 39., & Sylveſter Verb. Conſcientia, quæſt. 1.* conſcientia non obligat virtute propria, ſed quatenus proponit, & promulgat præceptum latum à ſuperiore, Deo, & recta ratione; quapropter etiamſi ab ipſis latum non fuerit, judicat tamen latum fuiſſe per conſcientiam ſic erroneè dictantem; per hoc ipſum non ſequendo dictamen illud dicitur contemnere præceptum Superioris, Dei, & rectæ rationis. Ex quo infertur, numquam operandum eſſe contra conſcientiam ea perdurante, & nondum depoſita; aliàs ſemper contemneretur præceptum Dei, & rectæ rationis dictantium, non eſſe operandum contra conſcientiam. Sic *Sanchez lib. 1. Decalog. cap. 11. num. 15. Sayrus lib. 1. cap. 24. num. 24. Azor. referens Durandum, Almainum, & Cordubam 1. par. lib. 2. cap. 8. quæſt. 9. Caſtropalaus referens Sylveſtrum, & Salas de Conſcienc. diſp. 1. pun. 6. num. 2. & Bonacina referens Becanum, Vaſquez, & Filliuccium de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 15.*

13 Quæres 6. an magis obliget conſcientia errans, quàm præceptum Superioris? Reſ. certum eſſe, ſi conſcientia invincibiliter erret, magis ipſam obligare, quàm præceptum Superioris: ratio eſt, quia ubi peccatum invincibiliter agnoſcitur per conſcientiam propoſitum, nequit prevalere Superioris præceptum, nemo enim tenetur Superiori obedire, ubi manifeſta ratio peccati cenſetur contineri. Sed rarò hoc contingere poteſt, quod in concurrentia præcepti Superioris conſcientia ſit invincibiliter errans; adeoque ſi vincibiliter errat, tenetur errorem deponere, & præcepto Superioris obedire. Ut docent *Sanchez in Oper. Moral. lib. 1. cap. 11. num. 16. Caſtropalaus de Conſcien. diſp. 1. pun. 6. num. 4. Azor. 1. par. lib. 2. cap. 8. quæſt. 10. Vaſquez diſp. 61. cap. 1. & Bonacina de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 17.*

14 Quæres 7. quomodo deponenda conſcientia errans? Reſ. ſi advertitur, conſcientiam errantem conceptam fuiſſe abſque ratione, & fundamento; poterit utique deponi abſque ratione probabili; nam res diſſolvi poterit per eaſdem cauſas, per quas naſcitur; ſi ergo nata eſt abſque ulla prorſus ratione, ac fundamento; abſque ratione probabili diſſolvi poterit. Si verò ex ratione, & fundamento nata ſit, non poterit ullatenus deponi ſine ratione probabili; ratio eſt, quia aliàs deponens exponeret ſe gravi periculo errandi, repellendo videlicet veram, & rectam conſcientiam. Ut ergo prudenter, & honeſtè deponatur conſcientia errans orta ex ratione & fundamento, adeſſe debent rationes probabiles contrarium ſuadentes, ſecus temerè fieret, & cum periculo errandi: cùm nemo pro libito, & abſque ulla ratione probabili poſſit ſe eximere à Divinis Legibus per conſcientiam errantem propoſitis, ut minùs rectè putarunt nonnulli Doctores. Sic contra hos ſuſtinet *Vaſquez diſp. 67. cap. 1. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 11 num. 10. Caſtropalaus de Conſcien. diſp. 1. pun. 6. num. 5. Salas 1. 2. quæſt. 19. tract. 8. diſp. unic. ſect. 3. num. 30. Bonacina de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 30. & Reginaldus lib. 13. num 73.*

15 Quæres 8. an peccans ex conſcientia erronea teneatur aperire in confeſſione circumſtantiam mutantem ſpeciem ex errore conceptam? Reſ. affirmativè: quia ut diximus, peccatum committitur in eadem ſpecie, quæ ex errore conſcientiæ dictatur; nam cum tali affectu peccans operatur, ac ſi dictaretur à conſcientia recta. Quapropter accedens ad fœminam, quam ex errore conſanguineam putat, vel affinem, cùm revera non ſit; aut putat Deo ſacratam per votum, cùm non ſit talis; tenetur in confeſſione aperire non ſolùm fornicationem, verùm etiam inceſtum, vel ſacrilegium, etiamſi ante confeſſionem errorem detexerit. Sic *Sanchez in Oper. Moral. lib. 1. cap. 11. num. 5. Sayrus lib. 1. cap. 4. num. 20. & Bonacina de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 20. & 29. in fine.*

16 Quæres 9. an debeat attendi ad conſcientiam illam, quæ formatur poſt commiſſum actum? Reſ. negativè: hæc enim non ſufficit ad honeſtatem, vel malitiam actus commiſſi; ſed illa attendenda erit, cum qua actus commiſſus fuit, & ex qua proceſſit: hinc eſt, quòd conſulentes Doctores, vel Confeſſarios poſt actum commiſſum antequam confiteantur illum, errant: debent enim aperire illum cum ea conſcientia, cum qua commiſſus fuit. So-

lùm

lùm igitur inserviet studium illud, & consultatio ad dirigendos imposterum actus similes; vel ad tollendum scandalum, si aliquod secutum fuerit ex actu commisso; vel ad restitutionem faciendam, si ad eam obliget.

CAPUT III.

De Conscientia Opinante, & Probabili.

1 *Quid Conscientia Opinans, & Probabilis?*
2 *Prænotantur septem ad opinionem probabilem necessaria;*
3 *Quamvis in materia Sacramentorum illicitum sit sequi opinionem probabilem relicta tutiori; extra verò illam & extra materiam Judicii licitum erit sequi sententiam probabilem, & tutam relicta probabiliori, & tutiori.*
4 *Resolvuntur opposita.*
5 *Duo adnotanda pro usu opinionis probabilis in concursu probabilioris.*
6 *Non licet sequi opinionem alienam tenuis probabilitatis, relicta propria probabiliori.*
7 *Non censenda est probabilis opinio per hoc, quòd reperiatur in libro alicuius junioris typis excusso.*
8 *An dictum, vel scriptum unius Authoris sufficiens sit ad constituendam opinionem probabilem?*
9 *Communis opinio quænam dicenda sit?*
10 *An factum Viri docti, & pii constituat Opinionem probabilem?*
11 *Non utendum in administratione Sacramentorum opinione probabili relicta tutiori, quando utraque est in potestate administrantis; secus verò si necessitas urgeret, & probabilis tantùm esset in eius potestate.*
12 *Confessarius sive ordinarius, sive delegatus extra valorem Sacramenti sequi poterit opinionem probabilem pœnitentis relicta propria, quam ipse putat probabiliorem.*
13 *Extenditur Doctrina tradita ad Doctorem consulentem.*
14 *Judex nequit sententiam proferre ex opinione minùs probabili relicta probabiliori.*
15 *Quid facere debeat cùm opiniones litigantium sunt æquè probabiles?*
16 *Advocatus, & Causidicus patrocinari poterit causam probabilem sui Clientis contra probabiliorem partis oppositæ.*
17 *Teneri Medicus in concursu medicaminum uti certis, relictis probabilibus, & dubiis.*
18 *Nequit Medicus applicare agroto, etiam destituto, medicamen, de quo omninò dubitat.*
19 *Nequeunt assistentes infirmis alia medicamina ab ordinatis à Medicis ipsis ministrare, & quæ putant non expedire infirmis.*
20 *An teneatur subditus contra propriam opinionem obedire Superiori præcipienti?*
21 *Quam opinionem faciat horologium circa jejunium naturale vel Ecclesiasticum, & horas Canonicas recitandas?*

1 COnscientia opinans, & probabilis illa dicitur, quæ ex opinione, & probabilitate aliquid dictat; quapropter ut clariùs innotescat conscientia ista, & quam obligationem habeamus sequendi ejus dictamen; explicandæ erunt opinio, & probabilitas, in quibus ipsa fundatur: nam nostris hisce temporibus contentio magna est inter Doctores Viros circa opinionem, & probabilitatem; quæ tandem reduci videtur ad communem sententiam de sequenda opinione probabili juxta explicanda.

2 Ut autem meliùs dignoscatur opinio probabilis, præmittenda sunt nonnulla. Et 1. non requiri ad licitè operandum veritatem certam; aliter nec homines agere, nec operari possent: & ratio est, quia seclusis revelatis, & aliquibus geometricis demonstrationibus, & si quæ sunt alia certa, reliqua omnia limites probabilitatis non excedunt; adeoque si certa veritas ad operandum licitè requireretur, homines operari nequirent; cessarent insuper Scholæ, Senatus, & fora; nec non Principes investigantes modum operandi tutum. Quapropter jure merito Alexander VIII. damnavit propositionem illam asserentem: *Non esse licitum sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

2. Opinionem probabilem, quæ videlicet ex motivo probabili, rationabili, & prudenti movetur citra certitudinem, ita ut non dicatur intellectus temerè ex vi illius operari, sed prudenter circa assensum præbendum; debere importare moralem certitudinem probabilitatis: nam si tantùm probabiliter, vel sub dubietate importaret probabilitatem; non esset revera opinio probabilis, & prudens, de qua loquimur.

3. Probabilitatem opinionis aliam esse intrinsecam, extrinsecam aliam. Intrinseca dicitur, quæ fundatur in talibus rationibus, quæ sustineri possint adversùs rationes oppositas, à quibus non superantur. Extrinseca verò ea est, quæ fundatur in authoritate gravium Doctorum illam asserentium, non ob pertinaciam voluntatis, ut evenit in Hæreticis suos errores defendentibus; sed ob fundamentum objectivum, quod in re considerant.

4. Utramque probabilitatem intrinsecam, & extrinsecam posse esse unam majorem alia, non enim sitæ sunt in indivisibili: quapropter opinio habens pro se plures rationes intrinsecas majores præ alia habente minores rationes erit probabilior illa intrinsecè. Sicuti si habeat plures, & graves Doctores præ habente minores Doctores, erit probabilior illa extrinsecè. Quòd si & plures rationes intrinsecas, & plures graves Doctores haberet præ alia, erit probabilior illa tum intrinsecè, tum extrinsecè.

5. Opinionem probabiliorem non debere importare rationes majores tales, quæ manifestè convincant falsitatem opinionis probabilis oppositæ; aliàs nec illa esset probabilior, sed moraliter certa; nec ita esset probabilis, si manifestè convinceretur ejus falsitas, sed improbabilis. Comparatio namque fit inter opiniones probabiles, licèt una sit major alia; adeoque inter opinionem probabilem, & probabiliorem; non verò inter probabiliorem, & improbabilem: cùm respectu hujus non sit probabilior, sed talis dicitur comparativè ad probabilem.

6. Inter opiniones probabiles dari unam tutiorem alia; sicuti enim una potest esse probabilior alia, ita etiam una tutior alia. Tunc opinio dicitur tutior, quando favet Legi contra libertatem: sic enim vitat omne periculum peccandi tum materialiter, tum formaliter circa id, de quo quæstio axagitatur. Minùs tuta illa dicitur, quæ favet libertati contra Legem; vitat siquidem omne periculum peccandi formaliter; quia tamen dicit non esse peccatum, quod est in quæstione, ex suis rationibus probabilibus; & potest evenire, quòd à parte rei sit contra legem; ideò poterit esse materialiter contra legem. Sit exemplum; quæstio exagitatur, an Titius ex vi talis contractus teneatur ad restitutionem faciendam; habetur opinio probabilis illum obligans, habetur pariter opinio probabilis deobligans. Opinio obligans erit tutior, quia vitat omne periculum peccandi circa obligationem restitutionis tum formaliter, tum materialiter, ut patet; opinio verò deobligans erit minùs tuta, quia licèt ex suis rationibus probabilibus vitet omne periculum peccandi formaliter, cùm probet licitam non restitutionem; poterit tamen evenire, quòd à parte rei adsit talis obligatio restituendi, & materialiter non restituere sit contra Legem.

7 Non semper opinionem tutiorem esse pobabiliorem: sic sententia asserens, statim obligari peccantem ad peccatum suum confitendum, est opinio tutior præ opposita sententia docente, non statim obligari; cùm prima sententia tutiùs procedat ad negotium salutis æternæ præ secunda; attamen prima sententia non est probabilior secunda: cùm non agnoscatur à communi Doctorum, & à praxi fidelium talis obligatio, sed ut merum consilium proponitur. Immò aliquando tutior sententia poterit esse non magis obligans respectu tutæ: sic tutius est in Sacramento confessionis obligare pœnitentem ad eliciendum actum contritionis perfectæ, quàm minùs perfectum actum attritionis supernaturalis, & tamen post Tridentinum non magis obligat sententia asserens, necessariam esse ad Sacramentum Pœnitentiæ contritionem perfectam: constat igitur, non semper sententiam tutiorem esse probabiliorem: his præmissis,

3 Qamvis non sit licitum in administratione Sacramentorum sequi opinionem probabilem relicta tutiore, circa valorem illorum regulariter, ut rectè damnavit oppositum Innocentius XI. Summus Pontifex in prima Propositione ex damnatis à se; tum quia sic convenit reverentiæ Sacramentis debitæ, ne periculo frustrationis subjiciantur; tum quia sic exposcit administratio ipsa Sacramentorum, ut si detur electio, potiùs tutiora aptemus in ipsis administrandis relictis probabilibus, quàm probabilia seligere relictis tutioribus. Nihilominus extrà materiam Sacramentorum, & extra materiam judicii, de

qua

qua infrà, licitum erit ſequi opinionem probabilem, & tutam, quam talem ex ſupradictis ſuppono licèt minus tuta ſit reſpectu probabilioris, relicta probabiliori, & tutiori; etiamſi probabilis, & tuta ſit aliorum; & probabilior, & tutior ſit propria: ratio eſt, quia operans ex opinione probabili, & tuta, ſive propria, ſive aliena, etiam in concurſu opinionis probabilioris, & tutioris, ſive propriæ, ſive alienæ, honeſtè, rectè, prudenter ac licitè operatur; ergo licitum erit extra adminiſtrationem Sacramentorum ſequi opinionem probabiliorem, & tutam aliorum, relicta probabiliori, & tutiori propria. Antecedens probatur: quia ſi ex opinione probabili, & tuta honeſtè, rectè, prudenter, ac licitè operantur alii, cur non ego relinquens propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem? maximè quia obligare in humanis ad indagandam, & inquirendam opinionem probabiliorem, & tutiorem eſt grave onus, & magnis ſcrupulis implicitum; aliunde nec mihi conſtat evidenter de inhoneſtate actionis illius, quæ ab opinione probabili, & tuta proponitur; nec proprium judicium mihi apparet evidens, & certum; ergo honeſtum, laudabile, pium, & prudens erit relicto proprio judicio ſequi conſilium aliorum Virorum ſapientum, & piorum juxta illa dicta Scripturarum: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Proverb. 3. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire*. Tobiæ 4. *Qui ſapiens eſt, audit conſilium*. Proverb. 12. Multa alia à Doctoribus penè innumeris hanc ſententiam ſuſtinentibus congeruntur ad illam comprobandam; ſed ne infarcinata potiùs, quàm explicata materia remaneat; meritò ab illis abſtineo. Hanc communem ſententiam ſuſtinent ex Thomiſtis Medina, Bannez, Alvarez, Candidus, Tapia, uterque Ledeſma, Serra, Martinez, Delacrux, Velaſco, Gallego, Lorca, Monteſinos, & alii relati ab Illſungh *tract.* 1. *de dictamin. conſcien. diſp.* 1. *art.* 6. §. 6. *num.* 17. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 32. *ſect.* 5. Valentia, Vaſquez, Salas, Navarrus, Sayrus, Navarra, Sanchez, Sancius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de conſcien. diſp.* 2. *pun.* 2. *num.* 2. Sà, Beçanus, Azor. Reginaldus, Filliucius, & Layman, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Peccat. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 5.

4 Dices 1. qui agit contra propriam conſcientiam, peccat; ſed qui relicta propria ſententia probabiliori, & tutiori ſequitur alienam ſententiam probabilem, & tutam, agit contra propriam conſcientiam, ergo peccat. Sed contra eſt: quia qui ſequitur alienam ſententiam probabilem, & tutam, ſuſpendit propriam ſententiam, quam putabat probabiliorem, & tutiorem; adeoque non agit contra propriam conſcientiam: non enim ipſi evidenter, & clarè conſtabat propriam ſententiam eſſe probabiliorem, & tutiorem; ideo ejus intellectus non rapiebatur ab illa: maximè quia prudentis eſt mutare conſilium, ſi nitatur propriæ Prudentiæ. Nec in eo actu, quo alienam ſententiam ſequitur, putat propriam probabiliorem, & tutiorem; ſed eam deponit, quamvis putaſſet probabiliorem, & tutiorem, aliàs non rectè ageret.

Dices 2. in dubiis tutiorem partem ſequi debemus, ne periculo errandi exponamur, ut ex *cap. Juvenis. De ſponſal. & cap. Ad Audientiam, & cap. Significaſti.* 2. *de Homicid.* conſtat ergo nemo poterit ſententiam tutiorem, & probabiliorem relinquere, maximè ſi ſit propria. Sed contra eſt: quia licèt in dubis valeat axioma citatum; non tamen in probabilibus, de quibus loquimur: ſupponimus namque, quod qui ſequitur alienam ſententiam; ſit certus, & tutus de ejus probabilitate, non verò dubius: nam probabilitas dubia non eſt ſufficiens ad licitè operandum; ideoque textus allati non ſunt ad rem, cum probabilitas non ſit dubietas.

5 Pro recto uſu Opinionis probabilis, etiam in concurſu probabilioris, duo adnotanda ſunt. Primum quòd opinio probabilis habeat omnia requiſita ad probabilitatem, quam adhuc retinere debet: nam ſi reputata fuerit probabilis, & dein reprobata fuerit aliquo Decreto Sedis Apoſtolicæ, vel declaratione aliqua Sacræ Congregationis Cardinalium, vel contra eam adeò robuſta argumenta excogitata fuerint denuo, ut inſoluta remaneant; profectò non erit ſententia illa probabilis, cùm etiam ad probabilitatem requiratur ſolutio contrariarum objectionum; nec ejus uſus erit prudens, & licitus. Secundum quòd non immineat rationabile aliquod periculum vel contra reverentiam Sacramentis debitam, vel contra Juſtitiam, aut Charitatem. Prudentia ſiquidem dictat vitandum hoc periculum; nec prudenter fieri poſſe, quod huic periculo ſubiacet; ideòque erit extra limites probabilitatis, quod tali periculo eſt obnoxium.

Ex dictis infertur 1. non poſſe licitè ſequi aliquem 6
opinionem alienam habentem exiguam, & tenuem probabilitatem in occurſu probabilioris opinionis propriæ: & ratio eſt, quia opinio exiguæ, & tenuis probabilitatis nec tuta eſt, nec probabilis; ergo non eſt ſufficiens fundamendum ad prudenter, & licitè operandum in materia morum. Dicitur autem tenuis, & exigua probabilitas alicujus opinionis, quando de ea dubitant Viri Sapientes, aut communiter dubitatur ab omnibus; vel ſi olim tradita fuerit talis opinio ab aliquibus, decurſu tamen temporis ob validas rationes contra eam excogitatas vix ſuſtineri poſſit, & communiter à reliquis Doctoribus rejicitur. Quapropter rectè damnavit Innocentius XI. Propoſitionem illam aſſerentem: *Generatim dum probabilitate intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

Infertur 2. non eſſe ſufficiens motivum ad licitè, & 7
prudenter operandum, ſiquis ſequatur opinionem alicujus Junioris, & Moderni; in cujus libro typis mandato eam reperit, relicta propria probabiliori; motus ex eo, quòd debeat opinio illa cenſeri probabilis, ſemelac non conſtet, eam rejectam eſſe ut improbabilem à Sancta Sede. Nam non per hoc præcisè, quòd opinio illa reperiatur in eo libro, & non improbetur à Sancta Sede; cenſenda erit probabilitatem continere, quæ ſufficiat ad prudenter, & licitè operandum. Cùm probabilitas ex firmis rationibus, quibus innititur, deducenda ſit; & quòd contra eam non ſtent convincentes rationes, & non ſit improbata à Sancta Sede, aliàs error erit. Quapropter Alexander VII. damnavit Propoſitionem illam aſſerentem: *Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis; dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.*

Hinc oritur Controverſia: an dictum, vel ſcriptum Unius 8
Authoris ſufficiens ſit ad opinionem probabilem conſtituendam? Nam evenire poteſt Caſus, qui vel à nullo Authore, vel à paucis exagitetur: & tunc ſi hic doctus Author ſententiam ſuam validis firmet rationibus in decidendo caſu illo, etiamſi pauci Doctores oppoſitam ſuſtineant ſententiam, quam tamen nec convincentibus rationibus firment, nec eam ex profeſſo pertractent, uti Author ille; utique probabilem opinionem conſtituet: & ratio eſt, quia ex una parte ejus opinio firmis rationibus nititur; ex alia parte quod ab ipſo manifeſtatur, poterat eſſe abſtruſum, & reconditum illis paucis. Secus tamen dicendum, ſi Caſus à multis Doctoribus ex profeſſo exagitetur, qui perpenſis rationibus, & momentis rei confluant in unam Sententiam; tunc durum mihi eſt quòd dictum, vel ſcriptum unius Authoris poſſit ſufficientem probabilitatem conſtituere ad prudenter, & licitè operandum contra opinionem illam multorum; ratio eſt, quia in tali caſu raro potiùs prudenter cenſendum eſt, erraſſe Doctorem illum in occurſu tot Virorum Doctorum oppoſitum firmiter ſentientium, & ejus rationes, quamuis lumen videantur habere; tenebræ tamen ſunt: debebat enim aliorum judicio ſe ſubjicere, & conformare; non verò ſingularitatem præferre. Ut rectè habet *Navarrus cap.* 27. *num.* 286. *ex cap. Prudentia, de Offic. Deleg. & ex cap. de quibus, diſtin.* 20. Communis namque opinio ex regulis ipſis Prudentiæ præferenda eſt particulari, & ſingulari: cùm ſit rara avis in terris, quòd manifeſtetur uni, quod pluribus ſapientibus ignotum fuit, niſi fuerit Revelatio Divina.

Communis verò opinio illa dicenda erit, quæ plures 9
habet Doctores Claſſicos: cùm opinio Communis non conſurgat ex numero, ſed ex pondere, & gravitate Doctorum ex profeſſo quæſtionem inſtituentium, ac diligenter excutientium utriuſque partis rationes, qui tali diligenti diſcuſſione præmiſſa in unam tandem confluant ſententiam communem. Communior tamen erit, ſi majores numeret Claſſicos Doctores eadem diligenti diſcuſſione quæſtionem pertractantes. Communiſſima denique erit, ſi plurimos habeat: *Sic Reginaldus, Navarrus, Azor, Sà, Menochius, Sanchez, Filliuccius*, quos refert, & ſequitur *Bonacina de Peccatis diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 12. Quapropter ſi Doctores ſententiam aliquam ſuſtinentes nec Claſſici fuerint, nec rem ex profeſſo tractarint, ſed merè attigerint, etiamſi fuerint numerò plurimi, ſingularem tamen efficient opinionem, non verò communem: ut adnotat *Azor. lib.* 2. *Inſtit. Moral. cap.* 13. *in fine ex Navarro, Decio, Alexandro*, & aliis. Hinc pariter

riter sit opinionem probabiliorem, & probabilissimam esse eam, quæ firmioribus, & efficacioribus rationibus nititur; aut firmissimis, & efficacissimis; non verò majori, aut maximo numero Doctorum: ut habent Navarrus, Sanchez, Villalobos, Azor, Mascardus, & Abbas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Conscien. disp. 2. pun. 1. num. 7.* Quamuis regularite ea sententia censenda erit probabilior, quæ à pluribus, & doctioribus defenditur: nam ut Aristoteles *ait 1. Topic. cap. 1. Probabiliora sunt, quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus; & iis vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, & illustribus.*

10 Controverti etiam solet: an factum unius Doctoris Sapientis, & pii sit sufficiens ad probabilem opinionem constituendam? Mea sententia est negativa: ratio est, quia non innotescit, an id effecerit ex inadvertentia, vel ex aliqua passione, aut ex speciali dispensatione habita in Lege: maximè quia quandoque bonus dormitat Homerus; nec semper qui pius, honestus, & sapiens est; piè, honestè, & sapienter operatur. Si tamen à pluribus doctis Viris, piis, & religiosis efficeretur absque scrupulo; tunc poterit præsumi licere, quia in pluribus sapientibus, & piis non de facili præsumenda erit inadvertentia, passio, aut dispensatio; sed quod moveantur ad id efficiendum ex probabilibus rationibus. Sic Sà in *editi. Roman. verb. Dubium. num. 3.* & Castropalaus *de Conscien. disp. 2. pun. 1. num. 6.*

11 Infertur 3. in administratione Sacramentorum circa valorem illorum non licere uti opinione probabili relicta tutiore, & probabiliore, aut omnino certa, ut superiùs notavi: nam si in potestate ministri est, opinionem tutiorem, & probabiliorem sequi, & eam relinquit; exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum, & non rectè consulendi saluti æternæ recipientis illud. Secus verò esset, si in ejus potestate non foret, sequi opinionem tutiorem, & probabiliorem: & necessitas salutis æternæ urgeret administrandi Sacramentum: tunc uti poterit probabili, ut sic eo modo, quo potest, consuleret saluti æternæ recipientes; ut esset si deficiente aqua naturali administraretur puero jam jam morituro baptismum cum aqua rosacea quæ sola haberetur: nec tunc irreverentiam irrogaret Sacramento, attenta urgente necessitate. In occursu igitur opinionis probabilis cum tutiore illicitum erit in administratione Sacramentorum, relicta tutiore sequi probabilem; ideoque meritò damnata fuit ab Innocentio XI. Propositio asserens: *Non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Hinc Sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis. Quam quidem prohibitionem extendit Cardenas in dissertat. Hujus primæ Propositionis damnatæ à supradicto Pontifice ad receptionem Sacramentorum, utpote virtualiter contentam in administratione: quapropter nequibit recipiens Sacramentum uti opinione probabili in occursu tutioris, cum parem irroget irreverentiam Sacramento in validitate.

12 Hinc tamen non sequitur, non posse Confessarium sive ordinarium, sive delegatum, utpote Sacramenti Pœnitentiæ ministrum, sequi opinionem probabilem pœnitentis contra propriam opinionem, quam tutiorem, & probabiliorem reputat, extra tamen valorem Sacramenti: eo quia Confessarius, quicunque sit, nihil aliud requirere debet in pœnitente pro absolutione ritè impertienda, nisi cõfessionem omnium peccatorum cum dolore vero, ac proposito non peccandi imposterum; ergo si secundùm suam opinionem probabilem pœnitens hæc omnia præstat, nequibit confessarius absolutionem ei denegare. Supponimus namq; probabilem reputare opinionem pœnitentis: quòd si eam falsam censeret, nequiret moveri ex ea. Sic Navarrus, Toletus, Sayrus, Suarez, Vasquez, Azor, Antonius Perez, Villalobos, Sanchez, Valentia, Sancius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Conscien. disp. 2. pun. 4. num. 2.* & Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. pun. 9. num. 9.* Et quamvis Confessarius delegatus, cùm non sit Sacerdos proprius, non teneatur audire pœnitentis confessionem, adeòque ante illam non teneatur se conformare pœnitentis opinioni probabili. Nihilominus incœpta causa ob auditionem peccatorum tenetur sententiam proferre: maximè quia pœnitens est ritè dispositus per suam opinionem probabilem; ut docent Valentia, Azor, Salas, Suarez, Vasquez, Sanchez, & Sancius relati à Castropalao *l. c. num. 3.* & à Bonacina *l. c.* quos sequuntur. An verò Confessarius denegans absolutionem in casu adjecto, sive ordinarius sit, sive delegatus; peccet graviter, an leviter? controversa res est. Puto tamen probabilius, graviter peccare, nisi bona fides excuset, aut ex sancto zelo moveatur; vel quia non erit grave incommodum pœnitenti alium confessarium adire; sive confessio sit de mortalibus, sive de venialibus tantùm: ratio est, per confessionem ritè factam acquirit jus pœnitens ad absolutionem habendam; ergo gravis injuria illi inferretur per denegationem absolutionis, & per privationem Sacramenti pœnitentiæ; quæ materia non est levis, ut patet in omittente confessionem ex voto, aut præcepto, etiamsi de solis venialibus fieri deberet. Sic expresè Castropalaus *l. c. num. 6.* & Bonacina alios referens *l. c.*

13 Quod dictum est de Confessario, extendi poterit ad quemlibet Doctorem consulentem opinionem probabilem relicta propria tutiore, & probabiliore: & ratio est, quia si id efficere poterit in causa propria, ut superius ostendimus, cur idem efficere nequibit in causa aliena? nam si *in propria causa prudenter ex illo principio regulat suas actiones*, prudenter quoque ex eodem principio regulabit alienas. Quapropter licitum erit huic Doctori, sicuti etiam ipsi Confessario respondere pœnitenti, aut alteri interroganti de aliquo casu juxta opinionem probabilem aliorum; *maximè si hìc, & nunc ita judicet* expedire, relicta propria probabiliore, & tutiore: ratio est eadem, quia si licitum id est in causa propria, licitum erit idem consulere in causa aliena. Sic Salas, Vasquez, Sayrus, Sanchez, Becanus, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp. 2. pun. 9. num. 6.* Quòd si de propria opinione interrogetur à petente consilium, quamvis non teneatur Doctor, aut Confessarius propriam opinionem aperire, & aliquando si cum scrupulosis agatur, expedit eam non aperire: nihilominus extra scrupulosos consultius est, eam fideliter aperire, & adducere rationes, ob quas movetur hìc, & nunc ad consulendam alienam opinionem probabilem, relicta propria probabiliore; ne nota inconstantiæ incurratur, & infidelitatis; ut rectè habet Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 9. num. 20.* hinc licitum erit Doctoribus, & Rectoribus Cathedrarum probabilia docere: si enim tenerentur ad probabiliora, grave jugum ipsis imponeretur in inquirendis illis; sufficit ergo, si quæ probabilia ipsis videantur, doceant. Graviter tamen peccarent, si ex malitia, vel culpabili ignorantia improbabiles opiniones docerent, maximè in materia morum, ob gravissimam occasionem, quam aliis tribuerent errandi, ut docent communiter Doctores.

14 Infertur 4. Judicem non posse sententiam proferre ex opinione minus probabili, relicta probabiliore cum minus probabili occurrente, sive quæstio sit Juris, videlicet circa intelligentiam ipsius Legis loquentis verbis ambiguis, & sub obscuris; sive quæstio sit facti, scilicet circa probationes facti quibus unaquæque pars ex litigantibus probat rem e. g. esse suam; damnum non fuisse illatum, & similia; ratio est, quia Judex ob pactum initum cum Republica in acceptatione Officii tenetur sententiam proferre secundùm justitiam, quæ uniculque, quod suum est, tribuit attentis Juribus, & Legibus; ergo ut sententiam ferat secundùm justitiam in quæstionibus juris, vel facti; debet eam proferre in favorem ejus, cui magna justitia favet, & ad quem magis ipsa propendet; ergo si relicta opinione probabiliori sententiam profert juxta minus probabilem in quæstionibus Juris vel facti evidentem injustitiam committit contra jus alterius, & contra obligationem proprii Officii. Meritò igitur damnata fuit ab Innocentio XI. opposita sententia, quæ asserebat: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.*

15 Sed quid dicendum: quando opiniones sunt æquè probabiles ex parte litigantium? Resp. 1. si æqualitas probabilitatis opinionum sit in quæstione Juris, & non habeatur Jus prælationis; debebit rem componere inter partes, aut eam æqualiter dividere, vel ad superiorem Judicem remittere: ratio est, quia Judex judicans non agit, ut Dominus dans, qui pro suo arbitratu dat, cui vult; ergo si agit, ut Judex judicans, debet se conformare Justitiæ, cui se non conformaret eligendo potius unam opinionem probabilem præ alia æquè probabili; tribueret siquidem Jus prælationis, quod non habet, uni parti cum offensione alterius. Nec obstat, quòd inter æquè dignos concurrentes ad idem beneficium detur optio in eligente. Nam collatio beneficii cùm sit donatio quædam, ut colligitur *ex cap. fin. de Offic. Vicar. in 6.* inde est, quòd conferens uti poterit libertate quadam; ut constat *ex cap. Relatum, de Presbyt.* In casu tamen nostro non

datur

datur optio libertatis in judicando: cùm Judex ex Regulis rigoroſæ Juſtitiæ judicare debeat, nec poterit Jura, & Leges applicare cui opinioni probabili voluerit ex æquè probabilibus, non ſolùm accepto pretio, quod damnatum fuit ab Alexandro VII. in Propoſitione illa aſſerente: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere proferenda ſententia in favorem unius præ alio*; ſed etiam gratis, & non accepto pretio.

Reſ. 2. potiori jure debere Judicem rem componere inter partes, aut eam æqualiter dividere; ſi æqualis probabilitas rationum ex parte facti habeatur; ratio eſt, quia jus tribuitur partibus à rationibus, quas pro ſe habent independenter à Judice; cùm ſint ea media, quæ propriè dirigunt ad cauſam decidendam; ergo ſemelac ſunt omnino æquales, æquale jus tribuere debent; ergo injuſtitiam faciet Judex, ſi uni potiùs, quàm alteri parti rem adiudicet, & non æqualiter dividat.

Ex datis reſponſionibus clarè conſtat, non rectè dixiſſe Petrum de Ledeſma *de Matrim. quæſt. 4. art. 1. dub. 2. ad 3.* & Sancium *in Select. diſp. 44. num. 51.* integrum eſſe Judici, ſi habeatur æqualitas tam facti, quàm juris, applicare rem cui parti maluerit. Contra eos namque ſtat Communiſſima ſententia docens, debere rem æqualiter dividere pro æqualitate juris, quam habent in rem illam ſi res diviſibilis ſit; ſi verò utiliter dividi nequeat, debet partes ita componere, ut utrique ſatisfactum remaneat: cùm Judex non ſit dominus, ſed æquus diſtributor. Sic Salon, Bannez, Sayrus, Sanchez, Salas, Villalobos, Suarez, Coninch, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp. 2. pun. 10. num. 2.*

Reſ. 3. non ſolùm in cauſis civilibus, ſed etiam in Criminalibus debere Judicem ſententiam proferre juxta probabiliorem opinionem: cùm eædem rationes militent pro Civilibus, ac pro Criminalibus: & ſi in Civilibus debet ſe conformare Juſtitiæ, ac Legibus; etiam eis conformare ſe debet in Criminalibus: cùm utrobique debeat eſſe æquus diſpenſator. Ex hoc tamen non ſequitur, quòd non poſſit Judex ſecundùm minorem probabilitatem reo faventem adjudicare cauſam, etiamſi majorem probabilitatem accuſator habeat: cùm juxta commune axioma, Judex debeat eſſe promptior ad abſolvendum, quàm ad damnandum. Non ſequitur, inquam: quia tunc Judex non judicat ex minori probabilitate, quæ aſſiſtit reo, deferens majorem probabilitatem, quæ aſſiſtit accuſatori; ſed movetur ex certa, aut ad minus probabiliori opinione, quæ docet, reum habentem probabilem cauſam abſolvendum eſſe, etiamſi accuſator probabiliorem habeat, quæ ſunt longè diverſa, & quæ non rectè conſiderata dederunt aliquibus Recentioribus occaſionem æquivocandi. Advertendum tamen, quòd in tali caſu Judex abſolvens non poſſit ad pœnam talionis damnare Accuſantem. Quæ dicta ſunt in occurſu cauſæ probabilis, & probabilioris Rei, & Accuſantis, à fortiori intelligi debent in occurſu æqualis probabilitatis cauſæ: quia tunc extra controverſiam eſt, Reo favendum potiùs, quàm Actori juxta *Regulam 11. de Regul. Jur. in 6. Cùm ſunt partium Jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori.*

16 Petes: an quæ dicta ſunt de Judice extendi debent ad Advocatum, & Cauſidicum? Reſ. quamvis docti Viri Sylveſter *verb. Advocatus, quæſt. 13.* Valentia 22. *diſp. 1. quæſt. 15. pun. 14. concl. 1.* & alii docuerint, Cauſidicum non poſſe eſſe Advocatum Actoris contra reum in æquali probabilitate cauſæ, & à fortiori in probabili cauſa Actoris contra probabiliorem rei; eo quia ſi id non licet Judici, neque licebit Advocato. Nihilominus communis ſententia aſſerit, poſſe Advocatum non ſolùm in pari probabilitate cauſæ, ſed etiamſi cauſa Actoris probabilis ſit, & probabilior cauſa rei; munus ſuum exercere, cauſamque illam probabilem patrocinari adverſus probabiliorem tam ex jure naturæ, quàm ex jure Canonico: ratio eſt, quia ſemelac cauſa eſt probabilis, cur non poterit licitè Advocatus ejus probabilitatem oſtendere, defendere, ac elucidare rationibus, & allegationibus penes Judicem ad illum inflectendum in favorem ſui Clientis, ſperans fortaſſe, quòd non apparebit Judici ſic probabilius jus contrariæ partis ut ſibi apparet, maximè quia nó eſt ejus intentionis, quòd Judex ſententiam ferat in favorem Actoris, & ſui Clientis, ſi eam ex juſtitia dare nequeat, ſed tantùm repræſentat Judici jus ſui Actoris, ſi eo examinato poſſit in ejus favorem ſententiam ferre attento Jure naturę, aut quocumque alio Jure ſcripto. Nec paritas in contrarium adducta eſt ad rem, cùm pateat lata diſparitas ex diverſitate Officiorum Judicis, & Advocati: primus enim ſententiam ferre debet juxta æquitatem, & Leges; ſecundus verò rationes ſui Clientis demonſtrare debet juxta probabilitatem: ſupponimus namque probabilitatem in cauſa, quam patrocinandam ſuſcipit. Sic Burgos, Guttierrez, Leſſius, Sayrus, Salas, Sanchez, Vaſquez, Sancius, Navarrus, Azor. Villalobos, Antonius Perez, & alii, quos referunt, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp. 2. pun. 11. num. 2.* & Bonacina *de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 9. à num. 16.*

Nec opus eſt, noſtram doctrinam limitare in Cauſis Criminalibus Sanguinis, honoris, aut in Cauſis Civilibus magni momenti. Non inquam opus eſt: quia ſi licet Advocato ex ſuo munere, attenta probabilitate cauſæ, eam patrocinari in rebus levioris momenti, eo quia merita Clientis allegat, ac Judici juxta æquitatem examinanda, ac decidenda relinquit; cur idem præſtare non poterit in Cauſis Criminalibus, aut Civilibus majoris momenti? Sic Vaſquez, Salas, Sanchez, Villalobos, Antonius Perez, & alii, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp. 2. pun. 11.* Admonent tamen, & rectè, Cauſidicum, ut veritatem Clienti ſuo aperiat, ne jus firmius ei tribuat, quod non habet: nam aliàs teneretur damna reſarcire, quæ Cliens patitur ob exaggerationes, quibus ſi uſus non fuiſſet, forſitan Cliens non litigaſſet cognita probabiliori cauſa partis contrariæ.

Infertur 5. teneri Medicum in concurſu Medicaminum 17
certorum, probabilium, & dubiorum uti Medicaminibus certis, omiſſis probabilibus, & dubiis: ratio eſt, quia tam ex Officio, quod exercet: quàm ratione Charitatis conſulere debet tutiori modo, quo poteſt, ſaluti ægrotanti, ut per ſe patet. Idem dicendum in concurſu medicaminum probabilium, & dubiorum; aptare enim tenetur probabilia, relictis dubiis, cùm militet eadem ratio. Hinc infertur ad rem noſtram, teneri etiam Medicum in concurſu Medicaminum probabiliorum, & probabilium aptare medicamina probabiliora relictis probabilibus. Solùm hìc controverti poteſt: an relicta propria opinione circa Medicamen aliquod, quod ſibi apparet probabilius; poſſit ſequi opinionem aliorum Medicorum, quam probabilem reputat, licèt ſuam probabiliorem? Reſponſio mea eſt affirmativa: ratio eſt, quia ſi alii Medici prudenter, & licitè operantur aptando medicamen illud; & ipſe licitè, & prudenter operari poterit ſequendo eorum opinionem: maximè quia non quod ipſi probabilius videtur, in ſe tale erit: & regula Prudentiæ dictat, non fidere proprio judicio juxta ea, quæ ſuperiùs diximus. Sic Aragonius, Azor. Salas; Monteſinos, Sancius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp. 2. pun. 9. num. 8.*

Advertendum hìc: non poſſe Medicum applicare ægro- 18
to, etiam deſtituto, & cujus ſalus deſperata ſit, medicamen, de quo omnino dubitat, an profuturum, vel nociturum ſit: requiritur enim de neceſſe, aut quod certò nociturum non ſit; aut quod probabiliter ſit profuturum: ratio eſt, quia aliàs exponeret ſe periculo accelerandi mortem infirmo, quamvis aliunde moriturus eſſet, abſque ulla probabilitate conſervandi vitam per medicamen illud. Sic Abbas, Innocentius, Sylveſter, Angelus, Sayrus, Salas, Vaſquez, Azor. Antonius Perez, Villalobos, & alii, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp. 2. pun. 9. num. 5.* Hinc fit: non poſſe licitè Medicum infirmis deſperatis medicamen præbere ad experimentum faciendum, num utile, an nocivum ſit: aliàs, ut dictum eſt, exponeret ſe manifeſto periculo accelerandi mortem illis: nam ſine ulla probabilitate utilitatis medicamen applicaret, quod prorſus eſt illicitum: nec ſcientia comparanda eſt morte proximi. Sic Azor. Corduba, Antonius Perez, Villalobos, Vaſquez, Salas, Sanchez, Navarrus, Sayrus, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. num. 3.*

Advertendum inſuper: poſſe graviter peccare aſſiſten- 19
tes infirmis, ſi relictis ordinationibus Medicorum, ac Medicaminibus eis aſſignatis, ut morem gerant infirmis, alia adminiſtrent, quæ non expediunt; ac pro ſuo arbitratu aquam, vel vinum, & ſimilia, quæ ab ipſis appeti ſolent, quamvis nociva, propinent: cùm evidenter conſtet infirmos abſque ulla probabilitate ſalutis periculo accelerationis mortis. Sic Villalobos *tom. 1. Summ. tract. 1. difficul. 16.* & Caſtropalaus *de Conſcien. diſp. 2. pun. 9. num. 10.*

Quæres 1. an teneatur Subditus contra propriam opi- 20
nionem obedire Superiori præcipienti?

Reſp.

Resp. 1. Si subditus probabile reputet, quod à superiore præcipitur, adeoque licitum, nec excedens ejus potestatem; etiamsi probabilius reputet, quod sua Opinio, & Conscientia dictat; tenetur obedire Superiori præcipienti: quia semel ac Superior præcipit justè, & est in possessione præcipiendi, debet subditus conformare suum judicium judicio, & opinioni Superioris præcipientis: nec contra propriam conscientiam ageret sic obediens, cùm teneatur, & debeat ultimum dictamen practicum elicere, quòd videlicet sit ipsi licitum obedire hìc & nunc, ac se conformare Superioris præcipientis opinioni. Sic Vasquez, Salas, Sanchez, Malderus, Capsensis, Diana, Bresserus quos refert, & sequitur Mendo in *Statera disp. 13. quæst. 15. §. 4. & in Epitome in discursu prævio num. 22.*

Resp. 2. Si subditus dubius sit de potestatæ Superioris, quamvis tam sua, quàm opinio Superioris ipsi appareat probabilis; poterit licitè obedire, ac Superioris opinionem sequi, relicta propria: ratio est, quia semelac in re præcepta non cernitur peccatum; & aliunde opinio, & dubitatio non potest Superiorem deturbare à sua possessione imperandi; poterit subditus tutò, & licitè conformare se opinioni probabili Superioris præcipientis, illique obedire. Non obligatur tamen ad obediendum; quamvis possit licitè obedire: ratio est, quia opinio Superioris dum non corroboratur à certitudine morali possessionis præcipiendi, de qua dubitatur; non prævalet opinioni subditi: adeoque nequibit subditus adstringi, & obligari in foro interno ad sequendum ejus opinionem. Quamvis pro Foro externo præsumptio stet pro Superiore, cui jus favet; adeoque utitur jure suo in præcipiendo, & puniendo. Sic Vasquez, Gerson, Salas, Sayrus, Lessius, Lorca, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Conscien. disp. 2. pun. 6. num. 8.*

Resp. 3. Si subditus dubius sit non de potestate Superioris, sed de re præcepta, quam probabiliùs existimat, esse illicitam, vel esse extra jurisdictionem Superioris præcipientis; non solùm poterit ipsi licitè obedire, sed etiam tenebitur: ratio est, quia Superior non solùm habet jus imperandi ea, quæ certò sunt licita, & honesta; sed etiam ea, quæ sub opinione sunt talia; dummodo enim manifestum non est peccatum in re præcepta, tenetur subditus obedire *ex Cap. Quid culpatur. 23. quæst. 1.* Ergo si certum est, Superiorem præcipere posse, cùm in tali casu jus præcipiendi retineat; certum pariter erit, subditum teneri obedire. Idem dicendum, quando dubitatur, an res præcepta sit extra ejus potestatem: nam si in tali casu potest Superior præcipere, debebit, & tenebitur subditus obedire; cùm non solùm præcipere possit ea, quæ clarè sunt sub ejus potestate, sed etiam quæ sub opinione sunt. Sic communiter Doctores Vasquez, Corduba, Salas, Sylvester, Sayrus, Antonius Perez, Sanchez, Villalobos, Azor. penes Castropalaum *de Conscien. disp. 2. pun. 6. n. 4.* Quidquid in contrarium ipse adducat contra communem istam sententiam, quam denique fatetur in praxi consulendam.

21 Quæres 2. quam Opinionem faciat horologium circa ea, quæ servanda sunt in jejunio sive naturali, sive Ecclesiastico; aut in recitandis horis Canonicis, & similibus? Resp. 1. si bene regulatum sit, efficere opinionem probabilem; adeoque si unicum sit, non poterit quisab ejus sonitu recedere: quod quamvis mathematicum non sit; nihilominus licitum non erit ab ejus directione se difformare: ratio est, quia illa hora, quæ ab ipso designatur; practicè dirigit, & Ecclesiasticè fideles; non verò hora mathematica, quam vix Mathematici ipsi sciunt. Hinc fit, quòd audito ejus ultimo sonitu Mediæ noctis, qui communicaturus est, & manducet: non poterit ulteriùs manducare; vel si dies Jovis est, non poterit ulteriùs carnes comedere. Si tamen non esset unicum Horologium, sed plura haberentur, & communiter bene regulata; tunc si non simul, sed successivè sonarent, non possent omnia simul esse probabilia quoad praxim, nisi haberetur motiuum rationabile, & sufficiens judicandi hic & nunc habere suam probabilitatem reliqua horologia; aliàs non habito motivo probabili res remaneret dubia, & intellectus remaneret dubius, ac suspensus, & in nullam partem inclinare se posset; ideoque in dubietate ista deberet securiorem partem seligere; & ductum primi horologii sequi. Sic Bresserus *de Conscien. lib. 4. cap. 11. num. 107.* Mendo *in Discursu prævio ad suam Epiptomen num. 24.* referens Narbonam, Leandrum, Cardenas, Pasqualigum, & Dicastillum.

CAPUT IV.

De Conscientia Dubia.

1 *Quid sit Conscientia Dubia?*
2 *Quotuplex Dubium afficiens Conscientiam?*
3 *Adnotantur duo de dubio Practico, & Speculativo.*
4 *Operans cum Conscientia practicè dubia peccat peccato ejusdem speciei, de quo dubitat.*
5 *Quinque Illationes ex doctrina tradita.*
6 *Qui speculativè certus, sed practicè dubius de actione aliqua, si illam efficiat non deposito dubio, peccat.*
7 *Practicè dubius tenetur vincere Dubium, antequam operetur; nec sufficit affectus, & voluntas non peccandi; nec protestatio nolendi peccatum.*
8 *Quid Faciendum in dubietate orta ex præceptis incompatibilibus?*
9 *Quomodo deponenda dubia Speculativa, & Practica?*
10. 11. 12. 13. 14. 15. *Resolvuntur particulares Casus ad Materiam Justitiæ, & aliarum Virtutum spectantes.*
16 *Dubitans an sit imposita Lex, Præceptum, Consuetudo, Censura, Irregularitas, si dubium superari nequit præmissa debita diligentia; non tenetur ad illa.*
17 *Secus dicendum, si certò sciat imposita esse; sed dubitat, an acceptata, & recepta fuerint; tenebitur ad illa, dum dubium non vincit.*
18 *Dubius an eximatur à Lege, vel præcepto, quæ certò ei constant; tenebitur ad illa, nisi probet exemptionem.*
19 *Dubius de satisfactione Legis, aut Præcepti obligantis, nisi probet satisfactionem; tenebitur ad illam.*
20 *Subditus dubitans de honestate rei præceptæ, aut de materia præcepta, an excedat potestatem Superioris; tenebitur obedire, nisi probet inhonestatem, aut excessum.*
21 *Idem dicendum de Subditis Religiosis.*
22 *An subditus dubitans de honestate rei præceptæ, aut de excessu potestatis, eximatur ab obediendo, si timeat sibi probabiliter non leve damnum?*
23 *Extenditur Quæsitum ad præceptum nimis molestum, & durum.*
24 *Dubius de Media nocte quomodo se gerere debeat circa jejunium?*
25 *An dubius de jejunio naturali post mediam noctem communicare possit?*
26 *Dubius an expleverit vigesimum primum annum; non tenetur ad jejunium.*
27 *Dubius de excommunicatione, an ipsa sit latæ, vel ferendæ sententiæ; vel si adimpleta sit conditio, ob quam imposita est; aut si eam incurrerit; non tenetur se gerere ut excommunicatum.*
28 *An in dubio detur locus epykejæ?*

COnscientia Dubia propriè accepta, & de qua hìc loquimur, est suspensio assensus circa objectum apprehensum: quando videlicet intellectus nequit potiùs in unam partem se inclinare, quàm in aliam ex sibi propositis; adeoque neque assentitur, neque dissentitur, sed remanet anceps, & veluti in æquilibrio, etiamsi fortè potiùs in unam partem inclinet, quàm in aliam, & tunc dicitur intellectus suspicans. Potest verò intellectus esse dubius, & remanere suspensus duobus modis, primo directè, si ponderatis utrinque rationibus non valet judicium probabile efformare pro una potiùs parte, quàm pro alia, & hæret dubius, & anceps sistendo se in æquilibrio. Secundò reflexè, si scilicet judicet, sibi remanere incertum, an res illa ita se habeat, an verò non? 1

Multipliciter Conscientia potest esse dubia ex multiplicitate Dubiorum: nam dubium aliud est Speculativum, aliud Practicum. Speculativum, seu universale illud dicitur, quando in genere dubitatur e. g. an licitum sit piscari, venari, pingere die festivo, an Contractus usurarius licitus sit, & similia. Practicum verò, seu particulare illud dicitur, quando dubitatur hìc & nunc, & in talibus circumstantiis: ut si hìc & nunc dubitet aliquis, an piscari hoc die Festivo sit licitum; aut dubitet, an hic contractus à se celebratus sit usurarius. Ex his dubiis speculativis, & practicis resultat Conscientia Speculativè dubia, aut Practicè dubia. Insuper dubium potest esse Juris, vel Facti. Dubium Juris dicitur, cùm dubitatur de Jure, an videlicet lata sit Lex; vel Præceptum aliquod Superioris. Dubium Facti est, quando 2

dubitatur de Facto, an scilicet facta fuerit actio illa contra Legem, vel Præceptum Superioris; aut dubitatur, an omissum fuerit, quod à Lege, aut Superiore præceptum fuerit.

3 Adnotandum hìc, quòd ad regulandas actiones semper attendi debet ad dubium Practicum, quando videlicet hìc, & nunc dubitatur: an aliquod præceptum urgeat faciendi, vel omittendi actionem illam. Adnotandum quoque, quòd licèt cum dubio speculativo stare possit judicium practicum de recta operatione; nihilominus motivum prudens, & probabile requiritur ad deponendum practicè dubium illud speculativum, & ad efformandum judicium, quòd non obstante dubio speculativo sibi hìc, & nunc liceat, practicè efficere operationem illam. Sic qui in genere dubitat nemini, licere opera servilia die festo exercere; ad hoc ut illa exerceat nunc hoc die festo, debet probabiles rationes habere, & prudens motivum, ob quæ judicet, nunc sibi licere, aliàs peccabit. Si enim dubitat, nemini licere, pariter dubitare debet, nec sibi licere; nisi probabiles rationes habeat ad variandum nunc judicium, quo dicat, sibi licere: cùm hoc nequeat fieri pro libito, sed adhibitis post diligentiam aliquam probabilibus rationibus: ut docent Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 5. num.* 14. Vasquez 1.2. *quæst. 19. art. 6. disp. 65. cap. 1. num.* 2. Castropalaus *de conscien. disp. 3. pun. 1. num.* 4. Corduba *lib. 3. quæst. 5. dub. 5.* Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp.* 41. *num.* 5. & Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 7. num.* 2.

4 Ex explicatis hucusque clarè constat, operantem cum conscientia dubia practicè peccare, & quidem peccato ejusdem speciei, & rationis, cujus est peccatum, de quo dubitat: ratio est, quia sic operans exponit se evidenter periculo transgrediendi præceptum, & Legem Dei: & quantum est ex se vult operationem, etiam si inhonesta, mala, & peccaminosa sit; & qui tali periculo se exponit, peccat juxta illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*. Quòd autem peccet per peccatum ejusdem rationis, & speciei, probatur ex eo, quia tendit per affectum ad peccatum illud, sicuti diximus de operante per conscientiam erroneam, quam agnoscit, & non deponit. Sic Suarez *l. c. num.* 2. Vasquez *l. c. num.* 4. Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 10. Bonacina *l. c. num.* 7. referens Navarrum, Becanum, Reginaldum, Filliuccium, & alios.

5 Hinc fit 1. practicè dubitantem, an aliquod sit Mortale, & illud efficit; peccare mortaliter. 2. practicè dubitantem, an aliquod sit mortale, vel veniale, si illud efficit; peccare mortaliter juxta superiùs dicta: quia jam se exponit periculo alicujus mortalis. 3. practicè dubitantem, an persona, quam percutit, sit Ecclesiastica, vel laica, & percutit; peccare contra reverentiam Personis Ecclesiasticis debitam, & teneri hanc circumstantiam in confessione aperire. 4. practicè dubitantem de valore Matrimonii contracti, & accedit ad Meretricem; debere aperire in confessione hanc circumstantiam adulterii, cui se exponit: etiam si fortasse Matrimonium initum invalidum fuerit. 5 practicè dubitantem, an quod accipit, suum sit, vel alienum; peccare peccato furti, etiam si suum postea repererit. Sic DD. superiùs citati.

6 Quæ dicta sunt, non solùm intelligi debent de eo, qui speculativè, & practicè dubitat, & nihilominus operatur: ut si quis dubitaret, an die festo licitum sit piscari, & tamen piscatur, & dum piscatur, dubius est, an sibi liceat. Verùm etiam de eo, qui practicè dubitat, quamvis non dubitet speculativè: ut si quis non dubitaret, esse licitum docere die Festivo; dubitat tamen, an hìc, & nunc sibi liceat; si doceat, utique peccabit, cùm practicè operetur cum tali dubio non deposito. Sic iidem DD. citati.

7 Colligitur ergo ex dictis, practicè dubium circa aliquod faciendum teneri, antequam opus aggrediatur, se resolvere, ac dubium vincere, & deponere, ne periculo peccandi se exponat. Quod enim non est ex fide, est peccatum; hoc est, quod non fit ex determinato judicio, quòd licitum sit; est peccatum. Nec sufficit solus affectus, & voluntas non peccandi; aut protestatio nolendi peccatum in opere illo, de quo dubitatur; ut docent communiter doctores contra Cajetanum; sed ulterius requiritur motivum rationabile, & prudens: aliàs expositus semper esset operans periculo peccandi. Sunt autem rationabilia motiva ad dubium deponendum. 1. Rationes probabiles, si habeantur. 2. Exemplum doctorum Virorum, & piorum, sic sine scrupolo operantium. 3. Authoritas alicujus Viri docti, & pii, sic resolventis. Non nego tamen, quòd si dubium ortum sit sine rationabili, & justa causa; sed temerè conceptum sit; possit sine nova ratione deponi, vinci, & contemni, ut fatentur passim Doctores, & in hoc sensu locutum fuisse Cajetanum, aliàs doctissimum Virum, mihi pro certo est.

Quòd si dubium oriatur ex obligationibus, & præceptis incompatibilibus: ut si quis dubitet, an teneatur apud ægrotum manere die festivo, omisso Sacro; an relicto ægroto pergere ad Sacrum audiendum; tenebitur se resolvere ad eam partem, quam hìc, & nunc prudenter judicaverit, adhibita ea diligentia, quam pro loci, temporis, & rei qualitate adhibendam judicaverit, alioquin periculo peccandi se exponeret. Quamobrem, ut rectè operetur in tali eventu; debet exquirere aliorum consilia, si possit: quòd si non possit, quia solus est; consideret, quantum res, & tempus patiuntur, quodnam ex prædictis præceptis, & obligationibus magis urgeat; & quodnam sit minus malum omittere. In casu autem adjecto minus malum erit Sacrum omittere, quàm infirmum deserere: cùm de Sacro audiendo habeatur præceptum affirmativum Ecclesiasticum; de infirmo tamen non deserendo habetur præceptum negativum Juris naturalis: Quòd si adhibita morali diligentia ad veritatem assequendam, eam tamen assecutus non fuerit dubitans, itaut nequierit dubium rationabiliter deponere, vel quia nescit, quænam pars tutior sit; aut quodnam sit minus malum ex duobus, quorum unum necessariò eligendum sit; tunc poterit eligere, quod voluerit: ex defectu enim libertatis non peccabit in eligendo unum præ alio: cùm non sit major ratio, cur potiùs unum, quàm aliud eligi debeat; & implere utrumque sit planè impossibile. Sic Sanchez referens Cordubam, & Medinam *lib.* 1. *Decal. cap. 9. nu.* 19. Bonacina referens Reginaldum, & Becanum *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. pun. 7. num. 8.* & Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 1. n. 7.* 8

Maxima difficultas in hac materia est: quomodo deponenda sint dubia, sive Speculativa, sive Practica; sive oriantur ex duobus præceptis incompatibilibus inter se, sive ex uno tantùm præcepto; ut licita possit esse operatio? Pro qua decidenda, mihi certum est, requiri 1. ut adhibeatur debita diligentia in inquirenda veritate rei, & quidem moralis, prout videlicet postulat ratio rei, temporis, loci, & aliarum circumstantiarum. Quòd autem requiratur hæc adhibitio diligentiæ recta ipsa ratio dictare videtur, ne imprudenter & temerè Homo operetur, ac errandi periculo se exponat. Quòd verò sufficiat diligentia illa, quæ pro circumstantiis adhiberi possit; probatur ex eo, quia in Moralibus eam diligentiam adhibere, quam circumstantiæ permittunt, & opportunitas dat; liberat ab omni temeritate, & imprudentia: cùm non semper in dubiis ea diligentia adhiberi possit, quæ revera, & in se sufficiens est ad dubium vincendum; adeoque judicari poterit licitum opus, quod præstatur post adhibitam eam diligentiam, quam circumstantiæ hìc, & nunc permittunt. Sic Suarez *de Censur. disp. 40. sect. 5. num.* 13. Valentia 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 14, *pun.* 4. *quæstiun.* 4. Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 1. *cap. 9. num.* 25. & Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 7. *num.* 12. 9

Requiritur 2. justa causa ad deponendum practicè dubium speculativum, ut supra diximus; cùm enim judicium practicum conforme debeat esse speculativo: nam dubium speculativum necessario per se infert dubium practicum; hinc est, quòd nisi justa causa, & convincens ratio moveat, non poterit quis practicè operari licitè contra dubium speculativum, deponendo illud, & variando judicium. Justa autem causa erit non solùm consilium Virorum doctorum, & piorum, tam viventium, quàm mortuorum in suis libris editis; verùm etiam possessio legitima, quam Doctores passim reputant titulum communem tam in materia justitiæ, quàm cæterarum virtutum; cùm in dubiis judicandum sit in favorem possidentis, si post diligentiam sufficientem exhibitam veritas rei inveniri nequeat juxta vulgatum axioma: Melior est conditio possidentis: fundatur siquidem in eo, quòd idem judicandum est in foro interno, ac judicatur in Foro externo, quando forum externum non nititur in falsa præsumptione: si ergo forum externum regulariter judicat in favorem possidentis, ita etiam judicare debet forum internum. Sic Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *c.* 7. Bonacin. *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 7. *num.* 13.

Remi-

Remanet igitur statutum ex dictis, quòd scilicet non sit licitum in Moralibus aliquid agere cum conscientia practicè dubia: quamvis licitum sit præmissa diligentia ad inquirendam rei veritatem, & justa causa habita agere contra dubium speculativum, ac partem favorabilem operanti eligere, si pro ea stet possessio, & contra eum non habeatur dispositio aliqua Juris.

Neque dicas *ex Cap. Ad audientiam, & cap. Juvenis, de Sponsalib. habetur, In dubiis tutiorem partem esse eligendam*; Ergo licitum non erit Favorabilem partem possidenti eligere, sed tutior eligenda erit. Contra enim est, quia citati Textus loquuntur de dubio practico, quando non adhibita est moralis diligentia; nec habetur justa ratio deponendi dubium speculativum, quod nos ultrò concedimus. Non verò si habeatur justa causa, & ratio post diligentiam adhibitam agendi contra dubium speculatium, quod utique poterit licitè deponi, ut nos probavimus: & ex Sylvestro, Corduba, & Guttierrez docet Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. pun. 7. num.* 21.

10 Ex doctrina tradita resolvuntur *nonnulli* Casus in particulari, tum *in* Materia Justitiæ, tum aliarum Virtutum. Et 1. quidem: si rem aliquam bona fide possidens postea dubitet, an sua sit, an verò aliena; & præmissa sufficienti diligentia ad dominum investigandum, vincere tamen dubium *non* poterit; eam sibi licitè retinere poterit: ratio est, quia cùm par sit causa, an sua scilicet sit, vel aliena; & ex alia parte dubitans possidet; inde est, quòd melior sit ejus conditio, quàm alterius: possessio namque sufficiens titulus est deponendi conscientiam illam dubiam, & honestandi retentionem. Sic Covarruvias, Molina, Villalobos, Sanchez, Salas, Vasquez, Sayrus, Coninch, Sancius, quos refert, & sequitur Castropalaus *De Conscien. disp. 3. pun. 2. num.* 4. Poterit quoque dubitans *in* casu adjecto rem illam alienare, detecta tamen qualitate dubii emptori: nam si non posset, inutilis foret possessio, imò potiùs onerosa. Quòd autem sit obligatio detegendi dubium, constat ex eo, quia res subjecta vitio venditur, ac exposita periculo, quòd aliena sit, & à domino repeti possit. Sic ex Sanchez, Covarruvia, Salas, Sancio docet relatus Castropalus *num.* 13.

Advertendum tamen, traditam doctrinam non valere in debitis certò contractis, & solutione dubia: nam si certò constat, debitum esse contractum, & dubietas habetur de solutione; alius possidet solutionem debiti sibi faciendam contra dubitantem; adeoque dubitans nequibit excusari à solvendo per solutionem illam dubiam: debito siquidem certo non æqualiter ex justitia correspondet dubia solutio. Sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de Juram. cap. 33. num. 7.* Vasquez *disp. 66. cap. 7. in fin. num.* 43. Sanchez *lib. 1. Decal. cap.* 10. *num.* 12. Salas *disp. unic. sect. 23. num. 231. in fin.* & Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 2. num.* 14.

11 2. Si possidens rem titulo donationis, aut emptionis dubitet à principio donationis, aut emptionis furtivam esse, & facta morali diligentia dubium vincere non possit; tenetur persistente dubio rem dividere cum eo, aut eis, de quibus dubitat: ratio est, quia pro nemine ipsorum præsumptio stat, cùm omnes æquale habeant jus; ergo æqualiter dividenda erit inter ipsos. Nec favet pretium datum in emptione; sicuti non favet, si appareat verus dominus, cui extra controversiam deberet rem integram restituere, amisso integro pretio: nam mala fide datum fuit. Sic Molina *tom. 1. de tract. 2. disp. 35. §. Verum.* Sanchez *lib. 2. Matrim. disp. 41. concl. 5. num.* 24. Salas *tract. 8. disp. unic. sect. 23. num.* 232. Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 3. n. 2.* Limitant tamen hanc doctrinam, nisi à possessore bonæ fidei accepta fuerit sive per donationem, sive per emptionem, quia tunc etiam cum dubio illo res accepta fuerit, dum tamen post diligentiam factam non apparet verus dominus; poterit rem illam retinere, ac illa uti, cùm succedat in possessione bonæ fidei per titulum illum acceptum donationis, aut emptionis.

12 3. Qui suo consilio, aut alio adjutorio dubitat, an fuerit causa homicidii, vel furti secuti; si non habeat efficaces rationes comprobantes, suum consilium, aut aliud adjutorium non fuisse causam damni subsecuti; tenetur ad damnum secutum resarciendum: ratio est, quia semelac consilium dedit, aut aliud adjutorium; & aliunde actiones istæ injustæ aptæ sunt ad causandum damnum illud, quod constat, subsecutum esse; possessio est contra ipsum, non pro ipso; ergo ad ipsum spectat onus probandi, non causasse damnum per actiones illas *injustas*; adeoque si non habeat rationes efficaces comprobantes suam indemnitatem, præsumptio est contra ipsum. Aliud tamen esset, si dubitaret, an revera consilium dederit, aut aliud adjutorium; tunc enim possessio staret pro ipso, & ad alium spectaret probare, quòd revera dederit. Dum verò ipsi constat de consilio dato, aut alio adjutorio; ad ipsum spectat probare indemnitatem, quam dum non probat, stat præsumptio contra ipsum. Hinc fit, dubitantem, an sua culpa contigerit homicidium; debere se gerere tamquam irregularem; cùm præsumptio stet contra ipsum: maximè quia talis judicatur in foro externo *ex Cap. Ad audientiam, & Cap. Significasti, de Homicid.* Sic ex Felino, Decio, & Baldo docet Mascardus *de Probat. tom. 1. concl.* 419. *num. 9.* Sanchez *lib. 1. Decalog. cap.* 10. *num.* 44. Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 4. num. 3.* & Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 7. num.* 21.

13 4. Commodatarius, aut Depositarius dubius, an commodatum, vel depositum sua culpa perierit; non obligatur ad restitutionem: nam præsumptio nisi probetur, non stat contra ipsum; præsumi namque non potest, delictum illud commisisse, ut docent Salas 1. 2. *tract. 8. disp. unic. sect. 23. n* 243. Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp.* 41. *num.* 18. Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 20. num.* 10. Sancius *in Select. disp.* 43. *num.* 11. & Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 4. num.* 4. Secus tamen dicendum, si res commodatarii, aut depositarii servatæ sint incolumes; tunc in foro externo præsumptio staret contra ipsum, qui probare deberet suam innocentiam à dolo, qui præsumitur *ex Textu in Cap. 2. de Depositi*, ut docet Mascardus *de Probat. tom. 1. conclusione* 509.

14 5. In dubio, an aliquis sit legitimus, vel non. Sicuti in dubio an aliquis sit spurius, vel naturalis; quamvis communis sententia doceat, reputandum esse legitimum; & in dubio de spurio, aut naturali reputandum esse naturalem, cùm nemo incurrere, ac subire debaet certam pœnam pro delicto incerto, licèt non desint doctissimi viri oppositum sentientes. Nihilominus maximè placet, quod addunt Azevedo *lib. 5. novæ Recopil. tit. 8. Reg. 9. à num.* 14. & Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 5. num. 3.* ad conciliandos hos Doctores: nempe si contra illum agatur, de quo dubitatur, & ipse sit in possessione sine ulla contraria præsumptione Juris; locum habet prima sententia: quia standum pro legitimitate, aut naturalitate, dum oppositum non probatur ab Actoribus. Secus verò dicendum si ipse, de quo dubitatur, actor sit contra alios: ut si hæreditatem contenderet, aut quid simile; tunc ad ipsum spectaret legitimitatem probare, cùm *non* posset alios à possessione hæreditatis deturbare: quapropter locum haberet secunda sententia. Si tamen nulla lis agitetur inter aliquos, sed dubitans prætendit Ordines, e. g. aut Prælaturam aliquam; tunc si non fuerit diffamatus de contrario, reputandus erit legitimus. Ut constat *ex Cap. Transmissæ, & Cap. Pervenit, Qui filii sint legitimi*, & docet Mascardus *de Probat. verb. Illegitimus, concl.* 882. *num.* 8. nec obligat istum talem ad purgandum se juramento; sicuti non obligat Doctorandos, & Licentiandos, si non fuerint diffamati, ad jurandum super natalibus, & multo minus ad probandum.

15 6. In dubio, quo dubitatur, quis teneatur alere Filium illegitimum, cujus parens determinatè nescitur, licèt sciantur, qui copulam cum ejus Matre habuerint; tenentur omnes illi, de quibus constat copula habita: ratio est, quia Filius ille adversùs omnes illos possidet, ac actionem habet petendi alimenta: constat enim copula habita, & nisi efficaciter probent impotentiam generandi, contra quemlibet illorum agere poterit filius; & dum non probant, tenentur pro rata ad alimenta illius. Sic Vasquez, Salas, Azor. Villalobos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 5. num.* 15.

16 7. Extra materiam justitiæ, in qua etiam favere possessionem, docet Communis, & probabilior sententia; sive ea sit Religionis, sive Temperantiæ, sive alterius Virtutis. Sic in dubio, an Lex sit imposita, vel Præceptum, aut Consuetudo, vel Censura, aut Irregularitas; si præmissa sit debita diligentia ad veritatem investigandam, dubium superari, & vinci non possit; non tenetur dubitans ad Legem, Præceptum, Consuetudinem, Censuram, aut Irregularitatem: ratio est, quia cùm dubitans stet in possessione, suæ libertatis post adhibitam diligentiam, inde est, quòd liberum se exisi-

stimare debeat; dum se non agnoscit ligatum. Sic Suarez *tom. 5. in 3. par. disp. 40. sect. 5. num. 15.* Sanchez *lib. 1. decal. cap. 10. num. 32.* Sà *verb. dubium, num. 2.* Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 7. num. 1,* Villalobos *tom. 1. Summ. tract. 1. diffic. 21. num. 4.* Bonacina referens Layman, & Filliuccium *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 7. num. 17.*

17 Secus tamen dicendum: si dubitetur de Lege, præcepto, & similibus, maximè si contineant Censuram, aut Irregularitatem; an usu recepta sint, & acceptata; tunc enim præsumptio, & possessio stat pro Lege, aut præcepto. Et dum non probat dubitans, non acceptata fuisse, tenetur ad illa: quidquid in contrarium dixerint Azor. & Salas, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num. 4.* quamvis probabiliorem reputet nostram sententiam, quam sustinent Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 11. num. 35.* Filliuccius *tract. 21. cap. 4. quæst. 10. num. 164.* Riccius *verb. Praxis Alienationis, decis. 95.* Bonacina *de Peccatis disp. 2. quest. 4. pun. 7. num. 19.*

18 Idem dicendum; si certò constet de Lege, aut Præcepto; sed dubitat quis, an ratione necessitatis, vel alterius circumstantiæ eximatur ab illis; tenetur utique ad illa observanda, nisi probet exemptionem: ratio est, quia possident Lex, & Præceptum; adeòque eximi non poterit ab obligatione certa per excusationem dubiam, sed probari debet. Sic Medina, Sancius, Sanchez referens Decium, Alciatum, & Surdum, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 7. num. 6.*

19 A fortiori tenebitur dubitans ad satisfaciendum Legi, aut Præcepto, si constet obligare, & dubitet, an satisfecerit: nisi enim probet satisfactionem, tenebitur ad illam: Sic obligatus ad sacrum audiendum die festivo, aut ad recitandas Horas canonicas, nisi probet Sacrum audiisse, aut Horas canonicas recitasse; tenebitur audire, vel recitare: cùm certæ obligationi nequeat satisfieri per dubiam satisfactionem. Sic Medina, Ledesma, Sanchez, Rebellus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 7. num. 7.*

20 8. Subditus dubitans de honestate rei præceptæ; aut de materia præcepta, si excedat potestatem præcipientis; tenetur obedire, dum non probat contra Superiorem inhonestatem, aut excessum illum: ratio est, quia superior stat in possessione præcipiendi: & subditus in obligatione obediendi; ergo dum non demonstrat subditus, Superiorem non præcipere honesta, aut supra suam potestatem præcipere; tenebitur obedire, cùm non deturbet illum à sua possessione; maximè si nullum detrimentum sibi, vel alteri sequatur ex obedientia illa; ut si Superior præciperet alicui valetudinario, vel altero impedimento laboranti in dubio de jejunio, aut Horis persolvendis, ne jejunet, aut recitet; cùm sit in eo casu præceptum Superioris interpres Legis evangelicæ. Sic communis sententia cum Innocentio, Joanne Andrea, Hostiensi, Baldo, Abbate, Sylvestro, Maldero, Lorca, Navarro, Toleto, Valentia, Molina, Azorio, Navarra, Sà, Sayro, & Sanchez relatis à Castropalao *de Conscient. disp. 3. pun. 13. num. 2.*

21 Controvertitur tamen de subditis Religiosis: an etiam teneantur sic obedire in dubiis prædictis; Et ratio controvertendi est, quia Religiosi sunt subditi ratione Votorum Religiosum constituentium, adeoque Prælatus ea tantùm Religioso præcipere poterit, ad quæ per Obedientiæ votum se adstrinxit; sed votum obligare nequit ad rem, de qua dubitatur, ut communiter dicitur de voto; ergo subditi religiosi non tenentur in casibus adjectis obedire: maximè quia possessio Prælati præcipientis in Religione ortum habet à voluntate religiosi, quapropter nequibit se ad alia extendere, quàm ad ea, ad quæ se extendit religiosi voluntas. Et quamvis Prælati regulares jurisdictionem spiritualem habeant à Pontifice datam in suos subditos; Pontifex tamen eam non dat, nisi tantùm ad eas materias, ad quas se extendunt Vota religiosa. Hæc sunt, quæ movet doctissimus Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 13. num. 7.* adducens Suarez, cui non videtur improbabilis hæc sententia. Nihilominus non recedendum à sententia opposita quam sustinet Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 3.* innumeros referens: & ratio est, quia ratione Votorum religiosorum obligantur religiosi obedire suis Superioribus, dum in re præcepta manifestum peccatum non cernitur, non solùm in rebus certis, & opinabilibus; sed etiam dubiis: quia ad subditos spectat obedire, & quidem obedientia cæca multùm à Sanctis Patribus commendata; ad superiorem verò spectat præcepta examinare; & quæ imperat, quasi pro subditis rationem redditurus. Superior igitur stat in possessione præcipiendi ex vi Votorum religiosorum, à qua deturbari nequit, nisi res præcepta manifestum peccatum contineat; adeoque corruit ratio fundamentalis, in qua tota machina fundata erat. Nec votum religiosi obediendi suo Prælato, ubi manifestè peccatum non agnoscitur, versatur circa rem dubiam, sed certam moraliter; esto vovens in particulari rem aliquam, de qua dubitat, non teneatur ad illam post diligentiam adhibitam superandi dubium. Nec tenetur subditus religiosus, aut alius inquirere de honestate præcepti, vel viros doctos consulere de illa: cùm ad subditum spectet præcepta imposita exequi, non verò examinare: dum enim manifestum peccatum non agnoscit, honesta reputare debet, quæ à Superiore imperantur, nec ejus potestatem excedentia. Sic Sanchez *lib. 6. Decal. cap. 3. num. 19.* Valentia *2. 2. disp. 7. quæst. 3. pun. 2. coro. 2.* Navarra *lib. 2. de Restit. cap. 3. dub. 12. num. 261.* & alii contra doctissimum Castropalaum, quem tanti facio, & qui *l. c. num. 11.* concedit, subditum teneri obedire Prælato præcipienti, sed dubitanti, an res præcepta sit licita, aut excedens limites suæ potestatis, nec post diligentem veritatis inquisitionem dubium superare possit; etiamsi subditus de hac dubietate Prælati conscius sit: eo quia Prælatus legitimè imperat, & habet possessionem imperandi; ergo multò magis tenebitur obedire, si dubium sit ex parte sui, non verò ex parte Superioris; cùm dubium subditi nequeat deturbare certam possessionem Superioris.

An autem deobligetur subditus ab obediendo, quando 22
dubitat de honestate præcepti, aut an sit intra limites potestatis; & ex obedientia timet probabiliter non leve damnum in vita, honore, fama, divitiis sibi, aut alii: ut si Superior interrogaret de delicto tuo, vel alieno; & dubius sis, an legitimè interroget? Et quamvis non desint, qui dicant; teneri subditum obedire; quia damnum illud prævisum est à superiore, & eo non obstante præcipit; adeoque sicuti tenetur obedire, si certò constet, Superiorem legitimè præcipere; sic etiam si dubitetur: cùm utrobique stet in possessione præcipiendi. Nihilominus verius puto deobligari: ratio est, quia possessio certa vitæ, honoris, famæ, & divitiarum prævalet Juri, & possessioni dubiæ Superioris: maximè quia præcepta ipsa Ecclesiastica certa non solent obligare cum gravi detrimento proprio, vel alieno; ergo multo minùs obligare poterunt præcepta dubia. Non nego, quòd ceteris paribus standum potiùs pro Superiore, quàm pro subdito: non sic tamen evenit in casu nostro. Ita Lessius, Sayrus, Salas, Sanchez, Villalobos, Pitigianus, Rodriquez, quos citat, & sequitur Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 13. num. 16.*

Extenditur hæc doctrina: si præceptum esset nimis 23
molestum, & durum; subditus namque dubitans excusari posset ab obediendo; non enim certò subeundum est onus tam grave, & sic molestum; de quo dubitatur, an licitum sit, & imponi possit, cùm jugum Christi suave sit, & onus ejus leve; nec possessio dubia servanda est cum tanto onere. Sic Salas referens Medinam, Aragonium, Lopez, Sayrum, Sotum, Vegam, Rodriquez *tract. 8. disp. unic. sect. 17. num. 154.* Sanchez *lib. 6. Decal. cap. 3. num. 23.* Villalobos *de Conscien. diffic. 26. num. 2.* & Castropalaus *de Conscien. disp. 3. pun. 13. num. 18.*

9. Dubitans, an elapsa sit media nox, & dies sit jeju- 24
nii; nequibit carnes comedere, aut aliud in præjudicium jejunii: ratio est, quia stat in possessione jejunium, dum non constat probabiliter de opposito. Secus tamen esset: si non esset dies jejunii, sed post mediam noctem urgeret præceptum jejunandi, tunc dubitans posset carnes comedere, aut aliud; quia possidet libertas, & dum non constat probabiliter de opposito, deturbari nequit. Et si horologia diversa sint inter se, dummodo constet, ut plurimum bene regulari; poterit sequi quodlibet illorum, cùm opinionem probabilem faciant. Sic passim Doctores absque discrepantia.

Sed difficultas in eo sita est: an qui comederit, vel 25
biberit, dubius sit, si post elapsam mediam noctem id fecerit; possit communicare? Idem controvertitur de dubitante: an post mediam noctem aliquid deglutierit, quod jejunium naturale frangat? ut si quis communicaturus os abluat, & dubius sit, an aliquid aquæ deglutierit? Et quamvis Doctores habeantur sustinentes, posse dubitantem in casibus adjectis celebrare, aut communi-

care

care non obstante dubio: tum quia lex Ecclesiastica non obligat in dubio tam arctè, & sic conscientias adstringat; tum quia in dubio factum præsumi non debet, adeoque possidet dubitans libertatem, & potestatem communicandi. Sic Sancius *in Select. disp. 42. à num.* 1. qui refert Medinam, favent Sà, Layman, Diana, & Cardinalis Delugo relati à Busenbaum *de Conscien. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 6. Nihilominus oppositam sententiam denegantem sustineo, ut probabiliorem, & tutiorem: ratio est, quia nisi probet dubitans, se esse jejunum naturaliter; urget, & stat in sua possessione præceptum non sumendi Eucharistiam, semper namque obligat; adeoque ex parte dubitantis nulla potest esse possessio antecedens possessionem præcepti; ergo in tali dubio standum pro præcepto: maximè quia nemo accedere potest ad tantum Sacramentum, etiam cum indignitate dubia; sed si dubius de jejunio naturali accederet ad Eucharistiam, accederet cum indignitate dubia, an scilicet possit dignè tale Sacramentum sumere, quod non est conveniens. Ideò si citatus Sancius hortatur Confessarios ad consulendam sententiam suam; ergo potiori jure hortor ad consulendam oppositam. Sic Sanchez *lib.* 2. *Matrim. disp.* 41. *num.* 40. Salas *de Conscien. sect.* 25. *num.* 264. Villalobos *tract.* 1. *diffic.* 21. *num.* 7. Fagundez *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 18. Castropalaus *de Conscien. disp.* 3. *pun.* 8. *num.* 9. & alii communiter.

Nec obstant, quæ dicta sunt in favorem contrariæ sententiæ; quòd videlicet lex Ecclesiastica non urgeat tam strictè conscientias in dubio: maximè quia homo ex se habet potestatem, & libertatem communicandi. Contra enim est, quia hęc omnia vera sunt probata dignitate communicandi. Sicuti qui beneficium Ecclesiasticum, aut sacros Ordines accipere debet; habet potestatem, & libertatem ea accipiendi, probata ætate, & legitimis requisitis: nec in dubio ipsi conferuntur: sic etiam discurrendum de acceptione Eucharistiæ. Nec qualitas dignitatis recipiendi Eucharistiam presumi debet, sed probanda est: cùm qualitates ex Menochio *concl.* 35. *num.* 31. probandæ sint. Ad id, quod additur, factum non præsumendum esse in dubio; respondetur, verum esse, si factum non inferat præjudicium alteri; secus verò, si alteri præjudicium afferat. Sic in dubio, an aliquis sit legitimus, ut superius diximus num. 14. reputandus erit legitimus, si non inferat præjudicium aliis. Secus verò, si ob legitimitatem prætenderet hæreditatem contra alium; deberet utique probare illam, aliàs succumberet ex *Leg. Ei, qui dicit. ff. de Probationib.* Cùm unusquisque probare debeat fundamentum suæ intentionis ex Mascardo *de Probation. verb. Qualis. concl.* 1253. *num.* 3. Ita discurrendum est in casu nostro de facto contra Præceptum communicandi jejunè, quod semper obligat.

26 10. Dubitans an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur jejunare; nam ante dubium possidet libertas non jejunandi. Dubitans tamen, an attigerit sexagesimum annum, jejunare tenetur; quia possidet præceptum contra libertatem non jejunandi. Sicuti dubitans, an ætatem habeat requisitam ad Sacros Ordines suscipiendos, vel beneficium aliquod Ecclesiasticum; nequit ad illa promoveri: eo quia tempore antecedente dubium erat in possessione præceptum non ascendendi ante ætatem. Sic Sanchez *lib.* 1. *Matrim. disp.* 41. *num.* 38. Castropalaus *de Conscien. disp.* 3. *pun.* 8. *num.* 7. & Sancius *in Select. disp.* 43. *num.* 6.

27 11. Dubitans, an lata sit Excommunicatio, vel an verba contineant Excommunicationem latam, aut ferendam; vel an adimpleta sit conditio, sub qua lata est sententia Excommunicationis: Sicuti etiam dubitans, an Excommunicationem incurrerit, & contraxerit; non tenetur se gerere ut Excommunicatum, nec absolutionem impetrare: ratio est, quia ante dubium possidet libertas, quæ ut deturbetur à possessione debet certò, non dubiè constare de Excommunicatione: cùm præsumptio in casibus adjectis stet pro libertate. Secus tamen esset, si certò constaret de Excommunicatione, & solùm dubitaretur, an justè, vel injustè lata sit; an ex sufficienti causa, aut intentione lata fuerit; an servato procedendi modo, an per absolutionem fuerit ablata; tunc enim ante dubium esset in possessione potestas Excommunicantis, & Excommunicatio, ac proinde in favorem Excommunicantis, & Excommunicationis judicandum perseverante dubio post adhibitam diligentiam. Sic Sanchez, Layman, & alii, quo refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 7. *num.* 15. & 16.

Quæres: an in casu dubii detur locus epykejæ? Ref. præmittendo priùs epykejam esse emendationem, aut interpretationem Legis; quando videlicet actus aliquis comprehenditur sub verbis Legis, & quis interpretatur Legis latorem vel non potuisse, vel noluisse obligare ad actum illum ob occurrentes circumstantias. Quapropter si voluntas operetur ex tali interpretatione, dicitur operari ex epykeja; quæ, ut patet, importat actum intellectus, & voluntatis: ut rectè habet Suarez. *lib.* 6. *de Legib. cap.* 6. *num.* 2. hoc posito. Communis sententia est; non esse licitum uti epykeja in dubio, quando adiri potest Superior, & Legislator ob deponendum dubium: ratio est, quia esset operari cum conscientia dubia, cùm deponi posset, & non subjacere periculo errandi, ac peccandi: *nam vel dubium est de Voluntate Superioris, & Legislatoris:* an voluerit extendere legem suam ad actum illum in talibus circumstantiis; & in tali casu cùm possit adiri Superior, qui aperiat voluntatem suam; ipsum non adire esset operari cum conscientia dubia, & periculo peccandi. *Vel dubium est de ejus potestate:* an potuerit obligare ad actum illum in talibus circumstantiis; & tunc cùm clarè non constet de impotentia Superioris, erit omnino illicitum interpretari, quòd non possit: cùm possessio stet pro Lege, & potestate Superioris. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 6. *ad* 2. quem sequuntur Cajetanus, Medina, Sotus, Sanchez, Suarez, Vasquez, Sancius, relati à Castropalao *de Conscien. disp.* 3. *pun.* 8. *num.* 2. In casu verò urgentis necessitatis, in qua Superior adiri non poterit: quamvis aliqui Doctores Sylvester, Corduba, Henriquez, & Salas relati à Castropalao *l. c. num.* 3. dixerint, posse dubitantem uti epykeja; quia nimis durum esset, obligare homines Legibus incertis, ac dubiis, & in tali casu lex reputanda foret incerta, & dubia. Nihilominus etiam in casu adjecto illicitum esse uti epykeja, sive dubium sit de potestate Superioris, sive de ejus voluntate; docet communis sententia cum Doctoribus superius relatis: ratio est, quia in casu adjecto lex non est incerta, & dubia, ut supponunt adversarii; sed certa, & comprehendit casum illum ex ejus verbis; ergo dum non probatur, quòd Superior noluerit, vel non potuerit comprehendere casum illum; possessio stat pro Lege, & pro potestate Superioris: adeoque nisi dubium deponatur, operatio fiet cum conscientia dubia, & periculo peccandi. Quòd si in dubio de Voluntate & Potestate Superioris habeatur aliud dubium, an Lex illa contrarietur alteri Legi, sive æquali, sive graviori; dummodo hæc altera lex non constet, sed dubia sit; non erit sufficiens caput primum dubium deponendi secundum: ratio est, quia semper prævalet lex certa legi dubiæ, sive æqualis sit, sive gravior; adeoque non poterit dubitans omissa lege certa, ac possidente sequi practicè dubiam: secus dicendum, si constaret; tunc in æquali sequi posset dubitans Legem, quam vellet: cùm neutra prævaleat alteri, & operans non debet esse perplexus. In graviori verò eam sequi deberet, ut prævalentem: cùm Lex gravior prævaleat minùs gravi. Sic Castropalaus *l. c. num.* 5.

CAPUT V.

De Conscientia Scrupulosa.

1 *Quid sit conscientia scrupulosa?*
2 *Signa ad conscientiam scrupulosam dignoscendam.*
3 *Causæ, ex quibus dimanant scrupuli.*
4 *Licitum est scrupuloso agere contra scrupulos, & eos contemnere.*
5 *Solvuntur opposita in contrarium.*
6 *Non tenetur scrupulosus ad deponendum scrupulum.*
7 *Scrupulosus, ut rectè operetur, quamvis, judicare debeat scrupulum, ut talem; non obligatur tamen ad hoc in singulis actibus.*
8 *Remedia ad conscientias scrupulosas sedandas.*
9 *Diversimodè agendum cum scrupulosis non omnino timoratæ conscientiæ.*

DIcitur talis hæc conscientia à scrupulis, quibus agitatur: scrupulus autem est apprehensio quædam inanis ex levibus rationibus, & indiciis orta, ac ex quadam animi pusillitate; qua operans inducitur ad credendum, vel dubitandum, alicubi esse peccatum, ubi revera non est. Sic communiter Doctores cum Suarez, Vasquez, Sanchez, Filliuccio, Layman, Salas, Valentia relatis à Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 8. *num.* 1

num. 1. & à Caſtropalao *de Conſcien. diſp.* 4. *pun.* 1. *num.* 1.

2 Quamvis in dubio, an aliquis ſcrupuloſus ſit; ſtare debeat judicio prudentis Confeſſarii, qui ut talem eum agnoſcit: ut bene docent Sanchez *in Oper. Mor. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 81. & Bonacina *l. c.* Nihilominus habentur multa ſigna ad dignoſcendam conſcientiam ſcrupuloſam. Primum eſt: agere, ac procedere cum perturbatione, & cæco quodam modo verſari in actionibus externis. Secundum frequens mutatio judiciorum ex levi apparentia, & inanibus motivis; unde ſequitur inconſtantia in agendo. Sic ſcrupuloſus recitans horas Canonicas decies, imò pluries mutabit judicium de recitato, aut non recitato verſiculo, modò affirmans, modò negans. Tertium in omnibus timere peccatum, & eſſe inquietum contra judicium Sapientum; & ſæpè contra proprium judicium. Quartum habere pertinaciam in proprio judicio, nec velle acquieſcere conſiliis Doctorum: ſcrupuloſus namque varios conſulit, varios tædio afficit, & multorum capita diſrumpit; tandem aliquando nullius judicio fidit, & revertitur ad proprium. Quintum reflexiones varias, & propè infinitas, & omnes extravagantes habere in circumſtantiis. Hæc ſunt ſigna communiter adducta à Doctoribus, & expertis Viris ad dignoſcendam conſcientiam ſcropuloſam. Pro aliquo tamen ſcrupulo dignoſcendo inparticulari hæc duo ſigna tradi ſolent. Primum ſi per rem illam experiatur quis nimiùm angi, & turbari: hæc enim turbatio, & anguſtia non niſi à ſcrupulo provenire poteſt. Secundum ſi alia ſimilia expertus ſit apprehendiſſe ſine fundamento; tunc enim rectè judicare poterit, ſcrupulum eſſe, ac nullum fundamentum habere.

3 Cauſæ, ex quibus ſcrupuli emanare poſſunt; variæ enumerantur. Prima eſt Dæmonis ſuggeſtio, ut animas in laqueos, ac anguſtias inducat, & inde in deſperationem. Secunda ſuperbia quædam interior, & occulta, ob quam alii doctiores deſpiciuntur: ſicuti enim ſuperbia eſt origo, & radix omnis peccati, ſic & ſcrupulorum, ac afflictionum animæ. Tertia ignorantia, ob quam verum à falſo diſcerni nequit. Quarta nimia afflictatio corporis, ejuſque maceratio; ut jejunia, vigiliæ, & ſimilia, quæ extra modum cerebrum exſiccare ſolent, & mentem conturbant, & occaſionaliter ſcrupuli oriuntur. Quinta melancholicus humor, qui dum prævalet, timidos homines efficere ſolet, ubi timendum non eſt: hinc fit, quòd ſcrupuloſi in alienis cauſis frequenter ſine formidine judicant, non verò in propriis. Sexta frequens converſatio, ac familiaritas cum ſcrupuloſis: mores ſiquidem trahi ſolent ab iis, quibus cum converſari frequenter homines conſueverunt.

4 Jam verò ſuppoſita conſcientia ſcrupuloſa aliquid agere permanente ſcrupulo, qui ut talis judicetur, & contemnatur; non ſolùm licitum eſt, ſed commendabile: ratio eſt, quia ſic agere contra ſcrupulum non tollit judicium, ſi non certum, ſaltem probabile de honeſtate actus, ſive ex principiis intrinſecis, ſive extrinſecis, ex authoritate videlicet aliorum; quamvis ſcrupulus aliquo modo ſuffocet, & obtenebret tale judicium; licèt non tollat abſolutè: nam ſi tolleret abſolutè, jam non eſſet ſcrupulus, ſed dubium; ergo ſtante judicio iſto, ſaltem probabili, poterit ſcrupuloſus contra ſcrupulum agere cum honeſtate operationis. Quod quidem commendabile eſt ad ſedandas dubitationes, & formidines frivolas, ac ex inani fundamento ortas: nam ſi per quodcumque argumentum, quod facit formidare de eo, quod probabile judicatur; ceſſandum eſſet ab operatione, grave onus eſſet, & omnino difficilis ad cœlum via, ac ſolùm inſerviret ad inaniter mentem defatigandam. Imò aliquando non ſolùm commendabile eſt contra ſcrupulos agere, ſed obligatorium: ut ſi ſcrupulorum agitatio redderet ineptum ſcrupuloſum ad proprium Officium exercendum; ſi retraheret ab horis Canonicis recitandis, aut Sacra Communione, vel confeſſione, urgente præcepto, aut aliis actionibus præceptis, ſi grave damnum propriæ ſaluti inferret; tunc enim obligatur in conſcientia ſcrupuloſus ad agendum contra ſcrupulos. Non nego tamen, quòd ut plurimum excuſentur ſcrupuloſi à tali obligatione ob impotentiam phyſicam, quam experiuntur ad agendum contra ſcrupulos: & experientia docet, deſudare, fatigari ad ſe vincendum, ſed inutiliter, & cum detrimento ſalutis. Magnum enim exercitium eſt ſcrupulis agitari, & patienter acceptum magnum affert meritum penes Deum. Sic Sanchez, Reginaldus, Becanus, Sà, Navarrus, Filliuccius, Layman, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Peccat. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 5. Sic etiam Sayrus, Valentia, Salas, Sancius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp.* 4. *pun.* 1. *num.* 2.

Nec obſtat, quòd *in Cap. Inquiſitioni, de ſenten. Excomm.* Conjugi habenti ſcrupulum de validitate Matrimonii prohibetur, ne debitum petat, non depoſita prius conſcientia levi, ſeu ſcrupulo. Et *in cap. Per tuas, de Simon.* Cuidam ordinato ab epiſcopo, qui reputabatur Simoniacus, permittitur poſſe miniſtrare in ordine ſuſcepto, non tamen promoveri ad alios ordines ab eodem Epiſcopo, niſi errorem deponat ex conſcientia nimis ſcrupuloſa ortum; ergo non eſt licitum agere contra ſcrupulum, eo non depoſito. Contra enim eſt: quia conjux non habebat ſcrupulum, ſed dubium de validitate matrimonii: nam dubium dicitur aliquando largè ſcrupulus; & certum eſt, non poſſe licitè operari cum conſcientia dubia, non depoſito dubio. Promotus verò ad ordines non habebat ſcrupulum, ſed errorem de Simonia Epiſcopi, quamvis talis error ex ejus conſcientia ſcrupuloſa oriretur; adeoque neceſſum fuit deponere errorem, ut poſſet ab Epiſcopo promoveri ad ulteriores ordines; cùm non ſit licitum agere cum conſcrientia erronea cognita ut tali, non depoſito errore. Sic Bonacina *de Peccatis diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 5. & Caſtropalaus *de Conſcien. diſp.* 4. *pun.* 1. *num.* 3.

Ex dictis infertur 1. non requiri ad rectitudinem ope- 6
rationis, ut ſcrupuloſus ſcrupulum deponat: non enim ſcrupulus tollit aſſenſum partis oppoſitæ, ſed obumbrat; nec conſtituit operantem dubium formaliter; ſemelac parti illi aſſentitur, quamvis cum obumbratione; adeoque licitè, & honeſtè operari poterit non depoſito ſcrupulo. Sic Nauarrus, Vaſquez, Valentia, Sanchez, Sancius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp.* 4 *pun.* 1. *num.* 2.

Infertur 2. quòd licèt ſcrupulus judicandus ſit talis à 7
ſcrupuloſo, ut licitè, & honeſtè operetur, & ut ab ipſo contemni poſſit; nihilominus non opus eſt, ut in ſingulis actibus hoc expreſſum judicium formet, quòd videlicet ſcrupulus ſit: ſufficit namque contra ſcrupulum agere ex habituali, vel virtuali judicio ex experientia actuum præteritorum efformato: ut ex Sanchez, Reginaldo, Becano, & Filliuccio docet Buſenbaum *de Conſcien. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *Reſpon.* 2.

Remedia ad conſcientias ſcrupuloſas ſedandas multa 8
recenſentur à Doctoribus, & Sanctis Patribus, præcipuè à D. Laurentio Juſtiniano *de Diciplina Chriſtianæ Religionis cap.* 12. & à Gerſone *par.* 2. *tract. de Præparat. ad miſſam, conſiderat.* 3. ſive ſcrupuli circa unam tantùm materiam verſentur, ſive circa plures. Primum eſt, ſi ſcrupuli moveantur à dæmone; recurrere cum humilitate, fiducia, ac devotione per preces proprias, & alienas ad Deum, Beatam Virginem, & Sanctos, cùm omne donum optimum ſit à Patre luminum. Sic D. Auguſtinus à Reginaldo relatus *lib.* 2. *num.* 109. Secundum ſi ex cauſa naturali oriantur, aut alia, removere illam: ut ſi ex melancholia oriantur, evacuare medicaminibus atram bilem; ſi ex macerationibus, & afflictationibus corporis, illas moderari; ſi ex pertinacia proprii judicii, frangere illud; ſi ex interiori quadam ſuperbia, non confidere propriæ prudentiæ, ſed alienæ; ſi ex naturali timiditate, meditari Dei Bonitatem, quæ non imponit præcepta, ut mens impellatur ad inſaniam; ſi ex ignorantia, petere inſtructionem à Doctioribus, illisque obedire. Tertium ut agnoſcant, ſe ſcrupuloſos eſſe, adeoque in proprio judicio læſos: quapropter ſtare debebunt judicio ſui Confeſſarii, vel alterius docti Viri, cui ſuam conſcientiam aperire ſolent, eiuſque conſiliis acquieſcere, non recurrendo ad eum in ſingulis actionibus cum tædio, defatigatione, & ſcrupulorum incremento; ſed per principia, & regulas generales, à quibus non recedant, etiamſi contingat eum errare; quia faciunt id, quod in ſe eſt, adeoque non peccabunt. Quartum aſſueſcant contemnere ſcrupulos, ac contra illos agere, ſequendo ſententias mitiores, & benigniores, nec cogitationes foveant de ſcrupulis. Quintum numquam judicare aliquod eſſe mortale, niſi certò ſciant, & jurejurando poſſint id teſtari: quapropter in examinatione ſcrupulorum ſe detinere non debent; ſed primo aſpectu, ut certò non agnoſcunt aliquod, ut illicitum, ac ſine formidine; ut licitum credant, & reputent. Sic Vaſquez, Azor. Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Conſcien. diſp.* 4. *pun.* 2. *num.* 2. Sextum non otiari: otium ſiquidem nimis aptum eſt ad phantaſiam replendam inanibus, & ſcrupuloſis cogitationibus. Septimum uti privilegiis ſcrupuloſorum, qui non obligantur ut cæteri, qui ſcru-

pu-

puloſi non ſunt ; ad tantam diligentiam , & examen ponendum in rebus agendis : ſufficit enim pro ipſis mediocre , Nec urgente ſcrupulo , & deficiente conſilio peccant , ſi aliquid agant , de quo certò non conſtat , eſſe peccatum . Nec tenentur ad confeſſiones repetendas , ſi inſurgat ſcrupulus : an rectè factæ ſint ; an de omnibus peccatis ; an cum ſufficienti examine , & dolore ; niſi id juramento teſtari poſſint. Sicuti etiam non tenentur fateri de rebus præteritis, an videlicet conſenſum præbuerint alicui turpi cogitationi , deſperationi , blasphemiæ , aut alteri ſimili ; niſi pariter ita certò conſtaret ipſis, ut poſſent jurejurando affirmare . Nec confeſſarius debet regulariter permittere , ut ſcrupuloſi aperiant, quæ dubitarunt de aliis confeſſionibus ; nec ſcrupulos proponere , maximè ſi ad faſtidium audierit : cùm non poſſit de facili fons ſcrupulorum exhauriri . Conetur quoque confeſſarius dubia ſcrupuloſorum ſemper in meliorem partem interpretari : ratio prædictorum eſt, quia ex una parte certò moraliter conſtat, ſcrupuloſos moveri ad hæc omnia ex inanibus , & levibus indiciis ; ex alia parte grave damnum ex agitatione ſcrupulorum ; & anxietate perpetua patiuntur ; ergo ſufficiens , & rationabile motivum habetur ad ſic recidendos ſcrupulos : maximè quia conſtat de eorum intentione , & bona fide non offendendi Deum, quamobrem in re quacumque agenda ſcupulis agitantur. Sic Bonacina varios referens Doctores *de Peccatis diſputat. 2. quæſtion. 4. punct. 8. à numero 3.* & Caſtropalaus *de Conſcientia* alios referens *diſputat. 4. punct. 2.* per totum .

Adnotandum hìc, ſecus diſcurrendum eſſe de ſcrupuloſis illis, qui non ſunt omnino timoratæ conſcientiæ: ſolliciti namque ſunt de peccatis præteritis, dubitantes, an ritè aperta fuerint in confeſſione ; de reliquo non multum præcavent ſe de peccatis futuris . Cautiùs ſiquidem agendum eſt cum iſtis, quàm cum ſupradictis , qui ſcrupulis ſolùm agitantur ex timore non offendendi Divinam Bonitatem : non enim æqualiter militant utrobique rationes excuſandi ; ſed peritus confeſſarius juxta prudentiæ regulas uti poterit remediis ſuperiùs allatis , prout recta ratio ipſi dictabit. Sic ex Vaſquez , Sanchez , & aliis adnotat Bonacina *l. c. num. 4. in fine*. 9

QUÆSTIO II.

DE LEGIBUS IN COMMUNI.

POſt explicatam Legem Internam, nempè Conſcientiam , doctrinæ ordo expoſcit , ut Legem externam explicemus, & ea omnia, quæ ad ipſam ſpectant. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Unde dictat Lex, & quid ea ſit?

1 *Variæ Ethymologiæ Legis .*
2 *Varia ejus Nomina, & Appellationes.*
3 *Definitio Legis , & ejus Explicatio.*
4 *Tres Conditiones requiſitæ ad Legem obligantem .*
5 *Aliæ Conditiones , quæ afferuntur ; vel continentur in dictis , vel non ſunt neceſſariæ .*
6 *Differentia Legis à Præcepto , Conſilio , & Petitione .*
7 *Lex injuſta , & omnino inutilis bono Communi non obligat.*
8 *Servanda eſt Lex à Tyranno lata, ſi pacificè Regnum poſſideat , & toleretur à Republica.*

1 VAriant Doctores in aſſignanda Ethymologia Legis: nam Cicero *lib. 2. de Natura Deorum* , & Author *in Quæſtionib. ex Novo Teſtam. quæſt. 15.* putarunt: Legem dictam eſſe à deligendo ; docet ſiquidem , quænam ex multis deligenda , ac eligenda ſint . D. Iſidorus 2. *Ethymologiar. cap.* 10. docet, Legem dictam eſſe à *legendo*; in ea namque, quid faciendum, & quid vitandum ſit, legitur, juxta illud Chriſti Domini *Luc.* 10. qui reſpondit Jurisperito ſciſcitanti, quid faciendo vitam æternam haberet ? *in Lege quid ſcriptum eſt , quomodo legis?* D. Thomas 1. 2. *quæſt. 90. art.* 1. aſſerit , Legem dictam eſſe talem à *ligando* ; ligat ſiquidem homines ad ſui obſervantiam aliquid faciendo , vel omittendo: quapropter in Sacra Scriptura ſæpè ſæpius Divina Lex Vinculum, & jugum appellari conſueyit, juxta illud *Pſal. 2. dirumpamus vincula eorum , & projiciamus à nobis jugum ipſorum .*

2 Varia quoque nomina, ac appellationes ſortiri ſolet Lex ex variis factionibus , quas præſtat : nam quando docet, appellari ſolet Doctrina; quando inſtituit, Inſtitutio ; quando præſcribit , Præſcriptio . Specialiter tamen, ac propriè dici conſuevit Jus, Conſtitutio, Statutum, & Sanctio. Dicitur Jus à *juſſione*, & imperio , quo definit, & præſcribit, quod juſtum eſt ; ut unicuique quod ſuum eſt tribuatur . Dicitur Conſtitutio,& ſtatutum, quia conſtituit,& ſtatuit, quæ facienda vel omittenda ſunt. Dicitur denique Sanctio,quia pœnas ſancit non obedientibus ex *Leg. Sanctio . ff. de Pœnis* . Differre autem ſolent hæ appellationes inter ſe, quia propriè vocantur Jura, Leges latæ à Principe Supremo, Papa videlicet,Imperatore, Rege, vel à toto populo , & Republica non agnoſcente Principem Supremum ſuper ſe : quamvis decreta Pontificum etiam appellari ſoleant Conſtitutiones . Leges verò latæ à Principe inferiore, aut à populo alicui Principi ſubjecto , Statuta dici conſueverunt : ſic ſunt Statuta nonnullarum Civitatum , aut oppidorum alicui Principi ſubditorum ,

Jam verò Lex quamvis diverſimodè definiri ſoleat ab aliis Doctoribus, ſic tamen definitur à D. Thoma 1. 2. *quæſt. 90. art.* 4. Ordinatio rationis ad bonum commune , ab eo , qui curam habet Communitatis , promulgata. Explicantur ſingula verba , ut clarius innoteſcat. Dicitur ordinatio , quia proprium Legis eſt ordinare , dirigere, ac regulare , quæ facienda ſint , vel vitanda à ſubditis. Dicitur Rationis , quia à ratione provenit, videlicet ab intellectu judicante convenientem eſſe ordinationem illam; quamvis etiam concurrat actus voluntatis, quo Legislator velit ſubditos obligare ad obſervantiam Ordinationis illius. Hinc eſt, quòd Lex conſiſtat in actu intellectus , & voluntatis : Legislator ſiquidem antequam Legem ferat , debet judicare illam convenientem bono Communi ; aliàs imprudenter , ac injuſtè illam ferret ; nec poſſet eſſe obligatoria : ad hoc autem judicium ſubſequitur voluntas obligandi ſubditos ad obſervantiam illius ; quam quidem voluntatem ſigno aliquo manifeſtare debet. Dicitur ad Bonum Commune , quia non tam reſpicit Lex bonum particulare ſubditorum , quàm bonum ipſius Communitatis, & Reipublicæ: fertur namque Lex per poteſtatem publicam , adeoque bonum Commune reſpicere debet. Quòd ſi aliquæ Leges videntur conditæ in bonum aliquorum particularium , ut ſunt Leges Pupillorum , Minorum, Militum, & ſimilium ; Leges quoque Tributorum , Vectigalium &c. revera tamen iſtæ Leges ad bonum Commune ordinantur: cum favere his perſonis, Pupillis videlicet, Minoribus, militibus, & ſimilibus; ſicuti etiam Tributis, & Vectigalibus, juſtè impoſitis ; cedat in Bonum Communitatis , & Reipubliæ. Nec Leges iſtæ attendunt ad bonum ſingulare huius. vel illius Pupilli, aut minoris; ſed ad Bonum Commune omnibus Pupillis , aut Minoribus. Dicitur denique: Ab eo , qui curam habet Communitatis , promulgata : nam ad Legem ferendam requiritur poteſtas politica , & Juriſdictionis , qua ſcilicet Legislator poſſit ſubditos impellere , & cogere ad non reſpiciendum bonum proprium , & particulare ; ſed bonum Commune : actus ſiquidem ferendi Legem eſt actus Jurisdictionis , qui exerceri nequit niſi ab eo, qui curam habet Communitatis , & poteſtatem obligandi. Nec ſufficit ad Legem ferendam poteſtas dominativa , & œconomica , quam habent parentes in filios ; Domini in ſuos ſervos ; Viri in ſuas Uxores : eo quia ex vi legis latæ ab ipſis nil exigere poſſent , quod ipſis non deberetur ; nec ex vi poteſtatis huius attenditur ad bonum commune , ſed proprium , & particulare. Debet tamen 3

lex

lex promulgari, & intimari subditis: sine enim promulgatione vim obligandi non haberet, cùm non posset ipsis constare: quapropter promulgatio ista non debet fieri singularibus personis, sed Communitati, cùm in bonum illius feratur: & ad hoc ut obligentur singulæ personæ, quatenus sunt pars Communitatis; debet priùs ipsa Communitas obligari: ut rectè habent D. Thomas *l. c.* Suarez *lib.* 1. *de Legib. cap.* 11. Valentia *par.* 2. *tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 1. *pun.* 2. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 12. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 1. *num.* 1. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 1. *num.* 9.

4 Ex dictis infertur: tres conditiones necessariò requiri ad Legem obligantem. 1. ut respiciat Bonum Commune: omnes siquidem Leges per se, & primariò, ac principaliter intendere debent bonum commune. Esto quoad executionem aliquando principaliter respiciant ad bonum privatum; & secundariò ad bonum publicum. Cùm enim Leges sint de se regulę perpetuæ humanarum actionum, inde est, quòd non particulares personas, & bonum privatum illarum intendere debeant, hæc enim finem habent; sed bonum commune, & personas in genere, quæ perpetuitatem habent: ut docent D. Thomas 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. & Suarez *de Legib. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 8. 2. ut feratur ab eo, qui curam habet Communitatis, seu habet potestatem politicam, & Jurisdictionis in subditos, quos obligare intendat ad observantiam Legis latæ: nisi enim lex sit ab habente legitimam superioritatem, & potestatem; obligare non poterit. Sic D. Thomas *l. c. art.* 3. *ad* 2. Suarez, Salas, Sayrus, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 1. *num.* 8. 3. ut promulgata sit, ac subditis intimata; tunc enim Leges instituuntur, quando promulgantur *ex Cap. In istis. dist.* 4. *& ex Leg. Leges, Cod. de Legibus.*

5 Quamvis aliqui Doctores alias conditiones requirant ad legem obligantem; nihilominus vel continentur in supraditis, vel non sunt necessariæ. Nam requirere scripturam, quamvis conveniens sit, non est tamen de necessitate legis: cùm voluntatem suam Legislator manifestare possit voce, ut constat *ex Cap. Institutionis.* 25. *quæst.* 2. *ex Cap. In istis, distin.* 4. *ex Cap. Consuetudo. distin.* 1. *& ex Cap.* 1. *De Jurejurando in* 6. Requirere acceptationem Populi est potiùs ex benignitate Legislatoris, quàm de necessitate Legis, ut suo loco dicetur; adeoque meritò Alexander VII. damnavit Propositionem illam asserentem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Requirere perpetuitatem in Legibus, (aliàs essent potiùs præcepta, quàm leges, si pro aliquo determinato tempore ferrentur) est conditio imbibita in bono communi, quod leges respicere debet: cùm enim Communitas ex se perpetua sit, inde fit, quòd lex respiciens bonum Communitatis perpetua esse debeat: ut habent Gloss. *in Cap. Anobis.* 1. *de Sent. Excomm.* Panormitanus *ibid. num.* 12. Navarrus *in Summ. cap.* 27. *n.* 74. Suarez alios referens *lib.* 1. *de Legib. cap.* 10. *num.* 5. *& 16.*

6 Adnotandum 1. Legem differre à Præcepto, Consilio, & Petitione; quæ licèt ordinent, & dirigant ad rectè operandum; non dirigunt tamen per actum Superioris respicientis bonum commune. Sic Præceptum, quamvis de necesse emanare debeat à Superiore, & esse debeat per actum Superioris; nihilominus non respicit bonum commune, sed particulare illius, cui imponitur. Spirat insuper præceptum morte præcipientis, non verò Lex; quæ cùm perpetua sit, non finitur morte, ut docent Menochius *lib.* 1. *de Arbitr. quæst.* 69. Suarez *de Legib. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 9. Vasquez 1. 2. *disp.* 151. *cap.* 3. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 28. *quæst.* 2. *num.* 47. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 1. *nu.* 3. Consilium verò, & Petitio nec bonum commune respiciunt, nec sunt actus superioris; cùm possint esse ab æquali, vel inferiori.

7 Adnotandum 2. Legem injustam, & omnino inutilem bono communi non inducere obligationem in subditos, ratio est, quia cùm Leges homines ligent, & eorum libertatem minuant; inde est, quòd nisi justæ sint, ac utiles bono communi, obligare nequibunt: tollerent enim sine causa libertatem. Sic Vasquez, Sotus, Medina, Castro, Suarez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 1. *num.* 4. *& 9.* Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 1. *num.* 4. Hinc fit: si subdito certò constet, Legem esse injustam, & potiùs esse noxiam, quàm utilem Communitati; non teneri ad observantiam illius secluso scandalo, aut alio damno, & incommodo, quod sequi posset; nec peccat illam non observando, dummodo tamen constet, esse noxiam, ac inutilem toti Communitati, non verò alicui in particulari. Secus verò dicendum, si non constet, sed solùm dubitetur, an sit justa, vel injusta; si utilis, an inutilis, tunc enim præsumendum est de justitia, ac utilitate Legiis stantis in possessione; adeoque dum non constat prudenter, & probabiliter de oppositò; obligatur subditus ad illius observantiam, & peccat non observando, juxta dicta de Conscientia Dubia. Sic Suarez referens Panormitanum & Felinum *lib.* 1. *de Legib. cap.* 9. *num.* 11. Bonacina referens Salas, & alios *disp.* 1. *de Legib. quæst.* 1. *pun.* 1. *num.* 11. *in fin.* & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 1. *num.* 4. *in fin.*

8 Adnotandum denique, servandam esse Legem à Tyranno latam, si pacificè regnum possideat, & toleretur à Republica; ratio est, quia licèt sententia Judicis illegitimi sit nulla prout est à Judice illegitimo, qualis est Tyrannus; nihilominus prout est à voluntate interpretativa, & implicita Communitatis, & Reipublicæ tolerantis Tyrannum, & Judices à Tyranno constitutos; vim obligandi accipit: confert siquidem potestatem gubernandi per tolerantiam illam; ac ejus Leges, & acta confirmat. Sic Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 29. *dubit.* 9. Salas *de Legib. disp.* 10. *sect.* 3. *num.* 14. & Busenbaum *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 4. Idem dicendum de Lege lata ab habente potestatem quæ à sui principio fuit inutilis bono communi, dein progressu temporis reddita est utilis; servanda utique erit ex eo tempore, quo utilis reddita est: cùm jam habeat finem à Lege intentum. Sic Bonacina alios referens *disp.* 1. *de Legib. quæst.* 1. *pun.* 1. *num.* 12.

CAPUT II.

De Multiplicitate Legum.

1 *Divisio Legis in Divinam, Naturalem, & Humanam. Et quid Divina sit?*
2 *Quid Lex Naturalis?*
3 *An Dictamen, & Lumen Naturale dici debeat Lex?*
4 *An Lex Naturalis semper obliget?*
5 *Quid Lex Humana?*
6 *Quid Lex Humana Ecclesiastica; & quid Civilis?*
7 *Lex alia Præceptiva, alia Pœnalis, alia Irritans Contractum, alia Prohibens illum.*
8 *Alia Affirmativa, Negativa alia.*
9 *Alia Favorabilis, Odiosa alia.*
10 *Quid Lex, seu Jus Gentium?*

LEX multiplex est, alia enim est Divina, alia Naturalis, alia Humana. Lex Divina est ipsemet Deus, prout ea, quæ facienda sunt; vel omittenda indicat, & voluntatem habet obligandi Angelos, aut homines ad observantiam. Ex hac Lege ceteræ dimanant, adeoque cum ipsa conformari debent: cùm sit prima Regula, & Mensura omnium, ad quam tamquam ad finem debent ordinari. Et ipsi perfectissimè competit tradita definitio Legis: cùm sit Ordinatio rationis ab eo, cui est ratio per essentiam, & potestatem habet in omnes creaturas, quibus per insitum rationis lumen Legem suam indicat, ac demonstrat. Solet etiam dici Lex divina latè accepta Lex æterna, quatenus Deus ab æterno omnia ordinavit, juxta illud *Proverb.* 8. *Ab æterno ordinata sum.* Strictè verò, quatenus bona præcipit, & mala prohibet; quapropter Peccatum definitum fuit, Dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam Dei. Insuper Lex divina subdividi solet in Naturalem, & Positivam. Lex Divina Naturalis est illa eadem, quæ in Lege naturali continetur: ut constat ex eis, quæ habentur in Decalogi Præceptis. Lex verò Divina Positiva sunt ea omnia, quæ accidentaliter posita fuere à Deo; nec Lege naturali sancita erant ad gubernandos, & regendos homines, quatenus constituunt corpus quoddam politicum, & civile: sic erant in Veteri Lege Præcepta de Ritu Sacrificiorum, de ordine servando in judiciis, & similibus; quæ quidem dicebantur Leges Divinæ Positivæ. Sic etiam in nova Lege gratiæ; & Evangelica sunt præcepta de Sacramentorum administratione, ac receptione ipsorum à Christo Domino lata; quæ dicuntur, & sunt Leges Divinæ Positivæ. 1

Lex Naturalis illa est, quæ naturæ rationali est insi- 2

ta

ta ad discernendum honestum à turpi : in qualibet siquidem rationali creatura datur quoddam dictamen rationis, quo cognoscit ea, quæ honesta, vel inhonesta sunt ; seu convenientiam, vel disconvenientiam habent cum natura rationali, seu recta ratione. Sic Dictamen illud, & lumen naturale, quo quis cognoscit convenientiam, quam habet cum natura rationali subvenire proximo indigenti, servare innoxiam famam alterius, & similia ; dicitur Lex naturalis. Sicuti etiam Lex naturalis dicitur, cognoscere disconvenientiam mendacii, adulterii, & similium cum natura rationali.

3 Dubitabis hìc 1. an hoc Dictamen debeat dici Lex? Et ratio dubitandi est, tum quia non est à Superiore, sed ab ipso proponente ; tum quia dictamen istud merè proponit bonitatem, vel malitiam objecti. Quapropter aliqui Doctores dixerunt, Legem naturalem non esse dictamen illud proponens convenientiam, vel disconvenientiam rei cum natura rationali ; sed esse ipsammet convenientiam, & disconvenientiam. Verùm redit difficultas : tum quia ipsa convenientia, & disconvenientia supponit objectum consonum, aut dissonum cum natura rationali : ideò enim præcipitur subvenire proximo egeno, quia consonum est cum natura rationali ; & ideò prohibetur mendacium, quia dissonum ; adeoque ipsa convenientia, & disconvenientia cum natura rationali non est actus à Superiore promanans. Hinc est, quòd alii Doctores dixerint, Legem naturalem non esse Præceptivam, sed merè *Indicativam* ; quatenus indicat quid faciendum, vel omittendum sit. Nihilominus dicendum, Legem naturalem veram Legem esse præceptivam ; adeoque transgredientes eam verè peccare ; consistere verò in dictamine rationis insito naturæ rationali includente simul Legem æternam Dei : ratio est, quia Lex naturalis verè, & propriè Lex appellatur à Patribus, & Doctoribus ; ac illius transgressores verè, & propriè dicuntur, & sunt peccatores : insuper procedit à Deo, ut Supremo Legislatore. Deus siquidem creaturas rationales condens voluit illas regere, & gubernare ; quapropter Leges imposuit necessarias ad earum gubernationem ob vitandum ea, quæ intrinsecè sunt inhonesta, ac disconvenientia naturæ rationali : ut autem natura rationalis cognoscere posset talem disconvenientiam, & inhonestatem ; lumen accepit inditum à Deo, quo illuminaretur : hinc fit, quòd dictamen rationis simul cum hoc lumine prout repræsentat ea, quæ à Deo prohibita sunt, dicitur propriè Lex, cùm ei competant omnia, quæ ad rationem Legis propriè dictæ requirantur : rectè igitur concluditur, Legem Naturalem, ut sit propriè Lex, debere referri ad Legem æternam Dei. Quod docuit D. Augustinus 2. *Confession. cap.* 4. quando dixit : *Lex tua scripta est in cordibus hominum*, & D. Thomas 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 2. qui dixit, *Legem naturalem esse participationem Legis æternæ Dei*. Gerson *tract. de Vita Spirit. Lect.* 2. *coroll.* 5. Suarez *lib.* 2. *de Legib. cap.* 6. *num.* 5. & alii.

4 Dubitabis 2. an Lex naturalis semper obliget ; adeo ut solvi, mutari, aut remitti nequeat ? Resp. semper obligare manentibus eisdem circumstantiis, & perseverante eadem materia : ratio est, quia si res ipsæ, & circumstantiæ rerum inmmutatæ remaneant, jam permanet eadem convenientia, vel disconvenientia rerum cum natura rationali ; ergo permanebit semper eadem Lex obligans, adeoque nec solvi, nec mutari, aut remitti poterit. Secùs verò dicendum, si mutentur res, vel circumstantiæ ; tunc enim res ipsa mutari censetur : sic Lex naturalis prohibet, accipere alienum invito domino ; attamen in circumstantia extremæ necessitatis talis lex non obligat ; eo quia mutat materiam, cùm non alienum, sed proprium tunc accipiat. Sic etiam naturalis Lex prohibet, sumere vinum generosum, in quo ebrietas prævidetur : attamen si vinum generosum in medicamen infirmitatis præordinatum sumatur ; etiamsi prævideatur ebrietas, quæ non intendatur, sed tantùm permittatur ; non erit illicitum, nec contra Legem naturalem illud sumere. Insuper jure naturæ constat, quòd depositarius teneatur depositum reddere deponenti, exigenti illud ; nihilominus ipsum jus naturæ deobligat ad non reddendum, imò ad denegandum, si circumstantia talis sit, ut redditio pernicioſa sit deponenti, aut alteri : sic denegari debet gladius in depositum acceptus, si deponens exigat illum ad se occidendum, vel alium. Sic Suarez *lib.* 2. *de Legib. cap.* 15. Molina *tract.* 5. *de Just. disp.* 49. *nu.* 3. Becanus *tract.* 3. *cap.* 3. *quæst* 14. *num.* 7. Reginaldus *lib.* 13. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 2. *num.* 9.

5 Lex Humana est illa, quæ ab hominibus proximè, & immediatè provenit, dependenter tamen à Deo, à quo est omnis potestas. Deus siquidem, cùm voluerit homines per homines regi, & gubernari ; ideò voluit, aliquos homines debere esse cæterorum superiores, & Superioribus cæteros homines gubernantibus potestatem communicavit condendi Leges, quibus subditos rectè gubernarent, dirigerent, & conservarent in bono communi. Et quamvis homo condat has Leges humanas, eas tamen condit ex potestate à Deo communicata : ut sic subditi melius in suo officio contineantur, & à peccatis committendis contra Legem detereantur timore pœnæ.

6 Subdividitur Lex Humana in Ecclesiasticam, & Civilem, seu sæcularem. Ecclesiastica illa dicitur, quæ fertur potestate Ecclesiastica : ut sunt Leges Pontificiæ, & Conciliorum. Pontifices immediatè accipiunt potestatem condendi Leges Ecclesiasticas à Christo Domino ; Concilia verò à Pontifice. Civilis, & Sæcularis illa dicitur, quæ fertur à Potestate sæculari, Imperatore videlicet, Rege, aut Republica ; qui quamvis accipiant immediatè hanc facultatem condendi Leges ab ipsa Republica ; eam tamen accipiunt dependenter à Deo, à quo, ut dixi, *est omnis potestas*. Differt Lex Ecclesiastica à Civili, tum quia Ecclesiastica primò provenit per potestatem habitam à Christo Domino ejus Authore ; tum quia subditos in finem supernaturalem dirigit. Civilis verò immediatè est à Republica, & intendit gubernationem politicam, ac subditos in pace conservare.

7 Dividitur quoque Lex in Communi in merè Præceptivam, quando videlicet præcipit aliquem actum faciendum ; aut præcipit, ne fiat. In merè Pœnalem, quando scilicet pœnam imponit facienti actum, aut omittenti illum. In irritantem contractum, quando videlicet contractus aliquos celebratos sine certis conditionibus irritat, ac invalidos reddit : ut est Lex Tridentini irritans contractum Matrimonii sine Parocho, & testibus celebratum. In prohibentem contractum, ne fiat : sic idem Tridentinum prohibet, ne fiat contractus Matrimonii sine Parocho, & testibus.

8 Dividitur etiam Lex in Affirmativam, & Negativam. Affirmativa est, quæ actum aliquem positivum, & realem imperat : ita est Lex præcipiens auditionem Sacri die festivo ; restitutionem rei ablatæ faciendam Domino ; recipiendi Sacram Communionem in Paschate, & similia. Negativa verò, quæ omissionem actus positivi imperat : sic est Lex de non accipienda re aliena invito Domino ; de non inferenda injuria proximo ; de non occidendo, non fornicando &c. Nec in hoc attendendùm est ad formam verborum Legis, quæ aliquando negativum aliquod sonat, sed revera rem positivam præcipit : sic Lex restitutionis faciendæ reducitur ad Præceptum illud Decalogi : *Non furaberis*, quod negativum importare videtur ; & tamen redditionem rei alienæ præcipit, quæ est actus positivus. Verùm præceptum istud duo importat, nempe non surripere rem alienam, & secundùm hoc est negativum, & redditionem rei sublatæ, & secundùm hoc est positivum.

9 Dividitur denique Lex in Favorabilem, & Odiosam. Favorabilis communiter illa dicitur, quæ favorem continet. Odiosa verò, quæ licèt justa, & sancta sit ; imponit tamen gravamen aliquod, vel pœnam, quam recusat humana natura : & inde dicta est odiosa, non quia odio digna ; sed quia fragilitas humanæ conditionis refugit à gravaminibus, & pœnis. Non levis tamen est difficultas in dignoscenda Lege Favorabili ab Odiosa : nam ut plurimum Leges, quæ onus, & gravamen aliquibus imponunt ; aliis favorem præstare solent. Sic lex Pœnalis contra delinquentes, & reos lata, odiosa est illis, favorabilis tamen respectu aliorum, in quorum defensionem lata est. Sic etiam Lex tributum imponens odiosa est eis, quibus imponitur ; favorabilis tamen ei, in cujus gratiam cedit : & sic de similibus. Quapropter in discriminanda Lege Favorabili ab Odiosa, primò, & per se non spectandus est finis legis, sed materia ab ipsa Lege præcepta : ideoque si materia favorabilis sit illis, quibus præcipitur, esto aliis, quibus non præcipitur, gravamen afferat ; dicenda erit absolutè lex Favorabilis. Et è contra si materia præcepta onerosa sit illis, qui-

bus præcipitur ; eſto aliis, quibus non præcipitur, Favorabilis ſit ; dicenda erit abſolutè odioſa. Sic Lex præcipiens ſolemnitates aliquas in contractibus celebrandis ad fraudes vitandas ; aut imponens taxam mercibus, ne ultra debitum valorem vendantur; dicitur Favorabilis, quia in favorem illorum, pro quibus imponitur, cedit : eſto per accidens ſit oneroſa tentantibus fraudem in contractibus, & volentibus vendere merces ultra debitum valorem. Lex verò imponens vectigalia, pœnas, & ſimilia ; dicitur abſolutè Odioſa : eſto per accidens cedat in utilitatem alterius : primò enim, & per ſe oneroſa eſt iis, quibus imponitur. Sic Covarruvias 2. *Variar. cap.* 11. *num.* 5. Salas *de Legib. diſp.* 1. *ſect.* 4. *num.* 10. Sanchez plures referens *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 1. *num.* 4. & Caſtropalaus *de Legib. diſp.* 1. *pun.* 2. *num.* 6. quamvis aliter opinetur Arriaga *de Legib. diſp.* 21. *ſect.* 1. in dubio tamen an Lex Favorabilis ſit, vel Odioſa ; cenſenda erit Favorabilis : eo quia de Principe potiùs favor, quàm onus præſumendum eſt. Sic citatus Caſtropalaus referens Suarez, Baldum, Alexandrum, & Emmanuelem Rodriquez.

10 Quæri hìc ſolet, quænam ſit Lex Gentium, ſeu Jus Gentium ; & an diſtinguatur à Jure Naturali, & Civili ? Reſp. eſſe Legem illam, quam omnes homines, & gentes ferè omnes naturali quadam ratione ducti introduxerunt, non ſcriptura ; ſed uſu, & conſuetudine. Sic conſtat *ex Leg. Omnes populi. 9. ff. de Juſt. & Jur.* quapropter Jus Gentium, etſi maximè conformetur naturali rationi, ac in illa fundetur ; non eſt tamen neceſſariò inſitum à natura, adeoque à Jure naturali diſtinguitur : ratio eſt, quia ea, quæ ſunt Juris naturalis, neceſſariò ſunt ; & ita prohibentur, quæ ipſi adverſantur ; ut nulla ratione prohiberi non poſſint, cùm ex ſe mala ſint : ut patet in eis, quæ Juris naturalis ſunt. Sic ſervum non obedire Domino ; promittentem non reddere promiſſum ; contrahentem defraudare in contractu, ſic prohibentur à Jure naturali, ut non poſſint non prohiberi : cùm inſitum neceſſariò ſit cuilibet à natura, ſervum debere obedire Domino ; promittentem debere reddere promiſſum ; & contrahentem non debere defraudare in contractu. Secus verò ea, quæ Juris Gentium ſunt, non ſunt neceſſariò inſita à natura : ſed homines ob neceſſitates occurrentes ſibi conſtituerunt conſuetudine, & uſu ; quamvis alias potuiſſent inire vias. Sic diſcretio Gentium, Diviſio Regnorum ita à Jure Gentium ſtatutæ fuere, ut habetur *in Leg. Ex hoc Jure ; ff. de Juſt. & Jur.* ut potuiſſent omnia remanere communia attento Jure naturali. Sic etiam bella, contractus, ſervitutes, Legatorum admiſſio, pœces, fœdera &c. quæ habentur *in Cap. Jus Gentium, diſt.* 1. ita à Jure Gentium fuere introducta, ut alias vias gubernandi homines, ipſisque in injuriis acceptis ſatisfaciendi, introducere potuiſſet abſque commerciis, bellis, ſervitutibus &c. maximè quia Jus naturale non neceſſitabat ad illa ; Ergo clarè conſtat, Jus Gentium non eſſe Jus Naturale, quamvis illi conforme ſit : adeoque erit Jus poſitivum humarum ſibimet ab hominibus conſuetudine, & uſu conſtitutum. Diſtinguitur etiam Jus Gentium à Jure Civili, quod videlicet ſtatuitur à Principe ad politicam gubernationem ſuorum ſubditorum, in quos Jurisdictionem habet: nam Jus Gentium nec oritur ab aliquo determinato Principe habente jurisdictionem in ſuos ſubditos, nec à Regno aliquo determinato : ſed ab omnibus ferè Gentibus, quarum una jurisdictionem non habet in aliam. Hinc eſt, Jus Gentium medium eſſe inter Jus Naturale, & Civile, quamvis utrique maximè conforme. Sic Suarez *lib.* 1. *de Legib. à cap.* 18. Bannez 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 3. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *pun.* 2. Molina *de Juſt. tract.* 1. *diſp.* 3. & 5. Salas *de Legib. diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 21. Caſtropalaus *de Legib. diſp.* 1. *pun.* 3. *num.* 2. & Bonacina referens Reginaldum, & Sotum *quæſt.* 1. *pun.* 2. *num.* 15.

CAPUT III.

Quinam poteſtatem habeant Leges Civiles condendi ?

1 *Nullus homo in particulari habet à natura poteſtatem condendi Leges civiles, ſed poteſtas eſt in Communitate, quæ eam concedit particulari.*
2 *Particularis accipit immediatè à Republica facultatem condendi Leges, & Reſpublica immediatè à Natura.*
3 *Immediatè accipere à Republica non facit, quin immediatè accipiat à Deo.*
4 *Pontifex pro Terris ſuæ ditioni temporali ſubjectis condere poteſt Leges Civiles, non verò pro aliis.*
5 *Imperator non poteſt Civiles Leges condere pro toto Orbe Terrarum, ſed pro Regnis ſuæ ditioni ſubjectis.*
6 *Non poteſt populus revocare ab Imperatore facultatem condendi Leges.*
7 *An teneantur Regna, & Provinciæ extra ditionem Imperialem ſequi Leges Cæſareas, ſi propriis careant?*
8 *Reges, & alii ſupremi Principes poſſunt Leges Civiles condere pro ſuis Regnis, & Provinciis.*
9 *Poſſunt quoque Leges Civiles condere perfectæ Reſpublicæ.*
10 *Quid dicendum de Regina?*
11 *Principes ſubditi, Communitates, & Civitates pariter ſubditæ nonniſi à Supremo Principe, vel conſuetudine habent facultatem condendi Leges.*
12 *An ratione Dominii habeatur facultas condendi Leges?*

QUamvis certum ſit, nullum hominem in particulari habere à natura poteſtatem condendi Leges : eo quia natura omnes homines liberos fecit, nec alicui jurisdictionem politicam in alios conceſſit. Nihilominus pariter certum eſſe debet, adeſſe in hominibus hanc poteſtatem condendi Leges : aliàs quomodo hominum Communitas gubernari, ac regi poſſet ? Quapropter Sapiens *Proverb.* 11. dixit : *Ubi non eſt Gubernator, corruit populus* : cùm igitur Gubernator munus ſuum erga populum exercere nequeat ſine Legibus ; ideò neceſſaria eſt in hominibus facultas condendi Leges. Quæ quidem facultas in Communitate hominum reſidet, eamque à Natura accipit, nec per ullam potentiam impediri poteſt. Quia verò Communitas hominum expeditius, ac rectius judicavit, hanc facultatem transferre in unum, vel aliquos : nam ſi omnes ad regimen concurrerent, non levis confuſio, & perturbatio oriretur ob tam ingentem hominum multitudinem ; ideò poteſtatem à ſe abdicavit, ac in unum, vel aliquos tranſtulit, in quibus tandem accepta poteſtas à Republica condendi Leges reſidet, qui Communitatem, & Rempublicam regere, ac gubernare poſſint. Sic D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 3. *ad* 2. Suarez *lib.* 3. *de Legib. cap.* 2. *nu.* 3. Covarruvias *Pract. cap.* 1. *concl.* 1. Navarrus *in cap. Novit, de Judic. notab.* 3. *num.* 119. & alii paſſim. 1

Ex dictis deducitur, eum, in quem Reſpublica transfert facultatem condendi Leges ; immediatè ab ipſa Republica accipere prædictam facultatem, & juriſdictionem politicam, quamvis Reſpublica à natura acceperit : ratio eſt, quia non accipit à Natura, quæ communis eſt omnibus hominibus, nec uni potiùs, quàm alteri hanc politicam facultatem concedit. Ergo ab ipſa Communitate immediatè accipit. Sic conſtat *ex Leg.* 1. *ff. de Conſtitut. Princip. & ex Leg.* 3. *§. Noviſſimi. ff. de Origin. Jur.* & ſic docent Juriſtæ ferè omnes, & Canoniſtæ *in Cap. Per venerabilem. Qui filii ſint Legitimi.* 2

Neque obſtat, quòd immediatè accipiat à Deo, juxta illud Chriſti Domini Joan. 19. *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Et Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & Conditores Legum juſta decernunt.* Pauli ad Roman. 15. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo ; & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Adde, quòd ſi à Republica, & Communitate hanc poteſtatem immediatè reciperet, Reſpublica eſſet illo Superior, & poſſet illum tradita poteſtate privare. Non obſtat, inquam, quia accipere immediatè à Deo non facit, quin etiam immediatè accipiat à Republica : ſicuti non per hoc, quòd immediatè accipiat Reſpublica poteſtatem iſtam à Natura, non immediatè etiam accipiat à Deo, à quo omnis poteſtas immediatè dependet : vulgatum ſiquidem eſt penes Philoſophos, & Theologos, uno, aut altero dempto, effectum creatum immediatè dependere à ſua Cauſa creata, ac à Divina omnipotentia. Ad id, quod additur, facilis eſt reſponſio : nam ſemelac Reſpublica, & Communitas abdicavit à ſe poteſtatem, & tranſtulit in alium ; fit illi ſubjecta : ſicuti qui vendit ſe in ſervum alteri, abdicat à ſe dominium, & fit illi ſubditus, & inferior, quamvis antea non fuiſſet, nec pro ſuo libito facta venditione poteſt dominio privare : ſic proportionaliter diſcurrendum de Republica. 3

Variæ poſſunt eſſe Perſonæ, quæ Leges Civiles condere poſſint : nam de Canonicis, & Eccleſiaſticis dein agemus ; ideò de ſingulis dicendum, ut clariori methodo procedamus. 4

Et

Et 1. Inquiri solet de Summo Pontifice : an potestatem habeat condendi *Leges Civiles*, & politicas pro toto Orbe Terrarum? In qua controversia, quamvis affirmativam partem sustineant Sylvester *verb. Papa, quæst. 7. & 10.* Bartolus, Panormitanus, Baldus, & alii penes Navarrum *in Cap. Novit, de Judic. notabil. 3. num. 19.* Nihilominus communior sententia sustinet negativam partem : ratio est, tum quia nequit condere Leges Civiles obligantes infideles commorantes in Orbe, ut fatentur ipsi adversarii, & constat ex D. Paulo 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi est de iis, qui foris sunt, judicare? & ex Cap. Gaudemus, de Divort.* ubi deciditur, non posse hos obligari Constitutionibus Canonicis, & à fortiori Civilibus ; tum quia Pontifex non habet jurisdictionem temporalem erga fideles subjectos aliis Principibus, aliàs Principes illi non haberent supremam potestatem Temporalem, & Civilem erga suos subditos ; & condendo Leges Civiles derogaret eorum potestati, & jurisdictioni. Sic constat *ex Cap. Duo sunt, Cap. Cùm ad verum, dist. 96. Cap. Per venerabiles. Qui filii sint Legitim. Cap. Solite de Majorit. & Obed. & Cap. Novit, de Judic.* Confirmatur, quia potestas immediatè tradita à Christo Domino Pontifici non est Temporalis, sed Spiritualis ; ut ferè omnes Doctores sustinent explicantes verba illa: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum. Pasce oves meas.* Imò Jurisdictionem Temporalem, quam extra controversiam habet in Terras suæ ditioni subjectas, accepit à donatione sibi facta à Principibus, Regibus, & Imperatoribus : ut patet *ex Cap. Ego Ludovicus, dist. 93. Cap. Constantinus, dist. 96. & Cap. Futura, de Elect. in 6.* adeoque jurisdictionem Temporalem non habebit, nec facultatem condendi Leges Civiles pro toto Orbe Terrarum, sed pro Terris suæ Ditioni subjectis, pro quibus Leges Civiles utique condere potest, ut possunt pro suis cæteri Supremi Principes, qui non solùm potestatem gubernativam, sed etiam legislativam transtulerunt. Sic Bellarminus *lib. 1. de Pontificib. cap. 2. 3. & 9.* Navarrus *l. c.* Covarruvias *Regul. Peccatum. 2. p. §. 9. num. 7.* Suarez *de Legib. lib. 3. cap. 6. num. 3.* Molina *tract. 2. de Justit. disp. 29.* Salas *de Legib. disp. 7. sect. 4. num. 30.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 5.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 1. num. 1.*

Quòd si aliquando Pontifices derogarunt Legibus Cæsareis, aut alterius Supremi Principis : ut derogatum fuisse Legi Civili permittenti præscriptionem cum mala fide habemus *ex Cap. Vigilanti, & Cap. final. de Præscript. & ex Regula Possessor, de Regul. Jur. in 6.* insuper Legi Civili deneganti alimenta filiis illegitimis; ut constat *ex Cap. Cùm haberet, de eo, qui duxit in Matrim.* & similibus. Hoc tamen fecere Pontifices per sanctiones Canonicas salutem animarum spectantes, quæ quidem Sanctiones corrigere possunt Leges Civiles Juri naturæ, vel Divino, aut Ecclesiastico adversantes. Imò si Pontifex advertat, Principes Supremos sæculares socordes esse in statuendis Legibus ad bonum regimen spectantibus, ob defectum quarum peccata liberiùs, ac impunè grassentur ; poterit utique id suis Legibus præcavere per ordinem ad finem spiritualem, etiam in alieno Territorio : quia tunc non esset temporalem jurisdictionem exercere in alienos subditos, sed spiritualem in proprios. Sic constat ex Extravag. Bonifacii VIII. *Unam Sanctam, de Major. & Obedien.* ubi dicitur: *Oportet gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem Spirituali subjici potestati.* Nam Pontifici jure aptantur verba illa Jerem. 1. *Ecce constituti te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas; & ædifices & plantes.* Sic Suarez *lib. 3. de Legib. c. 6. n. 6.* Toletus *in Comment. ad Roman. 13. à num. 2.* Salas *l. c. sect. 5.* Bonacina *l. c.* & Castropalaus *l. c. num. 2.*

5 2. Inquiritur de Imperatore: an possit Leges ferre pro toto Orbe Terrarum? Et communis sententia est negativa : ratio est, tum quia non potest Legibus adstringere infideles sibi *non* subditos, cùm nec hos adstringere possit ipse summus Pontifex, ut vidimus ; tum quia nec adstringere potest fideles commorantes extra Regna, & Provincias sibi non subditas, cùm *non* habeat potestatem, & jurisdictionem in illos : non enim accepit talem potestatem à Christo Domino, qui nec eam Pontifici concessit, nec vestigium extat in Scripturis talis concessionis, nec eam sibi acquisivit jure belli, cùm numquam Regna aliis Supremis Principibus subjecta occupaverit ; nec tandem electione populi, ut constat ; ergo nequit Imperator Leges ferre pro toto Orbe Terrarum : maximè quia reliqui Supremi Principes potestatem temporalem ; & supremam jurisdictionem habent in suis Regnis, cui Imperator derogaret condendo Leges pro Regnis illis. Sic Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 7. n. 8.* Vasquez 1. 2. *disp. 153. cap. 2.* Molina *tract. 1. de Just. disp. 24.* Salas *de Legib. disp. 7. sect. 12. cap. 42.* Bonacina *de Legib. disp. 1. pun. 3. num. 5.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 1. num. 5.*

Poterit tamen, & potiori jure præ aliis Supremis Principibus, Leges condere pro Regnis, & Provinciis sibi subjectis : cùm in illis habeat supremam potestatem, ac jurisdictionem, ut constat *ex Leg. 1. & ultim. Cod. de Legib.* Nec Imperator Romanus, legitimè tamen electus (nam si legitima electione careret, careret pariter potestate Legislativa) privatur nunc potestate condendi Leges adstringentes totum suum Imperium, qua antiqui Imperatores pollebant, ut constat ex toto Jure Cæsareo. Adeoque sua Imperiali authoritate & Leges condere, & eas interpretari poterit non solùm in Regnis, & Provinciis, in quibus est immediatus, ac supremus Dominus ; verùm etiam in illis, in quibus non est Dominus immediatus, sed Jure feudi, aut alio titulo supremum retinet dominium, quamvis ab aliis Principibus gubernentur : nam per recognitionem illam à Principibus feudorum sufficientem habet authoritatem ad Leges condendas, & ad exigendam observantiam illarum. Quamvis possent pariter suas Leges condere Principes immediati, licèt jure feudi Imperatori subjecti : cùm etiam non denegetur his potestas Legislativa: ut docent Suarez, Vasquez, Salas, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 1. num. 6.* An autem Principes subjecti Imperio possint suis Legibus leges Imperiales irritare, colligendum est ex usu, & consuetudine ; & præcipuè ex ipsa concessione à principio, si cum tali conditione concessæ fuere ; ut rectè ex Suarez advertit citatus Castropalaus.

Dubitabis 1. an possit populus revocare hanc potestatem condendi Leges Imperatoribus traditam? Resp. quamvis pauci Doctores apud Salas *de Legib. disp. 7. sect. 16. num. 79.* dixerint, revocare posse; nihilominus vera, & communis sententia est, non posse revocare : ratio est, quia sicuti nequit populus ab Imperatore abdicare potestatem gubernativam, ut per se patet, & adversarii fatentur ; sic nec poterit potestatem legislativam abdicare, cùm utraque eodem modo videatur concessa : maximè quia ex hac magna perturbatio in Republica sequeretur ; & populus subditus gauderet majore potestate præ ipso Imperatore, quod est absurdum. Sic Salas *l. c.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 6.* & alii ab eo relati. 6

Dubitabis 2. an Regna, & Provinciæ extra Imperialem ditionem, si propriis careant Legibus Civilibus, teneantur in causis decidendis sequi Leges Cæsareas? Resp. pro Provinciis Ditioni Pontificiæ subjectis in Temporalibus, quas ab Imperatoribus Pontifices accepere ; id statutum esse *in Cap. 1. de Novi Operis nuntiat.* adeoque si nullæ extant Pontificiæ Leges, secundùm Jus Cæsareum causæ decidendæ erunt. Sic Suarez, Vasquez, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 5. versic. Addo.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 1. num. 8.* Idem statutum est pro Regno Lusitaniæ, in quo propriis deficientibus Legibus Civilibus causæ decidendæ erunt secundùm Jus Cæsareum : ut patet *ex Lib. 3. Ordinat. tit. 64.* Pro cæteris Regnis, Hispania, Gallia, &c. non reperitur statuta similis obligatio; adeoque non tenentur Judices ad ibi decidendas causas juxta Jus Cæsareum, cùm aliunde non recognoscant Imperatorem, ut Supremum Dominum. Difficultas tamen est, an saltem obligentur ex consuetudine? Et mihi dubium non est, ubi talis consuetudo viget, obligari Judices ad causas decidendas juxta Jus Commune, & Cæsareum. Verùm pro Hispania lis est: an talis consuetudo extet, cùm eam deneget Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 8. nu. 5.* referens Gregorium Lopez, Franciscum Vargam, & Bernardum Diaz. E contra affirmant Burgos, De Paz, Antonius Gomez, Didacus à Castillo, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legibus l. c. n. 9.* multis rationibus comprobans talem consuetudinem, & præcipuè ex Præludio Legum Matriti facto anno 1502. ubi statuit Rex : deficientibus Legibus propriis decidendas esse causas secundùm Jus Commune. Advertit tamen idem Castropalaus *num. 11.* ex Suarez, Gregorio Lopez, & aliis, neminem puniendum esse ob talem transgressionem, dummodo actus non sit contra Jus naturale, vel 7

Regni: aliàs istæ Leges ita strictè obligarent Hispanos, ac Leges propriæ.

8 3. Inquiritur de Regibus, & aliis Supremis Principibus: an possint Civiles Leges condere pro suis Regnis, & Provinciis. Communis responsio est, posse: eo quia sicuti habent potestatem gubernativam, ita etiam & legislativam; aliàs quomodo gubernativam exercere possent sine Legibus, Sic Bartolus *in Leg. ult. Cód. de Legib.* Baldus *cap. 1. de Constitut.* D. Thomas 1. 2. *quæst. 90. art. 3.* Navarrus *cap. Novit, de Judic. notab. 2. num. 110.* Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 9. num. 2.* Salas *disp. 7. de Legib. sect. 11. num. 11.* & alii communiter. Principes autem Supremi dicuntur illi, qui non agnoscunt in Temporalibus aliam superiorem jurisdictionem, sive de cætero dicantur Principes, sive Duces, vel Marchiones, aut Barones, vel alio nomine appellentur. Quòd si Superiorem agnoscunt, attendendum erit, quomodo concessa illis facultas à Supremo condendi Leges necessarias ad gubernationem, dependenter ne ab illo, an independenter, & juxta concessionem metienda erit facultas: cùm nemo ultra facultatem sibi traditam leges ferre possit, ut communiter docent Doctores teste Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 1. num. 6. in fin.* Idem dicendum proportionaliter de Proregibus, Gubernatoribus, Magistratibus, & similibus, quibus regimen Provinciæ demandatum est: attendere siquidem debent ad facultatem acceptam à Supremo, vel à consuetudine Provinciæ commissæ, & juxta facultatem illam Leges ferre. Sic ex Suarez, Vasquez, Salas, & Bonacina docet Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 2. num. 1.*

9 Quod dictum est de Regibus, & Supremis Principibus extenditur etiam ad perfectas Respublicas, & Communitates, quæ ex seipsis gubernantur, ac supremam retinent Jurisdictionem: ita sunt Respublica Veneta, Genuensis, & similes. Inesse siquidem eis facultatem condendi Leges pro suis subditis, indubitatum esse debet: aliàs quomodo subditos regere, & gubernare possent sine illis? ut patet *ex Leg. Omnes Populi. ff. de Just. & Jur.* & communiter asserunt Doctores, Attendendum tamen in aliqua ex his perfectis Communitatibus: an totam facultatem in Ducem transtulerit condendi Leges? & tunc Dux sine Communitate Leges ferre poterit; an verò reservaverit sibi facultatem admixtam, hoc est, quòd nec Dux sine Communitate, nec Communitas sine Duce illas ferre possit; & tunc totum Corpus cum suo Capite Leges condere debebit. Sic Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 9. num. 19.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 1. num. 6.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 2. num. 10.* Advertit tamen citatus Castropalaus ex Suarez *num. 2.* hoc etiam evenire posse in ipsis Regibus, etiamsi Supremi sint: quòd videlicet Leges condere non possint independenter à Regno; ut est in Regno Aragoniæ, quod sub hac conditione se tradidit gubernandum. Quando enim Communitas transtulit facultatem gubernativam, & legislativam; hanc apposuit conditionem à Rege servandam.

10 4. Inquiri solet de Regina: an facultatem istam condendi Leges Civiles habeat pro suo Regno? Communis respõsio est, quòd si revera sit Domina Regi, & viduata marito; poterit Leges condere, ut potest quilibet alius Supremus Rex: ratio est, tum quia capax est Jurisdictionis Regiæ, ut constat ex *cap. ex parte. 2. de Privileg. & cap. Dilecti, de Arbitr.* tum quia ratione dominii potestatem habet gubernativam, & legislativam; cum non agnoscat in Temporalibus Superiorem se: maximè quia sequeretur, si careret hac potestate, quòd peccaret ille, qui Regnum, & jus, ac potestatem in illud fœminæ relinqueret, quæ non posset ad actum reducere. Sic Innocentius, Panormitanus, Suarez, Layman, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 8.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 2. num. 3.*

Nec obstant, quòd non permittatur mulieri docere, ex D. Paulo *ad Timoth. 1. cap. 2.* qui enim Leges condit, docet, *& ex Leg. Fœminæ, ff. de Regul. Jur.* habetur; fœminas debere esse remotas ab Officiis Civilibus, & publicis; tandem quia in fœminis non supponitur scientia, & prudentia requisitæ ad Leges ferendas. Non obstant inquam; nam ad illud D. Pauli respondetur, non posse fœminas publicè docere doctrinam fidei, non verò res Civiles, & ad externam gubernationem spectantes. Ad Legem citatam, fœminæ, respondetur, loqui de fœminis communibus, quæ non habent jurisdictionem ratione dominii, non verò de eis, à quibus ipsa publica Officia pendent. Quoad Scientiam, & Prudentiam, earum defectum supplere possunt Viri docti, & periti, ut passim supplent in ipsis Viris Regibus.

Quòd si non fuerit viduata Marito, quamvis Domina Regni vel jure hæreditario, aut alio titulo; major difficultas est, an tunc possit Leges Civiles condere; sed sustinendum, quòd possit; nisi tamen facultatem istam à se abdicaverit, & in Maritum transtulerit: ratio est, quia cùm adhuc retineat jus, & dominium Regni, inde est, quòd simul retineat potestatem gubernatiuam, & legislativam, semelac eam à se non abdicaverit, & in alium transtulerit. Et ratio ulterior esse potest, quia per matrimonium non transfertur Dominium, vel administratio Regni in Maritum; Regna siquidem alienari non possunt, nec in dotem dari; ut docent Baldus *in cap. Significavit, de Rescrip. num. 3.* Tiraquellus, Vasquez, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 9.* aliàs sequeretur, quòd mortua Regina sine liberis remaneret absolutus Regni Dominus Maritus, quod est falsum: ut rectè adnotat Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 3. num. 6.* referens Gregorium Lopez, & Salas. Hinc fit, retinere adhuc vivente Marito potestatem gubernativam, & legislativam penes se; quamvis Maritus carens illis nomine Regis nuncupandus, & honorandus sit, cujus consensus neque requiritur ad Leges ferendas: sicuti ex communi doctrina Uxor habens Jus patronatus præsentare poterit absque consensu sui Viri. Sic Doctores cit.

Nec obstant, quæ afferri solent in contrarium: quòd videlicet D. Paulus *1. ad Timoth. 2.* non permittat, mulierem dominari Viro, & *1. ad Corinth. 12.* appellat *Virum Caput Uxoris*. Insuper ratione matrimonii mulier subdita est Viro. Non enim obstant: quia hæc omnia vera sunt, & intelliguntur de eis, quę ad matrimonium spectant, ad domus, & familiæ gubernationem, ac filiorum educationem; non verò circa administrationem, & gubernationem Regni, quæ ratione dominii, Juris hæreditarii, aut alterius tituli mulieri contingunt; quæ licèt sit subdita Viro in eis, quæ ad matrimonium spectant; non est tamen ei subdita quoad politicam Regni administrationem, nec ab ipso impediri nequibit in ferendis Legibus Civilibus.

Ex dictis hucusque constat, potestatem ferendi Leges 11
Civiles respectivè ad sua Regna, & Provincias esse in Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Supremis Principibus independentibus, ac Rebuspublicis, & Communitatibus perfectis. In reliquis verò Principibus subditis, aut Communitatibus, vel Civitatibus, Oppidis, Castris pariter subditis non reperiri facultatem istam condendi Leges Civiles propriè dictas, nisi eam facultatem à Supremo Principe acceperint; vel ex usu, & consuetudine habuerint; quas municipales Leges appellare solent: ratio est, quia nec supremam habent jurisdictionem, nec sunt independentes ab alio, ut constat *ex Leg. Leges, Cod. de Legib.* Poterunt tamen Statuta quædam, & Conventiones inter se facere, quæ non obligant ad instar Legis, sed per vim Contractus; & non in perpetuum, sed pro aliquo determinato tempore: quia si ista potestas conceditur Patrifamilias pro sua privata domo non est, cur denegetur istis Communitatibus, quamvis subditis. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst. 90. art. 3.* Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 9. num. 17.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 11.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 22. §. 2. num. 11. in fin.*

Quæri hìc solet, an ratione Dominii habeatur facul- 12
tas ferendi Leges Civiles? Quapropter sciendum, potestatem duplicem esse, unam Dominii, alteram Jurisdictionis, & politicam; sicuti etiam Doctores distinguere solent Dominium in Dominium Proprietatis, & dominium Jurisdictionis. Potestas Dominii habetur aliquando ex naturali origine, ac propagatione sobolis: & ita est potestas Patris respectu filiorum. Aliquando ex Jure naturæ supposito contractu aliquo: sic est potestas Viri respectu Vxoris quoad gubernationem domus, & custodiam personæ supposito contractu Matrimonii. Aliquando ex Jure Gentium, & Civili: sic est potestas Dominii respectu servi in bello capti. Aliquando denique ex pacto, & promissione: ut si quis in servum se venundaret alteri, aut obedientiæ Votum ei præstaret. Potestas verò Jurisdictionis est illa, quæ à Communitate accipitur in bonum ipsius Communitatis; adeoque primò, & per se bonum Commune, non verò

par-

particulare alicujus personæ, vel familiæ respicit. Hinc fit, Potestatem Jurisdictionis differre, Primò à Potestate Dominii ratione objecti, cùm perfectam Communitatem respiciat, ad cujus politicam gubernationem ordinatur; Potestas verò Dominii respicit imperfectam Communitatem, aut partem illius. Secundò ratione finis: cùm potestas Jurisdictionis respiciat rectum regimen, & bonum totius Communitatis; potestas tamen Dominii respicit particularem utilitatem Dominantis, vel illius, cui dominans præceptum imponit. Tertiò ratione modi cogendi: nam potestas Jurisdictionis cogere potest ad observantiam, ac punire delicta pœna sanguinis; secus verò potestas Dominii, cui tantùm permittitur moderata castigatio: ut patet in Patre respectu filiorum, & in Domino respectu servorum, in quos sævire nequeunt. His declaratis dico: ratione potestatis Dominativæ non haberi facultatem condendi Leges Civiles, sed tantùm imponendi præcepta: ratio est, quia ad Leges ferendas de necesse requiritur potestas Jurisdictionis, ac gubernativa perfectæ Communitatis, cujus bonum publicum respiciat; non verò potestas Dominii, & gubernativa imperfectæ Communitatis, & boni privati illius. Sic communiter Juristæ cum Bartolo, & Baldo *in Leg. Omnes Populi, ff. de Just. & Jur. & in Leg. Imperium, ff. de Jurisd. omn. Judicum*. Canonistæ *in cap. cum Ecclesia de Constitut. & in cap. Solitæ, de major. & Obed.* & Theologi ferè omnes cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 3.

CAPUT IV.

Quinam habeant facultatem condendi Leges Ecclesiasticas.

1 *Pontifex immediatè habet à Christo Domino facultatem condendi has Leges.*
2 *Potestas ista in Pontifice est absoluta independens à Conciliis, & Cardinalibus.*
3 *Concilium Universale juxta facultatem à Pontifice acceptam potest Leges Ecclesiasticas condere; quæ, ut obligent, à Pontifice confirmari debent.*
4 *Concilia Nationalia, Provincialia, & Synodalia possunt condere Leges obligantes suas Nationes, Provincias, & Diœceses; extra illas obligare nequeunt, nisi fuerint pro tota Ecclesia à Pontifice approbatæ.*
5 *Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum condere possunt Leges obligantes suum Territorium; non sic verò Sacrum Collegium pro toto Orbe.*
6 *Legati Summi Pontificis condere possunt Leges pro Provincia sibi commissa, quæ durant, donec ab habente facultatem revocentur.*
7 *Episcopi pro suis Diœcesibus facultatem habent condendi Leges Ecclesiasticas.*
8 *A quonam Episcopi immediatè accipiant facultatem legislativam.*
9 *Limitare solent Pontifices potestatem legislativam Episcopis.*
10 *Solvuntur rationes, quæ adduci solent ad probandum, Episcopos immediatè habere à Christo Domino facultatem legislativam.*
11 *An Episcopi statim ac electi, & confirmati sunt, habeant facultatem legislativam.*
12 *An Episcopi indigeant consensu Cleri, vel Capituli in ferendis Legibus.*
13 *Primates, & Archiepiscopi ferre possunt Leges pro suis Diœcesibus; pro Natione verò, & Provincia extra Concilium eas ferre nequeunt.*
14 *Abbates exempti jurisdictionem quasi Episcopalem habentes Leges condere possunt pro suis Territoriis in materia non reservata.*
15 *Capitulum Cathedralis Sede Vacante Leges ferre potest pro Diœcesi, non verò vivente Episcopo, nisi pro bono regimine Capituli.*
16 *Solvuntur objecta in contrarium.*
17 *Quid dicendum de Capitulis Collegiatarum, & similium.*
18 *Communitates Regulares, in quibus extat potestas Dominativa, & potestas Jurisdictionis à Pontifice concessa; possunt Leges condere.*
19 *Quid de Abbatissis, & aliis Præfectis Monialium.*
20 *An Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores habuerint facultatem condendi Leges Ecclesiasticas.*
21 *An Potestas condendi Leges delegabilis sit, & quibus.*

INdubitatum esse debet penes omnes Catholicos: Pontificem Legitimum Petri Successorem habere facultatem Leges Ecclesiasticas condendi pro toto Orbe, in quo fideles degunt: ratio est, quia potestas publica gubernandi Ecclesiam ipsi immediatè commissa est à Christo Domino, qui non solùm Petro, sed etiam omnibus ejus legitimis successoribus dixit: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*; ergo etiam ipsi commissa est, & tradita facultas legislativa, sine qua inutilis foret gubernativa. Sic constat *ex Cap. Novit, de Judic. Cap. Significasti, de Elect.* & ex statutis in Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. & docent Bellarminus *lib.* 4. *de Pontific. cap.* 23. Suarez *de Legib. lib.* 4. *cap.* 3. Salas *de Legib. disp.* 8. *sect.* 3. & alii communiter. Quamvis autem potestas ista utpote supernaturalis immediatè conferatur à Christo Domino Pontifici; nihilominus supponit electionem legitimè factam ab hominibus designatis: cùm electio ista non sit immediatè à Christo Domino, nec successio fiat jure Sanguinis, ut adnotat Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 1. 1

Potestas ista Legislativa in Pontifice est absoluta, cùm nec dependeat à Conciliis, nec à consensu Cardinalium; imò poterit Leges validè condere ipsis contradicentibus: ratio est, quia immediatè Petro independenter ab aliis Apostolis dixit Christus Dominus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris, erit solutum: Pasce oves meas*; ergo Pontifex independenter à Concilio generali, aut consensu Cardinalium habet facultatem illam: maximè quia Pontifex est supra Concilium, & Cardinales; nec ullum extat vestigium hujus dependentiæ; imò satis decisum est in *Cap. Cuncta, 9. quæst.* 3. ubi dicitur: Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente solvendi, & damnandi habuit potestatem, & Alexander VIII. damnat Propositionem 29. ex damnatis à se asserentem: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate*. Quòd si Pontifices in Legibus ferendis utuntur aliquando Concilio Universali, aut Collegio Cardinalium, & discussione peritorum Virorum; id faciunt non ex necessitate ad validitatem Legis, sed ex convenientia, & ad demonstrandum, quòd ex matura consideratione Leges emanant: ut ex Felino, & Decio notat Suarez *de Legib. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 14. contra nonnullos gratis asserentes id fieri ex necessitate Legis à Pontificibus. 2

Concilium Universale auctoritate summi Pontificis congregatum (nam si independenter ab ipso congregaretur, nullam authoritatem haberet, cùm non sit potestas in Ecclesia independens à Summo Pontifice ejus visibili Capite) quamvis possit Leges, & generalia statuta condere juxta facultatem ipsi à Summo Pontifice traditam, cùm non habeat ex se solo Leges, & Statuta condere: nihilominus tales Leges, & Statuta ut vim obligandi habeant, necessario requirunt confirmationem Pontificis: & de facto omnia Concilia Oecumenica suorum Decretorum confirmationem à Pontifice expostularunt; ut novissimè patet ex Tridentino *sess.* 25. *in fin.* Sic expressè Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 15. referens Navarrum, Cajetanum, Turrecrematam, Suarez, Molinam, & Bellarminum. 3

Hinc fit, dari posse appellationem à Concilio, cui non assistit Pontifex, ad ipsum Pontificem: eo quia datur recursus ex inferiori Tribunali ad supremum; nec absente Pontifice faciunt unum Tribunal Pontifex, & Concilium. Secus verò dari nequibit appellatio, si Pontifex Concilio astiterit: ratio est, quia appellatio supponit unum, & aliud Tribunal, & in casu adjecto unum tantùm esset Tribunal: nec appellatio fieri potest ab eodem ad eumdem *ex Cap. Nemo, & Cap. Cuncta, 9. quæst.* 3. Et à fortiori nequibit fieri recursus, & appellatio à Pontifice ad Concilium: cùm Summus Pontifex in Terris non agnoscat Tribunal superius suo. Sic Bonacina alios referens *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 13.

Difficultas solùm esset de Concilio Universali in defectum Pontificis congregato ob tollendum Schisma inter electos, de quibus ignoratur, quisnam fuerit legitimè electus; vel ob aliud motivum: an inquam sine Pontifice possit Leges condere in tali casu? Pro quo respondeo: posse quidem Leges condere ad subveniendum necessitatibus tunc temporis occurrentibus, ne Ecclesia de-

destituta remedio sit; sed non perpetuò duraturas, nisi à Pontifice postea legitimè electo confirmentur: ratio est, quia nullibi reperitur *talis potestas* concessa Conciliis Leges perpetuas condendi, cùm perpetuitatem accipiant à Pontifice confirmante. Sic Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 6. num. 4.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 16.*

4 Concilia non Universalia, sed Particularia sive sint Nationalia, quando videlicet sub uno Patriarcha, vel Primate congregantur omnes Archiepiscopi, & Episcopi Nationis alicujus; vel Provincialia, quando sub Archiepiscopo congregantur omnes Episcopi Suffraganei; vel Synodalia, seu diœcesana, quando sub Episcopo Diœcesis congregantur Abbates, Priores, Parochi, & Rectores Ecclesiarum, & Cleri. Hæc inquam Concilia particularia facultatem habent condendi Leges respectivè ad Nationem, Provinciam, & Diœcesim; dummodo tamen eas ferant accommodatas suæ Jurisdictioni, tum quoad Territorium, tum quoad materiam juxta *Cap. Catholica. dist. 11.; & Cap. Regula. dist. 3.* Quòd autem Concilia ista habeant vim obligandi Nationes, Provincias, & Diœceses sibi subjectas, semelac celebrata fuere; satis clarè colligitur *ex Cap. Concilia, dist. 17. & ex Cap. Placuit. 12. quæst. 2.* Nequeunt tamen obligare extra Territorium, nisi à Pontifice approbata fuerint pro tota Ecclesia; sicuti de facto constat, aliqua Concilia Nationalia, & Provincialia approbata fuisse pro tota Ecclesia: & tunc habent vim Legis Universalis, & infallibilis, si ad dogmata, & mores pertineant; non prout sunt Leges istæ à Conciliis prædictis, sed prout sunt à Pontifice approbante, qui *in his infallibilem* habet authoritatem, nec errare potest ex infallibili assistentia Spiritus Sancti. Nam Concilia ista particularia ex se solis errare possunt in suis Decretis. Colligenda tamen erit hæc approbatio ex speciali Constitutione Pontificis approbantis, non verò ex hoc, quòd contineantur in Decreto Gratiani. Sic Suarez *de Legib. lib. 4. cap. 6. num. 8.* Valentia 2. 2. *disp. 1. quæst. 1. pun. 7.* Bannez 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 3.* Salas *de Legib. disp. 8. sect. 15. num. 79.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 14.*, & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 18.*

5 Cardinales possunt in Ecclesia sui Tituli ferre Leges obligantes Territorium sibi subjectum: ratio est, quia in tali loco gaudent ea jurisdictione, qua Episcopi in sua Diœcesi, *ex Cap. Querelam de Elect.*; *& ex Cap. His, quæ de Majorit. & Obedien.* Sic Panormitanus, Manfredus, Layman, Suarez, Salas, Sebastianus Medices, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 26.* Sacrum verò Collegium Cardinalium neque vivente Pontifice, neque eo mortuo habet potestatem condendi Leges Universales: cùm nullibi talis facultas concessa videatur, nullamque Jurisdictionem habet independentem à Summo Pontifice. Poterit tamen Vacante Sede statuere aliqua pro Electione, & pro defendenda Ecclesia, quæ visa fuerint tunc expedire, ut constat *ex Cap. Ubi Periculum, de Election. in 6.* Cavetur nihilominus *in Clement. Ne Romani, de Election.* ne in alio negotio se intromittant: nam quidquid aliud fecerint, irritum, & inane decernitur. Quapropter si pro Electione, & imminentibus periculis satis occurritur per præcepta, illis uti debent ad tempus, non verò Legibus Universalibus perpetuo duraturis. Sic Panormitanus, Suarez, Salas, Sebastianus Medices, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 19.* contra Manfredum, & Archidiaconum.

Neque dicas, Cardinalium Collegium assimilari Senatui Romano, qui potestatem habebat condendi Leges. Insuper si Sacrum Collegium potestatem habet creandi Legislatorem, multo magis habebit facultatem condendi Leges: cùm nullus transferre possit in alium, quod in se non habet. Contra enim est, quia licèt Sacrum Collegium Cardinalium *assimiletur Senatui Romano ex Cap. Constantinus. dist. 96.* in honore, & dignitate; non assimilatur tamen in potestate ferendi Leges, quam quidem potestatem spiritualem non poterat Constantinus tradere Cardinalibus, sed necessariò à Summo Pontifice emanare debebat, quæ tamen non constat emanasse. Nec potestas creandi Pontificem, ac Legislatorem universalem probat potestatem condendi Leges: cùm non sit arguendum ex uno actu nobiliori ad actum minùs nobilem disparatum, & disconnexum; sic Sacerdotes habent potestatem consecrandi Corpus Christi; non verò Ecclesias, aut calices: ita etiam & Cardinales poterunt creare Pontificem; non verò Leges condere. Nec potestas condendi Leges in Pontifice est à Cardinalibus, sed immediatè à Christo Domino, suppositâ electione facta à Cardinalibus. Vide Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 6. num. 5.* Bonacinam, & Castropalaum locis citatis.

Legati Summi Pontificis, & Nuntii Apostolici facul- 6
tatem habent condendi Leges pro tota Provincia sibi commissa; quæ non solùm obligant durante tempore Legationis, & Nuntiaturæ, verùm etiam eo transacto; donec à Pontifice revocentur, aut ab alio habente æqualem, vel superiorem potestatem: ratio est, quia potestas Legatorum, & Nuntiorum Apostolicorum in Provinciis sibi demandatis est plusquam Episcopalis, & ordinaria Episcoporum, ut constat *ex Cap. 2. & ult. de Offic. Legat. in 6.* ergo si possunt Episcopi Leges condere pro suis Diœcesibus, poterunt & Legati pro suis Provinciis. Sic Panormitanus, Sylvester, Suarez, Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 12.* Possunt facultatem istam alteri delegare: eo quia est potestas ordinaria in ipsis, ut constat *ex Cap. Legatus de Offic. Legat. in 6.* & omnis potestas ordinaria delegari potest, nisi aliud speciale obstet. Sic Doctores citati.

Episcopi extra dubium possunt Leges Ecclesiasticas 7
ferre pro suis Diœcesibus: ratio est, quia habent in illis publicam authoritatem, jurisdictionem, ac vim cogendi. Sic expressè statuitur *in Cap. 2. de Major. & Obed. Cap. Cùm omnes, Cap. Cùm accessissent, de Constit. & Cap. 2. de Constit. in 6.* & sic communiter Doctores teste Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 4. num. 2.*

Dubitabis tamen 1. à quo nam immediatè hanc pote- 8
statem Legislativam accipiant Episcopi? Resp. quamvis Vasquez cum aliis 1. 2. *disp. 152. cap. 2.* putarit, immediatè à Christo Domino accipere potestatem Jurisdictionis, dependenter tamen ab assignatione Pontificis quoad materiam, & subditos. Nihilominus communis sententia docet, eam immediatè accipere à Pontifice: ratio est, tum quia soli Petro, & ejus legitimis successoribus dictum fuit: *Pasce oves meas*, non verò aliis; tum quia si immediatè eam acciperent à Christo Domino, nequiret eam minuere, vel tollere Pontifex, utpote independentem, & à superiore Potentia concessam; quod est contra definitionem Leonis Pontificis *in cap. Ita Dominus. dist. 19.* & Gregorii Pontificis *in Cap. Decreto 2. quæst. 6.* ubi expressè ait: Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Confirmatur: si potestatem immediatè acciperent Episcopi à Christo Domino, vel eam immediatè acciperent ratione consecrationis Episcopalis, vel ratione electionis, & confirmationis; non potest dici primum, aliàs haberen potestatem sine termino, ac Pontifici æqualem, cùm non sit, à quo limitari possit: maximè quia sæpè sæpius consecrantur Episcopi, & nullam jurisdictionem habent, cùm non sit ipsis assignatus Episcopatus à Pontifice, & concessa Jurisdictio *ex Cap. Inter corporalia, de Translat. Episcop.* Nec potest dici secundum, aliàs quilibet Prælatus electus, & confirmatus, etiamsi Episcopus non sit, eam haberet; quod non conceditur. Sic Cardin. Bellarminus *lib. 2. de Pontif. Roman. cap. 15. & lib. 4. cap. 24.* Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 4. num. 5.* Salas *de Legib. disp. 8. sect. 3.* Valentia *tom. 2. disp. 2. quæst. 1. pun. 7.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 5.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 4.*

Hinc deducitur, rectè limitari à Pontificibus Episco- 9
pis, ne potestatem, quam immediatè ab ipsis Pontificibus accipiunt, ferendi Leges per suas Diœceses ad curam animarum sibi commissarum spectantes, extendant ad graviores causas, quas sibi Pontifices reservare consueverunt. Causæ siquidem graviores Summo Pontifici per Regulam generalem reservatæ intelliguntur, tum in signum supremæ Potestatis, tum ut maturiori consilio decernantur; ut patet *ex Cap. Majores, de Baptis. & Cap. 1. de Transl. Episcop.* Sunt autem istæ causæ graviores illę, quæ videlicet vel adversantur Juri Communi: cùm enim inferior non habeat potestatem in Superiorem, inde est, quòd Episcopus etiam pro sua Diœcesi nequeat Leges, & Statuta condere Juri Communi adversantia, quamvis in aliquo casu particulari possit dispensare in Jure Communi, dum superior commodè adiri, & consuli nequeat; & aliunde justa interveniat causa dispensandi: non enim esset tunc ferre Legem contrariam Juri Communi, sed illud interpretari, ac ex justa causa dispensare. Vel sunt causæ ad

Uni-

Universalem Ecclesiam pertinentes ; qualis est definitio alicujus veritatis fidei , Canonizatio Sanctorum , Continentia Sacerdotum , Revocatio consuetudinis, vel Privilegii Universalis ; Episcopatus unire, vel dividere, unam Ecclesiam alteri subdere, vel jam subjectam à subjectione eximere , & similes . Sic Suarez *lib.* 4. *de Legib. cap.* 5. *num.* 2. Salas *de Legib. disp.* 8. *sect.* 6. *num.* 4. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 8. *pun.* 3. *num.* 22. & 23. Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 8. & 9.

10 Rationes , quibus probari solet , Episcopos immediatè accipere potestatem Legislativam à Christo Domino, facilè diluuntur : nam quòd sint successores Apostolorum , qui immediatè à Christo accepere potestatem Legislativam ; & quòd non solùm Petro , sed & cæteris Apostolis dictum fuerit à Christo: *Quodcumque ligaveris &c.* non probat intentum . Episcopi siquidem Successores sunt Apostolorum non in Apostolatu, sed Episcopatu, hoc est, non in Jurisdictione, sed Consecratione: aliàs æquales essent Pontifici, ut rectè habet Suarez *lib.* 4. *de Legib. cap.* 4. Quòd consecratio Episcoporum , ipsorumque constitutio specialiter ordinata fuerit à Christo, cùm non possent per se Pontifices toti Orbi immediatè esse præsentes ; unde D. Paulus dixit *Actor.* 20. esse à Spiritu Sancto positos Episcopos al Ecclesiam Dei regendam . nec probat *intentum;* eo quia eorum Consecratio est immediatè instituta à Christo, gubernatio verò à Pontifice jurisdictionem conferente, prout ipsi conveniens visum fuerit, & secundùm ipsi inspiraverit Spiritus Sanctus ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Quòd denique potestas Episcoporum sit ordinaria, non probat, esse *immediatè* à Christo: cùm potestas etiam ordinaria accipi possit à Pontifice: nam ordinaria dicitur ex eo præcisè , quia ratione officii conceditur cum facultate delegandi.

11 Dubitabis 2. an Episcopus gaudeat hac potestate legislativa semelac electus , & confirmatus sit , etiamsi non habeat specialem concessionem à Pontifice? Resp. affirmativè: ratio est . quia ipso jure per electionem , & confirmationem est illi concessa facultas legislativa, ut constat *ex cap.* 2. *de Major. & Obed. & ex cap.* 2. *de Constit. in* 6. ergo non indiget speciali concessione Pontificis. Poterit igitur Leges condere suo Episcopatui convenientes ; imò Leges suorum Prædecessorum abrogare, dummodo à Pontifice confirmatæ non fuerint . Sic ex Navarro , Suarez , Sanchez , Salas , & Bonacina docet Castropalaus *de Legibus disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 7.

12 Dubitabis 3. An Episcopus in ferendis Legibus indigeat consensu Cleri, vel Capituli ? Resp. exceptis casibus, qui in Jure exprimuntur , ut constat *ex Cap. ult. de Fer.* & exceptis causis ad Capitulum spectantibus , vel in ejus damnum vergentibus , in quibus consensus Capituli requiri videtur , cùm sit Collega , & consors in illis , ut patet *ex Cap. Novit , & ex Cap. Quanto. De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*. Exceptis, inquam, istis casibus Leges fere poterit Episcopus sine consensu Cleri , aut Capituli : ratio est , quia non habetur fundamentum ullum dicendi , quòd potestas Legislativa in Episcopo dependeat à consensu Cleri, aut Capituli, cùm sit absolutè independens . Sic contra nonnullos Doctores docent Panormitanus, Salas, Suarez, Vasquez, Sanchez , Layman , quos referunt , & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 24. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 10.

13 Primates , seu Patriarchæ , & Archiepiscopi possunt pariter Leges condere pro suis Diœcesibus , ut possunt Episcopi, cùm eadem potestate gaudeant extra controversiam . Solùm controvertitur , an Leges ferre possint obligantes Nationem , & Provinciam ? sed communis sententia est negativa extra Concilium Nationale , vel Provinciale , de quibus supra : in eis siquidem Leges ferre possunt de consensu Comprovincialium Episcoporum. Sic expressè statuitur *in Cap. Nullus Primas , 9. quæst.* 3. *& in Cap. Sicut olim , de Accusation.* & Sic docent Suarez *lib.* 4. *de Legib. cap.* 5. *num.* 3. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 17. *num.* 36. Salas *de Legib. disp.* 8. *sect.* 9. *num.* 48. Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 11. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 25. qui permittit , cum dubio in tempore Visitationis Provinciæ : sed tunc potius uti possunt præceptis, quàm Legibus perpetuò duraturis: ut rectè expendit Suarez *lib.* 1, *de Legib. cap.* 10. *num.* 7.

14 Abbates exempti , & similes Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem Leges ferre poterunt pro suis quasi Diœcesibus , & Territoriis exemptis : dummodo non sint de materia reservata , aut contra Jus Commune : ratio est ; quia potestas legislativa est adnexa potestati , & Jurisdictioni Episcopali ; ergo si prædicti Abbates simili potestate gaudent , gaudebunt etiam potestate Legislativa . Nam si jure ordinario habent potestatem ferendi censuras , non est , cur jure ordinario non competat ipsis potestas Legislativa ; nisi aliunde sit ipsis vetita . Sic Suarez *tom.* 5. *de Censuris disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 9. *& lib.* 4. *de Legib. cap.* 5. *num.* 4. Salas *de Legib. disp.* 8. *sect.* 10. *num.* 49. Sebastianus Medices 1. *par. de Legib. quæst.* 15. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 28.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sede vacante poterit 15
Leges ferre pro tota Diœcesi , quousque revocentur à summo Pontifice , vel Episcopo successore : imò poterit Leges , & statuta Antecessorum Episcoporum revocare , si ita expedire visum fuerit: ratio est, quia Capitulum vacante Sede succedit in Jurisdictione Episcopi quoad totam administrationem ordinariam in Temporalibus , & Spiritualibus totius Diœcesis , exceptis casibus expressis in Jure : ut constat *ex Cap. Olim. de Major. & Obed. ex Cap. Unico , eod. tit. in* 6. *ex Cap. Si Episcopus , & Cap. ultim. de Supplendis neglig. Prælat. in* 6. & ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 16. ergo si potestas ferendi Leges spectat ad ordinariam potestatem , & jurisdictionem Episcopi ; spectabit etiam ad Capitulum: maximè quia non habetur in Jure restrictio facultatis hujus in Capitulo . Adde , quòd si Capitulum Sede vacante præstat omnia ferè Officia Episcoporum , dispensare videlicet in Irregularitate , in Interstitiis , Denunciationibus Matrimonii , in illegitimitate ad Ordines , ad beneficium Matrimonii, in illegitimitate ad Ordines, ad beneficium simplex &c. cur ei denegari debebit facultas Legislativa ad instar Episcoporum ? Sic Sylvester, Felinus, Panormitanus , quos refert , & sequitur Suarez *de Legib. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 14. Panuinus *de Potest. Capit. Sede vacan. quæst.* 6. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 29. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 22. contra Medices , Salas , & alios .

Non vacante tamen Sede acriter controvertitur : an possit Leges ferre ? Et quamvis certissimum sit , non posse Leges ferre obligantes Diœcesanos; quia Capitulum vivente Episcopo nullam jurisdictionem in ipsos habet , quam solùm acquirit eo demortuo . Nihilominus ferre poterit absque consensu Episcopi viventis Leges , & statuta obligantia Capitulares in iis, quæ spectant ad bonum regimen , & ordinem Capituli . Sic constat *ex Cap. Cùm omnes , de Constitut.* Licèt in gravioribus materiis spectantibus ad observantiam antiquarum Constitutionum , & ad commoda Ecclesiæ necessarius sit Episcopi consensus : imò aliquando requiritur consensus summi Pontificis. Sic Panormitanus , Felinus, Sylvester , Suarez , Salas , Sebastianus Medices, quos referunt , & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 38. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 25.

Nec obstat, quòd Caput Capituli sit Episcopus *ex Cap.* 16
Novit, de his, quæ fiunt à Prælat. & quòd Capitulum vivente Episcopo nullam jurisdictionem habeat, nec parvam, nec magnam. Non obstat, in quam, quia licèt in aliis non spectantibus ad bonum Capituli regimen Caput Capituli sit Episcopus ; in levioribus tamen causis ad Capitulum spectantibus proprium habet Caput , nempe Decanum ; cum quo efficit corpus integrum , etiam secluso Episcopo . Et licèt vivente Episcopo *nullam* habeat jurisdictionem Capitulum quoad ea , quæ ad regimen Diœcesis spectant ; habet tamen in minoribus spectantibus ad regimen , curam , & administrationem Corporis Capitularis . Sic Doctores supra citati.

An autem hæc doctrina extendi possit ad Capitula 17
aliarum Ecclesiarum Cathedrali subjectarum , seu Collegia , & Societates ; non levis est difficultas . Nam eam extendunt Felinus , Panormitanus , Salas , Albericus , penes Castropalaum *de Legib. disp.* 1. *pun.* 23. *num.* 26. eo quia si Capitulum Cathedralis in rebus levioris momenti , non verò in gravioribus, potest leges condere ad Capitulum spectantes; non est , cur cætera Capitula , & Communitates Cathedrali subjecta non possint? Nihilominus spectato rigore Juris , in quo non reperitur concessa talis facultas similibus Collegiis, & Communitatibus, arridet mihi sententia denegans : præsumi siquidem *non* potest , cùm sit res facti . Eam tamen ipsis non denegarem, si ex usu, & consuetudine haberent. Poterunt verò Communitates istæ facere Ordinationes , ac Constitutiones , tam dispositivas, quàm pœnales obligantes ad

culpam, vel ratione traditionis; quâ unusquisque se tradit gubernandum, & puniendum, si non obedierit statutis Capituli, Communitati, aut Rectori illius, ex quo resultat potestas Dominativa; vel ratione promissionis, & juramenti facti de servandis statutis illis. Sic Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 6. num. 19.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 31.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 26.*

18 Communitates Religiosorum, in quibus potestas Dominativa reperitur ex vi Voti Obedientiæ, & traditionis uniuscujusque regularis, ad hoc ut regatur, & gubernetur; & insuper potestas Jurisdictionis à Pontifice concessa ad Religiosos gubernandos juxta proprium Institutum; facultatem habent condendi Leges ad rectum regimen suorum Religiosorum. An verò potestas ista Jurisdictionis resideat in Capitulo Generali tantùm, aut in Capitulis Provincialibus; vel in Generali tantùm, aut etiam Provincialibus; dignoscendum erit ex statutis propriis Religionis. Sic Suarez, Salas, Sebastianus Medices, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 27.*

19 De Abbatissis, & aliis Præfectis Monialium major habetur difficultas; an potestate Legislativa gaudeant pro suis Monasteriis? Et ratio dubitandi est, quia Mulieres non videntur capaces Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut sustinuit Victoria *relect. 2. de Potest. Eccles. quæst. 2. à n. 3.* ex illo D. Pauli 1. *ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesiis taceant*; turpe enim est, Mulieres loqui in Ecclesiis. Verùm communior sententia docet, non solùm fœminas ex potestate speciali Summi Pontificis gaudere posse facultate condendi Leges, verùm etiam ferendi Censuras: ut ex Paludano, Navarro, Ugolino, Salmerone, Salas, & aliis à se relatis docet Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 35*, non enim ex hoc ullum sequitur absurdum contra jus aliquod. Nec textus allatus ex D. Paulo probat intentum, cùm solùm loquatur de publica expositione Doctrinæ in Ecclesia ex proprio motu. Cæterùm nec hoc turpe erit ex speciali concessione Pontificis, quam traditam fuisse S. Catharinæ Senensi, referunt historiæ. Concluditur ergo, Abbatissas, & alias Monialium Præfectas non solùm ex voto, & promissione religiosarum sibi subditarum sed etiam ex Jurisdictione à Pontifice accepta gaudere potestate Legislativa pro suis Monasteriis: aliàs quomodo possent Moniales sibi subditas regere, ac delinquentes punire. Et quamvis ut fœminæ facilè errare possint, nihilominus habent Episcopos, & alios Prælatos Superiores, qui eas dirigere possint, & in quibus deficiunt emendare. Adnotandum tamen, quòd non possunt præcipere nisi ea, quæ ad rectam, & politicam Monasterii gubernationem spectant, in cæteris namque imperandis carent jurisdictione. Sic ex Salas, Vasquez, & Sanchez docent Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 28.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 31. in fin. & 34.*

20 Quæres 1. An Sanctis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus data fuerit facultas ferendi Leges? Et ratio inquirendi est, quia multæ eorum Sententiæ reperiuntur insertæ in Decreto Gratiani, adeoque vim Legis habere videntur saltem ex tacito consensu Pontificum. Sed communis responsio est, non fuisse datam Sanctis Patribus facultatem istam condendi Leges: ratio est, quia non constat, talem facultatem ipsis datam fuisse: nec probitas morum, & scientia est sufficiens fundamentum ad Leges condendas, si simul non habeatur Jurisdictio, qua caruerunt Sancti Patres; aut si eam habuerunt, uti tamen noluerunt: ut constat de Innocentio IV. Summo Pontifice qui in Decretales multa scripsit, utpote in utroque Jure valde peritus: noluit tamen, teste Hostiensi *in Cap. Solet, de Senten. Excomm. in 6.* suis sententiis ligare fideles; adeoque sententiæ Sanctorum Patrum, etiam Pontificia dignitate fulgentium, vim Legis habere nequeunt per se loquendo. Nisi tamen suis sententiis testentur de Lege, aut præcepto aliquo naturali, aut Divino à Christo Domino Apostolis, vel Ecclesiæ tradito; tunc enim ipsis credendum esset, non tamquam Legislatoribus, sed tamquam testibus fide dignis juxta majorem, vel minorem Sanctorum Patrum consensum in ea re. Adnotandum verò hìc, quòd si sententiæ Sanctorum Patrum, sive in Decreto Gratiani, sive extra illud adversentur alicui Bullæ, & Constitutioni Pontificiæ, nullatenus daburt sufficiens motivum ad rectè operandum contra Constitutionem Pontificiam: damnata siquidem fuit ab Alex. VIII. Propositio asserens: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Nec obstat ratio dubitandi, quòd videlicet Sententiæ Sanctorum Patrum sint insertæ in Decreto Gratiani; tum quia non solùm Sententiæ Sanctorum Patrum, verùm etiam multæ Leges Civiles sunt insertæ in Decreto Gratiani, quæ extra controversiam non habent vim Legis Ecclesiasticæ; nisi tamen fuerint ab aliquo Pontifice canonizatæ, quod etiam dicendum erit de Sententiis Sanctorum Patrum; & tunc habebunt vim Legis à Pontifice canonizante; tum quia Gratianus non habuit facultatem condendi Leges, nec ullus ex Summis Pontificibus approbavit omnia, quæ in Gratiani Decreto continentur: maximè quia nonnulla Gratianus inseruit difformia à suis Originalibus, quæ emendata fuere. Præfefert tamen Decretum magnam authoritatem, non quia vim Legis habeat quoad omnia; sed quia nonnulla tamquam Leges approbata fuere postea à Pontificibus, & in Decretalibus inserta; nonnulla verò tamquam sana doctrina non adversans fidei, & moribus, conducunt ad rectam vitæ institutionem, & ad causas definiendas. Hinc etiam infertur, Decreta particularium Conciliorum, vel Episcoporum non habere vim Legis, extendentis se ad totam Ecclesiam, quamvis in Gratiani Decreto inserta, & quamvis à Summo Pontifice allegentur; nisi ipse, vel alius Pontifex ea approbaverit. Retinent ergo contenta in Gratiani Decreto suam primævam dispositionem, nisi ab aliquo Pontifice canonizata fuerint. Sic Gloss. *in Cap. 1. De reb. Eccles. non alien. verb. Tractatus*. Decius Panormitanus, Navarrus, Suarez, Sanchez, Rodriquez, Salas, Valentia, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 37. & 3.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 13.*

Quæres 2. An potestas condendi Leges sit delegabilis? 21
& quibus? Resp. esse delegabilem, quia cùm proveniat à potestate Jurisdictionis, quæ aliis delegabilis est; inde fit, quòd etiam delegabilis sit potestas Legislativa. Sic *ex Cap. Gravem, de Sent. Excomm.* tradit Panormitanus *num. 1.* Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 6. in fin.* Salas *de Legib. disp. 8. sect. 19. num. 92.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 23. num. 29.* Difficultas tamen in eo sita est: an possit Pontifex delegare facultatem condendi Leges Ecclesiasticas alicui pro toto Orbe Terrarum sibi subdito, quæ vim habeant independenter ab approbatione speciali ipsius Summi Pontificis? In qua variant Doctores: nam Salas *disp. 8. sect. 19. num. 93.* putat delegabilem esse Concilio Generali; non expedire tamen eam delegare personæ particulari. Suarez verò *lib. 4. de legib. cap. 6. num. 22.* cum Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 34.* Docent, non esse delegabilem, cùm non sit delegabilis infallibilis assistentia Spiritus Sancti. Castropalaus denique *l. c.* distinguit: si sint Leges immediatè pertinentes ad mores, & salutem æternam, verum est, quod docent Suarez, & Bonacina; quia cùm hæ Leges supponant in legislatore infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, uti supponitur in definitionibus Fidei à Pontificibus declaratis: quæ assistentia cùm indelegabilis sit, inde est, indelegabilem pariter esse facultatem Legislativam illi adnexam. Secus verò dicendum de Legibus remotè spectantibus ad mores, & salutem animarum, sine quibus obtineri posset salus æterna; tunc hæc facultas delegabilis esset à Pontifice, non solùm Concilio Universali, ut docet Salas; sed etiam particulari Personæ: quæ quidem sententia mihi maximè arridet.

CAPUT V.

De Materia Legum.

1 *Materia Legum tam Præcipientium, quàm Prohibentium sunt actiones humanæ.*
2 *Omnis Materia Legum debet esse honesta, & virtuti conformis; adeoque nequit præcipere lex, nisi quod bonum est; nec prohibere, nisi malum.*
3. 4. 5. *Solvuntur tria, quæ opponuntur.*
6 *Notatur discrimen legum Canonicarum, & Civilium in respicienda honestate.*
7 *Quando utantur legibus Civilibus Judices Ecclesiastici?*
8 *An actus interni possint esse Materia Legum?*
9 *Leges Canonicæ, aut Civiles de facto nec præcipiunt, nec prohibent actus merè internos.*

10 Pos-

10 *Possunt tamen præcipere, aut prohibere actus internos necessariò conjunctos cum externis.*
11 *Duæ Illationes ex prædicta Doctrina.*
12 *Nequeunt Leges Canonicæ, & Civiles præcipere, aut prohibere actus internos non necessariò connexos cum externis, sed per accidens.*

1 ILLA dicitur materia Legum, circa quam Leges versantur sive præcipiendo, sive prohibendo: cùm autem Leges hoc modo versentur circa actiones humanas, ideo materia Legum erunt actiones humanæ: & ratio ulterior est, quia materia Legum illa est, quæ cadit sub potestatem Legislatoris, & ad commune bonum referri debet: cùm ergo actiones humanæ sint illæ, quæ sub potestatem Legislatoris cadunt, & referri possunt ad bonum commune, præcipiendo bonas, & prohibendo malas; inde est, quòd materia Legum sint actiones humanæ. Sic passim Doctores.

2 Omnis autem materia Legum debet necessariò esse de aliquo actu Virtutis, seu debet esse necessario honesta, & Virtuti conformis; sive Lex naturalis sit, sive Canonica, aut Civilis: ratio est, quia finis Legis est facere bonos subditos, & specialiter Lex Civilis intendit facere bonos sives; sed nequit hic finis obtineri, nisi id, quod à Lege præcipitur bonum sit, & conforme Virtuti; ergo materia Legum de necesse debet esse honesta, & Virtuti conformis. Sic D. Isidorus relatus *in Cap. Omnis lex, dist. 3.* & D. Thomas 1. 2. *quæst. 95. art. 3., & quæst. 92. art. 1.* ab omnibus receptus.

3 Neque dicas 1. Multæ Leges Civiles attendunt potiùs gubernationi politicæ, quàm honestati morum: sic Lex prohibens actionem contra defraudantem infra dimidium justi pretii; concedens præscriptionem possessori bonæ fidei adversus Dominum; non puniens occisionem adulteræ; permittens Meretrices; & similes leges non respiciunt actum Virtutis, & honestatem morum. Nam contra est: quia leges istæ Civiles respiciunt id, quod conveniens, & honestum est ad pacem, & tranquillitatem Reipublicæ, attenta fragilitate, & conditione hominum, & ad bonum Commune cum tali respectu: cùm igitur attenta conditione hominum, cui leges Civiles conformantur; conveniens sit, & honestum relinquere impunita aliqua minora mala, ne in majora pateat aditus, inde est, finem harum legum esse convenientem, & honestum, ac rationi conformem. Sic Suarez *lib. 4. cap. 11. num. 3.* Salas *disp. 9. de Legib. sect. 3. num. 39.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 5. num. 2.*

Hinc inferunt prædicti Doctores: attenta eadem conditione hominum non posse prohiberi à lege humana omnes actus vitiosos collectivè acceptos: cùm conveniens sit ob motivum adductum, aliqua minora mala permittere, & impunita relinquere, ne faciliùs in majora prorumpatur. Et quamvis omnes actus vitiosi prohibiti sint lege naturali, & Divina; nec prohibitio facta per legem positivam humanam adderet specialem malitiam; nihilominus adderet specialem subjectionem ad pœnam apud homines, quam quidem licèt mereretur omnis actus vitiosus singillatim acceptus, cùm committens illum non solùm mereatur æternam pœnam, sed etiam temporalem à Republica imponendam; non expedit tamen, nec conveniens est, ut imponatur talis pœna pro omnibus actibus vitiosis collectivè acceptis; ne faciliùs in pejora dilabatur.

4 Dices 2. Lex humana nequit præcipere omnes actus virtutum collectivè acceptos; ergo actus virtutum non sunt materia legum. Sed contra est, quia licèt humana lex præcipere non possit omnes actus virtutum collectivè, cùm sit de re moraliter impossibili, non enim omnes religionem ingredi possunt, aut à Matrimonio abstinere; quia tamen singuli actus virtutum præcipi possunt; ideo licèt collectivè non possint esse materia Legum, possunt tamen esse singillatim.

5 Dices 3. Lex humana sæpè præcipit, aut prohibet actiones indifferentes, quæ ex se non sunt actus Virtutis; ergo materia Legum non est solus actus Virtutis. Sed contra est: quia lex humana non præcipit, aut prohibet res indifferentes, quà indifferentes sunt, sub qua consideratione, nequeunt esse materia legum; sed quatenus ordinantur ad finem honestum, & virtuosum. Sic Legislator præcipit aliquando actiones aliquas indifferentes, quia utiles sunt ad finem honestum consequendum; aut illas prohibet, quia retardant à consecutione finis honesti à Legislatore intenti: ex quo fine honestatem accipiunt actiones indifferentes, & sunt materia Legis. Sic Suarez *lib. 3. de legib. cap. 12. num. 17.* Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 5. num. 2.* & Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 4.* referens D. Thomam, Becanum, Sayrum, Layman, & alios.

6 Adnotandum hìc discrimen in respiciendo honestatem à Legibus: nam licèt Leges Canonicæ, & Civiles honestatem, & virtutem respiciant; nihilominus Canonicæ, & Ecclesiasticæ illam primò. & per se respiciunt, quatenus conducit, & dirigit homines ad finem supernaturalem: quapropter materia Legis Canonicæ Spiritualis dicitur. Civiles verò virtutem, & honestatem respiciunt, quatenus dirigit, & conducit homines ad politicam, & convenientem gubernationem, quamvis rectam: quapropter earum materia Temporalis dicitur. Sic Doctores *in Cap. Ecclesiæ, de Constitut. & in leg. Omnes Populi. ff. de Just. & Jur.*; colligitur quoque *ex Cap. Solitæ, de Major. & Obed.* Hinc fit, nonnulla prohiberi à Legibus Civilibus, ut sunt perjuria, usuræ, incestus, adulteria, & similia, quæ etiam à Sacris Canonibus prohibentur; sed ob prædictos diversos fines, quos explicuimus.

7 Adnotandum insuper, uti aliquando Judices Ecclesiasticos Legibus Civilibus in litibus definiendis, & in pœnis imponendis; quando videlicet Leges Civiles Canonizatæ fuere ab Ecclesia, & ab ipsa acceptatæ; vel si non sunt tales, quando deficiunt Leges propriæ Canonicæ, in quarum defectum civiles subrogantur: ut constat *ex Cap. 1. de novi Operis nuntiat.* & habent passim Doctores.

8 Maxima difficultas in materia Legum est: An actus interni possint esse materia Legum; ita ut Leges possint illos imperare, aut prohibere. Extra tamen controversiam est præcipi, aut prohiberi posse à Lege Divina, & Naturali: eo quia non solùm subduntur Deo potentiæ exteriores, verùm etiam interiores, Intellectus scilicet, Voluntas, & Memoria; adeoque æquè subjacent Dei imperio. Reducitur ergo difficultas ad Leges humanas, sive Canonicas, sive Civiles: ut autem distinctius procedamus, & clariùs in hac difficultate, sciendum est, actus internos dupliciter considerari posse primò secundùm se præcisè, ut sunt videlicet actus merè interni, secundò prout actus interni sunt necessariò conjuncti cum actibus externis, vel quia spectant ad eorum esse physicum, aut morale; vel quia per accidens connectuntur cum externis, & ex arbitrio operantis. Hispositis

9 Ref. 1. Leges sive Canonicas, sive Civiles non posse præcipere, aut prohibere actus merè internos, & præcisè tales (quidquid sit, quòd Christus Dominus talem facultatem tradere potuerit suæ Ecclesiæ:) ratio est, quia facultas condendi Leges Civiles originem habet à Communitate, & Populo; sed Populus nequit jurisdictionem tradere supra id, quod est sibi ignotum; nec obest, aut prodest ad bonum commune, & ad communicationem inter Cives; ergo Leges Civiles nequeunt respicere pro materia actus merè internos: mens enim est sui juris, ut habet Seneca relatus à D. Thoma 2. 2. *quæst. 104. art. 5. in Corp.* Leges verò Canonicæ, & Ecclesiasticæ, quamvis originem trahant à facultate tradita à Christo Domino; de facto tamen non constat ex aliquo Jure, aut ex Traditione datam fuisse Ecclesiæ potestatem istam circa actus merè internos: cùm recta Ecclesiæ visibilis gubernatio non dependeat ab actibus internis invisibilibus, quos nequit Ecclesia cognoscere, & judicare: homo siquidem videt ea, quæ patent; Deus autem intuetur cor, ut habetur *in Cap. Tuanos, & Cap. Sicut tuis, de Simon.* Sic D. Thomas 1. 2. *quæst. 91. art. 4.* Navarrus *in Summ. cap. 27. num. 17.* Suarez alios referens *lib. 4. de Legib. cap. 12. num. 4.* Vasquez 2. *tom. disp. 160. cap. 2.* Valentia *tom. 2. disp. 7. quæst. 3. pun. 2.* Salas *disp. 9. de Legib. sect. 1. num. 30.* Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 6. num. 2.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 5. num. 8.* referens Sylvestrum, Becanum, Sayrum, Azorium, Layman, & Filliuccium.

10 Ref. 2. Leges Canonicas, & Civiles posse præcipere, aut prohibere actus internos necessariò conjunctos cum actibus externis, sive quoad esse physicum, sive quoad esse morale: ratio est, quia si ob rectam Ecclesiæ, vel Communitatis Civilis gubernationem præcipiuntur, vel prohibentur actus externi, etiam præcipi, aut prohiberi censentur interni, sine quibus actus externi consistere non possunt vel quoad esse physicum, vel quoad esse morale, utpote necessariò connexi cum illis: sic Lex Civilis præcipiens venditionem mercium, solutionem vectigalium, & debitorum, celebrationem contractuum, simul præcipit actus internos volun-

voluntatis faciendi illa, sine quibus fieri non possent. Sic etiam Lex Ecclesiastica præcipiens administrationem Sacramentorum, simul præcipit intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; & præcipiens recitationem Divini Officii, simul præcipit attentionem, quæ est actus internus, & sine quo consistere nequit recitatio Divini Officii. Præcipiunt igitur Leges Canonicæ, & Civiles actus internos non per se, sed utpote necessarios ad actus externos, & quatenus sunt forma illorum. Sic Suarez *de Legib. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 5. Vasquez *l. c. cap.* 5. Salas *l. c. num.* 4. Bonacina *l. c. num.* 3. & 9. & Castropalaus *l. c. num.* 3.

11 Hinc fit 1. Ecclesiam præcipientem annuam confessionem præcipere simul confessionem omnium mortalium internorum, & dolorem internum peccatorum: spectat enim ad substantiam confessionis præceptæ tam integritas confessionis, quæ etiam extenditur ad mortalia interna; quàm dolor internus, qui redditur sensibilis per signa externa. Fit 2. habentem voluntatem omittendi Sacrum die festivo, aut non jejunandi die jejunii, vel comedendi carnes in eo peccare contra præcepta Ecclesiæ: quia licèt actus isti sint interni, nihilominus versantur circa objecta ab Ecclesia prohibita, & dicunt affectum ad transgressionem Legis ab Ecclesia latæ.

12 Ref. 3. Leges Civiles, aut Canonicas non posse præcipere actus internos non necessariò connexos cum actu externo, sive quoad esse physicum, sive morale; sed tantùm per accidens connexos cum illis; ratio est, quia tunc merè præciperet per se, & directè actum internum, qui, ut vidimus, non cadit sub imperio Legum humanarum; nam sine actu externo jam consistere posset in suo esse physico, aut morali actus internus, ut pote independens ab illo, & per accidens tantùm connexus; ergo præcipere illum esset præcipere actum merè internum; quem quidem imperare nequit lex humana, utpote non necessarium ad rectam gubernationem & communicationem civium, aut fidelium inter se: nam ea, quæ conducunt ad rectum regimen Corporis constituti à fidelibus, aut Civilibus debent esse exteriora, & per se cognoscibilia. Hinc est, quòd Ecclesia numquam præcipiat in orationibus fundendis, ut hanc, vel illam intentionem habeant fideles; aliàs directè præciperet actum internum: præcipit ergo in necessitatibus orare, jejunare, eleemosynam erogare, quamvis non præscribat specialem intentionem, & finem; aliàs qui oraret, jejunaret, eleemosynam erogaret ob vanam gloriam, aut alium pravum finem; peccaret contra Legem Ecclesiasticam, quod est falsum. Restat igitur, quòd Ecclesia non præcipiat actus internos per accidens conjunctos cum externis. Sic Suarez *de Legib. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 14. & Castropalaus *de Legibus disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 4.

CAPUT VI.

Resolvuntur nonnulla Quæsita spectantia ad obligationem Legis.

1 *Quibus verbis constituenda Lex, aut Præceptum, ut obliget?*
2 *Enumerantur verba explicantia voluntatem Legislatoris, aut Præcipientis sub gravi.*
3 *Afferuntur alia verba æquipollentia.*
4 *An verbum, Debeo, importet debitum convenientiæ, an præcepti?*
5 *An verba imperativo modo expressa revera præceptum contineant?*
6 *Nonnulla verba assignantur ex se indifferentia ad Præceptum, aut consilium.*
7 *Aliquando verba Superioris ex se præceptiva non important ex recepta consuetudine obligationem sub gravi.*
8 *Quænam Legis promulgatio necessaria sit ad inducendam obligationem sub gravi.*
9 *Sufficienter promulgatur voce Præconis, vel per affixionem in loco publico, aut simili modo consueto; nec intimari debet singulis subditis.*
10 *Sciens Legem non obligatur ad illam ante ejus publicationem.*
11 *Revocatio Legis antiquæ ut obliget, debet eodem modo publicari, ac Lex.*
12 *Idem dicendum de Interpretatione Legis authoritativè factæ.*
13 *Quænam promulgatio requiratur in Legibus Civilibus?*
14 *Quænam in Legibus Canonicis, & Ecclesiasticis?*
15 *Lex Canonica Romæ promulgata sine temporis determinatione statim obligat.*
16 *An requiratur acceptatio Populi, ut Leges Canonicæ, vel Civiles obligent?*
17 *Leges Canonicæ, ut obligent, non expectant consensum, aut acceptationem fidelium.*
18 *Leges Civiles, ut obligent; non requirunt necessario acceptationem Populi.*
19 *Lex promulgata à Principe, si usu recepta non sit, aut desuetudine non acceptata; non obligat.*
20 *Idem dicendum de Lege Ecclesiastica, sive tradita sit per modum statuti, sive decretalis, aut extravagantis.*
21 *Communitas, quæ facit usum, vel non usum Legis, non solùm est Communitas universalis, sed etiam qualibet particularis capax Legis.*
22 *Si Lex lata nimis dura sit, & gravis, vel consuetudini contraria; poterunt à culpa excusari inobservantes.*
23 *Communitas appellans ad Legislatorem pro revocanda Lege lata non potest pendente appellatione contra Legem agere.*
24 *Si Legislator audita appellatione taceat, censendus erit annuere.*
25 *Ad obligationem Legis an necessariò requiratur Scriptura, aut præcedens consultatio?*

QUæres 1. Quibus verbis Lex, aut Præceptum constitui debeat, ad hoc ut inducat obligationem? Resp. 1
supponendo priùs tamquam indubitatum: verba constituentia Legem, aut Præceptum debere esse talia, ut sufficienter exprimant voluntatem Legislatoris, aut præcipientis intendentis obligare: ratio est, quia cùm res gravis sit, ac subditis onerosa; inde est, quòd per verba sufficientia ipsis innotescere debeat, ut sciant, quale onus subeant. Hinc fit, quòd si dubium insurgat de verbis aliquibus, an Legem, aut præceptum contineant; an verò Consilium, & hortationem; censendum erit, consilium, non verò Legem continere: ut docent Castro *lib.* 1. *de Leg. pœnal. c.* 5. *docum.* 4. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 4. *nu.* 27. Castropal. *de Leg. disp.* 1. *pun.* 9. *nu.* 1. & alii. Sicuti si dubium sit, an obligationem sub mortali inducant; an verò sub veniali; censendum erit sub veniali: eo quia in dubio, & in pœnis benigniorem interpretationem facere debemus, ut constat *ex Leg. Interpretatione; ex Leg. Si Præses, ff. de Pœnis; & ex Regul. In pœnis, de Regul. Juris in* 6. & docent Sanchez *l. c. num.* 66. Navarrus *in Summa cap.* 23. *num.* 50. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 7. *numer.* 29. & Castropalaus *l. c.* Hoc supposito.

Verba, quæ sufficienter explicant voluntatem Legislatoris, aut præcipientis intendentis obligare per Legem, aut præceptum affirmativum; hæc communiter enumerantur: præcipio, jubeo, impero, mando. Et quamvis nonnulli Doctores de verbis jubeo, & mando, dubitarint, an grave præceptum importent; nihilominus communissima sententia est importare, si materia sit ex se capax gravis obligationis: eo quia prorsus eamdem significationem habent, ac præcipio, & impero, quæ extra controversiam grave præceptum important. Sic Suarez *lib.* 3. *de Legib. cap.* 11. *num.* 6. Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *cap.* 3. *numer.* 22. Sanchez plures referens *lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. *num.* 33. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. Verba autem, quæ præceptum negativum, seu prohibens important, sunt communiter hæc: prohibeo, inhibeo, veto, interdico. Sic colligunt præcitati Doctores *ex Cap. Ex his, de verbor. Signif. in* 6. *& ex Clement. Exivit de Paradiso, eod. tit.* 2

Dantur quoque alia verba æquipollentia supradictis, quæ etiam præceptum grave important: sic sunt verba ista: teneantur omnes, obligentur omnes, nemini licitum sit, nemo possit; insuper omnia verba illa, quæ necessitatem important: ratio est, quia si per prædicta verba Legislator, aut præcipiens intendit inducere necessitatem; cùm non possit intendere necessitatem naturalem, ideò necessitatem moralem obligantem sub gravi censetur intendere, ac præceptum imponere. Sic Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *cap.* 3. *numer.* 21. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. *numer.* 36. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. 3

Dubitatur de verbo, debeo, an importet debitum honestatis, & Convenientiæ; an verò debitum imperii, præcepti, & necessitatis? Sed communior sententia docet: propriè significare, & importare necessitatem, ac debitum imperii, & præcepti. Secus tamen docet de verbo, oportet, quod honestatem, & convenientiam 4

præsc-

præsefert; non verò necessitatem imperii, & præcepti. Sic Vasquez *l. c. num.* 21. Sanchez *l. c. num.* 37. & Castropalaus *l. c. num.* 2. quamvis de verbo, *oportet*, oppositum sentiant Navarrus, Sà, & Toletus relati à Castropalao *l. c.*

5 Major dubitatio est de verbis imperativo modo expressis, ac veluti in actu exercito præceptum indicantibus, an revera præceptum contineant. Sic sunt: facite, cavete, nemo audeat, omnes abstineant &c. Et quamvis Doctores inter se discrepent, aliqui enim sustinent non continere præceptum; alii verò affirmant continere; alii sub veniali, alii sub mortali. Dicendum tamen cum Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 4. num. 39.* & Castropalao *de Legib. disp. 1. punct. 9. numer. 3.* standum in hoc esse consuetudini locorum: quòd si consuetudo non constet, attendenda erit materia Legis, quæ si gravis erit, præceptum importabit; si verò levis, minimè. Illud verò notandum, quòd licèt universaliter non importent verba imperativi modi præceptum; attamen in decretis Conciliorum, & Summorum Pontificum ferè semper important præceptum: quia semper materiæ gravitatem important. Sic Vasquez 1. 2. *disp.* 155. *cap.* 2. *numer.* 24. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1, *punct.* 7. §. 4. *num.* 10. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *punct.* 9. *numer.* 3.

6 Verba illa; Sancimus, intendimus, volumus, statuimus, innovamus, decernimus, stabilimus, sunt ex se indifferentia ad significandum præceptum, aut consilium, vel exhortationem, ut sustinent Azor. Sanchez, Vasquez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *punct.* 9. *numer.* 2. *in fin.* & alii plures penes Bonacinam *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 4 *num.* 11. quamvis ipse oppositum sentiat. Si tamen verbis istis indifferentibus alia adnectantur, quæ ex recepta consuetudine indicent animum Superioris intendentis obligare, jam ampliùs non erunt indifferentia, sed determinatè significabunt Legem, aut Præceptum. Sic si Superior ita explicet mentem suam, ordinamus, volumus, statuimus, decernimus, &c. hoc faciendum, observandum in virtute Sanctæ Obedientiæ, in Virtute Spiritus Sancti, sub pœna præstiti juramenti, sub interminatione Maledictionis æternæ, vel gehennæ, aut indignationis Apostolorum; proculdubio verba ista gravem obligationem indicabunt ex vi juramenti, aut Voti Obedientiæ; vel ex vi Maledictionis, & indignationis, quæ sine gravi culpa contrahi nequeunt. Et in hoc conveniunt Doctores, sicuti etiam conveniunt, quòd pura verba, monemus, hortamur, rogamus, consilium tantùm significent, aut hortationem ad præstandum id, quod ex alia præcedenti obligatione injunctum fuerat; quamvis novam non addant obligationem.

7 Adnotandum hìc: aliquando verba Superioris posse esse in rigore præceptiva, quamvis ex usu, & recepta consuetudine non importent obligationem sub gravi culpa. Sic ex communi consuetudine Religionum, nisi verbis quocumque modo præceptivis addatur à Superioribus, vel in virtute sanctæ obedientiæ; vel in virtute Spiritus Sancti; aut in nomine Jesu Christi; non censentur verba præceptiva obligantia sub gravi culpa; nec Superiores censentur satis explicare mentem suam. In nostra Societate Jesu expressè hoc habetur 6. *par. Constit. cap.* 5. *in fine*, & docent Vasquez *disp.* 158. *cap.* 3. *num.* 24. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 41. *dubit.* 9. *num.* 76. Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 9. *num.* 4. & Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 70. Advertunt tamen Sanchez, & Castropalaus, idem dicendum esse, si Superior præciperet sub excommunicatione, aut maledictione æterna: nam sic satis explicaret mentem suam, & voluntatem obligandi; quamvis non adderet in nomine Christi, aut in virtute obedientiæ. Abbatissæ verò, aut similes Superiores Monialium, quamvis non possint in virtute obedientiæ præcipere, aut in nomine Christi, cùm spirituali jurisdictione careant; si tamen in rebus gravibus ad domesticam gubernationem spectantibus præciperent sub maledictione æterna, obligabunt sibi subditas sub gravi: eo quia sic sufficienter explicant mentem suam, & voluntatem obligandi sub gravi. Ita Sanchez, & Castropalaus *loc. cit.*

8 Quæres 2. Quænam Legis promulgatio requiratur, ad hoc ut inducat obligationem sub gravi? Resp. promulgationem adeò essentialiter requiri ad Legem obligantem, ut sine ipsa nulla obligatio induci possit à Lege, ut constat ex tradita definitione Legis, & ex Leg. *Leges Sacratissimæ. Cod. de Legib. & ex cap.* 3. *dist.* 4. Promulgatio autem, seu publicatio Legis debet esse talis, quæ sufficiens sit, ad hoc ut possit pervenire ad notitiam Communitatis: ratio est, quia cùm Lex sit Regula Communitatis in suis operationibus, ideò non sufficit ad ejus promulgationem, quòd perveniat ad notitiam unius, vel alterius Personæ, sed Communitatis. Quapropter non sufficit, ad hoc ut Lex obliget, quòd solemniter constituta fuerit in Consistorio Pontificis, aut in Aula Imperatoris, Regis, vel alterius supremi Principis; si tamen in notitiam Communitatis non pervenerit; cùm adhuc non sit facta Regula communis. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. Sylvester, Navarrus, Vasquez, Azor. Molina, Rodriquez, Suarez, Layman, Filliucius, Sayrus, Valentia, Toletus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 6. contra Panormitanum, & alios. Nec id, quod dicitur *Cap.* 1. *de Postul. Præl.* scilicet ad Legem sufficere, ut solemniter edatur, aut publicè promulgetur; est contra statutam sententiam. Nam particula, *aut*, licèt disjunctiva videatur, revera est copulativa; & hunc sensum reddit, videlicet Lex obligat, si solemniter edatur, & publicè promulgetur. Nisi velimus dicere cum Suarez *lib.* 3. *de Legib. cap.* 16. *num.* 2. idem esse solemnem editionem, ac publicam promulgationem: quamvis solemnis editio respiciat Legislatorem, publica promulgatio subditos; adeoque non distinguuntur inter se, nisi ex terminis: sicuti per Philosophos actio, & passio non distinguuntur, nili ex terminis: cùm actio respiciat agens, & passio passum: & secundùm hanc doctrinam, & doctissimam responsionem particula, *aut*, idem sonabit, ac *seu*. Vide Bonacinam *loc. cit. num.* 6.

9 Promulgatio verò, ut sufficiens sit ad inducendam obligationem Legis, sat est, quòd fiat voce præconis; vel affigendo Legem scriptam in publico loco, ubi legi possit; aut alio eo simili modo juxta Regionum consuetudines, vel statuta. Nullatenus tamen requiritur, quòd intimetur singulis subditis, cùm hoc sit planè impossibile: nec Lex respicit singulas personas, sed quatenus constituunt unum corpus Communitatis; ita ut unum membrum successivè communicet alteri notitiam habitam. Sic ex Suarez, Molina, Layman, & Filiuccio docent Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 9. & Castropalaus *de legib. disp.* 1. *pun.* 10. *num.* 3. Non nego tamen, esse in arbitrio hominum uti hac, vel illa formula in Lege promulganda; ut ex Suarez, & Salas docet citatus Bonacina *num.* 8. Sicuti potest Deus efficere ex plenitudine suæ potestatis, ut Leges obligationem inducant absque promulgatione, sed per solam voluntatem Superioris exteriùs expressam, ac manifestatam; ut ex Salas, & Reginaldo habet idem Bonacina.

10 Ex dictis colligitur 1. non obligari ad Legem servandam antè publicationem eum, qui Legem scivit, vel quia interfuit ut Consiliarius in publico Regis Concilio; vel quia præsens audivit legem ibi statutam: ratio est, quia ante publicam promulgationem Lex non obligat: obligationem siquidem Lex humana inducit per promulgationem, quæ nondum facta est. Sic contra Panormitanum, & Reginaldum docent Suarez, & Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 10.

11 Colligitur 2. Revocationem Legis antiquæ ad hoc ut in conscientia obliget; debere eodem modo promulgari ac Lex: ratio est, quia ipsa revocatio est Lex; adeoque servanda erit eadem promulgatio, ut obligationem inducat, ac servata fuit in Legis promulgatione: maximè quia possessionem alterius Legis tollere debet; & res dissolvi debet per easdem causas per quas nascitur. Sic Azor. Vasquez, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 13. & Castropalaus *de Legib. disp.* 1. *pun.* 10. *num.* 5. Nec poterit Legislator Legem jam promulgatam revocare per actum internum suæ voluntatis, nisi exteriùs manifestet, & sufficienter publicet, ut priùs Legem ipsam publicaverat.

12 Colligitur 3. idem dicendum de interpretatione auctoritativè facta Legis: si enim Legislator, vel alius habens auctoritatem interpretari velit Legem jam latam, ut secundùm aliquem sensum accipiatur; debet Interpretatio sufficienter promulgari, ut vim Legis fortiatur: non enim poterit ut Lex obligare, nisi promulgationem ad Legem requisitam habeat. Idem dicendum de Epistolis, seu Rescriptis, ac Responsionibus Pontificum,

cum, & aliorum Principum Supremorum, quæ promulgatione posita vim Legis habent. Sic Suarez alios referens *lib. 4. de Legib. cap. 14.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 12.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 10. num. 4.*

13 Quæres 3. Quænam promulgatio requiratur in Legibus Civilibus? Resp. 1. Si Leges latæ fuerint pro pluribus Regnis, & Provinciis; publicatio fieri debebit in quolibet Regno, aut Provincia; & post duos Menses à publicatione facta incipit obligare lex in Provincia illa: nisi aliter expressè constet ex mente ipsius Legislatoris. Sic ex Authent. *Ut novæ Constitutiones*, colligunt communiter Doctores cum Sylvestro, Valentia, Layman, Navarro, Suarez, Bartolo, Baldo, Angelo, Armilla, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legibus disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 16.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 11. num. 3.* Quòd si Legislator de potestate sua absoluta velit omnes Provincias sibi subditas, ac Regna obligare unica promulgatione Legis in Curia facta; poterit quidem id efficere: cùm jure Naturæ sufficiens sit unica promulgatio Legis, nec aliunde tenetur Legislator stare Legibus Cæsareis. Nihilominus necessariò requiritur concedere tempus sufficiens, ut successivè in notitiam Communitatis perveniat, aliàs illam non obligabit. Sic Suarez, Salas, Valentia, Menochius, Navarrus, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 11. num. 4.*

Res. 2. si Leges latæ fuerint pro una tantùm Provincia, sive sint ab Imperatore, aut Rege, vel Magistratu ipsis subjecto; sufficit, ad hoc ut obligent, quòd promulgatæ fuerint in Civitate præcipua, nec requiritur bimestre ad obligandum, nisi aliter in ipsa Lege expressum fuerit: ratio est, quia neque ex jure naturali, neque positivo requiritur alia promulgatio facta in cæteris Civitatibus, aut Oppidis; ergo hæc tantùm sufficiens erit. Sic communis sententia cum Soto, Sylvestro, Valentia, Azorio, Salas, Sayro, Layman, quos referunt, & sequuntur *Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 16.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 11. num. 2.*

14 Quæres 4. Quænam publicatio requiratur in Legibus Canonicis, & Ecclesiasticis? Res. quamvis nonnulli Doctores docuerint, eodem modo publicandas esse Leges Ecclesiasticas, ac Civiles; nihilominus Communis, & vera sententia est, ac omnino sustinenda, quòd Leges Canonicæ sufficienter promulgentur per publicationem in Curia Romana factam; adeoque per talem pulicationem inducunt obligationem in omnes Christi fideles, ut eas servent; nec requiritur ut in singulis Episcopatibus publicentur; nisi aliter per ipsas Leges cautum fuerit: ratio est, tùm quia Summus Pontifex non tenetur servare modum in suis Legibus publicandis à Jure Civili præscriptum; tum quia multæ Leges Ecclesiasticæ Romæ tantùm publicatæ fuere, non verò alibi: sic sunt multæ Leges Decreti, Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extravagantium, nec non Bullæ Cœnæ Domini, Regulæ Cancellariæ, & similes, quæ Romæ tantùm publicantur; & tamen omnes Christi fideles adstringunt; ergo sola promulgatio Romæ facta Legum Canonicarum sufficiens est ad obligationem inducendam. Sic Panormitanus, Navarrus, Sylvester, Suarez, Azor. Salas, Vasquez, Menochius, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 12. num. 2.* Valentia, Reginaldus, & alii, quo refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 16.*

15 Hinc fit, Legem Canonicam Romæ promulgatam, si nullum tempus determinet; statim obligare Christi fideles, absque eo quòd transire debeat spatium duorum mensium: cùm Leges Canonicæ, ut diximus, non subjaceant Legibus Civilibus id statuentibus. Nec videri debet grave onus talis obligatio astantibus in remotis Regionibus: cùm non peccent non servando Legem illam, quamdiu ad ipsorum aures non pervenerit ejus notitia, & perdurant in ignorantia invincibili. Lex namque obligare nequit invincibiliter eam ignorantes: ut ex Medina, Soto, Panormitano, Felino, Suarez, Azorio, docet Castropalaus eos referens *de Legib. disp. 1. pun. 12. num. 6.* Quòd si ad eorum notitiam pervenerit promulgatio Romæ facta, etiamsi per miraculum, revelatione scilicet Divina, aut ope angelica, vel alio miraculoso modo; obligationem utique inducet in conscientia, & foro interiori, quidquid sit de foro externo: nam & est sufficienter promulgata, & est jam ipsis intimata. Sic Salas *de Legib. disp. 12. sect. 9. num. 34.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 18.* & 19. Quod etiam extendunt, & bene ad Leges Civiles sufficienter promulgatas; si notitia ita miraculosè contingat.

Quæres 5. An requiratur de necesse acceptatio Populi, & Communitatis, ut Leges sive Canonicæ, sive Civiles obligationem inducant? Res. 1. quoad Leges Canonicas, & Ecclesiasticas posse Pontificem, & alios Prælatos inferiores, qui à Pontifice facultatem accepere condendi Leges Ecclesiasticas, obligare fideles sibi subditos ad observantiam Legis latæ, etiamsi eam acceptare nolint, imò contradicant: ratio est, quia immediatè à Christo Domino data est Pontifici facultas condendi Leges Ecclesiasticas, non verò à Populo, aut Communitate: nec data est dependenter ab acceptatione Communitatis, cùm fuerit absolutè tradita, ut constat ex illis verbis: *Quodcumque ligaveris super terram &c. Pasce oves meas*; Ergo obligare poterit Communitatem absque ejus consensu. Sic contra Navarrum, & Valentiam docent Rodriquez, Vasquez, Reginaldus, Salas, Suarez, Filliuccius, Layman, Castro, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 13. num. 1.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 29.* 16

Res. 2. Ut de facto Leges Ecclesiasticæ obligent, non expectandus est consensus Communitatis, ejusque acceptatio; adeoque si tempus instat observandi illas, nemini licitum erit eas non observare sub prætextu, quòd non consenserit Communitas, aut Populus: ratio est, quia nullo jure constat, acceptationem, & approbationem Communitatis requiri ad naturam Legis: maximè quia potestas Legislativa Pontificia non pendet à Communitate, cujus approbatio si requireretur ad Legem, jam esset Conlegislator, quod non est dicendum. Insuper acceptatio, & approbatio Legis latæ vel debet esse à Communitate simul sumpta, vel singillatim accepta; si primum, falsum est, quia Communitas simul sumpta numquam approbavit, vel reprobavit Leges Ecclesiasticas; secundum est etiam falsum, quia in singularibus personis non residet extra controversiam facultas acceptandi, aut reprobandi Leges Ecclesiasticas: maximè quia nulla alia approbatio Legis, vel reprobatio habetur præter ejus observantiam, aut transgressionem. Sic Corduba *in quæst. lib. 4. quæst. 7.* Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. num. 4.* Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 3.* & omnes illi Doctores, qui sustinent, acceptationem Communitatis non esse necessariam ad obligationem Legis, nec posse tollere Legem, nisi ex consuetudine, de qua alibi, 17

Resp. 3. Quoad Leges Civiles, pro quibus major est controversia, eo quia Legislator sæcularis à populo immediatè accipit potestatem Legislativam; putasse nonnullos Doctores Abbatem, Felinum, Hostiensem, Joannem Andream, Covarruviam, Navarrum, Azorium, relatos à Castropalao *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 7. in fin.* necessariam esse ad earum obligationem Populi acceptationem. Nostra tamen sententia est, non esse necessariam, sed posse Principem sæcularem, supposita potestate à Populo collata ferendi Legem, illam condere, ac obligare Populum ad observantiam illius absque ejus acceptatione. Et quòd non possit id efficere Populus absque ulla causa, est definitum ab Alexandro VII, damnante Propositionem illam asserentem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla necessitate non recipiat Legem à Principe promulgatam*: adeoque certum est, & statutum, non posse Populum absque causa non acceptare Legem à Principe promulgatam. Quòd etiam cùm causa non possit, probatur ex eo, quia semelac Lex lata à Principe est justa, potest Princeps adstringere populum ad ejus observantiam, ac ad illam acceptandam; aliàs potestas Principis inefficax, & diminuta esset ad regendum populum: maximè quia Legislator posita promulgatione punit transgressores Legis, nec admittit excusationem, quòd non fuerit à Populo acceptata; ergo signum evidens est, non requiri ad obligationem Legis acceptationem Populi, nec dari in Populo facultatem non acceptandi Legem justam à Principe ritè promulgatam, esto ipse acceperit facultatem Legislatiuam à Populo, qui eam à se abdicavit, & in Principem absolutè transtulit. Sic Turrecremata, Zabarella, Gregorius Lopez, Castro, Joannes Medina, Salas, Vasquez, & Suarez, relati à Castropalao *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 8.* Sic etiam Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num.* 18

4. *num.* 29. referens Rodriquez, Reginaldum, Filliuccium, & Layman.

19 Aliud est, si lex jam promulgata à Principe de facto non sit usu recepta, ac desuetudine non acceptata; tunc enim per non usum, & desuetudinem cessat obligatio legis, ut habet communissima sententia, cui nostra non contradicit. Nam si consuetudo contraria legi promulgatæ, & receptæ illam tollere potest *ex Cap. ult. de Consuetud.* poterit pariter eadem efficacia tollere legem nondum receptam desuetudo, & non usus illius, maximè si completus, & perfectus sit. Requiritur tamen ad hunc non usum inducendum, quòd introductus sit vel à tota Communitate, vel saltem à Majori parte illius: eo quia consensus majoris partis Communitatis censetur consensus Communitatis *ex leg. Quod major. ff. Ad municipalem*: ut cum Panormitano & aliis docet Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. num.* . Quapropter si lex observetur à majori parte Communitatis, peccat minor pars eam non observans scienter. Sic Valentia, Azorius, Sayrus, Salas, Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 34.* Requiritur insuper, ut hic non usus, & desuetudo duret pro aliquo tempore, ut possit contra legem latam præscribere. Communiter hoc tempus ad Decennium extenditur, sive de reliquo non usus, & desuetudo procedat ignorante Principe, sive eo sciente: Decennium siquidem longum tempus reputatur *ex Gloss. recepta in Cap. ult. de Consuet. in 6.* & si sufficiens est ad impediendam obligationem legis receptæ, à fortiori sufficiens erit ad legem non receptam impediendam: quapropter Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. num. 12.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 10.* putant, minus tempus Decennio sufficere præcipuè pro lege Civili, etiamsi Princeps desuetudinem ignoret. Quòd si eam sciat, & non puniat transgressores; censetur tacitè in abrogationem legis consentire: & tunc brevissimum tempus sufficiens erit, uno scilicet, vel altero actu tolerato. Sic ex Suarez, Navarro, Azorio docet citatus Castropalaus.

20 Quæ dicta sunt de lege Civili, extenduntur etiam ad leges Canonicas, & Ecclesiasticas, sive per modum Statuti, sive Decretalis, aut Extravagantis traditæ sint: cùm pro omnibus militet par ratio. Leges siquidem, quæcumque sint, sub hac tacita conditione feruntur, ut vim habeant ulterius obligandi si fuerint usu receptæ à Communitate, ut constat *ex leg. de quibus, ff. de legib.* & docent Navarrus, Castro, Sà, Fumus, Valentia, Rodriquez, Filliucius, Azorius, Salas, Reginaldus, Sanchez, & Jurisperiti communiter, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. nu. 27.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 5.*

21 Communitas autem, ex cujus usu, vel non usu legis dependet ejusdem legis obligatio; non solùm est Communitas universalis complectens plures Communitates particulares, verùm etiam quælibet Communitas particularis ex se capax Legis: adeoque si Pontifex, Imperator, aut Rex legem ferat ad omnes Provincias sibi subditas; & aliqua Provincia, aut Civitas, aut major pars Provinciæ, vel Civitatis, sive ex ignorantia, sive ex scientia Legis legem latam non observet; reliqui ejusdem Provinciæ, vel Civitatis non peccant non observando legem; quia respectu talis Provinciæ, aut Civitatis non est usu recepta lex; quamvis obliget alias Communitates, & Civitates, in quibus stat in usu. Sic ex Gloss. *in Cap. Quòd Clericis, de For. compet.* docent Navarrus, Azorius, Salas, Valentia, Reginaldus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 33.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 5.*

22 Notandum 1. quòd si lex lata nimis dura sit, & gravis, aut consuetudini contraria, dummodo non prohibeatur ipsamet consuetudo, tunc poterunt à culpa excusari eam non observantes: ratio est, quia rationabiliter præsumi poterit, Legislatorem vel ignorasse difficultates illas, quas si scivisset, Legem non tulisset; vel ignorasse consuetudinem oppositam; aut intentionem non habuisse obligandi ad ejus observantiam, sed experiendi quid de lege lata Communitas senserit. Sic citatus Castropalaus *num. 12. in fin.* Hinc deducitur; non peccare eum, qui facit contra legem, nondum usu receptam; peccare tamen, qui intendit consuetudinem introducere contra Legem, jam usu receptam, & acceptam: ex quo patet, haberi magnum discrimen inter consuetudinem legi contrariam, & desuetudinem, seu non usum; ut ex Azorio notat Bonacina *disp. 1. de legib. quæst. 1. pun. 4. num. 40.*

Notandum 2. Si Communitas supplicationem fecerit, 23
aut appellationem ad Legislatorem ob Legem jam promulgatam revocandam; non poterit supplicatione, & appellatione pendente interim contra legem agere, ac si lata non fuisset: ratio est, quia habere sufficiens motivum ad supplicandum, vel appellandum ad legislatorem pro lege revocanda, non est habere sufficiens motivum ad transgrediendum: quia stare poterit, etiam attenta benignitate legislatoris, quòd validiores assistant rationes pro ea non revocanda; ergo pendente supplicatione, & appellatione licitum non erit contra legem agere jam latam: maximè quia certa est obligatio, dubia revocatio. Sic Suarez probabilius docet. *lib. 4. de legib. cap. 16. num. 8.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 13. num. 14.* Esto doctissimi Viri oppositam sententiam sustineant.

Notandum 3. quòd si Princeps, & legislator audita sup- 24
plicatione, & appellatione Communitatis taceat; probabilius est, quòd in tali casu censendus sit annuere petitioni factæ, & legis obligationem revocare juxta Regulam *Jur. in 6. Qui tacet, consentire videtur*: maximè cùm respondere teneatur. Nisi ex circumstantiis, & conjecturis constet, taciturnitatem illam legislatoris non dirigi ad revocandam legem; sed ad benignè, & suaviter pertrahendos subditos ad ejus observantiam, tunc etenim legis executio magis urgeret. Sic ex Suarez, & Salas docent Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 43.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 13. num. 15.*

Quæres 6. an ad obligationem Legis requiratur de 25
necesse scriptura, aut præcedens consultatio? Resp. extra controversiam esse, non requiri Scripturam ad Legem æternam, & naturalem, ut obligationem inducat; posito siquidem actu Divini Intellectus, & Voluntatis, quo obligare velit; jam inducta est obligatio saltem in actu primo, & satis intelligitur Lex æterna in suo esse constituta. Sicuti etiam posita cognitione honestatis, aut turpitudinis, lex naturalis obligans sufficienter intelligitur constituta. Reducitur ergo controversia vel ad legem humanam Canonicam, vel Civilem: quapropter Albericus, Salicetus, Archidiaconus relati à Felino *in Rubricis de Constitut.* Turrecremata alios referens *in Cap. lex, dist. 1. art. 2.* docuerunt, ad legem humanam de necesse requiri Scripturam: tum quia præceptum humanum ab homine scilicet in hominem directum non potest obligationem inducere, nisi sensibile sit; sed fit sensibile per scripturam; ergo necessariò requiritur scriptura; tum quia lex dividi solet in scriptam, & non scriptam: nam lex est jus scriptum, Consuetudo verò usu, non scriptura fit. Communis tamen Theologorum, & Canonistarum sententia est, ad legem constituendam non necessariò requiri scripturam, esto convenientissimum sit per scripturam tradi: ratio est, quia lex sufficienter fieri potest sensibilis, ac promulgari subditis voce, aut alio signo sensibili, etiam si non fuerit per scripturam expressè; ergo ad substantiam, & essentiam legis non requiritur necessariò, ut manifestetur scriptura: maximè quia nullo jure probari potest talis necessitas, imò tempore nascentis Ecclesiæ præcepta lata à Christo Domino, & ab Apostolis obligare cœperunt sola prædicatione, & publicatione illorum. Nec lex, prout distinguitur à consuetudine; dicit de necesse scripturam, sed quòd regulariter fiat scriptura, non semper. Consuetudo verò semper fit usu, non tamen scriptura. Non nego tamen; quòd si consuetudine, aut alia anteriori lege statutum fuerit, legem non inducere obligationem, nisi fuerit manifestata scriptura; tunc necessariò requiritur scriptura; sed hoc non provenit ex natura legis, sed ex vi consuetudinis, aut alterius legis præcedentis. Sic Suarez *lib. 1. de legib. cap. 11. in fin.* Azor. Selva, Valentia, Salas, Molina, Reginaldus, Becanus, Filliucius, Layman, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 7. num. 2.* & Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 49.*

Idem dicendum de prævia consultatione Virorum pe- 26
ritorum, & prudentum ante legis promulgationem: hæc enim licèt ex convenientia requiratur, non requiritur tamen ex necessitate: eo quia consultatio Prudentum est medium ad investigandam convenientiam legis ferendæ cum bono Communitatis; sed poterit legislator id attingere per se ipsum; ergo non necessa-

rio

rio requiritur : maximè quia si necessariò requireretur talis Consultatio, penderet legislator in ferenda lege, à Consultoribus; nec aliunde habetur jus aliquod præscribens ex necessitate Consultationem istam. Sic ex Suarez docet Castropalaus *l. c. num.* 5.

CAPUT VII.

De Subjecto Legum, seu Personis, quæ tenentur Legibus tam Civilibus, quàm Ecclesiasticis.

1 *Homo rationis compos, ac subditus est subjectum Legis.*
2 *Infideles, & Catechumeni nullis Legibus Ecclesiasticis tenentur.*
3 *Dormientes, Ebrei, Amentes, & Ignorantes invincibiliter Legem excusantur à transgressione Legis.*
4 *Pueri ante usum rationis non tenentur Legibus, secus tamen eo adepto, nisi fuerint exempti à benignitate Legislatoris.*
5 *Legislator non tenetur Legibus à se latis ex obligatione coactiva, sed tantum directiva, quæ quidem obligat sub levi. Tria advertuntur.*
6 *An Uxor Legislatoris teneatur Legibus à suo Viro latis?*
7 *An Peregrini, & Forenses teneantur Legibus loci, per quem transeunt?*
8 *An Peregrini, & Forenses teneantur Legibus patriis, dum alibi breviter commorantur, ubi non vigent? Resolvuntur nonnulli Casus particulares.*
9 *An existentes in loco exempto, quamvis intra Diœcesim, subjaceant legibus Diœcesis?*
10 *Quomodo vagi teneantur legibus, & Consuetudinibus locorum, ubi sunt?*
11 *Quomodo obligentur Clerici, & Religiosi legibus Civilibus?*
12 *Ut obligantur Clerici ad observationem legum Civilium statui Clericali non repugnantium; sic obligantur Religiosi, si statui religioso non repugnent.*

1 HOMO subditus rationis capax, & ejus compos est subjectum legis, juxta tenorem à lege præscriptum, & quidem quòd debeat esse subditus, patet ex eo, quia cùm potestas legislativa sit potestas Jurisdictionis, inde est, quòd exerceri nequeat, nisi in subditos. Quod autem debeat esse rationis capax, constat ex eo, quia transgressio legis debet esse ipsi imputabilis ad culpam, adeoque requirit advertentiam, & consensum, quæ sine usu rationis haberi nequeunt. Quòd denique debeat esse subjectus legi, & obligari ad eam juxta tenorem ipsius, claret ex eo, quia lex non potest magis obligare, quàm verbis suis explicet, obligat namque lex juxta intentionem legislatoris verbis declaratam. Et hoc innuere videtur D. Paulus *ad Rom. 3. Scimus, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur*; ubi breviter explicat, quòd homo subditus, capax rationis, juxta tenorem legis sit subjectum legis. Quam quidem sententiam, uti ex fide certam, docet Suarez *lib. 4. de legib. cap. 31. num. 4.* referens illud D. Pauli *ad Roman. 13. Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.*

2 Hinc fit 1. infideles, & Catechumenos nullis legibus Ecclesiasticis teneri, eo quia extra Ecclesiam sunt, nec in illos jurisdictionem ullam habet Ecclesia, ut constat *ex Cap. Gaudemus, de Divort.* quapropter non peccant non jejunando, aut diebus ab Ecclesia vetitis carnes comedendo: sicuti nec peccant illi; qui eis carnes porrigunt, & ministrant; ut habet Sanchez *in Decal. l. 1. c. 12. n. 14.* Tenentur tamen legibus naturalibus, & Divinis; cum Deo, & rationi subdantur, ut habent communiter DD.

3 Fit 2. Dormientes, ebrios, & amentes, ac ignorantes invincibiliter Legem excusari à transgressione Legis pro tempore dormitionis, ebrietatis, & amentiæ ac ignorantiæ: eo quia pro tali tempore carent libertate, & advertentia ad culpabilem transgressionem Legis requisitam. Per se tamen hi omnes Legibus afficiuntur, esto excusentur à culpabili transgressione per accidens: nam & sunt capaces rationis usus, quamvis pro eo tempore non utantur; & sunt subditi Legislatori, & Legem ad eos directam, quamvis actu non intelligant, intelligere tamen possunt, eique parere. Sic Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 12. nu. 3.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. numer. 4.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. punct. 24. §. 2. num. 2.* Adnotant tamen: quòd si amens, & ebrius comedant ex se carnes diebus vetitis, non peccant; porrigere tamen, & ministrare carnes talibus diebus ebrio est grave peccatum, secus tamen amenti: ratio disparitatis est, tum quia ebrius tempore ebrietatis non indiget carnibus, sed potiùs abstinentia ab illis, ut vinum digerat; amens verò indiget ob defectum boni humoris, & ne melancholicus magis augeatur, tum quia ebrietas brevis est, non sic tamen amentia.

4 Fit 3. Pueros ante usum rationis, qui communiter completo septennio advenit; non adstringi Legibus: ratio est, quia nondum capaces sunt usus rationis, in quo fundatur obligatio Legis. Quapropter non transgrediuntur Legem, si diebus vetitis lacticinia, & carnes comedant; si Monialium Claustra ingrediantur; aut tempore Interdicti Divinis Officiis intersint. Ut ex Azor. Salas, Sayro, Suarez, Sanchez, Medina, Sà, Henriquez, docent Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 6. numer. 6.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. punct. 24. §. 2. numer. 3.* Addit citatus Bonacina *numer. 7.* ex Navarro, Salas, Azorio, Henriquez, & Barbosa, non peccare Moniales introducentes pueros ante usum rationis in Monasterium, nec incurrere excommunicationem latam contra introducentes in Claustra personas alterius sexus. Quod etiam militare videtur pro Religiosis Viris introducentibus in sua Claustra puellas nondum attingentes rationis usum; nisi specjale præceptum impositum fuerit de illis non introducendis. In dubio tamen an usum rationis attigerint, præsumendum est attigisse, si septennium expleverint.

Pueri verò, qui usum rationis attigerunt completo septennio, etiamsi ad pubertatem non pervenerint; tenentur ad Leges Ecclesiasticas, aliud tempus expressè non præfigentes, ut evenit in jejunio; adeoque tenentur abstinere à lacticiniis, & carnibus diebus vetitis; audire Sacrum die festivo; & confessionem annuam facere: ratio est, quia adepto rationis usu jam capaces sunt obligationis, quam Lex humana inducit; sicuti capaces sunt obligationis Legis naturalis, & Divinæ pro eo tempore, & eadem ratio militat pro omnibus his Legibus. Sic rectè docent Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 36. sect. 2. num. 3.* Sanchez plures referens *lib. 1. Decal. cap. 12. num. 6.* Salas *de Legib. disp. 14. sect. 13.* Azor *1. par. lib. 7. cap. 2. quæst. 1.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 8.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 24. §. 2. num. 5.* Benignitate aliqua communiter utuntur Doctores, teste Castropalao *l. c. num. 6.* circa præceptum Communionis in Paschate, cujus obligationem prorogant usque ad decimum, vel duodecimum annum: eo quia regulariter pueri tali tempore habere non solent discretionem requisitam ad reverenter recipiendam Eucharistiam: maximè quia *in Cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remis.* remittitur temporis prorogatio judicio Confessoris, & consuetudine jam firmata sic observatur in Ecclesia.

Pueri, qui nondum pubertatem attigerunt; non adstringuntur Censuris, & pœnis Ecclesiasticis ab homine latis ex benignitate Matris Ecclesiæ, ut expressè habetur *in Cap. 1. de Delict. pueror.*, & *in Cap. Referente, eod. tit.* & docent Azor. Sotus, Vasquez, Corduba, Sanchez, Sancius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 23. §. 2. num. 8.* Quamvis communiter Doctores eos non excusent ab incurrendo Censuras, & pœnas à Jure latas. Nihilominus benignior sententia docet: solùm incurrere tales pueros excommunicationem à Jure latam ob percussionem Clerici propter ejus gravitatem, non verò alias censuras, & pœnas: eo quia sic deciditur *in Cap. 1. de Delict. pueror.* & odia restringenda sunt, non dilatanda: maximè quia eadem militat ratio pro Censuris, & pœnis ab homine latis, quàm à Jure. Adeoque Sancius, & Filliucius, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num. 9.* docent, pueros ante pubertatem omittentes confessionem, & Communionem in Paschate non incurrere excommunicationem ab Episcopo latam contra non confitentes in anno, & non communicantes in Paschate. Sicuti etiam docent Avila, Henriquez, Sancius, ab eodem Castropalao citati, pueros ante acquisitam pubertatem aliquem occidentes non incurrere irregularitatem: quamvis oppositam sententiam sustineant Sylvester, & Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 12. num. 8.*

5 Dubitabis 1. An legislator teneatur legibus à se latis? Resp. 1. non teneri ex obligatione coactiva, quatenus

tenus videlicet, incurrere debeat pœnam contra transgressores impositam : ratio est, quia nemo cogi potest à se ipso, ita ut simul sit agens, & patiens : adde, quòd Legislator est Superior ipsa lege imponente pœnam, & obligante subditos : cùm igitur legislator non sit subditus sui ipsius, non poterit actum jurisdictionis coativæ exercere, in seipsum, Sic statutum est *in leg. Princeps, ff. de legib.* ubi dicitur : *Princeps legibus solutus est*, & sic docent Suarez *de legib. lib. 3. cap. 35. num.* 15. Lessius *lib. 2. de Just. cap. 35. dub.* 5. Sylvester, Tabiena, Azor. Reginaldus, Valentia, Sayrus, Sotus, Vasquez, Salas, Filliuccius, Layman, penes Bonacinam *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num.* 18. Hinc deducitur, Pontificem percutientem Clericum non incurrere excommunicationem Canonis : ut habent Sayrus *lib. 3. cap. 9. num.* 5. Salas *de legib. disp. 14. sect. 2. num.* 30. & Bonacina *l. c. num.* 15. Nec teneri ad restitutionem fructuum perceptorum ex beneficio, si horas Canonicas non recitaverit : cùm spectet hæc restitutio ad obligationem coactivam sub pœna restitutionis, quæ à Pontificibus inducta fuit. Sic Suarez *de legib. lib. 3. cap. 35. num.* 20. Salas *l. c. sect. 3. num.* 32. & alii ; Nec invalidum esse testamentum Legislatoris, si sine solemnitate à se statuta hæredem instituat ; cùm censeatur dispensare in illa. Idem dicendum de aliis solemnitatibus à se præscriptis pro aliis contractibus : dispensare siquidem censetur in illis, nec alicui injuriam inferre : ut traditur *in Leg. Ex imperfecto. Cod. de Testamen.* Secus verò dicendum, si ipse Legislator instituatur hæres, vel Legatarius à suo suddito non servante formam à Legislatore præscriptam : tunc enim invalidus erit contractus cùm non præcesserit dispensatio ; ut deciditur il Legib. cit. & ex Suarez, Salas, & Bonacina docet Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 24. §. 1. num.* 8.

Resp. 2. teneri ex vi obligationis directivæ, quatenus videlicet Lex dirigit, quid faciendum sit sub culpa contra transgressores : ratio est, quia videtur fundatum in jure naturæ, quòd Legislator condens Leges universales respicientes materiam communem, & bono communi accommodatam ipse pariter cum subditis se illis conformet : ne aliud docere verbo, aliud exemplo videatur : nam Christus Dominus *Matth.* 25. reprehendit dicentes, & non facientes ; sicuti etiam alligantes aliis onera gravia, & importabilia ; cùm tamen nolint ipsi digito suo movere ea. Et D. Paulus *ad Rom.* 2. ait : *Qui alios doces, teipsum non doces ? prædicas non mœchandum, & mœcharis ?* Sic communis sententia cum D. Thoma 1. 2. *quæst. 96. art. 5. ad 3.* Navarro, Covarruvia, Suarez, Salas, Lessio, Azorio, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun.* 24. *§. 1. num.* 2. Adnotandum tamen cum cit. Castropalao, obligationem istam in Legislatore non oriri ex vi suæ Legis, sed potius ex Lege naturali, contra quam peccat, non verò contra suam ; licèt occasionaliter sit ex vi suæ Legis.

Controverti hìc solet : an ista obligatio directiva urgeat sub gravi, an verò sub levi ? sub gravi putant Sayrus, Vasquez, Sylvester, Covarruvias, Victoria, Sotus apud Bonacinam *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num.* 23. eo quia materiam gravem respicit. Sed probabilius dicendum, sub levi : ratio est quia etiamsi materia Legis gravis sit ; nihilominus Lex obligare nequit vltra intentionem Legislatoris ; ergo si Legislator nolit sibi tantam obligationem imponere sub gravi, uti prudenter præsumendum est ; non peccabit graviter, si Legem transgrediatur : maximè quia ex convenientia, honestate, & æquitate obligatur ; quæ non videntur ex se importare gravem obligationem. Sic Lessius, Azor. Vivaldus, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c.*, & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 24. §. 1. num.* 5.

Advertendum hìc 1. obligationem istam directivam urgere Legislatorem, quando Leges materiam universalem respiciunt, & accommodatam ipsi Legislatori : sic esset præscribere jejunium, diem festum, solemnitatem aliquam servandam in contractibus, taxam in vendendis mercibus &c. important enim Leges istæ materiam, quæ possit cum Legislatore accommodari. Secus tamen esset, si materia non esset accommodata Legislatori : ut si Legem ferret, ne quis arma noctu afferat, ne deambulet per Civitatem elapsis duabus horis noctis, ne faciat magnos sumptus in vestiendo, ne magna Palatia construat &c. tunc enim non tenebitur ad has Leges servandas, utpote non accommodatas ipsi Legislatori. Sic Suarez, Sotus, Vasquez, Lessius, Rodriquez, Salas, quos refert, & sequitur Bonacinà *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num.* 20.

Advertendum 2. Legislatorem, sive sit summus Pontifex, sive Imperator, aut Rex, vel alius Supremus Princeps ; non teneri ad Statuta particularia Provinciarum sibi subditarum, & ad Leges municipales Oppidorum, etiamsi ibi commoretur : ratio est, quia cum non solùm sit caput Provinciæ illius, aut Civitatis ; sed etiam aliarum, pro quibus Leges illæ non sunt latæ ; non est major ratio, cur conformare se debeat subditis Legem observantibus, quàm aliis subditis justè eam non observantibus : est enim Caput omnium, & hoc erit beneficium Capitis. Quod quidem intelligendum erit, etiamsi Leges illæ provinciales, aut Municipales fuerint ab ipso confirmatæ ; nam confirmatio non est pro tota sua ditione, sed pro parte illius. Dummodo tamen non fuerint confirmatæ pro Civitate, & Provincia suæ Principalis Residentiæ, & Magnæ Curiæ ; ubi potior ratio militat non præbendi ansam cæteris contemnendi Legem illam, quam accommodatam suæ Personæ supponimus ; ut rectè adnotat Suarez *de legib. lib. 3. cap. 35. num.* 14. Sic Felinus, Tiraquellus, Suarez, Salas, quos refert Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 24. §. 1. num. 6.*

Advertendum 3. Legislatorem, qui non ex se solo, sed simul cum Populo Legem condit ; teneri ad observantiam Legis latæ non solùm quad vim directivam, sed etiam coactivam ; ratio est, quia licèt Caput sit Communitatis, & Populi ; & jus habeat convocandi illum, & ferendi primum suffragium ; cùm tamen subditus sit toti Communitati, inde est, quòd teneatur ad observantiam legis, ut teneantur reliqui de Communitate. Sic, ut asserunt, Dux Venetus respectu Legum, ac Statutorum, quæ simul condit cum Senatu Veneto. Sic sunt Generales Religionum respectu Statutorum in Generali Capitulo conditorum, & similes. Ita Azor. Vasquez, Reginaldus, Salas, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num.* 22.

Dubitabis 2. An Uxor Legislatoris teneatur Legibus à suo Viro conditis ? Resp. ex se teneri, cùm ex natura rei subjecta sit illis, ac reliqui de Communitate. Præsumitur tamen exempta Privilegio ipsius Legislatoris ; decet enim Augustam hoc privilegio perfrui *ex Lege Princeps, ff. de Legib.* Sic Victoria, Sylvester, Cajetanus, quos refert Suarez *de Legib. lib. 3. cap. 35. num.* 28. Sayrus *lib. 3. cap. 4.* Salas *de Legib. disp. 14. sect. 3. num. 36.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num.* 10. & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 24. §. 1. num. 10.* 6

Dubitabis 3. An Peregrini, & Forenses teneantur Legibus loci, per quem transeunt ? Resp. segregando prius certa ab incertis. Nam certum est 1. obligari ad Leges loci illius, si Leges sint juris Communis, & ubique obligantes ; etiamsi in Domicilio Peregrini, & Forensis ex contraria consuetudine non obligent. Quapropter nequibit mediolanensis vesci carnibus, aut non jejunare quatuor diebus antecedentibus primam Dominicam Quadrageſimæ, si per alia loca transeat, ubi viget Jus commune jejunandi talibus diebus, nec vescendi carnibus. Idem dicendum de incola Castellæ, qui non poterit die sabbathi vesci intestinis animalium ; si per alia loca transeat, ubi Jus commune viget non comedendi carnes, quæcumque sint. Et ratio ulterior est, quia consuetudo illa est tantùm privilegium locale, non verò Personale ; adeoque Personæ extra locum illum eo frui nequeunt. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. num.* 27. Navarrus *in Sum. cop. 23. num.* 120. Sayrus *lib. 3. cap. 4. num.* 15. *dub.* 2. Salas *de Legib. disp. 14. sect. 4. in fin.* Sanchez mutans sententiam, quam alibi docuerat *lib. 1. Decal. cap. 12. num. 39.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num.* 55. referens Henriquez, Medinam, & Rodriquez. 7

Certum est 2. teneri ad Leges loci illius, per quem peregrinus, & forensis transit ; si observantia illarum Legum sit in bonum loci illius : adeo ut earum violatio vergat in ejus damnum, & injuriam ; nec advena ibi commorans detrimentum afferre debet incolis, in quorum bonum latæ sunt. Sic Lex prohibens mercium extractionem, vel longam moram peregrinorum in dicto loco ; utique observari debebit à peregrinis, & forensibus. Sic ex Panormitano, Reginaldo, Sanchez, Bartolo, Baldo, Suarez, Cavarruvia, & Salas docent Bonacina *l. c. num.* 13. & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 24. §. 3. num.* 7.

Cer-

Certum est 3. teneri ad servandas Leges statuentes solemnitates, & conditiones, pro contractibus celebrandis : adeoque si peregrinus contractum celebraverit in loco illo, non servatis solemnitatibus à Legibus loci præscriptis ; invalidus erit. Sic *ex Legib. si fundus Cod. de eviction.* docent Felinus, Bartolus, Jazon, Tiraquellus, Salas, Suarez, Sanchez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 51.* & Castropalaus *de Leg. disp. 1. pun. 24. §. 3. num. 3.* & quamvis Bonacina excipiat ex pluribus Doctoribus contractum dotalem celebrandum juxta statuta domicilii Viri, non verò juxta statuta loci, in quo initur. Mihi tamen arridet sententia Castropalai non admittentis hanc exceptionem à communi doctrina : eo quia nullo jure excipitur contractus iste, adeoque sequi debet naturam cæterorum contractuum celebrandorum juxta solemnitates loci, in quo fiunt. Nec eis favet Lex *Exigere, ff. de Judic.* quæ non loquitur de solemnitatibus in contractu requisitis, sed de exactione, & repetitione dotis. Vide Castropalaum *l. c. num. 4.* Quod dictum est de solemnitatibus requisitis ad contractum extendunt præcitati Doctores ad servandum pretium mercibus taxatum, ad solvendas gabellas, aliave onera, quæ contractibus adnecti solent ; cùm sequantur naturam contractuum.

Certum est 4. Peregrinos, & forenses accedentes ad aliquem locum, in quo habitare incipiunt animo, & intentione ibi perpetuo commorandi, vel saltem pro majori parte anni ; ut sunt Scholares, Procuratores in Curia, locantes operam suam ad longum tempus : teneri ad servandas Leges loci illius, ubi commorantur : ratio est, quia jam non sunt advenæ, sed incolæ acquirentes Domicilium, vel quasi Domicilium ; ergo obligantur ad Leges loci illius servandas. Statim enim ac aliquis habitare incipit in loco aliquo cum animo ibi perpetuò commorandi ; domicilium acquirit *ex Leg. Domicilium, ff. ad municipalem*, nisi habitatio, & animus ibi perpetuò manendi mutentur, cùm utrumque requiratur ad Domicilium contrahendum : nec deperditur per solam mutationem animi, sed utriusque partis ; sicuti non solùm contrahitur Domicilium per animum perpetuò manendi, sed etiam per habitationem. Non requirirur autem decennalis habitatio, aut habitatio pro majori parte anni ; sed animus tantùm, & inceptio habitationis, cùm cætera gratis requirantur. Sic Sanchez, Salas, Lessius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 39.* & Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 24. §. 3. num. 1.* Quòd etiam sufficiat ad inducendam obligationem servandi Leges loci animus commorandi ibi pro majore parte anni, & inceptio habitationis ; probatur ex eo, quia reputatur Domicilium quasi contrahere, qui assidua, & diuturna habitatione locum aliquem incolit ; sed habitatio, & animus perseverandi ibi pro majori parte anni censetur assidua, & diuturna habitatio ; ergo quasi Domicilium constituit. Sic Sanchez plures referens *lib. 3. de Matrim. disp. 23. num. 13.* Tiraquellus, Farinacius, multas Leges allegantes Molina, Lessius, Castropalaus eos referens *l. c. num. 2.* & Bonacina *l. c. num. 43.*

Certum est denique, teneri Peregrinos, & Forenses ad Leges loci illius, per quem transeunt ; si leges illæ etiam obligent in Domicilio proprio transeuntium : & ratio est, quia per observantiam legum loci illius non magis gravantur, quàm gravarentur in proprio Domicilio ; ergo non est caput, cur deobligari debeant ab observantia illa : maximè quia communis usus, & praxis ipsa jure gentium introducta sic præscribere videtur ; & oppositum docere esset absurdum : ut rectè habent Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. num. 15.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 12. num. 11.* Salas *de leg. disp. 14. sect. 4. num. 40.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 52.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 24. §. 3. num. 6.*

His suppositis, & segregatis respondeo ad propositum dubium : non teneri peregrinos, & forenses ad Leges particulares loci illius, per quem transeunt, aut ad consuetudines ; si nec Domicilium habeant, nec intentionem commorandi ibi pro majore parte anni, secluso tamen scandalo, & supposito, quòd lex illa particularis non fuerit lata à Superiore ipsorum Peregrinorum : ut si lata fuisset à Pontifice superiore omnium fidelium, & peregrini transeuntes essent fideles : ratio, qua moveor est ; quia ut leges obligent, requiritur jurisdictio in obligante, & subjectio in obligando ; sed peregrini, & forenses brevi tempore commorantes in loco illo non sunt subditi ; Ergo jurisdictio haberi nequit in illos, nec vis obligandi : maximè quia, ut rectè Farinacius probat *lib. 1. Praxis, quæst. 7. à n. 8.* nullus fit alteri subditus, nisi ratione Originis, Domicilii, aut delicti. Nec qui transit, aut brevi commoratur in aliquo loco, dicitur moraliter esse in illo loco *ex leg. Quæsitum, §. final. ff. de Legat.* ergo si moraliter dicitur non esse in illo loco, obligari nequibit. Sic Sanchez plures referens *lib. 1. Decal. cap. 12. num. 38.* Sayrus *lib. 3. cap. 4. num. 15.* Lessius *lib. 4. de Justit. cap. 2. dub. 7. num. 49.* Azor. *1. par. lib. 7. cap. 30. quæst. ult.* Toletus *lib. 6. Summ. cap. 5. num. ult.* Sancius *disp. 54. Select. num. 31.* Reginaldus *lib. 13. num. 171.* Medina *par. 2. quæst. 66. art. 5.* Sylvester *verb. Jejunium n. 7.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. n. 36. in fin.* Non nego suam probabilitatem opinioni oppositæ, quam sustinent doctissimi Viri, Navarrus, Covarruvias, Henriquez, Suarez, Salas, Vasquez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 24. §. 3. num. 11.* nihilominus probabiliorem puto nostram ex vi obligationis inductæ à lege ; quamvis insurgere possit obligatio ex vi scandali, quod sequeretur ex inobservantia legis : quapropter possent superiores loci illius procedere contra peregrinos, & forenses legem violantes, cum ratione scandali, vel alterius periculi, quod tenentur jure naturæ præcavere ; fiant subditi, & meritò puniri possint, ut ex *Cap. final. de For. Compet.* docent Sanchez, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num. 38.*

Dubitabis 4. An peregrini, & forenses teneantur legibus suæ Patriæ, quando commorantur ad breve tempus alibi, ubi tales leges non vigent ? Resp. negativè : ratio est, tum quia subditus Legislatoris in alieno territorio non est actu subditus illius, nec legislator habet jurisdictionem in alieno territorio ; tum quia legislator in ferenda lege ad bonum commune suæ Ditionis attendit, non verò alterius Ditionis, in qua nihil imperare potest. Sic ex Cap. *Ut animarum, de Constitut. in 6.* & *ex Cap. Anobis, de Senten. Excomm.* docet communis, & recepta sententia cum Sanchez, Covarruvia, Azorio, Suarez, Basilio de Leon, Lessio, Sayro, Salas, qui *disp. 14. de legib. sect. 5. num. 60.* refert ferè quinquaginta Doctores, Sylvestro, Henriquez, Graffio, Sà, Navarro, Reginaldo, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 59.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 24. §. 5. num. 1.* contra Paludanum putantem semper manere subditum peregrinum, & forensem etiamsi in alieno Territorio sit, adeoque obligari ad legem à suo Legislatore latam. Sed ratio allata *non* subsistit, eo quia licèt radicaliter subditus maneat, & veluti in potentia ; actu tamen non est subditus. 8

Extenditur doctrina allata à legibus Municipalibus, & propriis peregrini, & Forensis ad leges Juris communis ; si in eo loco, ubi reperiuntur ; non vigeant, quamvis vigeant in proprio Territorio. Hinc fit 1. peregrinos, & forenses accedentes Castellam posse vesci in Sabbatho intestinis animalium. Sicuti accedentes Mediolanum posse comedere carnes, nec jejunare quatuor diebus antecedentibus Dominicam primam Quadragesimæ. Idem dicendum de die festo, si ex aliqua consuetudine ibi non servetur ; in quo non tenentur audire Sacrum ; sive Festum sit Juris Communis, sive proprii Domicilii : & ratio est, quia Leges, & statuta cadunt supra personas existentes in loco, ubi usu sunt recepta, ac obligant ; non verò extra locum illum, ubi subditus reperitur. Sic patet *ex Cap. 1. per totum, de Constitut. in 6.* & docent Sayrus, Azorius, Sà, Suarez, Sanchez, quo refert, & sequitur Bonacina *de legb. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 61.*

Fit 2. Sacerdotem Græcum transeuntem per Ecclesiam Latinam posse in azymo consecrare ; sicuti Sacerdotem latinum transeuntem per Græciam posse conficere in fermentato, & accommodare se consuetudini loci : dummodo tamen Græcus transiens non celebret in aliqua Ecclesia græca, quæ fortè ibi reperiatur ; sicuti Latinus transiens non celebret in aliqua Ecclesia latina, quæ fortè in Græcia sit : tunc etenim debebit uterque juxta ritum suæ Ecclesiæ celebrare, cùm in tali loco lex urgeat. Sic Suarez *tom. 3. in 3. par. disp. 44. sect. 3.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 18. num. 10.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 5. num. 64.* & Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 63.* cum aliis.

Difficultas tamen major sita est in eo : an si peregri-

nus,

mus, & forenſis pergant extra ſuum Territorium, in quo lex viget, animo ſe eximendi ab illa; an inquam, poſſint tunc tali privilegio uti, quaſi in fraudem Legis? Et quamvis negativam ſententiam ſecuti ſint docti Viri, Petrus Ledeſma, Emmanuel Rodriquez, Rebellus, Salas, Sayrus, & Vaſquez relati à Caſtrepalao *de legib. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num. 3.* eo quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent, ut habetur *ex Cap. Sedes, Cap. Ex tenore, de Reſcript.* nec eis favere debet fuga è proprio loco animo nocendi, & faciendi injuriam Legislatori, & legi. Nihilominus affirmativam ſententiam ſequor, quæ communior eſt: quia lex illa non obligat incolas ad manendum in Territorio proprio, ſed ſi manſerint, legem ſervent; ergo ſi recedunt, utuntur jure ſuo; adeoque nec fraudem, nec dolum committunt, nec injuriam aliquam contra legislatorem, & legem. Non nego tamen, quòd ſi id fieret animo poſitivo contemnendi legem, & legislatorem, eſſet utique illicitum, ut patet: ſed noſtra ſententia tantùm docet, id fieri poſſe animo eximendi ſe ab obligatione legis, comedendi videlicet alibi, aut laborandi; ſi jejunium, aut ceſſationem ab operibus ſervilibus lex illa præſcribat. Sic Suarez *tom. 1. de legib. lib. 2. cap. 13. n. penult.* Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 12. num. 35.* Leſſius *lib. 4. de Juſt. cap. 2. dub. 18. num. 19.* Baſilius de Leon *lib. 5. de Matrim. cap. 9. num. 4.* Bonacina *de legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 6. num. 64.* & Caſtropalaus *l. c. num. 4.*

Hinc ſequitur 1. Exeuntem è proprio Territorio, ubi dies feſtus eſt, non verò in eo loco, ad quem pergit; non teneri audire Sacrum, antequam diſcedat; niſi fortè unum tantùm Sacrum celebretur pro eo tempore ante diſceſſum: quia tunc jam urgeret præceptum. & haberetur commoditas ſatisfaciendi illi; nec apparet ratio deobligationis, maximè quia ſic faciendum eſſet, etiamſi non haberetur diſceſſus. Secus verò eſſet, ſi plura celebranda eſſent Sacra uſque ad meridiem; quia tunc poſſet differre auditionem Sacri uſque ad ultimum, cùm non urgeat præceptum audiendi ſtatim; aliunde non tenetur remanere in loco illo, & non pergere ad alium, ubi præceptum non viget: nec tenetur prævenire, quia talis obligatio præveniendi tunc urget, quando manente vi præcepti eſt impediendus; ergo eximitur à tali obligatione. Sic Sanchez *lib. 1. Oper. Mor. cap. 12. num. 32.* Salas *diſp. 14. de legib. ſect. 5. num. 66.* Sancius in Select. *diſp. 54. num. 29.* & Caſtropalaus *de legib. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num. 8.* Non denego tamen ſuam probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, quam defendunt Navarrus, & Suarez.

Sequitur 2. Quod diſcedens ex alieno Territorio ubi jejunium non ſervatur, poſſit veſci carnibus ibi, etiamſi ſciat, ſe veſpere perventurum in proprium Territorium, ubi jejunium ſervatur: qamvis ſtatim ac pervenerit, tenebitur ad abſtinendum à carnibus, non verò ad jejunandum: cùm abſtinentia à carnibus ſit dividua, individuum verò jejunium, quod fractum eſt per comeſtionem. E contra tamen diſcedens è proprio Territorio, ubi jejunium ſervatur, abiturus in locum, ubi non ſervatur; non poterit in proprio Territorio veſci carnibus, cùm jam ibi vigeat præceptum; nec privilegium ſuperventurum deobligare poteſt à præcepto actu poſſidente in proprio Territorio. Poterit tamen manè jentare in eo. & ſerò prandere, ac carnibus veſci in alieno Territorio, ubi jejunium non viget. Sic Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 12. num. 34.* Leſſius *lib. 4. cap. 12. dub. 8. num. 57.* Salas *diſp. 14. ſect. 5. num. 68.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 32. num. 3.* Sancius alios referens *diſp. 14. de Jejunio. num. 27.* Quidquid in contrarium ſentiat Caſtropalaus *de leg. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num. 10.* ſequens Baſilium de Leon.

9 Quæres hic: an quæ dicta ſunt de alieno Territorio, extendi poſſint ad loca exempta, etiamſi intra Diœceſim exiſtant? Reſp. præmittendo priùs: Loca exempta dici illa, in quibus Judex Territorii, aut Diœceſis jurisdictionem exercere non poteſt: eo quia alterius Juriſdictioni ſubduntur, quamvis loca exempta intra Territorium, aut Diœceſim contineantur. Hoc præmiſſo, affirmativam ſententiam ſequor, uti communem: nam ſi loca illa exempta ſunt, non ſubjacent jurisdictioni ferentis legem, etiamſi intra Territorium illius exiſtant, niſi tantùm in caſibus à Jure expreſſis: ut deciditur *in Clemen. Archiepiſcopo, de Privileg. Cap. 1. de Privileg. in 6. & Cap. Unico, §. fin. de ſtat. Regul. in 6.* Sic. Suarez *lib. 3. de leg. cap. 32. in fin. num. 9.* Azor. *par. 1. lib. 5. cap. 25. quæſt. 4.* Salas plures referens *diſp. 14. de leg. ſect. 6. num. 85.* Bonacina *de leg. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 6. num. 65. in fin.* & Caſtropalaus *de legib. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num. 29.* Illud adnoto ex cit. Bonacina, quòd quamvis Superior non poſſit ſuum ſubditum obligare in loco exempto per Statutum, aut legem, quæ reſpiciunt perſonas, & locum ſuæ juriſdictioni ſuppoſita; poterit tamen per Sententiam, & præceptum, quæ tantùm reſpiciunt perſonas ſubditas, non locum.

Dubitabis 5. Quomodo Vagi teneantur legibus, & Conſuetudinibus Locorum, ubi reperiuntur? 10

Reſp. Vagos, qui videlicet nullam certam habitationem habent, ſed huc & illuc diſcurrunt; vel ſi domicilium relinquentes animo non redeundi aliud quærunt, & dum non inveniunt vagi dicuntur; teneri legibus, & conſuetudinibus locorum, ubi morantur: ratio eſt, quia ſic vagi exempti eſſent ab omnibus legibus, & Statutis Municipalibus, & etiam à Decretis Epiſcoporum; quod non videtur conſonum rectæ eorum gubernationi, nec bene proviſum eorum ſaluti æternæ; adeoque dicendum erit, adſtringi à legibus, & conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt, cùm Domicilium ſortiri debeant ex illa præſentanea habitatione, aliàs nullius domicilii eſſent, quod ut diximus, non expedit eorum æternæ ſaluti. Nec idem eſt de Peregrinis, & Forenſibus, cùm iſti proprium domicilium habeant, & adſtringuntur à legibus Municipalibus illius, & conſuetudinibus, eſto aliquando deobligentur; non ſic verò de Vagis, qui nullius eſſent domicilii, & nullis legibus particularibus adſtricti. Sic Sanchez, Suarez, Sotus, Reginaldus, Salas, Azor. Layman, Baſilius Ponce, Lorca, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 6. num. 54.* & Caſtropalaus *de leg. diſp. 1. pun. 24. §. 4. num. 3.* Hinc fit, vagum pro delicto alibi commiſſo puniri poſſe à Judice loci illius, in quo capitur: ut *ex Textu, & Gloſſa in leg. 1. Cod. Ubi de criminib. agi oportet*, docet Farinacius *lib. 1. Praxis, quæſt. 7. num. 13.* qui teſtatur, eſſe communem ſententiam.

Dubitabis 6. Quomodo obligentur Clerici, & Religioſi Legibus Civilibus? Reſp. Clericos, & Religioſos extra controverſiam obligari non poſſe Legibus Civilibus Eccleſiaſticam libertatem lædentibus, ac Sacris Canonibus repugnantibus: conſtat apertè *ex Cap. Eccleſia, Cap. Quæ in Eccleſiarum, de Conſtitution. Cap. Noverit, de Sentent. Excomm. cap. ult. de Immunit. Eccleſiar. in 6. cap. Quamquam, de Cenſib. in 6. cap. Diligenti, & cap. Significaſti, de For. Compet.* denique ex Trident. *ſeſſ. 25. cap. 20. de Reform.* Dubium ergo reducitur ad illas Leges Civiles, quæ conſentaneæ ſunt Statui Clericali, & rectæ gubernationi Civitatis maximè convenientes, ac communes Laicis, & Clericis; quamvis ipſos Clericos non exprimerent, nec bona Eccleſiaſtica: ut eſſent Leges taxantes pretia rebus venalibus, aut imponentes formam aliquam ſervandam in contractibus celebrandis; vel prohibentes extractionem mercium è Civitate, aut geſtationem armorum nocturno tempore, & ſimiles. Et quamvis Navarrus cum aliis apud Sanchez *in Oper. Moral. lib. 7. cap. 3. num. 19.* doceant, nec Clericos, nec Religioſos teneri ex vi directiva ad obſervantiam harum legum. Nihilominus communis ſententia docet, teneri ad obſervantiam illarum ex vi directiva eadem obligatione, qua tenentur laici, hoc eſt ſub mortali, non verò ſub veniali: ut putat Bonacina *de leg. diſp. 1. qu. 1. pun. 6. num. 33.* ratio eſt, quia ſi Clerici ſunt pars præcipua Civilis Reipublicæ; debent aliis præbere exemplum quoad talem obſervantiam: nec ulla apparet ratio, cur eorum obligatio minuenda ſit reſpectu obligationis Laicorum: maximè quia nec à Jure Divino, nec ab Humano eximuntur à politica gubernatione Reipublicæ non repugnante legibus Eccleſiaſticis, non à Jure Divino, cùm conſtet ex D. Paulo *ad Roman. 13. Quòd omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt.* Quæ verba explicans D. Chryſoſtomus *hom. 23. ad Roman.* extendit ad Clericos; ait ſiquidem: Etiamſi Apoſtolus ſis, Evangeliſta, Propheta, ſive quiſquis tandem fueris; nec enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio. Et paulò ante dixerat: Chriſtum Dominum non induxiſſe leges ſuas, ut politicas everteret. Non à Jure Humano Canonico, cùm potiùs *in cap. Si adjutorium, diſt. 10.* approbentur, imò præcipitur ſervari: ait enim textus, ſervandas eſſe leges civiles in his, quæ non ſunt contra Canones, nec præjudicant Clericis; ergo Clerici per ſe, & directè obligantur ex vi directiva, & quidem ſub mortali, ac Laici ad obſervantiam legum civilium. Sic Valentia, Sayrus, Suarez, Azor. Layman, uterque Molina, San-

chez, Filliucius, Bellarminus, Vasquez, Salonius, Rodriquez, Salas, Sà, penes Bonacinam *l. c. numer. 29.* & Castropalaum *de legib. disp. 1. punct. 24. §. 6. num. 1.*

Non obligantur tamen Clerici, & Religiosi ad has leges civiles servandas ex vi coactiva, & punitiva; cùm personæ Ecclesiasticæ exemptæ sint ab his ex Jure Canonico, quod tantùm approbat similes leges civiles quoad vim directivam; ut constat *ex cap. At si Clerici, cap. Clerici. cap. Qualiter, de Judic. cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. cap. Decernimus, de Re Judicat. cap. Sæculares, de For. Compet.* Et ratio est, quia nemo coerceri, & puniri potest ab eo, qui non habet jurisdictionem in illum: ut constat *ex leg. final. Cod. de Jurisdict. omn. Judic.* cum ergo Clericus, & quælibet alia Persona Ecclesiastica eximatur à Jurisdictione Principis laici, ut constat ex capitibus citatis; inde est, quòd obligari nequeat ex vi coactiva, & punitiva ad observantiam legum ab ipso conditarum, non solùm punitione, quæ delicto adnexa sit; sed etiam punitione requirente cognitionem causæ: ut ex Doctoribus citatis advertit Castropalaus *loc. cit. 7.* cùm semper hæc omnia facienda sint per Judicem Ecclesiasticum. Clerici siquidem exempti sunt à laica potestate quoad Tribunalia, Judicia, Tributa, & onera *ex cap. Quamquam, de Censib. in 6.* & ex aliis capitibus, & præcipuè ex Bulla Cœnæ Domini. Sed in hoc attendenda privilegia Principum, Vide Clericatum de Immunitate Ecclesiastica,

12 Quod dictum est de Clericis quoad observantiam legum civilium non repugnantium statui Clericali, intelligitur etiam de Religiosis; si prædictæ leges statui Religioso non sint repugnantes: nam nomine Clerici veniunt etiam Religiosi, & omnes, qui privilegio fori gaudent. Quoad tamen observantiam Constitutionum, & Præceptorum Episcopalium latorum pro Diœcesi, in qua Religiosi commorantur; si à Jurisdictione Episcopali exempti sint, ut ferè sunt omnes Religiosi nostri temporis, *ex cap. 1. de Privil. in 6.* & ex Trident. *sess. 25. cap. 12. de Regul,* tenentur præcipuè obedire sub præcepto in iis, quæ spectant ad observationem Festorum, Interdicti, & cessationis à Divinis; in reliquis verò sunt ut plurimum exempti. Nec eos urget debitum uniformitatis cum cæteris, præciso semper scandalo; eo quia aliæ obligationes, & onera, quæ statui Religioso adnectuntur, dant sufficiens motivum eos excusandi à tali uniformitate, ne nimis graventur in oneribus sustinendis. Sic Felinus *in c. Dilectus, de Offic. Ordin.* Suarez *de legib. lib. 4. cap. 20. in fin.* & Castropalaus *de leg. disp. 1. punct. 24. §. 6. num. 11.*

CAPUT VIII.

An Lex humana tam Civilis, quàm Ecclesiastica obligare possit sub peccato?

1 *Tam lex Civilis, quàm Ecclesiastica habet vim obligandi in conscientia, & sub peccato.*
2 *Omnes, & Singulæ leges vim habent obligandi in Conscientia.*
3 *Leges institutæ sine animo obligandi ad culpam, vel pœnam, in rigore nec leges, nec Præcepta sunt,*
4 *Idem dicendum de legibus, quæ propriè non sunt præceptivæ, aut pœnales; sed vel sunt Conventionales, vel Conditionales; aut Morales.*
5 *Quomodo dignoscendum, quando lex Civilis, aut Ecclesiastica obligat sub gravi.*
6 *Recensentur Capita ex quibus id dignosci possit. Et 1. ex Intentione legislatoris.*
7 *2. ex verbis ipsis præceptivis, quæ sub gravi usurpari consueverunt.*
8 *3. ex gravitate Materiæ, quæ præcipitur.*
9 *Quanam Materia censenda gravis, & quænam levis.*
10 *4. dignoscitur ex gravitate pœnæ impositæ contra violantes Legem.*
11 *Censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, quamvis non ipso Jure latæ contra transgressores Legis, sed ferendæ; sunt signum sufficiens obligationis sub gravi.*
12 *Pœnæ Temporales, & Corporales à Lege sive Civili, sive Ecclesiastica impositæ sunt signum obligationis sub gravi.*
13 *5. dignoscitur obligatio sub gravi ex Communi hominum existimatione.*
14 *An lex injusta obligare possit in Conscientia?*
15 *An leges à Tyranno latæ obligent in Conscientia?*
16 *Lex injusta ex parte Subditorum nullatenus obligare potest in Conscientia.*
17 *Non cessat obligatio legis fundata in præsumptione periculi delicti; si periculum cesset pro aliquo casu particulari, non verò absolutè.*
18 *Si ex rationabili causa in impositione Tributorum lex inæqualiter afficiat subditos; non ideò censenda erit injusta.*
19 *An lex humana obliget cum periculo cujuscumque gravis nocumenti?*
20 *An lex humana obliget, quando periculum vitæ non est annexum rei præceptæ à Lege; sed vel à natura, vel ab extrinseco incussum?*
21 *Traditur alia Regula dignoscendi prædictam obligationem.*
22 *Explicantur quæ objiciuntur ex Cap. Sacris, de his, quæ vi Metusve causa.*

QUAMVIS non defuerint, qui dixerint: Legem humanam sive Civilem, sive Ecclesiasticam (nam de lege Divina, & Naturali nemo est ausus dicere) non inducere ex se obligationem in conscientia, & sub peccato; nisi quatenus declarat, & proponit legem Divinam, quæ sola obligare potest in conscientia, & sub peccato: sic videntur sensisse Gerson *3. par. Tract. de Vita Spirit. lect. 4. alphab. 62.* & Almainus *de Leg. Civil. lib. de Potest. Eccles. cap. 12.* Nihilominus vera, & communis sententia est, tam legem Civilem, quàm Ecclesiasticam habere ex se vim, & efficaciam inducendi obligationem in Conscientia; itaut subditi transgredientes, & violantes illam peccent graviter vel leviter secundùm gravitatem, vel levitatem materiæ propositæ à lege: ratio est, quia Legislator humanus etsi in Civilibus potestatem regendi à Republica, & Communitate accipiat; attamen ipsa potestas regendi, quam Respublica transfert in Legislatorem; immediatè est à Deo. 1

Hinc Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & Conditores Legum justa decernunt*, & Sapien. 6. *Audite Reges; quoniam data est à Domino potestas vobis*; ergo contemnentes leges latas ab humano Legislatore sive Laico, sive Ecclesiastico Dei mandata contemnunt juxta illud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Conclusio hæc definita est tum à D. Petro 1. c. 2. *Subjecti igitur estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti; sive Ducibus tamquam à Deo missis in vindictam malefactorum, hæc enim voluntas Dei est.* Tum à D. Paulo *ad Titum. 3. Admone illos Principibus subjectos esse. Ad Roman. 13. Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ibidem: *Qui Potestati resistunt, Dei Ordinationi resistunt.* Sic D. Thomas 1. 2. *quæst. 96. art. 4.* Suarez *lib. 3. de leg. cap. 21. num. 6. & lib. 4. cap. 17.* Vasquez 1, 2. *disp. 138. cap. 2. & 4.* Bellarminus *de Summ. Pontif. cap. 15.* Castro, Navarrus, Sotus, Sanchez, Azor., Valentia, Sayrus, Salas, Reginaldus, Filliuccius, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 1. num. 1.* & Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 14. num. 2.* Et dictis potiori jure constat, posse obligare in Conscientia, & sub peccato subditos legem Ecclesiasticam, dicente Domino Matth. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ; & Farisæi; omnia, quæcumque dixerint, facite.*

Neque obstat: quòd peccatum sit contra Legem æternam Dei; ergo non contra legem hominum; ut habetur ex D. Augustino communiter receptò. Nam esse contra legem Dei non facit, quòd non sit etiam contra legem hominum: imò in casu nostro ideò est contra legem Dei, quia est contra legem hominum. Deus enim obligat servare legem ab hominibus latam, quia ejus nomine, & per potestatem ab ipso acceptam illam imponunt; adeoque utramque legem inseparabiliter violat, Divinam scilicet, & humanam, qui non obedit legi humanæ juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit.*

Sed quæres 1. an omnes leges vim habeant obligandi in conscientia? Resp. affirmativè: nulla siquidem lex esse potest, quæ vim obligandi non habeat: cùm enim lex, quam semper justam, & rationabilem supponere debemus, sit à Superiore, qua superior est, & facultatem habet, ac intentionem obligandi; ideò obligare debet. Percipi siquidem nequit, præceptum impositum esse subditis, & subditos non habere obligationem obediendi: quod semper intelligendum est secundùm gravitatem, vel levitatem materiæ impositæ in ordine ad 2

culpam.

culpam. Sic *in Cap. Omnis. dist. 3. & in leg. Legis virtus, ff. de leg.* & docet D. Thomas 1. 2. *quæst. 92. art. 2. ad* 1. quem communis sententia Theologorum, & Juristarum sequitur teste Castropalao *de leg. disp.* 1. *pun.* 14. *num.* 14.

3 Hinc est, quòd leges institutæ animo non obligandi neque ad culpam, neque ad pœnam, non sunt revera leges in rigore loquendo: cùm omnis lex utpote præceptiva obligare soleat ad culpam, vel etiam ad pœnam; & in hoc differt à Consilio, cum Consilium non inducat obligationem; itaut faciens contra Consilium non peccet; secus verò faciens contra legem, & Præceptum. Sic ex D. Thoma, Salas, Becano, Molina, Azorio, Filliuccio docet Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 2. *num.* 4. & 5. Quapropter Regulæ, & Constitutiones nonnullarum Religionum, ut sunt Patrum Prædicatorum, & Nostræ Societatis Jesu, quæ nec ad culpam venialem quidem obligant; in rigore nec leges, nec Præcepta dici possunt, cùm non ligent per vinculum obligationis. Quamvis nec pura Consilia possint dici, etsi res ad perfectionem spectantes respiciant: procedunt enim imperativo modo à Legislatore habente facultatem condendi leges, & præcepta imponendi in bonum commune ordinata, & transgressoribus pœna statuitur: quapropter quid medium erunt inter leges, & Consilia; & Regulæ, seu Ordinationes dicendæ erunt, quæ regulant, & ordinant ad bonum, demonstrando ea, quæ facienda sunt, & quæ vitanda: ut ex Sanchez, Suarez, & Bonacina docet Castropalaus *de leg. disp.* 1. *pun.* 14. *num.* 6. *in fine*.

4 Idem dicendum de illis Legibus, quæ non sunt propriè præceptivæ, aut pœnales; sed vel sunt conventionales, vel conditionales, aut modales: quando videlicet Legislator aliquid permittit, ea tamen conditione, & modo, ut qui aliquid facere voluerit, aut compertus fuerit aliquid facere; solvat tantam pecuniam vel amittat aliquid: e. g. qui voluerit triticum transferre, aut cedere ligna in communi nemore, aut tale armorum genus deferre; solvat tantam pecuniam; vel si compertus fuerit id efficere, deperdat triticum, ligna, arma. Hę inquam Leges conventionales, & modales, cùm non sint propriè Leges, quia non sunt præceptivæ, & pœnales saltem quoad primarium actum, qui permittitur, esto pœnales, & præceptivæ sint quoad gravamen impositum suppositoactu permisso; non obligant in conscientia: ut docent Sayrus, Salas, Filliuccius, Azor. Covarruvias, Sotus, Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 2. *num.* 5.

5 Quæres 2. Quomodo cognoscendum sit, legem sive Civilem, sive Canonicam obligare sub gravi? Resp. prę-mittendo priùs non solùm legem præceptivam obligare posse in conscientia sub gravi culpa, ut satis constat ex dictis; sed etiam pœnalem, quæ videlicet aliquid præcipit adjecta transgressoribus pœna. Et quamvis de lege pœnali non conveniant Doctores, ut conveniunt de Præceptiva: Navarrus siquidem, Jason, Decius, Gomez, & alii apud Lessium *lib.* 2. *de Justit. cap.* 33. *dub.* 8. *num.* 14. putant, legem pœnalem præsertim Civilem non posse obligare ad culpam gravem, quando contra transgredientes pœna tantùm temporalis, aut corporalis decernitur, etiamsi gravis sit, amissio bonorum omnium, aut capitis; nisi aliunde velit Legislator obligare sub gravi, quod constare debet; aut nisi habeatur scandalum, vel contemptus, ratio ipsorum est, quia dum Legislator solam pœnam exprimit, non expressa culpa gravi, ad quam obligare poterat; signum est, velle tantùm obligare ad pœnam, non verò ad culpam. Nihilominus vera, & communis sententia est, legem pœnalem obligare ex se sub gravi, vel veniali juxta gravitatem, vel levitatem materię, nisi aliud constet ex mente Legislatoris: ratio est, quia non solùm Lex præceptiva, sed etiam pœnalis continet præceptum; ergo non solùm præceptiva, sed etiam pœnalis obligat ex se sub gravi, vel levi secundùm gravitatem, aut levitatem materiæ: maximè quia pœna supponere debet culpam, quoties sub pœna prohibetur aliquod ab habente facultatem prohibendi. Accedit, quòd Scripturæ, & Patres meritò damnant violatores Legum humanarum, inter quas plurimæ sunt pœnales, ut constat *ex Cap. Imperatores*, 11. *quæst.* 3. ergo evidenter constat obligationem inducere sub culpa: imò Legislatores nolentes obligare snb culpa, id positivè exprimunt; ut patet in multis Sacris Ordinibus Regularibus; adeoque signum evidens est, quòd si non exprimatur, Leges Pœceptivæ, & Pœnales obligabunt ex se, & ex natura sua juxta gravitatem, aut levitatem materiæ impositæ, ex quo corruit ratio adversariorum. Sic Suarez, Toletus, Sayrus, Salon, Azor. Salas Filliuccius, Layman quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 2. *num.* 3. His præmissis

Ex variis capitibus dignosci poterit, quando Lex humana sive Civilis, sive Canonica obliget sub gravi. Et 6
1. quidem dignosci poterit ex intentione ipsius Legislatoris expresse obligantis sub gravi. Quamvis si sub gravi obliget expresse in materia levi, obligatio tantùm erit sub levi; non enim poterit sub gravi materiam levem præcipere, ad hoc ut actus valeat, sub levi censendus erit obligare: ut bene habent Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 25. *num.* 6. & Bonacina *l. c.* §. 4. *num.* 13. *in fin.* Quando verò absolutè legem profert non se explicando: an velit in conscientia obligare sub gravi, vel levi; tunc præsumendum erit, velle in conscientia obligare, sed juxta gravitatem, vel levitatem materiæ: nam Lex habet sibi adnexam obligationem in conscientia, quam dum non explicat Legislator sub mortali, vel veniali; explicabit materia ipsa: ut docent Sotus, Valentia Becanus, Sayrus, Reginaldus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 4. *num*, 2.

2. Dignoscitur ex verbis præceptivis, quibus Lex 7
humana fertur, & quæ sub gravi obligatione usurpari consueverunt, juxta ea, quæ alibi diximus. Et quamvis nonnulli Doctores putent cum Medina, Castro, Navarro apud Bonacinam *l. c. num.* 6. hoc tantùm valere in lege Ecclesiastica, non verò Civili. Nihilominus communis, & vera sententia docet, valere pro utraque lege: & ratio est, quia secus numquam constare posset, quando Lex Civilis obligaret sub quavis, cùm ferè numquam utatur hoc verbo, *sub* mortali; sed tantùm verbis præceptivis; ergo verba præceptiva graviter ex se obligant tum in Lege Ecclesiastica, tum Civili. Et quamvis Legislator possit in materia gravi obligare sub levi, ut docent Suarez *lib.* 3. *de Legib. cap.* 27. *num.* 52. & alii; attamen communiter solet se accomodare materiæ adhibendo verba præceptiva; ita ut nisi expresse declaret; se velle obligare sub levi, semper intelligendum erit, velle obligare sub gravi. Sic ex Sylvestro, Suarez, & aliis apud Vasquez, & Salas docet Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 4. *num.* 6.

3. Dignoscitur ex gravitate materiæ, quæ præcipitur: 8
ratio est, quia cùm omnis recta ratio dictet, ad mortalem culpam requiri materiam gravem, & ad venialem culpam materiam levem, ut constat ex præceptis impositis à Deo Supremo Legislatore; inde est, quòd idem præsumendum erit de Legislatoribus humanis, quos in ferendis legibus, præsumendum est, hanc legem servare, nisi expresse constet oppositum. Sic Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 25. *num.* 2. Sà *verb. Præceptum. num.* 1. *& verb. Lex. num.* 3. Vasquez 2. *par. disp.* 158. *cap.* 4. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 4. *num.* 13. referens Valentiam, Salonium, Salas, Reginaldum, Azorium, Becanum, Sayrum, Filliuccium, & Layman.

Quænam verò materia censenda erit gravis, vel le- 9
vis; non potest sub certa regula comprehendi, sed necessarium erit prudentis judicium: non enim sufficit, materiam secundùm se solam inspicere, & veluti nudè acceptam; sed etiam considerandæ erunt circumstantiæ scandali, damni communis, periculi violandi vota, & similia. Finis quoque, quo Legislator adductus est ad legem condendam: quapropter si materia valde repugnat fini à Legislatore intento, gravis erit; si non multùm repugnet, levis erit. Hinc fit, quòd materia, quæ gravis censetur respectu unius præcepti; levis esse poterit respectu alterius, si ad ejus finem non multùm opponatur. Sic Vasquez, Sanchez, Suarez, Salas, Azor. Valentia, Sayrus, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 4. *num.* 15. *&* 22.

4. Dignoscitur ex gravitate pœnæ, sive de cætero 10
pœna Spiritualis sit, sive Temporalis, & Corporalis: ratio est, quia pœna proportionem habere debet cum delicto; ergo si pœna gravis est, gravem culpam supponere debet; & grave delictum: secus injusta lex esset, utpote gravem statuens pœnam pro delicto levi. Hinc deducitur, in pœnis spiritualibus excommunicationem majorem ipso jure latam signum esse gravitatis materiæ, & obligationis sub mortali observandi legèm, non verò excommunicationem minorem, quæ pro levi

culpa contrahi potest ; secus verò si pro gravi contrahatur . Idem dicendum de suspensione , Interdicto , depositione reali , aut Verbali, Degradatione , Privatione Sepulturæ à Jure latis , si pœnalia sint , & grave opus , seu officium per ipsa interdicatur : nam si Suspensio , & Interdictum essent de re levi , & ad breve tempus ; non essent indicium gravitatis materiæ , ut dictum est de Excommunicatione minori , Pariter discurrendum est de Irregularitate ex delicto . Ratio est , quia omnes istæ pœne spirituales gravissimæ sunt , & numquam imponi consueverunt ab Ecclesia , nisi ob gravem culpam ; ergo sunt evidens signum observandi legem sub mortali . Sic Suarez *lib. 3. de legib. cap. 26. num. 4. & lib. 4. cap. 18. num. 14.* Sanchez *lib. 6. Decalog. cap. 4. n. 54.* Angelus *verb. Lex. nu. 3.* Vasquez *disp. 158. cap. 5. n. 48.* Salas *de leg. disp. 10. sect. 9. num. 54.* Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 15. num. 4. & 5.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 4. num. 30.* referens Sayrum , Valentiam , Becanum , Navarrum , Sylvestrum , Armillam , Sotum , & Paludanum .

11 Quòd si Censuræ , & pœnæ Ecclesiasticæ non sint ipso jure latæ , sed ferendæ contra transgressores legis ; quamvis nonnulli Doctores putent , non esse signum sufficiens obligationis sub gravi , quibus favere videtur Castropalaus *l. c. num. 3.* Nihilominus , ut ipse testatur , plures Doctores affirmant , esse sufficiens signum transgressionis sub gravi ; & ratio est , quia jam ponitur ab ipsis transgressoribus sufficiens materia , ut possint gravissima pœna affici pro delicto commisso , esto sequantur monitiones ad desistendum ab incœpto , & ne nova materia ponatur , quæ sit pœna digna . Nisi tamen constet , ad terrorem tantùm appositam fuisse , & non animo infligendi illam sine ulla monitione ; & sic passim usurpari à Judicibus Ecclesiasticis putat Sanchez *lib. 6. Decal. cap. 4. num. 50.* Imò generaliter si ex consuetudine , & usu trina monitio semper requiratur ad ferendam excommunicationem , illam non esse signum sufficiens obligationis sub gravi , docent Castro , Vasquez , Henriquez , quos refert , & sequitur Castropalaus *de Legib. loc. cit.*

12 Deducitur quoque : in pœnis temporalibus , & Corporalibus , sive à Lege Civili impositæ fuerint , sive ab Ecclesiastica ; si graves revera sint , sub gravi inducere obligationem servandi legem ; quapropter sic obligabit lex lata sub pœna Capitis , & mortis , mutilationis , damnationis ad triremes , vel ad excavanda metalla , aut alterius servitutis , perpetui carceris , exilii , amissionis aliquorum bonorum quæ ad quinquaginta aureos extendunt , aut bonorum omnium , infamiæ , privationis publici Officii , & similium : ratio est , quia istæ pœnæ cùm graves sint , gravem culpam supponere debent , aliàs leges latæ injustæ essent ; ergo gravem inducunt obligationem vitandi illas , & servandi Legem . Sic Sylvester , Armilla , Azor. Toletus , Carbon , Medina , Aragonius , Salon , Rodriquez , Sanchez , Covarruvias , Salas , Bonacina , quos refert Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 15. num. 7.* licèt ipse non sequatur , putans *num. 12.* sequens Navarrum , & Reginaldum : nullam pœnam temporalem esse sufficiens indicium obligationis sub gravi ad actum à lege præceptum ; sed mihi videtur ardua sententia . Non nego tamen id , quod rectè adnotat Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 4. num. 29.* ex Salas , & Suarez , quoties gravis pœna lata est ad terrorem in materia levi , ut esset sub pœna mortis prohibere venationem aliquam leporum , cervorum , & similium ; aut aliquam piscationem sine præjudicio proximi ; vel deferre genus quoddam vestium &c. non esse sufficiens indicium obligationis sub gravi ; quia cùm materia ex se levis sit , nec pœna proportionata culpæ ; rectè præsumitur , Superiorem velle tantùm terrorem incutere , non verò obligationem inducere .

13 5. Dignoscitur observantia legis sub gravi ex communi hominum existimatione putantium legem ita obligare : cùm non sit ita de facili præsumendus error in communi hominum sensu . Insuper ex consuetudine approbante obligationem sub gravi : cùm consuetudo vim legis habeat , & possit obligationem sub culpa inducere ; ut docent Valentia , Reginaldus , Cajetanus Navarrus , Toletus , Sayrus , Filliuccius , quos refert , & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 4. num. 24.* Denique ex acceptatione Communitatis sub gravi : Lex siquidem obligat , quatenus recipitur , ac usu comprobatur . Et sicuti diximus , etiamsi Legislator legem ferens intendat obligare sub gravi , sed ex communi usu non recipiatur , ut obligans sub culpa gravi ; utique non obligabit sub gravi , ita etiam si legislator non intendat obligare sub gravi , sed communiter acceptetur sub gravi obligatione ; obligabit quidem sub gravi lex ab eo lata . Sic Bonacina *l. c. num. 25.* referens Valentiam , Sanchez , & alios .

Quæres 3. An lex injusta obliget in Conscientia ? 14
Resp. injustitiam legis , aut Præcepti tripliciter evenire posse . 1. ex parte rei præceptæ , si videlicet repugnet bonis moribus , & legi Divinæ , & Naturali res à lege humana imperata , cùm vitium præcipi nequeat , nec virtus prohiberi ; aut si adversetur bono communi , quod lex respicere debet . 2. ex parte legislatoris , si scilicet feratur à non habente potestatem ; aut si potestatem trascendat , & excedat : lex siquidem debet esse ab habente potestatem , & jurisdictionem . 3. ex parte subditorum , si videlicet imponatur onus improportionatum causæ : ut si Princeps necessitate superveniente imponat subditis tributum excedens graviter necessitatem causę supervenientis ; aut si deficiat fundamentum , & ratio , ob quam lex imponitur , etiamsi fundetur in falsa præsumptione legislator contra rei veritatem , notam tantùm illis , contra quos lex fertur ; quamvis injustitia legis esset tantùm materialis in tali casu .

Jam verò si lex injusta sit ex parte rei præceptæ , clarè constat , nullam inducere obligationem in conscientia , cùm nequeat dari obligatio ad committendum peccatum ; & sic esset , quando res præcepta repugnaret bonis moribus ; idem esset , si adversaretur legi naturali , & Divinæ , cùm Lex humana sit participatio ipsarum , adeoque nequit illis esse contraria ; maximè quia magis præstat obedire Deo , quàm hominibus . Denique si adversaretur bono communi , etiamsi quod præciperetur , malum non esset ; attamen non esset tunc obediendum legi ; quia lex non esset , utpote non respiciens bonum commune ; Legislator siquidem potestatem accipit à Christo Domino , si sit Ecclesiasticus in ædificationem , non destructionem Ecclesiæ ; si verò Civilis sit à Republica in bonum commune , non verò in damnum , & in commodum ipsius Reipublicæ . Sic Doctores passim .

Si verò lex injusta sit ex parte Legislatoris quia potestatem non habet , vel excedit limites suæ potestatis in lege ferenda ; nec obligationem inducet in Conscientia : ratio est , quia deficit id , in quo fundatur obligatio , nempè potestas in Superiore : debet enim Lex , ut obligationem inducat , esse à Superiore habente potestatem , & jurisdictionem , ut in principio diximus , & Doctores omnes testantur .

Hæc occasione controverti solet ; an Leges à Tyranno latæ obligent in conscientia ? Pro qua decidenda sciendum est , Tyrannum alium esse talem injusta usurpatione Regni alieni ; alium verò dici talem , non quia injustè regnum possideat ; sed quia injustè subditos aggravat , & vexat , vel bonis spoliando , aut onera importabilia imponendo . Si Tyrannus talis sit injusta alterius Regni usurpatione , & Regnum pacificè possideat , ac Respublica eum toleret non resistendo illi virium defectu ; obediendum utique erit legibus , & sententiis ab eo latis ; ratio est , quia præsumitur potestatem habere à Republica tolerante , nec valente eum à Regno expellere ; aliàs omnia confunderentur , & perturbarentur ; & aliunde aliqua potestas necessaria est ob rectam Reipublicæ gubernationem , & cùm alia non detur , huic obediendum erit . Sic Lessius *lib. 2. de Just. cap. 29. dub. 9. num. 70.* Salas alios referens *disp. 10. sect. 3. num. 14.* Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 15. num. 10.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 3. num. 12.* referens Salonium , Bannez , Aragonium , Victoriam , & Medinam . 15

Nec obstat , quòd sic Tyrannus non peccaret condendo Leges , & Sententias ferendo servato juris ordine ; insuper quòd ejus acta essent valida : & tamen ex *Leg. Barbarius ff. de off. Prætoris* , acta per intrusum , & non verum Judicem non sunt valida . Non inquam obstat : quia Tyrannus licèt peccaverit usurpando Regnum ; nihilominus semel ac velit in Regni usurpatione persistere , obligatur ad jus dicendum subditis petentibus illud : tunc enim potestatem accipit ab ipsa Communitate petente , & tolerante ; quæ supposita violenta occupatione liberè , & non coactè concedit facultatem dicendi jus : maximè quia usus potestatis illius potiùs vergit in bonum Communitatis , quàm ipsius Tyranni .

Nec

Nec ejus acta sunt invalida : nam adest verus titulus comprobans, & firmans illa ; immò per ipsam Legem citatam sufficit ad comprobandum acta titulus coloratus, & error communis. Sic Aragonius, Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 3. num. 13.* qui etiam docent : Ministros à Tyranno constitutos validè, & licitè judicare, & sententias ferre. Sic etiam Castropalaus *de legib. disp. 1 pun. 14. num. 11.*

Si verò Tyrannus sit talis non injusta Regni usurpatione, sed injustè subditos opprimendo, & vexando; utique obediendum erit ejus legibus, & sententiis justis; nam si injustæ sint ex alio capite non erit obediendum : & ratio est, quia hic Tyrannus ob solam administrationem, & regimen revera justè Regnum possidet ; ergo non est caput, cur obediendum non sit, supposita legum justitia, & Sententiarum. Sic passim Doctores.

16 Si denique lex *sit injusta* ex parte subditorum, eo quia cesset fundamentum, & ratio imponendi illam, nullatenus obligabit in conscientia : eo quia obligatio ad servandas leges, & præcepta tota desumitur ex hoc fundamento, & ratione, quibus cessantibus corruit obligatio servandi leges, & præcepta. Hinc fit, quòd lex fundata in præsumptione alicujus facti, & delicti, si tamen veritas cum tali præsumptione non conveniat ; non poterit ullatenus obligare in conscientia, etiamsi Superior insistat pro observatione legis latæ, aut præcepti, ignorans veritatem non convenire cum præsumptione : cùm enim tunc cesset finis adæquatus legis, & præcepti, evidenter constat, cessare debere eorum obligationem. Sic qui Matrimonium cum impedimento dirimente contraxit, etiam si cogatur à Judice nesciente illud sub excommunicatione ad debitum reddendum ; non obligabitur in conscientia ad reddendum illud ex *Cap. Tua nos, Cap. Is, qui de Sponsal. & Cap. Inquisitionis, de senten. excomm.* Qui privatus est officio, quia descendit à Patre damnato injustè, ut criminoso; si ei veritas constet de injustitia damnationis, poterit in foro conscientiæ uti officio, ac ejus lucra percipere : cùm non teneatur stare sententiæ illi, utpote fundatæ in falsa præsumptione : ut ex Basilio de Leon, & Rodriquez docet Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 14. num. 12.* Qui cogitur solvere convictus per falsos testes, cùm revera debitor non sit ; poterit in foro Conscientiæ occulta compensatione uti ; cùm injuria illi illata sit, quamvis non præsumatur in foro externo, & sententia lata fundatur in falsa præsumptione. Sic Azor. Vasquez, Sayrus, Suarez, Navarrus, Valentia, Salas, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *loc. cit.* & Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 3. num. 1. in medio, & num. 6.*

17 Secus verò dicendum, si præsumptio fundetur in periculo delicti : quamvis enim periculum cessare possit, & de facto cesset *in aliquo casu particulari* quia tamen non cessat absolutè, & generaliter; inde est, quòd non cesset obligatio legis, & præcepti, quæ fundatur in præsumptione talis periculi. Sic leges irritantes nonnullos contractus sine aliquibus solemnitatibus celebratos ob fraudes cavendas, & pericula ; ut sunt obligatio Minoris, & Pupilli, sine authoritate Tutoris, Judicis, &c. donatio Uxoris facta Marito ; obligatio dotis, aut renunciatio ipsius, aut legitimæ ; confessio Testamenti; electio; alienatio bonorum Ecclesiæ, & similia, quæ solemnitates à Jure requisitas exposcunt, ut valida sint, ob pericula, & fraudes vitandas, quæ passim occurrere solent; etiam si certò constet, in aliquo particulari casu non occurrere ; non ideò contractus erit validus, aut Lex irritans non obligabit in tali casu. Nam præsumptio Legis non fundatur in delicto, quod non decernit adesse, cùm revera non adsit ; sed in præsumptione periculi, quod ex natura rei esse potest, esto *non sit in tali casu particulari*. Hac de causa prohibentur, & irritantur Matrimonia clandestina, Professiones Religiosæ ante decimum sextum annum expletum; etiam si cessent in casu particulari ea pericula, ob quæ tales Leges latæ fuere: cùm semper verum *sit* dicere, *res* periculosas esse. Sic Suarez, Salas, Vasquez, Covarruvias, Sanchez, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 3. num. 10.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 14. num. 13.* qui addit ex Basilio de Leon, & Rodriquez præceptum latum à Superiore non ingrediendi cubicula Monasterii ob aliquod incommodum adhuc urgere, etiamsi ingressus fiat absque periculo talis incommodi.

Adnotandum hìc, Legem inæqu liter afficientem sub- 18
ditos in impositione tributorum, & vectigalium; si ex rationabili causa id fiat, non ideò judicandam esse injustam ex parte rei præceptæ, adeoque non obligare : nam omnis æquitas exposcit, ut pauperes, rurales, plebeji minùs graventur præ Nobilibus, divitibus, ac Mercatoribus, & in casu dubio semper præsumendum erit, adesse legitimam, & rationabilem causam. Quòd si *vectigal*, & *tributum* Communitati impositum sit ex parte justum, ex parte injustum ; tunc Lex illud imponens non censenda erit absolutè injusta, sed tantùm ex parte: & secundùm eam partem non obligabit, quamvis obligabit secundùm partem justam: eo quia non vitiatur utile per inutile, ut docent Suarez *de legib. lib. 1. cap. 9. num. 26.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 3. num. 3.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 14. num. 14.*

Quæres 4. An Lex humana obliget cum periculo cuiusc- 19
cumque gravis nocumenti ? Resp. extra controversiam esse, Legem humanam sive Civilem, sive Ecclesiasticam obligare posse ad actum, cui adnexum sit periculum vitæ. Sic Princeps poterit præcipere militibus, ne à statione sibi designata discedant, etiamsi instet periculum mortis; & milites tenentur obedire, & subire periculum illud ob bonum commune, quod prævalet privato bono. Idem dicendum de Superiore Ecclesiastico, qui poterit præcipere Parocho administrare Sacramenta peste infectis, etiamsi instet periculum propriæ vitæ, & vitam ipsam amittere debeat propter bonum commune; & Parochus obedire tenetur. Sic Suarez, Vasquez, Salas, Becanus, Sanchez, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 8. pun. 2. num. 11.* & Castropalaus *de Legib. disp. 1. pun. 16. num. 1.* referens Covarruviam, & Sotum.

Controversia igitur est: An lex humana obliget, quan- 20
do periculum vitæ non est adnexum rei à lege præceptæ ; sed à natura incussum est, vel ab extrinseco ad desistendum à re per Legem præcepta. Et quidem aliquando metum mortis, aut alterius gravis damni excusare ab observantia legis humanę, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis; aliquando verò non, indubitatum est penes Doctores. Difficultas tamen sita est in assignanda Regula obligationis observandi talem legem, aut deobligationis; cùm infinitum sit, omnes casus particulares in hac materia enumerare. Igitur Vasquez, Becanus, Suarez, Layman, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 8. pun. 2. num. 6.* hanc regulam desumendam docent ex gravitate boni, vel damni communis: si videlicet observantia legis humanæ utilior est bono Communi Reipublicæ, aut Religionis, quàm conservatio vitæ, aut immunitas ab altero gravi damno ; vel si violatio legis plus damni afferat bono communi, quàm amissio propriæ vitæ, aut aliude grave damnum subire ; tunc non deobligabunt ab observantia legis. Secus verò si ex observantia legis, vel ejus violatione non sequatur majus bonum, vel damnum Communitati, quàm sit vita subditi, aut ejus grave damnum; tunc deobligabunt ab observantia legis humanæ. Quodnam verò grave damnum, cujus periculum extra amissionem vitæ fit sufficiens ad deobligandum, & excusandum à violatione legis humanæ, non potest certò definiri, sed relinquitur considerandum judicio prudentis viri, qui spectata gravitate præcepti, & periculo damni prudens judicium ferre debet: cùm enim unum præceptum strictiorem inducat obligationem præ alio ; ideò majoris damni periculum requiritur pro uno præcepto, quàm pro alio, non adeò strictioris obligationis. Sic ex Suarez, & Sanchez docent citatus Bonacina *num. 4.*

Quamvis maximè commendem regulam traditam, suf- 21
fragio tantorum Doctorum firmatam; nihilominus arridet etiam Regula proposita à Castropalao *de Peccat. tract. 2. disp. 1. pun. 13. num. 9. & de Legib. disp. 1. pun. 16. num. 3.* non absimilis à superius assignata, sed magis particularizans. Nec regula cadit supra actiones intrinsecè malas, cùm certum, & indubitatum sit penes omnes, nullo periculo mortis, aut gravis damni effici posse: quapropter non poterit quis ob talia pericula mentiri, fornicari, occidere, aut manducare oblata idolo, incensum ei offerre, violare jejunium, cessare ab auditione missæ ; si hæc in contemptum Religionis præcipiantur, quia etiam tunc essent *intrinsecè*

mala,

maja. Cadit ergo regula ſupra actiones ſolo Jure poſitivo ſive humano, ſive Divino præceptas; in quibus attendendum eſt, ſi communes ſint, hoc eſt pertinentes ad communem ritum, & adminiſtrationem Sacramentorum: & tunc ob nullum mortis periculum, aut alterius gravis damni Lex pro illis lata violari poterit, cùm bonum commune Religionis præferendum ſit cuicumque bono privato corporali, aut temporali. Sic violari nullatenus poterit Sigillum confeſſionis, aut conſecrare in una tantùm ſpecie, vel non miſcere aquam in vino conſecrando, aut conficere in fermentato in Eccleſia latina, aut miſſam celebrare ſine Sacris veſtibus, & ſimilia: ſpectant ſiquidem ad ritum communem, & univerſalem Eccleſiæ; licèt de Sacris veſtibus ſint, qui dubitent; ſed probabilius eſt oppoſitum. Si verò actiones præceptæ communes non ſint, ſed ſpeciales; & quæ ſingulos reſpiciant, ac ſingulorum utilitatem; non obligabunt cum periculo vitæ, aut alterius gravis damni. Et quidem quòd non obligent cum diſcrimine vitæ habetur *in Cap. Conſilium, de Obſervant. Jejun.* ubi præceptum jejunii non obligat cum detrimento ſalutis: idem eſt de ſolutione decimarum, auditione Sacri, & Communione in Paſchate. Excuſantur quoque Communicantes cum Excommunicato ob neceſſitatem *in Cap. Inter, de Senten. Excomm.* & *Cap. Quoniam multos*, 11. *quæſt.* 3; Idem dicendum, ſi ex timore mortis, aut alterius gravis damni matrimonium contrahat cum impedimento dirimente, vel impediente fictè verbis æquivocis utendo: eo quia de benignitate Eccleſiæ non eſt præſumendum cum tanto rigore obligare, Adnotandum tamen, quòd quamvis non peccet contrahendo; peccat nihilominus illud conſummando; quia apertam fornicationem committeret, utpote accedens ad non ſuam, & fornicatio eſt intrinſecè mala, non excuſabilis per metum gravem, ut diximus, Sic Sanchez, Becanus, Vaſques, Salas, Suarez, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. pun. 2. num. 7.* & Caſtropalaus *de Peccatis diſp. 1. pun. 13. num. 9.*

22 Nec *ex cap. Sacris, de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, ubi Pontifex Innocentius III. decernit; Communicantem cum excommunicato, ſi coactus fuerit, ab excommunicatione liberum eſſe; at ſi per metum communicet, excommunicationis labe teneri; quia licèt metus culpam attenuet, non tamen prorſus eam excludit; aliquid contra ſtatutam doctrinam à nobis colligitur, nempè quòd ſi metus gravis non excuſat à lege Eccleſiaſtica incurrendi excommunicationem per communicationem cum excommunicato, ut Pontifex decernit, neque excuſabit ab obſervatione aliarum legum humanarum, & à fortiori poſitivarum divinarum. Non inquam, aliquid colligitur; nam Pontifex in capite citato aſſignare voluit diſcrimen inter vim, & metum; ac ſapienter definit, vim abſolutam ſemper à peccato excuſare, cùm ſine voluntario peccatum haberi non poſſit; metum verò non ſemper excuſare à peccato, quia licèt attenuet culpam, non tamen eam ſemper excludit. Hinc eſt, quòd reliquerit diſputandum Doctoribus, quando metus gravis excuſet à culpa, ut notat Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. punct. 7. numer. 4.* Et communiter Doctores aſſerunt, metum gravem excuſare à culpa, & à contrahenda excommunicatione per communicationem cum excommunicato, ſi non incutiatur in contemptum Religionis, vel Eccleſiaſticæ poteſtatis, aut cum damno communi, & periculo ſcandali; quia tunc communicatio eſſet intrinſecè mala. Sic Suarez, Sanchez, Vaſquez, Salas, Naldus, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *loc. cit.* & Caſtropalaus *de Peccatis diſp. 1. punct. 13. num. 9. in fine.*

CAPUT IX.

Qua intentione ſatisfaciendum ſit Legi, aut Præcepto.

1 *Intendens ſatisfacere Legi, aut Præcepto duplicem intentionem habere poteſt.*
2 *Ad legem adimplendam, vel Præceptum, requiritur intentio faciendi id, quod ab ipſis imponitur.*
3 *Valet hæc doctrina pro ſatisfactione Præceptorum poſitivorum, non verò Negativorum.*
4 *An metus, & coactio, quibus opus impoſitum ſit, auferant ſatisfactionem legis, aut Præcepti?*
5 *Non requiritur intentio ponendi opus impoſitum, ut legi, vel Præcepto ſatisfiat.*
6 *Audiens Miſſam præcepto ſatisfacit, etiamſi immemor ſit præcepti, aut ignoret, eſſe diem feſtum.*
7 *Limitatur doctrina tradita in obligationibus ex juſtitia.*
8 *An faciens opus præceptum, cum animo non ſatisfaciendi præcepto, cujus nec immemor, nec inſcius eſt, poſſit per illud opus ſatisfacere præcepto?*
9 *Extenditur reſponſio ad Votum, Juramentum, & pœnitentiam Sacramentalem.*
10 *Aſſignantur aliqua Præcepta poſitiva ſpecialem intentionem requirentia.*
11 *An requiratur ad ſatisfaciendum præcepto, ut qui opus præceptum poſuit ſine animo ſatisfaciendi præcepto, illud applicet in ſatisfactionem, & animum mutet?*

DUplicem intentionem quis habere poteſt, dum legi, aut præcepto ſatisfacere intendit; unam faciendi actum per legem, aut præceptum imperatum, ſi lex, aut Præceptum affirmativa ſint; aut omittendi actum per legem, aut præceptum prohibitum, ſi negativa ſint. Alteram intentionem ſatisfaciendi per poſitionem actus, aut omiſſionem legi, aut præcepto. Quapropter poterit quis habere intentionem audiendi Miſſam die feſtivo, & non habere intentionem ſatisfaciendi præcepto affirmativo imperante illam, aut habere intentionem abſtinendi à carnibus die vetito, & non habere intentionem ſatisfaciendi præcepto negativo prohibenti carnium comeſtionem. Quamvis regulariter loquendo hæ duæ intentiones ponendi ſcilicet rem præceptam, & ſatisfaciendi præcepto, & legi connecti ſoleant ad invicem, nec diſtinguuntur ab operante. 1

Jam verò ad legem adimplendam, aut Præceptum requiri intentionem faciendi opus illud. quod ab ipſis imperatur, certum eſt penes Doctores; adeoque, ut quis ſatisfaciat præcepto audiendi Sacrum die feſtivo, requiritur, ut habeat intentionem audiendi Sacrum; nec ſufficit intereſſe Sacro animo non audiendi illud, ſed videndi curioſa in Eccleſia, aut res inutiles perlegendi. Idem dicendum de ſatisfaciente præcepto Divini Officii, Voti, aut Pœnitentiæ injunctæ: intentionem ſiquidem habere debet Divinum Officium recitandi, aut ponendi rem ex voto, aut Pœnitentia debitam, Roſarium e. g. Beatæ Virginis: nam ſi Divinum Officium recitaret animo addiſcendi aliquid in eo contentum ex curioſitate, aut Roſarium diceret ex eadem curioſitate; non utique ſatisfaceret ſuæ obligationi: & ratio eſt, quia opera præcepta præſtari debent humano modo; homo namque capax uſus rationis eſt ſubjectum legis, & Præcepti; ſed non præſtantur humano modo niſi intentio, & voluntas habeatur præſtandi illa; ut patet in ebriis, & dormientibus, qui etiamſi Miſſæ aſſiſtant die feſtivo, aut Officium, vel Roſarium recitent; non ſatisfaciunt Præcepto, aut Voto, quia non humano modo ſe gerunt, cùm libertate videlicet, & cognitione actionis, quam exercent, neſciunt etenim quid faciunt; ergo requiritur ad ſatisfaciendum legi, aut præcepro intentio faciendi opus præceptum. Sic paſſim Doctores cum Suarez, Vaſquez, Azorio, Sanchez, Layman, Soto, Salas, Medina, quos refert, & ſequitur Bonacina *de leg. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 10. num. 2. & 3.* 2

Adnotandum tamen, hanc doctrinam valere pro ſatisfactione præceptorum poſitivorum, quæ videlicet opus poſitivum præſcribunt, & quæ minimè adimpleri poſſunt, niſi habeatur intentio ponendi opus poſitivum ab ipſis præſcriptum, & præceptum: cùm enim actiones humanas præcipiant, quæ liberè poni debent cum libertate, cum cognitione videlicet, & voluntate, non verò actiones animales; indè eſt, quòd ad poſitionem talium operum requiratur intentio efficiendi illa. Secus verò dicendum pro ſatisfactione Præceptorum Negativorum: cùm enim non requirant actionem poſitivam, ideò impleri poſſunt ſine intentione, & voluntate. Sic qui furtum non facit, aut carnes non comedit die vetito, etiamſi nullam intentionem habeat non furandi, & non comedendi carnes die vetito; attamen ſatisfacit præcepto negativo non furandi, & non comedendi carnes die vetito: hoc namque diſcrimen intercedit inter præcepta affirmativa, & negativa. Sic ex Vaſquez, Azorio, Sanchez, Suarez, & Bonacina adnotat, & rectè Caſtropalaus, *de leg. diſp. 1. punct. 17. num. 4. in fine.* 3

Petes: an coactio, & metus, quibus exequitur quis opus à lege, aut præcepto affirmativo injunctum, auferant ſatisfactionem legi, aut præcepto debitam? Reſp. 4

ſi coa-

si coactio talis sit, ut exequens opus præscriptum omninò invitus sit, hoc est, non habeat ullatenus intentionem, & voluntatem ponendi opus illud, indubitatum est, auferre satisfactionem: ratio est, quia ut diximus, ad satisfaciendum legi, aut præcepto requiritur intentio & voluntas ponendi opus præscriptum, quæ tunc deficerent. Sic qui Missam audit, ex præcepto, vel voto, absolutè coactus, & omninò invitus; non satisfacit præcepto audiendi Sacrum. Si verò coactio sit talis, ut licèt minuat libertatem, & voluntarium; illa tamen absolutè non auferat; ita ut exequens nequeat dici absolutè invitus; tunc non auferet satisfactionem legi, aut Præcepto debitam; sicuti non aufert metus ex communi sententia: & ratio est, quia jam haberetur intentio, quamvis diminuta ponendi rem præceptam, sicuti haberetur in metu. Hinc est, quòd pueri assistentes Sacro veluti coacti, & ob metum Parentum, aut Magistrorum, ne vapulent, dummodo cum debita attentione Sacrum audiant, quod non audirent sine metu; utique præcepto satisfaciunt; quia actio illa dicitur simpliciter libera, esto peccarent, si intentionem conditionatam haberent non audiendi Sacrum, si Parentes, aut Præceptor non imperassent, ob pravum affectum ad Præceptum transgrediendum. Sic Sanchez, Suarez, Azorius, Salas, quos referunt & sequuntur Castropalaus *loc. cit.* & Bonacina *loc. cit, num.* 5.

5 Quamvis, ut dictum est hucusque, requiratur intentio ponendi opus per legem, aut Præceptum impositum, ut legi, aut Præcepto satisfiat; non tamen requiritur intentio *satisfaciendi* Præcepto, seu ponendi opus, ut Præcepto, vel legi satisfiat; itaut qui talem intentionem non haberet, Præcepto, aut legi non satisfaceret. Semel enim ac opus præceptum ponit cum intentione ponendi illud, etiamsi immemor, aut inscius sit legis, vel Præcepti, illis satisfacit: ratio est, quia adimplere præceptum est exequi rem præceptam humano modo; ergo si immemor, aut inscius præcepti ponit humano modo rem præceptam, jam satisfacit præcepto, aut legi: Leges siquidem præcipiunt, opus fieri humano modo, non tamen præcipiunt fieri cum intentione satisfaciendi præcepto lato. Sic Azor., Suarez, Vasquez, Valentia, Henriquez, Sanchez, Salas, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 10, num. 9.* & Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 17. num. 8.*

Neque dicas cum Sylvestro, Ludovico Lopez, & Petro Ledesma penes Castropalaum *l. c.* non posse impleri præceptum sine cognitione illius; tum quia sine tali cognitione non haberetur actus obedientiæ Præcepto; tum quia habetur obligatio cognoscendi præceptum, obligat enim ad sui notitiam; ergo requiritur intentio satisfaciendi præcepto, aut legi. Contra enim est, quia non requiritur ad satisfaciendum præcepto actus obedientiæ formalis, sed sufficit materialis, qui haberetur in tali casu: non enim præcepta obligant ad opus externum ponendum ex motivo obedientię, sed ad exequendum rem præceptam. Et quamvis præcepta obligent ad sui notitiam, non ideò tamen impleri non possunt, si per accidens non habeatur: cùm impleri possint ex notitia rei præceptę, & voluntate faciendi illam, quin habeatur voluntas illam faciendi, quatenus præcepta est.

6 Hinc fit, audientem missam, etiamsi inscius sit, esse diem festum, aut omnino immemor illius; non teneri ad aliam Missam audiendam, ut præcepto satisfaciat; nec intentionem habendi applicandi Missam illam pro præcepto: quia jam ipsi satisfecit absque tali intentione. Sic ex Suarez, Sanchez, & aliis docet Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 10. num. 10.* Idem dicendum de ponente rem per Votum debitam, aut Juramentum, vel pœnitentiam, etiam dum actu ponit immemor sit voti, Juramenti, vel pœnitentię, dummodo tamen non ponat ex alio fine: ut si quis Rosarium recitaret immemor voti, ob quod ad Rosarium teneretur; sed illud recitaret ex fine adimplendi pœnitentiam injunctam, utique voto non satisfaceret, cùm applicatum fuerit Rosarium ob pœnitentiam. Sic Salas, Suarez, Vasquez, Azor., Sanchez, Layman, Valentia, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 10. num. 11.*

7 Limitanda est doctrina hucusque tradita in obligationibus ex Justitia, quibus satisfieri nequit sine cognitione ipsarum: quapropter si debens quinquaginta Titio, immemor hujus debiti det quinquaginta eidem Titio titulo donationis, vel eleemosynæ; non poterit postea factus memor sui debiti illa quinquaginta applicare in satisfactionem debiti obliti, etiamsi non daturus fuisset illa quinquaginta in donationem, aut eleemosynam, si memor fuisset sui debiti: ratio est, quia sine cognitione obligationis justitiæ exequi nequit rem per Justitiam debitam, qui tali obligatione tenetur: cùm res, quę præcipitur à Justitia sit solutio, non donatio, aut eleemosyna: & solutio de necesse importat cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus non habetur solutio extinguens debitum, adeoque remanet in suo robore. Nec obstat intentio illa veluti habitualis non donandi liberaliter, si cognitum fuisset debitum ex justitia: cùm intentio ista habitualis non tollat actualem donandi liberaliter, ut de facto donat. Sic Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 13. num. 11.* Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 17. num. 10.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 10. num. 13.* referens Aragonium, Sayrum Rodriquez, Suarez, Salas, & Layman.

Petes 1. an faciens opus præceptum cum intentione 8
tamen non adimplendi præceptum, cujus nec immemor est, nec inscius; ut si quis recitaret Divinum Officium, aut Missam audiret animo expresso non satisfaciendi præcepto, quia intentionem haberet denuo recitandi officium, aut aliam Missam audiendi; an inquam satisfaciat revera præcepto cum tali intentione? an verò teneatur ad aliud officium recitandum, vel Missam audiendum. Resp. Navarrum, Azorium, Henriquez, Joannem Medinam, Rodriquez, & Petrum Ledesma penes Castropalaum *de leg. disp. 1. pun. 17. num. 11.* putare, non adimplere præceptum, adeoque cum tali expresa intentione obligari ad Officium denuo recitandum, aut aliam Missam audiendam: moventur, quia actus non operatur ultra intentionem, & voluntatem agentis *ex Leg. Non omnis, ff. Si certum petat.* ergo si intentio agentis est non satisfacere præcepto, aut legi; illis non satisfaciet. Insuper satisfacere præcepto est exequi rem debitam illi; sed qui ex devotione Officium recitat, aut Missam audit; non exequitur rem debitam, sed ex devotione manantem, ergo non satisfacit præcepto.

Sed quamvis non denegem suam probabilitatem huic sententiæ, probabiliorem tamen reputo oppositam, quòd videlicet satisfaciat, nec teneatur ad aliud Officium recitandum, aut Missam aliam audiendam: ratio est, quia satisfaciens non obligatur ad habendam intentionem satisfaciendi præcepto, sed ad ponendam humano modo rem præceptam; ergo si illam ponit, etiamsi intentionem habeat non ponendi illam ob præceptum, nihilominus præcepto satisfacit: tenet consequentia ex paritate præcepti negativi, cui satisfit per liberam omissionem rei prohibitæ, quamvis habeatur intentio non satisfaciendi illi: sic qui carnes non comedit die vetito, satisfacit præcepto abstinendi à carnibus, licèt intentionem habeat non satisfaciendi illi: quæ quidem ratio par est pro utroque præcepto. Et ratio ulterior est, quia intentio, & voluntas illa non satisfaciendi præcepto est inefficax, nec obstat præcepto semel ac rem præceptam humano modo ponit, ad quam ponendam tantùm tenetur, nec aliud requirit præceptum; adeò ut si supponamus latam excommunicationem contra non audientem Missam, nec satisfacientem præcepto illam audiendi die Paschatis; & quis eo die Missam audiret humano modo, sed animo expresso non satisfaciendi præcepto; non utique incurreret excommunicationem latam, cùm revera Missam audierit, nec potuerit præcepto non satisfacere, si attentè, & humano modo audierit. Sic Suarez, Vasquez, Valentia, Lessius, Sanchez, Aragonius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *l. c. num. 12.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 10. num. 19.*

Ad rationes in contrarium adductas respondetur, actum non operari ultra intentionem, & voluntatem operantis, quando actus, & affectus pendent ab ipso operante, ac ab ejus intentione, non verò ab intentione alterius: cùm verò intentio imponentis præceptum sit, ut ponatur res præcepta, quidquid sit, an ponatur animo satisfaciendi præcepto, indè est, quòd possit ultra intentionem agentis in tali casu operari. Addo, quòd nec revera operatur ultra intentionem agentis; eo quia Missam audiens animo audiendi revera Missam, sed non satisfaciendi præcepto, habet duplicem voluntatem, unam efficacem satisfaciendi præcepto,

dum

dum animum efficacem habet audiendi Missam; alteram ineficacem non satisfaciendi præcepto; & efficax prævalet inefficaci. Ad id, quod additur, executionem rei præceptæ, seu satisfacere præcepto, importare executionem rei debitæ; respondetur, ita esse; & qui Missam audit, etiam ex devotione, exequitur rem debitam præcepto, & ponit illam; esto non ponat ex animo obediendi formaliter præcepto, quod non requiritur ab ipso præcepto, ut toties dictum est; nec aliunde obstat, ut diximus, voluntas illa inefficax non satisfaciendi præcepto.

9 Extenditur doctrina tradita ad Votum, Juramentum, & Pœnitentiam Sacramentalem: ponens siquidem opus spectans ad ipsa, etiamsi animum non habeat adimplendi illa, dummodo non applicet pro alia re; satisfacit illis: & ratio est, quia tam Votum, quàm Juramentum, & Pœnitentia Sacramentalis à Confessario injuncta obligant per modum præcepti; ergo si præcepto satisfit ponendo humano modo rem præceptam cum animo non satisfaciendi præcepto; etiam Voto, Juramento, & Pœnitentiæ Sacramentali satisfiet cum animo satisfaciendi illis: cùm non sit in potestate satisfacientis posito opere humano modo non satisfacere: ponit namque substantiam rei per Votum, Juramentum, aut Pœnitentiam Sacramentalem debitæ. Sic Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 1. *cap.* 13. *nu.* 18. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 10. *num.* 11. *&* 21. & Castropalaus *de leg. disp.* 1. *pun.* 17. *numer.* 14.

10 Adnotandum hìc: dari aliqua præcepta positiva, quæ licèt versentur circa actiones externas; nihilominus specialem aliquam intentionem, ac voluntatem requirunt necessariò, ita ut sine illa consistere nequeat res præcepta. Alia verò dari, quæ non requirunt specialem intentionem. Primi generis sunt Præcepta positiva recitandi Horas Canonicas, audiendi Sacrum, quæ requirunt intentionem colendi Deum; ita ut si fiant ex alia intentione legendi aliquid in Breviario; vel instruendi aliquem in recitatione Divini Officii; aut videndi Ecclesiam dum Sacrum peragitur; non satisfiet præceptis illis, quia non habebitur res præcepta in suo esse constituta. Sic etiam in administratione Sacramentorum non solùm præcipitur actio illa exterior; quæ ponenda est; sed ulteriùs requiritur intentio faciendi id, quod facit Ecclesia: ita ut si ponatur actio exterior cum intentione ponendi illam, sed absque intentione faciendi id, quod facit Ecclesia; nulla erit, & irrita administratio illa, cùm in prædictis *non* solùm actio exterior præcipiatur, verùm etiam intentio colendi Deum, aut faciendi quod facit Ecclesia, & spectant ad constitutionem ipsius rei præceptæ. Secundi generis præcepta sunt, quę posita actione exteriori in suo esse constituta nullam aliam intentionem requirunt; sic eadem præcepta recitandi Divinum Officium, & audiendi Missam, posita recitatione Divini Officii, & auditione Sacri ex intentione colendi Deum, nullam aliam intentionem requirunt; ut esset Intentio satisfaciendi illis: quia positis illis actionibus obtinuerunt jam finem suum, ut videlicet poneretur res præcepta. Non nego in Præcepto Restitutionis rei alienę non solùm requiri positionem operis, seu restitutionem rei alienę; sed ulteriùs requiri intentionem satisfaciendi ipsi præcepto: sed hoc est speciale in isto præcepto propter rationes superiùs dictas.

Petes 2. an ponens rem præceptam cum animo non
11 satisfaciendi præcepto, requiratur saltem, ut satisfaciat, quòd animum, & voluntatem mutet, ac opus illud pro satisfactione præcepti applicet? Resp. non esse necessarium, ut eliciat actum voluntatis, quo intendat opus præstitum in satisfactionem præcepti applicare; cùm nulla habeatur obligatio *hunc* actum eliciendi, si jam præcepto satisfecit, ut diximus. Tenetur tamen desistere à priori animo non satisfaciendi præcepto, maximè si tempus non supersit satisfaciendi illi. Sic audiens Missam die festivo cum animo non satisfaciendi præcepto, quia tempus supersit audiendi aliam Missam; si postea non datur tempus audiendi aliam Missam, tenetur tantùm mutare voluntatem non satisfaciendi præcepto, ne actualem affectum retineat ad non satisfaciendum præcepto. Sic ex Suarez, Sanchez, Salas docent Castropalaus *de leg. disp.* 1. *pun.* 17. *num.* 13. *in fin.*, & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 10. *num.* 22.

CAPUT X.

Quibus actibus satisfieri possit Legi, aut Præcepto.

1 *An possit satisfieri per actum peccaminosum ex fine, aut alia circumstantia extrinseca?*
2 *An unico actu satisfieri possit pluribus Præceptis?*
3 *Quando requiritur alius actus distinctus, ob aliam supervenientem obligationem?*
4 *Non satisfit Pœnitentiæ impositæ à Confessario per opus debitum ex alio Præcepto.*
5 *Nec satisfit obligationi dandi eleemosynam ex voto, aut pœnitentia per restitutionem incertorum pauperibus factam.*
6 *Si opus faciendum sit multiplex ex multiplici obligatione, cui obligationi satisfit, si unicè tantùm fiat.*
7 *An possit satisfieri pluribus obligationibus per plures actus eodem tempore factos.*

QUIA in hac materia variæ insurgere possunt dubitationes, ideò per varia Quæsita resolvendæ erunt, ut distinctius, & clarius procedamus. 1

Quæres igitur 1. an possit satisfieri legi, aut Præcepto per actum, qui sit peccaminosus ex fine, vel alia circumstantia extrinseca? Resp. per actum ex se bonum, peccaminosum tamen ex fine, vel alia circumstantia extrinseca posse satisfieri legi, aut Præcepto humano: sic qui Missam audit die festivo humano modo, sed ex fine videndi libidinosè fœminas; aut jejunat die jejunii ob vanam gloriam; vel eodem die jejunii intemperanter comedit per unicam comestionem; satisfacit præcepto audiendi Missam, & jejunandi: ratio est, quia ponit substantiam actus imperati; quamvis non adimpleat modum, qui non est de substantia actus imperati: nam si esset de intrinseca constitutione illius, non utique poneret substantiam actus, adeoque non satisfaceret præcepto humano, quod tunc solùm imperat substantiam actus, nec curat de modo, quando modus non est necessarius ad exteriorem honestatem actus. Sic Missam audiens, aut jejunans ob vanam gloriam, dummodo Missam cum debita attentione audiat; ponit substantiam actus imperati, esto peccet ex fine vanæ gloriæ, ob quam Missam audit: nam modus audiendi Missam, aut jejunandi, & non ex vana gloria, non est de intrinseca constitutione actus Missæ, aut Jejunii imperati. Secus verò esset, si modus spectaret ad substantiam actus imperati, tunc enim Præceptum curaret de illo, illumque imperaret imperando substantiam actus, quam constituit. Sic audiens Missam & non humano modo non ponit rem præceptam, nec præcepto satisfacit, quia modus sic audiendi Missam est de substantia, & constitutivis auditionis Missæ præceptę. Sic Navarrus *cap.* 1. *num.* 7. Sotus *lib.* 2. *de Just. quæst.* 3. *art.* 9. Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 19. *num.* 6. Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. Azor. 1. *par. lib.* 7. *cap.* 6. *quæst.* 1. Castropalaus *de leg. disp.* 1. *pun.* 18. *num.* 2. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 9. *num.* 3. referens D. Thomam, Valentiam, Medinam, Salas, & Layman.

Neque dicas, Præcepto satisfaciendum esse opere bono, cùm non possit imperare actum peccaminosum, & vitiosum; ergo si opus externum vitiatur pravo fine, aut alia circumstantia; non poterit per ipsum satisfieri præcepto. Contra enim est, quia licèt opus illud sit vitiosum, & peccaminosum extrinsecè ex fine, aut circumstantia extrinseca; non est tamen vitiosum intrinsecè, cùm non sit contra intrinsecam intentionem legis, aut præcepti: intentio siquidem legis fertur in substantiam actus ex se bonam, quæ ponitur, esto vitietur extrinsecè per finem, aut circumstantiam. Non nego ipsam substantiam actus præcepti ordinari ad alium finem bonum, qui tamen est extrinsecus legi, vel Præcepto, & sine quo lex, & Præceptum servari possunt, cùm hic finis non imperetur ab ipsis juxta illud vulgatum axioma: Finis præcepti non cadit sub præceptum. Sic ex Suarez, & Salas docent Bonacina *l. c.* & Castropalaus *l. c. num.* 4.

Quæres 2. an unico actu possit satisfieri pluribus præ- 2
ceptis, ac obligationibus? Resp. cum distinctione: vel obligationes oriuntur ex Justitia commutativa, vel ex aliis Virtutibus, & Præceptis. Si ex Justitia commutativa oriantur, non poterit unico actu satisfieri pluribus obligationibus ex ea provenientibus: sic debens

centum

centum Titio ratione liberalis Promissionis acceptatę, & alia centum ratione contractus oneroſi venditionis vineæ e. g. non poterit per unicam ſolutionem centum utrique obligationi ſatisfacere : ratio eſt, quia Juſtitia commutativa cùm reſpiciat æqualitatem rei ad rem, & æqualitas hæc ſalvari nequit per unicam ſolutionem in pluribus debitis; inde eſt, quòd per unicum actum nequeat ſatisfieri pluribus obligationibus ex Juſtitia debitis. Si verò obligationes ex diverſis Virtutibus, & præceptis oriantur; poterit ipſis ſatisfieri per unicum actum : ratio eſt, quia iſtæ obligationes non oriuntur ex natura rei, ut ſunt obligationes Juſtitiæ; ſed oriuntur à mente legislatoris facultatem habentis obligandi, qui dum non expreſsè declarat, non poſſe unico actu ſatisfieri pluribus iſtis obligationibus, dicendum eſt, per unicum actum poſſe ipſis ſatisfieri : maximè quia non ſunt incompatibiles inter ſe. Hinc fit, unica recitatione Divini Officii ſatisfieri duplici obligationi ratione Ordinis Sacri, & Beneficii; eodem jejunio ſatisfieri poſſe præcepto jejunandi, Voto, & Pœnitentiæ Sacramentali : ut ſi quis haberet Votum jejunandi in pervigilio Sanctorum Omnium, & idem jejunium fuiſſet ei injunctum ex pœnitentia, ita etiam dicendum de auditione Miſſæ debitæ ex vi Voti, Præcepti, & Pœnitentiæ. Sic Medina *Cod. de Satisfact. quæſt.* 4. *verſic. Corollariè ſequitur*. Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. Bonacina alios referens *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 9. *à num.* 4. & Caſtropalaus *de leg. diſp.* 1. *pun.* 19. *num.* 2.

3 Sed petes hìc : Quando nam ſuperveniens obligatio requirat alium actum diſtinctum ab eo, qui alia obligatione debetur ? Reſp. certam, & firmam Regulam in hoc aſſignari non poſſe : cùm enim pendeat à voluntate, & intentione ferentis legem, aut Præceptum inde eſt, quòd ſi hæc patenter non innoteſcat, facilè dignoſci non poterit. Recurrendum igitur erit ad circumſtantias, ex quibus colligendum, an contentus ſit legislator actu aliàs debito, an verò actum diſtinctum ab illo requirat. Regulariter tamen ſuperveniens obligatio actum diſtinctum requiri ab eo aliàs debito : imò ſi dubium inſurgat in hoc, ſic interpretandum erit : cùm interpretatio facienda ſit ſecundùm ea, quæ regulariter accidunt : ut docent Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 37. *ſect.* 6. *num.* 5. Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 14. *num.* 6. & Caſtropalaus *de leg. diſp.* 1. *pun.* 19. *num.* 3.

4 Hinc eſt, quòd ſi Confeſſarius imponeret pœnitenti auditionem Miſſæ; aut jejunium; vel Roſarium Beatæ Virginis, non poterit pœnitens huic obligationi ſatisfacere, reſervando ſatisfactionem ad eum diem, quo Miſſæ auditionem, vel jejunium ponere tenetur ex præcepto, aut Roſarium ex Voto. Nam ſi Confeſſarius id non dicat expreſsè, ſemper cenſetur ad opus aliàs non debitum obligare; præcipuè cum obligatio impoſita non ſit alligata diei : ut ex Suarez, Sanchez, Navarro, Azorio, Sayro, & Henriquez notat Caſtropalaus *de leg. diſp.* 1. *pun.* 19. *num.* 4.

5 Nec obligationi dandi eleemoſynam ex Voto, aut Pœnitentia ſatisfacit reſtituens pauperibus ob ablationem incertorum, quia prima debet eſſe largitio liberalis; hæc verò ſecunda eſt reſtitutio ex Juſtitia debita : ut habet Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 14. *num.* 6. Idem dicendum ſi det parentibus, avis, aut fratribus taliter indigentibus, ut teneatur illis ſubvenire : cùm non ſit eleemoſyna, ſed ſolutio debiti legalis; nec pauperes revera dici poſſint, cùm habeant jus poſtulandi alimenta illa, & compellendi per Judicem : ut docet Surdus *de Alimen. tit.* 7. *quæſt.* 37. *à num.* 1. Secus tamen dicendum : ſi eleemoſynam aliis conſanguineis ab enumeratis tribueret in pari neceſſitate indigentibus; utique Pœnitentiæ, aut Voto ſatisfaceret : quia eſſet liberalis largitio : ut habet Molina *Juriſt. lib.* 2. *de Primogen. cap.* 15. *à num.* 37. Sic etiam ſi daret extremè indigenti, quia licèt in tali neceſſitate extrema poſito debeatur ex præcepto Miſericordiæ eleemoſyna illa; nihilominus non debetur abſolutè, ſed ex ſuppoſitione quòd alia via non ſuppetat ſubveniendi illi, ut patet, ſi ſubveniens reſtituere teneretur tali pauperi, in quo caſu ceſſaret in ipſo obligatio dandi eleemoſynam, cùm poſſet, & deberet ſubvenire per reſtitutionem; ſic etiam in caſu noſtro ſi per largitionem ex voto, aut pœnitentia ſubvenire poteſt, ceſſat obligatio ſubveniendi ob præceptum Miſericordiæ. Sic probabilius docent Henriquez, Azor. Sa, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de leg. diſp.* 1. *pun.* 19. *num.* 8. quamvis oppoſitam ſententiam doceant Medina, Suarez, Sayrus, & Paludanus.

Quæres 3. Quando ex multiplicatione titulorum multiplicanda res eſt, ſi non multiplicetur, ſed unicè fiat, cuinam obligationi ſatisfit ? e. g. tenetur quis Roſarium B. Virginis recitare ex voto, & ex pœnitentia; idem dicendum de jejunio, & Miſſa; ſi unicum Roſarium recitet, aut unicam Miſſam audiat, vel unicè jejunet, cui obligationi ſatisfacit Voti ne an Pœnitentiæ ? Sic etiam tenetur quis ex Voto ad elargienda centum pauperibus; tenetur etiam ad elargienda centum ipſis ex reſtitutione incertorum; tenetur denique ad elargienda centum eisdem ob injunctam pœnitentiam; ſi centum tantùm ipſis largiatur, cui nam obligationi ex dictis ſatisfacit ? Reſp. extra controverſiam eſſe, ſi obligationem, cui ſatisfacere velit, determinaverit; illi non alteri ſatisfacere : cùm jam ſufficiens ſit pro unaquaque illarum ſatisfactionum : & ſic deciditur *in leg. Cum pluribus, ff. de ſolutionib.* dummodo tamen determinatio pendeat ab ejus intentione, nec contradicat urgentioribus obligationibus in concurſu illius unicæ ſatisfactionis; aliàs ad nihil inſerviret determinatio facta, ut rectè advertit Caſtropalus *de legib. diſp.* 1. *pun.* 19. *num.* 9. Si verò determinationem obligationis non fecerit, ſed decreverit omnibus obligationibus per unicum actum ſatisfacere; tunc ſi opus præſtitum per actum ſit ex ſe diviſibile, ut eſt Eleemoſyna, Roſarium integrum, quod in tres dividi ſolet partes; ſatisfactio continget pro rata cuilibet obigationi, cum onere in ſatisfaciente ponendi reliquas partes ad integritatem : ratio eſt, quia actus, qui non valet eo modo, quo agitur; debet valere meliori modo, quo poteſt : ut habetur *in Cap. unico*, §. *Idem quoque, de diſpenſ. Impub. in* 6. Ergo ſi non poteſt valere integrè, valebit partialiter, & pro rata. Si opus tamen ſit ex ſe indiviſibile, ut eſſet Miſſa, Jejunium; tunc cenſendum erit ſatisfacere obligationi urgentiori, & graviori : ratio eſt quia cùm opus illud indiviſibile nequeat partialiter dividi in ſatisfactionem illarum obligationum, ut valeat meliori modo, quo poteſt, valere debet pro obligatione urgentiori, & graviori. Sic ſi Miſſa, aut jejunium applicetur in ſatisfactionem obligationum Præcepti, Voti, aut Pœnitentiæ à confeſſario injunctæ, pro quibus diſtinctæ Miſſæ, ac diſtincta jejunia applicanda forent; unica illa Miſſa, vel jejunium valebit tantùm pro Præcepto Eccleſiaſtico : nam præceptum prævalet Voto, & Pœnitentiæ; ſicuti Votum prevalet Pœnitentiæ injunctæ. Si denique ſatisfaciens immemor ſuarum obligationum rem debitam pluribus obligationibus exequatur; tunc ſatisfaciet juxta deciſionem Legis *Cum pluribus, ff. de ſolution.* ubi habetur : Quando plura ſunt debita omninò æqualia, nec quiſquam decrevit, cui debito ſatisfacere velit, cenſetur omnibus pro rata ſatisfacere; ſi autem alterum ſit gravius, cenſetur graviori; ſi decrevit, cui velit ſatisfacere, illi ſatisfacere judicandus eſt. Quamvis excipienda ſint ab hac doctrina debita Juſtitiæ, quibus ſatisfieri nequit, niſi habeatur intentio ſatisfaciendi illis; aliàs eſſet liberalis donatio, per quam non ceſſat obligatio ex juſtitia; non verò ſolutio. Sic Sanchez *in Oper. moral. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 10. *num.* 12. & 13. & Caſtropalaus *de legib. diſp.* 1. *pun.* 19. *num.* 9.

Quæres 4. an poſſit ſatisfieri pluribus præceptis, & obligationibus per plures actus eodem tempore factos ? Reſp. ſi unus actus non impedit alium, & eodem tempore effici poſſunt, prout exiguntur à diverſis præceptis; poterit tunc quis eodem tempore pluribus præceptis per plures actus ſatisfacere : ratio eſt, quia jam ponitur id, quod à diverſis præceptis imperatur; ergo illis fit ſatis : nec ab ipſis præceptis exigitur, ut diverſo tempore fiant, cùm diverſitas temporis nec exigatur, nec imperetur à Præceptis. Sic qui tenetur ad recitationem Divini Officii, & ad Miſſam audiendam; dum Miſſam audit, poterit Divinum Officium recitare ea attentione, quæ ab utroque Præcepto requiritur. Et quamvis Sylveſter, Angelus, Armilla, Roſella penes Caſtrop. *de leg. diſp.* 1. *pun.* 20. *num.* 2. putarint, hoc eſſe regulariter impoſſibile : quia dum attentionem debitam, ac exactam ab uno præcepto ſatisfaciens ponit, nequit eam pro opere alteri præcepto debito ponere; nihilominus communiter non reputatur ita limitata potentia intellectiva, ut non poſſit duplici actione debitè intendere; ſic experientia comprobat in recitante Roſarium, vel Officium Divinum tempore auditionis Miſſæ, cùm poſſit de actioni-

ctionibus Missæ testari. Mitto, quòd attentio pro utroque opere requisita sufficit, si unica sit, videlicet attendere ad Deum, quem colere intendit satisfaciens per Missam, & per Recitationem Rosarii, aut Divini Officii. Sic Navarrus, Azor. Henriquez, Suarez, Sanchez, Sotus, Valentia, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *l. c.* & Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 9. num. 8.*

CAPUT XI.

Quæ obligatio habetur apponendi media, vel non apponendi impedimenta, aut ea tollendi, quæ observationem Legis, aut Præcepti impediunt?

1 *Dum Legislator, aut Superior aliquid præcipit, præcipit etiam media necessaria ad executionem illius.*
2 *Præcepta Naturalia per se obligationem imponunt apponendi media necessaria ad ipsorum executionem.*
3 *Præcepta positiva cùm pendeant à voluntate Legislatoris non semper absolutè imperant opus, sed sub conditione, si subditus liber sit, & expeditus.*
4 *Quænam Regula certa tradi possit ad dignoscendam obligationem apponendi media, & removendi impedimenta ob executionem rei præceptæ.*
5 *Graviter peccat projiciens in Mare Breviarium, ut non recitet; aut illud scienter non afferens, ubi putabat non reperiri; sanus nolens surgere è lectulo, ut Missam audiat; aut occupans se ludo; vel voluntariè se inebrians, ne Missam audiat.*
6 *Quando nam urgeat obligatio removendi impedimenta, quæ obstant rei præceptæ?*
7 *Adnotantur aliqua impedimenta, quæ ex consuetudine apponi possunt sine culpa, & eximunt ab obligatione, Et aliqua, quæ non eximunt.*

1 QUando Legislator, vel Superior finem aliquem imperat, & præcipit; videtur etiam media necessaria ad executionem finis præcepti imperare, & præcipere; adeoque consurgit in subditis obligatio removendi impedimenta executionem finis præcepti impedientia, si posita sunt, aut ea non apponendi, si nondum posita sint: cùm hæc sint media valde necessaria ad executionem finis præcepti. Hæc tamen doctrina ita generaliter sumpta nequit competere omnibus præceptis; ideò ut clariùs procedamus distinctè præcepta consideranda erunt,

2 Jam verò si sermo sit de præceptis naturalibus, asserendum est, ea per se obligationem imponere apponendi media necessaria ad ipsorum executionem, & tollendi omnia impedimenta, quæ talem executionem impedire possunt: adeò ut grave peccatum sit huic obligationi non satisfacere, supposita gravitate materiæ; vel leve, supposita levitate, nisi habeatur causa sufficiens ad excusandum à tali obligatione: ratio est, quia obligatio horum præceptorum nascitur ex ipsa natura rei; & natura si præscribit absolutè finem, præscribit pariter media necessaria ad consecutionem illius: nec talis præscriptio potest esse limitata ad hoc medium, non verò illud; aut ad hoc impedimentum, non verò aliud: sed extenditur ad omnia. Hinc fit, quòd obligatus ex lege charitatis ad subveniendum indigenti vel spiritualiter, vel corporaliter tenetur media necessaria apponere, & impedimenta tollere ad tale subsidium præstandum, correctionem scilicet, aut eleemosynam. Obligatus quoque ad exequendum Officium Confessarii, Judicis, Advocati, Medici, &c. tenetur ea addiscere, quæ necessaria sunt ad rectam similium officiorum executionem, ac impedimenta tollere, quæ obstare possunt. Nec dissensio est in hac doctrina inter Doctores, quamvis controvertant circa causas sufficientes ad excusandum à tali obligatione, ut testatur Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 21. num. 2.*

3 Si sermo tamen sit de præceptis positivis, cùm eorum obligatio pendeat à voluntate Legislatoris, qui potest illam statuere sub conditione, quòd subditus existat expeditus, & liber; non verò absolutè imperare executionem operis præcepti, & aliundè talia præcepta non obligant cum tanto gravamine; inde est, quòd non teneatur subditus ex vi horum præceptorum ponere omnia media, quæ sunt aliquo modo necessaria ad executionem operis præcepti, aut impedimenta repellere. Sic in plurium Doctorum sententia non tenetur excommunicatus absolutionem ab excommunicatione inquirere ex vi obligationis satisfaciendi præcepto Missæ; nec dives cessare à laboribus, aut fatigationem suscepturus eam in alium diem differre, ut sic satisfaciat præcepto jejunandi,

Quòd si inquiras certam regulam dignoscendi quænam 4
media apponenda sint, & quænam impedimenta removenda pro executione horum præceptorum? Resp. non posse faciliter assignari, cùm aliqua præcepta graviora sint aliis; adeoque eorum executio exposcit remotionem impedimentorum, etiam remotiorum, ac positionem mediorum etiam remotiorum. Quapropter Regula eruenda erit ex modo, quo quodlibet præceptum est receptum: nam si cum hac stricta obligatione receptum est, ita obligabit; si verò non ita strictè, benigniùs obligabit. Recurrendum igitur erit ad consuetudinem & usum, quo penes timoratos, & prudentes viros præcepta fuere recepta. Sic Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 15. num. 4.* Salas *1. 2. quæst. 71. tract. 13. disp. 2. sect. 9. à num. 117.* & Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 21. num. 2.* Qui *num. 3.* benè adnotant, hanc Regulam valere pro Mediis, & Impedimentis, quæ non per se, & intrinsecè, ac ex natura sua ordinantur ad executionem præcepti: ea namque, quæ ex natura sua, per se, & intrinsecè ordinantur; tenetur subditus legi, aut præcepto removere, si impediunt; aut apponere, si sint media.

Hinc fit, graviter peccare obligatum ad recitandas 5
horas canonicas, si Breviarium in aquas projiciat; aut cùm posset, noluit secum afferre in locum, ubi sciebat, aliud reperiri non posse; aut Breviarium non exposcere, cùm de facili habere posset. Idem dicendum de sano nolente die festivo surgere è lectulo ad Sacrum audiendum; & de occupante se ludo; vel voluntariè se inebriante, cùm prævideat impedimentum fore ad Missam audiendam urgente præcepto. Hæc enim per se, & intrinsecè, ac ex natura sua obstant executioni præcepti, adeoque ea apponere, grave peccatum erit, ut asserunt Doctores citati.

Petes hìc: quando nam urgeat hæc obligatio remo- 6
vendi impedimenta, quæ obstant executioni rei præceptæ? Resp. quando adest præceptum, aut censetur moraliter adesse, vel in proximo est; tunc enim efficaciam habet prohibendi ea impedimenta, quæ executionem illius impedire possunt; sic inebrians se die festivo, aut quando in proximo est dies festivus, prævidens sic impediendum fore ab auditione Missæ; graviter peccat contra obligationem removendi tale impedimentum ex vi præcepti Missæ; idem dicendum de se inebriante, ut non satisfaciat penso Divini Officii. Nec hoc pendet à tempore longiori, aut breviori ad præceptum, sed potius ex consideratione impedimenti, si taliter extendi possit, ut occupet etiam tempus à Præcepto præscriptum, etiamsi antecesserit: nam si quis experitur suam ebrietatem, e. g. durare ad tres dies, adeò ut reddatur impotens ad actiones humanas, & prævideat tertio die futurum festum, & impediri ab auditione Missæ; tenetur sub gravi ab illa ebrietate abstinere ex vi præcepti Missæ: cùm æquè obstet auditioni Missæ, si ebrietas habeatur die festivo, ac si habeatur tempore antecedenti, in quo moraliter censetur adesse præceptum. Sic ex Salas docet Castropalaus *de legib. disp. 1. pun. 21. num. 3. in fine.*

Adnotandum circa impedimenta: aliqua haberi, quæ 7
ex consuetudine, & communi sensu Doctorum apponi possunt absque culpa executioni rei præceptæ, & exemptionem dant; alia verò haberi, quæ sine culpa apponi nequeunt, nec eximunt. Sic Agricolæ, Fabri lignarii, vel Ferrarii, & omnes laborantes impedimentum apponunt, ne jejunium servare possint, cujus executionem Ecclesia præcipit; & tamen absque culpa illud apponere possunt. Similiter peregrinantes, flagellantes, aut similia pia opera exercentes, cum quibus jejunium incompatibile sit; impedimentum pariter apponunt executioni jejunii, sed absque culpa. Secus verò defatigantes se ludo pilæ, aut venatione, vel incumbentes veneri, quamvis impediantur à jejunando, non tamen absque culpa impedimentum apponunt. Et disparitas esse potest, quia præceptum jejunandi eximit tantùm ob laborem eos, qui aliàs incumbunt labori necessario, & honesto; non verò supervacaneo, & inhonesto: ut ex Joanne de Friburg. Astensi, Sancio advertit Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 21. n. 4.* Advertit etiam: non quia labor necessarius, & honestus eximit à jejunio, pariter eximit ab auditione Sacri, aut recitatione Divini Officii, nisi aliunde labor assumptus fuerit ex obli-

gatione

gatione charitatis : non enim exemptus ab obligatione unius præcepti eximitur ab executione alterius,

CAPUT XII.

De Lege Pœnali.

1 *Quid Lex Pœnalis? Et quotuplex sit Pœna?*
2 *An Lex Pœnalis possit in conscientia obligare transgressores ad pœnam ante sententiam Judicis, saltem declaratoriam criminis?*
3 *Solvuntur rationes in oppositum adductæ.*
4 *An dentur Leges Pœnales Ecclesiasticæ, vel Civiles imponentes pœnas delictis ante quamcumque Judicis sententiam, obligantes in conscientia?*
5 *Irritatio actus, & inhabilitas ad illum quando imponitur à Jure in pœnam criminis commissi; incurritur ante quamcumque Judicis sententiam.*
6 *Pœna Conditionalis, seu imposita à Lege sub conditione conditionatè obligat.*
7 *Legata relicta sub aliqua conditione, hac non servata percipi nequeunt.*
8 *Gestatio habitus, ut Clerici Minores non beneficiati fruantur privilegio fori, non est pœna, sed conditio ad fruitionem privilegii. Idem dicendum de Clericis Conjugatis, & de filiis, ut sint legitimi.*
9 *An sit Pœna, an verò Conditio statutum Collegiorum contra Collegiales aliquod delictum committentes, ut privilegiis priventur, & teneantur Collegio restituere quidquid accepere?*
10 *Quomodo explicandum effatum illud : nullam pœnam reo imponi absque Judicis sententia præter Censuras Ecclesiasticas, & Irregularitatem?*
11 *An intelligendum de pœnis privativis privantibus jure quæsito?*
12 *An intelligendum de pœnis privativis privantibus jure quærendo?*
13 *Quatuor illationes ex dictis.*
14 *An pœna Conventionalis ex mutuo consensu contrahentium imposita debeatur ante Judicis sententiam?*
15 *Quas pœnas tenetur exequi reus post latam à Judice sententiam?*
16 *Enumerantur, quas subire tenetur.*
17 *Enumerantur, quas subire non tenetur.*
18 *An pœnæ à solis delinquentibus solvendæ sint?*
19 *An possit dispensare Judex in pœna à Jure statuta?*

1 LEX pœnalis dicitur, quæ aliquid faciendum, vel omittendum statuit adjecta transgressoribus pœna, aut determinata, vel determinanda arbitrio Judicis juxta delicti qualitatem; ad differentiam legis præceptivæ, quæ aliquid faciendum, aut omittendum imperat nulla adjecta pœna. Pœna autem alia est positiva, quæ videlicet aliquam actionem positivam requirit ad sui executionem, privationem scilicet vitæ, mutilationem membri, fustigationem, carcerem, exilium, solutionem pecuniæ, excavationem metallorum, remigationem in triremibus, & similia. Alia est privativa, quæ videlicet nullam actionem positivam requirit ad sui executionem, sed merè consistit in privatione Officii, Beneficii, aut inhabilitate ad illa, irritatione, annullatione actuum &c. Insuper alia est lata ipso jure, quæ scilicet consequitur ad positionem delicti, itaut ipso posito incurratur pœna. Alia est ferenda, quæ videlicet ferenda est à Judice posito delicto. His declaratis

2 Quæres 1. an Lex Pœnalis possit in conscientia transgressores obligare ad pœnam sive positivam, sive privativam ante sententiam Judicis, saltem declaratoriam criminis? Resp. quamvis Sotus, Angelus, Victoria relati à Castropalao *de leg. disp. 2. pun. 1. num. 2.* docuerint, nullam pœnam præter Ecclesiasticas Censuras incurri posse ante sententiam Judicis: eo quia potestas data Reipublicæ ad pœnam infligendam ordinatur ad politicam gubernationem, & ad coercenda delicta, quæ illi obstant, sed delicta, quæ obstant politicæ gubernationi; sunt delicta publica publicitate facti, vel sententiæ; ergo nulla pœna incurri potest ante sententiam Judicis. Cajetanus verò, Bannez, Aragonius, Valentia, Medina, Conradus, Corduba ab eodem Castropalao relati *l. c. num. 3.* putarunt, doctrinam traditam veram esse in pœnis positivis, quę actionem requirunt ad sui executionem; non verò in privativis: eo quia licèt quis obligari possit ex lege ad sustinendam pœnam, quę consistit in passione; nequibit tamen obligari ad agendum, & ponendum actionem positivam. Nihilominus communior sententia sustinet, posse legem humanam obligare ad pœnam tum privativam, tum positivam ante Judicis sententiam, sed ipso Jure, dummodo tamen moderata sit, & humanę conditioni accommodata: ratio est pro pœnis privativis, quia si Ecclesia potest eas infligere, ut de facto infligit per Censuras, & Irregularitatem privando subditum receptione Sacramentorum, administratione ipsorum, communicatione politica, ac aliis bonis, ad quę subditus habet jus, cur non poterit Respublica pœnas privativas moderatas etiam infligere ad bonum regimen commune? Pro pœnis verò positivis sic ostenditur: quia si Respublica habet potestatem aliquas actiones pręcipiendi, ob bonum enim commune poterit labores aliquos suscipiendos pręcipere in reficiendis muris instante bello, remigationes, vigilias in excubiis agendis, & similia, cur non poterit hęc eadem alicui pręcipere in pœnam? maximè si acerba non sit, aut nimis gravis, tunc enim expediens Communitati non esset, adeoque nec à Legislatore imponibilis. Sic communior sententia cum Vasquez, Castro, Navarro, Covarruvia, Suarez, Salas, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de leg. disp. 2. pun. 1. num. 4.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 2. num. 9. & 10.*

Ad rationes in contrarium adductas pro prima, & se- 3
cunda sententia respondetur, non solùm à Republica prohiberi posse, ac puniri delicta publica; sed etiam secreta: cùm non minùs obstent bono communi ipsius Reipublicæ secreta delicta, quàm publica: nec aptior modus datur utrumque genus delictorum præcavendi, quàm per impositionem pœnæ. Et quamvis pœna consistere dicatur in passione; nihilominus obligari quis poterit ad actionem aliquam positivam, ex qua ipsi molesta passio oriatur; adeoque rectè dici poterit pœna quæcumque actio positiva gravis, & molesta naturæ, ut patet in damnatis ad remigandum, excavandum metalla &c.

Diximus: Legem humanam posse imponere pœnam 4
tum positivam, tum privativam ante Judicis sententiam incurrendam, sed ipso Jure patrato jam delicto. Remanet tamen ulteriùs inquirendum: an de facto dentur aliquæ Leges Pœnales sive Ecclesiasticæ, sive Civiles, quæ pœnam imponant delictis ante quamcumque Judicis sententiam, & obligent ad eam subeundam in conscientia ante quamcumque Judicis sententiam posito delicto? Pro distincta decisione quæsiti

Resp. 1. pœnas latas per Ecclesiasticas censuras Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, ac per Irregularitatem sic ferè incurri, videlicet ipso facto, & ante quamcumque Judicis sententiam: ut colligitur *ex Cap. Si quis suadente. 17. quæst. 4. & ex Titulis de Senten. Excomm., & de Homicid.* & comprobat quotidiana consuetudo, & usus, & praxis fidelium: expedit siquidem nimis, ut Ecclesia Sancta Dei aliquas habeat pœnas in spiritualem suorum subditorum profectum ordinatas, quibus illos repellat à delictis etiam occultis, ac Judici non innotescentibus: ut rectè docent Sotus 1. *de Just. quæst. 6. art. 6. concl. 2.* Suarez *de leg. lib. 5. cap. 5.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 30. num. 1.* Salas plures referens *disp. 15. de leg. sect. 2. num. 29.* & alii passim.

Resp. 2. Irritationem actus, & inhabilitatem ad il- 5
lum, quando apponuntur ut pœnæ ab ipso Jure latæ ob crimen commissum; incurri ante quamcumque Judicis sententiam. Sic in omnium sententia pœna inhabilitatis ad contrahendum Matrimonium in Cap. Transmissæ, de eo, qui cognovit, contra eum, qui cognovit consanguineam Uxoris intra secundum gradum, nisi ex dispensatione Pontificis; & si conjugatus existat ad non petendum debitum; incurritur, & obligat ante Judicis sententiam. Sic etiam pœna lata *in Cap. Super hoc, Cap. Significasti, & Cap. final. de eo, qui duxit in Matrim. quam polluit per Adult.* contra eum, qui fide data de Matrimonio contrahendo cum illa, cum qua adulterium committit, ne mortua uxore cum illa contrahere possit; incurritur pariter ex communi sententia ante Judicis sententiam: cùm sint pœnæ latæ in detestationem criminum commissorum. Ad dignoscendum autem quando apponuntur ut pœnæ nullitates istæ actuum, aut inhabilitates ad illos; & quando apponuntur non ut pœnæ, sed ut formæ, & solemnitates quædam, sine quibus actus consistere nequit, & habilitas ad il-

ad illum ob bonum regimen ſervandum, & ad fraudes præcavendas; attendendum erit ad verba legis, ex quibus conſtare poterit, ſi apponantur in pœnam delicti commiſſi, & in ejus deteſtationem, ac punitionem; pœna ſiquidem ſemper ſupponere debet delictum commiſſum, quod legislator deteſtatur *ex Cap. Pœnitentiæ, de Pœnit. diſt. 3.* aliàs pœna non erit. Secus verò ſi apponantur ut formæ, & ſolemnitates requiſitæ ad valorem actus, ut accidit in Matrimonio clandeſtino, aut inter gradus prohibitos contracto; vel in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum abſque requiſita ſolemnitate facta; in quibus nullitas, & inhabilitas ad actum non apponuntur ut pœnæ, ſed ut formæ, & ſolemnitates, ſine quibus actus nullus eſt eo ipſo ante quamcumque Judicis ſententiam: ut ex Matienzo, Azevedo, Sanchez, Salas, & Farinacio docet Caſtropalaus eos referens *de leg. diſp. 2. pun. 2. num. 2.*

6 Reſp. 3. Pœnam Conditionalem, ſeu Impoſitam à lege ſub conditione; obligare ante Judicis ſententiam: & ratio eſt, quia revera non eſt pœna, ſed conditio, ſub qua favor conceditur, & ſine qua concedens favorem non vult illum concedere. Nec lex iſta eſt revera Pœnalis privans re acquiſita, hoc enim propriè importat lex Pœnalis; ſed privans jure acquirendo, ſcilicet nolens jus conferre, niſi ſub tali conditione. Quando autem dicitur, legem pœnalem non obligare ante Judicis ſententiam, ſermo eſt de lege verè pœnali, hoc eſt privante Jure acquiſito; non verò privante jure acquirendo. Sic Suarez, *lib. 5. de leg. cap. 6. num. 10.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 21. num. 77.* Valentia 1. 2. *diſp. 7. quæſt. 5. pun. 6. §. 3.* Sotus 1. *de Juſt. quæſt. 6. art. 6. ad 4.* Sayrus *lib. 3. cap. 9.* Reginaldus *lib. 13. num. 276.* Bonacina *de leg. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 7. §. 2. num. 24.* & Caſtropalaus *de leg. diſp. 2. pun. 2. num. 3.*

7 Hinc ſit 1. non poſſe Virginem legatum ſibi relictum ſub ea conditione, ſi virgo permanſerit, & caſtè vixerit, percipere non ſervando Virginitatem, nec caſtè vivendo. Idem dicendum de reliquis Legatis ſub aliqua conditione, & forma relictis; nequeunt enim in conſcientia percipi, & urget obligatio ea reſtituendi hæredibus: eo quia ſunt conditiones, & formæ appoſitæ à legante, & non adimpletæ, ſub quibus legatum conceſſum fuit, & non aliter; non verò ſunt pœnæ ſtatutæ in deteſtationem fornicationis, aut alterius noliti à legante. Nec requiritur in teſtamento, ut apponatur formula illa, ipſo facto; nec ulla prorſus ſententia Judicis declaratoria criminis. Sic Graffius, Molina Theologus, Navarrus, Reginaldus, Vaſquez, Cajetanus, Sanchez, Valentia, Salas, Suarez, quos referunt, & ſequuntur Caſtropalaus *de leg. diſp. 2. pun. 2. num. 3. in fine*, & Bonacina *de legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 7. §. 2. numer. 25.*

8 Fit 2. non eſſe pœnam, ſed conditionem fruendi privilegio fori, qua ceſſante ceſſat favor; illam appoſitam à Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform.* Clericis Minoribus non habentibus beneficium, ſi videlicet habitum clericalem geſtent: eo quia Tridentinum vult concedere favorem hunc Clericis Minoribus non habentibus beneficium ſub hac conditione, quòd habitum clericalem geſtent. Idem dicendum de Clericis Conjugatis, quibus privilegium fori concedit ſub his conditionibus, quòd ſcilicet cum unica, eademque Virgine contraxerint, & ſint addicti ſervitio alicujus Eccleſiæ, quibus conditionibus non adimpletis ceſſat favor ipſo facto, & ante ſententiam Judicis fruendi privilegio fori. Denique conditio eſt, non pœna illa appoſita *in Cap. final. §. Si quis verò, de Clandeſt. Deſponſat.* quòd filii nati ex Matrimonio clandeſtino invalido non poſſint eſſe legitimi; cùm eis deficiat conditio à jure requiſita, ut ſint legitimi, nempe ut nati ſint ex Matrimonio, & tale *non* eſt Matrimonium clandeſtinum invalidum. Sic Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 13. num. 8.* Valentia, Suarez, Sayrus, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de leg. diſp. 2. pun. 2. num. 3.*

9 Controvertitur tamen: an ſit pœna, an verò conditio Statutum illud aliquorum Collegiorum, & Seminariorum, quod præſcribit admiſſis in Collegium, & Seminarium: ut ſi tale delictum commiſerint, non ſolùm priventur privilegiis Collegii, ſed teneantur reſtituere quidquid à Collegio accepere? Pro qua controverſia in diverſas abiere ſententias Doctores. Sotus namque, Sayrus, Reginaldus, & Salas penes Bonacinam *de leg. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 7. §. 2. num. 26.* docent eſſe conditionem ſic admittendi in Collegium, & ſub hoc onere; adeoque admiſſum committentem delictum teneri in conſcientia ante quamcumque Judicis ſententiam ad reſtitutionem acceptorum à Collegio, & ad deſiſtendum à fruendo privilegiis ejuſdem Collegii. Molina verò, Suarez, Vaſquez, Navarrus, Azor. quos ſequitur, & refert Bonacina citatus, ſuſtinent, eſſe pœnam, adeoque ad obligandum indigere Judicis ſententia, ſaltem declaratoria delicti: eo quia receptio in Collegium fuit abſoluta, non verò conditionata; & pœna, quæ privat privilegiis acquiſitis, non tamen acquirendis, eſt ſtrictè, & propriè pœna; & pœna propriè talis incurri nequit ante Judicis ſententiam. Sed ut verum fatear in hac diverſitate ſententiarum, quæ ſuam habent probabilitatem; recurrendum puto ad conſuetudinem, & praxim talium Collegiorum; ab ipſis enim petendum eſt, ſi ſit pœna, aut conditio. Cùm enim legislator, & Inſtitutor potuerit aut pœnam, aut conditionem apponere, & id *non* expreſſerit, nam ſi expreſſiſſet locum non haberet controverſia; inde eſt, quòd conſuetudo, & praxis optimæ legum interpretes, poterunt ejus mentem explicare, adeoque ipſis ſtandum. Sic expreſsè Caſtropalaus *de leg. diſp. 2. pun. 2. num. 4. in fin.* & innuit Bonacina *loc. cit.*

Quæres 2. Quomodo explicandum effatum illud com- 10
mune Doctorum, receptum à D. Thoma 2. 2. *quæſt. 62. art. 3. in corp. ad 3.* & Sanchez teſtatur *lib. 3. de Matr. diſp. 13. num. 2. & lib. 7. diſp. 89. num. 11.* pariter receptum eſſe ab omnibus Theologis, & utriuſque juris peritis: ſcilicet nullam pœnam reo imponi poſſe abſq; Judicis ſententia præter cenſuras eccleſiaſticas, & irregularitatem. Ut autem diſtinctius procedamus,

Reſp. 1. explicandum, & intelligendum eſſe de pœnis, quæ ad ſui executionem requirunt actionem, ſeu de pœnis poſitivis: nam nulla lex eſt neque in Jure Civili, neque Canonico, quæ ad hujuſmodi pœnas poſitivas, ſeu requirentes actionem ad ſui executionem obliget abſque Judicis ſententia, ſaltem declaratoria criminis. Et ſi aliquæ Leges Regiæ in Hiſpania videantur eſſe, quæ obligent reum ad pœnam luendam ante Judicis ſententiam; attamen teſtatur Salas *diſp. 15. de legib. ſect. 3. num. 49.* conſuetudine, & uſu non fuiſſe receptas, niſi ſaltem ſententia Judicis declaratoria criminis haberetur. Et ſic explicant Suarez *de leg. lib. 5. cap. 7. num. 6.* Farinacius plures referens 2. *par. Frag. de legib. num. 157. pag. 202.* & Caſtropalaus *de legib. diſp. 2. pun. 2. num. 6.* Per hoc tamen non denegatur, quòd Legislator non poſſit hanc pœnam imponere, ſi moderata ſit, ſed quòd de facto non ſit impoſita.

Reſp. 2. explicandum, ac intelligendum eſſe pariter 11
de pœnis privativis, privantibus tamen jure quæſito, non verò quærendo, excepto Jure quæſito petendi debitum, quo privantur Conjuges inceſtuoſi ante quamcumq; Judicis ſententiam etiam declaratoriam inceſtuoſi criminis: nam ut rectè probat Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 30. num. 2.* praxis, conſuetudo, ac uſus obtinuit, ut obliget hæc pœna eodem modo reos, ac obligant pœnæ cenſurarum, & irregularitatis. Cæterum ferè ſemper reliquæ pœnę privantes jure quæſito requirunt ad ſui plenam executionem declarationem delicti per Judicis ſententiam, etiamſi lex ipſa pœnalis dicat, ipſo facto, vel ante declarationem: & ratio eſt, tum quia odia ſunt reſtringenda, & in pœnis ſemper benignior interpretatio facienda eſt *ex Regul. In pœnis, de Regul. Jur. in 6.* tum quia uſus, & conſuetudo legum interpres, ſic comprobat, ut abſque Judicis ſententia declaratoria criminis nemo obligetur ad ſpoliandum ſe jure quæſito, & ad pœnam ſubeundam, etiamſi in lege addatur, ipſo facto, vel ante declarationem; quod ſemper intelligi debet ante declarationem pœnæ, non verò ante declarationem criminis, & delicti. Nam Hęretici *ex Cap. Cùm ſecundùm Leges de Hæretic. in 6.* ipſo jure privantur bonis poſſeſſis à die commiſſis criminis; & tamen ex communi ſententia non tenentur bona tradere fiſco; & alienationes, ac contractus ab ipſis initi ante ſententiam declaratoriam criminis validi ſunt. Inſuper Simoniaci ex Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 18. de Refor.* & ex Conſtit. Pii IV. adverſus committentes Simoniam ipſo jure ſpoliantur beneficiis obtentis, ac inhabiles reddũtur ad alia obtinenda; & tamen non obligantur renunciare beneficiis obtentis, aliàs obligarentur ad manifeſtandos ſeipſos; nec ad privandum ſe adminiſtratione Sacramentorum, & aliis muniis, & juribus

bus beneficio adnexis, ac receptione fructuum beneficii, aliàs obligarentur ex se ipsis ad gravem necessitatem patiendum; ergó clarè colligitur ad subeundas pœnas privantes jure quæsito semper expectandam esse saltem sententiam Judicis declaratoriam criminis, ut delinquens eas integrè incurrat. Ad quam declaratoriam de necesse prærequiritur citatio partis, ut docet Julius Clarus *in Pract. §. final. quæst. 31. num. 3.* Tuscus *verb. Declaratio concl. 98. num. 62.* & Farinacius *1. par. Fragm. Crimin. num. 167.* Qui statutam sententiam sequuntur, quam etiam sustinent Sà *verb. Lex num.* 11. Covarruvias *2. par. Sponsal. cap. 6. §. 8. num. 8.* Vasquez *de legib. disp.* 178. *cap. 4. num.* 25. Lessius *lib. 2. de Just. cap. 29. dub. 8. & cap. 34. dub. 34.* Castro *lib. 2. de Just. hæret. punit. cap. 9.* Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 53. à num. 5.* Salas *de legib. disp. 15. à num. 46.* & Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 2. num. 8.*

Neque dicas 1. plures haberi Textus, in quibus ipso facto pœna privationis beneficiorum, aut inhabilitationis ad vocem activam, & passivam imponitur ob delictum. Nam vel pœnæ appositæ non sunt usu receptæ, si ob delictum tantùm appositæ fuere; vel sunt pro illis delictis, quæ censura ligantur: & mihi dubium non est, pœnas privativas censuris adnexas hanc vim obligandi habere ante Judicis sententiam declaratoriam criminis, sicuti diximus de censura ipsa: sed nobis sermo est de pœnis privativis jure quæsito ob delictum tantùm, pro quibus necessaria videtur sententia declaratoria delicti. Sic ex Soto, Sà, Ledesma, Sanchez, & Molina docet Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 2. num.* 11.

Dices 2. si in lege pœnali apponente verba illa, ipso facto, & absque alia declaratione incurratur pœna commisso delicto, adhuc requireretur judicis sententia declaratoria criminis ad incurrendam pœnam pro jure quæsito; gratis apponerentur verba illa, & nullum daretur discrimen inter legem statuentem pœnam ipso facto, seu latam, & inter legem pœnalem statuentem ferendam; adeoque omnis lex pœnalis deberet esse de pœna ferenda, non verò lata. Sed contra est: non enim gratis apponuntur verba illa, quia si semel habentur in aliquibus legibus pœnalibus, non requiritur sententia condemnatoria, sed sufficit sola declaratio criminis; ubi tamen non habentur, utraque requiritur. Insuper discrimen inter legem ipso facto ferentem pœnam, seu de pœna lata; & legem de pœna ferenda non est declaratio criminis, vel non; sed quòd lex de pœna lata ipso facto privat, quantum est ex se, delinquentes bonis; & facit quòd omnes actus, qui post delictum fiunt; veniant irritandi, si sunt irritabiles, sub conditione tamen, quòd declaretur delictum; nec indiget, ut feratur sententia de privatione bonorum, aut irritatione actuum; sed quòd merè declaretur delictum à Judice. Lex verò de pœna ferenda non privat, quantum est ex se, delinquentes, sed remittit Judici, ut privet; quod quidem discrimen magnum est inter leges de pœna lata, & ferenda. Sic ex Salas, Sanchez, Gomez, Vasquez, Graffis, Molina, Henriquez, Sayrus docent Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 2. num. 8. in fine*, & Castropalaus *de legibus disp. 2. pun. 2. num. 13.*

12 Resp. 3. non habere locum effatum superiùs dictum in pœnis privativis privantibus jure quærendo, quod scilicet acquirendum sit, non verò quæsitum, & incœptum possideri; multæ siquidem dantur pœnæ sic privantes jure quærendo tam in Jure Canonico, quàm Civili; quæ videlicet contrahantur ante quamcumque Judicis sententiam, etiam declaratoriam criminis: & ratio est, quia Respublica cùm dominium habeat bonorum suorum, jure optimo poterit ea non donare, nec dominium transferre in eos, qui leges à se latas non observant: maximè quia hæc non est absolutè, & strictè pœna, cujus est privare jure quæsito, ac incepto possideri, ut superiùs notavimus ex Sanchez; pœna verò, quæ privat jure quærendo, ac impedit translationem dominii; non est absolutè pœna, sed potiùs conditio, sine qua non. Sic Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 2. num. 7.* & conveniunt Doctores passim.

13 Hinc fit; ante quamcumque Judicis sententiam teneri in conscientia habentem beneficium Parochiale, si nondum Sacerdos sit, ad Sacerdotium intra annum suscipiendum; itaut si culpa sua intra annum non susceperit, obligetur in conscientia ad beneficium dimittendum nulla præmissa monitione. Sic *ex Cap. Licèt Canon, de elect. in 6.* Teneri Episcopum, qui non consecratur intra sex menses à sua confirmatione, Episcopatum dimittere ante declaratoriam Judicis, cùm sub hac conditione Episcopatus illi concedatur, ut constat ex Trident. *sess. 23. cap. 2. de Reform.* Eodem modo teneri ex eodem Tridentino *l. c. cap. 1.* Beneficiarios non residentes in suis Ecclesiis ad restituendos fructus pro rata absentiæ, quos suos non faciunt; alia etiam declaratione non secuta. Et ex Constitutione Pii V. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi*, teneri eodem modo ad fructus restituendos Beneficiarios non recitantes Horas Canonicas pro rata temporis, in quo non recitarunt; non enim faciunt illos fructus suos, cùm sub hac conditione dati fuerint. Ex quibus, & ex similibus Textibus constat, pœnam privativam juris quærendi incurri posse ante Judicis sententiam, etiam declaratoriam criminis.

Quæres 3. an pœna Conventionalis, ex mutuo scilicet 14
consensu, & conventione contrahentium apposita debeatur ante Judicis sententiam? Resp. pœnas conventionales non reprobatas à Jure Canonico, vel Civili: (nam reprobatæ nullę sunt, nec ullam obligationem inducere possunt;) suam obligationem inducere dependenter ab intentione contrahentium: quapropter si contrahentes expressè se obligarunt ad pœnam solvendam ante Judicis sententiam, indubitatum est, sic esse solvendam etiam non petente parte: cùm totam vim obligatio sumat ex pacto, & promissione mutua facta sine ordine ad Judicis sententiam. Et sic expressè habet Suarez *lib. 5. de leg. cap. 6.* Controversia igitur est, quando apposita est pœna Conventionalis absque tali expressione; sed contrahentes mutuò se obligarunt ad pœnam, quam designant; solvendam, si resilierint à contractu inito. Et quamvis in tali casu etiam putent solvendam ante Judicis sententiam, petente tamen parte, Azorius, Molina, Rebellus, Covarruvias, Valentia, Salas, Menochius, Suarez, Guttierrez, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 2. num. 23.* quorum sententia mihi magnæ probabilitatis apparet: eo quia, ut dixi, cùm sit lex quædam particularis sibi imposita à contrahentibus, totam vim sumit in obligando ex pacto inter ipsos apposito, non verò ab ordine ad Judicem, cujus loco succedit petitio partis: patet hoc in Voto pœnali, quod statim obligat absque Judicis sententia, cùm sit lex particularis sibimet imposita à vovente. Nihilominus magnam etiam probabilitatem habet sententia opposita docens requiri sententiam Judicis ad eam solvendam: ratio est, quia licèt hæc obligatio oriatur à lege particulari sibi mutuò imposita à contrahentibus; attamen sicuti in lege imposita à Jure communi non contrahitur pœna requirens actionem positivam absque Judicis sententia; sic etiam in lege particulari, quæ regulanda erit juxta legem communem, dum aliud non exprimitur in contrarium: maximè quia nimis expedit Judicis sententia ad modificandas exuberantes pœnas, quas inconsideratè possent sibi apponere contrahentes. Nec urget paritas ex Voto pœnali: quia ibi promissio, & debitum contrahitur cum Deo; hìc verò fit, & contrahitur cum hominibus. Sic Sanchez, Navarrus, Beja, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 2. pun. 3. num. 4.* & Tuscus ab eodem relato.

Quæres 4. quas pœnas reus teneatur exequi, ac sibi 15
infligere post latam à Judice sententiam? Resp. 1. teneri ad non resistendum Judici infligenti pœnas post legitimam sententiam latam: & ratio est, quia completo judicii ordine tenetur reus parere legi justè præcipienti: nam nulla ipsi irrogatur injuria, adeoque nullum jus habet ad resistendum. Poterit tamen sine resistentia fugere, si pœna gravissima sit: quia tale jus habet à natura. Quòd si sententia à Judice lata fundetur in falsa præsumptione: ut si quis ob delictum à se revera non commissum damnaretur ad grave supplicium; tunc si spes evadendi fulgeat, poterit armis se defendere à Ministris Justitiæ, & fugere: eo quia ipsi infertur injuria saltem materialis, quam potest vi repellere: ad eum modum, quo quis potest se armis defendere ab invasione hominis furentis: ut docent Vasquez, Sotus, Lessius, & Salas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 2. pun. 4. num. 1.* Quamvis vulnerare non possit Ministros Justitiæ, ut præcitati Doctores adnotant, sed tantùm armis terrere: eo quia non licet injuriam facere, quando Judex injuriam non infert: esto aliqui Doctores relati à Covarruvia *1. Var. cap. 2. numer. 13.* asserant, vulnerare posse, si alia non supperat

via

via evadendi; sicuti licet hominem furentem vulnerare, si non habeatur alia via evadendi ab illo. Sed quod diximus, rectius videtur; cùm non inferant injuriam, ut talem cognitam; sed potiùs apprehendant Justitiam administrare.

16 Resp. 2. teneri reum ad subeundas pœnas, & eas sibi infligendas; nec non actiones exercere, quas licitè exercere potest, ac ab ipso commodiùs exercentur; dummodo tamen non sint inhumanæ, & nimium acerbæ, insuper quòd judicium completum sit, nec detur locus appellationi, aut alteri remedio Juris ad infirmandam sententiam prolatam. Hinc est, quòd prolata jam ultima sententia ad mortem, aut exilium, vel aliud supplicium, quod fugiendo vitare nequeat; poterit reus, & debebit ad locum præparatum ire; collum aptare, vel manus, aliasve actiones exercere, quæ commodè ab ipso fieri possunt, non verò à carnifice: ratio est, quia tenetur parere legi justè præcipienti; sed nequibit parere, nisi tales pœnas subeat, & tales actiones exerceat; ergo poterit, imò debebit prædictas pœnas sibi infligere, ac actiones exercere. Nec cooperatio ita esset proxima, imò remota ad propriam mortem, ac ex se indifferens ad illam: maximè ne videatur impatienter, ac desperatè mortem subire, & velle Judici præcipienti resistere. Sic Aragonius, Sotus, Covarruvias, Salas, Suarez, Savrus, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 2. *num.* 24. & Castropalaus *de legib. disp.* 2. *pun.* 4. *numer.* 3.

17 Resp. 3. non teneri reum, nec obligari posse neque ex lege, neque ex sententia Judicis damnantis ad inferendam sibi mortem sumendo venenum, aut omnino abstinendum à cibo oblato, vel se suspendendum, membrum aliquod sibi amputandum, aperiendas sibi venas, ut paulatim è vita decedat, ad verberandum se graviter, & cum infamia: ratio est, quia nec recta ratio dictat, nec expedit bono communi, ad quod tales leges pœnales ordinantur; ut delinquens sit vindex sui ipsius; sat enim est bono communi, si pœnam pro delicto debitam patienter sustineat ab alio: esset namque nimis durum, ac inhumanum hoc onus delinquenti imponere, ut patet consideranti. Sic Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 10. *num.* 12. & 13. Vasquez *disp.* 173. *cap.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 26. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 288. Salas *de leg. disp.* 15. *sect.* 7. *num.* 82. Sà *verb. Judicialis actus*, *num.* 54. Castropalaus *de leg. disp.* 2. *pun.* 4. *num.* 2. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 2. *n.* 24. referens Aragonium, Sotum, Layman, & alios. Secus verò dicendum de aliis pœnis, ut esset exilium, carcer diuturnus, servitus; moderata verberatio; teneretur namque eas exequi delinquens post ultimam sententiam, quæ nec appellatione, aut alio Juris remedio infirmari possit: ratio est, quia parendum est justo præcepto, & justæ sententiæ: maximè quia tales pœnæ inhumanitatem non sapiunt, & bono communi conferunt; quapropter non poterit delinquens ab exilio, aut carcere fugere, vel à servitute. Sic communis sententia cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Suarez plures referente *lib.* 5. *de leg. cap.* 10. *à num.* 5. Navarro *cap.* 23. *num.* 66. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 2. *num.* 33. referente Aragonium, Covarruviam, Reginaldum, Salonium, Salas, Vasquez, Sayrum, & Layman, Castropalao *de leg. disp.* 2. *pun.* 4. *num.* 4. referente Azorium, Tiraquellum, & alios. Limitat tamen Castropalaus ex Suarez hanc communem sententiam, quando exilium esset perpetuum, & in aere, ac loco insalubri, & multis incommodis subjecto; aut si servitus esset perpetua in triremibus; vel carcer durus, obscurus, & tristis, ac ad longum tempus; multo magis si addantur malæ tractationes; tunc enim delinquens non videtur obligatus ad persistendum: quare si detur locus fugæ, poterit eam arripere, sed non lædendo Ministros justitiæ. Præcepta siquidem humana debent esse humana, & non sapere tyrannidem, & inhumanitatem, ut in conscientia obligare possint: cùm in pœnis adeò molestis nemo possit esse Minister Judicis contra seipsum, & obligari ad hoc efficiendum. In pœnis verò pecuniariis non habet locum limitatio ista, sed data sententia ultima, & jam declarato delicto, tenetur delinquens ad solvendam illam, dummodo tamen petatur ab eo, cui solutio facienda est: nam si non petat, poterit censere debitor, illam sibi condonare. Sic ex Suarez, Graffio, Vasquez, Salas, & aliis docet Bonacina *l. c. num.* 30. Et hanc doctrinam extendit ad aliam pœnam legis data in satisfactionem; quæ nisi petatur ab eo, cui debetur; licet censere, eam condonare, ac cedere juri suo. Extendit pariter idem Bonacina *num.* 31. ad bona devoluta Fisco ob delictum commissum, & jam declaratum per ultimam sententiam Judicis, in quo casu non tenetur delinquens ex se ipso bona fisco deferre; sed sat est, si permittat, ea bona à Fisco auferri; cùm non teneatur reus bonorum suorum confiscationem per se ipsum exequi; sed sufficit, si non impediat executionem; esset namque ipsi onus valde durum. Refert citatus Bonacina pro hac sententia Covarruviam, Felinum, Adrianum, Cajetanum, Reginaldum, Molinam, Graffium, Baldum, & alios contra Sotum, Medinam, & Cordubam.

Quæres 5. An pœnæ à solis delinquentibus solvendæ 18
sint? Resp. certam regulam, ac generalem esse: pœnas tantùm adstringere auctores delicti, eosque prosequi; nec ulteriùs progredi contra eos, qui procul sunt à delicto; sic constat apertè *ex Leg. Sancimus*, *Cod. de Pœnis*, & sic docent passim Doctores. Nec ratio dubitandi in contrarium, eo quia filii privari solent legitima, quæ illis debebat contingere, ob crimen læsæ Majestatis, præsertim Divinæ, commissum à Patre, non ab ipsis, aliquid probat. Nam cùm filii sint aliquid Patris, & cum illo conjuncti; inde est, quòd pœna privationis legitimæ, Officiorum, & similium non irrogetur ipsis filiis, sed patri: esto pœnam illam patiantur pariter innocentes filii. Quòd si pœna data patri ob crimen ab ipso commissum adæquet demeritum delicti, non poterit ulterius extendi ad filios, & injustum esset Statutum hoc præscribens, quod solùm habet locum, quando pœna non adæquat delictum. Sic Castropalaus *de leg. disp.* 2. *pun.* 6. *num.* 3.

Quæres 6. an Judex possit dispensare in pœna à lege 19
præscripta; an verò teneatur eam exequi? Resp. si Judex supremus sit, videlicet ipse Legislator, poterit pœnam à lege taxatam remittere, & in ea dispensare, vel arbitrari: ratio est, quia lex non arctat legislatorem, & ad illam imponendam delinquenti à sola lege arctari posset. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 4. quem communiter sequuntur Theologi, & Jurisperiti. Sed controversia est: an si id efficeret absque legitima causa peccaret? Sed dicendum puto: si ab omni pœna delinquentem liberaret sine causa legitima, graviter peccaturum, non quia agit contra propriam legem, sed quia abutitur potestate publica, accepta à Communitate, in perniciem ipsius Communitatis, & boni publici. Si verò sine causa legitima temperaret tantùm rigorem legis; venialiter peccaret eximendo sine causa subditum ab obligatione legis communis. Sed rarò, vel numquam accidit hic casus, quòd Supremus Princeps sine causa id efficiat: cùm motivum sufficiens sit ad id efficiendum ostensio benignitatis, & liberalitatis in Principe; remuneratio, & gratificatio meritorum ipsius delinquentis, vel ejus Progenitorum, intercessio Magnatis alicujus, & similia: sunt enim hæ causæ legitimæ, & in bonum commune vergentes: ut docent Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 11. Salas *de leg. disp.* 15. *sect.* 8. *num.* 109. & Castropalaus *de leg. disp.* 2. *pun.* 5. *num.* 1.

Si tamen de Judice non supremo, sed inferiori, ac subdito Legislatori sermo sit, communis sententia eum obligat ad exequendam pœnam à lege taxatam, sive pœna corporalis sit, sive pecuniaria: ratio est, quia si pœna est lata, semel ac Judex declarat delictum, declarat pariter, & pœnam delicto adnexam, quam impedire nequit, cùm non sit superior Legislatore; nec causæ adductæ pro Legislatore militant pro ipso. Si verò pœna sit ferenda, & Judex procedit contra delictum; obligabitur multò magis ad pœnam ferendam, cùm lex illa nullum alium adstringat præter ipsum: nam non adstringit Legislatorem ad inferendam pœnam; nec reum, cùm ante impositionem non teneatur illam subire nec alium præter Judicem inferiorem, quia non habet talem facultatem; ergo Judicem inferiorem adstringit, penes quem non habent locum causæ legitimæ adductæ pro supremo Judice. Quòd si aliquando minuunt, vel augent inferiores Judices pœnas à lege taxatas; id efficiunt ductu aliarum legum considerantium alias circumstantias in delicto: adeoque semper verum erit dicere, quòd secundùm legem judicent, & ab ipsa regulentur. Sic ex Suarez, & Salas docet citatus Castropalaus *num.* 2. & 3.

CA-

CAPUT XIII.

De Lege Irritante.

1 *Lex humana irritare potest actus subditorum contra præscriptum Legis factos.*
2 *Irritare potest ipso jure, aut expectata Judicis sententia.*
3 *Irritare insuper potest explicitè, vel implicitè.*
4 *An Lex Irritans dicenda sit pœnalis?*
5 *An ex eo, quòd Lex prohibeat actum, censeatur illum irritare?*
6 *Quomodo dignoscendum, quando Lex ipso facto actum irritat?*
7 *An ex hoc, quòd Lex irritet actum, eum prohibeat in foro conscientiæ?*
8 *An Irritatio ipso jure imposita requirat ad sui effectum sententiam Judicis?*
9 *An Lex Irritans actum ob non servatam solemnitatem, à se præscriptam, reddat illum nullum in conscientia ante sententiam Judicis, si actus ille in particulari fundetur in falsa præsumptione?*
10 *Ad incurrendam Irritationem requiratur scientia Legis?*
11 *An actus irritus à Lege humana obligationem naturalem in conscientiam inducat?*
12 *Quænam omissio formæ substantialis à Jure requisitæ reddat actum irritum?*
13 *An actus sine solemnitate à Jure præscripta factus ob justam, & urgentissimam causam validus sit? an verò non, & epykejam excludat?*
14 *Quando pœna imposita actui irrito afficiat illum? & quando afficiat actum validum?*
15 *Quomodo impediri possit Irritatio?*

1 NON solùm lex humana habet vim obligandi ad aliquos actus faciendos, aut abstinendum ab illis; verùm etiam vim habet irritandi, ac annullandi aliquos actus subditorum, si facti fuerint contra præscriptum legis, taliter ac si facti non fuissent. Nam sicut expedit in bonum commune, & Reipublicæ Legislatorem habere facultatem obligandi subditos ad aliquos actus efficiendos, aut abstinendum ab illis, sic pariter expedit, facultatem habere irritandi & annullandi nonnullos actus ipsorum subditorum contra præscriptum legis, cùm etiam hæc ipsa facultas vergat in bonum commune: maximè quia si licitum est particularibus contrahentibus conditionem apponere, sub qua actus valeat, non verò sine illa; cur igitur hoc ipsum non habebit potestas publica respectu suorum subditorum, ut aliquas conditiones apponat, sub quibus actus, & gesta valeant; non verò sine illis?

2 Jam verò dupliciter lex irritare potest actum, 1. ipso jure, 2. expectata Judicis sententia. Tunc dicitur lex ipso jure irritare actum, quando actus ita nullus est ex ipso jure, ut non indigeat Judicis sententia ad sui irritationem, sed absque illa irritus, & nullus est. Sic contractus Matrimonii clandestini, ubi viget Tridentinum, ex se nullus est ante Judicis sententiam irritantem. Sic etiam Matrimonium contractum inter gradus ab Ecclesia prohibitos. Idem dicendum de contractibus ab impuberibus celebratis; ac de contractibus alienantibus res Ecclesiasticas sine solemnitatibus requisitis, & similibus. Tunc verò dicitur lex irritare actum expectata Judicis sententia, quando non est irritus ante sententiam à Judice prolatam, sed venit irritandus ab illa. Sic est contractus, in quo habetur deceptio ultra medietatem justi pretii *ex leg. 2. Cod. de rescinden. vendit.* Sic etiam sunt aliqui contractus metu gravi celebrati, qui rescindendi veniunt per sententiam Judicis, de quibus videndus Lessius *lib. 2. de Just. cap. 17. dubit. 6. à num. 36.*

3 Insuper lex irritare potest actum explicitè, aut implicitè. Tunc dicitur explicitè irritare actum, quando apponit verba explicita irritantia illum; ut si actum aliquem prohibeat, & addat verba illa: si fiat, non valeat, sed careat robore, & firmitate, ut habetur *in Cap. Decet, §. Ordinarii, de Immunit. Eccles. in 6.* Tunc verò dicitur irritare implicitè, quando utitur verbis æquivalentibus, & præcipuè si præscribat formam in contractibus servandam, qua deficiente corruit contractus: forma siquidem præscripta dat esse illi; ut docent passim DD. *in Clem. unic. de Reb. Eccles. non alien. Cap. quia propter de Elect. Cap. ult. de Restit. Spoliat. & Cap. Cùm dilecta, de rescript.* Hanc autem irritationem explicitam, & implicitam admittunt Doctores *in leg. Actus Legitimi, ff. de Regul. Jur. & in Cap. Actus Legitimi de Regul. Jur. in 6.*

Controverti hìc solet: an lex Irritans dicenda sit potiùs pœnalis, an verò non? Sed breviter dicendum, pœnalem esse, si irritatio fiat in pœnam commissi delicti: sic sunt leges irritantes Matrimonium ob Uxoricidium, & ob crimen adulterii cum promissione futuri Matrimonii. Sic etiam lex Irritans electionem ad beneficium ob commissam simoniam: in pœnam enim, & detestationem transgressionis factæ contra legem prohibentem apponitur irritatio actus, ad quem potestatem habebat contrahens: ut docent Suarez *de legib. lib. 5. cap. 19. num. 7.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 4. num. 9.* & Salas *de legib.* plures referens *disp. 16. sect. 2.* Si tamen Irritatio fiat à lege non ob delictum commissum, sed ob bonum commune sive Religionis, sive Reipublicæ, aut etiam particularium; non erit pœnalis, sive directa sit, sive indirecta; sive explicita, sive implicita: ratio est, quia irritatio non est in detestationem commissi delicti, sed ob consulendum bono Religionis, vel Communi, aut privatorum. Sic sunt leges irritantes actum ob non servatam formam præscriptam, ut evenit in Testamento non habente requisitos testes; in Matrimonio contracto sine Parocho, & Testibus, in alienatione rerum Ecclesiasticarum sine requisitis solemnitatibus; in professione religiosa ante decimum sextum annum; & aliis similibus in quibus vel attenditur solum honestas, & Religio, ut in legibus prohibentibus Matrimonia Clericorum, & Religiosorum, Consanguineorum, & Affinium; vel bonum commune, aut privatum, ut in legibus prohibentibus contractus sine certis requisitis; & contractus pupillorum sine authoritate Tutoris. Sic ex Doctoribus citatis docet Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 7. num. 4.* 4

Quæres 1. an ex hoc, quòd lex actum aliquem prohibeat; censeatur illum irritare? Resp. negativè: & ratio est, quia aliud est prohibere actum, aliud illum irritare: nec semel ac prohibet actum, reddit illum ex natura sua irritum, cùm multi actus dentur, qui quamvis prohibeantur, & illicitè fiant; si tamen fiant, validi sunt, unde ortum tritum axioma: multa fiunt illicitè, quæ tamen facta tenent. Quapropter ut lex prohibens inducat irritationem, & nullitatem in conscientia, debet illam explicare: cùm enim prohibitio odiosa sit, restringi debet, nec dilatari ad irritationem, nisi verba legis prohibentis eam significent. Non ego tamen, quòd ubi usus, & consuetudo induxerit accipiendi simul legem prohibentem pro irritante; ita servandum sit: nam tunc actus erit Irritus non ipso jure, sed ex usu, & consuetudine, quæ vim legis habent. Sic Suarez *lib. 5. de legib. cap. 25. num. 11.* Salas *de legib. disp. 16. sect. 8. num. 26.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 2. num. 10.* Molina *tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 88.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 5. num. 8.* & Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 8. num. 2.* 5

Quæres 2. quomodo dignoscendum, quando lex actum irritat ipso facto? Resp. dignoscendum ex ipsis verbis legis: nam si expressè dicant, talis actus ipso jure, ipso facto, eo ipso, ex tunc irritus sit; nimis apertè constat extra omnem controversiam, actum irritari, ac annullari à lege. Sic passim Doctores. 6

Sed controvertitur 1. de verbis illis, scilicet careat omni robore, omni jure, omni firmitate, omnibus viribus. Item de verbis illis: nullius sit momenti, nullius efficaciæ, valoris, ac roboris: an inquam inducant irritationem actus ipso jure pro foro conscientiæ? Communior responsio Doctorum rectè distinguit: si verba ista cadunt super actum faciendum, videtur nimis clarum, velle actum irritare, ac omni jure, robore, firmitate, efficacia, ac valore eum privare, & ipso jure nullitatem in eum inducere. Si verò cadant super rem, aut omissionem circumstantiæ alicujus, ob quam actus irritari possit; tunc non ipso jure Irritatio habetur, sed per Judicem habenda erit; eo quia æquè verba illa referri possunt ad Judicem, ac ad Reum; & in tali casu benignè explicanda erunt referendo illa ad Judicem, cujus sententia expectanda erit. Sic ex Farinacio, Tiraquello, & aliis docet Castropalaus *de leg. disp. 2. pun. 17. num. 2. & 3.*

Controvertitur 2. de verbis illis: non potest, non possit, non valeat; quæ resistunt, ac repellunt actus po-

potentiæ. Et quamvis videantur ipso jure inducere nullitatem, quia sublata potentia nullus est actus, & ita regulariter evenit. Nihilominus non semper denegant valorem actus, sed aliquando ejus usum licitum: nam id quod licitè fieri nequit; absolutè dici potest, non posse fieri. Sic *ex Cap. Litteris, de Restit. Spoliat. & ex Cap. Faciat homo* 22. *quæst.* 2. docent Suarez, Salas, Covarruvias, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp.* 2. *pun.* 17. *num.* 4.

7 Quæres 3. an eo ipso, quod Lex actum irritet, illum prohibeat in foro conscientiæ? Resp. ex eo præcisè, quod actus irritetur, non bene infertur, quod prohibeatur in foro conscientiæ; nisi simul cum lege irritante conjungatur lex prohibens. Et de facto Matrimonium celebratum metu gravi injustè incusso irritum, & nullum est; & tamen sic celebrans illud excusatur à peccato ob metum gravem. Idem dicendum de emittente professionem religiosam ob metum gravem, quæ nulla est, quamvis emittens illam non peccet. Sic etiam de condente Testamentum sine solemnitatibus requisitis, quod quamvis invalidum sit; non ideò condens peccat. Si tamen ex verbis legis ipsius præceptivis ad personas directis, aut ex materia execrata à lege colligatur irritatio, certum est, tunc legem irritare actum, & ipso jure illum prohibere pro foro conscientiæ. Sic lex irritans electionem Religiosi in Episcopum acceptantis Episcopatum absque facultate sui Prælati, simul prohibet talem acceptationem. Sic etiam lex irritans collationem beneficii in confidentiam simul prohibet in conscientia talem collationem. Ita ex Salas, & Suarez docet Castropalaus *de leg. disp.* 2. *pun.* 11. *num.* 1. *&* 4.

8 Quæres 4. an Irritatio ipso jure imposita à lege requirat Judicis sententiam, ut effectum suum sortiatur? Resp. quamvis aliqui Doctores cum Salas *disp.* 16. *de leg. sect.* 3. putent, quòd si Irritatio sit pœnalis, sequi debeat naturam legis Pœnalis, quæ requirit sententiam declaratoriam Judicis. Si verò Pœnalis non sit, illam non requirit. Nihilominus videtur probabilius, Irritationem ipso jure impositam non requirere declaratoriam Judicis, ad hoc ut suum effectum sortiatur; nisi fundetur in falsa præsumptione: maximè quando non servatur forma substantialis à lege requisita ad valorem actus, & addat ipsa lex verba irritantia: ratio est, quia non est pœna, quæ requirat ad sui executionem actionem hominis; adeoque incurri poterit ante quamcumque declaratoriam Judicis. Sic ex Suarez, & aliis docet Bonacina *de leg. disp.* 1. *pun.* 7. §. 5. *num.* 5. Secus verò dicendum de irritatione, quæ succedit actui jam facto, ob omissionem alicujus formæ accidentalis: ut si à lege irritarentur venditiones, aut donationes, vel alii actus, ob gabellas impositas non solutas; tunc ad hoc ut integrum effectum habeat lex Irritans, requiritur saltem sententia declaratoria criminis commissi contra legem: ratio est, quia est pœna subsequens actum jam ritè factum, & sine legis resistentia, adeoque in odium commissi delicti imposita, quod delictum à Judice declarari debet. Sic ex Suarez, Sanchez, & Farinacio docet Castropalaus *de legib. disp.* 2. *pun.* 10. *numer.* 1.

9 Sed petes hìc: an lex irritans actum, Testamentum e. g., Electionem, Alienationem ob non servatam solemnitatem aliquam ab ipsa præscriptam; reddat revera actum illum nullum in conscientia, & antè declaratoriam Judicis; si irritatio actus fundetur in falsa præsumptione? Resp. quamvis non desint Doctores, qui asserant, talem actum esse ipso jure validum, quousque rescindatur; dummodo nil contineat contra naturalem justitiam, & æquitatem: eo quia fundatur in falsa præsumptione; cùm putet Testamentum fraudulenter factum, & hæreditatem cum dolo relictam; electionem esse alicujus indigni; alienationem esse in damnum Ecclesiæ: si ergo revera tale Testamentum est sine ulla fraude, & dolo; electio est alicujus digni, & alienatio est in utilitatem evidentem Ecclesiæ; non videtur credibile, Legem velle illum actum irritare, & ipso facto reddere nullum in conscientia. Sic tentiunt Navarrus, Panormitanus Felinus, Innocentius, Archidiaconus, Covarruvias, & Medina penes Castropalaum *de leg. disp.* 2. *pun.* 10. *num.* 4. Nihilominus oppositam sententiam puto sustinendam: quod videlicet leges irritantes tales actus statim sortiantur effectum suum in conscientia, si revera verba legis reddant actum nullum in se, quæ rigorosè pensanda erunt; nam aliquando reddunt actum nullum in se, aliquando in favorem partis, aliquando pro foro externo tantùm. Si enim reddunt actum nullum in se, pro omni foro ipso facto erit nullus; si in favorem partis, expectandus erit ejus consensus, ut rescindatur actus; si pro foro externo tantùm, expectanda erit sententia Judicis. Quòd autem, si actus nullus sit in se, statim obliget lex in conscientia ante Judicis sententiam, etiamsi in falsa præsumptione nitatur; probatur ex eo, quia ex una parte legislator media sua lege habet efficaciam inhabilitandi subditos ad contrahendum, non servata solemnitate à lege præscripta ob bonum commune; ex alia parte causa irritationis talium actuum non est fraus, & dolus, qui in singulis casibus interveniunt; sed qui intervenire possunt: cùm igitur verum sit, quòd non servata solemnitate à Lege præscripta possint intervenire, esto in aliquibus casibus in particulari non interveniant; inde est, quòd meritò Lex obligare possit in conscientia ipso facto ante Judicis sententiam, quia semper subsistit ejus ratio irritandi, etiam in casibus adductis, in quibus semper adest periculum fraudis, & doli. Sic Suarez alios referens *lib.* 5. *de leg. cap.* 34. *num.* 3. Salas *de leg. disp.* 16. *sect.* 9. *circa finem*, & Castropalaus *de legib. disp.* 1. *pun.* 10. *numer.* 7.

10 Quæres 5. an ad irritationem incurrendam requiratur scientia legis; an verò incipiat effectum suum sortiri à puncto publicationis? Resp. si legislator expresè declaret mentem suam, quòd videlicet intendat obligare à puncto publicationis legis irritantis actum; ex eo tunc obligat; maximè si leges conditæ sint Canonicæ, & Ecclesiasticæ, & si irritent ex defectu formæ substantialis: ratio est, tum quia legislator talem facultatem habet; tum quia lex quatenus est irritans non inducit talem obligationem in subditos, sed respicit tantùm ad irritandum actum, eumque annullandum sive scienter, sive ignoranter fiat; ergo non requiritur notitia Legis in operante, sed sat est, quòd lex constituta, & publicata sit, ut statim sortiatur effectum suum. Et in hoc conveniunt Doctores Navarrus, Menochius, Sylvester, Suarez, Sanchez, Farinacius, Layman, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de leg. disp.* 2. *pun.* 14. *num.* 1. *&* 2. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 7. §. 1. *num.* 6. Si tamen legislator non declaret mentem suam, quòd scilicet intendat obligare à puncto publicationis; tunc nec lex Ecclesiastica, nec Civilis inducet obligationem, nisi transeat solitum tempus ad obligationem inducendam post publicationem: ratio est, quia ante tempus illud non intelligitur Lex sufficienter subditis applicata; ita ut ad eorum notitiam pervenire possit, hoc enim expedit *rectæ* gubernationi, ad quam maximè confert, ut subditi sciant nullitatem suorum actuum in contrahendo; nisi aliunde verbis manifestis expresserit Legislator, velle obligationem inducere à puncto publicationis. Sic Sanchez, Suarez, & Castropalaus *l. c.* Ignorantia tamen legis Irritantis post publicationem, & tempus requisitum post publicationem nullatenus favet ad valorem actus irriti per legem: eo quia licèt ignorantia invincibilis, & inculpabilis legis excuset à peccato, non tamen dat valorem actui, si irritus declaratus est à lege: nam lex non respicit ad cognitionem, & scientiam operantis; dum actum irritat. Sic clandestinè celebrans Matrimonium, ubi Tridentinum viget, non peccabit sic contrahens, si legem Tridentini nesciat; non ideò tamen Matrimonium erit validum. Sic etiam profitens bona fide, & ex ignorantia invincibili ante decimum sextum annum completum non peccabit; sed non ideò professio emissa erit valida. Sic denique bona Ecclesiastica alienans non servatis solemnitatibus ex ignorantia invincibili non peccat; sed alienatio est invalida. Sic ex Sanchez, Navarro, Layman, & aliis docet Bonacina *de leg. disp.* 1. *pun.* 7. §. 5. *num.* 6.

11 Quæres 6. an actus irritus ab humana Lege inducat saltem obligationem naturalem in conscientia? Resp. Julium Clarum, & alios Doctores penes Salas *de leg. disp.* 16. *sect.* 12. *num.* 9. putasse, inducere obligationem naturalem. Verùm communis, & vera sententia docet, nullam obligationem naturalem inducere: ratio est, tum quia inutiliter posset Ecclesia, aut Legislator actum pro utroque foro irritare, si obligationem naturalem induceret; tum quia nulla potest oriri naturalis obligatio ex actu, cui Lex resistit: & quæ major resistentia præ irritatione? Sic constat *ex leg. Quod Pupillus. ff. de Condict. indeb.* & sic docent Sanchez *lib.* 1. *de*

1. *de Matrim. disp. 7. num. 16.* Sotus 4. *de Just. quæst. 5. art. 3.* Bonacina *de legib.* alios referens *disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 5. num. 7.*

12 Quæres 7. Quænam omissio formæ substantialis à jure requisitæ reddat irritum actum? Resp. omissionem cujuslibet formæ substantialis reddere actum pro utroque foro irritum, etiamsi omissio levis sit: nam de omissione gravi extra controversiam est: moveor, quia si id, quod omittitur est de forma substantiali actus; ergo per talem omissionem actus corruit, cum nequeat actus subsistere sine forma substantiali; si non est de forma substantiali, sed accidentaliter tantùm adhæret actui, non sumus in casu. Adde, quòd assignari nequeat hæc levis omissio formæ substantialis, quæ videtur implicans in terminis. Sic Suarez *lib. 5. de legib. cap. 32. num. 10.* Azor. 1. *par. lib. 5. cap. 28.* & Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 13. num. 2.* referens Farinacium, & Tuscum. Non nego oppositam sententiam sustinere Molinam, Sà, Bartolum, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 7. §. 5. num. 21.* Hinc colligitur formam substantialem à lege statutam, seu aliquid, quod pro forma exigit lex; illud specificè servandum erit, & non sufficit adimpleri per æquipollens: neque ei addi, aut minui potest aliquod, quin actus corruat; ad unguem enim, & prout jacet forma substantialis à lege præscripta servanda erit, ne invalidus evadat actus. Sic Cardinalis Tuscus, Tiraquellus, Farinacius, Alderanus, & Mascardus penes Castropalaum *de legib. disp. 2. pun. 13. num. 3.*

13 Quæres 8. an actus sine Solemnitate à jure præscripta factus ex justa, & urgentissima causa validus sit; an verò non, ita ut epykejam excludat? Resp. quamvis Covarruvias *de Sponsal. 2. par. cap. 6. num. 12.* & alii docuerint, validum esse, eo quia Leges humanæ non obligant cum tanto rigore, nec excludunt epykejam, sed interpretationem admittunt ex bono, & æquo. Nihilominus communis, & vera sententia sustinet, esse invalidum, & epykejam excludere: ratio est, quia si ignorantia omninò invincibilis, & inculpabilis, Legis irritantis actum nequit illum reddere validum; neque justa, & urgentissima causa poterit illum aliàs invalidum revalidare, peccat enim in radice; adeoq; & neque ab ignorantia omninò invincibili, neque à justa, & urgentissima causa poterit fieri validus, si invalidus est ex se, & consequenter excludit epykejam; & interpretationem. Quapropter corruit ratio fundamentalis Adversariorum in Legibus humanis præscribentibus formam substantialem, & irritantibus actum aliter factum, cum auferant potentiam moralem faciendi. Sic Zectallos, Henriquez, Sanchez alios referens, Guttierrez, Rodriquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 5. numer. 22.*

14 Quæres 9. quando pœna impòsita actui irrito, afficiat illum? & quando afficiat validum? Resp. tunc pœnam impositam actui irrito afficere illum, quando actus est invalidus, aut fit invalidus per ipsam legem punientem: & ratio est, quia tunc lex non intendit punire actum subsistentem, cum nullus sit; sed depravatum animum attentantem actum contra ipsam; adeoque tunc ob actum invalidum contrahitur pœna imposita. Quòd si aliqua detur via excusandi nullitatem actus; tunc non incurritur pœna imposita, quæ solùm adnectitur actui invalido, & irrito. Sic Sanchez alios referens *lib. 3. de Matrim. disp. 2. num. 5.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 34. num. 6. & 9.* & Castropalaus *de leg. disp. 2. pun. 15. num. 4.* Quamvis addant hanc limitationem: quòd actus sit invalidus ob eam causam, qua à lege punitur, nam si esset ex alio capite invalidus, non contraheretur illa pæna à lege imposita, cum leges pœnales, & odiosæ sint strictim interpretandæ. Si tamen pœna imposita sit actui valido, quamvis prohibeatur fieri tunc non irritat actum, licet afficiat illum, imò si validus sit, non contrahitur pœna imposita: & ratio est, quia non prohibetur à lege actus invalidus, sed validus, & huic adnectit pœnam. Sic episcopus excommunicans sola voce, & non in scriptis contrahit suspensionem *ex Cap. 1. de Senten. excom. in 6.* quòd si excommunicatio ab ipso lata nulla fuerit aliunde, vel effectum non habuerit; non incurret suspensionem, quæ excomunicationi latæ adnectiur: cum ergo non fuerit lata si nulla sit; nullam incurret Suspensionem: ut habet Sanch. *l. c.* Lapo *de senten. excomm. allegat. 73.* & Castropalaus *l. c. num. 3.*

Quæres 10. Quomodo impediri possit Irritatio? Resp. 15 si Irritatio imposita sit ipso Jure in pœnam delicti commissi; tunc Irritatio excusabitur, & impedietur quacumque via excusari poterit delictum: Irritatio siquidem delictum sequitur; si ergo excusatur delictum, excusabitur, & cessabit irritatio. Sic Suarez *lib. 5. de leg. cap. 22. num. 3.* & Castropalaus *de legib. disp. 2. pun. 12. num. 7.* Si verò imposita sit ipso jure ob bonum commune; tunc nulla via impediri poterit, neque ob ignorantiam omninò invincibilem, nec ob urgentem necessitatem, aut per Epykejam, ut diximus supra *num. 13.* Si denique in favorem privatæ Personæ apposita fuerit; tunc denique impediri poterit per renunciationem factam à persona illa, in cujus favorem lex condita est, ut *ex Cap. Ad Apostolicam, de Regular. & ex Cap. Tuis de Testib.* docent Navar. Salas, Suarez, quos refert, & sequitur Castropal. *l. c. num. 9.* Lex siquidem in tali casu non intendit irritationem, inducere, nisi commoda fuerit parti, in cujus favorem fertur.

Si tamen Irritatio ferenda sit, & incurrenda per Judicem; tunc impediri poterit omnibus illis viis, quibus aliqua sententia impediri potest, maxime deficientibus probationibus requisitis. Quando verò defectus probationum requisitarum obtinetur mediis injustis, & iniquis: ut per dolum, & metum incussum parti læsæ, ne rescissionem intentet, vel negando veritatem in judicio, aut subornando Judices, & Testes; tunc ut probabilius docet Suarez *de legib. lib. 5. cap. 21.* teneri in conscientia sic operantem rescindere contractum: eo quia per injustitiam impedit, ne rescindatur ex Judicis sententia; ergo in conscientia tenetur illum rescindere, etiamsi à Judice non fuerit declaratus irritus. Non nego, Castropal. *de leg. disp. 2, pun. 12. num. 4. & 5.* distinguere, si injustitia commissa fuerit contra alium contrahentem; tunc urgere obligationem supradictam: eo quia damna, quæ alteri obveniunt per injustitiam; reparanda sunt, nec alio modo in casu nostro reparari possunt, nisi per rescissionem contractus. Si verò commissa fuerit contra judicium, negando veritatem in illo; non teneri rescindere contractum ante sententiam Judicis, nec urgere talem obligationem in conscientia: eo quia nulla injustitia contra alium contrahentem commissa fuerit, cum non habeat jus Justitiæ, ut in Judicio Veritas manifestetur. Quæ quidem sententia suam habet probabilitatem, si tantùm injustitia commissa fuerit contra Judicium, non verò ullatenus contra alium contrahentem.

CAPUT XIV.

Quonam pacto Lex humana interpretanda sit?

1 *Lex humana non clarè loquens licitè interpretari potest.*
2 *Proprietas verborum Legis alia Naturalis, alia Civilis; & Interpretatio alia Authentica, alia Doctrinalis.*
3 *Authentica Interpretatio spectat ad Legislatorem, vel ejus Successorem, aut Superiorem.*
4 *Quid demandatum sit Sacræ Congregationi Concilii Tridentini ad illud interpretandum?*
5 *Quam vim habeant declarationes hujus Sacræ Congregationis?*
6 *An ante publicationem, quamvis de illis constet; habeant vim Legis?*
7 *Tres Illationes ex dictis.*
8 *Doctrinaliter interpretari Legem humanam licitum erit cuicumque juxta Regulas explicandas.*
9 *An licita sit Epykeja contra verba Legis generaliter loquentis?*
10 *Quid faciendum, quando causa excusans non attingit probabilitatem; & interpretans hæret dubius; an Legislator incluserit casum illum?*
11 *An quando Lex prohibet Interpretationem, prohibeat etiam Doctrinalem?*
12 *Quomodo concessum Judicibus inferioribus interpretari legem sui Superioris?*
13 *Prima Regula interpretandi Legem: Si mens Superioris ex circumstantiis constet, ei standum erit, etiamsi verba legis possint aliud significare.*
14 *Secunda Regula: Ut in interpretatione servetur verborum proprietas.*
15 *Tertia Reg. Ut in odiosis fiat interpretatio secundum proprieta-*

prietatem naturalem verborum, & mitiorem sensum.

16 *Quarta Regula: Ut in favorabilibus fiat latò modo non solùm juxta proprietatem naturalem, sed etiam Civilem Verborum.*

17 *Quinta Regula servanda in Lege ex parte favorabili, & ex parte odiosa.*

18 *Sexta Regula: ut in dubiis de valore actus Interpretatio fiat pro valore illius. In dubiis de materia pœnali fiat secundum mitiorem partem.*

19 *Septima Regula: Ut si Lex duplicem sensum habeat in suis verbis, fiat secundum proprium, non verò improprium.*

20 *Octava Regula: Quid faciendum sit, cum Lex habeat plures sensus proprios.*

21 *Nona Regula: Ut Lex nova semper interpretetur secundum antiquam.*

22 *Ultima Regula: Ut in interpretandis Legibus humanis, quantum fieri potest, servetur mens, & sensus à Legislatore intenti.*

23 *Quænam observanda ad dignoscendum in dubiis mentem Legislatoris?*

24 *Quomodo facienda explicatio alicujus particularis Constitutionis disponentis aliquod etiam in jure communi contentum?*

25 *An ob paritatem rationis extendi possit Lex ex uno Casu ad alium?*

26 *Non datur extensio ex uno casu ad alium in Legibus pœnalibus, & irritantibus.*

27 *Nec datur in Legibus Correctoriis.*

28 *Nec in Legibus exorbitantibus.*

29 *Nec denique in Legibus favorabilibus.*

30 *Quomodo admittatur extensio in correlativis, Æquiparatis, Connexis, Mensurante, & Mensurato?*

31 *Si Casus, vel Persona apposita fuerit à Legislatore in Lege ad explicandum in particulari, quod Lex generaliter disponit; non limitatur Lex ad illum casum tantùm, vel Personam.*

32 *Si Judex in judicando non habeat aliam certam Legem; poterit à similis casus decisione sententiam ferre.*

33 *An Lex extendi possit ad præterita?*

34 *Quomodo explicandæ in Interpretatione Legis particulæ illæ, Et, Vel, Aut, Seu, Sive, Ve?*

1 LEGES humanæ aliquando non ita clarè loquuntur, ut non relinquant locum dubitationi; in quonam videlicet sensu explicari, ac interpretari possint, & debeant; & si extendantur ad eum casum, de quo est controversia. Hinc est, legum humanarum interpretationem licitam esse, non solùm exponendo eas, ac explicando, sed etiam ampliando, aut restringendo juxta tamen Regulas inferius assignandas, & si fiat ab iis, quibus competit facere: & ratio est, quia non solùm necessaria, ac utilis bono communi est talis interpretatio, ut clariùs intelligatur Legislatoris voluntas, & meliùs scrutetur; sed etiam quia usus, & praxis, ac Doctorum sententia eam comprobat, & ex legibus colligitur, scilicet *ex leg. unic. Cod. de Professorib. & ex leg. 1. ff. Si certum petatur*. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 60. art. 5.* Cajetanus, Sotus, Navarrus, Covarruvias, Bartolus, Layman, Salas, quos refert Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 2.* Et quamvis *in leg. Prætoris, ff. de Prator. Stipulat. & in Cap. Sicut. 11. quæst. 1.* dicatur: Ad illum spectare legum, & Canonum interpretationem, cujus est condere; hoc tamen intelligendum erit, ut infra explicabimus, & rectè docet Suarez *lib. 6. de leg. cap. 1. num 2.* de Interpretatione generali, & necessaria, ac authoritativè facta per modum Legis; non verò de simplici Interpretatione, & doctrinali.

2 Adnotandum hic: Proprietatem verborum legis aliam esse Naturalem, non quia à natura sit, cùm proprietas verborum sit ab instituto, & placito hominum; sed quia talis est ex prima hominum institutione, & ex communi loquendi usu, ac vulgari. Sic verbum, Filius, naturalem filium significat; verbum mors, naturalem mortem. Aliam proprietatem esse Civilem, quæ scilicet per similitudinem, & Jurisdictionem extenditur ad significandum aliud ab eo, quod ex primæva sua institutione significat. Sic verbum, Filius, juxta hanc proprietatem Civilem significare etiam potest filium adoptivum; & verbum Mors, significare Professionem Religiosam. Adnotandum insuper: interpretationem, & declarationem Legis, aliam esse authenticam, seu per modum Legis Generalis factam? aliam verò esse Doctrinalem; de quibus Glossa *in Leg. si de interpretatione, ff. de Leg.* & Summistæ Sylvester, Angelus, Tabiena, Sà *verb. Interpretatio*.

3 Jam verò legem humanam Authenticè interpretari spectat ad ipsum Legislatorem, vel ejus successorem, aut Superiorem illorum: ratio est, quia sicuti ipsi tantùm habent potestatem obligandi per illam legem, sic & ipsi tantùm habent potestatem obligandi ex declaratione facta legis: maximè quia nullus alius præter ipsos habere potest jurisdictionem in actum Superioris. Sic constat *ex Legib. final. Cod. de Legib. & Cap. Inter alia, de Sentent. Excomm.* & sic docent Glossa in *Regul. Contra jura, de Regul. Jur. in 6.* Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 1. num. 2.* Salas *de Legib. disp. 21. sect. 2.* Azor. *1. par. lib. 5. cap. 16. quæst. 16.* & alii.

4 Petes 1. An facultas ista demandata sit Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini, ita ut vim habeat interpretandi illud Authoritativè? Resp. Xistum V. ann. 1588. Constitutionem edidisse, quæ incipit, *Immensa Æterni Dei*, in qua reservat Summo Pontifici Interpretationem Decretorum Concilii Tridentini spectantium ad Dogmata Fidei; in jis verò, quæ pertinent ad morum Reformationem, disciplinam, ac Moderationem; & Ecclesiastica Judicia, & alia, quæ humana statuta sunt; interpretandi facultatem impertitur, Pontifice consulto. Hinc est, concessam esse prædictæ Sacræ Congregationi facultatem interpretandi Leges Concilii Tridentini juxta limitationem prædictam, & salva conditione, quòd Summus Pontifex consulatur.

5 Petes 2. An Declarationes huius Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, quæ passim circumferuntur; habeant vim legis, & obligent ad instar illius; an tantùm sint quædam interpretationes, & declarationes Doctrinales, sed magnæ Authoritatis, & ponderis supra opiniones cæterorum Doctorum? Resp. extra controversiam esse, vim legis habere, si aliquæ sint solemniter promulgatæ: ratio est, quia jam habent omnia requisita ad legem constituendam, videlicet potestatem, & promulgationem. Et quamvis unus, vel alter Doctor dixerit: potestatem collatam huic Sacræ Congregationi fuisse Doctrinalem tantùm, non verò Legislativam; non sunt tamen audiendi; tum quia clarè constat ex citat. Constitut. Xisti V. habere potestatem Authoritativam; tum quia Pontifex huic Sapientissimo Senatui nil speciale contulisset; sed id, quod habent reliqui Doctores, Doctrinaliter tantùm declarandi.

6 Quod revocatur igitur in controversiam est: an ante Publicationem, quamvis de illis authenticè constet; vim legis habeant, & obligent pro utroque foro? Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 4. versic. secunda pars*, referens Suarez, & alios, putat, non habere vim legis: movetur, quia sicuti leges indigent publicatione, ut obligent; ita etiam & declarationes ipsarum, etiam si fiant à Principe, & à fortiori si fiant à Tribunali subdito, habente tamen facultatem declarandi. Oppositam sententiam, quòd scilicet vim legis habeant, & obligent pro utroque foro, docent Rodriquez, Salas, Garzia, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 5. pun. 3. §. 1. num. 6.* etiamsi non fuerint publicatæ, dummodo tamen de illis authenticè constet, vel per Breve Pontificis, aut monitorium Auditoris Cameræ, vel per Epistolam alicuius Cardinalis suo sigillo munitam, aut per transumptum authenticum ex Registro Sacræ Congregationis parte citata: ratio est, quia hæc videntur habere, quòd sufficit ad publicationem; ita ut paulatim in notitiam multorum pervenire possit. Hanc sententiam amplector, cui nec videtur contrarius Bonacina citatus, qui loquitur generaliter ante publicationem; nec quærit: an prædicta habeant vim publicationis.

Adnotandum tamen, nos hìc loqui de Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini *Comprehensivis*, non verò *Extensivis*, ut rectè distinguunt Moderniores Canonistæ. Nam *Comprehensivæ*, quæ videlicet à propria significatione verborum, & usu recepta non recedunt; non sunt revera novæ leges distinctæ ab illis, quæ unà cum Concilio Tridentino publicatæ fuere. *Extensivæ* verò, quæ propriam egrediuntur significationem, & ultra id, quod verba propriè, & secundum communem sensum accepta retinebant aliquid concedendo, vel præcipiendo, vel prohibendo, vel dispensando, ut obligent; requirunt Publicationem: cùm revera sint aliquæ novæ leges quantumvis sub nomine declarationum veniant: & nulla lex humana nova intelligitur esse completa in ratione legis

vim

vim obligandi habentis sine promulgatione : ut ex D. Thoma 1. 2. *quæst. 90. art.* 4. docet Suarez *lib.* 1. *de leg. cap.* 11. *num.* 1. & cum his communiter Doctores.

7 Hinc fit 1. prædictas declarationes Cardinalium habentes debita requisita extendi non solùm ad casus illos particulares, pro quibus feruntur; verùm etiam ad alios consimiles : cùm pro omnibus illis eamdem vim obligandi habeant. Sic Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 11. & Salas *de legib. disp.* 21. *sect.* 12. Fit 2. Judicem, cui authenticè constat, debere sententiam ferre juxta illas, ut docent citatus Salas, & Mascardus *de Probation.* Fit 3. extendi declarationes comprehensivas prædictas non solùm ad futura, sed etiam ad præterita; *nisi* tamen adsit opposita declaratio, aut probabilis Doctorum sententia. Obligationem tamen istam ad præterita, potius inducit lex ipsa declarata, quàm declaratio; quia præcisa declaratio non habet vim ad præterita, sed lex ipsa vetus : ut docet Abbas, Felinus, Baldus, & alii penes Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 13.

8 Doctrinaliter tamen interpretari, ac declarare legem humanam cuilibet licitum erit; dummodo juxta Regulas infra explicandas id efficiat, & innixus Authoritati Doctorum, non fidens proprio cerebro : ratio est, quia sæpe leges dubietatem, & ambiguitatem continent in sua significatione, nec de facili Legislator consuli, aut adiri potest; adeoque necessarium est, ut facultas interpretandi doctrinaliter detur Doctoribus, & Professoribus : ut constat *ex leg. Unic. Cod. de Professor. & ex leg.* 1. *ff. de Origin. Jur.* & ex aliis legibus tum Civilibus, tum Canonicis; & consuetudo, ac praxis ipsa inveterata demonstrat.

9 Petes 1. An licitum sit uti Epykeja, seu emendatione legis ob aliquas speciales circumstantias faciendo interpretationem contra verba legis universaliter loquentis? Resp. D. Thomam 2. 2. *quæst.* 120. *art.* 3. Cajetanum *ibidem*, Sotum *lib. de Just. quæst.* 6. Cordubam *in* 4. 2. *par.* §. 9. *num.* 8. docuisse : tunc licitam esse Epykejam, & legis emendationem, quando lex peccat, & iniqua est ejus observatio : si ergo lex non peccat, nec aliquod iniquum præcipit; emendari non poterit, nec erit licita Epykeja eximens ab ejus obedientia. Verùm communis sententia est, licitam sæpe esse Epykejam, quo ad lex positivas maximè humanas, non solùm quando iniquum est obedire legi; sed etiam quando est nimis grave, & molestum, ac difficile ei obedire ob grave damnum subsequens : ratio est, quia jam peccaret lex, dum ad grave onus, & difficile vellet obligare; Lex siquidem Dei jugum suave est, & onus leve: nec leges conferri solent in duram obligationem; adeoque licitum tunc erit interpretari, Legislatorem non habere voluntatem obligandi. Et sic de facto interpretantur Doctores, Præceptum jejunandi non obligare ægrotos, ac laborantes; & præceptum Missæ non obligare, si grave damnum sequatur vitæ, honoris, aut rerum familiarium. Vide Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 7. *à num.* 9. nec dissentit D. Thomas. Non nego tamen ad hanc interpretationem faciendam requiri, causam excusantem ab observatione legis debere esse ad minus probabilem juxta dicta de Conscientia.

10 Petes 2. Quid faciendum, quando causa excusans non attingit probabilitatem, sed interpretans hæret dubius, an voluerit Legislator comprehendere casum illum? Resp. si Legislator consuli potest adeundus erit; nec poterit quis contra verba legis operari, quando est remedium deponendi dubium ortum. Si verò dubietas oriatur : an potuerit Superior & Legislator comprehendere casum illum, & revera comprehendatur à lege; tunc standum erit pro potestate Superioris, & quòd revera comprehendatur : ratio est, quia stant in possessione potestas Superioris, & lex; à qua sine probabili, & prudenti causa deturbari nequeunt. Sic Salas aliis relatis *disp.* 21. *de legib. sect.* 10. *num.* 25. Castropalaus *de legibus disp.* 5. *pun.* 3. §. 2. *num.* 4.

11 Petes 3. an quando à lege prohibetur Interpretatio, prohibeatur etiam Interpretatio Doctrinalis? Resp. certum esse, prohiberi interpretationem authoritativam, & necessariam, ut per se patet, & ratio ipsa demonstrat. Certum insuper esse, prohiberi interpretationem frivolam, & inanem; quæ sit contra mentem Legislatoris, & contra verba ipsius legis. Controversia igitur remanet de interpretatione doctrinali; an inquam prohibeatur? Nam Tridentinum *sess.* 4. *Decreto de usu Sacrorum Bibliorum* prohibet interpretationem fieri contra cum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, & Pius IV. *in extravag. Benedictus Deus*, qua Concilium Tridentinum confirmat; prohibet Prælatis sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ; & reliquis omnibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne Commentarios, Glossas, Annotationes, Scholia, ullumve interpretationis genus super ipsius Concilii Tridentini Decretis quoquomodo edere, aut statuere etiam prætextu majoris corroborationis. Verùm per prohibitionem factam à Concilio Tridentino solùm prohibetur ea interpretatio doctrinalis, quæ fit contra sensum Santæ Matris Ecclesiæ, & contra consensum Sanctorum Patrum. Cæterùm si aliquis Sacra Byblia interpretaretur præter consensum Patrum, non tamen illis adversaretur; non utique violaret prohibitionem factam : ut docent Bannez, Azorius, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legibus disputatio* 5. *pun.* 3. §. 2. *num.* 6. & quotidiana praxis, ac consuetudo comprobat. Per prohibitionem tamen à Pio IV. factam super Decretis Concilii Tridentini, eam tantùm interpretationem prohiberi, quæ ex professo fiat, & veluti authoritativè; *non* verò eam interpretationem doctrinalem, quæ obiter fiat, & incidenter de uno, vel altero Concilii prædicti Decreto, quod parum refert, si typis mandetur. Sic ex Sayro, Rodriquez, Suarez, Salas, Henriquez, Barbosa, & Reginaldo docent Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 8. *num.* 3. & Castropalaus *loc. cit. num.* 7.

12 Petes 4. Quomodo concessum sit Judicibus inferioribus interpretari legem sui Superioris? Resp. nullatenus ipsis datum esse, ita interpretari, ac declarare legem sui Superioris; ut declaratio obliget ad instar ipsius legis, sic enim esset authoritativè eam interpretari; & veluti novam legem condere; quæ potestas nullibi constat, ipsis fuisse datam. Poterunt tamen secundùm veriorem sensum Doctorum legem interpretantium & ipsi legem interpretari, ac judicium ferre secundùm illam interpretationem : maximè si commodè nequeat consuli Legislator : ut docent Sylvester *verb. Interpretatio quæst.* 1. Rodriquez *Quæst. Regul. quæst.* 11. *art.* 1. Salas *de leg. disp.* 21. *sect.* 2. Qui addunt in rebus minutioribus, & facillimis posse Prælatos inferiores legem non solùm doctrinaliter, sed etiam authenticè interpretari; ne supremi legislatores in istis rebus parvi momenti à suis occupationibus maximis distrahantur. Vide Castropalaum *de legib. disp.* 5. *pun.* 3. §. 1. *num.* 7.

13 Regulæ, quibus utendum in lege interpretanda, ut facilius mens, & intentio Legislatoris investigetur; hæ servandæ erunt. 1. si ex aliquibus circumstantiis constet mens Legislatoris, etiam si verba legis in contrarium aliud significare possint; standum erit menti Legislatoris per circumstantias expressæ, non verò alteri significationi verborum Legis contra mentem Legislatoris : & ratio est, quia verba apponuntur in lege ad explicandam mentem, & intentionem Legislatoris; ergo si ex circumstantiis apparet non explicare illam, sed oppositum; non standum erit verbis. Sic Tiraquellus, Azorius, Salas, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legibus disp.* 5. *punct.* 3. §. 3. *numer.* 1. Et favet lex, *Non dubium*, *Cod. de Legibus*, ubi dicitur, In legem committit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem.

14 Secunda Regula est, ut servetur proprietas verborum in lege explicanda : nam secundùm proprietatem verborum intelligendum est, legem latam esse; aliàs sequeretur, si Legislator uti vellet verbis, & non in propria significatione, quòd nec clarè loqueretur, nec distinctè, uti deberet; nec firmum aliquid stabiliret, sed omnia cavillationibus exponeret : Ut constat *ex leg. Non aliter, ff. de Legat. & ex Leg. Prospexit, ff. Qui & à quibus, & ex Cap.* 2. §. *sed neque, de Translat. Episcop.* Sic Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 1. *num.* 7. Salas *de legib. disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 4. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 16. *quæst.* 9. Rodriquez *tom* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 11. *art.* 6. Imò addunt Sà, Salas, Navarrus, relati à Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 8. *num.* 16. & à Castropalao *de legib. disp.* 5. *pun.* 3. §. 3. *num.* 3. quòd si Legislator extra legem dicat, se aliter intellexisse, quàm ipsa verba propriè sonant; non adsit obligatio standi tali interpretationi. Dum enim interpretationem à se factam extra legem non promulgat ad instar legis, non intendit obligationem inducere, sed loquitur ut Doctor privatus, & specialis. Quapropter Hostiensis. & alii DD. recesserunt ab

interpretatione facta ab Innocentio IV. super Constitutione quadam à se antea edita. Limitare solent Doctores doctrinam traditam standi proprietati verborum legis, quando ex proprietate sequeretur absurditas, vel injustitia; tunc enim verba ad impropriam significationem reduci possent, ne præsumatur injustitia in Legislatore, Insuper quando lex redderetur inutilis, & frustranea ex proprietate verborum; tunc enim fieri potest extensio ad impropriam significationem: nam ex communi Theologorum, & Peritorum Juris sententia, Dispositio, & lex ita explicanda erit, ut potiùs valeat, quàm pereat, ergo si perit ex proprietate verborum, ne pereat, explicanda erit per improprietatem significationis. Sic *in Cap. Si Civitas, de senten. excomm. in 6.* ne redderetur sententia Interdicti illusoria, ac nulla, extenditur ad Suburbia. Et Glossa *in Cap. ult. de usur. in 6.* nomine Testamenti intelligit Codicillum, ne dispositio illusoria evadat. Verùm in casibus adjectis non appropriantur verba, sed è principali fit extensio ad Accessorium cum principali connexum.

15 Tertia Regula est: ut Interpretatio in odiosis, ut sunt Pœnæ, & Obligationes, fiat secundùm proprietatem verborum naturalem, quæ videlicet ex communi hominum acceptione habetur; & secundùm mitiorem sensum: sic deciditur à Textu *in Cap. Pœnis, de Reg. jur. in 6. & in leg. penul. Cod. de Pœn.* Idem deciditur de obligationibus, quæ ex se odiosæ sunt, adeoque restringendæ secundùm strictam interpretationem, quoad fieri possit, *in Cap. 1. de jurejur. in 6. & in leg. Quidquid adstringendi, ff. de Verbor. signif.* Sic ex Menochio, Sà, Salas, & Sanchez docent Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 11. & 12.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 8.*

16 Quarta Regula est; ut in favorabilibus interpretatio fiat lato modo, non solùm juxta naturalem proprietatem verborum, verùm etiam juxta civilem. Sic constat ex Regulis Juris: *Odia restringi. & favores convenit, ampliari. Leg. In Testamentis, ff. de Regul. Jur.* & sic docet Glossa communiter recepta *in leg. final. ff. de Const. Princip.* Hinc fit, Legem favorabilem loquentem de filiis non solùm extendendam esse ad filios naturales, verùm etiam ad filios adoptivos, & civiles: quia etiam adoptivi veniunt nomine filii juxta proprietatem civilem à Jure statutam. Sic Menochius *lib. 4. Præsumpt. 89. num. 36.* Suar. *lib. 6. de leg. cap. 2. num. 6.* Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. n. 10.* & alii. Fit etiam Legem favorabilem loquentem de legitimis extendendam pariter esse ad Legitimatos: quia *ex Authent. Quib. mod. natural. effician. Legium.* nomine Legitimorum veniunt etiam Legitimati. Sic Suarez, & Bonacina *locis citatis*, & Castropalaus *de legib. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 8.*

17 Quinta Regula est: si lex ex parte sit favorabilis, & ex parte odiosa, & pœnalis; tunc si favor, & odium distingui possunt, secundùm partem favorabilem favorabiliter, & largè explicanda, & interpretanda erit; secundùm partem odiosam strictè, & juxta proprietatem naturalem tantùm, juxta superiùs dicta. Si verò distingui nequeunt; tunc si ex fine primario sit favorabilis, favorabiliter explicanda erit; si verò odiosa, strictè explicari debebit. Dicitur autem ex primario fine favorabilis, si primariò faveat, & prosit, esto aliquibus secundariò noceat; sicuti dicitur primariò odiosa, si primariò contineat pœnas, etiam si secundariò aliis prosit; Lex siquidem, & dispositio ex primario fine interpretanda, & explicanda erit. Sic ex Glossa, Bartolo, Saliceto, & aliis docent Sanchez *lib. 1. de Matrimonio, disp. 1. num. 4.* Covarruvias 1. *Variar. cap. 11. num. 5.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 4. num. 5.* Salas *de legibus disputatio 21. sect. 4. num. 10.* & Bonacina *de legibus disputatio 1. quæst. 1. pun. 8. num. 13.*

18 Sexta Regula est: ut in dubiis, si de valore actus dubium insurgat; interpretatio facienda sit pro valore illius: ratio est, quia nemo præsumendus est inutiliter operari velle: ut ex variis Legibus constat *leg. 3. ff. de Milit. Testam. Leg. quotiesf. 2. ff. de Reb. dub.* & *Leg. Quotiesf. ff. de Verb. signific.* & docent Menochius, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 4. in fin.* Si verò in materia pœnali dubium sit; tunc interpretatio secundùm benigniorem, & mitiorem partem facienda erit, servata tamen verborum proprietate secundùm communem usum loquendi: nam cùm lex sit communis omnibus, & omnibus observanda proponitur; inde est, quòd semper præsumendum sit, Legislatorem juxta communem usum, & intellectum velle verba proferre. Sic ex Sà, Salas, Sanch. Azorio, & aliis docent Castrop. *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 9.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 15.*

Septima Regula est: quòd si lex duplicem sensum 19
habeat in suis verbis unum proprium, alterum improprium; tunc interpretatio facienda erit juxta propriam significationem verborum, non verò impropriam, dum non constet de mente Legislatoris: ratio est, quia si in communi loquendi modo ad humanum convictum verba in propria significatione accipiuntur; à fortiori sic accipienda erunt in legibus, ne detur locus falsis interpretationibus longè aberrantibus à mente, & fine Legislatoris. Sic constat *ex leg. Non aliter, ff. de Legat. & ex Leg. 1. §. iis, qui navem, ff. de exercit. action.* & sic docent Azor. Salas, Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 15.*

Octava Regula est: si verba legis plures habeant 20
sensus proprios, sed non constat, in quonam sensu Legislator locutus fuerit; tunc si commodè adiri possit Legislator, aut ejus successor, adeundi erunt pro interpretatione: nam ad illum spectat legem interpretari, cujus est condere *ex leg. final. Cod. de legib.* & *ex Cap. Cum venissent, de Judic.* & sic communiter docent Doctores. Si verò nequeant commodè adiri; tunc in Odiosis, & Pœnalibus benigniorem, & strictiorem significationem aptare debemus; in favorabilibus tamen latiorem. Sic *ex leg. final. ff. de Constit. Princip.* & *ex Cap. In pœnis, Cap. Odia, de Regul. Jur. in 6.* docent Valentia, Becanus, Sà, Sayrus, & Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 18.*

Nona Regula est: quòd Lex nova semper interpre- 21
tanda sit secundùm antiquam *ex leg. Non est novum, & ex leg. Sed & Posteriores, ff. de leg.* Et licèt antiquæ abrogatæ sint, novæ tamen juxta illas interpretandæ erunt, ac explicandæ. Sic ex Bartolo, Gomez, Burgos, & aliis docet Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 24. num. 6.* & Castropalaus *de legib. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 14.* Insuper si una lex interpretatur aliam, recipit limitationes illas, restrictiones, aut extensiones, quas lex interpretata recipit: sic deciditur *in Authen. de Filiis ante dotal. instrum. natis coll. 3.* & sic docent Bartolus, Ludovicus Romanus, Soncinas, Matienzo penes cit. Castropalaum. Hìc adnotandum, quòd si una lex, interpretetur aliam, numquam censendum erit derogare illi, nisi lex interpretans sit priori omnino contraria: ratio est, quia legis correctio, quantum fieri potest, vitanda erit *ex leg. Præcipimus, Cod. de Appellationib.* Hinc infertur 1. quòd si lex prior sit specialis pro aliquo casu, & lex posterior generaliter loquatur; non censenda erit prior correcta, sed potiùs limitat posteriorem, nisi satis clarè, & expressis verbis lex posterior contradicat priori: sic ex argum. *Cap. Cùm expediat de elect. in 6. & ex leg. Sed & posteriores, ff. de legib.* docent Gabriel, Azevedus, Matienzo, Sanchez, Salas, Rebellus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp. 5. pun. 3. §. 3. num. 13.* Infertur 2. etiamsi lex posterior habeat clausulam illam, non obstante, non ideò intelligitur priori derogare, nisi in eo, in quo est posteriori contraria: quare si prior salvari potest per aliquam distinctionem, aut limitationem; sic sustinenda esset, ne corrueret. Ita ex Sanchez, Glossa, Bartolo, Jasone docet citatus Castropalaus.

Ultima Regula est in interpretandis legibus huma- 22
nis, ut quantum fieri possit, servetur mens, & sensus à Legislatore intenti. Mens tamen intrinseca, quòd videlicet adimpleatur id, quod Legislator intendit, & præcipit; non verò Mens extrinseca, quòd scilicet adimpleatur res præcepta à Legislatore eo animo, & fine, quos habuit in condenda lege. Sic in interpretanda lege jejunii e. g. attendendum erit, ut servetur jejunium præceptum, & sic servabitur mens intrinseca Legislatoris. Cæterùm an jejunium illud efficiatur animo macerandi carnem, & reprimendi ejus concupiscentias, qui fuit finis præcipiendi jejunium, & mens extrinseca Legislatoris; non curandum erit in interpretanda Lege jejunii; cùm satis obediat legi, qui rem à lege præceptam ponat, quamvis non ex fine Legislatoris; finis enim præcepti non cadit sub præceptum. Sic ex D. Thoma, Cajetano, Salas, & Suarez rectè observat Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 17.*

Ad dignoscendum autem in dubiis mentem intrinse- 23
cam

cam legislatoris, seu sensum ab ipso intentum, observanda sunt hæc. Primum si ex verbis uno sensu explicatis non sequantur absurda, ex alio verò sensu sequantur absurda; censendum erit, legislatorem locutum fuisse in eo sensu, ex quo absurda non sequuntur: sic statuitur *in leg. In ambigua voce ff. de leg.* ait enim: In ambigua voce legis eam potiùs accipiendam esse significationem, quæ vitio caret. Secundum si ex uno sensu sequitur contrarietas ad alias leges, ex alio verò sensu nulla sequitur contrarietas; censendum erit, legislatorem locutum fuisse in eo sensu, ex quo non sequitur contrarietas: tum quia mutatio, & correctio legis est odiosa, & ab ea abstinendum, quantùm fieri potest *ex Cap. Cupientes, de Elect. in 6.* tum quia non recedendum à Jure antiquo, nisi quatenus in Jure novo exprimitur *ex leg. Præcipimus in fin. Cod. de Appellation.* Tertium si apponatur ratio à Legislatore in lege lata, censendum erit in eo sensu locutum fuisse, qui est conformis rationi adductæ. Sic ex Balbo, Salas, Suarez, Rebello, Sà & aliis docet Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 8. *num.* 21. Quartum ex appositis in procœmio dignosci poterit sensus, in quo loquutus sit legislator: nam regulariter conjungi debeat, quæ continentur in procœmio cum reliquis subsequentibus: nam in procœmio assignari solet causa finalis inducens principaliter legislatorem ad legem ferendam. Sic Suarez *lib. 6. cap.* 1. *num.* 11. Guttierez *lib. 3. quæst. Practic. quæst.* 17. *num.* 90. Sà *verb. lex. num.* 1.

24 Remanent resolvendæ nonnullæ dubietates in materia Interpretationis, quæ per sequentes Petitiones exponuntur. Petes igitur 1. Quomodo facienda sit explicatio alicujus particularis Constitutionis aliquid disponentis, quod etiam in Jure communi continetur? Resp. nisi aliter constet de legislatoris mente, faciendam esse explicationem, aut restrictionem juxta formam in Jure communi contentam: ratio est, quia cùm vitanda sit legum contrarietas, minimè præsumendum erit, legislatorem voluisse Juri Communi derogare, nisi satis clarè id expresserit. Sic *ex leg. 2. Cod. de Noxalib.* docent Balbus, Rebellus, Suarez, & Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. 8. num.* 22.

25 Petes 2. An lex ob paritatem rationis extendi queat ab uno Casu ad alium, ab uno crimine ad aliud, ab una Persona ad aliam? Resp. sive ratio sit similis, sive sit identica, seu eadem omnino; non extenditur lex ad alium Casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus: eo quia ratio legis non est lex; ergo si in alio casu militet eadem ratio legis, *non* inde infertur, pro illo etiam latam esse legem: cùm potuerit Legislator, à cujus voluntate pendet obligatio Legis, pro uno casu disponere, non verò pro alio, vel quia *noluit*, vel quia non judicavit expedire. Nec ex ratione finali legis sufficienter manifestatur, velle Legislatorem etiam casum illum comprehendere. Nam si verba legis, quæ primariò manifestant voluntatem legislatoris; non se extendunt ad casum illum, jam non sufficienter manifestatur, legislatorem voluisse illum comprehendere. Sic *in Clement.* 1. *de Elect.* prohibetur, ne religiosus alterius professionis, & habitus eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventus: & ratio, quæ adducitur est, quia rationi non congruit, ut homines disparis professionis, vel habitus in eisdem Monasteriis socientur. Et quamvis eadem prorsus ratio militet, ne Religiosus eligatur in Episcopum Cathedralis, vel Regularis Ecclesiæ; nihilominus electio in Episcopum permittitur, non verò in Abbatem, aut Prælatum Regularem. Sic Suarez *lib. 6. de leg. cap. 3. à num.* 4. & Castropalaus *de leg. disp.* 5. *pun.* 3. §. 4. *num.* 2.

26 Hinc deducitur 1. non dari hanc extensionem ex uno Casu ad alium *in* legibus pœnalibus, & irritatoriis ob paritatem rationis, vel omnino eamdem; si non est comprehensus sub verbis legis: tum quia in odiosis *non* datur extensio, cùm odia restringenda sint, & ex Communi Doctorum pœna non extenditur ex uno Casu ad alium; tum quia si Dispensatio non extenditur ad similes Casus ex *Cap.* 1. *&* 2. *de Filiis Presbyt. in 6.* nec lex pœnalis ad similes Casus extendenda erit: maximè quia in odiosis non valet arguere à pari. Sic Castro, Molina, Sanchez, Rodriquez, Salas, Navarrus, quos refert & sequitur Castropalaus *de legib. disp.* 5. *pun.* 3. §. 4. *n.* 3. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 8. *num.* 23. referens Sayrum, Suarez, Rebellum, & Sà.

Deducitur 2. nec in legibus Correctoriis dari hanc 27
extensionem: tum quia Correctio odiosa est; tum quia quantùm fieri potest vitanda *ex leg. Præcipimus. Cod. de Appellat.* & docent Jason, Bartolus, Barbosa, Suarez, Salas penes Castropalaum *de leg. disp.* 5. *pun.* 3. §. 4. *num.* 4. Nisi tamen lex Correctoria corrigat unum ex æquiparatis; tunc enim datur extensio ad aliud æquiparatum, si ob eamdem rationem æquiparentur: nam si ob diversam rationem æquipararentur, non fieret utique extensio. Sic *in leg. fin. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Ecclesia, & Civitas æquiparantur in præscriptione, itaut contra illas præscribi nequeat tempore centenario minore. *In Authent. tamen Quas Actiones eod. tit.* correctum fuit hoc privilegium, & solùm permittitur Ecclesiæ Romanæ posse illo uti: quia licèt Ecclesia, & Civitas æquiparentur in lege illa, non tamen ob eamdem rationem; Ecclesiæ namque concessum fuit privilegium favore Religionis, Civitati verò propter Jus publicum. Sic Glossa, Tiraquellus, Barbosa, Salas, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num.* 5.

Deducitur 3. neque fieri posse extensionem propter 28
similem, aut identicam rationem in legibus exorbitantibus, quæ videlicet deviant à Jure communi ob favorem specialem alicui, vel aliquibus Personis factum: tum quia ex vulgato Juris axiomate, quæ à Jure Communi exorbitant, non sunt trahenda in consequentiam; tum quia si Dispositiones; & Privilegia *ex leg. Quod verò, ff. de leg. & ex Cap. Sanè de Privileg.* extensionem non recipiunt ad Casus similes; cùm Leges exorbitantes his assimilentur, nequibunt extensionem recipere. Quapropter si *ex leg. Patria.* 20. *ff. ad leg. Jul. de Adulter.* possit pater occisionem filiæ imperare in adulterio deprehensæ; non tamen id permissum erit Avo, etiamsi similis, vel identica ratio militet. Sic ex Barbosa, Rebello, & Salas docet Castropalaus *de leg. disp.* 5. *pun.* 3. §. 4. *num.* 6.

Sed major difficultas est: an etiam in favorabilibus 29
nequeat fieri extensio ob similitudinem, vel identitatem rationis ex uno casu ad alium; aut ex una persona ad aliam; cùm Casus non sit comprehensus sub lata verborum forma? Et quamvis Castro, Covarruvias, Sayrus, Bartolus, Cynus, & alii apud Suarez *lib. 6. de leg. cap. 3. num.* 23. docuerint, faciendam esse extensionem; tum quia voluntas legislatoris ex ratione cognoscitur: ergo si eadem est ratio in favorabilibus, eadem erit & voluntas legislatoris; tum quia ex eadem omnino causa idem sequitur effectus; ergo si ratio est causa, & anima legis, & eadem est in uno casu, ac in alio; in utroque eumdem effectum causabit, nempe eamdem obligationem. Verior tamen sententia docet oppositum: quòd videlicet nequeat fieri extensio etiam in favorabilibus ex uno casu ad alium; nisi verba legis extendantur ad illum per significationem, & proprietatem naturalem, aut Civilem; vel si aliter non cogat necessitas ex absurdis, & injustitiis, quæ inde sequerentur juxta Regulas superiùs explicatas: ratio est, quia si verba legis non comprehendunt per proprietatem naturalem, aut civilem Casum illum; signum evidens est, legislatorem noluisse illum comprehendere: maximè quia ab ejus voluntate pendebat unum Casum velle, alterum excludere; quapropter si extensio fiat, non fiet à lege, sed ab homine: silentium namque unius Casus, & expressio alterius clarè comprobant, legislatorem unum voluisse, non alium. Sic Glossa, Butrius, & alii, quos refert, & sequitur Suarez *de leg. lib. 6. cap. 3. num. 9.* Salas *de leg. disp.* 21. *sect.* 13. *n.* 29. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 8. *num.* 26. & Castropalaus *de leg. disp.* 5. *pun.* 3. §. 4. *num.* 7. Rationes in contrarium diluuntur: nam voluntas legislatoris ex verbis, & ex eorum significationibus dignoscitur, non ex rationibus; ratio enim non est lex: si ergo verba non comprehendunt Casum illum, erit Casus contra voluntatem legislatoris. Adde, quòd probaret ratio adversariorum, posse etiam fieri extensionem in pœnalibus, quòd ipsi denegant. Et quamvis in interpretatione legis favorabilis fiat extensio è proprietate naturali ad Civilem, Civilis nihilominus continetur in verbis legis. Ad secundam rationem de causa, quæ si eadem existit, eumdem producit effectum; respondeo, hoc valere in causis necessariis necessariò operantibus positis omnibus requisitis, non verò in causis liberis. Consule Philosophos.

Advertendum 1. hìc: quamvis Doctores communi- 30
ter admittant extensionem in Correlativis, Æquiparatis,

Con-

Connexis, & Mensurante, & Mensurato; dispositumque in uno Correlativo censetur dispositum in alio; sic etiam dispositum in uno Æquiparato censetur in alio; & dispositum in uno Connexo est dispositum in alio; denique dispositum in Mensurante est dispositum in mensurato; nihilominus hoc non evenit beneficio identitatis rationis, sed potiùs quia in significatione verborum comprehenduntur à lege, ne sequatur absurditas, vel injustitia, aut iniquitas, quæ removendæ sunt à legislatore; adeoque censendum erit, comprehendisse ab initio unum correlativum in alio, unum æquiparatum in alio, & unum connexum in alio, denique mensuratum in mensurante. Sic innumeris relatis Doctoribus tum Theologis, tum Jurisperitis comprobat pro singulis Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 4. à numer.* 8.

31 Advertendum 2. Quòd si Casus, vel Persona, de qua legislator loquitur in lege, apposita fuerit exempli causa, ac ad explicandum in particulari, quod lex generaliter intendit; tunc non limitatur lex ad illum casum, & Personam; sed fieri poterit extensio ad Casus similes, & similes Personas: ratio est, quia leges non solent agere de singularibus, sed de omnibus; nec exemplum appositum dispositionem factam limitat, sed eam declarat. Sic frequenter accidit Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus, qui Casum aliquem specialem decidentes, eum tamen pro lege stabiliunt: quod quidem ex circumstantiis adjunctis dignoscendum erit. Sic Suarez, Salas, Rebellus, Tiraquellus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 1. pun. 3. §. 4. n. 13.* & Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 8. numer. 23. in fin.*

32 Advertendum denique 3. quod licèt nequeat fieri extensio ob similitudinem rationis ab uno Casu ad alium; nihilominus si Judex in judicando non habeat aliam certam legem; poterit à similis Casus decisione sententiam proferre; hoc enim recta ratio, ac prudentia dictat juxta illud: Si exemplo careas, exempla simillima quære. Sic colligunt *ex leg. Nam. ff. de leg.* Glossa ibi, Felinus *in Cap. Translatum, de Constitut. à num.* 10. & Tiraquellus *de Retract. Consang. §. 2. gloss. 1. n. 19.*

33 Petes 3. An lex extendi possit ad præterita? Resp. 1. nullam legem constitutivam novi juris, seu inductivam illius extendi posse ad præterita, nisi verbis expressis id declaraverit legislator: ratio est, quia si finis primarius legis & humanas actiones dirigere, & quod præteritum est, dirigi nequeat; inde sequitur, quòd lex absolutè prolata extendi nequeat ad præterita: etiamsi verbis præteriti temporis condita fuerit. Sic clarè constat *ex leg. Leges, Cod. de leg. & ex Cap. 2. & ult. de Constitut.*, & sic docent Sylvester *verb. Lex, quæst.* 25. Suarez *de leg. lib. 3. cap. 14. num.* 8. Azor. Farinacius, Salas, Matienzo, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp. 5. pun. 3. §. 5. numer. 3.*

Resp. 2. Legem præceptivam quatenus talem non posse extendi ad præterita: ratio est, quia nequit præcipi fieri id, quod jam factum est, sed quod faciendum est. Sic præcitati Doctores.

Resp. 3. Legem Declaratoriam quatenus talem, prout videlicet declarat legem antea latam manifestando quod absconditum, & abstrusum erat in illa; extendi non solùm ad præterita, quia fertur in legem jam latam; sed etiam quia declarat actus jam factos fuisse contra legem, vel præter illam. Sic ex communi sententia docent Suarez, Salas, Azor. quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 5. n. 6.* Qui adnotat ex eisdem *num.* 1. Legem Declaratoriam quatenus talem non esse propriè legem, cùm operationes non regulet, demonstrat tamen legem eas regulantem: quamvis sæpe sæpius dum jus antiquum declaratur, novum etiam constituitur; & quatenus hoc constituit, est propriè lex.

Resp. 4. Legem irritantem actus, qui irritabiles sunt; extendi posse ad præterita, poterit siquidem legislator irritare venditiones e. g. factas, & faciendas, in quibus extitit dolus circa dimidium justi pretii; nihilominus irritatio ista ad præterita rarò evenit, quia ad illam faciendam requiritur justa causa à bono publico expostulata, quæ de facili inveniri nequit: maximè si actus nullam malitiam habeant, & validi fuerint. Sic Sà *verb. lex. num.* 24. Suarez *lib. 3. de leg. cap. 14. numer.* 8. Salas *de leg. disp. 21. sect. 7. num.* 18. & Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 5. num.* 5.

Resp. 5. Legem, Statutum; Constitutionem prohibentem aliquem actum non extendi ad illum, si ante legem inchoatus sit, & perfectus; secus verò si sit imperfectus: ratio est, quia lex ex natura sua non respicit præterita, sed futura, quæ regulare debet, nisi id expressè à lege declaretur; ergo si extenderetur ad actum perfectum, & consummatum, jam se extenderet ad præterita; secus verò esset de actibus imperfectis, & non consummatis, saltem ex ea parte, qua imperfecti sunt. Sic constat ex Decisione variorum Casuum relatorum à Castropalao *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 5. num.* 8., & præcipuè *ex leg. Cæsar. ff. de Publican. & Vectig.* ubi decidituʳ: Quod si statutum prohibeat, ne vinum, triticum, oleum &c. Extrahantur à Civitate; non extendatur ad illa, si ante Statutum perfectè extracta fuerint, etiam si postea casu ad Civitatem redierint. Quòd si triticum incæptum sit extrahi, qua parte extractum *non* est; subjaceat Statuto prohibenti, cùm nulla ratione excusari possit; non verò qua parte jam extractum est. Sic Farinacius 2. *par. Frag. verb. lex, num.* 30.

34 Petes 4. Quomodo explicandæ sint in interpretatione Legis particulæ illæ, Et, Vel, Aut, Seu, Sive, Ve? Resp. aliquando accipi copulativè, aliquando disjunctivè. Quando verò accipiendæ sint copulativè, quando verò disjunctivè in Casibus particularibus dignoscendum erit judicio doctorum Virorum, & Prudentum, qui perfectum earum sensum ex subjecta materia, ex modo dicendi, usu, & aliis circumstantiis colligere poterunt. Sic *ex leg. Ita sæpe. ff. de Verbor. Signific.* docent Azor. Salas, Barbosa, Suarez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. num. 28. & 29.* & Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 3. §. 3. n. 15.* Notandum tamen, particulas Et, Que, significare ut plurimum conjunctionem; particulas verò, Vel, Aut, significare disjunctionem; denique particulas, Seu, Sive, ut plurimum tunc significare conjunctionem quando apponuntur post aliquod universaliter, indefinitè, ac pluraliter dictum: ut lego Petro libros, quos habeo sive Panormi, sive Messanæ. Lego Francisco ornamenta, quæ habeo, sive domi, sive ruri. Si verò apponantur post aliquod singulariter dictum, tunc disjunctionem significabunt. Sic *ex leg. Si quis ita legaverit. 2. & ex leg. Apud Pamphilum ff. de Auro, & Argent. legat.* docent Bonacina, & Castropalaus locis citatis.

CAPUT XV.

De Cessatione Legis.

1 *Lex ex multiplici causa cessare potest à vi obligandi.*
2 *Cessat in totum Lex, si tota Causa Finalis, & Motiva cesset.*
3 *An cessatio finis attendi debeat ex fine intrinseco, an ex extrinseco, an verò ex ambobus?*
4 *An requiratur Declaratio Legislatoris, ut cessante causa finali totali Legis non obliget Lex?*
5 *An cessatio finis totalis Legis, ut deobliget ab observatione, debeat innotescere toti Communitati; an sufficit, si innotescat cuilibet particulari?*
6 *An si cesset causa finalis in aliquo casu particulari, cesset Lex pro persona particulari?*
7 *Lex absolutè non cessat respectu totius Communitatis, quando cessat pro casu particulari, & particulari persona.*
8 *Cessat in aliquibus casibus obligatio Legis ob Epykeiam.*
9 *Cessat Lex per ejus Abrogationem, vel Derogationem.*
10 *Quinam possint legem abrogare?*
11 *Inferior nequit abrogare legem à Superiore latam.*
12 *An possit Archiepiscopus, vel Episcopus abrogare Constitutiones Synodales à sè factas inconsulta Synodo?*
13 *An Statutum factum à Prorege, & confirmatum à Rege; aut Statutum Synodale ab Episcopo factum, & confirmatum à Pontifice; possint à Prorege, vel Episcopo abrogari?*
14 *An ad faciendam abrogationem Legis requiratur Causa?*
15 *Quanam Publicatio requiratur pro Abrogatione legis.*
16 *Quomodo Lex posterior priorem abrogans eam abrogare debeat?*

LEX

1 LEX cessare potest quoad vim obligandi ex multiplici causa, quarum aliquas hic recensebimus. Insuper cessare potest vel in totum, vel ex parte. Tunc dicitur cessare in totum, quando causa, ob quam inducta fuit, omnino cessat; aut quia lex abrogata est. Tunc verò dicitur cessare ex parte, quando cessat pro aliquo casu speciali, vel pro aliquo tempore; aut si per legem posteriorem revocata fuerit prior Lex secundum partem aliquam, vel restricta, aut limitata; voluntas siquidem posterior legislatoris præferenda erit priori, & lex tantum obligat, quantum intendit obligare legislator, etiamsi in lege posteriori nulla fiat mentio prioris, ut habetur *in Cap. 1. de Constit. in 6.* dummodo tamen lex prior non fuerit juramento assertorio etiam de futuro confirmata; tunc enim per posteriorem legem contrariam nequibit prior revocare, nisi ejus mentio fiat; juramentum siquidem addit majus vinculum, quod relaxari non præsumitur, nisi illius mentio fiat: ut ex Azor. Suarez, & Sà docet Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 1. num. 1. in fin.*

2 Jam verò 1. Causa, ob quam cessare potest lex in totum, est, si cesset tota causa finalis, & motiva, ob quam lex lata fuerit: ratio est, quia lex ideo obligat, in quantum judicatur à Legislatore ejus materia expedire bono communi; ergo si cessat tota ea causa, ob quam judicata est expedire bono Communi; cessat judicium Legislatoris, & consequenter ejus voluntas obligandi: Sicuti in lege particulari, quam sibi imponit vovens, si cesset causa finalis, & motiva, ob quam votum vovit; cessat obligatio voti, & illius Legis particularis sibi impositæ: ut si vovens voverit non ingredi talem domum ob periculum, cui se exponeret ob puellam ibi inhabitantem; si puella recesserit, & alibi inhabitaverit, poterit vovens ingredi domum illam, quia cessante causa finali, & motiva Voti, cessat obligatio ipsius Voti. Sic ex Communi sententia docent Covarruvias 4. *Decretal. 2. part. §. 9. n.* 8. Suarez *de leg.* plures referens *lib. 6. cap. 9. num. 10.* Victoria *relect. de Potest. Civil. num.* 22., Azor. 1. *part. lib.* 5. *cap.* 16. *quæst.* 15. Castropalaus *de leg. disp.* 5. *pun.* 1. *num.* 4. qui testatur esse communem, & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. ult. §.* 2. *num.* 1. referens Sylvestrum, Aragonium, Castro, Guttierrez, Salas, Sayrum, Layman, & Filliuccium.

3 Petes 1. An cessatio finis attendi debeat ex fine intrinseco, an ex extrinseco, an verò ex ambobus? Resp. præmittendo priùs finem intrinsecum legis non distingui ab ipsa re à lege præcepta: sic finis intrinsecus legis præcipientis jejunium, orationem, eleemosynam non distinguitur ab ipsa materia præcepta, videlicet jejunio, oratione, eleemosyna. Finem verò extrinsecum distingui à re præcepta, & materia Legis: sic si à legislatore præcipiatur jejunium, oratio, eleemosyna ad carnem macerandam, tentationes superandas, satisfaciendum pro peccatis; maceratio carnis, victoria tentationum, satisfactio pro peccatis erunt finis extrinsecus realiter distinctus à fine intrinseco. Præmitto in super: aliquando finem intrinsecum, seu rem præceptam habere honestatem ex se independentem à fine extrinseco: sic sunt jejunium, Oratio, eleemosyna; aliquando verò esse ex se indifferentem, sed honestatem accipere à fine extrinseco à legislatore intento; aut si honestatem habeat, illa non intenditur per se à legislatore, sed quatenus ordinatur ad finem extrinsecum à se intentum. His præmissis

Quando finis intrinsecus, seu materia legis, & præcepti habet honestatem ex se, & nil aliud in lege exprimitur à Legislatore, nec aliud expresè constat de ordinatione ad finem extrinsecum; tunc cessatio legis non attendenda erit à fine extrinseco, sed intrinseco: ratio est, quia jam ex fine intrinseco habet sufficientem honestatem materia præcepta bono communi convenientem, & propter quam præcepta est; ergo ipsa perseverante, etiam si cesset finis extrinsecus, non ideo cessabit lex, & obligatio illius, & è contra ipsa cessante cessabit lex. Patet in lege jejunii, quę etiam obligat ad jejunandum eos, qui perfectam carnis macerationem consecuti sunt; eo quia perseverat, nec cessat in ipsis finis intrinsecus honestatis Temperantiæ, quæ reperitur in jejunio, qua durante durat lex jejunii, quamvis cesset finis extrinsecus macerationis carnis. Quando verò finis intrinsecus ordinatur à legislatore ad finem extrinsecum, vel quia finis intrinsecus non habet honestatem ex se, sed à fine extrinseco; vel si illam habet, de ea non curat legislator, sed de honestate finis extrinseci; tunc cessatio legis attendenda erit à fine extrinseco, eo quia tota honestas rei præceptæ à fine illo extrinseco desumitur; ergo cessante tali honestate, ob quam inductus est legislator ad legem condendam bono Communi expedientem, cessabit lex: & è contra ipsa perseverante perseverabit lex. Sic Suarez *lib. 6. de leg. cap. 9. num.* 8. Castropalaus alios referens *de leg. disp. 5. pun. 1. num. 2. & 3.*

4 Petes 2. an requiratur Declaratio legislatoris, ad hoc ut cessante causa finali totali legis lex non obliget? Resp. quamvis Sotus *lib. 1. de Just. quæst. 6. art.* 8. putarit, necessariam esse; nihilominus communis sententia docet, non esse necessariam: ratio est, tum quia sic lex non cessaret ex cessatione causæ finalis; sed per novam legem Principis illam abrogantem; tum quia absque ullo fundamento imponit hanc novam obligationem expectandi declarationem legislatoris. Accedit, quòd voluntas legislatoris præsumitur velle obligare, dum perdurat causa finalis motiva ad condendam legem; ergo hac causa finali cessante absque alia declaratione censetur nolle ampliùs obligare. Sic *ex Cap. Cum cessante, de Appell. Cap. Etsi Christus, de Jur. Jurand. & Cap. Post translationem, de Renunciat.* docent Glossa, Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 2. num. 1.* innumeros referens, & Castropalaus *de leg. disp. 5. pun. 1. num. 6. in fin.*

5 Petes 3. an cessatio finis legis adæquati ut deobliget ab observantia, debeat innotescere toti Communitati; an sufficit, si innotescat cuilibet in particulari? Resp. quamvis Suarez *lib. 6. de leg. cap. 9. num.* 12. reputet necessarium, cessationem innotescere Communitati; Lex siquidem Communitatem adstringit, & ratione Communitatis singulas personas; ergo Communitati innotescere debet, legem redditam esse inutilem, & cessasse finem à legislatore intentum. Nihilominus nimis probabilis mihi videtur sententia Castropalai *de legib. disp. 5. pun. 1. num.* 8. asserentis extra scandalum, si constaret aliquibus, cessasse finem adæquatum legis; posse contra legem agere: ratio est, quia *singulæ personæ* Communitatis deobligantur à lege, non quia Communitas scit cessasse finem totalem legis, sed quia revera cessavit; ergo unicumque ex subditis hoc innotescit, deobligatus erit à lege, dummodo non sequatur scandalum.

6 Petes 4. An si causa finalis cesset in aliquo casu particulari, *cesset lex respectu personæ particularis?* Resp. negativè, non enim ob præcisam cessationem negativam causæ finalis in aliquo speciali casu, & respectu particularis personæ cessat lex, si in universum perseveret causa finalis; sive de cetero materia favorabilis sit, sive odiosa, & pœnalis. Sic si finis legis prohibentis portare arma noctu est vitare rixas, ac perturbationes in Civitate; etiam si in Petro viro pacifico, & timoratæ conscientiæ cesset hic finis, non ideo arma noctu portare *poterit*: ratio est, quia lex non respicit casus particulares, sed ea, quæ communiter accidunt; ergo etiam si cesset in particulari negativè finis legis, non ideo illum deobligat, cùm adhuc sit comprehensus sub fine universali legis; & in casu adjecto lex prohibens gestationem armorum noctu non prohibet ob rixas hujus, vel illius personæ, sed ob rixas communiter contingentes. Adde, quòd si bene consideretur, nec in particulari negativè cessat finis legis, qui est vitare generale periculum rixæ, quod etiam militat in casu particulari. Sic *ex leg. ea, quæ rarò, ff. de Regul. Jur.* docent Suarez *lib. 6. de leg. cap.* 8. plures referens, Salas *de leg. disp.* 11. *sect. 3. num.* 31. *concl. 3.* Sanchez, *lib. 3. de Matrim. disp. 3. num.* 39. Castropalaus *de leg. disp. 5. pun.* 1. *num.* 10. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. ult. §.* 2. *num.* 2. referens Castrum, Sylvestrum, Azorium, Guttierrez, Covarruviam, Rodriquez, Sà, Sayrum, Salonium, Layman, & Valentiam. Si tamen finis legis cesset in casu particulari non negativè, sed contrariè, quando videlicet in casu illo particulari turpe esset legem servare, vel quia materia legis tunc facta sit iniqua; vel quia opponitur alteri præcepto magis obliganti; utique cessabit in persona particulari pro eo tunc obligatio legis: ratio est, quia præceptum Superioris, & Legislatoris obligare nequibit ad iniquitatem. Sic Cajetanus, Salas, Suarez, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num.* 1. *in fin.*

7 Ex dictis infertur: Legem non cessare absolutè, & simpli-

simpliciter respectu totius Communitatis, quando cessat pro casu particulari, & pro particulari persona; ut enim cesset pro Communitate causa motiva debet generaliter cessare: lex siquidem non respicit particulares personas, sed Communitatem. Et si generaliter cesset causa finalis pro aliquo tantùm tempore; non ideo dicitur cessare lex absolutè, sed suspendi pro eo tempore: sicuti si pro aliquo tempore lex facta sit inutilis; lapso eo tempore, vigebit ejus obligatio. Quòd si plura divisibilia contineret lex, & respectu aliquorum facta esset inutilis, non verò respectu aliorum; tunc cessabit secundum ea, in quibus utilis perseverat: nam nullum ex hoc sequitur inconveniens, cum revera lex illa non sit una, sed multiplex plura divisibilia continens. Si tamen plura contineret, & præciperet inseparabilia, & indivisibilia, & unum redderetur inutile; tunc reliqua indivisibilia inutilia evaderent: inutile siquidem inficeret totam legem, cum bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Sic Suarez *lib. 6. de leg. cap. 9. num.* 18. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 3. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. ultim.* §. 2. *numer.* 5. & Castropalaus *de Legib. disp.* 5. *punct.* 1. *numer.* 7.

8 2. Causa ob quam cessare potest obligatio legis in aliquibus Casibus, est Epykeja, scilicet Æquitas, & Prudentia illa, ob quam judicatur in aliquibus Casibus, & si verba legis illos comprehendere videantur; re vera tamen illos non comprehendere: est enim quædam legis Interpretatio, de qua egimus *cap. præcedenti num. 9.* & ut licitam admisimus, quoties rationabilis, ac probabilis causa habetur faciendi Epykejam. Solum superest hìc inquirendum; quomodo dignosci possit, per Epykejam casum illum non comprehendi sub lege? Resp. varias tradi regulas ad dignoscendum. 1. est, si Casus sit pernicios bono Communi: nam bonum Commune impediri nequit à lege. Sic si lex præcipiat, tempore obsidionis portas Civitatis retinendas esse occlusas; si pro eodem tempore multi milites amici adveniant ad tuendam Civitatem obsessam, dijudicandum erit per Epykejam, casum illum non comprehendi à lege, adeoque portas aperiendas esse. 2. est superveniens circumstantia aliqua, ob quam casus evadat illicitus; lex siquidem illicita, & turpia comprehendere nequit. Sic licèt lex præcipiat reddendum depositum domino petenti; nihilominus si petat ad inferendum damnum alteri, depositarius per Epykejam dijudicare poterit, hunc casum *non* comprehendi sub lege illa. 3. est, si casus occurrat, qui ex circumstantiis, & rationabilibus conjecturis censeatur non intentus à legislatore, imò si eum prævidisset, utique apertè, & expressè excepisset, vel quia nimis difficilis est, & moraliter impossibilis; vel quia onus nimis grave imponit; tunc rectè per Epykejam dijudicabitur non comprehensus sub lege; tum quia leges humanæ ad instar divinarum imponi debent, quæ suaves sunt, nec valde difficiles, aut onerosæ, vel impossibiles; tum quia Aristoteles ait: *legem corrigi per Epykejam*, quatenus si legislator adesset, sic legem suam moderaretur, & interpretaretur. Ita Suarez, Lessius, Vasquez, Sà, Sanchez, Becanus, Salas, Layman, & Filliucius, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. ult.* §. 2. *num.* 9. *in fin.*

9 3 Causa est, ob quam lex cessat, ejus Abrogatio, vel Derogatio: nam si ex integro tollitur lex, dicitur Abrogata; si verò ex parte dicitur Derogata. Insuper Lex abrogari, & derogari potest tollendo obligationem illius, nec aliam imponendo; vel tollendo unam obligationem, & aliam imponendo sive contrariam, sive disparatam. Quæ autem de Abrogatione dicuntur, pariter intelligenda sunt de Derogatione, quæ nihil aliud est, nisi partialis quædam Abrogatio. Ut verò clarius, & distinctius procedamus, difficultates, quæ in materia Abrogationis insurgere solent; per sequentia Quæsita enodabimus.

10 Quæres 1. Quinam possint legem abrogare? Resp. extra dubium esse, legislatorem posse abrogare legem à se conditam, cum pendeat ab ejus voluntate. Idem efficere poterit ejus Successor æquali pollens potestate: nam talem potestatem nequit ab eo auferre Antecessor prohibendo abrogationem; par siquidem in parem non habet jurisdictionem. Denique à fortiori id præstare poterit Superior legislatoris, cum universaliori gaudeat Jurisdictione, ut ex se patet, & constat ex multis Constitutionibus Pontificiis abrogantibus aliquas leges Civiles, vel bonis moribus contrarias, vel præjudicium inferentes libero Sacramentorum usui, aut rectis dispositionibus piarum causarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum: ut habent Suarez *lib. 6. de leg. cap. 26. num.* 3. Azor. 1. *par. lib. 5. cap.* 20. & Salas *de leg. disp.* 18. *sect.* 4.

11 Inferior tamen abrogare nequit legem à suo Superiore latam: quapropter Episcopus nequibit abrogare legem à Pontifice latam, nec à Concilio Provinciali: cum Superior non subdatur inferiori, ut constat ex *Cap. Inferior, de Majorit. & Obedien.* & ex Clemen. *Ne Romani de Elect.* & communis sententia absque controversia docet. Solum revocatur in controversiam: an inferior habens facultatem condendi leges possit pro suo Territorio aliquam condere contrariam legi universali sui Superioris, & sic illam pro suo Territorio ab rogare. Et quamvis aliqui Doctores cum Panormitano, Jasone, Felino, Alberico relatis à Castropalao *de leg. disp.* 5. *pun.* 2. §. 2. *num.* 4. docuerint: hanc potestatem habere in legibus Civilibus, non verò Canonicis; eo quia pertinet ad rectam, & suavem gubernationem habere potestatem dispensandi, ergò etiam derogandi legibus Superioris, quando minus utiles, aut perniciosæ factæ sint. Vera tamen sententia est; & quam sequi debemus, quòd nullus inferior nec in legibus Civilibus, nec in Canonicis habeat potestatem sive purè derogandi, sive id efficiendi per contrarium Statutum; nisi expressè à Superiore facultatem illam acceperit, quæ numquam præsumenda est, sed semper probanda: ratio est, quia ut patet ex ipsis terminis, si inferior haberet potestatem hanc respectu legum sui Superioris, potiùs esset Superior, quàm inferior; & legislatores quamvis accipiant à populo potestatem condendi leges, nihilominus renuente populo possunt legem condere; aliàs legislator esset inferior populo, quod est contra debitam subordinationem. Nec ratio in contrarium adducta aliquid evincit: non enim ex se habet inferior potestatem dispensandi in lege Superioris, sed regulariter illam habet ab ipso superiore: Insuper dispensandi potestas est magis necessaria ob frequentiores causas, non sic verò abrogandi potestas inconsulto Superiore, quæ facit, ut lex moriatur; & dispensatio vulnus tantùm infligit non mortale in uno, vel altero casu. Concluditur ergo non posse inferiorem legem Superioris abrogare, sive pure, sive per contrarium Statutum; poterit tamen illam novis Statutis, & pœnis corroborare quoad observantiam. Sic Cardinalis Bonifacius, Imola, Covarruvias, Menochius, Matienzo, Maranta, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp.* 5. *pun.* 2. §. 2. *nu.* 5. *& 6. in fine.*

12 Quæres 2. An Archiepiscopus, vel Episcopus possit inconsulta Synodo Constitutiones Synodales à se factas abrogare? Resp. quamvis Gallego *de Cognat. Spirit. cap.* 21. *num.* 18., Vega 1. *tom. Summ. cap.* 88. *casu* 2. *in fin.*, & alii docuerint, non posse; tum quia Constitutiones illæ non minùs habent vim ab Episcopo, quàm à Clero congregato; tum quia Episcopus non est superior sua Synodo, sed pars illius. Nihilominus probabilius est: posse, si ita judicaverit expedire, quamvis rarò expediet: ratio est, quia Constitutiones Synodales suum valorem accipiunt, ac dependent à voluntate Episcopi; ergo poterit illas abrogare. Clerus namque congregatus in Synodo non facit Constitutiones, nec ejus præsentia est ex necessitate; sed ex utilitate, & convenientia, ut prudenter procedat Episcopus in illis faciendis præbente consilium Clero, ac eum adjuvante. Et quamvis Episcopus sit pars synodi, est tamen Caput illius cum jurisdictione legislativa, & coercitiva, qua caret Clerus. Inde est, quòd possit Episcopus cum suis Diœcesanis dispensare validè absque causa in suis Constitutionibus synodalibus, ut docent Navarrus *in Summ. cap.* 25. *num.* 74. Azor. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 3. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 17. *num.* 33. Barbosa *de Potest. Episcop.* 2. *par. allegat.* 34. *num.* 3. & Castropalaus *de legib. disp.* 5. *punct.* 2. §. 2. *numer.* 10.

13 Quæres 3. an Statutum factum in Provincia à Prorege, & confirmatum à Rege possit ab ipso Prorege abrogari, qui illud fecit. Sicuti Statutum Synodale factum ab Episcopo, & confirmatum à Pontifice possit ab Episcopo abrogari? Resp. si expressè non constet, confirmationem Statuti exposci ob quamdam authoritatem, & specialem splendorem, & non ob vim obligandi à Rege, vel Pontifice; etiamsi non addantur ab

ipsis

ipsis in confirmatione verba illa : ut si quidquam contra fieret , non valeret ; quibus appositis extra controversiam est , tolli facultatem inferioribus abrogandi Statuta *ex Cap. dilecto , de Præbend.* Nihilominus non poterunt ullatenus ab inferioribus abrogari : ratio est , quia per confirmationem Superioris facta sunt Statuta jam confirmata Leges illius ; sed inferior non habet facultatem abrogandi Leges Superioris ; ergo abrogare nequibit Statuta à Superiore confirmata . Quòd autem per confirmationem , & auctoritatem à Superiore datam Statutis facta sint Leges illius constat *ex Cap. Si Apostolicæ , de Præbend. in 6.* ubi Pontifex ait : Illa enim nostra facimus , quibus authoritatem impertimur . Item *ex leg. 1. §. sed neque , Cod. de Veter. Jur. enucleand.* habetur : Quòd ubi Princeps confirmat , idem est , ac si sententiam ferat . Aliunde nisi clarè exprimatur , non est præsumendum , requiri confirmationem ob simplicem splendorem absque eo quod authoritatem suam interponat Superior confirmando , sine vi obligandi ; ergo rectè colligitur, quòd nisi clarè constet hoc , præsumendum semper erit , Superiorem fecisse suas Leges Statuta illa confirmata , nec posse ab inferiori revocari . Sic communis sententia cum Sanchez alios referente *lib. 8. de Matrim. disp. 17. num. 30.* Sayro *tom. 1. lib. 6. cap. 11. num. 12.* Sylvestro *verb. Beneficium 3. quæst. 9. num. 13.* Azorio *lib. 5. cap. 15. quæst. 7.* & Barbosa *de Potest. Episcop. 2. par. Allegat. 34. num. 7.*

14 Quæres 4. An requiratur causa ad faciendam abrogationem Legis ? Resp. quamvis valida sit abrogatio Legis à Legislatore facta absque causa ad bonum commune pertinente , si purè fiat , scilicet *sine nova* impositione Legis , eo quia obligatio Legis pendet à voluntate Legislatoris ; ergo si cessat *in eo* voluntas obligandi , cessabit pariter obligatio Legis . Nihilominus si abrogatio Legis fiat per impositionem novæ Legis absque tali causa , invalida erit abrogatio : ratio est , quia lex , quæ non expedit bono communi , non valet ; ergò si prima Lex abrogatur per hanc secundam, non expedientem bono communi , invalida erit ejus abrogatio , quia invalida est impositio secundæ Legis . Insuper plus requiritur ad imponendam novam obligationem subditis , quàm ad purè cessandum ab antiqua , ergo plus requiritur ad abrogandam Legem per impositionem novæ , quàm ad purè abrogandam antiquam . Ad validam tamen , & licitam , ac honestam abrogationem Legis faciendam requiritur causa bono communi expediens : ratio est , quia aliàs Legislator abuteretur potestate , & jurisdictione concessa à Communitate : maximè quia ejus Officium est , Legibus convenientibus subditos regere , non verò pro suo arbitratu , & absque legitima causa Legis in utilitatem Reipublicæ latas abrogare . Sic constat *ex Cap. Non debet , de Consanguin. & Affinit. & ex Leg. 2. ff. de Constitut. Princip.* & sic Communis sententia , ut videre est in Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 25. num. 3.* Vasquez *2. par. de Legib. disp. 178. cap. 1.* & Salas *de Legib. disp. 18. sect. 1. num. 3. & 4.*

15 Quæres 5. Quænam Publicatio requiratur pro abrogatione Legis ? Resp. quamvis aliqui Doctores asserant, nullam publicationem requiri , sed sufficere ad abrogationem solam voluntatem Legislatoris Legem abrogantis . Alii verò ex opposito requirunt Publicationem similem Publicationi Legis, aliàs Lex abrogata vigebit. Sed in hac sententiarum varietate probabilius puto distinguendum : si abrogatio fiat per novam Legem , utique promulgari debebit ad instar Legis , ut Legis effectus sortiatur , quos sortiri nequibit sine promulgatione , & aliis requisitis ad Legem obligantem : maximè quia effectus abrogationis , & revocationis alterius Legis est ipsi secundarius ; & in hoc sentiendum cum Doctoribus secundæ sententiæ . Si verò abrogatio fiat purè absque impositione novæ Legis , utique non indigebit promulgatione : cum sufficiat revocatio voluntatis in Legislatore , à qua obligatio Legis dependet , & in hoc sentiendum cum Doctoribus primæ sententiæ . Controvertitur tamen : an sufficiat mera revocatio interna ad Legem purè abrogandam , an verò debeat esse exteriùs significata ? Et mihi probabilius apparet , debere exteriùs significari : quia ex actibus merè internis non habetur communicatio inter homines socialiter viventes ; adeoque ex actibus merè internis Superioris nequibit resultare effectus aliquis in subditis : adde quòd revocatio sic facta esset exposita multis inconvenientibus , & rectæ gubernationi contraria . Sic Salas, Azor. Vasquez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 5. pun. 2. §. 1. num. 5.* Unum addo cum eodem Castropalao : debere sic innotescere hanc voluntatem Superioris revocantis Legem purè , ut facilè devenire possit revocatio in notitiam subditorum ; quamvis modus revocandi remittatur judicio virorum prudentum , & consuetudini , si aliqua sit.

Quæres 6. Quomodo Lex posterior abrogans priorem , illam abrogare debeat ? Resp. 1. si Lex posterior abrogare debeat priorem generaliter loquentem , ac in Jure Communi insertam ; debet etiam posterior generaliter loqui , ac priori esse contraria ; quamvis non requiratur , ut prioris mentionem faciat : ratio est , quia semel ac posterior est priori contraria , & eadem generalitate loquitur , supponendum est , quòd si Legislator posteriorem condidit contrariam , priorem derogare voluerit , quam ignorare non præsumitur *ex cap. 1. de Constit. in 6.* & non obstante scientia contrariam Legem condidit. Sic Glossa *in cap. cit. & in leg. Sed & posteriores , ff. de legib. verb. Nisi contrariæ sint .* Quamvis si prior juramento firmata fuerit assertorio de præsenti , & promissorio de futuro, requiratur specialis mentio , utpote fortiori vinculo stabilita ; ut ex Azorio , Sà , & Bonacina docet Castropalaus *de legib. disp. 5. pun. 2. §. 1. num. 8.* & nos superiùs diximus. 16

Resp. 2. Si Lex prior abroganda sit in Jure communi , & posterior non sit ipsi contraria , aut contrarietas aliquo modo excusari, possit per interpretationem, tunc posterior non abrogabit priorem ; idem dicendum , si Lex prior fuerit extra Jus commune : ratio est , quia correctio Legum , & earum mutatio, quantum fieri potest , cavenda est , utpote pernicioſa Reipublicæ ; ergo si habetur caput sufficiens , & rationabile excusandi contrarietatem , sic faciendum erit, ut prior Lex in suo robore maneat : dummodo vitatio contrarietatis non fiat per improprietatem verborum juxta supradicta . Sic Bartolus , Tiraquellus , Felinus , Panormitanus , Decius , Suarez , Salas , quos refert , & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 5. pun. 2. §. 1. num. 9.*

Resp. 3. Si Lex abroganda sit extra Jus Commune , sive generalis sit , sive specialis; ut validè abrogari possit , debet de ea fieri mentio , saltem in genere , in Lege posteriori abrogante : ratio est , quia quæ extra Jus commune sunt , præsumuntur ignorari à Legislatore *ex cap. 1. de Constit. in 6.* adeoque si in Lege posteriori abrogante non fiat mentio saltem in genere de priori abrogata , non censenda erit condita ex Scientia prioris Legis . Sic Suarez *lib. 6. de legib. cap. 27. n. 12.* Salas *de Legib. disp. 18. sect. 6. in fin.* & Castropalaus *de legib. disp. 5. pun. 2. §. 1. num. 10.*

Resp. 4. Si Lex specialis sit , vel quia pro aliquo loco lata fuerit; vel quia specialem continet materiam; & in Jure communi inserta fuerit ; non poterit per posteriorem Legem universalem abrogari , nisi de ea fiat mentio; imò è contra Lex universalis posterior limitabitur ab ea : ratio est , quia ex communi Regula : *Generi per speciem derogatur* , etiamsi species præcedat , ut adnotat ibi Glossa communiter recepta . Aliunde utraque Lex salvari potest absque derogatione, quæ vitanda est : *subsistit* namque prima , & subsistit secunda , quamvis cum limitatione , ac exceptione prioris Legis ; ergo ita dicendum erit, ac præsumendum, sic Legislatorem voluisse . Sic docent Bartolus Abbas, Jason, Decius, Baldus, & alii plures, quos refert,& sequitur Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 24. n. 6.*

CAPUT XVI.

De Consuetudine.

1 *Ob Consuetudinem legitimè introductam cessat Lex.*
2 *Quid sit Consuetudo?*
3 *Quotuplex sit?*
4 *Quomodo distinguatur Consuetudo à Stylo , Foro , & Præscriptione?*
5 *Quænam Conditiones requirantur ad Consuetudinem inducendam?*
6 *Ut Consuetudo Rationabilis sit debet esse de re honesta.*
7 *Debet insuper esse de re utili , & bono communi faveute.*

8 *Consuetudo debet esse legitimè præscripta, & introducta.*
9 *Consuetudo intra decennium non debet esse interrupta per actum contrarium.*
10 *Requiritur ad Consuetudinem frequentia, & iteratio actuum.*
11 *An Consuetudo debeat esse approbata in contradictorio judicio?*
12 *Ad Consuetudinem legitimè præscribendam requiritur Qualitas actuum, quod videlicet sint voluntarii, ex intentione introducendi Consuetudinem, & externi,*
13 *Requiritur insuper Consensus Legislatoris: sed sufficit Tacitus, vel Legalis,*
14 *Requiritur denique, ut Consuetudo inducatur ab eis, qui habent capacitatem activam condendi Leges, vel saltem passiam eas recipiendi.*
15 *Quænam Communitates possint Consuetudinem iatroducere?*
16 *Quosnam effectus pariat Consuetudo legitimè introducta?*
17 *Legem præexistentem abrogat, ac ejus obligationem tollit. Et quid de Pena.*
18 *An Consuetudo abrogare possit Legem prohibentem consuetudinem futuram?*
19 *An Consuetudo abrogare possit Legem humanam circa administrationem Sacramentorum latam?*
20 *Consuetudo Legem interpretatur.*
21 *In dubiis circa intelligentiam Legum standum Consuetudini.*
22 *Consuetudo introducit Legem Irritantem.*
23 *An Consuetudo introducta abrogari possit?*
24 *Quomodo Lex abrogare possit Consuetudinem?*
25 *Abrogari potest Consuetudo introducta per novam Consuetudinem contrariam.*
26 *An allegans Consuetudinem eam probare debeat.*
27 *Quomodo probanda Consuetudo, dum onus urget eam probandi?*
28 *An petent introducentes consuetudinem adversantem Legi, vel alteri consuetudini legitimè receptæ?*

1 INter causas, ob quas Lex cessare potest; numeratur Consuetudo legitime introducta, & Legi contraria, quæ specialem sibi exposcit tractationem; habet namque talis Consuetudo vim Legis, non scriptæ, sed præscriptæ: & sicuti Lex posterior legitimè lata abrogat priorem; ita & Consuetudo legitimè introducta. Legem jam latam abrogat, ut communiter Doctores fatentur. Quæ autem ad Consuetudinem spectant, ut facilius, & distinctiùs habeantur; per sequentes Petitiones proponemus.

2 Petes 1. Quid sit Consuetudo: Resp. si Consuetudo accipiatur pro facto, nihil aliud est, nisi frequentia actuum similium exercitorum à majori parte Communitatis usum rationis habente; seu est frequentia usus. Si verò accipiatur pro Jure; est Jus non scriptum, quod ex longo, & continuo usu ortum est; ex frequentia enim, & exercitio actuum similium, seu morum majoris partis Communitatis oritur jus quoddam ex ipsis actibus, & moribus constitutum, quod pro Lege suscipitur, & habet vim Legis: ut constat *ex Cap. Consuetudo dist.* 1. Quapropter Jus istud Consuetudinis ex moribus hominum, & frequenti usu illorum resultat, & constituitur: & quia mores, & frequens usus morum non consistit in scriptura, sed in facto; ideo dicitur jus non scriptum: denique cum non sit revera Lex scripta, sed habeat eamdem vim obligandi, quam habet Lex; ideo loco Legis suscipitur. Sic *ex Cap. Mos. dist.* 1, *Cap. Consuetudo, ead. dist. Cap. ult. de Consuetud. cap.* 1. *de Constitut. in 6, & ex Leg. de Legibus, ff. de Legib.* communiter definiunt Consuetudinem Sylvester, Valentia, Suarez, Vasquez, Salas, Becanus, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. ult. §. 3. num.* 2. & Castropalaus *de Legib. disp.* 3. *pun.* 1. *num.* 1.

3 Petes 2. Quotuplex sit Consuetudo? Resp. quia Consuetudo est Lex, ideo patitur easdem divisiones Legis: alia enim est Canonica, alia Civilis. Consuetudo Canonica dicitur, quæ ex frequenti Clericorum usu dimanat. Civilis verò, quæ ex frequenti usu Laicorum: & si aliquando etiam dimanet ex frequenti usu Clericorum, quia tamen ad commune bonum politicum Temporale Civitatis ordinatur; Civilis dicenda erit, ut rectè adnotat Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 5. num.* 2. Insuper Consuetudo tam Canonica, quàm Civilis dividitur in Jus Commune; si videlicet à tota Ecclesia introducta sit, dicetur Jus Commune Canonicum; si tamen à toto Regno, Jus commune Civile. In Jus Nationale, si scilicet à tota Provincia introducta fuerit. Denique in Jus Municipale, si à tota Civitate proveniat. Dividitur tandem præcipuè Consuetudo in eam, quæ est secundum Legem; in eam, quæ est contraria Legi, & in eam, quæ est præter Legem. Ea Consuetudo dicitur secundum Legem, quæ declarat, & interpretatur Legem, ac sensum illius in dubiis: & per hanc Consuetudinem dicitur firmari Lex, non quia novum robur addat, sed quia removet ea, quæ Legem tollere poterant; ideoque *in Cap. Cum dilectus, de Consuet.* dicitur: *Optima Legum interpres.* Ea dicitur contra Legem, quæ consistit in actibus frequentatis contra Legem, quam abrogant, si debitas habeant conditiones, de quibus infra. Ea dicitur præter Legem, quæ constituitur ex frequenti usu actuum, qui nulla Lege prohibentur.

4 Petes 3. Quomodo distinguatur consuetudo à Stylo, Foro, & Præscriptione? Resp. adnotando priùs, consuetudinem, prout importat Jus, distingui à frequenti usu, ut distinguitur effectus à sua causa: jus enim consuetudinis est effectus resultans à frequenti usu. Distinguitur à Stylo, ut distinguitur includens ab incluso; Stylus namque includitur in consuetudine, sed est Consuetudo quædam restricta ad actus Judiciales, seu ad modum procedendi alicujus Reipublicæ in exercendis Judiciis, & sententiis ferendis. Sic Stylus Curiæ Romanæ, seu frequens usus decidendi causas in Romana Curia, sive per Sententiam, sive per Rescriptum, aut Bullam; facit Consuetudinem obligantem ad servandum ritum illum, & Ordinem, unde passim dicitur: Stylum Romanæ Curiæ facere Legem. Distingitur etiam ut includens ab incluso à Foro: Forum namque est consuetudo restricta ad usum Jurisdictionis servandum in Judiciis; qui usus si frequens fuerit, ac legitimè introductus, vim Legis habere poterit: ut ex Salas, Suarez, Lopez, & Burgos docet Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun.* 1. *n.* 3. Distinguitur à Præscriptione, 1. quia consuetudo respicit communitatem, Præscriptio verò non, cum etiam respiciat particulares personas. 2. quia consuetudo requirit consensum Legislatoris, saltem tacitum; Præscriptio vero nec tacitum, nec expressum illius, adversus quem præscribit. 3. quia diversum tempus requiritur ad consuetudinem inducendam, quàm ad Præscriptionem. 4. in consuetudine non requiritur bona fides, ut in Præscriptione. 5. in consuetudine non requiritur titulus, ut in Præscriptione. Videri possunt alia discrimina in Panormitano *Cap. Final. de Constit. num.* 20. & Suarez *de Legib. lib. 7. cap.* 1. *à num.* 1.

5 Petes 4. Quænam conditiones requirantur ad consuetudinem inducendam, ut vim Legis habere possit? Resp. quamvis plures assignentur conditiones à Doctoribus, quæ ad consuetudinem habentem vim Legis requiruntur; nihilominus omnes reduci possunt ad duas illas *in cap. final. de consuetud.* assignatas, quòd videlicet sit Rationabilis, & quòd sit legitimè Præscripta; quas conditiones si consuetudo habebit, nil aliud exposcitur, ut vim Legis contineat, gratis siquidem reliqua requiruntur.

6 Ad hoc autem ut consuetudo dicatur Rationabilis. Requiritur 1, ut sit de re honesta: ratio est, quia ut consuetudo habeat vim Legis debet respicere materiam similem Legi, sed nulla Lex respicit materiam inhonestam; ergo neque consuetudo. Hinc fit, non posse consuetudinem introduci contra Jus naturale, aut Divinum, esset enim de re inhonesta, utpote Jure naturali, & Divino vetita; ut docent Suarez, Salas, Becanus, Reginaldus, & alii communiter, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun. ult. §. 3. num.* 7. Idem docent de consuetudine contra Jus Gentium, prout saltem deducitur ex principiis Naturæ Azor. 1, *par. lib.* 5. *c.* 17. *quæst.* 4. & alii penes Salas *de Legib. disp.* 29. *sect.* 2. *num.* 12.

7 Requiritur 2. ut sit de re utili, & bono communi favente; non verò inutili, ac bono communi contraria: quod enim inutile est, ac bono communi contrarium nequit esse materia Legis, ut ex Becano & aliis docent Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. ultimo §. 3. numer.* 9. & Castropalaus *de*

Legib.

Legibus disp. 3. punct. 2. §. 1. numer. 1. Quando verò materia Consuetudinis sit de bono communi dignoscendum erit arbitrio prudentum Virorum, maximè si Legi adversetur; cum ad tollendam Legem major causa requiratur, quàm ad condendam novam: Sic Suarez *lib. 7. de legib. cap.* 18. *num.* 9. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 4. num.* 14. Menochius *lib 2. Cent. 1. de Arbitr. casu* 82. referens Panormitanum, & alios. In dubio tamen an Consuetudo, contraria Legi sit expediens bono communi, cum jam introducta sit, censendum erit expedire bono communi, & rationabilem esse: ratio est, quia possidet consuetudo, adeoque in favorem ejus dijudicandum. Secus tamen dicendum, si non solùm sit contraria Legi, sed ab ipsa reprobata; tunc in dubio rationabilitatis consuetudinis introductæ, dijudicandum erit in favorem Legis: quia est certa reprobatio consuetudinis facta à Lege, dubia verò honestas ipsius consuetudinis; quapropter reprobatio certa nequibit deturbari à sua possessione per honestatem dubiam. Sic ex Sanchez, Suarez, Salas, & aliis firmat ut certum Castropalaus *l. c. num.* 5.

8 Altera Conditio est, ut Consuetudo sit legitimè Præscripta, & introducta; nisi enim habeat legitimam Præscriptionem, & introductionem, etiam si Rationabilis sit; non habet vim Legis. Requiritur tamen 1. ad Consuetudinem legitimè introducendam diuturnitas temporis, seu ut sit longæva. Verùm quanta debeat esse diuturnitas temporis, ut Consuetudo longæva dici possit; non una est Doctorum mens, quorum aliqui immemoriale tempus requirunt, quod saltem centum annos comprehendat. Alii requirunt decem annos pro Consuetudine Civili, quadraginta pro Canonica. Alii nullum tempus determinant, sed illud remittunt arbitrio Virorum prudentum. Alii denique tam pro Consuetudine Civili, quàm Canonica spatium decem annorum requirunt. In hac varietate Sententiarum placet mihi ultima sententia requirens decem annos; & quidem quod spatium decem annorum sufficiat pro introducenda consuetudine legitima Civili probatur ex eo, quia spatium decem annorum est longum tempus, ut constat *ex Leg. ult. Cod. de Præscript. long. tempor. & ex §. 1. Instit. de Usucap.* ergo consuetudo Civilis, quæ habet tempus decem annorum, erit diuturna, & longæva. Sic docent Suarez, Molina, Azor. Reginaldus, Sà, Rebellus, Salas, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num. 3.* Major difficultas est in probanda consuetudine Canonica legitima per decennium: sed ratio, quæ militat pro Consuetudine Civili, militat etiam pro Canonica: nam si decennium est longum tempus in Civilibus, erit pariter longum tempus in Consuetudinibus Canonicis; & si legitimè præscribit in Civilibus, legitimè præscribit in Canonicis. Quamvis enim non negem multas alias dari præscriptiones, quæ aliud tempus longius expostulent; attamen hæc decennalis sufficit ad legitimè præscribendam Consuetudinem Canonicam, cùm sit materia favorabilis, & nemini contraria; non Legislatori, quia ex ejus voluntate vim accipit consuetudo; non Subditis, quia ab eorum consensu dependet.

Nec dicas: esse contra Ecclesiam, adversùs quam præscribit suo modo abrogando ejus Legem; & ad præscribendum contra Ecclesiam requiritur spatium quadraginta annorum *ex Cap. De quarta, Cap. Ad aures, de Præscript.* Contra enim est, quia Consuetudo abrogans Legem Canonicam cum procedat in abrogatione ex consensu ipsius; inde est, quòd non sit contra illam, sed pro illa: & præscriptiones in favorem Ecclesiæ, & non contra illam, non indigent diuturnitate quadraginta annorum, sed sufficit decennalis: ut habet Rota apud Farinacium *in Novissim. par. 2. decis. 375. num.* 8. Adde, quòd nec sufficeret spatium quadraginta annorum, si valeret ratio adducta ex similitudine Præscriptionis propriè dictæ; sed requireretur tempus immemoriale, saltem spatium centum annorum; cum ex Authent. *Quas actiones. Cod. de Sacros. Eccles.* non datur præscriptio adversus Ecclesiam Romanam, nisi per spatium centum annorum. Sic Lessius *tit. 2. cap. 6. dub.* 14. *num.* 46. Sà *verb. Consuetudo num.* 6, Azor. 1. *par. lib. 5. cap.* 18. *quæst.* 6. Filliuccius *tract. 21. cap.* 11. *quæst.* 11. *numer.* 45. & Castropalaus *de legibus, disp. 3. punt. 2. §. 2. numer.* 5. & 9. Non nego tamen suam probabilitatem oppositæ sententiæ, quam sustinent docti Viri apud Castropalaum *loc. cit. numer.* 8. Suarez scilicet, Salas, Reginaldus, Rebellus, & Bonacina.

Requiritur 2. ut Consuetudo non interrumpatur per 9
actum contrarium, si nondum perfecta, & completa fuerit per decennium: nam si transacto decennio interrumpatur per actum contrarium, non ideò abrogatur consuetudo introducta jam; sicuti enim Lex non unico actu abrogatur, sic nec Consuetudo; & sicuti non introducitur per unum actum, sic nec per unum actum abrogatur. Quòd autem si nondum perfecta sit, interrumpi non debeat per actum contrarium à Communitate factum; patet ex eo, quia jam Communitas, seu major pars illius indicat per actum illum contrarium nolle consuetudinem quæ voluntate Communitatis, aut Majoris partis illius inducitur, ergo iterum incipiendum erit spatium temporis, quo Consuetudo introducitur. Insuper si interruptio præscriptioni obstat, obstabit pariter Consuetudini: & ratio ulterior est, quia quando Jus tempus aliquod requirit pro aliquo effectu, de tempore continuo intelligendum erit, ut ex Lapo, Sylvestro, Navarro docet Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 2. §. 2. num.* 11. Concluditur ergo, Consuetudinem decennalem intra decennium non debere interrumpi, etiam per unum actum contrarium Communitatis; vel per unum actum Legislatoris punientis introducentes consuetudinem. Sic Suarez *de legibus lib. 7. cap. 8. num.* 15. Panormitanus *Cap. ult. de Consuet. num.* 19. Armilla *verb. Consuetudo num.* 7. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 249. Salas *de legib. disp. 19. sect. 11. num.* 93. Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num.* 23. & Castropalaus *l. c.*

Requiritur 3. ad Consuetudinem legitimè introducen- 10
dam frequentia, seu iteratio actuum; ut constat ex ipsa definitione Consuetudinis, *& ex Leg. 1. Cod. Quæ sit longa Consuetudo*. Sed controversia insurgit, quot actus requirantur ad hanc frequentiam constituendam. Et quamvis aliqui Doctores dixerint, actum bis, aut ter frequentatum sufficientem esse ad consuetudinem inducendam, maximè si fiat sciente, & non contradicente Principe. Imò aliqui dixerunt, unum actum continuatum, & æquivalentem pluribus sufficientem esse. Vera tamen, & probabilior sententia est, hos actus non sufficere; sed requiri plures arbitrio virorum Prudentum dijudicandos: ratio est, quia ad Consuetudinem legitimè præscriptam requiritur diuturnitas temporis, & frequentia actuum; sed id, quod semel, bis, aut ter fit, non potest esse diuturnum, & frequens *ex Leg. Item apud Labeonem, §. aliud est, ff. de Jurejur.* Ergo plures actus his requiruntur ad diuturnitatem, & frequentiam constituendam, aliàs facilis pateret aditus ad Leges abrogandas per Consuetudinem. Quapropter si ad Consuetudinem requiritur decennium, ut consuetudo non jejunandi tali die, vel non colendi diem tamquam Festum, aut viceversa vim Legis habeat; oportet, ut per decennium illud Communitas, aut major pars Communitatis tali die non jejunaverit, vel non coluerit, ut Festum; aut viceversa, quòd jejunaverit; vel ut festum coluerit. Nec obstat, quòd *in Cap. Ita nos, 21. quæst. 2.* geminatio criminis dicatur frequentia, & consuetudo. Non enim ibi sermo est de Consuetudine faciente Legem; sed de consuetudine, & assuefactione probante pravum affectum in reo, adeo ut possit majori castigatione puniri. Sic Suarez *lib. 7. de Legib. cap.* 10. *num.* 3. Bartolus *in Leg. 2. Cod. Quæ sit long. Consuetudo*. Salas *disp. 19. sect. 8. num.* 72. Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num.* 32. *in fin.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 2. §. 3. num. 3. & 5.*

Dubitabis hic: An Consuetudo, ut vim Legis habeat, 11
debeat esse approbata in contradictorio judicio? Resp. negativè: ratio est, quia nullum habetur fundamentum requirendi approbationem in judicio, cum ex Jure communi non requirat Consuetudo actus judiciales; sufficiunt ergo ad approbandam illam actus extrajudiciales. Maximè quia *ex Leg. De quibus, ff. de Legib. & ex Cap. ultim. de Consuetud.* nil aliud requiritur, ut vim Legis habeat Consuetudo, nisi quòd sit Rationabilis, & legitimè Præscripta; & per hoc quod Communitas, vel ejus minor pars plures actus extrajudicialiter faciat per modum obligationis, & præcepti ad tempus præscriptum; jam Consuetudo dicitur Rationabilis, & legitimè præscripta; ergo gratis requiritur approbatio *in* judicio contradictorio. Sic Suarez, Vasquez, Salas, Becanus, & alii apud ipsos, quos referunt, & sequuntur Bo-

Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num.* 25. & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 2. §. 3. num.* 9.

12 Requiritur 4. ad Consuetudinem legitimè præscribendam qualitas actuum, quòd videlicet sint voluntarii, & quòd procedant ex intentione introducendi Consuetudinem, denique quod sint externi. Quòd autem requiratur in actibus consuetudinem inducentibus, ut sint voluntarii, probatur ex eo, quia Lex constituitur per actus humanos voluntarios, & liberos, ergo si consuetudo vim Legis habere debet, per hos actus debet constitui: Sic Suarez *lib. 7. de legib. cap.* 12. Azor. 1. *par. lib. 5. cap. 17. quæst. 8.* Salas *disp. 19. sect. 11. num. 9.* Reginaldus *lib. 13. num.* 244. & alii. Hinc fit: quòd si populus, & Communitas per vim, & metum gravem obligetur ad aliquas actiones præstandas plures, & plures ad longum tempus; non inde tamen sequitur resultare Consuetudinem: sicuti non resultat ex frequentatis actibus, & diuturnis ex ignorantia, aut errore circa substantiam consuetudinis procedentibus, ut habent Suarez alios referens *l. c.* & Castropalaus *de legib. disp. 3. pun. 2. §. 3. num.* 11. Quòd vero requiratur, ut actus frequentati procedant ex intentione introducendi Consuetudinem obligantem; probatur ex eo, quia sicuti in Legislatore requiritur intentio ferendi Legem obligantem, ut Lex subsistat, & obliget; sic in Communitate, vel ejus majori parte requiritur intentio inducendi consuetudinem obligantem, ut subsistat, & obliget. Quapropter si ex intentione Devotionis, Pietatis, aut Gratitudinis, vel Urbanitatis consuetudo introduceretur à Communitate, non haberetur consuetudo obligans, ut Lex; ut patet in consuetudinibus jejunandi in Pervigiliis Beatissimæ Virginis, excepto Assumptionis ejus Pervigilio; sumendi aquam lustralem in ingressu Ecclesiæ: salutandi Beatam Virginem mane, meridie, & vespere, & similes, quæ non obligant sub peccato, ut Doctores omnes fatentur. Quòd si Consuetudo aliqua in sui initio inducta fuerit ex devotione, sed progressu temporis ex animo se obligandi continuata fuerit; utique obligabit ut Consuetudo legitimè præscripta, si diuturnitatem in hoc, & frequentiam actuum habuerit: ut ex Salas, Soto, & aliis docet Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. punt. ult. §. 3. num.* 20. *in fin.* In dubio autem; an consuetudo inducta fuerit ex animo se obligandi, an verò ex devotione; si aliud non constet ex circumstantiis: ut si sit rei gravis, & difficilis, & nihilominus ob omnibus servetur, cum non soleat Communitas convenire in actibus uniformiter, nisi procedant ex obligatione; aut si Superiores puniant transgressores, & violantes consuetudinem, cum non præsumendam sit, velle pœnam sumere pro non debitis: vel si populus scandalizetur ob inobservantiam Consuetudinis, & viri timorati malè sentiant de inobservantibus, cum non soleat hoc evenire in rebus liberè faciendis, sed ex obligatione; denique si materia consuetudinis, ac obligatio illius multum conferat ad commune bonum. Si enim hæc non habentur, judicandum erit in dubio: Consuetudinem ex Devotione, & Pietate fuisse inductam; tum quia Lex non est præsumenda, nisi probetur, & ea, quæ sunt facti, non Juris minimè, præsumi debent; tum quia nemo præsumitur, velle sibi obligationem imponere: ac onus, nisi certò constet. Sic Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 15. num.* 13. Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num.* 21. & Castropalaus *de legib. disp. 3. pun. 2. §. 3. num.* 13. Quòd denique actus ad consuetudinem inducendam debeant esse externi, & manifesti majori parti Communitatis; probatur ex eo, quia cum introduci debeant à majori parte Communitatis, à qua actus frequentes fiunt; ideo debet Communitas, vel major pars illius videre, & consentire in actus, eosque tolerare: usus namque occultus nec videtur, nec ipsi consensus præstatur, aut toleratur. Insuper cum Consuetudo non indigeat alia promulgatione à seipsa; inde est, quòd debeat esse manifesta, non occulta. Sic Suarez, Vasquez, Becanus, & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacina *loc. cit. num.* 26. & Castropalaus *loc. cit. num.* 14. Hinc fit, non posse Consuetudinem induci per non usum, qui non contineat saltem implicitè actus frequentatos: ratio est, quia non usus non continet frequentiam actuum, quæ necessariò requiritur ad consuetudinem inducendam: ut ex Panormitano, Sylvestro, Azorio, Salas, Becano, Reginaldo, & Rebello adnotat Bonacina citatus *n.* 21.

Requiritur 5. ad legitimam Consuetudinem introducendam Consensus Legislatoris; non enim poterit consuetudo novam Legem statuere, aut jam statutam abrogare sine illo: & ratio est, quia si Lex requirit consensum Legislatoris, ut vim habeat obligandi; pariter requiret illum Consuetudo, ut vim Legis habeat, cum non requirat minorem potestatem Consuetudo præ Lege: Sic constat *ex Leg. De quibus, & ex Leg. sed ea, ff. de Legib.* & sic passim habent Doctores: Controvertitur tamen: quisnam Consensus Legislatoris requiratur, Personalis ne, & expressus, quo expressè consentiat in consuetudinem illam, aut det facultatem illam introducendi, vel illam approbet? an vero sufficiat Tacitus consensus, quòd videlicet Legem sciens dissimulet, nec illi contradicat, cùm commodè contradicere possit? vel consensus Legalis, aut Juridicus, quatenus dicitur consentire Juri, ac Legi approbenti consuetudinem, quæ Rationabilis sit, & legitimè introducta? Nostra sententia est: non requiri consensum expressum, & personalem Legislatoris, sed sufficere consensum Tacitum vel Legalem contra Vasquez 1. 2. *disp.* 177. *cap.* 2. Basilium *de Leon lib. 6. de Matrim. cap. 6. num.* 7. & alios putantes requiri consensum expressum, ac personalem *Legislatoris*. ac specialem scientiam, & approbationem consuetudinis: ratio nostra est, quia etiam si consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta non habeat consensum personalem, & expressum Legislatoris, neque supponat scientiam in ipso, cum moraliter impossibile sit, omnes consuetudines pervenire ad notitiam Legislatoris; nihilominus habet ea omnia, quæ *ex Cap. ult. de Consuet. & ex Leg. de quibus, ff. de Legib.* requirantur, ad hoc ut Consuetudo vim Legis habeat, ergo gratis, & sine ullo fundamento requiritur, consensus personalis, & expressus Legislatoris, aut eius scientia; sed sat erit, quòd consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta, & quòd habeatur tacitus, aut Legalis consensus Legislatoris, qui sciat adesse tam Jus Canonicum, quàm Civile, quod concedat populo ad instar Legis consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam; aut si sciat consuetudinem, eam tacitè, & spontè dissimulet. Adde, quod consensus tacitus, aut Juridicus non habet minorem efficaciam præ expresso, & personali: nam taciti, & expressi videtur eadem conditio, & natura. Non nego tamen, unum ex istis consensibus requiri ad Consuetudinem, cum apertè colligatur *ex Leg. de Legibus cit.* sic communiter Doctores, Sanchez, Azor. Rebellus, Becanus, Salas, Conradus, D. Antoninus, Sylvester, Covarruvias, Armilla, Reginaldus, Suarez, Panormitanus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num.* 35. & Castropalaus *de legib. disp. 3. pun. 2. §. 4. num. 3.* 13

Requiritur 6. ad legitimam consuetudinem inducendam, ut inducatur ab eis, qui habent capacitatem activam condendi Leges; aut saltem passivam recipiendi Leges, quas servare tenentur: ratio est, quia si Consuetudo vim Legis habet, & obligationem parit, ac prævalet Legi interveniente Principis consensu; ergo ab eis induci debet, qui capacitatem activam habent condendi Leges, aut saltem passivam recipiendi illas, illasque servandi: sic D. Thomas *prim. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3.* Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 9.* Reginaldus *lib. 13. num.* 243. Salas *disp. 29. sect. 6. num.* 59. Bonacina alios referens *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num.* 13. & 28. Quapropter pueri non habentes rationis usum, amentes, furiosi peregrini, & exteri, qui non tenentur ad servandas Leges; nequibunt per frequentationem actuum Consuetudinem inducere, ut habent Doctores supra citati. Nec una tantùm persona poterit per suos actus frequentes consuetudinem inducere, etiamsi potestatem Legislativam haberet; & multo minus quælibet alia privata persona, quæ tantùm capacitatem passivam haberet: nam ad consuetudinem requiritur consensus plurium, & convenientia in actibus eorum. Sic Suarez *lib. 7. de legib. cap. 3. num.* 8. & Castropalaus *de legib. disp. 3. pun. 3. num. 1.* Nec denique Consuetudinem introducere poterit imperfecta Communitas, qualis est in Civitate familia aliqua; cum non sit capax ferendi Legem: ut ex *Leg. de quibus, & Leg. sed ea, ff. de legib.* colligunt Suarez, & Castropalaus *loc. cit.*

Poterunt igitur consuetudinem introducere Communitates perfectæ, ut sunt Respublica, Regnum, Provincia,

cia, etiamsi potestas condendi leges penes Superiores sit, ut evenit in Regno, in quo potestas Legislativa residet penes Regem; aut in Diœcesi, in qua potestas Legislativa est penes Pontificem, aut Episcopum; sufficit enim his Communitatibus, ut possint leges recipere, esto nequeant eas ferre, ut valeant consuetudinem introducere ad instar legis: non enim eam introducunt, ut suam legem, sed potiùs ex consensu Principis consuetudini applicato. Sic ex Salas, Suarez, Bonacina, Burgos de Paz docet Castropalaus *de Leg. disp. 3. pun. 3. num.* 4. Advertunt tamen citati Doctores ex communi sententia, debere saltem consuetudinem introduci à majori parte Communitatis perfectæ, quæ constet personis habilibus, & capacibus legis; ut tota Communitas consentire censeatur in consuetudinem. Non requiritur tamen, ut duæ tertiæ partes Communitatis consentiant in illam; hoc enim solùm statuitur in aliquibus Electionibus, ut constat *ex Cap. 2. de his, quæ fiunt à major. part. Capit. & ex Leg. Quòd major, ff. Ad municipalem*. Poterunt quoque Moniales consuetudinem introducere ad eximendum se à lege sibi imposita, saltem non reclamante Prælato; poterunt etiam id præstare aliæ Communitates fœminarum, quia sicuti capaces sunt ad leges recipiendas, earumque onera sustinenda; sic capaces erunt consuetudinem introducendi; ut ex Bartolo, Suarez, Salas, docent Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. punct. ult. §. 3. num.* 15. & Castropalaus *l. c. num.* 7. Advertunt tamen, consuetudinem non posse induci à fœminis contra legem obligantem solos masculos; sicuti non posse laicos consuetudinem inducere contra legem obligantem solos Clericos, & vice versa; imò universaliter loquendo consuetudo unius Communitatis non potest aliam Communitatem deobligare, cum actus unius Communitatis non spectent ad aliam. Denique Communitates Mercatorum poterunt consuetudinem introducere, quæ obliget ad instar Statuti conventionalis, aut legis municipalis inter se ipsos: cum unaquæque illarum sit Communitas capax obligari lege, & consequenter consuetudine vim legis habente. Sic ex Suarez, Salas, Bartolo, & aliis docent Bonacina *l. c. num.* 30. & Castropalaus *l. c. in fine*.

16 Petes 5. Quosnam effectus pariat Consuetudo legitimè introducta? Resp. varios effectus, parere quos singillatim considerabimus 1. igitur effectus est obligationem inducere servandi illam: ratio est, quia cum Consuetudo pro lege accipiatur, inde fit, quòd si lex obligationem inducit, eam pariter *inducet* Consuetudo. Eam tamen inducet ad culpam juxta gravitatem, vel levitatem materiæ circa quam versatur, ut superiùs de lege statuimus. & quamvis obligatio Consuetudinis unius Civitatis non extendatur ad aliam, cum Consuetudo, & Præscriptio non extendantur de loco ad locum: vel de Persona ad Personam; aut de Casu ad Casum: tantum enim habent de potestate, quantum habent de casu, & actu; ut habent Menochius, Farinacius adducens Decisionem Rotæ *in Noviss.* Salas, & Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 4. §. 1. num.* 2. Nihilominus si Civitas careat lege, Statuto, aut Consuetudine, quibus Judex causam decidere debeat, poterit non ex obligatione, sed ex æquitate quadam, & congruentia causam decidere juxta consuetudinem vicinarum Civitatum, si legitima sit, & rationabilis; ut docet Panormitanus *in Cap. Cum eo, de Censib. & Cap. Cum olim, de Consuet. num.* 1. Imò in eadem Civitate ex uno Casu ad alium, si eadem militet ratio, & æquitas: ut habet Menochius *de retinenda possess. rem. 5. num.* 65.

17 2. Effectus est abrogare legem præexistentem, ac ejus obligationem tollere, ut constat *ex Cap. ult. de Consuet. & ex Leg. de quibus, Leg. sed ea ff. de Leg.* confert siquidem ad rectam Reipublicæ gubernationem, & bonum commune; ut Princeps consentiat consuetudini à Communitate introductæ, ne adstringat ipsam diu reluctantem observationi suæ Legis: sic communis sententia. An autem consuetudo possit abrogare pœnam legis, sive latam, sive ferendam, manente tamen obligatione legis; controversa res est. Denegat enim Castro *lib. 2. de Leg. pœnal. cap.* 12. cum aliis ab eo relatis. Nihilominus probabilior sententia sustinet, posse; tum quia si id potest Legislator facere per legem, poterit etiam per consuetudinem, quæ pro lege recipitur. Insuper in multis decretis Juris variæ appositæ sunt pœnæ, quæ consuetudine abrogatæ sunt, manente obligatione legis. Sic Navarrus, Suarez, Salas, Panormitanus, Sylvester, Azor. quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 4. §. 2. num. 3.* An verò vice versa possit abrogare obligationem legis, manente obligatione ad pœnam? Resp. cum distinctione: si pœna sit talis conditionis, & naturæ, ut præsupponat culpam, sicuti evenit in Censuris Ecclesiasticis; non poterit consuetudo abrogare obligationem legis, manente obligatione ad pœnam, quæ imponi solet in Censuris contra committentes propriam culpam, contumaces, ac inobedientes; adeoque sine obligatione ad legem non poterit dari obligatio ad culpam, & pœnam. Si verò pœna sit talis conditionis, quæ non supponat culpam; sicuti potest dari lex pœnalis, quæ solùm obliget ad pœnam, non verò ad propriam culpam; sic etiam dari poterit consuetudo obligans ad pœnam, non verò ad culpam. Sic Suarez *lib. 2. de Legib. cap.* 19. *num.* 12. Salas *de Legib. disp. 19. sect. 9. num.* 77. Navarrus *in Cap. Fraternitas. 12. quæst. 2. num. ult. consider. 3.* & Castropalaus *l. c. num.* 4.

Major difficultas est: an Consuetudo abrogare possit 18
legem, in qua prohibeatur, & damnetur consuetudo futura? Nam si consuetudo vim habet abrogandi legem ex consensu, & voluntate Legislatoris; semelac Legislator expressè manifestat, se huic consuetudini non consentire; non videtur habere consensum saltem tacitum Legislatoris. Quapropter adnotandum priùs: si lex consuetudinem prohibeat verbis generalibus, & indefinitis: ut si diceret, non obstante contraria consuetudine; tunc non solùm futura consuetudo, sed etiam præterita prohibetur: ut probatur *ex Cap. Ad nostram. 3. de Consuet. & ex Cap. Cùm inter, eod. tit.* maximè quia utraque est consuetudo, & utraque contraria legi, *ut supponimus*. Adnotandum insuper, Consuetudinem prohiberi posse à Legislatore in lege, ut inconvenientem Reipublicæ, & adversantem bono communi; vel ut non assumat vires contra Legem, eamque infirmet, & destruat. His adnotatis

Dicendum: si secundo modo prohibeatur consuetudo in lege poterit nihilominus legem contrariam abrogare: ratio est, quia talis prohibitio nil continet speciale, quòd non sit imbibitum in ipsa lege; ergo si consuetudo poterit legem abrogare, poterit etiam hoc facere cum ipsa prohibitione consuetudinis, sicuti una lex poterit aliam abrogare non obstante, quod lex posterior reprobetur in prima. Nec ad hanc consuetudinem inducendam requiritur personalis, & expressus consensus Principis; sed sufficit tacitus, aut juridicus; sicuti requiritur in consuetudine abrogante legem priorem, quæ *non* prohibet consuetudinem; adeoque revera non dicitur carere consensu Legislatoris. Secus tamen dicendum; si prohibeatur in lege consuetudo primo modo, videlicet ut inconveniens Reipublicæ, & adversans bono communi; non poterit tunc legem abrogare, his incommodis, & inconvenientibus perseverantibus; quamvis possit ipsis cessantibus, aut si ita mutentur res, ut possit prudenter, & rationabiliter præsumi, jam Legislatorem præbere suum consensum: ratio est, quia perseverantibus incommodis, & inconvenientibus perseverat rationabile motivum in Legislatore non præbendi suum consensum consuetudini afferenti illa, quam aliunde prohibuit, secus verò ipsis cessantibus rationabiliter, & prudenter præsumitur præbere consensum tacitum, aut juridicum, ac prohibitionem consuetudinis auferre. Sic Sanchez, Suarez, Vasquez, Becanus, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num. 36. & 37. in fine*, & Castropalaus *de Legib. disp. 3. punct. 4. §. 2. num.* 10.

Inquires: An Consuetudo abrogare possit legem ver- 19
santem circa Sacramentalia, legem siquidem non Divinam, sed humanam versantem circa administrationem Sacramentorum? Resp. affirmativè: moveor quia sicuti Legislator potest mutare, & de facto mutavit aliquas leges versantes circa administrationem matrimonii, Ordinis Sacri, & Eucharistiæ; ita consuetudo poterit id efficere: maximè quia *in Cap. ult. de Consuet.* non fit exceptio consuetudinis contra Legem Sacramenta administrandi; nec expostulatur scientia Principis, sed sufficit tacitus aut juridicus ejus consensus. Confirmatur *ex Cap. 1. de Cognat. Spirit. & ex Cap. super eo, eod tit.* ubi deciditir: standum esse Consuetudini Ecclesiæ, præcipuè si ex ejus violatione scandalum oriatur; ergo si consuetudo ex his textibus potest novam Legem introducere circa Sacramentorum administrationem, poterit

terit veterem Legem abrogare. Sic Covarruvias, Sanchez, Suarez, Navarrus, Salas, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Legib, disp. 3. pun. 4. §. 2. num. 11.* & Bonacina *de Legib.* alios referens *disp. 1. quæst. 1, pun. ult. §. 3. num. 5.*

20 3. Effectus Consuetudinis est legem interpretari: nam si vim habet novam legem introducendi, aut jam introductam abrogandi, potiori jure habebit vim interpretandi legem, cum hic effectus sit magis necessarius in obscuritate, & ambiguitate legum: sic constat *ex Leg. Minimè, Leg. si de interpretatione, ff. de Legib. & ex Cap. Cum dilectus, de Consuet.* ubi dicitur, Consuetudinem esse optimam legum interpretem. Adnotandum tamen, hanc interpretationem legis à consuetudine factam, aliam esse authenticam, & necessariam; quę videlicet vim legis habeat; & ut lex observanda sit; expostulat tamen, ut talis sit tempus decennii, & ea omnia, quæ ad consuetudinem legitimè inducendam requiruntur. Aliam esse conjecturalem, & probabilem; quę non indiget decennio, cum non habeat vim legis, sed probabilis conjecturæ; adeoque minori tempore contenta erit. Sic Menochius *lib. 2. de Arbitr. centur 1. casu 83. num.* 10. Suarez *de Legib. lib. 7. cap. 17. num. 2.* Glossa *in Cap. Nonnulli, de Rescript.* Panormitanus *in Cap. Certificari, de sepult.* Bartolus *in Leg. Omnes populi, ff. de Just. & Jur.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 4. §. 3. num. 2. & 3.*

21 Hinc fit 1. in dubiis ortis circa intelligentiam legum recurrendum esse ad Consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Fit 2. si dubium sit, an lex contineat obligationem sub gravi, & consuetudo receperit obligationem illam sub gravi; ita censendum erit, & obligatio sub gravi adstringet. Sic docent Sylvester, Cajetanus, Salas, Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib, disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num. 1.* Fit 3. in dubio, an aliquis contractus *sit licitus*, aut illicitus; non leve argumentum erit ad id dignoscendum ex longa consuetudine ipsum approbante aut reprobante: nam contractus regulandi erunt secundùm longam consuetudinem, ac secundùm illam intelliguntur facti, nisi aliud expressum fuerit. Sic docent *ex Leg. semper stipulationibus, ff. de Regul. Jur.* Salas *disp. 19. sect. 19. num.* 103. Bonacina *l. c.* referens Parisium, Baldum, & Tiraquellum, & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 4. §. 3. num. 5.* Fit 4. judicium tam internum, quàm externum secundum consuetudinem introductam regulari posse: nam si Judices secundum Leges judicare debent, perfectè secundùm illas judicabunt, si consuetudinem eas interpretantem sequentur: ut rectè habet citatus Castropalaus *num. 6.* Fit denique: Consuetudinem universali consensu Ecclesiæ approbatam, vel à Summo Pontifice posse legem naturalem, & Divinam interpretari, non eas augendo, vel minuendo; sed tantùm explicando mentem Legislatoris, & indicando, quo pacto accipienda sit. Sic Bonacina *l. c.* alios referens.

22 4. Effectus consuetudinis est introducere legem irritantem, si consuetudo rationabilis, & præscripta fuerit: ratio est, quia Consuetudo vim habet abrogandi Legem irritantem, ut Communis sententia docet cum Sanchez, Suarez, Salas, Basilio de Leon, & aliis plurimis penes ipsos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 4. §. 2. num. 5.* ergo etiam vim habebit novam Legem irritantem introducendi; cum non minor potestas requiratur ad antiquam abrogandam, quàm ad novam inducendam: utraque enim potestas à consensu Principis pendere debet, qui si dat consensum ad veterem abrogandam, pariter dabit ad novam introducendam. Nec in Juribus dantibus Consuetudini potestatem Legalem ulla limitatio habetur quoad introducendam novam Legem irritantem. Imò *ex Cap. cum olim, de Cler. Conjug.* constat: ex Consuetudine reddi aliquem inhabilem ad beneficium; & *ex Cap. Super eo, de Cognat. Spirit.* potest ex consuetudine quis reddi inhabilis ad Matrimonium contrahendum. Denique *ex Cap. Cumana de Elect.* ex consuetudine redditur quis inhabilis ad Electionem; adeoque constat, Consuetudinem posse inducere legem irritantem. Limitatur hæc doctrina, quam sustinent Sanchez plures referens *lib. 7. de Matrim. disp. 4. num.* 11. Suarez *lid. 7. de Legib. cap. 16. num. 4.* Salas *disp. 19. sect. 10. num. 86.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 4. §. 4. num. 1.* ab aliquibus Doctoribus. Verùm si consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta sit, corruunt limitationes ab ipsis adductæ; vide citatum Castropalaum à num. 2.

Peres 6. An Consuetudo jam introducta abrogari pos- 23
sit? Resp. 1. abrogari posse per legem expressam, quæ omnimodam contrarietatem, & repugnantiam habeat cum consuetudine introducta, etiamsi hæc rationabilis, & præscripta sit; dummodo legislator conscius sit consuetudinis introductæ: ratio est, tum quia sic decidit*ur in Cap. 1. de Constit. in 6., & Cap. Cum Consuetudinis, de Consuetud.* tum quia si legislator potest legem à se latam alia lege abrogare, poterit quoque Consuetudinem jam introductam, & vim legis habentem nova lege abrogare: cum consuetudo non habeat vim coarctandi potestatem legislatoris, imò ab ejus voluntate saltem tacita pendere debet. Quòd autem nova lex à legislatore condita contraria consuetudini præscriptę quam abrogare intendit, & cujus debet esse conscius (aliàs voluntatem abrogandi illam non haberet, non enim voluntas fertur in incognitum) habeat re vera vim abrogandi consuetudinem introductam, & præscriptam; etiamsi non faciat mentionem illius, nec contineat clausulam derogatoriam; probatur ex eo, quia lex non est minoris efficaciæ præ consuetudine; ergo si consuetudo abrogare poterit legem absque his additis, poterit pariter lex consuetudinem abrogare sine illis; dummodo tamen, ut dixi, omnimodam contrarietatem cum consuetudine habeat; ita ut si consuetudo sit universalis, & lex pariter universalis sit. Nam si lex sit universalis, & consuetudo particularis alicujus loci; vel sit speciale Statutum non continens Jus Commune, aut Privilegium; non potetit illa legislator abrogare, nisi de ipsis mentionem faciat, aut saltem apponat in lege Clausulam derogatoriam generalem cujuscumque Consuetudinis, Statuti, aut Privilegii: ratio est, quia non supponitur legislator scire Consuetudines speciales locorum, Statuta, & Privilegia; adeoque si de illis mentionem non faciat; aut non deroget per generalem derogatoriam; non supponitur velle illis derogare. Sic *ex Cap. 1. de Constit. in 6.* docent Suarez *lib. 6. de leg. cap. 27. num.* 13. testans esse communem omnibus Juresperitis, *& lib. 7. cap. 20. num. 7.* Bonacina *de leg.* alios referens *disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num. 39. & 40.* & Castropalaus pluribus relatis *de leg. disp. 3. pun. 5. §. 2. num. 3. & 4.*

Si tamen lex abrogans consuetudinem particularis sit, 24
& consuetudo similiter particularis; poterit utique illam abrogare, non facta mentione illius, & absque Clausula derogatoria, dummodo præsumatur scientia consuetudinis in condente legem. Sic per Statutum Oppidi alicujus abrogatur consuetudo particularis Oppidi illius; & per legem ab Episcopo latam abrogatur Consuetudo Episcopatus: ratio est, quia *non est præsumendum*, nescire Consuetudines illas; ergo etiamsi illarum mentionem non faciant, nec apponant Clausulam Derogatoriam in lege; censendum est, velle consuetudines illas abrogare: maximè quia habetur omnimoda contrarietas inter legem, & Consuetudinem. Sic *ex Cap. 1. de Constit. in 6.* docent Suarez *lib. 7. de leg. cap. 20. à num. 6.* Sylvester *verb. lex quæst. 6.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num. 41.* referens Sayrum, & Azorium. Quòd si lex Particularis sit, sed lata à Principe universali, Rege, aut Pontifice pro Provincia, aut Civitate suæ Ditionis; non poterit Consuetudinem particularem abrogare non facta mentione illius, aut non appositа clausula Derogatoria: ratio est illa, quæ affertur *in Cap. 1. de Constit. in 6.* non enim censetur derogata consuetudo specialis generali lege, quia præsumitur Princeps ignarus talis consuetudinis; ergo cum idem sit fundamentum præsumendi ignorantiam consuetudinis in lege universali, ac particulari; inde est, quòd in utraque debeat fieri à Principe mentio consuetudinis abrogandæ. Sic Suarez *lib. 7. de leg. cap. 20. num. 15.* Sà *verb. Lex, num. 29.* Bonacina *l. c. num. 42.* & Castropalaus *de leg. disp. 3. pun. 5. §. 1. num. 6.*

Adnotandum hìc: quamvis à nullo Jure præscribantur verba, quæ necessariò requirantur ad abrogandam consuetudinem, passim tamen hæc verba adhiberi solent: Non obstante contraria consuetudine. Non sufficiunt verò ad abrogandam consuetudinem immemorialem, nisi addatur, non obstante contraria consuetudine, etiam immemoriali: ratio est, quia cum non constet de principio talis consuetudinis, & titulus justus pro ipsa præsumitur, qui fortasse sit à Privilegio; inde est, quòd vim habeat Privilegii, & Privilegio non fit derogatio per clausulam generalem derogantem Consuetudini,

dini; sicuti non excluditur Præscriptio immemorialis per exclusionem generalem Præscriptionis. Sic *ex Cap. Super quibusdam, de Verbor. signific. & ex Leg. 3. §. ductus aquæ, ff. de Aqua quotid. & æstiv.* docent Tiraquellus, Covarruvias, Salas, Suarez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Leg. disp. 3. pun. 5. §. 1. num. 10.*

25 Resp. 2. abrogari posse consuetudinem introductam per novam Consuetudinem ipsi contrariam: ratio est, quia sicuti lex vetus abrogari potest per novam ipsi contrariam; sic consuetudo vetus abrogari poterit per novam ipsi contrariam. Ita ex *Leg. Pacta novissima, Cod. de Pactis, & ex Leg. 2. Cod. de Inoff. dotib.* docent Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 20. num. 19.* Salas *disp. 19. sect. 13. num. 99.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. pun. ult. §. 3. num. 44.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 5. §. 2. num. 1.* Ut autem Consuetudo nova habeat vim veterem abrogandi, requiruntur in ipsa omnia ea, quæ superiùs diximus requiri in Consuetudine, ad hoc ut possit Legem præexistentem abrogare: ratio est, quia etiam vetus Consuetudo vim legis habet; ergo ut à nova abrogari possit, debet nova habere ea omnia, quæ requiruntur in Consuetudine, ut possit Legem præexistentem abrogare.

26 Petes 7. An allegans consuetudinem illam probare debeat? Resp. affirmativè, si sermo sit de consuetudine Legali, quæ cum Præscriptione à Doctoribus confunditur: ratio est, quia ea, quæ consistunt in facto, præsumi non debent, adeoque important onus probandi illa: sic est communis Doctorum sententia. Quamvis excipiant Consuetudines aliquas, & 1. Notoriam, quæ videlicet talis sit notorietate Juris, quæ tantùm allegari consuevit. 2. Consuetudinem, quę respicit ordinem procedendi: quia hæc consuetudo procedendi in lite debet esse nota Judici, nec indigens probatione: quod si Judex dubius sit de illa, debet se informare. 3. Consuetudinem Styli, Fori, & Curiæ; quia potiùs spectat ad Judicem scire hanc consuetudinem, quàm ad partem, quæ eam allegat. 4. Consuetudinem, de qua dubitatur, an rationabilis, & honesta sit: non enim spectat ad allegantem illam probare ejus rationabilitatem, & honestatem; sed ad Judicem, cum non sit res facti, sed Juris. Vide Salas *dis. 19. de Leg. sect. 18. num. 108.* & Castropalaum *de Legib. disp. 3. pun. 6. à num. 2. ad 5.* ubi pro his consuetudinibus varios afferunt Jurisperitos.

27 Sed difficultas est, quomodo probanda sit Consuetudo, quando habetur onus in allegante eam probandi. Resp. si de Consuetudine principaliter agatur in Judicio, probanda erit plenè; si verò incidenter, & secundario, sufficiet semiplena probatio: ut ex Bartolo, & aliis docent Mascardus: *de Probat. verb. Consuetudo. concl. 423. num. 6.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 6. num. 6.* Testes autem consuetudinem probantes debent deponere de usu populi, frequentia actuum, & diuturnitate temporis, & se vidisse, & observasse in loco illo: non enim sufficit consuetudinem testari, nisi rationem reddant de illa, ut habet Rota apud Farinacium *decis. 255. in Novis.* An vero unus doctor excellens testans consuetudinem suis scriptis sufficientem probationem faciat, controversa res est. Dicendum tamen cum Mascardo *de Probat. concl. 426. num. 11.* & Castropalao *l. c. num. 9.* probare præscriptivè tantùm, non concludenter. Si verò plures sint Doctores, qui consuetudinem testentur, & nemo contradicat; tunc integrè, & concludenter probabunt: cum dicta illorum accipiantur ut publica instrumenta, & notoriam consuetudinem efficiant; dummodo non sint adversa Juri Communi, sed ipsi conformia: cum Jus commune præponderet dictis illorum: ut ex Mascardo, Baldo, Decio notat Castropalaus *l. c. num. 10.* Quæ dicta sunt accipi debent pro foro externo; pro interno namque sufficit ad probandam integrè consuetudinem dictum vnius Doct. excellentis, dummodo tamen non contradicant alii Doctores: nam dictum illius facit moraliter certam consuetudinem attestatam, adeoque poterit ei in foro conscientiæ fides adhiberi: ut docent Suarez *lib. 7. de Leg. cap. 11. num. 8.* Salas *de Legib. disp. 19. sect. 18. num. 108.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 6. num 11.*

Petes denique: An peccent introducentes Consue- 28
tudinem adversantem Legi, vel alteri Consuetudini legitimè receptæ exercendo actus pro toto eo tempore, pro quo non introducta est Consuetudo? Resp. affirmativè: ratio est, quia qui facit contra Legem, aut consuetudinem jam legitimè receptam, peccat: sed qui nondum introducta consuetudine facit contra legem, aut consuetudinem præscriptam; revera dicitur facere contra illas; ergo revera peccat. Nam ut dicatur non facere contra illas, debet per novam consuetudinem præscriptam excusari; ergo si nondum præscripta est, quomodo excusabit? maximè quia nec Lex, nec Consuetudo antecedens cessant à vi obligandi, nisi nova Consuetudo præscripta fuerit; adeoque facientes contra Legem, aut Consuetudinem antecedentem, nondum præscripta nova consuetudine, peccabunt non solùm in foro externo, sed etiam interno. Sic rectiùs sustinent Suarez *de Legib. lib. 7. cap. 18. num. 24.* Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 4. num. 14. in fine*, Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. punct. ult. §. 3. num. 45.* & Castropalaus *de Legib. disp. 3. pun. 2. §. 2. num. 6.* Quamvis oppositam sententiam defendant penes citatum Bonacinam, Valentia, Reginaldus, Becanus, Sotus, Lessius, putantes præsumi peccare in foro externo, non verò interno; si ita invaluerit consuetudo, quamvis inperfectè, ut eam boni Viri sequantur. Sed non recedendum à nostra sententia obligante in utroque foro.

QUÆSTIO III.

DE DISPENSATIONIBUS LEGIS.

POST Leges, de earum Dispensationibus, doctrinæ ordo exposcit ut peragamus, inquirendo Naturam, Causas, Conditiones, & Cessationem, quæ ad ipsas dispensationes spectant. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Dispensatio, & an cadere possit supra ea, quæ sunt Juris Naturalis, & Divini.

1 *Quid sit Dispensatio largè, quid strictè accepta?*
2 *Differt ab Interpretatione Legis; à Permissione; ab Absolutione à Peccatis, & Censuris; à Simplici licentia; à Cessatione, & Abrogatione Legis; & à Privilegiis.*
3 *Dispensatio Legis valde differt à dispensatione Voti, aut Juramenti.*
4 *Dispensatio alia expressa, Tacita alia.*
5 *Ad valorem Dispensationis requiritur internus consensus Superioris legitimè dispensantis.*
6 *An Dispensatio cadere possit super ea, quæ sunt Juris Naturalis?*
7 *Nequit directè cadere super ea, quæ sunt Juris Naturalis præceptivi, etiamsi sit à Deo; vel ab alio ejus vices gerente.*
8 *Diluuntur, quæ opponuntur in contrarium.*
9 *Potest Dispensatio cadere indirectè super ea, quæ sunt Juris Naturalis probativi, & concessivi, si mutetur materia ab hominibus habentibus potestatem dominativam.*
10 *Potest Dispensatio indirectè cadere super præcepta naturalia, mutando materiam illorum, si in eam potestatem dominativam superiores habeant.*
11 *An Dispensatio cadere possit super ea, quæ sunt Juris Divini Positivi?*
12 *Nequeunt Reges, & Sæculares Principes, aut Prælati Pontifice inferiores dispensare in Jure Divino positivo.*

13 Nec

13 *Nec ipse Pontifex dispensare potest in aliquo Jure Divino Positivo.*
14 *Satisfit obiectis in contrarium.*

1 QUamvis dispensatio largè accepta nihil aliud sit, nisi justa rerum communium distributio; ut constat ex Scripturis Lucæ 12. *Quis putas, est fidelis Dispensator?* ex D. Pauli 1. *ad Corinth. 4. ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei*; ex Jure Canonico *Cap. dispensatio, dist. 43.* & ex Extravag. *Unigenitus, de Pœnit. & Remiss.* ex Jure Cæsareo *in Leg. dispensatori, 11. & in Leg. dispensatorem, 61. ff. de Solution.* Nihilominus stricte accepta, de qua in præsenti agimus; definiri solet; Dispensatio est Juris alicujus relaxatio, seu quod in idem recidit: est exemptio alicujus ab obligatione Legis. Et quamvis alii docti Viri alias aptarint definitiones Dispensationi, quas non licet expendere, nostra tamen aptior videtur, quia & rectè exprimit rem definitam, & vitat difficultates aliarum. Sic olligunt *ex Cap. de multa, de Præben. ex Cap. Necessaria, cap. dispensationes, & aliis, 1. quæst. 7.* ubi dispensatio dicitur, Relaxatio, & Moderatio Sacrorum Canonum; imò *in Cap. Ipsa Pietas. §. si inquirat, 23. quæst. 4.* à D. Augustino dicitur, vulnus contra integritatem Severitatis. Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 10. num. 7.* Salas *disp. 20. sect. 2. num. 9.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 1. num. 3.* Castropalaus *de dispensat. disp. 6. pun. 1. num. 2.* & alii penes ipsos.

2 Dispensatio sic definita differt 1. ab Interpretatione legis, quòd videlicet in casu illo non obliget: ratio est, quia dispensatio est exemptio à lege, cuius obligatio constat pro illo casu; Interpretatio verò asserit, obligationem legis non extendi ad casum illum. Insuper dispensatio est actus Jurisdictionis; Interpretatio verò actus Doctrinæ. Sic Suarez *lib. 6. de Leg. cap. 10. num. 2.* Sanch. *lib. 8. de Matrim. disp. 1. num. 1.* Vasq. *2. tom. de Leg. disp. 178. à num. 6. & alii.* Differt 2. à Permissione propriè dicta; eo quia Permissio non tollit obligationem, sicuti tollit obligationem legis dispensatio in dispensato: Et Deus peccata permittit, quamvis in eis non dispenset, Sic Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 11. num. 3.* Salas *disp. 20. sect. 1. num. 5.* quamvis aliquando appellari soleat dissimulatio, & Permissio; sed non propriè dicta, ut evenit *in Cap. Dispensationis 1. quæst. 7.* Differt 3. ab absolutione à Peccatis, & Censuris; quia per absolutionem istam non vulneratur Jus, sed adimpletur; præcipit namque absolutionem istam impertire rectè dispositis. Insuper quis poterit secum dispensare, non verò absolvere seipsum; ut habent Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 10. num. 9.* Salas *disp. 20. sect. 1. coroll. 3.* & alii. Differt 4. à simplici licentia per Legem requisita; eo quia per talem licentiam non eximitur quis ab obligatione Legis, sed potiùs satisfit obligationi Legis: sic quando Prælatus Regularis concedit suo subdito licentiam accipiendi nummos, vel eos donandi; non dispensat in Voto Paupertatis, quæ reservatur Pontifici; sed concedit facultatem ad hos actus, quæ est conditio à Lege requisita, & sine qua Lex prohibebat actus illos. Sic Suarez *l. c. num. 11.* Salas *l. c. sect. 1. in fine*, & alii, Differ 5. à Cessatione, & Abrogatione Legis; quia dispensatio non tollit Legem, illæ verò Legem tollunt sive ad tempus, sive semper; sive totaliter, sive partialiter; sive pro omnibus partibus Communitatis, sive pro aliqua parte. Sic Suarez *l. c. num. 12.* Salas *l. c. sect. 1. in principio*, Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 1. num. 1.* Differt denique à Privilegio, quia Privilegium semper consistit in facultate permanente operandi contra Legem, hoc est pro usu pluries repetito contra Legem; non sic verò Dispensatio, quæ regulariter non est permanens, sed pro unico actu determinato. Quòd si ad plures actus extenderetur contra Jus, & esset permanens, confunderetur cum Privilegio, & ambo requirerent causam, ut obtineri possint, Sic Suarez *l. c. num. 13.* Sanch. & Salas *l. c.*

3 Adnotandum hìc: valde inter se differre dispensationem Legis, & dispensationem Voti, & Juramenti: dispensans siquidem in Lege nomine proprio agit, dispensans verò in Voto, aut Juramento agit nomine Dei, cui acquisitum est jus per Votum. Insuper dispensatio in Lege propria valida potest esse sine causa, dispensatio tamen in Voto, aut Juramento numquam valida consistere potest sine causa. Denique Votum propria authoritate commutari potest, saltem in melius, à Vovente; in Lege verò nequit fieri commutatio à subdito, etiam in melius, nisi fiat ab ipso Legislatore; à cujus voluntate pendet. Sic ex Vasquez, & Salas adnotat Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 1. num. 9.*

4 Dispensatio alia est Expressa, alia Tacita. Expressa dicitur, quæ verbis exprimitur: non requiritur tamen ad expressam dispensationem certam aliqua verborum forma; sed sat est, quòd verbis exprimat voluntatem suam Dispensans: ut bene advertunt Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 13.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 8.* & alii passim. Tacita verò dicitur, si signo aliquo, aut facto voluntatem suam demonstret dispensans: requiritur tamen ad Tacitam dispensationem, ut dispensans cognitionem habeat rei illius, de qua dispensatio petitur; non enim voluntas fertur in incognitum. Sic Prælatus sciens irregularitatem sui Clerici, in qua dispensare possit, si illum ad reliquos ordines admittat.; dicitur tacitè per factum illud dispensare in Irregularitate.

5 Ad Valorem dispensationis requiritur Consensus internus Superioris dispensantis legitimè, qui quidem si deficeret; invalida, & nulla foret dispensatio: ratio est illa, quæ adducitur *in Leg. Non omnis, ff. si certum petatur:* quòd videlicet actus agentium non operatur ultra intentionem eorum; si ergo deficit intentio, & internus consensus dispensantis; deficit actus dispensationis; ideoque si fictè, & absque consensu dispensationem concesserit dispensans, nulla foret dispensatio; quamvis accedente consensu, etiamsi longum tempus interesserit, validaretur dispensatio, cui nil aliud deerat ad validitatem, nisi internus consensus dispensantis, qui iam habetur: ut evenit in Matrimonio fictè celebrato.

6 Controvertitur hìc 1. An dispensatio cadere possit super ea, quæ sunt Juris Naturalis? Resp. præmittendo ad majorem Claritatem: Jus Naturale, quod originem trahit à Natura rationali: (nam ipsa Natura rationalis dictat, bonum esse defendere innocentem, cum possit; subvenire indigenti: non furripere alienum. Et è contra malum esse, non defendere innocentem; non subvenire indigenti; alienum furripere;) aliud fundari in Voluntate divina omnino libera; sic est jus naturale promanans à Voluntate divina liberè instituente Sacramenta, & media necessaria ad salutem, quod suppositâ tali institutione obligat ad honestè, & religiosè ea tractanda. Aliud verò fundari in Voluntate humana; sic est Jus naturale obligans ad servandum Votum, Juramentum, Matrimonium, & reliquos contractus: nam natura ipsa dictat, hæc servanda esse, si facta fuerint. Aliud denique fundari in Convenientia cum Natura rationali: quod dividitur in Affirmativum, & Negativum erga Deum, vel erga homines. Affirmativum erga Deum erit Jus colendi, ac reverendi illum; Negativum verò non odio habendi illum, non colendi falsos Deos. Erga Proximum affirmativum erit, subvenire illi indigenti; negativum tamen illum non occidere. Insuper præmittendum: aliqua non esse de Jure præceptivo naturali, quòd videlicet præcipiat illa, sed tantùm de Jure naturali concessivo, aut probativo. Sic Jus naturale concedens bona esse communia, homines esse liberos; non præcipit sic semper permanere; aut concedens hominibus matrimonium, non præcipit tamen illud omnibus hominibus. Insuper approbat, fidem dari posse duobus testibus integrè, & filium posse succedere patri; non tamen id præcipit servandum. His positis

7 Resp. 1. Dispensatio cadere nequit propriè, & directè super ea, quæ sunt cujuscumque Juris Naturalis Præceptivi, etiamsi dispensatio sit à Deo, vel ab alio ejus vices gerente: ratio est, quia dispensare est relaxare legem, quando ejus obligatio urget absque mutatione circumstantiarum obligationem inducentium; seu est facere licitum ex voluntate Superioris, vel Deus sit, vel homo Dei vices gerens, quod aliàs perseverantibus circumstantiis, ac immutatis illicitum foret; sed neque Deus, neque homo potest id præstare; ergo dispensatio propria, & directa sive à Deo, sive ab homine cadere nequit super ea, quæ sunt cujuscumque Juris Naturalis præceptivi; probatur minor, in qua est difficultas: ea quæ sunt cujuscumque Juris naturalis præceptivi habent ex suis intrinsecis honestatem, ac debitam decentiam cum natura rationali per conformitatem ad rectam rationem, & hoc quidem secluso omni lege extrinseca; sed id, quod tale est, perseverantibus eisdem circumstantiis, ac rebus non mutatis; nequit Deus, vel homo mutare, aliàs esset sibi contrarius, & variabilis esset essentia rerum; implicat enim, quòd habens intrinsecam honestatem, & conformitatem cum recta ratione, perseverantibus omnibus illam non habeat;

beat; ergo neque Deus, neque homo poterit id præstare, & per consequens non poterit dispensare. Sic Covarruvias *Regul. Peccatum par. 2. cap. 6. §. 9. nu. 3.* Navar. *consil. 4. De Desponsat. Impub. n. 16.* Suar. *de leg. lib. 2. cap. 14. n. 5.* Vasquez *disp. 129. cap. 2.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 2. n. 4.* Castrop. *de leg. disp. 6. pun. 2. n. 5.* & alii penes ipsos.

8 Neque dicas: sæpe occurrere Casus hanc Dispensationem expostulantes, eamque rectæ gubernationi conferre; maximè quia Deus per se, aut per suas vices alteri traditas dispensavit in præceptis naturalibus; cum Abrahamo in occisione proprii filii, *Genes. 22.* cum Osea in copula fornicaria. *Osee. 2.* cum filiis Israel in spoliatione Egyptiorum. *Exod. 12.* Potuit quoque dispensare in pluralitate Uxorum; in matrimonio consummato; in Matrimonio inter fratres, & Sorores, & alios qui Jure naturæ prohibentur illud contrahere. Insuper commisit Deus Pontifici suas vices gerenti dispensare in Votis, Juramentis, Matrimonio rato, in Residentia in propria Ecclesia, quorum obligatio Jure naturæ urget. Contra enim est, quia numquam evenire potest Casus, in quo conveniens sit rectæ gubernationi dispensare in præceptis naturalibus; cum numquam possit esse conveniens facere id quod ex se malum est; aut id omittere, quod ex se debetur. Nec exempla adducta probant, Deum dispensasse ex se, aut alteri commisisse dispensationem in præceptis naturalibus; sed solùm mutasse circumstantias, & conditiones rerum, in quibus Jus naturale obligat. Quapropter sciendum; aliqua præcepta naturalia esse, quæ immutabilia sunt in quacumque circumstantia, & sic censentur illa, quæ non pendent à Dei dominio, ut sunt odio non habere Deum, non mentiri, falsos Deos non colere; alia verò esse, quæ pendent à Dei dominio: sic sunt non occidere, non fornicari, non furari. Jam verò in præceptis naturalibus mutabilibus, quia eorum materia à Dei dominio pendet, si Deus velit uti suo dominio absoluto mutando materiam; cessabit obligatio, adeoque nulla habebitur dispensatio, quæ est exemptio ab obligatione. Sic Deus mandans Abrahamo filii occisionem; Oseæ copulari cum muliere fornicaria; Filiis Israel spoliare Ægyptios; non dispensavit in præceptis naturalibus non occidendi, non fornicandi, non furandi; sed quia cum sit Dominus absolutus omnium, tam Vitæ, quàm corporum, quàm bonorum, usus fuit sua potestate Dominativa absoluta, qua pro libito potest unum occidere, alium conservare; uni permittere commixtionem corporum, alteri denegare; unum ditare, alium bonis spoliare. Et si permittitur potestati Dominativæ Reipublicæ ob bonum commune, & ob delicta punienda impedire redditionem Depositi, aut hominem facinorosum occidere, mutando materiam; cum non possit Respublica dispensare in præceptis naturalibus non furandi, non occidendi; potiori jure competet talis potestas Deo rerum omnium Domino. Idem dicendum cum potestatem tradidit suo Vicario in Terris circa Vota, Juramenta, Matrimonium ratum, Residentiam in propria Ecclesia, si sit ex Jure naturæ; non enim tradidit potestatem directè in obligatione ipsorum dispensandi, sed mutando materiam, videlicet relaxando, & remittendo acceptationem factam; quæ quidem relaxatio, & remissio, cum non sit actus Jurisdictionis, sed Dominii; non poterit propriè dici Dispensatio. Sic Suarez *de leg. lib. 2. cap. 14. n. 11.* Salas *disp. 24. sect. 5. in fine*, Basilius de Leon *lib. 8. cap. 2. n. 9.* Vasquez *disp. 179. cap. 3. prope finem*, & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 2. n. 6.*

9 Resp. 2. posse dispensationem cadere, indirectè super ea, quæ sunt Juris naturalis probativi, & concessivi; si materia mutetur ab hominibus habentibus potestatem Dominativam: ratio est, quia si non præcipiuntur à Natura, sed conceduntur; poterunt homines juxta occurrentes circumstantias variare materiam. Sic licèt Communitas rerum concessa fuerit à Natura, attamen ab hominibus tolli, minui, vel arctari potuit ob pacem servandam inter ipsos *ex Cap. Jus naturale, dist. 1.* Libertas quoque licèt fuerit à natura concessa hominibus; nihilominus Jure Gentium aliquando aufertur *ex leg. Manumissiones, ff. de Just. & Jur.* Denique quamvis sit à natura, ne alienum retineatur, & ne damno alterius quis locupletetur; attamen Respublica sæpe ob commune bonum, & pacem servandam bona unius alteri tribuit; & in hoc fundatur Usucapio, & Præscriptio à lege introducta, ut patet *ex leg. 1. ff. de Usucap. & Usurpation.* Et hinc patet, cur Jus Gentium possit mutare jus, & dominium à Natura datum, non verò mutare possit præcepta naturalia: nam cum jus dominativum fundetur in ipsis rebus, quæ variabiles sunt; inde est, quod earum dominia, utpote in ipsis fundata, variari possint. Secus verò cum præcepta Naturæ fundentur in intrinseca honestate, rectitudine, ac necessaria veritate ipsorum, cum istæ invariabiles sint, nec præcepta in ipsis fundata variari poterunt.

Resp. 3. posse Dispensationem indirectè cadere super 10
præcepta naturalia, mutando videlicet materiam illorum; si in eam potestatem Dominativam habeant Superiores: ratio est, quia si illa potestate utantur, jam cessat obligatio per præcepta naturalia inducta. Sic diximus, Rempublicam habentem potestatem Dominativam in bona subditorum posse ob urgentem necessitatem boni Communis ea expendere; aut ab uno auferre, & alteri tradere; unde ortum habuit tam Usucapio, quàm Præscriptio. Si verò materia præceptorum naturalium non est sub potestate Dominativa Ipsorum Superiorum; nullatenus variare poterunt illam, adeoque neque indirectè quidem dispensare. Sic quia Princeps, & Respublica non habent potestatem dominativam in corpora subditorum, nequibunt mulierem alteri applicare sine consensu mulieris. Nec præsumendum erit, hanc facultatem tradidisse Deum hominibus, etiam Pontifici; cum nec necessaria sit, & variis inconvenientibus exposita. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 16. num. 10.* Suarez *lib. 2. de leg. cap. 14. num. 23.* Ponce *lib. 8. de Matr. cap. 2. num. 16.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 2. num. 7.*

Controvertitur 2. An dispensatio cadere possit super 11
ea, quę sunt Juris Divini Positivi, & à quo dispensari possit? Resp. 1. Deum per dispensationem directam, & propriè talem dispensare posse in sua lege Divina Positiva, & quidem pro suo libito: ratio est, quia si hæc facultas conceditur legislatori humano, quamvis non pro suo libito, sed legitima interveniente causa; cur non concedenda erit supremo legislatori Divino, qui etiam pro suo libito id efficere possit, cum sit Supremus Dominus, & voluntas ejus infallibilis Regula Bonitatis, adeoque sufficientissima causa ad dispensationem honestandam. Sic communiter Doctores cum Suarez *lib. 10. de leg. cap. 6. num. 1.* Salas *disp. 24. sect. 5. num. 31.* qui adnotant, non credendum esse, hanc dispensationem Deum concedere, nisi ex authoritate Ecclesiæ constet, aut ex revelatione ab Ecclesia approbata, ut patet *ex Cap. Nisi cum pridem, de Renunciat. & ex Cap. Cum ex injuncto, de Hæretic.*

Resp. 2. Hanc dispensationem Juris Divini Positivi 12
non posse concedi à Regibus, & secularibus Principibus; nec à Prælatis, quicumque sint, Pontifice inferioribus: ratio est pro sæcularibus Principibus, quia cum sit spiritualis, & supernaturalis non potest eis competere hæc potestas dispensandi. Pro Prælatis verò Pontifice inferioribus, quia cum hæc potestas sit ex gravissimis causis; inde est, quòd si concessa sit Ecclesiæ, penes Pontificem tantùm residere debeat. Sic Suarez *lib. de leg. cap. 1. num. 2.* & omnes ferè alii Doctores *ex Cap. Majores, de Baptism.*

Resp. 3. quamvis Panormitanus, Felinus, Decius pe- 13
nes Castropalaum *de leg. disp. 6. pun. 3. num. 4.* docuerint, posse Pontificem ex causa gravi, & urgente dispensare in omni Jure Divino positivo, exceptis articulis Fidei. Quam sententiam Canus *relect. de Pœnit. par. 5. ad finem*, & Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 6. num. 6.* limitant ad aliquod tantùm Jus Divinum, in quo majus Dei obsequium sit dispensare, quàm illud integrè observare. Nihilominus omnino asserendum est cum communi, ac verissima sententia: non posse Pontificem in aliquo Jure Divino dispensare: ratio est, quia si eam haberet, esset à Christo Domino ipsi tradita; sed ex nullo Textu comprobari potest, traditam fuisse, & specialiter ei commissam; ergo Pontifex tali potestate caret. Maximè quia talis potestas esset in destructionem Ecclesiæ, quæ cum una sit pro toto Orbe Terrarum tum in Fidei articulis, tum in religioso Cultu, qui in Sacramentis, & Sacrificio Missæ continetur, si daretur facultas dispensandi, & variandi in his, decursu temporis unitas, & firmitas Ecclesiæ rueret. Neç Christus Dominus alia præcepta positiva suæ Ecclesiæ imposuit præter spectantia ad Fidei articulos, Sacramenta, & Sacrificium Missę, in quibus si dispensatio à Pontifice haberetur, fundamenta Ecclesiæ corruerent. Nec excogitari potest ulla legitima causa

causa dispensandi in Divinis Præceptis positivis : nam si aliqua assignari posset, esset, ut laicus moribundum absolveret nomine Sacerdotis, qui reperiri nequit ; ut in defectu aquæ naturalis apponatur in baptismo aqua non naturalis, ne infans sine baptismo moriatur, ut non servetur sigillum confessionis, quando toti Regno imminet maximum malum ; ut in remotissimis regionibus, ubi penuria tritici, & vini habetur, fiat Sacrificium in aliis leguminibus ad vescendum aptis, & in alia potione à vino vitis, & similia ; & tamen numquam ob has urgentes causas dispensare consueverunt Summi Pontifices : aliæ causæ graviores his non sunt excogitabiles, nec assignabiles ; ergo non est excogitabilis causa, cur dispensari possit à Summo Pontifice in aliquo præcepto Juris Divini Positivi. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *ad* 3. quem communiter sequuntur Theologi, Suarez *lib.* 10. *de leg. cap.* 6. *num.* 7. Salas *disp.* 24. *sect.* 5. *num.* 33. Sylvester *verb. Papa quæst.* 16. Covarruvias 4. *Decretal. par.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 4. Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 3. *num.* 5, & alli apud ipsos, Favent quoque Textus *in Cap. sunt quidam*, *Cap. Contra Statuta Patrum*, & *Cap. Omne quod.* 25. *quæst.* 1.

14 Dices 1. de Jure Divino est, quod minister Confirmationis sit Episcopus ; & tamen Pontifex dispensavit, ut esset simplex Sacerdos. Resp. de Jure Divino esse, quod Episcopus sit Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis, non verò absolutè, & privativè ; cum possit quilibet Sacerdos ex commissione Summi Pontificis illud ministrare, ut minister Extraordinarius gravi urgente causa, & necessitate : nam ex Institutione Divina quilibet Sacerdos est minister Extraordinarius Sacramenti illius ; adeoque Pontifex committens Sacerdoti administrationem Confirmationis non dispensat in Jure Divino ; ut rectè docet Suarez *lib.* 10. *de leg. cap.* 6. *num.* 20. Vide quæ dicenda sunt in Sacramento Confirmationis *Cap.* 3.

Dices 2. Votum, Juramentum, Matrimonium ratum, & Matrimonium spirituale Episcopi cum Ecclesia sunt de Jure Divino ; & tamen in illis dispensat Pontifex : & colligitur posse dispensare ex illis verbis *Matth.* 19. Quodcumque ligaveris super terram &c. Resp. Pontificem in his non dispensare, sed ex authoritate accepta à Christo Domino per verba allata ; Quodcumque ligaveris &c. posse remittere obligationem nomine Dei consurgentem ex Voto, Juramento &c. Quæ quidem authoritas in Pontifice constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, ac traditione ipsius. Remittit tamen obligationem in obligationibus Juris Divini fundati in humano contractu, non verò in obligationibus Juris Divini absoluti, ac independentis ab humana voluntate ; ut sunt Materiæ Sacramentorum, & formæ ipsorum, ac Sacrificii Missæ ; Præcepta quoque Fidei, Spei, & Charitatis ; quorum obligationes nec nomine Dei remittere potest, cum non constet talis authoritas in Pontifice. Vide Castropalaum *de leg. disp.* 6. *pun.* 3. *num.* 6.

Dices 3. Professio solemnis Religiosorum est de Jure Divino, & Pontifex in ea dispensare potest. Resp. eodem modo, ac de Voto, quidquid sit de supposito : nam sicuti potest Pontifex nomine Dei remittere obligationem cujuslibet Voti stante legitima causa, sic etiam obligationem Religiosæ Professionis. Insuper si Pontifex, qui est supremus Religiosorum omnium superior, & cui omnes obedire debent ; nolit acceptare obedientiæ Votum à Religioso subdito emissum, aut jam acceptatum remittere ; cessat in subdito obedientiæ votum, cum cesset ejus materia ; & pariter cessant Vota Castitatis, & Paupertatis, quæ emittuntur cum tacita illa, & imbibita conditione, si sub obedientia existam. Sic Salas *disp.* 24. *sect.* 5. *num.* 35, Basilius de Leon *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 5. & alii,

Dices 4. Sacrificium fieri sub utraque specie, est de Jure Divino ; & tamen Pontifex dispensavit, fieri sub una tantùm specie, Resp. negando Pontificem dispensasse in hoc : & quamvis referatur à Doctis Viris, non constat tamen authenticè. Cum enim separari nequeat a Sacrificio Missæ expressa significatio Mortis Christi, quæ per separationem sanguinis à corpore significatur ; inde est, quòd consecratio in una tantùm specie non satis exprimat Mortem Christi : & sic expressa significatio Mortis Christi separaretur à Sacrificio Missæ ; sic docent Vasquez *de Euchar. disp.* 228. Suarez *de leg. lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 27. Basilius de Leon *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 3. *in fine*, & Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 3, *num.* 6, *in fine*, Quod si concedatur, ut probabile, posse Pontificem in hoc dispensare ob urgentissimam causam ; non erit rigorosa dispensatio, sed doctrinalis Interpretatio Juris naturalis non extendentis se ad casum illum : quæ quidem ab ipso tantùm privativè fieri poterit, non verò ab alio ; cum gravissima res sit, & valde dubia. In hac quidem sententia esset de Jure Divino offerre Sacrificium ; quod deberet esse integrum ex Jure naturali dictante integritatem in Sacrificio, quamvis Pontifex declararet, integritatem non se extendere ad illum Casum. Sic Suarez, & Castropalaus *locis citatis*.

CAPUT II.

De Dispensatione in Lege Humana.

1 *Legislator, ejus Successor æqualis in jurisdictione, & à fortiori ejus Superior dispensare possunt in Legibus Humanis Ecclesiasticis, vel Civilibus.*

2 *Pontifex dispensare potest in Legibus à se latis, à Concilio Generali, Provinciali, & Synodali, à suis Prædecessoribus, & ab Apostolis, tamquam ab Episcopis.*

3 *Imperatores, Reges, Principes absoluti, & Respublicæ habentes potestatem legislativam dispensare possunt in legibus à se latis, à suis Prædecessoribus, & in Legibus Populorum sibi subjectorum.*

4 *Archiepiscopi, & Episcopi dispensare possunt in Legibus Diœcesanis à se latis, vel à suis Prædecessoribus.*

5 *An Archiepiscopi, vel Episcopi Suffraganei dispensare possint in legibus sui Concilii Provincialis?*

6 *An Prælatus inferior dispensare possit in legibus sui Superioris non reservatis expressè, nec expressè prohibita facultate dispensandi?*

7 *Motiva in contrarium diluuntur.*

8 *Quinam sint Casus, in quibus inferiores Prælati dispensare possint in Legibus sui Superioris? Et* 1. *Casus est, si in lege expressè concedatur talis facultas.*

9 2. *Casus ; si Consuetudo legitimè præscripserit, ut Inferiores Prælati dispensent.*

10 3. *Casus : si materia dispensationis levis sit.*

11 4. *Casus : si urgeat gravis necessitas pro extraordinario eventu, & periculum sit in mora, nec facilis sit recursus ad legislatorem.*

12 5. *Casus ; si dubitetur, an res Dispensatione indigeat.*

13 *Facultas dispensandi in Casibus enumeratis est potiùs Ordinaria, quàm Delegata.*

14 *Quinam dispensare possint in pœnis à Jure, vel ab homine latis?*

15 *Non potest Judex ex Jure Civili augere, minuere, aut alio modo tollere pœnam per sententiam latam impositam, sive ad instantiam partis, sive ex Officio ; nisi priùs Principem consulat. Poterit tamen Judex ex Jure Canonico.*

16 *Nequit Provincialis, aut Generalis post sententiam latam à Superiore locali, & Judice Ordinario dispensare in pœna injuncta eo reluctante.*

VIDIMUS, an Dispensatio cadere possit super ea, quæ Juris naturalis, ac Divini Positivi sunt ; nunc inquirendum est : an dispensatio cadere possit super ea, quæ legis Humanæ sunt, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis ; & à quo fieri debeat Dispensatio, Jam verò habere legislatorem, quicumque sit, facultatem dispensandi in legibus à se latis, indubitatum esse debet ; ratio est, quia obligatio legum ab ejus voluntate pendet ; ergo per ipsius voluntatem auferri poterit : resnamque per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur ; adeoque poterit legislator subditum eximere ab obligatione legis, quæ tamen perseveret in aliis non exemptis. Nomine autem legislatoris habentis facultatem dispensandi cum subditis, & qui sit legitimus superior ad dispensandum ; non solùm venit legislator ipse, verùm etiam successor æqualis in jurisdictione, cum reputetur eadem persona cum legislatore ; & potiori jure veniet ipsius legislatoris superior ; ut patet ex se, & Doctores omnes fatentur. Vide Vasq. *disp.* 178. *de leg. c.* 2. & Salas *de leg, disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 16. 1

Ut autem descendamus ad singulares Personas, quæ in lege Humana, de qua loquimur, dispensare possint ; dicendum est 1. Summum Pontificem non solùm habere potestatem dispensandi in legibus à se latis, cum sit earum Conditor ; sed etiam in legibus Concilii Generalis, Provincialis, aut Synodalis, quia est Superior ; in legibus quoque suorum Prædecessorum, quia ob æqualitatem facit unam Personam cum illis. Denique in legibus latis ab Apostolis, tamquam ab Episcopis, & Ecclesiarum 2

Recto-

Rectoribus : ut sunt leges servandi jejunium Quadragesimale; abstinendi à carnibus diebus Veneris, & Sabbathi; observandi diem Dominicum; non ordinandi bigamum, & similes; quæ dici consueverunt leges Humanæ Apostolicæ, quia ab Apostolis, ut Pastoribus suarum Ecclesiarum originem traxere: ratio est, quia Summus Pontifex, ut talis, non est inferior illis in jurisdictione, cum non sit inferior D. Petro, in cujus jurisdictionem succedit: esto D. Petrus, & cæteri Apostoli fuerint ob dignitatem Apostolicam Pontificibus superiores, & excellentiores. Sic Suar. *lib.* 10. *de leg. cap.* 14. *n.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 5. *c.* 15. *quæst.* 5. Sayr. *lib.* 3. *c.* 15. *n.* 6. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 16. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *n.* 8. & alii passim.

3 Dicendum 2. Imperatorem, Reges, Principes absolutos, Respublicas habentes potestatem legislativam posse in legibus à se latis dispensare, sicuti etiam in legibus suorum Prædecessorum; ac in legibus, & Statutis populorum sibi subditorum: ratio est, quia pro suis legibus jam sunt Conditores; pro legibus Prædecessorum sunt æquales, & unam personam faciunt; pro legibus sibi inferiorum sunt superiores, & qua tales præsunt in jurisdictione populis sibi subditis, qui Legem tulerunt: maximè quia potestas non confertur inferiori privativè respectu superioris, sed cumulativè; cum semper potestas inferiorum subordinetur Superiori, qui sit talis formaliter in jurisdictione. Sic ex Vasquez, Asorio, Salas, Filliuccio, & aliis docet Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 5.

4 Dicendum 3. Archiepiscopum, aut Episcopum dispensare posse in legibus Diœcesanis à se latis, vel à suis Prædecessoribus: ratio est, quia ab ipsis pendet obligatio talium legum, adeoque eximere poterunt subditum ab obligatione talis legis. Nec Jurisdictio Synodi pendet ab alia Jurisdictione, quàm Archiepiscopi, vel Episcopi: Clerus namque congregatus in Synodo non habet jurisdictionem distinctam à Jurisdictione illorum; nec intervenit Synodo cum voto decisivo, sed ut consilium præbeat, & majori cum discussione, ac prudentia leges Synodales ab Archiepiscopo, aut Episcopo decernantur. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 25. *num.* 74. Suarez *lib.* 6. *de leg. cap.* 15. *num.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 17. *num.* 33. Salas *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 43. Barbosa *de Potest. Episc.* 2. *par. alleg.* 34. *num.* 3. Bonacina alios referens *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 5. & Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 4. *num.* 3. Quod etiam intelligitur, etiamsi leges Synodales fuerint ab ipsis juramento firmatæ: nam sicuti possunt isti Prælati dispensare cum suis subditis in juramento, ita poterunt cum ipsis dispensare in Constitutionibus synodalibus juramento firmatis, dispensato priùs juramento, quod semper habet imbibitam conditionem illam æquitatis, nisi causa justa dispensandi intervenerit. Sic ex Sanchez, Salas, Basilio de Leon, & aliis ab ipsis relatis docet Castropalaus *l. c. num.* 4. Adnotandum tamen: quòd si Leges Synodales approbatæ fuerint à Pontifice, & confirmatæ per veram confirmationem, qua leges illas veluti suas faciat per interpositam authoritatem: maximè si ante authoritatem Pontificiam non habebant vim obligandi, quam ex illa acceperunt; tunc non poterunt Archiepiscopi, & Episcopi in illis dispensare: quia jam factæ sunt leges Pontificiæ, & sicuti in aliis Pontificiis Legibus dispensare nequeunt, sic neque in his. Secus verò si merè laudaverit Constitutiones illas Synodales, non addendo novam vim obligandi; sed tantùm laudando eam, quam antea habebant: oportet igitur in hoc observare tenorem Confirmationis. Sic Sayrus *de Censur. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 11. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 7. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 17. *num.* 10. Barbosa *de Potest. Episc.* 2. *par. alleg.* 34. *num.* 7. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 15. & 16. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. & Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 4. *num.* 6.

5 Controverti hìc solet 1. an Archiepiscopus, aut Episcopi suffraganei dispensare possint in Legibus sui Concilii Provincialis? Sed in hac controversia distinguendum puto: si dispensatio reservatur Concilio Provinciali, aut Generali, vel Sanctæ Sedi; non solùm Episcopi Suffraganei, sed neque ipse Archiepiscopus dispensare poterunt in illis Legibus. Et quidem, quòd non possint Episcopi Suffraganei probatur ex eo, quia cum sint inferiores Concilio Provinciali, quamvis membra illius, ut constat *ex tota distin.* 18. & *ex Cap. Salvo*, 9. *quæst.* 3. & *ex Cap. Grave nimis de Præben.* & inferiores dispensare nequeunt in legibus superioris; inde est, quod Episcopi suffraganei dispensare nequeant in legibus illius: maximè quia Concilium Provinciale potest condere leges, quas suffraganei tenentur observare; & facere, ut observentur à suis Diœcesanis; ut habetur *in Cap. Sicut olim*, *de Accusat.* & in Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 2. *de Reform.* Quod autem non possit Archiepiscopus, & Metropolitanus probatur ex eo, quia etiam ipse est inferior Concilio Provinciali, & membrum illius, sicuti & Episcopi Suffraganei, qui habent votum decisivum, & pariter sunt membra Concilii; omnes tamen ad instar unius Leges ferunt, ut patet ex *Cap. Sicut olim*, *de Accusat.* Et quamvis potestatem habeat supra suffraganeos congregandi Concilium Provinciale ex Trident. cit. & dicatur esse Caput Concilii; nihilominus non est Caput quoad jurisdictionem, cum non sit superior ipso Concilio, sed est Caput quoad sedendi locum, & quoad congregandum Concilium: ut est Decanus, aut Canonicus senior in Capitulo. Sic Navarrus *de Major. & Obed. consil.* 6. *num.* 5 Glossa *ibid.* Hostiensis, quos refert & sequitur Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 7. *num.* 36. Suarez *lib.* 6. *de leg. cap.* 15. *à num.* 5. Bonacina *de leg.* referens Layman, & Salas *disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 14. & Castropalaus *de leg.* referens Basilium de Leon *disp.* 6. *pun.* 4. *num.* 11. Si verò Dispensatio non sit reservata expressè; quamvis nec tacitè, nec expressè concedatur facultas Metropolitano, & Episcopis Suffraganeis dispensandi; major insurgit Difficultas, quæ decidenda est in sequenti controversia: licèt Bonacina l. c. putet ex præsumptione benigna dari tunc facultatem dispensandi tum suffraganeis respectu suarum Diœcesum; tum Metropolitano respectu suæ tantùm, non verò aliarum Suffraganeorum. Sed ut dicam *num.* 9. potiùs reduci poterit ad Consuetudinem præscriptam.

Controverti igitur solet 2. an inferior Prælatus dis- 6
pensare possit in legibus superioris non reservatis expressè, quamvis nec expressè prohibita sit facultas dispensandi? Pro qua controversia decidenda militant sententiæ oppositæ: nam Sotus *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 1. *art.* 2. Covarruvias *Cap. Alma mater*, 1. *par.* §. 7. *num.* 8. D. Antoninus, Victoria, & alii penes Salas *disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 19. & penes Barbosam *de Potest. Episc.* 2. *par. alleg.* 33. *num.* 17. docent, posse dispensare, semelac non est ei prohibita facultas dispensandi: moventur 1. quia Episcopus potest in sua Diœcesi quidquid potest Pontifex pro toto orbe Terrarum, nisi sit expressè prohibitum à Pontifice: ut ex Henriquez, Soto, Majolo, Aragonio, & aliis sustinent Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 60. *num.* 3. Victoria *relect. de Potest. Eccles. num.* 28. & Barbosa *l. c.* 2. quia *ex Cap. Nuper. de Sent. Excomm.* conceditur inferiori facultas absolvendi eo ipso, quod superior eam sibi non reservat; ergo etiam conceditur inferiori facultas dispensandi, quando superior eam non prohibet, nec sibi servat. 3. denique quia sic meliùs consulitur rectæ gubernationi: & de facto in Votis, & Juramentis Prælatus inferior dispensat, si non habeatur prohibitio. Opposita nihilominus sententia, quam sequor, docet, nullum Prælatum inferiorem dispensare posse in legibus superioris; nisi ab eo vel expressam, vel taticam facultatem habeat: ratio est, quia nullus inferior potest Superioris jura, legesve mutare vel abrogando, aut dispensando; ut patet *ex Cap. Cum inferior, de Major. & Obed. & ex Clement. Ne Romani*, *de elect.* sed si absque consensu expresso, vel tacito illius abrogaret, aut dispensaret; jam mutaret ejus jura, & leges; ergo nullus inferior poterit dispensare in lege superioris, nisi expressè, vel tacitè consenserit superior; maximè quia nulli inferiori conceditur impedire voluntatem superioris abrogando, vel dispensando in legibus illius ipso non consentiente, si non expressè, saltem tacitè, ne videatur superior superiore, quo nil absurdius. Sic Sylvester *verb. Dispensatio num.* 14. Covarruvias 4. *Decretal.* 2. *par. cap.* 6. *num.* 15. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 15. Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 5. *num.* 9. Valentia 1. 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *pun.* 9. Salas *disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 20. Guttierrez *lib.* 1. *Canon. quæst. cap.* 5. *num.* 10. Barbosa *de Potest. Episc.* 2. *par. alleg.* 33. *num.* 18. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *n.* 17. & Castrop. *de leg. disp.* 6. *pun.* 4. *n.* 8.

7 Motiva adducta in contrarium nil convincunt. Nam respondetur ad 1. falsum esse, sic genericè, & simpliciter acceptum, quod possit Episcopus pro sua Diœcesi, quidquid Pontifex potest pro toto orbe Terrarum: cum multa possit Pontifex, quæ non potest Episcopus; sic est dispensare in Matrimonio rato, in Voto Solemni; insuper Sanctos Canonizare, committere administrationem Sacramenti Confirmationis simplici Sacerdoti, res fidei definire, approbare Religiones, & similia. Solùm igitur habebit locum dictum illud in eis, quæ ad commune regimen spectant, nec sunt per Legem statuta, quòd si fuerint lege statuta limitatur potestas inferioris. Nec valet dicere: potestatem dispensandi concessam esse ex vi Officii Inferioribus, dum non prohibetur. Nam sic dispensare possent in multis irregularitatibus, ac inhabilitatibus à jure statutis per hoc, quòd ipsis non prohibeatur Dispensatio, quod est contra usum, & praxim Ecclesiæ, numquam enim in illis dispensarunt Episcopi. Non sufficit ergo, non prohiberi expressè, sed ulteriùs requiritur concessio expressa, vel tacita Superioris: imò si ita non concedatur, intelligitur expressè denegata, si non in particulari, saltem in genere. Statuit namque Jus *in Cap. Super his, Cap. Cum inferior, de Major. & Obed. & in Cap. 1. de Constit.* Præcepta Superioris ab inferioribus observanda esse. Vide Castropalaum *de leg. disp. 6. pun. 4. num. 9.* Ad 2. respondetur: largam esse disparitatem inter absolutionem à Censuris, & Dispensationem: cum absolutio non sit contra Jus, imò ipsi Juri conformis; nec absolvens dispensat in lege, sed illam adimplet absolvendo dispositum. Secus verò Dispensatio, cum sit exemptio à Jure, requirit expressam, aut tacitam concessionem. Ad 3. respondetur: satis provisum esse rectæ gubernationi per concessionem expressam, aut tacitam Dispensationis; cum plures sint Casus, in quibus talis facultas concedatur, ut patebit. Nec in Votis, Juramentis &c. dispensatur in lege Superioris, sed remittitur materia nomine Dei per Votum promissa, ut supra diximus.

8 Quæres 1. Quinam sint Casus, in quibus inferiores Prælati dispensare possint in legibus Superioris? Resp. 1. Casum esse, si in lege verbis expressis concedatur talis facultas: ut est in Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* facta Episcopis pro Casibus occultis etiam Pontifici reservatis. Insuper si non expressa persona concedatur dispensandi facultas: ut si in lege dicatur impersonaliter, dispensari posse; tunc enim Prælati inferiores in lege Superioris dispensare poterunt: ratio est, quia hæc dispensandi facultas, cum non possit de Superiore intelligi, quia eam ex se habet; intelligenda erit de Prælatis inferioribus, ut verba legis aliquid operentur, & non sint superfluè appositа: maximè quia Dispensatio amplè interpretanda est, ergo pro aliis à Superiore interpretari poterit Sic Innocentius, Baldus, Felinus, & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 5. num. 1.* Sylvester *verb. Dispensatio, quæst. 9. num. 14.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 14. num. 8.* Salas *disp. 20. sect. 3. num. 21.* Barbosa *de Potest. Episc. 2. par. allegat. 33. num. 22.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 1. num. 17. in medio*, & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 5. num. 1.*

9 2. Casus est: si Consuetudo legitimè præscripserit, ut Inferiores Prælati dispensent in lege Superioris: eo quia consuetudo legitimè præscripta jurisdictionem concedit, ut dicitur *in Cap. Cum contingat, de For. Compet.* Sic Parochi dispensare solent in observatione Festorum, & jejuniorum; quamvis de Jure ipsis non competat dispensatio; ut docent Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 9. num. 27.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 14. in fine*, Basilius de Leon *lib. 8. cap. 6. num. 8.* & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 5. num. 11.* Sic etiam Metropolitanus, & Episcopi suffraganei dispensare poterunt respectivè ad suas Diœceses in legibus Concilii Provincialis, quamvis in Concilio non facta sit eis facultas dispensandi, nec tamen interdicta. Sic Suarez *lib. 6. de leg. cap. 15. num. 7.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 17. num. 35.* Salas *disp. 20. sect. 4. num. 46.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 1. num. 14. in fine*, & Castropalaus *l. c.*

10 3 Casus est: si materia dispensationis levis sit, adeoque lex non obligans sub mortali; tunc enim præsumitur concessa facultas dispensandi inferioribus Prælatis: tum quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; tum etiam quia nimis onerosum esset & subditis, & Superioribus supremis, quòd in minimis fiat recursus ad ipsos. Idem dicendum, si ea quæ in lege præcipiuntur, sæpe eveniunt, adeoque frequentes sint Casus, qui dispensatione indigeant; tunc enim præsumendum est, legislatorem non sibi reservasse in his potestatem dispensandi: esset enim & sibi, & subditis nimis onerosa gubernatio, ut sic frequenter accedendum esset ad ipsum ob dispensationem. Et de facto Episcopi consueverunt dispensare in jejunio, observantia Festorum, & similibus præceptis Ecclesiasticis. Sic Cajetanus *2. 2. quæst. 143. art. 4.* Navarrus *in Sum. cap. 21. num. 21.* Sà *verb. Dispensatio num. 9.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 14. num. 9.* Salas *disp. 20. sect. 3. num. 22.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 1. num. 17.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 5. num. 4. & 5.*

11 4 Casus est: si urgeat gravis aliqua necessitas dispensandi in aliquo extraordinario eventu, ac periculum sit in mora; nec facilis sit recursus ad Superiorem: sive de cetero lex superioris respiciat impedimentum aliquod Matrimonii; vel irregularitatem aliquam; vel reservationem Voti; aut quid simile: tunc enim pro illo casu extraordinario in similibus circumstantiis Prælatus inferior dispensare poterit: ratio est, quia præsumitur tacita concessio legislatoris, qui non censendus est, adeo rigorosam obligationem accedendi ad ipsum imposuisse in tali casu; esset enim contra Charitatem, Commune bonum, & suave regimen Ecclesiæ. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 6. num. 20.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 14. num. 11.* Salas *disp. 20. sect. 3. num. 25.* Vasquez *disp. 178. cap. 2. num. 16.* Sylvester *verb. dispensatio num. 9.* Sayrus *lib. 3. cap. 10. num. 9.* Azor. *1. par. lib. 5. cap. 15.* Navarrus *in Sum. cap. 21. num. 21.* Barbosa *de Potest. Episcop. 2. par. alleg. 35. à n. 3.* Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 1. n. 17.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 5. num. 7.*

12 5. Casus est: cum dubitatur, an res dispensatione indigeat. Et quidem non agitur de dubio positivo, nam si probabiliter existimatur, Casum illum non indigere dispensatione; tunc deposito practicè dubio, licitum erit operari nulla petita dispensatione, nec à Summo Pontifice, nec ab inferiori Prælato: ratio est, quia qui sequitur opinionem probabilem deposito practicè dubio, licitè operatur, nec se exponit periculo peccandi; ergo in tali probabilitate non petita dispensatione licitè operatur. Sic expressè Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 1. n. 18.* Barbosa multos referens *de Potest. Episc. 2. par. alleg. 25. num. 18.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 5. num. 10.* Agitur ergo de dubio negativo, quando videlicet æquè dubium est, an res dispensatione indigeat; an verò *non:* cum non possit judicium probabile efformari, quòd indigeat, vel non indigeat. Et quamvis Bonacina *l. c.* doceat, tunc petendam esse dispensationem à Summo Pontifice, ne contra legem superioris exponat se periculo faciendi. Nihilominus si in tali dubio necessaria sit Dispensatio (quam non esse necessariam sustinet Castropalaus *l. c.*, tum quia possessio stat pro libertate, dum certò moraliter non constet de lege, ad quam spectat probare contra libertatem possidentem; tum quia nulli morali periculo faciendi contra legem se exponeret, dum non constat) sufficiens erit illa Episcopi; tum quia latè facienda est interpretatio potestatis dispensandi; tum quia Casus certus solet Pontifici reservari, non dubius. Sic Sà *verb. Dispensatio num. 1.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 3. num. 28.* Barbosa *l. c. num. 19.* Castropalaus *l. c.* Et sic docent loquentes de Voto reservato Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto cap. 26. num. 6.* & Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 40. num. 26.*

13 Facultas hæc dispensandi in Casibus prædictis est potiùs ordinaria, quàm delegata in Prælatis inferioribus, sive Episcopi sint, sive quasi Episcopalem dignitatem habeant: ratio est, quia conceditur ratione Officii, & est perpetua; sic enim dignoscitur Jurisdictio Ordinaria à Delegata; & sic docent Glossa *in Cap. Final. de Offic. Ordin.* Felinus *in cap. licet, eo tit.* Covarruvias plures referens *3. Variar. c. 20. n. 6. &* 10. Suarez *lib. 6. de leg. c. 15. n. 1.* & Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 40. n. 14.* Nec dependet facultas ista in Episcopis, aut Episcopali jurisdictione gaudentibus à Consensu Capituli quoad usum; nullibi enim reperitur apposita talis dependentia, sed ipsis est absolutè concessa, ut constat *ex Cap. At si Clerici, §. de adult. de Judic.* & ex Trid. *sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 6. de Reform.* & docent aliis relatis Suar. *l. c. n. 10.* & Castr. *de leg. disp. 6. pun. 5. n. 13.* Delegari potest ab ipsis hæc

potestas;

potestas, cùm sit Ordinaria; ut ex Suarez, Rodriquez, Basilio de Leon, & aliis docet Castropalaus *l. c. num. 12. in fine*.

14 Quæres 2. Quinam dispensare possint in pœnis Statutis in Jure, vel ab homine latis? Resp. posse Legislatorem, qui pœnas apposuit contra delinquentes, dispensare in illis, sive jam contractæ fuerint ob delictum commissum, sive antequam contrahantur: ratio est, quia obligatio, & punitio in lege cum dependeant ab ejus voluntate; inde est, quòd poterit in illis dispensare cum delinquentibus, ne pœnam à se statutam contrahant, vel jam contractam luant: est communis sententia. Non poterunt tamen inferiores legislatore dispensare, ne committens delictum pœnam contrahat à Lege, Statuto, aut Consuetudine impositam ipso jure contra committentes delictum, & quæ non requirat Judicis executionem: ratio est, quia non constat ex aliquo Textu, hanc facultatem Inferioribus concessam esse, nec expedit, quòd concedatur: pœna namque ante delictum facit, ne committatur. Hinc est, non posse Episcopos dispensare, ne committens homicidium irregularitatem incurrat; aut ne percutiens Clericum excommunicationem contrahat: cum pœnæ istæ sint adnexæ delicto, nec Judicis executionem requirant. Est communis sententia. Quando verò pœna à lege statuta mandanda est executioni per Judicem; tunc poterit Judex eam remittere, vel minuere aut aliquando augere justa interveniente causa: ratio est, quia cum delicta, quæ patrantur diversas habere possint circumstantias minuentes, vel aggravantes; adeoque esse magis, vel minus excusabilia; inde fit, quòd Judex remittendo, minuendo, aut aggravando pœnam statutam non faciat contra legem, sed juxta illam, quæ tales circumstantias considerare in individuo non potuit. Sic Farinacius, Menochius, Basilius de Leon, Julius Clarus ex variis legibus hanc doctrinam colligentes, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 6. num.* 4. Addunt tamen has limitationes, ut fiat à Majoribus Magistratibus, non verò Minoribus ut id expressè non prohibeat lex; ut non fiat in pœnis applicandis parti. Si tamen nulla justa causa intercedat, non poterit Judex pœnam à lege statutam minuere, aut aggravare: ratio est, quia non debet esse clementior; aut severior ipsa lege non interveniente causa: maximè quia factum ipsi committitur examinandum, non verò pœna statuta. Sic ex Accursio, Tiraquello, Menochio, & aliis docet Castropalaus *l. c.*

15 Advertendum 1. non posse Judicem ex Jure Civili augere, minuere, aut aliquo modo tollere pœnam per sententiam latam; sive imposita fuerit ad instantiam partis, sive ex Officio; nisi priùs Principem consulat: ratio est, quia post sententiam latam functus est Officio suo, nec habet ultra, quid faciat: ut patet *ex leg. Mortis §. iste fere ff. de Pœnis, & ex leg. Judex postquam ff. de Re judicata*; & docent Covarruvias *lib. 2. Var. Resol. cap. 9. nu.* 8. Clarus *in Pract. §. final. quæst.* 85. Farinacius *quæst. 17. lib. 1. tit. 3. num.* 61. & Basilius de Leon *lib. 8. cap. 7. num.* 7. Posse tamen ex Jure Canonico pœnam minuere, vel aliquo modo dispensare post sententiam latam; maximè si processum fuerit in causa ex Officio: sic ex *cap. Commissis §. necnon, de Hæretic. in 6. & ex cap. At si Clerici, §. de adulteriis, de Judic.* docent Alciatus *ibi n.* 2. Farinac. *l. c. num.* 62. Rodriquez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 24. art.* 18. & Tiraquellus *de Pœn. temperand. causa* 13. *num.* 2. Extendunt hanc doctrinam ad Capitulum Sede Vacante, ad omnes habentes potestatem quasi Episcopalem, & ad Prælatos Regulares respectu suorum subditorum, quia etiam hi nomine Episcopi accipi possunt Rodriquez, Sanchez, & Salas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 6. num.* 7. Quapropter Prælatus Regularis, si subditum suum damnaverit in privatione vocis activæ, & passivæ, vel illum inhabilitaverit per sententiam ad omnia honoris Officia ob discessum furtivum è Conventu, vel ob fornicationem ibi, aut alibi commissam; poterit cum illo benignè, & misericorditer agere, etiamsi pœna Statuto aliquo Religionis firmata fuerit; dummodo delinquens resipuerit, & pœnitentiam egerit per aliquot dies; & dummodo delinquens non sit ipse Superior dispensans; nec dispensatio cadat in præjudicium tertii; & dummodo non fiat in criminibus adulterio majoribus. Sic ex Rodriquez, Basilio de Leon, Abbate, Decio, Calderino, & aliis docet Castropalaus *l. c. à num. 8. ad* 12.

Advertendum 2. Non posse Provincialem, aut Generalem post sententiam latam, & condemnationem factam à Judice ordinario, seu superiore locali dispensare in pœna injuncta, renuente Judice ordinario, qui sententiam protulit. Sic colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 1. de Reform.* ubi statuit: non posse Metropolitanum, aut alium promovere suspensum ab Ordinario contra voluntatem Ordinarii suspendentis; ergo neque Provincialis, aut Generalis dispensare poterit in pœna lata per sententiam à Judice Ordinario, seu superiore locali, reluctante ipso Judice Ordinario: ratio tamen est, ne minuatur authoritas judicantis, & sic contemnatur superior à subditis. Poterunt verò id efficere, quando condemnans, & judicans finierit jam Officium suum, non requisito consensu à Successore; quia cessat ratio contemptus contra judicantem. Sic Rodriquez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 22. art. 8.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 6. num.* 13. 16

CAPUT III.

Cum quibus Personis dispensari possit.

1 *Dispensatio facienda est cum subditis capacibus Legis, & obligationis.*
2 *An quilibet Superior dispensare possit cum se ipso?*
3 *Potest Superior directè dispensare secum ipso in Legibus Superioris, Votis, & Juramentis à se emissis, si potest cum suis subditis; nisi expressè prohibeatur.*
4 *Nequit Superior secum ipso directè, & immediatè dispensare in Censuris, etiamsi possit cum suis subditis.*
5 *Quis dispensare potest cum Vagis?*
6 *Quis dispensare potest cum Forensibus, & peregrinantibus?*
7 *Proponitur in varietate sententiarum probabilior.*
8 *An Subditi Suffraganeorum dispensari possint à Metropolitano?*
9 *Quis dispensare potest cum Religiosis exemptis in Votis, Juramentis, & pœnis?*
10 *An Archiepiscopi, & Episcopi ut dispensant cum suis Clericis, dispensare pariter possint cum Religiosis exemptis?*
11 *Licèt ex Jure communi nequeant Regulares ex eorum Prælatorum licentia adire Ordinarios locorum ob dispensationem; possunt tamen ex Privilegio Pontificis.*
12 *Subjecti Prælatis Ordinis Militantium, & Sæculares gaudentes privilegiis ipsorum possunt ex licentia Prælati Ordinis recurrere pro dispensatione ad Episcopum loci, ubi commorantur; vel ad Metropolitanum, si nullius Diœcesis sint; vel ad Nuntium, aut Legatum à latere.*

CERTUM est, & extra controversiam dispensationem faciendam esse erga subditos capaces legis, & obligationis illius: est enim dispensatio actus Jurisdictionis, adeoque necessariò importare debet Superioritatem ex parte illius, qui dispensat; & subjectionem ex parte illius, cui dispensatio fit. Controversia igitur est in assignandis personis, quæ hanc subjectionem habere dicantur, & per consequens capaces habendi beneficium Dispensationis. Quia verò multa dubia in hac re nasci solent; ideò distinctim de illis pertractabimus, ut sic faciliùs solvantur. 1

Dubitabis 1. An quilibet superior dispensare possit secum ipso, & sic habere veluti subjectionem quamdam respectu sui? Resp. præmittendo priùs, hìc non agi de dispensatione indirecta, sed de directa: nam quòd possit superior secum indirectè dispensare, est extra dubium. Sic Episcopus dispensans in observatione jejunii pro sua Civitate; aut Prælatus Regularis pro suo Cœnobio, dispensabit etiam secum ipso, ut pote in Communitate illa contento: ad eum modum quo distribuens indulgentias pro Communitate potiori jure sibi distribuit, ut parti præcipuæ illius. Ita docent Suarez, Sotus, Lopez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 7. §. 1. num.* 1. 2

Insuper quòd possit superior alteri suas vices committere,

mittere, ut secum dispenset; colligitur *ex Cap. final. de Pœnit. & Remiss.* ubi Prælatis exemptis conceditur facultas eligendi confessarium, qui eos absolvat, ne cogantur recurrere ad Superiorem absentem; ergo idem dicendum de dispensatione; maximè quia Sacra Congregatio declarayit, facultatem à Tridentino traditam Episcopis *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* absolvendi, & dispensandi cum suis subditis, posse etiam cum ipsis exerceri à Confessario ab ipsis electo; non enim debent esse deterioris conditionis præ suis subditis, Sic Suarez *tom.* 5. *de Censur. disp.* 41. *sect.* 2. *à num.* 9. Sanchez plures referens *lib.* 8. *Matrim. disp.* 3. *num.* 3. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 9. Garzia *de Benefic. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 139. Barb. *in Trident. citat.* & Castr. *l. c.*

Præmitto 2. non omnem actum jurisdictionis de necesse requirere distinctionem personarum inter personam dicentem jus, & personam, cui jus dicitur: nam licèt hoc verum sit in actu Jurisdictionis involuntariæ, contentiosæ, coactivæ, condemnativę, aut absolutivæ; cum nemo possit secum ipso contendere, aut se cogere, damnare, absolvere, ut ex ipso naturali jure constat docente, neminem posse jurisdictionem hanc in se ipsum exercere, ac sibi subjici. Nihilominus talis distinctio non requiritur in actibus jurisdictionis voluntariæ, & gratiosæ; & ita sunt actus illi, quibus Superior secum dispensat in lege, Voto, aut Juramento.

Præmitto 3. Superiorem secum ipso immediatè, & directè dispensantem in propria lege non dici propriè, & strictè dispensare secum ipso: eo quia tunc revera habetur actus dispensationis strictæ, & propriè acceptæ, quando persona, quæ eximitur ab onere legis immediatè, & directè est subdita legi quoad vim coactivam: cum igitur legislator ex antea dictis non sit directè, & immediatè subditus legi quoad vim coactivam, sed tantùm quoad directivam; inde est, quòd non dicatur propriè dispensare secum ipso, His præmissis

3 Dicendum 1. posse Superiorem secum ipso directè dispensare in legibus Superioris, Votis, & Juramentis à se emissis; si potest cum suis subditis, nisi expressè prohibeatur: ratio est, quia neque ex jure naturali, neque ex Jure positivo impeditur Superior ad secum dispensandum in his; ergo absolutè poterit. Non ex jure naturali, quia est actus Jurisdictionis voluntariæ, & gratiosæ, quæ non requirit distinctionem personarum, ut requirit actus Jurisdictionis involuntariæ, & coactivæ. Non ex Jure positivo, quod afferri nequit; ergo ex nullo Jure impeditur. Adde, quòd si dispensatio est in lege propria, non est rigorosa dispensatio, cum nemo sua lege ligetur coactivè, sed directivè tantùm. Si in lege Superioris dispensatio fiat, sicuti potest id facere cum subditis in Casibus permissis, sic etiam cum seipso, cum non debeat esse deterioris conditionis præ illis, nisi expressè prohibeatur à lege; ut prohibetur in materia ambitiosa, & fraudibus subjecta *in Cap. Per nostras, de Jur. Patron.* ubi dicitur, quòd nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis Officiis. Et in materia Institutionis Beneficiorum *in cap. fin. de Institut.* ubi dicitur: Qui beneficium conferre potest, non potest se ipsum instituere. Sic Covarruvias, Sanchez, Salas, Suarez, Basilius de Leon, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 7. §. 1. *num.* 2. Extenditur tradita doctrina ad habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, inter quos numerari debent Prælati Regulares, Generales, Provinciales, & Superiores locales, & qui in eorum absentia vices gerunt: & in universum loquendo ad omnes potestatem habentes dispensandi cum aliqua Communitate, cujus ipsi pars sint; poterunt namque & cum se ipsis directè dispensare in lege Superioris, Voto, & Juramento à se emissis, nisi expressè prohibeantur. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. Suarez *de leg. cap.* 12. *n.* 12 Sanchez plures referens *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 3. *n.* 9. Salas *disp.* 20. *sect.* 12. *n.* 105. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 12. & alii.

4 Dicendum 2. non posse Superiorem secum ipso directè, & immediatè dispensare in Censuris, etiamsi possit cum suis subditis: ratio est, quia hæ tolluntur per actum Jurisdictionis absolutivæ; sed nemo potest seipsum per sententiam absolvere; inde est, quòd de necesse id facere debeat medio Sacerdote à se electo. Quòd si sermo sit de Irregularitate, Depositione, aut qualibet alia inhabilitate; si quamlibet ex ipsis per sententiam contraxerit, non poterit ullatenus secum ipso dispensare, nec immediatè, & directè, nec medio Sacerdote à se electo, sed omnino auferenda erit per commissionem eam imponentis; aliàs non sortiretur effectum suum coactio: in hoc siquidem casu ejus erit solvere, cujus fuit ligare. Sic colligitur *ex Cap. At si Clerici, de Judic. & ex Cap.* 2. *de Bigam.* Si verò non per sententiam contraxerit, sed ipso Jure, & poterit cum subditis dispensare, & expressè non prohibeatur, putat Castrop. *de leg. disp.* 6. *pun.* 7. §. 1. *n.* 5. ex Sanc. quòd possit dispensare, ne deterior subditis sit. Secus verò si pœna imposita esset pro solis Prælatis, nequibit enim tunc dispensare.

Dubitabis 2. Quis possit dispensare cum Vagis, & Forensibus? Resp. cum Vagis, qui videlicet nullibi habent Domicilium fixum, posse eos Superiores locales dispensare, ubi ipsi reperiuntur: ratio est, quia cum non possit cum ipsis dispensari ratione Domicilii fixi, quod nullibi habent; sequeretur, quòd incapaces evaderent beneficii dispensationis, adeoque pro ipsis sufficiens erit domicilium transiens: nam si sufficit ad ministranda Sacramenta ipsis, sufficiens erit ad Dispensationem. Sic Sanchez *lib.* 3. *Matrim. disp.* 25. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 18. *num.* 121. & Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 7. §. 2. *num.* 1. 5

Pro Forensibus tamen, & Peregrinantibus major habetur difficultas: nam Doctores in tres abiere sententias, quarum prima sustinet, posse Ordinarios locorum cum ipsis dispensare in legibus, Votis, & Juramentis, si in eorum Diœcesibus etiam ad breve tempus commorentur; sicuti dispensare possunt cum cæteris subditis. Secunda sententia docet, posse dispensare Ordinarios locorum non solùm in legibus, Votis, & Juramentis, sed etiam in Irregularitatibus, in quibus dispensare possunt cum suis subditis; si tamen accedant ad Diœcesim animo commorandi ibi ad longum tempus, ut si negotium magni momenti expedire deberent, quod longum tempus requireret. Tertia denique sententia requirit ad Dispensationem istam Domicilium, nec alio modo dispensari poterit in supradictis cum Forensibus, & Peregrinis. 6

Sed in hac varietate sententiarum probabilius puto dicendum, sufficere ad dispensandum cum Forensibus, & Peregrinis in Jure communi, & Municipali, non verò in aliis non solùm habitationem longævi temporis, sed etiam brevis: ratio est, quia spectat ad Superiorem loci illius facere, ut leges observentur à commorantibus ibi; ergo ad ipsum etiam spectabit examinare causas, quæ impediunt observationem, aut illam excusant, & per consequens si indigeant dispensatione. Nam si Forensis tenetur se conformare legibus loci illius, ut incolæ, ne deformitatem pariat; ita etiam ne deterioris conditionis sit præ incolis, gaudere debebit beneficio dispensationis, ut gaudent incolæ. Sic Basil. de Leon *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 7. & Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 7. §. 2. *num.* 5. Secus verò dicendum in Dispensatione Voti, Juramenti, Irregularitatis, aut alicujus Impedimenti, vel aliis pœnis contractis, non enim sufficit ad dispensandum in his habitatio transiens, etiamsi ad longum tempus sit; sed de necesse requiritur Domicilium, ut possit Ordinarius loci dispensationem impertire Forensibus, & Peregrinis: moveor, quia solum Domicilium dat sufficientem subjectionem ad dispensandum; ergo eo non habito cum ipsis dispensari non poterit: esto non requiratur ad ministranda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ propter eorum necessitatem. Maximè quia Jurisdictio multùm pendet à Consuetudine, & consuetudo admittit administrationem illorum Sacramentorum, & denegat Dispensationem: ut Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium testantur approbatæ à Gregorio XIII. & relatæ à Farinacio *sess.* 24. *Trident. cap.* 6. *de Reform.* & à Garzia *de Benef.* 11. *par. cap.* 10. *num.* 139. & sic docent Abbas, Sylvester, Tabiena, Angelus, & alii relati à Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 23. *num.* 11. sic etiam Suarez *lib.* 6. *de Voto, cap.* 11. *num.* 11. Barbosa *de Potest. Episc.* 2. *par. alleg.* 36. *num.* 18. & Castropalaus *de leg. disp.* 6. *pun.* 7. §. 2. *num.* 6. & 7. 7

Dubitabis 3. an subditi suffraga eorum dispensationem accipere possint à Metropolitano? Resp. negativè: quia Metropolitanus, exceptis aliquibus Casibus à Jure concessis, non habet potestatem in suffraganeos, & eorum subditos: ut habetur *in Cap. Pastoralis, de Offic. Ordin. Cap. de eo, eod. tit. Cap.* 1. *de For. Compet. & cap. Nostra, de Pœnit. & Remiss.* ubi tamquam aliquod speciale conceditur ipsi posse indulgentias distribuere in Ecclesis Suffraganeorum. Sic communis sententia cum Silv. Sayro, Suar. 8

Barbo-

Barbosa, Basilio de Leon, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 7. §. 3. num. 1.* Casus autem, in quibus Metropolitanus dispensare possit cum subditis Suffraganeorum varii enumerantur à Doctoribus : sed ut verum fatear excepto casu appellationis, per quam causa devolvatur ad ipsum, quando inferior dispensare noluerit, ut docet communis sententia *ex Cap. 1. de Offic. Deleg. & ex Cap. Duo, de Offic. Ordin.* reliquos probare non possum, nisi reducantur ad appellationem.

Dubitabis 4. Quis dispensare possit cum Religiosis exemptis in Votis, Juramentis, & Pœnis ? Resp. posse eorum Prælatos : eo quia eamdem habent jurisdictionem erga suos subditos religiosos, ac habent Episcopi erga suos Clericos; si igitur Episcopi cum suis Clericis dispensare possunt, ita & Prælati Religiosi cum suis subditis. Sic Suarez, Navar. Sanchez, Lessius, & alii apud ipsos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 7. §. 4. num. 2.* Nomine autem Prælatorum Regularium non solùm venit Generalis, sed etiam Provincialis, Superiores locales, & qui in eorum absentia vices gerunt; omnes enim habent jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, qui eorum obedientiæ sunt addicti; quamvis Jurisdictio inferiorum Prælatorum à Superioribus Prælatis limitari possit. Sic Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. num. 5.* & Castropalaus *l. c.* Si verò subditus exemptus fuerit ab obedientia Prælati Regularis, & à Jurisdictione religiosa, vel quia ad Episcopatum promotus; vel quia in perpetuum ejectus; nequibit cum illo dispensare; quia cessat Jurisdictio, in qua fundatur dispensandi facultas, etsi alii docti Viri contrarium sentiant.

10 Petes hìc : an similem potestatem dispensandi cum Regularibus exemptis habeant Archiepiscopis, & Episcopi, ut habent cum suis Clericis ? Resp. habere in aliquibus Casibus : & 1. si subditus regularis dispensandus ad illos accederet ex facultate suorum Prælatorum, sine qua nequit ad illos accedere, nisi in casu denegatæ justitiæ ab omnibus Prælatis suæ Religionis, ut dicemus. Nam si accederet absque facultate Superiorum, gravem injuriam irrogaret exemptioni Religionis ab Archiepiscopis, & Episcopis : maximè quia nequit pro suo arbitrio huic privilegio exemptionis renunciare, quia non ipsi, sed toti Religioni concessum est; ut docent Sanhcez *lib. 4. Decal. cap. 39. num. 27.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 5. num. 13.* & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 7. §. 4. num. 3.* 2. casus est : si Regularis subditus nullos adire poterit Prælatos suæ Religionis hanc facultatem habentes : nam si illos adire posset, deberet, ne injuriam irrogaret, ut diximus: prius enim in Religione remedium requirere debet, postea ab Episcopis; quæ quidem moderatè intelligenda sunt. In casu igitur, quòd non possit adire Prælatos suæ Religionis, poterit Episcopos adire pro dispensatione : tum quia præsumitur licentia tacita Superiorum ; tum quia non obstaret privilegio Religiosæ exemptionis, nec bono regimini, ac debitæ obedientiæ : insuper ne Regularis sit deterioris conditionis præ quolibet sæculari. Sic Henriquez, D. Antoninus, Sylvester, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. num. 35.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 5. num. 15.* & Castrop. *de leg. disp. 6. pun. 7. §. 5. num. 5. 3.* casus est, si subditus regularis dispensationem petat à suis Superioribus, & isti denegent injustè ; tunc poterit ad Archiepiscopum, vel Episcopum recurrere : ratio est, quia exemptio concessa est in bonum Religionis, & religiosorum, quapropter non debet vergere in damnum ipsorum : & cum recursus fieri nequeat ad Pontificem in partibus remotis, fit ad ordinarios locorum; quia præsumitur per epykejam concedi ordinariis locorum à Pontifice, ne religiosi vagentur. Debet tamen constare ordinariis dispensantibus tunc cum Regularibus injustitia denegatæ dispensationis, ut possint epykeja uti : nam si non constaret, aut dubia esset; dispensare non possent : quia staret in sua possessione lex exemptionis Religiosæ : ut docent Molina *tom. 4. de Just. tract. 3. disp. 61. num. 5.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. num. 36.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 5. n. 14.* & Castrop. *de leg. disp. 6. pun. 7. §. 4. n. 4.*

11 Adnotandum cum Corduba *in Compend. Privilegior. Mendic. verb. Absolutio ordinaria §. 1.* quòd licèt ex Jure Communi nequeant Regulares ex suorum Prælatorum licentia ordinarios locorum adire ad dispensationem obtinendam. Nihilominus ex Privilegio à Sede Apostolica obtento, & concesso poterunt id efficere ; quod quidem Privilegium ferè commune est omnibus Regularibus.

Adnotandum insuper ex Basilio de Leon *lib. 8. cap. 5.* 12
num. 18. subditos Prælatis Ordinis Militantium, sive Religiosi sint illius Ordinis, sive Sæculares gaudentes privilegiis Ordinis illius per subjectionem ; posse ex licentia Prælati Ordinis, cui non competit facultas dispensandi, aut absolvendi in Casibus à Tridentino commissis Episcopis, recurrere ad Episcopum loci, ubi commorantur; vel ad Metropolitanum, si nullius Diœcesis sint; vel ad Nuntium; & à fortiori ad Legatum a latere, qui est legitimus Superior Religiosorum, etiam exemptorum : ratio est, ne sint deteriores in hac conditione præ cæteris sæcularibus ; & aliundè subjectio fit ex voluntate sui Prælati quoad hunc effectum tantùm.

CAPUT IV.

De Causis requisitis ad dispensandum.

1 *Dispensatio facta ab habente facultatem sine justa causa aliquando est illicita, & invalida; aliquando illicita, sed valida.*
2 *Legislator, aut alius habens authoritatem illius, si dispenset in Lege humana sine justa causa, valida erit dispensatio, sed illicita.*
3 *Probatur quòd sit illicita, & peccaminosa.*
4 *Aliquando videntur Legislatores sine justa causa dispensare, sed eam habent.*
5 *Quodnam peccatum sit dispensare sine justa causa?*
6 *An Legislator possit validè, & licitè secum ipso dispensare sine justa causa?*
7 *An Superior dubitans de sufficientia causæ peccet dispensando?*
8 *An peccet subditus dispensationem petens sine causa justa?*
9 *An sit valida Dispensatio absque sufficienti causa, si bona fide concessa, & petita fuerit?*
10 *Utens dispensatione sine legitima causa obtenta bona fide non peccat.*
11 *Dispensatio Inferioris in Lege Superioris naturali, Divina, aut humana sine justa causa est illicita, & invalida.*
12 *Quodnam peccatum sit dispensare in lege Superioris sine justa causa?*
13 *An dispensans teneatur judicialiter agnoscere justam causam, an verò poterit eam extrajudicialiter agnoscere?*
14 *An necessariò requiratur cognitio causæ ad validam dispensationem sive judicialem, sive extrajudicialem?*
15 *An credendus sit Prælatus dispensans, quòd præmiserit cognitionem causæ?*
16 *An credendus sit asserens se habere facultatem dispensandi?*
17 *An habens facultatem dispensandi in lege Superioris possit dispensandis imponere mulctam pecuniariam, aut aliud onus personale?*
18 *An cognitio causæ requiratur non solùm in dispensatione expressa, sed etiam tacita, & sub qua forma concedenda dispensatio?*
19 *An stante justa causa semper teneatur Superior dispensare?*
20 *Quænam sint justæ causæ, ob quas dispensatio in Legibus fieri possit?*

QUIA dispensatio fieri potest à Legislatore, aut alio facultatem Legislatoris habente, & fieri potest ab Inferioribus in legibus Superiorum ; insuper quia dispensatio sine justa causa potest esse aliquando illicita, & invalida: & aliquando illicita, sed valida; denique quia justa intercedente causa poterit aliquando Superior non dispensare, & aliquando dispensare teneatur ; ideò antequam justas causas ad dispensandum requisitas assignemus, de his priùs pertractandum erit. 1

Dico igitur 1. si Legislator, vel ejus Successor; aut 2
alius habens authoritatem, quam Legislator habet ; dispenset in lege humana sine justa causa ; valida erit dispensatio, sed illicita: ratio est quia obligatio legis integrè pendet à voluntate Legislatoris tum in fieri, tum in conservari ; ergo si manente obligatione legis velit aliquem ab illa eximere absque justa causa; non est. undè talis exemptio valida dici, & esse non possit : maximè quia si in principio legis potuit validè aliquem eximere nul-

nulla intercedente justa causa; cur id non poterit condita jam lege? Extenditur tradita doctrina ad omnes habentes potestatem legislativam respectu suarum legum, & ad successores in eadem dignitate; Sic Episcopus poterit validè sine justa causa dispensare in suis legibus, & prædecessorum; ac de Conciliis Provincialibus respectu suarum legum, & Præcedentium cum eadem limitatione. Sic Suarez *lib. 6. de leg. cap. 19. num. 6.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 17. num. 24.* Covarruvias *2. par. de Matrim. cap. 6. §. 9. num. 8.* Valentia *1. 2. disp. 7. quæst. 9.* Salas *disp. 20. sect. 4. num. 21.* Castropalaus *de legib. disp. 6. punct. 8. §. 1, num. 1.* & Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 1.* referens Sayrum, Azorium, Henriquez, Layman, & Filliuccium.

3 Quòd autem esset illicita, & peccaminosa dispensatio facta à Legislatore sine justa causa; probatur ex eo, quia temere, & imprudenter operaretur, ac inæqualitatem faceret, vitium acceptionis personarum committeret, ac occasionem faciendi querelas præberet cæteris gementibus sub pondere legis; nisi justa adesset causa eximendi aliquem ab obligatione legis: omnis siquidem ratio dictat, partem, si specialis ratio non urgeret, debere se accommodare, ac uniformare toti Communitati. Sic constat *ex Leg. 4. ff. de damno infect. & ex Leg. Relegati, ff. de Pœnis. ex Cap. Quod pro remedio, & Cap. Necessaria, 1. quæst. 7.* & ex variis locis Tridentini præcipuè *sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.* ubi loquens de Matrimonii impedimentis ait: vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa. *sess. 25. cap. 14. de Reform.* Donec post manifestam vitæ emendationem, ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum, Et *ead. sess. cap. 18.* loquens de observantia Legum Canonicarum ait: Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum. Sic D. Thomas *1. 2. quæst. 97. art. 5.* Vasquez *disp. 178. cap. 3. & 4.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 18. num. 4.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 18. nu. 3.* Salas *disp. 20. sect. 5. num. 5.* & ferè omnes; ideoque ut probabilis nequit hisce temporibus defendi opposita sententia Bartoli, Jasonis, & aliorum putantium, solam voluntatem Legislatoris esse sufficientem rationem, & causam ad dispensandum; quæ sicuti pro libito potuit obligationem imponere, sic & eam abrogare, vel dispensare. Et sicuti Legislator Divinus pro sola sua voluntate potest aliquem à legis obligatione eximere, sic & humanus Legislator. Sed rationes adductæ nihil evincunt: nam Legislator humanus sicuti non potest absque causa boni communis legem imponere, sic nec illam absque causa abrogare, aut cum aliquo dispensare, cum ex ipsa natura obligetur consulere bono communi, cujus est dispensator. Nec urget paritas adducta; quia voluntas Legislatoris Divini est summa regula bonitatis; insuper Legislator Divinus est supremus omnium Dominus; secus verò voluntas Legislatoris humani nec regula est bonitatis, nec ipse est Dominus bonorum communium, sed dispensator, ut dixi.

4 Quòd si aliquando videntur Legislatores ex consuetudine dispensare sine justa causa, ut evenit in Curia Romana; in qua dispensationes in impedimentis Matrimonii concedi solent Magnatibus, aut aliis facta compensatione pecuniaria copiosiori, vel tenuiori pro qualitate rei; aut etiam sine tali compensatione. Nihilominus revera habetur justa causa dispensandi, quæ licèt non assignetur in petitione dispensationis, habetur tamen in dispensante, qui movetur ad dispensationem concedendam vel ob ostendendam benignitatem, & clementiam in Magnates, de Ecclesia benemeritos; vel ob conciliandum animum Principis alicujus erga Ecclesiam, & Christianam Rempublicam; vel ob eleemosynam in pia opera erogatam. Sic Suarez *lib. 6. cap. 18. num. 26.* Salas *disp. 20. sect. 8. num. 26.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 18. num. 8.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 1. in fine*, & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 8. §. 1. num. 3.*

5 Petes 1. Quodnam peccatum sit dispensationem sine justa causa concedere? Resp. si scandalum sequatur, aut grave damnum aliorum; esse grave peccatum; ratio est illa eadem, quæ assignatur à Tridentino *sess. 25. cap. 18. de Reform.* quòd sine legitima causa dispensare est adaperire cuicumque aditum ad transgrediendum leges: nam alii subditi ansam arriperent ad liberè violandum leges; & si sine legitima causa dispensaretur cum aliquo in pluralitate beneficiorum curatorum, non leve damnum inferretur aliis dignis. Sic Suarez *lib. 6. de legib. cap. 18. num. 17.* Covarruvias *4. Decret. 2. par. cap. 6. §. 9. num. 7.* Sanchez plures referens *lib. 8. de Matrim. disp. 18. num. 6.* Rodriquez *1. par. summ. cap. 196. in fine*, & Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 1. §. Addo Legislatorem.* Si verò scandalum absit, & nullum damnum sequatur aliis, veniale peccatum erit: ratio est, quia ex genere suo non videtur gravis difformitas non conformare partem toti secluso scandalo, & aliorum damno; ergo leve peccatum erit id efficere non interveniente justa causa: maximè quia prohibitiones Canonum, & Conciliorum non dispensandi absque causa fundantur in scandalo, & aliorum damno. Sic Sanchez, Salas, Valentia, Navarrus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 8. §. 1. num. 5.*

6 Petes 2. an Legislator possit secumipso dispensare licitè, & validè absque justa causa? Resp. quòd validè dispensare potest; nam si id potest efficere validè cum aliis, cur non poterit secum efficere? cum non debeat esse deterioris conditionis, & utrobique militet par ratio. Non licitè tamen dispensat, quia jure naturæ tenetur se conformare subditis, & non discriminari ab illis sine causa; adeoque juxta superiùs dicta graviter peccabit, si ex tali dispensatione scandalum, aut aliorum damnum sequatur; leviter tantùm, si hæc non subsequantur, Sic ex Cajetano docet Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 6.* & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 8. §. 1. num. 5.*

7 Petes 3. an pecet Superior dispensando dubitans de sufficientia causæ, quam habet? Resp. si dubium sit positivum, ita ut probabiles rationes convincant sufficientiam causæ, quamvis non desint probabiles rationes oppositum suadentes; non peccabit, quia operatur ex conscientia probabili juxta dicta de Conscientia probabili. Secus dicendum, si dubium sit negativum, quod dum probabiliter superare non potest; operari non debet, ne se exponat periculo non dispensandi licitè, & consequenter peccandi. Sic ex Joanne Medina docet Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 7.*

8 Petes 4. an pecet subditus petens dispensationem sine justa causa? Resp. si non excuset ignorantia invincibilis peccare eodem modo, quo diximus, peccare Superiorem sine causa illam concedentem, cum petat rem intrinsecè malam; adeoque si ex dispensatione petita grave scandalum, aut aliorum damnum sequeretur; graviter peccabit: his verò ablatis leviter tantùm. Non nego tamen, quòd aliquando peccet Superior concedendo sine causa dispensationem, sciens non adesse; & excusatur subditus putans per errorem adesse: aliquando verò peccat subditus, sciens non adesse causam; & excusatur Superior putans adesse: sed cognito errore poterit revocare dispensationem, & aliquando tenetur revocare, ac certiorem facere subditum, ut cæteris uniformetur, dum non habetur justa causa illum eximendi à communi obligatione. Sic Suarez *lib. 6. de legibus cap. 18. num. 12.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 14. num. 5.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 8. §. 1. nu. 6.*

9 Petes 5. an dispensatio absque sufficienti causa bona fide concessa, & bona fide petita valida sit? Resp. si dispensatio sit ex illis, quæ validè consistunt, quamvis illicitè fiant sine justa causa; validam esse: & quamvis possit illam revocare Superior, non tenetur tamen ad illam revocandam cognita postea insufficientia causæ: ratio est, quia jam illicitum ablatum fuit per bonam fidem; aliunde valida jam consistere potest dispensatio sine causa, ut diximus, & supponimus; ergo non adest motivum, cur non debeat valida consistere cognita insufficientia causæ, & cur teneatur concedens ad illam revocandam; quamvis si velit revocare possit, ut subditi uniformiter vivant; non enim habita fuit sufficiens causa eximendi ab obligatione. Sic sentiunt Sanchez, Rebellus, Azorius, Sà, Sotus, Vasquez, Molina, Covarruvias, Riccius penes Bonacinam *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 8.* Secus verò dicendum, si dispensatio sit ex illis, quæ nec validè, nec licitè, consistunt sine justa causa; tunc enim quamvis nec peccet dispensans, nec dispensatus ob bonam fidem; nihilominus cognita insufficientia causæ tenetur dispensans certiorem facere dispensatum de nullitate dispensationis; sicuti tenetur dispensatus ad non utendum ea; ratio est, quia bona fides in dispensante, & dispen-

sato

ſato licet excuſet à peccato, non reddit tamen validam diſpenſationem; quæ ex ſe invalida eſt ſine ſufficienti cauſa: nam nec diſpenſans, ut ſupponimus, habet facultatem diſpenſandi ſine juſta cauſa; adeoque nec diſpenſatus cognita inſufficientia habebit facultatem utendi illa. Sic Salas, Lopes, Navarrus, quos refert, & ſequitur Bonacina *l. c.*

10 Hinc deducitur: utentem diſpenſatione valida ſine legitima cauſa obtenta, ſi bona fide obtinuerit, non peccare obtinendo, quia bona fides excuſat; nec peccare utendo, quia utitur diſpenſatione valida bona fide obtenta. Secus verò ſi mala fide obtinuerit, peccat obtinendo graviter, vel leviter juxta ſuperiùs dicta; non peccat tamen utendo nec graviter, nec leviter: eo quia jam exemptus eſt ab obligatione legis validè, eſto illicitè exemptus fuerit: & quamvis cooperatus fuerit peccato petendo illicitè diſpenſationem, non cooperatur tamen utendo, cum uſus non ſit ſpecialiter prohibitus. Sic ex Communi Canoniſtarum docet Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regular. quæſt.* 22. *art.* 4. Summa Corona, Vivaldus, Navarrus, Suarez, Vaſquez, Baſilius de Leon, Salas, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Legib. diſp. 6. pun. 8. §. 1. num. 8.*

11 Dico 2. Diſpenſatio inferioris conceſſa ſine juſta cauſa in lege Superioris ſive Naturali, & Divina, ſive humana non ſolùm illicita eſt, ſed etiam invalida. Et quidem quòd ſit invalida in Lege naturali, & Divina; probatur ex eo, quia poteſtas iſta tradita eſt in ædificationem, non verò in deſtructionem à Deo, qui illam non conceſſit pro libito, ſed juſta interveniente cauſa; ergo hac deficiente invalida erit diſpenſatio. Quòd etiam illicita ſit, probatur ex eo, quia eſſet diſpenſator non fidelis, & prudens; imò imprudens, & infidelis; ergo peccaret ſic operando in lege naturali, & Divina. Quapropter ſi Pontifex abſque juſta cauſa diſpenſaret in Voto, Juramento, Matrimonio rato, ac reſidentia Paſtorum peccaret, & nulla eſſet diſpenſatio. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. & Canoniſtæ ferè omnes cum Gloſſa *in Cap. Non eſt.*, *verb. Adimplere, de Voto.* Vide Bonacinam innumeros referentem Authores *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *num.* 14. & Caſtropalaum *de leg. diſp.* 6. *pun.* 8. §. 2. *nu.* 1. Idem dicendum in lege humana, cum prorſus eædem militent rationes ad probandum illicitam, & invalidam fore diſpenſationem in lege humana abſque juſta cauſa: infideliter ſiquidem, & imprudenter diſpenſaret inferior, ac commiſſionem, & mandatum excederet; adeoque illicita, & invalida diſpenſatio eſſet. Quapropter diſpenſatio Epiſcopi, aut Archiepiſcopi in legibus Concilii Provicialis abſque juſta cauſa, & illicita, & invalida eſſet. Ita communis ſententia cum Sanchez, Covarruvia, Salas, Vaſquez, Valentia, Baſilio de Leon, Barboſa, Sancio, & aliis penes ipſos, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. num.* 2.

12 Petes 1. Quodnam peccatum ſit diſpenſare in lege Superioris, quæcumque ſit, ſine juſta cauſa? Reſp. eſſe grave peccatum ſuppoſita gravitate materiæ legis: ratio eſt, quia ſibi uſurpat alienam juriſdictionem, & facit actum voluntariè irritum. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 19. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 6. *num.* 19. qui teſtatur eſſe communem, Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *nu.* 15. & Caſtropalaus *de Leg. diſp.* 6. *pun.* 8. §. 2. *num.* 6.

13 Petes 2. an diſpenſans teneatur judicialiter agnoſcere juſtam cauſam; an verò poterit illam extrajudicialiter agnoſcere? Reſp. quocumque modo agnoſcat adeſſe juſtam cauſam, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter; dummodo revera conſtet adeſſe juſtam cauſam; poterit validè, & licitè diſpenſans diſpenſationem concedere, nec tenebitur ad eam omnino judicialiter agnoſcendam: ratio eſt, quia ſi cauſa eſt notoria, & manifeſta non indiget examinatione: quod enim notorium eſt, cenſetur, ac ſi jure probatum eſſet. Si verò notoria non ſit, ſit tamen nota diſpenſanti; jam vitaretur temeritas in diſpenſando, dum conſtat, & nota eſt diſpenſanti juſtitia cauſæ; ergo immeritò reducitur ad cognitionem in judicio, ſi poſſit conſtare extra illud. Sic Bartolus *in Leg. Barbarius, ff. de Offic. Prat. num.* 8. Sylveſter *verb. Diſpenſatio, quæſt. ult.* Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 13. *num.* 16. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 4. *num.* 19. Azorius 1. *par. lib.* 5. *cap.* 15. *quæſt.* 9. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 9. *num.* 79. Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *num.* 17. & Caſtropalaus *de leg. diſp.* 6. *pun.* 13. *num.* 5. & 6.

Petes 3. an neceſſario requiratur cognitio cauſæ ad validam diſpenſationem, ſive Judicialis ſit, ſive extrajudicialis? Reſp. ſi Legislator ſit, qui diſpenſet in propriis legibus, valida erit diſpenſatio ab ipſo conceſſa abſque cauſæ cognitione, dummodo velit illam concedere: ratio eſt, quia cum obligatio legis pendeat à voluntate Legislatoris; inde eſt, quòd ſi velit ab illa eximere abſque cauſæ cognitione, valida erit exemptio. Quamvis in dubio, an conceſſam fuiſſe cum cognitione cauſæ, niſi manifeſtè probetur oppoſitum; ſemper præſumendum erit, conceſſam fuiſſe cum cognitione cauſæ: ratio eſt, quia ſine tali cognitione diſpenſatio temere fieret, quod non eſt præſumendum de legislatore, cum in facto Principis non ſupponi debeat delictum. Sic Sanch. Covarr. Azorius, Salas, Baſilius de Leon, Suarez, & alii apud ipſos, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Legib. diſp.* 6. *pun.* 13. *num.* 2. 14

Si verò inferior ſit, qui diſpenſet in legibus ſuperioris abſque cognitione cauſæ: quamvis aliqui Doctores putent eam diſpenſationem validam in utroque foro. Nihilominus probabilius puto invalidam eſſe in utroque foro, etiam ſi revera cauſa habeatur: ratio eſt, quia facultas commiſſa inferioribus diſpenſandi in legibus ſuperioris debet eſſe cum cauſa, & ſervato Juris Ordine; ſed nec eſſet cum cauſa, nec ſervato Juris Ordine, ſi non haberetur cauſæ cognitio, probatur minor: quòd non eſſet cum cauſa, patet; quia cauſa, quæ non cognoſcitur, etiam ſi adſit, non poteſt movere ad diſpenſandum; ergo diſpenſatio eſſet ſine cauſa. Quòd autem non ſervetur per talem diſpenſationem Ordo Juris, patet; quia Ordo Juris expoſcit, præcedere ad diſpenſationem cognitionem cauſæ: ut ſtatuitur *in Cap. Neceſſe, Cap. Diſpenſationis.* 1. *quæſt.* 7. & in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de Reform.* ergo eſſet ſine cauſa, & non ſervato Juris Ordine. Nec obſtat: quòd cognitio cauſæ non requiratur ad validitatem in Legislatore; ergo neque in Inferioribus. Non inquam obſtat: quia in Legislatore non requiritur pro forma, ſed tantùm ad rationem liciti; in inferioribus verò requiritur pro forma, & conſequenter ad rationem validi. Sic Navarrus, Azor. Covarr. Zunica, Guttierrez, Menochius, Barboſa, & alii apud ipſos, quos refert, & ſequitur Caſtrop. *de leg. diſp.* 6. *pun.* 13. *nu.* 4.

Petes 4. An credi debeat Prælato diſpenſanti, quòd præmiſerit cognitionem cauſæ? Reſp. pro foro interno, & Conſcientiæ, per hoc quòd Prælatus diſpenſet, præſumendum erit, quòd cauſæ cognititionem præmiſerit diſpenſationi; niſi certò conſtet oppoſitum: ratio eſt, quia delictum non eſt præſumendum, maximè in facto Principis, & Prælati, niſi probetur; ergo ſi delictum eſt diſpenſare ſine cognitione cauſæ, non præſumi debebit de Prælato diſpenſante. Imò ſufficientem, & probabilem rationem dabit ad credendum ei pro foro interno, quòd cognitionem cauſæ præmiſerit; hoc quod eſt, non poſſe præſumi de Prælato, quòd decipere voluerit. Sic Sotus *lib.* 7. *de Juſt. quæſt.* 4. *art.* 3. *ad* 2. Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 16. Sanchz *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 17. *num.* 15. Pro foro tamen externo ſi diſpenſans diſpenſet in propriis legibus, ſi non alleget cauſam; credendum eſt, habuiſſe cauſam: nam etſi ſine cauſa diſpenſaſſet in propria lege, jam valida foret diſpenſatio, & ſuperfluum eſſet, meritum cauſæ examinare. Si verò cauſam alleget pendentem à facto alieno, ut fieri ſolet in diſpenſationibus; quamvis ejus dictum præſumptionem faciat, nihilominus datur locus probationibus in contrarium: cum non poſſit Princeps Legislator omnia ſpecialia cognoſcere *ex Cap.* 1. *de Conſtit. in* 6. Sic Maſcardus *de probat. concl.* 1233. *à nu.* 35. Menochius *volum.* 1. *conſil.* 100. *num.* 25. Si diſpenſatio fiat in legibus ſuperioris, quæ ſine cauſa concedi nequit; tunc ſi diſpenſans aſſerat, habuiſſe cauſam diſpenſandi, gravem facit præſumptionem, quòd cauſa adſit, & ejus dicto ſtandum, niſi manifeſtis rationibus infringatur. Sic Baldus, Soncinas ſenior, Jaſon, Alexander, Menochius, Maſcardus relati à Caſtropalao *de legib. diſp.* 6. *pun.* 14. *num.* 3. Si verò id non aſſerat, declarando ſaltem in genere ex certa ſcientia, & ſufficienti informatione cauſæ diſpenſare; probabilius eſt, non credendum eſſe, quòd adſit cauſa: nam non ſemper præſumendum eſt adeſſe cauſam, aliàs gratis requireretur pro valore diſpenſationis cauſa; ſi ſemper ſupponendum eſſet, diſpenſantem non temere egiſſe, ſed ſervato Juris Ordine præcognoſcendo cauſam. Sic Menochius *de Præſumpt. libr.* 2. *præſumpt.* 20. Maſcardus *de Probat. concl.* 15

concl. 1233. numer. 109. Navarrus *libr. 3. Consil. tit. de Regul. consil. 56.* Sanch. *lib. 8. de Matr. disp. 17. nu. 14.*

16 Petes 5. an adhibenda sit fides asserenti, se habere facultatem dispensandi? Resp. si sermo sit pro foro interno, quamvis non sit obligatio credendi, cum nemo censendus sit testis omni exceptione major in causa propria; nihilominus ei fides adhiberi poterit: cum consuetudo penes fideles omnes testetur, quòd fides adhibeatur Confessario asserenti, se pollere facultate absolvendi, aut dispensandi. Sicuti etiam Confessarius fidem præstare poterit pœnitenti, qui asserat, facultatem, & privilegium habere, ut à reservatis absolvatur, aut cum eo dispensetur: cum agatur de ejus commodo, vel præjudicio. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 17. nu. 22.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 10. num. 1.* Si tamen sermo sit pro foro externo, regula generalis erit: nemini esse credendum, hanc facultatem habere; nisi instrumentum delegatæ commissionis ostendat: ratio est, quia cum sit res facti pendens à Delegante, non verò ab ipso; inde est, quòd probari debeat, ne quilibet privatus Judicis Officium sibi assumat. Sic statuitur *in Cap Cum Jureperitus, de Offic. deleg.* & docent Menochius, Mascardus, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropal. *loc. cit. num. 2.* Limitant tamen ad res grave præjudicium generantes: nam in illis, quæ præjudicium non generant, vel valdè tenue; fides adhibenda erit, ne asserori fiat præjudicium: supponimus namque asserentem esse in dignitate constitutum, ac virum timoratum, qui dicat facultatem dispensandi, absolvendi, aut concedendi indulgentias habere. Sicuti credendum erit summo Pœnitentiario dispensanti in aliquo casu reservato, dum asserat, se habere facultatem vivæ vocis oraculo, Aut Episcopo asserenti, se promovere non subditum ad ordines de licentia proprii Ordinarii: maximè quia præjudicium esset tenue respectu ordinarii, non subditi ordinati; & aliundè grave damnum sibi inferret Episcopus ordinans non subditum absque licentia, quia incurreret suspensionem. Sic ex Sanchez, Menochio, Guttierrez, Rebuffo, Mascardo, & aliis docet Castropalaus *loc. cit. à num. 3.*

17 Petes 6. An habens potestatem dispensandi in lege superioris possit imponere dispensandis mulctam pecuniariam, aut aliud onus personale? Resp. in dispensatione Voti id effici posse à supremo Legislatore, tum ab inferioribus: ratio est, quia non tam imponitur onus illud à dispensante, quàm ipse dispensandus sibi assumat. Insuper effici posse ad integrandam causam, cum ex se sola insufficiens est, nisi addatur mulcta, aut aliud onus personale. Tandem id effici posse in pœnam delicti, ob quod dispensatio petitur. Hæc indubitata sunt penes Doctores. Quod controvertitur igitur est: an existente justa, & legitima causâ dispensandi possit legitimus superior, sive inferior nolle dispensationem concedere, nisi sub mulcta, aut alio onere personali? & quamvis non desint, qui hoc denegent tam supremo Legislatori, quàm inferioribus; nihilominus dicendum est de supremo Legislatore, posse id efficere in illis casibus, in quibus absque injustitia poterit dispensationem denegare: ratio est, quia cum non teneatur ad relaxandam legem suam absolutè, ideò poterit ejus obligationem in aliam materiam commutare, constat *ex Cap. Licet de Feriis.* ubi conceditur diebus festis posse piscationi haleciæ vacare, ita ut faciant post capturam congruam portionem Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus. Sic Suarez *lib. 6. de legib. cap. 16.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 10. num. 9.* & Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 9. num. 3.* Non poterit tamen in illis Casibus, in quibus posita justa causa tenetur dispensare, si dispensandus renuat sibi imponere onus: ratio est, quia nequit onus imponi pro actione aliàs debita. Sic Joan: Sancius *disp. 54. Select. num. 4.* Filliuccius *tom. 2. tract. 27. cap. 7. num. 129.* & Castropalaus *loc. cit.* Inferior verò nequibit dispensare in lege superioris addita mulcta, aut alio onere: ratio est, quia non potest id fieri ex contractu, aliàs esset Simonia; neque ex vi legis, quia nec inferior potest materiam legis in aliam commutare, neque novam aliam legem, aut præceptum imponere; aliunde Tridentinum *sess. 25. cap. 18. de Reform.* præcipit, gratis fieri dispensationes; ergo dicendum est, inferiores non posse hæc onera imponere, quando dispensant in legibus superioris: maximè quia ipsis tantùm committitur facultas dispensandi in lege, non verò facultas commutandi obligationem legis. Nec valet dicere, quòd commissa facultate dispensandi pariter committatur facultas commutandi, ut evenit in Votis, & Juramentis. Nam lata disparitas habetur: in legibus siquidem major est potestas commutandi, quàm dispensandi; commutare namque in legibus est veluti novam Legem statuere, & hæc potestas legislativa non omnibus conceditur; secus verò dispensare. In Votis tamen, & Juramentis major est potestas dispensandi, quàm commutandi; quia per dispensationem tollitur omnino obligatio voti, non verò tollitur per commutationem; adeoque in Votis, & Juramentis concessa dispensandi facultate continetur in ea facultas commutandi, quæ minor est; non sic in legibus concessa dispensandi facultate non continetur in ea facultas commutandi, quæ major est. Sic Sotus *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2.* Lopez *2. par. Instruct. de Matr. cap. 39. §. Sed quis.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 10. nu. 9.* Sancius *in Select. disp. 54. num. 40.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 23.* & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 9. num. 4. & 5.*

18 Petes 7. An non solùm cognitio causæ requiratur in dispensatione expressa, sed etiam in tacita, & sub qua forma concedenda est dispensatio? Resp. quamvis ad dispensationem concedendam non requiratur certa forma verborum, ut constat *ex Leg. Qui ad certum, ff. Locati, & ex Leg. De quibus 31. in fin. ff. de Leg.* imò nec necessaria sunt verba, sed possit fieri signis, vel factis mentem dispensantis declarantibus, & manifestantibus, quòd videlicet dispensationem concedere velit, & concedat: ut docent Salas, Sanchez, Layman, Sylvester, Navarrus, Henriquez, & alii relati à Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 18.* maximè quia nec à Jure naturæ, nec à jure positivo præscribitur certa forma, sed ea sufficiens erit, quæ voluntatem dispensantis, & ejus effectum exprimat. Nihilominus ut effectum sortiatur dispensatio, debet innotescere dispensando, qui illam accepret, ad instar donationis, quæ completur per acceptationem. Nam licet dispensatio concedi possit invito, & renuenti; hoc tamen minimè præsumendum erit, nisi apertissimè constet: ne gratiæ Principis vilipendantur, & ne relaxatio Juris fiat à Principe, nisi coatus fuerit petitionibus; ideoque trahit secum imbibitam conditionem hanc dispensatio, si videlicet placita sit, & grata existat, ut deciditur *in Cap. Ad medium, versic. Ex parte, de Concess. Præbend.*

Dispensatio autem concedi potest expressè, & tacitè. Expressè conceditur, si verbis illam exprimentibus concedatur. Tacitè verò, si signis aliquibus, aut factis, ex quibus dispensatio inferatur, conceditur. Pro utraque autem requiritur cognitio causæ; pro neutra tamen requiritur, si dispensatio sit ex illis, quæ validè consistere possunt sine cognitione causæ, juxta superiùs dicta: ratio est, quia voluntas tacita tantum valet, quantum expressa in iis, in quibus non requiritur certa forma, nec verba necessaria sunt, ut constat ex Legibus supra citatis; ergo eodem modo se habebunt dispensatio tacita, ac expressa in dispensationibus, in quibus nec certa forma præscribitur, nec verba necessaria sunt, ut diximus, & docent iidem supra citati Doctores, qui extendunt hanc doctrinam ad quemcumque habentem facultatem dispensandi tum in Legibus, tum in Votis, & Juramentis.

Adnotandum tamen 1. effectum dispensationis dupliciter declarari posse à dispensante, specialiter videlicet, & generaliter. Specialiter declaratur, si dispensans dicat, se dispensare in hac, vel illa irregularitate; hoc aut illo impedimento. Generaliter verò si dicat, se dispensare in quacumque irregularitate, aut quocumque impedimento: & uterque modus declarandi constituit dispensationem expressam; ut docet Tiraquellus *de legib. Connub. gloss. 7. num. 86.*

Adnotandum 2. debere exprimi Personam, cui dispensatio fit, sive per nomen, sive per æquivalens: nam si dispensatur, cum aliqua persona dispensari debet, ad quam dispensatio dirigatur. Non est tamen necessaria ad expressam dispensationem scriptura; sed sufficit, quòd innotescat dispensando relaxatio obligationis, & quòd Legislator cesset à voluntate obligandi. Excipiuntur tamen aliqui Casus, in quibus ex Jure dispensatio fieri debet in scriptis, ut valida sit in foro conscientiæ, quos Casus enumerat Glossa *in Cap. 1. §. Postquam, de Censib. in 6. verb. In scriptis*, & Trident. *sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Adnotandum 3. quando dispensatur cum absente, non requiri ejus mandatum, ut dispensatio valida sit: nam concedi potest inscio; nullo enim jure cavetur, requiri man-

mandatum ad gratiam obtinendam, dispensationem, aut Privilegium : imò *in Leg. Universis, Cod. de Precib. Imper. offerend.* habetur: rescriptum ab imperatore concessum validum esse, per quemcumque impetratum sit. Et quamvis requiratur mandatum ad obtinendum rescriptum Justitiæ, ut statuitur *in Cap. Nonnulli §. final. de Rescrip. & Cap. Quid agendum, de Procurat. in 6.* non ideò tamen requiritur pro rescriptis gratiæ, ut sunt Privilegia, & dispensationes : hæc namque differentia habetur inter rescripta gratiæ, & justitiæ. Requiritur tamen mandatum ad acceptationem rescripti : cum acceptatio pendeat à voluntate ejus, cui gratia confertur ex argum. *Cap. Si tibi absenti, de Præbend. in 6.* Sic Azorius, Suarez, Rebuffus, Navarrus, Salas, Sà, Petrus Gregorius, Hugolinus, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 6. pun. 11. num. 2. 3. & 4.*

Adnotandum denique: dispensationem tacitam per ratihabitionem de præsenti voluntatis superioris dispensantis, aut per præsumptionem illius ex signo habito; non solùm evenire posse in dispensatione, quæ fit à superiore in *suis* legibus; sed etiam in ea, quę fit ab inferiore in legibus superioris: ratio est, quia si non requiritur à Jure forma præscripta ad dispensandum, quodcumque signum manifestans voluntatem dispensantis, quicumque sit; erit sufficiens ad dispensationem arguendam cum suo effectu. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 4. num. 16.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 13. num. 13.* Salas *disp. 20. sect. 2. num. 8.* Sà *verb. dispensatio num. 12.* & alii. Signum autem sufficiens erit ad inferendam tacitam dispensationem, si Prælatus præcipiat, aut concedat dispensando actum aliquem, qui sine dispensatione licitè fieri nequeat : tunc enim rectè præsumitur ex tali signo velle dispensare; cum non sit censendum de Prælato velle concedere, aut præcipere, quæ illicita sunt, & ex jure fieri nequeunt : debet tamen haberi scientia in Prælato de impedimento, aliàs non erit dispensatio, cum procedat ex ignorantia impedimenti. Sic Prælatus sciens Titium habere impedimentum Irregularitatis; & nihilominus beneficium illi confert, aut litteras dimissorias ad ordinandum; præsumitur tacitè dispensare. Sic Rebuffus, Suarez, Salas, Azor. Navarrus, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de leg. disp. 6. pun. 12. nu. 2.* An verò taciturnitas, & dissimulatio superioris, nec impedientis, cum facilè impedire possit aliquem paratum ad operandum contra legem, imò de facto operantem contra illam; sit signum sufficiens ad inferendam dispensationem tacitam, controversa res est inter gravissimos *Doctores*. Nihilominus dicendum puto, præcisam taciturnitatem, & dissimulationem, ac non impedire, cum facilè possit; non esse ex se signum sufficiens ad inferendam voluntatem concessivam, quæ requiritur ad dispensationem; sed purè permissivam, quæ non sufficit. Quapropter aliæ circumstantiæ necessariæ erunt, ut sunt familiaritas cum Prælato; non sequi inconvenientia ex dispensatione illa, cum revera adsit causa; si innotescat dispensando, sic aliis vicibus secum fecisse Prælatum. Tunc enim haberentur motiva sufficientia, & probabilia ad præsumendum, habere superiorem voluntatem concedendi dispensationem tacitam. Sic Suarez *lib. 6. de legib. cap. 13. num. 13.* & Sanchez multos referens authores *lib. 8. de Matr. disp. 4. num. 25.*

19 Dico 3. stante justa causa non semper tenetur superior dispensare; sed aliquando poterit denegare, aliquando verò non. Et quidem quòd non semper teneatur superior dispensare, patet ex eo, quia aliàs frustra vocaretur dispensatio nunc gratia, ut *in Cap. didici. 1. quæst. 7. Cap. Licet Canon de elect. in 6.* nunc Indulgentia, *ut in Cap. 1. de stat. Monach. in 6.* nunc tandem Misericordia, *ut in Cap. Postulasti. De Cler. excomm. min.* quæ quidem nomina significant dona gratuita, & liberalia, ac permissa, non verò debita : quapropter dispensatio dividi solet in permissam, & debitam : maximè quia nec Jure naturali, nec positivo semper est debita, & de facto pluribus in locis arbitrio dispensantis committitur; ergo non semper tenetur dispensare superior justa existente causa. Sic probabilior, & communis opinio, quam sustinent Panormitanus, Felinus, Decius, & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 10. num. 3.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 18. num. 19.* Coninch *de Matr. disp. 21. dub. 6. num. 19.* Salas *disp. 20. sect. 7. num. 70.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 10.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 14. num. 6.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. numer. 22.* & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 8. num. 9.* contra Rebellum, Sylvestrum, Rosellum, Sà, Armillam, & Sancium à Castropalao relatos *loc. cit. num. 8.* putantes peccare Prælatum, si stante justa causa non dispenset.

Quòd verò aliquando teneatur dispensare Prælatus justa interveniente causa, probatur ex eo; quia accidere possunt tales circumstantiæ, & adeò urgentes ob bonum publicum, vel privatum; vel ad damnum publicum, vel privatum avertendum; ut contra debitum sui muneris faceret Prælatus, si non dispensaret : maximè quia potestas dispensandi commissa est Prælatis in bonum Reipublicæ, & subditorum. Si ergo in similibus circumstantiis tenetur unusquisque succurrere proximis suis ex mandato charitatis, à fortiori tenebuntur Prælati, quorum officium est hæc omnia respicere, & illis consulere per dispensationem. Et in hoc sensu vera erit sententia Rebuffi, Sylvestri, Rosellæ, Sà, Armillæ, & Sancii, à qua non discrepant Doctores contra ipsos relati.

Regula autem generaliter dignoscendi, quando teneatur dispensare Prælatus justa interveniente causa; est quando bono communi vel speciali graviter consulit, aut avertit grave damnum commune, aut speciale; nec alia causa præponderet in contrarium. Regula particularis est, si in Jure notetur causa ad dispensandum; tum illa existente tenebitur superior ad dispensandum; nam instruitur inferior, quomodo se gerere debeat. Hinc est, quòd teneatur Prælatus ad dispensandum cum Clerico, ne resideat ratione studii : quia *in Cap. Cum eo, de elect. in 6.* ponitur hæc causa, ut dispensari possit. Ad dispensandum in denunciationibus tenetur ordinarius ob bonum animæ, vitæ, honoris, corporis : maximè si morti *vicinus* sit dispensandus, & saluti suæ æternæ consulere debet ducendo in Matrimonium concubinam, ut prolem legitimet. Sic ex Sanchez, Salas, & aliis docet Bonacina *loc. cit.* In Interstitiis, si in utilitatem Ecclesiæ cedat promotio ordinandi, Sic ex Sanchez, Suarez, Salas, & aliis docet Castropalaus *loc. cit. num.* 10.

Remanent ultimo loco assignandæ justæ, & legitimæ causæ, ob quas dispensatio in legibus fieri possit, quæ quidem multæ enumerantur. Sed ut verum fatear, multum pendet ex arbitrio prudentis, cujus est ponderare sufficientiam causæ attendendo ad qualitatem personarum; confert siquidem ad commune bonum has habere gratas, si excellentes sint; attendendo insuper ad ea; quæ utilitas communis, aut privata exigit; vel necessitas communis, aut privata : denique attendendo ad id, quod pietas exigit; pro maiori siquidem, vel minori utilitate, necessitate, aut pietate major, vel minor resultat facilitas ad dispensandum. Quapropter Doctores ad has tres causas revocant alias, nempè ad utilitatem communem, aut privatam; necessitatem communem, aut privatam; & pietatem : ita tamen ut semper vergat dispensatio in bonum commune; nam sicuti lex in bonum commune statuta fuit, ita ejus relaxatio in bonum commune vergere debet, sive immediatè, sive mediatè, quatenus scilicet bonum particulare ordinatur ad bonum commune. Adde, quòd subvenire necessitatibus singulorum, est potius officium Legislatoris, quia maximè confert ad bonum commune. Hinc fit, prudenter Legislatores operari, dum non solùm ob bonum commune immediatum faciliùs dispensant cum Magnis Principibus in impedimentis Matrimonii, ob bonum pacis inter ipsos, & ob bonum commune; verum etiam ob indigentiam Mulieris in impedimentis Matrimonii; ob periculum incontinentiæ in voto castitatis; aut in observantia legis ob vitandum majus malum. Aliæ insuper rationes supervenire possunt, quæ pro circumstantiis Loci, Temporis, & personæ sufficientem, & probabilem dabunt causam dispensandi arbitrio Virorum prudentum; ita tamen ut quo major sit obligatio legis, semper major requiratur causa ad dispensandum, & quo minor fuerit obligatio, minor causa requiratur. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 63. art. 2. ad 2.* Rodriquez, Sanchez, Sylvester, Salas, Reginaldus, Suarez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 20. & 21.* & Castropalaus *de legib. disp. 6. pun. 8. num. 7.*

20

CA-

CAPUT V.

Quænam conditiones servandæ sint ab eis, quibus dispensationis Pontificiæ executio committitur?

1 *Dispensationes Pontificiæ aliæ sunt pro foro externo, & committi solent Episcopis, aut eorum Officialibus; aliæ pro foro Conscientiæ, quæ præsentari poterunt Confessariis habentibus quasdam qualitates.*
2 *Quatuor conditiones enumerantur, quæ apponi solent in dispensationibus Pontificiis pro foro externo.*
3 *An Officiales diœcesani, quibus committitur dispensatio Pontificia, possint eam subdelegare?*
4 1. *Conditio pro dispensationibus in foro conscientiæ, ut executor sit insignitus laurea Doctorali in Theologia, aut Jure Canonico.*
5 *Non sufficit Doctoratus in Jure civili; nec quòd sit licentiatus in Theologia, aut Jure canonico; aut quòd Theologiam, aut Jus canonicum publicè doceat in Universitate approbata.*
6 2. *Conditio, ut Confessarius Doctor sit approbatus ab Ordinario loci.*
7 3. *Conditio, ut inquirat veritatem causarum ad dispensationem obtinendam allegatarum.*
8 4. *Conditio, ut præmittatur confessio Sacramentalis ad dispensationem.*
9 5. *Conditio, ut imponat pia opera, quæ prudenter imponenda putarit.*
10 6. *Conditio, ut in impedimentis Matrimonii impedimentum dispensandum sit occultum.*
11 7. *Conditio, ut in Matrimonio nulliter contracto ante dispensationem conjuges separet, & eos certiores faciat de nullitate illius.*
12 8. *Conditio, ut gratis fiat expeditio dispensationis.*
13 9. *Conditio, ut absoluta dispensatione lanientur litteræ.*
14 *Adnotantur duo circa legitimationem prolis, & formam concedendi dispensationem, quæ semel obtenta durat post mortem Pœnitentiarii, aut Pontificis.*

1 NON semper pontificiæ dispensationes sunt pro foro externo, sed aliquando pro foro conscientiæ. Et quamvis, quæ conceduntur pro foro externo commitantur ordinariis locorum; aut eorum Vicariis Generalibus, ut ab ipsis saltem extrajudicialiter recognoscantur, ut cautum est in Trident. *sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* dispensationes verò pro foro conscientiæ non debent necessariò præsentari Ordinariis, aut eorum Vicariis Generalibus; sed poterunt aliis Confessariis præsentari, habentibus quasdam qualitates. Ex nullo enim Jure constat, nec ex ipsis Apostolicis rescriptis colligitur, necessariò dispensationes pro foro conscientiæ præsentandas esse locorum ordinariis. Imò hoc est discrimen inter dispensationes pro foro externo, & dispensationes pro foro conscientiæ, ut docent Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 34. *num.* 23. Seraphinus *decis.* 1072. Barbosa *in Remiss. ad Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 5. & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 4. *nu.* 1. Ut autem procedamus distinctiùs, priùs explicabimus conditiones, & Clausulas, quæ apponi solent pro dispensationibus in foro externo; dein eas quæ apponi solent pro foro conscientiæ.

2 Quatuor Conditiones, seu Clausulæ apponi solent regulariter pro dispensationibus pontificiis in foro externo, ut docet Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 35. *à num.* 1. 1. rescipit personam, cui committitur expeditio, & executio dispensationis à Sede Apostolica emanatę, videlicet Officialem Diœcesanum, qui communiter accipitur pro Vicario Generali Episcopi, vel alterius habentis Jurisdictionem quasi Episcopalem: & sic declarasse summum Pontificem testatur Riccius *in Prax. decis.* 252. & sic docent Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 20. & Castropalaus *de legib. disp.* 6. *pun.* 15. §. 2. *num.* 1. 2. Conditio respicit causas, ob quas expedienda dispensatio est, quæ conceditur ex causa: & de his causis satis superque dictum est hìc, & dicemus in Tractatu de Matrimonio, cum de ejus dispensationibus. 3. respicit modum verificandi causas allatas ob dispensationem: pro qua verificatione non necesse requiritur, ut Officialis, cui demandata est expeditio; per Notarium, & testes veritatem inquirat, aut per aliam Judicialem indaginem; sed sufficit quicumque alius modus, quo certior fiat de veritate causarum allegatarum; relinquitur namque hoc judicio, ac conscientiæ illius, ut colligit Glossa ex multis Juribus *in cap. final. de voto, in cap. Nisi cum pridem; de Renunciat. & in cap. Statutum, de Rescript. in* 6. §. *Assessori*, & sic docent Parisius *volum.* 4. *consil.* 75. *num.* 55. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap. ult. num.* 25. & Castropalaus *loc. cit. num.* 2. Advertendum tamen, quòd si pontifex affirmet in rescripto, se dispensare ob aliquas causas non descendendo ad illas in particulari; tunc officialis, cui committitur expeditio; non tenebitur investigare causam aliquam, quia censetur Pontifex gratis dispensare, vel ob causam sibi notam. Et quamvis apponantur verba illa, si preces veritati nitantur; censenda erunt apposita ob stylum curiæ; vel ad dignoscendum si revera habeatur impedimentum, cum quo dispensari debeat. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 31. *num.* 24. 4. Conditio est, ne aliquid etiam sponte oblatum accipiatur, sed fiat gratis; quæ extenditur quoque ad dispensationem pro foro Conscientiæ, ne detur locus Simoniæ.

Controverti tamen hic solet: an possint Officiales 3
Diœcesani, quibus committitur dispensationis executio, eam subdelegare? Communis sententia docet, subdelegari tantùm posse quoad investigationem veritatis, & examinationem testium; ratio est, quia sunt actus Jurisdictionis, qui ex natura sua delegabiles sunt, etiamsi commissio fiat nominatæ personæ. Sic docent Abbas, Navarrus, Genuensis, Garzia, Sanchez, Menochius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de legib. disp.* 6. *punct.* 15. §. 2. *numer.* 4. Non verò subdelegari posse quoad dispensationem, absolutionem, legitimationem prolis, impositionem pœnitentiæ, vel commutationem in pia opera; ratio est, quia est nudum ministerium, ad quod exequendum eligitur industria personæ; adeoque subdelegari nequibit ex doctrina communiter recepta *in cap. final. de Offic. deleg.* Sic ultra Doctores supra relatos docent Felinus *in cap. cit.* §. *ult. in fine, numer.* 4. Graffis *decis.* 157. *in Addit. numer.* 6. & 7. & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 1. *num.* 18.

Explicatis conditionibus ad dispensationes pro foro 4
externo spectantes; explicandæ remanent spectantes ad forum conscientiæ. 1. quarum est, ut is, qui rescriptum Apostolicum continens dispensationem expedire debet, sit insignitus laurea Doctoratus, vel Magisterii in Theologia, aut Jure Canonico in aliqua Academia approbata juxta Textum *in cap. Statutum, de Rescript. in* 6. & de facto sic est stylus Sacræ pœnitentiariæ, apponentis hanc inscriptionem rescripto: Magistro in Theologia, vel Doctori. Non sufficit tamen, esse Magistrum in Theologia in aliqua Religione ex instituto ipsius; sed ulteriùs requiritur, quòd fuerit insignitus gradu Doctoris, & Magistri in Universitate, & Academia approbata. Ex privilegio tamen Gregorii XIII. 3. Aprilis ann. 1582. per Breve directum ad Præpositum Generalem Claudium Aquaviva; incipit: *Exponi nobis nuper fecisti*; possunt Sacerdotes Soc. Jesu, quibus id permissum fuerit à Generali, aut aliis Superioribus, has dispensationes expedire, etiamsi ad Magisterium, & Doctoratus gradum non fuerint promoti. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 34. *numer.* 11. Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 10. *numer.* 97. Reginaldus *lib.* 31. *numer.* 214. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 21. *numer.* 13. Bonacina *de legibus disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 3. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 63. *art.* 8. & Castropalaus *de legibus disput.* 6. *pun.* 15. §. 1. *num.* 2. Possunt hoc privilegio uti Religiosi gaudentes communicatione privilegiorum: dummodo hanc facultatem obtinuerint à suis superioribus, aliàs esset nulla.

Nec sufficit esse Doctorem in Jure Civili; nec esse 5
licentiatum in Theologia, aut Jure Canonico; nec publicè docere Theologiam, aut Jus Canonicum in Universitate approbata, nisi fuerit laurea Doctoratus insignitus; nec ex errore Communi, & titulo colorato reputari insignitum laurea Doctoratus: cum hic error non det qualitatem, sed jurisdictionem; & in præsenti qualitas in persona electa requiritur, sine qua deficit valida electio: ratio autem, cur non sufficiant hi tituli, est, quia revera non dant qualitatem Magistri, & Doctoris in Theologia, aut Jure Canonico; quam qualitatem uti conditionem necessariò requisitam ad validè exequendum rescriptum vult Pontifex in persona electa ad hoc munus, ut sufficientem scientiam habeat ad rectè exequendum dispensationem commissam: ut docent DD. superiùs cit. Non nego tamen, quòd si executio facta sit à Doctore indocto; valida consistat: cum non concedatur facultas dispensandi sub hac conditione, & qualitate

tate Doctrinæ; sed sub conditione, & qualitate Doctoratus: ut bene advertit Bonacina ex aliis *l. c.* Nec nego, quòd possit Litteras Sacræ Pœnitentiariæ aperire non Doctoratus: nam hæc conditio Doctoratus non requiritur ad illas aperiendas, sed ad hoc ut executioni mandentur: aliud enim est illas aperire, aliud illas exequi. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 34. *num.* 12. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 3. *in fine.*

6 2. Conditio est: ut sit Confessarius approbatus ab ordinario; nam sic constat ex tenore Litterarum, ubi dicitur: Dilecto Viro Confessori ex approbatis ab ordinario. Debet tamen esse actu approbatus, nec sufficit, quòd fuerit aliquando approbatus. Insuper debet esse approbatus ab ordinario loci illius, in quo dispensatio executioni mandatur juxta ea, quæ statuta fuere circa Approbationem à Clemente X. in sua Constitutione, quę incipit, *supernæ*. *Anno* 1670. Adnotandum hìc: posse Dispensandum alium Confessarium adire, qui Doctor sit, & qui reputet validè posse dispensari; si prior Confessarius, & Doctor putaverit, non posse. Sicuti poterit prior Confessarius mutare sententiam, ac dispensationem expedire, quam priùs denegaverat: ratio est, quia illæ dispensationes sequuntur naturam fori conscientiæ; sicuti ergo in foro conscientiæ poterit pœnitens non acquiescere opinioni unius Confessarii, sed alium adire, & alium, qui opinionem probabilem habeat sibi favorabilem. Et sicuti idem Confessarius potest ex rationibus probabilibus mutare sententiam circa pœnitentem absolvendum, cum etiam prudentis sit mutare consilium, sic in casu nostro de dispensatione pro foro Conscientiæ. Secus verò esset pro foro externo, ubi enim declarat Judex, subreptitiam esse dispensationem; nec ipse sententiam mutare poterit, cùm functus sit munere suo, ad quod fuit delegatus; nec alius adiri poterit: ut docent communiter Doctores *in Leg. Judex postcaquam*, *ff. de Rejudicat*. Sic Sanchez, & Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp.* 6. *pun.* 15. §. 1. *num.* 3. sic etiam Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 2. referens Guttierrez, Reginaldum, & Salas.

7 3. Conditio est: ut Confessarius Doctor inquirat veritatem causarum ad dispensationem obtinendam allegatarum; dummodo notoria non sit, & non constet aliunde ipsi confessario: nam vana, & frustratoria esset inquisitio; nec aliquis obligari potest ad opus inutile. Et adeo necessaria est inquisitio hujus veritatis, supposito quòd non sit notoria, nec constet; ut si non præcedat dispensationem, etiamsi in rei veritate causa subsisteret; nulla esset dispensatio: ratio est, quia est forma, & conditio requisita à Pontifice dispensante ad actum; adeoque sine ipsa valida consistere non posset dispensatio, & ejus actus: patet ex illis verbis solitis apponi in Rescripto: si ita esse per diligentem latoris examinationem inveneris. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 34. *num.* 26. Salas *disp.* 20. *de Legib. sect.* 10. *num.* 97. Guttierrez *lib.* 2. *Canon. quæst. cap.* 15. *num.* 152. Reginaldus *lib.* 2. *num.* 215. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 5. & Castropalaus *de Legib. disp.* 6. *pun.* 15. §. 1. *num.* 4. Inquisitio hęc non debet exposci à testibus, sed ab ipso latore, cui fides adhibenda est; ut adhibetur in Sacramento Pœnitentiæ, cujus naturam sequitur; nec exposcendum est Juramentum, cum sine ipso in tali foro diligens examen fieri possit: ut docent Salas, & Sanchez locis citatis. Quamvis permitti possit Confessario, qui illud exposceret à latore, ut plenius muneri suo satisfaceret. Sic docent Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 16. & Castropalaus *loc. cit.* Adnotant tamen, quòd cognita falsitate causæ non debet ulterius procedere, nec juramentum exigere, aut credere latori; sed inexecutam relinquere dispensationem. Debet quoque ante examen præmittere monita, & consilia opportuna latori ad veritatem aperiendam: ut bene sciat, nullam, & irritam fore dispensationem; sic enim colligitur ex illis verbis rescripti. Si ita esse per diligentem latoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inveneris. Verùm si Confessarius illa omitteret, nec esset reus culpæ, nec dispensatio esset invalida: quia non inducunt verba ista formam substantialem, sed sunt veluti Instructio, & dispositio prævia ad diligens examen; quod aliunde haberi poterit per diligentem interrogationem executoris, & responsionem latoris. Sic Reginaldus, Sanchez, Filliuccius, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 5. *in fine*, & Castropalaus *de Legib. disp.* 6. *pun.* 15. §. 1. *num.* 4. *prope finem*.

8 4. Conditio est: ut præmittatur Confessio ad dispensationem, si in rescripto Apostolico præscribatur confessio Sacramentalis tamquam Conditio; ut si dicatur: si confessus fuerit, aut audita confessione absolvas; tunc enim satis indicatur, confessionem Sacramentalem præscribi, ut conditionem ad dispensationem. Solùm controvertitur: an verba illa apponi solita in rescripto ad dispensandum in Voto Castitatis: eumdem à mutatione propositi absolvas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta, injuncta pœnitentia salutari: & sermo est de mutatione propositi culpabil, ut esset, si quis haberet votum Castitatis, & illud violasset; esset enim mutatio propositi culpabilis; an inquam illa verba importent conditionem necessariò præmittendam dispensationi, ita ut non præmissa tunc Sacramentali confessione, nulla esset dispensatio. Affirmant Reginaldus *lib.* 31. *num.* 216. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 21. §. 1. *num.* 17. & alii: moventur, tum quia utitur Pœnitentiarius illis verbis in foro Pœnitentiæ, quę forum Sacramentale indicant: sicuti etiam indicant verba illa, absolvas in forma Ecclesiæ consueta injuncta pœnitentia salutari; tum quia requiritur qualitas approbationis, & non sufficit qualitas Doctoris tantùm in exequente. Denegant verò Salas, Sanchez, Gallecus, Guttierrez, Filliuccius penes Bonacinam *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 8. quos sequitur Castropalaus *de Legib. disp.* 6. *pun.* 15. §. 1. *num.* 6. nec improbat Bonacina citatus: ratio ipsorum est, quia non pro foro Pœnitentiæ, sed Conscientiæ loquitur Rescriptum, & forum Conscientiæ licèt sit secretum, est tamen extrajudiciale, & diversificatur à foro Pœnitentiæ, ut docent Prępositus, Sanchez, Navarrus, Sà, Rodriquez, & alii apud citatum Castropalaum. Insuper non semper est necessaria absolutio, quia non semper habetur mutatio culpabilis propositi; ergo nequit apponi ut conditio; & si necessaria est, non est tamen necessaria ad dispensationem, sed fieri poterit post dispensationem: maximè quia ex verbis rescripti non colligitur dandam esse absolutionem ante dispensationem, aliàs invalida esset dispensatio. Nec verba illa *absolvas in forma consueta* Ecclesiæ indicant præmittendam esse, sed subsequi poterit. Denique requiritur approbatio in Doctore, ut si fortè necessaria sit absolutio, illam impertiat, cum duplex illi conferatur potestas dispensandi, & absolvendi: & si fortè transgressio Voti, seu mutatio propositi reservata sit Episcopo; dat facultatem absolvendi ab illa, etiamsi ab Episcopo non habeat facultatem ad reservata. Fateor hanc sententiam habere suam probabilitatem; in praxi tamen omnino consulerem primam sententiam affirmantem, præmittendam esse Confessionem dispensationi, quia sic laudabilis usus receptus invaluit.

9 5. Conditio est: ut imponat pia opera, quæ prudenter Confessarius putaverit imponenda, ut patet ex illis verbis rescripti: & alia pia opera per te injungenda. Et quamvis non sit in potestate Confessarii ea omittere quia apponuntur ut forma ad dispensationem; nihilominus ea moderari poterit, dummodo pro singulis diebus aliqua imponat cum prudentia: ut docent Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *à num.* 33. Salas *disp.* 20. *de Legib. sect.* 10. *num.* 98. Castropalaus *de Legib. disp.* 6. *pun.* 15. §. 1. *num.* 7. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 9. Non poterit tamen ullatenus moderari ea, quæ in rescripto exprimuntur, quæ utpote à voluntate Pontificis dependentia, executioni mandanda sunt, prout exprimuntur: ut ex Sanchez, Salas, Reginaldo, Filliuccio, & aliis advertit Bonacina *l. c.* Quòd si confessio menstrua imponatur, vel quoties videbitur Confessario; tunc imponi non poterit, nisi una tantùm pro singulis mensibus, non verò plures; aliàs gravaretur dispensandus: aut si non menstruas judicaverit imponere, saltem pro tertio quoque mense imponere debebit; ne nimis benignè procedat, ut advertunt citati Doctores. Advertunt quoque in dispensatione impedimenti Matrimonii, si uterque conjux est reus, utrique imponenda est menstrua confessio; uni tantùm, si unus est reus. Poterit tamen confessio fieri qualibet die mensis, ita ut si quis confessionem efficeret prima die Januarii, & alteram ultima die Februarii, ritè satisfaceret obligationi confessionis menstruæ. Quamvis si dispensationem obtinuerit ultimis diebus Januarii, teneatur ad confessionem faciendam antequam Januarius expiret, ut rectè dicatur, fecisse confessionem menstruam. Non sunt tamen

tamen supplendæ confessiones omissæ in aliis Mensibus ad satisfaciendum obligationi injunctæ; eo quia terminus appositus fuit ad finiendam obligationem, ut patet in vovente recitare singulis diebus Coronam B. Virginis. An Verò satisfieri possit huic obligationi confessionis menstruæ per aliam confessionem debitam ex alio titulo Voti, aut Præcepti Confessionis annuæ. Sicuti an Confessarius possit iniungere ea opera dispensando, ad quæ ex alia obligatione tenetur; controversa res est: puto tamen probabilius, debere esse opera supererogationis, ad quæ aliàs non sit obligatus dispensandus. Sic censetur esse mens Pontificis, ut sicuti gratis dispensationem exhibet, sic velit aliqua opera gratiosa Deo exhiberi, nisi aliud expressè indicet. Sic Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num.* 13. & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun.* 15. §. 1. *num.* 7. *in fine* cum aliis.

39 6. Conditio est: ut si dispensatio fiat in impedimentis Matrimonii; impedimentum, in quo dispensandum est sit occultum: nam si occultum non est, non poterit dispensare executor, ut patet ex illis verbis rescripti: Modo impedimentum inde proveniens sit occultum. Quodnam autem impedimentum dicendum sit occultum, valde controvertitur: nihilominus occultum dicendum erit illud, quod non est publicum, nec ad forum contentiosum deductum. Quapropter etiamsi impedimentum sciatur ab aliquibus, sed non à majori parte Viciniæ, Parochiæ, Oppidi, aut Monasterii, in quo saltem decem personæ inhabitent; adhuc occultum, seu non publicum reputandum erit: ratio est, quia sic vitatur scandalum publicum, quod vult vitare Pontifex, ne sequatur ex tali dispensatione. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 34. num.* 55. Barbosa 2. *par. de Potest. Episc. alleg. 34. num.* 24. & 25. innumeros referens, Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num.* 7. referens Salas, Reginaldum, Suarez, & alios, Castropalaus *de Legib. disp. 6. punct.* 15. §. 1. *num.* 9. Nec sufficit ad hoc, ut non dicatur occultum, quòd probari possit; ut rectè ex Graffis, & Garzia docet citatus Castropalaus. Nec etiam sufficit, ut non dicatur occultum, quòd sciatur à duobus, vel tribus; qui tamen nesciunt sub ratione impedimenti: ut si duo, vel tres scirent copulam habitam, sed nescirent, ortum fuisse ex illa impedimentum: nam qualitas afficit verbum, cui adjungitur; si ergo ly occultum adjungitur verbo impedimentum, afficit impedimentum, non copulam; adeoque si sciatur copula, & non impedimentum ex ea ortum, impedimentum dicetur occultum. Sic *ex Leg. In delictis, §. 1. ff. de Noxialib.* docent Sanchez, Reginaldus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit.* Quòd si impedimentum deductum fuerit ad forum contentiosum, non poterit dici occultum, sed publicum; quæ enim major publicitas, quàm deduci ad forum contentiosum? Et quamvis probabile sit, non posse dici publicum, & deductum ad forum contentiosum, nisi lis contestata sit, & pars citata fuerit; quia sic judicium incipit, & contentio partium in foro, ut variis adductis rationibus ex Glossa, Riccio, Sanchez, Barbosa, Farinacio, Lancellotto, Peregrino, Maranta, & Surdo comprobat Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun.* 15. §. 1. *num.* 10. Probabilius tamen puto, dicendum publicum, si denuntiatum fuerit Judici, & ab eo plenè, aut semiplenè probatum, etiamsi non fuerit delictum intimatum parti: quia quæ judicialiter fiunt coram Judice publicam personam gerente, & cum strepitu fori; minimè dici poterunt occulta, ut rectè observat Bonacina *l. c. & de Censuris disp. 7. quæst.* 5. *pun.* 1. *à num.* 5. plures referens. Imò addit etiamsi reus se defenderet mediis testibus falsis, aut veris, dummodo delictum plenè, aut semiplenè probatum fuerit; semper dicendum esse publicum, quia oritur infamia, quæ reddit delictum, & impedimentum jam publicum. Quod quidem intelligendum erit, nisi fuerit per sententiam absolutus: nam obtenta absolutione per sententiam remanet magis occulum juridicè, quàm antea: ut ex Suarez, Sanchez, Barbosa docet Castropalaus *l. c. num.* 11. Advertendum hìc, quòd quamvis aliqui Doctores penes citatum Castropalaum *num.* 12. cum Henriquez, Avila, Sanchez, Reginaldo, quibus in aliis materiis, non verò in hac, de qua agimus, favet ipse Castropalaus; revocaverint in controversiam: an dispensari possit in impedimento ad forum contentiosum jam deducto, probato, ac punito. Nihilominus vera sententia est, non posse dispensari; quia ut forma, & conditio validitatis actus dispensationis requiritur, ut impedimentum sit occultum: & quæ major publicitas impedimenti; quàm de illo latam esse sententiam punitione secuta, adeò ut nulla tergiversatione celari possit? Sic Suarez, Guttierrez, Rodriquez, Barbosa, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 6. punct.* 15. §. 1. *num.* 11.

7. Conditio est: ut in dispensationibus pro Matri- 11
monio nulliter contracto curet 1. executor ante dispensationem, ut Conjuges separentur, si id tamen commodè, & sine scandalo evenire possit: nam si commodè id evenire nequeat, curet saltem, ut inhabitent tamquam frater, & soror: quòd si hoc idem evenire nequeat sine gravi incontinentiæ periculo, non tenetur confessarius ad hoc experimentum præmittendum: maximè quia ejus prudenti arbitrio remittitur, ut patet ex illis verbis Rescripti; si fieri valeat, & visum fuerit Confessario. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 34. num.* 60. Reginaldus *lib. 31. num.* 220. Filliuccius *tract. 10. par. 2. cap. 10. quæst. 11. num.* 361. & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num.* 14. Curet 2. Executor certiores facere contrahentes de nullitate Matrimonii contracti, ut constat ex illis verbis Rescripti: Ipsis de nullitate prioris consensus certioratis. Hanc tamen conditionem non esse omnino necessariam reputo; nec apponi ut formam actus, sed ad instructionem Confessarii, ad quem spectat videre; an fieri possit absque gravi suspicione delicti latoris, & quin incommoda suboriri possint inter Conjuges, præcipuè si delictum sit ex parte fœminæ: cum non credendum sit, velle Pontificem cùm his gravibus incommodis, ut certiores fiant Conjuges de tali nullitate, Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 34. num.* 61. Reginaldus *lib. 31. num.* 220. Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num.* 15. & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun.* 15. §. 1. *num.* 13.

8. Conditio est: ut gratis fiat dispensationis expe- 12
ditio, sic enim clarè indicant verba illa; gratis ubique; quapropter nec aliquid spontè oblatum accipi poterit, non solùm ab executore, sed nec ab ipso Summo Pœnitentiario, ut docent Navarrus, Sanchez, Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Leg. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num.* 17. Quod etiam extenditur ad executionem dispensationis pro foro externo, ut supra notavimus; adeo ut ordinarius exequens excommunicationem ipso facto incurrat, si munera aliqua recipiat. Quamquam non improbabile reputo pro foro externo recipi posse aliquod, non in munus, sed in solutionem Officialium pro labore, & receptione testium; dummodo moderatum sit, ac legitima consuetudine præscriptum: cum Clausula illa generalis non possit præscriptam consuetudinem legitimè infringere. Sic ex Salas, & Sanchez docent citatus Bonacina contra Navarrum, & Guttierrez.

9. Conditio est; ut Litteræ dispensationis dilanien- 13
tur à Confessario, nec Oratori tradantur; & si traditæ fuerint, nil ei suffragari poterunt: quod quidem intelligendum est pro foro externo; nam pro foro conscientiæ non amittunt valorem suum, si parti redditæ fuerint: ut si quis Confessarius Doctor putaret non posse exequi dispensationem latam, & Orator rescriptum repetere: ut alium Confessarium Doctorem adiret, qui probabiles rationes haberet exequendi dispensationem illam; utique per talem traditionem non amisit rescriptum valorem suum pro foro conscientiæ. Verba igitur illa; Præsentibus laniatis, quas laniare tenearis, neque latori restituas: quod si restitueris, nihil illi præsentes Litteræ suffragentur; ordinantur ad illum finem, ne latori suffragentur pro foro externo; Sic docent Molina, Gigas, Gomez, Sanchez, Salas, Reginaldus, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num.* 16. Absoluta tamen dispensatione, puto, omnino dilaniandas esse Litteras, ut verba rescripti nimis apertè continent: quamvis non desint aliqui Viri Docti sustinentes, posse retineri à dispensando in memoriam suæ obligationis, combusto tamen, aut dilaniato sigillo authorizante.

Duo hìc adnotanda remanent. 1. quòd Potestas le- 14
gitimationis Prolis, quæ apponi solet in his dispensationibus ob dirimens impedimentum occultum; solùm prodesse potest pro foro Conscientiæ; non verò pro foro externo; adeoque pro foro Conscientiæ non erit Irregularis, imò habilis ad ordines, & beneficia Ecclesiastica recipienda. 2. est; quòd non est necessaria

certa

certa verborum forma ad concedendam dispensationem; cum nullo Jure præscripta inveniatur: sed sufficiens erit consueta forma à Rituali Romano probata, quæ indicet fieri dispensationem. Sic ex Sanchez, Suarez, Sà, & aliis docet Bonacina *de Legib. disput. 1. quæst. 2. punct. 2. numer. 18. & 19.* durat dispensatio obtenta etiam post mortem Summi Pœnitentiarii concedentis, aut Summi Pontificis: quia est gratia facta in favorem oratoris, cui quæsitum est jus; & executor est minister necessarius, si preces veritate nitantur.

CAPUT VI.

De Causis, propter quas Rescriptum Dispensationis possit esse invalidum.

1 *Si deficiat consensus Dispensantis, qui ex variis Capitibus deficere potest; invalidum est Rescriptum.*
2 *An si habeatur metus, & dolus in Dispensatione obtinenda, deficiat Consensus?*
3 *An Consensus præstitus per errorem, & ignorantiam invalidet Dispensationem?*
4 *Rescriptum Gratiæ per subreptionem obtentum ipso Jure est nullum.*
5 *Rescriptum Justitiæ per subreptionem obtentum non est nullum ipso Jure, quamvis annullari possit.*
6 *Nulla est impetratio Rescripti, si Procurator Dispensandi subreptionem committat, etiam absque culpa ipsius Dispensandi.*
7 *Error commissus circa substantialia, etiam inculpabilis vitiat Rescriptum.*
8 *Error commissus circa Personam, cui executio committitur, à quocumque proveniat; non vitiat Rescriptum, quod exequi poterit Ordinarius Dispensandi.*
9 *An semper suppressio veritatis, aut expressio falsi reddant Rescriptum subreptitium?*
10 *Si in Rescripto unica tantùm causa ponitur; censenda erit motiva, non Impulsiva.*
11 *Non omnis Taciturnitas veri, aut expressio falsi reddit Dispensationem subreptitiam.*
12 *Valida est Dispensatio obtenta tacito nomine Impetrantis.*
13 *Validum est Rescriptum, si narrata veritate Pontifici, error irrepserit in transcribendo.*
14 *An subreptio commissa in parte Rescripti vitiet totum Rescriptum?*
15 *Duo inferuntur ex dictis.*
16 *Si pars, in qua non est subreptio, ordinetur ad eumdem finem cum parte habente subreptionem, vitiat totum Rescriptum. Sicuti vitiat, si subreptio ex parte commissa sit ex malitia, fraude, vel ignorantia cum ingenti temeritate.*
17 *Quænam sint Causæ, quas Jura, Consuetudo, & Stylus exprimi volunt in Dispensationibus.*
18 *An sit forma Jure requisita exprimere in petitione Dispensationis, quòd priùs petita fuerit, sed non obtenta?*
19 *An sit etiam forma Jure requisita exprimere in petitione Dispensationis, quòd alia Dispensatio de eadem re obtenta fuerit?*
20 *Enumerantur aliqui Casus, in quibus facienda est expressio prioris Dispensationis.*
21 *Enumerantur alii, in quibus non necessariò fieri debeat.*
22 *Quid, si quis obtenta Dispensatione ad contrahendum cum una consanguinea nollit ea uti, & aliam petit pro alia consanguinea sine expressione prioris?*
23 *An ligatus multiplici impedimento debeat in petitione mentionem facere omnium?*
24 *In Dispensatione Matrimonii omnia exprimi debent. Afferuntur tres limitationes.*

1 OB varias Causas invalidari potest rescriptum dispensationis, etiam si habeatur potestas in dispensante, & causa legitima ad dispensandum, de quibus satis actum est. Remanet solùm agendum de Invaliditate rescripti dispensationis ob defectum Consensus dispensantis, qui quidem necessario requiritur ad validitatem dispensationis. Sed quia ex variis capitibus deficere potest, ideo per diversa Quæsita oportet defectum examinare.

2 Quæres igitur 1, An dispensatio obtenta per metum, & dolum invalida sit ob defectum consensus? Resp. 1. si metus intercedat in dispensatione, & dispensans revera habet absolutam voluntatem dispensandi, & dispensatio sit ex illis, quæ legitimam causam requirunt, & hæc habetur; valida erit dispensatio, non obstante injuria irrogata dispensanti per metum illatum: ratio est, quia metus non tollit voluntarium, licèt illud minuat; maximè quia nec Jure naturæ metus irritat contractum, adeoque neque dispensationem; nec jure positivo talis dispensatio per metum obtenta est irrita, cum ex Regula generali gesta per metum valida sint, exceptis illis Casibus, quos Jus excipit. Et quamvis absolutio ab excommunicatione obtenta per metum nulla sit, *ut habetur in Cap. Unic. de his, quæ vi. in 6.* nihilominus hæc nullitas non extendi debet ad dispensationem, quæ est diversa: ut docent Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 21. num. 21.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 39. num. 13.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 6. numer. 1.* & Castropalaus *de Legib. disp. 6. punct. 16. §. 1. numer. 1.* qui advertit *num. 2.* multò magis valere doctrinam traditam, si timor fuerit justè incussus, intercedente scilicet legitima causa; cum non possit conqueri dispensator de metu incusso. Secus verò dicendum, si dispensatio sit ex illis, quæ legitimam causam requirunt, ut validè consistant; quæ si non habebitur, nulla erit dispensatio, non tam ex metu incusso, quàm ex defectu legitimæ causæ necessariò requisitæ. Ad validam tamen dispensationem ob metum semper requiritur voluntas dispensandi, quæ si non habeatur, nisi verbo tenus; invalida erit dispensatio: debet nihilominus constare manifestè, quòd fuerit verbo tenus, & non ex animo dispensandi; aliàs præsumptio stabit, quòd nemo verba proferat in alieno sensu, ut tradit Glossa *in Cap. Humanæ aures 22. quæst. 5.* ubi expressè dicitur: Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant.

Resp. 2. Dispensationem obtentam per dolum versantem circa causam finalem, invalidam esse. Secus verò per dolum versantem circa causam impulsivam: ratio est, quia vis dispensationis tota desumitur à voluntate dispensantis; sed quoties dolus versatur circa causam finalem, dispensans non habet voluntatem dispensandi, secus verò si versetur circa causam impulsivam; ergo dispensatio obtenta per dolum circa causam finalem nulla erit, non verò per dolum versantem circa causam impulsivam. Sic Sanchez, Salas, Filliuccius, Molina, Vasquez, Lessius, Navarrus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 6. num. 2.* Ut autem clariùs constet doctrina statuta. Sciendum 1. dolum, qui contingere potest in dispensationibus; esse fallaciam quamdam, seu machinationem ad decipiendum adhibitam tacendo verum, aut narrando falsum, & consistit vel in dicto, vel facto, aut omissione illius, quod dicendum, vel faciendum erat. Sciendum 2. tunc dici, dolum versari circa causam finalem, & motivam, quando versatur circa substantialia dispensationis, ita ut prudenter præsumendum sit, quòd si talem dolum dispensans cognovisset, non utique dispensasset; tunc verò versari circa causam impulsivam, quando versatur circa Accidentalia dispensationis; ita ut prudenter præsumendum sit, quòd si talem dolum dispensans cognovisset, utique dispensasset, quamvis non ita facilè. Multùm igitur pendet discretio Causæ Finalis, ab Impulsiva à prudenti Judicio Viri Docti, qui attendere debet ad stylum Curiæ, Consuetudinem, & alias circumstantias: ut ex Suarez, & Sanchez adnotat Bonacina *l. c.* Qui pariter adnotat ex Sanchez, Menochio, & aliis, quos approbat Salas: in dubiis ortis, an causa sit finalis, an verò impulsiva; judicandum esse in favorem dispensationis, & consequenter causam esse impulsivam: cum jura faveant magis valori actus, ne pereat. Sic *Lex Quoties, ff. de Rebus dubiis.* 3

Quæres 2. An consensus præstitus in dispensando per errorem, aut ignorantiam reddat dispensationem invalidam? Resp. 1. Errorem, & ignorantiam sive culpabiles sint, sive inculpabiles, tollentes voluntarium; reddere dispensationem, & quod libet aliud rescriptum sive Gratiæ, sive Justitiæ invalidum, & nullum; sive error, & ignorantia sint in Taciturnitate Veritatis, quæ exprimi debebat, sive in expressione falsitatis, quę exprimi non debebat: ratio est, quia stante tali errore, & ignorantia numquam præsumendum est, velle Pontificem Rescriptum concedere; cum semper subintelligatur clausula illa, & conditio, si preces veritate nitantur, etiamsi expressè non habeatur in rescripto: ut deciditur *in Cap. ex parte, de Rescript.* & aliis Capitibus eodem titulo.

Adnotandum hìc 1. Rescriptum Gratię illud dici, quod continet dispensationem, vel facultatem dispensandi, præsentationem, collationem beneficii, aut aliam gratiam, & favorem. Rescriptum verò Justitiæ dici illud, quod concedit Jurisdictionem ad lites: ut habet Menochius *de Arbitr. lib. 2. cent. 2. Casu 201. num. 1.* Adnotandum 2. posse rescriptum simul esse Gratiæ, & Justitiæ, si principaliter contineat Gratiam, accessoriè Justitiam; explicandum erit ut rescriptum Gratiæ, quia accessorium sequitur Principale. Si verò Principaliter contineat Justitiam, & accessoriè Gratiam; explicandum erit, ut Rescriptum Justitiæ. Sic Sanchez, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 2. in fine*. Adnotandum 3. Rescriptum obtentum per Taciturnitatem veri, aut expressionem falsi dici subreptitium, aut obreptitium *ex Cap. Postulasti, Cap. Litteris, de Rescript.*

4 Resp. 2. Rescriptum Gratiæ obtentum per subreptionem, seu taciturnitatem veri, aut expressionem falsi, sive id contingat per errorem, & ignorantiam culpabiles, sive non; ipso Jure esse nullum, adeoque actus virtute illius factos esse invalidos: sic aperte deciditur *in Cap. final. de Filiis Presbyter. in 6.* ubi dicitur: Per subreptionem obtentum nullius est momenti, & *in Cap. Postulasti, de Rescript.* ubi dicitur Commodum reportare non debet de hujusmodi Litteris, utpote veritate tacita impetratis. Et quamvis hi, & similes Textus loquantur de materia beneficiorum, quæ rigorosiùs prohibetur ad præcludendum aditum ambitioni; nihilominus extenduntur à Doctoribus ad omnia rescripta Gratiæ, cum in omnibus eadem militet ratio, quòd scilicet non habeatur consensus, & voluntas in dispensante. Sic Felinus, Tiraquellus, Garzia, Guttierrez, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 16. §. 2. num. 2.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 2.*

5 Resp. 3. Rescriptum Justitiæ per subreptionem obtentum, sive culpabili errore, & ignorantia id fiat, sive non; non esse irritum ipso Jure, sed validum per se loquendo, donec pars, contra quam obtentum est; probet subreptionem, & curet illud elidi; adeoque licèt non sit nullum ipso Jure, annullari tamen poterit ope exceptionis; & dum non eliditur, validum est: sic expressè deciditur *in Cap. si autem, & Cap. Plerique, de Rescrip.* ratio autem cur sic statutum fuerit in Rescriptis Justitiæ, non verò in Rescriptis Gratiæ; esse potest, quia Rescripta Gratiæ tribuunt jus, rescripta verò Justitiæ tribuunt Judicem ad lites; adeoque majoris præjudicii sunt rescripta Gratiæ præ rescriptis Justitiæ. Sic Felinus, Cardinalis, Imola cum Doctoribus superius citatis penes Castropalaum *de Legib, disp. 6. punct. 16. §. 2. numer. 2.*

6 Hinc fit 1. Quòd si Procurator dispensandi absque culpa ipsius dispensandi subreptionem committat, vel mutando substantialia narrationis, aut tacendo verum, vel exprimendo falsum, ut facilius dispensationem impetret; nulla est impetratio rescripti: ratio est, quia deceptio commissa circa substantialia materię dispensandæ, & circa taciturnitatem veri quod necessario exprimendum est, & circa expressionem falsi, quod necessario tacendum est, quomodocumque contingat; reddit rescriptum subreptitium, & nullum juxta ea, quæ dicta sunt; cum deficiat voluntas concedentis. Sic deciditur *in Cap. super litteris, §. si verò, de Rescript.* & sic docent Mascardus, Menochius, & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. à num. 56.* Guttierrez *lib. 2. Canon. quæst. cap. 15. numer. 133.* & Salas *de Legib. disp. 20. sect. 15. num. 116.*

7 Fit 2. errorem commissum circa materiam substantialem vitiare rescriptum, etiamsi inculpabiliter commissus fuerit; quia semper deficit voluntas concedentis. Sic erunt isti errores, petere dispensationem pro Voto Castitatis, cùm sit Votum Religionis pro Voto non nubendi, non fornicandi, non polluendi se, cùm sit revera Votum Castitatis, quod magis latè patet; pro Voto non nubendi, cum sit Votum assumendi Sacros Ordines; pro Voto ingrediendi Religionem, cum sit etiam Votum profitendi in ea, quod aliam addit obligationem. Sic Navarrus, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 6. punct. 16. §. 2. numer. 5.* Idem dicendum, si dispensatio petetur pro Voto dubio, cum sit certum; sic enim substantialiter mutaretur dispensationis materia, ut ex Sanchez, & Suarez, docet citatus Castropalaus,

Resp. 4. Errorem commissum circa Personam, cui 8
committitur Rescripti executio, ut si loco Officialis Diœcesis Panormitanæ apponeretur Diœcesis Messanensis, à quocumque proveniat error sive ab oratore, sive à dispensante, sive à Scriptore; non esse substantialem sed merè accidentalem, adeoque non vitiare Rescriptum, ut executioni mandari non possit ab ordinario dispensandi: ratio est, quia Summus Pontifex intendit dare facultatem dispensandi ordinario impetrantis, & ad illum mente dirigit: esto per errorem alteri dirigatur, adeoque si cętera verificabuntur, non deest voluntas, & consensus Pontificis, & error accidentalis tantùm reputandus erit. Sic Salas *de Legib. disp. 20. sect. 16. numer. 123.* Ponce *lib. 8. cap. 17. numer. 43.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. numer. 6.* Mendo alios referens *in Epitome verb. dispensatio, numer. 14.* Quamvis oppositam sententiam sustineant Sanchez, Villalobos, & Castropalaus. Idem dicendum, si error commissus fuerit circa Personam, in favorem cujus rescriptum conceditur: ut si loco Francisci ponatur Joannes; nullatenus vitiabit Rescriptum, cum nominari Franciscum, aut Joannem non variet conceptum dispensantis: ut deciditur *Instit. de Legat. §. si quis nomine*; & docent Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. numer. 37.* Castropalaus *de Legib, disp. 6. punct. 16. §. 2. numer. 6. in fine*, Salas, Ponce, Bonacina, & Mendo *locis citatis*. Limitatio tamen, quam ponit Sanchez *l. c. num. 38.* ut si dispensandus, qui proponitur, esset Joannes notus Pontifici, ac ejus familiaris, cum revera sit Franciscus ei omnino incognitus; ita ut alia requisivisset pro Francisco incognito, quæ non requirit pro Joanne sibi noto, non arridet Castropalao.

Quæres 3. An semper suppressio veritatis, & expres- 9
sio falsitatis reddant Rescriptum subreptitium, ac nullum, & illud vitient? Resp. non semper, sed quando versantur circa causam finalem, & motivam; non verò impulsivam; seu quando versantur circa causam directè pertinentem, & intrinsecè ad materiam concessionis, & ipsius rescripti, & sine qua rescriptum non concedi solet, non verò quando versatur circa causam extrinsecè, & per accidens spectantem ad materiam concessionis; quamvis spectet ad ipsum concedentem, ut facilius rescriptum concedat, licèt sine ipsa rescriptum concederet: ratio est, quia vitium, quod aufert voluntatem, & consensum dispensantis irritat rescriptum; non verò illud, cum quo stat voluntas, & consensus dispensantis: dispensatio siquidem totam vim suam habet à consensu, & voluntate dispensantis, ut indubitatum est penes omnes Doctores. Hæc eadem nostra responsio proponi solet sub aliis terminis; quòd videlicet tunc suppressio veritatis, & expressio falsitatis vitiant, ac irritant rescriptum, quando tacetur veritas, quæ jure debebat exprimi; non verò veritas, quæ jure non debebat exprimi. Sicuti quando exprimitur falsitas, quæ jure taceri debebat; non verò falsitas quæ jure taceri non debebat. Sic Salas, Sanchez, Basilius de Leon, Suarez, quos refert & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 6. punct. 16. §. 3. numer. 3.* Nomine verò juris non solùm intelligunt Jus scriptum, sed etiam stylum Principis dispensantis, ac consuetudinem.

Adnotandum tamen 1. quòd si in rescripto unica 10
tantùm causa apponatur, censenda erit finalis, & motiva; non verò impulsiva: ratio est, quia semper præsumi debet de Principe, quòd Privilegium concedere velit causa allegata; etiamsi ex certa scientia, & ex motu proprio concedat. Sic Menochius *de Arbitr. lib. 2. Centur. 3. Casu 201. num. 8.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. num. 41.* & Gutierrez *lib. 2. Canon. Quæst. cap. 15. num. 103.*

Adnotandum 2. non omnem taciturnitatem veri, 11
aut expressionem falsi, etiam si verum, aut falsum connexionem habeant cum materia dispensationis, reddere dispensationem subreptitiam, & nullam; sed attendendum esse, si connexio sit prudens, & rationabilis; non verò impertinens, & imprudens: etiamsi dispensans, si cognovisset connexionem impertinentem, non dispensasset: ratio est, quia cum subsistat causa finalis dispensationis non cognita connexione impertinente

nente ad dispensationem, est enim circumstantia imprudens ad illam; minimè tamen subsistat causa finalis non cognita connexione prudenti, & rationabili; inde est, quòd non quæcumque connexio cum materia dispensationis attendenda erit ad ejus validitatem. Et hoc verificatur, etiamsi ex malitia, aut simplicitate petentis procederet, cum consensus, aut ejus defectus in dispensante non pendeat à malitia, aut simplicitate petentis. Sic Sanchez, Rebellus, Salas, Layman, Coninch, & Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 3.*

12 Hinc fit 1. Validam esse dispensationem obtentam tacito nomine Impetrantis, ne cognoscatur à dispensante, qui si cognovisset, denegasset: nam nomen Impetrantis impertinenter se habet ad dispensationem. Idem erit, si taceatur, quòd dispensandus sit vitiosus; quòd sit ex tali origine; quòd sæpius impetraverit similem dispensationem. Et è contra si exprimatur falsum impertinens ad dispensationem: ut si quis asserat, se esse virum doctum, studiosum, versatum in historiis, ac perlegendis Sanctis Patribus; cum revera indoctus sit, nec studiosus, nec in litteris versatus; non ideo dispensatio obtenta invalida erit: ratio est, quia istæ qualitates recensitæ impertinenter se habent cum materia dispensationis; adeoque veræ, vel falsæ sint, Rescriptum obtentum non vitiabunt. Sic ex Suarez, & Azorio docet Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 4. & 5.*

13 Fit 2. Validam esse dispensationem, & rescriptum, si narrata veritate Pontifici error irrepserit in transcribendo Rescriptum: ut si pro Affinitate transcripta fuerit Consanguinitas; pro Voto Juramentum &c. ratio est, quia semelac constat, veritatem rei narratam fuisse dispensanti, qui annuit; parum refert error materialis rescripti, cum rescriptum vim suam habeat à voluntate dispensantis, quæ si constat, executioni mandari poterit à Commissario; non enim vitiatum remanet. Sic Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 27.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 6. in fine.*

14 Quæres 4. An si subreptio commissa sit in aliqua parte Rescripti, non verò in toto; vitiet totum Rescriptum? Resp. certum esse penes Doctores, vitiari rescriptum ex ea parte, in qua subreptio contingit: sic si rescriptum continet dispensationem pro Voto Castitatis, & pro affinitate ad nubendum, & causa allegata pro affinitate sit falsa, vera tamen allegata pro Voto Castitatis; indubitatum erit, vitiari rescriptum pro ea parte; quæ dispensationem pro affinitate continet: ratio est evidens, quia secundum eam partem non subsistit causa finalis, & motiva, ob quam movetur dispensans ad dispensandum, & preces Oratoris in ea parte nituntur falsitate. Controversia igitur est: an sit validum in alia parte, in qua subreptio commissa non est? Proqua controversia dirimenda respondeo: si pars illa, in qua subreptio non est, non ordinetur ad eumdem finem, & effectum, ad quem alia ordinatur; imò separabiles sint quoad valorem partes istæ, & si subretio non commissa fuerit ex malitia, & fraude, aut per ignorantiam cum ingenti temeritate, quæ comparatur malitiæ; non vitiatur per vitium alterius compartis, etiamsi in hac parte subreptio contingat ex ignorantia, aut simplicitate culpabili, dummodo non æquiparetur malitiæ, & fraudi: ratio est, quia utile non vitiatur per inutile; aliunde concedens rescriptum non indicavit, se nolle concedere reliquas rescripti partes, in quibus subreptio non contingit; ergo dicendum erit, vitiari rescriptum quoad partem subreptitiam; non verò quoad reliquas partes non subreptitias. Sic deciditur *in Cap. super litteris, de Rescript.* & sic docent Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 21. num. 65.* Guttierrez *Canon. quæst. lib. 2. cap. 15. numer. 45.* Garzia *8. part. de Benefic. cap. 3. numer. 16.* Bonacrna *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 14.* & Castropalaus *de Legib. disput. 6. punct. 16. §. 5. numer. 5.*

15 Hinc fit 1. Si in eodem rescripto contineatur dispensatio pro Voto Religionis, & pro Voto peregrinandi ad loca Sancta, & subreptio absque fraude & malitia sit pro Voto Religionis, non verò pro Voto peregrinandi ad loca Sancta; valida sit dispensatio pro Voto peregrinandi, non verò pro Voto Religionis. Fit 2. impetrantem Rescriptum ad beneficium obtinendum, cum primò vacaverit, sive Curatum, sive simplex, tacita bona fide ætate requisita ad beneficium curatum; posse beneficium simplex obtinere, si ætatem pro illo habeat; quamvis non possit obtinere Curatum, pro quo ætatem non habet. Sic Sanchez, Panormitanus, Guttierrez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 18.*

16 Si verò pars illa, in qua non est subreptio; ordinetur ad eumdem finem, ad quem ordinatur alia pars, in qua contingit subreptio; aut si subreptio ex malitia, & fraude, vel ex ignorantia cum ingenti temeritate conjuncta commissa fuerit; tunc totum rescriptum vitiatur, & una pars vitiat aliam in pœnam fraudis, & malitiæ. Et quidem quòd vitietur totum rescriptum, quando ambæ partes ordinantur ad eumdem finem, probatur ex eo, quia aliàs idem finis deberet subsistere, & non subsistere; subsistere per partem non habentem subreptionem; non subsistere per partem habentem subreptionem. Hinc fit: quòd rescriptum continens dispensationem Voti Castitatis sine subreptione, & impedimenti affinitatis cum subreptione ad nubendum; totum remanet vitiatum; cum ambæ partes ordinentur ad eumdem finem nubendi. Quòd verò totum rescriptum vitietur ob subreptionem ex malitia, & fraude commissam in una parte, non verò in alia, in pœnam fraudis, & malitiæ commissæ, est expresè decisum *in Cap. Super litteris, & Cap. Sede, de Rescript.* Nec opponi potest, quòd prædicti Textus loquantur de ea tantùm parte, in qua commissa est subreptio, non verò de alia; in qua habita non est. Nam contra est, quia pro ea parte, in qua habetur subreptio; non necesse erat dicere, in pœnam non debere consequi commodum, cum ex se, & ipso jure non debeat consequi commodum; ergo pœna ista refertur ad aliam partem, in qua non habetur subreptio: insuper si commodum reportare deberet ex parte non habente subreptionem, falsum esset, quòd nullum ex illis Litteris commodum consequi deberet, aliquod enim consequeretur.

Requiritur tamem 1. ex probabili sententia ad hanc pœnam incurrendam Vitiationis totius Rescripti, ut partes conjunctionem habeant inter se, & ordinentur ad eumdem finem; nam secus dicendum esset, si partes ad fines disparatos, & diversos ordinarentur: ratio est, quia cum sit pœna, restringi potiùs debet, quàm dilatari ad alium Casum à Jure non expressum; ergo si Textus supracitati loquuntur de partibus inter se connexis, & ordinatis ad eumdem finem; non debent extendi ad Casus continentes partes ordinatas ad diversos, & distinctos fines. Sic Sanch. Basilius de Leon, Garzia varias afferens decisiones, quos refert, & sequitur Castrop. *de legib. disp. 6 pun. 16 §. 5. num. 7.*

Requiritur 2. Ut subreptio contingat ex fraude, dolo, & malitia commissa ab ipso impetrante: nam si verum proposuit suo Procuratori, & hic inscio impetrante fraudem, & malitiam ex se apposuit ad facilitandam dispensationem; tunc impetrans non incurret hanc pœnam: ratio est, quia Textus apposuit pœnam in detestationem suæ perversitatis, scilicet impetrantis; Ergo si impetrans non commisit illam, non poterit pœnam perversitati injunctam incurrere, sed alias pœnas debebit incurrere ejus infidelis Procurator. Sic Bonacina alios referens *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 17.*

Requiritur 3. ad incurrendam hanc pœnam irritationis totius rescripti, ut vitium subreptionis, & malitiæ per sententiam Judicis declaretur, sive rescriptum sit Justitiæ, sive Gratiæ: ratio est, quia non est nullum ipso Jure secundum partem non habentem subreptionem; ergo venit annullandum saltem per sententiam declaratoriam Judicis: maximè quia Lex est pœnalis, & pœna incurri non potest, nisi post probationem fraudis, & malitiæ per sententiam Judicis declaratæ, nisi aliud in ipso Jure statuatur. Nec obstat, quòd sic aliquod commodum reportaret ante sententiam, & Textus vetant aliquod commodum. Nam responsio est clara: vetant siquidem omne commodum, & utilitatem, probata tamen impetrantis perversitate. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. num. 76.* Bonacina alios referens *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 20.* & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 16. §. 5. num. 10.*

17 Quæres 5. Quænam sint Causæ, quas Jura, Consuetudo, & stylus exprimi volunt in dispensationibus, & qua-

quarum Taciturnitas reddit Reſcriptum vitiatum? Reſ. non aſſignando quidem ſpecialiter, & in individuo omnes Cauſas de Jure, Conſuetudine, & ſtylo exprimendas in diſpenſationibus Matrimonii, Cenſurarum, & Beneficiorum; cum proprium locum habeant in ſuis materiis, & nos ſatis ſuperque dicemus in diſpenſationibus Matrimonii, cum de illo peragemus. Solùm igitur eas aſſignabimus, quæ communes ſunt omnibus diſpenſationibus, ac de his generaliter loquemur, ſtabiliendo in Controverſiis, quæ probabiliora ſunt. Illud priùs tamquam certum ſupponendo, quòd Taciturnitas Cauſę, quam Jura, Conſuetudo, & ſtylus exprimi volunt; vitiet Reſcriptum, ac invalidam reddat diſpenſationem: ratio eſt, tum quia defectus formæ à Jure præſcriptæ, aut per Conſuetudinem, & ſtylum introductæ, cum ſit defectus alicujus ſubſtantialis; inde eſt, quòd per talem defectum actus corruere debeat; tum quia deficeret in diſpenſante voluntas diſpenſandi, vult enim juxta formam diſpenſare, & ſic intendit facere; adeoque ſi expreſſè non indicet, ſe velle contra formam Jure præſcriptam, aut Conſuetudine, vel Stylo Curiæ diſpenſare, quæ omnia vim legis habent *ex Leg. minimè, ff. de Legib.* deficit ejus voluntas, & Conſenſus in diſpenſando. Sic Sanchez, Salas, Filliuccius, Layman, Maſcardus, Guttierrez, & alii paſſim, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 1. *num.* 1. Ut autem diſtinctius procedamus

18 Petes 1. An ſit forma Jure requiſita exprimere in petitione diſpenſationis, quòd antea petita fuerit, ſed non obtenta? Reſp. affirmativam ſententiam ſuſtinuiſſe aliquos cum Menochio *lib.* 2. *de Arbitr. cent.* 3. *Caſu* 203. *num.* 6. eo quia verſatur Taciturnitas circa cauſam finalem, & motivam, & diſpenſatio procedit ex errore circa dictam cauſam: ſi enim cognoviſſet diſpenſans, aliàs denegatam fuiſſe diſpenſationem, non diſpenſaſſet. Sed vera ſententia eſt negativa docens, non eſſe formam Jure requiſitam; adeoque ejus taciturnitatem non reddere invalidam diſpenſationem: ratio eſt, quia ex una parte nullo Jure, Conſuetudine aut ſtylo conſtat requiri ut formam talem expreſſionem; ex alia parte poteſt Superior illam concedere, & eam de facto concedit, & obtinetur; ergo valida erit: eſto eam denegaſſet, ſi ſciviſſet, fuiſſe antea denegatam: ſed hęc cauſa denegandi diſpenſationem eſt valde extrinſeca materiæ diſpenſationis, adeoque extra cauſam finalem, & motivam, quæ ſi revera allegata eſt ſufficienter ad diſpenſandum, parùm refert non expreſſiſſe, quòd fuerit priùs petita, ſed denegata. Sic Sanchez *lib.* 8. *Matr. diſp.* 22. *num.* 14. Suarez *lib.* 6. *de Legib. cap.* 22. *num.* 1. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 15. *dub.* 7. Baſilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 3. Bonacina *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 7. *num.* 1. & Caſtropalaus *de Legib. diſp.* 6. *pun.* 16. §. 4. *num.* 1. Qui extendunt hanc doctrinam, ſive ſuperior ſit idem, ſive æqualis, & ſucceſſor, ſive inferior, dummodo habeat poteſtatem diſpenſandi: quia per negationem ſuperioris non eſt ablata ab eo facultas diſpenſandi. Inſuper ſive petitio ſit eadem prorſus numero, ac antea; ſive novas cauſas, & circumſtantias contineat.

19 Petes 2. An ſit forma Jure requiſita, ut exprimatur in petitione diſpenſationis, quòd alia diſpenſatio de eadem re priùs obtenta fuerit? Reſp. non agitari præſentem controverſiam de mentione prioris diſpenſationis obtentæ, quæ nulla fuit ob aliquem defectum: nam non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum *juxta Regulam* 52. *de Regul. Jur. in* 6. Nec agitari de diverſis diſpenſationibus diverſas materias reſpicientibus, ut ſi prius obtenta fuerit diſpenſatio Voti Caſtitatis, dein Irregularitatis, aut Voti Peregrinationis. Agitantur ergo controverſia de diſpenſationibus in eadem materia: ut ſi aliquando prima obtenta fuerit limitatè, & petitur ſecunda, ut magis amplè obtineatur: an inquam neceſſariò tunc facienda ſit expreſſio primæ diſpenſationis limitatæ, itaut ejus taciturnitas reddat ſecundam diſpenſationem ſubreptitiam, & invalidam; Affirmativam ſententiam ſuſtinent Rodriquez, Julius Clarus, Gomez, Filliuccius, Menochius, Covarruvias, Sanchez, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 8. *num.* 1. niſi tamen ſecunda petatur ex alia nova, & ſufficienti cauſa; aut niſi prima limitata fuerit juxta ſtylum Curiæ quæ apponere ſolet talem limitationem. Multos Textus afferunt ad comprobandam ſententiam iſtam. Sed ut verum fatear, non convincunt intentum: nam Textus ab ipſis allati non probant, ſecundam diſpenſationem fuiſſe invalidam, quia mentionem non fecerit prioris, ſed ob aliam invaliditatem. Quapropter licèt non denegem ſuam probabilitatem huic communi ſententiæ affirmativæ; nihilominus probabiliorem reputo ſententiam denegantem, non eſſe videlicet neceſſariam talem expreſſionem, niſi in caſibus à Jure expreſſis, aut vergentibus in damnum tertii: ratio eſt, quia præter ſupradictos caſus probari nequit neceſſitas talis expreſſionis, & impertinenter ſe habet ad conceſſionem novæ diſpenſationis: maxime quia quando in Jure præcipitur mentio prioris diſpenſationis, eſt, ut ex tali expreſſione cognoſcat diſpenſans quantam, aut qualem gratiam concedat; aut quantum, & quale damnum inferatur tertio per primam, & ſecundam diſpenſationem; ceſſantibus his motivis mentio prioris diſpenſationis impertinenter ſe habet ad ſecundam diſpenſationem. Sic Suarez *lib.* 6. *de Legib. cap.* 23. *num.* 9. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 17. *num.* 5. Caſtropalaus *de Leg. diſp.* 6. *pun.* 16. §. 4. *à num.* 3. Mendo *in epitom. verb. diſpenſatio, num.* 17. referens Gobat, Perez, & alios.

Ex dictis colliguntur aliqui caſus, in quibus facienda ſit mentio, & expreſſio prioris dispenſationis. 1. eſt, ſi ob crimen uxoricidii quis obtinuit diſpenſationem ad nubendum, & poſtea aliud uxoricidium committat, & velit ſecundò nubere, ac diſpenſationem petat; tenetur diſpenſandus exprimere primam dispenſationem obtentam; ut cognoſcat Pontifex quantam, ac qualem gratiam conferat. Sic Caſtropalaus referens Suarez, & Sanchez *de Legib. diſp.* 6. *punct.* 16. §. 4. *num.* 5. Mendo alios referens *in Epit. verb. diſpenſatio, num.* 17. 2. Caſus: ſi quis obtinens diſpenſationem ad ducendam Bertam in uxorem conſanguineam ſuam, & poſtea reſipiſcat, & velit Titiam pariter conſanguineam ducere, reclamante Berta; facienda utique erit in ſecunda petitione mentio primæ diſpenſationis, cum redundet in præjudicium Bertæ. Sic Mendo *l. c.* 3. Caſus: ſi quis per diſpenſationem beneficium obtinuit, & velit per aliam diſpenſationem ſecundum beneficium obtinere; debet prioris beneficii obtenti mentionem facere, etiamſi beneficia ſint tenuia: eo quia infertur præjudicium Eccleſiæ, quæ poſſet per plura beneficia plures miniſtros habere; ut conſtat *ex Cap. Conſtitutus, Cap. Ad aures, Cap. Poſtulaſti, Cap. Ad audientiam* 2. *de Reſcript. Cap. ſi motu proprio do Præben. in* 6. & docent Sanchez, Covarruvias, & alii, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Legib. diſp.* 6. *pun.* 16. §. 4. *num.* 4. 4. Caſus eſt: obtinuit quis diſpenſationem non reſidendi in beneficio per quinquennium; quo elapſo ob eamdem cauſam vult aliud quinquennium obtinere; debet tunc de neceſſe prioris quinquennii mentionem facere: nam ſic gratia ad decennium extenderetur inſcio Principe. Sic ex Felino *in Cap. Penult. de Præſcript.* docent Suarez *lib.* 6. *de Legib. cap.* 23. *num.* 11. Baſilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. & Caſtropalaus *l. c. num.* 5. 5. Caſus: obtinens diſpenſationem ſolvendi partem decimarum, ſi velit aliam diſpenſationem obtinere ob abſolutam exemptionem à decimis, vel majore obtenta; debet mentionem facere prioris diſpenſationis, & exemptionis; aliàs ſecunda ſubreptitia erit, & nulla. Idem dicendum de obtinente moderatum, & limitatum privilegium, ut poſſit Sacramenta ſuſcipere ab aliquibus; ſi velit aliud privilegium, & amplam diſpenſationem ſuſcipiendi à quolibet Antiſtite omnia Sacramenta; debet prioris mentionem facere; alias ſubreptitia erit diſpenſatio. Sic deciditur *in Cap. penult. de Præſcript.* & ſic exigit recta ratio, ne præjudicium inferatur tertio: ut ex Innocentio, Felino, Sanchez, & Suarez docet Bonacina *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 8. *num.* 4.

21 Exprimuntur etiam alii Caſus, in quibus non eſt neceſſaria prioris diſpenſationis mentio. 1. Caſus eſt: ſi quis impetravit diſpenſationem Voti Caſtitatis cum limitationibus ſolitis apponi ex ſtylo Curiæ, nempe ad unicum Matrimonium, & facta commutatione in confeſſiones menſtruas, & alia pia opera; ſi velit aliam abſolutam diſpenſationem obtinere, non tenebitur mentionem facere prioris: cum enim Pontifex ſatis conſcius ſit ſtyli Curiæ, ſi ſecundam concedit abſolutè, ſignum evidens eſt, ita illam concedere velle, & parùm refert, quòd non ſit conſcius prioris diſpenſationis. Sic ex Felino, Sanchez, Filliuccio,

cio, & aliis docet Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 8. num. 1. in fine*. 2. Casus: si ad tollendum scrupulum, vel dubium ortum circa primam dispensationem, secunda petatur; tunc non necesse erit mentionem facere primæ Dispensationis obtentæ; tum quia nec ampliorem Dispensationem petit cum præjudicio tertii, ut suppono; tum quia secunda non excedit voluntatem concedentis. Imò utraque dispensatio valida erit; quia per secundam non intendit dispensans irritare primam; sed secunda petitur ad corroborationem primæ. Sic Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 23. num. 14.* Bonacina *l. c. num. 2.* & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 16. §. 4. num. 7.* 3. Casus: obtinens dispensationem comedendi carnes in una Quadragesima, si velit aliam dispensationem obtinere pro alia Quadragesima; non tenetur mentionem facere prioris dispensationis: ratio est, quia licèt sit dispensatio in eadem Lege; non tamen respicit eamdem materiam, & idem tempus; nec connexionem habent inter se ha dispensationes, aut præjudicium tertio inferunt. Quæ doctrina militat in dispensationibus similium præceptorum. Sic Suarez. *l. c. num.* 18. Bonacina *l. c. num.* 5. & Castropalaus *l. c. in fine*.

22 Petes 3. quid faciendum, si quis obtenta dispensatione ad contrahendum cum una Consanguinea, ea tamen uti nolit; sed aliam dispensationem petit pro alia consanguinea, sive in simili, sive in diverso gradu, quam obtinet, absque eo quòd mentionem faciat in hac secunda petitione prioris dispensationis; an inquam subreptitia, & nulla censenda erit hæc secunda dispensatio? Resp. extra controversiam esse, quòd subreptitia sit hæc secunda, si reclamet prima Consanguinea, ut superiùs notavimus. Sed supponamus non reclamare, hoc supposito, 1. sententia docet, utramque dispensationem esse validam; & quamvis nequeat utraque executioni mandari, datur tamen circa usum illarum optio eligendi: Sic Guttierrez *de Matr. cap. 123. num. 19.* & alii eum sequentes. 2. Sententia sustinet, invalidam tantùm esse primam dispensationem, validam secundam: ratio est, quia per petitionem secundæ dispensationis prima evanescit, & petens quasi abrenuntiat ei in manibus Pontificis: esto hoc non intendat petens, sed intendit virtualiter Pontifex, qui non præsumitur secundam concedere, nisi cum exclusione primæ. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 22. num. 19.* 3. tandem sententia putat, primam Dispensationem esse validam, & secundam evanescere; dummodo tamen prima extincta non sit morte conjugis, aut alterius impedimenti: ratio est, quia ambæ subsistere nequeunt; non enim supponendum est, tantam gratiam velle concedere Pontificem, esto illam concedere possit, sed non est de facili præsumendum; ergo una subsistere potest, non secunda; quia per eam non est factus certior Pontifex de quantitate, & qualitate gratiæ, quam concedit; ergo subsistit prima, semel ac petens non habet animum renuntiandi ei, nec renutiatio nota est Pontifici. Hæc ultima sententia mihi arridet ut probabilior, eamque sequor, quam docent Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 23. num. 21.* Basilius *de Leon lib. 8. cap. 17. num. 9.* & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 16. §. 4. num. 9.*

23 Petes 4. An ligatus multiplici impedimento debeat mentionem facere omnium, ut validam dispensationem obtineat; an verò possit validam dispensationem unius obtinere, non explicatis aliis? Resp. exceptis Impedimentis Matrimonii non requiri necessariò ad validam dispensationem unius, ut fiat mentio cæterorum: ratio est, quia ex nullo Jure constat talis necessitas, nec usus, & praxis hoc comprobat; maximè quia urget paritas deducta ex pluralitate excommunicationum, cum possit excommunicatus validè absolutionem unius petere, & obtinere, tacitis, & non ablatis aliis; ut docet Glossa communiter recepta *in Cap. Ex parte, verb. Reddere; de Offic. Ordin.* Addè, quòd sicuti unum impedimentum induci potest sine alio, sic unum auferri poterit sine alio: præcipuè si ex parte Dispensantis, & Dispensandi habeantur omnia prærequisita. Nec obstat, quòd si exprimerentur omnia vincula, difficilior redderetur dispensatio. Non inquam obstat, quia non nego reddi difficiliorem; sed non omne, quod reddit difficilem dispensationem, exprimendum est, nisi aliunde probetur ex Jure, Consuetudine, Stylo, aut damno tertii. Sic homicidium commissum contra Sacerdotem reddit difficiliorem dispensationem Irregularitatis, & tamen probabilis sententia docet non exprimendam esse talem circumstantiam; ut habent Sanchez, Salas, Sanctarellus, Molina Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 5. num. 20.* ergo etiam in casu nostro licèt expressio aliorum impedimentorum dispensationem difficultet, non ideo facienda erit. Sic Navarrus, Suarez, Salas, Henriquez, Sà, Filliuccius, Lopez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 1.*

Excepta fuere Impedimenta Matrimonii, quamvis 24
non desint Doctores extendentes Doctrinam traditam ad illa: sed verius est, non posse unum exprimi ad obtinendam dispensationem non expressis aliis, adeout invalida, & subreptitia sit Dispensatio, si taceantur; ratio est, quia aliàs Pontifex deciperetur, putans unum tantùm adesse impedimentum ad Matrimonium contrahendum, cum sit revera multiplex; & aliunde sic ex usu, & Stylo Curiæ Romanæ receptum est: Sic Suarez, Sanchez, Guttierrez, Petrus Ledesma, Covarruvias, Menochius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 1. versic. Dixi; nisi fortè.*

Limitant tamen 1. nisi alia impedimenta, quæ tacentur, possint alia via tolli per irritationem, aut remissionem: sic qui Votum Castitatis emisit ante pubertatem, nec illa adveniente votum ratificavit; aut sponsalia contraxit, & postea vult nubere cum consanguinea; non tenetur ad exprimendum Votum illud Castitatis in petitione, aut sponsalia contracta: cum possit votum irritari, & Sponsalia remitti ab ea, cum qua contracta fuere. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 23. num. 6.* Basilius de Ponce *lib. 8. cap. 17. num. 23.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 1.* & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 16. §. 4. num. 14.*

Limitant 2 quando habens duo impedimenta quorum unum est publicum, alterum verò occultum; tunc non tenebitur occultum in petitione manifestare, etiamsi infamia ex tali manifestatione non sequeretur: ratio est, quia non præsumitur ex benignitate Pontificis velle tantum onus imponere: maximè quia pro impedimentis occultis extat alia via dispensandi per Sacram Pœnitentiariam: cujus Stylus est, manifestare in petitione tacito nomine petentis non solùm impedimentum occultum, sed etiam publicum, de quo dispensatio obtenta est. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 23. num. 7.* Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 24. num. 3.* Guttierrez *de Matr. cap. 113. num. 22.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 1. in fin.* & Castropalaus *de Legib. disp. 6. pun. 16. §. 4. num. 15.*

Limitant 3. quòd si quis habens votum Castitatis, vel Religionis, aut non nubendi, & velit Matrimonium inire cum consanguinea; poterit priùs Dispensationem à Voto petere, non allegata causa ad ducendum consanguineam, neque ad hunc effectum ordinando dispensationem, qua obtenta poterit dispensationem ob consanguinitatem petere non expressa dispensatione Voti, quod jam ablatum est: ratio est, quia dispensatio à Voto ordinari potest ad alium effectum, quàm ad contrahendum Matrimonium cum consanguinea: nam votum prædictum non est speciale impedimentum ad contrahendum cum Consanguinea; ergo si ablatum est per dispensationem, ad quid mentionem facere illius in petitione dispensationis ob consanguinitatem. Secus verò dicendum esset, si priùs peteretur Dispensatio de consanguinitate, dein de Voto: quia Dispensatio ista nullum alium effectum habere posset, nisi ducere in Matrimonium Consanguineam, cum revera sortiri non posset hunc effectum ob impedimentum Voti. Sic Suarez, Bonac. Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Leg. disp. 6. pun. 16. §. 4. n. 12.* Quamvis oppositum sentiant Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 2.* & Garzia *de Benefic. 8. par. cap. 3. num. 61.*

CAPUT VII.

De Modis, quibus Dispensatio cessare potest, & vim suam amittere.

1 *Enumerantur quinque Modi, quibus cessare potest dispensatio.*
2 1. *Est Cessatio Causæ, & explicatur prima differentia temporis, qua cessare potest.*
3 *Explicatur secunda differentia temporis.*
4 *Explicatur tertia differentia temporis.*
5 *Explicatur quarta differentia temporis.*

6 2. *Est Mors Concedentis.*
7 3. *Est Renunciatio Dispensationis.*
8 4. *Est Revocatio dispensationis.*
9 *An requiratur justa causa ad Revocationem faciendam?*
10 *An Inferior revocare possit sine justa causa Dispensationem à Superiore factam?*
11 5. *Est, an cesset per primum actum?*

1 CUM dispensatio variis modis cessare possit, & vim suam amittere; inde est, quòd hos modos explicare oporteat breviter; nam magis amplè sermo redibit cum de Cessatione Privilegiorum, quæ Materia etiam communis est dispensationibus. Quinque autem Modi præcipuè veniunt considerandi pro Cessatione dispensationis, videlicet per Cessationem Causæ; per Mortem Concedentis; per Renunciationem; per Revocationem; per Primum actum: qui singillatim explicantur,

2 Primus igitur Modus, qui est Cessatio Causæ, ut distinctiùs agnoscatur pro quadruplici differentia temporis considerari poterit 1. differentia, & circumstantia temporis est, si causa existat, & revera habeatur, dum litteræ petitionis mittuntur Romam. Pro qua dico: non cessare validitatem dispensationis, si dum Romam litteræ mittuntur, non sit vera causa Dispensationis; quamvis vera sit, quando Pontifex dispensationem concedit aut committit: ratio est, quia nulla ratione, aut Jure probari potest, esse necessariam veritatem causæ, dum litteræ mittuntur; sed sat est, quòd narrata sint vera, seu preces veritate nitantur, dum Pontifex concessionem dat, aut committit. Sic Sanchez, Rodriquez, Layman, Filliuccius, Corduba, Guttierrez, Mascardus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 10. §. 1. num. 2.*

3 2. Differentia temporis est, quando Pontifex Indultum ad dispensandum committit Officiali Diœcesano, aut Confessario Doctori, si preces veritate nitantur. Pro qua dico: si pro eo tempore cessavit causa, quæ repræsentata fuit ad dispensandum Pontifici; non poterit delegatus validè dispensationem exequi: ratio est, quia preces non nituntur veritate, dum Delegatus delegationem exequi debet juxta mandatum acceptum; esto dum delegans delegaret veritate niterentur. Sic Pontifex dispensans cum diacono ad ascendendum ad Sacerdotium ante ætatem ob Parentum paupertatem, qui, dum accederet Rescriptum Pontificium Roma ad Patriam in pinguiorem devenere fortunam; non poterit delegatus cum Diacono dispensare: quia jam cessavit causa finalis, & motiva ad dispensandum, nempe paupertas Parentum. Sic Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 20. num. 13.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 30. num. 7.* Coninch. *3. par. tom. 2. disp. 33. sect. 6. num. 94.* Guttierrez *de Matr. cap. 226. num. 2.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 14.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 10. §. 1. num. 3.* Hoc autem intelligendum est, quando absolutè cessat causa; nam si ad tempus cessaret, & postea revivisceret; poterit utique reviviscente causa validè delegatus dispensare: quia non est ablata Dispensatio, & aliunde preces veritate nituntur.

4 3. Differentia temporis est: quando Dispensatio jam obtenta est à Superiore immediato, aut ab ejus delegato; sed nondum sortita est effectum suum, vel si fortiri cœpit effectum, non tamen adæquatum, sed secundùm partem, quia divisibilis est: ut si quis Irregularitatem habens dispensationem obtinuit de Irregularitate, ut posset ad Sacros Ordines ascendere ob inopiam Parentum; & de facto dispensatum fuit cum ipso de Irregularitate: antequam tamen ad Sacros Ordines ascenderet, cessavit Parentum inopia; quæritur, an adhuc possit ad Sacros Ordines ascendere, semel ac dispensatus fuit in Irregularitate, quamvis cessaverit Parentum inopia. Pro qua controversia dirimenda dimicant Doctores inter se: nam Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 30. num. 14.* Tiraquellus *Tract. Cessante causa, limit. 23. num. 11.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 10. §. 1. num. 4.* & alii plurimi penes ipsos docent, non posse validè, & licitè ad Sacros Ordines assendere: cum dispensatio ad effectum integrum perducta non sit, & antequam perducatur, cessat integra causa dispensandi, adeoque cessatio causæ impedit effectum faciendum videlicet Ordinationem, & destruit jam factum, scilicet dispensationem ab irregularitate, cum sint effectus dividui, & successivi. Oppositam sententiam sustinent Angleus *verb. Dispensatio, num. 14.* Sylvester *eod. verb. quæst. 6.* Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 20. num. 15.* Guttierrez *de Matr. cap. 126. num. 2.* Salas *disp. 20. sect. 6. num. 67.* Sà *verb. Gratia num. 6.* Mascardus *de Probat. concl. 1128. n. 22.* & alii: ratio, est quia effectus consummatus non cessat cessante causa, sed effectus dispensationis est solutio ab Irregularitate, qui jam consummatus est per dispensationem existente causa; ergo non cessat, si postea deficiat causa dispensationis. Adde, quòd factum legitimè non debeat retractari, quamvis postea eveniat, à quo non potuit inchoari, *ex Regul. Factum, de Regul. Jur. in 6.* Insuper per Dispensationem extinctus est effectus Irregularitatis; ergo non poterit naturaliter reproduci. Ambæ sententiæ magnam habent probabilitatem, nec eam Doctores quamvis inter se contrarii denegant ad invicem. Ego verò distinguerem cum Castropalao *de Privileg. disp. 4. pun. 15. num. 6. & 7.* Si dispensatio est de obligatione dividua, & successiva; & concessa sit ob causam similiter dividuam, & successivam: ut esset Dispensatio ad esum carnium ob imbecillitatem, & infirmitatem dubiam; aut dispensatio à recitatione divini Officii ob occupationes imminentes; sentiendum est cum prima sententia: nam non integrè existit causa, dum dispensatur, sed est dividua, & successiva; adeoque si tractu temporis dispensatus ad carnes convalescat perfectè, non poterit validè, & licitè dispensatione habita uti. Sic etiam dispensatus ad horas Canonicas, si tractu temporis ab occupationibus sit expeditus: non poterit validè, & licitè dispensatione habita uti: quia est dividua obligatio, & dividua causa dispensationis. Secus verò si causa dispensationis non sit dividua, sed tota simul, & integrè existens, dum conceditur dispensatio; ut est in casu proposito de dispensatione ab Irregularitate ob inopiam parentum obtenta, & quæ verè extitit, dum dispensatum fuit. Sicuti etiam dispensatio in Voto Castitatis ob carnis tentationes, & molestias; aut in impedimento Matrimonii ob paupertatem; vel in pluralitate Beneficiorum ob officium), quod geritur; tunc sentiendum est cum secunda sententia: quia dispensatio absolutè concessa est integra causa existente, non enim conceditur ob inopiam parentum præteritam, vel futuram; sed actu existentem dum dispensatio fit. Idem dicendum de carnis tentationibus in Voto Castitatis; de paupertate in impedimento Matrimonii; & de Officio, quod geritur, in pluralitate beneficiorum; adeoque prorsus extinguitur obligatio per dispensationem.

5 4. Differentia est, quando dispensatio obtenta executioni jam mandata est, & dein cessat causa, ob quam obtenta fuit, tunc dispensatio nec cessat, nec revocari potest: sic dispensatio obtenta ad Sacros Ordines ante ætatem ob inopiam parentum, susceptis jam Sacris Ordinibus si adveniant divitiæ, non ideo cessat, nec revocari potest dispensatio facta. Sic etiam dispensatio obtenta ad contrahendum matrimonium ob justam causam, quæ inito jam matrimonio cessat; non cessat, nec revocari potest, & sic de similibus: ratiò est, quia est effectus validè, legitimè, ac licitè, & absolutè factus, ac consummatus existente jam causa; ergo nullatenus revocari poterit, aut invalidari, ut supra diximus; & sic sustinent Doctores non solùm pro secunda, sed etiam pro prima sententia allati numero præcedenti.

2. Modus est: an cesset per Mortem Concedentis? Sed dicendum, non cessare, si dispensatio sit Gratia facta: ut si quis dispensationem obtinuit non jejunandi in Quadragesima, si ea incœpta moriatur dispensans, non ideo cessat dispensatio obtenta; eo quia gratia facta, non amittitur per morrem concedentis. Sic Henriquez, Barbosa, Salas, Suarez, Filliuccius, Navarrus, Sanchez, & Guttierrez, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 10. §. 3. num. 1.* Secus verò dicendum: si facienda sit, ut suo loco explicabimus de Privilegiis.

6 3. Modus est: an cesset per Renunciationem? Pro qua sciendum: dispensationem vim suam amittere, si nondum executioni mandata fuerit, & ei abrenunciet dispensandus, cujus abrenunciationem acceptet dispensans: nam per talem abrenunciationem acceptatam dispensandus fit iterum subditus Legi, adeoque non erit exemptus ab obligatione illius. Sic Suarez *lib. 6. de legib. cap. 20. num. 7.* & alii Doctores passim. Poterit tamen Renunciationem revocare, etiam si eam fecerit; dummodo non acceptata fuerit à Concedente: eo quia

per

per acceptationem Concedentis abdicat à se jus quæsitum per dispensationem obtentam; adeoque dum non acceptata fuerit Renunciatio, poterit dispensatione uti. Sic Suarez *l. c. num.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 32. & Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 19. *num.* 128.

8 4. Modus est: an cesset per Revocationem? & dicendum cessare, ac vim suam amittere dispensationem, dummodo revocata fuerit à Concedente, antequam effectus adimpleretur: ratio est, quia dispensatio vim suam habet, ac pendet in suo valore à voluntate Concedentis, usquedum non fuerit executioni mandata; ergo si ante executionem revocetur à Concedente, jam vim suam, ac suum valorem amittit. Secus tamen esset, si jam fuisset executioni mandata, ac suum effectum sortita fuisset; tunc enim nec vim suam amitteret, nec revocari posset: ratio est, quia & validè, & licitè facta est dispensatio, aliunde factum infectum fieri nequit, ergo nec vim suam amittere potest, nec revocari. Sic Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 20. *num.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 33. Guttierrez *de Matr. cap.* 125. *num.* 22. & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 10. §. 3. *num.* 2.

9 Notandum tamen 1. quòd licèt Superior revocare possit dispensationem à se immediatè concessam, vel à suo delegato, aut ab alio, cui demandata est facultas dispensandi; & quidem validè, & licitè, si justa intercesserit causa revocandi; nihilominus si non intercesserit justa causa revocandi, valida quidem erit Rovocatio, quia ab ejus voluntate pendet dispensatio ante effectum adimpletum; sed rem minùs laudabilem facere dicitur: cum non habeatur motivum sufficiens cohonestandi talem actionem: ut ex Suarez Sanchez, Salas, & aliis docet Bonacina *l. c.*

10 Notandum 2. non posse Inferiorem absque justa causa validè revocare dispensationem à Superiore factam; sicuti enim non potest validè dispensare in Lege Superioris absque justa causa, sic nec ejus gratiam revocare sine justa causa: essent etenim dispensationes in Lege Superioris. Adeoque nequibit Confessarius Doctor absque justa causa revocare dispensationes obtentas è Sacra Penitentiaria; quia sunt dispensationes in Lege Superioris. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 33. *num.* 14. Salas *disp.* 20. *sect.* 18. *num.* 126. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 10. §. 3. *num.* 2.

11 5 Modus est: an cesset per primum actum? Et quidem si absolute, & absque limitatione concessa fuerit dispensatio; utique non finitur nec cessat per primum actum: sic dispensatus absolutè, & absque limitatione ad non jejunandum, ad carnes comedendas, ad Ordines suscipiendos, ad Matrimonium ineundum; non deperdit beneficium dispensationis per hoc, quòd semel non jejunaverit, aut carnes comederit, vel unum Ordinem susceperit, aut unum Matrimonium inierit: ratio est, tum quia verba absoluta absolutè accipienda erunt juxta eorum significationem, tum quia concedens si limitatione uti velit, eam exprimere solet; dum ergo non exprimit, signum est, non velle, ut finiatur dispensatio primo actu. Nec obstat, quòd dispensatio utpote odiosa, & Juri communi contraria sit strictè interpretanda: hoc enim non probat, non posse extendi ultra primum actum; sed quòd non sit extendenda ultra propriam verborum significationem; quod ultrò concedo. Sic dispensatio concessa ad contrahendum cum consanguinea, illa mortua cessat: quia non simpliciter conceditur, nec concedi solet ad contrahendum cum qualibet consanguinea, adeoque est de illis dispensationibus, quæ juxta propriam verborum significationem extendi nequeunt ultra primum actum. Sic Sanchez, Salas, Sylvester Angelus, Tabiena, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp.* 1. *quest.* 2. *pun.* 10. §. 3. *num.* 1. Hæc breviter de Cessatione dispensationis plura dicturus cum de Privilegiis.

CAPUT VIII.

Cujus expensis obtinenda sit Dispensatio?

1 *Dispensatio obtinenda est expensis ejus, in cujus commodum resultat.*

2 *Quid dicendum: quando contrahentes consentiunt in dispensatione obtinenda; sed neuter ipsorum suscipit in se onus faciendi sumptus?*

3 *An si quis, nondum facta conventione Matrimonii, dispensationem obtineat ultro inscio; possit jure ratam expensarum petere?*

4 *Quid dicendum, si conscius fuisset?*

5 *An si in conventione Matrimonii pactum fiat de solvendis expensis, & futura Sponsa annuat; tunc teneatur ad ratam?*

6 *An si ex communi consensu obtenta sit dispensatio, & unus injustè resiliat; teneatur ad integras expensas?*

7 *Si justè resilit absque culpa alterius, tenebitur ad ratam.*

8 *Si justè resilit ob culpam alterius, ad nihil tenebitur.*

9 *Idem dicendum, si fœmina resiliat ob fornicationem Viri, aut Vir ob fornicationem mulieris.*

10 *An si ob fornicationem commissam ante promissionem Matrimonii alter resilire velit; teneatur ad expensas factas?*

11 *An qui post Matrimonii promissionem impedimentum dirimens contraxit, teneatur ad dispensationem propriis expensis obtinendam?*

1 CErtum est, dispensationis expensas faciendas esse ab uno, si in ejus tantùm commodum resultet dispensatio, ut constat ex Regula Juris: Qui sentit commodum par est, ut onus sentiat; sicuti ex eadem Regula faciendæ erunt à pluribus pro rata, si in eorum commodum vergit, nisi aliter conventum fuerit inter ipsos. Quapropter si commodum dispensationis sit commune duobus contrahentibus, duobus Sponsis Consanguineis e.g. & unus ex illis ex conventione liberè facta, sine metu, & dolo suscepit in se onus impetrandi dispensationem; utique tenebitur ad illam impetrandam propriis expensis juxta promissionem factam, & onus in se liberè susceptum: ratio est, quia promissio facta parit obligationem servandi alteri fidem datam, ut constat ex communi doctrina de Contractibus, & Doctores fatentur.

2 Controversia igitur locum habet, quando in Sponsis, vel aliis præcessit consensus obtinendi dispensationem, sive consensus fuerit explicitus, sive tacitus; neuter tamen ipsorum suscepit in se onus faciendi sumptus necessarios ad dispensationem impetrandam; quisnam illorum teneatur ad sumptus; an verò ambo teneantur? Communis sententia docet, tunc utrumque teneri ad expensas necessarias: ratio est, quia dispensatio vergit in commodum utriusque, par est, ut uterque sentiat onus expensarum pro rata. Dummodo tamen non constet, aliunde teneri unum tantùm ex ipsis ad integros sumptus faiendos: ut esset, si quis ex vi Legati, aut Successionis in amplam hæreditatem teneretur Consanguineam ducere; tunc enim cum bonum fruendi Legato illo, & successione vergeret in ejus commodum, quo frui non posset, non ducendo consanguineam; inde est, quòd onus integrum expensarum ad dispensationem obtinendam ab ipso sentiri debeat: ut rectè docent Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 36. *num.* 2. Guttierrez *de Matr. cap.* 128. *num.* 23. & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 3.

3 Petes 1. an si quis ex futuris Sponsis, nondum facta conventione Matrimonii, seu inscio altero, dispensationem Romæ obtinuit; possit jure repetere ab alio inscio ratam expensarum in obtinenda dispensatione factarum: Exemplum sit, Cajus desiderat Matrimonium inire cum Joanna sua Consanguinea, ac ipsa inscia obtinet Romæ dispensationem; an inquam repetere possit à Joanna ratam expensarum factarum pro dispensatione obtenta? Resp. negativè: ratio est, quia cum sit inscia Joanna Matrimonii futuri; inde est, quòd nec expressè, nec tacitè consentit in dispensationem obtinendam; adeoque præsumitur Cajus liberaliter id fecisse, & pro sua voluntate, ac libito, exponendo se periculo, ut dispensatio non sortiretur effectum suum, si in Matrimonium Joanna non consentiret. Sic Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 5.

4 Petes 2. Quid dicendum, si Joanna tempore conventionis Matrimonii conscia fuisset dispensationis obtentæ; an inquam tunc teneretur ad ratam expensarum factarum à Cajo? Resp. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 36. *num.* 3. probabiliter putare, tunc teneri ad ratam expensarum, ad quas videtur se obligare, dum conscia est dispensationis obtentæ. Sed majori cum probabilitate deobligat Bonacina *loc. cit.* nam sive conscia sit, sive inscia dispensationis obtentæ, semper militare videntur rationes superiùs allatæ, quòd videlicet

nec

nec tacitè, nec expressè consenserit in dispensationem; & quòd Cajus liberaliter; & sponte sua id fecerit, exponendo se periculo amittendi expensas factas.

5 Petes 3. an si in conventione Matrimonii Cajus pactum ineat cum Joanna de solvendis expensis ob dispensationem; & ipsa annuat; tunc tenebitur ad ratam expensarum ob dispensationem jam obtentam; Resp. affirmativè: quia in commodum utriusque dispensatio vergit, adeoque ad ratam commodi sentiendum erit onus expensarum; aliunde non præsumitur velle eas condonare, dum pactum init, & Joanna annuit, ac expressè se obligat, ergo tenebitur ad ratam expensarum. Imò etiamsi pactum non ineat Cajus ex inadvertentia Juris, quod habet; & ex conjecturis appareat nolle expensas condonare, cum eas non fecerit ex animo liberali, tenebitur tunc Joanna ad ratam expensarum: ratio est, quia Cajus jus habet ad expensas, si semel pro rata vergunt in commodum Joannæ, nec inadvertentia facit, quòd amittat Jus ad expensas, illasque condonet. Sic Bonacina *de Legib. disput.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *n.* 5.

6 Petes 4. An si ex communi consensu utriusque Sponsi obtenta fuerit dispensatio, & unus ex ipsis injustè renuit Matrimonium celebrare, de quo conventum fuerat; an inquam teneatur ad integras expensas ob dispensationem factas? Resp. affirmativè: ratio est, quia par non est, ut quis damnum patiatur ob injustam alterius actionem; adeoque injustè resiliens à conventione facta debet subire onus solvendi integras expensas.

7 Secus verò dicendum, si justè renuat matrimonium inire absque culpa alterius; tunc tantùm tenebitur ad ratam expensarum: ut si resiliret à conventione facta Matrimonii, ob quod obtenta fuit dispensatio ob supervenientem in altero notabilem deformitatem, aut si justè, & licitè Religionem ingrediatur, non verò si injustè, & illicitè: ratio est, quia ex una parte justam habet occasionem resiliendi, ac jure suo utitur; ex alia parte nequit afferri ratio obligans ad integras expensas: nam non tenetur ex injusta actione, supponimus enim resilire justè, non ex re accepta, cum nil alienum acceperit; non ex contractu, quia non se obligavit ad integras expensas: ergo ex nullo capite obligari poterit ad integras expensas. Sic Petrus Ledesma, Sanchez, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 6. contra Henriquez, & Guttierrez.

8 Denique si justè resilit à Matrimonio ob culpam alterius, vel actionem injuriosam, ad nihil tenebitur pro dispensatione obtenta; sed integras expensas solvere debebit, qui culpabilem causam dedit resiliendi: ut si post dispensationem obtentam fœmina fornicata fuerit, & vir resilit à Matrimonio; tenebitur fœmina ad integras expensas: ratio est, quia non debet quis damnum pati ob culpam alterius; nec debet quis commodum reportare ex suo delicto. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 36. *num.* 6. Filliuccius *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 10. *quæst.* 14. *num.* 365. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 8.

9 Non eodem modo discurrendum putat Sanchez de fornicatione viri post obtentam dispensationem, si fœmina ob talem fornicationem resilire velit; docet namque, non teneri virum ad integras expensas, ut Mulier, sed ad ratam: eo quia Fornicatio viri non est actio adeo injuriosa fœminæ, ut est fornicatio fœminæ viro; & de facto docet, continere culpam non mortaliter, sed venialiter injuriosam fœminæ. Non denego suam probabilitatem huic sententiæ, sed magis probabilem reputo sententiam oppositam, quòd æquè teneatur ad integras expensas, ut tenetur fœmina: ratio est, quia eædem rationes militant utrobique, cum uterque præbeat causam culpabilem, & actionem injustam resiliendi à sponsalibus; & uterque tali causa, & actione posita potest justè resilire; ergo uterque eodem modo tenebitur ad integras expensas: maximè quia aliquando ex actione venialiter culpabili oriri potest obligatio restituendi. Sic Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 9.

10 Petes 5. an si aliquis ex Sponsis fornicationem commiserit ante promissionem Matrimonii, & alter cognita Fornicatione resilire velit; teneatur ad expensas factas ob obtinendam dispensationem? Resp. non teneri ad integras expensas, sed ad ratam illarum: ratio est, quia non exercuit actionem injustam contra alium, ex qua habere possit sufficiens motivum resiliendi; nam post promissionem factam resultat injuria, non verò ante illam. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 32. *num.* 6. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 10. & alii ab ipsis relati.

11 Petes denique: an teneatur propriis expensis dispensationem obtinere, qui post promissionem Matrimonii impedimentum dirimens contraxit? Resp. affirmativè: quia culpa sua dat causam dispensationis obtinendæ; ergo tenetur ad sentiendum integrum onus expensarum Dispensationis, non enim alter innocens pati debet damnum ex culpa alterius; nec injustè removeri à jure quæsito per promissionem factam ineundi Matrimonium. Sic Petrus Ledesma, Coninch, & Guttierrez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 11.

QUÆSTIO IV.

DE PRIVILEGIIS.

POST notitiam Legum, & dispensationis earum remanet pertractandum de Privilegiis: siquidem per Privilegium eximitur subditus ab observantia Legis communis. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Privilegium, & quomodo ab aliis differat?

1 *Privilegium varia nomina sortitur.*
2 *Definitur Privilegium, & explicatur ejus definitio.*
3 *Debet importare ex natura sua concessionem specialis beneficii.*
4 *Privilegium debet intelligi cum hac regula, quòd speciale beneficium contineat.*
5 *Differt Privilegium à Lege.*
6 *Differt à Dispensatione.*
7 *Differt à Rescripto.*

1 CUM Privilegium nihil aliud sit, nisi Privata Lex, & quædam specialis gratia alicui concessa, inde est, quòd varia sortitur nomina: nam dici solet Gratia, Favor, Indultum, Beneficium, Prærogativa, Exemptio, Indulgentia, Facultas; & quia hæc concedi solent à Principe per Rescriptum, Diploma, aut Bullam; appellari quoque consuevit Privilegium Rescriptum, Diploma, Bulla; non quia hæc sint Privilegium, sed quia illud contineant.

2 Definiri autem solet Privilegium communiter à Doctoribus: Privata Lex aliquod speciale beneficium concedens: sic desumitur *ex Cap. Privilegia, dist.* 3. *& ex Cap. In his, de Privileg.* Dicitur Lex, non quia propriè sit talis; sed quia quamdiu durat, imponit aliis necessitatem, ne usum illius impediant, si velit Privilegiatus uti illo: nam sicuti Communitas impedire nequit usum Legis, sic nec impedire poterit Privilegiato usum Privilegii. Dicitur Privata, quia ut plurimum concedi solet privatæ Personæ, aut Communitati alicui, quæ sit pars amplioris, & Superioris Communitatis. Sed potiori jure debet dici Lex Privata, quia privatum aliquem favorem concedit Privilegiato: nam si non concederet aliquod speciale, sed solùm id, quod jure communi conceditur; frustraneum, & inutile esset privilegium, ut constat *ex Cap. His, de Privileg.* Et ideo in definitione Privilegii ponuntur verba illa, Aliquod speciale beneficium concedens. Et si aliquando reputan-

tur

tur Privilegia concessiones aliquæ factæ à Principibus non nullarum rerum in Jure communi contentarum, revera Privilegia non sunt; saltem Concessiva, de quibus loquimur, cum nil speciale concedant; sed tantùm declarativa illius rei, quæ forsitan dubiè, aut subobscurè continebantur in Jure Communi, quæ declaratio cum tribuat majorem certitudinem, & securitatem in operando; ideo meritò nuncupari consuevit Privilegium, ut docent Azor. Navarrus, Salas, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 1. num. 2.* Advertit tamen idem Castropalaus, quod si ultra certitudinem tribuat etiam facultatem operandi per declarationem illam, ita ut Privilegiatus non possit impediri ab Inferiori Prælato; tunc nimis clarè erit Privilegium Concessivum, & rigorosè tale; non verò purè declarativum. Nomine autem Privilegii semper intelligendum erit rigorosè, & propriè tale Concessivum; non verò declarativum: ut constat *ex Cap. His, de Privileg.* & docent Panormitanus, Felinus, *in Cap. 1. de Rescript.* Azor. *1. par. lib. 5. cap. 23. quæst. 3.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 1. num. 8.* & alii.

3 Ex dictis colligitur 1. Privilegium debere importare ex natura sua concessionem alicujus specialis beneficii: quapropter meritò excludi debent à ratione Privilegii omnes Leges Pœnales, quæ primò, & per se respiciunt impositionem pœnæ, esto ex illis resultet beneficium, nempe defensio aliquarum Personarum, Immunitas Ecclesiæ &c. Secus verò Privilegium primò, & per se debet respicere speciale beneficium. Quapropter Decreta alicujus Communitatis, Collegii, Congregationis excludentia personas aliquos defectus speciales habentes, nec sunt, nec possunt dici Privilegia. Sicuti nec Privilegia dici possunt ea Decreta Pontificia, quæ à Beneficiis, Sacris Ordinibus, & Dignitatibus Ecclesiasticis removent personas aliquas: ratio est, quia primò, & per se pœnam, & privationem respiciunt: esto ex illis beneficium sequatur Communitati, Sic Vasquez *disp. 151. cap. 3. num. 19.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 6. num. 6.* Salas *disp. 17. sect. 1. num. 2.* & Castropalaus *de Privil. disp. 4. pun. 1. num. 4.*

4 Colligitur 2. Privilegium concessum intelligendum esse secundum hanc regulam, quòd videlicet speciale beneficium contineat, ut sic rationem Privilegii habeat, Quapropter Privilegium concessum Episcopo creandi novam Dignitatem in Ecclesia, censendum erit datum sine consensu Capituli: nam cum consensu Capituli habet absque Privilegio. Et privilegium Episcopo concessum testandi, censendum erit de bonis sibi quæsitis ratione Ecclesiæ, cui præest; non verò de bonis patrimonialibus, de quibus Jure Communi testari potest. Insuper Privilegium Episcopo concessum conferendi beneficium in aliqua Ecclesia, intelligi debet usque ad Canonicatum; si in ea Ecclesia alia beneficia non sint, quæ conferri possint. Et in Jure Civili, ac etiam Canonico si alicui Judici conferatur Privilegium procedendi in causa appellatione remota, intelligi debet de appellatione justa: nam procedere remota appellatione injusta, & frivola commune est omnibus Judicibus. Privilegium quoque Judici concessum à Principe inquirendi, & animadvertendi in aliquas personas, intelligi debet de illis personis, in quas aliunde inquirere, & animadvertere non poterat. Sic Azor. *1. par. lib. 5. cap. 23. quæst. 3.* Salas *disp. 17. sect. 1. num. 5.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 1. num. 3.*

5 Differt autem Privilegium à Lege, tum quia Lex semper respicit Jus commune, & publicum, ut suo loco diximus; privilegium verò respicit jus speciale, & privatum; tum quia Lex semper adstringit subditos ad sui observantiam, & aliquando adiicit pœnam contra transgressores; privilegium verò eximit Privilegiatum à Legis observantia, nec pœnam ullam imponere solet; ut rectè adnotat Vasquez *disp. 115. cap. 1. num. 2.*

6 Differt à Dispensatione, eo quia magis latè patet Privilegium, quàm dispensatio: nam Privilegium non solùm extenditur ad Dispensationem Legis; sed etiam ad ea, quæ præter legem sunt. Insuper Privilegium non extenditur ad unicum actum per modum transeuntis, ad unicam Irregularitatem, unicam excommunicationem, aut ad aliquod Matrimonii impedimentum auferendum; quo actu absoluto transit, ut evenit in dispensatione; sed suo modo permanet, ac stabile est jus, & facultas per ipsum Privilegium concessa, unde Privilegium dictum est privata Lex.

7 Differt à Rescripto: quia si Rescriptum rigorosè accipere velimus, significat Responsum in scriptis datum à Principe circa decisiones dubii alicujus spectantis ad Jus Commune, aut Speciale, quod quidem Responsum scriptum Jus constituit; Privilegium tamen non constituit Jus, sed potiùs à Jure eximit. Si verò Rescriptum accipitur, ut communiter accipi solet pro Scriptura continente Justitiam, vel gratiam alicui concessam; differt quoque Privilegium ab ipso; & quòd differat à Rescripto Justitiæ, patet ex eo, quòd Privilegium debet continere gratiam, non justitiam, à qua potiùs eximere debet. Quòd differat à Rescripto Gratiæ, probatur ex eo, quòd Rescriptum continens Gratiam conceditur ad unicum actum; Privilegium verò ad plures actus, nec absorbetur unico facto, uti absorbetur Rescriptum Gratiæ. Sic Castropalaus *de Privil. disp. 4. pun. 1. num. 5.*

CAPUT II.

Quotuplex sit Privilegium.

1 *Privilegium aliud Scriptum, aliud non scriptum.*
2 *Aliud pro foro externo, aliud pro interno.*
3 *Aliud Personale, Reale aliud.*
4 *An Privilegium concessum Religioni, Civitati, Universitati, Monasterio, Collegio dicendum sit Reale?*
5 *An Privilegium concessum alicui Personæ ob ejus excellentiam dicendum sit Personale, an Reale?*
6 *Quid faciendum, si considerata materia, & verbis Privilegii adhuc recurrit dubium an Personale, an Reale sit?*
7 *Privilegium aliud Perpetuum, aliud Temporale.*
8 *Aliud Gratiosum, aliud Remuneratorium.*
9 *Aliud Conventionale, aliud Purum.*
10 *Aliud immediatè respiciens bonum Commune, aliud bonum Singulare.*
11 *Aliud Favorabile, aliud Odiosum.*
22 *Aliud Affirmativum, aliud Negativum.*
13 *Aliud ad instantiam partis, aliud Motu proprio concessum.*
14 *An Privilegium motu proprio concessum debeat excludere petitionem factam à Privilegiato?*
15 *An per Clausulam motus proprii tollatur à Privilegio vitium Subreptionis?*
16 *Privilegium aliud absolutè concessum, aliud sub conditione, aut modo.*
17 *Aliud ad instar, aliud per Communicationem.*
18 *Aliqua diligenter notanda circa Communicationem Privilegiorum.*
19 *Resolvuntur nonnulla spectantia ad Privilegii confirmationem ex certa Scientia, & in forma communi.*
20 *Quam vim habeat Privilegium ex certa scientia confirmatum?*
21 *An Privilegium subreptione obtentum, aut à Concilio Generali revocatum confirmetur per Clausulam ex certa scientia?*
22 *An si Privilegium confirmandum nullum sit, & fuerit inserta in Confirmatione Clausula ex certa scientia; renovetur?*
23 *Quid important Clausulæ illæ: Supplendi omnes Juris, & Facti defectus, si qui intervenerint, & dummodo Decretis Concilii Tridentini contraria non sint?*

MUltiplex est Privilegium, & secundùm suam multiplicitatem varias patitur divisiones, quas enumerabimus. Dividitur ergo 1. Privilegium in Scriptum, & Non scriptum. Scriptum illud dicitur, quod per scripturam concedi solet: ut autem fidem faciat pro foro saltem externo, debet esse authenticum, seu sigillo Principis obsignatum. Quòd si Transumptum ab Originali extrahendum sit, debet citari pars, si illi opponitur, aliàs fidem non faciet Transumptum. Si verò nulli specialiter opponitur, quamquam antiquitùs per generale Edictum publicabatur, si fortè aliquid occurreret in contrarium, compareret, qui contradiceret. Nihilominus nunc temporis in Privilegiis Religionibus concessis post Clementem V. apponi solet ferè semper Clausula illa: Ut Transumptis etiam impressis habeatur integra fides, ac si Originale exhibitum esset; modo fuerint manu Notarii publici subscripta, & sigillo Personæ in dignitate constitutæ munita. Non scriptum illud dicitur, quod oretenus à Principe conceditur absque scriptura, vel Consuetudine acquiritur: nam sicuti

ri acquiritur jus ad tributa, & jurisdictio per Consuetudinem *ex Cap. Cum contingat. de For. Compet.* sic etiam per consuetudinem, aut præscriptionem acquiri poterunt privilegia, seu exemptiones à Jure. In his autem privilegiis consuetudine comparatis invenitur consensus Principis, si non expressus, saltem tacitus; adeoque rectè statuitur, posse privilegium consuetudine comparari, Sic Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 7. *à num.* 5. Salas *disp.* 17. *sect.* 2. *num.* 22. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 3. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 2. §. 5. *num.* 2. Adnotandum 1. prædictam consuetudinem dici privilegium in iis, quæ ad Favorem, & libertatem pertinent; non verò in iis, quæ ad odiosa, & ad revocationem privilegiorum spectant; quapropter revocata consuetudine non revocatur privilegium. Sic Suarez *l. c. num.* 15. Adnotandum 2. si privilegium per consuetudinem introductum sit contra jus, requirere ad sui introductionem tantum temporis, quantum requiritur ad abrogandam Legem per consuetudinem, Si verò introductum sit ultra, aut præter jus; requirere tantum temporis, quantum requiritur ad Præscriptionem, Sic Suarez *l. c. num.* 16, & Bonacina *l. c. num.* 4.

2 Dividitur 2. in Privilegium pro foro externo, & pro foro Conscientiæ. Privilegium pro foro externo non solùm valet pro eo foro, sed etiam pro foro conscientiæ, adeoque qui cum tali privilegio rite obtento pro foro externo operatur, etiam pro foro conscientiæ tutò, ac securè operatur, Nam Clausula illa pro foro externo non additur ad excludendum forum internum, nisi aliud ex materia, aut circumstantiis colligatur: ut docet Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 6, *num.* 11. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 16. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 2. §. 5. *num.* 4. Privilegium verò pro foro conscientiæ pro foro tantùm interno valet, nec ullatenus deduci potest ad forum externum; adeoque habens tale privilegium debet se gerere pro foro externo, ac si illud non haberet.

Dubitabis tamen, An idem sit privilegium pro foro Conscientiæ, ac pro foro Pœnitentiæ? Resp. quamvis Præpositus *in Cap. Præterea.* 2. *de Sponsal.* Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 61, *art.* 10. & Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 34. *num.* 29. distinguant forum Conscientiæ à foro Pœnitentiæ, adeoque Privilegium concessum pro foro Conscientiæ exerceri poterit per ipsos extra Sacramentum Pœnitentiæ; non verò Privilegium concessum pro foro pœnitentiæ. Nihilominus probabilius puto, privilegium pro foro pœnitentiæ etiam exerceri posse extra Sacramentum pœnitentiæ, nisi aliunde colligatur, necessariam esse confessionem, aut imponi per ipsum Privilegium, ratio est, quia pœnitentia Ecclesiastica solet etiam extra Sacramentum Confessionis imponi, ut cum quis absolvitur solemniter ab Excommunicatione contracta; & tamen talis absolutio pœnitentialis est; & pro foro Pœnitentiæ data absque eo quod detur in foro Sacramentali. Hinc fit, non semper forum pœnitentiæ distingui à foro Conscientiæ; quamvis forum Conscientiæ distinguatur ab ipso prout importat concessionem alicujus boni ad Conscientiam utilis. Forum namque Conscientiæ non solùm respicit remotionem pœnæ, & Censuræ extra forum Sacramentale; sed etiam mali, & peccati à Conscientia, pro quibus pœnitentia facienda est; & tunc confunditur cum foro Pœnitentiæ etiam Sarcamentali, cum alia via removeri nequeant peccata, & mala; respicit etiam concessionem boni, ut dixi, quæ pro solo Conscientiæ foro datur, nec spectat ad ullum forum Pœnitentiæ. Sic Suarez, Sylvester, Rosella, D. Antoninus, Tabiena, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 2. §. 5. *num.* 6. Ex qua doctrina infertur, Concessionem factam Expiscopis à Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* circa absolutionem à qualibet censura, & impedimento occulto in foro Conscientiæ, injuncta pœnitentia salutari, non requirere ad sui executionem Sacramentalem confessionem.

3 Dividitur 3. in Personale, & Reale. Personale dicitur, quod immediatè, & per se conceditur personæ ratione sui. Reale verò, quod immediatè conceditur Rei, sed mediate personæ ratione rei illius: omne siquidem privilegium ordinari debet ad personam, quæ sola capax est gratiæ, & favoris, qui per privilegium concedi solet. Res verò, quibus annecti solet privilegium Reale, aliæ dici consueverunt Corporeæ, ut sunt Ecclesiæ, Monasteria, Prædia, Agri; Merces, fructus, & similia. Aliæ Incorporeæ, ut Episcopatus, Clericatus, Doctoratus, Dignitates, Officia, & Munera Judicis, Scholaris, Militis. Quapropter Privilegium concessum ratione harum rerum, & qualitatum dici consuevit Reale. Hæc distinctio diligenter advertenda est propter diversos effectus, quos præstare solent Privilegia Personalia, & Realia. Personalia siquidem cum persona finiuntur *ex Cap. Privilegium, de Regul. Jur. in* 6. *ex leg. Unic. §. ne autem, Cod. de Caduc. tollend. ex Leg. final. ff. de Verbor. obligat. & ex Instit. de Usufruct. §. finitur.* Realia verò durant pro eo tempore, pro quo durant Res, quibus annectuntur *ex leg. Imperatores, ff. de Publican.* Quòd si res transeant ad alium dominum, ad eumdem transibunt Privilegia: ut docent Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 3. *num.* 3. Azor, 1. *par. lib.* 5. *cap.* 22. *quæst.* 6. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 17. *num.* 124. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 2. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 6.

Petes 1. An privilegium concessum Religioni, Civitati, Universitati, Collegio, Monasterio dicendum sit Reale, an Personale? Resp. dicendum esse Reale, non solùm quando conceditur, ut ipsa Communitas, quatenus talis est, illo uti possit, quia tunc clarè apparet concedi Communitati; sed etiam quando dicitur, ut singulæ personæ illius Communitatis possint uti eo privilegio; ratio est; quia licèt descendat privilegium ad singulares personas, ad eas tamen descendit uti affectas qualitate Communitatis, quia videlicet singulæ personæ sunt ex tali Communitate. Sic Privilegium concessum fœminis, ne obligari possint ex fidejussione; & concessum filiis familias, ne possint obligari ratione mutui, & concessum Minoribus, & Absentibus, ut in aliquibus casibus instituí possint hæredes; dicendum est Reale: nam licèt respiciat singulares personas, non tamen illas respicit, qua tales sunt; sed quatenus affectas qualitate Communitatis Fœminarum, Filiorum familias, Minorum, & Absentium. Major tamen ratio erit ad probandum, talia privilegia esse Realia, ac talia dicenda; quia sunt perpetua *ex leg. Proponebatur.* 76. *ff. de Judic.* & privilegia perpetua dicenda esse Realia, constat *ex leg. Forma, §. quamquam. ff. de Censib.* & docent Azor, Suarez, Salas, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 2. §. 1. *num.* 2. *in fine.* 4

Petes 2. Quando Privilegium concessum alicui Personæ ob ejus Excellentiam, aut singularem Scientiam, vel præclara gesta, aut insignia merita dicendum sit Personale, aut Reale? Resp. in his, & similibus Privilegiis attendenda esse verba Concedentis, & materiam Privilegii, ex quibus dignoscendum an Reale, an Personale sit. Et quidem si materia Privilegii incapax est, ut ad Successores, vel hæredes transmitti possit, clarè apparet esse personale, etiam si verba aliud sonare videantur; accommodanda siquidem sunt rebus: ut rectè docent Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 3. *num.* 13. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 27. *num.* 3. Menochius *lib.* 3. *Præsumpt.* 103. *num.* 1. & 16. & Basilius de Leon *cap.* 18. §. 1. *num.* 6. Si verò materia transmitti potest ad Successores, aut hæredes, consideranda erunt verba, quæ si dirigantur ad personam, ut si dicerent, tibi Joanni, Petro &c. apertè indicant esse personale privilegium concessum; *nisi* tamen alia adderentur, quæ perpetuitatem, aut transmissionem ad Successores indicarent, tunc enim Reale esset: ut si dicerent, Tibi, & Successoribus tuis; aut Tibi in perpetuum: quia ob particulam illam, in perpetuum, transire debet ad Successores, aliàs nihil operaretur particula apposita, & frustranea, ac inutilis esset; quod est vitandum in Legibus, & Privilegiis: ut decisum est *in Cap. Si Papa, de Privileg. in* 6. Nec obstat, concessionem factam esse tibi tantùm. Nam licèt facta sit tibi tantùm expressè; implicitè tamen, & virtualiter per perpetuitatem facta est Successoribus. Sic docent Felinus, Suarez, Basilius de Leon, Garzia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 2. §. 1. *num.* 4. Si tamen verba non ad personam, sed ad Dignitatem, Officium, & Munus personæ dirigerentur: ut si concedens diceret, Episcopo Catanensi, Abbati Sanctæ Luciæ, Principi Sancti Flori, Duci Roccæ albæ, Comiti Montis acuti, Baroni Fluminis frigidi concedatur talis facultas; tunc privilegium censendum erit Reale, & ad Successores transire. Adnotandum nihilominus ex Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 27. *num.* 3. 5

quòd

quòd si facultas aliqua concedatur dispensandi à Pontifice Episcopo Agrigentino, & addatur in Privilegio ob ejus singularem scientiam, aut specialem prudentiam, vel ejus præclara gesta; reputandum erit Personale, nec ad Successores transmittendum.

6 Petes 3. Quid faciendum: si considerata materia Privilegii, ac ejus verbis adhuc recurrat dubium, an Personale, an verò Reale sit? Resp. si omnino favorabile sit, nec Juri Communi, aut Juri Tertii contrarium; ut Reale reputari debebit, ac ut tale extendendum: ratio est, quia beneficium à Principe concessum decet esse mansurum *ex Reg. decet, 16. de Reg. Jur. in 6.* Insuper beneficium Principis latè explicandum est *ex Leg. ult. ff. de Constit. Princip.* Si verò contra Jus Commune sit, aut Jus Tertii; reputandum erit Personale, ac strictè interpretandum; nisi faveat possessio: ut si quis Privilegium illud, de quo subortum est dubium, quod vinci nequit, ut Reale possederit; poterit utique illo frui, ut tali juxta Regulam illam: *In dubiis melior est conditio possidentis*. Sic Sanchez, Suarez, Basilius de Leon, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privilegio disp. 4. pun. 2. §. 1. num. 6.*

7 Dividitur 4. Privilegium in perpetuum, & Temporale. Perpetuum illud dicitur, quod perpetuò durare debet, nisi à Concedente revocetur: nam absolutè, & absque ulla temporis limitatione conceditur; & semper Reale esse solet, ac adhærens rei ex se perpetuæ: sic sunt Privilegia concessa monasterio, Ecclesiæ, vel alteri loco pio: ista siquidem loca de se perpetua sunt *ex Cap. Quæ semel. 19. quæst. 3.* Idem dicendum de Privilegiis concessis primo, & per se Religioni, Universitati, Collegio, aut Dignitati, Officio, Muneri: eo quia licet singulares personæ Communitatis, vel Dignitatis, aut Officii finiantur; nihilominus per alias personas succedentes perpetuari, ac durare dicuntur. Temporale verò illud dicitur, quod conceditur cum limitatione temporis. Et triplici modo potest esse tale. 1. ex parte Concedentis: ut si Concedens dicat, dum ego vixero, vel pro tanto tempore concedo, nec ulteriùs extendi volo. Et quamvis gratiæ, & favor non soleat finiri morte Concedentis; nihilominus quando ipse limitavit intentionem suam, non poterit ulteriùs extendi. 2. ex parte ejus, cui privilegium conceditur; si videlicet ejus personæ concedatur; tunc enim ad ejus vitam durat, adeoque dici solet Temporale, Singulare, personale, Vitalitium. 3. ex parte ipsius Privilegii, si videlicet sub aliqua conditione concedatur, quæ lapsu temporis finitur, nec ulteriùs progreditur.

8 Dividitur 5. in Gratiosum, & Remuneratorium. Gratiosum illud dicitur, quod conceditur nullo habito respectu ad merita ejus, cui conceditur; vel si habetur respectus ad illa, non respicit illa tamquam merita: nam si merita, ut merita respiceret, non esset privilegium Gratiosum, sed Remuneratorium. Remuneratorium namque illud dicitur, quod conceditur ratione meritorum, sive propriorum, sive alienorum, in quorum pretium, præmium, & satisfactionem privilegium conceditur.

9 Dividitur 6. In Conventionale, & Purum. Conventionale dicitur, quod intercedente pacto, & conventione conceditur. Purum verò, quod conceditur absolutè nulla interveniente conventione, aut pacto. Et quamvis Conventionale videatur opponi rationi privilegii; eo quia ea, quæ ex conventione debentur, non habent rationem gratiæ, quam importare videtur privilegium. Nihilominus sufficit ad dicendum, quòd sit gratia; eo quia est facultas concessa extra id, quod à Jure habetur; etiam si concessa fuerit ex debito, aut ex liberalitate. Sic Suarez *lib. 8. de Privileg. cap. 4. num. 9.*

10 Dividitur 7. In privilegium immediatè respiciens bonum Commune; & immediatè respiciens bonum singulare, seu Particulare. *Illud dicitur* immediatè respicere bonum Commune, quod immediatè, ac per se conceditur, ac proximè respicit bonum Commune, & mediatè bonum singularium, ad quæ derivatur. Illud verò dicitur immediatè recipere bonum singulare, & particulare, quod immediatè per se, ac proximè conceditur ob bonum alicujus singularis personæ, esto referatur mediatè ad bonum Commune, ad quod ultimò *reducitur* bonum singularium; expedit siquidem bono Communi, quòd aliquibus dignis, benemeritis, aut indigentibus aliqua privilegia concedantur. Diligenter adnotanda est Divisio ista; eo quia licèt singulares, & Particulares possint renunciare privilegiis immediatè sibi concessis, & ob bonum particulare ipsorum; cum unusquisque cedere possit Juri suo *ex Cap. Ad Apostolicam, de Regular. & ex Leg. si quis Cod. de Pact.* non poterunt tamen renunciare Privilegio immediatè concesso Communitati, & in bonum Communitatis, cujus sunt partes *ex Cap. Contingit. de Senten. Excomm. ex Cap. si diligenti, de For. compet. & ex Leg. Jus publicum, ff. de Pactis.* Sic Clericus non poterit renunciare privilegiis Canonis, & Fori, utpote immediatè concessis Statui Clericali, & in bonum commune ipsius status, ut docent passim Doct.

Dividitur 8. in Favorabile, & Odiosum. Favorabile 11
illud dicitur, quod ita favorem, ac commodum Privilegiato affert, ut alteri non afferat incommodum, & præjudicium. Sic est Privilegium audiendi Sacrum tempore interdicti; vescendi lacticiniis, aut carnibus tempore Quadragesimæ; faciendi Testamentum sine solemnitatibus à Jure requisitis, & his similia. Odiosum verò illud est, quod ita afferat favorem, & commodum uni, nempe Privilegiato, ut afferat incommodum, & gravamen alteri. Sic est Privilegium ad lites, ut procedat Judex appellatione semota: licèt enim faveat Privilegiato, aggravat tamen partem contrariam. Sic etiam Privilegium obtinendi plura beneficia, aggravat alios, qui talia beneficia consequi possent. Sic denique Privilegium exemptionis à Decimis, aggravat illum, cui decimæ solvi debebant. Ita Panormitanus, Baldus, Tiraquellus, Azor. Suarez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de privileg. disp. 4. pun. 2. §. 4. n. 3.*

Dividitur 9. in Affirmativum, & Negativum ratione 12
materiæ ipsius Privilegii. Affirmativum est illud, quod tribuit facultatem ad aliquid efficiendum, sive sit contra Jus commune, sive præter illud. Negativum verò facultatem tribuit ad aliquid omittendum contra jus commune, sive certum, sive dubium: cum ad omittenda ea, quæ præter Jus sunt, non requiratur privilegium. Sic Privilegium affirmativum requiritur ad lucrandum Indulgentias, ad Confessarium eligendum, quæ quidem præter Jus dicuntur. Non requiritur autem Privilegium ad omittendum Indulgentias, aut ad non eligendum confessarium.

Dividitur 10. in Privilegium ad instantiam partis, & 13
in privilegium motu proprio concessum. Ad instantiam partis dicitur concessum privilegium, quando Concedens propter instantiam partis privilegiatæ illud concedit; aut propter instantiam alterius vices partis gerentis, quod aliàs concessurus non esset. Motu proprio dicitur concessum, quando Concedens ex se ipso, independenter à quacumque alia intercessione movetur ad concedendum illud. Adnotandum tamen, numquam privilegium censendum esse motu proprio concessum, nisi id in ipsa concessione fuerit expressum: ut est decisum *in Cap. Si motu proprio, de Præbend. in 6.* non enim aliunde constare potest, hanc voluntatem, & motivum Concedentis à nullo alio proveniisse, quod quidem probare est moraliter impossibile; nisi ipsemet Concedens exprimeret, ac declararet. Quapropter nequibit probari testibus, quòd Privilegium fuerit motu proprio concessum, eo quia nequeunt, ut per se patet, deponere testes, à nullo alio motum fuisse Concedentem ad concedendum, esset enim testari de propositione universali negativa, quòd ferè sapit impossibilitatem. Sic Suarez, Sanchez, Mascardus relati à Castropalao *de Privil. disp. 4. pun. 2. §. 6. num. 2.* Quamvis possint deponere testes, si vivæ Vocis oraculo concessum fuerit privilegium motu proprio, Concedentem dixisse, se motu proprio concedere. Aut si deperditum fuerit Rescriptum, posse testari, in eo contentam fuisse Clausulam illam Motu proprio.

Sed Petes 1. An privilegium motu proprio con- 14
cessum debeat etiam excludere petitionem factam à Privilegiato? Resp. negativè: quia Concedens petitione facta poterit illud concedere ex sua voluntate, & non moveri ab ipsa petitione; adeoque concedere poterit secundum petitionem factam, sed non quia facta est petitio: quapropter petitio erit tantùm causa directiva, non verò finalis, motiva, aut impulsiva. Sic ex Baldo, Decio, Felino docent Menochius, Rebuffus, Sanchez, Suarez, apud Castropalaum *de Privileg. disp. 4. pun. 2. §. 6. num. 1. in fine.*

Petes 2. an vitium subreptionis tollatur à Privilegio 15
per hoc, quòd apposita fuerit Clausula Motus proprii? Ref. convenire Doctores, quòd Clausula ista apposita tollat vitium subreptionis, si subreptio proveniat ex taciturnitate Veritatis, quæ necessariò exprimi debebat; quando nulla supplicatio facta sit à Privilegiato concedenti: ratio est, quia nulla subreptio ex parte privilegiati esse potest,

si nulla ejus intercedit supplicatio : ad summum provenire poterit ignorantia ex parte Concedentis, quæ non est præsumenda. Sic Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 12. *n.* 14. & deciditur *in cap. Si motu proprio, de Præbend. in* 6, *& in Clement. Si Romanus, de Præbend.* Non nego tamen, quod poterit ex aliis capitibus *infirmari* privilegium istud vitio subreptionis carens. Et 1. si inhabili concessum fuerit, ut si beneficium motu proprio concessum fuerit irregulari, excommunicato, vel illegitimo; non enim per hoc, quòd motu proprio Concedens concedat, intendit dispensare velle in impedimentis, & inhabilitatibus. 2. si cedat in præjudicium tertii, cum non censeatur Concedens derogare velle Juri alterius quæsito. 3. si esset contra consuetudinem receptam, aut contra statutum Municipale, cum militet eadem ratio. Sic Rebuffus, Menochius, Sanchez, Gigas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 2. *§.* 6. *num.* 5. Quòd si supplicatio facta fuerit à Privilegiato cum taciturnitate veritatis; & veritas, quæ tacetur; est extrinseca rei, nec illam mutat; utique tollitur subreptio per Clausulam Motus proprii; debet enim aliquod speciale operari, semelac apponitur in privilegio. Secus tamen dicendum, si veritas est intrinseca rei, & illam mutat, si auferatur: ut si Concedens motu proprio concederet beneficium Ecclesiasticum, & in petitione non fuerit expressum esse Regulare; irrita erit concessio: quia concedens intendebat concedere beneficium commune, ut fuit repræsentatum; non verò Regulare, quod fuit tacitum. Sic Abbas, Rebuffus, Sanchez, Menochius, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num.* 7.

Si vitium subreptionis in privilegio Motus proprii proveniat ex expressione falsitatis, non tollitur per Clausulam appositam, sive id contingat per privilegiatum, sive per errorem concedentis: ratio est, quia satis constat, moveri concedentem ad concedendum ex *falso motivo*; cum igitur res non ita se habeat, rectè arguitur, non habere intentionem concedendi gratiam; adeoque irritam esse concessionem ex defectu consensus, à quocumque proveniat falsitas expressa in privilegio Motus proprii. Sic si in collatione beneficii motu proprio facta exprimat Pontifex moveri ad concedendum ob insignem doctrinam illius, cui confertur; cum revera indoctus sit. Aut si in dispensatione Consanguinitatis exprimat moveri ob jacturam honoris, quam pateretur quella, adeo ut *innupta remaneret*, cum revera non sit: & sic de similibus; gratia irrita foret, etiam addito Motu proprio, quæ Clausula semper inniti debet in veritate relationis. Ita ex communi effato: *Multa expressa nocent, quæ tacita nocere non possent*, docent Menochius *de Arbitr. lib.* 2. *Cent.* 3. *casu* 201. *n.* 83. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 12. *num.* 15. & Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 21. *quæst.* 3. *n.* 52.

16 Dividitur 11. in privilegium absolutè concessum, & in concessum sub conditione, aut modo. Absolutè concessum dicitur illud, quod sine ullo onere conceditur, ita ut privilegiatus ad nullum onus teneatur. Concessum verò sub conditione, aut modo illud est, quod sub onere aliquod opus efficiendi conceditur.

Controverti hìc solet; an omissio operis faciendi, sub quo onere concessum est privilegium, irritet usum illius? Verùm cum distinctione dirimenda lis est: si opus faciendum debet antecedere usum illius, utique omissio operis irritum reddet usum privilegii; sic si conceditur alicui facultas dispensandi, absolvendi sub onere petendi consilium; & ante dispensationem, aut absolutionem petitum non fuerit; irritus erit usus dispensandi, & absolvendi; nam consilium natura sua debet præcedere usum. In quo advertendum: quòd si onus sit petere consilium, & quis antecedenter petat, quamvis illud non sequatur; *validus* erit usus; eo quia petere consilium non importat necessariò sequi illud, sed ut meliùs instructus possit prudentiùs operari. Secus verò si onus sit, dispensare, aut absolvere de consensu alterius, aut cum consensu alterius, tunc necessariò sequi debebit ejus consensum, aliàs usus erit invalidus. Si tamen opus faciendum sequi possit usum privilegii; tunc omissio operis non irritabit usum privilegii; sic valida erit absolutio data à Reservatis cum obligatione postea comparendi, etiamsi absolutus omittat comparere; qui tamen graviter peccabit, quia sub tali onere concessum fuit privilegium, & favor absolutionis. Sic etiam absolutio data cum onere lucrandi Jubilæum, quod absolutus habet animum lucrandi, quamvis postea omittat lucrari: ratio est, quia quando opus subsequi potest usum privilegii, non requiritur ut conditio sine qua non ad concedendum privilegium, sed ut purum onus privilegii. Secus verò si antecedere debet usum privilegii, requiritur ut conditio sine qua non ad privilegium concedendum. Sic Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 13. *num.* 6. referens Glossam, Felinum, & Federicum de Senis.

Dividitur 12. in privilegium ad instar, & privilegium 17
per Communicationem. Dicitur privilegium ad instar, quando ad similitudinem alterius conceditur: quapropter hoc privilegium extendendum, aut limitandum erit juxta exemplar, ad cujus similitudinem concessum fuit: hanc etenim intelligentiam, & significationem importare videtur particula ad instar: ut docent Navarrus *in Comment. Jubil. notab.* 26. *n.* 2. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 15. *n.* 2. Bonac. *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 1. *n.* 20. & Castrop. *de privileg. disp.* 4. *pun.* 2. *§.* 8. *n.* 1.

Advertendum tamen 1. ad valorem privilegii ad instar requiri de necesse, ut exemplar, ad cujus instar concessum est; revera habeatur: nam si detur Casus, quòd non detur tale exemplar, aut inveniri prorsus nequeat; nullum erit privilegium ad instar, si absque expressione particulari, sed generaliter tantum loquatur Concedens: ratio est, quia cum hoc secundum privilegium totum ordinetur ad aliud, nec exprimat Concedens quid concedat; aliunde sciri nequit medio exemplari; inde est, quòd nullum sit; maximè quia privilegium debeat esse de re certa, & determinata. Si tamen favor, & gratia exprimatur in illo à Concedente, ut si Concedens diceret, talem ac talem facultatem, & gratiam concedo ad instar privilegii alterius; tunc etiamsi non detur tale privilegium exemplare, valebit nihilominus quoad expressa in eo privilegium ad instar: ratio est, quia error demonstrationis non vitiat, nec irritat concessionem satis explicatam; cum non apponatur demonstratio, ut conditio, sed exempli gratia. Sic Felinus *in cap. Quoniam Abbas, de Offic. delegat. num.* 11. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 15. *num.* 7. Mendosa *de privileg. ad instar quæst.* 7. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 1. *n.* 20. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 2. *§.* 8. *num.* 2. *&* 4.

Advertendum 2. quòd si exemplar ad cujus instar privilegium concessum fuerit; usu, vel abrenunciatione, aut privatione vim suam amiserit, aut diminutum fuerit; non ideo illam amittit privilegium ad instar, aut diminuitur: ratio est, quia est nova concessio, & nova communicatio privilegii, quorum unum non pendet à duratione alterius. Sic Corduba, Miranda, Rodriquez, Molfesius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 4. *versic. Adverto* 2. E contra tamen, si augeatur exemplar post concessionem privilegii ad instar, non ideo tamen augetur istud: ratio est, quia Concedens intendebat se conformare in concessione exemplari secundum statum, quem tunc habebat; non verò quem habiturum erat. Sic Doctores superiùs citati, & Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 16. *n.* 17. *in fine*.

Privilegium per communicationem illud est, quod dat facultatem communicandi cum privilegio alteri concesso: imò dari potest privilegium communicandi cum privilegio concedendo, & de facto à S. Pio V. in sua Bulla, quæ incipit: *Cum indefesse*; datum est privilegium societati Jesu, non solùm communicandi cum privilegiis aliarum Religionum, jam ipsis concessis; verùm etiam ipsis concedendis. Necessariò tamen hoc erit exprimendum à concedente, aliàs non communicabit, nisi statum actualem tantum. Communicatio autem privilegii triplici modo evenire potest. 1. est, quando unum, & idem privilegium, quod extendebatur ad paucas personas, æquè extendatur ad plures; aut si extendebatur ad unam Religionem; æquè extendatur ad plures. Hoc autem non importat novam privilegii concessionem, aut multiplicitatem privilegiorum; sed potiùs aggregationem plurium personarum sub eodem privilegio. Hinc tamen fit: quòd cum privilegium sit idem, si augeatur, vel minuatur illis paucis personis, quibus fuit concessum; augetur, vel minuitur etiam illis pluribus, ad quas extensio facta est, ut per se patet. 2. Modus est, si extensio non fiat ad plures personas æquè primò, & principaliter, ut diximus in primo modo, sed secundario, & minùs principaliter, ac accessoriè. Sic extenditur privilegium concessum Religiosis Viris ad Moniales; & privilegium concessum dominis, ad servos eorum. Hinc quoque fit, quòd aucto, vel diminuto privilegio *in principalibus*, & primariis augeatur, vel minuatur in accessoriis, & secundariis. 3. Modus

est;

est : quando principaliter conceditur privilegium communicans cum alio per novam concessionem ; solet autem dici per Communicationem , quia est ad similitudinem alterius privilegii alteri concessi , cum quo videtur communicare . Revera tamen erit Privilegium ad instar , quod jam explicuimus ; & in hoc sensu communicari solent privilegia unius Religionis alteri Religioni : ut rectè adnotat Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 3. §. 9. num.* 1.

18 Hæc tamen diligenter observanda circa Communicationem Privilegiorum . 1. quod numquam privilegium uni Religioni concessum censeri possit alteri Religioni communicatum , si ex communicatione labefactetur observantia propria Religionis Communicantis : cum Pontifex non intendat per privilegiorum concessionem Religiones destruere . Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 17. num. 3.* Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 55. art. 2. 2.* Si in Privilegio alicui Religioni concesso cautum sit , ne habeatur Communicatio , nequibunt aliæ Religiones habentes Privilegium Communicationis communicare cum isto privilegio ; nisi per specialem causam huic prohibitioni derogetur . Sic Suarez *loc. cit. num.* 8. & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 2. §. 9. num. 3. 3.* Restrictionem factam Religiosis Societ. Jesu à Gregorio XIII. in sua Bulla , quæ incipit : *Ad futuram* ; ne possint suis Privilegiis uti , nisi quantum ipsis concessum fuerit à Præposito Generali ; non extendi ad alias Religiones habentes Privilegium Communicationis : quia restrictio ista non respicit concessionem Privilegii , sed usum ipsius ob specialem modum regendi subditos, quo utitur Societas, adeoque absque alia restrictione poterunt cæteræ Religiones habentes privilegium communicandi participare cum Privilegiis Societatis Jesu . Sic Rodriquez *l. c. art.* 17. *versiculo Secundum dubium* , Suarez *l. c. num.* 6. & Castropalaus *l. c. num.* 4. 4. non solùm communicari posse Privilegia , sed etiam Jubilæa , & Plenarias Indulgentias , ac gratias concessa alicui Religioni in Festivitate sui Sancti Fundatoris , & aliorum Sanctorum , ac Vocationis suæ Ecclesiæ , & Tituli proportione servata : præcipuè si habeatur facultas non servandi Interdictum , hic enim est præstans fructus Communicationis Privilegiorum . Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 17. num.* 7. Rodriquez *l. c. num.* 20. adducens Bullam Julii II. hoc declarantis , & Castropalaus *l. c. num.* 5.

19 Resolvenda hìc remanent nonnulla spectantia ad Privilegii jam concessi Confirmationem , quæ quidem confirmatio duplici modo fieri potest à Concedente , & Confirmante : 1. ex certa Scientia , hoc est cognoscendo priùs circumstantias , & qualitates Privilegii , quod confirmat . 2. in forma communi , hoc est non præmittendo hanc Scientiam , & notitiam circumstantiarum , & qualitatis Privilegii . Ut autem Privilegium possit dici confirmatum ex certa Scientia , debet Confirmans vel in actu signato exprimere , se ex certa scientia illud confirmare ; vel per verba æquivalentia id significare : ut si diceret se confirmare illud ex plenitudine potestatis ; vel non obstante quacumque Lege contraria ; aut in actu exercito inferendo tenorem privilegii , quod confirmare vult , in ipsa Confirmatione . Si enim signatè , aut exercitè id non exprimeret Confirmans ; non diceretur Privilegium ex certa Scientia confirmatum , sed in forma communi , hoc est eodem tenore , ac modo , quo concessum fuit , & observatur . Sic Glossa *in Cap. Venerabilis , de Confirm. util.* Bartolus *in Leg. Privilegia , Cod. de Sacrosan. Eccles.* Felinus *in Cap. Nonnulli , de Rescript.* Suarez multos referens *lib. 8. de Legib. cap. 18. num.* 5.

20 Jam verò si Privilegium ex certa Scientia confirmatum fuerit , talem vim , & efficaciam habet , ut si fortè usu , vel alia via amissum , & deperditum fuerit renovetur : ratio est , quia aliàs inutiliter , frustraneè , & absque speciali effectu ponerentur verba illa ex certa Scientia ; maximè si adderetur de plenitudine potestatis . Sic Tuscus *verb. Confirmatio ex certa Scientia* , Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 18. num.* 12. & alii ab ipsis relati . Si tamen in forma communi confirmatum fuerit ; non habebit talem vim , & effectum : ratio est ; quia non intendit Confirmans privilegium de novo concedere , sed quod factum est , & concessum fuit approbare ; si fortè aliquid sit , quod approbari possit ; adeoque supponit ejus existentiam , valorem , & usum, quæ si non habet, non tribuit de novo . Sic *ex Cap. 1. Cap. Quia diversitatem , de Concess. Prebend. & Cap. examinata , de Confirm. util. & inutil.* docent Riccius , Felinus , Suarez , quos refert , & sequitur Castropalaus *de Legib. disp. 4. pun. 2. §. 10. num.* 2.

Petes 1. an Privilegium subreptione obtentum , aut per Concilium Generale revocatum intelligatur confirmatum , si ex certa Scientia confirmatum fuerit ? Resp. negativè ; ratio est , quia quod subreptione obtentum fuit , numquam fuit concessum ; & confirmatio supponit concessionem , Confirmans enim privilegium concessum confirmare intendit . Insuper quia non præsumitur cognitus à Confirmante defectus subreptionis, qui commissus fuit In consecutione privilegii ; nisi Concedens expressè diceret , non obstante quacumque priori subreptione . Sic Panormitanus *in Cap. Inter dilectos , de Fide instrum. num. 8.* Felinus *in Cap. 2. de Rescript. num.* 42. Rota *tract. de Confirm. util. vel inut. decis. 2.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 19. num. 3.* Idem dicendum de Privilegio à Concilio Generali revocato: ratio est, quia non est præsumendum, quòd velit derogare Confirmans Legi à Concilio stabilitæ ; nisi expressè apponat in Privilegio ex certa scientia confirmante clausulam illam , Non obstante Constitutione in contrarium Concilii Generalis . Sic Suarez *l. c. num.* 5. Rodriquez *tom. 1. Regul. Quæst. quæst. 8. art.* 10. & alii penes ipsos . 21

Petes 2. an Privilegium confirmandum , quod nullum sit , sive ob specialem revocationem Concedentis , sive ob renunciationem factam ; si insertum fuerit in Confirmatione ; renovetur , & robur accipiat ? Resp. quamvis Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 19. num.* 4. doceat, non remanere confirmatum , nec renovari ; nisi specialis mentio fiat revocationis , aut renunciationis : eo quia non tenetur scire Confirmans, quæ sunt de re, & facto speciali ; & præsumitur ea ignorare *ex Cap. 1. de Constit. in 6.* aut nisi addatur Clausula , non obstantibus . Nihilominus probabilius puto , confirmari , & renovari ; ratio est , quia tenor privilegii insertus in Confirmatione æquivalet Clausulæ illi , ex certa scientia ; ergo si Clausula ex certa scientia per ipsum Suarez , & alios supra relatos renovat privilegium , ac vim , & efficaciam illi tribuit ; etiam hoc præstabit tenor Privilegii insertus in Confirmatione . Sic expressè Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 2. §. 10. n. 5.* 22

Petes 3. Quid importent Clausulæ illæ , supplendi omnes Juris , & facti defectus , si qui intervenerint ; & dummodo Decretis Concilii Tridentini contraria *non sint* ? Resp. clausulam illam supplendi omnes defectus Juris , & facti , qua usi sunt Paulus IV. & Sixtus V. in confirmatione Privilegiorum PP. Minorum ; & Gregorius XIV. & Paulus V. in suis Constitutionibus pro Societate Jesu ; non addere aliquid speciale supra confirmationem factam ex certa scientia , apponitur ergo majoris claritatis gratia . Nam per talem clausulam non suppletur defectus subreptionis , *si quis interfecit*; cum nequeat illum supplere privilegium confirmatorium; nec suppletur defectus habilitatis , *quia non habetur de eo specialis notitia* ; nec supplentur alii defectus naturales , quia saltem licitè *suppleri nequeunt* ; ergo constat ad majorem claritatem apponi clausulam illam . Sic Hostiensis *in Cap. 1. de Transact.* Felinus *in Cap. Scisciteris , de Rescript. num.* 4. Suarez , Rodriquez , quos refert , & sequitur Castropalaus *de privileg. disp. 4. pun. 2. §. 10. num. 6.* Clausulam verò illam: dummodo Decretis Concilii Tridentini *contraria non sint* , quæ reperitur in pluribus confirmationibus privilegiorum Religiosis Ordinibus concessorum ; solùm excipere à confirmatione ea privilegia , quæ specialiter opponuntur revocationi factæ à Tridentino , & hoc modo *contraria* sunt ejus decretis : nam quæ specialiter à Tridentino revocata non fuere , cum non sint ipsi simpliciter contraria ; per privilegium confirmatorium intelliguntur confirmata . Sic docet aliis relatis Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 8. art. 6.* 23

CAPUT III.

Quis Privilegia concedere possit, & cui ; & an requiratur causa ad Privilegium concedendum?

1 *Ille tantùm privilegia concedere potest, qui Leges condere potest.*
2 *Potestas concedendi privilegia requirit potestatem Jurisdictionis.*
3 *Concedens privilegium debet habere jurisdictionem in privilegiatum saltem ratione materiæ.*
4 *Primarii Legislatores possunt privilegia concedere, etiam derogantia Juri communi.*
5 *Privilegia dispensativa Legis solis personis subditis concedi possunt, Privilegia verò concessiva, etiam non subditis concedi possunt,*
6 *Privilegium absque causa concessum validum est,*
7 *Concessum tamen sine causa est illicitum,*

1 ILLE tantùm privilegia concedere potest, qui leges condere potest ; adeoque solius Legislatoris erit privilegia concedere ; nam vel privilegia sunt dispensativa in lege, quia eximunt ab obligatione illius ; & clarè patet, hanc dispensationem, & exemptionem ab obligatione legis debere esse à Legislatore, sive ab ejus superiore, aut æquali, vel etiam inferiore juxta facultatem sibi concessam. Vel privilegia sunt concessiva facultatis extra Jus commune, vel municipale; & etiam ista debent esse à Legislatore, qui solus potest ferre legem obligantem subditos ad non impediendum privilegiatum in usu sui Privilegii ; ergo semper privilegium debet esse à Legislatore. Sic Suarez *lib. 8. de leg. cap. 8. nu.* 2. Salas *disp.* 17. *sect.* 3. *num.* 17. Azorius 1. *par. lib.* 5. *cap.* 22. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 234. & alii passim.

2 Hinc infertur 1. potestatem concedendi privilegia requirere potestatem jurisdictionis ; quapropter si quis privatus usum rei propriæ alteri concederet, ut facultatem lignandi in propria sylva alteri tribueret ; non indè diceretur proprie, & strictè privilegium illi concedere : cum nec concedens hanc facultatem habeat jurisdictionem in illum, nec ille sit subditus concedenti ; quæ requiruntur ad rationem privilegii proprie, & strictè sumpti ; ut bene adnotat Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2. *num.* 4. *in fine*.

3 Infertur 2. quòd si concedens privilegium jurisdictionem non habeat in illum, cui concedit, cum non sit ejus subditus ; saltem habere debet ratione materiæ sibi subjectæ, & circa quam lex lata fuit, à cujus obligatione eximitur *suo modo* privilegiatus non subditus. Sic Princeps Legislator, qui legem tulit, ne è suo Regno extraherentur frumenta, vina, equi, arma ; poterit etiam non subditis concedere privilegium extrahendi illa; quod quidem privilegium erit revera purè concessivum, non verò dispensativum ab obligatione legis.

4 Infertur 3. tam Pontificem, quàm Imperatorem, Reges, & alios Legislatores primarios posse directè privilegia concedere existentibus in suis Regnis, & ditionibus. Insuper Pontificem non solùm posse in temporalibus privilegia concedere pro suis ditionibus directè, sed etiam indirectè, quatenus scilicet ordinantur ad spiritualia pro ditionibus aliorum. In spiritualibus verò posse directè omnibus Christi fidelibus, & ubique privilegia concedere. Denique posse Pontificem, Imperatorem, Reges, & primarios Legislatores privilegia Juri Communi derogantia concedere ; Episcopos verò, & alios Legislatores subordinatos posse tantùm privilegia concedere legibus à se statutis derogantia, non verò Juri Communi. Sic ex Suarez, Salas, Azorio, & Bonacina docet Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 4. *num.* 1. *in fine*.

5 Personæ, quibus privilegia concedi possunt dispensativa legis, & contra Jus, à cujus obligatione eximunt ; debent esse subditæ concedenti : ratio est, quia illi per privilegium eximi possunt ab obligatione legis qui ligantur ab illa ; sed soli subditi ligantur ab obligatione legis ; ergo soli subditi eximi, & solvi poterunt à tali obligatione. Privilegia verò concessiva, & quæ non eximunt directè ab obligatione legis ; aut sunt præter jus, non verò contra illud ; poterunt concedi personis non subditis; qui quidem actus concessionis non est propriè actus Jurisdictionis, sed potiùs donationis alicujus facultatis. Hæc autem privilegia, ut dixi, semper debent esse de materia subjecta Concedenti, ratione cujus fit aliquo modo privilegiatus subditus Concedenti.

6 Causa ad privilegium concedendum requiri potest, vel ob ejus valorem, vel ob ejus licitam concessionem. Si de valore privilegii loqui velimus, poterit utique validè concedi absque ulla causa : ratio est, quia vel privilegium est dispensativum suæ legis, & sicuti potest legislator totam legem à se latam abrogare, sic poterit ejus obligationem limitare quoad aliquas personas, quas vult eximere. Si verò est Concessivum, cum sit purum beneficium legislatoris, & de rebus sibi subjectis ; indè est, quòd solùm ab ejus voluntate pendet. Quamvis aliter discurrendum sit in concessione Indulgentiarum ; cum enim concedens non disponat nomine proprio, sed Christi ; ideò non censetur Christus dispositioni factæ consentire de suis meritis, & aliorum Sanctorum ; nisi ex justa, & rationabili causa fiat. Sic ex communi sententia docent Suarez, Salas, Sanchez, relati à Castropalao *de Privileg. disp.* 4. *punct.* 5. *numer.* 2.

7 Si tamen sermo sit de licita Privilegii concessione, semper requirit causam, absque qua licita nequibit esse concessio : ratio est, quia si privilegium est dispensativum legis communis, ex se patet debere requirere causam, aliàs legislator non servaret justitiam distributivam, quæ servanda est : nec pro suo libito, & voluntate procedere debet in exemptione ab obligatione absque legitima causa. Si verò privilegium sit purè concessivum, ac merum beneficium Principis ; etiam requirit causam honestantem, & reddentem licitam concessionem, quamvis nec Juri Communi deroget, nec Juri tertii : nam vel in vitium prodigalitatis incideret, vel acceptationis personarum cum occasione perturbationis, & invidiæ in reliquis privilegium non habentibus : ut rectè ponderant Suarez *lib. 8. de legib. cap.* 21. *num.* 2. Salas *disp.* 17. *sect.* 4. *num.* 29. & Castropalus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 5. *num.* 1. Causa autem, ut advertit Salas non est necesse, ut immediatè respiciat bonum commune ; sufficit enim, ut mediatè referatur ad illud, cum privilegium sit privata lex immediatè respiciens privatum bonum. Advertit insuper, numquam præsumendum esse de legislatore, quòd privilegium concesserit sine causa ; nam delictum numquam præsumendum est, præcipuè de Principe ; & delictum esset, privilegium sine causa concedere, ut ostendimus.

CAPUT IV.

An ad Privilegium obtinendum, vel Dispensationem requiratur scientia, aut mandatum Privilegiati ? & an ante acceptationem vim habeat?

1 *Ad validitatem Privilegii, aut dispensationis non requiritur scientia, aut mandatum privilegiandi, aut dispensandi.*
2 *Imò per se loquendo obtineri possunt pro invito, & nolente,*
3 *Privilegium ante acceptationem vim non habet, nisi concessum fuerit per modum Legis, Statuti, aut Constitutionis, vel in remunerationem operis præscripti.*
4 *Non potest validè Privilegiatus uti privilegio sibi absenti concesso; nisi ei constet, acceptatum fuisse à suo Procuratore, vel Nuncio.*
5 *Valida sunt gesta à Privilegiato facta post acceptationem Procuratoris, aut Nuncii,*
6 *Non est necessaria acceptatio, si privilegium concessum fuerit per modum Legis, Statuti, Constitutionis, vel in remunerationem operum præstitorum,*
7 *An Privilegiatus uti possit privilegio cum gravamine alterius concesso, antequam innotescat huic privilegium.*

1 NON requiritur ad validitatem privilegii, vel dispensationis, quòd obtineatur cum scientia, aut mandato illius, in cujus favorem cedit ; adeoq; validum erit privilegium, aut dispensatio collata absque scientia, vel mandato privilegiati : ratio est, quia ad validitatem, tum privilegii, tum dispensationis sufficit jure naturæ voluntas concedentis ; & aliunde à nullo Jure positivo requiritur scientia, & mandatum privilegiati ; ergo sine his validè consistere poterit

tum

tum privilegium, tum dispensatio : sic Navarrus, Sà, Azor. Salas, Sanchez, Filliuccius, Layman, Rebuffus, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 3. nn.* 1. contra Baldum, Panormitanum, & alios,

2 Imò validè obtineri poterit privilegium, aut dispensatio pro invito, & nolente per se loquendo ; nam eædem militant rationes, quæ militant pro inscio ; & sicuti lex ferri potest ab habente facultatem in invitum, & nolentem; ita exemptio legis poterit fieri ab habente facultatem in favorem inviti, & nolentis. Dixi per se loquendo, nam ex congruentia, & per accidens non debet privilegium, aut dispensatio conferri invito, & nolenti : eo quia non poterit executionem habere, nisi dependenter ab ejus acceptatione; & nolens, ac invitus poterit privilegium *non* acceptare, imò illud despicere. Licèt dari possit casus in quo superior invitum adstringere possit ad utendum privilegio concesso : verùm talis coactio potiùs saperet rationem præcepti, quàm privilegii, vel dispensationis. Sic ex Salas, Suarez, Rodriquez, Avila, & aliis docet Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 3. num. 4. & de Censuris disp. 1. quæst. 3. pun. 4. num. 3.*

3 Privilegium antè acceptationem privilegiati, aut procuratoris, vel nuncii vices ejus gerentis vim non habet; nisi fuerit privilegium per modum legis, statuti, & constitutionis concessum, aut in remunerationem operis præstiti, ut infra ostendam : ratio est, quia privilegium gratiosè concessum importat veluti quamdam donationem; sed donatio vim suam non habet, nisi acceptetur à donatario, vel ejus procuratore, aut nuncio, ut habet communis doctrina de contractibus; ergo privilegium gratiosè concessum vim suam habere non poterit ante acceptationem privilegiati, aut ejus procuratoris, aut nuncii. Confirmatur *ex argum. Cap. Si tibi absenti, de Prabend. in 6.* ubi statuitur : Jus in beneficio, quod confertur absenti, non acquiri donec absens ratam habuerit collationem. Sic Hostiensis, Covarruvias, Bartolus, Jason, & alii, quos refert, & sequitur Menochius *lib. 2. de Arbitr. centur. 2. casu* 185. *nu.* 31. Salas, Layman, Innocentius, Sanchez, Suarez, Azor. Vasquez, Mandosius, Rota apud Puteum, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst. 3. pun. 3. num.* 5.

4 Hinc fit 1. non posse privilegiatum validè uti privilegio sibi absenti concesso à privilegiante ; si certior fieret de concessione illius per alium, qui fortè audierit à privilegiante concessionem, absque eo quod esset vel procurator, aut nuncius ad hoc designatus, vel à privilegiante, aut à privilegiato : ratio est, quia nec est procurator, nec nuncius legitimè designatus ad hoc munus. Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 36. num.* 7. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 104. & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst. 3. pun. 3. num.* 5. *in fine*. Eodem modo invalidè celebratur Matrimonium coram eo Sacerdote, qui factus est certior de licentia sibi concessa ab ordinario, vel à Parocho assistendi Matrimonio per alium etiam fide dignum, qui nec sit nuncius à se missus, nec à Parocho : ut docent Sanchez *loc. cit. nu.* 8. & Bonacina *loc. cit. nu.* 9. Quamvis ipsemet Bonacina *loc. cit. num.* 8. *in fine*, concedat, quòd si Vir fide dignus testetur privilegium, aut dispensationem concessam fuisse à legislatore nuncio misso à privilegiato, qui concessam dispensationem acceptavit; possit validè illa uti : eo quia jam constat de validitate dispensationis, aut privilegii, quòd videlicet concessa fuerit ab habente potestatem, & acceptata à nuncio ad hoc designato, qui quidem casus differt ab aliis superiùs assignatis, & propositis.

5 Fit 2. valida esse gesta, quæ à privilegiato fiunt, postquam per ejus nuncium, aut procuratorem acceptatum fuit privilegium, aut dispensatio ; etiamsi ignarus sit privilegiatus concessionis jam factæ, quam nondum scierit : ratio est, quia semel ac privilegii concessio acceptata fuit à nuncio, vel procuratore à privilegiato misso, valida est quoad suos effectus præstandos à tempore acceptationis : supponitur namque privilegium datum nuncio dari ipsi privilegiato mittenti ; & acceptantem à nuncio acceptari ab ipso mittente ; ergo gesta facta pro eo tempore valida erunt. Licèt privilegiatus utens sic privilegio illicitè operaretur ; eo quia exponeret se periculo faciendi contra legem, dum nescit concessionem sibi factam, & operatur. Sic Sanchez *in Decal. lib. 4. cap.* 48. *num.* 7. Sylvester, Sotus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst. 3. pun. 3. num.* 6. quamquam oppositum sentiant Suarez, & Vasquez.

6 Si Privilegium concessum fuerit per modum Legis, Statuti, aut Constitutionis, aut concessum fuerit in remunerationem operum præstitorum ; non est necessaria acceptatio, & sine ipsa validè consistere poterit privilegium : ratio est, quia, ut diximus, non necesse requiritur ad valorem legis, ut à singulis acceptetur; ergo si privilegium per modum legis conceditur, validum erit absque acceptatione. Quòd si concedatur in remunerationem, & mercedem operum præstitorum ; nec indiget ad sui valorem acceptatione : eo quia non ex mera liberalitate, & gratuita donatione conceditur ; adeoque præsumitur, privilegiatum ad hunc finem direxisse opera præstita, & consequenter habere affectum, & propositum ad privilegium obtinendum, quod non solùm virtualiter acceptat per opera præstita, sed etiam præacceptat. Sic Azor. Bartolus, Imola, Menochius, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 3. num.* 55. *in fine*.

7 Controverti hìc solet : an privilegiatus uti possit privilegio concesso cum damno alicujus, antequam huic innotescat privilegium concessum? Et quamvis nonnulli cum Bertio *Cap. 2. de Constit. num. 28. versic. Item declaratio*, sustineant non posse uti, quia necessaria est notitia privilegii in patiente incommodum. Nihilominus vera sententia docet, posse uti : ratio est, quia privilegium non debet acceptari ab eo, in cujus incommodum, & damnum vergit; sed ab eo, in cujus commodum, & utilitatem cedit; adeoque parum refert, si sciatur à patiente damnum, & incommodum, cum non possit ab ipso impediri. Sicuti in donatione non requiritur, ut donationem sciat ille, in cujus incommodum vergit; sed quòd eam sciat donatarius, qui acceptare debet, & utilitatem percipere. Sic Abbas, Felinus, Menochius, Mantica, Bartolus, Sanchez, quos refert, & sequitur Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 3. nu. 16.*

CAPUT V.

An ad validitatem Privilegii requiratur Scriptura, aut Notitia, seu Promulgatio illius?

1 *Privilegium à Legislatore concessum non requirit per se loquendo ad sui valorem Scripturam.*
2 *Valida est pro foro conscientiæ concessio facta à Pontifice subscribente supplicationem admissam verbo, fiat, aut placet.*
3 *Requiritur Scriptura ad Privilegium, si Lex, Consuetudo, aut Usus eam requirant.*
4 *Promulgatio Privilegii necessaria est respectu illorum, qui vel ex jure naturæ, vel ex præcepto tenentur non impedire.*
5 *Respectu Privilegiati requiritur promulgatio Privilegii, si per modum legis ipsi concessum fuerit.*

LOQUIMUR de privilegio à Legislatore concesso, non verò Consuetudine acquisito : nam ex se patet, in privilegio consuetudine comparato nullam aliam scripturam reperiri posse, aut promulgationem præter actus repetitos, qui consuetudinem inducunt. Consuetudo namque non est lex scripta, sed præscripta ; & privilegium per ipsam acquisitum non erit scriptum, sed præscriptum. Privilegium ergo à legislatore concessum non requirit ad sui valorem necessariò scripturam; nisi aliunde usu, aut consuetudine, vel ex præcepto legis statuatur, necessariò requiri : ratio est, quia valor privilegii totus desumitur ex voluntate Concedentis ; ergo posita concessione sive verbis, sive aliis signis manifestata absque scriptura suum valorem habebit privilegium : sicuti positis signis manifestantibus voluntatem donantis absque scriptura valida erit donatio. Sic *ex Clement. Dudum, de Sepult. & ex extrav. Et si Dominici, de Pœnit. & Remiss. & ex Cap. Institut. 25. quæst. 2.* colligunt Navarr. *lib. Consil. tit. de Privil. consil.* 1. *nu.* 1. Molina *lib. 2. de Primog. cap. 7. numer.* 15. Mascardus *de Probat. verb. Gratia, concl.* 845. *art.* 14. Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 2. numer.* 2. Salas *disp.* 17. *sect. 2. num.* 20. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 29. numer.* 2. Molina Theologus *tom. 3. de Just. disp.* 599. *numer.* 1. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst. 3. pun. 4. numer.* 49. & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. §. 1. numer.* 1. 1

Hinc colligitur ; statim ac Pontifex supplicationem admittit, & facultatem in ea petitam concedit subscripto verbo placet, aut fiat, validam esse concessionem 2

pro foro conſcientiæ, & in ſe formaliter perfectam eſſe, ac jus acquirere per eam impetrantem ſtatim ac acceptat, ut conſtat *ex Cap. Si probè, de Reſcript. in 6. & ex Cap. final. de Conceſſ. Præbend. in 6.* ac ex capitibus ſupracitatis; ita ut à puncto conceſſionis proſit facultas, etiamſi litteræ expediantur in forma poſt-mortem Pontificis concedentis ab ejus ſucceſſore: ut ex Sanchez, & Filliuccio docet Bonacina *de Legib. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 4. num.* 49. Non nego tamen, conceſſionem verbo tenus factam à Pontifice informem, & imperfectam eſſe quoad forum externum, ac judicium; niſi litteræ expeditæ fuerint in forma, ut ſatis clarè conſtat *ex Regulis Cancellariæ* 25. 50. & 53. quibus cavetur: Gratias à Pontifice factas litteris non expeditis non ſuffragari in judicio, nec extra; hoc eſt, non ſuffragari in foro externo publico tam in judicio, quàm extra judicium; non verò in foro conſcientiæ occulto, & ſecreto: ut rectè adnotat Caſtropalaus *de Privileg. diſp. 4. punct. 3. §. 1. num.* 2. Adnotat etiam ex Maſcardo, & Azevedo, hanc reſtrictionem ſolùm militare pro conceſſionibus Pontificiis, pro quibus extant ſpeciales leges; non verò pro conceſſionibus factis ab inferioribus Prælatis, aut à Regibus, & ſæcularibus Principibus, ſi ſufficienter probentur per teſtes.

3 Superiùs dixi per ſe loquendo non requiri ſcripturam ad valorem privilegii, niſi uſus, conſuetudo, aut lex oppoſitum ſtatuant. Quapropter reſtringenda erit 1. doctrina tradita in beneficiis collatis, confirmatis, aut unitis à S. Sede, quorum poſſeſſio apprehendi non poterit etiam in foro conſcientiæ, niſi expeditis litteris: nam ſine illis totum eſt irritum, nec poſſidens facit fructus ſuos, imò beneficiis obtentis privatur: nec juvari poterit annali, biennali, aut triennali poſſeſſione; quia eſt intruſus, & violentus poſſeſſor: ut conſtat *ex extravag. Incurriſti, de elect.* juncta Conſtit. Pauli III. quæ incipit: *Cùm nobis*, & Conſtit. Julii II. quæ incipit: *Romani Pontificis*. Quamvis non ſit facienda extenſio ad beneficia collata ab Inferioribus Prælatis litteris nondum expeditis; ſumus enim in odioſis, & odia reſtringenda: ut ex Sanchez, Suarez, Azorio, & aliis docent Bonacina *de Legib. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 4. num.* 50. & Caſtropalaus *de Privileg. diſp. 4. pun. 3. §. 1. num. 3.* 2. reſtringenda erit in Judicibus ſignatis à Romano Pontifice, qui ad judicandum conſtituuntur; non enim juriſdictionem acquirunt ad judicandum, nec judicium inchoare poterunt, niſi expeditis litteris *ex Regul. 25. Cancellariæ. 3.* in facultate non reſidendi in beneficiis curam animarum habentibus; quæ ut valida ſit, debet fieri ex cauſa, & in ſcriptis ex Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform. 4.* in facultate ingrediendi intra ſepta Monaſterii, quæ valida non erit; niſi in ſcriptis obtenta fuerit ab Epiſcopo, aut alio ſuperiore, ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 5. de Reform.* & ſic de ſimilibus.

4 Promulgatio, ſeu notitia Privilegii neceſſaria quidem eſt reſpectu illorum, qui vel ex jure naturæ, vel ex præcepto in ipſo privilegio lato tenentur non impedire privilegiatum ab uſu privilegii ſibi conceſſo: ratio eſt, quia privilegium ſecundùm hanc partem habet rationem legis, aut præcepti; & obligatio legis, aut præcepti conſiſtere nequit, ubi non habetur ejus notitia, ut ſatis dictum fuit de legibus. Publicatio autem, ſeu promulgatio iſta debet eſſe ſolemnis, ſi privilegium ſit univerſali lege conſtitutum. Si verò particulari indulto, aut reſcripto conceſſum fuerit ſingularibus perſonis, aut etiam communitatibus, & ſi ſingularem favorem, & commoditatem contineat, ſufficiens erit ſingularis, & particularis publicatio; quæ aliàs ſufficere poſſit privilegiatis ad utendum privilegio, adeoque eadem ſufficere poterit non privilegiatis ad non impediendum privilegii uſum. Quia tamen regulariter privelegium occultè conceditur, & ſoli privilegiato innoteſcere ſolet; ideò manifeſtandum erit aliis, ut teneantur ad non impediendum privilegiatum abuſu illius. Poterit autem manifeſtatio fieri, vel oſtenſione publici inſtrumenti; vel per teſtes omni exceptione majores, qui teſtentur de conceſſione facta, & de litteris jam expeditis; aut privilegiatum uſum fuiſſe tali privilegio. Sic Sylveſter *verb. exemptio, quæſt. 5. & 7.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 24. num.* 10. Maſcardus *de Probat. concl. 445. num. 24.* & Caſtropalaus *de Privileg. diſp. 4. punct. 3. §. 2. num. 1.*

5 Reſpectu tamen ipſius privilegiati, quatenus videlicet privilegium eſt ejus favor, & beneficium; requiritur promulgatio, & notitia, ſi privilegium per modum legis ipſi conceſſum fuerit: ratio eſt, quia ſicuti lex promulgationem requirit, ita & privilegium ad inſtar legis conceſſum. Si verò per modum reſcripti concedatur, ſufficit, quòd acceptetur ab ipſo ſive immediatè, ſive mediatè per litteras, aut per ſuum procuratorem, vel nuncium juxta ea, quæ ſuperiùs diximus *cap. 4. num. 5. & 6.*

CAPUT VI.

De Materia, & effectibus Privilegii; & quomodo, ac quo loco Privilegiatus uti poſſit Privilegio.

1 *Materia Privilegii debet eſſe honeſta, & Rationabilis.*
2 *Enumerantur effectus Privilegii reſpectu diverſorum.*
3 *Non tenetur Privilegiatus uti privilegio ſibi ſpecialiter conceſſo.*
4 *Locus, ubi Privilegiatus uti poſſit Privilegio; attendendus eſt ab ejus tenore.*
5 *Limitatio loci colligi poteſt, tum ex verbis, tum ex fine, & motivo concedendi.*
6 *In dubio, an Concedens extendat Privilegium ad omnia ſua Regna; attendendus erit modus loquendi Concedentis.*
7 *An Privilegiatus uti poſſit Privilegio abſque terminatione loci conceſſo extra Territorium Concedentis?*
8 *An ſi Privilegium ſit diſpenſatio alicujus impedimenti, vel inhabilitatis ad functiones communes; poterit privilegiatus eo uti in quolibet loco?*
9 *An Privilegiatus uti poſſit ſuo privilegio adverſus alium Privilegiatum?*

1 MAteria privilegii, ut apta ſit ad illius validitatem, debet eſſe honeſta, & rationabilis, ut diximus de materia ad leges ſpectante: quod enim inhoneſtum, & irrationabile eſt, nec à lege publica, nec à privata reſpici poteſt, ut objectum proſecutionis. Debet inſuper eſſe favorabilis, nam privilegium ex natura ſua ſpeciale aliquod beneficium continere debet, adeoque ejus materia favorabilis eſſe debet, ſive ſit ad agendum aliquid, ſive ad non agendum; ſive ad recipiendum, ſive non recipiendum: ut docent Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 9. num. 1.* Salas *diſp. 17. ſect. 4. num. 29.* & alii paſſim.

2 Effectus privilegii, prout reſpicit privilegiatum; eſt facere aliquid, aut omittere; recipere, aut non recipere: ut patet conſideranti ſingula privilegia. Prout verò reſpicit Jus, contra quod conceditur; eſt derogare Juri, à cujus obligatione eximit. Denique prout reſpicit alios à privilegiato, eſt obligare illos, ne privilegiatum impediant ab uſu privilegii ſibi conceſſi. Sic communiter Doctores teſte Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 22. num. 2.*

3 Non tenetur privilegiatus uti privilegio ſibi conceſſo ſpecialiter: ratio eſt, quia quod in favorem alicujus factum eſt, non debet in gravamen, vel incommodum ipſius retorqueri, ut conſtat *ex Regul. 61. de Regul. Jur. in 6. & ex Cap. Si de terra, de Privil.* Et quamvis Clericus teneatur uti privilegio fori, & Canonis; ita ut non ſit liberum ipſi, occurrente caſu, non uti tali privilegio; hoc tamen non eſt contra doctrinam traditam: non enim cogitur ad utendum privilegio ipſi ſpecialiter conceſſo, ſed ſtatui Clericali, in cujus præjudicium cederet non uti tali privilegio; & ſemel ac non abdicat à ſe ſtatum Clericalem, nec abdicare poterit privilegium tali ſtatui conceſſum. Nec eſt contra doctrinam traditam dicere, quòd habens privilegium audiendi ſacrum tempore interdicti teneatur illud audire; & quòd Conjux habens votum caſtitatis, ob quod jure Matrimonii tenetur tantùm reddere, non petere debitum, ſi alter conjux adulterium commiſerit teneatur huic petenti debitum denegare. Nam hæc obligatio non provenit jure privilegii, prima ſiquidem provenit ex vi præcepti Eccleſiaſtici obligantis audire Miſſam ablato impedimento; ergo ſi per privilegium auferri poteſt impedimentum interdicti, tenetur illud auferre, & Miſſam audire. Secunda verò obligatio provenit ex vi voti obligantis ad ſervandam caſtitatem, quæ cum ſervari poſſit ablato jure petendi in altero conjuge ob adulterium commiſſum; inde eſt, quòd non poſſit conjux votum habens reddere tunc debitum. Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 23. num. 9. in fine*, & Caſtropalaus *de Privileg. diſp. 4. pun. 7. num. 3.*

4 Locus, in quo privilegiatus uti poſſit privilegio; attendendus erit ab ipſo tenore privilegii: nam ſi abſolutè conceſſum fuerit, & abſq; determinatione loci; poterit privilegiatus eo uti pro omni, & quocumque loco ſubjecto

Con-

Concedenti : ratio est, tum quia non est major ratio, cur pro uno loco Concedentis uti debeat illo, non verò pro alio eidem subjecto; tum quia concedens habebat facultatem illud concedendi amplè pro omni suo loco; ergo dum non restrinxit, nec locum determinavit, prudenter censendum erit pro omni suo loco concessisse, nisi adsit ratio positiva, aut alia lex restringens. Si verò concessum fuerit cum determinatione loci, non poterit ultra illum extendi; non enim extendi potest privilegium ultra intentionem concedentis, à qua totum suum valorem accipit. Sic qui obtinuit privilegium retinendi duo beneficia in tali Ecclesia, nequibit illud extendere ad aliam Ecclesiam; secus verò dicendum, si privilegium esset obtinendi duo beneficia absque determinatione Ecclesiæ, in quacumque enim Ecclesia posset ea obtinere. Sic Suarez *lib. 8. de leg. cap. 26. num. 2.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 28.* loquens in simili, quòd privilegium absque determinatione temporis concessum reputandum sit perpetuum, Bonacina *disp. 1. de leg. quæst. 3. pun. 5. num. 1.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 6. num. 1. & 2.*

5 Adnotandum hìc 1. limitationem loci juxta mentem Concedentis colligi posse tum ex verbis in privilegio appositis; tum ex fine, & motivo concedendi; tum ex materia circa quam conceditur. Quapropter si verba sint dubia circa locum, recurrendum erit ad finem, & materiam privilegii, ut tollatur dubietas : sic Pontifex concedens privilegium comedendi lacticinia in Quadragesima alicui Nationi ob piscium inopiam, si dubium exortum sit, quousque extendatur; bene resolvi poterit non extendi ad dubitantes, si piscibus abundant : eo quia motus fuit Pontifex ad facultatem illam concedendam ob piscium inopiam; adeoque præsumendum non erit, dum positivè probari nequit, ad locum piscibus abundantem voluisse extendere. Concluditur ergo ut certissima Regula, quod undecumque constet, concessionem esse pro loco determinato; non poterit ulteriùs extendi. Sic Suarez *lib. 8. de leg. cap. 26. num. 3.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 16. quæst. 3.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 5. n. 2. & 3.* Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 6. n. 2.*

6 Adnotandum 2. si concedens privilegium plura habeat Regna, & Provincias; & dubium exortum sit, an extendatur ad omnia, an verò aliqua; ob dubietatem tollendam recurrendum erit ad modum loquendi; nam si loquitur ut Princeps Regni alicujus, aut particularis provinciæ; ad hunc locum tantùm extendendum erit privilegium, non verò ad alia loca suæ ditioni subjecta : sic enim prudenter, & rationabiliter præsumitur ejus voluntas. Si verò loquatur ut Dominus omnium Regnorum illorum, & provinciarum; ad omnia loca suæ Ditionis censetur velle privilegium extendere. Sic Pontifex concedens ut pontifex, nec determinans locum; ad omnia loca Christianæ ditionis præsumitur velle privilegium extendere. Sic etiam Imperator loquens ut Imperator, nec locum determinans, privilegium censetur extendere ad omnia loca sui Imperii : ita expressè Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 5. num. 2.*

7 Quæres 1. an privilegiatus possit privilegio uti absque determinatione loci concesso extra Territorium Concedentis? Resp. certum esse, & sine controversia, privilegium absque determinatione loci à Summo Pontifice concessum in Jure Communi valere ubique Terrarum : quia Summus pontifex ut pastor universalis non habet determinatam Diœcesim, aut Territorium. Quod etiam intelligendum erit de illis, qui à Summo Pontifice facultatem habent sibi concessam dispensandi in Jure communi. Controversia ergo reducitur ad concedentes privilegium, & habent determinatum Territorium; ut sunt Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in suo Territorio. Quapropter dicendum puto, si privilegium concessum personale sit; posse privilegiatum eo uti extra Territorium Concedentis per se loquendo, dummodo non obstet specialibus statutis, & Constitutionibus loci illius respicientibus commune bonum : ratio est, quia privilegium personale, quod videlicet personæ conceditur ob aliquam ipsius conditionem, causam, & necessitatem; afficit personam, eamque sequitur, ac illi inhæret; ergo poterit persona illo uti in quocumque loco. Dixi per se loquendo, quia si extra Territorium haberetur specialis Constitutio prohibens usum illius ob bonum commune; teneretur privilegiatus ad non utendum illo, cum ejus privilegium non debeat esse contra bonum commune alterius loci, in quo reperitur. Sicuti Forenses quamvis non teneantur ad leges loci, per quem transeunt, nihilominus si bonum commune id exigat, aut grave scandalum oriretur; tenentur ad observantiam illarum, ut suo loco diximus. Sic Navarrus, Azor, Suarez, Sanchez, Salas, Guttierres, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. num. 4.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 6. num. 6.*

Si tamen usus privilegii illius non sit contra specialem Constitutionem loci, ubi privilegiatus reperitur; sed contra legem communem æquè obligantem in loco illo, ac alibi, poterit privilegiatus illum exercere liberè : ratio est, quia si obligatio eadem est in proprio Territorio, ac in alieno, semelac privilegiatus ea eximitur in proprio Territorio, etiam eximitur in Territorio alieno. Sic si Episcopus proprius concedit privilegiato ob rationabiles causas posse vesci lacticiniis, aut non jejunare diebus Quadragesimalibus; poterit privilegiatus eo uti in alieno Territorio non solùm in jejuniis Legis communis, sed etiam in jejuniis particularibus loci illius : ratio est, tum quia Episcopus concedens ex commissione Pontificis censetur concedere; ergo sicuti concedente Pontifice valeret privilegium pro omni loco, ita concedente Episcopo nomine Pontificis; tum quia in jejuniis particularibus loci illius non habetur strictior obligatio præ jejuniis legis communis; ergo si exemptus fuit nomine Pontificis à jejuniis legis communis, censetur pariter exemptus à jejuniis legis particularis. Sic Salas *de leg. disp. 17. sect. 10. num. 16.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 6. num. 8.*

8 Quæres 2. an si privilegium sit Dispensatio alicujus impedimenti, aut inhabilitatis ad functiones communes; poterit privilegiatus eo uti in quolibet loco? Resp. affirmativè : ratio est, quia ablato impedimento, quod habilitatem impediebat pro omni loco ad functiones communes; redit habilitas ad illas pro omni loco, non concedendo quidem privilegium pro omni loco, sed auferendo impedimentum, quod inhabilitabat pro omni loco. Sic Irregularis, excommunicatus, suspensus, qui nec ad Sacros Ordines, nec ad beneficia promoveri poterat, nec exercitium suorum Ordinum facere in quolibet loco, si dispensationem talium impedimentorum obtinuit, habilis erit in quolibet loco. Sic etiam Uxoratus impeditus à petitione debiti ob Castitatis votum, vel ob affinitatem contractam, si dispensationem obtineat, habilis erit ubique ad petitionem debiti : sic Sanchez *lib. 8. de Dispens. disp. 31. num. 17.* Bonacina alios referens *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. à num. 5.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 6. num. 3.*

9 Quæres 3. an privilegiatus uti possit suo privilegio adversus alium privilegiatum? Resp. controversiam non esse de privilegiato habente privilegium æquale alteri privilegiato : nam certum est, Petrum posse uti privilegio non solvendi decimas, aut comedendi lacticinia temporibus jejunii in concurrentia Pauli habentis simile privilegium; cum nulla sit lis, quòd idem privilegium possit pluribus concedi. Quod controvertitur ergo est : an possit privilegiatus suo uti privilegio in concurrentia alterius habentis privilegium appositum, e. g. habet Titius privilegium non solvendi decimas in aliquo Territorio, habet Cajus in eodem Territorio privilegium exigendi decimas à quocumque, vel aliqua Domus Religiosa habet privilegium, ne alia Domus Religiosa ædificetur intra ejus cannas, habet pariter alia Domus Religiosa privilegium ædificandi intra cannas cujuscumque alterius Domus Religiosæ : quid tunc faciendum? Pro controversia dirimenda inspiciendum erit, quodnam ex privilegiis sit speciale, quodnam generale, speciale siquidem prævalet generali, eo quia *ex Regul. 34. de Regul. Jur.* per speciem derogatur Generi, nisi tamen per privilegium generale specialiter derogatum sit privilegio speciali. Quòd si ambo contraria sint, nec eluceat specialis ratio pro uno, quàm pro alio, tunc recurrendum erit ad antiquitatem privilegii, aut ad Concessionem ab altiori potentia. Sic ex Rodriquez, Salas, & Suarez docet Castropalaus *de Privileg. disp. 4. punt. 8. num. 2.*

CA-

CAPUT VII.

Quomodo interpretandum sit Privilegium.

1 *Interpretatio alia lata, alia stricta,*
2 *Interpretatio Privilegii tunc facienda, quando verba sunt dubia, vel obscura.*
3 *Privilegium purè favorabile latè interpretandum servata verborum proprietate.*
4 *Privilegium mixtè favorabile ex causa interpretari debet, vel ut absolutè favorabile, vel ut absolutè odiosum.*
5 *Privilegium Odiosum favens Privilegiato, & derogans Juri communi est strictè interpretandum.*
6 *Aliquæ Illationes ex dictis.*
7 *Limitationes de strictè explicando privilegio odioso Juri communi contrario.*
8 *An Privilegium derogans Consuetudini, aut Statuto Speciali sit latè, an strictè explicandum.*
9 *Privilegium derogans Juri Tertii est strictè explicandum.*
10 *Privilegia ad lites, ad plura beneficia obtinenda, ad obtinenda beneficia vacantia sunt strictè explicanda.*
11 *An facienda differentia in explicandis Privilegiis in Jure communi contentis, & in aliis extra illud?*
12 *Quibus verbis concedi debet privilegium, ut derogare possit Juri communi, vel Tertii?*
13 *An privilegium dispensandi, aut absolvendi à Reservatis sit strictè, aut latè explicandum?*
14 *Aliquæ Illationes ex dictis.*
15 *Facultas dispensandi, & absolvendi specialiter concessa, aut delegata, & expressis Personis; strictè explicanda est.*
16 *An Privilegium favorabile extendi possit ad alias personas, aut res, præter in ipso expressas?*
17 *Ratione significationis Vocis extendi poterit,*
18 *Etiam ratione connexionis Materiæ.*
19 *Ratione quoque connexionis actionis,*
20 *Ratione denique dispositionis Juris,*
21 *Si nullo modo ex prædictis exprimantur in Privilegio, extensio fieri nequibit.*
22 *An Privilegium extendi possit ad Casus, & Personas, in quibus militat similis, aut efficacior ratio?*
23. 24 *Resolvuntur duo, quæ opponuntur.*

1 PRÆMITTENDUM 1. Interpretationem aliam esse Latam, aliam Strictam. Lata illa dicitur, quæ privilegium extendit tam quoad rem per privilegium concessam, tam quoad personas, quantum tamen verba ipsius Privilegii patiuntur; nam interpretatio privilegii facienda est secundum usitatam verborum significationem, & proprietatem, ac secundum usum, & stilum fori concedentis Pontificis, Imperatoris, Regis; aliàs nil firmum haberetur, si verba privilegii eo modo accipi non deberent: ut rectè ex Baldo, Sylvestro, Azor. Salas, Suarez, & Bonacina advertit Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 9. num. 3.* Quapropter privilegium concessum Episcopis pro suis familiaribus, debebit intelligi pro familiaribus actu intervientibus, non verò de illis, qui per ejus litteras in numerum familiarium coaptati sunt; eo quia propriè non sunt famuli, sed electi in famulos. Privilegium ascendendi ad majorem Dignitatem, non erit extendendum ad æqualem, cum æqualis propriè non sit major. Nec privilegium transeundi ad arctiorem Religionem extendi poterit ad æquè arctam; quia æquè arcta propriè non est arctior. Privilegium minuendi ministros Ecclesiæ ob defectum reddituum non debet extendi ad illos augendos adauctis redditibus; quia minuere propriè non est augere. Eodem modo privilegium datum ad primam Præbendam vacantem per Decessum non debet extendi ad vacantem per Renunciationem, aut Cessionem; quæ propriè non sunt Decessus. Hæc omnia colliguntur ex Jure Canonico.

Stricta verò Interpretatio illa dicitur, quæ restringit privilegium tum quoad rem concessam, tum quoad personas, quantum fieri potest. Non enim ita strictè facienda est, ut reddat privilegium inutile, & frustraneam actionem Principis, quod non decet *ex leg. Non dubium, Cod. de leg.* Nec sufficit, quòd confirmet privilegiato id, quod aliàs ei liceret; ut bene advertunt Navarrus *in Summ. cap. 12. num. 79.* & Suarez *lib. 5. de leg. cap. 28. num. 2.* Quapropter etiamsi materia privilegii, & dispensationis odiosa fuerit; nihilominus semper extendenda erit ad ea, quæ necessariò sunt connexa cum illa, nec sine ipsis effectum suum habere possit. Sic dispensatus ad habendum beneficium Curatum in minori ætate, censetur pariter dispensatus ab obligatione assumendi Sacerdotium intra annum. Et dispensatus ad plura beneficia habentia residentiam pariter est dispensatus ad residentiam utriusque. Insuper Episcopus dispensatus ad Consecrationem differendam ultra tres menses à Jure præscriptos pariter est dispensatus, ne ejus beneficia vacare possint. Sicuti Parochus dispensatus ne intra annum ordinetur, est etiam dispensatus, ne ejus beneficium vacet; ratio horum omnium est, quia qui dat formam, censetur consequenter dare, quæ ad illam requiruntur. Sic Angelus *verb. Dispensatio, n. 9.* Sylvester *eod. verb. quæst. 5. num. 9.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 11. num. 10.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 1. num. 19.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 7. §. 1. num. 5.* & Castrop. *de Privileg. disp. 4. pun. 9. n. 4.*

2 Præmittendum 2. Interpretationem privilegii tunc faciendam esse, quando verba sunt dubia, vel obscura, nec constat de mente Concedentis: nam si clara sint, & clarè constet de mente Concedentis, non habet locum Interpretatio, sed omnino standum erit menti, & voluntati illius, à qua totum suum valorem accipit privilegium. Et si aliud sonare videantur verba, & ex manifestis conjecturis aliud constet de mente Concedentis; tunc potiùs standum menti, & intentioni illius, quàm verbis: ut statuitur *in cap. In his, de Verbor. signific.* ubi dicitur: Non sermoni res, sed rei est sermo subjectus; & non intentio verbis, sed verba debent intentioni servire. Si tamen verba obscura sint, indifferentia, & incerta; recurrendum erit ad conjecturas, ut mens Concedentis investigetur, ad supplicationem scilicet factam: nam solet se Princeps concedens accommodare precibus factis, ut habetur *in leg. Si preces, ff. de leg. & in Cap. Inter dilectos, §. cæteri, de fide instrum.* Ad initium Rescripti, quia reliqua juxta illud apponi solent *ex leg. ult. Cod. de Hæredit. instit.* Ad rem, & materiam subjectam, & circa quam privilegium versatur. Ad simile privilegium, cui jam data fuerit interpretatio. Quòd si his diligentiis adhibitis adhuc dubietas orta superari nequibit, recurrendum erit ad ipsum Concedentem, ut mentem suam clariùs aperiat; si pateat aditus, & recursus ad ipsum: nam si periculum esset in mora, faciendum erit, quod prudenter judicatum fuerit expedire pro loco, & tempore: ut ex Hostiensi, Baldo, Salas, & aliis docent Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 3. pun. 7. §. 1. num. 3.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 9. num. 1.* His præmissis

3 Statuendum est, quod nam privilegium latè, aut strictè interpretandum sit discurrendo per ea privilegia, quæ vel nemini nocent, aut opponuntur Juri communi, vel Tertii. Jam verò privilegium nemini nocens, seu purè favorabile latè interpretandum esse, servata verborum proprietate concors Doctorum sententia docet: & ratio est, quia est beneficium, & gratia, ac favor Principis; & hæc latam admittunt Interpretationem *ex cap. Olim. de Verbor. signif. & ex leg. Beneficium, ff. de Constit. Princip.* maximè quia *ex Regul. Jur. in 6. Odia restringi, favores convenit ampliari.* Et quamvis aliquod præjudicium videatur afferre privilegium purè favorabile Concedenti illud, ac aliis illud non habentibus. Nihilominus cum sit voluntarium, & liberaliter concessum à Principe, nequibit illi præjudicium afferre; nec aliis non habentibus illud; quia cum supponatur ex justa, & rationabili causa concessum; non nocet illis, sed potiùs utile est, quia eos excitat ad præmium simile merendum: ut docent Suarez *lib. 5. de leg. cap. 27. n. 3.* Salas *disp. 17. sect. 6. num. 44.* Azor. *1. par. lib. 5. cap. 23. quæst. 2.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 10. num. 1.*

4 Privilegium mixtè favorabile, quod videlicet ex favore, & odio miscetur; ut est privilegium non solvendi decimas, quod favet privilegiato, & nocet exigenti decimas; ad hoc ut possit interpretari ut absolutè favorabile, vel ut absolutè odiosum; spectanda erit causa, ob quam concessum fuit: nam si ob commune bonum, & Religionis concessum fuerit; interpretandum erit, ut absolutè favorabile, quia ut tale censendum erit. Secus verò si nec bonum Religionis, nec bonum commune respiciat, sed privatum tantùm; censendum erit absolutè odiosum, & ut tale interpretandum. Sic expressè Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 9. n. 2.*

Pri-

5 Privilegium Odiosum, quod licèt faveat Privilegiato nihilominus derogat Juri communi, illique opponitur est strictè interpretandum: ratio est, tum quia continet dispensationem Juris communis, & hæc dispensatio strictè interpretanda est; tum quia bonum commune prævalere debet bono particulari; adeoque in dubiis, in quibus locum habere solet Interpretatio, semper standum erit pro bono communi, quantum verborum proprietas patitur. Sic constat *ex Cap. Sanè, Cap. Porrò, de Privileg.* & ex Regula Juris supracitata: *Odia restringi*, & sic docent Panormitanus *in Cap. Quia circa, de Privileg.* Sylvester *verb. Privilegium, quæst.* 3. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 5. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2. Navarrus *in Summ. Cap.* 12. *n.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 1. *n.* 1. Salas *disp.* 12. *sect.* 6. *num.* 44. & alii.

6 Hinc fit: Privilegium concessum illegitimo ad suscipiendos Ordines intelligendum esse de Minoribus; ratio est, quia permissio facta in genere mediocritatem attingit; & Ordines Minores medii sunt inter Tonsuram, & Sacros Ordines, Sic colligitur *ex leg. final. §. 1. Cod. de legat. & ex leg. Legato generaliter, ff. de Legat.* Hoc tamen intelligendum erit, nisi illegitimus haberet Minores Ordines, quia tunc de Majoribus interpretandum esset; ne frustraneum, & inutile sit privilegium; quamvis supponi debeat in Concedente notitia Minorum Ordinum: ut rectè advertunt Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 1. *n.* 26. & Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 91. Et nisi Concedens dixerit: dispenso cum illegitimo ad omnes Ordines; tunc enim clarè pateret, extensionem faciendam esse ad Minores, & Majores Ordines, ut particula, omnes, cautè addita effectum habeat juxta Glossam *in Cap. final. verb. Ad omnes, de filiis Presbyter. in 6.* Sic ex Azorio, Suarez, Sanchez, Salas, docent Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 1. *num.* 10. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 10. *num.* 3. Idem dicendum de dispensatione illegitimi, aut alio modo Irregularis ad beneficia, quæ interpretanda erit de simplicibus, non verò de Curatis, aut Dignitatibus. Nisi tamen dispensans dixerit: dispenso cum Irregulari in Irregularitate, quam habet; tunc enim auferret omne impedimentum ab Irregularitate proveniens, & remaneret habilis non solùm ad omnia beneficia, sed etiam ad omnes Ordines: cum non potiùs interpretari deberet de beneficiis, quàm de Ordinibus: ut rectè adnotant Sanchez *l. c. num.* 28. & Castropalaus *loc. cit.*

7 Doctrina tradita de strictè explicando privilegio Odioso, & Juri communi opposito suas patitur exceptiones. Et 1. excipi debet privilegium cedens in favorem Religionis, aut piæ causæ; hoc enim latè interpretandum erit, etiamsi Juri communi deroget. Sicuti etiam latè interpretandum erit, si cedat in bonum commune: ratio est, quia quod pro Religione facit, & Bono communi summum Jus est *ex Leg. Sunt personæ, ff. de Religios. & Sumptib. funer.* 2. Privilegium cedens in favorem Religiosorum, Militum, vel alterius Communitatis in perpetuum: ratio est, quia maximè expedit Religioni Reipublicæ, ac bono Communi his personis favere; & vulneratio, quæ fit Juri communi per Dispensationem, ac privilegium ipsis impertitum satis ultra compensatur per labores, & merita ab ipsis præstita in bonum commune, Sic Suarez, Salas, Henriquez, Sanchez, Rodriquez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. *§.* 1. *num.* 5. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *punct.* 10. *num.* 5. 3. Latè explicandum erit privilegium, si agat de exemptione Clericorum à Laica potestate, ut prudentia ipsa dictare videtur; aut si privilegium inutile, aut injustum redderetur, nisi latè interpretaretur; sicuti è converso strictè interpretandum foret, si inutile, & injustum evaderet ex lata interpretatione; Princeps siquidem præsumitur velle utiliter, rationabiliter, & justè concedere: ut ex Navarro, Sylvestro, Sanchez, Suarez, Azorio, & Salas docet Bonacina *l. c.* 4. Si privilegium insertum fuerit in Jure communi, tunc enim latè explicandum erit: ratio est, quia jam non præsumitur esse contra Jus commune, si est pars illius, illudque partialiter constituat. Sicuti si materia privilegii sit Juris communis; tunc enim privilegium secundùm Jus commune intelligi debet, ac interpretari: ut habent Salas, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. n.* 6. Advertendum hic ex eodem Castropalao referente Henriquez, Sanchez, & Bonacinam: Privilegia Religiosorum in perpetuum ipsis concessa ob eorum perpetuitatem reputari, ac si Corpori Juris inserta essent. 1. Si privilegium motu proprio, vel ex certa scientia concessum fuerit, latè explicandum erit, etiamsi Juri communi opponatur: ratio est, quia est proprium beneficium Principis, & spectat ad ejus honorem, & liberalitatem habere latam explicationem, & interpretationem: *ut ex cap. Si motu proprio, de Præben. in 6.* colligunt Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 1. *num.* 5. plures referens, Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 89. Bonacina *l. c. num.* 7. *in fine*, & Castropalaus *l. c. num.* 7.

Controvertitur inter Doctores; an privilegium derogans Consuetudini, aut Statuto alicui speciali sit latè, vel strictè explicandum? Et quamvis Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 3. Salas *disp.* 17. *sect.* 8. *num.* 52. & alii cum ipsis putent, latè interpretandum esse, semelac non derogat Juri communi. Nihilominus probabilius puto strictè interpretandum, ac si Juri communi derogaret: ratio est, quia Consuetudo, & Statutum speciale loci se habent tamquam Jus commune; & de facto tam privilegium contra Jus commune, quàm privilegium contra statutum speciale loci dici solent odium Juris; ergo utrumque stricte, & eodem modo explicandum, cum pro utroque par ratio militet: maximè quia in dubiis interpretandis, & explicandis semper pro Jure communi standum contra jus speciale privilegii; ita ut quoad minus fieri possit jus commune lædatur *ex cap. Cum dilectus, de consuet.* & docent Bartolus *in leg.* 2. *ff. de Jur. Immunit.* Sylvester *verb. privilegium, quæst.* 9. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 28. *num.* 16. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 1. *n.* 8. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 10. *num.* 4. Secus tamen dicendum, si privilegium esset contra Consuetudinem, vel Statutum speciale loci contrarium Juri communi; tunc etenim esset latè interpretandum: ratio est, quia eius lata interpretatio esset magis favorabilis Juri communi. Sic Henriquez, Sylvester, Salas, Abbas, Jason, Sanchez, quos referunt, & sequuntur Bonacina, & Castropalaus *loc. cit.* 8

Privilegium derogans Juri Tertii, illique præjudicium afferens est strictè interpretandum, quantum verborum proprietati conveniens est: eo quia præsumendum non est, velle Principem præjudicium afferre Juri alteri quæsito; nisi id manifestè expresserit; cum non possit sine gravi, & manifesta causa jus alteri quæsitum ab eo auferre, etiamsi motu proprio concedat; ut constat *ex leg. Hoc onus, cod. de Emancipat. Liber. ex leg.* 2. *§.* 1. *verb. Merito, ff. Ne quid in loco publico, ex cap. Licet in corrigendo, de Offic. Ordin. cap. ex tuarum, de Authen. & Usu pallii*, & docent Panormitanus *cap. certificari, de Rescript. num.* 9. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 2. *num.* 6. Salas *disp.* 17. *sect.* 8. *in fine*, Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 10. *num.* 8. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 1. *num.* 13. referens Azorium, & Sayrum. 9

Hinc sequitur: strictè explicandum esse privilegium concessum ad lites, tum quia occasionem præbet vexandi alios, tum quia minuit potestatem Judicum inferiorum. Sic etiam dicendum de privilegio ambitioso, & tale reputatur, quod conceditur ad plura beneficia obtinenda; nam regulariter derogat Juri communi, aut Juri Tertii. Idem quoque asserendum de privilegio obtento ob obtinenda beneficia vacantia, quod nequit extendi nisi ad beneficia vacantia providenda à Sancta Sede; non verò providenda ab Ordinariis locorum; nisi id fuerit expressè appositum: ut docent Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 2. *num.* 3. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 10. *num.* 8. *in fine.* 10

Quæres 1. an facienda sit differentia aliqua in explicandis privilegiis, quæ in Jure communi continentur, & in explicandis eis, quæ extra illud sunt? Resp. affirmativè: nam latè explicanda sunt, quæ in Jure communi continentur; eo quia vim legis habent, ac Juris communis; secus verò quæ non continentur in Corpore Juris, nam strictè explicanda erunt, ne Jus commune offendant. Idem dicendum de Dispensationibus in Corpore Juris insertis, latè siquidem explicandæ erunt; sicuti latè explicandæ sunt leges, & Canones ipsius Juris communis continentes tales Dispensationes. Sic Covarruvias 4. *Decret.* 2. *par. cap.* 8. *§.* 8. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 1. *à num.* 3. 11

Salas

Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *num.* 73. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3, *pun.* 7. §. 2. *num.* 6.

12 Quæres 2, quibus verbis concedendum est privilegium, ut possit derogare Juri communi, aut Juri Tertii? Resp. ut deroget Juri communi, quamvis communiter requiratur Clausula illa expressa derogatoria Juris communis, cui privilegium opponitur, & sine qua expressione derogare non possit. Nihilominus suam probabilitatem habet sententia asserens, non requiri prædictam Clausulam ad validitatem privilegii derogantis Juri communi; ratio est, quia semper præsumendum est, Principem scire Jus commune, non verò illud ignorare, ut constat *ex cap.* 1, *de Constitut. in* 6. ergo Princeps concedens privilegium derogans Juri communi, quod præsumitur scire, etiamsi nullam aliam expressam Clausulam addat; præsumitur velle derogare illi per tale privilegium, aliàs inutilem actionem efficeret. Sic Glossa *in cap. cit. verb. Noscatur*, Baldus *in leg. Item lapidi, ff. de Rerum division. num.* 8. Felinus alios referens *in cap. Nonnulli, de Rescript. Regul.* 2. Suarez *lib.* 8, *de leg. cap.* 14. *num.* 4. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4, *pun.* 10, *n.* 9. Dummodo tamen Jus Commune non resistat privilegiis derogando, vel revocando illa; tunc enim necessaria esset Clausula expressa derogatoria Juris communis: quia derogatoria Juris communis debet tolli per expressam derogatoriam Juris privati, seu privilegii; maximè quia derogatoria expressa Juris communis debet prævalere derogatoriæ tacitæ Juris privati. Quòd si privilegium derogare debeat Juri Tertii, aut Consuetudini, vel statuto speciali loci; necessariò requiritur ad ejus valorem Clausula derogatoria Juris Tertii, vel Consuetudinis, vel Statuti specialis: ratio est, quia Princeps nequit præsumi, quòd derogare velit juribus specialibus, nisi illorum mentionem faciat: supponitur namque *ex cap.* 1. *citat. de Constit. in* 6. illa ignorare; adeoque, ut rectè procedat in concessione privilegii contra jura aliis quæsita, debet exprimere illa cognovisse. Sic Suarez plures referens *lib.* 8. *de leg. cap.* 14. *num.* 8. *cap.* 22. *in fine, & cap.* 28, *num.* 9. *&* 10. Sà *verbo Gratia, num.* 12. & Castropalaus *loc. cit. num.* 11.

13 Quæres 3. An privilegium, seu facultas dispensandi, aut absolvendi à Reservatis sit explicanda strictè, vel latè? Resp. si facultas dispensandi, & absolvendi à Reservatis genericè, & veluti in actu primo concedatur à Pontifice, aut Episcopo non expressis personis dispensandis, aut absolvendis à Reservatis; latè interpretanda erit, quantum verborum proprietas patitur; ratio est, quia nulli juri repugnat, & maximè expediens est bono communi animarum, si rectè, prudenter, ac moderatè exerceatur; nec præjudicium infert concedenti, qui voluntariè cedit juri suo, & voluntariè illam delegat, ut beneficium Principis, non ut vulnus Legis: maximè ut faciliùs necessitatibus occurrentibus subveniatur; ergo latè interpretanda erit, sicuti latè interpretanda est talis ordinaria facultas in Concedente, & Delegante. Sic Suarez, Covarruvias, Sylvester, Salas, Sà, Sanchez, Molina, Rodriquez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. §. 1. *num.* 14. *in fine*, & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 11. *num.* 2.

14 Hinc fit 1. facultatem concessam Episcopis à Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* latè explicandam esse; cum sit facultas data non expressis personis in bonum Commune Ecclesiæ, ac inclusa in Corpore juris. Sic Henriquez *lib.* 10. *de Sacr. Ordin. cap.* 20. *num.* 2. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 2. *à num.* 10. Rodriquez *in Summ. tom.* 2. *cap.* 10. *concl.* 6. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. §. 1. *num.* 19. & Castropalaus *de Privil. disp.* 4. *pun.* 11. *num.* 6. Fit 2. facultates Bullæ Cruciatæ aut jubilei esse latè explicandas: eo quia non conceduntur in favorem aliquarum personarum expressarum, sed in commune bonum animarum, & ad subveniendum publicæ necessitati Ecclesiæ; nec communiter dicuntur privilegia contra jus. Adde, quod potestas dispensandi, & absolvendi per Bullam Cruciatæ, & Jubileum ordinatur ad lucrandum Indulgentias efficaciùs, & remissionem peccatorum; adeoque beneficium Principis nemini nocens reputari debet, nec juri communi contrarium. Sic Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 16. *num.* 3. Henriquez *lib.* 3. *de Indulgen. cap.* 30. *in principio*, Ludovicus Lopez 2. *par. tit. de Clavi. cap.* 9. *col.* 6. Bonacina *l. c. num.* 17. & Castropalaus *l. c. num.* 7. Fit 3. facultatem alicui concessam eligendi sibi confessarium, qui à Censuris, & Casibus reservatis eum absolvat, latè explicandam esse; nisi aliter constet de mente Concedentis: adeoque non solùm extendendam esse ad Censuras, & Casus reservatos præteritos, verum etiam futuros: ratio est, quia per verba generalia privilegium, & facultas concessa fuit, adeoque generaliter verba accipienda erunt; ordinatur siquidem facultas ista ad salutem animæ, & ne peccator in peccatis suis fordescat. Et quamvis videatur hoc privilegium præbere occasionem liberiùs peccandi, adeoque restringendum ut docuit Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2. Nihilominus hoc per accidens provenit à facultate concessa, cum per se proveniat à malitia abutentis facultate illa. Sic Salas *disp.* 17. *sect.* 8. *n.* 8. & Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. §. 1. *num.* 11. Sed ut verum fatear, quamvis non denegem suam probabilitatem huic sententiæ; distinguendum puto cum Castropalao *de privileg. disp.* 4. *pun.* 11. *num.* 8. Si in bonum privatum ipsius privilegiati facultas ista concessa fuerit; strictè interpretanda erit: eo quia est inchoata dispensatio, ac exemptio à lege communi accedendi ad superiorem pro Censuris, & peccatis reservatis; adeoque ad Casus præteritos extendi poterit, non verò futuros. Secus verò si in bonum commune concessa fuerit, aut ob aliud grave motivum præponderans Derogationi legis communis latè interpretanda erit.

15 Si tamen facultas dispensandi, & absolvendi speciali- ter concedatur, & delegetur distincta, & expressa persona, aut personis, quæ absolvi debent, & dispensari; tunc strictè explicanda erit, non solùm si concedatur in gratiam illius, qui dispensare debet, aut absolvere; verùm etiamsi in gratiam illius, qui absolvendus est, vel dispensandus: ratio est, quia est dispensatio inchoata, & virtualis; adeoque strictè explicanda: actus siquidem dispensationis, & absolutionis, quia jus commune vulnerant, strictè erunt interpretandi; non sic verò potestas dispensandi, aut absolvendi, quæ licèt ordinetur ad hos actus; nihilominus cum bonum commune respiciat, nec expressas personas; inde est, quòd latè explicari debeat: sicuti latè explicanda est potestas ordinaria dispensandi, & absolvendi, quamvis etiam ordinetur ad actus dispensationis, & absolutionis. Nec juvat recurrere in cujus gratiam data sit facultas vel dispensantis, vel dispensandi, quia finis iste est extrinsecus facultati concessæ, nec eam immutat. Sic Suarez *lib.* 6. *de leg. cap.* 17. *num.* 7. Angelus *verb. dispensatio, num.* 9. Sylvester *eod. verb. quæst.* 5. *num.* 9. Gambara *de Author. Legat. lib.* 10. *num.* 200. Tabiena *verb. Beneficium*, 2. *num.* 16. Sayrus *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. *in fin.* & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 11. *num.* 4. *&* 5.

16 Quæres 4. an privilegium favorabile extendi possit ad alias personas, aut res præter expressas in ipso? Resp. ex communi axiomate privilegium tantum valere, quantum sonat; adeoque non posse extendi nisi ad personas, & res in eo expressas: ratio est, quia privilegium totam efficaciam suam desumit ab intentione significata Concedentis; quæ cum verbis significetur, ideo privilegium tantum valet, quantum verba sonant, nec poterit ulteriùs extendi. Significatur autem intentio Concedentis privilegium non solùm per significationem vocis, verùm etiam per connexionem materiæ, aut actionis, vel per dispositionem juris: nam per hos modos possunt personæ, vel res comprehendi in privilegio, & exprimi per verba illius; nec privilegium, si eas non comprehenderet; evaderet inutile, aut inurbanum, vel non accommodatum usui hominum: ut rectè habet Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. §. 2. *num.* 1.

17 Hinc infertur 1. ratione significationis vocis extendi privilegium concessum Religiosis alicujus Ordinis ad Moniales ejusdem Ordinis in iis, quorum capaces sunt: veniunt siquidem Moniales nomine Religiosorum Ordinis illius, ac in illo exprimuntur. Secus tamen esset, si clarè constaret ex ipsis verbis extendi tantùm ad Viros: ut si verba dicerent, Religionis Viris talis Ordinis; tunc minimè fieri posset extensio ad Moniales, cum attendendus esset sexus, non qualitas; nec nomine Viri exprimi potest fœmina. Sic Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 7. Rodriquez *tom.* 1. *Regul. Quæst. quæst.* 13. *art.* 22. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. §. 2. *num.* 2. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 12. *num.* 1. Sic etiam privilegium concessum filiis extendendum erit ad filias: cum nomine filiorum comprehendantur etiam filiæ *ex leg. Justa, Leg. Filii,*

Leg.

Leg. Cognoscere, ff. de Verbor. signif. Nisi tamen adderetur filiis Masculis; tunc enim extendi non posset ad filias : cum nomine Masculorum nequeant intelligi fœminæ: ut rectè adnotat Rebuffus *in Leg.* 1. *ff. de Verbor. signif. verb. Masculos*, & docent Suarez, Bonacina, & Castropalaus *loc. cit.* quidquid in contrarium sentiat Sà *verb. Gratia n.* 11. Nomine autem filiorum nequeunt intelligi Nepotes: eo quia sub rigorosa significatione filii comprehendi nequeunt; nisi aliunde constet de mente Concedentis, aut de Dispositione Juris volentis sub privilegio filiis concesso nepotes comprehendere. Sic Rebuffus, Barbosa, Suarez, quos refert, & sequitur citatus Castropalaus. Denique privilegium concessum fratribus extendendum erit ad sorores; nisi aliunde constet, restringi debere ad solos fratres : nam nomine fratrum comprehenduntur Sorores *ex leg. Lucius* 91. *§. quæsitum, ff. de legat. & leg. Tres fratres, ff. de Pactis*, sic Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 10. *num.* 7. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *num.* 2. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 12. *num.* 2.

18 Infertur 2. ratione connexionis materiæ privilegium concessum bonis mariti extendendum esse ad bona Uxoris in iis, quæ sunt communia Conjugibus; non verò in iis, quæ non sunt communia, ut essent bona paraphernalia, & propria Uxoris. Insuper dispensationem obtentam in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis ratione materiæ extendendam esse ad alium consanguineum, vel affinem, cum quo, vel cum qua contrahendum est matrimonium, quamvis dispensationem ignoret, & non acceptet. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 26. *num.* 6. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 11. *num.* 3. & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *num.* 5.

19 Infertur 3. ratione connexionis actionis, & ut privilegium reddatur accommodum usui humano; extendi posse. Sic si Sacerdoti concedatur facultas celebrandi tempore Interdicti, extenditur etiam facultas ad alium, qui Sacro inservire debeat. Sic etiam si alicui concessum fuerit privilegium audiendi Divina Officia tempore Interdicti, extendendum erit ad ejus familiares secundum sui status conditionem; debet enim privilegio frui urbano modo, & decenti, ac congruenti suo Statui : & sic disponitur *in cap. licet, de privileg. in* 6. Sic Suarez, Azor. Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *n.* 6. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 12. *num.* 2. Hinc deducunt Suarez alios referens, Bonacina, & Castropalaus, posse Sacerdotem habentem privilegium statim post meridiem recitandi Matutinas horas, simul cum alio socio non habente tale privilegium illas persolvere; ne cogatur solus recitare, si non extenderetur privilegium ad simul recitantem cum illo.

20 Infertur 4. ratione dispositionis Juris privilegium nobilitatis concessum marito extendi ad Uxorem; & concessum Patri extendi ad filios: Jura siquidem disponunt, ut nobilitas Viri communicetur Uxori; & nobilitas Patris communicetur filiis : ut constat *ex leg. Cum legitimè, ff. de Stat. homin. ex leg. Fœmina, ff. de Senatorib. & ex leg. Cod. de Dignit. lib.* 12. Communicatur tamen nobilitas Uxori eo modo, quo in marito reperitur; & filiis prout reperitur in Patre : quapropter si Nobilitas ingenita sit marito, aut Patri communicatur Uxori, & filiis etiam mortuo marito, aut Patre. Si verò non ex sanguine, sed ex Officio proveniat; tunc si perpetua sit in Marito, aut Patre, etiamsi Officium illud renunciaverint; perpetuò erunt nobiles Uxor, & filii; secus verò si nobilitas adnexa sit Officio, itaut duret durante illo; nobiles tantùm erunt Uxor, & filii durante Officio in Marito, vel patre. Sic Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 11. *n.* 2. Sylvester *verb. privilegium, quæst.* 5. Salas *disp.* 7. *sect.* 11. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *n.* 10. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 12. *num.* 2. *versic.* Ad secundum referens Panormitanum, Cynum, & ex parte Azorium.

21 Concluditur ergo ex dictis : numquam privilegium favorabile extendendum esse ad alias personas, aut res, nisi ad expressas in ipso privilegio, ac per verba illius significatas, sive formaliter ratione significationis vocis, sive virtualiter ratione connexionis materiæ, aut actionis, vel dispositionis Juris. Quapropter privilegium concessum marito, quo à tributis eximitur ob ejus personam, non excedit illam, nec transfunditur ad uxorem, aut filios : quia non habetur in hoc dispositio Juris, uti habetur pro nobilitate. Nec privilegium Canonis, & fori concessum Clerico coniugato extenditur ad ejus uxorem, & filios : quia nec dispositione Juris, nec alia ratione probari potest excedere ejus personam : maximè quia illi conceditur ob ejus dignitatem Clericalem, quæ nec ad Uxorem, nec ad filios extenditur : ut docent Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 47. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 11. *num.* 3. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *num.* 9. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 12. *num.* 2.

Quæres 5. an privilegium extendi possit ad Casus, 22
& Personas, in quibus militat similis, aut efficacior ratio? Resp. negativè : quia privilegium suum valorem habet à voluntate Concedentis significata per verba privilegii; cum ergo Casus similes, & similes personæ habentes similes, imò majores, & efficaciores rationes non exprimantur, nec formaliter per significationem vocis; nec virtualiter per connexionem materiæ, aut actionis, vel dispositionis Juris; inde est, quòd ad illas extendi nequibit privilegium concessum : maximè quia cum privilegium sit aliqua privata lex, quam Princeps alicui concedit, & non aliis; non poterit rectè inferri ob similitudinem rationis, imò ob majorem rationem illis etiam concessisse; alias sequeretur, quòd Monialis obtinens privilegium à S. Sede exeundi à Monasterio, ut se curet ab infirmitate contracta; omnes aliæ Moniales eadem infirmitate laborantes, imò majori possent e Monasterio egredi, ut se curarent, virtute facultatis illius speciali Moniali concessæ. Insuper quòd privilegium uni Religioni concessum extenderetur absque facultate Communicationis à S. Sede obtenta ad alias Religiones æquales vel arctiores. Et privilegium concessum patri extenderetur ad filium, imò ad extraneum habentem similem rationem; adeoque nil firmum esset in concessione privilegiorum. Hinc rectè deducitur, in his dispensationibus, & privilegiis non arguendum esse à paritate rationis, vel à majori ad minus : cum enim exorbitent à Jure, non trahenda erunt in consequentiam : ut constat *ex Regul. Quæ à Jure, de Regul. Jur. in* 6. *& ex Cap. Cui de non Sacerdotali de Præbend. in* 6. Nisi tamen minus includatur in majori : sic dispensatus ad Ordines Sacros, pariter dispensatur ad Minores Ordines; & dispensatus ad comestionem carnium pariter dispensatur ad comestionem lacticiniorum; & ovorum : includuntur siquidem hæc minora in suis majoribus concessis. Sic Suarez, Sanchez, Salas, Henriquez, Molina, & alii passim, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *num.* 12. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 13. *num.* 1.

Neque obstat : quòd lex favorabilis in sententia non- 23
nullorum extendi possit ad casus similes ob paritatem rationis, quapropter idem dicendum de privilegio favorabili, quod ob paritatem rationis extendi etiam poterit ad casus similes. Contra enim est : quia etiam concesso, quod assumitur de lege favorabili, adhuc consequentia non tenet : & dispar ratio est, quia validitas legis tota pendet à ratione, quæ anima legis dici solet; validitas tamen privilegii non à ratione, sed à voluntate Concedentis tota pendet. Neç revera lex extendi solet ad casum in ipsa non comprehensum, etiamsi similis ratio in eo militet; sed Judex per Casum à lege deciso alium similem illi decidit, non per extensionem legis, aut ex necessitate; sed ex directione, congruentia, ac quadam æquitate. Remanet igitur firma nostra sententia, quòd extendendum non sit privilegium, aut dispensatio, sive odiosa, ut certum est, sive favorabilis, ut probavimus, de Casu ad Casum, aut ad personas similes ob æqualem, aut majorem rationem.

Nec insuper obstat : quod ratio concessionis exprimatur 24
in privilegio; adeoque si similis ratio concedendi reperitur in aliis, privilegium extendi debeat ad illos. Contra enim est, quia expressio rationis, ob quam movetur Concedens ad illud concedendum; declarat tantùm motivum concessionis, non verò facit extensionem ad alios similiter se habentes : ad summum probat, quòd alii similiter se habentes digni sint tali privilegio, sed non quòd actu habeant, & illo frui possint : ut patet si alicui concedatur à Pontifice privilegium ob ejus merita expressa habendi Oratorium; non solvendi decimas, aut alia tributa; obtinendi plura beneficia, & similia; non inde tamen infertur, concessa pariter esse alteri habenti eadem, imò majora merita. Sic Felinus, Salas, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 13. *num.* 4.

CA-

CAPUT VIII.

An Privilegium, Reſcriptum, & Diſpenſatio amittantur per mortem Concedentis; aut illius cui conceduntur, vel delegantur?

1 *Quando Privilegium, Reſcriptum, & Diſpenſatio dicantur in Statu integro, & quando in Statu incæptionis?*
2 *Quando dicitur Gratia facta, & quando facienda?*
3 *Quomodo dignoſcendum, quando Reſcriptum, aut Privilegium eſt in favorem Perſonæ delegatæ; & quando in favorem perſonæ, cum qua exercendum eſt?*
4 *Privilegium ritè obtentum, ſeu Gratia facta, ſi ſimpliciter conceſſa fuerit, & ſine reſtrictione; non amittitur per mortem concedentis. Secus verò ſi faciendа ſit.*
5 *Facultas data audiendi confeſſiones non expirat morte Concedentis.*
6 *Commiſſiones diſpenſandi à Sancta Sede factæ, vel à Sacra Pœnitentiaria non expirant morte concedentis.*
7 *Facultas conceſſa alicui Sacerdoti diſpenſandi, aut abſolvendi aliquam determinatam Perſonam, in gratiam cujus data eſt, ſi res ſit integra, expirat morte Concedentis. Secus verò ſi non ſit integra.*
8 *Enumerantur aliquæ facultates conceſſæ abſolutè, & abſque limitatione temporis, quæ non expirant morte concedentis re integra.*
9 *Privilegium Gratiæ conceſſum pro limitato tempore non expirat pro eo tempore morte Concedentis.*
10 *An ultra annum extendatur conceſſio illa dicens: valeat ad annum ad noſtrum beneplacitum, etiamſi Concedens vivat?*
11 *Juriſdictio conceſſa à Delegante Perſonæ delegatæ, ſi res ſit integra, expirat morte Concedentis. Secus verò ſi res integra non ſit.*
12 *Doctrina tradita valet ipſo Jure, non ope exceptionis.*
13 *Valet quoque, ſi Delegatus ſit à Principe, vel ad univerſitatem cauſarum; aut ſi delegatio commiſſa fuerit ad beneplacitum Delegantis; vel ſi partes conſenſerint, ut Delegatus juriſdictione utatur.*
14 *Juriſdictio ſubdelegata à Delegato, ſi res ſit integra, morte Delegati ceſſat in utroque.*
15 *An Privilegia, Reſcripta, & Diſpenſationes ceſſent morte illius, cui conceduntur, & delegantur?*
16 *Quomodo cognoſcendum, quando Delegatio eſt Perſonalis, & quando Realis?*
17 *Delegatio Realis tranſit ad Succeſſorem, ſive res integra ſit, ſive non.*
18 *Quid dicendum: ſi delegatio committeretur alicui, & nomine proprio, & nomine Dignitatis?*
19 *Delegatio commiſſa Canonico habenti ſpecialem titulum, & præbendam tranſit ad Succeſſorem; ſi commiſſio facta ſit expreſſo nomine Canonicatus.*
20 *Delegatio commiſſa Judici Synodali non tranſit ad Succeſſorem.*
21 *Delegatio facta legato, etiam ſub nomine Dignitatis, non tranſit ad Legatum Succeſſorem.*
22 *Delegatio facta Vicario Epiſcopi, ſeu Officiali Diœceſano expreſſo tantùm nomine Officii, & conſuetudine, & praxi tranſit ad Succeſſorem.*
23 *Quis veniat nomine Vicarii Epiſcopi, & Officialis Diœceſani?*
24 *An veniat Vicarius Capituli Sede Vacante?*
25 *Quæ dicuntur de Vicario Epiſcopi, intelligi debent de Vicario Prælati habentis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*
26 *Quid faciendum, ſi Epiſcopus duos Vicarios, ſeu Officiales habeat?*
27 *Delegatio facta Vicario Epiſcopi nequit expediri per alium ab Epiſcopo deſignatum ad hunc finem.*
28 *In Reſcriptis contentioſis, & pro foro externo electo uno Officiali, nequit adiri alius habens æqualem poteſtatem.*
29 *Vicarius Epiſcopi Electi, & confirmati, ſed nondum conſecrati, poteſt delegationes iſtas expedire.*
30 *An ſi Vicarius, cui commiſſa eſt Delegatio, à Vicariatu removeatur; poſſit delegationem exequi?*

1 PENDET propoſita controverſia ab ea, quandonam privilegium, Reſcriptum, & Diſpenſatio dicantur in ſtatu Integro, & quando dicantur in ſtatu Incœptionis. Et quamvis varia ſint Doctorum placita in ea explicanda; nihilominus in Reſcriptis Juſtitiæ, & Juriſdictione contentioſa probabilis mihi videtur ſententia aſſerens, tunc rem ampliùs non eſſe integram, quando Judex cœpit legitimè uti Juriſdictione ſibi data; ſive id fecerit per citationem particulari, ſive per aliud exercitium Juriſdictionis acceptæ ſignando locum Judicii, nominando Notarium, recipiendo Teſtes, redigendo litteras in publica forma: ratio eſt, quia tunc Juriſdictio debet dici integra, quando nullus uſus illius habitus eſt; ergo ſi ex vi illius aliquis uſus habitus eſt, nequibit dici integra, ſed jam inchoata; firmatur ſiquidem, & radicatur Juriſdictio per uſum, & exercitium illius. Confirmatur *ex cap. licet undique, de Offic. Deleg.*, & *ex cap. Si ſubdelegato, eod. tit. in 6.* ubi requiritur ad integritatem rei, quòd Delegatus juriſdictione delegata uti non cœperit; neque reſtringit uſum ad Citationem, conteſtationem litis, ſententiam, deſignationem loci, nominationem Notarii; ergo gratis requiritur ad integritatem rei tantùm, quòd lis conteſtata non ſit, aut non fuerint juridicè citatæ partes. Sic Sylv. *verb. Delegatus, quæſt.* 6. & Caſtrop. *de privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. §. 1. *n.* 2. licèt in fine ſe remittat communi ſententiæ aſſerenti per ſolam citationem juridicam partium rem deſinere eſſe integram; & ſic in praxi ſuſtinendum puto: nam ex communi ſententia primus actus judicii eſt juridica partium citatio, ut conſtat *ex cap. Quoniam contra, de Probat. & ex cap. Gratum, de Offic. deleg.* ubi dicitur: cùm citatione facta negotium ſit quaſi cœptum. Et omnes actus citationem præcedentes, ut conteſtatio litis, deſignatio loci, Nominatio Notarii &c. ſunt diſpoſitio ad judicium, non actus Judicii. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 9. *n.* 12. Bonac. *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 8. §. 1. *n.* 22. & Molina *tract.* 5. *diſp.* 9. *n.* 12. *& alii communiter*. Non ſufficit autem, ut rectè advertunt Molina *l. c. diſp.* 19. *n.* 3. & Caſtrop. *l. c. n.* 4. Egreſſam eſſe citationem à Judice, ſed ulteriùs requiritur, intimatam fuiſſe partibus, aliàs non erit vera citatio, ſed expeditio citationis; nec poterit revera dici citata pars. In Reſcriptis verò Gratiæ, tunc res non dicitur integra, quando authoritativè vocatur pars ad cognoſcendam veritatem precum: ratio eſt, quia non habeat locum in his reſcriptis citatio Judicialis; inde eſt, quòd primus actus juridicus illi correſpondens ſit partis vocatio. Præſentatio autem Reſcripti non poteſt eſſe ullatenus incœptio cauſæ, cum non ſit uſus juriſdictionis, ſed diſpoſitio ad illum. Si Felinus *in cap. Paſtoralis*, §. *quoniam, de Reſcript. n.* 3. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 28. *n.* 20. Bonacina *l. c.* & Caſtropalaus *l. c. n.* 11.

Pendet etiam ab alia Controverſia: quando videlicet 2
dici debeat Gratia facta, & quando facienda ea, quæ per privilegium obtinetur. Pro qua dirimenda, dico, Gratiam factam illam dici, quando cedit in favorem petentis illam, & ipſi directè conceditur; ſive de cætero Reſcriptum referatur ad ipſum; ſive ad Diſpenſantem; ſic Reſcriptum obtentum à Petro, in quo conceditur ipſi beneficium primò vacaturum; continet gratiam factam. Non minus ac continet gratiam factam ipſi Petro, ſi Reſcriptum ad Epiſcopum, ut Petro det beneficium primò vacaturum: & ratio eſt, quia in utroque caſu gratia ordinatur in favorem Petri petentis, & ipſi directè conceditur, nec expirat morte concedentis re integra. Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 28. *n.* 27. Garzia 6. *par. de Benef. cap.* 2. §. 3. *à n.* 304. Bonac. *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 8. §. 1. *n.* 21. & Caſtrop. *de privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. §. 2. *n.* 3. Advertit tamen Caſtrop. *l. c. n.* 5. ex Suarez, & Sanchez: non requiri ad Gratiam factam, ut habeatur acceptatio petentis illam; quæ ſolùm requiritur, ut fiat firma, nec poſſit revocari pro libito; ſed ſufficere, quòd ex parte Concedentis data ſit. Secus verò Gratia facienda illa dicitur, quando vel non jam obtenta eſt à concedente; vel concedens directè illam ordinat, & refert ad Delegatum, qui eam aliis concedere debeat. Sic facultas commiſſa à Pontifice alicui Epiſcopo, ut provideat Petrum de beneficio vacaturo; dicitur gratia facienda reſpectu Epiſcopi, quamvis ſit gratia facta reſpectu Petri. Sicuti etiam facultas data Sacerdoti ad abſolvendum à Reſervatis, vel ad diſpenſandum cum ipſo Petro; dicitur gratia facienda reſpectu Sacerdotis; quapropter expirat morte concedentis re integra, hoc eſt, ſi neque Epiſcopus providerit de beneficio, nec incœperit providere; ſicuti ſi nec Sacerdos abſolverit, aut diſpenſaverit, nec incœperit hoc facere ante mortem concedentis. Vide Bonac. *l. c.*

Sed petes hìc: quomodo dignoſcendum ſit, an pri- 3
vilegium, reſcriptum, aut facultas delegata ſit in favorem perſonæ delegatæ, an verò in favorem perſonæ, cum qua exercenda eſt gratia. Reſp. id dignoſcendum eſſe ex verbis privilegii, & ex forma illius, & præci-

puè

puè si concedatur indefinitè, & generaliter absque expressione personæ: nam si sic conceditur, rectè præsumitur concedi in favorem personæ delegatæ, cui facultas committitur: ita esset facultas concessa Sacerdoti ad dispensandum, vel confessiones audiendas indefinitè, & generaliter pro quibuscumque personis. Si verò concedatur determinatè, ac pro expressa, & designata persona, ad dispensandum cum Petro &c. vel ejus confessiones audiendas; censetur in favorem Petri, seu personæ dispensandæ, vel absolvendæ concessa facultas. Sic ex Rota Romana *tom. 3. lib. 1. decis.* 117. Sanchez, & Salas docet Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. n. 20.* His præmissis, & explicatis in majorem claritatem dicendorum

4 Dico 1. Privilegium ritè obtentum, seu gratia jam facta, si simpliciter concessa fuerit, & sine conditione, vel particula aliqua restringente usque ad mortem Concedentis; non amittitur per mortem Concedentis: ratio est, tum quia est favor, vel gratia privilegium sic concessum, & favor, vel gratia non amittitur morte Concedentis, ut constat *ex Cap. Si cui nulla, de Præben. in 6. & ex Cap. Si super gratia, de Offic. Judic. deleg. in 6.* tum quia est donatio quædam, & donatio non amittitur morte donantis. Sic Navarrus, Azor. Molina, Suarez, Sanchez, Layman, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 19.* Extenditur doctrina tradita non solum ad privilegium favorabile purum, verum etiam ad privilegium contra Jus Commune, aut Jus Tertii, & non solùm si Privilegiatus jam incœperit illo uti ante Mortem Concedentis; sed etiam si non jam illo usus fuerit; eo quia Jura non distinguunt, nec ulla ratio urget ad distinguendum. Et quamvis loquantur de casibus particularibus, ratio tamen, qua Jura utuntur, spectat potiùs ad formam concessionis, quàm ad casus illos particulares, ut ex Glossis, & Doctoribus notat Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 31. num. 17.* Secus verò dicendum, si gratia facienda sit, ut constat *ex præcitatis Capitibus, Si cui nulla, & si super gratia*, expirat namque morte Concedentis re integra. Aut si privilegium concessum non fuerit simpliciter, sed cum restrictione: ut si diceret, usque ad mortem Concedentis, vel apponerentur Clausulæ illæ, usque ad nostrum beneplacitum, dum nobis placuerit, ad arbitrium nostræ voluntatis, dum fuerit nostra voluntas: ratio est, quia jam pendet privilegium à beneplacito, voluntate, & consensu concedentis; ergo si ejus morte hæc cessant, pariter cessare debet privilegium ab illis pendens, *ex Cap. Si gratiosè, de Rescript. in 6.* quamvis Sà *verb. Gratia, num. 7.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 5. num. 5.* putent probabile, tales formulas, & Clausulas æquivalere his, donec revocavero, aut aliter ordinavero; & sic esse praxim, & usum Ordinariorum concedentium ad beneplacitum facultatem audiendi confessiones Religionis. Si tamen clausula apposita sit, donec revocavero, & ante mortem Concedens non revocaverit; non utique amittetur, aut cessabit privilegium morte Concedentis: ratio est, quia revocatio debet fieri per actum contrarium, qui nondum factus est. Sic Sanchez, Salas, Molina, Suarez, Layman apud Bonacinam *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. n. 19.*

5 Hinc fit 1. Licentiam, & facultatem datam per Pontificem, aut Episcopum, vel Parochum alicui Sacerdoti audiendi confessionem pœnitentium non expirare morte Concedentis: ratio est, quia est gratia, & favor factus directè ipsi Sacerdoti, non verò pœnitentibus: esto cedat in bonum ipsorum; pœnitentes siquidem nec sunt expressi, nec ad ipsorum petitionem licentia, & facultas obtenta est. Nec juvat dicere: jurisdictionem delegatam perire morte delegantis, si res fuerit integra, nec delegatus ea uti cœperit. Contra enim est, quia in materia Justitiæ hoc valet, ut deciditur *in Cap. Gratum, Cap. Relatum, Cap. Licet, de Offic. deleg.* non verò in materia gratiæ, de qua nihil determinatur, adeoque decisio non debet extendi ad illam. Et disparitas esse potest, quia in materia Justitiæ tota Jurisdictio delegatur in favorem judicandorum, non verò Judicis; in materia verò gratiosa delegatur in favorem illius, cui conceditur, esto resultet etiam in utilitatem aliorum. Sic Sachez, Garzia, Salas, Suarez, Coninch, Sà, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 4. num. 3.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 25.* referens Sayrum, Henriquez, & Layman, ac testatur, hunc esse usum, & praxim.

6 Fit 2. commissiones dispensandi, quæ passim Ordinariis committuntur à Sancta Sede in Impedimentis Matrimonii, vel Irregularitatis; aut Confessariis Doctoribus à Sacra Pœnitentiaria; non expirare morte Concedentis, re adhuc integra: ratio est, quia censentur gratiæ factæ, adeoque expirare nequeunt morte Concedentis; nam delegatus, cui committitur dispensatio; est executor necessarius cognita veritate precum, nec ei liberum est non exequi tali veritate cognita; adeoque dispensandus, in cujus favorem dispensatio concessa est; acquisivit jus ad illam. Secus tamen esset, si liberum esset dispensanti dispensationem exequi, vel non: ut si Sacerdoti libera facultas tribueretur dispensandi cum aliquibus personis nominatis, vel non nominatis, sed in genere; itaut si velit, possit cum illis dispensare; tunc enim respectu dispensandorum non deberet censeri gratia facta, sed facienda: cum adhuc nullum jus acquisierint re integra, & tota facultas daretur in gratiam dispensantis. Nec valet dicere, quòd necessitas imposita dispensandi dispensanti cognita veritate precum habeat potiùs vim mandati, quàm gratiæ; & mandatum expirat morte Mandatis *ex Leg. Mandatum, Cod. Mandati; & ex Cap. Gratum, Cap. Relatum, de Offic. delegat.* Contra enim est, quia Mandatum tunc cessat morte Mandantis, quando non est annexum gratiæ factæ, secus verò si sit illi annexum, & detur Mandatario pro executione illius. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 28. num. 87.* Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 17. num. 9.* Henriquez *lib. 12. cap. 2. num. 5.* Molina *tract. 5. disp. 20. num. 4.* Salas *disp. 20. sect. 17. num. 125.* Rodriquez *in Summ. cap. 236. num. 3.* Guttierrez *de Matr. cap. 125. num. 21.* Garzia *6. par. de Benefic. cap. 2. num. 212.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 19. §. 1. num. 7.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 4. num. 8.*

7 Fit 3. facultatem alicui Sacerdoti concessam dispensandi, aut absolvendi aliquam, vel aliquas determinatas personas; quæ quidem in gratiam ipsius, vel ipsarum data sit, non verò Sacerdotis; si res non sit integra, hoc est, si cœperit audire confessionem, aut jam audivit, & dispensavit; non cessare morte concedentis. Secus verò si sit integra in morte Concedentis, si scilicet ante illam nec cœpit audire confessionem, nec absolvit: quia reputatur gratia facienda re integra, quæ expirat morte Concedentis *ex Cap. Si cui nulla, de Præbend. in 6.* Sic docet communior sententia teste Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 28. num. 73.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. n. 25.* Nihilominus quamvis in praxi hanc sententiam sequi debeamus; opposita tamen non caret sua probabilitate, quòd videlicet non expiret morte Concedentis re integra, eam enim docent Suarez, Filliuccius, & alii relati à Bonacina *l. c.* Castropalaus quoque *l. c. num. 5.* reputat satis probabilem, & refert pro ea Sà, Salas, & Basilium de Leon: eo quia facultas data in tali casu ad dispensandum, vel absolvendum non minus est gratia, & favor factus personis illis dispensandis, vel absolvendis, quàm ipsi Sacerdoti electo ad hoc munus; eligitur namque ejus industria, & major idoneitas præ aliis ad dispensationem illam, vel absolutionem concedendam; adeoque erit gratia facta respectu Sacerdotis illius, & ut talis non debet expirare morte Concedentis re integra. Sed ut dixi, quamvis suam probabilitatem non denegem huic sententiæ, non tamen recedendum erit à prima, & communiori sententia.

8 Fit 4. facultatem alicui concessam non jejunandi; carnes comedendi, laborandi die festivo, non solvendi Decimas, eligendi sibi Confessarium sive determinatum, sive indeterminatum, qui absolvat à Reservatis, aut secum dispenset, audiendi Missam in Oratorio privato, vel celebrandi in illo, recipiendi Ordines extra tempora, aut non servatis interstitiis, accipiendi Ordines ab alieno Episcopo, & similes licentias alicui concessas absolutè, & absque limitatione temporis non expirare morte Concedentis re integra: eo quia sunt gratiæ factæ, & directè concessæ illi; ac sunt beneficia, & favores legitimè possessi ab illo. Sic Navarrus *in Cap. Placuit, de Pœnit. dist. 6. num. 35.* Henriquez *lib. 7. cap. 21. §. 6.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 31. n. 19.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 28. num. 72.* Salas *disp. 20. sect. 17. in fine*, Guttierrez *de Matr. cap. 125. num. 24.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. n. 27.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 4. num. 7.*

numer. 7, referens Garziam, & Basilium de Leon.

9 Dico 2. Privilegium Gratiæ concessum pro tempore limitato non expirat morte Concedentis pro eo tempore. Sic privilegium concessum ad annum durat usquedum annus expiret, etiamsi ante moriatur Concedens; ut patet evidenter in Bullis Cruciatæ: ratio est, quia pro eo anno, vel alio tempore designato est gratia jam facta, quæ non expirat morte Concedentis, ut diximus. Sic Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 32. *num.* 10. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 21. *num.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 28. *à num.* 10. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 7. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 16. §. 5. *num.* 5.

10 Controvertitur tamen, si ultra annum extendatur concessio illa privilegii: valeat ad annum ad nostrum beneplacitum, si ultra annum vivat Concedens. Sanchez *l. c. num.* 51. Antonius Gabriel *tom.* 3. *Comm. Opin. lib.* 6. *tit. de Præben. concl.* 2. *num.* 31. docent, ultra annum prorogari: ratio ipsorum est, quia concessio sic facta hunc sensum reddit: valeat ad annum, & ulteriùs ad nostrum beneplacitum. Nostra tamen sententia docet cum Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 32. *in fine*. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 21, *num.* 4. & Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 16. §. 5. *num.* 3. non extendi ultra annum, etiam si Concedens vivat: eo quia concessio per verba illa ad annum limitat beneplacitum ad annum, & non ultra; nec concessio est duplex, sed una; adeoque non potest facere sensum illum; concedo facultatem ad annum, & concedo facultatem ulteriùs ad beneplacitum; solùm ergo Ly beneplacitum assignat causam concessionis ad annum, non verò extendit illam ultra annum vivente Concedente.

11 Dico 3. Jurisdictio delegata concessa à delegante personæ delegatæ, si res integra sit, expirat morte delegantis; secus verò si res non sit integra: sic expressè deciditur *in Cap. Gratum*, *Cap. Relatum*, *Cap. Licet undique*, *de Offic. deleg.* & *Cap. Si cui nulla*, *de Præben. in* 6. & *ex Leg. Et quia*, *ff. de Jurisd. omnium Judic.* & ratio est, quia licet delegatus acquisierit jurisdictionem per rescriptum habitum, in eo tamen non radicata censetur, nisi ea uti incœperit. Sic clarè exprimitur *in Cap. Quamvis*, *de Offic. Deleg. in* 6. per illa verba: *Cum jurisdictio* ex quo ipse usus non extitit; non censetur in eum efficaciter transiviisse. Adeoque si in Delegato non est radicata per usum, & perit in Delegante; peribit pariter in illo, cum res sit integra.

12 Doctrina tradita valet ipso jure, non ope exceptionis; tum quia Textus, & ratio id probant; tum quia sic deciditur *in Cap. Hac Constitutione*, *vel sic. Officium*, *de Offic. Deleg. in* 6. Quapropter etiamsi Delegatus ignoret, expirasse jurisdictionem in Delegante, & tali ignorantia habita procederet ad Citationem, vel Sententiam proferendam; ipso jure Citatio, vel sententia vim non haberet, & nulla esset; ut docent Covarruvias Maranta, Gregorius Lopez, Panormitanus, Molina Theologus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de privileg. disp.* 4. *pun.* 16. §. 3. *num.* 1. Dummodo tamen cum ignorantia delegati non habeatur simul ignorantia Populi: quia tunc haberetur error communis, qui ob ignorantiam cessatæ jurisdictionis in delegante dat sufficientem jurisdictionem ad valorem actuum per ipsum gestorum *ex Leg. Barbarius*, *ff. de Offic. Prator.* Non tamen firmat jurisdictionem in delegato, quæ cum non sit in delegante, nequit in ipso firmari ex vi Rescripti habiti. Ex vi ergo communis erroris habebit tantùm jurisdictionem in ordine ad validitatem actuum gestorum ob communem utilitatem. Sic ex Sanchez, Molina, Basilio de Leon, & aliis docet Castropalaus *loc. cit. num.* 2.

13 Valet quoque supradicta doctrina, si delegatus sit talis à Principe, vel ad universitatem causarum; insuper si delegatio commissa fuerit ad beneplacitum delegantis; denique si partes consenserint, ut utatur delegatus jurisdictione delegata mortuo delegante: ratio est, quia etiam in his casibus locum habet textus supracitatus, & ratio allata; adeoque pereunte jurisdictione in delegante pariter perire debet in delegato res integra. Nec consensus partium dare potest extinctam jurisdictionem in delegato; sed solùm consentire poterunt in illum, tamquam electum in Arbitrum, *ex Leg. Privato*, *Cod. de Jurisd.* Sic Sanchez *lib.* 8. *de Matr. disp.* 28. *num.* 41. Basilius de Leon *lib.* 5. *de Matr. disp.* 23. *num.* 17. Morla *tom.* 2. *in Prælud. num.* 98. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 16. §. 3. *n.* 3.

14 Dico 4. Jurisdictio subdelegata à delegato expirat morte delegati, si res sit integra tam in subdelegato, quàm Delegato; ratio est, quia semel ac subdelegatus non usus est jurisdictione à Delegato habita, nec ipse delegatus ea usus fuerit habita ab Ordinario delegante; non censetur efficaciter transmissa in subdelegatum, adeoque remansit in delegato, ergo illo pereunte debet perire pariter in subdelegato; non solùm si delegatus nomine proprio subdelegaverit, verum etiam si nomine Ordinarii delegantis subdelegaverit. Sic Ancharranus *in Cap. Licet undique*, *de Offic. deleg. quæst.* 5. Molina *tract.* 5. *disp.* 21. *versic. Si priori modo*, & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 16. §. 3. *num.* 5. Secus verò dicendum, si tam delegatus, quàm subdelegatus ea usi fuerint; tunc enim & esset efficaciter transmissa, & res integra non esset. Quòd si moriatur Ordinarius delegans, & ante ejus mortem delegatus usus fuerit jurisdictione ab illo habita, quam subdelegavit, licèt subdelegatus ea non usus fuerit ante mortem Ordinarii delegantis; non inde tamen jurisdictio subdelegata cessat in subdelegato: ratio est, quia eam non habuit ab ordinario delegante jam mortuo, sed à Delegato vivente, in quo radicata erat per usum illius. Sic *ex Cap. Si delegatus*, *de Offic. delegati in* 6. docent Sanchez alios referens *lib.* 8. *de Matr. disp.* 28. *num.* 38. & Castropalaus *loc. cit. num.* 6. *in fine*.

15 Usque adhuc vidimus, an Privilegia, Rescripta, & dispensationes cessent, & expirent morte Concedentis illa; remanet nunc videndum, an cessent morte illius, cui conceduntur, & delegantur, seu morte delegati, vel finito ejus Officio. Quapropter sciendum: Rescriptum Gratiæ, aut Justitiæ concedi, & delegari posse alicui personaliter, aut realiter: tunc dicitur delegari personaliter, quando delegatur Jurisdictio Personæ; & dicetur privilegium, seu delegatio personalis: tunc verò dicitur delegari realiter, quando Jurisdictio delegatur rei, seu Dignitati, & Officio; quam persona habet; & privilegium, seu delegatio dicetur Realis. Jam verò extra controversiam est, delegationem personalem expirare morte personæ, cui Rescriptum, vel delegatio commissa fuit: ratio est, quia privilegium personale, cum inhæreat personæ, inde est, quod pereunte, & corrupta persona, pereat, & corrumpatur privilegium & delegatio illi inhærens; accessorium siquidem sequi debet Principale. Non sic verò Privilegium reale, & realis delegatio, quæ non extinguitur morte personæ habentis rem; sed sequitur, & comitatur rem ipsam, seu Dignitatem, & Officium, quod sicuti successivè obtineri potest ab allis, ita ad illos transmittitur privilegium, & delegatio realis comitans Officium, & rem: personæ namque succedentes repræsentant antecedentes in dignitate, & Officio; non verò in persona, & sic Officium extinguitur in ipsis. Ita passim Doctores cum Suarez, Azorio, Sanchez, & Salas penes Bonacinam *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 1. *num.* 1.

16 Lis ergo, & controversia non levis est in dignoscendo, quandonam Privilegium, Rescriptum, & delegatio censeatur concessa, & commissa Personæ, seu quando sit delegatio Personalis, & quandonam censeatur concessa, & delegata dignitati, & consequenter sit delegatio Realis. Pro qua lite, & controversia dirimenda hæc Regula tradi solet. Si Facultas, Privilegium, Rescriptum, & delegatio committitur alicui expresso tantùm ejus nomine proprio: ut si delegans diceret, committo, aut delego Petro; Privilegium censendum erit Personale, & Personalis delegatio; ratio est, quia delegans signando nominatim personam restrinxit privilegium ad illam tantùm, adeoque non rectè præsumitur voluisse illud extendere ad successorem; quod si voluisset, utique explicuisset; cum igitur non explicuerit, imò signando personam contrarium innuerit; non poterit ullatenus censeri Privilegium Reale, sed Personale. Nisi tamen ex materia, & adjectis circumstantiis aliud manifestè, & prudenter colligi possit. Si tamen commissio facultatis, & delegatio fiat expresso tantùm nomine Dignitatis, aut Officii; ut si delegans diceret, committo Episcopo Syracusano, vel Decano Cathedralis Syracusanæ; tunc Delegatio censenda erit Realis, & consequenter transit ad successorem in tali Dignitate: ratio est, quia cum delegatio non fuerit commissa Personæ, nisi ratione dignitatis; quæ cum

ad

ad Succeſſorem tranſeat ; tranſibit pariter ad illum Privilegium Dignitati inhærens . Sic expreſsè habetur *in Cap. Abbas , de Officio deleg.* , et docent Gloſſa *ibi* , Abbas *num.* 8. Menochius *lib.* 1. *quaſt.* 1. *de Arbitr. num.* 21. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 27. *n.* 6. Salas *diſp.* 20. *de Legib. ſect.* 17. *concl.* 1. Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quaſt.* 3. *pun.* 8. *§.* 1. *num.* 3. *verſic. Reſpondeo ſecundò* , & Caſtropalaus *de privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. *§.* 6. *num.* 2. *&* 3. Niſi aliud colligatur ex materia ſubjecta , circumſtantiis, & verbis Reſcripti : ut ſi Pontifex delegationem committeret expreſſo tantùm nomine dignitatis, ſed verbis indicaret, eligi perſonam in tali dignitate conſtitutam ob ejus excellentiam in probitate, aut eminentem ſcientiam in Theologia , vel peritiam in Theologia, vel Peritiam in Sacris Canonibus ; clarè appareret, eligi perſonam ob ejus induſtriam, & qualitates, quæ perſonam ipſam afficiunt , non verò dignitatem ; adeoque delegatio cenſenda eſſet perſonalis. Sic Bonacina *loc. cit. in fine* .

17 Adnotandum hìc : delegationem Realem tranſire ad ſucceſſorem , non ſolùm ſi res integra non ſit , verùm etiam ſi ſit integra : quia conceſſio non immutatur ; ſive ſtatus rei integer ſit , ſive non integer ; adoque ſi conceſſio facta eſt dignitati, quæ non extinguitur , ſed ſemper manet; illam pro quocumque ſtatu rei ſequi debet. Sic Panormitanus , Menochius , Sanchez , Salas , Bonacina, & ferè omnes ut teſtatur Caſtropalaus illos referens , & ſequens *de privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. *§.* 6. *num.* 4. Nec facit , quòd delegatio non ſit realis , eo quia committitur ſub nomine dignitatis Conſanguineo , vel Amico : nam ſi delegatio, & commiſſio ſit ex illis, quæ perſonis in dignitate conſtitutis regulariter fieri ſolent, ut habetur *in Cap. Statutum de Reſcript. in* 6. qualitates conſanguinitatis , & amicitiæ delegantis cum delegato principaliter ſpectari non ſolent ; adeoque non reddunt delegationem perſonalem , ſed realem. Secus verò eſſet , ſi commiſſio , & delegatio eſſet ex illis, quæ non continerent juriſdictionem , ſed nudum factum, executionem , & miniſterium ; tunc cenſendum erit, qualitates conſanguinitatis , & amicitiæ afficere principaliter perſonam, non verò dignitatem : ſic legatum relictum Archiepiſcopo conſanguineo , & amico *ex Cap. Requiſiti , de Teſtam.* præſumitur relictum perſonæ, non dignitati ; adeoque ad ſucceſſores non tranſit. Sic etiam eſſet executio teſtamenti ipſi commiſſa ; potiùs enim prodeſt tali executioni conſanguinitas , & amicitia, quam dignitas , ut docent Menochius , Sanchez , Covarruvias, Jaſon, quos refert , & ſequitur Caſtropalaus *loc. cit. num.* 6.

18 Sed quid dicendum ; ſi delegatio committeretur alicui, non ſolùm ejus nomine proprio expreſſo, ſed etiam nomine dignitatis, & officii : ut ſi delegans diceret , Petro Epiſcopo Catanenſi ; eſſet ne tunc cenſenda delegatio Perſonalis , an Realis ? Reſp. cenſendam eſſe perſonalem, etiamſi nomen proprium poſtponeretur dignitati : ratio eſt, quia nomen proprium appoſitum, ne dicatur inutiliter apponi reſtringit dignitatem ad illam tantum perſonam , non verò ad aliam ; ſpecies ſiquidem appoſita generi reſtringit illud , adeoque facit ne delegatio ad ſucceſſores tranſmitti poſſit , & ſic perſonalis dicatur. Sic Covarruvias, Flaminius, Sanchez , Salas , Guttierrez , & Filliuccius, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 8. *§.* 1. *num.* 3. *in fine* , & Caſtropalaus *de Privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. *§.* 6. *num.* 7. Addunt præcitati Doctores , in dubiis an privilegium , & delegatio cenſenda ſit perſonalis , an verò realis ; cenſendam eſſe perſonalem ; tum quia commiſſiones ex ſe cenſendæ ſunt perſonales , niſi aliundè conſtet , commiſſas fuiſſe ob dignitatem perſonæ , non verò ob ejus induſtriam : tum etiam quia præſumptio repiſciens perſonam prævalere debet præſumptioni reſpicienti dignitatem , generi ſiquidem derogatur per ſpeciem ex vulgata doctrina.

19 Inquires hic 1. ad perfectam notitiam eorum, quæ dicta ſunt : an omnes dignitates habeant ſucceſſorem, ita ut quæcumque delegatio commiſſa expreſſo tantum nomine dignitatis tranſire debeat ad ſucceſſorem ? Ut autem diſtinctius procedamus ;

Reſp. 1. Delegationem commiſſam Canonico habenti ſingularem titulum, & præbendam ipſi ſpecialiter deſignatam , ut eſt in multis conſpicuis Cathedralibus , præſertim Hiſpaniarum , tranſire ad ſucceſſorem in eo Canonicatu , ſi Delegatio , & Commiſſio facta fuerit expreſſo nomine Dignitatis , & Canonicatus : ut ſi ſet, ſi inſcriberetur Canonico Sancti Petri, Sancti Pauli, &c. ratio eſt , quia eſſet beneficium perpetuum , quod petit in rigore ſucceſſorem : nec Prælatus illud extinguere poteſt, imò tenetur ad providendum de ſucceſſore . Nec obſtat *cap. Dilecto , de præben. §. Præterea* , ubi dicitur : Canonicatum cum Canonico naſci , & deſinere cum defuncto . Quia loquitur de Canonico libere electo, & non habente certum titulum , & ſpecialem præbendam : Electores ſiquidem liberè illum de novo creant. Secus tamen eſt de Canonico , de quo locuti ſumus. Sic Garzia 6. *par. de Benef. cap.* 2. *num.* 37. referens Anaſtaſium, & Gemonium. Si verò Canonicus non ſit cum ſpeciali titulo, & præbenda : ſed ex certo, vel incerto numero Canonicorum : de rigore Juris commiſſio , & delegatio ipſi facta expreſſo nomine dignitatis non debet tranſire in ſucceſſorem : quia Canonicatus naſcitur cum eo ; & cum eo deſinit. Cæterum ex benigna interpretatione mentis Summi Pontificis tranſit ad ſucceſſorem : ut docent Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 27. *num.* 12. Guttierrez *de Matr. cap.* 125. *num.* 14. Bonacina *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 8. *§.* 1. *num.* 14. & Caſtropalaus *de Privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. *§.* 7. *num.* 3.

Reſp. 2. Delegationem commiſſam Judici Synodali 20
non tranſire ad Succeſſorrem ' ſed extingui cum illo: ratio eſt , quia tales Judices debent deſignari nominatim , & in particulari, ut conſtat ex Tridentino *Seſſ.* 25. *cap.* 10. *de Reform.* ubi dicitur : Deſignari Perſonam , quæ habeat qualitates juxta *Cap. Statutum , de Reſcript. in* 6. quibus cauſæ à Romano Pontifice delegari poſſint ; ergo Delegatio Judici Synodali commiſſa ſemper erit Perſonalis , ſemelac requiruntur qualitates , & induſtria perſonæ ; ergo nequibit ad Succeſſorem tranſire . Sic Acoſta *in Cap. Quoniam Abbas , de Offic. deleg.* referens ſic declaratum fuiſſe à Sacra Congreg. Concilii, Garzia , Barboſa , Flaminius, Zevallos, quos refert , & ſequitur Caſtropalaus *de Privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. *§.* 7. *num.* 4.

Reſp. 3. Commiſſionem, & delegationem factam Le- 21
gato , etiam ſub nomine dignitatis non tranſire ad Legatum Succeſſorem ; ſed finita Legatione extingui cum illo : ratio eſt, quia non eſt dignitas permanens, ſed dependens à voluntatè Pontificis legantis , qui ita Succeſſorem dat , ut poſſit non dare : nec novus Legatus dicitur ſuccedere revera Legato , qui ſua Legatione functus eſt ; ſed de novo creari , adeoque talis Dignitas reputanda erit Perſonalis. Hinc fit, quod proviſiones beneficiorum factæ à Legato , ſicuti etiam reſervationes ab ipſo factæ , ſi nondum effectum ſortitæ fuerint ; expirant Legatione finita , ut ſtatuitur *in Cap. Præſenti , de Offic. Legat. in* 6. & ſic docent Decius , Abbas . Felinus , quos refert , & ſequitur Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 27. *num.* 11. Tabiena *verb. Delegare , quæſt.* 12. Guttierrez *de Matr. cap.* 125. *num.* 4. Bonacina *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 8. *§.* 1. *num.* 15. & Caſtropalaus *de Privileg. diſp.* 4. *pun.* 16. *§.* 7. *num.* 2.

Reſp. 4. Commiſſiones , ſeu Delegationes factas Vi- 22
cario Epiſcopi , ſeu Officiali Diœceſano expreſſo tantùm nomine Officii , quamvis in rigore tranſmitti nequeat ad ejus Succeſſorem ; cum Vicariatus nec ſit dignitas perpetua , nec ex ſe Succeſſorem expoſtulet , cum liberum ſit Epiſcopo conſervare Vicarium in tali Officio , aut ab illo removere ; ſicuti etiam liberum Epiſcopo eſt alium ſubſtituere, vel non . Nihilominus quotidiana conſuetudo , praxis , & uſus demonſtrant , traſmitti ad ſucceſſorem in Officio : ratio fundatur in quadam præſumptione , & benigna interpretatione Mentis , & Voluntatis Pontificis delegantis , ne perirent tot Diſpenſationes ad Officiales Diœceſanos , & Vicarios Epiſcoporum directæ , aut multiplicarentur ſumptus ob nova Reſcripta obtinenda ; vel ſic diutius conſcientiæ remanerent gravatæ , ob dilationem novæ Expeditionis . Quapropter licèt ex rigore Juris , ut dictum eſt , nequeant tales Commiſſiones ad Vicarium in Officio ſuccedentem tranſmitti , ex benigna tamen interpretatione mentis Pontificiæ, & attenta Conſuetudine , & Stylo Curiæ paſſim tranſmittantur ; ac poſſe tranſmitti docent Abbas *in Cap. Quoniam Abbas , de Offic. delegat. num.* 11. Cardinalis *ibi* , Guttierrez *de Matr. cap.* 125. *num.* 14. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 27. *num.* 10. Salas *diſp.* 20. *ſect.* 17. *num.* 124. Garzia *de Benef. 6. par. cap.* 2. *num.* 34. Bonacina *de Legib, diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 8. *§.* 1. *num.* 5.

& Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 6.*

23 Sed dubium insurgit; quisnam veniat nomine Vicarii Episcopi, & Officialis Diœcesani, qui possit tales delegationes, Rescripta, & dispensationes exequi? Resp. certum esse, non venire Legatum Apostolicum, aut Nuncium, cum nec Vicarii sint, nec Officiales Diœcesani; nec possunt se intromittere ad causas specialiter à Sede Apostolica delegatas *ex Cap. Studuisti. 2. de Offic. Legat.* Idem dicendum de Auditore Cameræ Apostolicæ, qui licèt sit universalis executor Litterarum Apostolicarum, si alii executores designati non fuerint; attamen executoribus designatis cumulativè cum ipsis poterit eas exequi, ut rectè adnotat Garzia *6. par. de Benefic. cap. 2. num. 58.* Idem denique dicendum de Episcopo, etiam si mortuo, aut remoto Vicario ab Officio, alium non creaverit: nam dignitas Episcopalis non est Vicariatus, sed dignitas omnino distincta ab ipso *ex Cap. Venerabilibus, de Sent. Excomm. in 6.* Et quamvis Vicarius unum Tribunal faciat cum Episcopo in iis, quæ spectant ad Commissiones ipsi datas ab Episcopo; non tamen in Commissionibus, & delegationibus ipsi datis à Pontifice specialiter. Sic Decius, Imola, Ancharranus, Rebuffus, & alii, quos refet, & sequitur Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 27. num. 30.* Navarrus *lib. 1. Consil. tit. de Offic. Deleg. consil. 5. num. 4.* Guttierrez *de Matr. disp. 125. num. 11.* Salas *disp. 20. sect. 17.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 12.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 7.*

24 Solùm remanet controvertendum de Vicario Capituli Sede Vacante, nam de Vicariis foraneis nulla est controversia, cum non sint Vicarii Diœcesani, nec propriè dicuntur habere dignitatem, sed Officium, ut docet Barbosa *de Potest. Episc. 2. par. alleg. 54. num. 139. & 140.* Vicarius igitur Capituli Sede Vacante, quòd possit dici Vicarius, & Officialis Diœcesanus, docuerunt Cardinalis *in Clement. 2. de Rescript. quæst. 13. num. 15.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 27. num. 10. 31. & 32.* & alii, quia revera & est Vicarius, & est Officialis Diœcesanus; insuper dici potest Vicarius Episcopi; nam si est Vicarius Capituli succedentis in Jurisdictione Episcopo; dici poterit Vicarius Episcopi. Nihilominus dicendum puto: Vicarium Capituli Sede Vacante non venire intelligendum pro Vicario Episcopi, & Officiali Episcopi, adeoque Commissiones, & dispensationes commissas Vicario, & Officiali Episcopi non posse expediri à Vicario Capituli: ratio est, quia revera, & propriè loquendo Vicarius Capituli non est Vicarius Episcopi, nec ejus Officialis, ut docent Glossa *in Clemen. 2. de Rescript. verb. Episcopi*, Lambertinus, Garzia, Bonacina, & Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 11.* Quod si commissio, & delegatio sit facta Vicario diœcesano, aut Officiali Diœcesano, ut passim fit; nam licèt Vicarius Capituli non sit Vicarius Episcopi, nec ejus Officialis, est tamen Vicarius Diœcesanus, & Officialis Diœcesanus. Nihilominus distinguendum erit: si commissiones, & delegationes sint in forma, dignum, adhuc expediri nequibunt à Vicario Capituli: ratio est, quia Consuetudo Curiæ Romanæ, & Stylus Cancellariæ comprobant, non esse Voluntatem Pontificis, ut committantur Vicario Capituli, cum semper committi soleant demortuo Episcopo, vel Episcopo viciniori, vel ejus Vicario, & Officiali; non verò Vicario Capituli Sede Vacante. Sic docent ex multis Decisionibus Rotæ Paulus Leo, Sahagun, Garzia, Barbosa, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 11.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 8.* Nisi tamen aliud constaret de mente Pontificis, qui sciens Episcopum demortuum adhuc commissionem expediret Vicario, aut Officiali Diœcesano Diœcesis illius; rectè enim præsumeretur velle expeditionem illi delegare. Aut nisi ex praxi, & recepta Consuetudine prædictæ Commissiones Expediri solerent in illa Diœcesi à Vicario Capituli Sede Vacante: ut ex Garzia, Guttierrez, Salas, & Sanchez docet Bonacina *l. c. in fine*. Si verò Commissiones sint in forma Gratiosa, seu commissoria; utique expediri poterunt à Vicario Capituli: eo quia nec praxis, nec Stylus Curiæ Romanæ est contrarius. Sic Glossa, Imola, Ancharranus, Sanchez, Garzia, Sahagun, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c.* qui advertit, expeditionem Commissionum factarum à Pontifice in forma, dignum, faciendam non esse à Vicario Capituli Sede Vacante, cum id vetet Stylus Curiæ Romanæ; non verò Expeditiones sub eadem forma factas à Legato, Nuncio, vel ab aliis.

Quæ dicta sunt de Vicario Episcopi, intelligenda pariter sunt de Vicario Prælati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem in suo Territorio, vel Diœcesi nulli Episcopo subjectam, ut ratio ipsa demonstrat, cùm non sit alius ibi Vicarius, aut Officialis Diœcesanus, ac ex usu, & praxi receptum est: ut ex Sanchez, Salas, & aliis docent Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 9.* & Castropalaus *de Privileg. dis. 4. pun. 16. §. 7. num. 15.* contra Barbosam, & alios. 25

Adnotandum hìc 1. Si Episcopus duos Vicarios, & Officiales habeat; tunc si unus est principalior, alter minùs Principalis, commissiones, & delegationes expediendæ erunt per Vicarium Principaliorem: ratio est quia nomen Dignitatis absolutè prolatum ad principaliorem refertur *ex Clemen. 2. de Rescript. & ex Glossa ibi, verb. Principalis*, & sic docent Sanchez, Salas, Guttierrez, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 10.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 12.* Quòd si uterque æqualis esset Dignitatis; & neuter significaretur in Rescripto, tunc si Rescriptum esset gratiosum, & non contentiosum; unus ex ipsis posset pro libito eligi. Si tamen Rescriptum esset contentiosum, quamvis Salas, & Bonacina doceant, quemlibet ex ipsis eligi posse consentientibus partibus, in quarum beneficium videtur ordinari Rescriptum, & aliunde potestas est æqualis in utroque Vicario. Nihilominus probabilior videtur communis sententia docens, determinationem faciendam esse à delegante, à quo Jurisdictio provenit, non verò à partibus, quæ jurisdictionem non dant, sed eam supponunt: nec utrique committitur, sed uni tantùm; nec est major ratio pro uno, quàm pro alio. Vide Sanchez plures referentem *lib. 8. de Matr. disp. 27. num. 27.* & Catropalaum *loc. cit.* 26

Adnotandum 2. non posse delegationes, & commissiones datas Vicario Episcopi, & Officiali expediri per alium, quem Episcopus ad hunc finem designaverit, remanente adhuc Vicario in suo Officio: ratio est, quia Vicarius in istis Commissionibus, & Delegationibus non pendet ab Episcopo, sed à Pontifice; & jurisdictio, quæ delegatur à Pontifice, non committitur nisi Vicario Episcopi; & designatus ad hunc finem, remanente adhuc Vicario in suo Officio, non est revera Vicarius Episcopi. Quamvis liberum sit Episcopo unum Vicarium removere, & alterum de novo creare. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 27. num. 42.* Salas *disp. 20. sect. 17. num. 124. in fine* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. n. 11.* & Castropalaus *de Privil. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 14.* 27

Adnotandum 3. in rescriptis contentiosis, ac pro foro externo electo uno Officiali, quando partes illum eligere possunt; non posse alium adiri habentem æqualem potestatem, ut in casu duorum Vicariorum Episcopi habentium æqualem potestatem: ratio est, non quia incœptum sit jam judicium per electionem, incipit siquidem per citationem partium, & litis contestationem; sed quia facta electione per Rescripti præsentationem cum animo procedendi ad judicium, acquirit Judex electus jurisdictionem, quæ ab ipso auferri nequit pro voluntate, & arbitrio partium. Neque electus potest consentire, ut alius eligatur; poterit tamen subdelegare in iis, in quibus subdelegatio permittitur. Si verò electus moreretur, aut deponeretur, aut alius ob infirmitatem, & absentiam illius vices gereret; posset hic causam finire, quia reputaretur eadem persona cum Judice primo electo. Sic Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 27. num. 38.* Salas *disp. 20. de Legibus sect. 17. numer. 124.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. numer. 10.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 16. in fine*. 28

Adnotandum denique, Vicarium Episcopi nondum consecrati, sed electi, & confirmati, ac habentis possessionem posse commissiones istas, & delegationes expedire: ratio est, quia revera est Vicarius Episcopi, & Officialis Diœcesanus, & consequenter capax istarum commissionum, & delegationum, ut pote in Dignitate constitutus: ut docent Glossa *in Clement. 2. verb. Episcopi, de Elect.* Ancharranus, & alii cum Sanchez *lib. 8.* 29

lib. 8. de Matrimon. disp. 27. num. 35. Barbosa *de Potest. Episc. 2. par. alleg. 24. numer. 138.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 6.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 7. num. 16. in fine.*

30 Inquires 2. An si delegatus Vicarius e. g. cui delegatio commissa fuerit, à Vicariatu removeatur; possit remotus ab Officio delegationem, & commissionem exequi? Resp. si delegatio commissa fuerit sub nomine Officii, & Dignitatis Vicarii, certum est, non posse litteras exequi, sive res non sit integra, sive integra sit, & nondum inchoata: ratio est, quia cessat conditio, sub qua jurisdictio delegata fuit; delegavit siquidem jurisdictionem Pontifex sub conditione dignitatis illius, à qua jam remotus est. Sic Cardinalis, Imola, Abbas, Baldus, Henriquez, Joannes Andreas, Bellamera, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 27. num. 23. & 28.* Sbrozius, Barbosa, Flaminius, Garzia, Guttierrez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 8. num. 1.* Si verò commissio, & delegatio facta fuerit sub nomine Personæ; poterit Litteras exequi, tam incœpta causa ante remotionem, quàm *non* incœpta: ratio est, quia commissio est Personalis, & persona durat quamvis remota à Dignitate; aliunde capax erat commissionis illius, quando commissio ipsi facta fuit, tunc enim dignitatem habebat, ergo remotus à dignitate illa poterit litteras sibi traditas exequi. Commissio siquidem non pendet in conservari à Dignitate, sed *in fieri*; cum dignitas sit qualitas expostulata tempore commissionis, non executionis, ut colligitur *ex Cap. Statutum, in principio de Rescript. in 6.* adeoque si tempore impetrationis Rescripti, ejusque concessionis, & signationis Dignitatem habebat persona, cui nomine proprio delegatur Jurisdictio; eam retinebit, etiam si à dignitate removeatur. Dummodo tamen non fuerit privatus Vicarius Officio, & dignitate in pœnam commissi delicti, ut constat *ex argum. Leg. Cassius, ff. de Senator.* ubi dicitur: privatus Officio Senatoris ob proprium delictum judicare *non* potest: evaderet enim persona vilis, & indigna ad repræsentandam sanctam Sedem. Et dummodo non transierit ad statum incompatibilem cum delegatione commissa deposita dignitate, ut si Matrimonium inierit: non enim censendum est, velle Pontificem suam jurisdictionem illi delegare tanta mutatione secuta. Sic Cardanus, Decius, Bertius, Felinus, quos refert, & sequitur Bonacina, *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 1. num. 13. & 17.* Zevallos, Flaminius, Barbosa, Sanchez, Garzia, Joannes Gallemart, qui testantur, sic decisum fuisse à Sacra Congregatione, quos refert, & sequitur Castropalaus *De Privileg. disp. 4. pun. 16. §. 8. num. 3.*

CAPUT IX.

An Privilegium amittatur per Renunciationem?

1 *Controversia sit de Privilegio cedente in bonum Particularis, & privati, & de Renunciatione, non verò de non usu Privilegii.*

2 *Amittitur privilegium per liberam renunciationem factam à Privilegiato, & acceptatam à Concedente.*

3 *Poterit beneficiarius renuncians, non acceptata renunciatione, beneficium retinere mutata voluntate. Idem dicendum de electo, & de Judice delegato.*

4 *An tacita Renunciatio sit sufficiens ad amittendum privilegium?*

5 *Dispensatus ad plura beneficia, vel illegitimus ad beneficia, si matrimonium inierint, mortua uxore possunt privilegio uti.*

6 *Idem dicendum de dispensato ad contrahendum cum consanguinea, aut in impedimento Publicæ honestatis, si cum alia contrahat non habente tale impedimentum, ea mortua dispensatione uti poterit,*

7 *An solus Concedens, an verò aliter ab illo poterit Renunciationem privilegii acceptare?*

1 OB clariorem dicendorum intelligentiam advertendum est 1. Sermonem hìc esse de Renunciatione Privilegii cedentis primò, & per se, ac directè in bonum particulare, & privatum privilegiati, non verò in bonum commune directè, ac per se ordinati, nam primum privilegium renunciari potest à particulari, ut constat *ex Leg. Quod favore, Cod. de Legib. & ex Cap. Ad Apostolicam de Regular.* quia est bonum proprium, & privatum. Non verò secundum privilegium renunciari potest à particularibus Personis: eo quia non est bonum proprium cujusque personæ, sed bonum commune, ac proprium Communitatis, ut patet *ex Leg. Publicum, ff. de Pact. & ex Cap. Si diligenti de For. compet.* Hinc est, quòd nec Clericus renunciare possit Privilegio Fori, & Canonis statui Clericali concesso; nec Religiosus privilegiis suæ Religioni concessis: sic passim Doctores. Advertendum 2. distingui Renunciationem Privilegii à non usu illius: cum possit quis privilegio sibi concesso non uti, & tamen non renunciare illi; sic facultas, & privilegium datum alicui *non* recitandi Horas Canonicas, *non* jejunandi, etiam si illas recitet, vel jejunet, non ideo dicitur renunciatum ab illo; cum possit remanere privilegium, etiam si non habeatur usus illius. Advertendum 3. privilegium dispensans in aliquo impedimento, & vinculo, si semel impedimentum, & vinculum removerit; non ideo per renunciationem privilegii dispensantis revivisci impedimentum, & vinculum jam remotum, ut si quis privilegium dispensans in Consanguinitate, Affinitate, Irregularitate, aut simili obtinuerit, & jam cum ipso dispensatum sit; non ideo si pœniteat obtentæ dispensationis, & privilegii, redit impedimentum ablatum per dispensationem: cum non pendeat ab ejus voluntate reddere *nullam* dispensationem, jam sortitam effectum suum. His prænotatis ex communi sensu Doctorum

2 Constans est Doctorum sententia, privilegium amitti per liberam renunciationem à Privilegiato factam, & acceptatam à Concedente: ratio est, quia cum privilegium pendeat à voluntate Concedentis, & hic acceptavit liberam *renunciationem* à privilegiato factam, inde est, quòd ampliùs vim non habeat, nec pendeat ab ejus voluntate; sic constat *ex Cap. Si de terra Cap. Accedentibus, de Privileg. Cap. Ad Apostolicam, de Regul. & ex Leg. Si quis in conscribendo. Cod. de Pact.* Debet tamen voluntas renunciantis privilegium esse libera, ut valida sit Renunciatio privilegii: nam si coacta esset, & *non* libera, *sive per metum incussum*, sive per dolum, invalida foret, ut patet in contractu Donationis, cujus similitudinem gerit Renunciatio. Potest verò Renunciatio fieri totaliter, aut partialiter; totaliter fieret si secundum omnes partes renunciaretur privilegio; partialiter, si secundum partem fieret. Insuper potest esse perpetua, si in perpetuum fieret; temporalis, si ad aliquod tempus determinatum facta sit. Quòd autem ultra liberam Renunciationem Privilegiati requiratur acceptatio Concedentis, probatur ex eo, quòd per Renunciationem liberè factam à Privilegiato non immutatur voluntas Concedentis, adeoque perseverat in suo valore Privilegium, immutatur verò accedente acceptatione illius; & tunc amittitur valor privilegii, cujus efficacia à voluntate Concedentis pendebat, sive de cætero privilegium renunciatum cedat in utilitatem Concedentis acceptantis, ut est extra controversiam, sive non, sed respiciat purum utile Privilegiati. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 32. num. 2.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 33. num. 18.* Salas *disp. 20. sect. 19. num. 128.* Bonacina *de Legib. disp. 1. pun. 8. §. 4. num. 3.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 18. §. 2. num. 18.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 17. num. 6.*

3 Hinc fit 1. Beneficiarium, qui renunciavit beneficio sibi collato, si mutata voluntate beneficium retinere velit, & Conferens nondum renunciationem factam acceptaverit; posse illud validè sibi retinere. Fit 2 electum nolentem consentire electioni factæ, si Electores in eadem voluntate permanserint, & electus voluntatem mutaverit, posse validè in electione facta persistere. Fit 3. Judicem delegatum, aut arbitrum repudiantem delegationem, nondum accepato à delegante repudio, posse mutata voluntate in delegatione persistere. Sic ex Glossa, Joanne Andrea, Archidiacono, & aliis docent Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 32. num. 2.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 17. num. 8.*

4 Petes hìc 1. An sufficiat ad privilegium amittendum ejus tacita Renunciatio; quæ videlicet habeatur per exercitium actuum, qui incompatibiles videntur cum animo fruendi privilegio, aut dispensatione obtenta: ut si quis dispensatus ad beneficia uxorem duceret; aut

dispensatus ad contrahendum Matrimonium cum Berta consanguinea duceret postea in uxorem Joannam non consanguineam? Resp. si isti actus fierent animo non revocandi privilegium, & dispensationem obtentam; non illam revocarent, eo quia compatibiles sunt cum voluntate fruendi pro eo tempore, pro quo fruitio licita erit, de dispensatione obtenta. Si verò fierent animo revocandi illam, adhuc si non fuerit acceptata ista revocatio tacita; privilegium, & dispensatio non amittent valorem suum: ratio est, quia si non amittit valorem suum revocatio explicita, si acceptata non fuerit à Concedente illam, à fortiori valorem non amittet revocatio tacita, si non fuerit acceptata à Concedente, qui usquedum eam non acceptaverit, in suo valore perseverabit. Sic Doctores inferiùs citandi.

5 Fit ergo 1. Dispensatum ad plura beneficia, vel illegitimum dispensatum ad beneficia, si matrimonium inierint; adhuc non deperdere privilegium, & dispensationem obtentam, sed posse primum mortua uxore frui privilegio multiplicitati beneficiorum; & secundum mortua uxore habilem esse ad beneficia: ratio est, quia Matrimonii contractio non reddit nullam dispensationem obtentam, sed tantùm eam suspendit pro tempore, in quo futurus est licitus ejus usus. Sic Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 42. num. 9.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 18. §. 3. num. 20.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 17. num. 14.*

6 Fit 2. Dispensatum ad contrahendum cum consanguinea, si cum non consanguinea contrahat; aut dispensatum in impedimento publicæ honestatis; si cum alia, cum qua non extet tale impedimentum, contrahat; posse mortua uxore uti dispensatione habita pro Consanguinea, aut pro habente impedimentum publicæ honestatis: ratio est, quia non amittit effectum suum dispensatio habita, cum ejus effectus semel habitus revocari non possit. Quæ doctrina valet pro foro Conscientiæ etiam si amissum, deperditum, aut disruptum sit Rescriptum dispensationem continens; quamvis in foro exerno id probari non possit disrupto Rescripto. Sic Doctores superiùs citati.

7 Petes 2. an solus Concedens, non verò alius ab illo poterit Renunciationem privilegii acceptare? Resp. solum Concedentem, & nullum alium præter eum, nisi ab eo commissionem acceperit, posse renunciationem acceptare: ratio est, quia est virtualis revocatio privilegii acceptatio Renuntiationis; ergo sicuti revocatio à nullo alio esse potest, nisi ab ipso Concedente privilegium, aut ab illo, qui commissionem à Concedente habuerit; sic etiam & acceptatio Renunciationis privilegii. Advertendum tamen hanc commissionem non dari delegato Executori Privilegii, & dispensationis: eo quia potiùs est delegatus ad exequendum privilegium & dispensationem, quàm ad acceptandam renunciationem illius. Sic recte adnotant Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 32. num. 4.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 17. num. 10.*

CAPUT X.

An Privilegium amittatur per non Usum, contrarium Usum, aut Abusum illius?

1 *Non usus tantùm habet locum in Privilegiis affirmativis.*
2 *Non usus Privilegii affirmativi sine gravamine aliorum non tollit regulariter Privilegium.*
3 *Tollit verò non Usus cum gravamine aliorum.*
4 *Non habet locum Præscriptio in privilegio, in quo expressè apponitur, quòd Privilegiatus eo uti possit pro suo arbitratu.*
5 *Quando sufficiens sit Decennium ad præscribendum per non Usum?*
6 *Amissio privilegii per præscriptionem non usus est pro utroque foro.*
7 *Contrarius Usus locum habet in privilegiis negativis, & facit, ut amittantur.*
8 *Usus non solùm debet esse contrarius privilegio materialiter, sed etiam formaliter,*
9 *Debet contrarius usus fieri pro eo tempore pro quo concessum fuit Privilegium.*
10 *Debet fieri contrarius usus ab ipso Privilegiato.*
11 *Si Privilegium sit absolutè concessum, & cedit principaliter in utilitatem privatam Privilegiati, poterit ab hoc amitti per contrarium usum.*
12 *Si verò concessum fuerit principaliter in bonum Communitatis, nequit amitti per contrarium usum privatæ personæ.*
13 *Si privilegium non habeat tractum successivum, cessat per contrarium usum.*
14 *Si verò habeat, non cessat per unicum actum contrarium.*
15 *Aliquando licèt privilegium non cesset per actum contrarium, cessat tamen pro ipso actu.*
16 *Ut Privilegium amittatur per contrarium usum, requiritur, ut actus sit contrarius toti privilegio.*
17 *Ad præscribendum contra privilegiatum in favorem gravati sufficit cæteris habitis unus actus continuatus, non retractatus.*
18 *Amissio privilegii per contrarium usum obligat pro utroque foro.*
19 *Abusus privilegii multis modis evenire potest.*
20 *Abutens privilegio quolibet ex prædictis modis regulariter non amittit privilegium ipso facto.*
21 *Si concedens privilegium posuit conditionem, ut per Abusum ipso facto amittatur, posito abusu sic amittitur.*
22 *Abutens privilegio extendendo illud amittit privilegium in parte extensa.*
23 *Notantur aliqua circa Abusum privilegii resistendo fini illius.*

NON usus privilegii solùm habere potest locum in privilegiis Affirmativis, seu respicientibus actum positivum, ut sunt privilegia comedendi carnes diebus prohibitis; exigendi decimas, ac tributa, eligendi ad beneficium &c. non verò in privilegiis negativis respicientibus omissionem actus positivi, ut non solvendi decimas, tributa &c. privilegium tamen affirmativum aliud esse potest sine gravamine aliorum, ut est privilegium recitandi Horas Canonicas ante tempus statutum; eligendi Confessarium; audiendi Sacrum in loco Interdicto. Aliud cum gravamine aliorum, ut est privilegium Decimandi, imponendi tributa, & similia. 1

Jam verò non usus privilegii affirmativi non redundantis in gravamen aliorum non potest tollere privilegium regulariter loquendo, etiam si non usus per longum tempus continuatus fuerit: ratio est, tum quia cum non sit odiosum, restringi nequit, maximè quia levat onus alterius, & prodest ejus animæ saluti; tum quia nullo jure constat, talia privilegia amitti per non usum, & locum dare præscriptioni. Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 34. num. 15.* Basilius *lib. 8. cap. 18. §. 2. num. 22.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 5. num. 4.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 18. num. 3.* 2

Non usus verò privilegii affirmativi cum gravamine aliorum tollit privilegium, quando gravati præscribunt adversus privilegiatum. Ad clariorem intelligentiam hujus doctrinæ sciendum, per non usum privilegii absolutè concessi, & absque temporis determinatione non posse tolli formaliter, & per se privilegium, eo quia non usus rei propriæ nequit tollere dominium illius, sic qui non utitur propriis vestibus, propria pecunia, propria domo aut fundo, non ideò amittit dominium illarum rerum, quia præcisè, & formaliter illis non utatur; sed ulteriùs requiritur, quòd illas derelinquat; à se abiiciat, aut pro derelictis habere velit; ut constat *ex Leg. 1. & 2. ff. Pro derelict.* idem dicendum de non usu privilegii, qui nisi indicet, quòd privilegiatus privilegium à se abiiciat, aut illi renunciet, non amittet possessionem illius. Sciendum insuper, occasionaliter ex vi non usus amitti posse privilegium redundans in gravamen aliorum; in quantum gravati præscribere possunt per non usum privilegii contra privilegiatum, & præscriptione legitimè facta deperditur privilegium: præscriptio namque mutat dominia rerum auferendo ab alio, quod proprium erat illius. Sciendum denique, non usum privilegii, per quem contra privilegiatum præscribi potest, debere esse voluntarium, & liberum, ac data occasione utendi: nam si nec occasio utendi illo data fuerit; aut si data sit, non potuit privilegiatus illo uti, etiam si longissimus fuerit hic non usus; non præbebit fundamentum præscribendi. Debet igitur non usus privilegii, ut præscriptio fieri possit, esse privativus, seu omissivus, quando videlicet Privilegiatus sciens, & potens uti privilegio, eo tamen non utitur. Non enim sufficit negativus, quando videlicet 3

nec

nec data est occasio, eò utendi, aut occasione data non potuit uti ex aliquo impedimento. His circumstantiis habitis poterit haberi præscriptio contra Privilegiatum habentem privilegium affirmativum cum gravamine aliorum. Sic constat *ex Leg. 1. ff. de Nundinis*, & sic docent Abbas, Innocentius, Felinus, Decius, Azor. Salas, Suarez, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 18. num. 1.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 5. num. 3.* referens Bartolum, Baldum, Jasonem, Layman, & alios.

4 Adnotandum tamen 1. non habere locum præscriptionem, si in privilegio appositum fuerit à Concedente expressè, quòd privilegiatus illo uti possit pro suo arbitratu: ratio est, quia usus privilegii remittitur voluntati Privilegiati; ergo quocumque tempore elapso ad præscriptionem requisito, poterit tunc uti illo pro suo arbitratu. Si Concedens privilegium diceret Privilegiato, ut possit pro toto tempore suæ vitæ, aut tempore mortis Majoratum instituere; utique præscribi non poterit contra sic Privilegiatum, ut nimis clarè appareat ex se, quia dum vita durat, non potest amittere privilegium per non usum; sed dum privilegium remittitur Privilegiato, ac ejus voluntati, idem est, ac si ei concederetur pro tota ejus vita, ergo eodem modo se habent. Nec juvat dicere, hanc conditionem imbibitam esse in omnibus privilegiis, adeoque contra nullum ex ipsis præscribi posset. Contra enim est, quia licèt subintelligatur in privilegiis, attamen ne frustraneè, otiosè, & inutiliter apponatur expressè, hunc diversum effectum præstare debet, si fuerit explicitè apposita in aliquo. Sic rectiùs sentiunt Felinus, Decius. Baldus, Glossa ordinaria *in Cap. ut privilegia, de Privileg.* Molina Jurista, Azevedo, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 18. num. 2. in fine, & 5. contra* Molinam Theologum, Salas, Suarez, Abbatem, & Jasonem oppositnm sentientes.

5 Adnotandum 2. Quamvis ex communi sententia tempus requisitum ad præscribendum per non usum contra Privilegiatum sit Decennium, *ut colligitur ex Leg. 1. ff. de Nundin.* & docent Bartolus, Jason, Felinus, Menochius, Layman, Abbas, Cynus, Salicetus, Azor. Salas, Rebuffus, Mendosa, Baldus penes Bonacinam *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 5. num. 5.* & penes Castropalaum *de Privileg. disp. 4. pun. 18. num. 6.* Nihilominus licèt sufficiat ad præscriptionem non usus per decennium, ex vi cujus resultet virtualis Renunciatio privilegiorum singularium, seu singularibus personis concessorum, ut patet in Privilegio de Nundinis; non tamen sufficiens est pro concessis Communitatibus, & Ecclesiasticis personis, pro quibus majus temporis spatium requiritur, ut contra ipsas præscribi possit juxta regulas requisitas ad præscriptionem; cum non una regula valeat pro omnibus personis, nec eadem pro præsentibus, ac absentibus; adeoque aliquando sufficit decennium, aliquando requiritur Vicennium, aut Tricennium, vel quadrigennium. Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 34. num. 20.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 18. num. 23.* Castropalaus *l. c. num. 7.* & alii.

6 Adnotandum 3. Privilegium, quod per non usum amittitur habita præscriptione alterius juxta superiùs dicta; non solùm amitti pro foro externo, verum etiam interno: ratio est, quia præscriptio legitima non solùm dat justum titulum possidendi rem præscribenti, verum etiam aufert à quocumque alio facultatem utendi illa; ergo privilegiatus non solùm amittit jus ad utendum privilegio pro foro externo, sed etiam interno, semelac per præscriptionem legitimam alterius illud deperdidit. Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 34. num. 26.* Salas *disp. 17. sect. 13. num. 64.* Basilius de Leon *lib. 8. de Matrim. cap. 18. §. 3. num. 24.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 5. num. 5. versic. Addit*, & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 18. num. 8.*

7 Contrarius usus Privilegii, seu actio facta contra id, quod privilegium continet; solùm habet locum in Privilegiis negativis: ut si quis privilegium haberet non jejunandi, & jejunaret; aut non solvendi tributa, & decimas, & illa solveret; utique contrarium usum privilegii faceret. Jam verò posse amitti privilegium per contrarium usum, satis decernitur *in Cap. Accedentibus, Cap. Porrò, Cap. Recepimus, de Privileg. & Cap. Cum accessissent, de Constit.* & ratio comprobat: quia per contrarium usum præsumitur Privilegiatus renunciare privilegio; & sicuti Lex per actus contrarios cessare potest, ita & privilegium. Solùm ergo inquirendum remanet, quænam requirantur ad contrarium usum, ut fundet præsumptionem Renunciationis, & in quibus privilegiis locum habeat.

8 Requiritur ergo 1. ad contrarium usum fundantem Renunciationem, quòd non solùm unus sit materialiter, sed etiam formaliter contrarius privilegio. Quapropter si esset materialiter tantùm contrarius, per eum non amitteretur privilegium: ut siquis nesciens, aut non advertens ad privilegium non solvendi decimas, illas solveret; faceret actum materialiter tantùm contrarium privilegio, & consequenter non sufficienter voluntarium ad fundandam renunciationem; cum nemo præsumatur renunciare ei, quod ignorat. Idem dicendum, si actum contrarium privilegio faceret præmissa protestatione non præjudicandi privilegio; tunc enim actus esset materialiter tantùm contrarius: nam protestatio facta satis indicat, non esse talem usum formaliter contrarium privilegio, nec fieri ex animo renunciandi illi, aut subjiciendi se obligationi, à qua fuerat exemptus per privilegium. Secus verò si esset usus formaliter contrarius privilegio; si videlicet Privilegiatus sciens, & volens illum efficeret cum animo renunciandi privilegio, & subjiciendi se obligationi, à qua per privilegium exemptus erat; utique sufficientem præsumptionem fundabit Renunciationis: ut si quis habens privilegium non solvendi decimas, non jejunandi in Quadragesima; & decimas solveret, ac in Quadragesima jejunaret; non ex propria liberalitate, & devotione; sed ex animo renunciandi privilegio, ac subjiciendi se obligationi solutionis decimarum, ac jejunii quadragesimalis; amittet privilegium per hunc contrarium usum formaliter. Sic Bartolus *in Leg. 1. Cod. de his, qui sponte.* Panormitanus *in Cap. Cum accessissent, de Const.* Felinus *in idem Cap. num. 30.* referens Baldum, Suarez *lib. 8. de Leg. cap. 35. num. 3.* Salas *disp. 17. sect. 13. num. 66.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 6. num. 2.*

9 Requiritur 2. ut contrarius usus fiat pro eo tempore, & ea occasione, pro qua privilegium concessum fuit: ut si quis habens privilegium non jejunandi in Quadragesima jejunaret post illam; non faceret usum contrarium Privilegio, nec fundantem renunciationem: eo quia privilegium non fuit concessum pro eo tempore. Sic Doctores supra citati.

10 Requiritur 3. ut contrarius usus fiat ab ipso privilegiato, qui potest explicitè privilegio renunciare, non verò ab alio non habente talem potestatem, aliàs non fundabit præsumptionem renunciationis: ratio est, quia nisi quis explicitè renunciare possit privilegio, nec poterit implicitè, qui autem per contrarium usum amittit privilegium, solet illud amittere per implicitam renunciationem, & tacitam; adeoque nisi contrarius usus sit à potente renunciare explicitè privilegio, non fundat præsumptionem Renunciationis. Sic Panormitanus *in Cap. Cum accessissent, de Constit. num. 8.* Suarez alios referens *lib. 8. de Legib. cap. 35. num. 8.* Salas *disp. 17. sect. 13. num. 66.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 6. num. 6.*

11 Quinam autem, & in quibus privilegiis renunciare possint per contratium usum; dignoscendum erit discurrendo per privilegia, ac distinguendo illa. Et 1. si privilegium sit absolutè concessum, & principaliter cedit in utilitatem privatam privilegiati, cui concessum fuit; poterit per contrarium usum illi renunciare, ut supra diximus, dummodo per talem usum contrarium intendat formaliter illi renunciare, & ulteriùs Concedens acceptet virtualem illam renunciationem per contrarium usum formaliter: ratio est, quia nemo cogitur invitus beneficium acceptare, ac retinere; cùm quilibet possit juri suo cedere. Et sic statutum est *in Cap. Ad Apostolicam, de Regul. & in Leg. Pactum, ff. de Pact. & in Leg. Quod favore, Cod. de Pact.* Advertendum hìc, quòd si ex circumstantiis, & conjecturis, ac signis, etiam levibus constare possit, contrarium usum non factum esse animo renunciandi privilegio, sed ex alio fine; tunc excludendam esse præsumptionem renunciationis, quæ cum odiosa sit restringenda est, & potiora, ac validiora argumenta requiruntur ad probandum contra Privilegiatum, contrarium usum fuisse animo renunciandi privilegio. Sic Suarez referens Felinum, D. Antoninum, & alios *lib. 8. de Legib. cap. 35. num. 12.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 18. §. 3. num. 28.* Bonacina *de Le-*

Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 6. num. 5. & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 19. num. 1.* Addit Bonacina ex Suarez: quòd si privilegiatus actum privilegio contrarium fecerit, animo tamen non renunciandi illi, quamvis in foro externo animum suum probare non possit; non tenetur in conscientia ad sequendum sententiam illam materialiter injustam, & contra veritatem rei, si nullum indè sequatur scandalum; secus verò si scandalum sequeretur, quod vitare teneretur.

12 2. Si privilegium sit absolutè concessum principaliter in bonum Communitatis, quamvis redundet in bonum particulare privatæ personæ; non poterit privata persona privilegio renunciare per usum contrarium; dummodo bonum privatum illius non sit separabile à bono Communi: ratio est, quia bonum commune non debet pendere à voluntate cujuslibet privatæ personæ; nec æquum est, ut positum sit in ejus arbitrio: ut constat *ex Cap. Si diligenti, de For. Compet. & ex Leg. Jus publicum, Cod. de Pactis.* Hinc fit: Clericum per hoc, quod non invitus, imò consentiens sinat se percuti, aut trahi ad Tribunal laicum; non ideo renunciare per hunc contrarium usum Privilegio Canonis, & Fori, ut communis sententia docet, Idem dicendum, quando privilegium concessum est in favorem plurium, & commodum unius separari nequit à commodo alterius; nullus ipsorum poterit per contrarium usum privilegio renunciare, quod resultaret in detrimentum aliorum, æquè gaudentium privilegio, Secus verò esset, si bonum privatum unius personæ separabile esset à bono communi, vel aliarum personarum; quilibet enim cedere posset beneficio suo, & juri proprio absque beneficio alterius, Sic ex Panormitano, Azorio, Salas, & aliis docet Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 6. num.* 10.

13 3. Si privilegium non habeat tractum successivum, seu si concessum fuerit ad unicum actum; amittitur, & cessat per contrarium usum illius: ratio est, quia si pro unico actu concessum fuit privilegium, & ipse actum non fecit, imò contrarium illi, evidenter, & clarè constat, cessare privilegium, ac privilegiatum illi renunciasse, Sic *ex Cap. Cum accessissent, de Constit. Cap. Si de Terra, & Cap. Accedentibus, de Privileg.* docet communissima sententia cum Suarez, Salas, Azorio, Lopez, Bartolo, Jasone, Bonacina, & aliis penes Castropalaum *de Privileg. disput. 4. punct. 19. num. 2.*

14 4. Si privilegium habeat tractum successivum, seu concessum fuerit ad plures actus successivos; non amittitur per unicum actum contrarium, vel per plures factos à Privilegiato; nisi constet, privilegiatum illos effeciisse animo renunciandi privilegio. Quòd si purè gratiosum sit, requiritur ulterius acceptatio renunciationis facta à Concedente, ut privilegium cesset. Si verò sit cum gravamine aliorum, requiritur ex parte ipsorum præscriptio legitima, ut amittatur privilegium juxta ea, quæ superiùs diximus de non usu Privilegii, cum eædem militent rationes utrobique.

15 Advertendum hic 1. quod licèt privilegiatus per actum, vel per actus contrarios privilegio non amittat illud, nisi ex parte illorum, qui gravantur ex tali privilegio, detur legitima præscriptio; nihilominus privilegium cessat quoad valorem illorum actuum, quibus contradictum est privilegio; nec illud in favorem ipsorum allegari potest. Sic si quis habens privilegium non solvendi decimas, aut tributa, & illa solvat ad unicam vicem tantùm, vel ad plures vices, dummodo non facta sit legitima præscriptio; quamvis non amittat privilegium simpliciter, & in futurum; amittit tamen illud quoad solutiones factas, seu quoad usus contrarios factos; ratio est, quia nemo privilegiatus uti potest privilegio in eo, in quo ipsi contradicit: contrarius namque privilegio non potest illo uti quoad actum contrarium factum, nec illud allegare. Adeoque habens privilegium non acceptandi Officia Reipublicæ non amittit simpliciter privilegium, si semel acceptet Officium; quamvis nequeat illud allegare pro illa vice, pro qua acceptavit, Sic *ex Cap. Gratum, de Offic. Deleg. ex Cap. Ex ore, de his, quæ fiunt à, major. & ex Leg. 2, & 3. de his, qui sponte munera subeunt. lib.* 10. docent Gregorius Lopez, Barbosa, Cynus, Salicetus, Suarez, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 6. num.* 12. & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 19. à num. 4. usque ad 9.* qui adnotat, hanc doctrinam valere in privilegiis concessis in favorem particularium, & quibus particulares præjudicare possunt; non verò in privilegiis concessis in favorem Communitatis, quibus particulares personæ præjudicare nequeunt. Nisi actus contrarius privilegio factus fuerit à tota Communitate, & ex consensu illius; cum ipsa sola possit renunciare privilegio sibi concesso; non verò particularis, aut particulares personæ illius Communitatis. Vide Bonacinam *l. c. num.* 15.

Advertendum 2. ut privilegium amittatur per contrarium usum; de necesse requiritur, actum contra privilegium factum esse contrarium toti privilegio: nam si contrarius esset parti privilegii, solùm derogaret quoad illam partem; ratio est, quia cum amissio fiat per contrarium usum, & usus est contrarius tantùm parti non toti; inde est, quòd omnis ratio expostulet, ut deroget secundum partem illam, non verò secundum totum. Sic Bonacina plures referens *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 6. num.* 11. 16

Advertendum 3. ad fundandam præscriptionem legitimam contra privilegium in eis, qui privilegio gravati sunt; non requiri pluralitatem actuum privilegio contrariorum, sed sufficere unum continuatum, qui retractatus non sit; illo enim habito, & cæteris requisitis ad legitimè præscribendum, poterit sine multiplicitate actuum contrariorum haberi legitima præscriptio contra privilegiatum. Sic privilegiatus in decima, si illam semel solvat, quamvis iterum non solvat, quia non datur occasio solvendi illam, & interim percurrat tempus requisitum ad præscribendum; utique privilegium amittet. Sic etiam privilegium amittit dandi suffragium in electione, qui habens illud permittit electionem fieri sine suo suffragio, & interim nulla data occasione faciendi aliam electionem percurrit tempus requisitum ad legitimè præscribendum. Ita Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 35. num.* 20. & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 19. num.* 8. 17

Advertendum denique: per contrarium usum, seu actum quoties amittitur privilegium; sive id eveniat per expressam, aut tacitam renunciationem privilegii à Concedente acceptatam; sive per præscriptionem legitimam, quia alter contra Privilegiatum legitimè præscripsit; tunc obligari privilegiatum ad non utendum eo, non solùm pro foro externo; sed etiam interno: aliàs uteretur jure à se addicato, & alteri jam quæsito, quod fieri nequit tam pro foro externo, quàm pro interno. Sic Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 6. num.* 16. 18

Abusus privilegii evenit cùm Privilegiatus malè utitur illo, sive occasione illus delinquendo; sive illud extendendo ultra concessionem in eo contentam; sive denique resistendo pravis moribus fini privilegii: ut si obligatus ad residentiam in sua Ecclesia privilegium obtineret non residendi in ea, sed alibi commorandi, ut litteris operam navaret in bonum ipsius Ecclesiæ; ipse verò nugis deditus, ac vanis occupationibus tempus tereret sine litteris, diceretur hic resistere fini privilegii, illoque abuti. 19

Jam verò abutens privilegio quolibet ex modis enumeratis regulariter loquendo non amittit ipso facto privilegium per talem abusum, sed solùm venit illo privandus. Et quidem quod non amittat illud, patet ex eo, quia amissio privilegii est pœna, pœna autem nisi expressè colligatur ex ipsis verbis privilegii, non censeri debet ipso facto imposita. Quod si in privilegio apposita fuerit Clausula: si privilegiatus hoc privilegio abutatur, noverit se eo privatum, aut incurrat ipso facto privationem; tenetur privilegium à se abdicare, interveniente tamen sententia saltem declaratoria criminis, juxta dicta de Lege pœnali. Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 36. num.* 8. Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 7. num.* 1. & Castrop. *de Privileg. disp. 1. pun. 20. num. 3.* Quòd verò veniat privandus privilegio obtento per abusum contra illud commissum, satis clarè constat ex verbis illis *in Cap. ubi ita, disp.* 74. Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate; quæ in vulgatum axioma transiere; insuper *in Cap. Privilegium, 11, quæst. 3. Cap. Licet, de Regular. Cap. ut Privileg. & Cap. Contingit. 2. de Sentcn. Excomm.* quæ omnia apertè demonstrant haberi in abutente quolibet ex modis enumeratis meritum ammittendi privilegium. Et sic expressè docent Sylvester *verb. Privilegium, quæst.* 10. Panormitanus *in Cap. Licet, de Regul.* Bernardus Diaz *Regul.* 592. Sua- 20

rez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 36. *à num.* 4. Salas *disp.* 17. *sect.* 13. *num.* 67. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 7. *num.* 2. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 20. *num.* 2.

21 Notandum 1. circa abusum privilegii sumendo ex illo occasionem delinquendi, quòd licèt non amittat abutens ipso facto privilegium regulariter loquendo, sed veniat privandus illo; si tamen Concedens privilegium illud concesit sub conditione, quòd illud ipso facto amittat per abusum; tunc non venit privandus, sed est ipso facto privatus privilegio pro utroque foro: ratio est, quia est conditio essentialis privilegii, qua deficiente privilegium deficit, nec ullatenus subsistere potest, Sic Bonacina *l. c. num.* 1. *in fine*. Idem dicendum, si in Jure ob delictum aliquod speciale expressum in casu particulari ponerentur verba clarè inducentia ipso facto privationem per abusum: ut est in Clerico qui sodomiæ vitium exercet, ipso enim facto privaretur Clericali privilegio. Vel in Clerico incedente sine habitu, & tonsura occasione vivendi liberiùs, qui si termonitus non resipuerit, amittit ipso facto privilegium Clericale *ex Cap. Contingit* 2. *de Sentent. Excomm.* Aut in Clerico Negotiatore, qui post trinam monitionem non destitit à negotiatione; privatur namque exemptione à solvendis tributis, nec defenditur à Potestate Ecclesiastica, *ex Cap. Ex litteris, de Vit. & honest. Clericor.* denique ipso facto amittit privilegium Immunitatis, qui in ipsa Ecclesia delictum committit *ex Cap. ult. de Immunit. Eccles.* Verùm in his casibus requiritur saltem sententia declaratoria Judicis, ut ipso facto privetur abutens privilegio, ut habet expressè Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 20. *num.* 4.

22 Notandum 3. circa abusum privilegii extendendo illud ultra concessionem, & ultra limites ilius; quòd abutens ipso facto amittit privilegium quoad actum, quem agit per abusum illum, in eo tamen, quod excedit limites privilegii: & ratio est, quia actus factus sine potestate irritus est quoad id, quod exercetur sine potestate; sed in eo, quod fit ultra limites privilegii actus fit sine potestate; ergo ipso jure erit irritus quoad illud; non verò quoad alia, quæ sunt intra limites privilegii, cum utile per inutile non vitietur. An verò per talem abusum mereatur abutens privari toto privilegio, vel parte illius; jam superius dixi; mereri, ut privetur toto privilegio, quia jura citata absolutè loquuntur de quolibet abusu, nec distinguunt, adeoque nec Doctores distinguere debent: maximè quia abutens per quem libet abusum committit culpam, ergo meretur pœnam. Non nego tamen, quòd possit Concedens privare ex parte, & de facto Electores eligentes indignum *in Cap.* 2. *de Postulat. Prælat. Cap. Cum in cunctis, §. ult, & Cap. Cum Vvintonensis, de Elect.* privantur pro illa vice potestate eligendi. Sic Sylvester *verb. Privilegium, quæst.* 10. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 36. *num.* 2. Salas *disp.* 17. *sect.* 13. *num.* 68. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 7. *num.* 4. *in fine*, & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 20. *num.* 4.

23 Notandum denique circa abusum privilegii resistendo fini illius, quòd non possit abutens frui privilegio, & est actu privatus in eo, in quo resistit: ita tamen ut si id, in quo resistit, sit finis adæquatus, & causa totalis privilegii concessi; absolutè, & simpliciter cesset privilegium per talem abusum resistentem, non in pœnam abusus, sed quia cessat finis adæquatus privilegii. Si verò non sit finis, fundamentum, & causa illius adæquata, & totalis, sed solùm quoad aliquam actionem; cessabit privilegium quoad actionem illam. Exemplis res complanatur: Si Beneficiarius, cui ob studium litterarum concessum est privilegium lucrandi fructus suæ Præbendæ absque residentia, alibi commoretur per annum non vacans litteris, sed deditus vanis conversationibus; non poterit utique per talem abusum percipere fructus anni illius ex sua Prębenda; quia resistit fini intento studiorum à Concedente, & cessat quoad actionem illam; licèt absolutè, & simpliciter non cesset in illo privilegium; nam per annum insequentem si studiis vacet, poterit fructus anni insequentis percipere absque residentia. Sic colligitur *ex Leg. Generaliter. Cod. de Episcop. & Cleric.* Idem dicendum de Clerico Conjugato, cui conceditur privilegium Clericale, si habitum Clericalem deferat, & alicui Ecclesiæ inserviat; quo ipso jure privatur, si laicè vivat *ex Cap. Ex parte de Cleric. Conjug. ex Cap. unico, eod tit. in* 6. & ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* Amissio tamen huius privilegii non erit absoluta, sed pro eo tempore, quo laicè vivit: nam si habitum Clericalem reassumeret, & Ecclesiæ inserviret, utique privilegio Clericali frueretur. Sic Bartolus *in Leg. Semper, ff. de Jur. Immunit.* Didacus Perez *lib.* 1. *Ordin. titul.* 2. *Leg.* 8. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 36. *num.* 7. Salas *disp.* 17. *sess.* 13. *num.* 68. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 24. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 7. *num.* 6. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 20. *num.* 4.

CAPUT XI.

An per Revocationem amittatur Privilegium.

1 *Privilegia non omnia, & eodem modo revocantur.*
2 *Quomodo revocetur Privilegium Gratuitum concessum subdito faciendi contra Legem, vel præter illam?*
3 *Quomodo revocandum, si concessum fuerit non subdito?*
4 *Privilegium transferens dominium semel acceptatum revocari nequit sine justa, & sufficienti causa.*
5 *Ad validam revocationem huius Privilegii requiritur etiam Compensatio.*
6 *An teneatur Princeps probare causam, ob quam privilegium revocat.*
7 *Privilegium per contractum oneroſum datum revocari nequit sine legitima causa.*
8 *Quod dictum est de Privilegio oneroso extenditur ad Remuneratorium.*
9 *Quomodo dignoscendum privilegium Remuneratorium.*
10 *An merita sufficienter probentur ex sola affirmatione Concedentis?*
11 *In quo nam resideat facultas revocandi privilegia?*
12 *An inferior revocare possit dispensationem justè à se factam in Lege Superioris absque causa.*
13 *An Superior revocare possit absque causa dispensationem factam ab inferiore?*
14 *Revocatio fieri potest ab habente facultatem expressè, vel tacitè.*
15 *Revocatio facta expressè per Clausulam generalem sufficiens est ad revocandum,*
16 *Extenditur ad Privilegia exempta, si clarè constet de voluntate derogatoria; secus verò si clarè non constet.*
17 *Eximitur* 1. *privilegium concessum cum Clausula, quod ipsi derogari nequeat, nisi ejus fiat specialis mentio.*
18 *Eximitur* 2. *privilegium concessum per modum contractus, sive Oneroſum, sive Remuneratorium fuerit.*
19 *Eximitur* 3. *privilegium insertum in Corpus Juris, cui derogari nequit, nisi per Clausulam specificam exprimentem illud.*
20 *Eximitur* 4. *privilegium concessum à Concilio Generali, quod revocari debet per Clausulam mentionem facientem Concilii.*
21 *Revocatio tacita, ut valida sit; debet procedere ex scientia, & notitia privilegii.*
22 *Quando præsumenda est scientia, & notitia privilegii in Principe derogante? præcipuè si privilegium sit insertum in Corpus Juris.*
23 *Quid si Princeps deroget privilegio per aliud privilegium contrarium.*
24 *Posterius privilegium derogat priori inserto in Corpus Juris; secus verò si fuerit extra illud, & non faciat specialem mentionem ipsius.*
25 *Si revocatio fiat per speciale mandatum, Præceptum, aut Rescriptum Principis, nequit extendi ad privilegium extra Corpus Juris sine mentione ipsius.*
26 *Quid dicendum de Revocatione facta per sententiam latam ab habente facultatem revocandi?*
27 *Quomodo facienda publicatio Revocationis privilegii?*
28 *An privilegiatus abstinere debeat à privilegio per hoc, quòd revocationem quocumque modo nescierit?*

CUM varia sint Privilegia, aliud enim est gratis datum, seu ex libera Principis voluntate concessum, sive de cętero consistat in potestate delegata ad aliquem usum contra Legem, vel præter Legem; sive per ipsum transferatur Jus in privilegiatum. Aliud oneroſum, & lucrativum, quando videlicet datur ob aliquod onus, aut lucrum exhibitum à Privilegiato. Aliud 1

liud Remunerativum, quod Princeps concedit Privilegiato tamquam præmium, & remunerationem servitiorum Principi exhibitorum. Ideo distinctè de illis per agendum, & inquirendum, an amitti possint per Revocationem; eo quia non eadem doctrina militat pro omnibus, nec semper privilegia concedantur subditis, cum possint etiam & non subditis concedi; nec semper involvant privilegia sive gratuita, sive onerosa dispensationem Legis, cum aliquando illam non importent.

2 Jam verò Privilegium gratuitum, seu gratis concessum, quo delegatur alicui subdito facultas faciendi contra Legem; poterit à Concedente, vel ejus successore, aut superiore validè revocari, quando voluerit; quamvis si id faciat sine causa, venialiter peccet. Et quidem quòd validè revocare possit Princeps hanc facultatem delegatam subdito, patet ex eo, quia delegatus nomine delegantis agit, & pendet ab ejus voluntate; ergo ex eadem voluntate delegantis cessare potest, & debet in delegatione: maximè si delegatus subditus sit, quia cum superior delegans non amiserit per potestatem illi delegatam jurisdictionem in illum, inde est, quòd sicuti illum exemit ab obligatione Legis per privilegium dans facultatem delegatam; ita poterit ad eamdem obligationem Legis reducere per revocationem privilegii. Sic Suarez *de Legib. lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 10. Sanchez *lib.* 8. *sum. cap.* 33. *num.* 8. Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *num.* 70. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 22. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 19. Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. §. 1, *num.* 1. referens Felinum, Matienzo, Basilium de Leon, Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 3. *num.* 1. referens Vasquez, Lessium, & Reginaldum,

Quòd autem venialiter peccet, si absque causa privilegium revocet, etiam præciso scandalo, & odio; probatur ex eo, quia signum inconstantiæ est, & levitatis, nec non aliqua indecentia in Principe voluntatem mutare sine causa: maximè quia *ex Regul. decet*, *de Regul. Jur. in* 6. Privilegium Principis decet esse mansurum, Sic Communis sententia cum Suarez, Sanchez, Salas, & aliis, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c. num.* 6. & Castropalaus *l. c.*

3 Si verò Privilegium gratuitum delegans facultatem concessum fuerit non subdito, & ab eo acceptatum, non poterit Concedens illud revocare, nisi in eis casibus, in quibus donatio perfecta revocari potest, aut si privilegium graviter pernicioſum evaderet Regi, & Regno: ratio est, quia talis concessio privilegii est veluti donatio quædam, quæ semel acceptata revocari nequit non consentiente donatario, nisi in aliquibus casibus: adde, quòd Concedens nec habet potestatem in non subditum, nec in persona, nec in bonis, adeoque nequibit illum privare jure sibi quæsito per acceptationem privilegii, quia illum veluti privaret suis bonis. Privare etiam poterit concedens subditum privilegio ab eo acceptato, si concurrant causæ illæ, ob quas donatio perfecta revocari potest; aut si in gravem jacturam Regis vel Regni cederet. Imò quia bona subditorum subjiciuntur dispositioni Principis in ordine ad publicam utilitatem, ideo privilegium à subdito acceptatum revocare poterit, si id exigat publica utilitas. Sic Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 37. *num.* 3, & 5. Matienzo *lib.* 5. *tit.* 10. *Leg.* 6. *gloss.* 1. *num.* 11. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. §. 2. *num.* 13. Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. §. 1. *num.* 4. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 3. *num.* 4. referens Sanchez, & Salas.

4 Quando per privilegium transfertur dominium in Privilegiatum, ut si alicui per privilegium gratuitum daretur Civitas, aut jus aliquod ad tributum exigendum, quod quidem privilegium acceptatum sit à Privilegiato; tunc non poterit Concedens, neque ejus successor privilegium revocare validè absque justa, & sufficienti causa, sive subdito concessum fuerit, sive non subdito: ratio est, quia donatio semel acceptata à donatario nequit pro libito donantis revocari sine justa causa; sequeretur etenim, quòd quis sine justa causa privari posset bonis suis. Sic ex communi sententia docent Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 37. *num.* 7. Sanchez *lib.* 8. *summ. cap.* 33. *num.* 2. Molina *de Privileg. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 21. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 3. *num.* 5. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. §. 1. *num.* 2.

5 Petes 1. An ad validam revocationem hujus privilegii non solùm requiratur justa causa, sed etiam compensatio. Resp. non requiri compensationem ex justitia: ratio est, quia nequit præsumi, quòd Concedens privilegium gratuitum intendat se obligare ex justitia ad compensationem, si ex justa causa judicaverit illud revocare. Sic Suarez referens Decium *lib.* 8. *de Legib. cap.* 37. *num.* 9. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. §. 2. *num.* 13. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 3. *num.* 3. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 25. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *punct.* 21. §. 1. *numer.* 6.

Petes 2. An teneatur Princeps probare causam, sine qua privilegium revocare non potest validè; an verò sufficiat ejus affirmatio? Resp. probabilius videri, quòd requiratur probatio causæ; ne facillimè auferatur jus quæsitum tertio, adeoque nil firmum consistat. Sic Matienzo *lib.* 1. *Recopil. titul.* 10. *Leg.* 6. *gloss.* 1. *num.* 16. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. §. 1. *num.* 5. qui moventur ex eo, quia non sat est exprimere causam, ubi ea deficiente aliquod prohibetur; sed ulterius requiritur, quòd verè probetur: cum igitur in casu nostro prohibeatur revocare privileginm, nisi adsit justa causa, inde est, quòd non sufficiat illam asserere, sed requiritur, quod probetur verè juxta Bartolum *in Leg. Si donatione*, *Cod. de Collation.* Ripa, Cravetta, & alios moderniores, quos supra citati Doctores referunt. 6

Privilegium Onerosum datum per contractum onerosum, quod videlicet conceditur sub onere alicujus pretii solvendi, vel operis exhibendi à Privilegiato; revocari nequit nisi cum legitima causa, & gravi necessitate utilitatis publicæ, & boni communis, & cum restitutione pretii soluti, si aliquod solutum fuerit; aut compensatione operis exhibiti, quæ si non servetur injusta erit, adeoque nulla revocatio facta à Concedente: ratio est, tum quia nequit Superior alium privare rebus suis, aut ei debitis ex justitia, nisi habeatur justa causa, & gravis necessitas ad illum privandum restituto pretio, aut dato æquivalenti; tum quia conventiones, & pacta per contractum inita ritè, ac firmiter servanda sunt ab omnibus; ergo si privilegium per contractum onerosum concessum fuit privilegiato, nequibit validè revocari, nisi concurrant istæ conditiones. Sic Suarez, Vasquez, Antonius Gabriel, Reginaldus, Lessius, Salas, Bartolus, Panormitanus, Baldus, Alexander, Felinus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. §. 3. *num.* 2. sic etiam Matienzo, Lopez, Sanchez, Azeveedo, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. §. 2. *num.* 1. 7

Quod dictum est de privilegio onerosо, pariter intelligendum est de Privilegio Remunerativo, concesso scilicet in remunerationem servitiorum exhibitorum, sive de cætero remuneratio debita sit ex justitia, sive ex gratitudine: ratio est, quia quocumque modo debeatur remuneratio, semper transit in contractum onerosum ob cessionem meritorum factam à Privilegiato propter privilegium; adeoque revocatio facta talis privilegii absque justa causa invalida erit, & nulla. Sic communiter Doctores cum Felino, Sanchez, Suarez, Matienzo, Basilio Ponce, & Bonacina relatis à Castropalao *de Privileg. disp*, 4. *pun.* 21. §. 2. *num.* 4. Solum ergo inter ipsos controvertitur: an vltra justam causam, & publicam requiratur Compensatio? Et quidem deberi compensationem, ultrò fatentur omnes; si remuneratio debita sit ex justitia; si verò debita sit ex gratitudine, denegant Suarez, Basilius Ponce, & Bonacina penes Castropalaum *l. c. num.* 5. eo quia per revocationem ex justa causa factam restituuntur privilegiato illa merita, quibus cesserat propter privilegium; ergo resarcienda non erunt, per compensationem facta compensatione. Non nego suam probabilitatem huic sententiæ; sed adhuc mihi dubium est, quòd & merita restituantur, & redeant cessione jam facta illorum; & quod redeuntibus meritis redeat cessio facta illorum, quæ quidem pretio æstimabilis est, utpote actio liberè facta in damnum ipsius cedentis, & utilitatem cessionarii; ideoque deneganda etiam non erit sua probabilitas sententiæ asserenti, requiri compensationem, ut requiritur in contractu onerosо: sic sentiunt alii Doctores cum Castropalao *l. c. num.* 5. 8

Petes hic 1. Quomodo dignoscendum, an Privilegium concessum sit Remunerativum, & in præmium meritorum? Resp. non posse id rectè dignosci ex generali mentione meritorum, sed ulteriùs requiri, ut in pri- 9

privilegio specificentur merita, ob quæ privilegium conceditur: ratio est, quia tum privilegium remuneratorium debeat meritis coæquari; coæquatio verò dignosci nequit sine specifica meritorum expressione; inde est, quòd non expressis specificè meritis haberi nequeat privilegium remuneratorium, seu meritis concessum. Maximè quia appositio generalis, & in confuso meritorum in privilegio, ut esset ob præclara facinora, & insignia merita; potiùs præberet fundamentum ad dignoscendum, quòd verba illa apposita fuerint ob honorem præstandum privilegiato, quàm ad veritatem ostendendam rigorosè meritorum; ideoque *ex argum. Leg. Quod venditor, ff. de dolo, & ex Leg. si quis venditor, ff. de edilit. edico*, reputanda est mentio illa generalis, ac si facta non fuisset. Denique cum talis locutio generalis meritorum dubia sit, & obscura *ex Leg. Prætor edixit, ff. de minorib.* nullius effectus videtur esse *ex Leg. Cum incertis, ff. de Legat. & ex Leg. ult. Cod. de annal. except.* Sic ex Tiraquello plures referente, Soncinato, & Matienzo docet Castropalaus *de privileg. disp. 4. pun. 21. §. 2. num. 6.*

10 Petes 2. An ex sola affirmatione Concedentis privilegium censenda sint merita sufficienter probata? Resp. merita generaliter expressa non sufficienter probari per affirmationem solam concedentis: ut si diceret privilegium tibi concedo, quia es benemeritus; nam superiùs dixi apponi posse hanc formulam loquendi in honorem Privilegiati, non ad ostendendam veritatem meritorum; Secus tamen esset, si specialiter forent expressa, ac per publicum instrumentum firmata; tunc enim sufficientem probationem facerent; nisi tamen prohibitum sit Principi alienare non præcedentibus meritis; quia in tali hypothesi merita non sufficienter probarentur per solam Principis affirmationem; præsumeretur enim ea exprimere, ut valida sit donatio, non verò quòd ea extiterint. Sic *ex Leg. Testamentum, ff. de Probation.* colligunt Matienzo, Gregorius Lopez, & Tiraquellus relati à Castropalao *de privileg. disp. 4. pun. 21. §. 2. num. 7.*

Ad perfectam Revocationis privilegii notitiam tria remanent explicanda: 1. quinam possint illa revocare, quando revocabilia sunt. 2. quomodo facienda revocatio, ut cum effectu fiat. 3. quonam pacto publicanda Revocatio, ut censeatur privilegium jam revocatum. Singula ordine suo explicabimus.

11 Jam verò revocationem fieri debere ab habente potestatem revocandi, patet ex se, aliàs nulla, & invalida foret revocatio facta. Hanc autem potestatem revocandi privilegia revocabilia, sive gratuita sint, sive onerosa, aut remuneratoria, residere in Concedente illa, aut in ejus successore, vel superiore, satis probatur ex eo, quia omnes habent eamdem jurisdictionem, imò major reperitur *in superiore*: & si superior revocare potest legem factam ab inferiore, pariter revocare poterit privilegium ab ipso concessum, cum sit lex privativa. Sic communiter Doctores cum Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 37. num. 17.* Salas *de Legib. disp. 17. sect. 14. num. 70.* & aliis passim.

12 Dubitabis 1. An possit etiam inferior revocare dispensationem factam in lege superioris, quando potest inferior dispensare, ut suppono; an inquam sine justa, & legitima causa revocationis possit illam validè revocare? Resp. quamvis putent nonnulli Doctores id fieri posse ab inferiori, eo quia ejus dispensatio fit cum hac tacita conditione, ne præjudicium afferat potestati suæ. Nihilominus dicendum puto, non posse revocare dispensationem sine justa causa, & si eam revocet, invalidè revocat: ratio est, quia sicuti inferior nequit validè dispensare absque justa causa in Lege superioris; sic non poterit eam validè revocare absque justa causa: maximè quia dispensatio absolutè concessa fuit, & sine fundamento supponitur imbibita conditio illa, si non revocavero. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 33. num. 12.* Salas *disp. 20. sect. 18. in fine*, Basilius de Leon *lib. 8. cap. 19. num. 15.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 3. num. 3.* referens Archidiaconum, Francum, & Romanum. Hinc fit 1. non posse Episcopum absque legitima causa revocare dispensationem factam Parocho ad non residendum, vel ordines differendos ratione studii. *Sic Doct. citati*. Fit 2. non posse Sacram Pœnitentiariam revocare sine legitima causa dispensationes à se concessas, cum eadem militet ratio, quod videlicet sua jurisdictione uti debeat existente legitima causa.

13 Dubitabis 2. An superior possit valide revocare absque causa dispensationem factam ab inferiori? Resp. si revocans sit supremus Superior, à quo jurisdictiones superiorum inferiorum pendeant, ut est Summus Pontifex, extra dubium est, posse id efficere: ratio est, quia potest legem ablatam per *dispensationem* iterum imponere, ac subditum per dispensationem exemptum ab inferiori subjicere obligationi Legis. Secus verò dicendum de Archiepiscopo respectu Episcopi, cum non possit illum privare usu legitimo suæ ordinariæ jurisdictionis. Sic Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 33. num. 7.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 37. num. 17. in fine*, Basilius de Leon *lib. 8. cap. 19. num. 15. in fine*, & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 3. num. 5.*

14 Revocatio duplici modo fieri potest ab habente potestatem faciendi illam. 1. expressè per verba videlicet sufficienter exprimentia revocationem privilegii concessi, vel in specie, ut si diceretur non obstante tali privilegio, nominando illud, vel in genere, ut si diceretur non obstantibus quibuscumque privilegiis. 2. tacitè per actum videlicet, qui cum privilegio concesso stare nequeat absque derogatioue privilegii: ut si Concedens juberet exigi tributum ab eo, quem per privilegium exemerat à solutione tributi. Utraque revocatio facta expressè, vel tacitè sufficienter explicat, & manifestat voluntatem revocatoriam Concedentis; cum non solùm voluntas manifestari possit verbis, sed etiam factis, & revocatio expressa non habet majorem vim præ tacita, cum tacitum æquiparetur expresso; ut docent Felinus *in Cap. Nonnulli, de Rescript.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 38. numer. 3.* Salas *disp. 17. sect. 14. num. 72.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 25.* & alii.

15 Jam verò revocationem factam expressè per clausulam generalem sufficientem esse ad derogandum privilegio concesso regulariter loquendo, satis constat ex eo, quia privilegium totam vim suam habet à voluntate concedentis; ergo si Concedens vult, talem suam Constitutionem valere non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium, & hoc expressè indicat; jam sufficienter videtur revocare privilegia in contrarium, & derogare illis.

16 Quod etiam extenditur ad privilegia exempta, si constet clarè de ejus voluntate derogatoria, quamvis verbis, & clausulis generalibus expressa: nam semelac clarè constat de ejus voluntate derogatoria, derogata erunt etiam privilegia exempta: cum parum referat, an utatur derogans his, vel illis verbis; hac vel illa formula; *voluntas namque ejus*, quam suppono clarè constare, derogat; non verò formula hoc vel illo modo expressa. Quapropter si Concedens suam voluntatem clarè significat quocumque modo, etiamsi in derogatione *non utatur forma communi clausulæ derogatoriæ*; privilegio exempto derogabit: cum tunc clausula generalis expressa valeat pro specifica. Sic ex Sanchez, Felino, & aliis docet Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 3. num. 13. in fine*, Julius Clarus affirmans, esse communem, Sarmiento, Henriquez, Covarruvias, Farinacius in decisionibus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 4. num. 7.* secus verò si clarè non constet de voluntate Principis derogantis.

17 Eximitur 1. à Doctrina tradita Privilegium concessum cum Clausula, quòd ipsi derogari non possit; nisi ejus specialis mentio fiat: nam ut privilegium sic concessum revocetur, non sufficit generalis Clausula revocatoria expressè, sed requiritur specialis faciens mentionem illius, aut nisi recitetur ejus tenor de verbo ad verbum: ratio est, quia per Clausulam illam generalem derogatoriam non satis constat, velle Concedentem huic privilegio derogare; ergo requiritur ejus specialis mentio aperiens mentem Concedentis. Sufficit tamen ad mentem Concedentis manifestandam Clausula illa: Revocamus privilegia in contrarium, etiamsi Clausulam habeant, quòd ipsis derogari nequeat, nisi de verbo ad verbum fiat illorum mentio expressa; aut illa alia Clausula: non obstantibus privilegiis in contrarium, sub quacumque forma concessa fuerint. Nam per hujusmodi Clausulas satis constat, velle Concedentem derogare quibuscumque aliis privilegiis speciali, imò specialissima mentione dignis: aliàs illa verba, sub quacumque forma, superfluè, & absque ullo effectu ponerentur. Sic Felinus *in Cap. Nonnulli, de Rescrip. numer. 6.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 38. num. 2.* Salas *disp. 17. sect.*

sect. 14. *num.* 71, Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 16, Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. *§.* 3. *num.* 11. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *punct.* 21. *§.* 4. *numer.* 4.

18 Eximitur 2. privilegium concessum per modum contractus, sive onerosum sit, sive remuneratorium; revocari siquidem nequit per clausulam generalem expressam, sed requiritur ejus specialis mentio: ratio est, quia non est præsumendum, quòd Princeps revocare velit jus alteri quæsitum, nisi hujus mentionem faciat; ergo cum hujusmodi revocatio privilegii vergat in damnum juris tertio quæsiti; inde est, quod ejus specialis mentio facienda sit. Maximè quia hoc privilegium regulariter revocari non possit, nisi ob utilitatem, & causam publicam soluto pretio, aut facta compensatione; adeoque specialem requirit mentionem, & expressionem in revocatione. Sic Suarez, Sanchez, Molina, Azor, Salas, Panormitanus, Basilius de Leon, Azevedo, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. *§.* 3. *num.* 11. *versic. Secundò*; & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *punct.* 21. *§.* 4. *numer.* 3.

Hinc fit 1. non posse revocari per Clausulam generalem expressam dispensationes pro foro externo concessas à Summo Pontifice; quia conceduntur cum onere, adeoque transeunt in contractum onerosum; regulariter enim cum aliqua compensatione conceduntur; ideo specialiter revocari debent intercedente justa causa, & restituto pretio. Sic Salas *disp.* 20. *sect.* 18. *in fine*, Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 33. *num.* 13. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *§.* 2. *num.* 13. Bonacina *l. c. num.* 12. & Castropalaus *l. c. num.* 2.

Fit 2. non revocari Privilegia Bullæ Cruciatæ per Clausulam illam apponi solitam in Jubilæo Anni Sancti; qua Summus Pontifex revocat omnes gratias, privilegia, ac facultates singularibus personis concessas ex quacumque causa, & quacumque dignitate fulgentibus, etiam Regibus; nisi specialis, & expressa mentio fiat Bullæ Cruciatæ: ratio est, quia privilegia hujus Bullæ concessa fuere cum onere, adeoque contractum onerosum constituunt. Et de facto singulæ personæ, quæ in locis, ubi concessa est Bulla Cruciatæ, singulas eleemosynas tribuunt, sub quo onere privilegiis in Bulla contentis frui possunt. Sic Rodriquez, Henriquez, Sanchez, Salas, Bonacina, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. *§.* 2. *num.* 3. qui refert, sic declarasse Urbanum VIII. *anno Jubilei* 1625. 15. *Februarii*, & Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 33. *num.* 10. testatur, sic antea declarasse Clementem VIII. in suo Jubilæo.

19 Eximitur 3. privilegium insertum in Corpus Juris, cui derogari nequit, nisi per Clausulam specificam exprimentem illud, non verò per Clausulam generalem expressam: ratio est, quia semelac in Corpus Juris est insertum, habet vim Canonis, & Legis, & Leges, ac Canones numquam censentur derogata, nisi per specificam, & expressam derogationem. Sic Glossa, & Doctores *Authen. Quia in Provincia*, *Cod. Ubi de crimine agi oportet. verb. Omni privilegio*, Jason *in Leg.* 1. *ff. solut. Matrim.* Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 38. *num.* 1. Salas *disput.* 17. *sect.* 14. *num.* 13. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 16. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. *§.* 4. *num.* 5.

20 Eximitur 4. privilegium concessum à Concilio Generali, ad quod revocandum non sufficit quæcumque Clausula revocatoria, nisi faciat mentionem Concilii Generalis: ut esset non obstante quacumque Lege, aut Constitutione in Generali Concilio ædita. Sic *ex Cap. ultim. de Capellis Monach. & Cap. Nonnullis, de Rescript.* docet Molina Theol. Henriquez, Menochius, Sanchez, Peregrinus, Suarez, Covarruvias, Padilla, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. *§.* 3. *num.* 13. *versic. Tertiò*, & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. *§.* 4. *num.* 6. ratio est, quia cum privilegia, & decreta Concilii Generalis fieri soleant matura deliberatione, ac discussione; inde est, quòd ob eorum gravitatem, & venerationem debitam virtualiter continent Clausulam illam, quòd eorum statuta revocari nequeant, nisi ipsorum fiat specialis, & expressa mentio, quam supra innuimus. Sufficit tamen mentio Concilii Generalis in specie, non verò in individuo: ut de Modernioribus Conciliis Generalibus, præsertim de Tridentino docuerunt aliqui Doctores; & ratio est, quia omnia decreta Conciliorum Gereralium æqualis sunt authoritatis, & dignitatis, ac venerationis; Ergo si Decretis aliorum Conciliorum Generalium antiquiorum derogare potest Summus Pontifex per Clausulam Concilii Generalis, non nominando in individuo illa; sic etiam de Modernioribus, & Tridentino. Vide Nicolaum Garzia 4. *par. de Benef. cap.* 5. *num.* 30. *&* 32. ubi adducit Motum proprium Pii V. *ann.* 1570. declarantis, neque speciali, neque generali derogatione Concilii Tridentini opus esse in quibuslibet concessionibus Apostolicis propria manu Papæ signatis.

Revocatio Tacita, quæ fit per actum Principis, qui 21
nequeat subsistere absque derogatione privilegii concessi; aut per secundum privilegium contrarium primo, ut valida sit, de necesse requiritur, ut procedat ex scientia, & notitia privilegii, cui actus apponitur, vel privilegium subsequens: ratio est, quia talis revocatio tacita debet esse libera, & voluntaria; sed talis non esset, si Princeps nesciret privilegium antecedens, imò ejus voluntas ferretur in incognitum; ergo de necesse ut libera, & voluntaria sit revocatio, procedere debet ex scientia, & notitia in Principe Privilegii, quod revocat; aliàs revocatio nulla foret. Sic colligitur *ex Cap. Nonnullis, de Rescrip. Cap.* 1. *de Constit. in* 6. *& ex Leg. Idem Ulpianus, §. sunt alii, ff. de Excusat. Tutor.* Derogabit autem actus contrarius, vel privilegium subsequens privilegio antecedenti in eo, in quo illi opponitur, & cui repugnat: ut si opponeretur secundum partem, utique non derogabit in totum; vel si opponitur pro una vice non semper derogabit, sed pro illa vice tantùm. Sic si ab habente privilegium exemptionis à tributis solvendis exigatur de mandato Principis solutio tributorum pro una vice, aut pro uno anno; non ideo cessabit privilegium exemptionis in perpetuum, nisi aliud exprimat, cum revocatio sit odiosa, & strictè interpretanda. Sic Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 38. *num.* 5. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. *§.* 3. *num.* 14. *in fine*, Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *§.* 2. *numer.* 17. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *punct.* 21. *§.* 4. *num.* 8. qui addit etiamsi non exprimatur exigi pro illa vice, aut pro eo anno; sed quod exigatur tributum ab exempto de mandato Principis: etiam intelligendum esse pro ea vice tantùm, aut pro eo anno; nam derogatio est odiosa, adeoque restringenda quantum fieri potest, dum aliter expressè non constet de mente derogantis.

Sed dubium insurgit: quando nam præsumenda sit 22
scientia, & notitia in Principe privilegii, cui derogat per actum contrarium, vel per aliud privilegium contrarium; si nihil aliud innotescat, quàm nova dispositio repugnans privilegio? Resp. 1. si dispositio de novo facta à Principe est per modum Legis universalis, in qua derogatur privilegiis in contrarium, & privilegium, cui opponitur dispositio facta, est insertum in Corpus Juris: supponi debet scientia, & notitia privilegii in Principe derogante per novam illam dispositionem: ratio est, quia quæ sunt in Corpus Juris inserta; non præsumi debent à Principe ignorata *ex Cap.* 1. *de Constit. in* 6. adeoque per Legem illam de novo factam contrariam privilegio inserto in Corpus Juris derogatur illi. Si verò privilegium sit extra Corpus Juris, non derogatur illi per legem de novo factam; nec præsumitur scientia, & notitia illius in Principe: ratio est, quia non præsumitur scire Jura privata; ut patet ex illis verbis Capitis præcitati: Licet Princeps præsumatur scire ea, quæ sunt Juris communis; tamen ignorare posse jura, facta, & consuetudines privatas, adeoque ut derogare possit illis, requiritur, ut specialem mentionem faciat illorum. Sic ex communi sententia Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *num.* 74. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 39. *num.* 2. Matienzo *lib.* 5. *Recop. tit.* 11. *Leg.* 8. *gloss.* 12. *num.* 6. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 8. *§.* 3. *num.* 15. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *num.* 27. & Castropalaus *de Privileg. disp.* 4. *pun.* 21. *§.* 4. *num.* 10.

Resp. 2. si dispositio Principis de novo facta sit per 23
aliud privilegium, non verò per Legem universalem; tunc etiam videndum erit, an privilegium subsequens sit contrarium primo jam inserto in Corpus Juris: eo quia si insertum est, supponitur ejus scientia, & notitia in Principe, ut diximus; adeoque secundum derogat primo, si habeat cætera requisita ad derogandum. Si verò non sit insertum in Corpus Juris, nequibit derogare primo, nisi ejus specialem mentionem faciat: ratio est, quia non supponitur procedere secundum privile-

vilegium ex notitia, & scientia prioris; cum non teneatur Princeps scire Jura privata. Sic *ex Cap. 1. de Constit. in 6. & ex Cap. Cum Ordinem, de Rescript.* docent Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 39. num. 6.* Salas *disp. 17. sect. 14. num. 74.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. num. 17.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 19. num. 21.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 4. num. 11.*

24 Adnotandum hic: quod posterius privilegium derogat priori inserto in corpus Juris, sive posterius fit etiam in Corpore Juris, sive non; sive sit speciale, sive generale: cum semper derogatio, & revocatio supponatur procedere ex scientia, & notitia Principis de priori privilegio inserto in Corpus Juris. Quòd si prius privilegium sit extra Corpus Juris, non derogabit illi posterius, nisi ejus specialem mentionem faciat; sive de cetero utrumque sit generale, sive utrumque speciale; sive primum sit speciale, & secundum generale: supponitur namque secundum procedere ex ignorantia. Sic Doctores supra citati cum Castropalao *num. 13.* & testatur Bonacina *l. c. versic. ex dictis*: esse communem sententiam. Difficultas tamen est in eo, quando Privilegium prius est generale, & posterius speciale: an inquam posterius revocet prius nulla facta illius mentione? Resp. affirmativè, si nondum privilegiatus jus acquisivit prioris privilegii: ratio est, quia generi derogatur per speciem, maximè quando species subsequitur ad genus, ut constat *ex Regul. 14. de Regul. Juris in 6.* Nec secundum privilegium speciale est directè contrarium primo generali, sed quædam exceptio illius: Princeps namque per generalem concessionem priùs factam non præsumitur abdicasse à se facultatem conferendi alicui specialem exemptionem à generali concessione. Quòd si Privilegiatus per prius privilegium generale jus acquisivit in re, eamque propriam sibi fecerit; tunc præsumendum non erit, velle Principem derogare Juri alteri quæsito absque ejus speciali mentione, & sine gravissima causa *ex argum. Textus in Cap. final. de Concess. Præbend. in 6.* Sic Suarez, Salas, Basilius de Leon, Panormitanus, Molina Jurista, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 4. num. 14.*

25 Resp. 3. si nova dispositio Principis sit per particulare Mandatum, Præceptum, aut Rescriptum; non poterit privilegium antecedens non insertum in Corpus Juris revocare, nisi specialem faciat mentionem illius, aliàs præsumeretur ex ignorantia privilegii procedere: ratio est, quia sicuti Rescriptum particulare nequit validè derogare Juri Communi, nisi specialem illius mentionem faciat, sic non poterit derogare Juri privato privilegii sine speciali mentione illius: præcipuè quia supponitur Princeps scire Jus commune, non verò privatum. Sic *ex Cap. Rescripta, 25. quæst. 2. ex Cap. Cum Ordinem, de Rescript. & ex Leg. Rescripta, Cod. de Precib. Imper. afferend.* docet Panormitanus, Salas, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 3. num. 16.*

26 Sed quid dicendum de Revocatione privilegii facta per sententiam latam ab habente facultatem revocandi illud? Resp. Azorium, Salas, & alios, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num. 18.* docere, quòd si sententia lata sit ab habente facultatem revocandi, & procedat cum cognitione privilegii, & justa sit; validè, & licitè revocat illud: tum quia habet omnia requisita ad revocandum; tum quia æquiparatur Legi, & juri contrario, quæ absque dubio privilegium revocant. Nihilominus pobabilior mihi videtur sententia docens, *non* posse revocari per sententiam contrariam privilegio, nisi sit privativa illius ob commissum delictum à Privilegiato, quo mereatur privilegii amissionem; in quo casu Revocatio esset expressa non tacita; & quòd hoc modo fieri possit, est extra controversiam. Secus verò si sententia esset condemnatoria privilegiati non obstante privilegio exhibito, virtute cujus actum fecit; non poterit ullatenus esse revocatoria privilegii exhibiti, sed tantùm reprobans illud: ratio est, quia si privilegiatus actum fecit virtute privilegii, sententia erit injusta damnans privilegiatum ob actum factum virtute illius, & multò magis injusta erit, quia revocat privilegium ob actum factum à privilegiato virtute sui privilegii, & per sententiam injustam revocari nequit privilegium, ut ipsi Doctores contrarii fatentur. Ut autem justa sit sententia lata non obstante privilegio, debet illud reprobare, non revocare: Revocatio namque est ablatio privilegii, validi, veri, & subsistentis; Reprobatio verò est exclusio privilegii, vel quia nullum est, aut subreptitium; vel quia declaratur non se extendere ad illum casum, quo usus est Privilegiatus. Sic Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 39. num. 4.* Basilius de Leon *lib. 8. de Matrim. cap. 19. num. 27.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 4. num. 17.* Nec credo dissentire Doctores relatos pro prima sententia, qui loqui videntur de sententia revocante ob delictum, aut confundunt Reprobationem cum Revocatione.

Publicatio Revocationis, si per Legem Revocatio 27
privilegii fiat; debet eodem modo fieri, quo publicatio Legis fit, ut effectum habeat: eo quia per vim Legis amittit suum valorem privilegium; sed Lex vim suam non habet, nisi publicetur cum illis requisitis, quæ suo loco diximus, & quæ varia sunt pro Lege Civili, & Canonica; ergo publicatio Revocationis privilegii per Legem factæ debet fieri eodem modo, quo publicatio Legis fit, ut suum effectum habeat. Si verò non fiat per Legem, sed privatim, mandato videlicet Concedentis, vel alio privilegio; tunc Revocatio non habebit effectum suum, nisi pervenerit ad notitiam privilegiati: ratio est, tum quia sicuti privilegium non tribuit vim suam ad operandum, nisi Privilegiato innotescat; sic nec vim suam ad operandum amittit in Privilegiato, nisi ei innotescat Revocatio facta: tum quia spectat ad rectam gubernationem Ecclesiæ, sive Reipublicæ, ut Princeps nolit privare suis privilegiis habentes illa, *nisi eis innotescat eorum* revocatio; ne præsumere velimus de Principe Christiano, quòd velit plures actus invalidos, quod non est præsumendum: Sic communis sententia cum Soto, Azorio, Salas, Suarez, Sylvestro, Corduba, Medina, Basilio de Leon, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 3. pun. 8. §. 3. n. 20.* & Castropalaus *de Privileg. disp. 4. pun. 21. §. 5. num. 2.*

Dubitabis hic: an sufficiat ad Revocationem privile- 28
gii privatam, quòd privilegiatus eam quocumque modo nescierit; an verò requiratur, ut effectum habeat, quòd per Nuncium, aut per Epistolam ad hunc finem missam innotescat Privilegiato? Resp. quamvis aliqui Doctores cum Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 40. num. 7.* docuerint, sufficere quamcumque notitiam revocationis, quæ ad privilegiatum pervenerit; ut intelligatur privilegium jam revocatum: nam nec jure naturæ, nec jure positivo, nec ex alio fundamento videtur requiri ad validitatem Revocationis quòd fiat per Nuncium, aut per Epistolam ad hoc directam à Concedente ad Privilegiatum; quæ quidem sententia satis probabilis est. Nihilominus prohabiliorem puto oppositam sententiam requirentem ad effectum revocationis, quòd fiat per Nuncium, aut Epistolam Privilegiato missam: ratio est, quia revocans privilegium quocumque modo revocet, sive publicè per Legem, sive privatim, ut prudenter operetur, debet intimare privilegiato, ne ampliùs privilegio sibi concesso utatur; ergo intimatio debet esse à revocante, ut firma sit revocatio, & effectum suum sortiatur, & quousque non intimet, non censetur privilegium revocare; sed si sit quacumque alia via intimatio, non est à Revocante; ergo ut ab illo sit requiritur ejus nuncius, aut epistola, ut authentica sit intimatio: sicuti si publicatio Legis non sit à Legislatore, sed ab alio non habente potestatem, non habet vim obligandi. Sic Sà *verb. Gratiæ. num. 1.* Basilius Ponce *lib. 8. cap. 19. num. 14.* Azor. *1. par. lib. 5. cap. 22. quæst. 7.* Castropalaus *de Privileg. disp. 4. punct. 21. §. 5. num. 4.* & omnes Doctores, qui cum Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 30. num. 12.* docent, revocationem jurisdictionis ordinariæ, aut delegatæ debere fieri per nuncium ad id designatum.

QUÆSTIO V.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS, ET PRIMO' DE FIDE.

ACturi de Virtutibus priùs explicabimus Theologales, poſtea Cardinales, ſeu Morales. Initium autem facimus à Fide, quia eſt ceterarum virtutum Radix, & fundamentum, ac principium Juſtificationis, Sequetur Spes, quæ virtutes nutrit. Dein Charitas, que illas firmat. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

De Fide, & ejus Eſſentia.

1 *Enumerantur variæ acceptiones Fidei.*
2 *Definitur Fides, ut Virtus Theologica eſt, à Divo Paulo.*
3 *Alia Definitio explicans traditam à Divo Paulo.*
4 *An ad objectum formale Fidei requirantur propoſitio Eccleſiæ, Miracula, Patientia Martyrum, Sanctitas fidelium, & ſimilia?*
5 *An aliud à contentis in Symbolo Fidei, Sacris Bybliis, & Traditionibus Apoſtolicis poſſit eſſe objectum materiale Fidei?*
6 *Quotuplex ſit Fides?*
7 *An in Angelis, & Primis Parentibus, cum primò creati fuere, reſedit habitus fidei?*
8 *An in Beatis ſit actus, vel habitus Fidei?*
9 *An in animabus Purgatorii detur actus, vel habitus Fidei?*
10 *An in damnatis in inferno detur actus, vel habitus Fidei?*
11 *An in hæreticis liberè negantibus aliquem fidei articulum detur ejus actus, vel habitus?*

1 VARIAS acceptiones habere poteſt Fides: & 1. accipi poteſt pro fiducia juxta illud *Matth.* 14. *Modicæ Fidei quare dubitaſti*. 2. pro conſtantia in exequendis promiſſionibus, ac pro firma veritate dictorum: ut patet ex illo D. Pauli ad Romanos 3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? abſit*. 3. pro æſtimatione, & judicio, quod de alio habetur, ut ſtet promiſſis: ſic conſtat ex illo *Eccleſiaſt.* 27. Qui denudat arcana amico fidem perdit, ideſt æſtimationem ſervandi ſecretum. 4. pro bona conſcientia, & dictamine rationis: ita ex D. Paulo ad Romanos 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum* eſt. 5. denique pro Virtute ſupernaturali inclinante ad credendum res à Deo revelatas propter ejus authoritatem. Et de Fide in hac ultima acceptione loquimur; reliquę enim Fidei acceptiones non faciunt ad præſens inſtitutum.

2 Fides ergo ut virtus ſupernaturalis eſt, initium noſtræ juſtificationis, & radix cæterarum virtutum; definita fuit ab Apoſtolo ad Hæbręos 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*. Et rectè dicitur, ſubſtantia rerum ſperandarum, quia per fidem ſubſiſtunt in nobis res, quas ſperamus, & in ipſa ſubſiſtunt cęteræ virtutes, quibus ſternitur via ad Gloriam ſperatam. Dicitur inſuper, argumentum non apparentium, ob inevidentiam, quam habet ſimul conjunctam cum infallibili certitudine fundata in ipſa Authoritate Divina. Quòd autem D. Paulus per allata verba definierit Fidem, ut Virtus Theologica eſt, ac initium Juſtificationis; clarè conſtat ex eo, quòd loquebatur de illa Fide, per quam juſtus vivit. Sic D. Baſilius, Chryſoſtomus, Gregorius, Auguſtinus, & alii Sancti Patres relati à Valentia 2. 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. *punct.* 1.

Nec dicas contra definitionem traditam: quòd plura à fidelibus creduntur, quæ non ſperantur, ſed timentur; credunt namque infernum, quem non ſperant, ſed timent; & multa alia ab ipſis creduntur, quæ nec ſperantur, nec timentur; credunt ſiquidem peccatum primi Parentis, & ejus poſteros naſci maculatos, quæ nec ſperantur, nec timentur; denique Fides dari poteſt ſine ſpe, ergo non eſt ſperandarum ſubſtantia rerum. Sed non obſtant prædicta, nam definiit Apoſtolus Fidem per ordinem ad objectum principale, nempe Deum ſperatum; adeoque non tollit Fidem de aliis rebus, ſive ſperentur, ſive non, aut timeantur. Nec ſi Fides actu non ſit cum ſpe in eo, qui Fidem habet ſine ſpe; non eſt ſubſtantia ſperandarum rerum: poteſt enim illas ſperare, licèt actu non ſperet.

Aliam definitionem explicantem traditam à D. Paulo, ac cum ea incidentem dant communiter Scholaſtici, ſcilicet, Fides eſt Virtus, ſeu habitus ſupernaturalis inclinans intellectum ad credendum infallibiliter, & ſine ulla formidine res à Deo revelatas propter authoritatem ipſius Dei revelantis. Dicitur 1. Virtus, ſeu habitus ſupernaturalis ad diſtinctionem Fidei humanæ, qua credimus dicta ab hominibus ob eorum authoritatem, quæ non eſt ſupernaturalis, ut eſt Fides Divina de qua loquimur, & quæ meritò appellatur à Conciliis, & Sanctis Patribus Donum Dei. Dicitur 2. inclinans intellectum, ut oſtendatur in hac animæ potentia reſidere habitum Fidei, cum omnis ratio expoſcat, ut in ea potentia collocetur habitus, à qua elici debent actus, ad quos habitus inclinat: cum igitur actus fidei, ſeu aſſentiendi, & credendi eliciantur ab intellectu, inde eſt, Virtutem Fidei Divinæ in intellectu reſidere debere. Dicitur 3. ad credendum infallibiliter, & ſine ulla formidine; eo quia licèt myſteria noſtræ Fidei à Deo revelata evidentiam non habeant, ſummam tamen certitudinem, & infallibilitatem habent, utpote fundatam in infallibili authoritate Divina ea revelante quæ nec falli, nec fallere poteſt; adeoque digna ut fide divina infallibiliter, & abſque ulla formidine credantur. Nec eſt neceſſarium ad credendum fide divina, quòd quis evidenter cognoſcat Myſterii Veritatem; ſed ſat eſt, quòd aliquo modo cognoſcat: ut evenit in rudibus, & ignorantibus, qui à Doctioribus inſtructi aſſentiuntur myſteriis Fidei. Dicitur 4. res revelatas, quæ ſunt ejus objectum materiale; objectum ſiquidem materiale Fidei illud eſt, circa quod verſantur actus Fidei Divinæ; cum igitur verſentur circa res à Deo revelatas, videlicet, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, Sacris Litteris, & Apoſtolicis Traditionibus; inde eſt, hæc omnia eſſe objectum materiale Fidei Divinæ. Dicitur denique, propter Authoritatem Dei revelantis, quia eſt ejus objectum formale, ſeu ratio illa formalis, & motivum, ob quod revelata creduntur Fide divina, ac intellectus aſſentitur illis. Sic intellectus credentis fide divina, Deum eſſe, ac Remuneratorem eſſe bonorum operum, movetur ad hunc aſſenſum ſupernaturalem eliciendum non ex alia ratione, & objecto formali motivo, niſi ex authoritate Dei ſic revelantis, ut patet ex illo D. Pauli ad Hebræos 11: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia Remunerator eſt*. Et ſicuti in humanis authoritas, & teſtimonium hominum eſt ratio, & motivum credendi; ſic in revelatis à Deo ratio formalis, & motivum credendi eſt Dei authoritas, ac Teſtimonium, ſeu prima Veritas revelans. Ita Theologi omnes cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 46. *art.* 5.

4 Sed petes 1. an etiam ad Objectum formale Fidei requiratur Propoſito Eccleſiæ, inſuper Miracula, Patientia Martyrum, Sanctitas fidelium, & ſimilia? Reſp. quamvis Propoſitio Eccleſiæ, quæ videlicet proponit credendas res à Deo revelatas; requiratur ad acceptandam fidem juxta D. Paulum ad Romanos 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt; aut quomodo audient ſine prædicante?* & tandem concludit: *ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Maximè quia hoc medium inſtituit Chriſtus Dominus ad fidem diſſeminandam pro toto Orbe Terrarum, cum aliunde nobis conſtare non poſſint Myſteria revelata, & revelatio ipſa. Nihilominus talis Propoſitio Eccleſiæ ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti manifeſtantis, & proponentis fidelibus ut credendas fide Divina veritates jam Eccleſiæ revelatas; non eſt objectum formale Fidei, ſed conditio neceſſario requiſita ad Fidem, ſeu Regula illa, quæ infallibiliter proponit res ad fidem ſpectantes: nec eſt ratio à priori

cre-

credendi, sed à posteriori, esto sit infallibilis juxta illud *Lucæ* 2. 2. *ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua*; quam quidem infallibilitatem habent, & cęterę veritates revelatæ, quæ non ideo sunt objectum formale Fidei, cum sola Revelatio sit objectum formale. Miracula verò per tot sæcula patrata in confirmationem Fidei Catholicæ, Patientia tot Sanctorum Martyrum pro illa, Sanctitas insuper Vitæ fidelium, denique Prophetiæ ante tot Sæcula de Christo factæ, & jam verificatæ, ac similia, licèt regulariter requirantur ad credendum, seu potiùs ad retinendam fidem jam susceptam; non constituunt tamen objectum formale Fidei: eo quia Miracula *non* sunt locutio Dei, sed confirmatio eorum, quæ locutus est Deus; nec Patientia Martyrum, Sanctitas fidelium, Prophetiæ verificatæ &c. sunt motiva obscura, sed nimis clara, adeoque rationem objecti formalis constituere nequibunt. Sic Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 1. *§.* 6.

5 Petes 2. an aliud pręter contenta in Symbolo Apostolorum, Sacris Bybliis, & Traditionibus Apostolicis possit esse objectum Fidei Divinæ? Resp. negativè, aliàs diminutè processisset Christus Dominus cum suis Discipulis, quos Magistros, ac Doctores totius Orbis Terrarum instituit, si eis non manifestasset omnia ea quæ necessario credenda erant ad salutem: nec successu temporis alia proponuntur credenda fidelibus ab Ecclesia, ut constat ex Tridentino *sess.* 4. & quamvis ipsa novas habeat in dies illuminationes, & explicationes veritatum, quæ antea abstrusæ, & incognitę erant; attamen veritates istæ contentæ sunt, vel expresse, vel virtualiter in Symbolo Apostolorum, Sacris Bybliis, ac Apostolicis Traditionibus; itaut nulla alia Veritas de his, quæ pertinent ad salutem; credenda fidelibus proponatur ab Ecclesia, quam clarius, & expressiùs Apostoli non cognoverint, ut patet ex illis verbis *Joannis* 14. *Paraclitus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & Cap.* 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis, & Cap.* 16. *Cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 7. Bannez 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 7. *dub.* 2. Valdensis *lib.* 2. *Doctrinalis Fidei, cap.* 22. Canus *lib.* 2. *de Loc. cap.* 7. Valentia *disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 6. *§. His non obstantibus*

6 Petes 3. quotuplex sit Fides? Resp. aliam esse habitualem, Actualem aliam. Habitualis consistit in qualitate quadam supernaturali à Deo infusa, ac intrinsecè inhærente intellectui, cum qua intellectus elicit actus assensus supernaturalis circa objecta divinitùs revelata juxta illud D. Pauli *ad Hebræos* 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, &* 2. *ad Corinth.* 10. *Captivans intellectum in obsequium Fidei.* Qui quidem habitus si versetur circa veritates revelatas operabiles dicitur Practicus; sic essent veritates illæ, Castè vivendum, Temperatè comedendum, Reddendum unicuique quod suum est, & similia. Si verò versetur circa veritates revelatas purè cognoscibiles, non tamen operabiles, ut sunt, Deum esse Trinum, & Unum, Sanctum, Justum, &c. dicitur Speculativus. Actualis consistit in ipsis actibus Fidei ab intellectu elicitis cum habitu Fidei. Insuper Fides alia est perfecta, viva, & Formata, alia imperfecta, mortua, & informis. Si Fides cum Charitate conjuncta fuerit dicetur perfecta, viva, & formata; perfectio siquidem, vita, & forma animæ est Charitas; adeoque si Fides à Charitate separata fuerit, imperfecta, mortua, & informis erit; non quia in se sit habitus imperfectus, est enim supernaturalis, perfectissimus, & immutatus; sed quia caret perfectione, ad quam ordinatur, scilicet ad Beatitudinem, quam sine Charitate assequi nequit: cum ex D. Paulo 1. *ad Corinth.* 13. omnia dona sine Charitate nihil valeant ad merendum, & ad Beatitudinem consequendam. Sic Theologi omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 3.

7 Petes 4. An in Angelis, & in primis nostris Parentibus resedit habitus Fidei cum primò creati fuere? Resp. affirmative: ratio est, quia si tam Angeli, quàm primi nostri Parentes, dum viatores fuere, capacitatem habuerunt merendi Beatitudinem, & ad Deum accedebant; debebant necessariò habere habitum fidei: cùm per D. Paulum *ad Hebræos* 11. Accedentibus ad Deum necessaria est Fides. Sic ex communi Sententia, & recepta à Theologis D. Thomas 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 1. Quodnum autem fuerit objectum Fidei ipsorum, difficultate non caret; indubitatum tamen penes Doctores est, habuisse fidem Dei Unius, & Trini, est etenim præcipuum Fidei objectum, cujus cognitionem perfectissimæ illæ creaturæ habere debebant. Fidem verò mysterii Incarnationis non omnes admittunt illis; eo quia Fides, & gratia non est data Angelis, & nostris primis Parentibus pro illo Statu ex meritis Christi venturi, ergo ejus fides non erat ipsis necessaria pro illo Statu. Sic sentiunt Vasquez 3. *par. tom.* 1. *disp.* 12. *cap. ult.* Torres 2. 2. *disp.* 27. *dub.* 1. Coninch *disp.* 17. *dub.* 1. *concl.* 3. & alii.

Petes 5. an in Beatis sit Actus, vel habitus Fidei? Ref. 8 negativè: nam non dari Actum, clarè probatur, eo quia quæ à Beatis cognoscuntur, clarè cognoscuntur: ergo per cognitionem claram, quam habent Beati in Cœlis, excluditur cognitio obscura, & ænigmatica: superfluit siquidem hæc, etiamsi supernaturalis sit, adveniente illa clara, & facie ad faciem pariter supernaturali, juxta illud D. Pauli 1. *ad Corinth.* 13. *Nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est; evacuabitur, quod ex parte est. Et* 2. *ad Corinth.* 5. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Non dari autem habitum Fidei, probatur ex eo, quia superfluit habitus, ubi non est possibilis actus, conservatur siquidem habitus ob actum; ergo si in Cœlis non datur actus Fidei, neque dari debet ejus habitus: præcipuè quia D. Paulus loquens 1. *ad Corinth.* 13. de Virtutibus Theologalibus asserit de illis tribus, Charitatem numquam excidere; non sic verò de Fide, & spe cum venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Sic communiter Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. teste Valentia *tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 7. *pun.* 4. & aliis.

Petes 6. an in animabus detentis in Purgatorio detur 9 Actus, & habitus Fidei? Resp. affirmativè: ratio est, quia à Domino peregrinantur, ad quem contendunt accedere; ergo si nondum ad patriam pervenere, nec fruitione, & clara Dei visione gaudent; non est cur habitu, & actibus Fidei spoliari debeant: ut rectè docent Malderus 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. *dub.* 3. & Coninch *disp.* 17. *dub.* 4. *concl.* 3.

Petes 7. An in Damnantis in inferno, sive Dœmones 10 sint, sive homines; detur Fides quoad habitum, vel actum? Resp. negativè: & quidem quòd non detur in ipsis habitus Fidei Supernaturalis, constat ex eo, quòd varios exercent infidelitatis actus contra Fidem: cum igitur infidelitatis actus habitum Fidei destruant; inde est, in ipsis non dari habitum Fidei. Quòd verò non detur actus Fidei supernaturalis, probatur: quia cum sint actus boni, & supernaturales, elici nequeunt ab ipsis absque speciali Dei auxilio, & damnati in inferno indigni sunt Dei auxilio. Quapropter etiamsi homo damnatus, cum fidelis extiterit, non peccasset contra Fidem, adeoque illius habitum non amisisset, nihilominus illo spoliaretur post mortem, cum primò damnaretur: eo quia & indignus illo esset, eique inutilis ad finem beatitudinis, ob quam comparandam datur; damnati siquidem voluntatem habent obstinatam in modo. Nec obstat illud D. Jacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Credunt siquidem, sed evidentia naturali moti, non verò fide supernaturali, Deum esse, illosque punire, & similia mysteria; quæ quidem cognitio non est Fidei supernaturalis, sed evidentia naturalis. Sic cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. Bannez *ibidem*, Lorca *ibidem*, Malderus *ibidem*, Becanus *cap.* 10. *quæst.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 5. *punct.* 2. & alii.

Petes 8. an in Hæreticis liberè negantibus aliquem Fi- 11 dei articulum detur fides quoad actum, vel habitum? Resp. negativè: nam quòd non detur quoad habitum, patet ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 15. ubi dicitur, habitum fidei amitti per infidelitatem; si ergo hæresis pars est Infidelitatis, per hæresim amittitur habitus fidei, non solùm quoad articulum denegatum, verum etiam quoad reliquos; cum Fides non sit multiplex, & divisibilis; sed una, & indivisibilis. Et sicuti quodlibet peccatum mortale ita repugnat Charitati, ut per illud amittatur Charitas; ita quodlibet infidelitatis peccatum repugnat Fidei, ut per illud amittatur Fides. Quòd verò non detur quoad actum, probatur ex eo, quia Ecclesia est regula infallibilis proponens res fidei credendas, ergo si hæreticus recedit ab illa, tamquam à recta Regula; recedit pariter à rebus fidei: nec ejus actus fidei sunt supernaturales, cum non sint ab habitu Fidei, qui dat simpliciter posse, & aliunde *non* constat, quòd tales sint. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 3. Malderus, Becanus, Lorca, Valentia superiùs citati contra Durandum *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 9. *num.* 8.

CAPUT II.

De Necessitate Fidei, & ejus Obligatione.

1 *Fides exercetur per actum internum, & externum.*
2 *Actus Fidei internus initium salutis est supernaturalis quoad modum, & quoad substantiam.*
3 *Fides initium salutis secundum habitum justificat initiativè, secundum actum disponit ad initium justificationis.*
4 *Necessarium ad salutem aliud est necessitate medii, aliud præcepti. Salus alia prima, alia secunda.*
5 *Fides importat actum credendi; alia explicita, implicita alia.*
6 *Fides habitualis omnibus necessaria ad salutem necessitate medii.*
7 *Fides Actualis necessaria est necessitate medii ad salutem habentibus usum rationis.*
8 *Fides Actualis non solùm necessaria necessitate medii ad primam, & secundam salutem; sed etiam necessaria necessitate præcepti.*
9 *Quænam mysteria, & Articulos credere debeat per fidem actualem necessitate medii habens usum rationis, & quomodo credere debeat explicitè, an implicitè?*
10 *An post promulgationem Legis Evangelicæ credenda sint explicitè necessitate medii mysteria Incarnationis, & Sanctissimæ Trinitatis.*
11 *Quænam Mysteria credenda sunt explicitè necessitate præcepti?*
12 *Omnes Fideles postquam usum rationis habuere tenentur scire, & credere explicitè omnes Fidei articulos in Symbolo Apostolorum contentos.*
13 *Qualis notitia, & scientia habenda est ex præcepto de Mysteriis in Symbolo contentis?*
14 *Qualis de præceptis Decalogi, & Ecclesiæ?*
15 *Qualis de Sacramentis?*
16 *An sit Obligatio memoriter retinendi articulos fidei, Mysteria, Præcepta, & Orationem Dominicalem?*
17 *Prælati, Pastores, & Rectores animarum quomodo scire debeant Mysteria Fidei suo muneri correspondentia?*
18 *Quando Fideles obligantur addiscere mysteria fidei?*
19 *Et quando Parochi tenentur eos instruere?*
20 *An possit dari in infidelibus, vel fidelibus ignorantia invincibilis mysteriorum Fidei?*
21 *Quid facere debeat Confessarius cum pœnitente laborante ignorantia mysteriorum?*
22 *Quando obligetur homo ad actus fidei exercendos?*
23 *Pueri baptizati in infantia cum usum rationis attingunt, & eis sufficienter proponuntur mysteria fidei, tenentur ad actum fidei eliciendum ex obligatione orta ex ipsa fide?*
24 *Idem dicendum de Infidelibus post adeptum usum rationis.*
25 *An sit alia obligatio directa ex vi præcepti fidei exercendi eius actus pro alio tempore?*
26 *Quando nam censenda erit Fides sufficienter proposita infideli?*
27 *An si mysteria nostræ fidei proponantur infideli ut probabiliora præ illis suæ sectæ, teneatur se convertere ad nostram fidem?*
28 *Quando nam Fides erit sufficienter proposita fideli, ut teneatur ad actum illius?*

1 SUPPONO 1. ad majorem claritatem dicendorum, dupliciter fidem exerceri posse à credente, 1. per actum internum, quo ejus intellectus assentiatur revelatis ob authoritatem, & testimonium Dei revelantis. 2. per actum externum, quo per operationes, & signa externa manifestet internum assensum Fidei, quem habet. Ut autem actus internus fidei meritorius sit, ac initium nostræ justificationis, & salutis æternæ; prærequirit in Credente judicium intellectus, quo judicet, res fidei esse evidenter credibiles, adeoque excludere debet omnem formidinem in oppositum, quòd videlicet non possit aliter se res habere; aliàs assensus præstitus à Credente non esset firmus, & indubitatus, ut debet esse actus fidei divinæ. Prærequirit insuper in Credente actum voluntatis, qui intellectum moveat ad assensum præstandum, & dicitur pia affectio. Cum enim obiectum fidei obscurum sit, nec ex se valeat intellectum trahere ad assensum, inde est, quòd indigeat motione, & impulsu voluntatis. Insuper cum actus fidei initians justificationem debeat esse liber, ut meritorius sit, juxta Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* ubi dicitur; *liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata sunt*: debet importare aliquem actum voluntatis, à qua provenit libertas. Sic ex recepta sententia D. Thomæ 2. 2. *quæst. 1. art. 4.*

Suppono 2. actum fidei internum initium salutis esse supernaturalem quoad modum, & quoad substantiam; ita ut secluſa omni difficultate ab extrinseco proveniente nequeat credens viribus naturæ fretus illum elicere, à quo ejus salutis æternæ initium pendeat, sine Dei adiutorio. Sic constat ex Tridentino *sess. 6. can. 3.* ubi habetur: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicuti oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* 2

Suppono 3. ex eodem Tridentino *sess. 6. cap. 8.* fidem esse initium nostræ justificationis, & salutis æternæ, cum hoc tamen, quòd fides secundum habitum sumpta in adultis justificet initiativè; secundum verò actum accepta disponat ad justificationem formalem; per actum siquidem fidei disponimur ad initium justificationis formalis, eo quia actus fidei est primus actus, quo via sternitur, & paratur ad consequendam gratiam. 3

Suppono 4. aliquod posse esse necessarium ad salutem necessitare medii, scilicet sine quo de lege ordinaria salus obtineri nequit, sive omittatur ex ignorantia, sive ex malitia; sive culpabiliter, sive inculpabiliter. Aut necessitate præcepti, videlicet si ex præcepto necessarium sit; ita ut si ex ignorantia, aut alia impossibilitate omittatur; salus obtineri possit; secus verò si culpabiliter, & ex malitia omittatur. Vel denique necessarium utraque necessitate, medii scilicet, & præcepti. Supponendum insuper, Salutem aliam esse primam, aliam secundam, seu ultimam. Prima salus est gratia sanctificans, eo quia per eam acquirit homo jus ad Gloriam, & ad Visionem beatificam habendam. Secunda verò salus est ipsamet Gloria, & Visio beatifica. 4

Suppono denique, Fidem prout importat ipsum actum credendi, aliam esse explicitam, implicitam aliam. Explicita importat actum, quo aliquod mysterium revelatum creditur in se ipso, & in particulari: sic est actus, quo creditur, Verbum incarnatum fuisse; aut Christum resurrexisse à mortuis: dicitur siquidem fides explicita mysterii Incarnationis, aut Resurrectionis. Implicita verò importat actum, quo creditur aliquid explicitè, in quo aliud implicitè continetur: sic qui credit explicitè quidquid credit Sancta Mater Ecclesia, credit implicitè mysterium Incarnationis, Resurrectionis, & cetærorum articulorum fidei, qui continentur implicitè in eis, quæ credit Sancta Mater Ecclesia. His suppositis tamquam certis inter Catholicos 5

Dico 1. Fides habitualis omnibus necessaria est ad salutem necessitate Medii, ita ut sine ipsa nemo ullatenus possit acquirere primam, aut secundam salutem; seu gratiam, aut gloriam: ratio est illa, quam adducit D. Paulus *ad Hebræos 11.* quia sine Fide impossibile est placere Deo. Consonat Tridentinum *sess. 6. cap. 8.* ubi dicit quòd Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo. 6

Neque obstat, posse accidere, aliquem in remotissimis regionibus, ac in sylvis enutritum, absque eo quod ulla Fidei notitia ad eum pervenerit, nec per ipsum staret, quin eam haberet; ita vivere juxta dictamen naturæ, ut posset salutem consequi: adeoque non videtur Fides necessaria necessitate medii ad salutem. Nam in casu allato si legem naturalem servaret ex præventione gratiæ, utique credendum videtur, spectare ad Dei Providentiam, ut illuminatus remaneat, sive ab ipso Deo, sive ab Angelo, sive ab homine: eo quia adulto facienti ex Divina gratia quantum in se est, Deus non denegat media ad salutem necessaria; illuminat si quidem omnem hominem in hunc mundum venientem. Illuminatio tamen ista necessaria simpliciter est ad salutem: cum statuerit Deus, neminem sibi placiturum, nisi ex fide, ut constat ex D. Paulo citato. Sic Suarez *de Fide disput. 12. sect. 2. numer. 15.* Valentia 2. 2. *disput. 1. quæst. 2. punct. 2.* Sanchez *in Summ. lib. 3. cap. 2. numer. 2.* & alii.

Dico

7 Dico 2. Fides actualis necessaria est necessitate medii ad primam salutem omnibus habentibus usum rationis; nam carentibus illo, ut sunt parvuli, & adulti illi, qui usum rationis non habent; sufficit fides habitualis: ratio est; quia nemo habens usum rationis justificari potest, & salutem acquirere; nisi justificationem speret, de peccatis commissis doleat, ac Deum super omnia saltem virtualiter diligat: ut habet Tridentinum *sess. 6. cap. 7. & 8.* sed hæc omnia fieri nequeunt, nisi sit actus fidei, quo credatur, Deum esse, & hæc bona conferre posse: ut constat ex D. Paulo *ad Hebræos* 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est*; ergo clarè constat necessitas fidei actualis in habentibus usum rationis, ut justificationem, & primam salutem acquirant. Sic Bannez 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 1. Canus *Relect. de Sacram. par.* 2. *quæst.* 2. *concl.* 1. Valentia *disput. prima, quæst.* 2. *punct.* 2. Suarez *de Fide disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 5. Coninch *disput.* 4. *dub.* 8. *concl.* 1. *numer.* 91. & alii passim.

Adnotandum 1. quæ dicta sunt de necessitate fidei actualis pro prima salute acquirenda extendi etiam ad secundam, & ultimam salutem acquirendam, & ratio est, quia ultima salus, seu Gloria æterna obtineri nequit ante justificationem, & primam salutem, seu gratiam: nil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum; ergo si necessaria est fides actualis necessitate medii in habentibus rationis usum ad salutem per gratiam acquirendam, erit eodem modo necessaria ad salutem per Gloriam acquirendam, cum hæc sine illa acquiri nequeat. Sic Becanus *cap.* 12. *quæst.* 1. *num.* 5. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 14. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. & alii.

Adnotandum 2. hunc actum fidei necessarium ad salutem primam, & secundam acquirendam debere esse supernaturalem ex se, & ex parte principii, debet namque esse ex auxilio Dei ut definit Trident. *sess. 6. can.* 3. *ex illo Joannis 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Debet quoque esse supernaturalis ex parte obiecti, videlicet debet credere obiectum, quod cognosci primò nequit solo lumine naturæ, ac ejus viribus; Fides enim, quam D. Paulus à credentibus exposcit, ut necessariam ad salutem, debet esse sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. Sic Valentia, Bannez, Sanchez, & Coninch *locis superiùs citatis*.

8 Dico 3. Fides actualis in habentibus usum rationis non solùm necessaria est ad primam, & secundam salutem necessitate medii, sed etiam præcepti: constat, tum quia omnia, quæ necessaria sunt necessitate medii sunt pariter necessaria necessitate præcepti; quamvis non omnia, quæ sunt necessaria necessitate præcepti; sint necessaria necessitate medii: tum quia si condemnabitur, qui non crediderit ex D. Marci *ult.* apertè constat, præcipi fidem actualem; non enim condemnari potest, nisi qui peccat, & peccare non poterit, *nisi fecerit contra præceptum*. Sic communis Doctorum sententia.

9 Inquiritur hìc 1. Quænam mysteria, & articulos credere debet per fidem actualem quilibet habens rationis usum necessitate medii, & quomodo ea credere debeat explicitè, an implicitè? Resp. 1. ante Christi adventum, ac sufficientem promulgationem Legis Evangelicæ necessaria erat necessitate medii ad salutem fides actualis Dei authoris supernaturalis, & Remuneratoris, & quidem explicita; insuper implicita Christi Mediatoris, & Trinitatis. Quòd autem fuerit necessaria fides explicita Dei authoris supernaturalis jam satis abundè supra probatum est. Quòd verò necessaria fuerit fides implicita Christi Mediatoris, & Trinitatis colligitur ex illo *Act.* 4. *Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, & ex illo D. Pauli *ad Galat.* 3. *Gentes justificantur ex fide illius, qui fuit Abrahæ promissus*; ergo necessaria est fides saltem implicita Christi Mediatoris; sed nequit cognosci Christus, nisi cognoscatur Trinitas. Christus siquidem filius est Patris, & conceptus de Spiritu Sancto; ergo pariter necessaria erit cognitio, & Fides implicita Trinitatis. Quòd denique sufficiens fuerit Fides implicita Christi Mediatoris, & Trinitatis, satis constat ex illo *Act.* 10. ubi dicitur: Cornelium fuisse virum justum, & religiosum; cujus preces, & eleemosynæ ascendebant ad Deum; ergo apertè colligitur, habuisse gratiam, & justitiam. Et sic fatentur communiter Sancti Patres, Augustinus, Gregorius, Chrysostomus cum D. Thoma 3. *par. quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2. sed tunc Cornelius nec explicitam cognitionem habebat de Christo, & Trinitate; fuit namque postea instructus à D. Petro; ergo sufficiens fuit pro eo tempore cognitio, & fides implicita. Sic Suarez plures referens *de Fide disput.* 12. *sect.* 13. *numer.* 14. Valentia *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 4. *versic. Secunda*, Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. *numer.* 7. Consistebat autem per hos Doctores Fides implicita, & cognitio Mysterii Incarnationis, & Trinitatis in actu supernaturali, quo explicitè, & supernaturaliter credebant, Deum esse, & esse authorem donorum supernaturalium in remedium peccatorum.

Resp. 2. Post Christi adventum, & promulgationem 10
Legis Evangelicæ, quòd necessaria sit necessitate medii ad primam, & secundam salutem Fides explicita Dei authoris supernaturalis, & Remuneratoris bonorum operum; est extra controversiam, & nos superiùs diximus. Solùm controversia est, an etiam requiratur Fides explicita Christi, seu Mysterii Incarnationis, & Trinitatis; an verò sufficiat Fides implicita illorum? Et quamvis doctissimi viri cum Molina, Valentia, Sanchez, Carthusiano, Lorca, Pesantio, & aliis penes Castropalaum *de Fide disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 5. dixerint: necessariam esse necessitate medii ad utramque salutem Fidem explicitam Mysterii Incarnationis, & Trinitatis. Nihilominus probabile est, non esse necessariam necessitate medii, sed tantùm præcepti; cùm solùm necessaria sit necessitate medii Fides implicita horum Mysteriorum: ratio est, quia ante adventum Christi, & promulgationem Legis Evangelicæ non erat Fides explicita talium Mysteriorum necessaria necessitate medii; ergo neque post illam: consequentia tenet, quia non potest assignari ratio convincens adeo gravem necessitatem, qua præcluditur salus tot ignaris, & rudibus; aliunde quæ de necessitate Fidei in Christum tradunt Scripturæ, & Sancti Patres communia sunt justis ante promulgationem Legis Evangelicæ, & post illam; secus verò de necessitate præcepti, quæ quidem necessitas ad habendam Fidem explicitam de Christo, & Trinitate non urgebat ante promulgationem, urget tamen post illam. Adde, quòd nequeat explicari, quænam Mysteria spectantia ad Christum credenda sint explicitè necessitate medii: non omnia, quia est valdè rigida responsio, & viam salutis præcludens rudibus, & ignorantibus, in quibus forsitan non reperitur dolus; non aliqua, cum non possit assignari major ratio, cur hæc ita credenda sint, non verò alia; ergo dicendum est, non de necessitate medii credenda esse explicitè hæc Mysteria. Sic ex Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 7. *ad* 3. colligunt Ricardus, Sotus, Vega, Corduba, Henriquez, Michael Medina, Suarez, Sà, Coninch, Torres, & alii ab eisdem relati, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 7.

Inquiritur 2. quænam mysteria de necessitate præ- 11
cepti credenda sunt explicitè? Antequam respondeam: Præmitto 1. Præceptum fidei, quod obligat fideles omnes habentes rationis usum ad credendum revelata; obligare pariter illos ad sciendum, quæ revelata sunt: nam nequit intellectus assentire revelaris, nisi cognitionem illorum habeat, cum non feratur in incognitum; adeoque idem præceptum obligans ad credendum revelata, pariter obligat ad cognoscendum illa. Præmitto 2. hoc præceptum fidei commune esse æqualiter omnibus Christi fidelibus usum rationis habentibus, & omnes istos æque urget ad satisfaciendum tali obligationi: cum eadem ratio æquè militet in omnibus; omnes siquidem fideles sunt, ac Christiani, adeoque omnes obligatione hujus præcepti adstricti credendi revelata, & sciendi illa. Quia tamen in Ecclesia Sancta Dei, & Fidelium Congregatione plures sunt speciali Dignitate, & Officio fulgentes, ut sunt Episcopi, aliique Prælati, Doctores, ac Rectores animarum; ideo ob specialem istam dignitatem, ac præclarum munus regendi animas, sibi commissas, ut suo muneri dignè satisfaciant; debent speciali scientia esse præditi. Sic Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3. *in fine*, Azor. 1. *par. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 1. & Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 1. His præmissis

Resp. 1. omnes Christi fideles, postquam ad ratio- 12
nis usum pervenerint, teneri scire, & credere explicitè omnes fidei articulos, qui in Symbolo Apostolorum con-

continentur: ratio est, quia Apostolis præceptum fuit à Christo Domino prædicare, & explicitè publicare Evangelium omni creaturæ, ut patet ex illo *Matth. ult. & Marci ult. Prædicate Evangelium omni creaturæ*; sed perfectio, ac summa Evangelii consistit in Articulis propositis in Symbolo Apostolorum; ergo quilibet fidelis tenetur scire, & credere explicitè articulos fidei contentos in Symbolo Apostolorum. Et quamvis non desint Doctores, qui asserant, eodem præcepto adstringi fideles ad credendum explicitè, adeoque sciendum plura extra Symbolum Apostolorum contenta, ut sunt Præcepta Decalogi, Præcepta Ecclesiæ, Oratio Dominica, Septem Sacramenta; insuper nonnulla alia, quæ solemni ritu ab Ecclesia celebrari consueverunt, ut sunt Circumcisio Domini, ejus Præsentatio in Templo, Adventus Spiritus Sancti, & Misericordiæ opera, ac similia, quæ in Catechismo puerorum tradi solent. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam asserentem, non de omnibus his eodem modo discurrendum, ac habendam esse ex præcepto scientiam, ac obligationem credendi ea explicitè; esto de pluribus ex his habeatur præceptum sciendi, ac credendi ea explicitè, sicuti de Articulis in Symbolo Apostolorum contentis. Ut autem clariùs innotescat hæc responsio, explicanda erit qualis notitia, & scientia habenda erit ex præcepto de supra enumeratis, ut fide divina explicitè credi possint, & satisfiat præcepto credendi.

33 Et 1. de Mysteriis, & articulis in Symbolo Apostolorum contentis sufficiens est ea scientia, & notitia; qua secundum eorum substantiam cognoscantur, & quantum ex verbis in ipso Symbolo appositis percipi potest, prout proponuntur: cum non præcipiatur alia clarior notitia fidelibus, aliàs Apostoli per illa verba Symboli tradentes notitiam nostræ fidei diminutè, & non quantum necessarium erat, tradidissent, quod non est dicendum. Quapropter scire Symbolum Apostolorum, prout in Catechismo puerorum continetur, & mysteria prout in ipso apponuntur; sufficiens scientia est ad satisfaciendum præcepto sciendi mysteria nostræ fidei. Hinc est, quod scire de mysterio Trinitatis, & consequenter credere, tres esse Divinas Personas, quarum una non est alia; & quarum quælibet sit Deus, quamvis unum tantùm Deum constituant, non verò plures; sufficit ad notitiam habendam de hoc mysterio. Sufficit pariter ad sciendum, hunc Deum Creatorem esse Cæli, & Terræ; quòd produxerit omnia, quæ in Cœlo, & in Terra continentur; sicuti ad sciendum Salvatorem, & Glorificatorem esse, quòd scilicet possit peccata remittere; & quòd tam animabus, quàm corporibus possit beatitudinem æternam, & supernaturalem tribuere, si bona egerint; damnationem verò æternam, si mala patraverint. Hinc sequitur, haberi etiam notitiam resurrectionis corporum, quæ creditur, ut articulus fidei in ipso Symbolo propositus. Hæc mysteria pertinent ad Deum, ut talis est; & sic explicitè scienda, & credenda sunt: nam alia subtiliora, quæ de Deo pertractant pro sua dignitate Theologi; non spectant ad nostrum intentum.

Mysteria verò spectantia ad Christum Dominum, ejusque humanitatem, quæ in ipso Symbolo continentur; sat est, si sciantur hoc pacto, quòd videlicet Christus sit Filius Dei, & quòd sit verus Deus, & homo; conceptus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: adeoque scire, & credere explicitè Virginitatem Mariæ, ejus Genitricis, Scire insuper ejus Nativitatem, Passionem, Mortem, descensum ad inferos, Resurrectionem, Ascensionem ad Cœlos, Sessionem ad dexteram Patris, Adventum ad judicandum. Præter hos articulos spectantes ad Christi Divinitatem, & humanitatem apponuntur in eodem Symbolo alii duo, videlicet Ecclesia Catholica, & Communio Sanctorum; de quibus sufficiens erit scire ad explicitè credendum illos, quòd detur Congregatio fidelium profitentium fidem Dei sub speciali Sacramentorum signo, & sub eodem Capite Christo, ac ejus Vicario in Terris Romano Pontifice, cui obedire tenentur, extra quam Ecclesiam nemo salvus esse potest. Et quod detur Communicatio bonorum spiritualium, ac Fideles posse inter se orationibus adiuvari; nec requiritur, quòd explicitè sciatur, quomodo hæc Communio Sanctorum contingat, cum etiam Viris Doctis difficilis sit. Sic Vasquez, Azor. Sanchez, Coninch, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 10. num. 5.*

2. De præceptis Decalogi, & Ecclesiæ requiritur eorum explicita scientia, prout proposita sunt; ut satisfiat præcepto credendi ea; ratio est, quia eorum cognitio necessaria est, ut adimpleantur; adimpleri siquidem nequit, quod ignoratur; ergo si tenentur fideles ad hæc præcepta adimplenda, tenebuntur pariter ad illorum explicitam notitiam habendam. Circa Orationem Dominicam, & Opera Misericordiæ, sat erit scire eorum substantiam: & quidem de Oratione Dominica, quòd facienda sit Oratio Deo pro necessitatibus animæ, & corporis, tam à justis, quàm à peccatoribus ad Dei Gloriam. De Operibus misericordiæ, quòd extet obligatio subveniendi necessitatibus proximi tum spiritualibus, tum corporalibus. Denique circa aliqua mysteria, quæ solemni ritu Ecclesia celebrat, ut sunt Circumcisio Domini, ejus Præsentatio in Templo, Adoratio à Magis, Transfiguratio, Adventus Spiritus Sancti; non requiritur eorum explicita notitia ex præcepto: quia durum est hac obligatione gravare, & Parochos obligare ad instruendos suos Parochianos de illis, nec consuetudo id comprobat, ut ex Sanchez, Valentia, Coninch, & Suarez, docet Castropalaus *de Fide disp. 1, pun. 10 num. 3.* in fine. 14

3. De Sacramentis, quorum aliqua sunt de necessitate, ut Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, præcipitur eorum explicita notitia quoad substantiam ad credendum illa fide Divina, videlicet quòd per Baptismum remittatur peccatum originale, & quòd homo per illum fiat membrum Christi, & obligetur ad Legem Evangelicam. Per Pœnitentiam, quòd remittantur peccata post baptismum commissa, & quòd si fidelis à prima gratia habita deciderit; possit per hoc Sacramentum resurgere, & novam gratiam acquirere, & adesse obligationem confitendi suo tempore. Per Eucharistiam, quod in illa sumatur Christus Dominus, qui in ea continetur, ac à fidelibus adoratur, & adesse obligationem eam sumendi tempore suo. Sic Suarez *de Fide disput. 13. sect. 4. num. 12.* Valentia 22. *disp. 1. quæst. 2. pun. 5. dub. 1.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 3. num. 9.* Henriquez *lib. 6. de Sacram. cap. 18. num. 2.* & Coninch *disp. 14. dub. 10. concl. 3. numer. 191.* de reliquis verò Sacramentis, quæ non sunt de necessitate, habetur obligatio sciendi ea explicitè, quando quis ea recipere vult; cum spectet ad reverentiam Sacramentorum talis scientia, ut sanctè, & dignè recipiantur. Sic cum Confirmatio, aut extrema Unctio recipienda est; si suscipiens rationis compos sit, tenetur scire, quid in illis Sacramentis significetur. Idem dicendum de Matrimonio, & Ordine: extra talem casum sufficiens erit scire, septem esse Sacramenta Ecclesiæ à Christo Domino instituta. Sic Bannez 2. 2. *quæst. 2. art. 8. dub. 2.* Petrus de Ledesma 2. *tom. Summ. tract. 1. cap. 2. à concl. 9.* & Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 3. num. 9.* 15

Sed petes: an sit obligatio sciendi memoriter prædictos articulos, mysteria, Præcepta, Orationem Dominicam eo ordine, quo sunt composita? Resp. communiter non admitti hanc obligationem sub gravi, sed sub levi; sufficit enim illa scire quoad substantiam, & significationem, ac obligationem, quam inducunt; ita ut de illis interrogati rectè respondeant, ac tempore debito illa fervent: moveor, quia nulla ratione probari potest, adesse hanc obligationem sciendi ea memoriter sub mortali: nam scire Leges, non est earum verba tenere memoria, sed earum vim, & potestatem, ut constat *ex Leg. scire Leges, ff. de Legib.* imò evenire potest casus, ut quis feliciter memoria teneat verba Symboli, Præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ, ac Orationis Dominicæ, & eorum sensum, ac obligationem non percipiat; qui quidem minimè satisfacit obligationi sciendi ea; cum talis scientia sit verborum, non mysteriorum; ut ex Valentia, Bannez, Sanchez, & Coninch docet Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 10. num. 9.* Obligatio autem ista sub veniali urget rusticos, & rudes addiscendi ea, quantum eorum capacitas fert; ita ut adhibere teneantur diligentiam in eis addiscendis ipsis accommodatam: non satisfaciunt tamen suæ obligationi ea semel, vel bis addiscere, sed pluries, ut sæpius instructi sufficientem notitiam habeant. Quòd si aliqua decreta circumferantur addiscendi memoriter prædicta, & rigidè loquantur; nihilominus consuetudo, quæ est optima Legum interpres, non extendit obligationem per ista decreta injunctam, nisi sub veniali tantùm. Sic ex Navarro, Reginaldo, Layman, Filliuccio, 16

Siuccio, Azorio; & Sanchez docet Bonacina *disp. 3. in Decalog. quæst. 2. pun. 2. num. 14. in fine.*

17 Resp. 2. Prælatos, Pastores, & Rectores animarum debere eam scientiam habere de Mysteriis Fidei suo muneri correspondentem, qua antecellere possint reliquos fideles. Prælati verò, seu Episcopi, & Ecclesiarum Pastores per eam scientiam reliquos antecellunt; si necessaria scient, quibus possint difficultates dissolvere contra talia Mysteria insurgentes; ac convincere, & redarguere oppugnantes, & constat ex D. Paulo ad *Titum. 1.* & ex Trident. *sess. 7. cap. 1. & sess. 22. cap. 2. de Reform.* Cum enim in Ecclesia Sancta Dei debeant dari Personæ in dignitate constitutæ, utpote Successores Apostolorum, quæ tali doctrina, ac scientia præditæ sint, ut à fallaciis hæreticorum, eorumque versutiis Fidem defendere queant, profectò tales Personæ Episcopi erunt, adeoque ad ipsos spectabit tale munus. Nec sat est, quòd per doctissimos Ministros, quos ipsi habeant, illud exerceant; sed ulterius necessarium est, ut per se eam aptitudinem habeant: ut rectè docent Suarez *disp. 13. de Fide in fine*, Coninch *disp. 14. dub. 10. concl. 7.* & Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 10. num. 11.* Non nego tamen, quòd non teneantur omnibus difficultatibus statim respondere: cum sufficiat, quòd adhibito studio, & virorum Doctorum consultationibus possint eas diluere. Imò supracitati Doctores prudenter advertunt, aliquando consideratis omnibus expedire, ut minùs doctus, & eruditus, qui prudentia, ac potentia etiam Ecclesiæ necessaria præditus sit, præferatur doctiori, & eruditiori, dummodo sufficientem scientiam habeat discernendi lucem à tenebris, ut evenit in Episcopatibus magnæ considerationis, in quibus ob vicinos impugnatores hæreticos non minus necessaria est scientia, quàm potentia ad illos justè reprimendos. Parochi tamen, Confessores, Concionatores, & cæteri, ad quos cura animarum in munere suo spectat, alios in scientia Mysteriorum antecellent, si ea explicare valeant, ac de illis aliqualem rationem reddere, & magis obvias difficultates solvere, ut sic possint rectè instruere alios. Sic Suarez, Coninch, & Castropalaus *locis citatis.*

18 Inquiritur 2. quando fideles obligationem habent addiscendi Mysteria Fidei, & quando nam Parochi, aut curam habentes animarum teneantur suos subditos de illis instruere. Resp. 1. cum primum fideles assecuti sunt rationis usum tenentur ea addiscere; quidquid in contrarium dixerint alii, qui non sunt audiendi: ratio est, quia etiam *infideles post rationis usum tenentur* fidem suscipere, ergo multo magis post rationis usum tenebuntur fideles susceptam fidem ante rationis usum ad Deum ordinare, scilicet omnia sua in ultimum finem dirigere; quæ quidem fieri nequeunt absque scientia Mysteriorum Fidei; adeoque tenebuntur eam scientiam habere, vel saltem procurare addiscendo illam: ex divino siquidem mandato omni creaturæ habenti rationis usum prædicari debet doctrina evangelica absque restrictione ad adultos, & pubertatem attingentes; & ex eodem Divino præcepto scire debet *præcepta* decalogi, & Fidei mysteriis assentiri. Sic Navarrus *in Summ. cap. 11. num. 22.* Suarez *de Fide disp. 15. sect. 1. num. 10.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 3. num. 12.* Coninch *disp. 14. dub. 10. num. 195.* Omissio autem hujus obligationis, cum sit ex genere suo gravis; gravem culpam inducet: cum sine notitia Mysteriorum exerceri nequeat præceptum affirmativum fidei, quæ res gravissima est. Poterit tamen per accidens fieri venialis culpa ob imperfectam deliberationem, vel levem negligentiam, aut ob levitatem materiæ addiscendæ, ut habet Suarez *l. c. num. 3.* & Sanchez *l. c. num. 14.*

19 Resp. 2. Parochos, & curam animarum habentes pro suo munere, ut sunt Patres familias, & Domini; teneri suos Parochianos, filios, & servos instruere in fidei mysteriis, cum hi ad usum rationis pervenerint: tenetur siquidem curare, ut præcepto fidei satisfaciant, sed nequeunt huic obligationi satisfacere, nisi ab ipsis instruantur; ergo tenentur ad illos instruendos. Adnotandum tamen hìc, rationis usum accipiendum esse moraliter, non verò mathematicè, cum aliquando in aliquibus major opportunitas requiratur, in aliis tamen minor: ut habet Coninch *disp. 14. dub. 10. num. 195.*

20 Petes: an dari possit ignorantia invincibilis, sive inter infideles, sive fideles horum Mysteriorum fidei? Resp. in tanta sententiarum varietate; quæ circa hanc controversiam habentur; aliqui enim Doctores denegant, posse dari tam in fidelibus, quàm in infidelibus istam ignorantiam invincibilem mysteriorum necessariorum ad salutem; aliqui verò admittunt in infidelibus, denegant in fidelibus; denique alii in utrisque dari posse admittunt, probabilius mihi videri, quòd rarò accidere possit, aliquem habere ignorantiam invincibilem eorum, quæ necessitate medii necessaria sunt ad salutem: cum enim hæc sita sit in cognitione Dei potentis remunerari, nemo censendus erit ita barbarus, ac in barbaris enutritus, ut saltem sub dubitatione, hanc notitiam non habuerit. Cæterùm non denego possibilitatem casus hujus hominis barbari, qui tantùm Dei notitiam habeat, absque eo quod saltem dubitet, posse peccata remitere, & gratiam, ac gloriam concedere. De notitia verò eorum, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, utique admitto ignorantiam invincibilem, non solùm in infidelibus, sed etiam fidelibus: quapropter si ea laboraverint ob ipsorum incapacitatem, vel defectum Instructoris, qui eos docere possit; culpabiles non erunt: ut docent Valentia, Aragonius, Banez, Navarrus, Malderus, Sanchez, & Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 10. num. 4. & 5.* & Bonacina *disp. 3. Decalog. quæst. 2. pun. 2. num. 13. in fine.*

21 Petes insuper: Quid faciendum Confessario, si pœnitentem reperiat laborantem ignorantia Mysteriorum, quæ scire tenetur? Resp. quòd primò dignoscere debet, an talis ignorantia sit culpabilis, vel inculpabilis: nam si culpabilis sit, debet illum monere, ut de ea se accuset, pœniteat, ac clavibus ritè subjiciat cum proposito ea imposterum addiscendi; dein per interrogationes eum ante absolutionem instruere debet de iis, quæ credenda sunt explicitè necessitate medii, quamvis ut diximus, non detur inter fideles horum ignorantia. De credendis verò explicitè necessitate præcepti instruat quoad substantiam, & prout licebit per illud tempus breve, si non judicet prudenter, differendam ad aliud tempus absolutionem; sufficiet namque interrogare de Mysterio Trinitatis, Deum esse unum in Natura, & trinum in Personis Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quorum quilibet Deus est, de Mysterio Incarnationis, Filium factum esse hominem, passum, mortuum, sepultum, & à mortuis resurrexisse, iterum venturum in mundum, ut præmium justis, supplicium æternum peccatoribus retribuat; hunc Christum adesse realiter in Eucharistiæ Venerabili Sacramento, ibique venerari, & sumi à fidelibus; de aliis verò nullus est inter fideles, qui rudem non habeat notitiam quoad substantiam. Et quamvis non desint Doctores, qui doceant, hunc talem simili ignorantia laborantem non esse absolvendum; nisi priùs ita instruatur à Confessario, adeout si non possit instruere, remittere debeat, quoad ea didicerit; obligant enim confessarium ad se ita gerendum Bannez, Petrus Ledesma, Rodriquez, & alii penes Castropalaum *de Fide disp. 1. pun. 10. num. 7.* Nihilominus probabilis est sententia asserens, sufficere ad absolvendum illum, si se accuset, & doleat de hac ignorantia culpabili, dummodo firmum propositum habeat, & constet habere addiscendi ea imposterum; & multo magis id fieri poterit, si ignorantia invincibili sciendorum de necessitate præcepti laboraverit: ratio est, quia non constat adesse tale præceptum ea addiscendi ante absolutionem, ut non possit differri ad breve tempus, cum pœnitens firmum propositum habeat ea addiscendi quamprimùm, ut docent Sanchez, Azor. Coninch, Joannes Sancius, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c.* & Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. pun. 2. num. 16.* In baptismo verò conferendo adulto extra periculum mortis illum petenti sub gravi culpa priùs instruendus est sufficienter de Mysteriis, & articulis nostræ fidei, & de aliis, quæ credere debet, & efficere: non enim consentaneum est, imponere has obligationes adulto per collationem baptismi, absque eo quòd illarum scientiam habeat: ut rectè docent Valentia, Sotus, Suarez, Navarrus, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 11. num. 7. in fine.*

22 *Inquiritur* 4. quandonam obligetur homo ad exercendos fidei actus? Resp. 1. obligationem indirectam, & per accidens eliciendi actum fidei, quæ videlicet non oriatur ex vi fidei, sed alterius Virtutis; *urgere* 1. quando quis obligatur conteri de peccatis commissis; tunc enim necessarius est actus fidei, quo credat, Deum posse peccata remittere, ut justificationis gratia obtineatur.

neatur, 2. quando ex obligatione tenetur quis exercere actus Spei, & Charitatis, ut esset in articulo Mortis ex receptissima sententia; tunc enim pariter teneretur actum fidei exercere, cum nemo possit in Deum sperare, illumque supra omnia diligere, nisi in illum credat. 3. quando aliquod Sacramentum recipiendum est, præcipuè Eucharistia; tenetur siquidem suscipiens agnoscere, & credere virtutem, & efficaciam illi collatam à Christo Domino; & præsertim dum Eucharistiam suscipit, ubi tenetur credere, adesse præsentem ipsum Christum Dominum. 4. quando graves tentationes urgent adversus patientiam, justitiam, Castitatem, quibus per actus fidei efficaciùs resistitur, juxta illud D. Petri 1. *cap.* 5. *Cui resistite fortes in fide*. 5. quando oratio ex præcepto facienda est, cum non possit hoc sanctum exercitium fieri absquè fide, qua credatur, posse Deum, quæ per orationem ab ipso postulantur, concedere. Adnotandum tamen, quòd omittere hos actus fidei indirectè, & per accidens præceptos non sit peccatum contra fidem, sed contra Virtutem illam, quæ ex præcepto directo exercenda est. Sic Suarez *de Fide disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *num.* 3. Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 9. *in fine*, & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 12. *num.* 2.

23 Resp. 2. Obligationem directam exercendi actum fidei, quæ ex ipsa fide oritur; tunc urgere fideles ad illum, cum baptizati in infantia postea usum rationis attingunt; & illis sufficienter Mysteria fidei proponuntur, & obligatio credendi illa: quapropter ex vi præcepti tenentur ad illum eliciendum sub gravi, nisi inadvertentia, aut similis ignorantia eos excuset: ratio est, quia si aliquo tempore exercendum est medium adeo necessarium ad salutem, maximè tunc exercendum erit, cum incipit rationis usus: summè namque convenit initium rationis à subjectione fidei sumere, & omnia sua ad Deum referre, tamquam ad naturæ authorem, & supra illam. Sic ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. docent Suarez, Sanchez, Azor. Valentia Coninch, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 12. *num.* 5. & Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 8. Pueri verò in infantia baptizati, & inter infideles nutriti excusantur ad aliquod tempus ab hac obligatione, quia neque hæc Mysteria revelata proposita sunt eis ut credenda, neque agnoscunt obligationem, quam habent credendi illa. Sic Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *num.* 3. & Coninch *disp.* 14. *dub.* 10. *num.* 213.

24 Hæc eadem obligatio urget infideles post adeptum rationis usum: nam si illis sufficienter proponantur Mysteria fidei ut credenda, sive rationibus, sive miraculis, aut aliis signis, & conjecturis; tenentur assentire illis, ac actum fidei elicere circa mysteria sic proposita: ratio est, quia unusquisque tenetur assumere ea media, quæ necessaria sunt ad salutem, ergo si infidelis tenetur ad fidem sufficienter propositam amplectendam, tenebitur pariter ad actum fidei exercendum; adeoque graviter peccabit contra præceptum fidei, & suam obligationem credendi non eliciendo illum statim, supposito quòd ei jam dictet ratio, suam sectam falsam esse, & veram fidem nostram. Quamvis non pecet, si nondum Mysteria fidei fuerint ei sufficienter proposita, & eam respuat, nec ei assentiatur. Hinc fit, quòd nec fidelis in pueritia baptizatus, & postea inter infideles enutritus; nec infidelis, quibus non sit sufficienter proposita nostra fides, & obligatio eam amplectendi; peccent contra præceptum fidei, si disputent cum dubio de rebus spectantibus ad illam nondum sufficienter propositis; dummodo non colant idolum, aut adulterentur. Hæc enim sunt contra jus naturæ dictantis, unum Deum colendum esse, & vitandum adulterium. Sic Valentia, Bannez, Sanchez, & Malderus, quos refert, & sequitur Bonacina *in decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 8.

25 Petes 1. An præter tempus statutum superiùs sit obligatio directa ex vi præcepti Fidei exercendi ejus actum pro alio tempore? Resp. affirmativè; quando videlicet fidelis graves patiatur tentationes contra fidem sive internè, sive externè à Tyranno: ratio est, quia ne se exponat periculo committendi actum infidelitatis, aut abnegandi fidem; tenetur uti mediis necessariis ad se corroborandum in fide, ne succumbat; sed juxta D. Petrum 1. *cap.* 5. hæc sunt media necessaria ad resistendum, *Cui resistite fortes in fide*; ergo ex vi præcepti fidei tenetur tunc fidelis ejus actum exercere. Et potiori jure si resistendum sit Tyranno, cui resisti nequit, nisi per professionem fidei exteriùs, quæ actum internum fidei supponere omnino debet. Sic Suarez *disp.* 13. *de Fide sect.* 5. *num.* 6. Azor. 1. *par. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 6. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *num.* 3. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 5. & alii.

Petes 2. quando nam fides censenda erit sufficienter 26
proposita infideli, itaut teneatur ejus actum elicere? Ante responsionem prænotanda sunt nonnulla: & 1. non esse obligatum infidelem audire quemcumque christianum prædicatorem volentem eum instruere de rebus fidei: ratio est, quia aliàs teneretur etiam audire Judæum, aut hæreticum volentem eum instruere de sua falsa religione. Nec obstat, quòd Principes christiani intulerint bellum barbaris infidelibus expellentibus christianos prædicatores. Nam bellum intulerunt, non ut compellerent infideles nolentes ad audiendum Christianos prædicatores; sed ne ipsi impedirent alios infideles volentes audire prædicatores, & ne ipsos prædicatores vexarent. Hinc est, non esse licitum Principibus christianis bellum infidelibus indicere, eosque impellere ad christianos prædicatores audiendos; nam antequam signa videant, & rationes, quibus dubii redduntur de sua secta; non habent obligationem audiendi Evangelium, Sic Bannez, Sanchez, Petrus de Ledesma, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 12. *num.* 7. Post dubium tamen ortum in ipsis de sua secta, etiamsi adhuc Mysteria nostræ fidei non fuerint sufficienter proposita; tenentur ad diligentiam præstandam, ut de veritate certiores fiant, quærendo pium, ac doctum virum, cum alia via non detur indagandi veritatem; aut deprecandi Deum, si talem habere nequeant; ut viam veritatis ostendat, & interim à peccatis abstinere debent, quæ sunt contra lumen naturæ, ne illuminationem impediant. Sic Suarez *disp.* 17. *de Fide sect.* 1. *numer.* 10.

2. Non teneri statim infideles assentiri prædicanti veram religionem, si illum audiant; nisi signis, aut rationibus, honestate vitæ, aut aliis testimoniis probet evidenter credibilem fidem, quam prædicat; aliàs temerariè procederent, ac manifesto periculo errandi se exponerent, si assensum præberent absque evidentia credibilitatis fidei prædicatæ; & loco prædicatoris veri Judæum aut hæreticum falsum prædicantem sequi possent, Sic ferè Doctores omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 1. Bannez, Sanchez, Vasquez, Azor. Toletus, Salas, Sancius, Curiel, Lorca, relati à Castropalao *de Fide disp.* 1. *pun.* 12. *num.* 8.

3. Non sufficere eamdem fidei propositionem pro omnibus infidelibus, ut ipsis evidenter credibilis reddatur; non enim æqualis esse potest in omnibus: & ratio est, quia eædem rationes faciliùs convincere possunt intellectum unius, quàm alterius; adeoque diversimodè erit sufficiens propositio fidei pro uno, quàm pro alio. Sic ex Cajetano docet Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *num.* 6. his præmissis. Resp. tunc censeri sufficienter proposita infideli Mysteria nostræ fidei, & per consequens obligari ad eliciendum actum fidei circa illa, quando illi proposita sunt evidenter credibilia: ratio est, quia tunc sunt proposita ut digna creditu; nisi enim evidenter constet, quòd digna sint, ut credantur; credens illa temerariè crederet, & exponeret se periculo errandi, ut diximus in secunda prænotatione; & ferè omnes Doctores asserunt: vide ibi relatos; quapropter rectè D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 1. requirit, ut ante fidem videantur ea, quæ credenda sunt, non quidem in se, sed quoad dignam eorum credibilitatem.

Controverti tamen hìc solet; an si proponantur 27
Mysteria nostræ fidei infideli, non ut evidenter credibilia, sed ut magis credibilia, seu probabiliora præ illis, quæ in ejus Secta habentur; an inquam, teneatur relinquere suam sectam, & illis assentiri? Certa sententia Theologorum est, non teneri tunc ad eliciendum actum fidei supernaturalem, non obstante majori illa credibilitate, & probabilitate: ratio est, quia semelac credibilitas sub probabilitate, quæcumque sit, proponitur; inducere nequit obligationem credendi fide supernaturali, & excludente omnem formidinem in oppositum; ita enim per hunc actum credere debet infidelis, ut omnino falsam reputet suam sectam, & omnem alium errorem oppositum nostræ fidei; sed si sub probabilitate majori præ sua secta innotescat ipsi credi-

credibilitas Mysteriorum nostræ Fidei, & Revelationis Divinæ; non excluderet omnem formidinem in oppositum; posset enim ita discurrere, esto appareat magis credibilis, & probabilior Religio christiana, sed quis scit, an etiam secta mea sit probabilis, cum qua fluctuatione, & formidine nequit componi assensus supernaturalis fidei; ergo credibilitas Mysteriorum nostræ fidei, & Revelationis Divinæ debet evidenter, & non majori probabilitate proponi, ut obliget infidelem ad assensum fidei supernaturalem præstandum Mysteriis ipsis, & Revelationi Divinæ. Sola ergo major probabilitas non sufficit ad obligandum infidelem; aliàs si proponeretur ipsi, ut magis probabilis præ sua secta error aliquis Judæorum, aut hæreticorum; teneretur credere illum, quod est absurdum. Meritò igitur damnata fuit ab Innocentio XI. 21. Propositio asserens: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imò cum formidine, nenon sit locutus Deus.* Non nego tamen, quòd posita majori illa probabilitate, ejus ignorantia Mysteriorum fidei non est ampliùs invincibilis, adeoque tenetur eam vincere, & quærere modum eam superandi consulendo viros doctos, aut si ipsos non habeat, deprecandi Deum, ut lumen immittat; aliàs peccabit peccato infidelitatis contra præceptum hanc diligentiam adhibendi; nec in ea adhibenda contentus esse debet opinione minus probabili, ita ut non credens ductus ea opinione non peccet peccato infidelitatis; damnata siquidem est ab eodem Innocentio Propositio 4. asserens: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*, quæ quidem prohibitio non extenditur etiam ad non excusandum ab executione aliorum præceptorum propter opinionem minùs probabilem. Vide Cardenas explicantem in suis Dissertationibus hanc quartam Propositionem.

28 Petes 3. Quandonam fides censenda sit sufficienter proposita fideli; itaut teneatur illius actum exercere? Resp. si fidelis inter fideles nutritus sit, & adultus; teneri cum primò post usum rationis ei proponuntur Mysteria taliter, ut nullam dubitationem habeat in contrarium ex justo motivo, quòd illi vera non proponantur. Si verò inter infideles, & hæreticos nutritus fuerit; tunc Mysteria fidei taliter ipsi proponenda erunt, ac si infidelis esset: nam imprudenter, & temerè operaretur, si assensum præberet cuilibet prædicanti. Nec ideò hæreticus censendus esset, aut tamquam hæreticus puniendus; nisi constaret, fuisse illi sufficienter proposita Mysteria nostræ fidei, & illa repelleret, ac debitum eis assensum denegaret. Sic Castro, Simanca, Aragonius, quos refert, & sequitur Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 1. num. 8.* An verò puer iste fidelis inter infideles nutritus fidem amitteret adultus factus, si idola adoraret, & hæreses contra jus naturæ proferret; controversa res est. Puto tamen probabilius illam non amittere, eo quia illam invincibiliter, & inculpabiliter ignorat; imò etiam si culpabilis esset ejus inadvertentia, & ignorantia, dummodo non conjuncta fuerit cum pertinacia; non ideo fidem amitteret. Sic Suarez ex communi sententia *de Fide disp. 15. sect. 2. num. 3.* Sanchez *loc. cit.* & Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 12. num. 16.*

CAPUT III.

Quando adest obligatio Fidem exterius confitendi.

1 *Adest præceptum de externa fidei confessione; & duplex est Affirmativum, & Negativum.*
2 *Præceptum affirmativum obligat, dum confessio necessaria est ad salutem propriam, vel proximi.*
3 *Tenetur infidelis, cui sufficienter proposita sunt Mysteria Fidei, ad petendum, & suscipiendum baptismum.*
4 *Tenetur Fidelis ad confessionem fidei, si ex ejus omissione magnus honor subtraheretur Deo, aut magna injuria fieret Ecclesiæ.*
5 *Idem dicendum, si necessarium putet, ut infideles ad fidem accedant; vel ut fideles in fide confirmentur.*
6 *In dictis casibus obligatio est ex vi Fidei, in aliis ex exercitio aliarum Virtutum.*
7 *Præceptum negativum Fidei obligat semper, & ad semper.*
8 *Denegatio externa Fidei duobus modis evenire potest.*
9 *An teneatur fidelis interrogatus de sua Fide, fateri illam interroganti?*
10 *Quid si interrogatio fieret generaliter?*
11 *Non tenetur fidelis ad confessionem fidei, quoties aliquis honor subtrahitur Deo; sed quando magnus honor subtraheretur, aut magna injuria sequeretur.*
12 *Si sub nomine Christiani intelligit infidelis interrogans hominem nationis alicujus; non peccat fidelis interrogatus contra fidem denegando, se esse Christianum.*
13 *An possit fidelis declinare Tyrannum sævientem in Fideles?*
14 *An licitum sit uti verbis aut signis significantibus Sectam veræ Fidei contrariam, quando non urget præceptum affirmativum manifestandi Fidem?*
15 *Quid dicendum de actionibus, signis, & factis, quæ ita indicant falsam religionem, ut aliam indifferentem significationem habere possint.*
16 *Quando licitum fidelibus uti vestibus, vexillis, & idiomate Turcarum, ne ab illis capiantur?*
17 *Illicitum semper est uti signis, actionibus, vestibus ex se ordinatis ad profitendam falsam religionem.*
18 *Quando poterit fidelis commorans in regnis infidelium vesci carnibus ad se occultandum ab illis?*
19 *Quando poterit fidelis Catholicus ingredi Templa hæreticorum, ac eorum Ceremoniis, & precibus interesse?*
20 *Quando potest Catholicus ad se occultandum ingredi Templa hæreticorum, si Princeps hæreticus ingressum præcipiat sub gravi pœna?*
21 *Non est licitum Catholico sumere Eucharistiam è manibus Ministri hæretici; nec matrimonium celebrare coram illo.*
22 *Christianus Sacerdos interrogatus ab infideli, num Sacerdos sit? si neget, quamvis peccet mentiendo, non peccat tamen contra fidem.*
23 *Fidelis ex justa causa occultare se poterit non deferendo signum præscriptum à Principe infideli fidelibus commorantibus in suo regno.*

EGIMUS usque adhuc de actibus internis fidei, & de eorum obligatione; remanet nunc agendum de actibus externis fidei, & eorum obligatione: non minus enim spectat ad fidem Divinæ Veritati assentiri, quàm talem assensum exteriùs manifestare; & non minus adstringimur præcepto fidei ad illos suo tempore efficiendos, quàm istos, juxta illud D. Pauli 2. *ad Corinth. 4. Habentes eumdem Spiritum fidei credimus, propter quod & loquimur.* Præceptum autem istud de externa fidei confessione duplex est, unum affirmativum, quo videlicet præcipitur ipse actus positivus externus fidem confitendi; aliud negativum, quo præcipitur, numquam negandam esse fidem. Sic ex omnium Catholicorum Sententia docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 3. artic. 1.* 1

Sed ut clarius innotescat quandonam, & pro quo tempore obligant supra dicta præcepta; ideo, Dicendum 1. Præceptum affirmativum fidei confitendi illam exteriùs tunc obligare, quando ejus confessio necessaria est ad salutem tum propriam, tum proximi conservandam, vel illam obtinendam: ratio est, quia exercitium alicujus Virtutis tunc cadit sub præcepto, quando est graviter necessarium ad Charitatem Dei, vel proximi servandam: Charitas siquidem est finis legis, & omnis lex in Charitate solidari debet; ergo quoties exercitium, & confessio fidei necessaria erit graviter ad servandam Charitatem Dei, vel proximi; tunc urgebit præceptum affirmativum fidei ad exercitium, & confessionem illius. Sic constat ex D. Paulo *ad Roman. 10. Corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: & sic docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 3. art. 2.* quem communiter sequuntur Theologi, Suarez *disp. 15. de Fide sect. 2.* Valentia *disp. 1. quæst. 13. pun. 2.* Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 4.* & Coninch *disp. 15. dub. 1. num. 6. concl. 2.* 2

Hinc fit 1. Teneri infidelem, cui sufficienter proposita sunt Mysteria nostræ fidei, non solùm ad assentiendum illis, verum etiam ad petendum, & suscipiendum baptismum, ac ad uniendum se Ecclesiæ per illum: eo 3

quia

quia graviter urget & Charitas Dei, & Charitas propriæ salutis; adeoque si renuit id efficere, graviter peccabit contra Dei honorem sic expoſcentem, & contra propriam salutem. Sic Suarez *de Fide disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 7. Coninch *disp.* 15. *dub.* 4. *num.* 18. Quòd si quis baptizatus in infantia fuerit, ac inter infideles enutritus, cum primò sufficienter factus est conscius obligationis suæ per fidem in baptismo susceptam, tenetur eam manifestare aliis signis, ac ostendere, se esse catholicum, ac fidelem, & veram fidem catholicam profiteri, Sufficienter autem hæc signa exercebit per actus aliarum Virtutum propriarum Religionis Catholicæ, ut esset confiteri, audire Sacrum, sumere Eucharistiæ Sacramentum, aut alia pia opera, per quæ dignoscitur Catholica Religio. Vide Suarez *l. c.*

4 Fit 2. Teneri fidelem ad confessionem fidei faciendam, quando si omitteretur fieri, magnus honor subtraheretur Deo, & magna injuria afficeretur Religio Christiana; vel quia Deus reputaretur falsum revelasse, & dixisse; aut falsa reputaretur Christiana Religio. Sic etiam si fidelis videns infideles irridentes veram fidem Catholicam, & posset eos absque suo gravi incommodo compescere; teneretur utique id efficere; & multo magis si ex pusillanimitate ab ipsis opprimeretur cum periculo denegandi fidem: jus siquidem ipsum naturæ dictat quantum fieri potest curandum, ne injuria inferatur Divino honori, & ne quis exponat se periculo amittendi propriam salutem. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 3, *art.* 2. Suarez *disp.* 14. *de Fide sect.* 2, *n.* 7. Malderus, Reginaldus, Valentia, Bannez, Aragonius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 3. *num.* 3.

5 Fit 3. Teneri fidelem ad confessionem fidei faciendam, quando eam necessariam reputat, ut infideles ad fidem accedant; vel si reputat necessariam ad confirmandum alios fideles in fide; sine qua confessione deficerent, & grave scandalum paterentur: ratio est, quia non solùm Charitas proximi ex lumine naturæ dictat consulendum saluti illius, & ejus gravem ruinam penitus præcavendum; sed etiam fides ipsa obligat subjectum, in quo reperitur ad hæc præstanda: obligat namque ad impedienda ea, quæ ipsi fidei fuerint contraria. Sic Coninch *disp.* 15. *dub.* 4. *num.* 79. & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 13. *num.* 8.

6 In Casibus enumeratis tenetur quis fidem confiteri, eamque exterius profiteri ex vi obligationis fidei. Extra tamen illos habetur obligatio ex exercitio aliarum virtutum, quæ fidem requirunt: sic esset instruere proximum in Mysteriis fidei ex Charitate, vel Justitia: cum talis instructio sit professio fidei. Sic etiam esset venerari, & recipere Sacramenta, & sic de cæteris: actus siquidem isti religionis confessio essent, ac professio fidei: ut habet Suarez *de Fide disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 7. Coninch *disp.* 15. *dub.* 4. *num.* 82. & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 13. *num.* 9.

7 Dicendum 2. Præceptum negativum fidei, eam videlicet exteriùs non denegandi, ac abstinendi à dictis, vel factis, quibus fides denegetur; obligare semper, & ad semper: cum semper obligemur ad fidem non denegandam dictis, vel factis, & abstinendum ab illis, non solùm quando conjungerentur cum negatione interiori fidei, quia tunc esset aperta apostasia à fide, & ejus desertio; sed etiam quando fides interius retineretur, & exteriùs tantùm denegaretur signis illis: ratio est, tum quia negativum præceptum est, & natura præcepti negativi est, obligare ex se semper; tum quia certum est de fide, ut constat ex illo Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*; & non solùm negare Deum dicitur, qui interius, & exteriùs fidem denegat, sed etiam qui exteriùs tantum; adeo ut exteriùs fidem denegare ea retenta interiùs, nullatenus cohonestabile sit, neque ad evitanda atrocissima tormenta, neque mortem ipsam: est enim talis denegatio intrinsecè mala ob mendacium, quod in suis intrinsecis involvit, summè contumelioſum Divino honori, & Christianæ Religioni: nam denegans fidem exteriùs testatur Summam, & infallibilem Veritatem falli posse. Sic omnes Doctores Catholici.

8 Duobus modis evenire potest hæc denegatio externa fidei, directè videlicet, & indirectè. Directè evenit, si fides denegetur absolutè vel quoad omnes ejus Articulos, vel quoad aliquem; aut ejus certitudinem, vel necessitatem. Indirectè verò accidit, cum quis denegat, se Christianum esse; vel Catholicum, aut Papistam; virtute siquidem Christum denegat, & Catholicam Religionem. Sic etiam si diceret, se Judæum esse, Æthnicum, Turcam, aut Lutheranum; cum his namque sectis compati nequit Religio Christiana, adeoque per confessionem harum Sectarum Catholicam, & Christianam Religionem denegaret, & se alienum ab illa profiteretur. Sic docent Azor. Malderus, Aragonius, Becanus, Reginaldus, Cajetanus, Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 4. *num.* 18.

Sed quæres 1. an fidelis de sua fide interrogatus 9
teneatur fateri illam interroganti? Resp. 1., si interrogatio fiat à Potestate publica, sive sit Superior proprius, sive extraneus; sive interrogatio palam fiat, sive secretò, & singulariter interrogetur; non posse licitè eam denegare interroganti, nec verbis æquivocis uti, & à fortiori restrictione mentali; si eis utendo appareret fidei negator, & desertor; maximè si contra Charitatem Dei, & proximi esset æquivoca responsio: ratio est, quia licèt non semper teneatur fidelis aliis se demonstrare fidelem; nihilominus tenetur ad non demonstrandum se positivè infidelem, uti absque controversia se demonstraret in circumstantiis dictis; & demonstrare se positivè infidelem, est fidem denegare, quod est intrinsecè malum, nec ex ullo motivo cohonestabile. Idem dicendum, si interrogatio ista singularis cum talibus circumstantiis fiat à privata persona, & privata authoritate: eædem namque rationes militant utrobique. Hinc fit, quòd si Vir gravis coram hæreticis, & Catholicis de sua fide interrogatus; teneretur utique ad eam confitendam ob vitandum saltem grave scandalum, quod inter Catholicos oriretur. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *in corpore*, Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2. *dub.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 4. *numer.* 14. Coninch *disp.* 15. *dub.* 2. *numer.* 14. Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 3. *numer.* 6. & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 14. *num.* 2. & 3.

Resp. 2. Si interrogatio fiat sive à potestate pu- 10
blica, sive privata; sive palam, sive clam; generaliter tamen, & absque eo quod aliquod sequatur contra Charitatem Dei, vel proximi: ut si Rex diceret, qui fuerint Catholici, se manifestent; utique fidelis, si poterit interrogationem declinare; non tenebitur se prodere: ratio est, quia non tenetur ex præcepto, & mandato Principis infidelis sic jubentis, ut ex se patet; neque ex præcepto negativo fidei, quod solùm obligat ad non ostendendum se positivè infidelem, non verò ad ostendendum se positivè fidelem; neque denique ex præcepto affirmativo fidei confitendi illam exteriùs, quod tunc obligat, quando ex manifestatione magnus proveniret Deo honor, & infideles essent convertendi, aut fideles dubii in fide confirmandi; quas circumstantias non supponimus adesse: nam si adessent, nullatenus declinari posset interrogatio generalis, cum ipsa declinatio esset denegatio fidei, & se haberet, ac si esset interrogatio singulariter facta, de qua supra egimus. Sic Suarez *disp.* 14. *de Fide sect.* 3. *num.* 6 Tabiena *verb. Fides*, & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *pun.* 14. *num.* 2.

Adnotandum hìc 1. Non teneri fidelem ad confes- 11
sionem fidei, quoties subtrahitur aliquis honor Deo ex hoc, quòd abstineat ab illa; sed quoties magnus honor subtraheretur Deo, & magna illi injuria sequeretur ex omissione confessionis: & ratio est, quia aliàs actus confessionis fidei semper esset debitus, cum semper redundaret in Dei honorem. Sic Valentia 1. 2. *disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2. *dub.* 1. & Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 3. *num.* 3.

Adnotandum 2. Non peccare contra præceptum 12
confessionis fidei, si interrogatus fidelis num Christianus sit? respondeat, se Christianum non esse; quando sub nomine Christiani intelligit interrogans infidelis hominem nationis alicujus; non verò hominem Religionis Christianæ. Sic si apud Indos nomen Christianus usurparetur ad significandum hispanum, & Indi persequerentur hispanos, non quà Christiani sunt, sed quà Milites; si hispanus ab his captus, ac interrogatus, num Christianus sit? respondeat non esse Christianum; peccabit siquidem mentiendo se non esse hispanum, sed venialiter; cum

sit

sit in re levi ; non verò contra præceptum fidei : cum neque directè, neque indirectè interrogaretur de illa sub nomine Christiani, sed de Natione hispana. Sic Aragonius, Bannez, Azor, Sanchez, Rodriquez, Becanus, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. pun. 3. num. 5.*

43 Quæres 2. An possit, & teneatur fidelis declinare Tyrannum in fideles sævientem ? Resp. ex se licitum esse, Tyrannum fugere, ne de fide examinet, aut tormentis exponat, sic constat ex illis verbis Christi Domini Matth. 10. Cum vos persequentur in Civitate ista, fugite in aliam. Sic etiam ipsemet Christus Dominus suo exemplo comprobavit declinans sævitiam Scribarum, & Pharisæorum fugiendo *Matth. 4. Joannis 8. 10. & 11.* Sic etiam Apostoli Petrus, & Paulus, fugerunt. Multò magis conveniens, & necessaria fuga erit, si fidelis consulere velit propriæ imbecillitati, de qua prudenter, rationabiliter; & fundatè dubitat; aut aliorum proximorum saluti, quos adjuvare possit, & confirmare. Quod etiam intelligendum erit, etiam si fidelis captus fuerit à Tyranno, & jam incæpta fuerit examinatio, ut D. Petrus fecit, aliique *Sancti Martyres* : ratio est, quia neque præcepto naturali talis fuga, & declinatio Tyranni sævientis prohibetur, cum non sit denegatio fidei, sed potiùs ejus manifestatio ; fugit enim fidelis, & exilium patitur ob ipsam fidem, adeoque eam maximè manifestat ; neque ex præcepto positivo prohibetur, cum assignari nequeat. Sic habetur *in cap. Scisciteris 7. quæst. 1.* & sic docent D. Augustinus *tract. 46. in Joannem*, Suarez *de Fide disp. 14. sect. 3. num. 1.* & alii. Præter supradicta motiva consulendi propriæ imbecillitati cum proximo periculo cadendi, ut constat ex citato Capite ; & consulendi saluti proximorum promovendo fidem in ipsis tum consiliis, tum exhortationibus, concionibus, Sacramentorum administratione ; alia etiam enumerantur, ob quæ teneantur fideles declinare Tyrannum, se occultare, ac fugere ; si videlicet ob confessionem fidei morti damnandus sit, ita occultè, ac secretò ; ut non possit esse aliis constantiæ exemplum, aut infidelibus incitamentum ad fidem : sic enim non haberetur justum motivum prodigendi vitam, & permittendi peccatum homicidii in Tyranno. Insuper si fidelis timeat, ex sua confessione magis Tyrannum persecuturum fideles, ac tormentis atrocioribus, & durioribus debere in illos sævire ; ita ut plurimorum fidelium defectus à fide prudenter, & rationabiliter timeatur : cum enim in adductis circumstantiis confessio fidei non cederet in Majorem Dei honorem, & proximorum utilitatem ; inde est, non solùm teneri privatum fidelem declinare, si possit Tyrannum sævientem in Christianos, sed etiam Pastores, & Prælatos, quorum vita maximè interest saluti gregis. Sic Coninch *disp. 15. dub. 5. num. 95.* & Castropalaus *de Fide disp. 1. pun. 15. num. 3.* Quòd si fidelis credat, sua confessione, & manifestatione fidem magis promovendam fore ; licitum ei erit non fugere, nec declinare Tyrannum, cum posset ; sed expectare examen ad magis corroborandos imbecilles in fide, & ad convertendos infideles ; dummodo nulli periculo proximo denegandi fidem se exponat : operaretur siquidem ex justo motivo rationabili, & honesto ; nec dici posset, vitam temere prodigere ; nam sic feciisse D. Sebastianum, qui ut subveniret Marco, & Marcelliano in fide periclitantibus, se manifestavit fidelem, & ejus manifestatio tam gloriosa fuit toti Ecclesiæ Catholicæ, ut testantur Ecclesiasticæ historiæ. Sic Suarez *de Fide disp. 14. sect. 3. num. 11.* Hinc fit, Pastores, & Prælatos manentes inter suas oves persecutione Tyrannorum ingruente, qua timeatur in gravi necessitate constitutas esse, & cum periculo amittendi fidem ; non posse eas deserere, & fugere ; quamvis inter ipsas se occultare possit ad melius subveniendum eis, etiam cum discrimine vitæ ; aliàs non bonus pastor esset ponens animam pro ovibus suis, sed mercenarius fugiens, & dimittens oves ob lupum venientem. Quæ quidem obligatio in *Prælatis*, & Pastoribus non fugiendi, & deserendi tunc oves non est solùm ex Charitate, sed ex Justitia ratione sui muneris ; ut decisum est *in Cap. Scisciteris 7. quæst. 1.* Si tamen sufficienter provisum fuerit ovibus manentibus cum aliis Ministris coadjutoribus ; licita erit fuga Pastoris, ut se reservet in tempus magis opportunum, & oves adjuvet è longinquo : ratio est, quia tunc revera non esset dimittere oves, & fugere ; cum satis provisum sit. Sic D. Augustinus *epistol. 180.* D. Thomas *in Joann. 20. lect. 3.* & Suarez *de Fide disputat. 14. section. 3. numer. 12.* Idem dicendum, si solùm sæviret Tyrannus in Pastores, & Prælatos relictis pacificè cæteris fidelibus ; tunc enim licitè fugere poterunt ad declinandam sævitiam illam ; maximè quia sic esset utilior eorum fuga gregibus. Sic Coninch *disput. 15. dub. 5. numer. 103.* & Castropalaus *de Fide disput. 1. punct. 15. num. 4.*

Quæres 3. An quando non urget præceptum affir- 14
mativum manifestandi fidem, licitum sit uti verbis, & signis significantibus sectam veræ Fidei contrariam ? Resp. prænotando priùs, actiones significantes falsam religionem, idem dicendum de verbis, & signis, alias esse tales ex usu, consuetudine, & lege, ut nullam aliam significationem habeant præter significare falsam Religionem ; sic sunt adoratio, genuflexio, thurificatio, tunsio pectoris coram idolo ; gestare vestes, & instrumenta illa, quibus in impiis suis sacrificiis utuntur Gentiles, & similia. Alias verò actiones esse tales, seu ita significare falsam Religionem, ut præter hanc aliam significationem habeant non contrariam fidei christianæ ; sic sunt vestes, quibus utuntur infideles communiter ad significandam suam falsam sectam, prout contradistinguitur à cæteris sectis, sic etiam est esus carnium die vetito, & similes. Jam verò illicitas esse actiones, verba, & facta, quibus ex circumstantiis nulla alia significatio imbuitur præter cultum falsæ Religionis, certa sententia docet, itaut opposita nullam probabilitatem habeat : ratio est, quia præceptum negativum fidei non solùm obligat ad non denegandam fidem interiùs, sed etiam exteriùs, & quoad apparentiam ; sed qui talibus actionibus utitur non habentibus aliam significationem præter cultum falsæ religionis, illam profitetur ; ergo veram fidem exteriùs denegat, quod est intrinsecè malum, etiamsi apparenter id efficeret retenta interiùs fide. Et sicuti præceptum affirmativum fidei non solùm obligat suo tempore ad præstandum internum assensum, verùm etiam ad externam fidei confessionem; sic & præceptum negativum ejusdem fidei non solùm obligat ad non negandam illam interiùs, verùm etiam exteriùs per verba, facta, aut alias actiones indicantes sectam veræ fidei contrariam. Sequuntur etiam absurda ex opposita sententia, quòd videlicet licitum esset ad evitandam mortem exteriùs tantùm idolo thus offerre, preces ante illud fundere, imagines falsorum Deorum collo appensas retinere, osculari Mahometi sepulchrum, & similes infames cæremonias, semper ab Ecclesia Catholica damnatas exercere, etiamsi exteriùs tantùm à fidelibus factæ fuissent. Sic contra Adrianum *in 4. de Baptis. quæst. 1. art. 1. ad 5.* docent Valentia, Sanchez, Cajetanus, Navarrus, Malderus, Sylvester, Angelus, D. Antoninus, Armilla, Suarez, Coninch, Pesantius, Vasquez, Toletus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *in Decal. disput. 3. quæst. 2. punct. 3. numer. 19.* & Castropalaus *de Fide disput. 1. punct. 16. numer. 3.* Hæc tamen intelligenda sunt de simulatione seriò facta, non joci causa, aut repræsentationis in Tragædiis, vel Comædiis; tunc enim potiùs essent irrisiones falsæ fidei, quam illius protestationes; nec essent negationes, sed potius repræsentationes negationum.

Resp. 2. Actiones, signa, facta, quæ ita indi- 15
cant falsam religionem, ut aliam habere possint significationem indifferentem, nec contrariam veræ fidei ; si citra scandalum, & citra animum significandi, & protestandi falsam religionem fiant ex gravi causa, & prudenti metu mortis ; non erunt illicita, & peccaminosa ; etiamsi primariò, & per se instituta fuerint ad discernendum fidelem ab infideli : ut esset gestare galerum flavi coloris, quo hebræus dignoscitur à Christianis ; aut fasciam capiti retortam, qua Turca à Christianis discernitur : nam si primò, & per se signa ista, & vestes instituta fuerunt non ad discernendam religionem fidelium ab illa infidelium ; sed unam nationem ab alia ; extra controversiam est posse illis

uti

uti absque peccato contra fidem : ratio autem, cur licitum sit uti his signis distinguentibus infidelem à fidele, ex justa, & gravi causa ; est, quia attentis circumstantiis omnibus à nobis positis, uti signis illis non est demonstrare, se esse infidelem ; nam christiani illum agnoscentes non judicant infidelem esse, sed fidem occultare ex rationabili causa : aliunde uti potest illis ad aliam significationem, non contrariam fidei christianæ, ut esset tegere caput : sicuti assumens habitum religiosum ad se induendum, & occultandum, dum persecutionem patitur ; non dicitur religiosum statum profiteri ; ergo talibus signis uti in prædictis circumstantiis non erit fidem exteriùs denegare, etiamsi infideles alii illum ex errore infidelem reputent, poterit siquidem hunc errorem in ipsis permittere. Sic Azor. Malderus, Bannez, Sanchez, Becanus, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. num.* 20. Sic etiam Aragonius, Valentia, Suarez, Coninch, Sà, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat.* 1. *punct.* 17. *numer.* 3.

16 Hinc fit : licitum esse fidelibus uti vestibus Turcarum, eorum vexillis, ac idiomate in navibus, ne ab ipsis capiantur : dummodo in vexillis non fuerit depicta imago Mahometi, aut idoli alicujus, esto multæ Lunæ depingantur. Idem dicendum, si illis utantur in bello ad infideles hostes capiendos, & occidendos. Extenditur quoque ad Speculatores, & Exploratores Christianos degentes inter Turcas, ut referant, quæ ab ipsis aguntur contra Christianos : ratio est, quia non habetur etiam quoad apparentiam falsæ fidei professio, cum signa illa indifferentia ad alium finem assumantur, non verò quatenus protestativa sunt falsæ religionis ; adeoque ex justa, & gravi causa uti poterit fidelis illis ad occultandam veram fidem. Sic expresè Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 4. *num.* 22. Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst.* 2. *punct.* 3. *numer.* 20. *in fine* referens Azorium, Reginaldum, Becanum, & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 5.

17 Resp. 3. Actiones, signa, vestes ex se ordinata non ad dignoscendum infideles à fidelibus, sed ad profitendum, vel protestandum falsam religionem ipsorum ; non esse ullatenus licitum fidelibus, itaut eis uti possint ad fidem occultandam : ratio est, quia esset quædam protestatio cultus, ac honoratio falsæ sectæ ; quamvis extrinsecè hoc fieret, & retenta fide interiùs : nec sejungi potest à scandalo, & à superstitione ; quapropter talis usus esset intrinsecè malus, nec ullatenus cohonestari poterit ex urgenti, & rationabili motivo. Et quamvis talia signa, & vestes habere possint aliam nativam significationem tegendi corpus, & defendendi illud ab injuriis temporum ; nihilominus ex circumstantiis semper determinantur ad significationem illam legalem protestandi, & confitendi falsam religionem relicta omni alia significatione nativa. Recurrunt quoque argumenta facta pro prima responsione, in qua ut omnino illicita damnavimus signa instituta ad profitendum falsam sectam, & non habentia aliam significationem præter istam. Sic Divus Antoninus, Tabiena, Angelus, Navarrus, Philiarcus, Toletus, Aragonius, Lopez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat.* 1. *punct.* 17. *numer.* 2. *&* 7. Adnotat Castropalaus *loc. cit. numer.* 8. ex Coninch, non posse fidelem uti ad se occultandum veste, vel alio signo, quod præscribit Princeps infidelis gestandum indiscriminatim ab omnibus sive subditis, sive advenis in protestationem suæ falsæ sectæ : meritò siquidem in tali casu censeretur fidelis falsam illam sectam profiteri, & fidem exteriùs denegare, quod est intrinsecè malum, & teneretur potiùs mori, quàm execrandum illud signum deferre. Nec simulatio, quæ in aliis materiis locum habere potest, illum habet in materia fidei, quoties adhibentur signa protestantia, & significantia falsam sectam : nam in aliis materiis non semper significant quid falsum, sed indifferens ; non sic tamen signa ista in materia fidei.

18 Ex dictis hucusque colligitur 1. fidelem commorantem in Regionibus infidelium ad occultandum se ab ipsis posse diebus vetitis vesci carnibus citra scandalum, & animum denegandi fidem ; si non possit absque gravi periculo se subtrahere à tali comestione : ratio est, quia comestio carnium ex una parte non est signum ex se protestativum falsæ religionis, aliàs fideles etiam infirmi nequirent illas comedere, ex alia parte cum sit præceptum Ecclesiasticum cum tanto dispendio non obligat ; nec ullum scandalum sequitur, ut suppono ; ergo in talibus circumstantiis licitè fieri poterit. Sic Azorius, Sanchez, Coninch, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *in Decal. disput. 3. quæst. 2. punct. 3. numer.* 23. *&* 27. & Castropalaus *de Fide disput.* 1. *punct.* 17. *numer.* 9. Dummodo tamen id non fiat authoritate publica, aut privata infidelis provocantis fidelem ad comedendum carnes in contemptum Ecclesiæ Catholicæ sic præcipientis ; aut in protestationem inobedientiæ Sedi Apostolicæ, & professionem falsæ Sectæ. Idem dicendum de comestione carnium idolo immolatarum, quas nullatenus fidelis ab infideli invitatus comedere potest in honorem idoli ; esset enim illi cultum, & honorem præbere, quod est intrinsecè malum. Secus tamen esset, si idolothyta, seu immolata idolo apponerentur in mensa ad instar reliquorum ciborum. Sic colligitur ex D. Paulo 1. *ad Corinth.* 10.

Colligitur 2. licitum esse fideli ingredi Templa hæ- 19
reticorum, eorum cæremoniis, ac precibus interesse, vel animo ea confutandi, aut merè politicè, & civiliter interveniendi, quamvis non sufficiat sola curiositas : ratio est, quia talis ingressus, & assistentia non est formaliter religiosus ; sed tantùm politicus & civilis ; adeoque non illicitus ; nisi periculum habeatur perversionis, & professionis falsi dogmatis. Hinc est, quòd famulus fidelis possit sociare Dominum, vel Dominam suam infidelem introeuntem ad idolum adorandum sublevando caudam, aut brachium porrigendo, ac genuflectendo dum dominus genuflectit, non dirigendo quidem genuflexionem illam ad idolum, sed in obsequium domini genuflectentis. Quod confirmatur exemplo Naaman, sic obsequentis domino suo in Templo Ramon, dum idolum adorabat. Secus tamen esset, si fidelis ingrederetur Templum, ut communicaret cum hæreticis, aut infidelibus in suis ritibus, precibus, adorationibus, concionibus, & cæremoniis : hoc enim esset ; falsam sectam profiteri, ac cultum superstitiosum illi exhibere. quod extra controversiam est intrinsecè malum. Sic Sanchez, Pesantius, Malderus, Coninch, Filliuccius, Valentia, Azorius, Suarez, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Fide disputat.* 1. *punct.* 17. *numer.* 11. *&* 12. & Bonacina *in Decal. disputat. 3. quæst.* 2. *punct.* 3. *numer.* 21.

Sed dubitabis hìc : an si Princeps hæreticus præci- 20
peret ingressum in Templa hæreticorum, ibique conciones audire sub pœna mortis, ac proscriptionis bonorum, & quidem in veræ fidei contemptum, & odium, ac in professionem hæresis ; posset Catholicus ad se occultandum Templum illud ingredi, & conciones audire ex aliis justis causis? Resp. si Princeps id jusserit pro suis hæreticis tantùm, recurrit doctrina superiùs tradita. Si verò indiscriminatim, ac generaliter pro omnibus inhabitantibus suum Regnum, ut evenit in Anglia, & in aliis regionibus hæresi infectis ; illicitum omnino erit Catholico id efficere, non obstante quocumque metu mortis, aut bonorum proscriptione ; esset namque assistentia illa protestatio, & confessio hæresis, & falsæ Religionis. Nec juvat dicere, Principem illum præcipere cultum politicum, & merè civilem, adeoque velle à commorantibus civilem illam obedientiam, non verò à Religione Catholica apostasiam. Contra enim est, quia licèt verbis id diceret, factis tamen religiosum cultum præciperet ; ut patet ex verbis edicti Regii, ubi dicitur : Modestè etiam atque sobriè dum preces persolvuntur, se gerere, & usque ad finem dictarum precum, & concionum ibi manere teneantur. Ecce tibi cultum religiosum, & non merè politicum, & civilem. Adde, quòd negari nequit per talem assistentiam contemni veram religionem, cujus commune bonum præferendum est cuilibet privato bono ; communicari insuper cum hæreticis in rebus Sacris, quod prohibetur à D. Paulo 2. *ad Timoth.* 2. *&* 2. *ad Corinth.* 6. augeri quoque ex plurium concursu honorem falsæ religionis ; scandalizari denique Catholicos ; & magis confirmari in suo errore hæreticos ; ac magnum periculum subiri à Catholicis assistentibus amittendi fidem. Adeoque meritò Paulus V. motu proprio, ut illicitam ex omni capite

pite prohibuit talem assistentiam : ut docent Sanchez, Azor. Suarez, Filliuccius Coninch, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *loc. cit. numer.* 13. & Bonacina *loc. cit. num.* 22.

21 Colligitur 3. non esse licitum Catholico sumere Eucharistiam è manibus Ministri hæretici ; nec matrimonium celebrare coram illo, etsi priùs illud ritu catholico coram ministro catholico celebraverit : esset enim ministrum hæreticum agnoscere, ut veræ fidei ministrum, ac cęremonias falsæ religionis honorare. Secus tamen esset, si contrahendum matrimonium esset ritu Catholico coram magistratu hæretico, politicè, & civiliter assistente, ut certior fieret de contractu matrimoniali ineundo. Non erit tamen illicitum Catholicis assistere Matrimoniis hæreticorum, eorumque convivііs nuptialibus, non animo interveniendi contractui illicito, ut planè est matrimonium hæreticorum ; sed convivio nuptiali, quod ex se illicitum non est, quamvis fundetur in contractu illicito. Sic ex Maldero, & Coninch docet Castropalaus *de Fide disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 14. *&* 15.

22 Colligitur 4. Quando Christianus Sacerdos interrogatur ab infideli, num Sacerdos sit ? & denegat se esse Sacerdotem, quamvis illicitè operetur mentiendo, non peccat tamen contra fidem eam denegando : ratio est, quia etiam sine Sacerdotio, quis fidelis esse potest, ut omnes Christiani laici sunt ; nec nomen Sacerdotis usurpatur ad fidelem Christianum significandum. Secus esset, si interrogaretur, num Papista sit, & denegaret : tunc peccaret contra præceptum negativum fidei : cum hoc nomen Papista passim usurpetur ad Christianum catholicum significandum ; & sicuti qui denegaret, se christianum esse ; graviter peccaret contra præceptum negativum fidei ; sic etiam qui denegaret, se esse Papistam. Sic Sanchez, Valentia, Azor. Becanus, & alii quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 25.

29 Colligitur denique, non esse illicitum fideli ad se occultandum ex justa causa, *non* deferre signum præscriptum à Principe infideli in suis Regnis fidelibus illic commorantibus in testimonium fidei Catholicæ, quam profitentur : ratio est, quia non esset denegatio fidei omissio signi illius, sed occultatio tantùm ex justa causa ; sicuti monachus vestem monachalem omittens ad se occultandum ex justa causa ; non dicitur professionem Monachalem denegare, sed se occultare velle. Maximè quia non teneretur signum illud deferre, nec ex præcepto affirmativo fidei, cum non sit omissio signi illius contra Charitatem Dei, aut proximi ; nec ex præcepto negativo fidei, quod solùm obligat ad non assumendum signum protestativum falsæ religionis, non verò ad assumendum signum protestativum veræ fidei ; adeoque solum dici posset in tali casu, quòd non profiteretur extrinsecè fidem, non verò quòd eam extrinsecè denegaret ; nec denique ex præcepto Principis infidelis, cum non sit Lex justa, utpote lata in odium fidei, & contra salutem æternam : nec Princeps infidelis facultatem habet constituendi, & assumendi signum aliquod, quod ex se sit protestativum veræ fidei. Sic contra Cajetanum, Navarrum, & alios docent Bannez, Aragonius, Valentia, Suarez, Coninch, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fde disp.* 1. *punct.* 18. *num.* 2.

CAPUT IV.

De obligatione faciendi Professionem Fidei.

1 *Enumerantur illi ; qui ex Tridentino, & aliis Constitutionibus Pontificum teneantur Professionem Fidei facere :*
2 *Hæc obligatio adstringit sub gravi.*
3 *Qui obligatur ad professionem fidei faciendam intra bimestre, eo elapso non eximitur, sed tenetur quàm primum.*
4 *Tenetur ad illam Commendatarius cum facultate disponendi de fructibus ; non verò Commendatarius sine tali facultate.*
5 *Resolvuntur nonnulla dubia spectantia ad Canonicos Cathedralium.*
6 *Prælati Regularium cujuscumque Ordinis tenentur ad illam faciendam ; nisi extet Consuetudo in contrarium.*
7 *Idem dicendum de docentibus Artes liberales.*
8 *Canonici, & Dignitates Cathedralium tenentur etiam eam facere in Capitulo.*
9 *Si fecerint in Capitulo præsente Episcopo, aut ejus Vicario Generali, non tenentur postea eam facere coram solo Episcopo, aut ejus Vicario.*
10 *An Parochus, aut Canonicus dum novum beneficium, aut Canonicatum acquirit, teneatur denuò eam facere ?*
11 *An si eam fecerint intra bimestre occasione Doctoratus, aut Synodi ; teneantur denuo eam facere ?*
12 *An fieri possit per Procuratorem ?*
13 *An ex mandato Episcopi etiam non impediti, fieri possit coram Vicario Generali ?*
14 *An Sede Vacante facienda sit coram Capitulo, an ejus Vicario Generali ?*
15 *Quomodo intelligendæ pœnæ statutæ à Tridentino contra non facientes illam intra bimestre ?*
16 *An omittens Professionem fidei teneatur fructus perceptos restituere ante Sententiam declaratoriam Judicis ?*
17 *An credendum sit affirmanti, se fecisse professionem Fidei ?*

ULTRA enumeratos Casus, in quibus obligantur fideles ex præcepto positivo fidei ad profitendum, & confitendum exterius fidem, quam interius profitentur ; obligantur etiam aliqui fideles ex præcepto Ecclesiastico ad illam profitendam exteriùs juxta formulam præscriptam in aliquibus circumstantiis, quæ quidem obligationes partim sunt ex Statutis Tridentini, partim ex Specialibus Constitutionibus Summorum Pontificum. Ut autem clariùs innotescant, exponuntur. Tridentinum igitur *sess.* 24. *capit.* 12. *de Reform.* habet : Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solùm coram Episcopo, seu ejus Officiali ; sed etiam in Capitulo idem facere teneantur : alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Idem Sacrosanctum Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 2. *de Reform.* habet. Imposterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi, in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint ; prædictam fidei professionem faciant. Cæteri verò omnes, qui beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo diœcesana convenire debeant ; idem, ut supra, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur ; faciant, & observent ; aliàs secundum formam Sacrorum Canonum puniantur. Ex Constitutione tamen Gregorii XIV. quæ incipit : *Onus Apostolicæ servitutis* ; tenentur Episcopi adepto Episcopatu professionem fidei facere sub forma in Pontificali Romano præscripta. Sic Barbosa *3. par. alleg.* 65. *nu.* 4. Extendit Pius IV. prædictum Tridentini Decretum in sua Constitutione, quæ incipit, *Injunctum nobis, data Idibus Novemb.* 1564. ad quoscumque Prælatos locorum Religiosorum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, sive sint etiam Ordinis militaris. Denique S. Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit, *In Sacrosancta*, quam refert Rodriquez *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 22. *artic.* 2. obligat ad hanc fidei professionem faciendam sub certa forma, quæ reperitur in Praxi Episcopali *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 25., & apud Quarantam *verb. Fidei Professio* ; omnes Doctores, Magistros, Regentes, & alios quoscumque, ac cujuscumque Artis, & facultatis Professores, sive Clerici sint, sive Laici, vel cujuscumque Ordinis Regularis, qui docere, vel promoveri voluerint. Explicavit Sacra Congregatio, hanc Constitutionem etiam comprehendere docentes prima principia Gramaticæ, Arithmeticæ, Musicæ & aliarum Artium, etiamsi non in publicis Scholis, sed in privatis Domibus doceant. Additur pœna Excommunicationis ipso jure, & privatio beneficiorum omnium, Dignitatum, Officiorum, & feudorum Ecclesiasticorum, & habilitatis ad illa, & ad alia imposterum obtinenda contra promoventes, qui id neglexerint ; & contra promotos nullitatem

promotionis ; Sic explicatis resolvenda remanent nonnulla dubia, quæ insurgere possunt in hac materia, statutis prius certis.

2 Et 1. certum est, hanc obligationem faciendi professionem fidei adstringere sub gravi peccato : ratio manifesta est, quia est materia gravis, ac ad finem graviſſimum exaltandi fidem, & extirpandi errores ordinata, & sub gravibus præceptis imposita, & pœnis; quæ omnia satis ostendunt, adstringere sub gravi obligatione, nisi in aliquibus aliter ex consuetudine receptum fuerit, ut mihi videtur receptum esse in docentibus Musicam, Arithmeticam, legere, & scribere, & infima rudimenta Gramaticæ pueros in domibus privatorum, Sic Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæstion.* 22. *artic.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. capit.* 5. *numer.* 1. *in fine*, Bonacina *in Decalog. disputat.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 3. *numer.* 14. & 15., & Castropalaus *de Fde disp.* 1. *punct.* 19. *num.* 2.

3 2. Certum est, quòd si professio fidei non fuerit facta intra bimestre à die adeptæ possessionis, obligatus ad illam teneatur quamprimum eam facere : ratio est, quia bimestre non est terminus ad finiendam obligationem designatus, itaut eo transacto non urgeat ampliùs obligatio faciendi professionem fidei, sed est terminus assignatus ad solicitandam obligationem, per bimestre siquidem assignatum non extinguitur, sed aggravatur obligatio. Sic colligitur *ex Cap. Cum dilectus, de Dol. & Contum.*, & *ex Leg. Celsus, ff. de Recept. arbitr.*, & sic docent Abbas, Navarrus, Garzia, Sanchez, Azor. Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp.* 1. *punct.* 19. *num.* 2.

4 3 Certum est adstringi ac obligatione Beneficiarios curam animarum habentes. Sed dubitabis 1. de Commendatariis, quibus datur facultas disponendi de fructibus aliquarum Ecclesiarum ; an adstringantur obligatione faciendi hanc fidei professionem ? Resp. affirmativè : ratio est, quia revera beneficiarii sunt, ac titulum habent adnexum curæ animarum ; adeoque revera sub nomine beneficiarii comprehenduntur. Sic Garzia *de Benefic. 3. part. capit. 3. à numer.* 20. Barbosa *de Potest. Episcop. 3. part. allegat.* 65. *numer.* 12. & Castropalaus *de Fide disputat.* 1. *punct.* 19. *numer.* 3. Dubitabis 2. de illis, quibus Episcopus Ecclesiarum curam commendat, absque eo quod tamen de beneficio provideat? an inquam teneantur ad hanc fidei professionem ? Resp. negativè : ratio est, quia revera non sunt provisi de beneficio, adeoque comprehendi nequibunt sub nomine beneficiariorum provisorum de beneficiis curam animarum habentibus ; de quibus Tridentinum loquitur. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decalog. capit.* 5. *nu.* 1. Castropalaus *loc. cit.*, & Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. §. 1. *num.* 9.

5 4. Certum est, adstringi Canonicos, & dignitates Ecclesiarum Cathedralium. Sed dubitabis 1. an sub eadem obligatione comprehendantur Canonici Cathedralis, qui tamen exempti sint ab Episcopo ? Resp. affirmativè : ratio est, quia sunt absolutè Canonici Cathedralis, sub quibus terminis loquitur Tridentinum ; nec exemptio ab Episcopo facit, quin sint Canonici Cathedralis. Sic Felinus, Ledesma, Navarrus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 2 *in Decalog. capit.* 5. *numer.* 2. Garzia *de Benefic. 3. part. capit. 3. numer.* 21. testans, sic censuisse Sacram Congregationem, & Barbosa alios referens *3. part. de Potestat. Episcop. alleg.* 61. *numer.* 5. Dubitabis 2. de Canonicis Regularibus Cathedralium an subjaceant eidem obligationi ? Resp. affirmativè : ratio est, quia revera sunt provisi de Canonicatu in Cathedrali ; nec esse Regulares facit, quin revera sint Canonici Cathedralis, de quibus loquitur Tridentinum. Sic relatis Garzia, & Barbosa docet Castropalaus *de Fide disput.* 1. *punct.* 19. *numer.* 4. Dubitabis 3. de Coadjutoribus Canonicorum, & Dignitatum Cathedralis? Resp. negativè : quia vivente Proprietario non sunt provisi de Canonicatu, sed providendi ; nec possessionem habent de illo, sed sperant; nec Coadjutoria est Canonicatus. Idem dicendum de provisis in beneficiis simplicibus, Cappellaniis, aut aliis portionibus in ipsamet Cathedrali : quia nec Canonici, aut Dignitates dicuntur, & sunt Cathedralis ; nec beneficium habent cum cura animarum ; nec de illis ulla mentio fit à Tridentino. Sic Sanchez, Garzia, Barbosa, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disput. 3. quæst. 2. punct. 4. §. 1. n. 9.* Dubitabis denique de Canonicis, & Dignitatibus Collegiatarum. Sed etiam eos præcitati Doctores cum Castropalao *loc. cit.* eximunt à tali obligatione ; quia non spectant ad Cathedralem.

6 De Prælatis Regularibus, cujuscumque Ordinis sint, etiam Militaris; non dubitatur, quin comprehendantur sub hac obligatione faciendi professionem fidei intra bimestre à die inceptæ possessionis, non ex vi quidem Decreti Tridentini, ubi nulla ipsorum mentio fit, nisi Parochiale beneficium habuerint, aut Canonicatum, vel Dignitatem aliquam in Ecclesia Cathedrali ; sed ex vi motus proprii Pii IV. *Injunctum nobis*, & relatum à Quaranta *verb. Fidei Professio*, extendentis Decretum Tridentini ad illos, ut rectè asserunt Sanchez, Sayrus, Filliucius, Rodriquez, Ugolinus, Sà, & Barbosa, quos refert, & sequitur Bonacina *in Dec, disp. 3 qu. 2, pun. 4. §. 1. n. 10.* Nihilominus ubi extat consuetudo in contrarium non faciendi illam, ut de pluribus Religiosis Ordinibus testantur Doctores ; non obligabit supracitatus motus proprius ad illam. Et sic declarasse Sacram Congregationem, & multos Viros doctos consultos, testatur Sorbus super Privilegia Mendicantium *verb. Professio. notab.* 1. Naldus *verb. Fidei Professio. num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 5. *num.* 3. Bonacina *loc, cit.*, & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *punct.* 19. *num.* 5.

7 Idem dicendum de docentibus Artes liberales, qui tenentur *ex motu proprio* Pii V. In Sacrosancta, ad professionem fidei faciendam additis pœnis excommunicationis, &c. quomodocumque eas doceant. Ubi enim extat consuetudo in contrarium, non obligabuntur ad illam ; per eam siquidem contrariam consuetudinem vel obolitus fuit motus proprius, vel usu non receptus. Ubi tamen viget, sanctè retinendus erit, ut bene advertit Bonacina citatus *punct. 3. numer.* 14. qui addit *numer.* 5. ex Sorbo, Catechesi Neapolitana, & Sanchez, excommunicationem non fuisse reservatam à Sancto Pontifice, adeoque absolvi posse ab Episcopo.

8 Quæres 1. An Canonici, & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis si semel fecerint fidei professionem coram Episcopo, aut ejus Vicario Generali ; teneantur eam facere etiam coram Capitulo ? Resp. affirmativè, sic enim expressè loquitur Tridentinum *sess.* 25. *capit.* 2. *de Reformat.* ait namque : Non solùm coram Episcopo, seu ejus Officiali ; sed etiam in Capitulo idem facere teneantur : alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec possessio suffragetur. Dummodo tamen eam non omiserint ex ignorantia, aut ex alia justa causa ; in quo casu cum culpa non extiterit ; neque incurri debet pœna non faciendi fructus suos. Hæc limitatio valet pro foro interno, nam pro externo non valet allegatio ignorantiæ, cum sit ignorantia juris nimis manifesti, & clari : ut docent Sanchez, Rodriquez, Navarrus ; Barbosa, Sayrus, Azor. Garzias, relati à Bonacina *Disput. 3. quæst. 2. punct. 4. §. 1. num.* 2.

9 Quæres 2. an si Canonicus, vel Dignitas Ecclesiæ Cathedralis professionem fidei fecerit in Capitulo præsente Episcopo aut ejus Vicario Generali ; teneatur iterum eam facere coram solo Episcopo, aut ejus Officiali ? Resp. negativè : quia verificatur Mandatum Tridentini, quòd videlicet sic provisus professionem fidei faciat coram Episcopo, aut ejus Officiali, & coram Capitulo. Sic Garzia *3. part. de Benefic. capit. 3. numer.* 24. Barbosa, *de Potestat. Episcop. 3. part. allegat.* 61. *numer.* 17. adducens confirmationem Sacræ Congregationis, & Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. §. 1. num.* 7.

10 Quæres 3. an Beneficiatus Curatus, aut Canonicus vel Dignitas si professionem fidei fecerit ; teneatur eam de novo facere, dum novum beneficium curatum, Canonicatum, aut Dignitatem acquirit? Resp. affirmativè : ratio est, quia Concilium Tridentinum absolutè loquitur de Provisis Beneficio Curato, Canonicatu, vel Dignitate Cathedralis, adeoque non restringi debent ejus verba ad semel provisos, cum nullum habeatur motivum faciendi hanc restrictionem. Hinc est, quòd si aliud beneficium Curatum, aut Canonicatum, vel Dignitatem in Cathedrali habuerint ; teneantur denuo ad professionem fidei faciendam, ac si numquam provisi fuissent. Sic Azor. Garzia, Ugolinus, Barbosa, Naldus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct.* 4. §. 1. *num.* 8., & Castropalaus *de Fide disp.* 1. *punct.* 19. *num.* 7.

Quæ-

11 Quæres 4. an si Beneficiarius Curatus, vel Canonicus, aut Dignitas Cathedralis intra bimestre, professionem fidei fecerit occasione Doctoratus, vel Laureæ accipiendæ, aut ratione Synodi, vel alterius tituli; eam denuo teneatur facere? Resp. negativè contra Barbosam *de Potest. Episcop. 3. par. alleg. 61. num. 9.* & alios: ratio est, quia cum diversæ obligationes adstringunt ad eamdem rem pro eodem tempore faciendam, bene illis satisfit per unicum actum; ergo cum prædictæ obligationes respiciant eumdem finem professionis fidei, & idem tempus; bene illis satisfit per unicam fidei professionem: maximè quia non potest assignari, cui nam potiùs obligationi profitens satisfaciat, quàm alteri, & aliunde alicui satisfacere debet per professionem illam. Sic Navarrus, Rodriquez, Sanchez, penes Castropalaum *de Fide disp. 1. pun. 19. num. 8.*, & Bonacinam *in Decal. disp. 3. qu. 2. punct. 4. §. 1. num. 6.*

12 Quæres 5. an obligatus ad professionem fidei faciendam debeat eam personaliter facere; an verò absens, aut impeditus possit eam per Procuratorem facere? Resp. quamvis convenientia, & congruentia exposcat personaliter fieri; nihilominus si necessitas id exposcet, poterit utique per Procuratorem ad eam faciendam designatum fieri cum satisfactione obligationis: ratio est, quia regulariter ea, quæ quis per se facere potest; poterit etiam per alium, nisi à Lege prohibeatur, ut patet *ex Lege ff. de Procur., & ex Cap. Qui per alium, & Cap. Potest quis, de Regul. Jur. in 6.* sed nulla Lex prohibet fieri per alium professionem fidei; ergo poterit per Procuratorem fieri. Neque obstat, quòd fidei professio sit actio personalis, & quòd sit actus indicativus interioris consensus, & per ipsum intendat Ecclesia magis roborare in fide profitentem. Nam licèt sit actus personalis, fieri tamen poterit per Procuratorem, cum etiam juramentum, & contractus matrimonii sint actus personales, & indicativi interioris consensus, & tamen per Procuratorem fieri possunt ex communi, & receptissima sententia. Roborari etiam poterit in fide per mandatum factum suo Procuratori profitendi apertè fidem nomine suo. Sic contra Ugolinum, Garziam, Stephanum Gratianum, Filliuccium, & alios docent Navarrus, Azor. Sanchez, Barbosa, quos referunt, & sequuntur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. §. 1. num. 4. in medio*, & Castropalaus *de Fide disput. 1. punct. 19. num. 10.*

13 Quæres 6. An professio fidei, quæ fieri debet coram Episcopo, vel eo impedito coram ejus Vicario Generali; possit de mandato Episcopi, etiamsi impeditus non sit, fieri coram Vicario Generali? Resp. affirmativè: ratio est, quia professionem fieri coram Episcopo non est ex necessitate, sed ex congruentia, & etiam si concedatur esse ex præcepto: nihilominus sicut potest Episcopus non impeditus committere suas vices, ac mandare suo Vicario Generali, ut beneficia conferat; sic etiam poterit eidem demandare, ut professionem fidei recipiat occasione beneficii faciendam. Sic Garzia *de Benefic. 3. part. capit. 3. num. 23.* Barbosa *3. par. de Potestat. Episcop. allegat. 61. numer. 16.* Bonacina *in Decalog. disputat. 3. quæst. 2. §. 2. numer. 1.*, & Castropalaus *de Fide disput. 1. punct. 19. num. 9.*

14 Quæres 7. an Sede Episcopali Vacante facienda sit professio Fdei coram Capitulo, an coram Vicario Capituli? Resp. quamvis Capitulum Sede Vacante succedat Episcopo, nihilominus Jurisdictio Capituli administratur per Vicarium ipsius; adeoque congruentius videtur, tunc professionem fidei faciendam esse coram Vicario Capituli, quàm coram Capitulo: cum magis Vicarius repræsentet Episcopum, quàm ipsum Capitulum. Sic Garzia *3. part. de Benefic. capit. 3. numer. 27.* Barbosa *3. part. de Potestat. Episcop. alleg. 61. numer. 18.* Bonacina *in Decalog. disp. 3. quæst. 2. §. 2. numer. 2.*, & Castropalaus *de Fide disput. 1. punct. 19. numer. 9.* Adnotandum tamen ex citato Bonacina, quòd Canonicus professionem fidei faciens coram Vicario Capituli Vacante Sede teneatur etiam eam facere in Capitulo: eo quia facta coram Vicario supplet tantùm vicem faciendæ coram Episcopo. Sicuti etiam Canonicus, qui nondum fecit professionem fidei coram Episcopo, vel ejus Vicario, licèt eam fecerit coram Capitulo; tenetur etiam eam facere coram Vicario Capituli Sede Vacante: eo quia tunc Capitulum non supplebat Vices Episcopi, quo coram etiam faciendæ erat professio. Quamvis si eam fecerit coram Capitulo Vacante Sede non teneatur eam facere coram Vicario Capituli, cum revera etiam Capitulum repræsentet Episcopum, ac illi succedat in jurisdictione, esto illam administret per suum Vicarium.

15 Quæres 8. quomodo intelligendæ sint pœnæ statutæ à Tridentino non facientibus intra bimestre à die adeptæ possessionis professionem fidei? Resp. 1. primam pœnam non faciendi fructus suos intelligendam esse post bimestre à die adeptæ possessionis, vel ab eo tempore, quo eam culpabiliter omisit: nam si post bimestre eam inculpabiliter omiserit, non incurrit eam, nemo enim sine culpa pœnam incurrere potest. Bimestre autem enumerandum est à die possessionis adeptæ, quapropter si ante possessionem accipiendam culpa sua moretur Beneficiarius eam accipere, nec peccat, nec incurrit pœnas ob non factam professionem: pœna siquidem à Tridentino statuta respicit bimestre à die adeptæ possessionis, quandocumque, & quomodocumque accipiatur. Quamvis transacto bimestre si professionem culpabiliter omittat, etiam si postea eam faciat, pro toto eo tempore intercurrente à fine bimestris ad factam professionem non facit fructus suos: nam professio facta licèt habilitet ad futurum, non habilitat tamen ad præteritum jam deperditum. Sic *ex Cap. Quam periculosum. 7. quæst. 1., & ex Leg. Qui res. §. arcam. ff. de Solution.* colligunt Sanchez plures referens *lib. 2. Decalog. capit. 5. numer. 5.* Barbosa *de Potestat. Episcop. allegat. 61. numer. 23.* Garzia *de Benef. 3. par. cap. 3. n. 31.* Castropalaus *de Fide disput. 1. punct. 19. numer. 14.*, & Bonacina *in Decal. disputat. 3. quæst. 2. punct. 4. §. 3. numer. 1.* Nomine autem fructuum non veniunt distributiones quotidianæ, si beneficium ultra fructus distributiones habeat: eo quia Tridentinum solùm loquitur de fructibus, non verò de distributionibus, non verò de distributionibus, & pœnæ potiùs restringendæ, quàm dilatandæ: nec sunt fructus Canonicatus, sed Ministerii Personalis, esto solis Canonicis dari consueverint. Secus tamen dicendum, si Canonicatus, & beneficium nullos alios fructus haberet, nisi ipsas distributiones, quia tunc revera essent fructus illius. Hæc tamen intelligenda sunt, dummodo primam residentiam fecerit in Capitulo, nam si eam non fecerit, nec fructus, nec distributiones acquirere poterit; non enim reputare potest Capitulum præsentem illum, qui numquam interfuit. Sic Azor. Stephanus Gratianus, Sanchez, Gonzalez, Garzia, Barbosa, Moneta, Naldus, Riccius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *loc. cit. numer. 14. & 18.*, & Bonacina *loc. cit. num. 2.*

Resp. 2. secundam pœnam, quòd ei non suffragetur possessio, intelligendam esse circa perceptionem fructuum; non enim ob possessionem acceptam potest fructus illos suos facere non obstante pœna adjecta à Tridentino. Cæterum non redditur nulla ipsa possessio, & titulus beneficii, & Canonicatus: nec amittit vocem in Capitulo, aut jus præcedendi, & si quæ alia sunt distincta à perceptione fructuum. Sic Barbosa *in Declar. Concil. Trident. sess. 24. capitul. 12. numer. 7.* testans, ita declarasse Sacram Congregationem, Adnotandum tamen, omittentem professionem fidei numquam facere fructus suos, etiam si eos bona fide per triennium, aut decennium possederit: ratio est, quia si possessio impedita est à Tridentino ad suffragandum quoad perceptionem fructuum, neque per triennium, neque per decennium præscribere potest, cum non detur præscriptio sine possessione. Sic declarasse Sacram Congregationem testatur Flaminius *lib. 8 de Resignat. qu 9. nu. 122.* Garzia, Sanchez, & Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. citat. n. 15.*

Quæres 9. an omittens professionem fidei teneatur ante sententiam declaratoriam Judicis restituere fructus perceptos, & cui? Resp. 1. quamvis satis probabiliter doceant Azor. Garzia, Petrus de Ledesma, Ugolinus, & alii; teneri ad illam, aliàs possessio contra mentem Concilii faveret omittenti; ac jus, & dominium illorum haberet ante Judicis sententiam; adeoque faceret fructus suos. Nihilominus valde probabilis est etiam sententia docens, non teneri; ratio est, quia decretum Concilii Tridentini cum sit pœnale, strictè interpretandum erit, quod videlicet non faciat fructus suos omittens professionem fidei, nec ei possessio suffragetur

post sententiam declaratoriam Judicis, non verò ante illam: maximè quia si Tridentinum voluisset obligare ad restitutionem ante sententiam, id declarasset, ut de facto declaravit *sess. 23. cap.* 1. contra non residentes in propria Ecclesia; ergo signum evidens est, voluisse mitiùs procedere contra non facientes professionem, quàm contra non residentes. Ex quo apparet, non esse contra mentem Tridentini, nisi accedat sententia declaratoria Judicis, & tunc nec fructus suos faciet, nec ei suffragabitur possessio. Sic Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 5. num.* 10. Molina *tom. 1. disput. 96. versic. Quod dictum est*, Rodriquez *tom. 2. quæst. Regul. quæst. 22. art. 3.* Barbosa *3. part. de Potest. Episcop. alleg. 61. numer. 28.* Navarrus *consil. 12. num. 1. de Jurejuran.* Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. §. 3. numer. 3.*, & Castropalaus *de Fide disp. 1. punct. 19. numer. 16.* Conveniunt tamen Doctores, ut adnotat Castropalaus *loc. cit. num. 17.* quòd etiam si teneretur omittens ad restitutionem ante Judicis sententiam, hoc intelligendum esset, si cum culpa illam omisisset; nam si sine culpa omitteret, vel ignarus decreti, aut immemor illius; non teneretur in conscientia ad illam; cum nemo teneatur ad pœnam, si culpa non præcesserit. Hinc etiam fit: quòd si culpa Procuratoris, non verò dantis mandatum, omissa fuerit professio fidei; non teneatur mandans ad illam; cum militet eadem ratio, nec culpa est Mandantis, sed Procuratoris, Sic Castropalaus *loc. citat.* ex Sanchez, & Azorio.

Resp. 2. cum Sacrosanctum Concilium Tridentinum non determinet, cui nam facienda sit restitutio horum fructuum; inde est, quòd vel pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, aut ipsi Capitulo facienda sit juxta consuetudinem loci. Non potest tamen obligatus ad restitutionem se componere, cum Capitulo, soluta ei aliqua parte; aut condonationem exposcere ab Episcopo: eo quia cum sint Leges pœnales Superioris, nequibunt in illis dispensare Inferiores. Sic Azor. Sanchez, Barbosa, Garzia, quos referunt, & sequuntur Bonacina *in Decal. disp. 3. qu. 2. punct. 4. §. 3. num. 4.*, & Castropalaus *de Fide disp. 1. punct. 19. num. 19.*

17 Quæres tandem: an credendum sit affirmanti, se feciisse professionem fidei? Resp. si provisio obligans ad professionem fidei de recenti facta fuerit; non erit credendus affirmans, nisi eam probet: ratio est, quia cum sit factum; præsumendum non erit, nisi probetur: maximè quia facile sit eam probare pro tempore recenti. Si tamen elapsum jam sit decennium à provisione facta, puto satis probabile, adhibendam esse fidem asserenti illam: quia ut plurimum sic obligati ad professionem fidei sunt viri fidedigni, nec præsumendum mendacium in ipsis, & post decennium non semper est facilis probatio: ut rectè docent Parisius *de Regin. lib. 3. quæst. 6. nu. 74.* Riccius *in Prax. decis. 681. n. 4.* Barbosa *de Potest. Episc. 3. par. alleg. 61. n. 21.* Bonacina *loc. cit. in fine*, & Castropalaus *l. c. n. 12*

CAPUT V.

De Infidelitate.

1 *Quid sit Infidelitas, & quomodo committatur hoc peccatum?*
2 *Enumerantur tres Species Infidelitatis, & explicantur.*
3 *An Paganismus, Judaismus, & Heresis comprehendant omnes Species Infidelitatis?*
4 *An differant essentialiter inter se, an verò accidentaliter?*
5 *An denegatio Fidei per Paganismum, Judaismum, hæresim, aut Apostasiam sit circumstantia aperienda in confessione?*
6 *Quænam ex prædictis Speciebus Infidelitatis sit gravior?*
7 *An infidelis possit habere ignorantiam invincibilem omnium eorum, quæ vera fides proponit credenda?*
8 *An omnia opera infidelis, & hæretici sint peccata?*
9 *An licitum sit Catholico cum infideli, vel hæretico de rebus fidei disputare?*
10 *An infidelis compelli possit ad res fidei audiendas?*
11 *An infideles compelli possint ad fidem recipiendam?*
12 *An infideles cogi possint ad suos errores, & falsam religionem deponendam?*
13 *An infideles sint privati, aut privari possint suo Dominio circa fideles?*

EGIMUS de Fide, nunc de Infidelitate opposita Fidei pertractare debemus. Infidelitas est peccatum ex natura sua excludens fidem supernaturalem, est enim ei contraria. Dupliciter autem peccatum hoc infidelitatis committi potest. 1. non præbendo auditum veritati fidei catholicæ, quando se agnoscit obligatum ad præbendum; quod quidem peccatum est Omissionis. 2. si veritati fidei sufficienter propositæ non præbeatur assensus; immò efficiatur actus contrarius, & hic erit peccatum Commissionis. Utrumque ex his peccatis ex genere suo gravissimum est, cum excludat medium adeo necessarium ad salutem, quod quilibet suscipere tenetur; ideoque Christus Dominus *Joann. 3. dixit: Qui non credit, jam judicatus est.* 1

Infidelitatis Species tres communiter enumerantur cum Div. Thoma 2. 2. *quæst. 10. art. 5.* quem passim sequuntur Theologi omnes. 1. est Paganismus, & Pagani dicuntur omnes illi, qui nullius Mysterii revelati fidem habent; aut qui integrè à fide christiana recedunt. 2. est Judaismus, & Judæi dicuntur, qui veteri Testamento credunt, non verò Novo; aut qui recedunt à veritate, quam figuræ ab ipsi creditæ denotabant. 3. est Hæresis, & Hæretici dicuntur, qui alicui veritati, sive ex Novo, sive ex veteri Testamento fidem denegant; aut qui fidem profitentur, sed aliquem ejus articulum, aut aliquos non credunt. 2

Petes 1. An Species istæ infidelitatis comprehendant omnes infidelitatis Species? Resp. affirmativè: ratio est, quia peccari nequit peccato infidelitatis, & peccatum illud non comprehendatur sub enumeratis speciebus; ergo comprehendunt omnes infidelitatis species: antecedens probatur; peccatum infidelitatis, seu denegationis fidei, vel est negando utrumque Testamentum, & ex toto corde recedit à fide, adeoque Paganismus committitur; vel est negando novum, & admittendo vetus Testamentum, & Judaismus habetur; vel denique si admittantur vetus, & novum, non tamen integrè admittantur, sed aliquid eorum denegetur, & evenit hæresis: breviùs, si ex toto denegatur fides, denegans est Paganus: si ex parte & non credit Christi adventum, Judæus; si ex parte & credit Christi adventum, hæreticus; nec ulla alia species infidelitatis excogitabilis est, quæ non comprehendatur sub istis; ergo species enumeratæ infidelitatis comprehendunt omnes alias. Et meliùs patebit explicando illas. Turcismus siquidem sub Paganismo comprehenditur, quamvis nonnulla admittat de veteri Testamento, & de Novo; quia tamen Turcæ non admittunt Christum Redemptorem, nec credunt illa ut à Christo revelata, sed ut dicta à Mahomete; ideo absolutè Pagani censendi erunt. Qui verò admittunt novum Testamentum, & vetus denegant; dicendi erunt absolutè hæretici: eo quia una ex veritatibus novi Testamenti est, vetus fuisse à Deo revelatum. Qui in Lege Naturæ, & Lege veteri non credidisset omnia à Deo revelata, sed aliqua denegasset; fuisset quidem hæreticus per ordinem ad Deum revelantem, non verò per ordinem ad Christum Dominum; Judæus namque deficiens à fide, quam profitebatur; revera fuisset hæreticus, sicuti qui deficit à fide Christi, quam profitetur. Atheismus comprehenditur in Paganismo, quamvis distinguatur ab ipso secundum majus, & minus; Paganismus siquidem unum Deum admittit, quem Atheismus denegat; sicuti una hæresis plures articulos denegat, altera verò pauciores: Paganismus namque consistit in eo, quòd deneget Christum Dominum sive in se, sive in figuris, quod de Atheismo verificatur. Apostasia denique, de qua major recurrit difficultas, cum consistat formaliter in deserendo fidem jam susceptam; inde est, quòd eam videatur contrahere speciem, ad quam accedit; est etenim veluti genus, quod petit contrahi vel à Paganismo, aut à Judaismo, vel hæresi; adeoque si fidem am susceptam cum animo permanendi in ea quis desejrit, & accedit ad Paganismum, Paganus erit; si verò ad Judaismum, erit Judæus; si denique ad hæresim, erit hæreticus, cum etiam hæresis sit apostasia à fide Christi, & propriè talis; nam purè, & præcisè fidem deserere non est Species, sed genus infidelitatis contrahendum à suis speciebus. Adeoque recte concluditur, divisionem factam Infidelitatis in tres species 3

enu-

enumeratas esse adæquatam; & omnes alias infidelitates comprehendi sub illis: ut rectè docent Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5., & Theologi ferè omnes.

4 Petes 2. An Species infidelitatis prædictæ, Paganismus scilicet, Judaismus, Hæresis differant essentialiter inter se; an verò accidentaliter tantùm, & secundum magis, & minus? Resp. probabilius esse, quòd accidentaliter tantùm distinguantur, non verò essentialiter: ratio est, quia diversitas specifica essentialis in peccatis desumitur ex oppositione ad diversas virtutes; sed tres Species enumeratæ habent eamdem oppositionem cum eadem Virtute, omnes siquidem opponuntur eidem Virtuti Fdei, & solùm differunt in negandis pluribus, aut paucioribus veritatibus ejusdem; nam Paganismus negat Veritates omnium Mysteriorum, quæ in Fide Christiana proponuntur; Judaismus negat veritates Legis Evangelicæ; Hæresis aliquas Veritates Novi vel veteris Testamenti; Ergo accidentaliter tantùm, & secundum magis, & minus differunt inter se, non verò essentialiter. Sic Suarez *de Fide disp.* 16. *sect.* 4. *numer.* 8. Coninch *disput.* 18. *dub.* 6. *à num.* 64., & Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 4.

5 Petes 3. an circumstantiæ denegationis fidei per Judaismum, Paganismum, Hæresim aperiendæ sint in confessione? Idem inquiritur de Apostasia, quæ etiam ex Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. est circumstantia Paganismi, Judaismi, vel Hæresis? Resp. quamvis statutum sit, prædictas circumstantias non differre essentialiter inter se, nec mutare Speciem infidelitatis, sed solùm aggravare secundum magis, & minus, & quamvis mea sententia sit, non esse necessariò aperiendas in confessione circumstantias aggravantes Speciem. Nihilominus probabilius puto, necessariò aperiendas esse has circumstantias, ita ut sufficienter quis infidelitatem suam non aperiat in confessione; nisi simul explicet, ad quam deflexerit, Paganismum videlicet, Judaismum, an hæresim: ratio est, tum quia valdè modificant infidelitatis actum, ac immutant judicium confessarii; tum quia virtualiter, & implicitè opponuntur etiam religioni: quælibet enim ex illis falsis Sectis suos habet vanos ritus, & ceremonias, ac cultus sacrilegos. Idem dicendum de Apostasia, de qua potior ratio militat, quòd sit adversus Religionem, cum sit injuria, & irreverentia fidei facta, quæ per baptismum suscepta fuit, Sic Suarez *disp.* 16. *de Fide sect.* 4. *num.* 14. Coninch *de Fide disp.* 18. *dub.* 6. *num.* 64. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 7. *num.* 17. Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 6. Valentia *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 3. *versic. His ita explicatis*. Qui etiam non improbabiliter addit, explicandam etiam esse qualitatem erroris, an Mysterium Sanctissimæ Trinitatis denegaverit, an solùm quòd Divus Paulus non fuerit Hierosolymis, vel quod Athenienfibus non prædicaverit.

6 Petes 4. quænam ex supradictis Speciebus infidelitatis gravior sit? Resp. absolutè graviorem omnibus esse hæresim: ratio est, quia magis voluntarium, & inexcusabile est peccatum hæreticorum, cum majorem Dei, & scripturarum Sacrarum cognitionem habeant. Insuper simulantes amicitiam cum Christo Christum oppugnant, abutentes Sacris verbis, & testimoniis simulata religionis specie ad Christi religionem evertendam; de quibus meritò conqueri potest Divus Petrus *Epist.* 2. *cap.* 2, Meliùs erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reverti ab eo, quod illis traditum est Sancto mandato. Non nego tamen, quòd extensione gravior sit Paganismus, plures siquidem veritates, ac fidei articulos denegat præ judæis, & hæreticis: ut optimè habet Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 6. Banez, & Aragonius ibi, Valentia *disput.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 3. *propè finem*, Suarez *disput.* 16. *de Fide sect.* 4. *numer.* 14., & Coninch *disputat.* 18. *dub.* 6. *à numer.* 70.

7 Petes 5. an infidelis possit habere ignorantiam invincibilem omnium eorum, quæ vera fides proponit credenda? Resp. posse habere in primis ignorantiam invincibilem Mysteriorum supernaturalium Trinitatis, Incarnationis, & similium: ratio est, quia hæc cognosci nequeunt, nisi proponantur, & aliquando deficit, qui proponat. Ex eadem ratione habere poterit ignorantiam invincibilem fidei supernaturalis circa quodlibet Mysterium lumine naturæ notum, circa Deum, ejus Omnipotentiam, Bonitatem, Justitiam quatenus videlicet sunt revelata à Deo: nam hæc esse revelata à Deo objectum est supernaturale; adeoque non cognoscibile viribus naturæ, nisi per Divinam Fidem proponente alio, quo carere potest infidelis. Filius quoque in infantia baptizatus, & postea inter infideles nutritus poterit hac eadem invincibili ignorantia fidei supernaturalis laborare, & sic adultus in plures alios incidere errores, etiam culpabiliter credens plures esse Deos, fornicationem esse licitam, licitum mendacium, & alia naturæ rationali contraria, quæ posita ignorantia invincibili, quòd hæc omnia sint contraria fidei supernaturali, licèt illa efficiat; non committit tamen infidelitatis peccatum formaliter, nec fidem amittit: ratio est, quia juxta Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. Fides ammitti nequit, nisi per peccatum infidelitatis; sed iste talis præbens assensum erroribus illis, non peccat peccato infidelitatis formaliter; quia infidelitas est dissensus à prima veritate revelante, sicuti fides est assensus primæ veritati revelanti; ergo si invincibiliter ignorat, illa omnia revelata fuisse à prima Veritate, & dissentit illis; non peccat peccato infidelitatis formaliter, adeoque nec fidem amittit. Sic Suarez *de Fide disput.* 17. *sect.* 2. *numer.* 3, Coninch. *disput.* 18. *dub.* 2. *concl.* 3. *num.* 19. & Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 2. *nu.* 3.

8 Petes 6. an omnia opera infidelis, vel hæretici sint peccata? Resp. fuisse errorem hæreticorum, asserere omnia opera, quæ fiunt ab infideli, hæretico, imò à Christiano peccatore, peccata esse: nam multa opera, quæ infideles, & hæretici faciunt, sunt bona moraliter; ratio est, quia sunt ex se honesta, & laudabilia; sic sunt honorare parentes, largiri eleemosynam, miseris succurrere, impedire peccatum, & his similia, quæ si fiant gratia sui, honestam reddunt actionem, ac honestum infidelem operantem ex tali honestate cognita lumine naturæ cum relatione non actuali, sed virtuali, & implicita in Deum. Sic Divus Thomas 2.2. *quæst.* 10. *art.* 4. Bellarminus, Suarez, Valentia, Coninch, relati à Castropalao *de Fide disp.* 2. *punct.* 3. *numer.* 2., & novissimè damnata fuit ab Alexandro VIII. 7. *Decem.* 1690. tum Propositio 8. asserens: *Necesse est infidelem in omni opere peccare*; tum Propositio 11. dicens: *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

9 Petes 7. an licitum sit Catholico de rebus fidei cum infidelibus, aut hæreticis disputare? Resp. licitum esse, si concurrant aliquæ conditiones, sine quibus nullo modo licitum esset 1. conditio est, ut fiat ex fine defendendi fidem ab erroribus, eosque confutandi; non verò ex animo revocandi in dubium, quæ fide statuta sunt; aut ex animo dubio, an amplecti debeat rem fidei, quam in disputationem revocat: quia tunc disputatio esset ex animo infideli, nec ex fide, ac pro fide. sed contra fidem. Insuper ne sit otiosa, ac nullius fructus, & sine causa disputatio; & talis esset cum infideli, aut hæretico pertinaci, juxta illud D. Pauli 2. *ad Timoth.* 2. *Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*. 2. conditio est, si catholicus disputans præditus sit ea doctrina, & scientia, quæ requiruntur pro qualitate materiæ, & personæ, cum qua disputatur: quapropter debet argumenta sibi objecta non solùm intelligere, & solvere; sed ita solvere, ut audientes solutionem intelligant, & percipiant. Debet insuper disputans non esse laicus, sed vel Clericus, aut Religiosus; prohibitum siquidem est laicis *in Cap. Quinque. § inhibemus quoque de Hæret. in* 6. disputare de rebus Fidei. Nec obstat, quòd laicus sit doctus, scientia siquidem non excusat laicum à prohibitione facta sub gravi, & sub pœna excommunicationis ferendæ; dummodo tamen non fuerit rogatus, aut jussus ab ipsis Clericis. Sic Valentia, Azor. Sanchez, Suarez Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 4. *numer.* 4. 3. conditio est, quòd non fiat coram auditoribus rudibus, & indoctis, qui scandalum pati possint, & in fide vacillare; facilius enim argumenta ab hæreticis arroganter objecta, & cum clamoribus percipiunt, quàm modestas, ac solidas fidelium solutiones. Sic D. Thomas 2.2. *quæst.* 10. *art.* 7. Cajetanus ibi Valentia *ibi punct.* 4. *post tertiam concl.* Suarez *disp.* 20 *sect.* 1. *nu.* 14. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. *nu.* 10., & alii. 4. conditio est si non excedat modum, si videlicet contenderet puris verbis, & non rationibus juxta illud D. Pauli: noli

noli contendere verbis. Et quòdpotius disputans videatur velle errorem superare, quàm adversarium vilipendere juxta S. Hieronymum *lib. 1. contra Pelagium*: Non de adversario victoriam, sed contra mendacium quæramus veritatem. Denique ne nimia tarditate, aut nimio fervore disputatio fiat, ut habet Divus Nazianzenus *tract. 16. de Moderatione adhibenda in disputatione*. Adnotandum tamen hìc, nos locutos esse de disputatione formali contra hæreticum, non verò de honorarii disputationibus, & exercitii causa, quæ passim fiunt in Scholis; aut de illis, quæ fiunt inter Catholicos, & hæreticos permixtim viventes in eadem Civitate, & Regione videntibus, & non contradicentibus Prælatis: ut ex Valentia, Sanchez, & Coninch docet Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 4. num. 5. & 8.*

10 Petes 8, an infidelis possit compelli ad audiendas res fidei? Resp. 1. infideles baptizatos, quales sunt hæretici; compelli posse ad audiendas res fidei; ratio est, quia sunt subjecti Ecclesiæ per baptismum receptum, adeoque cogi possunt ad res fidei audiendas, ut ab erroribus resipiscant, & in fide per baptismum recepta persistant. Sic Doctores passim.

Resp. 2. infideles non baptizatos, & non subditos, non posse cogi per Romanum Pontificem, nec per se, nec medio Principe Christiano ad audiendas res fidei: ratio est, quia coactio ista supponere debet jurisdictionem; cum igitur infideles isti sint extra jurisdictionem Pontificis, & Principum Christianorum; inde est, quòd compelli nequeant: nemo enim jurisdictionem habet in non subditos. Sic Suarez *de Fide disp.* 18. *dub.* 14. *num.* 225. *concl.* 2., Castropalaus *de Fide disp. 3. quæst. 2. punct. 8. num. 3.* in medio referens Covarruviam, Victoriam, & Turrianum.

Resp 3. quamvis probabile sit, cogi non posse subditos non baptizatos ad audiendum Evangelium, & res fidei à Principibus Christianis, quibus subduntur, eo quia potestas, & jurisdictio ipsis collata à Republica ex sua primæva institutione, & jure naturæ petit, ea posse præcipere, quæ ad politicum finem, & naturalem tantùm ordinantur; non verò ad supernaturalem non cognoscibilem lumine naturæ: ut docent Valentia, Salmeron, Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 5. num. 5.* Nihilominus probabilius puto, cogi posse: ratio est, tum quia plura habentur credenda in nostra sancta fide, quæ lumine naturali cognosci possunt, ut unum Deum dari non plures; servanda esse decalogi præcepta; Deum daturum præmia justis, supplicium peccatoribus, & similia: tum quia si cogi possunt ad audienda præcepta Medicinæ, ut eorum corporibus salus reddatur; cur cogi nequibunt ad Evangelium, & fidei articulos audiendos, ut agnoscant errores suos, & ex se dignoscant eos: nec hoc esset cogi ad fidem amplectendam, sed ad externam auditionem. Hoc comprobat usus Romæ receptus compellendi Judæos ad audiendum Evangelium, & res fidei; quamvis id fiat in signum tributi, quod justè ab ipsis exigere potest Pontifex, ut inhabitantibus Civitatem illam. Sic Suarez *disp.* 18. *de Fide sect.* 2. *num.* 3. Banez, Malderus, Filliuccius, Azor. Becanus, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 8. num. 3.*

Resp. 4. posse Ecclesiam vel per se, vel per Principes Christianos cogere quoscumque infideles, ne impediant Fidei prædicationem, & ne injurias irrogent prædicantibus illam, & per consequens posse vi, & armis compellere Principem infidelem, qui blasphemiis, ac irrisionibus prædicationem impedit, & prædicatores persequitur: ratio est, quia jure naturæ datum est cuique jura sua defendere, & contrariantes repellere; ergo si Ecclesiæ datum est à Christo Domino prædicare Evangelium omni creaturæ; poterit hoc jus sibi defendere, aliàs concessio inutiliter facta fuisset. Et de facto Alexander VI. ad hunc finem concessit Regibus Christianis Orientis, & Occidentis Terras, sub ea videlicet conditione, si necessitas exposcet tueri Catholicam fidem, & ibi conversos defendere ab insultibus infidelium; qua assignatione facta à Pontifice minimè postea licitum erit uni Principi Christiano contra alium Principem Christianum se immiscere in parte illi designata, etiamsi id faceret titulo fidei; cum ad assignatos spectet portionem illam defendere in fidei obsequium, non alteri. Sic Victoria, Gregorius Lopez, Bellarminus, Barbosa, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 5. num. 6.* Quòd si Princeps infidelis resistat tantùm prædicationi Evangelii, non permittendo in suis terris prædicatores, quamvis nec blasphemiis, nec irrisionibus utatur; cum liberum sit ipsi exteris concedere habitationem, vel non; nihilominus cum justam causam non habeat id efficiendi, indè est, quòd injuriam faciat Ecclesiæ, quæ vi, & armis poterit tunc sua jura defendere. Sic Suarez *de Fide disp.* 18. *sect. 2. circa finem*.

Resp. 5. posse Ecclesiam adhibere securitatem, ne irrogetur injuria prædicatoribus, quos ad disseminandum Evangelium mittit; ita ut si opus fuerit, militibus eos stipare poterit, ac turres, & munimina ædificare ad eos defendendos ab injuriis; si eos tamen priùs pacificè ingredientes, ac benignitate, & humilitate apostolica præditos contumeliis, injuriis, ac probris affecerint: ratio est, quia licitum est cuique se, & sua jura defendere, ac injuriam innocentis, & irreverentiam fidei coercere. Scandalum tamen esset, si priùs ita muniti ingrederentur Apostolici viri; cum auditio, & receptio posset censeri coacta; non verò post ad fidei defensionem, & ministrorum ejus, & intra terminos liciti, & justi vindictam sumere de injuria Ecclesiæ irrogata; ut sic reliqui Principes infideles resipiscant, & cessent à Tyrannide contra fidei Ministros. Sic Suarez *de Fide disp.* 18. *sect. 1. circa finem*, & Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 5. num. 9.*

Petes 9. An infideles compelli possint ad fidem reci- 11
piendam? Resp. 1. Posse hæreticum infidelem, qui videlicet suscepto baptismate à Fide defecit; cogi gravibus pœnis, & suppliciis ad Fidem retinendam relictis; & abjuratis erroribus, in quos incidit: ratio est, tum quia per baptismum subjicitur Ecclesiæ, ejusque potestati; tum quia protestatur, se sub fide illius, & obedientia manere perpetuò; & sic comprobat usus, & consuetudo tam per Leges Civiles, quàm Ecclesiasticas declarata in titulo de Hæreticis, & sic ostendit Divus Augustinus *Epist.* 40. *&* 50., & omnes Doctores de hac re scribentes, qui extendunt hanc doctrinam ad hæreticum, qui per injuriam baptizatus fuerit, sed verè baptizatus.

Resp. 2. Nullum infidelem non baptizatum, sive subditus sit Principi Christiano, sive non; sive ei sufficienter fides proposita fuerit, sive non; posse directè cogi minis, terroribus, ac direptione bonorum ad fidem suscipiendam: ratio est, quia nec Ecclesia jurisdictionem habet in illum, ut constat ex Divo Paulo 1. *ad Corinth.* 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, Dominus judicabit; ex Cap. Majores, de Baptism. & Cap. Gaudemus, de Divort.* & ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. Ecclesia in neminem judicium exercet, qui priùs per baptismum non fuerit ingressus. Nec jurisdictionem quoad hoc habet Princeps sæcularis Christianus in illum sibi subditum: nam potestas illius, utpote immediatè ab hominibus accepta, tota est ad finem naturalem, politicum, & civilem; non verò supernaturalem æternæ beatitudinis. Adde, quòd sic fides exponeretur contemptui, ac periculo sacrilegii; infidelis siquidem metu illo inductus, involuntariè eam susciperet, & de facili abnegaret. Sic communis sententia cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. *& sic constat ex Cap. sicut Judæi, de Jud. & Saracen. Cap. Qui sincera, Cap. de Judæis dist.* 45. *& Cap. Majores, de Baptis.* nec discrepat usus, consuetudo, & praxis Ecclesiæ. Compellere verò per munera, blanditias, & oblectamenta, & jam si ista vim suam habeant; aut per signa, miracula, & efficaciam prædicationis non prohibetur: quia nec est compellere per metum, nec voluntarium minuit, nec exponit periculo sacrilegii, imò maximè laudabile, cum eis usi fuerint viri Sanctissimi in dilatanda fide Catholica; & huc collimat illud Christi Domini *Lucæ* 14. *Compelle intrare*, quod pro hæreticis dictum vult Divus Augustinus; pro infidelibus non baptizatis D. Chrysostomus.

Resp. 3. Posse Ecclesiam, aut Principem Christianum infideles non baptizatos, sibi tamen civiliter subditos, indirectè compellere ad fidem suscipiendam, scilicet aptando media, quæ licitè fieri possunt ex alio fine, & dirigendo ea ad hunc finem. Sic esset non permittere infidelibus advenis habitationem in suo Regno, nisi ad fidem convertantur, cum habeat jus denegandi eis habitationem: maximè si timeat eorum conversationem fidelibus nocituram. Imponere tributa licita, sed graviora; cum non possit onera illicita graviora imponere etiam ad hunc finem. Denegare illis, si incolæ sunt, publica dignitatis, honoris, & lucri Officia. Denegare

insu-

insuper Privilegia, gratias, & favores, quos Christianis liberaliter impertit. Denegare denique usum suæ Religionis, utpote contrarium naturæ rationali, ac aptum turbare Reipublicæ pacem. Hæc enim omnia sunt media licita, & aliunde assumi possunt ex alio fine, quamvis ex fine dirigendi infideles ad veram fidem assumantur; adeoque non erit directa, sed indirecta, coactio ad fidem suscipiendam. Sic Suarez, Valentia, Coninch, Becanus, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 6. nu. 4.*

12 Petes 10. An infideles cogi possint ad suos errores, & falsum cultum suæ religionis deponendum? Resp. Certum esse, id fieri posse cum infidelibus baptizatis; imò debere cogi ad errores suos deponendos, ac hæreticum cultum. Si verò non fuerint baptizati, nec temporaliter subjecti Ecclesiæ, vel Principi Christiano; tunc ea obligatio habetur ex Lege Charitatis, qua unusquisque tenetur ad salutem sui proximi procurandam per ea media, quæ sine coactione fieri possunt; non enim urget specialis obligatio. Si verò temporaliter subjecti fuerint; tunc obligatur Ecclesia, aut Princeps Christianus ad cogendum eos, ut errores deponant, & falsum cultum rationi naturali contrarios: ratio est, quia superior temporalis tenetur ex munere suo ad procurandum, ut subditi secundum rectam rationem naturalem vivant; adeoque tenetur cogere illos, ut abjiciant à se, quæ fini naturali, hoc est vivere secundum virtutem, & rectam rationem, contradicunt: sic sunt falsos Deos colere, fornicari, furari, occidere. Sic Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. & 11. Bannez, Coninch, Suarez, Valentia relati à Castropalao *de Fide disp. 2. punct. 7. num.* 1. Excusantur nihilominus Principes Christiani ab hac obligatione, si prudenter timeant, Rempublicam perturbandam fore, retardandam infidelium conversionem, & inde graviora mala oritura, juxta prudens consilium Patris familias *Matth.* 13. nolentis, servos Eradicare zizania, ne simul triticum eradicarent: nam ex duobus malis inevitabilibus, optimum consilium est, minus eligere: ut habet Divus Augustinus relatus *in Cap. Cum quisque 23. quæst.* 4., & Divus Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11. Si tamen eorum errores, ac falsus cultus opponantur tantùm Religioni Catholicæ, non verò rationi naturali, ut sint Ritus Judæorum, ac multi Saracenorum unum Deum Colentium: non poterunt Ecclesia, & Princeps Christianus eorum Domini cogere ad illos deserendos: cum potestas talium Dominorum tantùm extendatur ad politicam, & civilem gubernationem, ac ut vivant subditi secundum rationem naturalem, cui non contradicunt illi ritus. Si denique infideles non sint temporaliter subditi Ecclesiæ, vel Principi Christiano; non poterunt illos cogere ad desistendum à suis erroribus, & falso cultu, etiamsi sint contra rectam rationem; nisi fuerint specialiter peccata illa injuriosa religioni catholicæ, & innocentibus nociva; quia tunc non esset exercitium jurisdictionis, quam non haberent in infideles, sed potiùs justa defensio fidei, & innocentis: ratio prioris partis est, quia nec Ecclesia, nec Princeps Christianus jurisdictionem habet in infideles non baptizatos, & sibi non subditos, ut possit eorum delicta punire, ac peccata commissa contra lumen naturæ; aut ea prohibere ipsis: sicuti nullus Christianus non habens jurisdictionem punire potest delicta alterius Regionis Christianæ, si ejus Superior ea impunita relinqueret. Et hinc est, quòd titulo infidelitatis, idololatriæ, & peccatorum contra lumen naturæ bellum non possit indici à fidelibus. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2., Bannez, Valentia, Torrez, Coninch, Suarez, Victoria, Soto, Covarruvias, Barbosa, & Bonacina relati à Castropalao *de Fide disp. 2. punct. 7. num. 4.*

Petes 11. An infideles sint privati, aut privari possint dominio circa fideles? Resp. Certum est 1. infideles non Baptizatos jurisdictionem non posse habere in Christianos in Regno Christiano Principi subjecto; & puniendos esse, qui Judæos, & Paganos publicis Officiis præfecerint, aut eis Jura Regalia vendiderint; imò contra committentes hęc munia publica infidelibus ferenda est excommunicatio: ut constat *ex Cap. Cum sit nimis, ex Cap. ex speciali, de Judæis, & Saracen. ex Cap. Nulla, dist.* 24. *ex Cap. Constituit.* 17. *quæst.* 4. *& ex Leg. ult. Cod. de Judæis.* Certum est 2. infidelem subditum Principi Christiano privari dominio servi, sive emptitii, hoc est empti ad servitutem; sive vernaculi, hoc est nati ad servitutem; si servus ad fidem convertatur; & si cum vendiderit, emptor amittit pretium: sic habetur *in Leg. Reo nobis. Cod. de Episcop. & Cleric. in Leg. unic. Cod. Ne christian. Mancip. & in Cap. Judæi. 2. de Judæis.* Quod si servus fidelis ematur ab infideli non ad servitutem, sed Mercaturam; intra tres Menses debet vendi fideli, aliàs servus erit liber sine redditione pretii: sic *ex Cap. Nulli, de Judeis, & Saracen.* Certum est 3. infideles Christiano Principi subditos privari famulatu fidelium, præcipuè si fuerint Judæi, aut Saraceni: ut habetur *in Cap. Ad hæc. Cap. Et si Judeos de Jud. & Saracen.* Non extenditur tamen hæc prohibitio ad famulatum extra domum, ut esse colonum, agricultorem; cum non sit propriè servitus, nec habetur periculum illud eversionis à fide, ut in famulatu domestico: sic ex communi sententia docet Suarez *disp.* 18. *de Fide sect.* 5. *num.* 14. Certum est denique: patrem infidelem privandum esse patria potestate erga filium jam fidelem, & baptizatum, ne periculo perversionis exponatur filius: ut constat *ex Cap. Majores de Baptismo.*

Quod controvertitur igitur est: an possit Ecclesia privare jurisdictione, ac dominio infideles non subditos Principi Christiano, quod habent circa Christianos? Resp. 1. Non posse Ecclesiam directè privare jurisdictione, & potestate gubernativa infideles non subditos ipsi Ecclesiæ, quam habent in Christianos: ratio est, tum quia Ecclesia non habet jurisdictionem in illos, cum non sint membra illius; tum quia Sanctus Petrus *epist. 1. cap. 2.* hortatur omnes servos, ut subditi sint in omni timore Domini, non tantùm bonis, & molestis; sed etiam discolis. Et Sanctus Paulus *ad Roman. 13. habet: Omnis creatura potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* ergo jure divino non sunt privati infideles jurisdictione in subditos suos fideles, aliàs incassum hortarentur ad hanc obedientiam subditos fideles Sancti Apostoli relati. Et si Sanctus Paulus 1. *ad Corinth. 6.* reprehendit fideles contendentes in judicio apud Judicem infidelem; reprehensio illa non fuit, quia Judex infidelis jurisdictionem non haberet; sed quia malitiosè, & ex vindicta contendebant cum scandalo infidelium. Sic Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. Sotus, Salmeron, Coninch, Suarez, Valentia, & communiter Doctores, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 18. num. 6.*

Dixi directè, quia indirectè ob periculum videlicet proximum, & morale perversionis fidelium poterit infideles privare hac jurisdictione; si alia via non suppetat reddendi eos securos: cum ipsi Ecclesiæ commissa fuerit potestas conservandi subditos in fide, & in bonis moribus; adeoque eos eximere poterit à tali jurisdictione: quæ quidem potestas non est directa in infideles dominos, sed in subditos fideles, & indirecta in ipsos infideles.

Resp. 2. Per se loquendo, & ratione fidei non posse Ecclesiam privare infidelem Principem dominio, quod habet in subditos fideles: ratio est, quia ex nullo capite constat, hanc facultatem datam fuisse Ecclesiæ; imò potiùs oppositum constat ex variis Scripturæ locis, in quibus præcipitur servis obedire Dominis suis. Et *in Cap. Si quis servum. 7. quæst.* 4. reprehenditur ille, qui servo suasit, arripere fugam prætextu Religionis. Solùm igitur ratione periculi proximi, & moralis perversionis à fide, eximi à servitute poterit; & eum Ecclesia defendere poterit, ac ab imminenti periculo liberare. Sed hæc ratio non est specialis pro servo fideli respectu domini infidelis, sed pro quocumque servo respectu sui domini, quando servum ad peccatum minis, & suppliciis pertraheret. Sic Navarrus, Turrianus, Molina, Covarruvias, Suarez, Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. pun. 8. num. 9. & 10.*

CAPUT VI.

Quænam Communicatio prohibita sit fidelibus cum infidelibus.

1 *Quæcumque Communicatio Jure divino, & naturali prohibetur cum infideli, si periculum adsit perversionis.*

2 *Prohibetur quoque Jure divino, & naturali communicatio cum infideli in suis ritibus, qui sunt contra naturam, etiamsi exteriùs tantùm fierent.*

3 *Jure*

3 *Jure Ecclesiastico prohibetur communicatio cum hæretico infideli, & excommunicato denunciato.*
4 *Specialis prohibitio extat primò non cohabitandi cum Judæis.*
5 *Secundò non comedendi eorum azyma.*
6 *Tertiò non advocandi Medium Judæum, aut Saracenum.*
7 *Quartò non recipiendi Medicinam à Judæo.*
8 *Quintò non ingrediendi cum Judæo in idem balneum lotionis causa.*
9 *Sextò non admittendi convivia Judæorum, nec eos invitandi ad convivia fidelium.*
10 *Septimò non accedendi ad eorum nuptias, solemnitates, & Synagogas, dum suos ritus superstitiosos agunt; nec choreas, aut alios ludos cum ipsis agere.*
11 *Octavò non nutriendi filios Judæorum.*
12 *Nonò non instituendi Judæos hæredes, aut Legatarios.*
13 *Decimò non famulandi Judæo; Non subjiciendo se vinculo servitutis Judæo. Et non committendi publica Officia Judæis in Regnis Christianorum.*
14 *Extra casus prohibitos licitum est cum Judæis, & Infidelibus communicare.*
15 *An sit grave peccatum violare quemcumque casum ex prohibitis?*
16 *An prohibitiones specialiter factæ pro Judæis extendantur ad Paganos?*
17 *Quis dispensare possit in Casibus prohibitis?*
18 *An permitti, aut concedi possit libertas Religionis, & Conscientiæ?*
19 *An semel introducta permitti possit à Principe Christiano?*
20 *An si eam promiserit, teneatur stare promissioni factæ?*

1 COMMUNICATIO fidelis cum infideli potest esse in rebus humanis, & in rebus divinis. Insuper potest esse cum infideli baptizato, & Ecclesiæ subdito; & cum infideli non baptizato. Denique prohibitio communicationis potest esse ex Jure humano, vel divino. Jam verò quæcumque Communicatio cum quocumque infideli sive non baptizato, sive baptizato Jure divino, & naturali prohibetur si periculum perversionis immineat ex illa: ratio est, quia quilibet jure divino, & naturali abstinere tenetur ab iis, quæ possunt ruinam afferre suæ saluti, præcipuè si fideles simpliciores sint; & Judæi, ac hæretici, cumquibus communicant, fraudulentiores, nec omittunt perversionis tentamenta. Quapropter etiam jure Ecclesiastico prohibetur frequens, & assidua conversatio cum illis: ut constat *ex Cap. Ad hæc de Judæis*. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. & ejus Commentatores: sic etiam D. Cyprianus, Athanasius, Irenæus, quos refert Coninch *disp.* 18. *de Fide dub.* 11. *num.* 173.

2 Prohibetur quoque jure divino, & naturali fideli communicatio cum infideli in suis ritibus, & cultu superstitioso, qui sunt contra naturam, ut est & idololatria, & similes adorationes, etiamsi externè tantùm fierent: ratio est, quia cum talis cultus sit ex intrinsecis suis malus, inde est, quòd nulla ratione cohonestari possit communicare in illo. Hinc fit, quod nec fidelis infidelem admittere possit ad secum communicandum in participatione Sacramentorum, cum infidelis incapax sit fructus illorum; & si per vim se ingerat, poterit eum Ecclesia repellere, & punire, ut injuriosum Religioni. Ex eodem motivo prohibetur fideli matrimonium contrahere cum infideli non baptizato ob reverentiam Sacramento debitam, quod non potest unus recipere altero non recipiente. Sic Castropalaus *de Fide disp.* 2. *pun.* 9. *num.* 1. *&* 2.

3 Jure vero Ecclesiastico prohibetur fideli communicare cum hæretico infideli, si denunciatus fuerit excommunicatus; evadit enim sic vitandus, & vitari debet à quolibet fideli, ut vitantur cæteri excommunicati vitandi. Quòd si denunciatus non fuerit, etiamsi sit notoriè hæreticus, non adest obligatio vitandi illum, extra periculum perversionis, nec in humana conversatione, nec divina, ut esset Sacrum facere vel audire, aut recitare Officium divinum interveniente tali hæretico. Sic Azor. 1. *par. lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 9. *num.* 7. Navarrus *lib.* 5. *Consil. titul. de Hæreticis consil.* 16. *num.* 7. & Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 5. Licitum pariter fideli erit recipere Sacramenta à Ministro hæretico non vitando, ea tamen ritu Catholico administrante; quando fideli licitum est Sacramenta suscipere à peccatore. Sic Suarez *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 18. *sect.* 1. *notab.* 3. Licitum denique erit, filios talium hæreticorum è sacro fonte levare, illosque ad scholam, & Ecclesiam admittere: ut docent Sanchez, Azor. & Navarrus, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c.* Non tamen erit licitum filiis fidelium Scholas hæreticorum adire ob periculum perversionis; nec licitum erit fidelibus admittere hæreticos non denunciatos in patrinos ex eisdem Doctoribus.

Specialis extat prohibitio ex Jure Ecclesiastico non 4
communicandi cum Judæis in sequentibus Casibus; nam habetur generalis prohibitio non habendi familiaritatem cum illis *in Cap. Judæi. Cap. Ad hæc. Cap. final. de Judæis*, quando videlicet periculum perversionis, aut scandalum timeri potest. Primus igitur casus est non cohabitandi cum illis: sic *in Cap. Ad hæc, de Judæis*; quæ quidem prohibitio extenditur etiam ad Saracenos *in Cap. Judæi.* 2. *de Judæis*. Nomine autem hujus cohabitationis venit, si fidelis cum Judæo, aut Saraceno habitet ratione diuturnæ subjectionis in famulatu: indigna namque est fideli talis subjectio in Terris christianorum, & cum periculo perversionis. Cæterùm non prohibetur Christiano habere in servum Judæum, aut Saracenum, & cum illo cohabitare inserviendo eidem domino Christiano: sic ex præcitatis Capitibus colligunt Suarez, Coninch, Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 8.

Secundus casus est, non comedendi eorum azyma: sic *in Cap. Satius*, 32. *quæst.* 4. intelligitur autem prohibitio de comestione ritu judaico facta, quæ etiam prohibetur Jure divino: nam necessitate famis urgente, & citra scandalum comedere azyma, & cibos idolo oblatos, qua panis sunt, aut cibus aptus ad nutriendum; non est intrinsecè malum. Sic Suarez *disp.* 18. *de Fide sect.* 6. *num.* 7. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 11. *num.* 168. Bonacina referens Sanchez *disp.* 3. *in Decal. quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 2. & Castropalaus *de Fide disput.* 2. *punct.* 9. *num.* 9.

Tertius casus est, non advocandi Medicum Judæum, 5
aut Saracenum ad medendum: sic *ex Cap. Nullus.* 28. *quæst.* 1. & ex Constit. Gregorii XIII. quæ incipit, *Aliàs piæ memoriæ*. Verùm necessitate intercedente, ac urgente, ut si alius medicus nesciret infirmitatem illam curare, vel esset notabiliter doctus supra cæteros, aut cum aliis medicis advocaretur ad consultandum de statu morbi; tunc attenta necessitate illa gravi prudentis Viri judicio dignoscenda non adstringit prohibitio illa; ut non adstringunt aliæ Leges humanæ, & Ecclesiasticæ urgente gravi necessitate, & benigna Legislatoris interpretatione. Sic ex Sanchez, Suarez, Coninch, docent Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 10. & Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 6. *nu.* 2.

Quartus casus est, non recipiendi medicinam à Judæis. Sic *in Cap. Nullus.* 28. *quæst.* 1. qui casus variè exponitur à Doctoribus: nam Sylvester *verb. Judæi*, *num.* 2. putat, prohiberi receptionem medicinæ à Judæo præparatam, quòd si ab alio parata fuerit, & à Judæo vendatur; licitum erit eam accipere. Turrecremata docet, non esse illicitum accipere medicinam à Judæo paratam, dummodo tamen non ministretur ægroto ab ipso: ratio est, quia prohibitio facta videtur ad vitandam curationem à Judæo, ne familiaritatem acquirat cum ægroto. Urgente tamen gravi necessitate licitum erit recipere medicinam à Judæo, ut supra diximus de Medico Judæo. Notandum tamen, quòd licèt ad Medici Officium reducatur venam scindere, vulnera, ac plagas curare, & medicinas, ac medicamina aptare; non sic verò barbam radere, aut capillos tondere; non enim est medicinarum applicatio. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 31. *num.* 9. & Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 11.

Quintus casus non ingrediendi cum Judæo in idem 6
balneum lotionis causa; sic in eodem *Cap. Nullus. cit.* His autem ingressus simultaneus cum Judæo prohibetur, si fiat ex animo familiariter conversandi cum illo, & ex conventione facta. Cæterùm si fidelis per accidens simul ingrederetur cum Judæo in idem balneum animo se lavandi, nec familiariter conversaretur cum eo; non urgeret prohibitio facta, nec teneretur abstinere à balneo. Sic Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 2. *versic. Quintus est*, & Castropalaus *de Fide disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 13. In his quinque casibus enumeratis prohibetur fidelibus laicis cum Judæis com-

communicare sub pœna Excommunicationis ferendæ; Clericis verò sub pœna Depositionis, ut constat *ex Cap. Constituit. 17. quæst. 2.*

9 Sextus casus est non admittendi convivia Judæorum, aut illos ad convivia à fidelibus facta invitare. Sic *in Cap. Omnes 28. quæst. 1.* prohibitio autem est in conviviis formalibus, quando unus invitat alterum, vel invitatur ab illo per se, non verò per accidens: ut si fidelis transiens in eodem diversorio reperiatur, ubi est Judæus, & cum eodem accumbit in eadem mensa; aut à Judæo cibos emat, quos manducet in eadem mensa; tunc enim nec fidelis invitatur, nec invitat, & neuter dicitur convivium facere. Sic Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 31. num. 13.* Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 6. num. 2.* & Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 9. num. 13.* Excipitur ab hac prohibitione fidelis missus ad conversionem Judæorum, quia tunc licitum erit admittere invitationem factam à Judæo ad convivium, ut sic faciliùs Judæos ad veram fidem inducat, ut constat *ex Cap. Cum sit. de Judæis*, dummodo non sint convivia discretionis, in quibus cibos discernunt, & aliquos admittunt, aliquos verò respuunt; tunc enim esset approbare eorum superstitiones, & cæremonias.

10 Septimus casus est non accedendi ad nuptias Judæorum, & ad eorum solemnitates; nec choreas agere cum illis, aut alios ludos; nec eorum Synagogas ingredi, dum suos superstitiosos ritus exercent. De quo casu non extat specialis Textus, quamvis Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 31. num. 17.* putet comprehendi *in Cap. Omnes. cit.* Nihilominus extra periculum perversionis, & scandali non erit prohibitum sub gravi abstinere ab illis. Sic expressè Sanchez *l. c. num. 18.* Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 7. num. 2. versic. Octavus est*, & Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 9. num. 13. in fine.*

11 Octavus casus est non nutriendi filios Judæorum: sic *in Cap. Ad hæc. de Judæis.* Sed controvertitur, an etiam prohibitum sit nutricibus christianis filios Judæorum extra eorum domos nutrire; nam licèt Textus dicat, in eorum domibus, id videtur appositum exempli causa. Nihilominus probabilius videtur, non comprehendere textum nutritionem factam extra domum Judæorum: ratio est, quia finis hujus textus est prohibere familiaritatem fidelis cum Judæo provenientem ex famulatu, cum periculosior sit, & minimè conveniens dignitati christianæ, non enim decet, liberam servire filiis ancillæ: maximè quia cum simus in odiosis, & in Lege prohibente, non debemus extensionem facere ultra propriam significationem verborum. Sic Cardinalis, Abbas, & Glossa *in supracit. Cap.* Coninch *disp. 18. dub. 11. num. 170.* Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 6. num. 2. versic. Septimus Casus*, & Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 9. num. 14.* Non nego oppositam sententiam probabiliter sustineri à doctissimis Viris Sylvestro, Azorio, Sanchez, & Suarez relatis à Castropalao.

12 Nonus casus est non instituendi Judæos hæredes, vel Legatarios: sic *in Cap. Si quis Episcopus de Hæretic. & Cap. Sanè. 2. 24. quæst. 2.* Et quidem Legatum facere Universitati Judæorum prohibitum est Christianis *ex Leg. 5. Cod. de Judæis.* Legare verò alicui pagano particulari prohibitum est Episcopis *in Cap. cit. Si quis Episcopus*, quod etiam extenditur ad Clericos *ex Cap. Inter eos. de Hæretic.* Cæterùm legatum facere alicui Judæo, sive consanguineo, sive non extra extremam necessitatem, vel gravem; consuetudine irritum esse, & nullum, docent Sylvester, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 9. num. 10.* quæ quidem consuetudo sanctè servanda erit, ubi viget.

13 Decimus casus est non famulandi Judæis: sic *in Cap. Ad hæc. de Judæis*, de quo satis diximus in primo casu cohabitandi cum Judæo *numer. 4.* & in octavo casu non nutriendi filios Judæorum, *nu. 10. & Cap. 5. præcedenti num. 13.* Ubi etiam egimus de undecimo casu, ne fidelis vinculo servitutis subjiciatur Judæo; & de duodecimo casu, ne publica Officia committantur Judæis in Regnis Christianorum.

14 Ex dictis hucusque satis colligitur, in quibus Casibus prohibeatur communicare cum infidelibus nondum baptizatis: extra tamen recensitos casus, pro quibus nulla alia extet prohibitio; licitum erit cum Judæis, & paganis communicare, ac cum illis contractus emptionis, & venditionis exercere; currus, boves, aut alias res ipsis locare, aut ab illis conducere; excepto tamen mercimonio, & delatione armorum ad ipsos, quod sub excommunicationis pœna interdicitur *in Bulla Cœnæ Domini*. Cavenda tamen semper erit in casibus non prohibitis nimia familiaritas ob periculum perversionis. Sic docent Sylvester, Valentia, Reginaldus, Azor. Filliuccius, Sanchez, Angelus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 6. nu. 2. versic. Ex dictis*, & Castropalaus *de Fide disp. 2. pun. 9. num. 16. in fine.*

15 Quæres 1. an sit grave peccatum violare quemcumque ex casibus prædictis prohibitis? Resp. ex genere suo grave esse peccatum ex fine, ob quem prædicti Casus prohibentur; tum ex pœnis additis, quæ nonnisi gravitatem rei innuere videntur. Nihilominus extra periculum perfidiæ non erit gravis eorum violatio ob materiæ levitatem, & ex aliis capitibus, quæ excusare solent ab Ecclesiasticis præceptis. Sic Azor. Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 2. punct. 9. num. 17.*

16 Quæres 2. an prohibitiones specialiter factæ pro Judæis extendeudæ etiam sint ad Paganos? Resp. negativè, nisi specialis extet extensio per aliud Decretum, vel in ipso Decreto: sic est prohibitio facta non famulandi Judæis, quæ extenditur ad Saracenos; non admittendi Judæum ad publica Officia, quæ etiam extenditur ad quemlibet alium Paganum. Cæterùm prohibitiones reliquæ, quæ loquuntur de solis Judæis; non extendendæ erunt ad alios infideles: cum prohibitiones minimè extendi debeant extra verba Legis, ut communis sententia habet. Sic expressè Castropalaus *de Fide disp. 2. pun. 9. num. 18.*

17 Quæres 3. Quis possit dispensare in prædictis casibus prohibitis? Resp. cum Leges istæ prohibentes latæ fuerint à Pontificibus, nec aliunde constat, datam fuisse inferioribus Prælatis facultatem dispensandi in illis, inde est, solum Pontificem dispensare posse. Sic Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 31. num. 27.* Si tamen urgens necessitas instaret, & periculum esset in mora, & benigna interpretatione Legislatoris posset Episcopus dispensare. Sic Suarez *disp. 18. de Fide sect. 6. num. 9.*

18 Quæres tandem: an permitti, aut concedi possit libertas Religionis? Resp. libertatem Religionis, & Conscientiæ non posse licitè permitti à Principibus Catholicis, ut in sua Regna introducatur: ratio est, quia hæc libertas adversatur unitati Fidei, & unitati Ecclesiæ, quam Christus Dominus præcepit, juxta illud S. Pauli *ad Ephes. 4. Unus Dominus, Una fides, Unum baptisma.* Approbat quoque hæreses introducendas, ac errores, quos secum affert talis introductio libertatis; dissipat bonum commune Reipublicæ, quod sine unitate veræ Fidei conservari nequit, omne enim Regnum in se divisum desolabitur; denique per introductionem libertatis Conscientiæ fiunt participes permittentes illam omnium malorum, quæ ex illa sequuntur, per hoc enim quòd non impediant mala illa, cum impedire possint, & teneantur ex Charitate, & ex Justitia, cooperatores, & participes illorum erunt. Ideo jure merito numquam adduci potuit Paulus V. ad concedendam Catholicis Principibus in suis Regnis libertatem Religionis sectatoribus hæresum, quamvis ex denegata facultate horrida bella, & pericula imminentia amittendi Regna, & Provincias ingruerent. Sic decisum est *in Lege Nullus Cod. de Summa Trinit.* ubi dicitur: *Nullus hæreticis Ministeriorum locus, nullam ad exercendi animi obstinatioris dementiam pateat occasio; arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis Congregationibus turbæ, & sic communiter Doctores.*

19 Dubium tamen est: an jam introducta permitti possit à Principe Christiano? Et quidem non esse motivum sufficiens ad permittendam libertatem conscientiæ motivum prudens conservandi Rempublicam; satis constat ex eo, quia libertas Conscientiæ, ut experientia quotidiana comprobat, non est medium aptum ad bonum Reipublicæ conservandum; imò est contra bonum commune, ac Regna evertit; insuper bonum commune spirituale Religionis, & Fidei præponendum est bono Communi temporali Reipublicæ; adeoque motivum conservandi Rempublicam non erit sufficiens ad permittendam libertatem conscientiæ. Nec erit motivum sufficiens ad illam permittendam metus gravis, & prudens amittendi Provincias, Regna, & Vitam: ratio est, quia ex communi sententia Theologorum prædicta sunt in inferiori ordine ad bonum Religionis, & Fidei,

quod

quod semper anteponendum est amissioni Regnorum, Provinciarum, & Vitæ: quapropter cavendum est, ne titulo, ac intuitu conservandi Rempublicam, Provincias, Regna, & vitam inducantur Principes Catholici ad permittendam in suis Regnis libertatem Conscientiæ. Unicum igitur motivum ad permittendam libertatem Religionis esset, quando sine graviori incommodo catholicæ religionis impediri non posset; itaut motivum permittendi illam sit commune bonum Religionis, quod conservari nequeat sine tali permissione: ratio est, quia ex duobus malis inevitabilibus minus est prudenter eligendum; nam tunc permissio minoris mali honestaretur à justa causa vitandi majus; ergo si bonum commune Religionis periclitaretur, quod est majus malum respectu permissionis libertatis conscientiæ, quod est minus; permitti hoc poterit, ne eveniat illud: & quidem permittitur non ut malum est, sed ut medium ad præcavendum majus malum bono communi Religionis, quod illi inevitabiliter imminet. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11. Becanus, Valentia, Malderus, Lorca, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 3. in Decal. quæst. 2. punct. 8. §. 1. propos. 2.*

20 Sed inquires: an si Princeps Christianus promiserit, ac pactum inierit de permittenda libertate Conscientiæ, ac Religionis; teneatur stare permissioni factæ, ac pacto, si possit eam impedire absque graviori damno Religionis Christianæ, aut si speret, fore utilem conatum ad eam impediendam? Resp. quamvis promissio, fœdus, & contractus validè celebratus cum hæreticis servandus sit per se loquendo, cum fides hæretico data servanda sit, nec licet à promissione illi facta recedere, esto ipse fidem Deo, ac promissionem illi factam non servet; licèt aliquando per accidens, & ratione circumstantiarum extrinsecarum non urgeat talis obligatio, sicuti neque urgeret, si cum Christianis initus fuisset. Nihilominus in casu proposito non teneretur Princeps Catholicus ad standum promissioni, pacto, aut contractui: ratio est, quia jam non haberetur motivum honestans permissionem promissionis illius, cujus materia esset illicita, & turpis, adeoque non inducens obligationem servandi contractum, pactum, aut promissionem, ut constat ex Tractatu de Contractibus: Libertas siquidem religionis, & Conscientiæ est intrinsecè mala, adeoque illicita, & turpis: nec aliquis se obligare poterit ad illam, etiamsi juramento firmaverit obligationem suam; non enim juramentum confirmare poterit rem illicitam, cum non sit vinculum iniquitatis. Sic Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 8. §. 1. proposit. 3.* Secus tamen esset, si absque graviori incommodo boni communis Religionis recedere non posset à pacto inito; aut timeret rationabiliter, & prudenter, quòd conatus impediendi libertatem promissam Religionis non foret utilis bono Religionis; posset tunc permittere, ut servetur promissio facta, & poterit desistere à conatu ob motivum superiùs dictum non inferendi majus damnum inevitabile bono Communi Religionis. Nec favet ad permittendam libertatem Conscientiæ, quòd Principes Christiani permittant in suis Regnis Judæos, ipsorumque Ritus, & Cæremonias: eo quia eorum Ritus non sunt ita noxii Religioni Christianæ, ut libertas hæreticæ pravitatis. Sic ex Divo Thoma rectè adnotat citatus Bonacina.

CAPUT VII.

De Hæresi, & Apostasia à Fide.

1 *Quid sit Hæresis?*
2 *Quotuplex sit Hæresis?*
3 *An qualibet ignorantia excuset à peccato hæresis?*
4 *An errans ex ignorantia, si monitus de suo errore non resipiscat, censendus sit hæreticus?*
5 *An protestatio facta per professionem fidei excuset à Pertinacia?*
6 *An dubitans voluntariè in Mysteriis Fidei censendus sit hæreticus?*
7 *An Opinans circa Mysterium Fidei sufficienter propositum censendus sit hæreticus?*
8 *An dissentiens revelationi speciali sibi sufficienter propositæ sit revera hæreticus?*
9 *An retinens fidem interiùs, si eam exteriùs verbo, vel facto deneget; sit hæreticus?*
10 *An negans conclusionem Theologicam deductam ex præmissis, una de fide, altera naturali; sit hæreticus?*
11 *An necessariò requiratur, ut hæresis punibilis sit; quod committatur à baptizato?*
12 *Quid requiritur, ut Propositio censenda sit hæretica?*
13 *An omnis hæresis, & Apostasia subjecta sit pœnis Ecclesiasticis?*
14 *Quænam verba, aut facta sufficientia sint ad manifestandam exteriùs hæresim internam?*
15 *Afferuntur aliqua signa in particulari.*
16 *Quisnam sit hæreticus, vel apostata affirmativus, & quisnam negativus?*

QUÆ usque adhuc dicta sunt communia fuere infidelibus tum baptizatis, tum non baptizatis; quæ tamen remanent dicenda ad solos infideles baptizatos, seu hæreticos restringuntur. Jam verò hæresis talis dicitur ab Ecclesiasticis Scriptoribus ab eligendo non bonam electionem, sed malam, contrariam sanæ doctrinæ singularem, & à proprio judicio pravo inventam. Ab aliis verò Doctoribus talis dicitur ab hærendo; eo quia pertinaciter hæret judicio falso, & errori voluntario contra sanam doctrinam, & veritatem Christianæ fidei. Definiri solet hæresis: error voluntarius, & pertinax hominis christiani contrarius doctrinæ, & veritati Fidei. Qui quidem error si sit ex parte contrarius veritati Fidei, dicitur Hæresis, si verò ex toto dicitur Apostasia à Fide. Explicanda sunt singula verba, ut clarùs innotescat tradita definitio, quam amplectuntur Canus, Suarez, Coninch, Farinacius, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 3. punct. 2. num. 1.* Dicitur ergo hæresis, error voluntarius, nam sine voluntario peccatum esse non potest. Dicitur pertinax, quia videns, & sciens Christianus errorem illum adversari doctrinæ Ecclesiæ; nihilominus hæret errori illi, nec paratus est eum corrigere, ac emendare. Hinc est, ferè omnes Doctores requirere pertinaciam ad hæresim *ex Cap. Qui in Ecclesia 24. quæst. 3. & ex Clemen. 1. de Summ. Trinit. §. 2.* hoc est, quod error ille procedat ex cognitione, & scientia, quòd contrarietur veritati fidei, & nihilominus illi adhæreat Christianus contra doctrinam Ecclesiæ, à qua corrigi non vult: ut ex Sanchez, Valentia, Coninch, Vasquez, Bonacina, & aliis docet citatus Castropalaus. Nam si procederet error ex ignorantia, quòd sit contrarius fidei; non esset error pertinax, nec hæresis formalis, sed materialis tantùm, cujus absolutio non reservatur, ut reservata est absolutio hæresis formalis. Sic ex Sylvestro, Navarro, Sayro, Barbosa, Trullench, Ludovico à Cruce, Sanchez, Azorio, & aliis docet Mendo *de Bull. Cruc. disp. 23. num. 90.*

Hæresis alia est formalis, alia objectiva, & materialis. Formalis illa dicitur, quæ habet directam oppositionem cum Veritate fidei, & est conjuncta cum pertinacia. Materialis verò, seu objectiva illa est, quæ licèt habeat directam oppositionem cum veritate fidei, non est tamen conjuncta cum pertinacia, cum procedat ex ignorantia talis oppositionis. Insuper alia est Interna, externa alia. Interna dicitur, quæ nullo signo exteriori, aut verbo prolata sit, & declarata, sed tantùm interiùs mente concepta. Externa verò, quæ verbis, aut signis aliis externis declarata fuerit; quòd si declaratio fiat coram pluribus, dicetur externa publica; si verò coram paucis, dicetur occulta; & utraque est reservata, tam videlicet publica, quàm occulta. Ad hæresim externam non requiritur, ut ab aliquo audiatur; sed sat erit, si signo externo sufficienter manifestatio declarata fuerit, itaut si aliquis præsens fuisset, potuisset eam percipere, esto per accidens nemo præsens fuerit.

Quæres 1. An quælibet ignorantia non solùm invincibilis, sed etiam vincibilis, crassa, & affectata excuset à peccato hæresis? Resp. quamvis varia sint Doctorum placita circa controversiam istam; nihilominus probabiliorem reputo sententiam asserentem, quamlibet ex enumeratis ignorantiis sufficere ad excusandum à peccato hæresis, cui excommunicatio, & aliæ pœnæ ecclesiasticæ impositæ sunt: ratio est, quia non potest quis voluntariè contradicere Ecclesiæ authoritati, ac ejus doctrinæ; nisi cognoscat authoritatem Ecclesiæ, ejusque doctrinam esse contrariam suæ assertioni, cum in hoc sita sit pertinacia ad hæresim requisita; & probat multis relatis authoribus Farinacius *de Hæres. quæst. 179. §. 1. num. 1.* sed laborans ignorantia quæcumque sit, etiam affectata, non habet talem cognitionem necessariò requisitam ad hæresim; ergo ignorantia quæcumque sit, etiam affectata excusat à peccato hæresis,

& ab

& ab excommunicatione ; ac aliis pœnis ecclesiasticis ipsi impositis . Maximè quia cum ignorantia affectata bene componi potest animus paratus ad correctionem , & obediendi Ecclesiæ, casu quo ejus assertio fuerit contra Ecclesiæ authoritatem , & ejus doctrinam ; adeoque talis error non erit cum pertinacia . Sic Azor. 1. *par. lib.* 7. *cap.* 14. *quæst.* 9. *&* *lib.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 4. Aragonius 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1. Bannez *ibidem art.* 2. Coninch *disp.* 18. *dub.* 7. *concl.* 4. Suarez *disp.* 19. *de Fide sect.* 3. *num.* 9. *&* 18. Farinacius *de Hæres. l. c. num.* 29. *&* 30. & Castropalaus *de Fide disput.* 3. *punct.* 2. *num.* 3.

Dices 1. Affectans ignorantiam in hoc casu parvipendit authoritatem Ecclesiæ , nec est paratus ab illa corrigi, imò errat ex affectu liberiùs errandi ; ergo & voluntariè errat, & cum pertinacia . Sed contra est : quia si affectans ignorantiam scit, suam assertionem parvipendere authoritatem Ecclesiæ , & habet animum paratum non patiendi correctionem Ecclesiæ ; jam suus error non procedit ab ignorantia affectata , sed ab errore voluntario procedente à scientia quam habet , quòd suus error despiciat authoritatem infallibilem Ecclesiæ ; adeoque hæresis erit cum pertinacia : idem dicendum , si error cum affectu liberiùs errandi non ignoretur ab errante, jam enim procedit ex scientia , quòd erret contra Ecclesiam ; adeoque & voluntarius erit, & cum pertinacia, & per consequens erit hæresis . Si verò ignoretur, nec habeatur positivus animus non relinquendi errorem, non censendus erit pertinax, nec hæresis .

Dico 2. Affectans ignorantiam affectat directè errare ; ergo affectat contradicere Ecclesiæ, in quo consistit hæresis cum pertinacia ; unde dictum est , ignorantiam affectatam non minuere , sed aggravare peccatum , & æquivalere scientiæ in omni materia . Contra est, quia affectans ignorantiam nequit directè affectare errorem aliàs cognosceret illum ; & peccaret ex scientia, non' ex ignorantia , ad summum indirectè tantùm affectat errorem , qui sequitur ex omissione obligationis sciendi ea, quæ sint ab Ecclesia proposita ; sed hoc non est formaliter contradicere Ecclesiæ , in quo consistit peccatum hæresis ; sed solùm consecutivè , & materialiter, in quo non habetur peccatum hæresis ; hoc est contra fidem directè ; sed habetur peccatum , & quidem grave contra obligationem sciendi res fidei. Quod additur, ignorantiam videlicet affectatam non minuere peccatum , verum est; sicuti etiam verum est ; æquivalere scientiæ , sed in ea specie , in qua peccatum est ; non verò in alia , ad quam non transfert . Sic in specie obligationis sciendi res fidei ignorantia affectata aggravat , non verò minuit peccatum , & æquivalet scientiæ , non verò in specie hæresis formalis , de qua loquimur , & ad quam non transfert . Hinc est , quòd in aliis materiis Justitiæ, Charitatis, Honestatis non excuset ignorantia affectata, imò aggravat peccatum contra speciem illam Virtutis; eo quia non mutat peccati objectum , sed tantùm modum operandi magis , vel minus voluntarium ; in materia verò hæresis mutat objectum procedere ex ignorantia, vel scientia : cùm per solam scientiam habeatur pertinacia essentialiter requisita ad hæresim formalem .

Adnotandum hìc : non esse credendum in foro externo erranti in fide , qui ignorantiam alleget eorum, quæ ex officio scire tenetur ; aut quæ communiter sciuntur à personis ejus conditionis, & qualitatis. Sic Episcopi, Sacerdotes, Viri docti errantes in articulis Fidei, aut præceptis Decalogi, si ignorantiam appellent; credendi non erunt : quia præsumptio est contra eos , quòd potius ex malitia, quàm ex ignorantia errent. Sic Menochius , Farinacius , Simancas , Dacianus , Pegna , quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 5.

4 Quæres 2. An errans ex ignorantia , si ab Episcopo , Inquisitore , aut Viris doctis moneatur de suo errore , adhuc perseveret in illo , putans non esse contra Ecclesiæ definitionem ; verè censendus sit hæreticus ? Resp. affirmativè ut plurimùm , & quidem non solùm in foro externo , sed etiam interno : ratio est , quia satis pertinax est, qui evidentiam moralem habet , quòd suus error contradicat definitioni Ecclesiæ , & nihilominus in illo perseverare velit , & illi hærere ; sed semel ac per Magistros adeo insignes , & gravissimos monetur , evidentiam moralem habet , quòd suus error contradicat doctrinæ ab Ecclesia propositæ ; ergo pertinax est , si suo errori hæreat. Nec juvat dicere, quod sola Ecclesia sit Regula veritatis , non verò Episcopi, Inquisitores , & Viri docti , qui falli , & fallere possunt . Nam licèt ipsa sit Regula Veritatis , quæ nec falli , nec fallere potest ob specialem assistentiam Spiritus Sancti ; nihilominus mediis Episcopis , Pastoribus , & Doctoribns proponit , quæ credenda sunt ; adeoque habetur obligatio credendi proposita ab ipsis , non quia ab ipsis proposita , sed ab Ecclesia mediis ipsis . Sic Bartolus , Rebuffus , Ugolinus , Pegna , quos refert , & sequitur Castropalaus *de Fide disput.* 3. *punct.* 2. *num.* 6. & Suarez *disp.* 19. *de Fide sect.* 3. *numer.* 2. Adnotat tamen Castropalaus *loc. cit. in fine* ex Sanchez , Toleto , & Farinacio , quòd facilius dijudicandus sit hæreticus pertinax Vir doctus dissentiens Mysteriis , & doctrinæ Ecclesiæ sufficienter propositis ; quàm rusticus , & idiota , qui potest facilius regulas Fidei , & obligationem credendi ignorare .

Quæres 3. An protestatio per Fidei professionem facta 5
excuset à pertinacia? Resp. si verba erroris sint dubia, & obscura ; sicuti si dubia sit , vel obscura materia , circa quam versantur ; nec præsumitur notitia materiæ illius si postea in ipsis hæresis reperiatur ; excusabitur à pertinacia errans per protestationem factam fidei. Secus verò si præsumatur notitia verborum , & materiæ , parùm enim refert protestatio fidei ad pertinaciam excusandam ; quia per ipsum factum contradicit protestationi, aliàs omnes hæretici per protestationem , quam possent facere, & de facto faciunt, possent faciliùs simplices pervertere ; & se à pertinacia excusare . Sic ex Pegna, Simanca , & Farinacio docet Castropalaus *de Fide disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 7.

Quæres 4. An dubitans voluntariè in Mysteriis Fi- 6
dei censendus sit hæreticus ? Resp. quæsitum procedere de dubiis voluntariis, non de dubiis involuntariè ortis circa fidei Mysteria, quæ Fidem non destruunt, sed potiùs sunt occasio illam augendi ; & indictum moraliter evidens est , quòd patiens motus illos non assentiatur eis ; si tædio afficiatur , cum insurgunt ; & modus aptior ad resistendum illis est , contemnere illos, nec respondere eis , Quapropter licèt aliqui Doctores dixerint , dubitantem voluntariè de Mysteriis Fidei non esse hæreticum : eo quia non sequitur opinionem Fidei contrariam ; nec assentitur , vel dissentit veritati fidei , sed actum suspendit ; nihilominus communis sententia sustinenda erit , quæ docet , hæreticum esse : & ratio est , quia qui deliberatè judicat de rebus fidei sufficienter propositis , non esse dignas certò , & infallibiliter credi ; hæresim committit , & hæreticus est ; sed qui deliberatè dubitat , & peccaminosè de rebus fidei sic judicat , si enim sic non judicaret , non peccaminosè ageret ; ergo si peccat , sic judicat : nam purè suspendere actum tempore , quo non urget obligatio eliciendi illum , non est peccatum ; ergo si in casu nostro est peccatum , dicendum est , quòd simul cum suspensione actus circa Mysteria fidei habeatur judicium deliberatum de rebus fidei , quòd non sint dignæ certò, & infallibiliter credi . Confirmatur : dubitans voluntariè de Mysterio fidei , fidem sibi destruit , ad hanc enim firmitas de necesse requiritur ex Symbolo Divi Athanasii ; sed non destruitur fides , nisi per positivam infidelitatem , hæresim videlicet , Judaismum , aut Paganismum ; ergo dubium voluntarium de fide unam ex his speciebus infidelitatis continere debet . Hinc rectè deciditur *in Cap.* 1. *de Hæretic.* quòd dubius in fide infidelis est : nec de negativa infidelitate intelligendus est Textus , sed de positiva : cum non amittatur fides nisi in eo , qui eam habebat ; & per actum positivum fidei contrarium . Sic Suarez *de Fide disput.* 19. *sect.* 4. *numer.* 10. Coninch *disput.* 18. *dub.* 7. *concl.* 6. *num.* 102. Farinacius plures referens *de Hæres. quæst.* 178. §. 4. *numer.* 90. Bonacina *de Cens. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 1. *numer.* 3. Barbosa *de Potest. Episc. alleg.* 40. *numer.* 16. Castropalaus *de Fide disputat.* 3. *punct.* 2. *numer.* 9. & alii penes Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 7. *nu.* 11. contra ipsum Malderum, Canum, & Sà .

Quæres 5. an opinans circa Mysterium fidei suffi- 7
cienter propositum censendus sit hæreticus? Resp. quæsitum non procedere de actu opinativo simul cum actu fidei circa idem Mysterium revelatum ob diversitatem motivorum ; cùm aliqui Doctores hos actus admittant absque nota hæresis . Procedit ergo quæsitum de habente tantùm actus opinativum circa Mysterium sufficienter propositum credendum : & Communis sententia docet , quòd iste talis sic opinativè assenticus

obje-

objecto fidei sit formaliter hæreticus: ratio est, quia assensus opinativus de objecto fidei absolutè sumpto, & sufficienter proposito credendo fide divina dicit, objectum non esse omnino certum, adeoque ita esse verum, ut possit esse falsum; vel è contra; sed talis assensus importat errorem in fide; ergo opinans de Mysterio absolutè sumpto, & sufficienter proposito est hæreticus formalis; non enim firma fide credit, ita esse certum, ut non possit aliter se habere. Videtur esse expressa sententia Divi Augustini *lib.* 8, *de Trinit. cap.* 5. & Divi Thomæ 1. *par. quæst.* 32. *art.* 4. Sic Azor. Castro, Aragonius, Lorca, Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat.* 3. *punct.* 2. *numer.* 12.

8 Quæres 6. An dissentiens revelationi speciali sibi sufficienter propositæ ad credendum fide divina sit revera hæreticus, & subjaceat pœnis ab Ecclesia statutis contra hæreticos? Resp. quamvis Lorca 2. 2. *quæst.* 11. *disp.* 39. *num.* 2. docuerit, nec hæreticum esse, nec punibilem ab Ecclesia pœnis hæreticorum: quia non est contumax Ecclesiæ, quæ non apponit credendam talem revelationem, Nihilominus vera sententia est, esse revera hæreticum: eo quia discredit primæ Veritati revelanti sufficienter propositæ, esto non proponatur ab Ecclesia; malitia siquidem hæresis tota in eo sita est, quòd contemnat primam Veritatem revelantem sufficienter propositam, eique discredat; sic enim facit Deum mendacem, ac mendacii authorem: nam idem Deus est, qui nec falli, nec fallere potest, sive revelet per publicam propositionem Ecclesiæ, sive per revelationem particularem. Nec contumacia formaliter desumitur ex adversitate ad Ecclesiam, sed ex adversitate ad primam Veritatem revelantem sufficienter propositam. Sic docent Suarez *disputat.* 19. *de Fide sect.* 5. *numer.* 11. Sanchez alios referens *lib.* 2. *Decal. capit.* 7. *numer.* 32. Azor. 1. *par. lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 7. Coninch *disp.* 18. *dub.* 7. *num.* 118. & Castropalaus *de Fide disput.* 3. *punct.* 2. *num.* 14.

Controvertitur tamen, an punibilis sit ab Ecclesia, ac subjaceat pœnis ab ipsa statutis contra hæreticos? Sed probabilius puto, non subjacere: ratio est, quia dissensus ille speciali revelationi nequit manifestari aliis, ut contrarius fidei: cum enim revelatio specialis facta sit dissentienti, non verò aliis, ut supponimus; inde est, quòd alii non clarè cognoscant revelationem, adeoque nequit constare illis, quòd sit verus dissensus revelationi sufficienter propositæ; ergo nequibit puniri ab Ecclesia, ut hæreticus, ac subjacere pœnis contra hæresim statutis. Secus tamen esset, si dissentiret revelationi non speciali, sed generali ab Ecclesia propositæ; & talis dissensus manifestus esset, utique subjaceret pœnis Ecclesiasticis, & ab Ecclesia ut hæreticus puniri posset: ut si diceret, non esse credendum primæ Veritati manifestanti se per privatam revelationem. Sic Suarez *disputat.* 19. *de Fide sect.* 5. *numer.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 8. *capit.* 9. *quæst.* 4. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 17. §. 1. *dub.* 2. Castropalaus *de Fide disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 15.

9 Quæres 7. An retinens interiùs fidem, & ejus assensum; eam tamen exteriùs verbo, vel facto denegans, hæresim committat, & ab Ecclesia punibilis sit, ut hæreticus? Resp. negativè: ratio est, quia hæresis debet esse peccatum fidei oppositum; ergo si fides consistit in assensu voluntario divinæ revelationi, hæresis fidei opposita consistere debebit in voluntario dissensu divinæ revelationi; ergo si non habetur voluntarius dissensus; non habebitur peccatum hæresis formalis, adeoque cessare debent pœnæ hæreticis formalibus impositæ, quæ extendendæ non erunt, nisi ad ea delicta, pro quibus impositæ fuere. Sic Suarez *de Fide disputat.* 14. *sect. ult. numer.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 7. *numer.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *numer.* 11. & Castropalaus *de Fide disputat.* 3. *punct.* 2. *numer.* 16. Adnotandum tamen pro foro externo, non esse faciliter credendum alleganti, se dixisse, vel fecisse aliquid contra fidem absque intentione, quia fidem interiùs retinebat. Nam contra ipsum stat præsumptio, quòd nemo faciat, aut dicat nisi id, quod sentiat; aliàs omnes hæretici hoc subterfugio impuniti remanerent. Sic Simancas, Repertorium Inquisitionis, Rojas, Farinacius, & alii apud Castropalaum *loc. cit. numer.* 17.

10 Quæres 8. an negans conclusionem Theologicam, deductam videlicet ex duabus præmissis una de fide, altera naturali; ut esset, qui negaret Christum esse risibilem, quæ conclusio deducitur ex illa præmissa naturali, omnis homo est risibilis; & ex alia præmissa de fide, sed Christus est homo; ex quibus præmissis evidenter infertur, ergo Christus est risibilis; an inquam negans talem conclusionem Theologicam sit hæreticus, & ut talis punibilis ab Ecclesia. Resp. non esse hæreticum, sed tamen rectè præsumi ut talem. Et quidem quòd non sit hæreticus, probatur ex eo, quia non dissentit objecto revelato, objectum siquidem hujus conclusionis theologicæ non est revelatum; ergo non erit hæreticus illam denegans: potest enim componi, quòd quis credat quidquid à Deo revelatum fuerit cum eo, quòd deneget conclusionem theologicam, quæ sibi videtur non rectè deduci ex principio revelato, & evidenti. Quòd autem præsumatur hæreticus, deducitur ex eo quia nemo præsumitur eam conclusionem denegare, quia non rectè deducitur ex principio revelato, & evidenti; sed quia non assentiatur principio revelato, & de fide; ergo rectè præsumitur hæreticus. Sic in casu posito denegans conclusionem illam, Christus est risibilis, non præsumitur eam denegare, quia non assentiatur illi principio evidenti, omnis homo est risibilis; vel quia non rectè deducatur ex illo principio revelato, Christus est homo; sed ex eo quia revera non assentiatur huic principio revelato, Christus est homo, quod est hæreticum; adeoque præsumitur hæreticus. Quod quidem peccatum denegationis hujus conclusionis Theologicæ licèt non spectet formaliter, & per se ad hæresim; spectat ad vitium curiositatis oppositum studiositati, quo imprudenter, & temere conatur scire contra id, quod receptum est ab omnibus. Per accidens tamen ratione proximi periculi labendi in errorem contra fidem spectabit ad hæresim; adeoque si in tali negatione persistet, puniendus erit, ut hæreticus. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 8. *numer.* 12. Aragonius 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. Suarez *disputat.* 19. *de Fide sect. ult. numer.* 3. & Castropalaus *de Fide disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 19.

Quæres 9. an de necesse requiratur, ut hæresis punibilis sit ab Ecclesia; quod committatur à baptizato? 11
Resp. affirmativè: nam licèt non requiratur ad peccatum hæresis baptismus, eo quia ad malitiam hæresis sufficere videtur dissensus alicui veritati revelatæ sufficienter propositæ, sive de cætero dissentiens baptismum habeat, sive non. Nihilominus ut hæresis, & quod dico de Hæresi, intelligendum puto, de Judaismo, & Paganismo; ut punibilis sit ab Ecclesia, debet committi à baptizato: ratio est, quia Ecclesia jurisdictionem non habet in non baptizatos, ut statuit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 2. adeoque illos punire nequibit; janua enim, per quam ingreditur quis in Ecclesiam Sanctam Dei, illiusque jurisdictioni subditur; est baptismus. Hinc est, quòd Cathecumenus recedens à proposito suscipiendi fidem, quam intendebat; puniri nequibit pœnis hæreticorum, cum non jam Ecclesiam ingressus fuerit, ut docent Azor. Suarez, Simancas, Sanchez, & Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat.* 3. *punct.* 2. *numer.* 20. Idem dicendum, si baptismus fuerit invalidè collatus ex quocumque defectu partis essentialis: nam nec characterem imprimit, nec constituit sic baptizatum verè membrum visibilis Ecclesiæ, ac ejus jurisdictioni subjectum. Ita rectiùs docent Suarez *disputat.* 19. *de Fide sect.* 5. *numer.* 8. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 7. *numer.* 34. & Castropalaus *loc. cit.* quamvis apud eumdem oppositum sentiant Simancas, Gabriel, Castro, Azor. & Farinacius. E contra tamen si fuerit validè collatus quocumque modo, etiam per metum, aut injuriam subditur jurisdictioni Ecclesiæ baptizatus, & ejus hæresis ab ea punibilis est. Sic *in Cap. Majores §. hunc autem de Baptism. & in Cap. Contra Christianos de Hæreticis in* 6.

Quæres 10. quid requiritur ad hoc, ut propositio 12
censenda sit hæretica? Resp. propositionem hæreticam aliam esse formalem, aliam objectivam, seu materialem. Hæretica formalis est, quæ est conjuncta in proferente illam cum pertinacia; pertinacia verò, ut diximus, non consistit in eo, quòd proferens illam acriter, & mordicus eam sustinere velit; sed quòd sciens contrarium sufficienter sibi propositum sustineri ab universali Ecclesia Christi in terris, nihilominus judicium suum præferat judicio Ecclesiæ, & à suo avelli nolit

ullo

ullo casu ; vel saltem nisi sit evidenter convictus ; sive id efficiat ex libidine contradicendi , sive ex vanagloria , aut ex alio motivo . Materialis , seu objectiva est , quando disjungitur à tali pertinacia in proferente illam . Ad utramque tamen propositionem hæreticam sive formalem , sive materialem , & objectivam ; ut hæretica sit , & dici possit , de necesse requiritur , ut habeat omnimodam contrarietatem cum objecto fidei , & quidem immediatam : ratio est , quia propositio hæretica ex D. Thoma 2. 2. *quæstion.* 11. *articul.* 2. debet objectum fidei corrumpere , ac illi esse contraria ; sed illud non corrumperet , nisi omnimodam contrarietatem immediatam cum illo haberet ; ergo ad propositionem hæreticam de necesse requiritur , ut habeat omnimodam contrarietatem cum objecto fidei ; hoc est , quòd propositio talis sit , ut ex diametro opponatur propositioni fide divina credendæ , & neget in se , & expresse , quod à Deo revelatum est : sic enim hæresis dicitur destruere objectum fidei , ac fidem corrumpere . Ita docent Castro , Canus , Turrecremata , Simancas , Albertinus , Pegna , Cajetanus , Bannez , Lorca , Torrez , Suarez , Coninch , quos refert , & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct. 1. numer. 2. & 3.* Hinc deducunt , omnem propositionem hæreticam habere æqualem gradum falsitatis , eo quia æqualem gradum certitudinis habet omnis propositio revelata : nam certitudo fundatur in infallibilitate Divinæ revelationis , quæ infallibilitas eadem est in omnibus revelationibus.

Jam verò Propositio multipliciter apponi poterit , ac contradicere objecto fidei : nempe directè , & immediatè ; vel indirectè , & mediatè ; insuper certò contradicere poterit , vel probabiliter , aut secundum apparentiam . Quapropter juremerito distincta fuit Propositio contraria fidei in Hæreticam , Hæresi proximam , Erroneam , Errori proximam , Sapientem hæresim , malè sonantem , Pias aures offendentem , Temerariam , Scandalosam , Suspectam , Blasphemam , Schismaticam , Seditiosam , Impiam , Laxam , Levem , Improbabilem . Sic colligitur ex Concilio Constantiensi *session.* 8. *in Decreto damnante articulos Wicleph. & session.* 11. *in Decreto damnante errores Joannis Hus* ; & ex Bullis Sanctis Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaelem Bajum.

Propositio hæretica , ut diximus illa est , quæ directè , & immediatè apponitur omnimoda contrarietate objecto fidei , ac revelato . Hæresi proxima est , quæ est contraria illi , quæ à plerisque habetur tamquam de Fide ; vel per evidentem consequentiam infertur ex una de fide , & altera indubitata . Erronea dicitur , quæ non immediatè , sed mediatè contradicit objecto fidei : non enim negat objectum in se revelatum , sed revelatum in sua causa . Sic negans Christum esse risibilem , non esset hæreticus , sed Erroneus , seu erraret in fide : nam negaret propositionem revelatam in sua causa metaphysica , nempè in ea , quod verus homo sit , & omnis homo est risibilis . Errori proxima est , quæ contradicit conclusioni , quæ à multis licèt non ab omnibus habeatur ut Theologica . Sapiens hæresim dicitur , quæ contradicit objecto fidei non per consequentiam evidentem , sed probabilissimam , & moraliter certam : ut docent Suarez *de Fide disputat. 19. sect. 2. numer.* 12. Lorca *disputat.* 40. *numer.* 10. Coninch *disputat.* 18. *dub.* 8. *numer.* 131. & Castropalaus *disputat. 3. punct. 1. numer.* 5. Malè sonans est illa , quæ duplicem sensum habet , catholicum unum , hæreticum alterum ; sed quia frequentiùs accipitur in sensu hæretico , ideo absolutè prolata malè sonare dicitur . Sic Lorca *loc. cit. numer.* 15. Coninch *loc. cit. numer.* 133. Castropalaus *loc. cit. numer.* 6. & Suarez *loc. cit. numer.* 18. qui advertit , aliquando propositionem esse malè sonantem non ex se , sed ex conditione personæ proferentis illam , eo quia suspecta sit . Piarum aurium offensiva est , cum in materia Religionis dicitur aliquod , si non falsum , indecens tamen : ut si quis diceret , hodie est Festum Meretricis , aut publici Usurarii , intelligendo pro Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ , & D. Matthæi . Temeraria dicitur , quæ procedit sine regula rationis in rebus ad fidem spectantibus , vel ad bonos mores : quapropter propositio in materia fidei , vel morum procedens contra receptam Doctorum sententiam , regulariter censenda erit procedere temere , & absque fundamento , ac regula rationis ; dum præsumit , tot viros doctos fundamento , ac ratione caruisse ; & sufficiens motivum dat , quòd potiùs ipsa fundamento , & ratione careat ; vel quod non percipiat fundamentum aliorum . Sic Suarez *loc. cit. numer.* 20. Coninch *loc. cit,* & Castropalaus *loc. cit. numer. 7.* Scandalosa est , cum dat occasionem aliis errandi , vel malè sentiendi in fide ; scandalum namque ruinam proximo parat : adeoque propositio , quæ in materia fidei , vel morum parat aliis occasionem errandi , scandalosa in fide dici debet . Suspecta est , quę licèt in rigore grammaticali vera esse possit , attamen videtur innuere hęresim latentem . Blasphema dicitur illa , quę injuriam aliquam continet contra Deum , vel Sanctos . Schismatica est , quę sine hęresi potest inducere , vel promovere Schisma . Seditiosa est , quę concitare potest seditionem contra Superiores Ecclesię , aut Rempublicam . Impia dicitur illa , quę opponitur Cultui debito Deo , aut Sanctis , Laxa , quę est licentiosa , & favet libertati. Levis , quę levi tantùm fundamento nititur ; & assentientes ei dicuntur leves in judicando . Improbabilis denique illa est , quę nititur motivo fallibili , non gravi , sed simpliciter indigno , ad hoc ut per illud prębeatur assensus.

Adnotandum hìc 1. Inter malitias harum propositionum dari magis , & minus ; sic malitia propositionis hęreticę major erit prę erronea ; & malitia erroneę prę sapiente hęresim ; & sic de reliquis ordine suo . Adnotandum 2. Eamdem propositionem posse habere plures ex enumeratis malitiis, e. g. Malesonantem , Temerariam , & Scandalosam . Adnotandum 3. Non solùm committi posse errorem in proferendis propositionibus , quas hucusque enumeravimus , verum etiam in censura danda ipsis . Quapropter magna cautela procedendum est in propositionibus qualificandis , ac magna prudentia : nam si quis propositionem de fide qualificaret ut falsam , hęreticus esset : sic etiam si conclusionem Theologicam qualificaret ut erroneam , erroneus esset ; vel si sententiam in Scholis ut probabilem receptam qualificaret ut improbabilem sine evidenti fundamento , temerarius esset , & sic de reliquis : ratio est , quia virtualiter opponeretur illis , ultra notam infamię, quam illis innuereret . Hinc est , quòd Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct. 1. numer. 9. in fine* rectè doceat , quòd censurę datę Propositionibus per definitionem Ecclesię , de fide censendum sit , convenire illis ; aliàs Ecclesia subjacere posset errori in iis , quę ad fidem , & bonos mores spectant.

Quęres 11. An omnis hęresis , & apostasia subjecta sit pœnis Ecclesiasticis ? Resp. quamvis doctissimi viri , & non pauci sustineant , omnem hęresim , & apostasiam , etiam purè mentalem , & in solo corde consummatam subjacere pœnis jure Ecclesiastico contra hęreticos , & apostatas introductis . Nihilominus probabiliorem , & veriorem reputo sententiam denegantem , hęresim , & apostasiam purè mentalem , ac internam subjacere illis : ratio est , quia talis actus purè internus , ac in corde consummatus non est visibilis , nec judicabilis à visibili Ecclesia ; ergo subjici nequit ejus jurisdictioni , & punitioni . Secus tamen esset , si talis actus interior in actum externum prodiret , etiam occultissimum , & nulli alteri cognitum ; tunc subjaceret illis , ac jurisdictioni Ecclesię : ratio est , quia per se cognoscibilis esset ab Ecclesia , esto per accidens testes deficiant ad illum comprobandum . Sic Suarez , Bannez , Valentia , Sanchez , Simancas , Barbosa , Farinacius , quos refert , & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 3. punct. 2. numer.* 1. 13

Si autem petas : quænam verba , & facta sufficientia sint ad exteriùs manifestandam interiorem hæresim ? Resp. talia esse debere , ut sint in Materia hæresis grave peccatum : eo quia puniri nequit excommunicatione , & aliis gravibus pœnis nisi id , quod grave peccatum est . Insuper ut sint satis ex- 14

preſſiva interioris hæreſis, ſive ex ſe, ſive ex qualitate perſonæ, ſive ex circumſtantiis adjunctis: eo quia niſi eſſent ſufficientia ad hæreſim exteriùs integrè declarandam; non redderent illam cognoſcibilem, & per conſequens punibilem ab Eccleſia. Sic Suarez *diſputat.* 21. *de Fide ſection.* 2. *numer.* 9. Sanchez *libr.* 2. *Decal. cap.* 8. *numer.* 7. Sà *verb. Excommunicatio Bullæ numer.* 2. & Caſtropalaus *de Fide diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 2.

15 Hinc fit: cenſendum eſſe verum hæreticum exteriorem, qui hæreſim internam verbo, facto, aut omiſſione declarat, ex quibus hæreſis ſuſpicio gigneretur: ſic eſſet, ſi quis hæreſim internam haberet, & ea diceret, faceret, aut omitteret, quę hęretici, aut apoſtatantes à fide in ſuis ritibus, & ceremoniis dicere, facere, aut omittere conſueverunt, aliàs ut rectè obſervat Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 8. *numer.* 15. numquam hęretici poſſent dici manifeſti. Sic etiam eſſet, ſi quis uxoratus ſcienter aliam uxorem duceret vivente prima; ſufficientem namque preſumptionem hęreſis daret, eamque exteriùs manifeſtaret, ſi interiùs culpabiliter eam haberet: ut docent Menochius, Pegna, & Farinacius cum Caſtropalao eos referente *de Fide diſputat.* 3. *puuct.* 3. *numer.* 4. quapropter de hac cauſa Inquiſitores cognoſcere ſolent. Idem dicendum de comedente carnes diebus vetitis abſque ulla occaſione; ſuſpectus namque redditur, quòd non bene ſentiat de Preceptis Eccleſię; & ſi hęreticus internus eſt in hoc, ſufficienter ſe exteriùs declarat: quamvis ſi aliqua prętendi poſſit occaſio, ceſſat manifeſtatio hæreſis. Sic Pariſius, Farinacius, Pegna cum Caſtropalao *loc. cit.* De ſignis, quibus cognoſci poſſunt profeſſores variarum Sectarum; doctè pertractant Pegna *in ſuo Directorio* 3. *par. Comment.* 23. *numer.* 109. & Farinacius *de Hæreſ. quæſt.* 178. §. 6. *numer.* 138.

16 Quęres 12. Quiſnam ſit Hęreticus, aut Apoſtata affirmativus; quiſnam verò Negativus? Reſp. communiter Jurisperitos eum dicere hęreticum, aut Apoſtatam Affirmativum, qui hęreſim, aut Apoſtaſiam interiùs conceptam, ac conſummatam exteriùs verbo, vel opere manifeſtat. Negativum verò, qui hęreſim, de qua legitimè convictus remanet, denegat. Sic Farinacius plures referens *de Hæreſi quæſtion.* 178. §. 1. *numer.* 19. Duo autem requiruntur, ut quis damnetur tamquam hęreticus negativus, ac tradatur puniendus Curię Sęculari. 1. ut manifeſtaverit ſuam hęreſim verbis, vel factis patentibus, & claris. 2. ut manifeſtatio conſtet per teſtes conteſtes, & omni exceptione majores. His enim ſtantibus clarè conſtat, denegantem hęreſim nolle relinquere eam, ſed impœnitentem perſeverare, eamque denegare, ne cogatur ad abjurationem. Sic Albertinus, Rojas, Farinacius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Fide diſputat.* 3. *punct.* 3. *numer.* 5. Si verò teſtes ſingulares ſint, nequit ut hæreticus negativus damnari, nec tradi Curię ſęculari; ſed torqueri poterit ad veritatem excavandam; & ſi in negativa perſtiterit poſt torturam, non ideo purgavit indicia; ſed cogendus ad abjurationem, aliaſve pœnas Judicis arbitrio imponendas. Sic Pegna 3. *par. Direct. comm.* 121.

CAPUT VIII.

De obligatione denunciandi Hęreticos, & Apoſtatas; & de Credentibus, Faventibus, Receptantibus, & Defendentibus hęreticos; ac de eorum pœnis.

1 *Denunciatio Hæreticorum, & Apoſtatarum à fide, quando urget obligatio eam faciendi; debet eſſe Judicialis, & quomodo differat ab Accuſatione.*
2 *Obligatio iſta denunciandi eſt non ſolùm de Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino.*
3 *Ab obligatione denunciandi hæreticos, & Apoſtatas à fide nemo excluditur.*
4 & 5 *Diluuntur, quæ obſtant in contrarium.*
6 *Non ſolùm denunciandus eſt hæreticus, ſed etiam leviter ſuſpectus de hæreſi.*
7 *An ſit denunciandus hæreticus occultus ſoli denunciaturo cognitus?*
8 *An urgeat obligatio denunciandi hæreticum occultum jam emendatum?*
9 *An accipiens hæreſim ſub ſecreto naturali jurato teneatur eam denunciare?*
10 *An ſit obligatio denunciandi ſocios criminis hæreſis?*
11 *An damnum emergens ex denunciatione deobligeț ab illa?*
12 *An denunciandi ſint Inquiſitoribus ii, qui ipſis non ſubduntur?*
13 *Quas pœnas incurrunt non denunciantes obligati ad denunciandum?*
14 *Quinam dicantur Credentes Hæreticis?*
15 *Tria deducuntur ex dictis.*
16 *Quænam ſunt ſigna, quibus manifeſtatur conſenſus internus Credentis hæretico?*
17 *Quinam dicantur Fautores hæreticorum in cauſa hæreſis?*
18 *Quinam Receptatores hæreticorum in cauſa hæreſis?*
19 *Quinam Defenſores hæreticorum in cauſa hæreſis?*
20 *Per quas actiones poſſit quis dici, & cenſeri Fautor hæreticorum?*
21 *An ſi perſona privata omittat capere, vel indicare hæreticum, cum poſſit; vel jam captum, & ſibi commiſſum diligenter non cuſtodit, cenſeatur favere hæretico?*
22 *An favor, receptatio, aut defenſio hæretici debeant de neceſſe fieri ex animo favendi hæreſi, ut quis fautor hæretici dicatur, an ſufficit, quòd redundet in favorem hæreſis?*
23 *Adnotantur aliqua.*
24 *An ſi favor præſtitus hæretico effectum non habeat, eximat ab incurrendo pœnas?*
25 *An favor præſtari debeat hæretico verè tali, an verò ſufficit, ſi ſit jure præſumptus?*
26 *Pœnæ impoſitæ fautoribus hæreticorum.*
27 *Adnotantur aliqua circa incurrendum has pœnas.*
28 *Fautores, Receptatores, & Defenſores hæreticorum incurrunt etiam ſuſpicionem hæreſis.*
29 *Aliæ pœnæ ſpeciales contra Epiſcopos, Principes, & Magiſtratus faventes hæreticis.*

DENUNCIATIO Hæreticorum, & Apoſtatarum à fide, quando urget obligatio eam faciendi; debet eſſe Judicialis, & publica, hoc eſt, facienda erit coram Quæſitoribus Sacræ Fidei, ad quorum Tribunal ſpectat cognitio ſimilium delictorum; & debet eſſe ordinata ad bonum externum publicum, & ideo publica dicitur ad differentiam denunciationis privatæ, quæ reſpicit bonum proprium, & particulare denunciantis. Differt Denunciatio ab Accuſatione, eo quia accuſator tenetur probare crimen accuſati; ſecus verò denuncians non tenetur probare crimen denunciati. Modus autem faciendi denunciationem apud Judices, ad quos ſpectat; ſic uſu comprobatur, quòd verbo, vel ſcripto fiat, prout magis denuncianti placuerit. Nec coram teſtibus fieri debet, ſed ſufficit, quòd ab Inquiſitore medio Secretario recipiatur. Sic ex Julio Claro, Suarez, & Farinacio docet Caſtropalaus *de Fide diſputat.* 3. *punct.* 4. *numer.* 3. Illud tamen advertendum diligenter, non poſſe Inquiſitorem procedere ad inquirendum, aut examinandum teſtes, ſi denunciatio fiat per Epiſtolam, in qua licèt nominentur teſtes, nomen tamen denunciantis non fuerit ſubſcriptum: eo quia denunciatio illa nullius effectus reputanda eſt, ac ſi facta non fuiſſet; ne præbeatur anſa improbis viros probos infamandi. Sic ex Farinacio, Simanca, Lælio, Zechio, & Ludovico Paramo docet citatus Caſtropalaus. 1

Obligatio denunciandi hæreticos, & apoſtatas non ſolùm eſt de Jure poſitivo Eccleſiaſtico, ut patet *ex Cap.* 2. *de Hæretic.* & ex aliis Conſtitutionibus Pontificiis; verum etiam de Jure Divino, quod ſi præcipit denunciare conjunctos in ſtrictiſſimo vinculo ſanguinis, ut patet *ex Cap.* 13. *Deuteronomii*, 2

ubi

ubi præcipit Deus denunciare filium, Uxorem, fratrem, si persuadeant deserere verum Deum; à fortiori præcipit denunciare reliquos non ita conjunctos: & omnis hæreticus cum veram, & rectam fidem non teneat, Deum deserit.

Ab obligatione denunciandi hæreticos, & apostatas à fide nemo excluditur: quapropter id præstare tenentur Minores, Mulieres, infames, quamvis infames non admittantur, si in suis criminibus persistant; tunc enim præsumerentur pravo fine, & non bono zelo denunciare: ut rectè advertit Glossa *in Cap. Si peccaverit* 2. *quæstion.* 1. Nec eximuntur filii ab obligatione denunciandi Patrem hæreticum, aut Matrem; nec frater ad denunciandum fratrem hæreticum, aut Sororem; nec maritus ad denunciandam Uxorem hæreticam; aut Amicus amicum hæreticum. Idem dicendum de correlativis, Pater siquidem non eximitur ab obligatione denunciandi filios hæreticos; nec Uxor à denunciando Maritum hæreticum: ratio est, quia bonum commune Reipublicæ, & Fidei prævalere debet bono speciali, & privato: cum igitur hæresis morbus adeo contagiosus, & exitialis sit, ut serpere possit, ac inficere alios, nisi remedia apponantur per Superiores, ad quos spectat inquirere, & mederi, ideo jure optimo ab ipsis præcipitur denunciatio sub gravi obligatione, & omnes tenentur obedire: ut rectè docent Suarez, Fagundez, Valentia, Layman, & alii, quos refert, & sequitur Mendo *in Statera dissertat. 1. quæstion.* 10. Satis colligitur prædicta doctrina *ex Cap. 13. Deuteronomii citati*: ubi tamquam Lex à natura indita dicitur: Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius Matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens: Eamus, & serviamus Diis alienis &c. Non miserearis, ut occultes eum. Et quamvis prædicta verba loqui videantur de hæretico prævaricatore, non vero de inferente sibi tantum damnum, nihilominus experientia docet, numquam hæreticos esse sibi tantùm damnosos, non verò aliis. Adde, quòd obligatio non consurgit ob injuriam sibi factam, sed Religioni, quæ in utroque hæretico militat: ut bene expendit Castropalaus *de Fide disputat.* 2. *punct.* 4. *numer.* 12.

4 Nec obstat 1. Quod reverentia debita à filio Patri videtur eum eximere à tali obligatione: maximè quia nulla mentio in lege Deuteronomii facta est de filio respectu patris. Contra enim est, quia non est contra reverentiam parenti debitam quærere ejus spiritualem utilitatem, ac ejus peccata impedire, & semper damnum commune præferendum est speciali, defacto enim tenetur filius ad patrem denunciandum committentem crimen læsæ Majestatis humanæ, adeoque à fortiori tenebitur, si crimen læsę Majestatis Divinæ commiserit. Quòd autem non fiat expressa mentio hujus obligationis in Deuteronomio, non facit, quin fiat virtualiter, & ex Regulis communibus Correlativorum. Sic Castro, Mascardus, Paramus, Zechius, Farinacius, Pegna, Suarez, Toletus, Bonacina, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct.* 4. *numer.* 14. Azor. Raynaudus, Baldellus, Hurtadus, Sanchez, quos sequitur, & refert Mendo *in Statera Dissert.* 1. *quæstion.* 15. Advertit 1. citatus Castropalaus ex Roja, & Farinacio, mitiùs puniendum esse patrem ob delationem filii, ne puniatur in patre filius deferens. Advertit 2. ex Pegna, Castro, & Suarez remanere immunem filium in præmium delationis à pœnis à Jure statutis contra filios hæreticorum, aliàs impediretur delatio.

5 Nec obstat 2. Quod Uxor sit una caro cum Marito, adeoque exempta videtur ab obligatione eum denunciandi, aliàs teneretur denunciare seipsam: maximè quia non est expressa in Deuteronomio. Contra enim est, quia etiam in Uxore, & Marito valet Regula Correlativorum; adeoque virtualiter exprimitur in Deuteronomio. Nec per hoc, quòd dixerit Deus unam carnem Maritum cum Uxore, exemit Maritum ab obligatione deferendi Uxorem, sed expressè hoc præcepit in Deuteronomio citato; ergo ratio adducta non est sufficiens ad eximendum: quidquid in contrarium dixerint nonnulli.

Denunciandus non solùm est hæreticus; verùm 6
etiam de hæresi leviter suspectus; nec præmittenda est ad denunciationem Correctio fraterna, uti voluere nonnulli. Sic statutum est in Generali Congregatione Sacræ Inquisitionis Romanæ die 8. Julii 1660. approbante Sanctissimo Domino Alexandro VII. Denunciandus quoque est hæreticus, qui evidenter constat esse tales denuncianti, quamvis probare non possit; damnata siquidem fuit ab eodem Pontifice in Congregatione Generali Sacræ Inquisitionis die 24. Septembris 1665. Propositio asserens: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum; non teneris denunciare, si probare non possis.*

Sed petes 1. An sit denunciandus hæreticus oc- 7
cultus, & nulli alteri cognitus, nisi denunciaturo? Resp. affirmativè: ratio est, quia sic exposcit bonum commune, & ipsius delinquentis: impeditur namque per denunciationem, virtute cujus agere possunt Inquisitores, ne hæresis serpat, & alios inficiat; serpere namque potest, & alios inficere. Insuper hæreticus sic occultus videns se denunciatum continebitur ab inficiendo, & resipiscet ab occulto suo morbo. Sic omnino sustinendum est cum Azorio, Sanchez, Simanca, Roja, Suarez, Bonacina, Scaccia, Farinacio, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct.* 4. *numer.* 2. Advertendum tamen est, hanc obligationem esse de hæretico propriè tali, & pertinaci; non verò de illo, qui per ignorantiam, aut metum incidit in hæresim; & de quo præsumi potest emendatio statim facienda per monita: ut si Concionator inter concionandum ex inconsideratione, & incuria in aliqua minùs consona proruperit: præsumitur namque non ex animo contradicendi Ecclesiæ ea protulisse; nisi aliud audienti apertè constaret. Sic ex Toleto, Farinacio, & Bonacina advertit citatus Castropalaus.

Major controversia est: an urgeat obligatio de- 8
nunciandi hæreticum occultum, jam emendatum; & de quo timeri nequeat infectio, cum jam damnum reparatum sit, nec prudenter timeri possit repullulatio; an inquam denunciandus sit ab occultè sciente illum? Resp. quamvis Suarez *disputat.* 20. *de Fide section.* 4. *numer.* 13. satis probabiliter docuerit, denunciandum esse: eo quia non videtur obtentus finis publicæ correctionis, & securitatis fidelium per emendationem illam, nisi etiam fiat ab Inquisitoribus. Nihilominus sua probabilitate non caret sententia docens, finem in delictis occultis, & secretis non esse correctionem publicam, eo quia damnum non est publicè illatum; aliunde securitas fidelium, si jam sufficienter reus occultus emendatus sit; habetur: non est ergo, cur per Inquisitores fidei corrigendus, & puniendus sit habitis iis. Sic Sà, Toletus, Sotus, Navarrus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct.* 4. *numer.* 7. Confirmatur 1. Quia denunciatio judicialis tunc facienda est, quando punitio delicti denunciati intendi potest à Judicibus *ex Cap. Inquisitionis §. Tertio De Accusat.* sed in casu nostro intendi nequit à Judicibus: nam intendi non potest in satisfactionem Reipublicæ, cum crimen occultum sit, nec injuria Reipublicæ facta; nec intendi potest ob emendationem delinquentis, aut reparationem damni, quas supponimus factas; ergo nequit intendi à Judicibus; sicuti nequit intendi ab ipsis, quando non datur locus emendationi, aut reparationi damni ob mortem delinquentis. Confirmatur 2. Quia in dubio an Judex procedat ad vindictam delicti commissi in satisfactionem Reipublicæ, an verò ad correctionem delinquentis? probabilius reputatur procedere in correctionem, & emendationem delinquentis; talis siquidem finis cum benignior sit, convenientior erit Ecclesiæ, quæ defacto per Censuras procedit ordinatas ad delinquentis correctionem. Sic Avila, Suarez, Filliuccius, Bonacina, Barbosa relati à Castropalao eos sequente *loc. cit. numer.* 8.

Petes 2. An accipiens hęresim sub secreto natu- 9
rali jurato teneatur hęreticum denunciare non obstante secreto naturali, & juramento? Resp. affirmativè, dummodo hęreticus pertinax sit: ratio est,

est, quia obligatio servandi Secretum naturale adstringere nequit cum detrimento Religionis, ac boni communis; esset enim obligatio ad rem illicitam, & malam, ac contra jus ipsum naturale, quod semper prospicit bono communi. Idem dicendum de Juramento, quod nequit esse vinculum iniquitatis, & rei illicitę, ac malę. Hinc est, quod excepto sigillo confessionis, nequeat aliud quodcumque secretum deobligare à denunciando hęretico pertinaci. Sic *ex argument. Cap. Intimavit, de Testib. & Cap. Non est obligatorium, de Regul. Jur. in 6.* colligunt Lazarius, Bonacina, Pegna, Rojas, Farinacius, Suarez, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disput. 3. punct. 4. numer.* 10.

10 Petes 3. An sit obligatio manifestandi socios criminis hæresis? Resp. regulariter loquendo non adesse obligationem manifestandi complicem, vel complices criminis hęresis per depositionem testis legitimi, aut denunciationem: quia esset manifestare seipsum, complices namque legitimè interrogati tenerentur etiam manifestare ipsum denunciantem. Sic Suarez *disput.* 20. *de Fide sect. 4. numer.* 19. & Castropalaus *de Fide disput. 3. punct. 4. numer.* 11. Cęterum si ut reus interrogetur à Judice in judicio, tenebitur complices manifestare: eo quia tenetur ad integrè confitendum delictum suum, quando est legitimè interrogatus à Judice. Sic ex Suarez, Navarro, & Sayro docet citatus Castropalaus.

11 Petes 4. An damnum emergens ex denunciatione sit ratio sufficiens ad eximendum ab obligatione faciendi eam? Resp. Diligenter considerandum esse in hac re damnum, quod sequi posset ex denunciatione, ac accuratè examinandum, an majus sit illud, quod obvenire posset bono communi ob omissionem denunciationis: nam si majus foret damnum commune, præ damno privato denunciaturi; utique teneretur hic ad denunciandum non obstante suo damno privato: cum semper bonum commune præferendum sit privato, maximè si nulla alia via impediri posset, nisi per denunciationem. Sic expressè Rojas *singul. 3. numer.* 30. & Castropalaus *de Fide disput. 3. punct. 4. numer.* 10. Si verò non esset ita grave damnum communitatis, & boni publici, ut esset damnum notabiliter præponderans denunciaturi; vel damnum Communitatis posset alia via impediri; tunc ex benignitate præceptorum Divinorum, & Ecclesiasticorum, quæ cum tanto dispendio gravi, & notabili rei familiaris, honoris, & vitæ obligare non solent; videretur exemptus à denunciatione facienda. Cæterùm in hoc magna cautela procedendum, nec debet quis proprio judicio, & prudentiæ confidere, sed consilio piorum, & Doctorum Virorum, maximè si hæretici sint dogmatizantes. Sic Pegna, Scavia, Barbosa, Genuensis, Ugolinus, Possevinus, Bonacina, quos refert, & sequitur citatus Castropalaus.

12 Petes 5. An urgeat obligatio denunciandi Inquisitoribus eos, qui ipsis non subduntur? Resp. adnotando priùs eximi à Jurisdictione Inquisitorum Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, & Cardinales; non enim de ipsis inquirere, aut judicare possunt Inquisitores fidei, ut expressè traditur *in Cap. Inquisitores de Hæretic. in 6.* Nomine Episcopi veniunt etiam Titulares, si consecrati sint; quia sunt verè Episcopi; si verò Episcopi non sint consecrati, sed electi tantùm, nec eorum electio confirmata à Summo Pontifice; hoc privilegio non gaudent, cum adhuc non habeant jurisdictionem Episcopalem. Secus verò post confirmatam à Pontifice electionem, etiamsi dum consecrati non fuerint; jurisdictionem acquirunt. Sic Molina *tom. 5. tract. 5. disput. 27. numer.* 19. Simancas *de Cathol. Instit. cap. 15. tit. 25. numer.* 11. & Castropalaus *de Fide disput. 3. punct. 4. numer.* 18. Eximuntur insuper à jurisdictione Inquisitorum Nuncii, seu Officiales Pontificis, qui dum officio funguntur, nequeunt judicari ab Inquisitoribus Ordinariis; nisi de expressa facultate Summi Pontificis: poterunt tamen Inquisitores contra eos inquirere, ut certiorem faciant Summum Pontificem; ut dicitur *in Extravag. Joannis XXII. Cum Matthæus de Hæreticis*: Dicuntur autem Nuncii, seu Officiales Pontificis illi tantùm, qui designati sunt pro causis ad Sedem Apostolicam spectantibus, & in favorem illius, non verò qui designati sunt à Sancta Sede pro causis ad privatorum utilitatem spectantibus: ut ex Lapo, Decio, Pegna, & Molina docet Castropalaus *de Fide disp. 3. punct. 4. num.* 19. His adnotatis

Dicendum: adesse obligationem denunciandi Inquisitoribus hæreticos exemptos ab eorum jurisdictione: ratio est, quia etiamsi talis denunciatio non possit accipi ab Inquisitoribus ut talis, accipi tamen potest, ut depositio testis; habent enim Jurisdictionem, & potestatem accipiendi depositionem à testibus factam: ut constat *ex Cap. Inquisitores de Hæretic. in 6.* ad quos postea spectabit transmittere ad Pontificem depositionem factam; aliunde tenetur denuncians ad efficax remedium dandum hæresi, quantum est ex parte sua, ne morbus serpat, & inficiat: maximè si periculum sit in mora, & timeatur fuga, aut damnum notabile in Ecclesia; ergo tenetur ad denunciationem, aut depositionem faciendam Inquisitoribus contra exemptos. Sic innuit Suarez *disputat. 20. de Fide sect. 4. numer.* 23. & expressè Castropalaus *de Fide disp. 3. punct. 4. numer.* 20.

Petes 6. Quas pœnas incurrant non denuncian- 13
tes, cum ad denunciandum obligantur? Resp. incurrere 1. Excommunicationem, quæ licèt ex Jure communi videatur ferenda; attamen ex Edictis Sancti Officii apertè constat, esse latam, & reservatam, à qua absolvi non possint, nisi denunciaverint. 2. Reddi suspectos de hæresi. Sic *in Repert. Inquis. verb. Fautores* versic. *Item in judicatione*: hoc tamen intelligendum est, quando ex nulla causa probabili omissionem denunciationis excusare poterit; vel legitimè in judicio interrogati veritatem celaverint; in quo casu erunt de hæresi vehementer suspecti, ut benigniùs docent Rojas, Pegna, Farinacius, Dacianus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct. 4. numer.* 21. 3. Si non denunciantes tenentur ex Officio, vel juramento præstito ad denunciandum, ut sunt Familiares Sancti Officii; damnandi erunt ut Fautores hæreticorum, eorumque pœnas incurrent, de quibus infrà. Sic ex Daciano, Toleto, Ugolino, Farinacio, Sanchez, docet Castropalaus *loc. cit. in fine.*

Credentes hæreticis illi dicuntur, qui assentiun- 14
tur eorum erroribus, sive in particulari, sive in communi; sive expressè, sive confusè, dummodo tamen exterius per signa manifestent talem assensum. Et quamvis ut tales etiam inter hæreticos externos connumerandi sint; nihilominus per distinctam Clausulam ab hæreticis apponi solent in Bulla Cœnæ Domini majoris claritatis gratia. Sic Navarrus, Suarez, Ugolinus, Sanchez, Bonacina, Pegna, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 3. punct. 5. numer.* 1.

Hinc deducitur 1. Necessarium esse, ut assensus 15
præstitus à Credente errori hæretici exprimatur per signum aliquod externum, aliàs sic credens puniri nequibit ab Ecclesia. 2. Sufficere, ut quis credens hæretico dicatur, si sciat illum hæreticum esse; & nihilominus credat, rectam fidem habere, quamvis in particulari nesciat ejus errores; vel si dicat, se credere, quidquid ille credit. 3. habere eum animum in audiendis prædicationibus, aut lectionibus hæretici, ut si errores dicat, eis præbeatur assensus; esse sufficiens motivum, ut quis credens dicatur, & sit; etiamsi animus habeatur sub conditione, si placuerint rationes hæretici: nam ob animum illum dubium fides amittitur: ut docet Suarez *de Fide disputat. 24. section. 1. numer. 3.*

Signa autem, quibus manifestatur sufficienter con- 16
sensus internus præstitus à Credente errori hæretici, sunt ea verba, & facta, ex quibus gravis suspicio hæresis nasci potest, & quę explicat Farinacius *de Hæres. quæst.* 181. *numer.* 110. An autem semel, vel bis concionem hęretici audire sit motivum sufficiens ad dijudicandum aliquem tamquam illi credentem; valide controvertitur. Nihilominus placet distinctio illa, si hoc eveniret in Regnis hæreticorum, ubi Catholicus audiret; vera est sen-

tentia

tentia asserens; per geminum actum hujus auditionis non esse damnandum ut credentem hæretico. Si verò id contingeret in Regnis Catholicorum, ubi secreta haberentur, & occulta conventicula hæreticorum, etiamsi semel audiret, & non denunciaret; suspicione hæresis non careret, nisi attenta qualitate personę ignorantia non excusaret. Sic Pegna, Azor. Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 5. num. 2.*

17 Fautores hæreticorum illi dicuntur, qui scienter hæreticis favent in causa hæresis, hoc est, quòd sciant esse hæreticos, & pariter sciant, esse hæresim illam causam, in qua eis favent. Favor autem hic præstari eis poterit recipiendo eos hospitio; & tunc Fautores receptatores hæreticorum dicendi sunt, qui hunc favorem eis præstant. Præstari insuper poterit favor hæreticis defendendo eos in judicio, vel extra, ne puniantur; & tunc Fautores defensores hæreticorum dicendi erunt. Denique poterit favor hæreticis præstari in causa hæresis omittendo ea, quæ facienda sunt; vel committendo ea, quæ vitanda sunt; & tunc Fautores hæreticorum tantum dicuntur. Ut autem in hac re distinctiùs, & clariùs procedamus, singillatim dicemus de Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus hæreticorum in causa hæresis.

18 Receptatores ergo hæreticorum in causa hæresis erunt illi, qui fugientem hæreticum ob hæresis causam hospitio recipiunt, sive domi suæ, sive agro, sive Civitate, sive alio loco sub cura sua. Sic docent Suarez *disp. 24. de Fide sect. 1. num. 4.* Pegna 2. *par. Direct. quæst. 51. comm. 76.* Ugolinus *verb. Receptatores in princip. num. 1.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 10. n. 10.* sive receptatio occulta sit abscondendum, sive publica ad reddendum immunem, quæ detestabilior est, ut testantur Calderinus, Pegna, & Farinacius relati à Castropalao *de Fide disp. 3. pun. 5. numer. 4.* sive hæreticus denunciatus sit talis, sive non; dummodo constet receptatori esse hæreticum. Sic Suarez, Sanchez, & Bonacina ab eodem Castropalao *loc. cit.* relati; sive pro una vice tantùm receptatio fiat, sive ad plures vices: nam licèt receptatio grammaticaliter accepta frequentationem, & iterationem significet; non sic verò in præsenti secundum Ecclesiæ morem: ut bene tradunt Pegna, Sanchez, Ugolinus, Suarez, & Farinacius relati à Castropalao *loc. cit.* ultra Doctores, quos ipsi afferunt.

19 Defensores hæreticorum illi dicendi erunt, qui vel errorem ab hæretico prolatum, ut sanam doctrinam defendunt; vel verbis laudant, aut scriptis commendant; aut argumenta faciunt in erroris defensionem, & objectiones in contrarium dissolvunt. Qui quidem modus hæreticos defendendi pernicioſior, & detestabilior est; sive de reliquo sic defendens assensum præbeat ipsi errori, sive non: quamvis in foro externo violenter præsumatur hæreticus, & ut talis damnandus: *ut ex Cap. Qui aliorum 24. quæst. 3.* docent Eymer 2. *par. Director. quæst. 52.* Pegna *comment. 77. in princip.* & Farinacius alios referens *quæst. 182. num. 62.* Insuper Defensores hæreticorum dicendi erunt, si eorum personas defendant ob causam hæresis, ut si impediant, ne capiantur; aut capti liberentur, ne corrigantur; quocumque modo id efficiant vi, dolo, potentia, muneribus: ut rectè adnotat Farinacius *loc. cit. §. 7.* Imò censendi etiam erunt defensores hæreticorum, qui impediunt volentes impedire hæreticum, ne suos hæreticales actus faciat, ut sic liberè illos exerceat. Sic idem Farinacius *quæst. 181. numer. 65.* Defendere verò personam hæretici non ob causam hæresis, sed ob aliam causam; ne scilicet injustè aggrediatur à latrone, sicario &c. Non est defensio, de qua agimus; imò justa, & laudabilis est: ut ex Toleto, Suarez, & Farinacio docet Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 5. numer. 5.*

20 Fautores hæreticorum dicuntur in causa hæresis illi, qui favorem eis præstant in dicta causa: est 1. omittendo ea, ad quæ tenentur; ut si non capiant, non indicent, non diligenter custodiant, non puniant, cum capere, indicare, diligenter custodire, ac punire teneantur. 2. committendo ea, à quibus abstinere debent; ut si non abstinerent à verbis, sed ea proferrent quibus affirmarent hæreticum illum, quem ut talem sciunt, esse virum probum, injustè damnatum; aut si consilium illi præbeant, ut sic errores suos tergiversare possit, ac condemnationem, & pœnas evitare. Vel si non abstinerent à factis, sed hæreticum occultarent, & absconderent aliquo in loco; alimenta ei subministrarent; auxilium præberent, ut effugeret; ejus processum absconderent, aut falsificarent; vel similia efficerent, quibus retardaretur Tribunalis Inquisitionis Officium: ut docet Farinacius innumeros referens Doctores *de Hæres. quæst. 182. §. 1.* Extendenda hæc omnia erunt non solùm ad hæreticum vivum, sed etiam mortuum, etiamsi emendatus fuerit: nam si cedunt in favorem hæresis, qui ea efficit mortuo hæretico, vel emendato; dicitur Fautor hæreticorum. Sic ex Suarez, Sanchez, Ugolino docet Castropalaus *de Fide disput. 3. punct. 5. numer. 6.*

Sed quæres 1. An si privata persona omittat ca- 21
pere hæreticum, vel eum indicare, cum possit; aut si jam captum, & sibi commissum non diligenter custodit; dicatur favere illi? Resp. si ei non incumbat ex justitia, aut ex Officio non censenda erit omissio illa favor hæretico factus: ratio est, quia si obligatio ex justitia, & ex officio cesset; non potest illi imputari, quòd hæreticus non corrigatur, non enim ad illum spectat; nec peccat contra justitiam, & obligationem sui Officii, ex quo deducitur quis favere hæretico: ut docent Suarez *disput. 24. de Fide sect. 1. numer. 6.* Sanchez *libr. 2. Decal. cap. 10. numer. 15.* Pegna *in Direct. quæst. 53. comment. 78.* Simancas *tit. 15. numer. 13.* & Farinacius alios referens *de Hæres. quæst. 182. numer. 27.* Secus tamen dicendum, si ex justitia illi incumbat, sive quia Inquisitores speciale mandatum ei dederint; sive quia ex Officio ei incumbat, ut incumbit Inquisitoribus, Episcopis, & omnibus Cruce signatis, seu familiaribus Sanctis Officii, qui si omittant capere, torquere, punire, custodire; fautores dicuntur hæreticorum ex Authoribus præcitatis. Quamvis nimis probabile sit, quòd omittere ex speciali Mandato, & præcepto habito ab Inquisitoribus; non sit revera favere hæreticis: cum probabile sit non provenire ex obligatione justitiæ, nam ad id non tenentur ex Officio; sed solum sit peccatum contra fidem, cui omittunt favere, aliàs subditi non obedientes præcepto Superioris duplex peccatum patrarent, unum contra jus Superioris læsum, aliud contra Virtutem, cujus est materia res præcepta. Hinc est, quòd privatæ personæ omittentes, etiamsi mandatum habuerint ab Inquisitoribus; non sint dicendæ Fautores hæreticorum. Sic Eymer, & Farinacius relati à Castropalao *de Fide disput. 3. punct. 5. numer. 7.*

Quæres 2. An de necesse requiratur, ut quis 22
fautor hæretici dicatur; quòd favorem, receptationem, aut defensionem præstet animo favendi hæresi; aut sufficit, quòd redundet in favorem hæresis? Resp. quamvis Sanchez *libr. 2. Decal. cap. 10. numer. 5.* & Bonacina *de Cens. disput. 2. quæst. 5. punct. 3. numer. 2.* sustinuerint, de necesse requiri animum favendi hæresi, ad hoc ut incurratur nota Fautoris illius: nam præstandus est favor hæretico, ut hæreticus est. Nihilominus probabilior mihi videtur sententia asserens, sufficere, quòd redundet in favorem hæresis, etiamsi animo non favendi illi fiat, sed ex alia obligatione civili, quia consanguineus, affinis, vel amicus est: moveor, quia si auxilium, quod hæretico præstatur, necessariò cedit in favorem hæresis; absolutè in executione præstatur hæresi; ergo præstatur hæretico, quà hæreticus est. Quapropter jure merito *in variis Capitibus de Hæretic. in 6.* nulla alia intentio formalis requiritur, ut fautorem hæretici quem constituat; nisi quòd favor ab eo præstitus cedat in favorem hæreticæ pravitatis. Sic *in Cap. Accusatus §. Sacerdotes*: compescendi sunt tamquam fautores hæretici Sacerdotes, & alii Clerici impedientes Officium Inquisitionis, cum non sit dubium, eos ipsa facere in favorem hæreticæ pravitatis. Sic etiam *in Cap. Commissis*, conferens beneficium hæretico cognito, etiamsi sit consanguineus; privatur beneficiis, & alias pœnas incurrit, etiamsi favor hæresi præstetur non animo favendi illi ultimò, & formaliter. Sic expressè Suarez *de Fide disput. 24. sect. 1. numer. 9.* & Castropalaus *de Fide disput. 3. punct. 5. numer. 9.*

23 Hinc est, quòd non excuset à nota Fautoris hæretici, & hæresis, quòd favor præstetur hæretico consanguineo, affini, vel amico; quamvis non habeatur expressa volúntas favendi illi, quà hæreticus est; aut hæresi: & ratio est, quia si ex communi sententia, ut diximus, habetur in omnibus obligatio eos denunciandi; pariter habetur obligatio non favendi illis, si absque gravi jactura, & damno proprio possint favorem omittere. Si tamen ex gravi metu favorem præstent, quamvis non excusentur à peccato; excusantur tamen à pœna fautorum, cum non videatur Ecclesia cum tanto rigore obligare. Sic Pegna, Simancas, Ugolinus, Farinacius, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 5. numer. 13.* Advertendum verò, quòd licèt jura sanguinis, & amicitiæ strictæ non excusent in hoc crimine ab incurrendo censuram excommunicationis, & alias pœnas; temperari nihilominus debent pœnæ, quæ latitudinem recipiunt, secundum majorem, vel minorem sanguinis conjunctionem: ut bene docent Menochius, Graffis, Pegna, Simancas, Dacianus, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. in fine*. Maximè quia pro foro externo excusant à nota Fautoris Consanguineos in primo gradu, & Uxorem respectu Mariti; cum censeantur non ex favore hæresis, sed ex obligatione sanguinis favorem illum præstare. Sic Simancas, Pegna, Dacianus, quibus favere videtur Sanchez *libr. 2. Decal. capit. 17. numer. 24.*

24 Quæres 3. An si favor præstitus hæretico effectum non habeat; eximat ab incurrendo pœnas contra Fautores hæreticorum latas? Resp. quamvis Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 10. numer. 9.* Bonacina *disp. 2. de Censur. quæst. 5. pun. 3. numer. 2.* Farinacius *de Hæres. quæst. 182. numer. 102.* docuerint, eximere: eo quia non fovet hæreticum in hæresi favor ille, si effectum non habet; ergo eximere debet à pœnis: sicuti non secuto effectu percussionis Clerici mandatum, consilium, vel auxilium ob eam datum non subjacet excommunicationi Canonis, sed ab illa eximitur. Verùm opposita sententia mihi videtur probabilior: ratio est, quia favor prohibetur hæreticis, ne hæresis commissa firmitatem habeat; non verò ut non committatur hæresis, quæ jam commissa supponitur; sed pro eo tempore, pro quo auxilium, aut favor datus fuit, finis firmandi hæresim habitus fuit, esto impeditus fuerit postea; ergo non eximit à pœnis Fautorum. Recepisti e. g. hæreticum domi tuæ, ut illum liberares à Judice, quamvis Judex conscius quæsivit, & invenit; dedisti equum hæretico, ut fugeret, & se liberaret; sed captus fuit cum equo: jam finis habitus est firmandi hæresim per favorem illum præstitum hæretico, quamvis postea impeditus fuerit. Non sic verò in casu percussionis Clerici, in quo finis intentus ab inferente excommunicationem est, ne percutiatur Clericus, qui jam non supponitur ullo modo percussus. Sic Suarez *disp. 24. de Fide sect. 1. numer. 14.* Sayrus *tom. 1. Thesaur. lib. 3. cap. 5. numer. 4.* Graffis *lib. 4. Decis. cap. 18. numer. 34.* & Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 5. numer. 11.*

25 Quæres 4. An favor præstari debeat hæretico verè tali, ut Fautor hæreticorum quis dicendus sit; an verò sufficit, quòd sit hæreticus jure præsumptus, ut esset per annum insordescens in excommunicatione? Resp. pro foro interno requiri, ut revera sit talis: cum enim respiciat veritatem, & non sit revera hæreticus; inde est, quòd pro foro interno requiratur, quod sit verè talis: & in hoc conveniunt Doctores. Pro foro tamen externo distinguendum erit, si excommunicatio lata fuerit ob causam hæresis, & quis in ea insordescat per annum, tamquam hæreticus damnari debet, & talis præsumendus est *ex Cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, de Hæretic. & ex Cap. Ut Inquisitionis. §. Prohibemus de Hæret. in 6.* Si verò lata fuerit ob aliam causam redditur tantùm suspectus de hæresi juxta Tridentinum *sect. 25. cap. 3. de Reform. §. In Causis quoque, & constat ex Cap. Gravem de Pœnis, & Cap. Cum bonæ de Ætat. & Qualit.* Sed contra hos excommunicatos extra causam hæresis ex Consuetudine Romanæ Ecclesiæ, & Generalis Inquisitionis non solent Inquisitores procedere. Sic Pegna *2. par. Direct. comm. 72.* & Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 5. num. 12.*

Quæres 5. Quænam sint pœnæ impositæ Fautoribus hæreticorum? Resp. enumerari à Pontifice *in Cap. Excommunicamus §. Credentes de Hæretic.* ubi ait, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subjacere. Et postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum; ex tunc ipso jure sit infamis, neque admittatur ad publica Officia, seu Consilia, neque ad eligendos aliquos ex hujusmodi, neque ad testimonium. Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Si fortè Judex extiterit; ejus sententia nullam obineat firmitatem; neque causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti; sed cum authore damnato damnentur; & in similibus idem præcipimus observari. Si Clericus fuerit, ab omni Officio, & beneficio deponatur; ut in quo major est culpa, gravior exerceatur vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati; evitare contempserint, excommunicationis sententia usque ad satisfactionem idoneam percellantur. Clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta; nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ; nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant; alioqui suo priventur Officio, ad quod numquam restituantur absque indulto speciali Sedis Apostolicæ. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc infligatur, ut eorum privilegia in illa Diœcesi non serventur; in qua tales excessus præsumpserint attentare. Hoc est, ut ibi notat Glossa: quod dictum est de Clericis intelligatur de Regularibus sub eisdem pœnis, addita privatione suorum privilegiorum; ne virtute illorum communicent cum talibus excommunicatis. 26

Adnotandum tamen, quòd Fautores hæreticorum non incurrunt has pœnas, nisi ab Ecclesia denotati sint, & per annum publicè in hac excommunicatione insorduerint. Sic ex præcitato *Cap.* ex Pegna, Emyer, & Farinacio docet Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 6. num. 2.* Limitant tamen hanc doctrinam circa Ecclesiasticam Sepulturam, & Orationes faciendas pro Fautore hæreticorum: nam si constat è vita decessisse favendo hæreticis, jam in peccato mortali, & excommunicatione mortuus est, *ex Cap. Sicut de Hæret. & ex Cap. 2. eod. tit. in 6.* Verùm nisi condemnatus fuerit, hoc non poterit, nisi rarò constare, ut advertit idem Castropalaus *loc. cit. in fine*. 27

Incurrunt etiam Fautores, Receptatores, & Defensores hæreticorum, semelac committunt crimen Fautoriæ; suspicionem hæresis levem, aut vehementem secundum indicia, & qualitates circumstantiarum, *ut ex Cap. Quicumque de Hæret. in 6.* docet cum communi sententia Farinacius alios referens *de Hæres. quæst. 182. num. 55.* Ultra alias pœnas pecuniarias, etiam ad confiscationem bonorum, exilium, fustigationem, & alias corporales pœnas pro qualitate delicti. Sic *ex Cap. Accusatus §. Sacerdotes de Hæret. in 6.* docent Menochius, Dacianus, Pegna, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 3. pun. 6. num. 4.* 28

Aliæ pœnæ speciales enumerantur Pro Episcopis, Principibus, ac Magistratibus faventibus hæreticis per Omissionem, aut Commissionem. Nam Episcopus negligens, aut remissus in expurganda sua Diœcesi à fermento hæreticæ pravitatis, ac in extirpandis, & puniendis hæreticis, cum id certis indiciis apparuerit; deponendus erit ab Episcopali Officio, & alter idoneus loco ejus substituendus, qui velit, & possit hæreticam pravitatem confundere: ut constat *ex Cap. excommunicamus 1. §. Volumus, de Hæret.* Hæc autem depositio à Pontifice facienda est, ut per se patet, & docet alios referens Farinacius *de Hæres. quæst. 182. num. 24.* Insuper Civitas, quæ negligens fuerit in puniendis hæreticis post commonitionem Episcopi; vel restiterit sanctionibus Canonum in puniendis hæreticis, illisque extirpandis; carere debet commercio aliarum Civitatum, & Episcopali Dignitate privanda erit. Sic statuitur *in Cap. Ad abolendam §. Civitas. de Hæretic.* 29

CA-

CAPUT IX.

De Confessario sollicitante ad Venerem.

1 *Materia Sollicitationis spectat ad Inquisitores, aut Ordinarios locorum.*
2 *Afferuntur variæ Bullæ, quibus datur facultas Inquisitoribus, aut Ordinariis locorum procedendi contra quoscumque Confessarios sollicitantes ad Venerem.*
3 *Deducitur ex Bullis stricta obligatio pœnitentis denunciandi confessarium sollicitantem.*
4 *An ubi non est recepta Bulla Gregorii XV. adhuc ex vi aliarum Bullarum extet obligatio denunciandi confessarios sollicitantes Viros?*
5 *An denunciandus sit Confessarius sollicitans ad actus venialiter inhonestos?*
6 *An sola sollicitatio ad Venerem, non verò ad alia peccata; denuncianda sit?*
7 *An sollicitatio ad Venerem facta in aliis Sacramentis denuncianda sit?*
8 *Quænam Sollicitatio dicenda sit facta ante, vel post immediatè ad confessionem?*
9 *Non dicitur Sollicitatio ante confessionem, si neque Confessarius, neque pœnitens in sollicitatione cogitarunt de confessione facienda.*
10 *An si pœnitens nollet statim confiteri, & diceret Confessario, se velle in crastinum confiteri, & confessarius eum sollicitaret; esset sollicitatio ante confessionem?*
11 *Quid dicendum: si confessarius dissuadeat confessionem pœnitenti volenti confiteri, & sollicitet: est ne denunciandus?*
12 *Explicantur septem casus, in quibus censetur sollicitatio facta in confessione.*
13 *Quid si mulier sollicitet Confessarium ad congressum nefandum, ipse verò suadeat ad naturalem?*
14 *Quando censenda sit Sollicitatio facta simulando confessionem?*
15 *Qui veniant nomine Confessarii, seu Sacerdotis sollicitantis?*
16 *Episcopi, Nuncii, & Officiales Sedis Apostolicæ sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ.*
17 *An denunciandi Laici fingentes se Sacerdotes, & sollicitantes in confessione?*
18 *Interpres sollicitans in confessione non est denunciandus ex tenore Bullarum.*
19 *Non tenetur confessarius denunciare pœnitentes, si ipsi eum sollicitent.*
20 *An obligatio denunciandi confessarium sollicitantem sit in aliis à pœnitente?*
21 *Quando cessare potest obligatio denunciandi confessarium sollicitantem?*
22 *Non eximitur pœnitens sollicitatus à sua obligatione; si confiteatur cum ipso confessario, & hic non imponat obligationem denunciandi.*
23 *Non sunt motiva deobligantia à denunciatione, esse sollicitantem emendatum, aut non esse infamatum; aut quia prior pœnitens sollicitaverit.*

1 JURE meritò hìc annectitur materia Sollicitationis in confessione; spectat siquidem ad Inquisitores, aut Ordinarios Locorum de ea agnoscere, cum extet obligatio denunciandi penes ipsos sic delinquentes Confessarios; qui suspecti sunt de hæresi. Ut autem distinctiùs procedamus, priùs videndum erit, quæ circa Sollicitationem statuta fuere à Summis Pontificibus, & Inquisitoribus; dein quando urgeat obligatio tales delinquentes denunciare, quibus tandem pœnis sollicitantes subjacent.

2 Jam verò extat Bulla Pii IV. quæ incipit, *Venerabili Fratri* 16. *Aprilis* 1561. quæ solùm tribuit jurisdictionem Inquisitori Generali Hispaniarum cognoscendi, & puniendi per se, vel per alios à se Deputatos Sacerdotes delinquentes tam Sæculares, quàm Regulares, qui abutuntur Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones, aliciendo scilicet, & provocando mulieres pœnitentes ad actus inhonestos, dum audiunt confessiones ipsarum. Extat etiam Bulla Clementis VIII. relata à Sancio *in suis Selectis disp.* 11. *num.* 18. quæ tribuit Inquisitori Generali Hispaniarum facultatem procedendi adversus quoslibet Sacerdotes Sæculares, & Regulares in Sacramento Pœnitentiæ, seu in actu confessionis sollicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, & peccata carnis, sicuti procedere potest in aliis causis spectantibus ad Sanctissimum Inquisitionis Officium, etiam privativè. Superiores verò Regularium, cujusvis Ordinis, & Congregationis sint, etiam mendicantium; sicuti & ipsi Regulares non eximuntur ab onere deferendi, & denunciandi similes delinquentes, ut in aliis causis, in quibus alii fideles de Jure tenentur denunciare Sanctissimæ Inquisitioni. Extat denique Bulla Gregorii XV. *die* 30. *Augusti* 1622. adversus Sacerdotes sollicitantes, in qua hæc continentur, 1. confirmat Bullam Pii IV. eamque mandat, ac præcipit firmiter, & inviolabiliter observari, non solùm in Hispaniis, verum etiam in qualibet parte Christiani Orbis. 2. statuit, ne dubitari possit de pœna imponenda, & de modo procedendi cum his delinquentibus, quòd in Officio Sanctæ Inquisitionis severissimè puniantur omnes, & singuli Sacerdotes, tam exempti, quàm non exempti, qui personas, quæcumque illæ fuerint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet patranda in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario; aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones habuerint, sive tractatus. 3. remittit cognitionem hujus delicti tam Inquisitoribus, quàm locorum ordinariis in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis, etiam privativè, tam simul, quàm separatim, prout in causis Fidei juxta Sacrorum Canonum formam. 4. ut culpabiles in his excessibus pro criminum qualitate, & circumstantiis puniendi sint, scilicet suspensione ab executione Ordinis, privatione Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa; nec non vocis activæ, & passivæ, si fuerint Regulares, exilii, damnationis ad triremes, carceris perpetui: imò si pro delicti gravitate majores meruerint pœnas, debita præcedente Degradatione, Curiæ Seculari puniendi tradantur. 5. ne tam enorme delictum, & Ecclesiæ Dei perniciosum ob defectum probationum impunitum remaneat, datur facultas Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Generalibus, Inquisitoribus judicandi arbitrio suo, delictum probatum esse, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis; & pronunciandi, tradendum esse reum Curiæ sæculari, ut dictum est. 6. mandat omnibus Confessariis, ut moneant suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ab aliis sollicitatos, ut supra, de obligatione denunciandi sollicitantes Inquisitoribus, seu Ordinariis locorum. Quòd si prætermiserint hoc Officium, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum prædictos sollicitantes; eos pro modo culpæ punire poterunt Ordinarii locorum, & Inquisitores. Ultra has Pontificias Bullas habentur Decreta, & Edicta Inquisitorum Hispaniarum pro executione Jurisdictionis acceptæ à Pio IV. & Clemente VIII. in quibus mandant sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ cuilibet scienti tale crimen, ut illud ad Tribunal Inquisitionis deferat. Insuper mandant Confessariis, ne pœnitentes obligatos ad denunciandum absolvant, nisi priùs denunciationem faciant.

3 Ex prædictis Bullis, ac Decretis satis colligitur, hanc obligationem in pœnitente denunciandi confessarium sollicitantem nimis strictam esse; tum ob efficaciam, qua intendit Ecclesia remedium adhibere crimini adeo pernicioso; tum ob ipsam malitiam, & perversitatem criminis hujus execrandi, directè oppositam contra reverentiam, & institutionem Sacramenti istius, quod à Christo Domino institutum fuit in remedium, & medicinam peccatorum, reconciliationem cum Deo, & reparationem gratiæ deperditæ. Et malitia hujus criminis novum venenum propinat, novam injuriam infert Deo, & novam occasionem perditionis ministrat, ut sanctè advertunt in suis Constitutionibus supracitati Pontifices.

Dubitabis 1. an ubi recepta non fuerit Bulla Gregorii XV. quæ de sollicitatione cujuscumque personæ sive Mulieris, sive Viri loquitur; habeatur etiam obligatio denunciandi Sacerdotem sollicitantem virum ex vi Bullarum Pii IV. & Clementis VII. quæ de sollicitatione mulieris loquuntur? Resp. affirmativè: ratio

xio est, quia quando finis præcipuus alicujus Constitutionis est favorabilis, etiamsi in alterius gravamen redundet; extendenda erit constitutio, non limitanda: maximè si odium à favore distingui nequeat, ut est in casu nostro; sed finis præcipuus Bullarum à Pio, & Clemente factarum est, ut puriùs, honestiùs, & sanctiùs, ac cum majori fructu animarum exerceatur Pœnitentiæ Sacramentum, in cujus favorem editæ fuere Bullæ; ergo etiamsi in gravamen sollicitantium extensio fiat ad Viros, nihilominus jure merito fit. Corroboratur magis: Lex, Privilegium, & quælibet alia dispositio extendenda est, quoties non solùm eadem, sed major ratio militat ad finem præcipuum ab ipsis intentum; sed major rario militat in favorem Sacramenti Pœnitentiæ, quod Bullæ prædictæ comprehendant Confessarios sollicitantes Viros, cum sit gravius delictum; ergo ita dicendum erit. Quòd autem appositæ fuerint fœminæ est gratia exempli; maximè quia Leges quando nominatim aliquid prohibent, prohibere solent id, quod frequentiùs contingit *ex Leg. Nam ad ea ff. de Legib.* Sic Quaranta, Ludovicus Lopez, Salzedo, Graffis, Rodriquez, Coriolanus, Acugna, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disp. 9. punct. 2. numer. 3.* & Sancius affirmat *disp. 11. Select. num. 12.* sic etiam consultum respondisse Suarez.

5 Dubitabis 2. an etiam denunciandus sit sub gravi Confessarius, qui sollicitat tantùm ad actus venialiter inhonestos? Resp. quamvis probabile sit, quod docet Castropalaus *l. c. punct. 3. numer. 3.* non esse videlicet denunciandum Confessarium, qui solùm venialiter sollicitet absque animo ulteriùs progrediendi ad grave crimen, quod quidem innotescat pœnitenti: cum peccata ex se venialia in genere Castitatis non evadant mortalia contra Religionem, eo quia fiant in Sacramento Pœnitentiæ; nec talia fiunt ex Jure positivo, cum Pontifices non faciant specialem prohibitionem de peccatis venialibus in materia Castitatis; sed solùm prohibent actus illos, qui de se mali sunt, & inhonesti. Nihilominus regulariter puto, denunciandos esse hos confessarios: moveor, quia adeo lubrica est materia ista, ut per se patet, quòd contineri nequeat intra limites veniales, & non progrediatur ulterius; & solùm sententia prædicta speculativè considerata probabilis sit, nullatenus practicè. Qui enim incipit in actione tam sacrosancta, & in ministerio reconciliandi animas cum Deo, impossibile est, quòd purè sistat in venialibus tantùm, & in pura delectatione, absque eo quod ulteriùs progrediatur ad alium pravum finem, ac periculum pollutionis. Et ut utar exemplis Joannis Sancii, Freytas, Sanchez, Salas penes cit. Castropalaum *num.* 1. licèt venialia sint per ipsos intorquere digitos, ac vellicare, aut tangere manus, vel mammillas mulieris absque ulteriori consensu ad grave peccatum; non fiunt tamen mortalia, ut docent Sancius, & Freytas; quia fiunt in confessione; sed quia indicant, si in confessione fiant, & in actione sic sacrosancta, quòd habeatur animus infrunitus, & irreverens ad progrediendum ad ulteriora; adeoque sic sollicitans in confessione per me denunciandus est sub gravi peccato. Legatur Bordonus *in Manuali Consult. sess. 25. numer.* 124. qui citat Acugnam, Dianam, Derbeneo, Carenam, & alios.

6 Dubitabis 3. an sola sollicitatio ad venerem facta in confessione, non verò alia sollicitatio ad reliqua peccata gravia, denuncianda sit Inquisitoribus, aut locorum ordinariis? Resp. quamvis meritò dubitari possit de hac obligatione denunciandi confessarios sollicitantes in confessione pœnitentes ad alia peccata præter venerem, ut ad homicidium faciendum, furtum, aut aliud maleficium, eo quia videtur militare eadem ratio denunciandi, ob quam inducta fuit obligatio denunciandi confessarios sollicitantes ad venerem, scilicet quòd sic sollicitantes suspecti sint saltem de levi de hæresi, quæ ratio æquè militat pro sollicitatione in tali actu sacramentali ad alia peccata: nam talis confessarius præbet fundamentum saltem leve non bene sentiendi de Sacramentis, & sic docuit Pegna *in Direct. 2. par. commen.* 81. Nihilominus communior sententia docet, non adesse talem obligationem denunciandi confessarios sollicitantes pœnitentes ad alia peccata præter venerem: ratio est, quia neque ex Bullis Pontificum, neque ex edictis Inquisitorum colligi potest talis obligatio, quæ solùm ab ipsis inducta fuit pro sollicitantibus ad actus venereos; tum quia frequentiùs accidere poterat talis sollicitatio ob fragilitatem naturæ, tum ob majus periculum consentiendi. Sic Ledesma *de Matrim. quæst. 56. art. 2. §. & non est idem* Paramus *lib. 3. quæst. 10. numer. 121.* Acugna *quæst. 8. numer. 3.* Sancius *disputat. 11. Select. numer. 33.* & Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 6. numer. 2.*

7 Dubitabis 4. an sollicitatio ad venerem facta in aliis Sacramentis à Confessione denuncianda sit Inquisitoribus? Resp. negativè, quia nullibi constat fuisse factam specialiter hanc obligationem denunciandi hujuscemodi delicti reos Inquisitoribus. Advertendum tamen, quòd sollicitantes ad Venerem in administratione aliorum Sacramentorum; sicuti etiam Confessarii sollicitantes ad alia peccata extra Venerem denunciandi sunt suis Superioribus, ut illos corrigant, & emendent, servatis semper conditionibus requisitis ad faciendam denunciationem, de quibus agetur cum de Correctione fraterna. Sic Acugna *quæst. 16. num. 6.* Sancius *disputat. 11. Select. numer. 42.* Freytas *quæst. 7. numer. 10.* & Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 6. numer. 3.*

8 Dubitabis 5. quænam sollicitatio dicenda sit facta ante, vel post immediatè ad confessionem, ut habeatur obligatio denunciandi juxta Bullam Gregorii XV. Resp. illam sollicitationem censendam esse factam ante, vel post confessionem immediatè, quando inter sollicitationem, & confessionem nil aliud intermediat; ita ut nec Confessarius, nec pœnitens ad alios actus animum suum diverterint; Quapropter si ante confessionem sollicitaverit pœnitentem confessarius, & post sollicitationem applicuerint se ad alia negotia, dein secuta sit confessio, non habebitur sollicitatio immediatè ante confessionem, sicuti non habebitur immediatè post confessionem, si ea peracta applicuerint se ad alios actus, & negotia, dein sequatur sollicitatio. Sic Joannes Sancius, Freytas, Paramus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 9. pun. 7. numer. 2.*

9 Hinc fit 1. non dicendam esse sollicitationem immediatè ante confessionem, si neque confessarius, neque pœnitens in sollicitatione cogitarunt de confessione facienda, quamvis postea sequatur confessio immediatè; ut si verè contritus confessarius de sollicitatione facta ob renuentiam pœnitentis, qui ritè confiteri vellet, nec haberet copiam alterius Sacerdotis, nisi ipsum pœnitentem, qui ejus peccata audiret, & absolveret; non dicenda esset hujusmodi sollicitatio immediatè ante confessionem, nec haberetur obligatio denunciandi sollicitantem confessarium: cum non orta sit sollicitatio ex confessione, & ex animo confitendi. Sic ex Sancio docet Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 7. numer. 5.*

10 Fit 2. si pœnitens non vellet statim confiteri, sed tantùm confessario diceret, velle in crastinum confiteri; & confessarius hac arrepta occasione confessionem dissuaderet, & de rebus venereis pertractaret; non esset talis sollicitatio immediatè ante confessionem, nec obligationem denunciandi induceret, cum non delinqueret in confessione, nec proximè ad illam: sed ex petitione confessionis faciendæ in crastinum: sicuti si confessionem vellet facere post tres menses, aut post annum, & ex hac occasione haberetur sollicitatio. Sic Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 7. numer. 4.* Nihilominus pace tanti Viri probabilius puto oppositum: eo quia est sollicitatio ex occasione, & pretextu confessionis, cum fiat in confessionali, aut loco, ubi confessiones audiuntur.

11 Fit 3. si confessarius dissuaderet pœnitenti confessionem eo animo, ut eum distrahat à confessione, quam statim facere vult, & sollicitet ad actus inhonestos, ita tamen ut talis pravus animus sollicitandi non innotescat pœnitenti in dissuasione confessionis; non erit sollicitatio talis, ut inducat obligationem denunciandi. Secus tamen esset, si pœnitens ex circumstantiis, & signis alioquin honestis, & indifferentibus, sed sufficientibus ad indicandum, quòd dissuasio confessionis proveniat ex animo illo pravo sollicitandi; erit verà sollicitatio cum obligatione eam denunciandi: cum ex adjunctis, adminiculis, & circumstantiis talis comprobetur. Sicuti vera sollicitatio esset, si aliquis confessarius dissuaderet confessionem pœnitenti, in loco ubi confessiones audiuntur quam cum ipso facere vult; imò nollet audire pœnitentis confessionem dicendo ei, se ejus amore captum esse, aut similia verba proferret,

ferret, quæ indicarent pravum animum ad peccata inhonesta, & dissuasionem confessionis ex pravo illo animo provenire. Sic Sancius *in Select.* 11. *disputat.* 11. *numer.* 99. & Castropalaus *de Fide disputat.* 9. *punct.* 7. *numer.* 6.

12 Explicandi modò remanent nonulli Casus, in quibus censetur sollicitatio facta in confessione. Et 1. est: si confessarius chartam provocantem ad actus inhonestos tribuat pœnitenti post confessionem legendam. Sic statuit Alexander VII. prohibens, & damnans sententiam oppositam. 2. si suadeat, ac instiget pœnitentem, ut copulam, aut actus inhonestos habeat cum alio: cum revera sollicitet ad inhonesta, esto exercenda sint cum alio. Sic Sancius, Acugna, Freytas, Graffis, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat.* 9. *punct.* 5. *numer.* 1. 3. si suadeat pœnitenti, ut alium, vel aliam inducat ad peccandum inhonestè cum ipso confessario. Sic Castropalaus *loc. cit. numer.* 2. 4. si reprehendat confessarius suam concubinam sibi confitentem ductus Zelotipia, quia cum alio peccaverit. Sic Sancius *disputat.* 11. *Select. numer.* 32. 5. si suadeat pœnitenti, ut mittat aliquem ad vocandum confessarium ipsum, ut audiat confessionem, & sic vocatus illam sollicitet. Sic Fagundez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 12. *numer.* 17. & Sancius *loc. cit. numer.* 63. 6. si imponat confessarius pœnitenti in pœnitentiam ut ab ipso nudus flagelletur, & sic factum sit. Ita Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 47. 7. si immediatè post confessionem duceret juvenem in suam cellam, ut schedulam ei traderet ad testandum, fuisse confessum; & hac arrepta occasione cum ad actus inhonestos sollicitaret; utique denunciandus esset: tum quia ex occasione confessionis id efficeret; tum etiam quia immediatè post confessionem ad turpia provocaret. Sic idem Diana *l. c. resol.* 11.

13 Sed quid dicendum, si mulier pœnitens sollicitet confessarium ad congressum nefandum, ipse verò suadeat mulieri congressum in vase naturali, eamque ad talem congressum sollicitet; an inquam denunciandus sit? Resp. affirmativè: ratio est, quia revera in confessione confessarius provocat, ac sollicitat mulierem illam ad malum, ad quod nec parata erat mulier, nec ipsa provocaverat confessarium ad illud; ergo revera sollicitat in confessione, adeoque revera denunciandus erit. Sic ex Sancio docet Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct.* 5. *numer.* 4. Secus tamen dicendum puto cum eodem Castropalao contra Sancium; si provocaret, ac sollicitaret Mulier ad congressum, & ipse renueret, contentus tantùm tactibus, & osculis absque eo quòd ipse provocet, aut loquatur turpia; denunciandus non foret: ratio est, quia non censetur sollicitare ad malum, sed sollicitationi factę à fœmina consentire; nam fœmina inducens ad congressum simul inducit ad oscula, & tactus; adeoque confessarius novum malum non proponit, sed proposito dimediatè consentit; & de facto si quis explicet in confessione congressum habitum cum muliere, non tenetur ex communi sententia explicare oscula, & tactus, utpote prævia ad congressum, & virtualiter in illo contenta.

14 Petes 1. quando nam censenda sit sollicitatio facta simulando confessionem? Resp. dupliciter simulationem confessionis accidere posse, primò si convenerint inter se confessarius, & pœnitens simulare confessionem, ut liberiùs per talem deceptionem pertractent de rebus inhonestis. 2. si pœnitens accederet ad confessarium expositum in confessionali non animo confitendi peccata sua, sed pertractandi cum illo de aliquo negotio, & tunc confessarius occasionem arriperet sollicitandi pœnitentem; quamvis ab omnibus astantibus reputetur collocutio illa confessio Sacramentaliter facta. Jam verò simulatio confessionis primo modo facta inducit obligationem denunciandi: eo quia licèt sollicitatio sit mutua, ac proinde non potiùs dicendus est Sacerdos sollicitare, quàm pœnitens, nihilominus quia illicitos, & inhonestos sermones, ac tractatus ad invicem habent in simulatione illa confessionis; ideo confessarius ex hoc capite denunciandus venit. Sic clarè colligitur ex verbis Bullæ Gregorii XV. ubi habetur: Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpretranda in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione, vel pretextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta; sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessiones audiendas electo, simulantes ibidem confessiones audire; sollicitare, vel provocare tentaverint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissimè puniantur. Idem dicendum de simulatione secundo modo facta: nam cum à præsentibus reputetur fieri confessio, & revera habeatur sollicitatio, esto pœnitens accesserit animo non confitendi, sed aliud negotium proponendi; habetur utique simulatio confessionis cum sollicitatione, adeoque confessarius denunciandus erit. Sic Sancius *disputat.* 11. *Select. num.* 40. & Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct.* 8. *numer.* 4.

Advertendum 1. cum eodem Castropalao, non omnem sollicitationem in confessionario inducere obligationem denunciandi; nisi habeatur confessio, aut simulatio confessionis: nam si sacerdos in confessionario sollicitaret, & adstantes putarent, colloqui cum muliere de negotio aliquo indifferente, nec prætextu, aut occasione confessionis fieret sollicitatio; non induceret obligationem denunciandi.

Advertendum 2. esse veram sollicitationem in confessione, si pœnitens accederet ad Sacerdotem absque dolore suorum peccatorum, vellet tamen sacramentaliter confiteri, & à confessario sollicitaretur: nam talis confessio esset vera confessio Sacramentalis, esto perficienda erit adveniente dolore, & cum impertietur absolutio. Sic Acugna, Sancius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct.* 8. *numer.* 1.

Petes 2. Quinam intelligendi sint nomine confessarii, seu Sacerdotis sollicitantis? Resp. intelligendum esse quemlibet Sacerdotem etiam jurisdictione carentem, si se exposuerit ad audiendas confessiones, & sollicitaret; aut simularet confessionem audire, & sollicitaret; ratio est, tum quia confessarius absolutè censetur, habet enim potestatem ordinis, & absolvere potest à venialibus, & à mortalibus aliàs confessis, & ab omnibus in mortis articulo; tum quia posset quilibet Sacerdos in confessione sollicitans dicere, se non habuisse jurisdictionem cum sollicitavit; tum denique quia jam simulat confessionem, & ad venerem provocat. Sic Acugna *quæst.* 14. *numer.* 5. Sancius *disputat.* 11. *Select. numer.* 38. Freytas *quæst.* 7. *numer.* 13. & Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 9. numer.* 1. 15

Adnotandum hìc 1. Episcopos, Nuncios, & Officiales Sedis Apostolicæ, si in confessione sollicitaverint; non esse denunciandos Inquisitoribus, eo quia *ex Cap. Inquisitores. de Hæret. in 6. & ex Extravag. Cum Matthæus, de Hæres.* non sunt subjecti Inquisitoribus: si enim, ut diximus, non subduntur ipsis in delicto hæresis, sed Sedi Apostolicæ; à fortiori intelligendum erit de sollicitatione, ut ex Molina, Farinacio, Deciano, Sancio docet Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 9. numer.* 2. Et idem dicendum puto de Inquisitoribus sollicitantibus, qui non denunciandi erunt Episcopis, sed Sedi Apostolicæ, cujus sunt Officiales. Poterunt nihilominus Episcopi, si ipsis fiat denunciatio, contra Inquisitores sollicitantes, testes recipere, & ad Sanctam Sedem transmittere. Sicuti viceversa poterunt Inquisitores, si ipsis fiat denunciatio, contra Episcopos sollicitantes, testes recipere, & ad eamdem Sanctam Sedem transmittere: ut ex Simanca, Molina, Sancio, & Acugna docet Castropalaus *de Fide disputat. 9. punct. 9. numer.* 4. 16

Adnotandum 2. licet laici fingentes se Sacerdotes, ac confessiones excipientes, & in eis sollicitantes; non sint denunciandi ex vi Bullarum latarum contra sollicitantes, eo quia loquuntur Bullæ de Sacerdotibus sollicitantibus. Nihilominus denunciandi sunt ex Constitutione Gregorii XIII. lata contra simulantes, se esse Sacerdotes, & sic confessiones excipiunt: debent tamen non solùm confessiones audire sed etiam absolutionem impertire, ut denunciandi sint: nam si absolutionem non impenderint, non censentur Sacramentum Pœnitentiæ administrasse: ut bene notant Acugna *quæst.* 17. *numer.* 17. Sancius *disputat.* 11. *Select. numer.* 36. & Castropalaus *de Fide disput. 9. punct. 9. num.* 5. 17

Adno-

18 Adnotandum 3. Interpretem non esse denunciandum ex tenore Bullarum, etiamsi Sacerdos sit, qui tali munere fungatur: eo quia non est confessarius, sed potiùs partes pœnitentis agit. Sic Sancius *loc. cit. numer.* 10. & 37. & Castropalaus *loc. cit. numer.* 6.

19 Adnotandum denique: non esse denunciandos pœnitentes à Confessario, si ipsi eum sollicitent in confessione; non enim Bullæ latæ sunt contra pœnitentes in confessione sollicitantes; sed contra confessarios, & Sacerdotes in confessione sollicitantes juxta superius explicata: ut habent Acugna *quæst.* 9. *numer.* 3. Sancius *disputat.* 11. *Select. numer.* 34. & Castropalaus *de Fide disputat.* 9. *punct.* 9. *numer.* 7.

20 Petes 3. an obligatio denunciandi confessarium sollicitantem esse possit in aliis à pœnitente sollicitato? Resp. affirmativè, extenditur siquidem ad omnes alios scientes talem sollicitationem, dummodo tamen talem notitiam à fide dignis acceperint, non verò à personis levibus. Sic docet communis sententia, ut testatur Leander *tract.* 5. *de Pœnit. disputat.* 13. *quæst.* 57. Nec liberat ab onere denunciandi, eam notitiam sub secreto naturali acceptam fuisse, ut putavit Fagundez; nam secretum naturale non urget contra bonum commune; bonum siquidem commune exposcit, ut denuncietur, qui in damnum, & injuriam Sacramenti Pœnitentiæ, & accedentium ad illud operatur. Sic rectiùs Castropalaus *de Fide disp.* 9. *punct.* 10. *numer.* 5.

21 Petes 4. quandonam cessare potest obligatio denunciandi Sacerdotem sollicitantem? Resp. quamvis adeo pernicioſum sit hoc delictum sollicitationis, ut jure merito Summi Pontifices in suis Bullis, & Apostolicis Constitutionibus sub pœna excommunicationis contra omittentes denunciationem obligaverint ad eam faciendam omnes, qui tenentur ad illam. Nihilominus stare potest, ut aliquando concurrere possint tam solidæ rationes, ut deobligetur pœnitens sollicitatus; aut alius, qui eam rescierit, à denunciatione facienda: ita esset, si denunciaturus prudenter, & rationabiliter timeret sibi aliquod grave damnum imminere ex denunciatione: ratio est, quia cum sint præcepta humana, quamvis Ecclesiastica, nequeunt obligare cum gravissimo periculo damni. Sic communis sententia teste Leandro *tract.* 5. *de Pœnit. disputat.* 13. *quæst.* 44. Hinc deducitur: non teneri confessarium ex vi prædictarum constitutionum denunciare seipsum; esset enim gravissimum onus illi imponere prodendo se ipsum, ut habet Suarez *de Fide disput.* 11. *sect.* 4. *numer.* 18. & communiter Doctores.

Ex hoc tamen non sequitur, quòd eximatur pœnitens sollicitatus ab obligatione denunciandi confessarium sollicitantem per hoc, quòd confiteatur cum ipso, & ipse absolvat absque eo quod illi imponat onus denunciandi. Damnata siquidem fuit ab Alexandro VII. propositio 7. asserens: *modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.* Nam obligatio denunciandi confessarium sollicitantem non imponitur ab ipso, sed solùm ab ipso declaratur pœnitenti; ergo etiamsi non declaretur ab ipso, non ideo remanet pœnitens liber ab onere denunciandi: sicuti quia obligatio restitutionis, quia non est à Confessario, sed aliunde à divino Mandato; etiamsi confessarius non aperiat pœnitenti obligationem, quam habet, non ideo liber remanet ab obligatione restituendi. 22

Nec sunt motiva sufficientia ad deobligandum à denunciatione facienda juxta Constitutionem ipsius Alexandri VII. si confessarius sollicitans sit jam emendatus. Nam licèt Inquisitores, & alii, ad quos spectat, ob emendationem non statim puniant, inservit tamen notitia illa ad expectandam aliam denunciationem; ut sic securiùs procedant, & severiùs puniant. Aut si confessarius de tali delicto non fuerit infamatus: nam obligatio ista denunciandi Sacerdotem sollicitantem non inducta est, quia crimen publicum est, & diffamatum, sed ad præcavendum delictum ipsum, etiamsi occultissimum sit, & absque diffamatione committatur, cum sit contra reverentiam debitam tali Sacramento. Nec verba Clementis VIII. quæ loquuntur de Sacerdotibus quomodolibet infamatis, probant, non esse denunciandum, si non fuerit publicè diffamatus. Cum potiùs suadeant oppositum, quòd videlicet denunciandus sit, etiamsi infamatus tantùm fuerit apud pœnitentem, & non apud alios; & ideo apposuit particulas illas, quomodolibet infamatis. Sic Castropalaus *de Fide disputat.* 9. *punct.* 10. *numer.* 3. contra Fagundez. Nec est motivum sufficiens deobligandi pœnitentem à denunciatione facienda, quia ipse prior in confessione sollicitaverit confessarium, qui consensum præbuit. Nam non fuisse priorem ad sollicitandum, non favet confessario, si revera inhonestos sermones habet in confessione, aut de inhonestis pertractat in ea sive prior, sive posterior. Nec pœnitens tenetur suam sollicitationem confessario factam manifestare; nec si eam manifestaret, poneretur in actis. Sic Leander *trat.* 5. *de Pœnit. disp.* 13. *quæst.* 20. 23

QUÆSTIO VI.

DE SPE.

POST virtutem Fidei de Spe pertractare debemus juxta ordinem servatum à D. Paulo 2. *ad Corinth.* 13. qui post Fidem Spem enumerat. Præmittitur autem Charitati, eo quia licèt inferior illa, attamen generatione anterior, & sine Charitate Spes esse potest, ut est in peccatoribus fidelibus. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Spes? Quodnam ejus objectum? Et quomodo distinguatur à Fide?

1 *Explicatur quid sit Spes, & definitur.*
2 *Dari Virtutem Spei est Fide sanctum.*
3 *Assignatur ejus Objectum præcipuum.*
4 *Licet Spes respiciat Deum visum, ut suum præcipuum Objectum, respicit tamen alia, ut sua objecta secundaria.*
5 *Affertur distinctivum Spei à Fide, & Charitate.*

SPES, quæ à sperando nomen trahit, varias habere potest acceptiones, de quibus agit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. prout tamen facit ad nostrum institutum, accipitur pro amore concupiscentiæ erga Deum, quo Deum, & Divina nobis concupiscimus præ aliis omnibus concupiscibilibus; itaut potiùs parati simus omnia perdere, quàm Deum, & Divina. Definiri verò solet Spes: Habitus, seu Virtus Theologica, & supernaturalis, qua bona supernaturalia speramus, præsertim Beatitudinem divino auxilio acquirendam. Dicitur, Virtus Thelogica, quia circa Deum, & Divina versatur, sicuti & reliquæ Virtutes Theologicæ. Dicitur, supernaturalis, qua speramus Beatitudinem, seu Visionem, & fruitionem Dei ejus adjutorio obtinendam; eo quia viribus naturæ, & 1

sine

ſine Dei adjutorio eam aſſequi non poſſumus.

2 Jam verò dari hanc Virtutem, qua bona ſupernaturalia ſperamus cum Dei adjutorio, præſertim Beatitudinem, certum, & indubitatum eſt ex pluribus Sacræ Scripturæ locis; ait enim D. Petrus 1. *Cap.* 1. *Regeneravit nos in ſpem vivam per Reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem in Cœlis.* Et D. Paulus *ad Roman.* 5. ait: *Gloriamur in Spe Gloriæ ſecundum Spem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus.* Et *cap.* 8. *Quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.*

3 Objectum præcipuum Spei, & circa quod præcipuè verſatur hæc virtus, mihi dubium non eſt, eſſe Deum viſum, ſeu Deum ipſum ſimul cum ejus viſione: moveor, quia qui beatitudinem ſperat, non ſperat Deum in ſe, aut illum petit ſine viſione; aut ſperat, & petit Viſionem Dei ſine ipſo Deo; ergo utrumque ſimul ſperat, & petit, ergo Deus viſus, ſeu Deus ſimul cum Viſione erit objectum immediatum præcipuum Spei. Sicuti avarus ſperans, & petens pecunias, non ſperat, & petit tantùm pecunias exiſtere, ſed ſimul eas poſſidere, ac illis frui; ita ut æquè immediatè ferat ſuam ſpem in pecunias, & earum fruitionem, poſſeſſio namque dicit pecunias, & earum fruitionem. Inſuper ſi Deus non eſſet objectum immediatum ſpei, ſed tantùm terminus Viſionis beatificæ, quæ eſt objectum ſpei, non eſſet ſpes Virtus Theologica, ſicuti ſunt Fides, & Charitas: nam non immediatè attingeret Deum, uti eum immediatè attingunt Fides, & Charitas, quod non eſt dicendum, cum non minus ſint Virtutes Theologicæ Fides, & Charitas, quàm ipſa ſpes. Excluderetur namque à ratione Virtutis Theologicæ, ſicuti excluditur Religio, quæ immediatè reſpicit honorem, & reverentiam, quæ Deo exhibentur; itaut reſpiciat Deum non immediatè, ſed uti objectum, & terminum honoris, & reverentiæ, quæ exhibentur: ita eſſet ſpes, ſi immediatè reſpiceret Viſionem beatificam, mediatè verò Deum, uti objectum, & terminum Viſionis beatificæ. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 2. ibi Cajetanus, Suarez *diſputat.* 1. *de Spe. ſect.* 1. *numer.* 4. Valentia 2. 2. *diſputat.* 2. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *verſ. Nos vero.* Coninch *diſputat.* 19. *de Spe. dub.* 3. *concl.* 1. *numer.* 44. & Caſtropalaus *de Spe diſputat.* 1. *punct.* 1. *numer.* 4.

4 Advertendum tamen, quòd licèt Deus viſus ſit objectum præcipuum, & attributionis Spei, quod movet voluntatem ad ſui appetitum, & deſiderium; Deus namque viſus, quia eſt bonum conveniens voluntati; illam movet, ut ipſum appetat, & deſideret. Sic enim docet D. Thomas citatus, & ferè omnes ejus expoſitores. Nihilominus reſpicit ſpes ſecundario alia objecta, quæ conducunt ad conſecutionem finis ultimi, & primarii, nempe ad videndum Deum per æternam beatitudinem; adeoque reſpicit auxilia Divinæ gratiæ, reliquaque dona ſupernaturalia, quæ adjuvant ad talem finem obtinendum: ad eamdem namque Virtutem pertinent finis, ac media ad ipſum finem conſequendum neceſsaria, intentio ſiquidem finis eſt implicita intentio mediorum. Satis apertè hoc colligitur à Tridentino definiente *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. peccatores diſponi ad juſtitiam 1. per fidem credentes vera, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, &c. 2. in ſpem eriguntur fidentes, Deum ſibi fore propitium propter Chriſtum. 3. illumque tamquam Juſtitiæ fontem diligere incipiunt. Ex quibus clarè conſtat, non ſolùm Beatitudinem, ſed etiam ea, quæ ad conſequendam beatitudinem ſpectant, eſſe objectum Virtutis ſpei: & ſic omnes Doctores Catholici fatentur. Hinc eſt, quod ſi bona aliqua creata ſperamus obtinere à Deo, ſine ordine ſaltem implicito ad beatitudinem; tale deſiderium non ſpectabit ad Virtutem Theologicam ſpei, ad quam ſolùm ſpectare poſſet ſub hac ratione, quòd videlicet ad conſequendam Beatitudinem conducere poſſet: ut rectè adnotavit Coninch *diſp.* 19. *dub.* 4. *numer.* 58.

5 Ex dictis apparet, quomodo diſtinguatur Spes à Fide & Charitate: nam licèt omnes reſpiciant immediatè Deum, illumque pro objecto formali reſpiciant, nihilominus ſub diverſa ratione illum attingunt. Fides namque reſpicit Deum, ut teſtificantem verum; Charitas verò illum reſpicit, ut Summum bonum in ſe, ſummoque amore dignum; Spes denique reſpicit Deum, ut bonum ipſius ſperantis. Et ſic communiter diſtinguuntur à Doctoribus Virtutes iſtæ Theologales, ut videre eſt penes Suarez *diſputat.* 1. *de Spe. ſeſſ.* 3. Hanc verò diſtinctionem realem eſſe, nec tantùm rationis, colligit citatus Suarez, quia conſtituit numerum ternarium, ut habemus ex D. Paulo 1. *ad Corinth.* 13. cum ſola diſtinctio rationis inſufficiens ex ſe ſit ad numerum conſtituendum: maximè quia ſeparari ad invicem poſſunt, ut patet in quolibet fideli mortaliter peccante, in quo licèt deperdatur Charitas, manent tamen Fides, & Spes.

CAPUT II.

De Actibus Spei, & in quibus reperiatur Habitus Spei, & Timoris.

1 *Duplex eſt Actus Spei.*
2 *An actus proſecutionis circa alienam beatitudinem ſit Actus Spei?*
3 *An licitum ſit ſperare beatitudinem ex propriis meritis?*
4 *An bona Temporalia ſperari poſſint Virtute Spei?*
5 *An fugere à malo, & juſtitiam prnſequi ex præciſo timore gehennæ; ſit actus Spei?*
6 *Habitus Spei, & Timoris habentur in Viatoribus juſtis?*
7 *Beati, qui ſunt in termino, non habent proprie actus Spei, quamvis in ipſis remaneat habitus Spei.*
8 *Idem dicendum de Timore orto ex Virtute Spei.*
9 *In animabus Purgatorii dantur veri actus Spei.*
10 *Damnati in inferno nec habitum Spei habent, nec ejus actus exercent.*
11 *Chriſtus Dominus in hac vita degens habitum Spei habuit, & ejus actus exercuit.*

DUPLEX eſt Actus Spei, Unus proſecutionis in bonum ſibi conveniens, & vocatur Spes; alter verò fugæ à malo ſibi diſconveniente, & dicitur timor. Uterque actus ſpectat ad eamdem Virtutem ſpei: tum quia uterque actus reſpicit proprium commodum ſperantis, tum quia ita inter ſe ſunt ſubordinati, ut unus de neceſſe inferat alium; ergo ad eamdem Virtutem pertinet ſperare bonum ſibi conveniens, & timere malum contrarium: ſicuti ad eamdem Virtutem ſpectat amare bonum, & odio habere contrarium. Sic Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 17. & 19. 1

Sed petes 1. an non ſolùm actus proſecutionis circa noſtram Beatitudinem ſit actus ſpei, verum etiam actus proſecutionis circa alienam beatitudinem? Reſp. ſi deſideretur beatitudo alteri, quatenus beatitudo aliena bona ſit ipſi deſideranti, & ſperanti, quia ſaltem accidentaliter adauget ejus beatitudinem; utique tale deſiderium erit actus Spei: eo quia appetitur, & deſideratur aliena beatitudo, quia bonum conveniens eſt ipſi appetenti, & deſideranti; adeoque potiùs bonum ſibi, quàm alteri appetit, & deſiderat. Si verò deſideretur, & appetatur aliena beatitudo, quia alteri bona eſt, cui deſideratur; erit potiùs actus Charitatis, quæ vel ſit Virtus Theologica, vel moralis: velle ſiquidem bonum proximo, quia illi bonum eſt, procedit regulariter ex honeſta quadam amicitia, quæ non fundat actum ſupernaturalem procedentem ex Charitate, ut Virtus Theologica eſt. Sic Coninch *diſputat.* 19. *de Spe. dub.* 1. *num.* 13. 2

Petes 2. an licitum ſit ſperare beatitudinem ex propriis meritis, an etiam ſperanda ſit ex promiſſione, & gratia Dei? Reſp. illicitum eſſe beatitudinem ſperare ex propriis meritis, & viribus naturæ tantùm abſque divina gratia, & Dei adjutorio: quapropter qui ſic ſperaret, grave peccatum Præſumptionis committeret, quæ eſt Vitium contrarium, ac deſtructivum habitus ſpei. Speranda igitur eſt beatitudo principaliter ex gratia Dei, ejuſque promiſſione; ſecundario ex noſtris operibus, quæ ſimul cum gratia Dei faciunt, ut æternam ſalutem conſequi poſ- 3

ſimus:

simus: ratio est, quia inde sperare debemus beatitudinem, unde eam consequi possumus; sed eam consequi possumus primario ex Dei gratia, & ejus promissione, secundariò ex nostris operibus, & meritis; ergo ex utroque simul speranda erit beatitudo. Et quidem quòd certitudo nostræ Spei fundetur tum in auxiliis Divinæ gratiæ, tum in nostris operibus ex Dei gratia factis; patet quoad auxilia ex Tridentino, *quod sess. 6. cap. 13.* sic ait: Unumquemque in Dei auxilio firmissimam spem reponere debet: quoad verò nostra opera ex Dei gratia facta probatur ex D. Paulo *ad Roman. 3. Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio Spem, Spes autem non confunditur.* Sic omnes Doctores Catholici duce D. Thoma 2. 2. *quæst. 17. art. 4.*

4 Petes 3. an bona Temporalia sperari possint virtute Spei, ut si quis bona opera efficeret, jejunaret, oraret, eleemosynam erogaret ab salutem temporalem obtinendam? Resp. supponendo prius licitum esse referre hæc bona opera ad obtinenda bona temporalia: nam si licitum est, ea petere à Deo, licitum pariter erit, hæc bona opera aptare ad inclinandam Dei Voluntatem, ut bona illa temporalia concedat. Hoc supposito, Si bona opera efficiantur ad consequendum bonum temporale eo animo ut temporale illud bonum facilitet ad consequendam beatitudinem; erit utique actus Virtutis Spei, quia saltem ab ipsa imperatur, & procedit ex ejus motivo. Si verò nullam relationem dicat bonum temporale, quod petitur, ad beatitudinem; erit actus spei, qua Virtus moralis est. Sic Suarez *disputat. 1. de Spe. sess. 5. in fine.*

5 Petes 4. an fugere à malo, & observare justitiam ex præciso timore gehennæ possit esse actus Virtutis Spei? Resp. si fugiens à malo, & observans justitiam ex præciso timore gehennæ id ita efficiat, ac cum eo animo, ut si gehenna non esset, à malo non fugeret, nec justitiam observaret, utique timor ille malus esset, & grave peccatum, præferret siquidem gehennam observationi Divinorum Mandatorum, & consequenter ipsi Deo, qui semper debet esse noster finis ultimus: saperet quoque talis timor servilitatem, quæ mala est ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 19. art. 4.* Audiatur D. Augustinus *lib. de Natur. & Grat. cap. 57.* ubi ait: sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè desiderat. Si verò ita fugiat à malo, & operetur justitiam ex gehennæ timore, ut si gehenna non esset, adhuc fugeret à malo, & justitiam operaretur; utique actus ille timoris procederet ex Virtute Spei, constat ex Tridentino *sess. 6. can. 8.* ubi statuitur: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus; peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

6 Quoad habitum spei, & Timoris dicendum 1. Viatores justos habere habitum Spei, & Timoris: est Propositio de Fide à Tridentino sancta *sess. 6. cap. 7.* de qua nemo Catholicorum dubitare potest. Viatores tamen peccatores non amittere, habitum spei per peccata, ut colligitur ex eodem Triden. *loc. cit.* & clariùs *sess. 14. cap. 4.* nisi peccata fuerint infidelitatis sublata siquidem fide omnia dona supernaturalia virtutis corruunt, est enim radix, & fundamentum illorum. Vel si fuerint peccata Desperationis, spes namque amittitur per ea peccata, quæ sibi specialiter opponuntur, & contraria sunt: ut supponunt Doctores omnes cum Suarez *disp. 1. de Spe. sess. 8.* Coninch *disp. 19. dub. 12.* & aliis.

7 Dicendum 2. Beatos, qui sunt in termino; non habere verè, & propriè actus spei, quamvis remaneat in ipsis habitus spei quoad substantiam, non verò quoad denominationem. Et quidem quòd non habeant actus spei in Patria, probatur ex eo, quia actus spei verus, & proprius est velle, & sperare Dei possessionem; si ergo Beati Deum possident, & certò sciunt, se illum possessuros in æternum, propriè, & verè non habent actus spei. Et in hoc sensu accipiuntur D. Paulus 1. *ad Corinth. 13.* & Pontifices, quando asserunt: in Patria evacuari Fidem, & Spem, manere tamen Charitatem; non enim remanet spes secundum denominationem, seu secundum suum proprium actum, & rigorosum; sed secundum substantiam habitus. Quòd autem remaneat hæc substantia habitus Spei in Beatis, probatur ex eo, quod eliciunt plures actus spectantes ad Virtutem Spei. Gaudent etenim de Deo possesso, quatenus sibi conveniens est, qui actus necessariò procedit à Virtute Spei. Sperant insuper beatitudinem suorum corporum, & licèt sciant, eam infallibiliter esse futuram, ac sine difficultate, acquirendam; nihilominus quia acquirenda est auxilio supernaturali, ac supra vires naturæ, eique indebito; ideo ad Virtutem Spei attinere dicitur. Sperare denique possunt aliorum Beatitudinem, non solùm ex amore Charitatis, sed etiam ex amore concupiscentiæ, quatenus sibi conveniens est; ex consortio namque aliorum crescit eorum beatitudo accidentaliter. Sic Suarez *tom. 1. in 3. par. quæst. 7. in explic. art. 4. & disp. 1. de Fide sess. 8. numer. 5.* Castropalaus *de Spe. disputat. 1. punct. 3. numer. 1.* & Coninch *disp. 19. dub. 10. numer. 13 ff.*

8 Eodem modo discurrendum de Timore orto ex Virtute spei in Beatis, quòd videlicet non detur in illis secundum actum proprium, & rigorosè talem. Beati siquidem cognoscunt, impossibilem esse ipsis privationem summi boni, & æternam damnationem, adeoque eam timere non possunt: cum versetur timor circa malum imminens possibile. Excluditur quoque ab ipsis Timor filialis, qui ad culpam propriè spectat, prout est offensa Dei; & ad pœnam per culpam incursam, prout separat à possessione Divina, ac ejus honore, cum tam culpa, quàm pœna sit ipsis impossibilis, & hanc impossibilitatem sciunt, adeoque eam timere nequeunt. Securitas namque est timori contraria, & Beati sunt securi omnino à pœna, & culpa in quocumque sensu accipiantur. Quòd si Scripturæ dicunt: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Psalm. 18.* & de Christo Isaias dicit: *Replebit eum Dominus Spiritu Timoris sui.* Et de Angelis, quòd credunt, & contremiscunt. Hæc solùm probant, aliquem Timorem in Beatis admittendum esse compossibilem cum perfectione status beatifici, & cum securitate illius, quem quidem Catholici Doctores agnoscunt in Beatis. Et 1. quidem ipsis conceditur Timor reverentialis, qui videlicet oritur ex cognitione propriæ vilitatis, & divinæ Excellentiæ; Beati namque agnoscentes perfectissimè Deum, & se ipsos; ac videntes suam improportionem ad Divinam familiaritatem; inde est, quòd trementes assistant, absque tamen anxietate, & perturbatione, sed summa cum pace, & tranquillitate, conjuncta cum humilitate, & reverentia. 2. conceditur Beatis Timor filialis, quo fugiant culpam, ut summum malum; à quo licèt agnoscant se securos, & immunes; quia tamen attenta eorum natura possibilis est; inde fit, quòd remota ista possibilitas, quamvis conjuncta cum securitate causet in illis non absolutum actum timoris filialis, sed veluti conditionatum, ac simplicem sine anxietate, & angustia. Sic Castropalaus *de Spe disp. 1. punct. 3. nu. 3.*

9 Dicendum 3. in animabus existentibus in Purgatorio dari verum habitum Spei, ac veros actus Spei: ratio est, quia in ipsis possibilis est Beatitudo, & aliunde est absens, & acquisitu difficilis, & pro qua gravissimas pœnas pati debent; ergo veros actus Spei habent provenientes ab Habitu Spei. Nec obstat, quòd sint certæ de consecutione beatitudinis; certitudo siquidem licèt auferat anxietatem, & turbationem; non aufert tamen Spem: nam careret spe consequendi beatitudinem ille, cui revelata foret ejus consecutio. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 18. art. 3. in fin. Corp.* Suarez *disputat. 1. de Spe. sess. 8. numer. 4.* Coninch *disputat. 19. dub. 11. numer. 146.* & alii. De actu Timoris idem dicendum de ipsis, ac dictum fuit de Beatis, cum æquè certæ sint de beatitudine, & de non incurrendo culpam, aut damnationem.

10 Dicendum 4. animas damnatorum in inferno nec habere actus Spei, nec habitum illius quoad substantiam: ratio est, quia certò sciunt suam damnationem, ac ipsis impossibilem esse beatitudinem; adeoque nec effi-

efficaciter illam desiderare possunt, nec sperare: carent ergo actibus Spei. Quòd etiam careant habitu Spei quoad substantiam, patet, quia indignæ sunt quolibet dono supernaturali: ut rectè docent Valentia 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 3. Coninch *disp.* 19. *dub.* 12. *concl.* 3. *num.* 150.

11 Dicendum denique de Christo Domino in hac vita degente non solùm actus Spei habuisse, sed etiam habitum quoad substantiam, & quoad denominationem. Et quidem quòd habuerit actus Spei, probatur ex eo, quia Spem habuit consequendi gloriam sui Corporis, & exaltationem sui Nominis, quibus perfectiùs Deo uniretur. Et quamvis hæc omnia cognoverit, certò se consecuturum, nec timorem ullum habuerit de illis amittendis; nihilominus quia ea consecuturus erat cum gravi difficultate, & arduitate, summis doloribus, ac morte acerbissima; ideo per veros actus Spei ea sperare poterat: maximè quia contingentia boni concupiti, & sibi proportionati non est de ratione Spei, ad quam sufficit possibilitas boni illius cum arduitate, & difficultate. Ideoque admittitur actus Spei secundum denominationem in Christo degente in hac vita, non verò in Beatis: cum Beati nec sperent gloriam animæ, quam jam possident; nec gloriam suorum corporum, quam sine arduitate, difficultate, & labore habebuut à Deo. Sic Divus Thomas 3. *par. quæstion.* 7. *artic.* 4. Suarez *ibidem in Comment.* Vasquez *disputat.* 43. *capit.* 2. & Coninch *de Spe. disputat.* 19. *dub.* 11. *concl.* 1. Circa actus Timoris idem dicendum, ac de Beatis dictum fuit.

CAPUT III.

An detur Præceptum Spei; & quando obliget?

1 *Præceptum Spei duplex, & de fide est utrumque obligare.*
2 *Quando obliget Præceptum Negativum Spei; & quando Affirmativum?*
3 *Obligatio eliciendi actum Spei, cum quis graviter tentatur contra Spem; potiùs provenit à præcepto vincendi tentationem, quàm à præcepto Spei.*
4 *Satisfit præcepto positivo Spei à fidelibus, tum quando dolent de peccatis, tum quando propositum faciunt non peccandi de cætero.*
5 *An sit Præceptum eliciendi actum Timoris? Et quando obliget?*
6 *Ad justificationem peccatoris non requiritur formaliter, & expressè aliquis actus Timoris, sed sat est, si virtualiter concurrat.*
7 *Etiamsi daretur speciale Præceptum de actibus Timoris, rarò homines illud omitterent.*

1 PRÆCEPTUM Spei aliud est Affirmativum, quo videlicet obligamur aliquando *actus* hujus Virtutis Spei elicere; Negativum aliud, quo obligamur ad non desperandum de divina Misericordia, & de consecutione æternæ beatitudinis. De Fide est, dari utrumque Præceptum Spei: nam si de fide est, nos obligari ad sperandam beatitudinem, de fide pariter erit obligari ad non desperandum de ea, cum nullus minùs speret, quàm qui desperat; uti habent communiter Doctores cum Divo Thoma 2. 2. *quæstion.* 30. *artic.* 1. Quòd verò Fides doceat, non obligari ad sperandum, patet ex pluribus Scripturæ locis *ex Psalm.* 4. *Sperate in Domino*; *ex Psalm.* 16. *Qui salvos facit sperantes in te*; *ex Psalm.* 23. *Beatus vir, qui sperat in eo*; *ex Psalm.* 62. *Sperate in eo omnis conventus plebis*; *ex Divo Paulo ad Titum* 2. *Expectantes beatam spem*; *ad Romanos* 15. *Ut per patientiam, & consolationem Scripturarum Spem habeamus*. Patet ergo ex Scripturæ Sacræ locis, non obligari ad sperandum, & consequenter ad non desperandum: cum spes sit illa firmissima anchora nostræ vitæ spiritualis.

2 Jam verò licèt de fide sit; nos obligari ad sperandum, & non ad desperandum; seu dari Præceptum Affirmativum Spei, & Negativum; nihilominus statuendum est tempus quando obligant. Et quidem præceptum negativum Spei de non desperanda nostra æterna salute obligare semper, & ad semper, extra controversiam est: dum semper obligamur ad non desperandum de Misericordia divina, & de consecutione beatitudinis æternæ. Controvertitur tamen inter Doctores, quandonam directè obliget Præceptum Affirmativum Spei: nam directè obligare debere, mihi certum est, non enim ferri debet præceptum ad indirectè tantùm, & per accidens obligandum; adeoque designandum est tempus, in quo directè obliget, & per se præceptum istud. Quod quidem nimis probabile videtur esse, cum primum homini habenti usum rationis sufficienter proponitur Deus, & æterna Beatitudo, tamquam finis ultimus, ad quem tendere debet; itaut notabiliter differre non debeat elicere actum Spei: moveor, quia ex una parte directè obligat hoc præceptum, maximè quia sine actu Spei nequit quis justificari, aut in justitia divina persistere, aut meritoriè operari; ex alia parte nequit aliud tempus convenientius assignari ad directè, & per se obligandum; ergo pro eo tempore directè, & per se obligat. Sic Bannez 2. 2. *quæstion.* 23. *art.* 1. *dub.* 2. Aragonius *ibidem num.* 1. Becanus *cap.* 17. *quæstion.* 7. *num.* 2. Lorca 2. 2. *quæstion.* 22. *art.* 1. *disputat.* 7. *in fine* Turrianus *ibidem*, *& disputat.* 65. *dub.* 1. Layman *lib.* 2. *tractat.* 2. *capit.* 2. *numer.* 1.

Et quamvis veram putem sententiam asserentem, 3
adesse obligationem eliciendi actum Spei, quando quis graviter tentatur contra spem, & reperitur in periculo desperationis, nisi roboret se actibus Spei ad desperationem superandam. Ut docuere Valentia, Reginaldus, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Spe. quæstion.* 3. *punct.* 1. *numer.* 4. Nihilominus puto, hanc obligationem non esse directam, ut ipsi putarunt, sed indirectam, & potiùs provenire à præcepto vincendi tentationem, quàm à præcepto positivo Spei. Sicuti obligatur etiam quis ad actus Spei eliciendos, quando præcipitur ei Oratio, Pœnitentia, Charitas, quarum actus exequi nequeat sine Spe; vel quando urgetur aliis tentationibus gravibus, itaut periculum sit consensus, *nisi* animum actibus Spei erigat ad Deum. Sed hæc obligatio est indirecta, & potius proveniens à præcepto Orationis, Pœnitentiæ, Charitatis, aut superandi tentationem, quàm à præcepto positivo Spei. Sic Bannez 2. 2. *quæstion.* 22. *art.* 1. *dub.* 2. Suarez *disputat.* 2. *de Spe. sect.* 1. *numer.* 2. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 3. & Castropalaus *de Spe. disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 2.

Illud hic advertendum ad scrupulos tollendos, com- 4
muniter satisfieri huic præcepto positivo spei, tum quando de peccatis dolere solent fideles, eo quia tunc numquam omittunt actum formalem spei, quo ad Deum eriguntur ad peccata detestanda, & novam vitam inchoandam juxta Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. tum etiam quando propositum habent numquam peccandi de cætero: ratio est, quia licèt aliquoties ex amore perfecto Dei propositum istud oriatur, sæpe tamen oritur ex amore imperfecto Dei. Peccatores siquidem dolentes, & peccata detestantes, ac proponentes ea imposterum non committere, sæpe sæpiùs considerant æternam beatitudinem, quam peccatis amittunt, & ex tali consideratione eriguntur in spem obtinendi illa à Deo, & dolent de peccatis commissis, eaque detestantur, ac proponunt ampliùs non committere: maximè quia nequeunt in hac vita laqueis, & difficultatibus plena conservari in gratia, & ad longum tempus peccata devitare, nisi per repetitos spei actus ad divinam retributionem, juxta illud Davidis *Psalm.* 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Sic Coninch *disp.* 19. *dub.* 9. *nu.* 114. & Castropalaus *de Spe. disp.* 1. *punct.* 4. *nu.* 4. *in fine*.

Solet etiam hic inquiri à Doctoribus cum Divo Tho- 5
ma: an sit præceptum eliciendi actum Timoris, & quando obliget? Et quidem quòd adsit tale præceptum eliciendi actum Timoris, satis apertè colligitur ex illo *Sapientiæ* 1. *Qui sine timore est, non poterit justificari*: nam cum justificatio sit necessaria ad salutem, inde fit, pariter necessarium esse ad salutem Timorem, sine quo justificatio haberi nequit. Quia verò Timor alius est Filialis, Servilis alius; ideo inquiri solet, an de utroque habeatur præceptum? Et sanè traditum esse de Timore Filiali, qui ille dicitur, quo quis timet, & fugit Dei offensam ex amore ipsius Dei; sicuti filius timet, & fugit offensam Patris ex amore, quo ipsum patrem prosequitur; constat ex illo *Deuteron.* 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te; nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum*? De Timore tamen Servili, qui timet offendere Deum ob pœnam, quæ inde sequitur, more Servorum, qui timent offendere

dere Dominum ſuum ob verbera ; potiùs ſuæ incolumitati , quàm honori Domini conſulentes ; conſtat traditum eſſe ex illo *Lucæ* 10. *Eum timete , qui poſtquam occiderit , habet poteſtatem mittere in gehennam* ; inſuper *ex Triden. ſeſſ. 6. cap. 6.* definiente : concurrere ad juſtificationem impii timorem gehennæ . Sic ex D. Thoma, Sanchez, & Suarez docet Caſtropalaus *de Spe. diſp. 1. punct. 5. num. 5.*

6 Advertendum 1. non requiri ad juſtificationem peccatoris , & impii , ut formaliter , & expreſsè concurrat aliquis ex prædictis Timoribus ; ſed ſat eſt , ſi virtualiter concurrat , & inſit in aliis operibus præceptis , quæ exercentur : non enim extat præceptum expreſſum exercendi actus Timoris formaliter . Nec obſtat ; obligari aliquando fidelem tentatum graviter in Caſtitate e. g. ad eliciendum expreſsè , & formaliter actum Timoris , ſive Filialem , ſive Servilem ; ſi alio modo tentationem illam vincere nequeat , Nam licèt obligetur ad hunc formalem , & expreſſum actum Timoris ; non obligatur tamen ex vi præcepti Timoris , ſed ex vi præcepti ſervandi continentiam : & de facto ſi tentationi conſentiret , non peccaret contra præceptum Timoris , ſed contra præceptum ſervandi continentiam . Sic Valentia *diſput. 2. de Spe. quæſt. 4. punct. 2.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 33. numer. 4.* & Caſtropalaus *de Spe. diſp. 1. punct. 5. num. 6.*

7 Advertendum 2. quòd etiamſi daretur ſpeciale præceptum , & formale de actibus Timoris , ſive Filialis, ſive Servilis ; nihilominus rarò homines , niſi fuerint perditiſſimi , illos amittunt ; cum rari ſint homines illi , qui aliquoties in vita non omittant offenſionem Dei , tum ob amorem , & bonitatem ipſius Dei ; tum ob vitandas inferni pœnas ; vel non doleant de peccatis excitati iſtis motivis ; adeoque non erunt injiciendi ſcrupuli circa obſervantiam horum præceptorum .

CAPUT IV.

De Deſperatione , & Præſumptione Virtuti Spei contrariis.

1 *Quid ſit Deſperatio?*
2 *Deſperatio non conſiſtit in actu judicii , quo quis judicat , ſe non eſſe ſalvandum.*
3 *An ſemper Deſperatio ſit grave peccatum?*
4 *An cui revelata eſt ejus damnatio , adhuc teneatur ſperare ſalutem?*
5 *An peccatum Deſperationis poſſit eſſe ſine hæreſi?*
6 *Quodnam peccatum ſit deſperare ſalutem proximi ; & cui Virtuti opponitur?*
7 *Præſumptio quid ſit?*
8 *Graviſſimum peccatum eſt Præſumptio , nec habet parvitatem materiæ .*
9 *Multipliciter committi poteſt peccatum Præſumptionis .*
10 *Aliquando Præſumptioni eſt admixta hæreſis .*

1 DESPERATIO , quæ Virtuti Spei opponitur , eſt nolitio efficax proſequendi beatitudinem , & aptandi media neceſſaria ad conſecutionem illius ; ſic enim deſperatio directè eſt contraria Virtuti Spei . Conſiſtit autem deſperatio in duplici actu voluntatis, ſeu in unico actu cum duplici reſpectu , primò efficaciter , & poſitivè omittendi pro tota vita media neceſſaria ad ſalutem , quia difficilia apparent deſperanti , & ejus appetitibus valde contraria ; ſecundò fugiendi , & recedendi à Beatitudine ipſa . Quatenus hic actus voluntatis deſperantis dicit ſecundum reſpectum , hoc eſt fugam , & receſſum à Beatitudine , quam conſequi non vult ; eſt propriè , & revera actus deſperationis ; quatenus verò dicit primum reſpectum omittendi media neceſſaria ad conſecutionem beatitudinis ; eſt nolitio mediorum , & per conſequens beatitudinis ipſius . Sic Coninch *diſp. 20. dub. 10. num. 74.* & Caſtropalaus *de Spe diſp. 1. punct. 5. num. 3.*

2 Hinc infertur : deſperationem non poſſe conſiſtere in actu judicii , quo quis judicat , non eſſe ſalvandum , adeoque media neceſſaria ad ſalutem omittit apponere ; ratio eſt , quia ſi Spes conſiſtit in voluntate , deſperatio Spei oppoſita in eadem potentia conſiſtere debet ; non nego tamen , quòd tali judicio poſito regulariter ſequatur ex illo deſperatio , ut docent Suarez *diſputat. 2. de Spe. ſect. 2. numer. 2.* & Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 33. numer. 6.* Imò ad deſperationem ſufficit judicium illud , quo quis judicet beatitudinem , ac ejus conſecutionem ſibi fore arduam , & difficilem ; & ex illo judicio moveatur ad nolendum eam procurare , & ad deſperandum de ejus conſecutione ; dummodo careat judicio , ſe aliquando beatitudinem conſecuturum ; ſtante namque hoc judicio deſperare nequit , ſed ſperare neceſſarium eſt . Sic Coninch *diſputat. 20. dub. 10. numer. 81. & 82.* & Caſtropalaus *de Spe diſput. 1. punct. 5. numer. 3.* Oriri etiam poteſt deſperatio ex judicio falſo , & erroneo , quo quis judicat , ſuam ſalutem eſſe impoſſibilem ; & tunc ſi ex eo oriatur , ſupponit hæreſim , quæ ſemper diſtingui debet à deſperatione : quamvis ſi ex aliis judiciis oriatur , non ſupponat hæreſim , ſed nimiam indulgentiam , & conſuetudinem peccatis juxta Divum Paulum *ad Epheſ. 4.* qui ait: *Deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ , in operationem immunditiæ omnis , in avaritiam* ; & juxta *Jerem. 18. Deſperavimus , poſt cogitationes noſtras ibimus* .

Petes 1. an deſperatio ſemper ſit peccatum grave? 3
Reſp. affirmativè , eo quia dari nequit parvitas materiæ in voluntate deficiendi integrè à proſecutione æternæ beatitudinis ; adeoque deſperans de conſequendo Deum , aut æternam ſalutem , & ſuorum peccatorum veniam ; aut deſperans de mediis neceſſariis ad ſalutem, de auxiliis divinæ gratiæ , & emendatione vitæ ; ſemper graviter peccat, nec poteſt leviter peccare : cum ſemper injurioſum ſit divinæ miſericordiæ , cujus ſemper proprium eſt miſereri , & parcere . Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſtion. 20. art. 3.* Suarez *diſputat. 2. de Spe. ſect. 2. numer. 4.* Valentia *diſputat. 2. quæſtion. 3. punct. 1.* Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 33. numer. 3.* Layman *lib. 2. tract. 2. cap. 2. num. 3.* & Caſtropalaus *de Spe. diſp. 1. punct. 5. num. 5.*

Petes 2. An cui revelata ſit ejus damnatio , peccet 4
deſperando ſalutem ; an verò adhuc teneatur ſperare illam? Reſp. plures Doctores denegare poſſibilitatem caſus cum Divo Thoma , Divo Bonaventura , Dionyſio Richel , Altiſiodorenſi relatis à Caſtropalao *loc. cit. numer. 7.* Alios verò plures eum admittere , ſaltem de potentia abſoluta , & extraordinaria Dei : ſic Major , Gabriel , Suarez, Coninch , Vaſquez, Bonacina , Lorca ab eodem Caſtropalao relati *loc. cit. num. 8.* Sed permiſſa poſſibilitate caſus , qui rarò , vel numquam præſumendus eſt contingere ; ita tamen ut revelatio fieret homini peccatori in vindictam peccatorum à ſe commiſſorum, ut ſi fieret Antichriſto, cujus certa eſt damnatio, & finalis impœnitentia ; nam homini juſto fieri non poſſe , mihi verius videtur, cum non habeatur juſta cauſa , & honeſta, qua Deus moveatur ad talem revelationem faciendam ſuo amico . Poſita ergo poſſibilitate caſus , quamvis Doctiſſimi Viri Becanus, Lorca , Turrianus , Bannez , & alii , quos refert , & ſequitur Bonacina *de Spe. quæſtion. 3. punct. 2. numer. 4.* docuerint , non poſſe , nec debere ſperare , imò nec peccare mortaliter , ſi deſperet , illum , cui revelatio ſuæ damnationis æternæ facta eſt . Nihilominus puto probabilius , teneri ex parte ſua ad ponendum omnem conatum ſerium pro conſecutione æternæ beatitudinis , & peccare ſi non ponat ; moveor , quia illa damnatio non provenit ex aliqua cauſa extrinſeca neceſſitatem ei inferente ; ſed evenit ex ejus voluntate determinante illum ad peccatum ; ergo antecedenter ad talem determinationem aptare poterit omnem ſerium conatum , ut non determinetur à ſua voluntate ad peccatum . Non enim aſſignari poteſt , quid illum impediat : judicium namque, quo judicat , ſe non evitaturum æternam damnationem , cum ſupponat liberam determinationem ad peccatum cum omnibus cauſis , quæ ad illam concurrunt ; ſupponit etiam determinationem liberè factam , & non inducentem vim , & neceſſitatem voluntati ; adeoque cum tali judicio aliud componi poterit , quo judicetur , voluntatem poſſe non determinari ad peccatum, & conſequenter poſſibilem eſſe damnationem , & aptandum eſſe omnem ſerium conatum pro peccato evitando , & damnatione . Nec obſtat dicere : non poſſe ſeriò , & conſtanter aliquem eligere medium , quod hìc , & nunc inutile reputat ad conſecutionem finis intenti , ut evenit in caſu appoſito , in quo attentis circumſtantiis medium eſſet inutile ad peccatum vitandum , ac damnationem . Nam contra eſt : ſi aliunde , & non à propria voluntate proveniret inutilitas

tilitas medii, ita planè esset. Cum ergo in casu nostro non aliunde proveniat, quàm à propria voluntate; inde est, seriò aptare posse omnem conatum ad consecutionem finis per medium illud, cum non sit objectum excedens voluntatem, & ejus potentiam attenta Dei misericordia, & auxiliis divinæ gratiæ. Sic Castropalaus *de Spe. disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 10.

Petes 3. an peccatum desperationis possit esse sine hæresi? Resp. affirmativè: potest enim aliquis actum desperationis elicere, absque eo quod quidquam contra fidem sentiat; ut si diceret: Deus numquam parcet mihi, aut Deus numquam me salvabit, vel numquam disponam me ad pœnitentiam, numquam sanctè, & bene agam. In his enim, aut similibus actibus non judicatur aliquid contra fidem. Secus tamen esset, si diceret: Deus non potest mihi parcere, aut Deus non parcet mihi, etiamsi me disposuero ad pœnitentiam, vel non possum salvari, & consequi Dei gratiam. His enim actibus, & similibus non solùm peccat peccato desperationis, sed etiam hæresis: sentit enim contra Fidem, & divinam Misericordiam; adeoque si cum plena advertentia, & consensu hæc dixerit, & mentem suam exteriùs manifestaverit; subjacet pœnis hæreticorum. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 20. *art.* 2. Malderus, Lorca, Valentia, Becanus, Sanchez, Reginaldus, Toletus, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de Spe. disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 2. *numer.* 5.

6 Petes 4. quodnam peccatum sit sine rationabili causa desperare de salute proximi, & cui virtuti opponitur? Resp. esse grave peccatum, cum versetur circa materiam gravem: nam si desperat salutem proximi, quia credit, Deum non adjuturum illum suis auxiliis; grave peccatum committit contra Virtutem Fidei; tum quia non credit, Deum esse paratum ad subveniendum omnibus ex corde implorantibus ejus auxilium; tum quia malè sentit, & est injuriatus divinæ Pietati, & Benignitati. Si desperat, quia credit, proximum ex sua negligentia, aut malitia omissurum esse, quæ necessaria sunt ad æternam salutem; graviter peccat contra jus proximi, vel saltem contra Charitatem, temere de eo sic judicando in re gravi. Denique si desperat ex odio, quod habet contra proximum; graviter peccat contra Charitatem proximo debitam. Sic Coninch *disputat.* 19. *dub.* 5. *numer.* 68. & Castropalaus *de Spe. disputat.* 1. *punct.* 2. *numer.* 3.

7 Præsumptio, quæ etiam ut desperatio contraria est Virtuti Spei; accipitur hic pro Spe obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, & reliqua dona supernaturalia aliter, ac ipse Deus statuit obtinenda. Sic Doctores omnes cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 21. Opponitur autem Virtuti Spei, eo quia Spes est voluntas obtinendi à Deo dona illa supernaturalia mediis ab ipso institutis; Præsumptio verò obtinere vult mediis à Deo non institutis. Accipi etiam potest Præsumptio pro Spe, & fiducia obtinendi à Deo aliquod auxilium opportunum juxta illud *Judith.* 6. *Non derelinquas præsumentes in te.* Et *cap.* 9. *Exaudi me miseram deprecantem, & de tua venia præsumentem.* Insuper accipi potest pro judicio illo, quod formatur ex conjecturis; itaut aliquando sit certum, aliquando verò probabile pro qualitate ipsarum conjecturarum, quæ aliquando fundant præsumptionem violentam, aliquando vehementem, & aliquando levem. Denique accipitur Præsumptio pro vitio opposito humilitati, & magnanimitati. Sed de his tribus acceptionibus non est nobis sermo; sed tantùm de Præsumptione, prout est Vitium oppositum Spei, ut diximus.

Peccatum Præsumptionis gravissimum est ex genere 8
suo, nec excusari potest à mortali ob parvitatem materiæ juxta illud *Ecclesiast.* 18. *Vidi præsumptionem cordis eorum, quàm mala est:* & ratio esse potest, quia continet in se gravem deordinationem, & est injuriosa Deo: voluntas namque obtinendi à Deo dona supernaturalia præter ordinem à divina Providentia dispositum est illusoria, inutilis, ac injuriosa; & contraria ipsi divinæ Providentiæ. Sic D. Thomas 2. 2. *quæstion.* 21. *artic.* 1. Banhez, Valentia, Becanus, Turrianus, Sanchez, Azor. Toletus, Reginaldus, Layman, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Spe, Quæstion.* 3. *punct.* 1. *numer.* 5. & Castropalaus *de Spe. disputat.* 1. *punct.* 6. *numer.* 2.

Multipliciter autem peccatum istud committi po- 9
test. 1. si quis Beatitudinem propriis viribus, & absque Dei auxilio speret, ut fuit hæresis Pelagianorum. 2. si veniam suorum peccatorum, & gloriam speret ex sola Dei Misericordia, & absque pœnitentia, & propria cooperatione, ut fuit hæresis Lutheranorum. 3. si speret remissionem peccatorum, & gloriam ope tantùm creaturarum; aut ope creaturarum, & Dei, sed principaliter ope creaturarum. Nam sperare, & invocare creaturas, ut simul cum Deo adjuvent; itaut principaliter adjutorium speretur à Deo mediis creaturis; non erit peccatum præsumptionis, etiamsi id expressè non dicatur, sed virtualiter, & interpretativè, ut rectè adnotant Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 33. *numer.* 7. & Castropalaus *de Spe. disput.* 1. *punct.* 6. *num.* 3.

Adnotandum hìc: cum peccato Præsumptionis ad- 10
jungi aliquando hæresim, ut si quis præsumeret propriis viribus assequi beatitudinem, vel sine meritis, & bonis operibus, ut hæretici præsumpsere, & ita crederet; utique & peccatum præsumptionis committeret, & hæresis; quæ quidem virtutem Spei corrumperet, & destrueret; qui enim Fidem amittit, pariter amittit Spem, cum sine fide nec Spes, nec alia Virtus Supernaturalis consistere possit. Quamvis propriè corruptio ista habitus Spei non proveniret ex præsumptione ipsi opposita, sed potius ex hæresi, quæ antecedit præsumptionem: nam cum præsumptione secluso errore intellectus, & hæresi compati potest Spes; non sic verò cum desperatione, quæ directè Spei opponitur. Sic Suarez *disputat.* 2. *de Spe. sect.* 3. *numer.* 4. Coninch *disput.* 20. *dub.* 15. *numer.* 149. Valentia 2. 2. *disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 2. Turrianus *quæst.* 21. *art.* 2. Sanchez. *lib.* 2. *Decal. cap.* 33. *numer.* 8. & Castropalaus *de Spe disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 4.

QUÆSTIO VII.

DE CHARITATE.

CHARITAS suprema est omnium Virtutum, locum tamen obtinet post Fidem, & Spem, non quia illis inferior, sed quia illis est generatione posterior, ut docet Tridentinum *Sess. 6. Cap. 6.* Cum verò non solùm immediatè versetur erga Deum, verùm etiam erga Proximum; ideo de ea sub utroque respectu pertractandum erit; ac de illis, quæ ipsi opponuntur. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quid Charitas; quodnam eius Objectum; & quomodo à Fide, & Spe distinguatur?

1 *Charitas accipi potest ut Actus, & ut Habitus. Et quid Charitas ut Habitus?*
2 *Amor benevolentiæ, quo Deum prosequitur Charitas; debet esse distinctus ab amore Concupiscentiæ,*
3 *Charitas non solum est virtus amans Deum amore Benevolentiæ, sed etiam Amicitiæ.*
4 *Charitas sive per amorem benevolentiæ, sive amicitiæ debet Deum diligere tamquam ultimum finem rerum omnium.*
5 *Objectum Primarium Virtutis Charitatis est Deus secundum omnes suas perfectiones; secundarium verò est Proximus, quatenus Deo refertur.*
6 *Assignatur discrimen Charitatis à Fide, & Spe.*

1 CHARITAS accipi potest ut Habitus, & Virtus est; & ut Actus. Ut Habitus est definiri solet: Virtus Theologica, & supernaturalis, qua amatur Deus amore supernaturali benevolentiæ, & Proximus propter ipsum Deum. Ut Actus est ipse amor supernaturalis benevolentiæ, quo Deus amatur, & Proximus propter Deum. Quòd autem Habitus Charitatis sit Virtus Theologalis, & supernaturalis, probatur ex eo, quia immediatè versatur circa Deum, & in illius summa perfectione complacet, tamquam in objectum supernaturale, & honestissimum; ergo erit Virtus Theologica, & Supernaturalis. Imò est omnium Virtutum perfectissima, ac excellentissima: nam Virtus eò est perfectior, quo perfectiùs voluntatem nostram subjicit, ac conformat Voluntati divinæ, quæ est mensura, & regula cæterarum voluntatum; si ergo Charitas in omnibus, & per omnia præ cæteris Virtutibus intendit subjicere voluntatem nostram divinæ, itaut de solo Deo complaceat, ejusque voluntatem exequi conetur absque ullo respectu proprii commodi; erit Virtutum omnium perfectissima, & excellentissima juxta illud D. Pauli *ad Coloss. 3. Supra omnia hæc Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. 1. ad Corinth. 13. Nunc autem manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas.* Et *ad Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Ex quibus clarè constat, & certum debet esse ex fide, dari Virtutem Charitatis, cujus actus perfectiores, & excellentiores sunt præ actibus cæterarum Virtutum, ut patet ex eo, quia proveniunt ab excellentiori, & perfectiori Virtute juxta illud Divi Pauli *ad Roman. 13. Plenitudo legis est Dilectio.* Et 1. *ad Timoth. 1. Finis præcepti est Charitas.*

2 Jam verò Amor Benevolentiæ, quo Deum prosequitur Virtus Charitatis; debet esse distinctus ab amore concupiscentiæ: nam amor concupiscentiæ fertur in bonum, quà commodum est ipsi amanti; amor verò benevolentiæ fertur in bonum, quà bonum est ipsi amato; ideoque cùm Deo quis inservire vult, amore benevolentiæ eum prosequi debet, quia dignissimus est omni, & quolibet obsequio; & per consequens Deum supra cætera omnia amare, & æstimare debet. Idem dicendum, si quis ductus eodem affectu velit beatitudinem suo proximo, illam utique velle debet, non quia bona est proximo, sed quia gratum, & jucundum est Deo habere proximum beatitudinem illam. 3

Adnotandum hic 1. Charitatem non solum esse Virtutem, qua amatur Deus amore benevolentiæ, sed etiam Amicitiæ: eo quia vera amicitia in eo sita est, ut quis velit bonum amico suo, quia bonum est amico; & hic vicissim velit illi bonum eodem modo. Quod totum verificatur in justis diligentibus Deum, qui gaudent, Deum esse perfectissimum, quia illi bonum est; & Deus pariter justos amat, & de eorum justitia gaudet, quia illis bona est, licèt eam ad suam Gloriam referat, non quia illa indigeat, sed quia est principium, & finis bonitatis omnis: sicuti quis amare potest Petrum, illumque vero amicitiæ amore prosequi, licèt talem amorem referat ad Deum, veluti in ultimum finem. Quæ omnia comprobantur ex illo *Joann. 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Nec obstat ad hanc veram amicitiam inæqualitas, quæ intercedit inter Deum, & hominem; cum inter inæquales amicitia esse nequeat *ex Aristot. 8. Ethic. cap. 5.* Nam licèt hoc verum sit cum puris hominibus in statu puræ naturæ; non est tamen verum in statu elevationis ad gratiam, & ad perfectam Dei amicitiam, media namque Charitate diffusa in cordibus nostris elevat Deus supra statum suæ naturæ homines, illosque quodam modo sibi similes reddit juxta illud 2. *Petri 1. Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.*

Adnotandum 2. Charitatem sive per amorem benevolentiæ, sive amicitiæ debere Deum diligere tamquam ultimum finem rerum omnium: Deus namque ut summum bonum ex se est, diligi debet supra omnia creata; adeoque si dilectio Dei referretur ad aliud ab ipso Deo distinctum, tamquam ad ultimum finem; non esset dilectio Dei super omnia. Et quamvis Deum diligamus, & alia bona opera efficiamus, ut æternam beatitudinem, & gloriam consequi possimus, ut dixit Sanctus David *Psalm. 118. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Nihilominus nequibit esse talis retributio finis ultimus, sed minus principalis relatus semper ad Deum: ut rectè docent Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 3. num. 5.* Reginaldus *lib. 17. numer. 93.* Toletus *lib. 4. cap. 9. numer. 7.* & Bonacina *de Charitate disput. 3. quæst. 4. punct. 1. num. 3.* 4

Ex dictis hucusque satis apertè colligitur, Objectum Primarium Virtutis Charitatis esse Deum secundum omnes suas perfectiones, quas importat; objectum verò secundarium esse Proximum, quatenus refertur Deo, ac ejus beatitudinis particeps esse potest. Quia ut diligatur per Charitatem proximus, non debet diligi per aliquam bonitatem in illo existentem sine respectu ad Deum, aliàs non diligeretur per actum Charitatis à Virtute Theologica provenientem, sed à Virtute Morali amicitiæ. Non nego tamen, quòd quoties diligitur relatè ad Deum, vel quia ejus creatura est, & ejus filius adoptivus; vel quia Deo placet, ut sic ametur; tunc talis amor non sit amor amicitiæ erga proximum, cum non desideretur bonum proximo, quia bonum ipsius est; sed amor amicitiæ erga Deum, quia in bonum Dei cedit, & in ejus honorem, & gloriam: sicuti non dicitur amor amicitiæ erga servum, si illi bonum desideras, quatenus cedit in bonum Domini ejus. Sic Vasquez *tomo 1. in 3. part. disputat. 98. cap. 2.* 5

Co-

Coninch *disput.* 24. *dub.* 1. *numer.* 19. Lessius *de Justit. cap.* 56. *numer.* 23. & Castropalaus *de Charit. disput.* 1. *punct.* 1. *num.* 5.

6 Colligitur insuper discrimen inter Charitatem, & reliquas Virtutes Theologicas Fidem scilicet, & Spem: nam iicèt omnes immediatè respiciant Deum pro objecto Formali; nihilominus Charitas respicit illum, ut Summum Bonum, & summo amore dignum per se; Fides verò illum respicit, ut testificantem verum; denique Spes respicit illum amore concupiscentiæ, ut videlicet bonum est ipsius sperantis, ut superiùs adnotavimus; non sic verò Charitas, quæ in omnibus, & per omnia Deum prosequitur amore benevolentiæ, & absque ullo respectu proprii commodi.

CAPUT II.

De Præcepto Charitatis erga Deum, & quo tempore obliget.

1 *Præceptum Charitatis aliud Positivum, Negativum aliud; & an detur speciale Præceptum Positivum distinctum à cæteris?*
2 *Quonam tempore obliget Negativum, & quantum Positivum?*
3 *Primò obligat quando homo habet sufficientem usum rationis, ac Dei Cognitionem.*
4 *Secundò quando validæ insurgunt tentationes Odii Dei.*
5 *Tertiò quando quis adultus baptismum recipit.*
6 *Quartò instante periculo mortis, etiamsi non sit conscius peccati, aut sacramentaliter confiteatur.*
7 *Assignantur alii quinque casus, sed non sunt materia Præcepti, sed Consilii.*
8 *Quomodo amandus Deus, ut huic obligationi satisfiat?*
9 *Graviter peccat, qui amore appretiativo magis amet creaturas, quam Deum.*

1 PRÆCEPTUM Charitatis aliud est Positivum, Negativum aliud. Negativum est illud, quo obligamur ad non prosequendum Deum odio. Positivum verò, quo obligamur ad diligendum Deum, seu ad eliciendum actum Charitatis erga Deum. Quæstio est inter Doctores: an detur hoc Præceptum speciale diligendi Deum contradistinctum ab aliis Præceptis; putarunt siquidem nonnulli Viri docti, hoc præceptum non esse speciale, sed generale, & indistinctum ab aliis præceptis. Nihilominus communior, & vera sententia docet, esse speciale, ac distinctum à reliquis: ratio est, quia si datur præceptum speciale Fidei, & Spei, ut suis locis probavimus, cur dari nequit Præceptum speciale Charitatis, quod sit vinculum perfectionis, cum Charitas perfectiori vinculo uniat nos Deo. Et clarè colligitur ex illo *Deuteron. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*; quod referens Christus Dominus *Matth.* 22. ait: *Hoc est maximum, & primum mandatum*; adeoque ex mente Christi Domini specialem induit obligationem, & consequenter specialiter latum. Conveniens siquidem fuit, quod objectum summo amore dignum, ut est Deus, tum ob perfectiones, quas in se continet; tum ob beneficia, quæ hominibus confert, per speciale præceptum præciperetur amari, & diligi. Sic D. Thomas cum suis Expositoribus, Valentia, Lorca, Torres, Coninch, Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 2. *nu.* 1.

2 Major controversia est: quonam tempore obliget hoc speciale Præceptum Charitatis erga Deum. Et quidem Præceptum negativum obligare semper, & ad semper, indubitatum est penes omnes; sicuti obligant cætera Præcepta negativa, præcipuè Fidei, & Spei; semper enim tenemur non odisse Deum. De Præcepto tamen positivo variant Doctores in assignando tempus, quando nam urgeat. Certum tamen est 1. non obligare tantum, & non ampliùs, nisi quando tenemur justificari, & non habetur alia via justificandi: ut si quis celebraturus esset, aut moriturus, & deesset copia Confessarii; adeoque teneretur conteri, in quo actu virtualiter continetur actus amoris Dei. Damnata siquidem fuit ab Innocentio XI. Propositio asserens: *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* Certum est 2. graviter peccare, qui semel tantùm in vita actum dilectionis Dei eliceret: cum damnata etiam fuerit ab eodem Innocentio XI. Propositio asserens: An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in Vita eliceret, condemnare non audemus. Certum est 3. improbabile omnino esse, quòd non obliget singulis quinquenniis Præceptum Charitatis, & quidem per se; cum pariter damnata fuerit à supradicto Pontifice propositio dicens: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare Præceptum Charitatis erga Deum.* Ex dictis colligitur, non sufficere ad satisfaciendum huic Præcepto Charitatis, semel in vita elicere actum dilectionis Dei; insuper obligare singulis quinquenniis; denique obligare extra casum tantùm justificationis.

Quapropter satis probabile puto, obligare 1. quando 3
homo adeptus est sufficientem usum rationis, ac cognitionem Dei infinitè boni, à quo omnia sua bona habet, & cui ei omnia debet: ratio est, quia tenetur toto tempore *suæ* vitæ ex filiali amore inservire Deo; adeoque tenetur ad se mancipandum Deo per actum dilectionis, cum nequeat alio modo fieri. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 89. *art.* 6. quem communiter sequuntur omnes ejus Expositores, Bannez 2. 2. *quæstion.* 44. *artic.* 1. *dub.* 1. *ad* 3. Navarrus *in Summ. cap.* 11. *numer.* 8. Toletus *lib.* 9. *Summ. capit.* 9. *numer.* 9. Advertit tamen Coninch *disputat.* 24. *dub.* 5. *numer.* 50. non statim peccare mortaliter, qui post talem notitiam, & sufficientem Dei cognitionem non eliciat hunc actum amoris; sed sat est, si non differat notabiliter ultra annum. Advertit insuper Castropalaus *de Charitate disputat.* 1. *punct.* 4. *numer.* 11. rarò aliquem posse esse reum violationis hujus Præcepti, nisi fuerit vir perditissimus: nam cum sæpe tenetur se disponere ad absolutionem recipiendam contritione, in qua virtualiter continetur hic actus dilectionis; insuper cum sæpe beneficia divina, & Summam Dei Bonitatem consideret; inde est, quòd excitetur ad effectum debitum amicitiæ, nempe ad amorem.

Secundò obligare puto directè, & per se hoc præce- 4
ptum, quando validæ insurgunt tentationes odii Dei, & habetur periculum consentiendi illis, nec habetur alia via evadendi, nisi eliciendo actus dilectionis Dei: ratio est, quia quilibet tenetur ex præcepto Charitatis aptare ea media, quæ conducunt ad non habendum odio Deum, ut etiam diximus de Fide, & Spe urgentibus validis tentationibus contra illas Virtutes. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 35. *num.* 9. *in fine*, & Bonacina *de Charitate disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 2.

Tertiò obligare puto directè, quando adultus jam quis baptismum recipit: ratio est, quia baptismum suscipiens profitetur se esse Christi servum, ac promittit, se perseveraturum toto vitæ tempore in ejus obsequio; adeoque divino amore firmare debet hoc suum propositum, ad eum modum quo adscribens se militiæ Principis alicujus, debet se suaque omnia in eumdem Principem referre. Sic Sotus *lib.* 2. *de Just. quæst.* 3. *art.* 10. & Valentia *disp.* 3. *quæst.* 19. *punct.* 1.

Quartò directè etiam, & per se obligat instante peri- 5
culo mortis, etiamsi moribundus conscius non sit peccati mortalis; aut etiamsi illud sacramentaliter confiteatur: ratio est, quia licèt certum sit, attritionem cum Sacramento gratiam conferre; nihilominus cum non sit certum, attritionem haberi, inde est, quòd eniti debeat ad actum contritionis habendum: maximè quia agitur de æterna salute, quam debemus omnibus modis securam reddere; & tunc dœmon gravissimas parat tentationes, adversus quas roborari debemus omni meliori modo. Sic Suarez *disp.* 5. *de Charit. sect.* 3. *num.* 3. Valentia *disputat.* 3. *quæst.* 19. *punct.* 1. *casu* 7. & Coninch *disp.* 24. *dub.* 3. *num.* 51.

Alias obligationes agnoscunt Doctores in hoc Præce- 6
pto. Et 1. occurrente quolibet die festivo, in quo Deus colendus est non solùm externo cultu, & corpore; verùm etiam interno, ac mente. 2. quando sumenda est Eucharistia, ut eam sumens intimè cum Deo uniatur. 3. quando martyrium subeundum est, vel aliud opus egregium, ac difficilè aggrediendum, oportet siquidem tunc animum firmare hoc obsequio dilectionis Dei. 4. si aliquod magnum beneficium à Deo habitum sit: expediens siquidem est, ut redametur, qui sic benignè amavit conferendo beneficium illud. 5. cum periclitatur amor Dei, ejusque honor defendendus est: ut quoties audiuntur blasphemiæ in Deum, aut alia gravis injuria ei irrogatur; sic enim per dilectionem illam reparatur

ejus honor. Verùm licèt approbem hujusmodi actus Charitatis in enumeratis casibus, & in praxi consulendi sint; nihilominus eos agnosco, ut opera Consilii, non Præcepti; cum non habeantur sufficientes rationes ad probandam obligationem Præcepti: maximè quia alia via satisfieri possit prædictis obligationibus diversa à Charitate, & obligationes ex præcepto non de facili multiplicandæ sunt.

Inquiri hìc solet 1. Quomodo amandus sit Deus, ut obligationi hujus præcepti satisfiat? Resp. certum esse, Deum amandum esse super omnia ex toto corde, & ex tota anima. Verùm hic amor supernaturalis Dei potest esse Intensivus, & Appretiativus. Intensivus dicitur, quando actus amoris Dei est ferventior, & intensior præ cæteris actibus amoris, quibus omnia alia diligimus. Appretiativus verò dicitur: quando sic amatur Deus, ut præferatur cæteris omnibus aliis; ita ut paratus sit amans ex vi amoris illius, potiùs perdere omnia alia, quàm ipsum Deum. Qui quidem amores diversi sunt inter se, ut unus sine alio consistere potest. Jam verò Præceptum dilectionis Dei super omnia ex toto corde, & ex tota anima est de amore appretiativo, non verò intensivo: & sic probatur, si esset de amore intensivo, maximis vexarentur scrupulis homines semper dubitando, an fuerit amor frequentior, & intensior, cum id certò constare nobis non possit; adeoque semper recurreret dubium, & anxietas, an revera fuerit intensior, & frequentior aliis amoribus; quod quidem non videtur conforme divinæ Bonitati, quæ reddit semper suum jugum suave, & onus suum leve; ergo dicendum est præcipere tantùm dilectionem, & amorem appretiativum, quo videlicet Deus super omnia ametur; ita ut ex vi amoris illius paratus sit amans potiùs omnia perdere, quàm Deum: & sic dicitur Deum super omnia diligere, & tamquam ultimum finem ex toto corde, & ex tota anima. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 31. *num.* 2. Suarez *disp.* 5. *de Charit. sect.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 194. *cap.* 3. Coninch *disp.* 25. *dub.* 1. *num.* 14. Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 2. & Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 2. *num.* 5.

9 Hinc infertur, graviter peccare eum, qui amore appretiativo magis amet creaturas, quàm Deum: ut si quis deliberatè vellet semper remanere in hac vita, ac ejus deliciis frui anteponendo delicias vitæ hujus ipsi divinæ fruitioni. Sic enim, ut patet, gravem injuriam Deo inferret, ejusque Visioni beatificanti: nam & Deum, & ejus Visionem summa cum injuria postponeret huic Vitæ, & ejus deliciis; nec Deum, ut ultimum finem haberet. Sic rectè docent Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 31. *num.* 11. Navarrus *in Summ. cap.* 20. *num.* 11. Rodriquez 1. *tom. Summ. cap.* 11. *in fine*, & Bonacina *de Charit. disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 3. Secus tamen dicendum, si quis desideraret in hac vita remanere ob dubietatem, si post eam salvandus sit, an verò damnandus; non enim postponeret Deum, & æternam vitam huic terrenæ vitæ; nec istam ut ultimum finem haberet: ut docet Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 2. *num.* 6.

CAPUT III.

De Præceptis Charitatis erga Proximum.

1 *Quinam sint Proximi nostri?*
2 *De fide est dari Præceptum Charitatis ad diligendum Proximum.*
3 *Non solùm homines justi, sed etiam peccatores, & reprobi diligendi sunt.*
4 *Obligat Præceptum Charitatis proximi ad amorem internum, & formalem; nec sufficit amor externus, & virtualis.*
5 *Extat expressum Præceptum Christi Domini diligendi inimicos.*
6 *Nemo potest velle suo inimico, aut alicui peccatori malum aliquod, quà tale illi.*
7 *Injuriatus obligatur ad remittendam ex corde offensam injuriantì, etiamsi injurians illam non petat.*
8 *An liceat inimicum excludere à beneficio, auxilio, oratione, aut alio opere in gratiam Communitatis facto, cujus ipse est pars?*
9 *An extet obligatio faciendi inimico signa specialia dilectionis?*
10 *An sit obligatio non solùm interiùs, sed etiam exteriùs remittendi offensam inimico petenti veniam.*
11 *An sit obligatio resalutandi inimicum, qui salutat?*
12 *An possit licitè Pater in locum pœnæ denegare reconciliationem filio eam petenti ob indignas nuptias, & cum dedecore familiæ factas?*
13 *Quisnam ex duobus se mutuò offerentibus teneatur prior reconciliationem petere, & satisfactionem exhibere?*
14 *An offendens semper teneatur veniam petere, & satisfactionem exhibere, itaut absolvi nequeat, si id non præstet?*
15 *An sit obligatio alloquendi, vel alia signa benevolentiæ demonstrandi inimico, quibus fortè ab odio desistet?*

PROXIMI nostri dicuntur omnes illi, qui capaces sunt æternæ beatitudinis; sive de cætero fideles sint, sive infideles; sive justi, sive injusti, & peccatores, sive amici, sive inimici; sive prædestinati, sive reprobi. Sic cum Divo Augustino *lib.* 1. *de Doctrin. Christian. cap.* 23. docent Azor. 2. *par. lib.* 12. *cap.* 5. *quæstion.* 5. Reginaldo *lib.* 17. *numer.* 99. *in fine*, & alii Doctores passim. 1

Dari præceptum Charitatis ad diligendum proximum, de fide est, & certum inter Catholicos: nam *Deuteron.* 5. dicitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; quod etiam refertur à Christo Domino *Matth.* 22. *& Joann.* 12. Idem Christus ait: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Particula autem *sicut*, non æqualitatem significat, sed similitudinem, uti frequenter accidi solet in Sacris Bybliis: ut cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 1. docent communiter Doctores. 2

Ex dictis fit, non solùm homines justos, verum etiam reprobos, & peccatores diligendos esse: eo quia, dum in hac vita degunt, capaces sunt beatitudinis. Et quamvis odio haberi possit peccatum in peccatore, & passim dicatur odio haberi peccator juxta illud Psal. 18. *Iniquos odio habui*; & alibi: *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ*. Revera tamen odio habetur peccatum in peccatore, non verò ipse peccator; qui potiùs diligitur, dum odio habetur peccatum in illo: nam ex ejus amore provenit odisse peccatum illius, quia illi malum est. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 6. & cum eo Bannez, Sylvester, Malderus, Reginaldus, Layman, Filliucciis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 1. Quòd si de aliquo peccatore in hac vita degente certa habeatur revelatio ejus futuræ damnationis; adhuc circa illum exerceri potest Charitas; non quia desiderari possit ipsi æterna beatitudo, cum sit objectum impossibile attenta revelatione; sed quia desiderari ei potest, ne plura peccata committat, & plurium pœnarum se reum constituat. Idem dicendum de damnatis in inferno, possumus namque ipsis desiderare, ne tot, tantaque peccata committant; non tamen per ordinem ad beatitudinem, à qua irrevocabiliter excluси sunt. Sic Suarez *disp.* 1. *de Charitat. sect.* 1. *numer.* 3. & Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 1. & alii. 3

Ad quem verò amorem erga proximum obliget præceptum istud Charitatis, extra controversiam nunc est, obligare ad actum internum, & formalem; nec sufficere actum externum, aut virtualem: damnatæ siquidem fuerunt Propositiones illæ ab Innocentio XI. Una quarum asserebat: Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. Altera verò dicebat: Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. Nam si eodem modo de dilectione proximi, ac de dilectione Dei locutus est Christus Dominus, *Matth.* 22. ubi postquam dixit: *Diliges Dominum Deum tuum &c. hoc est maximum, & primum mandatum*; statim subjunxit: *Secundum autem simile huic: Diliges Proximum tuum sicut te ipsum*; sequitur satis clarè, quòd si Deus diligendus sit amore interno, & formali; non verò externo, & virtuali; hoc etiam amore diligendus sit proximus, qui ad imaginem, & similitudinem Dei factus est. 4

De dilectione inimicorum, qui etiam proximi nostri sunt capaces æternæ beatitudinis, & supernaturalium bonorum, ac ad Dei imaginem procreati; extat expressum mandatum Christi Domini, *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos*. Quod quidem conforme est tam Juri naturæ, quàm divino: nam & jus naturæ dictat aliis faciendum, quod nobis ipsis fieri cupimus; 5

si ergo

si ergo unusquisque cupit diligi, ac in suis necessitatibus subveniri; idem faciendum erit aliis, quicumque sint, etiam inimici. Ideoque satis ad rem dixit Christus Dominus *Lucæ 6. Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*. Et D. Paulus *ad Roman. 12.* ait: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi*. Per hoc enim præceptum satis imitatur unusquisque Deum Patrem nostrum, Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos, & injustos: ut rectè habet Divus Thomas 2. 2. *quæst. 25. art. 9.* & omnes ejus Commentatores.

6 Hinc fit 1. Non posse aliquem suo inimico, aut alicui peccatori velle malum aliquod, quia malum illi est: nam hoc est intrinsecè malum, & nulla ratione cohonestabile. Nec obstant, quæ opponuntur ex variis Scripturæ locis, in quibus gravissima mala peccatoribus imprecantur: nam *Psalm. 9.* dicitur: *Convertantur peccatores in infernum. Psalm. 11. Disperdat Dominus universa labia dolosa*. Et *Psalm. 18. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus: cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum.* Pauli *ad Galat. 5. Utinam & abscondantur, qui vos conturbant*. Non inquam obstant hæc gravissima mala, & similia; eo quia non imprecantur, sed prædicuntur, quamvis per modum imprecationis prædicantur; nam in divinis Scripturis sæpe sæpius Optativus modus pro Indicativo accipitur; ut observant Divus Augustinus *Psalm. 108.* Divus Hieronymus *Psal. 11.* & Divus Gregorius *lib. 15. Moral. cap. 23.* Insuper etiam si imprecationes essent, non tamen mala illa peccatoribus imprecantur, quatenus illis mala sunt; sed quia per illa mala divina Justitia ostenditur, ac ipsi peccatores à peccando cessare possunt, & alii corriguntur ex punitione illorum: maximè quia Deus, qui non delectatur in perditione impiorum, ut dicitur *Sapient. 1.* ob istum titulum infligit mala peccatoribus, non verò ex ullo odio contra illos; itaut velit peccatores punitos, quatenus peccatores sunt, non quatenus ad imaginem Dei creati sunt. Sicut Divus Thomas 2. 2. *quæst. 25. art. 6.* varios referens Patres.

7 Fit 2. Obligatum esse injuriatum ad remittendam ex corde offensam injurianti, etiamsi injuriam illam non petat; adeoque non posse vindictam velle, quà mala est injurianti; sed teneri abstinere ab illa: ratio est eadem, quæ supra; est enim hoc intrinsecè malum, ac incohonestabile: constat siquidem ex fide, ut habetur *Matth. 18.* tradendos esse tortoribus, qui ex corde non remiserint injurias acceptas. Imò ex Divo Thoma tradunt Suarez *disputat. 5. sect. 5. numer. 9.* Valentia 2. 2. *disput. 3. quæst. 3. punct. 2.* Coninch *disputat. 2. dub. 6. numer. 93.* & Castropalaus *disputat. 1. de Charit. punct. 6. numer. 2.* non solùm obligatum esse ex corde remittere offensam; sed etiam ita se deportare cum inimico, ut non præbeat ipsi, aut aliis fundamentum suspicandi inimicitiam; ex obligatione enim Charitatis tenetur non præbere alteri scandalum: multò magis si inimicus veniam petat, ac de injuria facta doleat; tunc enim tenebitur injuriatus ad significandum ex corde deposuisse inimicitiam, & odium; quòd si id non significet, jam præbet sufficiens fundamentum, ut agnoscant, esse inimicum illius, & velle illi malum, quod est scandalum, & occasio, ut inimicitia perseveret.

8 Ad clariorem intelligentiam eorum, quæ dicta sunt; resolvendæ remanent nonnullæ dubietates ad dilectionem inimicorum spectantes. Petes igitur 1. an liceat inimicum excludere à beneficio, auxilio, favore, oratione, aut alio pio opere in gratiam alicujus Communitatis exhibito, cujus *ipse* inimicus est pars? Resp. negativè, si excluditur, quà inimicus est: ratio est, quia per talem exclusionem significatur odio haberi inimicum, & sic magis excitari, & provocari ejus odium, quod minimè fieri potest, ut supra diximus; cum hæc omnia sint signa odii. Quapropter Christus Dominus *Matth. 5.* in hoc sensu dixit, *nos* debere orare pro persecutoribus, & illis benefacere; quando videlicet oramus pro aliis, ac benefacimus illis, quorum pars sunt persecutores. Sic Castropalaus *de Charitat. disputat. 1. punct. 6. numer. 4.* Hinc sequitur, quòd licet aliquis non sit obligatus orare, salutare, eleemosynam facere, nihilominus si ea opera communitati efficit, non poterit inimicum excludere ab ea communitate; aliàs dabit occasionem offensæ, & fundamentum suspicandi, non jam deposuisse odium, sed illud fovere contra inimicum; si pro omnibus orat, omnes salutat, omnibus eleemosynam tribuit, omnibus expositas merces vendit, excluso inimico. Extat enim præceptum, quo quilibet homo saltem privatus teneatur proximo etiam inimico communi à dilectionis signa, & beneficia ei exhibere: ut sunt ea, quæ Christiano à quovis Christiano debentur in communi; Civi à Concive, Cognato à Cognato: non enim licet privato ista denegare, cum non liceat ei vindicare injuriam. Sic ex D. Thoma 2. 2. *quæstion. 25. artic. 6.* docent Suarez, Valentia, Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit.* Si verò excluderet, *non* quà inimicus est; sed ex alia honesta causa, quam aliis manifestaret; non peccaret excludendo: ut si beneficium omnibus non suppeteret, sed aliquibus; poterit calumniatores excludere, & aliis conferre: sic etiam si intercessio facienda pro omnibus profutura non esset, sed tantùm pro aliquibus; tunc fieri poterit pro amicis, relictis inimicis, non quia inimici sunt, sed quia pro omnibus sufficiens non est: maximè quia prudentia ipsa dictat, potiùs favendum esse amicis, quàm inimicis, quoties favor ad omnes extendi non potest. Sic ex eodem Divo Thoma docet Valentia, Coninch, Bannez, Lorca relati à Castropalao *l. c.*

9 Petes 2. An habeatur obligatio faciendi inimico signa specialia, & particularia dilectionis? Resp. quamvis ex consilio teneamur ad hæc signa dilectionis facienda inimicis; non tenemur tamen ex præcepto, & per se; adeoque nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo, ac peculiari actu, ad eum salutandum e. g., si occurrerit, alloquendum; invisendum, si ægrotus sit; consolandum, si mœstus sit; excipiendum hospitio; vel familiariter cum eo pertractandum: ratio est, quia cum hæc omnia sint signa specialia dilectionis, quæ non tenemur ex præcepto aliis exhibere, adeoque nec inimicis; inimicus siquidem non debet esse melioris conditionis præ aliis. Sic Suarez *disputat. 5. de Charit. sect. 5. numer. 8.* Coninch *disputat. 24. dub. 6. numer. 91.* Castropalaus *de Charit. disputat. 1. punct. 6. numer. 5.* & Bonacina *de Charit. quæstion. 4. punct. 3. numer. 3.* referens Divum Thomam, Bannez, & Bejam. Quamvis tamen per se non habeatur hæc obligatio, poterit tamen oriri per accidens; ut si ex omissione horum peculiarium actuum dilectionis erga inimicum scandalum grave sequeretur; maximè si sine incommodo fieri possent, aut si omitterentur ex animo graviter aversо: ut si quis solitus esset Petrum salutare, quem post contractam publicam inimicitiam non salutat, non alloquitur, non visitat, ut antea faciebat; sine dubio scandalum generaret, & sufficiens fundamentum præberet aliis suspicandi, ea omitti ob inimicitiam, & odium; adeoque omissio talium actuum esset graviter peccaminosa; & à fortiori talis erit, si eos omitteret inferior respectu Superioris inimici, quem prævenire solebat in similibus actibus, esset enim contemptus excellentiæ illius. Sic etiam dicendum, si ex similibus actibus peculiaribus speraretur salus spiritualis inimici, itaut odium dimitteret; aut urgeret ejus necessitas spiritualis; vel temporalis; tunc enim eos omittere grave peccatum erit: ratio est, quia in his casibus denegatio specialium signorum dilectionis esset exterior declaratio talis odii: maximè quia sine suo gravi incommodo posset proximo, ejusque necessitatibus subvenire. Sic Sylvester, Navarrus, Cajetanus, Toletus, Bannez, Reginaldus, Layman, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Charitate quæst. 4. punct. 3. num. 3.*

10 Petes 3. An teneatur quivis inimico veniam petenti non solùm offensam interiùs remittere, sed etiam externa remissionis signa demonstrare; aut exhibitam satisfactionem pro injuria condonare? Resp. quamvis teneatur ad remittendam offensam interiùs, & odium deponere statim, cum non liceat inimicum odio prosequi, aut illi malum aliquod optare; nihilominus ad demonstranda exteriùs amicitiæ signa, ac reconciliationis statim postquam offensio est illata, res est violenta, & supra fragilitatem humanam, & nonnisi magnæ perfectionis opus; adeoque ad aliquod tempus differre non erit grave peccatum, quamvis tale sit diutiùs perseverare. Sic ex Azorio, & Filliuccio docet Trullench *libr. 1. capit. 5. dub. 5.* Cavendum tamen, ne demonstrentur odii signa, aut rancoris. Idem dicendum de Superiore offenso, qui poterit aliquantulum retardare remissionem subdito illam petenti, & animum ei offensum ostendere; ut sic subditus gravitatem

ſuæ culpæ agnoſcat, & ab illa Impoſterum ſe abſtineat; vergit enim in bonum ſui ſubditi, adeoque Superioribus permiſſa illa dilatio; dummodo non fiat ex odio, nec exaſperetur ſubditus: ut ex Coninch, & Sà rectè docet Caſtropalaus *de Charit. diſp. 1. punct. 6. num. 7.* Non tenetur tamen ſatisfactionem condonare pro damno illato, imò nec eam acceptare, ſi offerat; ſed juridicè eam petere poteſt coram Magiſtratu, ſecluſis ſemper ſignis odii, & vindictæ: ratio eſt, quia non tenetur juri ſuo cedere, & ſi licitum eſt Magiſtratui pœnam exigere, licitum ei erit coram Magiſtratu agere. Sic Valentia, Suarez, Coninch, Layman, Filliuccius, Bannez, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Charit. quæſt. 4. punct. 3. numer. 5.*, & Caſtropalaus *loc. cit. numer. 8.* Quòd ſi pœna offenſori debita, ſit valde gravis, ut eſſet abſciſſio capitis, mutilatio alicujus membri, perpetuus carcer, aut perpetuum exilium, ex quibus læſo nullum commodum reſultaret; aut ſi offerret aliam ſatisfactionem prudentis arbitrio ſufficientem, & quantum poſſet; tunc ceſſandum eſſet à nimio rigore ſatisfactionem petendi à Magiſtratu: nimius namque ille rigor in petendo non redolet Chriſtianam pietatem, nec Charitatem proximo debitam; imò ſapit odium, & vindictam: ut bene docent Beja, Azor. Sylveſter, Malderus, & Filliuccius, quos refert & laudat Bonacina, putantes, teneri læſum intermittere coram Magiſtratu actionem injuriarum, ſi lædens veniam petat, ac debitam ſatisfactionem, quantum poteſt, offerat, niſi aliunde neceſſaria fuerit actio Magiſtratus ad conſulendum honori, vel damno perſonæ læſæ: eo quia pauci ſunt, qui actionem injuriarum proſequantur in judicio abſque affectu vindictæ, & odii; quapropter in praxi ſic conſulendum puto.

11 Petes 4. an ſit obligatio reſalutandi inimicum ſalutantem? Reſp. regulariter loquendo grave eſſe peccatum id omittere, eo quia regulariter ſequi ſolet grave ſcandalum, & magna conturbatio in inimico non reſalutato; adeoque graviter peccat, qui ſalutatis duobus non ſalutat tertium, quia eſt ejus inimicus: negaret ſiquidem ſignum univerſale Charitatis, & contemneret ejus perſonam; maximè ſi ex conſuetudine patriæ, & perſonarum denegari non ſoleat. Sic ex Maldero, Toleto, Reginaldo, Azorio, Valentia, Sylveſtro, Filliuccio, Suarez, Coninch, Lorca, Sà docent Bonacina *de Charit. quæſt. 4. punct. 3. numer. 4.*, & Caſtropalaus *de Charit. diſput. 1. punct. 6. num. 6.* Excipiunt tamen, ſi non reſalutans inimicum eſſet perſona longe notabilis conditionis reſpectu inimici ſalutantis; aut Superior, vel pater illius eſſet; tunc enim non eſſet grave peccatum illum non reſalutare; maximè ſi fieret ad correctionem, & ad breve tempus. Sic advertunt citati Doctores.

12 Petes 5. an poſſit licitè Pater in locum pœnæ denegare reconciliationem filio eam petenti ob indignas nuptias cum dedecore familiæ celebratas; imò præcipere ſuæ familiæ, ne conſuetudinem, & familiaritatem cum eo habeant? Reſp. ex motivo odii numquam id licitum eſſe, nec ad longum, nec ad breve tempus; ex motivo verò emendationis ipſius filii, & ad cautionem aliorum poterit id licitè efficere, ad breve tamen tempus: ratio eſt, quia cum poſſit juſtam pœnam à filio cum dedecore familiæ operante repetere; inde eſt, quod poſſit hanc infligere, & conſequenter omnes in familia patri ſubordinati poterunt rectè pœnam à patre juſtè inflictam exequi. Nequibit tamen pater ad longum tempus, & in perpetuum reconciliationem denegare; tum quia ſic pœna non commenſuraretur cum delicto, ſed illud excederet; tum quia perpetuitas illa eſſet indicium manifeſtum odii, & ſcandalum præberet. Sic Layman *lib. 2. tractat. 3. capit. 4. numer. 4.*, & Bonacina *de Charitat. quæſtion. 4. punct. 3. numer. 5.*

13 Petes 6. quis ex duobus ſe mutuò offendentibus teneatur prior reconciliationem petere, ac ſatisfactionem pro injuria illata exhibere? Reſp. ſi cætera ſint paria, teneri eum, qui fuit prior in inferendo injuriam: nam hic priùs contraxit obligationem ſatisfaciendi, & conſequenter alteri quæſitum fuit jus petendi ſatisfactionem. Ad quam tamen non obligabitur, ſi titulo compenſationis reſarcire nolit, prævidens prudenter, & probabiliter alterum non correſponſurum ſatisfactioni exhibendæ; adeoque quaſi in depoſitum poterit ſatisfactionem retinere, donec alter paratus ſit. Si tamen cætera non ſint paria, vel quia prior levem intulit injuriam, & poſterior longè graviorem; vel quia prior nobilioris eſt conditionis præ poſteriore; non tenebitur prior ad petendam veniam, & ſatisfactionem exhibendam; ſed poterit eam ſuſpendere, donec alter exhibeat. Sic Navarrus, Coninch, Reginaldus, Azor. Filliuccius, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Charit. quæſt. 4. punct. 3. nu. 6.*, & Caſtropalaus *de Charit. diſp. 1. punct. 6. num. 10.*

14 Petes 7. an offendens ſemper obligatus ſit veniam petere, & ſatisfactionem exhibere; itaut abſolvi nequeat, ſi id facere renuat? Reſp. in aliquibus caſibus excuſari poſſe tum à venia petenda, quàm à ſatisfactione exhibenda, & conſequenter abſolvi poſſe. Et 1. caſus eſt, ſi offendens recepit graviorem injuriam; aut prudenter, & probabiliter putat, non ſibi ſatisfacturum pro injuria recepta, ut ſupra diximus. 2. ſi læſus exigat immoderatam, & excedentem ſatisfactionem, quando lædens paratus ſit ad competentem, & arbitrio virorum prudentum ſufficientem. 3. ſi cenſeatur ex circumſtantiis læſus injuriam condonaſſe, vel quia cum poſſit de facili exigere ſatisfactionem, eam non exigit; vel quia nimis familiariter cum lædente pertractat, ac ſi numquam læſus fuiſſet. Extra hos caſus, aut his ſimiles nequibit lædens abſolvi, ſi non ſit paratus ad veniam petendam ab offenſo; aut ei congruam ſatisfactionem exhibendam: eo quia non eſt rectè diſpoſitus, ac contritus, cum nolit obligationi ſuæ ſatisfacere. Non nego tamen, quòd non ſemper teneatur offendens ad petendam veniam, ut ſi eſſet Superior offenſo; ſemper tamen tenebitur ad dandam competentem ſatisfactionem judicio virorum prudentum, quorum erit ſpectare qualitatem perſonarum, & injuriæ. Sic ex Coninch docet Caſtropalaus *de Charitat. diſputat. 1. punct. 6. numer. 11.*

15 Petes 8. an teneatur quis alloqui, vel alia ſigna benevolentiæ inimico demonſtrare, quibus fortè ille ab odio deſiſtet? Reſp. ſi hæc ſigna præſtari poterunt abſque gravi detrimento, & notabili incommodo; facienda utique erunt ſub obligatione: ratio eſt, quia unuſquiſque tenetur ſalutem ſui proximi procurare, etiam cum aliquo ſuo incommodo, licèt non graviter, & notabiliter moleſto: ad hoc enim collimant præcepta illa *Exod. 23.* Levandi aſinum inimici jacentem ſub pondere; & *Proverb. 25.* Eſurientem inimicum cibandi. Secus verò ſi gravis difficultas, aut notabile detrimentum ſequeretur; non enim urgeret talis obligatio, quæ cum tanto onere adſtringere nequit. Sic Suarez. *diſp. 5. ſect. 5. num. 8.* Coninch *diſp. 24. dub. 6. nu. 97.* Bonacina *de Charit. qu. 4. punct. 3. num. 3.*, & Caſtropalaus *de Charit. diſp. 1. punct. 6. num. 12.*

CAPUT IV.

De Ordine ſervando in Dilectione Perſonarum.

1 *Unuſquiſque tenetur ad Ordinem Charitatis, quem in ſe habet.*

2 *An ſemper teneamur præferre nos proximis in amore appretiativo quoad Spiritualia?*

3 *Numquam licitum eſt, velle carere Charitate Dei ob ſalutem proximorum. Licitum tamen eſt, velle ad aliquod tempus ob eam beatitudinis dilationem.*

4 *Non tenemur ſemper nos præferre proximis in bonis ſpiritualibus extra obligationem.*

5 *An in bonis temporalibus, & in vita ſemper teneamur nos præferre noſtris proximis?*

6 *Quandonam adſit obligatio ex Charitate præferendi ſalutem ſpiritualem proximi noſtris bonis fortunæ, & Vitæ?*

7 *In periculo extremæ neceſſitatis ſpiritualis proximi tenemur, non ſolùm bona temporalia, ſed propriam vitam profundere, ut illi ſubveniamus.*

8 *Advertuntur duo de Indis, & de filia diſſentiente tradita lenoni à Patre ob paupertatem.*

9 *Extra neceſſitatem extremam ſpiritualem proximi non urget perſonam privatam obligatio ex Charitate ſubveniendi illi cum periculo vitæ, aut alio notabili detrimento.*

10 *Si Reſpublica, aut Communitas ſit in gravi neceſſitate ſpirituali; ſuccurrendum ei erit cum periculo propriæ vitæ.*

11 *Cum levi detrimento proprio ſemper ſuccurrendum erit*

erit cujuscumque gravi necessitati spirituali proximi.

12 *Non omnes æqualiter obligantur ad subveniendum necessitati extremæ, vel gravi proximi in spiritualibus cum periculo propriæ vitæ.*

13 *An unus proximus magis diligi possit præ alio?*

14 *Quinam proximi præferendi sint aliis, & quisnam Ordo servandus, quoties urget obligatio subveniendi, & nequit omnibus subveniri?*

15 *Conjunctio naturalis præferenda est conjunctioni spirituali non solùm in temporalibus necessitatibus, sed etiam spiritualibus.*

16 *Conjunctio naturalis in primo gradu præferenda est Amicis, & Benefactoribus.*

17 *In extrema necessitate Conjuncti naturaliter in primo gradu præferendi sunt Creditoribus.*

18 *Quisnam Ordo servandus inter Conjunctos conjunctione naturali?*

19 *Adnotantur duo circa inversionem hujus Ordinis.*

20 *Quisnam Ordo servandus inter Conjunctos spiritualiter?*

21 *Benefactores præferendi non Benefactoribus; fideles infidelibus; justi non justis.*

22 *An Consanguinei peccatores postponendi sint extraneis justis?*

23 *Persona publica præferenda est privatæ.*

1 UNUSQUISQUE ordinatam habet in se Charitatem juxta illud Cantic. 2. *Ordinavit in me Charitatem*; adeoque tenebitur ex vi hujus Ordinis Charitatis primò diligere post Deum seipsum quoad bona spiritualia, postea proximum quoad eadem bona, Secundò tenetur diligere se ipsum quoad bona corporalia, postea proximum quoad eadem bona. Denique quoad bona externa tenetur, priùs seipsum diligere, postea proximum, Sic ex Div. Thoma docet Layman *lib. 2. tractat. 2. cap. 3.*, & Doctores communiter, Sed insurgunt nonnullæ difficultates, quas explicare oportet.

2 Difficultas 1. est: an semper teneamur præferre nos omnibus aliis proximis in amore appretiativo quoad bona spiritualia? Respondeo, supponendo priùs bona spiritualia alia esse talia, ut teneamur ea velle nobis, & nostris proximis: sic sunt gratia, & gloria, quas non solùm nobis, sed nostris proximis tenemur velle ex Charitate. Alia verò esse talia, quæ nec nobis, nec nostris proximis tenemur ex obligatione velle, sed tantùm ex Consilio; sic sunt summa perfectio gratiæ, & gloriæ; & ea, quæ ad hanc perfectionem conducere solent, ut sunt omnia evangelica consilia, Jam verò quòd teneamur præferre nos omnibus aliis, imò toti mundo quoad gratiam, & gloriam, est certissima sententia: ratio est, tum quia Regula diligendi proximum est amor sui ipsius juxta illud *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; tuum quia ipsa Charitas obligat subjectum, in quo residet ad sui conservationem, & augmentum potiùs, quàm ad ipsam conservandam in aliis; ergo unusquisque priùs debet sibi velle gratiam, & gloriam, postea aliis; maximè quia juxta illud *Matth. 16. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst. 26. art. 4.* Suarez *disp. 9. de Char. sect. 1. num. 2.* Coninch *disp. 25. dub. 5. concl. 4.* Valentia *disp. 3. quæst. 4. punct. 3. concl. 2.*, & Castropalaus *de Charit. disp. 1. punct. 7. num. 2.* Nec obstant Moyses, qui *Deuteron. 32.* dixit Deo: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, & D. Paulus, qui cupiebat anathema esse à Christo pro fratribus. Uterque enim locutus est per quamdam exaggerationem, & confidentiam filialem; non quia absolutè carere volebant beatitudine, sed ad explicandum suum vehemens desiderium salutis æternæ proximorum: ac si dicerent si per impossibile unum ex his duobus est faciendum, aliis concedatur æterna salus. Sic Div. Augustinus *quæst. 147. super Exodum*.

3 Advertendum hìc: quòd quamvis numquam licitum sit, velle pro una etiam hora carere gratia Dei, & ejus Charitate; eo quia etiam si sine peccato id posset evenire; nihilominus quia non est medium proportionatum ad salutem proximorum, imò est contra inclinationem Charitatis, quæ numquam tendit in sui destructionem; ideo numquam erit licitum, licitum tamen erit, imò laudabile, velle pati ad aliquod tempus beatitudinis dilationem, ut sic meliùs consulatur proximorum saluti: ratio est, quia sufficienter compensaretur hæc dilatio incremento propriorum meritorum, & voluntate salvandi alios. Sic Valentia 2. 2. *disp. 3. quæst. 4. punct. 3. concl. 2.*, & Castropalaus *de Char. disp. 1. punct. 7. numer. 4.* qui adducunt exempla Divi Pauli *ad Philipp. 1.* ubi ait: *Coarctor è duobus desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo; permanere autem in carne necessarium propter vos.* Et Divi Martini Turonensis Episcopi, de quo testatur Div. Bernardus in ejus vita quòd moriturus dixerat: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*; & sic fecere alii Sancti Viri.

In bonis tamen spiritualibus, quæ sunt extra obligationem non tenemur præferre nos omnibus aliis; itaut peccatum sit nos non præferre: ratio est, quia non extat obligatio illa procurandi nec nobis, nec aliis; eapropter si alios in illis nobis præferimus, non peccamus. Et quamvis Charitas magis inclinet ad procurandam sibi perfectionem, quàm aliis; nihilominus quia non ex obligatione procuratur, ideo prælatio illa cæterorum præ nobis peccaminosa non erit, imò aliquando meritoria; quia procurare perfectionem in aliis est etiam eam sibi procurare. Sic Valentia 2. 2. *disp. 3. qu. 4. punct. 3. concl. 1.*, & Castropalaus *de Charitate disp. 1. punct. 7. num. 5.* 4

2. Difficultas est: an in bonis temporalibus, & in vita debeamus semper præferre nos nostris proximis? Resp. extra controversiam esse, quòd in æquali necessitate alicujus privati, & Communitatis, seu Reipublicæ teneatur privatus non solùm bona temporalia, ac fortunæ, sed etiam propriam vitam pro conservatione Communitatis, & Reipublicæ expendere: ratio est, quia bonum Communitatis semper præferendum est bono speciali, & privato; ratio namque ipsa dictat, bonum partis non esse præferendum bono totius: ut rectè habet Divus Thomas 2. 2. *quæst. 26. art. 3.* Quamvis si æqualis non sit necessitas, sed illa privati esset extrema, illa verò Reipublicæ esset gravis; probabile est, quòd non teneatur privatus ad vitam expendendam pro Republica; ratio est, quia necessitas extrema prævalet cuicumque necessitati gravi, & jus propriam vitam conservandi est valde connaturale homini; adeoque non tenebitur quis ad propriam vitam erogandam, nisi pro extrema necessitate Reipublicæ, aut Principis, aut alterius Personæ Reipublicæ necessariæ: ut docent Suarez 2. 2. *disp. 9. de Char. sect. 3. num. 1.* Valentia 2. 2. *disp. 3. quæst. 4. punct. 2. concl. 4. in fine*, & Castropalaus *de Char. disp. 1. punct. 8. num. 1.* 5

Indubitatum pariter est, ac extra controversiam, in æquali necessitate non teneri privatum ad præferendum alterum privatum sibi: ratio est, tum quia sic Charitati est conformius; tum quia natura potiùs inclinat ad conservationem sui, quàm aliorum. Dubium tamen est, an in necessitate inæquali, ut si proximus esset in extrema necessitate, alter verò in gravi; aut si proximus esset in manifesto periculo vitæ, & alter in probabili periculo tantùm; teneatur hic bona temporalia, & vitam propriam exponere pro proximo? Resp. non teneri, quamvis possit id efficere, & quod non teneatur, sic probo: eo quia præceptum de conservanda vita alterius nequit cum detrimento propriæ obligare, esset enim nimis durum, & asperum; ergo si patitur grave detrimentum, qui se exponit periculo probabili amittendi propriam vitam, ut alienam conservet; nequibit ad id obligari. Quòd autem possit id efficere absque peccato, sic probatur: tum quia est juxta Charitatis Ordinem præferre majus bonum proximi; tum etiam quia exponere propriam vitam pro conservatione amicorum actus est honestus, & laudabilis; ut habetur *Joann. 5. Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis*. Et de facto nimis probabiliter se gerunt, qui cum probabili periculo propriæ vitæ inserviunt peste infectis. Sic Bannez, Valentia, Azor. Malderus, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Char. quæstion. 4. punct. 4. num. 6.* Adnotandum tamen, hoc fieri posse ab homine libero, cujus videlicet vita non est necessaria aliis; nam si foret aliis necessaria, ut esset vita patrisfamilias respectu filiorum, Uxoris etc, aut vita Personæ valde necessariæ in Republica ob bonum spirituale, vel temporale illius; non posset utique id efficere sine gravi peccato: non enim cum tantorum detrimento vitam suam exponere debet ob conservationem alienæ, nec juri aliorum injuriam inferre debet. Sic Bonacina *loc. cit.* Coninch *disp. 25. dub.*

dub. 6. numer. 84., & Castropalaus *de Charit. disput.* 1. *punct.* 8. *num.* 7. *in fine*.

6 3. Difficultas est : quandonam adsit obligatio ex Charitate præferendi salutem spiritualem proximi propriis bonis fortunæ , & vitæ ? Pro intelligentia dicendorum prænotanda sunt nonnulla . Et 1. necessitatem proximi de auxilio illi præstando posse esse triplicem , Levem videlicet , Gravem , & extremam . Levis dicitur , cum proximus necessitate laborans illam de facili, & cum levi conatu repellere à se potest absque auxilio alterius . Gravis dicitur , cum potest à tali necessitate se liberare absque auxilio , sed difficulter, ac cum magno conatu. Extrema tandem dicitur, cum quis est in periculo æternæ damnationis, à quo nequit se liberare absque auxilio alterius , ut esset infans baptizandus in periculo mortis existens ; vel si posset se liberare, esset cum tanta difficultate , ut judicio prudentum reputaretur moraliter insuperabilis , adeoque impossibilis . 2. non solùm intelligi pro proximo his necessitatibus laborante personam aliquam particularem, & privatam ; verum etiam Communitatem , vel Superiorem , aut Principem . 3. ad hoc ut urgeat obligatio subveniendi cum jactura propria necessitati proximi, debet esse primò moraliter certum, quòd non sit alius , qui succurrere possit ; secundò auxilium illud esse profuturum, non verò irritum . His prænotatis ut certis , & indubitatis penes Doctores teste Castropalao *de Charit. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 1. *in fine*.

7 Dicendum 1. in periculo extremæ necessitatis spiritualis proximi non solùm bona temporalia , sed etiam propriam vitam expendendam esse ; ut illi subveniatur , si moraliter certum sit , quòd auxilium profuturum sit : ratio est , quia ex una parte extat præceptum expendendi propriam vitam pro fratribus , & à fortiori propria bona fortunæ juxta illud *Joann.* 14. *Hoc est præceptum meum , ut diligatis invicem , sicut dilexi vos* . Adeoque si Christus Dominus vitam suam dedit pro nobis , & nos eam debemus pro fratribus nostris ponere, ut clarè patet ex illo ejusdem *Joann.* 1. *cap.* 3. *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quia ille animam suam posuit pro nobis , & nos debemus pro fratribus animas ponere* ; ex alia parte supervacaneum esset tale præceptum , si saltem non obligaret in hac extrema necessitate spirituali proximi ; ergo tunc obligat . Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *artic.* 5. Cajetanus , Bannez, Aragonius, Valentia , Suarez, Torres , Lorca Azor. Toletus , Malderus , Reginaldus , Coninch , quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 1., & Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 9. *num* 3.

Hinc infertur 1. necessitatem infantis, qui morti proximus indigeat baptismo, esse extremam, adeoque obligare ad baptismum conferendum cum periculo vitæ, si alius non sit , qui baptismum conferre possit ; non enim infans ab illa necessitate se liberare potest. Sic Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 9. *numer.* 5. referens Navarrum, Lorcam, Coninch, Suarez, Bonacinam, & Valentiam .

Infertur 2. esse pariter extremam necessitatem illius, qui existit in periculo mortis cum conscientia peccati mortalis , nec valet actum contritionis, & constet, non posse elicere , cum non semper hoc supponendum sit ; tunc urget obligatio impertiendi ei absolutionem , etiam cum periculo vitæ Sacerdotis ibi existentis , à quo absolutionem petit . Sic Bannez 2. 2. *quæst.* 28. *art.* 1. Suarez *disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 3. Valentia *disp.* 3. *punct.* 3., & Bonacina *de Char. quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 2. Idem dicendum , si quis dormiens cum conscientia peccati mortalis , & periculum illi immineret, ex quo mors ei eventura sit ; urget tunc obligatio eruendi illum à tali periculo, etiam cum discrimine vitæ eruentis . si moraliter adsit spes , quòd à tali periculo erutus, in gratiam se recipiat ; reputatur enim illa necessitas extrema . Sic ex Coninch , & Suarez docet Castropalaus *de Char. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 4.

Infertur 3. extremam etiam esse necessitatem populi, qui ab hæretico suis hæresibus pervertitur ; adeoque si non sit alius , qui tanto malo occurrat, tenetur quis occurrere, etiam cum discrimine propriæ vitæ, dummodo agnoscat , profuturum esse auxilium illud . Sic ex Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. Navarro, Valentia, Maldero, & Reginaldo docet Bonacina *de Char. quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 2.

8 Advertendum tamen hìc , quod non dicuntur extrema necessitate laborare Indi, ad hoc ut convertantur ad fidem: nam sunt alii , qui id faciunt, & facere tenentur. Nec dicitur extrema necessitate laborare filia illa, quæ ab indigno Genitore ob paupertatem traditur lenoni contra ejus voluntatem : nam licèt coacta sit ad id efficiendum ob patris iram , nihilominus liberè consentit , cum possit à peccato abstinere sustinendo iram patris; adeoque non dicenda erit laborare extrema necessitate. Sic ex Coninch docet Castropalaus *de Charitate disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 8.

9 Dicendum 2. extra necessitatem extremam spiritualem proximi non urget obligatio ex Charitate subveniendi illi, si privata persona sit , cum periculo vitæ, & amissionis membrorum ; aut cum notabili detrimento famæ, vel bonorum fortunæ : ratio est , quia cum jus ad hæc inditum sit à natura , consentaneum non videtur Legi Evangelicæ , quæ suavis est , quòd velit illo privare extra casum extremę necessitatis spiritualis proximi, si persona privata sit : onus siquidem importabile esset ob quamcumque proximi necessitatem illo privari : maximè quia sperari potest alia via succurrendi ipsi. Hinc est, quòd non adsit obligatio cum periculo vitæ, vel gravi detrimento honoris, aut facultatum temporalium impedire peccatum proximi: eo quia cum liberè peccet, inde est, quod non extrema , sed ad summum gravi necessitate laboret. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 26. *artic.* 5. *ad* 7. Navarrus. Coninch, Valentia, Suarez, Sà, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Char. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 9.

10 Dicendum 3. si proximus in gravi necessitate spirituali constitutus, sit Respublica , aut Communitas ; ei succurrendum erit etiam cum periculo propriæ vitę: ratio est, tum quia bonum spirituale commune præponderat bono propriæ vitæ ; tùm quia patiente gravem illam necessitatem Republica, semper aliqui ex illa patiuntur extremam . Hinc est 1. quòd teneatur quis cum periculo propriæ vitæ impedire prædicatorem pravam doctrinam in populo disseminantem, ex qua plures pervertendi sint ; & spes sit, ex tali impedimento apposito non esse grassaturam perniciem ; nec periclitaturum Divinum honorem . Est 2. quod tenetur quis cum periculo vitæ ministrare Sacramenta plebi in persecutione ; aut incursione hostili, si alius non sit , qui administret: esset enim sic exposita non solùm gravibus periculis peccandi, sed etiam amittendi fidem. Sic Coninch *disp.* 25. *dub.* 7. *numer.* 99. Bonacina *de Charit. disp.* 3. *qu.* 4. *punct.* 4. *num.* 5., & Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 10.

11 Dicendum 4. cum levi detrimento proprio semper succurrendum est cujuscumque gravi necessitati spirituali proximi , quicumque sit ; quamvis non ita dicendum , si necessitas levis sit : ratio est , quia gravis necessitas spiritualis proximi semper est in superiori ordine ad quamcumque levem jacturam temporalem propriam, & sicuti tenemur ad succurrendum , si absque detrimento fieri potest, gravi necessitati temporali inimici juxta illud *Exod.* 23. *Si occurreris boni inimici tui , aut asino erranti , reduc eum . Si videris asinum odientis te , non pertransibis , sed sublevabis cum eo* . Ita à fortiori tenebimur in gravi necessitate spirituali . Sic Suarez *disp.* 9. *de Charit. sect.* 2. *num.* 5. *concl.* 4. Coninch *disp.* 25. *dub.* 7. *num.* 100. Sà *verb. Charitas num* 5. Valentia *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3., & Castropalaus *de Char. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 11.

12 Dicendum tandem: non omnes æqualiter obligari ad subveniendum necessitati proximi in Spiritualibus , sive necessitas sit extrema , sive gravis cum periculo propriæ vitæ ; quando speratur auxilium moraliter profuturum : ratio est , quia aliqui ratione officii strictiùs obligantur, & ad hunc finem stipendium eis à subditis traditur: sic sunt Pastor, Princeps, Parochus, Superior, qui majori vinculo præ aliis obligantur cum proprio detrimento ad succurrendum non solum extremæ necessitati suorum subditorum , sed etiam gravi ; aliàs non esset strictius vinculum , & major obligatio . Quapropter rectè *Joann.* 10. dicitur : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis :* sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. Suarez *disp.* 9. *de Char. sect.* 2. *num.* 4. Valentia *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. Coninch *disp.* 25. *dub.* 7. *num.* 101. Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 5., & Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 12. Addit Bonacina ex Div. Thoma , Valentia , & aliis : hos teneri non solùm ad subveniendum necessitati spirituali suorum subditorum occurrenti , verum etiam ad inqui-

inquirendum cum diligentia, an illa laborent; quæ obligatio non extat in aliis non habentibus talé vinculum. Hinc sequitur 1. Pastores non posse tempore pestis suos subditos deserere, & fugere; nisi sint alii, qui eorum vices suppleant; graviter enim indigent subditi Sacramentorum administratione, & reliquis spiritualibus subsidiis ad salutem æternam requisitis. Sequitur 2. instanti tali necessitate non posse Pastorem invitis subditis renunciare suo beneficio; aliàs nemo teneretur ad illis subveniendum, cum posset quilibet hanc viam de facili inire. Sic ex Coninch, & Valentia rectè notat Castropalaus *loc. cit. num.* 13.

13 4. Difficultas est: an possimus unum proximum magis diligere præ alio? Difficultas procedit de amore appretiativo, quo unus alteri præfertur, non verò intensivo. Et quidem posse magis diligi unum proximum præ alio appretiativè; imò aliquando teneri ad sic diligendum non solùm in effectu, & actu externo; verùm etiam in affectu, & actu interno; probatur ex eo quia unus proximus potest esse conjunctior nobis, & Deo præ aliis, adeoque unum præ aliis magis diligere possumus. Sic quoad dilectionem in effectu, & actu externo magis tenemur subvenire patri, aut matri, si in extrema animæ vel corporis necessitate existant, quàm alteri extraneo, quando utrique subveniri non potest. Quapropter jure merito Divus Augustinus *lib.* 1. *de Doctr. Christ. capit.* 28. dixit: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi, quasi quadam sorte junguntur.* Quoad dilectionem verò in affectu, & actu interno, quòd etiam magis hos diligere teneamur præ aliis; probatur tum ex eo, quia non possumus unum præ alio diligere quoad effectum, nisi etiam diligamus quoad affectum; tum etiam quia si gravius peccatum committitur odio habendo patrem, aut matrem, quàm extraneos juxta illud *Levit.* 20. *Qui maledixerit Patri, aut Matri morte moriatur*; ergo magis diligendi erunt hi præ aliis, etiam affectu interno, aliàs eorum odium non esset gravius. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *articul.* 6. Bannez, Malderus, Valentia, Reginaldus, Torres, Suarez, Coninch, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Char. quæst.* 4. *punct.* 5. *nu.* 1., & Castropalaus *de Char. disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 1.

14 Sed remanet ulterius explicandum, quinam proximi aliis præferendi sint, seu quisnam ordo servandus in dilectione proximorum, quoties urget obligatio subveniendi illis, & nequit omnibus subveniri, sed uni tantum. Pro intelligentia autem dicendorum præmittendum est 1. Charitatem semper obligare ad diligendum eum, qui magis conjunctus est principio Charitatis. Dupliciter autem quis potest esse conjunctus principio Charitatis, si videlicet conjunctus sit Deo per gratiam & Sanctitatem, quæ habet varios gradus juxta majorem, vel minorem Sanctitatem. Aut si sit conjunctus ipsi diligenti proximum propter Deum, cum utrumque sit principium Charitatis; quæ quidem conjunctio multiplex etiam est, alia naturalis, ut consanguinitatis; alia humana, & civilis, ut amicitia, patria, Societas; alia spiritualis, ut est inter omnes fideles, & præcipuè inter eos, qui eamdem religionem profitentur; inter confessarium, & pœnitentem; inter Subditum, & Superiorem; inter Instructorem, & conversum ad fidem. Præmittendum 2. necessitatem proximorum posse esse in diverso genere bonorum; nam alia potest esse temporalis, alia Spiritualis; insuper in eodem genere bonorum aliam posse esse gravem, aliam extremam, & quando in utroque proximo est gravis, unam posse esse graviorem alia. Præmittendum denique: in dubiis quisnam debeat in dilectione præferri, & quisnam sit conjunctior principio Charitatis; pensandas esse circumstantias omnes occurrentes, tum necessitatis tum spei fructus inde provenientis, tum ex cujus salute major speretur aliorum fructus; & ex illis formandum judicium, cui magis subveniendum. Sic Suarez *disp.* 9. *de Charitate sect.* 4. *num.* 1. His præmissis

15 Dicendum 1. conjunctionem naturalem præferendam esse conjunctioni spirituali non solùm in necessitatibus temporalibus, verum etiam spiritualibus; ratio est, quia est conjunctio intimior præ aliis, antiquior, immutabilior, ac in majori beneficio fundata; ergo non solùm obligabit ad subveniendum sic conjunctis præ aliis non conjunctis in necessitatibus temporalibus, verum etiam in spiritualibus, quæ majoris momenti sunt, & magis præferendæ; adeoque tenebitur quis ad præferendum in his necessitatibus patrem naturalem patri spirituali, & filium naturalem filio spirituali. Sic Suarez *disp.* 9. *de Char. sect.* 4. *num.* 11. & 19. Coninch *dis.* 25. *num.* 149. & 161. Castropalaus *de Charit. disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 7., & alii penes ipsos.

16 Dicendum 2. conjunctionem naturalem præferendam esse in primo gradu amicis, & benefactoribus: sic pater, mater, frater, Sorores, Uxor, semper præferendi erunt quibuscumque amicis, & benefactoribus: ratio est, quia habent strictius vinculum, & conjunctionem præ aliis; ergo habent jus, ut cæteris præferantur. Et quidem de patre, matre, filiis, & uxore expressè docent Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 6. & 9. & omnes ejus expositores, ut videre est penes Valentiam 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. Et quamvis si isti muneri suo non correspondent, imò contrarium fecerint; putent aliqui Doctores, posse postponi amicis, & benefactoribus insignibus. Nihilominus non habetur obligatio eos postponendi, sed condonari, & remitti ei poterit læsio facta, adeoque servare illis jus integrum, quod à natura habent. Sic ex Suarez, Coninch, Valentia, docet Castropalaus *de Charit. disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 10. Idem mihi dicendum videtur de Fratribus, & Sororibus, etiamsi fraternitatis jura læserint; poterunt utique postponi amicis, & benefactoribus insignibus, sed non habetur obligatio id efficiendi, cum poterit eis remitti injuria, ac restituere in pristinum jus illis à natura collatum. Scio alios oppositum docere; sed fraterna conjunctio mihi videtur præponderare; imò ad exaggerandam strictissimam amicitiam conjunctione fraterna utimur, ergo ex se præponderat. In aliis gradibus conjunctionis naturalis à primo non semper præferenda est consanguinitas amicis, & benefactoribus: nam sæpe beneficentia, & amicitia ita arcta esse potest, ac eximia, ut superet conjunctionem consanguinitatis in secundo gradu, & in reliquis. Sic Valentia 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. Bannez 2. 2. *quæst.* 26. *artic.* 8. *in fine dub.* 1. Coninch *disput.* 25. *dub.* 9. *numer.* 156., & Castropalaus *de Charit. disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 10.

17 Dicendum 3. Patrem, matrem, Uxorem, filios, fratres, Sorores præferendos esse in extrema necessitate Creditori; supponimus autem justè retineri rem à debitore: ratio est, quia eorum extrema necessitas facit, ut obligatio restituendi non urgeat debitorem: cessat enim, & facit res communes; aliunde præferuntur ex se; ergo in tali necessitate extrema præferendi erunt Creditori. Sic Turrianus *disputat.* 82. *dub.* 9. *in fine*, Lessius *lib.* 2. *capit.* 16. *numer.* 14. Coninch *disputat.* 25. *dub.* 9. *num.* 168. Bonacina *de Char. quæst.* 4. *punct.* 5. *nu.* 3., & Castropalaus *de Char. disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 12.

18 Dicendum 4. inter conjunctos conjunctione naturali hunc ordinem servandum esse, cum omnibus subveniri non possit, ut 1. locus detur Patri, 2. Matri, 3. Uxori, 4. filiis, 5. fratribus, & sororibus, 6. cæteris consanguineis, itaut conjunctiores præferantur aliis minus conjunctis. Et quamvis non desint Doctores, qui putent, matrem præferendam esse patri; & filios, & uxorem parentibus, & genitoribus; nihilominus ordo à nobis assignatus est communior, & probabilior. Et quidem quòd patri dandus sit primus locus, non verò matri, aut filiis, vel uxori; satis colligitur ex eo, quòd sicuti Deus appretiativè diligendus est super omnia, quia summum bonum est, & principium omnium bonorum, quæ ab ipso accepimus; sic pater super cæteros alios diligendus, quia principium est nostri esse naturalis, & ad ipsum spectat nos alere, & instituere. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 26. *artic.* 10. Suarez *disput.* 9. *sect.* 4. *numer.* 5. Valentia 2. 2. *disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 5. Coninch *disput.* 25. *de Charit. dub.* 9. *numer.* 149. Bonacina *de Charit. disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 5. *numer.* 2., & Castropalaus *de Charit. disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 13.

19 Adnotandum hìc 1. ordinem istum invertere inter consanguineos strictè junctos, ut inter patrem, matrem, uxorem, & filios, non esse ex se mortale peccatum: nam exiguus est conjunctionis excessus; nec apertè constat, quis revera inter eos excedat. Sic communiter Theologi teste Maldero 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 9. *asser.* 3. Suarez *disp.* 9. *de Char. sect.* 4. *num.* 8. Bonacina *loc. cit.*, & Castropalaus *loc. cit. nu.* 14. Adnotandum 2. servandum esse ordinem supradictum cæteris paribus: nam si mater esset valde benefica, & diligens

circa

circa bona ſpiritualia, & temporalia filii; pater è contra crudelis, & negligens; poterit utique filius matrem præferre patri: nam ſupra vinculum naturale additur vinculum iſtud benevolentiæ. Sic ex Div. Thoma, Aragonio, Maldero, Reginaldo, & aliis docet Bonacina *de Charitat. diſput. 3. quæſt. 4. punct. 5. numer. 2. in fine.*

20 Dicendum 5. inter conjunctos ſpiritualiter præferendum eſſe filio ſpirituali patrem ſpiritualem; & fratribus ſpiritualibus filium ſpiritualem: ratio eſt, quia pariter diſcurrendum videtur in conjunctione ſpirituali, ac dictum fuit in conjunctione naturali. Sic Bonacina *de Charit. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 5. num. 4.*, & Caſtropalaus *de Charit. diſp. 1. punct. 10. num. 15.*

21 Dicendum 6. benefactorem ſemper præferendum eſſe aliis non benefactoribus, & fidelem infidelibus; ac juſtum non juſtis, & magis juſtum minùs juſtis cæteris paribus: ratio eſt, quia propter hos titulos arctiùs nobis conjunguntur; ergo in extrema neceſſitate potiùs illis hos titulos habentibus ſuccurrere debemus, quàm aliis nobis non conjunctis ſimilibus titulis. Sic colligitur ex illo Divi Pauli *ad Galat. 6. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei.* Sic etiam docent Coninch *diſp. 25. dub. 9. num. 142.* Bonacina *loc. cit. num. 3. in fine*, & Caſtropalaus *loc. cit. num. 16.* Quamvis advertant Bonacina, & Caſtropalaus, poſſe, licèt non ſit talis obligatio, in neceſſitatibus temporalibus extremis potiùs ſubveniri peccatori, quàm juſto: tum quia ſic ei ſuppeteret majus ſpatium pœnitendi; tum quia magis eſt expoſitus periculo æternæ damnationis, cum neceſſitas ſpiritualis conjungi ſoleat cum temporali, & conſequenter non ſunt cætera paria.

An verò conſanguinei peccatores poſtponendi ſint extraneis juſtis, qui magis conjuncti ſunt Deo, & magis diliguntur ab illo; controvertitur inter Doctores. Nihilominus probabilius puto, conſanguineos etiam peccatores præferendos eſſe extraneis ſanctioribus, non ſolum in temporalibus neceſſitatibus, verum etiam ſpiritualibus: ratio eſt, quia Charitas perficit naturam, ſed natura potiùs inclinat ad ſuccurrendum conjunctis ſanguine, quàm ſanctitate; ergo potiùs conſanguineis peccatoribus ſuccurrendum erit, quàm extraneis ſanctioribus. Et quamvis Sanctiores ſint Deo magis conjuncti, & ſint objecta magis diligibilia ex ſe amore complacentiæ, non tamen amore approbationis; adeoque non eſſe objecta magis diligenda ex obligatione amore abſoluto, & appretiativo; aliàs teneretur peccator potiùs ſuccurrere ſanctioribus, quàm ſibi in extrema neceſſitate. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſt. 26. articul. 7.* Suarez *diſputat. 9. ſect. 4. num. 19.* Coninch *diſp. 25. dub. 9. numer. 140.*, & Caſtropalaus *de Char. diſp. 1. punct. 10. num 9.*

23 Dicendum denique: Perſonam publicam, ut eſſet Princeps, Paſtor; præferendam eſſe cuicumque perſonæ privatæ: ratio eſt, quia vices Communitatis ſuſtinet; ergo ſi Communitas præferenda eſt cuicumque perſonæ privatæ, etiam & præferenda erit perſona publica, ex qua ſperatur magnum bonum Communitati futurum; imò non ſolùm aliis perſonis privatis præferenda erit, ſed etiam nobis ipſis, ſicuti & nobis Communitas præferenda eſt. Sic Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 5.* Bonacina *de Char. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 5. num. 4. in fine*, & alii penes ipſos.

CAPUT V.

De Eleemoſyna, quæ eſt effectus externus Charitatis.

1 *Per Eleemoſynam benefit proximo corporaliter.*
2 *Quid ſit Eleemoſyna, & quotuplex?*
3 *Eleemoſyna, Beneficentia, & Miſericordia genericè accepta erga proximos duplex eſt juxta duplicem neceſſitatem eorum, & plures actus habet, qui enumerantur.*
4 *An ſit Præceptum faciendi Eleemoſynam?*
5 *Quando urgeat Præceptum iſtud?*
6 *Si proximus laborat extrema neceſſitate, urget præceptum ſubveniendi illi.*
7 *Non ſolum ex ſuperfluis vitæ, ſed etiam ex neceſſariis Statui.*
8 *Si à cauſa extrinſeca juſta proximus eſt in extrema neceſſitate, non eſt obligatio ſubveniendi ei.*
9 *Extra neceſſitatem extremam extat ſub gravi obligatio faciendi eleemoſynam ex bonis ſuperfluis vitæ, & Statui proximo indigenti neceſſitate gravi, aut communi.*
10 *An quando extat obligatio ſubveniendi pauperi, & non ſubvenitur; reſtituendum ſit ei, quod omiſſum fuit?*
11 *An ſi multi ſint Divites, qui ſciant neceſſitatem proximi, ſinguli arctentur ſubvenire?*
12 *An moraliter peccet denegans levem Eleemoſynam pluribus pauperibus, ſi tota collectio eleemoſynæ ſit notabilis materia?*
13 *An ſatisfiat præcepto eleemoſynæ per hoc, quod detur indigenti mutuum, vel res ei vendatur dilata ſolutione, aut cum conditione reſtituendi in meliori fortuna.*
14 *An ſine ullo onere facienda ſit eleemoſyna habenti gravem neceſſitatem, aut communem?*
15 *An habens extremam neceſſitatem teneatur rem ſuo Creditori reddere laboranti ſimili neceſſitate?*
16 *An accipiens rem alienam in neceſſitate teneatur eam reſtituere, cum in meliorem fortunam devenerit?*
17 *An licitum ſit habenti extremam neceſſitatem aliena accipere, & conſumere?*
18 *An non ſolùm Sæculares, ſed etiam Eccleſiaſtici teneantur ad eleemoſynam faciendam?*
19 *An quæ dicta ſunt de Beneficiariis, intelligi etiam debent de Penſionariis?*
20 *An Penſionarius, & Beneficiarius teneantur ad reſtitutionem, ſi in profanos uſus expendant fructus excedentes congruam ſuſtentationem?*
21 *An eodem modo diſcurrendum de Beneficiariis religioſis?*
22 *Quinam eleemoſynam facere poſſint?*
23 *Ex quibus bonis poſsit eleemoſyna fieri?*
24 *Quibus eleemoſyna facienda ſit?*
25 *Quid dicendam de Quæſtoribus eleemoſynarum?*

EFFECTUS à Charitate emanantes alii ſunt interni, 1
Complacentia videlicet, Deſiderium, Gaudium de bono Dei, & Proximi, & Miſericordia in Proximum, quæ conſiſtit in compaſſione miſeriæ illius, de quibus effectibus more ſuo rectè pertractat D. Thomas 2. 2. *quæſt. 27. & ſequent.* nec hic occurrit aliquid ſpeciale tractandum. Alii ſunt externi, præcipuus quorum eſt beneficentia, quæ conſiſtit in benefaciendo alicui juxta eumdem S. Doctorem *loc. cit. quæſt. 31.* Quia verò poteſt proximo benefieri corporaliter, & ſpiritualiter; ideo jure merito diviſa fuit beneficentia in Corporalem, quæ paſſim Eleemoſyna dicitur, & de qua in hoc capite pertractamus, & in Spiritualem, quæ Correctio dici conſuevit, de qua in capite ſequenti. Ut autem diſtinctius procedamus in iis, quæ ad eleemoſynam ſpectant; ideo ea per Quæſita explicabimus.

Quæres 1. quid ſit eleemoſyna, & quotuplex? Reſp. 2
eleemoſynam definiri à D. Thoma 2. 2. *quæſt. 31. art. 1.* ſublevationem alienæ miſeriæ: quapropter actus ille, quo proximo aliquid damus ex compaſſione ad ſublevandam ejus neceſſitatem; dicitur eleemoſyna, ſeu Miſericordia: qui quidem actus ſi procedat tantùm, & præcisè ex voluntate removendi alienam miſeriam, eamque ſublevandi, quia tibi diſplicet; erit actus exterior Virtutis moralis Charitatis, & miſericordiæ. Si autem imperetur à Charitate, & amore placendi Deo, qui præcipit bene facere proximis à ſe creatis, & ob amorem, & bonitatem Dei actus ille miſericordiæ proximo fiat; erit actus Charitatis Theologicæ. Poterit tamen actus iſte ab aliis virtutibus imperari, nempe à Pœnitentia, ſi ex affectu ſatisfaciendi Deo pro delictis commiſſis proveniret; aut à Religione, ſi ex affectu recognoſcendi Deum, ut Superiorem, omniumque Dominum procederet externa illa ſublevatio miſeriæ proximi. Semper nihilominus procederet immediatè à virtute Miſericordiæ, vel Charitatis: eo quia ex amore removendi miſeriam à proximo oriretur; adeoque voluntas illa benefaciendi ſemper eſſet Voluntas Charitatis Theologicæ, vel Moralis. Sic Valentia 2. 2. *diſp. 3. quæſt. 9. punct. 1.* Coninch *diſp. 27. dub. 2.*, & alii communiter.

Eleemoſyna, & beneficentia iſta, ac Miſericordia er- 3
ga proximum genericè acepta duplex eſt juxta duplicem miſeriam, ac neceſſitatem ipſius, alia videlicet Spiritualis, Corporalis alia; utraque plures actus habet. Qui ſpectant ad ſpiritualem hoc verſu continentur

Conſule, Caſtiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.

Scilicet ignorantem doce; Conſilium da indigenti illo;

cor-

corrige peccantem; mœstum, & tristem consolare; remitte injurias, & offensas; fer patienter adversitates, & molestias proximorum; ora pro vivis, & defunctis. Actus verò spectantes ad Corporalem hoc alio Versu explicantur.

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Videlicet visito infirmum sublevando ejus infirmitatem opera, & cura; do potum sitienti, do cibum pauperi esurienti; redimo captivum, & in servitutem redactum; vestio nudum; hospitem peregrinum recipio; mortuum sepelio. Adnotandum hic: quòd sepelire mortuos magnum opus Misericordiæ sit tum quia magna miseria est sepultura carere; tum quia sepulchra excitant fideles ad orandum, & subveniendum defunctis; suffragantur tamen per accidens excitando fideles. Quapropter graviter peccat, qui absque suo gravi incommodo sepelire potest mortuum, & non sepelit: ut bene docent Bannez, Torres, Valentia, Coninch, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. 6. numer. 1.* & Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 1. numer. 1.* Alii actus tum Misericordiæ Spiritualis, tum Corporalis dari possunt; sed hi à nobis enumerati sunt præcipui, quapropter hæc communis divisio retinenda erit, tum quia approbata in Catechismo S. Pii V. tum quia ea utuntur D. Thomas 2. 2. *quæst. 32. art. 2.* & Bellarminus *lib. 3. de Bonis Operibus. cap. 2.* ac alii passim.

4 Quæres 2. an sit Præceptum faciendi eleemosynam? Resp. non solum extare præceptum Divinum, sed etiam Naturale de ea facienda: nam non solùm Christus Dominus minatur æternam damnationem omittentibus illam *Matth. 25.* quod est signum moralis transgressionis Divini Præcepti; sed etiam recta ratio dictat, subveniendum proximo in necessitate constituto juxta illud principium lumine naturæ notum: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Sic Doctores communiter teste Valentia *tom. 3. disputat. 3. quæst. 9. pun. 4.*

5 Quæres 3. quando nam urgeat præceptum faciendi eleemosynam? Resp. prænotando nonnulla pro clariori intelligentia eorum, quæ sequuntur. Et 1. necessitatem proximi aliam esse extremam, aliam gravem, aliam Communem. Extrema dicitur, ex qua egenti imminet probabile, & moraliter certum Vitæ periculum, nisi illi succurratur; huic affinis est necessitas quasi extrema, cum videlicet imminet periculum mutilationis membri, perpetui morbi, aut perpetui carceris, quæ omnia à Doctoribus periculo vitæ æquiparantur. Gravis dicitur, ex qua egenti imminet periculum moraliter certum alicujus gravis damni, ut captivitatis, infamię, gravis jacturæ bonorum, aut sui status; itaut difficulter secundum statum suum vivere possit; ut si vir nobilis cogatur famulari, & vir honestus, aut artifex mendicare. Communis dicitur, qua communiter laborant pauperes, & mendici è trivio. Sic Suarez, Vasquez, Coninch, Valentia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Char. disp. 2. pun. 2. nu. 1.*

2. Obligationem faciendi eleemosynam nasci non solùm ex necessitate proximi, sed etiam ex bonis à persona possessis, ex quibus eleemosyna facienda est. Sed bona possessa alia sunt necessaria, alia superflua. Necessaria dicuntur, quæ vel sunt necessaria vitæ habentis illa, & ejus familiæ; vel necessaria sunt ejus statui; itaut sine illis nec vita, nec status conservari possit. Superflua dicuntur, sine quibus Vita, aut status conservari posset. Necessaria tamen statui non semper dignoscenda sunt ex conditione præsenti, sed etiam futura, ut ex futuris infirmitatibus, ex locandis filiis, & domesticis. Insuper necessaria statui non consistunt in indivisibili, sed suam patiuntur latitudinem, & restrictionem, quæ dignoscendæ erunt ex qualitate personarum, & aliis circumstantiis, ut rectè admonent Doctores.

3. Non haberi obligationem ex Charitate inquirendi proximum egenum, ut ejus miseriæ subveniatur; sed sat est, si paratus sit subvenire. Præceptum namque eleemosynæ obligat succurrere necessitati proximi visę, ut patet ex illo *Joannis 1. cap. 3. Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo.* Quamvis qui tenetur ex Officio, ut est Prælatus, obligatur ad inquirendas necessitates subditorum, quorum curam gerit. Sic Valentia, Navarrus, Medina, Malderus, Vasquez, Corduba, Suarez, Bonacina, relati à Castropalao *de Char. disp. 2. punct. 2. numer. 3.*

4. Obligationem istam tunc urgere, cum non solùm nota est miseria proximi, sed etiam cognoscitur, alia via non esse sublevandam: nam si præsumitur, alium esse, qui auxilium ferat; tunc auxilium tuum non erit necessarium; adeoque respectu tui non erit proximus in necessitate. Sic ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 32. art. 5. ad 3.* docent Navarrus, Valentia, Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disput. 2. pun. 2. num. 4.* His prænotatis

Dicendum 1. quando proximus laborat extrema ne- 6
cessitate, tunc urget præceptum Charitatis subveniendi miseriæ illius: nam naturalis ratio hoc satis indicare videtur, & si præceptum pro hoc tempore non obligat, quando obligare poterit? Sic ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 32. art. 5.* docent communiter Doctores, teste Bonacina *de Charit. disput. 3. quæst. 4. punct. 6. num. 3.* Ad dignoscendam autem hanc extremam necessitatem proximi, difficile est certam regulam assignare, sed prudentis arbitrio mensuranda erit: debet tamen constare talis necessitas, ut urgeat obligatio ad subveniendum illi. Nec sufficit, ut constet, quòd asseratur à proximo indigente, maximè si è pauperibus sit in publicis viis mendicantibus; tum quia testes suspecti sunt in propria causa; tum quia soliti sunt suam miseriam exaggerare, ut eleemosynam extorqueant. Nec pariter sufficit testimonium Parochi, aut Confessarii, nisi testentur de visu: quia etiam ipsi decipi possunt. Moraliter igitur constare debet miseria illa, quæ tunc moraliter constat, quando habetur testimonium alicujus testantis de visu: In dubio tamen de extrema necessitate proximi adhibenda est moralis diligentia ad indagandam veritatem, ne periculo contraveniendi præcepto exponamur. Sic ex Maldero, Navarro, Reginaldo, & Filliuccio docet Bonacina *l. c.*

Dicendum 2. in extrema necessitate proximi urget 7
præceptum subveniendi illi non solùm ex superfluis vitæ, sed etiam ex necessariis statui: ratio est, quia si hoc tempore non obligaret præceptum Charitatis ad subveniendum proximo extremè indigenti ex bonis temporalibus non simpliciter necessariis ad conservationem vitæ, quamvis necessariis ad statum; gratis appositum fuisset tale præceptum; nec magnum quid in obsequium Charitatis fieret, si tantùm ex superfluis proprio statui succurreretur proximo extremè indigenti, non verò ex necessarii illi. Sic ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 32. art. 5. in corp.* docent ferè omnes Doctores teste Castropalao *de charit. disputat. 2. punct. 2. numer. 5.* Non nego tamen, quòd si quis prudenter, & probabiliter timeat se in similem indigentiam proximi lapsurum, si ex necessariis suo statui subveniat illi; non teneatur ad subveniendum: tum quia nemo tenetur arctiùs vitam proximi conservare, quàm propriam; tum quia nemo tenetur in pari necessitate subvenire alteri; sed attento illo probabili, & prudenti periculo reputatur in pari necessitate, ergo deobligabitur ad subveniendum. Sic ex Reginaldo, Vasquez, Valentia, Medina, Becano, Azorio, Maldero, & Coninch docent Bonacina *de charit. quæst. 4. punct. 6. num. 11.* & Castropalaus *l. c. num. 6.*

Dicendum 3. non adesse obligationem subveniendi pro- 8
ximo in extrema necessitate constituto, si eam miseriam non patitur à causa intrinseca, vel extrinseca injusta; sed à causa extrinseca justa: ut si à Judice damnatus esset ad pereundum fame, vel ad triremes, aut perpetuum carcerem; etiamsi de facili auxilium ei præberi posset: ratio est, tum quia licitum est, velle executioni mandatam sententiam, justè à Judice latam, cum utilius sit Reipublicæ, delinquentem debitam pœnam sustinere, quàm ab ea liberari, tum quia si licitè ipse potest pœnam illam sustinere, etiamsi posset, se ab illa liberare; mihi pariter licitum erit, eum non liberare. Sic Navarrus, Malderus, Sà, Sancius, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 2. numer. 9.* Persona tamen privata, & quæ non sit Minister justitiæ, aut non sit ei specialiter prohibitum auxilium illud, quamvis non teneatur ad illud præbendum, si tamen præbuerit, non peccat: ratio est, quia si damnatus potest in casu adjecto cibum sumere, & mihi licitum erit subministrare ei cibum, dummodo ex officio, aut ex speciali prohibitione non removear. Sic ex Bannez, Toleto, Reginaldo, Soto, docet Bonacina *de Char. disp. 3. quæst. 4. punct. 6. numer. 17.*

Dicendum 4. extra necessitatem extremam adesse ob- 9
ligationem sub gravi faciendi eleemosynam proximo indigenti, sive necessitate gravi, sive communi ex bo-

nis tamen ſuperfluis tum vitæ, tum ſtatui, prout unuſquiſque judicaverit faciendam eſſe pro loco, & tempore, & abſque ſuo notabili detrimento: ratio eſt, quia Luc. 11. dicitur: Quod ſupereſt, date in eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et Pauli 1. ad Timoth. ult. *Divitibus hujus ſæculi præcipe facilè tribuere*. Ex quibus textibus cum abſolute ſermo ſit de ſuperfluis; rectè deducitur: non ſolùm ex ſuperfluis ſtatui; ſed etiam vitæ faciendam eſſe eleemoſynam; non ſolùm in extrema, aut gravi pauperum neceſſitate, ſed etiam communi: Charitas ſiquidem urget nos, ut cùm facilè poſſimus, pauperum neceſſitatibus ſubveniamus: maximè quia dominia Jure gentium introducta ſunt, & rationabiliter præſumi poteſt, taliter eſſe introducta ut unuſquiſque aſſumat, quæ ſibi neceſſaria ſunt, & ſuperflua pauperibus relinquat, ne inordinatio ſit in diviſione. Sic D. Thomas, Cajetanus, Navarrus, Valentia, Bellarminus, Bannez, Turrianus, Becanus, Reginaldus, Lorca, Layman, & Filliuccius, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Char. diſputat. 3. quaſt. 4. punct. 6. numer. 8.* Quamvis aliqui Doctores putent, urgere tantùm hanc obligationem in gravi neceſſitate proximi, non verò in communi; & ex bonis ſuperfluis ſtatui, non verò vitæ. Sed non recedendum à ſtatuta ſententia, quam probabiliorem reputo.

Hinc fit 1. graviter peccare divites, qui in neceſſitate gravi poximi, ſi non prævideantur alii ſubventuri, eleemoſynam non faciunt pauperibus, etiamſi animum habeant conſtruendi magnifica Templa, aut poſt mortem omnia relinquendi pauperibus. Intentio ſiquidem hæc non eſt ſufficiens ad deobligandum ab actuali exercitio eleemoſynæ. Sic ex Azorio docet Bonacina *loc. cit. numer 9. in fine.* Et multò magis graviter peccarent, ſi talem intentionem non haberent, moti ex eo, quia in Sæcularibus etiam Regibus numquam habetur ſuperfluum ſtatui. Nam damnata fuit ab Innocentio XI. Propoſitio aſſerens: *Vix in ſæcularibus invenies, etiam Regibus ſuperfluum Statui.* Sic enim vix aliquis teneretur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluis ſtatui.

Fit 2. graviter peccare Medicum, aut Chirurgum non præſtando operam ſuam pauperi ea indigenti, cum commodè, & abſque ſuo detrimento poſſit. Idem dicendum de Advocato non ſuſcipiendo patrocinium pauperis, cum commodè poſſit abſque ſuo detrimento: nam ſi tenemur ex ſuperfluis Vitæ, & ſtatus ad ſubveniendum neceſſitatibus pauperum, multo magis ex ſuperfluis Officio, & Muneri. Sic rectè ex Azorio, Vaſquez, Filliuccio, & Corduba docet citatus Bonacina.

10 Quæres 4. an quando extat obligatio ſubveniendi pauperi, & ipſi non ſubvenitur; reſtituendum ſit ei, quod omiſſum fuit? Reſp. quamvis nonnulli Doctores magni nominis cum Cajetano, Aragonio, Turrecremata, Sarmiento, quibus videntur favere D. Auguſtinus, D. Ambroſius, D. Baſilius, & D. Thomas relati à Caſtropalao *de Charit. diſputat. 2. punct. 3. numer. 1.* docuerint, teneri ad reſtituendum: eo quia in prædictis Caſibus obligatio provenit ex juſtitia, adeoque adſtringit ad reſtituendum debitum, quod omiſſum fuit. Nihilominus communiſſima ſententia docet, non adeſſe talem obligationem tranſacta neceſſitate: ratio eſt, quia nec proximus indigens jus habet ad actiones perſonales, & proprias alterius, aliàs hic eſſet ejus ſervus, & non libertate donatus; nec ad bona fortunæ alterius, aliàs hic non eſſet dominus; ergo ſi jus non habet, non fit contra juſtitiam, ſi ipſi non ſubveniatur, ſed contra Charitatem præcipientem; ergo non habebitur obligatio reſtituendi, & reſarciendi omiſſum; aliàs eſſet debitum ex Juſtitia, non verò ex Charitate. Et quamvis in extrema neceſſitate accipiens quantum ſibi neceſſarium eſt ad ſe ſublevandum à tali miſeria, impediri nequeat à Domino, nec peccet accipiendo; hoc non probat dominium non eſſe penes Dominum; ſed ſolùm probat, Dominum non poſſe extremè indigentem impedire; quia cum tali conditione ea bona accepit ab authore naturæ. Nec Sancti Patres adducti loquuntur rigorosè, ſed ex quadam Exaggeratione explicante debitum Charitatis: ut adnotat Caſtropalaus *de Charit. diſputat. 2. punct. 3. numer. 2.* referens pro hac ſententia Medinam, Navarrum, Torrez, Lorca, Vaſquez, Coninch, Reginaldum, Suarez, & Bonacinam *de Charit. diſputat. 3. quaſt. 4. punct. 6. numer.* 29. qui etiam refert Becanum, Valentiam, Malderum, Molinam, Sotum, & Laymann.

Quæres 5. an ſi multi ſint Divites, qui ſciant pau- 11
periem, & neceſsitatem alicujus; ſinguli arctentur ab obligatione Charitatis ad ſubveniendum illi? Reſp. affirmativè quamvis non omnes æquales ſint in divitiis: ratio eſt, quia unumquemque ipſorum afficit præceptum Charitatis, cum unicuique ipſorum mandetur ſublevare miſeriam ſui proximi: ergo ſinguli arctantur ab eadem obligatione Charitatis: maxime quia aſſignari nequit major ratio, cur unus affici debeat, non verò alter, licèt ſubeveniente uno cæteri eximantur à tali obligatione, cum jam proximus non ſit ampliùs in neceſsitate. Sic Vaſquez, Azor. Malderus, Reginaldus, Valentia, Lorca; quos refert, & ſequitur Bonacina *de Charit. diſputat. 3. quaſt. 4. punct. 6. numer. 12.*

Quæres 6. an denegans levem eleemoſynam pluribus 12
pauperibus, ad quam ſub levi ſingillatim tenebatur; mortaliter peccet, ſi tota collectio ſit notabilis materia? Reſp. niſi excuſet inadvertentia; ut defacto exiſtimo plures excuſare; graviter peccare; moveor quia ſi materia eſt notabilis, ac ſufficiens ex ſe ad peccatum lethale; ejus omiſſio gravis culpa erit: leves enim illæ eleemoſynæ notabilem conſtituunt materiam, ſicuti eam conſtituunt levia furta, quamvis ſingillatim levem tantùm materiam importent. Sic ex Vaſquez, & Turriano docet Bonacina *l. c. num. 13.*

Quæres 7. an ſatisfiat præcepto faciendi eleemoſy- 13
nam per hoc, quòd detur indigenti aliquid in mutuum; vel ei vendatur dilata ſolutione; aut ei detur cum conditione reſtituendi, ſi in meliorem fortunam devenerit? Reſp. ſupponendo 1. tamquam certum: ſi proximus in extrema neceſsitate exiſtens indigeat tantùm uſu rei; non adeſſe obligationem dandi ei rem abſolutè, ſed ſufficere ad ſatisfaciendum obligationi Charitatis, quòd ei concedatur uſus rei, non res; ſuccurrere enim debemus neceſsitati proximi, non verò cum ditare. Sic Valentia, Suarez, Vaſquez, Coninch, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Charit. diſputat. 2. punct. 4. numer. 1. 2.* ſi proximus indigeat tantùm re hic, & nunc; cùm alibi bona habeat, ut ſibi conſulere poſsit, quamvis hìc, & nunc illis careat; utique ſatisfit illi præcepto ſubveniendi, ſi res ei mutuo detur, aut vendatur dilata ſolutione: ratio eſt, quia non eſt abſolutè, & ſimpliciter indigens, ſed ſecundum quid in extrema neceſsitate conſtitutus, ergo non adeſt obligatio ei rem abſolutè, & ſimpliciter dandi. Hinc eſt, quòd dives non teneatur abſolutè, & ſimpliciter eleemoſynam dare illi, qui aliunde nil habet, ſed ſua opera, & labore victum ſibi comparat: poterit namque ei tradere rem cum conditione reſtituendi, vel ſibi ſatisfaciendi labore. Sic ex Vaſquez, Bannez, Turriano, Medina, Reginaldo, & aliis docet Bonacina *de Charit. diſput. 3. quaſt. 4. punct. 6. numer. 15.* His ſuppoſitis ut certis

Controverſia reducitur ad proximum abſolutè, & ſimpliciter in extrema neceſsitate conſtitutum, an ei ſuccurrendum ſit gratis, & abſque ulla conditione, & onere? Reſponſio noſtra eſt affirmativa, quidquid in contrarium antiquiores dixerint: ratio eſt, quia præceptum Charitatis obligat ad actum Virtutis Eleemoſynæ, non verò ad alium actum; ſed actus Virtutis Eleemoſynæ per Scripturas, & Sanctos Patres importat donationem abſolutam, non verò cum conditione, & onere retributionis; ergo gratis ſuccurrendum erit extremè indigenti, non verò per mutuum, aut alium contractum oneroſum. Sic Valentia 2. 2. *diſp. 3. quaſt. 9. punct. 4.* Suarez *diſputat. 7. ſect. 5. numer. 2.* Torres *diſputat. 82. dub. 6.* Reginaldus *lib. 4. cap. 20. numer. 260.* Coninch *diſputat. 27. dub. 9. numer. 153.* Caſtropalaus *de Charit. diſputat. 2. punct. 4. numer. 5.* & Bonacina *de Charit. diſputat. 3. quaſt. 4. punct. 6. numer. 15.* referens Sotum, Bannez, Becanum, Azorium, Navarram, Lorcam, & Cordubam.

Quæres 8. an etiam gratis, & ſine ullo onere facien- 14
da ſit eleemoſyna habenti gravem neceſsitatem, vel communem? Reſp. affirmativè: ratio eſt, quia militant eædem rationes, quæ militant pro neceſsitate extrema; ergo ſi in extrema tenemur gratis dare; etiam in gravi, aut communi: quandocumque enim tenemur ad eleemoſynam erogandam, tenemur pariter ad eam gratis dandam, aliàs non teneremur ad eleemoſynam: maximè quia eleemoſynæ, quæ pro neceſſita-

sitatibus saltem communibus erogantur; sunt valde tenues, & sordidum quid esset, obligare accipientes ad restitutionem. Sic ex Coninch, Suarez, & Valentia docet Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 4. numer. 6.*

15 Quæres 9. an habens necessitatem extremam teneatur rem alienam creditori restituere habenti similem necessitatem? Resp. *si* ex contractu translativo dominii debitor rem habeat, non solùm *in* extrema, sed etiam in gravi necessitate constitutus non tenetur Creditori restituere: ratio est, quia in pari necessitate melior est conditio possidentis. Si tamen rem alienam habeat ex contractu non translativo dominii, ut ex deposito, pignore, commodato, precario, nec tempus contractus finitum est; neque tenetur præferre sibi creditorem: ratio est, quia licèt dominium non sit penes debitorem, justa tamen possessio, & usus pro illo tempore est penes ipsum; adeoque justa possessio facit conditionem ejus meliorem. Sic Vasquez *Opusc. de Eleemos. cap. 1. dub. 9. num. 73.* Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. 6. numer. 14.* & Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 11. numer. 1.* Si denique rem alienam ex delicto habeat, & res extet in specie; præferendus erit Creditor, si ipse prior in necessitatem inciderit, vel pro eodem tempore: ratio est, quia est contra omnem æquitatem ob possessionem usurpatam velle proprio Domino rei præferri laboranti æquali necessitate. Sin verò debitor prior Creditore in necessitatem inciderit; tunc ipse debitor præferendus erit: quia ob possessionem, quam justè incæpit ratione necessitatis; poterit in illa continuare. Sic ex Vasquez, Lorca, & Navarro docet Castropalaus *loc. cit. numer. 3.* Quòd si res *non* extet in specie, non urget obligatio illam restituendi Creditori cum æquali jactura debitoris; favet enim huic dominium, & possessio: & licèt habeatur obligatio reddendi ablatum, suspenditur tamen pro illo tempore, dummodo debitor non acceperit injustè, dum Creditor eadem *necessitate laborabat*; quia tunc melior esset conditio Creditoris, Sic Bonacina *loc. cit.* & Castropalaus *loc. cit. numer.* 2. qui extendunt Doctrinam hanc non solùm ad necessitatem propriam, sed etiam Parentum, Avorum, Vxoris; imò fratrum, quorum necessitates ob conjunctionem sanguinis propriæ reputantur, adeoque ipsi præferendi sunt creditoribus, cum sit majus debitum naturale præ morali, & Civili.

16 Quæres 10. an qui accepit rem alienam, illamque consumpsit in necessitate: teneatur ad illam restituendam, si transacta necessitate in meliorem fortunam devenerit? Resp. si accepit rem alienam, eamque consumpsit in illis casibus, in quibus domini divites debebant omnino gratis dare, ac sine onere eleemosynam erogare; non habetur obligatio ulla restituendi. Si verò accepit in casibus illis, quos superiùs recensuimus; in quibus poterat dominus rei obligationem restituendi imponere; tenebitur utique accipiens ad restitutionem transacta necessitate, ut satis constat ex dictis.

Controversia solùm esse potest, si habens rem alienam ante necessitatem, & adveniente necessitate consumat; an inquam teneatur ad illam restituendam necessitate transacta? Resp. si eam habuerit ante necessitatem per contractum transferentem dominium per venditionem e. g. aut mutuum; teneri transacta necessitate ad restitutionem: ratio est, quia proprium consumit, *non* alienum; adeoque tenebitur ad obligationem contractam ante necessitatem; quæ quidem suspenditur adveniente necessitate, & *iterum* urget ea recedente. Idem dicendum, si ante necessitatem ex delicto, furto, aut rapina habuerit; vel alio titulo injusto obligante ad restitutionem; tenebitur namque ad illam restituendam transacta necessitate: ratio est, quia per consumptionem rei illius in necessitate non tollitur obligatio eam restituendi, ante necessitatem contracta, sed tantùm suspenditur. Sic rectiùs Vasquez *Opusc. de Eleemos. cap. 1. dub. 8. numer. 68.* & Bonacina *de Char. disputat. 3. quæst. 4. punct. 6. numer. 16.* referens Azorium, Sylvestrum, Angelum, & Lorcam. Quamvis oppositam sententiam conetur ut probabilem defendere Castropalaus *de Char. disputat. 2. punct. 10. numer. 3.* ex Coninch, & Navarra. Si denique rem habuerit ante necessitatem ex contractu non transferente dominium e.g. ex deposito, vel Commodato; si eam necessitate adveniente consumpserit; non tenebitur illam restituere necessitate transacta: ratio est, quia *non* tenetur ex injusta acceptione, ut patet; neque ex re accepta, cum nil illius supersit, nec in aliquo factus sit ditior; ergo ad nihil tenetur. Sic Azor. Torres, Navarra, Lessius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c.* & Castropalaus *l. c. num. 3.*

Quæres 11. An licitum sit habenti extremam necessitatem aliena accipere, eaque consumere? Resp. quamvis in extrema necessitate constitutus, si alia via ipsi non suppetat, possit ex re aliena sibi succurrere, adeoque illam accipere, & consumere: cum jus strictissimum habeat quilibet defendendi, & conservandi propriam vitam; nec Dives impedire potest patientem extremam necessitatem ab acceptione illa, cum habeat obligationem donandi; quapropter non præsumendus erit rationabiliter invitus: maximè quia necessitas extrema facit omnia communia *ex Leg. 2. ff. de Jactu.* ab Authore namque naturæ ad hunc finem conservandi hominum vitas procreata fuere, & cum hoc onere Dominis tradita. Nihilominus ut licita sit acceptio illa, sive clam, sive palàm facta, requiritur 1. ut laborans extrema necessitate roget priùs amicabiliter divitem, ut succurrat necessitati illi; nam si per donationem habere potest aliena, non poterit ea clam auferre; nemini enim licet surripere ea, quæ per donationem consequi potest; nec verum est, quòd alia via ea non suppetat sibi succurrendi. Sic ut certum supponunt Doctores, ut notat Coninch *disputat. 27. dub. 10. numer. 158.* & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 12. dub. 12. numer. 66.* sufficit autem si roget secretò: non enim necessarium est, ut roget publicè: maximè si rogans sit vir nobilis, aut *honestæ conditionis.* Sic adnotat Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 9. numer. 2.* Omittere hanc conditionem rogandi, si scandalum absit; non erit grave peccatum: nam sive concedat dominus, sive non; poterit necessitatem extremam patiens accipere necessaria. Sic Lessius *l. c. 2.* requiritur, ut tantum accipiat, quantum sufficit ad extremam illam necessitatem sublevandam, & non amplius: cum extrema necessitas faciat omnia communia ad sublevandam eam; quod ergo ea transacta supersit, non est necessarium ad sublevandam illam, adeoque obnoxium remanet restitutioni. Sic communiter Theologi, ut ex Valentia testatur Bonacina *de Charit. disputat. 3. quæst. 4. punct. 6. numer. 6. 3.* requiritur, ut non accipiatur à *domino* habente æqualem necessitatem, aut ab alio possidente illam in pari necessitate; nam jure dominii, & possessionis acquisiere jus prælationis. 4. denique requiritur, ut non accipiatur res aliena magni momenti, & valde pretiosa, cum gravi jactura domini: non enim tenetur dominus cum gravi jactura suorum bonorum succurrere tuæ extremæ necessitati, nec expediens est bono publico, dum possit alia via occurri extremæ necessitati. Sic Castropalaus *de Charit. disp. 2. punct. 9. numer. 7.* 17

Quæres 12. an non solùm Sæculares, sed etiam Ecclesiastici teneantur ad eleemosynam faciendam? Resp. non solùm teneri Ecclesiasticos ad eleemosynam in omnibus illis casibus, in quibus tenentur sæculares; sed arctiùs adstringi ad illam præ sæcularibus; ratione siquidem status debent esse Patres pauperum, & norma, ac exemplum aliorum. Imò controvertitur de aliis casibus, in quibus sæculares non tenentur. Ut autem dirimatur omnis controversia, assignanda erunt ea bona, quæ Ecclesiastici tenentur pauperibus erogare. Pro qua re notandum est: Bona Ecclesiastici alia esse Patrimonialia, quæ videlicet vel successione, vel donatione, aut labore, & industria acquisivit. Alia, quæ intuitu ministerii Ecclesiastici acquisivit, ut pro celebratione Missarum, assistentia Divinis Officiis in Choro, administratione Sacramentorum, & prædicatione verbi Dei; quæ quidem bona quasi Patrimonialia reputantur. Alia denique dicuntur bona merè Ecclesiastica, quæ videlicet percipiuntur ex beneficio; ut sunt annui fructus ex decimis, Cappellaniis, aut aliis legatis beneficio annexis. Sic docent Corduba, Navarrus, Vasquez, Coninch, Lessius, Molina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 5. numer. 2.* His notatis 18

Dicendum 1. Ecclesiasticum ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus teneri tantùm ad eleemosy-

mosynam elargiendam in iis casibus, & eodem modo, quo Sæculares tenentur: ratio est, quia illa eodem modo possident, ac si sæculares essent; cum dominium, & liberam dispositionem illorum habeant absolutè, & sine ullo onere: sunt etenim stipendium, & merces suorum laborum, ac industriarum. Sic Vasquez, Coninch, Lessius, quos sequitur, & refert Castropalaus *de Char. disp. 2, punct. 5. num. 3.* testantes esse omnium sententiam. Quapropter ex istis bonis consanguineos ditare poterunt, & ad altiorem Statum promovere, sicuti potest Sæcularis. Insuper si in suam sustentationem ea insumat, poterit ex redditibus merè Ecclesiasticis compensare; cum ex his redditibus non sit ei deneganda congrua sustentatio. Sic Molina referens Navarrum, & alios *tract. 2. de Just. disputat.* 145. Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 6. numer. 38.* & Castropalaus *loc. cit. numer. 4.*

Dicendum 2. Ecclesiasticum beneficiarium teneri sub mortali ad eleemosynam faciendam, aut expendendum in alia pia opera, quod supersit suæ congruæ sustentationi ex bonis merè Ecclesiasticis, seu ex fructibus beneficii; ratio est, quia sub gravi præcepto id statuit Tridentinum *sess 25. cap. 1. de Reform.* prohibens Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac quibuscumque Ecclesiastica beneficia tam sæcularia, quàm Regularia habentibus, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant. Maximè quia talia bona censentur data à fidelibus ad hunc finem, ut videlicet ministrorum congruæ sustentationi consulatur; & si quid supersit ex Charitate in sublevandam pauperum miseriam, aut alia pia opera erogetur, Sic Vasquez, Valentia, Coninch, Molina, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de charit. disp. 2. punct. 5. num. 6.* & ferè omnes.

Hinc deducitur 1. graviter peccare beneficiarium, qui in notabili quantitate hæc bona Ecclesiastica in alios usus insumeret, maximè non decentes statum Ecclesiasticum: ut si venatores, aucupes, parasitos, aut histriones aleret; graviter enim faceret contra jus naturale, contra præceptum Tridentini, & contra legem Charitatis prohibentis hoc scandalum. 2. deducitur, teneri hunc Ecclesiasticum ad inquirendas pauperum miserias, ut eas ex suo munere sublevet, ad quod faciendum non tenentur sæculares. 3. deducitur, obligatum esse ad hoc faciendum ex superfluis suo statui præsenti, absque eo quod consulat futuro; cum Sæculares ex superfluis statui præsenti possint consulere futuro rationabiliter prævisо tam suo, quàm suorum: nam ex fructibus beneficii solùm congruæ sustentationi præsenti consulendum est, Sic ex Vasquez docet Castropalaus *de charit. disput. 2. punct. 5. numer. 6.* in fine, ubi notat, quòd ad præsentem statum pertinet, non solùm providere suis suorumque necessitatibus, sed etiam verò similiter futuris.

Sed si petas: quænam sit notabilis pars horum fructuum, quæ insumi nequit in profanos usus absque peccato gravi? Resp. non posse de facili assignari in hoc certam regulam, quæ communitur judicio virorum prudentum remittitur. Illud non displicet, quod docent Molina, Coninch, & Castropalaus eos referens *loc. cit. numer. 7.* Ad notabilem excessum requiri, quòd insumatur tertia, vel quarta pars horum reddituum annuorum, aliàs non posset dici notabilis excessus.

Si petas insuper: quænam sit sustentatio congrua? Resp. certa regula nec definiri posse, tum pro varietate circumstantiarum temporis, loci, & personæ; tum quia congruę sustentationes habent ad instar rerum venalium latitudinem suam intra gradum infimum, medium, & summum. Adnotandum quoque congruam sustentationem pro qualitate beneficii assignandam esse; quapropter major familia, splendidior supellex, & lautior mensa assignanda erit Cardinali prę Episcopo; Episcopo prę Decano; Decano præ Canonico, includit etiam congrua sustentatio remuneratorias donationes faciendas ab Ecclesiastico juxta qualitatem beneficii: utraque enim donatio expediens est ad Statum Ecclesiastici tum ad animos conciliandos, tum ad benevolentiam ostendendam; durum namque esset hac ratione aliquid reddituum non posse insumere Ecclesiasticum; ut rectè adnotant Molina *tract. 2. de Just. disp. 145.* Valentia 2. 2. *disp. 10 quæst. 3. punct. 7.* & Castropalaus *de Char. disp. 2. punct. 5. numer. 9.* Generalis regula in hoc esse poterit, habere præ oculis viros timoratos ejusdem status, & conditionis, & ad instar illorum se regulare in familia, victu, vestitu, donationibus, & munusculis; sicuti etiam in alimentis subministrandis parentibus, fratribus, & propinquis consanguineis, si fortè pauperem vitam degant, ut ex Navarro, Molina, Coninch, & Toleto docet Castropalaus *l. c.* Qui advertit quoque *numer. 11.* non esse de facili condemnandos beneficiarios, & Ecclesiasticos illos, qui ditant consanguineos, & statum eorum augent; credi enim debet, id fieri non ex redditibus merè Ecclesiasticis, sed ex bonis patrimonialibus: tenentur tamen Ecclesiastici scandalum vitare, quantùm possunt; si aliquod oriretur. Præ omnibus denique ante oculos habere debent fabricam, & ornatum Ecclesiæ, cum Domus Dei sit; non enim permittere debent, ruinam minari, aut immundam esse.

Quæres 13. an ea, quæ dicta sunt de beneficiariis, intelligi etiam debeant de Pensionariis? Resp. quamvis videantur Doctores de hac re tractantes in oppositas abire sententias, revera tamen de diversis Pensionibus loquuntur, Quapropter sciendum ex Garzia alios referente *de Benefic. par. 1. cap. 1. num. 1. & 8.* Pensionem ex fructibus beneficii concessam aliam esse Laicalem, seu Sæcularem, aliam verò Ecclesiasticam; adeoque bene docet Navarrus *in Apolog. quæst. 1. monit. 80. & in Opusc. de Spoliis Cleric. §. 1. num. 6. & §. 7. num. 7.* ac multis, & eruditis argumentis comprobat: Pensionem Ecclesiasticam, utpote à beneficio provenientem, ejus naturam sequi, & imitari, & esse veluti quoddam beneficium; & ideo quidquid oneris imponitur beneficiario ex fructibus beneficii, imponitur quoque Pensionario Ecclesiastico. Secus verò Vasquez *Opusc. de Eleemos. cap. 4. num. 22.* non obligat Pensionarium ad alias eleemosynas elargiendas; nisi ad eas, ad quas Sæculares tenentur; sed loquitur de Pensione Laicali, & Sæculari. Quapropter rectè concluditur, quæ dicta sunt de Beneficiariis, intelligenda esse de Pensionariis Ecclesiasticis; non verò de Laicis, & Sæcularibus. Sic docent Molina *tract. 2. de Just. disp. 145.* & Castropalaus *de Charit. disp. 2. punct. 7. numer. 2.*

Quæres 14. an teneatur ad restitutionem beneficiarius, & Pensionarius Ecclesiasticus, si in profanos usus consumant fructus excedentes suam congruam sustentationem? Resp. totam præsentem controversiam versari in eo, si Beneficiarius Ecclesiasticus, aut Pensionarius integrum habeant dominium reddituum sui beneficii, aut pensionis; vel pars illius excedens congruam sustentationem sit penes pauperes, & loca pia: nam si integrum dominium habent, non peccabunt contra justitiam, nec ad restitutionem tenebuntur, esto peccent ex aliis capitibus. Quapropter licèt temporibus nascentis Ecclesiæ, & pluribus subsequentibus annis redditus beneficiorum non erant divisi, ut nunc sunt, & consequenter non habebant beneficiarii dominium illorum, vivebant enim Clerici in communi, & sub Prælati administratione, ut nunc sunt Regulares. Sed quia tempore Simplicii Pontificis facta fuit divisio in quatuor partes, 1. quarum ad Pontificem spectabat, 2. ad Clericos ministrantes Ecclesiæ, 3. ad fabricam Ecclesiæ, 4. ad Pauperes: ut constat *ex Cap. De Redditibus 12. quæst. 2.* denique successu temporis aliæ factæ fuere Divisiones pro commoditate locorum, de quibus *in Cap. Constitutum 16. quæst. 1. & Cap. Antiquos. 10. quæst. 1.* ex qua varietate divisionum ferè in nulla Ecclesia hodie reperitur expressa, ac distincta pars designata pauperibus, sed cum aliis permixta. Hinc fit, validè controverti, an dominium partis erogandæ in pauperes sit penes Beneficiarium, an penes ipsos pauperes? Nam de partibus assignatis pro congrua sustentatione ipsius beneficiarii, certum esse debet, dominium esse penes ipsum, quidquid in contrarium dixerit Navarrus *quæst. 2. de Redditibus*; satis enim constat *ex Cap. Unic. de Cleric. non Resid. in 6.* & ex Tridentino *sess. 22. cap. 3. de Reform. & sess. 23. cap. 1. de Reform.* ubi dicitur: Facere fructus suos, & dominium acquirere. Difficultas ergo est de parte excedente congruam sustentationem. Pro qua dicendum, nostris hisce temporibus dominium integrum reddituum Ecclesiast corum beneficii esse penes beneficiarium, & ab Ecclesia totum transferri in eum, sub hac tamen conditione, & obligationè gravi ex Charitate tantùm proveniente, ut si quid excedat congruam sustentationem

erogetur in pauperes, & loca pia. Et quidem quòd potuerit Ecclesia transferre integrum dominium fructuum in beneficiarios cum conditione, & onere ex Charitate Erogandi superfluum in pauperes, & loca pia, mihi dubium non est, nec aliis esse debet: nequit enim assignari convincens ratio, cur id ab Ecclesia effici non possit. Aliunde non debet imponi obligatio ex justitia ipsis sine efficaci ratione, aut textu eam comprobante, quæ assignari nequeunt; ergo dicendum est, integrum dominium reddituum beneficii penes beneficiarium esse cum obligatione, & onere ex Charitate erogandi pauperibus, & locis piis, quod excedit congruam sustentationem; adeoque non peccabit beneficiarius contra justitiam, nec tenebitur ad restitutionem; si non eroget: quamvis gravissimè peccet contra obligationem sibi impositam ex Charitate. Imò si bene res consideretur, non tam provenit hæc obligatio in beneficiario expendendi superfluum suæ congruæ sustentationis ex Charitate in pauperes, & loca pia ex donatione ei facta ab Ecclesia, & fidelibus, qui revera absolutè donarunt; quàm ex ipso statu Clericali, in quo reperitur. Status siquidem Clericalis ex jure naturali, & Divino obligat ad pietatis viscera aperienda erga pauperes, & loca pia ex illis redditibus merè Ecclesiasticis, qui ejus congruam sustentationem excedunt; non verò ex illis, qui ejus industria, & labore acquisiti fuere. Sic expressè Castropalaus *de Char. disp. 2. pun. 6. num. 5.* referens Covarruviam, Sotum, utrumque Molinam, Lessium, Valentiam, Coninch, Sarmiento, & alios penes ipsos, contra Navarrum, & alios.

21 Quæres 15. an eodem modo discurrendum sit de Beneficiariis religiosis, ac dictum est de Beneficiariis non Religiosis? Resp. diversimodè discurrendum esse: nam religiosus promotus ad beneficium sive sæculare, sive regulare; sive beneficium sit ad nutum amovibile, sive perpetuum; non habet dominium penes se reddituum beneficii, sed est penes monasterium, & tantùm ei conceditur administratio ad usus pios: nam quamvis promotus sit ad tale beneficium; manet tamen regularis, & consequenter voto paupertatis adstrictus; adeoque si aliquid reddituum in profanos usus insumet, & peccabit contra votum Paupertatis, & contra justitiam, & alienatio facta nulla erit. Sic communis sententia, ut videre est penes Sanchez *in Summ. lib. 6. cap. 6. num. 36.* & penes Castropalaum *de Char. disp. 2. punct. 8. numer. 1.*

Et quamvis de Religioso ad Episcopatum promoto major sit controversia; sustinent enim Sotum, Vasquez, Medina, Anglez, Palacios, & Gratianus penes citatum Castropalaum *num. 2.* habere dominium, & administrationem reddituum Ecclesiasticorum Episcopatus, ac habent alii Episcopi non Religiosi; & consequenter posse de illis disponere. Nihilominus communior, & verior sententia docet, religiosum ad Episcopatum promotum remanere obstrictum paupertatis voto, ac incapacem dominii. Sic D. Thomas *2. 2. quæst. 185. art. 8.* quem sequuntur Cajetanus, Valentia, Covarruvias, Molina, Coninch, Sanchez, Lessius Navarrus, Sarmiento, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Char. disp. 2. pun. 6. num. 3.* ratio est, tum quia solùm dispensatur in iis, quæ incompatibilia sunt cum statu Episcopali; cum ergo abdicatio dominii relicta ei facultate administrandi bona Episcopatus in usus decentes non sit incompatibilis cum statu Episcopali; dicendum est, in ea non dispensari; tum quia si obligatur ad portandum habitum suæ Religionis, verè Religiosus remanet, & maximè cum voto Paupertatis, & incapacitate dominii. Et si Episcopo religioso hæreditas aliqua obveniat, dominium hæreditatis illius penes Ecclesiam erit, ad quam assumptus est; licèt facultatem habeat, dum vivit, transferendi in aliam Ecclesiam; vel aliud pium opus; in morte tamen ad Ecclesiam suam spectat, non ut liberè illi donatam, sed ut propriam illius: sic satis apertè colligitur *ex Cap. Statutum 18. quæst. 1.* ubi dicitur: Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod Sanctificatur, & intitulatur secundum Sacros Canones restituat. Restituere namque satis indicat, hæreditatem illam esse propriam Ecclesiæ, & Altaris, sicuti propria esset monasterii, non verò ei liberaliter donata, si religioso obvenisset, antequam ad Episcopatum promoveretur. Hinc rectè deducitur: Episcopum religiosum graviter peccare contra Votum, & contra Justitiam, si bona Ecclesiastica, aut hæreditatem illam prodigeret, cum careat dominio rerum; & solam administrationem habeat sibi concessam ad honestos usus, & illi, qui res acceperunt ab eo, tenentur ad restitutionem, cum non acceperint à domino legitimo, nisi remissionem habuerint ab Ecclesia. Sic ex Lessio, Sanchez, & Coninch docet Castropalaus *de Charit. disp. 2. punct. 8. numer. 5.*

Quæres 16. Quinam eleemosynam facere possint? 22
Resp. non omnibus datum esse, eleemosynam facere, extra casum necessitatis; cum non omnes habeant dominium rerum dandarum in eleemosynam, & liberam earum administrationem; utrumque enim requiritur in dante eleemosynam, quòd videlicet habeat rei dominium, & liberam ejus administrationem: & ratio est, quia liberalis donatio est dominium transiens in accipientem. Sic Doctores omnes: verùm dubitatur de aliquibus personis, qua ratione eleemosynam facere possint, quæ non censentur habere bona propria, vel si illa habent non habent tamen liberam eorum administrationem: quapropter breviter singillatim percurrendæ erunt.

Et 1. Vxor poterit extra controversiam eleemosynam facere de illis bonis, quorum dominium, & administrationem liberè habet: ut sunt bona, quæ extra dotem attulit, & dici solent paraphernalia; aut ea, quæ suo labore acquisivit, & industria, & aliunde sufficientem dotem attulerit, ad sublevanda onera matrimonii; denique ea, qnæ sibi subtrahit ex assignatis à marito in sustentationem. Sic ex D. Thoma, Paludano, Navarro, Navarra, Coninch, & Lessio docent Bonacina *disp. 2. de Restit. quæst. 10. pun. 2. num. 5. & 9.* & Castropalaus *de Charit. disp. 2. pun. 13. num. 10.* De illis verò bonis, quæ in dotem attulit, vel communia cum marito sunt; non poterit absque ejus consensu eleemosynam facere: quia licèt habeat eorum dominium, non tamen liberam eorum administrationem habet. Limita 1. nisi parvæ eleemosynæ sint, & solitę fieri à fœminis suæ conditionis: Sic enim consuetudo introduxit: ut bene docent Sylvester, Navarrus, Suarez, Vasquez, Coninch, Lessius, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Char. disp. 2. pun. 13. nu. 12.* 2. nisi maritus sit diu absens, velamens: quia tunc bonorum administratio Vxori contingit; in absentia tamen longa mariti debet se regulare in eleemosyna largienda juxta consuetudinem mariti; in amentia verò juxta propriam prudentiam. Sic ex Vasquez docet Castropalaus *l. c. num. 13.* 3. nisi uxor eleemosynam faciat ad avertendum malum aliquod spirituale, vel temporale sibi imminens, aut marito; vel ad impetrandam sui, suorumque conversionem à Deo: nam sic utiliter geret negotium mariti, adeoque consentire tenetur. Quamvis hoc intelligendum sit in aliquibus casibus raris, & gravibus; ne de facili detur ansa uxoribus dissipare bona maritorum specie pietatis. Sic ex Coninch advertit Castropalaus *l. c. num. 14.* 4. nisi maritus ludo, luxuriis, & compotationibus deditus bona communia dissipet: poterit namque tunc uxor partem sibi contingentem accipere, ut servet se ab indemnitate, ac ex illa eleemosynam facere: cum maritus tunc non administret, sed dissipet. Sic ex Lessio, & Coninch docet Bonacina *disputat. 2. de Restit. quæst. 10. pun. 2. num. 9.* 5. nisi vxor parentes habeat, aut filios ex alio matrimonio egentes, qui bona propria non habeant; tunc enim poterit ex bonis communibus eis consulere, petita à marito facultate, quam si denegaverit, poterit uxor clam accipere: eo quia non esset rationabiliter invitus ob obligationem naturalem, quam habet uxor alendi sic strictè sibi conjunctos. Quamvis dissoluto matrimonio debeat computare acceptum in parte suæ dotis, cum deventum erit ad partitionem cum hæredibus Viri, non enim æquum est, consanguineos ex alieno alere. Sic ex Lessio, & Bonacina docet Castropalaus *de Charit. disputat. 2. punct. 13. numer. 16. & 17.*

2. Filius familias quamvis eleemosynam facere possit de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quia plenam habet eorum administrationem; nihilominus de bonis Adventitiis, & Profectitiis eam facere non poterit, nisi quatenus præsumatur consensurus: cum usus fructus talium bonorum sit penes patrem. Quòd si aliquid subtrahat ex sibi datis in congruam sustentationem, aut honestam recreationem; poterit id in eleemosynam erogare, cum supponatur pater consentire. Sic Vasquez *cap. 4. de Eleemos. numer. 3.* Coninch *disputat. 27. dub. 5. numer. 58.* & Castropalaus *de Charit. disp. 2. pun. 13. num. 8.*

3. Minor, & Pupillus non possunt sine facultate Curatoris, aut Tutoris excedentem, aut magnam eleemosynam facere; non enim habent expeditam suorum bonorum administrationem. Poterunt tamen competentes eleemosynas facere, quas alii paris conditionis faciunt, quibus consentire reputantur Tutores, & Curatores. In casu verò quòd magnam eleemosynam facerent, non tenentur eam accipientes restituere, cum acceperint à vero domino; nisi à Curatoribus, vel Tutoribus, aut ab ipsis minoribus, & pupillis repetatur eleemosyna beneficio restitutionis in integrum. Sic Molina *tract. 2. de Just. disp. 277. num. 2.* Sanchez alios referens *lib. 6. de Matrim. disp. 38. num. 1.* Gomez 2. *Var. cap. 14.* & Lessius *lib. 2. cap. 18. num. 81.*

4. Prodigus, cui videlicet assignatus sit Curator, ne bona prodigeret, cum prohibitione ne ea administret, sed Curator; quamvis propter prohibitionem habitam administrandi bona sua non possit eleemosynam facere, nihilominus eas eleemosynas facere poterit, quæ suo statui convenientes erunt: cum in eis nec sibi præjudicet, nec Curatoris Officio. Sic Castropalaus *de Charit. disp. 3. pun. 13. num. 5.*

5. Curatores, Tutores, & omnes illi, qui curam habent sibi commissam administrandi eliena bona; licèt non possint magnas eleemosynas facere ex illis bonis, cum non sint eorum domini, moderatas tamen facere poterunt: quia hoc ipsum spectat ad rectam gubernationem, & administrationem in majus bonum ipsorum dominorum, qui consentire tenentur. Sic Azor. 2. *par. lib. 12. cap. 10. quæst. 5.* Vasquez *Opusc. de Eleemos. cap. 4. nu. 2.* Lorca 2. 2. *disp. 40. memb. 1.* Castropalaus *de Charit. disp. 2. pun. 13. num. 7.* & Bonacina *de Charit. disp. 3. quæst. 4. pun. 6. num. 26.* referens Medinam, & Reginaldum.

6. Mancipium, & Famulus non poterunt eleemosynam facere ex bonis dominorum; poterunt tamen facere, si aliquid subtrahant ex sibi assignatis à suis dominis: cum in hoc consentire censeantur domini, nec supponi possint rationabiliter inviti. Poterunt quoque eam facere ex peculio proprio, si illud habeant, & certum est, habere posse famulum, quamvis dubitetur de mancipio, nihilominus habere poterit mancipium, si ea conditione aliquid illi datum fuerit, ut non deveniat in potestatem domini, aut si ab ipso domino aliquid ei donatum fuerit in præmium extra ordinarii laboris, vel ab aliis datum fuerit in gratitudinem obsequii absque detrimento domini facti; aut si in compensationem injuriæ datum fuerit, denique si ex pecuniis sic acceptis aliquid lucratum fuerit: ratio est, quia habet perfectum dominium horum bonorum, & administrationem, adeoque non poterunt à dominis impediri absque injustitia: maximè quia ex his bonis soleant se redimere à servitute. Sic Suarez *disp. 7. de Charit. sess. 2. num. 2.* Coninch *disp. 27. dub. 5. num. 46.* & Castropalaus *de Charit. disp. 2. punct. 13. num. 3.*

7. Superior Regularis habens sibi commissam administrationem bonorum Domus regularis poterit competentes eleemosynas facere ex iis, quæ superfluunt ex condecenti suorum subditorum sustentatione: ratio est, quia sic spectat ad rectam administrationem domus illius; tum quia ipsa domus regularis tenetur censentire, nec supponenda erit rationabiliter invita. Et si prohibentur Regularibus profanæ donationes, & largitiones munerum; non inde tamen prohibentur Superioribus donationes istæ ad pias causas. Regulares verò subditi nullas eleemosynas facere possunt sine expresso, aut tacito consensu Superioris. Supponitur tamen consentire in aliquibus eleemosynis, quæ fiunt ex assignatis ad congruam sustentationem, quando subditus extra monasterium, & Regularem Domum vivit; eo quia tunc datur ei libera illorum administratio; supponimus tamen eleemosynam illam statui religioso competentem. Sic Suarez *disp. 7. de Charit. sess. 2. num. 3.* & Vasquez *Opusc. de Eleemos. cap. 4. num. 1.* Advertendum verò, non facilè præsumendum esse hunc tacitum Superioris consensum, sed expresse constare debere in iis, quæ ad victum apponuntur aut vestitum subditis, dum in regulari domo existunt: quapropter non poterunt etiam ex sibi subtractis disponere in eleemosynam absque expressa facultate Superioris: ratio est, quia talis dispositio perturbat nimis rectam gubernationem domus religiosæ, illique apponitur, ut experientia comprobat. Sic Lorca, Torrez, Coninch, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp. 2. punct. 13. num. 9.*

Quæres 17. ex quibus bonis possit eleemosyna fieri? 23
Resp. extra controversiam esse fieri debere ex bonis propriis, quorum libera administratio habetur, non verò alienis. Ex bonis verò à Communitate possessis, si collegialiter possidentur, hoc est, non in singulos dividuntur, sed dispensantur ab eo, qui curam Communitatis habet; poterit ab habente curam eleemosyna fieri, prout judicaverit expedire ad rectam administrationem *ex Cap. Cum in cunctis. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Si verò particulariter possidentur, hoc est, in singulos distribuenda sint; de necesse requiritur consensus omnium, ut ex ipsis eleemosyna fieri possit, cum singuli jus habeant ad portionem suam. Sic *ex Cap. Cum omnes. de Constit.* de Bonis illicitè, & turpiter acquisitis, quæ dantur in præmium, aut mercedem injustæ alicujus actionis exercitæ, ut ob actus meretricios habitos, ob occisionem factam, ob latam injustam sententiam, nisi tamen simoniacè facta fuerit ob injustam collationem beneficii, &c. poterit eleemosyna fieri: quia dominium illorum acquisitum est; nec talem eleemosynam accipiens tenetur ad illam restituendam. Sic ex Coninch, & Lessio docet Castropalaus *de Charit. disp. 2. pun. 12. num. 3. in fine.* Si verò bona acquisita fuerint furto, usura, aut rapina; non poterit ex eis eleemosyna fieri, si extent in specie, præter casum extremæ necessitatis, cum domino clament, eique restituenda sint. Si tamen non extent in specie, nec per eleemosynam redditur acquirens impotens ad restituendum; poterit ex eis eleemosynam facere absque damno Creditorum. Sic ex Suarez, & Vasquez docet Castropalaus *l. c.* Ex bonis denique addictis Fisco ob crimen aliquod commissum, ratione cujus ipso facto addicta sint Fisco; poterit eleemosyna fieri ante prolatam à Judice sententiam, dummodo non fiat in fraudem Fisci, sed ad sublevandam pauperis miseriam, quantam revera patitur: ratio est, quia ante sententiam Judicis non jam privatus est delinquens dominio suorum bonorum, & sicuti potest eis uti in sustentationem propriam, & suæ familiæ; sic etiam in subsidium pauperum. Sic ex Sanchez, Medina, Reginaldo, Lorca, & aliis docet Bonacina *de Charit. disp. 3. quæst. 4. punct. 6. num. 23.*

Quæres 18. Quibus eleemosyna facienda sit? Resp. quã- 24
vis eleemosyna facienda sit indigenti, sive justus sit, sive peccator, sive fidelis, sive infidelis, sive amicus, sive inimicus, ut patet ex supradictis; nihilominus si credatur, ex eleemosyna favendam esse iniquitatem, aut inimicitiam; non tenebitur quis ad eam elargiendam sic operaturo: ratio est, quia esset fomentum iniquitatis, & anima diligenda est plusquam corpus proximi. Sic ex D. Augustino *Epist. 48. ad Vincentium Donatistam* docent Vasquez *Opusc. de Eleemos. cap. 3. dub. 4. n. 9.* Medina *Cod. de Eleemos. cap. 7.* Coninch *disp. 27. dub. 6. n. 70.* & Castropalaus *de Char. disp. 2. pun. 14. nu. 1.* Advertendum tamen hoc non facile suspicandum esse, sed requiritur prudens, & rationabile motivum ad id credendum. Quapropter licèt vagabundis, qui regulariter vitiosi sunt, & vitia fovent ex eleemosynis sibi datis; eleemosyna deneganda esset, nisi in gravi necessitate forent, aut speraretur per eleemosynam reducendos fore ad meliorem statum; nihilominus non est id præsumendum de pauperibus nobis occurrentibus, quamvis ignotis: nam eis gravis irrogaretur injuria, si absque fundamento, & rationabili motivo id præsumeretur de ipsis: cum potiùs censendum sit, ex vera necessitate eleemosynam petere, quàm ex amore otii, aut tædio laboris. Sic ex Coninch, & Lorca advertit rectè Castropalaus *l. c. num. 2.* Non nego tamen, quòd ex justa, & rationabili causa possint Magistratus, vel Respublica peregrinos à suis Civitatibus excludere, ne videlicet otio torpeant; ne morbos, proditiones, aut corruptelas ingerant in pauperes Cives; neve aliud grave damnum inferant bono communi; spectat siquidem ad eos mala à Communitate sibi commissa avertere. Nihilominus si justa causa non haberetur, non posset id effici absque gravi peccato contra justitiam, & contra Charitatem: cum habeant pauperes jus comparandi sibi necessaria ad sublevandam propriam indigentiam petendo eleemosynam. Sic Becanus, Medina, Turrianus, Toletus, Reginaldus, Layman, Sotus, Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Char. disp. 3. quæst. 4. pun. 6. n. 19.*

Quæres 19. Quid dicendum de Quæstoribus eleemosynarum? Resp. præmittendo prius quinam ve- 25
niunt nomine Quæstorum; Quæstores siquidem illi dicuntur, qui in quærendis eleemosynis utilitatem

litatem sibi quærunt. Sic ex Baldo docet Barbosa 3. *par. de Potest. Episc. alleg.* 109. *num.* 6. sive obligentur ad dandam loco pio tantam eleemosynam determinatam, modò ipsis concedatur integra eleemosyna, quam suo quæstu consequi sperant; sive integra eleemosyna spectet ad locum pium, quamvis hic obligetur ad dandam ipsis mercedem designatam pro petitione eleemosynæ. Jam verò quia Quæstores isti abutebantur hoc munere *non* sine detrimento Christianæ Reipublicæ publicando falsas reliquias, indulgentias, & facultates numquam concessa, adeoque indecenter vivebant; ideo Tridentinum *sess.* 5. *de Reform. cap.* 2. *in fine* inhærens *Cap. Cum ex eo, de Pœnit. & Remiss. & Clement.* 2. *eod. tit.* statuit, ne quæstores eleemosynarum cujuscumque conditionis existant, nullo modo nec per alium prædicare præsumant, & contrafacientes ab Episcopis opportunis remediis arceantur. Sed quia non obstante tali prohibitione quotidie augebatur eorum numerus absque spe emendationis; ideo *sess.* 21. *cap.* 9. *de Refor. decrevit*: ut posthac in quibuscumque Christianæ Religionis locis eorum nomen, atque usus penitus aboleatur. Non prohibentur tamen ex vi Decreti hujus illi eleemosynarum quæstores, qui eas inquirunt pro necessitatibus propriis, aut alicujus pii operis sine fraude, ac nullis publicatis indulgentiis, & sine ulla mercede: usu namque, & praxi receptum est, non solùm non exterminari, imò foveri, & laudari ab Ordinariis locorum & à fidelibus quæstores illos, qui huic pio operi incumbunt inquirendi eleemosynas pro pauperibus in carcere degentibus; pro Virginibus, & Viduis honestis, pro hospitali necessitatem habente. Sic ex Cardin. Tusco, Navarro, Rodriquez, Barbosa, & Sà docet Castropalaus *de Charit. disp.* 2. *punct. ult. num.* 4. Advertendum tamen, quòd licèt non requiratur facultas Ordinarii ad hoc munus obeundum cum præscriptis limitationibus; poterit nihilominus ordinarius prohibere illud, quoadusque sibi innotescat haberi veras conditiones, & quod sine fraude exerceatur; spectat siquidem ad Ordinarium loci has diligentias adhibere, & omnes abusus in quærendis eleemosynis arcere. Sic ex Francisco Leo, & Barbosa docet Castropalaus *loc. cit. num.* 5. Maximè quia animadvertere potest Ordinarius loci in pravos eleemosynarum quæstores, sive laici sint, sive exempti, non obstante quolibet privilegio, ut definitur *in Clement. Abusibus de Pœnit. & Remiss.* & notat Abbas *in Cap. Tuarum, de Privil. num.* 1. Non poterit tamen ullatenus concedere Ordinarius facultatem quæstuandi, quæ prohibita, & abolita fuit à Conc. Tridentino *l. c.* Regulares Mendicantes, qui laudabiliter secundum suum Institutum eleemosynas inquirunt pro *suis* religiosis familiis, nec indigent facultate Ordinarii loci, nec ab ipso impediri possunt à tali quæstu licitè peracto; nam si à Sancta Sede approbantur ut Mendicantes, ipsis Mendicatio ex Instituto contingit, adeoque impediri nequibunt ab Ordinario loci, & sic declaravit Sacra Congregatio Concilii teste Barbosa 3. *par. de Potest. Episc. alleg.* 109. *n.* 7. cum hoc tamen quod si extra ea loca, ubi Conventus non habent, quæritare voluerint; teneantur suorum Superiorum facultatem ostendere Ordinario, qua ostensa impediri non poterunt ab inquirendis eleemosynis.

CAPUT VI.

De Correctione Proximi.

1 *Quid sit Correctio, & quotuplex?*
2 *Tenemur ad Correctionem non solùm ex præcepto Divino, sed etiam naturali.*
3 *Præceptum Correctionis oritur ex Virtute Charitatis Dei, & Proximi.*
4 *Præceptum Correctionis est affirmativum, & non obligat semper, sed in aliquibus circumstantiis, quarum prima est, si proximus constitutus sit in gravi necessitate spirituali.*
5 *An locum habeat Correctionis præceptum, si proximus non peccavit, sed sit in periculo peccandi.*
6 *An si proximus peccaverit, & sit habitualiter in peccato, quamvis non habeatur periculum iterum peccandi; locum habeat præceptum Correctionis?*
7 *An sit obligatio corrigendi proximum publicè peccantem, sed à Magistratu toleratum?*
8 *An sit obligatio corrigendi proximum pro peccatis venialibus?*
9 *Si peccans venialiter subditus sit, & ex eo nimia licentia similiter peccandi oriretur in aliis, tenetur Superior sub gravi illum corrigere.*
10 2. *Circumstantia est, ut habeatur notitia moraliter certa de necessitate Correctionis.*
11 *An desistendum à Correctione, quando ignoranter proximus peccat?*
12 3. *Circumstantia, quòd habeatur Spes fructus emendationis.*
13 *Quinam teneantur ad Correctionem faciendam, quando instat præceptum corrigendi?*
14 *An peccator teneatur ad Correctionem faciendam, dum est in peccato?*
15 *Quænam Personæ corrigi debeant?*
16 *Quænam causæ excusent à Correctione facienda?*
17 *Qui gravem pudorem patiuntur in Correctione facienda excusantur à mortali, si eam non faciant.*
18 *An statim facienda Correctio, itaut differri nequeat?*
19 *Quinam Ordo servandus in Correctione facienda?*
20 *Quantum fieri potest semper consulendum famæ, & honori in corrigendo.*
21 *An adhibitis testibus sine fructu gradatim alii adhibendi sint?*
22 *An possit huic Ordini ex præcepto Divino servando abrenunciari?*
23 *An omissa secreta correctione possit peccatum secretum deferri Prælato, si speretur, quòd meliori modo correcturus sit?*
24 *An si delinquens jam emendatus sit, & nullum periculum relapsus habeatur, possit denunciari Prælato, etiam ut Patri?*
25 *Quænam præstare possit Prælatus ex denunciatione sibi facta, ut Patri?*

DICTUM est hucusque de effectu externo Charitatis, prout dicit beneficientiam Corporalem, seu eleemosynam; nunc de effectu externo ejusdem Charitatis, seu Spiritualis Misericordiæ dicendum superest; prout importat beneficentiam Spiritualem, quæ Correctio dici consuevit. Correctio autem est actus ille Charitatis, quo quis proximum emendare conatur, sive de reliquo ipsa emendatio subsequatur, sive non. Sic D. Thomas 2. 2. *quæstion.* 33. *art.* 1. quem Doctores communiter sequuntur. Duplex est Correctio fraterna una, Juridica alia. Fraterna dicitur, cum primò, & per se intenditur bonum proximi, & exerceri potest à fratre in fratrem; & ab inferiori in Superiorem; sicuti à Superiori in inferiorem: cum ad ejus exercitium nulla requiratur Jurisdictio. Juridica verò illa dicitur, qua per se spectatur bonum Commune, & aliorum: per peccatum siquidem unius scandalizari solent cæteri, & bonum Commune turbatur. Quapropter spectare solet hæc Correctio ad Justitiam vindicativam, nec ab alio exerceri potest, nisi ab habente jurisdictionem, adeoque à solo Superiore. Agemus hic de Correctione Fraterna, non verò Juridica. 1

Tenemur ad corrigendum fratrem correctione indigentem non solùm ex præcepto Divino, sed etiam naturali. Et quod teneamur ex præcepto Divino, nemini Catholicorum potest esse dubium, ut testantur Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 7. *numer.* 10. Valentia *disp.* 3. *quæst.* 10. *punct.* 2. & alii: satis enim clarè constat ex illo *Ecclesiast.* 19. *Corripe Amicum, corripe Proximum*; & ex illo *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*. Et traditur expressè ab Anacleto Pontifice *in Cap. Tam Sacerdotes* 24. *quæst.* 3. Fundatur præceptum istud in illis verbis Christi Domini: *Matth.* 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; si igitur unusquisque, ut rectè se diligat, procurare debet, ne animam occidat; ita etiam procurare debet de proximo, ut rectè proximum diligat sicut se ipsum. Quòd verò teneamur ex præcepto naturali, rectè constat ex principio illo lumine naturæ noto: Quod tibi vis fieri, alteri feceris: maximè quia si lumine naturæ constat, succurrendum esse eleemosyna necessitatibus corporalibus proximi, potiori jure constare debet ex eodem, succurrendum esse necessitatibus spiritualibus. Sic ex Becano, Maldero, Layman, & Filliuccio docet Bonacina *de Charit. disputat.* 3. *quæstion.* 4. *pun.* 7. *num.* 1. 2

Oritur præceptum istud ex virtute Charitatis Dei, & Proximi; eo quia si hæc virtus obligat ad aver- 3

ten-

tendum, quoad fieri potest, quolibet malum Dei, & Proximi; obligabit ad correctionem faciendam: per eam enim avertitur peccatum, quod est malum utrique, Deo videlicet, & proximo. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 2. communiter receptus. Impletur verò non solùm per actum à Charitate elicitum, si videlicet procedat Correctio ex amore Dei, & desiderio, ut non offendatur Deus: sed etiam per actum misericordiæ, si scilicet à voluntate procedat sublevandi proximum à miseria illa. Sic valentia *disp.* 3. *quæst.* 10. *pun.* 1. explicans D. Thomam. Imò adnotat ex Bannez, & Torres Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 1. *nu.* 8. etiamsi nec ex motivo Charitatis, nec Misericordiæ procederet, sed aliquando ex pravo motivo vanæ gloriæ e. g., vel ut se ostenderet penes alios zelatorem salutis animarum; adhuc fieret satis huic præcepto Correctionis; sicuti satisfit præcepto largiendi eleemosynam, audiendi Sacrum, aut jejunandi, quamvis largitio eleemosynæ, auditio Sacri, & jejunium ex pravo fine eleemosynæ procederent: nam præcepta ista non sunt de actibus Virtutis residentibus in voluntate; sed de actibus externis, qui integri esse possunt, quamvis à voluntate depravata proveniant.

2 Præceptum Correctionis cum sit affirmativum, præcipit siquidem actionem faciendam; inde est, quod non obliget semper, uti negativum: obligabit ergo concurrentibus aliquibus circumstantijs, quas enumerabimus. Et prima est, si proximus sit in gravi necessitate spirituali constitutus: dicitur autem in gravi necessitate constitutus, si peccavit, & est in periculo iterum labendi in peccatum: & hoc propriè, & rigorosè respicit correctio præcepta; sic enim proximus diceretur in gravi miseria constitutus, tum ob commissum peccatum; tum ob periculum aliud committendi; quapropter periclitaretur honor Dei, & salus proximi. Sic omnes Doctores teste Castropalao *de Charit. disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 3.

3 Sed petes primo an si proximus non peccaverit, sed sit in periculo, & occasione peccandi; locum habeat præceptum Correctionis. Resp. quamvis propriè, & in rigore loquendo non obliget præceptum Correctionis faciendæ, quæ delictum, & peccatum jam factum supponit; cum non sit correctione, & reprehensione dignus, qui delictum, & peccatum non commisit; nec Christus Dominus dixit: Si peccaturus sit in te frater tuus, sed si peccaverit in te; vade, & corripe illum. Nihilominus adest obligatio, quoad fieri potest, impediendi peccatum illud futurum proximi; quæ quidem obligatio datur non ex vi præcepti Correctionis respicientis peccatum jam commissum; sed ex vi Charitatis Dei, & proximi; seu defensionis Divini honoris, & boni proximi. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 8, *num.* 3., Coninch *disp.* 28. *de Correct. dub.* 3. *num.* 35., & Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 2. *numer.* 2.

4 Petes 2. an si proximus peccaverit, & sit habitualiter in peccato, quamvis non sit periculum iterum peccandi; locum habeat præceptum Correctionis? Resp. quamvis Bannez 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 3. *dub.* 1. *ad* 4., Valentia *disp.* 3. *quæst.* 10. *punct.* 2.: Bonacina de Charit. *disp.* 3, *quæst.* 4. *punct.* 7. *num.* 4., & alij satis probabiliter dixerint, urgere præceptum fraternæ correctionis, cum existat proximus in periculo æternæ damnationis, adeoque in magna miseria spirituali. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam oppositam asserentem, non urgere tunc præceptum Correctionis, nisi fortè timeatur, non fore corrigendus proximus tempore suo, vel ex se, vel ab alio: ratio est, quia tunc reputandus erit proximus in gravi necessitate constitutus, cum ex occasione peccati commissi sumit ansam aliud peccatum committendi, aut probabiliter timeatur, non debere de eo pœnitere tempore suo; ergo si hæc non habentur, non urget præceptum fraternæ Correctionis: maximè quia perseverantia in peccato, licèt gravis miseria sit, non inducit tamen gravem necessitatem mox resurgendi ab illa, & de facto ipse peccator non tenetur ex propria Charitate, quæ strictius obligat, ad depellendam statim miseriam illam; cur ergo obligabitur alius ex præcepto Correctionis? Est etenim doctrina D. Thomæ *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 2., quem sequuntur Sotus, Durandus, Medina, Navarrus, Suarez, relati à Castropalao *de Charit.. disp.* 3. *punct.* 2. *nu.* 6. quòd non statim teneatur peccator conteri de peccato commisso; quapropter si non tenebitur ad hoc, nec tenebitur ad correctionem acceptandam, cum correctio ad tollendum peccatum à proximo ordinetur. Infertur igitur ex dictis, non urgere præceptum Correctionis, esto ex alio motivo inducendus sit proximus ad non perseverandum in peccato illo habituali. Sic Abulensis in Matth. 18. *quæst.* 83., Glossa in Cap. Si peccaverit. 2. *quæst.* 1., Sylvester verb. Correptio, *quæst.* 1. *in fine*, Sotus de tegendo secreto; *quæst.* 2. *concl.* 2., Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 332., Lorca 2. 2. *quæst.* 33. *artic.* 5. *disp.* 41. *num.* 3., Sà verbo Correctio, *num.* 1., Ludovicus Torres 2. 2. *quæst.* 32. *disp.* 86. *dub.* 2., Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 7. *num.* 2., Villalobos *tom.* 2. *Summ. tract.* 4. *diffic.* 2. *num.* 4., Coninch *disp.* 28. *dub.* 6. *num.* 117., Castropalaus l. c. nec dissentire videtur Suarez *disp.* 8. *de Char. sect.* 3. *num.* 4. qui dicit. Si videas proximum peccasse, & probabiliter existimas, suo tempore acturum pœnitentiam, & ex hoc peccato non sumpturum occasionem peccandi; non teneris illum corrigere.

7 Petes 3. an sit obligatio corripiendi proximum non secretò, sed publicè peccantem, quamvis à Republica, vel Magistratu toleratus sit? Resp. affirmativè: ratio est, quia reperitur in gravi necessitate spirituali, malum siquidem grave sibi infert, ac Deum offendit; adeoque adest obligatio avertendi hæc mala, dum commodè fieri potest, & speratur emendationis fructus. Nec permissio Magistratus, aut Reipublicæ facit; quin id fieri possit: nam ideo Magistratus non tenetur hos impedire, ac corrigere; eo quia vult arcere majora mala à Republica, & minora permittit, quæ minora impedire non potest in uno, vel altero, quin impediat in omnibus. Secus verò vir privatus per hoc quòd impediat in uno, vel altero, non habet obligationem impediendi in omnibus; nec tollit in omnibus permissionem Reipublicæ, sed in aliquibus. Sic Coninch *disp.* 28. *de Corrept. dub.* 3. *num.* 33., & Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *pun.* 2. *num.* 4.

8 Petes 4.: an sit obligatio correctionis proximi pro peccatis venialibus? Resp. quamvis materia necessaria correctionis sint peccata mortalia; nihilominus si peccata venialia talis sint conditionis, ut ad mortalia disponerent; essent pariter materia necessaria correctionis sub gravi obligatione juxta gravitatem periculi labendi in mortale: & in hoc conveniunt Doctores. Discrepant tamen pro peccatis venialibus, de quibus non timetur lapsus in mortale: nam Graffis, Becanus, Azor. Reginaldus, Sylvester, Bannez, Malderus, Navarrus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *punct.* 7 *num.* 3. putant, non haberi obligationem nec sub gravi, nec sub levi corrigendi ista venialia, cum nec per ipsa amittatur gratia Dei, nec proximus constituatur in proximo periculo suæ æternæ salutis: maximè quia correctio ordinatur ad lucrandum fratrem perditum. Non nego, hanc esse communiorem sententiam; nihilominus sua probabilitate non est destituta sententia opposita docens, adesse obligationem non sub gravi, sed sub veniali corrigendi proximum constitutum in occasione venialiter peccandi, si commodè fieri possit, & speretur fructus emendationis: ratio est, tum quia Charitas, & Misericordia erga proximum sic expescit, ut illum liberemus à miseria temporali, à fortiori expescit, ut illum liberemus à miseria spirituali, quamvis veniali, quæ semper major erit quacumque miseria temporali: & si adest obligatio non consulendi, nec impellendi proximum ad peccandum venialiter; pariter aderit obligatio non permittendi, ut in veniale labatur, si id commodè fieri possit: & sicuti tenetur unusquisque sub veniali ad præcavendum se à veniali; ita etiam si proximum diligit sicut se ipsum, tenebitur ad præcavendum illum à veniali, si commodè facere poscit. Sic Cajetanus, Sotus, Valentia, Villalobos, Lorca, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 1. & 3.; qui advertit ex Coninch regulariter excusari à correctione peccantis venialiter; quia nec speratur fructus emendationis, nec constat periculum proximi, nec id sine verecundia fieri potest.

9 Notandum tamen hic: quod si peccans venialiter subditus sit, & ex ejus peccatis venialibus nimia licentia in aliis oriretur similiter peccandi; itaut ruinam, & labefactationem pateretur religiosa observantia; teneretur tunc Superior non solùm sub veniali, verum etiam sub gravi ad corrigendos defectus illos veniales, illosque extirpandos: ratio est, quia spectat ad Superiorem, ac ex munere suo adstringitur ad religiosam disciplinam conservandam, & arcenda ea, quæ ipsam labefactant, etiam si levia sint. Hac tamen obligatione non adstrin-

gu:tur

guntur Superiores sæculares, nisi ex multiplicatione venialium grave nocumentum pateretur Commune bonum quod rarò contingit in communitate sæculari. Idem dicendum de Provincialibus, Visitatoribus, Syndicis, si non corrigant Superiores sibi subditos, permittentes hanc labefactationem regularis observantiæ, cum eadem obligatio militet pro ipsis, ac pro Superioribus respectu suorum subditorum. Sic ex Suarez, Lorca, Coninch, Soto, Bannez, Sà, & aliis docet Castropalaus *de charit. disp. 3. punct. 3. numer. 6.* Dissimulare vero peccata venialia occulta, ex quibus non resultet ruina aliis, nec labefactetur religiosa Disciplina, nec subditum disponant ad mortale; non erit grave peccatum in Superiore non corrigente, aliàs onus nimis grave Superioribus imponeretur; erit tamen veniale. Sic ex Suarez, Torres, & Bonacina docet Castropalaus, *l. c. num. 7.*

10 2. Circumstantia est; ut habeatur notitia saltem moraliter certa de necessitate correctionis, & Miseria Spirituali proximi ob delictum commissum, & committendum; ratio est, quia aliàs corrigens se exponeret periculo excitandi proximum ad iracundiam, cum non omnes patienter ferant, sibi objici ea delicta, quæ non patrarunt: maximè si evidenter eludi possit correctio, tunc etenim correctio non amorem, sed odium; & iram in fratre excitaret; adeoque summa cum reflexione dixit Christus Dominus *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus; hoc est coram te, seu sciente te*, ut explicat D. Augustinus. Sic Adrianus, Navarrus, Suarez, Lorca, Sà, Villalobos, & Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de charit. disp. 3. pun. 4. num. 1.* Quod si aliquando quis prudenter moveatur ad correctionem faciendam, etiamsi certam notitiam non habeat de peccato commisso, & ruina, quæ imminet; cum magis præponderet penes corrigentem præcautio, quàm conturbatio proximi; advertat tamen non objicere fratri crimen illud tamquam certum, ne mentiatur. quod malum est ex suis intrinsecis; nec mala facienda sunt, ut bona eveniant. Sic rectè docet ex Filliuccio, & aliis Doctoribus Bonacina *de charit. quæst. 4. punct. 7. numer. 7.*

11 Petes; an desistendum sit à correctione facienda ex eo, quia proximus ignoranter peccat, seu *non* cognoscit malitiam peccati? Resp. certum esse, correctionem faciendam esse, *si* peccat ex *ignorantia* vincibili, & consequenter culpabili: nam hæc ignorantia non excusat proximum à peccato, adeoque *nec* excusabit ab obligatione faciendi correctionem, ut Doctores fatentur. Solùm controversia est de *ignorantia invincibili*, & inculpabili: pro qua putant aliqui Doctores, quos refert, & sequitur Bonacina *de charit. disp. 3. quæst. 4. punct. 7. num. 11.* non adesse obligationem corrigendi proximum ea laborantem, sive sit Juris, sive facti, quando *non* tenemur ex Officio corrigere, dummodo tamen non sequatur damnum tertii, aut ipsius ignorantis; nec sequatur scandalum, aut contemptus Religionis; sic non tenemur corrigere comedentem carnes invincibiliter die vetito, aut non audientem Sacrum die festivo; ratio est, quia cum proximus non peccet, non reputandus erit in statu miseriæ spiritualis: maximè quia præceptum correctionis faciendæ est de peccato proximi, quod ob invincibilem ignorantiam non habetur; Verum longè probabiliorem reputo oppositam sententiam docentem adesse obligationem corrigendi, sive ea proveniat ex Officio, sive non; sive ignorantia invincibilis sit facti, sive Juris Divini, naturalis, aut humani; dummodo ex correctione speretur fructus, nam si ille non speretur, desistendum erit: cùm nulli debeamus injicere laqueum sine spe emendationis: moveor quia ignorantia illa quamvis inculpabilis est malum quoddam, si non formale, saltem materiale; ergo est materia doctrinæ, & correctionis in reverentiam Legis; adeoque erit objectum, circa quod ferri possit misericordia, & eleemosyna spiritualis; si enim hoc non est docere ignorantes, quodnam erit? maximè quia ex transgressione materiali fit transitus ad formalem; eamque non corrigere erit tacita approbatio illius cum scandalo aliorum; quapropter si commodè fieri possit, facienda erit talis correctio. Sic Coninch *disp. 28. dub. 4. nu. 38.*, & Castropalaus plures referens *de Char. disp. 3. pun. 4. num. 3.*

12 3. Circumstantia est: quòd habeatur spes fructus emendationis, aliàs correctio esset otiosa: nemo enim tenetur ad opus inutile efficiendum; quapropter Div. Augustinus relatus *in Cap. Si quis de Pœnit. distin. 27.* dixit: Si scirem, non tibi prodesse, non te admonerem. Hinc infertur, necessario requiri ad correctionem faciendam spem fructus emendationis; ut docet communis sententia cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 33. artic. 6.* Non requiritur tamen, ut statim speretur emendationis fructus; sed sufficit, si decursu temporis speretur: quapropter si adhibita una, vel altera correctione sine fructu, & spes sit, quòd per tertiam habeatur; utique non desistendum erit à correctione, dummodo probabilis sit spes emendationis: nam recepta sententia ab omnibus est, non requiri omnino certam spem emendationis ad correctionem faciendam; sed sufficere probabilem, & quòd nocitura non sit correctio. Sic ex Div. Thoma 2.2. *quæst. 33. art. 2. ad 3.* docent Bannez, Torres, Valentia, Adrianus, Soto, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disput. 3. punct. 5. num. 3.* Et D. Augustinus *lib. 1. de Civit. Dei cap. 9.* damnat eos, qui se abstinent à correctione, cum fortasse corripiendo corrigere possint; favet exemplum medici, qui tenetur medicinam ordinare ægroto, quam credit profuturam, & non agnoscit nocituram; sic etiam in medicina spirituali dicendum. Quòd si probabiliter constat, non profuturam correctionem, cessat obligatio faciendi illam; cum cesset finis intrinsecus, saltem in prudenti æstimatione, ob quem correctio intenditur, ut ex Richardo, Durando, Valentia, docet citatus Castropalaus. In dubio tamen an correctio profutura sit, aut nocitura; conveniunt Doctores, non esse faciendam: ut si rationabiliter timeatur, & dubitetur, corrigendum prolapsurum esse in blasphemias ob correctionem; cum correctio ordinetur ad utilitatem proximi, non ad ejus ruinam. Hinc est: quòd non tenetur quis ad corripiendum sibi ignotum, & extraneum; quem videt peccantem; aut audit blasphemantem: nam cum ignoret ejus naturam, accidere potest, ut in rixas prorumpat, aut in pejores blasphemias, ut ex Cajetano, Bannez, Reginaldo docet Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. 7. numer. 8.* Solùm igitur in dubio facienda erit correctio, quando proximus est in extremis, ut si reperiretur in articulo, aut periculo mortis; quia tunc nocumentum omissionis correctionis est certum, & irreparabile ob damnationem æternam proximi; nocumentum verò, quod timetur successurum ex correctione, est dubium: ad cum modum quo tenetur medicus dare ægroto desperato de salute medicamen dubium; quia nocumentum, quod timetur in tali circumstantia, non prævalet fructui, qui speratur. Sic ex Lorca, Suarez, Bannez, Valentia, Villalobos, & Bonacina docet Castropalaus *de Charit. disp. 3. punct. 5., numer. 6.* In dubio denique de profectu correctionis quando certitudo habetur, quod non sit allatura nocumentum; urget præceptum faciendi correctionem: ratio est, quia sicuti in ægritudine corporali tenetur medicus ad dandum ægroto pharmacum, de quo certitudinem habet, quod non sit nociturum, quamvis dubietatem habeat, si profuturum sit; ita etiam in ægritudine spirituali eadem habetur obligatio. Sic ex Adriano, Bannez, Reginaldo, Valentia, Cajetano, docent Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. 7. numer. 8. in fine*, & Castropalaus *l. c. num. 5.*

Quæres 10.: quinam teneantur ad correctionem faciendam, quando instat preceptum corrigendi? Resp. teneri omnes non solùm Christianos, sed etiam infideles: cum præceptum istud *non* solùm sit Ecclesiasticum, verum etiam Divinum, & Naturale; unicuique enim mandavit Deus proximum corrigere; ac Deum, & proximum amare; & ex amore Dei, & proximi oritur hoc præceptum; adeoque omnes tam Christiani, quàm infideles afficiuntur hoc præcepto, ut indubitatum est penes Doctores. Non nego tamen arctiori vinculo adstringi ad correctionem faciendam præ aliis Superiores respectu suorum subditorum; Patres respectu suorum filiorum, Maritos respectu Uxorum; Tutores, & Curatores respectu pupillorum, & minorum, & dominos respectu servorum, ut patet *ex Cap. Quamvis causæ de Regul. Jur.* & docet Div. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst. 33. artic. 3. ad 1.* ratio est; quia tenentur ex Officio; adeoque rectè docent Suarez, Valentia, Torres penes Castropalaum *de Charit. disp. 3. punct. 5. numer. 8.* aperiendam esse in confessione hanc circumstantiam Officii, quando omissa fuerit correctio facieada. 13

De peccatore controvertitur: an teneatur ad correctio- 14

ctionem faciendam, dum est in peccato; Et quidem teneri si occultus sit; optimè docent Sylvester, Richardus, Paludanus, quos refert, & sequitur Suarez *disp.* 8. *de Charit. sess.* 4. *numer.* 6. & alii: ratio est, quia ex tali correctione fructus sperari potest; Ergo tenebitur ad illam, Si verò publicus peccator sit, quamvis deobligetur, utpote ineptus ad tale munus: cum ei merito dici possit, Medice cura te ipsum; aut illud: Hypocrita ejice primo trabem de oculo tuo; non enim speraretur emendationis fructus. Nihilominus si indignitatem suam agnoscat, ac humiliter ostendat, nec se justiorem demonstret, sed peccatum in utroque exprobret; cum in tali casu speretur emendationis fructus, obligabitur ad sic corrigendum, etiamsi non sequatur fructus: & sic feciſſe bonum latronem in cruce pendentem, omnes scimus, Ita D. Thomas, Valentia, Torres, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 7. *numer.* 2. An autem teneatur peccator ad se ipsum per pœnitentiam emendandum, ut cum fructu corrigendum corrigere possit; maximè si putet probabiliter moriturum in peccato, nisi sic corrigat? Et quidem si Prælatus sit, cui ex Officio incumbit corrigere; conveniunt Doctores teneri ad se emendandum; aliàs officium deponere debet: ratio est, quia Prælatus præter obligationem generalem corrigendi peculiarem habet obligationem ex Officio, cui satisfacere debet. Sic Suarez, Lorca, Sotus, Valentia, Bannez, Villalobos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 7. *num.* 4.

Quamvis de Concionatoribus, & Judicibus peccata corrigentibus non idem dicendum sit: quia nec corrigere est actio sacra, cum possit à peccatore saltem occulto fieri; nec adnexa est ex Institutione Christi Sacris Ordinibus, cum possit à laico fieri; ergo non est talis, ut ex se requirat statum gratiæ in Concionatore, & Judice, qui non tenetur ex Officio. Sic ex Suarez, Medina, Torres, Villalobos docet Castropalaus *l. c. numer.* 7. De aliis verò peccatoribus, qui ex præcepto correctionis tenentur ad illam faciendam; quamvis communis sententia doceat, non teneri ad se emendandum per pœnitentiam extra casum extremæ necessitatis; in casu tamen extremæ necessitatis docent, teneri ad se emendandum ex Misericrodia, & Charitate proximi, qui est in periculo damnationis, nisi id efficiatur: ut ex Navarro, Valentia, Filliuccio, Layman, & aliis docet Bonacina *de Char. quæst.* 4. *pun.* 7. *num.* 2. Nihilominus si difficilis sit pœnitentia, aut nolit peccator eam facere; non ideo desistere debet à correctione facienda saltem cum humilitate superius dicta: cum corrigendus in extremis constitutus teneatur auscultare, & obedire secundum dicta, esto opera dicentis sint contraria. Quòd si fructuosa non erit correctio, malitiæ corrigendi id tribuendum erit, non verò peccatis corrigentis, qui proposuit quod faciendum erat. Hinc satis probabiliter docent Valentia, Sotus, Coninch, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 7. *numer.* 6. rarò teneri ad pœnitentiam ob correctionem faciendam, præter Prælatos, quamvis ratione scandali obligatio esse possit, ne videlicet alii in peccatis inhæreant.

15 Quæres 2. quænam Personæ corrigendæ sint? Resp. omnes, sive Christiani sint, sive infideles: ratio est, quia licèt infideles non sint fratres nostri per gratiam, ut sunt Christiani; nihilominus sunt fratres nostri per naturam, adeoque tum ad Christianos, tum ad infideles extendenda erit correctio. Imò Prælati ipsi, ac Superiores corripi poterunt à suis inferioribus, & subditis, si correctione indigeant: sic statuitur *in Cap. Sicut.* 2. *quæst.* 7. quamvis facienda sit cum humilitate, & prudentia; ac potius obsecrando, quàm increpando, ut fructus correctionis speretur. Nec publicè, & palàm facienda erit correctio, sed secretò *ex Cap. Cum ex injuncto de Hæretic.* nisi fortè peccata publica fuerint, & scandalosa: semper tamen opus erit prudentia magna in facienda correctione Superioribus, & Prælatis, ut cum fructu fiat. Sic ex Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 13. *part.* 4. docent Valentia, Bannez, Cajetanus, Torres, Lorca, Coninch relati à Castropalao *de Charit. disp.* 3. *punct.* 7. *num.* 10.

16 Quæres 3. quænam causæ excusent à correctione faciendâ? Resp. si corrigendus non sit in extrema necessitate constitutus, excusatur correcturus à correctione facienda ob grave damnum vitæ, honoris, vel bonorum fortunæ; ratio est, quia præceptum Charitatis non obligat cum tanto incommodo; Lex enim Christi suavis est. Sic Aragonius, Valentia, Reginaldus, Bannez, Malderus, Azor. Navarrus, Navarra, Coninch, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *pun.* 7. *numer.* 12., & Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 6. *numer.* 1. Si verò corrigendus sit in extrema necessitate constitutus; itaut moraliter reputetur, nisi corrigatur, moriturus in peccato; tunc si probabilis sit spes fructus emendationis, urget obligatio præcepti etiam cum periculo vitæ: ratio est, quia salus æterna proximi prævalet bono temporali vitæ propriæ; maximè quia debemus pro fratribus animas ponere, juxta illud *Joann.* 1. *cap.* 3. Sic Bonacina, Bannez, Sotus, Navarrus, Valentia, Torres, & Coninch penes Castropalaum *loc. cit. numer.* 3. Quamvis Lorca *disp.* 45. *numer.* 7. acriter defendat, numquam dari hanc extremam necessitatem sive ex malitia, sive ex ignorantia, sive ex passione peccet: nam peccator auxiliis Divinæ gratiæ adjutus semper potest à peccato resurgere, & vitam consequi; adeoque si non consequatur, ipsi tribuendum erit; non verò ei, qui ob periculum vitæ correctionem omittit. Dummodo ab hac doctrina excipiantur ii, ad quos spectat ex Officio corrigere. Vide Castropalaum *loc. cit. num.* 4.

Excusantur insuper à correctione facienda, saltem 17
sub mortali, qui pudorem. & verecundiam patiuntur in corrigendo: debet tamen esse gravis, quæ videlicet vinci de facili non possit à cordato viro; nam ob levem verecundiam omittenda non erit fraterna correctio, sic enim numquam obligaret præceptum faciendi correctionem. Sic ex Div. Thoma, Valentia, Cajetano, Suarez, & aliis docet Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 6. *numer.* 2. Nec deobligat à correctione facienda, quòd timeatur irrisio, vel levis injuria, aut odium aliquod non nocivum; si speretur tamen emendationis fructus. Excusat quoque à correctione facienda, si alius magis idoneus ad illam habeatur; aut habeatur ille, cui ex officio incumbit corrigere, dummodo tamen corrigere velint: nam si ipsi desistant ex negligentia à correctione facienda; tenetur minus idoneus ad faciendam illam, quia jam proximus est in necessitate correctionis. Sic ex Reginaldo, Navarro, Layman, Filliuccio, & aliis docet Bonacina *de Charit. quæst.* 4. *punct.* 7. *numer.* 7. *in medio*. Idem dicendum, si probabilis spes habeatur, quòd alius correcturus sit, vel proximus à se ipso corrigendus sit; tunc enim non urget præceptum correctionis, eo quia non censetur esse in necessitate præcisa meæ correctionis, cum jam vel ab alio, vel à se sublevandus sit ab illa miseria spirituali; sicuti non teneor ad eleemosynam corporalem, si spes probabilis sit, quòd à se, vel ab alio pauper sublevandus sit. Sic ex Cajetano, Valentia, Sà, Torres, Villalobos, Coninch docet Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 6. *num.* 1.

Quæres 4. an statim facienda sit correctio, itaut dif- 18
ferri nequeat ad aliud tempus? Resp. si periculum sit in mora, certum est, statim faciendam esse correctionem, ne salus æterna proximi periclitetur. Si verò tale periculum absit, & speretur alio tempore fructuosius corrigendum fore; poterit correctio differri: eo quia melius salvatur id, quod per correctionem intenditur, & per eam dilationem commodius. & utiliùs tractatur negotium proximi, ac ejus necessitati spirituali consulitur; ut ex D. Augustino, & D. Thoma docent Sylvester, Navarrus, Valentia, Sà, Torres, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp.* 3. *punct.* 6. *numer.* 6.

Quæres 5. quinam ordo servandus est in correctione 19
facienda? Resp. ordinem in correctione servandum præscriptum fuisse à Christo Domino *Matth.* 18. qui novum præceptum non tulit, sed quod ab ipsa lege naturæ ortum habet; clariùs ostendit, & declaravit. Nam natura ipsa dictat, proximum esse corrigendum eo ordine, quem declarabimus. Christus ergo Dominus præcepit servandum esse ordinem illum, ut colligitur *ex cap. Novit. de Jud. ex cap. cum ex injuncto de Hæretic.*, & *ex cap. Licet Heli. de Simon.* Et quamvis verba Christi non videantur generaliter extendi ad omnia peccata, sed solùm ad ea, quæ injuriosa sunt corrigenti, nihilominus ex communi Ecclesiæ sensu ad omnia alia extenduntur: nam illud, si peccaverit in te, non accipi debet, si peccaverit contra te, quando scilicet aliquam specialem injuriam tibi intulerit, sed intelligi debet, si peccaverit coram te, ac te sciente, aut contra te

scan-

ſcandalizando; & inducendo te ad peccatum, per hoc quod coram te peccet. Sic Lyranus, Gloſſa, Hugo Cardinalis; & Div. Auguſtinus; ſic etiam Lorca, & Suarez ex Div. Anſelmo, Auguſtino, & Chryſoſtomo relati à Caſtropalao *de charit. diſp. 3. punct. 8. num.* 5. Ordo verò à Chriſto Domino præſcriptus conſiſtit in eo, ut 1. peccator admoneatur ſecretò, & abſque ullo teſte: Corripe inter te, & ipſum ſolum, quod intelligendum eſt de peccatore occulto. 2. quòd ſi non audierit te ſecretò, & ſine teſtibus admonentem: adhibeas unum, vel duos teſtes 3. ſi adhibita hac diligentia non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſcilicet Prælato. 4. ſi Prælatum non audit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.

20 Notandum 1.: ſemper in correctione facienda conſulendum eſſe, quantum fieri poteſt famæ, & honori corrigendi; quapropter ſi ſufficit unus teſtis, non adhibendi erunt duo; ſicuti ſi ſufficiens eſt ſecreta monitio ſine teſtibus, non adhibendi erunt teſtes. Notandum 2.: teſtes induci poſſe, quando certò conſtat ex eorum inductione ſperari utilitatem delinquentis; nam ſi hæc non ſperetur, induci non poterunt, ut habet Lorca 2. 2. *quæſt. 33. artic. 8. diſp. 46. numer.* 20. Numquam tamen induci poterunt, ut teſtentur in judicio; eſſet enim extra finem correctionis fraternæ id efficere; & daretur anſa proximo negandi delictum. Inducuntur ergo teſtes, quando induci debent; vel ſi ipſis delictum eſt notum, ut teſtentur Prælato, & Eccleſiæ, corrigentem functum eſſe munere ſuo; & ne ob præmiſſam correctionem illam à denunciatione facienda repelli poſſit, juxta *Caput Cum dilectus. De Accuſationib.*

21 Quæres 5.: an ſi quis adhibitis teſtibus ſine fructu teneatur gradatim alios teſtes adhibere, ut correctionis fructum conſequatur; an verò poſſit ſtatim Eccleſiæ denunciare? Reſp. quamvis poſſit id efficere; eo quia tali medio reſipiſcentiam delinquentis ſperet; nihilominus non tenetur id efficere: ratio eſt, quia per adhibitionem primorum teſtium ſufficienter ſervavit ordinem præſcriptum in correctione facienda; ergo non tenetur incommodum ſubire adhibendi alios, & alios teſtes. Sic ex Maldero, & Filliuccio docet Bonacina *de Charit. quæſt. 4. punct. 7. num.* 15.

22 Quæres 6.: an poſſit huic ordini ex præcepto Divino ſervando in correctione renunciari? Reſp. quamvis pauci antiquiores mordicùs defenderint id fieri non poſſe; nihilominus vera, certa, ac recepta in ſcholis ſententia eſt hodie, id fieri poſſe, non ſolùm à quolibet, verum etiam ab integra Communitate; ut rectè, ac ſanctè facit noſtra Societas Jeſu, in qua quilibet Socius renunciat juri, quod habet; ut ſua peccata priùs ſecretò corrigantur, antequam ad Superiorem deferantur; adeo ut deferens hunc ordinem non ſervans nullius culpæ reus exiſtat: ratio eſt, quia quilibet poteſt ob bonos fines majoris profectus ſpiritualis, ſubmiſſionis, & humilitatis propriæ, majoris inſuper ſecuritatis, ut à recidivitate eruatur, denique ob conſervandam integritatem communitatis ex ſe ipſo peccatum ſuum manifeſtare Superiori, & cum laude quidem; ergo ex conſenſu illius poterit hæc facultas aliis tribui cum eadem laude, itaut deferens ex bono fine eamdem laudem conſequatur. Inſuper quilibet poteſt ob fines bonos, & honeſtos detrimentum pati in fama, & honore; etiamſi ſuæ famæ, & honoris dominus non eſſet; ergo poterit renunciare juri quod habet, ut integra ſibi conſervetur fama in correctione. Confirmatur, quia cum hæc denunciatio, fieri ſoleat in Societate Superiori tamquam patri, non verò tamquam Judici, & ad majorem Spiritus profectum; inde eſt, quòd ex ea majora bona ſequantur, quàm ſi fieret correctio à quolibet alio privato; ut plurimùm enim dexterius, & amabilius, & cum majori ſpe fructus ſit correctio à patre, quàm à quolibet alio fratre, eſto majorem pudorem habeat filius, ſi à patre corrigatur, quàm à fratre. Quapropter jure merito non ſolùm à Paulo III., & Julio III. approbatum fuit Inſtitutum Societatis Jeſu; verum etiam ſpecialiter quoad hoc à Gregorio XIII. prohibente ſub pœna excommunicationis, nemini licere hanc noſtram Regulam de ceſſione Juris hujus, & manifeſtatione delicti directè, vel indirectè impugnare, aut contradicere quovis quæſito colore diſputandi, aut indagandæ Veritatis: & de facto damnavit libellum cujuſdam, qui hanc noſtram Regulam, & Conſtitutionem impugnabat. Vide Suarez *tom. 4. de Relig. lib.* 10. *num.* 1. *in fine*, & Turrianum 2. 2. *diſp.* 89. *dub.* 5. Hanc noſtram Sententiam docent Sanchez, Valentia; Torres, Suarez, Ribadeneira, Alphonſus, Coninch, Cantarelus, Sancius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Charit. diſp. 3. punct. 9. num.* 2.

Quæres 7.: an poſſit peccatum ſecretum deferri 23
Prælato omiſſa ſecreta correctione, quando ſperatur, quòd meliori modo correcturus ſit Prælatus? Reſp. certum eſſe, hoc fieri poſſe, quando delinquens ceſſit juri ſuo, ut ſuprans diximus. Solùm ergo controverſia eſt, ſi non fuerit facta hæc ceſsio. Et quamvis Adrianus, Sotus, Navarrus, Navarra, Petrus Ledeſma, Lorca penes Caſtropalaum *de Charit. diſput. 3. punct.* 10. *num.* 2. dixerit, id minimè fieri poſſe, etiamſi deferatur Prælato ut patri, tum quia læderetur fama delinquentis apud Prælatum; tum quia ægrè ferunt ſubditi crimen aperiri potiùs Prælato, quam aliis inferioris conditionis; tum denique quia ſi ſufficienter ſperetur emendationis fructus per correctionem hominis privati, cur recurrendum erit ad Superiorem. Sed oppoſita ſententia docens, id fieri poſſe, mihi probabilior videtur: ratio eſt, quia ſi medicina acerbior, quæ eſt valde utilis, optimè aptatur ægroto à prudenti Medico; quamvis non ſit valde neceſſaria; ita optimè, & prudenter poterit quis in ægritudine ſpirituali proximi uti acerbiore medicina: ſcilicet correctione per Prælatum, aut patrem facienda quæ magis utilis ſit, & efficacior; quamvis non ſit ſimpliciter neceſſaria. Sic expreſsè ex Div. Thoma Richardo, & aliis docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *capit.* 9. *&* 10. Caſtropalaus *loc. cit. num.* 3. Non nego tamen, hanc noſtram ſententiam magis valere pro Religioſis quàm pro Sæcularibus, qui ſunt ſui juris: commoda ſiquidem pro Religioſis non ſic de facili reſultant pro ſæcularibus; nam pro religioſis faciliùs removere poteſt occaſiones relabendi Prælatus, quàm ſubditus; inſuper pœnitentias, ac alia remedia aptare poterit Prælatus, quæ non poteſt ſubditus; denique faciliùs delinquens ſimulare poteſt emendationem alteri fratri, quàm Prælato. Vide citatum Suarez *capit. 9. numer.* 11., & Coninch 2. 2. *diſp.* 28. *dub.* 11. *numer.* 202. Nec obſtant argumenta in contrarium adducta, quæ ex noſtra ratione remanent ſoluta: magnum ſiquidem bonum provenit corrigendo, nec ejus fama remanet læſa penes Superiorem paternè admonentem, & corrigentem; qui ex notitia habita non poterit judicialiter procedere, ſed in foro paterno.

Quæres 8.: an ſi delinquens jam emendatus ſit, & 24
nullum adſit periculum relabendi; poſsit denunciari Prælato, etiam ut patri? Reſp. ſi certò moraliter conſtet, fratrem emendatum eſſe, neque haberi probabile periculum relapſus; non poſſe Prælato denunciari, etiam ut patri; non ſolùm ſi non ceſserit juri ſuo, verum etiam ſi illi ceſserit, ut eſt in noſtra Societate Jeſu, niſi conſentiret delinquens ſpecialiter; nam conſenſus ille generalis præſtitus per renunciationem ſui juris non extenditur ad hunc caſum: ratio eſt, quia finis intentus per correctionem eſt emendatio ipſius delinquentis; ergo ſi delinquens emendatus eſt, nec habetur probabile periculum relapſus; ceſſat motivum deferendi ad Prælatum ut patrem ob correctionem. Et quamvis videantur haberi poſse alii fines præter emendationem, ut ſunt ſpiritualis profectus ſubditorum, bonum commune religionis, humilitas, ac ſubmiſsio propria; nihilominus omnia hæc ordinantur ad emendationem, quæ ſi certò conſtat, ceſsabunt; ſunt etenim remedia quæ tunc adhiberi poterunt, quando cenſentur prodeſse; ergo ſi emendatio, cui ſoli prodeſse poterunt; jam habita eſt ſine probabili periculo relapſus; omnia ceſsare debent. Sic conſtat expreſsè ex Cong. Greg. VII. *Decr.* 14. *&* 15. *numer.* 2. ubi dicitur: Quando ob fines, & rationes allatas exiſtimat revelandum; tunc iis tantùm manifeſtare oportebit, qui remedio adhibendo prodeſse poterunt. Et *numer.* 5. dicitur: Licere Superiori ob prædictum finem ſecretò peragere quæcumque judicaverit expedire ad remedium, ergo ceſsante remedio ceſsare debent & alia, quæ ad remedium ordinantur, cum jam lucratus ſis fratrem tuum. Sic Sanchez *lib. 6. Decal. capit:* 18. *numer.* 49. *&* 60., & Caſtropalaus *de Charit. diſput. 3. punct.* 12. *numer.* 4. qui expreſsè loquuntur de Societate Jeſu. Sic etiam Adrianus, Sotus, Navarrus

Navarra, Navarrus, Aragonius, D. Thomas, D. Antoninus Sylveſter, Sà, relati à Caſtropalao *l. c. numerò* 2.; qui tamen loquuntur præſcindendo à ceſſione juris. Secus verò dicendum, ſi adſit probabile periculum relabendi; tunc enim denunciandus eſſet Prælato, ut præſervet: & in hoc conveniunt Doctores. Probabile autem periculum relapſus dicendum erit adeſſe, quando judicatur moraliter loquendo caſurus attentis occaſionibus, & circumſtantiis, niſi ab illis eruatur. De periculo verò remoto ob fragilitatem naturæ curandum non erit, eo quia commune eſt omnibus. In dubio an delinquens emendatus ſit; tunc ſi delictum vergit in damnum ipſius tantùm, & non ceſſerit juri ſuo; denunciandus non erit: eo quia infamatio eſſet certa, & ratio excuſans ab infamatione eſſet dubia. Si verò ceſſerit juri ſuo, denunciari poterit; quia ſaltem ſub dubio habetur finis cohoneſtandi actionem, quamvis ipſi Prælato aperienda foret dubia emendatio. Si tandem delictum vergit in damnum tertii, aut Communitatis; tunc ſive ceſſerit, ſive non juri ſuo; denunciandus erit: quia etiam damnum dubium Communitatis, vel tertii præponderant famæ alicujus delinquentis particularis; & ſic eſſe omnia peccata externa Religioſorum, docet ex Sanchez, & Suarez Caſtropalaus *de Charit. diſputat. 3. punct.* 12. *numer.* 6.

25 Quæres ultimo: Quæ nam poſſit præſtare Prælatus ex denunciatione ſibi facta, ut patri? Reſp. quamvis ex tali denunciatione procedere nequeat ad judicialiter agendum, ac delinquentem punire; non enim deferuntur ad illum delicta, ut judicet, & puniat; ſed ut ex paterno affectu corrigat, pertinet ſiquidem hæc denunciatio ad illum ſecundum correctionis gradum, quo à Chriſto domino mandatur adhiberi teſtes, ſi non audierit corrigentem ſecretò; & tunc deveniendum erit ad judicium, quando habendus erit ut ethnicus, ſeu ut excommunicatus; quod fieri nequit abſque judicio, & cognitione cauſæ, ut habet Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 33. *artic.* 7. *&* 8., Richardus, Adrianus, Gabriel, Sylveſter, Armilla, Antoninus, Soto, Lorca, Coninch, Suarez, Valentia, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Charit. diſp.* 3. *punct.* 11. *numero* 1. Poterit nihilominus 1. moderatas pœnitentias injungere delinquenti, quæ neque infamiam inducant, neque delictum manifeſtent, ſi grave ſit. Si delictum grave probari poſſit, poterit ad pœnitentiam ſecretam procedere, præſervativam tamen, & correctivam delicti, non verò punitivam. Sic Suarez *t.* 4. *de Relig. lib.* 19. *cap.* 12. *n.* 37. & colligitur ex *Cap. Si tantum* 6. *quæſt.* 2., *Cap. Placuit cod. tit. & Cap. Erubeſcant diſtin.* 32. 2. poterit ſubditum ab Officio removere, & loco; ſi id fieri poſſit abſque infamia. Sic ex Suarez, & Torres docet Caſtropalaus *de Charit. diſput.* 3. *punct.* 11. *numero* 3. conſonat *Cap. Qualiter & quando* 2. *de Accuſat.* ubi dicitur: Ordinem correctionis non eſſe ſemper cum perſonis religioſis ſervandum, quia faciliùs, & liberiùs poſſunt à ſuis Adminiſtratoribus removeri. Semper tamen in hoc maxima prudentia, & animadverſio neceſsaria erit, ne detur facilis aditus delatoribus cum falſis delationibus 3. poterit delictum illud dicere uni, vel aliquibus Conſultoribus; ſi hoc reputetur neceſsarium ad remedium adhibendum majori cum fructu, ac ſecuritate de non relabendo: cedunt enim hæc in majorem utilitatem ipſius delinquentis delati. Sic Torres 2. 2. *quæſt.* 33. *diſput.* 89. *dub.* 4.; *& Congreg. General. VI. Decr.* 62. An verò poſſit Superior immediatus, cui delatio facta eſt, Provinciali deferre illud idem delictum? Dicendum eſt, non poſſe abſque gravi culpa, & infamia ſubditi; ſi immediatus poſsit ex ſe ſubditum corrigere, & emendare: cum enim lucrari poſsit fratrem abſque manifeſtatione delicti, & ejus infamia; inde eſt quòd ſi Provinciali deferat; non ſervetur Ordo correctionis; Secus verò ſi non poterit ex ſe, ſed neceſsaria ſit paterna correctio Provincialis. Sic expreſsè Caſtropalaus *de Charit. diſput.* 3. *punct.* 11. *numer.* 7. ubi adducit Congr. Gener. VI. & VII. dicentes: ſine urgenti neceſsitate, & magna utilitate nemini eſſe crimen delati revelandum. 4. poterit deſignare ſubdito delato fidelem ſocium, qui ejus actiones exploret, ac Prælato deferat; ſpeccat ſiquidem ad Superiorem actiones ſubditorum explorare, cum ejus curæ commiſsi ſint, & de eis rationem reddere debeant. Sic ex Bannes, & Torres docet Caſtropalaus *loco citato numer.* 8. imò poterit eidem ſocio aliquam ſuſpicionem indicare de fratre ſibi commiſso; ſi tamen Superior poſt correctionem factam non remanſerit ſecurus de emendatione, adeoque diligentiorem vigilantiam neceſsariam reputet. 5. poterit, ſi ei conſtet moraliter delictum ſubditi per delationem teſtis oculati fide digni eum graviter reprehendere coram duobus, vel tribus ad majorem confuſionem, & commotionem; poterit inſuper jejunia, aut flagellationes imponere; minis eum terrere; ſub præcepto etiam cum excommunicatione ipſo facto incurrenda ei mandare, ne cum tali perſona ſuſpecta loquatur, aut talem locum ſuſpectum frequentet. Hæc enim omnia in ſuppoſitione adjecta nec excedunt paternam correctionem, nec inutilia ſunt ad majorem ſecuritatem non amplius relabendi in commiſsum delictum. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *capit.* 10. *numer.* 14. & Caſtropalaus *de Charit. diſput.* 3. *punct.* 11. *numer.* 10. 6. poterit, ſi delictum in damnum Communitatis vergat, aut tertii; & ſubditus illud deneget, nec emendationem promittat; præcipere delatori, ut omiſsa fraterna delatione, utatur Judiciali; & tenebitur delator obedire, niſi excuſetur à magno periculo ſibi imminente: ratio eſt, quia bonum commune, & bonum tertii innocentis prævalere debet bono particulari nocentis. Sic Suarez *loco citato cap.* 12. *numer.* 44., & Caſtropalaus *loco citato numer.* 11. Plura, quæ hic addi poſſent de Denunciatione Juridica, ſeu Judiciali, dicemus in Octavo Decalogi Præcepto.

CAPUT VII.

De Vitiis Charitati contrariis.

1 *Recenſentur Vitia Charitati oppoſita.*
2 *Quid ſit Odium, & Quotuplex?*
3 *Odium Dei graviſſimum peccatum, & ex genere ſuo maximum.*
4 *Adnotantur duo circa odium Dei.*
5 *Odium proximi ex ſe grave peccatum, quamvis poſſit eſſe leve ex levitate materiæ.*
6 *An odium Dei ſpecie differat ab odio Proximi?*
7 *An in odio proximi reperiri poſſint plures actus ſpecie diſtincti aperiendi in confeſſione?*
8 *An aliquando liceat velle malum prpximo?*
9 *An liceat appetere ob bonum temporale grave malum temporale proximo?*
10 *An odium proximi diſtinguatur ab Ira, & Indignatione?*
11 *Quid ſit Invidia?*
12 *Multipliciter quis dolere poteſt, & triſtari de bono alterius.*
13 *Quando dolor de bono alterius, & gaudium de malo illius ſpectat ad Invidiam?*
14 *Quid ſit Acedia?*
15 *Vltra Acediam ſpecialem oppoſitam Charitati datur Acedia generalis oppoſita aliis Virtutibus.*
16 *Quid ſit Diſcordia?*
17 *Quid Contentio?*
18 *Quid Schiſma?*
19 *Enumerantur aliqui Caſus, in quibus non committitur Schiſma.*
20 *Recenſentur alii, in quibus committitur.*
21 *Schiſma graviſsimum peccatum eſt ex genere ſuo.*
22 *Multipliciter quis Schiſmaticus eſſe poteſt.*
23 *Enumerantur pœnæ, quibus afficiuntur Schiſmatici; & prima eſt privatio Eccleſiaſticæ poteſtatis.*
24 *An ad incurrendam hanc pœnam requiratur, ut ſchiſmaticus ſit nominatim denunciatus, ut talis?*
25 *Secunda pœna eſt Excommunicatio ipſo facto incurrenda.*
26 *An Schiſmaticus non hæreticus comprehendatur ſub hac pœna?*
27 *An quomodolibet inobediens Pontifici incurrat hanc Excommunicationem?*

28 *An*

28 *An Fautores, Receptatores, & defensores Schismaticorum eam incurrant?*
19 3 *Pœna est Inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in futurum.*
30 *Quis possit in hac Inhabilitate dispensare?*
31 *An Schismaticus remaneat etiam privatus beneficiis ante schisma obtentis?*
32 *An Schismaticus incurrat Irregularitatem.*
33 *Aliæ pœnæ enumerantur, quibus Schismatici subjacent.*
34 *Enumerantur pœnæ, quibus subjacent recipientes scienter Ordines, vel Beneficia, aut dignitates à Schismatico.*

1 MULTA sunt peccata, quæ Charitati opponuntur directè, vel indirectè, aut consecutivè: sicuti plures sunt actus ab ipsa Charitate promanantes interni, vel externi. Nos solum hic pertractabimus de Odio Dei, & Proximi; de Invidia, Acedia, Discordia, Contentione, & Schismate; de Scandalo tamen, quod latiorem materiam habet; nobis sermo erit in subsequenti Capite.

2 Odium prout Charitati opponitur, est velle malum alicui, quà malum illius, est: & dupliciter accidere potest, 1. abominando personam tamquam contrariam, & desiderando, ut non sit; & dicitur odium personæ; & abominationis. 2. ex supradicta abominatione desiderare illi aliquod malum; & dicitur odium inimicitiæ. Utrumque ex his odiis explicatis versari potest contra Deum, & contra proximum. Contra Deum versatur, si ipse odio habeatur, non quia malus in se est; sed quia punit, & difficilia imperat, & consequenter odio habens illum, vellet quantum in se est, ut non esset, aut malum illi obveniret, cujus est incapax. Contra proximum versatur, si ob malum, quod in ipso est, aut apprehenditur in ipso, vel propter injurias, & damna illata; odio habeatur desiderando, quòd perimatur, aut aliud malum illi accidat.

3 Jam verò Odium Dei gravissimum esse peccatum, ac ex genere suo omnium maximum, constat, tum quia directè opponitur Charitati, quæ est virtutum omnium excellentissima; & sicuti actus Charitatis est omnium præstantissimus, sic odium Dei erit omnium peccatorum gravissimum; tum quia Odium Dei per se, ac directè avertit hominem à Summo bono, quod est Deus; reliqua verò peccata solùm consecutivè avertunt à Deo, quatenus feruntur in objectum ejus Divinæ voluntati contrarium, ob quod amicitia cum Deo dissolvitur; ut ex Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 34. *artic.* 2. docent Valentia, Malderus, Turrianus, Filliuccius, Toletus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charitat. quæst.* 4. *punct. ult.* §. 1. *numer.* 1. & Castropalaus *de Char. disp.* 4. *punct.* 1. *numer.* 3. Hinc fit 1. rectè in Scripturis damnari expressè Odium Dei ut patet ex illo *Numer.* 20. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui; & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* & *Psal.* 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam.* Fit 2. numquam Odium Dei posse esse veniale peccatum ob levitatem materiæ: ratio est, quia quodlibet odium Dei maximè repugnat ejus Summæ Bonitati; cum enim Deus in se summè bonus sit, & justissimè in suis actionibus procedat; inde est, quòd gravissima illi injuria fiat, si vel levissimum malum ipsi exoptetur. Nec adduci potest paritas ex odio proximi admittente levitatem materiæ, cum magnum intercedat discrimen inter Deum, & proximum. Sic ex Turriano, Layman & aliis docent Bonacina *loc. cit. numer.* 3. & Castropalaus *loco citato.*

4 Duo adnotanda sunt: Primum, quòd licèt Deus, ut summum bonum, & in quo nulla ratio mali elucet, odio haberi nequeat; nihilominus peccator, qui Deum odio habet, illum odit, quia sibi infestum per punitiones. Et quamvis in Deo nullum malum sit, nec possit esse; attamen potest malum causare peccatori: non enim ad odio habendum requiritur malum existens in persona, sed sufficit, quòd possit illud causare; cum ergo malum pœnæ possit Deus causare peccatori, inde est, quòd peccator ex sua perversa voluntate possit illum odio habere; & licèt actus voluntatis absolutè fieri nequeat per electionem in impossibile, fertur tamen per actum simplicem ipsius voluntatis, ut constat ex Aristotele 3. *Ethic. capit.* 2. Secundum, quòd adnotari debet, est, reperiri in omni peccato odium generale Dei consistens in aversione à Deo, quatenus scilicet peccator per electionem actus peccaminosi avertit se à Deo, & virtualiter vult illi malum per peccatum, & offensam ipsi factam; ac convertit se ad creaturas. Non verò reperiri in omni peccato odium speciale Dei à nobis explicatum, quod tantùm reperitur in peccatis odii Dei formalis ex diametro oppositi Charitati Dei: ut ex Cajetano, Lorca, Layman, & aliis adnotat Bonacina *de Char. quæst.* 4. *punct.* 1. §. 1. *num.* 5.

5 Odium proximi est etiam grave peccatum Charitati oppositum, nam sicuti virtute Charitatis præcipitur diligere Deum, sic etiam & proximum; adeoque prohibentur sub gravi actus oppositi Charitati Dei, & proximi. Meritò igitur *Levit.* 19. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Et 1. *Joann.* 2. *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est.* Ratio autem ulterior est, quia est inordinata voluntas velle malum creaturæ rationali, quà illi malum est. Non nego tamen, quòd aliquando possit esse leve peccatum ex levitate materiæ: ut si quis fine justa causa leviter averteretur à proximo, aut leve malum illi desideraret: non enim in hac displicentia personæ, aut pravo desiderio gravem injuriam proximo irrogaret; sicuti illam irrogaret Deo, cum Deus sit Summum Bonum, & mali incapax, proximus tamen non sic. Ita Toletus, Coninch, Sà, Torres, Reginaldus, Valentia, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charitate disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. §. 1. *numer.* 6. & Castropalaus *de Charitate disput.* 4. *punct.* 1. *numer.* 4.

6 Petes 1. an odium Dei specie differat ab odio proximi? Resp. affirmativè: ratio est, quia licèt utrumque opponatur eidem Virtuti Charitatis, diversimodè tamen opponitur, ac diversa perfectione privat; nam odium Dei directè opponitur divinæ Majestati, quam directè offendit, & privat amore Dei; odium verò proximi indirectè tantum opponitur divinæ Majestati, & privat amore proximi. Et quamvis peccata remotè diversificentur specificè à diversitate Virtutum specie diversarum, quibus opponuntur; immediatè tamen specificantur etiam à diversitate modi, quo eidem Virtuti opponuntur; & à diversitate perfectionum, quibus privant. Hinc sequitur, aperiendum esse in confessione, an odium fuerit contra Deum, an contra proximum. Sic Valentia 2. 2. *disputat.* 3. *quæstion.* 11. *punct.* 2. Cajetanus 2. 2. *quæst.* 34. *art.* 6. Bannes *ibidem dub.* 2. *concl.* 3. Turrianus 2. 2. *disputat.* 91. *dub.* 61. *in fine*, Bonacina *de Charitate disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct. ult.* §. 1. *numer.* 10. & Castropalaus *de Charitate disp.* 4. *punct.* 1. *num.* 5.

7 Petes 2. an in odio proximi reperiri possint plures actus specie distincti aperiendi in confessione? Resp. quamvis Cajetanus, Valentia, Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Charitate disputat.* 3. *quæst.* 4. *punct. ult.* §. 1. *num.* 10. doceant, diversitatem malorum gravium contra proximum desideratorum materialiter se habere in actu odii; cum ergo materialiter se habeat talis diversitas, aperienda non erit in confessione; sed sat erit dicere, tot mala gravia proximo desideravi, non aperiendo illa; omnia siquidem specificantur ab eodem objecto formali, quod est displicentia personæ. Nihilominus probabiliorem reputo oppositam sententiam sustinentem, plures dari posse actus odii proximi specie differentes inter se, & aperiendos esse cum suis objectis in confessione: ratio est, quia tum ex parte finis odio habendi; tum ex parte mali, quod proximo desideratur; specie differre possunt. Et quidem ex parte finis differunt, si proximus odio habeatur, quia est creatus ad Dei imaginem, & capax beatitudinis, uti dæmones odio habent homines; quod quidem odium ortum habet ex odio Dei; aut odio habeatur, quia aliquam intulit injuriam; quæ odia specie differunt inter se ex parte finis. Ex parte verò mali desiderati specie differre possunt, ut si quis proximo desideraret ob displicentiam illius æternam damnationem; aut desideraret ei amissionem bonorum temporalium, vel temporalis vitæ; utique hæc odia specie differrent inter se: nam si diversum peccatum est, velle inferre proximo malum in vita, à peccato volendi inferre malum in pecuniis; diversa pariter peccata erunt, velle mala proximo damnationis æternæ, & velle mala amissionis bonorum temporalium, aut vitæ. Odium siquidem inimicitiæ non specificatur tam-

tum ex aversione, & displicentia personæ; sed etiam ex malis, quæ ipsi desiderantur. Sic Suarez *de Charit. disputat. 6. section. 3. numer. 2.* Coninch *disp. 29. dub. 3. num. 61.* & Castropalaus *de Charit. disp. 4. punct. 1. num. 6.*

8 Petes 3. an liceat aliquando velle malum proximo? Resp. quamvis numquam liceat malum proximo exoptare, quà malum illi est; sic enim excusatio ab odio, & à peccato dari nequit; nihilominus licitum aliquando erit, malum proximo exoptare ex bono, & honesto motivo; vel quia malum illud in bonum ipsius proximi resultat, vel in bonum aliorum: ratio est, quia actus inefficaces specificantur, ac suam bonitatem, aut malitiam sumunt à motivo, quod si bonum erit, actus inefficax circa illud versans bonus erit; si verò malum, malus erit actus. Hinc fit 1. ex amore virtutis indignantem peccatores, quatenus tales sunt, non peccare peccato odii: cum ipse Deus quì est Summa Bonitas; odio habeat impium, & impietatem ejus, & S. David ajebat: *Psalm. 118. Iniquos odio habui, & Legem tuam dilexi.* Vide Toletum *lib. 4. cap. 11. in principio.* Fit 2. gaudentem, vel desiderantem ex zelo Justitiæ punitiones, aut mortes malefactorum à publica potestate infligendas, quatenus sunt pœnæ debitæ peccatis, & sunt actus Justitiæ Vindicativæ ad deterrendum alios à similibus facinoribus; non verò quatenus sunt mala ipsis delinquentibus; non peccare peccato odii in proximum; ut omnes fatentur cum Lessio *lib. 2. de Just. cap. 47. dub. 4. numer. 21.* Toleto *loc. cit.* Sancio *disp. 2. Select. num. 11.* & Castropalao *de Charit. disput. 4. punct. 1. num. 9.* Fit 3. gaudentem, vel desiderantem ex motivo Charitatis aliorum mortem peccatoris scandalosi, hæresiarchæ e. g. ne execranda sua peste hæresis alios inficiat; non peccare peccato odii. Idem dicendum de eo, qui tristatur, quòd dignitas aliqua collata fuerit indigno, qui ea abusurus erit in perniciem aliorum. Sic ex Toleto, Reginaldo, Azorio, Navarro, & Sà docet Bonacina *de Charit. disput. 3. quæst. 4. punct. ult. §. 1. numer. 7.* Fit 4. excusari à peccato odii, qui ob motivum Charitatis ipsius delinquentis gaudet de ejus infirmitate, vel amissione Status, pecuniarum, ut sic resipiscat ad salutem æternam, & à peccatis desistat: nam in tali casu majus bonum illi desideraret. Idem dicendum de desiderante mortem alicui peccatori, qui prævidetur non convertendus, sed additurus peccata peccatis, aliosque suo malo exemplo perversurus, & graviori damnatione puniendus; nisi quamprimum è vita decedat, poterit enim quis absque peccato non absolutè, sed actu inefficaci ejus mortem desiderare, ac subitam damnationem. Sic Reginaldus *lib. 17. num. 118.* Navarrus *cap. 15. numer. 10.* Bonacina *de Charit. loc. cit. numer. 7. versic. Tertio,* & Castropalaus *de Char. disp. 4. punct. 1. numer. 9.* Fit 5. non peccare illos, qui mortem exoptant filiis, consanguineis, aut aliis, illamque à Deo enixis precibus exoptant, si pervertendi erunt per peccatum: sic enim malum illis non cupiunt, sed potiùs bonum ex affectu erga ipsos. Nec valet dicere: non licet malum inferre ex bono motivo, ergo neque desiderare. Nam actus internus desiderii, de quo loquimur; est inefficax, & actus inefficax voluntatis suam honestatem sumit à motivo bono. Actus verò efficax sive internus, sive externus sumit suam honestatem, vel malitiam ab actu externo, & ab objecto, quod si malum erit, etiamsi addatur finis bonus, actus malus erit. Vide Reginaldum *loc. citat. numer. 120.* & Bonacinam *loc. citat. numer. 7. in fine.* Generaliter loquendo semper licitum erit affectu inefficaci velle alicui mala temporalia ex motivo boni spiritualis; cum semper bonum spirituale præferendum sit bono temporali; nec appetitus tali modo potest dici inordinatus, ut rectè advertit Castropalaus *loc. cit.*

9 Controversia tamen majoris momenti est: an liceat affectu inefficaci appetere, & desiderare ob bonum temporale appetenti obveniens aliquod grave malum temporale proximo, & consequenter de illo gaudere; aut de bono proximi tristari, quia impedit tristanti consecutionem alicujus boni temporalis, ut si quis mortem alicujus desideraret, ut in bonis illius, vel hæreditate succederet; aut ne gravaretur in eo sustentando, vel curando in gravi infirmitate. Idem esset, si mater mortem filiarum exoptaret, quia ob inopiam, vel deformitatem nequiret eas nuptui tradere; vel ob causam illarum malè tractaretur à marito. Denique idem esset, si quis vel sibi, aut proximo mortem desideraret inefficaciter ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, aut vitam pœnalem. Resp. in hac materia, extare prohibitionem factam ab Innocentio XI. damnante tres illas Propositiones 13. 14. & 15. Prima quarum asserebat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Secunda dicebat: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* Tertia ajebat: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Ratio damnandi fuit quia Charitas exigit, & obligat ad præferendam vitam proximi omni emolumento temporali, ac propriis divitiis; ergo licitum non erit ob emolumenta temporalia, aut similia motiva in ordine inferiori ad vitam appetere, aut desiderare, etiam affectu inefficaci, mortem proximo, vel sibimetipsi; cum potiori jure militet ratio allata pro se, quàm pro aliis: homo siquidem ex Charitate ordinata tenetur magis se ipsum diligere, quàm alium. Hinc est damnandas esse de mortali mulierculas, præsertim vetulas, quæ ob minimas res vociferantur, & mortem sibi, vel aliis exoptant: non enim licet, mortem sibi, vel aliis optare propter bonum levioris momenti. Sic Granado 2. 2. *controv. 3. tract. 6. disp. 2. sect. 4. num. 22.*

Nihilominus quamvis illicitum sit ad evitandum malum levissimum desiderare sibi, vel aliis mortem etiam inefficaciter tantùm; non tamen illicitum, præsertim graviter, id esse videtur, si fiat ad evitandum malum valde grave, puta morbum adeo dolorosum, longumve, videlicet calculi, podagræ; vel ad evitandam infamiam gravissimam, mendicitatem, vitamve aliis ex capitibus morte ipsa graviorem. Videndus est. Viva in explanatione harum trium Propositionum ab Innocentio XI. damnatarum suffragio Doctorum hoc comprobans *à num. 3.*

10 Petes 4. an odium proximi distinguatur ab ira, & indignatione? Resp. affirmativè, nam distinctas habent rationes formales, quas respiciunt. Odium siquidem proximi respicit malum alterius ex aversione, & displicentia personæ, & quà malum illi est, etiamsi odio habens nullam injuriam passus sit à tali persona. Ira verò respicit malum alterius, eo quia alter injuriam intulit, ac læsionem, quam vindicare cupit. Indignatio denique est dolor, quòd indigni bona temporalia habeant, & quod ipsis conferantur; quæ quidem ex genere suo non est grave peccatum, sicuti Ira, & appetitus vindictæ ob receptas injurias; poterit tamen Indignatio esse grave peccatum ex adjunctis circumstantiis. Utraque verò, Ira scilicet, & Indignatio si ex honesto fine habeatur, & modum non excedat; non erit peccatum, ut patet ex illo *Psalm. 4. Irascimini, & nolite peccare.* Sic ex Suarez, Toleto, Azorio, Valentia, Lessio, Coninch, docent Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. ult. §. 1. num. 8.* & Castropalaus *de Char. disp. 4. punct. 1. num. 8.*

11 Invidia est Tristitia inordinata de bono alterius, non quatenus bonum illius est, sed quia proprium bonum tristantis minuit: ut si quis tristaretur de doctrina, vel dignitate alterius, non quia bona illi; sed quia tristantis doctrina, aut dignitas minueretur. Vel est gaudium inordinatum de malo alterius, non quia illi malum, sed quia minuitur: ut si quis gauderet de amissione dignitatis alterius, non quia illi mala, sed quia minuitur in gaudente malum similis dignitatis amissæ. Sic ex Divo Thoma 2. 2. *quæstion. 36. articul. 1.* communiter habent Doctores. Dicitur inordinata Tristitia, quia si esset ordinata, non esset imputabilis ad culpam, cum ex bono fine procederet: quapropter non peccat peccato invidiæ, qui tristitiam sumit de bono alterius, non quatenus ille affectus est eo bono; sed quia ipse eo est destitutus. Sic pauperes carentes necessariis, dum cernunt alios divitiis affluentes; tristantur, non quia divites bona illa habeant, sed quia ipsi bonis careant ad sustentationem sui, & familiæ. Hinc est, talem tristitiam non esse inordinatam, & peccaminosam, dum

ad

ad bonum finem ordinatur. Similiter triſtitiam inordinatam ; & peccaminoſam non dicitur habere ille, qui videns alterum probum, & virtute ornatum, ipſe tamen ea probitate, & virtute careat ; & triſtatur, non quia alter probus eſt, ſed quia ipſe ea careat, quam vellet ; ordinata ſiquidem, & ſancta æmulatio tunc eſſet ; juxta illud Divi Pauli *1. ad Corinth.* 12. *Æmulamini Chariſmata meliora. Et Cap.* 14. *Sectamini Charitatem, æmulamini Spiritualia.* Vide Valentiam 2. 2. *diſputat.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 2. & Bonacinam *de Charitate diſputat.* 3. *quæſtion.* 4. *punct. ult. §.* 2. *numer.* 1.

12 Multipliciter dolere quis poteſt, & irritari de bono alterius, ac gaudere de malis illius; quamvis non ſemper invidere dicatur. Et 1. ſi doleat de bono, quia bonum alterius eſt ; aut gaudeat de malo, quia malum alterius eſt ; non committet peccatum *invidiæ*, ſed odii, cum talis dolor, & gaudium ad odium ſpectent. 2. ſi doleat, & triſtetur de bono alterius, ex quo per accidens ſequatur ipſi nocumentum aliquod ; non erit talis dolor peccatum *invidiæ* ; imò aliquando licitus erit, ſi nocumentum, quod timet, licitè avertat : nam non dolet de bono alterius, ſed potiùs de ſuo damno, quod licitè avertere poteſt. Sic ex Toleto docet Caſtropalaus *de Charitate diſputat.* 4. *punct.* 2. *numer.* 3. Tertiò ſi doleat de bono alterius, non quia in illo eſt, ſed quia ipſe eo careat, ut ſupra diximus ; & tunc non erit invidia, ſed æmulatio, quæ bona erit, ſi dolor ſit moderatus, & verſetur circa res proportionatas : ut ſi pauper videns divites doleat ſe non habere neceſſaria ſibi proportionata. Quòd ſi dolor ſit de rebus ſibi impròportionatis, ut ſi doleret, ſe non eſſe Regem, aut Principem ; erit veniale peccatum. Si denique dolor eſſet de rebus turpibus, & illicitis ; erit peccatum pro qualitate malitiæ rei, circa quam verſaretur dolor. Sic ex eodem Toleto aſſerit citatus Caſtropalans. 4 ſi doleat de bono alterius, quia illo indignus eſt ; & tunc erit Indignatio, ut diximus, non Invidia; quæ quidem Indignatio bona eſſe poteſt, ſi moderata ſit, & procedat ex bono fine : ut ſi quis indignaretur, & doleret, publica officia, & beneficia poſſideri ab indignis, ipſis indignè collata : hæc ſiquidem indignatio, & dolor non eſſet malus, cum malum non ſit triſtari de actione peccaminoſa, & mala ; ut eſſet indigna poſſeſſio talium beneficiorum, & officiorum. Eſſet tamen venialiter mala indignatio, ſi doleret, malos bonis fortunæ frui, ac divitiis abundare, præcisè quia mali ſunt : nam proximum eſſe malum, & peccatorem, non facit, quin juſtè bona fortunæ, & divitias poſſideat ; ergo non habetur juſta cauſa ad dolendum, & indignandum de hoc, eſſet enim opponi divinæ Providentiæ, quæ Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Aliud eſſet dolere, quòd peccatores divitiis affluant, ex quibus ſumunt occaſionem peccandi ; qui quidem actus ex affectu Charitatis procederet. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſtion.* 36. *artic.* 2. Cajetanus, Leſſius, Coninch, Suarez, Toletus, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Charitate diſputat.* 4. *punct.* 2. *numer.* 2.

13 Dolor igitur de bono alterius, & Gaudium de malo illius tunc ad Invidiam ſpectant, quando per ſe, & ratione ſui eliciuntur, quia bonum alterius minuit proprium bonum dolentis, & malum alterius minuit proprium malum gaudentis. Hæc Invidia ex genere ſuo conſiderata grave peccatum eſt, & unum ex Vitiis Capitalibus ; nam ex ea tamquam ex capite, & radice pullulant alia peccata, nempe Odium Proximi, Suſurratio, Detractio, Triſtitia in rebus proſperis proximi, & gaudium in ejus rebus adverſis. Et quamvis Lorca 2. 2. *quæſtion.* 36. *in addit. ad* 3. *artic.* docuerit, non eſſe grave peccatum, niſi aliqua circumſtantia mortali veſtiatur ; nihilominus communis ſententia docet, eſſe ex ſe, & ex genere ſuo grave peccatum, & per circumſtantias additas vel non plenæ advertentiæ, aut imperfectionis conſenſus, vel levitatis materiæ, ut evenit in pueris invidentibus de rebus levibus; poſſe eſſe veniale peccatum : ratio eſt, tum quia conſtat ex Divo Paulo *ad Roman.* 1. *Quòd plenos invidia tradidit Deus in reprobum ſenſum* ; tum quia eſt vitium Charitati contrarium, cum de bono proximi triſtetur, & de ejus malo gaudeat ; quod ex ſe, & genere ſuo grave quid videtur. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſtion.* 36. *artic.* 2. *&* 3. Valentia, Coninch, Navarrus, Reginaldus, Suarez, Torres, Bannez ; Becanus, Toletus, Layman, Filliuccius, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Charitate diſputat.* 3. *quæſtion.* 4. *punct. ult. §.* 2. *num.* 3. & Caſtropalaus *de Charit. diſput.* 3. *punct.* 2. *num.* 3.

Acedia eſt Triſtitia de bono ſpirituali divino, & 14
ex fine creationis nobis neceſſario ; ſic colligitur ex Divo Thoma 2. 2. *quæſt.* 35. *artic.* 2. *in corp. & artic.* 3. *ad* 2. Pro majori tamen claritate definitionis hujus ſciendum : homines creatos fuiſſe à Deo, ut ejus filii adoptivi ſint, ac beatitudinis capaces, & hæredes ; ad conſecutionem autem beatitudinis plura requiruntur, alia ut neceſſaria ſimpliciter, quæ videlicet præcipiuntur, vel prohibentur ſub gravi peccato ; alia ut neceſſaria ſecundum quid, quæ ſcilicet ſub levi culpa præcipiuntur, aut prohibentur ; alia denique ut convenientia, quia obſervantiam mandatorum promovent ; & hæc dici ſolent Conſilia. Jam verò ſi quis triſtetur, aut doleat, ſe creatum eſſe, ut ſit amicus Dei, ejuſque filius adoptivus ; adeoque teneatur mandata Dei ſervare, ſecus æterno ſupplicio addicendus erit; peccat peccato Acediæ ſpecialis, & graviſſimæ : ratio eſt, quia contemnit divinam Majeſtatem, & ab ejus amicitia, & filiatione refugit, ut locum det ſuis paſſionibus, ac voluptatibus. Quod quidem peccatum ex ſe, & ex genere ſuo mortale eſt, ut patet ex illo Divi Pauli 2. *ad Corinth.* 7. *Triſtitia ſæculi mortem operatur* : & ratio eſt, tum quia Charitati opponitur, illique contrariatur, nam Charitas gaudet de fine ſupernaturali neceſſario, Acedia verò triſtatur ; tum quia materia Acediæ graviſſima eſt, & in gravem Dei contemptum cedens, niſi ob indeliberationem, & defectum pleni conſenſus, aut ob alias circumſtantias levis evadat ; tum denique quia ex hac Acedia ſpeciali, quæ unum ex Vitiis Capitalibus eſt, omnia ferè vitia oriuntur; qui enim triſtatur de amicitia Dei, ejuſque beatitudine ob laborioſam conſecutionem, triſtatur de omnibus, quæ ad talem conſecutionem ſunt neceſſaria, adeoque de omnibus virtutibus ; & omnibus vitiis ſe tradit. Et primo oritur ex Acedia malitia, ſeu deteſtatio bonorum ſpiritualium in ſe : ut ſi quis vellet, non eſſe bona ſpiritualia, nec cognoviſſe Deum, non fuiſſe ad finem ſupernaturalem creatum ; quæ quidem graviſſima peccata ſunt, ac odium Dei, ejuſque divinorum beneficiorum important. 2. Rancor, ſeu odium eorum, qui ad ſpiritualia inducunt, & impellunt ; ita ut ſi malum, quod illis deſideretur grave ſit, grave peccatum erit ; ſi verò leve, leve erit peccatum. 3. Puſillanimitas, quia ardua ſunt bona ſpiritualia, aliàs non præcepta ; adeoque ab illis deſiſtit; & hæc Puſillanimitas non ſolet eſſe mortalis. 4. Torpor, ſeu Negligentia ſuæ ſalutis, & omiſſio bonorum ſpiritualium præceptorum ; & hæc ſolet eſſe mortalis. 5. Evagatio mentis ad alias res illicitas, quæ oblectare ſolent ; & hæc ſolet eſſe gravis, vel levis pro gravitate, aut levitate rerum, de quibus delectatur. Sequitur ad mentis evagationem defectus Attentionis debitæ rebus ſpiritualibus, de qua ſatis alibi tractatum eſt. 6. Deſperatio, de qua diximus in tractatu de Spe. Has ſex ſpeciales filias Acediæ numerant. Divus Gregorius *lib.* 31. *Moral. cap.* 31. & Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 35. *art.* 4. *&* 5. & ex his Doctoribus colligunt alii Doctores.

Ultra Acediam ſpecialem, quam diximus ; datur 15
Acedia Generalis, quæ per alia vitia vagatur ; nec opponitur Charitati, ſed aliis Virtutibus : ſic ſi quis triſtetur de jejunio præcepto ob ejus molèſtias ; talis Triſtitia, & Acedia Temperantiæ opponitur. Si verò triſtetur, & doleat de reſtitutione facienda ob affectum ad divitias ; talis Acedia opponitur Juſtitiæ. Si denique triſtetur de actibus ab aliis Virtutibus præceptis, erit Acedia illis oppoſita. Idem dicendum de Acedia Conſiliorum, ut ſi quis Religioſus triſtaretur de obligatione ſervandi Conſilia ſibi impoſita, & tendendi ad perfectionem juxta ſtatum aſſumptum ob moleſtias, & difficultates, quas experitur. Acedia tamen iſta Generalis, de qua loquimur, aliquando eſt grave peccatum ; aliquando leve, aliquando nullum. Grave peccatum erit, ſi Acedia ſit de actu Virtutis, qui ſub mortali præcipitur. Leve peccatum erit, ſi triſtitia, & acedia ſit de objecto, quod leviter præcipitur ; vel ſi graviter præceptum ſit, triſtitia tamen non ſit de objecto ſecundum ſe, ſed potiùs de circumſtantiis

ſtantiis Loci, & Temporis; ut ſi quis triſtaretur de tali die eſſe jejunium, non quia jejunium abſolutè noluit, ſed potiùs circumſtantiam talis diei; aut ſi triſtaretur de concione habenda tali loco, non quia abſolutè concionem nolit, ſed quia locum illum non vult. Sic ex Toleto, Reginaldo, Bonacina, & aliis docet Caſtropalaus *de Charit. diſp. 4. punct. 3. numer. 4.* Denique nullum peccatum erit, ſi acedia, & triſtitia ſit de Conſiliis: ut ſi quis doleret, ſe eſſe Sacerdotem, aut Religioſum; eo quia cum nulla ſit obligatio tales Status ſuſcipiendi, inde eſt, quòd nulla eſt obligatio vel gaudendi de eis ſuſceptis, aut non dolendi de illis ſuſceptis. Verùm abſtinendum eſt à tali dolore, cùm nimis periculoſus ſit, ac viam ſternens ad tales ſtatus deſerendos. Sic rectè docet ex Suarez, Coninch, Valentia, citatus Caſtropalaus in fine.

16 Diſcordia eſt inordinata diſſenſio voluntatis à voluntate proximi circa bonum, quod teneris velle ex Charitate: ut ſi proximus aliquod bonum velit, & quis ſine juſta, & rationabili cauſa velit, ipſum non obtinere talis boni conſecutionem. Quòd ſi non teneatur ex Charitate velle bonum, quod proximus intendit; nullum erit peccatum ab ejus voluntate diſcrepare: ſic contemnens conſilia amici in ordine ad ſuſcipiendum Statum religioſum, non peccat peccato diſcordiæ: nam non tenetur velle ex Charitate bonum, quod amicus intendit. Diſcordare tamen à voluntate alterius, quia mala eſt, ſemper erit bonum. Diſcordia intellectus ſi ſit de rebus fidei; erit hæreſis fidei contraria, non Charitati; ſi ſit de rebus opinabilibus, rarò erit peccatum, niſi ratione ſcandali, aut turbationis pacis communis. Diſcordia voluntatum circa bonum, quod ex Charitate teneris velle, grave peccatum eſt ex genere ſuo; tum quia Charitati opponitur, cujus eſt proprium voluntates unire, & ex pluribus unum quid efficere; è contra verò diſcordia dividit, & diſgregat; tum quia excludit à Regno Dei, ut ait Apoſtolus *ad Galatas* 5. tum denique quia Deus ſummè abominatur ſeminatores diſcordiarum inter fratres *ex Proverb. 6.* Non nego tamen poſſe eſſe leve peccatum ex defectu pleni conſenſus, aut deliberationis, & advertentiæ; vel ex levitate materiæ: ut ſi diſcordia eſſet de bono levis momenti. Sic ex Valentia, Coninch, Bonacina, & Suarez docet Caſtropalaus *de Charit. diſp. 4. punct. 4. num. 3.* Non nego inſuper, diſcordiam non ſemper opponi Charitati, ſed poſſe etiam opponi aliis virtutibus juxta obligationem non diſſentiendi ab alterius voluntate: ſic ſubditus diſſentiens à voluntate Superioris aliquid præcipientis non peccabit contra Charitatem, ſed contra virtutem illam, in qua res præcepta à Superiore conſtituitur. Sic Bonacina *de Charit. diſp. 3. quæſt. 4. punct. ult. §. 4. num. 3.*

17 Contentio quamvis Charitati opponatur ut Diſcordia, non eſt tamen idem cum diſcordia, ſed effectus illius; originem namque trahit ab ipſa. Definitur autem contentio: Concertatio quædam verborum cum proximo contra veritatem ad ipſam impugnandam. Sic ex Divo Thoma 2. 2. *quæſt. 38. art. 1. & 2.* colligunt Suarez, Becanus, Valentia, Coninch, Reginaldus, Layman, Filliuccius, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *loc. cit. nu. 4.* & Caſtropalaus *loc. cit. nu. 4.* Quapropter ad Contentionem, de qua agimus, requiritur ut altercatio fiat ad impugnandam veritatem, ac animo ei contradicendi: nam ſi fieret ad veritatem defendendam, aut eam indagandam, aut meliùs clarificandam, ut communiter evenit in concertationibus, & Diſputationibus; non eſſet vitioſa Contentio, de qua tractamus, imò potius virtuoſa, & laudabilis. Tripliciter autem quis veritatem oppugnare poterit per contentionem. 1. ſi veritatem clarè cognoſcat, & eam oppugnet; & tunc habebitur formaliſſima contentio. 2. ſi dubius ſit de veritate, & abſque prævio examine, an ſit verum, vel falſum, quod oppugnat; nihilominus de eo contendit: & tunc erit virtualis contentio. 3. ſi veritatem iniquo prætextu falſitatis impugnat, & ſic falſum perſuadere contendit, ut mos eſt hæreticorum. Qui triplex modus Contentionis grave peccatum eſt ex genere ſuo; tum quia Apoſtolus *ad Romanos* 1. inter gravia peccata eam enumerat; *Plenos invidia, homicidio, Contentione*; tum quia Charitati opponitur, cujus eſt animos conjungere, ac unire; & Contentio disjungit, ac dividit; tum denique quia grave detrimentum infert proximo, docere illum falſa, ac errores perſuadere. Poterit tamen ob inadvertentiam, & defectum pleni conſenſus, aut ob levitatem materiæ eſſe veniale peccatum, dummodo non ſit in rebus fidei. Sic ex Sanchez, Reginaldo, Layman, Turriano, & aliis docet Bonacina *de Charit. diſp. 3. quæſt. 4. punct. ult. §. 4. numer. 5.* Contentio non ita opponitur Charitati, ut non poſſit etiam aliis virtutibus opponi, ſicuti opponitur diſcordia. Nam oppugnatio veritatis in rebus fidei opponitur virtuti Fidei; oppugnatio veritatis contra Juſtitiam opponitur Juſtitiæ; oppugnatio veritatis Philoſophicæ erit contra virtutem veritatis. Advertendum tamen, oppugnationem veritatis, niſi ſit in rebus Fidei, aut contra Juſtitiam in re gravi; raro eſſe grave peccatum; nam rarò fit cum gravi detrimento proximi in aliis materiis, quod requiritur ad peccandum graviter. Sic ex Suarez, Valentia, Coninch, & Bonacina docet Caſtropalaus *de Charit. diſputat. 4. punct. 4. numer. 6.*

Schiſma, quod nihil aliud importat, niſi Sciſſionem, 18
vel diviſionem; hic accipitur pro diviſione ab Eccleſia univerſali, & ejus Capite. Cum enim Eccleſia una ſit, ac indiviſa conſtans ex fidelibus tamquam membris, & ex Chriſto, ejuſque Vicario tamquam Capite; inde eſt, quòd qui dividit ſe à corpore iſto Shiſma committit, & ut Schiſmaticus cenſendus erit. Definitur autem Schiſma: voluntaria, & pertinax Separatio, & ſubtractio ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis habentis Principem locum in ea. Sic communiter Doctores cum Divo Thoma 2. 2. *quæſt. 39. art. 1.*

Hinc fit 1. Recedentem, & ſubtrahentem ſe ab obe- 19
dientia alicujus Epiſcopi, & ejus Eccleſiæ particularis; non eſſe revera Schiſmaticum, ſi communicet cum aliis Eccleſiis, & Pontifice: nam non ſe ſubtrahit ab unitate Eccleſiæ univerſalis. Secus tamen eſſet, ſi res, in qua ſe ſubtrahit ab obedientia illius Epiſcopi, & Eccleſiæ particularis; communis foret cum Eccleſia univerſali; tunc ſchiſmaticus eſſet, quia implicitè ſe ſubtraheret ab obedientia Eccleſiæ univerſalis. Sic Valentia, Coninch, Lorca, Farinacius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Charit. diſp. 4. punct. 5. num. 6.* 2. ſubtrahentes ſe à dominio temporali Pontificis in aliqua Civitate ei ſubjecta, non recognoſcendo illum, ut dominum, & nolendo ejus mandatis obtemperare; non eſſe ſchiſmaticum: eo quia non ſubtrahit ſe à poteſtate Pontificis, quatenus Caput eſt univerſalis Eccleſiæ. Sic Ugolinus, Sanchez, Azor. & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Charit. diſp. 3. quæſt. 4. punct. ult. §. 5. num. 2. verſic. ſeptimo.* Idem dicendum de ſubtrahente ſe à mandato præſcripto à Summo Pontifice in genere morum, quod quidem mandatum exequi non vult, quia ſibi grave, vel incommodum; aut in odium, & vindictam illius; quamvis illum recognoſcat, ut Caput univerſalis Eccleſiæ: ratio eſt, quia ſecus omnis tranſgreſſor mandatorum divinorum, & Eccleſiaſticorum eſſet Schiſmaticus: ſic Divus Thomas 2. 2. *quæſt. 39. art. 1.* Cajetanus, Bannez, Valentia, Sanchez, Coninch, Farinacius, Azor. Reginaldus, Alterius, Duardus, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *loc. cit. num. 2. verſic. Quinto, & ſexto*, & Caſtropalaus *loc. cit. num. 7. 3.* ſubtrahentem ſe ab obedientia Summi Pontificis, quem probabiliter, ac rationabiliter putat, non eſſe legitimum Pontificem; non cenſendum eſſe ſchiſmaticum: ratio eſt, quia tunc non peccat non præſtando ei obedientiam, cum non teneatur ſubditus Superiori obedire, niſi priùs moraliter certus ſit de ejus prælatione, & Superioritate. Imò in caſu adjecto ſi ſe ſubjiceret dubio Pontifici, foveret ſchiſma; & Eccleſia non teneretur acceptare, nec obedire, & recognoſcere ut Pontificem illum, de cujus Canonica electione non ſatis conſtat; nec ipſe poterit Pontificium munus exercere, & tenetur juri illi dubio cedere, ut Eccleſia provideat, caret enim illo, ſi cum dubio habet. Sic ex Cajetano, Coninch, Valentia, Alterio, Sanchez, Azorio, Ugolino docent Bonacina *loc. cit. verſic. Octavo*, & Caſtropalaus *loc. cit. numer. 9. 4.* Religioſum, aut Civem ſubtrahentes ſe ab obedientia ſui Prælati, aut Principis non eſſe ſchiſmaticos; non enim ſe ſubtrahunt ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, aut ejus Capitis. Sic ex Reginaldo, & Sanchez docet Bonacina *loc. citat. numer. 2. 5.* graviter peccantem non eſſe ſchiſmaticum, quia licèt per peccatum mortale ſeparetur ab unione Charitatis, quam inter ſe habent Chriſti fideles; non tamen ſeparatur

tur ab obedientia Ecclesiæ, & ejus Capitis. Idem dicendum de excommunicato, qui licèt arceatur à communicatione cum fidelibus; id tamen fit ab Ecclesia in pœnam ejus commissi criminis; non quòd ipse intendat se separare ab obedientia Ecclesiæ, & ejus Capitis. Sic Reginaldus, Alterius, Farinacius, Antonius de Sousa, quos referunt, & sequuntur Bonacina *loc. cit. versic. Tertio, & Quarto*; & Castropalaus *loc. cit. num.* 10.

20 E contra tamen schismaticus dicendus erit 1. subtrahens se ab obedientia Summi Pontificis canonicè electi, & adhærens alteri non canonicè electo. Aut si duo fuerint electi, & non constet, quisnam illorum fuerit legitimè electus; & recedat ab utroque per actum positivum; tunc schismaticus erit: nam quamvis non possit uni eorum tamquam certo Pontifici adhærere, cum dubium non sit pro certo habendum; nihilominus utrumque debet habere tamquam dubium Dei Vicarium in Terris, donec à Generali Concilio decernatur, quisnam eorum sit legitimus Pontifex, cum non possit congruentior modus ex visibilibus assignari; itaut definitione facta à Concilio schismaticus erit, qui ei stare noluerit, ac pœnis schismaticorum subjicitur. Sic Cajetanus, Sayrus, Reginaldus, Duardus, Alterius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Charitate disputat. 3. quastion. 4. punct. ult. §. 5. numer. 2. versic.* secus dicendum. 2. Schismaticus erit, qui alios revocat à subjectione Summi Pontificis, qui talis est; nec vult communicare cum subditis Pontificis, eo quia ejus subditi sunt, quia talis est: nam & clarè constat, intentionem habere subtrahendi se ab obedientia Summi Pontificis; & factis comprobat reum esse schismatis. Sic ex Reginaldo, *Sousa*, & aliis docet citatus Bonacina *versic. Nono*. 3. Schismaticus etit, qui contempto Summo Pontifice se gerit, ut Papam, & ut Ecclesiæ Caput, cum non fuerit Canonicè electus; aut intendit congregare Generales Synodos, vel de facto congregat: nam & subtrahit se ab Obedientia Summi Pontificis; & ponit ea, ex quibus sequitur divisio à Capite. Sic Cajetanus, Valentia, Sanchez, Bannez, Duardus, Reginaldus, Ugolinus, Suarez, quos refert, & sequitur citatus Bonacina *vers. Undecimo*. 4. Schismaticus censendus erit, qui licèt faciat actiones quasdam spirituales, ut Orationem, Eleemosynam, jejunium &c. intendat tamen ea opera facere, ut sejunctus ab Ecclesia universali, & ejus Capite, non verò ut pars illius, imò ut quoddam totum ab Ecclesia segregatum; nam sic separaret se ab Ecclesia universali, & ejus Capite; cum aliunde membra cum capite coalescere debeant. Sic ex Valentia, & Sanchez habet citatus Bonacina *versic. Undecimo*.

21 Schisma esse gravissimum peccatum ex genere suo, satis constat ex eo, quòd Charitati opponitur; & scindit, quantum est ex parte sua unitatem Ecclesiæ, quam Charitas constituit; denique quia gravissimis punitur pœnis, quæ omnia aperte declarant ejus gravitatem. Et quamvis possit fieri leve peccatum ex imperfecta advertentia, & deliberatione ex regulis generalibus de peccatis; nequit tamen fieri tale ex levitate materiæ: ratio est, quia magna est inordinatio etiam in re levi separare se ab universali Ecclesia, & ejus Capite, in quo formaliter consistit schisma; ergo semper grave peccatum erit; sicuti semper grave peccatum est hæresis, & blasphemia. Sic Valentia, Sanchez, Cajetanus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charit. disputat. 3. quast. 4. punct. ult. §. 5. numer. 4.* & Castropalaus *de Charit. disputat. 4. punct. 5. numer. 5.*

22 Multipliciter quis schismaticus esse potest, & ab unitate Ecclesiæ se separare. 1. si fidem deserat, quæ unica in Ecclesia est; adeoque non solùm hæreticus, sed etiam schismaticus censendus erit, cum præcipuam unitatem Ecclesiæ deserat, quæ ab unitate fidei desumitur. 2. si fidem non deserat, sed ab unitate Ecclesiæ se separet, quam omnes Christi fideles inter se habent, & cum suo Capite in ordine ad Sacramenta, Cultum Divinum, & subordinationem ad suum Caput: ut si quis omitteret usum Sacramentorum, contemneret Religiosum Cultum, nec vellet se subjicere Christi Vicario, tamquam vero Capiti Visibilis Ecclesiæ; utique non communicaret cum reliquis fidelibus, imò ab eorum communicatione se separaret; adeòque schismaticus esset, si non verbis, saltem factis: & utraque rebellio verbis, aut factis in Ecclesiam, vel Pontificem est schisma formale. Sic Divus Thomas 2. 2. *quastion. 39. artic.* 1. Cajetanus, Valentia, Suarez, Coninch, Sanchez, Bonacina, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disputat. 4. punct. 5. numer. 2.* Tertiò si directè se dividat ab unitate Ecclesiæ, hoc est expressè, & formaliter intendendo non recognoscere Pontificem, ut superiorem. 4. si indirectè se dividat, hoc est factis ostendendo non recognoscere Pontificem, ut superiorem, etiamsi interiùs recognoscat: sic in Anglia multi recognoscunt signis aliquibus Regem Angliæ Vicarium Christi in spiritualibus, quamvis interiùs denegent; erunt tamen schismatici, quamvis non hæretici; nam schisma in ipso opere externo consistere potest: ut ex Sanchez, Duardo, Suarez, Alterio, Farinacio, & aliis docent Bonacina *de Charit. disp. 3. qu. 4. punct. ult. §. 5. numer. 9. versic. Hinc patet*, & Castropalaus *de Charit. disputat. 4. punct. 5. numer. 3.* Adnotandum tamen: quòd tam directa, quàm indirecta divisio ab Ecclesia, & ejus Capite potest esse sine hæresi, schisma siquidem sine hæresi stare potest: ut si quis recognoscens unitatem Ecclesiæ, & Prælationem Pontificis, nollet tamen sua malitia se illis subjici, & cum reliquis membris communicare. Et potest esse mixta hæresi: ut si quis subtrahens se ab unitate Ecclesiæ. & ab obedientia ejus Capitis negaret unitatem Ecclesiæ, & Prælationem Pontificis in ea. Hinc fit, quòd licèt schisma per se loquendo solam malitiam contra Charitatem contineat, quatenus tamen error intellectus cum pertinacia ei additur, aut contemptus formalis, & specialis; continet pariter malitiam hæresis, aut specialis inobedientiæ, quæ aperiendæ erunt in confessione; ut ex Reginaldo, Sayro, Turriano, Lorca, Duardo, Alterio, Sanchez, & ex Divo Thoma 2. 2. *quast. 39. artic. 1. ad 3.* docet Bonacina *loc. cit. numer. 5. addens numer. 6.* habentem facultatem absolvendi à Casibus Bullæ Cœnæ posse etiam Schismaticos absolvere, quamvis specialis expressio non fiat absolvendi illos.

Pœnæ, quibus Schismatici afficiuntur; multæ sunt, 23
quas enumerabimus. 1. igitur Pœna est Privatio Ecclesiasticæ potestatis. Potestas autem Ecclesiastica alia est Ordinis, alia Jurisdictionis. Potestas Ordinis fundatur in Charactere spirituali indelebiliter impresso in anima; adeoque licèt Schismaticus privari nequeat hac potestate Ordinis, quia privari nequit charactere indelebiliter impresso, ut patet *ex Cap. Ordinationes 9. quast.* 1. attamen privari poterit ejus usu, & exercitio; non enim licitum est Schismatico talem potestatem exercere, dum perseverat in Schismate. Sic ex Divo Thoma 2. 2. *quast. 39. artic.* 5. docent Bannez, Duardus, Suarez, Azor. Valentia, Turrecremata, Farinacius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Charit. disputat. 3. quast. 4. punct. ult. §. 5. numer. 7.* & Castropalaus *de Charit. disputat. 4. punct. 6. numer.* 1. Potestas verò Jurisdictionis consistens in eo, quòd absolvere, excommunicare, indulgentias, beneficia, & similia conferre possit; omnino interdicitur Schismatico, qui ipso jure ea privatus est; cum non sit dignus potestate Ecclesiæ frui, qui pertinaciter ab ea se separat: quapropter hæc, & similia alia, quæ jurisdictionem sapiunt, invalida sunt, si à Schismatico proveniant, nisi aliunde validentur ab errore communi, & titulo præsumpto. Sic *ex Cap. 1. de Schismaticis, ex Cap. Novatianus 7. quastion. 1. Cap. Didicimus 24. quastion.* 1. docent Divus Thomas *loc. cit.* Valentia, Azor. Dacianus, Farinacius, quos referunt, & sequuntur Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*.

Controvertitur tamen acriter inter Doctores: an 24
ad incurrendam hanc pœnam requiratur, ut Schismaticus sit nominatim denunciatus talis? Et quamvis Divus Thomas, Turrecremata, Castro, Azor. quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disputat. 4. punct. 6. numer. 3.* docuerint, quemlibet Schismaticum, etiam occultum ipso jure Jurisdictionis potestate privari, quia indignus est jurisdictione Ecclesiastica, qui occultus exterior Schismaticus est, & ab unitate Ecclesiæ, & subordinatione ad caput illius se subtrahit: accedit, quòd Capita superiùs citata statuant expressè, hanc pœnam privationis ipso jure incurri. Nihilominus quia saltem requirunt sententiam declaratoriam Judicis ad hanc pœnam incurrendam; ideò

mihi arridet sententia Bonacinæ *de Charit. disputat. 3. quæst. 4. pun. ult. §. 1. nu.* 8. docentis: post Concilium Constantiense, cujus Constitutio refertur à Toleto *lib. 1. cap. 13. numer. 2.* probabilius esse, nullum esse vitandum ex vi prohibitionis Ecclesiasticæ; nisi fuerit notorius Clerici percussor, aut nisi nominatim denunciatus fuerit reus perpetrati delicti, cui adnexa sit privatio Communionis. Citat pro hac sententia Duardum, Azorium, Alterium, Bellarminum, & Filliuccium. Sed ut verum fatear, parùm inter se discrepant relatæ sententiæ.

25 Secunda pœna est excommunicatio ipso facto incurrenda, ut constat ex Bulla Cœnæ Domini, *Excomm. 1. sub finem*; ubi dicitur: Excommunicamus, & anathematizamus Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Sed

26 Petes 1. An etiam Schismaticus non hæreticus comprehendatur sub hac pœna? Resp. affirmative: nam in prædicta Bulla excommunicantur ipso Jure Schismatici, & nomine Schismaticorum non solùm veniunt, qui hæretici sunt; verum etiam qui delictum Schismatis committunt absque hæresi. Non nego tamen requiri, quòd suspicionem habeant hæresis, ut rectè ex Azorio, Valentia, Sanchez, Suarez, Bonacina docet Castropalaus *de Charit. disputat. 4. punct. 6. numer. 5.* Imò hoc discrimen habetur inter excommunicationem latam contra hæresim, & latam contra Schisma; illa namque non contrahitur absque errore mentis cum pertinacia, cum nullus sit hæreticus, nisi aliquid in mente sentiat contra Fidem; ista verò contrahitur solo opere exterioti absque mentis errore; Schismatis siquidem delictum sufficienter in sua specie completur per actum exteriorem, etiamsi non habeatur intentio subtrahendi se ab obedientia Ecclesiæ, vel ejus Capitis.

27 Petes 2. an quomodolibet inobediens Summo Pontifici incurrat hanc excommunicationem? Resp. negativè, sed solùm qui inobedit schismaticè, seu inobedit illi, quà Papa est, & Caput Visibilis Ecclesiæ. Et quamvis in prædicta excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini ultra Schismaticos nominentur illi, qui pertinaciter se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis; nihilominus ea verba apposita fuere majoris claritatis gratia, & ad specialem terrorem incutiendum: ut ex Azorio, Suarez, Ugolino, Sanchez, Alterio, Duardo docent contra Farinacium, Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. ult. §. 5. numer. 9.* & Castropalaus *de Charit. disp. 4. punct. 6. numer. 6.* Hinc fit, quòd subtrahens se ab obedientia Summi Pontificis, quà Princeps Temporalis est; vel quia ejus præcepta ardua videntur, & difficilia; vel quia privato affectu pravo contrarius est ejus personæ, quam ut Caput Ecclesiæ recognoscit; non incurrit hanc excommunicationem.

28 Petes 3. an hac excommunicatione ligentur Fautores, Receptatores, & defensores schismaticorum? & ratio dubitandi est, quia excommunicantur Fautores, Receptatores, & Defensores hæreticorum, & æqualiter videtur discurrendum de Faventibus Schismaticis. Resp. negativè: ratio est, quia non exprimuntur Fautores, Receptatores, & Defensores Schismaticorum, ut exprimuntur illi hæreticorum; & in odiosis non debet fieri extensio ultra proprietatem verborum. Sic & Suarez, Sanchez, Alterio, Sausa. Duardo, docet Bonacina *de Char. quæst. 4. pun. ult. §. 5. num. 9. versic. Oserva quarto*. Addit tamen ligari excommunicatione contenta in Constitutione Pauli IV. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus Officio*, ubi etiam aliis pœnis afficiuntur Schismaticorum Fautores. Quæ quidem excommunicatio cum non sit reservata Jure Communi, inde est, quòd queat absolvi à quolibet Confessario approbato.

29 Tertia pœna est Inhabilitas ad consequendum beneficia Ecclesiastica in futurum, ut statuitur *in Cap. Quia diligentia de Elect.* Sed dubitabis 1. an tollatur hæc inhabilitas per pœnitentiam Schismatis, & per reconciliationem cum Ecclesia? Resp. negativè, nam requiritur ulterius dispensatio Summi Pontificis: ratio est, quia sicuti inhabilitas ista inducta fuit per auctoritatem Summi Pontificis, ita per ejus auctoritatem, & dispensationem auferri debet; pœnitentia siquidem schismatis, & reconciliatio cum Ecclesia non tollunt inhabilitatem, ut patet ex præcit. *Capite Quia diligentia*: ubi expressè Glossa ait; Episcopum electum fuisse abjurato schismate, & nihilominus indiguisse dispensatione Pontificis, ergo clarè constat, quod post factam abjurationem remanserit inhabilis. Sic Azor. Sanchez, Bonacina, Pegna, Suarez, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp. 4. pun. 6. num.* 12.

Dubitabis 2. Quis possit in hac Inhabilitate dispensare? Resp. solum Pontificem dispensare posse, aut vices ipsius gerentem: ratio est, quia ejus est solvere, cujus fuit ligare; ergo si Pontifex ligavit, ipse solvere poterit. Non nego tamen, quòd si crimen schismatis occultum sit, poterit schismaticus ad unitatem Ecclesiæ se reducens reddi habilis ab Episcopo; concessit siquidem *Tridentinum session. 24. capit. 6.* Episcopis facultatem ad dispensandum in quacumque inhabilitate ad beneficia proveniente ex delicto occulto. Sic Sanchez *in Decal. libr. 2. capit. 36. numer.* 18. Bonacina *de Charitate disputat. 3. question. 4. pun. ult. §. 5. numer.* 10. & Castropalaus *de Charitate disputat. 4. pun. 6. num.* 13. referens Garziam, & Farinacium. Imò probabile reputat ex Garzia Castropalaus *loc. cit. num.* 14. schismaticum occultum jam unitati Ecclesiæ reconciliatum non indigere dispensatione quoad inhabilitatem; eo quia pœna ista inhabilitatis videtur imposita schismatico publico, & manifesto, ut erat Episcopus relatus *in Capit. Quia Diligentia de Elect. non verò occulto*. 30

Dubitabis 3. An etiam remaneat privatus ad schisma beneficiis ante schisma obtentis? Resp. quamvis Rebuffus, Parisius, & Farinaccius eos sequens *Quæst.* 184. *num.* 42. docuerint, privatum remanere beneficiis ante schisma obtentis; nihilominus oppositam sententiam probabiliorem reputo, dummodo tamen schisma non habeat adnexum crimen hæresis; ratio est, quia nullo jure constat, impositam fuisse hanc pœnam, & pœnæ restringendæ magis, quàm dilatandæ. Nec *Caput Quia diligentia cit.* loquitur de beneficiis habitis, sed habendis; & *Caput, Nos consuetudinem dist.* 12. loquitur de Hæreticis. Sic Garzia 11. *part. de Benefic. cap.* 10. *num.* 151. Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 36. num.* 19. Bonacina *de Charit. disp. 3. quæst. 4. punct. ult. §. 5. num.* 11. & Castropalaus *de Charit. disp. 4. punct. 6. num.* 15. 31

Dubitabis 4. an Schismaticus incurrat Irregularitatem? Resp. non defuisse Authores, qui docuerint illam incurrere: verùm quia in Jure non exprimitur talis Irregularitas, dicendum est, eam non incurrere. Irregularitas siquidem non incurritur, nisi in Casibus à Jure expressis. Sic Suarez *de Cens. disp. 43. sect. 2. num.* 7. Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 36. num.* 10. Bonacina *de Charit. disp. 3. quæst. 4. punct. ult. §. 5. num.* 12. Sayrus *de Cens. lib. 7. cap. 12. num.* 16. & Castropalaus *de Charit. disput. 4. punct. 6. numer.* 16. Adnotant tamen, quòd si schisma sit notorium, durante illo erit Schismaticus irregularis irregularitate generali, quam secum affert quodlibet crimen notorium depositione dignum; abolebitur verò talis irregularitas per pœnitentiam. 32

Aliæ pœnæ à Schismaticis contrahuntur, inter quas est suspicio hæresis, & quidem vehemens: nam licèt dari possit schisma absque errore intellectus; id tamen rarò contingere solet, adeoque omnis Schismaticus non solùm tenetur abjurare schisma, verùm etiam ipsam suspicionem hæresis. Sic ex Pegna, Ugolino, Farinacio, & Menochio docet Castropalaus *do Charit. disp. 4. punct. 6. num. 19.* Subjecti insuper erunt Schismatici Judici Ecclesiastico, qui pro qualitate criminis eos punire poterit pœna pecuniaria, exilio, carcere, triremibus; & si pertinaces sint, remittere, & relaxare poterit brachio sæculari. Sic idem Castropalaus *l. c. num.* 20. ex Farinacio, & Valentia. 33

Pœnæ autem, quibus subjacent, recipientes scienter Ordines à Schismatico, vel beneficia, aut dignitates; istæ enumerantur, quòd videlicet incurrant suspensionem ab usu prædictorum Ordinum, ut statuitur *in Cap. 1. & 2. de Schism. & Cap. Ordinationes 9. quæst. 1.* Et quamvis ibi dicatur, irritari tales collationes Ordinum, nihilominus intelligendum erit, non quoad substantiam, quæ semel collata teneat; sed quoad usum: ut ex Duardo, Suarez, & Sanchez advertit Bonacina *de Charit. quæst. 4. punct. ult. §. 5. num.* 13. Irritatur quoque Collatio beneficiorum, & dignitatum facta à Schismatico; adeoque privandus erit illis beneficiis, & dignitatibus, qui ea à Schismatico receperit *ex Cap. 1. de Schism.* Ad has pœnas tamen incurrendas requiritur, quòd Schismaticus conferens sit notoriè talis, ac denunciatus: nam post Concilium Constantiense non est vitandus Schismaticus, nisi denunciatus sit talis, nec 34

caret

caret potestate Jurisdictionis. Requiritur quoque, ut scienter Ordines, Beneficia, aut Dignitates à Schismaticis recipiantur; nam non sufficit ignoranter recipere. Sic ex Azorio, Bonacina, & aliis docet Castropalaus *de Charit. disp. 4. punct. 6. num.* 18.

CAPUT VIII.

De Scandalo.

1 *Quid sit Scandalum, & Quotuplex?*
2 *Tripliciter intendi potest Ruina proximi.*
3 *Scandalum indirectè volitum non habetur, nisi succedat spiritualis ruina proximi; secus verò scandalum directè volitum, & intentum.*
4 *Aliquando excusantur aliqui à peccato scandali, etiamsi peccent coram aliis,*
5 *An non solùm graviter peccet, qui dat proximo occasionem ruinæ spiritualis mortalis; sed etiam venialis?*
6 *An inducens proximum ad peccandum & intendit ejus ruinam spiritualem peccet duplici peccato?*
7 *An inducens proximum ad peccatum non intendens ejus ruinam; nec consummans peccatum cum illo, fiat reus peccati à proximo commissi?*
8 *An ultra peccatum, quo peccat inducendo; peccet peccato speciali scandali?*
9 *An peccet peccato scandali publicè peccans, quamvis nesciat, quisnam movendus sit ad ruinam ex suo pravo exemplo?*
10 *An offerens proximo occasionem peccandi, semper dicatur causa scandali activi?*
11 *An vendens, & subministrans indifferentia absque justa causa, si proximus sumat ex eis occasionem peccandi; dicatur causa scandali?*
12 *An permittere peccatum alterius non auferendo occasionem, quæ tolli poterat; sit peccatum scandali?*
13 *An mulieres se ornantes, & conspectui Virorum se præbentes; peccent peccato scandali?*
14 *An peccet peccato scandali petens, vel faciens aliquid proximo parato ad peccandum, etiamsi ipse non peteret, nec faceret?*
15 *An filii, famuli, & servi possint ministrare suis Parentibus, Heris, & Dominis in peccatis eorum absque peccato scandali?*
16 *An locantes, vel vendentes domos Meretricibus, & Usurariis peccent peccato scandali?*
17 *An pingentes concubinam Amasio, vel Amasium concubinæ; aut imagines obscænas ad preces petentium; vel idolum infideli; peccent peccato scandali?*
18 *An caupones vendentes vinum probabiliter inebriandis; vel cibos vetitos probabiliter violaturis præceptum; peccent peccato scandali?*
19 *An sine peccato scandali possint ministrari munera concubinæ Judicis ob favorem in ferenda sententia justa?*
20 *An excusentur à peccato fideles captivi remigantes, vel inservientes in bello Turcis.*
21 *An omittendum opus Consilii, vel Præcepti ad evitandum scandalum proximi?*
22 *An sit obligatio faciendi jacturam bonorum temporalium, ne proximus peccet?*

1 AD completam Charitatis tractationem remanet de scandalo peragendum, opponitur enim Charitati; & multùm necessaria est ejus tractatio ad humanas actiones regulandas. Dici solet scandalum peccatum occasionatum, & est duplex, Activum unum, Passivum aliud. Activum, quod propriè est scandalum, definiri solet: est dictum, vel factum, aut omissio minùs recta præbens alteri occasionem ruinæ Spiritualis: sic ex Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 1. Requiritur ergo ad scandalum activum, & quidem de necesse, quod opus scandalizans sit minus rectum, videlicet malum in se, vel speciem mali habens; nam si in se malum non esset, nec speciem mali præseferret, non censeretur præbere occasionem ruinæ alteri, esto alter eam sibi acciperet, ut accipiebant Pharisæi ex operibus Christi Domini, & Apostolorum. Passivum est ipsa ruina spiritualis; seu peccatum proximi ex occasione dicti, aut facti, vel omissionis alterius. Dividitur scandalum Passivum in Datum, seu Pusillorum; & in Acceptum, seu Pharisæorum. Datum dicitur illud, quod oritur ex activo, seu ex verbis, factis, aut omissionibus minùs rectis. Acceptum verò, quod non oritur ex activo, sed ex malitia ipsius sumentis; ut diximus fuisse scandalum Pharisæorum ex verbis, factis, aut omissionibus aliàs licitis Christi, & suorum Apostolorum; & sic etiam esset, si quis ex ornatu licito, & honesto mulieris sumeret peccandi occasionem: Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 1. Sanchez, Vasquez, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccat. disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. §. *Unic. num.* 3.

2 Tripliciter ruina proximi intendi potest, & 1. intendendo directè illam, quatenus ruina proximi est, & hoc modo solent dœmones intendere ruinas, & casus hominum. 2. intendendo directè illam non ex affectu, ut proximus ruat, sed quia talis ruina utilis est intendenti illam, vel alteri. 3. intendendo indirectè proximi ruinam, scilicet intendendo actionem illam, ex qua prævidetur ruina proximi. Jam verò intendere directè ruinam primo, & secundo modo est speciale peccatum contra Charitatem; habet enim specialem oppositionem cum illa, ut communis sententia docet. Intendere tamen indirectè, non videtur specialiter opponi Charitati, sed illis Virtutibus, quibus opponuntur peccata, quæ consequuntur ex occasione data peccandi, quamvis ruina proximi non intendatur. Cæterùm de hoc puncto controvertunt scholastici, quorum controversia parum refert ad praxim.

3 Quamvis scandalum indirectè volitum numquam haberi possit, nisi succedat spiritualis ruina proximi, vel saltem timeatur prudenter, & probabiliter successura: nam si quis occasionem aliquam intenderet, ex qua proximus cadere posset, si tamen de facto non cadat, aut probabiliter, & prudenter censeat non casurum; non committit peccatum scandali, ut docent communiter Doctores ex Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 1. Nihilominus scandalum directè volitum, & intentum haberi poterit, etiamsi non sequatur ruina spiritualis proximi; & etiamsi proximus certò sciatur non passurus ruinam spiritualem; nam ad scandalum activum directum non requiritur, ut sequatur scandalum passivum; sed sufficit, quòd directè data sit occasio, ex qua natura sua sequi poterit ruina spititualis proximi; ut si quis aliquem induceret ad peccandum, qui tamen non consentiret; idem esset, si induceret, & certus esset, quòd non consentiret; ut ratio est, quia malum directè persuadet, ut habent communiter Doctores ex eodem Div. Thoma citato.

4 Non nego tamen, quòd possint plures excusari à peccato scandali; etiamsi coram aliis peccent; nam si alii, coram quibus peccatum committitur, sint ita viles, & disperditi, ut peccatum commissum nihil illos immutet, aut commoveat; aut è contra si ita in bono stabiles sint, ut nullatenus ex occasione peccatorum censeantur moveri ad peccandum; vel si ita ex se essent parati, & incitati ad peccandum; ut non censeantur moveri ad peccandum ex peccato alterius, sed ex propria prava determinatione; tunc peccans coram istis non committeret peccatum scandali: eo quia non reputaretur causa moralis ruinæ spiritualis illorum, coram quibus peccaret. Sic Navarrus, Sanchez, Sancius, & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 2. §. *unic. num.* 43. & Castropalaus *de Charit. disp.* 6. *pun.* 1. *num.* 4.

5 Mortaliter peccare eum, qui dat proximo occasionem ruinæ spiritualis mortalis, extra controversiam est, nisi excuset indeliberatio: esset enim causa ruinæ mortalis proximi. Idem dicendum, si opus, quod fieret, esset indifferens, aut veniale ex se, quamvis attentis circumstantiis mortalem ruinam causaret: ut si vir probus, & religiosus jocosum verbum coram puellis proferret, vel aliis, qui inde arriperent occasionem mortaliter peccandi. Solum controversia est, an peccet graviter, qui dat proximo occasionem etiam directam peccandi venialiter eo videlicet animo depravato, ut illum inducat ad venialiter peccandum? Resp. negativè, quidquid in contrarium dixerint docti Viri: ratio est, quia talis affectus, & animus pravus cum habeat pro objecto levem, non gravem damnificationem, & ruinam proximi, inde est, quod non possit esse grave peccatum; sicuti non poterit graviter peccare, qui vellet proximum aliquo peccato veniali infectum; cum talis voluntas non posset esse gravis culpa ex objecto, quod veniale esset; nec ex ratione formali volendi, quia esset tantùm veniale peccatum. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 4.

Navar-

Navarrus, Azor. Suarez, Sanchez plures referens, Lorca Salas, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp. 6. pun. 2. num. 3.* Imò addit Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 6. num. 11.* id verum esse, etiamsi directè intendat occasionem illam peccandi venialiter per actum, qui esset mortalis; nam semper damnificatio, & ruina intenta venialis esset, & levis, esto intenderetur per actum mortaliter peccaminosum.

6 Quæres 1. an qui inducit proximum ad peccandum, & intendit ejus ruinam spiritualem; peccet duplici peccato? Resp. affirmativè: 1. enim peccat peccato speciali scandali, quatenus dat occasionem proximo ejus ruinæ spiritualis ea intentione, ut cadat. 2. eo peccato, quod ab ipso proximo committitur contra eam speciem virtutis, cui opponitur: quapropter qui suo pravo exemplo inducit proximum ad furandum, non solùm erit reus peccati scandali, sed etiam peccati furti, cujus est causa moralis. Hinc fit: teneri confessione ad aperiendam utramque malitiam, ut satisfaciat suæ obligationi in confitendo: nec satis exprimit peccatum suum dicendo, se induxisse proximum ad peccatum, nisi explicet, ad quodnam peccatum induxerit. Sic Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 6. à num. 3.* Vasquez 1. 2. *disp.* 102. *cap. 3. num. 5.* Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. pun. 2. §. unic. num. 9.* & Castropalaus *de Charit. disp. 6. pun. 1. num. 8.*

7 Quæres 2. an qui proximum inducit ad peccatum non intendens ejus ruinam, nec consummans peccatum cum illo; fiat reus peccati à proximo commissi? Resp. affirmativè: ratio est, quia illud intendit, & est ejus causa moralis; adeoque reus erit ejusdem speciei peccati, quod proximus committit: nec sufficit aperire in confessione, quod induxerit proximum ad peccatum, nisi simul explicet speciem peccati, ad quam induxit; quæcumque fuerit inductio, sive consilio, sive suasione, sive pravo exemplo; etiamsi exemplum, seu opus inducens non fuerit ex se malum, sed alias bonum: nam quomodocumque pertrahatur, & inducatur proximus ad peccatum, semper pertrahens, & inducens reus erit peccati illius, quia semper est causa illius. Hæc favet, quòd inductio fiat implicitè, pertinet siquidem ad eamdem speciem peccati, ad quam spectat explicita; cum ratio impliciti, & expliciti; seu ratio taciti, & expressi idem judicium formet *ex Leg. Cum quid ff. Si certum petatur*. Sic ex Sanchez, Cajetano, Vasquez, Azorio, Valentia, Lorca, Coninch, docent Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 2. §. Unic. num. 12.* & Castropalaus *de Charit. disp. 6. pun. 3. num. 1. & 3.*

8 Quæres 3. an inducens modo supradicto peccet peccato speciali scandali ultra peccatum, quo peccat inducendo indirectè proximum ad peccatum, quòd committit? Resp. acriter controverti pro utraque parte inter Doctores magni nominis, quorum sententiæ sua probabilitate non carent: nam Suarez, Navarrus, Valentia, Coninch, Salas, & alii relati à Castropalao *loc. cit. num. 5.* docent, peccare speciali peccato scandali, adeoque duplex peccatum committere, unum contra Charitatem, alterum contrà Virtutem, contra quam proximus inductus peccat; adeoque aperiendam esse in confessione circumstantiam inductionis ultra speciem peccati, ad quam induxit. E contra Divus Thomas 2. 2. *quæstion. 43. artic. 3.* quem sequuntur Vasquez, Azor. Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. numer. 6.* asserunt, non peccare speciali peccato scandali, sed generali tantum quod vagatur per omnia peccata, nec specie distinguitur ab illis; adeoque sic inducens non aliud peccatum committit, nisi illud tantùm, quod à proximo inducto committitur. Sic inducens proximum ad furandum non peccat alio peccato speciali, nisi contra justitiam, dum ruinam proximi formaliter non intendit: ratio est, quia non specialiter intenditur malum proximi, quod specialiter opponitur Charitati; sed intenditur generaliter, & vagatur per omnia peccata, à quibus specie non distinguitur; & de facto inducens tali modo dicitur peccare per peccatum proximi, quod utique non opponitur Charitati, sed Justitiæ in casu posito, & reputatur veluti una transgressio, aliàs inducens gravius peccaret præ ipso proximo furante, ac furtum committente: proximus siquidem furans peccaret tantùm contra Justitiam, & inducens contra Justitiam, & contra Charitatem, quod videtur dissonum. Hæc sententia mihi magis arridet præ alia, cui non denego suam probabilitatem.

9 Quæres 4. an publicè peccans quamvis nesciat, quisnam ex suo pravo exemplo movendus sit ad peccatum; peccet peccato scandali? Resp. affirmativè, & ratio est, quia quantum est ex parte sua ponit opus, quod de se movere potest ad malum, ad contemnendam virtutem, ad vivendum liberiùs: quod autem nullus sit, qui moveatur ad hoc; per accidens est, cum per se debeant esse aliqui, qui moveantur. Nec favet, nescire in particulari, quinam movendi sint ad peccatum, & ad quamnam speciem peccati movendi sint; sufficit enim ad contrahendam specialem malitiam scandali, quòd per se ponatur opus potens inducere proximum ad peccatum, & ad ruinam spiritualem, quæcumque hæc sit; publicè enim peccans semper facit adversus Charitatem, quę obligat, ne Deus offendatur, & ejus Divina amicitia deperdatur; & consequenter obligat, ne detur aliis occasio offendendi Deum, & deperdendi ejus amicitiam. Hinc fit publicè peccantem teneri aperire in confessione hanc circumstantiam, ut rectè explicet peccatum suum: imò si sciret personarum numerum, quæ ex suo publico exemplo motæ sunt ad peccandum; & species peccatorum, ad quas motæ fuere; deberet utique in confessione aperire eas, aliàs non satisfaceret suæ obligationi. Sic Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 6. num. 7. & 9.* Vasquez 1. 2. *disp.* 102. *cap. 6. num. 8.* Sancius *disp. 46. Select. num. 11.* Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 2. §. Unic. num. 41. & 42.* alios referens, & Castropalaus *de Charit. disp. 6. pun. 4. num. 2. & 3.*

10 Quæres 5. an offerens proximo occasionem peccandi semper dicatur cooperari peccato illius; ac causa scandali passivè? Resp. si faciat aliqua quæ ex se inducunt ad peccatum; ut si aliquem invitaret, ac suaderet ad furtum, homicidium, fornicationem, mendacium, detractionem &c. utique diceretur cooperari peccato illius, ac causa scandali: ratio est, quia induceret ex se ad malum, & causa esset ruinæ spiritualis proximi. Idem dicendum, si faceret aliqua ex se indifferentia, sed ea tamen intentione, ut proximus peccet: ut si arma venderet, aut chartas lusorias eo animo, ut proximus emens injustè occidat, aut ludum vetitum exerceat: nam malus finis intentus à vendente reddit actionem illam, aliàs, indifferentem, malam; adeoque causa erit ruinæ spiritualis proximi, & ejus peccato cooperabitur. Sic Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. pun. 2. §. Unic. nu. 17.*

11 Quæres 6. an vendens, & subministrans indifferentia absque justa causa, si proximus ex eis sumat occasionem pecati, censeatur cooperari peccato proximi, & causa ejus ruinæ spiritualis? Resp. præmittendo. 1. indifferentia. ea dici, quæ ad bonum, aut malum usum inservire possunt. 2. ex his indifferentibus alia esse, quæ regulariter pro omni tempore destinantur in malum usum: sic est venditio clavis falsæ, veneni, idoli &c. esto aliquibus personis possint hæc deservire in bonum usum, sed rarò. Alia esse, quæ regulariter pro omni tempore in bonum usum destinantur, quamvis aliquæ personæ in malum eis uti possint: sic est venditio animalium, armorum, & similium quæ passim emuntur, & venduntur in bonum usum. Alia denique esse, quæ solùm pro aliquo tempore inservire communiter solent in malum usum: sic est venditio, & præparatio carnium in Quadragesima & diebus vetitis. 3. requiri justam, & sufficientem causam ad hæc licitè vendenda, & præparanda, ex quibus ruina proximi oriri possit: cum semper præcavendum sit, quantùm fieri potest, peccatum proximi. His præmissis

Dico primò: vendens, & præparans indifferentia talis generis, quæ regulariter pro omni tempore in bonum usum destinantur, habebit justam, & sufficientem causam id efficiendi per hoc, quòd non constet ei de abusu: ratio est, quia ideo esset mala venditio, & præparatio, eo quia malæ intentioni deserviret; cum igitur non constet de tali intentione prava, imò nec præsumenda sit; dicendum erit, adesse justam causam ea efficiendi licitè, & absque peccato, & ruina alterius, etiamsi proximus eis abuteretur. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst. 78. art. 4.* Suarez, Sanchez, Navarrus, Sà, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charitate disp. 6. punct. 8. num. 5.* Quòd si dubitet, an proximus eis abusurus sit; adhuc licitè posset ea vendere, & præparare non obstante dubio: ratio est, quia in dubiis nemo præsumendus est malus, sed potiùs bonus: adde, quòd multæ sequerentur anxietates, & perplexitates ex actionibus indifferentibus, quæ communiter fiunt. Sic expressè Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic.*

§. *unic. num.* 17. *versic. Qui verò.* Secus tamen esset, si probabiliter crederet, proximum eis malè usurum; tunc tenebitur, si commodè fieri posset, & absque gravi detrimento ad ea non vendenda, aut subministranda illi ratio est, quia si ex Charitate obligamur ad impedienda peccata proximi, pariter obligamur ad non subministrandam materiam peccatorum. Sic ex Sylvestro, Suarez, Sanchez, Valentia, & Lessio docet Castropalaus *loc. cit. num.* 6. & 7. Quicquid in contrarium penes eum dixerint Rodriquez, Ledesma, Cajetanus, & Salon,

Dico 2. vendens, & præparans indifferentia, quæ vel ferè semper in malum usum destinantur, vel pro aliquo tempore determinato; non poterit id licitè efficere, nec censebitur justam, & sufficientem causam habere efficiendi id, nisi ei moraliter constet, proximum eis usurum in bonum, non verò in malum finem ratio est, quia aliàs ei imputabitur peccatum à proximo patrandum, cum censeatur ejus causa moralis, dum materiam submnistrat cum probabilitate pravi usus, & peccati. Sic vendens cibos vetitos die jejunii ei, quem probabiliter credit eis abusurum ad frangendum jejunium; peccat peccato Intemperantiæ; & vendens agnum hebræo, quem probabiliter putat oblaturum in sacrificium; committit Sacrilegium; & vendens ornamenta muliebria fœminæ, quam scit eis abusuram ad turpiter sollicitandos adolescentes; peccat contra Castitatem, Sic ex Suarez, Sanchez, Navarro, Sà, Salonio, & Molina docet Castropalaus *de Charit. disp.* 6. *pun.* 8. *num.* 3. & Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 2. §. *unic. num.* 17. *versic. Ex quo patet.*

Quomodo autem constare possit moraliter, proximum non abusurum esse eis; hoc desumendum erit ex qualitate personarum peténtium indifferentia, & ex aliis circumstantiis, & specialiter ex modo petendi, si publicè, an ex affectatione secreti petant; nam rarò qui crimen patrare vult, audacter, & publicè petit sine cautela. Hinc est, caupones, & publicè vendentes carnes pro infirmis temporibus vetitis non peccare peccato scandali: cum præsumatur, quòd petentes, & ementes sufficientem excusationem habeant, quam non tenentur ipsi examinare, cum commodè fieri nequeat. Sic ex Cajetano, Suarez, Sanchez, alios referente docet Castropalaus *l. c. num.* 4.

Advertendum hìc diligenter: non semper eamdem causam sufficere ad cohonestanda omnia opera indifferentia, ex quibus proximus scandalum pati possit, ac spiritualem ruinam; sed majorem aliquando requiri pro uno opere, minorem verò pro alio; eo quia cum obligatio non porrigendi occasiones peccatorum, & non inducendi proximum ad peccatum oriatur ex obligatione virtutis, cui peccatum opponitur; & hæc obligatio non est æqualis in omnibus virtutibus, cum una magis obliget præ alia; inde est, quòd obligatio non porrigendi has occasiones non eadem sit in omnibus virtutibus; & consequenter majorem causam requiri in uno opere indifferenti, quod opponi potest majori virtuti, quàm in alio, quod minori virtuti opponi potest. Nec omnia opera sunt æquè indifferentia, cum unum proximè se habere possit ad malum usum, alterum verò remotè. Sic obligatio vitandi peccata contra detrimentum spirituale proximi major est præ obligatione vitandi peccata contra detrimentum temporale proximi; & obligatio vitandi peccata contra Justitiam major est præ obligatione vitandi peccata contra Charitatem; adeoque majorem requirunt causam in cohonestandis operibus indifferentibus, ex quibus scandalum sequi potest. Eodem modo dicendum de operibus indifferentibus, quæ proximè se habere possunt ad peccatum præ illis, quæ remotè se habent ad illud; adeoque major causa requiritur ad vendendum idolum infideli; quamvis illi inservire possit ad purum ornamentum domus; quàm ad vendendum illi agnum, quo uti possit in sacrificium: nam idolum proximè se habet ad idololatriam, & communiter ad hunc pravum usum adhibetur ab infidelibus; agnus verò communiter ad cibum, rarò ad idololatriam. Sic ex Bannez, Salonio, & aliis apud Sanchez docet Bonacina *de Peccat. disputat.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. §. *Unic. numer.* 19. & 20. & Castropalaus *de Char. disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 4.

12 Quæres 7. an permittere peccatum alterius non auferendo ejus occasionem, quæ tolli poterat; sit peccatum scandali? Resp. extra controversiam esse, quod si non auferatur occasio peccandi, cum possit, eo animo, ut proximus peccet; peccatum esse scandali ex eo pravo fine, ut proximus ruinam spiritualem patiatur. Solùm ergo inquiritur: an si ex alio fine moveatur ad permittendum peccatum, & non removendam occasionem; possit excusari à peccato scandali permittendo peccatum illud? Quapropter considerandi erunt fines, si possint permissionem peccati cohonestare. Et 1. excusari potest maritus à peccato scandali, qui suspicionem habens de adulterio Uxoris secum secreto adducit testes ad observandum, num Uxor adulteretur, ut eam de adulterio commisso convincere possit in judicio, & divortium facere; non enim offert occasionem adulterandi, sed solùm eam non aufert permittendo adulterium, ut se indemnem servet, ac tantam injuriam à se propulset; licitum namque ei est divertere à conjuge nocente, cum ipse innocens sit; nec actio à se facta mala est, sed ei licita. Secus esset, si paciscereturcum uxore, ut fictè consentiat cum amasio, ut sic eum deprehendere possit, & verberare; esset enim hæc actio intrinsecè mala, & ex se inductiva, & cooperativa ad peccatum proximi. Sic Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 12. *num.* 54. Molina *tract.* 2. *de Just. disp.* 55. *in fine*, Navarra *lib.* 3. *de Restit. cap.* 4. *num.* 154. Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 2. §. *unic. num.* 33. & 34. Castropalaus *de Charit. disp.* 6. *pun.* 5. *num.* 4.

2. Si permittatur peccatum alterius, & sic deprehensus corrigatur; censetur causa sufficiens ad cohonestandam permissionem illam peccati, dummodo intendatur correctio absoluta, & cum spe emendationis: sic Parentes, Heri, Domini permittentes filiis, famulis, & servis occasionem furandi, quam auferre possent, ut de ipsis experimentum faciant, & ut ipsos corrigere possint, si delinquant in fidelitate; excusantur à peccato scandali, non enim offerunt occasionem furandi, sed oblatam non tollunt, & ob justos fines negativè se habent quoad furtum. Sic Sanchez *lib.* 10. *Matrim. disput.* 12. *numer.* 12. referens Navarrum, Cordubam, & alios, Bonacina *loc. cit. numer.* 31. & Castropalaus *loc. cit. numer.* 3. referens Navarram, Valentiam, Molinam, & Sancium,

3. Excusantur Custodes vinearum, hortorum, pomariorum, & sylvarum à peccato scandali, si se abscondant, ut ingredientes deprehendant, & semel deprehensi abstineant in futurum: nam occasionem ex se indifferentem exercent ob justum finem. Secus tamen esset, si se absconderent, ut liberam darent occasionem ingrediendi, & sic ab incautè ingredientibus pœnam exigerent; nam non est causa sufficiens ad peccatum permittendum, ut peccans puniatur; pœna siquidem non est ex se digna, ut appeti possit: cùm qui pœnam appetat, & intendit antecedenter ad peccatum, peccatum ipsum censeatur intendere. Sic Navarrus, *cap.* 27. *num.* 124. Turrianus *de Just. disp.* 38. *in fine*, Bonacina *loc. cit. num.* 28. & Castropalaus *loc. cit. num.* 2.

Adnotandum tamen hìc, non esse licitum ob prædictos fines aliis præbere occasionem scandali: nam aliud est permittere peccatum non removendo ex justa causa occasionem, aliud est offerre occasionem ad illud; esset siquidem non permittere malum præcisivè, sed positivè cooperari ad illud, si offeratur occasio. Sic rectiùs docent Sà *verb. Peccatum num.* 7. Sanchez *lib.* 10. *Matr. disp.* 12. *num.* 53. & Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. §. *unic. num.* 28. & 34. Quidquid in contrarium dixerint Navarra, & Sancius.

Quæres 8. an mulieres se ornantes, & conspectui vi- 13
rorum se præbentes peccent peccato scandali? Resp. si absit prava intentio, & ornatus sit juxta qualitatem personarum, & morem patrium; etiam si scirent ab aliis viris turpiter amandas esse, dummodo hoc non intenderent, nec procurarent; poterunt per vias incedere, etiam ubi concursus populi habetur; ad ostium, vel fenestram stare, licitis choreis intervenire absque peccato scandali: ratio est, quia actiones ex se indifferentes exercent, nec pravus finis habetur; aliunde grave esset onus, quod ipsis imponeretur; si tenerentur procedere per vias inornatæ, aut remanere inclusæ domi, vel nemini virorum se præbere videndas; privarentur siquidem sua libertate. Secus tamen esset, si data opera id efficerent, ut videlicet se præberent turpiter conspiciendas à viris; peccarent namque graviter peccato scandali: ut ex Cajetano, Azorio, Sanchez, Filliuccio, & aliis docet Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *num.* 2. *punct. unic. num.* 27. Quòd si ornatus esset superfluus, ac excedens proprium statum, dummodo tamen

men pravus finis non habeatur ; veniale peccatum erit, cum non tribuant mulieres illo utentes gravem occasionem peccandi, sunt enim multæ, quæ sic superflue se ornant, & omnes damnare de peccato gravi, præcisè per superfluitatem ornatus, durum esset, Sic ex Cajetano, Navarro, Sanchez, & aliis docet Castropalaus *de Charit. disp. 7. pun. 6. num. 1.*

14 Quæres 9. an sit peccatum scandali cum quis aliquid petit, vel facit proximo parato ad peccandum, & trasgressuro præceptum, etiam si ille non faceret? nec peteret? Resp. si opus, quod fit, vel petitur, absque peccato fieri nequeat ; peccat peccato scandali id efficiens, etiam si proximus paratus sit ad peccandum, & transgrediendum præceptum. Sic si petas à Titio falsum juramentum, maleficium, mutuum sub usuris, homicidium &c. quamvis evidenter scires illum paratum ad hæc patranda, & effecturum independenter à tua petitione ; peccas nihilominus ea specie peccati, qua peccare intendit Titius : nam & rem malam petis, & inducis tua petitione Titium ad rem malam exequendam, esto fuerit paratus ad illam. Hinc est, quòd non possit quis invitare ad manducandum plenè proximum, aliàs paratum frangere jejunium : nam actio ista fieri nequit à manducante sine peccato; ergo invitans ad manducandum invitat ad opus, quod sine peccato fieri nequit; adeoque & ipse peccat invitando peccato scandali. Sic ex Sanchez, Suarez, & Filliuccio docet Bonacina *de Peccat. disp. 2. qu. 4. pun. 2. §. unic. n. 20. versic. Addo*, Vasquez *de Scandalo quæst. 43. art. 1. dub. 3. num. 17.* & Castropalaus *de Charitate disp. 6 pun. 10. num. 2.* Si tamen opus, quod fit ; fieri possit absque peccato, esto proximus paratus sit ad faciendum illud cum peccato; ut si quis Sacramenta peteret à ministro, quem scit illa ministraturum in peccato; aut mutuum peteret ab eo, quem sciret daturum sub usuris; docent passim Doctores, posse peti absque peccato scandali : quia petitur id, quod licitè peti potest, & alter præstare potest sine peccato; quod si non præstet, ex malitia sua id efficit, adeoque ipsi imputari debet. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst. 28. art. 1.* quem sequuntur cæteri. Hoc tamen intelligendum erit, cum justa, & rationabilis causa petendi intercesserit: nam si æque bene peti potest, Sacramentum, vel mutuum ab alio, qui sine peccato ea præstare possit; utique grave peccatum erit petere ab eo, qui cum peccato paratus est præstare; amor siquidem Dei, & misericordia erga proximum obligant, cum commodè possit, ad vitanda peccata proximi, etiam si ea ex malitia sua commissurus sit. Sic Navarrus, Suarez, Bonacina, Sanchez, Valentia, Vasquez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disp. 6. pun. 10. num. 5.*

15 Quæres 10. an filii, famuli, & servi possint ministrare Parentibus, Heris, & Dominis in peccatis eorum absque peccato scandali ? Resp. si ministratio fiat in re ex se mala, ut esset concubinam illis quærere, illamque ad illos invitare, in rixa, aut duello illos adjuvare ad inimicum occidendum, furto illorum cooperari &c. extra omne dubium est, graviter peccare peccato scandali : ministrant siquidem in re ex se mala, & cooperantur ruinæ spirituali alterius. Si verò ministratio fiat in re ex se indifferenti ; tunc attendendum erit juxta superiùs dicta, an ministratio illa indifferens remotè se habeat ad peccatum illorum, an verò proximè : nam si remotè se habeat ministratio ad peccatum, ratione debitæ subjectionis, & ex bona intentione poterunt eam efficere, maximè si ex denegatione ministrationis illius ipsis sequeretur incommodum : sic essent servire ad mensam concubinæ cum Domino ; sternere lectum Domini, vel vestire dominum, aut præparare ei equum volenti pergere ad concubinam : nam similes actiones remote se habent ad peccatum luxuriæ, quod meditatur Dominus, cum possit Dominus uti equo ad alium finem. Secus tamen esset, si Ministratio proximè se haberet ad peccatum ; tunc enim ratio debitæ subjectionis, servitutis, & famulatus non erit sufficiens ad excusandum à peccato scandali, & cooperationis ruinæ spirituali proximi : sic essent scienter deferre concubinam ad Dominum, vocare illam, eam comitari dum ad dominum pergit, eam deferre in sede, aut equo, scribere litteras amatorias, quas ei dominus mittit, eas litteras deferre, notare domum mulieris, quam Dominus concupiscit, submissis humeris adjuvare Dominum ad ascendendum per fenestram concubinæ, deferre ei scalam ad ascendendum, quæ quidem ministrationes, quamvis abstractæ à talibus circumstantiis possint esse indifferentes, cum ipsis tamen sunt proximè ad peccatum illud exequendum, adeoque ratio famulatus, & debiti obsequii non erit sufficiens ad excusandum à peccato ruinæ spiritualis proximi, etiamsi famulus malè tractandus foret à Domino, aut torvis oculis aspiciendus, vel expellendus à domo. Sic constat ex definitione Innocentii XI. damnantis Propositionem illam. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Scio ante hanc Pontificiam definitionem Doctores in varias sententias abiisse, qui nunc nostræ subscriberent. Quamvis ut plurimum excusentur famuli, quia non scienter faciunt, sed solùm dubitativè, ut rectè habet Cardenas in explicatione hujus Propositionis damnatæ, *Dissert. 31. num. 10. in fine.*

16 Quæres 11. an Locantes, vel vendentes domos, aut vestes meretricibus, aut Usurariis peccent peccato scandali ? Resp. negativè ; ratio est, quia hæc sunt valde remota ad peccatum illorum; locus siquidem & vestes nimis remotè se habent ad peccatum; aliunde Domini utuntur jure suo in locandis, vel vendendis domibus, aut vestibus ; nec tenentur peccata Meretricum, vel Usurariorum impedire, maximè quia eos permittit Respublica; ergo locantes, vel vendentes hæc meretricibus, aut Usurariis non peccabunt peccato scandali. Et quamvis istæ rationes probent, posse hæc fieri, etiamsi æquè bene locari, aut vendi possent aliis personis boni nominis ; nihilominus si domus, vel vestes aptiores sunt ad fovendam negotiationem meretricum, vel Usurariorum & possent sine gravi incommodo aliis locari, aut vendi ; Lex Charitatis obligat ad vendendum, & locandum aliis : cum teneamur quantùm possumus vitare peccata ; & Respublica solùm intendit concedere his habitationem ad vivendum, non aptiorem locum ad peccandum. Sic ex Valentia, Sanchez, Rebello, & Bonacina docet Castropalaus *de Char. disp. 6. pun. 12. num. 1. & 3.*

17 Quæres 12. an pingentes concubinam suo amico, vel amasium concubinæ, sicuti etiam pingentes imagines nudas absque debita modestia ad preces petentium; vel idolum infideli; peccent peccato scandali ? Resp. quamvis hæc indifferentia sint, & ad bonum usum inservire possint; nihilominus quia regulariter in malum usum aptantur, & fomentum sunt, & excitamentum turpis amoris, & impudicarum actionum, vel idololatriæ ; ideò grave peccatum erit scandali tales imagines pingere, cum detur facilis occasio ad spiritualem proximi ruinam. Sic Azor. 2. *par. lib. 13. cap. ult. quæst. 9.* Bonacina *de Peccat. disput. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic. num. 29.* & Castropalaus *de Charit. disp. 6. pun. 12. num. 6.* qui advertit ex Sanchez, non posse cohonestari has actiones pingendi similes imagines ex amissione lucri, quod reportaretur, aliàs daretur facultas pingendi quæcumque inhonesta : solùm docent, licitas reddi posse ex gravi metu mortis, aut gravis mutilationis; dummodo tamen non petantur in talibus circumstantiis, in quibus pictura cederet in honorem falsi cultus, ut esset pingere idolum infideli, ut sic inducere posset ad idololatriam. Hinc est, quòd plures Christiani sculptores maluerunt potiùs mortem appetere, quam idola ad petitionem infidelium Imperatorum sculpere. Sic rectè Coninch *disp. 18. de Infidel. dub. 18. num. 213.*

18 Quæres 13. an caupones vinum vendentes iis, quos probabiliter credunt scinter se inebriaturos ; vel cibos eis, qui jejunium soluturi sunt ; peccent peccato scandali ? Resp. ex supradictis satis constare, peccare peccato scandali, si id efficiant, ut proximi inebrientur, aut jejunium frangant; cum cooperentur peccatis eorum. Si verò talem pravum finem non haberent, non possent sine justa causa id efficere: maximè quia peccatum ebrietatis & sibi, & aliis periculosum est. Causa autem sufficiens ad id præstandum censetur, timere injurias, vel notabilem diminutionem emptorum, ne simili nota inurantur, si accedant. Amissio tamen lucri, non est causa sufficiens ad cohonestandam talem venditionem, aliàs indifferentem ; ex qua timetur probabiliter ; subministrandam esse materiam peccatis, cum parvum lucrum ex hoc reportari possit. Requiritur quoque major causa

sa ad vinum vendendum se scienter inebriaturis, quàm ad cibaria vendenda soluturis jejunium: cum solutio jejunii non sit periculosa aliis, ut est ebrietas. Sic Valentia, Rodriquez, Sanchez, Cajetanus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. ult. num. 32.* & Castropalaus *de Charit. disput. 6. punct. 14. num. 1. & 2.*

19 Quæres 14. an absque peccato scandali munera dari queant concubinæ Judicis, ut interpellet penes ipsum in ferenda sententia? Resp. quamvis Bonacina *loc. cit. numer. 24.* & Castropalaus *loc. cit. punct. 15. numer. 2.* putent, id fieri posse absque peccato justa interveniente causa, qualis esset, si alia via non appareret ad flectendum Judicem, ut servet illæsum jus porrigentis munera. Nihilominus mihi arridet sententia Sanchez *lib. 1. capit. 7. numer. 38.* docentis, non posse ullatenus hanc actionem excusari à peccato: ratio est, quia porrigendo munera concubinæ illi ob interpellandum penes judicem cooperaretur actioni, quam licitè ipsa præstare nequit; inserviret siquidem ad fovendum turpem illum, & inhonestum amorem, à qua prava intentione dari non potest præcisio. Et de facto supradicti Doctores putantes probabilem suam sententiam, eam minimè consulunt in praxi, uti non est consulenda.

20 Quæres 15. An excusentur à peccato Christiani apud Turcas captivi remigantes in eorum triremibus, vel arma ministrantes ad Christianos occidendos, vel scalas apponentes ad Civitatem Christianorum occupandam? Resp. quamvis Ugolinus, Toletus, Navarrus, Suarez, Pedraza penes Castropalaum *de Charitate disput. 6. punct. 11. numer. 10.* sustineant, nullam afferri posse causam excusantem eos à culpa, cum cooperentur actioni intrinsecè malæ, ut est bellum injustum, rapina, & occisio innocentis. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam eos à culpa absolventem in actionibus indifferentibus, quibus indirectè cooperantur ad peccatum: nam timor mortis, vel alterius gravissimi damni erit causa sufficiens ad eos liberandos à culpa in his actionibus indifferentibus, ex quibus non necessariò damnum sequitur; nisi fortè grave damnum immineret Christianæ Reipublicæ, quod ab ipsis non remigantibus præcaveri posset, quod quidem rarò evenire potest, cum unusquisque ex illis in particulari non possit suadere sibi, quòd non remigante se alii Christiani à remigatione cessabunt, ut bene adnotat Castropalaus *loc. cit. numer. 11.* Secus tamen esset, si actiones secum necessariò damnum traherent contra vitam proximi, ut esset tormenta bellica explodere, sagittas emittere; tunc enim utpotè intrinsecè malæ cohonestari non possent. Sic Molina, Azor. Lessius, Filliuccius, Sanchez, Salas, Navarra, Corduba, Rebellus, Vasquez, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *loc. cit. in fine*, & Bonacina *de Peccat. disputat. 2. quæstion. 4. punct. 2. §. ult. numer. 25.*

21 Quæres 16. an omittendum sit opus consilii, vel præcepti, ut vitetur scandalum proximi? Resp. distinguendo, si scandalum proveniat ex malitia, vel ignorantia affectata proximi, seu ex pravo affectu, & malo habitu illius; non omittenda erunt opera consilii: ratio est, quia non est consulendum malitiæ alterius cum nostro damno spirituali, aut temporali: cum sic quilibet sua malitia posset nobis similia bona impedire; quapropter juremerito Christus Dominus *Matth. 15.* non curavit Pharisæorum scandalum, quod ex mera eorum malitia proveniebat dicens: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Si verò proveniat ex passione, & infirmitate proximi; tunc semel, aut iterum abstineri potest ab operibus Consilii, aut illa differre, ut infirmitati proximi subveniamus, eumque à peccato præcaveamus, donec admonitus convalescat; hoc enim Charitas postulat, & exigere videtur. Sic Divus Thomas *2. 2. quæstion. 43. art. 7.* Vasquez, Suarez, Lorca, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charitate disputat. 6. punct. 16. num. 6.* Hinc fit: mulierem juxta morem patrium ornatam posse abstinere ab auditione Missæ ex consilio, & devotione semel, aut bis, si sciret, aliquem ex infirmitate ob eam peccaturum; quod quidem peccatum ob infirmitatem numquam est pertimescendum, nisi cognoscatur qualitas, & conditio personæ, ut advertit Vasquez; secus verò si sciret illum ex malitia peccaturum.

Numquam tamen omittenda erunt opera Præcepti ob scandalum proximi. Et quidem de præceptis negativis satis constat; non enim ad evitandum scandalum proximi occidere quis poterit, aut fornicari, vel aliam pravam actionem efficere; mala siquidem facienda non sunt, ut inde bona eveniant. De præceptis verò positivis, de quibus controvertitur penes Doctores, sic probatur: executio præcepti positivi neque mala est, neque speciem mali præsefert; ergo si proximus scandalizetur ob exequtionem præcepti, quæ fit ab altero; scandalum erit acceptum, non datum: nemo enim censendus est, scandalum dare per hoc, quòd exequatur præceptum sibi injunctum: maximè quia obligatio de scandalo vitando est secundaria, primaria enim obligatio est propriæ saluti consulere, dein alienæ; & priùs præcepta sibi imposita adimplere, dein efficere, ut proximus adimpleat: sic non teneris Missam omittere die festo, quia inimicus tuus non vult eam audire te audiente: nec mulier tenetur Missam relinquere de præcepto, quia à proximo turpiter amatur; cum non præbeat occasionem peccandi proximo, sed potius eam arripit proximus ex sua malitia. Sic Divus Thomas *2. 2. quæst. 43. art. 7.* D. Antoninus, Navarrus, Vasquez, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Charit. disput. 6. punct. 16. num. 3.* Et sic traditur ab Innocentio III. *Cap. Cum ex injuncto. de Novi Oper. Nunciat.* ubi dicitur: Opera illa, quæ sine peccato mortali omitti non possunt; non sunt pro vitando scandalo dimittenda; neque ea debent pro vitando scandalo committi, quæ sine mortali committi non possunt.

Quæres 17. an habeatur obligatio faciendi jacturam bonorum temporalium, ne proximus peccet? Resp. si dominus non sit bonorum temporalium, sed purus administrator, & procurator; non habet quis obligationem faciendi jacturam illorum ad vitandum peccatum proximi: ratio est, quia ei non cessat obligatio prospiciendi bonis illis, ut tenetur ex officio, per hoc quod proximus peccare vult sive ex malitia, sive ex infirmitate; nisi tamen jactura levis esset, & parvi momenti; peccatum verò proximi, quod impediretur, esset grave: sic enim Charitas dictare videtur, & recta ratio. Si verò Dominus sit bonorum Temporalium, nec tenetur cum gravi suo incommodo peccatum illud proximi impedire, sive ex malitia, sive ex infirmitate proveniat: ratio est, quia tunc reputatur ei moraliter impossibilis talis obligatio ob grave incommodum, quod subire debet in bonis temporalibus: esto dominus sit, & si velit, possit illam pati; uti pati debet, si jactura sit levis momenti, ut supra diximus. Nec in istis casibus censetur dari scandalum, & peccatum proximi velle, qui non impedit; cum non impediat ex justa, & rationabili causa. Sic ex Sanchez, Suarez, Basilio de Leon docet Castropalaus *de Charit. disp. 6. punct. 17.* 22

QUÆSTIO VIII.

DE PRUDENTIA.

POST traditam notitiam de Virtutibus Theologalibus supereſt, ut de Cardinalibus ſermo inſtituatur. Prudentia videlicet, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, quibus cæteræ omnes tamquam partes annexæ ſunt. Dici conſueverunt Cardinales ſumpta denominatione à cardine oſtii, qui in oſtio eſt præcipua pars, cum uſus oſtii, ac motus illius à cardine pendeat, ſic etiam vita hominis his virtutibus, veluti quibuſdam cardinibus in rectitudine dirigi, formari, ac verti debet. Dicuntur etiam morales, quia mores hominum dirigunt, ac inſtituunt ſecundùm rectæ, & veræ rationis præſcriptum, & circa mores verſantur ad differentiam Theologicarum, quæ immediatè circa Deum, aut aliquam ejus Divinam Perfectionem verſantur. Initium facimus à Prudentia veſtigiis inhærentes Doctorum, explicaturi poſtea ordine ſuo reliquas virtutes Cardinales ſolita brevitate.

CAPUT PRIMUM,

Quid Prudentia, & quomodo à cæteris Virtutibus diſtincta.

1 *Prudentia à quo nomen traxit?*
2 *Quid ſpeciale eſt Prudentiæ, per quod deſtinguatur à cæteris virtutibus?*
3 *Virtus Prudentiæ, quamvis intellectualis ſit, ſpectat etiam ad Voluntatem.*
4 *Prudentia eſt Virtus.*
5 *Et eſt Virtus ſpecialis à cæteris diſtincta.*
6 *Exponitur, quomodo diſtinguatur à cæteris Virtutibus.*

1 NOMEN ſuum Prudentia traxit ab eo, quòd procul videat, quæ agenda, vel fugienda ſunt: ut tradit Div. Iſidorus *lib.* 10. *Ethymologiar. cap.* 15. Conſonat ipſe Philoſophus, qui dixit 6. *Ethic. cap.* 5. Prudentiam eſſe rerum appetendarum, & vitandarum ſcientiam. Non conſiſtit autem Prudentia, de qua agimus, & quæ virtus moralis eſt, in hac præciſa cognitione, & ſcientia rerum appetendarum; ſtare ſiquidem poteſt in homine talis cognitio, & ſcientia, quin bona, & recta operatio ſequatur, quæ reddat hominem prudentem. Sic intellectus ex munere ſuo repræſentare poterit voluntati honeſtatem, vel turpitudinem objecti, abſque eo quod moveatur voluntas ad amplectendum honeſtum, & vitandum turpe; & tunc non habebitur Prudentia, quæ requiritur ad reddendum hominem prudentem, & de qua agimus. Cum prudens non dicatur homo ex mera cognitione boni, ſed potiùs ex boni operatione, ut rectè habet Philoſophus 6. *Ethic. cap.* 12. Non enim virtus eſt ſpeculativa, ſolùm contenta conſideratione ſui objecti; ſed practica tandem ad aſſecutionem illius.

2 Quamvis etiam proprium ſit cæterarum Virtutum, adeo ut ſit commune Prudentiæ & illis; ferri in honeſtatem ſuorum objectorum, & contraria illorum evitare per repræſentationem factam ab intellectu virtute ſui luminis voluntati. Nihilominus hoc ſpeciale eſt ipſi Prudentiæ, eamque à reliquis Virtutibus contradiſtinguit, quòd videlicet ſit quidam habitus, quo voluntas intellectum movet ad inveſtigandam honeſtatem cujuslibet objecti, vel ejus turpitudinem in caſu dubio, ut de ea conſideratè, & maturè judicet. Licèt enim intellectus ex ſua nativa virtute habeat veritatem, aſſequi, & quod honeſtum, & turpe eſt in quolibet objecto agnoſcere; nihilominus ſi evidens non fuerit honeſtas, vel turpitudo objecti, magna cum difficultate ſe applicabit ad dignoſcendum, & inveſtigandum, niſi à voluntate moveatur ad id efficiendum. Hinc eſt, munus ſpeciale Virtutis Prudentiæ, prout diſtinctæ à reliquis, eſſe hanc difficultatem ſuperare, & vincere.

3 Virtus ergo Prudentiæ quamvis intellectualis dicatur, & ſit, eo quia præcipuè intellectui inhæreat; nihilominus non ſolum ſpectabit ad illum, ſed etiam ad voluntatem, cum utramque potentiam habeat perficere. Et quidem quòd ſpectet ad voluntatem, patet ex eo, quòd ortum ex illa habeat, quatenus intellectum applicat ad conſiderandum, & exactè examinandum, quænam honeſtas, vel turpitudo inſit in cujuslibet Virtutis objecto. Quòd verò ad intellectum pertineat, conſtat ex eo, quòd intellectus à voluntate applicatus reducit ad examen, quid in objecto propoſito amplectendum vel fugiendum ſit à Virtutibus.

Ex dictis colligitur 1. Prudentiam eſſe virtutem, & 4
ratio eſt, quia eſt habitus perficiens hominem, quà homo eſt, quatenus videlicet ratione, & voluntate præditus. Perficit ſiquidem voluntatem, quæ ſuo imperio intellectum applicat ad inquirendam honeſtatem in quolibet objecto operabili; in quo ſenſu dicta fuit Prudentia à Philoſopho 6. *Ethic. cap.* 5. Habitus cum vera ratione activus. Perficit quoque intellectum in conſultandis, & examinandis rebus agendis, ut reperiat bonum in ipſis, & aptiora media ad illius conſecutionem inveniat: Prudentis namque viri eſt conſultare de iis, quæ ſibi bona, & utilia ſint; ac rectè judicare de iis, quæ in conſultationem deducta fuere. Sic Div. Auguſtinus *lib.* 2. *de liber. Arbitr. cap.* 18. *&* 19. Div. Thomas 1. 2. *quæſt.* 55. *art.* 4 & Ariſtoteles 2. *Ethic. cap.* 5. 6. *&* 7.

Colligitur 2. Eſſe Virtutem Specialem à reliquis con- 5
tradiſtinctam: ratio eſt, quia proprium hujus virtutis eſt, & quod reliquis non competit; ſuperare difficultatem illam, quam intellectus habet, in examine, & conſultatione rerum agendarum, quando earum bonitas, vel turpitudo evidens non eſt, ac de ipſis conſultis, & examinatis judicium ferre. Per hæc enim ſpecialiter diſtinguitur Prudentia à cæteris virtutibus, adeoque Specialis virtus erit ab aliis contradiſtincta, ut paſſim docent Sancti Patres prudentiam commendantes, prout collegere ex Scripturis *Sap.* 8. *Prov.* 3. *&* 4. *Matth.* 10. Sic Div. Ambroſius *lib.* 1. *de Offic. cap.* 27. Div. Auguſtinus *lib.* 1. *de Morib. Eccleſ. cap.* 15. Div. Gregorius *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. Caſſianus *Collat.* 1. *cap.* 23. ſic etiam Ethnici Philoſophi Philiarcus *lib. de Virtute Morum*, Cicero *lib.* 1. *&* 2. *Tuſcul. Quæſt.* Seneca *epiſt.* 68. & Ariſtoteles 6. *Ethic. cap.* 5.

Ut autem ſingillatim pateat, Prudentiam contradi- 6
ſtingui à cæteris Virtutibus 1. demonſtratur diſtingui à Theologia, quæ magna ex parte eſt ſpeculativa, nec verſatur circa actiones noſtras immediatè, ſed circa Deum; quòd ſi Prudentia ſupernaturalis fuerit, convenit cum illa: ſicuti enim Theologia ſupponit fidem expreſſam myſteriorum, & cognitionem multarum veritatum naturalium; ſic & Prudentia Supernaturalis ſupponit fidem principiorum revelatorum pertinentium ad mores, & naturalem cognitionem veritatum non revelatarum. 2. à Virtutibus Theologicis Fide videlicet, Spe, & Charitate: nam iſtæ virtutes immediatè verſantur circa Deum, ut immediatum ſuum objectum credendo,

ſendo, ſperando, diligendo; adeoque noſtras actiones non dirigunt, ut dirigit Prudentia, quæ verſatur in inquirenda honeſtate rerum agendarum; & quæ ſi Chriſtiana fuerit, neceſſariò ſupponere debet fidem. 3. à reliquis Virtutibus Moralibus, Fortitudine ſcilicet, Temperantia, & Juſtitia; eo quia Virtutes iſtæ mores hominum componunt, & reſpiciunt actiones honeſtas ſub ratione boni; ac regulantur, & diriguntur ab ipſa Prudentia. Secus verò Prudentia dirigit operationes intellectus, quæ verſantur in inquirenda honeſtate, vel turpitudine rerum agendarum; & reſpicit actiones humanas honeſtas ſub ratione veri, cum ad ipſam ſpectet conſiderare, quæ actiones ſint verè honeſtæ; & quæ appareant tales, cum non ſint; & quæ apertè ſint inhoneſtæ; demum ipſa eſt menſura, & regulatrix reliquarum virtutum moralium. 4. à Dotibus intellectualibus, nempe à Sapientia, quæ eſt ſpeculativa, & ſiſtit circa res Divinas, ac judicat per cauſas ſupremas; Prudentia verò eſt practica, & ſiſtit circa actiones humanas, ac judicat per cauſas inferiores. Ab Intellectu, qui eſt habitualis cognitio principiorum, ex quibus deducitur notitia aliorum; Prudentia verò verſatur circa particularia, quæ ex principiis cognoſcuntur. A ſcientia, quæ eſt univerſalium, & eſt ſpeculativa; è contra Prudentia eſt particularium, & eſt practica. Ab Arte demum, quæ eſt recta ratio faciendorum, & dirigit ad opus externum, quod non reddit bonum operantem; Prudentia tamen eſt recta ratio agendorum juxta Ariſtotelem 6. *Ethicor. cap.* 5. & dirigit actiones præcipuas hominis, ut tali directione adhibita bonus dicatur, & ſit.

CAPUT II.

Quotuplex ſit Prudentia, & quæ Munia exerceat.

1 *Prudentia alia Naturalis, & acquiſita; alia Supernaturalis, & infuſa.*
2 *Diviſio Prudentiæ in partes Subjectivas, Potentiales, & Integrales.*
3 *Prudentia in partes Subjectivas dividitur in Monaſticam, & Politicam; & hæc in Occonomicam, Civilem, Legislatricem, & Militarem.*
4 *Adnotantur nonnulla de Prudentia.*
5 *Prudentia in partes Potentiales dividitur in Eubuliam? Syneſin, & Gnomen.*
6 *Prudentia in partes Integrales dividitur in Memoriam, Intelligentiam, Providentiam, Rationem, Docilitatem, Solertiam, Circumſpectionem, & Cautionem.*
7 *Quodnam ſit Munus Prudentiæ?*
8 *Prima Functio Prudentiæ bene conſultare de mediis. Secunda Functio bene judicare poſt conſultationem. Tertia Functio bene imperare, ac executionem præcipere.*

1 PRUDENTIA poteſt eſſe Naturalis, & acquiſita; ac Supernaturalis, & infuſa. Naturalis, & acquiſita dicenda erit, quæ non excedit limites rationis naturalis, & acquiritur per frequentatos ejus actus, & quam ſolam Naturales Philoſophi agnovere. Supernaturalis, & infuſa illa dicitur, quæ naturalis notitiæ limites excedit, & pendet à fide, ac ex Virtutibus Moralibus ſui Ordinis: ſicuti enim dantur Virtutes morales, quæ commenſurantur Prudentiæ naturali, ac tendunt in honeſtum naturale, & conſentaneum naturæ rationali, quà talis eſt; ita etiam dantur Virtutes quædam morales, quæ commenſurantur dictamini Prudentiæ infuſæ, & tendunt in honeſtum ſupernaturale, & conſentaneum ſtatui hominis ſupernaturali; ut habet Divus Thomas 1. 2. *quæſt.* 58.

2 Celebris eſt Diviſio Prudentiæ ab eodem Angelico Doctore facta 1. 2. *quæſtion.* 48. *artic. unic.* in partes Subjectivas, Potentiales, & Integrales. Subjectivas partes vocat ſpecies inferiores ſuo generi ſubjectas: ſic homo, & brutum ſunt partes ſubjectivæ animalis. Potentiales partes dicit virtutes quaſdam adjunctas, quæ oriuntur à Prudentia, tamquam actus à ſua potentia. Integrales partes nominat, ſeu quaſi integrales functiones quaſdam, quæ licèt verè, & intrinſecè Prudentiam non conſtituant, nec integrent; nihilominus ad illius rectum uſum maximè juvant; & de neceſſe concurrere debent.

3 Dividitur ergo 1. Prudentia ut in partes Subjectivas in Monaſticam, & Politicam. Prudentia Monaſtica, quæ etiam dici conſuevit Solitaria, Singularis, Particularis, & Perſonalis, illa eſt, qua quis in ſingulis actionibus ſpectat, quid agere deceat intendens proprium bonum privatum. Politica verò, ſeu Gubernatrix illa eſt, qua quis in ſingulis actionibus ſpectat, quid agere deceat intendens non proprium bonum privatum, ſed Commune, & alienum. Et hæc multiplex eſt Oeconomica, quæ bonum commune familiæ, & Domeſticorum intendit. Civilis, quæ bonum Commune Civitatis per rectam adminiſtrationem, & Legum obſervantiam procurat. Legislatrix, quæ bonum Commune reſpicit in condendis idoneis Legibus. Militaris denique, quæ bonum Commune vult per rectam militum inſtitutionem, ut ritè inſtituti munus ſuum ſtrenuè, ac fortiter exequi valeant.

4 Adnotanda hìc ſunt nonnulla. Et 1. Prudentiam monaſticam, & Perſonalem eſſe abſolutè, & ſimpliciter, ac propriè talem: nam ille ex Ariſtotele 6. *Ethic. cap.* 8. dicendus eſt abſolutè, & ſimpliciter prudens, qui ſua pro cæteris omnibus curat, ac ſeipſum omni virtute exornat. Nec revera prudens dicendus eſſet, qui aliena prudenter gereret; propria verò, ac ſua imprudenter. Reliquæ tamen Prudentiæ non dicuntur abſolutè tales, ſed cum addito, ut Prudentia Oeconomica, Prudentia Civilis &c. 2. Prudentiam Monaſticam, & Perſonalem conſtare poſſe variis partibus integrantibus: nam quis prudens poteſt eſſe in Juſtitia, non verò in Temperantia, & Fortitudine: ut autem dicatur abſolutè prudens & ſimpliciter, debet talis eſſe in omni materia virtutis paſſim occurrente. 3. Prudentiam monaſticam, & Perſonalem extendi poſſe ad alias Prudentiæ ſpecies: ſic ſi Pater familias per prudentiam Oeconomicam, qua bonum commune ſuæ familiæ intendit; intendat etiam ſatisfacere muneri ſuo; tunc prudentia monaſtica complecteretur Oeconomicam. Sic etiam ſi Magiſtratus Civitatem gubernet, Legislator Leges condat, & Dux exercitus milites inſtituat, ut muneri ſibi commiſſo rectè ſatisfaciant per proprias actiones; tunc Prudentia Monaſtica complecteretur Civilem, Legislatricem, & Militarem. Hinc fit, quòd Prudentia Perſonalis omnino completa illa erit, qua quis in omni Statu, & officio ſe gerere debeat, ut decet ad honeſtè agendum.

5 Dividitur 2. Prudentia ut in partes Potentiales, in Eubuliam, Syneſin, & Gnomen, quæ ex Prudentia tamquam actus à potentia oriuntur. Eubulia eſt habitus, qui præbet facultatem rectè conſultandi, ac inveniendi bonum conſilium in rebus agendis ambiguis, & perplexis. Syneſis eſt habitus rectè judicandi de rebus conſultatis ex conſideratione principiorum practicorum, hoc eſt ſecundum Leges Naturales, & poſitivas ac fines illarum juxta mentem Legislatoris. Gnome eſt habitus rectè judicandi de conſultatis ex principiis quibuſdam altioribus ob circumſtantias occurrentes præter tenorem verborum Legis, ſed non contra mentem Legislatoris, quæ benignè interpretatur. Nimis probabile puto hos habitus, licèt realiter diſtinctos inter ſe, non realiter tamen eſſe diſtinctos ab ipſa Prudentia, ſed eſſe ipſam Prudentiam inadæquatè conſideratam, ut ad hanc, vel illam functionem ſe extendit: ſic Prudentia quatenus rectè conſultat de rebus agendis ambiguis, & perplexis dicitur Eubulia; quatenus de rebus conſultatis rectè judicat ſecundum principia practica, Leges naturales, & poſitivas, ac fines illarum, dicetur Syneſis; quatenus verò judicat præter verba Legis ob circumſtantias occurrentes ex altioribus principiis benignè interpretando mentem Legislatoris, dicetur Gnome.

6 Dividitur 3. Prudentia ut in partes Integrales, in Memoriam, Intelligentiam, Providentiam, Rationem, Docilitatem, Solertiam, Circumſpectionem, & Cautionem. Dicuntur iſtæ partes integrales Prudentiæ, non quia Prudentiam conſtituant, & intrinſecè integrent; ſed quia haberi nequit perfectus uſus Prudentiæ ſine illis, cum non leviter conducant ad illum. Memoria hìc ſignificat recordationem eorum, quæ lecta, audita, viſa, aut alio experimento accepta ſunt; ex his enim facilè colligitur, quid in rebus agendis expediat: Intelligentia importat notitiam, & cognitionem præſentium, ut quis enim rectè judicet, neceſ-

necessarium est, ut notum, ac bene perspectum habeat statum rei agendæ. Providentia est consideratio futurorum eventuum, qui sequi possunt ex re agenda. Ratio promptitudinem affert ratiocinandi, seu unum ex alio inferendi in rebus agendis. Docilitas est affectus, & promptitudo ad discendam, & suscipiendam Doctiorum doctrinam, & eruditionem in rebus agendis. Solertia, & Sagacitas est inventio tempore brevissimo medii, & rationis alicujus, cur res agenda probanda sit, vel improbanda. Circumspectio est circumstantiarum consideratio, ne aliqua desit in re agenda. Cautio denique præcavet, & removet incommoda, quibus res agenda, est exposita. Hinc est quòd ille censeatur prudenter operari, qui præteritorum recordatur; præsentia rectè cognoscit; futura prævidet; promptè discurrit; doctrinam, & eruditionem suscipit, rationes & media brevi tempore adinvenit; considerat circumstantias; & incommoda præcavet. Ex enumeratis sunt actus Prudentiæ, utpote ab ea eliciti, Intelligentia, Providentia, Circumspectio, & Cautio; reliquæ verò scilicet, Scientia, Ratio, Solertia, & Docilitas non eliciuntur à Prudentia, quamvis requirantur ad illam acquirendam, vel si acquisita fuerit ad ejus perfectum usum.

7 Munus Prudentiæ est, ut ex dictis hucusque colligitur; Virtutibus Moralibus finem, & media ab ipsis prosequenda proponere; ideoque rectè D. Bernardus dixit *Serm. 44. in Cantic.* Prudentia non tam virtus est, quam quædam Moderatrix, & Auriga Virtutum, ordinatrix affectionum, & Morum doctrix; & D. Thomas 1. 2. *quæst. 66. art. 3. ad 3. ait*: Prudentia non solum dirigit Virtutes morales in eligendo ea, quæ sunt ad finem, sed etiam in præstituendo finem. Quapropter tres sunt Functiones Principales, quas Prudentia exercet in dirigendo, & regulando Virtutes Morales; quas quidem Functiones cum sollicitudine, & diligentia facit, prout conditio Personæ, & momenta negotii, ac rei agendæ exposcit: nam si quis adhibuit, quantum potuit ad recte & prudenter operandum, etiamsi speculativè erret; erit ejus judicium prudens.

8 1. Functio est bene consultare, inquirendo videlicet, quæ media, & quæ circumstantiæ necessariæ sint, ad hoc ut opus faciendum honestè, & secundum virtutem fiat: in singulis siquidem negotiis idonea media per consultationem requirit, ut negotium secundum virtutem exeat. 2. Functio est bene judicare post consultationem; nam diligenter considerata re agenda, & inquisitis mediis necessariis concludit, quid agendum sit, & quo modo, loco, & tempore, & aliis circumstantiis sit agendum. Confert autem ad hoc rectum judicium faciendum promptas habere Sapientum sententias, maximè quæ in Proverbiis, & Ecclesiastico Salomonis continentur ad informandum hominem Prudentia in omni ejus vita. 3. Functio est bene imperare, ac executionem præcipere, non per imperium ab ipso recto judicio distinctum, sed per ipsum judicium, quo prudens judicat, opus cum talibus circumstantiis faciendum esse; quod quidem judicium cum efficientia influit in actus voluntatis. Et in hoc sensu dicitur prudentia per se movere virtutem moralem ad effectum honesti in singulis actionibus, ostendendo videlicet ea, cum quibus operari debeat, ut honestè operetur. Hinc est, quòd ut rectè ait D. Thomas 1. 2. *quæst. 9. art. 13.* Prudentia perfecta in solis viris probis reperiri poterit; eo quia ipsi habeant affectum rectè dispositum in omni materia virtutis ad honestatem, & ipsi soli rectè judicare possunt in omni negotio occurrente, & secundum honestatem. Improbi verò, vel alicui vitio dediti nequeunt habere, nisi imperfectam prudentiam; eo quia pravus ille affectus, quo premuntur, non sinit eos prudenter judicare in materia virtutis sibi oppositæ, & ita experientia in dies comprobat.

CAPUT III.

Quomodo peccari possit contra Prudentiam.

1 *Dupliciter peccari potest specialiter contra prudentiam per defectum scilicet, & excessum.*
2 *Quadruplici modo peccatur per defectum contra Prudentiam.*
3 *Ad prædictos defectus reducuntur alii.*
4 *Elucidatur oppositio quatuor defectuum supradictorum cum Prudentia.*
5 *Quodnam peccatum sit deficere in Prudentia per enumeratos defectus?*
6 *Peccatur per excessum contra Prudentiam sex modis. Et 1. per Prudentiam carnis.*
7 *2. Per Astutiam.*
8 *3. Per Dolum.*
9 *4. Per Fraudem.*
10 *5. Per sollicitudinem Temporalium.*
11 *6. Per sollicitudinem Futurorum.*
12 *Quando sollicitudo Temporalium, & Futurorum attingit grave peccatum?*

LICET omne peccatum genericè dici possit, esse contra Prudentiam; eo quia omnis peccans, teste Philosopho, sit imprudens, imò ignorans; nihilominus hic inquirimus ea peccata, quæ specialiter committi possunt contra Prudentiam. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 53. 54. & 55. quem communiter sequuntur cæteri Doctores, docet, dupliciter peccari posse contra Prudentiam, per defectum videlicet, & per excessum; ratio autem est, quia sicuti objecta cæterarum virtutum consistunt in medio juxta vulgatum illud axioma; in medio consistit Virtus, sic etiam objectum Prudentiæ; adeoque qui ab ejus rectitudine declinat sive per defectum, sive per excessum contra Prudentiam peccabit.

Peccatur verò contra Prudentiam per defectum quadruplici modo. Et 1. per Præcipitationem, si videlicet quis opus aggrediatur, aut judicium ferat, vel deliberet de mediis, modo, ordine exequendi, de cavendis impedimentis absque consultatione; iste talis peccabit recedendo à Regula Prudentiæ dictante, non esse hæc facienda absque sufficienti consultatione, nec præcipitanter operandum esse. 2. per Inconsiderationem rei, & ejus circumstantiarum ferendo judicium de illa; qui enim sic agit, recedit à Regula Prudentiæ dictante, antequam judicium de re proferatur, diligenter eam inspiciendam esse, ac ejus circumstantias. 3. per Inconstantiam mutando sententiam ob leves ratiunculas, & sine justa causa de rebus deliberatis, & rectè judicatis: qui enim sic operatur, deficit à Regula Prudentiæ dictante, constanter inhærendum esse rebus deliberatis, & rectè judicatis; nec recedendum ab illis ob levia motiva, & sine justa, & rationabili causa. 4. per Negligentiam, cum quis ex laxitudine animi, & torpore negligit, vel insufficienter præstat consultationem, & judicium in rebus agendis à Prudentia requisitis; adeoque peccabit contra Regulam Prudentiæ ea dictantem, & à regula ista deficit. 9

Ad prædictos defectus contra Prudentiam reducuntur alii, nempe Oblivionitas, Indocilitas, & defectus ratiocinandi, quæ ad Præcipitationem attinent. Defectus Intelligentiæ, Cautelæ, & Circumspectionis ad Inconsiderationem referuntur. Improvidentia, & defectus solertiæ ad Inconstantiam, & Negligentiam spectant. 10

Ut autem clariùs innotescat oppositio quatuor defectuum supradictorum cum Prudentia, sciendum est, Præcipitationem directè opponi Consilio à Prudentia requisito; Inconsiderationem Judicio; Inconstantiam Firmitati Judicii; denique Negligentiam Vigilantiæ rationis in exequendo. Prudentia namque requirit in rebus agendis, ut ex suo præscripto fiant, quod de ipsis consilium habeatur, & Consultatio; deinde rectum judicium proferatur, cui firmiter adhærendum erit; denique cum vigilantia opus exequendum erit: adeoque hos actus omittere, qui necessarii sunt, ut opus honestè fiat tempore suo; erit peccare contra Prudentiam, & in ea deficere.

Inquires tamen: quodnam peccatum sit deficere in Prudentia per Præcipitationem, Inconsiderationem, Inconstantiam, & Negligentiam? Resp. si versentur circa materiam aliquam specialem, suam gravitatem, vel levitatem desument à gravitate, vel levitate materiæ illius, & in ea specie constituentur, in qua est ipsa materia. Sic qui sacrum omittit absque ullo examine, vel tantùm levi, si dies ille sit festivus graviter peccabit contra Religionem; & è contra si levem quantitatem comedat die jejunii absque prædicto examine, an dies sit jejunii; leviter peccabit contra Temperantiam. Idem dicendum, si alienum in notabili quantitate accipiat absque prævio examine, an suum sit, vel alienum; graviter peccabit contra Justitiam; & è contra leviter, si alienum levis quantitas fuerit; & sic de reliquis Virtutum materiis. Advertendum hic, quòd hæc peccata non sunt specialiter contra Prudentiam, sed contra Virtutes à Prudentia regulatas. Ut autem opponantur 12

Vir-

Virtuti speciali Prudentiæ ; nullam materiam determinatam recipere debent ; sed veluti in genere procedere, ac velle in rebus agendis præcipitanter , inconsideratè ; inconstanter ; & negligenter se gerere absque consultatione honestatis earum , ac maturi judicii de illis . In quo casu grave peccatum erunt , non ratione sui , sed ratione periculi committendi grave peccatum contra præcepta , aut omittendi executionem eorum ; cum Prudentia non præcipiatur per se, sed propter opus regulandum ab ipsa; sicuti Imprudentia non est per se peccatum , sed quia causa est committendi illud . Et hinc est ; quòd Prudentia licèt non præscribat modum procedendi singulis Virtutibus circa earum honestatem; præscribit tamen genericè, ut dubia examinent, & maturè judicent de rebus agendis à sè , ne se exponant periculo peccandi , & inhonestè agendi . Sic Lessius *lib.* 1. *cap.* 2. *dubit.* 4. *num.* 20. & Castropalaus *de Pruden. punct.* 3. *num.* 2.

6 Peccatur contra Prudentiam per excessum , cum non minus sit declinare ab illa per defectum , quàm per excessum . Sex autem modis quis excedere potest contra Prudentiam sub quadam ficta specie prudentiæ , cum revera talis non sit . Et 1. per Prudentiam Carnis excogitando videlicet, & investigando ea media, quæ accommodata sunt ad vivendum secundum carnem. Vivere autem secundum carnem est sequi instinctum, & motum appetitus carnalis , & naturæ corruptæ faciendo opera carnis, quæ sunt fornicatio, impudicitia , & alia, quæ enumerat Apostolus *ad Galat. cap.* 5. Opponitur hæc Prudentia Carnis Prudentiæ Spiritus , quæ est sapere secundum spiritum , & opera ejus facere . Porro Prudentia Carnis utpote opposita Prudentiæ Spiritus falsa , & fallax est , ac inimica Deo , ut ait Apostolus *ad Rom.* 8. & consequenter peccaminosa , secundum qualitatem finis carnalis consequendi ; qui si gravis erit , mortale peccatum committetur ; si verò levis , leve committetur peccatum ; ut tradunt Lessius *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 24. & Castropalaus *de Prudent. punct.* 3. *num.* 3.

7 2. Per Astutiam , cujus proprium est excogitare media simulata, & fallacia ad finem consequendum; proprium enim Astutiæ est, aliquid agere modo occulto, nec satis obvio : quapropter qui in negotiis , contractibus, & aliis rebus agendis utuntur modis non passim obviis , quibus vel decipiunt alios; vel præcavent , ne decipiantur ab aliis ; astuti dici consueverunt . Est similis Astutia Prudentiæ , cum sit revera vitium , ut expressè habet Divus Augustinus *lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3. Omnibus Virtutibus quædam vitia esse similia ; sicuti Astutia Prudentiæ similis est , quæ tamen est Vitium . Videtur tamen quædam species Prudentiæ carnis , adeoque peccaminosa ut illa : quapropter hortabatur Apostolus *Corinth.* 2. *cap.* 4. *Ne ambularent in Astutia* ; quæ qualitatem peccati accipit ratione affectus finis intenti, & nocumenti , quod subsequi potest proximo: nam si grave erit, gravis culpa erit Astutia ; si verò leve , levis culpa ; ut docent Cajetanus *in summ. verb. Astutia* , Lessius *lib.* 1. *capitul.* 2. *dubio* 4. *numer.* 24. *in fine* , & Castropalaus *de Prudent. punct.* 3. *num.* 3.

8 3. Per dolum , consistit autem dolus in executione Astutiæ facta in damnum proximorum , sive verbis , sive factis. Regulariter dolus locum habet in materia justitiæ, ut in contractibus, & distributionibus ; & est peccaminosus secundum gravitatem, vel levitatem damni , quod infert . De peccatoribus dicitur *Ecclesiast.* 19. *interiora ejus plena sunt dolo ; & Psalm.* 5. *Dolos tota die meditabantur* .

9 4. Per fraudem ; est etiam Fraus executio Astutiæ , ut dolus in damnum proximorum , vel Legis . Differt tamen à dolo, quia est executio Astutiæ factis tantùm: sic est cum pondus , vel Mensura est minor justo, Moneta est adulterina , Merces vitiatæ fiunt. Tam Fraus, quam dolus sunt actus externi Astutiæ , & ambo contra Prudentiam per excessum ; & de ambobus dicitur vulgatum illud axioma : Fraus , & dolus nemini debet patrocinari , quod continetur *in Cap. Ex tenore . De Rescript.* quamvis *in leg. Nemo. ff. de Regul. jur,* dicatur etiam : Fraudem non fieri ei , qui scit, & consentit . Poterit etiam Fraus fieri contra legem , & ipsi Legi . Contra Legem fiet, si fiat contra id , quod à Lege vetatur , vel præcipitur ubsque illo artificio , & colore , quo tegitur violatio . Ipsi legi fit , quando ita agitur quodam artificio contra mentem Legis , ut appareat illi non repugnare, vel supponendo Personam pro Persona , vel rem pro re , aut contractum pro contractu. Et qui his, vel similibus modis agunt , dicuntur fraudem facere Legi , aut in fraudem Legis operari; & si coram hominibus videantur Legem servare, revera coram Deo sunt Legis prævaricatores, & peccabunt secundum gravitatem, vel levitatem materiæ . Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 2. *dubitat.* 4. *num.* 27.

10 5. Per sollicitudinem Temporalium exceditur in Prudentia , cum videlicet quis ex inordinato habendi amore , vel amittendi timore occupatur in conquirendis temporalibus, vel illis conservandis. In quo vitio tria continentur, affectus nimius, & immoderatus ad bona temporalia; timor ac animi anxietas , ne in illis acquirendis cuncta non sint prospera, aut damnum eveniat; & nimia occupatio mentis in illis cogitandis, & tractandis.

11 6. Per sollicitudinem futurorum exceditur etiam in Prudentia , consistit autem hæc Sollicitudo in nimia mentis occupatione circa futura, & præcipuè circa necessaria vitæ , & solet distrahere animum à cogitandis rebus salutis æternæ . Ut plurimùm habet sibi annexam anxietatem quamdam , & parvam fiduciam de Divina Prudentia , & reducitur ad speciem Sollicitudinis Temporalium . Sic dicitur sollicitus , qui præter ordinem , & rationem , ac plusquam par est animum , & mentem suam occupat in recogitando de victu, & vestitu aliis rebus ad vitam sustentandam necessariis in annos futuros , vel menses , aut dies .

12 Utraque hæc sollicitudo Temporalium , & Futurorum si nimia , intempestiva , & immoderata fuerit , ita ut animum à Spiritualibus revocet, & à seria recogitatione illorum, ac secum trahat cupiditatem rerum Temporalium , quæ ut ait Apostolus 1. *ad Timoth. 6. Radix est omnium malorum* ; pertingere poterit ad grave peccatum, quando videlicet quis ita fuerit sollicitus Temporalium , & Futurorum , ut paratus sit violare præceptum aliquod in re gravi sive omittendo, sive committendo . Cæterùm si animum ita paratum non habuerit , erit veniale peccatum , ut ex Divo Thoma docet Lessius *lib.* 1. *cap.* 2. *dubit.* 4. *num.* 31. Semper tamen cavenda erit hæc nimia Sollicitudo Temporalium , & Futurorum ; ideoque Christus Dominus *Matth. 6.* dixit : *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus , aut quid bibemus , aut quo operiemur* . Et inferiùs repetens quæ dixerat , concludit : *Nolite ergo solliciti esse in crastinum , crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi , sufficit diei malitia sua* . Quòd si utraque Sollicitudo Temporalium , & Futurorum moderata , & tempestiva fuerit , ac secundùm rectam rationem , ita ut nec cupiditatem Temporalium , nec animum revocet à Spiritualibus: non solùm non erit peccaminosa , sed prudens , & commendabilis : quapropter *Proverb.* 10. *dicitur : Qui congregat in messe , filius sapiens est ; qui autem sternit æstate , filius confusionis.* Et priùs dictum fuerat *Prov. 6. Vade ad formicam ò piger , & considera vias ejus , & disce Sapientiam ; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem; parat in æstate cibum sibi , & congregat in messe , quod comedat .*

QUÆSTIO IX.

DE JUSTITIA.

INTER Virtutes Cardinales secundum locum obtinet Justitia, ideo explicata Prudentia aggredimur explanandam Justitiam; quæ est Virtus latè patens, ac ferè in omnibus negotiis, ac humanis commerciis satis obvia. Agemus igitur de iis, quæ Justitiæ generaliter sumptæ competunt, Juri, & Speciebus Juris; nec non de Virtutibus Justitiæ annexis.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Justitia, & circa quod versetur.

1 *Quænam sit acceptio Justitiæ, prout constituit Virtutem Cardinalem?*
2 *Definitur Justitia:*
3 *Est Virtus Specialis,*
4 *An Justitia intercedens inter Patrem, & Filium; Dominum, & Servum; Maritum, & uxorem sit justitia simpliciter dicta.*
5 *Primariò, & per se versatur justitia circa Actiones; secundariò circa res, & Passiones.*

1 QUAMVIS nomen justitiæ accipi possit ad significandam complexionem omnium virtutum, per quam homo sive actu, sive habitu formaliter conformet, & commensuret suam voluntatem Legi Divinæ: illud enim justum dicitur, quod est commensuratum suæ Regulæ, cui commensurari debet; & in quo sensu dixit Christus Dominus *Matth.* 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt Justitiam*: nam justitia ex Divo Chrysostomo *in Matth. homil.* 12, nihil aliud est, quàm omnium Mandatorum plena custodia. Ex quo etiam fit, ut nomen justitiæ accipi possit pro Charitate, quæ voluntatem reddit conformem toti legi Divinæ, ac in se continet complexionem omnium virtutum, juxta illud Divi Pauli: *ad Coloss. 3. Charitatem habete, quæ est vinculum Perfectionis*. Nihilominus relictis his significationibus accipitur hic justitia pro virtute particulari, quæ habet inclinare voluntatem ad reddendum unicuique jus suum ad æqualitatem, & sic accepta constituit Virtutem Cardinalem, de qua agimus.

2 Definiri solet justitia cum Ulpiano *in Leg. justitia ff. de justit. & jur.* Constans & perpetua Voluntas jus suum cuique tribuendi; & simili quodam modo definitur à Divo Ambrosio *lib. 1. de Offic. cap. 24.* justitia est Virtus, quæ sua cuique distribuit. Nec dissentit Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 58. *art.* 1. justitia est habitus secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit. Ex quibus deducitur, justitiam esse habitum, seu virtutem inclinantem voluntatem costanter & perpetuò, hoc est per propositum habituale deliberatum, firmum, quod respiciat perpetuitatem. Et quidem reddendum est ad æqualitatem, aliàs nec perfectè redderetur, nec justitia esset perfecta virtus. Justum enim æqualitatem importat, ut nomen ipsum declarat, & passim ita accipitur.

3 Quòd autem habitus voluntatem sic inclinans ad reddendum unicuique jus suum, & illud intactum servandum, virtutem specialem constituat; probatur ex eo, quia hominem rectè disponit, ac reddit illum laude dignum; non levem insuper difficultatem superat in observatione ista juris alieni; denique objectum habet à reliquis virtutibus distinctum; ergo justitia erit virtus Specialis. Et 1. quidem quòd hominem rectè disponat, ac illum laude dignum reddat; patet ex eo, quia ita hominem disponere, ac instituere, ut in omnibus actionibus, quibus homines inter se communicant, ubique, constanter, & perpetuò reddat cuique jus suum cum debita proportione, & æqualitate; est per se honestum, & rectè rationi consonum, adeoque laude dignum. 2. quod non levem difficultatem superet in observatione juris alieni, constat ex eo, quia ex affectu ad hanc honestatem superat motus iræ, amorem ad pecuniam, concupiscentiam carnis, ne adulteretur, & pravos motus aliarum passionum impellentium ad lædendum jus alienum; quæ quidem difficultates nec paucæ sunt, nec leves. Imperat insuper ob suum finem peculiarem actus externos cæterarum Virtutum; qui necessarii sunt, & idonei ad consequendum illum, ne videlicet jus alienum lædatur, imò intactum servetur. 3. denique quòd objectum habeat à reliquis virtutibus distinctum, claret ex eo, quia reddere ad æqualitatem cuique jus suum, ita respiciatur ab hac virtute, ut à nulla alia respici possit. Et quidem quòd non respiciatur à cæteris virtutibus, quæ sunt ad alterum, ut est justitia, qua nequit homo se ipsum respicere, sed proximum suum; sic ostenditur: quia Virtutes Theologicæ licèt sint ad alterum, nempe ad Deum, non respiciunt tamen æqualitatem, cum impossibile sit reddere Deo ad æqualitatem. Idem dicendum de Religione, quæ est ad alterum, nempe reddere debitum Deo, ut Primum Principium est, cui nequit ad æqualitatem reddi. Similiter de Pietate, & Observantia; Pietas siquidem respicit debitum Parentibus, & Patriæ ratione natalium, quibus ad æqualitatem satisfieri nequit ab homine; Observantia verò respicit debitum Majoribus ratione Gubernationis, quibus æquale præmium reddi nequit ab homine. Denique idem dicendum de reliquis justitiæ partibus, quæ respiciunt debitum, sed minus debito justitiæ. Quòd autem nec respiciatur à Virtutibus, quæ sunt ad se ipsum, ut Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & omnes aliæ, quæ ipsis annectuntur; innotescit ex eo, quia istæ Virtutes sunt medium rationis, ut ait Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 58. *art.* 10. hoc est spectant id, quod commensuratum est subjecto juxta Regulam rectæ Rationis; justitia verè est medium rei, non enim spectat, quod commensuratur subjecto, sed quod commensuratur rei, seu juri alterius, ut nec plus, nec minus ei præstetur, sed æquale. Et adnotandum, quod medium rationis est variabile pro varietate subjectorum; non sic verò medium rei, quod semper est idem, qualecumque sit subjectum.

4 Cum igitur ex dictis justitia virtus sit Specialis inhærens voluntati, & ordinata ad alterum: cum homo ad se ipsum propriè nec justitiam præstare possit, nec injuriam; quæritur, an illa, quæ intercedit inter Patrem, & Filium; Dominum, & Servum; Maritum, & Uxorem sit justitia simpliciter dicta? Communis responsio cum Aristotele 5. *Ethic. capitul.* 6. & Divo Thoma 2. 2. *quæstion.* 54. *art.* 4. quos sequuntur cæteri Doctores, est negativa, dicitur enim justitia secundum quid: ratio est, quia ad justitiam simpliciter dictam non sufficit. quòd habeatur sola ratio debiti, sed ulterius requiritur, quòd sit ad alterum, & quòd possit servari æqualitas; quæ verificari nequeunt inter personas superiùs dictas: nam ita connectuntur inter se Pater, & Filius; Maritus, & Uxor; Dominus & Servus, ut commodum, vel incommodum unius vergat in commodum, vel incommodum alterius, & civiliter reputantur una Persona; adeoque si ita connectuntur inter se, ut unus dependeat ab alio; nequibit inter ipsos dari perfecta æqualitas, & consequenter nec justitia absolutè dicta, sed tantùm secundum quid. Nec obstat in contrarium, quòd si Pater Filium occidat, aut mutilet; vel maritus uxorem; aut Dominus Servum; peccent contra justitiam. Peccant siquidem contra justitiam, non qua Pater est, maritus, aut Domi-

Dominus, sed quà Personæ privatæ sunt non habentes facultatem occidendi, aut mutilandi hominem à se distinctum; adeoque per talem occisionem, aut mutilationem lædunt Jus Divinum, & Reipublicæ prohibens occisionem propria authoritate factam; & lædunt jus, quod habet quilibet homo, etiam si filius, uxor, aut Servus fuerit, conservandi vitam, & membra sua, in quibus lædi nequit à non habente publicam authoritatem. In multis enim Filius, Uxor, & servus sunt sui Juris, & liberi ita ut non pendeant à Patre, Marito, vel Domino; adeoque in talibus rebus erunt veluti Personæ extraneæ, nec pendent inter se; ac illis per accidens conjungitur qualitas Filiationis, Conjugii, & Dominii. In his autem rebus, in quibus sui Juris sunt, ac liberi; dari poterit inter Patrem, & Filium; maritum & uxorem; Dominum, & Servum Justitia simpliciter dicta: ut rectè docent Sotus *lib. 3. de Justitia quæstion. 1. articul. 4.* Lessius *lib. 2. capitul. 1. dub. 1. numer. 6. in fine*, Molina *tractat. de Justitia disputat. 7.* Layman *lib. 3. sect. 5. tractat. 1. capitul. 3.* & Castropalaus *de Justitia punct. 2. numer. 4. in fine*.

5 Versatur Justitia per se, & primario circa solas actiones ritè disponendo illas ad alterum circa verò res versatur, quatenus sunt materia actionum à se dispositarum: circa tamen Passiones non per se, sed secundariò versatur, quod sic ostenditur: munus Justitiæ non est moderari iram in homine, cupiditatem habendi pecuniam, aut concupiscentiam voluptatum, ne plusquam par sit exorbitent; sed est inclinare illum, ut reddat cuique ad æqualitatem constanter, & perpetuò, quod ei debitum est. Et quamvis in hoc suo munere impediri possit ab ira, cupiditate habendi divitias, aut concupiscentia voluptatum; nihilominus remotionem talium impedimentorum non præstat immediatè, & per se; sed adjutorio aliarum Virtutum; omnes siquidem Virtutes sese mutuò adjuvant, adeoque ad suum finem consequendum poterit externos actus cæterarum Virtutum aptos ad illum imperare: & sic actus illi imperati procedentes ex amore, & intentione Justitiæ dici possunt actus formaliter Justitiæ; quamvis non primariò, & per se illos respiciat; sed secundariò, & per accidens, quatenus media idonea ad suum finem primarium consequendum. Sic Lessius *lib. 2. cap. 1. dub. 2. num. 7. & 8.*

CAPUT II.

An præter Justitiam Particularem detur Justitia Generalis, seu Legalis?

1 *Datur Justitia Generalis, seu Legalis.*
2 *Quid sit hæc Justitia Generalis; quodnam ejus munus; & an distincta à reliquis Virtutibus quarum complexionem requirit?*
3 4. 5. *Distribuuntur objecta in contrarium.*
6 *Justitia Legalis diversimodè obligat Subditos ac Superiorem.*

1 JUSTITIA usque adhuc explicata est Justitia Particularis, eo quia habet perficere unumquemque hominem respectu alterius, ut partem ad partem; Civem ad Civem. Quia verò considerari etiam poterit unusquisque homo ad alterum, tamquam ad totum, cujus ipse pars sit, videlicet ad Rempublicam humanam; ideo dari debebit alia Justitia, quæ unumquemque hominem perficere debeat sub tali respectu, & habitudine, quatenus videlicet est pars totius, seu Reipublicæ prædictæ, quæ quidem Justitia Generalis dici consuevit, seu Legalis, quia Legibus bonum commune præsentibus est conformis; indiget tamen complexione omnium Virtutum, ut bonum civem instituat; nam qualibet deficiente bonus Cives esse non poterit. Sic Aristoteles 5. *Ethic. capitul. 1.* & Divus Thomas 2. 2. *quæst. 58. art. 5. quos cæteri sequuntur.*

2 Duæ tamen occurrunt difficultates in hac materia: 1. est, quid sit hæc Justitia, & quod ejus munus? 2. an sit virtus Specialis, & à reliquis, quarum complexionem requirit, sit distincta? Circa primam difficultatem dicendum: esse habitum quemdam in voluntate residentem perficientem hominem in ordine ad Communitatem. Hinc patet, munus Justitiæ Legalis esse perficere hominem, ut evadat bonus Civis per complexionem omnium Virtutum sanctè observando ea omnia, quæ Lege statuta sunt propter bonum commune. Circa secundam dicendum; esse Virtutem specialem: ratio est, quia respicit specialem honestatem, & laudabilitatem, quæ non respicitur ab aliis Virtutibus; & specialem inducit obligationem, quæ non inducitur ab aliis Virtutibus; ergo erit Virtus specialis: antecedens patet, tum quia honestas, & laudabilitas, quæ relucet in perficiendo hominem, ut ita se gerat, & suas actiones, & operationes moderetur, ut inde bonum suæ Reipublicæ eveniat, cum aliquando quis bonus sibi sit, non tamen bonus Reipublicæ; non est objectum formale, quod reluceat in aliis Virtutibus; tum quia speciale debitum, ac specialis obligatio stricta, quam habet homo, ut pars est Societatis Civilis, seu Reipublicæ ad procurandum bonum illius, etiam postposito bono proprio privato; ab alia Virtute non inducitur, nisi ab ista; ergo signum evidens est, esse specialem Virtutem, cum specialis ratio debiti fundet specialem rationem Virtutis. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst. 58. art. 6.* Sotus *lib. 3. de Justit. quæst. 2. art. 5.* Valentia *disputat. 5. quæst. 2. punct. 5. colum. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 1. dub. 3. numer. 11.* Layman *lib. 3. Summ. sect. 5. tract. 1. cap. 2.* Filliuccius *tract. 31. cap. 2. quæst. 11.* & Castropalaus *de Just. punct. 3. num. 3.*

Nec dicas 1. Justitiam Legalem esse complexionem 5
omnium virtutum, quam requirit ad formandum bonum Civem; ergo distinguenda non erit à cæteris virtutibus ad talem finem requisitis. Nam contra est, quia licèt requirat complexionem omnium Virtutum ad bonum civem formandum, imò virtualiter illas in se contineat; non inde sequitur, non esse specialem virtutem, ac ab illa complexione distinctam; sed potiùs ex hoc deduci debet, quòd sit distincta à cæteris Virtutibus, quas dirigit, & refert in bonum commune; Consonat authoritas Philosophi 5. *Ethic. cap. 1.* ubi Virtutem istam præstantissimam vocat, & perfectam; ac cum una sit, in se omnes Virtutes continet; & comparans eam cum reliquis Virtutibus, dicit, quòd instar Hesperi inter Virtutes relucet: sicuti ergo Hesperus non est complexio cæterarum stellarum, inter quas relucet; sic Justitia Legalis non erit complexio Virtutum, inter quas eminet: adde, quòd comparatio ipsa distinctionem supponit.

Dices 2. procurare bonum Commune Reipublicæ, 6
& functiones cæterarum Virtutum ad illud dirigere, cum opus fuerit; est munus optimè congruens Virtuti Pietatis; adeoque Justitia Legalis erit ipsa Pietatis Virtus. Sed contra: quia debitum Pietatis non est procurare bonum Commune Reipublicæ; sed Patriæ, vel Parentum; Patriæ ratione natalium, & ortus; Parentum, quia sunt principium ortus. Justitia verò Legalis debitum habet procurandi bonum commune Reipublicæ, etiamsi patria non sit. Insuper debitum Pietatis non est adeo strictum, ut est debitum justitiæ Legalis; altiori siquidem, & strictiori debito adstringitur pars cum suo Toto, & Civis cum sua Republica, ac membrum cum suo corpore, ut evenit ratione justitiæ Legalis; quàm ratione Ortus, & Natalium, vel ratione principii illorum. Cum igitur ex distinctis, & diversis debitis distinctæ, & diversæ Virtutes consurgant; ideo dicendum erit, diversas Virtutes inter se esse justitiam Legalem, & Pietatem. Poterit tamen Pietas respicere bonum Commune Familiæ, & Domus; ut respicit bonum commune Patriæ; quia ambo sunt bona limitata, quamvis strictiùs obliget bonum Commune Patriæ, quàm bonum commune familiæ: quamvis ambo hæc bona cedant bono communi Reipublicæ, quod est latissimum, & magis obligans præ bono Patriæ, & familiæ, ac Parentum.

Dices 3. quæ sunt propria Virtutis specialis justitiæ 7
Legalis maximè videntur congruere Virtuti Obedientiæ; ergo cum Obedientia confundenda erit; ut ex Aristotele, & D. Thoma sustinet Lessius *lib. 4. cap. 1. dubit. 3. n. 19.* Nihilominus ab Obedientia etiam distinguenda erit: & ratio est, quia Obedientia, ut Virtus specialis est, facit opus ex affectu præcepti, nec aliam honestatem respicit; justitia verò Legalis opus facit ex affectu ad bonum Commune, & ex hac honestate movetur. Cæterùm an confundi debeat cum Obedientia, non ut Virtus specialis est, sed ut Virtus quædam Generalis, prout videlicet inclinat ad faciendum id, quod Lege præceptum est, etiamsi ex affectu obedientiæ non faciat, in quo sensu omnes Virtutes Legi obediunt, quæstio est de nomine, in qua non recedendum à Communi modo loquendi, qui Justitiam

Legalem appeliat. Non nego tamen, quòd sic considerata virtutes omnes complectitur Obedientia Generalis, quæ etiam dici potest Virtus universa, quatenus omnes inserit, easque insertas custodit, ac ad functionem, & materiam illarum inclinat. Denique quia Obedientia Generalis respicit alterum, nempe Superiorem, cujus Legibus obedit; respicit quoque bonum commune, quod in Legum observantia, & Custodia situm est. Sed ut dixi, cum sit quæstio de nomine, potiùs dicenda erit Justitia Legalis, prout passim accipitur, quàm Obedientia Generalis à speciali distincta.

6 Adnotandum hic 1. diversimodè Justitiam Legalem obligare Subditos, ac Superiorem; nam subditos obligat per complexionem omnium Virtutum ad obediendum Legibus ob bonum commune Reipublicæ; Superiorem verò obligat per complexionem omnium virtutum, ut Leges servari curet ob bonum commune Reipublicæ: nam si eum obliget, ut pars est nobilior communitatis illius, quam regit; æquè illum obligat, ac subditos. Adnotandum 2. inter Superiorem, & Rempublicam; sicuti inter Civem, & Communitatem posse aliquando dari Justitiam propriam & particularem. Si enim Superior consideretur, ut persona particularis est, ac à Republica distincta, & per aliquem contractum ipsi obligata, cui etiam mutuò obligetur Respublica, sive ex Officio, stipendio, electione id proveniat, sive ex alia mutua obligatione, quod etiam dici poterit de Cive respectu Communitatis; tunc inter ipsos obligatio consurgit reddendi debitum ad æqualitatem; itaut si violetur obligatio, injustitia committitur: non enim considerantur, ut pars ad totum; sed ut pars distincta ad aliam partem distinctam; cum in eo casu Respublica, & Communitas se habeant, ut quædam particularis Persona contrahens. Sic Molina *tract.* 1. *disputat.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 3. *numer.* 18. & Castropalaus *de Justit. punct.* 3. *num.* 6.

CAPUT III.

Dividitur Justitia simpliciter dicta in suas Species.

1 *Justitia simpliciter dicta, & Particularis dividitur in Commutativam, & Distributivam.*
2 *Approbatur ferè ab omnibus supradicta Divisio.*
3 *Non datur alia Species Justitiæ, quæ dicatur Vindicativa.*
4 *An Justitia Distributiva distinguatur à Commutativa.*
5 *Aliquando Justitia Distributiva in Commutativa includitur.*

1 SATIS celebris est Divisio Justitiæ simpliciter dictæ, & particularis in Commutativam, & Distributivam. Commutativa respicit æqualitatem rei ad rem inter partes distinctas? quia verò æqualitas ista ut plurimum circa commutationes versari soleat; ideo dicta est hæc Justitiæ Species Commutativa. Distributiva tamen respicit æqualitatem totius ad partes juxta merita ipsarum partium, & qualitatem præmiorum distribuendorum; & quia præmia distribuit cum hac æqualitate; dicta est Distributiva. Æqualitas autem, quam Justitia Commutativa respicit, appellari consuevit proportio arithmetica, cum sit proportio rei ad rem; illa verò æqualitas, quæ à Justitia Distributiva respicitur; dici solet proportio geometrica, eo quia est proportio inter proportiones personarum, quibus præmia distribui debent; & inter proportiones præmiorum, quæ distribuenda sunt; ideoque proportio proportionum erit.

2 Hanc divisionem Justitiæ ut rectam approbant Aristoteles 5. *Ethic. cap.* 2. & Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 61. *art.* 2. & 3. quos omnes Theologi, & Philosophi sequuntur. Et nimis clarè colligitur ejus rectitudo ex triplici habitudine, seu respectu, qui considerari potest in Republica: nam 1. in Republica considerari potest virtus, quæ disponat singulas partes ad Totum, cujus bonum respicit; & hæc Virtus dici nequit Justitia particularis, cum non respiciat bonum particulare, seu partium, sed Totius; inde dicta est Justitia Generalis, & Legalis de qua supra diximus. 2. considerari potest Virtus, quæ disponat cum æqualitate totum ad partes, ac bonum partium respicit; & hæc dicitur Justitia particularis. Dupliciter autem potest illud disponere referendo partem ad partem cum æqualitate, & referendo totum ad partes cum æqualitate. Si dirigit partem ad partem, civem scilicet ad civem ita ut in suis actionibus, in quibus communicant Cives, servent inter se æqualitatem; dicetur Justitia particularis Commutativa. Si verò dirigat Totum, seu Communitatem ad partes distribuendo videlicet res communes, Officia, & bona superabundantia Reipublicæ inter Cives juxta proportionem meritorum in ipsis repertam; dicitur Justitia particularis Distributiva. Quæ quidem primariò, & principaliter residet in Magistratu, vel Principe distribuente; secundariò tamen in Civibus, & personis privatis, inter quas distributio fit, ut eam legitimè factam ament, eique acquiescant beneficio hujus virtutis. Colligitur ergo ex dictis ob triplicem respectum in Republica Justitia. 1. partium ad Totum, sub quo respectu venit Justitia Generalis Legalis, quæ non facit ad nostrum institutum. 2. partis ad partem. 3. totius ad partes, qui ultimi duo respectus dant Justitiam particularem respicientem bonum particulare, & partium; optimè dividi Justitiam istam in Commutativam, & Distributivam, cum alia rectior divisio aptari nequeat.

3 Sed dices dari aliam Speciem Justitiæ, in quam dividi potest, nempe Vindicativam; quæ disponit totum ad partes servando æqualitatem in qualitatibus pœnarum infligendarum juxta qualitates criminum. Verum contra est; quia vel consideratur Vindicatio respectu delinquentis sustinentis pœnam, & sic considerata non est actus Virtutis, cum reus illam non exigat, imò involuntariè sustineat. Vel consideratur respectu Judicis eam infligentis ex munere suo, & obligatione, quam habet ex Officio; & licèt sic considerata sit actus virtutis, spectat nihilominus ad Justitiam Commutativam ex vi contractus initi cum Republica, à qua coductus fuit ad malefactores juxta Sanctiones, & Leges puniendos. Vel denique consideratur respectu Tertii à delinquente offensi, qui vindictam exigit, & reparationem damni sibi illati; & tunc etiam erit actus Justitiæ Commutativæ. Et quamvis aliquando non servetur physica æqualitas inter punitionem delinquentis, & damnum, ac injuriam ab eo illatam Tertio offenso, ut eveniret si pro injuria corporis, vel famæ pœna pecuniaria exigeretur à Judice; vel ob grassationes factas publicus latro suspenderetur, in quibus casibus damna illata non physicè repararentur ad æqualitatem; nihilominus moraliter, & juxta hominum existimationem commensurata ad æqualitatem reputantur secundum Justitiam Commutativam. Sic Valentia *disputat.* 5. *quastion.* 5. *punct.* 1. *prope finem*, Rebellus *de Obligatione Justit. lib.* 1. *quæstion.* 3. *section.* 4. & Castropalaus *de Justitia punct.* 4. *num.* 5.

4 Solùm remanet hic inquirendum: an Justitia Distributiva distinguatur à Commutativa? Et ratio inquirendi est, quia Distributio bonorum Communium, Officiorum, Munerum, dignitatum & Onerum, quæ respicitur à Justitia Distributiva, & à qua nomen accipit; videtur esse actus proprius Justitiæ Commutativæ. Distribuens siquidem hæc partibus Reipublicæ, non liberaliter, & pro suo arbitratu distribuit, sed ex debito juxta qualitatem meritorum ipsarum partium, & qualitatem præmiorum; ita ut peccatum committat, & obligationem restituendi contrahat si secus faciat. Et ita se habet, ac si ei commissa fuisset summa bonorum distribuenda pauperibus juxta eorum indigentiam, & necessitatem; in qua distributione Justitia commutativa locum haberet. Nihilominus dicendum est, distingui has Justitias inter se: & ratio est, quia ex diversis rationibus debiti diversum Jus, diversaque Justitia consurgit; sed diversa est ratio debiti in Justitia Commutativa à debito Justitiæ Distributivæ; erunt inter se diversæ Justitiæ Species: probatur minor, eo quia debitum consurgens ex Justitia Commutativa est strictum, & rigorosum, & cum eodem rigore respicit æqualitatem inter rem, & rem, seu inter datum, & acceptum; considerando tantum conditionem rei alterius, ut ei æquale reddat. Debitum verò consurgens ex Justitia Distributiva non est strictum, & rigorosum in divisione facienda, & proportione servanda, nisi alius titulus Justitiæ Commutativæ adjungatur, ut infra dicam; sec solùm inducit obligationem Decentiæ, & honestatis in distributione facienda, servando æqualitatem inter proportionem, & proportionem, quòd videlicet eadem proportio habeatur in rebus, quæ distribuuntur; ac est in conditionibus, & qualitatibus Personarum, quibus distributio fit; ergo diversa ratio debiti reperitur in utraque Justitia. Sic ex Aristotele, & Divo Thoma docent Valentia

lentia 2. 2. *disputat.* 5. *quæstion.* 5. *punct.* 1. Lessius *lib.* 2. *capitul.* 1. *dubit.* 4. Molina *de Justit. tract.* 1. *disputat.* 12. Rebellus *lib.* 1. *quæstion.* 3. *sect.* 3. Filliuccius *tract.* 81. *cap.* 2. *quæst.* 11. *numer.* 45. Layman *lib.* 3. *Summ. sect.* 5. *cap.* 4. & Castropalaus *de Just. punct.* 6. *num.* 3. Non nego tamen, quod divisio facta Justitiæ in Commutativam, & distributivam propriè non sit Generis in suas species, sed analogi in sua Analogata, cum distributiva non sit rigorosa Justitia.

5 Adnotandum hìc: quòd sæpe in Justitia distributiva includatur Commutativa; & tunc ratione Commutativæ habet rigorosum debitum, & strictam obligationem restituendi ad æqualitatem. Sic est in casu superiùs allato de eo, cujus fidei commissa sit distributio bonorum facienda pauperibus juxta eorum necessitatem; non solùm enim tenebitur distributor ex decentia, & honestate Justitiæ distributivæ servare proportionem inter eleemosynam, & eorum necessitatem; sed etiam ex stricto rigore Justitiæ Commutativæ tenetur eis restituere ad justam æqualitatem, ac si eleemosyna illa in particulari unicuique eorum relicta fuisset. Idem dicendum quando fit distributio ærarii communis Reipublicæ pluribus secundum proportionem dignitatis, Muneris, Ordinis, vel Doctrinæ juxta Leges, & consuetudines; vel juxta dispositionem Testatoris, aut Legantis; tunc enim simul concurrunt in eodem actu distributiva, & Commutativa Justitia; distributiva prout attenditur, ut cuique detur juxta proportionem suæ dignitatis, & officii; Commutativa, prout attenditur, ut detur cuique æquale secundum jus, quod habet sive ex Lege, sive ex consuetudine, sive ex dispositione donantis: & minus dando præ eo, quod jus ipsius exigit, utraque Justitia violatur. Secus verò si distributio facienda non includat Justitiam Commutativam, nec stricto jure servanda sit conditio personarum, ut evenit in distributione beneficiorum, & officiorum; tunc enim licèt conferri debeant dignioribus juxta decentiam, & honestatem Justitiæ distributivæ; quia tamen digniores jus strictum ad illa non habent; inde est, quòd illis injuria non fiat obligans ad restitutionem, esto peccet distributor contra Justitiam distributivam. Adnotandum quoque, quòd aliquando videatur includi in Justitia Commutativa distributiva; & revera sola intercedit Commutativa; sic evenit, quando Respublica, vel Communitas conducit milites, vel publicos Operarios propósita eis mercede juxta meritum suarum operarum; tunc enim cum non attendatur ad conditionem personarum, sed solùm respicitur æqualitas rei ad rem, hoc est mercedis ad operas; inde est, quòd nullum locum habeat Justitia distributiva, sed sola Commutativa; nec Respublica se gerit, ut totum ad partes, sed ut pars ad partem; aut Civis ad Civem. Sic rectè Lessius pro sua dignitate *lib.* 2. *de Just. cap.* 1. *dub.* 4. *à num.* 22.

CAPUT IV.

Quid sit Jus; quomodo sit objectum Justitiæ; & quotuplex sit?

1 *Jus multipliciter accipitur, nimis largè, minus largè, strictè, & strictissimè.*
2 *In quanam ex prædictis acceptionibus consistit Jus, prout est objectum Justitiæ?*
3 *Jus strictissimè acceptum est objectum formale Quod Justitiæ particularis.*
4 *Æqualitas alia est rerum, alia proportionum.*
5 *Jus prout est objectum Justitiæ dividitur passim in Jus ad rem, & Jus in re.*
6 *Jus prout importat Legem, seu Regulam Justi dividitur in Naturale, & Positivum; & hoc in Divinum, & Humanum.*
7 *Jus prout importat legitimam potestatem ad rem aliquam faciendam, obtinendam, vel exercendam, dividitur in Naturale, & Positivum.*

1 MULTIPLICITER à Doctoribus accipitur Jus: & 1. nimis largè, ac genericè, & idem sonat, ac justum, bonum, & Legi conforme; in qua significatione acceptum competit actibus cujuslibet Virtutis; quilibet enim actus virtuosus jus, & justum dici potest; adeoque sic non poterit esse objectum Virtutis specialis Justitiæ. 2. minus largè pro qualibet Lege, seu norma Juris; Lex siquidem est Regula publica Justi in genere. Sicuti sententia Judicis etiam Jus dicitur, & de facto communiter dici solet, Judicem dictionem Juris habere, seu dictare Jus, ac præesse Juri dicendo: est enim ejus sententia veluti Lex privata. 3. strictè pro legitima potestate faciendi aliquod, vel utendi: dicitur legitima quia à Lege concessa sive naturali, sive positiva divina, sive humana; nam potestas, quæ à Lege non conceditur, non est jus, sed injustum. Dicitur Potestas, quia est habitudo quædam ad aliquid, sive se habeat per modum potentiæ activæ, ut esset jus ad aliquid agendum, aut retinendum; sive per modum potentiæ passivæ, ut est jus, ut quis alatur, custodiatur, aut ipsi inserviatur; sive per modum potentiæ resistitivæ, ut si quis jus haberet prohibendi, ne in tali loco ædificetur, aut fenestra aperiatur, vel murus attollatur. 4. strictissimè pro Jure speciali, quod videlicet sit alteri debitum, ac per æqualitatem servandum: quapropter Jus, & Justum strictissimè acceptum hæc tria importare debet, nempe debitum, æqualitatem, & esse ad alterum; ut patet ex Divo Thoma 2. 2. *quæstion.* 80.

2 His explicatis remanet inquirendum, in quanam ex prædictis acceptionibus consistat jus, quod est objectum Justitiæ, prout est Virtus Cardinalis, & specialis, & quæ versatur in servando jus alienum, & cujus exercitium jus ipsum necessariò supponit. Et 1. quidem nequit esse objectum formale Justitiæ Jus in prima acceptione explicatum, prout videlicet importat justum, bonum, & conforme Legi: ratio est, quia si bonum, & conforme Legi fit, quia præcipitur ab ipsa Lege; erit objectum formale Obedientiæ. Si verò bonum accipitur materialiter, ac pro eo, quod Lege statutum est; erit objectum cujuslibet Virtutis, Lex siquidem in omni materia Virtutis aliquid statuit. 2. nequit esse objectum formale Justitiæ Jus in secunda acceptione explicatum, prout videlicet accipitur pro Lege sive publica, sive privata per sententiam Judicis: ratio est, quia jus sic acceptum potiùs est Regula, & norma Justitiæ, ac cæterarum Virtutum, quàm objectum: Virtutes namque dirigi debent juxta præcepta Legum, ut earum functiones conformes sint Legibus, aliàs nec laudabiles evaderent, nec studiosæ. 3. nec potest esse objectum formale Justitiæ, prout explicatur in tertia acceptione; ut scilicet importat legitimam potestatem aliquid faciendi, aut eo utendi: ratio est, quia licèt sit id, ad quod intrinsecè ordinatur objectum formale Justitiæ; non est tamen objectum formale, quod intenditur ab ipsa Justitia; Justitia siquidem in suo opere non intendit Jus alterius, sed id, quod Juri alterius est debitum ad æqualitatem. Ex quo sequitur, quod Justitia supponat, Jus in altero, cui correlativè respondet in alio debitum reddendi ad æqualitatem. Non nego tamen, quòd ista legitima potestas dici possit objectum formale Cui Justitiæ, scilicet ratio illa, ob quam alteri sit debitum aliquid: propter enim Jus, quod habet proximus, consurgit debitum in aliis reddendi ei ad æqualitatem; sed objectum formale Justitiæ, quod *inquirimus*; est objectum Quod, non Cui, & est illud, quod ipsa Virtus Justitiæ præstat exteriùs, & illud intendit.

3 Erit ergo objectum formale Quod Justitiæ particularis Jus strictissimè acceptum in quarta explicatione, prout importat redditionem debiti ad æqualitatem Juris alterius, seu æqualitatem inter debitum, & jus alterius, ratio est, quia qui æqualitatem istam amat, servat, & intendit; dicitur, & est formaliter justus; qui verò eam non servat, nec intendit, aut amat; est formaliter injustus, ut patet in omni contractuum genere; ergo objectum formale Quod Justitiæ particularis, & ex cujus honestate opus suum Justitia facit; erit redditio debita ad æqualitatem Juris alieni. Meritò igitur Divus Ambrosius *lib.* 1. *de Offic. capit.* 24. sic ait: Justitia suum cuique tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Æqualitas autem ista, quæ à Justitia ut suum objectum formale Quod respicitur, duo extrema spectat, nempe exercentem Justitiam, ex parte cujus se tenet debitum; & illum circa quem justitia exercetur, ex parte cujus se tenet Jus, & facultas exigendi debitum.

4 Æqualitas prædicta duplex est; alia rerum, alia proportionum. Æqualitas rerum consistit in æqualitate rei reddendæ, & debitæ ad rem acceptam, sublatam, vel peremptam: talis æqualitas reperiri debet inter pretium, & merces; ac inter res, quæ reddi debent Domino, & inter res ablatas, vel peremptas ipsi Domino. Quæ quidem æqualitas

rei

rei ad rem debet esse arithmetica : eo quia ad instar arithmeticæ respicit proportionem numerorum, & quantitatem ; & est objectum Justitiæ Commutativæ. Æqualitas verò proportionum consistit in æqualitate inter proportionem meritorum, & proportionem præmiorum ; & debet esse Geometrica, Geometria namque respicit, ac considerat proportiones. Est objectum æqualitas ista Justitiæ distributivæ juxta superiùs dicta.

5 Jus prout est objectum Justitiæ dividi communiter solet in jus ad rem, & jus in re. Jus ad rem illud est, quod non tribuit actionem in rem, sed tantùm in personam : cum enim per tale jus non remaneat res devincta ; inde est, quòd habens illud non possit actionem aliquam in rem illam exercere vindicando eam sibi, aut utendo liberè ea ; sed solùm conceditur facultas agendi in personam, a qua exigi, vel haberi potest. Hoc jus habetur, & competit per stipulationem, donationem, emptionem, aut alios contractus similes ante traditionem rei ; ante enim traditionem si res alteri vendatur, & reipsa tradatur ; non poterit, qui priùs emit, eam sibi vendicare, cum non remanserit ipsi obligata ; quamvis actionem personalem habeat in vendentem illam. Idem dicendum de jure, quod habetur per electionem, Postulationem, & Præsentationem ad beneficium ; imò etiam per Collationem beneficii ante acceptationem ; sicuti etiam de jure ad hæreditatem per successionem ante acceptationem. Jus verò in re illud est, quod actionem realem tribuit ; & res adeò obligata, & devincta manet, ut ubicunque sit, possit habens tale jus eam sibi vendicare, ac pro libito uti ; nisi sit pro aliquo tempore impeditus à Lege, vel contractu : sic est jus consurgens ex emptione, vel simili contractu posita traditione rei ; Jus etiam consurgens ex collatione beneficii, ex Testamento, vel successione ab intestato posita acceptatione. Sic Molina *tom.* 1. *tract.* 1. *de Justit. disp.* 2. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. *&* 12. & Castropalaus *de Just. pun.* 1. *num.* 5.

6 Dividi etiam solet jus prout importat Legem, quæ est norma, & Regula justi, in jus naturale, & Positivum. Naturale dicitur, quod ex ipsis naturis rerum oritur, videlicet ex Natura rationali, & ipsa naturali conditione operum, de quibus tale jus disponit ; adeoque rectitudo juris istius non pendet à libera ordinatione Dei, vel hominum ; sed ex ipsa natura rerum suppositâ existentia naturæ humanæ. Quia verò conditio naturę immutabilis est manentibus eisdem rerum circumstantiis, ideò Lex naturalis, & naturale Jus immutabile erit : sic est bonum faciendum, vitandum malum, colendum Deum, & similia in Præceptis Decalogi contenta, vel ex eis clarè deducta. Positivum dicitur, quod à libera voluntate Dei, vel hominum pendet ; quapropter mutari poterit, etiam manentibus eisdem circumstantiis, in quibus antea obligabat.

Subdividitur jus Positivum in Divinum ; & Humanum. Divinum est, quod à libera Dei voluntate pendet ; & hoc jus divinum aliud est vetus, quod à Deo in veteri Testamento latum fuit circa Cęremonias, & policiam. Aliud Novum, quod in novo Testamento latum est à Christo Domino circa Sacramenta. Humanum est, quod à Voluntate hominum pendet ; & hoc aliud dicitur jus Gentium, eo quod ab omnibus Gentibus servari soleat, & ab usu, & consuetudine ipsarum conditum est. Aliud jus civile, quod factum est à Principibus sæcularibus, qui authoritatem condendi illud habeant. Aliud denique jus Canonicum, quod authoritate Pontificum, aut Concilii Generalis à Pontifice approbati conditum est.

7 Denique jus prout importat legitimam potestatem ad rem aliquam faciendam, obtinendam, vel functionem aliquam circa eam exercendam, & diximus, esse objectum formale cui justitiæ, cum in bonum ipsius suos actus justitia exerceat, & quod si violatur injuria committitur ; dividitur in Naturale, & Positivum. Naturale est potestas Legitima concessa à lege naturæ : sic est jus illud, quod unusquisque habet ad sustentandam vitam per cibum, & potum ; ad usum suorum membrorum ; ad propulsandam vim vi, ad ineundum matrimonium, & similia. Positivum verò est legitima potestas concessa, vel à Deo, & dicitur jus positivum divinum, ut est ad sacramenta percipienda ; vel concessa à lege humana, & dicitur jus positivum humanum ; sic est jus ad successionem hæreditatis ; ad præscribendum, vel usu capiendam rem alienam certo tempore elapso ; ad acquirendum, possidendum, retinendum, alienandum, mutuandum, pignorandum, vel exercendum circa rem diversa Contractuum genera. Et licèt ista jura sint diversa juxta diversa genera Legum, quæ illa tribuunt ; nihilominus non pariunt diversitatem in ipsa Virtute Justitiæ, & ejus habitu ; cum unus, & idem sit conflatus ex pluribus juribus. Quapropter Legitima ista potestas non importat aliquod physicum, sed morale tantùm competens homini ex aliqua Lege, dispositione, ordinatione, & concessione vel Dei, vel hominum ; ut importat esse Imperatorem, Regem, Doctorem &c.

CAPUT V.

De Speciebus juris Realis, nempe Dominio, Usufructu, usu, Habitatione, superficie, & servitute.

1 *Actio Realis, ex qua jus dictum est Reale, multiplex esse potest, & multiplicem speciem constituere.*
2 1. *Species Juris Realis est Dominium : & quid hoc sit.*
3 *Dominium genericè acceptum dividitur in Dominium Jurisdictionis, & Proprietatis. Et hoc ut perfectum sit debet continere dominium directum, & utile.*
4 *Definitur Dominium plenum, & perfectum includens utrumque dominium.*
5 *Ad acquirendum dominium requiritur Titulus, & Traditio.*
6 2. *Species juris Realis est Ususfructus : Et quid sit?*
7 3. *Species est Usus nudus rei. Et quid sit?*
8 *An usus distinguatur à dominio in rebus, quæ ipso usu consumuntur?*
9 4. *Species est Habitatio. Et quid ea sit.*
10 5. *Species est Superficies. Et quid sit?*
11 6. *Species est servitus. Et quid sit?*

DIXIMUS jus, quod est objectum cui justitiæ, importare facultatem, ac legitimam potestatem obtinendi rem aliquam, sive per successionem hæreditariam, sive Testamentum, Donationem liberalem, occupationem, aut per contractus ; & exercendi functionem, & liberum usum rerum suarum, vel quasi functionem ; ut est possessio civilis, vel naturalis, retentio dominii, status, Conditionis in qua reperitur ; ita ut violatio talis juris sit injuria. Et hanc Legitimam Potestatem divisimus in jus in re, & jus ad rem ; itaut jus in re actionem realem tribuat, jus verò ad rem actionem personalem. Quia tamen Actio Realis, ex qua dictum est jus Reale, quod eam tribuit ; multiplex esse potest, vel ratione Dominii directi, vel utilis ; aut ratione Possessionis, servitutis, Pignoris vel hypothecæ ; ideò de speciebus juris Realis, quas actiones Reales constituunt, agere debemus. 1

1. Species Juris Realis est Dominium, quod genericè acceptum nihil aliud est, nisi jus, & facultas disponendi de re aliqua, tamquam sua, & sibi subjecta. Dominus enim ille est, & dicitur, qui habet rem aliquam suam de qua possit disponere, & authoritatem in ea exercere proprio jure, & non ex commissione alterius : sic est jus, & Dominium Dei supra omnes creaturas, de quibus disponere potest, ut rebus suis, & sibi subjectis, quomodo ei placuerit. Quod quidem dominium omnium perfectissimum est ; eo quia omnis, & quælibet creatura Dei est perfectissimo modo, cum perfectissimè sit ei subjecta, & obligata, tum ratione creationis, conservationis, & gubernationis ; tum ratione summæ dependentiæ ab eo in omnibus, quæ in qualibet creatura reperiuntur. Sic etiam est, sed non perfectissimo modo, jus, & dominium Regis in suum Regnum ; Principis, & Ducis in suum Principatum, & Ducatum ; & cujuslibet personæ particularis in suas possessiones. 2

Dividitur Dominium genericè acceptum in Dominium Jurisdictionis, & Proprietatis. Dominium jurisdictionis est jus, & Potestas gubernandi suos subditos præcipiendo, vetando, permittendo, judicando, puniendo, præmiando. Et hoc dominium aliud est Ecclesiasticum, & ortum habuit à Christo Domino : sic est Potestas Pontificia, Episcopalis, & alia inferior respectu suorum subditorum, quos in spiritualibus gubernant. Aliud sæculare à Republica ortum : sic est Potestas Imperialis, Regalis, Ducalis, & similes respectu suorum subditorum, quos in negotiis sæcularibus gubernant. Dominium verò proprietatis est jus perfectè disponendi 3

de re

de re aliqua tamquam sua in suum commodum, nisi Lege prohibeatur : ab isto ergo Dominio dicitur quisque Dominus rei suæ, sive de reliquo sit persona privata, sive publica, sive Communitas, vel Respublica ; cum etiam istæ jure privato, & instar personæ privatæ bona possidere possint. Hoc tamen Dominium Proprietatis, ut perfectum sit, continere debet Dominium directum, & utile ; nam si tantùm directum, vel tantùm utile contineret ; perfectum non esset, sed imperfectum. Dominium verò directum tantùm illud dicitur, quod solam proprietatem rei continet, non verò ejus commodum, & utile ; & habens illud solet dici Proprietarius, aut Dominus non absolutè, sed directus : sic est Dominium, quod habet filius familias in peculio adventitio, Princeps in Feudis, & qui dat agrum ad emphyteusim in ipso agro. Dominium utile tantùm illud dicitur, quod solum commodum, & utilitatem continet, non verò Proprietatem rei : sic est Dominium, quod habet usufructuarius, Feudatarius, emphyteuta. Ne tamen Dominium directum, & solius Proprietatis inutile prorsus evaderet, lege tantum est, ut in quibusdam casibus Dominium utile ad Dominum directum redeat.

4 Ex dictis constat, dari Dominium plenum, & perfectum, quod videlicet utrumque Dominium tam directum, quàm utile includat. Et definiri solet : jus perfectè disponendi de re ad omnem ejus usum, nisi lege prohibeatur. Dicitur jus, ut conveniat cum cæteris juribus, quæ Dominium non dant, vel si dant, non dant perfectum, & ad omnem usum, etiam non prohibitum lege. Reliqua verba stant loco differentiæ, & excludunt ab hac definitione omnia jura, quæ non sunt in re, sed ad Rem ; insuper jura, quæ sunt in re, sed non dant Dominium, ut sunt jura hypothecæ, pignoris, usus, Ususfructus, jus mutuum conjugum in corpora. Denique jura, quæ dant Dominium, sed non perfectum ; ut sunt Dominium directum, & utile. Additur, nisi lege prohibeatur ; eo quia licèt Dominium ex natura sua tribuat facultatem disponendi de re ad omnem usum ; nihilominus lex justis de causis retardare, & impedire potest talem facultatem, ne exeat in actum secundum disponendi ; ut patet in bonis Pupillorum, Majoratibus, Fideicommissis, & similibus bonis vinculatis. Et quamvis juris periti communiter putent, Dominium importare jus disponendi de re Corporali, quæ videlicet tangi possit, ut sunt vestes, domus, agri, Pecunia, suppellectiles, & similia ; non verò de re incorporali, ut sunt Officia, jura eligendi, præsentandi, percipiendi fructus, succedendi in hæreditatem, & similia ; eo quia de re incorporali non habetur propriè Dominium, & possessio ; sed quasi Dominium, & possessio. Nihilominus hæc distinctio rerum Corporalium, & Incorporalium gratis assumitur ad constituendum verum, & proprium Dominium ; cum passim à Theologis, ipsis Jurisperitis, & vulgò dicantur, & sint verè, & propriè Domini habentes similia jura, & quotidiè emuntur, & venduntur etiam chirographa, actiones personales, & servitutes.

5 Ad Dominium acquirendum ordinariè requiritur Titulus, & Traditio ; sic enim Dominium ex uno transfertur in alium, non jure naturæ, sed jure humano positivo, satis congruè sic disponente, ut constat apertè *ex leg. Traditionibus Cod. de Pactis*, ubi dicitur : Traditionibus Dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. Juncta simul *leg. Numquam. ff. de Acquiren. Rer. Domin.* Numquam nuda Traditio transfert Dominium ; sed ita si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. Dixi ordinariè, quia aliqui casus excipiuntur à jure Canonico, & Civili, in quibus non est necessaria traditio ad Dominium acquirendum ; sed sufficit Collatio, & acceptatio. Vide Lessium *de Justitia lib. 2. capit. 3. dub. 3. numer. 16.* referentem ex jure Canonico, & Cæsareo septem casus, in quibus non requiritur Traditio ; sicuti etiam non requiritur in jure hypothecæ, vel Pignoris, ad quod sufficit nuda conventio, vel Legis dispositio. Per solum Titulum, seu Causam justam, in qua totum Jus primitùs fundatur, ut esset Emptio, Donatio, Successio hæreditaria, & similes Tituli ; non habetur Jus in re, sed tantùm ad rem ; accedente tamen Traditione certa, & secundum Leges, resultat Dominium, & Jus in re.

6 Secunda species Juris realis est Ususfructus, qui nihil aliud est, nisi Jus utendi, & fruendi rebus alienis salva earum substantia ; ut constat *ex Leg. 1. ff. de Usufructu, & Instit. de Usufructu.* Dicitur Jus, eo quia ususfructus, de quo loquimur, non consistit in actuali usu, sed in facultate, & potestate utendi, & fruendi. Dicitur, utendi, ad differentiam Juris ex hypotheca, pignore, & deposito consurgentis, ob quod habens illud uti nequit re hypothecata, pignorata, & deposita invito domino ; & si utitur, tenetur ad restitutionem valoris usus. Dicitur, fruendi, ad differentiam nudi usus, seu Juris utendi tantùm re aliqua, absque eo quod fructus ex re provenientes percipi possint. Dicitur, rebus alienis, ut excludatur jus utendi, & fruendi rebus suis, & propriis. Dicitur denique, salva rerum substantia, quia servari debet integra Proprietario. Et hinc est, quod Usufructuarius obligetur ad quatuor. Primum si habeat usumfructum gregis, vel armenti tantumdem reddere debeat Proprietario, quantum secundum æstimationem accepit, sive supplendo ex fructibus illorum, sive alio modo reparando. Secundum si Usufructuarius fuerit Viridarii, Sylvæ, aut Vineæ ; teneatur novas arbores, & Vites serere in loco demortuarum. Tertium si ædes, ac domos habeat ad usumfructum, reparare tenetur, ut integræ perseverent, ut accepit à Proprietario ; non verò meliorare. Quartum denique cautionem præstare debet Usufructuarius, quòd *usurus* sit re Proprietarii, ac illa fruiturus juxta arbitrium boni Viri, eamque redditurum esse *finito tempore* conventionis. Duo hic adnotanda supersunt. Primum, quòd in rigore Usufructus constitui nequeat in rebus, quæ usu consumuntur, ut sunt Frumentum, Vinum, Oleum, Pecunia ; quia ut patet, nequit salva remanere substantia rei. Utilitatis tamen causa in his constitui potest improprio quodam modo, servatis obligationibus *ex Instit. de Rer. Divis. §. Constituitur*. Secundum, quòd Usufructus alius sit Legalis, qui videlicet Legis ordinatione acquiritur, quam habet Pater *in peculio adventitio* filii, dum est sub sua potestate, & mater transiens ad secundas nuptias in bonis prioris Tori. Alius Conventionalis ortus ex privata dispositione, Testamento videlicet, pactione, aut stipulatione ; ut constat *ex Instit. de Usufruct. §. 1.* Variis modis amitti potest jus Ususfructus, quos explicat Lessius *lib. 2. de Just. cap. 3. dub. 5.*

7 Tertia species est Usus nudus rei, qui sic definitur : jus utendi re aliena ad proprium commodum, non alienum, salva substantia rei. Dicitur, jus utendi re aliena, quia usus, quo Dominus Proprietatis utitur rebus propriis ; est longè diversus ab isto. Dicitur, ad proprium commodum, ut distinguatur à pignore, deposito, & hypotheca, per quæ non datur jus utendi neque in proprium, neque alienum commodum invito Domino. Dicitur, non alienum, quia per Usum non datur facultas utendi re aliena in commodum alterius, eam locando, vel gratis concedendo, uti habetur per Usumfructum *ex Institut. de Usufruct. §. 1.* dicitur denique, salva substantia rei, ut excludatur per usum nudum rei posse eam consumere, vel alienare. Permittitur verò *in Instit. & ff. de Usu, & Habitat.* Vicario, cui concessum est jus Pomarii, percipere poma, fœnum, lignum, & alia, prout inserviunt in sui, suæque familiæ commodum ; non vero posse alteri dare, vendere, aut locare, ut poterit Usufructuarius. Poterit insuper ibi commorari, deambulare ; dummodo molestus non sit Domino Pomarii, nec culturam ipsius Pomarii impediat. Quòd si domus Vicario concessa fuerit ad usum ; poterit ipse, & ejus familia ibi habitare ; nequibit tamen alteri locare, aut concedere ad habitandum. Si concessus alicui fuerit Usus Servi, aut animalis ; poterit eis uti, nequibit tamen aliis concedere talem usum. Denique si gregis, vel armenti concessus fuerit usus ; is, cui concessio facta est ; poterit ex eis suos agros stercorare, non verò alienos, & poterit modico lacte uti, non verò lana, fœtibus, aut caseo ; aliàs cum hæc inter fructus connumerentur, non esset nudus Vicarius, sed Usufructuarius.

8 Hic exagitari solet celebris illa quæstio, ac controversia : an Usus distinguatur à Dominio in rebus, quæ ipso usu consumuntur ? Et ratio controvertendi fuit sententia Fratrum Minorum asserentium : se neque in communi, neque in particulari habere Dominium alicujus rei, sed tantùm nudum usum. Pro qua controversia clariùs solvenda, supponendum est, dupliciter alicui concedi posse Usum rei ipso actu utendi consumptibilis, 1. revocabiliter, & dependenter à voluntate concedentis. 2. irrevocabiliter, & independenter à voluntate concedentis. Vocatur autem Usus revocabiliter concessus, Usus facti, non quia in eo non insit aliquid

Juris

Juris, ſed quia utpote dependens ab alieno nutu non eſt abſolutum, & firmum. Uſus verò irrevocabiliter conceſſus vocatur Uſus Juris, eo quia jus abſolutum in ſe continet, ac de eo Jura mentionem faciunt. His ſuppoſitis

Clarè apparet, Uſum irrevocabiliter conceſſum, ſeu Uſum Juris non diſtingui à dominio in rebus ipſo uſu conſumptibilibus: & ratio eſt, quia nullum indicium, & nulla congruentia afferri poteſt comprobans talem diſtinctionem: maximè quia haberetur Jus abſolutum, & firmum in illis rebus non dependens à nutu, & arbitrio alterius: eſt communis ſententia. Uſum verò revocabiliter conceſſum, ſeu uſum facti diſtingui à dominio non ſolùm in rebus ipſo uſu inconſumptibilibus, ſed etiam conſumptibilibus: ratio eſt, quia dominium eſt jus abſolutum, ac firmum in re, nec dependet à nutu, & arbitrio alterius; ſed jus ad uſum revocabiliter conceſſum nec eſt abſolutum, nec firmum; imò conditionatum, & debiliſſimum; ergo evidenter patet, Jus ad nudum uſum diſtingui à Dominio. Confirmatur: ſi Petrus concederet Paulo uſum ſibi, Veſtium, pecuniæ, aut aliarum rerum conſumptibilium dependenter à ſuo nutu; quamvis Paulus non contradicente Petro juſtè illis uteretur, utendo tamen non exerceret actum dominii: ſicuti juſtè utuntur cibo, & potu Convivæ ad prandium invitati à Domino, quamvis nemo dixit, eos exercere actum dominii utendo illis; ergo dominium, & uſus revocabilis, ac facti diſtinguuntur inter ſe; adeoque bene dici poterit, quod quis habeat nudum uſum rei utendo illa, non verò dominium.

Hinc eſt, quòd Fratres Minores non ſolùm in particulari, ut eſt extra controverſiam, ac commune cæteris Religioſis; ſed nec in communi dominium habeant rerum, quæcumque ſint; cum dominium illarum, quibus juſtè uti poſſunt, ſit vel penes Benefactores, vel penes Pontificem, in quem à Donatoribus translatum eſt dominium. Sic declaravit Nicolaus III. *in Cap. Exiit, qui ſeminat. de Verbor. ſignif. in 6.* referens pro ſua ſententia Innocentium III. Alexandrum III. & Gregorium IX. Sic etiam Clemens V. *in Clement. Exivi de Paradiſo, de Verbor. ſignif.* Sotus *lib. 4. de Juſt. quæſt. 1. art. 1.* Navarrus *Comm. 2. de Regular. num. 3.* Molina *tract. 2. diſp. 6.* Rebellus *de Obligat. Juſt. lib. 5. quæſt. 7. ſect. 4.* Leſſius *lib. 2. Juſt. cap. 3. dubit. 8.* & Caſtropalaus *de Juſtit. punct. 5. numer. 6.* Et quamvis Joannes XXII. *in ſua Extravag. Ad Conditorem §. Quod autem, & duabus ſequentibus de Verbor. ſignif.* dixerit: in iis rebus, quæ uſu conſumuntur, uſum non eſſe diſtinctum à dominio illarum, adeoque Fratres Minores in his verum dominium habere, ac à ſancta Sede illud abdicavit. Nihilominus hoc Pontifex non dixit ex Cathedra, nec propoſuit tamquam rem ad fidem pertinentem; ſed ut Vir doctus, & Author privatus ſuam ſententiam deprompſit. Et licèt dominium illud à ſancta Sede abdicaverit; attamen Alexander VI. & alii Pontifices ſubſequentes illud denuo acceptarunt, ut conſtat *ex Privilegiis Minorum verbo Paupertas*. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. qui affertur pro contraria ſententia, apertè loquitur de Uſu irrevocabiliter conceſſo, ac Juris, quod diximus non diſtingui à dominio, non verò de revocabiliter conceſſo, & uſu facti. Vide Leſſium, & Caſtropalaum *locis citatis*.

2 Quarta ſpecies eſt Habitatio, quæ eſt medium quid inter Uſumfructum, & Uſum nudum. Habitatio namque eſt, cum alicui conceditur Jus ad habitandum in aliqua Domo, quæ quidem conceſſio non eſt purè perſonalis, ita ut perſona illa tantùm habitare poterit in ea, ſed etiam importat facultatem locandi eam alteri; ut conſtat *ex Inſtit. de Uſu, & Habit. §. Sed ſi cui., & ex Leg. Cum antiquitùs. Cod. de Habitat.* Durat autem hæc facultas vivente eo, cui conceſſa eſt habitatio, & eo mortuo finitur, ut conſtat ex præcit. *Lege Cum Antiquitùs; & Leg. Si Habitatio. ff. de Uſu, & Habitat.* Et per hoc, quòd detur facultas locandi alteri differt Habitatio ab uſu nudo; per hoc, quòd finiatur morte habitantis differt ab Uſufructu, qui multis aliis modis ceſſare poteſt.

Sexta ſpecies eſt ſuperficies, & conſiſtit in eo, quòd concedatur ſuperficiario jus, & facultas ædificandi domum, plantandi vineam, olivetum, aut quid ſimile in ſolo alieno. Quia tamen non conceditur ſolum, ſed ſuperficies ſoli; inde eſt, quòd deſtructa domo, vinea, aut oliveto deſinit jus illud in ſuperficiario, nec poterit ſine nova conceſſione novam domum, vineam, aut olivetum conficere, ut conſtat *ex Leg. Quoties. ff. de Uſufruct. & Lege Inter quos. §. damni. ff. de damno infecto*. Finito tempore contractus Domus, Vinea, aut Olivetum ſpectant ad Dominum ſoli, ſicuti etiam quidquid aliud ſolo annexum fuerit; nec ulteriùs poterit illis uti ſuperficiarius; quamvis Dominus ſoli teneatur reddere ſuperficiario valorem illorum melioramentorum; quia licèt in ſolo alieno ſint, nihilominus cum legitima facultate, & cauſa juſta facta fuere; adeoque Dominus ſoli non debet lucrum illud reportare cum damno ſuperficiarii. Sic *ex Leg. 2. ff. de ſuperficieb. & tradition.* docent Molina *tract. 2. de Juſt. diſp.* 10. Rebellus *de Obligat. Juſt. lib. 1. quæſt. 7. ſect. 3. num. 30.* & Caſtropalaus *de Juſtit. punct. 5. num.* 11. Adnotandum 1. quod durante Jure ſuperficiei in ſuperficiario, ſi abſque ulla penſione ei conceſſa fuerit ſuperficies; poterit ſuperficiarius domum, vineam, aut olivetum alteri locare ſine requiſitione Proprietarii loci; non ſic verò ſi ad penſionem teneatur: & ratio eſt, quia cenſeretur in hoc ſecundo caſu Emphyteuta, & requiſitionem Proprietario debitam facere debet; ut docent Sylveſter *verb. Emphyteuſis quæſt.* 10. Gomez *Leg.* 70. *Tauri. num.* 31. Molina, Rebellus, & Caſtropalaus *locis citatis*. Adnotandum 2. quòd ædificia Mobilia, & caſulæ tempore Nundinarum facta à Mercatoribus cum conceſſione Domini ſoli, finito Nundinarum tempore non cedunt Domino ſoli; eo quia non cenſentur ſolo adhærere, ſed remanent in poteſtate Mercatorum, qui tantùm tenentur juxta pactum initum ad ſolvendum pretium uſus loci, ut advertit Molina *loc. cit.*

Sexta ſpecies eſt ſervitus, ſeu ſubjectio, quæ conſiderari poteſt pro obligatione, quæ reperitur in re alterius, ut ſibi ſerviat; & conſiderari poteſt pro Jure, quod reperitur in te, ut poſſis re aliena uti; ſunt etenim hæc correlativa. Dicitur autem ſervitus, & ſubjectio in prima conſideratione: ſervitus namque, & ſubjectio reperitur in re illa aliena, quæ tibi ſervire debet, ac ſubjici; nam ſervitus in rebus propriis non eſt vera ſervitus. In ſecunda verò conſideratione dicitur Jus fruendi, & utendi ſervitute, ac ſubjectione rei alienæ. Jam verò ſervitus rei nihil aliud eſt, niſi obligatio realis, qua res aliena alteri eſt obſtricta, & obligata, ut poſſit ex ea fructus percipere, aut alio modo uti, vel aliquod impedire circa illam. Dividitur ſervitus in Perſonalem, Realem, & Mixtam. Perſonalis dicitur cum ſervitus debetur à Perſona alteri Perſonæ; ut ſi quis ſervitia ſui mancipii alteri concederet ad aliquod tempus, vel ad vitam. Realis appellatur, cum ſervitus debetur à re alteri rei immediatè, & mediatè Perſonæ, cujus eſt res: ſic eſt cum ager tuus habet hanc ſervitutem, ut per eum poſſim pergere ad meum; ager enim tuus inſervit agro meo immediatè, & mihi mediatè. Mixta illa appellatur, cum ſervitus à re debetur Perſonæ; extinguitur tamen hæc ſervitus cum Perſona: ſic ſunt res, quibus uti, vel frui poſſumus immediatè. Servitus Realis alia eſt Ruſtica, alia Urbana; affirmativa alia, alia negativa; alia Continua, Diſcreta alia, quæ diviſiones explicantur *in Inſtit. de Servitutib.* & à Covarruvia *lib. 1. Variar. cap. 17. num. 11.* 10

CAPUT VI.

De Poſſeſſione.

1 *Connumeratur Poſſeſſio inter Species Juris realis. Unde nomen traxit; & quomodo accipiatur?*
2 *Definitur Poſſeſſio facti, & explicatur definitio.*
3 *Definitur Poſſeſſio Juris, & explicatur definitio.*
4 *Dividitur Poſſeſſio facti in Naturalem, & Civilem.*
5 *Poſſidere quis poteſt rem vel per ſe, vel per alium.*
6 *Poſſeſſio eodem modo, & circa eamdem rem nequit in ſolidum reperiri in pluribus. Secus verò Poſſeſſiones diverſæ, & diſtinctæ inter ſe.*
7 *Poſſeſſio reſpicere debet rem certam, & determinatam.*
8 *Secundus modus acquirendi Poſſeſſionem eſt apprehenſio vera.*
9 *Secundus modus eſt apprehenſio ficta per fictionem Juris.*
10 *Tertius modus eſt per Diſpoſitionem Legis.*
11 *Quomodo acquiretur Poſſeſſio Servitutum, & Jurium Incorporalium?*
12 *Enumerantur Privilegia, quæ confert Poſſeſſio Poſſeſſori bonæ fidei.*

13 *Varii modi, quibus amittitur Possessio tum Naturalis, tum Civilis Rerum Mobilium, & Immobilium.*
14 *Quapropter modi, quibus specialiter amittitur Possessio Naturalis, & Civilis Rerum Immobilium.*
15 *Tres modi, quibus amittitur Possessio Naturalis, & Civilis rerum Mobilium.*

1 POSSESSIO inter Species Juris realis connumeratur, & meritò; eo quia Jus perficit, & complet; adeoque de illa specialem tractationem facere debemus. Dicta autem est possessio à pedum positione, ut colligitur *ex leg.* 1. *ff. de acquiren. vel amittendi possess.* nam ut plurimum bonorum immobilium possessio, ut sunt agri, fundi per pedum positionem acquiri solet. Nec displicet, quod aliis placuit, nempe deducere possessionem à verbo posse; eo quia possessor nimis potest in rem possessam; sed quæstio est de Nomine, & ejus origine. Solet nomen possessio aptari ipsi rei immobili possessæ: sic ager, vel fundus passim nominari solet possessio. Hic tamen acipitur pro ipso jure possidendi rem, & dicitur possessio Juris. Et pro actu possidendi illam, & dicitur possessio facti; & utraque explicanda est.

2 Jam verò possessio facti solet communiter definiri: Detentio vera vel ficta rei, corporis, animi ac juris adminiculo. Dicitur detentio, eo quia ad possessionem primò acquirendam requiritur, quòd res acquirenda vel manibus teneatur, vel pedibus tangatur. *Dicitur* vera, vel ficta; eo quia licèt ut plurimum possessio acquiratur per realem apprehensionem, aliquando tamen acquiri potest ex dispositione juris per aliquem actum, qui reali, & veræ apprehensioni æquivaleat. Dicitur, Rei, quia licèt Juristæ putent, addi debere Corporalis, quia de rebus Corporalibus tantùm habetur vera possessio; nihilominus Rei genericè apponi debet, prout competit Corporalibus, & Incorporalibus: & ratio est, quia etiam de Incorporalibus vera possessio haberi potest; & sic dicitur revera quis possidere censum beneficium, servitutem, & similia jura, quæ *incorporalia* sunt; ut bene docent Theologi omnes teste Covarruvia *ad Regul. Possess. 2. par. initio num.* 1. Dicitur denique, Corporis, Animi, & Juris adminiculo: eo quia ut res possideatur debet aliquo modo corpore apprehendi, manu, vel pede, aut oculis; & animo, hoc est habere animum possidendi illam; ac juris adminiculo, quòd videlicet jus non obstet, nam si Jus obstaret non acquireretur Possessio, etiamsi adminiculum animi, & corporis haberetur. Sic Sylv. *v. Dom. num. 3. & v. Possessio in principio*. Covarruvias *l. c.* Molina *tract. 2. disp. 12.* Rebellus *lib. 1. qu. 8. sect. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 3. dub. 9. nu.* 40. & Castropalaus *de Justit. punct. 5. num. 13.*

3 Possessio juris definitur: Jus insistendi alicui rei tamquam suæ, non prohibitæ possideri. Dicitur, jus, ut excludatur possessio facti, quæ formaliter consistit in ipsa occupatione, & detentione rei; quæ si justa fuerit, oritur ex ea hoc jus in conscientia; si verò injusta fuerit, non oritur tale jus, sed solùm dicetur possessio pura facti. Dicitur, insistendi alicui rei, quia formaliter hoc jus non est disponendi de re, ut est Dominium; sed solùm ut possessor possit rem illam pacificè tenere, & Juris remediis uti contra perturbantes. Dicitur tamquam suę, nam si insisteret rei nomine alterius, non diceretur Possessor, ut non dicitur Possessor Tutor insistens rebus pupilli. Dicitur denique non prohibitæ possideri, eo quia nemo habere potest jus possidendi rem resistente Jure, ac contra ejus dispositionem. Sic ex Bartolo, & Covarruvia docet Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 3. dub. 9. n.* 41. & 42.

4 Dividi solet possessio facti in Naturalem, & Civilem. Naturalis illa dicitur, quæ corpore simul & animo retinetur: sic evenit cum quis rem aliquam apprehendit, & occupat ut suam. Civilis verò illa est, quæ solo animo retinetur; sic est, cum quis postquam corpore, & animo occupavit rem, ut suam; deinde abest ab illa re corpore, quamvis animo retinendi illam, nec desistendi ab ejus possessione: sic statuitur *in Instit. de interdictis §. possidere*. Dicta autem fuit hæc possessio Civilis, quia potiùs constat ex Jure Civili, quam Naturali: cum naturalis modus possidendi potiùs habeatur per insistentiam corporis, quàm animi. Hæ duæ possessiones possunt aliquando conjungi, ut evenit, cum quis præsens est rebus suis sive per se, sive per alium, quas civiliter possidet: tunc enim habebitur possessio Naturalis conjuncta cum Civili, & hæc est firmissima omnium possessionum. Aliquando verò separari possunt, ut evenit, si possessor discedat à re, quam possidet animo retinendi illam, nec desistendi ab ejus possessione; alius tamen interim rem occupet corpore, & animo faciendi suam; tunc possessor discedens à re habebit possessionem Civilem illius; possessor verò occupans interim illam habebit possessionem naturalem sive justam, sive injustam. Sic constat *ex leg. Clam possidere, §. Qui ad nundinas, ff. de acquirend. possession.*

Possidere quis potest rem aliquam vel per se, vel per 5
alium. Per se dicitur possidere rem, si eam, cujus dominium habeat, penes se retineat. Per alium verò possidere dicitur, si ab alio nomine ejus retineatur: sic evenit in commodato, pignore, depositò, licèt enim res retineatur: sic evenit in commodato, pignore, depositò, licèt enim res retineatur penes commodatarium, pignoratarium, depositarium; nihilominus quia nomine commodantis, pignorantis, deponentis rem retinent; inde est, quod possessio penes istos sit, non verò penes illos, quibus nec naturalis possessio competit. Adnotandum tamen, quòd aliquando possessio Civilis, & Naturalis accipiuntur ad significandam possessionem, quæ habetur per Dominium Directum, vel indirectum. Sic Dominus proprietatis fundi dicitur illum Civiliter possidere; Dominus verò utilitatis Naturaliter.

Hinc est; quòd licèt eadem possessio eodem modo, 6
& circa eamdem rem nequeat in solidum haberi à pluribus, eo quia causa esset effectuum impossibilium, ac repugnantium inter se; ut expressè statuunt *Lex 3. §. & contrario ff. de acquir. possess. Lex sicut certo §. si duobus vehiculum ff. Commodat. & Lex duo in solidum ff. de precar.* Nihilominus possessiones diversæ inter se, ac distinctæ in solidum reperiri poterunt penes plures: sic super eamdem rem Proprietarius habet possessionem Civilem; Usufructuarius tamen, Feudatarius, Emphyteuta, Usurarius, superficiarius, Colonus, Inquilinus habent possessionem naturalem *ex leg. Naturaliter ff. de acquirend. possess.*

Requiritur tamen, quod possessio, quæcumque sit, si- 7
ve ab uno, sive à pluribus habeatur; respiciat rem certam, & determinatam: cum nemo nec corpore, nec animo insistere possit rei incertæ, ut statutum est *in leg. 3. §. Incertam ff. de acquirend. possess.* Quapropter si quis emeret à Titio certam, & determinatam quotam bonorum ejus, quartam partem e. g. alicujus fundi ex multis, quos habet; quia tamen non determinatur locus, & fundus, ex quo designanda sit quarta pars; inde est, quod emens nequeat ex ullo fundo quartam partem sibi comparare, & possidere: sic probat *Lex 3. cit. & Lex Locus ff. de acquiren. possess.* Idem dicendum, si esset determinatus locus, sed quota incerta: ut si quis emeret fructus aliquos à Titio, quos è tali fundo percipit, non specificando fructus, quos emit tali fundo, in quo diversi fructus continentur; tunc cum non possit signare fructus quos emit, nullorum fructuum possessionem sibi comparare potest. Secus tamen esset, si emeret, quidquid Juris Titii sit in fructibus fundi illius, tunc enim omnium fructuum Titii possessionem sibi compararet: sic *in leg. Locus cit.* ubi dicitur: Incerta pars neque tradi, neque usucapi potest: veluti si ita tibi tradam quidquid mei Juris in eo fundo est.

Modi, quibus possessio acquiri potest; tres enumeran- 8
tur. 1. Modus est per apprehensionem veram, hoc est, per eam, quæ fit manibus, vel pedibus. Hæc apprehensio necessaria est ad possessionem acquirendam earum rerum, quæ Dominum non habent, & dici solent res vacantes, ut sunt feræ, gemmæ, thesauri, Insulæ flumina. Ad possessionem quoque hæreditatis relictę, quæ Domino caret. Denique si alius rem possideat, & nolit eam tibi tradere: ut possessionem ejus acquiras, debes eam verè apprehendere, nisi per authoritatem Judicis eminus ostendatur, & tibi ficto modo tradatur.

2. Modus est apprehensio ficta, quando videlicet res 9
habet possessorem, à quo tradatur possessio interveniente eius voluntate; vel si loco possessoris tradatur authoritate Judicis; quamvis non tradatur vera apprehensione rei manibus, vel pedibus; sed per aliquod æquivalens apprehensioni per fictionem juris. Sic 1. acquiritur per visum, & oculorum aspectum præcedente titulo habili: ut si antiquus possessor vendat mihi fundum, & eminus, vel cominus ostendat mihi illum, & dicat, se tradere mihi possessionem illius, quam ego significem acceptare: *ex leg. Quod meo. §. Si venditorem ff. de acquiren. possess. 3.* per traditionem scripturæ, & instrumenti, quo constet de titulo, & Jure, quo rem possidebat; semel enim ac à possessore res illa donatur, venditur; & donatario,

tario, vel emptori traditur instrumentum illud; censetur pariter fictione Juris tradi ejus possessio per veram apprehensionem *ex Leg.* 1. *Cod. de Donation. & ex Leg. Licet, Cod. de acquir. possess.* Extenduntur hæ Leges generaliter loquentes non solùm ad res mobiles, sed etiam immobiles, sive præsentes sint, sive absentes; ut docent Juristæ. 3. per traditionem clavium domus, ubi merces asservantur; si enim antiquus possessor mercium illarum vult eas alteri donare, aut vendere, ac earum possessionem donatario, aut emptori tradere; sufficienter eas tradit, ac possessor novus eas apprehendit fictione Juris per traditionem illam clavium, & acceptationem; dummodo id fiat apud ipsam domum, vel in præsentia domus, ut constat *ex Leg. Clavibus ff. de contrah. empt.*, *& ex Leg. Qua ratione. §. item si quis merces. ff. de acquir. rer. domin.* 4. si vendens rem, aut donans, vel simili contractu alienans à se dominium rei reservat sibi ejus usumfructum; per hanc reservationem censetur possessionem tradidisse, etiamsi alius actus non intercedat. Sic colligitur *ex Leg. Quisvis, Leg. Si quis argentum. §. sed si quidem. Cod. de Donation.* 5. si vendens, aut donans rem constituat se conductorem illius pretio determinato; eo ipso censetur possessionem concedere absque alio actu. Sic *ex Leg. Quædam mulier. ff. de rei vendicat.*, *& Leg. Interdum. §. ult. ff. de acquirend. possession.* 6. si donetur, aut vendatur res pignorata, depositа, commodata, vel locata à pignorante, deponente, commodante, locante pignoratario, depositario, commodatario, vel Conductori; intelligitur jam concessa possessio per ipsam translationem dominii absque alio actu. Sic *ex Leg. 3. §. illud quoque ff. de acquir. possess.* 7. si post contractum apponatur custodia rei nomine ejus, ad quem dominium transfertur consentiente antiquo possessore; tunc intelligitur concessa possessio rei, sive mobilis, sive immobilis. Sic *ex Leg. Quarumdam rerum. ff. de acquir. possess.* 8. si post contractum translativum dominii res signatur, per signationem illam possessio acquiritur: sic evenit, si ligna è sylva emeris, aut pecora ex grege; & ex consensu vendentis ea tuo sigillo signaveris, per prædictam sigillationem possessio acquiritur, sive ligna & pecora præsentia sint, sive absentia. Sic *ex Leg. Quod si nequam in fine. ff. de pericul. & commod. rei vendit.* 9. acquiritur possessio per Clausulam Constituti: ut si quis donaret, vel venderet Titio rem aliquam, & se constitueret possessorem rei illius nomine Titii, eo ipso acquisita est possessio Titio, nec requiritur vera apprehensio illius; quia per illam constitutionem se declarat ut procuratorem Titii. Sic *ex Leg. Qui bona fide, Leg. Interdum §. final. & Leg. Si quis antea. ff. de acquir. possess.*

10 3. Modus acquirendi possessionem est per Legis Dispositionem, quando videlicet Leges ita statuunt, quamvis nulla vera apprehensio, vel ficta rei habeatur. Et licèt nonnulli Doctores sustineant, non posse haberi possessionem per dispositionem puram Legis absque ullo actu apprehensivo rei vero, sive ficto; eo quia requiri videtur de Jure Naturæ & Gentium. Nihilominus communis Jurisperitorum sententia docet, posse acquiri possessionem per Legis dispositionem: & ratio est, quia possessio, ac ejus effectus dispositione Juris inductus est; ut constat *ex argum. Legis Peregrè ff. de acquir. possess. & Leg. Nemo. Cod. cod. titul.* sed ea, quæ jure positivo inducta sunt, variari possunt ex ipsius Legis dispositione absque ullo interventu actus alicujus veri, vel falsi, ut colligitur *ex Authent. Sed Episcopalis Dignitatis. Cod. de Episc. & Cleric.* & ex aliis Legibus; ergo ex mera Dispositione Legis nullo actu interveniente vero, vel falso possessio acquiri poterit. Sic Innocentius, Abbas, Bartolus, Paulus de Castro, Angelus de Perusio, Ludovicus Roman., Jason, & alii, quos refert, & sequitur Gomez *Leg. 45. Tauri. numer.* 111. Sic apud Hispanos in Regno Castellæ Possessio Majoratus, & omnium, quæ pertinent ad Jus Primogeniti; transit ad proximum Cognatum, vel Agnatum, cui jure debetur, absque ulla apprehensione vera, vel ficta. *ex Leg. 45. Tauri.* Sic etiam penes Gallos possessio defuncti transit in ejus hæredem, etiam extraneum absque ullo actu apprehensionis, teste Covarruvia *lib. 3. Variar. cap. 5. n. 6.* Vocatur autem hic modus possidendi Civilissima Possessio, eo quia fit solo Legis beneficio absque ullo adminiculo corporis, aut animi, imò nesciente eo, qui incipit possidere.

Possessio servitutum, & Jurium Incorporalium acquiritur sine titulo per usum, & exercitium, tamquam ex Jure debitum, cum scientia tamen, & patientia illius; qui poterat prædictum usum concedere, vel impedire *ex Leg. Quoties. 2. ff. de Servitutib.* Si ergo nullus titulus adsit, ipsemet usus continuatus per tempus legitimum ad præscribendum sufficiens erit. An verò plures actus requirantur, vel sufficiat unus ad acquirendam servitutem, aut aliud Jus incorporale; adhuc sub Judice lis est. Nihilominus arridet mihi sententia Panormitani, quem sequitur Castropalaus *de Justit. punct. 24. §. 2.* docens, hoc decidendum esse Prudentis arbitrio, considerata natura actus, & circumstantiarum occurrentium. Si verò titulus adsit, acquiritur Possessio servitutum, & Jurium incorporalium per hoc, quòd habens titulum mittatur à possidente in fundum, ubi imponenda est servitus, cum animo acquirendi eam; ut habetur *in Leg. Quoties 2. ff. de Servitut.* Jura verò incorporalia, cum nulli rei corporali adhæreant, ut sunt Jura præsentandi, eligendi &c. non possunt alia via possideri, quàm usu præsentandi, & eligendi. Duo hic adnotanda: Primum, quòd servitus, si legata fuerit in ultima voluntate, statim ipso jure acquiritur legatario jus reale servitutis absque alia traditione vera, vel ficta: ut statuitur *in leg. Si partem, versic. final. ff. Quemadmodum Servit. amitt.* Secundum si usus servitutis, aut cujuscumque alterius Iuris hominum memoriam excedit; tunc etiamsi non probetur titulus, aut scientia, & patientia adversarii; inducitur Jus, Dominium, & Possessio: ratio est, quia ex tanto, & tam longo temporis usu constat, ac præsumitur hæc omnia adesse. Sic *ex Leg. 1. Codic. de Servitut.* docent Doctores cum Covarruvia *Regul. Possess. 1. part. init. num. 8.* Molina *tract. 2. disp. 14. in fin.* & aliis. 11

Privilegia, quæ confert Possessio possessori bonæ fidei, 12
varia enumerantur. Primum est, quòd elapso certo tempore possit præscribere rem, & ejus fructus; itaut etiamsi non fuerit ipsius, evadat sua cum omnibus fructibus. Secundum, quòd suborto dubio de Dominio rei, vel ejus præscriptione, possit adhibita diligenti inquisitione veritatis, nec superato dubio eam sibi retinere, nec abdicare à se, cum sit melior conditio possidentis. Tertium, quòd in Judicio parit præsumptionem Dominii, quapropter non habet obligationem probandi, rem esse suam; sed incumbit ei probare, qui vult rem repetere à possidente; quod si sufficienter probaverit, nil obtinebit, cum sit melior conditio possidentis. Sic *ex Instit. de Interdict. §. Retinendæ, & Instit. de actionib. §. æquè si agat.* Quartum, quòd possit, si opus fuerit, armis tueri suam possessionem, non solùm Naturalem, sed etiam Civilem: ut si quis rediens inveniret Domum, vel agrum à se possessum ab injusto invasore occupatum, poterit illum armis expellere, repellendo vim vi servato moderamine inculpatæ tutelæ. Sic *ex Leg. 3. ff. de vi, & vi armat. Leg. 1. Codic. unde vi, & ex Cap. Olim de Restit. Spoliat.* Secundum quod si possessor è possessione sive rerum mobilium, sive immobilium ejectus fuerit; poterit armis possessionem repetere, si confestim id faciat, non verò ex temporis intervallo. Sic *ex Leg. 3. §. cum igitur ff. de vi, & vi armat.* Dicitur confestim; & incontinenti possessionem recuperare, cum recuperationi insistit, quàm primùm commodè facere possit, spectata difficultate rei, & cæteris circumstantiis; ac attenta conditione expellentis, & expulsi. Sic Silvester *verb. Bellum. 2. numer. 3.* Lessius *lib. 2. de Justit. capitul. 3. dub. 13. in fine.* Sextum si injuste possessor à sua possessione expellatur à Domino; tunc Dominus amittit Dominium, & illud acquirit possessor expulsus. Si verò expellens non fuerit Dominus, tenebitur non solùm possessionem reddere, sed etiam æstimationem illius: ut habetur *in Leg. si quis in tantam. Codic. Unde vi.* Cęterùm in his attendendus est usus, & praxis.

Amittitur Possessio tum Naturalis, tum Civilis rerum 13
Mobilium, & Immobilium variis modis. Et Primum, si moriatur possessor, morte siquidem possessoris possessio cessat: & ratio est, quia nec animo, nec corpore retinet. Et licèt Jura, & dominia tam personalia, quàm realia defuncti transeant ad hæredem *ex Leg. Cum hæredes ff. de acquirend. possess.* non transit tamen possessio. 2. per solam voluntatem non possidendi: si enim possessor non habet amplius animum, & voluntatem possidendi rem, etiam si corpore illi insistat; possessionem ejus amittet: ut constat *ex Leg. 3. §. In amittenda, ff. de acquir. possess.*

Specia-

14 Specialiter verò amittitur possessio naturalis, & Civilis Rerum immobilium. 1. si possessor ad longum tempus absens sit à re possessa, nec per alium illi insistat, nec protestetur, se nolle amittere possessionem. Quòd si diù absens non sit, vel si diù absens sit, protestetur, nolle possessionem amittere; tunc amittit possessionem Naturalem, non verò Civilem, Sic *ex Leg. Si de eo. §. Si forte, ff. de acquir. possess. ex Leg. Licèt. Cod. eod. tit. & ex Instit. de Usucapionib. §. quod autem*. 2. si possessor sciat, rem suam ab alio occupatam fuisse, & aggreditur recuperationem, sed repellitur ab occupante; vel timens repulsam negligit recuperationem, nec audet ei resistere; tunc amittitur possessio Civilis, non verò Naturalis. Sic constat *ex Leg. Clam possidere. §. Qui ad Nundinas; & ex Leg. Si id quod §. final. ff. de acquir. possess.* 3. si nesciat, rem esse suam, nec eam inter bona sua connumeret: cum enim careat animo possidendi; non dicendus erit possessor. 4. si ita res occupata sit, ut nulla probabilis spes sit eam recuperandi: ut si flumen, vel mare assidue inundet, aut si vir valde potens eam teneat. Dum autem possessor est in ipsa re, aut in ejus conspectu, aut prope; itaut possit adesse, cùm opus fuerit; semper retinet rei illius possessionem, tum Naturalem, tum Civilem. Sicuti eamdem retinet, si intentetur ab ea dejici; sed Colonus possessoris possessionem conservat, medio namque Colono Dominus possidens censetur tum naturalem, tum civilem possessionem sibi conservare, ut patet *ex Leg.* 1. *§. Non alii autem. ff. de vi, & vi armat.*

15 Possessio verò Naturalis, & Civilis rerum Mobilium amittitur 1. per furtum, & rapinam alterius; aut si possessor nesciat, ubi sit; vel quia ab alio sublata, vel alio modo potestatem possessoris sufugerit. Sic *ex Leg. Rem. quæ nobis. ff. de acquir. possess.* Excipitur Servus, qui licèt potestatem Domini sufugerit; non obinde Dominus ejus possessionem civilem amisit; dummodo non fuerit occupatus ab alio *ex Leg.* 1. *§. Per servum, qui in fuga ff. de acquir. possess. & ex Leg. Pomponius. ff. eod. tit.* 2. si sint sub custodia alterius res istæ mobiles, & Custos incipiat eas detinere tamquam suas, absente possessore, ad quod requiritur, ut eas revera apprehendat, & animum habeat retinendi; ut absens possessor possessionem amittat. Sic *ex Leg. Possideri. ff. de acquir. possess.* 3. per amissionem rei vestis, pilei, gladii, annuli, bursæ; vel per fugam, si fuerint animalia, quæ non habeant per se consuetudinem redeundi; secus verò si talem consuetudinem habeant. Sic *ex Leg. Possideri citata.*

CAPUT VII.

Dominium quibus competat, & in quæ?

1 *Dominium soli naturæ rationali competit.*
2 *Dominium Dei, cum sit absolutissimum, & independens; extenditur ad omnes creaturas. Et ad quæ extendatur Dominium Angelorum, & Hominum?*
3 *An parvuli, & amentes carentes rationis usu dominium habere possint?*
4 *An homo dominium habere possit in alium hominem?*
5 *An homo dominium habeat suæ vitæ, & membrorum?*
6 *An homo dominium habeat in suam famam, & honorem?*
7 *An filii familias possint habere dominium aliquarum rerum?*
8 *An Servi, & Mancipia dominium habeant nonnullarum rerum?*
9 *An Religiosi possint habere dominium aliquarum rerum?*
10 *An Clerici nonnullarum rerum dominium habeant?*

1 EXPLANATIS jam genericè speciebus Juris realis, remanent multa dicenda de dominio, quod est præcipua Species Juris realis; quamvis ejus essentiam, & divisiones satis explicuimus *Cap.* 5. *à num.* 2. *usque ad* 6. sed ulterius remanent explicanda de eo, quibus competat, & circa quæ competat, explicaturi Capite sequenti quomodo acquiratur.

Jam verò Dominium soli Naturæ Rationali competere, Deo videlicet, Angelis, & Hominibus, certissima sententia est, & penes omnes recepta: ratio est, quia sola natura rationalis, & intellectualis habet fundamentum dominii, nempe potestatem disponendi pro libito suo de rebus, quarum dominium habet; quæ potestas per intellectum, & voluntatem consurgit; si ergo sola natura rationalis intellectum, & voluntatem habet; ipsa sola fundamentum habebit; & capacitatem dominii; ac potestatis disponendi de rebus suis pro libito: maximè quia cum includat ratio dominii non solùm potestatem liberam, sed etiam ordinationem ad aliquem finem; & solius naturæ rationalis est aliquid liberè ordinare in finem; inde est, quòd ipsi soli competere possit Dominium. Et de facto Deus *Genesis* 1. dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis*. Et similitudo ista utique habetur per intellectum, & voluntatem liberam.

Dominium Dei cum sit omnium absolutissimum, & 2
plenissimum, utpote independens ab alio, extenditur ad omnes creaturas tum ratione creationis, tum conservationis; in fieri namque, & conservari pendent ab eo tum secundum substantiam, tum secundum suas perfectiones; quapropter liberè de ipsis disponere poterit, prout ipsi placuerit, absque eo quod injuriam inferat, nisi fortè se obstrinxerit ex sua liberali promissione, & ordinatione; seu ex fidelitate, & veritate, quæ quamdam obligationem inducunt, non tamen ex Justitia propriè dicta. Dominium verò Angelorum, satis probabile est, extendi tantùm ad suas actiones, & proprias functiones; non verò ad res corporales, quas administrant; & licèt magnam authoritatem habeant in administratione corporum sublunarium; Dominium tamen propriè dictum illorum non habent: cum nec illa ut sua administrent, nec in proprium commodum. Sunt ergo veluti Præfecti Regii, qui nomine Regis Provincias, & Urbes administrant. Nec ullatenus probabile videtur, quòd unus Angelus Dominium habere possit alterius Angeli. Dominium denique Hominum extenditur ad omnia sublunaria, nec ultra sublunaria extendi potest: & licèt corpora cœlestia condita fuerint in Ministerium hominum, ac in eorum commodum; nihilominus Dominium illorum non habent, cum non possint de illis disponere pro suo libito; & hoc ipsum rectè explicat illud *Genes.* 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque Terræ, omnique reptili, quod movetur in Terra*. Consonat illud *Psalm.* 8. *Omnia subjeciisti sub pedibus ejus, oves, & boves &c.* Excipitur Dominium Christi Domini, qui quamvis homo, nihilominus propter unionem ad Verbum habet perfectissimum, & plenissimum Dominium omnium creaturarum: ut enim Divus Joannes 13. ait: *Omnia dedit ei Pater in manus*. Dominium, de quo hic agimus, est Dominium Hominum, adeoque nonnullæ Dubietates, quæ circa ipsum occurrunt; resolvi debent.

Dubitabis 1. an Parvuli, & Amentes carentes usu ra- 3
tionis verum Dominium habere possint? Resp. affirmativè: & quidem de Parvulis satis aperte constat ex D. Paulo *ad Galat. 4. Quanto tempore parvulus est, nihil differt à Servo, cum sit Dominus omnium*. Et propter paritatem rationis eodem modo dicendum de amentibus: nam licèt parvulus, & amens, ac quisquis alius carens usu rationis actu disponere non possint de re; nihilominus Dominium habent habituale, seu radicalem potentiam disponendi, fundatam in intellectu, & voluntate, quas potentias ab extrinseco impedimento impeditas habent; sed hoc non obstat ad Dominium habendum, aliàs dormientes, & ebrii Dominia rerum suarum deperderent; sed tantùm ad usum dominii, ad quem requiritur usus rationis, & liberum arbitrium, quibus parvuli, & amentes carent. Sic Victoria *Relect. de Indis. num.* 21. *&* 22. Lessius *de Just. lib.* 2. *capit.* 4. *dub.* 2. & Castropalaus *de Just. punct.* 6. *num.* 1.

Dubitabis 2. an homo Dominium habere possit in alium 4
hominem? Resp. spectato jure naturæ habere non posse: ratio est, quia omnes homines natura sua sunt pares in conditione, ex eodem parente geniti, & ad eumdem finem conditi; ergo omnes sunt sui juris: ut constat *ex Leg. Libertas ff. de Stat. Homin. & Instit. de Jure Person. §. Servitus*. Et quamvis aliqui hominum sint magis apti ad imperandum, sint Doctiores, prudentiores, robustiores; hoc tamen non probat, reliquos esse natura sua subditos illis, ac illorum servos; sed quòd sinere debeant, se gubernari ab illis in propriam utilitatem. Spectato tamen Jure Gentium introducta est Servitus unius hominis respectu alterius; quaproprer unus habere poterit Dominium alterius: & ratio est, quia si Respublica potest ob jus, quod habet, malefactores punire, & interficere ob delicta patrata; cur non poterit eos-

dem in servitutem redigere? quod planè minus malum est. Hinc est, quòd servitus in favorem servorum inducta sit; eo quia cum homines capti bello interfici possent, loco mortis omnia opera eorum exigebantur ab illis, qui eos interficere poterant, ideoque servi dicti fuere, quia à morte servati in obsequium dominorum addicebantur: ut constat *ex Instit. de Jur. Person. §. Servi*. Hanc servitutem subire possunt Christiani respectu Gentilium, sed etiam aliorum Christianorum, ut videre est *in Decreto dist. 54.*

5 Dubitabis 3.; an homo dominium habeat suæ Vitæ, ac membrorum? Resp. negativè: ratio est, quia eorum habetur dominium, quæ nostra industria comparari possunt; & quæ à nobis acquiri, aut relinqui possunt; sed nemo sua industria vitam, aut membra acquirere potest; ergo nemo habebit eorum dominium, quod soli Deo reservatur, qui potestatem plenam habet occidendi, & vitam concedendi. Erit ergo homo Vsusfructuarius, ac custos suæ vitæ; & membrorum, quorum dominium est penes Deum: Ideo Deuteron. 32. dicit: Videte, quòd ego sim solus Deus, & non est alius præter me; ego occidam, & ego vivere faciam. Hinc sequitur, quòd nec Reges, nec Respublica, nec Domini particulares dominium habeant in Vitam, & membra suorum subditorum, & Servorum: ratiò est, quia Reges, & Respublica non habent potestatem, & dominium, nisi à Deo, & à singulis hominibus; sed nec à Deo facta est ipsis talis potestas, cum *Exod.* 21. dicat. *Qui percusserit virga servum, vel ancillam, & in manibus ejus mortui fuerint; criminis reus erit*. Nec à singulis hominibus, qui cum eam non habeant, ut diximus, nec conferre poterunt Regibus, aut Reipublicæ. Domini verò privati facultatem, quam habent in servos, à Republica obtinent, quæ si eam pro se non habet, nec aliis conferre poterit. Concluditur igitur, quòd dominium vitæ, & membrorum hominum sit penes Deum, qui pro suo arbitratu poterit de illis disponere, etiam voluptatis causa. Nec obstat, quòd homines disponere possint de hominibus exponendo vitam illorum in bello, aut interficiendo criminosos, ut patet in Regibus, & Republica. Id enim faciunt, non ut domini, sed ut custodes boni Communis, & publicæ pacis: sicuti homo, qui custos est sui corporis, & vitæ resecat membrum putridum, ac partem illam exponit, ut salutem totius conservet. Sic Aristotiles *lib. 5. Ethic. cap. 10.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 64. art. 1.*, Cajetanus *in Summ. verb. Homicidium*; Victoria *Relect. de Homicidio, num. 21.* Sotus *lib. 4. de Just. quæst. 2. art. 3.* Lessius *lib. 2. de Just. capit. 4. dub. 10.*, & Castropalaus *de Just. punct. 6. num. 4.*

6 Dubitabis. 4.: an homo dominium habeat in suam famam, & honorem? Resp. affirmativè: ratio est, tum quia post acceptam à Deo vitam potest homo sibi honorem augere, & famam; vel eas diminuere, sicuti cæteras res externas; ergo si potest esse verus Dominus suarum rerum externarum, poterit etiam esse verus dominus suæ famæ, & honoris; tum quia si non esset verè dominus honoris, & famæ suæ; non posset injurias sibi factas condonare; nemo enim condonare potest id, quod suum non est. Nec obstat, quòd homo non possit de sua fama, & honore disponere pro suo arbitratu; quapropter *Eccles. 41. dicitur: Curam habe de bono nomine*. Quamvis enim homo negligere nequeat suam famam, & honorem sine justa, & rationabili causa; non inde tamen infertur, quòd dominium illorum non habeat; aliàs nec verum dominium haberet suorum bonorum temporalium, eo quia ea prodigere nequit. Justa tamen interveniente causa poterit de sua fama, & honore disponere, ut esset petendi causa consilium, vel ut magis in virtute humilitatis proficeret. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 64. art. 5. ad 3.*, & *quæst. 73. art. 4. ad 1. ubi ait*: In cujusque arbitrio esse, pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum. Hinc est, quod si è nostra fama pendeat fama proximi, itaut ex nostra infamia illi infamia sequatur, ut ex infamia religiosi sequitur infamia Religionis; aut si nostra fama necessaria est proximo, ut ei præstemus officium ipsi stricto jure debitum, ut est fama Episcopi, vel Parochi aut Abbatis ad bene regendum subditos: tunc infamare se esset grave peccatum contra Justitiam, ut multi Doctores sustinent; non quia precisè privat se fama, sed quia nocet proximo inferendo illi infamiam, aut reddendo se ineptum ad Officium, cui ex stricto jure obligatur. Quòd si ex Charitate tenemur proximo prodesse cum bona nostra fama, tunc eam projicere esset peccatum contra Charitatem; sicuti contra Charitatem peccat, qui potens dare pauperibus pecuniam suam in mare projicit, ne det. Vide Lessium *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 11. numer. 60.*

Dubitabis 5.: an filii familias possint habere dominium aliquarum rerum? Resp. 1.: filios familias habere plenum dominium in bona Castrensia, vel quasi Castrensia; itaut penes ipsos sit tota proprietas, ususfructus, & administratio talium bonorum, & peculiorum. Dicuntur autem bona Castrensia, quæ in militia, vel occasione militiæ parta, & acquisita sunt; sive sint stipendia militum, sive prædæ ex hostibus, sive donativa Ducum, sive alia ex tali occasione data, & comparata. Sic *ex Leg. De Castrensi peculio, ff. de Bonor. possess.* Quasi Castrensia verò dicuntur ea, quæ esto Castrensia non sint, beneficio tamen juris fortiuntur privilegium illorum: sic sunt bona ex Officio, & Beneficio Ecclesiastico acquisita; imò quidquid post Clericatum acquiritur; ut statuitur *in Authen. Presbyteros. Cod. de Episcop. & Cleric.* Patrimonium insuper ad Sacros ordines suscipiendos, constitutum tamen ab alio, non à Parentibus; nam si à Parentibus constitueretur, quamvis quasi Castrense foret quoad dominium, usumfructum, & administrationem; non esset tamen tale quoad computationem in legitima, & hæreditatis partitione: ut rectè ex Molina adnotat Castropalaus *de Justit. punct. 7. §. 1. numer. 2.* denique quasi Castrensia dicuntur ea bona, quæ occasione Officii publici acquiruntur à filio familias, dummodo non sit mæchanicum, ratione e. g. Judicis, Advocati, Notarii, Medici, Procuratoris, Lectoris, & similium Artium Liberalium *ex Leg. ult. Cod. de Inoffic. Testam.* Insuper quod à Rege, Regina, vel Principe donatur *ex Leg. Cum multa. Cod. de bonis, quæ liberis*. Patet nostra responsio ex præcitatis Legibus, & sic expresè deciditur *in Leg. 1. & sequentibus. ff. & Cod. de Castrens. Pecul.*, & sic communiter Doctores, ut testatur Lessius *de Just. lib. 2. cap. 4. dub. 3. numer. 8.* Advertendum tamen, quòd filius familias ad habendam liberam administrationem talium bonorum debeat esse pubes, hoc est, decimum quartum annum expletum habere debeat, aliàs erit ei interdicta. 7

Resp. 2. filios familias habere dominium directum, & proprietatis in bona Adventitia, non verò usumfructum, & administrationem, quæ Patri competit, exceptis aliquibus Casibus. Sic statuitur *in Leg. Quæcumque, Leg. Cum oportet. Cod. de Bonis, quæ Liberis, & Inst. Per quas personas nobis acquirit. §. Igitur. versic. Quid autem*. Dicuntur Bona Adventitia ea, quæ nec Castrensia sunt, nec quasi Castrensia, sed obveniunt filio, & adveniunt Patri, non intuitu quidem Patris, sed aliunde, jure scilicet hæreditario, donatione, proprio labore, & industria, negotiatione, fortuna, & similibus, Ex casibus exceptis 1. est, si Pater filio condonet usumfructum. 2. si filio aliquid donetur hac lege, ut ejus Parens non habeat usumfructum. 3. si filio familias aliquid donetur contradicente Patre. 4. si relictus fuerit usustructus alicujus rei ipsi filio, aliàs daretur Servitus Servitutis. 5. si filius simul cum patre succedat in hæreditate fratris, vel Sororis, ne inæqualis evadat successio; si tamen Testator expresserit, velle eos æqualiter succedere. 6. Si Pater evadat hæreticus; tunc enim filius sui juris erit.

Resp. 3. filios familias non habere dominium nec directum, nec utile bonorum profectitiorum, nec illorum administrationem ex se; sed esse penes eorum parentes, à quibus profecta sunt: sic statutum est *in Leg. Cum oportet in princip. Cod. de Bonis, quæ Liberis, & Inst. Per quas personas nobis acquirat. §. Igitur versic. Sancitum est*. Dicuntur autem ea bona Profectitia, quæ proveniunt à Patre vivente, & concedun-tur filio, ut ab eo administrentur; vel primariò; & immediatè dantur filio ab aliis intuitu Patris, & ob amicitiam illius; secus verò esset, si darentur intuitu ipsius filii, & ob ejus amicitiam. Non debent tamen hæc bona esse Castrensia, vel quasi Castrensia; quia etiamsi à Patre vivente proficiscerentur, non dicenda essent Profectitia. Sic essent ea bona, quæ darentur filio proficiscenti ad bellum; vel inservienti Regi, & Principi in Curia; aut euntí ad studia: ut colligitur *ex Leg. Socium §. ultim. ff. Pro Socio*.

Dubitabis 6. an Servi, & Mancipia dominium nonnullarum rerum habeant? Resp. nullum habere dominium plenum, & perfectum independens à potestate Dominorum; cum enim possideantur à Dominis suis; inde est, 8

quòd

quòd ab eisdem Dominis possideantur omnia ea, quæ servis adhærent. Sic constat *ex Instit. Per quas personas nobis acquirit. §. Item nobis*; ubi dicitur: Sancitum est, Servos, quidquid acquirunt quavis causa, vel occasione Dominis acquirere; *ex Leg. Id vestimentum*; *ff. de Pecul.* ubi dicitur: Servum non esse Dominum vestimenti quotidiani; quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest, *& ex Cap. Cum olim. de Privileg.* ubi dicitur: Servum, & Monachum in eo esse pares, quod neuter alicujus rei dominium habeat. Hinc est, quod nullam injuriam faciant Domini servis suis, si ab eis adimant, quod habent; dummodo non datum fuerit ab eisdem Dominis servis absolutè, ut de eo disponerent pro suo libito: nam sic dantes concedunt absolutè, & in perpetuum; adeoque revocare nequeunt datum.

In aliquibus tamen Casibus possunt servi, & Mancipia dominium habere plenum, & perfectum nonnullarum rerum; ita ut injuria ipsis fiat à suis Dominis; si adimantur: non enim ex se incapaces sunt Dominii, ut sunt Religiosi in particulari, à quibus in hoc discriminantur. 1. Casus est: si Dominus consentiat expressè, vel tacitè, ut Servus peculium habeat. 2. si aliquid donatum, vel legatum fuerit, non intuitu Domini, sed ob industriam, & obsequium præstita ab ipso servo: datur enim, & legatur, ut sit ipsius Servi, non verò Domini. 3. si intercedat contractus inter Dominum, & Servum, quà homines sunt, non verò sub relatione Domini, & Servi; ut ex suis laboribus quotidianis certam pensionem Domino solvat, & reliquum evadat proprium. 4. si aliquid detur Servo in compensationem injuriæ ipsi illatæ, non verò quà Dominus passus est detrimentum. 5. si Servus ex pecunia propria aliquod lucrum reportaverit, quod eodem modo se habet, ac lucrum reportatum ex bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus. 6. si præter opera injuncta à Domino, absque detrimento ipsius alia faciat, ex quibus quæstum reportet; aut si ex illicito usu corporis sui quæstum recipiat; aut sine Domini incommodo aliquid subtrahat ex necessariis ad sustentationem, quod liberè poterat consumere. In his enim Casibus plenum illorum dominium habent Servi, & Mancipia; itaut pro suo libito disponere possint de illis independenter à suis dominis, ac injuriam ipsis faciant Domini, si auferant, & ad restitutionem teneantur, ac servi compensatione uti possint: non enim acquisita sunt à servis per obsequia debita Dominis, sed ipsi indebita. Sic Sotus *lib. 4. Just. quæst. 1. art. 2.*, Salon 2. 2. *quæst. 3. art. 1.*, Lopez 2. *par. Instruct. cap. 33.*, Molina *tract. 2. disp. 38.*, Sà *verb. Servus, num. 3.* Rebellus *de Obligat. Just. lib. 5. quæst. 11. sess. 2.*, & Castropalaus *de Just. pun. 7. §. 2. num. 3.*, & inclinat Lessius *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 4. num. 17. in fine*.

9 Dubitabis 7.: an Religiosi possint habere Dominium aliquarum rerum? Resp. 1. Religiosos solemniter professos in Religione approbata omnino incapaces esse in particulari dominii, ususfructus, possessionis, aut similis Juris rerum temporalium, sive Mobilium, sive Immobilium; adeoque nullus ipsorum ea tamquam propria, & suo nomine retinere valeat. Quæ quidem incapacitas non inducta est Jure Naturæ, aut Divino; sed Jure positivo Canonico statuente, quòd Religiosus post solemnem professionem, non solùm se spoliat omni dominio, sed etiam se incapacem reddit omnis Dominii, & juris temporalis. Secus verò si Votum Paupertatis simplex fuerit; tunc enim nec amittitur Dominium, nec Vovens redditur incapax illius, esto sit verus Religiosus per illud votum emissum, & acceptatum ab Ecclesia; nequit tamen illorum bonorum usum aliquem habere independenter à consensu Superioris. Sic *ex Constit.* Gregorii XIII. incipit, *Ascendente Domino*. Statuit ergo jus Canonicum, neminem Religiosorum in particulari, qui solemnem Professionem in Religione approbata emisit; habere dominium rerum Temporalium, aut capacem esse habendi illud. Sic *ex Cap. Non dicatis.* 12. *quæst. 1. Cap. Cum ad Monasterium, de Stat. Monachor. Cap. Monachi eod. tit., & ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 2. de Reform.*

Dictum est, Rerum Temporalium, eo quia Religiosi solemniter professi non sunt incapaces dominii, & Jurium bonorum spiritualium; patet ex eo, quia Regulares beneficiarii habent dominium, & possessionem suorum beneficiorum; ac nomine proprio agere possunt ad obtinendum eorum dominium, ac eorundem possessionem habendam, retinendam, vel recuperandam. Poterit etiam simplex religiosus agere nomine proprio de jure eligendi quod sibi competit; de jure alimentorum; de jure manendi in tali, vel tali Monasterio: & ratio est, quia licèt religiosi renuntient bonis temporalibus, ac capacitati acquirendi illa per Votum solenne Paupertatis; non tamen renuntiant prædictis Juribus, honoribus, ac bonis spiritualibus. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 186. art. 7. ad 4.*, Cajetanus *ibidem* Navarrus *Commentar. 2. de Regular.*, & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 4. dubit. 5. num. 26.*

Resp. 2.: Religiosos professos habere in Communi dominium bonorum Temporalium, & capacitatem ad illud; ita ut eorum Congregatio verè talia bona temporalia possideat, & penes ipsam sit eorum dominium; exceptis Religionibus illis, quę sponte tali dominio, & capacitati renuntiarunt. Hæc sententia hodie est communissima tum ob Authoritatem Tridentini ita statuentis, *sess. 25. cap. 3. de Regular.*; tum ex illo effato passim recepto *in Cap. Cum olim. de Privileg.* Monachum, quidquid acquirit, non sibi acquirere, sed Monasterio, quod impropriè diceretur, si tantùm acquireretur jus administrandi, non verò dominium; tum denique ratione, eo quia talium bonorum dominium penes aliquem esse debet; sed non est penes fideles donantes, quia se illud abdicarunt, ac religioni conferre intellexerunt; non penes Pontificem, alias posset de illis pro libito disponere, & absque rationabili causa; non penes Religiosos in particulari, qui incapaces sunt illius, ut vidimus; ergo penes ipsam Communitatem religiosam: maximè quia Communitas Religiosa non redditur incapax prædictorum bonorum, neque ex ordinatione Ecclesiæ, quæ potiùs oppositum statuit, ut superiùs innuimus ex Tridentino; neque ex intentione religiosorum voventium, qui solùm excludunt Dominium à particularibus, non verò à Communitate: nec denique à Benefactoribus, & donantibus, quorum intentio est transferre dominium in Religionem. Non nego tamen, quod non sit adeo absolutum, & independens, ut possit Religio bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare. Aut quòd non possit Pontifex, cui Supremum Ecclesiæ regimen commissum est ex justa, & urgentissima causa in bonum fidei, & pietatis illa ab eis adimere, ac relictis necessariis alteri applicare. Sic Franciscus Sarmentus *de Reddit. Eccles. par. 1. cap. 1. num. 21.*, Molina *tract. 2. disp. 14. post princip.*, Lessius *lib. 2. Just. cap. 4. dub. 5. num. 19. & 20.*, & Castropalaus *de Just. punct. 7. §. 3. numer. 1.* contra Navarrum, & Majorem.

Dubitabis 8.: an Clerici habeant nonnullarum rerum Dominium? Resp. quatuor bonorum genera considerari posse respectu Clericorum non religiosorum. 1. est bonorum illorum, quæ competunt Clerico Jure hæreditario, donatione, industria, vel alio modo, quo laici solent sibi bona acquirere; & hæc dicuntur Patrimonialia. 2. est illorum bonorum, quæ ipsi acquirunt, ut Clerici sunt. celebrando, canendo, concionando, confessiones audiendo, aut alio exercitio, sive Ordinis, sive Jurisdictionis; & hæc dicuntur quasi Patrimonialia. 3. est illorum bonorum, quæ acquirunt ratione beneficii, Canonicatus, Decanatus, & similium Dignitatum; & hæc dicuntur merè Ecclesiastica. 4. denique est illorum, quæ spectant ad Ecclesiam, cui præsunt Clerici. His positis 10

Dicendum 1.: Clericos habere verum, & proprium dominium bonorum Patrimonialium; & quasi Patrimonialium seu bonorum primi, & secundi generis explicati: ratio est, quia & capaces sunt dominii, nec illud à se abdicant; neque ullam obligationem subeunt exponendi bona illa in pias causas; ergo verum, & proprium dominium habent bonorum patrimonialium, ac quasi patrimonialium, quæ sunt stipendia suorum laborum; adeoque de illis disponere possunt pro suo libito; sicuti disponere possunt Sæculares de sui ac de stipendiis suo labore cõparatis. Est communis sententia, teste Navarro *de Reddit. Eccles. q. 1. monito 19.*, Covarruvia *in Cap. Cum in Officio, de Testam. num. 4.* Molina *tract. 2. de Just. disp. 142.*, Lessio *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 6. num. 36. & 37.*, Castropalao *de Just. punct. 7. §. 3. numer. 3.*

Dicendum 2.: ex bonis tertii generis, nempe merè Ecclesiastici provenientibus ex beneficiis, Dignitatibus, & Canonicatibus; ut sunt Decimæ, Census, Prædia, Dominia Oppidorum, Pagorum, Provinciarum, & similia, habere Clericos verum, & proprium dominium partis illius, quæ singulis beneficiis, ac titulis erectis assignata fuit in sustentationem beneficiarii; adeout possint de illa disponere pro suo libito; non secus ac possunt disponere pro libito de bonis patrimonialibus, ac quasi patrimonialibus. Secus tamen dicendum de partibus designatis in fabricam Ecclesiæ, aut in aliam sustentationem Ministrorum; de his enim dominium non habent; sed puram administrationem, ut ex se patet. Et quamvis aliqui Canonistæ conentur demonstrare, nullum dominium com-

petere Clericis ex his partibus, quæcumquæ sint, provenientibus ex beneficiis Ecclesiasticis. Nihilominus communissima Theologorum, & Canonistarum sententia, hodie recepta docet, verè, & propriè Clericos habere dominium partis sibi designatæ ex beneficiis in congruam sustentationem: ratio est quia Ecclesia dividens bona ista merè Ecclesiastica in beneficiarii congruam sustentationem, & in fabricam Ecclesiæ, aut aliorum ministrorum Ecclesiæ sustentationem intellexit illis dare dominium talium partium, aliàs inutiliter, & frustranee facta fuisset divisio illa, si dominium transferre noluisset; maximè quia facta fuit in stipendium, & præmium laborantium in Mysteriis Ecclesiæ; sed bona illa, quæ conceduntur in stipendium, & præmium laborum Clericis; censentur, & sunt quasi Patrimonialia; ergo de illis absolutè, propriè, & verè dominium accipiunt, & prò libito disponere possunt. Sic Navarrus, Sotus, Covarruvias, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 6. num. 39.* & Theologi ferè omnes,

Controversia tamen major est de parte superflua, ac superexcedente congruam sustentationem beneficiarii; quæ quidem sustentatio suos gradus habet infimum, medium, & Summum, non enim in indivisibili consistit; an inquam, Clerici dominium habeant illius partis superfluæ, ac redundantis super congruam sustentationem in summo gradu acceptam? an verò sint merè dispensatores illius, itaut teneantur ex justitia ad illam erogandam in pauperes, aut alia pia opera; itaut si secus fecerint, obligentur ad restitutionem? Celebris est in hac re Navarri Sententia, qui *apolog. de Reddit. Eccles. quæst. 2. per totam*, nimis doctè more suo conatur ostendere, Clericos non esse dominos partis illius redundantis supra congruam sustentationem, sed merè dispensatores illius; adeoque teneri ex rigorosa justitia erogare illam in pauperes, aut alia pia opera; itaut si secus fecerint, teneantur ad restitutionem ex bonis propriis, ut tenetur Oeconomus bona domini dispensans contra ejus voluntatem. Eadem sententia est Alensis, Richardi, Henrici, Valdensis, Francisci Turriani: & plurium Canonistarum penes Lessium *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 6. num. 41.* Nihilominus oppositam ex diametro sententiam docent Moderniores Theologi, & quamplures Canonistæ asserentes, Clericos esse absolutè Dominos partis illius sibi assignatæ in congruam sustentationem, adeoque si partem redundantem supra congruam sustentationem non dispensaverint in pauperes, aut alias pias causas; graviter peccabunt contra Charitatem, non verò contra Justitiam; & per consequens nulla obligatione restituendi ex bonis propriis adstringi. Hanc sententiam ut probabiliorem, & communiorem sequor, non denegata sua probabilitate adversæ sententiæ: moveor, quia facta jam divisione ab Ecclesia reddituum Ecclesiasticorũ, & assignata portione pro congrua sustentatione beneficiarii, factus est beneficiarius dominus reddituum illorum, sive redundent, sive non supra congruã sustentationem; & defacto accidit Casus, quòd respectu alicujus beneficiarii portio illa assignata non sufficiat ad congruam sustentationem absque eo quod Ecclesia obligetur ad illam subministrandam; ergo absolutè tradita est, & insolutum; ergo non inducit obligationem ex Justitia erogandi in pauperes, aut alia pia opera partem redundantem: maximè quia ex nullo Textu, nec ex ratione, nec ex veluti contractu oneroso, qui deberet esse utrinque onerosus; deduci potest talis obligatio ex Justitia, & aliunde obligatio ex rigorosa Justitia non est imponenda arbitrariè, aut piè tantùm sentiendo. Nec obstat, quòd pars assignata pauperibus nesciatur ubi sita sit: hoc enim non probat, assignatam esse supra portionem redundantem ad congruam sustentationem; cum non sit major ratio, cur assignata fuerit supra portionem redundantem, & non supra portionem necessariam ad congruam sustentationem, quod ipsi adversarii non concedunt; insuper cur assignata fuerit supra portionem beneficiarii, cui data est in stipendium, & solutionem suorum laborum; & non supra portionem fabricæ Ecclesiæ, aut supra portionem aliorum ministrorum. Cæterùm assignata fuit vel Hospitalibus publicis, vel Principibus, & Regibus Christianis in defensionem ipsius Ecclesiæ, ut Sotus ait *lib. 10. de Just. quæst. 4. art. 3. & 4.* Quòd autem ex Charitate, & congruentia obligentur Clerici ad hanc partem redundantem distribuendam inter pauperes, & alia pia opera; itaut graviter peccent contra Charitatem, si secus faciant in alios profanos usus, ultrò fatentur Patroni omnes hujus Sententiæ, & Patres, ac Concilia monent, Charitas exigit, ratio dictat, congruentia exposcit, ac Status Clericalis commendat. Sic Covarruvias *Cap. Cum in Officio, de Testam. num. 2.*, Molina *de primog. lib. 2. cap. 10. num. 12.*, Molina Theologus *tract. 2. de Just. disp. 144. in princip.*, Sotus *lib. 10. de Just. quæst. 4. art. 3. & 4.*, qui conatur ostendere esse Sententiam D. Thomæ 2. 2. *quæst. 185. art. 7.*, Adrianus *in 4. Tract. de Restit. §. pro clariori concl. 2.* Sarmiento *de Reddit. Eccles. par. 2. cap. 1. & 2.*, Lessius *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 6. num. 43.*, Valentia 2. 2. *disp. 10. quæst. 3. pun. 7.*, Coninch *disp. 27. dub. 11. num. 185.* Castropalaus *de Char. disp. 2. pun. 6. num. 5.*, Bonacina *de Benefic. disp. 4. quæst. 4. pun. 1.* referens Sayrum, Bannez, Aragonium, Marsilium, Antonium Columnam, Graffis, Vasquez, Molfesium, Reginaldum, Menochium, Sanchez, Garziam, Filliuccium, & Layman,

Dicendum 3.; nullum Clericum in particulari habere dominium bonorum mobilium, vel Immobilium Ecclesiæ; sed esse penes Communitatem Ecclesiasticorum cujusque singularis Ecclesiæ ad instar Conventuum Religiosorum; cum fideles ea bona non universali, sed particulari illi Ecclesiæ concesserint. Limitatur hoc dominium tribus Conditionibus. 1. est, ut supremam illorum administrationem habeat Pontifex, ut Caput est omnium Ecclesiarum, & Conventuum Religiosorum. 2. ut si urgentissima causa habeatur, & valde expediat bono Communi Ecclesiarum; possit Pontifex illis uti ad alium bonum finem. 3. ut Conventus ille Ecclesiasticus particularis Ecclesiæ teneatur ea ad posteros transmittere, absque eo quòd possit ea alienare, aut extinguere pro suo libito; ut constat ex Decretis Ecclesiæ, & ex dispositione donantium, qui Divino Cultui ea in perpetuum manciparunt. Sic Adrianus *in 4. de Restit. §. Pro clariori*, Turrecremata *lib. 2. de Eccles. cap. 113.*, Lessium *lib. 2. de Just. cap. 4. dub. 7.*, Navarrus *in Cap. Non liceat de Spoliis Cler. §. 3. &* Molina *tract. 2. de Just. disp. 142.*

CAPUT VIII.

Quomodo acquiratur Dominium rerum, & præcipuè hominum?

1 *Omnia initio mundi Communia, Divisio partim facta Occupatione, partim Sortitione.*
2 *Divisio rerum licèt propriè non fuerit facta Jure Naturæ, aut Divino; facta tamen fuit Jure Gentium.*
3 *Dominium, quod acquiri potest; aliud est rerum sub nullius potestate existentium; aliud rerum sub potestate alicujus existentium.*
4 *Quomodo acquiri possit Dominium in homines, & jus Servitutis in illos.*
5 *Quam potestatem habent Domini in suos Servos?*
6 *An possint Servi à suis Dominis fugere, & libertatem recuperare?*
7 *Quomodo acquiratur Dominium per Ædificationem, & præcipuè per constructionem molendinorum, & per arborum plantationem.*
8 *Quale Dominium acquiratur per Alluvionem, Mixtionem, & Confusionem, Scriptionem, Pictionem, Formationem, & Accessionem?*

QUAMUIS initio mundi omnia fuerint Communia, Deus siquidem Supremus omnium Artifex ea nobis communia fecit, & talia ea nobis conservasset servata integritate naturæ; nihilominus occasione peccati ob lapsum Adę, conveniens fuit, ea dividere ad lites, & discordias vitandas. Facta est ergo Divisio rerum post peccatum primi Parentis; quæ quidem & licita fuit, & satis accommoda humano generi, nec contraria Legi à Deo statutæ, ut rectè probant D. Augustinus *Hæres. 40.*, & D. Epiphanius *hæresi 61. contra hæreticos Apostolicos, & Pelagianos*. Hæc Divisio, & Distinctio rerum partim facta est Occupatione, partim Sortitione: posteri siquidem Adę, sicut filii Noe post diluvium, & linguarum confusionem terram occupavere, vel eam sorte sibi divisere; ut patet *ex Genes. 10. & 11.* Crescente verò hominum generatione aliæ, & aliæ Divisiones, & Distractiones factæ sunt.

1

Jam verò hæc rerum Divisio, licèt propriè non fuerit facta jure Naturæ, nec Jure Divino; facta tamen est Jure Gentium, ut constat *ex Cap. Jus Gentium est sedium Occupatio, dist. 1.*, & *ex Leg.. Ex hoc Jure Dominia distincta, ff. de Just.*, & *Jur.* Quod quidem Jus Gentium non est præceptum aliquod penes omnes acceptum, sed est commune hominum Judicum, ac consensus Gentium, quæ putarunt attenta hominum conditone magis expedire rerum Divisionem, quàm eas in communi servare, tum ob bonum pacis, tum ad meliorem ipsarum rerum administrationem. Quòd si aliqua Respublica, & hominum

Com-

Communitas daretur, ubi ex dono Dei supernaturali conditio hominum esset, ut in statu *Innocentiæ*, ac naturæ integrę, utique Jus Gentium non exposceret talem Divisionem. Advertendum tamen hic: quòd aliquando Jus Gentium appellatur *Jus Naturale*, ut dicitur *Inst. de Rerum Divis. §. Feræ.* Advertendum insuper, quòd licèt Divisio Rerum in genere sit ex Jure Gentium; Divisio tamen hujus, vel illius rei facta his, vel illis Personis particularibus provenit vel ex prima occupatione, vel ex Contractibus, aut aliis modis Jure Cæsareo approbatis, ideoque ad rem dixit D. Augustinus *tract. 6. in Joannem*: Quòd hæc villa sit mea, & illa tua, est ex Jure Imperatorum.

3 Dominium, quod acquiri potest rerum, aliud est earum rerum, quæ sub nullius potestate sunt, alterum earum, quæ sunt sub potestate alicujus. Dominium rerum, quæ sub nullius potestate sunt, quales sunt feræ in sylvis, Volucres in Cœlo, pisces in mari, & similia, necessariò comparatur apprehensione, & possessione illarum, ut statuitur *in Leg. 1. ff. de acquir. rer. Domin.*, & *Instit. de Rer. Divis. §. Feræ:* in iis enim rebus, quæ sub nullius potestate sunt, valet illud Proverbium, quòd sint primi occupantis, & ipsa apprehensio, & possessio sit sufficiens titulus ad fundandum Juris jus, & dominium in re illa. Dominium verò rerum, quæ sub alterius potestate sunt; regulariter acquiritur per hæc duo, nempe Titulum, & Apprehensionem, seu possessionem. Titulus dicitur radix illa, & origo, ex qua dominium nascitur: sic sunt Donatio, Emptio, Successio hæreditatis, Electio, & similia, quæ licèt præcisè non dent Dominium, simul tamen cum traditione, seu possessione rei illud absolutè conferunt: ut sanctum est *in Leg. Traditionem. Cod. de Pactis, Instit. de Rer. Divis. §. Per traditionem.* Dixi, regulariter, quia aliquando transferunt hoc Dominium per Titulum, quamvis ex Juris dispositione non habeatur vera Traditio, ut supra diximus de Possessione.

4 Inquires 1.: Quomodo acquiri possit dominium in Homines, ejus Servitutis in illos? Resp. distinguendo prius tria Servitutum genera. 1. est Naturale, quo indoctus subjicitur Doctiori, *ignobilis* Nobili, & imbecillis robusto: & hæc Servitus est impropriè dicta; nec Jus, aut dominium fundat in Personas, aut ejus actiones. 2. est Conductivum, quando videlicet conducuntur homines ad aliquas functiones, & obsequia præstanda; quæ quidem Servitus non tribuit Jus in Personas, sed in earum operas. 3. denique est Legale, & Civile, quando scilicet Personæ subjiciuntur Dominis pro viribus in eorum commodum, & obsequium; & hæc Servitus concedit jus, & dominium in Personas, itaut ipsæ, & quidquid ad ipsas spectat, Domini sint, & ad Dominum spectent. Quòd autem licita sit hæc servitus Civilis, & Legalis, de qua nobis hic sermo est, constat ex variis Scripturę locis. *Levit.* 25. & 29., D. Pauli *ad Timoth. 6.*, *1. ad Corinth. 7.*, D. Petri *1. cap. 2.*, *ex Cap. Si quis Servum. 17. quæst. 4.*, & *ex toto Titulo de Conjug. Servor.* Non enim hæc Servitus est contra Jus Naturæ, quæ liberos homines fecit; cum spectatis conditionibus, & circumstantiis extrinsecis Servitus Personarum Jure Gentium introduci potuit; itaut qui ex natura liber esset ex istis circumstantiis servus fieret: maximè quia si homo ab hominibus publicam authoritatem habentibus licitè privari potest vita, licitè etiam addici poterit Servituti, & obsequio alterius.

Quadruplici modo, seu titulo acquirere potest homo Dominium, & jus Servitutis Civilis, & Legalis in alium hominem. 1. Jure belli: Capti siquidem bello justo Jure Gentium fiunt Servi: cum enim possent vita privari, & bonis omnibus; potiori jure poterunt privari libertate, & addici Servituti Victorum. Et quamvis infantes, & Innocentes occidi nequeant, in servitutem tamen redigi poterunt, tum in pœnam Reipublicæ illius, tum quia libertas illorum computatur inter bona externa ipsius Reipublicæ, cujus sunt membra. Secus verò dicendum, si bellum injustum fuerit, quia cum iniqua sit captio, iniqua etiam erit addictio Servituti: sic *ex Leg. Hostes, ff. de Captiv.*, & *ex Instit. de Rer. Divis. §. Itemque ab hostibus.* Consuetudine introductum est, ut Christiani à Christianis in bello capti non fiant eorum Servi in honorem libertatis illius, quam in Christo consecuti sumus. 2. Jure Nativitatis: hoc modo, & titulo Servus evadit, qui natus est ex ancilla: ratio est, tum quia servitus convenit secundum corpus, & Mater plus confert materiæ corpulentæ, quàm pater; tum quia certior est mater præ Patre; adeoque partus sequi debet ventrem *ex Leg. Partum. Cod. de Rei vendic.*, & *ex Instit. de Jur. Person. §. ult.* Advertendum tamen, quòd partus servitutem non contrahit, si mater, quando concepit, libera erat; aut quando parit, libera est, aut libera fuit, etiam per momentum temporis intra spatium conceptionis, & partus: ut statuitur expressè. *In Instit. de Ingenuis. §. Sed & si quis. 3.* Jure Condemnationis justæ à legitimo Judice factæ ob patratum delictum: nam sicuti potest homo ob aliqua delicta morte puniri, ita etiam poterit Servitute plecti. Delictum autem talis gravitatis esse debet, ut arbitrio prudentum Virorum reputetur pœnam Servitutis mereri. Sic est deferre arma, aut alia prohibita Saracenis; aut in eorum navibus Regimen exercere: nam si ita delinquentes capiuntur, fiunt servi Christianorum eos capientium *ex Cap. Ita quorundam de Judæis*, & *Saracen.* Committere raptum *ex Cap. de Raptoribus 36. quæst. 1.*, matrimonium contrahere cum initiatis Sacris Ordinibus *ex Cap. Cum multæ 15. quæst. 8.*; & *Cap. Eos qui. dist. 32.* & genericè loquendo, omnes committentes delicta, ob quæ mortem, vel mutilationem merentur, poterunt perpetua servitute puniri; eo quia levior est pœna *ex Inst. de Jur. Person. §. Servi. 4.* Jure emptionis, & venditionis: sic evenit, quando quis ex libero se vendit in servum; aut à suis Parentibus venditur. Et quidem quòd possit quis se vendere in servum spectato Jure naturæ justa interveniente causa, patet ex eo, quia est Dominus suæ libertatis, ut est Dominus suæ famæ, & suorum bonorum; ergo sicuti potest hæc à se abdicare, ita etiam & libertatem. Confirmatur ex Scriptura, in qua *Exod. 21.*, & *Deuteron. 15.* conceditur hebræo, posse se alteri spontè tradere in servum perpetuum; & exemplo D. Paulini, ac profitentium Religionem, qui spontè libertatem à se abdicant. Jure verò Cæsareo, & Communi conceditur hæc venditio, servatis tamen sex conditionibus. Ubi hoc Jus non viget, poterit se absolutè vendere. Quòd autem possint Parentes filios suos, non adhuc emancipatos, vendere jure naturæ constat *ex Exod. 21.*, & ratio est, quia sunt fructus suorum Parentum; adeoque Parentes jus habent percipiendi emolumenta horum fructuum. Jure tamen Cæsareo, & Communi nonnullæ conditiones requiruntur, ut possint Parentes filios suos distrahere; ut constat *ex Leg. 2. Cod. de Patrib., qui filios distraxerunt.*

Inquires 2.: quam potestatem Domini habeant in suos servos? Resp. quamvis antiquitùs permissũ fuerit dominis, servos suos punire usque ad internecionem; jure tamen merito hæc facultas correcta fuit in Digestis, & Institutionibus. De his, qui sunt sui, vel alieni Juris; ita ut *Leg. 1. ff.* sub hoc titulo sanctum fuerit: ut occidens, aut mutilans proprium servum eadem plecteretur pœna, ac si alienum occidisset, aut mutilasset. Quapropter nullum dominium habent Domini in vitam, & membra Servorum; itaut eos occidere, aut mutilare possint. Nec insuper eis impedire possunt conjugium, & moderatum ejus usum; sicuti nec impedire possunt usum Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ secundum prudentiam christianam: ut ex D. Thoma, D. Antonino, Rebello, & aliis docet Castropalaus de *Just. pun. 10. n. 1.* Remanet igitur, quòd potestas Dominorum in Servos extendatur tum ad exigendum ab eis consueta, & rationabilia obsequia, quæ secundùm morem exigi solent; non verò insueta, & cum periculo vitæ; tum ad illos corrigendos, & moderatè puniendos, cum id delicta exposcerint. Quòd si delicta Servorum majori punitione indigeant, recurrendum erit à Dominis ad Potestatem publicam juxta *Leg. Vnic. §. ult. Cod. de emendat. Propinquor.* Si Domini potestate sua abutantur in servis puniendis, Officium Judicis implorare poterunt servi, & apud ipsum conqueri de injuria, quod potiori jure præstare poterunt, si impellantur à Dominis ad peccandum; ut statuitur *in Leg. 1. §. Servos*, & *§. Quod autem, ff. de Offic. Præfect. Vrb.*, *Leg. Si leones. Cod. de Episcop. audien.*, & *ex Instit. de his, qui sunt sui juris. §. ult.* 5

Inquires 3.: an Servi à suis Dominis fugere possint, & libertatem recuperare? Resp. quamvis Servis emptitii nequeant à suis Dominis fugere, & fugiendo libertatem acquirere; eo quia per legitimum contractum facti sunt servi, adeoque sine violatione justitiæ fugere non poterunt. Nihilominus si inhumaniter tractentur, aut ad aliquod peccatum committendum incitentur; à Dominis fugere poterunt: & ratio est, quia injuria illis fit, si inhumaniter tractentur, sine causa affligendo eos siti, fame, frigore, verberibus; ergo possunt per fugam à tali injuria se liberare, cum non suppetat alia via: & major injuria illis fit inducendo eos in periculum æternæ salutis, à quo potiori jure se liberare poterunt per fugam. Talibus causis cessantibus regredi 6

tenentur ad Dominos, quia libertatem consecuti non sunt; nisi forte talis, ac tanta injuria fuerit, ut libertate compensanda sit: ut docent Lessius *lib. 2. de Just. cap. 5. dub. 5. n. 19.*, & Castropalaus *de Just. pun. 10. numer. 4.* Insuper ex Jure fugere possunt, & libertatem consequi servi christiani, si empti sint à Dominis Judæis, Paganis, aut hæreticis commorantibus in subjectione Principis christiani; sub hac enim conditione permittitur ipsis habitatio in Terris Christianorum *ex Leg. Deo nobis. §. his ita; Cod. de Episc. & Cleric.*, *ex Cap. ult. de Hæretic.*, *& ex Cap. 2, & ult. de Jud. & Sarac.* Poterit quoque fugere, & libertatem acquirere Servus Christianus, si à Domino suo impellatur, ut se circumcidat, aut Judaicos ritus servet *ex Leg. Vnic. Cod. Ne christianum Mancip.*, *ex Cap. Plerique distin. 4. & ex Cap. Nulla Officia dist. 54.* Servi bello capti liberè confugere possunt ad suos, & libertatem consequi; quamvis resistere nequeant Dominis eos persequentibus in fuga: ratio est, quia cum hæc servitus jure gentium statuta fuerit, & sit nobilior præ cæteris Servitutibus; inde est, quòd secundum consuetudinem gentium servari debeat; ergo cum consuetudo penes omnes sit, quòd si contendant ad suos, libertatem in termino recuperant; dicendum erit, eos fugere posse. Quòd autem vi resistere nequeant Dominis persequentibus, probatur ex eo, quia Domini habent jus eos percipiendi in via; ergo injuriam illis facerent, si vi resisterent. Libertatem tamen non acquirunt, si juramentum præstiterint redeundi, & postquam ad suos pervenerint, redire nolint. Sic *ex Instit. de Rer. Divis. §. Item ea; ex Leg. Nihil. ff. de Captiv.* docent Sotus, Bannez, Covarruvias, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 5. dub. 5. numer. 24.* contra Navarrum, & alios. Fugere tamen non possunt, nec si fugiant, libertatem consequuntur, qui legitimè venditi sunt; tenentur siquidem itare contractui, nec sine injustitia illum violare possunt; sive à se, sive à parentibus, aut aliis venditi fuerint legitimè. Nec fugere possunt, qui legitimè, & justè damnati sunt ad servitutem; eo quia tenetur delinquens exequi justam pœnam ipsi à Judice impositam; dummodo servitus non sit valde calamitosa, & superans humanam conditionem; ut ex communi Doctorum adnotat Lessius *l. c. numer. 22.* Proles servituti addicta ob conditionem suæ matris sequitur sortem matris, quæ si fugere non potest, nec ipsa fugere poterit.

7 Inquires 4.: quomodo acquiratur Dominium per ædificationem, & præcipuè Constructionem Molendinorum, & per plantationem arborum? Resp. ut dominium ædificii acquiratur per ædificationem, debet ædificium construi in proprio solo, non verò in alieno: & ratio est, quia cum ædificium solo adhæreat, inde est, quod cedere debeat Domino soli. Quòd si in proprio solo ex aliena materia, & cæmentis quis ædificium construxerit; quamvis dominium acquireret ædificii, nihilominus tenetur Domino materiæ illius, & cæmentorum satisfacere ad æqualitatem, ut statuitur *in Instit. Rer. Divis. §. Cum in suo; & in Leg. Adeo. §. Cum in suo ff. de acquir. Rer. dom.* Si vice versa quis ex propria materia in alieno solo ædificaret bona fide, putans esse suum solum; quamvis ædificium cederet in dominium Domini soli: teneretur nihilominus Dominus soli ad solutionem commodi, quod ex illo ædificio reportaret. Secus tamen si mala fide processerit sciens, solum esse alienum; tunc nihil ei debetur, etiam diruto ædificio non debetur materia; eo quia vel præsumitur donasse, vel temere feciisse, dummodo tamen Dominus soli non fuerit conscius ædificii: nam si conscius fuit, & dissimulavit; tenetur commodum perceptum solvere *ex Instit. de Rer. Divis. §. Certè.*

Quod dictum est de ædificiis intelligi etiam debet de Molendinis quoad fabricam; quoad verò usum aquæ, si hæc aliena fuerint, non poterit Dominus Molendini ea uti non consentiente Domino aquæ; & recurrunt, quæ dicta sunt de ædificiis. Quòd si flumen publicum sit; dummodo navigabile non sit; poterit in alveo illius, vel in ipso flumine molendinum construi nulla habita facultate Reipublicæ, ad quam spectare videtur aqua fluminis: ratio est, quia cum vergat in commodum Reipublicæ, nec alteri præjudicium inferat; reputatur consentire, & facultatem tradere. Sic *ex Leg. 1.*, & *Leg. Quominus ff. de Fluminib.* Ea tamen Lex servanda est in constructionem Molendinorum, ut qui priùs illud construxit; possit aqua uti pro sua commoditate, nec ab aliis, sive ante, sive post construentibus impediri possit in eo usu aquæ; ut in dicta *Leg. Quominus* notant Bartolus, Gomez, Molina, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Just. punct. 20. num. 3.* Quòd si flumen navigabile sit, absque facultate Principis, aut Reipublicæ non poterit in eo construi Molendinum; sicuti sine ea construi nequit in flumine, quod transit per Territorium proprium Principis, aut Reipublicę; ut expressè habetur *in Leg. 1. de Fluminib.*

Plantæ, & orbores cedunt Domino soli, in quo sitæ sunt; quapropter si quis in alieno solo suas plantas, vel arbores poneret; earum dominium esset penes Dominum soli, quamvis hic teneretur æstimationem illarum reddere ei, qui plantavit, si bona fide processit; secus verò si mala. Quòd si alienas plantas, vel arbores in proprio tuo solo plantaveris; tuæ evadunt, cum obligatione tamen solvendi æstimationem illarum ei; à quo accepisti. *Sic ex Inst. de Rer. Divis. §. Si Titius, ex Leg. Adeo. §. ult., & ex Leg. Qua ratione. ff. de acquir. rer. dom.* Quando æquè in tuo, & alieno solo radices mittunt arbores, communes tibi erunt, & alteri *ex Leg. Adeo. cit. §. ult.* Si vero in tuo fundo, ac solo plantatæ sint, quamvis aliquos ramos in alienum solum immittant; tuæ erunt *ex Leg. Si plures. §. ult. ff. arbor. furtim cæs.* quòd si alter damnum patiatur in suo fundo domestico, poterit remedio juris uti, non tamen propria authoritate circa damnum avertendum à se *ex Leg. 1. Cod. de Interdict.*, *& ex Leg. 1. ff. de arbor. cædend.* Hæc de Jure communi, nisi Leges Municipales, & propriæ habeantur.

Inquires 5.: quale Dominium acquiratur per Alluvionem, Mixtionem, & Confusionem, Scriptionem, Pictionem, Formationẽ, & Accessionem? Resp. 1. Alluvionem nihil aliud esse, nisi incrementum, aut decrementum illud, quod flumen decursu temporis affert alicui prædio ipsi vicino. Dupliciter autem incrementum, aut decrementum istud evenire potest: 1. latenter; hoc est paulatim; & tunc cum vix distinguatur à prædio, spectabit ad dominum prædii. 2. patenter; hoc est palam, & primò contingere potest, si inundatio fluvii partem unius prædii attulerit ad aliud; & tunc dominium partis illius patenter sublatæ remanet sub eodem, in quo ante sublationem erat, nisi Dominus eam ut derelictam habuerit. Sic *ex Leg. Adeo. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* secundò si insula in medio fluminis, vel maris de novo consurgat; tunc si in medio Maris sita sit, erit primi occupantis; si in medio fluminis ad eos pertinet, qui utrinque vicina prædia habent, & inter eos pro jure dividenda erit: quòd si propinquior fuerit uni potiùs prædio, quàm alteri; propinquiori competit, etiam si postea extendatur, & accrescat usque ad aliam ripam; eo quia insulæ accrescit, & ejus domino. Si verò insula fiat à flumine cingendo prædium alicujus; istius erit insula, cum non debeat amittere ejus dominium: maximè quia damnum patitur. Sic *ex Instit. de rer. Divis. §. Insulæ, & ex Leg. Insula ff. de acquir. rer. dom.* Tertiò si flumen relicto priori alveo per alium defluat; tunc prior alveus relictus reputandus erit ut insula, & sic dividendus; alveus verò de novo factus evadit locus publicus; dummodo tamen hæc ad longum tempus perdurent, non verò ad modicum. Sic *ex Leg. Adeo. §. Insula, Leg. Ergo ff. de acquir. rer. dom.*; *& ex Inst. de Rer. Divis. §. Quod si.* 8

Resp. 2. Commixtionem distingui à Confusione; nam Confusio importat, quòd corpora, quæ miscentur, in se indistincta maneant; ut si vinum alteri vino misceatur; vel oleum alteri oleo; aut si argentum, aurum, stannum simul conflentur: Commixtio vero importat, quòd corpora, quæ miscentur, in se distincta maneant: sic est commixtio pecuniæ cum pecunia, gregis cum grege; acervi tritici cum alio acervo. Iam verò per commixtionem rerum, quæ distinctæ in se remanent, & facilè discerni possunt; dominium illarum competit singulis, qui actionem habent in res illas, juxta *Legem Pomponius. §. sed si plumbum ff. de rei vendit.* Sed difficultas est, cum sive casu sive malitia misceantur aliqua corpora, ut duo acervi tritici diversorum dominorum, itaut facilè discerni nequeant; an inquam dominium illorum singulis dominis competat? Et quidem si eorum consensu acervi permixti fuerint, pro indiviso eis competit dominium; ut statuitur *in Instit. de Rer. Divis. §. Si duorum.* Eodem modo dicendum, si casu confusi fuerint, nec separari facilè possunt. Si verò ex malitia, ut si fur acervum tritici alterius cum suo immiscuerit; aut pecuniam alterius cum sua; vel oleum, vinum, & similia, itaut discerni nequeant; tunc censent Bartolus, & Alexander

xander *in Leg. Singularia, ff. si certum petat.* in sola pecunia acquiri dominium à fure miscente cum sua, quamvis obligationem habeat reddendi æqualem; non verò in aliis rebus miscibilibus, quia *Lex Nummus ff. de in litem jurandi, & Lex si alieni, ff. de Solut.* de pecunia expresè loquuntur, non verò de aliis rebus. Nihilominus communis Sententia docet per talem Mixtionem, sive pecuniarum, sive aliarum rerum difficile dignoscibilium acquiri à fure miscente dominium, sed cum obligatione restituendi: quia Lex in pecuniis ideo dominium trasfert cum obligatione illa, quia distingui, & discerni nequeunt; ergo si eadem militat ratio in aliis rebus, eodem modo discurrendum erit in illis: maximè quia non est favor hoc dominium, si gravatum remanet onere restituendi. Sic *ex Leg. Adeo. §. Voluntas ff. de acquir. rer. domin.* docent Fulgos, Cuman, Jason alios referens, Alciatus, Andreas Fachinetus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Just. punct.* 21. *numer.* 5. & est communis sententia Theologorum.

Resp. 3. Scriptionem, & Fictionem in aliena cartha. membrana, aut tabula per se cedere debere domino illarum, sicuti ædificium in alieno solo cedere debet per se domino soli: & sic statuitur *in Leg. Qua ratione §. Litteræ, ff. de acquir. rer. domin.* Nihilominus si pretiosior sit Scriptura, & Pictio præ ipsa cartha, membrana, aut tabula; hæc cedere debent Scripturæ, & Pictioni, ut statuitur *in Leg. Qua ratione cit. §. Sed non. & in Instit. de Rerum Divis. §. Si quis in aliena.* Solvendum tamen erit Domino carthæ, membranæ, aut tabulæ pretium illarum.

Resp. 4. Specificationem, seu Formationem in aliena materia factam, si materia in pristinam formam reverti possit; ut si ex alieno auro, vel argento conflatus fuerit scyphus, aut aliud vas; cedere in dominium ejus, cujus est materia, sive id bona fide, sive mala factum fuerit: ratio est, quia species accessoria est materiæ illi; ergo dominus materiæ, erit dominus speciei, & figuræ illi adjunctæ, cum hoc, quòd si bona fide factum fuerit, compensanda sit æstimatio speciei, secus si mala fide sit factum, nisi præsens fuerit dominus materiæ: Sic *ex Leg. Adeo, §. Cum quis, ff. de acquir. rer. domin.* Quòd si materia aliena talis sit, ut in antiquam formam reduci nequeat; ut esset si ex lana pannum conficeres; aut ex uvis vinum; vel ex olivis oleum; tunc si bona fide id factum fuerit, materia cedit in dominium Domini speciei: eo quia species in se convertit materiam, non verò materia speciem: solvenda tamen erit Domino materiæ æstimatio illius. Si tamen mala fide factum, Domino materiæ cedit species: eo quia præsumitur donasse, vel temere eam confeciisse; adeoque Dominus materiæ illam sibi vendicare poterit: ut constat *ex Leg. de eo. §. si quis, ff. ad exhibend.*

Resp. 5. Accessionem rei in aliena materia non inferre dominium in dominum materiæ: sic si quis gemmam alterius in suo auro includeret; non ideo acquireret Dominium gemmæ; ita etiam si quis ex pretiosis lapidibus, vel adamantibus alienis suam vestem ornaret, ac acu pingeret; non ideo dominium illorum sibi compararet, alioquin domini talium gemmarum, lapidum pretiosorum, ac adamantum nequirent sibi ea vendicare, quod est contra omnem rationem. Nec æquum est, quòd accessorium injustè additum principali ejus naturam sequi debeat; sed si justè addatur, & accedat. Et sic intelligenda est *Leg. Etsi. §. Perveniamus, ff. de auro, & argen. legat.* Non nego tamen, quòd ab hac regula excipi debeant ædificia, & plantæ, quæ licèt accedant solo, cedunt tamen Domino soli, ut diximus de ædificiis, & plantis.

Inquirendi hic etiam essent modi, quibus Dominium acquiritur ferarum, volucrum, piscium per venationem, aucupium, & piscationem. Insuper quomodo acquiratur Dominium Sylvarum, Pascuorum, Venarum metallorum, Thesaurorum, Bonorum incertorum, Vacantium, & eorum, quæ sub nullius potestate fuere, aut pro derelictis habentur. Sed quia de his acturi sumus in Septimo Decalogi Præcepto occasione Restitutionis, ideo ea hic omittimus.

CAPUT IX.

Quomodo acquiratur Dominium per Præscriptionem, & Usucapionem?

1 *Quomodo acquiratur dominium in res, quæ Dominum habent?*
2 *Quot modis accipi potest Præscriptio?*
3 *Quomodo differat Usucapio à Præscriptione?*
4 *Beneficium Usucapionis, & Præscriptionis meritò introductum fuit à Jure Communi.*
5 *An quis renunciare possit beneficio Præscriptionis?*
6 *An Præscriptio prosit pro foro conscientiæ?*
7 *Quinam præscribere possint? Et quinam immunes à Præscriptione?*
8 *Quænam res præscribi nequeant?*
9 *Quando nam dicendum, quòd Præscriptio non procedat, dormiat, aut interrumpatur?*
10 *Quibus concessa sit Restitutio in integrum adversus Præscriptionem factam?*
11 *Quatuor Conditiones requisitæ ad Præscriptionem, & Usucapionem, & 1. est Possessio.*
12 2. *Conditio Titulus probabiliter præsumptus.*
13 3. *Conditio Bona fides.*
14 *An dubitans si res sit propria, an aliena; impediatur in bona fide Præscriptionis?*
15 *An Ignorantia Invincibilis Juris, cum qua quis rem ut suam sibi usurpet, & æstimet; sufficiens sit ad bonam fidem Præscriptionis?*
16 *An mala fides authoris defuncti noceat bonæ fidei successoris ad usu capiendum?*
17 *An qui bona fide accepit rem à possessore malæ fidei titulo Legati, Donationis, Emptionis, aut similis; præscribere possit tempore à Lege statuto?*
18 4. *Conditio Continuatio Possessionis secundum tempus à Lege statutum.*
19 *Ad Usucapionem, & Præscriptionem rerum mobilium privatæ personæ, aut Ecclesiæ, si titulus habeatur; sufficit possessio bona fide continuata per triennium.*
20 *Ad Usucapionem, & Præscriptionem rerum Immobilium privatæ personæ, si titulus adsit; requiritur spatium decem annorum inter præsentes, inter absentes viginti annorum; si titulus non adsit triginta annorum.*
21 *Ad Præscriptionem rerum immobilium contra Ecclesiam Romanam requiritur spatium centum annorum; contra alias Ecclesias, & loca pia quadraginta annorum.*
22 *Ad Præscriptionem rerum immobilium contra Monasteria Ordinis D. Benedicti, & Religiosorum participantium cum ipsis requiritur spatium sexaginta annorum.*
23 *Ad præscribenda bona Immobilia spectantia ad Civitates titulo Donationis, Legati, vel Emptionis requiritur spatium centum annorum; in reliquis verò titulis quadraginta annorum.*
24 *Adnotantur ea, quæ connumerantur inter bona immobilia.*
25 *Quomodo præscribi possit beneficium Ecclesiasticum?*
26 *Quomodo præscribatur Jus Patronatus?*
27 *Quomodo præscribi possunt Servitutes?*
28 *Quomodo præscribi possint Debita, Actiones, Obligationes, Hypothecæ, Legata, & Fideicommissa?*
29 *Declaratur Specialis Præscriptio contra quinque genera bonorum Principis.*

DOMINIUM hucusque explicatum est de rebus, quæ vel communes sunt, vel nullius Domini: explicari igitur debet dominium, quod acquiri potest in res, quæ Dominum habent. Et quidem dominium istud acquiri potest consentiente priori domino, vel eo nolente. Consentiente, & volente priori domino acquiritur 1. dominium per Donationem. 2. per ultimam voluntatem. 3. per Contractus. Ipso verò non consentiente, & nolente etiam tripliciter acquiri potest dominium 1. Jure Gentium, & sic acquiruntur res in bello captæ. 2. authoritate, ac virtute alicujus Legis particularis; & hoc fieri potest cum culpa prioris Domini, ut evenit, cum quis crimen hæresis, Lesæ Majestatis, Sodomiæ, nuptiarum incæstuosarum, & similium committit, ob quod suis bonis privatur, & transeunt in dominium Fisci; vel sine culpa illius, ut evenit per Legem Præscriptionis. 3. denique per sententiam 1

tiam Judicis, ut si reus aliquis damnetur à Judice ad quadruplum solvendum ob furtum commissum. Hic nobis tantùm sermo est de Præscriptione, seu de Dominio, quod acquiritur beneficio Legis Præscriptionis concedentis illud.

2 Jam verò Præscriptio accipi potest 1. genericè, & importat exceptionem, seu exclusionem actionis alicujus adversus te intentatæ, quæ quidem fieri potest 1. negando titulum, ac fundamentum, cui intentans actionem nititur. 2. demonstrando ei datam esse plenam satisfactionem. 3. retardando, vel declinando actionem illam. Accipi 2. potest Præscriptio, & quidem propiùs, & specialiùs pro Exceptione, seu exclusione legali peremptoria actionis contra priorem dominum; eo quia tempore à Legibus statuto res illa bona fide à te possessa fuerit, aut jure aliquo usus fueris; vel quòd intentans actionem contra te tali tempore à possessione rei cessaverit, vel ab usu alicujus Juris. Dicitur Legalis hęc exceptio, quia beneficio Legum statuta in favorem possidentis bona fide rem aliquam pro certo tempore. Dicitur peremptoria, quia perimit, ac extinguit actionem prioris Domini; ut constat *ex Titul. Codic. de Præscriptione longi temporis.* 3. accipitur in Jure Pontificio, & ab Interpretibus Utriusque Juris pro acquisitione dominii, & Juris alieni peremptione, ac continuatione possessionis secundũ tempus à Lege præscriptum. Verum Præscriptio potiùs est effectus acquisitionis dominii, & peremptionis Juris alieni, ac continuationis possessionis; quàm formaliter in ipsis consistat: nam ex Usucapione, & acquisitione dominii oritur Præscriptio; ut constat *ex Leg. Emptor. Cod. de Præscrip.*

3 Usucapio quamvis non distinguatur à Præscriptione tertio modo explicata, cum nihil aliud sit, nisi acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore à Lege definito. Nihilominus minus latè patet, quàm Præscriptiò, cum omnis Usucapio sit Præscriptio, non verò e contra: nam præscriptio illa, qua extingui solet actio personalis, vel realis alterius non est Usucapio, & tamen est vera præscriptio. Non nego, quòd genericè dici posset talis præscriptio usucapio, quatenus per eam acquiritur jus, & libertas ab aliqua obligatione, & sic dici potest; quòd æquè latè pateat. Formaliter tamen distinguuntur, cum Usucapio consistat in ipsa formali acquisitione dominii per continuationem possessionis secundum tempus à Lege definitum; præscriptio verò consistit in ipsa extinctione, & peremptione Juris alieni, ac actionis personalis, vel realis alterius per continuationem possessionis secundum tempus à Lege definitum. Dicere autem, quòd differat Usucapio à Præscriptione, quia prima est de rebus mobilibus, secunda de Immobilibus; nullum fundamentum habet; cum etiam de Immobilibus detur Usucapio, sicuti datur Præscriptio de Mobilibus, ut constat de usucap. initio *ex Instit.*, *& ex Leg. Unic. Cod. de Usucap. transformanda.* Meritò igitur indiscriminatim hæc nomina accipiuntur, ut nos hic accipimus.

4 Introductum fuit Jure communi beneficium istud Usucapionis, & Præscriptionis, quo Jus, & Dominium prioris domini alteri adjudicatur ob justas, & rationabiles causas, ne videlicet longo tempore dominia, & jura rerum incerta, & confusa essent; ne lites, pluſquam par sit, protraherentur; ne possessores continuo tempore rem possessam tenerentur amittere, & ne essent negligentes homines in conservandis suis rebus, & Juribus; ut ex variis Legibus colligitur.

5 Dubitabis 1. an quis renunciare possit beneficio Præscriptionis? Resp. quamvis non defuere, qui dixerint: non posse renunciari huic beneficio; eo quia Jus publicum est, & nemini datur Juri publico derogare. Nihilominus communis sententia, ac recepta ab omnibus est, posse renunciari: ratio est, quia ea, quæ primariò spectant commodum privatum, secundariò bonum publicum, renunciari possunt juxta Glossam communiter receptam *in Cap. de Causis. de Offic. Deleg.* sed præscriptio primario respicit favorem præscribentium, secundariò Jus publicum; ergo renunciari poterit, sicuti quęlibet alia Lex, quæ privatum bonum spectat, quamvis bonum publicum etiam respiciat. Sic Divus, Jason, Ripa, Alciatus, Guttierrez, & alii relati à Castropalao *de Præscript. punct.* 22. §. 1. *numer.* 6. Quæ quidem renunciatio non solùm expressè, sed etiam tacitè fieri potest, ut docent Gregorius Lopez, & Guttierrez penes citatum Castropalaum.

6 Dubitabis 2. an Præscriptio prosit pro foro conscientiæ? Resp. prodesse, si bona fide facta fuerit, non solùm pro foro judiciali, & externo; sed etiam interno, & conscientiæ; sive intercesserit negligentia prioris domini in re sua inquirenda, sive non intercesserit: ratio est, quia inest hæc facultas Reipublicæ privandi aliquem bonis suis, & dominio illorum, ac alteri applicare; quoties sic expedit in commune bonum, ac rectam Justitiæ administrationem; sed expedit tam in bonum commune, quàm in rectam Justitiæ administrationem, quòd bona fide possidentes aliena per tempus à Lege taxatum acquirant dominium illorum ex motivis superiùs allatis; idque approbant tum Sacri Canones *in Cap. Vigilanti, & Cap. ult. de Præscript.* ubi solùm reprobant præscriptionem mala fide factam; tum Jus Civile *in Leg. 1. & 3. ff. de Usucap. & Leg. ult. ff. Pro suo.* absque ulla restrictione negligentiæ; insuper Theologi ferè omnes; ergo Præscriptio bona fide facta prodest pro utroque foro, sive intercesserit, sive non negligentia prioris Domini; sive res fuerint Mobiles, sive Immobiles; itaut earum dominium non solùm utile, sed etiam directum transferat in præscribentem. Sic Decius, Alciatus, Corrasius, Covarruvias, Fachinetus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 2. *num.* 6. Molina *tract.* 1. *de Just. disp.* 61, *in fine* Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 6. *dub.* 16. *num.* 51. & Theologi passim.

7 Dubitabis 3. Quinam præscribere possint; & quinam Jmmunes sint à Præscriptione contra ipsos facta? Resp. quemlibet sanæ mentis, qui voluntatem habet præscribendi, præscribere posse, sive minor sit, sive pupillus: ratio est, quia nullibi sit talium exceptio, ut constat *ex Leg. Sequitur. §. Pupillus, ff. de Usucap.* Et quamvis qui libertate destitutus est, præscribere nequeat, quia caret animo acquirendi, nihilominus si incœpta fuerit Præscriptio tempore sanæ mentis sive ab eo, sive ab illo, cui ipse successit; continuari poterit, cum censeatur in voluntate priori perdurare, ut colligitur *ex Leg. Sequitur. §. Furiosus. & Leg. Justo. §. Eum, qui, ff. de Usucap.* Excluduntur Servi à præscribendo, quatenus tales sunt: cum enim non habeant possessionem sui, nec par est habere possessionem, & dominium bonorum externorum: sic constat *ex cit. Leg. Sequitur. §. Servus.* Personæ, quæ non subjacent Præscriptioni, itaut contra illas præscribi nequeat; sunt omnes illæ, quibus prohibita est suorum bonorum alienatio; cum enim Præscriptio sit quędam Legalis alienatio; inde est, quod pariter prohibeatur contra ipsas præscripio, si prohibetur alienatio, ne quod una via conceditur, per aliam viam auferatur: & ratio est, quia semper supponitur mala fides. Quod si res bona fide accepta fuerit, & probetur hæc bona fides ab accipiente; præscribi poterit, sed tempore extraordinario juxta *Leg. ult. Cod. Communia de Legatis.* Adnotandum tamen, quod contra Minorem, Prodigum, aut Filium familias, dum est sub patria potestate inchoari nequeat præscriptio; quòd si ante incœpta fuerit, continuari poterit. Sic *ex Leg. Bonæ fidei, ff. de acquir. rer. domin. & ex Leg. Sicut in rem. Cod. de Præscript.*

8 Dubitabis 4. quænam res præscribi nequeant? Resp. non posse præscribi, nec tempore ordinario, nec extraordinario 1. libertatem hominis *ex Leg. & Cod. de long. temp. præscrip. quæ pro libert. & Justit. de Usucap. §. Sed aliquando.* 2. ea, quæ Principi competunt in recognitionem ejus Supremæ Potestatis *ex Leg. Competit. Cod. de Præscript.* 3. Visitationes, & Procurationes Prælatorum, nequeunt enim subditi adversus suos Prælatos se defendere, ne ab ipsis visitentur, aut debitam procurationem eis solvant *ex Cap. Cum. in Offic. de Præscript. & Cap. Cum instantia. de Censib.* Poterit nihilominus alius contra ipsum Prælatum præscribere, ut ejus subditi à se visitentur, & sibi solvant procurationem, ut patet ex ipso *Cap. Cum in Offic.* 4. Interdicta generalia, contra quæ nulla Ecclesia præscribere potest, ut in ea recitentur Divina Officia alta voce, januis reseratis, & pulsatis campanis *ex Cap. Cum inter. de Consuet.* 5. Res publicis usibus deputata, ut sunt forum, via publica, pons, platea, exitus, & similia; hæc si quidem nec in totum, nec in partem præscribi possunt *ex Leg. Usucapionem, ff. de Usucap. & Leg.* 1. §. *final. de acquir. possess.* etiamsi populus, & Communitas eis amplius non utatur *ex Leg. Viam. ff. de Via public.* 6. Limites Regnorum, Provinciarum, Diœcesum, Parochiarum, si de his constet, & manifesti sint *ex Cap. Inter memoratos.* 16. *quæst.* 3. *& ex Cap. Super eo, de Paroch.*

Paroch. 7. Jus decimarum, quod præscribi nequit à laicis post Magnum Concilium Lateranense. 8. omnia ea, quæ sine certis solemnitatibus alienari non possunt: ita sunt res Ecclesiæ, pupilli, minoris, quia semper præsumitur mala fides. Si verò bona fides intercesserit, & probetur interceßisse, per tempus extraordinarium præscribi poterunt, ut superiùs diximus, & videre est penes Canonistas, & Juristas.

9 Dubitabis 5. Quando nam dicendum est, quòd Præscriptio non procedat, dormiat, aut interrumpatur? Resp. sicuti dicitur, quòd Præscriptio incipiat, currat, & continuetur, cum habeat omnia requisita, de quibus infra; sic si impedimentum aliquod superveniat, dicitur non procedere, dormire, & interrumpi, quamvis postmodum evigilet, & reviviscat. Sed ut distinctiùs procedamus: tunc dicitur Præscriptio non procedere, quando aliqua intervenit causa, ob quam non incipit, neç incipere potest, quòd potissimum evenit 1. si desit possessio Civilis. 2. si desit Titulus, sine quo Triennalis, Decennalis, aut Vicennalis præscriptio incipere nequit, bene tamen Tricennalis. 3. si desit bona fides. 4. si res alienari nequeat, quia Lex resistit; ut evenit in fundo dotali, in bonis adventitiis filii familias, in Legato, Fideicommisso, Majoratu, & similibus. Tunc dicitur dormire, cum jam inchoata cessat pro aliquo tempore, quo expleto, rursus vim sumit, & continuatur cum priori tempore; sic 1. evenit tempore belli, & pestis, quo jus silet, & homines diffugiunt ad aliena Territoria. 2. quando Ecclesia caret Rectore, tunc præscriptio contra Ecclesiam dormit 3. si non potest agere ille, contra quem præscribitur; ut est uxor vivente marito; pupillus dum pupillaris ætas durat; Filius familias. Tunc denique dicitur interrumpi, quando jam inchoata cessat, itaut si reviviscat, non continuetur cum priori tempore, sed denuo inchoanda erit. Et hæc interruptio dupliciter evenire potest. 1. naturaliter, quando videlicet incipit deficere aliquod, quod ad naturam præscriptionis est necessariò requisitum, ut si possessio, vel bona fides deficere incipiat. 2. Civiliter, quando videlicet per aliquem actum juridicum interpellatur, ut per contestationem litis, aut citationem: ut ex Panormitano, Covarruvia, & aliis docet Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 6. *dub.* 16.

10 Dubitabis 6. quibus concessa sit Restitutio in integrum adversus præscriptionem factam? Resp. Restitutionem in integrum, quæ nihil aliud est, nisi remedium quoddam relictum priori domino, qui finita præscriptione rem suam amisit; ut possit authoritate Judicis restitui in pristinum dominium, & possessionem rei suæ. Hoc remedium juris adversus præscriptionem conceditur 1. minoribus, qui nondum annum vigesimum quintum explevere, etiamsi præscriptio fuerit longissimi temporis; durat per quadriennium computandum à die præscriptionis peractæ, & à minoribus cognitæ; ut colligitur *ex Cap.* 1. *de Restit. in integr. in* 6. *& ex Leg. ulc. Cod. de Tempore Restit. in integr. & ex Leg. Unica. Cod. si adversus Usucap.* Eodem remedio, ac beneficio gaudent Ecclesiæ, & loca pia: nam sunt instar minorum, & pupillorum, ut passim tradunt Doctores *ex Authent. Quas actiones. Cod. de Sacrosan. Eccles. & ex Cap.* 1. *&* 2. *de Restit. in integr. in* 6. Conceditur etiam hoc remedium majoribus ætate adversus præscriptionem Decennalem, & Vicennalem; si tamen probaverint cum justa, & probabili ignorantia sua, aut omnino sine sua negligentia præscriptionem fuisse peractam; nec potuisse præscriptionem interrumpere propter absentiam captivitatis causa, inserviendi Reipublicæ, studiorum, Peregrinationis votivæ, aut ob aliam similem causam, quæ à Judice justa censeatur. Habent quoque isti quadriennium, postquam sciverint, completam esse Præscriptionem. Sic *ex Cod. Vigilanti. de Præscript.* docent Abbas, Felinus, Covarruvias, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 6. *dub.* 18. & Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 17. *num.* 2.

11 Conditiones communiter requisitæ ad Præscriptionem, & Usucapionem quatuor enumerantur, Possessio videlicet, Titulus probabiliter præsumptus, Bona fides, & Continuatio Possessionis cum bona fide, & titulo præsumpto per tempus à lege præscriptum.

1. Ergo Conditio est Possessio, sine enim Possessione non procedit Præscriptio tum *ex Reg. sine Possessione. de Regul. Juris. in* 6. tum *ex Leg. Sine, ff. de Usucap.* Debt autem Possessio ista esse non solùm Civilis, sed etiam Naturalis; ut ex Abbate, Covarruvia, & aliis docent Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 5. & Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 4. *numer.* 2. Non requiritur tamen necessariò realis apprehensio, cum ejus loco sufficiens sit aliquis actus ex fictione Juris, ut ex Molina alios referente, & Covarruvia adnotat Castropalaus *l. c.* Requiritur verò, quòd Possessio sit nomine proprio, non verò alieno: nam possessio nomine alieno non est vera possessio requisita ad præscriptionem, ut habet Lessius *l. c.* Ob defectum hujus possessionis præscribere nequeunt Colonus, Conductor, Commodatarius, Pignoratarius, & similes; ut statuitur *in Leg. Malè agitur. Cod. de Præscript. & in Cap. Clerici.* 16. *quæst.* 4. & ratio est, quia ipsi non possident, sed Proprietarius. Pari modo discurrendum de Emphyteuta, Feudatario, Usufructuario, quoad præscribendum dominium Proprietatis; secus verò quoad dominium utile. Idem denique dicendum de Tutore, Curatore, Procuratore, Servo, & filio familias in iis, quę non possident nomine proprio, sed alieno, nempe pupillorum, Minorum, Dominorum, aut Patris. Et generaliter loquendo omnes, qui incapaces sunt possidendi rem aliquam, adversus illam nullatenus præscribere possunt, cum unica via ad Præscriptionem sit Possessio. Et hinc est, quod laici nullo temporis spatio res Sacras, & Ecclesiasticas præscribere queant nomine proprio, eo quia incapaces sunt eas possidendi: ut constat *ex Cap. Sacrosancta, Cap. Messana, de Elect. Cap. Laicis, cap. Post laicos.* 16. *quæst.* 7.

12 2. Conditio est Titulus probabiliter præsumptus, sine quo haberi nequit Præscriptio, ut constat *ex Cap. Si diligenti. de præscrip. & ex Leg. Celsus, ff. de Usuc.* & docent Covarruvias, Molina, Lessius, Layman, Sà, Sylvester, Angelus, Tabiena; quos refert, & sequitur Castropalaus *de Just. punct.* 22. §. 5. *num.* 1. Sufficit, ut titulus habilis sit ad transferendum dominium; quòd probabiliter præsumptus sit, hoc est bona fide validus putetur, *quamvis revera validus non sit:* sic qui titulum habet Donationis, hæreditatis, Legati, emptionis, transactionis, adjudicationis, & bona fide talem titulum validum putat cum revera non sit, accedente præscriptione per tempus à Lege statutum; dominium rei acquirit: & ratio est, si requireretur ad beneficium præscriptionis titulus in se validus, & verus, nullum esset hoc beneficium Legis; cum sine hoc beneficio jam haberetur titulus ex se sufficiens ad dominium transferendum, ut adnotant passim Doctores. Advertendum hic, quod licèt in Præscriptionibus decem, vel viginti annorum non sufficienter probetur titulus per possessionem prædicto tempore habitam; sufficienter tamen probatur per possessionem triginta, aut quadraginta annorum, & multò magis per centenariam possessionem, & immemorialem: ratio est, quia sępe evenit ob talem longiturnitatem temporis, nos oblivisci titulorum: multa siquidem in rebus *nostris habemus*, ac in nostra possessione sunt, quę utrum proveniant ex emptione, Donatione, Testamento; aut alio titulo, nescimus. Sic ex Covarruvia docent Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 2. *numer.* 8. Castropalaus *de Just. punct.* 22. §. 5. *num.* 11. Non nego tamen, quod si constet, præscribentem ex titulo vitioso prescriptionem incœpisse, eo ipso corruat præscriptio, quæ semper in bona fide fundari debet, ut consistere possit; & stante titulo vitioso probari nequit bona fides *ex Cap. Vigilanti, & Cap. ult. de præscrip.*

13 3. Conditio est bona fides, seu credulitas illa, qua quis sibi prudenter persuadet, rem esse suam; vel saltem nescit, esse alienam. Hæc bona fides adeo necessaria est omni præscriptioni, ut sine ipsa nullatenus induci possit, ut evidenter constat *ex Cap. final. de præscrip.* ubi Innocentius III. in Magno Concilio Lateranensi ait: Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide Prescriptio, *& ex Regul. Possessor. de Regul. Jur. in* 6. patet, quòd possessor malę fidei non præscribit. Hinc fit, quòd nemo prescribere possit rem alienam, quam cognoscit alienam esse, retinet siquidem eam contra conscientiam. Et sic rectè statuitur *in Leg. ult. Cod. Unde vi*, & Doctores omnes fatentur. Locum habet doctrina tradita nnn solùm in prescriptione rerum, sed etiam actionum, & obligationum, & non solùm requiritur bona fides ad prescribendum pro foro Pontificio, & Ecclesiastico, sed etiam pro foro Cesareo, & Civili: indistinctè siquidem loquitur Pontifex tam pro præscriptione inducenda à foro Civili, quàm Ecclesiastico.

14 Sed petes 1. an dubitans si res sit propria, an aliena;

na ; impediatur per hoc dubium in bona fide Præscriptionis? Resp. si dubium istud incidat initio possessionis, utique impedict bonam fidem necessariam ad præscriptionem: *ratio est*, quia iniquè sibi quis usurpat, quod ignorat sibi competere, & dubius est alteri debitum esse: *ut ex Leg.* 1. *Cod. de Usucap. transform. & ex Leg. Bonæ fidei, ff. de acqu. rer. domin.* docent Covarruvias, Medina, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 10. & Castropalaus *de Just. pun.* 22. §. 7. *numer.* 1. referens Molinam, Layman, & Fachineum. Si verò dubium superveniat possessioni bona fide incœptæ, non interrumpit illam, nec eam violat; quamvis teneatur sic dubitans diligentiam adhibere ad veritatem indagandam: ratio est, quia in pari dubio melior est conditio possidentis, quàm non possidentis. Sic Panormitanus, Felinus, Immola, Covarruvias, Fachineus, Sarmiento, Navarrus, Molina, Sanchez, Suarez, Layman, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Just. punct.* 22. §. 7. *numer.* 2. Quòd si superveniente dubio ex errore credat dubitans, se obligatum esse ad dimittendam rem illam à se possessam; etiam si illam retineat, non dicitur possessionem continuare bona fide; ratio est, quia illud judicium quamvis erroneum malam conscientiam reddit, adeoque peccaminosam; ergo derogat Præscriptioni, quę absque peccato mortali observari nequit. Sic *ex Leg. si fur. ff. de Usucap. & ex Cap. final. de Præscript.* docent Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 6. *dub.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 23. *numer.* 188. & Castropalaus *l. c. numer.* 3.

15 Petes 2. an ignorantia invincibilis juris, cum qua quis rem ut suam sibi usurpet, eamque suam esse existimet; sufficiens sit ad bonam fidem, & præscriptionem? Resp. quamvis Medina *Cod. de Restit. quæst.* 17. *circa finem*, quem sequuntur nonnulli, docuerit, ignorantiam invincibilem juris, licèt impediat in foro externo præscriptionem; eam tamen non impedire in foro interno, & conscientiæ; movetur ex eo, quia jus Canonicum *in Cap. Vigilanti, & Cap. final. de Præscript.* eam malam fidem excludit à præscriptione, quæ peccatum mortale inducit, si ergo error, & ignorantia invincibilis juris nullum peccatum inducit, nequit præscriptionem impedire pro foro interno, esto illam impediat pro foro externo, eo quia pro foro externo semper præsumitur culpabilis. & vincibilis ignorantia juris, maximè si sit manifesti. Nihilominus communis sententia oppositum docet, quòd videlicet pro utroque foro ignorantia ista præscriptionem impediat: ratio est, quia *in Leg. Numquam, ff. de Usucapion.* statuitur: Numquam in Usucapionibus errorem juris prodesse possessoribus; *& in Leg. ita juris, ff. de jur. & fact. ignoran.* decernitur: Quòd juris ignorantia *in* Usucapionibus non prosit, facti verò ignorantia prodest; clariùs habetur in *Leg.* 2. §. *Sià pupillo, ff. Pro Emptore*, ubi cavetur: Quòd emens aliquid à pupillo sine authoritate Tutoris, si ignoraverit pupillum esse; posse usucapere rem emptam, quia fuit ignorantia facti; secus verò si sciret pupillum esse, sed ignoraverit necessariam esse Tutoris authoritatem; quia est ignorantia juris, quæ præscriptionem impedit; ergo si Leges nolunt errorem, & ignorantiam invincibilem juris prodesse præscriptioni, præscriptio in nullo foro procedere poterit: cum enim jure humano inducta sit, potuit ab eodem jure limitari. Nec obstat ratio allata à Medina, quæ licèt bene probet, malam fidem, quę inducit peccatum, excludere à prescriptione, non inde tamen probat; fidem inductam ex ignorantia invincibili juris favere præscriptioni, quod punctum diversum est, & decidendum per alias Leges. Quamvis arrideat hæc communis sententia, quam sequuntur ferè omnes Doctores, quos refert Castropalaus *de just. punct.* 22. §. 8. *à num.* 2. *ad* 6. Nihilominus quia multæ restrictiones huic communi sententię adduntur ab ipsis; aliqui enim putant, non intelligendam esse de ignorantia juris dubii, sed certi; alii docent, non intelligendam esse de fructibus, qui ex re prædicta percepti sunt; alii existimant, non habere locum in præscriptione, quæ non exigit titulum, sed solam bonam fidem. Ideo ob tanta diversa placita Doctorum probabilem reputo sententiam Medinæ, quòd videlicet quælibet præscriptio valida sit in foro conscientiæ, si intervenerit ignorantia inculpata juris, esto in foro externo ob præsumptionem malæ fidei invalida censeatur: ratio est, quia qui errat in jure, & invincibilem ignorantiam illius habet, potest habere bonam fidem, & rem possidere juxta tempus à lege definitum, ergo in foro conscientiæ præscribere poterit: tenet consequentia, quia jus Canonicum non videtur aliud requirere, quam bonam fidem, qua mediante, quis sine peccato possideat per tempus à lege definitum; ergo si hæc habentur, habentur ea, quæ à jure Canonico ad præscribendum requiruntur. Quidquid sit de præsumptione juris Civilis; nec præsumpti juris Civilis, si in falso fundatur; obligat in conscientia. Sic ex Medina, Molina, Lessio alios referente docet Castropalaus *de just. punct.* 22. §. 8. *num.* 7.

Petes 3. an mala fides authoris defuncti noceat bonæ fidei successoris in ordine ad usucapiendam rem? Resp. si Successor, & hæres sit immediatus, non poterit usucapere rem mala fide à defuncto possessam: ratio est, quia hæres immediatus succedit in omne jus defuncti, adeoque per suam ignorantiam non excludit vitia, quæ in jure defuncti reperiuntur: maxime quia reputatur una, & eadem persona cum defuncto. Sic *ex Leg. cum hæres. ff. de diversis temporal. præscrip. & ex Leg. ult. Cod. Communia de Usucap.* Sic Molina *tract.* 2. *de Just. disp.* 65. Covarruvias *Regul. Possessor.* §. 9. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 6. *dub.* 13. *num.* 42. & Castropalaus *de Just. pun.* 22. §. 9. *num.* 1. referens Abbatem, Felinum, Dynum, Fachineum, & alios. Si vero hęres mediatus sit, scilicet hęres hujus hęredis bonam fidem habentis; poterit præscribere, & usucapere, si cętera requisita habeat: ratio est, quia hic hæres mediatus habet dominium distinctum à priore hærede; ergo licèt prior hæres immediatè succedens defuncto habenti malam fidem præscribere non possit; hic tamen prescribere valebit; dummodo hic hæres mediatus non sit è numero illorum, qui in jure vocantur sui: ut sunt omnes illi, qui tempore mortis sunt sub potestate illius, cujus sunt necessarii hæredes, nullo alio interposito in eadem linea. Sic ex Covarruvia, Gomez, Molina, docet Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 6. *dubit.* 15. *num.* 42. *in fin.* & Castropalaus *de Just. pun.* 22. §. 9. *numer.* 4. & 5. 16

Petes 4. an qui bona fide accepit rem à possessore malæ fidei titulo Legati, Donationis, Emptionis, aut similis; præscribere possit tempore à lege statuto? Resp. affirmativè: ratio deducitur *ex Leg. An vitium, ff. de diverſ. tempor. præscrip.* ubi dicitur: Vitium authoris non obesse emptori, vel Legatario. Est communis sententia teste Lessio *lib.* 2. *de just. cap.* 6. *dub.* 13. *num.* 43. Excipitur 1. si res immobilis sit, & ignoret is, contra quem præscribitur, eam possideri ab alio, ut clarè constat *ex Authent. Malæ fidei, Cod. de Long. tempor. præscript.* Excipitur 2. si res possessa furtiva sit, vel vi possessa; tunc enim ad prescribendum non sufficit spatium decem, vel viginti annorum; sed de necesse requiruntur triginta anni: sic expressè habetur *in just. de Usuc.* §. *Furtivæ*. Hinc sit, quòd emens à fure gladium, quem spatio viginti novem annorum bona fide possedit, & trigesimo anno nondum expleto sciat esse furtivum; non poterit eum sibi retinere, ut ex Sylvestro docet Lessius *l. c.* 17

4. Conditio est continuatio Possessionis secundum tempus à Lege statutum. Spatium verò temporis requisiti ad Præscriptionem non idem est in omnibus Prescriptionibus; nam aliud requiritur ad præscribendas res Mobiles, quæ videlicet loco moventur, ut sunt animalia, pecunia, vestes, & similia; aliud ad præscribendas res immobiles, quæ scilicet loco moveri nequeunt; ut sunt prædium, hortus, vinea, domus, & similia. Insuper aliud spatium temporis requiritur ad præscribendum contra personam privatam, quàm contra Principem, aut Ecclesiam. Ut autem clariùs procedamus, de singulis dicendum erit. 18

Dicendum igitur 1. ad usucapionem, & præscriptionem rerum mobilium privatæ personæ, aut Ecclesiæ, si titulus habeatur, sufficit possessio bona fide continuata per triennium. Et quidem pro privata persona constat *ex Leg. Unic. Cod. de usucap. transform. & ex Instit. de usucap.* §. 1. Pro rebus vero mobilibus Ecclesię constat *ex Authent. Quas actiones. Cod. de Sacros. Eccles.* quę quidem Authentica recepta est ab Ecclesia, ut patet *ex Decreto Cap. penult. & ult.* 16. *quæst.* 3. Quòd verò necessaria sit huic triennali Prescriptioni bona fides, ac insuper titulus satis apertè liquet *ex Leg. Celsus. ff. de Usucap. & ex Leg. Nullus. Cod. de Rei vendicat.* Et sic docet Communis Sententia cum Covarruvia, Molina, Lessio, Layman, Sanchez, quos refert, & sequi- 19

tur

tur Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 11. *numer.* 2. Excipitur ab hac doctrina res furtiva, & vi occupata, ad quam præscribendam non sufficit triennium, sed requiritur spatium triginta annorum, etiamsi titulus emptionis, aut donationis adsit, ut superiùs diximus *num.* 17. Si verò titulus non adsit, quamvis habeatur bona fides, non sufficit ad præscribendas res mobiles sive privatæ personæ, sive Ecclesiæ triennium, sed de necesse requiritur spatium completum triginta annorum: sic *ex Leg. 3. Cod. de Præscript. trigint. vel quadrag. annor.* docent Molina, Lessius, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. numer.* 4. Nec Ecclesia in Præscriptione Mobilium ullum privilegium habet.

20 Dicendum 2. ad vsucapionem, & prescriptionem Rerum Immobilium privatæ personæ, si titulus adsit, requiri spatium decem annorum inter præsentes, inter absentes spatium viginti annorum. Si tamen titulus non adsit, requiri spatium triginta annorum. Et quidem quòd requiratur inter præsentes spatium decem annorum; & inter absentes spatium viginti annorum; sic statutum est *in Instit. de Usucap. §. 1. Leg. Cum in longi. Cod. de Præscrip. long. tempor.* Notandum hic 1. in materia Præscriptionis, & Usucapionis longum tempus illud dici, quòd inter presentes importat spatium decem annorum, & inter absentes spatium viginti annorum. Tempus verò longissimum illud esse, quod importat spatium triginta, vel quadraginta annorum: sic constat *ex Leg. cit. Cum in longi.* Notandum 2. Præsentes dici illos, qui in eadem Civitate, aut Territorio jurisdictionis illius domicilium habent. Absentes verò, qui in diversis Territoriis habitant. Sic Glossa *in Leg. ult. Cod. de long. temp. præscript.* quam sequuntur Panormitanus, Molina, Lessius, Layman, quos refert Castropalaus *de Just. pun.* 22. §. 12. *num.* 1. Notandum 3. quòd si annis presentiæ addi debeant anni absentiæ, isti duplicari debebunt ad integrandum spatium temporis à lege statutum: sic si presscripturus numerat septem annos præsentiæ cum eo, contra quem præscribit; postea territorium mutat, & fit è præsente absens; ad complementum temporis prescriptionis non sufficiunt tres anni, sed necessarii sunt sex; nam inter absentes duplicantur; ut expresse constat *ex lege Quòd si quis. Cod. de Præscr. long. tempor.* Quòd verò si non adsit titulus requiratur spatium triginta annorum patet *ex Cap. Sanctorum. de Præscript. trig. vel quadr. annor. & sic passim Doctores.* Advertendum hic, quòd contra pupillum, dum est in pupillari ætate; nulla datur præscriptio sive Mobilium, sive Immobilium; sic statuitur *in Leg. sicut in rem. Cod. de præscr. trigin. annor.*, contra verò Minorem requiritur spatium triginta annorum *ex Leg. ult. Cod. in quibus causis in integr. restit. necessar. non sit.* Id factum in favorem talis ætatis.

21 Dicendum 3: ad præscriptionem rerum Immobilium contra Ecclesiam Romanam requiri spatium centum annorum: sic habetur *in Authent. Quas actiones. Cod. de Sacros. Eccles. in cap. Cum nobis. cap. diligenti. cap. ad audientiam. De Præscript. cap. 2. de Præscrip. in 6. & cap. Nemo. 16. quæst. 3.* Ad prescriptionem verò Immobilium contra reliquas Ecclesias Romana inferiores, contra Hospitalia, Loca pia, Monasteria, Legata, & Donationes pauperibus, & aliis piis operibus facta; requiri spatium quadraginta annorum: sic *ex cap. De quarta. cap. Ad aures de Præscript. cap. 2. de Præscript. in 6. & ex Authent. Quas actiones. Cod. de Sacros. Eccles.* colligunt Panormitanus, Felinus, Covarruvias, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 12. *num.* 3. & Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 6. dub. 8. num.* 25.

22 Dicendum 4. ad Præscriptionem rerum immobilium contra Monasteria Ordinis D. Benedicti requiri spatium sexaginta annorum: sic constat ex Privilegio de plenitudine potestatis eis concesso ab Eugenio IV. ut refertur in eorum Privilegiis. Extenditur ad omnes alios religiosos, qui Communicationem habent Privilegiorum, ut adnotant Molina *tract. 2. de Just. disputat.* 72. Lessius *lib. 2. de Just. cap. 6. dub. 8. numer.* 25. Layman *lib. 3. Summ. sess. 5. tract. 1. cap. 8. numer.* 13. & Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 12. *numer.* 4.

23 Dicendum 5. ad præscribenda bona Immobilia, quæ ad Civitates spectant titulo Donationis, Legati, vel emptionis requiritur spatium centum annorum: sic statuitur *in Leg. ut inter Divinum. Cod. de Sacros. Eccles.* Et adnotandum, quòd hæc Lex non fuit correcta per *Authent. Quas actiones. Cod. de Sacros. Eccles.* In cæteris autem, quæ spectant ad Civitates, & non ex titulis hæreditatis, Legati, Fideicommissi, Donati, Empti, sufficit ad præscribendum spatium quadraginta annorum: sic *ex præcit. Leg. Inter Divinum.* docent passim Doctores, ut testantur Lessius *lib. 2. de Just. cap. 6. dubit. 12. numer.* 41. & Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 12. *num.* 7.

Adnotandum; quòd inter bona Immobilia connume- 24
randa sunt Jura, & Actiones, quæ ad ipsa immobilia referuntur. Insuper inter Immobilia connumerari debent beneficia, census, Cathedra, Officium, Redditus, Jus Patronatus, Ususfructus absque limite, Servitus: ratio est, quia cum importent jus ex se perpetuum percipiendi mobilia, ideo fixa censentur manere ad instar rerum Immobilium: sic *ex cap. de Reb. Eccles. non alienan. in 6. & ex Clement. exivi de Paradiso. §. cumque annui redditus*, docent Lessius *lib. 2. de Just. cap. 6. dub. 8. in fine* & Castropalaus *de just. punct.* 22. §. 11. *num.* 1. *in fine*. Sed quia in his præscribendis aliqua intercedit diversitas; ideo per subsequentia quæsita de singulis aliquid dicemus.

Quæres 1. quomodo præscribi possit beneficium? Resp. 25
cum titulo colorato præscribi contra alium, ad quem spectabat per decennium inter præsentes, inter absentes verò per vicennium. Si verò titulus non adsit, quamvis Castropalaus *de justit. punct.* 22. §. 13. *numer.* 10. dicat, præscribi posse per tricennium, dummodo præscriptio non sit adversus Ecclesiam, Civitatem, Principem, aut Jus resistat præscribenti. Nihilominus rectiùs mihi videtur, quod docet Lessius *lib. 2. de just. cap. 6. dub. 10. numer.* 34. nempe quòd sine titulo prescribi nequeat; ratio est, quia non potest ejus possessio acquiri sine institutione Canonica. Id certum est penes præcitatos Doctores, quòd pacificè possidens beneficium per triennium absque simoniaco ingressu præscribat contra actionem competitoris *ex Regul. 32. Cancell. de Triennali possessione.* An autem per hoc prescribat etiam proprietate beneficii, itaut possessor ex vi hujus triennalis possessionis acquirat titulum, & absque ulla dispensatione possit tutus in conscientia illud retinere; difficultate non caret. Lessius *l. c.* ex Navarro, & Rebuffo affirmativam sententiam sustinet, cui etiam patrocinantur Sà, Garzia, Layman, relati à Castropalao *l. c.* ducuntur, quia valde consentaneum rationi videtur, quòd si Pontifex non concedat post triennium actionem alteri ad illud beneficium; velit confirmare illud in possidente cum titulo, & bona fide. Quæ quidem sententia mihi satis probabilis est ob authoritatem tantorum Virorum; quamvis suam probabilitatem denegare nequeam oppositæ sententiæ, quam ex Molina, & aliis sustinet Castropalaus *loc. cit.* Quæ dicta sunt de Beneficiis extendi pariter possunt ad Præscriptionem Officii, ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & Sæcularis.

Quæres 2. quomodo præscribatur Jus Patronatus, seu 26
jus præsentandi ad Beneficium? Resp. si adversus personam privatam præscriptio fieri debeat cum titulo inter personas presentes requiritur spatium decem annorum; inter absentes viginti annorum; sine tamen titulo requiritur spatium triginta annorum: ratio est, quia eodem modo se habet hæc præscriptio, uti se habet ea, quæ respicit bona Immobilia, ac Jura privatę personę. Nec prescriptio fit contra Ecclesiam, cujus parum interest hunc, vel illum habere Patronum; sed contra Privatum: sic Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 6. dub. 10. numer.* 34. Molina *tract. 2. disputat.* 75. *circa medium*, Layman *lib. 3. Summ. sess. 5. tract. 1. cap. 8. concl. 5.* & Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 13. *numer.* 11. Si verò adversus Ecclesiam præscriptio fieri debeat, si titulus adsit requiritur spatium quadraginta annorum; si sine titulo, requiritur tempus Immemoriale. Dicitur Immemoriale tempus, quod hominum memoriam excedit; & memoriam hominum excedere consebitur, si excedat centum annos, ut colligitur *ex Leg. An Ususfructus, ff. de Usufruct. & ex Leg. final. Cod. de Sacros. Eccles.* Sed hoc procedit ex Jure antiquo; nam ex Jure novo Tridentini *sess. 25. cap. 9. de Refor.* Excluśus est omnis Patronatus, qui non fuerit ex fundatione, vel donatione Ecclesię; & non ostendatur ex authentico documento, & aliis à Jure requisitis.

Quęres 3. quomodo prescribi possunt Servitutes? 27

Resp.

Resp. Servitutem aliam esse Personalem, quę videlicet debetur à persona personę; aliam esse Realem, quę debetur à re rei; aliam denique Mixtam, quę videlicet à re debetur personę. Jam verò Servitus Personalis nullo tempore pręscribi potest, nec usucapione acquiri: sic si quis etiam bona fide servum putans aliquem, qui revera non est, illum emerit; non ideo contra illum pręscribit; non enim consentaneum est æquitati, ut homo liber servus fiat ob errorem opinionis alterius: sic deciditur *in Leg. final. Cod. de long. tempor. præscript.* E contra tamen pręscribit servus libertatem suam contra dominum, si per annos viginti putet se liberum, etiam si titulum libertatis non habeat: sic *ex Leg.* 2. *Cod. de Long. tempor. præscrip. quæ pro libert.*

Servitus Realis sive continua sit, vel quasi continua, ut est servitus ferendi oneris, stillicidii, aquęductus, immittendi ligni; vel discontinua; ut est servitus eundi per tuum agrum; ducendi per illum jumentum, aut currum; aut pascendi, vel venandi in illo; si adsit titulus, & bona fides pręscribitur inter pręsentes spatio decem annorum, inter absentes viginti annorum: sic constat *ex Leg. final. Cod. de Præscript. long. temp.* Si verò non habeatur titulus, & servitus realis continua sit, vel quasi continua, accedente scientia, & patientia adversarii pręscribitur inter pręsentes per decem annos, inter absentes per viginti annos: sic *ex Leg.* 1. *& 2. Cod. de Servit. & aqua. & ex Leg. Quoties. ff. de Servitut.* Si tamen servitus realis discontinua fuerit, & titulus deficiat; pręscribi non poterit, nisi per tempus Immemoriale, ut statutum est *in leg. Servitutes, ff. de Servit. & in leg. hoc jure. §. Ductus aquę, ff. de aqu. quotid. & æstiva.*

Servitus denique Mixta, quę à re personę debetur, ut est Ususfructus, qui debetur à fundo Usufructuario, si titulus adsit, pręscribitur inter pręsentes per decennium, inter absentes per vicennium; deficiente titulo per tricennium. Sic *Sanctum est in Leg. final. Cod. de long. tempor. præscript.* Adnotandum tamen, non obstare huic Prescriptioni, quòd ususfructus non semper percipiatur, sed certis quibusdam temporibus: nam licèt perceptio ususfructus discontinua sit; jus tamen, & possessio civilis percipiendi illum continua est, nec oritur ex possessione naturali ipsius fundi, qui usumfructum dat, perceptio ista; nec ex possessione naturali ipsius ususfructus à fundo provenientis; sed à possessione Civili Juris percipiendi usumfructum: sic ex Gomez, docent Lessius *lib. 2. de Just. cap. 6. dub. 9. numer.* 27. & Castropalaus *de Justit. punct.* 22. §. 13. *numer.* 5.

28 Quęres tandem: quomodo præscribi possint debita, actiones, obligationes, hypothecæ, Legata, & Fideicommissa? Resp. debita ex contractu, vel quasi contractu rerum mobilium, vel Immobilium præscribuntur cum bona fide per tricennium contra Creditores, ac excluditur actio ea petendi: sic patet *ex Leg. sicut in rem. Cod. de Præscrip. trigin. & quadrag. annor.* Actiones, & obligationes ex delicto provenientes regulariter pręscribuntur per Vicennium: ut constat *ex Leg. in omnibus, ff. de diverf. temporal. præscript. & ex Lege Querel. Cod. ad Legem Cornel. de fals.* Dixi regulariter, quia contra actionem fisci, quando ob non solutum vectigal bona alicujus ipso facto sunt addicta Fisco; prescribitur à reo, & ab ejus hæredibus per quinquennium *ex Leg. 2. Cod. de Vectig. & Commis.* Item per quinquennium præscribitur contra actionem accusandi pro adulterio commisso ad pœnam Civilem, vel Criminalem *ex Leg. Adulterium. Cod. ad Leg. Juliam de adult.* Et contra actionem injuriarum præscribitur lapsus unius anni *ex Leg. si non convitii. Cod de Injur.* Ad actione tamen ob crimen hæresis numquam datur præscriptio in favorem rei tale crimen committentis; in favorem verò aliorum Catholicorum possidentium bona hæretici, si ignoraverint ea esse bona hæretici; datur præscriptio, sed non minor quadraginta annis *ex Cap. 2. & fin. de Præscrip. in 6.* Res hypothecata si possideatur à debitore, vel ejus hæredibus; nequit præscribi contra Creditorem habentem actionem, nisi per quadricennium: eodem modo dicendum, si possideatur à Creditore, nequibit enim ab eo præscribi durante vita debitoris ante quadricennium, quod tempus computandum est à die destinato solutioni *ex Leg. Cum notissimi Cod. de Prescript. trigint. annor.* Si verò possideatur ab aliquo tertio, qui nec creditor, nec debitor sit; præscribitur eo tempore, quo præscribi solet res mobilis, vel immobilis, cui adhæret; & cujus est accessorium *ex Leg. 1. & 2. Cod. Si adversus Credit.* Legata, & Fideicommissa præscribi nequeunt contra Legatarium, & Fideicommissarium nisi per spatium triginta annorum; ut constat *ex Leg. ult. Cod. Communia de Legatis.*

Dicendum 6. Specialem Præscriptionem assignatam 29
fuisse pro bonis ad Principem spectantibus; quæ quidem varia est pro varietate bonorum Principis; quæ ad quinque genera reducuntur ab Authoribus, & singillatim expendenda erunt.

1. Genus est illorum bonorum, quæ per sententiam incorporata sunt Fisco Principis ob aliquod delictum commissum; & hæc præscribi nequeunt, nisi intercurrat spatium quadraginta annorum, ut sanctum est *in Leg. Omnes. Cod. de Præscript. trig. vel quadr. annor.* Quòd si res nondum Fisco incorporata sit, sed adhuc maneat apud reum, vel ejus hæredes; poterit quinquennio præscribi; ita ut si à die commissi delicti, ob quod bona rei incorporari debeant Fisco Principis; percurrant quinque anni, expirat Jus Fisci: sic statuitur *Leg. 2. Cod. de Vectigal. & Commissis.*

2. Genus est eorum, quæ Principi debentur in recognitionem propriæ subjectionis, & ejus supremæ Potestatis, ac Jurisdictionis: sic sunt tributa, vectigalia, census. Quæ quidem præscribi nequeunt, cum nemo possit esse immunis, ac exemptus ab his: ut docent Covarruvias, Panormitanus, Decius, Fachineus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Just. punct.* 22. §. 14. *numer.* 4. Lessius *de Justit. lib. 2. cap. 6. dub. 12. numer.* 41. & Molina *tract. 2. disput.* 74. *concl.* 2. Si verò non in recognitionem supremæ Potestatis Principis, sed pro expensis belli, aut ob solvendam necessitatem Principis, vel similem causam collectæ, & indictiones imponerentur; locum haberet Præscriptio quadraginta annorum contra Civitates, & pariter contra Principes; si titulus adsit; sine titulo tempus immemoriale requiritur: ut colligitur *ex Leg. Omnes. Cod. de Præscrip. trigin. vel quadrag. annor.* nisi tamen per Leges speciales statutum fuerit, ut ex Covarruvia docent Lessius, & Castropalaus *loc. cit.* Tributa, seu annuæ præstationes impositæ ab inferioribus Principibus, Ducibus videlicet, Comitibus, Marchionibus suis Vassallis; præscribi nequeunt, nisi per quadraginta annos, si titulus adsit; & sine titulo per tempus immemoriale: *ut ex cap. 1. de præscrip. in 6. & ex Leg. ult. §. si justo, ff. Quod metus causa*, docent Covarruvias *ad Regul. possess. 2. par. §. 4. numer.* 5. Molina *tract. 2. disputat.* 75. *in fin.* & Castropalaus *de Just. punct.* 22. §. 14. *numer.* 6.

3. Genus est Obedientia Principi debita, contra quam præscribi nequit, sicuti nequit præscribi ab ejus correctione, vel ut non possit ad eum appellari: & multo magis præscribi non poterit contra potestatem præcipiendi, judicandi, & puniendi, quæ sunt omnino intrinseca ejus authoritati respectu subditorum: sic passim Doctores; & quamvis aliqui docuerint, ut Covarruvias, & Lessius *locis citatis*, posse subditum præscribere exemptionem, & libertatem, per quam desinat esse subditus, & in Temporalibus non agnoscat illum, ut superiorem, cum titulo per spatium quadraginta annorum, sine titulo per tempus immemoriale; quæ quidem sententia non passim admittitur. Nihilominus omnes fatentur, neminem posse à potestate Spirituali Summi Pontificis præscribere, nec ipsum Pontificem posse aliquem eximere à sua Jurisdictione; cum hæc Jure Divino annectantur Pontificatui in omnes Christi fideles.

4. Genus est eorum, quæ licèt intrinseca non sint Dignitati Principis; attamen ei reservantur, ac propriè conveniunt: sic sunt condere Leges pro suo Regno, monetam cudere proprio nomine, ad ipsum ultimò appellari posse, revocare sententiam, quæ in rem judicatam transivit, remota appellatione procedere in causa. Quæ quidem Princeps numquam communicare solet; & hæc numquam prescribi possunt: eo quia presumi non debet, posse prescriptione contra Principem ea acquiri, quæ numquam ipse aliis concessit, & concedere consuevit; ut meritò adnotat Molina *tract. 2. disputat.* 71. *versic. Aliqua.* Secus verò imponere tributa, tabelliones de novo instituere, legitimare prolem, concedere veniam ętatis Minoribus, restituere infamem in sua fama, & statu pristino, cum non habetur pars lęsa remittere pœnam

deli-

delicto debitam, posse punire malefactores per ultimum supplicium; quæ quidem licèt rarò soleat Princeps concedere, nihilominus concedit: hæc inquam præscribi possunt cum titulo per spatium quadraginta annorum; sine titulo per tempus immemoriale: *ut ex Cap. Super quibusdam §. Præterea de Verbor. signif.* & *ex Cap.* 1. *de Præscript. in* 6. docent Covarruvias *Regul. Possessor. par.* 2. §. 3. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 6. *dub.* 12. *num.* 41. & Castropalaus *de Just. pun.* 22. §. 14. *n.* 7.

5. Genus est bonorum, quæ ad ipsum Principatum, ejusque coronæ annexæ sunt: sic sunt saltus ferarum, Vivaria, prata cum pascuis, prædia urbana, ac rustica, Urbes, Castra, & similia. Quæ quidem bona, quia aliquando solet concedere Princeps; ideò adversus illum præscribi possunt, sed requiritur spatium centum annorum, si Coronę advenerint ex hęreditate, legato, donato, fidei commisso, aut emptione: ratio est, quia *ex Leg. Ut inter Divinum Cod. de Sacros. Eccles.* hoc tempus requisitum est ad prędscribenda bona contra Civitates, quę ipsis obvenerint ex enumeratis titulis; ergo à fortiori requisitum erit ad prędscribendum contra bona Regis ex prędictis titulis obvenientia. Secus verò dicendum de bonis, quę ex aliis titulis Principatui, & Coronę adveniunt; quę prędscribi possunt spatio quadraginta annorum. In iis bonis, quę Princeps possidet, ut privata persona; quivis prędscribere poterit contra illum juxta ea, quę diximus de Prędscriptione contra Privatum; speciali namque privilegio gaudet, ut Princeps est: sic ex Baldo docet Covarruvias *ad Regul. Possessor.* 2. *par.* §. 3. *num.* 16. Molina *tract.* 2. *disp.* 74. *concl.* 4. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 6. *dub.* 12. *in fin.* & Castropalaus *de Just. pun.* 22. §. 14. *num.* 8.

CAPUT X.

De Virtutibus Justitię annexis.

1 *Enumerantur Virtutes annexæ Justitiæ, aliquæ quarum inducunt obligationem Legalem, & strictam; aliquæ verò Moralem.*
2 1. *Virtus annexæ Justitiæ inducens obligationem strictam est Religio. Et quid ea sit?*
3 2. *Est Pietas, quæ plures habet acceptiones.*
4 3. *Est Observantia, quæ plures habet Gradus.*
5 4. *Est Obedientia, cujus radices assignantur.*
6 1. *Ex Virtutibus inducentibus obligationem Moralem est Gratitudo.*
7 *Vitium Gratitudini oppositum est Ingratitudo, & explicatur quid sit.*
8 2. *Est Vindicatio, seu Ultio injuriæ, quæ authoritate publica fit.*
9 3. *Est Veritas, cujus quinque Functiones explicantur.*
10 4. *Est Affabilitas, seu Comitas.*
11 *Explicantur duo Vitia Affabilitati opposita, unum per excessum, & dicitur Adulatio; alterum per defectum, & dicitur Morositas, seu Litigium.*
12 5. *Est Liberalitas, cui opponitur per excessum Prodigalitas, per defectum Avaritia.*
13 6. *Est Epykeja, & explicatur quid ea sit.*

1 VIRTUTES illę annectuntur Justitię, & sunt veluti ejus partes, quę respiciunt aliquod debitum ad alterum. Sed nonnullę ex his inducunt obligationem Legalem, & strictam, & sic sunt Religio, Pietas, Observantia, Obedientia. Nonnullę verò inducunt tantùm obligationem Moralem, itaut si illis non satisfiat; honestas morum, vel non commodè, vel non decorè conservari valeat: & sic sunt Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Epykeja, seu Æquitas; ut constat ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 80. *artic. unic.* Et de his omnibus breviter agendum, prout faciunt ad prędsens institutum, nam fusius de illis alibi.

2 1. Igitur ex Virtutibus annexis Justitię; & inducentibus debitum Legale, & strictum est Religio, quæ est quædam Justitia creaturæ ad Deum, qua debitum Cultum, & honorem suo Creatori persolvit. Inclinat hæc Virtus hominem ad exolvendum suo Authori, quantum fieri potest, illud primum, & summum debitum ex illis, quæ in ipso homine nasci possunt. Accipi etiam solet Religio pro Statu hominum, qui certis quibusdam hominibus se Deo voverunt. Dicta autem est Religio vel à relegendo, eo quia quę ad Dei Cultum spectant, sępe sint revolvenda animo, & veluti relegenda; ut docuit D. Isidorus *lib.* 10. *Ethymolog. cap.* 17. vel à reeligendo, eo quia reelegimus Deum, quem per peccatum rejecimus jam electum; ut habet D. Augustinus *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 4. vel à religando, eo quia adstringat, & alliget nos Deo, ut tradit D. Hieronymus *in Cap.* 9. *Amos*. Definiri solet Religio: Virtus, quæ debitum Cultum Deo, tamquam primo rerum omnium principio exhibet. Dicitur, Virtus, eo quia reddit bonum habentem illam, & ejus opus bonum est, & laudabile. Dicitur, Quæ Cultum exhibet, hoc est honorem cum quadam submissione: non enim omnis honor submissionem importat, Deus namque Sanctos honorat, non tamen eos colit, nec submittitur eis. Dicitur, debitum Deo, eo quia distingui debet à Cultu debito B. Virgini, & cæteris Sanctis; specialis siquidem Cultus debetur Deo ob suam specialem Excellentiam præ cæteris Sanctis. Dicitur denique, tamquam primo rerum omnium principio, ad demonstrandum, cur hic specialis Cultus debitus sit Deo. Functiones, & actus hujus Virtutis quatuor enumerantur. 1. Est Consideratio infinitæ Majestatis Dei, & omnia creata pendere ab ipsa. 2. Est consideratio nostri nihili, hoc est, quòd ex nobis nihil sumus, & nihil habemus; & quod sumus, & habemus à Deo est, & ab ipso continuò pendet. 3. profunda inclinatio, & submissio mentis coram Deo; itaut interiùs hæc ipsa testetur. 4. Exterior professio istorum verbis, gestu corporis, & aliis modis ea indicantibus. Objectum Religionis est omne testimonium, & signum sive internum, sive externum, quo protestamur Divinam Excellentiam cum quadam nostri submissione. Plura dicemus de Religione, & Vitiis ei oppositis in primo Decalogi Præcepto.

3 2. Est Pietas, quæ 1. Accipi potest pro omni opere bono, quo Deus colitur; cum omne opus bonum dicatur opus Pietatis juxta illud D. Pauli 1. *Timoth.* 4. *exerce te ipsum ad Pietatem. Pietas ad omnia utilis est*. Et in hac acceptione, ut patet, non distinguitur à Religione, sed cum illa confunditur. 2. Accipitur pro Misericordia, & affectu benigno erga aliquem, præsertim erga filios juxta illud 2. Paralipom. 30. *Pius enim, & Clemens est Dominus, & Ecclesiast.* 2. *Quoniam Pius, & Misericors.* 3. Accipi solet pro speciali quadam Virtute, qua parentes colimus, tamquam authores vitæ nostræ, & Educationis post Deum: & de hac agimus cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 101. Definiri autem solet cum D. August. *lib.* 83. *Quæstion. quæst.* 3. Pietas est, per quam sanguine junctis, patriæque benevolis officium, & diligens tribuitur Cultus. Ex qua definitione constat, Pietatem principaliter, ac primò Parentes respicere: sunt etenim post Deum præcipui Authores ortus, & educationis. 2. Respicere Patriam, quia etiam ipsa suo modo est principium ortus, & educationis; eo quia parentibus necessaria suggerit ad ortum, & educationem. 3. Respicere alios consanguineos, nempe liberos, quia sunt partes parentum; Uxorem, quia est una caro cum Viro, & reliquos consanguineos, quia sanguine junctos. Objectum quod Virtutis Pietatis est Cultus, & obsequium externum, ad quod ipsa ordinatur. Objectum Cui sunt Parentes, patria, & Consanguinei, & patriæ benevoli; nam propter parentes etiam alios consanguineos colimus, quia in ipsis sanguis parentum existit, & jungitur; & propter patriam colimus Socios, & patriæ fœderatos. Ratio formalis in obiecto quod est ratio debiti; in objecto Cui est ratio principii ortus nostri, & educationis. Vindicat sibi pietas secundum locum post Religionem inter Virtutes Justitiæ annexas; eo quia parentes post Deum sunt principia essentiæ, Vitæ, & doctrinæ nostræ; & meritò post præcepta primæ tabulæ in Decalogo primum præceptum secundæ tabulæ est honor parentibus exhibendus. Plura de pietate dicemus cum de Quarto Decalogi Præcepto.

4 3. Est Observantia, quę pietatem ęmulatur; sicuti enim pietas debitum Cultum parentibus exhibet, quia authores nostrę vitę, & educationis sunt; sic Observantia debitum exhibet Cultum omnibus Superioribus, quia authores sunt nostræ gubernationis, & civilis vitę. Hinc est, quòd debeatur obsequium, & honor à Discipulo suo Magistro, à Vassallo suo Principi, à Cive suo Magistratui, à Milite suo Duci, à Clerico suo Episcopo, à Religioso suo Prędato, & à Servo suo Domino: relucet siquidem in his quędam Excellentia, & Authoritas ratione gubernationis, ut digni sint eo honore, & obsequio ab iis, quos gubernant. Definiri igitur potest Observantia: Virtus Cultum deferens Superioribus, & aliis personis excellentibus, quę nos gubernant, aut aptę sunt gubernare. Actus hujus Virtutis est deferre cultum, videlicet honorem, & obsequium, cum recta

ratio postulat. Objectum quod est honor, & obsequium externum signis, & demonstrationibus exhibitum, Objectum Cui est Superior, aut quælibet alia Persona excellens, quæ actu gubernat, vel gubernare potest, Ratio formalis est, quia est principium nostræ gubernationis actu, vel potentia. Hinc est, quòd rectè D. Augustinus dixit *lib. 83. Quæstionum quæst. 31.* Observantia est, per quam homines aliqua dignitate excellentes cultu quodam, & honore dignamur. Gradus Observantiæ tres enumerantur. 1. Est propositum impendendi honorem, & obsequium debitum Majoribus nostris. 2. Est æquanimiter ferre eorum molestias, asperitatem, morositatem, & injurias; nec propter ista desistere à cultu debito. 3. Est illis inservire cum voluptate, ac eorum incommoda tolerare. Dividitur Observantia in Politicam, & Religiosam, Politica dicitur, quæ cultum exhibet ob Dignitatem, & excellentiam politicam, & humanam: sic est observantia, & cultus exhibitus Principibus, Magistratibus, aliisve Dignitate sæculari fulgentibus. Religiosa verò, quæ defertur ob Dignitatem, & perfectionem cum religione conjunctam, vel Deum respicientem: sic est, quando quis honoratur ut Sacerdos, ut Propheta, ut Sanctus, vel Beatus. Plura de his dicemus in primo Decalogi Præcepto.

5 4. Est Obedientia, sic dicta ab audientia; eo quia vox, & præceptum Superioris auditur, & admittitur. Ad hoc ut obedientia sit Specialis Virtus, & de qua nunc agimus, debet esse formalis, hoc est debet facere rem præceptam expressè, quia præcepta est: nam facere tantùm rem præceptam, & non ea intentione expressa, quia præcepta est; dicitur Obedientia Materialis, nec Specialem virtutem Obedientiæ constituit, cum complectatur reliquas Virtutes, quæ exercent aliquem actum sub præcepto cadentem. Specialis igitur honestas Obedientiæ in eo consistit, quatenus opus suum efficit, ut debitum est ratione præcepti. Ejus objectum quod est omne opus præceptum. Objectum Cui est Superior. Ratio formalis est facere rem præceptam authoritate illa, qua Superior est: nam per hanc authoritatem habet potestatem Superior obligandi, & imponendi subdito debitum alicujus Operis; & per consequens subditus obligationem habet exequendi opus à Superiore impositum. Jus autem, & potestas regendi, & imperandi ex triplici radice ortum suum agnoscere potest. 1. Est ratione causæ, & effectus; naturaliter siquidem causa potestatem habet in suum effectum; & ex hac radice emanat omnis potestas Ecclesiastica, quæ transfunditur immediatè à Christo Domino in Summum Pontificem, ac per istum in omnes alios Ecclesiasticos Superiores. 2. Est ratio totius, & partis: pars namque naturaliter subordinatur toti, & à toto regi debet. Ex hac radice provenit Potestas Reipublicæ, Imperatoris, Regis, Principis in singula membra sibi subjecta, sicuti in cæteris Ministris, qui ab ipsis authoritatem accepere. 3. Est spontanea subjectio, qua quis videlicet in iis, quæ sui juris sunt; alteri se subjicit, ac potestatem in se tradit, vel se obligando ad obsequium illius gratis, aut mercede, vel subdendo se per votum. Et ex hac radice oritur partialiter, & inchoatè potestas Superiorum in Religionibus, quæ postea completur authoritate, quam eis tribuit Summus Pontifex. Quadruplex est Potestas imperandi, alia Divina, alia Humana, hæc alia est Politica, alia Ecclesiastica, quæ etiam comprehendit Religiosam. Plura dabimus de Obedientia Religiosa, cum sermo erit de Votis Religiosis.

6 Explicatis Virtutibus Justitiæ annexis inducentibus strictam obligationem Legalem; explicandæ breviter remanent Virtutes Justitiæ annexæ inducentes solùm obligationem, & debitum Morale; inter quas

5. Est Gratitudo, quæ est Virtus respiciens debitum ex beneficio accepto ortum, & ut illi aliquo modo satisfaciat, rependit aliquid benefactori, ut gratiarum actionem, obsequium, cultum, aut ad aliud beneficium. Hinc est, quod objectum quod hujus Virtutis sit gratiarum actio, obsequium, cultus, aut aliud beneficium. Objectum Cui sit benefactor, à quo beneficium acceptum est, videlicet Deus, Parentes, Superiores, aut alii homines privati benefacientes. Ratio formalis est debitum ortum ratione beneficii accepti. Quapropter reputo, Gratitudinem sub hac ratione formali consideratam, esse virtutem à reliquis distinctam, cum ipsi soli competat non alteri: nec diversificatur à diversitate beneficiorum, aut benefactorum; ut patet in Obedientia, quæ respicit debitum emanans à præcepto; nec diversificatur à diversitate præceptorum, aut præcipientium. Gratitudinis actus, & Officia quinque passim enumerantur. 1. Officium est æstimatio beneficii, si non ex magnitudine rei donatæ, saltem ex affectu, & animo, ac amore donantis: ut ait Seneca *lib. 1. de Benefic. cap. 6.* Beneficium non in eo, quod fit, aut datur; sed in ipso dantis, aut facientis animo. 2. Benigna acceptatio, hoc est non repudiando illud, aut demonstrando, quòd gratus non fueris: sic enim censeris contemnere, vel parvi facere beneficium illud, & donantis affectum: quapropter Seneca *ait lib. 2. de Benef. cap. 24.* Qui gratè beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. 3. Est gratiarum actio, benevola scilicet protestatio accepti beneficii, gratis, & sine debito dati. Adnotandum tamen, non semper necessariam esse, nec convenienter usurpari à Principibus, & Magnatibus erga homines valde inferiores. 4. Est grata commemoratio beneficii accepti, hoc est tempore, & loco memoriam habere suscepti beneficii: nam ut ait Seneca *lib. 3. de Benef. cap. 1.* Ingratissimus omnium est, qui beneficii oblitus est: cui enim totum beneficium elapsum est, gratus fieri numquam potest. 5. Est repensio beneficii accepti, cum scilicet beneficium alio beneficio rependitur. Quòd si non suppetat, quid rependatur; saltem reddenda erit deprecatio apud Deum pro salute benefactoris. Si verò suppetat, non statim reddendum, sed expectanda opportunitas, aliàs ut Seneca *ait lib. 4. in fin. de Benef.* Qui festinat reddere, non animum habet grati hominis, sed debitoris. In repensione, & compensatione beneficii accepti potiùs attendendum erit ad animum dantis, quam ad rem datam; quapropter plus rependendum erit, quàm acceptum fuerit, ut Cicero *ait lib. 1. de Officiis*: In referenda gratia imitari debemus agros fertiles, qui plus multo afferunt, quàm acceperint.

Ingratitudo est Vitium Gratitudini oppositum; & 7
duplex est, formalis una, Materialis altera. Formalis Ingratitudo habetur, quando quis, ut non videatur obstrictus, ac obligatus ratione beneficii accepti; contemnit beneficium, aut benefactoris animum. Hoc Ingratitudinis vitium est ex genere suo gravè peccatum: ratio est, quia contemptus benevoli affectus benefactoris, & sinistra interpretatio beneficii ab eo collati involvit judicium temerarium, quod ex se est grave peccatum; sinistrè quidem judicat de beneficio, & benefactore. Sic ex D. Thoma, Cajetano, & aliis docet Lessius *lib. 2. de Just. cap. 47. dub. 6. num. 16.* Per accidens tamen potest esse veniale, vel ob imperfectum consensum, ut si contemptus ex repentino iræ motu eveniat; aut ex levitate Materiæ, ut si esset circa parvum beneficium. Contemni autem potest beneficium, vel tamquam noxium; vel ut vile, ac probro indignum; vel minus utile, & dignum, quàm exteriùs videatur; & in his modis contemnendi, semper attendenda erit gravitas, vel levitas contemptus. Materialis ingratitudo tunc dicitur, cum omittitur Officium debitum Gratitudinis, aut aliquid contra benefactorem committitur. Tripliciter officium istud omitti potest. 1. Non retribuendo beneficium. 2. dissimulando, & non agendo gratias. 3. Nolendo beneficium agnoscere. Tripliciter etiam aliquid contra beneficium, & benefactorem committi potest. 1. retribuendo mala pro bonis. 2. vituperando beneficium. 3. reputando beneficium, ut maleficium. Hic ultimus modus est summus ingratitudinis, & spectat ad ingratitudinem formalem; sicuti dissimulare, & nolle beneficium agnoscere. Sic colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 107. art. 3.*

2. Est Vindicatio, seu Ultio injuriæ; quæ quidem, 8
ut Virtus specialis sit, debet esse redditio pœnæ pro malo culpabili; quia pœna est per se debita malefactori, & decens est, malefactorem puniri, ut aliqua reparatio fiat, & satisfactio injuriæ. Ad eum modum, quo Gratitudo reddit benefactori obsequium pro beneficio accepto, quia per se debitum est obsequium benefactori, & decens est, benefactorem prosequi obsequio, ut aliquid rependatur pro beneficio accepto. Debet autem Vindicatio convenienti modo fieri, ut sit actus Virtutis; adeoque nequibit privata authoritate fieri, sed publica, aliàs esset Vitium: spectat enim ad Superiorem exercere executionem hujus actus Virtutis; prohibita siquidem est privata Vindicatio, ut patet ex multis Scripturæ locis, præsertim ex illo D. Pauli *ad Rom. 12.* Non vos metipsos defendentes, sed dare locum

cùm iræ: ſcriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam. Permittuntur tamen in Republica parvæ quædam vindictæ, ſi fiant ex incontinenti ob acceptam injuriam: eo quia ob bonum pacis requiritur, ut quiſque tutus ſit à parvis injuriis, quæ ad tribunalia deferri non ſolent. Poterit autem privatus procurare, ut per poteſtatem publicam vindicatio exerceatur; ſed ne procedat ex amore proprio, in quo caſu non eſſet actus virtutis; debet id efficere ex deſiderio, ut non aliter vindicatio executioni mandetur, niſi debito, & legitimo modo, videlicet per poteſtatem publicam, & juxta menſuram delicti, non verò ulterius; ad eum modum quo, qui vult ſolutionem debiti non ex affectu proprii commodi, ſed juxta regulas Juſtitiæ, & ſicuti hic actus eſt virtutis juſtitiæ Commutativæ; ſic ille erit actus virtutis vindicationis: quamvis melius ſit ignoſcere propter Deum privatas injurias. Huic virtuti per exceſſum opponitur Crudelitas, per defectum nimia remiſſio, de quibus actum eſt ſupra.

9 3. Eſt Veritas, quæ licèt conſiſtat in conformitate illa judicii ad rem judicatam, aut ſigni ad rem ſignificatam; nihilominus hìc accipitur pro virtute illa, quæ inclinat, & procurat, ut in noſtris ſermonibus, ſcripturis, ſignis, geſtibus, & nutibus veritas habeatur, ſi non in ſe, ſaltem prout eſt in noſtra conſcientia, & prout eam novimus. Eſt virtus iſta annexa Juſtitiæ, eo quia reſpicit ea, quæ verſantur circa alium; ſigna enim non ſunt data homini propter ſe, ſed propter alium, cui ſuam mentem aperiat. Specialis quoque Virtus cenſenda eſt, eo quia ſpeciale bonum reſpicit, nempè veritatem in dictis, & factis. Objectum quod Veritatis ſunt verba, & ſigna externa, quibus alteri mentem noſtram ſignificamus. Objectum Cui eſt proximus, ad quem verba, & ſigna diriguntur. Ratio formalis eſt, quia verum, & conforme menti eſt debitum proximo ex parte noſtra, ne inciviles ſimus, & vitam ſocialem, ac commercium impediamus: eſt autem debitum iſtud morale, & proveniens ex honeſtate hujus Virtutis. Functiones, & officia Veritatis quinque enumerantur. 1. Eſt amor Veritatis in dictis, & factis. 2. Cautio ne quid contra judicium mentis dicatur, aut ſignificetur. 3. Quando mens patefacienda eſt, cum non ſemper habeatur obligatio patefaciendi illam, ut oratio ſit conformis menti. 4. Quando aliquid abſolutè affirmandum, vel negandum ſit, priùs inquirere veritatem rei; quia neſcius, vel dubius non eſt verax. 5. Exequi promiſſa, quamvis potiùs obligemur ad hoc ex Virtute Fidei. Vitium Veritati oppoſitum eſt mendacium, de quo in Octavo Decalogi Præcepto.

10 4. Eſt Affabilitas, ſeu Comitas, quæ eſt Virtus inclinans hominem ad procurandum, ut ejus converſatio cum reliquis in rebus ſeriis grata ſit, ac talis, prout decens ſit ſpectata propria conditione, & perſonarum, cum quibus converſatur; ac ſpectata qualitate negotiorum, & cæterarum circumſtantiarum; itaut nec nimis blandè, nec nimis aſperè in congreſſibus ſe gerat. Dictum eſt in rebus ſeriis, nam in rebus jocoſis, & ludicris locum habet Eutrapelia, cujus eſt ita animum in illis moderari, quæ relaxandi animi gratia aſſumuntur, ut nec modus excedatur ad inſtar ſcurræ, nec ab illis abhorreatur ad inſtar ruſticorum, & agreſtium. Objectum quod Affabilitatis eſt converſatio cum hominibus conſiſtens in colloquiis, convictu, & actionibus, quibus cum illis tractatur; potiſſimè tamen conſiſtit in ſermone, & affatu, quibus homo ſe accommodat aliis, ut ipſis grata ſit ejus conſuetudo, ſervata decori ratione. Objectum Cui eſt proximus, cum quo converſatur, & cui debetur affabilitas ob ſpecialem vitam. Ratio formalis eſt attemperatio converſationis cum proximo ſecundum regulam rationis, ut grata ei evadat.

11 Vitia Affabilitati oppoſita duo ſunt, unum per exceſſum delectandi, & dicitur Adulatio, quando videlicet quis nimium ſtudet in convictu eſſe placidum, & blandum; itaut in omnibus ita ſe cum aliis accommodet, ut omnia probet, omnia laudet, cum probanda, & laudanda non ſint. Quod ſi facit, ut placeat, dicitur blandus; ſi verò facit utilitatis cauſa, dicitur Adulator. Adulatio per ſe eſt peccatum veniale; eo quia eſt tantum exceſſus in ſtudio placendi in converſatione communi. Poteſt tamen evadere grave peccatum. 1. Ratione materiæ, cum laudatur, & approbatur peccatum. 2. Ratione finis, ſi adulatio fiat, ut noceat graviter, & ad peccatum trahat. 3. Ratione effectus, ut cum præbetur per adulationem occaſio gravis peccati, etiam præter intentionem. Sic ex D. Thoma, & D. Antonino docet Leſſius *lib. 2. de Juſt. cap. 47. dub. 7. num. 52.* Alterum vitium Affabilitati oppoſitum eſt per defectum & dicitur Moroſitas, ſeu Litigium: cum quis videlicet parum curat placere in converſatione, ſed ubique ſe difficilem reddit, ubique contradicit, nuſquam ſe accommodat; quapropter parum ad vitam ſocialem, & amicitiam idoneus erit. Hoc vitium ex genere ſuo peccatum veniale eſt: cum tædium, & moleſtia in conſuetudinibus non cenſeatur gravis contra Charitatem, & ſocialem vitam; imò cum adulatio ſit multò deterior Moroſitate, potiùs ab Adulatoribus cavendum, quam ab aſperis ingeniis, & litigioſis juxta illud *Pſalm. 140. Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

12 5. Eſt Liberalitas, quæ virtus eſt moderans affectum pecuniæ, ac reddens hominem facilem, & promptum ad illam erogandam, quando recta ratio dictat: ut habet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 117. art. 1. ex Ariſtotile 4. Ethic. cap. 1.* Nomine pecuniæ veniunt ea, quæ pecunia æſtimabilia ſunt. Cum enim cupiditas pecuniæ, & divitiarum radix ſit omnium malorum juxta Apoſtolum inde eſt, quòd neceſſaria ſit Virtus hanc cupiditatem moderans juxta præſcriptum rationis. Objectum Materiale, circa quod Liberalitas verſatur, eſt æſtimatio, & affectus divitiarum. Formale verò eſt imponere modum utrique circa uſum, & erogationem divitiarum, ut non plùs amentur, & æſtimentur, quàm deceat, nec infrà; præcipuè tollendo impedimentum recti uſus, quando judicatur expediens; & inclinando ad expendendum hilariter, & libenter, cum recta ratio dictaverit, non ex motivo indigentiæ, quia hoc ſpectat ad Miſericordiam; nec ex motivo amicitiæ, quia ſpectat ad Amicitiam; nec ex motivo retributionis ex beneficio accepto, quia ſpectat ad Gratitudinem; ſed ex motivo, quia hic modus elargiendi decens eſt, ac conſentaneus homini in vita politica, & ſociali. Vitia huic Virtuti oppoſita ſunt duo per exceſſum Prodigalitas, ſeu Profuſio; per defectum Avaritia, de quibus ſupra actum eſt.

13 6. Eſt Epykeja ſic dicta à Græcis, à Latinis verò Æquitas, quæ conſiſtit in eo, quòd aliquid agatur contra verba Legis, quando bonum Commune, vel ratio virtutis ita expoſcit. Nam cum Leges ſint Univerſales, & Regulæ ab ipſis propoſitæ ſuas patiantur exceptiones; inde eſt, quod caſus contingere poteſt, in quo malum eſſet verba Legis ſequi; ſed potiùs contrarium faciendum ob bonum Commune, vel quia ratio Virtutis id expoſtulat; & hic modus corrigendi legem; & dirigendi in tali caſu eſt Officium hujus Virtutis. Sic Lex univerſalis dictat, reddendum eſſe depoſitum à Depoſitario deponenti; ſed Epykeja dictat, non eſſe reddendum gladium à Depoſitario Deponenti, quando hic vult gladium ad occidendum inimicum. Sic etiam Lex univerſalis jubet, non tranſcendenda eſſe mœnia Civitatis præcipuè nocturno tempore; & Epykeja dictat, tranſcendenda eſſe ab eo, qui foris eſt, & ſcit inimicos debere Civitatem citò invadere, ut Cives admoneat ad defenſionem; & ſic de aliis Legibus non ſolùm humanis Civilibus, ſed etiam Eccleſiaſticis; imò etiam in naturalibus generaliter expreſſis; ut ex Cajetano docet Leſſius *lib. 2. de Juſt. cap. 47. dub. 9. num. 63.* Et licèt controverſia ſit penes Doctores: an ſit Virtus Specialis à reliquis diſtincta, eo quia in omni materia virtutum, & in omni genere Legum locum habet. Nihilominus ſtatuenda erit ut Virtus Specialis Juſtitiæ annexa; eo quia ſpecialem rationem formalem reſpicit à reliquis Virtutibus contradiſtinctam, nempè ex tacita Legislatoris mente in certis eventibus non agere ſecundum verba Legis, ſed ſecundum dictamen altioris finis: ſic enim operari contra verba Legis eſt honeſtè agere, & tacitæ menti Superioris ſe conformare. Et ſicuti Obedientia ſtatuitur una Virtus, quia reſpicit Præceptum, ſeu Legem, cui ſatisfacit attendendo ad verba expreſſa Superioris; ſic Epykeja ſtatuenda erit una Virtus, quia ſatisfacit intentioni tacitæ Superioris, à verbis Legis recedendo ob dictamen altioris finis: maximè quia utraque Virtus eſt annexa Juſtitiæ.

QUÆSTIO X.

DE FORTITUDINE.

EXPLICATA Justitia gradum facimus ad Fortitudinem explicandam, quæ tota est in moderandis animi passionibus; adeoque non minùs necessaria præ cæteris virtutibus.

CAPUT PRIMUM.

Quid Fortitudo? & quas Functiones exerceat?

1 *Quid sit Fortitudo genericè, & quid speciatim accepta?*
2 *Quodnam munus Fortitudo exerceat?*
3 *Quamvis Fortitudo vigeat in aliis materiis, maximè tamen viget in superandis periculis, & difficultatibus mortis.*

1 QUAMVIS Fortitudo genericè accepta significet tùm vires, & robur corporis, tum animi; nihilominus speciatim sumpta significat constantiam, & firmitatem animi in retinenda virtute, & vitio fugiendo, superatis omnibus iis, quæ in contrarium obstant, quia id bonum, & congruum est rationi. In quo sensu accepta specialis virtus erit à reliquis contradistincta: non firmiter retinere virtutem, & honestatem, & removere quidquid virtuti, & honestati contrarium est, ac declinare ab his, quæ ad vitia impellunt, quatenus id bonum est homini, & congruum rationi solius fortitudinis est, nec commune cum cæteris virtutibus; quæ licèt habeant ex se attingere honestatem sui objecti, & removere quidquid ei obstat, utpote impediens consecutionem sui objecti honesti; nihilominus id præstant quà necessarium ad finem ab ipsis virtutibus intentum; non verò quatenus per se bonum homini, & congruum rationi. Quapropter cæteræ Virtutes si firmiter adhæreant suæ honestati, & obstantia quæque sibi vincant, & superent; attamen id faciunt ex speciali sua honestate & imperando; non verò ex affectu, quia id per se bonum est homini, & congruum rationi, & eliciendo: & si id præstarent ex hoc mutuo, non agerent ut Virtutes singulares; sed qua virtute Fortitudinis affectæ. Sic Divus Augustinus *lib.* 83. *Quæstion. quæst.* 31. Aristoteles 2. *Etich. cap.* 3. 6. *&* 7. Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 133. *art.* 1. Lessius *lib.* 3. *de Fortit. cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 4. Valentia 2. 2. *disp.* 8. *quæst.* 1. *pun.* 2. & Castropalaus *de Fort. pur.* 1. *num.* 1.

2 Munus Fortitudinis est difficultates Virtutum superare prudenter cavendo pericula, quę illis obstant, aut moderatè aggrediendo; vel non succumbendo in illis: quapropter versari solet virtus Fortitudinis in moderanda passione timoris, & audaciæ; ut sic pericula aliqua, & difficultates virtutum secundum Regulas Christianæ Prudentiæ caveantur; alia aggrediantur, alia denique patienter sustineantur. Ad rem igitur Divus Ambrosius *lib.* 1. *Offic. cap.* 36. dixit: Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, mullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Consonat Divus Prosper *lib.* 3. *de Vit. Contemplat. cap.* 20. dum ait: Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diversis pulsata molestiis inconcussa permanet, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbit.

3 Quamvis Fortitudo vigeat in aliis materiis, ac in superandis levioribus difficultatibus; maximè tamen viget in superandis difficultatibus, & periculis quæ mortem inferunt, cum sit omnium periculorum terribilissimum. Debent verò difficultates & pericula mortis talia esse, ut honestè suscipi, vel sustineri possint: sic sunt ea, quæ pro Dei honore, ac ejus Sanctæ Fidei, & Catholicæ Veritatis attestatione, Virtutis defensione, salute Reipublicæ, vel proximi suscipiuntur: & ratio est, quia materia Virtutis debet esse honesta, alias rectæ rationi repugnaret. Hinc est, quòd iniqua bella gerentes, duella ineuntes, grassatores viarum, & latrones, etsi maximas difficultates & pericula mortis superent; non tamen fortes dicendi erunt, sed temerarii, feroces, crudeles: nam eorum actus ex audacia, & iniqua agressione promanant pleni temeritatis, & immanitatis belluinæ; adeoque omnino incapaces honestate, & decore fortitudinis. Secus verò dicendum de Sanctis Martyribus, qui sanguinem profuderunt, & vitam, quæ est omnium bonorum temporalium bonorum maximum, ob Dei honorem, & Catholicæ Fidei, & Veritatis attestationem; quapropter meritò à D. Thoma 2. 2. *quæst.* 124. *artic.* 2. quem communiter sequuntur Theologi; reputatur Martyrium actus præcipuus Fortitudinis. Fortes quoque dici debent heroes illi, qui mortem appetiere in Virtutis defensionem, vel Reipublicæ, aut Proximi cum honestate, & laude.

CAPUT II.

Quænam Vitia Fortitudini opponantur; & quale peccatum in ipsis?

1 *Timiditas opponitur Fortitudini per defectum.*
2 *Quodnam peccatum sit Timiditas?*
3 *Stupiditas, & Vacuitas opponuntur Fortitudini per excessum.*
4 *Quodnam peccatum sit Stupiditas, seu Intimiditas? ad quam reducitur Securitas peccantium.*
5 *Audacia opponitur Fortitudini per excessum, quæ ut plurimùm oritur ex Jactantia.*
6 *Quodnam peccatum sit Audacia?*
7 *Ignavia opponitur Fortitudini per defectum, & confunditur cum Timiditate.*

OPPONITUR 1. Fortitudini Timiditas per defectum; & consistit in eo, quòd quis excedat in timendo; vel quia ea timeat, quæ non sunt timenda; vel si timenda sint, timeat plusquam par sit. Et juxta mentem Aristotelis 3. *Etich. cap.* 7. Ignavus ille est, qui deficit in audendo; non enim audet aggredi, quando ratio dictat, aut sicut dictat. Timidus verò ille erit, qui timet, quod non oportet, vel plusquam oportet. 1

Jam verò Timiditas ista si in se ipsa sistat, nec progrediatur ad alium effectum pravum; erit tantùm veniale peccatum: si verò impellat ad desistendum, vel faciendum aliquod, cujus omissio, vel commissio gravis sit; erit peccatum grave; secus peccatum leve erit, si omissio, vel commissio levis fuerit. Sic qui ob timorem mortis, & ut illam evadat, paratus sit grave præceptum violare, ejus timiditas graviter peccaminosa erit secus verò si paratus sit rem leviter præceptam violare; leviter peccaminosa erit ejus timiditas. Hanc timiditatem prohibuit Christus Dominus *Matth.* 10. quando dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hæc non habent quod faciant*: sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 125. *art.* 2. Cajetanus *verb. Timor.* Valentia *disput.* 8. *quæst.* 3. *pun.* 2. Lessius *lib.* 3. *de Fortit. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 61. Layman *lib.* 3. *sect.* 3. *num.* 7. & Castropalaus *de Fort. pun.* 1. *num.* 3. 2

Opponitur 2. Fortitudini per excessum Intimiditas, seu Stupiditas animi, & Vacuitas justi Timoris; consistit autem in eo, quòd quis non timet, quando timendum est, & quæ timenda sunt, prout oportet timere. Fortitudo namque non solùm reprimere debet timorem, quando non est timendum, ut difficultates superentur; sed excitare illum, si necessarius sit ad mala, & pericula declinanda. Sic est, quando malum, vel periculum vires superat, nec adest juxta ratio sustinendi illud, ut evenit in Terræmotibus, fulminibus, naufragiis, & hostium incursionibus longè superantibus; in quibus & similibus casibus non timere est vitium, quia est causa non declinandi malum; laudabile, & honestum timere, quia est causa declinandi illud. Ad hanc Intimiditatem, & Stupiditatem reducitur Securitas peccantium, qui cum in peccatis existant, exponunt se periculis mortis, nec amissionem æternæ gloriæ timent, ac æternam mortem; quæ quidem stupiditas provenit 3

vel

vel ex eo, quod vitam suam parvi faciant, quàm oporteat; vel ex superbia, eo quia sibi præfidant, & alios contemnant, quasi eos lædere non valeant juxta illud *Job.* 41. *Factus est, ut nullum timeat, omne sublime videt*; vel denique ex stoliditate, ut sunt furiosi, qui nihil timent; ut ait Aristoteles 3. *Ethic. cap.* 7. Et milites in bello nihil timent per vecordiam, quia non recogitant ex corde, quid mors sit, & quæ eam sequantur.

4 Intimiditas erit grave peccatum, vel leve juxta malum, & periculum, cui se exponit intimidus ob defectum timoris: quapropter si gravi malo, vel periculo se exponit absque gravi, & rationabili causa; grave peccatum committet: si vero levi malo, & periculo; leve peccatum faciet. Quod quidem peccatum non erit distinctum ab eo, quod secum habet malum, & periculum, cui se exponit. Excusari verò potest à peccato Intimiditas, si ex stupiditate proveniat. Sic D. Thomas 2.2. *quæst.* 126. *art.* 1. Cajetanus *in Summ. verb. Intimiditas*, Lessius *lib.* 3. *de Fortit. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 64. & Castropalaus *de Fortit. punct.* 1. *num.* 3.

5 Opponitur 3. Fortitudini Audacia per excessum, quæ quidem consistit in eo, quòd quis ob repellendum malum imminens audet, & aggreditur aliquod, quod non convenit, vel quando non convenit, vel modo, quo non convenit. Ut plurimùm oritur Audacia ex Jactantia, audaces siquidem jactabundi esse solent, & magna dicunt, ut fortes censeantur, cum non sint, imò secum afferunt timiditatem, ut adnotat Aristoteles: quapropter initio, & antequam res urgeat, solent esse præpoperi, & adire pericula volunt; in ipsis verò periculis cedunt, & absistunt. Non sic verò viri fortes, qui ante facta sedati,
6 & quieti sunt, in ipsis verò factis acres, & celeres.

Audacia, quæ maximè affinis est Intimiditati, & cum illa confunditur; erit grave, vel leve peccatum juxta qualitatem rei gravis, vel levis, quam audax aggreditur; nec peccatum constituet distinctum ab ipsa re aggressa, ut dictum est supra de Intimiditate; & sic tra-
7 dunt Doctores.

Opponitur denique Fortitudini Ignavia per defectum; & consistit in eo, quòd quis refugit aggredi aliquod, quod convenit, & quomodo convenit, ac dictat recta ratio, ad repellendum malum imminens. Est maximè affinis Ignavia Timiditati, imò confunditur cum illa; hinc est, quòd Doctores dicant, solùm opponi Fortitudini Audaciam per excessum, & Timiditatem per defectum; eo quia in Audacia includant Intimiditatem, in Timiditate Ignaviam.

CAPUT III.

De Virtutibus cum Fortitudine annexis, & Vitiis eis oppositis.

1 *Quas Virtutes sibi habeat annexas Fortitudo?*
2 *Quid sit Fidentia? cui opponuntur Incredulitas, & Desperatio.*
3 *Quid sit Securitas? cui opponitur nimius Timor?*
4 *Quid sit Magnanimitas?*
5 *Vitia Magnanimitati opposita per excessum sunt Præsumptio, Ambitio, & Inanis gloria; per defectum Pusillanimitas.*
6 *Quid sit Ambitio? & ejus triplex actus explicatur.*
7 *Quid sit inanis gloria? & ejus triplex actus explicatur.*
8 *Quid sit Pusillanimitas, & quale peccatum? Eam expellunt Consideratio divini auxilii, exempla Sanctorum, & Magnitudo præmiorum.*
9 *Quid sit Magnificentia, & quomodo differat à Liberalitate?*
10 *Profusio opponitur Magnificentiæ per excessum, Parvifacientia per defectum.*
11 *Quid sit Patientia?*
12 *Insensibilitas opponitur Patientiæ per defectum; Impatientia per excessum.*
13 *Quid sit Longanimitas?*
14 *Quid sit Perseverantia, & quodnam ejus munus?*
15 *Quid sit Constantia, & quomodo differat à Perseverantia?*
16 *Constantiæ, & Perseverantiæ opponuntur per defectum Inconstantia, seu Mollities animi; per excessum Pertinacia, seu Durities animi.*

1 FORTITUDO sive naturalis sit, quæ præscindendo à fide decet hominem ratione præditum, aut philosophiæ præceptis institutum, aut ex præclaris Majoribus prognatum; sive supernaturalis sit, quæ fidem, & affectum supernaturalem supponit, ac supernaturalis Prudentiæ Regulis ducitur; in duobus præcipuè munus suum præstat, in aggrediendo videlicet pericula, & difficultates secundum rectam rationem ob honestatem naturalem, vel supernaturalem; & in sustinendo terribilia ob eamdem honestatem. Jam verò ut munus, & actus exercet aggrediendi pericula, & difficultates ob honestatem secum annexas habet Fidentiam, Securitatem, Magnanimitatem, & Magnificentiam. Ut verò munus, & actus exercet sustinendi Terribilia ob honestatem secum habet annexas Patientiam, Longanimitatem, Perseverantiam, & Constantiam. Hæ autem Virtutes, quas singillatim expendemus cum Vitiis oppositis; non sunt specie distinctæ inter se, nec à Fortitudine ipsa; sed potiùs sunt ipsa Fortitudo, prout diversa munia, & actus exercet.

Fidentia igitur, seu Fiducia consistit in eo, quòd quis 2
spem habeat in magnis, & honestis rebus consequendi rem arduam, vel superandi magnum malum. Fortis siquidem animum promptum, & paratum habere debet, ut rem arduam honestam consequatur, ad superandum magnum malum imminens, & hanc promptitudinem fidentia ministrat, spes scilicet superandi illud. Hinc est, quòd D. Augustinus *lib.* 83. *Quæst. cap.* 31. dixerit: Fiducia, seu Fidentia est, per quam magnis, & honestis rebus multum ipse animus in se fiduciæ cum certa spe collocabit; estque Fortitudini necessaria, utpote quæ sine hac spe nec bonum arduum aggredi, nec malum contingens superare poterit. Vitia huic Virtuti opposita sunt Incredulitas, & Desperatio superandi malum, & consequendi bonum, sive conservandi illud.

Securitas est perfectio quædam Fidentiæ, excludit si- 3
quidem timorem, & anxietatem, ne à malo vincatur, aut declinet à bono; adeoque magis fidit vir fortis, & spem habet superandi malum imminens, & consequendi bonum: expulsis namque inutilibus anxietatibus, & vanis timoribus animus viri fortis redditur in virtute tranquillus, securus, & firmus. Vitium huic Virtuti oppositum est nimius Timor, & anxia cura, quòd malum superari nequeat; & quòd bonum consequi, aut conservari non possit.

Magnanimitas, seu animi Magnitudo est inclinatio ad 4
magna opera, & heroica in omni virtutum genere; magnus siquidem ille animus dicitur, qui ad magna aspirat, ea sola æstimat, & recogitat; parva verò negligit, ac despicit. Movetur tamen ad inclinandum ad magna opera, & heroica, eo quia naturæ rationali consona in beatitudinem creatæ: & quia hæc in honestate consistunt, quæ sola reperitur in Virtutibus, Virtus namque in rebus humanis est verè magnum bonum, & ornamentum hominis, quà homo est, ac sola Virtus animum perficit, in æternum durat, ac vitam æternam conciliat; ideo Vir fortis, & magnanimus parva despiciens, divitias videlicet, voluptates, honores Mundi, quæ vitam corpoream, & temporalem tantùm respiciunt; aspirat ad virtutes consequendas in gradu heroico. Et si reliquæ Virtutes inclinent ad consequendum suum objectum arduum in gradu perfecto, non tamen inclinant, eo quia id consonum est naturæ rationali in beatitudinem creatæ; sed ex suo speciali motivo. Nec obstat, quòd Aristoteles *lib.* 4. *Ethic. cap.* 3. & Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 129. *art.* 2. dixerint: Magnanimum posse versari circa magnos honores. Nam versatur circa illos moderando, & regulando appetitum eorum, & ne plus æquo æstimentur; & præcipuè quatenus conducunt, & inserviunt ad virtutem acquirendam, eamque conservandam.

Vitia, quæ Magnanimitati opponuntur per excessum 5
sunt Præsumptio, Ambitio, & Inanis gloria; per defectum vero Pusillanimitas. Præsumptio est nimia suarum virium Confidentia, ob quam quis aggreditur aliquid, vel aggredi paratus sit supra proprias vires, & facultatem. Hinc præsumptuosi, & præfidentes dicendi erunt, qui miracula tentant, ac futura prædicere, cum nec donum miraculorum, nec prophetiæ habeant; qui sine prævio studio, ac Sanctorum Patrum lectiones Sacras Scripturas explanant, ut faciunt hæretici; qui solis viribus naturæ confisi, æstimant, se posse bene vivere, ac Legem Dei adimplere; qui munus Parochi, Confessoris, Judicis, Advocati, Medici suscipiunt absque debita scientia, & peritia. Datur quoque Præsumptio de divina illius Misericordia, quæ est peccatum in Spiritum Sanctum; cum quis parum curans de divina Justitia indebitè confidit de divina Misericordia sperans vitam æternam, etiamsi in peccatorum cœno volutetur, & pœnitentiam spernat. Hæc tamen Præsumptio potiùs opponitur Virtuti Theologicæ Spei, quàm Magnanimitati, & semper ex se est peccatum mortale, utpote excedens modum in sperando. Præsum-

ptio verò Magnanimitati oppoſita licèt ex ſe veniale peccatum ſit, nihilominus ratione damni proprii, vel alieni, ſi materia gravis ſit; poterit eſſe peccatum grave: ut rectè docent Cajetanus *in Summ. verb. Præſumptio*, Leſſius *lib. 3. de Fortit. dub. 3. numer.* 20. Toletus *de Peccat. mort. cap.* 22. & Navarrus *in Summ. cap. 23. num.* 14. cum aliis.

6 Ambitio nihil aliud ſignificat, niſi inordinatum appetitum honoris: conſiſtit verò honor in teſtimonio excellentiæ, & dignitatis ab hominibus exhibito factis, non verò verbis, nempe corporis inclinatione, aperitione capitis, genuflexione, conceſſione loci honoratioris, erectione Statuæ, collatione Principatus, Officii, & ſimilium: hæc enim reſpicit Ambitio, & qui aliquid ex his inordinatè appetit ſibi conferri; ambitioſus erit. Tripliciter autem quis honorem inordinatè appetere poteſt, 1. ſi appetat honorem ſibi non convenientem, vel notabiliter majorem eo, qui convenit: ut ſi quis appeteret honorari ut Nobilis, vel Doctor, cum non ſit; vel ſi doctus honorem debitum doctioribus ſe appeteret. 2. Si appetat honorem ex re illicita, & quæ ſibi non convenit: ut ſi eum appeteret per rebellionem, homicidium, graſſationes, artem magicam, & ſimilia. 3. ſi ita honorem appetat, ut paratus ſit Deum offendere ob conſequendum illum, vel conſervandum, cum eum reſpiciat tamquam ultimum finem, non verò Deum: ſic eſſet, ſi quis ut dignitatem Eccleſiaſticam ſibi acquireret; ſimoniam committeret; vel ut Principatum haberet, rebellionem machinaretur. Primus modus ambitioſè appetendi ex enumeratis erit veniale peccatum ex ſe, niſi gravis injuria ſequatur alteri. Secundus, & Tertius modus appetendi erunt venialia peccata, vel mortalia, prout erit materia levis, vel gravis rerum illicitarum, ex quibus honorem captat; vel mediorum, quibus paratus eſt uti cum offenſa Dei: ut docent Cajetanus *verb. Ambitio*, Navarrus, Toletus, Leſſius, Valentia, Layman, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Fortit. punct.* 2. *num.* 8. *verſic. Magnanimitati*. Hoc vitium reprehendit Chriſtus Dominus *Matth.* 23. ubi de ambitioſis loquens ait: *Amant primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis, & ſalutari in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.*

7 Inanis gloria eſt cupiditas, & appetitus gloriæ vanæ, ſeu vanæ opinionis, & æſtimationis declarandæ per verba, non verò per facta. Gloria ſiquidem eſt clara cum laude notitia excellentiæ alterius, quę verbis fit, & amplectitur opinionem, & laudem; ad differentiam honoris, qui eſt teſtimonium factis, & ſignis exhibitum Excellentiæ alterius. Appetitus autem Gloriæ, & laudis excellentiæ tripliciter poteſt eſſe vanus, 1. ſi de ſimulata excellentia quæratur, ut faciunt hypocritæ. 2. ſi major quæratur, quàm conveniat; aut de rebus illicitis quæratur, aut aliàs indignis. 3. ſi quæratur ab eis, qui rectum judicium excellentiæ proferre nequeunt: ut ſi quis laudem Sapientis reportare vellet ab imperitis, coram quibus diſputaret. Quamvis inanis gloria ex ſe veniale peccatum ſit, nihilominus ratione gravis nocumenti, quod afferre poſſet proximo; vel ſi quæreretur ex facto gtaviter peccaminoſo; vel ſi ob eam acquirendam deſpiceret quis Gloriam Dei juxta illud *Joann.* 12. *dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* & *Cap.* 5. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ad invicem accipitis; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quaritis*; grave peccatum erit, ut docet Cajetanus *verb. Humanæ gloriæ appetitus*, Leſſius *lib. 3. de Fortit. cap. 2. dub. 3. numer.* 24. Caſtropalaus *de Fortit. punct. 2. numer. 8. verſic. Magnanimitati*, referens Divum Thomam, Navarrum, Toletum, Valentiam, & Layman. Connumeratur à Divo Gregorio *lib.* 31. *Moral. cap.* 31. quem ſequitur Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 132. *art.* 4. inter vitia principalia, & Capitalia ex eo, quia pullulant ab ea, tamquam à Capite, & radice infecta ſeptem filiæ, nempe Inobedientia, Jactantia, Hypocriſis, Contentio, Pertinacia, Diſcordia, & Novitatum præſumptio. Advertendum tamen hic: quòd moderatè appetere ſive honorem, ſive gloriam, non ſolùm non erit peccatum, aut vitium ambitionis; ſed opus virtutis juxta illud *Eccleſiaſt.* 41. *Curam habe de bono nomine*; & *Matth.* 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum. qui in Cœlis eſt.* Moderatus verò erit talis appetitus, ii habeatur tamquam incitamentum ad virtutem, aut tamquam medium ad rectè obeundum munus ſuum ad ſalutem proximorum, vel Dei Gloriam inquirendam; ut adnotant Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 132. *artic.* 1. Valentia 2. 2. *diſp.* 8. *punct.* 2. *circa medium*, Layman *lib. 3. Summ. ſect. 3. num.* 12. & alii.

Puſillanimitas, opponitur Magnanimitati per defectum, conſiſtit autem in fuga inordinata ab honore, gloria, & provenit ab apprehenſione illa, qua quis concipit omnia tamquam nimis magna, ac ſuam facultatem excedentia; hinc eſt, quòd diffidens ſuis viribus officia refugiat, ad quæ eſſet aliàs idoneus, & bona opera relinquat aliquam difficultatem præſeferentia, quæ de facili præſtare poſſet cum honore, & laude. Sic ſunt, qui aliunde idonei ad gubernandum ſubditos, docendum ſcientias, concionandum populo, miniſtrandum Sacramenta, & ſimilia ex animi dejectione ea præſtare refugiunt. Idem dicendum, ſi opera virtutis aggredi refugiat, ut decet magnanimum adjutum Dei gratia, ingredi e. g. Religionem, petere barbaras gentes ad convertendum illas; ſi ea ut impoſſibilia, & nimis gravia reputet. Puſillanimitas per ſe veniale peccatum eſt, quando non urget obligatio, ſed ſolùm conſilium acceptandi officium impoſitum, & ſequendi virtutem: nam etſi obligatio non ſit acceptandi, nihilominus veniale peccatum erit refugere ex puſillanimitate, quaſi vires, quas Deus dedit, ac paratus eſt dare, non ſint ſufficientes. Si verò obligatio urgeat, tunc grave peccatum erit, ſi res præcepta gravis erit; leve, ſi levis erit res præcepta; ut docent Leſſius *lib. 3. de Fortit. cap. 2. dub. 3. num.* 29. & Caſtropalaus *de Fortit. punct. 2. num. 8. verſic. Puſillanimitas*. Hoc vitium expellunt ea, quæ fiduciam adaugent, nempe conſideratio divini auxilii, exempla Sanctorum, & magnitudo præmiorum.

Magnificentia annectitur etiam Fortitudini; & quam- 9
vis genericè accepta ſignificet quamlibet virtutem res magnas agentem, aut efficientem; in quo ſenſu non eſt ſpecialis virtus, ſed communis omnibus virtutibus. Prout tamen hic accipitur, ſignificat virtutem humanam inclinantem ad magna opera externa facienda uſibus humanis accommodata, ad quæ magni ſumptus neceſſarii ſint; ut evenit in extruendis magnis Templis, Monaſteriis, Piis Operibus fundandis, conviviis faciendis, prout virum munificentiſſimum decent ſecundum rectam rationem. Hinc eſt, quòd hæc virtus ſuperet, & moderetur nimium affectum ad pecuniam neceſſariam pro magnis operibus externis faciendis; ne propter illum non aggrediatur opus, quando oportet, vel quomodo oportet; aut illud ſuſceptum relinquat, vel indecorè perficiat. Differt Magnificentia à Magnanimitate, quamvis ambæ verſari poſſint circa eadem, ut expreſsè docet Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 135. *art.* 2. *ad* 2. eo quia magnanimitas intendit magnitudinem in actionibus virtutis, magnificentia verò intendit magnitudinem in operibus externis virtutis, quatenus ſunt magna opera virtutum. Magnificentia igitur, quæ ſecundum Ciceronem à Divo Auguſtino relatum *tractat.* 83. *Quæſtion. quæſt.* 31. Eſt rerum magnarum, & excelſarum cum ampla quadam, & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio; vel eſt pars Magnanimitatis, vel ab illa parum diſtans, cum in eadem materia verſatur. Nam ut Divus Thomas *loc. citat. ait*: ad magnitudinem pertinet non ſolùm tendere in magnum; ſed etiam in omnibus virtutibus magnum operari; vel faciendo, vel qualitercumque agendo. Differt quoque Magnificentia à liberalitate, eo quia liberalitas verſatur circa mediocres ſumptus pecuniæ juxta communem, & ordinarium modum expendendi. Magnificentia verò verſatur circa extraordinaria opera per extraordinarios ſumptus.

Vitia, quæ Magnificentiæ opponuntur, duo enu- 10
merantur, unum per exceſſum, alterum per defectum. Per exceſſum opponitur Profuſio, & nimia conſumptio pecuniarum: ſic evenit, cum quis majores ſumptus faciat, quam opus expoſcat, aut decorum requirat: ut faciebat ille, qui pedibus hiſtrionum purpuram ſubſternebat; & mercator, qui tempore hyemali, ut convivas à ſe invitatos igne calefaceret, prunas ex cinnamomo factas ad oſtentationem magnificentiæ exponebat. Quod vitium peccatum veniale ex ſe eſt, niſi grave damnum aliunde ſequatur ipſi, aut aliis. Per defectum opponitur Parvificentia, quando videlicet præ animi anguſtia operi magno jam ſuſcepto pares ſumptus non præſtantur, ut convenit;

ex

ex qua omissione opus incœptum à magnifico deficit, & imperfectum remanet: ut si quis Templo magnificè erecto tectum stramineum facere vellet. Quod quidem vitium ex se peccatum veniale erit, nisi aliunde habeatur obligatio magnificè perficiendi ex Voto, Testamento, aut simili ratione. Sic Lessius *lib. 3. de Fortit. cap. 2. dubit. 4. nu. 36.* & Castropalaus *de Fortit. punct. 2. nu.* 10.

11 Patientia una est ex quatuor Virtutibus, quæ Fortitudini annectuntur ad sustinendum terribilia ob honestatem; habet enim firmare animum, ne ob res adversas à Virtute desistat: quapropter si animum firmet adversus timores, ac dolores mortis, & contra mala mortem inferentia; erit ipsa virtus Fortitudinis inadæquatè accepta, & quæ in sanctis Martyribus maximè enituit. Si verò animum firmet in aliis malis, & rebus adversis hujus sæculi citra mortem, & ejus pericula evenientibus, & quæ tristitiam, & mœrorem parere solent; ut æquanimiter tolerentur, absque eo quòd recedatur à præscripto rationis, & Virtutis, & absque eo quòd aliquid indecori agatur; erit Virtus specialis Patientiæ à Fortitudine distinctæ, quamvis illi annexæ: cum fortitudo versetur circa timores, & mœrores mortis patienter tolerandos. Versatur ergo Virtus patientiæ in moderandis, & comprimendis magnis mœroribus, & afflictionibus animi, quæ contingere possunt in amissione Parentum, Filiorum, amicorum, in exiliis, in damnis, in morbis, contumeliis, & similibus, quæ mala per mœrorem, & tristitiam homines sæpe à rationis, & Virtutis Officio deturbant, & ad malum excitant. Quapropter rectè Divus Augustinus *lib. de Patient. cap. 2.* ait: *Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

12 Vitia Patientiæ opposita duo sunt Insensibilitas, & Impatientia. Insensibilitas opponitur per defectum patientiæ, & consistit in eo, quòd quis nulla mala nec propria, nec aliena sentiat; quod quidem nec laudabile, nec humanæ naturæ consentaneum est; imò alienum ab amicitia, & vita politica, ac signum brutalis stoliditatis, vel inhumanæ duritiei. Per se veniale peccatum est, & rarò pertingere potest ad mortale. Impatientia opponitur per excessum, & consistit in eo, quòd quis plus doleat, quàm par sit, ac ex dolore à recto discedat; vel indulgendo sibi ad illum mitigandum aliquid mali; vel in signa externa prorumpendo, quæ modum rectæ rationis excedant. Quamvis impatientia per se veniale peccatum sit, potest tamen esse mortale ratione gravis scandali, aut mali, quod ob impatientiam patrat. Sic Lessius *lib. 3. de Fortit. cap. 2. dub. 5. num.* 41. Layman *lib. 3. Summ. sect. 3. num.* 15. & Castropalaus *de Fortit. punct. 2. num.* 10.

13 Longanimitas est patientiæ pars, seu ipsa patientia inadæquatè accepta, & consistit in tolerantia molestiæ, quæ percipitur ex dilatione rei expectatæ, & speratæ, ne animus à virtute discedat: *nam spes, quæ differtur affligit animam* juxta illud *Proverb.* 1. Extenditur etiam ad tolerantiam molestiæ, quæ percipitur ex dilatione remotionis malorum, quæ nos premunt. Sic dicetur longanimis Dominus, qui servum expectat, moras ejus, & tergiversationes tolerat, quæ molestiam illi afferunt. In quo sensu longanimis dicitur Deus nos ad pœnitentiam invitans, & expectans, ac nostras moras, & tergiversationes molestas tolerans.

Perseverantia quamvis accipi soleat pro continuatione 14
in Justitia usque ad mortem, & quæ completur per actum ipsum decedendi ex hac vita cum Justitia, & est donum illud Spiritus Sancti proprium electorum, de quo pro sua dignitate pertractat Divus Augustinus *lib. de Bono Perseverant.* Hic tamen accipitur pro firmitate animi in bono opere non obstante molestia, quæ ex ejus continuatione oritur; eo quia sic perseverare, & continuare in illo est honestum, & laudabile, ac animo magno, & generoso conveniens. Sic considerata Perseverantia Virtutem specialem constituit, ac à reliquis contradistinctam; quæ licèt animum firmare habeant in bono, firmant tamen ob honestatem specialem, & particularem illius boni, ad quod inclinant; non verò ex honestate, quæ *in* ipsa continuatione boni relucet. Munus igitur hujus Virtutis erit inserere cæteris virtutibus continuationem usque ad finem in suo peculiari opere bono, finem, inquam, quem recta ratio præscripserit, sive vitæ, sive negotii, sive temporis præfiniti. Ferre insuper moderatè, ac vincere molestias animi ex illa diuturnitate laboriosa, & difficili provenientes.

Constantia etiam Fortitudini annexa, quamvis con- 15
fundi possit cum Perseverantia, cum nihil aliud perseverare importet, quàm in bono usque ad finem constantem sibi esse. Nihilominus optimè distingui possunt inter se sub diversis conceptibus. Constantia siquidem consistit in eo, quòd quis in bono proposito constet sibi, & contra omnes difficultates in bono proposito occurrentes sibi similis persistat juxta dictamen rationis. Perseverantia verò in eo sita est, quòd quis in bene cœptis pergat, ac usque in finem continuet. Sic Lessius *lib. 3. de Fortit. cap. 2. dub. 6. num. 48.*

Vitia his Virtutibus Perseverantiæ, & Constantiæ op- 16
posita duo sunt, Pertinacia, seu Durities animi per excessum; & Inconstantia, seu Mollities animi per defectum. Consistit pertinacia in eo, quòd quis firmus inhæreat, & perseveret in proposito sive sentiendi, sive agendi, quando non oporteat, vel plusquam oporteat: sic pertinax dicendus erit ille, qui cum non oporteat, vel plusquam æquo, ita firmiter adhæreat judicio, consilio, & alicui actioni; ut dimoveri nequeat à rationibus prudentiorum, ac sapientiorum. Pertinacia per se considerata est veniale peccatum, evadere tamen potest mortale, si judicium, consilium, vel actio, quibus firmiter adhæret; sint mortaliter peccaminosæ. Inconstantia verò consistit in eo, quòd quis absque rationabili causa propositum mutet faciliter: quapropter qui sine rationabili causa in bono sibi proposito desistit, inconstans dicitur, & levis animo. Quòd si deficiat ex tædio quodam diuturnitatis boni, aut alterius incommodi, mollis erit. Inconstantia, & Mollities animi erit leve peccatum per se, nisi aliunde habeatur obligatio non desistendi, sive ex præcepto, sive ex voto in materia gravi. Sic Cajetanus *verb. Inconstantia*, Lessius *lib. 3. de Fortit. cap. 2. dubit. 6. numer. 49.* Valentia *disp. 8. quæst. 3. punct. 2. in fin.* & Castropalaus *de Fortit. punct. 2. in fine.*

QUÆSTIO XI.

DE TEMPERANTIA.

EXPLICARE debemus de Temperantia ejus naturam in genere, dein ejus partes singillatim, ac Munia, quæ exercent; demum Vitia ei opposita.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Temperantia in genere, quodnam munus exerceat, quotuplex sit, & quæ Vitia ei opponantur.

1 *Quid Temperantia largè, quid strictè accepta?*
2 *Quænam sit materia Temperantiæ?*
3 *Quodnam ejus Munus?*
4 *Assignatur Regula Temperantiæ in delectationibus cibi, & potus.*
5 *Dividitur Temperantia in partes Integrales, Subjectivas, & Potentiales, & assignantur Integrales.*
6 *Assignantur Subjectivæ.*
7 *Assignantur Potentiales.*
8 *Stupor, seu Insensibilitas opponitur Temperantiæ per defectum; Intemperantia per excessum.*

QUAM-

1 QUAMVIS Temperantia nimis large accepta significet eam virtutem, que temperat, & refrænat affectum animi ab iis omnibus, quæ ipsum contra præscriptum rationis alliciunt; ut habet Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 141. *art.* 2. & sic considerata per omnes Virtutes morales vagatur, nec specialem Virtutem moralem constituit. Nihilominus strictè accepta significat eam virtutem, quæ versatur in moderandis, & temperandis delectationibus corporalibus, non omnibus quidem, sed iis, quæ magis appetitum alliciunt in gustu, & tactu; ut sunt delectationes esculentorum, poculentorum, & rerum venerearum. Et sic considerata Virtutem moralem specialem constituit, unam ex principalibus, & cardinalibus, de qua agimus: sic enim accepta specialem habet honestatem à reliquis virtutibus distinctam.

2 Materia igitur circa quam versatur Temperantia, sunt delectationes corporales. Gustus, & Tactus circa esculenta, poculenta, & res venereas. Reliquæ verò delectationes corporales ad alios sensus exteriorem spectantes non considerantur ab ipsa: sic si quis immediatè uteretur delectationibus per visum aspiciendo figuras, & colorata; per auditum percipiendo cantiones, & symphonias; per odoratum percipiendo varia odorum genera; non diceretur Intemperans. Idem dicendum à fortiori de delectationibus spiritualibus, quæ videlicet sequuntur operationem mentis, & phantasiæ; ut sunt illæ, quæ oriuntur ex contemplatione rerum Divinarum, vel naturalium, aut cujusvis alterius veritatis; vel quæ oriuntur ex fruitione honorum, narratione historiarum, fabularum, & similium: non enim habet Temperantia delectationes has speciales moderari.

3 Munus autem Temperantiæ est, non solùm moderari, ac refrænare usum, & actum externum delectationum Corporalium Gustus, & Tactus in esculentis, poculentis, & venereis; sed etiam affectus internos circa tales delectationes, itaut interiùs appetantur quantum, qualiter, ubi, quando, & quomodo oporteat; & sic exteriùs exequendo. Cum enim hæ voluptates vehementissimæ sint, ac à recta ratione nimis longè abducentes; maximè quia communes sunt cum brutis, & turpitudinem, ac dedecus conjuncta habent; ideò ne à recta ratione abducerentur homines, & ne similes brutis fierent; valdè necessaria fuit Virtus Temperantiæ, quæ tales voluptates, & delectationes frænaret, ac secundum rationis præscriptum, & prout dignæ essent hominibus; regularet.

4 Regula verò Temperantiæ ad moderandas delectationes Gustus, & Tactus in cibo, & potu, in quibus uterque sensus applicatur, cum nequeat haberi gustatio sine contactu cibi, & potus; illa assignatur, ut finis in illis delectationibus usurpandis sit necessitas, & utilitas ad conservandam bonam valetudinem corporis, & mentis ad suas functiones exercendas, prout conditio status, loci consuetudo, & aliæ circumstantiæ exposcunt. Quod breviter, sed nimis ad rem expressit Divus Augustinus *lib. de Morib. Eccl. cap.* 21. quando dixit: Ad hujus Vitæ & Officiorum necessitatem. Deus siquidem concessit hominibus sumptionem cibi, & potus ob corporis sustentationem, ejusque conservationem; corpus verò sustentari, & conservari debet, ut possit anima in eo suas functiones exercere. Quapropter si quis plus comederet, aut biberet; aut ea comederet, & biberet, quæ necessaria, & utilia non fuerint juxta prudentis arbitrium, & secundum vivendi modum civilem ad conservandum corpus, & functiones animæ exercendas; declinabit à Regula Temperantiæ sive per excessum, sive per defectum. Declinat quoque à Virtute Temperantiæ, qui ob solam voluptatem comedit, & bibit; cum non sit opus Virtutis, nec ex se honestum, & laude dignum; nam commune est brutis, & in eis locum habet; ut rectè adnotat Lessius *lib. 4. de Temperant. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. *in fine*. Regula Temperantiæ in moderandis voluptatibus venereis illa est, ut extra opus conjugii omnino abstinendum sit ab illis; in conjugio tamen illis tantùm uti, prout sunt necessariæ ad prolis procreationem, non verò ad purè captandam voluptatem. Sic Divus Augustinus *lib. de Bono Conjugali cap.* 6. & 7. & Doctores communiter.

5 Dividitur Virtus specialis Temperantiæ, de qua agimus, in partes Integrales, subjectivas, & Potentiales. Integrales sunt Verecundia, & Honestas, quæ habent integrare Officium Temperantiæ, ac sunt ejus veluti perfectiones, ac passiones conducentes ad acquisitionem, & conservationem illius. Per Verecundiam siquidem fugit Temperantia à turpibus, & probro dignis: cum Verecundia sit moderatus timor non committendi, quod turpe, & probrosum est. Per honestatem verò prosequitur amorem decoris: licèt enim honestas generatim accepta communis sit omnibus operibus virtutis, specialiter tamen & strictè accepta significat id, in quo elucet decor Temperantiæ, & ipsi tribuitur: ut adnotat Divus Isidorus *lib.* 10. *Ethimol. litera A.* Patet ergo quomodo Verecundia & honestas integrent Temperantiam, cujus munus est fugere turpia, & sectari honesta; & adjuvatur à Verecundia ad fugiendam turpitudinem; & ab honestate ad sectanda honesta.

6 Partes Subjectivæ, in quas Temperantia dividitur, seu Species Subjectivæ Temperantiæ in genere tres enumerantur. Abstinentia videlicet, Sobrietas, & Castitas, seu Pudicitia, de quibus specialiter agemus. Cum enim Temperantia versetur in moderandis voluptatibus cibi, potus, & rerum venerearum, inde est, quod moderetur voluptatem cibi, & esculentorum per Abstinentiam; voluptatem potus, & poculentorum per Sobrietatem; voluptates rerum venerearum per Castitatem, si consistant in copula carnali; per Pudicitiam, si consistant in osculis, tactibus, amplexibus; vel visione; aut auditione rerum venerearum. Opponuntur Abstinentiæ Gula; Sobrietati Ebrietas; Castitati, & Pudicitiæ Luxuria, & Impudicitia.

7 Partes denique Potentiales, in quas Temperantia dividitur, veluti in Virtutes secundarias sibi annexas, quæ oriuntur ex ejus potentia; sunt octo, Continentia videlicet, humilitas, Studiositas, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Parcitas, Eutrapelia. Et adnotandum, quòd omnis virtus quatenus refrænat appetitum inordinatè tendentem in aliquod & prout moderationem in aliqua materia efficit; dici debet pars Temperantiæ, seu virtus illi adjuncta. Quæ autem moderatione, & refrænatione indigent sunt motus interni voluntatis exorbitantis à recta ratione; & motus externi ab internis provenientes. Excipiuntur motus concupiscentiæ, qui à Virtute Temperantiæ refrænantur ut diximus. Motus igitur interni Voluntatis exorbitantis à recta ratione refrænantur à Continentia, cujus munus est continere voluntatem concitatam ab impetu passionis, ne succumbat insurgentibus motibus deordinatis appetitus sensitivi, sed firma persistat in iis quæ rectæ rationi consentanea sunt. Ab humilitate, quæ voluntatem exorbitantem refrænat in motibus internis appetendi plus honoris, & excellentiæ, quàm suæ conditioni, & statui par sit: natura namque corrupta in excellentiam indebitam propensa est, & cohibetur per humilitatem. A studiositate, cujus est refrænare motus internos voluntatis exorbitantis in appetitu sciendi, ut videlicet ea scire velit, ac cognoscere, quæ rectæ rationi congruunt, & prout congruunt; nec plus sapere, quàm oporteat sapere, & sapere ad sobrietatem. A mansuetudine, quæ voluntatem exorbitantem moderatur in motibus internis vindictæ, & iræ juxta præscriptum rectæ rationis, & ne metas illius excedat. In motibus verò externis ab internis provenientibus refrænatur voluntas à Clementia, ne per vindictam, & iram excedat in punitione externa metas rationis; & hinc est, quòd confundi soleat Clementia cum Mansuetudine. A modestia refrænatur voluntas, nè excedat in motibus externis corporis, sed eos regulet juxta rectam rationem. A Parcitate refrænatur, ne excedat in usu rerum externarum ad corpus spectantium, in vestibus, ornatu, & similibus; nam in cibo, & potu refrænatur à Temperantia per Abstinentiam, & sobrietatem. Ab Eutrapelia denique refrænatur in ludis, & jocis ultra id quod recta ratio præscribit in animi relaxatione juxta decentiam humani convictus. Sed de his virtutibus, & vitiis eis oppositis redibit sermo infra.

8 Vitia, quæ Temperantiæ opponuntur; alia sunt per defectum, alia per excessum. Per defectum opponitur Stupor, vel Insensibilitas; cum videlicet quis refugit à delectationibus Gustus, & Tactus, ubi, quando, & sicuti oportet. Advertit tamen, & rectè Aristoteles 2. *Ethic. cap.* 7. hoc vitium rarò contingere, utpote adversum naturali inclinationi. Erit tamen peccatum leve, vel grave secundum obligationem levem, vel gravem sumendi delectationem illam: nam grave peccatum erit nolle absque juxta causa debitum conjugale reddere, ne delectationem illam sumat. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 142. *art.* 1. Cajetanus *verb. Insensibilitas*, Valentia 2. 2. *disp.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 1. Lessius

lib. 4

lib. 4. de Tempor. dub. 3. num. 12. Per excessum opponitur illi Intemperantia, quæ consistit in concupiscendis, & percipiendis delectationibus Gustus, & Tactus: cum videlicet appetuntur, vel usurpantur in cibo, potu, & venere, quando non oportet, vel ubi non oportet, vel plusquam oportet; aut eo modo, quo non oportet, aut quas non oportet. Est hoc vitium inter humana vitia maximè probrosum, & infame teste Aristotele 3. *Ethic. cap.* 12. reddit siquidem hominem victum à voluptatibus infimis, ac cum brutis communem cum dedecore humanæ dignitatis, & cum extinctione levis rationis; reddit insuper illum mancipium ventris, & gulæ, ac vilissimarum rerum. Erit tamen peccatum mortale, vel veniale juxta gravitatem, vel levitatem materiæ Intemperantiæ, ut dicemus infra cum de speciebus Vitiorum Intemperantiæ; sicut enim suas species Virtutum habet Temperantia, quas aggredimur explicare; sic etiam suas Species Vitiorum habet Intemperantia oppositas speciebus Virtutis Temperantiæ.

CAPUT II.

De Abstinentia, & Vitiis ei oppositis.

1 *Quid sit Abstinentia? Et quodnam munus exerceat?*
2 *Quando sunt inordinatæ Cupiditates, & delectationes Esculentorum?*
3 *Assignatur debita Moderatio à Ratione præscripta in usu ciborum.*
4 *Abstinentia major à Temperantia præscripta potest procedere ex affectu formali ad alias Virtutes.*
5 *De qua Abstinentia hic sermo sit?*
6 *Gula opponitur Abstinentiæ per excessum, Stupor per defectum. Et quid sit Gula?*
7 *Quid sit Stupor?*
8 *Duo Vitia, quæ Abstinentiæ opponuntur indirectè Impatientia scilicet, & Superbia,*

1 POSTQUAM diximus de Temperantia in genere, remanet dicendum de ejus Speciebus, ac de vitiis talibus Speciebus oppositis. Prima autem Temperantiæ Species est Abstinentia, quæ in hac materia Temperantiæ significat subtractionem cibi, si plus sit, quàm recta ratio per se requirat. Hoc modo accepta Abstinentia Virtus erit, quæ moderabitur, ac refrænabit inordinatas cupiditates, & delectationes ciborum; & in eorum fruitione, & usu debitam moderationem præscribet. Munus ergo hujus Virtutis Abstinentiæ erit has inordinatas ciborum cupiditates, & delectationes moderari ad regulam rationis, & honesti; ac debitam moderationem in usu ciborum imponere.

2 Jam verò inordinatæ erunt cupiditates, & delectationes esculentorum, si alliciunt ad eas escas, quæ vel lege naturæ, aut Præcepto Divino, vel Ecclesiastico prohibentur. Aut si alliciant ad comedendum loco, aut tempore incongruo, in plateis e. g. triviis, vel summo mane, aut dum febris ingruit. Aut si alliciant ad quantitatem nimiam, ut faciunt helluones; vel ad modum in comedendo indecorum, nec civilem, & humanum. Denique si nimis vehementes, & importunæ sint in alliciendo; itaut hominem ad majora natum non sinant aliud in mente revolvere, ac excogitare, nisi de cibis ad infarcinandum ventrem. Hanc igitur inordinationem cupiditatum aufert ab homine Abstinentiæ Virtus, quæ, quod superfluum est in hoc, resecat; ac appetitum inferiorem coercet ad obediendum moderationi, quam ratio, & appetitus Superior rationi conformis præscribunt.

3 Debita autem Moderatio à Ratione, & Appetitu Superiori præscripta in ciborum usu est illa, quam superiùs innuimus, videlicet tantum uti cibis, quantum necessarium, ac utile est Valetudini corporis, & Officiis exercendis à mente in corpore: quapropter aptè ad nostrum intentum dixit Divus Augustinus *lib.* 10. *Confess. cap.* 31. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Non nego tamen, quòd aliquando occurrere possint aliquæ circumstantiæ, ac causæ justæ, ob quas plusquam valetudini congruat, subtrahendus sit cibus; ut esset in castigationem carnis, & corporis, ne recalcitrent adversus spiritum, sed ei perfectè subjiciantur; aut ob satisfaciendum pro peccatis, etiamsi vires minuantur: dummodo tamen non notabiliter lædatur valetudo, itaut brevi tempore frangenda sit, & mens inepta evadat ad functiones exercendas: quamvis ea sit bona valetudo corporis, quæ menti inservit, nec est rebellis spiritui; anima siquidem non est propter corpus, sed potiùs corpus ob functiones animæ.

4 Abstinentia, quæ major est, quàm recta ratio Temperantiæ requirat; quamvis non semper procedat ex formali affectu hujus Virtutis, qui consistit in eo, quòd quis à cibo abstineat, ut mens expeditior sit, ac magis idonea ad suas functiones in corpore exercendas; nihilominus procedit ex affectu formali ad alias Virtutes: sic qui à cibo abstinet, ut perfectiùs Deo inserviat, & ipsi placeat; opus Charitatis formaliter efficiet: qui verò abstinet, ut pro peccatis satisfactionem Deo exhibeat; opus Pœnitentiæ formaliter præstabit: qui demum abstinet, ut carnem suam adversus spiritum recalcitrantem domet, illique subjiciat; opus Castitatis formaliter exhibebit. Attamen ex quocumque affectu Virtutis formaliter promanet, semper dici poterit actus Abstinentiæ, cum sit actus Virtutis versantis circa materiam Abstinentiæ.

5 De ea Abstinentia hic locuti sumus, quæ secundum Legem Naturæ servari debet; Lex namque naturalis prohibet immoderatas cupiditates ciborum, ac eorum immoderatum usum; & regulari vult secundum Virtutem Abstinentiæ, quæ est pars Temperantiæ. Cæterùm de Abstinentia, quæ naturale jejunium ab omni cibo, & potu ante sumptionem Eucharistiæ importat, dicemus cum de Sacramento Eucharistiæ. De illa verò, quæ jejunium Ecclesiasticum importat juxta Ecclesiæ Præceptum, dicemus, cum de Præceptis Ecclesiæ.

6 Vitia, quæ directè opponuntur Abstinentiæ; duo sunt, Gula per excessum; & Stupor, seu Insensibilitas per defectum. Gula quamvis largè accepta significet inordinationem tum in cibo, tum in potu; adeoque dividitur, ut genus in suas Species in Comessationem, & Ebrietatem, prout divisit Apostolus *ad Roman.* 13. *Non in comessationibus, & ebrietatibus*; strictè tamen accepta, & prout hic accipitur tamquam directè opposita Virtuti Abstinentiæ; significat vitium, quod rationis præscriptum excedit in appetitione, & usu cibi. Quibus verò modis peccari possit per Gulam, & quale peccatum sit; dicemus, cum de Peccatis Capitalibus.

7 Stupor, seu Insensibilitas per defectum opponitur directè Abstinentiæ; consistit namque in fuga à sumendo cibum, ubi sumi oportet, aut quando sumi oportet. Erit autem hoc Vitium grave, vel leve peccatum secundùm gravem, vel levem obligationem sumendi illum. Quapropter si cum gravi detrimento salutis quis nolit cibum sumere, graviter peccabit: cùm adsit obligatio gravis conservandi vitam per moderatum cibum. Idem dicendum, si conjux velit à cibo abstinere, ut se impotentem reddat ad debitum conjugale moderatè reddendum, ad quod sub gravi se obligavit. Cæterùm si obligatio levis fuerit, leve peccatum erit.

8 Duo alia Vitia sunt, quæ Abstinentia vitare debet, non quia illi directè opposita, sed quia ad illam consequi possunt; unum est Impatientia, alterum Superbia. Cùm enim Abstinentia à cibo corpus exsiccet; inde est, quòd humores accendat, & abstinentes biliosos efficiat: cavendum igitur ab abstinente erit, ne in Impatientiam incidat. Insuper cùm Abstinentia magnipendatur ab hominibus, est siquidem res vulgò ardua, & difficilis, ac extrinsecus apparet in maceratione vultus; ideo speciem sanctitatis præseferre videtur; & ob magnam hominum æstimationem Superbiæ subjecta: ut rectè admonet D. Gregorius *3. part. Pastoralis admonit.* 20.

CAPUT III.

De Sobrietate, & Vitiis ei oppositis.

1 *Tripliciter accipi potest Sobrietas.*
2 *Tertio modo accepta est Species Temperantiæ.*
3 *Quodnam sit Munus Sobrietatis?*
4 *Quibus Personis maximè necessaria Sobrietas?*
5 *Vitium Sobrietati oppositum per excessum est Ebrietas, per defectum non datur.*

SOBRIETAS 1. accipitur genericè, & sic accepta 1
significat virtutem Temperantiæ, & sic intelligitur illud *Sapientiæ* 8. *Sobrietatem, & Prudentiam docet*; sic etiam à Divo Paulo *ad Titum* 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus.* 2. accipi potest minus largè pro Temperantia videlicet à cibo, & potu; in quo sensu sobrii appel-

appellari solent, qui parum comedunt, & parcè bibunt. 3. denique accipi potest strictè, & propriè pro moderatione à quocumque potu, qui inebriare potest: nam strictè, & propriè illos solemus dicere sobrios, qui à potu inebriante abstinent, & sibi temperant, ut rationis, & judicii serenitatem sibi conservent. Et ebrios appellare consuevimus eos, qui in potionibus inebriare valentibus modum, & mensuram excedunt; itaut eorum ratio, & judicium notabiliter offuscari soleat.

2 Hoc tertio modo accepta sobrietas, & prout accipitur *Ecclesiast.* 31. ubi dicitur; *æqua vita hominibus vinum in sobrietate, si bibas illud moderatè, eris sobrius*; erit pars, ac species Temperantiæ ab Abstinentia distinctæ. Cum enim specialis difficultas reperiatur in superanda concupiscentia, & appetitu potionum inebriare valentium, ac moderando usu earum; præter eam difficultatem, quæ reperitur in superanda concupiscentia cibi, & esculentorum, ac moderando eorum usu; inde est, quod præter Virtutem Abstinentiæ dari debeat Virtus sobrietatis ab ea distincta, quamvis ambæ sint partes Temperantiæ. Sic Divus Thomas 2.2. *quæst.* 149. *art.* 4. quem communiter sequuntur Doctores.

3 Munus autem Virtutis sobrietatis erit, affectum, & usum Potionis inebriare valentis debitè moderari: cùm sit hæc virtus species Temperantiæ, & ad Temperantiam spectat passiones animi refrænare; ideo Sobrietas hanc passionem, inclinationem, & affectum internum ad potionem inebriantem moderatur, ac etiam externum potionis usum: opus namque Virtutis in usu externo materiæ perficitur. Quòd si potio inebriare non poterit, cùm apta non sit ad hunc effectum præstandum; tunc immoderatus affectus ad illam, ac ejus immoderatus usus; ut esset, si quis excederet in bibenda aqua frigida, præcipuè si sacchar o condita fuerit ob voluptatem, refrigerationem, & dulcedinem, quam experitur; non erit contra Virtutem Sobrietatis: ut bene docet Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 149. *art.* 2. *ad* 1. sed contra Virtutem Abstinentiæ. Debitè autem moderatur hæc Virtus Sobrietatis usum potionis inebriare valentis; si ita usus congruat serenitati mentis, rationis, & Judicii, ut eam notabiliter non lædat, aut obnubilet; & mens, ratio, ac judicium suas functiones exercere valeant.

4 Quamvis Sobrietas omnibus necessaria sit, ut serenitas mentis, & Judicii in potionibus ad ebrietatem tendentibus innoxia servetur; maximè tamen necessaria erit aliquibus Personis, ut sunt Episcopi, Principes, Senes, Adolescentes, & Fœminæ, ut advertit Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 149. *art.* 4. Et quidem quòd omnibus necessaria sit, probatur ex eo, quia omnes tenemur resistere tentationibus carnis, quas sine hac virtute moraliter impossibile est, vincere posse; ut dixit Sapiens *Proverbior.* 20. *Luxuriosa res vinum*. Et Apostolus *ad Ephes.* 5. *Nolite inebriari vino, in quo est Luxuria*. Insuper omnes tenemur vigilare, ac agere excubias contra versutias, & insidias Diaboli, quod fieri non poterit sine sobrietate; ebrii quidem sunt somno dediti: quapropter Divus Petrus 1. *cap.* 5. ait: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Denique tenemur omnes sobrii esse, quia ut ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 6. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt*.

Quòd autem specialiter necessaria sit 1. Episcopis, sub quibus intelligit Divus Thomas omnes Ecclesiæ Ministros probatur ex eo, quia Episcopi, & Ministri Ecclesiæ debent vacare Orationi, & lectioni Sacrorum librorum ob rectè erudiendum populum, & gregem sibi commissum, ac ministrandum illi Sacramenta; quæ munia, ut debitè ministrentur, requirunt mentem pervigilem, & serenam, meritò igitur Apostolus inter cæteras dotes requirit in Episcopo sobrietatem. 2. Principibus, in quibus comprehenduntur omnes potestates sæculares, quæ populum sibi subjectum gubernare debent administrando justitiam, & servando secretum; sobrietate namque pollere debent Principes, ut invigilent ad probos, ac idoneos Ministros constituendos; & ne potiùs privatis commodis, quàm bono communi consulant negligendo præcipuè causas pauperum. Ideò Sapiens *Proverbior.* 31. ait: *Noli Regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; & ne fortè bibant, & oblviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis*. 3. Senibus, sub quibus intelliguntur Senatores, Advocati, Doctores: nam si hi sobrii non sint; quomodo alios docebunt? ebrioso siquidem, & fatuo sene nil turpius excogitari poterit: quapropter Apostolus *ad Titum* 2. jubet, *admoneri Senes, ut sobrii sint*. 4. Adolescentibus, fervor siquidem sanguinis in ætate illa maximè requirit sobrietatem; ideoque apud Romanos criminosum erat bibere vinum ante trigesimum annum, ut refert Alexander ab Alexandro *lib.* 3. *cap.* 11. 5. Fœminis, cum enim debilitatem judicii patiantur; inde est, quòd nisi sobriæ sint, de facili perturbari poterit earum mens, & aliquod indecorum patrare: quapropter antiquitùs penes Romanos illicitum mulieribus erat vinum bibere; ut testatur Plinius *lib.* 14. *cap.* 13. Meritò igitur Divus Thomas *loc. cit.* ait, maximè necessariam esse Personis enumeratis Virtutem Sobrietatis.

Vitium Sobrietati oppositum per excessum est ebrie- 5
tas, per defectum namque vix reperiri poterit vitium ipsi oppositum. Est autem ebrietas non ipse defectus usus rationis à nimio potu inebriante inductus, cùm hic sit potiùs effectus ebrietatis; sed est ipsa potatio cum excessu usque ad violentam usus privationem causa voluptatis assumpta. Sic ex Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 150. *art.* 1. docent passim Doctores. Quapropter ad hoc ebrietatis vitium requiritur 1. potatio cum excessu vini, aut alterius potionis inebriantis; sicuti gula consistit in excessu cibi. Nam si quis usu rationis privaretur violenter ex suffitu tabaci, odore lupuli salictarii, vel opio, aut similibus; non ideo dicendus esset ebrius, cùm ebrietas in excessu potandi consistat. 2. ut habeatur violenta usus rationis privatio, hoc est per medium naturæ extraneum: nam si per somnum haberetur, qui est medium naturæ intrinsecum; non haberetur ebrietas. Natura siquidem cum sit provida Mater, somnum instituit ad reparandos spiritus animales per vigiliam dissipatos, & ad restaurationem virium ob defectum spirituum, qui denuo per quietem generantur, & sic vires restaurantur. 3. ut potatio cum excessu facta sit causa voluptatis percipiendæ: nam si causa medicinæ fieret, aut ex præscripto Medicorum, etiam ad violentam usus ademptionem, ebrietas non esset, prout est Vitium Sobrietati oppositum, ac extra Regulam à Temperantia præscriptam: ut si quis generosi vini magnos haustus sumeret adversùs subitos terrores pestis, non suppetentibus aliis remediis; vel adversùs frigida venena opii, solani, cicutæ; aut contra cantharides. Sic Cajetanus, Sylvester, Navarrus, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 4. *de Temper. cap.* 3. *de Ebriet. dub.* 3. *numer.* 13. & Castropalaus *de Temperan. punct.* 5. *numer.* 2. referens Azor. Toletum, Valentiam, & Laymann. Quale autem peccatum sit Ebrietas, & quibus modis committi possit; dicemus de Peccatis Capitalibus, cum de Gula, & Ebrietate.

CAPUT IV.

De Castitate, Pudicitia, Virginitate, & Vitiis eis oppositis.

1 *Quid sit Castitas generice, quid specialiter accepta?*
2 *Castitas alia Perfecta, Imperfecta alia.*
3 *Quid Pudicitia, & quomodo à Castitate differat?*
4 *Quid Virginitas, & quid addat supra Castitatem Perfectam?*
5 *Virginitas amittitur omnibus modis, quibus amittitur Castitas.*
6 *Assignantur quatuor modi, quibus ita amittitur Virginitas, ut recuperari nequeat.*
7 *An Virgo involuntariè passa stuprum velari possit velo Consecrationis?*
8 *Quid dicendum de violata mente, & corpore, sed occultè; itaut penes omnes Virgo reputetur?*
9 *Vitia Castitati, Pudicitiæ, & Virginitati oppositæ sunt Luxuria, & ejus Species.*

CASTITAS licèt genericè accipi possit pro puri- 1
tate animi ab omni amore, & delectatione inordinata creaturarum, adeoque ab omni labe peccati, quæ sita est in malè ordinato amore creaturarum, in quo sensu eam accepit Divus Paulus 2. *ad Corinth.* 11. *Despondi enim vos uni viro; Virginem castam exhibere Christo*. Nihilominus specialiter, & propriè accepta significat Virtutem illam, quæ moderatur affectum, & usum in rebus venereis, quapropter tota est in voluptatibus, & actibus carnalibus refrænandis; ad instar Abstinentiæ, quæ moderatur affectum, & usum esculentorum; & sobrietatis moderantis affectum, & usum poculentorum; sunt enim tres istæ Virtutes Species, &

partes

partes Temperantiæ, & moderantur passiones animi, ac superant difficultates in oppositum in rebus spectantibus ad Gustum, & Tactum, ac ad Venerea. Materia hujus Virtutis sunt Voluptates carnis, quas pro suo munere moderatur, ne plus illis homines delectentur, & utantur, quàm rectæ rationis præscriptum exigat secundùm præsentem statum.

2 Dividi solet Castitas in Perfectam, & Imperfectam. Perfecta Castitas illa est, quæ perpetuò abstinet ab omni affectu, & usu tam licito, quàm illicito voluptatum Carnis, adeoque etiam affectum, & usum licitum conjugalem excludit. Imperfecta verò illa erit, quæ vel non perpetuò abstinet ab omni affectu, & usu tam licito, quàm illicito carnalium voluptatum, sed ad tempus; vel si abstinet tantùm ab affectu, & usu illicito non verò à licito, & conjugali. Moderatio autem, quæ à Castitate imperfecta provenit; consistit in eo, ut debito fine, loco, tempore, & modo affectus, & usus conjugalis exerceatur: & hinc est, quòd qui in statu Matrimonii has circumstantias servat, & abstinet ab aliis illicitis voluptatibus carnis; Castitatem Conjugalem habere dicitur. Docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 152. *art.* 3. Castitatem imperfectam specie differre à Perfecta: nam Castitas Perfecta habet rationem honesti, & laudabilis absolutam; cum absolutè, & perpetuò abstineat ab omnibus voluptatibus carnis licitis, & illicitis; Imperfecta verò secundum quid; cùm ab illicitis tantùm absolutè abstineat, à licitis verò cum moderatione.

3 Pudicitia est eadem Virtus cum Castitate, ut adnotavit Divus Thomas *l. c.* solùm tamen differt ab illa; eo quia Castitas versatur circa principale, & resecat affectum inordinatum, ac usum venereorum circa copulam; Pudicitia verò resecat inordinatum affectum, & usum signorum præviorum ad copulam, ut sunt aspectus, tactus, amplexus, & oscula: quapropter avocat mentem, & corpus ab his, quæ pudorem causare solent; & hinc dicta Pudicitia, quia Pudori conformis.

4 Virginitas sic dicta à Virore, eo quia immunis ab adustione concupiscentiæ; quamvis accipi possit pro integritate corporis expertis contagione libidinis; nihilominus sic accepta non est Virtus, sed quid naturale, cum quo homines nasci solent, ac deperdi potest nobis invitis. Ut ergo Virtus sit Virginitas, quæ nihil aliud addit supra Castitatem perfectam, nisi integritatem corporis, debet esse voluntaria, quòd scilicet voluntariè amplectamur integritatem corporis à natura concessam, quæ ex se nec virtus est, nec laude, aut vituperio digna; ac velimus eam in perpetuum consecrare: & sic Virginitas Virtus erit, ac laude digna, quam Divus Augustinus *lib. de Sancta Virginitate cap.* 13. sic definit: *Virginitas est, in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ Meditatio*. Supponit igitur Virtus ista integritatem corporis, & immunitatem à contagione libidinis in subjecto; & solùm formaliter addit propositum, ac firmam voluntatem, ac diligentem curam perpetuò servandi eam, omnia illi contraria vitando; quæ omnia satis expressit Sanctus Augustinus per Meditationem.

5 Virtus Virginitatis amittitur omnibus illis modis, quibus Castitas amitti potest: & ratio est, quia reipsa non distinguitur à Castitate; ergo per ea amittitur Virginitas, per quæ Castitas amitti potest. Sic Virginitas non solùm per libidinosam corporis corruptionem, per fornicationem videlicet, aut voluntariam pollutionem; sed etiam per tactus, oscula, & amplexus impudicos deperditur, ac per turpia desideria, & morosas delectationes. Cum hæc perfectè opponantur Castitati, adeoque Virginitati. Amittitur etiam Virginitas ipsa voluntate nubendi: & ratio est, quia cum consistat in proposito servandi perpetuò integritatem corporis, etiam à licitis voluptatibus carnis, & abstinendi ab illis; inde est, quòd Virginitatis Virtutem amittit, qui voluntatem nubendi habet; quamvis non dicatur amitti status Virginitatis, quia jam remanet corporis integritas. Sic Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *de Virgin. dub.* 16. *num.* 115.

6 Sed inquiri hic solet: quibus modis ita amittatur Virtus Virginitatis, ut absolutè recuperari nequeat? Antequam tamen decidatur quæsitum, supponendum est, non amitti Virtutem Virginitatis per violationem carnis, si violatio fuerit omnino involuntaria, etiamsi Virgo per vim stuprata fuerit: & rationem assignat Divus Augustinus *lib. de Civit. Dei cap.* 18. ubi ait: *Neque enim sine voluntate amitti potest, quod sola voluntate conservatur; tametsi secundùm statum, & in communi hominum æstimatione amittatur*. Quapropter per Sanctum Doctorem, quem communis sententia sequitur teste Lessio *de Virgin. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 16. *num.* 114. licèt amittatur in tali casu status Virginitatis secundùm hominum æstimationem, non amittitur tamen Virtus Virginitatis. Hoc supposito

Dicendum 1. per violationem voluntariam integritatis, & puritatis carnis amitti irrecuperabiliter Virtutem Virginitatis, non solùm quoad homines, sed etiam quoad Deum; & sic delinquentem non honorari laureola Virginibus designata: ratio est, quia sicuti Innocentia recuperari nequit semel amissa, etiam per unum peccatum mortale commissum; sic etiam Virginitas semel amissa, etiam per unum actum libidinosum carnem violantem voluntariè commissum recuperari non poterit. Ulterior ratio esse potest, eo quia tum Innocentia, tum Virginitas negationem connotant, prima omnis peccati lethalis, secunda omnis actus libidinosi; sed admisso uno peccato lethali, sicuti admisso uno actu libidinoso, nulla potentia datur, quæ facere possit, quod non admissa fuerint, ad præteritum enim nulla potentia datur; ergo irreparabiliter Innocentia, & Virginitas amittuntur. Meritò igitur Divus Hieronymus scribens ad Eustochium *Epist.* 22. *de Custodia Virginitatis cap.* 2. dicit: *Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam*. Sic etiam Divus Basilius *lib. de Vera Virgin.* Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 3. *ad* 3. Major *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. Sylvester *verb. Virgin. num.* 3. Lessius *de Virgin. lib.* 4. *cap.* 2. *dubit.* 16. *num.* 116. Castropalaus *de Temperan. punct.* 6. *num.* 2. & alii. Advertendum tamen, quòd Virginitas amissa solùm per actus voluntatis, dummodo servata fuerit corporis integritas; reparari poterit penes Deum per pœnitentiam, & sic obtineri poterit ab eo præmium Virginitatis: ratio est, quia hoc præmium conceditur à Deo omnibus, qui integritatem corporis voluntariè non violarunt; ergo si corpus voluntariè violatum non fuerit; & actus voluntatis Virginitatem violantes per pœnitentiam deleti fuerint; præmium à Deo Virginitatis habebunt: breviter Virtus Virginitatis violata fuit voluntariè, non verò status Virginitatis, cui conceditur laureola, si voluntariè servatus fuerit. Penes homines nulla reparatio requiritur, cùm nulla læsio carnis habita fuerit. Sic Divus Thomas *in* 4. *distinct.* 33. *quæst.* 3. *art.* 1. Sylvester *verb. Virginitas quæst.* 2. Cajetanus *verb. Virginum Consecratio*, & Castropalaus *l. c.*

Dicendum 2. amitti Virtutem Virginitatis irrecuperabiliter ex parte viri per copulam, sive illicitam, sive licitam; ex parte fœminæ per voluntariam clausuri Virginalis violationem, sive extra Matrimonium, sive in Matrimonio; ratio est, quia jam deficit integritas corporis voluntariè, quæ de necesse requiritur ad statum, & Virtutem Virginitatis, & quæ semel amissa reparari nequit: cùm reparari nequeat corruptio corporis habita post usum venereorum, semel ac eam liberè voluntas admisit.

Dicendum 3. per pollutionem voluntariam, etiamsi sine copula fiat, amitti irrecuperabiliter Virginitatem; & etiamsi in somnis accidat, cui tamen voluntaria causa data fuerit in vigilia: ratio est, quia præcipua voluptas carnis in eo actu consistit, & ad quem cæteri actus luxuriæ ordinantur; ergo ipso habito voluntariè non solùm corpus fœdatur, sed animus. Secus verò si absque voluntate acciderit, nec procurata fuerit; etiamsi postea placeat, & approbetur: & ratio est, quia complacentia, & approbatio subsequens non facit actum præteritum voluntarium, cùm non fuerit talis: ut ex Cajetano docet Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *de Virginit. dubit.* 16. *num.* 119.

Dicendum 4. Virginitatem irrecuperabiliter amitti per turpes contactus animo libidinoso factos, vel admissos, ex se aptos ad pollutionem excitandam, quamvis per aliquod accidens non excitetur: ratio est, quia per eos actus graviter, & notabiliter læditur Virginitas, seu integritas corporis, & animi, ut denegari nequit in Sodomia, etiamsi in ea pollutio non sequatur; ergo etiam in tactibus libidinosis ex se aptis ad pollutionem excitandam, quamvis per accidens non excitetur. Sic Rosella *verb. Virginitas*, Lessius *loc. cit. numer.* 121. referens Cajetanum; qui dubitat de puero nondum apto ad seminandum; sed in Viris, quicumque sint, dummodo usum rationis habeant; probabilius censeo, Virginitatem amitti irrecuperabiliter per tales turpes tactus notabiliter animum, & corpus defendentes:

ces; ut Rosella, & Lessius docuerunt, quos sequitur Castropalaus *de Temper. punct. 6. num. 1. in fine.* In fœminis verò quamvis amittatur per turpes tactus, & spermatis voluntaria effusione Virtus Virginitatis, non amittitur tamen status Virginitatis, si claustrum Virginale inviolatum remanserit; & dicenda est talis fœmina Virgo statu, non verò Virtute; adeoque Velum Consecrationis, quod Virginibus conceditur; accipere poterit. Sic Cajetanus, Sylvester, Armilla, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 4. cap. 2. de Virgin. dubit. 6. num. 120.* & Castropalaus *l. c. num. 3.* referens Sà, & Layman.

7 Inquiri solet 2. an Virgo, quæ involuntariè, & per vim passa est stuprum, velari possit velo Consecrationis? Resp. præmittendo priùs dari Velum Consecrationis, quod accipitur ab Episcopo anno vigesimo quinto ætatis, de quo est sermo *in Cap. Virgines, Cap. De votis, Cap. Placuit* 20. *quæst.* 1. & cujus Consecrationis forma habetur in Pontificali Romano. Et dari velum Professionis. Si sermo sit de Velo Consecrationis, quamvis communior sententia doceat, & quam probabiliorem reputo; velum istud accipere non posse: & ratio est, quia etiamsi Virginitatis Virtutem coram Deo non amiserit; nihilominus statu, & corpore corrupta est: & gravis deordinatio esset, corruptæ aptare Consecrationem Virginum; fictio enim sicuti rejiciendæ est à Sacramentis, sic etiam à Sacramentalibus; sed fictio esset, optare ab Ecclesia Consecrationem, institutam pro Virginibus, non Virginibus; ergo & ipsa abstinere debet à velo Consecrationis, & Episcopus illud denegare debet; secus verò dicendum de velo Professionis. Sic Divus Thomas *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 4.* Paludanus *ibidem quæst. 5. art. 5.* Armilla *ibidem*, Sylvester *verb. Consecratio Virginum quæst. 5.* Navarrus *lib. 3. Consil. tit. de Regular. consil. 4.* & Layman *lib. 3. Summ. sect. 4. nu. 8.* Denegare tamen non possum suam probabilitatem sententiæ docenti oppositum; dummodo ipsa certa sit, nullo modo consensisse delectationi illi; & res occulta sit: in tali siquidem casu, cum sit Virgo virtute; quamvis talis non sit statu, & corpore; Virgo sine fictione dici posset: & defectus ille integritatis non præjudicat Virginitati, sicuti non præjudicaret defectus manus, vel oculi; & eodem modo eveniret, ac si deperderetur per contrectationem digitorum obstetricis ex justa causa alicujus morbi explorantis partem illam; ut habet Divus Augustinus *lib. 1. de Civit. Dei cap.* 18. cujus authoritatem sequitur Lessius *lib. 4. cap. 2. de Virgin. dub. 16. num. 115.* & Castropalaus *de Temperan. punct. 6. num. 2.*

8 Major difficultas est de violata mente, & corpore, sed occultè; itaut penes omnes Virgo reputetur; an inquam possit velum Consecrationis recipere? Nam de violata mente, & Virtute; non verò corpore, & Statu supra diximus, consecrationis velum recipere posse; quia Virginale Claustrum voluntariè integrum retinet. Communis responsio est negativa propter rationes superiùs allatas pro violata corpore, sed non Virtute, & mente; quæ potiori jure militant in hoc secundo casu, in quo violatio corporis est voluntaria, quamvis occulta, & penes omnes Virgo reputetur; adeoque nec ipsa velum Consecrationis recipere poterit, nec Episcopus illud ei concedere poterit. Quòd si in tali casu occulto grave scandalum sequeretur, & gravis nota inureretur, nec alia via suppeteret vitandi illud; probabile est, posse Episcopum consecrationem istam exhibere, & fœminam ipsam velari posse: eo quia ex benignitate Ecclesiæ, ex cujus Institutione tota significatio hujus Consecrationis pendet; supponendum est, velle eam extendere ad Virginem communi hominum æstimatione talem reputatam, ne grave scandalum sequatur, & ne gravis nota inuratur. Sic Sylvester *verb. Consecratio Virginum num. 2.* Sà *verb. Consecratio num. 6.* Navarrus *lib. 3. Consil. tit. de Regular. consil. 4.* Henriquez *lib. 10. cap. 24.* Layman *lib. 3. Summ. sect. 4. num. 9.* Lessius *lib. 4. cap. 2. de Virgin. dubit. 16. numer. 118. in fin.* Castropalaus *de Temper. punct. 6. num. 4. in fin.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11. num. 8.* Sotus *in 4. dist. 19. art. 5. in fin.* & Filliuccius *tom. 1. tract. 30. quæst. 10. punct. 25.*

9 Vitia opposita Castitati, Pudicitiæ, & Virginitati sunt Luxuria, & ejus Species: sed quid ea sint, & qualia peccata dicemus de Peccatis Capitalibus; & latiùs dicetur in sexto Decalogi Præcepto, ubi propriam sedem habent; ac de Sacramentis, cum de usu Matrimonii, adeoque superfluum puto hìc de illis pertractare,

CAPUT V.

De Virtutibus Temperantiæ annexis, & Vitiis eis oppositis.

1 *Quid sit Continentia? Et quanam ad eam requirantur?*
2 *Incontinentia est Vitium Continentiæ oppositum; & quodnam peccatum sit?*
3 *Quid sit Humilitas? Et quodnam ejus Munus?*
4 *Quomodo Intellectus, & Voluntas concurrant ad Humilitatem?*
5 *Quomodo excitentur actus Humilitatis?*
6 *Superbia opponitur Humilitati per excessum, Abjectio inordinata sui per defectum.*
7 *Quid sit studiositas? Et quodnam ejus Munus?*
8 *Curiositas opponitur Studiositati per excessum, Negligentia per defectum.*
9 *Quid sit Mansuetudo? Et quodnam ejus Munus?*
10 *Iracundia opponitur Mansuetudini per excessum, Lenitudo per defectum.*
11 *Quid sit Clementia? Et quænam requirantur ad eam?*
12 *Crudelitas opponitur Clementiæ per excessum, Lenitas nimia per defectum.*
13 *Quid sit Modestia? Et quodnam ejus Munus?*
14 *Immodestia opponitur Modestiæ per excessum, Rusticitas per defectum.*
15 *Quid sit Parcitas? Et circa quæ versetur?*
16 *Luxus opponitur Parcitati per excessum; Cultus incomptus per defectum.*
17 *Quid sit Eutrapelia? Et quomodo differat à Modestia?*
18 *Immoderatus jocus opponitur Eutrapeliæ per excessum, Inurbanitas, & Rusticitas per defectum.*

ACTUM est de Speciebus Temperantiæ, supereſt 1
agendum de Virtutibus ipsi annexis, quas suprà diximus, esse Continentiam, Humiliratem, Studiositatem, Mansuetudinem, Clementiam, Modestiam, Parcitatem, Eutrapeliam; necnon de Vitiis eis oppositis tum per excessum, tum per defectum.

Prima igitur est Continentia, quæ accepta prout à Sanctis Patribus, & Scripturis accipitur; significat Virtutem illam, qua quis abstinet ab omni delectatione venerea; & continet sub se tres Gradus, Virginalem scilicet, Vidualem, & Conjugalem; nec à Castitate differt. Hic tamen accipitur pro firmitate animi in bono rationis contra impetus passionum: quapropter Continentia dici solet Virtus ista, eo quia animum continet, & firmat in proposito concepto de bono rationis contra insurgentes motus Concupiscentiæ, qui impellunt ad voluptates gulæ, & tactus, præsertim venereas. Ex quo clarè deducitur ejus munus, per quod à Temperantia distinguitur, ut quid inchoatum, & imperfectum à completo, & perfecto. Nam Continentia consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, & pugnat cum passionibus, easque domat, ac appetitui subjicit; adeoque continens feras agrestes cicurandas suscipit. Temperantia verò consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, & passiones regit jam domitas, & cicuratas; adeoque Temperans feras cicuratas regit, quarum insultus rariùs patitur, & regulariter non tam vehementes, ut continens, qui cicurandas suscepit. Ad hanc Virtutem Continentiæ requiritur 1. propositum firmum: omnis siquidem Virtus consistit in bona dispositione, seu affectu voluntatis ad honestum; insuper ne facilè motibus concupiscentiæ expugnetur; ut habet D. Thomas 2. 2. *quæst. 155. art. 3.* 2. quòd voluntas contineat se in bono rationis, hoc est, quòd inhæreat ei, quod ratio dictat. 3. quòd ista firma adhæsio voluntatis ad id, quod ratio dictat; contraria superet, & non sinat ab eis abduci, hoc est, à Concupiscentiæ motibus, qui habent allicere ad bona sensibilia contra præscriptum rationis, maximè quia inclinationi naturali hominis conformes; eique insiti ad conservationem speciei, & individui. Et quamvis aliæ passiones, ut Iræ, Vindictæ, honorum, & bonorum Temporalium, voluntatem agitent suis motibus, & virtute indigeant, quæ illam in bono honestatis contineant; nihilominus hæc Continentia non est Virtus absoluta Continentiæ, de qua agimus; sed secundum quid, hoc est, Continentia Iræ, Continentia honoris &c. & erit vel inchoata Mansuetudo, aut inchoata Magnanimitas &c. Sic D. Thomas *l. c.* Lessius *lib. 4. cap. 4. de Continent. dubit. 1. nu. 3.* & Castropalaus *de Temperant. punct. 8. num. 1.*

Vitium Continentiæ oppositum est Incontinentia, quæ 2
nihil aliud est, nisi subjectio voluntatis liberæ passionibus appetitus circa voluptates tactus. Nam si passio adeo vehemens

hemens sit, ut judicium rationis impediat, & moralem libertatem adimat; non dicetur Incontinens, qui ita movetur, sed factus similis bestiis, quæ incontinentes dici non possunt. Incontinentia igitur non tollit usum rationis, sed ipsum supponit, & eo manente si voluntas passionibus non resistit, sed illas sequitur; tunc habebitur Incontinentiæ Vitium, sive de cætero veniat à vehementi passione alliciente, sive ex levi adhæsione Voluntatis bono honesto; semper pecatum erit: quia semper contra honestatem, & rationem est, subjicere voluntatem liberam passioni boni delectabilis, & proprii brutorum relicto bono rationabili, & honesto, & proprio hominum. Peccatum verò erit grave, vel leve secundum graviratem, vel levitatem boni delectabilis, quod appetitur; & boni honesti, quod relinquitur. Erit tamen gravius peccatum Incontinentia præ Ira, quia objectum Irę repræsentatur sub aliquali honestate Justitiæ, cùm objectum Incontinentiæ nullam apparentiam honestatis habeat. Minus verò peccatum erit præ Intemperantia: eo quia Incontinens non habet tum passiones edomitas, & habet judicium rationis turbatum; non sic verò Intemperans; ut ex D. Thoma tradit Lessius *lib. 4. cap. 4. dubio 1. n. 15. & 16.* & Castrop. *de Temper. pun. 8, n. 2.*

3 2. Est humilitas, quæ Virtus ab humo nomen traxit; humilis siquidem ad ima usque ad humum se sublicit, ac deprimit. Ut hæc sit Virtus, debet propria sponte fieri, nam si quis ab alio humiliabitur juxta illud, qui se exaltat, humiliabitur; non erit Virtus humilitatis, sed pœnà superbiæ. Consurgit ergo Virtus ista, cum quis ex consideratione suorum defectuum se deprimit; & sic accepta Humilitas, quamvis varias habeat definitiones; nihilominus magis arridet ea, quam tradidit D. Bernardus *lib. de Gradibus humilitatis in principio*. Humilitas est Virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, videlicet agnoscit se vilem, ac talem reputari se vult ab aliis. Hinc est, quòd ad humilitatem concurrat Intellectus, & Voluntas, quamvis inhæreat Voluntati, quam inclinat, ut se intra mensuram sui suppositi contineat; nec per motus Spei, & desiderii ad aliquid supra mensuram feratur: & hoc est munus proprium humilitatis contradistinctum à cæteris Virtutibus, & præcipuè à Magnanimitate, cum qua immeritò à nonullis confusa fuit: nam Magnanimitas primariò respicit ad magna, & ardua impellere; secundariò retrahere ab his, quæ dignitatem suppositi excedunt. Humilitas verò è contra primario, & per se, ac tamquam functionem præcipuam sui muneris respicit retrahere animum inordinatè tendentem ad excelsa, ac eum intra mensuram suam continere; secundariò impellere ad ardua, hoc est, acquiescere iis, quæ vilitati propriæ congruunt reluctante natura tendente ad excelsa, ut patet in Apostolis, & aliis Sanctis, qui stupenda aggressi sunt, & perfecerunt Deo adiuvante. Quapropter summè humilis erit summè magnanimus; nec objectum humilitatis erit vile, & probrosum adeoque inappetibile, ut hæretici somniarunt; sed honestum & honore, ac laude dignum, & per se expetendum, ut patet.

4 Quòd autem Intellectus, & Voluntas concurrant ad humilitatem, quæ postea sistit, & inhæret in Voluntate, & est ejus Virtus, & bonus habitus; constat ex eo, quia fundamentum, & initium humilitatis est notitia, & cognitio sui, idest suarum imperfectionum, & defectuum; ad quam notitiam habendam requiritur, ut quis se constituat coram Deo, & Angelis considerans conditionem suam, qualis sit animo, & corpore, quàm videlicet ignorans, ad malum pronus, infirmus, & lentus ad bonum, firmus, & addictus inanibus, & infimis, inconstans, & instabilis in magnis revera, & sublimibus, peccatis obnoxius, miseriis subjectus, Deo ingratus, ex se nihil boni posse, nihil habere, nihil esse, & sua omnia à Divina Bonitate pendere, ac sine ejus influxu in nihilum ruere. Quæ quidem notitia, & cognitio, ut perfecta sit, requirit etiam cognitionem Dei, ex qua sequitur Charitas; sicuti ad cognitionem sui sequitur humilitas; & inde fit, quòd humilitas, & Charitas conjunctissimæ virtutes sint: quapropter jure merito exclamabat Divus Augustinus celebri illo dicto: *Noverim te, noverim me; ut amen te, & contemnam me*.

5 Posita per Intellectum hac notitia, & cognitione sui coram Deo, excitantur in Voluntate multi motus, & effectus, qui functiones sunt, & actus humilitatis: negari siquidem nequit, quòd si quis ad illud lumen Veritatis constitutus se ipsum, & sine dissimulatione inspiciat, & sine palpitatione dijudicet, ut ait D. Bernardus *Serm. 42. in Cantic.* non statim erumpat in humilitatis actus per Voluntatem. 1. vilipendendo, & contemnendo se ipsum quoad ea, quæ ex se ipso habet. 2. reputando se indignum Donis Dei, & ad omnia ineptum ex se ipso. 3. non cupiendo magni fieri, laudari, & honorari ab aliis: cùm hæc sibi non congruant, sed soli Deo, cui honor, & Gloria. 4. desiderando, quantum in ipso est, ut ab aliis judicetur, & æstimetur, ut vilis, ac ab eis contemnatur, talem enim se reputat coram Deo, & in ejus oculis. 5. dolendo, dum se videt magni fieri, & honorari ab aliis; nec admittendo, aut attrahendo in animum honorem illum, & æstimationem, sed ad Deum referendo. 6. censendo se omnibus deteriorem, & viliorem, si se conferat cum illis. 7. subjiciendo se Deo, ut mancipium suo Domino, opus suo factori, ut pro suo beneplacito in omnibus disponat. 8. subjiciendo se hominibus propter Deum, ac sinendo se gubernari ab illis. 9. denique in externis rebus, & functionibus, quantum in se est, amplectendo semper illud, quod abjectius, & minus honorificum est; humilitas siquidem est Virtus inclinans ad profitendam propriam vilitatem signis, vel factis; signis sive internis, sive externis, locutione, corporali submissione, genuflexione, humi prostratione, factis humilibus, obsequiis, humili loco, humili sodalitio. Hi sunt actus, qui procedunt à Voluntate humili.

Vitia humilitati opposita per excessum sunt Superbia, 6
& ejus species, de quibus satis agemus quæstione insequenti, cùm de Peccatis Capitalibus; per defectum verò nimia, & inordinata sui Abjectio, qua quis se deiicit ad ima, plusquam congruat ejus Statui, Conditioni, & Officio. Licèt enim humilitas inclinet ad sui abjectionem, nihilominus cùm sit Virtus prudens, non quovis modo inclinat ad illam, sed cum circumstantiis condecentibus; itaut abjectio non redundet in injuriam Status, Conditionis, & Officii, aut talenti à Deo dati; aliàs declinabit per defectum à rectitudine humilitatis, quæ est media inter Superbiam, & inordinatam abjectionem sui. Nec confunditur cum Pusillanimitate, esto ut plurimùm sint sociæ indivisibiles, nam Pusillanimitas opponitur Magnanimitati, & consistit in nimia fuga honoris, tamquam rei nimis magnæ; Abjectio verò sui opponitur humilitati, & consistit in nimio affectu ad se dimittendum. Quale autem peccatum sit Vitium inordinatæ abjectionis colligendum erit ex qualitate injuriæ, quæ per illud fit Statui, & Conditioni; ac ex damno, quod sequitur; ut docet Lessius *lib. 4. cap. 4. dubit. 8. num. 64. in fine*.

7 3. Est Studiositas, que virtus consistit in eo, quòd temperet affectum, & studium cognoscendi juxta regulam rectę rationis. Cum enim studium sit vehemens animi applicatio ad cognoscendum aliquid, quæ applicatio fit per voluntatem, & importat duos actus, affectum videlicet sciendi, & conatum; inde est, quòd munus Virtutis studiositatis sit 1. moderari appetitum sciendi, ne plura, aut altiora scire velit, quæ non conveniant ejus conditioni, & capacitati; nec pluris scientiam faciat, quàm oporteat, præponendo videlicet illam Virtuti, & rebus necessariis ad salutem, sed eam in suo gradu amet. 2. moderari conatum animi in acquirendo scientiam, vel inutendo ea juxta regulam rectæ rationis, studendo ea ratione, qua oportet; & eo fine, quo oportet; & illis rebus, quæ oportet investigare, & scire, ac necessaria sunt, & utilia ad rectè videndum; non vero quæ nec oportet, nec expedit scire. 3. aliquando imperare, & impellere ad affectum, & conatum studii, cum studium necessarium fuerit, & natura refugit ab illo ob laborem sibi conjunctum. Et hic tertius modus est magis necessarius præ aliis, cum in hac Virtute potiùs defectus, quàm excessus committatur ut plurimùm.

Vitia Studiositati opposita duo enumerantur, Curio- 8
sitas per excessum, & Negligentia per defectum. Curiositas quamvis genericè accepta significet illam superfluam diligentiam, quam quis adhibet circa res inutiles cognoscendas, efficiendas, aut comparandas, & sic Curiosum dicere solemus illum, qui superfluam diligentiam ponit in cognoscendis rebus peregrinis, eisque comparandis in sermone, in vestibus, suppellectile, in arte sua, & similibus. Strictè verò, & propriè accepta Curiositas est superflua diligentia, studium, & amor sciendi, & cognoscendi aliquid, quod nihil attinet ad ipsum, vel quod non decet scire, vel quando, & quomodo scire non decet, ex affectu tamen solius cognitionis. Nam si ex affectu Operationis id faceret, ut sibi e. g. consuleret, aut al...

noceret, propriè Curiositas non esset. Non erit igitur Curiositas omnis inordinatus affectus sciendi, & omnis excessus in studendo; sed ille, qui tendit in scientiam per se, & est inutilis homini. Eritque per se peccatum veniale, cùm non sit magna inordinatio; poterit tamen ratione circumstantiarum fieri mortale: ut si scire quis velit, quæ sibi sub gravi sunt specialiter interdicta; quæ periculosam materiam continent, ut sunt omnia magica, quæ mediis illicitis sciri debent; quæ fine, & animo graviter nocendi aliis, aut decipiendi sciuntur; & quæ impediunt ob sui studium addiscere ea, quæ necessaria sunt ad æternam salutem. Sic Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 11. *num.* 83. & 84. & Castropalaus *de Temper. punct.* 8. *numer.* 5. Negligentia per defectum opponitur Studiositati, & consistit in voluntaria omissione addiscendi ea, quæ quis addiscere tenetur ratione sui Status, Muneris, & Officii. Erit tamen per se peccatum leve, quamvis ratione obligationis addiscendi sub gravi, grave peccatum esse possit; ut si quis non addisceret Fidei articulos, aut necessaria ad salutem; vel si Episcopus esset, Parochus, Advocatus, Medicus, & omitteret voluntariè addiscere, quæ talibus Officiis necessaria sunt: ut docet Navarrus *in Summ. cap.* 23. *numer.* 24. Layman *lib.* 3. *sess.* 4. *numer.* 24. Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 11. *num.* 85. & Castropalaus *de Temperan. pun.* 8. *n.* 5.

9 4. Est Mansuetudo, quæ Virtus tota est in moderanda ira, itaut oblatis occasionibus ad iram irritantibus appetitus inferior rationi subjiciatur, & non prorumpat in iræ motus plusquam par sit, sed justum modum in ipsis teneat. Quapropter Virtus ista Mansuetudinis veluti duplex munus exercet. 1. ut ira comprimatur, quando omnino irascendum non est. 2. ut irascendum sit quando, quantum, & quam ob causam, & quomodo irascendum erit, & cui irascendum. Ira siquidem est passio animi indifferens, & qua homo bene, vel malè uti potest; sed quia difficile est, eam intra limites continere; ideo necessaria est Virtus Mansuetudinis ad præscribendum illi modum, itaut suscitetur, quando opus fuerit; sin minus quiescat.

10 Vitia mansuetudini opposita duo sunt. Iracundia per excessum, Lentitudo per defectum. De Iracundia, seu Ira Vitiosa, & culpabili satis dicemus, quid ea sit, quibus modis contingere potest, & quale peccatum sit, cùm de Peccatis Capitalibus. Lentitudo aliàs dicta Stupor, Inirascentia, seu Vacuitas iræ, tunc habetur, quando quis ita redditur insensibilis mali injuriarum, ut non excitetur ad iram juxta rectam rationem, quando oportet. Quod quidem vitium inditium est stoliditatis, ut habet Aristoteles, eo quia qui eo laborat, nec sensum mali habet, nec injuriam apprehendit, si à natura proveniat; secus verò si lentitudo proveniret à consideratione superioris Virtutis. Quamvis Lentitudo per se vitiosa non sit, potest tamen esse talis, ac culpabilis ex occasione omittendi debitum ex Justitia, vel Charitate: ut si quis teneretur ex Officio, vel Charitate monere, corripere, castigare, retundere contumaces, occurrere malis, & omitteret præstare ea; utique peccaret, sed peccatum istud non est distinctum à malitia gravi vel levi ipsius omissionis officii debiti: ut docet, & bene Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 4. *num.* 35. *in fine*.

11 5. Est Clementia, quæ licèt sit affinis Mansuetudini; ab ea tamen distinguitur ratione objecti formalis, & materialis: nam Mansuetudo versatur circa iram, eique modum imponit juxta rectam rationem; Clementia verò versatur circa punitiones externas, quas habet minuere, & mitigare, quantum patitur Justitiæ rectitudo. Et hæc Virtus propria est Superiorum, maximè Principum; mansuetudo verò Superiorum, & inferiorum. Clementia igitur est Moderatio aliquid ex debita pœna remittens: quapropter tria ad hanc Virtutem exercendam requiruntur. 1. potestas puniendi, & exercendi justitiam vindicativam eo tempore, & modo, quo ratio præscribit, & culpa exigit. 2. ut mitior pœna irrogetur retenta justitiæ vindicativæ lege: est etenim Clementia gratia quædam, sed non perfecta condonatio, cùm sit distincta à venia. 3. ut mitigatio, & moderatio pœnæ proveniat ex animo favendi proximo; nam si ex alio motivo proveniret, non esset Virtus Clementiæ, de qua agimus, & quæ operatur ex animo leni, & compassivo malorum proximi.

12 Vitia Clementiæ opposita duo sunt, Crudelitas videlicet per excessum; & nimia Lenitas per defectum. Consistit Crudelitas in appetitu infligendi majorem pœnam delinquenti, quàm mereatur, proveniente ex animo crudo, & austero. Sicuti enim Clementia ex benignitate animi minuit pœnam, quantum Justitia patitur; sic Crudelitas ex cruditate animi pœnam exaggerat supra id, quod Justitia exposcit. Huic Vitio affinis est Feritas, & Sævitia, quæ etiam malum, & pœnam proximo exaggerat, sed ob delectationem, & commodum ipsius inferentis; adeoque à Crudelitate differt; non enim infert excessum pœnæ ob puniendum delictum, & Crudelitas; sed ob puram delectationem, & commodum inferentis: quamvis majus peccatum Feritas, & Sævitia erit præ Crudelitate, quæ speciem Justitiæ præsefert. Utraque tamen grave peccatum erit contra Justitiam, & Charitatem proximi: sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 159. *art.* 2. Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 5. *num.* 42. Layman *lib.* 3. *Summ. sect.* 4. *numer.* 22. & Castropalaus *de Temperan. punct.* 8. *num.* 7. *in fin.* Nimia Lenitas, quæ à Virtute Clementiæ deficit; consistit in nimia compassione ex animo leni proveniente, qua pœna vel mitigatur, vel omnino remittitur citra id, quod emendatio delinquentis, & bonum Reipublicæ exigebat. Quod quidem vitium non minus pernicioſum est Reipublicæ, & bono communi præ ipsa Crudelitate, & fortè graviora damna ex ea sequuntur, quàm à Crudelitate, cùm detur ansa perditis viris delicta magis enormia patrandi. Erit tamen peccatum grave, vel leve juxta damnum, quod ex omissione debitæ punitionis sequitur.

6. Est Modestia, quæ Virtus sic dicta est, quia modum, 13
& limites præscribit motibus, & gestibus corporis, prout Statui, ingenio, Officio, & conditioni personæ conveniunt. Virtus siquidem ista jam temperatos habens motus internos animi eos ordinat ad modificandum externos motus, & gestus corporis, & ad continendos eos intra mensuram sibi congruentem. Munus ergo ipsius erit versari circa exteriores motus, & gestus corporis hominis, sessionem, stationem, incessum, motus capitis, contradictionem, vel explicationem membrorum, vocem, risum, & aspectum; ut eis formam suam tribuat, congruentiam videlicet ad personam, tum ad alios, ad locum, tempus, & negotia; ut semper decorum servetur, quantum congruit naturæ rationali in eo, in quo est. Et adnotandum, quòd si ex alio fine in his modestia servetur, materialiter exercebitur, non verò ex Virtute ista.

Vitia Modestiæ opposita duo sunt, Immodestia per ex- 14
cessum, & Rusticitas, seu Ruditas morum per defectum. Immodestia consistit in usu immoderato gestuum, & motuum corporis humani supra id, quod conditio, & Status personæ exigat juxta rectam rationem. Hoc autem vitium multipliciter evenire potest. 1. si gestus, & motus externi corporis excedant communem usum instando, sedendo, ambulando, loquendo; & vulgò dici solet Petulantia, seu Insolentia. 2. si in motibus externis, & gestibus statum tibi convenientem non demonstres, ut si Sacerdos more laicorum se gereret; vel religiosus motus proprios, ac gestus aulicorum affectaret. 3. si ficto animo fierent, ita ut gestus externi, & motus corporis non cohæreant iis, quæ in animo sunt; & hoc Vitium dicitur Hypocrisis, Rusticitas, & Ruditas morum, quæ per defectum Modestiæ opponitur; & consistit in modo procedendi quoad motus, & gestus corporis impolito, & incivili, ac rudi. Hæc vitia per se venialia sunt, nisi ex accidente gravis scandali, aut offensionis mortalia fierent; ut docent Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 12. *num.* 92. & Castropalaus *de Temperan. punct.* 8. *num.* 8.

7. Est Parcitas, seu Modestia Cultus. Virtus ista pars 15
est Modestiæ, cùm non solùm Modestia moderetur, & temperet juxta decentiam proprii status, & conditionis externos, motus & gestus corporis, sed etiam cultum, & ornatum ipsius corporis juxta consuetudinem patriæ, & conditionem propriæ personæ. Versatur ergo Parcitas circa moderationem nostrarum actionum in cultu, & ornatu corporis, ac omni apparatu externo Domus, Supellectilis, Conviviorum; & facit, ut ex affectu honestatis fiant cum congruentia ad statum personæ, ad consuetudinem patriam, tempus, locum, negotium, & ad alias circumstantias. Quapropter rectè definiri poterit Parcitas, seu Modestia cultus: est Virtus decorum servans in cultu corporis, & alio apparatu rerum externarum.

Vitia huic Virtuti opposita duo sunt, Cultus in- 16
ordinatus, seu Luxus per excessum, & Cultus incomptus per defectum. Cultus inordinatus potest esse talis ratione materiæ, ut si excessus in vestibus,

con-

conviviis, ſuppellectile talis ſit, ut non congruat receptæ conſuetudini Virorum proborum in tali loco, nec conditioni perſonæ; vanitatem ſiquidem, & delicias redolebit. Inſuper poteſt eſſe cultus inordinatus ratione finis, ob captandam videlicet vanam gloriam penes homines, & delicias penes ſe; vel ob fovendam libidinem propriam; vel ob excitandum pravum amorem in aliis. Denique Cultus inordinatus erit ratione modi, ponendo nimium ſtudium in ornatu corporis, ut faciunt molliculi juvenes, & molliores fœminæ, plures horas inſumendo in apponendis pigmentis, in torquendis capillis vel coma appoſititia ornanda, aut applicandis ornamentis aureis, ac gemmatis ſuper nuditatem corporis, vel utendo veſtibus novam formam præſeferentibus ſupra ſtatum, aut præter receptam conſuetudinem patriam. Quæ omnia, excepto fine excitandi libidinem, qui mortale peccatum eſt penes omnes Doctores; ex genere ſuo peccata venialia ſunt, niſi per accidens ex adjuncta circumſtantia extrinſeca mortalia evadant. Sic paſſim Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. Cajetano 161. Navarro *in Sum. cap.* 23. *numer.* 18. Leſſio *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 14. *numer.* 106. Caſtropalao *de Temper. punct.* 8. *numer.* 9. Et quamvis Confeſſarii hortari debeant, & monere ſuos pœnitentes ad moderandum cultum corporis juxta conditionem ſui ſtatus; non ideo cogendi erunt ſuperfluitatem illam deponere denegando eis abſolutionem; niſi conſtet ex pravitate finis grave peccatum illi eſſe annexum. Cultus incomptus opponitur per defectum Parcitati, & provenire poteſt ratione negligentiæ; cum videlicet quis ob negligentiam condecentem cultum ſui corporis, ac rerum ſuarum præter decorum ſpernit; & tunc veniale peccatum erit, cùm non ſit notabilis declinatio à Virtute. Ratione tamen finis vanæ gloriæ captandæ quoad hypocriſim, vel alterius gravis circumſtantiæ erit grave peccatum. Sic Caſtropalaus *de Temperan. pun.* 1. *num.* 7.

17 8. Eſt Eutrapelia, quæ Virtus etiam pars Modeſtiæ eſt; moderatur ſiquidem motus externos corporis, & geſtus, qui fiunt ludi cauſa, aut joci: nam ludus propriè conſiſtit in factis, Jocus verò in verbis, quamvis paſſim ad invicem confundantur. Hoc diſcrimen eſt inter Modeſtiam, & Eutrapeliam; quod Modeſtia moderatur juxta decorum, & rectam rationem externos corporis motus, & geſtus ſeriò factos; Eutrapelia verò moderatur juxta decorum, & rectam rationem eos motus, & geſtus ludi, vel joci cauſa factos. Adeoque definiri poterit Eutrapelia: Virtus modum imponens ludis, & jocis juxta rationem, & congruentiam ad Statum, & conditionem perſonæ; facit enim ne vltra id, quod expoſcit honeſtas, in relaxatione animi, & in humano convictu conſervando uſurpentur ludi, & joci.

Vitia huic Virtuti oppoſita duo ſunt, Immoderatus 18
ludus, & Jocus per exceſſum; & Inurbanitas, & Ruſticitas per defectum. Immoderatus ludus, & jocus erit 1. ſi ſit petulans, hoc eſt, cum injuria, & contumelia factus. 2. ſi ſit flagitioſus, importans blaſphemiam, aut aliud grave flagitium. 3. ſi ſit Obſcœnus, impuritatem afferens. 4. ſi ſit illiberalis, qui videlicet indignus ſit viro ingenuo, & liberali: nam ut Cicero *lib.* 1. *Officior. ait.* jocandi genus debet eſſe elegans, urbanum, ingenioſum, facetum; non verò illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. 5. erit immoderatus, ſi nimia cupiditate fiat; dedecet ſiquidem homines nimium in ludicra profuſos eſſe; quapropter idem Cicero ait: Ludo, & joco uti quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quiete; tum cùm gravibus, ſeriisque rebus ſatisfecerimus. 6. immoderatus erit, ſi in rebus ex ſe ſerietatem expoſcentibus immiſceatur; ut ſunt res Sacræ, Conciones, Exhortationes, aut tractationes negotiorum magni momenti. Idem eſſet, ſi verbis Sacris excitarentur joci, & facetiæ. Erit hoc vitium ex ſe veniale peccatum, ratione tamen circumſtantiarum perſonæ, loci, temporis, finis evadere poterit grave peccatum. Inurbanitas, & Ruſticitas per defectum oppoſitæ Eutrapeliæ evenire poteſt 1. cùm quis eget animi remiſſione, & relaxatione, & præ auſteritate animi nolit eam admittere, ut faciunt nimium tetrici. 2. ſi nimiùm aliis moleſtus ſit ſua injucunditate, non cooperando aliorum recreationi in circumſtantiis, in quibus ipſa expediat; aut impediendo illam. Quod quidem vitium eſt minus peccatum, quod per exceſſum committitur, & eſt ex genere ſuo veniale, quamvis ex accidente mortale evadere poſſit. Sic Leſſius *lib.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 13. *num.* 99.

QUÆSTIO XII.

DE PECCATIS.

POST abſolutam tractationem de Virtutibus remanet pertractandum de Peccatis, ut finis imponatur huic primæ Parti. Ut autem ritè procedamus, nonnulla priùs attingemus de Voluntario, & Libero, quæ ad peccatum requiruntur; dein ad eſſentiam, Multiplicitatem, Gravitatem, aut Levitatem, nec non Diſtinctionem Peccatorum gradum faciemus.

CAPUT PRIMUM.

De Voluntario, & Libero.

1 *Definitur Voluntarium.*
2 *Quid addat Liberum Voluntario?*
3 *Voluntarium aliud directè tale, & in ſe; aliud indirectè, & in cauſa.*
4 *Datur etiam Voluntarium Expreſſum, & Interpretativum.*
5 *Quomodo Voluntas cùm non ſit, permanere cenſeatur?*
6 *Quomodo imputari poſſit ad culpam effectus, qui ex actione voluntaria emanat, ſed actu vitari nequit?*

1 VOLUNTARIUM communiter definitur: eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio. Sic Ariſtoteles 3. *Ethic. cap.* 1. & ex eo D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. quos ſequuntur Theologi, & Philoſophi. Hinc eſt, voluntarias eſſe ſaltem imperfectè brutis animantibus actiones illas, quibus convenientiam, aut diſconvenientiam cibi, & aliarum rerum cognoſcunt, & poſtea moventur ad illas amplectendas, uti utiles; vel fugiendas, uti nocivas: proſecutio namque illa, vel fuga dicitur ipſis voluntaria; quia fit ab ipſis, & à principio ipſis intrinſeco media cognitione convenientiæ, aut diſconvenientiæ. Adeoque ad amorem, odium, fugam, proſecutionem, gaudium, triſtitiam de aliquo objecto neceſſario requiritur cognitio; ſunt etenim actiones voluntariæ, & à principio cognoſcente provenientes. Nutricio verò, reſpiratio, & ſimiles voluntariæ non ſunt, cum non ſint media cognitione.

Liberum ſuperaddit voluntario, quod reddit po- 2
tentiam expeditam ad agendum, & non agendum; adeoque ut principium intrinſecum media cognitione operans liberum ſit; neceſſario requiritur, ut taliter in objectum cognitum ferri queat, ut poſſit non ferri. Sic voluntas, ut libera ſit, ita ferri debet in objectum cognitum, ut poſſit non ferri in illud. Hinc eſt, omne liberum ſemper eſſe voluntarium, cùm ſemper ſit à principio intrinſeco cognoſcente, & ita potente operari, ut poſſit ab operatione ceſſare. Non tamen omne voluntarium eſſe ſemper liberum, cum non omnes actiones tum voluntatis, tum appetitus ſubdantur nobis, itaut ſic

illas efficiamus, ut possimus cessare ab illis. Non nego, quod rectè asserunt Divus Augustinus *de Liber. Arbitr. cap.* 18. & Divus Bernardus *in Libell. de liber. arbitr.* pro eodem aliquando usurpari Voluntarium, & Liberum; & sic loquuntur passim Doctores, cum de Actionibus humanis sermo est.

3 Voluntarium aliud est directè tale, & in se; aliud indirecte, & in causa, Directè voluntarium, & in se dicitur illud objectum, quod immediatè à voluntate amatur, vel odio habetur: ut si quis vellet se inebriare, ebrietas illa utique esset directè, & in se voluntaria, ei qui se inebriare vellet. Indirectè voluntarium, & in causa illud dicitur, quod appetitur in objecto immediatè voluntario: ut si quis ebrietatem appeteret, & vellet, ut ex ea sequatur homicidium; tunc homicidium subsequens ebrietatem dicitur indirectè, & in causa voluntarium, quia appetitur in ebrietate immediatè volita. Adnotandum tamen 1. quòd ad hoc ut aliquod dicatur voluntarium indirectè, & in causa, debet cognosci, quòd sit effectus sequens ex objecto immediatè volito, aliàs etiamsi sequeretur, non deberet dici, nec esset voluntarium; sic inebrians se, ut ex ebrietate homicidium sequatur, debet cognoscere, & scire, quod ex ebrietate hic, & nunc sequatur homicidium; aliàs si non cognosceret, nec sciret sequi debere homicidium, etiamsi sequeretur, non esset indirectè voluntarium, & in causa. Adnotandum 2. necessariò requiri ad indirectè voluntarium, ut objectum directè, & immediatè, ac per se voluntarium sit causa physica, vel moralis objecti indirectè, ac in causa voluntarii: nam si nec causa physica, nec moralis esset illius, non posset dici indirectè, & in causa voluntarium id, quod sequitur: sic in casu nostro nisi ebrietas esset causa physica, vel moralis homicidii, non posset homicidium sequens ad illam liberè volitam dici indirectè, ac in causa voluntarium. Adnotandum 3. quando effectus sequitur ex omissione aliqua liberè volita, non dicendus est liberè volitus, ac voluntarius omittenti, nisi omissio ei prohibeatur à Lege, vel præcepto aliquo, & quod effectus prævideatur sequens ex ipsa omissione; insuper quòd omittens possit impedire effectum illum ex omissione sequentem: sic ut aliquis dicatur intendens, & volens mortem Petri ruentis ab alto, eo quia omittit ei præbere auxilium, quod lex Charitatis præcipit præbendum proximo indigenti, requiritur, quòd prævideat sequi debere ex omissione auxilii mortem Petri, & quòd possit auxilium illud præbere, quod omittit Charitate præcipiente: sic Vasquez, Valentia, Sà, Cajetanus, Lorca, Medina, Zumel, Sancius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disp.* 1. *pun.* 1. *num.* 2.

4 Ultra voluntarium directum, & indirectum datur Voluntarium expressum, & Interpretativum. Expressum illud dicitur, quod expressè provenit à voluntate liberè agente. Interpretativum verò, seu juris fictione, & interpretatione illud dicitur, quod evenit per fictionem, & interpretationes Juris: Jus siquidem fingit expressum voluntatis consensum, etiamsi revera voluntas non consentiat: sic dum actus efficitur in præsentia alicujus, ad quem spectat, & hic taceat, nec impediat, cùm impedire possit; censetur à Jure consentire, etiamsi fortè non consentiat; ut constat *ex Regulis Juris in 6. Qui tacet. & ex Leg. Qui tacet, ff. de Reg. Jur.*

5 Sed inquirendum hic 1. occurrit, quomodo voluntas, cùm non sit, permanere censeatur? Resp. censeri posse remanere 1. si remaneat in virtute, si scilicet remaneat in aliquo effectu ab ipsa voluntate producto, ex quo excitetur agens ad operandum. Sic Sacerdos Missam celebraturus Ecclesiam petit, sacris se vestibus induit, pergit ad altare, missam incipit; tempore tamen Consecrationis distractus reperitur, & consecrat, dicitur revera consecrare ex voluntate permanente in Virtute: nam prior illa voluntas consecrandi perseverat in illo effectu à Sacerdote producto petendi Ecclesiam; vestiendi se sacris vestibus, pergendi ad altare; & missam ibi incipere; ex qua incæptione sequuntur reliqua ad Missam; sic communiter Doctores. 2. censeri potest remanere ex eo, quòd retractata non fuerit, & Voluntas absoluta fuerit; non verò restricta ad determinatas personas, aut determinatum tempus, sine quibus perseverare non potest, etiamsi retractata non fuerit. Verùm hæc permanentia voluntatis absolutæ per non retractationem non approbatur ab omnibus; & meritò; aliàs infidelis referens omnia opera ad idolum, quod ut Deum veneratur; semper peccaret, etiamsi opera bona, & honesta, aut indifferentia efficeret, quod non est dicendum. Quapropter rectiùs distinguendum puto: si opera sint talia, ut in sola receptione consistant; sufficit, ad hoc ut voluntas permanere censeatur, quòd non fuerit retractata, etiamsi actu non sit, nec in se, nec in aliquo effectu producto: in recipiente siquidem sufficiens est consensus interpretativus, qui habetur per hoc, quòd voluntatem habuerit recipiendi, & eam non retractaverit. Sic habens voluntatem suscipiendi baptismum, Confirmationem, Extremam Unctionem, & repentè destituatur sensibus, poterit utique baptizari, confirmari, ungi, juxta *Caput Majores, §. vlt. de Baptis. & Cap. Ægrotantes, Cap. Parvuli, de Consecr. dist.* 4. Secus verò si opera talia sint, ut non solùm in receptione, sed etiam in actione consistant; non sufficit, habuisse voluntatem, & eam non retractasse, ut ejus permanentia habeatur; sed de necesse requiritur aliquis effectus immediatè, aut mediatè, emanans à tali voluntate, ut censeatur voluntas permanere, & opera subsequentia efficere. Sic ex Azorio rectè docet Castropalaus *de Peccat. disp.* 1. *pun.* 2. *num.* 2. *in fine*.

6 Inquirendum 2. quomodo imputari possit ad culpam effectus ille, aut illa omissio, quæ ex aliqua actione voluntaria emanat, sed actu vitari nequit? Exemplum sit: potuit quis scire, si cras esset dies festus, adeoque urgere obligationem audiendi Sacrum; sed scire noluit: tempore crastino immemor hujus obligationis audiendi Sacrum illud omittit; inquiritur, quomodo imputabilis illi est ad culpam omissio illa Sacri. Idem est de se inebriante, sciente in ebrietate occidere, blasphemare, se polluere; quomodo nam actiones istæ imputabiles illi sunt ad culpam? Resp. præmittendo 1. tales effectus, & omissiones ex actionibus voluntariis emanantes imputabiles esse ad pœnas juris ipsis annexas, & ad reparationem damnorum inde provenientium, ut habent communiter Doctores: nam pœnæ illæ imponuntur non tam propter affectum voluntatis, quàm propter effectum à prava voluntate provenientem. Excipiuntur actiones illæ peccaminosæ, quæ requirunt necessariò actualem libertatem, quales sunt hæresis, juramentum, blasphemia, contumeliæ, quæ in ebrietate facta cum non sint formaliter talia, inde est, quod ea proferentes in ebrietate nequeant ligari pœnis illis à jure annexis: ut ex Vasquez, Suarez, Sanchez, & Sancio docet Castropalaus *de Peccat. disputat.* 1. *punct.* 3. *numer.* 2. *in fine*. Præmittendo 2. non addere gravitatem, vel malitiam causæ priùs appositæ hoc, quod est, eventum illum contingere eo tempore, quo impediri nequit: cum enim nulla denuo addatur libertas, quæ fundamentum est bonitatis, & malitiæ, inde est, quòd nulla addi possit malitia: ut habent, Salas, Suarez, Vasquez, quos refert, & sequitur citat. Castropalaus *numer.* 3. Præmittendo 3. si per pœnitentiam retractetur prior illa voluntas, ex qua effectus sequitur inimpedibilis actu; non erit effectus ille imputabilis ad culpam: ratio est, quia causa apposita non est ampliùs voluntaria per retractationem factam; ergo effectus sequens etiamsi oriatur ab illa, non oritur tamen tamquam à causa voluntaria, adeoque nequibit esse voluntarius, & imputabilis ad culpam. Sic si quis mandatum daret suo Procuratori contrahendi matrimonium cum Berta longè existente, dum autem iter agit Procurator pœnitet matrimonii, & voluntatem contrahendi illud retractat; quamvis mandati revocationem Procuratori intimare nequeat, & hic virtute prioris mandati accepti matrimonium contrahat; utique contractus ille, quamvis à causa voluntaria ortum haberet; non esset tamen voluntarius mandanti; constat ergo causam revocari posse in ratione voluntarii; esto effectus eodem modo sequatur naturaliter, ac si voluntas revocata non fuisset. Sic Sanchez plures referens *lib. 9. de Matrim. disputat.* 45. *numer.* 29. Azor. *lib.* 1. *cap.* 7. *quæst. unic.* Salas 1. 2. *tract.* 13. *disputat.* 2. *sect.* 9. *num.* 116. Villalobos *tract.* 3. *diff.* 6. *numer.* 4. *concl.* 3. His præmissis

Dicendum: Effectus, vel omissiones ortas ex causa voluntarie apposita, non revocata, nec retractata; etiamsi impediri non possint tunc; imputabiles esse ad peccatum: ratio est, quia ad sic peccandum

non

non requiritur actu libertas, sed sufficit, quòd sit in virtute, in qua moraliter censetur existens; ergo si causa apposita perdurat in sua Virtute, eique suam malitiam transfundit, effectus, aut omissiones inde provenientes imputabiles erunt ad culpam non in se, sed in causa, & per malitiam ab ipsa provenientem. Confirmatur, sicuti sufficit ad consecrandum, ministranda Sacramenta; satisfaciendum Divino Officio intentio virtualis, nec necessaria est actualis intentio, sed sat est, quòd sit, & perduret in Virtute: sic apponens voluntariè causam, nec eam retractans, ex qua sciebat oriri malum effectum, etiamsi quando oritur impedibilis sit, nec causa existat, nisi in virtute; effectus dicetur peccaminosus, non in se, sed per malitiam à sua causa derivatam media virtute. Nec obstat dicere in oppositum, peccatum tunc impediri non posse, & actum exteriorem habere malitiam indistinctam ab actu interiori; eo quia cum sit impediri potest; ergo videtur de ratione peccati posse impediri, quod in casu nostro non habetur. Contra enim est, licèt enim peccatum tunc impediri non possit, nihilominus impediri poterat: ad hoc enim ut aliquid imputetur ad peccatum alicui; sufficit, quòd hic potuisset impedire, & non impedivit: nec actus exterior dicitur peccaminosus, quia cum sit impediri possit; sed quia ortum habet à causa in se voluntaria. Sic Glossa *in Cap. Quia verò dist. 6.* Salas 1. 2. *tract. 13. disp. 2. sect. 9. num.* 109. alios referens, Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp.* 45. *num.* 28. Castropalaus *de Peccat. disp. 1. pun. 4. num. 6.* referens Valentiam, Sotum, Medinam, Henriquez, & Villalobos. Non nego tamen suam probabilitatem oppositæ sententiæ, eam siquidem docent Vasquez, Covarruvias, Sayrus, Azor. & alii.

CAPUT II.

An Voluntas possit pati vim in se, & suis potentiis? Et quænam possint voluntarium auferre?

1 *Voluntas in sua nativa inclinatione vim pati nequit; secus verò secundum appetitum Elicitum.*
2 *An Ira, Concupiscentia, aut alia passio auferat voluntarium, aut saltem minuat?*
3 *An metus voluntarium auferat, aut saltem minuat?*
4 *An metus mortis, vel alterius gravis damni excuset à transgressione Præceptorum?*
5 *Non excusat in iis, quæ intrinsecè mala sunt.*
6 *An homicidium innocentis sit aliquando cohonestabile?*
7 *An comestio carnium hominum interfectorum licita esse possit?*
8 *Metus mortis excusat ab observatione præceptorum Divinorum positivorum, respicientium utilitatem specialem operantis, non verò bonum commune.*
9 *Metus mortis excusat ab observatione Legum humanarum Ecclesiasticarum, & Civilium; dummodo non respiciat bonum Religionis, aut bonum commune.*
10 *Diluitur Obiectio ex Cap. Sacris, de his, quæ vi, & metu.*
11 *Quomodo dignoscendum, quando Lex humana obliget cum periculo vitæ?*
12 *Quid dicendum de alio gravi damno extra periculum vitæ?*
13 *An vis voluntarium auferat?*
14 *An Ignorantia voluntarium auferat?*
15 *Sola Ignorantia Invincibilis, antecedens, justa, & probabilis aufert voluntarium.*
16 *Quænam requirantur ad Ignorantiam Vincibilem, & quænam ad Invincibilem?*
17 *Suborto dubio de obligatione aliqua nequit Ignorantia dici Invincibilis, nisi adhibita diligentia investigandi veritatem.*
18 *Quarum rerum dari possit Invincibilis Ignorantia?*
19 *An Ignorantia Vincibilis minuat culpam?*
20 *An Ignorantia Vincibilis, quæ non sit affectata, vel crassa, ita culpam minuere possit, ut ex mortali venialem reddat?*
21 *An peccatum ex ignorantia vincibili commissum sit ejusdem speciei cum eo, quod ex scientia procedit?*
22 *An ipsamet Ignorantia vincibilis peccatum sit?*
23 *Ad quam speciem peccati reduci potest Ignorantia Vincibilis?*

VOLUNTAS dupliciter considerari potest, quoad videlicet nativam suam inclinationem, & quoad suum appetitum elicitum. Si in sua nativa inclinatione consideretur, nullam pati potest vim in suis actionibus. Vis enim ex Aristotele *3. Ethic. cap. 2.* est à principio extrinseco passo non conferente vim; cum ergo voluntas conferat vim consentiendo, aut dissentiendo, elicit siquidem actum illum; inde est, quòd non inferatur ei vis in tali actu. Quod etiam verificaretur, si supernaturaliter ei imprimeret Deus actum aliquem amoris à se factum; nec enim tunc quoad suam nativam inclinationem violentiam pateretur recipiendo illum: cum voluntas juxta suam inclinationem non magis actum amoris, quàm alium actum appetat: ut ex Vasquez, Salas, Azorio, docet Castropalaus *de Peccat. disput. 1. punct. 4. num.* 1. Si verò secundum appetitum elicitum consideretur, vim pati poterit, & in se, & in potentiis sibi subjectis: ut clarè patet, si renuente voluntate Petri alius ejus manum moveret; talis motio utique esset violenta voluntati Petri; idem dicendum in actibus elicitis, ut si Petrus nollet actum amoris sui inimici, & Deus illi infunderet talem actum; esset tunc talis actus violentus voluntati Petri quoad appetitum elicitum. Advertendum tamen 1. tamquam certum, voluntatem creatam à nullo agente creato pati posse violentiam, & coactionem, ac necessitatem, etiam si potentiæ sibi subditæ cogantur: inde est, neminem cogi posse ad peccandum, cum enim peccatum in voluntate consistat, ac in ejus consensu; sequitur, quòd nisi voluntas consenserit ex se ipsa, etiamsi facultates sibi subditæ cogantur, & necessitentur; peccatum non habebitur, ut rectè ait Divus Augustinus relatus *in Cap. de Pudicitia. 32. quæst. 5.* Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas. *Et in Cap. Ad Deum ead. caus. & quæst. Cit.* Tantum enim in mente valet integritas Castitatis, ut, illa inviolata, neque in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerunt separari. Advertendum 2. numquam præsumendam esse violentiam, nisi probetur; si enim cætera delicta numquam præsumenda sunt, nisi probentur; à fortiori delictum istud naturæ contrarium præsumendum non erit *ex Cap. Causam Matrimonii. De Offic. Delegat. & ex Leg. Merito. ff. Pro Socio.* Sic Menochius *Consil. 2. nu. 326.*, & Mascardus *verb. Violentia. concl. 1416. n. 2.* 1

Petes 1. An Ira, Concupiscentia, aut alia passio auferat voluntarium, pro libero acceptum; aut saltem minuat? Resp. regulariter loquendo has passiones non auferre voluntarium: ratio est, quia non ita mentem deturbant, ut non relinquant voluntatem in sua libertate, adeo ut passioni illi resistere nequeat. Sic Div. Thomas 1. 2. *quæst. 6. art. 7.* qui præcipuè loquens de Concupiscentia rectè ait, eam non solum non auferre voluntarium, sed potiùs magis accrescere. Minuunt tamen liberum, si antecedant voluntatem: nam præoccupant intellectum, nec sinunt eum difficultates considerare, quæ retardare possent à prosecutione objecti, & consequenter non reddere ita expeditam voluntatem ad operandum: hinc est, leviora esse peccata, quæ ex aliqua passione fiunt, quàm ea, quæ fiunt ex malitia. Sic Div. Thomas *loc. cit.* Valentia, Vasquez, Medina, Azor. Salas, Villalobos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccatis disp. 1. punct. 5. num. 2.* Si verò voluntarium accipiatur non pro libero, sed pro eo, quod emanat à principio intrinseco cum cognitione; passiones prædictæ non solùm non auferent voluntarium, aut minuent; sed potiùs accrescent: ratio est deducta ex experientia, quæ docet, efficacius appeti ea, quæ ex passione appetuntur. Sic relati Doctores. 2

Petes 2. An metus voluntarium auferat, vel saltem illud minuat? Resp. supponendo priùs: metum esse instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidationem. Sic Ulpianus *in Leg. 1. ff. de eo, quod metus causa.* Quapropter ad metum requiritur, quod malum sit instans, vel mox futurum: nam si remotum sit, etiam si grave fuerit, mentem non turbat: eo quia non apprehenditur ita efficaciter ejus eventus, ut optimè adnotat Glossa *in Cap. Ad audientiam. De his, quæ vi, & metus causa.* Suppono insuper, metum alium esse gravem, justum, probabilem, & cadentem in constantem virum, quæ omnia in idem recidunt; alium verò levem, injustum, improbabilem, & cadentem in virum inconstantem. Gravis dicitur, quia circa malum grave versatur; justus, & probabilis, quia justè, & probabiliter patiens illum operatur, & Leges eum excusant; cadens in constantem virum, quia 3

fortitudini, & constantiæ non affert nocumentum, operans siquidem per talem metum non censetur amittere fortitudinem, & constantiam; subit enim cum laude minus malum, ut majus evitet: sic qui mortem subit, ut peccatum evitet; vel subit amissionem bonorum temporalium, ut vitam conservet; fortis ac constans censeri debet. Levis dicitur, & vanus, qui circa leve malum versatur, & minimè timendum; injustus, & improbabilis, & cadens in virum inconstantem; quia nec Lex, nec ratio talem metum approbat, imò reprobat, & operantem ex illo, ut virum inconstantem habet. His suppositis

Dicendum: metum non auferre voluntarium absolutè, & simpliciter; sed secundum quid; adeoque facta ex metu provenientia esse absolutè, & simpliciter voluntaria, sed secundum quid involuntaria: ratio est, quia ea, quæ ex metu fiunt; absolutè à voluntate procedunt, & ita fiunt, ut possint non fieri: qui enim mortem subit ad peccatum vitandum, vel jacturam bonorum temporalium fortunæ, ut vitam conservet; ita subit, ut possit non subire, & eligere oppositum; ergo voluntariè subit, & liberè, absolutè, & simpliciter. Quia tamen cum tristitia, & displicentia aliqua eligitur mors, & jactura bonorum, cum incommodæ, & molestæ reputentur; inde est, quòd talis electio habeat aliquid involuntarii, & mixta cum illo censeatur secundum quid. Sic Divus Thomas 1. 2. *quæst. 6. art. 6.* quem communiter sequuntur Theologi.

4 Petes 3. an metus mortis, vel alterius gravis damni excuset à transgressione Præceptorum? Resp. adnotando 1. metum mortis, aut alterius gravis damni, quamvis à culpa non excuset, illam tamen minuere; minuit siquidem libertatem ad culpam requisitam. Sic expressè habetur *in cap. Sacris, de his, quæ vi.* Hinc tamen non infertur, ita minuere posse; ut peccatum ex mortali fiat veniale; rarò enim vel numquam ita extenuat, & minuit; sed res quoad hoc intactas relinquit; ut rectè docent Sanchez *lib. 4. de Matrim. disputat. 1. numer. 6.* Sylvester *verb. metus, quæst. 7.* Salas 1. 2. *quæst. 6. art. 6. tract. 3. disputat. 3. sect. 1. numer. 28.* Villalobos *tract. 3. diffic. 7. num. 46.* & Castropalaus *de peccatis disputat. 1. pun. 13. numer. 2.* Adnoto 2. actiones per præcepta prohibitas, alias esse ita pravas, & intrinsecè malas, ut nullatenus sint cohonestabiles etiam per Divinam Omnipotentiam; sic sunt Mendacium, Odium Dei, Idololatria, voluntaria pollutio, fornicatio. Alias esse, quæ honestatem admittere possint: sic est acceptio rei alienæ invito Domino, si concedatur à Deo facultas accipiendi illam; cohonestabitur siquidem per facultatem à Deo acceptam, qui universalis Dominus omnium est; sicuti cohonestatur si in extrema necessitate accipitur. Idem dicendum de accedente ad Mulierem, accessus siquidem cohonestari poterit, si mulier facta sit propria per matrimonium. Alias denique esse, quæ ex se nec honestatem habent, nec inhonestatem, sed illam accipiunt ex præcepto Divino, aut Ecclesiastico: sic sunt consecratio sub utraque specie, mixtio aquæ in consecratione calicis, integritas confessionis, ritus communis celebrandi Sacrificium Missæ, & similia. His adnotatis

5 Dicendum 1. metum mortis, aut alterius gravis damni non excusare à transgressione præceptorum in eis, quæ intrinsecè mala sunt, & quæ nulla ratione cohonestari possunt: eo quia si actio ex suis intrinsecis mala est, & metus non tollit libertatem; nec malitiam actionis tollere poterit. Sic expressè deciditur *in Cap. Sacris. citato illis verbis: Ob nullum metum peccatum fieri debet.* Hinc est, numquam licitum esse ob quemcumque metum mortis, aut alterius gravis damni mentiri, adulterari, fornicari, se voluntariè polluere, homicidium directè facere: sunt etenim omnes actiones istæ intrinsecè malæ, ac incohonestabiles. Sic passim Doctores.

6 Controvertitur tamen 1. an homicidium innocentis sit aliquando cohonestabile: ut si Tyrannus præciperet alicui occisionem innocentis, & mortem ei minitaretur, nisi occideret. Et quamvis non defuere, qui dixerint, id licitum in tali casu fore, nihilominus vera, & catholica sententia est, ob nullum metum fore licitum directè innocentem privare vita; tum quia *Exod. 23.* expressè dicitur: Insontem, & Innocentem non occides, quia aversor impium. Dixi directè; quia indirectè, & per accidens poterit esse licita innocentis occisio: ut si quis hostes fugiens, nec aliam viam haberet fugiendi, nisi eam, ubi innocens jaceret: illumque conculcaret ob defendendam propriam vitam; utique licitum esset fugienti fugam prosequi, & innocentem conculcare ob defensionem propriæ vitæ; in quo casu directè intenderet conservationem propriæ vitæ, & indirectè mortem innocentis, quæ per accidens se haberet tum ad intentionem, tum ad fugam. Idem dicendum si Respublica ob bonum commune vitam innocentis exponeret Tyranno illum expetenti; non enim directè innocentem occideret, quod numquam cohonestari posset; sed bonum commune directè intenderet, ad quod sive ex pietate, sive ex justitia legali obligationem habet se tradendi ipse innocens, cujus vitæ periculum indirectè à Republica intenditur. Vide Lessium *lib. 2. de Just. cap. 9. dubit. 6. numer. 59. & dubit. 7. numer. 37.*

Controvertitur 2. an comestio carnium hominum aliàs interfectorum licita esse possit ob probabile periculum imminens amittendi vitam, nisi comedat? an verò ita intrinsecè mala sit talis comestio, ut numquam cohonestari possit? Pro qua controversia certum est, non licere ad hunc finem hominem occidere, cum intrinsecè malum sit homicidium, nisi fiat ad repellendam vim cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut à facultate publica juxta ea, quæ dicemus cum de Homicidio. Supposito tamen quòd aliunde mortuus fuerit homo; quamvis docuerint Valentia, Azor. & alii penes Bonacinam *de Peccat. disp. 2. quæst. 8. punct. 2. numer. 13.* ita intrinsecè malum esse, ejus carnes comedere, ut neque ex metu mortis cohonestari possit: moti ex eo, quòd natura à tali comestione abhorreat, & solùm barbaræ Nationes brutis ipsis feriores illa utantur. Nihilominus probabilior sententia docet: non esse adeo intrinsecè malam, ut ex gravissima necessitate honestari non possit: qualis esset eas comedere per modum medicinæ, aut si ex defectu aliorum ciborum eas comederet quis in sustentationem propriæ vitæ, vel eas comederet, si Tyrannus sub comminatione mortis præciperet comedere; dummodo tamen pravum finem Tyrannus non haberet, vel contra Religionem Catholicam, vel contra Legem Sanctam; esset enim tunc comestio intrinsecè mala, quia esset approbatio falsæ Legis Tyranni. Quapropter jure merito noluerunt Machabæi compellente Rege Anthioco carnem porcinam comedere, quia in odium Legis Sanctæ imperabatur talis comestio, ut patet *ex 2. Machab. cap. 6. & 7.* Sic etiam dicendum de comestione idolothytorum, seu carnium idolis oblatarum. Sic Lessius *lib. 4. cap. 3. dubit. 2. num. 10. 11. & 12.* Navarrus *in Summ. cap. 23 num. 122.* Sà *verb. comedere num. 1.* Sanchez *lib. 1. Dec. cap. 18. num. 12.* Vasquez 1. 2. *disp. 162. cap. 5.* Victoria *Relect. de Temperan. num. 6.* Bonacina *l. c. &* Castropalaus *de Peccatis disp. 1. pun. 13. num. 5. & 6.* referens Cajetanum, Toletum, & alios: ratio est, quia tota malitia hujus comestionis sita est in indecentia, & horrore, quæ quidem superantur ab horrore mortis imminentis, nisi comedat; & sicuti indecentia non obstat, quo minus caro humana in medicinam sumatur; sic nec obstare debet, si sumatur in medicinam, & sublevamen urgentis necessitatis, sive pura fuerit, sive condita aliis rebus. Adnotandum tamen, non teneri ad vitam tuendam vesci carnibus humanis, quamvis possit, ut diximus; nam cum medium ad vitam tuendam sit adeo indecens, & horribile, inde est, quòd non possit inducere obligationem ad assumendum illud, ut comprobant Lessius *l. c. num. 12.* Castropalaus *l. c. num. 6.* & Bonacina *l. c. numer. 15.* referens Sanchez, & Suarez.

Dicendum 2. metum mortis excusare ab observantia præceptorum Divinorum positivorum, respicientium tamen utilitatem propriam, & specialem operantis: non verò bonum commune. Et quidem excusare ab observantia prædictorum præceptorum, si utilitatem propriam respiciant operantis, patet hoc in integritate materiali confessionis; & in ea præmittenda ante Eucharistiæ sumptionem, quæ licèt sit ex Jure Divino; non tamen ita rigorosè obligat cum periculo vitæ: Lex namque Divina in his casibus non obligat cum tanto rigore. Sic Henriquez, Vasquez, Sanchez, Suarez, Becanus, Naldus, Aragonius, Sà, Azor. Sayrus, Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de pecc. disp. 2. quæst. 8. pun. 2. n. 3. in fin.* & Castropalaus *de pecc. disp. 1. pun. 13. n. 7.* Non excusare tamen

tamen ab obſervantia præceptorum Divinorum reſpicientium bonum commune, ut patet in ſigillo confeſſionis; in conſecratione ſub duplici ſpecie, & in conſumptione ejuſdem; in confectione ſacramentorum ritè, hoc eſt, quod Euchariſtia conficiatur in pane triticeo, & calix conſecretur cum vino de vite; quòd abſolutio Sacramentalis impertiatur ritè diſpoſito, & cum debita juriſdictione; quòd extrema Unctio nullatenus miniſtretur ſano, ſed infirmo, & ſimilia. Hæc enim omnia reſpiciunt bonum commune religionis, cui poſtponi debet quodlibet privatum damnum perſonæ particularis; quapropter potiùs ſubeunda eſt mors, quàm hæc præcepta Divina violare. Sic ex Suarez & Sanchez docet Caſtropalaus *t. c. num. 7. verſic. Exempla poſterioris*, Salas *tract. 3. diſp. 3. ſect. 1. num. 35. & 36.*

9 Dicendum 3. metum mortis, aut alterius gravis damni excuſare ab obſervantia Legum humanarum, ſive Eccleſiaſticarum, ſive Civilium, cum non ſit præſumendum cum tanto onere obligare; dummodo tamen obſervantia Legis non reſpiciat utilitatem, ac bonum commune Religionis, aut Reipublicæ: cum ſemper bonum commune preferendum ſit bono particulari privatę perſonę. Sic numquam licebit etiam ob metum mortis ſacrificare ſine ſacris veſtibus, aut ſine mixtione aquæ cum vino in calice; aut ſimilia efficere reſpicientia bonum commune, & Ritum univerſalem Eccleſiæ, ſi in contemptum Eccleſiæ metus incuteretur. Ita expreſsè Caſtropalaus *de Peccat. diſp. 1. pun. 13. num. 9.* Et quamvis Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. num. 3. in fin.* in numeros referens Doctores videatur contrarius, cum non apponat hanc diſtinctionem, ſi lex humana Eccleſiaſtica, aut Civilis reſpiciat nec ne bonum commune, vel particulare; ſed abſolutè proferat cum Doctoribus à ſe citatis: metum, ſeu probabile periculum mortis, aut gravis damni regulariter loquendo excuſare à tranſgreſſione Legis humanæ, & conſequenter à peccato. Nihilominus nobiſcum ſentit, tum quia apponit ly regulariter; tum quia expreſsè ſe declarat *num. 5. 6. & 9.* addendo ſemper, niſi aliud exigat bonum commune, quod Caſtropalaus rectè advertit adeſſe in actionibus ſupra recenſitis. Si tamen actiones non reſpiciant ex ſe bonum commune, ſed bonum privatum, ac utilitatem ſingularis perſonæ; numquam obligare poterunt cum diſcrimine vitæ, aut alterius gravis damni: ratio eſt, quia nec Eccleſia, nec Reſpublica cenſeri poterunt habere intentionem ſic obligandi; conformari ſiquidem debent Legibus Chriſti Domini, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Nec eis data eſt poteſtas à Deo obligandi ſubditos cum tali diſcrimine, niſi bonum commune urgeat; quapropter nequibunt ſuos ſubditos cogere ad bellum aggrediendum, niſi Reipublicæ defenſio urgeat. Hinc fit, præceptum jejunii non obligare cum diſcrimine vitæ, ut expreſsè habetur *in Cap. Conſilium, de Obſerv. Jejun.* idem dicendum de Auditione Miſſæ, obſervantia diei Feſti, ſolutione Decimarum. Sic communiter Doctores, quos longo ordine refert, & ſequitur Bonacina *loco cit.*

10 Objici ſolet contra traditam doctrinam *Cap. Sacris. de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*; ubi Pontifex decidit: communicantem cum excommunicaris, ſi per vim, & coactionem id fecerit; ab excommunicatione liberum eſſe: ſi verò per metum cum illis communicaverit, excommunicationis labe teneri. Et rationem reddit, quia licèt metus attenuet culpam, non tamen eam prorſus excludit, cum non excludat voluntarium, uti excluditur à vi, & coactione; ergo metus quicumque ſit, non videtur excludere culpam in prohibitis per legem Eccleſiaſticam. Huic objectioni varias aptant reſponſiones Doctores, quas longum eſſet recenſere: mihi ea arridet, quæ aſſerit Pontificem in præcit. *Cap. ſacris* ſolùm velle aſſignare diſcrimen inter vim, & metum; nam vis abſoluta ſemper excuſat à peccato, cum voluntarium auferat; non ſic verò metus, qui cum non auferat voluntarium, non ſemper à peccato excuſat. Quando verò excuſet, aut non excuſet; non definivit Pontifex, ſed reliquit diſputandum Doctoribus, quorum aliqui magni nominis putant, *in Cap. præcit.* ubi ſanxit Pontifex, communicantem cum excommunicato per metum labe excommunicationis teneri, ſermonem eſſe non de quacumq; communicatione per metum facta cum excommunicato; ſed de ea communicatione cum excommunicato, quæ eſſet in crimine criminoſo, ſeu quæ cederet in contemptum Religionis, Legis Eccleſiaſticæ, aut in grave damnum commune, vel grave ſcandalum: communicatio ſiquidem talis eſſet intrinſecè mala, nec cohoneſtabilis per ullum metum mortis, aut alterius gravis damni; ſecus tamen eſſet de aliis communicationibus, quæ ſimilia abſurda non importarent. Sic expreſsè Caſtropalaus *de Peccatis diſp. 1. punct. 13. num. 9. in fine*; Suarez, Sanchez, Vaſquez, Salas, Naldus, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. num. 4. in fin.*

Si inquiras: quomodo dignoſcendum, quando Lex 11
humana obliget cum periculo vitæ? Reſp. id dignoſcendum eſſe, ſi utilior ſit obſervatio legis bono Communi Religionis, Reipublicæ, aut Communitatis præ conſervatione vitæ; tunc poſtponenda erit vita illi bono, & obſervatio legis obligat cum amiſſione vitæ: majus ſiquidem damnum Communitati fieret per violationem illam Legis, quam per amiſſionem vitæ privatæ perſonæ. Secus tamen dicendum, ſi majus bonum ſequeretur communitati ex conſervatione vitæ perſonæ illius, quæ Legem ſervare teneretur; tunc lex non obligaret cum periculo vitæ. Sic ex Vaſquez, Becano, Suarez, Layman, & aliis docet Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. pun. 2. num. 6.*

Si verò inquiras: quale aliud grave damnum præter 12
periculum vitæ excuſare poſſit à tranſgreſſione Legis humanæ ſine peccato? Reſp. non poſſe determinatè aſſignari, ſed dignoſcendum eſſe à judicio Virorum prudentum, qui conſiderata gravitate præcepti ex una parte, & ex alia gravitate damni imminentis judicium proferant, quodnam magis præponderet. Advertendum tamen, quòd cum unum præceptum ſit gravius altero, & ſtrictiùs obliget, inde eſt, quod ad excuſandum ab obſervatione majoris præcepti majoris damni periculum requiratur; adeoque non ſufficere idem periculum damni ad excuſandum à tranſgreſſione cujuslibet præcepti. Sic ex Sanchez, & Suarez, docet Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. pun. 2. num. 4.*

Petes 4. an vis voluntarium auferat? Reſp. affirmativè 13
ſi ſermo ſit de vi abſoluta, qua videlicet homo omnino invitus impellitur ad faciendum aliquod prohibitum, nil tamen conferente ad hoc ejus voluntate: ut ſi quis omnino invitus traheretur ante idolum, & per vim arrepta ejus manu thus acciperetur, quod immitteretur in carbones ante idolum accenſos, abſque ejus conſenſu, imò animo repugnante; tunc enim non committeret peccatum idololatriæ: ratio eſt, quia nullum eſt peccatum niſi voluntarium; & voluntarium eſſe non poteſt, quod per vim abſolutam fit non conſentiente pallo. Sic Reginaldus *lib. 11. cap. 6. num. 62.* Azor. *lib. 1. cap. 9. numer. 65.* Filliuccius, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Peccatis diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. num. 2.* De vi ſecundum quid, ſcilicet de metu, jam dictum eſt. Adnotandum tamen ex præcitatis Doctoribus, quòd ad vim abſolutam, per quam homo excuſari poſſit à peccato; duplex reſiſtentia requiratur, una ex parte voluntatis, quæ poſita advertentia nolit hanc violentiam ſibi inferri: nam ſi vellet violentiam ſibi inferri, aut negativè ſe haberet, ideſt quòd neque velit, neque nolit; non diceretur vim abſolutam, ac violentiam pati: ſic qui volens, aut neque volens, neque nolens traheretur ad idolum, ad furtum, ad homicidium, ad carnale peccatum; non ideo excuſaretur à peccato. Altera reſiſtentia debet eſſe ex parte facultatum exteriorum, itaut vim patiens quantum poteſt, per eas facultates vim illatam propulſet fugiendo, clamando, vel aliquid aliud ad reſiſtendum opportunum faciendo.

Petes 5. an ignorantia auferat voluntarium? Reſp. 14
præmittendo priùs quid ignorantia ſit, & quotuplex; ut inde dignoſcatur, quænam ex ipſis voluntarium auferat. Ignorantia igitur, de qua agimus, nihil aliud eſt, niſi carentia cognitionis debitæ. Quę quidem alia eſt juris, ſive Communis, ſive particularis; ut ſi quis neſciret, die feſto audiendum eſſe Sacrum; vel audiendum eſſe Sacrum die feſtivo alicujus particularis Civitatis. Alia facti; ut ſi quis neſciret, hunc diem eſſe feſtum, adeoque audiendum Sacrum. Utraque hæc ignorantia poteſt eſſe invincibilis, & inculpabilis, quæ ſcilicet vinci, & ſuperari non potuit; vel quia numquam cogitavit de jure, aut facto; vel quia numquam dubitavit: nemo ſiquidem vincere, & ſuperare poteſt ea, quæ numquam in mentem venerunt, aut de quibus numquam dubitavit. Poterit etiam hæc ignorantia dici Probabilis, ſi videlicet ignorans jus, vel factum diligentiam adhibuerit ad ea cognoſcenda, & numquam cognoſcere potuerit. Et poteſt eſſe vincibilis,

bilis, Culpabilis, & Improbabilis ; si videlicet vinci, & superari poterat, & debebat adhibita diligentia, quæ omissa fuit. Hinc fit, quòd hæc invincibilis dicatur antecedens, justa, & probabilis: dicitur antecedens, quia antecedit actum, cujus est causa ; & si ipsa non adesset, actus non fieret: dicitur justa, & probabilis; quia excusat operantem à culpa, & Canones, & jura eam approbant. Vincibilis verò dici solet consequens, injusta, & improbabilis ; quia consequitur aliquem actum voluntatis: ut dubitavit quis, an dies crastinus esset festivus, omisit inquirere, cum posset ; ignorantia illa jam consequitur ad voluntariam omissionem inquirendi ; adeoque injusta simul erit, & improbabilis ; cum 2
nec excuset operantem, sed potiùs illum accuset; nec à jure approbatur. Ignorantia concomitans, quæ videlicet comitatur actum; cum neq; accuset neq; excuset illum, inde est, quòd ad nostram considerationem non spectet, nisi transeat in consequentem. Dici etiam solet Ignorantia Vincibilis affectata, quando videlicet quis negligit scire præceptum, ac obligationem suam, ut sic liberius peccet. Dicitur etiam Crassa, & Supina; quia procedit ex negligentia crassa, & supina eam depellendi, ad instar hominis crassi, & pinguis, qui deses, & negligens esse solet; aut instar jacentis supini in lectulo, qui nil curat. Et quamvis aliqui Doctores distinguant inter ignorantiam Vincibilem, Crassam, & supinam ; nihilominus sentiendum puto cum Coninch *disputat. 13. de Censibus dub. 11. num. 95.* & Castropalao *de Peccatis disp. 1. pun. 15. num. 3.* non esse distinguendum inter ignorantiam mortaliter vincibilem, & crassam, ac supinam : si quis enim eam diligentiam non adhibuit ad inquirendam veritatem, quam sub mortali adhibere tenebatur, jam crassè, & supinè se gessit. Hinc est, triplicem ignorantiam semper esse culpabilem. 1. quæ sit directè voluntaria, & eadem est, ac Affectata; ignorantia namque affectata scientiæ æquiparatur *ex Cap. Quæsitum. de Pœnit. & Remiss. 2.* indirectè voluntaria, quia videlicet nulla diligentia adhibita est ad eam vincendam, cum adhibi debuisset. 3. in qua aliqua diligentia adhibita est ad eam vincendam, sed adeo modica, & tenuis, ut insufficienter adhibita sit. Quæ dicta sunt de Ignorantia intelligi debent de Oblivione, & Inadvertentia ; Oblivio siquidem, & Inadvertentia quædam Ignorantia est, quæ si vincibilis sit, operantem accusat, excusat tamen si Invincibilis fuerit: ut ex Sanchez, Suarez, & Azorio docet Castropalaus *l. c. num. 4.* His præmissis

35 Dicendum : solam ignorantiam Invincibilem, antecedentem, justam, & probabilem auferre voluntarium, & reddere actionem inculpabilem, & à peccato communem ; & consequenter à pœna culpæ imposita : ratio est, quia ea, quæ invincibiliter ignorantur, cum non supponant cognitionem, & usum nostræ libertatis, in quibus tamquam in radice voluntarium fundatur, inde est, quòd voluntarium auferant, & consequenter peccatum, & culpam, ac pœnam culpæ annexam, quæ in voluntario fundantur. Sic Valentia, Corduba, Salas, Sayrus, Sanchez, Coninch, Reginaldus, Azor. Vasquez, Layman, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 8. pun. 3. num. 11. & 12.* Advertendum tamen cum eodem Bonacina *l. c. num. 23.* ignorantiam invincibilem solius pœnæ non tollere voluntarium, nec excusare à peccato, si sufficiens advertentia habeatur ad Legem prohibentem, & ad factum ab ipsa prohibitum, cui pœna annexa sit, esto ignoretur : nam supposita cognitione juris prohibentis, & facti prohibiti, sufficienter habetur voluntarium ad peccandum requisitum, quamvis non habeatur voluntarium requisitum ad pœnam. 36

Inquiri hic solet : quænam requirantur, ut ignorantia dicatur Vincibilis, & potens superari humana industria, vel Invincibilis, & non potens superari? Et quamvis nonnulli Doctores dixerint, sufficere ad hoc, ut sit Vincibilis, quòd habeatur obligatio advertendi, etiamsi nulla habeatur dubitatio, aut scrupulus rei ignoratæ. Nihilominus vera, & probabilior sententia docet, ad ignorantiam Vincibilem, & culpabilem non sufficere, aliquem obligatum esse ex statu, vel Officio ad advertendam rem ignoratam, nisi aliqua cognitio, scrupulus, vel dubitatio talis obligationis habeatur : ratio est, quia sine tali cognitione, dubitatione, aut scrupulo omissio advertentiæ liberæ esse non potest; cum prima cognitio, qua voluntas movetur, debeat esse necessaria, non libera, nisi ad eam sequatur dubitatio, aut scrupulus. Nec valet dicere, quamlibet Legem obligare ad sui advertentiam, & considerationem. Nam hoc verum est, postquam posita fuerit, non verò antea : proponitur autem, cum scrupulus, aut dubitatio habetur de illa. Nec habetur obligatio actu sciendi Legem, nisi habeatur actu dubitatio de tali obligatione sciendi illam. Sic Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 16. num. 21.* Vasquez 1. 2. *disp. 107. cap. 3. num. 6.* Salas *tract. 3. disp. 4. sect. 5. num. 8.* & Castropalaus *de Peccatis disp. 1. pun. 15. num. 5.*

Suborta dubitatione de obligatione aliqua non potest 17
ignorantia obligationis dici invincibilis, nisi diligentia adhibeatur investigandi veritatem, si enim diligentia non adhiberetur Ignorantia esset culpabilis. Non requiritur tamen, ut summa diligentia adhibeatur, cum sufficiat ea diligentia, quæ communiter adhibetur in re gravi, & ad salutem animæ spectante; ut habetur *ex Leg. Regula ff. de Juris, & facti ignorantia.* Qua diligentia adhibita, si veritas innotescere non possit ; dicitur Ignorantia Invincibilis. Sic Vasquez, Sanchez, Suarez, Azor. Salas, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccatis disp. 1. punct. 15. num. 6. fin.* Advertunt tamen, ignorantiam rerum ad proprium Officium, & statum pertinentium passim esse Vincibilem, cum rarò quis non advertat, se teneri, ac vinciri aliquibus obligationibus ad suum officium spectantibus, quæ quidem cognitio sufficiens erit ad investigandam obligationem. Signum autem dignoscendi, an quis laboraverit ignorantia invincibili in re aliqua, nimis efficax erit; si firmum propositum formale, vel virtuale soleat habere satisfaciendi suæ obligationi : nam tale propositum, ut bene constat perpendenti illud, omninò excludit negligentiam mortaliter culpabilem in suis operationibus. Sic expresè tradunt aliis relatis Salas 1. 2. *tract. 13. disp. 8. sect. 4. num. 13. §. Prima Regula*, & Castropalaus *de Peccatis disp. 1. pun. 15. num. 7. in fin.*

Quæres 1. quarum rerum dari possit ignorantia invin- 18
cibilis? Resp. omnium earum, quarum nec dubitatio, nec scrupulus occurrit : nam radix, ex qua oritur obligatio indagandi veritatem, ex dubitatione, & scrupulo provenit ; si ergo nulla dubitatio, aut scrupulus de re aliqua habetur, nullam inducit obligationem indagandi veritatem rei illius, adeoque ejus ignorantia invincibilis erit. Sic Azor. *lib. 1. cap. 16. qu. 5.* Bonacina *de Peccat. disp. 1. quæst. 8. pun. 3. num. 3. & 8.* Castropalaus *de Peccat. disp. 1. pun. 15. nu. 6.* Hinc fit, dari posse ignorantiam invincibilem aliquorum spectantium sive ad jus Ecclesiasticum, ut esset ignorare, percussionem Clerici esse specialiter prohibitam ; copulam habitam cum affine esse incestum ; effusionem sanguinis, vel seminis violare. Ecclesiam &c. vel spectantium ad jus Divinum, ut esset ignorare aliqua mysteria fidei ; integritatem confessionis ; receptionem Eucharistiæ in articulo mortis ; vel denique spectantium ad jus naturale, ut esset ignorare, perjurium esse illicitum ad defendendam propriam, vel alterius vitam ; usuras esse illicitas ; pollutionem esse intrinsecè malam, & similia. Quas ignorantias invincibiles experientia comprobat dari penes saltem rudiores, apud quos malitia talium rerum à jure sive Ecclesiastico, sive Divino, aut naturali prohibitarum non adeo clara est, & manifesta. Sic ex Vasquez, & Sanchez docet Castropalaus *de Peccat. disp. 1. punct. 15. num. 6.* & Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 8. punct. 3. per totam Propositionem primam*, ubi plures refert Doctores: imò *num. 9. in fine* ampliat hanc doctrinam non solum ad ignorantiam puram, & simplicem ; sed etiam ad mixtam cum errore ; ut esset, si rusticus instrueretur ab hæretico, quem ut talem nesciret ; sed potiùs ut probum, & doctum, qui simul cum aliquibus veritatibus fidei eum imbueret errore aliquo ; nec de veritate huic errori contraria rusticus cognitionem aliquam habuerit ; diceretur utique rusticus laborare ignorantia invincibili conjuncta cum errore, quæ imputari nequiret ad peccatum, cum nullam cognitionem veritatis ignoratæ habuerit; dummodo tamen ignorantia non fuerit de necessariis necessitate medii.

Quæres 2. an ignorantia vincibilis minuat culpam? 19
Resp. minuere culpam, nisi affectata fuerit, ut liberius, & sine remorsu operatio fiat. Et quidem quod minuat culpam, nisi affectata fuerit; patet ex eo, quia minuit rationem voluntarii : nam minus voluntarium est, quod ex ignorantia procedit præ eo, quod ex scientia fit : cum transgressio ex scientia sit directè voluntaria; transgressio verò ex ignorantia, nisi sit affectata, est indirectè voluntaria. Quòd autem si affectata fuerit, non minuat culpam, imò aggravet præ eo, si ex scientia

tia procederet ; constat ex eo , quòd operans ex prædicta ignorantia affectata continet in virtute , & in tali affectu animum sic depravatum , ut paratus sit omnia præcepta transgredi ; removere siquidem à se vult impedimentum à Deo positum , ne sua præcepta violentur ; ac excutere à se conscientiæ remorsum , ut liberiùs in peccata vagetur. Sic Azor. *lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 14. *quæst.* 1. Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 15. & Castropalaus *de Peccatis disp.* 1. *pun.* 16. *num.* 2.

20 Quæres 3. an ignorantia vincibilis , quæ non sit affectata , vel crassa ; ita minuere possit culpam , ut ex mortali reddat venialem ? Resp. quamvis aliqui Doctores cum Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 17. *num.* 19. docuerint , id posse evenire in ignorantia vincibili contra rem præceptam à Jure humano , quod non videtur ita strictè obligare ; non tamen contra rem præceptam à jure positivo Divino , aut Naturali , quod strictiùs obligat. Nihilominus mihi dicendum videtur , quòd si ignorantia vincibilis sit mortaliter culpabilis ; non poterit ullatenus reddere transgressionem præcepti , sive sit juris humani , sive Divini , aut naturalis venialiter culpabilem ; ratio est , quia tota transgressio præcepti in tali casu consisteret in negligentia culpabili sciendi præceptum ; ergo si negligentia est culpabilis mortaliter , nequibit reddere violationem præcepti venialiter culpabilem ; sicuti si erit venialiter culpabilis , nequibit reddere violationem præcepti mortaliter culpabilem. Sic Suarez 3. *tom. in* 3. *part. disput.* 82. *sect.* 3. & Castropalaus *de Peccat. disp.* 1. *pun.* 16. *num.* 3. Videtur contrarius Bonac. alios referens *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 3. *num.* 21. sed nobiscum sentit ; loquitur enim de ignorantia venialiter culpabili ; imò rectè adnotat *n.* 22. quòd ignorantia respectu juris humani venialiter culpabilis , utpote benigniùs obligantis ; respectu tamen Juris Divini , aut naturalis strictiùs obligantis poterit esse mortaliter culpabilis.

21 Quæres 4. an peccatum ex ignorantia vincibili commissum sit ejusdem speciei cum eodem , si ex scientia procederet ? Resp. affirmativè : ratio est , quia opponeretur eidem Virtuti , ac præcepto : sic occidens hominem , quem culpabiliter nescit esse hominem ; contrahit eamdem malitiam homicidii , quam contraheret occidens illum clarè notum , & esset ejusdem speciei. Sic ex Valentia , Sayro , Sanchez , Suarez , Azorio , Filliuc. & aliis docet Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 3. *num.* 29. Hinc est , non adesse obligationem aperiendi has circumstantias in confessione ; non enim notabiliter auget , aut minuit ignorantia culpabilis malitiam peccati supra illud scienter commissum , ut habent supracitati Doctores. Solùm tamen urgeret obligatio aperiendi eam , quando peccatum esset ex ignorantia affectata liberiùs peccandi , & sine remorsu ullo : non enim tunc augeret tantum malitiam peccati , sed aliam specialem malitiam contraheret adversantem voluntati serviendi Deo , & liberiùs vagandi per omnia peccata ; qui pravus affectus videtur specialiter aperiendus In confessione ; ut rectè ex Sanchez docet Castropalaus *de Peccatis disp.* 1. *pun.* 16. *num.* 13. *in fin.*

22 Quæres 5. an ipsamet ignorantia vincibilis sit peccatum ? Resp. in se formaliter peccatum non esse , aliàs si quis haberet ignorantiam vincibilem hodie , an dies crastina sit festiva ; hodie esset in statu peccati , quod nemo dixit , nec dicere potest : peccatum igitur erit ratione negligentiæ , quam committit , qui potuit scire obligationem suam , & ea , quæ scire tenebatur ; & neglexit ea scire , cum potuisset : peccat enim qui tenetur ea nosse , quæ debet scire ; & negligit ea noscere , & scire , cum possit. Sic Vasq. Cord. Sanch. Regin. Filliucc. quos refert , & sequitur Bonac. *de Peccat. disp.* 2. *q.* 8. *pun.* 3. *num.* 31.

23 Quæres 6. ad quam speciem peccati reduci potest ignorantia vincibilis ? Resp. ad eam speciem reduci , ad quam spectat peccatum cum ignorantia vincibili commissum ; cum illi eidem virtuti opponatur , cui opponitur peccatum illud. Sic qui culpabiliter ignorat , diem esse festum , & in eo serviliter operetur , ac sacrum omittat ; contra Præceptum peccat abstinendi à servilibus , & audiendi sacrum. Sicuti culpabiliter ignorans mysteria Fidei peccat contra Virtutem Fidei , ex cujus præcepto tenetur scire ejus Mysteria , quod culpabiliter omisit. Sic ex Sanchez , Vasquez , Filiuccio , & aliis docet Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 3. *num.* 32.

CAPUT III.

De Peccato Originali.

1 *Dividitur Peccatum in suas Species , & primò agitur de Originali Origine cæterorum.*
2 *Dari Peccatum Originale fide sanctum est ; & assignatur ratio cur dicatur tale.*
3 *Definitur ejus essentia , & explicatur.*
4 *Quomodo Peccatum Originale veram rationem peccati habeat ?*
5 *Quænam Personæ peccatum originale contrahant ?*
6 *Unusquisque ex hominibus per generationem seminalem ab Adamo descendens suum contrahit peccatum originale ex peccato Adami , non verò Evæ.*
7 *Si Adam alia peccata commisisset , sed non contra peccatum cum Deo initum ; non transfusa fuissent originaliter in posteros.*
8 *Si Adam ante peccatum , & pactum cum Deo initum filium genuisset , hic post peccatum Adæ non contraxisset Originale ; secus verò filius hujus post originale conceptus.*
9 *Homo per miraculum à Deo creatus , vel etiam ex ipsa carne Adami infecti non contraheret sic creatus Originale.*
10 *Enumerantur varii effectus ex peccato Originali provenientes.*
11 *An parvuli decedentes ex hac vita cum Originali adducendi sint in Universale Judicium ; & an post illud naturali beatitudine fruentur ?*
12 *Quid dicendum de eo , qui sola macula Originali infectus decederet ex hac vita cum solo veniali actuali , quamnam pœnam sensus mereretur ?*

EXPLICATO voluntario , & Libero , nec non illis , quæ voluntarium , & liberum attulerunt ; remanent explicanda peccata. Quia verò Peccatum aliud est Originale , Actuale aliud , aliud Habituale , aliud Mortale , aliud denique veniale ; ideo de illis singillatim agendum erit. Et 1. de Originali , quod est Origo , & fons , è quo cætera peccata emanant ; inquiremus tamen de eo , an detur , quid sit , quas personas afficiat , & quos effectus producat. 1

Dari verò Peccatum Originale sic dictum non solùm quia est Origo cæterorum , nam si primus Parens non peccasset , ejus posteri Justitiam Originalem habuissent , & consequenter à peccatis immunes fuissent ; verum etiam quia à prima Origine , seu à primo Parente Adamo provenit ; nec non in ipsa origine , & generatione contrahitur : quapropter alio vocabulo dici solet Peccatum naturæ , quia per naturalem generationem contrahitur , unde Apostolus dixit : *ad Ephes.* 2. *Eramus natura filii iræ*. Dari inquam hoc peccatum Originale , quod homines contrahunt in suæ carnis conceptione , & cum quo in lucem eduntur ; est fide sanctum , ac nemini Catholicorum datur , posse id in dubium revocare : patet enim ex Sacris Litteris , *Job.* 14. dicitur : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine , nonne tu , qui solus es ? Psalm.* 50. *in iniquitatibus conceptus sum , & in peccatis concepit me mater mea*. Pauli *ad Roman.* 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum , & per peccatum mors ; & ita in omnes homines mors pertransiit , in quo omnes peccaverunt ; &* 1. *ad Corinth.* 15. *Omnes in Adam moriuntur*. Est etiam hæc veritas definita in variis Conciliis Carthaginensi V. Moguntino *cap.* 2. Arausicano *cap.* 2. Toletano VI. *cap.* 1. , & Tridentino *session.* 5. *de Peccato Originali cap.* 3. 2

Peccatum Originale nihil aliud est , nisi Privatio Justitiæ , & Sanctitatis singulis debitæ ex pacto inito à Deo cum Adamo. Deus enim postquam Adam creavit cum gratia justificante , & cum justitia originali , quæ sita erat in ipsa gratia justificante simul cum dono supernaturali , virtute cujus intellectus , & voluntas subjiciebantur Deo , potentiæ obediebant rationi , & corpus animæ ; pactum cum eo iniit , quòd si non peccaret , non solùm sibi , sed etiam suis Posteris per generationem ab eo descendentibus eadem Originalis justitia communicaretur , refusæ siquidem erant in voluntate Adami voluntates posterorum ejus ; si verò peccaret , non solùm sibi , tamquam capiti ; sed etiam posteris , tamquam ejus membris debita esset privatio Sanctitatis , & Justitiæ Originalis : cum 3

igitur Adam peccaverit ; & omnes nos in illo ; inde est , quòd sibi, & nobis debita sit privatio Justitiæ Originalis . Quapropter rectè Tridentinum *sess. 6. cap.* 5. *&* 7. ait ; Adamum per inobedientiam amisisse sibi , & nobis Sanctitatem , & Justitiam , quam à Deo acceperat . Ratio autem cur Originale peccatum consistat in privatione Justitiæ , & Sanctitatis debita ex pacto inito à Deo cùm Adamo est , quia ita peccatum Originale fit proprium uniuscujusque ab Adamo per generationem descendentis , ut verè illum peccatorem constituat ; cum nihil aliud sit , quod magis insit singulis , illosque intrinsecè peccatores constituat præter talem privationem ; maximè quia si vita animæ consistit in gratia sanctificante ; peccatum originale , quod est mors animæ juxta illud Divi Pauli *ad Roman.* 5. *In omnes homines mors pertransiit , in quo omnes peccaverunt* ; consistere debebit in privatione debita gratiæ sanctificantis , & Justitiæ Originalis . Advertendum tamen hic , nomine Justitiæ originalis directè venire gratiam justificantem , in cujus privatione directè consistit peccatum Originale , non verò in privatione cæterorum donorum illam subsequentium ; esto hæc dona habuissent posteri Adami , si ipse non peccasset ; non inde tamen sequitur in tali privatione consistere peccatum Originale , tum quia hæc dona non constituunt gratum Deo , & consequenter eorum privatio nequibit constituere ingratum Deo ; tum quia per Tridentinum *sess.* 5. *canon.* 5. per Baptismum totum peccatum Originale tollitur , & nihilominus non tollitur hæc privatio subjectionis , quæ remanet . Adde , quòd non unum esset peccatum Originale , sed multiplex juxta multiplicitatem harum privationum , quod dici nequit . Ita rectè advertit Becanus *tomo* 2. *tractat.* 2. *capitul.* 9. *quæst.* 6. & alii docti Recentiores explicantes Scholasticos , quando dicunt , peccatum Originale consistere in privatione Justitiæ Originalis debita ob peccatum Adæ ex pacto cum ipso inito à Deo . Sic enim habet communior sententia cum Divo Thoma , Cajetano , Scoto , Divo Bonaventura , Soto , Becano , Vasquez , Azorio , quos referunt , & sequuntur Bonacina *de Peccatis disputat.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 2. *numer.* 4. & Castropalaus *de Peccatis disputat.* 2. *punct.* 1. *numer.* 3. Non enim consistere potest in aliqua , qualitate vitiosa , quia esset superflua ; nec in concupiscentia , aut reatu ad pœnam , cum concupiscentia , remaneat ablato peccato originali per baptismum : & reatus ad pœnam sit potiùs effectus peccati, quàm peccatum.

4 Quomodo autem peccatum Originale veram rationem peccati habere possit , ob quam ipsi debita sit privatio Justitiæ Originalis ; non est facile explicatu : maximè quia non videtur sufficienter voluntarium , & parvuli voluntario carentes ipsum contrahere possint ; itaut quilibet illorum mereatur , ut justitia sanctificante privetur . Sed cum sit de fide , peccatum Originale esse verum peccatum , cum tale dicatur à Sacris Scripturis , Conciliis , & Patribus ; sæpe enim ab ipsis dicitur Immunditia, Iniquitas , Peccatum , ut patet ex superiùs dictis *numer.* 2. inde est , quòd explicare debemus , quomodo habeat rationem voluntarii sufficientem ad peccatum . Quapropter sciendum , voluntarium aliud esse tale , quia à voluntate propria emanat , & sic dicitur voluntarium peccatum actuale, ab adultis commissum , quia à propria voluntate ipsorum emanat . Aliud esse tale voluntate aliena , quatenus voluntas propria in aliem continetur : cum verò voluntates posterorum continerentur in voluntate Adami, & Deus pactum iniit cum ipso , ut si fructum à se prohibitum comedisset , non solùm sibi , sed posteris amitteret originalem justitiam , cui pacto consentiente Adamo censentur consensisse posteri , redundabat siquidem in bonum , & utile non solùm Adami , sed posterorum ; aliunde erat de re facili ; inde est , quòd voluntarium dicatur Posteris peccatum Adami , non voluntate propria , sed aliena . Et quamvis ad peccatum actuale requiratur voluntarium voluntate propria ; ad Originale tamen sufficit voluntarium voluntate aliena: cum sit peccatum Naturæ , quod ab Adamo Naturæ capite transfusum est in Posteros per generationem ab eo descendentes . Sic rectè docent Vasquez , Azorius , Valentia , & communiter Recentiores teste Bonacina *de Peccatis disputat.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 11. Hinc est , quod peccatum Adami non solùm fuit peccatum ipsius , sed suorum etiam posterorum, in illo enim omnes ejus posteri peccarunt ; adeoque omnibus posteris debebatur privatio Justitiæ sanctificantis . Debitum autem istud privationis gratiæ in singulis posteris , quamvis oriatur ex peccato Adami , non est tamen formaliter peccatum Addæ , prout est peccatum ipsius ; sed prout est peccatum posterorum , qui in illo peccaverunt : & licèt ut peccatum Adæ sit extrinsecum physicè posteris , ut tamen peccatum ipsorum est intrinsecum illis , illosque intrinsecè afficit , ut bene adnotat Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 5.

Personæ , quæ peccatum Originale contrahunt , sunt 5
omnes homines , sive filii Fidelium sint , sive Infidelium ; qui tamen ab Adamo per seminalem propagationem descendunt . Cùm primum enim eorum corporibus animæ uniuntur , tunc Originale contrahunt , ut fide sanctum est à Tridentino *sess.* 5. *canon.* 5. nisi ob speciale Privilegium quis eximatur . Ut exemptam ab hac originali labe firmiter sustineo numquam satis laudatam Beatissimam Virginem Mariam , quæ utpote Dei Mater , & Mundi Regina sub regula illa generali minimè comprehensa fuit , sed divinitùs præservata per speciale Privilegium . Si enim potens fuit Deus eximere aliquem à pacto inito cum Adamo , quam potentiam Deo denegare non possumus ; decens fuit, illam eximere , quam Matrem sui Unigeniti destinarat, Angelis ipsis præferendam ; ut sic sine ruga , & macula tota pulchra esset , & decora . Huic igitur sententiæ me subscribo , proprio sanguine eam propugnaturus juxta communem Fidelium consensum , à Sancta Matre Ecclesia laudatum , & approbatum per tot, tantaque decreta à Summis Pontificibus usque adhuc edita , quæ longum esset , & extra nostrum institutum ea referre . Eorum tamen novissima silentium imponunt contrarium opinantibus , ac jure meritò prohibent, ne publicè in Concionibus , Lectionibus , Conclusionibus , & aliis quibuscumque actibus publicis asseratur , Beatissimam Virginem cum culpa Originali conceptam fuisse ; quapropter sic firma , & stabilis remanet prædicta veritas , ut possit tamquam dogma fidei à Summo Pontifice definiri . Non negandum tamen videtur in Beatissima Virgine debitum remotum contrahendi Originale , ut redempta dicatur à Christo Domino , & ut Adam dicatur Caput Morale ipsius , & quòd ejus Voluntas refusa fuerit in voluntatem Adami : sic enim congruentiùs ad Scripturas , & Sanctos Patres discurritur : maximè quia tale debitum non minuit , sed extollit ejus Dignitatem ob nobiliorem Redemptionem.

Ex dictis colligitur 1. Unumquemque ex homi- 6
nibus per generationem seminalem ab Adamo descendentem suum contrahere peccatum Originale ex peccato ipsius Adami, non verò Evæ ; ipsi namque commissa fuerat gratia in suos posteros transfundenda , non Evæ ; patet tum ex D. Paulo *ad Roman.* 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum , & per peccatum mors , in quo omnes peccaverunt* ; tum ex Trident. *sess.* 5. asserente : Adamum sibi , & nobis justitiam originalem perdidisse . Hinc est , quod si Eva peccasset , non peccante Adamo , justitiam originalem non perdidissemus. Idem dicendum de proximioribus nostris Parentibus ; à quibus per lineam virilem ab Adamo descendimus ; qui si etiam peccassent non peccante Adamo , eorum peccatum non fuisset transfusum in nos : pactum siquidem initum fuit à Deo cum Adamo, non cum aliis . Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 81. *art.* 3. Vasquez , Bellarminus , Becanus , Azor. & alii penes Bonacinam *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 1. *pun.* 2. *num.* 4. *&* 5.

Colligitur 2. si Adam alia peccata commisisset , sed 7
non violasset pactum initum cum Deo de non comedendo fructu vetito ; peccatum originale non transfusum fuisset in posteros : ratio est , quia *Genesis* 2. *dicitur* : *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris* ; adeoque comestioni fructus vetiti alligata erat privatio Justitia Originalis transfundenda in posteros juxta pactum initum .

Colligitur 3. si Adam ante peccatum filium genuis- 8
set , hic post peccatum Adæ non contraxisset originale peccatum ; conceptus siquidem fuisset cum Justitia Originali . Secus tamen dicendum si hic filius Adæ cum Justitia Originali conceptus filium gigneret , post peccatum Adæ ; utique hic nepos Adæ peccatum Originale contraheret : descenderet

nam-

namque per virilem generationem ab Adamo post transgressionem præcepti ab eo factam, adeoque peccaret in illo.

9 Colligitur. 4. nec peccatum Originale contrahendum esse ab eo, qui per miraculum crearetur à Deo, aut ex humana carne Adami formaretur à Deo, aut alia via ab Adamo descenderet, & non per seminalem generationem virilem, ut fuit Christus Dominus: ratio est, quia peccatum originale juxta pactum cum Deo initum contrahi debebat ab Adami Posteris ab eo descendentibus per communem propagationem seminis virilis. Hinc est, quòd si monstrum aliquod nasci posset ex Muliere habente congressum cum bruto; originale non contraheret, nec baptizari posset; non enim ab Adamo descenderet per communem propagationem à semine virili provenientem. Sic ex Div. Thoma, Becano, Azorio, & aliis docet Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 1. punct. 2. à num. 7.*

10 Effectus, quos causat Peccatum Originale varii sunt. 1. enim privat Regno Dei, itaut decedentes ex hac vita cum peccato originali, numquam visuri sint Deum: ut clarè patet ex illo *Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Puniendi ergo erunt decedentes ex hac vita cum Originali pœna damni, quæ consistit in privatione Visionis beatificæ Dei: sunt etenim inimici Dei, & filii Iræ, adeoque illos indignos reddit visione beatifica, ac Divina fruitione, juxta illud *Apocalyp. 11. Ubicunque ceciderit lignum, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit*. Quem textum communiter explicant Patres, & Interpretes ad demonstrandum statum illum, in quo homines permansuri erunt in æternum post mortem. Non tamen puniendi erunt pœna sensus, qua puniuntur tantùm peccata actualia in inferno: sic colligitur ex illo *Apocalypsis 18. Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Cum igitur decedentes cum peccato Originali sine actuali ut sunt parvuli communiter morientes ante baptismum, & ante usum rationis; neque se glorificaverint, neque in deliciis fuerint ob peccata actualia; inde est, quòd habituri non erunt pœnam sensus. Sic Div. Thomas, Molina, Durandus, Scotus, Div. Bonaventura, Becanus, Vasquez, Azor. quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 1. punct. 4. numer. 7.* 2. Peccatum Originale induxit mortem; de fide namque est, nos mortem incurrere ob Adæ peccatum, ut patet ex illo Div. Pauli ad *Roman. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. 3. induxit rebellionem appetitus, innumeras ægritudines, ac immensas miserias, & labores; de quibus pro dignitate pertractant, Suarez 1. 2. *tract. 5. disput. 7. sess. 5.* Vasquez 1. 2. *disp. 134. capit. 1.* Adnotandum tamen, quòd similes miserias, quas per peccatum Originale incurrimus, nempe mortem corporis, appetitus rebellionem, ignorantiam &c. adhuc in pura natura creati habere debuissemus; sed dono gratiæ; & Justitiæ Originalis fuissent impediti tales pravi effectus naturales; adeoque rectè dicitur per peccatum homo vulneratus in naturalibus, quia per peccatum amisit gratiam, & rediit ad id, quod in se habebat. Sic Div. Thomas 1. 2. *quæst. 85. art. 3.*, Cajetanus, Vasquez, Salas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccatis disput. 1. puncto 2. numer. 2.*

11 Petes 1. an pueri decedentes ex hac vita cum solo peccato originali adducendi sint in Judicium Universale? Et an post illud fruituri sint naturali beatitudine? Resp. ad 1. affirmativè, reassumptis siquidem suis corporibus sistendi erunt ante Tribunal Christi judicantis in Valle Josaphat, ut ab eo destinentur in locum tenebrarum, ubi scilicet carebunt clara Visione Dei, & lumine lucernæ Agni illuminantis cœlestem Jerusalem. Sic apertè constat ex D. Paulo 2. *ad Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi*: & sic docent Azor. 1. *par. libro 3. capit. 33. quæst. 3.* Bonacina *de Peccatis disput. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 8.*, & alii. Resp. ad 2. quamvis Pueri post universale Judicium non habituri sint pœnam sensus, ut superius diximus, imò fruitionem rerum naturalium habebunt, ac perfectam notitiam illarum; nihilominus non ideo dicendi erunt habere naturalem beatitudinem: ratio est, quia ad beatitudinem naturalem requiritur, quòd natura recta, integra, pura, & sana sit; cum igitur per peccatum Originale careas talibus perfectionibus, quæ secundum Legem ordinariam ei possibiles fuerunt; inde est, quòd pueri talem naturam habentes dici nequeant esse in beatitudine naturali: maximè quia, qui in peccato originali est, revera est Deo inimicus, & ei invisus; quapropter miser potiùs dicendus erit, quàm beatus. Sic ex Azorio, Salas, & aliis docet Castropalaus *de Peccatis disp. 2. punct. 2. numer. 1.*

12 Petes 2. Quid dicendum, si quis macula originali infectus ex hac vita decederet cum solo veniali? Resp. quamvis Doctores controvertant de possibilitate casus, eo quia homo sub mortali tenetur se convertere ad Deum in primo instanti, quo usum rationis acquirit, ac discernere scit inter bonum, & malum morale; nihilominus vel quia non constat ex Scriptura, Conciliis, aut traditione Patrum de hujusmodi præcepto; ut plures Doctores sustinent apud Vasquez 1. 2. *disput. 149. cap. 2.*, vel quia potest invincibiliter ignorari, & casu quo ignoretur; potest illi non satisfieri absque culpa; ut rectè advertit Castropalaus *loco citato*, inde est, quòd non deneganda sit possibilitas casus, quam sustinent citatus Castropalaus, Salas *quæst. 80. tract. 13. disp. 18. sess. 6. & 7.* Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 1. punct. 1. num. 3.* & alii: ut si quis non baptizatus statim ac habet sufficientem rationis usum, leve mendacium diceret, & moreretur. In quo casu quæritur, quamnam pœnam sensus habiturus esset? Resp. Div. Thomam, Richardum, apud Suarez putasse, puniendum esse in inferno pœna æterna, sed non adeo gravi, ut puniendus foret, si cum conscientia peccati mortalis decederet: nam sicuti puniendus est pœna æterna, qui in mortali, & veniali peccato decederet non solùm pro mortali, sed etiam pro veniali; ita etiam qui decederet cum originali, & veniali simul, Nihilominus probabilitate non caret sententia asserens, habiturum esse aliquam pœnam sensus decedentem cum Originali, & veniali simul, non tamen æternam, sed temporalem, qua veniale commissum purgetur, sive in inferno, sed separatim, & sine consortio damnatorum; sive in Limbo, aut alio loco nobis ignoto quoad usque veniale commissum purgetur; & postea cum aliis, qui cum solo originali decesserunt, conjungantur. Nec mirum quòd talis locus non designetur à Scripturis, aut à Conciliis, vel Patribus; eo quia vel pauci sunt, qui sic decedunt, ut rectè notat ex Suarez, & Salas Castropalaus *de Peccatis disput. 2. punct. 2. numer. 1.*; vel quia vero simile videtur, numquam de facto aliquem decessurum cum originali, & veniali tantùm, ut ex Vasquez, & aliis Recentioribus advertit Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 1. punct. 1. num. 3.*

CAPUT IV.

De Peccato Actuali, & Habituali.

1 *Definitur Peccatum Actuale.*
2 *Quomodo omne Peccatum sit contra Legem æternam Dei?*
3 *In quonam sita sit probibitio Juris naturæ in iis peccatis, quæ intrinsecè mala sunt?*
4 *Habituale Peccatum consistit in Macula Morali relicta à peccato Actuali præterito.*
5 *Quid sit hæc Macula Moralis?*

1 PEccatum Actuale variè definiri solet à Doctoribus, non tamen discedendum à communi definitione tradita à Div. Augustino *lib. 22. contra Faustum capit. 27.* quam passim Scholastici sequuntur cum Magistro *in 3. dist. 25.*, & Div. Thoma 1. 2. *quæst. 71. art. 6.* Dictum, factum, vel concupitum contra Legem æternam Dei. Arridet definitio tradita, tum quia satis explicat peccata Oris, Operis, & Cordis; malitia siquidem peccati quamvis propriè resideat in actibus voluntatis, denominative tamen etiam est in actibus aliarum potentiarum, uti dictum est de libertate; tum quia competit peccatis tam Commissionis, quàm Omissionis; latè siquidem accipienda est definitio, quatenus scilicet comprehendit omissionem alicujus actus debiti; omissio namque actus debiti, etiamsi pura fuerit, est quædam moralis affectio; itaut qui non dicit, non facit, non concupiscit id, quod tenetur dicere, facere, aut concupiscere; censeatur facere veluti positivè contra id, quod tenetur facere, & non facit tum denique quia comprehendit peccata omnia, quæ adversantur Legi Naturali, Divinæ, & Huma-

Humanæ, cum omnia sint contrà Legem Divinam saltem indirectè: non solùm enim Divina Lex præcipit sibi obedientiam, & Legi Naturali, sed etiam Legi Humanæ juxta illud *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*; & Divi Pauli *ad Habr.* 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Et ad Roman.* 13. *Qui potestati resistunt, ipsi sibi Dei damnationem acquirunt*. Comprehendit etiam tam peccata mortalia, quàm venialia; cum non solùm sint contra Legem æternam Dei peccata mortalia, sed etiam venialia: venialia siquidem adversantur Legi Divinæ, & sunt contra rectam rationem, ac sub eodem præcepto prohibentur, quo prohibentur mortalia. Esto non ita graviter, & notabiliter adversentur Legi Divinæ, ut mortalia, itaut amicitiam cum Deo dissolvant: quamobrem dici consueverunt præter Legem, non quia Legis non adversentur, sed quia non sunt contra finem Legis, qui est Charitas, & Dei Amor.

2 Dubitabis 1. quomodo omne peccatum sit contra Legem æternam Dei, si hæc plura mala prohibet, quæ antecedenter ad ipsam mala sunt, & sufficientem malitiam habent ad peccatum constituendum? sic sunt Mendacium, Adulterium, Furtum &c. Resp. quamvis omne peccatum sit malum, quia lege aliqua prohibitum, ut inductione patet; nam peccatum vel prohibetur Lege naturali, ut est adulterium, mendacium &c. vel Lege Divina, ut non confiteri ante communionem, quando conscientia habetur peccati mortalis, non consecrare sub utraque specie &c. vel Lege Humana, ut non jejunare tempore jejunii, non audire Sacrum die festo &c. Sic clarè constat ex Divo Paulo *ad Roman.* 4. *Lex iram operatur, & ubi non est Lex, nec prævaricatio. Et* 1. *ad Corinth.* 15. *Virtus peccati Lex*. Nihilominus non omnia peccata sunt mala, quia sunt formaliter contra Legem æternam Dei: dantur enim peccata aliqua, quæ etiam si prohibita non fuissent à Lege Divina per impossibile, ut sunt ea, quæ adversantur juri Naturæ; adhuc essent mala, & culpabilia: adeoque Divus Augustinus *lib.* 1. *de libero Arbitrio* ait: Adulterium non idcircò est malum, quia prohibitum, Lege videlicet Divina; sed idcircò Lege Divina prohibetur, quia malum. Formalis ergo malitia horum peccatorum, quæ ex se, & ex suis intrinsecis mala sunt; consistit in dissonantia, & disconvenientia immediata cum natura rationali; adeoque Adulterium, Mendacium, homicidium, & alia peccata ex suis intrinsecis mala formaliter, & immediatè suam veram malitiam habent, quia jure naturæ prohibita, seu quia habent oppositionem, & disconvenientiam cum natura rationali; seu recta ratione. Sed quia hæc dissonantia, & disconvenientia semper prohibita est à Lege Divina, quatenus Deus præcipit præstari obedientiam justis Legibus; inde est, quòd omne peccatum, etiam intrinsecè malum verè, & propriè dicatur esse contra Legem æternam Dei; non quia ipsa sit ratio formalis immediata, & causa principalis, cur omnia peccata sint mala; sed quia præcipit obedientiam justis Legibus: & defacto stare potest, quòd quis mentiatur, absque eo quòd advertat, mendacium ab aliquo Superiore esse prohibitum, solùm agnoscens esse indecorum, ac distonum naturæ rationali; in quo casu malum morale committeret, esto non esset contra Legem Superioris, nisi materialiter, & indirectè. Sic Vasquez 1. 2. *disp.* 16. *&* 97. *cap.* 3. *in fine*, Suarez *lib.* 2. *de Legib. cap.* 6. *num.* 5. *&* 11. Azor. 1. *par. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 2. 4. *&* 5. Salas *tractat.* 13. *disp.* 2. *sect.* 4 *num.* 59. *&* 71. Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. 3. *&* 4. & Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 4. *num.* 2.

3 Dubitabis 2. in quonam sita sit prohibitio juris naturæ circa ea peccata, quæ intrinsecè mala sunt, & juri naturæ opposita? Resp. sitam esse in disconvenientia, & dissonantia rei, seu objecti cum natura rationali, & recta ratione: talis siquidem disconvenientia, & dissonantia vim habet Legis, & prohibitionis. Sic inductione facta per similia peccata constat, adulterium, homicidium, mendacium esse prohibita, quia eorum actus disconveniunt, & repugnant cum natura rationali; seu recta ratione; adeoque eorum prohibitio Jure naturæ formaliter; & immediatè sita erit in tali disconvenientia, & dissonantia cum natura rationali, & recta ratione. Hinc est, quòd Divus Thomas 2. 2. *q.* 71. *art.* 2. cum aliis Theologis dixerit: Peccatum esse actum contra rectam naturam hominis, ut homo est; eo quia est contra rectam rationem; quæ est veluti forma hominis, & creaturæ rationalis; fundatur siquidem in anima, quæ est forma hominis. Cum ergo recta ratio dictet, quid faciendum, vel quid fugiendum sit; inde est, quòd quando homo aliquid contra dictamen rationis operatur; dicatur facere contra naturam hominis, ut homo est, seu quà ratione utitur. Et quamvis hæc doctrina videatur tantum extendi ad sola peccata contra Jus naturæ, nihilominus rectè extendi poterit ad cætera peccata contra jus Divinum, aut Virtutes supernaturales, vel contra Leges humanas: nam recta ratio dictat, homini vitanda esse omnia peccata, quæcumque sint; adeoque rectè dici poterit, omnia peccata esse contra naturam hominis, seu contra naturam ipsius rationalem. Quod etiam verificatur de peccatis carnalibus, non solùm commissis contra finem, & modum à natura præscriptum, quæ passim dicuntur peccata contra naturam; sed etiam de peccatis commissis juxta modum ordinarium naturæ: nam licèt hæc non sint contra naturam hominis sensitivam, sed juxta inclinationem, & propensionem naturalem; sunt tamen contra naturam hominis rationalem, quà homo est, seu quatenus ratione utitur dictante, fugienda esse peccata. Sic ex Vasquez, Becano, Filliuccio, & aliis adnotat Bonacina *de Peccatis disput.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 1. *à num.* 7. *usque ad num.* 11.

4 Habituale peccatum consistit in macula quadam morali, quam relinquit Actuale peccatum præteritum; quæ quidem macula dum non remittitur à Deo, nec retractatur à peccatore per pœnitentiam; censetur moraliter perseverare, & reddit peccatorem odio Divino dignum, & pœnæ æternæ destinatum. Quòd autem peccatum Actuale præteritum maculam istam relinquat in peccatore, clarè constat tum ex *Psalm.* 50. ubi dicitur: *Amplius lava me ab iniquitate mea*; tum ex forma baptismi, qua dicitur: *Ego te baptizo*, hoc est abluo; ille autem abluitur, & baptizatur, qui maculatus existit; tum denique *ex Psalm.* 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula. Et Ezechielis* 36. *Effundam super vos aquam mundam; & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris*.

5 Consistit verò macula ista peccati habitualis in malitia peccati actualis præteriti moraliter perseverantis per modum habitus, seu in extrinseca denominatione proveniente ab actu præterito non retractato per pœnitentiam, quæ nisi deleatur peccatum, habet denominare peccatorem; & in privatione gratiæ habitualis: sicuti enim habitualis gratia reddit animam pulchram, nitidam, & sanctam; sic peccatum habituale consistens in ejus privatione reddit animam deformem, maculatam, & Deo inimicam. Et quamvis hæc macula non videatur aptari posse peccato Veniali habituali, cum non privet habituali gratia; nihilominus dici rectè poterit, peccatum veniale habituale in quadam macula consistere, quatenus est actus sua bonitate destitutus, & honestate; adeoque privationem habet bonitatis, & honestatis moraliter perseverantem per modum habitus, & suo modo maculantem peccatorem, donec per pœnitentiam deleatur; & quatenus disponit ad peccatum mortale: ratio est, tum quia forma baptismi non solùm verificatur, & cadit super peccata mortalia, sed etiam venialia in adultis suscipientibus illum; tum quia *Proverb.* 16. dicitur: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato*; sed non quilibet est immundus macula peccati mortalis, ergo macula peccati venialis; justi siquidem peccati mortalis conscientiam non habent, adeoque immundi tantùm erunt macula peccati venialis, per quam denominantur extrinseca denominatione peccatores non simpliciter, sed secundum quid. Sic Divus Thomas, Valentia, Azor. Vasquez, Sayrus, Div. Bonaventura, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 2. *numer.* 2. *in fine*. De hac re hæc libasse sit satis, plura pro sua dignitate habent Scholastici.

CA-

CAPUT V.

De Peccato Mortali, & Veniali.

1 *Quodnam sit Peccatum Mortale? Et quodnam Veniale?*
2 *Peccatum Mortale aliud tale ex genere suo, aliud per accidens.*
3 *Quomodo differat Peccatum Mortale à Veniali?*

1 PECCATUM mortale illud est, quod ob sui gravitatem solvit amicitiam cum Deo, & ejus gratiam aufert, pœnamque æternam meretur. Dicitur mortale, quia mortem spiritualem affert animæ, tollit siquidem gratiam habitualem, quæ est Spiritualis Vita animæ. Veniale verò illud est, quod ob suam levitatem nec amicitiam cum Deo solvit, nec ejus gratiam aufert, nec denique meretur pœnam æternam; quamvis fervorem Charitatis minuat, ac disponat ad gratiam habitualem amittendam, & pœnam temporalem mereatur. Dicitur veniale, eo quia si cum gratia habituali coexistat, languorem animæ facilè curabilem affert, & ejus venia facilè obtineri poterit.

2 Jam verò peccatum mortale aliud est ex se, & ex genere suo; aliud per accidens. Mortale ex se, & ex genere suo illud dicitur, quod per se lædit Charitatem Dei, vel Proximi quoad Personas, res, vel Jura; aut nos ipsos graviter corrumpit. Sic sunt ferè omnia Decalogi Præcepta, nam quæ committuntur contra prima Præcepta Primæ Tabulæ nocent Dei Scientiæ, Bonitati, ac ejus honori interno, vel externo; quæ verò committuntur contra septem præcepta secundæ Tabulæ nocent Personæ, bonis, aut Juri Proximi. Sic etiam sunt peccata, quæ contra Virtutes Theologicas committuntur; nocent siquidem Veracitati Dei, quæ contra Fidem committuntur; Misericordiæ Dei, quæ contra Spem fiunt; & Charitati Dei, quæ contra Charitatem efficiuntur; adeoque omnia ista peccata bono alicui interno Dei nocent. Septem tamen illa peccata, quæ Capitalia dicuntur; non omnia ex genere suo sunt mortalia: ratio est, quia non omnia graviter offendunt Deum, vel Proximum lædunt, aut nos ipsos corrumpunt. Mortale per accidens illud est, quod cum non sit tale ex se, & ex genere suo; fit tamen tale per accidens: sic actus aliquis ex se venialis, aut indifferens potest per accidens fieri mortalis, ut infra dicemus. Adnotandum hìc, quòd sicuti dantur mortalia peccata ex genere suo, ita etiam dantur venialia peccata ex genere suo: sic sunt inutilis, & vana complacentia, vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus, vestitus, nugæ, otium, excessus in cibo, potu, somno, risu, usu conjugii, timore, tristitia, appetitu laudis, honoris, pecuniarum &c. quæ contra bonum proprium committuntur, ut plurimum venialia sunt ex genere suo. Possunt quoque venialia ex genere suo fieri mortalia ex accidente. Sic passim Doctores.

3 Non differt peccatum mortale à veniali formaliter ex objecto; nam utrumque oppositionem habet cum natura rationali, & cum divina Lege; quapropter in genere moris sunt ejusdem speciei. Differt tamen mortale à veniali quoad modum tendendi in objectum, & quoad effectus à se productos: eo quia mortale adversatur naturæ rationali, & Legi Divinæ graviter, & amicitiam cum Deo destruit, pœnamque æternam damni, & sensus meretur; Veniale verò leviter adversatur naturæ rationali, & Legi divinæ, nec amicitiam cum Deo destruit, nec æternam pœnam meretur, sed aliquam temporalem. Sic Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 16. *sect.* 21. Vasquez *disputat.* 144. *capit.* 2. Valentia *disputat.* 6. *quæstion.* 2. *punct.* 2. & Castropalaus *de Peccatis disput.* 2. *punct.* 5. *numer.* 1. An verò peccatum veniale mereatur etiam ad aliquod breve tempus privationem Visionis divinæ ultra pœnam temporalem sensus, res controversa est penes Doctores: nam licèt verissimum sit, nil coinquinatum posse intrare in Regnum cœlorum, adeoque habentem peccatum veniale non posse videre Deum; hoc tamen non provenit, quia id mereatur peccatum veniale, sed quia ipsa Visio incompatibilis est cum illo. Verùm dicendum puto, peccatum veniale ex se mereri privationem Visionis divinæ pro aliquo determinato tempore, & non ob incompatibilitatem Visionis beatificæ cum ipso: ratio est, quia justè Deus denegat existenti in peccato veniali visionem beatificam; ergo est pœna debita venialiter delinquenti, aliàs injustè Deus illam infligeret: insuper peccatum veniale aliquam pœnam in purgatorio meretur, ergo habens illud meretur privationem Visionis beatificæ, usque dum pœnam illam luat; quæ quidem privatio non est ob puram incompatibilitatem, sed in pœnam debitam ipsi peccato veniali. Sic Castropalaus *loc. cit. numer.* 2.

CAPUT VI.

Ex quibus causis peccatum ex genere suo Mortale possit fieri Veniale per accidens.

1 *Quænam requiruntur ad peccatum Mortale?*
2 *Si ex parte intellectus non sit perfecta advertentia malitiæ, seu deliberatio; peccatum Mortale potest evadere Veniale.*
3 *Quinque inferuntur ex dictis.*
4 *Defectus considerationis gravitatis in committendo peccatum non excusat à peccato.*
5 *An ad mortaliter peccandum requiratur plena advertentia peccati mortalis?*
6 *Quænam sint indicia distinguentia plenam advertentiam à semiplena.*
7 *An semiplena advertentia reddere possit veniale peccatum aliàs ex se grave?*
8 *Ex quibus indiciis possit deduci in dubiis plena, vel semiplena advertentia?*
9 *Defectus pleni consensus ex parte voluntatis transire facit peccatum ex se grave in Veniale.*
10 *Parvitas materiæ, ubi datur, facit, ut Mortale ex se transeat in Veniale.*
11 *Quomodo cognoscenda parvitas materiæ in iis, in quibus dari potest? Et assignatur* 1. *Regula.*
12 *Assignatur* 2. *Regula.*
13 *An ex intentione Legislatoris peccatum mortale evadere possit veniale?*

1 CUM tria requirantur ad peccatum mortale; plena scilicet advertentia, & deliberatio ex parte intellectus; perfectus consensus ex parte voluntatis; & gravitas ex parte materiæ saltem regulariter: nam spectata humana fragilitate non videtur decere Bonitatem Divinam, ut æternis suppliciis puniat hominem absque plena advertentia, & deliberatione; & absque perfecto consensu operantem; aut si materia parvi momenti sit, cum ut plurimum ex parvitate materiæ modica offensa moraliter censeatur resultare; inde est, quòd si unum ex istis desit; peccatum quod ex se, & ex genere suo mortale erat, veniale evadat.

2 Prima igitur causa, cur peccatum mortale evadere possit veniale, est, si ex parte intellectus non sit perfecta advertentia malitiæ, seu deliberatio: cum enim ad peccatum mortale, ut diximus, requiratur plena, & perfecta cogitatio, & advertentia malitiæ, vel periculi malitiæ; aut expressa dubitatio, vel scrupulus peccati: inde est, quòd laborans tali imdvertentia non censeatur adeo culpabiliter operari, ut mereatur perdere amicitiam Dei, & pœnam æternam incurrere: nam si quælibet advertentia sufficeret ad peccatum mortale, nimis ardua esset, ac difficilis via ad cœlum: maximè quia sine advertentia non habetur voluntarium de necesse requisitum ad peccatum, cùm voluntas ferri nequeat in incognitum. Non sufficit tamen plena, & perfecta advertentia ad ipsum actum, qui fit; sed requiritur advertentia ad malitiam, vel periculnm malitiæ; aut expressa dubitatio, vel scrupulus peccati. Sic qui die jejunii plenè, & perfectè advertit, se pluries comedere, absque eo quòd tamen advertat, illas comestiones esse prohibitas, aut dubitet esse prohibitas, sed bona fide, & invincibiliter pluries comedit; non dicitur habere advertentiam sufficientem ad peccatum,

tum, cum sit sola advertentia actus, non verò malitiæ ipsius actus. Sic Vasquez, Sanchez, Becanus, Azor. Reginaldus, Filliuccius, Sylvester, Cajetanus, Armilla, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disputat. 2. quastion. 2. punct. 3. numer. 3. in fine.*

3 Hinc colligitur: non peccare 1. eum, qui nil cogitans de jejunio, aut die Veneris, vel Sabbathi pluries comedit, aut vescitur carnibus. 2. qui putans projicere pomum è fenestra, lapidem projicit, nil omnino cogitans, aut dubitans de homicidio alicujus transeuntis; quapropter si homicidium sequatur inde, non ideo reus erit homicidii. Idem dicendum, si saxum projiciat, nil advertens, aut probabiliter, & rationabiliter dubitans de homicidio. Sic Reginaldus *lib. 15. numer. 75.* Sanchez *in Decal. lib. 1. capitul. 16. numer. 21.* & Bonacina *de Peccatis disputat. 2. quæstion. 2. punct. 3. numer. 6. & 7.* 3. qui contractum usurarium celebrat non advertens, aut dubitans, usurarium esse. 4. qui advertit ad unam malitiam actus, non verò ad alteram, si actus duplicem malitiam habeat; unum peccatum committit, non duplex; cum peccatum non censendum sit volitum secundum illam malitiam ignoratam: sic largè cœnans die jejunii advertens, se excedere regulas Temperantiæ cum sanitatis periculo, & nihil prorsus advertens ad jejunii præceptum; quamvis peccet contra Temperantiam, non peccat tamen contra præceptum jejunii. Sic etiam percutiens aliquem, quem nescit esse Clericum, licèt peccet contra Justitiam, non committit tamen Sacrilegium, quòd resultat ex percussione Clerici cum advertentia ad Clericatum. Ita ex Vasquez, Sanchez, & aliis docet Bonacina *loc. cit. numer. 9.* 5. qui durat etiam longo tempore in motibus sensualitatis, prævenientibus tamen usum rationis; non peccat: nam morosa illa delectatio non dicitur talis à sola mora temporis, sed rationis; quando videlicet intellectus advertit, & delectationem capit, aut negativè se habet ad comprimendos, & repellendos motus illos; non verò quando motus illi præcedunt per quodlibet tempus advertentiam, & usum rationis. Sic citatus Bonacina cum aliis *num. 10.*

4 Adnotandum hìc: quòd licèt semper habeatur aliquis defectus considerationis in committendo peccatum: non enim peccato assentiretur voluntas, si intellectus bene perpendisset, & considerasset gravitatem, ac deformitatem ipsius peccati: & quamvis voluntas potentia libera sit, adeoque possit bonum, vel malum potiùs eligere; attamen si ei proponeretur ritè gravitas peccati, ut res turpissima privans hominem summo bono; utique non assentiretur peccato. Nihilominus defectus talis considerationis, quamvis adsit in committendo peccatum; non ideò excusat à peccato: ratio est, quia cum tali defectu considerationis habetur sufficiens advertentia ad malitiam peccati, vel ad ejus periculum: esto non habeatur totalis consideratio malitiæ peccati, & ejus effectuum, quæ non requiritur ad peccandum; sed sat est expressa advertentia ad peccatum, vel ejus periculum. Sic ex Azorio, Vasquez, Filliuccio, & aliis recentioribus rectè advertit Bonacina *de Peccatis disput. 2. quæst. 2. punct. 3. numer. 4.*

5 Petes 1. An ad peccatum mortale requiratur plena advertentia malitiæ mortalis; an sufficit advertere ad malitiam in communi absque distinctione mortalis à venìali? Resp. sufficere, si advertat ad malitiam in communi: ratio est, quia posita advertentia ad malitiam tenetur homo inquirere, an ipsa gravis sit, vel levis; inquisitionem siquidem, & cautionem istam præmittere debet, ne se exponat periculo graviter peccandi; qui enim cum tali affectu operatur, ut velit opus, quacumque malitia affectum fuerit; expositus censetur ad patrandum grave peccatum. Sic Vasquez 1. 2. *disput. 117. numer. 14.* Reginaldus *lib. 10. cap. 3. numer. 32. in fine*: Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 2. punct. 3. num. 14.* & Castropalaus *de Peccatis disp. 2. punct. 6. num. 1.*

6 Petes 2. Quænam sint indicia distinguentia plenam advertentiam ad malitiam gravem peccati à semiplena? Resp. quando clarè, & distinctè cognoscitur gravis malitia peccati, quod committitur; & voluntas retardari potest, & impediri ab ejus prosecutione; certum est, tunc haberi plenam advertentiam malitiæ gravis peccati. Quando verò confusè cognoscitur, itaut voluntas perfectè impediri nequeat à prosecutione objecti; tunc habetur semiplena advertentia, deliberatio, & libertas: sic evenit in semisopitis, & non perfectè à somno excitatis; in semiebriis, & vehementissima passione, distractione, apprehensione, aut turbatione laborantibus; itaut ferè nesciant, quid agant: omnes siquidem isti dicuntur semiplenam, & imperfectam deliberationem habere. Sic Navarrus, Cajetanus, Vasquez, Sanchez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Peccatis disput. 2. quæst. 2. punct. 3. numer. 2.* & Castropalaus *de Peccatis disputat. 2. punct. 6. num. 1. in fine.*

7 Petes 3. an semiplena advertentia reddere possit peccatum aliàs ex se grave veniale? Resp. affirmativè cum communi sententia, quidquid in oppositum docuerint aliqui cum Sancio *in suis Select. disput. 18.* putantes, peccatum ex se grave cum semiplena deliberatione, & advertentia vel reddi nullum, aut remanere mortale, & nullatenus transire in veniale. Sed ratio communis sententiæ, à qua ipse Sancius non recedit; est valdè efficax: nam quòd aliquo modo peccet, qui semiplena deliberatione, advertentia, & libertate operatur; patet, quia liberè operatur, adeoque peccat; sed non mortaliter, ergo venialiter. Et quòd non peccet mortaliter, probatur ex eo, quia peccatum mortale dissolvit amicitiam cum Deo, & meretur pœnam æternam; sed non videtur consentaneum divinæ Bonitati ob actum semiplenè deliberatum, & liberum sic graviter punire homines, ergo in illo actu non reperitur malitia mortalis, ergo venialis: maximè quia major, & perfectior deliberatio, ac plenior consensus videtur requiri ad peccatum propriissimè tale, ut est mortale; quàm ad veniale. Sic Castropalaus *disput. 2. de Peccatis punct. 6. num. 3.* testans, esse communem sententiam.

8 Petes 4. ex quibus indiciis quis deducere possit in dubiis, an habuerit plenam, vel semiplenam advertentiam ad malitiam peccati? Et quod dicitur de Advertentia, intelligi etiam potest de perfecto, vel imperfecto consensu; deliberato, vel indeliberato. Resp. quamvis in hoc adeo certa regula assignari nequeat, ut omnem dubitationem auferat: cum enim hæc insint in animo, inde est, quòd solus Deus possit illa perfectè dignoscere: quamobrem Divus Augustinus *in Enchirid. cap. 78.* dixit: Quæ sunt gravia, & levia peccata; non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Nihilominus aliquæ conjecturæ traduntur à Doctoribus, ex quibus aliquo modo dignosci possit. 1. est, si tenuiter, & quasi semidormiens apprehendisti malitiam actus. 2. quando dubitas, si attigeras septennium, nec ne; præsumendum est, te non habuisse perfectam, & plenam libertatem. 3. quando dubitas, an aliquid feceris, vel volueris in somno, aut vigilia; aut dubitas, si eras tui compos, an potiùs somno correptus, ebrietate, phrænesi, aut vehementissima turbatione; tunc præsumi poterit, semiplenam habuisse advertentiam, & imperfectum consensum: nam ea, quæ plena advertentia, & perfecto consensu fiunt; non relinquunt dubitationem sui, nisi fortè longa temporis mora aliquam induxerit oblivionem. Ut rectè habent Sanchez *in Decal. lib. 1. capit. 1. numer. ult.* Bonacina *de Peccatis disputat. 2. quastion. 2. punct. 3. numer. 19. in fin.* & Castropalaus *de Peccatis disputat. 2. punct. 6. numer. 5.* 4. si dubitans soleat habere animum firmum, & sæpe repetitum non committendi mortale; & peccatis dissentire soleat, cum advertit ad illa; ut esse solent viri bonæ, & timoratæ conscientiæ; ut plurimum præsumendum erit, non habuisse perfectam, & plenam advertentiam, & perfectum consensum, esto aliquam negligentiam commiserint in repellendis tentationibus: ratio est, quia ex consuetis, & communiter contingentibus fortissima præsumptio desumitur; adeoque si plenè advertisset, vel perfectè consensisset, facilè id cognosceret, cum solitus sit à peccato abhorrere. Quod è contra probat de Viris perditis, & ad peccandum facilè assuetis. Sic Sayrus, Medina, Reginaldus, Soncinas, Decius, Parisius, Menochius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *loc. cit.* & Castropalaus *locis citatis*. 5. si advertens ad peccatum, ita se cognoscit affectum, ac dispositum, ut quamvis illud facilè exe-

qui

qui posset, non tamen exequeretur, imò pro viribus jam sui compos illud respueret; ut plurimùm præsumendum est, non plenè consensisse cum consensu deliberato, & sufficienti ad mortale: ratio est, quia non ita de facili mutatur talis affectus, & dispositio; maximè quia potentiæ subduntur voluntati sic dispositæ, & affectæ, ut si sufficienter adverteret, perfectum consensum non præberet. Sic ex Sanchez, Filliuccio, Sayro, & Reginaldo docent Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*.

9 Secunda causa, cur mortale ex genere suo transire possit in veniale; est defectus pleni consensus ex parte voluntatis: cum enim peccatum haberi nequeat, nisi habeatur voluntarium; & voluntarium haberi nequit, nisi voluntas consenserit, inde est, quòd deficiente pleno consensu haberi nequeat peccatum mortale ex genere suo; ut Doctores communiter habent. Signa autem imperfecti consensus in rebus dubiis sunt immediatè ante enumerata. Adnotandum hìc, non peccare mortaliter eum, qui levem tantummodo negligentiam ponit in tentationibus repellendis: ratio est, quia levis ista negligentia non potest arguere perfectum consensum: nec videtur consonum divinæ Pietati, ut homo Dei amicitia privetur, & æternis suppliciis abdicatur ob talem consensum imperfectum.

10 Tertia causa, cur mortale ex genere suo transire possit in veniale, est parvitas materiæ, si videlicet hæc sit levis momenti: non enim verosimile videtur, eum graviter peccare, qui in levi materia Deum lædit. Cum tamen certum sit penes Doctores, aliquas materias non admittere parvitatem, alias verò sic; ideò assignandæ erunt illæ, quæ eam excludunt: sed res non est facilis assignationis, cùm Doctores in varias abierint sententias. Suarez, Sanchez, & alii, quos sequitur Bonacina *de Peccatis disputat.* 2. *quæstion.* 3. *punct.* 3. *numer.* 11. asserunt, non dari parvitatem materiæ in eis, in quorum parvis partibus integra ratio injuriæ, & offensæ Dei reperitur: sic sunt, quæ circa Deum, & ejus honorem versantur; singulæ enim eorum partes, licèt parvæ integram rationem irreverentiæ, & offensionis Dei retinent. Verùm licèt venerer assignationem tantorum virorum, nihilominus ulteriùs hoc ipsum explicandum est: cur aliquæ partes, etiam leves aliquarum materiarum integram rationem irreverentiæ, & offensionis Dei retineant; aliquæ verò non: & cur eam retineant, quæ circa Deum, & ejus honorem versantur; non verò ea, quæ indirectè, & mediatè contra Deum versantur. Adde, quòd hoc ipsum inquiritur: an parvitas odii Dei, Infidelitatis, &c. retineat integram rationem irreverentiæ, & offensionis Dei. Quapropter puto, gravitatem aliquarum rerum, & levitatem aliarum desumendam esse ex communi sensu Ecclesiæ, & fidelium, qui quidem sensus rectè fundatur in naturis ipsarum rerum; aliquæ enim res ita reputantur ex se inordinatæ, ut in qualibet materia, etiam parva censeantur gravissimæ: sic sunt Idololatria, Infidelitas, Odium Dei, Desperatio, Simonia, Perjurium, Contemptus Dei, Irritatio Sacramentorum, Homicidium, Pollutio, Adulterium, Fornicatio, & quælibet res venerea; ita enim gravem deordinationem habent ex se, ut in quacumque materia, etiam parva constituantur; judicium non varient. E contra aliquæ res sunt, quæ licèt ex se sint graves, non semper tamen æqualem retinent deordinationem, & judicium variant: sic est furtum in parva, vel magna quantitate factum. Et aliæ res sunt ex se ita leves, quæ nonnisi ex aliquo accidente adjuncto graves esse possint: sic est verbum otiosum, scurrillitas, & similia. Sic Castropalaus *de Peccatis disput.* 2. *punct.* 7. *num.* 2.

11 Remanet hìc explicandum, quomodo cognoscenda sit parvitas materiæ in iis, in quibus dari potest: quod idem est, ac inquirere, quomodo dignoscere possimus, peccatum aliàs grave transire in veniale ratione parvitatis materiæ? Et quamvis hoc discernendum sit principaliter judicio prudentis viri, nihilominus aliquæ regulæ assignantur ad dignoscendam levitatem, vel gravitatem materiæ in iis, quæ levitatis, vel gravitatis capacia sunt. 1. Regula est, non solùm attendere ad ipsam rem præceptam secundum se, & absolutè consideratam; sed præcipuè ad finem præcepti à Legislatore intentum. Si enim res præcepta leviter conducit ad finem Legislatoris, etiamsi materia gravis sit; peccatum erit veniale. Si verò graviter conducit ad finem Legislatoris præcipientis, etiamsi materia levis sit; peccatum mortale erit: sæpe enim evenit, ut res ex se levis fiat gravis ex circumstantiis boni communis, vitandi scandalum &c. Exemplis res comprobatur: præcipit Deus, ne alienum invito Domino surripiatur, aut retineatur: finis hujus præcepti est, ne Dominus damnum patiatur in rebus suis; adeoque si quis contra voluntatem Domini decem aureos acciperet, & sibi retineret; graviter conduceret ad finem intentum à Legislatore, ne Dominus patiatur damnum in bonis suis. Secus verò si sextam partem aurei acciperet, & retineret; non esset acceptio, & retentio graviter, sed leviter conducens ad finem intentum. Sed circumstantiæ adjungi possunt, ex quibus sexta pars aurei, quæ reputatur levis materia, & leviter conducens ad finem Legislatoris; sit gravis materia, & graviter conducens ad prædictum finem: ut si ea surriperetur non à Domino divite, sed paupere, non habente aliunde unde vivat, ut etiam esset, si acus à Sartore surriperetur, non habente aliunde quomodo officium suum exercere posset; utique ex circumstantiis adjunctis materia levis, gravis evaderet, & graviter conduceret ad finem à Legislatore intentum. Idem dicendum de multiloquio in Domo Religiosa, quod licèt ex se levis materia sit; nihilominus si observantiam religiosam graviter læderet, itaut Superior sub præcepto silentium imponeret: violatio silentii ad longum tempus esset gravis materia. Sic etiam gravis materia esset ingressus in cubiculum unius Religiosi loquendi gratia, si ad evitanda gravia inconvenientia talem ingressum Superior prohibuisset. Sic denique gravis materia esset, si Princeps prohiberet gestationem armorum suis Subditis ob bonum commune vitandi rixas, & homicidia, & quis per horam ea gestaret; utique graviter peccaret, quia graviter læderet finem à Legislatore intentum vitandi occasiones rixarum. Secus tamen esset, si remota omni occasione rixæ ea ad brevissimum tempus deferret; non videretur talis gestatio graviter conducere contra finem intentum à Legislatore. Colligitur ergo ex dictis, optimam esse regulam traditam dignoscendi levitatem, vel gravitatem materiæ in rebus præceptis capacibus levitatis, aut gravitatis; dignoscendo videlicet illam non tantùm ex gravitate materiæ in se, sed præcipuè à fine à Legislatore intento, & ex circumstantiis adjunctis. Sic Valentia 1. 2. *disputat.* 7. *quæstion.* 5. *punct.* 6. Suarez *lib.* 3. *de Legibus capit.* 25. *num.* 7. Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *disputat.* 158. *capit.* 6. *numer.* 59. Sanchez *in Decal. libr.* 1. *capitul.* 4. *numer.* 3. Castropalaus *de Peccatis disputat.* 2. *punct.* 7. *numer.* 4. & Bonacina *de Peccatis disputat.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 4. *numer.* 12.

2. Regula, est præcipuè in repetitis transgressionibus præceptorum, si plures materiæ parvæ in se non uniantur inter se, nec secundum se, nec secundum effectus à se relictos; itaut non efficiant unum morale; tunc non reputandæ erunt graves materiæ, & graviter conducentes ad finem à Legislatore intentum. Sic qui parum comedit in pluribus diebus jejunii, ut si quis per totam Quadragesimam quotidie unciam cibi cum dimidia comederet; non peccaret graviter. Idem dicendum, si parum laboraret serviliter in pluribus diebus festis; aut si obligatus ad pensum Divini Officii per plures dies modicum quid omitteret; vel adstrictus voto quotidie recitandi coronam Beatæ Virginis, aut dandi quotidie eleemosynam; & modicum quid omitteret recitationis, vel eleemosynæ quotidie; non peccaret graviter: ratio est, quia parvæ illæ materiæ nec inter se unitatem moralem habent, nec quoad suos effectus; cum quotidie extinguatur obligatio, & nova accedat pro subsequenti die; adeoque singulæ semper erunt, & in se parvæ, nec graviter conducentes ad finem intentum. Secus tamen esset, si plures parvæ materiæ, & secundum se, & secundum effectus à se relictos unitatem moralem haberent, tunc pluries repetitæ 12

gravem materiam constituerent. Sic qui sæpe modicum furatur, & non restituit, postquam illæ materiæ, quamvis parvæ, ad notabilem quantitatem attingant; unam gravem materiam integrant sufficientem ad peccatum mortale. Idem dicendum, si interruptim pluries in eodem penso diurno divini Officii parvas materias omittas; aut in eodem die jejunii pluries parvas quantitates comedas; vel in Votis diei affixis pluries parvas materias ejusdem voti in eodem die omittas &c. In his enim, & similibus casibus, in quibus parvæ materiæ unitatem, & integritatem moralem habere possunt, statim ac perventum erit ad notabilem quantitatem; materia gravis erit, & graviter conducens ad finem à Legislatore intentum; adeoque sufficiens ad peccatum mortale. Sic passim Doctores.

13 Inquiri hic solet; an ex intentione Legislatoris peccatum mortale evadere possit veniale, hoc est, an possit efficere Legislator, quòd materia ex se gravis, & graviter conducens ad finem intentum obliget tantùm sub veniali? Resp. præmittendo priùs ex communi ferè omnium Doctorum sententia, quamvis quodlibet peccatum sit transgressio Legis, & transgressio Legis ex voluntate Legislatoris pendeat; non posse nihilominus Legislatorem ob materiam ex se levem, & leviter ad finem intentum conducentem, gravem obligationem imponere, etiamsi id velit, & intendat: ratio est manifesta, quia talis Lex esset iniqua, & injusta; ut iniqua, & injusta foret intentio Legislatoris: nam quid injustius, & iniquius, quam gravem culpam, & æternam pœnam levi transgressioni præcepti imponere. Solùm igitur remanet inquirendum, an materiam ex se gravem, & graviter conducentem ad finem intentum possit Legislator sub levi culpa, & veniali peccato præcipere; & consequenter peccatum, quod esset grave, ex tali intentione Legislatoris evaderet veniale? Vasquez, Bellarminus, Salmeron, Mexia, Victoria, Aragonius, Salon, Ochagavia, Zapata, Reginaldus, Becanus penes Castropalaum *de Peccatis disputat.* 2. *punct.* 8. *numer.* 5. docent, non posse id efficere Superiorem; moventur, quia voluntas Superioris solùm requiritur ad imponendam obligationem, qualis verò sit obligatio imposita; resultat ex gravitate, vel levitate ipsius materiæ: nec gravitas, vel levitas peccati pendet ex voluntate præcipientis, sed ex ipsis rebus præceptis gravem, vel levem deordinationem inducentibus posito præcepto. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam asserentem oppositum: ratio est, quia obligatio Legis ex voluntate Legislatoris pendet, nec extendi potest ultra intentionem ipsius, ut constat *ex Leg. Si quis nec causam*; *& ex Leg. non omnis ff. Si certum petatur*; ergo si mens, & intentio Legislatoris est non obligare ad mortale, nequibit Lex cum gravitate materiæ obligare ad illud. Adde, quòd sæpe expedit præsertim in Religiosis Communitatibus id efficere, ne multiplicentur præcepta sub gravi obligantia: sic possunt in eis Superiores aliquam materiam ex se gravem sub levi præcipere; auditio namque Sacri ex se materia gravis est, ut patet in præcepto Ecclesiastico audiendi illud diebus festivis; & tamen possunt illam præcipere diebus non festivis sub veniali, quodnam absurdum in hoc? Ad primam rationem in contrarium patet solutio; eo quia non solùm voluntas Superioris requiritur ad imponendam obligationem, sed etiam ad qualitatem obligationis: esto quando non explicat voluntatem suam Legislator adstringendo gravitatem materiæ ad culpam levem, tunc ex gravitate, vel levitate materiæ dignoscenda sit gravitas, vel levitas obligationis. Ad secundam rationem negatur, gravitatem, vel levitatem peccati pendere tantùm ex ipsis rebus gravibus, vel levibus; sed etiam ex voluntate Superioris, quatenus facit, cum intendit ad solum veniale obligare, ut res præcepta, quamvis gravis sit, non graviter lædat Legem; nec gravem deordinationem inducat. Sic Suarez, Valentia, Castro, Sanchez, Navarrus, Sancius, Salas, Bonacina, & alii apud ipsos, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. numer.* 4.

CAPUT VII.

Ex quibus causis peccatum ex genere suo Veniale possit fieri per accidens Mortale.

1 *Ratione finis Mortalis adjuncti Veniale ex se transire potest in Mortale.*
2 *An contemptus absolutus, & formalis transire faciat Veniale in Mortale?*
3 *Si sit contemptus formalis Dei Legislatoris, semper erit grave peccatum.*
4 *Idem dicendum de contemptu formali cujuscumque divini Præcepti, aut Consilii, etiam levissimi.*
5 *Contemptus formalis Legislatoris humani, quatenus talis est, & habens authoritatem à Deo, etiamsi præcipiat in materia levi, aut consilium det; semper est grave peccatum.*
6 *Tunc contemptus formalis est veniale peccatum in re levi, quando non contemnitur Deus, aut Superior, quà talis.*
8 *Contemptus formalis est speciale peccatum, & necessario aperiendus in confessione.*
9 *Contemptus formalis magis latè patet præ Inobedientia formali.*
10 *Ad quam speciem peccati reducitur Contemptus?*
11 *Periculum proximum, & morale incidendi in mortale facit transire Veniale in Mortale.*
12 *Quodnam dicatur Periculum proximum, & morale incidendi in mortale?*
13 *An licitum sit se exponere indirectè ob aliquam gravem causam probabili periculo peccandi?*
14 *Quid facere debeat Confessarius cum pœnitente, qui est in proxima occasione peccandi?*
15 *Additio materiæ transire non facit veniale in mortale, sed quòd Veniali succedat Mortale.*
16 *Scandalum transire facit veniale in mortale.*

MULTÆ assignantur causæ à Doctoribus, ob quas veniale transire possit in mortale, quas singillatim expedit considerare. 1. igitur causa est ratione finis mortalis adjuncti: ut si quis calamum condiscipuli furripiat, ut sic illum inducat ad graviter blasphemandum; aut leve mendacium proferat, ut fœminam inducat ad fornicationem: cum enim ametur finis mortalis, inde est, quòd medium assumptum ad talem finem, quamvis leve sit, mortale evadat. In confessione tamen declarato pravo desiderio mortalis finis non erit de necesse declarandum ipsum peccatum veniale, nam secluso malitia mortalis finis remanet veniale; ut ex Sanchez, Reginaldo, Bonacina, & aliis docet Castropalaus *de Peccatis disputat.* 2. *punct.* 9. §. 1. *numer.* 1. Idem dicendum, si finis ultimus constituatur in ipso peccato veniali: ut si quis ita actualiter nimio affectu prosequeretur rem aliquam venialiter peccaminosam, ut in ea constitueret ultimum finem, hoc est, ut ita paratus sit eam prosequi, quòd potiùs velit peccatum mortale committere, quàm rem illam venialiter peccaminosam dimittere, exemplo res explanatur, si quis ita affectus esset ad fabulas, ludos, colloquutiones cum persona aliqua, quas suppono venialiter tantùm peccaminosas; ut paratus sit potiùs die festivo Sacrum omittere, quàm ab illis abstinere; utique graviter peccabit, eo quia ita inordinatè fertur in res illas, ut finem ultimum in peccato veniali constituat, paratus sacrum omittere, & amicitiam Dei parvifacere, ut peccati venialis finem assequatur. Sic ex Sanchez, Suarez, Reginaldo, Zerola, Navarro, Angles, Sayro, & aliis docet Bonacina *de Peccatis disputat.* 2. *quæstion.* 3. *punct.* 5. *numer.* 2. Qui adnotat *num.* 3. hunc affectum ad incurrendum peccatum mortale non debere esse habitualem, sed actualem: nam ad peccatum contrahendum non sufficit habitualis dispositio, sed requiritur actualis, aliàs qui habitualiter sunt dispositi ad peccandum oblata occasione actu peccarent. Insuper non sufficit ad incurrendum peccatum mortale, quod affectus ad veniale sit intensus, & vehemens; sed quòd sit appretiativè talis, saltem virtualiter, ut paratus sit ejus causa transgredi præceptum sub mortali obligans. In hoc quoque casu non erit de necesse aperire in confessione circumstantiam finis venialis; sed sufficit, si explicetur malitia medii assumpti, hoc est, habuisse animum paratum ad omittendum Sacrum, absque eo quòd ape- 1

aperiatur finis audiendi fabulas e. g. nam malitia finis venialis audiendi fabulas nil addit supra malitiam mortalem omittendi Sacrum propter fabulas. Sic expresse Azor. 1. *par. lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 7. Bonacina *de Peccatis disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *versic. Decimonono*; & Castropalaus *de Peccat. disput.* 2. *punct.* 9. §. 1. *num.* 4.

2 Secunda causa est contemptus absolutus, & formalis; aut formalis Inobedientia: ut autem clariùs, & distinctiùs procedamus, Notandum est 1. contemptum, & inobedientiam non consistere in consuetudine, & frequentia peccandi; sed in actu quo violatur præceptum, qua præceptum, vel quia contemnens non vult subjici præcepto, aut Superiori præcipienti; vel quia formaliter despicit rem præceptam, aut Superiorem. Notandum 2. contemptum alium esse formalem, materialem alium. Formalis dicitur, quando procedit ex intentione formali despiciendi, & postponendi personam aliquam, vel ejus præcepta, & consilia: qui quidem formalis contemptus potest esse in intellectu, & in voluntate. In intellectu erit, si sine ullo fundamento, & ratione judicetur persona aliqua, aut res digna minori existimatione, quàm quæ ipsi revera conveniat. In voluntate erit, si velis rem aliquam, aut personam, vel ejus præcepta, & consilia pro nihilo habere; & opere ostendis, parum æstimari debere. Materialis dicitur, quando non procedit ex intentione formali directè despiciendi personam aliquam, aut rem; quamvis indirectè postponat personam illam, aut rem: sic quælibet transgressio Legis, sive mortalis sit, sive venialis, est aliquis contemptus Legis materialis; postponit enim observantiam Legis propriæ voluntati, & utilitati. Dicitur hic contemptus materialis, eo quia imbibitur in ipsa materia, & opere peccaminoso, ac per omnes transgressiones vagatur. Notandum 3. hic quæstionem institui de contemptu formali voluntatis, an scilicet ratione ipsius peccatum veniale transire possit in mortale; nam ratione contemptus materialis non potest veniale transire in mortale, sed idem, ac immutatum perseverat. Loquimur ergo de contemptu formali voluntatis; sive sit contemptus Legislatoris, sive rei præceptæ, aut Legis, vel consilii. His notatis

3 Dicendum 1. si contemptus formalis sit Dei Legislatoris, etiamsi contemptus sit in re parva, & modica; semper erit grave peccatum. Idem dicendum, si contemptus formalis sit Dei non præcipientis, sed consilium dantis in rebus parvis ad perfectionem spectantibus: ut si quis indignam de Deo æstimationem haberet, eo quia talia præcepta, & Leges; vel talia consilia dederit, eamque signis demonstraret: ratio est, quia magna esset irreverentia, & Deo prorsus indigna; ac tacitam blasphemiam contineret; quasi Deus inutilia præciperet, aut consuleret: ut docent Salas *de Legibus disputat.* 10. *sect.* 8. *numer.* 38. Suarez *de Legibus lib.* 3. *cap.* 28. *numer.* 23. Valentia *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 6. Bonacina *de Peccatis disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 5. *numer.* 10. & Castropalaus *de Peccatis disp.* 2. *punct.* 9. §. 2. *numer.* 6. Hinc fit, graviter peccare eum, qui dicit: nolo obedire Deo in re levi, ne præstem illi hoc solatium, aut ejus beneplacitum exequar: esset namque gravissima injuria, & odium Dei ostendere animum sic depravatum; ut ex Suarez, & Sancio adnotat Castropalaus *l. c.*

4 Dicendum 2. formalem contemptum cujusque Divini Præcepti, aut consilii, etiam levissimi semper esse grave peccatum: ratio est, quia tacitè talis injuria est contra Deum, illumque contemnit: maximè si divina præcepta, aut consilia contemnantur, utpote vana, & inutilia; tunc extra omne dubium gravissimum peccatum erit; ut ex Sanchez, Suarez, & Lessio docet Castropalaus superiùs citatus. Idem dicendum, si quis ea contemneret, ut minùs utilia, & minùs conveniencia; tacitam enim blasphemiam hic contemptus contineret, & maximè derogaret existimationi debitæ divinis Præceptis, & Consiliis.

5 Dicendum 3. contemptum formalem Legislatoris humani, quatenus Legislator, & Superior est, ac Prælatus à Deo habens authoritatem, etiamsi præcipiat in materia levi, aut consilium det; semper esse grave peccatum: ratio est, quia res gravis, vel levis non facit, quin contemnatur ejus potestas tamquam nullius momenti, quæ cum à Deo sit, & vices Dei gerat, videtur Deus ipse contemni, juxta illud *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quapropter si quis Superiorem, quà talem despiceret, & contemneret, ac ejus æstimationem pro nihilo haberet, & penes alios eam minueret; graviter peccaret ob rationem assignatam. Secus tamen esset, si præcisè rem levem ab eo præceptam, aut consilium datum contemneret; *non peccaret graviter: nam* cum res contempta parva ex se sit, & minima, excusabit à mortali ob parvitatem materiæ; nisi tamen contemptus fiat cum animo refundendi illum in Legislatorem, & Superiorem præcipientem, aut consulentem. Sic expresse Sanchez, Suarez, & Salas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Peccatis disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 5. *numer.* 9. & 10. & Castropalaus *de Peccatis disput.* 2. *punct.* 9. §. 2. *numer.* 6. Si verò Legislator humanus contemnatur formaliter, non quà Superior est, & habens authoritatem à Deo; sed quatenus homo est indoctus, imprudens, imperfectus, infimæ sortis; & res præcepta levis sit; poterit talis contemptus esse venialis: ratio est, quia non contemnitur formaliter ejus potestas, sed persona ob suos defectus, & imperfectiones. Idem dicendum, si ex quadam levi indignatione, & pravo aliquo affectu in Superiorem nollet quis ei obedire in re levi; non esset mortalis talis Inobedientia, cum non graviter læderet Charitatem, & reverentiam Superiori debitam. Sic Sanchez, Suarez, Lessius, Bonacina, Castro, Sancius, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit.*

Ex his colligitur 1. contemptum in re levi esse ve- 6
niale peccatum, quando non habetur contemptus formalis Dei, aut Superioris, quà Superior est; non verò ut homo est habens aliquas imperfectiones. Debet tamen Superior revera esse talis, & quòd perfectam potestatem habeat *præcipiendi: hinc est*, quòd à mortali excusentur Clerici Seminariorum, & similium Collegiorum, qui nolunt obedire suis Præfectis ex quodam eorum contemptu: nam tales Præfecti non sunt verè Superiores, nec perfectam potestatem præcipiendi habent; adeoque eos contemnunt, non quà Superiores sunt, sed quà homines aliquos defectus habentes. Sic Bonacina *de Peccatis disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 5. *numer.* 11. & Castropalaus *de Peccatis disp.* 2. *punct.* 9. §. 2. *num.* 6. *in fine*.

Colligitur 2. contemptum aliarum personarum, quæ 7
Superiores non sunt; aliquando esse grave peccatum, & aliquando leve juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, ac qualitates personarum contemnentium, & contemptarum. Cum enim peccatum istud ad injustitiam reducatur, inde est quod suscipere possit magis, & minus; ut rectè advertit Castropalaus *loc. cit.*

Colligitur 3. contemptum formalem esse speciale 8
peccatum, & necessariò aperiendum in confessione: ratio est, quia addit novam speciem malitiæ actui; quapropter transgrediens præceptum Superioris accedendi ad Chorum *in contemptum ipsius Superioris*; non rectè explicat peccatum suum dicendo, se non accessisse ad Chorum; sed ulteriùs aperire debet contemptum Superioris: duplex enim peccatum committeret, & omissionem Chori, & adjunctam irreverentiam contra Superiorem. Idem dicendum de omittente Sacrum die festivo in contemptum præcepti; aperire namque debet, se Sacrum omisisse die festo, & contempsisse præceptum. Sic Suarez, Vasquez, Sanchez, Valentia, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 5. *numer.* 16. & Castropalaus *de Peccatis disputat.* 2. *punct.* 9. §. 2. *numer.* 2.

Colligitur denique, contemptum formalem magis 9
latè patere præ Inobedientia formali: nam inobedientia formalis solùm respicit præcepta; contemptus verò formalis non solùm respicit hæc, sed personas, & consilia. Quapropter si quis Superiorem formaliter contemneret, *non verò* ejus præcepta, quamvis esset formalis contemptor, non esset tamen formalis inobediens. Non nego tamen, quòd inobedientia formalis, quamvis *non* sit formalis contemptus, illum nihilominus regulariter supponit: nam nasci solet ex Superioris despectu, ac abjecta æstimatione illius; quamvis etiam nasci possit ex indignatione contra Superiorem, & tunc inobedientia formalis præsupponit odium. Nasci etiam potest ex propria æstimatione, & arrogantia; & tunc præsupponit superbiam: semper tamen qui formaliter inobedit,

habet aliquod ex enumeratis motivis, cum præcisè ob inobedientiam moveri nequeat, cum nemo intendens in malum operari possit. Sic Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 9. §. 2, *num.* 3. & 4.

10 Remanet explicandum, ad quamnam speciem peccati reducatur contemptus. Et breviter dico: si contemptus sit contra Deum, ejus præcepta, vel consilia; esse peccatum contra Religionem obligantem ad præstandum Deo debitum cultum, honorem, & reverentiam. Si sit contra Parentes, esse peccatum contra Pietatem obligantem ad reverendum Parentes, & Consanguineos. Si contra Superiores, & Prælatos esse peccatum contra Obedientiam, & Observantiam illis debitam. Si contra alias Personas minoris æstimando illas, quàm par sit; esse peccatum injustitiæ: cum cuique debeatur ex justitia honor, reverentia, & æstimatio juxta ipsius qualitates.

11 Tertia causa cur veniale transire possit in mortale est periculum proximum, & morale incidendi in mortale peccatum: cum enim venialia disponere soleant ad mortale, inde est, quòd ex frequentatione ipsorum periculum proximum, & morale incidendi in mortale resultare potest; & consequenter peccet mortaliter, qui sic ea frequentat prævidens proximam dispositionem ad mortale: nam qui periculum amat, peribit in illo, juxta Ecclesiasticum *cap.* 3. & *cap.* 18. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Quapropter si aliquis ita affectus esset ad omnia venialia, ut intentionem haberet committendi omnia ea, aut non vitandi ullum peccatum veniale; graviter peccaret, constitueret namque se in proximo, & morali periculo graviter peccandi; ut docent Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. & Bonacina *de Peccat. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 17. & afferunt pro exemplo Religiosum, qui statueret non servare regulas suæ Religionis, vel præcepta sui Superioris, nisi ea tantùm, quæ sub mortali obligarent. Peccatum igitur veniale, & quod dicitur de ipso, intelligendum pariter est de re aliqua ex se indifferenti, si ad mortale disponit; transit in mortale: eo quia est moralis, & proxima occasio labendi in mortale; & eodem præcepto tenetur unusquisque vitare periculum proximum mortalis peccati, quo tenetur mortale ipsum vitare, aliàs amaret peccatum illud, cujus periculum amat. Sic Suarez *tom.* 6. *in* 3. *part. disp.* 18. *sect.* 3. *numer.* 16. & Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 1.

12 Inquires 1. quodnam dicatur periculum proximum morale incidendi in mortale? Resp. illud esse, quod passim sese offert, & attenta tua fragilitate frequenter ad peccatum inflectit, ac inducit. Sic ex Suarez, Navarro, & Sanchez docet Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 2. Non requiritur autem ad periculum proximum, & proximam occasionem peccandi, ut tenearis ad vitandam illam, quòd peccatum sit opere consummatum; sed sufficit ad inducendam hanc obligationem, quòd sit tale in sola voluntate, ac tantùm interiùs: sic habens domi fœminam, ex cujus conspectu frequenter moveatur ad illam lascivè concupiscendam, & frequenter desideriis consensum interiùs præbeat; tenetur ad removendam occasionem illam: cum obligatio vitandi occasionem proximam peccandi non sit pro mortalibus tantùm opere consummatis, & prodeuntibus in actum externum; sed pro omnibus mortalibus, etiam internis. Sic rectè advertit Sancius *in Selectis disp.* 10. *num.* 13. qui pariter advertit *num.* 3. ad hoc ut aliquis dicatur habere proximam occasionem peccandi cum fœmina, non requiri, ut eam domi retineat; sed sufficere, quòd alibi retineat, & liber sit aditus ad illam, ac si cum ipso habitaret. Non nego tamen, quòd ad hoc ut dicatur quis frequenter induci ad peccatum, ac habere occasionem proximam peccandi; non sufficit, quòd semel, aut iterum peccaverit, sed pluries restiterit: nam frequentia non inducitur per unum, aut alterum actum, quando pluries in oppositum restitent. Sic docent Sancius *l. c. num.* 17. & Castropalaus *l. c. num.* 2. *in fine*.

13 Inquires 2. an licitum sit se exponere indirectè probabili periculo peccandi ob aliquam gravem, & honestam causam spiritualem, vel temporalem? Resp. quamvis aliqui docti Viri docuerint, ob nullam causam temporalem licitum esse exponere se tali periculo: cum bona spiritualia semper præferenda sint cuicumque bono temporali. Nihilominus communis sententia docet, id fieri posse; imò si sic periculo est expositus, illud non deserere debet: ratio est, quia cum periculum peccandi non sit formaliter peccatum, sed tantùm occasio illius, inde est, quòd possit ex urgenti necessitate gravi, & honesta cohonestari: maximè quia qui subit illud ex tali necessitate, non censetur illud amare, & directè velle, ac voluntariè se in illud injicere; sed potiùs pati. Sic poterit quis non solùm ad infideles accedere convertendi gratia illos cum periculo subversionis; & ad prædicandum Meretricibus cum periculo peccandi; ut habent Salas *tom.* 2. *quæst.* 74. *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 17. *num.* 105. plures referens, Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 6. *in fin. concl.* 2. & Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 10.

Verùm etiam tenetur parens alere filios ex concubini natos, qui nec à matre sepirari queunt, nec alia via possunt sibi victum quærere, & si periculum habeatur labendi cum concubini alibi commorante. Eadem ratio militat pro Chirurgo medente vereuda mulieris cum periculo gravi consensus; ac de Custode Carcerum Sacræ Inquisitionis ministrante cibos mulieri inclusæ in secreto loco, & si habeatur periculum peccandi cum illa: ratio est, quia damnum eveniens proximo ex omissione harum actionum est grave, & inevitabile; damnum verò, quod incurrere potest tales actiones exercens, vitari queit auxilio Dei, qui non deerit invocantibus illum: nam non ex propria voluntate, & directè illi periculo se exponit, sed ob beneplacitum Dei; & animo juvandi proximos: patet in Confessariis, qui non debent renuere, exponere se confessionibus audiendis ob probabile periculum grave alicujus delectationis; aut si jam expositi fuere, munus adeo sacrosanctum deserere ob tale periculum. Si enim recta intentio adsit, & studium inserviendi Deo, ac juvandi proximos; non censendum erit verè periculum, sed facilè vincendum cum adjutorio Dei: ut bene habet Divus Thomas relatus à Castropalao *l. c.* Meritò tamen damnata fuit ab Innocentio XI. Propositio asserens: *Quòd licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali nostro, vel proximi*. Numquam enim hoc licitum reddi potest, esset enim directè velle peccatum, quod fieri nequit pro quocumque bono spirituali, vel temporali juxta illud *Matth.* 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nec nostra doctrina est: quòd proxima occasio peccandi non sit fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit: nam pariter damnata fuit ab eodem Pontifice prædicta propositio. Non enim quæcumque causa utilis, vel honesta reddit licitum non fugere occasionem proximam peccandi; sed causa necessaria, & gravis cum impossibilitate morali deserendi illam: ut rectè habet Cardenas *in Dissert. Propos. damnat. dissert.* 40. *cap.* 7. *art.* 2.

Inquires 3. Quid faciendum à Confessario cum pœ- 14
nitente, qui est in proxima occasione peccandi? Resp. præmittendo priùs ut indubitatum, ac decisum *ab Innocentio XI.* non posse Confessarium absolvere pœnitentem, qui in proxima occasione peccandi versatur; quam potest, & non vult omittere, quinimo directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit: in terminis enim damnata fuit à prædicto Pontifice sententia asserens, posse absolvere. Præmitto 2. ut pariter indubitatum, ac decisum ab eodem Pontifice, non posse absolvere pœnitentem habentem consuetudinem peccandi, si emendationis spes nulla appareat, quamvis ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: nam in terminis damnata fuit ab ipso propositio asserens: Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, non est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. His præmissis

Dicendum 1. mutatis circumstantiis, aut supervenientibus novis obstaculis, ex quibus censeri possit moraliter, oblatam esse proximam occasionem peccandi; poterit Confessarius pœnitentem absolvere, qui firmiter proponit, ampliùs non peccaturum: cessasse namque videtur proxima peccandi occasio: ut si puella, cum qua peccabat; valde deformis facta sit ob infirmitatem; aut ita strictum vinculum cognationis inter ipsos advenerit, ut certò moraliter credatur, non contemnendum ab ipsis. Sic ex Graffis, Sancio, Ludovico Lopez, & Antonio Fernandez docet Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 16.

Dicen-

Dicendum 2. Quando pœnitens est in talibus casibus, ut moraliter fugere non possit occasionem proximam peccandi, adeoque non obligetur eam fugere si firmum propositum revera habeat non peccandi; absolvi poterit à Confessario: nam eodem modo se habet, ac sunt habentes consuetudinem murmurandi, jurandi falsò, se polluendi; ergo si isti absolvi possunt, dum habent verum, & firmum propositum non ampliùs peccandi; sic etiam & pœnitens ille. Non nego tamen, quòd possit differri absolutio, etiamsi constet probabiliter de firmo proposito; ut medio illo tempore se magis disponat, ac pœnitentias aliquas faciat ad firmiorem emendationem. Quòd si nulla spes emendationis appareat, imò in dies magis in peccata prolabatur; deneganda erit absolutio: satis enim clarè constat, non habere verum propositum se emendandi; nam qui ex animo peccatum grave execratur, non facilè prolabitur in illud, sed majori diligentia se præcavet. Sic ex Suarez, Reginaldo, Graffis, Navarro, Coriolano, & Lopez docet Castropalaus *disp. 2. pun. 9. §. 3. num. 17.*

Dicendum 3. Non posse regulariter confessarium absolvere pœnitentem in proxima occasione peccandi constitutum, quam potest, & tenetur deserere, etiamsi verum, & firmum propositum habeat ampliùs non peccandi; nisi priùs eam expellat: nam in dies experientia comprobat, rarò similes pœnitentes semel absolutos occasionem expellere, maximè si semel in anno ad confessionem accedant; imò deteriores effectos liberiùs in peccata prorumpere. Quidquid in contrarium dixerit Sanctus *disp. 10. Select. num. 4.* contra eum namque stant ferè Doctores omnes, qui videri possunt penes citatum Castropalaum *numer. 18.* asserentem ab Ecclesia, & Sanctis Patribus decisam hanc controversiam.

15 4. Causa cur veniale transire possit in mortale est additio materiæ, quapropter si furari parvam quantitatem est veniale peccatum, addita majori quantitate notabili evadet mortalem. Sed ut verum fatear, non est propriè sic veniale transire in mortale, sed potiùs veniali succedere mortale, dum quantitas furto ablata fit notabilis. Certum namque debet esse penes Catholicos omnes, nullum veniale ex genere suo tale fieri mortale per multiplicationem: quapropter si verbum otiosum est veniale ex genere suo, si infinities multiplicetur, semper veniale erit: multiplicatio siquidem nec constituit actum in alia specie, nec intensivè gravitatem peccati auget, sed tantùm extensivè, hoc est, plura peccata constituit sub eadem ratione. Hinc fit, multa venialia non posse per se, & formaliter loquendo unum peccatum mortale constituere: nam cum multis peccatis venialibus componi potest gratia, & amicitia Dei; secus verò cum uno mortali; ut ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. docent Cajetanus, Medina, Vasquez, Suarez, Becanus, Sayrus, Sanchez, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Peccat. disp. 2. quæst. 3. punct. 5. num. 22.* & Castropalaus *de Peccat. disp. 2. pun. 9. §. 2. num. 1.* Communis namque sententia est penes Doctores, teste Bonacina citato, veniale non posse fieri mortale ratione frequentiæ, & consuetudinis; nisi aliunde habeatur contemptus, scandalum, aut periculum incidendi in mortalia; aut habeatur mutatio ratione cognitionis, & deliberationis; aut finis mortaliter peccaminosi, ut superiùs diximus; vel denique habeatur unio in aliquo tertio cum aliis partibus, itaut cum ipsis unum mortale constituat, ut patet in parvis furtis continuatis pertingentibus ad notabilem quantitatem, ut etiam supra diximus.

16 5. Causa cur veniale transire possit in mortale est Scandalum: nam si actus indifferens ratione scandali evadit mortaliter peccaminosus, à fortiori peccatum veniale ratione scandali evadet mortale. Si quis enim suo dicto, vel facto leviter peccaminoso alium inducit ad graviter peccandum, graviter peccabit, cum particeps fiat peccati mortalis proximi, Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 5. *in corp.* Toletus, Suarez, Sanchez, Vasquez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disp. 2. pun. 9. §. 4. num. 13.* & Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 3. punct. 5. num. 19.*

CAPUT VIII.

Quanta sit malitia peccati; & an dari possit actus indifferens neç bonus, nec malus in genere moris.

1 *Malitia peccati non est simpliciter, & intrinsecè infinita.*
2 *Extrinsecè tantùm, & terminativè est infinita.*
3 *De utroque peccato Actuali, & Habituali hæc intelligenda sunt.*
4 *Quid sit actus indifferens? Et statuitur, eum dari quoad speciem.*
5 *Actus deliberatus, & advertente ratione factus nequit esse in individuo indifferens.*

QUAMVIS hæc controversia de malitia peccati satis amplè tractetur à Theologis Scholasticis, ad quos propriè spectat; nihilominus eam breviter attingere non alienum est à Theologo Morali. Dicendum igitur, malitiam, injuriam, ac offensam Dei, quæ in peccato continetur; non esse simpliciter, & intrinsecè infinitam. 1. Quia tanta est privatio alicujus formę, quanta est ipsa forma exclusa; ergo si bonitas debita actui, quæ excluditur per malitiam, injuriam, & offensam Dei contentam in actu peccaminoso, non est simpliciter, & intrinsecè infinita; nec erit simpliciter, & intrinsecè infinita ejus privatio. 2. Quia si in actu dilectionis Dei, qui magis versatur circa ipsum Deum, non reperitur bonitas simpliciter, & intrinsecè infinita; nec in actu peccaminoso reperietur malitia, injuria, & offensa Dei infinita. 3. Quia omnia peccata mortalia essent equalia, si peccatum haberet malitiam simpliciter infinitam, non enim unum infinitum majus est alio: insuper peccatum non haberet determinatam speciem, sed includeret species omnium aliorum peccatorum. 4. Quia gravitas injurię, & offensę desumitur à majori, vel minori cognitione personę, cui fit offensa, & injuria; cum ergo in peccatoribus dari nequeat infinita cognitio Dei, seu modus infinitè cognoscendi Deum, inde est, eorum peccata non continere simpliciter, & intrinsecè infinitam malitiam, offensam, & injuriam Dei. Sic communior Theologorum sententia, quamvis non desint doctissimi Viri oppositum sentientes. 1

Erit igitur malitia, injuria, & offensa Dei, quę in peccato reperitur, extrinsecè tantum, & terminativè infinita; in quantum peccatum fit contra personam infinitam, & infinitè dignam; adeoque peccati malitia, injuria, & offensa Dei extrinsecè tantùm, & terminativè dicenda erit infinita. Ad eum modum, quo bonitas, quę in actu dilectionis Dei reperitur, extrinsecè tantùm, & terminativè est infinita, quia videlicet habet pro termino, & objecto Deum infinitum dilectum; & malitia peccati, injuria, & offensa habet pro termino, & objecto Deum infinitum offensum. Et sicuti non est infinita intrinsecè bonitas dilectionis Dei, quia convertit ad summum bonum, & facit mereri gloriam æternam; sic *non* erit simpliciter infinita malitia peccati, quia avertit à summo bono, & facit demereri infinitam pœnam quoad durationem. Nec disparitas inter bonitatem dilectionis Dei, & malitiam peccati esse potest, eo quia injuria, & offensa crescit ex vilitate personę offendentis, & dignitate personę offensę, ex quibus capitibus decrescit honor. Nam licèt hoc non denegem, nihilominus non probat infinitum incrementum in malitia, & injuria peccati intrinsecè: non enim incrementum istud accipitur ab infinita tantùm dignitate personę offensę, sed juxta proportionem majoris, vel minoris cognitionis Dignitatis objecti, quę quidem Dignitas cum nequeat infinitè cognosci, inde est, quòd numquam sit infinita malitia, & injuria peccati. 2

Quę dicta sunt, intelligi non solùm debent de peccato Actuali, sed etiam de Habituali, cum de utroque militet par ratio: nam habituale peccatum consistit in actu peccaminoso præterito, moraliter tamen perseverante; & malitia actus peccaminosi Actualis non est simpliciter infinita, ut innuimus; adeoque etiamsi moraliter perseveret, non evadet simpliciter infinita. Accedit, quòd privatio gratię, quę etiam peccatum habituale constituit; cum non privet gratia, quę secundum se, & intrinsecè sit infinita, sed finita, inde est, peccatum habituale non posse intrinsecè importare infi- 3

nitam

nitam malitiam, sed extrinsecè, & terminativè tantùm.

4 Actus indifferens ille dicendus est, qui ex se nec bonitatem, nec malitiam habet in genere moris. Et quidem quòd dentur actus aliqui, qui secundùm suam speciem nec boni, nec mali sint; certum esse debet: nam actiones aliquæ dantur, quæ non sunt bonæ moraliter ex objecto; ut sunt refricare manus, vel barbam, deambulare, vel petere agrum, comedere &c. adeoque conformes non sunt rectæ rationi. Nec malæ sunt, cum non sint prohibitæ; quapropter constat, aliquas actiones dari ex sua specie indifferentes, & non habere determinatum objectum, à quo suam bonitatem, vel malitiam desumant. Nec valet dicere, quòd omne objectum, in quod fertur actus; vel est bonum, vel est malum, & nullum datur indifferens. Negatur namque assumptum: nam sicuti datur objectum bonum, quatenus scilicet congruit rectæ rationi, cui si actus conformetur, bonus moraliter erit; & datur objectum malum, quatenus rectæ rationi repugnat; cui si conformetur actus, malus moraliter erit; sic etiam datur objectum indifferens, quod nec rectæ rationi congruit, nec illi repugnat; adeoque actus illud respiciens erit ex sua specie indifferens.

5 Solùm controversia est de actibus deliberatis in individuo, & in particulari, an possint esse indifferentes in genere moris; nam de ipsis indeliberatis, factis videlicet non advertente ratione, ultrò conceditur, posse esse indifferentes, nec bonos scilicet, nec malos; bonitas siquidem, & malitia actuum humanorum in libera hominis voluntate fundatur. In hac controversia dicendum, probabilius esse, nullum actum deliberatum, & advertente ratione factum posse esse in individuo, & in particulari indifferentem: moveor, quia actus, qui deliberatè fit, & ratione advertente, vel fit juxta rationem rectam, & rectum dictamen illius, vel non. Si juxta rectam rationem fit, bonus erit: bonum siquidem est juxta rectæ rationis præscriptum operari; sin minus, malus erit, cum malum sit non operari juxta rectæ rationis præscriptum; ergo nullus actus deliberatus in particulari, & in individuo potest esse indifferens. Et quamvis in actibus ex sua specie indifferentibus bonum utile, & delectabile reperiatur, quod ex se indifferens est; nihilominus in individuo, & in particulari si fiant deliberatè cum conformitate ad rectam rationem ex bonitate utili, & delectabili transeunt ad bonitatem honestam, & convenientem rationi; sin minus bonitate honesta carebunt, & mali erunt. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 9. quem sequuntur Cajetanus, Durandus, Capreolus, Sanchez, Salas, Becanus, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 4. *num.* 1. Quamvis oppositum non sine sua probabilitate doceant D. Bonaventura, Scotus, & alii doctissimi Viri. Adnotandum tamen: ut plurimum hos actus ex sua specie indifferentes fieri in particulari, & in individuo indeliberatè, & nulla ratione advertente, quasi sint actus hominis, non humani.

CAPUT IX.

Quando Delectationes, & Desideria objecti mali sint peccata.

1 *Quomodo differat Delectatio morosa objecti mali à Desiderio?*

2 *An Delectatio, & libera Complacentia objecti mali formaliter absque proposito exequendi illud, sit grave peccatum?*

3 *Delectatio, & complacentia de cogitationibus objecti mali, non autem de ipso; non est peccaminosa, & mala.*

4 *An delectari de objecto materialiter malo sit grave peccatum?*

5 *In materia luxuriæ nulla datur in hominibus solutis delectatio liberè quæsita, & deliberatè, quæ sit venialis ex parvitate materiæ.*

6 *Quinque Illationes ex dictis.*

7 *Extra materiam luxuriæ delectari morosè de opere malo ex aliqua circumstantia peccaminosum erit juxta ipsum opus.*

8 *Delectatio de quolibet objecto jure positivo prohibito potest esse sine peccato mortali, si intellectus repræsentet illud voluntati denudatum circumstantia vitiante.*

9 *Delectatio de objectis jure naturali prohibitis semper est mala.*

10 *An teneatur voluntas reprimere positivè delectationem carnalem?*

11 *An desiderium objecti mali sub conditione, quòd malum non esset; sit grave peccatum?*

12 *An delectatio appetitus sensitivi cum commotione corporis sit grave peccatum, quando voluntas non consentit expressè in talem delectationem?*

13 *An delectatio morosa de objecto turpi contineat in se omnes illas species, quas continet desiderium illius, adeoque in confessione aperienda?*

14 *Quodnam peccatum sit jactare se, aut permittere jactari de peccatis, vel Virtutibus?*

15 *Peccatum est, dum alius si te jactat de peccato, tu complaceas, gaudeas, & laudes acceptes.*

16 *Eodem modo dicendum, si alium jactes, aut laudes de peccato commisso; aut exprobres, quod illud non commiserit.*

17 *Jactantia de peccatis est ejusdem speciei cum peccatis jactatis.*

18 *Jactantia de donis naturalibus ingenii, fortitudinis, nobilitatis, si immoderata sit, & sine damno tertii; est veniale peccatum. Secus verò si cum damno tertii.*

19 *Jactantia de operibus Virtutis ob humanam laudem sine damno tertii veniale peccatum est. Nullum verò peccatum, si fiat ad excitandum alios ad illa præstanda.*

20 *An si quis eligeret minus malum in comparatione majoris, peccaret, etiamsi haberet voluntatem vitandi utrumque?*

DIFFERT Delectatio à Desiderio objecti mali, nam delectatio est simplex amor, & complacentia objecti cogitati, fruendo ejus dulcedine, absque desiderio tamen executionis. Solet dici Delectatio morosa, non à mora temporis, eo quia perfici potest delectatio in momento; sed eo quia voluntas ei immoretur post plenam advertentiam rationis. Desiderium verò est voluntas, intentio, & propositum efficax rei malæ tendens ad executionem. Ut autem clariùs, & distinctiùs procedamus in his, quæ ad Delectationem, & Desiderium objecti mali spectant; per subsequentia Quæsita ea proponemus.

Quæres 1. An Delectatio, & libera Complacentia 2
de objecto formaliter malo, absque tamen proposito exequendi illud, sit grave peccatum? Resp. si objectum cogitatum in delectatione, & complacentia illa sit formaliter malum graviter, utique talis delectatio graviter peccaminosa erit: ut si quis delectaretur de fornicatione, furto notabili, jejunio violato &c. sive ea commiserit, sive non, imò nec commissurus sit, & omnem committendi occasionem fugeret: ratio est, quia jam per voluntatem amplecteretur obiectum formaliter malum graviter, ergo mortaliter peccaret: & parum refert, quòd sub ratione delectabilis tantùm amplecteretur; aut quòd obiectum verum sit, vel fictum, ut suam malitiam conferat. Hinc est, quòd si coniuges copulam maritalem habentes, delectarentur in illa de copula fornicaria, etiamsi eam committere nollent; graviter peccarent. Sicuti si vir accedens ad uxorem suam cogitationem haberet in eo congressu de alia fœmina, & complaceret, & delectaretur de ea non sua; graviter etiam peccaret, quamvis animum non haberet committendi adulterium illud: ratio est, quia approbaret obiectum mortaliter malum, & affectivè ferretur in illud, quamvis non effectivè. Sic Sanchez alios referens *lib.* 9. *de Matr. disp.* 17. *num.* 6. Sylvester *verb. debitum quæst.* 2. *in fin.* & Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *pun.* 10. §. 1. *num.* 6. Si verò obiectum malum cogitatum in delectatione, & complacentia illa libera sit malum formaliter venialiter tantum; delectatio, & complacentia de tali obiecto erit venialiter tantùm peccaminosa: sic qui delectatur, & liberè complacet de verbo otioso, de levi mendacio, de furto levi &c. venialiter tantùm peccabit: ratio est, quia approbaret obiectum venialiter tantùm malum. Sic communis sententia cum D. Thoma.

Quòd si delectatio, & Complacentia sit tantùm de 3
cogitatione obiecti mali, non autem de ipso opere, & obiecto malo; non erit peccaminosa, & mala: ratio est;

est, quia sicuti cognoscere objectum malum ; malum non est; nec malum erit de tali cogitatione delectari, ut patet in Deo omnia objecta mala cognoscente, & de tali cognitione delectante; sic etiam cogitare objectum malum, & de tali cogitatione delectari, malum non erit, & peccaminosum. Et defacto cogitantes res obscœnas ad docendum, & concionandum non peccant, imò mereri poterunt; adeoque si de tali cogitatione tamquam puro objecto delectationem habebunt, non peccabunt. Similiter dicendum, si tantummodo versetur delectatio circa modum malè operandi, non verò circa opus malum; tunc delectatio mala non erit, nec peccaminosa : sic qui delectatur de modo mirabili, & artificioso alicujus viri fraudolenti in exercendis suis fraudibus in furando; aut de dexteritate, velocitate, ingenio, fortitudine alicujus in superando, & occidendo inimicum suum in duello, & similibus; non peccat ob talem delectationem : sicuti non peccat, qui delectatur in audiendis; vel legendis fabulis, duellis, fraudibus in furtis, aut in aliis inopinatis eventibus : ratio est, quia non delectat opus malum, sed modus ille malè agendi, qui ex se malus non est; dexteritas namque illa, ingenium, velocitas, fortitudo, & similia non sunt mala ex se, esto adjungantur pravis actionibus : nec delectatio fertur in illa, uti adjuncta pravis actionibus; sed potiùs ut præscindunt ab illis : sic naturaliter ridere solemus, cum quis præceps in terram cadit propriis pedibus, vel dum equitat; non quia placeat malum proximi, sed modus ille cadendi inopinatus. Adnotandum tamen : quòd licèt per se loquendo delectari de cogitatione, aut modo artificioso adhibito in peccando non sit peccatum; per accidens tamen potest fieri veniale; si cogitatio sit vana, & otiosa, ac absque rationabili fine facta; & potest etiam fieri mortale, si periculum adsit consentiendi in aliquod mortale; adeoque abstinendum ab ipsa, si rationabilis non urgeat causa. Sic D. Thomas, Angelus, Sylvester, Salas, Sanchez, Lessius, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 1. *numer.* 2. & 4.

4 Quæres 2. An delectari de objecto materialiter malo sit grave peccatum? Resp. quamvis Doctores in varias abierint sententias; alii namque asserunt, nullam delectationem de objecto materialiter malo, etiam in re venerea, esse mortaliter peccaminosum, sed venialiter tantùm. Alii verò ex opposito docent, omnem delectationem de objecto mortali, sive à jure naturali prohibito, sive positivo, in quacumque materia sit; esse mortaliter peccaminosum. Verior tamen, & communior sententia distinguit : si delectatio sit de opere mortaliter peccaminoso jure naturæ, mortalis est; si verò sit de opere mortaliter peccaminoso jure positivo, non est mortaliter peccaminosa : ratio est, quia in prohibitis jure naturali non datur separatio malitiæ ab illis, sunt etenim ex se, & intrinsecè mala; secus verò dari poterit separatio malitiæ ab operibus jure positivo peccaminosis : cum enim ab illis separari possit prohibitio, quæ facit, ut mala sint, inde est, quòd possit quis delectari de illis, non quatenus prohibita sunt, & mala, sed quatenus delectabilia : sic qui videt ægrotum die vetito comedentem carnes, & de tali comestione delectatur, non quia prohibita est sibi, sed quatenus licita ægroto; non habet delectationem peccaminosam; quia est de comestione bona, & non violante præceptum.

5 Sed ut distinctiùs in hac re procedamus : Dicendum 1. In materia luxuriæ, nullam dari posse in hominibus solutis delectationem liberè quæsitam, ac deliberatè, quæ ex parvitate materiæ venialis esse possit. Hæc sententia adeò certa est nostris hisce temporibus, ut opposita nullam prorsus probabilitatem habeat : probatur tamen, eo quia delectatio de obiecto venereo in solutis est per se causa copulæ, aut pollutionis, & ex sua natura ad illam tendit, commovet siquidem appetitum sensitivum, & spiritus vitales generationi inservientes; ergo per se mala est, & prohibita solutis. Idem dicendum de osculis, amplexibus, ac tactibus illicitis; disponunt namque ad copulam, vel pollutionem prohibitam per se, & initium illius sunt; ergo si delectari deliberatè in hominibus solutis de copula, vel pollutione grave peccatum est; grave pariter peccatum erit delectari deliberatè de osculis, tactibus, & amplexibus illicitis, quæ magis appetitum commovent, & efficaciori impetu ad copulam, vel pollutionem excitant; adeo ut rarò abesse poterit consensus ad opus in tali delectatione, ut rectè adnotat Divus Thomas *de Verit. quæstion.* 15. *articul.* 4. & sic docent Vasquez, Salas plures referens, Basilius de Leon, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 4. Consonant Summi Pontifices : Alexander VII. damnavit Propositionem asserentem : *Et probabilis Opinio, quæ dicit : esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Innocentius XI. damnavit Propositionem asserentem : *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Damnavit pariter aliam immediatè sequentem : *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Ex dictis fit 1. Non licere hominibus solutis dele- 6
ctari de copula sub conditione cogitata, si scilicet esset licita : ratio est, quia cognitio, & delectatio illa est præsens, & causa, & initium de præsenti copulæ, aut pollutionis, quæ non licent. Sic ex Vasquez, & Basilio de Leon docet Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 1. Fit 2. Nec Viduis licitam esse delectationem copulæ habitæ in Matrimonio cogitando illam; nec Sponsis de futuro delectationem de cogitatione copulæ habendæ tempore coniugii : ratio est, quia licèt obiectum bonum sit; nihilominus cum delectatio illa de præsenti oppositionem habeat cum Virtute Castitatis; de præsenti siquidem commoventur spiritus, & initium, ac causa sunt copulæ, vel pollutionis, inde est, licitam esse non posse talem delectationem. Sic Sanchez plures referens *lib.* 9. *de Matrim. disputat.* 47. *num.* 4. Vasquez, Lessius, Basilius de Leon, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. numer.* 7. Fit 3. Nec esse licitam delectationem conjugibus voto Castitatis ligatis de cogitatione copulæ habitæ ante votum : ratio est, quia militat idem motivum, quod militare diximus pro Viduis, & Sponsis de futuro; siquidem delectatio præsens de objecto proposito bono commovet spiritus, & dat causam copulæ, aut pollutioni; adeoque de præsenti adversatur Castitatis voto, quod insuper omnem delectationem sensibilem venereamprohibet, tam voluntatis, quàm appetitus sensitivi, cum delectatio appetitus sensitivi ob naturalem sympathiam, quam habet, excitat delectationem voluntatis, nec distingui potest una delectatio ab alia. Sic ex Vasquez, & Basilio de Leon docet Castropalaus *loc. cit. numer.* 12. Fit 4. Nullo modo esse licitam delectationem de copula, vel pollutione in somnis habita, & sine peccato contingente : ratio est, quia est excitativa copulæ, vel pollutionis de præsenti, adeoque Castitati id prohibenti contraria. Sic ex Zumel, Salas, Basilio de Leon docet Castropalaus *loc. cit. numer.* 10. Quamvis gaudere de effectu inde secuto ob honestum finem exonerationis naturæ, vel sedationis tentationum ingruentium non sit illicitum, & peccaminosum; cum non sit delectari de pollutione, sed de effectu secuto. Sic docent Vasquez, Basilius de Leon, Lessius, Sà, Salas, Sanchez relati à Castropalao *loc. cit.* Fit 5. Delectationem de copula aliorum, sive licita, sive illicita, sicuti delectationem de copula aliquorum animalium, illicitam esse, & graviter peccaminosam : ratio est, quia etiamsi ad objecta non prohibita referrentur delectationes istæ; nihilominus prohibitæ sunt ratione sui ob repugnantiam, quam dicunt, & important cum Castitate : commovent siquidem spiritus generationi inservientes, & excitant appetitum ad Venerem. Sic Salas, Corduba, Azor. relati à Castropalao *loc. cit. numer.* 19.

Dicendum 2. Extra materiam luxuriæ gaudere, & 7
delectari morosè de opere malo ex aliqua circumstantia, quatenus tale est; peccaminosum esse juxta ipsum opus malum : sic si apprehendis judicem, & sub hac apprehensione meditaris vindictam sumere de tuo inimico; graviter peccas : sicuti apprehendis te sanum comedere carnes die vetito, ac de tali comestione delectaris, graviter peccabis etiam. Si verò apprehendis, mendacium leve proferre; aut ver-

ba vana, & otiosa, & de his delectaris, & gaudes; leviter peccabis : ratio est, quia delectatio illa vel approbat objectum malum, vel ejus approbationem supponit; & approbare objectum malum, malum est; adeoque delectari de illo malum erit. Sic Basilius de Leon *lib.* 10. *de Matrimon. cap.* 16. *numer.* 16. & Castropalaus *de Peccatis disputat.* 2. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 21.

8 Dicendum 3. Delectationem de quolibet objecto jure positivo prohibito posse esse sine peccato mortali, si intellectus repræsentet voluntati objectum illud denudatum circumstantia vitiante, & voluntas, ac appetitus feratur in ipsum sic nudè repræsentatum : ratio est, quia ex una parte objectum illud denudari potest per intellectum conditione vitiante, cum non habeat malitiam ex suis intrinsecis, sed ab extrinseco, videlicet à prohibitione; ex alia parte sic repræsentatum non est malum; ergo nequit malitiam tribuere delectationi versanti circa illud. Sic Carthusianus, vel alius die jejunii poterit delectari de esu carnium, ut sic, & non quatenus prohibitus est: nam esus carnium denudatus prohibitione, & circumstantia vitiante non est in se malus : mortalis tamen esset delectatio de esu carnis prohibitæ, & in voluntate circumstantiam vitiantem. Sic Lessius *libr.* 4. *capit.* 3. *dubit.* 15. *numer.* 111. Vasquez 1. 2. *disputat.* 10. *capit.* 3. Sanchez alios referens *libr.* 1. *in Decalog. capit.* 2. *numer.* 10. Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 3. *numer.* 22. Nec facit in contrarium : quòd velle comedere carnes die vetito, etiamsi velit eas comedere, & non quatenus sunt prohibitæ; est grave peccatum; ergo grave peccatum erit sic delectari de illis. Nam larga disparitas intercedit, delectatio siquidem non est executiva operis, adeoque tendere poterit in objectum denudatum conditione, & circumstantia vitiante; secus verò voluntas efficax tendit ad exequendum opus, quod in executione separari nequit à malitia, & circumstantia vitiante; quamvis in mente tantùm separari possit ab illa. Sic habent Coninch *disputat.* 34. *dub.* 11. *numer.* 110. & Bonacina *de Matrimon. quæstion.* 4. *punct.* 8. *num.* 11.

9 Dicendum denique : delectationem de objectis jure naturali prohibitis semper esse malam, quia secum importat malitiam impræscindibilem, nec habet unde honestari possit, cum semper malum approbet : sic delectationes de Infidelitate, Idololatria, Odio Dei, mendacio, & similibus semper erunt malæ, & numquam licitæ. Est communis sententia omnium ferè Doctorum.

10 Petes hìc : an teneatur voluntas reprimere positivè delectationem carnalem; an verò possit se habere merè negativè, & permissivè? Resp. si revera voluntas plenè advertat ad delectationem illam, & nulla justa causa habetur non reprimendi illam, & non reprimit; graviter peccabit : ratio est, quia ferè semper voluntas est exposita periculo consensus, & complacentiæ delectationis illius, & oppositum credere est vana præsumptio, & nimia sui confidentia; ac valde difficile est negativè, & merè permissivè se habere, itaut nec approbet, nec repellat; adeoque justa causa non interveniente grave peccatum erit non reprimere positivè delectationem carnalem. Sic rectiùs docent Vasquez, Azorius, Lessius, quos sequitur, & refert Becanus 1. 2. *tract.* 2. *quæstion.* 5. *capit.* 5. cum in praxi valde difficile sit, quod docuere Cajetanus, & Sanchez *libr.* 1. *Moral. capit.* 2. *numer.* 3. non esse grave peccatum negativè, & permissivè se habere, nec approbando, nec repellendo; dummodo non permittat ex complacentia ipsius delectationis, nec sit periculum ulterioris consensus.

11 Quæres 3. An desiderium obiecti mali sub conditione, quòd malum non esset; sit grave peccatum? Resp. si objectum desideratum sub conditione illa malum sit, quia prohibitum jure positivo; non peccat, qui illud desiderat sub conditione excusante à malitia; & si de illo sub tali conditione apprehenso delectaretur, non peccaret : ut si quis vellet die vetito carnes comedere, si Ecclesia id permitteret; & sub tali apprehensione delectaretur de carnium comestione : ratio est, quia tunc comestio carnium esset licita; ergo illam desiderare, aut de illa delectari, non esset velle objectum malum, sed bonum; & de obiecto bono delectaretur : sic docet recepta sententia ab omnibus. Si verò objectum desideratum sit malum ex se, ac jure naturali prohibitum; probabilior sententia docet, quòd si sit ex illis obiectis jure naturæ prohibitis, à quibus nullo modo separabilis sit malitia, nec in ullo casu licita esse possunt; desiderium talis obiecti sit graviter peccaminosum, etiamsi conditio apponeretur, si liceret, si non esset malum, si non esset prohibitum : ratio est, quia conditio apposita, utpote impossibilis, & ut non adiecta, non facit, quòd objectum spolietur sua intrinseca malitia; ergo si voluntas per desiderium ferretur in tale obiectum, ferretur in illud, ut in malum : & sicuti extra controversiam est, gravissimam culpam fore, dicere : si esset licitum, destruerem Deum; sic gravis culpa erit dicere, si esset licitum, odio haberem Deum, idololatriam committerem, fornicationem haberem, mentirer, vindictam de inimico sumerem &c. cum eodem modo se habeant, & in nullo ipsorum conditio apposita rationem malitiæ auferre potest. Adde quod ipsum desiderium, quòd licitum sit odium Dei, Idololatria, fornicatio, Mendacium, Vindicta &c. est grave peccatum, sicuti est desiderare licitam destructionem Dei. Sic Sanchez *libr.* 1. *in Decal. capit.* 2. *numer.* 23. Azor. 1. *part. libr.* 4. *capit.* 6. *quastion.* 10. Basilius de Leon *libr.* 10. *de Matrimon. capit.* 16. *numer.* 10. Layman *libr.* 1. *tract.* 3. *capit.* 6. *numer.* 11. Advertit tamen Cardin. Delugo *de Pœnit. disputat.* 16. *numer.* 376. hoc intelligendum esse, si efficaciter feratur voluntas, quantum est ex parte sua in tale obiectum : quia si tantùm esset significatio propensionis naturalis in illud, utique non esset peccatum mortale; in quo sensu puto, loquutos fuisse Vasquez, Sayrum, Sà, Salas, & Bonacinam, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 4. putantes probabile, non esse peccatum, hæc obiecta intrinsecè mala sub conditione, si licita forent, desiderare : eo quia non efficaciter, & absolutè ea desideraret, sed per quandam significationem propensionis in obiectum, cum qua stat voluntas numquam odio habendi Deum, mentiendi, idololatriam committendi &c. Si tamen obiectum sit ex illis jure naturæ prohibitis, à quibus in aliquo casu separabilis est malitia, & licita redduntur in aliquo statu; tunc si ei apponatur conditio auferens malitiam, non erit grave peccatum illud sic desiderare. Quapropter si quis voto adstrictus diceret : vellem ducere uxorem, & copulam cum illa habere, si liber essem à voto, si Sacerdos non essem, si religiosus non forem : aut diceret, furem suspenderem, si essem Judex habens publicam authoritatem id efficiendi; Petrum occiderem, si id Deus mihi demandaret; vel alienum acciperem, si in extrema necessitate essem constitutus : ratio est, quia ex una parte in aliquo casu, & statu hæc sunt licita, & malitia ab ipsis separari potest; ex alia parte desiderium fertur in objectum malitia denudatum; ergo desiderium istud non erit graviter peccaminosum. Sic Cajetanus, Sà, Rodriquez, Basilius de Leon, Sanchez cum aliis, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 3. *numer.* 3. Duo tamen advertenda sunt hic 1. ex Cajetano, & Sà *verb. Peccatum*, quòd videlicet huiusmodi desideria sint valde periculosa, & ut plurimum sint fatuæ, & diabolicæ tentationes. 2. Ex Bonacina, & Sanchez relatis à Castropalao *loc. cit. numer.* 5. *in fine* : aliquos esse casus, in quibus conditio apposita non excusat à mortali, quamvis aliqui putent se excusatos ob illam, cum revera non sint : sic qui dicit, si non essem religiosus, si non esset infernus, vindictam sumerem; fornicarer, aut aliud malum efficerem; graviter peccat, etiam conditione illa apposita : ratio est, quia talis conditio non tollit integrè malitiam obiecti; adeoque desiderium sub conditione apposita non fertur in obiectum sua malitia denudatum : nam esse Sacerdotem, aut religiosum, vel non esse talem; sicuti esse infernum, vel non esse infernum, non sunt conditiones auferentes malitiam à vindicta, fornicatione, aut alio peccato.

Quæres 4. An delectatio appetitus sensitivi cum commotione corporis sit grave peccatum, quando 12

volun-

voluntas non consentit expresse in talem delectationem? Resp. extra controversiam esse, quòd sit grave peccatum, voluntatem expresse appetere tales motus, & de illis delectari: quæsitum ergo procedit, quando tacitè, & virtualiter consentit, non reprimendo videlicet, nec coercendo tales motus, cum possit; supponimus autem plenam advertentiam in voluntate, & pariter supponimus abesse periculum pollutionis, aut ulterioris consensus gravis. Et licèt doctissimi Viri docuerint, esse tantum peccatum veniale tales motus non reprimere, cum possit, non interveniente justa causa non reprimendi, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 5. *numer.* 3. Nihilominus quia supra statuimus *numer.* 10. teneri voluntatem ad reprimendos positivè hos motus sub gravi; ideo grave peccatum erit eos non reprimere, sed merè negativè se habere in reprimendis illis, cum ferè semper voluntas exposita sit periculo consentiendi, ac appetendi pollutionem, & complacendi, ac delectandi de illa. Sic Azorius, Salas alios referens, Vasquez, Coninch, Lessius, quos refert Castropalaus *de Peccat. disp.* 2. *punct.* 10. §. 5. *numer.* 7.

13 Quæres 5. An delectatio morosa de obiecto turpi contineat in se omnes illas species, quas continet desiderium illius; adeoque sic in confessione aperiendæ sint? Resp. certum esse, desiderium varias habere posse species: sic in materia luxuriæ constat, desiderium fornicandi cum soluta esse peccatum contra Temperantiam, & ita aperiendum esse in confessione; & desiderium peccandi cum nupta contra Justitiam ob adulterium; cum ligata voto Castitatis esse contra Religionem, ac Sacrilegium; cum Consanguinea esse contra Pietatem, ac incestum &c. Quæ quidem circumstantiæ versantur circa diversas species, & aperiendæ sunt in confessione talium desideriorum: desiderium siquidem peccati tendit ad exequendum illud, nec ab ipso separari possunt circumstantiæ illæ, quibus etiam afficitur desiderium. Controvertitur tamen, an etiam sic discurrendum sit de delectatione morosa: nam delectatio non tendit ad executionem operis, sed potiùs supponit opus, quasi exercitum. In qua controversia dirimenda distinguendum puto: si delectatio feratur in objectum turpe secundum omnem suam malitiam apprehensum, dubium non est, totam illam malitiam secum præferre, ac præsefert desiderium efficax, & sic aperiendum esse in confessione cum suis circumstantiis: sic qui delectatur de copula habita, vel habenda cum moniali, quatenus monialis est, sacrilegium committit, & ut tale aperire debet in confessione; idem dicendum de delectatione cum coniugata, quatenus coniugata est; nam adulterium præsefert, & *injustitiam*, & ut tale in confessione aperiendum &c. & ratio est, quia obiectum talis delectationis non solùm est copula cum fœmina, sed quatenus monialis est, adeoque placet sacrilegium; vel quatenus coniugata est, & placet adulterium &c. Cum verò hoc numquam, vel rarò accidat; sed potiùs delectatio ferri soleat in obiectum turpe secundum partem malitiæ, cum enim quis delectatur de concubitu cum fœmina aliqua præscindere solet, an Monialis sit, vel coniugata, & solùm advertit suam non esse; ideò satis probabile puto, similes delectationes reduci posse ad simplicem fornicationem: maximè quia esse Monialem, vel conjugatam parum refert ad delectationem. Quòd autem delectatio præscindere possit à prædictis circumstantiis, patet ex eo, quia talis fœmina esse poterat sine coniugio, vel sine Voto; ergo apprehendi poterat ejus copula sine affectu adulterino, vel sacrilego; sed solùm quòd esset copula cum non sua. Rectè igitur concluditur, similes delectationes, nisi sint formaliter de circumstantiis, quatenus tales sunt, de copula e. g. cum coniugata, quatenus coniugata est; reduci posse ad speciem simplicis fornicationis, & sic aperiri in confessione. Et hoc est discrimen inter delectationem, desiderium efficax, & opus externum: nam opus externum semper fertur in obiectum, prout est à parte rei secundum totam suam malitiam; sic etiam desiderium efficax, quod tendit ad opus externum secundum se, & prout est à parte rei, ejusque speciem contrahit; secus verò delectatio, quæ cum non tendat ex se ad opus externum, sed in obiectum apprehensum, quod quidem apprehendi poterit, & non secundum totam malitiam. Sic docent Vasquez, Azorius, Sayrus, Sanchez, Sà, Salas, Coninch, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 10. §. 4. *numer.* 2. Vide Cardinalem Delugo *de Pœnit. disputat.* 16. *numer.* 363. Duo notanda ex eisdem Doctoribus, delectationem de copula sodomitica, vel bestiali non posse comprehendi sub specie fornicationis, cum habeat specialem oppositionem cum virtute Castitatis, adeoque aperiendam esse, prout jacet, in confessione. Insuper si delectatio habeatur à ligato voto Castitatis, non solùm esse contra Temperantiam, sed etiam contra Votum excludens omnes carnales delectationes, adeoque duplicem malitiam continere.

Quæres 6. Quodnam peccatum sit jactare se de peccatis, aut permittere jactari de peccatis, vel de Virtutibus, aut Donis naturalibus? Resp. jactantiam de peccato peccatum esse, certo constat, nam est complacentia de illo, & ex illo laus quæritur: quapropter si jactantia est de peccato mortali, mortalis erit; si verò de veniali, erit venialis. Extenditur doctrina tradita ad jactantiam de peccato ficto, & non vero: nam eadem jactantia est, si peccatum verè commissum fuerit, aut non. Sic Doctores cum Divo Thoma 2. 2. *quæstion.* 132. *articul.* 1. *& 3.* Quòd si jactantia non sit cum complacentia peccati, neque laus quæratur, & inanis gloria ex illo; sed solùm sit ob demonstrandam dexteritatem, ingenium, aut virilitatem in eo committendo; & auditores intelligunt, te neque complacentiam habere de peccato, neque laudem ex eo quærere; sed solùm narrare modum in eo retentum; non erit grave peccatum. Secus tamen erit, si id non intelligant: periculumque idcirco sit, ne graviter inde scandalizentur quia præsumitur jactantia, si non ob complacentiam peccati, saltem ob inanem gloriam illam; siquidem exultare videtur jactans externè in rebus pessimis; & semper præsumptio stat ad minus pro inani gloria, si manifestè non declaretur animus in contrarium: maximè quia similes narrationes sunt valde periculosæ. Sic Bonacina *quæstion.* 4. *de Matrimon. punct.* 8. *numer.* 10. & Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *punct.* 11. *numer.* 2. Advertendum hic: jactantiam de peccato non solùm includere complacentiam, & gaudium de peccato; sed etiam extollentiam pravam, & elationem inordinatam, cum quæratur inanis gloria ob jactantiam peccati: quapropter etiamsi aliquis non complaceat, nec gaudeat de peccato, de quo se jactat; sed tantùm inanem gloriam quærat; utique graviter peccabit. Sic ex Divo Thoma docent Navarrus, Sanchez, Azorius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *pun.* 11. *numer.* 1. 14

Idem dicendum: si alius te jactet de peccato, & tu complaceas, & gaudeas, ac laudes accepres: satis enim clarè apparet, te eodem modo peccare, ac si jactantia à te proveniret: approbas enim, & tuum facis malum factum alterius. Sic ex Navarro, & Sanchez docet Castropalaus *loc. cit. numer.* 3. Debet enim displicere, & animum aversum demonstrare: nec sufficit præ verecundia tacere, quamvis interiùs jactantiam illam non approbes; nam semper demonstranda est exteriùs displicentia, alioquin censeberis laudes illas approbare, acceptare, ac illis consentire: ut notat Castropalaus *loc. cit.* quidquid in contrarium dixerint Navarrus, & Sanchez ab eo relati. 15

Eodem insuper modo discurrendum: si alium jactes, aut laudes de peccato commisso; aut illi exprobras non commisisse: peccas siquidem, eo quia excitas illum ad complacendum de peccato patrato, vel acceptandum laudes illas, aut ad illud committendum. Sic ex Navarro, Cajetano, Sanchez docet Castropalaus *de Peccat. disputat.* 2. *pun.* 11. *numer.* 4. Quòd si intendas tantùm modum jactare, dexteritatem videlicet, vires, ingenium in peccato committendo; debes priùs præcavere, ne sit in te, vel in illo, aut alio periculum complacentiæ, aut gaudii de peccato commisso: quamobrem 16

obrem Sanchez *libr. 1. in Decal. capit. 3. num.* 12. dixit, has laudationes frequentissimè esse mortales, & aliquando ex exprobrationibus sequi obligationem resarciendi, & reparandi damna, quæ ex illis sequuntur.

17 Jactantiam de peccatis esse ejusdem speciei cum peccatis, de quibus jactantia habetur; si habeatur complacentia, & gaudium de ipsis commissis; mihi dubium non est, adeoque aperiendum esse in confessione peccatum, de quo jactantia habita est; si videlicet jactantia fuerit de furto, de homicidio, adulterio &c. sic Doctores passim. Solùm controversia est, si jactantia sit sine complacentia, & gaudio de peccato commisso; an etiam aperiendum sit ipsum peccatum, an verò sufficiat in confessione dicere; jactantiam habui de peccato gravi? Et quamvis Sanchez *libr. 1. in Decal. capit. 3. numer.* 13. docuerit, aperiendum esse in confessione, eo quia variatur malitia jactantiæ ex variatione peccati, circa quod versatur. Nihilominus probabilius puto, non esse aperiendum, sed sufficere, quòd explicetur jactantia de peccato gravi: ratio est, quia tota malitia jactantiæ in eo consistit, quòd inquiratur honor, & inanis gloria ex malè factis; & parum ad hoc refert, quod malefactum sit furtum, homicidium, vel fornicatio: sicuti parum refert, & materialiter se habet ad violationem voti, quòd fiat in Castitate, paupertate &c. Sic Navarrus *in Summ. prælud. 9. numer.* 4. & Castropalaus *de Peccat. disputat. 2. punct. 11. numer.* 5. Nec valet dicere, quòd sicuti delectatio, gaudium, & desiderium efficax peccati, ut rectè explicentur in confessione; debet explicari peccatum circa quod versantur; ergo idem dicendum de jactantia peccati, cum eadem Virtus, quæ prohibet delectationem, gaudium, & desiderium efficax peccati sibi contrarii, prohibeat pariter jactantiam de eo. Nam contra est: jactantia siquidem de peccato non prohibetur ab ea virtute, cui contrarium est peccatum, circa quod versatur jactantia; sed prohibetur à Virtute Humilitatis, cui est contraria, cum sit jactantia, & inanis gloria una ex filiabus Superbiæ. Sic Divus Gregorius *libr. 31. Moralium capit. 31.* & Divus Thomas *2. 2. quæstion. 132. articul. 4.* Secus verò delectatio, gaudium, & desiderium efficax peccati prohibentur ab eadem Virtute, cui peccatum ipsum opponitur.

18 Jactantia de Donis naturalibus, de ingenio e. g. nobilitate, fortitudine si immoderata sit, nec in damnum tertii resultat; non excedit peccatum veniale: eo quia licèt sit appetitus excellentiæ, & honoris indebiti; nihilominus cum non vergat in damnum tertii, gravis culpa esse non poterit: maximè quia ingenium, nobilitas, & fortitudo non sunt quid malum; nec malus est honor, & gloria resultans ex ipsis; ergo solùm committitur culpa in modo appetendi per excessum, qui per se attingere nequibit culpam mortalem. Si verò in damnum tertii vergat, eo quia falsa sit: ut si quis Juris Civilis, & Canonici ignarus, aut Medicinæ jactaret se esse magnum Advocatum, & Medicum peritum cum detrimento Clientum, & infirmorum; extra dubium graviter peccabit, & obligationem restituendi incurret, ac resarciendi damna, si quæ secuta fuerint. Sic Navarrus *in Summ. capit. 23. numer.* 13. Sanchez alios referens *libr. 1. in Decal. cap. 3. numer.* 2. & Lessius *libr. 2. cap. 47. dubit. 6. numer.* 42.

19 Quod si jactantia sit de operibus Virtutis; ut si quis enarraret à se rectè facta solùm ob humanam laudem capessendam; certè peccaret, quia inordimtè se haberet; appeteret siquidem virtutem, quæ per se est excellentior humanis laudibus ob consequendum ipsas: quapropter Christus Dominus dixit Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Verùm talis culpa esset venialis tantùm, quia non esset gravis inordinatio: & ita sustinent Navarrus, Sylvester, Henriquez, Sanchez, Bonacina, Azorius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccat. disputat. 2. punct. 11. numer. 9.* qui *numero* 10. extendit hanc doctrinam ad fingentem opera virtutis ob gloriam humanam captandam, dummodo tamen grave damnum non sequatur aliis; & colligit ex Azorio, Lessio, Navarro, & Sanchez: Si verò jactantia de bonis operibus esset, ut æstimatio ob illa habeatur, quæ quidem æstimatio non per se appetatur, sed ut melius Deo, ejusque Gloriæ præstetur obsequium, & alii incitentur ad illud præstandum; tunc absque ullo peccato erit, juxta illud Eccles. 45. *versic.* 15. *Curam habe de bono nomine*, & Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Apostolus ait *ad Roman. 12. Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

Quæres tandem: an si quis eligeret minus ma- 20
lum in comparatione maioris; peccaret, etiamsi intentionem haberet vitandi utrumque? ut si diceret: si peccatum à me committendum esset vel homicidii, vel mendacii; eligerem potiùs committere mendacium, quàm homicidium? Resp. supponendo priùs tamquam certum, debere voluntatem utrumque respuere, si possibile sit: nam utrumque est malum, & consequenter utrumque vitandum. Sed supponamus ex fragilitate aliquem determinandum ad committendum unum ex prædictis peccatis, non quia velit absolutè illud committere; sed quia ex fragilitate dicta determinandus foret ad illud eligendum, & diceret: eligerem potiùs leve mendacium, quàm homicidium; an inquam peccaret? Resp. Sanchez *libr. 1. in Decal. capit. 10. numer.* 25. putare, licitam esse in tali casu electionem minoris mali præ maiore: ratio est, quia non vult absolutè eligere minus malum, sed casu quo ex fragilitate determinandus esset ad eligendum unum ex illis; sed electio minoris mali in comparatione maioris est recta; ergo licita. Verùm Castropalaus infra citandus putat, hunc talem peccare sic eligendo, non mortaliter quidem, sed pro qualitate minoris mali electi, si veniale fuerit, ut est in casu posito leve mendacium: ratio ipsius est, quia licèt eligat minus malum in comparatione maioris, at revera malum eligit; sed electio libera mali in quocumque eventu numquam potest esse bona; ergo semper culpabilis pro qualitate mali electi. Electio siquidem libera mendacii in comparatione homicidii non tollit malitiam à Mendacio; nec fieri potest, ut commissio mendacii sit necessaria ad vitandum homicidium; adeoque in libertate eligentis est, utramque commissionem vitare; & si minus malum eligit in comparatione maioris, non rectè eligit. Non negat tamen, quòd si homicidium eligeret omisso levi mendacio graviter peccaret; sed tantùm peccato homicidii, nec aliam malitiam involveret ob electionem factam. Sic Castropalaus *de Peccat. disputat. 2. punct. 12. à numer. 3.* qui pro hac sententia adducit Doctores, quos adduxit Sanchez citatus pro sua, nempe Sotum, Bartholomæum Ledesma, Martinum de Ledesma, Petrum de Ledesma, & Suarez, solùm docentes, electionem minoris mali non habere aliam malitiam præ ea, quam habet minus malum electum. Adhæreo primæ sententiæ Sanchez utpote communiori.

CAPUT X.

De Distinctione Specifica, & Numerica Peccatorum.

1 *Nonnulla præmittuntur necessaria ad distinctionem specificam, & numericam Peccatorum.*

2 *Distinctio specifica peccatorum desumenda est ex privatione perfectionis specie diversæ ab aliis.*

3 *An diversitas specifica peccatorum desumi possit ex diversitate præceptorum?*

4 *Explicantur aliqui Casus, in quibus per eumdem actum duo peccata specie distincta committuntur.*

5 *Explicantur alii Casus, in quibus unum peccatum committitur, licèt actus peccaminosus pluribus præceptis distinctis opponatur.*

6 *An faciens aliquod prohibitum ex eodem motivo à duplici præcepto, unum quorum annexam habeat excommunicationem; duplex peccatum committat?*

7 *An*

7 *An plura peccata committat, qui votum violat pluries repetitum, & per repetitionem illam intendat vovens novam sibi obligationem imponere?*

8 *An peccatum Omissionis specie differat à peccato Commissionis?*

9 *An peccata Cordis, Oris, & Operis specie differant inter se?*

10 *An peccatum inferioris speciei possit augeri, & pertingere ad malitiam peccati Superioris speciei?*

11 *Enumerantur septem capita, ob quæ peccatum crescere possit, & gravius fieri?*

12 *Distinctio Numerica peccatorum non desumitur ex distinctione phisica actuum, nec ex distinctione objectorum.*

13 *Desumitur à pluralitate actuum moralium sub eadem specie Morali: & hoc clariùs explicatur.*

14 *Quomodo agnoscendum, quando actus voluntatis moraliter interrumpantur?*

15 *Ex quibus signis cognosci possit, actum voluntatis esse moraliter interruptum?*

16 *Retinens rem alienam, & volens eam restituere, si postea pœniteat boni propositi; duplex peccatum committit, utrumque aperiendum in confessione.*

17 *Ductus ex eodem impetu iræ, odii, vel rixæ, si plura convicia, blasphemias, vel plagas inflixerit; unum peccatum committit.*

18 *Probabile est, proferentem contra alium plures injurias specie diversas pro eodem tempore unum peccatum committere.*

19 *Actus odii, detractionis, vel desiderii occidendi plures ad instar unius; aut non recitandi Divinum Officium per annum; aut non jejunandi per Quadragesimam integram; cum contineat in virtute plura peccata, explicanda erit in confessione talis gravitas.*

20 *Actiones externæ præcedentes, concomitantes, & subsequentes actum principalem pravum, si ordinentur ad illum; non sunt aperiendæ in confessione.*

1 ANTEQUAM ad distinctionem specificam, & numericam peccatorum deveniamus, præmittendum est 1. tamquam certum: non omnia peccata esse inter se connexa, experientia namque docet, violato uno præcepto non violari alia: maximè quia dantur peccata inter se opposita, quæ extremè opponuntur eidem Virtuti: ut sunt peccata Prodigalitatis, & nimiæ Avaritiæ; Gulæ, & nimiæ Abstinentiæ; quorum unum est per excessum, alterum per defectum, prodigus namque plus dat, quàm dare debeat; è contra avarus minus dat, quàm dare debeat. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 73. *artic.* 1. & communiter Doctores. Præmittendum 2. non omnia peccata esse æqualia, & paria; sed aliqua esse aliis graviora, tum quia aliqua fiunt cum majori voluntate, pleniori advertentia, & majori affectu præ aliis; tum etiam quia opponuntur præstantiori virtuti præ aliis, & majori privant perfectione pre illis; ergo graviora esse debebunt: tum denique quia Christus Dominus dixit Pilato *Joann.* 10. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*; ergo certò constat ex fide, non omnia peccata esse paria, & æqualia inter se. Sic Divus Thomas *loco citato art.* 2. & passim Doctores cum eo. Præmittendum 3. ex Aristotele: principium distinctivum rei desumendum esse à principio constitutivo ejusdem; & quia diximus superiùs, principium constitutivum peccati esse dissonantiam ejusdem cum natura rationali, ideo quoties hæc dissonantia est diversa specie, vel numero; tunc peccatum specie, vel numero diversum constituet: ut docent Azor., Vasquez, Valentia, Salas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccatis disp.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. His præmissis

2 Dicendum est: Distinctionem specificam peccatorum seu dissonantiam specie diversam cum natura rationali desumendam esse per ordinem ad privationem perfectionis specie diversæ ab aliis: ratio est, quia peccatum formaliter constituitur, ac consistit in privatione debitæ perfectionis, & rectitudinis cum natura rationali; ergo si privationes specificantur à suis formis, quas habent excludere; sequitur ea peccata distingui specie, quæ privant perfectione, & rectitudine debita cum natura rationali, quæ specie differat ab aliis. Sic peccatum furti specie differt à peccato rapinæ; quia peccatum furti privat perfectione, & rectitudine debita specie differente à perfectione, & rectitudine debita, qua privat rapina. Et hinc est, quòd etiamsi habeant idem objectum materiale, nempe ablationem decem aureorum; nihilominus furtum, & rapina decem aureorum specie different inter se: nam semper privant perfectione debita specie diversa. Sic Div. Thomas 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 1. Becanus, Valentia, Pesantius, Vasquez, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *numer.* 1. & 2. Hæc nostra Sententia coincidit cum ea, quæ asserit: peccata distingui specie secundùm diversas circumstantias, quæ habent adjunctam diversam perfectionem, qua privant: nam si privant diversa perfectione adiuncta per circumstantias, privant diversa perfectione debita, ac rectitudine cum natura rationali. Sententia verò asserens, diversitatem specificam peccatorum desumendam esse à diversitate specifica Virtutum, quibus opponuntur; non assignant adæquatè, & sufficienter distinctionem specificam peccatorum: nam licet verum sit, omnia peccata, quæ diversis Virtutibus opponuntur, specie differre inter se; attamen dantur peccata eidem Virtuti oppositа, & nihilominus specie differunt inter se: sic sunt furtum, rapina, & homicidium, quæ opponuntur eidem Virtuti Justitiæ; & tamen specie inter se differunt per omnes Doctores.

Sed major controversia est; an diversitas specifica pec- 3
catorum desumi possit à diversitate præceptorum? Verùm cum distinctione diriménda controversia erit; si præcepta, quibus aliquid præcipitur, aut prohibetur; habent eumdem finem, & sint ex eodem motivo; non poterunt distinctionem specificam inferre: patet in Septimo Decalogi Præcepto prohibente furtum, & in Decimo vetante desiderium rei alienæ, & furti ex eodem motivo, & fine: quapropter ex communi sententia furtum rei alienæ, & desiderium rei alienæ non differunt specie inter se, quamvis diversis præceptis prohibeantur; imò aliquando possunt esse unum, & idem peccatum: ut si quis ex desiderio rei alienæ nulla interjecta mora moveretur ad furandum illam. Sic etiam peccatum Usuræ est unum specie peccatum, & opponitur tribus præceptis vetantibus illud, nempe Naturali, Divino, & Humano, habentibus tamen idem motivum, & eumdem finem. Secus verò dicendum, si Præcepta diversum habeant motivum, & diversum finem respiciant; tunc ab eis desumi poterit diversitas specifica peccatorum illis adversantium: constituunt siquidem præcepta lata ex diversis motivis materiam præceptam in diversis perfectionibus, & Virtutibus specie differentibus. Sic Valentia, Becanus, Vasquez, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de peccatis disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *numer.* 5.

Hinc fit 1. Clericum Sacris Ordinibus initiatum duo 4
peccata specie distincta committere, si in actum venereum consentiat: cum talis actus duplicem oppositionem habeat cum duplici præcepto illum prohibente prædicto Clerico ex diversis motivis; præcepto videlicet servandi Castitatem ex motivo perfectionis ipsius Castitatis; & præcepto servandi illam ob votum ex motivo Religionis. 2. occidentem Sacerdotem committere duo peccata specie distincta: eo quia tale homicidium non solùm opponitur præcepto justitiæ, sed etiam præcepto servandi debitam reverentiam Sacerdoti, quæ motiva specie differunt inter se. 3. Religiosum ex Div. Francisci Familia non jejunantem feria sexta, in qua pervigilium alicujus Sancti ex præcepto cum jejunio colendum occurrit, duplex peccatum committere contra duo præcepta habentia diversa motiva, unum contra præceptum à Religione latum, cui ex voto se obligat servandi illud jejunium, alterum contra præceptum ab Ecclesia latum ob Virtutem Temperantiæ. 4. existentem in loco Sacro, in quo voluntariè sanguinem effundit, aut semen, non solùm peccare contra justitiam effundendo sanguinem, vel contra Castitatem effundendo semen, verùm etiam contra reverentiam specialiter debitam loco sacro ex præcepto Ecclesiæ ob motivum Religionis. Quamvis si blasphemet in loco Sacro, vel in eo alia turpia sine seminis effusione peragat, aut de illis loquatur, specialem malitiam non contrahat ab Ecclesia prohibitam ratione loci Sacri, qui non polluitur; licèt talia peccata gravissima sint, juri naturali, & Divino adversantia. Sic Vasquez, Sayrus, Suarez, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de peccatis disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 9. *in fine*.

E contra tamen quia in subsequentibus casibus plu- 5
ra præcepta eamdem rem præcipiunt, vel prohi-

bent ex eodem motivo, & fine; inde est quòd non inducunt nec diversitatem specificam nec numericam, & consequenter non inducunt obligationem manifestandi in confessione pluralitatem peccatorum, cum sit unum, & idem peccatum, Sic qui die Dominico, in quo aliud Festum de præcepto occurrit; missam omittit, non committit duplex peccatum, unum contra præceptum audiendi Sacrum die Dominico, alterum contra præceptum audiendi Sacrum die Festivo: cum præcepta ista, licèt distincta eumdem finem habeant, & idem motivum; adeoque unum peccatum committet, & sat erit dicere, se semel non audisse Sacrum. Idem dicendum de non jejunante eodem die, quo tria præcepta occurrunt Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliæ; unum siquidem peccatum committit, quia illa præcepta eumdem finem, & Motivum Temperantiæ habent; & rectè se explicat in confessione non jejunans, si dicat, se semel non jejunasse. Sic etiam Clericus, qui tenetur ad Officium Divinum recitandum ratione Ordinis Sacri, & ratione beneficii; si omittat recitare illud, rectè explicat peccatum suum, si dicat, semel omisi recitationem Divini Officii; quia ambæ obligationes præceptorum sunt ex eodem motivo Religionis: quamvis teneretur explicare alia motiva Justitiæ restituendi fructus perceptos, quos suos non fecit si non haberet animum restituendi illos. Vide Bonacinam *de peccatis disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 10. 11. & 13. & Castropalaum *de peccatis disp.* 3. *punct.* 1. *numer.* 2. *in fine* referentem Azorium, Vasquez, & Salas.

6 Quæres. 6. an faciens aliquod prohibitum ex eodem motivo à duplici præcepto, uno simplici, altero habente adnexam excommunicationem; duo peccata committat; & ut talia aperienda in confessione? Resp. negativè: ratio est, quia si motivum est idem in utroque præcepto, licèt in uno &c. adnexa sit excommunicatio; non inde sequitur ad aliam speciem pertinere, sed ad eamdem spectat, si motivum est idem, & unum tantum erit peccatum. Excommunicatio siquidem adnexa novam speciem malitiam non adiungit per se loquendo: ut ex Cajetano, Valentia, & aliis docet Bonacina *de peccatis disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 14.

7 Quæres 7. an plura peccata comittat, qui votum violat pluries repetitum, & multiplicatum; & vovens per iteratam illam voti emissionem intenderit sibi novam obligationem injungere? Resp. negativè: ratio est, quia illæ voti multiplicationes cum respiciant eamdem rem, & ex eodem motivo Religionis; hinc est, quòd non multiplicent obligationes, sed eamdem respiciant: nam sicuti non potest vovens unica vice sibi plures obligationes imponere, sic nec poterit per multiplicationem ejusdem voti sibi plures obligationes imponere, cum una sit materia, & ex motivo ejusdem Virtutis, Quapropter faciens contra idem votum sæpius repetitum, & multiplicatum non plura, sed unum peccatum committit, si semel illud violet. Sic Sanchez *in Oper. Moral lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 10. Suarez *lib.* 5. *de Voto*, *cap.* 6. *num.* 15., & Bonacina *de Peccatis disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 12. qui addit ex Vasquez 1. 2. *disp.* 98. *cap.* 3. *in fine*, non esse circumstantiam in confessione aperiendam, cum sit contra unam, vel plures obligationes, ac ejusdem rationis.

8 Quæres 8. an peccatum Omissionis specie differat à peccato Commissionis? Resp. affirmativè, cum non solùm materialiter, sed etiam formaliter specie differant. Et quòd differant inter se materialiter, patet ex eo, quia peccatum Omissionis non solùm consistit in privatione rectitudinis, & perfectionis debitæ; verum etiam in privatione ipsius substantiæ actus omissi. Sic omittens Sacrum die præcepto non solùm caret rectitudine, & perfectione debita; sed etiam caret ipsa substantia auditionis Sacri. Peccatum verò commissionis consistit non in privatione substantiæ actus, sed rectitudinis, & perfectionis debitæ actui. Sic frangens jejunium non privatur substantia comestionis, sed rectitudinis, & perfectionis comestioni debitæ. Sic Div. Thomas, Vasquez, Valentia, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de peccatis disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 1. Quòd etiam differant inter se formaliter, constat ex eo, quia privant diversis specie perfectionibus, & habent speciales oppositiones, & inordinationes cum recta ratione. Patet enim ex se, diversum specie esse Odium Dei, quod est peccatum Commissionis; à peccato Omissionis diligendi Deum urgente præcepto diligendi illum: sicuti diversum est peccatum, quo Sacrum omittitur die festivo, à peccato commissionis; quo missa malè tractatur verbis obscœnis, blasphemiis &c. Sic Sayrus, Azor., & alii, quos sequitur, & refert Bonacina *loco citato in fine*. Non nego tamen suam probabilitatem oppositæ Sententiæ, quæ sustinet, formaliter non differre, eam enim docent Divus Thomas, Valentia, & alii. Notandum hic, quòd peccatum Commissionis cæteris paribus gravius sit peccato Omissionis: nam peccatum Commissionis immediatè privat perfectione, & bonitate actui debita: sic commissio furti immediatè privat actum, quo furtum committitur, bonitate ipsi debita circa proximum. Peccatum tamen Omissionis mediatè tantùm privat actum bonitate ipsi debita; sic omissio Sacri die præcepto immediate privat actu auditionis illius, & mediatè privat perfectione, & bonitate debita ipsi actui auditionis Sacri. Sic passim Doctores ex Div. Thoma.

Quæres 4. An peccata Cordis, Oris, & Operis specie differant inter se? Resp. dupliciter considerari posse hæc peccata, prout videlicet sunt completa, & perfecta; & prout sunt incompleta, & imperfecta, ac viam sternunt, disponunt, & præparant ad peccatum operis. Si considerentur 1. modo, prout sunt completa, & perfecta in se, sive in corde, ut sunt peccata odii Dei, hæresis, invidiæ, desperationis, judicii temerarii &c. sive in ore, ut sunt peccata mendacii, perjurii, blasphemiæ, convicii &c. sive in opere, ut sunt homicidium, furtum, fornicatio, & reliqua omnia quæ opere consummantur, quæ quidem omnia completa, & perfecta sunt in se; utique specie differunt inter se: eo quia privant diversa specie perfectione, & bonitate. Sic odium Dei diversa specie perfectione privat ab ea, qua privat mendacium grave, vel homicidium. Si verò considerentur 2. modo, prout sunt incompleta, & præparant, ac disponunt ad peccatum operis, ut esset, si quis homicidium in corde cogitaret, & alloquitur, ac verbis movet Socios, ut illum adjuvent, dein injustum homicidium completè consummat; non differunt specie inter se, sed habent illam eamdem speciem, quam habet opus consummatum: ratio est, quia privat eadem perfectione, ac eidem Virtuti opponitur; maximè quia considerantur ut perfectum, & imperfectum in eadem specie. Hinc fit, quòd desiderium, & propositum fornicandi, furandi, occidendi &c. sint in eadem specie fornicationis, furti, homicidii &c. Sic Div. Thomas 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 7. Cajetanus *ibidem*, Vasquez *ibidem numer.* 11. Reginaldus *lib.* 15. *capit.* 1. *numer.* 7. Azor. 1. *par. lib.* 2. *capit.* 4. *quæst.* 1. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 6. *numer.* 4., Valentia *par.* 2. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 2., & Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 5. *à num.* 1. 9

Quæres 5. an peccatum inferioris speciei possit augeri, & pervenire ad malitiam peccati superioris speciei: verbi gratia an peccatum furti possit ita crescere, & augeri, ut superet malitiam peccati homicidii, quod est in superiori specie ad peccatum furti? Resp. quòd si peccatum inferioris speciei accipiatur, & consideretur secundum suam essentiam; numquam ita crescere poterit, ut pertingat, aut superet peccatum superioris speciei secundum suam essentiam: eo quia rerum essentiæ invariabiles sunt, & si sunt diversę, eamdem diversitatem semper retinebunt: hinc est, quòd si argentum pluries, & pluries expurgetur cum maxima diligentia; numquam tamen pertinget, & æquabit perfectionem essentialem auri: cum semper habebunt diversam essentiam. Si verò peccatum inferioris speciei consideretur secundum latitudinem entitativam, veluti extensam per adiunctas circumstantias; poterit taliter crescere, ut æquet, aut superet peccatum superioris speciei in malitia: sic argentum secundum latitudinem entitativam adauctum poterit æquare, aut superare valorem auri in physicis; sic etiam in moralibus furtum per adjunctas circumstantias superare poterit malitiam homicidii: quapropter malitia furti commissi expilando ærarium publicum, quo bonum commune Civitatis conservatur, superat homicidium privatæ personæ. Sic ex Divo Thoma, Azorio, Valentia, Vasquez, & aliis docet Bonacina *de peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 5. 10

Capita autem, seu circumstantiæ, ex quibus crescere poterit peccatum, & gravius fieri; multæ enumerantur à Doctoribus cum D. Thoma 1. 2. *q.* 73. *art.* 3. 6. & 7. Et 1. crescere potest ob majorem affectum, & conatum in peccando, ut si quis majori, & interiori conatu 11

odio

odio prosequeretur inimicum suum. 2. ex majori cognitione, & scientia peccati, quia censetur esse magis volitum. 3. ex qualitate personæ peccantis, aut contra quam peccatur: sic gravius est peccatum copulæ carnalis commissum à persona voto adstricta, aut vinculo matrimonii, præ eodem peccato commisso à persona libera à vinculo ipsius voti, aut Matrimonii. 4. ex majori damno, quod ex peccato sequitur, gravior fit ejus malitia: ut patet in furto mille aureorum præ furto quinquaginta ipsorum. 5. ex pejori fine, ut si quis se ingurgitaret ob fornicandum, graviùs peccaret præ eo, qui tantùm se ingurgitaret ob voluptatem illam. Hinc fit, graviùs peccare eum, qui habet finem malum in peccando præ eo, qui bonum finem habet: sic gravius peccat qui mentitur, ut alter injustè percutiatur, præ eo, qui mentitur, ut alter injustè non percutiatur. 6. ex scandalo, & ruina, quæ in proximis sequitur, augetur peccati malitia. 7. denique ex circumstantiis sive aggravantibus, sive mutantibus speciem; cum non omnes circumstantiæ, quæ faciunt peccatum gravius constituant illud in diversa specie; multæ namque circumstantiæ reddunt illud gravius, sed in eadem specie peccati, & solent dici circumstantiæ aggravantes ad differentiam illarum, quæ speciem mutant.

12 Distinctio numerica peccatorum, quæ sub eadem specie continentur; non desumitur ex distinctione physica actuum; ita ut tot debeant esse numero peccata, quot sunt actus physici: sic plura numero peccata committeret, qui ex intentione furandi domum pergeret, equum accommodaret, arma sumeret, equum ascenderet, iter arriperet, rem furripiendam observaret, illamque secum asportaret, nulla in his interposita mora, & nullo alio habito fine; eo quia plures habentur actus physici numero inter se distincti; & tamen unum tantùm committitur peccatum furti, ut omnes fatentur: nam licèt plures sint actus physici, moraliter tamen unum tantùm constituunt. Nec desumitur ex distinctione objectorum, itaut tot sint peccata, quot sint objecta, circa quæ versatur actus peccaminosus: sic qui uni integræ familiæ detrahit, tot peccata detractionis committeret, quot sunt personæ illam constituentes, quod non est dicendum; ut notat Navarrus in Summar. *capitul. 6. nu.* 8. cum tota familia in jure una persona moraliter reputetur *ex Leg. 1. ff. si famil. furtum commiserit*. Sic etiam unam blasphemiam proferens contra sanctos omnes, non tot peccata blasphemiæ committit, quot sunt sancti omnes; nec qui gregem ovium, aut armentum vaccarum furatur, aut ingentem pecuniarum summam; tot peccata committit, quot sunt oves, Vaccæ, aut nummi. Non nego tamen, hæc objecta, circa quæ unus, & idem actus peccaminosus versatur; aperienda esse in confessione: quia cum aperiendum sit in confessione esse individuale actus peccaminosi, & nequit aperiri, nisi aperiantur hæc objecta, seu quantitates constituentes actum peccaminosum in suo esse individuali, inde est, quod & ipsa aperiri debeant, ut rectè peccatum aperiatur.

13 Desumenda igitur erit Distinctio Numerica peccatorum à pluralitate actuum moralium sub eadem specie morali; itaut tot sint numero peccata, quot sint numero actus morales sub eadem specie. Verùm hoc ipsum remanet ulterius explicandum, quando videlicet peccata quoad numerum censenda sint moraliter multiplicata, ut sic teneatur peccans ea aperire, & declarare in confessione: cum adsit obligatio ad confessionem ritè faciendam, non solùm speciem, sed etiam numerum peccatorum aperire. In hac re difficillima, ut clariùs procedamus, distinguenda erunt peccata; quæ interiùs consummantur, & perficiuntur, ut sunt odium, superbia, hæresis, invidia, delectatio morosa, & similia; ab illis, quæ exteriùs perficiuntur, & consummantur, ut sunt idololatria, perjurium, furtum, fornicatio, homicidium &c. quamvis præcipuè peccatum consistat in voluntate, quàm in ipso opere externo, quo perficitur. Jam verò si de peccatis, quæ interiùs consummantur, loquamur; tot erunt numero peccata diversa, quot erunt actus voluntatis moraliter diversi, ac inter se interrupti: ratio est, quia tales volitiones nec uniuntur inter se, ut per se patet; nec uniuntur in aliquo effectu, cujus causa sunt illæ volitiones peccaminosæ; ergo non est, unde unitatem accipiant; adeoque ad multiplicationem ipsarum multiplicantur numero peccata. Et sicuti ad unitatem motus, ut dicatur moraliter unus, & idem motus, requiritur unitas temporis, cum non possit dici talis; si hoc mane motum feci, & postea quievi, quamvis, hoc serò post quietem iterum motum faciam, non enim hi duo motus sunt unus, & idem motus; sic non erit unum; & idem odium, quod interiùs concepit quis de suo inimico, & postea interrupit illud; cum eo, quod iterum concepit post interruptionem. Sic Azor. Salas, Vasquez, Navarrus, Suarez, Tabiena, Armilla, Cajetanus, & alii, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Peccatis disput. 3. punct. 2. numer. 2.* & Bonacina *de peccatis disput. 2. quæst. 4. punct. 2. numer. 5.* Si tamen loquamur de peccatis exterius consummandis, tot erunt numero diversa peccata illa, quot erunt volitiones de consummando opere inter se moraliter interruptæ: sic volens occidere inimicum præparat se ad homicidium, sed in se reversus desistit ab illa prava voluntate, dein agitatus furiis iterum vult inimicum occidere, & ad homicidium se parat; & denuo resipiscit, sic etiam tertiò, & quartò: utique peccata ista multiplicabuntur ad quatuor illas volitiones habitas occidendi inimicum; sunt enim volitiones inter se diversæ moraliter, cum nec inter se continuentur, nec in opere externo, ad quod tendunt ob interruptionem illam; nec una volitio, utpote supponens aliam retractatam, continuari, & uniri potest cum illa. Quòd si voluntas occidendi inimicum perseveraverit eadem moraliter, eo quia nec voluntate contraria interrupta fuerit, nec alio opere externo, quod diverterit ab occisione volita; etiamsi alia opera externa fiant, quæ viam sternunt ad ipsam occisionem, nec aliam malitiam habeant, nisi ab ipsa occisione; utique reputandum erit unum peccatum, ac ut tale in confessione aperiendum. Sic qui furari vult è domo Petri pecuniam, & scalam procurat, eam domi suæ fert, noctu asportat ad Petri domum, applicat fenestræ, per illam ingreditur, ac pecuniam furatur; unum tantùm peccatum furti committit: & sic dicendum in similibus, dummodo inter hos actus modica sit distinctio: nam si longa esset, difficile erit, voluntatem non diverti ad alia, ac suos actus non interrumpere. Ratio autem, cur unum tantùm sit peccatum in casu adjecto, est, quia omnes illę actiones pravæ, quamvis in genere entis physici plura sint; quia tamen ad furtum ordinantur, nec aliam malitiam habent, nisi à furto; inde est, quòd unum moraliter cum illo constituant, ac unum peccatum: quando enim unum est propter aliud, non censebitur nisi unum cum illo; ut habet D. Thomas 1. *par. quæst. 5. art. fin. ad ult. argum.* Sic quia lapides, columnæ, cæmenta ordinantur ad domum construendam, & sunt causa illius; inde est, quòd unum cum illa constituunt. Favet *Textus in Leg. Cmu qui, ff. de Usucap.* & sic docent Navarrus, Henriquez, Bonacina, Toletus, Sylvester, Salas, quos refert, & sequitur Castrop. *de peccat. disp. 3. pun. 2. num. 2.*

14 Petes. 1. quomodo cognoscendum, quando nam actus voluntatis interrumpantur? Resp. tunc moraliter interrumpi, quoties nec formaliter, nec virtualiter idem actus perseverat, hoc est, nec perseverat in se, & in sua entitate; nec in aliqua virtute, & effectu à se causato. Sic actus odii, quo Petrus heri prosecutus fuit inimicum suum; dicitur moraliter interruptus ab actu odii, quo eum hodie prosequitur: eo quia actus odii externus hodie non perseverat formaliter, cum jam desierit in sua entitate; nec virtualiter, cum nequeat assignati virtus, & effectus ab eo causatus, in quo hodie perseveret; ergo isti actus odii sunt moraliter interrupti inter se, & duo peccata odii numero distincta constituunt. E converso tamen actus voluntatis, quem habet latro ad furandum, & varia media apponit ad exequendum furtum ex voluntate furandi; quamvis dum est in via ad furtum apponendo media, alios actus repetat furandi rem illam; nihilominus isti actus repetiti non censentur interrupti moraliter cum primo, qui in virtute perseverat cum illis, ac unum morale cum ipsis constituit: actiones namque illæ externæ habent veluti rationem vinculi, quo ligantur simul plures actus interni voluntatis ad eumdem finem repetiti. Sic Doctores superiùs citati, & alii passim.

15 Petes 2. ex quibus signis cognosci possit, actum voluntatis esse moraliter interruptum; & nec formaliter, nec virtualiter perseverare? Resp. Varia signa enumerari à Doctoribus, quorum 1. est dolor illius, & retractatio per actum contrarium: ut si quis rem alienam accepit, & pœnitentia ductus doluit de prava illa acceptione cum

cum proposito eam restituendi ; dein voluntatem iterat eam sibi retinendi; tunc isti duo actus erunt moraliter interrupti inter se, nec prior moraliter unitur cum secundo, adeoque duo peccata constituent ambo aperienda in confessione. 2. est diversio ad alia opera, quæ non sint medium ad pravum finem exequendum : ut si quis voluntatem habuit furandi, & ex hac intentione è domo egreditur; distrahitur per viam à ludo cum amicis ad longum tempus, & nil cogitat de furto; finito ludo memor furti renovat voluntatem furandi; tunc istæ voluntates erunt moraliter interruptæ, & duo peccata constituent : nam ludus est aliud opus, quod connexionem non habuit cum furto, nec fuit medium ad illud; & prior voluntas ex omni parte cessavit. 3. est somnus, qui enim habuit intentionem furandi ante somnum, & postea dormit ; expergefactus iterum habet intentionem furandi; hi actus erunt moraliter interrupti : eo quia somnus non est medium, in quo virtualiter perseveret voluntas prior furandi per se. Non nego tamen, quòd si habens priorem voluntatem furandi diceret ; dormiam priùs, & postea furabor ; tunc somnus erit vinculum ligans simul priorem voluntatem furandi ante somnum, cum posteriori post somnum. Sic expressè Castropalaus *de Peccatis disp. 3. punct. 2. numer. 2. in medio*. 4. est interpositio temporis inter unum actum, & alium; itaut talis sit, ut prudentum judicio non reputetur perseverare; nec formaliter, nec virtualiter primus actus, quando secundus elicitur; tunc etenim moraliter interrupti reputandi erunt. Sic ex Soto, Navarro, Rebello, Henriquez, Suarez, Navarra, Filliuccio, Azorio, & Sayro docet Bonacina *de Peccatis disput. 2. quæst. 4. punct. 2. numer. 14.* Qui advertit *l. c. num.* 10. faciliùs, & frequentiùs multiplicari peccata interna, quæ interiùs perficiuntur, & consummantur ; ut sunt odia, invidiæ, delectationes morosæ, hæreses &c. quàm externa, quæ opere externo consummantur ; ut sunt fornicationes, furta, homicidia &c. eo quia peccata interiùs consummata nihil habent exteriùs, in quo perseverare, & continuari possint ; ut habent peccata, quæ exteriùs consummantur.

16 Ex dictis colligitur. 1. retinentem rem alienam, & decernentem eam restituere, si postea pœniteat boni propositi; duplex peccatum committere, utrumque in confessione aperiendum. Idem dicendum, si post rem acceptam animo retinendi impotens factus sit accipiens ad restituendum, & postea potens factus nolit eam restituere; duplex peccatum committet, cum per impotentiam supervenientem prior voluntas moraliter discontinuetur à posteriori. Solùm controvertitur : an si post rem acceptam animo retinendi distrahatur accipiens ad alia, immemor prorsus retentionis, de qua non cogitat ; memor postea factus nolit eam restituere; committat peccatum à primo distinctum cum obligatione illud aperiendi in confessione ? Et respondeo affirmativè : ratio est, quia eo tempore, quo retinetur res cum inadvertentia; retentio illa non est actualiter libera, & voluntaria ; neque est libera in aliquo effectu relicto, qui sit causa retentionis ; ergo quando de novo fit voluntaria, novum & distinctum peccatum est in confessione aperiendum, cum non continuetur ullatenus nova illa retentio cum priori. Neque dicas, sic etiam somnum interrumpere retentionem, ut si quis alienum retineat, & post somnum advertat ad retentionem, & voluntatem habet retinendi : nam etiam somnus reddit involuntariam retentionem pro eo tempore. Concedo namque sequelam, si somnus non fuit assumptus, ut medium exequendi illam : ut si quis diceret, retineam pro hac nocte, dum dormiam, & postea restituam. Hinc est, quamlibet inadvertentiam voluntatem interrumpere ; cum non possit esse medium, in quo voluntas prior perseveret. Et sic docent Vasquez, Suarez, Rebellus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Peccatis disp. 3. punct. 3. num. 2.*

17 Colligitur. 2. cum, qui ductus ex eodem impetu iræ, odii, vel rixæ plura convicia, maledicta, probra, blasphemias, vel percussiones, aut plures plagas inimico infligit; non committere tot peccata, quot sunt convicia, aut maledicta, vel percussiones, aut plagæ ; sed unum tantùm. Idem dicendum de eo, qui pluribus juramentis falsis eamdem rem confirmat pro eodem tempore vel pro eodem tempore pluribus oculis eamdem fœminam osculatur: ratio est, quia omnia illa convicia, maledicta, probra, blasphemiæ idem malum imprecantur inimico; sicut plures percussiones pro eodem tempore, aut plures plagæ unum vulnus constituunt; & plura juramenta falsa unum perjurium pro eo tempore faciunt ; sicuti unum fuit perjurium Div. Petri, licèt plures actus negationis, detestationis, & execrationis pro eo tempore fecerit. Plura oscula, & plures tactus illiciti pro eodem tempore unum lasciviæ peccatum constituunt, quia continuantur in uno opere exteriori, videlicet in prava conversatione cum fœmina perseverante periculo. Confirmatur hæc eadem Sententia *ex Cap. Cum pro causa de Sent. Excomm.* ubi statuitur, unicam excommunicationem contrahi ob verberationem factam Clerico in Dormitorio, & continuatam in Claustro ; quamvis percussio non una, sed multiplex fuerit ; eo quia reputatur una : quamvis ob violatam Ecclesiam alia adjuncta fuerit excommunicatio. Et qui ter Clericum percussit pugione continuatis vulneribus, unam tantùm excommunicationem contraxit, cum reputetur una percussio. Et *in Cap. Lotharius 31. quæst. 2.* dicitur : eum, qui uno, & continuo impetu appellavit bis, aut ter à sententia, semel appellasse dicitur. *In Lege Cum quæstio, Cod. de Legatis. §. Sed & alia*, dicitur : Qui eamdem rem cuipiam in testamento bis, aut ter legaverit ; perinde est, ac si semel legaverit. Sustinent hanc sententiam Navarrus, Henriquez, Simancas, Covarruvias, Salas, Azor. Sancius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de peccat. disp. 3. punct. 3. num. 5.* & Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. pun. 2. n. 11.*

Colligitur 3. quamvis communior sententia doceat 18
cum Azorio, Salas, Suarez, Sancio, & Navarro relatis à Castropalao *loco citato num. 6.* plura peccata committi ab eo, qui pro eodem tempore plures injurias specie diversas proferat contra alium, nominando eum e. g. latronem, homicidam, adulterum : nam diversitas illa specierum injuriarum, diversitatem indicat peccatorum, de necesse in confessione aperiendorum. Nihilominus probabilis est sententia opposita docens, unum tantùm esse peccatum, quam sustinent Bonacina *loco citato numer.* 12. ; & Castropalaus *loco citato*; idem dicunt de eo, qui alterum appellat furem rerum Ecclesiasticarum ; non enim ei duplicem injuriam facit, imponendo implicitè notam furti, & notam sacrilegii ; sed unam tantùm : ratio est, quia licèt sint injuriæ diversæ rationis, & speciei ; nihilominus conveniunt omnes in ratione injuriæ, & contumeliæ. Hinc est, probabilem esse sententiam asserentem, non explicandam esse in confessione diversitatem specificam harum injuriarum moraliter confluentium in unam ; tum quia nimis difficilis redderetur confessio in illis explicandis ; tùm quia non est receptum penes confessarios, hanc multitudinem injuriarum, quibus præsertim mulierculæ ad invicem conviciantur, distinctis nominibus aperire : nec qui vestem, equum, arma, aut alia diversæ rationis abstulit à Petro ; tenetur ea aperire nominatim in confessione, si sufficienter aperiat valorem rerum illarum, cum in ratione furti omnia illa ejusdem rationis sint.

Colligitur 4. actum odii, quo quis prosequitur de- 19
cem homines ad instar unius, aut integram familiam ; sicuti etiam si per actum detractionis eos prosequeretur; idem dicendum de habente actum desiderii occidendi plures eodem ictu, aut integram familiam, aut Civitatem ; vel non recitandi Divinum Officium per mensem ; vel non jejunandi per integram Quadragesimam, actum inquam istum odii, vel detractionis, aut desiderii unum peccatum formaliter esse, quamvis virtute sit multiplex. Et quidem quòd sit unum formaliter, patet ex eo, quòd unus sit actus, ex quo constituitur ; aliàs qui vellet infinitos homines occidere, haberet formaliter infinitas malitias. Quòd autem sit multiplex virtualiter, probatur ex eo, quia continet in virtute plures occisiones, & est voluntas committendi plura peccata. Hinc est, quòd explicanda sit in confessione gravitas talis objecti, eo quia actum in suo esse individuali constituit : nec rectè explicat peccatum suum, qui voluntatem habuit occidendi decem homines, vel integram familiam ; si dicat, voluntatem habuisse committendi homicidium : sicuti non rectè explicat peccatum suum, qui voluntatem habuit fornicandi cum decem fœminis ; aut non jejunandi per quadraginta dies ; si dicat, se habuisse voluntatem fornicandi, aut non jejunandi, sed præterea explicare debet pluralitatem objectorum. Et parum refert, quòd peccatum sit unum formaliter, si æquivaleat pluribus inter se distinctis. Sic Suarez *de Pœnit. disput.* 22. *sess.* 5., Filliuccius 21. *capit.* 8. *quæst.* 12. *numer.* 320., Bonacina *de Peccatis disp.* 2.

disp. 2. quæst. 4. punct. 2. numer. 2.; & Castropalaus *de Peccatis disp. 3. punct. 3. numer. 15.*

20 Colligitur. 5. actiones externas præcedentes, concomitantes, & subsequentes actum principaliter pravum, ad quem referuntur, & ordinantur; si non habeant malitiam distinctam ab illo, etiam si physicè inter se distinctæ sint numero; non distingui moraliter loquendo, & in ordine ad confessionem: ratio est, quia sunt partes actum principalem constituentes, & ad illum ordinantur, ut initium, & complementum illius; adeoque in eo omnes prædictæ actiones moraliter conveniunt, & unum peccatum constituunt in confessione aperiendum: sic habens oscula, verba impudica, & tactus ad copulam carnalem ordinata, sive præcedant, sive comitentur, sive subsequantur, ut complementum illius; satis peccatum suum explicat, si dicat: copulam carnalem habui cum fœmina libera, aut Matrimonio ligata, vel voto. Secus tamen esset, si non essent partes copulæ, nec ad illam ordinarentur, tunc distinctim aperienda essent in confessione: eo quia physicè distinguuntur inter se, nec habetur opus, in quo moraliter uniantur. Sic qui de copula habita morosè delectatur, debet hoc peccatum, ut distinctum ab ipsa copula aperire; cum nec spectat, nec ordinetur ad illam. Sic Suarez *de Pœnit. tom. 4. disput. 22. sess. 1.*, Navarrus *in Summ. cap. 6. n. 17.* Azor. *1. par. lib. 4. cap. 4. quæst. 6.*, Filliuccius *tract. 21. cap. 8. num. 317.*

CAPUT XI.

De Peccato Omissionis, & ejus Causis.

1 *Peccatum Omissionis, quamvis consistat in duplici privatione; regulariter semper est conjunctum cum aliquo actu positivo incompossibili cum re præcepta.*
2 *Tunc incurritur Omissio, quando implendum est præceptum.*
3 *Quando incurritur malitia peccati Commissionis?*
4 *Quæ dicuntur de Omissione, intelligi possunt de Commissione.*
5 *Quando peccat, qui poterat scire Leges, & præcepta; sed neglexit, quamvis postea agat contra illa, dum scire non potest?*
6 *An eodem modo discurrendum de eo, qui voluntariè se inebriat prævidens perjuria, blasphemias, pollutionem, homicidium inde secutura; ac de eo, qui voluntariè se inebriat prævidens tantùm contumelias, injurias, & convicia?*
7 *An omnes actiones, quæ sunt causa Omissionis peccaminosæ, sint malæ, & peccaminosæ?*
8 *An non solùm sit causa Omissionis actus internus voluntatis omittendi rem præceptam, verùm etiam omnes illæ actiones, quæ per se eliguntur, & sunt incompossibiles cum re præcepta.*
9 *An actiones indifferentes, imò bonæ, si sint causa Omissionis imputabilis ad culpam; malæ sint?*
10 *Quod nam præceptum omittendum ex duobus servandis pro eodem tempore, & utrumque servari nequeat?*
11 *Assignatur Ordo servandus inter præcepta.*
12 *Quod nam peccatum committat, qui majus præceptum omittit, & servat minus?*

1 PECCATUM Omissionis, quamvis formaliter consistat non solùm in privatione entitatis actus præcepti, verùm etiam in privatione debitæ rectitudinis ipsi actui, & specie differat à peccato Commissionis, ut supra innuimus; regulariter semper est conjunctum cum aliquo actu positivo incompossibili cum actu præcepto, qui omittitur. Solet autem hic actus incompossibilis esse causa saltem extrinseca, & per accidens Omissionis: sic omittens audire Sacrum die festivo, regulariter omittit audire, vel quia non vult positivè audire illud, aut quia venatione, ludo, aut alio exercitio retinetur, incompossibili cum auditione Sacri; adeoque tales actiones sunt causa omissionis Sacri. Non nego tamen, putasse doctos Viros, dari posse puram Omissionem liberam peccaminosam cum nullo actu positivo incompossibili conjunctam, de qua re fusiùs pertractant Scholastici: ut si quis urgente tempore faciendæ correctionis fraternæ prorsus sileret, & merè negativè se haberet, cum posset loqui, & corrigere. Antequam tamen de Causis Omissionis peragamus, inquirendum est priùs, quando incurratur Omissio, & quando nam incurratur malitia, & culpa ipsius Omissionis.

2 Tunc Omissio incurritur, quando implendum est præceptum; eo namque tempore, quo adimplendum est præceptum, & facienda est res per præceptum imposita; tunc revera omittitur. Sic omissio auditionis Sacri die præcepto incurritur pro eo tempore, & hora, qua Sacrum audiendum est; sic etiam omissio correctionis fraternæ incurritur pro eo tempore, quo ipsa facienda est, & sic de reliquis: ratio autem est, quia Omissio est privatio actus debiti per præceptum; sed non debetur, nisi pro eo tempore; ergo non incurri debet, nisi pro eo tempore, quo præceptum adimplendum est. Sic Sanchez *in Oper. Moral. lib. 1. cap. 17. num. 9.*, & passim Doctores.

3 Malitia verò Omissionis, si contingat Omissio pro eo tempore, pro quo omittens est compos sui, & ratione utitur, itaut in ejus potestate sit adimplere rem præceptam, quam omittit cum advertentia; tunc incurritur: sic qui sui compos, & advertit ad præceptum audiendi Sacrum, quod potest audire, & audire omittit; tunc incurrit malitiam omissionis Sacri: ratio est, quia tunc Omissio est libera, & voluntaria, ac adest usus rationis, advertentia ad præceptum, & potestas audiendi, ergo si non impeditur talis Omissio, ut impediri potest, & debet; erit voluntaria Omissio imputabilis ad culpam. Quòd si pro eo tempore causam liberè apponat, ex qua sequatur omissio; ut si quis ludo se exponeret, aut alteri negotio non deobligante ab auditione Sacri, quod de facto omittitur, prævidens, & advertens se ludo aut negotio detinendum tempori sacri; tunc non solùm incurrit malitiam omissionis pro eo tempore, quo se ludo exponit, aut negotio; sed etiam pro eo tempore, quo missa audienda erat: ratio est, quia non solùm est voluntaria sufficienter omissio Sacri, cum se exponit ludo, & causam sufficientem dat Sacrum omittendi; verum etiam est voluntaria pro eo tempore, quo missa audienda est, cum perseveret voluntas omittendi in ludo voluntariè assumpto cum advertentia, quòd posset Sacrum impedire. Si verò omissio contingat pro eo tempore, quo omittens nec est compos sui, nec usum rationis habet, nec est in ejus potestate rem præceptam ponere, quamvis causam apposuerit ad omissionem cum advertentia ad præceptum; tunc ejus malitia incurritur, quando apponitur causa omissionis. Sic qui dat se somno prævidens, quòd non excitabitur ab illo tempore auditionis Sacri, quod elabitur, dum dormit; aut qui se inebriat prævidens, ebrietatem futuram esse causam omissionis Sacri; contrahit malitiam omissionis Sacri, quando liberè apponit causam omissionis Sacri per somnum, aut ebrietatem: ratio est, quia tunc se exponit periculo peccandi apponendo liberè causam illam sufficientem ad omissionem; ergo tunc peccat, nam qui se exponit peccandi periculo, peccat. Et hinc est, quòd etiam si expergefactus à somno, aut transacta ebrietate voluntatem mutet, & missam audiat; per Sacri auditionem non excusabitur ab omissione præterita liberè volita in causa, & eam in confessione aperire debet. Sic, Azor. Valentia, Sanchez, Becanus, Reginaldus, Pesantius, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. punct. 4. num. 5.*

4 Quod dictum est de Omissione, pariter intelligi poterit de Commissione: tunc enim Commissio imputatur ad culpam, quando committens rem prohibitam est compos sui, & est in ejus potestate eam evitare, ac advertit ad prohibitionem, & nihilominus rem prohibitam committit. Quando verò datur causa Commissioni, ex qua causa sequitur commissionis actus, si actus commissionis sequens ex causa contingit tunc temporis, quando est in potestate committentis illum evitare, non solùm imputatur ad culpam, quando apposita fuit causa, verum etiam pro eo tempore, quo actus commissionis contingit: eo quia in utroque casu reputatur voluntarius, & liber, ac potens impediri. Si verò pro eo tempore pro quo commissio contingit, non sit in potestate, & libertate committentis eam evitare, imputabitur ad culpam, quando apposita fuit causa. Sic qui causam dedit pollutioni secutæ in somno, ex qua causa prævidebat pollutionem secuturam in eodem somno, peccavit, quando causam apposuit: sic etiam qui se voluntariè inebriavit, prævidens ex illa ebrietate secuturum homicidium, quod de facto in ebrietate secutum est, peccavit, quando ebrietatem apposuit. Advertendum tamen hic, quòd licèt rectè explicet in confessione peccatum istud homicidii, qui illud commisit, quantum est ex vi præcisè ipsius peccata dicen-

rendo: dedi causam voluntariam homicidio. Nihilominus si homicidium habeat sibi annexam excommunicationem; tenetur aperire homicidium: excommunicatio, siquidem aut irregularitas consurgunt ex ipso actuali homicidio, & non ex sola culpa homicidii, esto sequatur tunc temporis, quando non adest usus rationis, & libertas. Sic Vasquez *part.* 2, *disp.* 127. *cap.* 3., Lessius *lib.* 4. *cap.* 3, *num.* 27., Sanchez *in Oper. Moral lib.* 1, *capit.* 16, *num.* 47., Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *numer.* 8.

5 Ex dictis infertur; eum qui poterat Leges, & præcepta scire, quæ scire tenebatur, & poterat posita advertentia illorum; si postea contra illa agat, dum scire non potest; pecasse tantùm pro eo tempore, pro quo scire poterat, & ignorantiam repellere; non verò peccare dum actu facit contra illa. Sic qui potuit hoc mane scire, an esset pervigilium de præcepto, & per negligentiam mortalem omisit scire; si iter arripiat, in quo scire nequeat, an revera pervigilium sit; si carnes comedat, & non jejunet; non peccat pro eo tempore; sed peccavit pro illo, pro quo potuit præceptum cognoscere, quia tunc voluntariè omisit scire per negligentiam mortaliter culpabilem. Quod si negligentia fuerit leviter culpabilis in addiscendis præceptis, aut Legibus, faciens contra illa venialiter tantùm peccabit. Idem dicendum, si negligentia, quæ posita fuit in præcavendis malis in causa, fuerit tantùm leviter culpabilis: tunc mala ipsa erunt venialiter culpabilia, etiam si causa sit mortaliter culpabilis. Vt si quis se voluntariè inebriavit, negligentia verò, quæ posita fuit in præcavendis malis in ebrietate prævisis; fuit tantùm leviter culpabilis: tunc licèt peccaverit mortaliter se inebriando, venialiter tamen peccat ob mala, quæ sequuntur: ratio est, quia ea, quæ sunt tantùm voluntaria in causa, non possunt aliam culpam habere, nisi eam, quæ posita fuit in causa; ergo si venialis culpa apposita fuit in causa, venialia erunt, quæ ex tali appositione sequuntur. Sic Lessius *lib.* 4. *capit.* 3. *numer.* 26., Sanchez *lib.* 1. *in Oper. Moral cap.* 16. *num.* 42., Becanus 2. *par. tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 6. *num.* 8., & Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 9. & 10.

6 Infertur quoque: non eodem modo discurrendum esse de eo, qui voluntariè se inebriavit prævidens periuria, blasphemias, pollutionem, homicidium, quæ ex ebrietate sequerentur; ac de illo, qui voluntariè se inebriavit, prævidens tantùm injurias, contumelias, & convicia, quæ proferret; quamvis neuter ipsorum ebrietatem omiserit: ratio disparitatis est, quia perjuria, blasphemiæ, pollutio, homicidium sunt intrinsecè mala, & graviter adversantur Divino honori; aliunde sunt liberè volita in causa; ergo qui prævidet ea in ebrietate graviter peccat, si non evitet. Secus verò contumeliæ, convicia, injuriæ in ebrietate prolata, quamvis liberè volita in causa, communi hominum existimatione parvipenduntur, nec ut talia reputantur; adeoque illa prævidens in ebrietate, & non evitans non censebitur graviter peccare. Sic ex Sanchez, Vasquez, Sayro docet Bonacina *l. c. num.* 11.

7 Petes. 1. an omnes actiones, quæ sunt causa Omissionis peccaminosæ; sint malæ, & peccaminosæ; Resp. affirmativè si sint causa illius, & incompossibiles cum re omissa; ratio est, quia sunt causa peccati; & omnis actio, quæ causa peccati est; mala est, & peccaminosa. Sic ludere, ut missa omittatur; vel iter agere, ut Sacro non interfis; aut breviarium in mare projicere, ut in navigatione Divinum Officium non recites; erunt actiones malæ, & peccaminosæ; eo quia causa sunt peccati omissionis, & incompossibiles cum rebus præceptis omissis. Secus verò si non ut causæ omissionis, sed concomitanter se habeant ad illam: ut si quis ne Sacrum audiret, iter arriperet; & in itinere cantaret, legeret, aut quid simile faceret; non ideo actiones illæ cantandi, legendi, &c. essent malæ, & peccaminosæ, eo quia concomitanter tantùm se haberent ad Sacri Omissionem, nec essent causa illius. Sic Valentia *tom.* 2. *disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 4. *dub.* 2., Sayrus *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 13., Bonacina *de peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 15. referens Vasquez, Becanum, & Filliuccium.

8 Petes. 2. an non solùm actus internus voluntatis, seu propositum non exequendi, imò omittendi rem præceptam sit causa Omissionis; verùm etiam omnes illæ actiones, & illa opera, quæ per se eliguntur primò, & sunt incompossibiles cum re præcepta omissa? Resp. quamvis non defuerint Doctores, qui dixerint, solum propositum, & actum internum voluntatis omittendi rem præceptam esse causam omissionis illius, reliquas verò actiones concomitanter se habere; nihilominus vera, & communior sententia est; non solùm propositum illud esse causam omissionis, verùm etiam omnia illa opera, quæ primò, & per se eliguntur elicito proposito, & sunt incompossibilia cum re præcepta. Sic qui voluntatem, & propositum habet non audiendi Sacrum, & per se eligit iter facere, aut se continere domi, vel studere, aut ludere, vel dormire, quando Sacrum audiendum est; non solùm propositum illud erit causa omissionis Sacri, verùm etiam quæliber ex istis actionibus, quæ malæ erunt à malitia omissionis Sacri: & ratio est, quia solùm propositum omittendi Sacrum non est causa adæquata omissionis Sacri, ex vi cujus ipsa sequatur; nemo enim proponit omittere Sacrum, nisi quia vel iter facere velit, aut se domi continere, vel ludere, studere, dormire, aut quid simile; ergo non solùm ex vi propositi, sed etiam ex vi harum actionum per se primò elicitarum elicito jam proposito, sequitur omissio Sacri, ergo & propositum, & similes actiones per se intentæ, & incompossibiles cum auditione Sacri erunt causa adæquata omissionis illius. Reliquæ verò actiones, quæ sequuntur ad electionem primi operis incompossibilis cum re præcepta, secundario se habent, & veluti concomitanter ad omissionem, nec sunt causa illius. Sic qui proposuit non audire Sacrum, & iter arripere; si in arrepto itinere cantet, legat, aut aliud faciat; non erunt causa, ex vi cujus sequatur omissio Sacri, nec imputari poterunt ad culpam; cum secundariò, & merè concomitanter se habeant ad Omissionem Sacri. Sic ex Becano & aliis docet Bonacina *de peccat. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 16.

Petes. 3. an actiones, quæ sunt causa omissionis rei præceptæ, quando omissio imputabilis est ad culpam, malæ sint, etiamsi actiones sint indifferentes, aut bonæ? Resp. affirmativè: si enim imputabilis est ad culpam, & peccatum omissio rei præceptæ, actio indifferens, vel bona afficitur malitia ipsius omissionis peccaminosæ, & culpabilis. Quamobrem in ratione peccati omissionis missæ præceptæ non minùs malum est ludere, vel dormire; quàm Divinum Officium recitare, quàm Coronam Beatæ Virginis, si ob ea omittatur auditio missæ præceptæ; peccatum siquidem inde sequens non minùs commaculat ipsam omissionem, quàm causam omissionis, sive in se fuerit indifferens, sive bona, cum æquè adversetur auditioni Sacri actus in se indifferens, ludus, aut somnus, quàm actus in se bonus, recitatio Divini Officii, aut Coronæ Beatæ Virginis. Secus tamen esset, si omissio Sacri non esset imputabilis ad culpam, tunc enim remanerent in suo esse actiones illæ, non enim haurirent malitiam, ab ipsa omissione. Sic ex Becano, Sayro, Azorio, & aliis tradit Bonacina *de peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 17. 9

Petes. 4. Quod nam Preceptum omittendum sit, quando simul, & pro eodem tempore duo concurrunt, ita incompossibilia inter se, ut utrumque servari nequeat? Resp. omittendum esse minùs obligans: ratio est, quia magis obligans graviorem inducit obligationem, ergo ipsum servandum erit præ præcepto inducente minorem obligationem, ut per se patet. Loquimur autem hic, quando non stat per ipsum omittentem, quin utrumque præceptum servet, sed provenit ex incompossibilitate ipsorum: ut esset obligatio juris naturæ assistendi infirmo graviter ægrotanti, & obligatio Ecclesiastica audiendi Sacrum, in quo casu deberet Sacrum omittere, & assistere graviter ægrotanti, adeoque omissio minoris præcepti per electionem majoris exuit, & rejicit à se malitiam, & deformitatem. Quòd si in potestate omittentis sit utrumque servare, peccat omittendo minùs obligans: sic qui adstringeretur ad mentiendum leviter, aut furtum grave committendum, non posset omittere obligationem suam non mentiendi etiam leviter, ut non omitteret obligationem suam non committendi grave furtum, cum utrumque servari possit, & debeat, non mentiri videlicet, nec furari, sunt enim intrinsecè mala: nec electio non furandi rem gravem reddit inculpabilem electionem mentiendi leviter. Idem dicendum de vexato gravissima carnis tentatione, non poterit fornicationem eligere, ne adulterium committat, cum possit, & debeat utrumque vitare ex suis intrinsecis malum, & in ejus potestate est adhibere carnis macerationem, & alia media cum Dei ad u- 10

adiutorio, Sic Sanchez *in Oper. Moral. lib. 1. cap. 16. numer.* 18. & Bonacina *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. pun. 4. num.* 18.

11 Ordo autem inter Præcepta hic est. 1. quòd Præceptum Naturale Divinum per se loquendo graviùs obliget præ solo Præcepto Divino, aut solo humano. 2. quòd solum Divinum, vel solum Naturale graviùs obliget præ solo humano. 3. quòd Præceptum Negativum graviùs obliget præ Affirmativo. 4. quòd Præceptum altioris Virtutis graviùs obliget præ Præcepto Virtutis inferioris. Dictum est per se loquendo, & regulariter; eo quia si materia superioris Præcepti est levis, illa verò inferioris Præcepti est gravis; ratione materiæ graviorem inducet obligationem Præceptum inferius: sicuti si bonum commune exigit observantiam potiùs inferioris præcepti, quàm superioris; ratione boni communis graviùs obligabit inferius. Sic rectè advertit Bonacina *l. c. num.* 23.

12 Petes denique: Quod nam peccatum committit, qui omittit majus Præceptum, & eligit minus? Resp. attendendum esse excessum inter peccatum gravius, & minus grave: nam si excessus est modicus, & parvæ considerationis; erit solùm peccatum veniale; levitas siquidem, & parvitas materiæ excusat à gravi peccato. Secus tamen esset, si excessus esset magnus; tunc enim violaretur in re gravi, & magnam secum afferret inordinationem. Quòd si non pateat excessus inter duo præcepta, quorum unum eligi debeat; tunc ad libitum unum ipsorum eligi poterit; non enim apparet potior ratio, cur vnum magis eligendum sit præ alio. Sic Medina, Becanus, Sanchez, Corduba, Reginaldus, Vasquez, Azor. Suarez, Henriquez, relati à Bonacina *de Peccatis disputat. 2. quæst. 4. pun. 4. num.* 24.

CAPUT XII.

De Peccatis Capitalibus, & eorum Filiabus.

1 *Quænam sint Peccata Capitalia; & cur ita dicta.*
2 *Quid sit Superbia, & quale peccatum?*
3 *Explicantur tres Filiæ Superbiæ Præsumptio, Ambitio, & Vanagloria.*
4 *Quid sit Avaritia, & quale peccatum?*
5 *Explicantur quinque Filiæ Avaritiæ.*
6 *Explicatur sexta Avaritiæ Filia, nempe Proditio.*
7 *Adnotantur quatuor circa aperitionem litterarum.*
8 *Quid sit Luxuria, & quale peccatum?*
9 *Enumerantur Filiæ Luxuriæ tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.*
10 *Quid sit Invidia, & quale peccatum?*
11 *Enumerantur Filiæ Invidiæ.*
12 *Quid sit Gula, & quale peccatum?*
13 *An implere se cibo, & potu usque ad satietatem, & vomitum ob solam voluptatem præciso scandalo sit grave peccatum, an leve?*
14 *Enumerantur Filiæ Gulæ ex parte corporis, & ex parte animæ.*
15 *Ebrietas spectat ad Gulam, quæ si plena, & perfecta sit; sit grave peccatum.*
16 *Afferuntur signa plenæ, & perfectæ ebrietatis.*
17 *Inebriare alium, vel illum ad æqualia pocula invitare, ut inebrietur; est grave peccatum.*
18 *Quid sit Ira, & quale peccatum?*
19 *Enumerantur Filiæ Iræ ex Corde, ex Ore, ex Opere.*
20 *Quid sit Acedia, & quale peccatum?*
21 *Enumerantur Filiæ Acediæ.*

1 PECCATA Capitalia septem enumerantur, Superbia videlicet, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, & Acedia: dicuntur Capitalia, quia ex eis originem ducunt nonnulla alia peccata. Non omnia tamen sunt ex genere suo mortalia. De singulis pertractabimus secundum se, quamvis de nonnullis pertractatum fuerit, uti oppositis Virtuti Charitatis, aut aliis Virtutibus; per distincta tamen quæsita ea absolvemus. Sit igitur

2 Quæsitum 1. quid sit Superbia, & quale peccatum? & quænam sint ejus Filiæ? Resp. Superbiam nihil aliud esse, nisi inordinatum propriæ excellentiæ appetitum: quæ quidem si perfecta, & consummata sit, mortalis erit ex genere suo: ut si quis ita appeteret excellere, ut nollet se subjici Deo, & Superioribus, ac Legibus eorum. Si verò imperfecta sit, ut si quis non renueret subjicere se iis, quibus debet; attamen in suo tantùm affectu se magnificaret: non esset grave peccatum, sed veniale: ratio est, quia efferre se plùs justo sine despectu Dei, aut aliorum, non videtur gravis deordinatio. Gravis tamen esset, si cum notabili contemptu aliorum fieret, aut cum notabili complacentia de illorum abjectione. Sic Cajetanus *verb. Superbia*, & alii.

3 Tres enumerantur Superbiæ Filiæ. 1. est Præsumptio, appetitus videlicet aggrediendi opus aliquod supra vires. Quæ quidem ex genere suo est veniale peccatum; potest tamen fieri mortale, si afferat damnum aut Deo, aut proximo; ut si quis præsumeret potestatem Ordinis, aut Jurisdictionem aliquam Ecclesiasticam; vel sine debita peritia, ac scientia præsumeret Officium Confessarii, Advocati, Medici, &c. Sic Lessius *lib. 3. de Just. cap. 2. dubit. 3.* 2. est ambitio, quæ est inordinatus appetitus Dignitatis, & honoris non debiti, vel majoris debito: ut si quis ambiret Officium, vel beneficium aliquod, quo indignus est. Et quamvis ex se peccatum veniale sit, fit tamen mortale ratione materiæ, vel ratione modi, & modi illiciti, per simoniam e. g. aut ratione damni, quod infertur proximo. Non nego tamen, quòd si honor appetatur ex honesto fine, possit esse actus Magnanimitatis, ut habet Layman *lib. 3. sect. 5. 3.* est Vanagloria, seu cupiditas inanis gloriæ: finis autem hujus cupiditatis est inordinata manifestatio propriæ Excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Tunc dicitur vana, quando quæritur hæc gloria ex re mala, vel falsa, aut ficta; vel ex re, quæ non est digna gloria, vel non tanta, quanta appetitur ex opibus, aut aliis nugis. Et quamvis per se sit veniale peccatum, poterit tamen per accidens ex aliis circumstantiis fieri mortale, ut dictum est de ambitione, & nos superiùs notavimus de Peccatis contra Charitatem proximi. His tribus enumeratis Superbiæ filiabus correspondet Pusillanimitas; quando videlicet quis nimium sibi diffidens detrectat honorem illum, gloriam, vel Officium, quo dignus revera est. Ex genere suo veniale peccatum est pusillanimitas, quamvis mortale fieri possit, si teneatur sub mortali acceptare illud, quod ex pusillanimitate detrectat. Sic Lessius *lib. 3. de Just. cap. 2.* & Layman *lib. 3. sect. 5.*

4 Quæsitum 2. Quid sit Avaritia, quale peccatum, & quænam ejus filiæ? Resp. Avaritiam esse inordinatum appetitum rerum temporalium. Est ex genere suo veniale peccatum, cum non afferat ita gravem deordinationem; fieri tamen potest mortale, si ita excrescat appetitus, ut ejus intuitu Leges Divinæ, aut humanæ sub gravi obligantes violentur. Opponitur autem Avaritiæ Prodigalitas, & hæc consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi. Et quamvis Prodigalitas sit ex genere suo veniale peccatum, levius Avaritiæ peccato; eo quia minus recedit à virtute Liberalitatis, cui ambæ opponuntur. Nihilominus fiet mortale peccatum, si ex ea sequatur pauperies liberis, Uxori, aut aliis, quos alere tenetur prodigus; vel si fiat impotens ad solvenda debita, vel si largè profundat bona Ecclesiastica, vel alia piis causis obnoxia, ut bene notat Lessius *lib. 2. cap. 47. dub. 8.*

5 Filiæ Avaritiæ variæ enumerantur. 1. est Obduratio cordis, quando videlicet non compatitur pauperibus, & egenis suam miseriam ostendentibus, eos increpando, objurgando, & duris verbis tractando; aut nimis rigidè debita exigendo, quando debitores non habent, unde solvant. Opponitur Obduratio cordis Misericordiæ, & quamvis plerumque sit veniale peccatum, fieri tamen potest mortale ex gravitate materiæ; aut si ob talem duritiem non subveniatur proximo, quando urget Charitas ad subveniendum ei. Sic Toletus *lib. 8. cap. 26.* 2. est Inquietudo cordis, quæ consistit in vehementi, & inordinata applicatione mentis ad divitias acquirendas, vel conservandas cum timore vano, & inani, ne fortè non acquirantur, aut dependantur. Quæ quidem Inquietudo si sit de re bona, sed est tempore, vel loco indebito: ut si quis dum est in Templo, & Missam audit, vel dum domi vacat Deo, & Officium recitat, inquietudinem habeat de familia, vindemia, Messe, & aliis similibus; veniale peccatum erit. Si verò retrahat à spiritualibus, aut aliis, ad quæ ex præcepto tenetur; vel inducat adeo superfluum timorem, ut in diffidentiam Dei impellat; erit grave peccatum. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 55. art. 6.* Reginaldus *lib. 23. cap. 2. quæst. 3.* & alii. 3. Est Violentia, quæ quidem mortalis erit, si injustè, & circa materiam gravem fiet,

4. est

4. est Fallacia, seu dolus in verbis; & potest esse mortale peccatum ratione finis, mediorum, & aliarum circumstantiarum, 5. est Fraus, seu dolus in facto; & hæc est mortale peccatum ex genere suo, & multipliciter contingere potest in contractibus, tam ratione materiæ, occultando videlicet ea, quæ aperienda sunt; quàm ratione pretii. Sic Toletus *lib.* 8. *cap.* 47.

6 Sexta Avaritiæ Filia est Proditio, consistit autem in deceptione contra fidem datam, aut debitam alicui, & cedit in damnum illius. Peccatum Proditionis ex genere suo mortale est, cum ex se gravem afferat inordinationem: & tribus modis contingere potest. 1. circa Personas, ut fuit peccatum Judæ, qui Christum prodidit; & Dalidæ, quæ prodidit Sampsonem. 2. circa res, sive mobiles, sive immobiles: ut si quis revelaret furi pecuniam, vestes, equum alicujus; aut similes revelaret hosti modum capiendi arcem, Civitatem, Regnum. 3. circa Secretum, vel revelando illud sibi commissum, ex qua revelatione, si prævideat, notabile secuturum damnum, vel discordias; grave peccatum erit contra fidelitatem, & justitiam, cum sit pactum oneros um, siquidem promissum fuit servare illud; si non prævideat, grave secuturum damnum; erit veniale peccatum: ut docet Cardinalis Delugo *disp.* 14. *de Just. num.* 139. Vel litteras alienas aperiendo, & legendo; quod quidem si fiat ex animo, ut secreta scribentis litteras sciat; erit Curiositas per se graviter peccaminosa, etiamsi litteræ jam apertæ rem levis momenti continerent: & ratio est quia communiter ante litterarum aperitionem nescitur, an rem gravem, vel levem contineant; adeoque aperiens exponit se periculo, quod sufficit ad graviter peccandum: & sic docent Navarrus *cap. penult. disp. 6. de Pœnit.* Toletus *lib.* 8. *cap.* 45. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 4. qui addit: dolosè aperientem, & legentem alienas litteras cum alterius injuria, vel damno crimen falsitatis committere. Per accidens tamen aperitio alienarum litterarum potest esse veniale peccatum, aut nullum; si videlicet legitima authoritate id fieret, aut justa interveniente causa. Sic si Princeps tempore belli insidias pertimesceret, non solùm litteras hostium, sed etiam aliorum, quæ ex locis finitimis hostibus advenirent; aperire posset. Sic etiam ministri publici possunt eas aperire, si bono communi id fuerit expediens. Sic denique privata Persona, si probabiliter sciret in suum injustum damnum, vel injuriam litteras cedere; posset eas aperire eo animo, ut injustum damnum, vel injuriam à se averteret. Cavendum tamen ne ficto prætextu horum aperitio fiat, & quòd servetur secretum, quantum fieri potest, præcipuè in rebus alienis à fine intento. Sic Navarrus *cap.* 18. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 60. Cardin. Delugo *disp.* 14. *de Just. num.* 148.

7 Adnotandum 1. non peccare Superiorem Religiosum, qui litteras suorum subditorum aperit, & legit (dummodo non mittantur ad Superiores Majores, aut alios, quos Statuta Religionis eximunt; vel ab eis veniant ad subditos) sive id faciat ex Statuto Religionis, sive ex consuetudine, sive denique ex probabili suspicione, quòd aliquid mali contineant. Sic Pe. inus *de Relig. tom.* 1. *quæst.* 2. *cap.* 1. 2. non peccare eum, qui ex consensu expresso, aut tacito, sive mittentis litteras, sive recipientis illas, eas aperit, & legit; vel ratihabitione confidens id ratum habendum esse. Sic Navarrus, Reginaldus, & Cardin. Delugo locis superius citatis. 3. non peccare, nisi venialiter tantùm eum, qui probabiliter putabat, non contineri in litteris rem magni momenti; & eas eo animo aperit, & invenit rem magni momenti; tenebitur tamen desistere in ulteriori lectione, & secretum servare. Sic Cardin. Delugo *l. c.* 4. non peccare eum, qui partes litterarum à domino dilaceratarum, & projectarum in loco publico recolligit, & sic recollectas, ac inter se conjunctas legit: nam quod pro derelicto habetur, licet in usum proprium convertere. Sic Sylvester *verb. Emptio. quæst.* 17. Layman *lib.* 3. *sess.* 1. *tract.* 3. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. qui admonet, teneri ex Charitate servare secretum, si in illis contineretur; & damnum vel domino, aut aliis contingere posset. Peccaret tamen, si sciret, ab aliis inscio domino laceratas fuisse, & projectas; aut casu à domino deperditas fuisse, & eas recollectas legeret. Idem dicendum, si dominus non in locum publicum, sed occultum eas dilaceratas projecisset, aut in ignem, vel fornacem; tunc enim sine peccato non licebit eas extrahere, & legere. Sic Cardin. Delugo *disp.* 14. *de Just. num.* 150. Hinc fit, peccare eum, qui alterius scripta secreta furtivè perlegit invito domino, non solùm peccato Curiositatis, etiamsi faciat animo addiscendi, & non inferendi damnum; sed etiam peccato injustitiæ: unusquisque enim jus habet secreti in suis scriptis, quæ non vult, ut communia sint aliis. Sic Molina *tract.* 5. *disp.* 36. *num.* 3. & Reginaldus *lib.* 24. *cap.* 6. *num.* 119. Quod quidem peccatum poterit esse grave, si nimirum fiat cum notabili damno domini; vel gravissimè laturus sit lectionem illam, eo quia valde cupiat, rem esse secretam. Sic Cardin. Delugo *l. c.* Fit etiam, violantem absque justa causa secretum alterius, aut injustè aperientem alterius litteras cum damno illius; teneri ad restitutionem, & ad damnum resarciendum. Sic Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 1. Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 32.

Quæsitum 3. quid Luxuria, quale peccatum, & quænam ejus filiæ? Resp. Luxuriam esse inordinatum appetitum rerum venerearum. Cum enim harum rerum usus sit ex natura sua institutus ad humanum genus conservandum, & resultat in bonum ipsorum hominum, & bonum externum Dei; inde fit, quòd abuti illis grave peccatum sit, & quidem ex genere suo contra Deum, & homines. Sic Doctores passim. 8

Filiæ Luxuriæ, quæ regulariter sequuntur illam; variæ sunt, quarum aliquæ se tenent ex parte intellectus, aliquæ ex parte voluntatis. Ex parte intellectus 1. est Cæcitas quædam mentis; quando videlicet ita quis huic turpitudini addictus sit, ut non cogitet de cœlestibus, ac de rebus ad animam suam spectantibus. 2. est Præcipitatio; qui enim Luxuriæ addictus est, præcipitanter operatur, hoc est sine consilio. 3. est Inconsideratio, delinquit enim luxuriosus in modo, agens inconsideratè ea, quæ statum suum, ac suam personam dedecent. 4. est Inconstantia; nam huic vitio obnoxius à piis propositis deficit, nec constans est in eis ob affectum ad carnales voluptates. Ex parte voluntatis 1. est Amor sui: qui voluptates has sequitur, respicit ut finem suarum actionum se ipsum, non verò Deum. 2. est odium Dei: quia Luxuriæ deditus abhorret ab ipso Deo, tamquam Vindice peccatorum, & simul abhorret à rebus Divinis. 3. est affectus præsentis sæculi: nam qui carnalia amat, paratus est æternæ beatitudini renunciare, si præsentibus ei permitteretur frui deliciis. 4. est horror futuri sæculi, cum lascivus mortem inordinatè timeat, ac mori recuset; nec mortem cogitare vult, imò studet prolongare vitam mediis illicitis, ac etiam illicitis mediis repellere mortis cogitationem. Advertendum hic: quòd priores quatuor ad intellectum spectantes sunt mortales, si finis ultimus in creatura ponatur; vel aliquod præceptum graviter obligans prætermittatur. Posteriores verò quatuor ad voluntatem spectantes per se, & ex genere suo sunt mortaliter graves, si plenus adsit voluntatis consensus, ut ex se constat; possunt tamen esse veniales, si adsit indeliberatio, aut alia actuum imperfectio ex regulis generalibus. 9

Quæsitum 4. quid sit Invidia, quod nam peccatum, & quænam ejus Filiæ? Resp. Invidiam esse tristitiam de bono alterius, prout est diminutivum propriæ excellentiæ: directè est contra Charitatem, quæ gaudere solet de bono alterius, quod Invidia destructum exoptat. Est mortalis ex genere suo, & gravissima si sit de gratia, vel auxilio à Deo alteri dato. Sic passim Doctores. 10

Filiæ Invidiæ sunt 1. Odium Proximi. 2. Detractio de fama proximi. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, seu oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam illius cum aliis, hinc est, quòd susurro teneatur non secus ac detractor ad resarcienda damna proximi. Omnes istæ filiæ Invidiæ sunt ex genere suo grave peccatum. Sed de Invidia satis superque diximus suprà, cum de Peccatis contra Charitatem proximi. 11

Quæsitum 5. Quid sit Gula, quale peccatum, & quænam ejus Filiæ? Resp. Gulam esse appetitum inordinatum cibi, & potus: opponitur Virtuti Abstinentiæ quinque modis: & 1. si ante tempus debitum comestio fiat: ut si quis summo mane edere vellet. 2. si nimis exquisita comederet, & supra suum statum, & conditionem; ut si quis plebejus cibos exquireret pro solis magnatibus reservatos. 3. si nimis exquisitè cibos præparatos vellet, & cum sumptu supra suam conditionem. 4. si voraciter comederet. 5. si plus justo comederet, quàm fames, & naturæ sustentatio requireret. Non nego tamen, Gulam ex genere suo esse 12

tan-

tantùm veniale peccatum, cum nullus ex enumeratis modis pugnet præcisè cum Charitate Dei, vel proximi. Poterit nihilominus fieri mortale peccatum per accidens: & 1. si quis ob Gulam præceptum Ecclesiasticum jejunii violaret. 2. si graviter valetudini noceret, dummodo tamen gulosus id advertat; si verò leviter noceret, non esset grave peccatum. 3. si ex nimio cibo, & potu ineptus notabiliter fieret ad eas functiones, ad quas sub gravi obligatus esset. 4. si commessationes, & compotationes ita assiduæ essent, ut venter videretur Deus sic commessantium, & compotantium. 5. si se inebriet perfectè. Omnes enim istæ inordinationes graves sunt.

13 Controvertitur tamen: an implere se cibo, & potu usque ad satietatem, & vomitum ob solam voluptatem præciso scandalo, & aliis inordinationibus supra enumeratis, sit grave, an veniale peccatum? Nam quòd sit peccatum jam definitum fuit ab Innocentio XI. damnante Propositionem illam: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Quòd verò sit veniale tantùm probabiliter docent Navarrus, Toletus, quibus non repugnat Layman *lib. 3. sect. 5. num. 4.* etiam si vomat, ut possit iterato bibere. Mihi tamen probabilius videtur esse grave peccatum ita comedere, & bibere ex sola voluptate usque ad satietatem, & vomitum; imò vomere ipsum, ut iteratò comedere, & bibere possit, cum advertentia tamen, & prævisione horum: moveor, quia magna videtur inordinatio contra naturam rationalem, & maximè opponitur Virtuti Abstinentiæ; nisi tamen id præscriptum fuerit à Medico ob evomendos pravos humores. Sic rectè Sà *verb. Comedere*, & alii illum sequentes.

14 Filiæ Gulæ aliæ se tenent ex parte corporis: ut Immunditia, Vomitus, Effusio seminis; & quamvis ex genere suo veniale peccatum sint duæ primæ, Effusio tamen seminis, si voluntaria sit; mortale peccatum erit. Ex parte animæ se tenent Hebetudo mentis, seu stupiditas quædam orta ex crapula; itaut orare non possit, aut alia munia exercere; quæ quidem, si voluntaria sit; fit ex veniali mortalis per accidens ut supra diximus: ut si quis ex crapula ineptus fiat ad percipienda ea, quæ sunt illi necessaria ad salutem; aut ex officio præstare debet; vel aliàs ex præcepto tenetur facere. Inepta Letitia, quæ moveat ad actus turpes, cantiones lascivas, saltus, & choreas inhonestas; fit etiam mortalis, si sit inductiva alterius ad consensum, vel delectationem mortalem. Multiloquium, Scurrilitas, quæ inter se differunt, nam multiloquium consistit in verbis, Scurrilitas verò in verbis, & gestibus, & semper habent comitem aliquam inhonestatem; venialia sunt ex genere suo, si ex levitate fiant ad risum excitandum; Mortalia tamen evadent, si fiant delectationis venereæ causa. Vide Lessium *de Just. lib. 3. cap. 3.*

15 Spectat etiam ad Gulam Ebrietas, quæ si plena, & perfecta sit; mortalem habet malitiam, quæ in eò sita est, quòd quis sciens, & volens sine gravi, & justa causa, sed tantùm ob voluptatem, & ingluviem privet se usu rationis simpliciter, non modo naturali, ut evenit in somno *instituto* ab authore naturæ ad refocillandas vires, & conservandam Dei Imaginem; sed modo violento, & innaturali ad instar bruti amentis perturbando rationem, deturpando Imaginem Dei, & privando se proxima potestate utendi ratione ad omnem necessitatem supervenientem. Quòd autem plena, & perfecta ebrietas sit ex genere suo mortale peccatum, patet ex eo, quòd sit gravis inordinatio, & gravis sit injuria Dei, ejus Imaginem sic deturpare. Ita passim Doctores.

16 Signa autem plenæ, & perfectæ ebrietatis hæc enumerantur: 1. si non recordetur dictorum, vel factorum in ebrietate; nec quomodo, aut quando in domum deductus fuerit. 2. si ea commiserit, quæ numquam solitus fuerit committere, dum sanæ mentis esset: ut si præter morem rixas excitaverit, uxorem, filios, aut alios verberaverit; si cantilenas, saltus, choreas fecerit, aut verba turpia dixerit, aliàs non solitus. Sic Lessius *libr. 4. capitul. 3. dubitat. 2. numer. 3.* & alii. Quòd si post potum adhuc discernere possit inter bonum, & malum; non dicenda erit plena, & perfecta ebrietas etiam si aliquantulum turbata sit phantasia, aut vomitus sequatur, vel lingua titubet, crura vacillent, oculi duplicia videant, & domus videatur agi in gyrum. Venialiter tamen peccabit, si deliberatè id fecerit; & reputatur tale peccatum ex gravioribus inter venialia, ut habet Layman *lib. 3. sect. 4.* Excusantur attamen à peccato Ebrietatis, qui non prævidentes periculum illius vino capiuntur; maximè si non soliti inebriari ex similibus potibus. Quod si experientiam habeant, se inebriari ex talibus potibus; tenentur sub gravi desistere.

Grave peccatum est alium inebriare, vel illum ad æ- 17
quales potiones invitare, ut inebrietur, & invitans pariter se inebriet; advertentia namque ad futuram ebrietatem in se, & in alio gravem inducit malitiam in tali compotatione: ut habet Lessius *lib. 4. cap. 3. dubit. 4. num. 37.* Quòd si justa causa interveniat, ut esset præscriptum Medicorum ad infirmitatem curandam, nec alio modo curari posset. Vel si quis adstringeretur ab alio ad se inebriandum stricto ense, nec daretur locus evadendi, tunc non esset culpabilis ebrietas: quia non fieret animo violento, & illicito modo privandi se usu rationis ob solam vini voluptatem. Sic Lessius *l. c.* alios referens. Inebriare aliquem, qui grande malum meditatur, quod non possit alio modo vitari, nisi ille inebrietur, propinando vinum fortissimum, vel medicatum; non erit peccatum. Sic quis inebriare poterit eos, qui prodituri sunt Civitatem, nec alius modus datur evitandi malum istud à Civitate. Insuper inebriare poterit eos, qui eum injustè abducturi sunt in aliam Civitatem. Cavendum tamen, ne eos inducat ad se voluntariè inebriandum, quia cooperaretur peccato illorum: nam justa causa, quæ militat pro inebriante, non militat pro inebriandis, adeo ut licitum sit illis, se inebriare voluntariè, eo quia inebrians potest illos inebriare. Sic Layman *lib. 3. sect. 4. num. 6.*

Quæsitum 6. quid sit Ira, quale peccatum, & quænam ejus Filiæ? Resp. Iram esse appetitum inordinatum vindictæ inordinatio autem ista potest se tenere ex parte modi irascendi: sic esset, si quis nimium exardesceret interiùs, vel nimium exteriùs id patefaceret ex signis. Et potest se tenere ex parte objecti: sic esset, si quis vindictam appeteret ob injustam causam, vel majorem justo, optando v. g. mortem inimico, quam non meretur, sed verberationem; aut optando eam exequi authoritate propria, cum spectet ad authoritatem publicam; vel etiam si vindicta justa sit, ea appetatur, non quia justa est, sed ob satiandum animum malevolum. Ira inordinata (nam si ordinata sit, nullum peccatum erit, ut patet in Superioribus irascentibus culpis subditorum; & in Deo irascente peccatis hominum) primo modo, ex parte videlicet modi irascendi, ex genere suo est veniale peccatum, cum non sit gravis inordinatio; quamvis possit fieri ex accidente mortale peccatum, ut si adderentur blasphemiæ, imprecationes, scandala &c. Ira verò inordinata secundo modo ex parte videlicet objecti est ex genere suo mortale peccatum, cum directè opponatur Charitati. Sic passim Doctores. 18

Filiæ Iræ aliæ sunt ex Corde; ut Indignatio, quæ consistit in affectu inordinato, eo quia reputet, se indignè tractari ab alio. Regulariter est peccatum veniale, si tamen crescat usque ad perfectum odium, & gravem contemptum personæ, erit mortale peccatum; si verò ex justo rationis judicio procedat, nullum peccatum erit. Tumor mentis, quando videlicet aliquis excogitat varias vindictæ vias, & modos; ac talibus cogitationibus animum tumefacit. Quale autem peccatum sit Tumor mentis, dignoscendum erit ex qualitate vindictæ excogitatæ: ut docet Toletus *lib. 8. cap. 58. numer. 3.* Aliæ Filiæ Iræ sunt ab Ore, ut sunt Clamor, iracundus enim vocem extollit, multa inordinatè, ac confusè dicens: regulariter hic clamor, nisi aliud addatur, veniale peccatum est. Blasphemia, Contumelia, Maledictio, qua quis alteri malum *sub* ratione mali imprecatur; omnes tres ex genere suo sunt peccatum mortale. Aliæ denique Filiæ Iræ sunt ex Opere; ut Rixæ, quæ si modum non excedant; erunt veniale peccatum. Pugnæ quæ si leves sint; peccatum veniale non excedunt. Seditiones, Vulnera, Cædes sunt ex genere suo mortale peccatum, & communiter se tenent ex parte incipientis rixam; cum alter possit se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 19

Quæsitum 7. quid Acedia, quale peccatum, & quænam ejus Filiæ? Resp. Acediam generalem, de qua loquimur, esse tædium, seu remissionem animi in exercitio Virtutum, eo quia aliquis labor est adjunctus. Ex genere suo veniale peccatum est; fit tamen mortale, si ob Acediam omittatur exercitium Virtutis sub mortali præceptum. Secus verò Acedia particularis, quæ consistit in tristitia, & tædio de Divina amicitia, eò quòd 20

per

per laboriosa exercitia virtutum conservanda sit; adeoque de tali amicitia non curat; Acedia inquam hæc particularis grave peccatum est ex genere suo, cum repugnet Charitati Dei, ut patet.

21 Filiæ Acediæ variæ enumerantur. 1. est Malitia, qua quis odio habet Spiritualia, & vellet, ea non esse: est autem ex genere suo mortale peccatum. 2. est Pusillanimitas, & Desperatio de salute æterna: quæ etiam peccatum mortale est ex genere suo. 3. est Rancor, cum videlicet sunt fastidio illi, qui ad Spiritualia inducunt; & communiter est veniale peccatum. 4. est Torpor, quando scilicet bona opera non fiunt cum fervore debito: est etiam communiter veniale peccatum. 5. est Evagatio mentis, cum videlicet in exercitio rerum spiritualium quis evagatur per illicita, sive per cogitationem, & dici solet Curiositas; sive per locutionem, & dicitur Verbositas; sive per Inquietudinem, & dicitur Inquietudo. Et quamvis hæc evagatio mentis communiter sit veniale peccatum; fieri tamen poterit mortale peccatum, si notabilis sit, & attentionem requisitam ad opus sub gravi præcepto impositum impediat, ut recitationem Divini Officii, vel auditionem Sacri. Sic Castropalaus *de Charit. tract. 6. disputat. 1. pun. 3.* & Trullench *lib. 2. cap. 6. dub. 1.*

CAPUT XIII.

De Causis, Subjecto, & Effectibus peccati.

1 *Causæ Efficientes peccatorum plures sunt, & omnes enumerantur.*
2 *Nequit dici Deus causa peccati, etiamsi ad actum peccaminosum creaturæ rationalis concurrat ad exigentiam illius.*
3 *Nec dici potest, quòd prædeterminet, aut impellat voluntatem ad eligendum malum.*
4 *Subjectum peccati illud est, in quo ejus malitia residet; quæ alia est actualis, & formalis; alia objectiva, & materialis.*
5 *Malitia formalis, & actualis peccati actualis residet tantùm in voluntate.*
6 *Malitia verò objectiva, & Materialis peccati actualis residet in illis potentiis, à quibus eliciuntur actus peccaminosi, & in quibus consummantur.*
7 *Peccatum si consideretur, ut quid voluntarium, residet in voluntate; si consideretur, ut est quidam actus; residet in potentiis illud elicientibus.*
8 *Subjectum peccati habitualis, & ejus malitiæ, prout habituale importat privationem gratiæ, & amicitiæ Dei; est anima: prout importat perfectionis debitæ privationem est potentia illa, quæ tali perfectione privatur.*
9 *Enumerantur septem effectus Peccati actualis;*
10 *An quis puniri possit pro peccato alterius?*

1 AD completam tractationem de peccatis remanet pertractandum de Causis illorum; de Subjecto, in quo residenț; & de effectibus, quos causant: de quibus ordine suo. Causæ efficientes peccatorum plures enumerantur. 1. est Infirmitas sensus: voluntas enim ex apprehensione sensus impellitur ad malum faciendum; & ideo *Danielis* 13. dicitur; *Concupiscentia subvertit cor; & 1. Jacob. 5. Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* 2. est malitia ipsius peccantis, quando videlicet nulla alia causa impellente peccatum committit ex certa scientia, & cognitione mali, ac plena libertate: ut dicitur *Job. 34. Qui quasi de industria recesserunt à Deo.* 3. est Dœmonum suggestio. Sic *Genesis 3.* dicitur: *serpens decepit me, & sapient. 1. Invidia diaboli mors intravit in mundum.* 4. est objectum sensibile, quod disponit ad peccatum, dum sensum rapit, & sensus ad se voluntatem attrahit. Quod clarè exprimitur *Genes. 3. Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectu delectabile, & tulit de fructu illius.* 5. est Ignorantia vincibilis, ex ignorantia enim vincibili per accidens causatur peccatum juxta illud D. Paul. 1. *ad Timoth. 1. Ignorans feci in incredulitate*, & 1. *ad Corinth. 2. Si cognovissent, numquam Dominum Gloriæ crucifixissent.* 6. est Vis, & metus, quando scilicet ob vim, & timorem movetur homo ad peccandum, aliàs non peccaturus. 7. est peccatum ipsum: nam peccans commisso uno peccato, per quod gratiam amittit semel, amittit etiam timorem, & verecundiam retrahentem à peccato, & facilè in aliud peccatum prorumpit juxta illud D. Gregorii *homil. 11. in Ezechielem*: Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit: maximè quia dantur peccata Capitalia, de quibus tamquam ex fonte alia emanant, ut superiùs diximus.

Non potest autem Deus dici causa peccati, etiamsi 2
ad ipsum actum peccaminosum concurrat cum creatura rationali ad exigentiam ipsius creaturæ: nec ullo modo illi imputari, & adscribi potest peccatum. Nam Deus non potest id velle, quod suæ naturæ adversatur; cum ergo Deus sit Summum bonum ex se, peccatum verò Summum malum; inde est, Deum non posse velle peccatum, quod suæ naturæ adversatur: nec Deus odio habet id, cujus est causa, juxta illud *Sapient. 11. Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; si ergo odio est Deo impius, & impietas ejus *ex Sapient. 14.* Deus non potest esse, nec debet dici causa peccati, nec illi imputari potest peccatum. Et quamvis Deus concurrat ad actionem peccati simul cum creatura rationali, non ideo tamen potest dici causa peccati, ut dicitur creatura rationalis: eo quia ratione perfecti dominii supra omnes creaturas, quo Deus gaudet, & ratione perfectæ subjectionis, & dependentiæ creaturarum à Deo; par est, ut Deus concurrat ad omnes actiones illarum sive necessarias, sive liberas, sive bonas, sive malas juxta illud *Act. Apostol. 13. In Deo vivimus, movemur, & sumus*: sic enim Deus habet perfectum dominium supra creaturas, & creaturæ perfectè subjiciuntur, & subordinantur illi. Nihilominus cum concursus iste generalis sit cum omnibus creaturis, & causis secundis, juxta exigentiam quarum cum ipsis concurrit; & ex se est indifferens sive ad actionem bonam, sive malam, ut illæsa servet jura libertatis creaturis liberis, inde est, quòd ratione hujus concursus generalis, & ex se indifferentis, nequeat Deus dici causa peccati, nec possit ipsi imputari peccatum. Dicitur tamen cum hac generalitate concursus ex se indifferentis causa bonorum operum: eo quia Deus specialiori modo concurrit ad illa; invitat namque, vocat, excitat, & movet ad opera bona; adeoque jure merito causa illorum dici debet; non sic verò ad peccatum; imò minatur, deterret, ac pœnas statuit facientibus illud. Vide Bellarminum *lib. 2. de Statu peccati. cap. 18.* & Becanum *par. 2. tract. 2. cap. 6. quæst. 2. num. 8.* & alios.

Ex dictis constat, nec posse dici, quòd Deus præ- 3
determinet, aut impellat voluntatem ad eligendum malum; sed dicendum omnino est, ipsam voluntatem supposito concursu generali Dei ex se ipsa se determinare ad malum; aliàs si à Deo prædeterminaretur, aut impelleretur ad malum eligendum, deberet dici causa peccati. Consonant Scripturæ, *Eccles. 15. dicitur: Non dicas, Deus me implantavit*, & D. Jacob. 1. *Deus intentator malorum est.* Quòd si aliqua Scripturæ loca videntur dicere, Deum prædeterminare, & impellere ad malum; intelligenda erunt de Permissione, quòd scilicet Deus permittat malum illud inpunitionem, ut illæsa servet libertatis jura; non verò quòd intendat illud. Vide Becanum *l. c. quæst. 1.*

Subjectum Peccati illud dicitur, in quo peccatum, 4
& ejus malitia residet. Sed prænotandum est, peccatum aliud esse Actuale, aliud habituale; insuper peccati malitiam aliam esse Actualem, & formalem; aliam objectivam, & materialem. Actualis, & formalis Malitia dicitur illa, quæ convenit actui voluntatis interno; materialis verò, & objectiva, quæ convenit actui externo præscindendo etiam ab actu interno voluntatis: sic actus externus furti habet malitiam objectivam, & materialem; actus verò internus voluntatis furandi habet malitiam actualem, & formalem. Nam actus furandi extrinsecus non est malus malitia formali, & actuali; nisi simul cum ipso habeatur actus voluntatis internus furandi rem alienam: patet in eo, qui furatur in somno, ebrietate, amentia, qui licèt alienum surripiat; non contrahit tamen actualem, & formalem malitiam furti, cum non procedat hic actus externus furti ab actu interno voluntatis furandi, qui tunc temporis non habetur; ergo clarè constat, malitiam actualem, & formalem competere actui interno voluntatis, qui per denominationem extrinsecam illam communicat actui externo. Malitiam verò objectivam, & materialem competere actui externo, à quo illam accipit actus internus; nam ideo actus internus furandi malus est actualiter, quia furari est malum. His prænotatis

Dico

Dico 1. Malitia formalis, & Actualis peccati Actualis resident tamquam in subjecto in Voluntate, quamvis per denominationem extrinsecam sit etiam in cæteris potentiis, quæ actus peccaminosos eliciunt. Sic malitia actualis peccati furti e. g. residet in voluntate furantis; per denominationem verò extrinsecam in potentia eliciente actum externum peccaminosum furti; ratio est, quia nullum peccatum est formaliter tale, nisi liberum, & voluntarium sit; sed actus liber, & voluntarius residet in voluntate, tamquam in subjecto; ergo peccatum formaliter est in voluntate, & per denominationem extrinsecam in cæteris potentiis, quæ actus externos peccaminosos eliciunt. Confirmatur: bonitas Actualis, & formalis primariò, & intrinsecè est in voluntate, in qua est actus liber, & voluntarius bonus; per denominationem verò extrinsecam in cæteris potentiis actus externos bonos elicientibus; ergo etiam malitia formalis, cum contraria sint apta inhærere eidem subjecto. Neque dicas, illam actionem esse primariò, & formaliter malam, quæ primariò prohibetur à Lege; sed Lex primariò prohibet actum externum, secundariò actum internum, ut patet in furto, homicidio &c. primariò enim prohibetur actus externus furti, & homicidii, & postea actus internus furandi, & occidendi; ergo malitia actualis peccati potiùs residet in potentiis elicientibus actus externos peccaminosos, quam in voluntate. Nam contra est: licèt primariò prohibeatur actus externus malus, & primariò præcipiatur actus externus bonus; nihilominus malitia actualis, & formalis primariò residet in actu voluntatis; sicuti bonitas actualis, & formalis primariò residet in actu voluntatis; & ratio ulterior est, quia malitia formalis, sicuti est bonitas formalis, in actibus voluntatis consistit, qui per denominationem extrinsecam eam communicant actibus cæterarum potentiarum. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 1. *ad* 2. Scotus *in* 2. *disp.* 42. *§. ad quæst.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 98. *art.* 7. *nu.* 18. Becanus *tract.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 1. *nu.* 2. & alii passim.

6 Dico 2. Malitia objectiva, & materialis peccati actualis residet tamquam in subjecto in illis potentiis, à quibus eliciuntur actus peccaminosi, & in quibus consummantur: ratio est, quia malitia objectiva, & materialis consistit in actibus elicitis à potentiis; sed hi actus resident in talibus potentiis, ergo malitia illorum objectiva, & materialis residet in ipsis potentiis. Sic D. Thomas *l. c. art* 3. Vasquez *l. c.* Valentia 1. 2. *disp.* 6, *quæst.* 4. *punct.* 1. & alii relati à Bonacina *de peccat. disp.* 2. *quæst.* 6. *pun. unic. num.* 4.

7 Adnotando hìc ex Azorio 1. *par. lib.* 4. *cap.* 21. Peccatum si consideretur ut quid voluntarium, reperiri in voluntate; si verò consideretur ut est quidam actus, reperiri in potentia talem actum eliciente: sic peccatum hæresis, quod consistit in errore intellectus, si consideretur ut quid voluntarium, non enim haberi potest hæresis formaliter, nisi voluntaria sit, residet in voluntate: si verò consideretur ut actus est, residet in ipso intellectu eliciente illum. Verùm doctrina tradita, quamvis certa sit; non discrepat à nostra asserente, malitiam actualem, & formalem residere in voluntate; malitiam verò objectivam, & materialem residere in potentiis elicientibus actus peccaminosos, qui denominationem accipiunt malitiæ actualis ab actu interno voluntatis. Sic in casu adjecto malitia actualis extrinseca peccati hæresis reperitur in actu intellectus erroneo per denominationem habitam ab actu voluntatis: non enim actus intellectus, quo quis assentitur propositioni hæreticali, esset malus malitia actuali, nisi voluntarius esset; adeoque talis dicitur per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis. Loquimur hic de malitia formali, nam malitiam objectivam habet actus peccaminosus ab objecto malo, non verò ab actu voluntatis; imò actus ipse internus voluntatis malitiam objectivam habet ab actu externo per ordinem ad objectum malum; actus siquidem specificantur ab objectis. Sic voluntas hæretici mala est formaliter, quia elicit actum malum intellectus malitia objectiva per ordinem ad objectum erroneum hæreticaliter, quod malum est ex se. Sic Becanus *tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 2.

8 Dico 3. subjectum peccati habitualis, & malitiæ ipsius, prout importat peccatum habituale privationem gratiæ, & amicitiæ Dei; esse animam ipsius peccatoris: ratio est, quia in ipsa recipitur gratia, ergo in ipsa recipietur privatio gratiæ. Prout verò importat privationem perfectionis debitæ, subjectum illius erit potentia illa, quæ perfectione privatur. Sic peccatum habituale hæresis subjectatur in intellectu, quia perfectio fidei, qua privat peccatum hæresis, in intellectu reperiri debet. Sic etiam peccatum habituale odii in voluntate subjectatur, quia perfectio amoris, & Charitatis, qua odium privat, in voluntate reperiri debet: & sic de reliquis. Ita Valentia 1. 2. *disputat.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 1. *in fine*.

9 Effectus peccati Actualis plures enumerantur. 1. est maculare animam; & in hac macula, quam peccatum actuale infert, consistit peccatum habituale. Quid verò importet hæc macula, & in quonam consistat explicatum fuit, cum de Peccato habituali, 2. est privare hominem gratia, & virtutibus infusis, excepta fide, nisi tamen fuerit Peccatum Infidelitatis. 3. effectus est reatus pœnæ æternæ damni consistens in æterna privatione Dei; & reatus pœnæ æternæ sensus; decedens namque ex hac vita cum peccato mortali non remisso æternam pœnam sustinere debebit in inferno, juxta illud *Matth.* 28. *Ite maledicti in ignem æternum*. 4. est reatus pœnæ temporalis correspondens non solùm peccato mortali, sed etiam veniali; quæ quidem temporalis pœna, etiam deleto peccato, luenda est in hac vita, aliàs in Purgatorio luenda erit. 5. effectus est diminuere nativam inclinationem ad Virtutem: & quamvis ipsa inclinatio naturalis ad virtutem non distinguatur à potentia Voluntatis, quæ in se ipsa substantialiter immutari nequit; nihilominus accidentaliter mutari potest; quia voluntas non ita inclinatur ad virtutem, quin possit vitium amplecti; inde est, quòd multiplicato vitio, seu repetitis actibus peccaminosis diminuitur inclinatio illa voluntatis ad virtutem, & faciliùs in vitium inclinat per peccatum; ut satis constat ex natura habituum. 6. est, ut unum peccatum sit pœna alterius, non quatenus aliud peccatum dicit culpam, & secundum id, quod peccatum per se, & formaliter importat: nequit enim Deus velle, ut homo ob peccatum antecedens commissum in aliud subsequens prolabatur; aliàs vellet injuriam sibi factam per aliam injuriam sibi faciendam vindicare. Solùm igitur permittit, ut unum peccatum sequatur ad aliud, in pœnam cujus denegat auxilia, quibus subsequèns fuisset impeditum; quam quidem denegationem Deus potest velle, cum in ea nil mali sit, juxta illud D. Pauli *ad Romanos* 1. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*. Et D. Augustinus ait 1. *Confessionum cap.* 12. *Jussisti domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi pœna sit*: quatenus inordinatio illa causat tristitiam, damnum, infamiam, & alios pravos effectus in anima. 7. denique effectus peccati est nota, & infamia peccatoris. Verùm effectus iste non oritur ex quocumque, sed ex publico tantùm. Nam semel commisso peccato publico semper durare præsumitur *ex Text. in Cap. Semel malus, de Regul. Jur. in 6. & ex Cap. Nonnulli. disp.* 46. Hinc est, quòd semel perjurus in futurum pejeraturus præsumatur; ideoque à juramento præstando repellatur *ex Cap. Parvuli* 22. *quæst.* 5. *& ex Cap. Litteras. de Præsumption.* Omnino tamen tollitur infamia ista, nota, & præsumptio committendi simile delictum per Sacramentalem Pœnitentiam; nam si tollitur peccatum, quod infamiam causabat, & voluntas retractatur; tolli etiam debet infamia, & præsumptio. Purgatur quoque hæc nota, & infamia ex facto proveniens, si per triennium à simili delicto committendo abstinuerit, maximè si occasiones illud committendi oblatæ fuerint *ex Text. in Authent. de Monach. §. hinc. autem nobis, Versic. Et si vitium*.

10 Exagitari solet hic: an quis possit pro alterius peccato puniri? Quæstio tamen non instituitur de homine secundum se spectato, & quatenus est individuum ab alio distinctum; nam clarè patet, non posse pro alieno peccato puniri, nisi etiam ipse deliquerit, juxta illud *Ezechielis* 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filii*. Et D. Pauli *ad Galat.* 6. *Unusquisque onus suum portabit*. Et hinc est, non posse ferri Statutum, quo unus pro alio corporaliter puniatur, ut filii pro delictis suorum parentum, etiamsi periculum foret imitandi delicta illorum; aliàs posset quis puniri pro delictis ab ipso verosimiliter committendis, quod est absonum: ut docent Covarruvias, Felinus, & alii, quos refert, & sequitur Salas *de Legib. disp.* 15. *sect.* 12. Nec quæstio instituitur de pœna proprie dicta, quæ assumitur in vindictam perpetrari delicti; nequit enim pro-

propriè assumi pœna in vindictam delicti, quod aliquis non patravit. Status igitur quæstionis est: an unus, qui alteri conjunctus est vel ratione consanguinitatis, aut jurisdictionis, & dominii, vel mutuæ Charitatis, qua unus suscipit in se debitum alterius; possit pro illo puniri non pœna propriè dicta, sed vel medicinali, in quantum est ipsi medicina ad salutem; vel satisfactoria, in quantum assumpsit in se debitum satisfaciendi pro alio. His positis

Dicendum est, posse unum pro peccato alterius puniri in sensu explicato: probatur exemplo omnium maximo Christi Domini, qui ob nimiam Charitatem, qua homines dilexit, debitum illorum in se transtulit, ac satisfactoriam pœnam per multa suppliciorum genera, quæ passus fuit, Æterno Patri pro illis obtulit, juxta illud *Isaiæ 13. Propter scelus populi mei percussi eum*, Et D. Pauli *ad Roman. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit*, Insuper ob peccatum Davidis, ut habetur 2. *Regum. 24.* multi subditorum Davidis perierunt: pœna namque ista respectu Davidis fuit pœna propriè dicta: privabatur quidem subditis in vindictam commissi peccati; respectu subditorum, qui deliquerant, fuit etiam pœna propriè dicta; respectu subditorum, qui non deliquerant, fuit pœna medicinalis in salutem. Ad eum modum, quo Deus punit peccata patris eripiendo illi innocentes filios, quæ quidem pœna respectu patris est propriè dicta, respectu filiorum innocentum est medicinalis ad salutem, ne malitia cor ipsorum immutaret. Multa pariter sunt exempla Sanctorum, & Sanctarum, qui cupientes relevare animas Purgatorii à suis penis debitum illud in se transtulerunt, & pœnas luebant annuente Deo, sed satisfactorias non sine eorum magno lucro, & meriti incremento. Atque hæc de Peccatis dixisse sit satis.

Finis Primæ Partis.

PARS

PARS SECUNDA
UNIVERSI JURIS
THEOLOGICO-MORALIS.
DEUS LOQUENS.

COMPLECTITUR hæc Secunda Pars Decem Decalogi Præcepta à Deo Supremo omnium Legislatore dictata, nec non cætera omnia, quæ Decalogi Præceptis annectuntur; rectè igitur Deus loquens inscribitur, & loquentem Deum quis non audiet? Eapropter unicuique ex Renatis aqua Baptismatis, ac primò Ecclesiæ Dei aggregatis ab eadem Ecclesia indicitur : Serva Mandata. *Maximum siquidem negotium Omnium in Christo Credentium est Divinorum Mandatorum Observatio; ideo Christus Dominus, & Magister Legisperito sciscitanti* Lucæ 10. *Quid faciendum, ut Vitam æternam possideret; priusquam se dignam promeret sententiam, admirabili prorsus Magisterio interrogationem præmisit* : In Lege quid scriptum est? quomodo legis? *Post repetita ergo summatim Primæ, ac Secundæ Tabulæ Mandata suavem eam protulit approbationem* : Rectè respondisti; hoc fac, & vives. *Ad vitam itaque in ævum adipiscendam per Divinorum Mandatorum observationem duo necessaria sunt : scire, quid in Lege scriptum sit; & insuper quomodo legendum. Hoc opus, & hunc laborem aggredimur Deo adjuvante, & ejus Integerrima Matre.*

QUÆSTIO PRIMA.
DE ADORATIONE.
PRIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.

DUO in hoc Præcepto continentur. Cultus Deo debitus ea, qua par est, reverentia, & honore deferendus; & Fuga ab omni Cultu falsorum Deorum; ratio igitur doctrinæ postulat, ut priùs quæ ad Dei Cultum, & honorem spectant, ut sunt Adoratio, Oratio, & similes actus Religionis explicemus; dein gradum faciamus ad ea, quæ Cultui, & Dei honori adversantur, ut sunt Superstitio, Blasphemia, Sacrilegium, & Simonia. Placet tamen nonnulla præmittere communia omnibus Præceptis Decalogi.

CAPUT PRIMUM.

Præmittuntur ea, quæ spectant ad Præcepta Decalogi in Communi.

1 *Quid sit Decalogus?*
2 *Omnia Præcepta Decalogi sunt ex Jure Naturali, & Divino positivo; non tamen omnia sunt prima Principia Juris Naturalis.*
3 *Indispensabilia sunt tum Jure humano, tum à Deo Legislatore.*
4 *Omnia Dei Præcepta possibilia sunt hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes vires, quas habent : nec deest gratia sufficiens ad ea observanda.*
5 *Quælibet violatio horum Mandatorum ex genere suo est grave peccatum; nisi habeatur ratio excusans.*

6 *Obligant Fideles omnes ad eorum observationem in Lege Gratiæ, non ex vi Moysis Legem publicantis; sed ex vi, & authoritate Dei Legislatoris, & Juris Naturalis. Nec obligant ad Jus Cæremoniale, si quod continent.*

1 DECALOGUS hìc accipitur pro Summa, ac brevi Compendio Legis Naturalis, & Divinæ Decem Præceptis comprehensa, quæ à Deo Angelorum Ministerio duabus tabulis lapideis inscripta fuere, & Moysi tradita in Monte Sinai; ut constat *ex Exod.* 20. *& 31. & Deuter.* 4. In prima siquidem tabula tria prima Præcepta inscripta erant, quæ circa Deum immediatè versantur; in secunda verò septem posteriora Præcepta, quæ Proximum respiciunt: ideoque passim Decalogus nuncupatur Mandata Primæ, & Secundæ Tabulæ. Sic D. Augustinus *quæst.* 140. *super Exod.* & D. Thomas 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. & passim reliqui Doctores.

2 Præcepta hæc Decalogi, quamvis omnia sint ex Jure Naturali, & Divino positivo, ut Theologi omnes cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. *&* 3. fatentur, & comprobat ratio ipsa; tum quia ordinantur ad bonos mores hominum formandos juxta dictamen Naturæ, cui non opponuntur; tum etiam quia constat ex supracitatis Capitibus *Exod. & Deuter.* à Deo Supremo Legislatore imposita fuisse, Nihilominus non omnia hæc Præcepta sunt prima Principia Juris Naturalis; nec omnia, quæ ad illa spectant, clarè deducuntur ex primis Naturæ Principiis; aliàs dissensio ulla esse non posset inter Doctores in iis, quæ ex Decalogi Præceptis inferuntur: ut rectè adnotant Sayrus *in Clavi Regia lib.* 4. *cap.* 2. & Bonacina *disputat.* 3. *de* 1. *Decal. Præcept. in principio.*

3 Indispensabilia esse Præcepta Decalogi Jure humano, certa, & indubitata sententia docet: ratio est, quia Jus humanum à quacumque Persona, & quacumque Dignitate, & Munere prædita dictetur; numquam erit supra Jus Naturale, & Divinum. Solùm controversia reduci posset ad ipsum Deum Legislatorem Supremum, & absolutum. Et quamvis Ochamus 2. *sentent. dist.* 19. putarit, omnia Decalogi Præcepta ab ipso Deo dispensabilia esse, Rectiùs tamen alii Magni nominis Authores docuere, etiam ab ipso Deo indispensabilia esse: ratio est, quia hæc Præcepta præcipiunt id, quod intrinsecè, & ex sua natura bonum est; & prohibent id, quod intrinsecè, & ex sua natura malum est; sed implicat evidenter, quod bonum ex intrinsecis suis tale evadat malum; & quòd malum ex intrinsecis suis tale evadat bonum, quod quidem eveniret per Dispensationem Divinam; ergo hæc Præcepta nec per supremam, & absolutam Dei Potentiam dispensabilia sunt. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. Suarez *de Legib. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. Sotus *de Just. lib.* 2. *quæst.* 3. *art.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 6. *num.* 14. Navarrus *de Despons. Impub. n.* 16. & alii Doctores passim.

4 Omnia Dei Præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, possibilia sunt; nec deest gratia sufficiens ad ea observanda, & ut possibilia fiant. Opposita siquidem sententia asserens; [*Aliqua Dei Præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant,*] Ab Innocentio X. & Alexandro VIII. ut temeraria, impia, blasphema, & hæretica reprobata, ac damnata fuit. Nam Tridentinum apertè ait *sess.* 6. *cap.* 11. Debet nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei Præcepta Homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis; & petere, quod non possis; & adjuvat, ut possis. *Et Canon.* 18. *sancit; Si quis dixerit, Præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

5 Quælibet Violatio horum mandatorum est ex genere suo Mortale peccatum; nisi fortè excuset vel Inadvertentia, & defectus deliberationis, vel parvitas materiæ in iis, in quibus dari potest; aut denique defectus pleni usus, & rationis, ut evenit in ebriis, semisopitis, & similibus juxta generales regulas à Doctoribus traditas.

6 In Lege Gratiæ vigent, & obligant Decalogi Mandata omnes ad eorum observationem non ex vi, & authoritate Moysis Legem publicantis; sed ex vi, & authoritate Supremi Legislatoris Dei; & ex vi Juris Naturalis, quod continent, ut superiùs dictum fuit. Nec obligant ullatenus ad Jus aliquod Cæremoniale, si quod continent; cessavit siquidem post mortem Redemptoris, & publicationem Legis Evangelicæ. Ita docent inveterata Ecclesiæ Consuetudo à suis primordiis, D. Thomas 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 4. Bellarminus *tom.* 3. *de Justific. lib.* 4. *cap.* 1. Navarrus *in Summa cap.* 11. *num.* 2. & alii passim.

CAPUT II.

De Adoratione.

1 *Adoratio est præcipuus Actus Religionis.*
2 *Quomodo definiatur?*
3 *Excellentia non eadem est in Deo, ac Creaturis; ideò dividitur in Increatam, & Creatam.*
4 *Celebris Divisio Adorationis in Latriam, Hyperduliam, & Duliam.*
5 *Adoratio alia Interna, externa alia.*
6 *Alia Absoluta, Respectiva alia.*
7 *An sit idem Honor, & Adoratio?*

1 ADORATIO est præcipuus actus Virtutis Religionis, quæ versatur circa Deum, tamquam omnium Creatorem, ac Dominum, ei debitum Cultum, & honorem exhibendo ob ejus Excellentiam. Non respicit tamen Religio Deum, tamquam immediatum suum objectum, aliàs non esset Virtus Moralis, sed Theologica: respicit ergo immediatè Cultum, Honorem, & Reverentiam, quæ Deo debentur, tamquam omnium Creatori, & Domino ob ejus Excellentiam; & mediatè ipsum Deum, circa quem immediatè versantur Cultus, Honor, & Reverentia. Cum ergo actus specificentur à suis Virtutibus, Adoratio, & similis Cultus à Religione proveniens non erunt actus Theologici, sed Morales, utpote à Virtute Morali emanantes.

2 Definitur Adoratio ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 1. Exhibitio reverentiæ ob excellentiam ejus, cui exhibetur. Quam definitionem explanant Valentia, Suarez, & alii penes Bonacinam *disp.* 3. *de* 1. *Decal. Præcep. quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. per hæc verba: Adoratio est actus, quo unus alteri se submittit, seu alterum honorat in recognitionem Excellentiæ ipsius. Hinc clarè deducitur, rationem formalem adorandi, se submittendi, & honorandi alium, esse ipsius Excellentiam. Cum igitur creatura rationalis actum elicit, quo suam submissionem, & reverentiam significat ob alicujus Excellentiam; adorare dicitur, sive de reliquo hæc Excellentia Increata sit, sive Creata.

3 Verùm quia hæc excellentia non eadem est in Deo, ac in Creaturis, ideo juremerito diversa Adoratio competit Deo, quàm Creaturis. Excellentia namque alia est Increata, & propria solius Dei; & hæc exigit nobiliorem Adorationem, ac Supremum Cultum, & honorem: cum ergo Deus ob excellentiam suam increatam superet creaturas omnes, inde est, quòd Cultus, & honor Deo tribuendus superare debeat omnem alium Cultum, & honorem, quem tribuere possumus Creaturis juxta illud *Deuteronom.* 6. *Dominum Deum tuum adorabis.* Alia Creata, quæ creaturis convenit; & hæc exigit Cultum, & honorem juxta Excellentiam ipsarum: quia tamen una creatura excellentior est alia, ideo debetur uni major Adoratio, & cultus præ alia.

4 Hinc colligitur celebris illa Divisio Adorationis facta à Theologis in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. Prima fertur in Deum ob ejus excellentiam, & Sanctitatem Increatam, quæ longè superat Excellentiam, & Sanctitatem omnium creaturarum. Secunda in Beatissimam Virginem Dei Parentem, cujus Excellentia, & Sanctitas creata superat Excellentiam, & Sanctitatem cæterarum creaturarum. Tertia denique in Angelos, & Sanctos omnes Beatissima Virgine inferiores. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 3. *&* 4. & Commentatores cum Theologis.

5 Dividitur 2. Adoratio in Internam, & Externam. In-

Interna dicitur, cum fit per internam animi recognitionem, & submissionem, quamvis signo externo non exprimatur. Externa verò habetur, cum per actus externos testamur excellentiam alicujus, & nostram submissionem illi: ut evenit per denudationem capitis, inclinationem corporis, genuflexionem, & similes actus externos. Si tamen externæ Adorationi non conjungatur interna, itaut quod externi testatur non correspondeat; erit potiùs dicenda Fictio, & Simulatio, quàm Adoratio.

6 Dividitur 3. in Absolutam, & Respectivam. Absoluta Adoratio competit rebus intellectualibus, quæ per se digna sunt honore, & Adoratione: sic sunt Deus, Beatissima Virgo, Angeli, & Sancti omnes. Respectiva tamen Adoratio competit rebus intellectu carentibus, quæ quidem non ratione sui, sed Personæ illius excellentis, ad quam referuntur, adorantur, & honorantut: sic sunt Imagines, quæ referuntur ad Personas, quarum sunt imagines; sic etiam vestes, & similia, quæ adorantur ob Personas excellentes, & Sanctas, ad quas referuntur. Sic D. Thomas *l. c.* Azor. 1.*par. lib.9. cap.5. quæst.4.* Layman *lib.4. tractat.10. cap.2. num.3.* & alii communiter.

7 Controverti hìc solet: an sit idem Honor, & Adoratio? Dicendum tamen, differre inter se, nobilior siquidem, & præstantior est actus Adorationis præ actu honoris, & Cultus Civilis: eo quia Superior inferiorem honorans, vel æqualis æqualem adorare non dicitur; cum ad Adorationem requiratur, ut qui adorat, agnoscat se ut inferiorem: quamvis omnis adorans honorare dicatur. Adeoque rectè colligitur Adorationis actum nobiliorem, & præstantiorem esse præ actu honoris, ab eoque differre.

CAPUT III.

De iis, quæ pertinent ad Adorationem Latriæ.

1 *Adoratio Latriæ competit Soli Deo. An adorari possit una Persona Sanctissimæ Trinitatis distinctè ab aliis duabus?*
2 *Quomodo adorandus Christus dominus, ut homo?*
3 *Tum anima Christi Domini, tum ejus corpus in triduo Mortis adorari poterant adoratione Latriæ.*
4 *An Humanitas Christi Domini adoranda adoratione Latriæ.*
5 *Quomodo adoranda Eucharistia?*
6 *Quomodo adoranda Crux, Clavi, Spinæ, & cæteræ Reliquiæ, quæ Christum tetigerunt?*
7 *Non omnis contactus Christi sufficiens est ad Adorationem Latriæ.*
8 *Non solùm Crux, cui affixus fuit Christus; sed etiam cæteræ adorandæ sunt per Latriam.*
9 *Quomodo adorandum Sanctissimum Nomen Jesu.*
10 *An Imago Christi, ejus Crux, & Clavi simul adorari possint eadem adoratione, qua Christus adoratur.*
11 *An si sub Imagine Christi lateret Dæmon, adorans committeret peccatum Idololatriæ.*

1 SUPERIUS diximus: Adorationem Latriæ Soli Deo competere ob ejus supremam excellentiam, ac Sanctitatem increatam, & quidem primò, & per se, ac ratione sui, hoc est Adoratione Absoluta. Remanent nihilominus enodandæ nonnullæ difficultates ad Adorationem Latriæ spectantes.

1. Est: an Una Persona Sanctissimæ Trinitatis adorari possit distinctè ab aliis duabus? Resp. affirmativè: ratio est, quia sicuti possumus unam mente concipere, vel aliam; ita unam possumus adorare, vel aliam. Diligenter tamen cavendum, ne dum una adoratur, aliæ duæ expresè excludantur, impium namque esset, sic explicitè reliquas excludere: eo quia licèt sint inter se realiter distinctæ, attamen una est earum essentia, ac natura; & omnes sunt verè, & realiter unus Deus, & eamdem habent naturam Divinam. Sic Azor. 1.*par. lib.9. cap.5. quæst.7.* Sayrus *in Clavi Regia lib.4. cap.2. num.6.* & Bonacina *in 1. Præcep. Decal. disp.3. quæst.1. punct.1. num.3.*

2 2. Est: quomodo adorandus Christus, ut homo? Resp. adorandum esse adoratione latriæ, ut adoratur Sanctissima Trinitas, & Singulæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis: ratio est, quia licèt Christus Dominus per Humanitatem minor sit Patre, per Divinitatem tamen æqualis est illi, cui debetur adoratio Latriæ. Nec per assumptionem carnis humanæ in Incarnatione desiit esse Persona Verbi verus Deus, & æqualis Patri. Meritò igitur Magi, ut dicitur Matt.4.*Procidentes adoraverunt eum*. Et cæcus illuminatus *Joann.19. Procidens adoravit eum*. Sic etiam D. Thomas Apostolus dixit *Joann.20. Dominus meus, & Deus meus*. Et D. Paulus *ad Hebr. 1. Adorent eum omnes Angeli ejus*. Ita D. Thomas *3. par. quæst.25. art.1.* Vasq. *3. par. disp.95. cap.2.* referens D. Bonav. Capreolum, Cajet. & alios, & Suar. *to.1. in 3. par. disp.53. sect.1.*

Hinc infertur 1. ex præcitatis doctoribus: tum Ani- 3
mam Christi Domini, tum ejus Corpus in triduo Mortis adorari potuisse adoratione Latriæ: ratio est, quia tum Anima, tum Corpus unita erant Personæ Verbi juxta vulgatum illud axioma, quod Deus semel assumpsit, numquam dimisit. Idem dicendum de Sanguine Christi Domini in triduo mortis separato ab ejus corpore, adorari siquidem poterat ob eamdem rationem adoratione Latriæ. Ut benè adnotant Azor. 1. *par. lib.9. cap.5. quæst.7. in fine*, & Bonacina *in 1. Præc. Decal. disput.3. quæst.1. pun.2. num.5.*

Infertur 2. Humanitatem in Christo Domino ado- 4
randam esse adoratione Latriæ, non per se tamen, sed ratione Verbi, cui est personaliter unita: adeout primò, & per se adoretur Persona Verbi, & concomitanter Humanitas ipsi Verbo unita. Ad eum modum, quo dum colitur homo Sanctus propter Sanctitatem inhærentem animæ, per concomitantiam eodem cultu adoratur ejus corpus. Et quamvis Suarez, Durandus, Scotus, Gabriel, Vasquez, Azor. relati à Bonacina *l.c. numer.7.* dixerint, Humanitatem Christi à Verbo per intellectum præcisam adorandam esse adoratione Hyperduliæ, quia ex se non habet excellentiam increatam, sed creatam, quamvis superet excellentiam omnium Sanctorum. Nihilominus semper in praxi adorandus est Christus, & ejus Humanitas adoratione Latriæ, quæ est omnium adorationum perfectissima: ratio est, quia semper Humanitas est unita Verbo Divino, eique conjuncta, adeoque perfectissimo modo adoranda propter supremam excellentiam Christi. Et sicuti Imperator, aut Rex quamvis aliis dignitatibus Ducis, aut Comitis præditus, quibus honorari possit; semper tamen in praxi honoratur honore debito Imperatori, aut Regi: sic etiam dicendum de Christo Domino, & ejus Humanitate. Ut rectè expendit ex D. Bonaventura, Catharino, & aliis Vasquez *3.part. disp.96. cap.4.*

3. Est: quomodo adoranda Eucharistia? Resp. extra 5
omne dubium adorandam esse adoratione Latriæ, & quidem absoluta: ratio est, quia verè, & realiter continet Christum tali adoratione dignissimum. Sic omnium Catholicorum sententia teste Valentia pro dignitate de hac re tractante *tom.3. disp.6. qu.11. pun.4.* Hinc fit 1. quòd si aliquando Caro, aut Sanguis miraculosè apparuere in Venerabili Eucharistiæ Sacramento; adorari quidem poterant adoratione latriæ, vel absoluta, si erant vera Caro, & Sanguis Christi; vel respectiva, si merè repræsentabant. Sic Suarez *3.par. tom.3. disp.55.* Vasquez *3.par. quæst.68. art.8.* Azor. *1.par. lib.8. cap.6. quæst.3.* & Layman *lib.4. tract.7. cap.5. num.13.* Fit 2. facta consecratione in Altari absolutè posse adorari Eucharistiæ Sacramentum, non verò sub conditione illa interiùs concepta: adoro Sacramentum, si facta sit consecratio; non adoro tamen, si facta non sit: ratio est, quia moraliter, & prudenter operando credendum est, consecrationem factam fuisse, nisi evidens ratio demonstret, non fuisse factam, & tunc neque conditionatè adorari poterit; ergo absolutè, & non conditionatè adorandum Eucharistiæ Sacramentum: maximè quia sufficit ad liberandum à peccato in hoc, quòd adorans eo animo affectus sit, ut si evidenter sciret, consecrationem non fuisse factam, non utique adoraret. Sic Cajetanus, Azor. Rodriquez, Vasquez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *in Decal. disp.3. quæst.1. pun.2. num.8.*

4. Est: quomodo adoranda sit Crux, & ejus fragmen- 6
ta, Clavi, Spinæ, Lancea, Sudarium, Præsepe, & cæteræ Reliquiæ, quæ Christum Dominum tetigerunt? Resp. Adorari debere adoratione Latriæ, non absoluta quidem, sed respectiva, quatenus videlicet Christum tetigere, vel dicunt ordinem ad illum. Eodem modo discurrendum de capillis capitis Christi, & ejus sanguine, si fortè aliquid ipsorum extaret, quod reassumptum non fuisset à Christo redivivo: ratione enim contactus, & ordinis, quem dicunt ad illum; adorandi essent adoratione Latriæ. Ut asserunt D. Thomas *3. par. qu.25. art.1. & 4.* Vasqu. ibidem, Azor. *1.par. lib.9. c.6. q.3.* & Bel-

& Bellarminus *tom. 2. Controv. lib. 2. cap. 8.* An autem revera extet aliqua particula sanguinis, quæ non fuerit reassumpta à Christo resurgente ; Controversa res est penes Doctores, ut videre est penes Suarez *3. par. de Incarn. cap. 5. quæst. 1. n. 8.* & Vasquez *lib. 3. de Adorat. n. 125.* Et quamvis D. Thomas *3. part. quæst. 54. art. 2. ad 3.* putet, Christum è mortuis resurgentem reassumpsisse totum sanguinem, quem in sua passione effuderat juxta illud D. Damasceni, *quod semel assumpsit, numquam dimisit*; adeoque non esse verum sanguinem Christi illum, qui in aliquibus Ecclesiis asservatur, nec ex ejus corpore fluxisse, sed ex ejus Sacris Imaginibus. Nihilominus non desunt Authores oppositum sustinentes, quòd videlicet aliqua particula sanguinis fluxerit è latere Christi, quæ reassumpta non fuit, & axioma D. Damasceni intelligendum esse de præcipuis hominis partibus, quales sunt anima, & corpus, non verò de aliis.

7 Adnotandum hìc 1. Non omnem contactum corporis Christi esse sufficiens motivum ad adorationem Latriæ, aliquando enim obstat indecentia : sic indecens esset adorare asellum, quo Christus vectus est Hierosolymam; indecens quoque, imò impium, & execrandum esset adorare manum militis impingentis alapam Christo, & cæterorum Carnificum, qui eum tetigerunt, & crucifixerunt. Aliquando tamen licèt non obstet indecentia, obstat tamen periculum errandi : sic Beatissima Virgo, D. Joseph, & Sancti Apostoli, qui eum tetigerunt, licèt capaces sint adorationis latriæ respectivæ, quatenus hoc contactu referantur ad Christum ; attamen ne tribuatur occasio errandi, quòd primò, & per se illis competat talis adoratio latriæ ; ideo abstinendum ab illa. Quod quidem periculum non habetur in adoratione Crucis, Clavorum, Spinarum &c. cum enim res inanimatæ sint, & ex se incapaces adorationis absoluta; & solùm ex præciso contactu Christi Domini, ad quem referuntur adorationem latriæ habent ; ideo illis conceditur. Sic D. Thomas *3. par. quæst. 25. art. 5.* Suarez *3. par. de Incarnat. tom. 2. disp. 56. sect. 1. ad 2.* Vasquez *3. par. disp. 100. cap. 2.* & Azor. *1. par. lib. 9. cap. 7. quæst. 5.*

8 Adnotandum 2. Non solùm Crucem, cui Christus Dominus affixus fuit, adorandam esse adoratione latriæ respectivæ; sed etiam cæteras Cruces : ratio est, quia licèt istæ repræsentent illam, cui Christus affixus fuit, & quam tetigit; nihilominus ordinantur etiam ad ipsum Christum, eumque Crucifixum repręsentant. Non nego tamen, quòd illa, in qua Christus revera pependit, adoranda sit potiori jure, & quia eum tetigit, & quia eum repræsentat. Hinc colligitur disparitas, cur quælibet Crux adorari poterit adoratione latrię, non verò quilibet clavus, corona spinea, aut aliud simile instrumentum illis, quę inservierunt Passioni Christi : nam Crux etiam sine contactu habet repręsentare Christum Crucifixum, & ad illum ordinatur ; cętera verò instrumenta pręciso contactu non repręsentant illum, sed sunt tantùm similia illis, quibus usi sunt Judęi in Passione Christi. Sic D. Thomas *3. par. quæst. 25. art. 4.* Azor. *1. par. lib. 9. cap. 6. quæst. 2.* Adnotandum tamen ex Suarez *l. c. sect. 2.* aliquam venerationem deberi istis instrumentis similibus, dum inserviunt in supplicatione aliqua tempore Passionis, aut similibus circumstantiis ad connotandam Passionem Christi, & ipsum Christum passum : ratio est, quia non merè repræsentant instrumenta illa, quę Passioni Christi inservierunt; sed ipsum Christum.

9 5. Est : quomodo adorandum Sanctiss. Nomen Jesu ? Resp. absque ullo dubio adorandum esse adoratione latrię respectiva : ratio est, quia repręsentat, & ducit in cognitionem Christi Jesu, cui per se competit adoratio latrię. Et licèt vox illa articulata, aut signum exprimens Sanctiss. illud Nomen in se excellentiam non habeat, & res inanimis sit ; attamen cum subrogetur in locum rei adorandę per latriam, nempe Christi Jesu, ideo adoratione respectiva latrię adorari debet. Sic D. Paulus *ad Philippen. 2. In Nomine Jesu omne genu flectatur*. Suarez *3. par. de Incarn. tom. 2. disp. 56. sect. 5.* Vasquez *3. par. quæst. 25. art. 3. disp. 108. cap. 11.* Azor. *1. par. lib. 9. cap. 8. quæst. 12.* & Bonacina *in Decal. disp. 3. quæst. 1. pun. 3. num. 9.*

10 6. Est : An Imago, & exemplar Christi adorari simul possit eadem adoratione latrię, qua ipse Christus adoratur? Idem inquiritur de Cruce, Clavis, Spinis &c. Resp. affirmativè : ratio est, quia apprehendens Imaginem, aut Crucem Christi per eumdem adorationis actum ad modum unius, & Imaginem, vel Crucem Christi adorat simul cum Christo ; & ipsum Christum in sua Imagine, vel Cruce, itaut in Christum primò, & per se tendat per illum actum adorationis ; in Imaginem verò, aut Crucem per concomitantiam, & propter ipsum Christum, nec in hoc ullum inconveniens apparet. Sic Bellarm. *tom. 2. Controv. 4. lib. 2. cap. 22.* Valen. *tom. 3. disp. 6. quæst. 11. quæsit. 6.* referens D. Cyril. Basil. & Adrian. Bonac. *in Decal. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. n. 4.*

7. Est: an si sub Imagine Crucifixi lateret Dæmon, & eum quis adoraret; committeret revera peccatum idololatriæ? Resp. si certò constet, dæmonem delitescere sum Imagine illa Crucifixi, extra omne dubium est, si adoretur, committi peccatum idololatriæ: ratio est evidens, & per se patet. Si verò dubitetur, an revera lateat sub Imagine illa dæmon, & adoretur; pariter committitur peccatum idololatriæ: ratio est, quia se exponit periculo dæmonem adorandi, & consentiendi ejus deceptioni : & defacto nequimus absolutè adorare Imagines illas Christi Domini, aut B. Virginis, vel aliorum Sanctorum, de quibus dubitamus, nec certò scimus, si revera sint eorum Imagines, aut aliorum : ut rectè tradunt Azor. Armil. Rodriq. Angel. Sylvest. & alii relati à Bonac. *in Decal. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. n. 5.* Si denique bona fide procederet, ac recta intentione, & affectu adorandi Christum ; nullum peccatum committeret, imò mereretur : ratio est, quia adorat id, quod bona fide apprehendit; ergo cum Christum Crucifixum apprehendat, non verò Dæmonem ; ideo nec peccaminosa erit, nec labe idololatriæ infecta talis adoratio, imò meritoria. Sic Vasquez *3. part. disp. 110. cap. 5. num. 4.* & Bonacina *loc. cit.* 11

CAPUT IV.

De iis, quæ spectant ad Adorationem Hyperduliæ, & Duliæ.

1 *Adoratio Hyperduliæ competit Beatiss. Virgini, ejus Reliquiis, Imaginibus, & ejus Sancto Nomini.*
2 *Adoratio Duliæ competit Sanctis Angelis, Hominibus Sanctis, & Beatis, sive vita functis, sive viventibus.*
3 *Ad quam Virtutem reducatur Adoratio Hyperduliæ, & Duliæ?*
4 *An Adoratio Hyperduliæ emanet à Diversa Virtute ab Adoratione Duliæ?*
5 *Quinam Viri Sancti adorari possint per Adorationem Duliæ?*
6 *An adorari possint Viri Sancti in hac vita degentes?*
7 *An sit licitus usus Sacrarum Imaginum Dei, Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum?*
8 *Quænam actiones exerceri possint ante has Sacras Imagines?*
9 *Templa, Altaria, Dies festivi, & Vota instituì possunt non solùm in Dei honorem, & S. Trinitatis ; sed etiam Sanctorum Angelorum, & Hominum.*
10 *Licèt eadem Adoratio competat Sacræ Imagini, ac ei, cujus est Imago; attamen aliqua diversitas intercedit in modo.*

ADORATIO Hyperduliæ, ut supra notavimus, competit B. Virgini, & quidem absoluta: ratione enim propriæ Excellentiæ creatæ, & peculiaris suæ Sanctitatis, qua cæteros Sanctos superat, hac adoratione dignissima est. Idem dicendum de Reliquiis, Imaginibus, & ejus Sancto Nomine; adoranda siquidem sunt adoratione Hyperduliæ, non absoluta, sed respectiva, ratione videlicet conjunctionis, & ordinis, quem dicunt ad ipsam B. Virginem, cui extra dubium Adoratio Hyperduliæ per se competit. Sic D. Thomas *2. 2. quæst. 25. art. 4. & quæst. 103. art. 3. & 4.* & sic ejus Commentatores passim. 1

Adoratio verò Duliæ propter Excellentiam, & Sanctitatem creatam, inferiorem tamen illa Beatissimæ Virginis; convenit non solùm Sanctis Angelis, sed etiam Hominibus Sanctis, & Beatis, sive vita functis, sive viventibus. Probatur assertum tum ex definitionibus Conciliorum Niceni *II. Action. 1. 2. & 6.* & Trident. *sess. 25. de Invocat. Sanctor.* ex multis quoque Testimoniis Sanctorum Patrum, quos referunt Vasquez *de Ador. lib. 1. disp. 5. cap. 2.* & Suarez *tom. 1. in 3. part. disp. 52. sect. 1.* tum ex variis Scripturæ locis innuentibus honorem, & Cultum exhibendum Sanctis Angelis, & Hominibus propter illorum Excellentiam, & Sanctitatem: 2

sic

Sic Tobiæ 12. Ut Tobias Pater, & Filius agnoverunt Angelum Raphaelem; trementes ceciderunt super terram in faciem suam. 1. *Regum* 28. Saul animam Samuelis adoravit. 3. Regum 18. Abdias Eliam adoravit. & 4. Regum 2. Filii Prophetarum Eliseum adorarunt: tum denique ratione, quia si Angeli, & Sancti bonum, & justitiam operantur, par est, ut honorentur, & adorentur: nam ex D. Paulo *ad Roman.* 2. *Gloria, & honor tribuendus est homini bonum operanti.*

Nec obstat: quòd sæpe in Scriptura dicatur: Solum Deum adorandum esse, ut patet ex illo Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; & ex* 1. *ad Timoth.* 1. *Soli Deo honor, & Gloria.* Loquitur enim Scriptura de perfectissima latriæ Adoratione, per quam recognoscitur Divina Excellentia; quæ quidem nec Beatissimæ Virgini, nec Sanctis Angelis, nec Hominibus Sanctis ullatenus competere potest. Quamvis si Angelus in formam Dei, se videndum præberet; adorari posset adoratione latriæ respectiva: repræsentaret siquidem Deum, nec illa adoratio, & honor Angelo deferretur, sed Deo: ut tradunt Filliuccius *tract.* 23. *cap.* 1. *quæst.* 9. *num.* 31. & Bonacina *in Decal. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 2. *n.* 1.

3 Controverti hìc solet 1. ad quam Virtutem reducatur Adoratio Hyperduliæ, & Duliæ? Resp. Certum esse, Adorationem latriæ, quæ soli Deo competit, spectare ad Virtutem Religionis, per eam namque debitus Cultus, & honor exhibetur Deo omnium Creatori, & Domino ob ejus excellentiam increatam. Certum insuper esse, quòd Excellentia, & Dignitas increata, cum sit diversa à Dignitate, & Excellentia creata, exposcat diversa Virtute adorari debere ab ea, qua creata excellentia adoratur. Nec obstat dicere, quòd Deus ametur eadem Charitate, qua amatur proximus; ergo eadem adoratione adorari poterit Deus, & creatura excellens. Nam tunc eadem Charitate amatur Deus, & Proximus, cum Proximus amatur propter Deum, & Deus in ipso; quòd si ob bonum, quod habet, proximus ametur; tunc non ad Charitatem, sed ad Virtutem beneficentiæ, vel Misericordiæ spectat amor ille. Sic etiam dicendum de Adoratione, si Sancti ob excellentiam, quam habent; & ex Sanctitate, & Dignitate, qua participant, colantur; adorantur adoratione propria Duliæ; si verò quatenus Templa Dei sunt, & in illis Deus complacet; certè possent adoratione latriæ adorari, & per eamdem adorationem Virtutis Religionis. Quamvis Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. 102. & 103. consulat abstinendum ab hac adoratione ob periculum, quod in se continet; quod non continet amor Dei, & proximi. Certum denique esse, Adorationem Hyperduliæ, & Duliæ specie differre ab ea, qua honorantur Imperatores, Reges, Duces, aut simili potestate, & dignitate humana fulgentes: ratio est, quia Sanctitas, & Beatitudo est dignitas Superioris Ordinis respectu aliarum dignitatum humanarum, & politicarum; ergo si fundamentum Adorationis est dignitas Personæ, & dignitas Sanctitatis est in Superiori Ordine ad dignitatem humanam politicam; diversa adoratio competere debebit Sanctis præ hominibus humana dignitate præditis. Ut asserunt Suarez *tom.* 1. *in* 3. *par. disp.* 52. *sect.* 3. *in princ.* & Vasquez *lib.* 1. *de Adorat. disp.* 5. *cap.* 2. His notatis

Dicendum in varietate ista opinionum, Adorationem Hyperduliæ, & Duliæ spectare ad specialem Virtutem distinctam à Religione, ad quam spectat latria; & ab illa, qua coluntur Homines ob politicam dignitatem, quam habent: ratio est, quia dignitas Creata, & Increata, cum sint diversa inter se; diversam exigunt adorationem. Et cum pariter diversæ sint inter se dignitas Sanctitatis, & beatitudinis ratione supernaturalitatis, & dignitas humana politica naturalis, ideò ad diversam Virtutem spectare debent; ergo adoratio Sanctorum spectabit ad Duliam, seu Pietatem, adoratio verò dignitatis Politicæ, & humanæ ad Observantiam Virtutis. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. Suarez *disput.* 52. *sect.* 3. Vasquez *lib.* 1. *de Adorat. disp.* 6. *cap.* 1. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 26. *dubit.* 3. *num.* 22.

4 Controverti solet 2. an Adoratio Hyperduliæ, quæ Beatissimæ Virgini competit, sit diversa ab Adoratione Duliæ, quæ Sanctis competit, itaut emanet à diversa Virtute? Sed dicendum emanare ab eadem Virtute, qua coluntur Sancti: ratio est, quia licèt perfectissima sit Sanctitas Beatæ Virginis ob prærogativam Maternitatis Dei, quæ præ omnibus Sanctis est conjuncta Deo; nihilominus dignitas, tametsi perfectissima, ob quam præcipuè Beatissima Virgo honoratur, ac colitur; procedit à gratia, Charitate, & reliquis Virtutibus; quæ non sunt diversæ speciei ab illis cæterorum Sanctorum; ergo eadem Virtute coli debet Beata Virgo, qua cæteri Sancti coluntur. Antecedens constat ex illo Christi Domini *Luc.* 11. ubi mulieri laudanti Matris dignitatem: Beatus venter, qui te portavit; illico respondit: *Quinimò Beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud*; ergo dignitas Beatitudinis Virginis à gratia, charitate, & reliquis Virtutibus desumenda erit: & quia hæ perfectissimæ fuere in Beatissima Virgine præ cæteris Sanctis; ideo ipsa adoratur Hyperdulia, cæteri verò Sancti Dulia. Sic D. Thomas *in* 3. *part. quæst.* 25. *art.* 3. *ad* 2. & Castropalaus *de Adorat. disp.* 1. *punct.* 3. *num.* 1.

Petes 1. Quinam Viri Sancti adorari possint per Adorationem Duliæ? Ante responsionem præmitto 1. Cultum, seu Adorationem aliam esse Publicam, Privatam aliam. Publica est illa, quæ instituta est ab Ecclesia, & nomine illius fit: ut tradunt Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctis cap.* 10. & Sanchez *lib.* 1. *Summ. cap.* 43. *num.* 3. Privata verò ea est, quæ nec ab Ecclesia instituta est, nec fit nomine ipsius; sed nomine, & devotione personæ privatæ. Præmitto 2. Sanctos alios esse tales per Canonizationem, Beatificationem, aut generalem approbationem, quæ eis æquivalet juxta Textum *in Cap. final. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* Alios verò esse tales ob moralem certitudinem, quæ de illorum Sanctitate privatim habetur, sine qua certitudine semper temerarium esset, etiam privatim adorare. His præmissis

Resp. 1. Sanctos Canonizatos, Beatificatos, aut generali approbatione Ecclesiæ tales posse adorari Cultu publico, & publica adoratione Duliæ: est satis certa responsio, quia cultus, & adoratio publica debetur iis, qui ab Ecclesia publicè propositi sunt; & nemo intendere potest dare cultum, & publicam adorationem alicui, nisi ejus Sanctitas aliquo ex prædictis modis proposita fuerit ab Ecclesia. Sic Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctis cap.* 10. Suarez *disp.* 12. *sect.* 3. Vasquez *lib.* 1. *de Adorat. disp.* 5. *num.* 163. Azor. 1. *par. lib.* 9. *cap.* 8, *quæst.* 8. & alii communiter.

Resp. 2. Sanctos nondum in numerum Sanctorum relatos, nec ab Ecclesia aliquo ex modis superiùs dictis propositos, etiamsi moraliter constet de eorum Sanctitate; non posse publico cultu, & adoratione Duliæ adorari: constat responsio tum ex prohibitione facta ab Ecclesia *in Cap. final. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* tum quia recta ratio dictare videtur, quòd publicè colendus sit, qui publicè proponitur ab Ecclesia adorandus. Hinc fit, non posse eorum nomina, neque publicè, neque privatim in Litaniis apponi; nec eorum Imagines in Altari, sive publico, sive privato exponi; aut in Ecclesia collocari, nisi constaret, esse ad ornatum, maximè si depingerentur cum laureolis, radiis, aut splendoribus. Insuper non posse nominari in Collectis, & Orationibus Missæ, & Divini Officii; nec diem festum in eorum honorem, etiam approbante Episcopo institui; nec Vota pnblica Civitatis pro publicis necessitatibus ipsis nuncupari posse; sicuti etiam nuncupari publicè non possunt Vota privatarum Personarum. Nec posse eorum sepulchris appendi tabellas depictas, aut imagines cereas, vel ex alia Materia compactas; aut lampades, vel lumina accendere: ratio est, quia hæc omnia sapiunt cultum publicum, ac publicam Duliæ adorationem, sunt enim instituta ab Ecclesia ad venerandos Sanctos, ab ea publicè proposita. Sic Decretum Urbani VIII. *in Gen. Congreg. Sanctiss. Inquisitionis die* 4. *Aprilis ann.* 1625.

Resp. 3. Sanctos Viros vita functos cum morali certitudine Sanctitatis, nondum tamen in numerum Sanctorum relatos ab Ecclesia, adorari posse privatim seclusa scandalo; eorum corpora, & reliquias decenter servari, osculari, imagines depingere sine laureolis, radiis, & splendoribus, ac domi retinere, in eorum vigiliis jejunare, & dies obitus veluti festivos habere, & privatim colere; in privatis pariter colloquiis Sanctos, ac beatos nominare, & invocare; privatas insuper preces eis fundere, ac tandem privata vota in eorum honorem offerre: ratio est, quia hæc omnia non innuunt Cultum, & adorationem publicam, sed privatam; & Cultus publicus prohibitus est ab Ecclesia, non verò privatus. Sic Bellarmin. *l.* 1. *de Sanctis c.* 10. Sanch. *lib.* 2. *Summ. c.* 43. *n.* 3. Azor. 1. *par. lib.* 9. *cap.* 8. *q.* 8. Bonac. *in Decal. disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 2. *n.* 2. & Castropalaus *de Adorat. disp.* 1. *pun.* 3. *num.* 7.

6 Petes 2. An Viri Sancti in hac Vita degentes adorari possint? Resp. quamvis ex superiùs dictis Viri Sancti in terris viventes digni sint adoratione propter Sanctitatem, & Excellentiam suam; ut expresse tradit Bonacina *l. c. num.* 1. Nihilominus sine peculiari instinctu Spiritus Sancti non licere adorare, ut rectè advertit Tamburinus *lib.* 2. *Decal. cap.* 4. §. 1. *num.* 12. Posse tamen nos commendare eorum orationibus sive coram, sive per litteras, est extra dubium; eo quia hæc non est Adoratio, sed Commendatio.

7 Petes 3. An licitus sit usus Sacrarum Imaginum Dei, Sanctissimæ Trinitatis, & Sanctorum Angelorum? Resp. usum Sacrarum Imaginum, nemini Catholicorum unquam in dubium venit, esse laudabilem, & approbandum; ipsasque Imagines Sacras esse adorandas, & venerandas, quidquid in contrarium deblaterarint hæretici antiquiores, & moderniores; sic enim constat ex praxi totius Ecclesiæ Universalis, & ex inveterata fidelium consuetudine: ut ostendunt Bellarminus *disp. Fid. Cath. controv.* 7. *lib.* 2. Suarez *in* 3. *par. quæst.* 25. *disp.* 54. *per septem sectiones* & Vasquez *toto lib.* 2. *de Adorat.* Solùm specialis difficultas esse potest de Imaginibus Sacris Dei, Trinitatis, & Angelorum; eo quia cum Spiritus sint, imaginibus corporeis, & materialibus repræsentari nequeunt, ne detur occasio ignaris errandi, & reputandi Deum, & Angelos esse revera corporeos. Nihilominus omnino sustinendum est, retinendum esse laudabilem, & approbatum usum Sacrarum Imaginum non solùm Sanctorum Hominum, sed etiam Dei, Trinitatis, & Angelorum: ut decisum fuit in Synodo II. Nicena *Act.* 4. *&* 5.: eo quia non depinguntur, ut nobis repræsentent sic esse; sed ut nobis repræsentent sic apparere, & cujus qualitatis, & Virtutis sint: ut rectè indicat Tridentinum *sess.* 25. *Decret.* 2. *de Venerat. Sanct.* Errori autem, aut deceptioni ignarorum satis occurri potest à Viris doctis explicando, revera Spiritus non esse corporeos, sed sic repræsentari, vel quia sic aliquando apparuere, vel quia non datur alius modus nobis repræsentandi Spiritus, ut sunt revera in se. Sic Bellarminus *tom.* 2. *Controv.* 4. *lib.* 2. *cap.* 8. Vasquez *de Adorat. lib.* 2. *disp.* 3. *num.* 44. *&* 61. Azor. 1. *par. lib.* 9. *cap.* 7. *quæst.* 2. *&* 3. Advertit tamen Tridentinum *l. c.* ut in harum Imaginum usu nullæ falsi Dogmatis Imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur, nullæque procaci venustate depingantur, aut ornentur; ac denique nihil in illis sit inordinatum, nihilque profanum; nihil præposterum, inhonestumque appareat, cum justum sit repræsentationes cum rebus repræsentatis convenire. Hæc ut fideliùs observentur, statuit idem Concilium, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

8 Ex dictis infertur 1. has sacras imagines exosculari posse, amplecti, coram illis procumbere, caput aperire, orationes fundere: non quod credatur, aliquam Divinitatem, Sanctitatem, & Virtutem inesse in eis, ob quas colendæ sint; nec quòd ab eis aliquid petendum sit, aut fiducia in ipsis ponenda, ut olim ab Ethnicis fiebat collocantibus spem suam in idolis suis; sed quia cultus, & honor, qui eis exhibetur; refertur ad illos, quos repræsentant, & quos adoramus, ac colimus.

9 2. Infertur; non solùm Templa, & Altaria erigi posse in honorem Dei, & Sanctissimæ Trinitatis; sed etiam Sanctorum Angelorum, & Hominum; posse quoque dies festos institui in honorem prædictorum Sanctorum, ac eis vota offerri: ratio est, tum quia ab ipso initio nascentis Ecclesiæ talis consuetudo extitit penes fideles, & semper continuata; tum quia licèt Soli Deo Sacrificia in Templis, & altaribus offerri debeant; nihilominus quia in memoriam, & recordationem Sanctorum Sacrificia illa Deo offeruntur; ideo in eorum honorem Templa, & Altaria eriguntur, ubi eorum reliquiæ asservantur; & ex eorum meritis nostræ preces evadunt gratiores Deo, & efficaciores ad impetranda postulata. Vota quoque, quæ eis facimus; licèt Deo fiant, Deo enim vovetur promissio facta Sanctis; attamen respectu Sanctorum est honoraria promissio ad Duliam pertinens: ut expendunt Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 5. *num.* 27. & Castropalaus *de Adorat. disp.* 1. *pun.* 5. *num.* 3.

10 3. Infertur; eamdem adorationem competere Sacræ Imagini, quæ competit ei, cujus est imago, & exemplar, licèt diversitas aliqua in modo intercedat: nam Adoratio, quæ competit Deo, & Sanctis, est absoluta, & illis absolutè fit, utpote Personis habentibus propriam Excellentiam, & Sanctitatem; Imaginibus verò competit adoratio respectiva, non quia Excellentiam, & Sanctitatem propriam habeant, sed eorum, quos repræsentant, & ad quos referuntur; quamvis nostro intellectu, & affectu imaginem, & prototypum conjungamus. Sic Vasquez *lib.* 2. *de Adorat. disp.* 8. *cap.* 3. Azor. 1. *par. lib.* 9. *cap.* 6. *quæstion.* 5. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 36. *dubit.* 3. *num.* 19.

CAPUT V.

De iis, quæ spectant ad Adorationem Sacrarum Reliquiarum.

1 *Quænam veniant nomine Sacrarum Reliquiarum?*
2 *Reliquiæ Sanctorum adorandæ eadem veneratione, qua adorantur Personæ, quarum sunt Reliquiæ.*
3 *Absolutè adorandæ sunt Reliquiæ à Pontifice, vel ab Episcopo approbatæ.*
4 *Quas Reliquias Sanctorum approbare possint Episcopi?*
5 *Modus servandus ab Episcopis in approbatione Reliquiarum noviter inventarum.*
6 *Quænam diligentia requiratur ad adorandas privatim Reliquias Sanctorum?*
7 *Quid faciendum, si Reliquiis certis dubiæ misceantur, nec discerni possint?*
8 *An possint absolutè adorari ea Corpora Sanctorum, quæ dicuntur esse in uno loco, affirmantibus aliis esse alibi?*
9 *An sit licitus usus deferendi Reliquias Sanctorum è collo pendentes?*
10 *An sit licitus usus ornandi Crucem in Altari locatam reliquiis Sanctorum, nondum à Pontifice, vel Episcopo approbatis?*
11 *An possint Reliquiæ ostendi adorandæ populo extra Capsulas, ubi reconditæ sunt?*
12 *An possint Reliquiæ transferri ex uno loco ad alium?*
13 *An surripientes Reliquias alicujus eo invito committant furtum Sacrilegum?*
14 *An Laici, & Clerici Minores tangere, vel deferre possint Reliquias in Supplicationibus?*
15 *An licitè accendi possint cerei ad Sepulchra, Reliquias, vel Imagines Sanctorum?*
16 *An sine Simonia dari possit pecunia ad habendas, vel videndas Reliquias?*
17 *Quomodo adorandi Agni Dei in cereis formis expressi?*
18 *An occasione deferendi thus in venerationem Reliquiarum, & Imaginum, possit etiam deferri thus ad Laicos.*

1 RELIQUIÆ Sanctorum hìc accipiuntur, prout important eorum corpora integra; vel partes ipsorum, ut carnes, ossa, capillos, dentes, cineres; vel vestes, pannos, calceos, & similia, quæ vel in vita, vel post mortem eos tetigere. Nullatenus tamen pro Reliquiis habendi sunt vermes, si qua Corpora Sanctorum in eos conversa fuere: ratio est, tum quia indecens videtur in rebus putridis, & fœtidis Sanctos venerari; tum quia ne censeamur potiùs vermes, quàm Sanctos venerari, & adorare: ut tradunt Vasquez 3. *par. disp.* 112. *cap.* 8. *n.* 29. Suarez 3. *part. disp.* 55. *sect.* 1. Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 43. *n.* 2. Bonac. *de Adorat. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 4. *n.* 1. & Castropalaus *de Adorat. disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 1.

2 Adorandas verò esse Sanctorum Reliquias, & devotè servandas eadem veneratione, qua adorantur Personæ, quarum sunt Reliquiæ; de fide sanctum fuit *in Concil. Gangrensi Can.* 5. *in VII. Synodo Generali act.* 7. *in Bracharensi III. Can.* 5. *in Lateranensi Can.* 62. *&* *in Tridentino Sess.* 25. *Decr.* 2. Et quamvis in se consideratæ incapaces sint submissionis, & honoris; ut etiam incapaces sunt injuriæ, ac contumeliæ, cum inanimes sint, nec excellentiam, & Sanctitatem propriam habeant; attamen per relationem, & ordinem, quem dicunt ad Personas, quarum sunt Reliquiæ; ideo in ipsis conjunctim personas, ad quas referuntur; colere, & adorare possumus. Nec multum negotii faciessunt frivola hæreticorum argumenta, quæ eruditè dissolvunt Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctis cap.* 1. Suarez *in* 3. *par. tom.* 1. *disp.* 55. Vasquez *de Adorat. lib.* 3. *disp.* 3. Azor. 1. *par.*

1. *par. lib. 9. cap. 8. quæst. 2.* & Valentia *tom. 2. disp. 6. quæst. 11. punct. 5.*

3 Absolutè, & absque ulla conditione adorari possunt Reliquiæ Sanctorum à Pontifice, vel Episcopo approbatæ, & publico Cultui expositæ juxta Tridentinum *Sess. 25. Decr. 2.* ratio est, quia jam habetur moralis certitudo, & prudens exhibendi cultum, & adorationem; ergo nullum extat motivum eas adorandi, & colendi conditionatè. Sic Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 43. in fine*, Bonacina *de Adorat. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 5.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 3.*

4 Advertendum tamen, non posse Episcopos approbare reliquias Sanctorum nondum relatorum in numerum Canonizatorum beatificatorum, aut generaliter approbatorum; nec eas exponere populo adorandas juxta Textum *in Cap. 1. & 2. de Reliq. & Vener. Sanct.* hæc enim approbatio, & institutio Cultus spectat tantùm ad Sanctam Sedem; Solùm igitur approbare poterit Episcopus, & recognoscere reliquias alicujus Sancti antiquitus ab Ecclesia approbatas, sed nunc noviter inventas, & dubitatur: an sint revera Sancti illius. Et sic apertè decisum juxta dispositionem Tridentini à Sacra Congregatione testantur Barbosa *in Remiss. Concil. Sess. 25. Decr. 2.* & Bonacina *de Adorat. disputat. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 5.*

5 Modus autem ab Episcopis servandus in recognitione, & approbatione Reliquiarum Sanctorum noviter inventarum præscribitur à Tridentino *Sess. 25. Decr. 2.* debet siquidem Episcopus adhibere in consilium Theologos, & alios pios viros peritos, quibus auditis exequi poterit, ac facere ea, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit. Hinc est, solùm teneri Episcopum ad Theologos, & Peritos, & pios viros consulendos; non verò ad standum eorum Consilio, si aliud convenientius judicaverit exequi. Quòd si gravior quæstio incidat, antequam eam dirimat, expectare debet sententiam Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali; nihil tamen novum, aut in Ecclesia insitatum decernat inconsulto Summo Pontifice. Poterit Episcopus extra Diœcesim suam hanc approbationem facere, & facultatem concedere, ut in sua Diœcesi collocentur; est enim actus Jurisdictionis voluntariæ, non verò contentiosæ: ut ex Sanchez, Barbosa, & Bonacina tradit Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 6.* Nec semel approbatæ, si ex uno loco in alium transferantur; indigent nova approbatione. Quamvis Episcopus, antequam permittat in sua Diœcesi publicam Venerationem novis Reliquiis; examinare debet, & recognoscere; an sint illæ, quæ approbatæ fuerunt rescripto Pontificis, vel Diœcesani Episcopi judicio. Sic Doctores citati.

6 Quæres 1. Quænam diligentia requiratur ad adorandas privatim, non verò publicè Reliquias Sanctorum? Resp. certum esse, requiri aliquam certitudinem moralem, ne adsit periculum deceptionis, & venerandi reliquias veneratione indignas: sufficit tamen ad hanc privatam venerationem, & adorationem exhibendam testimonium viri probi, & pii; idem dicendum de probabili, ac prudenti conjectura veritatis Reliquiarum: his enim positis prudenter adoratio absoluta adhibetur, absque expositione periculo errandi formaliter. Sic Azor. *1. par. lib. 9. cap. 8. quæst. 8.* Suarez *3. par. disp. 55. sect. 2.* Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 45. num. 83.* Bonacina *de Adorat. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 5.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 3.*

Quæres 2. Quid faciendum, si Reliquiis certis misceantur incertæ, & dubiæ, itaut distingui nequeant? Resp. adorari posse dirigendo adorationem, ac intentionem adorandi eas, quæ certæ sunt; sic enim omne periculum errandi vitatur. Ut docent Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 41. num. 12.* Bonacina *de Adorat. disput. 3. quæst. 1. punct. 4. numer. 5.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 12.* Adnotandum tamen 1. per illam admixtionem non reddi sacras reliquias, quæ revera sacræ non erant: hoc enim conceditur tantùm liquoribus propter intimam eorum admixtionem. Adnotandum 2. omnes illas reliquias mixtas in loco decenti debere custodiri, & servari; sic enim non contemnuntur veræ reliquiæ, & cavetur periculo adorandi non sacras. Adnotandum 3. reliquias dubias non posse proponi adorandas; sed claudendas in loco decenti, vel potiùs concremandas reverenter, ac in Sacram Piscinam immittendas. Sic ex Sanchez, & Suarez tradit Castropalaus *l. c.*

Quæres 3. an liceat absolutè adorare ea corpora Sanctorum, quæ dicuntur esse in uno loco, affirmantibus aliis esse alibi? Resp. si Pontificis, vel Episcopi approbatione declaretur, eo in loco esse; adorari utique poterunt absolutè: ratio est, quia adorans cum prudenter operetur nulli periculo errandi se exponit. Secus verò dicendum, si talis approbatio non habeatur; ut ex Sanchez, Suarez, Armilla, & Layman tradunt Bonacina *de Adorat. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 6.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 8.* Idem dicendum si duplex habeatur approbatio Pontificia, vel Episcopalis de eodem Sancto pro duplici loco: supponitur enim tunc, quòd non corpus integrum in duplici loco habeatur; sed quòd pars existat in uno loco, & pars in alio; & hoc sufficit, ut corpus illius Sancti censeatur existere in utroque loco: ut notant Azor. *1. par. lib. 9. cap. 8. quæst. 2. in fine*, & Castropalaus *l. c.* Nec multum refert adorare ex errore reliquias approbatas unius Sancti pro alio Sancto: error enim iste non est in substantia, quasi quòd reliquiæ illæ non sint alicujus Sancti; sed in accidente, quòd videlicet reputentur Reliquiæ unius Sancti, cum sint alterius. Sic Bonacina alios referens *l. c.* 8

Quæres 4. an sit licitus usus deferendi Sanctorum Reliquias è collo pendentes? Resp. affirmativè, si piè, reverenter, & decenter id fiat: ratio est, tum quia nulla extat de hoc prohibitio, quidquid in contrarium conetur asserere Angelus *verb. Reliquiæ nu. 4.* tum quia nullam continet indecentiam, imò fovet devotionem erga Sanctos; ergo dicendum est, licere hanc privatam delationem Reliquiarum. Sic Divus Thomas, Sylvester, Sanchez, Navarrus, Sayrus, Vasquez, Azor. Sà, Valentia, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Adorat. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 7.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 9.* Secus verò dicendum, si probabile periculum adsit eas deferendi cum proxima occasione polluendi turpi actu, aut alia obscœnitate; tunc enim illicitum erit eas deferre: ut ex Azor. adnotat Castropalaus *l. c.* Quòd si eas deferens peccet furando, pejerando, aut fornicando; non ideo peccatum illud specialem malitiam contrahet necessariò aperiendam in confessione, ut putavit Philiarcus *de Offic. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 9. in fine*; ratio est, quia talia peccata non directè opponuntur Cultui Reliquiarum, neque directè irreverenter tractantur, sed per accidens: sicuti bona opera faciens cum Reliquiis non ideo eas colit, & adorat; nisi dirigat intentionem suam ad illas, ita etiam non contemnit, nec irreverenter tractat; nisi contemptum, & irreverentiam dirigat ad illas. Sic Azor. *1. par. lib. 9. cap. 8. quæst. 6.* Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 40. num. 28.* Filliuccius *tract. 30. cap. 7. quæst. 7. num. 129.* Layman *lib. 4. tractat. 7. cap. 5. nu. 18.* Bonacina *loc. cit. num. 8.* & Castropalaus *loc. cit. num. 10.* 9

Quæres 5. an licitus sit usus collocandi Crucem in altari variis Reliquiis ornatam, de quibus non extat approbatio Pontificis, vel Episcopi? Resp. illicitum hoc reputare Bonacinam *de Adorat. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. nu. 5. versic. Dixi; posteaquam Summus Pontifex in fin.* eo quia traditur occasio Populo adorandi Reliquias illas, nondum approbatas, quæ ita exponuntur publicè adorandæ in Cruce, quam ornant; ac si per se exponerentur. Non nego magnam probabilitatem habere sententiam hanc. Nihilominus non ausim improbare sententiam oppositam, quam docent Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 43. num. 17.* & Castropalaus *de Adorat. disput. 1. punct. 6. num. 11.* maximè quia sic usus obtinuit; nec in altari proponuntur adorandæ Reliquiæ illæ, sed Crux; & fideles sciunt, poni ad ornatum, adeoque si illas adorant, privatim censentur adorare. Accedit, quòd Episcopi visitantes altaria cum Crucibus sic ornatis, dum non reclamant, tacitè approbant. 10

Quæres 6. an Sacræ Reliquiæ extra capsulas, ubi reconditæ sunt; ostendi possint populo adorandæ? Resp. illicitum esse contra prohibitionem factam *in Cap. Cum ex eo de Reliq. & Vener. Sanctor.* ne populus adorationem detrahat, & minori reverentia tractet, dum observat ita antiquitate corruptas. Sic Layman *lib. 4. tractat. 7. cap. 5. num. 19.* Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 43. num. 21.* Bonacina *de Adorat. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 3. in fin.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 13.* Si tamen gravis aliqua causa, eaque rationabilis sit extrahendi reliquias è suis Capsulis, & periculum detrahendi illas vitetur; nullum peccatum erit. 11

Sicuti

Sicuti licèt Reliquiæ in Ecclesia repositæ non extrahendæ sint ab illa; nihilominus ex gravi, & justa causa exportari poterunt ad ægrotos; ut ex Azorio tradit Castropalaus *l. c.*

12 Quæres 7. an Sacræ Reliquiæ transferri possint ex uno loco ad alium? Resp. si perpetuæ sepulturæ traditæ sint, non posse transferri sine Consilio Principis, vel Episcopi Diœcesani, Sanctæque Synodi licentia: sic statuitur *in Cap. Corpora Sanctorum de Consecr. dist.* 1. dummodo non urgeat necessitas belli, incendii, aut periculi rapinæ; & tunc sufficit licentia Præsidis Provinciæ. Nomine Principis intelligit *Glossa in dict. cap.* Pontificem; alii verò sustinent intelligi Imperatorem, aut Regem, vel Principem absolutum, si sit Patronus illarum Ecclesiarum, cujus Consilium expostulatur; licentia tamen Episcopi, vel Synodi requiritur, Nostris hisce temporibus semper requiritur consensus Pontificis, aut Episcopi. Si verò Reliquiæ solùm sint depositæ alicubi, poterunt ex licentia Episcopi ad alium locum transferri, ut decentiùs, & honorificentiùs ibi serventur, si Ecclesiæ sint subditæ Episcopo; ex licentia verò alterius Prælati, cui subjiciuntur, si sint exemptæ à Jurisdictione Episcopi; ut docent Sanchez alios referens *lib. 2. Summ. capit. 43. numer. 25.* Castropalaus *de Adorat. disput. 1. punct. 6. num. 14.* & Bonacina *de Adorat. disputat. 3. quæst. 1. punct. 4. numer. 9. in fin.*

13 Quæres 8. an committat furtum Sacrilegum surripiens reliquias alicujus eo invito? Resp. affirmativè: ratio est, quia est furari rem Sacram invito Domino. Neq per hoc, quòd Reliquiæ pretio adæquari nequeant, minuitur furtum, sed augetur. Hinc est, quòd levitas materiæ excusans à peccato gravi in hoc furto, non desumi debeat ex quantitate Reliquiarum, sed ex qualitate; cum minima pars Reliquiæ alicujus ob raritatem, & dignitatem Sancti magni æstimetur à Domino præ quantitate majori alterius Reliquiæ: ut bene docent Sanchez alios referens *lib. 2. Summ. cap. 43. numer. 23.* Bonacina *de Adorat. disputat. 3. quæst. 1. punct. 4. numer. 9.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 19.* Dummodo tamen non accipiantur ab Infidelibus, qui censentur injustè eas possidere ob periculum irreverentiæ, cui exponunt; nec dant eis honorem Sacrum, quamvis aliquando præbeant politicum. Idem furtum committit Præfectus Ecclesiæ, & Thesaurarius Reliquiarum, cui tantùm demandatur custodia illarum; non verò ut possit de illis disponere donando, cum non sit Dominus; imò si furtum ab alio factum non impedit, tenetur ex Officio de furto. Sic Sanchez *l. c.* & Castropalaus *l. c. num.* 20. In Jure communi nulla pœna lata est contra furantes Reliquias, pro Urbe Romæ lata est excommunicatio reservata *à Paulo V.* & à Cardinali Mellino publicata ejusdem Pontificis die 24. Augusti ann. 1613. contra extrahentes Reliquias ex Cæmeteriis, cryptis, vel catacumbis intra, vel extra Urbem existentibus. Sic Bonacina *de Excomm. in Partic. extra Bull. Cœnæ disp. 2. quæst. 3. punct. 13. §. incidente.*

14 Quæres 9. an Laici, & Clerici Minores possint sacras Reliquias tangere, aut portare in supplicationibus absque peccato? Resp. si piè, & devotè tangant, aut portent; posse id absque ullo peccato efficere: ratio est, quia nullibi vetitum est id facere, aliunde id comprobat praxis, ac devota fidelium consuetudo accurrentium ad Sacras Reliquias tangendas, & deferendas in supplicationibus. Non nego, quòd temporibus Divi Gregorii id vetitum erat, ut patet ex ejus Epistolis, & solum Sacerdotibus permissum eas è loco, ubi reconditæ erant, extrahere, removere, vel gestare. Cæterùm usus, & praxis fidelium, eorumque devotio hunc pium tactum, & gestationem induxit. Nec obstat *Caput Non licet 2. dist. 23.* ubi dicitur: Non licet cuilibet ex Lectoribus Sacra altaris vasa portare, nec aliis, nisi iis, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati. Non enim loquitur Textus de Vasis Sacras Reliquias continentibus, ut placuit Glossæ ibidem, Paludano, Divo Antonino, Sylvestro, & Tabiena relatis à Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 43. num. 26.* sed de Vasis sacris, Calice scilicet, & Patena; quæ propriè dicuntur Vasa sacra altaris ad Sacrificium inservientia. Sic Sanchez *loc. cit.* Turrecremata *in dict. Cap. Non licet num. unic.* Graffis *2. par. Decis. lib. 2. cap. 14. num. 8.* & Castropalaus *de Adorat. disput. 1. punct. 6. num. 15.*

Quæres 10. an licitè accendi possint Cerei ad sepulchra Sanctorum, eorum Reliquias, vel Imagines? Resp. affirmativè; ratio est, quia adhibentur ad lumen fidei ostendendum, quo Sancti ex hac vita decessere; ad declarandam quoque Gloriæ Claritatem, qua perfruuntur; in signum insuper lætitiæ, quam percipimus ex eorum Gloria: qui omnes honestissimi fines sunt. Etsi olim in Concilio Elibertino *Can. 34.* prohibitum fuit, cereos per diem in Cæmeterio incendi; id factum fuit ad extirpandas Gentilium superstitiones putantium, corpora defunctorum in tenebris recondita sentire, & indigere lumine, quo illustrarentur. Sic Azor. *1. par. lib. 9. cap. 8. quæst. 3.* Bonacina *de Adorat. disputat. 3. quæst. 1. punct. 4. numer. 10.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 16.* 15

Quæres 11. an sine labe Simoniæ dari possit pecunia ad habendas, vel videndas Reliquias? Resp. si directè pecunia daretur ob habendas reliquias, vel videndas, nemini dubium esse potest, Simoniæ labem incurri: cum res spiritualis pretio æstimaretur. Si verò pretium daretur non pro ipsis Reliquiis, sed ad redimendam irreverentiam, qua ipsæ tractarentur ab infidelibus, aut hæreticis; clarè constat, non committi peccatum ullum, imò exerceri Religionis actum. Idem dicendum, si Custodi nolenti Reliquias ostendere, pecunia aliqua daretur ad relevandum ejus laborem, & inflectendum ejus animum ad ostendendas illas, nullo intercedente pacto: tunc enim non darentur in pretium, cum non inducatur ulla obligatio in ostendente. Sic Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 43. numer. 22.* Philiarcus *de Offic. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 9. in fin.* Ugolinus *de Simon. tab. 1. cap. 38. num. 5.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 17.* Hinc infertur: Ostendentem Reliquias Sanctorum, ut deosculentur, & tangantur; eo animo, ut eleemosynæ fidelium augeantur, nullo tamen intercedente pacto, aut obligatione infidelibus; non incurrere labem Simoniæ: ratio est, quia non ostendit venialiter, ad venalem enim ostensionem debet intercedere pactum inter ostendentem, & fideles. Sic Sanchez *l. c.* & Castropalaus *l. c. num. 18.* Secus verò dicendum, si ex pacto, & convenrione procederet; haberetur tunc venalis, & turpis quæstus prohibitus *in Cap. final. de Reliquiis, & Vener. Sanct.* & in Trident. *Sess. 25. Decr. 2.* ubi dicitur: In Reliquiarum Veneratione omnis turpis quæstus eliminetur. Sic Navarrus, Armilla, Tabiena, Philiarcus, Azor. & Graffis relati à Castropalao *loc. supracit.*

Quæres 12. quomodo adorandi Agni Dei in cereis formis expressi? Resp. adorandos esse eadem adoratione, qua adorantur aliæ res Sacræ Deum repræsentantes; sunt enim imagines Dei à figura Agni in eis impressa dicti Agni Dei: & destinantur à Pontificibus ad Cultum, & Venerationem Dei, ac solemnissimo ritu, & multis cæremoniis Sacris, orationibus, & precibus pietatem redolentibus benedicuntur, & sacrantur. Præstant quoque habentibus illos larga, ac multa beneficia, sedare videlicet tempestates; mitigare incendia, & fulgura; ac fulmina pellere; defendere insuper à Dæmonum tentationibus. In majorem horum Agnorum Dei Cultum Gregorius XIII. *in sua Constitutione*, incipit, *Omni certè studio* relata ab Azorio *1. par. lib. 9. cap. 9. quæst. 2.* decernit, retinendos esse albos, nec minio, auro, aut alio colore pingendos: & contra sic pingentes fert excommunicationem ipso facto incurrendam. Quam etiam incurrunt eos vendentes, aut proponentes, aut tenentes ad vendendum. Notandum tamen 1. vendentes hos agnos Dei benedictos, & sacratos ratione tantùm materiæ, & quantum materia ipsa valet sine consecratione, etiamsi ad usus Sacros, & pios vendant; nec incurrere labem Simoniæ, nec excommunicationem: ratio est, quia non venditur consecratio, adeoque non habetur Simoniaca venditio, quam Pontifex prohibet; sicuti non habetur venditio Simoniaca, si calices consecrati vendantur præcisa consecratione, & ratione materiæ. Sic Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 43. numer. 29.* Bonacina *de Adorat. disput. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 12.* & Castropalaus *de Adorat. disp. 1. punct. 6. num. 23.* Notandum 2. retinentem Agnos Dei jam depictos, & miniatos, dummodo non retineat ad vendendum; non incurrere excommunicationem: ratio est, quia fertur contra pingentes, non contra retinentes jam depictos. Sic Sanchez *l. c. nu. 28.* Bonacina, & Castropalaus *locis citatis.*

Notan-

Notandum 3. hanc excommunicationem, quamvis Papalem, non esse tamen reservatam: sic tradunt ex verbis Constitutionis citatæ Barbosa 3. *par. de Potestat. Episc. alleg.* 50. *num.* 150. Sayrus *lib. 3. cap.* 35. *nu.* 23. & Castropalaus *loc. cit.* Notandum 4. Clericos in minoribus constitutos, etiam prima tantùm Tonsura initiatos posse eos licitè tangere: nam si possunt calicem, patenam, purificatoria, & Corporalia tangere, poterunt quoque & Agnos Dei tangere. Sic Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. de Eucharist. disput.* 81. *sect.* 8. & Castropalaus *de Adorat. disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 24. Non licet tamen Laicis hos Agnos Dei tangere, sicuti tangere nequeunt Vasa sacra, & Corporalia, ut constat *ex Cap. Sacratas dist.* 23. Nihilominus si reverenter tangant, & sine contemptu; non peccant graviter, sed venialiter tantum: ut docent Azor. 1. *par. lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 3. Bonacina *de Adorat. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 13. Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 43. *num.* 27. & Castropalaus *de Adorat. disput.* 1. *punct.* 6. *num.* 24. Imò Sanchez, & alii excusant ab omni culpa Laicos, sive mares, sive fœminas reverenter tangentes hos Agnos Dei, & sic usus invaluit.

Quæres ultimo: an occasione deferendi thus in Ecclesia ad Venerationem Sacrarum Reliquiarum, & Imaginum; possit etiam in eadem Ecclesia deferri ad Laicos? Resp. affirmativè juxta consuetudinem, & ritum ab ipsa Ecclesia præscriptum: potuit enim hic ritus justis ex causis introduci, & ab Ecclesia approbari. Nullatenus tamen deferendum erit thus Laicis à Sacerdote, Diacono, & Subdiacono celebrantibus præcisis Privilegiis; videntur enim immediatè deputati hi Ministri sacro Altari. Vide Rodriquez 1. *par. cap.* 8. *concl.* 1. & Bonacinam *de Adorat. l. c. punct.* 2. *num.* 4. 18

QUÆSTIO II.

DE ORATIONE IN COMMUNI.

PRÆTER Adorationem, de qua actum est, dantur alii præcipui actus Religionis, quibus Deus omnium Creator, & Dominus veneratur, & colitur. Enumerantur autem à Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 82. & 83. & sunt Devotio, Oratio, Laus, & Gratiarum Actio. Meritò igitur post Adorationem veluti in genere de his pertractamus, sunt enim quasi Species Adorationis. Placet priùs attingere, quæ ad Devotionem, Laudem, & Gratiarum Actionem spectant; dein quæ ad Orationem in Communi: nam de Oratione in particulari Privata, & Publica per Recitationem Divini Officii in immediatè sequentibus Quæstionibus peragemus.

CAPUT PRIMUM.

Quid sint Devotio, Laus, & Gratiarum Actio?

1 *Definitur, & explicatur Devotio.*
2 *Lætitia ob oblationem sui Deo factam, & Tristitia de offensis Deo factis sunt effectus Devotionis.*
3 *Ex quonam excitetur Devotio?*
4 *Quid sit Laus, & in quonam consistat?*
5 *Quid sit Gratiarum Actio?*

1 DEVOTIO ex Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 82. *art.* 1. est actus voluntatis hominis offerentis se ipsum ad inserviendum Deo; hinc est, quòd omnis, qui se offert ad inserviendum alteri; devotus illius dici consueverit. Dupliciter autem possumus offerre nos Deo ad inserviendum ei, 1. per solum propositum, ac desiderium inserviendi illi. 2. si addatur Votum, aut Juramentum inserviendi. Qui quidem modi quamvis reddant nos gratos Deo, nihilominus gratiores reddit secundus modus præ primo: ratio est, quia secundus strictiori vinculo obligationis nos ligat, ac omnino devinctos facit Divino famulatui.

2 Cum autem oriri soleat ex hac oblatione Deo facta, maximè si fervens fuerit, quædam specialis lætitia, & quidem sensibilis; inde est, quòd passim ea Devotio appelletur. Oritur quoque Tristitia quædam de offensis, & peccatis contra Deum commissis: & quòd Divina visio in longum differatur; quæ etiam devotio dici solet. Nihilominus vera devotio non sunt, sed potiùs devotionis effectus.

3 Excitatur devotio ista tum ex contemplatione Divinæ excellentiæ, & beneficiorum à Deo acceptorum larga munificentia; tum ex consideratione propriorum defectuum, qua cognoscimus, necessariò debere niti Deo, si velimus aliquid boni habere, quod per se conducat ad salutem. Sic benè expendit Cajetanus 2. 2. *quæst.* 82. *art.* 3. Spectare autem devotionem ad virtutem Religionis, tamquam ejus objectum, & materiam, clarè deducitur ex eo, quòd sit signum, quo Divinam excellentiam recognoscimus, & protestamur, necnon dependentiam omnium ab illa, ut Doctores communiter fatentur.

4 Laus nihil aliud est, nisi formalis actus ille interior intellectus, quo Divina excellentia recognoscitur. Quòd si actus iste recognitionis præsentetur Deo, & in illius Cultum offeratur; est loquutio cum Deo, quo Deus ipse coram se laudatur. Pertinet autem actus Laudis ad Orationem, & solet antecedere Petitionem, in qua Oratio consistit, & non parùm juvat ad consecutionem Petitionis factæ.

Gratiarum Actio est recognitio quædam Divinorum beneficiorum, quæ Deo præsentatur, & offertur in ejus obsequium, & aliqualem recompensationem beneficiorum ab eo acceptorum. Consistit autem in actu voluntatis, quo præsentatio illa fit; & spectat pariter ad Orationem, & subsequitur Petitionem factam, qua obtenta debetur Gratiarum Actio. Hinc constat Orationem consummari actu voluntatis, incipit enim à Laude, quam subsequitur Petitio, & perficitur Gratiarum Actione.

CAPUT II.

Quid sit Oratio, Quotuplex, & Quid in ea petendum?

1 *Definitur Oratio, & explicatur.*
2 *An Oratio, seu Petitio sit potiùs actus intellectus, quàm Voluntatis?*
3 *Oratio alia Mentalis, Vocalis alia; & hæc subdividitur in Publicam, & Privatam.*
4 *Tria requiruntur ad Orationem Publicam.*
5 *Quænam à Deo peti possint in Oratione.*
6 *Petens absolutè bona Temporalia, si putet illis se bene usurum; non ideo peccat.*
7 *Absolutè peti possunt ea, quæ Christus petenda docuit in Oratione Dominica.*
8 *Ex quibus partibus constet Oratio Dominica?*

1 ORATIO ex Divo Damasceno *lib.* 3. *de Fid. Orthodox. cap.* 24. & Divo Basilio *Homil.* 5. *de Variis* sic definitur: Petitio decentium. Hanc eamdem definitionem clariùs explanat Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 83. per hæc verba: Est Petitio, quæ ad Deum, vel ad alium propter ipsum dirigitur, qua petimus res, seu bona nobis decentia. Requiritur ergo necessariò ad Orationem Petitio, cum non sufficiat ad eam bona à Deo desiderare, nisi petantur: præcipua siquidem ratio Orationis in Petitione consistit; cum per Petitionem nos submittamus Deo protestantes ejus Divinam excellentiam, & nostram indigentiam. Hinc fit, Orationem esse Religionis actum non elicitum, sed imperatum; imperatur namque ab affectu, quo quis petere vult,

vult, ut media Petitione Deum inclinet ad concedenda petita; quod fieri nequit, nisi colendo, & honorando Deum Petitione, adeoque actus Religionis erit. Ut docent communiter Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæst.*81. *art.*4. Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *cap.*7. *num.*3. Lessio *lib.*2. *de Just. cap.*37. *dubit.*2. *numer.*7. & Valentia *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*1.

2 Controverti solet: an Petitio, seu Oratio sit potiùs actus intellectus, quàm voluntatis? dicendum tamen, esse actum utriusque, sed præcipuè voluntatis: ratio est, quia licèt cognitio indigentiæ illorum, quæ petuntur, & excellentiæ Dei potentis illa concedere sit actus intellectus: nihilominus velle, ut concedantur; & desiderium istud præcisè manifestandi Deo cum illa humili cognitione indigentiæ, ut moveatur ad concedenda petita; sunt actus voluntatis, & omnes necessariò requiruntur ad Orationem; ergo Oratio est actus utriusque potentiæ intellectus videlicet, & voluntatis. Per hanc enim practicam Voluntatis manifestationem humilis cognitionis, & desiderii petitorum cum Deo loquimur in Oratione; & ad illum desideria dirigimus, ut moveatur ad concedenda petita. Sic Suarez *lib.*1. *de Orat. cap.*3. *per totum*, & Castropalaus *de Orat. disp.*1. *punct.*2. *num.*3.

3 Oratio alia est Mentalis, Vocalis alia. Mentalis illa est, quæ interiùs perficitur actibus intellectus, & voluntatis. Vocalis verò, quæ verbis exprimitur, & exteriùs declaratur. Est in usu sæpius Oratio Vocalis propter aptitudinem, quam in se continet, excitandi devotionem, & attentionem non solùm in nobis, verùm etiam in aliis: per eam siquidem testamur, Deum non solùm corde, & mente, sed etiam ore laudandum esse. Subdividitur hæc Vocalis Oratio in Publicam, & Privatam. Publica ea dicitur, quæ fit nomine Ecclesiæ per Ministros ab ipsa Ecclesia deputatos ea intentione, ut munus suum expleant: Privata verò illa est, quæ ab unaquaque Persona privata propria authoritate, & nomine fit.

4 Ex dictis colligitur: tria requiri ad Orationem Publicam. Primum est, ut Oratio, quæ verbis exprimitur; sit instituta, & approbata ab Ecclesia; quapropter si Minister ab Ecclesia deputatus Orationes diceret nec ab Ecclesia institutas, nec ab ea approbatas; non diceretur publicè orare, cum nomine Ecclesiæ non oraret. Secundum ut Oratio fiat à Ministro Ecclesiæ, & ab ea deputato; ideoque si Persona laica horas Canonicas ab Ecclesia institutas publicè recitaret etiam in loco publico; non diceretur publicè orare, cum non sit Minister ab Ecclesia deputatus. Tertium est, ut procedat Oratio ex tali intentione orandi: ut Minister Ecclesiæ est; ideo Sacerdos horas Canonicas legens ex curiositate, quamvis sit Minister ab Ecclesia deputatus, & Orationes dicat ab Ecclesia institutas; non dicitur publicè orare; quia non recitat horas Canonicas ex ea intentione satisfaciendi muneri suo; sed ex curiositate legit. Sic Suarez *lib.*2. *de Orat. cap*2. & Castropalaus *de Orat. disput.*1. *punct.*2. *num.*5.

5 Varia sunt ea, quæ in Oratione petere possumus: ut autem distinctiùs procedamus, certa ab incertis segregare debemus. Et 1. certum est, posse nos petere absolutè à Deo Beatitudinem, Gratiam, Charitatem, & Virtutes cæteras, quibus Sancti, & Amici Dei reddamur. 2. certum est, nos posse petere à Deo omnia alia bona sive Spiritualia, sive Temporalia, quæ consecutioni prædictorum necessaria, & apta sunt; non absolutè quidem, sed quatenus sunt media ad consecutionem prædictorum, sub hac enim ratione minimè displicere possunt Deo. Sic petenda sunt à Deo, & desideranda scientiarum acquisitio, & cujuslibet artis; ingenii acumen, prudentia, & dexteritas in negotiis tractandis, Vitæ longitudo, Honores, Divitiæ, fœcunditas prolis, & similia; quæ quidem omnia absolutè dici possunt Temporalia bona; & sæpe sunt homini nociva, ac ob ejus malitiam consecutionem Gloriæ impediunt; ideo sanum consilium erit, ea non absolutè petere; sed conditionatè; si videlicet ad Dei Gloriam, ac nostram æternam salutem conferant. Ut optimè adnotant Divus Thomas 2. 2. *quæst.*83. *art.*6. Lessius *lib.*2. *cap.*37. *dubit.*4. *num.*21. Valentia *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*4. & Castropalaus *de Orat. disp.*1. *punct.*3. *num.*1.

6 Quòd si absolutè petantur, & sine conditione prædicta, non ideo peccabit petens, si putet illis, se bene usurum, & suo statui convenire; idem dicendum, si absolutè ea desideret: ratio est, quia absolutè bona sunt, & conveniunt naturæ rationali, & Deus illa donat: esto possit quis illis malè uti, sed hoc non vitiat petitionem: nam ille malus usus non provenit ex rebus petitis, aut ex petitione; sed ex malitia ipsius utentis. Nec periculum abusus est proximum, & morale; itaut inducat obligationem abstinendi à petitione illorum. Sic Divus Thomas *in* 4. *dist.*15. *quæst.*4. *art.*1. *quæstiunc.*2. Lessius *lib.*2. *cap.*37. *dubit.*4. *numer.*21. *in fin.* Filliuccius *tom.*2. *tract.*23. *cap.*2. *quæst.*1. *num.*50. Suarez *lib.*1. *de Orat. cap.*17. *num.*7. 11. & 14. Bonacina *de Hor. Can. disp.*1. *quæst.*1. *punct.*11. & Castropalaus *de Orat. disp.*1. *punct.*3. *num.*1. *in fine*.

7 3. Certum est: posse nos absolutè, & absque ulla conditione petere ea, quæ Christus Dominus perenda docuit in Oratione Dominica. Cum enim hæc omnium divinissima Oratio contineat eas petitiones, quæ ad Dei Gloriam spectant, & ad nostram salutem pertinent; ideo absolutè, & absque ulla conditione tales petitiones facere possumus juxta doctrinam tanti Præceptoris Dei, & Hominis. Sic Doctores omnes, Sancti Patres, Expositores, & Commentatores Sanctorum Evangeliorum cum Divo Chrysologo *Homil.* 14. Divo Gregorio Nisseno *Homil.* 2. Divo Augustino *lib.*2. *de Serm. Dom. in Monte*, Divo Thoma 2. 2. *quæst.*83. Suarez *lib.*3. *de Orat. cap.*8. Lessio *lib.*2. *capit.*37. *dubit.*4. Valentia *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*1. & Castropalao *de Orat. disp.*1. *punct.*3. *num.*2.

8 Constat hæc præstantissima Oratio ex quatuor partibus Divino artificio compositis. 1. quarum quasi benevolentiam captat Dei, nominando eum Patrem nostrum, qui est in Cœlis: sic enim indicatur nobis voluntas, quam Deus habet, ut filii Dei nominemur, & simus; adauget quoque fiduciam obtinendi ab eo, tamquam Patre, quod postulamus. Dicit, Patrem nostrum, ut significet voluntatem communicandi se omnibus. Dicit, esse in Cœlis, non quòd in Terris non sit, & ubique; sed ut indicaret, Cœlum esse nostram Patriam, ibique figenda desideria nostra, ac velle nos cœlestes, & tamquam Peregrinos ad veram Patriam properantes; non verò terrestres, & rebus mundanis deditos juxta illud Divi Pauli *ad Philipp.* 3. *Conversatio nostra in cœlis est*. 2. Pars tres continet Petitiones ad tanti Patris Gloriam spectantes: ut videlicet Sanctificetur Nomen ejus, in nobis quidem, nam in se Sanctissimum est, nec magis Sanctum esse potest; ita nos gerendo, ut videant homines opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in Cœlis est. Ut, Adveniat Regnum ejus, in nos per gratiam, & Charitatem cum pignore, spe, & Jure certo. Ut, Ejus Voluntas fiat sicut in Cœlo, & in Terra; hoc est, ut ita per gratiam Deo, ejusque Voluntati hæreamus, ut numquam ab illo recedamus; insuper ut non solùm in nobis fiat Divina voluntas, & exequatur; sed etiam ut sit in nobis, fiat in toto Mundo. 3. Pars continet quatuor Petitiones nostram utilitatem respicientes: quamvis tres primæ Petitiones Gloriam Dei respicientes cedant etiam in nostram utilitatem. Dicit enim, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quæ quidem Petitio non solùm spectat ad ea, quæ necessaria sunt sustentationi nostræ vitæ, non verò superflua: sed etiam ad Panem Eucharisticum, & supersubstantialem; non quòd debeamus cum quotidie accipere, sed quòd ita quotidie vivamus, ut possimus quotidie dignè accipere. Dicit quoque, Dimitte nobis debita nostra, scilicet peccatorum quoad culpam, & pœnam æternam, ac temporalem: hæc enim est perfecta remissio debiti, non solùm mortalis, sed etiam venialis. Dicit insuper, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, non quòd mensura remittendi Deum peccata nostra sit illa, qua nos dimittimus debitoribus nostris: sic enim esset diminuta remissio, quam à Deo poscimus; non enim verba ista denotant æqualitatem mensuræ, sed conditionem ad remissionem, itaut sensus Petitionis sit: ut Deus remittat nobis debita nostra secundum magnam Misericordiam suam, & nos jam dimittimus debitoribus nostris, ut possumus. Dicit denique, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo; hoc est, ne permittat Deus, nos tentationibus peccatorum consentire, & ne tentationibus vexemur: non quia malum sit tentationibus vexari, sed quia cum periculosæ sint, petimus liberari à tali periculo, ut Divus Paulus petebat, & rogabat à Domino liberari à stimulis carnis. 4. Pars continet Clausulam, Amen, per quam indicatur, sic orantem approbare omnes prædictas petitiones, illisque consentire, & novum affectum circa illas exercere: ut habet Divus Ambrosius *Psalm.* 40. *super illa verba*: *Fiat, Fiat*.

CA-

CAPUT III.

Quos orare possumus, & qui possunt orare?

1 *Deum orare possumus, & debemus; quomodo orandus? Possumus quoque orationem nostram dirigere ad unam ex Divinis Personis non excludendo reliquas.*
2 *Sanctos quoque orare possumus, sive Angelos, sive Homines.*
3 *An Possimus orare, & commendare nos Sanctis Animabus Purgatorii?*
4 *Qui orare possunt necessariò habere debent naturam rationalem, quamvis Deus orare non possit.*
5 *Christus, ut homo, orare potest, non tamen ut Deus.*
6 *Beatissima Virgo, Sancti Angeli, & animæ Beatorum orare possunt.*
7 *Animæ in purgatorio existentes orare possunt pro se, & pro aliis.*
8 *Dæmones, & damnati orare nequeunt.*
9 *Omnes homines Viatores sive justi, sive injusti orare possunt.*

1 DEUM posse, & debere orari à nobis, non solùm Fides Catholica docet, verùm etiam Hæretici, & Ethnici ipsi sustinent, exceptis Atheis impiissimè Deum negantibus. Si enim in *nostris* necessitatibus, petitionibus, & orationibus ad Deum Fontem, & Authorem bonorum omnium recurrere non possemus, ut lumen ipsum naturæ *insinuat* recurrendum, ad quem recurreremus? Oratio igitur, quæ ad Deum fit, debet dirigi ad illum, ut primum Authorem, & causam totius, itaut omnia ab ipso pendeant, ipse verò à nemine. Potest quoque similis Oratio dirigi ad unam Personam Sanctissimæ Trinitatis, non verò ad alias, non tamen excludendo illas; hoc enim impium esset, ut superiùs notavimus; praxis siquidem approbata ab Ecclesia docet, nunc Orationem dirigi ad Patrem, modò ad Filium, modò ad Spiritum Sanctum. Quòd autem ratione prædicta solus Deus orari possit, non verò alius ab illo, est veritas fide Sancta in Ecclesia Catholica.

2 Posse quoque à nobis orari Sanctos, & ad eas orationes nostras dirigere, ut pro nobis orent, & intercedant apud Deum bona illa, quæ postulamus; vel etiam ut ex potestate sibi concessa à Deo conferant nobis aliqua dona; est veritas definita in variis Conciliis, & præsertim in Tridentino *sess.25. decret. de Venerat. Sanctor.* ubi declaratur, hunc sanctum, & laudabilem usum ab ipsis primordiis Ecclesiæ traxisse originem, & sic semper continuatum. Quod sufficit ad retundendam audaciam hæreticorum contra illum se invehentium: nam ut meritò ait D. Augustinus *Epist.118. ad Januarium*, de eo, quod tota per Orbem frequentat Ecclesia, disputare, an ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ est. Consonant Testimonia Sacræ Scripturæ, *Tobiæ* enim 12. dicitur: *Quando orabas cum lachrymis &c. ego obtuli orationem tuam Deo. Jerem.*15. habetur: Moysen, & Samuelem stetisse coram Domino pro populo. *Apocalyps.*5. dicitur; *Quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram agno, habentes citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum. Et ejusdem Apocalyp.*8. habetur: *Data sunt ei, ut daret de Orationibus Sanctorum omnium &c. Et ascendit fumus incensorum de Orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* D. Petrus *Epist.2.cap.1.* discessurus ex hoc mundo consolabatur fideles promittens, se illorum habiturum memoriam apud Deum, ait enim: *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Et D. Paulus *ad Colossen.4. Thessalon. 3. & Hebræos 13.* & alibi, aliorum se Orationibus commendavit. Longum esset referre Testimonia Sanctorum Patrum, unus sufficiat D. Hieronymus *cap.3. contra Vigilantium*, hæreticum impugnantem usum invocandi, & orandi Sanctos, ait enim: Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post Victorias, coronas, & triumphos. Sit igitur certissimum, non solùm posse nos orare Sanctos, sed etiam posse Sanctos suis Orationibus prodesse nobis, & velle; cum ardentiùs in cœlis; quàm in hoc mundo diligant. Nec hæc invocatio Sanctorum derogat dignitati Christi mediatoris Dei, & hominum: nam licèt etiam Sancti sint Mediatores hominum penes Deum; non sunt tamen, ut fuit Christus simul Deus, & homo, & propria virtute medians; Sancti namque sunt Mediatores non in ratione propria, sed à meritis Christi accepta, à quo omnia eorum merita virtutem habuerunt; nec mediant solvendo; ut fecit Christus Dominus, sed intercedendo.

3 An autem orare possimus animas in Purgatorio detentas, & commendare nos earum orationibus, controversa res est. Nam D. Thomas 2.2. *quæst.*83. *art.*4. *ad* 3. Sylvester *verb. Oratio*, Navarrus *de Orat. cap.* 1. *num.*22. Paludanus, Alensis, Azor. Valentia, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Orat. disput.* 1. *punct.*4 *n.* 8. & inclinat Suarez *lib.*1. *de Orat. cap.*10. *n.*25. & 27. sustinent negativam sententiam: cum non constet, eas cognoscere orationes nostras, & desideria; non enim in eo statu vident Deum, in quo tamquam in Speculo ea, quæ longè distant, vident Beati: adeoque non posse pro nobis orare. Nihilominus magnam probabilitatem habet affirmativa sententia, quam sequor, dicens, eas cognoscere orationes nostras, & desideria media revelatione Angelorum Custodum suorum, vel nostrorum; aut alio modo, qui magis Deo placuerit; & saltem in genere orare posse in Purgatorio pro iis, qui de ipsis benemerentur; adeoque rectè possumus eas orare, ut preces nostras Deo offerant, & sic commendare nos earum Orationibus. Ita meritò tradunt Bellarminus *lib. 3. de Purgat. cap.* 15. Medina *Codic. de Orat. quæst. 4. versic. de Animabus*; Graffis; Coninch, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Orat. Privat. Divin. Offic. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 13. Hanc piam Sententiam approbat praxis fidelium enixè se commendantium animabus Purgatorii, eamque laudat Suarez *l. c.* qui sic concludit: sentientem in hac oratione fructum, & devotionem non esse ab illa removendum; subscribit etiam Castropalaus *loc. cit.*

4 Qui orare possunt, debent necessario habere *naturam* rationalem; itaut carentes illa nequeant prorsus orare: ratio est, quia cum Oratio sit loquutio quædam inferioris petentis cum submissione aliquid à Superiore, & petitio propria est naturæ rationalis; inde est, quòd sola natuta rationalis orare possit. Sic D. Thomas 2.2. *quæst.*83. *art.*10. Bellarminus *tom.*4. *de Bonis operib. lib.*1. *cap.*7. Suarez *tom.*2. *de Relig. cap.*12. *num.*7. Azor. 1. *par. lib.*9. *cap.*29. *quæst.*1. Valentia *tom.*3. *disp.*6. *quæst.*2. *pun.*1. & Lessius *lib.*2. *cap.*37. *dubit.*5. Quamvis tamen Deus naturam rationalem habeat, nihilominus orare nequit; sicuti nequit orare unaquæque Persona Divina, quatenus talis: ratio est, quia cum oratio sit actus Religionis inferioris cum subjectione petentis à Superiore, & Deus superiorem se non agnoscat; nec quælibet Persona Divina, ut talis, aliam Divinam Personam se Superiorem agnoscat; ideo nec Deus, nec quælibet Divina Persona, ut talis orare poterit.

5 Christus verò orare potest, ut homo, licèt orare nequeat, ut Deus est. Et quidem, ut homo est, orare potest seipsum, ut Deum; insuper Patrem, & Spiritum Sanctum: & defacto dum in Terris existeret, sæpe rogavit Patrem; ut patet ex illo *Joann.* 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum.* 1. *Joan.*2. *Sed si quis peccaverit, Advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum.* Pauli *ad Hebr.*7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quæ quidem Scripturæ loca non solùm indicant, orasse pro nobis, dum in Terris existeret, sed etiam orare nunc in Cœlis, ubi pleniissimam habet potestatem; itaut facere possit, quod ei libuerit juxta illud Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra. Et quamvis ejus Oratio necessaria non sit nunc in Cœlis, nihilominus hoc non probat, non esse piissimam, & Sanctissimam talem Orationem, & nobis valde proficuam: nam sicuti in Terris dum viveret, Oratio ab eo semel facta fuit infinitæ Virtutis, & efficacitatis, ac optimè cognovit, in quibus habitura esset effectum, & in quibus non; nihilominus ob ejus nimiam erga nos Charitatem illam sæpius repetivit; sic etiam nunc in Cœlis facere potest, & defacto facit; ut verificetur, quòd Advocatum habemus apud Patrem, semper viventem, & interpellantem pro nobis. Nec obstat quod sequitur: nempe nos orare posse Christum Dominum, quòd ut homo est, pro nobis oret Patrem. Non obstat, inquam, quia si debita, & recta intentione fiat, & absit scandalum; utique fieri poterit: cum petatur quod honestum est, & quòd Christus Dominus

nus facit. Esto quòd à tali Oratione, & petitione sit abstinendum: ne occasio detur ignorantibus errandi existimando, Christum non esse Personam divinam, & non posse ex se concedere nobis, quæ necessaria sunt: ut rectè advertit Castrapalaus *de Oration. disput. 1. pun. 5. num. 1.*

6 Beatissima Virgo, Sancti Angeli, & Animæ Beatorum in Cœlis orare possunt pro nobis, & defacto orant, non solùm in genere, sed etiam pro singularibus Personis, tum offerendo Deo petitiones à nobis factas, tum petendo ab eo, quæ nobis profutura sunt ad salutem, sive ea petierimus, sive non. Gratissimum siquidem Deo est, orationes, & petitiones nostras sibi præsentari à Sanctis: & ideo Sancta Mater Ecclesia specialiter ad illos orationem dirigit, & specialem exposcit eorum intercessionem: pro se tamen orare non possunt in iis, quæ spectant ad Beatitudinem essentialem, cum petitio sit de rebus non possessis, non verò de his, quæ possidentur; & beati necessariò possident, quidquid requiritur ad essentiam beatitudinis: possunt tamen in iis, quæ spectant ad beatitudinem accidentalem; ut videlicet impleatur numerus prædestinatorum; ut glorificentur eorum corpora &c. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst. 83. art. 11.* Suarez *lib. 1. de Orat. cap. 11. num. 10. & 11. & cap. 21. num. 23.* & Castropalaus *de Orat. disp. 1. pun. 5. num. 3. & 5.*

7 Animæ in Purgatorio existentes orare possunt Deum pro se, ut fideles excitet ad suffragandum ipsis: cum enim in summa necessitate constitutæ sint, & sciant, nullum aliud sibi superesse remedium, ut ab ea liberentur; ideo orant Deum ad excitandum fideles, ut satisfactiones, & suffragia porrigant: nec in hac oratione ullum habetur inconveniens, maximè quia patet ex historiis, sæpius expostulasse à viventibus Orationes, & satisfactiones, ac Indulgentias. Pro nobis autem, quamvis communior sententia doceat, orare non posse: eo quia necessitates nostras cognoscere nequeunt; & potiùs indigeant in Purgatorio aliorum auxiliis, quàm aliis ea præstare possint, sunt etenim potiùs in statu satispatiendi, quàm impetrandi: & ita docuerunt Div. Thomas 2. 2. *quæst. 83. art. 11. ad 3.* Alensis 2. *par. qu. 91. membr. 4.* Navarrus *in Enchirid. de Orat. in prælud. num. 26. & 29.* & alii. Nihilominus suam probabilitatem, & quidem magnam habet sententia opposita: ratio est, quia licèt non cognoscant necessitates nostras in particulari, nisi Deus per Angelos, aut alio modo eas illis manifestet; possunt tamen in genere orare Deum pro nostris necessitatibus, & præcipuè pro necessitatibus consanguineorum, propinquorum, & omnium sibi benefacientium, cum nullum inconveniens in hac oratione habeatur. Nec status satispatiendi, & indigentiæ auxilii pro se facit, quòd non possit beneficia à Deo impetrari pro aliis, & auxilium aliis præbere, ut testantur historiæ; maximè quia sunt in statu gratiæ, Deo carissimæ, & nobis bene affectæ. Sic pius usus fidelium, se quotidie commendantium laudabiliter illis, & sic sustinent Bellarminus *lib. 1. de Purgat. cap. 15.* Medina *quæst. 5. de Oratione*, Valentia 2. 2. *disp. 6. qu. 2. pun. 6.* Suarez *de Orat. lib. 1. cap. 11. n. 16.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 37. dubit. 5. num. 23.* Castropalaus *de Orat. disp. 1. pun. 5, nu. 8.* & Bonacina *de Recit. Priv. Divin. Offic. disp. 1. quæst. 2. pun. 1. num. 8.*

8 Dæmones, & Damnati orare non possunt, quamvis creaturæ rationales sint; ratione enim status incapaces sunt aliquid boni expectandi à Deo; carent quoque fide necessariò requisita ad orandum, & Deum odio prosequuntur, nec habent pium affectum. Et si petitiones aliquas Deo fecerunt: ut sunt illæ Matth. 8. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos. Job 1. & 2.* ubi petiit Diabolus à Deo, ut ei permitteret tentare Job; *& Lucæ* 16. Dives in tormentis positus precabatur Patrem Abraham, ut ejus misereretur, & mitteret Lazarum. Petitiones tamen istæ cum non processerint ex pio in Deum affectu, nec ad res decentes, & salutares ordinatæ; ideo rationem Orationis habere non potuerunt. Sic Alensis, Gabriel, Valentia, Lessius, Azor. quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Recit. Priv. divin. Offic. disp. 1. qu. 2. pun. 1. num. 9.* & Castropalaus *de Orat. disp. 1. pun. 5, num. 6.*

9 Omnes homines Viatores usum rationis habentes orare possunt, sive justi fuerint, sive injusti; dummodo fideles sint: nam sine fide oratio ipsorum non erit actus supernaturalis Religionis juxta Div. Paulum *ad Romanos* 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt.* Invocari igitur non poterit Deus oratione pertinente ad salutem, nisi in ipsum credatur. Posita autem fide, quòd justi orare possint tum pro se, ut in justitia perseverent, & ea augeatur; tum pro aliis, ut si justi fuerint, in justitia permaneant; si verò peccatores, ut ad justitiam accedant, & pœnitentiam agant; constat apertè omnibus. Quòd verò orare possint, si injusti fuerint, imò orare debebunt; probatur ex eo, quòd debent orare Deum, ut illos moveat ad relinquenda peccata, eaque detestanda; quæ quidem Oratio non solùm mala non est, sed etiam utilis, & consulenda peccatoribus: solet enim ea moveri Deus ad excitandum peccatorem, ut innixus divino auxilio, se disponat ad gratiam. Nec immeritò peccatores repetere debent petitionem contentam in Oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra, præcipuè enim ipsis aptatur.

CAPUT IV.

Pro quibus orandum; quæ Circumstantiæ in Oratione servandæ; & an Oratio necessaria ad Salutem.

1 *Orare non possumus pro Gloria essentiali Dei, Christi, Beatissimæ Virginis, Sanctorum Angelorum, & Beatorum omnium; possumus tamen orare pro eorum Gloria accidentali.*
2 *Pro Animabus in Purgatorio detentis orare possumus.*
3 *Pro hominibus Viatoribus, sive justis, sive injustis orare possumus.*
4 1. *Circumstantia in Oratione servanda est Voluntas formalis, vel saltem Virtualis, & implicita orandi.*
5 2. *Circumstantia est Attentio, quæ triplex esse potest:*
6 3. *Circumstantia est Pietas.*
7 *Fructus Orationis tres sunt, Meritum, Satisfactio, & Impetratio.*
8 *Quatuor Conditiones requisitæ ad debitum modum orandi.*
9 *An positis omnibus conditionibus ad orandum requisitis concedat Deus ex Justitia petitum?*
10 *An Oratio facta pro pluribus æquè prosit singulis?*
11 *Oratio necessaria est ad Salutem omnibus adultis.*

QUAMVIS orare non possimus pro Gloria, & Beatitudine essentiali Dei, Christi, Beatissimæ Virginis, Sanctorum, Angelorum, & Beatorum omnium in Cœlis existentium: eo quia certò, & infallibiliter in æternum duratura est, & aliter sentire impium esset. Attamen orare pro Majori Gloria Dei, & Christi Domini accidentali, idem dicendum de Beatissima Virgine, Sanctis Angelis, & Beatis omnibus; non solùm inconveniens non est, sed pium, laudabile, & faciendum. Quodnam enim inconveniens esse potest in hac Oratione, quòd Nomen Dei, & Christi, ac ejus Gloria sanctificetur, & manifestetur penes omnes gentes; quòd Devotio, & Cultus Beatissimæ Virginis per totum Orbem diffundatur; necnon Devotio, & Cultus Sanctorum Angelorum; idem dicendum de Devotione, & Cultu Beatorum, & quòd eorum Sacra Corpora venerentur? Ergo absolutè piè, & laudabiliter orare possumus pro hac eorum Gloria accidentali: & si possumus in hoc piè, & laudabiliter cooperari, pari modo possumus id enixè à Deo orare. Sic Suarez *lib. 1. de Orat. cap. 14. nnm. 4.* Bellarminus *lib. 2. de Purgat. cap. 18.* & Castropalaus *de Orat. disput. 1. pun. 6. num. 2.*

Pro Animabus in Purgatorio detentis nos posse orare, ut à peccatis solvantur; ut Sancta, & salubris cogitatio declaratur *Machab. 2. cap. 12.* & sic tenet, & tenuit Sancta Mater Ecclesia, & fidelium omnium praxis comprobat. Vir siquidem fortissimus Machabæorum Judas collatione facta duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium. 2

Pro omnibus hominibus Viatoribus orari posse; sive de cætero justi fuerint, sive peccatores; sive fideles, sive infideles; sive amici, sive inimici; clarè constat ex illo Div. Pauli 1. *ad Timoth. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:* ratio est, quia omnes dum sumus in hac vita, & peregrinamur à Domino, capaces sumus salutis, & multis indigemus sive ad eam acquirendam, sive ad eam jam acquisitam conservandam, aut augendam: & Christus pro omnium 3

nium salute mortuus est; ergò pro omnibus orandum. Et quamvis non omnes consecuturi sint æternam salutem, cum plures reprobi sint, & ab æterna beatitudine excluſi; nihilominus pro omnibus absolutè orare possumus, dum per revelationem claram non constat nobis, quinam sint à Deo specialiter reprobati; & sic orantes laudabiliter agimus. Non obligamur tamen semper pro omnibus orare, sed aliquando possumus, & debemus orare pro salute propria, vel amici, aut inimici in gravi necessitate constituti, vel pro quolibet alio proximo extremè, vel graviter ea oratione indigente: ut ex Lessio, Valentia, & Suarez tradit Castropalaus *de Orat. disputat.* 1. *punct.* 6. *numer.* 6. Imò quantum est ex parte nostra orare possumus pro reprobis, ut auxiliis Divinæ Gratiæ non resistant, ad instar Divinæ Voluntatis, cui uniformamur, & quæ vult, quantum est ex se, ut omnes homines salvi fiant: ut ex eisdem Authoribus docet Castropalaus *l. c. num.* 5. in fine.

4 Circumstantiæ in Oratione servandæ variæ sunt: 1. est, ut habeatur Voluntas formalis, vel saltem Virtualis, & implicita orandi: quæ quidem ita necessariò requiritur, ut sine ipsa Oratio haberi non possit: & ratio est, quia Oratio est actus humanus, & religiosus; & ad actum humanum, & Religiosum necessariò requiritur voluntas faciendi illum: sic legens Breviarium animo, & intentione aliquid addiscendi in eo, non dicitur orare, sed studere; aliàs legens Rubricas, ut eas addisceret, oraret: ut bene adnotant Navarrus *cap.* 13. *numer.* 14. & Suarez *lib.* 3. *de Orat. cap.* 3. Voluntas autem Virtualis, & implicita orandi, ac sufficiens ad orationem ea dicitur, qua quis intentionem habet formalem alicujus, quod in se, & in sua virtute orationem continet: sic si quis intentionem habet satisfaciendi suæ obligationi recitandi Divinum Officium, & ex tali intentione breviarium accipit, & legit; orare dicitur ex intentione virtuali, & implicita. Idem dicendum, si intentionem haberet expressam orandi, & ex ea intentione breviarium accipit, & recitat Divinum Officium, etiamsi ab illa intentione expressa, & formali desisteret decursu recitationis; adhuc diceretur virtualiter orare ex illa intentione non retractata. Sic Suarez *loc. cit. num.* 6.

5 2. Circumstantia est, ut habeatur Attentio, tum quia Oratio est loquutio, & sine aliqua attentione formali, vel virtuali consistere nequit humana loquutio; tum quia est Cultus Latriæ, & ascensio mentis ad Deum ex D. Damasceno *lib.* 3. *de Fid. Orthod. cap.* 24. & D. Augustino *lib. de Spir. & Anim. cap.* 50. & sine attentione nec Deum colere, nec ad illum mente ascendere possumus. Triplex autem Attentio in Oratione Vocali haberi potest, ut adnotavit Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. 1. ad verba. 2. ad sensum illorum. 3. ad Deum: quælibet ex his sufficit ad Orationem, etiamsi fuerit minima ex ipsis, nempe attendere ad verba, ut ritè proferantur, & absque errore: sic enim profertur revera Oratio vocalis cum intentione laudandi Deum, in quem mens virtualiter elevatur: ut docent Suarez *lib.* 3. *de Orat. cap.* 4. *num.* 8. Valentia *disputat.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 9. & Castropalaus *de Orat. disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 2.

6 3. Circumstantia est Pietas, quæ in eo sita est, ut à Deo petantur pia, honesta, & decentia, ac ad finem honestum ordinata: nam etiamsi pia, honesta, & decentia peterentur à Deo, sed ob pravum finem; utique non esset vera Oratio: cum non sit Cultus Religionis, qui respicit honestatem finis. Sic Suarez *l. c. num.* 13. Valentia, & Castropalaus *locis citatis*.

7 Fructus Orationis tres enumerantur; meritum videlicet, Satisfactio, & Impetratio. Hic ultimus est proprius fructus Orationis; nam Meritum, & Satisfactio conveniunt pariter cuilibet Virtuoso operi: Oratio siquidem ad hunc finem dirigitur; inclinare videlicet Deum, quem orat, ut ea, quæ postulantur, concedat. Quia tamen in nulla Oratione reperitur tanta vis, ut possit Deum movere ad infallibiliter concedendum postulata; ideo ipse benignissimus Deus voluit sua promissione se obligare ad concedendum postulata debito modo, ut nos securos redderet juxta illud *Matth.* 7. *Petite, & accipietis, & Joann.* 16. *si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. Hinc est, quòd si postulata per Orationem non obtinemus, signum est, non postulari debito modo, nec in nomine ejus.

8 Ut autem debito modo petamus, ac fructus Orationis percipiatur, quatuor Conditiones requiruntur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. 1. est, ut in Oratione petamus necessaria, & utilia ad salutem: hæc enim sunt, quæ à Christo approbantur, & ejus Voluntati uniformia sunt: cum inutilia, & nociva non sint secundum ejus voluntatem; voluntas namque ejus est justitia & sanctificatio nostra; adeoque quod petitur non ordinatum ad justitiam, & sanctificationem, non petitur nomine ejus: quapropter D. Joannes 1. *cap.* 5. *ait.* Quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. 2. est, ut piè petamus, hoc est cum Fide, Spe, & Charitate petamus: & quidem quòd requirantur Fides, & Spes in petitione, clarè patet ex illo *Matth.* 22. *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, dicetis monti, &c.* & ex illo *D. Jacobi* 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans*: Quòd etiam requiratur Charitas, apertè constat ex illo *Joann.* 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis*: maximè quia videtur difficile, quòd qui actu inimicus Dei est, impetret postulata: ut docent Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. Suarez *lib.* 1. *de Orat. cap.* 22. *numer.* 3. & 4. & Valentia 2. 2. *disputat.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 4. Nihilominus non adeo necessaria est Charitas, ut si peccator voluntatem habeat relinquendi peccatum, & in fide, & spe postulet; non obtineat Orationis fructum, cum soleat Deus aliquando exaudire orationem alicujus peccatoris, ut patet in Publicano *Luc.* 18. petente remissionem suorum peccatorum, quam obtinuit: favet quoque, quod Christus *Matth.* 2. absque ulla distinctione justi, & peccatoris dixit: *Omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit*. Sic ex Divo Chrysostomo, D. Augustino, D. Basilio, D. Thoma, & aliis tradit Castropalaus *de Orat. disp.* 1. *pun.* 7. *nu.* 7. 3. est, ut perseveranter petamus, ut sic desiderium nostrum crescat, & beneficium magis æstimetur: sic constat ex variis Scripturæ locis *Luc.* 18. Pauli *ad Roman.* 12. & *Jacob.* 5. Deus enim licèt aliquando ad primum pulsum adaperiat ostium; aliquando tamen ad replicatos pulsus adaperit; quapropter perseveranter petendum. 4. est, ut orare quis debeat pro se ipso: nihilominus hæc conditio si deficiat, non ideo inefficax erit Oratio pro aliis; cum promissio facta petentibus accipiendi quæ petunt, non sit facta à Christo cum tali limitatione pro se, non verò pro aliis; sed absolutè: Omnis qui petit accipit. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: maximè quia Benignissimus Deus non solùm audit orantem pro se, sed etiam pro aliis, nisi ex parte ipsorum sit resistentia. Sic ex Toleto, Suarez, & Valentia docet Castropalaus *de Orat. disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 9.

9 Petes 1. an positis omnibus conditionibus requisitis ad Orationem Deus concedat petitum ex Justitia? Resp. negative, sed solùm ex fidelitate: ratio est, quia petitio est tantùm conditio, ut promissio habeat effectum; non verò est opus recompensandum cum concessione postulati, quod requiritur ad obligationem Justitiæ: ad eum modum promittens dare eleemosynam omni petenti illam; si pauper petitionem faciat, non ideo ex Justitia tenetur promittens illam dare, sed tantùm ex fidelitate. Sic Suarez *lib.* 1. *de Orat. cap.* 27. *n.* 4. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 2. *pun.* 4. *post medium* & Castropalaus *de Orat. disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 10.

10 Petes 2. an Oratio facta pro pluribus æquè prosit singulis, ac si pro singulis offerretur? Resp. non posse æquè prodesse singulis quoad satisfactionem: cum enim hæc limitata sit, minuitur ad divisionem singulorum, ut clarè patet. Quoad Impetrationem verò, quæ fundatur in Benignitate infinita Dei, licèt probabile sit, æquè prodesse singulis; probabilius tamen est oppositum: eo quia licèt impetratio fundetur in Benignitate, & Misericordia Divina; quia tamen fundatur etiam in congruitate *ipsius* petitionis, & de facto fervention petitio est aptior ad impetrandum præ tepida; ideo pro pluribus applicata, & in singulos divisa minuitur. Sic Navarrus *de Orat. cap.* 20. *numer.* 48. Suarez *lib.* 1. *de Orat. cap.* 27. *numer.* 6. Medina *cod. de Orat. quæst.* 21. Cavarruvias *cap. Alma Mater.* 1. *par. §.* 5. *num.* 9. Azor. 1. *par. lib.* 9. *quæst.* 7. & Castropalaus *de Orat. disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 11.

11 Oratio necessaria est ad salutem omnibus Adultis, quidquid in contrarium impiè dixerint hæretici: constat hoc ex variis Scripturæ locis. *Matth.* 26. dicitur: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.*

Pauli *ad Ephes. 6. Galeam ſalutis aſſumite per omnem orationem, & obſecrationem orantes. 1. ad Theſſalon. 5. ſine intermiſſione orate, & Jacob. 5. Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Difficultas in eo ſita eſt: an habeatur Præceptum orandi, & quando urgeat? Haberi tamen præceptum orandi adſtringens ſingulos fideles, poſtquam uſum rationis attigerint, conſtat tum ex Jure Naturali, tum Divino poſitivo, tum Eccleſiaſtico. Ex Jure naturali, quia lumen ipſum naturæ dictat, procurare bona nobis convenientia, maximè ſupernaturalia, & præſertim perſeverantiam in bono; & mala à nobis removere, ut tentationes, peccata, & ſimilia. Ex Jure poſitivo Divino; quia in Scripturis commendatur ejus frequens uſus: *Eccleſiaſt.* 18. dicitur: *Ne impediaris orare ſemper, Luc.* 18. *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*. Quantum ſcilicet humana fragilitas fert, ut explicat Leſſius *lib. 2. cap. 37. dubit. 2. num.* 10. vel ut Gloſſa Interlinearis ait, ſemper, hoc eſt congruis, & ſtatutis temporibus. Ex Jure Eccleſiaſtico præcipiente auditionem Sacri diebus feſtivis, & ſimul cum Sacerdote Sanctum Sacrificium offerre Deo, illumque orare per orationes à Sacerdote exhibitas. Tempus verò, quo urgeat Præceptum naturale, & Divinum orandi, nam Eccleſiaſticum, ut diximus, urget diebus feſtivis; non eodem modo explicatur à Doctoribus, qui in varias abiere Sententias. Dicendum tamen cum communiori ſententia, non eſſe quodlibet inſtans vitæ; ſed determinandum arbitrio prudentis, itaut aliquoties in vita ſatisfiat huic obligationi, & præcipuè in articulo mortis. Hanc autem obligationem differre ad integrum menſem, grave peccatum eſſet ob tentationes, & pericula imminentia. Sed talis dilatio vix reperitur in hominibus perditiſſimis, niſi rarò: difficile ſiquidem eſt, nec per menſem recitare Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam, vel auxilium aliquod à Deo petere. Sic Suarez *lib. 1. de Orat. cap. ult. numer.* 16. Leſſius *lib. 2. de Juſt. cap. 37. dubit. 3. numer.* 12. Bonacina *de Recit. Privat. Divin. Offic. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 1. num.* 12. & Caſtropalaus *de Orat. diſp. 1. pun. 8. num. 3*. Præter tempus prædictum urget obligatio orandi, ſed non ex vi Præcepti Virtutis Religionis, ſed aliarum Virtutum. Et 1. cum graviſſima urget tentatio. 2. cum aliquod opus arduum eſt aggrediendum. 3. cum quis ſe contritione, vel Sacramento vult diſponere ad gratiam. 4. cum proximus eſt in periculo peccandi, nec conſilio, aut alia via averti poteſt. Sic ex Leſſio, & Valentia tradit Caſtropalaus *loc. cit.*

QUÆSTIO III.

DE ORATIONE IN PARTICULARI RECITATIONIS PRIVATÆ HORARUM CANONICARUM.

EXPLICATA Oratione in Communi explicanda remanet Oratio in Particulari, quia tamen ſpecialem locum obtinet Recitatio Horarum Canonicarum, ideo de ea pertractabimus explicando priùs quæ ſpectant ad Recitationem Privatam, poſtea quæ ad Publicam, & in Choro unà cum Diſtributionibus. Meritò inſtituta fuit ab Eccleſia Recitatio iſta Horarum Canonicarum, cum nil ea aptiùs excogitari valeat ad Deum laudandum, gratias agendas, & mentem inſtruendam; referta ſiquidem eſt verbis à Spiritu Sancto dictatis, Sanctorum Patrum exemplis, ac ſententiis. Ideò à Cardin. Bellarminio *lib. 1. de Bon. Operib. cap.* 10. definita fuit; Certa Oratio publicè laudandi Deum, ac precandi mente ſimul, & voce, authoritate Præſulum Eccleſiæ inſtituta. Paſſim dicitur Officium Divinum, ſeu horæ Canonicæ, quia certis horis recitandum eſt juxta Canonum Sanctiones. Dicitur quoque Breviarium, quia eſt Summa, & Compilatio eorum, quæ ad Dei Laudem, gratiarum actionem, & noſtram Juſtitutionem pertinent.

CAPUT PRIMUM.

De Perſonis, quæ tenentur ad horas Canonicas privatim Recitandas.

1 *Tenentur omnes Clerici in Sacris, & quinam hi ſint, & quo Jure teneantur.*
2 *An poſſit Epiſcopus Clericis minoribus hanc Recitationem imponere?*
3 *An Clerici minores teneantur ex præcepto recitare pſalmos ab Epiſcopo poſt Ordinationem impoſitos?*
4 *Religioſi Profeſſi Choro addicti tenentur ad Recitationem horarum Canonicarum.*
5 *Qui nam veniant nomine Religioſorum profeſſorum Choro addictorum.*
6 *An Profeſſi addicti Choro nondum ad Sacros Ordines promoti, & moniales, ſi è Choro abſint; teneantur ad hanc Recitationem?*
7 *An etiam teneantur Profeſſi addicti Choro, qui ex Diſpenſatione Pontificis perpetuò extra Clauſtra vivunt?*
8 *Beneficiarii Beneficium Eccleſiaſticum habentes, etiam ſi in ſacris non fuerint; tenentur ad recitandum.*
9 *Quinam veniant nomine Beneficiarii?*
10 *Quid dicendum de habentibus Cappellaniam Sacram, aut Beneficium manuale, vel Præſtimonia, aut beneficium in Commendam?*
11 *Quid de Penſionariis Laicam, vel Clericalem Penſionem habentibus?*
12 *An habens Beneficium tenue obligetur ad Recitationem?*
13 *An ſit obligatio recitandi pro beneficium, cujus fructus percipi nequeunt?*
14 *An habens ſolum Titulum beneficii cum ſpe poſſeſſionis, quam tamen non habet; recitare teneatur?*
15 *An ſtante Conſuetudine alicujus Eccleſiæ non percipiendi fructus beneficii pro aliquo tempore, adhuc pro eo tempore urgeat obligatio recitandi?*
16 *An omittere Recitationem Divini Officii uno vel altero die in anno, ſit grave peccatum?*

TENENTUR 1. ad horas Canonicas privatim recitandas omnes Clerici in Sacris conſtituti. Dicuntur autem in Sacris conſtituti omnes Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi; non verò Clerici minores ipſis. Quæ quidem obligatio ſub gravi adſtringit; ut eſt indubitatum penes Doctores. Et ſolùm inter eos controvertitur: Ex quonam Jure prædicta obligatio oriatur. Et certum eſt, ad has horas determinatè recitandas non haberi obligationem ex Jure Divino; ut adnotant Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Orat. cap. 16. n. 2.* Azor. 1. *par. lib.* 10. *cap. 4. in fin.* & Caſtropalaus *de horis canon. diſp. 2. pun. 1. in princip.* Solùm igitur hæc obligatio dimanat ab Eccleſia, quæ cum ſpecialem habeat obligationem orandi ex Jure Divino, ideo determinavit has Sacras preces, & ideo horæ Canonicæ ſaltem mediatè ex Jure Divino oriri dicuntur. An autem obligatio recitandi horas Canonicas ſit ex Jure Eccleſiaſtico ſcripto? controverſa res eſt. Et quidem ad pro- 1

probandam hanc obligationem in Presbyteris afferri solet Textus *in Cap. Presbyter, de celebr. miss.* pro Diaconis verò, & Subdiaconis afferuntur Textus *in Cap. Dolentes, de celebr. miss. & in cap. si quis Presbyter, dist. 92.* Verùm doctissimi Viri Navarrus *de hor. can. cap. 7. num. 2.* Suarez *lib. 4. de Orat. cap. 16. numer. 9.* & Azor. 1. *par. lib. 10. cap. 5. quæst. 1.* quos alii sequuntur; sustinent, non satis clarè deduci ex allatis Textibus, & ex jure scripto hanc obligationem pro omnibus Clericis in Sacris; quamvis omnes Doctores conveniant, satis clarè deduci ex Jure præscripto per tot sęcula, ac pervetusta consuetudine firmato, ut extra omnem controversiam sit, inducere sub gravi hanc obligationem.

2 Petes 1. an Episcopus possit Clericis minoribus, & nondum in Sacris constitutis sub præcepto imponere recitationem horarum Canonicarum, vel Psalmorum Pœnitentialium, Gradualium, Officium Beatæ Mariæ Virginis, Defunctorum, & similium precum singulis diebus? Resp. Navarrum *de hor. canon. cap. 7.* Bonacinam *de Recit. Priv. Divin. Offic. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 2. versic. Addo.* & Castropalaum *de hor. can. disp. 2. pun. 1. §. 1. num. 4. putasse*, id effici posse ab Episcopo, tum quia res honesta præciperetur ex vi ordinis minoris recepti, tum quia nequit assignari causa, cur non habeat facultatem id præcipiendi. Sed veram reputo oppositam sententiam, quę denegat Episcopis hanc facultatem imponendi obligatidnem istam sub præcepto in perpetuum, quamvis concedat ad duas, vel tres vices ex rationabili causa: ratio est, quia videtur reservata Pontifici impositio hujus gravis obligationis in perpetuum: nec quod conceditur Pontifici posse imponere, etiam si opus honestissimum sit, debet etiam Episcopis concedi: maximè quia si Lex universalis Clericos minores exemit ab hac obligatione, durum videtur, quòd lex particularis Diœcesis possit eos obligare. Sic Sotus *lib. 10. de Just. quæst. 5. art. 3.* Suarez *lib. 4. de Orat. cap. 16. in fine*; Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 2. pun. 10. §. 2.* Vasquez *de Benefic. cap. 4. §. 1. dub. 2. num. 6.* Azor. 1. *par. lib. 10. cap. 5. quæst. 4.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 37. dubit. 9. nu. 46.* Filliuccius *tract. 23. cap. 5. num. 148.* Sà *verb. horæ canonicæ num. 5.* & alii.

3 Petes 2. an Clerici minores teneantur ex præcepto recitare psalmos, quos Episcopus eis imponit post Ordinationem factam? Resp. quamvis probabiliter putent teneri sub præcepto, adeoque sub gravi ad eos recitandos Paludanus, Navarrus, Suarez, Azor. Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de Recit. Priv. Div. Offic. disp. 1. quæst. 2. punct. 3. numer. 2.* Nihilominus opposita sententia docens, obligari tantùm ex quadam decentia, honestate, & gratitudine mihi videtur probabilior: non enim habetur fundamentum asserendi, velle Episcopum præceptum eis imponere sub gravi: maxime quia suo muneri satisfaciunt largè, si Ecclesiæ deserviant in ministerio Ordinis suscepti. Sic Sotus *lib. 10. de Just. quæst. 3. art. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. pun. 10. §. 2. in princip.* & Castropalaus *de hor. canon. disp. 1. pun. 1. §. 1. numer. 5.* Consentit Suarez *lib. 4. de Orat. cap. 16. num. 14.*

4 Tenentur 2. ex eodem Jure præscripto, & pervetusta consuetudine firmato ad horas Canonicas recitandas omnes Religiosi Professi Choro addicti. Dixi, ex Jure præscripto, quia nullum Jus positivum scriptum afferri potest: nec Professio emissa inducit ex se talem obligationem, sed ad tendendum ad perfectionem, quæ aliis Exercitiis spiritualibus acquiri potest; nec largitio eleemosynarum à fidelibus facta inducit hanc obligationem, cum non erogetur à fidelibus sub hac conditione, & possunt Religiosi Deo commendare fideles aliis orationibus: restat igitur, quòd obligentur Religiosi addicti Choro ad recitandas horas Canonicas ex Jure præscripto à pervetusta consuetudine. Sic Sylvester, Navarrus, Valentia, Suarez, Vasquez, Bonacina, Azor. & alii penes ipsos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de hor. canon. disp. 2. pun. 1. §. 3. num. 1.* Quæ dicta sunt de Religiosis Viris, intelligi etiam debent de Monialibus Professis Choro addictis; tenentur enim ex eodem Jure præscripto, & longissima consuetudine firmato ad Divinum Officium persolvendum juxta consuetudinem, & ritum suarum Religionum. Ut tradunt Sotus, Azor. Sà, Toletus, Lessius, Filliuccius, Suarez, Navarrus, Valentia, Vasquez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Recit. Priv. Divin. Offic. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 5.* & Castropalaus *l. c.*

5 Nomine autem Religiosorum professorum Choro Deputatorum non veniunt Laici, seu Conversi ad munia temporalia destinati, etiam si professi sint, & legere sciant. Nec Novitii, qui in oneribus habentur, ut sæculares: maximè quia pro ipsis non stat consuetudo obligans; solùm ergo veniunt cæteri Professi Religionis Chorum habentis ex suo Instituto. Hinc fit, quòd Religiosi etiam professi Religionis non habentis ex suo Instituto chorum non teneantur ad Divinum Officium, nisi fuerint in Sacris constituti. Sicuti non tenentur ad illud recitandum Religiosi Militares professi, qui potiùs militiæ, quàm Choro sunt addicti. Fit insuper, quod Religiosus professus Choro addictus, si transit ex facultate suorum superiorum ad Statum Conversorum; statim eximitur ab obligatione recitandi horas Canonicas. Sicuti è contra, si è statu Conversorum transeat ad Statum Choristarum; statim subjacebit tali obligationi.

6 Quæres 1. an Professi addicti Choro si nondum ad Sacros Ordines promoti sint, sicuti etiam moniales Choro addictæ; obligentur ad horas Canonicas privatim recitandas, si ex choro absint? Resp. Cajetanum *in Summ. verb. horæ Canonicæ*, Medinam *in Instruct. cap. 19.* Angelum *verb. horæ Canonicæ num. 10.* Sà *eod. verb. num. 1.* quamvis in editione Romana fuerit expuncta, & Aragonium 2. 2. *quæst. 83. art. 11. dub. 4.* putasse, Religiosos istos bis, aut ter omittentes recitare privatim, non peccare graviter: quia ex præscripto Regulæ non ita graviter obligantis tenentur. Sed meritò hæc Sententia reprobatur à Doctoribus: cum eodem modo adstringantur ex Jure præscripto hi Religiosi, ac Clerici in Sacris constituti; ergo si hi graviter peccant vel semel omittendo, ergo & illi: maximè quia obligatio non est ex vi Regulæ. Sic Valentia, Navarrus, Sylvester, Malderus, Toletus, Reginaldus, Vasquez, Molfesius, Suarez, Filliuccius, Lesius, Azor. Macignus, Rodriquez, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Recit. Privat. Divin. Offic. disp. 1. quest. 2. pun. 2. num. 1.* & Castropalaus *de hor. Can. disp. 2. punct. 1. §. 3. num. 2.*

7 Quæres 2. an etiam sub hac obligatione comprehendantur religiosi professi addicti Choro, qui ex dispensatione Pontificis extra Claustra perpetuò vivunt; vel qui ad triremes damnati sunt, aut ejecti, vel fugitivi? Resp. quamvis Sotus *de Just. lib. 10. quæst. 5. art. 3.* Azor. 1. *par. lib. 10. cap. 6. quæst. 8.* Bonacina *l. c. num. 4.* & alii putarint, religiosum extra Claustra ex Dispensatione Pontificis perpetuò viventem dispensatum esse à Choro, & consequenter à recitatione privata horarum Canonicarum. Nihilominus probabilior sententia docet, nisi specialiter eximatur à Pontifice; teneri ad horas Canonicas privatim recitandas: ratio est, quia obligatio in Religioso addicto Choro recitandi horas Canonicas non oritur ex eo, quòd ipse obligetur ad assistendum personaliter Choro, aliàs qui esset exemptus à Choro ex Dispensatione Pontificis, aut sui Superioris; nec teneretur privatim recitare, quod absonum est concedere; sed oritur ex eo, quòd Statum Religiosum profitetur Choro addictum: nec extra Claustrum vivere mutat Statum Religiosi Professi Choro deputati; ergo tenebitur ad recitandum privatim, nisi aliud Pontifex expresserit. Sic Suarez *lib. 4. de hor. canon. cap. 17. num. 8.* & Castropalaus *de hor. canon. disp. 2. pun. 1. §. 3. nu. 4.* Eodem modo eximit Bonacina *de Recit. Priv. Divin. Offic. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num. 6.* referens Sotum, & Angelum Religiosos Choro addictos damnatos tamen ad triremes, vel ejectos, aut fugitivos; eo quia sunt extra Statum deputatum Choro. Sed probabilius obligat Sententia opposita per se loquendo: ratio est, quia similes pœnæ, aut crimina, sicuti non reddunt Religiosos extra Statum religiosum, cum vota religiosa non dissolvant, esto sint extra Claustra; sic nec deobligant à præscripta consuetudine recitandi horas Canonicas, quæ æquè afficit Religiosos Choro deputatos, sive intra Claustra sint, sive extra. Nec ob delicta commissa lucrum, & exemptionem reportare debent: Dixi per se loquendo, quia per accidens excusari possunt damnati ad triremes, ut alii Clerici Sæculares eamdem pœnam subeuntes. Sic Navarrus *de Orat. cap. 7. numer. 20.* Suarez *lib. 4. hor. canon. cap. 17. numer. 9.* Azor. 1. *par. libr. 10. cap. 6. quæst. 5. 6. & 8.* & Castropalaus *de hor. canon. disputat. 2. punct. 1. §. 3. numer. 5.*

8 Tenentúr 3. ad privatam Recitationem horarum Canonicarum Beneficiarii beneficium Ecclesiasticum habentes, etiamsi Sacris Ordinibus initiati non fuerint, sive de cætero beneficia Curata fuerint, sive Simplicia, habito tamen respectu ad fructus. Constat apertè hæc obligatio tum ex Jure præscripto, ex usu videlicet, & consuetudine recepta in Ecclesia; tum *ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. de Reform. Curiæ. §. Statuimus quoque, & ordinamus*: tum ex motu proprio S. Pii V. incipit, *Ex proximo Lateranensi Concilio*. Advertendum tamen, quòd beneficium, ut inducat obligationem recitandi horas Canonicas; debet liberè, & non coactè recipi; cum nequeat coacta receptio talem obligationem inducere. Quòd si coactè recipiens velit postea frui fructibus beneficii; tenebitur ad recitandum: nam ob voluntatem illam censetur coactionem remittere, & liberè acceptare. Sic Lessius *lib. 2. de Just. cap. 34. dubit. 31. numer. 174.* & Castropalaus *de horis Canonic. disp. 2. pun. 1. §. 2. numer. 1.*

9 Sed quæres 1. Quinam veniant nomine Beneficiarii? Resp. venire Episcopos, Abbates, Præpositos, aut simili Dignitate præditos, Canonicos, Rectores, & omnes, qui beneficia sive Curata, sive Simplicia possident. Non veniunt tamen Vicarii Ecclesiæ Parochialis vacantis, nec Vicarii beneficiorum unitorum aliquibus Religionibus: ratio est, quia similes Vicarii non reputantur ex Jure, & reipsa Beneficiarii, sed potiùs Beneficiariorum substituti. Et sicuti si à Proprietario impedito ob ejus absentiam substituerentur, non tenerentur ad horas Canonicas, sic etiam in casu adjecto. Ita Garzia *de Benefic. 3. par. cap. 1. num. 106.* & Castropalaus *de horis Canon. disp. 2. pun. 1. §. 2. num. 5.* Nec veniunt Coadjutores beneficiorum, etiam cum congrua portione assignata, & cum futura successione: ratio est, quia obligatio recitandi Divinum Officium residet penes Proprietarium, aliàs obligatio ex eodem beneficio dimanans duos afficeret; ergo quantum est ex vi Coadjutoriæ nequibit obligari ad Divinum Officium recitandum. Sic ex Declaratione Pauli V. tradunt Suarez *lib. 4. de hor. Canon. cap. 22. num. 19.* Garzia *l. c. nu. 109.* Bonacina *de Recit. Priv. Divin. Offic.* alios referens *disp. 1. quæst. 2. pun. 4. n. 13. 15. & 16.* & Castropalaus *de hor. Canon. disp. 2. pun. 1. §. 2. num. 7.*

Solùm Difficultas est de habentibus Cappellanias Sacras, quas Collativas vocant, quæ videlicet authoritate Episcopi eriguntur, & ab ipso conferuntur, etiamsi ex patrimonio laicorum sint institutæ, & ad ipsos spectet Nominatio, seu Præsentatio: an inquam tales Cappellani Beneficiariorum nomine veniant? Resp. affirmativè: & ratio est, quia tales Cappellaniæ habent omnia requisita ad Beneficium, scilicet quòd conferantur à Prælato Personæ Ecclesiasticæ, & ad Officium Ecclesiasticum. Secus dicendum de Cappellaniis non Sacris, hoc est, quæ sine authoritate Episcopi eriguntur, & à Laicis conferri solent: quia non sunt rigorosè beneficium, licèt fructus afferant, adeoque non inducunt obligationem horarum Canonicarum. Sic Vasquez *Opusc. de Benef. cap. 4. §. 1. dub. 3. num. 9.* Suarez *de horis Canon. lib. 4. cap. 22. num. 11.* Azor. *1. par. lib. 10. cap. 3. quæst. 5.* Bonacina *de Recit. Priv. Div. Offic. disp. 1. quæst. 2. pun 4. num. 6.* & Garzia *de Benef. 1. par. cap. 2. num. 81.*

10 Quæres 2. an habentes Cappellaniam Sacram, aut beneficium manuale ad nutum scilicet Superioris amovibilia. Sicuti habentes Præstimonia, quæ sunt portiones quædam deductæ ex redditibus beneficii, & adolescentibus assignatæ, ut Studiis vacent, & sic eruditi melius Ecclesiæ inserviant. Aut habentes beneficium in Commendam, qui licèt titulum non habeant, habent tamen administrationem sive temporanam, sive perpetuam beneficii, & fructus percipiunt. An inquam hi omnes enumerati reputandi sint beneficiarii quoad obligationem Divini Officii? Resp. affirmativè cum supracitatis Doctoribus: quia licèt hæc omnia beneficia non sint, habent tamen conditiones omnes ad beneficium requisitas; ergo possidentes illa subire debent obligationem horarum Canonicarum, quæ consequitur. Pro Præstimoniis habetur clara Constitutio S. Pii V. quæ cum beneficiis comprehendit, cum sint portiones illorum. Adnotandum tamen pro Commendis, quòd si non conferantur in Utilitatem Commendatarii, sed Ecclesiæ, eo quia non datur potestas disponendi de fructibus, nec jus acquirit ad illos; tunc nulla insurgit obligatio ad horas Canonicas, ut per se patet. Sic Garzia *3. par. de Benef. cap. 1. num. 106.*

Quæres 3. an Pensionarii, qui vel Laicam, vel Clericalem Pensionem possident, beneficiis impositam; inter beneficiarios connumerandi sint cum obligatione horarum Canonicarum? Resp. Pensionarios Laicam Pensionem habentes, quæ conferri solet Laicis de Ecclesia benemeritis absque obligatione Tonsuræ Clericalis; ad nihil teneri, nisi fortè ex gratitudine orandi pro Fundatore beneficii. Pensionarios verò pensionem Clericalem habentes, & ad Tonsuram Clericalem obligatos, teneri tantùm ad Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis; ut cautum est in Constitutione S. Pii V. Quòd autem non teneantur ad horas Canonicas, apparet ex eo, quia Pensio non est beneficium, sed potiùs jus acquirendi aliquos fructus ex beneficio ab altero possesso. Sic Valentia, Azor. Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Recit. Priv. Div. Offic. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 6.* 11

Quæres 4. an habentes beneficium tenue, cujus scilicet fructus exigui sint; teneantur ad horas Canonicas? Resp. certum esse, beneficium nullos habens fructus non obligare beneficiarium ad recitationem Divini Officii: quia hæc obligatio oritur ex jure percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum Officium; ergo si nullos habet fructus, nec beneficium est, nec affert obligationem ad pensum Divini Officii. Solùm igitur controversia est, si fructus habeat, sed tenues, & exiguos. Tenues autem fructus, & exigui ex communiori Sententia reputantur illi; qui non perveniunt ad tertiam partem mediocris sustentationis Clerici juxta morem Patriæ, & juxa arbitrium prudentum: his positis, Docent Dominicus Soto, Vega, Lessius, Malderus, Aragonius penes Castropalaum *de hor. Can. disp. 2. pun. 1. §. 2. num. 8.* beneficium hoc non adstringere beneficiarium ad horas Canonicas recitandas: moventur 1. quia beneficium tenue reputatur pro nullo in Jure, juxta illud: parum pro nihilo reputatur. 2. quia non est præsumendum ex benignitate Ecclesiæ, hoc grave onus apponere voluisse pro tam exiguo proventu; æquitas enim exposcit, ut stipendium labori correspondeat. Et si ipsa Ecclesia dicit, beneficium dari propter Officium; intelligenda est de beneficio congruo competente Officio exhibendo: congruum siquidem est, ut qui Altari inservit, de Altari vivat. Oppositam tamen sententiam, ac communiorem sequor: eo quia beneficium habens tenues fructus; est verè beneficium ad distinctionem illius, quod nullos fructus habet; adeoque fundat jus percipiendi fructus ex speciali titulo; sed Canones annectentes onus recitandi Divinum Officium Beneficiis non distinguunt inter beneficium pingue, & tenue; ut patet ex Concilio Lateranensi, & ex Bulla S. Pii V. ergo beneficium tenue inducit obligationem Divini Officii. Nec limitatio facta ab adversariis habet fundamentum in Jure, imò colligitur oppositum *ex cap. Clericus. dist. 91.* ubi dicitur: Ut quærat sibi victum, & vestitum ex artificio, vel agricultura post sui muneris, & officii pensum persolutum; si ex Ecclesia sibi commissa commodè sustentari non possit. Et sicuti benigna Ecclesia imposuit Clericis in Sacris constitutis, licèt nullos repetant fructus, onus Divini Officii; & jure potiori imponere potuit beneficiariis fructus quamvis tenues percipientibus. Sic Navarrus, Covarruvias, Valentia, Azor. Bonacina, Garzia, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num. 9.* 12

Quæres 5. an sit obligatio recitandi horas Canonicas pro beneficio, quod licèt habeat sibi assignatos fructus, percipi tamen non possint? Per varias responsiones satisfaciendum erit huic Quæsito. Resp. igitur 1. si culpa beneficiarii, vel quia Excommunicatus, suspensus, & absens ab Ecclesia est, vel ob ejus incuriam fructus non percipiuntur; tenebitur beneficiarius ad pensum Divini Officii: ratio est, quia beneficium ex parte sui stipendium præbet; ergo beneficiario imputetur, si non percipit. Nec rationabile videtur, quòd Ecclesia ob beneficiarii malitiam defraudetur servitio sibi debito; quapropter nequibit Beneficiarius talem obligationem à se excutere. Sic Suarez *libr. 4. de hor. canon. cap. 20. numer. 12.* Vasquez *de Benefic. cap. 4. §. 1. dub. 6. numer. 25.* Azorius *1. par. libr. 10. cap. 4. quæst. 6.* Resp. 2. beneficiarium obligari ad Divinum Officium, etiamsi de præsenti nullos fructus percipiat; si tamem 13

speret

speret imposterum se percepturum; ratio est, quia spes firma ad fructus percipiendos æquivalet fructibus perceptis: secus nullus beneficiarius obligaretur ad Divinum Officium primo anno suæ præsentationis, cum regulariter fructus percipiantur postpositi. Sic Suarez, & Vasquez *locis citatis*, Navarrus *de Orat. cap. 7. num.* 30. Lessius *lib. 2. cap. 34. num.* 170. & alii. Resp. 3. si sine culpa beneficiarii fructus non percipiuntur, ut esset ob bellum, pestem, sterilitatem; vel per vim, & fraudem, aut aliam injustam viam; neque spes ulla sit percipiendi; tunc non teneri ad recitationem Divini Officii: ratio est, quia obligatio inducitur ex stipendio accepto, vel accipiendo: ergo cum neque percipiantur fructus, neque spes ulla fulgeat percipiendi; nulla poterit esse obligatio ad horas Canonicas. Neque dicas, accepisse pro tempore transacto, & annos fertiles compensare sterilitatem, & penuriam temporum subsequentium. Contra enim est, quia acceptum pro tempore transacto importat obligationem de præterito, non verò de præsenti, & in futurum: & fertilitas, & sterilitas addictæ sunt suis temporibus, quibus diversæ correspondent obligationes, ut patet in pretiis rerum venalium. Sic Navarrus, Azor. Lessius *locis citatis*, Garzia *de Benefic. 3. par. cap. 1. num.* 41. alios referens, & Castropalaus *de hor. Canon. disp. 2. pun. 1. §. 2. nu.* 10. licèt contrarium sentiat Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 1. num.* 26.

14 Quæres 6. an Beneficiarius habens solum Titulum cum spe possessionis, quam non habet, teneatur ad Divinum Officium? Resp. 1. si beneficiarius possessionem beneficii non habet, quia per ipsum stat, quin possessionem habeat; tenetur ad pensum Divini Officii: ratio est, quia ob culpam beneficiarii, non debet privari beneficium suo obsequio. Sic Suarez *de hor. Can. lib. 4. cap. 20. num.* 12. Navarrus *de Orat. cap. 7. nu.* 30. & Castropalaus *de hor. Canon. disp. 2. pun. 1. §. 2. num.* 11. Resp. 2. si sine culpa sua ob litem, vel alia ex causa involuntaria impeditur à legitima possessione; tunc non habebit obligationem recitandi Divinum Officium: ratio est, quia dum non possidet, non est certus de fructibus; sed onus certum non est subeundum pro stipendio incerto; ergo nulla adstringitur obligatione recitandi. Sic supracitati Doctores. Resp. 3. si Beneficiarius possessionem litigiosam habeat, & non obstante lite fructus administrat, cum spe moraliter certa sibi fore applicandos; tenetur ad Divinum Officium. Secus verò dicendum, si morali certitudine careat: ratio est, quia æquum videtur, ut subeatur onus à recepturo commodum per certam spem; secus verò à carente hac certa spe. Sic Lessius *lib. 2. cap. 34. n.* 173. Petrus de Ledesma *Tract. 9. cap. 4. concl. 6. diffic.* 10. & Bonacina *de Recit. Priv. Div. Off. disp. 1. quæst. 2. num.* 26. alios referens.

15 Quæres 7. an si in aliqua Ecclesia vigeat consuetudo, ut per annum, vel dimidium Beneficiarius non percipiat beneficii fructus, nec distributiones; sed distribuantur antiquis beneficiariis, vel in alia pia opera expendantur: an inquam teneatur ad Onus Divini Officii? Resp. has Consuetudines jam irritas factas esse à Joanne XXII. *in sua Extravag. suscepti. de Elect.* à Concilio Trident. *sess. 24. cap. 14. de Reform.* & à S. Pio V. *in sua Constitutione*, quæ incipit, *Durum*: ubi præcipitur, quòd saltem media pars fructuum Beneficiariis tribuatur. Nihilominus si alicubi, his non obstantibus Constitutionibus, & Decretis, vigeat hæc consuetudo; probabile est non teneri: eo quia consuetudo ista videtur irrationabilis, & quasi violenter introducta; cum onus imponat absque levamine fructuum; ergo beneficiarius pro eo tempore, pro quo obligat talis consuetudo ad abstinendum à fructibus, poterit ab onere abstinere. Sic Castropalaus *de hor. Canon. disp. 2. pun. 1. §. 2. numer.* 19. referens Suarez, Garziam, Azor. Navarrum, Bonacinam, qui licèt probabiliorem reputent sententiam oppositam obligantem, hanc tamen probabilem dicunt. His Authoribus me subscribo.

16 Quæres tandem: an omittere Officium uno, vel altero die in anno sit grave peccatum? Resp. affirmativè cum communi Doctorum, quidquid in contrarium dixerit Angelus *verb. horæ Canon. §.* 10. & ratio est, quia graviter delinquitur contra Virtutem Religionis; & ab habentibus beneficium contra Virtutem Justitiæ. Et sicuti grave peccatum est per omnes Doctores uno, vel altero die Sacrum non audire diebus festivis; aut uno, vel altero die in Quadragesima non jejunare; ita grave peccatum erit uno, vel altero die à Recitatione Divini Officii abstinere: cum non minùs sub gravi præcipiatur Auditio Sacri die festivo, & jejunium in Quadragesima; quam recitatio horarum Canonicarum Clericis in Sacris Constitutis, Religiosis professis addictis Choro, & Beneficiariis.

CAPUT II.

Quod nam Officium recitare teneantur Clerici in Sacris, Religiosi, & Beneficiarii.

1 *Recitandum est Divinum Officium juxta formulam Breviarii Romani, exceptis, iis, qui aliter in suis Ecclesiis recitare solebant per annos ducentos ante Constitutionem S. Pii V.*

2 *An hoc præceptum recitandi juxta Breviarium Romanum urgeat singulis diebus, itaut per unum diem non possit alio Breviario recitari?*

3 *An qui tenetur ex consuetudine recitare Officium alio Breviario à Romano, si illud recitet per Breviarium Romanum; graviter peccet?*

4 *An Beneficiarius obligatus ad Recitationem juxta Breviarium Romanum, si in Diœcesi Mediolanensi commoretur; possit Ritu Ambrosiano recitare?*

5 *An teneantur Religiosi ad recitanda Officia Sanctorum, illius Diœcesis, in qua commorantur?*

6 *An Episcopus statuere possit, ut Clerus suæ Diœcesis Officium alicujus Sancti recitet, cum aliàs ex Breviario Romano recitandum sit de alio Sancto, vel de Feria?*

7 *An possit Divinum Officium recitari alia lingua à Latina?*

8 *An sit obligatio recitandi Officium Defunctorum in die Commemorationis eorum; & Litanias in festo D. Marci, & Rogationum?*

9 *An additio aliqua fieri possit Divino Officio?*

10 *An fieri possit diminutio aliqua de Divino Officio?*

11 *An mutans Officium de Feria cum Sancto, vel vice versa; aut unum Officium pro alio; satisfaciat obligationi recitandi?*

12 *An recitans hodie per errorem Officium crastinum teneatur cras repetere? Et an omittens ex aliquo impedimento Officia diebus assignatis possit ea reassumere diebus sequentibus?*

HUCUSQUE statutum est, Quinam sint, qui teneantur ad Recitationem Divini Officii; nunc inquirendum est, quod nam Officium recitare teneantur? Per Bullam S. Pii V. *Quod à nobis.* & Bullam Clementis VII. *Cùm in Eccles. Cathol.* affixas initio Breviarii Romani satis apparet, omnes teneri ad hoc sacrum onus solvendum juxta Formulam Breviarii Romani, exceptis iis, in quorum Ecclesiis, sive Conventibus fuerit consuetudo ducentis annis ante Constitutionem S. Pii V. recitandi juxta aliud Breviarium. Quibus tamen conceditur, si velint, ex consensu Episcopi, & Capituli universi, hoc est majoris partis, ut notant Suarez *lib. 4. de hor. canon. cap. 11. n. 11.* & Bonacina *de hor. canon. disp. 1. quæst. 3. pun. 1. n. 21.* & in Monasterio exempto ex consensu Prælati, & sui Capituli, admittere Romanum Breviarium excluso antiquiore, quo admisso non datur regressus ad antiquum; quia jam per acceptationem factam urget Præceptum supradictum Pontificium. Qui secus fecerint, nequaquam obligationi recitandi satisfaciunt. Sic Suarez, & Bonacina *locis citatis*. 1

Sed quæres 1. an hoc Præceptum recitandi juxta Breviarium Romanum urgeat singulis diebus; ita ut non possit vel per unum diem alio Breviario uti? Resp. quamvis Navarrus, Reginaldus, Raphael de la Torre, & Vasquez putarint, non esse grave peccatum uno, vel altero die alio Breviario uti à Romano: quia substantia præcepti est septem horas Canonicas recitare; modus autem illas recitandi hoc vel illo Breviario ad Ritum, & specialem Cultum pertinet: cujus omissio uno vel altero die non reputanda est sub gravi. Verùm hi Doctores ante Constitutionem S. Pii V. scripserunt; quapropter excusandi sunt: alii verò Doctores, qui post prædictam Constitutionem scripserunt, putant tamquam certum, peccatum grave esse: eo quia urget præceptum recitandi singulis diebus; sed non recitatur ab eo, qui non habens privilegium Consuetudinis utitur alio Breviario à Romano. Probatur hæc minor, 2

quia omnes aliæ formulæ recitandi irritantur, & abrogantur circa effectum satisfaciendi præcepto à S. Pio V. ergo recitare per ipsas idem est, ac non recitare. Sic Doctores passim. Adnoto hìc cum Tamburino *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 2. num. 3.* Breviarium Romanum cum hymnis novis æditum Jussu Urbani VIII. non ita obligare, ut si quis haberet Breviaria edita Jussu S. Pii V. & Clementis VIII. non posset illis uti, ut cautum est per ipsam Constitutionem Urbani VIII. incipit, *Divinam Psalmodiam*, initio Breviarii annexam; adeoque nullum scrupulum injiciendum esse in usu illorum.

5 Quæres 2. an vice versa qui ex consuetudine tenetur recitare Officium alia formula à Breviario Romano, si illud recitet per Breviarium Romanum graviter peccet? Resp. Cajetanum *verb. horæ Can. §. 2.* Sà *eod. verb. num. 6.* putasse, nullum in hoc esse grave peccatum: eo quia si pro Choro sufficit ad hoc efficiendum sine gravi culpa consensus Episcopi, & Capituli, ut patet ex Bulla S. Pii V. ergo ad hoc efficiendum privatim sufficit, quòd non habeatur præceptum in contrarium, latum ab ipso Episcopo, vel Prælato; quod utique si haberetur, nequaquam licitum esset privatim uti Officio Romano. Sic latum fuit à S. Carolo Archiepiscopo Mediolanensi, ut videlicet uterentur in recitatione Divini Officii Breviario Ambrosiano Clerici Ecclesiæ Mediolanensis: maximè quia utentes Breviario Romano, quando ex Consuetudine tenentur ad aliud Breviarium; conformant se in Recitatione Divini Officii suæ Ecclesiæ: cum Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra. Probabiliorem tamen reputo sententiam oppositam asserentem, non posse exemptos in Bulla S. Pii V. propria authoritate, omissa recitatione ex formula Breviarii propriæ Ecclesiæ, vel Monasterii, se conformare cum formula Breviarii Romani: ratio est, quia de his exemptis nil determinat in sua Bulla S. Pius V. sed relinquit illos juxta dispositionem Juris communis; atqui Jus commune adstringit ad recitandum juxta morem suæ Ecclesiæ, ut constat *ex Cap. de his. Cap. Placuit dist.* 12. ergo sic recitare tenentur. Ita Suarez *lib. 4. de hor. Can. cap. 29. num. 9. in fin.* Lessius *lib. 2. cap. 37. num.* 74. & Bonacina *disp. 1. de hor. Can. quæst. 3. pun. 1. num. 5.* qui licet reputent Sententiam contrariam probabilem, hanc tamen judicant probabiliorem. Sic etiam Valentia, & Garzia relati à Castropalao *de hor. Can. disp. 2. pun. 2. num. 3.*

4 Quæres 3. an beneficiarius obligatus ad recitationem Officii Romani, si in Diœcesi Mediolanensi commoretur; poterit ritu Ambrosiano recitare? Resp. si in tali Diœcesi Domicilium figat, poterit, ut voluerit vel Romano, vel Ambrosiano uti: ratio, est, quia ex Domicilio Mediolanensi non desinit esse Beneficiarius Romanus; ergo Romano uti poterit. Potest quoque Mediolanensi Breviario uti, quia per Domicilium censetur factus Clericus illius Diœcesis. Sic Castropalaus *de hor. Can. disp. 2. pun. 2. num. 5.* & Tamburinus *lib. 2. Dec. cap. 5. §. 2. num. 36.* Si è contra Beneficiarius Mediolanensis transferat suum Domicilium Romam, major difficultas habetur, an possit Ambrosiano Breviario uti, an verò teneatur ad Romanum? Sed probabilius puto cum Castropalao *l. c.* teneri ad Romanum: eo quia in tantum ab hac obligatione recitandi Officium Romanum eximi posset, quia est beneficiarius Mediolanensis; sed hoc Privilegium extendi nequit ad existentes extra Diœcesim, sicuti non extenditur Præceptum Diœcesanum ad existentes extra Diœcesim, alias Antistes Mediolanensis haberet jurisdictionem extra Diœcesim; ergo ad Romanum tenebitur, cum per Domicilium Clericus Romanus factus sit. Neque in hoc consuetudo ulla habetur introducta, nec introduci potest: quia sicuti Lex extra Jurisdictionem Legislatoris extendi non potest; ita neque consuetudo, quæ Legi æquivalet. Paritas, quæ posset adduci ex Religiosis Romæ existentibus, & ex sua consuetudine alio Breviario à Romano utentibus, non est ad rem: quia obligatio oritur in his ex vi Professionis, & Voti, cujus Jurisdictio ubique extenditur, Sacerdos non beneficiarius debet se conformare Breviario loci, ubi Domicilium figit; quia jam per Domicilium fit Clericus loci illius. Quòd si transeunter se habeat, qui addictus est Breviario Romano, per Diœcesim Mediolanensem; non videtur facilè concedendum ei, quòd possit Breviario Ambrosiano uti: eo quia licèt Peregrinus possit conformare se Legibus loci, nihilominus Privilegium recitandi Officium extra Breviarium Romanum non est ita facile concedendum cuilibet Clerico, utcumque commoranti in Diœcesi Mediolanensi; sed Domicilium figenti. Ut colligitur ex Suarez, & Bonacina *locis superiùs citatis*.

Quæres 4. an teneantur Religiosi ad recitandum Officium Sanctorum alicujus Diœcesis, in qua ipsi commorantur? Resp. teneri ad Festa Patronorum, & ad alia Festa in illa Diœcesi Universalia: & ratio deducitur ex Bulla Gregorii XV. quę licèt directa sit ad Ecclesias Hispaniarum; attamen pari ratione, & convenientia videtur militare pro aliis Ecclesiis. Vult inquam Pontifex, quòd Festivitates sequentes sint in tota Hispania Generales; ita quòd omnes Ecclesiæ, & Religiones existentes in illa Provincia recitent de illis. Solum dubium est in aliis Festivitatibus non toti Diœcesi communibus: in his enim licet non obligentur Religiosi, poterunt tamen cum Clericis Sæcularibus illius Diœcesis se conformare, si velint; & ratio est, quia Privilegium est ampliandum; ergo si à Sancta Sede Apostolica concessum fuit, Privilegium, ut Ecclesiæ illius Diœcesis de tali Sancto Officium recitent; extendi etiam poterit ad Ecclesias Regularium in Diœcesi existentium: sic enim habebitur conformitas inter Ecclesias Religiosorum, & Sæcularium intenta à Concil. Triden. *Sess. 25. de Regularib.* Ita Castropalaus *disput. 2. de hor. Canon. punct. 2. num. 6.* 5

Hac occasione petes: An Episcopus possit statuere, 6 ut Clerus suæ Diœcesis Officium alicujus Sancti recitet, cum juxta Breviarium Romanum de alio Sancto, vel Feria recitandum sit? Non procedit petitio de Festo statuendo juxta Rubricas pro Patrono, pro insigni Reliquia &c. quia tunc habetur facultas data per ipsas Leges in Rubricis expressas; sed de alio Festo extra Rubricas. Hoc posito certum esse debet, non posse Episcopum hoc statuere Constitutione perpetua; tum quia id vetuit Gregorius XIII. in Constitutione facta ad Ecclesias Hispaniarum; tum quia accessit novum Decretum Sacræ Rituum Congregationis approbatum ab Urbano VIII. prohibens Ordinariis tam Sæcularibus, quàm Regularibus addere Kalendariis, etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Sedis Apostolicæ licentia conceduntur; neque propria authoritate quovis prætextu mutare Ritum. Quæstio igitur versatur in hoc: an semel, vel bis per Decretum particulare possit Episcopus imponere Clericis suæ Diœcesis, ut de aliquo Sancto Canonizato recitent Officium, si urgens, & gravis necessitas occurrat, nec Pontifex consuli possit? Resp. affirmativè: moveor quia urgente causa gravi possunt dispensare Prælati in Legibus Pontificiis, maximè cum non datur locus recursui: nec semel, aut bis hoc concedere urgente rationabili causa, videtur invertere Ordinem Breviarii Romani; & Scopus prohibitionis sunt Institutiones perpetuæ Festorum, non verò temporaneæ. Sic ex Sanchez, Navarro, Armilla docet Pellizarius *in man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 8. num. 8.* qui extendit hanc facultatem ad Prælatos Regulares; Castropalaus *disp. 2. de hor. canon. pun. 2. num. 5.* & Tamburinus *lib. 2. Dec. cap. 5. §. 2. num. 36.*

Quæres 5. An Divinum Officium alia lingua à La- 7 tina recitari possit? Resp. certum esse, recitari non posse lingua vulgari: quia ab hac semper abstinuit Ecclesia Romana, ut bene advertunt Bellarminus, & Suarez. Certum insuper esse, non posse publicè recitari in Choro lingua Græca, vel hebraica: quia si id fieret in Ecclesiis Latinis, tribueretur occasio scandali, & erroris. Quæsitum ergo procedit de privata recitatione Officii per linguas Græcam, vel Hebraicam causa majoris devotionis, vel meliùs addiscendi has linguas, absque prava intentione mutandi Ritum. Probabile putant satisfieri obligationi recitandi Castropalaus, & Tamburinus *locis supracitatis*: quia servatur substantia recitandi quoad Formulam Romanam, nam hæc non solùm ex idiomate latino, vel græco constat, quàm ex sensu Orationis, & dispositionis. Discrepant tamen hi Doctores inter se: an peccet, qui multoties, imò ferè semper hoc modo recitet? Nam Castropalaus putat, semel, aut iterum sic recitare non esse grave peccatum; secus verò si aliquoties, & multò magis si semper fieret: eo quia esset generalem ritum Ecclesiæ latinæ parvipendere. Oppositum docet Tamburinus innixus in eo, quòd servetur substantia Formulæ Romanæ. Ut verum fatear, acquiesco Sententiæ Castropalai: nam longus ille usus recitandi græco idiomate bene fundat motivum judicandi introductio-

ctionem novi Ritus ; & quamvis fines in recitante sint honesti, postponendi nihilominus sunt reverentiæ Ritui debitæ, nec sine speciali facultate hoc fieri potest ad longum tempus.

8 Quæres 6. an sit obligatio recitandi Officium Defunctorum in die Commemorationis ipsorum, & Litanias in Rogationibus, & Festo Div. Marci? Resp. probabilius mihi esse, hanc obligationem instare : eo quia sunt partes Divini Officii, & quidem notabiles. Nec S. Pius V. eximens utentes suo Breviario extra Chorum ab Officio parvo Beatæ Virginis, Officio Defunctorum, & Psalmis tùm Pœnitentialibus, tùm Gradualibus ; eos exemit ab Officio Defunctorum in die Commemorationis ipsorum, & à Litaniis in Rogationibus, & Festo Divi Marci. Sic Bonacina *disput. 1. de Hor. Can. quæst. 2. punct. 1. num. 22.*, Mendo *in sua epitom. verb. Horæ Canon. numer. 31.* qui testatur esse Communem sententiam, quidquid in contrarium dixerint aliqui Doctores penes Pellizarium *tom. 2. Regul. tract. 5. cap. 8. num. 46.*

9 Quæres 7. an additio aliqua fieri possit Divino Officio? Resp. si fieret additio etiam minima animo introducendi novum Ritum, & ut in perpetuum duratura sit; certum est, esse grave peccatum : eo quia licèt levis sit additio illa, gravis tamen culpa est, velle aliquod introducere, & quasi novum Ritum formare contra Constitutionem S. Pii V. præcipientis, nullam faciendam esse additionem, vel diminutionem Ritui à se approbato ; & multò magis si hoc fiat publicè in Choro. Excipiuntur Cantus inter unum, & alterum Psalmum, quia notum est omnibus fieri ad solemnitatem, nec semper sunt iidem. Si tamen additio fiat Officio privatim recitato devotionis ergo, nec animo introducendi novum Ritum ; nullum esset peccatum, ut ex Bonacina docet Tamburinus *lib. 2. Decal. capit. 5. §. 2. numer. 8.*

10 Quæres 8. an diminutio aliqua de Divino Officio fieri possit? Resp. non solùm prohiberi additionem, sed etiam diminutionem in Divino Officio à S. Pio V. & certum est penes omnes, diminutionem partis notabilis esse ex se grave peccatum, & per consequens non satisfieri obligationi recitandi. Difficultas tamen consistit in assignanda parte notabili Divini Officii, per quam diminutio facta gravis sit. Communior Sententia docet, quamlibet parvam Horam esse partem notabilem; adeoque diminutionem factam in eo, quod æquivalet parvæ Horæ, esse diminutionem partis notabilis ; secus vero si fieret in eo, quod non æquivalet parvæ Horæ : nam diminutio facta in ea parte, quæ non æquivalet ; neque ex se, neque ut relata ad Officium præceptum videtur magna, & notabiliter nocere fini intento à Legislatore præcipiente recitationem Officii : non enim attingit duodecimam partem materiæ præceptæ ; unicum siquidem est præceptum, quod fertur in omnes septem Horas, ut bene colligi potest *ex Cap. Dolentes, de Celebr. Miss., & Constit. S. Pii V.*, & ex ipsa ordinatione Horarum, quæ sic inter se connexæ unicum integrant Divinum Officium : nec sine manifesta, & urgente ratione multiplicanda sunt præcepta ad Horarum multiplicationem, ita ut unicuique suum correspondeat ; ergo diminutio facta in parte duodecima neque ex se, neque ut relata ad præceptum Divini Officii erit magna, & notabilis, itaut sub gravi vetari debeat. Sic Lessius *lib. 2. cap. 17. dubit. 9. num. 52.*, Bonacina *disput. 1. de Hor. Canon. quæst. 5. pun. 1. num. 2.* Castropalaus *de Orat. disp. 2. punct. 5. numer. 1.*, & Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 2. num. 10.* Adnoto tamen hìc, quòd recitans modicam partem unius Horæ parvæ, & reliquas partes negligens; reputandus est totam negligere, & diminutionem notabilem facere, quia parum pro nihilo reputatur.

11 Quæres 9. an mutans Officium de Feria cum Sancto; vel vice versa; aut unum Officium pro alio, satisfaciat præcepto recitandi? Resp. affirmativam sententiam sustinere Cajetanum *verb. Hor. §. 3.* Sylvestrum *eodem verb. quæst. 12.*, Sà *eod. verb. num. 12.* Vasquez *de Benef. capit. 4. §. 1. dub. 2.* Valentiam *disput. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 37. num. 77.* Vegam *1. par. capit. 118. casu 17.* putant enim venialiter tantùm peccare sic recitantem, sed satisfacere obligationi recitandi : moventur, quia præceptum impletur quoad substantiam, etiam si deficiat modus : substantia siquidem est, ut secundum formulam Breviarii Romani recitetur; modus verò accidentalis, quòd hoc die de feria, vel de Sancto recitetur. Negativam Sententiam, quòd scilicet non satisfiat præcepto, & graviter peccatur ; sustinent pluribus relatis Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. capit. 15. numer. 6.* Bellarminus *disput. 1. de Hor. Canon. quæst. 3. lib. 1. controv. 3. capit. 18.*, Garzia *de Benef. 3. par. cap. 1. num. 150.* Bonacina *de Hor. Canon. disput. 1. quæst. 3. punct. 2. numer. 17.* Reginaldus *lib. 18. numer. 177.* Filliuccius *tract. 23. cap. 8. quæst. 4. numer. 186.*, & Castropalaus *de Hor. Can. disput. 2. punct. 5. num. 3.* moventur, quia præceptum non solùm est de recitando utcumque juxta formulam præscriptam à S. Pio V., sed de recitando juxta præscriptum dierum ; ergo cum tali die tale Officium præscriptum sit, hoc, & non aliud recitari debebit, cum non possit satisfieri præcepto per rem non præceptam ; adeoque corruit ratio fundamentalis adversæ Sententiæ. Quamvis hæc secunda sententia probabilior mihi videatur; nihilominus dura erit, si omnem excludat Casum; itaut neque ratione Summæ devotionis erga aliquem Sanctum poterit quis, semel, aut bis relicta Feria de Sancto recitare ; aut ex simplici, vel semiduplici Duplicem facere, excluso semper contemptu, & animo novum ritum introducendi : moveor ad hoc dicendum, eo quia non cum eodem rigore discurrendum est de substantia, ac de modo præcepti impositi à S. Pio V. qui enim semel, aut bis retenta substantia, non servat modum, non videtur graviter violare mentem S. Pontificis ; maximè quia cohonestat motivum summæ devotionis. Unum admoneo pro quacumque Recitatione Divini Officii : quòd error, si fortè ex inadvertentia irrepserit ; ibi corrigendus erit, ubi primò advertitur ; nec inducit obligationem reassumendi Officium ex integro, tum quia bona fides, & inadvertentia excusant ; tum quia pensum æquivalens jam solutum est ; & in hoc sensu accipiendum est illud effatum : *Officium pro Officio valet.*

12 Quæres 1. an recitans hodie per errorem Officium crastinum teneatur recitare cras Officium hodiernum ; vel poterit idem repetere? Et an omittens ex aliquo impedimento infirmitatis, vel alterius causæ Officia possit ea reassumere sequentibus diebus non impeditis? Resp. Quintanaduennam *tract. 8. de Recit. Horar. Singul. 9. & Singul. 10. numer. 2. & 3.* putasse, non posse cras iterum recitari Officium, quod hodie recitatum est per errorem ; sed recitari debere Officium hodiernum : movetur 1. quia nemo privandus est jure suo absque culpa. 2. quia ignoranti non currit tempus ; ergo ut primum innotescit obligatio ad Officium, quod hodie recitari debebat, & non fuit recitatum illud sed aliud, quod cras recitari debebat ; poterit hodiernum cras recitari, cum perinde se habeat, ac si non transisset ejus dies. 3. quia videtur locum habere Rubrica de Translatione Festorum, quando dies propria est impedita. Verùm pace hujus Doctoris displicet ejus Sententia, adeoque cognito errore ab ea parte, ubi cognoscitur, debet hodie recitari de eo Sancto, vel Feria eo die occurrente ; & nullatenus Officium hodiernum transferendum erit in diem crastinum ; quòd si ex integro per errorem hodie recitatum fuerit Officium crastinum, non erit hodie aliud dicendum, sed cras ex integro repetendum erit. Et consequenter ad hæc, non posse impeditos ex morbo, vel alia causa à recitatione Officiorum etiam de præcepto diebus assignatis, qui transierunt, ea transferre ad dies subsequentes, qui futuri sunt : ratio pro his omnibus unica est, quia Sanctus Pius V. *in sua Bulla*, incipit, *Quod à nobis postulat*, quæ affigi solet in principio Breviarii Romani; singulis diebus alligavit suum Officium proprium, nec permisit variationem, aut translationem à parte ante, nec à parte post ; & singulis diebus incipit obligare præceptum Officii illius diei, quod antea non obligabat ; adeoque *non potest* per recitationem hodiernam satisfieri præcepto Recitationis Officii diei crastinæ ; sicuti per Missam Sabbato auditam quod per errorem reputatur dies Dominicus ; *nequit* satisfieri obligationi audiendi Sacrum Die Dominico subsequenti, sed iterum die Dominico audiendum erit Sacrum. Ad rationes in contrarium adductas respondeo ad 1. Jus, quod habet recitans, est recitare Officium illud die assignato, qui si absque culpa obligati transierit sine recitatione, non peccabit obligatus, non inde tamen habebit jus ad recitandum Officium illud alio die. Nec præceptum recitandi Officium illud, est ut semel in anno recitetur, sed quòd recitetur die assignato ab habente facultatem assignandi. Ad 2. respondeo : fal-

sum

ſum eſſe, huic ignoranti non currere tempus deſignatum recitandi Officium; quia ut diximus deſignatum eſt ab habente poteſtatem. Adde, quod ex hoc principio, ſic nudè accepto, ſequeretur, quòd ignorans ex errore, elapſam eſſe mediam noctem, & dum Breviarium accipit ad recitandum, advertit ex ſono horologii, jam elapſam eſſe; teneretur ſub præcepto ad recitandum Officium omiſſum, quia ignoranti non currit tempus. Ad 3. reſpondeo: Translationem Feſtorum ſolùm habere locum in caſibus expreſſis *à Rubrica* 10. *de Tranſlatione Feſtorum*; nec translationem faciendam eſſe arbitrio privato cujuſcumque obligati ad Recitationem Horarum, ſed ex præſcripto Eccleſiæ, & juxta terminos, & caſus ab ea expreſſos. Sic Villalobos 1. *par. tract.* 22. *numer.* 3., & Cardin. Delugo *in Reſponſis Moralibus lib.* 5. *dub.* 8. *per totum*.

CAPUT III.

De modo recitandi Divinum Officium ut Præcepto ſatisfiat.

1 *Præcipitur Studioſa, & Devota Celebratio. Et ad Studioſam celebrationem tria requiruntur.*
2 *Ad Devotam Celebrationem duo requiruntur, Attentio, & Intentio.*
3 *An requiratur Intentio ſatisfaciendi Præcepto?*
4 *An ſi non habeatur Attentio ad verba, non ſatisfiat Præcepto Recitationis?*
5 *An recitans ita proferre debeat verba, ut ſe ipſum audire poſſit?*
6 *Quænam proferenda ſint, quando recitatur Officium cum Socio?*
7 *An ſi ita feſtinanter cum ſocio quis recitet, ut antequam Socius finiat verſiculum, ipſe præveniat; ſatisfaciat Præcepto.*

1 IN *Cap. Dolentes, de Celebr. Miſſ.* præcipit Innocentius III. in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna Suſpenſionis omnibus, qui ad Officium Divinum tenentur; ut quantum Deus dederit, ſtudiosè celebrent, ac devotè. Meritò gitur inquiritur hìc: quænam ſint ea, quæ requiruntur ad hanc ſtudioſam, & Devotam Celebrationem. Tria paſſim requiruntur à Doctoribus ad Studioſam iſtam Celebrationem, & Recitationem Horarum Canonicarum. 1. ne verba omittantur. 2. ne truncentur, ac mutilentur. 3. ne interrumpantur. Ita ut ſi aliquod horum contingat culpabiliter, non erit Officium Divinum ſtudiosè, ſed negligenter celebratum. Ad Devotam verò Celebrationem requiritur debita Intentio, & Attentio, quibus deficientibus non habetur Devota Celebratio. Sic Doctores omnes cum Gloſſa *in ſupradicto cap. Dolentes*. Ut autem diſtinctiùs procedamus.

Tunc omittuntur verba, quando in uno verſiculo prima cum ultimis conjunguntur omiſſis intermediis. In qua omiſſione advertendum eſt, ſi in magna quantitate fiat; ſine dubio eſſe grave peccatum: & ratio eſt, quia relinquitur notabilis pars Officii; & ea, quæ recitata ſunt, reputari poſſunt, ac ſi recitata non fuiſſent: amittunt enim propriam ſignificationem; adeoque inſurgit obligatio Officium repetendi. Sin verò accidat omiſſio in levi quantitate, leve peccatum erit. Si tamen accidat ob linguam balbutienem, vel inadvertentiam, excuſari poteſt, quamvis rarò. Sic Leſſius *lib.* 2. *capit.* 37. *dubit.* 10. *num.* 56., & Caſtropalaus *de Orat. diſp.* 2. *punct.* 3. *num.* 2.

Tunc truncantur, & mutilantur verba, quando abſorbentur ſyllabæ. Quod ſi voluntariè fiat, itaut omiſſio ſyllabarum confundat ſenſum, & ſignificationem in notabili parte; grave peccatum erit cum obligatione repetendi. Si verò in levi quantitate, erit leve peccatum. Si tamen involuntariè fiat ob linguæ impedimentum; nullum peccatum erit. Sic Suarez *lib.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 25. *num.* 6.

Tunc interrumpitur Divinum Officium, quando non continuatur in partibus eamdem Horam conſtituentibus; non verò quando una Hora non continuatur cum alia: nam hoc licitè fieri poſſe, nemini unquam dubium fuit. Interruptio facta in partibus eamdem Horam conſtituentibus, ſi fiat cum juſta cauſa, etiam ad longum tempus; neque intra, neque extra Chorum eſt peccatum; quamvis major cauſa requiratur in Choro, nec obligat ad repetitionem: ratio eſt, quia interruptio non facit, quin recitentur omnia ad quamlibet Horam ſpectantia intra eumdem diem; ergo neque facere debet, quin ſatisfiat præcepto Eccleſiæ. Conſequentia tenet, quia ſatisfacere Præcepto eſt ponere, & adimplere rem præceptam, quæ jam poſita ſupponitur intra eumdem diem. Sic Leſſius, Cajetanus, Aragonius, Naldus, Layman, Filliuccius, Suarez, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Hor. Canon. diſput.* 1. *quaſt.* 3. *pun.* 2. *numer.* 28. contra Navarrum, Medinam, Sà, & Azorium. Neque dicas, præcipi continuationem illarum partium. Ubi enim extat hoc præceptum? maximè cum ex partibus diſcretis conſtituatur Hora; unus enim verſiculus non habet ſuam ſignificationem ab alio; nec unus Pſalmus ab alio. Congruentia laudabilis eſt, ut continuentur partes illæ; ſunt enim locutiones ad Deum, quæ ſine juſta cauſa interrumpi non debent; quapropter venialiter peccabit, qui ſine juſta cauſa interrumpit contra unitatem moralem uniuscujuſque Horæ, quam decentia exigit: ut adnotat Bonacina *l. c.*

Attentio, quæ ad Devotam Officii Celebrationem ne- 2
ceſſariò requiritur; ea ſufficiens erit, quæ & Orationi ſufficit: ideoque ſi quis ſolùm attendat ad verba cum intentione laudandi Deum, illumque colendi, ſaltem generali, etiamſi manus lavet, vel ſe veſtibus induat, aut quid ſimile exerceat; præcepto de recitando ſatisfacit. Sic Velaſquez, Soto, Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Orat. diſput.* 2. *punct.* 3. *num.* 5. Intentio, quæ eſt altera pars neceſſariò requiſita ad Devotam Officii Celebrationem; ſufficit virtualis, & implicita, quam habere cenſeris dum Breviarium de more accipis ad recitandum. Sic Navarrus, Suarez, Leſſius, Bonacina, Garzia, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c.*

Quæres 1. an requiratur Intentio ſatisfaciendi præce- 3
pto, itaut ſi talis Intentio non habeatur, & Officium recitetur, non ſatisfactum ſit præcepto? Reſp. non requiri talem intentionem: ratio eſt, quia jam res præcepta poſita eſt, recitatio videlicet Horarum cum intentione recitandi; ergo jam ſatisfactum eſt præcepto. Præceptum enim imponit Recitationem Horarum cum intentione recitandi rem præceptam, non verò imponit intentionem ſatisfaciendi præcepto, quæ longè diſtant inter ſe. Non nego tamen, quòd ſi quis recitans Horas cum intentione illas recitandi, & haberet intentionem non ſatisfaciendi præcepto ob animum adverſum illi; peccaret juxta gravitatem, vel levitatem adverſionis: cum debeatur præcepto reverentia, & obedientia, & tenetur à tali adverſione, & animo ceſſare. Sic rectè Caſtropalaus *de Orat. diſput.* 2. *punct.* 3. *num.* 6.

Quæres 2. an ſatisfaciat præcepto de recitando Ho- 4
ras, qui non habet attentionem ad verba, & an peccet ſic recitando? Reſp. obligatum ad Horas non attendentem ad verba, dum recitat, nec ſatisfacere præcepto, & graviter peccare, ſi non habeat animum repetendi: ratio eſt, quia non eſt vera Oratio, ad quam ſaltem requiritur iſta Attentio, adeoque non ponit Orationem à præcepto impoſitam, & conſequenter obligabitur ſub gravi ad repetendum. Si verò non attendens ad verba recitat ex Devotione cum animo tamen orandi, peccat ſaltem venialiter: quia irreverenter Deum alloquitur. Secus verò ſi recitet ex animo diſtrahendi mentem, vel avertendi ſe à pravis cogitationibus, nullo modo peccat. Sic Leſſius *lib.* 2. *capit.* 37. *dubit.* 11. *numer.* 67., Azor., Suarez, Reginaldus, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Hor. Canon. diſput.* 1. *quaſt.* 3. *punct.* 2. §. 2. *numer.* 7., & Caſtropalaus *de Orat. diſp.* 2. *pun.* 3. *numer.* 11.

Quæres 3. an neceſſarium ſit ad ſatisfaciendum præ- 5
cepto de recitando Horas, ita proferre verba, ut recitans ſe ipſum audire poſſit? Reſp. negativè, ſi ſolus recitet: ratio eſt, quia ſi aliàs ſurdus eſſet, aùt ſtrepitus magnus concurreret, dum recitat, præcepto non ſatisfaceret. Ratio autem ulterior eſt, quia præceptum exigit locutionem vocalem cum Deo, cum quo vocaliter quis loqui poteſt, quin ſeipſum audiat. Secus dicendum, ſi cum Socio alternatim recitet: nam debet ita proferre verba, ut Socius audire poſſit: & Socius ſic recitare debet, ut hic audire valeat: aliàs præcepto ſatisfactum non erit, nec Oratio fieret Communis ipſis. Sic Valentia, Reginaldus, Medina, Filliuccius, Azor.

Sua-

Suarez relati à Castropalao *de Orat. disput. 2. punct. 3. numer. 6.*

6 Quæres 4. Quæ nam proferenda sunt, quando cum Socio Officium recitatur? Resp. alternatim recitandos esse versiculos psalmorum; Responsoria verò, Antiphonas, Capitula, Orationes, Lectiones, audiri posse cum attentione ab uno Sociorum altero recitante, & sic satisfieri præcepto: ratio est, quia sic fit in Choro absque scrupulo, cui privata Officii recitatio se conformare poterit etiam sine scrupulo. Ex his clarè deducitur: quòd audiens Socium recitantem, absque eo quòd nil ipse recitet; nullo modo præcepto recitandi satisfaciat: ratio est, quia nec ipse vocaliter orat, uti tenetur; nec vocalem Socii Orationem facit sibi communem, cum non concurrat per aliquam sui partem ad illam. Sic Sylvester *verb. Hor. quæst. 7.* Suarez *libro 4. de Hor. Canon. cap. 25. num. 5.*, & Bonacina *de Hor. Can. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 11.*

7 Quæres 5. an si ita festinanter cum Socio quis recitet, ut antequam Socius finiat postrema sui versiculi verba, ipse præveniat; an inquam satisfaciat præcepto? Resp. negativè: ratio est, quia ut faciat sibi communem Orationem Socii, cum qua integrè satisfacit præcepto; debet illam audire: sed non potest audire Socium, & ad verba ejus attendere, dum sua disparata profert, & ad ea attendit; ergo sic recitando non satisfacit præcepto. Confirmatur ex absurdo, quod sequeretur: nam sic dum Socius suum versiculum recitat, posset alter & suum versiculum recitare; quod nec conceditur, nec concedi potest; eo quia incompossibilis est hæc simultanea attentio ad sua, & illius verba, quæ sunt disparata. Sic Toletus *lib. 2. capit. 13. numer 13.*, Reginaldus *lib. 18. tract. 2. numer. 146.*, & Bonacina *de Hor. Canon. disput. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. numer. 3.*

CAPUT IV.

De Tempore, Ordine, Loco, & Situ Corporis, quibus Divinum Officium est recitandum.

1 *Quotidie est recitandum, & quomodo computandus dies.*
2 *Quamvis Ecclesia designaverit Horas recitandi, non obligat tamen graviter pro privata recitatione.*
3 *Ex recepta consuetudine anticipari potest Matutinum cum Laudibus sequentis diei, & assignatur hora, qua recitari possit.*
4 *An qui Sacris initiantur, vel Religionem profitentur, aut possessionem beneficii habent meridie; teneantur ad totum Officium recitandum?*
5 *An si mane ex devotione recitaverint integrum Officium; teneantur repetere?*
6 *Assignatur modus servandus in Recitatione Officii.*
7 *An invertere Ordinem sit peccatum?*
8 *Si Ordo invertatur inter partes eamdem Horam componentes, quodnam peccatum sit?*
9 *An sit peccatum non recitare Matutinum cum Laudibus ante Celebrationem Missæ?*
10 *Nullus locus designatus est ab Ecclesia pro privata Recitatione Divini Officii.*
11 *Sedere cum standum est, vel genuflectendum in privata Recitatione non est peccatum; si fiat citra contemptum. In Choro vero aliqualis culpa incurritur.*

1 QUOAD tempus recitandi Divinum Officium est dicendum 1. obligatos ad Horas Canonicas quotidie teneri ad illas solvendas: est indubitata assertio tum ex *Cap. Dolentes, De Celebr. Miss.*, tum *ex Constitut. S. Pii V.* tum ex recepta consuetudine. Dies autem hujus obligationis incipit à media nocte diei antecedentis, & terminatur ad mediam noctem sequentis diei. Intra latitudinem harum viginti quatuor horarum totum Officium recitandum erit; itaut præcepto sit satisfactum, in quacumque hora hujus diei recitetur.

2 Dicendum 2. quamvis Ecclesia horas statuerit, quibus preces Canonicæ recitandæ sint, ut ex nomine ipsarum patet; nihilominus pro privata saltem Officii recitatione non videtur gravis materia eas anticipare, vel postponere extra tempus determinatum; quod si fiet absque causa, veniale ad summum erit; si tamen cum causa neque veniale. Sic praxis Virorum doctorum, & timoratorum, & sic docet Castropalaus *de Orat. disput. 2. punct. 4. num. 2.*

3 Dicendum 3. ex recepta consuetudine posse anticipari matutinum cum Laudibus tantùm à Vesperis præcedentis diei, jam inclinati ad occasum. Verùm non conveniunt Doctores in assignanda hac hora præcisa, qua recitari possunt absque peccato. Probabiliores sententiæ sunt, quæ asserunt; tribus horis ante Solis occasum sive hyeme, sive æstate recitari posse; quod tempus incipit Italis hora vigesima prima. Vel hora tertia post meridiem, ut docet Bonacina, Gavantus, & alii, quos refert, & sequitur Mendo *in Sua Epitome verb. Horæ Cononicæ, num. 19.* Adnotandum hic cum Tamburino *lib. 2. Decal. capit. 5. §. 5. numer. 1.* posse sine veniali peccato recitari matutinum cum Laudibus ab horis nunc assignatis usque ad horam unam circiter post Ortum Solis. Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, sive simul, sive separatim ab Aurora usque ad Meridiem. Vesperas, & Completorium à meridie usque ad mediam horam circiter post Solis occasum.

4 Inquires hic: an qui Sacris initiantur, vel Religionem profitentur, aut possessionem beneficii habent meridie; teneantur ad integrum Officium recitandum eo die? Resp. teneri tantùm ad eas Horas, quæ correspondent tempori, quo primò incipit obligatio: sic si obligatio incipiat à meridie, non teneri, nisi ad Vesperas, & Completorium; ratio est, quia dum urget obligatio, hæ tantum horæ recitandæ remanent juxta præscriptum Ecclesiæ. Sic Suarez *de Hor. Canon. lib. 4. capit. 27. num. 8.*, Bonacina *de Hor. Canon. disput. 1. quæst. 1. punct. 5. num. 9.* Mendo *in Epitom. verb. Hor. Canon. num. 15.*

5 Subinquires: an si manè ex devotione integrum Officium recitaverint, teneantur ne repetere Vesperas, & Completorium, ut suæ obligationi satisfaciant; Resp. affirmativam sententiam sustinere Bonacinam *loco citato*, & Castropalaum *de Orat. disp. 2. punct. 3. numer. 8.*: eo quia non satisfit præcepto, quando non urget; nec habetur satisfactio obligationis, ubi nulla est obligatio, ut patet in audiente Sacrum die Sabbathi pro die Dominico. Nihilominus non caret sua probabilitate sententia negativa asserens non teneri ad repetitionem, & jam satisfactum esse præcepto; eam sustinent Cardinalis Delugo *de Euchar. disput. 16. sess. 2.*, & Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 5. num. 9.*: ratio est, quia multa sunt præcepta, quæ adimplentur; si paulo antequam urgeant, observentur: sic si Sacrum feciſti manè, aut eidem interfuisti, ubi non urgebat præceptum; nemo te obligare poterit ad denuo audiendum Sacrum, si eodem manè accedas ad locum, ubi urget præceptum. Paritas adducta de Sacro audito die Sabbathi non est ad rem, quia non est intra moralem latitudinem materiæ præceptæ, ut patet; requiritur enim moralis latitudo, quæ non habet locum in omni materia præcepta.

6 Quoad Ordinem in recitando Officio servandum, clarè constat, priùs absolvendum esse Matutinum cum Laudibus dein Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam Horam; postea Vesperas cum Completorio. Nec matutinum cum Laudibus sequentis diei incipiendum est tempore suo, nisi priùs satisfactum fuerit obligationi præsentis diei; sic ex Ritu præscripto, & observato à tota Ecclesia.

7 Sed quæres 1. an invertere hunc Ordinem præscriptum sit peccatum? Resp. absque ulla causa rationabili invertere hunc ordinem præscriptum Horis inter se, veniale peccatum esse, quia satisfit substantiæ præcepti, quamvis violetur modus. Si verò aliqua rationabilis causa adsit; ut si Diurnum habeas, non Breviarium, & Horas minores recites, non recitato Matutino cum Laudibus, vel si oblitus fueris Horas minores recitare, & Vesperas cum Completorio recites, dein minores Horas reassumas, neque veniale erit. Sic Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 24. num. 3.*, Bonacina *de Hor. Canon. disput. 1. quæst. 3. pun. 4. n. 1.*, Mendo *in Epit. verb. Hor. can. num. 7.* referens Sylvestrum, Graffis, & Vasquez. Idem dicendum, si non recitatis Vesperis cum Completorio diei præsentis, Matutinum cum Laudibus recites diei sequentis, dummodo rationabilis causa adsit, & prudens motivum.

8 Quæres 2. si ordo invertatur inter partes eamdem Horam componentes quodnam peccatum erit? Resp. si secluso scandalo, & contemptu priùs recites Laudes, dein Matutinum, aut priùs lectiones, postea psalmos, & sic de reliquis; peccatum grave non esse, sed leve: ratin,

ratio est, quia dispositio illa, & ordo inter partes Horam constituentes non est de essentia Officii; uniuntur enim illæ partes per aggregationem, non verò per continuationem rigorosam: cum una pars suam completam significationem habeat independenter ab alia; ideoque talis ordo, & dispositio non præcipitur sub gravi. Imò si rationabilis causa existat, ut si dum matutinum recitas, deficiant tibi Lectiones, & responsoria, & cæteras partes Officii absolvis, reassumendo postea domi Lectiones, & responsoria; neque veniale erit. Sic Bonacina *de Hor. Can. disput. 1. quæst. 3. punct. 4. num. 5.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. capit. 2. numer. 166.*, Lessius *lib. 2. cap. 37. dubit. 12. num. 80.*, Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 24. dubit. 13. numer. 1.* Diana Coordinat. *tom. 3. tract. 6. Resol. 69.* & alii passim.

9 Quæres tandem; an sit peccatum non recitare Matutinum cum Laudibus ante Missæ celebrationem? Resp. quamvis antiquiores Canonistæ putarint grave peccatum esse; nihilominus Communis Sententia docet, leve peccatum esse; ratio est, quia nullum extat de hoc præceptum obligans sub gravi: neque Matutinum cum Laudibus connexionem habent cum Celebratione Missæ. Quòd si Rubricæ hoc præcipiunt juxta doctrinam antiquiorum Canonistarum, potiùs consulunt, quàm strictè obligant. Et si Privilegium aliquando petitur ad hoc faciendum, est ad tollendos scrupulos. Solùm peccabit venialiter; si absque ulla causa faciat; secus verò neque veniale, si cum aliqua causa faciat. Sic Sotus, Valentia, Vasquez, Nugnus, Coninch, Conradus, Miranda, Bellarminus, Henriquez, Aragonius, Filliuccius, Suarez, Navarrus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Hor. Canon, disp. 1. quæst. 3. punct. 4. num. 11.* & alii passim.

10 Quoad Locum, in quo privatim recitari debeat Divinum Officium; nullus ab Ecclesia designatur, quapropter ubique satisfieri poterit huic præcepto. Advertendum tamen: ne locus, ubi Officium recitatur, sit expositus frequenti hominum concursui, clamoribus, confabulationibus, rixis: sic enim impediretur debita attentio, cum periculo non satisfaciendi. Nec debet esse immundus, aut indecens ob reverentiam debitam Horis Canonicis, & locutioni cum Deo: quod quidem si ex nulla necessitate fieret, peccatum veniale esset; secus verò si cum aliqua necessitate. Sic Bonacina *loco citato punct. 5. num. 6.*

11 Quoad situm Corporis dicendum: quòd si recitans decumbat in lectulo ex aliqua desidia, & sic decumbens recitet Divinum Officium; peccat venialiter: ratio est, quia aliquam irreverentiam committit, ut patet omnibus. Secus tamen esset, si ex aliqua necessitate id faceret. Sic Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 6. num. 3.* Sedere tamen, cum standum est; aut vel sedere cum genuflectendum est in privata recitatione, si fiat absque contemptu Rubricarum; nullum peccatum erit: quia tales Rubricæ ordinatæ sunt ad Chorum ex recepta consuetudine; & videntur consilium dare majori Devotionis grátia; non verò præcipere. In Choro tamen aliqua culpa incurritur, si sine justa causa aliis stantibus, aut genuflectentibus quis sedeat: cum debeat cæteris se conformare, ne det suspicionem modicæ Devotionis in Deum. Sic Bonacina alios referens *de Hor. Canon. disput. 1. quæst. 3. pun. 6. numer. 1.* Mendo *in Epitom. verb. Hor. Canon. num. 8.*, & Tamburinus alios referes *loco citato num. 4.*

CAPUT V.

De Causis excusantibus à Recitatione Divini Officii.

1 *Prima causa est Impotentia orta ex obligatione, Ignorantia, Infirmitate, vel carentia Breviarii; & singulæ explanantur.*
2 *Secunda causa est gravis Occupatio; & quenam hæc sit?*
3 *Tertia est Dispensatio vel à Pontifice, aut Episcopo, vel Prælato Regulari.*
4 *An Censuratus, Irregularis, vel Degradatus eximatur à Recitatione?*
5 *An impotens ad totum Officium, & potens ad partem; teneatur ad illam?*
6 *An dubius ob infirmitatem, si teneatur recitare absque notabili detrimento; obligetur ad recitandum?*
7 *An cæci, & Breviario carentes recitare teneantur ea, quæ memoriter sciunt?*
8 *An qui solus recitare sit impotens, & potens cum Socio; teneatur recitare cum Socio?*
9 *An prævidens futurum impedimentum vespere teneatur mane recitare?*

1 CUM obligatio recitandi divinum Officium singulis diebus sit gravis in Clericis sacris initiatis, Religiosis addictis Choro jam professis, & Beneficiariis; ideo inquirimus causas excusantes ab hac obligatione: quæ quidem causæ ad tria Capita reducuntur, Impotentiam scilicet, gravem occupationem, & dispensationem; de quibus claritatis gratia singillatim agendum.

Impotentia provenire potest ex oblivione, ex Ignorantia, ex Infirmitate, ex carentia Breviarii. Impotentia ex oblivione naturali, seu inculpabili excusat non solùm à gravi culpa, sed etiam levi: ratio est, quia peccatum debet esse voluntarium; cum ergò omissio illa recitationis non sit libera, ideo excusat à gravi culpa, & levi. Advertendum tamen est diligenter, quòd quando expertus es obliviscì recitationis, adhibere debes aliquod excitativum memoriæ; quo recorderis obligationis tuæ: ut rectè admonent Suarez, & Bonacina. Sed quid faciendum, si dubius sis an recitaveris? Resp. teneri ad recitationem, si dubium superare non possis; ratio est, quia possidet præceptum, certitudini cujus nequis per recitationem dubiam satisfacere. Secus tamen esset, si dubium deponeres aliqua ratione probabili, tunc enim prudens motivum te excusaret à recitatione. Sic Navarrus *de Orat. cap. 20. num. 30.* Tamburinus *lib. 2. Decal. capit. 3. §. 7. verb. Hor. Canon. numer. 1.* Quando certus es de recitatione Officii; dubius tamen remanes: an Antiphonam, Psalmum, aut quid simile recitaveris; tunc dubium deponere potes, censens te recitasse: ratio est, quia non est præsumendum, quòd relictum fuerit in ordinario cursu recitationis, & connaturali sequela illud intermedium. Solùm igitur urgebit obligatio repetendi, quando clarè moraliter constat de omissione partis illius. Sic Navarrus *cap. 13. de Orat. num. 29.* Azor. *1. par. lib. 10. cap. 12.* Filliuccius *tract. 23. cap. 8. quæst. 3.* & Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 3. num. 9. in fine.*

Impotentia ex Ignorantia tum Legis, ut si invincibiliter ignores, te obligatum esse ad Horas Canonicas recitandas; tum facti, ut si recitare nescias; quæ non rarò accidit in pueris ad beneficium assumptis, qui vix legere sciunt; excusat à recitatione omissa. Verùm hæc ignorantia non potest esse inculpabilis: siquidem agnoscens te ineptum ad onus divini Officii subeundum peccas suscipiendo Beneficium, vel sacros Ordines. Et si ignorans ignorantia facti Beneficiarius est, tenetur beneficium resignare, nec fecit fructus suos; si verò Clericus in sacris, tenetur discere, quàm primùm poterit, & obligationi suæ satisfacere cum socio docente; si tamen penitùs incapax sit, ad nihil tenebitur: cum nemo obligari possit ad impossibile. Sic Doctores passim.

Impotentia ex Infirmitate, quæ si talis sit, ut reddat simpliciter impotentem, patet evidenter, quòd excusset: sic cæcus, & mutus à recitatione divini Officii excusantur; non verò surdus, quia in privata recitatione non debet se ipsum audire. Qui tertiana, aut quartana laborant, tunc excusantur à recitando, quando ex recitatione grave nocumentum paterentur; si verò leve esset, teneretur recitare. Idem dicendum de similibus infirmitatibus; non enim ex timore levis nocumenti omittendum est divinum Officium. Sic Tamburinus *in Decal. lib. 2. cap. 5. §. 8. num. 3.*

Impotentia orta ex carentia Breviarii excusat à recitatione, ut patet: quia Breviarium est medium necessarium ad recitandum, nisi fortè quis integrum Officium memoria retineret, quod tamen est valde rarum.

2 Gravis occupatio, ut excuset à recitatione divini Officii; sine dubio debet esse talis, ut non possit differri recitatio ad aliud tempus sine gravi jactura tui, vel proximi in vita, honore, vel fortuna. Quapropter excusantur ex hoc capite communiter publicam lectionem facturi in concursu ad Cathedram, vel ad Doctoris lauream acquirendam in celebri Academia. Insuper Concionatores, & Confessores, qui nec concionem, nec confessiones omittere possunt absque gravi nota, & scandalo; & aliunde nequeunt simul cum talibus occupationibus Horas recitare. Sic etiam Parochus, aut quilibet alius Sacerdos Sacramenta administrans, qui dum sacrum pensum solvit ante mediam noctem, vocatur ad Sacramenta ministranda moribundis, & interim tem-

tempus expirat. Sic Suarez, Vasquez, Bonacina apud Tamburinum eos sequentem *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 8. num. 16.*

3 Dispensatio vel est à Pontifice, vel ab Episcopo, aut à Prælato Regulari. Dispensatio à Pontifice, etiam sine causa concessa, valida est, & sufficienter excusat à recitatione: eo quia dispensat in Jure à se lato. Sic videtur Pontifex dispensare, quando beneficium dat puero ignoranti, vel infanti; quod intelligendum erit pro eo tempore, pro quo ignorantia durat. Dispensatio ab Episcopo se extendit, quando Clericus in sacris, vel Beneficiarius dubitat, an in aliquo casu debeat recitare; tunc enim poterit suam sententiam proferre, & dubietatem tollere. Sic ex Suarez, & Bonacina docet Castropalaus *de Orat. disputat. 2. punct. 6. §. 3. num. 3.* Insuper dispensare potest ad tempus, non verò in perpetuum ex justa, & rationabili causa in casibus frequenter occurrentibus, in quibus adiri nequit Pontifex: ratio est, quia licèt Episcopus non possit dispensare in Lege sui Superioris; censetur tamen Superior potestatem Episcopis tradidisse in his casibus, ne fideles cogantur frequentem recursum habere ad Pontificem. Advertendum tamen: quòd licèt validè dispensent quoad culpam, non possunt tamen validè dispensare quoad restitutionem fructuum in beneficiariis, quia restitutio hæc debetur ex Justitia. Sic bene ex Merolla, & Pellizario docet Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 5. §. 8. numer. 24. & 25.* Dispensatio à Prælato Regulari, cui commissa est facultas dispensandi in Legibus, & consuetudinibus Religionis; pari modo se extendit, ac illa Episcoporum superiùs dicta existente causa. Et quamvis Bonacina relatus à Tamburino putet, quod hic Prælatus intelligitur supremus, seu Generalis: at ipse *lib. 2. cap. 5. §. 6. num. 28.* pro casibus occurrentibus dicere non ambigit quòd sic Conventualis.

4 Quæres 1. an excommunicatio, Suspensio, Interdictum, Irregularitas, & Degradatio excusent à recitatione divini Officii? Resp. negativè ex communi sententia, quamvis dubitetur de sola degradatione, cum per ipsam deponatur Clericus ab Officio, Beneficio, & ab omni Clericali Privilegio: quapropter Sà videtur propendere ad excusationem. Nihilominus Suarez, Valentia, Lessius, Azor. Vasquez, Bonacina, Toletus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Orat. disput. 2. punct. 6. §. 3. numer. 4.* à recitatione non excusant: eo quia non debet ex culpa sua commodum reportare, quæ quidem sententia mihi videtur vera.

5 Quæres 2. an impotens ex infirmitate, vel gravi occupatione ad recitandum totum Officium; teneatur recitare partem, quam potest? Resp. quamvis Doctores, qui scripserunt ante damnationem factam illius Propositionis ab Innocentio XI. asserentis: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes; potest autem reliquas Horas; ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem*: in varias abierint sententias. Nihilominus post damnationem à Pontifice factam indubitatum, & certum penes omnes est, teneri ad eam partem, quam poterit; ratio est, quia præceptum recitandi Horas Canonicas fertur in materiam dividuam; adeoque qui non poterit adimplere totam materiam, tenebitur ad partem materiæ; dummodo non obstet parvitas, quæ non potest esse materia præcepti sub gravi in hac re. Quod dictum est de partibus integrantibus totum Officium, pari modo intelligendum erit de partibus unamquamque Horam componentibus; cum etiam quælibet Hora ex Canonicis suas partes dividuas habeat; adeoque qui non potest omnes, tenebitur ad eas, quas poterit, dummodo non sit parvitas materiæ. Sic ante damnationem à Pontifice factam docuerant Suarez *lib. 4. de Hor. Can. cap. 18. num. 28.* Valentia *punct. 10. §. 7.* Bonacina *disp. 1. de Hor. Can. quæst. 6. punct. 2. num. 7.* & Garzia *3. par. de Benef. cap. 1. num. 26.*

6 Quæres 3. an dubius ob infirmitatem, si teneatur recitare, an non, vel totum Officium, vel partem absque notabili suæ salutis detrimento; teneatur revera recitare? Resp. in hoc casu standum esse judicio periti, & timorati Medici, cujus est judicare, an nocitura sit recitatio illa, an non. Sic Suarez, Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*. Quòd si Medicus ipse dubius sit de nocumento, tunc inclinat Suarez ad obligandum: quia obligatio est certa, dubia tamen excusatio. Negant hanc obligationem Bonacina, & Castropalaus: quia periculum illud gravis damni, quod subire potest recitans; causa certa est, non dubia, ut deobligetur, ne se exponat illi periculo, attenta suavitate Legis Evangelicæ.

Quæres 4. an carentes visu, & breviario teneantur 7
recitare eam partem Officii, quam memoria retinent? Resp. affirmativè: ratio est, quia & urget Præceptum recitandi, & habetur modus adimplendi illud, attenta memoria Officii, ut supponitur. Nec obstat, quòd hoc sit accidentarium, tenere videlicet memoria Officium; quia posito illo accidente urget obligatio, cum sit medium sufficiens ad satisfaciendum obligationi. Sicuti qui carens breviario, & antequam expiret obligatio, per accidens aliquod breviarium reperiret; utique absque controversia obligaretur ad recitationem, quamvis valde per accidens esset, Breviarium reperisse. Sic Navarrus, Suarez, Valentia, Bonacina, Azor. quos refert, & sequitur Castropalaus *de Orat. disp. 2. punct. 6. §. 3. num. 11.*

Quæres 5. an qui solus recitare sit impotens, quam- 8
vis possit cum Socio; teneatur ad recitandum cum Socio? Resp. quamvis Garzia *3. par. de Benef. capit. 1. nu. 214.* qui citat Joannem Sanctum, & alios pro hac sententia, neget hanc obligationem: eo quia recitare cum Socio est Privilegium, & nemo adstringitur ad utendum illo. Nihilominus communior sententia talem obligationem agnoscit: & ratio est, quia urget præceptum recitandi, & habetur medium facile adimplendi illud; ergo non est, cur non agnoscenda sit talis obligatio. Sic Navarrus, Azor. Rodriquez, Bonacina, Suarez, Valentia, Reginaldus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Orat. disp. 2. punct. 6. §. 3. numer. 13.* Advertunt hic Suarez, & Bonacina: Surdum, vel Surdastrum, qui cum magna vociferatione recitare possent cum Socio; non obligari cum tanto incommodo. Sicuti nec obligari eum, qui Socium habere non potest gratis, sed cum stipendio: quia talis onerosa recitatio non est, nec secundum consuetudinem, nec secundum mentem Legislatoris. Nisi fortè sit Beneficiarius, quia cum teneatur ex Justitia ad Recitationem, durum esse non debet, si aliquod expendat pro executione suæ obligationis.

Quæres 6. an qui prævidet impedimentum futurum 9
vespertino tempore circa recitationem, teneatur prævenire tempore matutino? Resp. affirmativè: ratio est, quia Præceptum obligat toto integro die, ergo si in aliqua parte diei prævidetur futurum fore impedimentum, & non in alia ad recitandum; habetur obligatio satisfaciendi præcepto in hac parte diei, nec poterit differri ad illam, in qua impedimentum prævidetur. Sic Suarez *lib. 4. de Hor. Con. cap. 28. num. 28., & 36.* Azor. *1. par. lib. 10. capit. 13. quæst. 15.* Bonacina alios referens *disp. 1. de Hor. Can. quæst. 6. punct. 2. num. 2.*, & Castropalaus *de Orat. disp. 2. punct. 6. §. 3. num. 16.* Neque obstat, quod Horæ Canonicæ correspondere debeant suo tempori, & privilegium est anteponere, vel postponere. Nam hæc obligatio quoad tempus recitandi levis est, & ut superiùs diximus, ex aliqua causa anteponi, vel postponi potest. Et quæ major causa obligans ad anteponendum, quàm non posse adimplere præceptum quoad substantiam Recitationis, si postponatur ad aliud tempus? nec in hoc casu anteponere est privilegium, sed obligatio gravis.

CAPUT VI.

De Pœnis impositis non Recitantibus Divinum Officium.

1 *Pœna imposita non Recitantibus est Restitutio fructuum, & afficit Beneficiarios.*
2 *Beneficiarius non recitans primis sex mensibus ab obtento pacificè beneficio non est obligatus ad restitutionem.*
3 *Elapso semestre, si culpabiliter non recitavit; tenetur ad restitutionem pro rata temporis post Semestre; secus verò si inculpabiliter non recitavit.*
4 *Cessante legitimo impedimento post primum Semestre tenetur ad restitutionem pro rata, etiamsi pro uno die non recitet.*
5 *Quid dicendum de non Recitante partem aliquam Horæ Canonicæ?*

6 *Recitans ſine ulla Attentione eodem modo obligatur reſtituere, ac ſi non recitaſſet.*

7 *Beneficiarius non recitans pro uno, vel pluribus diebus tenetur ad reſtitutionem ratæ illis diebus correſpondentis, etiam ſi beneficium alia munia annexa habeat.*

8 *Hæc obligatio reſtituendi adſtringit Beneficiarium ante Sententiam Judicis.*

9 *Facienda eſt reſtitutio fabricæ Beneficii, vel pauperibus.*

10 *Beneficiarius poſt Semeſtre non recitans, ſi monitus intra quindecim dies ſaltem bis non recitaverit; poteſt excommunicari, ſuſpendi, & beneficio privari.*

11 *Quæ dicta ſunt de Beneficiariis intelligi debent de Penſionariis non recitantibus Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis.*

12 *An Penſionarius poſt Semeſtre non recitans poſſit Penſionem à Beneficiario accipere; & an hic poſſit eam illi denegare, & ſibi retinere?*

1 NEQUE ex Lege, neque ex ulla conſuetudine alia pœna habetur impoſita non Recitantibus, niſi Reſtitutio fructuum perceptorum, ut adnotavit Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 29. num.* 1. quapropter cum ſolus Beneficiarius fructus percipiat; ipſe ſolus huic pœnæ ſubjacere videtur. Statuta fuit hæc pœna reſtitutionis fructuum à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ. 9. §. Statuimus*, & innovata à S. Pio V. *in ſua Conſtitutione*, incipit, *Ex proximo Lateranenſi:* ubi expreſsè declaratur, quòd quicumque habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quàm illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit; beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Officii, & temporis ſuos non faciat: ſed eos tamquam injuſtè perceptos in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verùm quia aliqua dubitatio orta eſt circa ratam; ideo eam diſtinctè explicuit S. Pius V. his verbis. Statuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit; omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejus diei amittant. Eamdem pœnam, & eodem modo extēdit ſupradictus Pontifex ad Clericos habentes Penſiones fructus, aut alias res Eccleſiaſticas; quos obligat ad Officium parvum B. Mariæ Virginis.

2 Ex Statutis à Concilio Lateranenſi, & S. Pio V. Deducendum 1. Beneficiarium omittentem recitationem Divini Officii primis ſex menſibus ab obtento pacificè beneficio non teneri ad reſtitutionem: quia Conſtitutiones allatæ ſolùm aſſerunt, grave peccatum admiſiſſe, abſque ulla mentione reſtitutionis fructuum. Sic Navarrus *de Orat. capit. 21. numer. 38.*, Vaſquez *de Benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 8.*, Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. n. 129*, & Caſtropalaus *de Orat. diſp. 2. pun. 7. num. 2.* referens Bonacinam, Filliuccium, & Garziam.

3 Deducendum 2. elapſo primo Semeſtre obligatum eſſe beneficiarium non recitantem culpabiliter ad reſtituendos fructus pro rata temporis, quos poſt Semeſtre acquiſivit. Quòd ſi inculpabiliter non recitaverit ob aliquod legitimum impedimentum, nullam habet obligationem reſtituendi: ratio eſt, quia hæc pœna imponitur, legitimo ceſſante impedimento. Sic Suarez, Azor. Garzia, Reginaldus, Bonacina, Leſſius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *diſput. 2. de Orat. punct. 7. num. 3.*

4 Deducendum 3. ceſſante legitimo impedimento poſt primum Semeſtre, ſi beneficiarius uno, vel altero die non recitet omnes Horas Canonicas; teneri ad reſtitutionem fructuum pro rata. Nec audiendi ſunt Doctores oppoſitum docentes apud Garziam *3. par. de Benefic. cap. 1. num. 17.*, cum nimis clarè, & expreſsè loquatur Conſtitutio S. Pii V. Sic Azor. Leſſius, Bonacina, Suarez, Garzia, & Vaſquez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *diſp. 2. de Orat. pun. 7. num. 4.*

5 Petes hic: quid dicendum de Omittente partem alicujus Horæ Canonicæ? Reſp. ſi pars omiſſa eſt notabilis inducit obligationem reſtituendi, etiam ſi fructus illi correſpondentes tenues ſint: ratio eſt, quia omittens partem notabilem Horæ, ut ſupradictum eſt, abſolutè cenſetur Horam non recitaſſe; ſed qui Horam non recitat, tenetur ad ratam fructuum reſtituendam; ergo obligatur ad reſtitutionem. Quod ſi fructus illi correſpondentes leves, & tenues ſint; obligatio erit tantùm ſub levi. Sic Garzia *de Benefic. 3. par. capit. 1. num. 27.*, Caſtropalaus *diſput. 2. de Orat. punct. 7. num. 6.* & Bonacina *diſp. 1. de Hor. Canon. quæſt. 5. pun. 2. numer. 13.* Si tamen pars omiſſa levis eſt, nullam inducit obligationem reſtituendi: ratio eſt, quia omittens levem partem Horæ dicitur Horam recitaſſe; & aliunde obligatio reſtituendi adſtringit non recitantem Horam. Nec obſtat, quòd cuilibet parti Horæ ſui correſpondeant fructus. Nam diviſio fructuum à Pontifice facta correſpondet ſingulis Horis, non verò ſingulis partibus Horarum; ergo ſemel ac verificatur, Horam recitatam fuiſſe, etiamſi pars levis omiſſa fuerit; fructus illi correſpondere debent. Addo, quòd poſt accuratam Declarationem ratæ à Pontifice factam, ubi ipſe minùs ſcrupulosè egit, nec nos ſcrupulos addere debemus; ſi ergo tantùm ſubdiviſit fructus in Horas, nec nos ſubdividere debemus in partes cujuslibet Horæ. Sic Navarrus, Navarra, Toletus, Suarez, Reginaldus, & Filliuccius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *diſp. 3. de Orat. punct. 1. num. 6.*

Difficultas tamen major eſt in eo caſu, quo quis ſingulis Horis eodem die levem partem omitteret, quæ ſimul ſumptæ integrarent partem notabilem reſpectu totius Officii. Nihilominus deobligant à reſtitutione Caſtropalaus *l. c.* Moneta *de Diſtribut. 2. par. quæſt. 3. numer. 22.* & Filliuccius *tract. 23. capit. 10. quæſt. 7.* Sed probabilius obligant Suarez, Garzia, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp. 1. de Hor. Can. q. 5. pun. 2. numer. 15.*: eo quia ſicuti obligatur ad reſtitutionem ſub gravi, qui plura minuta furta commiſit integrantia ſummam notabilem; ſic qui tenetur ex Juſtitia recitare, ſi plures leves partes omittit integrantes notabilem partem.

Deducendum 4. Recitantem ſine ulla attentione obligatum eſſe ad reſtitutionem fructuum eodem prorſus modo, ac obligatur Beneficiarius omittens recitationem: & ratio eſt, quia recitare ſine ulla attentione, non eſt recitare ſtudiosè, & devotè; ergo incurrere debet pœnam injunctam non recitantibus ſtudioaè, & devotè. Sic Navarrus *capit. 13. de Orat. num. 17.*, Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. capit. 30. numer. 14.* Bonacina *diſput. 1. de Hor. Canon. quæſt. 5. punct. 1. numer. 17.* & Garzia *de Benefic. 3. par. cap. 1. num. 186.* 6

Deducendum 5. Beneficiarium non recitantem uno, vel pluribus diebus teneri ad reſtitutionem fructuum pro rata, ac ſi fructus per ſingulos dies diviſi eſſent; etiam ſi beneficium alia munia annexa habeat: ratio eſt, quia Conſtitutio S. Pii V. eodem modo loquitur de Beneficio cum cura, ac ſine cura; & novum Jus, & novam pœnam ſtatuit. Sic Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 2. pun. 10. §. 8.*, Azor. 1. *par. lib. 10. cap. 14. quæſt. 5.*, Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 30. à num. 6.*, Reginaldus *lib. 30. num. 46.*, & Caſtropalaus *de Orat. diſput. 3. punct. 1. num. 7.* alios referens. 7

Deducendum 6. hanc obligationem urgere beneficiarium ante Sententiam Judicis: cum damnata fuerit ab Alexandro VII Propoſitio aſſerens: *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante Sententiam Declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.* 8 9

Deducendum 7. Reſtitutionem faciendam eſſe fabricæ beneficii, vel pauperibus: ſic Conſtitutio ſupradicta S. Pii V. Nec ſuppleri poteſt per eleemoſynas, quas ante talem obligationem Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerat: cum etiam ab eodem Alexandro VII. damnata fuerit Propoſito aſſerens: *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.*

Deducendum 8. poſt Semeſtre beneficiarium omittentem Horas, ultra pœnam reſtituendi fructus malè perceptos, poſſe excommunicari, ſuſpendi, & beneficio privari, ſi intra quindecim dies, poſtquam monitus eſt, bis ſaltem non recitaverit. Sic ex ſupradicto Lateranenſi Concilio notavit Vaſquez *de Benefic. cap. 4. §. 1. dub. 8, num. 45.*, & Bonacina *de Hor. can. diſp. 1. quæſt. 5. pun. 2. in fine.* 10

Deducendum 9. idem dicendum de Penſionariis non recitantibus Officium parvum B. Mariæ Virginis, quod dictum eſt de Beneficiariis: nimis enim clarè loquitur Conſtitutio S. Pii V.: en ejus verba: *At quicumque Penſiones, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, & rerum ipſarum amiſſioni obnoxium.* 11

12 Pe-

12 Petes hic : an Pensionarius non recitans post semestre possit à Beneficiario pensionem accipere: & an Beneficiarius Pensionem possit sibi retinere ? Resp. non peccare Pensionarium accipientem hos fructus post Semestre, quos tamen non sibi, sed aut fabricæ beneficii, aut pauperibus applicet. Nec posse beneficiarium illos denegare Pensionario non recitanti : ratio est, quia pars illa fructuum beneficii applicata Pensionario jam extracta est à beneficio ; ergo debetur Pensionario, qui in pœnam debet illam erogare fabricæ beneficii, vel pauperibus, qui substituuntur loco Pensionarii; ergo beneficiarius nec pensionem denegare poterit, nec sibi retinere. Sicuti fideles non possunt denegare fructus Beneficiario non recitanti, quamvis hic teneatur dare pauperibus aut fabricæ beneficii : quia tales applicationes sunt absolutæ, non conditionatæ; quamvis Ecclesia jure optimo imposuerit obligationem recitandi, qua non impleta tenetur ad restitutionem faciendam fabricæ beneficii, vel pauperibus, non verò illis, à quibus fructus acceperunt. Neque dicas Pensionarius non recitans fit incapax, sicuti Pensionarius excommunicatus; ergo si ex pluribus Doctoribus denegandi sunt fructus Pensionario excommunicato, quia incapax est, etiam & non recitanti post semestre ? Resp. non eodem modo fieri incapacem Pensionarium non recitantem, ac excommunicatum ex mente horum Doctorum : nam non recitans capax est pensionis, capax percipiendi fructus, incapax tamen sibi applicandi; secus verò excommunicatus nullam ex his capacitatibus habet. Sic Suarez *lib. 4. de Horis Canonicis capit. 30.* & Castropalaus *disputation. 3. de Orat. punct. 1. numer. 7.*

QUÆSTIO IV.

DE RECITATIONE PUBLICA DIVINI OFFICII IN CHORO, ET DISTRIBUTIONIBUS.

POST exactam notitiam Recitationis Privatæ Divini Officii ordo doctrinæ exposcit, ut de Publica ejus Recitatione in Choro peragamus, cui penes Clericos sæculares annecti solent distributiones : quapropter tum quæ spectant ad Publicam in Choro Recitationem, tum quæ ad Distributiones hìc examinabimus.

CAPUT PRIMUM.

Quinam teneantur ad Publicam Recitationem Divini Officii in Choro ?

1 *Quàm laudabilis hæc Institutio recitandi Divinum Officium in Choro, quæ non solùm spectat ad Clericos Sæculares, & Regulares, sed etiam ad Laicos.*
2 *Extat sub obligatione præcepti in Ecclesia Dei hæc Institutio psallendi in Choro.*
3 *In rigore Juris afficit hæc obligatio Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, Regulares, & Parochiales.*
4 *Eximuntur ab hac obligatione rigorosa Juris Canonici ex sua institutione obligati tantùm ad recitandum aliquibus diebus, vel in una hebdomada, non verò in alia. Idem de Ecclesiis ex consuetudine recitantibus solis festis diebus.*
5 *Ubi viget consuetudo quotidie, recitandi, sub gravi culpa tenentur Superiores id procurare.*
6 *Clerici Sæculares non tenentur ex vi Ordinis ad psallendum in Choro, sed ex vi beneficii deputantis illos Choro.*
7 *Clerici Regulares Choro deputati tenentur ad recitandum in Choro juxta Regulas, & consuetudines suæ religionis.*
8 *Parochi ex inveterata consuetudine regulariter eximuntur à recitatione Divini Officii in Choro, nisi alia vigeat consuetudo in contrarium.*
9 *Episcopi ex vi muneris Episcopalis non tenentur ad recitandum in Choro, quamvis sanum consilium sit interesse diebus festivis.*

1 QUAM laudabilis sit Institutio ista recitandi publicè in Choro horas Canonicas, nimis apertè constat ab ipsis incunabilis S. Matris Ecclesiæ, quæ à tempore Apostolorum usque ad præsens per non interruptam continuationem commendavit, & approbavit hanc publicam Orationem. Quæ quidem propriè non solùm spectat ad Clericos tum Sæculares, tum Regulares, sed etiam ad ipsos Laicos : & ratio est, quia munus psallendi, & laudandi Deum, illumque deprecandi per publicam Orationem in Choro non requirit ordinem; commune siquidem est omnibus Christi fidelibus, ut constat *ex c. Psalmista dist. 23.* Non nego tamen, quòd non extendatur ad omnes, & quoslibet Laicos ; sed tantùm ad eos, qui à Clericis ad hoc munus obeundum designati fuerint, qua designatione facta separantur à reliquis fidelibus, & in certum locum cum Clericis admittuntur; ut ibi majori cum decentia, & cultu Officium Divinum recitent cum Clericis, audientibus cæteris fidelibus, ait enim citatus Textus: *Psalmista*, idest Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteri officiũ cantandi suscipere : quæ quidem verba satis indicant, non requiri ad psallendum in Choro ordinem ab Episcopo susceptum ; sed sufficere designationem habitam à Presbytero. Et quamvis *cap. 1. de Vit. & honest. Cleric.* dicatur : Pars illa, quæ cancellis ab altari dividitur, tantùm psallentibus pateat Clericis. Hoc solùm probat, non posse Laicos quoscumque promiscuè, & non sine confusione, & perturbatione cum Clericis canere intra cancellos ; non verò quòd Laici à Clericis designati non possint cum illis intra cancellos canere : ut olim mos erat toti populo id facere ; consuevit namque antiqua Ecclesia cum Clericis admittere populum ad canendum, & respondendum sacerdoti oranti, Amen, ut nunc faciunt moniales. Sic ex D. Augustino, D. Basilio, & Cardin. Baronio docet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 9. num. 3. & 7.* Filliuccius *tom. 2. tract. 23. cap. 4. num. 122.* Bonacina *de Choro quæst. 1. pun. 1. num. 8.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 1. pun. 1. num. 1.* Dixi, propriè spectare ad Laicos, saltem à Presbytero designatos publicè psallere in Choro; eo quia propriissimè spectat ad Clericos, sive Sæculares, sive Regulares : quia Deum laudare, ac pro populo intercedere, illumque ad pietatem, & devotionem excitare propriissimè ad hos spectat : ut patet ex Veteri, & Novo Testamento.

Hæc autem laudabilis Institutio psallendi in Choro, & 2
publicè orandi Deum extat in Ecclesia Dei sub obligatione præcepti, ut colligitur *ex capit. ult. dist. 92.* in quo imponitur Depositionis pœna Clerico deputato Ecclesiæ, si non accesserit ad Matutinas, & Vespertinas horas decantandas; ergo si gravis pœna, qualis est depositio, imponitur Clerico non recitanti horas in Ecclesia, cui deputatus est; signum evidens est, grave delictum esse non recitare, utpote commissum contra grave præceptum. Conveniens autem fuit hæc obligatio, eo quia Institutio Divini Officii ab Ecclesia non solùm facta fuit in piam utilitatem ipsorum Ecclesiasticorum recitantium, sed etiam in utilitatem, ac devotionem totius populi, ut Divino Officio interesse posset, illoque frui, ac Deum laudare, & exorare simul per publicos Ecclesiæ ministros. Hic autem finis ab Ecclesia intentus obtineri minimè posset, nisi adesset obligatio publicè canendi Divinum Officium in loco, ubi populus convenire posset, adeoque congruum fuit, ut sic laudabilis Institutio sub obligatione præcepti ab Ecclesia imponeretur : ut rectè habet D. Thomas *Opusc. 19. c. 5.* Suarez *l. 4. de hor. Canon. c. 10. n. 2.* Layman *l. 4. tract. 2. cap. 7. quæst. 7. num. 7.* Filliuccius *t. 2. tract. 23. c. 4. quæst. 4.* Bonacina *de Choro quæst. 1. pun. 1. n. 1.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 1. pun. 1. num. 3.*

Quas verò Personas adstringat præceptum istud publi- 3
cè canendi in Choro Divinum Officiũ, & in quibus Ecclesiis ; nõ satis clarè constat, nec per unicam propositionem

aptari potest Responsio: quapropter per varias assertiones aperienda erit mens nostra. & solutio difficultatis tam pro Ecclesiis, quàm pro Personis. Asserendum igitur 1. Quòd si stare velimus rigori Juris; in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, necnon Parochialibus urgeat obligatio psallendi quotidie divinum Officium. Et quidem quoad Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, & Regulares nimis apertè constat *ex Clemen. 1. de celebr. Miss.* ubi habetur: in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis devotè psallatur; in aliis verò convenienter, & debitè celebretur divinum Officium diurnum pariter, & nocturnum. Quoad verò Ecclesias Parochiales patet *ex cap. 1. de Celebr. Miss.* ubi mandatur Presbytero Parochiali, ut per se vel Scholares divinum Officium horis competentibus compleatur, non solùm die Dominico, & festivo; sed etiam diebus feriatis. Nomine verò Scholarium intelligendi sunt, vel Clerici Minores scholis incumbentes; vel filii fidelium, qui instrui, & doceri solebant in Ecclesia; ut tradunt Doctores cum Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 9. num. 5.* Deducitur quoque hæc nostra assertio *ex Cap. ult. dist. 92. & ex cap. Dolentes de Celeb. Miss.* & sic tradunt Sylvester *verb. Hora quæst. 10.* Suarez *l. c. cap. 10. num. 3.* Filliuccius *tom. 2. tract. 23. cap. 4. quæst. 4.* Macignus *de Hor. Canon. cap. 56.* Bonacina *de divin. Offic. in chor. quæst. 1. punct. 1. num. 2.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 1. num. 4.*

4 Asserendum 2. attenta Institutione alicujus Collegii Canonicorum, ut non semper divinum Officium recitent, sed certis quibusdam diebus; vel si semper recitandum sit, non omnes teneantur quotidiè, sed aliqui in una hebdomada, alli verò in alia. Sicuti attenta consuetudine ex legitima causa introducta, ut in pluribus Ecclesiis, præcipuè Collegiatis, & Parochialibus, imò Regularibus in solis Dominicis, & festis diebus recitetur divinum Officium; aut ex integro ablata sit hæc obligatio: vel ob tenuitatem stipendiorum, aut ob paucitatem ministrorum, qui debitè, & decenter hoc sacrum pensum persolvere possent; non urget præceptum recitandi in Choro à Juris rigore latum: ratio est, quia tum Institutio illa Collegii Canonicorum sic approbata; tum consuetudo ex legitima causa introducta vim habent derogandi obligationi à Jure communi latæ, Verùm Cajetanus *verb. Hora*, Navarrus *de Orat. capit. 22. numer. 101.* Macignus *de Hor. Canon. capit. 63. numer. 9.* & Filliuccius *tom. 2. tract. 23. capit. 4. quæst. 4.* requirant Consuetudinem immemorialem, ut hanc obligationem abolere possit.

5 Asserendum 3. in Ecclesiis, in quibus viget consuetudo celebrandi publicè in Choro divinum Officium; obligatio procurandi, ne unquam omittatur juxta consuetudinem, sub gravi culpa urget Superiores illarum: sic expressè præcipitur ad evitandum Dei, & Sedis Apostolicæ indignationem prædictis Superioribus *in Clemen. 1. de celebr. Miss.* & ratio est, quia cum Superioribus commissum sit regimen Communitatis; inde est, quod ad ipsos sub gravi culpa spectat, ut obligationes graves Communitatis executioni mandentur; & cum ipse solus nequeat obligationi recitandi satisfacere, ideo tenetur urgere alios, ut communi obligationi satisfaciant; quamvis ipsi ex vi hujus obligationis non habeant majorem obligationem præ aliis particularibus assistendi Choro, nisi fortè ad vitandum scandalum, aut ad pium aliorum exemplum. In casu tamen quòd Superiores negligentiores fuerint in procuranda assistentia ad recitandum in Choro, adeout omittatur; tunc unusquisque ex illa Communitate Ecclesiastica tenebitur ad procurandum, & reclamandum: deficientibus siquidem in suo munere Prælatis descendit obligatio ad illa singula membra Communitatis. Sic Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 10. num. 8. 15. & 18.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 1. num. 6.*

6 Personæ, quas afficere potest præceptum istud publicè psallendi in Choro; quatuor esse possunt, nempe Clerici Sæculares, Regulares, Parochi, Episcopi; ideoque de singulis dicendum.

Dico igitur 1. Clericos Sæculares non teneri ex vi ordinis præcisè ad persolvendum divinum Officium publicè in Ecclesia: ratio est, quia ex nullo Textu colligi potest talis obligatio, aliàs Subdiaconi, & Clerici Minores tenerentur assistere, & inservire divinis Officiis in Ecclesia ratione Ordinis suscepti; & durum est, hanc obligationem inducere ex præcepto. Solùm ergo habebunt obligationem istam ex vi beneficii deputantis illos ad psallendum in Choro. Et de istis Clericis beneficiatis, non verò de aliis non beneficiatis loquuntur Textus *in Cap. ult. dist. 92. cap. 1. de Celebr. Miss. & Clement. 1. eod. tit.* ut patet legenti illos. Accedit, quòd sic firmat praxis, & recepta consuetudo: Et sic docent Navarrus *de Orat. cap. 4.* Azor. *lib. 10. cap. 11. quæst. 8.* Suarez *de Hor. Canon. lib. 4. cap. 10. num. 10.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 6.* Bonacina *de Offic. in chor. quæst. 1. punct. 1. num. 7.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 1. num. 7.*

Dico 2. Regulares Choro deputatos teneri solùm ad re- 7
citandum in Choro divinum Officium juxta Institutiones, Regulas, & consuetudines suæ Religionis: ratio est, quia ex nullo alio capite colligi potest obligatio ista; nullus siquidem Textus in Jure extat obligans Religiosos ad recitandum publicè Officium in Choro; ergo tota obligatio oritur ex Institutionibus, Regulis, ac consuetudinibus suæ Religionis, Quæ quidem obligatio licèt afficiat per se, & directè totam Communitatem Religiosam, & præcipuè Superiorem ad procurandum, ut obligationi Chori satisfiat; nihilominus non afficit singulares Religiosos sub gravi culpa: & ratio est, quia neque obligantur ex Jure scripto, neque ex consuetudine, neque ex stipendio accepto: nam eleemosynæ, quæ ipsis elargiuntur à fidelibus, non sunt sub hac conditione, ut Officium recitent; sed ut vitam religiosam ducant juxta propriam Regulam, & Institutum, ac pro benefactoribus Deum deprecentur, nec ipsis singularibus traduntur, sed Communitati. Nec *Clement. 1. de celebr. Miss.* probat, quemlibet particularem religiosum adstrictum esse sub præcepto ad assistendum in Choro, ibique psallendum sub gravi culpa; sed quòd divinum Officium recitetur in Choro, & quòd Prælatus insistere debeat, etiam cum præcepto Obedientiæ, si opus fuerit; vel debitas pœnitentias imponendo, quas singularis Religiosus acceptare tenetur. Quæ dicta sunt de Religiosis Viris addictis Choro, extendunntur ad Moniales addictas Choro; cum eædem militent rationes. Advertendum tamen, quòd si consuetudo vigeat in Domibus Regularium, vel Monialium, ut sub gravi particulares, & singulæ personæ teneantur ad Chorum; sic sanctè observandum erit; nam consuetudo illa introducta sic obligat singulares; ut tradunt Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 10. numer. 16.* Bonacina *de Offic. in chor. quæst. 1. punct. 1. nu. 9.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 1. num. 12.*

Dico 3. Parochos ex vi Juris antiqui teneri ad divi- 8
num Officium publicè persolvendum in Choro, & quidem singulis diebus, ut constat perpendenti *Textus cap. final. distinct. 92. capit. 1. de celebrat. Missar. & Clement. 1. sub eod. tit.* & sic rectè docuerunt Sylvester *verb. Hora quæstion. 10.* Angelus *eod. verb. numer. 25.* Turrecremata *Capit. ult. dist. 90.* & alii relati à Suarez *lib. 4. de Hor. Canon. cap. 10. numer. 3.* saltem diebus Dominicis, & festis, quamvis Innocentius *in cap. 1. de celebr. Miss.* sustineat quotidie: quæ quidem sententia mihi indubitata est stando rigori Juris. Nihilominus inveterata consuetudo, & ferè Universalis in omnibus Ecclesiis Parochialibus recepta est, Parochos exemptos esse ab hac obligatione publicè recitandi divinum Officium in Choro, non solùm per se ipsos, sed etiam per substitutos; vel quia Parochi curis majoris momenti in salutem animarum intenti erant; vel quia competens numerus ministrorum necessariorum ad divinum Officium persolvendum pro dignitate haberi non poterat ob tenuitatem reddituum; ideò introducta fuit hæc perantiqua consuetudo solùm recitandi in Choro diebus Dominicis, & festis non integrum Officium, sed aliquas Horas, præsertim Vespertinas; imò in pluribus Parochiis neque istæ publicè recitantur, Standum igitur consuetudini introductæ in singulis Parochiis; & ubi viget consuetudo recitandi vel ex integro, vel ex parte sanctè servanda erit: & tenebitur Parochus assistere, nisi fuerit legitima ex causa impeditus, in quo casu substitutum subrogare debebit; cum consuetudo illa principaliter Parochum afficiat. Hoc tamen intelligitur, si ad longum tempus est impeditus; nam si uno, vel altero die impeditus esset, non teneretur ad subrogandum. Sic Castropalaus *de Orat. Publ. disputat. 3. punct. 1. numer. 11.* Suarez *de Hor. Canon. lib. 4. capit. 10. numer. 4.* Bonacina *de Priv. Recit. Div. Offic. disput. 1. quæst. 3. punct. 5. numer. 12.* & Filliuccius *tract. 23. capit. 4. numer. 131.*

Dico 4. Episcopum ex vi muneris Episcopalis non tene- 9
ri cum aliis Canonicis ad publicè recitandum divinum Officium in Choro, non solùm singulis diebus, sed nec Dominicis, & festis; ergo obligabitur tantùm, quando exigit ratio sui muneris; vel quando occurrit casus,

casus, & circumstantia talis, ut bonum exemplum sic exposceret, vel ratio vitandi scandalum; quod quidem ejus Prudentiæ, & Conscientiæ relinquitur examinandum. Sanum tamen consilium, non verò præceptum erit, si frequenter intersit, præsertim diebus Dominicis, & solemnioribus festis, ut ferè omnes Episcopi laudabiliter faciunt. Et quamvis non defuere docti Viri cum Sylvestro *verb. Hora quæst.* 10. Angelo *eod. verb. numer.* 28. Tabiena *eod. verb. numer.* 29. Navarro *de Orat. cap.* 4. *numer.* 14. & aliis, qui hanc obligationem agnoverint in Episcopo ex vi sui muneris, ducti *ex Cap. Episcopus dist.* 41. *Cap. Episcopus, de Consecr. dist.* 3. *Cap. Pervenit* 7. *quæst.* 1. *& ex Cap.* 5. *de Celebr. Miss.* maximè quia si Canonici, & Præbendati hac obligatione adstringuntur, ut omnes fatentur, & extra controversiam est; à fortiori adstrictus erit Episcopus, qui pinguioribus redditibus fruitur. Nihilominus communis sententia stat in oppositum, & meritò: ratio est, quia ex nullo Textu manifestè colligi potest hæc obligatio in Episcopis, quæ cum sit onus grave, absque convincenti Textu, & manifesta ratione imponenda non erit: Textus siquidem adducti non convincunt hanc obligationem, ut perpendenti illos apparet: Nec pinguiores redditus in Episcopis supra Canonicos, & Præbendatos probant hanc obligationem assistendi quotidie in Choro; sed incumbendi gravioribus negotiis Diœcesis, Concionibus, ac aliis functionibus suæ Jurisdictionis, & Muneris, quæ compati nequeunt cum assistentia in Choro: Et sic probant praxis, usus, & recepta consuetudo penes Prælatos, & Episcopos timoratæ conscientiæ, & singularis doctrinæ. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 91. *artic.* 2. *ad* 3. qui ait, Prælatos, qui docere Populum ex Officio tenentur, non debere ad Chorum obligari, ne per hoc à majoribus retrahantur juxta *Cap. Sancta dist.* 92. & quamvis non concionentur per se, sollicitudinem habent, ut concio fiat per alios. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 13. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 6. *punct.* 2. *in fin.* Filliuccius *tract.* 23. *cap.* 4. *quæst.* 8. Durandus *de Ritib. lib.* 3. *cap.* 21. *nu.* 11. Macignus *de Hor. Canon. cap.* 57. Bonacina *de Priv. Div. Offic. Recit. d sp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 5. *à num.* 8. & Castropalaus *de Orat. Publ. disput.* 3. *punct.* 1. *num.* 9.

CAPUT II.

An Canonici, & Præbendati graviter peccent, si non assistant Divinis Officiis in Choro?

1 *Canonici, & Præbendati Cathedralium, & Collegiatarum habentes distributiones afficiuntur obligatione publicè recitandi in Choro.*
2 *Obligatio ista sub gravi peccato afficit, & si ultra trimestre à Tridentino concessum absint; tenentur ad restitutionem.*
3 *An mortaliter peccet Præbendatus ultra trimestre absens à Choro sine causa, etiamsi cedat distributionibus, nec ob ejus absentiam omittitur divinum Officium.*
4 *Probabilior sententia docet graviter peccare.*
5 *Resolvuntur rationes adductæ in contrarium.*

1 EX dictis clarè deducitur, præceptum obligans ad publice recitandum in Choro divinum Officium afficere Canonicos, & Præbendatos Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, quibus distributiones conceduntur ad hunc finem celebrandi in dictis Ecclesiis divinum Officium, juxta consuetudinem ibi præscriptam: ea siquidem Lege, & obligatione conceduntur ipsis prædictæ distributiones; adeoque ex receptione ipsarum ad hoc onus subeundum adstricti remanent: *ut ex Cap. final. dist.* 92. *& ex cap.* 1. *de Celebr. Miss.* docent Sylvester, Angelus, Armilla, Turrecremata, & alii, quos refert, & sequitur Suarez *lib.* 4. *de Hor. Can. cap.* 10. *nu.* 17. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 1. *nu.* 13. & Bonacina *de divin. Offic. in chor. quæst.* 1. *punct.* 1. *nu.* 2. referens Filliuccium, & Macignum.

2 Obligatio autem ista extra controversiam, & dubietatem omnem sub gravi culpa afficit prædictos Canonicos, & Præbendatos, & cum onere restituendi, si ultra trimestre ipsis à Tridentino concessum *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* & absque legitima causa à Choro absentes fuerint, ac distributiones concessas assistentibus, & legitimè impeditis sibi usurpaverint: nam quod suum non esset, sibi usurparent; & sic sanctum est *in cap. unic. de Cleric. non resident. in* 6. & in Tridentino citato. Similiter graviter peccaret unusquisque illorum, si ob ejus absentiam absque legitimo impedimento omitteretur Officium divinum, aut non celebraretur cum debita solemnitate: & ratio est, quia unusquisque Cathedralis illius, vel Collegiatæ tenetur onera, & obligationes subire, & sustentare, ut ex communi Doctorum adnotat Suarez *lib.* 4. *de Hor. Can. cap.* 13. *numer.* 9. Et advertendum hìc: quòd major est obligatio Canonicorum, & Præbendatorum præ Regularibus Choro addictis: cùm obligatio in primis oriatur ex Justitia, & sub gravi culpa; in secundis verò ortum habet ex Regula, quæ non semper adstringit ad culpam. Sic Cajetanus, Suarez, Filliuccius, Armilla, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Offic. in chor. quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 10.

3 Controversia tamen est inter Doctores: an Canonicus, & Præbendatus, qui abest à Choro notabiliter ultra tempus à Tridentino permissum absque legitimo impedimento; mortaliter peccet, etiamsi cedat distributionibus, nec per ejus absentiam omittatur divinum Officium, aut minus decenter celebretur? Venialiter tantùm peccare docent Sylvester, Cajetanus, Angelus, Navarrus, Valentia, Reginaldus, Macignus, Barbosa, Layman, & alii relati à Castropalao *de Orat. Publ. disp.* 3. *punct.* 2 *num.* 2. & à Bonacina *de Offic. in chor. quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 1. moventur 1. quia nullus Textus adduci potest comprobans obligationem istam. 2. quia obligatio oritur ex distributionibus, ergo si ipsis cedit, cessat obligatio. 3. quia uno, vel altero die abesse ex propria negligentia non est grave peccatum; ergo neque multis diebus abesse, eo quia non continuantur omissiones illæ. 4. denique, quia eodem modo obligatur Canonicus ad Congressus Capitulares, ac obligatur ad præsentiam in Choro; ergo si non peccat graviter per frequentem absentiam à Capitulo, nec graviter peccabit per frequentem absentiam à Choro.

4 Sed mortaliter peccare rectiùs docet opposita sententia, quam sequor; eam enim docent Innocentius, & Hostiensis apud Sylvestrum *verb. Hora quæst.* 2. Suarez *lib.* 4. *de Hor. Can. cap.* 10. *num.* 17. *& cap.* 13. *à numer.* 5. Vasquez *de Benef. cap.* 4. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 182. Garzia *de Benefic.* 3. *par. cap.* 2. *num.* 231. *dub.* 15. Bonacina *l. c.* & Castropalaus *l. c. num* 3. ratio est, quia faciens in materia gravi contra proprium Officium, ad quod ex Justitia, & veluti contractu tenetur; graviter peccat: sed Præbendatus tenetur ex Justitia, & veluti contractu ad recitandum divinum Officium in Choro, ultra tempus à Jure permissum, & *si non fuerit legitimè impeditus*; ergo graviter peccabit, si per tempus notabile absit à Choro, etiamsi cedat distributionibus, & Officium in Choro non omittatur, sed decenter recitetur ab aliis. Minor probatur: quia finis intentus ab Ecclesia in concedendis beneficiis, & præbendis est, ut beneficiarii, & præbendati divina Officia celebrent in utilitatem, & devotionem fidelium, nec aliud publicum munus exercent in utilitatem ipsorum. Insuper sub gravi culpa tenentur ad residentiam ob eumdem finem, itaut cogi possint à Prælato sub pœna excommunicationis, & privationis fructuum, ac beneficii; ergo signum evidens est sub gravi obligari, & ex Justitia ad hoc munus jam acceptatum obeundum, esto magis excitetur ad illud per distributiones.

5 Ad rationes adversæ sententiæ respondetur ad primam afferendo Textus inducentes obligationem istam *in Cap. Clericus dist.* 91. *Cap. Relatis ead. dist. cap. si quis Presbyter dist.* 92. *cap. Dolentes de celebr. Miss. Clement.* 1. *eod. tit.* & Tridentino *Sess.* 6. *cap.* 1. *Sess.* 20. *cap.* 3. *Sess.* 22. *cap.* 3. *Sess.* 23. *cap.* 1. *& alibi*, ubi Residentia injungitur similibus Beneficiariis ad satisfaciendum suæ obligationi, quæ regulariter nulla alia est, nisi assistentia in Choro. Ad secundam negando, obligationem assistentiæ in Choro oriri ex distributionibus, sed ratione beneficii jam acceptati. Ad tertiam concedendo, non esse grave peccatum uno, vel altero die abesse; imò extenditur ad quatuor dies in anno cum Bonacina *loc. cit. numer.* 2. eo quia levis materia reputatur, adeoque levis culpa; sed ulteriùs abesse gravis censetur materia, & consequenter gravis culpa. Et quamvis omissio recitationis privatæ in uno die non connectatur cum alia, eo quia obligatio privatim recitandi affixa est diei; non sic verò obligatio assistendi in Choro, ibique publicè psallendi, quæ suam moralem connexionem habet ex mente Legislatoris, & consuetudine approbata à Viris prudentibus, & unam residentiam constituit; & de facto Tridentinum decre-

vit, ne omissio assistentiæ in Choro ultra tres menses protraheretur. Ad 4. negando eodem modo obligari ad assistendum Capitularibus Congressibus, ac Choro: non enim ita stricta est prima obligatio, ac secunda, & de facto qui vocatur ad Congressum Capitularem tempore divinorum Officiorum, non tenetur adire sine necessitate, & ejusdem sub pœna amissionis distributionum *ex Decreto Clementis VIII. die* 18. *Januar.* 1601. & ratio ulterior est, quia assistentia Capitulo non pertinet ad Officium Ecclesiasticum, ut assistentia Choro; nec pro tali assistentia signantur distributiones, ut signantur pro assistentia Choro. Non nego tamen, nimis commendatam esse Canonicis assistentiam Congressibus Capitularibus, ubi consulitur bono Ecclesiæ, ne damnum aliquod patiatur: quia utraque obligatio afficit Canonicum, sed non eodem modo, ac sub eadem culpa, nisi quando assistentia Capitulo necessaria ad rectam Ecclesiæ illius gubernationem: ut tradit Castropalaus *de Orat. publ. disp.3. pun.2. num.5.* & Bonacina *de Off. in Chor. disput.2. quæst.1. punct.2. num.5.*

CAPUT III.

Resolvuntur varia Quæsita ad Recitationem Divini Officii in Choro spectantia.

1 *An non solùm Præbendati teneantur interesse Choro, verùm etiam ibi canere?*
2 *An Præbendati teneantur per se assistere Choro, an possint per alium?*
3 *Quonam pacto assistere debeant Præbendati Choro, ut distributiones lucrentur?*
4 *Quid dicendum, si Præbendatus vel non recitaret partem suam, aut eam submissa voce diceret, & tantum attenderet ad alteram partem Chori; an possit dimidiam partem distributionum lucrari?*
5 *Quonam Ordine, Tempore, Loco, Habitu, & Situ corporis assistendum Choro?*
6 *Quam pœnam incurrant Præbendati non assistentes Choro?*

1 QUÆRES 1. an non solùm Præbendati teneantur interesse Choro, verùm etiam ibi Divinum Officium recitare, & canere? Resp. teneri per se loquendo omnes Præbendatos Divinum Officium recitare in Choro juxta Ritum Ecclesiæ, cui inserviunt: ratio est, tum quia *ex cap. fin. dist.92.* Clericus deputatus Ecclesiæ obligatur ad accedendum Ecclesiæ, ibique psallendum Divinum Officium; tum quia ex sua primæva institutione Officium proprium Canonicorum, & Præbendatorum est Choro inservire, ibique Divinas Laudes persolvere: esto si ibi non persolvant publicè, teneantur privatim; ergo per se loquendo tenentur omnes Præbendati Divinum Officium in Choro psallere. Quòd autem teneantur canere illud juxta cantum in choro consuetum, & secundùm modulos Gregorianos, non verò musicos figuratos, cùm isti necessarii non sint, esto honesti sint, & commendabiles; clarè colligitur *ex capit. ultim. dist.* 92. ubi dicitur: Clericos Choro deputatos debere in Ecclesia convenire ad quotidianum psallendi Officium; psallere autem non est submissa voce recitare, sed alta, & sonora voce: maximè quia munus Canonici, & Præbendati est canere, & alta voce recitare; & quilibet tenetur munus suum rectè obire: quapropter non sufficit merè assistere in Choro, sed ulteriùs requiritur ibi canere. Sic Sotus, Graffis, Macignus, Navarrus, Suarez, Azorius, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Offic. in Chor. disp.1. quæst.3. pun.1. §.1. dub.2. & disp.2. quæst. 1. punct. 3. num.5.* Castropalaus *de Orat. Publ. disp.3. pun.3. num.3.* referens Petrum Navarrum, Monetam, & Pesantium.

2 Quæres 2. an Præbendati teneantur per se assistere Choro, ut distributiones acquirere possint; an verò possint alium substituere? Resp. per se loquendo debere ex se ipsis Choro assistere, & ibi Divinum Officium publicè psallere juxta ritum suæ Ecclesiæ: ratio est, quia est obligatio personalis, quæ per alium adimpleri non potest, nec in illum transferri; maximè quia sic habetur in Tridentino *sess.24. cap.12. de Reform.* ubi præscribitur, ut omnes compellantur, Divina Officia per se, & non per substitutos celebrare. Sic Calderinus *Consil.221. in fine*, Tuscus *tom.2. concl.514. num.6.* Lessius *lib.2. cap.34. dubit.33. num.184.* Suarez *lib.4. de Hor. Canon. cap.12. num.11.* Azor. *1. par. lib.10. cap.11. qu.5.* Lessius *lib.2. cap.34. dubit.33. num.184.* Layman *lib.4. tract.2. cap.7. quæst.6. num.6.* Garzias *de Benef. 3. par. cap.2. num.518.* Navarra *lib.2. cap.2. num.114.* Castropalaus *de Orat. Publ. disp.3. pun.3. num.5.* & Bonacina *de Offic. in Chor. disp.2. quæst.1. pun.1. num.1.* qui addit cum Castrop. *l.c.* etiamsi absens sit dummodo ejus loco substitutus assistat, & psallat; muneri suo satisfaciet, & distributiones lucrabitur.

Quæres 3. quonam pacto assistere debeant Præbendati, ac Horas recitare, ut distributiones lucrari possint? Resp. teneri ad attendendum, & audiendum more orantium: ratio est, quia nequit dici præsens alicui rei ille, qui ad aliud attendit confabulando, legendo disparata, scribendo, aut dormiendo: sic enim vana, & inutilis prorsus esset eorum assistentia, & præsentia in choro, ut per se patet; & tradit *Lex coram Titio. ff. de Verbor. signific.* Teneri insuper ad attendendum, & audiendum ea, quæ pars altera Chori canit, & psallit: ratio est, quia sic persolvitur, & integratur Recitatio publica Divini Officii in Choro, ut alternatim facta una pars Chori cum alia communicet. Et sic docent Suarez *lib.4. de Hor. Canon. cap.12. num.9.* Lessius *lib.2. cap.34. dubit.33. num.184.* Moneta *quæst.2. de distribut. num.* 24. Bonacina *de Priv. Recit. Divin. Offic. disp.1. quæst.3. pun.2. §.1. num.19.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.3. pun.4. num.3.* Hæc tamen intelligi debent non solùm de Præbendatis, qui per se assistere, & canere tenentur in choro; verùm etiam de Præbendatis habentibus substitutum, & qui merè assistunt: nam frustra requireretur eorum præsentia ad distributiones lucrandas, si eas lucrari possent per puram materialem præsentiam, quamvis voluntariè distracti essent ad alia: distributiones siquidem ob assistentiam, & præsentiam humanam, ac cedentem in Dei obsequium, & Cultum, ac Venerationem Divinorum Officiorum concessæ sunt; & qui ad ipsa nullatenus attendit, nec præsens moraliter, nec humano modo dicitur. Sic Azor. Ledesma, Lopez, Vega, Rodriquez, Raphael de la Torre, Barbosa, Lessius, Navarrus, Macignus, Navarra, Filliuccius, Molfesius, Moneta, Pesantius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *l.c. num.2.* & Bonacina *l.c. num.18. & 19.* contra Garziam *3. par. de Benef. cap.2. num.514.* putantem, posse hos distributiones lucrari, quomodocumque assistant, dummodo privatim recitent, quod semper est supponendum. Et advertendum: quòd Præbendati, qui per substitutos recitare possunt Officium in choro; deficientibus substitutis tenentur per se ipsos psallere, si distributiones lucrari velint. 3

Sed quid dicendum: si quis Prębendatus submissa voce recitaret partem suam, vel eam non recitaret, sed tantùm attenderet ad partem alteram Chori; an inquam posset saltem dimidiam partem distributionum lucrari? Resp. quamvis concedant dimidiam partem distributionum in tali casu Suarez *lib.4. de Hor. Canon. cap.12. num.18.* Filliuccius *tract.23. cap.6. quæst.5. num.196.* Bonacina *de Priv. Recit. Div. Offi. disp.1. quæst.3. pun.2. §.1. num.17. in medio*, Navarra *lib.1. de Restit. cap.2. num.222.* Cenedo *collect.15.* ad *6. num.6.* eo quia dimidiatè exequeretur munus suum. Nihilominus, longè probabilior mihi videtur opposita sententia docens, nullas distributiones lucrari: ratio est, quia distributiones 4

con-

conceduntur publicè recitantibus in Choro, ob quam recitationem fideles ad devotionem excitari possint, non verò ob assistentiam infrugiferam, & mutam; sed qui submissa voce recitat, vel non recitat, quamvis privatim postea recitet, etiamsi attendat ad ea, quæ alter Chorus psallit; non publicè recitat, nec communicat cum aliis in publica recitatione; eo quia non facit cum aliis unum Officium Canonicum publicum; ergo nullas distributiones lucrari potest. Favet Constitutio Pii V. absolutè denegantis fructus, & distributiones ei, qui licèt interfit Choro, non recitat. Sic Azor. 1. *par. lib.* 10. *cap.* 11. Navarrus *de Orat. cap.*10. *num.* 47. & Castropalaus *de Orat. Public. disp.*3. *punct.*4. *num.*5. In eo tamen casu concederem integras distributiones Præbendato, si suam partem publicè recitaret, & percipere non posset, quæ altera pars Chori psallit, nec per eum stet, quin percipiat; tunc enim censeretur cum aliis ex parte sua communicare; quamvis privatim deberet supplere defectum. Et sic docent Navarrus *l. c. num.* 41. Suarez *de Hor. Canon. lib.*4. *cap.* 30. *numer.*15. Moneta *de Distribut. 3. par. quæst.*2. *num.*47. Bonacina *l. c. num.*20. & Castropalaus *l. c. num.*6.

5 Quæres 4. Quonam Ordine, Tempore, Loco, Habitu, & Situ corporis recitandæ sint Horæ Canonicæ in Choro? Resp. quod spectat ad Ordinem recitandi Horas, & Tempus, desumendum esse tum ex consuetudine Ecclesiæ, tum ex Rubricis Breviarii, & ex Decreto Pii V. præcipientis prædictam recitationem juxta formam ibidem præscriptam tum quoad substantiam, tum quoad modum. Invertere autem Ordinem Horarum in Choro, ut si priùs dicatur Tertia, postea Prima; aut si Psalmi dicantur ante Hymnum; vel unus Psalmus posterior ante priorem; erit grave peccatum, si absque necessitate, & gravi causa fieret nisi levitas materiæ, aut inadvertentia excuset. Idem dicendum de notabili anticipatione temporis: ut si extra Quadragesimam manè recitarentur in Choro Vespertinæ Horæ: ratio est, quia tollitur uniformitas consuetæ recitationis Horarum, & publicæ Orationis, quæ decorem confert Ecclesiæ Dei, & occasionem præbet fidelibus gravis offensionis, & scandali in recitatione publica, quidquid sit de privata. Sic Suarez *lib.*4. *de Hor. Canon. cap.*11. *numer.*7. Filliuccius *tract.*23. *capit.*6. *quæst.*1. Molfesius *cap.*2. *num.*29. & 42. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.*3. *punct.*5. *num.*1. & Macignus *de Hor. Canon. cap.*45. *num.*5. referens Sotum, & Toletum. Quoad locum extra controversiam est, recitationem fieri debere in Ecclesia *ex Cap. fin. dist.*92. *capit.*1. *de Celebr. Miss. & Clemen.* 1. *eod. tit.* nisi consuetudo, aut gravis necessitas aliud exposcat. Sic Bonacina multos referens Authores *de Priv. Recit. Div. Offic. disputat.* 1. *quæstion.* 3. *punct.* 5. *numer.*1. Quoad Habitum, & Sessionem in stallo servanda erit consuetudo Ecclesiæ illius, quæ si statuit sine consueto habitu, & nisi in proprio stallo non lucrari distributiones; ita servandum erit: à Jure autem nil circa hoc statutum est. Sedere autem, dum alii Canonici stant; vel stare, dum alii genuflectunt; aliquam culpam inducit, si sine justa causa fiat: est enim aliqua irreverentia divinis Laudibus, ac suspicionem modicæ devotionis ingerit; quæ tamen culpa non excedit veniale peccatum: ut docent Suarez, Toletus, Navarrus, Macignus, Filliuccius, Reginaldus, Molfesius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Priv. Recit. Div. Offic. disp.*1. *quæst.*3. *punct* 6. *num.*1.

6 Quæres 5. quam pœnam incurrant Præbendati non assistentes divino Officio in Choro? Resp. privari distributionibus, si absque legitima causa Choro non intersint: ratio est, quia solùm intervenientibus Choro donantur distributiones; adeoque qui sine legitima causa non intervenit, remanet distributionibus privatus. Sic statutum est *in Cap. unic. de Cler. non resid. in* 6. & in Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Et quamvis controvertatur: an hæc pœna incurratur ante sententiam Judicis, eo quia quælibet pœna etiam privativa, dummodo distincta sit à Censura; probabile est, non incurri ante Judicis sententiam, & saltem ante declarationem criminis. Nihilominus, ut certum tenendum est, eam incurri ante quamcumque Judicii sententiam: ratio est, quia quilibet tenetur ante quamcumque sententiam Judicis restituere id, cujus dominium acquirere nequit, nec suum facere; sed absens à Choro sine legitima causa acquirere nequit dominium distributionum, easque suas facere; ergo ante quamcumque sententiam tenetur restituere, ut expresè habetur *in Cap. cit.* Ad eum modum, quo ante sententiam Judicis tenetur restituere Legatarius legatum perceptum sub conditione residendi in tali Civitate, si non resederit: & ratio ulterior est, quia non privatur Jure sibi quæsito; sed privatur eo, quod poterat acquirere, si resedisset. Sic docent Moneta *3. par. quæstion.*7. *num.*71. Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disput.*2. *quæst.*7. *punct.*2. *numer.*2. & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.*3. *punct.* 6. *numer.* 3. Aliæ pœnæ sunt, quibus non ipso facto subjacent, sed per sententiam Judicis imponendæ Præbendatis ultra trimestre à Tridentino permissum non residentibus: nempe quòd primo anno, & prima vice privandi sunt dimidia parte fructuum, quos residendo lucrati sint. Si iterum eadem negligentia usi fuerint, privandi sunt omnibus fructibus. Crescente tandem contumacia spoliandi sunt beneficio. Sic Tridentinum *Sess.*24. *cap.*12. *de Reform.*

CAPUT IV.

Quid sint Distributiones; quæ Species earum? quo Jure introductæ; & an distinctæ à fructibus?

1 *Distributiones largè acceptæ varias significationes habent.*
2 *Explicatur, quid sint strictè acceptæ.*
3 *Distributiones genericè acceptæ dividuntur in suas Species.*
4 *Distributiones inductæ fuere Jure humano Ecclesiastico.*
5 *Distributiones strictè acceptæ per se distinguuntur à fructibus beneficii.*
6 *Privatus distributionibus ob crimen commissum non ideo privatur fructibus.*
7 *Cui concessum est tempore absentiæ percipere fructus, non est concessum percipere distributiones.*
8 *Beneficium habens distributiones, & fructus si pensio ipsi imponatur; gravatur in fructibus, non verò in distributionibus, nisi exprimantur.*
9 *In beneficio impetrando mentio fructuum facienda est, non distributionum.*
10 *Quando sequestrantur fructus beneficii, non sequestrantur distributiones, nisi exprimantur.*

DISTRIBUTIONES, quæ à verbo distribuo nomen trahunt; varia sortiuntur nomina: dici nam solent portiones quotidianæ, eo quia pro rata portione conferuntur inservientibus divinis Officiis. Vestiaria, aut Victualia, quia eisdem inservientibus traduntur ad vestitum, & victum. Sportulæ, & Diaria ad similitudinem munerum, quæ in dies Judicibus occasione sui muneris conferebantur. Emolumenta beneficiorum, & præbendarum ob commodum, & utilitatem, quæ ex ipsis percipiuntur. Redditus Ecclesiasticorum, & beneficii: eo quia ex beneficiis Ecclesiasticis proveniunt. Eodem modo dicuntur proventus Ecclesiastici, & obventiones Ecclesiæ. Denique beneficia manualia, eo quia earum acquisitio est in manu, & potestate beneficiarii, cui liberum est eas lucrari assistendo in Choro, vel non lucrari non assistendo: vel quia manualiter traduntur, & distribuuntur quotidie. Cæterùm hæc nomina communia sunt Proventibus Ecclesiasticis, quicumque sint. 1

Strictè igitur loquendo, & propriè: Distributiones, de quibus agimus, sunt ea portio proventuum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ distribui, & dividi solet Præbendatis, & Beneficiariis pro rata servitii præstiti Divinis Officiis, & quam Præbendati, & Beneficiarii acquirunt ob assistentiam divinis Officiis in Choro: ut tradunt Azor. 2. *par. lib.* 7. *capit.*7. *quæst.* 1. Moneta 1. *par. quæstion.* 1. *numer.* 12. Garzias 3. *par. de Benefic. capit.* 2. *numer.* 440. Castropalaus *de Orat. Publ. disput.*3. *punct.* 6. *num.*5. & Bonacina *de Div. Offic. in Chor. quæst.* 2. *punct.* 1. *numer.*1. referens Parisium, Naldum, Tuscum, & Riccium. Quapropter ad rationem distributionum propriè, & rigorosè dictarum requiritur 1. ut sint portio proventuum beneficii, nam provenientes ex aliis redditibus, ut sunt portiones funerales, & Anniversaria; non dicuntur distributiones strictè, & rigorosè. 2. ut sint ordinariæ, & quotidianæ; nam distributiones extraordinariæ nec ex communibus beneficiorum redditibus coalescunt, sed ex privatis redditibus; nec sunt quotidianæ; nec accrescunt intervenientibus Choro, & divinis 2

vinis Officiis ; sed fabricæ Ecclesiæ, ut videre est in Tridentino *Sess.* 22. *cap.* 3. *de Reform.* 3. ut conferantur iis, qui intersunt Divinis Officiis in Choro : quapropter portiones illæ, quæ ex communi Massa alicujus Ecclesiæ conferuntur Clericis, etiamsi non interveniant Divinis Officiis, dummodo in Ecclesia sua resideant, aut sine justa causa ab ea non recedant ; non dicendæ erunt distributiones propriè dictæ. Sic ex Panormitano, Moneta, Macigno, Felino, Garzia, & aliis docet Bonacina *l. c. punct.* 2. *per totum*.

3 Dividi solent distributiones genericè acceptæ in suas species; nam aliæ sunt propriæ, impropriæ aliæ ; aliæ Ordinariæ, extraordinariæ aliæ ; aliæ à fructibus, & Massa beneficiorum separatæ, aliæ cum illis immixtæ, & confusæ; denique aliæ distribuuntur in pecunia, aliæ in fructibus, pane, vino, oleo, aut aliis rebus, quę juxta pręscriptum distribui debent Prębendatis divino Officio in Choro intervenientibus; ut patet ex dictis hucusque, & docent Azor. 2. *par. lib.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 3. Moneta *par.* 1. *quæst.* 2. Garzia 3. *par. de Benefic. cap.* 2. *num.* 440. & alii.

4 Usus distributionum non inductus est Jure naturali, vel Divino ; cum ex nulla ratione id colligi possit, aut ex aliquo Scripturę loco, vel Traditione, aut Patrum testimonio, ut putavit Moneta *de Distribution.* 1. *par. quæst.* 5. *num.* 19. sed tantùm ex Jure humano Ecclesiastico, ut patet *ex Cap. Licet de Præbend. Cap. final. de Conces. Præben. Cap. De cætero de Cler. non resid. Cap. unic. eod. tit. in* 6. & ex Tridentino *Sess.* 21. *cap.* 3. *de Refor.* Et quamvis posita assistentia in Choro Divinis Officiis jure naturę debeantur Prębendatis distributiones : eo quia qui altari servit, de altari vivere debet ; & dignus est Operarius mercede sua. Nihilominus hęc probant, Institutionem distributionum esse de Jure naturę ; sed quòd posita Institutione ipsarum Jure humano Ecclesiastico, & posita assistentia in Choro debeantur Jure naturę distributiones Ministris assistentibus. Sic Navarrus *de Orat. cap.* 18. *num.* 10. Durandus *de Ritib. Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 4. Bonacina *de div. Off. in Choro disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 1. & alii. Adnotandum tamen, quòd usus distributionum quotidianarum ante Concilium Tridentinum introductus fuerat pro aliquibus Ecclesiis, & Statuto postea ipsiusmet Concilii factus est universalis pro omnibus Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus non extabat.

5 Distinguuntur distributiones strictè acceptæ à fructibus beneficii per se loquendo, & regulariter : nam distributiones sunt portio coalescens ex fructibus, & proventibus beneficiorum, quæ pro rata distribuitur Præbendatis in Choro assistentibus divinis Officiis. Fructus verò beneficii sunt annui redditus beneficiario concessi titulo beneficii ; & quamvis ad acquisitionem illorum aliqua requiratur assistentia, non habetur tamen respectus ad illam, ut habetur in distributionibus. Sic Rota Romana *Decis.* 8. *de Præben.* Azor. 2. *par. lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 7. Rodriquez *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæstion.* 74. *artic.* 4. Gonzalez *Regul.* 8. *Cancell. §.* 7. *num.* 114. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *punct.* 6. *num.* 5. & Bonacina *de Div. Off. in Chor. disp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 1. *nu.* 4. referens Tuscum, Monetam, Hojedam, & Macignum, qui apertè colligunt ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

6 Ex dictis infertur 1. privatum distributionibus ob commissum crimen non ideo censeri privatum fructibus beneficii : ratio est, tum quia in materia pœnali restrictio facienda est, & benignior pars interpretanda ; tum quia propriè loquendo nomine distributionum non intelliguntur fructus beneficii, nisi aliud expressum fuerit, dummodo beneficium habeat distributiones distinctas à fructibus. Sic Decianus, Moneta, Gonzalez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Div. Off. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 5.

7 Infertur 2. non posse eum, cui concessum est tempore absentiæ percipere fructus, percipere etiam distributiones : nam distributiones non dantur ob solam residentiam, in qua dispensatur ; sed etiam ob debitam assistentiam divinis Officiis ; & aliunde, ut diximus, distributiones, & fructus sunt diversi inter se. Sic Glossa *in Cap.* 1. *de Cleric. non residen.* Rodriquez *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 74. *num.* 4. Azor. 2. *par. lib.* 7. *capit.* 7. *quæst.* 2. *in medio*, Moneta 1. *par. quæst.* 6. *numer.* 12. referens Cassadorum, & Gigas, Bonacina *l. c. nu.* 6. referens Riccium cum Rota Romana, Hojedam, Bertachinum, & Macignum.

Infertur 3. quando beneficium habet distributiones, & fructus, & pensio imponitur super beneficio ; intelligitur imposita super fructibus, non verò super distributionibus, nisi aliud exprimatur : eo quia pensiones, nisi aliud expressum fuerit; fructus beneficii afficiunt, non verò distributiones. Quòd si beneficium solas distributiones haberet, & id notum esset Pontifici pensionem imponenti ; utique pensio imposita distributiones afficeret, ne ejus impositio elusoria videretur. Sic Glos. *in cap. unic. de Cleric. non resid. in* 6. Rota Romana *Decis.* 134. *in novis*, Azor. Decianus, Moneta, quos refert, & sequitur Bonacina *de Div. Off. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 7. & 8. 8

Infertur 4. quando impetrandum est beneficium aliquod, non facienda est necessariò mentio distributionum; sed sufficit exprimere fructus, & valorem beneficii, etiamsi in solis distributionibus beneficium situm sit: ratio est, quia distributiones cum sint incertæ, & variis de causis impediri potest beneficiarius à consecutione ipsarum ; inde est, quòd non sint computandæ intra valorem, & fructus beneficii : maximè quia sic comprobat usus, & praxis, unde si beneficium in solis distributionibus consistat, non inde facienda est mentio earum, ut putavit Decianus *tom.* 1. *Consil.* 43. *num.* 15. Sic ex Gonzalez, Moneta, & aliis docet Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *numer.* 9. 9

Infertur 5. quando sequestrantur fructus, redditus, & proventus beneficii, non comprehenduntur distributiones regulariter loquendo : ratio est, quia distributiones strictè acceptæ, nisi exprimantur, aut sub alia circumstantia contineantur ; non veniunt nomine fructuum, reddituum, & proventuum; habent enim proprium nomen, sub quo exprimi debent, & sub quo communi usu, & praxi nominantur. Sic docet Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. §. proœmiali num.* 154. Boerius, Guttierez, Garzias, Moneta, quos refert, & sequitur Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. 10

CAPUT V.

De Qualitatibus requisitis in eo, qui ad Distributiones admitti possit.

1 *Prima qualitas ad distributiones lucrandas est Titulus, & Possessio beneficii.*
2 *Secunda qualitas, ut sit illius ætatis, ut intra annum promoveri possit ad Ordinem à beneficio requisitum.*
3 *Tertia qualitas est scientia eorum, quæ ad Ordinem sui beneficii rectè administrandum spectant.*
4 *Quarta qualitas est sufficiens peritia, & instructio in cantu.*

QUI Canonicatum obtinuit, vel simile beneficium, non statim intelligitur ad distributiones admissus, sed ulteriùs requiritur, ut idoneus ad illas reputatus fuerit à Capitulo, si qualitates debitas habuerit. Variæ tamen sunt qualitates requisitæ, ut Canonicus admitti possit à Capitulo ad distributiones lucrandas in Choro. 1. est, ut Titulum, & Possessionem habeat beneficii : & ratio est, quia distributiones cum acquirantur ratione beneficii ; nequibit jus acquiri ad illas, nisi beneficium habeatur : qui verò Titulum, & possessionem beneficii non habet, non dicitur habere beneficium, & per consequens neque Jus ad distributiones. Quapropter Canonicus contendens cum alio de Canonicatu, quem non possidet ; admitti nequit ad distributiones: eo quia nequeunt duo habere in solidum eamdem naturalem possessionem ejusdem tituli, nec in Canonicali loco eodem modo sedere. Sic *ex Cap. Licet causam de Probat.* & sic decisum à Rota Romana refert Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. Et quamvis Rota Romana requirat etiam primam residentiam, & Professionem Fidei ; hoc tamen ad summum intelligendum erit de Canonicis Cathedralis, non verò Collegiatæ, ut adnotat citatus Bonacina. 1

2. Qualitas est, quòd sit ejus ætatis, ut intra annum promoveri possit ad eum ordinem, quem suum beneficium requirit : ratio est, quia ex generali regula collationis validæ beneficiorum constat, quòd beneficiarius eam ætatem habere debet, ut intra annum possit promoveri ad Ordinem illum, qui beneficio 2

est

est annexus ; ergo similiter dicendum, ut admitti possit ad beneficium distributionum, cum ratione beneficii conferantur, ac consequantur ad illud *ex Cap. Dilectus de Præben.* nisi tamen speciale privilegium habuerit à S. Sede; imò dispensatus ad Canonicatum ante ætatem, intelligitur pariter dispensatus ad distributiones, cum accessorium sequatur principale : sed in hoc attendendum erit ad consuetudinem propriæ Ecclesiæ, & ad verba dispensationis obtentæ. Illud tamen certum puto, numquam dispensari ad lucrandas distributiones correspondentes functioni Ordinis, si illum exercere nequeat. Sic Glossa *in Cap. Ex ratione, de Ætat. & qualit.* Panormitanus, & alii cum Moneta 2. *par. quæst.* 19. *num.* 44. & Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. Ordo sacer beneficio annexus est in Cathedralibus tum in habentibus Canonicatum, tum in habentibus portionem : quamvis spectet ad Episcopum designare, cui beneficio annexum sit Sacerdotium, cui verò diaconatus, cui denique Subdiaconatus juxta facultatem à Tridentino sibi factam *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform. versic. In omnibus* ; facta tamen designatione poterit Episcopus habentes ea beneficia cogere, ut intra annum ordinem annexum recipiant, ut constat ex Tridentino *cit.* & ex Declaratione Cardinalium, quam refert Garzias 3. *par. de benef. cap.* 4. *num.* 22. In Collegiatis verò deduci debet ordo annexus, vel ex primaria Institutione beneficii, vel ex decennali consuetudine, aut ex legitima Constitutione, ut docet Bonacina *l. c. num.* 5. Adnotandum hic : quòd licèt non prærequiratur in eo, qui ad distributiones admitti poscit, ordo beneficio annexus, sed intra annum poterit illum accipere ; nihilominus si consuetudine firmatum sit, ut priùs Ordo recipiatur ; sic servandum erit. Adnotandum insuper : quod Jure Communi *in Clement. 2. de Ætat. & qualit.* statuitur : ut obtinentes beneficium, cui certus Ordo annexus est, si intra annum justo cessante impedimento ad illum Ordinem promoti non fuerint; dimidia distributionum parte priventur.

3 3. Qualitas est scientia eorum, quæ ad sui beneficii ordinem rectè administrandum spectant ; aut saltem idoneus, ac habilis sit, ut intra annum possit ea addiscere, & sic ad illum Ordinem promoveri : par enim non est, ut quis ad distributiones admittatur, & nesciat functiones sui Muneris rectè obire. Scientia autem ista talis esse debet, qualem requirit in Singulis Ordinibus Tridentinum, & nos explicabimus, cum de Sacramento Ordinis. Quòd si Canonicatus aliquis nullum Ordinem sibi annexum habeat; nihilominus requiritur, ut habens illum ea scientia polleat, quam Tridentinum requirit in Tonsurando, quòd videlicet sciat legere, & scribere, ac linguam latinam aliquo modo calleat, ut Divinum Officium persolvere possit, Rubricas intelligere, & denique ea, quæ ad munus suum exercendum necessaria sunt, ne periculo errandi se exponat, ut per se patet, & recta ratio dictat. Sic ex Gomez docet Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 1. & 2.

4 4. Qualitas est sufficiens peritia, & instructio in cantu, quo psalli debet Divinum Officium : nemo enim admittendus est ad munus illud, cujus partes exequi non potest *ex Cap. Cum in cunctis de Elect. & ex Cap. final. de Ætate & qualit.* & docent Henriquez, Navarrus, Moneta, Gomez, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num.* 3. Non puto tamen adeo necessariam hanc qualitatem, ut suppleri nequeat aliis qualitatibus majoris momenti : ut si Vir doctus, qui doctrina magnum decus Capitulo afferret; ineptus esset ad cantum, ut regulariter accidit : non ideo à distributionibus excludendus esset : quia hic defectus per qualitatem doctrinæ satis ultra suppletur, & sicuti admitti potest ad vocem in Capitulo, ita etiam ad distributiones. Debet tamen esse saltem Subdiaconus, ut admitti possit ad vocem in Capitulo, ut constat *ex Cap. Ut ii de ætat. & qualit.* & ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 4. Nec in hoc dispensare potest Episcopus, aut Capitulum, cum eis non detur dispensare in Jure Communi. Possunt tamen eum admittere ad distributiones, cum ad has non requiratur Ordo Sacer. Sic ex Moneta, Garzia, & aliis tradit Bonacina *l. c. num.* 4.

CAPUT VI.

Quibus competat Jus ad Distributiones?

1 *Omnes Clerici Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ admissi ad Distributiones, si Choro assistant juxta Constitutiones suæ Ecclesiæ : jus habent ad distributiones.*

2 *Quid dicendum de Canonicis supra numerum admissis simpliciter, & cum juribus Canoniæ?*

3 *Si Præbendati revera non assistant, vel fictione Juris non sint præsentes in Choro, non lucrantur distributiones, & si eas acceperint tenentur restituere.*

4 *Ad quem spectat assignare Quotam distributionum Horis Canonicis?*

5 *An resignans, aut permutans beneficium cum alio jus habeat ad distributiones, si resignatarius, aut permutatarius nondum possessionem acceperit?*

6 *An habens Canonicatum, & Dignitatem, aut duos Canonicatus si interveniat Choro duplicem lucretur distributionem?*

7 *An jus habeat ad distributiones, qui Choro assistit per Coadjutorem, aut Vicarium?*

COMPETIT jus istud ad distributiones omnibus Clericis Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ adscriptis, qui ad distributiones admissi inserviunt Divinis Officiis in suis Ecclesiis juxta legitimam constitutionem sui Capituli, aut dispositionem Superioris, vel dispensationem. Sic constat *ex Cap. unic. de Cleric. non resid. in 6. ex Cap. Licet. de Præben. ex Clementina. Ut ii, qui de ætat. & qualit.* & ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 3. *& sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Hinc est, quòd non solùm dignitates, ut sunt Archipresbyter, Archidiaconus, Præpositus, Primicerius, Decanus, Cantor, Thesaurarius & similes; verùm etiam Canonici, Mansionarii, Portionarii, & similes Officiales Choro deputati, & illi inservientes in divinis Officiis jus habeant lucrandi distributiones, ad quas admissi fuere. 1

Sed quid dicendum de Canonicis supra numerum admissis simpliciter, & cum juribus Canoniæ intra cœtum Canonicorum? Resp. jus habere ad distributiones, ut cæteros Canonicos antiquiores, & esse veros Canonicos; adeoque distributiones lucrari debere, ut illos. Sic ex *Cap. Pro illorum & Cap. Dilectus de Præbend.* docent Hoieda 1. *par. cap.* 12. *num.* 6. & 7. referens Bartolum, Baldum, Ferrariensem, & alios, Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 1. referens Monetam, Gomez, Castrum, & Tuscum. Dummodo tamen non fuerint creati Canonici supra numerum cum clausula illa, sine præjudicio antiquorum Canonicorum; tunc enim distributiones acquirere nequibunt; nec ipsis scientibus, & consentientibus fit injuria aliqua : ut tradunt Castro, Tuscus, Barbosa relati à Bonacina *l. c.* Prædicti Canonici supernumerarii etiam lucrari poterunt Mortuaria, & Oblationes, ut sunt pecuniæ, candelæ, prandia, & his similia, quæ singulis Canonicis dari consueverunt. Dummodo tamen hæc relicta fuerint, postquam constituti sunt Canonici supernumerarii; cum enim taxata fuerit portio à legante juxta numerum Canonicorum, inde est, quod supernumerarii ingrederentur cum præjudicio Canonicorum, & contra voluntatem disponentis taxam. 2

Quamvis Jus ad distributiones competat supradictis Clericis, nihilominus si revera non assistant, vel saltem fictione Juris non sint præsentes divinis Officiis in Choro recitando, & psallendo devotè, ac præstando ea munera, quæ uniuscujusque beneficium requirit ; eas lucrari non poterunt, nec suas faciunt, si acceperint : imò tenentur ad restitutionem ante Judicis sententiam, ut superiùs innuimus *ex Cap. Unic. de Cler. non resid. in 6.* & ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Hinc fit 1. Canonicum non assistentem divinis Officiis in Choro non lucrari distributiones etiam primis sex mensibus à die adepti beneficii ; & etiam tribus illis mensibus in anno, quibus permittitur à Tridentino abesse à Choro : ratio est, quia tantùm pro illis temporibus non privantur fructibus beneficii, non verò distributionibus, solis intervenientibus concessis. Sic ex Declaratione Sacræ Cong. & ex Gonzalez, & Riccio docet Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. *n.* 11. Fit 2. Non lucrari distributiones Canonicum, 3

qui

qui notabilem divini Officii partem attentè non recitat, aut devotè non attendit, ut si confabuletur, voluntariè obdormiat, aut quid simile faciat, etiamsi Sacerdos secreta dicat, aut fiat processio, vel alia Divini Officii pars à Cantoribus, aut Mansionariis persolvatur: ratio est, quia sicuti non participat cum illis in recitatione divini Officii; ita neque lucrari poterit distributiones parti illi omissæ correspondentes, dummodo notabilis sit; adeoque suas non facit, & ad restitutionem tenebitur. Sic ex Suarez, & aliis docet Bonacina *l. c. num. 13. in fine.*

4 Inquires 1. Ad quem spectet assignare quotam distributionum Horis Canonicis? Resp. si habeatur Constitutio Capituli eam designantis, standum erit designationi factæ, quæ supponitur jam consensu Prælati approbata: nam *ex Cap. Cum omnes de Constit.* habetur, quòd ad Episcopum cum Capitulo spectat ea decernere, quæ ad spiritualem Ecclesiæ administrationem faciunt. Distributiones igitur conferendæ erunt assistentibus Choro iuxta cuiuslibet Ecclesiæ rationabilem Ordinationem; & sic habetur *in Cap. Unic. de Cler. non resid.* Quod si taxa, & quota distributionum correspodens singulis partibus divini Officii facta non sit, sed facienda erit: poterit fieri vel à Pontifice, vel à Concilio Generali, vel Provinciali, aut à Prælato, qui sicuti potest compellere ad assistendum, & recitandum divinum Officium ex Trident. *sess. 24. cap. 12. de Reform.* sic etiam quotam, & taxam distributionum designare poterit; ut tradit Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 4. punct. 1. num. 4.* Qui addit, posse etiam à Capitulo fieri absque consensu Prælati: eo quia licèt Capitulum sine consensu Episcopi nequeat ea statuere, quæ ad totam Diœcesim spectant; poterit tamen ea decernere, quæ solùm spectent ad ipsummet Capitulum, & hanc Doctrinam colligit *ex Cap. Edoceri de Rescript. & ex Cap. Ex litteris de Constit.* In assignanda autem hac quota habendus erit respectus non solùm ad rationem Notarum Canonicarum, & Missæ; verum etiam ad rationem particularium Officiorum, quæ vel ex legitima consuetudine, vel ex particulari statuto illius Ecclesiæ recitari solent; necnon ad alias spirituales actiones, & Capitula, Supplicationes videlicet, Processionesque de Mandato Summi Pontificis, aut Prælati, vel ex Consuetudine Ecclesiæ faciendas; tandem ad Solemnitatem Officiorum, & majoris temporis insumendi in recitatione; & ad alias circumstantias, quæ dignos reddunt intervenientes maiori distributione; sicuti maior distributio convenit matutino, & laudibus, quàm parvæ Horæ; & maior Missæ, quàm Tertiæ. Sic ex variis Doctoribus tradit Bonacina *l. c. à num. 5. usque ad 10.*

5 Inquires 2. An resignans beneficium, aut permutans cum altero ius habeat ad distributiones acquirendas; si adhuc Resignatarius, vel ille, cum quo permutatio facta est, nondum possessionem acceperit? Resp. si Resignatio facta fuerit absolutè, & simpliciter, quæ in favorem alterius non cedit; & acceptata fuerit à legitimo Superiore, adeoque completa in suo esse; ex tunc privat Resignantem iure percipiendi distributiones: ratio est, quia ius ad distributiones habetur per verum, aut saltem coloratum beneficii titulum, ut clarè constat *ex Cap. Dilectus, & Cap. Pro illorum de Præbend.* sed facta Resignatione, eaque acceptata à legitimo Superiore caret Resignans titulo beneficii; ergo nequibit fructus, vel distributiones illius percipere. Sic Parisius, Moneta, & alii, quos refert, & sequitur Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. glos. 14. §. 2. num. 42.* & Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. num. 3.* Si verò Resignatio fuerit facta in favorem alterius, vel causa permutationis cum illo; cum hæc compleatur per possessionem beneficii cœptam à Resignatario, vel per possessionem beneficii cœptam ab ipso permutante, dummodo per ipsos non stet, quin possessio capiatur; inde est, quòd ante possessionem cum retineant titulum beneficii, pariter retineant jus ad distributiones beneficio annexas. Sic Parisius *de Resignat. Benef. lib. 1. quæst. 7. num. 9.* Moneta *3. par. quæst. 6. num. 55.* & Bonacina *l. c. num. 4.*

6 Inquires 3. An habens Canonicatum simul, & dignitatem, vel duos Canonicatus compatibiles ex dispensatione, vel ex alio titulo, si interveniat in Choro divinis Officiis; duplicem lucretur distributionem, an verò unam? Resp. per se loquendo non posse in eadem Ecclesia duplicem distributionem correspondentem illis beneficiis compatibilibus lucrari: ratio est, quia nequit unica solutione satisfieri duplici debito ex justitia commutativa contracto; nec unico actu duplici obligationi legis, nisi legislator aliter concedat; ergo per unicam assistentiam in Choro, & residentiam nequibit duplici obligationi satisfieri, ac duplicem consequi distributionem. Accedit, quòd nec majus servitium percipit Ecclesia, nec cum majori labore residere dicitur, qui hæc duo beneficia obtinet sub eodem tecto, ac si unicum tantùm obtineret; ergo si juxta residentiam, & debitum servitium præstitum Ecclesiæ distributiones tradendæ erunt *ex cap. unic. de Præbend. in 6.* par esse non potest, ut binas lucretur distributiones. Sic bis declaravit Sacra Congregatio, ut testatur Garzias *de Benef. 3. par. cap. 2. num. 185.* Azor. *2. par. lib. 7. cap. 7. quæst. 13.* Gomez, Curtius, Antonius, Gigas, Francus, & alii, quos refert, & sequitur Moneta *de distrib. 2. par. quæst. 4. num. 6.* Bonacina *de div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 4. punct. 3. num. 3.* Non nego, oppositam sententiam defendi ab Abbate, Baldo, Felino, Covarruvia, & aliis penes citatum Bonacinam; sed veriorem puto sententiam nostram. Dixi, per se loquendo, quia ex dispensatione expressa Pontificis, aut ex consuetudine legitimè introducta poterit binas distributiones lucrari. Quòd autem possit Summus Pontifex dispensare, patet ex dictis de legibus, ubi statutum fuit, posse legislatorem facere, ut quis unico actu pluribus obligationibus Legis satisfacere possit. Et si dispensatione id fieri potest, etiam consuetudine legitimè introducta fieri poterit: cum regulariter loquendo, quidquid dispensatione fieri potest, legitima consuetudine introduci poterit: & defacto consuetudine, & usu receptum est, habentem plura beneficia satisfacere pluribus illis obligationibus per unicam recitationem divini Officii. Et sic decisum fuisse à Sacra Congregatione testatur Macignus *cap. 69. num. 11.* & Bonacina *l. c.* testatur, esse communem sententiam. Adnotandum tamen: quòd ad hanc consuetudinem legitimè introducendam non sufficit spatium decem annorum, ut docuit Moneta *de distribution. 2. part. quæst. 4. n. 18.* sed omnino requiruntur quadraginta anni: & ratio est, quia consuetudo ista cum sit contra Jus commune requirere videtur tale temporis spatium; respicit enim idem, quod respiceret Dispensatio, quæ etiam per ipsum Monetam est contra Jus commune. Sic rectiùs Bonacina *l. c. num. 6.*

7 Inquires 4. An habeat Jus ad distributiones, qui inservit divinis Officiis in Choro per Coadiutorem, aut Vicarium? Resp. sive Ceadiutor simplex sit sine futura successione: sive cum futura successione ad idem beneficium, qui à solo Papa constitui potest, ut apertè constat ex Trident. *sess. 25. cap. 2. de Reform.* jus ad distributiones percipiendas non competit ipsi, sed illi, qui coadiuctus est; nisi ipse coadiuctus consenserit, ut distributiones tradantur Coadiutori; vel nisi sic Summus Pontifex disposuerit: ratio est, quia quod inductum est in favorem alterius, non poterit in ejus damnum retorqueri: ut habetur *in cap. Quod ob gratiam de Regul. Juris in 6. & cap. Ad Apostolicam de Regular.* ergo si inductus est Coadiutor in favorem Coadiuti, huic distributiones debentur, non Coadiutori; nisi aliter inter ipsos conventum fuerit; aut aliter Summus Pontifex disposuerit: & sic decisum à Rota testatur Bonacina *de div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 4. punct. 4. num. 3.* Accedit, quòd Coadiutor ex declaratione Pauli V. anno 1606. ut refert Naldus *verb. Canonicus num. 5.* non est verè Canonicus, nec sedet in stallo Coadiuti, nec ordinari potest ad eumdem titulum, nisi & futuram habeat successionem ad beneficium & ei assignata fuerint alimenta ob onera, quæ pro Coadiuto subit: ut tradunt Calderinus, Navarrus, Naldus, Riccius, Moneta, Gonzalez, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c.* Imò addunt prædicti Doctores, deberi Coadiuto distributiones, etiamsi Coadiutor non interveniat divinis Officiis ob legitimam causam excusantem illum. Quòd si causa absentiæ Coadiutoris legitima non fuerit, ideoque Coadiutus distributiones amittat; tenebitur resarcire Coadiutor, utpote injusta causa damni, quod Coadiutus patitur: ut ex Gonzalez referente Declarationem Sacræ Congreg. & ex Moneta advertit Bonacina *loc. cit. num. 5.*

CA-

CAPUT VII.

Ob quas causas absens à Choro Distributiones acquirere possit?

1 *Assignantur tres causæ, ob quas Præbendatus absens acquirat distributiones.*
2 *Quænam infirmitas excuset à Choro, & lucrari faciat distributiones?*
3 *Quænam justa, & rationabilis corporis necessitas excusat à Choro, & distributiones concedat?*
4 *Sumptio Medicinæ, sectio venæ, & convalescentia sunt justa necessitas corporis.*
5 *Mutatio aeris ex præscripto Medici, ad balnea se conferre, aut ad aliam civitatem ob consulendum eximium Medicum, vel ad reassumendos spiritus consumptos in nimia defatigatione cantus, sunt justa corporis necessitas.*
6 *Senio confectus habet justam, & rationabilem corporis necessitatem.*
7 *Timor pestis grassantis, & quilibet metus gravis injustè incussus quomodo sint justa, & rationabilis corporis necessitas?*
8 *An Præbendatus ab hostibus captus, vel in carcerem conjectus à Judice, aut in exilium pulsus lucrari possit distributiones?*
9 *An Præbendatus excommunicatus lucretur distributiones?*
10 *An Præbendatus Suspensus distributiones lucretur?*
11 *An Præbendatus Interdictus, aut si ipse interdictus non fuerit; possit in Ecclesia interdicta distributiones lucrari?*
12 *An tempore cessationis à Divinis, aut polluta Ecclesia, possit Præbendatus distributiones lucrari?*
13 *An Præbendatus Irregularis privetur ob Irregularitatem distributionibus?*
14 *An Præbendatus privatus beneficio possit distributiones lucrari?*
15 *An si depositus, vel degradatus fuerit, possit distributiones lucrari?*
16 *Evidens Ecclesiæ Utilitas lucrari facit distributiones Præbendato à choro absenti.*
17 *Enumerantur Sex casus, in quibus Præbendatus dicitur abesse à choro in evidentem Ecclesiæ Utilitatem.*
18 *In dubio an absentia fuerit in evidentem Ecclesiæ Utilitatem, standum judicio Doctorum Virorum; regulariter tamen si absentia sit ex commissione capituli ad negotium peragendum, constat de evidenti Utilitate.*
19 *An Præbendatus absens à choro ob suum votum adimplendum, aut ob facienda exercitia Spiritualia, vel consulendum Theologum in suis scrupulis; censeatur in Utilitatem Ecclesiæ abesse?*
20 *An Præbendatus occupatus à capitulo in expediendis negotiis, si possit ea expedire alio tempore à divinis Officiis; distributiones lucretur?*
21 *An Præbendatus, cui commissa fuere negotia expedienda matutino tempore, ipse verò expediat vespertino, & matutino expediat propria; lucretur distributiones?*
22 *An absens in Ecclesiæ Utilitatem absque facultate Episcopi lucretur distributiones?*
23 *An absens à choro ob inserviendum Pontifici, aut ejus legato lucretur distributiones?*
24 *An absentes à choro, ut capitulo assistant; lucrentur distributiones?*
25 *An Præbendati absentes à choro, quia Episcopo inserviunt, ut Vicarius Generalis, Visitator Diœcesis, Examinator Synodalis, aut illum in Visitatione comitentur; distributiones lucrentur?*
26 *An canonicus Pœnitentiarius absens à choro lucretur distributiones?*
27 *An Præbendatus habens Præbendam Magistralem, aut Doctoralem distributiones lucretur in absentia?*
28 *An Præbendati à choro absentes docendi, vel studendi causa distributiones lucrentur?*
29 *An possit ex Privilegio lucrari distributiones Præbendatus à choro absens?*
30 *An ex Statuto alicujus Ecclesiæ absentes lucrari possint distributiones?*
31 *An id possint ex consuetudine? Et explicantur variæ consuetudines, quarum aliquæ reprobantur.*
32 *An ex consuetudine introduci possit, ut absentes ex quacumque causa, etiam à Jure permissa non lucrentur distributiones?*
33 *An absentes lucrari possint distributiones per donationem, Remissionem, collusionem, aut Transactionem eorum, quibus accrescunt.*

STatutum est hucusque distributiones solis Præbendatis Divinis Officiis inservientibus tradenda esse. Nihilominus ex justis causis poterunt absentibus tradi, ut clarè constat *ex Cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.* Tres autem justæ causæ in prædicto Capite enumerantur. 1. est Infirmitas. 2. justa, & rationabilis corporis necessitas. 3. denique evidens Ecclesiæ Utilitas. Sed singulas has causas oportet ulterius explicare charitatis gratia; necnon alias causas, & titulos examinare, si sufficientes sint ad lucrandas distributiones in absentia à Choro. 1

2. Igitur causa est Infirmitas, quæ ut sufficiens sit ad excusandum à Choro, & distributiones lucrandas; debet esse gravis: levis siquidem infirmitas non sufficit ad excusandum à gravi obligatione: ut docent Covarruvias, Guttierrez, Vasquez, Barbosa, Menochius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. pun. 9. §. 1. num. 1.* Joannes Andreas, Geminianus, Moneta, Macignus, & alii quos refert, & sequitur Bonac. *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 1. n. 2.* Quænam verò infirmitas reputanda sit gravis, quænam verò levis extrajudicialiter dignoscenda erit judicio prudentis viri, seu periti Medici, in judicio tamen dignoscenda erit arbitrio Judicis Ecclesiastici cum consilio Medicorum. Sic Menochius, Hojeda, Moneta, Suarez, Navarrus, Azor. Macignus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c. num. 4.* & Castropalaus *l. c. n. 3.* Advertunt tamen Bonacina, & Castropalaus, quòd minor morbus requiritur ad excusandum à Recitatione publica in Choro, quàm ad recitandum privatim Divinum Officium: ratio est, quia licèt morbus in se levis sit; nihilominus per accessum ad Chorum, & defatigationem in canendo præbere potest probabile periculum incrementi; & dat justam, & rationabilem causam ob corporis necessitatem, ut à Choro absit. Non requiritur, ut infirmus distributiones lucretur; quòd non dederit causam infirmitati, quam habet; nec quòd sit in loco beneficii, dum est infirmus: gratis enim excogitantur hæc, cum Textus favens infirmis ea non apposuerit. Sic *ex Cap. Clericus victum dist. 91. cap. 1. de Cleric. ægrot. cap. Consuetudinem de Cleric. non resid. in 6.* docet Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 1. num. 1. 6. & 7.* alios referens, & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3, pun. 9. §. 1. num. 3. & 6.* plures afferens. Limitant tamen communiter Doctores, & rectè, dummodo antea infirmus consueverat Choro interesse; & dummodo ex causa legitima abiit à residentia, & ei supervenit infirmitas. Ex dictis infertur 1. Præbendatum laborantem febri, podagra, vel simili morbo, ob quem ad Ecclesiam accedere nequeat, & Ministeria Chori obire; posse distributiones lucrari. Infertur 2. Senem, qui sine gravi incommodo Choro inservire non posset, & sine gravi molestia; posse etiam distributiones lucrari: cum senectus ipsa morbus sit; dummodo tamen alias functiones non exerceret æqualis incommodi illis Chori, & à Choro abesset. 2

2. Causa est justa, & rationabilis corporis necessitas, qua quidem durante poterit distributiones lucrari, ea tamen sublata nequibit eas acquirere, si absens fuerit Præbendatus. Quænam autem sit hæc justa, & rationabilis corporis necessitas; non una est Doctorum mens: nihilominus ex casibus particularibus, quos apponam; videtur reduci ad grave damnum Vitæ, honoris, aut fortunæ; quælibet enim ex his necessitatibus ex benignitate S. Matris Ecclesiæ, quæ non patitur, suos filios aliquod grave damnum subire in tribus generibus assignatis bonorum; censenda erit justa, & rationabilis necessitas excusans à Choro, & concedens distributionum perceptionem: ut jure merito adnotat Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 9. §. 2. num. 1.* 3

Hinc fit 1. justam, & rationabilem necessitatem esse non interveniendi Choro, si Præbendatus ex consilio Medici se domi contineat, quia Medicina corpus expurgavit, aut sectionem venæ passus est; vel quia valetudinarius est, & convalescens ab infirmitate. Sic Archi- 4

diaconus,

diaconus, Francus, Probus, Ancharranus, Graffis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 2. num. 4. in fin.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 9. §. 2. n. 2.*

Fit 3. Senio confectos justum, & rationabilem necessitatem habere, adeoque posse distributiones lucrari in absentia à Choro. Senectus autem sic excusans dijudicanda erit arbitrio prudentum ex consilio Medicorum: ut ex Menochio, Holeda, Moneta, & aliis tradit Bonacina *l. c. num. 6.* Frequenter tales esse solent Septuagenarii, & frequentiùs octogenarii, quorum vita ærumnis, ac doloribus subiacet iuxta illud *Psal. 89. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Sic ex præcitatis Doctoribus tradit Bonacina *l. c.* dummodo tamen assueti fuerint inservire choro, de quo benemeriti reputantur, & veluti præmium præteritorum laborum in benedictionibus reportant.

7 Fit 4. Timorem pestis grassantis in Civitate, ad quam redire debet Præbendatus ex justa causa absens ab illa; aut timorem probabilem, & prudentem, quòd grassatura sit, si non grassatur; dare sufficientem necessitatem absentiæ à choro, & lucrandi distributiones. Idem dicendum de timore aliorum residentium in Civitate, ad quam redit Præbendatus veniens è loco non sano, & cum suspicione infectionis; compellitur enim in eo casu non assistere choro, cum aliunde ex se paratus esset assistere; adeoque distributiones acquirere potest. Sic etiam quilibet metus gravis injustè incussus erit sufficiens causa lucrandi distributiones in absentia, durante eo metu: ut si Præbendatus abesset à Choro ob vitæ metum à Principe iniustè Inculum; vel ob iniquum Judicis mandatum, cui si non pareat, grave damnum sibi imminet; aut si graves inimicitias haberet cum privato magnum damnum minitanti; nec per Præbendatum staret, quin tollantur inimicitiæ sine gravi dedecore; nam si grave dedecus ei redundaret, non teneretur tollere: in his enim casibus rederetur impotens moraliter ad assistendum Choro; & sicuti per impotentiam physicam absens ex iusta, & rationabili necessitate abesse dicitur, & distributiones lucratur; ita etiam per impotentiam moralem supradictam. Sic ex Menochio, Moneta, Azorio, Vasquez, & aliis docent Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 9. §. 2. num. 2. & 3.* & Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 2. num. 7. & 8.*

8 Inquires 1. An Præbendatus vi detentus ab hostibus, vel in carcerem conjectus à Judice; aut in exilium pulsus sufficientem habeat causam distributiones lucrandi in sua absentia à Choro. Resp. 1. Vi ab hostibus detentum, aut ab alia privata persona, si per ipsum non stet, nec per suam negligentiam, quin liber evadat, & Choro assistat; sufficientem causam habere lucrandi distributiones: ratio est, quia censetur impotens ad assistendum Choro, nec per ipsum stat, quin assistat. Sic Oddo, Moneta, Graffis, Azor. Navarrus, Macignus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 2. num. 8.* Resp. 2. conjectum in carcerem, aut in exilium à Judice pulsum, si causam dederit ob crimen patratum, & in judicio probatum; non habere sufficientem causam distributiones lucrandi: ratio est, quia sua culpa abest, ac ipsi imputatur absentia: nec ex sua culpa lucrum reportare debet. Secus verò dicendum, si causam non dederit, esto iniquis probationibus, & falsis testibus damnatus in judicio fuerit ad carcerem, vel exilium; aut ob suspicionem criminis ad ea damnatus: detecta siquidem innocentia, eaque per Judicis sententiam declarata; poterit distributiones repetere pro eo tempore amissas; ratio est, quia iniustè impeditus fuit, & absque sua culpa, quin Choro interesset, & debitum servitium suæ Ecclesiæ præberet. Sic declaravit Sacra Congregatio, ut referunt Naldus *verb. distributiones numer. 10.* Garzias *de Benef. 3. par. cap. 2. num. 362.* Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 2. §. 1. num. 1.* Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 9. §. 2. num. 3.* referens Covarruviam, Quarantam, Monetam, & alios.

Inquires 2. An Præbendatus excommunicatus lucretur distributiones? Resp. si iustè excommunicatus fuerit, distributiones lucrari non poterit, dummodo maiori excommunicatione irretitus fuerit: ratio est, quia non ob necessitatem iustam, & rationabilem abest, sed ex sua culpa, & malitia: ut Doctores communiter tradunt. Quòd si absolutionem peteret, nec per ipsum staret, quin absolvatur; tunc si à superiore iustè denegatur absolutio, nequibit distributiones lucrari; si verò iniustè denegetur, nec per ipsum stet, quin satisfactionem præbeat, & choro assistat; lucrari poterit distributiones: eo quia reputandus erit, ut injustè excommunicatus. Sic Vasquez *de Benef. cap. 4. §. 3. num. 231.* Suarez *de censur. disp. 13. sect. 2. num. 16. & 20.* Bonacina *de div. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 2. §. 2. num. 1.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 9. §. 2. num. 4.* Non nego tamen, quod si iustè excommunicatus Divinis officiis assisteret, quamvis illicitè; posset distributiones lucrari: eo quia non est ipso iure privatus distributionibus, quamvis privandus veniat *ex cap. Pastoralis §. Verum de Appellat.* & docent Glossa ibi, Navarra, Vasquez, Avila, Sanchez, Coninch, quos refert & sequitur Castropalaus *l. c. in fine*, & Bonacina *l. c. num. 2.* Qui tamen limitat, dummodo vitandus non sit; quamvis limitatio hæc displiceat Castropalao: eo quia cæteri Doctores hanc limitationem non apponunt; nec distinguunt inter vitandum, & toleratum, sicuti nec jus distinguit; & sicuti Præbendatus peccator, & assistens Choro ob pravum finem distributiones lucratur, quia præstat munus suum; ita etiam excommunicatus vitandus. Si verò iniustè excommunicatus fuerit, & antea divinis Officiis assistere solebat; distributiones lucratur: ratio est, quia ob rationabilem necessitatem censendus est abesse. Debet autem, si commodè possit, absolutionem petere, ac se demonstrare paratum ad assistendum Choro, & removendum omne impedimentum absolutionis: sic enim verificatur, quòd per ipsum non stet, quin Choro interfit, & tamen iacturam distributionum patiatur, quam pati non debet *ex Regul. cum non stet de Regul. Jur. in 6.* maximè quia non deliquit; & pœna amissionis distributionum non debetur ron delinquenti *ex cap. Sicut dignum de Homicid.* Sic Suarez *de cens. disp. 13. sect. 2. num. 20.* Vasquez *de Benefic. cap. 4. §. 3. dub. 4. n. 230.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 4.* Rodriquez *1. par. cap. 29.* Sayrus *de censuris lib. 2. cap. 5. num. 25. & 27.* referens Panormitanum, Navarrum, Felinum, & alios, Bonacina *de div. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 2. §. 2. num. 4.* referens Macignum, Garziam, & Layman, Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 9. §. 2. num. 4.* referens Navarram, Guttierrez, Sà, & Barbosam. In dubio tamen, an excommunicatio lata fuerit iustè, vel iniustè; standum erit in favorem Superioris excommunicantis, & dum non constat de nullitate, & iniustitia excommunicationis, distributiones deponendæ erunt pendente lite penes aliquem, ut declarata iniustitia Domino, vel alteri, cui de iure competunt, tradantur; quòd si alicui applicatæ fuere, repetendæ erunt ab illo. Sic Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*.

Inquires 3. An Præbendatus Suspensus lucretur di- 10
stributiones? Resp. si iniustè suspensus sit ab Officio, lucrari poterit distributiones, exceptis iis, quæ proveniunt ab ipso Officio: ratio est, quia suspensus ab Officio non privatur ipso iure, quin Divinis assistere possit, ac distributiones percipere, iis exceptis, quæ Officio, à quo est suspensus, annectuntur. Sic Suarez, Garzias, Sayrus, Covarr. Felinus, & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de div. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 2. § 3. n. 2.* Si verò iustè suspensus fuerit à beneficio, vel divinis Officiis; non poterit distributiones lucrari, etiamsi divinis Officiis assistat, docet Bonac. *l. c. n. 3. & 4.* ex Sayro, Felino, & aliis, nisi fortè toleratus fuerit. Nihilominus probabilius puto, etiamsi toleratus non fuerit, & Divinis Officiis assistat; posse

distri-

distributiones lucrari : eo quia, ut supra diximus de excommunicato *ex cap. Pastoralis* non est ipso jure privatus distributionibus, quamvis veniat privandus, cum nullibi reperiatur ipso jure privatum esse fructibus Officio malè exercito correspondentibus; ut habent Garzias 7. *par. de benef. cap.* 4. *n.* 58. plures referens, & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 2. *n.* 9. Si verò iniustè suspensus fuerit, sive ab Officio, sive à beneficio, aut Divinis Officiis, poterit distributiones lucrari, easque recuperare declarata injustitia Suspensionis, ut dictum est de excommunicato: iniustè enim, & per vim coactus est, ne Choro interfit, cui assuetus erat interesse; & ubi nulla est culpa, æquitas exposcit, ut nulla interveniat pœna. Sic Felinus, Sayrus, Navarrus, Panormitanus, Vega, Moneta, Guttierrez, Garzias, Barbosa, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c. n.* 1. & Castropalaus *l. c.*

11 Inquires 4. An Præbendatus interdictus lucrari possit distributiones? Et si interdictus non fuerit, an eas lucrari possit in Ecclesia interdicta? Resp. si injustè interdictus fuerit, & Divinis Officiis assistat; non privatur ipso jure distributionibus: adeoque poterit declarata injustitia interdicti eas sibi recuperare, ut superius diximus de excommunicato, & suspenso ob rationes ibi allatas. Si verò justè interdictus fuerit, & divinis Officiis assistat; non privatur ipso jure distributionibus, sed privandus venit juxta ea, quæ immediatè diximus de excommunicato, & Suspenso, etiam si vitandus fuerit. Quod si Præbendatus interdictus non fuerit, celebrat tamen Divina Officia in Ecclesia generaliter interdicta; lucrari poterit distributiones servando ea, quæ *in cap. Alma Mater. de senten. excomm. in 6.* præscribuntur, ut est extra controversiam: dummodo causam non dederit interdicto, vel ob ejus culpam latum fuerit. Si tamen Ecclesia sit specialiter interdicta, non privatur distributionibus: quia per ipsum non stat, quin Divinis Officiis assistat, & distributiones lucretur; non enim causam dedit interdicto: & quod culpa caret, In damnum vocari non debet *ex cap.* 2. *de Constitut.* & sic docent ex Henriq. Covar. Macigno, Suarez, Sayro, Avila, & aliis Bonac. *de div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 2. §. 4. *n.* 5. & 6. & Castrop. *de Orat. Publ. disputat.* 3. *pun.* 9. §. 2. *numer.* 10.

12 Inquires 5. An tempore Cessationis à Divinis possint Præbendati distributiones lucrari; aut dum polluta Ecclesia est? Resp. si Præbendatus causam non dederit Cessationi à Divinis, quamvis distributiones non lucretur, cum non liceat tunc temporis Divina Officia celebrare; nihilominus actionem habet repetendi illas contra dantem causam, qui tenetur restituere Præbendatis omne interesse, quod patiuntur ex omissa assistentia Divinis Officiis, & perceptione distributionum. Sic statuitur *in cap. Si Canonici §. Scisciatari de Offic. Ordin. in 6.* & sic docent Covarr. Moneta, Sylvester, Henriq. Coninch, Suarez, Sayrus, quos referunt, & sequuntur Bonac. *de div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 2. §. 5. *n.* 3. & Castrop. *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 2. *n.* 11. Tempore verò Pollutionis Ecclesiæ, & Violationis distributiones percipere possunt; cum per ipsos non stet, quin celebrentur Divina Officia, & ipsis assistant: ut ex Moneta, & aliis docent Bonac. *l. c.* §. 6. *n.* 1. & Castropalaus *l. c. n.* 10.

13 Inquires 6. An Præbendatus Irregularis privetur distributionibus ob irregularitatem? Resp. si irregularitas contracta sit ante beneficii collationem juxta sententiam eorum, qui docent, collationem beneficii irregulari factam nullam esse; non posse lucrari distributiones; de qua re agendum erit cum de beneficiis. Si verò post beneficium collatum contracta fuerit, per se posse eas lucrari: eo quia irregularitas non impedit per se posse divinis Officiis assistere; sed susceptionem ordinum, & susceptorum exercitium. Ratione tamen alicujus circumstantiæ, ut si aliquem Ordinem exercere deberet, cui annexæ essent distributiones; vel si irregularitatem contraxit ob delictum, cui adjuncta sit privatio ipso facto beneficii; non posse in tali casu distributiones lucrari: eo quia sublato principali, & antecedente tollitur accessorium, & consequens. Sic Bonacina *de div. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 2. §. 7.

14 Inquires 4. An Præbendatus, qui beneficio privatus fuit; possit distributiones lucrari? Resp. si privatus fuerit beneficio ob delictum commissum, cui ipso facto annexa sit beneficii privatio, licèt non teneatur beneficium à se abdicare, nisi post sententiam declaratoriam Judicis criminis commissi, adeoque videtur pro eo tempore posse distributiones lucrari. Nihilominus posita sententia declaratoria amissio distributionum retrotrahitur, ac incipit à die patrati criminis, ac si tunc sententia declaratoria lata fuisset. Secus verò dicendum, si privatio non sit ipso facto, sed inducenda per sententiam Judicis, annectitur siquidem delicto pœna comminatoria futuræ privationis; tunc solùm privabitur jure percipiendi distributiones à die latæ sententiæ; & si tempore antecedenti Choro assistat, distributiones lucrari poterit. Poterit tamen ab hac sententia condemnatoria, sicuti etiam à sententia declaratoria criminis bis legitimè appellare *ex Leg.* 1. *ff. de Appellat.* & interim suspenditur effectus sententiæ, & si reus assistat Choro distributiones lucrabitur cum onere, quòd si sententia lata bis confirmata fuerit, vim suam retineat ab eo die, quo lata fuit, ac si nulla appellatio facta fuisset. Si verò sententia privationis revocata fuerit per Judices Appellationis, & bis confirmata per ipsos revocatio; vel reus plenè absolutus, & liberatus fuerit; non solùm retinere sibi poterit distributiones acquisitas per assistentiam; sed etiam percipere eas in absentia à Choro ob litem prosequendam, cum per ipsum non steterit, quin Choro interfuerit; ut docent Moneta 2. *par. quæst.* 17. *n.* 35. Bonacina *de div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 2. §. 9. *num.* 4. & alii. Si denique injustè beneficio privatus fuerit, quod alteri collatum sit; non habet jus ad distributiones percipiendas, cum nec titulum, nec fundamentum habeat percipiendi illas: quamvis qui injustitiam ei fecerit, teneatur resarcire damna, quæ patitur. Sic ex Innocentio, Panormitano, Valentia, Lessio, Aragonio, & aliis docent Bonacina *l. c. num.* 5. & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 2. *num.* 10.

15 Inquires 8. An Præbendatus depositus, aut degradatus distributiones lucretur? Resp. negativè: quia degradatus realiter, aut depositus, qui est degradatus verbaliter; est in perpetuum privatus beneficio Ecclesiastico. Degradatio siquidem, sive realis sit, sive Verbalis, seu Depositio; est pœna Ecclesiastica in perpetuum privans degradatum omni beneficio, & Officio Ecclesiastico absque ulla spe consequendi: ut patet ex *Cap. Degradatio de Pœnis in 6.* cum igitur beneficio careat, ob quod jus habet ad distributiones *ex Cap. Dilectus, & Cap. Pro illorum de Præbend.* inde est, quòd eas lucrari nequeat à die degradationis, & depositionis; nisi tamen legitimam appellationem interposuerit juxta superiùs dicta. Sic Moneta, Henriquez, Covarruvias, & alii quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 2. §. 8. *num.* 1. & 4. & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 2. *num.* 12. *in fine.*

16 3. Causa est Evidens Ecclesiæ Utilitas, Præbendatus siquidem absens à Choro ob evidentem Ecclesiæ Utilitatem distributiones lucratur, ac si divinis Officiis interesset: ut statuitur *in Cap. Consuetudinem de Cleric. non resid. in 6.* Debet autem hæc Utilitas esse evidens, non dubia; debet insuper esse Utilitas Ecclesiæ, non propria absentis; debet denique esse Utilitas Ecclesiæ propriæ, non alienæ. Et quidem debet esse utilitas gravis, non verò parvi momenti: cum Utilitas levis nequeat esse caput sufficiens ad excusandum ab obligatione gravi, ut est interesse Divinis Officiis, & distributiones percipere. Sic *ex cap. de cætero, & cap. Ad audientiam de Cleric. non residen.* docent Moneta 2. *par. quæst.* 11. *num.* 33. Bonacina *de divin. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *num.* 1. *ad* 7. & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 2. *pun.* 9. §. 3. *num.* 1. Nec requiritur, quòd absens à Choro in evidentem Ecclesiæ Utilitatem sit in loco beneficii; parum enim refert, quòd sit in eo loco, si Choro non assistat: si ergo evidens Utilitas Ecclesiæ exigit absentiam illam in alio loco; poterit utique abesse, & distributiones lucrari: maximè quia *Caput Consuetudinem citat.* hanc præsentiam in loco beneficii non requirit, ut rectè adnotat Castropalaus *loc. cit. numer.* 2. Et quamvis Covarruvias, Garzias, Guttierrez, penes cit. Castropalaum, obiiciant *Cap. Cum non deceat. de Elect. in 6.* ubi conceduntur Clericis accedentibus ad Romanam Sedem pro suarum Ecclesiarum negotiis fructus, & alia emolumenta;

non.

non verò distributiones quotdianæ. Nihilominus per textum illum declaravit Pontifex, quòd ille casus particularis accedendi ad sanctam Sedem pro Instructione electionis, & Chorum relinquere, ut in eodem Capite continetur; non sit evidens utilitas Ecclesiæ, & favens ad distributiones lucrandas; non verò fecit Regulam generalem, quòd absens à loco beneficii in evidentem Ecclesiæ utilitatem non lucretur distributiones.

17 Ex dictis inferuntur nonnulli Casus, in quibus dicitur Præbendatus abesse in evidentem utilitatem Ecclesiæ, & distributiones lucratur, ac si præsens esset Divinis Officiis in sua Ecclesia. Primus est: si Præbendatus mittatur à Capitulo ut Doctor Theologus, Canonista, aut suæ Ecclesiæ Procurator ad Concilium Generale, aut Provinciale. Vel si mittatur ab eodem Capitulo ut Legatus ad Pontificem, aut alium Principem, etiam gratulationis causa nomine Capituli factæ. Cedunt enim hæc in evidentem Ecclesiæ utilitatem: ut bene tradunt Moneta 2. *par. quæst.* 11. *numer.* 92. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *num.* 12. & 13. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *num.* 5.

Secundus Casus est: si à Capitulo mittatur ad jurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ annexam exercendam: nam occupatur in negotio utili Ecclesiæ, cum utilius sit Ecclesiæ; unum tantùm Præbendatum occupari, quàm totum Capitulum. Hinc est, quòd Præbendatus electus Vicarius Generalis à Capitulo Sede vacante; aut Provisor electus dum à Paganis, aut Schismaticis Episcopus vinctus detinetur; poterit distributiones lucrari; & ratio est, quia in evidenti Ecclesiæ utilitate occupatur. Secus esset, si Præbendatus fieret Vicarius Episcopi; nam non cederet occupatio illa in evidentem Ecclesiæ utilitatem, sed Episcopi, & Diœcesis. Sic Rebuffus, Hojeda, Moneta, quos refert, & sequitur Garzias 3. *par. de Benefic. cap.* 2. *numer.* 357. Bonacina *de divin. Offic. in Chor. disputat.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 12. & 13. Castropalaus *de Orat. Pub. disput.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *num.* 5.

Tertius Casus est: si mittatur ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum ejus nomine, vel ipsum Episcopum comitetur pergentem ad visitanda limina Apostolorum: nam in tali casu Pontificem certiorem faceret de statu suæ Ecclesiæ cum utilitate. Advertendum tamen: quòd unum tantum mittere possit Episcopus ad hunc finem: sicuti duo tantùm illum comitari possunt ad eumdem finem. Sic *ex Constit.* 17. Sixti V. & ex Decisionibus Sacræ Congregationis tradunt Garzias *de Benefic.* 3. *par. cap.* 2. *num.* 159. Riccius *Decis.* 498. *num.* 3. Barbosa 3. *part. de Potest. Episc. allegat.* 53. *num.* 159. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 14. & Castropalaus *de Orat. Publ. disputat.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *numer.* 4.

Quartus Casus est; si Præbendatus curam animarum habeat; dum enim abest à Choro, ut Sacramenta ministret, aut alia exerceat ad animarum curam spectantia; distributiones lucrari poterit: quia utile videtur esse Ecclesiæ, ut animarum curæ consulatur, & obligationlbus cujusque Præbendæ satisfiat. Quapropter si alicui Canonicatui, aut dignitati annexa fuerit Parochia, inserviens Canonicus, vel dignitas Parochiæ poterit fructus, & distributiones Præbendæ curatæ, & Canonicalis percipere. Sic ex Decisione, & Statuto Tridentini *Sess.* 22. *capit.* 3. *versic. Quòd si alicui de Reform.* tradunt Garzias 3. *par. de Benefic. capit.* 2. *à numer.* 335. Riccius *Decis.* 389. *numer.* 4. Barbosa 3. *par. de Potest. Episc. allegat.* 35. *numer.* 162. & Castropalaus *de Orat. Publ. disputat.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *numer.* 8. Et quamvis Garzias *loc. cit. num.* 351. & Bonacina *de divin. Offic. in Choro disputation.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *§.* 7. *numer.* 3. requirant Consuetudinem, vel Privilegium, aut saltem quòd beneficium in solis distributionibus consistat. Nihilominus displicet limitatio apposita Castropalao, cùm non apponatur à Tridentino, quod absolutè statuit ut incumbens animarum curæ pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tamquam præsens divinis Officiis in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis habeatur. Favet Sacra Congregatio, quæ in una Papiensi, & Assisiensi absolutè definit: ut Archipresbyter habens curam animarum in Choro præsens censeatur, dum muneri Parochiali incumbit, teste Gonzalez *§.* 7. *Proœmial. num.* 185. & Moneta 2. *par. quæst.* 11. *num.* 71.

Quintus Casus est: si Præbendatus absit ob defendenda jura suæ Ecclesiæ, vel Capituli, aut sui beneficii: defensio namque illa vergit in utilitatem Ecclesiæ, adeoque distributionibus privari non debebit, etiamsi stipendium à Capitulo receperit: eo quia non statuitur stipendium illud, ut distributiones remittat, sed ut diligentiùs incumbat ad defensionem commissam. Secùs esset, si ad defensionem juris proprii contra alterum ad beneficium abesset à Choro: quia tunc ob propriam utilitatem, non verò Ecclesiæ, aut beneficii abesset. Sic Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3 *§.* 3. *num.* 1. & 2. Castropalaus *de Orat. Publ. disput.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *num.* 10. & 11. Barbosa 3. *part. de Potest. Episc. allegat.* 53. *num.* 172. Garzias *de Benefic.* 3. *par. cap.* 2. *num.* 49.

Sextus Casus est: si Præbendatus ex mandato Capituli detineatur tempore Divinorum Officiorum in iis, quæ ad Capitulum faciunt: ut rationes dati, & accepti sumere; aut redditus, & bona Ecclesiæ computare, ac portiones unicuique competentes per calculos dividere; poterit utique distributiones lucrari: eo quia absens est in utilitatem Ecclesiæ. Sic Moneta 2. *part. de Distribut. quæst.* 5. *numer.* 47. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disputat.* 2. *quæstion.* 5. *punct.* 3. *numer.* 11. & Castropalaus *de Orat. Publ. disputat.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *num.* 6. Sed ut verum fatear, tunc hoc permitterem, cùm alius non adesset à Præbendato, qui hoc munus rectè obire posset in illa Ecclesia; minuitur siquidem divinus cultus, nec est munus spectans ad Præbendatum. Aliud esset, si à Capitulo mitteretur ut Visitator bonorum, & reddituum propriæ Ecclesiæ; necnon jurium, & actionum spectantium ad illam, visitando siquidem prædicta bona, & jura Ecclesiæ, ei inserviret cum utilitate. Sic ex Moneta, & Barbosa docet Castropalaus *l. c. numer.* 9. qui extendit ex Garzia, si cum facultate Episcopi visitet jura, & redditus proprii beneficii, quod tamen non habeat fructus, & distributiones distinctas à sua Præbenda canonica: vergeret enim Visitatio illa in utilitatem Ecclesiæ, cui beneficium illud conservaret in suis juribus, & redditibus. Secus verò dicendum, si distributiones distinctæ essent à beneficio, quod visitaret.

Illud hìc advertendum, quòd in his, & similibus 18
casibus, in quibus agitur, an in evidentem utilitatem Ecclesiæ cedat absentia à Choro; non fidendum erit proprio judicio, sed Virorum Doctorum, ac timoratæ conscientiæ; qui si absentiam illam judicaverint, cedere in gravem utilitatem Ecclesiæ; tunc absens tuta conscientia percipere poterit distributiones: cùm sit moraliter certa utilitas ex suffragio virorum illorum. Et regulariter loquendo quoties Præbendatus electus fuerit à Capitulo ad negotium aliquod peragendum, quod utile reputatum fuerit Ecclesiæ; optimè constat de utilitate, & poterit absens distributiones lucrari ex illa electione virorum Capitularium. Sic Castropalaus *de Orat. Publ. disput.* 3. *punct.* 9. *§.* 3. *num.* 3.

Sed dubitabis primò: an Præbendatus absens à Cho- 19
ro adimplendi causa votum, quod Deo emisit ob impetrandum aliquod, quod vergit in evidentem Ecclesiæ utilitatem; possit distributiones lucrari? Resp. negativè; eo quia non habetur absentia ob causam evidentis utilitatis Ecclesiæ, sed ob votum: esto intuitu utilitatis Ecclesiæ emissum fuerit. Idem dicendum, si votum emissum fuerit ob infirmitatem, aut aliam causam etiam spiritualem, sedandi scrupulos, e. g. vel obtinendi virtutem aliquam. Hinc est, quòd Præbendatus absens à Choro, ut in exercitiis spiritualibus se versaret, aut in facienda confessione generali, vel ob consulendum Theologum in rebus suæ conscientiæ; non possit distributiones lucrari: eo quia nec abest in evidentem Ecclesiæ utilitatem, sed propriam; nec abest ob justam, & rationabilem necessitatem corporalem, sed spiritualem; & verba juris accipienda sunt juxta propriam significationem, maximè si materia sit odiosa, & exorbitans à jure communi. Sic Moneta 2. *part. quæstion.* 5. *num.* 53. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæstion.* 5. *punct.* 3. *numer.* 8. & 9. Garzias *de Benefic.* 3. *part. cap.*

capitulo 2. *numer.* 393. & Macignus *capitul.* 71. *numer.* 129.

20 Dubitabis 2. an Præbendatus occupatus à Capitulo ad negotia peragenda in utilitatem Ecclesiæ tempore Divinorum Officiorum possit distributiones consequi si alio tempore à Divinis Officiis ea rectè expedire possit? Resp. quamvis Moneta 2. *par. de Distribut. quæst.* 5. *numer.* 43. docuerit non posse lucrari: eo quia apponit impedimentum affectatum, adeoque dolosè agit. Nihilominus censeo, posse eas lucrari: ratio est, quia jam ex una parte eo tempore legitimè occupatur; ex alia parte privilegium concessum *in Cap. Consuetudinem de Cleric. non residen. in* 6. occupato in evidentem Ecclesiæ utilitatem non præscribit tempus præveniendi, aut postponendi negotia Divinis Officiis, aliàs non relevaret, sed gravaret illum pro eo tempore, quo alii vacant; & privilegia favere solent, non gravare; ergo nec affectatè impedimentum ponit, nec dolosè agit, sed procurat uti privilegio, & lucro concesso distributionum. Sic Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 16. & Castropalaus *de Orat. Publ. disput.* 3. *punct.* 9. §. 3. *numer.* 13.

21 Dubitabis 3. an Præbendatus, cui negotia commissa fuere expedienda matutino tempore; illa expediat vespertino, & propria expedit matutino; an inquam distributiones lucrari possit? Et pro quonam tempore censeatur quis occupatus in negotiis sibi commissis? Resp. Monetam 2. *par. quæst.* 13. *numer.* 44. putare, nullas Distributiones lucrari, non Matutinas, quia non occupatus fuit in utilitatem Ecclesiæ; non vespertinas, quia ex sua negligentia abest à Choro ob dilationem factam contra expressum mandatum habitum à Capitulo. Bonacinam *verò De Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 21. docere, quòd lucrari debeat matutinas tantùm, non verò vespertinas: quia tempus à Capitulo assignatum fuit matutinum, adeoque vespertino tempore Choro interesse poterat. Sed mihi dicendum cum Castropalao *de Orat. Publ. disput.* 3. *punct.* 9. §. 3. *numer.* 15. lucrari vespertinas tantùm, & amittere matutinas: ratio est, quia revera vespertino tempore occupatur in utilitatem Ecclesiæ, matutino verò in propriam utilitatem. Nec obstat, quòd ex sua negligentia contra mandatum acceptum occupetur vespertino tempore: quia semel ac negotia non expedivit manè, voluntas Capituli est, ut expediat vespere; & aliunde ob voluntariam dilationem amittit distributiones matutinas.

Tempus verò, pro quo censetur occupatus in utilitatem Ecclesiæ in negotiis expediendis; desumendum erit à via eundo, redeundo, & ab aliis circumstantiis, quæ comitari solent accessum ad aliquem locum, & reditum ab illo; nec in hoc certa regula præscribi poterit, sed standum pro foro interno conscientiæ ipsius absentis, si revera tale tempus insumpserit, pro quo distributiones requirit, & revera in negotiis Ecclesiæ illud insumpserit, non in alienis. Pro foro externo assignantur unus dies pro viginti milliaribus, seu septem circiter leucis juxta *Leg.* 1. *ff. Si quis causa*; *& Leg.* 3. *ff. de Verbor. signific.* Sic ex Moneta, Covarruvia, Sanchez, Soto, & aliis docent Bonacina *loco citato numer.* 19. & Castropalaus *loco citato num.* 16.

22 Dubitabis 4. an absens in utilitatem Ecclesiæ absque licentia Episcopi possit distributiones lucrari? Resp. Bonacinam *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 22. *in fine* putare non esse necessariam: ratio est, quia *in Cap. Unic. de Cler. non residen. in* 6. absolutè permittitur lucrari distributiones absque tali limitatione, si occupatur in utilitatem Ecclesiæ Præbendatus absens. Nec obstat Statutum Concilii Tridentini *sess.* 23. *capit.* 1. *de Refor.* §. *eadem*: ubi licentiam Episcopi requirit, & priùs cognitionem, & probationem causæ absentiæ; non enim loquitur Concilium de Canonicis, sed de Episcopis, & habentibus curam animarum: ut adnotat Macignus *de Hor. Canon. capit.* 68. *numer.* 14. Quæ quidem sententia mihi valde probabilis videtur: quamvis Rota Romana *in una Calaguritana* 16. *Maij* 1614. decisionem fecerit in contrarium.

23 Dubitabis 5. an qui abest à Choro ob inserviendum Pontifici, aut ejus Legato, censeatur abesse ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, & distributiones lucretur? Resp. negativè, nisi expressum privilegium ab eodem Pontifice habuerit: & ratio est, quia non abest in evidentem utilitatem propriæ Ecclesiæ; sub qua formalitate concessum est à Jure privilegium lucrandi distributiones in absentia à Choro. Quidquid sit de utilitate Ecclesiæ Universalis, dum Præbendatus immediatè inservit Pontifici, ut Cappellanus, Secretarius, aut de Mandato ipsius in Curia commoretur, aut alibi mittatur ad negotia Ecclesiæ Universalis peragenda. Et à fortiori hoc dicendum erit, si absit à Choro ob inserviendum Principi Sæculari, aut etiam Ecclesiastico, quamvis Cardinalatus Dignitate prædito? Sic Panormitanus *in capit. Cum dilectus de Præbend. in* 6. Garzias 3. *part. de Beneficiis capitul.* 2. *numer.* 385. Hojeda 1. *part. quæstion.* 17. *numer.* 5. Macignus *capit.* 71. *numer.* 124. Moneta 2. *part. quæstion.* 9. *numer.* 13. & Bonacina *de Divinis Officiis in Chor. disputat.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. §. 1. *à num.* 1.

24 Dubitabis 6. an absentes à Choro, ut Capitulo assistant, distributiones lucrentur? Resp. quamvis Canonici, qui in Sacris sunt, teneantur ratione suæ Præbendæ Capitulis interesse, itaut ordinariè non possint abesse ab illis sine gravi culpa: eo quia celebrare Capitula maximè confert ad rectam Ecclesiæ gubernationem; ut decisum fuisse à Sacra Congregatione testatur Garzias 3. *par. de Benefic. capit.* 2. *à numer.* 529. referens Joannem Guttierrez, & Petrum de Ledesma. Nihilominus tempore Divinorum Officiorum, & præcipuè dum Missa major celebratur, vetitum est speciali Decisione à Clemente VIII. *in suo Brevi* 18. *Januarii* 1601. incipit: *Decet Romanum Pontificem*, & ex variis Declarationibus Sacræ Congregationis relatis à Garzia *loco citato numer.* 556. Dummodo tamen aliqua urgens necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas aliud non expostulaverit. Hinc patet responsio ad dubitationem: si Capitula congregentur tempore Divinorum Officiorum occasione simulatæ necessitatis urgentis; nequibunt Canonici assistentes Capitulo, & absentes à Choro distributiones lucrari. Secus verò si urgens aliqua necessitas, & evidens Ecclesiæ habeatur. Sic Castropalaus *de Orat. publ. disputat.* 3. *punct.* 9. §. 4. *num.* 5.

25 Dubitabis 7. an Canonici, qui sint Vicarius Generalis Episcopi, & ejus familiaris, Visitator Diœcesis, Examinator Synodalis, aut Episcopum comitentur in Visitatione Diœcesis; distributiones lucrentur in absentia à Choro? Resp. Canonicos, quicunque sint, si tempore Divinorum Officiorum occupentur cum Episcopo in evidentem Ecclesiæ propriæ utilitatem, certum est, lucrari distributiones: ut si *Episcopus* ex consuetudine, vel jure aliquos Canonicos eligeret ex Capitulo ad requirendum eorum consilium, ac consensum in determinandis rebus ad utilitatem propriæ Ecclesiæ spectantibus, non verò Diœcesis: & ratio est, quia jam in evidentem Ecclesiæ propriæ utilitatem occuparentur. Secus verò dicendum, si Episcopo inservirent, & non in utilitatem propriæ Ecclesiæ, ut si illum extra propriam Ecclesiam missam celebraturum comitarentur, aut Diœcesim visitantem: eo quia non occuparentur cum illo in evidentem Ecclesiæ propriæ utilitatem. Sic decisum fuisse, testatur Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ.* §. 7. *proœmii numer.* 183. Garzias 3. *par. de Benefic. capit.* 2. *numer.* 347. Moneta 2. *par. de Distribut. quæst.* 8. *numer.* 14. Barbosa 3. *par. de potestat. Episcop. alleg.* 53. *numer.* 141. Castropalaus *de Orat. publ. disput.* 3. *punct.* 9. §. 7. *numer.* 2. & Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. §. 2. *numer.* 1. & 2. alios referens. Hinc clarè infertur, Canonicum Vicarium Generalem Episcopi, aut ejus familiarem, vel Diœcesis Visitatorem, aut Examinatorem Synodalem non lucrari distributiones, dum à Choro absunt, cum non absint in utilitatem propriæ Ecclesiæ.

26 Dubitabis 8. an Canonicus Pœnitentiarius absens à Choro distributiones lucretur? Resp. quamvis Jure antiquo hoc munus non fuisset caput sufficiens ad Distributiones lucrandas; spectato tamen Jure novo Tridentini *sess.* 24. *capit.* 8. *de Reformat.* sufficiens est ad illas lucrandas: dum enim Pœnitentiarius in Ec-

in Ecclesia confessiones audit tempore Divinorum Officiorum, illis præsens censetur ; sicuti etiam præsens censebitur Litaniis, & Processionibus, que extra Ecclesiam fiunt, si prędicto tempore in audientis confessionibus occupabitur : eo quia sub nomine Divinorum Officiorum comprehenduntur. Et ita à Sacra Congregatione declaratum fuisse, testatur Garzias *de Benefic. 5. par. capit. 4. numer.* 125. quem sequuntur Barbosa *3. par. de Potest. Episc. allegat.* 55. *num.* 31. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 5. punct. 3. §. 5. num. 3.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 9. §. 5. num. 2.* Debet autem confessiones audire in propria Ecclesia, nam si extra propriam Ecclesiam eas audiret ; distributiones percipere non posset : sicuti eas lucrari nequit, si pro eo tempore Missam celebret, aut privatim Divinum Officium recitet, vel confabuletur in confessionario ad longum tempus de rebus ad confessiones non spectantibus. Secus verò si pœnitentes instrueret ad rectè confitendum, aut dubia resolveret ad confessiones spectantia juxta facultatem suam : præparare siquidem pœnitentes, aut consilia præbere circa confessiones auditas ad munus confessarii pertinent, & hoc ipsum est confessiones audire : ut rectè habent præcitati Doctores. Alii Canonici, qui tempore Divinorum Officiorum confessiones audiunt, distributiones non lucrantur. Quòd si aliquis Canonicus vacante Sede Pœnitentiario subrogaretur pro interim in defectum Pœnitentiarii, posset privilegio illius gaudere ; non verò si ipso præsente alii substituerentur ad adiuvandum : cum Tridentinum de uno tantùm loquatur, non de pluribus ; & stricte accipiendum est ; ut adnotat Bonacina *l. c. num.* 4.

27 Dubitabis 9. an Canonicus habens Præbendam Magistralem, vel Lectoralem lucretur distributiones in absentia à Choro ? Resp. non solùm consequi distributiones pro eo tempore, quod impedit in concione, vel lectione in propria Ecclesia : ut constat *ex Cap. unic. de Cleric. non residen. in 6.* cum pro eo tempore exequatur opus maximè utile suæ Ecclesiæ ; sed etiam pro toto eo die, quo concionem habet, vel legit ex concessione Gregorii XIII. & Declaratione Sacræ Congregationis : cum exerceat actionem magis laboriosam præ cæteris Præbendatis. Sic Garzias *3. par. de Benefic. capit. 2 num.* 119. Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. §. 7. Præmii numer.* 180. Moneta *de Distribut. 2. par. quæst.* 10. *numer.* 27. Barbosa *3. par. de Potest. Episc. allegat.* 56. *numer.* 8. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 5. punct. 3. §. 6. numer.* 2. & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. punct. 3. §. 6. num.* 1. Secus verò dicendum, si eodem die post Vesperas recitarentur Horæ Matutinæ subsequentis diei juxta Declarationem Sacræ Congregationis : quia concessio extenditur ad Horas illius diei, non verò alterius ; ut habent Garzias, Barbosa, Bonacina, & Castropalaus *locis citatis* ; & multò minùs extenditur ad alios dies, quibus se præparat ad concionem, vel lectionem ; nisi fortè Præbenda consisteret in solis Distributionibus, ut æquum videtur, ut dum muneri suo se præparat, gaudet fructibus Præbendæ : & sic declarasse Sacram Congregationem testantur Garzias, Gonzalez, Riccius, & alii penes Bonacinam *l. c. num.* 4.

28 Dubitabis 10. an Præbendati absentes à Choro docendi, vel discendi causa lucrentur Distributiones ? Resp. docentes publicè Theologiam, vel Jus Canonicum in Studio Generali, vel Celebri Universitate ad hunc finem erecta à Pontifice, Imperatore, Rege, vel alio Supremo Principe ; non verò in aliis Universitatibus, etiam si Studia Publica in ipsis habeantur : *ut ex Cap. 2. de Privil. in 6. & Cap. Tuæ, de Cleric. non resid.* docent Garzias *3. par. de Benefic. capit. 2. numer.* 56. Barbosa *3. par. de Potest. Episcop. allegat. 36. numer.* 21. & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. punct. 9. §. 9. numer.* 1. quamvis lucrentur fructus sui beneficii, *ut ex Cap. final. de Magistr.* constat ; nihilominus non lucrantur Distributiones ; ratio est, quia sic apertè habetur *in Cap. Licet. de Præbend.* & plures extant Declarationes Sacræ Congregationis relatæ à Garzia *l. c. numer.* 113. & sic docent Covarruvias, Guttierrez, Riccius, Quaranta, Macignus, Gonzalez, Moneta, Barbosa, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 5. punct. 3. §. 9. numer.* 1. & Castropalaus *l. c. numer.* 13. Quod dictum est de Docentibus intelligi etiam potest, ac debet de Studentibus Theologiæ, & Juri Canonico in studiis Publicis, ut præcitati Doctores tradunt. Si autem Præbenda non habeat fructus distinctos à Distributionibus ; lucrari utique poterunt in absentia à Choro distributiones Præbendati Docentes, vel studentes in Prædictis Universitatibus : dempta tertia parte : & ratio est, quia jam succedunt loco fructuum, & aliàs privilegium in utile redderetur. Sic ex Declaratione Sacræ Congregationis testantur Quaranta *in Summ. Bullar. verbo Residentia*, Rebuffus, Perez, Gomez, Zerola, & alii relati à Garzia, Riccio, Barbosa, Castropalaus *locis citatis*. Debent tamen Docentes, & Magistri, ut tales sint approbari ab Universitate, & Collegio Doctorum, etiamsi sine stipendio, & cathedra doceant. Studentes verò debent pro majori parte anni studere, ac licentiam habere ab Ordinario, ut cavetur in Const. Sancti Pii IV. incipit, *Ad aures, die* 24. *Novembris* 1564. maximè si Parochi fuerint, ut constat ex Tridentino *sess. 23. capit. 1. de Reform.* & ex Decisione Sacræ Congregationis testantur Garzia *loco citato numer.* 87. & Barbosa *l. c. allegat.* 56. *num.* 28.

29 Dubitabis 11. an possit ex Privilegio Prębendatus absens à Choro distributiones lucrari ? Resp. affirmativè, dummodo Privilegium à Summo Pontifice concessum fuerit, eo quia Prælati ipso inferiores nequeunt hoc privilegium concedere ; cum residentia in Choro sit obligatio inducta à Jure Canonico ; adeoque nec Episcopus, aut alius Prælatus, vel Capitulum dispensare poterit in hac absentia, & distributiones concedere. Quod autem possit solus Pontifex, patet ex eo, quia Distributiones Jure humano inductæ, & præscriptæ fuere ; ergo cum Summus Pontifex facultatem habeat dispensandi in Jure humano ; poterit in Distributionibus dispensare, & alicui privilegium concedere, ut in absentia à Choro eas lucretur : sic Communis Doctorum Sententia. Requiritur autem legitima, & rationabilis causa, ut Pontifex illud concedat : quapropter si scienter sine rationabili causa illud concederet, illicitè operaretur, & invalidè concederet quoad eas distributiones, quæ non ex beneficiis, sed à Legatis specialibus percipiuntur : ut sunt anniversaria, & similia ; eo quia ex jure naturæ habetur obligatio assistendi illis, ut distributiones relictæ à Legantibus percipiantur. Secus verò quoad distributiones quotidianas ex beneficio provenientes ; tunc enim quamvis illicitè privilegium concederet, validè tamen concederet : eo quia obligatio inducta est ex Jure positivo, in quo sine causa legitima dispensare validè potest Pontifex, quamvis illicitè : ut ex communi Doctorum dictum est cum de Dispensationibus, & Privilegiis. Hinc est, quòd hoc privilegium strictè explicandum erit, cum cedat in diminutionem Divini Cultus ; nec si concessum fuerit pro fructibus beneficii, extendendum erit ad distributiones ; nisi fortè fructus consistant in ipsis Distributionibus : ut ex Deciano, Moneta, Azorio, Garzia, Gonzalez, Riccio, Barbosa, & aliis tradunt Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. pun. 4. num.* 4. & Castropalaus *de Orat. Public. disp. 3. pun. 9. §.* 10. *numer. 6.*

30 Dubitabis 12. an ex Statuto alicujus Ecclesiæ fieri possit, ut Præbendati absentes à Choro distributiones lucrentur ? Resp. si Statutum à Fundatore illius Ecclesiæ conditum fuerit, validum erit : ratio est, tum quia *in Capit. Unic. de Cler. non residen. in 6.* non derogatur fundationibus ; tum quia tale Statutum non est contrarium Sacris Canonibus, qui volunt intactas Fundatorum voluntates, ne alii à Fundationibus avertantur. Nec talis conditio à fundatore requisita per suum statutum damnum infert Ecclesiæ : cum utilius ei sit habere beneficium cum aliqua residentia, quàm nullum ; & varietas ista beneficiorum inservit ad pulchritudinem Ecclesiæ, & ut Præbendati assuescant voluntariè assistere Choro. Sic decisum à Sacra Congregatione tradit Moneta plures referens *2. par. quæst. 13. num.* 33. Garzias *de Benefic. 3. par. capit. 2. numer.* 244. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 5. num. 3. in fine*, Barbosa *1. par. de Potest. Episc. gloss. 17. tit. 2. num.* 25., & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 9. §. 11. num.* 2. Si verò statutum istud fieret ab Episcopo, vel Capitulo ; invalidum esset : cum nequeant inferiores contra Sacros Canones statutum, vel Constitutionem aliquam efficere *ex Capit. Quod super his de Majorit. & Obedien. Cap. Institutionis 25. quæst. 2. Cap. Cum omnes de Const. & ex Clem.*

Ne

Ne Romani de Elect. & sic declaratum à Sacra Congregatione, & decisum à Rota Romana refert Riccius *verb. Praxis Distributionum. Decis.* 493. Garzias 3. *part. de Benefic. capit.* 2. *numer.* 405. Macignus *de Hor. Canon. capit.* 71. *numer.* 20. Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*. Solùm concedunt, posse fieri hoc Statutum in casibus aliquibus dubiis, in quibus Canones non satis clarè loquuntur: sed ut suum robur habeat, desiderat & jure merito citatus Bonacina approbationem à Sancta Sede, sicut & ego desidero.

31 Dubitabis 13. an Consuetudine introduci possit, ut absentes à Choro distributiones lucrentur? Resp. Concilium Tridentinum *sess.* 24. *capit.* 12. *de Reform.* abstulisse omnem Consuetudinem, quæ permittebat Beneficiariis absentiam à Choro ultra tres menses, & distributiones concedebat; adeoque dubium restringitur ad Consuetudinem inductam post prædictum Concilium. Et dicendum puto, posse consuetudinem introduci lucrandi distributiones tempore Vacationis pro tribus mensibus, imò pro quatuor mensibus, ut in multis Ecclesiis permittitur; dummodo tamen ex honesta, & rationabili causa introducta fuerit, ac legitimè præscripta cum conditionibus requisitis. Idem dicendum de aliis consuetudinibus lucrandi distributiones in absentia à Choro tempore recreationis, aut ob aliam legitimam causam: & ratio est, quia licèt reprobentur Consuetudines futuræ tradendi distributiones absentibus à Choro tum à Bonifacio VIII. *in Cap. unic. de Clevic. non resident. in* 6. tum à Tridentino *loco citato*; nihilominus non censetur reprobare consuetudines, quæ ex legitima, & rationabili causa introducendæ erunt, & cum debitis requisitis; maximè si ex suis intrinsecis malæ non sint: ut docent Sanchez, Suarez, Becanus, Vasquez, Garzias, Moneta, Macignus, Covarruvias, Naldus, Rota Romana, Riccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 6. *num.* 4. & Castropalaus *de Orat. Publ. disput.* 3. *punct.* 9. §. 12. *numer.* 2. Difficultas igitur tota sita est in eo: an Consuetudo jam introducta circa distributiones tradendas absentibus à Choro sit ex legitima, & rationabili causa introducta, & cum debitis requisitis. Et regulariter ita præsumendum est, si istæ consuetudines observentur Prælatis videntibus, & non contradicentibus; ut bene adnotat Castropalaus *loco citato*. Licet autem hic apponere varias Consuetudines, quæ approbantur communiter à Doctoribus circa Distributiones, sicuti & Consuetudines, quæ reprobantur ab ipsis.

1. Ex Consuetudinibus admissis à Doctoribus est distributiones tradere Præbendatis absentibus à Choro per tres, aut quatuor menses: nam si hæc absentia permittitur à Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* per tres menses cum fructuum perceptione; cur consuetudo per tres aut quatuor anni menses introduci non poterit lucrandi etiam cum fructibus distributiones? cum eadem causa, quæ valet ad concedendos fructus, valere possit ad concedendas distributiones. Et si hoc legitimè fieri potest ex Privilegio, cur non poterit fieri ex consuetudine legitimè præscripta? maximè si ex prudenti dispositione illius Ecclesiæ introducta fuerit; ut Præbendatis sic Privilegiati alacriùs, & frequentiùs reliquo tempore Divinis Officiis incumbant, compositis jam suis negotiis, & refectis jam viribus. Sic Covarruvias 3. *Variar. cap.* 13. *num.* 5. Zenedo *in Collat. ad Jus Canon. collect.* 15. *numer.* 7. Moneta 2. *par. de Distribut. quæst.* 12. *num.* 54. Macignus *de Distribut. cap.* 45. *num.* 21. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 12. *num.* 3. & 4. probabilem reputat hanc sententiam Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 6. *numer.* 7. *in fine*, ubi eruditè comprobat ejus probabilitatem.

2. Est Consuetudo tradendi distributiones Præbendatis absentibus à Choro, eo quia Pontifici inserviunt, vel suo Episcopo, cujus jurisdictionem visitant, vel in aliis negotiis occupantur, nam si ob hæc motiva rationabilia fructus percipere possunt, cur non poterunt ex consuetudine legitimè introducta distributiones percipere? Idem dicendum de Præbendatis operam dantibus studiis sivè activè, sive passivè; aut occupatis in Visitatione suarum Præbendarum, & Jurisdictionum: si enim hæc sunt legitima causa ad percipiendos fructus Præbendæ, poterunt esse legitima causa ad comprobandam consuetudinẽ percipiendi distributiones, si introducta fuerit. Ut docent Covarruvias 3. *Variar. capit.* 13. *numer.* 5. Moneta 2. *par. de Distrib. quæst.* 12. *num.* 42. Garzias 3. *par. de benefic. cap.* 2. *num.* 333. & 348. Gratianus *in Discept. Foren. cap.* 166. *num.* 19. Hojeda 1. *par. de Incompatib. benefic. capit.* 17. *numer.* 10. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 6. *num.* 19. & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 12. *num.* 5.

3. Est Consuetudo lucrandi distributiones, si Præbendati Missam celebrent in propria Ecclesia tempore Divinorum Officiorum, sive ex propria obligatione beneficii, sive ex mandato Superioris, sive ex devotione, aut stipendio habito. Cedere enim potest talis consuetudo in majorem Præbendatorum excitationem ad frequentiùs celebrandum; ad majorem populi concurrentis devotionem, ut Sacrificiis intersint; ad specialem splendorem Ecclesiæ illius, ubi tot Sacrificia celebrantur; maximè si Chorus suo debito servitio non fraudetur ob multitudinem Prębendatorum. Advertendum tamen, quod pręcisa consuetudine ista, *nisi* fuerint à Superiore designati; nec fructus Præbendæ, nec distributiones lucrantur; ut ex Decisione, & Declaratione Sacrę Congregationis testatur Garzias 3. *par. de Benefic. cap.* 2. *num.* 401. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *pun.* 9. §. 12. *num.* 6. Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 3. §. 4. *num.* 4. referens Decium, Covarruviam, Panormitanum, Duennam, & Hojeda. Eamdem consuetudinem extendunt Garzias, & Castropalaus *locis citatis* ad Præbendatos confessiones fidelium excipientes in propria Ecclesia tempore Divinorum Officiorum; pro quo non solùm fructus, sed etiam distributiones accipere poterunt: reputantur siquidem ob tam pium, & salubre ministerium animarum Choro præsentes. Sic ex *Director. Ecclesiast. Discipl. titul. de Resid. numer.* 6.

4. Est Consuetudo concedendi Jubilationem Præbendatis, ut possint in absentia à Choro distributiones lucrari; si ei per quadraginta annos bene inservierint? par enim est, quod ut milites emeriti à muneribus personalibus excusentur *juxta Leg. A Muneribus, ff. de Munerib.* sic enim in signum gratitudinis rectè introducere potest Ecclesia, maximè ut ea spe allecti alii Præbendati magis excitentur ad bene inserviendum. Sic docet Garzias 3. *par. de benefic. cap.* 2. *num.* 341. Zenedo 3. *par. Collect. Jur. ad* 6. *Decretal. collect.* 15. *num.* 8. Moneta 2. *part. de Distribut. quæst.* 7. *num.* 20. & *quæst.* 12. *num.* 6. Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *p.* 9. §. 12. *nu.* 9. Quamvis Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *p.* 6. *nu.* 15. ex Navarro, & Macigno dicat tolerandam non esse. Sed immeritò: nam ipse *num.* 16. non minùs eruditè, quàm solidis rationibus ex Philosophis, Sanctis Patribus, & ex communi Doctorum comprobat, consuetudinem jubilandi senio confectos, ut septuagenarios, rationabilem, & laudabilem esse: & qui per quadraginta annos Choro inservierunt, regulariter Senes sunt. Accedit, quòd aliquando septuagenarii, & octogenarii minoris temporis spatio inservierunt. Idem dicendum de consuetudine, qua duo, vel tres dies conceduntur Præbendato absentiæ à Choro ob longum iter, quod cum bona facultate arripere debet, ut se ad illud præparet. Sicuti si totidem dies quietis ei concedantur post reditum, ut se à defatigatione reficiat: videntur enim consuetudines ex rationabili, & legitima causa inductæ; præcisa verò consuetudine nullum, vel parum temporis concedendum erit. Sic sustinent Menochius, Grassis, Zenedo, Moneta, & alii plures, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c. num.* 20. Castropalaus *l. c. num.* 16. & 17.

5. Est consuetudo tradendi æquales distributiones assistentibus tantùm nocturnis precibus, ac illis, qui tantùm assistunt cæteris aliis Horis Canonicis diurnis: adest enim legitima causa, ut magis alliciantur Præbendati ad *nocturnas* preces difficiliores: ut docent Cardinalis, Duenna, Moneta, Hojeda, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Div. Offic. in Chor. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 6. *num.* 14. & Castropalaus *de Orat. Publ. disp.* 3. *punct.* 9. §. 12. *num.* 8. Idem dicendum de consuetudine lucrandi distributiones si per alium assistant: cum obligatio assistendi personaliter Choro non sit orta ex Jure Naturæ, sed ex Ecclesiæ præscripto; ergo si jus positivum humanum abrogari potest consuetudine legitimè introducta; poterit talis obligatio abrogari. Et si ex privilegio conceditur assistere Choro per Coadiutorem, ut quotidie evenit; cur non evenire potest ex legitima consuetudine præscripta? cum quidquid privilegio ob-

tineatur, consuetudine legitima obtineri possit; maximè quia nullum damnum patitur Ecclesia in debito servitio. Sic Moneta, Bertius, Macignus, Azor, Navarra, Lessius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *loco citato numer.* 17. & Castropalaus *loco citato num.* 11.

6. Consuetudo est, ut fructus primi anni Præbendæ, & distributiones dentur hæredibus prædecessoris defuncti. Et quidem de fructibus clarè constat ex *Extravag. Suscepti regiminis de Elect.* & concedunt passim Doctores. Difficultas tamen est de Distributionibus, quia personaliter inservientibus tradi debent. Nihilominus non reprobanda est talis consuetudo si extet: ratio est, quia distributiones istæ censentur traditæ hæredibus prædecessoris defuncti ob assistentiam, quam defunctus fecit primo anno absque distributionibus, eas siquidem percepere hæredes alterius sui prædecessoris defuncti; & sic revera distributiones correspondent servitiis personalibus Chori. Nec dicitur defunctus percipere distributiones pro suis hæredibus in absentia à Choro, sed per præsentiam factam in primo anno. Sic Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. punct. 9. §. 12. num. 13.* Et quamvis contrarius videatur Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 5. punct. 6. num. 11.* nihilominus in fine expressè hanc Sententiam docet.

Quod dictum est huc usque de istis consuetudinibus, intelligi debet, quòd permitti possint, si jam legitimè introductæ sint; non verò quòd introducendæ sunt, ubi introducta non sint. Sed potiùs abstinendum ab his introductionibus, ut omnia juxta normam Sacrorum Canonum regulentur. Subjiciendè hic remanent Consuetudines, quæ communiter à Doctoribus reprobantur, nec ullatenus tolerari debent.

1. Est tradendi Distributiones absentibus, quæ non ex beneficiis, sed ex voluntate Testatorum, & Legantium relictæ sunt intervenientibus Missis anniversariis, & Divinis Officiis. Cum adversus Jus naturale nulla præscribi possit consuetudo. Secus tamen esset, si legatum relictum esset Capitulo intervenienti in communi, & non solis Canonicis intervenientibus. 2. est tradendi distributiones Canonico de recenti admisso, quando per aliquos dies abest; videtur enim irrationabilis consuetudo, cum non portaverit pondus diei, & æstus. Sic ex Azorio, Moneta, & aliis docet Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 6. num. 9. 3.* est, ut Canonici integras distributiones lucrentur, si præsentes sint, dum inchoantur Divina Officia, quamvis postea è Choro discedant. Idem dicendum, si uniça Hora acquirant omnes distributiones diei, aut si Choro assistant distributiones lucrentur per hoc, quòd suos versiculos submissa voce dicant canentibus aliis: non enim per has consuetudines satisfit obligationi debitæ Choro. Ut ex Covarruvia, Garzia, Vasquez, Cajetano, Macigno, & aliis tradit Bonacina *l. c. num.* 10.

4. Est, ut Canonici alterius hebdomadis Choro assistentes distributiones lucrentur pro ea hebdomada, in qua non assistunt; nisi hoc ex fundatione, aut ex expresso Summi Pontificis consensu statutum sit; ex pura enim consuetudine non videtur posse legitimè introduci; nisi fortè in hebdomada vacationis alteri pio operi in servitium Ecclesiæ incumbant. Sic ex Azorio, Moneta, Navarro, Macigno, & Hoieda docet Bonacina *l. c. num.* 13. 5. est, ut Canonicus duos Canonicatus habens in duabus Ecclesiis distinctis distributiones illius Ecclesiæ lucretur, in qua non residet. Sic *ex Cap. Unic. de cleric. non residen. in 6.* tradunt Hojeda, Covarruvias, Garzias, Moneta, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num.* 18. 6. consuetudo est concedendi singulis mensibus unum, aut duos dies Vacationis cum lucro distributionum pro tonsione barbæ: non videtur enim legitimè introducta, si alicubi viget; cum huic necessitati, quæ parvi momenti est, per breve tempus consuli possit. Sic ex Garzia, & Moneta contra Navarrum, docet Castropalaus *de Orat. Public. disp. 2. punct. 29. §. 12. num.* 18.

32 Dubitabis 14. an viceversa consuetudine introduci possit, ut nullas distributiones lucrentur Præbendati absentes ex quacumque causa, etiam à Jure permissa? Resp. affirmativè: ratio est, quia ex una parte talis consuetudo est favorabilis Divino Cultui, ut ex se patet; ex alia parte *in cap. Unic. de cleric. non residen.* nec reprobatur hæc consuetudo, nec præcipitur, ut absentibus ex causis ibi enumeratis distributiones tradantur, sed tantùm permittitur, contra quam permissionem præscribi poterit per consuetudinem legitimè introductam; ergo introduci poterit: maximè quia ad summum hæc consuetudo esset præter Jus, non verò contra Jus, aut ab ipso reprobata. Ex quo fit, quòd consuetudo, ubi introducta est, non dandi distributiones infirmis; servanda erit. Idem dicendum de impeditis in negotiis ob utilitatem Ecclesiæ. Præscribi autem debet consuetudo ista spatio quadraginta annorum; ut expressè constat ex Declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Garzia 3. *par. de benef. cap. 2. numer. 361.* & sequuntur Hojeda *de Incomp. benefic. quæst. 17. numer. 19.* Moneta 2. *par. quæst. 12. numer. 40.* Macignus *de hor. canon. capit. 71. num. 30.* Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disput. 2. quæst. 5. punct. 6. numer. 21.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. punct. 9. §. 12. num. 19. in fine.*

Potior difficultas est, & controversia major de Consuetudine nullas lucrandi distributiones Præbendatos Divinis Officiis intervenientes, ad quæ obligantur. Pro qua dirimenda distinguendum puto, si revera distributiones in illa Ecclesia deducta sint ex tertia parte fructuum beneficiorum, aut ex alia fundatione; clarè apparet, talem consuetudinem esse contra Jus naturale, quod exposcit, ut obligationi Præbendatorum assistendi Choro correspondeat obligatio Ecclesiæ tradendi ipsis distributiones illas: qui enim altari inservit, necesse est, ut de altari vivat: & sic bene tradit Cardin. Tuscus *tom. 2. concl. 514. numer. 14.* Si verò distributiones non sint distinctæ à fructibus, sed ipsimet fructus Præbendę debentur pro assistentia Choro; legitima erit consuetudo introducta non dandi distributiones Præbendatis Choro obligatis: eo quia tali obligationi satisfit per fructus Præbendæ in fine anni perceptæ; ut habent passim Doctores cum Castropalao *loco citato.*

Dubitabis tandem: an absentes à Choro distributiones lucrari possint per Donationem, Remissionem, Collusionem, aut Transactionem aliorum, quibus accrescunt? Resp. explicando priùs terminos. Donatio est spontanea, & liberalis datio earum distributionum, quas Præbendati in sua potestate, & dominio habent. Remissio est condonatio spontaneè, & liberaliter facta earum distributionum, quæ Præbendato remittenti debentur, & ad quas jus habet. Collusio est mutua debitorum remissio, & condonatio: ut si unus Prębendatus remittat alteri distributiones, quas amittit ob absentiam; & hic mucțuò remittat illi, quas ob suam absentiam amittit. Transactio denique est compositio super debito dubio, & incerto; ut si Prębendatus jus aliquod intendat ad distributiones, eo quia dubia res est, quamdiu abfuerit, aut quotam partem amiserit, & conveniat de certa distributionum parte sibi solvenda; dicitur transigere; eo quia transit, & recedit ab actione exigendi debitum integrè. His declaratis, absentes à Choro lucrari poterunt distributiones per donationem liberalem, non verò ex aliqua conventione, earum distributionum, quas jam sibi acquisierunt, & possident Præbendati donantes; secus verò per donationem distributionum acquirendarum: ratio est, quia nullo Jure prohibita est donatio distributionum acquisitorum, & quę in potestate, & dominio donantis jam sunt; & sicut eas donare poterunt cuique non Prębendato, ita & Prębendato absenti. Sic Navarrus, Philiarcus, Macignus, Moneta, Suarez, Rodriquez, Azor. quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 7. §. 2. num. 1.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 9. §. 13. numer. 2.* Quòd autem non valeat donatio pro distributionibus acquirendis, probatur ex eo, quia ante possessionem nil habent Canonici, quod donent; ergo potiùs erit remissio, quàm Donatio. Nec licet Capitulo amissas distributiones dare amittentibus, antequam dividantur; cum non sit dominus, sed purus administrator, & dispensator earum; & qui eas sic acceperit non facit suas, sed fabricæ Ecclesiæ, aut alii pio operi arbitrio Episcopi restituere tenetur. Sic expressè Sacra Congregatio, quam refert Garzias 3. *par. de Benefic. capit. 2. numer. 431.*

33 Absentes à Choro non possunt lucrari distributiones amissas per Remissionem, aut Collusionem Prębendatorum, quibus accrescunt: ratio est, quia Tridentinum *sess. 24. capit. 12. de Reform.* expressè prohibet hanc distri-

distributionum Remissionem, & Collusionem, non solùm ut illicitas, sed etiam invalidas. Sic ex Declarationibus Sacræ Congregationis, & Decisionibus Rotæ docent Garzias *3. par. de Benefic. capit. 2. numer. 432.*, Riccius *verb. Praxis Distributionum. decis. 494. num. 4.* Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 5. punct. 7. §. 1. & 2. & §. 3. numer. 1.* Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 9. §. 13. num. 4.* Hinc est, quòd accipiens distributiones per Remissionem, aut Collusionem non facit suas, & restituere tenetur. Et quamvis nonnulli dixerint, hoc Tridentini Decretum excludere Remissionem, & Collusionem distributionum de futuro, seu amittendarum; non verò de præterito, seu amissarum; quæ quidem sententia visa est probabilis aliquibus Doctoribus. Nihilominus omnino sustinendum est, decretum prædictum excludere remissionem, & collusionem non solùm distributionum amittendarum, sed etiam amissarum; ut patet ex verbis ipsius, ait enim: quavis collusione, aut remissione exclusa; excludit ergo quamlibet collusionem, & remissionem, adeoque non solùm futuram, sed etiam præteritam: maxima enim ex istis remissionibus, & collusionibus, quæcumque sint, absurda sequuntur, quæ vitare intendit Sacrosanctum Concilium juxta mentem Bonifacii VIII. *in Cap. Consuetudinem, de Cleric. non residen. in 6.* & sic ex variis Declarationibus Sacræ Congregationis docent Garzias *loco citato num. 431.* Bonacina *loco citato nu. 5.* Barbosa *3. par. de Potest. Episc. alleg. 53. num. 140.* Menochius *lib. 2. casu. 429. num. 10.* & alii penes ipsos.

Transactio circa distributiones præteritas, cum dubium insurgit, an Præbendatus eas amittere debeat, aut an eas malè perceperit; licita est: eo quia à nullo Jure prohibita est, imò valde utilis ad lites componendas, & pacem in Capitulo servandam. Circa verò Distributiones futuras transactio etiam fieri poterit: ut si Præbendatus sub certa summa sibi tradenda conveniret cum tradente de cessione distributionum acquirendarum; dummodo tamen fieret sine præjudicio successorum, & aliorum Canonicorum, quibus accrescere solent distributiones absentium: ratio est, quia talis contractus nullo jure est prohibitus, nec Simoniam involvit: cum non vendatur aliquod spirituale, aut spirituali annexum, sed aliquod temporale: ut sunt fructus beneficii, qui absque dubio vendi possunt, salvo jure ad beneficium; sic etiam vendi poterunt distributiones percipiendæ, salvo jure ad distributionum beneficium. Sic contra Monetam *3. par. quæst. 5. num. 14.* docent Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 5. punct. 7. §. 3. numer. 2. & 4.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. punct. 9. §. 13. numer. 7.* Non potest tamen fieri Transactio de Distributionibus futuris cum aliis Canonicis, ut advertit citatus Bonacina, quia esset quædam Remissio, aut Collusio, quas jura vetant. Nec potest fieri cum ipsis amicabilis compositio de distributionibus certò debitis, quatenus aliqua earum pars certò debita condonetur: cum vetita sit Distributionum certò debitarum remissio, ut tradit idem Bonacina.

CAPUT VIII.

An Præbendati à Choro absentes, & qui Distributiones non lucrantur, teneantur solvere Onera Distributionibus annexa?

1 *Recensentur Onera, quæ annecti possunt Distributionibus.*
2 *Quid sit Annata?*
3 *Quid Quindennium?*
4 *Quid Subsidium Charitativum?*
5 *Quid Decima Spiritualis?*
6 *Quid Pensio?*
7 *Neque Annata, neque Quindennium regulariter solvi debet ex beneficiis consistentibus in solis Distributionibus.*
8 *Nec Subsidium Charitativum, nec Pensio regulariter solvenda sunt ex Distributionibus quotidianis.*
9 *Quamvis Decima regulariter solvi non debeat ex fructibus beneficii, & Distributionibus quotidianis, si Pontifex tamen id expressè mandaverit solvenda erit.*

1 ONERA, quæ imponi possunt Distributionibus, illisque annecti; sunt Annata, Quindennium, subsidium Charitativum, Decima, Pensio: de quibus singillatim agendum explicando priùs illa.

2 Annata nil aliud importat, nisi dimidiam partem fructuum unius anni, quæ solvi debet Cameræ Apostolicę ab impetrantibus beneficia à Sancta Sede. Debet autem beneficium, ut subjectum sit Annatæ, habere reddituś excedentes vigintiquatuor ducatos Camerales. Ut ex Azorio, Giga, Parisio, Gonzalez, & aliis tradunt Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disput. 2. quæst. 6. pun. 1. num. 2.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. punct. 7. num. 1.*

3 Quindennium imitatur naturam Annatæ, & vices ejus supplet; consistit siquidem in solutione Cameræ Apostolicæ annatæ, seu dimidiæ partis fructuum unius anni beneficii alicujus annexi ab eadem Sancta Sede alicui Communitati, Capitulo, aut Collegio; quæ quidem solutio annatæ cum fiat anticipatè decimoquinto quoque anno, inde est, quòd Quindennium appellari consueverit. Cum enim beneficium sic annexum ob perpetuam illam unionem detrimentum inferat Cameræ Apostolicæ, cui competere deberet annata in vacationibus, si annexum perpetuo non esset; hinc est, quòd fictione juris ex Constitut. Pauli II, incipit, *Decet Romanum*, Pauli IV. incipit, *Decens est*, & S. Pii V. incipit, *Apostolicæ*, & ex aliis Constitutionibus, decimoquinto quoque anno censeatur vacare, ac denuo conferri beneficium cum solutione Annatæ, ut compensetur detrimentum illatum. Sic ex Azorio, Mandosio, Moneta, & aliis tradunt Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*.

4 Subsidium Charitativum dicitur auxilium illud, quod Episcopus ex justa, & rationabili causa exigere potest à Clericis sibi subjectis beneficia possidentibus ex fructibus beneficiorum juxta *Cap. Conquerenti de Offic. Ordin. capit. cum Apostolus de censib. & Extravag. Vas Electionis, de censib. inter communes*. Sic ex Azorio, Moneta, Geminiano, Mandosio, Parisio, Gonzalez, & aliis docet Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 3. quæst. 6. punct. 1. num. 9.*

5 Decima Spiritualis est illa fructuum pars, quę in recognitionem Supremi dominii Dei solvi solet ex omnibus terræ fructibus Parochis, aut aliis loco Parochorum ex præscripto, & concessione Summi Pontificis: ut communiter docent Doctores, & constat ex toto Titulo de Decimis.

6 Pensio denique est onus illud, quod beneficio, seu ejus fructibus imponit Summus Pontifex: nemo enim alius à Summo Pontifice potestatem habet gravandi beneficia, & onera illius imponendi: ut clarè patet *ex cap. 1. Ut Ecclesiast. Benefic. sine diminut. conferantur*. His declaratis

7 Dicendum 1. neque Annatam, neque Quindennium regulariter loquendo solvenda esse ex Distributionibus, etiamsi beneficium consistat in solis distributionibus: ratio est, quia solvi solent ex fructibus beneficii: cum igitur distributiones non veniant nomine fructuum beneficii, cum potiùs proveniant ex assistentia Divinis Officiis, ac personali labore, quàm ex beneficio; ergo ex istis distributionibus non sunt solvenda Annata, & Quindennium, etiamsi in distributionibus fundatum sit beneficium: & defacto nonnulli pingues Canonicatus in Hispania, quia fundati sunt in puris distributionibus; nullam solvunt Annatam, aut Quindennium. Sic Parisius *lib. 10. quæst. 2. num. 63.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. §. 7. Proœmial. numer. 166.* Moneta *de Distribut. 3. par. quæst. 9. num. 26.* Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 7.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 7. num. 2.* Dixi regulariter loquendo, quia si revera Annata, & Quindennium ex justa causa imposita sint super Distributiones à Pontifice; utique valida erit impositio: ratio est, quia *ex Cap. 1. de Præbend. in 6.* Pontifici competit libera dispensatio beneficiorum, reddituum, emolumentorum, & aliorum proventuum Ecclesiasticorum; ergo poterit validè gravare quotidianas distributiones Annata, aut Quindennio; in quo casu beneficiatus tenebitur illa solvere, etiamsi absens fuerit à Choro per annum integrum: eo quia independenter à lucro distributionum, & ab assistentia Divinis Officiis solvenda sunt in ipso beneficii ingressu in gratitudinem beneficii accepti: ut ex Moneta, Rota, & aliis docent Bonacina *l. c. num. 4. & 5.* & Castropalaus *l. c. num. 6.*

8 Dicendum 2. neque Pensionem, neque Subsidium Chari-

Charitativum regulariter loquendo solvenda esse ex Distributionibus quotidianis: ratio est, quia hæc solvi solent ex fructibus, & redditibus beneficii; distributiones verò nec inter fructus, nec inter reditus beneficii connumerantur: constitutæ siquidem sunt ad augmentum Cultus Divini, & in mercedem laboris personalis exhibiti; adeoque nec pensione, nec subsidio Charitativo censendæ erunt gravatæ, nisi id clarè constet ex verbis Pontificis gravantis. Sic Bellenzini, Azor. Mandosius, Parisius, Geminianus, Gonzalez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 9. & pun. 3. num. 1.* Moneta 3. *par. quæst. 8. numer. 1.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 7. num. 3.* Quòd si Pontifex gravaret Pensione, aut subsidio Charitativo Distributiones quotidianas, & quidem expressis verbis, nam in dubiis non censendum est, velle eas gravare; ut rectè probat, & ostendit Bonacina *l. c. punct. 3. num. 2.* tunc solvenda erunt ex distributionibus quotidianis. Idem dicendum, si beneficium nullos alios fructus habeat, præter quotidianas distributiones; dummodo Pontifici notum fuerit in impositione oneris, beneficium solas habere quotidianas distributiones: ob plenissimam enim potestatem, quam habet in beneficiis poterit illud sic gravare. Secus verò si ignotum fuerit, aut suam voluntatem expressè non declaraverit; tunc enim censendus erit imponere onus juxta terminos Juris, & velle tantùm gravare fructus beneficii, non verò distributiones. Sic ex Azorio, Moneta, & aliis docent Bonacina *l. c. punct. 3. num. 5.* & Castropalaus *l. c. num. 4.* Pensio, & subsidium Charitativum imposita à Pontifice super Distributiones quotidianas solvenda erunt à percipiente illas: quapropter si percipiantur in absentia Canonici à Capitulo, Capitulum tenebitur ad solutionem, vel singuli Canonici pro rata distributionum acceptarum in absentia prædicti Canonici: ratio est, quia ipsis accreverunt distributiones illæ, & res affectæ onere aliquo, ad quemcumque perveniant, cum illo onere transeunt *ex capit. Si quis laicus 16. quæst. 1., & ex capit. & Litteris de Pignorib.* & sic declarasse Clementem VIII. quodam Brevi anno 1592. testatur Rota Romana, cujus ductum in variis Decisionibus secuta est, & refertur à Bonacina *De Divin. Offic. in chor. disput. 2. quæst. 6. punct. 3. numer. 9.* à Castropalao *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 7. num. 11.* qui referunt pro hac Sententia Rubium, Romanum, Gonzalez Riccium, Quarantam, Navarrum, Suarez, Garziam, & Barbosam.

9 Dicendum 3. quamvis Decima regulariter loquendo solvi non debeat ex fructibus beneficii, aut Distributionibus *ex cap. 2. de Decim.* personæ siquidem Ecclesiasticæ eam solvere non debent ex rebus, quas ex speciali titulo spirituali sibi acquisiere: ut tradit Glossa *in præcit. capite*, & docent Suarez *de Decim. capit. 17. num. 23.* Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. punct. 7. num. 5.* Nihilominus si Pontifex mandaverit, eam solvi ex fructibus beneficii, aut distributionibus; uti que solvenda erit. Debet autem Pontifex apertè declarare mentem suam, si eam imponere velit super distributiones: quapropter si eam imponit super fructus, & reditus beneficii; non intelligitur eam imponere super distributiones: cum hæ strictè loquendo non veniant nomine fructuum, & reddituum beneficii. Secus verò si diceret super quoscumque proventus Ecclesiasticos; per verba enim ista generalia satis comprehenduntur distributiones, quæ revera sunt proventus, & obventiones Ecclesiasticæ, ut habetur *in Extravag. unic. de Decim. versicul. Et quia non occurrit.* Sic Castropalaus *l. c. num. 6.* Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 6. punct. 2. num. 2. in fine*, & alii. In absentia Canonici à Choro solvenda est Decima super distributionibus imposita ab iis, quibus distributiones amissæ accrescunt, eas enim ut onus reale sequitur juxta ea, quæ immediatè diximus de Pensione, & subsidio Charitativo.

CAPUT IX.

Quibus accrescant Distributiones absentium à Choro.

1 *Declarantur variæ Distributionum quotidianarum Species;*

2 *Distributiones quotidianæ Ordinariæ, quæ conferuntur intervenientibus Choro, sive distinctæ sint ab aliis redditibus, sive cum illis confusæ; accrescunt intervenientibus Choro.*

3 *Debent tamen intervenire, nec sufficit esse legitimè impeditos.*

4 *Si omnes Præbendati absint ex propria culpa, accrescunt Ecclesiæ defraudatæ suo servitio.*

5 *Si consuetudo sit, ut accrescens Ecclesiæ, aut alteri pio Operi; sanctè servanda erit.*

6 *Distributiones extraordinariæ, & impropriæ in absentiæ Dignitatis, aut Personatus, cui addictæ sunt; non accrescunt Canonicis Choro intervenientibus, sed fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio operi arbitrio Episcopi.*

7 *Distributiones determinatæ, & assignatæ cuilibet Præbendato non accrescunt aliis Præbendatis intervenientibus, sed Ecclesiæ.*

8 *Quibus accrescant distributiones, quas Præbendatus amittit non ob absentiam à Choro, sed in pœnam criminis?*

9 *An Præbendati debeant subire pœnam amissionis distributionum ante ullam Sententiam Judicis?*

10 *Ex quonam tempore incipiant præsentes in Choro lucrari distributiones absentium?*

DISTRIBUTIONES quotidianæ, quæ intervenientibus Divinis Officiis dari solent quotidie; aliæ distinctæ sunt à redditibus Ecclesiasticis assignatis ipsi Ecclesiæ pro fabrica, ornamentis, & aliis similibus servitiis. Aliæ cum massa communi reddituum sunt confusæ, quamvis ex ipsa massa communi deducatur portio pro Præbendatis Choro assistentibus; & portio, quæ remanet, assignatur aliis Ecclesiæ servitiis. Insuper dantur distributiones quædam extraordinariæ, & impropriæ, quæ constitutæ sunt ex redditibus alicujus Dignitatis, vel Personatus; lucrantur tamen ob assistentiam Choro ab eo, cui Dignitas, vel Personatus collatus fuit, ut magis alliciatur ad assistendum Divinis Officiis in Choro. Denique dantur distributiones determinatæ, & signatæ; itaut cuilibet Præbendato intervenienti Divinis Officiis in Choro hæc determinata pars, & signata distribuenda sit. His positis 1

Dico 1. Distributiones quotidianæ ordinariæ, & 2
propriè sumptæ, & quæ conferri solent Præbendatis Choro intervenientibus, sive distinctæ sint à redditibus Ecclesiæ, sive cum illis confusæ, & ab illis erutæ; accrescunt Præbendatis Choro assistentibus, si amittantur ab aliis Præbendatis non assistentibus absque legitima causa, dummodo Præbendatis assistant Choro, & non absint omnes ex propria culpa, & dummodo consuetudo non habeatur, quòd accrescant Ecclesiæ: ratio est, quia Distributiones ad hunc finem assignatæ fuere, ut videlicet Præbendati magis excitarentur ad assistendum Divinis Officiis; & sic apertè colligitur *ex Capit. unic. de Cleric. non resid. in 6.* ubi universaliter dicitur: Distributiones deberi iis solis, qui intersunt Divinis Officiis, nec distributiones absentium aliis applicari posse, nisi intervenientibus. Ex Trident. *sess. 21. capit. 3. de Reform. in medio*, ubi idem confirmatur, quòd videlicet Distributiones dividantur inter ipsos intervenientes, & assistentes Divinis Officiis. Denique ex pluribus Declarationibus Sacræ Congregationis, quas refert Garzia *de benefic. 3. par. capit. 2. numer. 465.* maximè quia consentaneum æquitati est, ut qui majorem operam, & laborem præstant, majorem consequantur mercedem: adeoque si intervenientes Choro majorem laborem sustinent præ aliis absentibus, majorem præ illis consequi debent mercedem, distributiones videlicet ab ipsis amissas. Sic Covarruvias *3. Variar. capit. 13. numer. 7.* Guttierrez *lib. 1. Canon. Quæst. numer. 106.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. glos. 37. num. 26.* Garzias *loco citato*, Moneta *de Distrib. 3. par. quæst. 6. numer. 20.* Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disput. 2. quæst. 7. punct. 1. numer. 1.*, & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 8. num. 2. & 5.*

Advertendum 1. quòd ut distributiones absentium 3
accrescant aliis, debent hi revera assistere Choro; & ideo signatè dictum est in propositione: dummodo Præbendati assistant Choro. Hinc est, quòd infirmi, aut alia necessitate corporali impediti, vel in evidentem Ecclesiæ utilitatem occupati, quamvis distributiones ordinarias

lucren-

lucrentur, ut suo loco diximus; non lucrantur tamen hoc augmentum ex distributionibus absentium proveniens: ratio est, quia ex nullo Capite constat, absentes ob legitimam causam lucrari hoc augmentum distributionum, & hoc cederet in diminutionem Divini Cultus: adeoque augmentum istud inter solos assistentes pro rata assistentiæ dividendum erit. Nec obstat *Cap. Consuetudinem, de Clericis non residen. in 6.* quod solùm permittit distributiones ordinarias legitimè impeditis, non verò expressè dicit: lucrari augmentum distributionum amissarum à Præbendatis absentibus, quod solùm reservatur inservientibus Choro. Sic merito declaravit Sacra Congregatio relata à Garzia *3. part. de Benefic. cap. 2. num.* 465. quem sequuntur Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 1. num. 6.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 8. numer. 8.*

4 Advertendum 2. quod si omnes Præbendati absint à Choro ex propria culpa, ut si omnes negligentes essent ad interveniendum Choro, aut Interdictum latum fuerit contra Capitulum; tunc nulli ipsorum accrescit cumulus distributionum amissarum ob absentiam à Choro, cum nemo ex ipsis inserviat Choro: adeoque in tali casu applicandus esset cumulus ille Ecclesiæ defraudatæ suo servitio: ratio est clara, quia alicui debetur cumulus talium distributionum; sed non Canonicis, quia non assistunt Choro; ergo Ecclesiæ. Secus verò si non essent omnes personaliter interdicti, aut Excommunicati, vel suspensi, aut degradati, itaut reliqui Choro inservirent; tunc enim cumulus distributionum amissarum non applicandus esset Ecclesiæ, sed dividendus pro rata Servitii inservientibus Choro. Sic ex Covarruvia, Geminiano, Franco, & aliis docent Moneta *de Distribut. 3. par. quæst. 6. num.* 47. Macignus *cap.* 71. *num.* 148. & Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 1. nu.* 5. Si tamen omnes absent à Choro, sed sine propria culpa: ut si Ecclesia ruinam passa esset, aut polluta, vel ob generalem morbum omnes Canonici essent infirmi; tunc cumulus dividendus foret inter Canonicos, non verò Ecclesiæ applicandus: eo quia involuntariè, & sine culpa paterentur pœnam amissionis distributionum, ut bene tradit Bonacina.

5 Advertendum 3. quòd si consuetudo vigeat in aliquo Capitulo, vel Collegiata, ut distributiones amissæ à Præbendatis absentibus accrescant Ecclesiæ, aut alteri pio operi; sanctè observanda erit: ratio est, quia legitimè introduci potest hæc consuetudo, ut distributiones amissæ applicentur Ecclesiæ, aut alteri pio operi; non verò dividantur inter assistentes Choro; adeoque si introducta est, servari debet. Sic docet Glossa *in Clement. 2. de Ætat. qualit. & Ordin.* Macignus alios referens *cap.* 71. *num.* 148. Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 1. num.* 4. Poterit etiam ex legitima causa præscribi consuetudo, ut distributiones amissæ dividantur inter absentes infirmos, aut alios, qui fictione juris Choro præsentes reputantur, ut est usus, & praxis Ecclesiarum Hispaniæ. Sic Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 8. num. 8.* in fine.

6 Dico 2. Distributiones extraordinariæ, & impropriæ in absentia Dignitatis, aut Personatus, cui addictæ sunt; non accrescunt Canonicis assistentibus in Choro, sed fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio operi, quod designatum fuerit arbitrio Episcopi. Sic apertè constat ex Tridentino *sess. 22. cap. 3. de Reform.* & ex variis declarationibus Sacræ Congregationis relatis à Garzia *3. part. de Benefic. cap. 2. numer.* 465. & docent Navarrus. *Miscell. 59. de Orat. numer. 6.* Barbosa *3. par. de Potest. Episcop. alleg. 53. numer.* 154.; Bonacina alios referens *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 1. num. 2.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disput. 3. pun. 8. num. 6.*

7 Dico 3. Distributiones assignatæ, & determinatæ cuilibet Præbendato assistenti in Choro, in casu absentiæ non accrescunt aliis Præbendatis assistentibus; sed Ecclesiæ: ratio est, quia per illam assignationem, & determinationem satis explicatur, quamvis tacitè, Præbendatum Choro assistentem illa tantùm distributione debere esse contentum, nec aliam sperare: est enim veluti quædam conventio tacita inter partes, adeoque distributiones redundantes ob aliorum Præbendatorum absentiam in utilitatem Ecclesiæ, quæ patitur detrimentum servitii; redundare debent. Sic Covarruvias, Guttierrez, Rebuffus, Navarrus, Macignus, Moneta, Garzias, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Div. Off. in Chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 1. num. 2.* & Castropalaus *de Orat. Publ. disp. 3. pun. 8. num. 6.* Adnotat tamen Garzia *de Benefic. 3. part. cap. 2. à num.* 444. hanc sententiam intelligendam esse, modo non sit facta divisio inter bona spectantia ad Ecclesiam, & ea, quæ ad ministros spectant: nam divisione facta, putat, debere redundare Distributiones absentium ad Mensam Capitularem, & Patrimonium Commune Ministrorum: & sic decisum fuisse à Rota Romana, testatur citatus Garzias, eamque refert *num.* 448. & ratio esse potest, quia per Divisionem factam excluditur Ecclesia à bonis spectantibus ad ministros, sicuti ministri excluduntur à bonis spectantibus ad Ecclesiam; adeoque distributiones illæ accrescere debent massæ bonorum ad ministros spectantium. Prædictam Garziæ sententiam comprobat Castropalaus *l. c. num.* 2. referens pro ea Monetam, Guttierrez, Covarruviam, & Bonacinam.

8 Inquires 1. quibus accrescant distributiones illæ, quas Præbendatus amittit non ob causam absentiæ à Choro, & Divinis Officiis; sed in pœnam criminis, & per sententiam condemnatoriam? Resp. accrescere Fisco Ecclesiæ, aut alteri pio operi in locum Fisci succedenti: ratio est, quia non facienda est extensio ultra Juris dispositionem; sed jus tantùm disponit, distributiones absentium à Choro accrescere assistentibus illi, non verò distributiones delinquentium; ergo non accrescunt assistentibus; ergo sequi debent naturam privationis, & confiscationis bonorum, quæ Fisco applicari consueverunt, ut fert Communis Sententia. Sic Bonacina *de Divin. Offic. in Chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 1. num. 3.*

9 Inquires 2. an Præbendati à Choro absentes debeant subire pœnam amissionis distributionum ante ullam Sententiam Judicis? Resp. affirmativè: ratio est, quia est pœna à Jure lata nullam requirens actionem hominis, non enim distributiones acquisitæ fuere à Præbendatis absentibus; sed talis pœna ex regulis generalibus subeunda est ante quamcumque Judicis sententiam; ergo ante illam subiri debet: maximè quia non assistentes Divinis Officiis inhabiles facti sunt ad lucrandas, & retinendas distributiones ipso jure, ut patet *ex cap. unic. de cleric. non residen. in 6.* & ex Tridentino *sess. 24. cap. 12. de Reform.* adeoque talis pœna ante quamcumque sententiam Judicis incurri debet. Denique quia si distributiones dantur ob causam assistendi Divinis Officiis, cessante hac causa dari nequibunt: datum enim ob causam retineri nequibit non subsecuta causa. Sic Moneta *3. part. de Distributionibus quæst. 7. num. 71.* Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 2. num. 2.* & alii.

10 Inquires 3. ex quonam tempore incipiant lucrari distributiones absentium Præbendati, qui Divinis Officiis assistunt? Resp. ab eo tempore, quo absunt absque legitima causa, ob quam in absentia debitæ sunt ipsis distributiones: & ratio est, quia ab eo tempore absentes distributiones amittunt, adeoque ab eo tempore assistentes Choro illas lucrari debent: nam assistentes pro eo tempore majorem operam præstant, & majores subeunt labores; quapropter tunc majorem mercedem ex amissis distributionibus ab absentibus recipere debent. Sic ex Moneta, Gonzalez, & aliis docet Bonacina *de Divin. Offic. in chor. disp. 2. quæst. 7. pun. 2. num. 5.* Adnotandum tamen, quòd divisio harum distributionum amissarum ab absentibus non facienda fit habito respectu ad Canonicos, qui tunc existunt, quando divisio fit; sed ad Canonicos, qui interfuere Divinis Officiis, tempore absentiæ amittentium distributiones: nam isti, non verò alii, tunc temporis verè assistebant Divinis Officiis, & portabant pondus diei, & æstus; adeoque ipsis dividendum erit augmentum illud. Sic ex Declaratione Sacræ Congregationis docet Garzias *de Benefic. 3. par. cap. 2. num.* 446. Castropalaus *de Orat. publ. disp. 3. pun. 8. num. 3.* referens Monetam, Guttierrez, Barbosam, & alios.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

DE SUPERSTITIONE, IDOLOLATRIA, DIVINATIONE, VANA OBSERVATIONE, ET MALEFICIO.

EXPLICATIS iis quæ ad Cultum Dei spectant per Adorationem, & Orationem; remanent Explananda ea, quæ Divino Cultui opponuntur: ut sunt Superstitio, Idololatria, Divinatio, Vana observatio, & Maleficium, de quibus in hac quæstione agimus; acturi in tribus subsequentibus quæstionibus de Blasphemia, & Tentatione Dei, Sacrilegio, & Simonia, quæ etiam Divino Cultui opponuntur.

CAPUT PRIMUM.

De Superstitione.

1 *Quid nominis Superstitio, & quid rei?*
2 *Superstitio alia, qua Deo tribuitur Cultus indebitus; alia, qua Cultus Deo debitus tribuitur Creaturæ.*
3 *Superstitio per Cultum Deo indebitum evenire potest dupliciter, si sit superfluus, aut sit Falsus. Et explicatur Cultus Superfluus.*
4 *Explicatur Cultus Falsus.*
5 *Superstitio Falsi Cultus ex genere suo est grave peccatum.*
6 *An admiscere in Divinis Officiis turpem sonum, aut cantum vanum sit Superstitio falsi Cultus, & grave peccatum?*
7 *An jejunare die Dominico sit gravis Superstitio falsi Cultus?*
8 *Tripliciter Cultus Deo debitus tribui post Creaturæ.*

1 SUPERSTITIO si nominis Ethymologia spectetur à Superstatuo, vel Super institutio originem trahit, ut adnotavit D. Isidorus *lib* 8. *Ethymolog. cap.* 3. eo quia est superflua, & Vana observantia super Statuta, seu Instituta Majorum. Quapropter Catholici omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 92. *art.* 1. asserunt, Superstitionem esse indebitum Cultum, seu Vanam Religionem.

2 Duplex autem est Superstitio. Una, qua Deo tribuitur Cultus indebitus. Altera, qua Cultus Deo debitus tribuitur Creaturæ. Prima dicitur Superstitio ratione modi; quia modo indebito colitur Deus. Secunda dicitur Superstitio ratione rei cultæ; quia colitur Creatura cultu Divino, qui est indebitus Creaturæ.

3 Jam verò Superstitio per Cultum indebitum Deo dupliciter evenire potest. Primò si Cultus sit Superfluus; secundò si sit Falsus; cùm uterque opponatur Spiritui, & Veritati, in quibus Deum oportet adorare juxta illud *Joann.* 4. *In Spiritu, & Veritate oportet adorare*: nam Cultus Superfluus, & Vanus opponitur Spiritui; Falsus Veritati. Superfluus ille est non qui excedit in colendo Deum, qui major est omni laude; sed qui præter Ecclesiæ usum ponit religionem in iis rebus, aut circumstantiis, in quibus non est ponenda: ut in numero, colore, situ, & similibus. Et quamvis hic Cultus ex se nil falsum significet; nihilominus Dei honorativus non est, cùm neque ordinetur ex se ad Spiritum excitandum, neque ad Dei Gloriam. Quapropter adhibere in Oratione tot candelas, & non plures; flavi potiùs, quàm albi coloris, collocare eas in sinistra, quàm in dextera parte. In missa, ac Divino Officio aliquas ceremonias variare præter morem ab Ecclesia præscriptum: ut bis Alleluja recitare ubi unum, vel nullum præscribitur dicendum; apponere Gloria, vel Credo ubi omittenda sunt; aut Crucis signum formare, quando non debet. Hæc omnia important Superstitionem Superflui Cultus, qui quidem ut plurimum non est, nisi veniale peccatum; præsertim si fiat ex bono animo, & intentione, cum non includat gravem irreverentiam. Secus verò si ex pravo animo, & mala intentione fieret, aut notabilis haberetur inversio ceremoniarum in Missa, & Officio; tunc grave peccatum esset ob gravem irreverentiam. Sic Suarez *lib.* 2. *de Superstit. cap.* 2. *num.* 21. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 37. *num.* 4. & 10. Navarrus *cap.* 11. *Summ. num.* 24. Castropalaus *de Superstit. disp.* 1. *pun.* 1. *numer.* 3. & Bonacina alios referens *disp.* 3. *Decal. quæst.* 5. *pun.* 1. *num.* 2.

4 Falsus Cultus ille est, qui Deum colit aliquid falsum significando vel ex parte colentis, vel ex parte medii assumpti ad colendum. Falsitas ex parte Colentis tunc evenit, quando quis fingit se colere nomine Christi, & Ecclesiæ, cùm talem potestatem non habeat: sic est, qui non Sacerdos missam attentat dicere, audire confessiones, & similia. Falsitas ex parte medii accidit, si assumatur medium ad colendum Deum, quod falsum significet: sic est colere nunc Deum per Ceremonias Judaicas; aut in Sacramentis administrandis mutare formam, vel materiam; falsas reliquias proponere adorandas; falsa miracula prædicare; falsis miraculis, aut testimoniis veritatem nostræ Fidei confirmare.

5 Superstitio hæc Falsi Cultus ex genere suo est grave peccatum; quia gravem irreverentiam secum affert in Deum: ut docent Lessius, Sanchez, Navarrus, Valentia, Suarez, Filliuccius, Layman, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Superstit. disp.* 1. *pun.* 1. *nu.* 5. & Bonacina *disputat.* 3. *Decal. quæst.* 5. *pun.* 1. *numer.* 2.

6 Quæres 1. an admiscere in Divinis Officiis turpem sonum, aut turpem cantum, vel vanum, sit Superstitio Falsi Cultus, & grave peccatum? Resp. si hæc admisceantur tamquam pars Divini Officii loco alicujus Antiphonæ, vel Psalmi; tunc indubitatum esse, quòd Superstitio falsi Cultus committatur, ac grave peccatum: ratio est, quia gravis irreverentia irrogaretur Deo per Cultum illum ab Ecclesia reprobatum, & damnatum. Sic Castropalaus, & Bonacina *locis citatis*, Tamburinus *lib.* 2. *Decal. cap.* 6. §. 1. *num.* 3. & alii passim. Si tamen non admisceantur tamquam pars Divini Officii: Etiam esse mortalem Superstitionem Falsi Cultus, quamvis non admisceantur ad colendum Deum: ratio est, quia præter scandalum, & provocationem ad malum gravis injuria irrogatur Deo, & Divino Cultui, qui sic indignè deturpatur, & inhonestatur. Sic iidem Doctores. Si tandem vana tantùm admisceantur sono, aut voce: tunc si non fierent ex pravo animo, & præcisa circumstantia gravis scandali; reduci possent ad Superstitionem Superflui Cultus, & peccatum veniale essent: ratio est, quia vox illa, & sonus ex se sunt indifferentes; adeoque nisi malitiam attrahant aut ex pravo fine, aut ex circumstantiis scandali; veniale excedere nequibunt: cum levis irreverentia haberetur erga Cultum Divinum. Sic Doctores supracitati.

7 Quæres 2. an jejunare die Dominico sit gravis Superstitio Falsi Cultus? Resp. si in contemptum Resurrectionis Christi Domini fieret, uti jejunabant Manichæi; certum est, in Superstitionem Falsi Cultus graviter incidere, imò in Manichæorum hæresim, ob quam Ecclesia Dominicale jejunium vetuit *in Cap. Si Presbyter. dist.* 30. Et eodem modo dicendum, si in contemptum hujus præcepti Ecclesiastici fieret. Si verò hoc fiat ob honestum finem, qualis esset satisfacere pro peccatis commissis, vel ob gratiarum actionem; dummodo non appareat singularitas jejunandi pro die illo, non verò pro aliis diebus, quia tunc apertè videretur Superfluitas Cultus contra morem Ecclesiæ; nullum peccatum erit: ratio est, quia Lex prohibens Dominicale jejunium lata fuit ad extirpandam heresim illam, qua cessante non videtur ex alio capite illicitum tale jejunium. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 37. *num.* 13. 14. &

& 15. Castropalaus *de Superstit. disp. 1. pun. 1. numer. 6.* & Tamburinus *lib. 2. Decal. cap. 6. §. 1. numer. 5.* Hinc infertur: non fore superstitiosum, qui vovens jejunare die alicujus Sancti; jejunet in Dominica, si tali die occurrat illius Festum: quia per accidens se habet jejunium cum Dominica; & aliunde materia talis jejunii est licita, nec impeditiva majoris boni. Quamvis iste talis ob conformandum se cum ritu universalis Ecclesiæ possit propria authoritate differre jejunium in diem sequentem, vel anticipare die antecedenti. Sic Sanchez *l. c. num. 18.* & Castropalaus *l. c. num. 7.*

8 Superstitio ratione rei Cultæ, quando videlicet Cultus Deo debitus tribuitur Creaturæ; tripliciter evenire potest. 1. si tribuatur cultus Creaturæ recognoscendo in illa esse quid Divinum: & hæc Superstitio dicitur Idololatria, ad quam reducitur etiam, quando Cultus debitus veris Sanctorum Reliquiis tribuitur falsis; aut honor debitus Sanctis datur perditis Viris. 2. si tribuatur Cultus creaturæ ad obtinendam cognitionem rerum occultarum, & hæc Superstitio dicitur Divinatio. 3. si tribuatur Cultus creaturæ, ut auxilium, aut favorem præstet; & hæc Superstitio appellatur Vana observantia, ad quam reducitur Magia, qua quis exposcit, vel expectat Mirabilia à creatura. Sic Doctores passim cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 92. & 93.* De his omnibus singillatim agendum.

CAPUT II.

De Idololatria.

1 *Quid Idololatria strictè accepta, quid amplè?*
2 *Idololatria sive cum hæresi, sive sine illa gravissimum peccatum est, & summa blasphemia.*
3 *An qui Idololatriam materialem, & fictam committit ob metum mortis, incurrat Excommunicationem latam contra Hæreticos?*

1 QUAMVIS Idololatria strictè accepta, quæ est prima, & præcipua Species Superstitionis; sit Cultus Idolis exhibitus, quo pro veris Diis honorantur; amplè tamen extenditur ad quemlibet Cultum Divinum creaturis attributum, Cultus tamen Divinus dupliciter tribui potest Creaturis. 1. credendo Divinitatem inesse creaturis, ob quam dignæ sint honore Divino; & tunc Idololatria est mixta hæresi. 2. nullam Divinitatem agnoscendo in Creaturis, sed ob specialem respectum honor Deo debitus illis tribuitur; & tunc est sine hæresi.

2 Utraque Idololatria sive cum hæresi, sive sine illa est gravissimum peccatum, & summa blasphemia: cum ex genere suo honorem soli Deo debitum creaturis applicet, & quasi tacitè velit Divinitatem à Deo tollere, & Creaturis conferre. Sic Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 37. num. 2.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 11. pun. 2.* qui addunt, hoc peccatum ullo metu, aut timore excusari posse, cum sit res intrinsece mala; & Doctores omnes conveniunt in his. Notat tamen Castropalaus *de Superstit. disp. 1. pun. 2. num. 3.* quòd Idololatria cum hæresi pœnas incurrit hæreticorum. Sine hæresi nullam ipso jure pœnam contrahit, sed pro qualitate criminis relinquitur punienda arbitrio Judicis.

3 Quæres: an qui Idololatriam materialem, & fictam committit, hoc est, nullam agnoscens Divinitatem in creatura, & idolo ob metum tamen mortis absque ullo interno affectu cultum illis exhibet; incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra hæreticos? Resp. quamvis iste talis gravissimè peccet, ut dictum est, quia committit externam Idololatriam, quæ intrinsecè mala est; non tamen incurrit Excommunicationem in Bulla Cœnæ contentam: quia hæc fertur contra hæreticos credentes, non verò contra Idololatras, solùm externos, & non credentes Divinitatem illam in creaturis. Quamvis pro foro exteriori præsumatur Excommunicatus: eo quia forum externum præsumit, ex animo cultum illum præbuisse. Sic Sayrus, Valentia, Lessius, Suarez, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disputat. 3. Decal. quæst. 5. punct. 2. numer. 5.*

CAPUT III.

De Divinatione.

1 *Quid sit Divinatio? Et quid possint Dæmones circa futura contingentia sive libera, sive necessaria? Et quomodo instruere possint Divinatores?*
2 *Divinatio duobus modis fieri potest per expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem.*
3 *Utraque Divinatio seriò facta gravissimum peccatum est, nec parvitatem materiæ habet.*
4 *Quot modis fieri potest Divinatio per expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem?*
5 *Quænam fides danda Somniis? Et quando est Superstitio, & grave peccatum?*
6 *Quando Divinatio censenda est evenire cum tacita Dæmonis invocatione?*
7 *Quod nam peccatum sit consulere Ægyptios de bona, vel sinistra fortuna?*
8 *Ad Divinatio per Sortes sit Superstitiosa?*
9 *An Divinatio sit ejusdem Speciei sive per aquam, sive per ignem, astra, somnia, & aerem fiat?*
10 *An aperienda in confessione circumstantia, quòd Divinatio, vel Superstitio facta sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione?*

1 DIVINATIO definitur à D. Thoma 2. 2. *quæst. 95. art. 1.* futurorum contingentium prædictio modo indebito. Dicitur, futurorum contingentium, quia in prædictione ipsorum specialiter consistit Divinatio, quamvis etiam extendatur ad prædictionem rerum occultarum vi humana non cognoscibilium. Dicitur, indebito modo, nam si ex revelatione Divina, vel à Sanctis Angelis notitia haberetur; non esset Divinatio. Quapropter Bonacina *disp. 2. Decal. quæst. 5. pun. 3. num. 1.* sic Divinationem describit: Prædictio rerum occultarum, quæ humano modo cognosci non possunt, facta ope Dæmonis. Ut autem hæc clariùs innotescant,

Sciendum 1. quòd licèt Dæmones certò cognoscere non possint futura contingentia, pendentia à libera Voluntate hominis, juxta illud *Isai. 41. Annunciate nobis, quæ futura sunt; & dicemus, quòd Dii estis vos*; neque internas affectiones, & cogitationes in corde residentes, juxta illud *Paralip. 6. Tu solus nosti corda hominum*; nihilominus probabilissimè ex conjecturis deducunt: eo quia cognoscunt nostras naturales inclinationes, & affectiones; causas insuper omnes naturales, & earum virtutes perfectè noscunt; maxima pollent experientia rerum, & bene recordantur, quidquid ut plurimum sequatur; sunt tandem sagacissimi, & sciunt quibus modis, Deo permittente, hominum phantasiæ perturbari possint.

Sciendum 2. Dæmones prædicere posse futura, quæ à causis naturalibus necessariò proveniunt: cum hæc cognitio non sit supra eorum naturam. Cognoscere quoque cogitationes præsentium, quæ in actum externum prodeunt; & sic sciunt Secreta Consilia, furta, aliaque occulta peccata à voluntate manantia.

Sciendum 3. Divinatores variis modis instrui à Dæmone, & doceri occulta. 1. assumendo corpora aliunde asportata, vel à se efformata; aut obiiciendo similitudines corporum, quibus modis responsa dat, ac instruit. 2. formando voces in aere, aut tradendo scripturam, quæ audiri, & legi possint à solo Divinatore. 3. in somnis, aut etiam vigilia disponendo phantasiam, aut sensus exteriores ad divinandum; vel aliis similibus modis: cum non desint Dæmonibus mille nocendi artes, & fallaciæ, quibus incautos homines decipere conantur. Sic Pererius, Sanchez, Filliuccius, Valentia, Reginaldus, Delrius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 3. Decal. quæst. 5. pun. 3. num. 1.* Hinc fit: non laudari à Delrio *lib. 2. Disquis. Magic. quæst. 26. sess. 6.* Sanchez *in Oper. Moral. lib. 2. cap. 38. numer. 25.* & à Bonacina *l. c.* pactum initum inter eos, ut qui priùs moriatur socio appareat; cum inde occasionem Dæmon arripere possit decipiendi, assumendo similitudinem defuncti. Per hoc tamen non negatur, quin anima defuncti mortalibus apparere possit, permittente Deo. His præmissis.

2 Divinatio duobus modis fieri potest. 1. per expressam Dæmonis invocationem vel verbis, vel factis, ut aliquid prædicat, promisso obsequio erga illum, vel absque

abſque promiſſione, ſeu pacto obſequii. 2. per tacitam Dæmonis invocationem ad occulta prædicenda: accidit hæc, cum vana verba ſuſurrantur, & vana facta uſurpantur ad prædictionem habendam, quamvis non intendatur expreſsè Dæmonis invocatio. Sunt autem vana, eo quia ex ſe non valent causare notitiam illorum effectuum, cum quibus nullam connexionem habent; adeoque qui illis utitur, videtur ſanè, à Dæmone notitiam velle, cum non ſint media apta ad movendum Deum, & Sanctos Angelos; ideo factis Dæmonem invocat, qui illis utitur, quamvis verbis contrarium dicat: ut rectè advertunt Leſſius, Sanchez, Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Superſt. diſp. 1. pun. 3. num. 5.*

3 Utraque Divinatio facta per expreſſam, vel tacitam Dæmonis invocationem eſt ex ſe graviſſimum peccatum, nec levitatem materiæ admittit, ſi ſeriò fiat: & ratio eſt, quia per utramque vult homo amicitiam inire cum iniquiſſimo hoſte, & fieri ejus diſcipulus: quod eſt genus proditionis peſſimæ, & apoſtaſiæ. Sic Cajetanus, Suarez, Sanchez, & Leſſius, quos referunt, & ſequuntur Caſtropalaus *l. c.* & Bonacina *diſp. 3. Decal. quæſt. 5. pun. 3. num. 17.*

4 Quæres 1. quot modis fieri poſſit Divinatio per expreſſam, vel tacitam Dæmonis invocationem? Reſp. pluribus modis evenire poſſe pro multiplicitate rerum ad divinationem aſſumptarum; quos enumerat Delrius *lib. 4. Diſquiſ. Magic. cap. 2. quæſt. 6. & 7.* 1 per apparitionem in figuris, & corporibus aſſumptis. 2. per ſigna apparentia in corporibus terreſtribus, lapide, ferro, ligno, &c. 3. per exta animalium. 4. per fictam mortuorum reſurrectionem, qui loquantur; & dicitur Necromantia. 5. per ſigna in aere, & dicitur Aeromantia. 6. per ſigna in igne, & nominatur Pyromantia. 7. in terra, & appellatur Geomantia. 8. per Somnia, & aliis modis.

5 Quæres 2. quænam fides danda ſomniis? Et quando eſt Superſtitio, & grave peccatum? Reſp. varias eſſe ſomniorum cauſas, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæſt. 95. art. 6.* aliquando enim oriuntur ab aliqua naturali affectione, & diſpoſitione corporis humani, & ab humoribus dominantibus, qui phantaſiam movent. Sic qui ſanguine abundant læta ſomniant; qui atra bili triſtia; qui ſpermate turpia; ſi phlegma redundet, aquę, nives, imbres, ac prata virentia repræſentari ſolent; ſi flava bilis vigeat, rixę, lites, bella ſe ſe offerunt; fame laborantes inter epulas, & convivia reperiuntur; ſiti verò inter pocula, flumina, & fontes. Aliquando ex cogitationibus præcedentibus in vigilia, & habitibus ex eis genitis ſomnia emanant; relinquunt enim in phantaſia ſimiles repræſentationes. Aliquando ex extrinſecis affectionibus aeris, vel cœli temperie, quæ commovere ſolent dormientis phantaſiam. Aliquando denique ſunt à Deo, vel à Sanctis Angelis, & aliquando à Dæmone, qui Deo ſic permittente permutat corporis humores, ac permiſcet, & ſomnia ſibi placentia immittit. His explicatis

Dicendum 1. fidem præſtare Somniis à Deo immiſſis, vel Sanctis Angelis, certum eſt, nec illicitum eſſe, nec ſuperſtitioſum. Verùm hoc difficillimum eſt ſcitu; ſi revera à Deo ſint, aut Sanctis Angelis; an verò à Dæmone, qui ſæpe ſæpius transfigurat ſe in Angelum lucis, ut faciliùs illaqueet. Quapropter hæ regulæ traduntur à Doctoribus cum Leſſio, Suarez, Valentia, Sanchez, & aliis, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp. 3. Decal. quæſt. 5. pun. 3. num. 7.* 1. ſi honeſta ſint ſomnia, & ad bonum invitent; ac promptiorem reddant hominem ad bene operandum cum humilitate. 2. ſi poſtea turbationem minimè generent, imò lætiori animo, & aptiori in Deum, & bonum arripiendum ſe ſentiat homo. 3. ut judicio Confeſſarii, vel Viri prudentis relinquantur examinanda, nec fidendum proprio judicio. Quòd ſi adhibita diligentia in diſcernendo an à Deo, aut à Dæmone ſint, adhuc dubietas remaneat; præſumendum erit, eſſe à Dæmone: ratio eſt, quia Deus ſomnium immittens cognitionem ſimul immittere ſolet per circumſtantias, quæ demonſtrant provenire à ſe; adeoque perſeverante dubietate prudenter præſumitur, non eſſe à Deo, & conſequenter deneganda illi fides juxta illud *Eccleſ. 34. Niſi ab Altiſſimo fuerit miſſa Viſitatio, ne des ſomnis cor tuum.* Sic Delrius *lib. 4. Diſquis. Magic. cap. 3. quæſt. 3.* Bonacina *l. c.* referens Sanchez, Valentiam, & Filliuccium.

Dicendum 2. præſtare fidem Somniis à Dæmone immiſſis grave peccatum eſſe; & ſuperſtitionem: quia daretur fides illi, cui omnino deneganda eſt; & eſſet voluntariè aſſentiri malo ab ipſo propoſito, & velle edoceri ab eo. Sic Doctores omnes. Et pari modo peccabunt, qui ita ſe componunt ad ſomnum, ut ſomnia habeant, quibus futura, vel occulta ſciant: hoc enim eſſet voluntariè cupere talem notitiam à Dæmone, & velle ab eo edoceri. Sic Suarez, Navarrus, Leſſius, Sanchez, Filliuccius, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp. 3. Decal. quæſt. 5. pun. 3. num. 8.*

Dicendum 3. præſtare fidem ſomniis à cauſis naturalibus provenientibus, & ex illis conjectare aliquas affectiones naturales, nempe corporis temperamentum, humores prædominantes, & ſimilia; neque peccatum eſſe, neque ſuperſtitionem: ratio eſt, quia conjectantur effectus à ſuis cauſis naturalibus, & à quibus naturali via emanant. Et ſic faciunt Periti Medici, & bene. Secus verò colligere ex illis prædictiones eventuum futurorum, aut rerum occultarum, cum quibus nec connexionem habent, nec ad ea naturaliter extenduntur; grave peccatum eſſe, ac Superſtitionem, ſi fides præſtetur: & ratio eſt, quia ſi non conſtet eſſe à Deo tales prænotiones, ſunt à Dæmone immiſſæ per ſomnium mediis cauſis naturalibus: cum cauſæ naturales ex ſe nullam connexionem habeant cum ſimilibus prænotionibus. Sic Suarez, Sanchez, Leſſius, Azor. Valentia, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Superſtit. diſp. 1. pun. 5. num. 6.*

Dicendum 4. ſi fides non præſtetur ſomniis, ſed aliqua ſuſpicio ex ipſis oriatur, vel timendi adverſa, vel ſperandi proſpera; itaut ob talem ſuſpicionem aliquod opus omittatur, vel efficiatur, dummodo non ſit contra aliquod præceptum; non eſſe grave peccatum, & perfectam Superſtitionem: ſed potius levitatem, & vanitatem: ut loquitur Bonacina *diſp. 3. Decal. quæſt. 5. pun. 3.* referens Cajetanum, Navarrum, Suarez, & Filliuccium. Addit tamen Caſtropalaus *l. c. num. 7.* quòd ſi quis continuò ex ſomniis ad ſic operandum moveretur, à gravi peccato excuſari non poſſet, eo quia convinceretur, majorem fidem adhibere ſomniis, quàm par ſit. Fulciunt hanc ſententiam ſua authoritate Suarez *lib. 2. de Superſt. cap. 13. num. 20.* & Leſſius *lib. 2. cap. 40. dubit. 8. num. 54.*

Quæres 3. quando nam Divinatio cenſenda eſt evenire cum tacita invocatione Dæmonis? Reſp. quoties ad divinandum adhibentur ea media, quę ex ſe ſaltem virtutem non habent prænunciandi futura, vel revelandi occulta. Sic evenit, quando quis divinat per carthas, taxillos, aut per id, quod primò occurrit aperienti librum. Sic etiam ex numero, aut diſpoſitione quarumdam rerum: vel ex manuum lineamentis, ex rugis frontis, ex figuris, coloribus, garritu avium, vocibus animalium, occurſu funeris, ſternutatione, fractione corrigię calcei, & ſimilibus. Si igitur hæc omnia ordinantur ad futura cognoſcenda, aut occulta revelanda, cum quibus naturalem connexionem non habent; ope Dæmonis fiunt: cum Deus, & Sancti Angeli non utantur mediis adeo ineptis ad futura, vel occulta revelanda; ergo à Dæmone cenſenda ſunt provenire; ergo gravis ſuperſtitio, & grave peccatum. Si verò ordinentur ad cognoſcenda ea, cum quibus naturaliter connectuntur; nulla habetur tacita Dæmonis invocatio, aut Superſtitio: cum detur naturalis Divinatio, & licita; conſtat enim ex animalibus ipſis, quæ propter cœlorum influxus moventur ad naturales effectus prędemonſtrandos, tempeſtates, ſerenitates, & ſimilia. 6

Hinc fit 1. Aſtrologos prædicentes ex aſtrorum obſervatione effectus naturales, pluvias ſcilicet, grandines, tonitrua, &c. quæ ex cœleſtibus influxibus dependent; prædicentes inquam conjecturaliter tantùm, nullo modo peccare: quia cęleſtes influxus cauſare ſolent hos effectus. Si verò pluſcertò, quàm ex Aſtris colligi poſſit, eos prędemonſtrent; peccare venialiter tantùm ob temeritatem, & mendacium, cui ſe exponunt. Sic Suarez, & Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Superſtit. diſputat. 1. punct. 4. numer. 1.*

Fit 2. Prędicentes ex Aſtris temperamentum, conditionem, qualitates, inclinationes hominis, ac paſſiones naturales. Sicuti ex Phyſiognomia conjectari naturales animi affectiones, bonam, vel malam valetudinem. Inſuper ex varia elementorum mutatione; ex frequenti animalium cantu, volatu, motu; ex proprii corporis diſpoſitionibus, & habitu conjectari pluvias, ęſtus,

æstus, frigora, & similes effectus naturales in genere; non peccare, si conjecturaliter tantum prædicant. Si verò certò prædicant, peccare venialiter, ut superiùs dictum est, ob summam imprudentiam, cui se exponunt talia prænuntiantes: cùm non sint regulæ infallibiles juxta illud *Jerem.* 10. *à signis cœli nolite timere, quæ timent gentes; quia leges Populorum vanæ sunt*.

Fit 3. Astrologos Judiciarios prædicentes ex astris eventus à libero hominis arbitrio pendentes, quales sunt bella, contentiones, celebrationes Matrimoniorum, consecutiones Dignitatum; aut occulta ab astris independentia prænuntiare, quasi pendentia ab illis, ut certum morbum, certum periculum mortis, bonam fortunam, aut divitias; item ex illis furta, homicidia, aut alias occultas hominum actiones investigare; grave peccatum Superstitionis committere: ratio est, quia astra non possunt esse causæ naturales horum effectuum, aliàs non essent liberi; nec signa naturalia eorum; ergo qui his regulis utuntur ad futura, vel occulta prænonstranda; tacitè Dæmonis auxilium, ac opem invocant. Sic Doctores omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. colligitur ex illo *Deuteron* 18. *Gentes istæ, quarum possidebitis terram; augures, & Divinos consulunt: tu autem aliter à Domino Deo tuo institutus es. Ex Cap. Illos.* 26. *quæst.* 2. *Cap. Igitur.* 26. *quæst.* 3. & ex Bulla Sixti V. contra Astrologos Judiciarios.

7 Petes hic: qui Ægyptios consulunt, an bonam, vel sinistram fortunam habituri sint, peccant ne? Resp. si fiat curiositatis gratia, vel risus, uti passim evenit; peccatum veniale esse. Si tamen fiat præstando fidem, aut cum scandalo; mortale esse ob rationes superiùs adductas. Sic Navarrus, Lopez, Sanchez, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disputat.* 3. *Decal. quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 11. in fine.

8 Quæres 4. Divinatio per Sortes sit ne Superstitiosa? Resp. prœmittendo priùs: Divinationem per Sortes triplici modo fieri posse. 1. *si* sortes mittantur ad cognoscendum, quid cuique sit tribuendum in Electionibus, & in controversiis; & dicitur Sors Divisoria. 2. si sortes mittantur ad indagandam Divinam voluntatem, ut quid faciendum sit, manifestet, & dicitur Sors Consultoria. 3. denique si mittantur Sortes ad res occultas cognoscendas; & dicitur Sors Divinatoria. Sic Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. His præmissis

Dico 1? Sortem Divisoriam ex se licitam esse, si concurrant debitæ conditiones, exceptis Electionibus Ecclesiasticis, in quibus sortes prohibentur *ex Cap. Ecclesia de sortileg.* & ratio est, quia nec assumuntur ad aliquod occultum investigandum: sed potiùs ad lites dirimendas per contractum fortunæ, in quo partes æqualem subeunt conditionem acquirendi, vel perdendi. Sic Lessius, Suarez, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Superst. disputat.* 1. *punct.* 6. *numer.* 2. 1. Conditio, quæ servari debet in Sorte Divisoria, est, ut fiat ab habente potestatem ad lites, & controversias dirimendas; vel fiat mutuo partium consensu ad Sortem Divisoriam devenientium. 2. Conditio, ut non violetur justitia, sed æquale sit jus partium: quapropter inter dignum, & indignum; aut inter habentem jus aliquod circa rem cum eo, qui nullum jus habet; sortiri nequibit. 3. Conditio, ut non intercedat irreverentia aliqua Sacrarum rerum: quapropter si in sortiendo quis uteretur libris Evangeliorum, aut Sacris Bybliis; irreverentiam committeret, quæ si magna esset, peccatum grave haberetur; si verò levis, leve peccatum. Sic Suarez, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *disputat.* 3. *Decal. quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 13. 4. denique Conditio, ut non expectetur ab astris felicitas sortis, aut ope Dœmonis, vel à fortuna more Ethnicorum Divinam Providentiam excludentium.

Dico 2. Sortem Consultoriam licitam esse, si concurrant hæ circumstantiæ: 1. ut urgente necessitate fiat: nam si alia via suppetit indagandi voluntatem Divinam, exponit se periculo decipiendi à Dœmone, vel tentandi Deum, qui sorte Consultoria utitur. 2. ut cum debita reverentia, & circa res licitas fiat: nam explorare Divinam Voluntatem sortibus magnam requirit reverentiam, & oratione præmissa. 3. ut debito modo fiat: quapropter uti rebus Sacris in his sortibus ob res temporales, & ad terrena lucra, & sæcularia negotia; esset profanatio quædam Sacrorum, cum possint aliunde humana industria acquiri hæc consilia. 4. denique circumstantia, ut habeatur specialis Dei instinctus; si velis, ut Deus sensibili signo Divinam suam voluntatem sortibus aperiat. Si verò solùm intendis, ut per suam Providentiam sortem feliciter dirigat; tunc sufficit magna fiducia in Divina Bonitate, posita necessitate, ac honestate negotii. Sic Suarez *lib.* 2. *de Superstit. cap.* 12. *numer.* 26. & Sanchez *in Oper. Moral. libr.* 2. *cap.* 38. *num.* 87.

Dico 3. Sortem Divinatoriam esse ex se illicitam, & superstitiosam: eo quia neque ex se habet causare effectum futurum, neque significare illum; ergo ab alio debet hoc accipere: sed non à Deo, qui non immiscet se vanis, nec dedit hanc significationem sorti; ergo à Dœmone. Sic Doctores omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8.

Quæres 5. Utrum Divinatio sit ejusdem Speciei, sive per aquam, aut ignem, vel astra, somnia, & aerem fiat? Resp. esse ejusdem speciei moralis, quamvis in genere entis differant inter se: sic furtum auri non differt in genere moris à furto argenti, quamvis differant in genere entis; nec inducunt obligationem aperiendi hanc circumstantiam in confessione. Sic Suarez, Sanchez, Azor. Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Superstit. disputat.* 1. *punct.* 3. *numer.* 9. 9

Difficultas major est: an sit aperienda in confessione Divinatio, & superstitio facta cum tacita Dœmonis invocatione, aut cum expressa. Et ratio dubitandi est, quia habet malitiam ejusdem speciei, cum taciti, & expressi eadem sit ratio; & tota malitia Divinationis sita sit in voluntate impetrandi à Dœmone, quod à Deo petendum erat; quæ quidem voluntas eadem est, sive expressè, sive tacitè à Dœmone postuletur. Nihilominus aperienda erit in confessione: ratio est, quia invocatio facta expressè sæpe habet sibi annexam hæresim, adorationem Dœmonis, & similia scelera, quæ non solet habere tacitè facta. Sic optimè docent Sanchez, Suarez, Lessius, Reginaldus, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *loc. cit.* & Bonacina *disputat.* 3. *Decal. quæst.* 5. *punct.* 3. *numer.* 21. 10

CAPUT IV.

De Vana Observatione.

1 *Quid sit Vana Observatio? & quomodo differat à Divinatione?*
2 *Semper est gravissimum peccatum, sive fiat cum pacto Expresso Dæmonis, sive tacito; nec suffragatur præmissa renuntiatio omni pacto sive explicito, sive implicito.*
3 *Species Vanæ Observationis tres enumerantur.*
4 1. *Est ars Notoria; & explicatur quid sit.*
5 *An acquisita jam scientia ope Dæmonis licitum postea sit ea uti?*
6 2. *Est Observatio Sanitatum; & explicatur quid sit.*
7 *Quinque illationes ex dictis.*
8 3. *Est Observatio Eventuum; & explicatur quid sit.*
9 *Tria inferuntur ex dictis.*
10 *An Divinatores, & Aruspices Dæmonem alligantes, aut invocantes sint ipso facto excommunicati?*

OBSERVATIO Vana, quæ est tertia Species Superstitionis; consistit ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 1. in eo, quòd media inutilia adhibeantur ad faciendum, vel omittendum aliquod, ad quod nec à Natura, nec à Deo virtutem ullam habent. Differt autem à Divinatione, eo quia hæc sistit in cognitione futurorum, vel alicujus occulti; Vana tamen Observantia tendit ad opus, nempe ad aliquod bonum acquirendum sibi, vel aliis hisce mediis inutilibus, & dicitur Magia; vel ad inferendum damnum aliis, & dicitur Maleficium. 1

Hæc

2 Hæc Vana Observatio, sive fiat cum pacto expresso Dœmonis, sive tacito; semper ex se est gravissimum peccatum, nec parvitatem materiæ admittit: ratio est, quia ad Dœmonem recurrere, & commercium cum hoste infensissimo habere, est gravissima injuria Divinæ Majestatis, etiamsi effectus intentus sit levissimus. Sic Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de Superst. cap.* 14. *numer.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 44. *dubit.* 4. *numer.* 26. & Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 40. *numer.* 13. Neque excusandi sunt à peccato gravissimo utentes his mediis vanis, & ineptis per hoc, quod renunciationem præmittant adversus omne pactum tam explicitum, quàm implicitum Dœmonis; cum enim constet, opus esse superstitiosum; renuntiatio dicitur contraria factis, factis siquidem pactum, & commercium ineunt cum Dœmone, quamvis protestatione oppositum dicere conentur. Et ratio ulterior est, quia cum nullum habeatur fundamentum in utentibus his mediis ineptis ad sperandum effectum à Divina Virtute, quæ talibus mediis non se immiscet, nimis clarè sequitur, sperari à Dœmone ex pacto saltem implicito. Sic Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *punct.* 2. Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 4. *nu.* 25. & alii passim.

3 Species Vanæ Observationis tres enumerantur. 1. dicitur Ars Notoria. 2. Observatio Sanitatum. 3. Observatio eventuum. Quæ quidem Species non differunt inter se in ratione Magicæ Superstitionis: cum in omnibus eadem reperiatur malitia Cultus, Commercii, & Societatis cum Dœmone, & fiduciæ in illum. Sic Suares *lib.* 2. *de Superstit. cap.* 14. *num.* 10. & *cap.* 15. *num.* 2. Castropalaus *de Superstit. disp.* 1. *pun.* 8. *numer.* 6.

4 Ars Notoria nihil aliud est, nisi aptare media vana ad acquirendas sibi, vel alteri subitò, & absque ullo labore Scientias rerum naturalium, per quædam scilicet jejunia, orationes, aut prolationes verborum ignotorum, inspectiones figurarum, & similia, quæ ex se inefficacia sunt ad talem effectum, cum Dei sit scientias infundere. Sic Delrius *lib.* 3. *Disquis. Magic. quæst.* 4. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 188. & Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 40. *num.* 12.

5 Petes hic: an semel acquisita Scientia ope Dœmonis, licitum postea sit ea uti? Resp. cum distinctione, si conservatio, & usus Scientiæ illius pendeat adhuc à Dœmone; illicitus, & superstitiosus erit usus, ut per se patet. Si verò conservatio non pendeat ampliùs à Dœmone, nec usus fiat dependenter ab illo; licitus erit, & sine superstitione: ratio est, quia cognitio, seu scientia illa naturalis ex se bona est; & jam pertransiit peccatum, quo malè acquisita fuit, ergo non est, ex quo usus illius reddatur illicitus, & superstitiosus. Sic Suarez *lib.* 2. *de Superstit. cap.* 17. *num.* 1. Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 1. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *cap.* 13. *pun.* 2.

6 Observatio Sanitatum est aptare media inutilia, & vana ad sanandos morbos sive hominum, sive brutorum: sic evenit, quando adhibentur verba, signa, ceremoniæ sacræ, & res naturales, quibus media vana admiscentur, tamquam necessaria ad morbos pellendos. Cum enim hæc non habeant virtutem ad hos effectus producendos; bene colligitur provenire effectus à Dœmone ex pacto sive implicito, sive explicito; adeoque his uti gravis superstitio erit.

7 Hinc infertur 1. effectum semper esse superstitiosum, si aliqua circumstantia vana concurrat. v. g. talis situs Corporis, talis hora, determinatus crucium numerus, & similia, etiamsi à causa naturali applicata cum illis vanis circumstantiis prodire posset: & ratio est, quia cum non sint media instituta à Deo vel ab Ecclesia ad consequendum effectum; præsumendum est virtute Dœmonis provenire, cujus est complacere in vanis, & sacra immiscere profanis. Secus verò esset, si in applicatione causarum naturalium uteretur quis mediis ab Ecclesia approbatis, & institutis oratione, jejunio, aliisque Ecclesiasticis ceremoniis ad salutem obtinendam cum fiducia in Deum pro suo beneplacito; nulla erit Superstitio: & ratio est, quia licitè possumus uti his mediis à Deo præordinatis, & ab ejus Ecclesia.

Infertur 2. effectum superantem virtutem causæ applicatæ, si non constet esse à Deo; præsumendum est, esse à Dœmone: & ratio est, quia miracula non sunt præsumenda, sed probanda: neque Deus sine gravissima necessitate ea operatur; ergo rectè colligitur, quòd talis effectus superans causam naturalem sit à Dœmone. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 40. *num.* 44. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 43. *dubit.* 10. *numer.* 62. Suarez *lib.* 2. *de Superstit. cap.* 15. *numer.* 1.

Infertur 3. ad cognoscendum, an effectus sit à causa naturali applicata, an ab alia superiori Virtute, judicio Sapientum, & Doctorum Virorum examinandum esse, attenta virtute causæ, & effectus, ac circumstantiis, qui si proferent causam talem, ac tantam virtutem non habere; optimè concluditur, non esse à causa naturali; sed à Virtute superiori. Sic bene concluſum fuit, superstitiosum esse modum curandi vulnera lethalia sive hominum, sive brutorum per applicationem unguenti cujusdam, aut pulveris ensi, vittis, aut lignis intinctis sanguine vulnerati, etiam distantis: eo quia causæ naturales non habent ex se vim agendi in distans; adeoque talis effectus erit à superiori Virtute; sed non à Deo, qui non præstat hos effectus per media inepta, & vana; ergo à Dœmone. Si tamen perpensis omnibus adhuc remanet dubietas: an effectus sit à causa naturali, an verò à superiori Virtute; reputandum est, provenire à causa naturali applicata: tum quia dubium explicandum est in mitiorem partem; tum quia delictum non est præsumendum, nisi certò probetur; tum denique quia Virtutes causarum naturalium, sunt multiplices, & multæ etiam Sapientibus ignotæ: ut bene probat D. Augustinus *lib.* 14. *de civit. Dei. cap.* 24. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 40. *num.* 44. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 43. *dubit.* 10. Suarez *lib.* 2. *de Superst. cap.* 15.

Infertur 4. gravem superstitionem esse, secum deferre imagines, signa sacra, Cruces certis characteribus inscriptas; & verbis Sacris uti cum certa fiducia evadendi ab hoste, à subitanea morte, à quocumque fortuito eventu; vel superandi morbos, aut non moriendi sine prævia confessione; etiamsi illa signa Sacra, & verba admixta non habeant vana, & inutilia: eo quia tribuitur infallibilitas effectus rebus, quæ non habent illum præstare ex Divina Institutione, aliàs essent Sacramenta, aut Sacramentalia. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 21. *numer.* 34. Lessius *loc. cit. numer.* 63. Suarez *loc. cit. numer.* 9. & 10. Sanchez *loc. cit. numer.* 20. Secus verò si in usurpatione Sacrorum verborum, aut in asportandis secum Sacris Imaginibus, reliquiis, &c. non certo sperentur hi effectus; sed solùm consideretur Deus, ut moveatur illo reverentiæ actu, & Sanctorum intercessione, ac meritis ad concedendos illos effectus; nulla superstitio erit, imò actus religionis: eo quia nec immiscentur vana, nec speratur effectus, nisi mediis à Deo præordinatis. Sic Suarez, & Sanchez *locis citatis*. Si tamen rebus sacris immiscentur vana, & inutilia, tamquam media necessaria ad finem etiam licitum consequendum, nam de illicito dubitari non potest; gravissima superstitio erit, quamvis materia levissima sit. In hoc peccare solent Mulierculæ, quæ precibus, & orationibus ut plurimum miscere solent hæc vana, in quibus magis fidunt ad effectum habendum: sic est signo Sanctæ Crucis addere inscripta nomina ignota, & similes characteres; Evangelium, quod ad collum pendere debet; sit inscriptum in charta virginea, & tali tempore; quòd missæ, vel orationes fieri debeant cum tali apparatu candelarum, & non plurium, tali loco, vel hora, & non in aliis. Hæc enim omnia gravissimam indicant superstitionem: nam cum hæc media vana non sint utilia ex se ad effectus præstandos, præsumi debet directionem habere à Dœmone, qui in vanis complacet. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 16. *num.* 12. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 63.

Infertur 5. non esse damnandos superstitionis aliquos homines, quos Salutatores vocant; imò aliquas familias dantes operam in curandis certis morbis, morsibus canum rabidorum, vel animalium venenatorum, strumis, & similibus. Tum quia fieri potest, hanc gratiam gratis datam accepisse à Deo; tum quia ex circumstantiis apparet nihil superstitiosum committere. Quapropter opus erit, antequam hoc munus aggrediantur, diligenter examinari has Personas ab ordinariis, ad quos spectat; ne facilè incidant in aliquod vanum, & superstitiosum. Sic Azor. Navarrus, Delrius, Suarez, Sanchez, quos refert & sequitur Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 5. *pun.* 4. *num.* 20.

Obser-

8 Observantia eventuum est conjectare futura ex consideratione alicujus eventus fortuiti; ut si quis domo egrediens obvium reperiat cadaver, vulpem, canem; & ex hoc occursu credat, negotium arripiendum, aut diem futurum sibi infaustum; vel viceversa ex occursu alicujus lætitiæ felicitatem, ac prosperitatem in negotiis sibi promittat. Differt autem à divinatione hæc observantia eventuum, quia ad divinandum requiruntur signa; non verò ad observationem eventuum, qui fortuitò accidunt. Insuper in divinatione inquiritur notitia futurorum, & occultorum, in observatione verò eventuum intenditur directio operationum ad aliquod prosperum habendum, aut infaustum vitandum. Observantia hæc eventuum ex suo genere est grave peccatum, ut superiùs dictum est, maximè si certa fides detur his fortuitis eventibus ad operationes dirigendas. Sæpius tamen à mortali excusat ignorantia, & bona fides; quia ut plurimum non certò creditur his, sed perplexitatem quamdam inducunt. Sic Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 13. punct. 3.* Navarrus *in Summ. capit. 11. num. 24.* Lessius *lib. 2. Just. cap. 44. dubit. 4.* & Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 40. num. 13.*

Hinc infertur 1. quòd usus illorum, qui in ludo locum mutant, ut fors eis felicior evadat; aut eorum, qui talibus diebus aliquid facere solent, vel omittere, ut prospera sibi eveniant, vel infausta evitent; gravis superstitio sit si firmiter credant hæc omnia; si tamen, ut communiter contingit, non firmiter credant; sed quia sic fortè evenire solet; non erit grave peccatum. Sic Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 40. num. 21.* & Castropalaus *de Superst. disp. 1. punct. 10. num. 12.*

9 Infertur 2. consulentes Astrologos, quo tempore ludendum sit, ut feliciter ludus evadat vel requirentes imagines astronomicas ad fausta arripienda, & infausta vitanda in pendentibus ab humana industria; gravem superstitionem committere: quia astrologia prædicere nequit hos fortuitos eventus; ergo si prædicuntur, ex scientia Dæmonis præsumendum est evenire. Sic præcitati Doctores.

Infertur 3. quamvis Ars Chymica, transmutandi videlicet vilius metallum in aurum, aut argentum; possit naturaliter dari, ut expendit Delrius *lib. 1. Disquis. Magic. quæst. 1. sect. 2.* & consequenter non esse superstitiosam; licèt oppositam sententiam sustineant Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 13.* & Sanchez *Libr. 2. Decal. capit. 4. num. 52.* Nihilominus ejus studium, & usum illicitum esse, pernicioşum, ac periculosum, multis rationibus confirmat citatus Valentia; ideoque meritò damnata fuit hæc Ars à Joanne XXII. *in sua Extravag. Spondent.*

10 Quæres hic: an Divinatores, Aruspices, Dæmonem alligantes, aut eum invocantes sint ipso facto excommunicati? Resp. negativè, præcisè ex hoc capite; ratio est, quia hæc excommunicatio ipso facto maximè colligitur *ex Capit. 1. 26. quæstion. 5.* sed dubium est, an sit latæ sententiæ, vel ferendæ: cum illud, anathema sit, possit importare tempus futurum; ergo in dubio mitior pars eligenda erit; ergo erit ferendæ, non latæ sententiæ. Sic Azor. Lessius, Toletus, Filliuccius, Suarez, Sanchez, Tabiena, quos refert, & sequitur Bonacina *disputat. 3. Decal. quæst. 5. punct. 3. num. 13.* & Barbosa *in Collect. in explicatione hujus Capitis.*

CAPUT V.

De Maleficio.

1 *Maleficium est species vanæ observationis, & declaratur ejus Essentia.*
2 *Quid possint Dæmones per suam scientiam, & naturalem potestatem?*
3 *Nil possunt Dæmones ex se circa animas separatas.*
4 *Magia alia Naturalis, & Mathematica; alia Diabolica.*
5 *Magia naturalis, aut Mathematica nec est malefica, nec superstitiosa.*
6 *Illicitum est Magos adhibere ad maleficium faciendum curiositatis gratia, vel etiam ob bonum publicum, non solùm privatim, sed etiam coram Judice.*
7 *Non est licitum Mago maleficii nocumenta alio maleficio reparare.*
8 *Illicitum est petere à Mago, etiam ex se parato, ut maleficium maleficio dissolvat; nec licitum est, eum cogere ad faciendum.*
9 *In dubio an medium, quod assumitur ad maleficium dissolvendum, sit superstitiosum, vel non; non est licitum id petere à Mago.*
10 *Si Magus sciat media licita ad dissolvendum maleficium, etiamsi sciat illicita; licitum erit ab eo petere media licita.*
11 *Non est licitum petere à Dæmone dissolutionem maleficii, vel ut cesset à nocendo.*
12 *Licitum est uti remediis supernaturalibus ad maleficia dissolvenda.*
13 *Quid præstare debeat prudens Confessarius cum Mago?*
14 *Quibus pœnis subjaceant Malefici.*

MALEFICIUM, quod est species vanæ observantiæ, & ad ipsam reducitur; nihil aliud est: nisi cum vana assumuntur nocendi causa aliis ope Dæmonis. Sic Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 13. punct. 4.* Toletus *lib. 4. capit. 16.* Sayrus *lib. 4. capit. 6. num. 23.* & alii. In ratione superstitionis nil differt ab aliis speciebus, & convenit cum ipsis. Est tamen inter species superstitionis omnium detestabilissima ob nocumenta, & peccata injustitiæ, quæ secum trahit: nam quæ à Dæmone fiunt Magicis superstitionibus, juremerito tribuuntur Mago. 1

Pro faciliori tamen intelligentia dicendorum prænotandum est 1. Dæmones non amisisse scientiam naturalem, sed maxima pollere cognitione rerum naturalium; habere insuper latam potestatem nocendi hominibus, si Deus permiserit: quia nec per peccatum diminuta fuit eorum scientia naturalis, nec naturalis potestas in hæc inferiora: ut tradunt Doctores cum Divo Thoma 1. 2. *quæst. 64. art. 4.* Quapropter circa humana corpora potestatem habent afficiendi ea variis morbis, applicando scilicet nociva ipsis nota, & ab humana industria non curabilia; & è contra omnibus morbis, qui naturalibus remediis curari non possunt ab industria humana; applicari possunt ab ipsis remedia naturalia hominibus penitus ignota. Possunt quoque avertere læsiones, quæ ex igne, aere, gladio, & aliis instrumentis accidere possunt homini, vel se interponendo, vel infringendo impetum, aut media contraria applicando; licèt Deus sæpe hæc non permittat, ne in errorem inducant simplices. Habent pariter potestatem circa elementa, possunt namque transferre de uno loco in alium pluvias, grandines, ventos; & tempestates huc illuc exagitare, sicuti etiam homines, & alia animalia ex uno loco in alium brevissimo temporis intervallo transferre; incendia causare, segetes evellere, aurum terra, vel mari inclusum extrahere; & similes effectus naturales præstare, qui tamen virtutem agentium naturalium non excedant; unde licèt possint extrinsecùs hominem transformare, non possunt tamen in bestiam intrinsecùs convertere: nec possunt Ordinem Universi percutere, quia Deus non permittit, cum spectet ad divinam Providentiam eorum potestatem coercere, & solùm permittere aliquas operationes justis de causis: ut rectè adnotavit Divus Thomas *3. contra gentes cap. 108.* 2

Prænotandum 2. nil posse Dæmones circa animas separatas ex se: nam si in cœlo sunt, alienum est à statu beatifico huic potestati subjacere; si in Purgatorio; aut in inferno morantur; exequuntur tantùm circa illas mandata divinæ Justitiæ, cujus sunt Ministri; adeoque ex se non possunt transferre ex uno loco ad alium animas separatas: quare si virtute maleficii apparent, non censendæ sunt ipsæ realiter apparere, sed earum imagines, & umbræ à Dæmonibus efformatæ. Quod tamen refertur 1. *Regum* 28. de suscitatione animæ Samuelis à limbo incantationibus Pythonissæ ad instantiam Saulis; evenit non ex vi magicæ incantationis, sed occasionaliter ex illa, principaliter tamen ordinatione, & jussu Dei ad gloriam Samuelis ostendendam, & ad majorem Saulis confusionem, & punitionem. Sic Divus Augustinus *lib. de Cura pro mortuis agenda cap. 15. & 16.* mutans sententiam, quam alibi docuerat, Divus Basilius, Divus Justinus Martyr, Divus Ambrosius, 3

Divus Thomas, Lyranus, & alii Patres, & Theologi, ac Interpretes relati à Castropalao *disp. 1. de Superstit. punct. 9. num. 5.*

4 Prænotandum 3. Magiam duplicem esse Naturalem, aut Mathematicam unam; alteram Diabolicam. Naturalis est illa, qua viribus naturæ, licèt occultis, fiunt quædam mira, ut formare Statuas se moventes, saltantes, sibilantes &c. Mathematica est illa, qua prædicti hac disciplina, adjunctis numeris, aut detractis, vel subductis, quædam occulta divinant. Diabolica est illa, qua Magi mira operantur ope Dœmonis. His prænotatis

5 Dicendum 1. Magiam naturalem, vel Mathematicam non esse maleficam, nec superstitiosam, ut per se patet Viris prudentibus; secus verò diabolicam, quæ est illicita, & superstitiosa, utpote utens ope Dœmonis in patrando mira. Sic Doctores communiter, ut videre est apud Azorium *par. 1. lib. 9. cap. 25.* Quomodo verò concurrant Dœmones cum Magis ad miros effectus præstandos, vel celerrimè asportando aliquid, vel sensus deludendo, aut corpora alterando vide apud Delrium *libr. 2. Disquis. Magicar. quæst. 8.* & Lessium *lib. 2. de Just. cap. 44. dubit. 3.*

6 Dicendum 2. non esse licitum Magos adhibere ad maleficium faciendum, etiam curiositatis gratia, vel alterius finis coram Judice, vel propter bonum publicum: ratio est, quia est opus intrinsecè malum, nec ullo modo cohonestabile; maximè quia sic esset cooperari eorum peccato. Sic Suarez, Sanchez, Lessius, Navarrus, Toletus, Sayrus, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 3. Decal. quæst. 5. punct. 5. num. 5.* & Castropalaus *de Superstit. disp. 1. punct. 11. num. 6.*

7 Dicendum 3. non esse licitum Mago maleficii nocumenta reparare alio maleficio: ratio est, quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona; & hoc etiam dicendum, etiamsi non suppetat alia via, qua damnum reparare possit. Sic Sanchez *lib. 7. Matrim. disp. 95. nu. 1. & lib. 2. Decal. cap. 41. nu. 3.* Suarez *lib. 2. de Superstit. capit. 19. num. 14.* Castropalaus *de Superst. disp. 1. punct. 11. num. 5.*

8 Dicendum 4. non esse licitum petere à Mago, etiam ex se parato ad maleficium, ut maleficium maleficio dissolvat: nec esse licitum eum cogere minis, & imperio, ut hoc efficiat: ratio est, quia est opus intrinsecè malum, & esset ejus peccato cooperari. Sic contra Aureolum, & Angelum docent Suarez, Navarrus, Covarruvias, Sanchez, Lessius, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Superst. disputat. 1. punct. 13. num. 1.*

9 Dicendum 5. nec esse licitum hoc petere à Mago in dubio: an medium, quod assumit ad maleficium dissolvendum sit superstitiosum, vel non: & ratio est, quia exponeretur periculo peccandi, operaretur siquidem cum conscientia practicè dubia, & priùs vincendum est dubium. Sic Suarez, Delrio, Lessius, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. supracit.*

10 Dicendum 6. si Magus revera sciat media licita ad maleficium dissolvendum, quamvis etiam illicita sciat; tunc licitum erit petere dissolutionem maleficii per media licita. Secus verò si ignoret media licita, aut dubius sit, si sint licita: tunc illicita erit petitio. Ratio prioris est, quia petitur quod licitum est, nempe dissolutio maleficii, & per media licita ex se. Ratio posterioris est, quia petere dissolutionem maleficii ab ignorante media licita, idem est ac petere, ut maleficium maleficio dissolvat; vel se exponat periculo peccandi, si dubius sit, si sint licita media. Sic Suarez, Sanchez, Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*.

11 Dicendum 7. non esse licitum petere à Dœmone maleficii dissolutionem, vel ut cesset à nocumento: ratio est, quia petitio est signum submissionis, & indigentiæ; & hoc præstare Dœmoni est gravissima divinæ Majestatis injuria, Sic Delrio, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Superst. disput. 1. punct. 13. num. 7.* Licitum tamen erit illum contemnere, & objurgare, ut cesset à malefactis, & à nocendo, & ut vincula iniquitatis dissolvat; cum hæc verba non denotent submissionem, sed objurgationem. Sic Sanchez, Lessius, Suarez, & Castropalaus *loco cit. nu. 8.*

12 Dicendum 8. licitum esse uti remediis supernaturalibus ad maleficia dissolvenda: cum ex illis moveatur Deus, ne amplius nocumentum permittat; & aliquando urget obligatio ea apponendi. Ex his remediis alia sunt communia pro quocumque beneficio habendo, vel damno evitando: ita sunt Oratio, magna fiducia in divina Protectione, Usus Sacramentorum, exercitium bonorum operum, Misericordiæ, Humilitatis, Patientiæ; Reliquiarum Veneratio, & secum asportatio. Alia sunt specialiter directa ab Ecclesia ad hunc finem: ita sunt exorcismi, aqua benedicta, sal, & panis benedictus; signo crucis se munire, invocare Sanctissimum Nomen Jesu, adeo Dœmonibus terribile; Beatæ Virginis Mariæ, Angelorum, & Sanctorum, Sic Doctores communiter.

13 Quæres 1. quid præstare debeat prudens Confessarius cum Mago? Resp. quatuor ab eo inquirere debere. Primum si pactum aliquod cum Dœmone inierit facta promissione derelinquendi Christum, vel à fide discedendi; aut honorem Dœmoni præstiterit, Sacrilegia committendo contra Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. Tunc enim curare debet Confessarius, ut pactum dissolvat peragendo pœnitentiam, auferendo signa, perfringendo chirographum, vel quid simile, si habet, in detestationem criminis commissi. Nec curandum nimis, chirographum sibi restitui à Dœmone: quia jam per pœnitentiam à pacto inito recedit. Secundum an intercesserit hæresis in pacto inito credendo fidem nostram non esse veram, Sacramenta nihil prodesse, & similia; ut inspiciat à quonam absolvendus. Tertium si in conficiendo Maleficium usus fuerit rebus sacris, credens talem virtutem habere ad pessimos illos effectus; cum non solùm reus esset Maleficii sacrilegi, sed etiam Hæresis. Quartum an damnum intulerit, quia præter reliqua peccata injustitiam commisit, ad quam tenetur resarciendo damna illata. Et hìc admonendum, quòd si pecuniæ à Dœmone datæ, constet, ab aliis subreptas fuisse, restituendæ erunt Dominis, quia res domino clamat. Secus verò si è fundo maris, vel ex Thesauris sub nullius potestate constitutis erutæ fuerint; ad nihil tenebitur: quia nulli facta injuria. Quamvis non de facili expendendæ sint tales pecuniæ, ne adulterinæ reperiantur, vel alia fraude à Dœmone confictæ. Sic Suarez, Sanchez, Filliuccius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 3. Decal. quæst. 5. punct. 5. num. 11.*

14 Quæres 2. quibus pœnis subjaceant Malefici? Resp. si hæresim non habent admixtam, nullas incurrere pœnas in jure latas, sed ferendas; secus verò si habent admixtam hæresim, subjacere excommunicationi latæ in Bulla Cœnæ, à qua tantùm absolvere poterunt, qui talem facultatem habent. Pœnæ ferendæ sunt plures tam Jure Canonico, quàm Civili; sed quia ad nostrum Institutum Morale minùs pertinent; ideo videri possunt apud Farinacium *de Hæres. quæst. 181. à num. 51.* & apud alios Canonistas ab ipso relatos: doctissimè etiam de hac materia pertractat Castropalaus *de Superstit. disp. 1. punct. 13. à num. 1. ad 8.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

DE BLASPHEMIA ET TENTATIONE DEI.

BLASPHEMIA largè accepta significat quamlibet contumeliam, & irrisionem personæ excellentis, sive Deus sit, sive Creatura; in quo sensu Divus Paulus scripsit *ad Timoth.* 3. *Admone illos neminem blasphemare*; ideſt conviciari, & maledicere, ut explicat Divus Hieronymus. Strictè hìc accipitur pro convicio, seu contumelia in Deum, vel Sanctos. Sic Divus Ambrosius *lib.* 1. *de Paradiſ.* Divus Augustinus *de Mor. Manich. cap.* 11. & Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 3.

CAPUT PRIMUM.

Quotuplex sit Blasphemia, & quomodo committatur?

1 *Blasphemia alia Oris, alia Cordis alia Scripturæ? alia hæreticalis, alia Simplex.*
2 *Enumerantur quinque modi blasphemandi hæreticaliter.*
3 *An sit blasphemia hæreticalis, quæ hæresim sapit, sed non procedit ex animo infideli.*
4 *An Deum denegare, Crucem, Evangelia non absolutè, sed conditionatè; sit blasphemia hæreticalis?*
5 *An dicere: hoc verum est, sicuti Deus est in cœlo, sicuti incarnatus est, vel sicuti verum est Evangelium; sit blasphemia hæreticalis?*
6 *Blasphemiæ Simplices ad duo genera reducuntur.*
7 *An sit blasphemia jurare per Vitam Dei, vel per ejus Corpus, & Sanguinem; aut per vitam alicujus Sancti?*
8 *An jurare per partes pudendas Christi, vel Sanctorum: aut tribuere Sanctis Viris partes pudendas mulierum; sit blasphemia?*
9 *An dicere: pereat talis, renego talem, malum habeat talis, non nominando Deum, vel Sanctum, sit blasphemia?*
10 *An sit blasphemia maledicere creaturis?*
11 *Quædam reducantur ad secundum genus blasphemiæ:*
12 *An sit blasphemia dicere: ad Conspectum Dei: Potentia Dei: Corpus Dei cum tali homine?*
13 *An jurare per intemeratam Dei Genitricis Virginitatem sit blasphemia?*
14 *An Juramenta falsa, & injusta sint Blasphemia?*

1 BLASPHEMIA alia est Oris, alia Cordis, alia Scripturæ: nam verba contumelioſa & ore proferri possunt; & mente, seu corde concipi; & scriptura exarari. Sicuti enim Laus Dei, cui blasphemia opponitur ore, corde, & scriptura fieri potest; ita & iisdem blasphemia committi potest. Factis autem Deum inhonorare, vel Sanctos; ut Judæi fecere Christum flagellantes, irridentes, conspuentes, & crucifigentes; & ut faciunt hæretici Sacras reliquias, & Imagines concultantes; non est blasphemiam committere, sed Sacrilegium, cùm hoc factis, illa verbis contingat. Sic Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 5. Filliuccius *tract.* 25. *cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 9. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 32. *nu.* 5.

2 Insuper Blasphemia alia est hæreticalis, alia Simplex, seu non hæreticalis. Hæreticalis illa est, quæ articulis fidei directè opponitur, vel aliquid Fidei contrarium asserit, ut si quis diceret: Abnego Deum, vel Fidem: aut Christum, vel chrisma, quod fronte excepi. Vel diceret: Deus est injustus, ignarus, non habet Providentiam, aut quid simile, quod est proprium Dei, & negare adversatur Fidei. Non est tamen blasphemia hæreticalis aliquem Sanctum abnegare; quia nil directè asserit contra fidem, committit tamen blasphemiam simplicem ob verba illa contumelioſa in Sanctum. Simplex Blasphemia illa est, quæ non opponitur directè articulis Fidei, nec directè continet falsitatem contra Fidem: tales sunt, quæ per modum optandi imperandi, aut imprecandi proferuntur (nam hæreticalis necessariò proferri debet modo indicativo) ut si quis diceret: maledictus sit Deus, displiceat hoc Deo; aut nominet membra pudenda Christi Domini: blasphemia enim ista per se considerata cum non contineat falsitatem contra Fidem; non erit hæreticalis. Sic Eymericius *in Director. Inquisit.* Pegna *ibidem*, Suarez, Sanchez Lazarius, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 8. *pun.* 1. *num.* 4. Adnotandum hic, diligenter observadam esse hanc distinctionem Blasphemiæ in hæreticalem, & Simplicem; ut appareat obligatio denunciandi blasphemos Inquisitoribus, aut Episcopis præcipientibus talem denunciationem, vel sibi reservantibus absolutionem Blasphemiæ.

Ut distinctius in hac re procedamus priùs expendendæ sunt blasphemię hęreticales, postea simplices, nam primæ graviorem malitiam continent. Et 1. hęreticalis blasphemia est aliquid tribuere Deo per contumeliam, quod repugnat ejus divinę Bonitati: ut appellare Deum impium, injustum, Crudelem, invidum, Mendacem. 2. aliquid denegare Deo, quod illi essentialiter competit: ut dicere, Deum non esse, non habere scientiam, Omnipotentiam, providentiam, Justitiam in præmiis dandis, aut pœnis infligendis; & sic de reliquis perfectionibus ipsi essentialibus. 3. aliquid tribuere creaturis, quod est proprium solius Dei: ut si dicas, Creaturam Omnipotentem, summè sapientem, summè pulchram; relatè ad omnem omnino pulchritudinem sic evenit lascivis deperdite amantibus puellas, aut idololatris respectu sui idoli. 4. denegare aliquam Fidei Veritatem, Crucem, Sacramenta, Evangelia, Christum non advenisse in mundum, non resurrexisse, ascendisse in Cœlum, sedere ad Dexteram Patris, non iterum venturum in mundum ad dijudicandum; hęc denegare, est tollere à Deo infallibem Veritatem, quę relucet in propositis ab Ecclesia, & ipsi revelatis. 5. jurare per falsos Deos, aut per creaturas sistendo in illis; quia sic tribueretur Creaturis *infallibilis* Veritas propria Dei. Hęc omnia important blasphemias hęreticales ex communi sententia Doctorum, ut notavit Castropalaus *disput.* 2. *de Blasphem. pun.* 2. §. 3. *num.* 2.

Sed quęres 1. an sit blasphemia hęreticalis illa, quę licèt hęresim sapiat; non procedit tamen ex animo infideli? Resp. affirmativè: ratio est, quia ad hoc ut sit talis non est necesse, ut proveniat ab animo infideli: verba namque infidelitatem denotant, & hoc sufficit, ut hęreticalis sit. Quamvis in foro externo tunc præsumi poterit provenire ex animo infideli, quando seriò, & consideratè prolata fuerit. Secus verò si ex calore rixę, vel perturbatione passionis alicujus prolata fuerit; & tunc Prudentis arbitrio examinanda erit. Sic Castropalaus *disp.* 2. *de Blasph. pun.* 2. §. 3. *nu.* 1. & Farinacius *lib.* 1. *Praxis quæst.* 20. *num.* 38. 3

Quęres 2. an denegare Deum, Crucem, Evangelia non absolutè, sed conditionatè: ut si quis diceret: abnego Deum, si hoc ita non est; sit blasphemia hęreticalis? Resp. quamvis Salazar *de usu, & Consuetud. cap.* 5. *nu.* 28. putarit, non esse hęreticalem: non enim dicit, Deum non esse, sed exponit, se dicturum, si assertum aliter se habeat; adeoque non exprimit aliquod falsum, quod requiritur ad blasphemiam hæreticalem. Nihilominus puto esse hęreticalem: ratio est, quia non affert se negare Deum de futuro, sed de præsenti negat, si aliter res se habeat; itaut conditio non cadat supra negationem, sed supra rem affirmatam; cùm ergo negare existentiã Deo sub 4

conditione cujuscumque objecti creati; sit negare aliquod proprium Dei independens à quolibet objecto creato; ergo sic dicere est hæreticaliter blasphemare. Sic docent Sanchez aliis relatis *lib.* 2. *Decal. cap.* 32. *num.* 24. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 45. *dubit.* 5. *num.* 27. & Castropalaus *de Blasph. disp.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 3.

5 Quæres 3, an sit blasphemia hæreticalis dicere: hoc est verum, sicuti Deus est in Cœlo; aut sicuti incarnatus est; vel sicuti verum est Evangelium? Et ratio dubitandi de blasphemia hæreticali est, quia veritas creata comparatur cum certitudine veritatis increatæ, adeoque tribuitur Creaturæ, quod est proprium Creatoris Dei? Resp. nihilominus cum distinctione, si proferens hæc verba pravam habeat intentionem tribuendi objectis creatis æqualem certitudinem, & infallibilitatem cum Deo, & cum revelatis ab ipso; certum est, esse blasphemum, & hæreticalem ob motivum superiùs allatum. Si verò, ut communiter accidit, non habet talem intentionem tribuendi æqualem certitudinem, sed similitudinariam, & ad exaggerationem hyperbolicam; non erit blasphemus. Sic Medina *lib.* 1. *Summ. capit.* 14. §. 2. Azor. 1. *par. lib.* 11. *capit.* 3. *quæst.* 2. Sanchez alios referens *lib.* 2. *Decal. capit* 32. *num.* 31. Bonacina *disputat.* 3. *Decal. quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 13. & Castropalaus *disp.* 2. *de Blasphem. punct.* 2. §. 3. *num.* 4.

6 Blasphemiæ simplices ad duo genera reducuntur. Primum quando per imprecationem malum aliquod Deo, vel ejus Sanctis impingitur. Secundum quando indecorè, & inhonestè aliquid Dei, vel Sanctorum nominatur. Ad primum genus spectant blasphemiæ illæ; Maledictus sit Deus, displiceat hoc Deo, Velit, nolit Deus, hoc facturus sum; & simili modo prolatæ de Sanctis.

7 Sed quæres 1. an jurare per Vitam Dei, aut alicujus Sancti; vel jurare per Corpus, & Sanguinem Dei sit blasphemia? Resp. si jurans hoc modo habeat animum execratorium, & imprecatorium; certum est blasphemiam committere: quia nimis irreverenter, & contumeliosè agit in Deum, & Sanctos. Secus verò si animum habeat merè asserendi veritatem, illamque jurare; ac si diceret, vivit Deus, vivit Divus Petrus, falsum non dico, non mentior; tunc nulla erit blasphemia. Sic Navarrus *cap.* 11. *Summ. num.* 28. & Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 3.

8 Quæres 2. an jurare per partes pudendas Christi, vel Sanctorum, easque nominare; vel tribuere Christo, & Sanctis Viris partes pudendas fœminarum sit blasphemia? Resp. affirmativè: quia iste talis ex contemptu, & contumelia ageret in Christum, & Sanctos. Sic Suarez *lib.* 1. *de Irreligiosit. capit.* 4. *num.* 9. Rodriquez *in Summ.* 1. *par. cap.* 34. *num.* 4. Bonacina referens Graffis *disp.* 3. *Decal. quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 4.

9 Quæres 3. an dicere, pereat talis, renego talem, per vitam talis, malum habeat talis &c. absque eo quod nominetur Deus, vel aliquis Sanctus; sit blasphemia? Resp. attendendam esse intentionem proferentis; & in foro externo ex circumstantiis attendi poterit. Quamvis præsumi debeat, illa verba non fuisse prolata ex intentione blasphemandi, ipsa namque suppressio nominis indicat, nolle hæc verba de Deo, aut Sanctis intelligi. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 12. *num.* 23. alios referens, & Castropalaus *de Blasphem. disp.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 6.

10 Quæres 4. an maledicere Creaturis sit blasphemia? Resp. si maledicere creaturis fertur in creaturas, quatenus Creaturæ sunt; blasphemia committitur: eo quia maledictio illa in Creatorem refunditur. Sic docent Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 76. *artic.* 2. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 32. *num.* 14. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 13. *num.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 45. *dubit.* 5. *num.* 29. Secus verò si maledictio feratur in Creaturas sive rationales; sive irrationales sine tali respectu ad Creatorem; blasphemia non erit, imò neque peccatum mortale, sed veniale, si absit injuria alterius, vel fiat absque animo. Sic Lessius *loc. cit.*

11 Ad secundum genus simplicis blasphemiæ, quando scilicet indecorè, & inhonestè aliquid Dei, vel Sanctorum nominatur; reduci possunt blasphemiæ illæ, quæ per modum irrisionis, & convicii appellant Deum Sapientem, Justum, Providum; irrisoriè tractare res sacras, quæ summa laude dignæ sunt; jurare, ut dictum est, per partes pudendas Christi Domini, vel Sanctorum; referre de Sanctis ea, quæ commiserunt ante Conversionem ad minuendam eorum gloriam.

Quæres 1, an dicere: Ad Conspectum Dei, Potentia Dei, Corpus Dei cum tali homine; sit blasphemia? Resp. si hæc ex indignatione, & ira contra Deum dicuntur; certum est, esse verba blasphema ex animo irreverenti, & contumelioso, quo procedunt. Si verò dicuntur ex animo, ut Deus puniat malefactum, in conspectu cujus committitur; non erunt blasphema. Et parum refert tribuere Corpus Deo, quod non habet: quia ex communi modo loquendi accipitur pro Christo, qui verum Corpus habet; dummodo semper absit contumelia, & irreverentia. Sic Valentia 2. 2. *quæst.* 13. *punct.* 1. Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 32. *num.* 30. Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 85. Castropalaus *de Blasphem. disput.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 6. & Bonacina *disputat.* 3. *Decal. quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 4. 12

Quæres 2. an jurare per Intemeratam Dei Genitricis Virginitatem sit blasphemia? Resp. quamvis Covarruvias *de Pactis*, Menochius *lib.* 2. *de Arbitr.* Azebedo *lib.* 8. *recap.* putarint, esse blasphemiam, utpote juramentum execratorium. Nihilominus contrariam sententiam reputo probabiliorem; nam juramentum istud est Assertorium, cum nec Beatissima Virgo, nec ejus Virginitas, aut aliquid illius ignominiosè tractetur; sed adducitur Deus in testem in illa fidei veritate. Sic Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 32. *num.* 32. & Castropalaus *de Blasphem. disp.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 8. 13

Quæres 3. an juramenta falsa, & injusta sint blasphema? Resp. Sanchez *l. c. num.* 33. qui affert Divum Thomam 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 3. *ad* 2. putare non esse blasphema: quia sic jurans non intendit, Deum posse esse falsitatis testem, & assecuratorem injustitiæ. Cæterùm probabilius mihi videntur esse blasphema: nam qui falsò jurat, facit Deum confirmatorem falsi; & qui jurat contra justitiam, facit Deum assecuratorem injustitiæ; ergo tribuit Deo, quæ ipsi competere nequeunt: ergo blasphemat. Sic Castropalaus *l. c. num.* 9. 14

CAPUT II.

Quale peccatum Blasphemia? Quamnam obligationem inducat? Ex quibus pœnis subjaceat?

1 *Blasphemia est peccatum Religioni oppositum.*
2 *Ex genere suo grave peccatum est, nec admittit parvitatem materiæ.*
3 *An habitualiter blasphemantes, & non sufficienter advertentes graviter peccent?*
4 *An deneganda absolutio Sacramentalis blasphemantibus habitualiter?*
5 *An omnes blasphemiæ in ratione blasphemiæ specie differant inter se?*
6 *Quam obligationem habeat blasphemans?*
7 *Quam obligationem habeant audientes blasphemantem?*
8 *An præmitti debeat fraterna correctio ante denunciationem blasphemi?*
9 *Cui Judici facienda sit denunciatio blasphemi?*
10 *Pœnæ impositæ pro jure contra blasphemos non habentur, sed imponendæ à Judice.*

BLASPHEMIAM esse peccatum Religioni oppositum, patet ex eo, quia Religio Dei laudem, & honorem tuetur; & è contra blasphemia in Dei laudem, & honorem invehitur. Adjungitur aliquando blasphemiæ hæresis, aut odium Dei, quæ tamen malitiæ sunt distinctæ à malitia puræ blasphemiæ: ut docent Sanchez, Sayrus, Lessius relati à Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 8. *punct.* 3. *num.* 1. 1

Est peccatum mortale blasphemia ex genere suo: quia ex sua natura gravem infert injuriam Deo. Nec ex parvitate materiæ potest esse veniale peccatum: quia respectu Dei non videtur dari posse levis contumelia; fieri tamen potest veniale ex inadvertentia, & indeliberatione juxta regulas communes omnibus peccatis. Sic Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *de Irreligios. capit.* 5. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 45. *num.* 32. & Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 32. *nu.* 40. An tamen ex joco prolata blasphemia, & ex levitate animi sit peccatum mortale? Distinguit Sanchez *l. c.* 40. & 41. si modus jocandi tollit irreverentiam erit veniale peccatum; si non tollit, semper erit lethale. 2

Quæres 1. an habitualiter blasphemantes, & non sufficien- 3

ficienter advertentes ad blasphemiam peccent mortaliter? Resp. si advertunt ad pravam consuetudinem, seu habitum, nec conantur illum evellere, & eradicare; peccant mortaliter: ratio est, quia voluntariè persistunt in morali periculo, & proxima occasione peccandi. Si verò dum blasphemant, non habent sufficientem advertentiam ad peccatum mortale; non committunt novum peccatum mortale, sed solùm peccant in causa, quam non abstulerunt: ratio est, quia blasphemia prolata absque sufficienti advertentia non est in se voluntaria, quamvis talis sit in causa. Si denique dum actu blasphemant, habent sufficientem advertentiam; tunc & in effectu, & in causa erit peccatum mortale: quia tum effectus est volitus, tum causa cum sufficienti advertentia. Sic Suarez *lib.* 1. *de Irreligios. c.* 6. *num.* 2. Toletus *lib.* 4. *cap.* 13. Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 24. & Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 5.

4 Quæres 2. an habitualiter blasphemantibus deneganda sit absolutio Sacramentalis? Resp. posse absolvi, si verè de peccatis doleant; quamvis pluries non fuerint emendati: ratio est, quia non ligantur aliqua occasione extrinseca, quam expellere teneantur. Erit tamen sanum consilium prudentis Confessarii absolutionem differe, si ex circumstantiis colliget, quòd magis profutura sit, vel nocitura talis dilatio. Sic *Azor. lib. 9. cap.* 28. *quæst.* 18.

5 Quæres 3. an omnes blasphemiæ in ratione blasphemiæ differant inter se specie? Resp. negativè: quia omnes opponuntur eidem Virtuti Religionis, qua Deo tribuitur Cultus, & honor. Si tamen Blasphemiæ addatur alia malitia hæresis, odii Dei &c. tunc diversitas specifica habebitur ratione malitiæ superadditæ. Sic Cajet. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. Lessius *l.* 2. *de Just. c.* 45. *dubit.* 5. *num.* 32. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 32. *num.* 33.

6 Obligatio blasphemantis est non solùm de peccato commisso pœnitentiam agere, sed etiam satisfacere pro scandalo dato, & sub gravi culpa consuetudinem blasphemandi extirpare; ut dictum est; debet insuper Confessario aperire qualitatem blasphemiarum cum malitiis adjunctis, sicuti an fuerint contra Deum, Beatam Virginem, aut Sanctos prolatæ: eo quia hæ non sunt circumstantiæ purè aggravantes, sed præter malitiam blasphemiæ habent etiam malitiam contra Latriam, hyperduliam, & Duliam: sunt enim speciales honores, & Cultus debiti Deo, Beatæ Virgini, & Sanctis, ut diximus de Adoratione. Sic Suarez, Sanchez, Lazarius, Reginaldus, Clavis Regia, Filliuccius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 8. *pun.* 4. *num.* 2. Quamvis in blasphemiis contra Sanctos non necesse sit exprimere Sanctum, in quem dicta sit blasphemia, cum sint ejusdem speciei, & contra Duliam. Adnotandum tamen hic cum Castropalao *de Blasphem. disp.* 2. *pun.* 2. *§.* 2. *num.* 6. ex Lessio *lib.* 2. *de Just. cap.* 45. *dubit.* 5. *num.* 33. quòd si blasphemia in Deum procedat ex voluntate expressa illum inhonorandi; aperiri debeat in confessione: eo quia licèt tacitum, & expressum sint ejusdem juris, nihilominus si ipsa voluntas, quamvis in blasphemia imbibita, exprimatur; erit peccatum diversum ab ipsa prolatione blasphemiæ, quæ poterat esse sine voluntate expressa.

7 Obligatio audientium blasphemum duplex esse potest. 1. corrigendi illum. 2. denunciandi eum Judici. Dubitatur circa primam obligationem: an ultra correctionem fraternam, ad quam jure naturali tenetur audiens; debeat insuper reprehendere blasphemantem, etiamsi illa reprehensione vix emendandus sit? Resp. licèt latæ fuerint pœnę gravissimæ Civiles & Canonicæ capitis, & exilii, contentæ in Jure contra non corrigentes blasphemos; nunc tamen non sunt in usu. Solùm igitur urget audientem obligatio Charitatis ad corrigendum peccantem, si ex correctione superatur emendationis fructus. Sic Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 6. Sanchez *lib.* 2. *Decal. capit.* 32. *num.* 46. Si tamen honor Divinus periclitetur ob blasphemias, & commodè audiens defendere illum potest objurgatione, & reprehensione; obligatur ex præcepto Religionis, & Charitatis, quoad fieri potest, ad hæc mala evertenda, & defendendum Deum, ac ejus honorem. Sic ex Sanchez, & Coninch docet Castropalaus *de Blasphem. disp.* 2. *pun.* 2. *§.* 4. *num.* 3.

8 Circa secundam obligationem denuntiandi Judici blasphemum, certum est ex communi Sententia, urgere audientem, ut intra triduum denunciationem faciat, aliàs pœnis blasphemi subdetur: cùm ita statutum sit in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. & in Constitutione Julii III. incipit: *In multis*. Dubitatur tamen: an præmitti debeat fraterna Correctio, si fortè per hanc speretur emendatio? Resp. præmittendam esse, si hæreticalis non sit quia finis intentus in denunciatione facienda est delinquentis emendatio, & impedire peccata; si ergo per fraternam correctionem obtineri potest cum minori jactura proximi, non veniendum est ad denunciationem Judicialem cum majori jactura. Sic ex Sanchez, & Bonacina tradit Castropalaus *de Blasphem. disp.* 2. *pun.* 2. *§.* 4 *num.* 4. Si verò hæreticalis sit blasphemia, non erit præmittenda correctio: quia juxta Decretum Sacræ Congreg. Gen. Inquisitionis Romanæ approbante Alexandro VII. die 8. Julii 1660. hæretici, & de hæresi leviter suspecti denunciandi sunt, nulla correctione fraterna præcedente.

9 Inquires: cui Judici facienda hæc Denunciatio? Resp. si blasphemia sit hæreticalis, faciendam esse Inquisitoribus hæreticæ pravitatis: quia ipsi solùm cognoscunt de his blasphemiis. Si tamen blasphemia non sit hæreticalis, faciendam esse Episcopis, qui contra Clericos, & Laicos agunt. Quamvis Judex sæcularis agere possit in laicos, inter quem, & Episcopum datur prevention. Sic Doctores *in Cap.* 2. *de Maledicis* cum Covarruvia, Azorio, Sanchez, Farinacio, Pegna, Barbosa, & aliis passim.

10 Pœnæ impositæ blasphemantibus non habentur ipso jure, sed imponendæ à Judice; quæ multiplices sunt tam in Jure Civili, quàm Canonico, ut bene adnotavit Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. & in hoc magis spectandæ sunt consuetudines, & statuta recepta in Civitatibus, & juxta ea judicandum. Attendere tamen debet Judex in pœnis imponendis ad qualitatem blasphemiæ, tum frequentiam, tum scandalum. Quamvis non sit sufficiens motivum minuendi pœnam, eo quod in Regione illa invaluerit consuetudo blasphemandi: cum potiùs ex hoc augenda sit, ne detur ansa aliis; & ut talis abusus, & morum corruptela eradicetur. Erit tamen motivum sufficiens minuendi, si blasphemus statim retractaverit prolatam blasphemiam tundendo pectus, deosculando terram, mordendo linguam; quia signa sunt, locutum fuisse ex inconsideratione, & lubricitate linguæ, ut habet Farinacius *de Hæres. quæst.* 20. *num.* 59. quem sequitur Castropalaus *de Blasphem. disp.* 2. *pun.* 2. *§.* 5. *num.* 5.

CAPUT III.

De Tentatione Dei.

1 *Quid veniat nomine Tentationis Dei?*
2 *Tentatio alia conjuncta cum infidelitate, alia sine illa; & hæc multiplex.*
3 *Absque justa causa Deum tentare regulariter loquendo est grave peccatum.*
4 *Peccat mortaliter qui Deum tentat cum aperto periculo gravis damni, aut cum periculo scandali, vel ex intentione videndi opus supernaturale.*
5 *Quænam aperienda in confessione circa Tentationem Dei.*

NON accipitur hìc Tentatio Dei prout est inductio ad peccatum; quia neque Deus induci potest ad peccatum, cum vix sit aliquis insipiens, qui nesciat, ejus Immensam Bonitatem incapacem esse omnis malitiæ; neque inducere alios potest ad peccatum, dicente D. Jacob. 1. *Deus intentator malorum est, ipse enim neminem tentat*. Accipitur ergo pro Probatione, seu experientia alicujus Divinæ Perfectionis, Potentiæ, Scientiæ, Justitiæ, Bonitatis, & similium absque justa causa, & mediis inordinatis. Ut si quis imperitus nullo præmisso apparatu, & meditatione suggestum conscenderet ad concionandum, sperans conceptus suggerendos sibi fore à Deo. Quòd si mediis à Divina Providentia ordinatis utatur quis ad probandam aliquam Divinam Perfectionem, absque tamen dubitatione, quòd illa perfectio in Deo sit; nullam probationem peccaminosam committet. 1

Sicuti non commisit peccatum Abraham petens signum à Deo, ex quo cognosceretur, ipsum esse, qui alloqueretur. *Genesis* 15. Nec Gedeon signum velleris exposcens. *Judic.* 16. Nec Elias, cùm probare voluit, verum Deum præferendum esse omnibus Idolis. 3. *Reg.* 18. Eò quia omnes istæ probationes ex specialis Spiritus Sancti instinctu factæ fuere; sicuti ex eodem instinctu postea plures Sancti fecere. Et quamvis media assumpta visa fuerint extraordinaria, erant tamen à Divina Providentia præordinata; quapropter qui illa expostulabant, non tentabant Deum; sed ejus Divinæ Voluntati se conformabant.

2 Tentatio Dei duplex est, una conjuncta cum infidelitate, alia absque infidelitate. Prima oritur ex dubia fide, qualis sit Deus, & quales perfectiones contineat; & hæc est omnium pessima. Secunda alia est expressa, & formalis; alia interpretativa, & virtualis. Tentatio expressa, & formalis absque infidelitate tunc evenit, quando quis ex intentione probandi aliis aliquam divinam Perfectionem utitur mediis vanis, nec à Divina Providentia præordinatis: ut si quis præcipitem se mittat in puteum ad probandum, quòd Dei Potentia possit illum liberare. Interpretativa, & Virtualis est, cùm non fit ex intentione sumendi experimentum de aliqua Divina Perfectione; id tamen, quod fit, reducitur, & interpretatur veluti ad tale experimentum sumendum: ut si quis toto tempore quadragesimali abstineat à cibo, & potu ad imitandum Christum Redemptorem; vel è Turri se præcipitet, cùm è scala descendere possit; vel ægrotus nolit pharmaca sumere, cùm possit, expectans in omnibus his casibus conservationem vitæ à Deo. Nam si non expectetur, nec petatur effectus à Deo; non erit tentatio, nec interpretativa quidem: ut si quis hæc omnia efficeret, ut se occidat non intendens liberationem à Deo; non utique tentaret Deum. Sic Divus Thomas, Valentia, Lessius, Suarez, Layman, Toletus, Clavis Regia, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 9. *pun. unic. num.* 3.

3 Absque justa causa Deum tentare, regulariter loquendo, est grave peccatum: nam ex genere suo est actus Religioni oppositus, & quidam Dei contemptus. Sic Divus Thomas, Valentia, Sanchez, Lessius, & Suarez relati à Bonacina *l. c. num.* 4. Potest tamen aliquando esse veniale ratione inconsiderationis, & indeliberationis, aut ignorantiæ invincibilis, sicuti etiam ratione parvitatis materiæ: ut si quis leviter ægrotans respuat medicamina sperans salutem à Deo rejectis mediis consuetis. Sic Suarez, Sanchez, Lessius & Valentia ab eodem Bonacina relati *num.* 6.

Ex dictis colligendum 1. peccare mortaliter, qui tentat Deum, seu experimentum sumit cum aperto 4
periculo gravis damni: ut si quis graviter ægrotans medicinas ordinarias sperneret, sperans sanitatem à Deo. Acceptans duellum ad ostendendam suam innocentiam sperans Deum eum incolumem servaturum in signum innocentiæ. Adstringens ad Eucharistiam sumendam ad cognoscendum alicujus reatum, vel innocentiam. Huc reducuntur Purgationes, de quibus loquuntur *Decretales lib.* 5. *tit.* 35. per ferrum candens, carbones ignitos, aquam frigidam, & similia ad absolvendum, vel condemnandum reum. Colligendum 2. grave peccatum esse, quando tentatio fit cum periculo scandali: ut si quis absque necessitate peteret à Deo miraculum ad confirmandam Fidem; cùm nec donum habeat miraculorum, nec ex speciali Dei inspiratione moveatur. Colligendum 3. grave etiam peccatum esse, quando tentatio fit ex intentione videndi opus supernaturale: ut si quis ex curiositate motus miraculum à Deo peteret ob videndam rem miram: gravis enim fieret injuria Deo, tamquam Curiosorum fautori. Sic Toletus *lib.* 4. *cap.* 16. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 45. *dubit.* 1. *num.* 4. & Reginaldus *lib.* 17 *num.* 227.

Petes hìc: quænam manifestanda sint in confessione 5
circa tentationem Dei? Resp. manifestandum esse 1. an fuerit ex infidelitate, an non: cum una specie differat ab alia: procedit enim prima ex fide dubia. 2. an fuerit tacita, vel expressa: quia expressa solet procedere ex principiis, & causis moralibus longè diversis à tacita; quapropter diversimodè opponuntur Divinæ Reverentiæ. Sic Suarez *l. c. cap.* 3. *num.* 6. Reginaldus & Lessius *locis citatis*.

QUÆSTIO VII.

DE SACRILEGIO.

CUM etiam Sacrilegium opponatur Cultui Divino, ac Religioni, spectantibus ad Primum Decalogi Præceptum, de quo agimus; ideo hanc quæstionem de ipso instituimus.

CAPUT PRIMUM.

Quid Sacrilegium, & Quotuplex sit?

1 *Quid veniat nomine Sacrilegii latè sumpti quid strictè accepti?*
2 *Quomodo differat à Superstitione, Perjurio, Blasphemia, & Tentatione Dei?*
3 *Triplex genus Sacrilegiorum.*
4 *Primum contra Personas Sacras & quænam hæ sint?*
5 *Violatio harum Personarum multipliciter evenire potest.*
6 *Secundum genus contra loca Sacra, & quænam hæc sint?*
7 *Frangentes, Spoliantes, incendentes, vel destruentes loca Sacra sunt Sacrilegi.*
8 *Excitantes conclamationes, seditiones, rixas, & impetus in locis Sacris sunt Sacrilegi.*
9 *Facientes turpes ludos, & turpia spectacula, ac Comedias in Ecclesia sunt Sacrilegi.*
10 *Facientes absque necessitate de re merè sæculari, temporali, & politica gubernatione Concilia, Conciones, & Publica Parlamenta sunt Sacrilegi.*
11 *Facientes convivia, hospitium parantes, lectum sternentes in Ecclesia absque urgenti necessitate sunt Sacrilegi.*
12 *Convertentes Ecclesiam in profanos usus sine debita facultate, nisi periculum sit in mora; sunt Sacrilegi.*
13 *Introducentes jumenta in Ecclesiam sunt Sacrilegi.*
14 *Exercentes Negotiationes, & Mercaturas in Ecclesia sunt Sacrilegi.*
15 *Agentes causas Civiles sæculares in Ecclesiis, & earum Cæmeteriis sunt Sacrilegi.*
16 *Effusio sanguinis injuriosa, & seminis culpablis in Ecclesia, ac extractio personæ ab illa est Sacrilegium.*
16 *Furtum in Ecclesia sive sit rei Sacræ, sive non; est Sacrilegium.*
18 *Tertium genus contra Res Sacras, & quænam hæ sint?*
19 *An Retinere Legata pia, & Decimas non solvere sit Sacrilegium?*
20 *An violatio temporis sacri sit Sacrilegium?*

SACRILEGIUM latè acceptum significat quod- 1
cumque vitium Religioni oppositum, per quod violatur Deus, summè Sacer: & in hoc sensu Patres sacrilegia vocabant Sacrificia idolis facta. Verùm hìc accipitur strictè, & in propria significatione, prout importat læsionem rei sacræ distinctæ à Deo. Quapropter sic definitur à Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. quem cæteri Doctores sequuntur: Est violatio rei Sacræ.

cræ. Res autem sacra illa est, quæ vel lege divina, vel Ecclesiastica destinata est in Dei cultum; quem offendis, si rem illi dicatam violes, adeoque sacrilegium committis.

2 Differt Sacrilegium à Superstitione, Perjurio, Blasphemia, & Tentatione Dei; quia hæc immediatè respiciunt Deum, tamquam materiam, & objectum, circa quod versantur; Sacrilegium verò immediatè respicit rem creatam, sed Cultui Dei destinatam; adeoque offendit Deum non in se, sed in rebus ipsi sacratis: ut docent Suarez *tom.* 1. *de Relig. tractat.* 3. *lib.* 3. *de Sacrilegio*, & Lessius *lib.* 2. *de Just. capit.* 45. *dubit.* 2. *num.* 7.

3 Triplex genus Sacrilegiorum considerari potest juxta triplex genus rerum Sacrarum, quæ violari possunt. Primum circa Personas sacras. Secundum circa Loca acra. Tertium circa res alias sacras à Personis, & Locis distinctas. Quæ quidem genera continent sub se alias species subalternas sacrilegiorum.

4 Quæres 1. quænam veniant nomine Personarum sacrarum? Resp. venire Personas illas, quæ tum Ordine, tum Religionis statu specialiter Cultui Dei sunt destinatæ: tales sunt Clerici, & Religiosi omnes, sive professi sint, sive non; qui Personæ Ecclesiasticæ dici solent.

5 Violatio harum Personarum multipliciter accidere potest. 1. per violentam manus injectionem, quando videlicet percutiuntur Personæ Ecclesiasticæ gaudentes Privilegio Canonis. Quænam autem sint hæ Personæ in particulari, & quænam actio requiratur ad hanc violationem, seu violentam manuum injectionem, fusius explicantur in Quæstionibus de excommunicatione. 2. per usurpatam Jurisdictionem, quando à potestate sæculari exiguntur à Personis Ecclesiasticis Vectigalia, & tributa, ac ad judicium, & sæculare forum pertrahuntur contra Immunitatem, quam Ecclesia voluit in Ecclesiasticis Personis. 3. per furtum, & rapinam, maximè bonorum titulo Ecclesiastico acquisitorum: verùm per hanc actionem non læduntur Personæ Ecclesiasticæ; sed si res sunt Ecclesiæ, est potiùs violatio rei Sacræ, seu rei Ecclesiæ addictæ. 4. per actionem veneream commissam cum Personis Ecclesiasticis, quæ speciali voto obligantur à talibus delectationibus abstinere: ut sunt Clerici sacris initiati, & Religiosi; vel aliæ Personæ votum castitatis habentes. Et multò magis committitur talis violatio, & sacrilegium per actionem veneream ab ipsis personis Ecclesiasticis. Sic Doctores communiter cum Divo Thoma, Cajetano, Valentia, Lessio, Azorio, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Sacrileg. disput.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 2. Extendunt hi Doctores hoc peccatum sacrilegii ad quamlibet violationem cujuscumque voti: quia semel ac res per votum Deo dicatur, jam ex Jure divino in Dei Cultum videtur destinata. Nihilominus Castropalaus *l. c.* sequens Suarez reponit talem violationem in alia specie à Sacrilegio, nempe in perfidia fidelitati oppositа.

6 Quæres 2. quænam sint loca Sacra, quorum violatio est Sacrilegium? Resp. esse Templa authoritate Episcopi erecta, Monasteria, Hospitalia, & alia similia loca authoritate Episcopi ad Dei Cultum destinata, quæ Ecclesiis comparantur *ex Cap. Ad hæc de Religios. Domibus*. Sic Panormitanus, quem sequitur Navarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 98. & Suarez *tom.* 5. *de Censur. disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 13.

7 Hinc sequitur 1. frangentes, spoliantes, incendentes, vel destruentes loca sacra Sacrilegium committere. Addita insuper est excommunicationis latæ sententiæ pœna contra effringentes, & spoliantes Ecclesiam; ut colligunt *ex Cap. Conquesti de Senten. Excomm.* Azor. Graffis, Sayrus, Reginaldus, Suarez, Filliuccius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de Sacrilegio quæst.* 6. *punct. unic. num.* 11. contra Navarrum, Cajetanum, Sylvestrum, putantes, esse ferendæ Sententiæ.

8 Sequitur 2. Sacrilegium etiam committi ab eo, qui conclamationibus, seditionibus, rixis, & impetu in locis sacris se gerit illa excitando: nam gravem injuriam sic efficeret Ecclesiis, & locis Sacris, cum specialiter prohibeantur *in Cap. Decet. de Immunit. in* 6. Sic Suarez *lib.* 3. *de Sacrilegio cap.* 6. *num.* 4. Filliuccius *tract.* 24. *cap.* 9. *quæst.* 7. *num.* 238. & alii. Licèt Sylvester, Angelus, Navarrus, & alii asserant, non esse peccata mortalia transgressiones contentas *in dicto Cap. decet*, nisi adsit notabilis contemptus, & perturbatio divinorum Officiorum. Nam *in eo Cap.* non datur Præceptum subditis, sed potiùs admonentur Ordinarii, ut suadenda suadeant, & interdicta compescant.

Sequitur 3. facientes ludos turpes, & turpia spectacula, & inhonestas Comędias in Ecclesiis Sacrilegium committere; cum injuriam efficiant reverentiæ debitæ Locis sacris. Specialiter enim hæc prohibentur *in Cap. Cum Decorem de vita, & honestate Cleric.* Sic Suarez, & Filliuccius *locis citatis*. 9

Sequitur 4. Sacrilegium etiam committi à facientibus absque necessitate de re merè temporali, ac sæculari, & de politica gubernatione Concilia, Conciones, & publica Parlamenta, juxta citatum *Cap. Decet*, in quo hæc verba expressè habentur, nec referri possunt ad Concilia Ecclesiastica, & ad pietatem spectantia. Sic Joannes Andreas, Panormitanus, Suarez, & Filliuccius relati à Bonacina *de Sacrilegio quæst.* 6. *punct. unic. num.* 14. 10

Sequitur 5. facere Convivia in Ecclesia, hospitium parare, lectum sternere absque causa, & urgenti necessitate sacrilegium esse, cum specialiter prohibita sint *in Cap. Decet de Immunit. in* 6. ubi dicitur: Non oportet in Basilicis, seu in Ecclesiis Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere. Si tamen ex necessitate fiant, & ex justa causa; non esse mortale Sacrilegium, docent Suarez, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c.* 11

Sequitur 6. convertere Ecclesias ad profanos usus sine debita facultate, si periculum non sit in mora, nec urgeat gravis necessitas: ut Arcem, vel Munitionem in Ecclesia constituere, Sacrilegium esse. Sic colligitur *ex Cap. Sanctorum Patrum* 10. *quæst.* 1. & sic docent Bannez, Molina, Suarez, & alii relati à Bonacina *l. c.* Convertere tamen materiam Ecclesiæ *dirutæ* in usus non sacros, præciso semper scandalo; non est lethale peccatum. Sic Filliuccius relatus à Bonacina *l. c.* 12

Sequitur 7. Sacrilegium esse introducere jumenta in Ecclesias ob gravem irreverentiam, quæ inferretur Ecclesiis, ut bene notat Suarez *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 81. *sect.* 8. Gravitas tamen hujus peccati mensuranda erit ex circumstantiis, & ex qualitatibus materiæ: cùm non quælibet introductio sit gravis. 13

Sequitur 8. Negotiationes, & Mercaturas in Ecclesia exercere esse Sacrilegium, cùm prohibeantur *in Cap. Decet de Immun. in* 6. & expressè Christus Dominus *Joann.* 2. dixit: *Nolite facere Domum Patris mei Domum negotiationis*. Et quamvis minor irreverentia sit merces exponere in Cæmeterio, quàm in Ecclesia; nihilominus semper irreverentia habetur locis Sacris. In casibus tamen particularibus, si contingenter, & ex accidenti venditio, vel emptio fiat, dijudicare gravitatem, vel levitatem irreverentiæ prudentis Viri erit: ut adnotavit Suarez *tom.* 3. *de Sacramen. disput.* 81. *sect.* 8. 14

Sequitur 9. Sacrilegium esse exercere causas Civiles sæculares in Ecclesiis, & earum Cæmeteriis, cum *in Cap. Decet de Immun. Eccles. in* 6. prohibeatur à Gregorio X. qui sic habet: *Omnis in Ecclesiis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos, criminalis maximè agitetur, sint loca eadem à cogitationibus laicorum aliena*. Quapropter qui oppositum fecerit gravem irreverentiam committet contra Ecclesiam, & loca Sacra: vide fusiùs Bonacinam *disp.* 3. *Decal. quæst.* 6. *punct. unic. num.* 14. & 15. 15

Sequitur 10. effusionem sanguinis injuriosè factam in Ecclesia, aut seminis culpabiliter Sacrilegium esse. Sicuti etiam extractionem Personæ è loco sacro, exceptis exclusis per Constitutionem Gregorii XIV. quia sunt irreverentiæ factæ Ecclesiæ. 16

Sequitur 11. Sacrilegium esse furari in Ecclesia, sive res sacra sit, sive non; sive sit sub custodia Ecclesiæ, sive non: ratio colligitur *ex Cap. Quisquis inventus* 17. *quæst.* 4. in quo habetur: Sacrilegium committi auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro: & sic docent Navarrus, Valentia, Vasquez, Nugnus, Suarez, Filliuccius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæst.* 6. *punct. unic. num.* 23. Et quamvis non desint Authores cum Lessio, Coninch, Henriquez, Victoria, quorum sententiam probabilem reputat Azor. 1. *part. lib.* 9. *cap.* 16. *quæst.* 6. qui dicant, non esse Sacrilegium furari rem non factam de loco sacro, dummodo non sit tradita Ecclesiæ in custodiam, vel pignus, aut alio modo; 18

modo ; nihilominus huic Sententiæ adversatur *Caput superiùs citatum*, quod dicit Sacrilegium esse furari non sacrum de sacro, absque ulla distributione, an posita sit sub custodia loci sacri, vel non : & nos potiùs debemus vergere in favorem reverentiæ debitæ Ecclesiæ, quàm in favorem latronum, quibus est odiosa. Adeoque Sacrilegium erit furari crumenam alicui in Ecclesia, dummodo furtum sit sufficiens ad mortale peccatum ; sicuti Sacrilegium erit furari Reliquias, vel alias res sacras devotionis ergo.

18 Quæres tertiò : Quænam sint Res Sacræ, quarum violatio est Sacrilegium? Resp. in quatuor Classes dividi à Divo Thoma 2.2. *quæst.* 99. *art.* 3. Et in prima enumerat Sacramenta, cùm nulla res ipsis sacratior dari queat : quapropter illa indignè tractare, sive administrando, sive suscipiendo in peccato mortali Sacrilegium erit; sicuti Sacrilegium erit illis inferre injuriam, vel abuti ad vana, & superstitiosa : cùm sic magna irreverentia inferatur, & res sacratissimæ violentur.

Dubitatur hìc : an irreverentia facta Eucharistiæ Sacramento sit irreligiositas distincta à Sacrilegio, & ejusdem rationis cum ea, qua Christus Dominus in se offenderetur, & in propria Persona, quam Eucharistia continet ? Affirmat Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. & 2. Negat communis Sententia cum Divo Thoma *loc. cit.* Cajetano, & Lessio, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Sacrileg. disp.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 4. quia licèt Eucharistia Deum contineat, non est tamen Deus formaliter, sed signum gratiæ sanctificantis continens ipsum Deum; adeoque inter res sacras, & omnium Sacratissimam Doctores enumerant Eucharistiam, quæ Sacrilegio violari possint ; quamvis hoc Sacrilegium sit omnium gravissimum.

Dubitatur insuper : cur non fuerit Sacrificium enumeratum à Divo Thoma inter res sacras, quæ violari possint, & irreverenter tractari ? Resp. quia Sacrificium est ipse cultus Dei, non verò res cultui Divino sacrata ; quapropter irreverentia facta Sacrificio erit gravioris malitiæ supra sacrileginm : quia offendit Deum in se, & sacrilegium in re Deo sacrata.

In secunda Classe rerum sacrarum enumerantur vasa sacra, Imagines Dei, & Sanctorum reliquiæ ; inter quæ addi possunt verba, & sententiæ Scripturæ sacræ : eo quia quasi Imagines repræsentant Deum loquentem, & sunt veluti ipsiusmet Dei reliquiæ. Quapropter abuti verbis Scripturæ sacræ ad superstitiones, ad res ridiculas, ad hæreses confirmandas ; sacrilegium erit: ut docent Reginaldus, Suarez, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *Decal. quæstion.* 6. *punct. unic. num.* 5. Sacrilegium pariter erit abuti vasis sacris ad bibendum, vel alio modo indignè tractando. Sic etiam indignè tractare reliquias Sanctorum, eisque abuti ad superstitionem. Frangere imagines sacras, & violare ex contemptu. Pingere eas indecorè, & cum lascivia. Sic supracitati Doctores.

In tertia Classe sunt Ornamenta Ecclesiæ, & Ministrorum ; quæ per consecrationem, vel benedictionem specialiter destinata fuere cultui Divino ; quibus uti ad usus profanos, vel ea scindere, comburere, aut alio modo irreligiosè tractare ; sacrilegium erit ex præcitatis Doctoribus.

In quarta Classe ponuntur Bona Ecclesiastica, quia aliquo modo sacrata sunt, ac in Dei cultum destinata ; quatenus ordinantur in sustentationem illorum, qui inserviunt cultui Divino. Ideoque alienatio ipsorum sine debita facultate sacrilegium erit. Sic Castropalaus *de Sacrilegio disp.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 9.

19 Petes primò : an retinere Legata pia, & Decimas non solvere sit sacrilegium ? Resp. si Legata pia nondum tradita sunt Ecclesiæ, illa retinere injustitia erit, non verò sacrilegium : quia nondum facta sunt bona Ecclesiæ. Secus verò dicendum, si jam tradita sunt Ecclesiæ, illique incorporata. De Decimis tamen Castropalaus *loc. cit. num.* 10. putat irreligiositatem aliquo modo deteriorem sacrilegio esse illas retinere : cùm ordinentur ad cultum Dei, & in recognitionem ejus supremi Dominii. Quamvis idem dicendum puto de Decimis, ac de Legatis.

Petes secundò : an violatio temporis sacri sit sacrilegium ? Resp. negativè : quia tempus non acquirit sanctitatem ob diem Dominicum, aut festivum : quapropter Missam non audire tali tempore, aut non abstinere ab operibus servilibus non accipiet malitiam sacrilegii ; sicuti non accipiunt reliqua peccata mortalia in die festo commissa, sed unumquodque in sua specie peccati continebitur. Sic Castropalaus *de Sacrilegio disp.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 9. 20

CAPUT II.

Quale peccatum Sacrilegium ; & quænam Pœnæ debeantur Sacrilegis ?

1 *Ex genere suo grave peccatum est Satrilegium.*
2 *Quandonam Sacrilegium possit esse leve peccatum?*
3 *Sacrilegium aliquando conjunctum cum malitia alterius peccati aperiendum erit in confessione aperta malitia peccati illius, & pariter aperta materia Sacrilegii.*
4 *Explicantur tres pœnæ ipso jure impositæ Sacrilegis ; aliæ imponendæ sunt arbitrio Judicis.*

QUOD Sacrilegium ex genere suo sit grave peccatum, omnes Doctores fatentur : opponitur siquidem excellenti Virtuti, nempe Religioni, cùm gravem injuriam inferat Deo, & rebus sacris. 1

Inquiritur tamen hìc : quandonam possit esse veniale peccatum ? Resp. ratione inadvertentiæ, vel parvitatis materiæ : quamvis si committatur sacrilegium ex formali contemptu rei sacræ, etiamsi læsio videatur levissima ; non poterit esse veniale : ratio est, quia Sacrum contemnere, quà Sacrum est, semper est grave, cùm sit proprium hæreticorum. Sicuti usurpare Jurisdictionem, & imponere tributa etiam levia Clericis, numquam esse poterit levis materia : quia ut docet Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. non tam attenditur quantitas tributi, aut brevitas temporis, pro quo jurisdictio exercetur ; quàm ipsa usurpatio Jurisdictionis, quæ semper erit gravis. Sic Valentia, Lessius, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Sacrileg. disputat.* 2. *punct.* 3. §. 3. *num.* 1. 2

Sacrilegium aliquando est conjunctum cum malitia alterius peccati, quæ utique explicanda erit in confessione ; sicuti etiam explicanda erit materia, circa quam Sacrilegium versatur ; cùm non omnia Sacrilegia sint ejusdem speciei : nam Sacramenta violare erit gravius, quàm violare calices, aut Vestes sacras ; aliter enim sunt sacra, quàm Calices, aut Vestes. Adde, quòd materia non est circumstantia, sed objectum, circa quod versatur actus sacrilegus, & illum in suo esse individuali constituit. Sic ex Reginaldo docet Bonacina *disput.* 3. *Decal. quæst.* 6. *punct. unic. num.* 26. & Castropalaus *l. c. num.* 5. 3

Pœnæ impositæ Sacrilegis ipso Jure in his tribus Casibus reperiuntur. Primò : Spoliantibus res sacras cum effractione Templi imponitur excommunicatio *in Cap. Conquesti* 2. 2. *de Sent. Excommunic.* Secundò : ob violentas manus immissas in Clericum, vel Monachum *in Capit. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. Tertiò : Violantibus Immunitatem Ecclesiasticam, præcipuè impositione tributorum, & illorum exactione imponitur Excommunicatio *in Bulla Cœnæ Domini*. Extra hos casus nulla alia pœna in Jure imposita est Sacrilegis, sed imponenda arbitrio Judicis juxtà qualitatem delicti. 4

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

DE SIMONIA.

QUAMVIS Simonia Sacrilegium etiam sit, nihilominus specialem sibi exposcit Quæstionem, cùm de illa speciali Titulo Jura pertractent. Est quoque Vitium Religioni oppositum, adeoque in hoc primo Decalogi Præcepto locum habet.

CAPUT PRIMUM.

Quid Simonia, & Quotuplex?

1 *Simonia à qua nomen traxit?*
2 *Definitur quid sit, & explicatur Definitio.*
3 *Simonia alia prohibita Jure Divino, & naturali; alia Jure humano, & Ecclesiastico.*
4 *An Simonia Juris humani, & Ecclesiastici sit propriè Simonia?*
5 *Celebris Divisio Simoniæ in Mentalem, Conventionalem, & Realem.*

1 SIMONIA nomen habuit à Simone Mago, qui pecuniâ emere volebat potestatem dandi Spiritum Sanctum, ut postea venderet: patet *ex Actib. Apostolorum cap.* 8. Et primus omnium fuit, qui in Lege Gratiæ hoc peccato contaminaretur; unde tali vitio infecti Simoniaci dicuntur. Sic Doctores omnes cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1.

2 Definiri solet Simonia: studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum pro temporali. Sic communiter Doctores cum Glossa *in cap. Qui studet* 1. *quæst.* 1. Dicitur studiosa voluntas, hoc est deliberata, ut benè explicat Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 33. *dub.* 1. *num.* 3. sola enim voluntate, & animo deliberato emendi, vel vendendi aliquod spirituale absque opere externo hoc peccatum committi potest. Nec requirit intentio formalis, & directa dandi temporale pro spirituali; sed sufficit virtualis, & interpretativa: ut docet Bonacina *de Simon. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. Dicitur emendi, vel vendendi, quia quolibet ex his modis Simonia committitur: ad emptionem autem, vel venditionem reducitur à Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 1. *ad* 5. omnis alius contractus non gratuitus, sive sit permutatio, sive locatio, sive conductio; quamvis semper aliquod pretium temporale intervenire debeat, aliàs neque emptio, neque venditio erit, & consequenter nec Simonia. Dicitur, aliquod spirituale, vel spirituali annexum, ut declaretur materia Simoniæ, quæ non solùm respicit res sacras, seu spirituales, & supernaturales; verumetiam omne, quod cum spirituali connexionem habet. Dicitur tandem, pro temporali, ut ostendatur, Simoniam non committi pro commutatione rei spiritualis pro spirituali, vel temporalis pro temporali; sed pro commutatione rei spiritualis pro temporali pretio æstimabili. Cùm tota Simoniæ malitia in hoc sita sit, quòd res temporalis, quæ in se vilis, & nullius momenti est respectu rei spiritualis; tradatur in commutationem illius; quapropter maxima injuria, & irreverentia fit rei spirituali. Sic Doctores communiter teste Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *de Simonia num.* 13.

3 Dividitur Simonia in eam, quæ est prohibita à Jure Divino, & naturali; & in eam, quæ est prohibita à Jure humano, & Ecclesiastico. Primi generis est venditio, & emptio rei ex se spiritualis: ita esset venditio Sacramentorum, aut venditio calicis consecrati pluris, quia consecratus est. In hac Simonia Pontifex nullatenus dispensare potest. Secundi generis est venditio, aut emptio Officii Oeconomi, Vicedomini, Advocati, Sacristæ, Castaldi; vel commutatio rerum spiritualium, hoc est beneficiorum: quæ omnia à Jure Ecclesiastico probibentur, & ut bene advertit Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. non sunt contra Jus Divinum, cùm sint temporalia Officia ordinata solùm ad administrationem rerum Ecclesiasticarum temporalium.

Controvertitur inter Doctores: an hæc Simonia Juris humani Ecclesiastici sit propriè Simonia? Affirmant Suarez, & Lessius; denegant tamen Durandus, Sotus, & Victoria relati à Castropalao *disput.* 3. *de Simon. punct.* 2. *num.* 2. Ipse verò Castropalaus sequens Valentiam putat, controversiam esse de puro nomine, cùm revera transgressio talis Juris sit ejusdem rationis cum Simonia, quæ est à Jure Divino; nec negari potest, quòd adversetur eidem virtuti Religionis. 4

Celebris divisio Simoniæ communiter accepta à Theologis, & Jurisperitis est in Mentalem, Conventionalem, & Realem. Mentalis illa est, quando non præcedente pacto, sed animi affectu donatur spirituale, ut acquiratur temporale tamquam pretium, vel viceversa si detur temporale animo acquirendi spirituale. Dicitur Simonia hæc Mentalis, non quia non prodit in actum externum dandi, & recipiendi: sed quia iniqua intentio mente concepta minimè declaratur: ut explicat Valentia 2. 2. *disputat.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 5. Conventionalis est, quæ supra Mentalem addit externam conventionem, seu pactum, ex neutra tamen parte completum, aut saltem non completum ex utraque parte: nam realis, perfecta, & completa venditio non habetur, nisi contractus ex utraque parte completus sit. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 23. *num.* 103. & Valentia *disp.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 5. Advertendum tamen, non committi Simoniam conventionalem per solam pollicitationem de pretio, si beneficium daretur: dummodo pollicitatio acceptata non fuerit: nam conventio non erit, nisi promissio acceptata fuerit. Sic Farinacius *lib.* 1. *decis.* 34. *num.* 4. Realis tandem Simonia est, quando ex utraque contractus completur, itaut ex una parte detur spirituale, & ex alia parte pretium, vel pars pretii. Quapropter Simonia Realis supponit Conventionalem, & hæc Mentalem ex natura rei, & Lege positiva secluså. 5

CAPUT II.

Quænam sunt ea, quæ habent rationem pretij ad Simoniam requisiti?

1 *Temporale habens rationem pretii, ut labe Simoniæ inficiatur; tradi debet ut pretium rei spiritualis.*
2 *Quæ habent rationem pretii ad Simoniam requisiti ad hæc tria reducuntur, Munus à manu, Munus à lingua, Munus ab obsequio.*
3 *Quænam comprehendantur in Munere à manu? Et explicantur aliqui Casus in particulari per quatuor illationes.*
4 *Quænam comprehendantur in Munere ab obsequio?*
5 *Simoniaca est Collatio beneficii cum onere docendi Grammaticam, Musicam, Theologiam, vel aliud honestum; & à fortiori si honestum non sit.*
6 *Simoniaca est electio, vel Collatio beneficii, si intendatur ipso beneficio persolvere debita contracta ex Justitia ratione obsequii præstiti.*
7 *Quænam comprehendantur in Munere à lingua?*
8 *An preces, intercessiones, laudes, & adulationes exhibitæ Collatori ad obtinendum aliquid spirituale injiciant scrupulum Simoniæ?*

DIXIMUS requiri ad Simoniam Emptionem, & Venditionem, quæ effici nequeunt absque re habente rationem pretii: ideo inquirimus, quænam sint ea, quæ habent rationem pretii ad Simoniam requisiti: 1

nam

nam non omne temporale habens in se rationem pretii datum pro spirituali est Simonia, nisi tradatur tamquam pretium rei spiritualis: sic eleemosyna data Sacerdoti ob Missæ celebrationem, & munus gratuitum datum Parocho ob baptismi collationem non sunt Simonia, licèt habeant rationem pretii. Tunc igitur temporale habens rationem pretii datum pro Spirituali inficitur labe Simoniæ, quando traditur tamquam pretium rei spiritualis: malitia siquidem Simoniæ in hoc sita est, quòd temporale, quod vile est, & nullius momenti tradatur in commutationem, & veluti appretiationem, & æstimationem rei spiritualis; in quo maxima injuria, & irreverentia fit rei spirituali, quasi ponatur in eodem ordine cum temporali. Ita communiter Doctores cum Bonacina *de Simonia disp. 1. quæst. 1. num. 6.*

2 Ea, quæ habent rationem pretii ad Simoniam requisiti; ad hæc tria genera reducuntur, videlicet Munus à manu, Munus à lingua, Munus ab obsequio: sic habetur *in Cap. Salvator. 1. quæst. 3.* & meritò; nam bona humana, & temporalia vel sunt externa, & hæc veniunt nomine pecuniæ, seu Muneris à manu: omne enim, quod in terris possidetur; nomine pecuniæ comprehenditur; eo quia quidquid veteres possidebant, in pecoribus habebant, ut patet *ex Cap. Totum 1. quæst. 3.* Vel sunt preces, laudes, favores, intercessiones; & sunt Munus à lingua, Vel tandem sunt actiones à membris corporis provenientes; & sunt Munus ab obsequio. Ad hæc reducuntur promissiones, & obligationes tradendi Munera à manu, à lingua, ab obsequio; nam si prohibentur munera, pariter prohiberi debent illorum promissiones, & obligationes; aut aliud pactum de illis effectum: ut colligitur *ex Cap. Nobis Cap. de hoc, Cap. Tua nos de Simonia.*

3 Inquires 1. quænam comprehendantur in munere à manu? Resp. comprehendi bona externa pretio æstimabilia, sive hæc immobilia sint, sive mobilia; & eorum promissiones, & obligationes.

Hinc fit 1. Simoniam committere, qui beneficium, vel rem spiritualem alteri confert ob rem aliquam pretio æstimabilem, ob pecuniam, ob debiti remissionem, vel ob promissionem factam illud remittendi. Insuper Simoniam committere, qui non solùm propria debita, verum etiam aliena remittere intendit: ut si quis promitteret debitum Ecclesiæ remittere, vel rapinas illis, qui sibi beneficium procuraverint. Sic colligitur *ex Cap. Talia 8. quæst. 4.* Nam licèt videatur aliena, non sua remittere, virtualiter tamen censetur illa rapere, ut alteri det; adeoque committit labem muneris à manu; ut ex Suarez, & Layman docet Bonacina *de Simon. disp. 1. quæst. 1. §. 1. num. 3.*

Fit 2. Simoniam committi ab eo, qui pensionem, vel pecuniam promittit conferenti, vel procuranti beneficium; vel ei, qui habet jus præsentandi: cum pensio sit pretio æstimabilis; adeoque munus à manu. Quapropter Episcopus conferens beneficium, super quo Pensio non erat, extorquens consensum solvendi sibi, vel suo consanguineo pensionem; Simoniam committit *ex Cap. Unic. De benefic. Eccles.* Simoniam etiam committit, qui pactum init, ut fiat certior de beneficiis vacantibus, promittens consensurum se pensioni imponendæ in favorem ipsius certiorem facientis. Par ratio est de eo, qui auxilium exposcit ab Aulico, promittens illi pensionem. Nam istis promissionibus paratur via ad beneficium; adeoque inter munera à manu connumerari debent. Sic Navarrus *Consil. 47. de Simonia*; Suarez *de Simon. cap. 38. num. 30.* Filliuccius *tract. 45. cap. 9. quæst. 7. num. 12.*

Fit 3. Simoniam committi ab eo, qui promittit habenti jus præsentandi, se non exacturum decimas ab eo; vel promittit Canonicis Electoribus remissionem partis præbendæ; aut promittit, se nihil postulaturum ab eo, qui petit ordinari ad titulum bonorum sibi ab alio assignatorum. Idem dicendum de eo, qui sua bona Ecclesiæ tradit cum pacto, ut eligatur in Canonicum, & pro præbenda eadem bona sibi retineat: secus verò si liberè, & absque ullo pacto fiat. Sic Navarrus, & Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Simonia disp. 1. quæst. 1. §. 1. num. 6.*

Fit 4. Simoniam committi à conferente beneficium sub conditione mutuandi pecuniam, sicuti ab accipiente beneficium sub conditione dandi pecuniam mutuam: ratio est, quia hoc cedit in utilitatem temporalem, & sit aliquod pretio æstimabile, & consequenter inclusum in munere à manu. Sic Navarrus *Consil. 23. de Simon.* Lessius *lib. 2. de Just. capit. 20. dubit. 9. num. 64.* Suarez *de Simon. cap. 38. num. 7.* & Filliuccius *tract. 45. cap. 9. quæst. 7. num. 12.* Neque dicas: qui accipit, vel petit mutuum pro beneficio, aut re spirituali, non accipit, vel petit pecuniam pro re spirituali, sed pro alia pecunia restituenda; ergo non videtur Simoniam committere? Resp. virtualiter accipere, aut petere pro re spirituali imponendo alteri onus, ex quo sibi sequitur commodum temporale; unde injuria, & irreverentia fit rei spirituali. Sic Lessius, & Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *disput. 1. de Simon. quæst. 1. num. 7.* Idem sentiendum ex mente horum Doctorum de dante rem spiritualem cum conditione dilationis debiti, jam maturi, aut anticipatæ solutionis debiti non maturi: cum hæc omnia sint virtuales mutuationes pecuniarum.

Inquires 2. quænam comprehendantur in munere ab obsequio? Resp. comprehendi omne opus hominis per propriam personam præstitum, conducens ad utilitatem, seu commodum hominis. Obsequium præstitum, duplex esse potest, temporale scilicet, & spirituale. Temporale consistit in opere ordinato ad utilitatem corporis, vel etiam animæ in suo esse naturali consideratæ. Spirituale verò situm est in functione spirituali ad æternam animæ salutem ordinata. Hoc secundum cum sit actio spiritualis, non est pretio æstimabile: spirituale enim per se spectatum non cadit sub pretio. Secus verò primum, pretium namque tradi solet, ut obsequium, seu ministerium temporale habeatur, ut omnibus patet; ideoque venit in considerationem pretii, & vocatur munus ab obsequio sufficiens ad requisitum in Simonia. 4

Hinc fit 1. Simoniacam esse collationem beneficii, 5 vel alterius rei spiritualis cum onere, vel pacto præstandi obsequium aliquod temporale: v. g. docendi Grammaticam, Musicam, Theologiam, vel aliquid aliud, etiamsi obsequium honestum sit, quod exercetur in serviendo; & multo magis si turpe sit: ratio est, quia exigitur aliquod pretio æstimabile pro re spirituali; & omnes pactiones in collatione beneficiorum vetantur: ut expressè habetur *in Cap. ult. de Pactis, & in Cap. Cum essent de Simon.* Advertendum hìc: nos non loqui de obsequio temporali adnexo beneficio tempore institutionis, vel vacationis: tunc enim non exigitur aliquod indebitum, sed solùm explicatur onus impositum ipsi beneficio. Nam sicuti, Pontifex pro tota Ecclesia, & Episcopus respectivè pro sua Diœcesi in casibus à Jure, vel consuetudine concessis potest tempore vacationis beneficii adjungere onera compatibilia ipsi beneficio, dummodo hæc onera non imponantur ab Episcopis in privatum obsequium domus, & familiæ suæ, cum hoc vetitum sit *in Cap. Prohibemus de Censib.* sic Collator beneficii non peccat conferendo beneficium cum onere adimplendi munera adnexa: quo pacto intelligi debent *Cap. 1. & 4. de Magister.* & Tridentinum *Sess. 5. cap. 5. de Reform. & Sess. 28. cap. 8.* Secus verò si onera non sint adnexa beneficio; sed tunc temporis ipsimet beneficiario imponantur; sapiunt enim Simoniam: quia exigitur obsequium tamquam pretium, saltem promissum: ut colligitur *ex Cap. Cum essent de Simon.* & communiter Doctores tradunt.

Fit 2. Simoniam committi ab Electore, seu Collatore beneficii, si intendat ipso beneficio solvere debita contracta ex justitia ratione obsequii præstiti. Sic Episcopus habens Visitatorem, vel alium, cui tenetur singulis annis salarium tribuere, nec pro tali obsequio tribuit; si volens satisfacere beneficium illi tribuit, intendens ab illo debito se exonerare; absque dubio Simoniacus erit. Secus verò dicendum, si tradatur titulo gratitudinis, seu debiti antidoralis consurgentis ex obsequiis antecedenter præstitis, sine tamen pacto expresso, vel tacito recipiendi aliquid spirituale. Et hoc pacto excusantur à labe Simoniæ collationes beneficiorum, vel pensionum factæ à Cardinalibus, & Episcopis suis subditis, & famulis inservientibus, vel Aulicis, dummodo nullum pactum expressum, aut tacitum intercesserit. Sicuti nec Simoniaci erunt inservientes gratis, vel tenui stipendio Cardinalibus, & Episcopis, ut ipsi certiores fiant de scientia, & probitate inservientium, & sic eos promoveant ad Ecclesiastica beneficia, & præbendas. Idem dicendum, si hoc faciant ad conciliandam sibi 6

corum

eorum benevolentiam, ut faveant in promotionibus absque cæterorum læsione, dummodo semper nullum intercesserit pactum. Sic Covarruvias *Variar. cap.* 20. *num.* 4. Navarrus *in Summ. cap.* 23. *num.* 106. Suarez *de Simonia cap.* 39. *num.* 6. *&* 7. Filliuccius *tract.* 45. *cap.* 9. *quæst.* 7. *num.* 12. Azor. 3. *part. lib.* 12. *cap.* 11. *quæst.* 12. & Bonacina *de Simon. disput.* 1. *quæst.* 1. §. 1. *num.* 10. 11. *&* 12.

7 Inquires tertiò; quænam comprehendantur in Munere à lingua? Resp. comprehendi actiones illas, quæ lingua exerceri solent: ut sunt preces, intercessiones, favores, laudes; quæ quidem pretio æstimabilia sunt, adeoque si in commutationem rei spiritualis expostulentur, habent rationem prætii ad Simoniam requisiti, unde nomen Muneris à lingua sibi vendicant. Adnotandum tamen; ut hujusmodi actiones exhibitæ à lingua habeant rationem pretii ad Simoniam requisiti debere præcedere ex pacto expresse, vel tacitè inito cum conferente rem spiritualem; tunc enim inducunt rationem pretii, & commutari videntur cum re spirituali. Sic qui præsentat famulum Principis ad beneficium cum pacto, ut oret pro ipso præsentante Principem, vel eum laudet, ut sic possit ad pinguiorem Ecclesiam transire; Simoniam committit. Secus verò si preces, & laudes nullo pacto interveniente sint factæ, nec postulatæ à præsentante; censentur enim tunc gratis factæ, nec Simoniæ crimen incurrunt. Idem est judicium de adulatione, & aliis demonstrationibus honoris, & benevolentiæ: nam si ex prævia conventione procedunt, Simoniam inducunt; sicuti si fiant ad instantiam ipsius præsentantis. Si tamen fiant à Præsentato ex mero suo arbitrio, Simoniæ labem non afferunt: quia gratis censentur exhibitæ actiones illæ. Sic Divus Thomas 2.2. *quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 3. Sotus *lib.* 9. *de Justit. quæst.* 7. *art.* 3. Suarez *de Simon. cap.* 40. *num.* 12. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 2. *num.* 118. Navarrus *in Summ. cap.* 23. *num.* 102. Layman *libr.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 26. Bonacina *de Simon. disput.* 1. *quæst.* 1. §. 1. *num.* 13. contra Adrianum, Sylvestrum, & alios.

8 Quæres hìc: an preces, intercessiones, laudes, & adulationes exhibitæ Collatori ab expetente beneficium, vel aliquod spirituale injiciant Simoniæ scrupulum? Resp. si fiant non in commutationem Spiritualium, sed ad inflectendum animum ipsius Collatoris, uti communiter fiunt; nequaquam habere rationem pretii, adeoque non præbere fundamentum Simoniæ: ratio est, quia non commutatur temporale pro spirituali, preces enim, & similia nil dant Collatori, sed potiùs exposcunt à Collatore. Constat hoc nimis clarè *ex Cap. Tua nos De Simon.* ubi de eo, qui humiliter rogaverat ut in Canonicum admitteretur; dictum fuit: fieri posse absque scrupulo Simoniacæ pravitatis. Sic Castropalaus *disp.* 3. *de Sim. pun.* 3. *num.* 8. referens Divum Thomam, Sotum, Navarrum, Flaminium, Suarez, Toletum, Rodriquez, & Valentiam, qui *disp.* 6. *pun.* 3. *versic.* 4. sic ait: Dare beneficium propter preces, aut consanguinitatem quando exauditio precum & intuitus consanguinitatis non resolvitur in aliquod commodum temporale, tamquam in pretium; non est Simonia.

CAPUT III.

An semper pecunia, vel alia res temporalis tradita sit in pretium rei spiritualis?

1 *Ad dignoscendum an temporale traditum sit ut pretium rei spiritualis, opus est examinare intentionem tradentis.*
2 *Assignatur prima regula dignoscendi ex materia dati, vel accepti; vel ex modo dandi, & accipiendi.*
3 *Assignatur secunda regula, an adsit titulus tradendi rem temporalem.*
4 *Quando non habetur titulus excusans, & dubitatur, an traditio rei temporalis facta sit gratis; recurrendum est ad circumstantias probabiles, quæ assignantur.*

1 AD dignoscendum, an temporale traditum fuerit ut pretium rei spiritualis; maximè juvat examinare intentionem tradentis, ex cujus assertione judicium formandum est, & ipsi standum: ratio est, quia peccatum Simoniæ magna ex parte pendet ab intentione operantis: ut colligitur *ex cap. Tua nos de Simon.* nam quis neget, posse dari pecuniam, aut aliud temporale non gratis, sed cum obligatione celebrandi Missas, ministrandi Sacramenta; & tamen nec Missarum celebratio, nec Sacramentorum administratio Simoniacæ sunt; nec qui pecuniam tradit, vel aliud temporale propter hæc opera, simoniæ labe putatur infectus, imò commendabilis est, & laude dignus: eò quia non tradit ea ut pretium rei spiritualis, sed ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sub conditione dicendi Sacra, & ministrandi Sacramenta.

2 Ut meliùs cognoscatur saltem in foro externo, an temporale traditum fuerit ut pretium rei spiritualis, an verò non; hæ regulæ dantur. 1. inspiciendum, & an datum, vel acceptum in tali materia, est tali modo sit simpliciter prohibitum intuitu religionis: ut si prohiberetur ob religionem aliquid tradere, vel accipere tempore confessionis, vel baptismi; & nihilominus Sacerdos aliquid eo tempore acciperet; præsumendum erit, Simoniam committere: ratio est, quia jam constat de Lege, & de actione facta contra Legem; ergo operans præsupponitur habere intentionem operandi contra illam, & contra reverentiam illi debitam. Adnotandum hìc; posse Ecclesiam non solùm donationem temporalem onerosam, verum etiam gratuitam prohibere, si fiat ad consequendum spirituale ob reverentiam debitam rebus Sacris, & ne videantur rebus temporalibus commutari, vel obtineri. Stante autem tali prohibitione donatio facta erit contra Religionem, & Simoniaca: ut latè probat Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 49. *num.* 1.

3 2. Regula videndum an adsit titulus aliquis probabilis tradendi rem illam temporalem, qui Simoniæ labe non inficiatur, imò ejus suspicionem purgare possit: ut sunt tituli sustentationis debitæ Operariis Ecclesiasticis, aut liberalitatis ob labores extraordinarios susceptos, & similes. Tunc enim præsumendum est, temporale pretio æstimabile non dari ut pretium rei spiritualis: & ratio est, quia factum proximi in meliorem partem semper accipiendum est, quando capax est melioris partis, & intentionis: ut colligitur *ex Cap. Dudum in fin. de Præsumpt. & ex Cap.* 2. *estote misericordes. De Regul. Jur.*

4 Verum major difficultas est, quando non habetur titulus excusans; sed solùm dubitatur; an traditio temporalis pretio æstimabilis facta sit gratis, & liberaliter? Tunc enim recurrendum est ad alias probabiles conjecturas. Et 1. est, si præcesserit pactum aliquod, & taxa rei tradendæ; tunc siquidem præsumendum est, non liberaliter tradi: quod enim ex pacto, & taxa consurgit, non liberaliter fit, sed ex obligatione. 2. si temporale exigatur ab eo, qui spirituale confert: quod enim exigitur, non liberaliter datur, nec sponte traditur. 3. attendenda est qualitas Personæ juxta ea, quæ præscribuntur *in Cap. Et si quæstiones. De Simon.* an sit liberalis, an timoratæ conscientiæ, honestis moribus, non cupida divitiarum. Insuper an dives, vel pauper: nam quod respectu pauperis est magnum, respectu divitis est parum; adeoque minuit, vel auget opinionem donationis. Nobilitas quoque, vel Ignobilitas conferunt ad discernendam gratuitam donationem, vel non; cum faciliùs præsumi possit in Nobilibus, quam ignobilibus: eo quia Nobiles promptiores sunt ad largiendum; ut dicitur *in Cap. Prudentes* 1. *de Donation.* Attendi quoque debent consanguinitas, familiaritas, necessitudo, & vinculum Personarum inter se; eò enim faciliùs conjici potest liberalitas donationis, quo strictius est vinculum Personarum inter se. 4. inspicienda est quantitas rei traditæ, si scilicet sit magna, mediocris, vel tenuis. Nam si tenuis est, de facili reputatur liberaliter tradita: quis enim putet rem spiritualem, quæ maximi momenti est, vendi aut commutari pro re tenui, & vili. Si magna est quantitas, de facili reputatur, non liberaliter tradi: cum nullus præsumendus sit, velle res suas prodigere, ut constat *ex Cap. super hoc de renunciat.* Si tandem mediocris est quantitas, cum dubium sit, an se teneat ex parte magni, vel tenuis; tunc recurrendum est ad qualitates supra recensitas, ut prudens judicium ferri possit. Item ad dignitatem rei spiritualis collatæ: nam quo excellentior fuerit, eò requirit majorem quantitatem rei temporalis ut præsumi possit dari in pretium. Insuper ad materiam ipsam temporalem traditam, si constet ex esculentis, vel poculen-

culentis, quæ brevi consumuntur; ideoque tradi in pretium non debet præsumi; vel si ex auro, argento, aut similibus ad longum durantibus: hæc enim raro liberaliter tradi consueverunt. §. denique attendenda est circumstantia temporis, an temporale traditum sit ante collationem rei spiritualis, vel in ipsa collatione, vel post collationem. Nam si ante, vel in ipsa collatione tradatur, faciliùs suspicari potest, non tradi liberaliter, adeoque in pretium: unde *in Cap. Emendari. 1. quæst. 1.* bene statuitur, ut qui baptizantur nummos in concham non mittant (ut illis temporibus fieri solebat) ne Sacerdos, quod gratis accipit, pretio distrahere videatur. Si verò post collationem tradatur temporale, præsertim si longa mora intercesserit; gratis, & liberaliter fieri præsumendum est. Ita Glossa *in Cit. Cap. Emendari.* Suarez *de Sim. c. 36. n. 8.* Filliuccius *tract. 45. cap. 9. quæst. 3. num. 4.* & Bonacina *disp. 1. de Simon. quæst. 1. §. 2. num. 2.*

CAPUT IV.

De iis, quæ spectant ad triplicem Simoniam Mentalem, Conventionalem, & Realem.

1 *Quenam sit Simonia Mentalis, sive ex parte Dantis, sive Recipientis, aut utriusque?*
2 *An semper committatur Simonia Mentalis, dum temporale intenditur per actionem spiritualem, aut è converso?*
3 *An committatur Simonia mentalis per actum internum circa ea, quæ Simoniaca sunt, quia ab Ecclesia prohibita?*
4 *Quid addat Simonia Conventionalis supra Mentalem? Et quid Realis supra Mentalem, & Conventionalem?*
5 *An Simonia Realis, ut talis sit, requirat mutuam traditionem ex parte utriusque?*
6 *An possit dari Simonia Realis, vel Conventionalis sine mentali.*
7 *Ad quam Simoniam reducatur Conventionalis?*

1 DIXIMUS superiùs, dividi Simoniam in Mentalem, Conventionalem, & Realem; ideo de iis, quæ ad ipsa spectant, & scitu sunt digna, pertractabimus. Mentalis Simonia accipi potest primò pro nudo desiderio, vel proposito dandi temporale pro spirituali: & cùm hæc sola mente concipiatur, nec prodit in actum externum; non erit Simonia illa Mentalis, quæ sub pœnas Ecclesiasticas cadit: cùm Ecclesia non judicet de internis. Insuper cùm Simonia importet emptionem, & venditionem rei spiritualis pro temporali pretio, & hi contractus sint externi; ideo Simonia ista non habebit veram rationem Simoniæ, de qua loquimur. Accipitur ergo secundò Simonia Mentalis pro actione illa, quæ fit mente Simoniaca, licèt non declaretur per actum externum aliquo signo: sic Sacerdos accipiens stipendium Missæ non titulo sustentationis, & eleemosynæ, sed tamquam pretium Missæ; Simoniam Mentalem committit: quia intentione simoniaca facit illum actum externum, quamvis non multùm declaretur: sic *ex Cap. Tua nos, & Cap. ultim. de Simonia*. Ad eum modum, quo expuens in Ecclesia prava intentione contemnendi locum sacrum sacrilegium mentale committit, quamvis ille actus ex se indifferens sit, & per eum non declaretur sacrilega intentio, à qua determinatur. Aliquando hæc Simonia committi potest ex parte dantis, aliquando recipientis, aliquando ex parte utriusque. Sic Navarrus *capit. 23. Summ. num. 102.* Sotus *lib. 9. Justit. quæst. 8. art. 1.* Suarez *de Simonia cap. 41. numer. 3.* Reginaldus *lib. 23. num. 153.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 67.*

2 Quæres primò: an semper committatur Simonia Mentalis, dum temporale intenditur per actionem spiritualem, aut è converso? Resp. aliquos *cum Gloss. in Cap. Unic. de Cleric. non resid. in 6.* Majore *in 4. dist. 15. quæst. 29. ad 5.* putasse, tunc Simoniam Mentalem committi, quando pro spirituali principaliter intenditur aliquod temporale: quia tunc commutatur spirituale pro temporali, in quo consistit malitia Simoniæ: sic Canonicus principaliter intendens distributiones, celebrans principaliter intendens stipendium, Monachus principaliter intendens Abbatiam rei sunt Simoniæ Mentalis: quia principaliter intendunt temporale pro spirituali. Communior tamen Sententia docet: non committi Simoniam Mentalem, nisi intendatur temporale tamquam pretium spiritualis; vel spirituale tamquam pretium temporalis. Committi tamen, si intendatur tamquam pretium, sive principaliter intendatur, sive minùs principaliter: & ratio est, quia actus internus habet suam malitiam ab actu externo, à quo specificatur tamquam ab objecto proximo; sed actus externus non habet malitiam Simoniæ, nisi temporale tradatur ut pretium spirituale, vel è contra, ut patet ex ipsa definitione Simoniæ; ergo Simonia Mentalis committi nequit, nisi intendatur ratio pretii. Quòd autem pretium intendatur principaliter, vel minùs principaliter, parum refert ad hoc ut committatur Simonia: cùm per accidens se habeat ad rationem pretii ratio finis principalis, aut secundarii. Pretium est id, quod prohibetur in Simonia, cùm non possit temporale absque injuria, & irreverentia esse pretium spirituale, vel vice versa; adeoque vel principaliter, vel minùs principaliter intentum semper Simoniæ labem inducit. Sic Sotus *lib. 9. de Just. quæst. 2. artic. 2.* Victoria *de Simonia numer. 33.* Suarez *lib. 3. de Simonia capit. 44. numer. 8.* Filliuccius *tract. 45. cap. 10. quæst. 4.* Valentia *tom. 3. disputat. 6. quæst. 16. punct. 3.* & Bonacina *de Simonia disp. 1. quæst. 2. num. 9.*

3 Quæres secundò: an committatur Simonia Mentalis, dum intentio fertur in actum externum simoniacum tantùm ob prohibitionem Ecclesiasticam? Resp. aliquos cum Glossa *in Cap. ex parte 1. de Offic. Deleg.* putasse, non committi Simoniam Mentalem per pravam intentionem, quæ versatur circa objectum, seu actum externum Simoniacum, quia ab Ecclesia prohibitum: ut si quis emere cupiat Officium Ecclesiasticum, cujus emptio prohibita est: & ratio ipsorum est, quia actus merè interni cadere non possunt sub Ecclesiæ prohibitione, quæ de internis non judicat. Verùm communior Sententia affirmat, posse committi Simoniam Mentalem per actum internum, qui versetur circa ea, quæ simoniaca sunt, quia ab Ecclesia prohibita: ratio est, quia voluntas faciendi opus ab Ecclesia prohibitum est mala ea malitiæ specie, qua est malum opus prohibitum, etiamsi ad actum externum minimè se extendat; adeoque intentio comedendi carnes die prohibito est mala ea malitia, quam habet comestio carnium prohibita: sic intentio furandi rem sacram è loco sacro sacrilegium mentale est, quamvis non exeat in opus externum; & sic de multis aliis. Ita docent Adrianus *quodlibet 9. artic. 2.* Suarez *lib. 4. de Simonia capit. 44. numer. 16.* Filliuccius *tractat. 45. cap. 20. quæst. 4. numer. 19.* Bonacina *de Simonia disputat. 1. quæst. 2. numer. 10.* & alii penes ipsos. Ad rationem allatam ab adversæ sententiæ Fautoribus respondetur, actus merè internos non cadere sub Ecclesiastica potestate quoad pœnas; quoad culpam tamen indirectè cadere: eo quia prohibet actus externos, à quibus malitiam sumunt actus interni, qui circa illos versantur. Et sicuti velle furari rem sacram è loco sacro malum est malitia sacrilegii, quia ab Ecclesia prohibitum in reverentiam rei sacræ; sic velle emere Officium Ecclesiasticum malum est malitia Simoniæ, quia ab Ecclesia prohibitum, quamvis in opus externum non exeat.

4 Simonia Conventionalis addit supra mentalem conventionem expressam, vel tacitam dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali. Realis verò supra mentalem, & conventionalem addit ipsam traditionem, vel receptionem temporalis pro spirituali, de quibus multa superiùs diximus, & multa remanent dicenda.

5 Solùm inquiri solet de Reali: an ut sit talis, requirat mutuam traditionem ex parte utriusque; an sufficiat traditio rei ex una parte tantùm? Resp. cum Bonacina *loc. cit. num. 5.* in hac Doctorum dissensione de facili controversiam conciliari posse, si dicamus, ad Realem Simoniam Completam requiri mutuam traditionem ex parte utriusque: ad incompletam verò sufficere traditionem rei ex parte unius: ut si tradatur temporale cum pacto recipiendi spirituale; vel viceversa.

6 Inquiri etiam solet: an possit dari Simonia Realis, seu Conventionalis absque Mentali? Quod idem est, ac inquirere: an ad Simoniam de necesse requiratur voluntas emendi, aut vendendi; itaut promissio dandi spirituale pro temporali absque voluntate implendi promissionem non sit vera Simonia? Resp. Navar-

varrrum *in Comment. ad cap. ult. de simon. numer.* 10. *& cap.* 23. *Summ. num.* 106. putasse, veram simoniam committi etiam ex parte illius, qui intentionem non habet adimplendi promissionem: movetur, quia promissio illa licèt ficta, & deceptoria est pretio æstimabilis, onerosa, & periculis obnoxia; & obligat alium ad dandum beneficium; ergo jam spirituale consequitur per temporale, tamquàm pretium illius. Verùm communior sententia docet, non committi simoniam Conventionalem in hoc casu: ratio est, quia carens animo adimplendi promissionem factam temporalis, aut spiritualis, caret quoque animo vendendi, vel emendi, seu commutandi unum pro alio; ergo simoniam non committit, quæ de necesse importare debet venditionem, & emptionem rei spiritualis pro temporali. Peccat tamen, & gravissimè ob alia capita sic fictè contrahens; tum quia inducit alium ad peccandum simonia saltem mentali, tum quia simoniacum opus externum facit: non incurrit tamen pœnas simoniacis impositas: Sic Cajetanus, Sotus, Toletus, Petrus Navarra, Lessius, Suarez, Aragonius, Rodriquez, Valentia, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 3. de simonia pun. 6. num. 3.* Ad rationem à Navarro adductam respondetur: promissionem illam esse pretio æstimabilem, quia tamen non offertur in pretium beneficii recepti, sed est potiùs conditio, qua pretium affertur; ideo simoniaca esse non poterit. Qui enim beneficium confert, non confert propter promissionem, sed propter rem promissam. Adde, quòd dicenda esset simonia Realis, quoties conferretur beneficium cum promissione de pecunia solvenda pro illo; sive de cætero pecunia solvatur, sive non; eò quia promissio illa aliquod reale pretio æstimabile esset.

7 Ad quamnam simoniam reducatur Confidentialis? Resp. ex Bonacina *disp. 1. de simon. quæst. 2. num. 6.* reduci posse aliquando ad mentalem: quando videlicet quis resignat alteri beneficium cum intentione illum obligandi, quamvis illi hoc non manifestet signo exteriori. Verùm hæc non est propriè simonia Confidentialis, nec subjacet pœnis simoniæ Confidentiali impositis. Aliquando ad Conventionalem; si videlicet antequam resignetur, vel conferatur beneficium pactum initur, ut sibi, vel alteri restituatur; vel sibi, aut alteri reddatur pars fructuum. Aliquando tandem ad Realem; cum scilicet actu resignatur vel confertur beneficium sub pacto sibi, vel alteri restituendi, aut tradendi partem fructuum. Et hæc simonia subjacet pœnis à Pio IV. latis, etiamsi non sit completa ex utraque parte, contra simoniam Confidentialem.

CAPUT V.

Quo Jure prohibita Simonia? Et quale Peccatum?

1 *Jure Divino, Naturali, & humano prohibita simonia.*
2 *Quòd possit Jure humano prohiberi, satis clarè demonstratur.*
3 *Simonia est grave peccatum contra Religionem; non est tamen ejus malitia per se conjuncta cum malitia injustitiæ.*
4 *An adeo mala simonia, ut numquam licita esse possit?*
5 *An possit simonia esse veniale peccatum ob parvitatem materiæ?*

1 SIMONIAM triplici Jure prohibitam esse, Divino scilicet, Naturali, & humano, patet: & 1. quidem quoad jus Divinum *ex 3. Regum.* 13. ubi Jeroboam reprehensus est, eo quod daret Sacerdoti pretium. Insuper ex verbis Christi Domini *Matth.* 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Quoad Jus Naturale colligitur ex eo, quia ipsum naturæ lumen dictat, res Sacras sanctè tractandas esse; nec sanctè tractari, dum pro re vili, ac temporali venduntur, & commutantur; unde jure D. Petrus *Actuum* 8. dixit Simoni Mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri.* Quia aliunde pro certo habebat, malum esse, rem spiritualem pretio comparare. Quoad denique Jus humanum positivum nimis clarè patet *ex integro Titulo de simonia.*

Posse autem dari Simoniam solo jure Humano pro- 2
hibitam, superiùs innui: cum sit talis facultas in Ecclesia Sancta Dei prohibendi, ne res aliqua adnexa rei Sacræ vendatur ob reverentiam debitam ipsi rei sacræ, cui adnectitur: sicuti est in eadem Ecclesia facultas prohibendi, ne judex ferat in Ecclesia Sententiam; ne quemquam ab Ecclesia abstrahat; itaut sacrilegium committat contraveniendo. Sic Suarez, Azor. Reginaldus, Lessius, Layman, Filliuccius, Ugolinus, & Canonistæ communiter *in Cap. Quæsitum, & Cap. Cum olim. De Rerum permutat.* quos refert, & sequitur Bonacina *de Simon. disputat. 1. quæst. 3. numer. 1.*

Simoniam esse grave peccatum contra Religionem, 3
& quidem, ex genere suo apertè patet ex eo, quòd gravis injuria per eam inferatur Deo, & rebus Sacris, quæ comparantur, & conferuntur cum rebus temporalibus nullius ponderis, & momenti respectu illarum; adeo ut reliqua crimina in comparatione simoniæ levia putentur, ut patet *ex Consiliis relatis 1. quæst. 3. & 7.* Quòd autem opponatur Virtuti Religionis, probatur ex eo: quia sicuti ad Religionem spectat Cultus Dei, ita etiam ad eamdem spectat removere omne id, quod adversatur Cultui Deo debito: & sicuti per Cultum Deus in se, & in re Sacra honoratur; sic per id, quod Cultui opponitur, Deus in se, & in re sacra contemnitur, & inhonoratur. Ex his patet, malitiam Simoniæ non esse per se conjunctam cum malitia injustitiæ, sed aliquando conjungi per accidens: ut si Parochus sine pretio Sacramenta ministrare nolit, ad quę tenetur gratis; aut vendens pluris Calicem consecratum, quia consecratus est. Nec injuria, quæ fit Deo in venditione, & emptione rerum spiritualium, est injustitia, sed Irreligiositas, & Irreverentia: cum non subtrahatur dominium, & jus, quod habet Deus in rem spiritualem, nec ullum ei damnum infertur: ut habet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 4.* Valentia *tom. 3. disputat. 6. quæst. 16. punct. 4.* Filliuccius *tract. 45. capit. 1. quæst. 8.* Azor. *3. par. lib. 12. capit. 1. quæst. 3.*

Quæres 1. an adeo mala Simonia, ut numquam 4
licita fieri possit? Resp. simoniam formaliter acceptam numquam fieri posse licitam, cum semper sit contra rectam rationem comparare pretio temporali rem spiritualem: nec Deus ipse quamvis supremus rerum omnium Dominus facere potest, ut res spiritualis non pluris existimetur præ quacumque re temporali: sicuti efficere nequit, quòd adulterium, mendacium &c. cum sint intrinsecè mala; non adversentur rectæ rationi, & non sint semper illicita. Cum igitur Simonia sive prohibita Jure Divino, sive Humano mala, remaneat simonia; inde est, quòd attenta sua essentia numquam licita reddi possit. Dixi, simoniam formaliter acceptam, quia si non habeatur ratio rei spiritualis, sed alia circumstantia apponatur, ratione cujus temporale tradatur; licitè fieri potest: cum nulla injuria inferatur rei spirituali. Sic Lessius *lib. 2. de Just. capit. 35. numer. 26.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. capit. 3. num. 10.* Reginaldus *lib. 23. num. 167.* Filliuccius *tract. 45. capit. 1. quæst. 7.* & Salas *de Legib. disp. 5. sess. 9. num. 54.*

Quæres 2. an ratione parvitatis materiæ simonia 5
possit esse veniale peccatum? Resp. negativè si res temporalis etiam parva tradatur tamquam pretium rei spiritualis: & ratio est, quia malitia simoniæ sita est in eo, quòd res spiritualis contemnatur per comparationem ad pretium; imò magis contemni videtur, quò vilius est pretium. Inde dicendum, si parvitas se teneat ex parte rei spiritualis: eo quia quodcumque spirituale, etiam parvum, gravem patitur injuriam per hoc, quod comparetur, & permutetur cum quocumque temporali pretio. Non nego tamen, quòd parvitas rei temporalis excusare possit à Simonia, ex aliis motivis: quia ut plurimùm parum rei temporalis non tradi soleat, ut pretium rei spiritualis, sed gratitudinis titulo, vel benevolentiæ; ut videtur colligi *ex Capit. Si quæstiones De Simonia.* Sic Reginaldus *lib. 23. numer. 166. & 219.* Bonacina alios referens *disput. 1. de Simon. quæst. 3. numer. 13.* Concluditur ergo, Simoniam ex se, & suo genere gravissimum esse peccatum, nec veniale esse posse, si temporale tradatur ut pretium rei spiritualis: ob igno-

ignorantiam tamen, inconsiderationem, & inadvertentiam fieri posse veniale, ut constat ex Regulis communibus.

CAPUT VI.

Quænam sit materia, seu Objectum circa quod versatur Simonia?

1 Assignantur septem modi continentes materiam Simoniæ Jure humano prohibitæ.
2 An venditio functionum Officiorum extrinsecè tantùm ordinatorum ad res Sacras sit Simonia, saltem jure humano prohibita?
3 An venditio bonorum sive Mobilium, sive Immobilium Ecclesiæ sit Simonia?
4 Res Sacræ Spirituales, & Supernaturales sunt materia Simoniæ Jure Divino prohibitæ, & Naturali.

1 EXPLICATA essentia Simoniæ, explicatis insuper Voluntate, pretio, & commutatione ad ipsam constituendam requisitis; remanet explicandum objectum, seu materia, circa quam versatur, Simonia igitur Jure humano prohibita respicit tamquam materiam, 1. Permutationem unius beneficii cum alio absque facultate legitimi Superioris, 2. Resignationem beneficii propria auctoritate factam cum reservatione pensionis, 3. Venditionem beneficii quoad fructus, & emolumenta temporalia; quamvis probabiliter hanc ipsam Jure Divino prohibitam putent nonnulli Doctores. 4. Acceptionem rei alicujus causa examinis ex Tridentin. *sess. 24. cap. 15. de Reform.*, 5. Venditionem Officiorum extrinsecè tantùm ordinatorum ad res Sacras; ut sunt Officia Sacristæ, œconomi, Præpositi, Vicedomini, Procuratoris, seu Administratoris rerum Ecclesiasticarum, Mansionarii, Advocati, seu Patroni habentis specialem potestatem ad tuendas res Ecclesiæ Primicerii, seu Directoris Clericorum quoad Chorum, Thesaurarii, &c. 6. oblationem pecuniæ alicui factam, ut alteri suadeat collationem beneficii, 7. exactionem pecuniæ pro admissione ad Religionem quoad sustentationem, nisi tenuitas Monasterii, vel consuetudo aliud suadeat: nam exigere pecuniam ob admissionem ad Statum Religiosum, qui ex se spiritualis est; Jure Divino est prohibitum.

2 Inquires hìc 1. an venditio functionum Officiorum superiùs dictorum sit simonia saltem jure humano prohibita? Resp. negativè: quia hæ functiones, nisi excipias illas Primicerii, sunt opera merè corporalia, adeoque pretio æstimabilia; aliunde Jure Ecclesiastico non prohibetur illarum venditio, licèt prohibeatur ipsorum Officiorum venditio; cum ergo simus in odiosis, restringere potiùs debemus, quàm dilatare. Sic Suarez *lib. 4. cap. 29. num. 13.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. numer. 62.* & Bonacina *de Simon. disp. 1. quæst. 3. numer. 8.*

3 Inquires 2. an venditio bonorum sive mobilium; sive Immobilium Ecclesiæ sit simonia? Resp. negative, nisi habeatur malitia vendendi, qua Sacra sunt, vel rei Sacræ adnexa; & ratio est, quia sunt bona pretio æstimabilia; ergo eorum venditio simoniaca esse non potest. Insuper alienatio bonorum Ecclesiasticorum sub certa forma servanda facta, ut patet ex Titulo de Rebus Eccles. non alienandis, permittitur; quod fieri non posset, si simoniaca esset. Nec obstat dicere; Quòd *in Cap. Salvator. 1. quæst. 3.* generaliter dicatur, venditionem rerum Ecclesiasticarum simoniacam esse. Nam ut explicat Suarez *libr. 4. cap. 29. numer. 14.* Textus loquitur non de quibuscumque rebus Ecclesiasticis secundum se spectatis; sed de Officiis Ecclesiasticis, quæ secum habent adnexam administrationem Ecclesiasticam.

4 Simonia Jure Divino, & Naturali prohibita respicit tamquam materiam res Sacras Spirituales, & Supernaturales; quia cum opponatur Cultui debito rebus Sacris, est enim irreligiositas, & sacrilegium contra res Sacras; inde est, quòd respiciat tamquam objectum res Sacras Spirituales. Verùm quia res Sacræ Spirituales in multiplici differentia considerari possunt, nam alia sunt Sacramenta, alia Sacramentalia; insuper alia sunt de foro externo, & judiciali; alia de foro interno, & conscientiæ; ideo ut distinctiùs procedamus de his omnibus, & aliis singillatim pertractabimus.

CAPUT VII.

De Simonia quoad Sacramenta.

1 Pretium exigere pro administratione Sacramentorum simoniacum est.
2 An extendatur etiam ad ministrandum Sacramentum Matrimonii?
3 An licitum sit in casu urgentis, vel extremæ necessitatis pretium afferre pro administratione Sacramenti?
4 Quomodo afferri possit pecunia sine simonia injustè deneganti ministrationem Sacramenti?
5 Simoniaca est venditio potestatis communicandi Spiritum Sanctum; sicuti etiam venditio gratiæ sanctificantis, Characteris Sacerdotalis, & similium.

1 PRETIUM exigere pro Sacramentis simoniacum esse, nulli dubium esse potest: & ratio est, quia sunt Divina, & à Christo Domino instituta ad gratiam conferendam; ideo temporali pretio nec coæquari, nec commutari possunt. Sic expressè habetur *in Cap. Cum. Ecclesiæ. de Simon.* specialiter verò de Sacramento Ordinis, Confirmationis, Baptismi, & Eucharistiæ habentur plures Canones 1. *quæst. 1. & cap. Baptizandis, Cap. Nullus Episcopus. de Pœnis, Cap. Nemo Presbyter, De Simon.* sicuti etiam de Extrema Unctione *Cap. ult. 1. quæst. 3.*

2 Solùm dubitari posset de Sacramento Matrimonii, ad quod contrahendum præcedunt variæ pactiones, & contractus quoad dotes, & quoad compensandam aliquoties ignobilitatem cum Nobilitate, quæ omnia cum pecunia, & pretio fieri consueverunt. Sed facilis est resolutio hujus dubietatis: hęc enim omnia non dantur pro matrimonio, quatenus est Sacramentum, sed quatenus est humanus contractus, & respicit Statum Civilem contrahentium, ad quem conservandum necessaria sunt omnia illa, quæ præmittuntur. Sic Doctores passim apud Castropalaum *de simon. disp. 3. pun. 7. numer. 2.*

3 Quæres hìc: an licitum sit in casu urgentis, vel extremæ necessitatis offerre pretium pro Sacramentorum administratione? Resp. nullo modo licitam esse oblationem pretii pro Sacramentorum administratione, quatenus Sacramenta sunt, quæcumque sit necessitas, quæ urgeat; & ratio est, quia est intrinsecè malum Donum Dei pecunia possidere. Hinc infertur, non posse pecuniam offerri Parocho injustè deneganti administrationem Sacramenti, ut ab illa injustitia desistat; eo quia non alio modo desistet ab injustitia, quàm Sacramentum concedendo, sed pro concessione Sacramenti absque simonia pecunia offerri nequit; ergo neque pro cessatione ab illa injustitia. Sic Doctores contra Sotum putantem *lib. 9. de Just. quæst. 6. art. 1.* posse Sacramentum baptismi emi pro parvulo in extrema necessitate constituto.

4 Potest tamen pecunia offerri injustè deneganti Sacramentum, non pro ipsa datione Sacramenti, aut in ejus commutationem; sed ad explendam ejus avaritiam, ad benevolentiam captandam, & inflectendam ejus voluntatem, vel in ejus sustentationem: & ratio est, quia tunc pecunia non offertur pro Sacramento, quasi in commutationem illius, sed ad inflectendam voluntatem injustè Sacramentum denegantis. Et sicuti licet movere, & incitare minis, & terroribus obligatum ad administrationem Sacramentorum: ut si dicas, te tuo Superiori denunciaturum; cur etiam non licebit oblectamentis, & pecunia illum inducere, ut desistat ab injusta denegatione. Sic Toletus *lib. 5. cap. 98. numer. 8.* Suarez *lib. 8. cap. 12. num. 19.* cum Adriano, & Albertino, qui addit licitè offerri Tyranno habenti captivam Eucharistiam pecuniam, ut cesset à tam horrendo Sacrilegio. Valentia *disp. 6. quæst. 16. pun. 3.* Lessius, Vasquez, Basilius de Leon, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 3. de simon. pun. 7. num. 3.* Hæc doctrina tamen extendi non debet ad alios casus utilitatis potiùs, quàm necessitatis, ut passim advertunt Doctores: eo quia dare pecuniam petenti illam pro administratione Sacramentorum est cooperari peccato illius adeoque simoniaca videtur oblatio illa, & scandalum affert, à quo excusari nequit, nisi ex urgentissima causa.

Simo-

5 Simoniacam pariter esse venditionem potestatis visibiliter communicandi Spiritum Sanctum; sicuti etiam venditionem gratiæ Sanctificantis, Characteris Sacerdotalis, & similium; indubitatum esse debet: cum gravis injuria illis irrogetur per comparationem ad pretium temporale. Unde si quis justum hominem venderet pluris, quia gratiam sanctificantem haberet; aut Sacerdotem, vel Christianum, quia characterem, aut baptismum haberet; proculdubio simoniacus esset: quia virtualiter gratiam Sanctificantem, Sacerdotium, & baptismum venderet. Sic Paludanus *in 4. dist. 25. quæst. 5. num. 15.* Ugolinus *de Simon. tab. 1. cap. 35.* Suarez *lib. 4. cap. 9. num. 7.* Neque obstat dicere cum Panormitano *in Cap. Consulere. De Simon. numer. 3.* Angelo *verbo Simonia 1. num. 1.* Tabiena *eod. verb. numer. 7.* Soto *lib. 9. de Just. quæst. 6. num. 11.* Gratiam, & Dona Spiritus Sancti, & alia per essentiam incorporalia vendi, & emi non posse, non solùm de Jure, ut constat *ex Cap. Judices. 1. quæst. 1. & Cap. Salvator. 1. quæst. 3.* verùm etiam de facto; adeoque non posse esse materiam, circa quam simonia versetur. Respondetur enim, quamvis de Jure ita sit; defacto tamen vendi posse multipliciter. 1. in concreto si pluris vendatur homo, ut superiùs dictum est, habens gratiam sanctificantem, vel Dona Spiritus Sancti; aut Sacerdos habens Characterem. 2. in abstracto: ut si quis conferret alteri Sacrum Ordinem, Characterem, vel gratiam Sacramentalem pretio: quantum enim ex se est, Sacra Dona pretio confert, & talis Ordinatio tenet quoad substantiam; sicuti & collatio gratiæ, si ex parte recipientis non ponatur obex; ut si bona fide reciperet, vel ignoraret traditam esse pecuniam ob collationem Sacramenti. 3. quoad actum, ut si absolutio vendatur, per quam confertur gratia in recipiente Sacramentum Pœnitentiæ; aut vendatur ipsa actio, quatenus alteri utilis ad impetrationem, vel meritum de congruo, aut alio Titulo. Ad Capita præcitata respondetur: Spiritum Sanctum, & ejus Dona vendi, aut emi non posse ex vi pactionis, conventionis, aut pravæ voluntatis, quia ex vi suæ promissionis, & Institutionis incorporalia, & invendibilia sunt: sed quia aliquando ministerio hominis dantur cum pactione, conventione, aut alia prava actione simoniaca, ideo sic conferens illa simoniam incurrit: ut bene tradunt Suarez, Filliuccius, Ugolinus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Simonia disputat. 1. quæst. 4. numer. 2.*

CAPUT VIII.

De Simonia quoad Sacramentalia, & Sepulturam.

1 *Quid Sacramentalia sint? Et alia Transeuntia, alia Permanentia.*
2 *Pro Transeuntibus pretium accipere Simoniacum est.*
3 *Idem dicendum pro Permanentibus.*
4 *An ratione materiæ, & artificii Sacramentalia vendi possint sine Simonia?*
5 *Vendere Agnos Dei benedictos Simoniacum est Jure humano.*
6 *An exigere pretium pro Sepultura fidelium sit Simoniacum?*
7 *Quomodo Religiosi, aut Clerici Domini alicujus Ecclesiæ, vel cappellæ cum Sepultura possint vendere dominium, & proprietatem illius?*

1 NOMINE Sacramentalium intelligimus Cæremonias, & benedictiones Sacras publica Auctoritate, & Instituto Ecclesiæ factas. Dupliciter autem accipi possunt, alia enim sunt Transeuntia, alia Permanentia. Transeuntia sunt, quæ consistunt tantùm in actione, nec habent permanentem effectum: ita sunt, Exorcismus, Benedictio nuptiarum, Catechismus in baptismo, & similia. Permanentia verò sunt, quæ effectum habent permanentem: ita sunt Consecratio Calicis, vel Ecclesiæ, Benedictio olei, aquæ, panis, agni, & similium.

2 Pro Sacramentalibus Transeuntibus aliquid temporale accipere in pretium est simonia: eo quia actiones sacræ in se sunt, & ministeria, ac actus Ordinis Clericalis ad finem spiritualem instituta; ergo illa vendere, aut emere erit simonia jure Naturali prohibita. Vetitum insuper est Jure Ecclesiastico Sacra ministeria vendere: ut constat *ex cap. Ad nostram. cap. cum in Ecclesia, & cap. Suam. de Simon.* Sic Navarrus *cap. 23. Summ. numer. 99.* Sotus *lib. 9. de Just. quæst. 6. art. 1.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 14. numer. 2.* & Filliuccius *tom. 3. tract. 45. cap. 3. quæst. 9. numer. 19.*

3 Simoniam quoque esse aliquid dare, vel accipere pro Sacramentalibus Permanentibus, colligitur *ex cap. si quis objecerit. 1. quæst. 3.* ubi generaliter statuitur: res provenientes ex Consecratione venales non esse, & ponitur exemplum Ecclesiæ, vel Templi, aut tale aliquid; ergo cum Sacramentalia proveniant ex Consecratione, venalia esse non poterunt. Insuper Sacramentalia Permanentia important revera actiones Sacras ad spiritualem finem subordinatas; ergo simoniacum erit jure Naturæ prohibitum illa vendere, aut emere. Sic Doctores citati, & alii teste Suarez *loc. cit. numer. 3.* & Bonacina *de Simon. disput. 1. quæst. 4. §. 2. num. 3.* Hinc clarè deducitur: simoniam committi, si cariùs vendantur prædicta Sacramentalia ratione Consecrationis, & Benedictionis, quàm antea valebant ratione materiæ, aut artificii impensi.

4 An saltem ratione materiæ, & artificii Sacramentalia vendi possint absque simonia? Canonistæ communiter putant, res consecratas, quamdiu in illis perdurat Consecratio, vendi non posse absque peccato simoniæ, imò amissa consecratione frangendas esse; & tunc illarum materia vendi poterit. Videtur idem sentire D. Thomas 2. 2. *quæst. 100. art. 4. ad 1.* Angelus *verb. Simonia 2. numer. 23.* Tabiena *eod. verb. numer. 39.* relati à Bonacina *loc. cit. num. 4.* Verùm quidquid sit de mente horum Doctorum, dicendum est: res consecratas, vel benedictas vendi posse absque simonia, nisi pro re aliqua speciali specialis habeatur Ecclesiæ prohibitio, ratione materiæ, & artificii tantùm; itaut novum, & majus pretium non acquirant post consecrationem, & benedictionem, quod antea non habebant: eo quia materia illarum non amittit pretium, aut valorem ratione consecrationis, & benedictionis; ergo vendi, & emi potest, aut alio modo permutari absque labe simoniæ. Accedit, quòd passim calices sacrati, & alia vasa pariter sacra integra, & illæsa, ne dum confracta absque scrupulo vendantur; sed non ex alio titulo; ergo ratione materiæ, & artificii. Sic Bonacina *de simon. disp. 1. quæst. 4. §. 2. numer. 4.* & Castropalaus *de simon. disput. 3. punct. 8. numer. 2.* referens pro hac Sententia D. Thomam, Paludanum, Richardum, Navarrum, D. Antoninum, Sylvestrum, Cajetanum, Rodoanum, Suarez, Archidiaconum, & Tabienam. Advertit tamen idem Castropalaus, quod vasa Sacramentalia, ornamenta, Imagines, &c. si ad usus profanos vendi debeant, priùs necesse est confringi: ut colligit ex Divo Thoma 2. 2. *quæst. 100. art. 4. ad 1. 2. & 3.* Secus verò si ad usus sacros vendenda sint, integra enim vendi possunt. Sic Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 16. pun. 2.* Durandus *in 4. dist. 25. quæst. 4.* Sylvester *verb. simonia quæst. 12.* Opponitur huic Sententiæ à Canonistis *Cap. si quis objecerit. 1. quæst. 3.* ubi tam spirituale, quàm corporale prohibetur vendi; & affertur ratio, quia quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit; sed consecratio illa non potest esse sine tali re materiali, & res illa materialis semel consecrata non potest esse sine consecratione adhærente rei, itaut nec à Pontifice auferri possit manente re; ergo unum sine alio vendi nequit. Confirmant oppositionem factam ex ipsis verbis Canonis: ubi apertè dicitur, si quis objecerit non consecrationem emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt: penitus desipere probatur. Sed facilis est responsio: nam ut explicat Divus Thomas *in 4. dist. 25.* non loquitur Textus de rebus, quæ antecedunt consecrationem, & benedictionem, & ante illas pretio æstimabilia sunt, ut Materia, artificium, &c. sed potiùs de illis, quæ subsequuntur Consecrationem, vel benedictionem; qualia sunt jura percipiendi redditus beneficii in Ecclesia jam consecrata, & similia. Adde, quòd nomine Consecrationis hic, ut explicat Glossa intelligitur Ordinatio Sacra, vel collatio cujusvis Dignitatis Spiritualis, ut habet Suarez.

Suarez *lib. 4. cap, 14. numer. 13.* Et quia Dignitas Episcopi, vel Abbatis sine rebus corporalibus, hoc est sine temporalibus subsidiis subsistere non potest; inde est, quòd quisquis horum alterum vendit, sine quo neque alterum provenit; idest non valet, neutrum invenditum derelinquit. Prohibitio igitur tota versatur non circa Ecclesiam materialiter acceptam, sed formaliter prout importat vel Dignitatem, vel Consecrationem.

5 Notandum hìc Gregorium XIII. prohibuisse vendere Agnos Dei benedictos: magna siquidem ipsi videbatur irreverentia exponere venales in plateis tales Agnos Dei benedictos lucri causa. Quapropter vendentes simoniaci sunt Jure humano, etiamsi ratione materiæ vendant. Sicuti prohibitum est *ex Cap. Cum eo. de Reliqu. & Venerat, Sanctor.* reliquias vendere, aut eas pretio ostendere; imò talis venditio videtur non solùm prohibita Jure humano, verum etiam Divino.

6 Quæres hìc an exigere pretiũ pro Sepultura fidelium sit simoniacum? Resp. Locum Sacrum deputatum ad Sepulturam communem fidelium vendi non posse absque simonia Juris Humani; adeoque aliquid exigi non posse in pretium pro corporibus fidelium humandis: nisi fortè aliquid donetur, aut liberè relictum fuerit à sepeliendo, vel diuturna consuetudo extet in contrarium; ita expressè statuitur *in Cap. Questa est. Cap. Postquam. Cap. in Ecclesiastico. & Cap. Præcipiendum. 13. quæst. 2. Cap. Abolendæ. & Cap. Audivimus. de Simon.* Nec obstat dicere, prædictos Textus loqui de Sepultura formaliter, prout est locus sacer, non verò materialiter pro terra ipsa. Nam Gregorius IX. *in supracit. Cap. Abolendæ.* prohibet quibusdam consuetudinem habentibus aliquid accipiendi pro terra, in qua fideles sepeliendi erant; ne quidquam omnino præsumant accipere. Nec valet paritas deducta ex eo, quòd sicuti vendi potest locus Sacer ad Cappellam construendam, vel particularem Sepulturam formandam cum onere imposito Ecclesiæ, ne alii ibi sepeliri possint; sic vendi potest locus habendus in sepultura communi. Non valet inquam: quia prohibitio facta in Textibus præcitatis non se extendit ad quamlibet venditionem loci in Ecclesia cum debita facultate Prælati; sed ne pretium exigatur pro loco sepulturæ præcisè: cum enim locus ille, ut supponimus, deputatus fuerit ad fideles sepeliendos; pretium exigere pro sepultura, quæ est res Sacra, jure optimo ab Ecclesia damnatum fuit. Sic Suarez *lib. 4. cap. 14. num. 22.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. numer. 37.* & alii.

7 Ex dictis hucusque non infertur, quòd Religiosi, vel Clerici, aut alii, qui sunt domini alicujus Ecclesiæ, vel Cappellæ, etiam consecratæ, ubi fuerit Sepultura; non possint vendere dominium, & proprietatem illius, quantum scilicet valuerit fundus, & expensæ factæ in fabrica; eo quia non venditur Consecratio, benedictio; vel proprium jus sepulturæ, sed potiùs materiale illud, quod est pretio æstimabile. Sic Sylvester *verb. Simonia. quæst. 12. versic. 3.* Ugolinus *tab. 1. cap. 44. §. 2. numer. 10.* Suarez *lib. 4. cap. 14. numer. 18.* Non possunt tamen Patroni, aut Fundatores Cappellæ cum jure ad Sepulturam aliquid exigere pro eis, quibus facultatem dant, ut ibi sepeliri possint. Nec de facili videtur damnanda Consuetudo, maximè si fuerit legitimè præscripta, aliquid plus accipiendi pro Sepultura in digniori loco constituta: hoc enim exigitur non in pretium majoris Dignitatis, sed in sustentationem Ecclesiæ, & ministrorum. Sic Castropalaus *disp. 3. de Simon. pun. 8. n. 4.* referens Sylvestrum, D. Antoninum, & Suarez.

CAPUT IX.

An committatur Simonia vendendo exercitium cujusvis Virtutis?

1 *Simoniacum est vendere actus Virtutis cedentes in aliorum utilitatem.*
2 *Pro his functionibus aliquid temporale recipi potest in sustentationem Ecclesiæ, & ministrorum; imò pro eis pacisci.*
3 *Cohonestatur usus aliquarum Ecclesiarum promittentium erogantibus talem eleemosynam ministerium spirituale exequiarum, & missarum.*
4 *An Clerici obligati ad aliqua Sacra munia obeunda, si ultra congruam sustentationem taxatam aliquid recipiant pro ea; simoniam committant?*
5 *Quomodo pro actibus Virtutis cedentibus in utilitatem propriam non sit simoniacum dare, aut recipere pretium?*
6 *An exigi possit pecunia sine simonia ab ingredientibus Religionem?*

UT clariùs procedamus 1. considerare debemus actus Virtutis, qui fiunt in aliorum utilitatem: ut sunt Divina Officia, exequiæ mortuorum, Orationes publicæ &c. 2. eos actus Virtutis, qui cedunt in privatam utilitatem ipsius operantis: ut baptismum recipere, confiteri, Sacramenta frequentare, fieri Religiosum &c. His explicatis 1

Dicendum 1. simoniam committi ab eo, qui actus Virtutis vendit cedentes in aliorum utilitatem; unde simoniacum erit pretium pro eis recipere: eo quia sunt ministeria Sacra, & Spiritualia, fiunt enim nomine Ecclesiæ, & ex potestate habita ab Ecclesia, continent quoque in se Divinas Laudes, & diriguntur ad laudandum Deum, ad ipsum invocandum, aliquid ab eo impetrandum, aut satisfaciendum pro peccatis; ergo simoniacum erit aliquod temporale in pretium recipere pro illis: ut expressè declaratum est *in cap. cum in Ecclesia. cap. Non satis. cap. Ad Apostolicam, & cap. Summ. de Simonia.* & docent passim Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 100. art. 3.*

Potest tamen pro his functionibus aliquid temporale 2
recipi in sustentationem ministrorum, vel Ecclesiæ, & pro eo pacisci, maximè pro iis, qui non sunt obligati ad hæc Officia, & ministeria Sacra: dignus est enim Operarius mercede sua. Sic expressè docent Suarez *lib. 4. cap. 15. n. 5.* Guttierrez *canonic. quæst. lib. 1. cap. 29. à nu. 15.* & Castropalaus *de Simon. disp. 3. pun. 9. nu. 1.*

Ex doctrina tradita deducit Valentia 2. 2. *disp. 6.* 3
quæst. 16. pun. 1. bene cohonestari usum aliquarum Ecclesiarum promittentium facientibus talem eleemosynam ministerium spirituale Exequiarum, Missarum, &c. respicitur enim ad temporale illud in sustentationem ministrorum, & Ecclesiæ; & ex illius affectu, & inclinatione promittitur Spirituale. Nec dissentiunt D. Thomas 2. 2. *quæst. 100. art. 3. ad 2.* & Sylvester *verb. Simonia. quæst. 11. versic. 4.* Adnotandum hic cum Bonacina *disp. 1. de Simon. quæst. 4. §. 5. num. 4.* Pro actionibus ipsis spiritualibus simoniacum esse aliquid recipere in pretium; non verò pro actionibus, quæ spirituales non sunt, licèt requirantur ad hæc sacra ministeria: ut sunt in exequiis tumulum construere, ornare, purgare cadaver, illud deferre, humare, & similia; quæ potiùs sunt opera corporalia, & materialia, quàm spiritualia.

Disputatur acriter inter Doctores: an Clerici aliàs 4
obligati ad hæc sacra munia obeunda, si aliquid ultra suam congruam sustentationem accipiant juxta receptam consuetudinem; simoniam committant, etiamsi illud exigant in stipendium suæ sustentationis? Sylvester *verb. Simonia. nu. 9. versic. 3.* Selva *de Benefic. 1. par. quæst. 7. nu. 56.* & alii putant, Simoniam committere: ratio ipsorum est, quia cessat titulus cohonestans, cum aliunde de sustentatione illis sufficienter provisum sit; adducunt *cap. Ad Apostolicam, de Simon. & cap. Vendentes. 1. quæst. 3.* Nihilominus probabiliorem puto oppositam sententiam asserentem, non committi propriè simoniam, sed solùm præsumi; committi tamen injustitiam cum obligatione ad restitutionem: & ratio est, quia hæc pecunia non exposcitur in pretium, sed in sustentationem, quamvis superabundantem; ideoque in superabundanti committitur injustitia, quæ affert obligationem restituendi; sicuti qui exposceret duplicatum pretium pro eadem re. Sic Lessius *lib. 2. de Just. cap. 35. dubit. 8. nu. 51.* Sotus *lib. 9. quæst. 6. art. 1.* Toletus *lib. 5. cap. 89. nu. 6.* & Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 16. pun. 3.*

Dicendum 2. in actibus virtutis cedentibus in pro- 5
priam utilitatem dare, aut recipere pretium, secluso pacto, & secluso obligatione, & determinatione ad exercendos actus illos Virtutis, non esse simoniam: sic simoniacus non erit, qui aliquem pretio inducit, ut baptismum recipiat, Sacramenta frequentet, aut fiat Religiosus. Sic colligitur *ex cap. debet. 23. quæst. 4.* ubi asserit D. Augustinus, debere quemlibet adducere proximum suum ad Dei Cultum non solùm doctrina, & disciplina; sed etiam

bene-

beneficentiæ consolatione, ideſt donis, & beneficiis! Sic Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. pun. 3.* Quòd autem hoc fieri possit promittendo, sive donando conditione expressa adjecta: ut promitto tibi pecuniam, vel do tibi pecuniam, si Sacramenta frequentes, religiosus fias, &c. certum est penes Doctores, ut videre est penes Castropalaum *de Simon. disp. 3. punct. 9. numer. 7.* qui refert Suarez, Molinam, Sanchez, & Lessium, & constat *ex Cap. Cum sit proprium 2. de Condit. appos.* ubi servus manumittitur, & libertatem acquirit ea conditione, si monachus fiat, & non aliter; ergo cum libertas sit pretio æstimabilis, jam conceditur aliquod pretio æstimabile sub conditione Monachatus. Ratio tamen ulterior est, quia *non* imponitur donatario obligatio aliqua, sed solùm datur ei optio, ut si velit libertatem, eligat Religionem; sin minùs in servitute remaneat, ac antea. Hinc infertur: licitum, & validum esse legatum alicui relictum ea conditione, si Sacerdos, aut Religiosus fiat: ut probat cum aliis Sanchez *lib. 1. de Sponsalib. disp. 34. num.* 15. Ex dictis hucusque colligitur: tunc Simoniam committi afferendo pretium pro exercitio virtutis cedentis in propriam utilitatem dantis, vel recipientis pretium illud, quando ex datione pretii determinatur, & obligatur recipiens ad exercitium Virtutis. Sic apertè docent Suarez *lib. 4. cap. 16. num.* 7. Abbas *in Cap. Cum in Ecclesia, de Simon. num. 7.* Rodoanus *3. par. cap. 5. numer.* 23. Textus verò, qui pro contraria adducitur Sententia *ex Cap. Quampio. 1. quæst. 2.* sic explicandus est: quòd scilicet muneris interventu non liceat aliquem provocare ad Dei Cultum exemplo Apostolorum, provocare inquam cum determinata obligatione illi imposita; non verò relinquendo illum in sua libertate, ut si velit, frui possit donis propositis. Sic Suarez *lib. 4. cap. 16. numer. 13.* & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 35. dubit. 12. num. 67.*

2 Inquiritur hic: an exigi possit pecunia absque simonia ab ingredientibus Religionem? Resp. indubitatum esse, simoniam committi, si pretium exigatur pro receptione ad Novitiatum, & Professionem, ac pro admissione ad Statum Religiosum, esset enim evidens venditio rei Sacræ. Solùm dubitatur, an pecunia exigi possit in sustentationem ipsorum ingredientium absque simonia. Simoniacam reputant talem exactionem Archidiaconus 1. *quæst.* 2. Ugolinus *de Simon. tab. 1. cap. 4. §. 1. num.* 16. afferunt plures Canones ex Titulo de simonia *Cap. Nullus. Cap. Dilectus Cap. Audivimus, Cap. Quamvis*, quibus Capitibus prohibetur, ne pro ingressu in Religionem aliquid quomodocumque afferatur. Denegant tamen, & meritò simoniacam esse D. Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 3. quæstiunc.* 1. Cajetanus *ibi. & in Summ. Verb. Excommunicatio cap. 73.* D. Antoninus 2. *par. tit. 1. cap. 5. §. 18.* Glossa *in Cap. Non satis, Cap. Quoniam. de Simon.* & ibi Abbas, Lessius *lib. 2. de Just. cap. 15. dubit. 12. num. 68.* Suarez *lib. 4. cap. 17. num. 3.* & alii, cum hoc tamen, quòd Monasterium indigeat. Nihilominus Sylvester *verb. Simonia, quæst.* 15. Sotus *lib. 9. quæst. 6. art. 2.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 16. punct. 2.* & Aragonius *quæst. 100. art. 3.* putant, nec simoniam committi, etiamsi monasterium opulentum sit: & ratio ipsorum est recepta consuetudo præsertim in Monialibus, quæ absque dote præscripta ingredi non solent, etiamsi monasteria opibus abundent; ergo signum est, hoc non esse prohibitum Jure Ecclesiastico. Ad Canones, qui in contrarium afferuntur, respondent, non prohiberi pecuniam pro sustentatione; sed pro aliis, scilicet pro ingressu, pro propinis, pintantiis, & similibus: nisi propinæ, & pintantiæ dentur ex liberalitate ingredientium.

CAPUT X.

An possit accipi pretium absque Simonia pro labore in operibus Spiritualibus, & pro obligatione faciendi illa?

1 *Labor in Operibus Spiritualibus alius illis intrinsecus, alius extrinsecus, & accidentalis.*
2 *Simoniacum est pro labore intrinseco Operibus Spiritualibus pretium accipere.*
3 *Pro labore extrinseco, nec necessario non est Simoniacum pretium recipere, & pacisci potest pro obligatione subeundi illum.*

LABOR in Operibus spiritualibus alius est illis intimè conjunctus, ac intrinsecus, & sine quo fieri nequeunt. Alius illis accidentalis, & extrinsecus, ac ab ipsis separabilis: ut esset agere iter unius leucæ ad Missam celebrandam; multùm expectare gentes, quæ Sacrum audire debent, & similia onera. 1

Dicendum 1. pro labore intimè conjuncto, ac intrinseco Operibus spiritualibus est simoniacum pretium accipere, licèt accipi possit stipendium sustentationis juxta superius dicta: & ratio est, quia labor intrinsecus, & necessariò conjunctus operi nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus; sed opus spirituale est ex se invendibile Jure Divino; ergo, & labor ei necessariò adnexus. Sic rectè sustinet Durandus, Paludanus, Sotus, Sylvester, Abbas, Innocentius, Hostiensis, Suarez, Valentia, Toletus, Guttierrez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Simonia disputat. 3. punct. 11. numer.* 2. Oppositam sententiam defendunt, sed non video qua probabilitate Adrianus, Altisiodorus, D. Bonaventura, Majolus, Glossa, Julius Clarus, Aragonius, & ex parte Lessius ab eodem Castropalao relati *loc. cit. numer.* 1. ratio ipsorum est, quia Operarius dignus est mercede sua; sed non est dignus ratione operis spiritualis; ergo est dignus ratione laboris, & temporis insumpti; itaut quo major sit labor, sit dignus majore mercede. Verùm hæc ratio probat, Operarium dignum esse mercede sua, hoc est stipendio sustentationis pro labore suscepto; itaut quo major sit labor, majori stipendio sustentationis dignus sit; non tamen probat, laborem illum vendi posse, cum necessario conjunctus sit cum operibus sacris invendibilibus: & favet *Canon. si quis objecerit. 1. quæst. 3.* qui sic habet: Qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. 2

Dicendum 2. pro laboribus accidentariis, & quasi extrinsecis actionibus sacris, & qui de se non sunt necessarii ad actiones sacras; pretium exigere, & pro illis pacisci non est simoniacum; sicuti pro obligatione ad hæc omnia subeunda: ut esset facere iter unius leucæ ad missam celebrandam, expectare ad plures horas cum temporis jactura, &c. & ratio est, quia sunt onera temporalia, & privant operantem variis commodis temporalibus; ergo sunt pretio æstimabilia. Sic colligunt *ex Cap. significatum. De Præbend.* & Glossa *ibi*, Joannes Guttierez *cap. 29. numer.* 25. Manuel *verb. Simonia. cap. 58. numer.* 5. Toletus *lib. 5. cap. 88. numer. 6.* Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 16. punct. 2.* & Suarez cum aliis *lib. 4. cap. 21. numer. 15. & 17.* 3

CAPUT XI.

An committatur Simonia vendendo exercitium cujuslibet Scientiæ?

1 *Exercitium caterarum scientiarum præter Theologiam, vendi potest sine simonia.*
2 *Exercitium Theologiæ, excepta Interpretatione scripturarum ex speciali Instinctu Spiritus Sancti, vendi potest sine Simonia.*
3 *Consilium dare in Materia Theologica sive Practica, sive Speculativa accepto pretio, non est simoniacum.*
4 *Consilium dare ad pacandam alicujus conscientiam accepto pretio, non est simoniacum.*
5 *Apponuntur duæ limitationes.*
6 *Vendere licentiam ad docendum Theologiam, vel ejus Magisterium, & Doctoratum, non est simoniacum.*
7 *An pretium accipere, vel tradere pro docendo Doctrinam Christianam sit simoniacum?*
8 *Pretium accipere, aut tradere pro concione, est simoniacum, nisi sit in sustentationem.*

DUBIUM versari debet circa solam Theologiam: nam de cæteris Scientiis nulla insurgere 1

potest difficultas, etiamsi sint Dona spiritualia intellectus speculativa, vel practica: & ratio est, quia in venditione exercitii cæterarum Scientiarum non venditur aliquod, quod ex se sacrum est, & pertinens ad Religionem, cui opponitur simonia. Et quamvis dona ipsa scientiarum in se vendibilia non sint, cum inhæreant animæ, nec in alium transferri possint; nihilominus actus, & exercitia provenientia ab ipsis sunt pretio æstimabilia, nec res sacræ sunt, sed potiùs naturales, & ad Religionem non spectantes. Adeoque dans consilium ad litem bene dirigendam, vel dans præcepta ad bene gubernandum, & similia; pretium exigere potest pro talibus exercitiis absque labe Simoniæ. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 3. Navarrus *in Summ. cap.* 23. *num.* 100. Suarez *tom.* 1. *de Relig. cap.* 8. *num.* 8. & alii cum Lessio, Azorio, Filliuccio, & Layman. Idem dicendum, si dona hæc scientiarum miraculosè acquisita fuerint, & absque labore: ratio est, quia talis consequutio non mutat naturam rei; nec facit actus ex illis provenientes sacros, aut pretio non æstimabiles: ad eum modum, quo recuperans per miraculum sanitetem brachiorum, vel manuum non inde sacrilegium committit recipiendo stipendium exercitii aliis præstiti per brachia illa, vel manus. Sic Suarez *l. c. numer.* 4. Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 18. *quæst.* 6. & Reginaldus *lib.* 23. *num.* 112. Nec obstat dicere: gratis danda esse, quæ gratis accepta fuere juxta illud Christi Domini *Matth.* 10. Nam ibi sermo est de Donis Supernaturalibus, & Sacris, ut sunt Dona miraculorum, & Sanitatum; non verò de Donis in sua entitate naturalibus, nec Sacris, licèt quoad modum acquisitionis supernaturalia sint. Pro exercitiis tamen harum scientiarum pretium taxandum erit pro qualitate Personæ docentis: siquidem præstantiora reputantur Consilia peritioris Advocati, & prælectiones publici Professoris magni nominis, quamvis minori cum labore, & majori cum facilitate præ aliis minùs peritis, nec tanti nominis. Sic Suarez *l. c. numer.* 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 13. *num.* 75. & Filliuccius *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 3. *quæst.* 9. *num.* 6.

2 Quoad Theologiam dicendum: non esse simoniam pretium recipere ob lectiones Theologiæ Practicæ, vel Speculativæ, sive Scholasticæ, aut Interpretativæ Scripturarum, nisi tamen interpretatio esset ex speciali instinctu Spiritus Sancti: ratio est, qui actiones Magistri docentis Theologiam naturales sunt; ac opus, & labor ipsius docentis pretio æstimabilia sunt: nec ordinantur ad salutem animæ, sed potiùs ad illustrandum intellectum in hac doctrina, sicuti in aliis scientiis naturalibus; ergo pro illis pretium accipere non est simoniacum. Per accidens autem se habet quoad hoc munus docendi, quòd Theologia procedat ex principiis revelatis, & fide Divina creditis: cum actus ipse docendi naturalis sit, nec pendeat à principio supernaturali, nec respiciat terminum supernaturalem: quia non ordinatur per se ad salutem animarum, sed ad illustrandum, & instruendum intellectum, quatenus naturaliter ex vi discursus fieri potest. Esto quod Doctrina ipsa Theologica in se considerata supernaturalis sit, non tamen actus illam docendi est supernaturalis. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 18. *numer.* 7. affirmans, hanc sententiam hodie esse communem, & in scholis receptam, Glossa *in Cap. Vendentes.* 1. *quæst.* 3. *& in Cap. Qui studet.* 1. *quæst.* 1. Adrianus *quodlib.* 9. *art.* 1. Victoria *Relect. de Simon. numer.* 6. Sotus *libr.* 9. *de Just. quæst.* 5. *art.* 1. & Castropalaus *de Simon. disputat.* 3. *punct.* 10. *numer.* 2. referens Lessium, Toletum, Gregorium Lopez, Filliuccium, Layman, & Bouacinam.

3 Hinc colligitur 1. dare consilium in materia Theologica sive speculativa, sive Practica accepto pretio non esse simoniacum: tum quia actus sunt naturales ope, & industria humana acquisiti, & consequenter natura sua vendibiles; tum quia respiciunt instructionem intellectus in cognitione talium veritatum naturalem, & humano modo factam.

4 Colligitur 2. dare consilium ad pacandam alicujus conscientiam accepto pretio nec simoniam esse: ratio est, quia talis instructio naturalis est, & naturaliter acquisita humano labore; adeoque pretio æstimabilis, & natura sua vendibilis. Et sicuti Canonistæ absque simoniæ labe pretium recipere possunt, & solent pro suis responsis, & consiliis; sic & Theologus, cum non debeat esse deterioris conditionis. Nec Theologus ordinat consilium suum ad finem supernaturalem, ad quem forsitan ordinabit petens consilium; sed merè ad instruendum intellectum, & veritatem illam manifestandam. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. *ad* 3. Navarrus *in Summ. cap.* 23. *numer.* 100. Suarez *libr.* 4. *de Simon. cap.* 18. *numer.* 20. & Filliuccius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæst.* 8. *numer.* 31. contra Victoriam, & Lessium oppositam sententiam sustinentes.

5 Duas limitationes quoad hoc apponere licet cum Suarez *loc. cit. numer.* 19. *&* 21. prima est, quòd si detur consilium per modum exhortationis privatæ, itaut æquipararetur privatæ concioni; tunc pretium accipere simoniacum esset: ratio est, quia videtur consilium spirituale respiciens rem sacram, & supernaturalem; & sicuti pro publica concione nil accipi potest, sic nec pro privata. Secunda est: si consilium magis pendeat ex donis peculiaribus Sancti Spiritus, quam ex humana doctrina, & industria: ut an talis Vocatio sit à Deo, vel talis revelatio; insuper quo pacto orandum sit, vel tentationibus resistendum: nemo enim timoratæ conscientiæ pro his, & similibus auderet aliquid accipere sine scrupulo simoniæ, etiamsi ad instruendum intellectum, & veritatem manifestandam doceret.

6 Colligitur 3. vendere Licentiam ad docendum Theologiam; sicuti vendere Magisterium, & Doctoratum Theologiæ non esse simoniam: ratio est, quia hujusmodi Licentiæ, & Gradus non sunt res Sacræ, nec spiritualem potestatem conferunt; sed sunt publicæ approbationes ad docendum, aut consilium dandum cum privilegiis quibusdam, & facultatibus omnino temporalibus; ergo illa vendere non erit Simoniacum; sicuti simoniacum non est vendere Cathedram Theologiæ per omnes Doctores, & tamen per Cathedram datur hæc Licentia. Solùm igitur in his injustitia committi poterit, si non rectè vendantur cum offensione Digniorum. Sic Innocentius, & Panormitanus *in Cap.* 2. *de Magist.* Tabiena *verb. Magist.* Suarez *libr.* 4. *de Simon. cap.* 18. *numer.* 14. Valentia 2. 2. *disputat.* 16. *quæst.* 6. *punct.* 2. & Filliuccius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæsit.* 3. Nec huic Sententiæ videntur opponi *Cap.* 1. *&* 2. *de Magist.* ubi prohibetur, hanc licentiam dari pecunia. Nam prohibitio illa facit tantùm actum illicitum, & injustum; non verò simoniacum, de quo loquimur.

7 Difficultas maxima est in hac materia: an pretium accipere, vel tradere pro docendo Doctrinam Christianam, quod munus ad Theologiam etiam spectat; sit simoniacum? Cum distinctione tamen respondendum: si instructio in docendo doctrinam Christianam ordinetur ad juvandam memoriam alterius, illamque exercendam, ut communiter fit in scholis publicis doctrinæ Christianę; pretium accipere, aut tradere non est simoniacum: cum sint actus naturales, ut constat ex dictis de actibus docendi Theologiam. Sic Suarez *libr.* 4. *de Simon. cap.* 18. *in fine*, Ugolinus *tab.* 1. *cap.* 10. *§.* 3. *numer.* 3. Bonacina *disputat.* 1. *de Simon. quæst.* 4. *§.* 10. *numer.* 9. & Castropalaus *de Simon. disputat.* 3. *punct.* 10. *numer.* 6. Si verò tradatur doctrina Christiana concionando, & persuadendo ad confirmandum in fide, & ad operandum juxta illam; vel instruendo infideles, ostendendo illis credibilitatem mysteriorum revelatorum, ut sic convertantur: maximè si actus docendi fiat solemni ritu, vel in baptismo; certum est, pretium accipere pro his, vel tradere, esse simoniacum: quia tunc est ministerium Ecclesiasticum ad finem supernaturalem ordinatum. Ita cum supracitatis Doctoribus Sotus *libr.* 9. *de Just. quæst.* 7. *art.* 1. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dub.* 13. *numer.* 78. & Filliuccius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæst.* 3. *numer.* 3.

8 Ex his clarè deducitur: pretium accipere vel tradere pro Concione, quod etiam est munus Theologicum; simoniacum esse: ratio est, quia concionari est infideles ad fidem persuadere, & fideles in ejus firmitate roborare, & ad ejus observantiam incitare; sed hi sunt actus Sacri, & tale ministerium est nimis sacrum, & proprium, ac principale Dei; Concionatores siquidem sunt Legati Dei, & ejus loco substituti, ac missi ad hoc opus juxta illud *Matth.* 10. *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Cœlorum*, &c. sic concludens: *gratis accepistis,*

gratis

gratis date; ergo pro his actibus, & pro tali ministerio pretium accipere maximum peccatum Simoniæ erit: sicuti est pro operibus gratiarum, nempe pro ejectione dęmoniorum, infirmorum curatione, suscitatione mortuorum, & similium pretium accipere. Adde, quòd si Sacrilegus reputatur verbum Dei adulterans, & potiori jure simoniacus reputandus erit, qui Verbum Dei vendit. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 2. & ibi Cajetanus *quodlib.* 2. *art.* 12. Angelus *verb. Simonia* 3. *numer.* 9. Tabiena *eod. verb. num.* 8. & Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 18. *numer.* 22. Non nego tamen, pro sustentatione Concionatores aliquid recipere posse, ac in pactum deducere: ut aliis in locis ostendetur: alimenta namque de jure Naturæ sunt.

CAPUT XII.

An res Sacræ, & Spirituales ex se sint tantùm materia Simoniæ; an etiam illæ, quæ rebus Spiritualibus, & Sacris sunt annexæ?

1 *Explicantur duo genera Rerum Sacrarum, & Spiritualium.*
2 *Quænam sint res Sacræ, & spirituales per annexionem? Et explicantur tres modi annexionis.*
3 *Annexa antecedenter rei Sacræ, si considerentur ut annexa illi; vendi nequeunt sine Simonia.*
4 *Annexa concomitanter rei Sacræ vendi nequeunt sine Simonia.*
5 *Annexa consequenter rei Sacræ vendi nequeunt absque Simonia.*
6 *Annexa rei Sacræ, si cum facultate Summi Pontificis vendantur; non habetur Simonia.*

1 PRO Clariori intelligentia dicendorum sciendum est: dari duo genera Rerum Sacrarum, & Spiritualium. Aliæ enim res Spirituales, & Sacræ sunt tales per se. Aliæ sunt tales per annexionem ad rem Sacram, & Spiritualem. Res sacræ, & spirituales per se subdividuntur in tales ex natura sua, & præcisa quacumque institutione, & assumptione Ecclesiæ: uti sunt gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, habitus supernaturales Virtutum, ipsorumque actus. Aliæ sunt tales non ex natura sua, sed ab institutione, & assumptione Ecclesiæ, quamvis supposita tali institutione, & assumptione sint per se Sacræ, & spirituales: uti sunt Sacramentalia, benedictiones Nuptiales, collatio Tonsuræ, cæremoniæ baptismi, & similia. Quæ sic instituta fuere ab Ecclesia, ac si à Christo Domino instituta fuissent: cum Ecclesiastica Institutio reducatur ad Divinam, saltem mediatè ob potestatem divinitùs acceptam.

2 Res Sacræ, & Spirituales per annexionem illæ sunt, quæ licèt ex natura sua materiales, & naturales sint; nihilominus per conjunctionem, & annexionem, quam dicunt ad res Sacras, & Spirituales; reputantur etiam & ipsæ sacræ, ac spirituales. Triplici autem modo hęc conjunctio, & annexio fieri potest 1. antecedenter, quando videlicet præcedit rem Sacram, aut supponitur rei sacræ: sic sunt vestes Sacræ, sacra Vasa, & similia; quæ materialiter considerata non sunt Sacra, sed dicuntur sacra antecedenter ratione materiæ, quæ præcedit consecrationem, & rei sacræ: supponitur 2. concomitanter, quando comitatur rem Sacram, eique intrinsecè conjungitur, ac veluti pars unum totum cum re sacra componit: sic est labor requisitus ad rem, & actionem sacram peragendam. 3. denique consequenter, quando scilicet consequitur ad rem sacram, & spiritualem, ac est veluti effectus illius: sic sunt beneficia, quæ consequuntur ad Divina Officia, & ab illis dependent veluti effectus: instituta siquidem fuere beneficia propter Divina Officia, & sunt illis annexa consequenter. Sic Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 1. Reginaldus *lib.* 23. *numer.* 115. Filliuccius *tract.* 45. *capit.* 5. *quæst.* 2. Ugolinus *tab.* 1. *capit.* 34. *de Simonia*, Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *capit.* 8. *numer.* 3. & Bonacina *de Simonia disput.* 1. *quæst.* 4. *§.* 11. *numer.* 1. Quamvis Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. Sylvester, Angelus, Navarrus, & Sotus recensentes res annexas spiritualibus, & Sacris enumerant tantùm res annexas antecedenter, & consequenter; non verò concomitanter: eò quia reputant, annexa concomitanter rebus sacris esse spiritualia, & sacra per se, non verò per annexionem. His declaratis remanet inquirendum, quomodo simonia committatur in rebus sacris, & spiritualibus per annexionem: jam de rebus sacris, & spiritualibus per se satis supradictum est.

Dicendum 1. annexa antecedenter rei sacræ, & spi- 3
rituali, si considerentur ut annexa; vendi, aut emi non posse absque simonia: & ratio est, quia ut talia considerata censentur res sacræ, & spirituales; sed quod sacrum, & spirituale est pretio comparari nequit absque simonia; ergo simonica erit venditio. Secus verò dicendum: si annexa antecedenter per se spectentur ratione materiæ, & ut præcisa à connexione cum re spirituali; poterunt utique vendi, & emi absque simoniæ peccato: eo quia secundum se spectata sunt pretio æstimabilia, nec valorem secum amittunt ob respectum ad rem spiritualem; adeoque præciso tali respectu vendibilia sunt ex se. Sic Bonacina *de Simonia disp.* 1. *quæst.* 4. *§.* 11. *num.* 2.

Dicendum 2. annexa concomitanter rei spirituali, & 4
sacræ nec vendi, nec emi posse, sine simonia: ratio est, quia ea, quæ sunt adeo intimè conjucta rei sacræ, ut sine ipsis consistere nequeat; meritò reputantur unum cum ipsa re sacra, nec aliam æstimationem habent præter rem ipsam sacram; adeut à D. Thoma, & aliis Doctoribus reputentur per se sacra, & spiritualia; ergo si res sacra vendi, aut emi non potest sine simonia, quia invendibilis, etiam & annexa illi concomitanter sine simonia pretio vendi nequibunt. Accedit regula tradita *in Cap. Si quis objecerit* 1. *quæst.* 3. quæ sic afferit: Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit; neutrum invenditum derelinquit. Sic Bonacina *de Simon. disput.* 1. *quæst.* 4. *§.* 11. *num.* 7. De labore, & aliis accidentaliter annexis rei sacræ, & extrinsecę superiùs dictum est.

Dicendum 3. annexa consequenter rei sacræ, & spi- 5
rituali non posse vendi, aut emi sine simonia: ratio est, quia cum ab illa pendeant tamquam accessorium à principali, cujus naturam sequitur, inde fit, quòd si principale vendi, aut emi non potest sine simonia, nec accessorium sine tali labe vendi, aut emi poterit juxta regulam superiùs traditam. Nec obstat paritas ab annexis antecedenter cum re sacra, quæ per se spectata, & præciso respectu ad rem sacram vendi possunt sine simonia, ad annexa consequenter, quæ etiam sic per se spectata, & præciso respectu ad rem sacram vendi poterunt sine simonia. Non obstat inquam, quia lata intercedit disparitas: nam annexa antecedenter rei sacræ præcedunt ipsam rem sacram, & sunt veluti principale respectu accessorii, cum potiùs in tali casu spirituale videatur annexum temporali, quàm vice versa; ergo si præcisa spectentur à tali relatione, ac per se, suam æstimationem habebunt, quam non amittunt ob relationem illam. Secùs verò annexa consequenter rei spirituali supponunt ipsam rem spiritualem, & ab ea pendent tamquam accessorium à suo principali: cum igitur principale vendi, aut emi nequeat sine simonia; nec & ipsum accessorium, quod emulatur, ac sequitur naturam Principalis *ex Leg. Etiam. Cod. de Jur. Dot. & ex Regul. Accessorium* 42. *de Regul. Jur.*

Adnotandum hic: omnia hęc intelligenda esse cum 6
hac limitatione, nisi venditio fiat cum debita facultate Summi Pontificis. Nam cum bona Temporalia annexa fuerint Juri spirituali authoritate Pontificia; inde est, quòd per ejus facultatem separari ab illo poterunt, qua separatione facta sive realiter, sive intentionaliter non habent ampliùs rationem Principalis, & Accessorii; adeoque sine simonia vendi poterunt.

CAPUT XIII.

Beneficia Ecclesiastica vendi ne possint sine Simonia?

1 *Beneficia annectuntur rebus Spiritualibus. Et quid ea sint.*
2 *Quonam Jure invendibilia sint?*
3 *Quomodo componatur Sententia Theologorum oppositа Sententiæ Canonistarum circa invendibilitatem beneficiorum quoad jus percipiendi fructus?*
4 *Potest Summus Pontifex separare jus percipiendi fructus à jure administrandi Spiritualia, & uni, vel sibi applicare primum, alteri secundum.*

5 Bene-

5 *Beneficium formaliter est invendibile; & si venditur jus percipiendi fructus Pontifici reservatos, non ideo venditur beneficium.*

6 *An beneficiarius vendere possit sine Simonia pro sua vita fructus à suo beneficio provenientes?*

1 INTER annexa rebus Spiritualibus principem locum habent beneficia, quæ propter Officium spirituale conferri solent; ideo inquirimus, an eorum venditio sit simoniaca, post notitiam enim annexorum in genere de annexis in particulari, ordo doctrinæ exposcit, ut pertractemus. Sciendum tamen: Beneficium nil aliud esse, nisi Jus percipiendi fructus annuos de bonis Ecclesiasticis ratione alicujus ministerii Ecclesiastici. Sic Doctores communiter penes Rebuffum *in Prax. Benefic. Cap. Quod sit Beneficium*, & sumi videtur *ex Cap. 1. de Eccles. ædifican.* Passim dicitur, dari beneficium propter Officium: eo quia nequeat in alium transferri beneficium, quin simul transferatur onus ad Officium. Hoc nomen Beneficium, prout in præsenti accipitur, comprehendit Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, Archidiaconatum, & similes Dignitates Ecclesiasticas, Canonicatus, Vicarias perpetuas, & cætera hujusmodi.

2 De his beneficiis inquiritur: an invendibilia sint Jure Divino, & Naturali; an tantùm Jure Ecclesiastico positivo. Non cadit controversia supra Jus quod habent beneficia administrandi spiritualia: certum siquidem est, & indubitatum penes omnes, Jure Divino, & naturali invendibilia esse beneficia secundum hanc partem considerata: cum tale Jus spirituale, & sacratum sit, & à Christo institutum. Reducitur ergo controversia ad Jus percipiendi annuos fructus, secundùm quam partem invendibilia esse beneficia ex Jure positivo Ecclesiastico constat *ex Cap. ult. de Pactis*; *Cap. Super eo de Transaction. Cap. Tuanos, de Simon. & Cap. ult. ut Ecclesiastica Beneficia*. Quæritur insuper: an etiam invendibilia sint Jure Divino. Communis responsio Theologorum est affirmativa; putant siquidem Theologi, beneficia quoad Jus percipiendi annuos fructus invendibilia esse, non solùm Jure Ecclesiastico, verum etiam Divino: ut videre est penes Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. capit. 24. num. 7. & 12.* & Valentiam *disp. 6. quæst. 16. punct. 2.* Negativa tamen est Communis Canonistarum responsio apud citatos Doctores.

3 Litem hanc feliciter componit Lessius *lib. 2. de Justit. capit. 35. dubit. 2. numer. 18.* reputat enim utramque Sententiam veram: nam si beneficium accipiatur, prout importat jus percipiendi fructus annuos proveniens ab Officio Sacro; cum officium Sacrum, & jus administrandi spiritualia invendibilia sint Jure Divino; etiam tale erit Jus percipiendi fructus consequens illud juxta regulas supra traditas; adeoque vera erit Theologorum Sententia. Sed quia Summus Pontifex facultatem habet separandi Jus percipiendi annuos fructus à Titulo Spirituali, seu à Jure administrandi spiritualia; & uni applicare Jus spirituale, & alteri, vel sibi applicare Jus percipiendi fructus, ut quotidie fit, cum pensiones assignat; inde est, quòd vera sit in hoc sensu Canonistarum Sententia.

4 Quòd autem possit Pontifex hoc facere, constat ex eo, quia solùm tenetur Pontifex tribuere congruam sustentationem habenti beneficium, quæ denegari non potest: si igitur aliunde tribuat sustentationem, poterit absque dubio omnes fructus illi beneficio assignatos sibi, vel alteri applicare, & sic applicatos vendere: nam sic non vendit aliquod, quod sit simpliciter sacrum, & spirituale. Hinc fit: non posse Pontificem in collatione beneficii plus exigere, quàm fructus illius moraliter æstimentur, aliàs daretur ansa judicandi, pecuniam illam non exigi in redemptionem fructuum sibi reservatorum, sed pro jure administrandi spiritualia, quod esset simoniacum; imò ab exactione semper detrahi debet congrua sustentatio, nisi aliunde assignetur ex aliis redditibus. Non possunt tamen Prælati Pontifice inferiores hoc efficere: cum eis non data sit hæc facultas separandi fructus à titulo beneficii, & sibi reservare, vel aliis. Sic Suarez *lib. 4. de Simon. capit. 24. numer. 41.* Lessius *lib. 2. de Just. capit. 35. dubit. 2. numer. 10.* & Castropalaus *de Simon. disp. 3. punct. 13. num. 3. & 4.*

5 Ex dictis hucusque colligitur: beneficium esse formaliter invendibile; nam ut tale dicit Jus percipiendi fructus medio officio Spirituali provenientes. Cum tamen venditur jus percipiendi fructus, quod sibi Pontifex reservare potest per facultatem separandi illud à jure spirituali; non dicitur revera beneficium vendi, cum jam non sit annexum Juri spirituali.

De fructibus à beneficio provenientibus agitatur 6 quæstio: an vendi possint à beneficiario pro sua vita absque simonia? Probabilior sententia docet, non committi simoniam: & ratio est, tum quia traditur temporale pro temporali, fructus siquidem beneficii temporales sunt; tum quia nullum Jus decernens contrarium afferri potest: supponimus namque beneficiarium retinere sibi titulum beneficii, & jus spirituale; & sicuti vendere fructus unius anni non est simoniacum, ita etiam nec vendere fructus ad plures annos. Quòd si habeatur positiva prohibitio de non alienandis fructibus beneficii, peccatum erit ob prohibitionem Ecclesiæ de non alienando, non verò erit peccatum simoniæ ob venditionem rei sacræ, cum non omnis alienatio importet Simoniam. Sic Panormitanus, Hostiensis, Fredericus, Sylvester, Toletus, quos refert, & sequitur Castropalaus de simonia *disp. 3. punct. 13. num. 5.*

CAPUT XIV.

Quid de Pensionibus, Commendis, Coadjutoriis Cappellaniis, & Hospitalibus, est ne eorum venditio Simoniaca?

1 *Pensio alia Clericalis, alia Laica.*
2 *Venditio Pensionum Laicalium non est contra Jus Divinum, sed contra stylum Curiæ.*
3 *Venditio Pensionum Clericalium est simoniaca Jure Humano, & Divino.*
4 *Fructus Pensionis vendi possunt absque simonia pro tota Vita Pensionarii.*
5 *Præstimonia vendi nequeunt absque simonia.*
6 *Commendæ spirituales vendi non possunt absque simonia; secus verò seculares.*
7 *An Coadjutoriæ beneficiorum obtineri possint pecunia absque simonia?*
8 *Non est simoniacum obtinere pecunia Cappellanias non erectas authoritate Episcopi.*
9 *Hospitalia religiosa, vel authoritate Episcopi erecta, & sub ejus cura, obtineri nequeunt pecunia sine simonia; secus verò Hospitalia privata authoritate erecta.*

PENSIO, quæ de bonis Ecclesiasticis percipi so- 1 let; alia solet esse Spiritualis, seu Clericalis; alia Temporalis, seu Laicalis. Spiritualis illa est, quæ Clericis tradi solet, & necessario Clericatum in Persona illam recipiente supponere debet. Aliquando assignatur hæc Pensio absque determinatione Personæ pro aliquo Officio Spirituali, ut pro Coadjutore Episcopi, Concionatore, Visitatore &c. Aliquando tamen cum determinatione Personæ, & tali determinato Clerico assignatur, non alteri. In quadruplici autem differentia hæc Pensio considerari potest. 1. est, quando datur Clerico pauperi in ejus sustentationem. 2. quando datur Parocho seni, & impotenti ad inserviendum, ut se sustentet ex illa portione fructuum beneficii, jam alteri collati. 3. quando datur renuncianti beneficium, quod pacificè possidebat. 4. denique quando datur ad litem in beneficio componendam. Aragonius *quæst. 10. art. 4. versic.* Pro explicatione putat, quòd si aliæ inveniantur Pensiones præter has enumeratas; injustæ sint, & absque legitima, & sufficienti causa impositæ. Temporalis Pensio, & Laicalis illa est, quæ Laicis tribui solet non ob titulum spiritualem, sed temporalem: sic est Pensio, quæ dari solet ob causam belli ad defendendam Ecclesiam, vel Sacristæ, Thesaurario, Pulsanti Organa, vel campanas, & similes. Nec per hoc, quòd talis Pensio conferatur Personæ habenti Clericatum; reputanda erit Clericalis: nam ad cognoscendam qualitatem Pensionis, non inspicitur qualitas personæ, sed titulus, in quo fundatur; & causa, ob quam traditur, quæ meré temporalis est, ac per accidens reperitur in Clerico; nec per se supponit Clericatum, uti

Pensio

Pensio spiritualis, nec annexam habet recitationem Officii Beatæ Virginis Mariæ juxta Bullam Pii V. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 26. *num.* 14. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 274. & alii.

2 Dicendum 1. non esse simoniam, saltem contra Jus Divinum, venditionem Pensionum Temporalium, & Laicorum: ratio est, quia sunt temporales, nec in titulo spirituali fundatæ, nec ordinatæ ad ministerium spirituale; ergo earum venditio non poterit esse materia simoniæ. Sic Sotus, Victoria, Suarez, Lessius, Filliuccius, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Simon. disputat.* 1. *quæst.* 4. §. 13. *numer.* 3. & Castropalaus *de Simon. disput.* 3. *punct.* 13. *numer.* 7. Nec obstat, quòd Pensio extracta sit ex titulo Spirituali, seu beneficio, est enim portio fructuum beneficii. Non obstat inquam, quia jam separata est à titulo spirituali, nec ex parte subiecti, nec ex parte finis spirituale munus requirit. Sic Decimæ concessæ à Pontifice alicui Regi, vel Principi super beneficiorum fructibus sunt portiones extractæ à beneficiis; non ideo tamen temporales, & vendibiles non sunt, cum defacto vendantur quotidie, nec ad munus aliquod spirituale ordinantur. Sic supracitati Doctores contra Rebuffum *de Pacific. Possess. numer.* 34. Dictum fuit, quòd saltem non sint venditiones harum Pensionum contra Jus Divinum: eo quia nonnullorum Sententia sustinet, esse contra Stylum Curiæ Romanæ, qui facit Legem; si fiant absque authoritate Summi Pontificis, forsitan ad evitandam omnem Simoniæ suspicionem. Sic Azor. alios referens 2. *par. lib.* 8. *capit.* 10. *quæst.* 10. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 26. *numer.* 16. & Filliuccius *tract.* 45. *capit.* 5. *quæst.* 2. *num.* 7.

3 Dicendum 2. Pensiones omnes Clericales non posse vendi absque Simonia Juris Humani, & Divini, ubi recepta est Bulla Sancti Pii V. incipit. *Ex proximo Lateranensi*, nam per hanc Bullam obligantur Pensionarii ad recitandum Officium parvum Beatissimæ Virginis; ergo jam annexæ sunt similes Pensiones titulo spirituali: siquidem fructus percipiunt medio spirituali Officio, itaut si non recitent, non faciant fructus suos; ergo & Jure Divino, & Humano invendibiles erunt, utpote annexæ oneri, & titulo Spirituali. Vbi tamen nec recepta est, nec observatur Bulla Pii V. erit tantùm Simonia Juris Humani has pensiones vendere: quia ex Stylo Romanæ Curiæ prohibentur tales Venditiones, ita ut vendentes tamquam simoniaci puniantur, & ut bene notat Navarrus *in Summ. capit.* 1. *numer.* 111. Stylus Curiæ Romanæ inducere potest sua prohibitione simoniam Juris Humani. Sic Valentia *disput.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. Bonacina *de Simon. disputat.* 1. *quæst.* 4. §. 13. *num.* 4. & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *punct.* 13. *num.* 8.

4 Fructus Pensionis vendi posse, etiam ad totam Vitam Pensionarii, absque simonia, dummodo Pensionarius retineat sibi titulum Pensionis; docet communis Sententia; ratio est, quia sunt aliquod temporale, & pretio æstimabile; nec aliquod Jus habetur decernens contrarium; maximè si fructus beneficii hoc pacto vendibiles sunt juxta superiùs dicta. Sic Suarez, Azor. Naldus, Filliuccius, Zerola, & Valentia, quos refert, & sequitur Bonacina *de Simon. disput.* 1. *quæst.* 4. §. 13. *numer.* 13.

5 Dicendum 3. idem sentiendum de Præstimoniis, quæ in communi sententia ad minus sunt Pensiones Clericales: cum non dentur hæ portiones fructuum beneficii, nisi Clericis, ut in Clericatu proficiant incumbendo studiis: imò graves Doctores putant cum Navarro *capit.* 21. *de Oration*, *numer.* 9. inter beneficia comprehendi: quamvis ex Bulla Sancti Pii V. non obligent, nisi ad Officium parvum B. Virginis.

6 Dicendum 4. Commendas spirituales, quales sunt illæ, quibus Ecclesia alicui commendatur, ut in ea Sacramenta administret, & alio vocabulo appellari solent Vicariæ; vendi non posse sine Simoniæ peccato,
7 sive temporariæ sint, sive perpetuæ: ratio est, quia habent annexam spiritualem jurisdictionem, ut expressè habetur *in Cap. Non satis, & Cap. Ad nostram de Simon.* Secus verò dicendum de Commendis sæcularibus, & Militaribus nullam functionem spiritualem secum adducentibus, & quæ tribui solent Personis Ecclesiasticis in præmium, vel stipendium militiæ. Nec simoniacum erit, illas pecunia procurare: ratio est, quia sunt merè temporales, & ab omni prorsus spirituali Officio immunes. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simonia capit.* 27. *numer.* 8. Manuel *in Summ.* 2. *tom. capit.* 59. *numer.* 22. Petrus de Ledesma 2. *par. Summ. tract.* 12. & Castropalaus *de Simon. disput.* 3. *punct.* 13. *num.* 13. Advertunt tamen Suarez, & Manuel Rodriquez *loco citato* in illarum venditione committi posse injustitiam: eo quia Rex, vel Magister Ordinis, quibus commissa est distributio talium Commendarum; non sunt Domini, sed Dispensatores; nec Supremi, quia sub Pontifice, qui facultatem dedit non advendendum, sed ad distribuendum.

Coadjutoriæ beneficiorum, quæ important facultates quasdam authoritate Pontificia concessas ad exercendum Officium, quod Proprietarius exercere solet, etiam si cum futura successione concedantur; non enumerantur inter beneficia Ecclesiastica: quapropter probabile est, non esse Simoniam, eas pecunia obtinere si detur pecunia non in pretium facultatis, sed in sustentationem concedentis Coadjutoriam. Sic Gonzalez *Regul.* 8. *Cancell. glos.* 5. *in principio numer.* 25. & Castropalaus *de Simon. disput.* 3. *punct.* 13. *numer.* 14. Nihilominus probabilius censeo oppositum: ratio est, quia esto ipsa Coadjutoria Beneficium non sit, est tamen jus ad celebrandum, & peragendum ministeria Ecclesiastica, & ad succedendum in Præbenda, quæ quidem omnia aliquid spirituale importare videntur. Nec præsentatio beneficii facta in favorem unius est beneficium, sed tantùm jus ad illud; & tamen simoniacum esset pro tali præsentatione pecuniam recipere, etiam in sustentationem Præsentantis, maximè quia posset hoc in omnibus pactis Simoniacis dici. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 27. *num.* 5. Mendo referens Bonacinam, & alios *in sua Epitom. verb. Simonia numer.* 18.

8 Nec inter beneficia connumerandæ sunt Cappellaniæ non erectæ authoritate Episcopi; adeoque pecunia eas obtinere non erit simoniacum: ut docent Gonzalez *Regul.* 8. *cancell. glos.* 5. *in principio*, *numer.* 25. imò testatur, sic fuisse sæpius à Rota Romana declaratum, & Castropalaus *de Simon. disput.* 3. *punct.* 13. *numer.* 14.

9 Hospitalia, quæ absque Episcopi authoritate instituuntur, nec sunt sub ejus cura, sed eriguntur privata authoritate; licèt pia loca dici possint, non tamen censentur Ecclesiastica, nec possunt esse materia simoniæ, si eorum cura vendatur, quod ut indubitatum supponit Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 27. *numer.* 11. & Gonzalez *loco citato* §. 4. *numer.* 22. Illa verò Hospitalia, quæ vel Religiosa, vel Ecclesiastica dicuntur; eo quia authoritate Episcopi instituta, & sub ejus cura sunt *juxta cap. Ad hæc. de Relig. Domib.* dupliciter considerari possunt: nam vel secum habent adjunctam spiritualem administrationem; vel solùm temporalem spectantem ad gubernationem infirmorum. Si primo modo instituta sint, nemini dubium esse debet, simoniam committi Juris Divini, & Humani in venditione eorum. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 27. *numer.* 11. Rebuffus *in Pratic. & de Devolut. numer.* 73. Selva *de Benefic.* 1. *par. quæst.* 3. *numer.* 3. & 28. Dubium tamen est, si secundo modo instituta sint, nullam functionem spiritualem secum afferendo, sed temporalem tantùm curam, & sollicitudinem erga infirmos. Quapropter dicendum erit, non esse simoniam Juris Divini, si eorum administratio vendatur: eo quia temporalis est, nec spirituali Officio annexa, ut colligitur *ex clement. Quia contingit.* §. 1. *de Religios. Domib.* Erit tamen simonia Juris Humani: cum bona hæc sint Ecclesiastica ex Institutione, adeoque comprehensa sub illa generali prohibitione: ne Officia administrationis Rerum Ecclesiasticarum vendantur ad vitandam simoniam, ut constat *ex capit. Salvat.* 1. *quæst.* 3. & docet Glossa *ibi*, Suarez *loco citato*, Gomez *de Expectat. numer.* 93. & Castropalaus *de Simonia disput.* 3. *punct.* 13. *num.* 15.

CAPUT XV.

An vendi possint absque Simonia Jus Patronatus, & alia Officia Ecclesiastica?

1 *Venditio Juris Patronatus Simoniaca est Jure Humano, & Divino.*

2 Præ-

2 *Præsentans imponens onus præsentato, ad quod non tenetur; simoniam committit.*
3 *Quomodo Jus Patronatus in alios transferri possit?*
4 *An Jus Patronatus Personale transferatur venditis bonis Personæ?*
5 *An ultra modos dictos vendi, aut emi, vel transferri possit Jus Patronatus sine simonia?*
6 *An venditio Officiorum temporalium Ecclesiæ sit simoniaca.*

1 JUS Patronatus nihil aliud importat, nisi Jus, & facultatem præsentandi ad beneficia, licèt aliquando concessum sit Laicis ab Ecclesia ob obsequia ab illis accepta in signum gratitudinis. Quòd autem simoniaca sit ex Jure Ecclesiastico venditio Juris Patronatus clarè constat *ex Cap. præterea, & aliis de Jure patronat.* Solùm ergo quæstio est inter Doctores: an sit etiam simoniaca ex Jure Divino. Et quamvis Sotus *lib. 9. quæst. 7. artic.* 1. Navarrus *in Summ. cap. 23. num. 98. & 99.* Sylvester *verb. Simonia quæst.* 2. Decius, & alii *in Rubr. de Jure Patronat.* putarunt, non esse simoniacam de jure Divino: eo quia hoc jus non est spirituale, sed solùm spiritualibus annexum; datur enim Laicis, & transit ad hæredes, vel extraneos per donationem, aut venditionem. Insuper Præsentatio, quæ est actus hujus juris; non est spiritualis, cum ratione illius non acquirat præsentatus jus ad beneficium, nisi Prælatus illud conferat; ergo jus patronatus non est invendibile ex Lege Divina. Nihilominus contrariam opinionem, ut probabiliorem sequi debemus; & ratio est, quia hoc jus est spirituale, & ab Ecclesia institutum, atque concessum per potestatem spiritualem; ordinatur insuper ad actum spiritualem, qualis est præsentatio: jus siquidem est veluti potentia, & præsentatio veluti actus; sed actus, & potentia specificantur ab objecto, quod in casu allato est beneficium; ergo si beneficium est spirituale, jus patronatus, & præsentatio ad beneficium erunt pariter spiritualia, adeoque materia simoniæ jure Divino prohibitæ. Sic Glossa *in Cap. præterea* 1. *de Transact.* Panormitanus *ibidem*, Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. capit.* 28. *numer.* 7. Lessius *lib.* 2. *de Just. capit.* 35. *dubit.* 22. *numer.* 128. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *numer.* 60. Bonacina *disput.* 1. *de Simon. quæst.* 4. §. 11. *numer.* 3. & 4. & Castropalaus *de Simon. disput.* 3. *punct.* 14. *numer.* 3. Nec obstat, quòd tale jus detur Laicis, & transire possit ad hæredes, vel ad exteros per donationem; quia hæc proveniunt ex gratia facta ab Ecclesia, quæ sicut poterat communicare Laicis jus eligendi ad beneficia, quod extra controversiam spirituale est; sic potuit jus præsentandi communicare, quod spirituale probatur. Quonam verò pacto possit transire ad hæredes, vel ad extraneos dicetur infra. Ad id, quod additur ad magis confirmandam contrariam sententiam; respondetur: per præsentationem dari quidem jus ad beneficium præsentato non proximum, sed remotum; eo quia ex vi præsentationis, si persona idonea sit; necessario institui debet, ut constat *ex Capit. Significasti, & ex Capit. Suggestum de Jure patron.* adeout non possit alius absque tali præsentatione institui.

2 Hinc infertur: non posse præsentantem absque simonia imponere onus aliquod præsentato, ad quod non teneatur: ut si obliget ad tuendum jus præsentantis, ad litem pro ipso agitandam &c. quia cum actio præsentationis sit spiritualis, gratis dari debet. Si tamen imponat onus præsentato, ut suam præsentationem prosequatur in casu subortæ litis, si velit præsentationem sibi factam vires habere, alioquin alium præsentabit; nulla committetur simonia: nam onus, quod imponit præsentato, est de jure, nec præsentatus obligatur ad litem absolutè, sed sub conditione si velit præsentationem sibi factam consistere. Sic Navarrus *Consil.* 12. *de Simon.* Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 28. *numer.* 14. Vgolinus *tab.* 1. *capit.* 49. §. 2. *numer.* 5. & Bonacina *de Simon. disput.* 1. *quæst.* 4. §. 11. *numer.* 4.

3 Quæres 1. quomodo jus Patronatus in alios transferri possit? Resp. triplici modo translationem hanc fieri posse, ut bene adnotant Gloss. *in cap. Cum Sæculum de Jure patron.* & Suarez *loco citato numer.* 15. 1. transfertur jure hæreditario, & extenditur non solùm ad hæredes necessarios, verum etiam ad voluntarios; sicuti non solùm ad consanguineos, verumetiam extraneos: ratio est, quia jus non distinguit, sed absolutè loquitur, ut notavit Gloss. *per textum in clement.* 2. *de Jure patron.* & Joannes Andreas *in cap. cum sæculum cit.* & sumitur *ex cap. considerandum, cap. Si plures* 16. *quæst.* 7. 2. transfertur per liberalem donationem: eo quia unusquisque transferre potest jus, quod habet: ut dicitur *in cap. cura de Jur. patron.* cum hoc tamen, quòd donatio hæc si fiat loco religioso, non requirat consensum Episcopi, ut expressè habetur *in capit. Unic. de Jur patron. in 6.* si tamen fiat aliis Personis, necessarius est talis consensus Episcopi ad valorem donationis, sine quo consistere nequit: ut docet communis Sententia, teste Suarez *loco citato*, fundata in supradicto *capit. Unico*, ubi licèt non expostuletur expressè hæc conditio; deducitur nihilominus ex eo, quòd sit specialis favor concessus locis religiosis, non requiri ad validitatem talis donationis consensum Episcopi; ergo si fiat aliis, necessario requiri debet. 3. modo transfertur jus patronatus per venditionem rei, in qua fundatur, ut constat *ex capit. Ex litteris, & capit. cum sæculum de Jur. patron.* Quapropter sciendum est, dupliciter competere posse jus patronatus alicui laico, vel ratione rei, quam possidet, & cui annexum est tale jus, verbi gratia quia possidet Villam, in qua est Ecclesia cum beneficio juris patronatus; & hoc dici solet jus patronatus Reale. Vel competit laico, quia ipse fundavit Ecclesiam cum hoc beneficio, reservato sibi, & suis jure præsentandi, vel aliis si voluerit; & hoc dicitur jus patronatus personale. Si ergo jus patronatus est Reale, vendita re transfertur etiam jus patronatus ad ementem illam, quamvis ex hoc non probetur, vendi jus patronatus, cum non cariùs vendatur res propter tale jus; sicuti vendito calice consecrato transfertur cum calice consecratio: licèt non vendatur consecratio, eo quia non cariùs venditur propter illam. Neque ad hanc venditionem requiritur consensus Episcopi, ut colligitur *ex capit. cum sæculum cit.* & multò magis non requiritur, si villa donetur: quia si hoc conceditur venditioni, à fortiori concedi debet liberali donationi, quæ est magis aliena à vi, & apparentia simoniæ. Personale vero jus transferri potest non translatis bonis primo, & secundo modo ex supradictis; & ad hoc personale jus transferendum per liberalem donationem requiritur assensus Episcopi, si non fiat locis religiosis; non verò ad Reale. Hæc omnia diligenter adnotat Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 28. *num.* 17.

4 Quæres 2. an jus patronatus personale nec annexum bonis, sed personæ transferatur venditis bonis personæ illius? Resp. quamvis quamplures Canonistæ relati à Covarruvia *lib.* 2. *Variar. capit.* 18. *numer.* 6. affirmativè respondeant; nihilominus negativam sententiam sequi debemus: ratio est, quia tale jus non est annexum bonis; ergo translatis illis non transfertur jus: nec afferri potest ratio, cur transferri debeat cum bonis, quibus non est annexum. Quòd autem transferatur ad hæredes, hoc fit beneficio juris Canonici *clemen.* 2. *de Jur. patron.*: eo quia hæres repræsentat personam defuncti, cui succedit in juribus, & honoribus; non verò emptor, ut constat ex jure Cæsareo. Secus verò dicendum si sit annexum bonis, quibus translatis transfertur & jus. Sic Covarruvias *loco citato* & alii ab ipso relati, Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 28. *numer.* 19. Garzia 5. *par. de benefic. cap.* 9. *num.* 13.

5 Quæres 3. an ultra relatos modos vendi, aut emi possit jus patronatus, vel transferri sine simonia? Resp. negativè: ratio est, quia in Spiritualibus id possunt Laici, quod ipsis conceditur à jure Canonico; si ergo in jure Canonico non inveniuntur alii modi transferendi jus patronatus præter supradictos; dicendum est, nec licitè, nec validè, nec sine simonia transferri posse ultra relatos modos. Sic Innocentius, Abbas *in cap. Quanto de consuetud.* Menochius, & alii ab ipso relati *consil.* 90. *numer.* 79. Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 28. *numer.* 15. & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *punct.* 14. *numer.* 8.

6 Quæres tandem: an Venditio Officiorum Temporalium Ecclesiæ sit simonia? Communior responsio est, esse simoniacam ex jure Humano: & probatur *ex cap. Si quis Episcopus* 1. *quæst.* 1. *& ex cap. Salvator.* 1. *quæst.* 3. ubi dicitur: Participare cum Simone, qui Officium œconomi, Vicedomini, Advocati, Sacristæ, Castaldi, & Judicis vendit; ergo talis venditio simoniaca erit. Sic Abbas, Felinus, *in capit. Consulere de Simon.* Hostiensis *in capit. Tua nos eod. tit.* D. Antoninus

nus 2. *par. tit.* 1, *capit.* 5, §. 2. Victoria *Relection. de simonia numer.* 16. Cajetanus *verb. simon. regul.* 3. *in fin.* Sotus *lib.* 9. *q.* 5. *art.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 35. *dubit.* 4. *numer.* 26. & Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 29. *num.* 5. Quid autem veniat nomine talium Officiorum bene explicant Glossa, Lessius, & Suarez *locis citatis*, & nos supra libavimus. Adnotandum tamen hic: Advocatum intelligi illum, qui per facultatem ab Ecclesia specialiter acceptam est constitutus ad ejus causas patrocinandas: nam Advocatus ordinarius, qui absque mandato speciali Ecclesiæ, tuetur ejus causas allegando de Jure; non dicitur Officium Ecclesiasticum habere; ut notat Suarez *l. c. num.* 9.

CAPUT XVI.

An Permutatio beneficiorum, & aliarum rerum spiritualium fieri possit sine Simonia?

1 *Permutatio beneficiorum, & cujusvis alterius Juris spiritualis beneficia continentis privata authoritate facta Simoniaca est Jure Ecclesiastico.*
2 *Non est tamen Simoniaca Jure Divino.*
3 *An sit simoniacum, & illicitum tractare partes de beneficiorum permutatione ante consensum Prælati, etiam sub conditione, si Prælatus consenserit?*
4 *Licita est, & ab omni simonia immunis permutatio beneficiorum authoritate superioris facta.*
5 *Quisnam sit Superior, cujus consensus requiritur ad permutationem?*
6 *An sufficiens sit ad licitam permutationem consensus illius, qui non habet Episcopalem jurisdictionem, sed ad eum spectat collatio beneficii?*
7 *Adnotantur tria circa permutationem.*
8 *Permutatio beneficii cum Pensione, Commenda militari, aut alia re temporali non erecta in titulum beneficii simoniaca est sine facultate Pontificis.*
9 *Declaratur quomodo fieri possit à Pontifice.*
10 *Simoniacum est pactum etiam coram Episcopo factum inter permutantes, ut unus ex illis solvat integras expensas Bullarum.*
11 *Extra materiam beneficiorum non est Simoniaca permutatio spiritualis cum spirituali.*
12 *Permutatio rei spiritualis cum alia spirituali habente annexam rem temporalem quando est Simoniaca?*

1 SIMONIA ex dictis hucusque videtur committi per traditionem rei temporalis, & pretio æstimabilis pro re spirituali; cum igitur in permutatione beneficiorum, & aliarum rerum spiritualium non tradatur temporale pro Spirituali; ideo inquiritur & meritò: an sine simonia fieri possit? Ut autem distinctiùs procedamus,

Dicendum 1. Permutationem beneficiorum, & cujusvis Juris spiritualis beneficia continentis privata authoritate factam simoniacam esse ex jure Canonico. Colligitur ex variis Capitibus, *cap. Cum Olim. capit. Quæsitum de Rer. Permutat. cap. Majoribus, de Præbend. & cap. ult. de Pactis*, ubi prohibetur omnis pactio in beneficiis; cum ergo permutatio dicat pactionem, est enim quidam contractus, & omnis contractus est pactio; inde est, quòd prohibeatur. Cur autem inducta fuerit Ecclesia ad prohibendas pactiones omnes in beneficiis; videtur fuisse ad vitandum periculum omne, & suspicionem, ac occasionem simoniæ, insuper incommoda omnia, quæ facilè oriri potuissent, si privata authoritate permutatio facta fuisset.

2 Dicendum 2. talem permutationem privata authoritate factam non esse simoniacam jure Divino; & ratio est, quia tunc Simonia contra jus Divinum committitur, cum Temporale pro spirituali traditur; cum igitur nil temporale intercedat in simplici beneficiorum permutatione, supponimus enim fieri simpliciter, & absque interventu pecuniæ, aut alterius rei pretio æstimabilis; inde est, quòd nulla Simonia committatur contra jus Divinum, sed tantùm Ecclesiasticum. Sic Major *in* 4. *dist.* 25. *q.* 5. Sotus *lib.* 9. *de Just. q.* 7. *artic.* 1. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *capit.* 8. *numer.* 50. & Bonacina *de Simon. disputat.* 1. *quæst.* 4. §. 12. *numer.* 3.

3 Quæres hic; an sit simoniacum, & illicitum pertractare partes de Beneficiorum permutatione, etiam sub onere pensionis, ante consensum Prælati; sicuti se vicissim obligare ad permutationem, si tamen Prælatus consenserit? Resp. negativè: quia nulla extat de hoc prohibitio: nam in Capitibus suprà relatis solùm prohibetur permutatio facta propria authoritate, & absque consensu Prælati; sed obligatio superiùs dicta non est permutatio, sed via præparans ad illam; neque conventio est absoluta, sed conditionata, quæ nullum habebit effectum, si Superior non consenserit; ergo non erit simoniaca. Sic Cardinalis *in cap. Quæsitum de Rer. Permutat. quæst.* 39. *num.* 23. Flaminius Parisiensis *lib.* 6. *de Resignat. benefic. quæst.* 2. *adnotat.* 70. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 31. *à numer.* 7. Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 15. *numer.* 92. & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *punct.* 15. *num.* 2.

4 Dicendum 3. licitam, & ab omni prorsus Simoniæ labe immunem esse Permutationem beneficiorum authoritate Superioris factam. Sic communiter Doctores fundati *in Capit. Inter cætera de Præbend. cap. Quæsitum, cap. cum universorum, cap. cum olim; cap. Ad quæstiones, de Rer. Permutat. & cap. unic. eod. tit. in* 6. *& clement. unic. de Rer. Permutat.*

5 Sed quæres: quisnam sit Superior, cujus consensus requiritur ad permutationem licitè faciendam? Resp. esse Episcopum loci, in quo beneficium situm est: ratio est, quia *in capit. Quæsitum de Rer. Permut. & cap. unic. de Rer. Permut. in* 6. Episcopo datur facultas admittendi permutationes beneficiorum, dummodo permutatio purè fiat, & non sit permutatio beneficii cum Pensione. Sic Bonacina *disputat.* 1. *de Simon. quæst.* 4. §. 12. *num.* 7. Nomine Episcopi intelliguntur etiam illi, qui Episcopalem jurisdictionem habent, etiamsi talem dignitatem non habeant. Sic sunt Abbates exempti, Capitulum Sede Vacante, & alii habentes similem jurisdictionem: & ratio est, quia hæc facultas competit Episcopis non ratione Dignitatis, sed ratione jurisdictionis; ergo habentes similem jurisdictionem, & non Dignitatem, pariter habebunt facultatem hanc. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 32. *numer.* 11. Gloss. *in clement. superiùs citata; versic. conceduntur.* Rota *Decis.* 5. & 6. Bonacina *l. c.* & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *punct.* 15. *num.* 2.

6 Controversia major est: an sufficiens sit ad reddendam licitam hanc beneficiorum permutationem consensus illius, qui Episcopalem jurisdictionem non habet, licèt collatio beneficii ad eum spectet? Probabilior sententia sustinet, non esse sufficientem, nisi præscriptam habeat consuetudinem approbandi tales permutationes: & ratio est, quia si in jure talis facultas conceditur Episcopo, non debemus nimis excedere ad eam extendendam ad non habentem Episcopalem jurisdictionem. Sic Suarez *lib.* 4. *de simon. cap.* 32. *numer.* 14. Filliuccius *tract.* 45. *cap.* 7. *quæst.* 8. *numer.* 22. Panormitanus, Rebuffus, Federicus de Senis, & Bonacina *disp.* 1. *de simon. quæst.* 4. §. 12. *num.* 7. qui advertit, requiri etiam consensum hujus, ad quem spectat beneficii institutio: cum non sit præsumendum, jura voluisse juri alterius derogare, nulla facta de hoc mentione.

7 Adnotandum hìc 1. Permutationem beneficiorum hucusque explicatam intelligendam esse de beneficiis propriis, & de quibus habetur jus in re, quamvis illorum non habeatur possessio. 2. quòd non sit de Beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis; nam sicuti Episcopus non potest de talibus beneficiis disponere; sic nec eorum permutationem approbare. 3. non posse fieri permutationem authoritate Prælati inter habentes Jura ad rem: Sic præsentatus ad unum beneficium non potest suam præsentationem in favorem alterius resignare, ut ille sibi suam præsentationem resignet, etiam consentiente Patrono, ad quem spectat Præsentatio; & ratio est, quia Episcopus solùm habet potestatem, ut constat ex Capitibus superiùs citatis, ad approbandas beneficiorum permutationes, non verò Electiones. Sic Castropalaus plures Canonistas referens *disput.* 3. *de simon. punct.* 15. *num.* 9.

8 Dicendum 4. Simoniacam esse Permutationem beneficii cum Pensione, aut Commenda militari, vel alia re temporali non erecta in titulum beneficii, etiamsi fiat authoritate Episcopi; nisi habeatur specialis facultas Pontificis: & ratio est, quia Episcopus non habet facultatem imponendi pensionem; ergo neque transferendi illam. Jus quoque præscribit Ordinariis

potestatem admittendi permutationem beneficiorum propriorum, ergo non debet extendi ad Pensiones, quæ authoritate tantùm Pontificis imponentur : ut notat Nicolaus Garzia *de Benefic.* 11. *par. capit.* 4. *numer.* 18. Et à fortiori dicendum erit : simoniacam esse hanc permutationem, si Pensio sit purè Laicalis, aut Commenda militaris, vel aliud temporale non erectum in titulum beneficii : quia non solùm est contra Jus Canonicum, verum etiam Divinum : cum permutetur spirituale, quod principalius est in beneficio, cum temporali, uti sunt Pensio Laicalis, Commenda militaris, vel aliud simile. Sic Bonacina *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 4. §. 12. *numer.* 9.

9 Posse autem hoc fieri authoritate Pontificis, dubium non est : quia Pontifex potest separare fructus à beneficiis, adeoque beneficia conferre cum fructuum diminutione; facta autem separatione alteri dat pensionem, vel quid simile ob justos titulos; alteri beneficium cum congrua sustentatione; & consequenter non dat Pensionem ob beneficium; alioquin & ipse reus esset Simoniæ, ut docet idem Bonacina *l. c.* Ob eamdem rationem concedere poterit Pontifex, ut beneficium pinguius permutetur cum beneficio tenuiori, addita pensione; vel alio onere in compensationem, & æqualitatem fructuum; quod non possunt Episcopi, quibus facultas separandi jus fructuum à titulo spirituali minimè concessa est absque labe Simoniæ, ut docent Glossa *in Capit. Cum pridem. de Pactis*, Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 17. *num.* 104. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 34. *à num.* 10. Si autem hæc permutatio purè fiat nulla addita pensione, aut onere, sufficit consensus Prælati ex Suarez *l. c. num.* 3. Filliuccio *tract.* 45. *cap.* 7. *quæst.* 8. *num.* 31. & ex Bonacina *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 4. §. 12. *à num.* 7.

10 Adnotandum hic : Simoniacum esse pactum etiam coram Episcopo factum inter permutantes beneficia, ut unus ex illis solvat integras expensas ad Bullarum expeditionem requisitas; cum sic non habeatur pura permutatio, sed uni imponitur onus pretio æstimabile : spectat enim de jure ad utrumque beneficiarium suas Bullas expedire. Si autem fiat cum ordine ad consensum Pontificis, si annuerit; absque Simoniæ labe fieri poterit : ut docent Navarrus *lib.* 5. *Consil. tit. de Simon. consil.* 50. Suarez *lib.* 4. *de Simon. capit.* 34. *num.* 19. Azor. 2. *par. lib.* 7. *capit.* 27. *quæst.* 7. & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *punct.* 16. *num.* 5.

11 Dicendum tandem : extra materiam beneficiorum, de qua jam dictum est, omnem aliam permutationem spiritualis cum spirituali non esse simoniacam. Dupliciter autem spiritualia esse possunt, vel pure spiritualia, ut sunt sacramentum, sacrificium, Consecratio, Oratio &c. vel mixta, quatenus habent annexum aliquod temporale antecedenter : sic sunt Sacra Vasa, & Vestes Sacræ &c. sed nulla prohibitio habetur in jure permutandi Spiritualia pura, nec spiritualia mixta, si sint ejusdem ordinis; ergo non erit simoniaca. Licèt enim *in Capit. Quàm pio* 1. *quæst.* 2. *in Cap. Super eo de Transact. & Cap. ult. de Pactis*, generaliter prohibeatur omnis pactio, quæ in spiritualibus consequendis fieri potest, & quam videtur includere permutatio; nihilominus hæc pactio intelligenda est, si temporale datur pro spirituali, non verò spirituale pro spirituali in suo ordine. Sic rectè explicant Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 31. *num.* 20. cum Glossa *in Cap. Quàm pio cit. verb. Pactio, & in Cap. ult. de Pact. verb. Cessare*, ubi etiam Abbas, Cardinalis, & alii Canonistæ. Sic etiam Sotus *lib.* 9. *de Just. quæst.* 5. *in fin.* Toletus *lib.* 5. *cap.* 88. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Just. capit.* 35. *dubit.* 4. *num.* 31.

12 Adnotato cum Bonacina *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 4. §. 12. *num.* 2. permutationem rei spiritualis cum spirituali habente annexam rem temporalem, vel spiritualium habentium annexas res temporales unam pretiosiorem alia; ut si permutaretur imago benedicta cum calice consecrato; vel corona benedicta argentea cum corona lignea, cui annexæ sint indulgentiæ; posse esse simoniacam, si excessus ille materiæ detur in pretium rei spiritualis; sic enim videretur commutari, & compensari temporale pro spirituali; nisi fortè excessus ille gratis detur, & tradatur; adeoque ex parte, in qua contingit excessus, non fit commutatio, sed donatio.

CAPUT XVII.

Quænam Simonia accidere potest in Resignatione beneficiorum?

1 *Quid sit Resignatio?*
2 *Quotuplex sit Resignatio?*
3 *Licita est, & sine labe Simoniæ Resignatio purè, & absolutè facta coram legitimo Superiore eam acceptante.*
4 *Apponitur limitatio S. Pii V.*
5 *An liberè resignans, sed supplicans à Superiore, vel etiam cum tali intentione resignans ut determinatæ personæ conferatur; violet limitationem?*
6 *Resignatio non absolutè facta, sed sub aliqua conditione coram Prælato Pontifice inferiore est Simoniaca, & invalida.*
7 *Resignationes reciprocæ inter duos, vel tres, si fiant coram Prælato Pontifice inferiore, simoniacæ sunt. Secus verò si fiant per duplicem resignationem puram.*
8 *Resignatio facta coram Prælato Pontifice inferiore cum onere pensionis, vel cum alio pacto oneroso simoniaca est.*
9 *Resignatio facta coram Ordinario titulo permutationis cum alio tertio, qui revera beneficium non habet; simoniaca est.*

RESIGNATIO nihil aliud est nisi libera beneficii abdicatio facta coram legitimo superiore; 1 itaut ad validam, & legitimam resignationem consensus superioris eam acceptantis necessarius sit. Nec putatur beneficium vacare etiam quoad ipsum resignantem, si nondum à superiore acceptata fuerit resignatio; cum adhuc verum titulum, & jus beneficii retineat : ut docent Abbas *in Cap. Ad aures, de his, quæ vi, & met. num.* 7. *& in Cap. Quod Dei timorem de Statut. Monach. num.* 4. ubi asserit contra Glossam, tenere omnes ferè Doctores, Felinus *in Cap. Nostra de Rescript. coroll.* 34. Covarruvias *lib.* 1. *Variar. cap.* 5. *num.* 6. & alii, quos sequitur Garzia *de Benefic.* 11. *par. cap.* 3. §. 3. *num.* 223. Colligitur autem, & clarè constat hic necessarius superioris consensus ad validitatem Resignationis *ex Cap. Admonet. Cap. Quod in dubiis Capit. Nisi cum pridem. & Cap. fin. de Renunc.*

Multiplex esse potest Resignatio, alia purè, & absolutè facta, cum scilicet nullum imponitur onus, nec designatur Persona, cui facienda sit Resignatio. Alia non purè facta, sed sub conditione alicujus oneris, vel reservatione Pensionis. Alia denique non absolutè facta, sed in favorem tertii, & cum designatione Personæ. 2

Dicendum 1. resignationem purè, & absolutè factam coram superiore eam acceptante licitam esse, & absque ulla labe Simoniæ : eo quia nil datur, vel recipitur in contemptum rei spiritualis. Quisnam autem sit superior, qui tales resignationes simplices, & absolutas possit acceptare; bene explicat Garzias *de Benefic.* 11. *par. cap.* 3. §. 3. *num.* 247. & 251. & cum variis Doctoribus à se relatis, statuit esse eum, qui facultatem habet instituendi, & destituendi : ut Pontifex, Legatus à latere, Episcopus, Capitulum Sede Vacante, & denique qui Episcopali jurisdictione gaudet. 3

Advertendum hic : quod S. Pius V. *in sua Constitutione*, quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei*, in qua aufert ab Ordinariis facultatem admittendi quascumque resignationes conditionatas; limitat etiam simplices ad illos, qui senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti sint; vel vitiati, aut crimini obnoxii, censuriisque Ecclesiasticis irretiti; aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire; vel qui ob capitales inimicitias non audent in loco beneficii residere securi, & alia addit motiva, quæ fusè explicat Flaminius Parisius *lib.* 5. *quæst. ult.* hanc Bullam explanans. Existente autem aliqua ex assignatis conditionibus idem Pius V. asserit, esse validas, & firmas resignationes simplices ab Ordinario admissas, poteritque beneficium sic vacans providere, cui voluerit; dummodo non conferat suis, aut resignantis consanguineis, affinibus, aut familiaribus; aliàs nulla erit collatio. Sic Castropalaus *disput.* 3. *de Simon. punct.* 17. *num.* 6. & 8. 4

Quæres tamen : an liberè resignans beneficium 5
suo superiori, & supplicans ab illo ut alicui tertiæ personæ conferatur, vel etiam cum tali intention-

intentione resignans; an inquam contra prædictam Constitutionem faciat? Et ratio dubitandi est, quia in Constitutione dicitur: Caveant Episcopi, & alii prædicti: itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni tam Ecclesiastici, quàm Laici, quicumque sint; ne verbo quidem, aut nutu futuri in hujusmodi beneficiis, & Officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designantur; aut de iis assumendis promissio inter eos, aut intentio qualiscumque intercedat; ergo prohiberi videtur quælibet designatio, etiam per preces facta, & intentio manifesta collatori, ut conferatur tertiæ personæ, etiamsi nullum intercedat pactum. Affirmativam sententiam sustinent Rodriquez 2. *tom. Summ. cap.* 60. *num.* 1. Glossa *in Cap. Ex parte* 1. *de Offic. Delegat. verb. Dimittere, versic. dum tamen*, Gomez *in Rubric. de Trienn. Possess. quæst.* 16. *num.* 3. & 4. Rebuffus *in Prax. benefic. de Resignat. pura. in princip. & in Cap. de Resignat. condition. num.* 4. Nihilominus communior Sententia est negativa: ratio est, quia in allata Constitutione Pii V. solùm pròhibetur designatio, & intentio in conventionem tacitam; vel expressam deducta; non verò per preces collatori manifestata absque ulla prorsus obligatione conferendi beneficium personæ per preces expositæ. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 23. *num.* 107. & *Consil.* 11. & 38. *de Simon.* Petrus Gregor. *de Benefic. cap.* 28. *num.* 7. Guttierrez *Canon. Quæst. lib.* 2. *quæst.* 23. *num.* 71. Azor. *lib.* 7. *cap.* 21. *quæst.* 3. Flaminius Parisius *lib.* 14. *de Resignat. quæst.* 6. *à num.* 3. Garzia 11. *par. de benefic. cap.* 3. *n. ibi*, Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *pun.* 18. *num.* 10. Hanc sententiam probabilem etiam reputat Bonacina *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 4. §. 14. *à num.* 6. citans pro ea Covarruviam, Suarez, & Filliucium; ubi inquirit: an resignatio facta cum designatione personæ coram Prælato inferiore Pontifice, sed absque ullo pacto, nullaque injuncta collatori obligatione conferendi personæ jam designatæ; sit simoniaca? Et respondet, probabile esse, non committi propriè loquendo vitium Simoniæ, non solùm contra Jus Divinum, verùm neque contra Jus Canonicum: & ratio ab ipso adducta est, quia non intervenit ullus contractus onerosus, seu commutatio spiritualis pro temporali: cum beneficium pro nulla re detur, sed gratis offeratur non cuilibet, sed huic certæ personæ, cujus intuitu beneficium resignare intendit. Hæc Bonacina citatus.

6 Dicendum 2. resignationem non purè, & absolutè, sed cum conditione factam, designando scilicet Personam, vel aliquod onus imponendo, vel pensionem sibi reservando; simoniacam esse, & invalidam, si coram Prælato Pontifice inferiore fiat: & ratio est, quia omnis pactio in beneficiis Jure Communi prohibetur, ut patet *ex Cap. final. de Pactis* ad evitandam omnem Simoniæ suspicionem, & alia pericula, quæ sequi possent. Nec Prælatus Pontifice inferior potest conferre beneficium Personæ designatæ, nisi priùs vacet, ut habetur *in Cap. unic. de Rer. Permut. in* 6. & *Clementin. unic. eod. tit.* sed beneficium ea conditione resignatum non vacat, ut patet *ex Constit. Sancti Pii V. cit.* ergo simoniaca erit talis resignatio, & invalida. Sic communiter Doctores.

7 Et dictis infertur 1. Resignationes reciprocas sive inter duos, ut resigno tibi meum beneficium, vel tuo nepoti; tu resigna mihi, vel meo nepoti tuum beneficium; vel inter tres, ut Paulus resignat beneficium suum Petro: Petrus suum resignat Joanni, Joannes suum Paulo; simoniacas esse, si coram Prælato Pontifice inferiore fiant: intercedunt siquidem pactiones in similibus resignationibus reciprocis, quæ ob Simoniæ labem vetantur Prælatis inferioribus, maximè cum fiunt in favorem alicujus. Et licèt videantur puræ permutationes aliàs licitæ ex consensu Prælati; sunt tamen resignationes mixtæ, & Prælatis prohibitæ, includunt enim pactiones cum obligatione resignandi, quod non habetur in puris permutationibus, ut bene advertit Navarrus *lib.* 5. *Consil. consil.* 22. *de Simon.* & docent Lessius *lib.* 2. *de Just. capit.* 31. *dubit.* 14. *num.* 81. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 35. *n.* 18. Parisius *de Resignat. lib.* 14. *quæst.* 4. *num.* 3. Si tamen reciprocæ resignationes triangulares, ut vocant, fiant per duplicem permutationem puram ex consensu Prælati ut in casu allato si Paulus purè permutet suum beneficium cum Petro; dein beneficium acceptum à Petro purè permutet cum Joanne; non esse simoniacas, docent Lessius, Suarez, & Parisius, *locis citatis*.

Infertur 2. resignationem factam coram Prælato 8
Papa inferiore cum onere Pensionis solvendæ, vel cum pacto solvendi omnes expensas, quas in beneficio resignando impendit ob lites habitas ante pacificam possessionem, vel cum alio simili pacto onoroso; simoniacam esse: ratio est, quia non purè resignatur beneficium, sed aliquod temporale pro spirituali exigitur. Pensio siquidem imposita sine facultate Pontificia, sicuti onus solvendi expensas, & similia temporalia sunt, & pretio æstimabilia, & dantur ob beneficii resignationem. Sic Parisius *lib.* 14. *quæst.* 7. *à num.* 53. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 35. *num.* 23. Lessius *lib.* 2. *Just. cap.* 35. *dubit.* 15. *num.* 93. & Castropalaus *disp.* 3. *de Simon. pun.* 17. *num.* 14.

Infertur 3. simoniacam etiam esse resignationem 9
coram Ordinario factam titulo permutationis cum alio tertio, qui revera beneficium permutandum non habet: & ratio est evidens, quia vel *resignans* bona fide procedit, putans ex errore alium tertium habere beneficium, quod revera non habet; & tunc resignans graviter decipitur, & error gravis dat causam irritandi contractum, & reddendi nullum. Vel mala fide procedit, quia scit nullum revera habere beneficium; & tunc non est pura permutatio, sed resignatio impura, & in favorem tertii, quam supra statuimus simoniacam esse. Ita Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 34. *dubit.* 26. *num.* 200. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 35. *num.* 20. Azor. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæst.* 16. Garzia 11. *par. de benef. cap.* 4. *num.* 19.

CAPUT XVIII.

Quænam Simonia committatur in Resignatione Confidentiali beneficii?

1 *Quomodo committatur Simonia Confidentialis; & quonam pacto prohibita?*
2 *Materia hujus Simoniæ sunt Resignationes, Collationes, Electiones, & Præsentationes beneficiorum animo superiùs explicato factæ, necnon Pensionum.*
3 *Quænam Personæ subjaceant his Constitutionibus; & quænam actiones per eas prohibeantur?*
4 *Explicantur Accessus, Regressus, & Ingressus ad beneficia.*
5 *An prohibeatur tantùm resignatio beneficii; & Pensionis cum Accessu, Regressu, & Ingressu prædicto? an etiam Permutatio?*
6 *An resignans beneficium ea intentione, ut resignatarius obligetur ad iterum resignandum beneficium in favorem resignantis, vel solvere fructus; violet Constitutiones prædictas.*

SIMONIA confidentialis committitur in resignatione 1
beneficii, vel etiam Collatione, Electione, & Præsentatione, cum beneficium ita resignatur, vel confertur; vel ita eligitur, & præsentatur beneficiarius, ut habeatur animus restituendi, vel reservandi beneficium aut ejus fructus in totum, vel in partem resignanti, conferenti, eligenti, aut præsentanti, vel alteri juxta designationem ipsorum. Contra has Confidentiales Resignationes præcipuè invehuntur duæ Constitutiones cum pœna Excommunicationis Pontifici reservatæ. Prima est Pii IV. quæ incipit: *Romanum Pontificem*. Altera est S. Pii V. quæ incipit; *Intolerabilis multorum perversitas*.

2 Materia, circa quam versantur hæ duæ Constitu- 2
tiones ob Simoniacam pravitatem, quam continet, sunt beneficia, si eorum Resignationes, collationes, Electiones, & Præsentationes ex animo, superiùs explicato factæ fuerint. Ideoque Pensio, vel aliud simile nomine beneficii non comprehensum; non erit materia prohibitionis, & punitionis contentæ in his Constitutionibus, ut adnotarunt nonnulli. Verùm sentio dicendum cum Bonacina *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 7. §. 1. *num.* 10. comprehendi etiam Pensiones: & colligitur expressè ex Constit. cit. Pii IV. illis verbis: *Omnes, & singulos, qui beneficia, Pensiones hoc intercedente vitio receperint*.

Personæ tamen, quæ his Constitutionibus compre- 3
henduntur, sunt Resignantes beneficia, Collatores, Electores, Præsentantes, & acceptantes talia beneficia, vel Pensiones sic. Actiones verò, quæ prohibentur, sunt resi-

resignationes, collationes, electiones, & præsentationes, necnon acceptationes beneficii, vel Pensionis cum reservatione facta in confidentia juris alicujus, Accessus scilicet, Regressus, & Ingressus ad illa; aut fructus, vel partis illorum sibi, vel aliis. Sic enim non absolutè, & omnino beneficium, vel pensio traderetur, sed cum aliquo onere, & jure, ita ut tradens aliquando posset repetere, & accipiens teneretur reddere, quod importat manifestam Simoniam.

4 Accessus ad beneficium, vel Pensionem dicitur, si alicui impedito ob ætatem, vel ob aliam causam conferatur jus, ut quàm primùm sit capax accedat ad beneficium, illudque obtineat; interim tamen alteri confertur. Regressus dicitur, si beneficium possessum cedatur alteri, servato tamen Jure regrediendi ad illud, si religionem alter ingrediatur, vel ad alias Dignitates ascenderit, aut præmoriatur. Ingressus tandem dicitur, si beneficium Petro collatum ante ejus possessionem Paulo resignet, reservato tamen sibi jure, possessionem beneficii illius ingrediendi, si fiat religiosus, aut alias dignitates acquisierit, vel præmoriatur. Sic explicant Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 43. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 16. *num.*98.

5 Sed quæres 1. an resignatio tantùm beneficii, vel pensionis; an etiam permutatio prohibeatur cum accessu, regressu, & ingressu superiùs explicatis? Permutantes enim possent inter se pacisci similibus modis? Resp. esse satis probabile non committi Simoniam confidentialem his Constitutionibus prohibitam, sed aliam ab aliis Canonibus vetitam: & ratio est, quia Constitutiones citatæ loquuntur de beneficiis acceptis per resignationem, aut cessionem; cum ergo permutatio non sit propriè resignatio, & cessio; inde est, quòd non comprehendatur in his Constitutionibus. Sic Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 43. *num.* 11. & Castropalaus *disputat.* 3. *de Simon. punct.* 18. *numer.*2. Secus tamen dicendum de Collatore, Electore, & Præsentante ex causa Permutationis, si sub confidentiis superiùs dictis conferant, eligant, & Præsentent beneficium vacans ob permutationem; verba enim Constitutionis S. Pii V. sunt valde ampla quoad hos; ajunt enim: Si Ordinarius, aut Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans &c. sed vacat ob permutationem, si enim non vacaret, posset permutans redire ad beneficium jam permutatum sine nova collatione, quod non est dicendum, etiamsi permutatio non habeat effectum, aut non sequatur, nec teneat: ut docet recepta ab omnibus sententia relata à Garzia 11. *part. de benefic. cap.* 4. *à num.*1. nisi renunciatio fieret in manibus Pontificis.

6 Quæres 2. an resignans beneficium ea intentione, ut resignatarius maneat obligatus vel iterum beneficium resignare in favorem resignantis, vel fructus solvere; comprehendatur his Constitutionibus? Resp. nonnullos putare cum Lessio *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *num.* 95. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 43. *num.* 12. Azor. 2. *part. lib.* 7. *cap.* 17. *quæst.* 6. Navarrus *cap* 24. *Summ. num.* 100. §. 6. quòd etiamsi intentio hæc sit manifesta in resignante, dummodo tamen non deducatur in pactum sive tacitum, sive expressum; non contineat Simoniam his Constitutionibus prohibitam: & ratio est, quia sine tali pacto non committitur Simonia Conventionalis, & consequenter non punibilis per supradictas Constitutiones. Probabilius tamen videtur, quòd si talis intentio resignantis manifesta sit resignatario, etiamsi in pactum non deducatur nec tacitum, nec expressum; subjaceat his Constitutionibus. Secus verò si non sit manifesta resignatario; quia tunc esset Simonia purè mentalis, quæ non subjacet pœnis Ecclesiasticis: ut constat *ex Cap. final. de Simon.* Sic Garzia 11. *part. de benefic. capit.* 3. *num.* 184. Parisius *de Consid. quæst.* 26. *nu.* 39. Bonacina *disp.*1. *de Simon. quæst.* 7. §. 1. *num.*4. Castropalaus *disput.* 3. *de Simon. punct.* 18. *num.*4. ratio colligitur ex ipsis verbis Constitutionis S. Pii V. quæ sic exponuntur: Etiamsi sola dimittentis intentione receperit; ergo si sola adsit intentio resignantis, quæ tamen innotescat resignatario, quamvis non sit deducta in pactum, & quamvis non adsit ex parte resignatarii; si tamen ipse beneficium sic resignatum acceptet, urgetur à Constitutione S. Pii V. Et ratio ulterior esse potest, quia resignatarius advertens ad illam resignantis intentionem, & nihilominus beneficium recipit; censetur tacitè consentire, & Conventionalem Simoniam committere.

CAPUT XIX.

Quænam Pactio est licita in componenda lite; & quomodo redimi possit vexatio in beneficiis?

1 *Omnis Pactio, & conventio facta in beneficiis litigiosis propria authoritate est Simoniaca. Idem dicendum, si cessio fiat propter Pensionem, aut aliud beneficium.*

2 *Pactio onerosa ad litem componendam authoritate Prælati facta non est Simoniaca. Solvitur dubium: quisnam Prælatus authorizare possit.*

3 *Si collitigantes priùs convenerint inter se de Pensione, non poterit Episcopus eam authorizare.*

4 *An possit imponi Pensio ad vitam Pensionarii; an tantùm ad vitam solventis Pensionem?*

5 *Beneficiarius habens jus acquisitum in beneficio poterit sine labe Simoniæ vexationem sibi redimere factam contra tale Jus. Secus verò si firmum non fuerit.*

6 *Habens jus ad beneficium per institutionem certam, aut liberam electionem poterit sine Simonia redimere vexationem ab injustè impediente possessionem.*

7 *Secus verò dicendum de jure nondum acquisito, si vexatio sit ab iis, ad quos spectat collatio beneficii; non verò si sit ab aliis, ad quos non spectat.*

DICENDUM 1. omnem pactionem, & conven- 1
tionem onerosam factam in beneficiis litigiosis propria authoritate esse simoniacam: sic qui cedit beneficium litigiosum suo collitiganti propria authoritate propter pecuniam ab eo acceptam, Simoniam committit: constat expresè *ex Cap. Præterea* 1. *&* 2. *de Transact. Cap. Cum pridem de Pact. Cap.* 2. *de Arbitr. & Cap. ult. de rer. Perm.* & ratio est, quia datur aliquod spirituale, nempe jus aliquod in beneficium propter temporale, nempe pecuniam. Idem dicendum erit, si fiat cessio propter pensionem, aut aliud beneficium propria authoritate à collitigante donatum: ratio est, quia omnis pactio, & conventio, quibus jus incertum, & dubium redditur certum, & firmum; prohibitæ sunt ex supracitatis Capitibus; ergo cum per pactionem pensionis, aut alterius beneficii jus incertum, & dubium reddatur certum, & firmum, dicendum est, quòd sit Simoniaca. Sic Panormitanus, Innocentius, & alii *in Cap. Constitutus, de Religios. Domib. & in Cap. Super eo de Transact.* Præpositus *in Cap. Quam pio* 1. *quæst.*2. *num.*2. Decius *Consil.* 436. *nu.* 18. & alii, quos refert, & sequitur Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.*51. *num.*11.

Dicendum 2. pactionem onerosam ad litem compo- 2
nendam in beneficiis authoritate Prælati factam non esse Simoniacam: constat *ex Cap.* 2. *de Transact. & ex communi usu Ecclesiæ.* Insurgit tamen hìc dubium: cujus authoritate Prælati fieri possit? Resp. cum Castropalao *disp.*3. *de Simon. punct.*19. *num.*2. hoc multum pendere ex modo conventionis factæ in componendâ lite: nam si ceditur collitiganti beneficium, quod pacificè possidetur, ut ipse cedat jus omne, quod habet ad beneficium litigiosum; de necesse requiritur authoritas Pontificis: & ratio est, quia videtur permutatio quædam beneficiorum, quæ tunc approbari potest ab Episcopo ex communi sententia, quando pacificè possidentur; si tamen in litem sunt revocata, necessaria est Pontificis approbatio. Eodem modo discurrendum erit, si pro compositione litis promittatur collitiganti Vicaria, beneficium curatum, aut receptio in Coadjutorem Canonicatus, quem possides; tunc enim necessarius esset Papæ consensus. Si verò Compositio inter partes fieret hoc modo, ut authoritate Episcopi uni collitiganti applicetur beneficium litigiosum cum onere tamen solvendi alteri collitiganti pensionem; tunc nec Simoniaca esset, nec requireretur Pontificis consensus. Constat hæc Doctrina *ex Capit. Nisi de Præbend.* ut docent Hostiensis, Panormitanus, & alii *ibi.* Suarez *libr.* 4. *de Simon. capitul.* 51. *numer.* 17. & Gonzalez multis allegatis *Gloss.* 5. §. 5. *à numer.*27. Et quamvis sit magis probabile, Episcopum non posse pensionem imponere in beneficio; ex causa tamen concordiæ, & litis componendæ omnes ferè Doctores affirmant, habere hanc facultatem: ut notavit

Gra-

Granutius *ad Simoniam de Reservation. quæst. 63. numer.6. & 7.*

Adnotandum hìc : non posse Episcopum pensionem hanc imponere, si collitigantes priùs convenerint inter se, & in hanc pactionem absolutè factam, & firmatam devenerint, & postea ab ipso consensum exposcant; esset enim simoniaca, ut colligitur *ex Capit. Constitutum, & Capit. Præterea* 1. *&* 2. *de Transact.* & docent Hostiensis, & Panormitanus *in Capit. Pridem. de Pact.* Si tamen de pensione imponenda tractent inter se partes, nec absolutè conveniant inter se, sed semper dependenter ab Episcopo, cujus absolutam confirmationem exposcant ; tunc nec Simoniaca erit, nec contraria Capitibus citatis ; & ratio est, quia partes collitigantes possunt petere ab Episcopo, quod ipse facere potest ; sed potest ipse in tali casu pensionem imponere ob adducta motiva ; ergo partes possunt illam petere : sed nisi priùs inter se de hoc tractent, quamvis non absolutè firment, non possunt illam petere; ergo poterunt prædicto modo petere. Sic Bonacina *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 4. *§.* 15. *à num.* 10.

4 Major difficultas est an possit imponi Pensio ad vitam Pensionarii, an tantùm ad vitam Pensionem solventis ? Et quamvis non desint Doctores magni nominis, quos refert, & seqnitur Castropalaus *de Simon. disp. 3. pun.* 19. *num.* 5. putantes, hanc pensionem imponi posse ab Episcopo ad Vitam Pensionarii, itaut mortuo beneficiario transeat hæc obligatio solvendi pensionem ad Successores in beneficio, donec Pensionarius vivat. Opposita tamen sententia, quòd tantùm imponi possit ad vitam beneficiarii pensionem solventis, itaut ipso demortuo cesset talis obligatio; videtur mihi probabilior : ratio est, quia cum lis non agatur de Jure aliquo ad beneficium spectante, sed de Jure ipsius beneficiarii; æquum videtur, ut onus & pensio ipsi beneficiario imponatur, non verò beneficio ; ergo mortuo beneficiario non debet in ipso beneficio perdurare obligatio solvendi pensionem usque ad vitam Pensionarii, Nec jura litigantinm debent vergere contra jus beneficii, itaut videatur facta circa proventus beneficii sectio aliqua prioratus, quod cavetur *in Cap. Nisi de Præbend.* Et sic decisum fuisse in Rota Romana tradit Bonacina hanc sententiam docens *disp.* 1. *de Simon. quæst.* 4. *§.* 15. *à num.* 9. Sic etiam Garzia *de Benefic.* 1. *par. cap.* 4. *n.* 334. Azor. 2. *part. lib.* 8. *cap.* 6. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 259.

5 Dicendum 3. Beneficiarium habentem jus acquisitum jam in beneficio, posse absque labe Simoniæ redimere vexationem sibi factam in tollendo jure jam acquisito : *constat ex Cap. Dilectus* 1. *de Simon. & ex Cap. Quæsitum.* 1. *quæst.* 3. ratio est, quia sic traditur pecunia, vel aliud temporale non pro redemptione alicujus spiritualis, sed pro cessatione ab injuria, cum aliunde supponatur firmiter acquisitum jus ad beneficium. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Cajetanus, & Soto *ibi*; Navarrus *c.* 23. *Summ. num.* 102. *vers.* 8. Glossa, Panormitanus, Innocentius, & alii *in Cap. Quasitum cit.* Suarez alios referens *de Simon. lib.* 4. *cap.* 50. Secus verò dicendum, si jus non sit firmum in beneficio ; tunc enim non licebit sine simonia pecunia litem redimere, quam aliquis posset justè movere circa electionem, præsentationem, aut institutionem, vel aliud jus beneficii : quia jam per pecuniam, aut aliud temporale compararetur jus firmum in beneficio, & pararetur via ad illud. Colligitur *ex Cap. Matthæus, de Simon.* & docent Divus Thomas *loc. cit.* Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 18. Barbosa alios referens 3. *part. de Potestat. Episc. alleg.* 60. *num.* 54. & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *p.* 20. *num.* 1. *&* 2.

6 Dicendum 4. habentem jus ad beneficium per certam institutionem, vel liberam electionem posse absque simonia redimere vexationem pecunia ab injustè impediente possessionem, Colligitur *ex Cap. Dilectus de Simon.* & ratio est, quia traditur pecunia non pro spirituali titulo, qui jam acquisitus est per institutionem, aut liberam electionem ; sed pro possessione, quæ temporalis est, & titulo debita ; adeoque non erit simonia illud impedimentum redimere, quia sic non redimitur jus spirituale, sed factum temporale. Et sicuti sine simonia post captam possessionem licitum est redimere pecunia injustam vexationem volentis à possessione deturbare ; sic sine simonia licitum erit redimere pecunia vexationem iniustam volentis impedire possessionem beneficii, ad quod habetur ius certum. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 5. & Aragonius *ibi*, Rodriquez 2. *tom. Summ. cap.* 59. *n.* 5. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 35. *dub.* 18. *num.* 110. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *num.* 31. Reginaldus *lib.* 23. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 130. Bonacina *de Simon. disp.* 1. *quæst.* 4. *§.* 15. *num.* 8. & Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *pun.* 20. *num.* 3.

Si tamen de iure nondum acquisito sermo sit; dicen- 7
dum, simoniacam esse traditionem pecuniæ ad redimendam iniustam vexationem ab iis, ad quos collatio beneficii spectat : ratio est, quia sic pararetur via ad beneficium pecunia, quod utique illicitum est: traderetur siquidem eligenti, vel præsentanti, aut instituenti beneficium, ad hoc ut moveatur ad non negandam institutionem, quod est formaliter, & directè dare pecuniam, ut institutionem beneficii concedat. Sic Soto *lib.* 9. *quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 5. Ugolinus *tab.* 1. *cap.* 9. *§.* 8. *num.* 3. Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 50. *num.* 23. affirmans esse communem sententiam Theologorum, Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 31. *dubit.* 18. *num.* 108. & colligitur *ex Cap. Sic tuis de Simon.* ubi simoniacus censetur, qui pecuniam dedit Episcopo, ut electionem factam approbaret. Si verò redimatur vexatio injusta ab iis, qui beneficium conferre non debent, nec ad ipsos spectat electio, præsentatio, aut institutio ; non censenda erit Simoniaca : ratio est, quia nullo jure videtur prohibita : cum Textus omnes loquantur de vexatione facta circa electionem, confirmationem &c. & redempta ab iis, ad quos electio, confirmatio &c. beneficii spectat. Insuper hac redemptione solùm removentur impedimenta iniustè apposita ab iis, ad quos collatio beneficii non spectat ; ergo non datur suspicio Simoniæ, & quòd pecunia paretur via ad beneficium, quæ absurda vitanda sunt : maximè cum quilibet habeat ius acquisitum, ne sibi fiat iniuria, aut iniustè removeatur à beneficio acquirendo; adeoque sine simonia talis vexatio redimi poterit, ut adnotat Castropalaus *de Simonia disputation.* 3. *punct.* 20. *numer.* 4. & docent Doctores supracitati,

CAPUT XX.

Quæ Pœnæ latæ, vel ferendæ sunt contra Simoniacos?

1 *Specialiter non fit mentio in jure de Pœnis imponendis Simoniacis, generaliter fit mentio de Simoniaco in beneficio, quod deponendus ab illo, & repellendus ab Ecclesia.*
2 *An pœna Depositionis imponi possit pro qualibet Simonia?*
3 *Pœna infamiæ imponi potest pro quacumque gravi Simonia.*
4 *Quibus Simoniis ipso jure sint impositæ Pœnæ?*
5 *Quænam impositæ sint Simoniacè ingredientibus Religionem, & acceptantibus sic ingressos.*
6 *Adnotantur tria spectantia ad Simoniam ob ingressum in Religionem.*
7 *Quænam Pœnæ impositæ pro Ordine Simoniacè dato, vel suscepto?*
8 *Quænam Pœnæ impositæ dantibus, vel recipientibus simoniacè beneficia?*
9 *An Simonia in beneficio commissa, privet etiam beneficiarium aliis beneficiis ritè acceptis?*
10 *An Simonia in beneficio reddat inhabilem ad alia beneficia obtinenda?*
11 *Quænam Pœnæ impositæ Simoniæ confidentiali?*
12 *Advertuntur duo circa has pœnas.*
13 *An contra Mediatores, & Interventores in Simonia statuta sit pœna?*
14 *An Simonia debeat esse completa, ut Simoniacus incurrat pœnas ipso jure statutas?*

EXPLICATA jam essentia Simoniæ, & Materia, circa quam versatur ; remanent explicandæ pœnæ, vel ipso Jure latæ circa Simoniacos, vel ferendæ. Priùs age-

agemus de pœnis, quæ ferri, & imponi possunt Simoniacis, postea de pœnis jam latis, & impositis ipso Jure. Non potest facilè præscribi regula aliqua circa pœnas à Judice ferendas contra Simoniacos, cum infligenda sint juxta qualitatem Criminis; ut bene notarunt Salzedo *in sua Practic. Criminal. capit.* 91. & Menochius *de Arbitr. Casu* 401. & specialiter de his nulla mentio fit in Jure; generaliter tamen aliquæ pœnæ ex ipso Jure veniunt imponendæ. Simoniacus namque in beneficio deponendus est ab Officio, & beneficio ex dispositione Alexandri III. & Innocentii III. ut constat *ex Cap. De hoc de Simonia*, *& Cap. Cum super de Confess.* quando tamen Simoniæ crimen in judicio probatum fuerit. Et absolutè quilibet Simoniacus, si probetur talis, deponendus est, videlicet ab Ecclesia repellendus, ut habetur *in Cap. Sicut de Simonia*, & magis expressè *in Capit. Erga Simoniacos* 1. *quæst.* 10.

2 An tamen Pœna hæc Depositionis pro qualibet Simonia imponi possit, lis est inter Doctores, non solùm quando via Accusationis proceditur, verùm etiam via Inquisitionis. Videantur Hostiensis *in Summ. Tit. de Simon. §. Qua pœna*, Abbas *in Cap. Inquisitionis de Accusation.* Redoanus 4. *par. capit.* 9. *à numer.* 25. Conveniunt nihilominus in hoc Doctores, quòd pendente infamia propter Accusationem, vel Inquisitionem à Ministerio sacri Altaris deponendus sit, ut constat *ex capit. Accusatum*, *& capit. Quoties de Simon.* Si tamen delictum secretum sit, & occultum, non erit deponendus, etiamsi Judici constet delictum; sed secreta pœnitentia injungenda erit: ut habetur *in cap. Ex tua de Simon.* & docet Hostiensis *l. c.*

3 Pœna infamiæ imponi potest pro quacumque gravi Simonia: constat ex Gloss. *in Cap. Diligenti de Simon. verb. Infamia*, & Colligitur *ex cap. Sanè* 15. *quæst.* 3. Quamvis probabile sit, non posse infamiam imponi, nisi via Accusationis procedatur juxta *Caput Sanè*, *cit.* Aliæ pœnæ Excommunicationis scilicet, Suspensionis, & Interdicti non ita imponuntur, quamvis ferri possint à Judice, ut colligitur *ex Capitibus relatis*.

4 Pœnæ ipso Jure latæ contra Simoniacos versantur circa hæc tria, quando videlicet committitur Simonia in Ingressu Religionis, in Ordine, & in Beneficio. Aliis verò Simoniis nullam pœnam ipso Jure impositam esse, putant Sylvester *verb. Simonia quæstion.* 19. Ugolinus *tab.* 1. *capit.* 12. Lessius *lib.* 2. *de Justit. capit.* 35. *dubit.* 23. Suarez *libr.* 4. *de Simonia capit.* 55. *num.* 5. cum non constet nec ex Decreto, neque ex Decretalibus, ut bene ponderat Suarez.

5 Sed quæres 1. quænam pœnæ impositæ sint simoniacè ingredientibus Religionem, & sic ingressos acceptantibus? Resp. has pœnas colligi *ex Extravag.* 1. *de Simon.* ubi 1. fertur excommunicatio adversus Personas aliquid exigentes ab ingressuro pro receptione illius in Religionem; quamvis si ipse spontè det, aut det Monasterio in sui sustentationem, ut ex recepto usu in Monasteriis Monialium patet; non incurratur hæc excommunicatio. 2. fertur Suspensio generaliter contra Capitulum, seu Conventum, si in hanc Simoniam consenserint; ideoque remanebit suspensum ab Officio Capitulari quoad administrationem, & Jurisdictionem Ecclesiasticam, non tamen quoad alia munera. 3. Simoniaci admissi tenentur ex illo Monasterio exire, & in alio arctiori loco remanere, ut habetur *ex capit. Quoniam de Simon.* quamvis hoc intelligi debeat, si convicti, & condemnati fuerint, non tamen ante condemnationem: ut docent Ugolinus *tab.* 1. *cap.* 16. §. 4. Lessius *lib.* 2. *de Justit. capit.* 35. *dubit.* 23. Suarez *libr.* 4. *de Simon. cap.* 57. *num.* 8. Si verò in eodem Monasterio remanere velint; indigent dispensatione Episcopi, ut cautum *est in supradicta Extravag.* 1. *de Simonia*.

6 Adnotandum hìc 1. cum Suarez *libr.* 4. *de Simon. capit.* 56. *num.* 7. non puniri per hanc Extravagantem religiosum exigentem aliquid à Monasterio pro suo ingressu: nam licèt Simoniam committat, non tamen illam, de qua loquitur Extravagans. Notandum 2. probabile esse, puniri Simoniam in Ingressu Religionis consummato, quando videlicet emittitur Professio: quapropter si pecunia exacta ob ingressum in Novitiatum, quamvis Simoniacè tradatur; ante professionem retractetur, aut restituendo illam, vel illam non acceptando; nec ingrediens incurreret pœnas supradictas, nec Capitulum remaneret suspensum. Notandum 3. cum Lessio *lib.* 2. *de justit. capit.* 35. *num.* 131. ex Navarro, & Sylvestro, Extravagantem hanc non esse receptam saltem quoad pœnam excommunicationis.

Quæres 2. quænam pœnæ impositæ sint pro Ordine simoniacè dato, & suscepto? Resp. Ordinantibus simoniacè, & Mediatoribus, seu Præsentatoribus ad Ordinem simoniacè conferendum imponitur Excommunicatio ipso facto incurrenda, & Pontifici reservata. Constat *ex extravagant.* 2. *Cum detestabile. de Simon.* Non extenditur tamen secundum probabilem sententiam ad collationem primæ Tonsuræ: quia non est verus Ordo, & pœnæ sunt potiùs restringendæ, quàm ampliandæ: ut habet Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 23. Neque extenditur ad Ministrum, qui pro litteris Dimissorialibus, vel Testimonialibus pretium exposceret. Nec ad Episcopum, si post collationem Ordinis gratis exhibitam aliquid postea reciperet: licèt enim hi omnes graviter peccarent, & simoniaci essent juxta Tridentinum *sess.* 21. *c.* 1. *de Reform.* non tamen ipso facto hanc excommunicationem incurrerent: quia solùm contra dantes, aut recipientes Ordines simoniacè, aut illorum Mediatores excommunicationis pœna ipso Jure lata est. Sic Navarrus *cap.* 35. *Summ. num.* 111. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 56. *n.* 5. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 35. *dub.* 24. *n.* 133. Secunda pœna simoniacè Ordinantibus imposita est Suspensio ipso facto à Collatione quorumcumque Ordinum, & consequenter à prima Tonsura, insuper ab exercitio omnium munerum Pontificalium. Sic Sixtus V. *in sua Bulla*, incipit, *Sanctum & salutare contra malè promotos.* Quam Bullam licèt Clemens VIII. ann. 1595. revocaverit, & ad Jus Commune reduxerit; non tamen quoad pœnas Simoniacorum, quas potiùs sua confirmatione roboravit. Tertia pœna simoniacè Ordinantibus ipso Jure imposita est Interdictum ad Ingressu Ecclesiæ, ut habetur in Motu supracit. Sixti V. Quòd si Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & Suspensionem à Pontificali Officio violaverint, quartam incurrunt pœnam, quæ est Suspensio à Regimine suæ Ecclesiæ, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum.

Pœnæ verò impositæ ipso Jure simoniacè Ordinatis sunt 1. Excommunicatio, *ut in supracit. Extravag. habetur*. 2. Suspensio ab executione suorum Ordinum, ut constat *ex ead. Extravag.* Et quamvis communis Sententia doceat, extendi hanc Suspensionem ad omnes Ordines, quos habet, etiam non simoniacè susceptos, hoc enim indicare videtur ly *suorum Ordinum*, ut videre est apud Gregorium Lopez *Leg.* 11. *tit.* 17. *par.* 1. Rodriquez 2. *tom. Summ. cap.* 56. *num.* 6. Lessium *lib.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 24. *n.* 135. Suarez *tom.* 5. *de Censur. disp.* 31. *sect.* 4. *nu.* 33. Nihilominus probabilitate non caret extendi tantùm ad simoniacè susceptos, non verò ad reliquos ritè susceptos, ut Doctores superiùs citati testantur, cum locutio illa pluralis ad locutionem pluralem antecedentem referatur, in qua dicitur de omnibus, qui ordinati sunt simoniacè, ut sint à suorum ordinum executione suspensi, hoc est quilibet à suo ordine simoniacè suscepto. Nec extendi debet cum Felino *in Cap. Per tuas de Simon. num.* 3. & Sylvestro *verb. Suspensio n.* 7. etiamsi Simonia commissa fuerit ignorante ordinato: nam probabilior est sententia opposita, quam sustinent Navarrus *cap.* 25. *Summ. numer.* 68. refereus Bellarminum, & Cardinalem, Lessius *lib.* 2. *capit.* 35. *dubit.* 24. *numer.* 136. Sà *verb. Simonia num.* 13. quia nec Jure videtur expressum, nec æquum erat exprimi, cum absque ejus culpa contingat; ideoque usu Ordinis privari non debebat, maximè cum illum non solùm validè, sed etiam licitè receperit. Reservantur tandem in Bulla supradicta Sixti V. absolutio harum Censurarum, & Inhabilitatum Pontifici; & pariter revocantur facultates Religiosis concessæ, & etiam concessæ Episcopis à Tridentino *Session.* 24. *capit.* 6. *de Reformat.* Verùm quoad hæc Bulla non est recepta, ut colligitur ex Sà *verb. Simonia numer.* 12. qui docet: Simoniaci occulti Suspensio tollitur per pœnitentiam, & manifesti per Episcopum post pœnitentiam.

8 Quæres 3: quænam pœnæ impositæ sint dantibus, & recipientibus simoniacè beneficium? Resp. primam pœnam im-

impositam conferenti, vel procuranti alteri beneficium, vel Ecclesiasticum Officium media Electione, præsentatione, confirmatione, commendatione &c. interveniente Simonia, esse excommunicationem ipso facto. Constat *Extravag. Cum detestabile de Sim.* & ex motu citato Sixti V. eodem modo excommunicantur mediatores, ut Parentes, Amici, ac reliqui omnes, qui cooperantur ad beneficium simoniacè obtinendum alicui. Ipse quoque recipiens beneficium, aut Officium Ecclesiasticum simoniacè ipso facto excommunicatur; ut colligitur ex supracitatis Textibus, & ex Communi sententia Doctorum. Secunda pœna est annullatio, & irritatio provisionis, ac collationis, itaut nullum jus acquiratur, nec recipiens beneficium facit fructus suos, imò tenetur ad restitutionem; ut habetur in supradicta extravag. Quod etiam extenditur, si simonia ab alio commissa fuerit; si tu scivisti, & non contradixisti: constat *ex cap. Nobis fuit de Simon.* sic Glossa *ibi*, Covarruvias *Reg. Peccatum par.* 2. §. 8. *n.* 7. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dub.* 25. *num.* 137. & Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 57. *num.* 18. Si tamen scivisti, & contradixisti, valida erit collatio beneficii tibi facta: ut colligitur *ex Cap. Sicut tuis, de Simon.* Hæc autem contradictio nil proderit, si pecuniam datam fuisse sciveris, & nihilominus beneficium acceptes; quia absolutè recipis beneficium simoniacè datum, nec revera contradicis. Et quamvis non incidas in excommunicationem, cum non sis causa simoniaci contractus; inhabilis tamen redderis ad beneficium, ut patet *ex Cap. penult. de Election.* & docent Lessius alios referens *l. c. num.* 143. & Suarez *l.* 4. *de Simon. cap.* 59. *num.* 19. Si verò te ignorante, & non contradicente, quia nullam suspicionem habuisti de Simonia, à tertio commissa fuerit; tunc procedendum cum distinctione, si te ignorante pecunia tradita fuerit ab amico in tui favorem; teneris, simul ac sciveris, & beneficium dimittere, & fructus illius; ut constat ex supradictis Capitibus, & ex Doctoribus citatis. Secus verò si in odium tui tradita fuerit, non teneris beneficium resignare, quia validè tibi collatum, ut habetur *in Cap. Nobis fuit, & Cap. Sicut tuis litteris de Simon.*

9 Petes hìc 1. an Simonia in beneficio commissa privet etiam beneficiarium aliis beneficiis ritè acceptis; Resp. ipso jure *non* privare aliis beneficiis ritè obtentis: & ratio est, quia lex lata est pro beneficiis acquirendis, quorum actus annullat; pro beneficiis verò jam acquisitis est lex pœnalis, quæ non obligat, nisi post condemnationem, ut docet Castro *de Leg. Pœnal. lib.* 2. *cap.* 19. Covarruvias *in Cap. Cum omnes de Testamen. num.* 9. *& in* 4. *Decretal.* 1. *par. cap.* 6. §. 8. *num.* 10. Navarrus *cap.* 13. *num.* 50. Nec assignari potest, ubi habeatur expressa talis pœna, ut ipso jure privet beneficiis ritè accceptis. Sic Navarrus *Consil.* 92. *de Simon.* Ugolinus *tab.* 4. *cap.* 6. §. 6. *n.* 3. & Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 58. *num.* 6.

10 Petes 2. an Simonia in beneficio constituat inhabilem ad alia beneficia obtinenda? Resp. videri probabilius, quòd ipso jure reddat inhabilem non solùm ad beneficium, pro quo simonia committitur; verùm etiam ad alia beneficia acquirenda. Sic enim continet *Constit. Sixti V.* ut illis beneficiis per simoniam acquisitis fit ipso jure privatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Et ita docet Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 58. *num.* 11. Quamvis Navarrus *Consil.* 92. *de Simon.* putet, hanc inhabilitatem ad beneficia obtinenda non incurri ipso facto, cum non sit quoad hanc partem recepta Constitutio; & requirat Sententiam declaratoriam criminis ad talem inhabilitatem contrahendam pro beneficiis obtinendis; quod etiam extendit respectu Simoniæ Confidentialis, nec videtur dissentire ipse Suarez, & Lessius *lib.* 2. *de Just. capit.* 35. *dubit.* 26.

11 Quæres 4. quænam Pœnæ impositæ sint Simoniæ Confidentiali? Resp. 1. pœnam esse excommunicationem Pontifici reservatam tam dantibus, quàm accipientibus beneficium. 2. esse interdictum impositum Episcopis, & Collatoribus. 3. annullationem resignationis, & collationis beneficii. 4. Inhabilitatem ad idem, & ad alia beneficia obtinenda. 5. reservationem beneficii illius, in quo Simonia commissa est, Sedi Apostolicæ, ita ut Ordinarius non possit imposterum providere de beneficio illo. 6. applicationem fructum malè perceptorum Sedi Apostolicæ. 7. Privationem in committente talem Simoniam omnium beneficiorum, & pensionum antea obtentorum, & inhabilitatem ad alia imposterum obtinenda. 12

Advertendum tamen 1. has pœnas ipso Jure incurri, ut patet ex Bulla Pii IV. *Romanum*; & ex Bulla. S. Pii V. *Intolerabilis*. Excipitur nihilominus privatio beneficiorum antea obtentorum, quæ requirit saltem sententiam Declaratoriam criminis, ut sustinet Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 43. *num.* 13. Et Inhabilitas ad reliqua omnia beneficia, quæ etiam requirit juxta receptum usum sententiam declaratoriam criminis, ut putat Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 16. *n.* 147. Advertendum 2. non requiri de necesse ad has pœnas incurrendas, ut Simonia compleatur ex utraque parte, quòd videlicet beneficium datum in confidentiam iterum renuncietur; sed sat est, si beneficium detur ea conditione, ut dimittenti, aut alteri resignetur, vel fructus illius solvantur; & ea intentione acceptetur, ut colligitur ex Bullis citatis, & docent Lessius, & Suarez *locis citatis*, & Navarrus *cap.* 23. *Summ. num.* 100.

Contra Mediatores, & Interventores nil habetur 13
expressè in Bullis supracitatis; ex Extravag. tamen 2. de Simon. incidunt in excommunicationem, quæ secundum probabiliorem sententiam incurritur; etiamsi non sit ex utraque parte completa Simonia; quamvis adsit probabilis sententia docens, debere esse utraque parte completam: ut notat Castropalaus *de Simon. disp.* 3. *pun.* 25. *num.* 8. *in fin.*

Quæres 5. an Simonia debet esse completa, ad hoc 14
ut Simoniacus pœnas ipso Jure impositas incurrat? Resp. præmittendo 1. pro Simonia mentali, in quacumque materia sit, nullam pœnam esse ipso Jure impositam, ut docet communis Sententia & videri potest penes Lessium *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 23. *num.* 130. & Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 55. *nu.* 10. & constat *ex Cap. Mandato de Simon.* adeoque non habere locum quæstionem propositam. Præmittendo 2. pro Simonia Conventionali ex neutra parte completa *non* esse impositas pœnas ipso jure: sic si pecunia promissa fuit à Titio, si ei daretur beneficium: ante dationem pecuniæ, vel beneficii ex vi promissionis hujus neque Titius est excommunicatus, neque suspensus, aut alia pœna irretitus ipso jure, quamvis gravissimè peccaverit: & ratio est, quia Canones de hac materia pertractantes requirunt realem rei spiritualis receptionem, ut patet ex omnibus quasi Capitibus 1. *quæst.* 1. & ex Extravag. 1. *&* 2. *de Simon.* adeo ut etiamsi pecunia tradita fuisset, Ordinem tamen, vel beneficium ratione illius non recepisset Titius; nullam pœnam incurreret: cum Jura imponentia pœnas Simoniacis requirant traditionem rei spiritualis: testantur Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 55. *num.* 6. & Guttierez *Canon. Quæst. quæst.* 9. *cap.* 9. *à num.* 8.

Difficultas ergo in quæsito proposito est: an requi- 15
ratur ad pœnas incurrendas ipso jure, quòd Simonia completa sit ex utraque parte, videlicet & quòd pecunia data sit, & beneficium jam receptum; an verò sufficiat beneficium, vel Ordinem recipere cum promissione pecuniæ dandæ? Pro qua re ut certum suppono ex communi sententia, sufficere ad pœnas incurrendas solvere aliquam partem pretii promissi, licèt ex integro non solutum sit pro beneficio jam accepto: quia ut docet Suarez *loc. cit. num.* 17. Simonia illa jam completa est ex utraque parte, nam res spiritualis tradita est pro illo pretio soluto, quodcumque sit. Sicuti viceversa si facta esset conventio dandi septem Ordines pro centum aureis, quibus solutis initium daretur Ordinibus, statim in susceptione primi Ordinis completa esset ex utraque parte Simonia, & jam incursæ pœnæ, æquè ac si pro illo solo Ordine totum pretium datum fuisset. Si tamen pro re spirituali jam suscepta non solutum sit pretium promissum; negat sententia multorum incurri pœnas à Jure statutas in hoc fundamento innixa: quòd ita sit stylus Curiæ, neque pœnæ ampliandæ sunt, sed potiùs restringendæ; maximè quia Extravagans *Detestabile* pariter loquatur de datione, ac receptione pretii, & beneficii. Sic Navarrus *in Cap. final. de Simon. à num.* 28. Cassiodorus *Decis.* 5. Zerola *in Prax. Episcop.* 1. *par. verb. Simonia* §. 9. Covarruvias *in Regul. Peccatum* 2. *par.* §. 8. *num.* 7. Salzedo *in Pract. Criminal.* Parisius *de Resignat. lib.* 2. *quæst.* 2. *num.* 16. Bernardus Diaz, Guttierez, Rodriquez, Lessius, Avila,

la, Azor. Gonzalez, & alii relati à Garzia S. *part. de Benefic. cap.* 1. *num.* 19. Quamvis hæc Sententia communis sit, & magnam habeat probabilitatem; nihilominus sententia affirmans ex datione, vel receptione rei spiritualis sub promissione pretii nondum soluti pœnas incurri; magnam habet probabilitatem spectato Jure: & ratio est, quia *in Cap. Ea quæ. 1. quæst. 3.* Gregorius VII. sic ait: Ea, quæ à Sanctis Pontificibus de Simoniacis statuta sunt, nos quoque & judicio Sancti Spiritus, & Apostolica authoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus; Ergo vel data, vel promissa pecunia pœnæ statutæ de Simoniacis incurruntur. Alii Textus adduci solent ad hanc eamdem Sententiam corroborandam, quam sustinent Cajetanus 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. Sotus *lib.* 9. *de Just. quæst.* 3. *art.* 1. Valentia 3. *tom. disp.* 6. *quæst.* 16. *pun.* 6. Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 29. *num.* 3. & alii plures relati à Garzia *l. c. num.* 28. & 32. afferens varias Decisiones Rotæ Romanæ, unde infert ex stylo Curiæ esse receptam. In hanc quoque sententiam inclinat Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 56. *num.* 26. Negare tamen non possum, quòd prima Sententia satis probabilis sit, & pro ea judicatum fuerit in Rota Romana.

CAPUT XXI.

Quænam Simoniacè acquisita restitui debeant, & Cui?

1 *Spiritualia simoniacè acquisita non sunt obnoxia restitutioni?*

2 *Comparans Reliquias Sanctorum, grana benedicta, Jus Patronatus, vel licentiam eligendi confessarium; licèt peccaverit non tenetur ea dimittere; quamvis dimittenda sint beneficia per Simoniam realem comparata.*

3 *Temporalia simoniacè acquisita pro Præsentatione, Collatione, Confirmatione beneficii, aut alterius Juris spiritualis restituenda sunt danti non adimpleta conditione.*

4 *Quæ quidem Restitutio fieri debet ante Judicis sententiam.*

5 *Facienda est Restitutio ex Jure Communi Ecclesiæ beneficii, quamvis ex arbitrio Superioris fieri possit pauperibus.*

6 *Non est improbabile, quòd restitutio ante Sententiam Judicis fieri possit danti.*

7 *Temporale pro qualibet alia Simonia ex Jure Ecclesiastico acceptum non debet restitui ante sententiam Judicis.*

8 *Pretium simoniacè acceptum sine injustitia contra tradentem non est obnoxium restitutioni ex Jure naturali Divino. Secus si cum injustitia.*

1 PER Simoniam acquiri possunt Temporalia, & Spiritualia: ideo Dicendum 1. spiritualia; simoniacè acquisita, præter beneficia, non esse obnoxia restitutioni neque ex Jure Divino, neque Ecclesiastico; Est communis Sententia: & ratio est, quia nil aliud requiritur Jure Divino ad translationem validam rei spiritualis, nisi potestas, & intentio in conferente, & capacitas in recipiente; fieri autem pro pretio, vel sine illo nil obstat validitati actus, ut colligitur ex administratione omnium Sacramentorum pro pretio; & in Consideratione Ecclesiæ, vel Altaris. Imò professione Religiosa propter pretium facta manifestè constat *ex Cap. Veniens de Simon.* neque Jure Divino, neque Jure Ecclesiastico irritam esse. Aliunde non potest afferri Canonicus Textus, in quo hæc pœna restitutionis imponatur ipso facto; ergo neque Jure Divino, neque Ecclesiastico constat, Spiritualia simoniacè acquisita obnoxia esse restitutioni. Sic Covarruvias *Regul. Peccatum par.* 2. §. 2. Navarrus *in Manual. cap.* 23. *num.* 103. Lessius *lib.* 2. *de Just. c.* 35. *dubit.* 29. *num.* 156. Suarez, *lib.* 4. *de Sim. cap.* 59. *n.* 28. Bonacina *de Simon. disp.* 1. *quæst.* 7. *pun.* 3. *diffic.* 2. *num.* 1. & Castropalaus *de Simonia disp.* 6. *pun.* 26. *num.* 1.

2 Hinc fit; quòd si quis pretio comparet reliquias Sanctorum, grana benedicta, jus Patronatus, licentiam eligendi confessarium, licèt peccet contra Religionem malè tractando res Ecclesiasticas; non obligari tamen ad dimittendum ea, cum non peccaverit contra Justitiam tradendo pretium pro eis acquirendis. Excipiuntur beneficia per Simoniam realem acquisita, quia ut supradictum est, Jure Ecclesiastico irrita est eorum collatio cum obligatione ad dimittendum.

3 Dicendum 2. Temporalia simoniacè acquisita pro Præsentatione, Collatione, Confirmatione beneficii, vel alterius Juris spiritualis obnoxia esse restitutioni non adimpleta conditione, Est communis Sententia docens, faciendam esse talem restitutionem danti, cum nullibi reperiatur, faciendam esse alteri à dante. Sic Cajetanus *in Summ. verb. Simonia cap.* 3. Victoria 2. *part. relect.* 6. Navarrus *cap.* 23. *num.* 104. Sotus *lib.* 9. *quæst.* 8. *art.* 1. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 59. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 31. *num.* 170. Notat tamen Covarruvias *ad Reg. Peccat. par.* 2. §. 2. *num.* 7. non posse repeti à dante propter turpitudinem commissam.

4 Dicendum 3. Temporalia, vel quodvis pretium simoniacè acceptum pro Præsentatione, Collatione, confirmatione beneficii ex Jure Ecclesiastico debere necessariò restitui ante Judicis sententiam: ut docent Suarez multis relatis *lib.* 4. *de Simonia cap.* 60. *num.* 3. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 30. *num.* 169. & deducunt *ex Cap. De hoc de Simon.* ubi Glossa, & Doctores.

5 Restitutio hæc fieri debet ex Jure Communi illi Ecclesiæ, in qua est beneficium, impleta conditione ut constat *ex supracit. Cap. De hoc*, & docuit Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. *ad* 3. quamvis de arbitrio Superioris fieri possit pauperibus, ut idem Sanctus Doctor ibi asserit. Et ex consuetudine introducta fieri posse pauperibus afferunt multi relati à Covarruvia *Regul. Peccatum* 3. *par.* §. 3. *num.* 6. & consentire videtur idem Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 37. *art.* 7. asserens: pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum.

6 Non est tamen improbabile, quòd ante sententiam Judicis pretium restitui possit danti, quamvis post sententiam restituendum sit ei, cui Judex voluerit: ratio est, quia dans pretium, aut aliud temporale non abdicavit à se dominium; nec alia ratione intenderit abdicare, nisi transferendo in venditorem; cum igitur hic incapax sit, non transfert, adeoque manet apud ipsum dantem. Nec dici potest: Ecclesiam velle privare dominio pecuniæ datæ ipsum emptorem; quia cum hæc lex pœnalis sit, non poterit privare ante sententiam Judicis.

7 Dicendum 4. Temporale pro qualibet alia Simonia acceptum, quæ sit ex Jure Ecclesiastico; non debere restitui ante Judicis sententiam: cum ex nullo Textu hoc deduci possit; ut adnotarunt Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 60. *num.* 9. & 11. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *dubit.* 30.

8 Dicendum tandem; Temporale, seu pretium, simoniacè acceptum, & non cum injustitia contra ipsum tradentem non esse obnoxium restitutioni ex Jure naturali Divino: eo quia obligatio restituendi ex delicto non consurgit ex quocumque delicto; sed ex peccato injustitiæ, si ergo simoniacè accipiens temporale nullam committit injuriam in tradentem, non tenebitur ad restitutionem; esto peccet peccato gravissimo Simoniæ, quod in se consideratum non est injustitia, sed irreligiositas, & actio sacrilega. Sic Suarez, Layman, Lessius, Filliuccius, Victoria, Cajetanus, Sylvester, quos refert, & sequitur Bonacina *de Simonia disp.* 1. *quæst.* 7. *pun.* 3. *difficul.* 1. *num.* 3. Secus dicendum, si pretium simoniacè acceptum sit cum injustitia contra tradentem; tunc enim Jure Divino naturali obnoxium erit restitutioni: tum quia accipiens aliquid supra id, quod ipsi debetur, & peccat contra justitiam, & ad restitutionem obligatur; tum quia justitia commutativa violata inducit obligationem restituendi; qui ergo pretium accipit pro re spirituali cum injuria tradentis, & simoniacè peccat, & obligabitur ad restitutionem in eo, in quo jus tradentis pretium læsit. Sic supracitati Doctores, & alii communiter.

CA-

CAPUT XXII.

A quonam cum Simoniacis dispensari possit?

1 *Ante Simoniam Juris Ecclesiastici contractam, solus Pontifex dispensare potest.*
2 *Pœnæ ferendæ, si jam impositæ sint à Judice; non possunt dispensari à Judice Pontifice inferiore.*
3 *Pœnæ ipso jure latæ à solo Pontifice dispensari possunt ex Jure Communi.*
4 *Adnotantur aliqua circa pœnam suspensionis.*
5 *Adnotantur aliqua circa pœnam Interdicti ab ingressu Ecclesiæ.*
6 *Quid dicendum de Dispensatione Inhabilitatis contracta à recipientibus simoniacè beneficium?*
7 *An possit Episcopus dispensare in Inhabilitate orta ex Simonia occulta?*
8 *Quænam sit Forma Dispensationis in pœnis ob Simoniam contractis?*

1 CERTUM est, quòd ante Simoniam contractam à nullo alio dispensari possit, præterquam à Romano Pontifice. Post tamen illam contractam distinguendum est in pœnis ipso jure latis, & ferendis. Loquimur autem hic de Simonia Juris Ecclesiastici, nam de Simonia Juris Divini, & Naturalis non est dubium, quòd nulla potestas creata se extendat ad dispensandum in ea: cùm non sit in potestate hominis legem naturalem, vel Divinam tollere; imò acriter controvertitur inter Doctores, an Deus ipse possit in ea dispensare. In Simonia verò Juris Ecclesiastici, & Canonici ideo dispensare potest Pontifex, quia vel Legem Ecclesiasticam aliquod prohibentem auferre potest, vel aliquem ab ea eximere valet: ut docet Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 16. punct. 6.* & alii passim.

2 Et quidem de pœnis ferendis dicendum est: quòd si jam per sententiam Judicis impositæ sunt, ut si quis per Simoniæ crimen jam probatum damnatus esset ad Depositionem, Infamiam, vel Suspensionem durante tempore, pro quo inflictæ sunt; non possint à Judice Papa inferiore auferri. Quamvis Castropalaus *disp. 3. de Simonia punct. ult. num.* 1. probabile reputet, quòd Suspensio Triennalis possit auferri ab Episcopo ante finitum tempus. Idem sentit de qualibet Suspensione ab Officio, & beneficio: movetur, quia ejus est absolvere, cujus est ligare. Aliter tamen dicendum putat de Depositione, & Infamia: eo quia hæ pœnæ ex genere suo videntur esse perpetuæ, adeoque aboleri nequeunt nisi à solo Pontifice.

3 De Pœnis verò ipso Jure latis, quarum prima est excommunicatio lata in dantes Ordinem, Beneficium, aut Religionem, pro qua dicendum est, quòd solus Pontifex de Jure Communi absolvere potest, cùm ipsi reservata sit. Ex privilegio tamen particulari Episcopus, & Religiosi Mendicantes, dummodo excommunicatio non sit publica, & deducta ad forum contentiosum.

4 De suspensione, quæ est secunda pœna à Jure lata in eum, qui simoniacè ordinatus fuit; dicendum, quòd non possit absolvi à suspensione Ordinis illius simoniacè suscepti, nisi à Pontifice, cui reservatur *in Cap. penult. de Simonia*, ex Glossa, & Communi Doctorum. Nec sine absolutione hujus poterit quis ad superiores Ordines ascendere, ut docet Suarez *lib. 4. de Simonia cap. 61. num. 5.* De Suspensione verò reliquorum Ordinum antea legitimè susceptorum, quamvis probabile sit, posse ab Episcopo absolvi, si eam incurrit, probabilius tamen putat Suarez *loc. cit.* non posse absolvi: ut spe Dispensationis careat, ut loquitur Sixtus V. *in sua Constitutione* contra malè promotos. Similiter discurrendum est de Suspensione incursa à simoniacè Ordinantibus, & à Mediatoribus Simoniæ; necnon de Suspensione Capituli, vel Conventus Regularis ob simoniacam Religiosi admissionem: cùm hæ omnes Suspensiones Pontifici reserventur, Pœna tamen expulsionis à Monasterio ante sententiam Judicis cùm non incurratur, non indiget Dispensatione; post verò condemnationem à solo Pontifice dispensari potest, nisi excuset ignorantia juxta *Cap. de Regularibus de Simonia*, vel urgeat necessitas juxta *Cap. Quoniam eod. tit.* Sic Suarez *lib. 4. de Simon. cap. ult. num. 7.*

De Interdicto ab Ingressu Ecclesiæ, quod est tertia 5
pœna à Jure lata contra simoniacè Ordinantes, & contra Prælatos recipientes beneficium in confidentiam; dicendum, absolvi non posse nisi à solo Pontifice sibi eam absolutionem reservante. Notandum tamen, posse Episcopum ab omnibus his censuris absolvere virtute Tridentini *sess. 24. cap. 6. de Reformat.* si tamen publicæ non sint, nec ad forum contentiosum deductæ: ut docet Suarez *lib. 4. de Simonia cap. 61. num. 11.* Nec obstare videtur Constitutio Sancti Pii V. vetans talem facultatem, cùm secundùm hanc partem non sit recepta; ut observarunt Sà *verb. Simon. num. 12.* & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 35. dubit. 24. num. 134.*

De Inhabilitate, quam contrahunt simoniacè benefi- 6
cium recipientes, lis magna agitatur, an possit ab Episcopo dispensari. Dicendum tamen, si beneficium sit simplex, & ignorante beneficiario commissa fuerit, qui beneficium bona fide accepit; post liberam beneficii resignationem iterum ipsi beneficium conferri potest ab Episcopo. Aliter tamen dicendum, si beneficium non sit simplex; tunc enim illa vice alteri conferendum erit, quod si postea vacet, poterit & ipsi beneficiario, qui simoniam ignoravit; conferri: constant hæc omnia *ex cit. Capit. penultim. de Electione*. Si verò sciente beneficiario commissa fuerit Simonia, dicendum cum Communi Doctorum, non posse Episcopum dispensare, sed semper remanere inhabilem beneficiarium ad beneficium illud. Et si simonia fuerit confidentialis, inhabilis erit ad omnia alia beneficia, donec Papa dispensaverit.

Dubium tamen insurgit; an possit Episcopus dispen- 7
sare in hac inhabilitate orta ex simonia occulta, cùm ex privilegio à Tridentino concesso Episcoporum facultas ad casus occultos extendatur. Probabilior sententia denegat: eo quia nec est casus occultus pertinens ad absolutionem Sacramentalem; nec est censura, aut irregularitas, sed pœna vindicativa, quæ introducta fuit post Tridentinum nova Lege, & Constitutione Pontificia; & Gregorius XIII. declaravit, facultatem à Tridentino traditam non extendi ad casus nova Lege reservatos post ipsum Tridentinum: ut habetur *Volum. 4. Decis. Rotæ* per Farinacium *fol. 77.* ubi *versic. An Episcopus*, affertur expressa de hoc dubio Declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium.

De forma, qua dispensari possit in pœnis ob simo- 8
niam contractis; nulla habentur verba præscripta in Jure: quapropter habens facultatem dispensandi, si sufficienter exprimat verbis suam voluntatem dispensandi; jam dispensavit. Hæc sunt præcipua, quæ ad Simoniam spectant; multa alia in hac materia exagitari solent, quæ potiùs spectare videntur ad Canonistas, quàm ad Theologos Morales.

SECUNDUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non assumes Nomen Dei tui in vanum.

ABSOLUTO primo Decalogi Præcepto, in quo honor uni, & vero Deo debitus præscribitur; gradum facimus ad secundum ejusdem Decalogi Præceptum, in quo honor, & reverentia ipsius Dei Nomini jubetur, non assumendo videlicet illud in vanum, falsò, & temerè, aut frustra jurando, vel malè vovendo, ideo de Juramento priùs, postea de Voto nobis pertractandum erit juxta communem methodum Doctorum.

QUÆSTIO IX.

DE IURAMENTO.

INTER actus externos Religionis meritò connumeratur Juramentum, cum per ipsum habeatur honesta locutio cum Deo, & imploratio ejus divini Testimonii: quapropter ejus Essentiam, & Naturam, & quæ ad ipsam spectant explicare debemus, adjectis etiam vitiis contrariis, & facultatibus Juramentum Irritandi, Commutandi, & Dispensandi.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Juramentum?

1 *A quo nomen trahat Juramentum?*
2 *Definitur quid sit, & explicatur Definitio:*
3 *Cur dicatur Invocatio, non verò Enunciatio?*
4 *Juramentum per falsos Deos factum non est propriè Juramentum,*
5 *Quodnam peccatum committat sic jurans?*
6 *Concionatores adducentes Testimonia Scripturæ in confirmationem eorum, quæ dicunt; non jurant.*
7 *Quando vim Juramenti habeant verba illa, coram Deo loquor, Deus scit, Deus videt conscientiam meam?*
8 *An juret, qui interrogatus de aliquo facto, aut dicto respondet, non feciſſe, non dixisse in rei veritate, per fidem meam, fide boni Viri, Sacerdotis, Religiosi, in mea conscientia?*
9 *An sit juramentum proferre ex ira, per Deum, per Vitam, per Corpus Dei?*
10 *An semper requiratur ad juramentum expressa invocatio Dei, an sufficiat tacita?*
11 *An semper sit verum Juramentum quotics adhibetur verbum juro?*
12 *Utens verbis, quæ falsò putat importare Juramentum; tenetur ex vi illius?*

1 JURAMENTUM à Jure ethymologiam ducit, eo quia tamquam Jus, & Lex habendum est, uti observant Doctores; ideoque à Theologis, & Jurisperitis jusjurandum appellari consuevit: quia veritas Juramento firmata adeo stabilis consistere debet, ac si ab ipso Jure firmata fuisset. Dicitur etiam aliquando Sacramentum, prout est signum divini Testimonii, quod ad veritatem confirmandam in juramento adducitur, prout habetur *in Cap. Qui Sacramento 22. quæstion. 4.*

2 Definiri solet Juramentum cum Divo Thoma, quem omnes sequuntur 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. Invocatio divini Nominis ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. Per Invocationem convenit cum Oratione, quæ etiam Deum invocat. Per fidem faciendam, aut promissionem firmandam discrepat ab Oratione, quæ licèt Deum invocet, non invocat tamen ad fidem faciendam, aut firmandam promissionem, sed potiùs ut postulata concedat: ut rectè habent Sanchez *lib.* 3. *in Decal. capit.* 1. *num.* 1. & Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 1.

3 Adnotandum hìc: quòd juramentum dicitur Invocatio, non verò Enunciatio: nam enunciare, quòd Deus sit testimonium, non est jurare, sed proponere aliquod evidens ad fidem, vel scientiam naturalem spectans. Requiritur ergo ad Juramentum Invocatio divini Nominis: eo quia cum solius Dei sit nec fallere, nec falli posse: ideo solus Deus in juramento invocari debet, ut fidem faciat, vel promissionem infallibiliter firmet; & sic reddat omnino securum eum, cui de veritate juratur.

Hinc fit 1. Juramentum factum per falsos Deos non 4
esse propriè, & verè juramentum; cum non adducatur verus Deus in testem: quapropter infideles ad veram fidem conversi non tenentur ad sua juramenta facta; & si tenentur, obligatio non oritur ex vi juramenti, qua tale, cum nullum fuerit; sed vel ex conscientia erronea putantes esse veros Deos; vel ex fidelitate standi promissis: ut docent Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *de Juram. cap.* 5. *num.* 7. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 42. *nn.* 5. Molina *tom.* 3. *de Justit.* 1. *par. disputat.* 579. *num.* 13. & Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *num.* 5.

Peccat tamen gravissimè, qui similia Juramenta ef- 5
ficit per falsos Deos, si seriò juret: cum honorem proprium Dei rebus insensatis, vel Dœmonibus tribuat; adeoque est magna irreligio, & gravis blasphemia. Eodem modo peccat, qui per Dœmonem jurat, sive juramentum sit contestatorium, sive execratorium; videtur enim sic magnifieri Dœmon, qui adducitur in testem veritatis, cum sit pater mendacii: habetur quoque communicatio cum illo, dum sic invocatur, & ob ejus invocationem servatur promissum, & aliunde communicatio cum illo illicita est. Sic Bonacina *disp* 4. *in Decal. quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. & Castropalaus *disp.* 1. *de Juram. punct.* 1. *num.* 4. Si tamen non seriò fiat juramentum per falsos Deos, nec cum animo jurandi, sed per jocum, itaut audientibus constet; tunc non erit grave peccatum, cum videatur irrisoria loquutio: quamvis à simili juramento abstinendum, etiam per jocum, ut advertunt mox citati Doctores.

Fit 2. non jurare Concionatores sæpe adducentes 6
aliqua Scripturæ Sacræ Testimonia in confirmationem eorum, quæ dicunt: quia non invocant nomen Dei in testimonium eorum, quæ dicunt; sed referunt tantùm asserta, & dicta Dei in Scripturis revelata, & spectantia ad illam materiam, de qua concionem habent.

Fit 3. non esse Juramentum, quando enunciativè pro- 7
nunciantur hæc, & similia verba: coram Deo loquor, Deus scit, Deus videt conscientiam meam; eo quia non invocatur Deus in testem: sed solùm enunciatur, Deum scire, & videre. Secus verò si invocativè proferantur, & cum animo adducendi Deum in testem; tunc verum juramentum habetur, præcipuè si proferantur à viris jurare consuetis, præsumitur siquidem actus ille factus secundum consuetudinem. Si verò in Judicio proferantur, vel in causa ad damnum tertii spectante; accipienda erunt juxta communem audientium sensum:

sensum : nam proferens illa in talibus circumstantiis, tenetur ad non decipiendum audientes, nec damnum inferre proximo. Sic Sayrus *lib. 5. capit. 1. numer. 5.* Sanchez *in Summ. lib. 3. cap. 2. numer. 2.* & Bonacina *disputat. 4. de 2. Decalog. Præcept. quæst. 1. punct. 1. num. 4.*

8 Fit quartò : non jurare eum, qui interroganti, an ita sit hoc; an hoc fecerit, aut dixerit; respondet, non esse, non fecisse, non dixisse in veritate, in rei veritate, per fidem meam, fide boni viri, vel boni Christiani, Sacerdotis, Religiosi, in mea conscientia, super meam conscientiam. Et ratio est, quia hi omnes loquendi modi ex communi acceptione non sunt invocatio Divini Testimonii, nec ad jurandum adhibentur; significant enim, se velle loqui, & respondere juxta ea, quæ scit, & cognoscit, & juxta eam fidem, quæ adhiberi solet homini probo, Christiano, Sacerdoti, Religioso. Nisi tamen ex adjunctis circumstantiis aliud significetur, quòd & verum exigatur juramentum, aut quòd ipse revera jurare velit. Sic Navarrus *capit. 12. numer. 2.* Suarez *lib. 1. de Jurament. capit. 13. numer. 15.* Lessius *lib. 2. de Justit. capit. 42. dubit. 2. numer. 4.* & Castropalaus *de Juram. disp. 1. punct. 1. num. 7.*

9 Fit quintò : non esse Juramentum ex ira proferre, per Deum, per vitam, aut corpus Dei : eo quia non diriguntur hæc ad invocandum Deum in testem, ut aliquid confirmet; sed potiùs ad demonstrandum tædium, aut iram, vel ad imprecandum malum alicui, nisi aliunde innotesceret, quòd vellet Deum invocare in testem. Sic Sanchez, & Lessius *locis citatis*, Angelus *verb. Perjurium in principio*, & Bonacina *disputat. 4. Decalog. quæstion. 1. punct. 1. numer. 2. in fine.*

10 Inquires primò : an semper ad Juramentum requiratur expressa Invocatio Dei, an sufficiat tacita? Ante responsionem præmitto primò : dupliciter invocari posse Deum tacitè, vel expressè. Tunc invocatur, quando in seipso adducitur in testem : ut si dicas, Juro per Deum, Testis sit mihi Deus, Testem invoco Deum, Sanctissimam Trinitatem, aut Christum Dominum. Tacitè tamen invocatur, quando non in seipso, sed in alio adducitur in testem : ut juro per Crucem, per Evangeliorum librum, per sacram Scriptiram, per Sacramenta; vel licèt verba non proferat, cùm non sint necessaria ad juramentum; rogatus tamen ut juret, manu tangit crucem, vel librum Evangeliorum, aut sacram Scripturam, aut aliud signum formet, quo se jurare demonstret; vel scripturam aliquam subscribat, in qua juramentum continetur : ut docent Suarez *lib. 1. de Jurament. capit. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 1.* Rodriquez *1. part. capit. 191. numer. 2.* Præmitto secundò : tacitè etiam posse invocari Deum in Creaturis, in quibus speciali quodam modo relucet Divina Bonitas, Potentia, Misericordia, aut aliud Divinum Attributum : sic evenit, quando quis jurat per Beatissimam Virginem, per Sanctos Angelos, per Beatos in cœlis, per animam rationalem, Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, Elementa; tunc enim creaturæ illæ adducuntur in testimonium, quatenùs ordinantur ad Deum, in quibus speciali modo relucet. Secus verò si creaturæ, per quas iuramentum exhibetur : non sint tales, ut speciali quodam modo relucèat in ipsis aliquod Dei Attributum; sed ita abjectæ sint, ut earum invocatio pariat potiùs ludibrium, ac iocum, quàm seriam Divini Nominis invocationem; tunc iuramentum nullum erit, nec censetur fieri, cùm nullo modo creatura adducatur per ordinem ad Deum : ut si quis diceret, iuro per hanc barbam, per hos capillos, per has vestes, lac, mel, muscas &c. Quòd si tales creaturæ adducantur in testimonium, & appareat, quòd hoc proveniat ex vero animo iurandi; tunc erit verum iuramentum, quia iam adducerentur per ordinem ad Deum : ut notavit Bonacina *disputat. 4. Decal. quæstion. 1. punct. 1. numer. 4.* Præmitto tertiò : tripliciter posse adduci in testem creaturam; primò, agnoscendo infallibilem veritatem in ea : & hoc modo iurare esset blasphemia, quia sic attributum proprium Dei tribueretur creaturæ. Quamvis non præsumendum sit hoc iuramentum, nisi certò constet ex indiciis : delictum siquidem præsumi non debet, nisi constet. Secundò, adducendo in testem creaturam, quatenus in ea relucet Deus, ad quem ordinatur, & qui in ipsa honoratur : quapropter iurans per Reliquias Sanctorum, per Ecclesias, per habitum Divi Petri, vel per habitum religiosum, per Ordines, etiam per Tonsuram; verum emittit iuramentum : quia censetur tacitè Deum in testem adducere. Sic Suarez *lib. 1. de Juram. ca. 6. & 13. numer. 23.* Azor. *1. part. lib. 11. capit. 3. quæst. 1.* & Filliuccius *tractat. 25. cap. 3. quæstion. 9.* Tertiò, adduci potest creatura in testem secundùm suam Dignitatem, & Scientiam, quam habet, non referendo tamen illam ad Deum, quod solùm competere posset creaturis rationalibus, Angelis scilicet, & Sanctis in cœlo; & tunc non esse verè, & propriè iuramentum; sed imploratio quædam humanæ, vel Angelicæ testificationis : ut docent Suarez, Sanchez, Sayrus, Azor. & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disputat. 1. de Jurament. punct. 1. num. 5.* His præmissis

Respondeo : non semper requiri expressam Divini Nominis invocationem ad iuramentum, sed sufficere tacitam modo superiùs explicato; quando videlicet invocatur in Creaturis per aliquem specialem ordinem, quem dicunt ad Deum, iuxta dicta hucusque. Sic communiter Doctores. Sed dices : Christus Dominus specialiter prohibuit Judæis, ne iurarent per creaturas, ut patet *Matth. 23. & in Cap. Etsi Christus de Juram.* dicitur, non iurandum esse per creaturas. Resp. Christum Dominum prohibuisse iurare per creaturas Judæis, non quia iuramentum per illas exhibitum, utpotè relatas ad Deum; non esset verum, aut fieri licitè non posset, cùm eius honestas, & à Jure Canonico *Cap. Qui pejerat 22. quæst. 5.* & à Iure civili approbetur *Leg. Qui per salutem ff. de Jurejurando*; sed quia eas tamquam testes infallibiles adducebant venerando tamquam Deum, ut notavit Divus Hieronymus *cap. 5. in Matth.* Judæi iurantes per creaturas honore, & obsequio Divino illas venerabantur. Eodem modo intelligendus est Innocentius *III. in Cap. Etsi Christus citat.* ubi prohibetur iurare per creaturas, quasi sistendo in illis, & non progrediendo ad Deum; imò dicitur in eodem Capite, quòd iurare per Cœlum, per Terram, sit iurare per Deum, cùm Cœlum sit Thronus Dei, & Terra Scabellum pedum eius.

11 Inquires secundò : an semper sit verum iuramentum quoties adhibetur verbum Juro? Resp. si proferens non revera intendat iurare; aut si aliquid aliud addatur, quod distrahat verbum Juro à sua rigorosa significatione : ut iuro per hanc viam, iuro per hanc barbam, iuro per vitam magni Turcæ, & similia; non esse verum iuramentum : tunc siquidem non invocatur Deus in testem, nec habetur vera intentio iurandi. Quapropter non erit obligatus iuramento, si quis diceret tantùm iuro; vel iuro, me hoc facturum : & ratio est, quia non præsumitur, velle adducere Deum in testem, qui nihil aliud addit perficiendo iuramentum; imò præsumitur non habere animum iurandi, cùm ex se verbum Juro sit indifferens ad verum, vel fictum iuramentum. Si tamen habeat revera animum adducendi Deum in testem, iuramentum verum efficit; ad quod non sunt necessaria verba : satis enim est, ut quis intendat, se vinculo iuramenti alligare : ut sustinent Suarez *lib. 1. de Juram. cap. 13. num. 3.* Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 2. tract. 11. cap. 1. dub. 1.* & Sanchez *in Summ. lib. 3. cap. 2. num. 3. & 12.*

12 Inquires tertiò : an utens verbis, quæ falsò existimet importare iuramentum; teneatur, & obligetur tamquam ex vi iuramenti? Resp. si revera intendebat se iuramento obligare, esto adhibuerit verba, quæ ex se iuramentum non important, quamvis ipse putaverit importare; teneri ex vi iuramenti : & ratio est, quia ad iuramentum faciendum non sunt adhibenda verba determinata hæc, & non alia; sed sufficit, quòd per illa intendat quis adducere Deum in testem, seu invocare illum in testimonium; ergo utens verbis ad invocandum Deum in testem ex animo, quæcumque illa sint, quibus utitur; tenebitur ex vi iuramenti. Secus verò si non habeat talem animum invocandi Deum in testem : cùm neque verba ex se iuramentum importent, neque habita fuerit intentio obligandi se iuramento; nullo modo tenebitur ex vi iuramenti. Sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de Juram. cap. 2.* Sanchez *in Summ. lib. 3. cap. 2. num. 3.* & Bonacina *disp. 4. in Decal. quæst. 1. punct. 1. num. 6.*

CAPUT II.

Quotuplex sit Juramentum?

1 *Multiplex est Juramentum ex parte modi jurandi.*
2 *Juramenta supradicta non differunt specie inter se, nec eorum diversitas aperienda in confessione? Possunt tamen habere malitiam aperiendam in confessione ex alio capite.*
3 *An Juramentum execratorium falsum ex vi execrationis contineat malitiam specie differentem ab aliis?*
4 *An dicere: occidar, non possim vivus pervenire ad domum meam, amputetur mihi manus, pes; sit verum Juramentum execratorium?*
5 *Ex parte rei juratæ dividitur Juramentum in Assertorium, & Promissorium: addunt alii Comminatorium, & explicantur eorum Essentiæ.*
6 *An Juramentum Assertorium in ratione Juramenti differat essentialiter à Promissorio?*
7 *An Juramentum de re futura facienda sine promissione illius, sed cum proposito sit diversum à Juramento de re facienda cum promissione?*

1 POST declaratam Essentiam Juramenti ad ejus perfectam notitiam habendam declarandæ remanent ejus Divisiones; multiplex siquidem Juramentum esse potest tum ex parte modi jurandi, tum ex parte rei juratæ. Nam ex parte modi jurandi dividitur primò communiter Juramentum in Solemne, & Simplex. Solemne dicitur, cùm fit certa Juris formula servata, ut coram Notario, & Judice, tactis Evangeliis, aut ara, vel cruce &c. Simplex verò tunc dicitur, cùm simpliciter Nomen Dei invocatur absque ulla ex dictis circumstantiis. Dividitur secundò in Juramentum Judiciale, & Extrajudiciale. Judiciale dicitur, quod fit in Judicio. Extrajudiciale verò quod fit extra Judicium. Dividitur tertiò in Juramentum expressum, in quo scilicet Nomen Dei invocatur; & in Tacitum, quod fieri solet per creaturas, in quibus tacitè Nomen Dei invocatur. Dividitur quartò in Absolutum, cui nulla videlicet apponitur conditio; & in Conditionatum, cui scilicet conditio apponitur aliquando ab ipso jurante, aliquando ab ipso iure. Dividitur quintò Juramentum factum per simplicem contestationem, vel per execrationem. Per simplicem contestationem dicitur, cùm Deus tantùm invocatur in testem: ut testor Deum, iuro per Deum, per eius Evangelia &c. quod Juramentum appellari consuevit Contestatorium. Per Execrationem fit, cum Juramento contestatorio aliqua additur Imprecatio, cui se subiicit iurans, si quod affirmat, vel negat, ita non sit; adeoque Juramentum Execratorium non solùm adducit Deum in testem, sed etiam in Judicem, & Punitorem, si falsum sit, quod iuretur, ita sunt hæc Juramenta: nec mihi, nec meis filiis Deus det salutem, si ita non est: arripiat me Dæmon, peream fulmine, nequeam hinc moveri, confundar in hora mortis, si veritatem non dico, & similia; quæ quando re ipsa Juramenta sunt, hunc sensum reddunt: Deus, quem invoco in testem, infligat mihi has pœnas, si falsum sit, quod assero. Usitatus erat hic iurandi modus in veteri Testamento, quo & usus fuit Divus Paulus 2. *ad Corinth.* 1. *Testem invoco Deum in animam meam.* Sic communiter explicatur Juramentum Execratorium à Suarez, Lessio, Valentia, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Juramen. disput.* 1. *punct.* 2. *num.* 1.

2 Juramenta hucusque enumerata specie non differunt inter se in ratione Juramenti, adeoque eorum diversitas non erit aperienda in confessione; continent siquidem eamdem malitiam: & ratio est, quia formalis malitia iuramenti consistit in invocatione Divini Testimonii ad falsum comprobandum; sed quòd Divinum Testimonium hoc, vel illo modo invocetur, materialiter, & per accidens se habet ad rationem iuramenti; ergo iuramenta supradicta habent eamdem malitiam in ratione iuramenti. Et quamvis Divus Augustinus *Epist. ad Publicolam*, & Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 2. *ad* 2. sentiant, strictiùs obligare iuramentum expresè invocans Deum præ tacitè invocante illum per creaturas; non inde tamen sequitur, aut differre specie, aut ita notabiliter aggravare, ut necessariò aperiri debeant in confessione: eo quia major gravitas, & strictior obligatio est solùm in apparentia, & in hominum æstimatione; non tamen verè, & re ipsa, cùm indivisibilis sit eadem formalis ratio invocandi Deum in testem in omnibus iuramentis: ut sustinent Sotus, Covarruvias, Azor. Sayrus, Lessius, Suarez, Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Iuramen. disputat.* 1. *punct.* 2. *numer.* 2. Possunt tamen habere malitiam mutantem speciem, aut notabiliter aggravantem ex alio capite, adeoque manifestandam in confessione; ut si iuramento addatur blasphemia, nempe si iuretur per pudenda Christi Domini; aut si legitimè interrogatus in iudicio falsum diceres etiam sine damno tertii; cùm ex iustitia legali obligeris ad manifestandam veritatem Judici legitimè interroganti. Sic Azor. Sanchez, & Castropalaus eos referens *loc. cit.*

Dubium maius est in Juramento Execratorio falso: 3
an ex vi Execrationis contineat malitiam specie differentem ab aliis Juramentis? Et ratio dubitandi specialiter est, quia iurans falsum per execrationem imprecatur sibi malum, vel suis filiis, aut consanguineis, quod videtur esse contra Charitatem, vel Pietatem; adeoque necessariò exprimenda in confessione talis circumstantia, cùm contineat malitiam specie diversam. Nihilominus communior sententia sustinet non esse aperiendam in confessione, nec continere malitiam specie diversam ab aliis iuramentis falsis: & ratio est, quia talis imprecatio quasi semper non fit ex animo; imò si iurans falsum per imprecationem interrogaretur, an sibi, vel suis illud malum vellet? responderet, nolle; adeoque tota malitia iuramenti execratorii falsi tandem reducitur ad invocationem Divini Nominis ad falsum comprobandum, quæ quidem malitia communis est aliis iuramentis falsò prolatis. Quòd si revera sibi, vel suis imprecatus fuerit malum ex animo, quod rarò contingere solet; tenebitur utique manifestare talem circumstantiam: cùm non solùm sit periurus contra Religionem, verum etiam transgressor Charitatis in re gravi. Sic Caietanus, Navarrus, Petrus de Ledesma, Sayrus, Sanchez, Reginaldus, & Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 1. & Castropalaus *de Juram. disp.* 1. *pun.* 2. *num.* 4.

Quæres: an verum Juramentum execratorium repu- 4
tandum sit dicere: occidar, non possim pervenire ad domum meam vivus, amputetur mihi manus, vel pes; nisi res ita sit, ut dico: & similia, quæ passim occurrere solent? Resp. rigorosè loquendo, & ut verba sonant, esse verum Juramentum execratorium, ut patet consideranti illa. Nihilominus communiter non accipi solent pro Juramento execratorio, quia proferens similes imprecationes non reputatur communiter habere animum adducendi Deum in testem, & vindicem; sed solùm per modum sponsionis ea verba proferre. Sic Sanchez *lib.* 3. *Summ. cap.* 2. *num.* 42. & Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 1.

Ex parte rei juratæ passim dividi solet Juramentum 5
in Assertorium, & Promissorium; quamvis alii addant tertium, nempe Comminatorium. Assertorium dicitur cum res præteritas, vel præsentes affirmas, vel negas cum Juramento; ut juro per Deum, hanc hæreditatem mihi fuisse relictam; Petrum non occidisse Paulum; illum, quem video; esse Franciscum &c. Promissorium dicitur, cum futura affirmantur, vel negantur cum juramento: ut juro per Deum, me soluturum tibi prétium equi, non facturum tibi injuriam &c. Comminatorium denique dicitur, cum pœnam alteri comminaris: ut juro per Deum, me verberaturum Joannem &c. Verùm istud juramentum meritò reducitur à Doctoribus ad Promissorium: eo quia continet revera absolutam promissionem de pœna alteri infligenda; adeoque à Promissorio contradistingui non debet.

Inquires 1. an Juramentum Assertorium in ratione Ju- 6
ramenti differat à Promissorio? Communior responsio est non differre: eo quia essentia utriusque nititur in Invocatione divini Testimonii ad corroborandam veritatem; invocare verò Testimonium divinum ad corroborandam veritatem rei præsentis, aut præteritæ, vel futuræ nimis per accidens se habet; adeoque Juramentum Assertorium nequibit specie differre à purè Promissorio. Nec juvat dicere: per Juramentum Promissorium non solùm invocari Deum ut testem, verum etiam ut fidejussorem, quæ munera satis diversa sunt

inter

inter se, & sufficientia ad fundandam diversitatem specificam ab Assertorio, in quo Deus tantùm invocatur ut testis. Contra enim est, quia per Juramentum promissorium primò, & per se invocatur Deus ut testis veritatis promissionis factæ, & animi adimplendi illam, quibus promissis si non staret jurans, potiùs tacitè videretur invocare Deum, ut Judicem, & Vindicem, quàm ut Fidejussorem. Cæterùm etiamsi invocaretur Deus in juramento Promissorio ut fidejussor, & non staretur promissis; in confessione aperienda non esset talis circumstantia, utpote mutans speciem: eo quia semper esset irreverentia non stare promissis ob reverentiam, quæ debetur divino Nomini, quando invocatur in testimonium veritatis, quocumque modo invocetur sive ut Judex, sive ut fidejussor; nec fundat novam malitiam respicientem aliam Virtutem. Sic Cajetanus 2. 2. *quæstion.* 89. *artic.* 1. Covarruvias *in Cap. Quamvis pactum de Pactis in princip. num.* 3. Suarez *lib.* 1. *de juram. cap.* 9. *num.* 1. & Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 2.

7 Inquires 2. an Juramentum de re futura facienda absque promissione illius diversum sit à juramento, quo rem illam faciendam promitteres? Aliqui cum Valentia *l. c.* putarunt, posse quem jurare hoc diverso modo cum promissione scilicet rei faciendæ, & sine hac promissione sed cum mero proposito: clarius sit, qui propositum habeat faciendi calicem Ecclesiæ Divi Petri; sic qui promittat facere calicem eidem Ecclesiæ: ambo juramento confirment propositum, & promissionem; quæritur: hæc duo Juramenta sunt diversa inter se? Resp. in ratione juramenti unum non differre ab alio, quamvis unum respiciat rem sub rigorosa promissione oblatam, aliud sub simplici proposito: & ratio est, quia juramentum ex vi juramenti æquè supra rem illam cadit, & æquè obligat jurantem ad executionem rei illius, ne falsò Deus invocetur in testem: esto quòd differant ratione promissionis, ut patet consideranti; si revera dari possit juramentum rei futuræ sine promissione illius, quod mihi dubium est. Sic Suarez *lib.* 1. *de juram. cap.* 9. *num.* 7.

CAPUT III.

An Juramentum licitum sit, & quæ requiruntur, ut sit tale?

1 *Juramentum non solùm est licitum, sed etiam est actus Virtutis.*
2 *Juramentum, ut sit licitum, & actus Virtutis; debet esse cum Justitia, Judicio, & Veritate.*
3 *Ad omne Juramentum honestandum requiritur necessariò Veritas, & explicatur, quid sit.*
4 *Requiritur etiam ad omne juramentum judicium, & explicatur quid sit.*
5 *Requiritur pariter Justitia, & explicatur quid sit.*

1 JURAMENTUM non solùm esse licitum, verùm etiam actum esse Virtutis, si cum debitis circumstantiis fiat, est Veritas catholica: ut colligitur *ex Deuteron. 6. Dominum Deum tuum timebis, & per Nomen ejus jurabis; & ex Psalm.* 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Quapropter antiquos Patriarchas juravisse, constat, Abraham scilicet, Isaac, & Jacob ad confirmandos contractus initos *Geneseos* 21. 26. & 31. In Lege quoque scripta Moyses, populum esse periturum, sub juramento affirmavit, ut patet *Deuteronom.* 4. & tandem in Lege gratiæ juravit Divus Paulus, ut patet 2. *ad Corinth.* 1. Neque credibile apparet, tot Viros Sanctos juramento usos fuisse, si licitum non esset, imò Virtutis actum in se non contineret. Et quòd magis est ex consuetudine, & usu Ecclesiæ aliquando juramentum ejus authoritate exigitur. Ratio autem faciens juramentum licitum est, quia opus est aliquando nostris dictis, quæ fallibilia esse possunt; certam firmitatem, ac stabilitatem tribuere; sed hoc nulla alia via firmiùs obtineri potest, quàm per interpositionem divinæ Authoritatis; ergo conveniens, licitum, ac justum est ad finem hunc divinum Nomen, & ejus Authoritatem implorare. Neque obstat, quod dicitur *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per Cœlum, quia Thronus Dei est; neque per Terram, quia Scabellum est pedum ejus. Et Jacobi cap.* 5. *ante omnia fratres mei nolite jurare.* Non obstat inquam, quia prohibetur juramentum factum ex quavis occasione, & absque urgente necessitate: ut bene explicant Maldonatus super hunc locum Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. & Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Juram. cap.* 2. *à nu.* 9. Judæi namque putabant, juramentum præcipuè factum per creaturas licitum esse ex qualibet occasione, à quo errore eos liberare volebat Christus.

Cum Juramentum, ut passim Doctores advertunt, 2
non sit ex eo genere bonorum, quæ per se appeti possunt, ut sunt Oratio, Jejunium, &c. sed solùm in necessitate appeti potest ad instar medicinæ, quæ nisi necessitas urgeat, appetibilis non est; ideo inquirimus hìc, quænam sint ea, quæ reddant Juramentum & licitum, & actum Virtutis: maximè quia Innocentius III. *in Capit. Etsi Christus de juram.* explicuit, non abs re Christum Dominum dixisse, Juramentum à malo esse, & non malum esse: quia ex mala radice occasionaliter provenit, scilicet ex incredulitate exigentium, ideoque non passim frequentandum, nisi necessitas occurrerit, & aliquæ circumstantiæ illud comitentur. Hæ autem circumstantiæ rectè explicantur per illa verba *Jerem.* 4. *Jurabis, vivit Dominus, in justitia, in judicio, in veritate*: quapropter Doctores communiter cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 3. & Divo Hieronymo *in Cap. Animadvertendum* 22. *quæst.* 2. requirunt ad Juramentum licitum has conditiones, & circumstantias, Justitiam videlicet, Judicium, & Veritatem: & ratio est, quia in juramento cum adducatur Deus in testem, qui est summa Veritas, & Justitia; non poterit temere, & absque ulla consideratione invocari, sed cum iudicio, iustitia, & veritate; ergo ad reddendum licitum iuramentum requiruntur iudicium, iustitia, & veritas. Sic Navarrus, Lessius, Suarez, Valentia, Covarruvias, Angelus, Tabiena, Toletus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *disputat.* 4. *Decal. quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 4.

Hinc colligitur primò: ad omne Juramentum re- 3
quiri veritatem ob honestandum illud; itaut iurans non levi coniectura, sed probabili, & prudenti arbitretur, verum esse id, quod iurat. Insuper iurans in iuramento assertorio tenetur affirmare, vel negare rem, quatenus sibi cognita est: nam veritas iuramenti assertorii non desumitur ex conformitate iuramenti cum re asserta, prout est in se, sed prout est in mente iurantis: quapropter poterit quis iurare rem, prout est in se, & falsò iurare: quia prudenter existimabat aliter se habere; & viceversa iurare aliter, ac res in se est, & non inde falsò iurare, quia prudenter existimabat, sic se habere. Ad veritatem ergo iuramenti assertorii requiritur, ut confirmetur cum mente iurantis; adeout ea, quæ in sua mente pro dubiis habeat; pro dubiis iuret; & ea, quæ certa in mente habet, pro certis affirmet: periurium namque committeret, si certa pro dubiis, & dubia pro certis iuraret. Sic Sayrus, Navarrus, Suarez, Lessius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Jurament. disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 2. In Juramento Promissorio Veritas habetur per hoc, quòd iurans ex animo promittat, & promissum impleat.

Colligitur secundò: requiri etiam ad omne Juramen- 4
tum Judicium: consistit autem hoc Judicium in matura consideratione de necessitate, & utilitate, iuranti; quam quidem necessitatem explicat Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *numer.* 4. per hoc, quòd non possit alia via stabiliri veritas. Quapropter Veritates per se patentes, aut res levioris momenti iuramento confirmare, peccatum erit, licèt veniale: cùm non irrogetur gravis irreverentia Deo, sed potiùs quædam levitas, & vanitas habeatur, ut docet Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *pun.* 3. *num.* 8. referens Lessium, Suarez, Sanchez, Sayrum, & Filliuccium. Requiritur etiam, ut habeatur Judicium in iuramento; quòd præcedat maturum examen Veritatis iurandæ, num revera ita sit; ne se exponat periculo peierandi. Et hoc examen, seu diligentia indagandi veritatem facienda est secundùm id, quod exposcit materia, supra quam iuramentum cadere debet; itaut res claræ, & apertæ parva, vel nulla indigeant diligentia, & examine; res verò difficiles maiori, vel minori diligentia secundùm maiorem, vel minorem difficultatem, quam præseferunt. Sic Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4 *num.* 33. Aragonius 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 3. & Bonacina *l. c. num.* 7.

Colligitur tertiò: requiri tandem ad iuramentum 5
Justi-

Justitiam, ut licitum sit, & actus Virtutis. Consistit autem hæc Justitia in eo, quòd res, circa quam Juramentum versatur, licita sit, & honesta; gravis siquidem irreverentia fieret Deo, eum invocare in testem rei illicitæ. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 3. *ad* 2. Sotus *lib.* 8. *de Just. quæst.* 1. *art.* 3. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 21. *num.* 10. & Sanchez *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 33. Diversimodè tamen Justitia requiritur, ut notant Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. & Castropalaus *de Jurament. disput.* 1. *punct.* 4. *num.* 3. in Juramento Promissorio, ac in Assertorio. Nam in Promissorio requiritur iustitia tam ex parte modi iurandi, quàm ex parte rei juratæ, itaut non solùm iuramentum non procedat ex animo iniusto, & iniquo; verum etiam quòd res promissa honesta, & justa sit: nam si res promissa injusta, & inhonesta esset; utique injusta, & inhonesta esset promissio, & per consequens injustum, & inhonestum juramentum. In Assertorio verò licet semper requiratur iustitia ex parte modi iurandi, quòd scilicet non procedat ex animo iniusto, & iniquo; non semper tamen requiritur ex parte rei assertæ iustitia, ut patet, quando peccatum vel tuum, vel alterius ob aliquem finem bonum, vel à Judice compelleris iuramento firmare; tunc enim res asserta iniusta erit, & iniqua; licèt nec iniustè, nec iniquè illam iuramento asseras.

CAPUT IV.

Defectus Veritatis, Justitiæ, & Judicii in Juramento Assertorio, vel Promissorio quodnam peccatum sit?

1 *Grave peccatum est defectus Veritatis in Juramento Assertorio, & Promissorio, sive res asserta, & promissa gravis sit, sive levis.*

2 *Jurare falsum joci causa est grave peccatum.*

3 *Est quoque grave peccatum rem certam ut dubiam jurare, vel è contra.*

4 *Promittens aliquid cum Juramento, sive licitum sit, sive illicitum absque animo exequendi illud, graviter peccat.*

5 *In Judicio jurans absolutè aliquod, quod accepit à Viris fide dignis, peccat. Extra judicium verò non peccat.*

6 *Defectus Justitiæ in Iuramento Assertorio est gravis, vel levis non ex re asserta, sed ex modo asserendi gravi, vel levi.*

7 *In Iuramento Promissorio defectus Iustitiæ est gravis, vel levis ex materia.*

8 *Defectus Iustitiæ in Iuramento Assertorio, vel Promissorio ex se non excedit peccatum veniale, nisi tamen nascatur ex negligentia gravi ad veritatem inquirendam.*

1 DICENDUM primò: defectum Veritatis in Juramento tam Assertorio, quàm Promissorio, sive res asserta, vel promissa levis sit, sive gravis; grave peccatum esse, & lethale: est communissima sententia inter Catholicos, & ratio est evidens, quia cùm Deus sit summa Veritas, cui falsitas etiam levissima repugnet; gravis illi irrogatur iniuria, & magna fit irreverentia, si in testem falsi, etiam levissimi adducatur. Unde meritò damnata fuit ab Innocentio XI. Propositio illa asserens: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Nec unquam excusari potest à mortali sic iurans, nisi ex defectu deliberationis, & perfectæ libertatis iuxta communes regulas excusantes à mortali. Nec ex bono fine cohonestari potest, aut ex timore adductio Dei in testem mendacii levis, quod ex se est intrinsecè malum; ut docent Suarez, Toletus, Sayrus, Navarrus, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Iurament. quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 6.

2 Hinc deducitur primò: iurare falsum etiam ioci causa grave peccatum esse propter rationem superiùs dictam: ut tradunt Suarez, Sanchez, & Sayrus relati ab eodem Bonacina *loc. cit.*

3 Deducitur secundo: grave etiam peccatum esse iuramento asserere ut certam rem dubiam; velut dubiam rem certam: cùm sic invocetur Deus in testem falsi; adeoque in confessione rectè se aperiret sic iurans, si diceret: iuravi falsum. Sic Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 4. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. Navarrus *cap.* 12. *num.* 7. & Sylvester *verb. Perjurium quæst.* 1. Nec pariter periurus erit, qui iurat Scholasticum aliquem confluxisse ad Scholas toto tempore requisito ad cursum, si communiter viderit illum adire, licèt non singulis diebus viderit. Cùm rationabiliter supponatur, Statutum illud Universitatis exigere, ut maiore parte anni adeat Scholas; nec alia testificatio censetur expostulari, cùm esset moraliter impossibilis. Sic Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *à num.* 11. & Castropalaus *de Iuram. disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 3.

4 Deducitur tertiò: promittentem aliquod cum iuramento, & non habentem animum illud exequendi, vel quia credit, vel quia dubitat illud præstare non posse, sive res licita sit, sive illicita: ut si quis iuret, facturum aliquod malum grave, vel leve alteri, quamvis intentionem non habeat exequendi illud; peccare utique mortaliter ex defectu veritatis, quæ primariò in iuramento spectatur. Sic Suarez *libr.* 3. *de Iurament. cap.* 7. & Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *num.* 34. Non peccare tamen graviter peccato periurii iurantem, se velle brachia, ossa, vel pedes infringere filio, aut famulo; si non intendat revera frangere, vel punire graviter: & ratio est, quia verba hæc per hyperbolicam exaggerationem dicta accipiuntur; adeoque adducitur Deus in testem secundùm sensum illum hyperbolicum, qui verus est. Pari ratione excusantur à periurio exaggerantes tanti existimari hunc piscem, quanti equum &c. Sic Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 12. & Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *num.* 19.

5 Deducitur quartò: in Judicialibus iurantem absolutè aliquod, quod à Viris fide dignis accepit; periurium committere, & falsò iurare: ratio est, quia in Judicialibus quando testis absolutè testatur, censetur de visu, & præsentia testari; & secundùm hunc sensum expostulatur Juramentum, ut colligitur *ex Cap. Testes* 3. *quæst.* 9. ubi Callistus Pontifex præcipit, testes de his solis testificari posse, quæ in ipsorum præsentia sunt facta: nam testis de solo auditu nec semiplenè probat, nec tanti reputatur eius assertum, quanti illius, in præsentia cuius delictum commissum fuerit. Non falsò tamen iurare dicendum est, si addat, se ex auditu hæc accepisse à Viris fide dignis; cùm sic nullum decipiat, nec rem falsam iuramento firmet: sic Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *num.* 13. Bonacina *de Iuram. disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 7. & Castropalaus *de Iuram. disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 3. Extra iudicium si quis iuraret, quæ à Viro, vel Viris fide dignis accepit; non peccaret, si ea absolutè iuraret: cùm res videatur certa ob testimonium fide dignum. Sic supracitati Doctores.

6 Dicendum secundò: defectum Iustitiæ in Iuramento Assertorio esse gravem, vel levem non à re asserta gravi, vel levi; sed à modo asserendi gravi, vel levi, scilicet ex animo pravo magis; vel minùs, quo Deus adducitur in testem rei assertæ, sive hæc mortalis sit, sive venialis; ut securior, & firmior reddatur ob tuum pravum finem. Quare si finis, ob quem iuramento assertorio uteris ut medio; mortale iuramentum erit; si verò venialis, veniale iuramentum erit. Sic Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 4. *num.* 33. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Iuram. cap.* 12. *num.* 7. & 8. Castropalaus *disp.* 1. *de Iuram. punct.* 5. *num.* 4. Hinc fit, quòd si proximo detrahis graviter, detractionemque iuramento confirmes, ob finem graviter nocendi illi; grave peccatum ultra detractionem ex defectu iustitiæ in iuramento committeres: assumeres namque iuramentum, ut medium ad firmandam gravem iniquitatem, & veriorem reddendam detractionem proximi. Si verò leviter proximo detrahis, detractionemque iuramento confirmes animo leviter nocendi; leve peccatum committes: supponimus tamen iuramentum cadere supra rem veram.

7 Defectus tamen iustitiæ in iuramento promissorio erit gravis, vel levis iuxta gravitatem, vel levitatem materiæ, quam iuramentum promissorium respicit: quapropter iurans, se fornicaturum, graviter vindicaturum &c. graviter peccabit; iurans verò se prolaturum verbum otiosum, leviter vindicaturum &c. leviter peccabit: & ratio est, quia irreverentia, quæ fit Deo adducendo eum in testem rei illicitæ; est gravis, vel levis pro gravitate, aut levitate materiæ, supra quam iuramentum fertur; ergo si gravis erit materia, gravis irreverentia fiet; si verò levis materia, levis fiet irreverentia. Sic communis Sententia, quam sustinent Navarrus, Covarruvias, Azor, Valentia, Suarez, Lessius, San-

Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disput. 1. de juram. pun. 6. num. 9.* licèt nonnulla ingeniosè moveat contra secundam partem hujus communis sententiæ, quòd leviter peccetur pro levitate materiæ; ea tamen superabundè dissolvit. Hinc deducitur, jurantem se nolle exequi aliquod evangelicum consilium, ingrediendi scilicet Religionem, sequendi cœlibatum, aut quid simile; peccare venialiter: eo quia facit aliquam irreverentiam Deo, quamvis non gravem, adducendo illum in testem contra consilia à se prolata. Sic citati Doctores.

8 Dicendum 3. Defectum Judicii, hoc est causæ honestæ, & utilis ad jurandum, si præcisè consideretur, numquam excedere peccatum veniale, sive juramentum Assertorium sit, sive Promissorium: & ratio est, quia invocare Nomen Domini absque necessitate, & utilitate, si tamen justè, & verè invocetur; non videtur magna irreverentia: ut docent Sayrus *in Clav. Reg. lib. 5. cap. 4. num. 32.* Suarez *lib. 3. de juram. cap. 12. numer. 3.* Lessius *lib. 2. de just. cap. 42. dubit. 3. num. 17.* Navarrus *cap. 12. num. 3.* & Castropalaus *de juram. disp. 1. punct. 5. num. 7.* Si tamen ex defectu judicii nascatur negligentia gravis ad inquirendam veritatem, & justitiam ad juramentum requisitas; grave peccatum erit, non tam ob defectum judicii, quàm ob periculum falsò, & injustè jurandi. Secus verò si negligentia fuerit tantùm imperfecta, & levis; leve peccatum erit: ut adnotat Castropalaus *l. c.* ex Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 7. punct. 3.*

CAPUT V.

Quænam est materia Juramenti?

1 *Materia juramenti Assertorii non semper est licita, & non peccaminosa. Quamvis materia juramenti Promissorii semper debeat esse talis.*
2 *Juramentum Promissorium in gratiam Dei factum confunditur cum Voto; adeoque ejus materia non solùm debet esse licita, & honesta; sed etiam non impeditiva majoris boni. Secus verò si fiat in gratiam hominum.*
3 *An materia juramenti possit esse aliquod impossibile?*
4 *An possit esse res indifferens?*
5 *An factum alienum possit esse materia juramenti Promissorii?*
6 *Factum alienum aliquando juratur non sub promissione, sed sub enunciatione.*

1 ID, circa quod Juramentum versatur, dicitur materia, & obiectum illius. Hæc autem materia in juramento Assertorio non semper est licita, & non peccaminosa: aliquando enim cogeris jurare grave delictum vel tuum, vel alterius cum veritate; quamvis tale delictum illicitum, & peccaminosum sit. Solùm ergo inquiri debet, an semper materia juramenti Promissorii, & licita, & non peccaminosa esse debeat? Communis Sententia est, & licitam, & non peccaminosam esse debere: eo quia injuria irrogaretur Deo, illum invocare in testem rei turpis, & illicitæ faciendæ, cum malum semper vitandum sit. Addo, juramentum non obligare, si illud, quod promittitur est peccatum, vel saltem non potest sine peccato adimpleri: juramentum enim non est Vinculum iniquitatis, nec obligare potest ad malum, ut constat *ex Cap. Quanto. De jur. jurand.* Sic Suarez, Sayrus, Valentia, Navarrus, Lessius, Sanchez, Filliuccius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *quæst. 1. de juram. punct. 4. num. 1.*

2 Quia tamen juramentum effici potest in gratiam Dei, vel in gratiam hominum; ideo advertendum est, quòd si in gratiam Dei fiat, cum voto confunditur; & consequenter non solùm debet esse de materia licita, & honesta; verumetiam quòd non sit impeditiva majoris boni, aliàs in gratiam Dei esse non poterit, ut rectè docuerunt Sotus *lib. 7. de just. quæst. 1. art. 3.* Navarrus *in Summ. cap. 12. num. 16.* Suarez *lib. 2. de juram. cap. 12. num. 11.* & Lessius *lib. 2. de just. cap. 12. dubit. 4. num. 20.* Si verò in gratiam hominum efficiatur; sufficit, quod res promissa honesta sit, quamvis majus bonum impediat: & ratio est, quia in promissione spectatur, quid gratius sit ei, cui promissio fit: cum igitur inter homines gratius aliquando esse possit minus bonum, ideo juramentum factum de minori bono in gratiam ipsorum obligare potest. Non autem sic in gratiam Dei, respectu cujus gratius esse nequit minus bonum. Excipitur ab hac doctrina promissio liberaliter facta de matrimonio contrahendo, quam non tenetur servare, si quis religionem ingredi voluerit; cum ob perfectionem status religiosi talis promissio liberalis habeat à jure imbibitam hanc conditionem, nisi statum meliorem elegero: ut expressè habetur *in Capit. Ex Publico, De Convers. Conjugat.*

3 Quæres 1. an materia juramenti possit esse aliquod impossibile? Resp. sive materia jurata sit aliquod impossibile in se: ut jurare, te volaturum ad sydera, occisurum hircocervum &c. sive aliquod possibile in se, sed impossibile juranti: ut pauperem jurare, se facturum domum auream filio, aut daturum mille scuta argentea Titio &c. grave peccatum esse: & ratio est, quia non potest reddere verum, quod juras; edeoque temere, & irreverenter adducis Deum in testem hujus. Requiritur ergo ad juramentum, ut materia, circa quam versatur, possibilis sit ipsi juranti; ut ex Doctoribus advertit Castropalaus *disp. 2. de juram. punct. 6. num. 1.*

4 Queres 2. an materia juramenti possit esse res indifferens? Resp. si juraști rem indifferentem nullo habito fine honesto: ut non refricare barbam, non deambulare in tali loco, non transire per talem viam, non ludere in tali domo, vel cum tali persona, aut non adire talem Officinam emendi causa; quia infaustam tibi reputes talem domum, talem personam, talem Officinam; non teneris ad juramentum servandum: eo quia juramentum est de re vana, & indifferenti; quid enim refert privare te ludo in tali domo, vel cum tali persona; si liber remaneas ad ludendum aliis in locis, & cum aliis Personis: sic docent Sanchez *lib. 3. Decal. capit. 9.* Suarez *lib. 2. de juram. capit. 16.* & Reginaldus *lib. 18. capit. 46.* Si verò res jurata non maneat indifferens, sed secum trahat aliquod bonum ob finem honestum tibi propositum; teneris ad juramentum servandum, cum materia apta sit ad juramentum: sic in exemplis allatis, si juras, nolle refricare barbam ob vanitatem vitandam, non deambulare in tali loco, non transire per talem viam ad evitandum periculum aliquod pravæ suggestionis; non ludere in tali loco, vel cum tali persona; quia sæpe expertus es in rixas incidere, vel gravem jacturam bonorum facere: idem dic de non adeundo talem Officinam, ubi in emendo periculum rixæ, vel alterius mali incurristi; teneris ad juramentum servandum: ut docent Navarrus *in Summ. capit. 12. numer. ult.* & Bonacina *quæst. 1. de juram. punct. 4. num. 2.*

Adnotandum hìc: quòd licèt res maneat indifferens, si tamen juramentum de ea factum sit in gratiam alterius; obligat, quamdiu ille non remittat obligationem: & ratio est, quia adimplere tale juramentum non est actus indifferens, sed virtutis, Veracitatis scilicet, & Fidelitatis; est quoque actus conservans propriam æstimationem, quæ stando promissis conservari solet. Insuper juramentum homini præstitum, quod absque salutis æternæ dispendio servari potest; necessariò servandum est, ut dicitur *in Cap. Quamvis de Pactis in 6.* cum quilibet curare teneatur, ne Deum videatur adduxisse in testem falsi. Sic Suarez *lib. 2. de juram. capit. 12.* Lessius *lib. 2. de just. capit. 42. dubit. 4. numer. 220.* & Sayrus *lib. 5. capit. 5.*

5 Quæres 3. an factum alienum, quod videlicet pendet à voluntate alterius; possit esse materia tui juramenti promissorii? Resp. si juramentum accipiatur, ut verba sonant; si promisisti e. g. cum juramento, Petrum contracturum matrimonium cum Joanna, soluturum debitum Titio, ingressurum religionem; grave peccatum esse, cum non possit esse materia tui juramenti & ratio est, quia, quod pendet ab alio, non est in tua potestate, cum non possis alterius voluntatem necessitare, illamque cogere; ideoque de re tibi impossibili juramentum præstas, nec adducis Deum in testimonium veri. Si verò accipiatur, ut communiter accipi solet, de promissione, quantum est ex parte tua, ut Petrus Matrimonium contrahat cum Joanna, solvat debitum Titio, aut Religionem ingrediatur; adeout potiùs jures factum proprium, quàm alienum, dicendum est, licitam, & validam esse materiam talis juramenti; adeoque obligaris ad ponendam

omnem curam, & diligentiam ex parte tua, ut factum alterius executioni mandetur, supponimus enim in tali facto, nullum adesse peccatum, aliàs peccato alieno cooperareris: & ratio est, quia juramento inest talis virtus, ut si actus non valeat eo modo, quo sonat; valeat saltem eo modo, quo valere potest: ut probant Guttierrez 2. *par. de juram. capit.* 2. *à num.* 3. & Covarruvias *de Pactis* 2. *par. §.* 6. *num.* 1. *versic.* 13. ergo si ex vi juramenti facti obligari nequis, ut cum effectu Petrus matrimonium contrahat, solvat, aut religionem ingrediatur; obligaris tamen ad procurandum cum diligentia ex parte tua. Quod decisum fuisse videtur *in Capit. Ex rescripto de jurejuran.* Quando quidam Monachi, & Sæculares jurarunt, Abbatem adimpleturum conventionem factam de pecunia solvenda; quibus interdicitur ingressus Ecclesiæ, si non fecerint adimplere juramentum, sicut jurarunt. Sic Glossa *verb. Inhibeatis*, & Abbas *ibidem*, Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 9. *numer.* 7. Suarez *lib.* 1. *de juramen. capit.* 10. *numer.* 4. & Castropalaus *de juramen. disput.* 2. *punct.* 6. *num.* 2.

6 Adnotandum hic ex Sanchez *l. c.* sæpe factum alienum jurari non sub promissione, sed sub enunciatione; & tunc sensus juramenti sic accipiendus erit: ut jurans credat, & persuasum sibi habeat, factum illud executioni mandandum: ad eum modum quo si jurares, cras futuram pluviam, ægrotum recuperaturum sanitatem; in quibus juramentis intendis enunciare, te ita credere, non vero te obligare; adeoque non teneris ad diligentiam præstandam. Quoties verò materia capax est diligentiæ propriæ, & non constat juramentum fuisse sub enunciatione; reputandum est sub promissione.

CAPUT VI.

Quod nam peccatum sit Juramentum Amphibologicum, aut fictum in Judicio; vel extra illud?

1 *Explicatur juramentum Amphibologicum.*
2 *In judicio, & in contractibus requirentibus firmitatem juramenti grave peccatum est.*
3 *Juramentum amphibologicum per restrictionem mentalem sive in judicio, sive extra illud sive cum necessitate, & utilitate, sive sine illis, semper est grave peccatum.*
4 *Juramentum amphibologicum sine restrictione mentali; sed verbis æquivocis efformatum cum necessitate, & honesta causa extra judicium, & contractum, non est peccaminosum.*
5 *An jurans in alio sensu sine restrictione mentali ab eo, quem auditores percipiunt, sed sine justa causa æquivocandi; teneatur ad juramentum?*
6 *An utens oratione amphibologica joci causa, illamque juramento confirmans mortaliter peccet.*
7 *Juramentum fictum tripliciter potest esse tale.*
8 *Grave peccatum est jurare in judicio vel extra illud sine animo jurandi, si falsum sit quod juratur, si tamen verum, grave erit in judicio, veniale extra illud.*
9 *Ex juramento facto sine animo jurandi non oritur obligatio ex vi juramenti in foro interno; sed oriri potest ex vi scandali.*
10 *Jurare sive in judicio, sive extra illud cum animo jurandi, sed non se obligandi est grave peccatum.*
11 *An ex tali juramento oriatur obligatio.*
12 *Animus se obligandi, nisi expressè excludatur à jurante includitur in animo jurandi.*
13 *Jurare cum animo jurandi, & se obligandi absque intentione adimplendi quod juratum est; sive fiat in judicio, sive extra, est grave peccatum.*
14 *An ex juramento sic facto oriatur obligatio?*
15 *Quid dicendum de juramentis factis à Parentibus minantibus filios; & juramentis factis urbanitatis gratia?*

1 JURAMENTUM Amphibologicum tunc dicitur, quando præstatur in alio sensu ab eo, quem audientes intelligunt. Jam verò tripliciter hoc evenire potest. 1. si aliqua Restrictio purè mentalis, & interna adhibeatur, quando videlicet in locutione verba spectata secundum se, & seclusis omnibus circumstantiis significant falsum, aut aliud ab eo, quod loquens habet in mente; quamvis si conjungantur cum eo, quod loquens habet in mente, vera sint: ut si in judicio, vel extra illud jurares, te non commisisse furtum, quod revera commisisti subintelligendo interiùs, & in mente tua, te non commisisse in loco judicii, vel coram judice, vel in ea hora, in qua interrogaris, aut quid simile. 2. nulla adhibita restrictione mentali pura, & interna, sed tantùm non pura, & externa, ac reali, quando videlicet verba, quamvis ex se unicum significatum habeant, secundum quem sint falsa; nihilominus ex circumstantiis, & adjunctis possunt aliud significare, itaut simul cum illis significantia possint esse vera: sic Judex pro Tribunali sedens si dicat, Titium accusatum esse innocentem, quem privata scientia, aut alia notitia incommunicabili sciat nocentem; verum dicit, cum circumstantiæ illæ significent, Titium accusatum reputari à Judice innocentem juridicè juxta allegata, & probata. Sic Christus Dominus dixit *Joann.* 7. *Non ascendam ad diem festum hunc.* Et quamvis ascenderit, verum dixit: nam verba ejus ex circumstantiis significabant, se non ascensurum publicè ad ostendendam Divinitatem suam miraculis, ut rogabatur à suis Fratribus, & patet ex Textu Evangelico citato. 3. adhibita Æquivocatione, quando videlicet verba duplicem significationem habent, & duplicem sensum facere possunt; alterum secundum se spectata falsum, alterum verum sub talibus circumstantiis, sub quibus apparet ea verba sumi posse: ut si jures, ac dicas, Titius non est in Triclinio, cum revera ibi sit, quamvis non comedat, accipiendo verbum *est* pro *comedit*. Nec Æquivocatio confunditur à Doctoribus cum Restrictione non pura mentali externa, & reali: verùm æquivocatio est in verbis duplicem significationem habentibus, restrictio vero non pura mentalis est in verbis unicam tantùm significationem habentibus, sed ratione adjunctorum, & circumstantiarum aliam habere possunt. Conveniunt tamen Doctores eodem modo illicitam esse æquivocationem, ac restrictionem non puram mentalem, quando sine rationabili causa adhibentur, cum tendant ad destructionem humani commercii. His declaratis

Dicendum 1. Juramentum amphibologicum in judi- 2
cio quando quis legitimè interrogatur, & in contractibus requirentibus juramenti firmitatem; grave peccatum esse: ratio est, quia veritatem occultare coram Judice legitimè interrogante utendo amphibologiis est operari contra obedientiam Superiori debitam in re gravi: insuper eludere obligationem insurgentem ex contractu per juramentum amphibologicum, est decipere proximum in re gravi; ergo grave peccatum erit: ut asserit Sanchez aliis relatis *lib.* 3. *in Decal. capit.* 7. *numer.* 1. Lessius *lib.* 2. *de Justit. capit.* 42. *dubit.* 9. *numer.* 46. & in hoc non est controversia inter Doctores. Sicuti nec inter ipsos controvertitur: loqui, & à fortiori jurare extra judicium, & contractum in alio sensu ab eo, quem auditores intelligant absque necessitate, vel speciali utilitate; esse peccatum. Cum talis modus loquendi destruat civilem, & politicam hominum conversationem; nec non sinceram locutionem, quæ in rebus præcipuè seriis requiritur. Sic enim per omnia locus daretur dolis, & mendaciis; nec ulli fides adhiberetur maximo cum reipublicæ detrimento. Sic Valentia, Lessius, Azorius, Suarez, Sayrus, Bonacina, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp.* 1. *de Juram. punct.* 7. *num.* 1.

Dicendum 2. juramentum amphibologicum per re- 3
strictionem purè mentalem, & internam sive in judicio, sive extra; sive cum necessitate, & utilitate, sive sine illis; grave peccatum esse: eo quia adducitur Deus in testem mendacii, quod superiùs statuimus, grave peccatum esse. Hæc sententia adeo indubitabilis, & certa est; ut opposita damnata fuerit ab Innocentio XI. quæ sic ajebat: *Si quis, vel solus, vel coram aliis; sive interrogatus, sive propria sponte; sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit; vel aliam viam ab ea, in qua fecit; vel quodvis aliud additum verum; revera non mentitur, nec est periurus.* Colligitur ergo ex definitione

Romanæ

Romanæ Cathedræ, quòd qui restrictione mentali pura, & interna utitur, & sub ea jurat; & mentiatur, & pejeret: ratio autem est, quia humanus loquendi modus non formatur per conceptus mentales, ut evenit in Angelis sic loquentibus, sed per voces: ergo ad hoc ut propositio vocalis vera sit, non debent attendi conceptus mentis, qui alteri non innotescunt; sed sola verba, & signa externa; ergo qui carnes manducavit die Jovis, & juramento asserit, se non manducasse carnes subintelligens mente die Veneris; usurpans hoc modo amphybologiam, & mendax est, & perjurus.

4 Dicendum 3. Juramentum amphybologicum nulla adhibita restrictione purè mentali interna, sed vel verbis æquivocis efformatum, aut restrictione mentali non pura externa, ex circumstantiis loci, temporis, vel personæ; si extra judicium; & contractum fiat cum necessitate, & causa honesta occultandi veritatem, non esse peccaminosum. Ut si illo utereris ad tuam, tuorumque salutem, honorem, aut rem familiarem conservandam; vel ne veritatem aperieres injustè te interroganti. Et ratio est, quia defectus judicii, qui in tali juramento haberetur, jam cohonestatur à causa justa interveniente occultandi veritatem. Sic Navarrus, Toletus, Suarez, Valentia, Lessius, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp.* 1. *de juram. punct.* 7. *num.* 4.

5 Inquires 1. an jurans in alio sensu ab eo, quem auditores percipiunt, non habita restrictione mentali pura, & interna; sed carente tantum justa causa æquivocandi, aut tergiversandi; teneatur ad juramentum servandum? Resp. ex vi juramenti teneri tantùm ad servandum illud in eo sensu, in quo juramentum protulit: & ratio est, quia juramentum ex natura sua obligat solùm juxta intentionem jurantis: ut constat *ex Cap. Humanæ aures*, 22. *quæst.* 5. ergo obligabitur ad servandum illud juxta suum sensum. Si tamen scandalum oriatur, aut damnum sequatur, si non servetur juxta sensum acceptum ab auditoribus; teneri ad servandum illud juxta talem sensum; non ex vi quidem juramenti, sed ratione scandali, & damni inde sequentis. Sic Suarez, Valentia, Sanchez, Lessius, Azor. quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *de juram. quæst.* 1. *punct.* 12. *num.* 6.

6 Inquires 2. an utens oratione amphibologica absque necessitate, & joci causa illam juramento confirmans: ut si quis assereret Titium suspensum fuisse ad fenestram, & propriis oculis vidisse Titium suspensum, quia ejus imaginem suspensam vidit ad fenestram; an inquam mortaliter peccet sic jurando? Resp. quamvis Navarrus, Armilla, Sayrus, & Toletus putent, peccare mortaliter sic jurantem, cum cadat juramentum supra materiam falsam. Nihilominus præciso semper scandalo, & damno probabilior videtur sententia opposita, quæ putat venialiter tantùm peccare: & ratio est, quia juramentum non cadit supra materiam falsam; sed supra veram, quamvis æquivocè explicatam. Insuper hoc Juramentum non erit majus illo, quod fit de re venialiter mala; sed juramentum de re venisliter mala est tantùm veniale peccatum; ergo & istud. Sic Cajetanus 2. 2. *quæst.* 99. Sanchez *in Summ. lib.* 3. *cap.* 6. *numer.* 22. Filliuccius *tract.* 25. *capit.* 11. *quæst.* 5. *num.* 331. & Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juram. punct.* 12. *num.* 10.

7 Dictum est huc usque de juramento Amphibologico; dicendum remanet de juramento Ficto. Jam verò tripliciter Fictio in juramento evenire potest 1. si juramentum fiat sine animo jurandi 2. si fiat cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi 3. si fiat cum animo jurandi, & se obligandi, sed sine animo adimplendi, quod juratum est. His explicatis.

8 Dicendum 1. jurare sine animo jurandi tam in judicio, quàm extra illud, si falsum est id, quod juras; esse grave peccatum: & ratio est, quia gravis irreverentia fit Deo, etiam secundum apparentiam, & nomine tenus illum invocare in testem falsi. Insuper si concedatur, non esse gravem culpam simulatè invocarè Deum in testem falsi; frustraretur finis in juramento intentus, qui est confirmatio veritatis; & magna inde sequerentur absurda. Sic Sotus, Cajetanus, Covarruvias, Petrus de Ledesma, Lessius, Suarez, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disput.* 1. *de juram. punct.* 8. *numer.* 4. Si tamen verum jures licèt cum animo non jurandi, si in judicio, & Contractibus fiat; grave peccatum esse, docent communiter Doctores teste Castropalao *loco citato num.* 5. & ratio est, quia deciperes judicem, & contrahentem tecum in re gravi; qui non solùm exposcunt à te jurante veritatem, sed etiam ut illam dicas sub Divino Testimonio, ut magis, magisque firmetur; esto nullum damnum inde sequatur. Si verò hoc fiat extra judicium, & extra materiam contractus, probabile est, non esse grave peccatum, sed veniale: & ratio est, quia non videtur fieri gravis injuria Deo, vel homini: licèt enim simulatè adducatur Deus in testem, non tamen adducitur in testem falsi. Sic Lessius, Sanchez, & Bonacina relati ab eodem Castropalao *l. c.*

Adnotandum hic: quòd ex juramento facto absque 9
animo jurandi non oritur obligatio in foro interno ex vi juramenti: quia cum non sit verum juramentum absque tali animo, non poterit inducere obligationem ex vi juramenti; quamvis inducat pro foro exteriori, quod accipit verba secundum suam significationem, & habet præsumptionem pro vero juramento, ut colligitur *ex Cap. Ex litteris de Sponsalib.* & docent Covarruvias *de Pact.* 1. *par.* §. 5. & Sanchez *in Summ. lib.* 3. *capit.* 10. *numer.* 11. Dictum est, non obligari ex vi juramenti pro foro interno; quia pro eodem foro obligari poterit ratione scandali, quod oriretur non servando juramentum factum; aut ratione damni inde sequentis proximo, cujus causa esset sic fictè jurans. Ita Lessius, Suarez, Azor. Cajetanus, Valentia, Sanchez, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disput.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juram. punct.* 7. *num.* 2.

Dicendum 2. jurare cum animo jurandi, sed abs- 10
que animo se obligandi, communis sententia docet, grave peccatum esse sive in judicio, sive extra illud: & ratio est, quia gravis irreverentia irrogatur Deo; adducere siquidem illum in testem, & nolle obligari ex testimonio, & auctoritate illius, gravis irreverentia est: ut docent Navarrus, Covarruvias, Suarez, Lessius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *disput.* 1. *de juram. punct.* 8. *num.* 6.

Utrum autem ex vi talis juramenti oriatur obliga- 11
tio pro foro interno, nam forum externum semper præsumit animum se obligandi, nisi aliunde nimis clarè constet; Iis est inter Doctores: nam Cajetanus, Suarez, Sotus, Lessius, Aragonius, Sayrus, Valentia, & Filliuccius relati à Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juram. punct.* 7. *num.* 3. putant, oriri obligationem ex vi juramenti. Oppositum sustinent Azor. Sylvester, Armilla, Sanchez, Angelus, Divus Bonaventura, Navarrus, Guttierrez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *loco citato* & Castropalaus *disput.* 1. *de juram. punct.* 8. *numer.* 7. horum sententia mihi videtur probabilior: & ratio est, quia juramentum sic factum pto foro interno, & coram Deo nullum est; ergo ex vi illius nulla oriri potest obligatio, probatur antecedens, quia obligatio vel est de natura ipsius juramenti, vel est passio necessariò consequens illam; si ergo jurare vis excludendo à tuo animo obligationem, non vis ponere juramentum, & consequenter simulatè juras. Quod confirmari potest paritate voti absque intentione te obligandi, & matrimonii contracti absque intentione te obligandi ad debitum reddendum, quæ nulla sunt. Insuper non accipit Deus juramenta hominum, nisi secundum intentionem ipsorum, ut habetur *ex Cap. Humanæ aures*, 22. *quæst.* 5. ibi enim sic dicitur: Divina judicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Si igitur ex intimis non profertur juramentum cum animo se obligandi, Deus non acceptat illud cum tali obligatione.

Ex dictis non infertur tamen, quòd ad hoc ut ju- 12
ramentum obliget, requiratur in jurante expressus, & formalis animus se obligandi; sed sufficit, quòd habeat animum jurandi, & voluntatem ponendi ea, quæ necessario ad juramentum requiruntur; & ea quidem includuntur in animo jurandi, nisi expressè excludantur; ut ex Suarez, & Sanchez docent Bonacina *disputat.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juramen. punct.* 7. *numer.* 4. & Castropalaus *disput.* 1. *de juram. punct.* 8. *numer.* 8.

Dicendum 3. jurare cum animo jurandi, & se obligan- 13
di; sine tamen animo, & intentione adimplendi, quod juratum est, sive hoc fiat in judicio, sive extra; grave peccatum esse: & ratio est, quia huic vero juramento deficeret

prima veritas, quod grave peccatum est. Insuper in ipso actu jurandi haberetur affectus ad peccatum: nolle siquidem præstare, quod præstandum est ex vi juramenti; est velle adducere Deum in testem falsi, quod est grave peccatum. Sic ex communi Sententia docent Lessius *lib. 2. de Just. capit. 42. dubit. 8. num. 42.* Suarez *lib. 3. de juram. capit. 17. à num. 7.* & Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 4. num. 16.*

14 Ex juramento hoc modo facto oriri obligationem, & quidem ex vi illius docent Lessius, Sanchez, Suarez, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juram. punct. 8. numer. 5.* ratio est, quia intentio, & animus adimplendi quod juratum est, non est de substantia juramenti, imò est quid consequens ad illam, eamque supponit; ergo etiamsi jurans non habeat animum adimplendi quod juratum est, dummodo habuerit animum jurandi, & se obligandi; perseverat substantia juramenti, cum nihil illi desit; adeoque remanebit obstrictus vinculo juramenti, quod est obligatio adimplendi juratum. Sicuti remanebit obstrictus vinculo contractus, & quidem ex vi illius Joannes, qui contractum celebravit solvendi centum aureos Petro, ad quos se obligavit, quamvis cum animo non solvendi. Imò bene advertit Bonacina *l. c. num. 6. in fine* ex Navarro, Suarez, Azorio, & aliis, novum esse peccatum non præstare postea, quod juravit præstandum: cum curare debeat, ne Deus in testem falsi adductus sit.

15 Sed queres hic: quid dicendum de juramentis, quæ passim fiunt à Parentibus filiis minantibus verbera, & à viris civilibus urbanitatis gratia cedendi quoad locum, honorem, & similia? cum fiant talia juramenta absque animo, & proposito adimplendi illa; & tamen à viris doctis non reputantur mortalia. Resp. meritò non reputari mortalia, quia semper subintelligitur conditio aliqua ipsis audientibus nota, quæ à falsitate excuset, & reddat vera juramenta; nam in comminatoriis à Parentibus factis semper intelligitur, nisi filius errata emendaverit, nisi veniam poposcerit per se, aut per alios; vel majus incommodum inde sequatur: in juramentis verò urbanitatis causa factis communiter subintelligitur, nisi alteri hoc nimis molestum fuerit, nisi habeatur expressa jussio, & similes conditiones, quæ in cæremoniis civilibus facilè intelliguntur: ut adnotavit Castropalaus *disp. 1. de juram. pun. 8. num. 3.*

CAPUT VII.

An possit exigi Juramentum ab eo, qui pejeraturus existimatur, aut juraturus per falsos Deos?

1 *Præmittuntur quatuor necessaria scitu.*
2 *Licitè exigi potest juramentum ab eo, qui pejeraturus censetur; aut juraturus per falsos Deos justa, & honesta causa interveniente.*
3 *Inferuntur quatuor ex dictis, & assignatur regula generalis ad licitam petitionem talis juramenti.*
4 *An exigi possit à determinato ad jurandum falsum, aut jurandum per falsos deos?*
5 *Nulla existente justa, & honesta causa grave peccatum erit tale juramentum exigere.*
6 *An exigi possit juramentum promissorium ab eo, qui censetur violaturus?*

1 UT certa ab incertis segregemus in hac controversia: sciendum 1. tamquam certum, numquam licere quavis urgente necessitate inducere alium ad jurandum falsum, vel jurandum per falsos Deos; cum hæc sint intrinsecè mala, adeoque nulla ratione cohonestabilia. Sic passim Doctores. Sciendum 2. nec licitum esse inducere alium ad testificandum falsum, quamvis ab ipso non cognoscatur ut tale. Sic Scholaris, qui probare debet, se interfuisse lectionibus pro majore parte anni, quibus revera non interfuit; non potest inducere Petrum ad hoc testificandum, quamvis Petrus reputet, hoc esse verum: & ratio est, quia licèt Petrus formaliter non pejeret, cum falsitatem illam non cognoscat; scholaris tamen, qui est causa periurii illius materialis respectu Petri; formaliter pejerabit: cum ipsi imputetur, cui est voluntarium, non Petro; & ex virtute Religionis tenetur quisque ad abstinendum à falso juramento facto à se ipso, vel per alium. Sic Azor. 1. *par. lib. 11. cap. 12. quæst. 2.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 18. num. 8.* & Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 8. numer. 10.* Sciendum 3. absque legitima causa illicitum esse exigere juramentum ab eo, quem scis falso juraturum, aut per falsos Deos; si paratus non inveniatur ad jurandum; constat *ex Cap. Ille, qui & ex Cap. Qui exigit. 22. quæst. 5.* Et ratio est, quia ex Lege Charitatis unusquisque tenetur non præbere proximo occasionem ruinæ; & ex Virtute Religionis tenetur etiam ne indirectè quidem causare perjurium. Sic Suarez, Sanchez, Lessius, Reginaldus, & Molina quos refert, & sequitur Castropalaus *de juram. quæst. 1. punct. 10. numer. 4.* Sciendum 4. quando moraliter non constat, alium esse juraturum falsum, aut per falsos Deos; posse juramentum exigi ab eo: & ratio est, quia etiamsi dubium habeatur de hoc; tamen præsumendum est de nemine delictum, nisi moraliter constet; secus numquam licitum esset juramentum ab alio exigere: ut docet Suarez alios referens *lib. 3. de juram. cap. 14. num. 9.* reputans improbabile contrarium, sic etiam Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 8. num. 9.* His præjactis

Dicendum 1. licitè posse exigi juramentum ab eo, 2
qui existimatur pejeraturus, aut juraturus per falsos Deos, si justa, & honesta causa habeatur illud exigendi: & ratio est, quia in petitione talis juramenti absolutè nil mali petitur, cum possit fieri optimè, & licitè à jurante sine perjurio, & invocatione falsorum deorum; quòd ergo cum mendacio, & cum invocatione falsorum Deorum fiat, hoc non erit tribuendum malitiæ exigentis juramentum, sed malitiæ ipsius jurantis, quam exigens juramentum non tenetur impedire cum suo detrimento. Sic D. Tomas, Cajetanus, Lessius, Salonius, Sanchez, Suarez, Reginaldus, Filliuccius, & Covarruvias; quos referunt, & sequuntur Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de jur. punct. 11. num. 1. & 2.* & Castropalaus *disp. 1. de juram. pun. 10. num. 9.*

Ex his infertur 1. Judicem licitè exigere posse jura- 3
mentum ab eo, quem scit pejeraturum, aut juraturum per falsos Deos; modo juramentum exigat absolutè, & in genere; non verò tali determinato modo, sive juramentum exigat ex officio, & via inquisitionis testium, sive ad petitionem partis. Infertur 2. Actorem posse pariter juramentum superiùs explicatum exigere, cum alia via non suppetat ad litem terminandam, fraudes detegendas, vel fidem adversarii minuendam. Infertur 3. quamlibet privatam personam, cui detrimentum aliquod notabile contingat, nisi juramentum exigat; petere posse simili modo juramentum: ut si Administrator rerum familiarium alicujus Principis indigeret ad suam diligentiam probandam in administranda re familiari juarmento Colonorum, quos scit pejeraturos; aut in promissione si exigatur à promittente juramentum, quamvis iste nec habeat animum implendi, & exequendi. Infertur denique, regulam generalem ad licitam petitionem juramenti ab eo, qui existimatur juraturus falsum, vel per falsos Deos; hanc esse: & quòd justa, & honesta causa intercedat exigendi illud, & quòd petatur absolutè, & non ea intentione, & animo, ut falsum juretur, aut per falsos Deos: sicuti in petitione mutui ab usurario, & petitione administrationis Sacramentorum à Ministro peccatore dicitur à Doctoribus.

Sed petes: quid dicendum, si scias aliquem deter- 4
minatum ad jurandum falsum, vel per falsos Deos, nec alio modo jurare velle; poteris ne tunc juramentum ab eo exigere existente honesta causa? Resp. quamvis existimet id licitum esse Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 8. numer. 27.* ductus paritate petitionis mutui ab Usurario, quem scis semper paratum ad usuras, nec alia via suppetat obtinendi mutuum ab illo, nisi sub usuris: quia tunc non petis actionem dantis mutuum sub usuris, sed petis mutuum, quod licitè fieri potest, esto quòd detur sub usuris, ad quas permissivè te habes, quasi dicendo: da mihi mutuum, quod mihi licitum est petere; & quia scio, te non daturum, nisi sub usuris; usuras permitto. Nihilominus probabilius puto, esse illicitum, & peccaminosum: ratio est, quia sic non petitur juramentum absolutè, sed iniquitate circumvestitum: si igitur juramentum est iniquum, & iniqua erit petitio ipsius. Nec favet paritas de mutuo, eo quia concessio mutui, & petitio usurarum distinguuntur inter se; adeoque poteris petere concessionem mutui, & permittere petitionem usurarum; secus verò in tali juramento sic expresso petitio non sistit in juramento præcisè, sed deflectit ad juramentum, quodcumque sit,

etiam

etiam falsum, & iniquum; quapropter iniqua erit, & injusta petitio ipsius. Sic Valentia, & Salon, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 1. de Juram. punct. 10. num. 10.*

§ Dicendum 2. nulla existente legitima causa, & honesta illicitum esse, & grave peccatum exigere juramentum ab eo, qui pejeraturus est, vel per falsos deos juraturus; nam de peccato veniali non controvertitur, quia saltem otiosè petitur: & ratio est, quia habetur obligatio sub gravi ex Charitate Dei, & proximi vitandi peccatum mortale proximi, cum possit sine gravi incommodo; ergo si nulla habetur honesta, & legitima causa, non poterit exigi tale juramentum: quod etiam attendendum erit ad petitionem mutui ab usurario, & ad petitionem administrationis Sacramentorum à malè administraturo. Sic Valentia 2. 2. *disput. 5. quæst. 21. pun. 4.* Molina *de Just. disp. 335. concl. 4.* Suarez *lib. 3. de juram. cap. 14. num. 16.* & Castropalaus *disp. 1. de juram. pun. 10. num. 7.*

6 Quæres hac occasione: an exigi possit juramentum promissorium ab eo, qui reputatur violaturus? Resp. pari modo ac de juramento Assertorio: nam si aliqua habetur legitima causa, & honesta petendi; poteris utique exigere juxta supradicta. Secus verò graviter peccabis, si nulla existat legitima causa petendi, cum semper urgeat præceptum Charitatis vitandi grave peccatum proximi. Sic expressè Suarez *lib. 3. de jur. cap. 14. num. 18.* Sanchez *lib. 3. in Decal. capit. 8. numer. 8.* & Castropalaus *disp. 1. de juram. punct. 10. num. 11.* Hinc deducitur à gravibus Doctoribus, non de facili exigenda esse à Confessariis juramenta, inducendo pœnitentes ad illa, vel vota; ut sic abstineant ab aliquo assueto crimine: cùm exponant illos periculo transgressionis, & aliunde alia remedia non deficiant, ut benè advertit *Textus in Cap. Clericos de Cohabit. Cleric. & mulier.* ubi expressè cantum vult, ne juramentum petatur à Clericis de dimittendis concubinis ob periculum violationis; & quia aliis remediis possunt juvari. Utendum igitur in his magna prudentia, cùm aliquando sanum consilium sit adstringere ad illa. Sicuti etiam magna cautela, & prudentia Confessarii inducere debent pœnitentes ad juramentum subeundi aliquam pœnam, si reincident in crimen assuetum, ob idem periculum transgressionis: cùm magis sanum consilium esset inducere illos ad imponendam sibimetipsis aliquam discretam, & aptam pœnam, quoties in reincidentiam labantur.

CAPUT VIII.

An Juramentum factum dolo, vel errore inducat obligationem?

1 *Dolus, & error versari possunt circa substantiam, vel circa qualitatem. Insuper circa Causam finalem, & motivam, vel circa impulsivam.*
2 *Juramentum ex dolo, vel errore circa substantiam rei promissæ non inducit obligationem.*
3 *Extenditur ad dolum, vel errorem concomitantem.*
4 *Juramentum ex dolo, vel errore circa qualitatem rei inducit obligationem.*
5 *Juramentum ex dolo, vel errore circa causam finalem, & motivam non inducit obligationem.*
6 *Inducit tamen ex dolo, vel errore circa causam impulsivam.*

1 DOLUS, aut error versari possunt vel circa substantiam, vel circa qualitatem: tunc versantur circa substantiam, cùm jurare quis credit de una re, quam postea comperit esse aliam: ut quando quis e. g. juravit, se daturum rem aliquam, quam putabat esse æream, cùm revera esset aurea; aut putabat esse vitrum, cum esset vera gemma. Tunc verò versantur circa qualitatem, quando res putatur affecta aliquibus accidentibus, quæ revera non sunt: ut cum quis juravit daturum vinum, quod putabat nigrum, & est revera album; aut equum, quem putabat strenuum, & est revera piger. Insuper dolus, & error versari possunt circa Causam finalem, & Motivam; vel circa causam impulsivam. Tunc versantur circa causam finalem, & motivam, quando jurans juxta prudentum virorum æstimationem non censetur juravisse, si dolum, aut errorem cognovisset. Tunc verò circa causam impulsivam, quando jurans cessante dolo, & errore juravisset quidem, sed non ita facilè, vel sic citò. His explicatis

Dicendum 1. juramentum factum dolo, vel errore 2
circa substantiam rei promissæ non inducere obligationem: & ratio potissima est, quia ad hoc ut juramentum obliget, requiritur in jurante consensus, & voluntas; sed quoties dolus, vel error versantur circa substantiam deest talis consensus, & voluntas, probatur hæc minor: eo quia jurans non intendit jurare rem illam, sed aliam; ergo deficit consensus, & voluntas. Sic Suarez *de jur. lib. 2. cap. 11. n. 7.* Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 11. num. 42.* & Filliuccius *tract. 25. capit. 6. quæst. 5. numer. 153. & 171.*

Extendit hoc etiam Bonacina *de juram. disp. 1. pun.* 3
8. *numer. 3.* ad dolum, & errorem concomitantem, quando scilicet jurans etiam cognito errore juravisset: eo quia in tali casu adhuc verificatur, quòd desit consensus positivus, & actualiter voluntarius. Nisi tamen substantia illa, circa quam dolus, & error versantur; sit dividua in partes; tunc enim juramentum obligabit ad eam partem, respectu cujus non adfuit error, vel dolus: cum respectu illius habitus fuerit consensus, ut supponitur; non verò respectu alterius partis, in qua fuit dolus, vel error.

Dicendum 2. juramentum factum dolo, vel errore 4
si error sit concomitans circa qualitatem rei inducere obligationem: ratio est, quia cum his stat consensus sufficiens, & voluntas requisita, ad hoc ut juramentum obliget: patet ex paritate contractus præcipuè in matrimonio, ubi error circa qualitatem non invalidat matrimonium initum: sic Titius contrahens matrimonium cum Berta putans illam pulchram, virginem, & divitem; si inveniat fœdam, defloratam, & pauperem, non potest recedere à matrimonio inito. Sic passim Doctores.

Dicendum 3. non obligare juramentum, quoties do- 5
lus, vel error versantur circa causam finalem, & motivam; quando scilicet jurans secundum prudentum existimationem non juravisset, si dolum, aut errorem cognovisset: & ratio est, quia jurans obligari non potest ultra mentem suam; si ergo prudenter censetur, non habuisse mentem sic jurandi, non poterit sic obligari. Adeoque Titius juramento se obligans ad emendam vineam Petri, quam bonam putabat; si inveniat vitiatam, & corrosam non obligabitur ad emptionem; nam talis dolus, vel error dat fundamentum viris prudentibus censendi, quòd Titius intentionem, non habuerit se obligandi ad talem emptionem: & ratio ulterior est, quia reducitur ad errorem, vel dolum circa substantiam.

Secus verò si error, & dolus versentur circa causam 6
impulsivam; juramentum obligabit: & ratio est, quia jam cessante dolo, aut errore jurans reputatur paratus ad jurandum; ergo jurabit juxta mentem suam, esto quòd non ita de facili, aut sic cito juravisset, si dolus, aut error non adfuissent. Sic jurans, se daturum vinum, quòd ex dolo, vel errore putabat messanense, quamvis revera esset Syracusanum, quod etiam dedisset, si sciviset, sed non ita facilè, & sic citò; obligabitur ex vi juramenti illius ad dandum vinum. Et ratio ulterior esse potest, quia dolus, & error circa causam impulsivam reducitur ad qualitatem. Sic Navarrus, Azor. Sanchez, Suarez, Filliuccius, & Sà, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juram. punct. 8. num. 4.*

CAPUT IX.

An juramentum per injuriam exactum, vel metu extortum inducat obligationem?

1 *Præmittuntur aliqua de juramentis factis cum promissione lucri ultra sortem.*
2 *Jurans solvere usuras, aut stare contractui, in quo læsio habetur ultra medietatem justi pretii, tenetur ad juramentum servandum, nisi fuerit relaxatum.*
3 *Relaxato juramento possunt statim repeti usuræ solutæ, nisi aliud juramentum præstitum fuerit de eis non repetendis, quod etiam relaxari debet.*
4 *An non obstante juramento de non repetendis usuris poterit denunciari Prælato Usurarius.*
5 *Juramentum metu non solùm levi, sed etiam gravi extortum validum est jure naturali.*
6 *Juramentum metu gravi extortum, si versetur circa rem licitam, & honestam, & absque, dispendio æternæ salutis; obligatorium est jure Ecclesiastico, & naturali.*

7 *Adnotantur aliqua circa obligationem hujus juramenti.*

8 *Quamvis jus Civile asserat, juramentum metu gravi extortum non inducere obligationem; videtur tamen correctum à Canonico.*

10 *Obligatio Juramenti metu extorti est ne sub gravi, an sub levi?*

10 *An ex metu gravi jurans teneatur rem juratam adimplere, si postea dubius sit de animo se obligandi, quando juravit?*

11 *An jurans reditum ad carcerem teneatur juramentum servare?*

12 *Si inscius erat, dum juravit, tanti periculi, quod postea agnoscit in reditu; non tenetur redire.*

13 *An possit hoc juramentum ab Episcopo relaxari?*

14 *Relaxatio juramenti injustè exacti nequit fieri, si grave scandalum contra Religionem Catholicam sequatur.*

1 PRO prima parte dubietatis propositæ afferri solent Casus passim emergentes in materia de Usuris, quando scilicet mutuum exigit à mutuatario sub promissione jurata lucrum ultra sortem; aut vendens obligat emptorem sub juramento ad non rescindendum contractum factum, etiamsi habeatur fallacia ultra dimidietatem justi pretii. In quibus casibus controvertitur à Doctoribus, an ex similibus juramentis oriatur obligatio servandi jusjurandum. Præmittendum tamen est 1. tamquam certum in casibus allatis, quòd secluso juramento non possit haberi obligatio ex vi promissionis: & ratio est, quia ex vi promissionis non poteras obligari nisi promissario; sed hic ex tali promissione nullum jus acquirit, cum semper malè petat, & malè recipiat, quod promissum fuit; ergo non oritur obligatio ex vi promissionis. Solùm igitur remanet, quòd obligeris ex vi juramenti, ut constat apertè *ex Cap. Debitores de Jurejuran.* & docent Panormitanus *in dict. cap.* Felinus, & alii relati à Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 9. num. 5.* Præmittendum 2. solutionem promissam usurarum, licet mala, & illicita sit respectu recipientis usuras; non esse tamen malam, & illicitam respectu solventis illas; imò posita illarum promissione esse actum bonum solvere: cùm spectet ad fidelitatem, & veritatem adimplere, quod promissum est, præcipuè si cum juramento hoc firmatum fuerit. Quod non solùm intelligitur, quando promissio usurarum facta fuerit ob finem honestum, impendendi scilicet mutuum ad redimendam vexationem creditorum, vel quid simile; verum etiam ob finem inhonestum, impendendi videlicet mutuum in ludo, cum meretricibus &c. Cum semper ad fidelitatem, & veracitatem spectet stare promissis, illaque adimplere; dummodo promissarius promissionem jam factam non remittat: ut docent Guttierrez *de Juram. Confirm. capit. 2.* Suarez *l. c. numer. 10. & 11.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 11.* & Castropalaus *de Juram. punct. 3. num. 4.* His præmissis

2 Dicendum 1. tàm jurantem solvere usuras, quàm jurantem stare contractui, in quo læsio habetur ultra medietatem justi pretii; obligari ad servandum jusjurandum, si non fuerit relaxatum: & ratio est, quia licèt secluso juramento non habeatur in casibus relatis obligatio solvendi usuras, & standi contractui; nihilominus præstito juramento urget obligatio servandi illud, maximè cùm ejus observatio non cadat in dispendium æternæ salutis, ut expressè habetur *in Capit. Cum contingat. de Jurejur.* hoc est, cùm juramentum non est de re illicita; ergo si neque illicita est juranti solutio usurarum, neque contractum cum illa læsione servare; obligabitur ad juramentum servandum, cùm hoc ad fidelitatem, & veracitatem spectet. Et quidem quoad solutionem usurarum, in qua major habetur difficultas; definitum est *in Capit. Debitores de Jurejur.* ubi dicitur, quòd debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverunt (simplici scilicet promissione) cogi non debent; si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.

3 Cum hoc tamen stat, quòd statim possis repetere solutas usuras: & ratio est, quia jam satisfactum est juramento, ob reverentiam cujus solutio facta est; imò Ecclesiastica severitate compelli possunt Creditores ad eas restituendas, si necesse fuerit; ut expressè habetur *in eod. Capit. Debitores*. Si verò juramentum esset non solùm de Usuris solvendis, verum etiam de ipsis non repetendis; tunc repeti non possunt, nisi impetrata priùs hujus secundi juramenti relaxatione: quia urget ratio superiùs allata de juramento servando, dummodo non sit in dispendium æternæ salutis, hoc est de re illicita: cùm igitur illicitum non sit non repetere usuras; inde est, quòd obligatio juramenti urgeat. Sic Suarez, Sanchez, Covarruvias, & Guttierrez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Juram. disp. 2. punct. 3. num. 8.*

4 Petes hic: an non obstante hoc secundo juramento de non repetendis usuris possis denunciare Prælato, ut vel juramentum relaxet, vel compellat usurarium ad reddendas perceptas usuras? Resp. affirmativè: ratio est, quia juramentum non fuit de non denunciando, sed de non petendo usuras, adeoque nil fit contra juramentum. Quòd si etiam juramentum de non denunciando factum fuerit; tunc non obligabit tale juramentum, cùm sit de re illicita; ut docet Div. Thomas 2. 2. *quæst. 89. art. 7. ad 3.* eo quia denunciatio non tendens ad vindictam, sed ut alius, quod malè retinet, restituat, & à peccato injustitiæ recedat; virtus est, & sæpe obligatoria; ergo juramentum de illa non facienda erit de re illicita.

5 Pro secunda parte dubietatis propositæ, an videlicet juramentum metu extortum inducat obligationem, præmittendum est, controversiam non procedere de metu levi, cùm facilè superari possit; sed de metu gravi: nec procedere attento jure naturali, cùm spectato tali jure validum sit juramentum metu extortum: & ratio est, quia metus non tollit voluntarium, quod ad juramentum requiritur, quamvis illud minuat. Procedit ergo quæstio spectato Jure positivo.

6 Dicendum cum Communi sententia: quodcumque juramentum metu gravi extortum obligatorium esse, dummodo versetur circa rem licitam, & absque dispendio æternæ salutis servari possit: ratio est, quia sic habetur *in cap. Si vero de Jurejur. & in Cap. Verum eod. tit. ac Cap. Ad audientiam. De iis, quæ vi, & metu*, ubi coactum metu gravissimo ad jurandam juris sui renunciationem, censuit Pontifex, non esse tutum contra juramentum suum venire; nisi tale esset, quod servatum vergeret in interitum salutis æternæ, ergo secundùm Canones juramentum metu extortum vim habet obligandi, dummodo non vergat in interitum salutis æternæ. Et ratio ulterior esse potest, quia jure naturali tenemur servare, ut verum fit illud, quod juramus, ne ipsum Deum adducamus in testem falsi, maximè cùm nil resultet contra salutem æternam juranti servando juramentum, quamvis metu gravi extortum fuerit. Sic D. Thomas, Navarrus, Cajetanus, Covarruvias, Molina Jurista, Molina Theologus, Sanchez, Lessius, Suarez, Guttierrez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 2. de Juram. pun. 4. num. 3.*

7 Adnoto hìc 1. cum Bonacina *quæst. 1. de Juram. pun. 9. num. 1.* ex Bartolo, Suarez, & Filliuccio, Juramentum hoc esse introductorium obligationis, non verò confirmatorium, quatenus introducit obligationem, ne Deus in testem falsi adducatur; non tamen confirmat promissionem, quæ nullum robur habet. Vel ut alii clariùs explicant, inducit obligationem erga Deum, non verò erga hominem, cui fit promissio, cùm homo per injuriam nullum jus acquirere possit. Adnoto 2. cum Castropalão *disp. 2. de Juram. pun. 4. num. 10.* obligationem hujus juramenti non solùm urgere pro foro interno conscientiæ, verum etiam pro foro externo, & judiciali: ratio est, quia *Cap. Debitores, Cap. Si verò de Jurejur. & Cap. Abbas Capit. Ad audientiam de iis, quæ vi, & metu*, de foro externo sermonem habent; ergo etiam pro foro externo inducunt obligationem. Ratio quoque formalis, ob quam juramentum obligat, quando videlicet potest servari absque dispendio salutis æternæ; non solùm pro foro interno, verùm etiam pro externo æquè procedit; ut pariter docet Basilius Legionensis *lib. 12. de Sponsal. cap. 8. num. 73.*

8 Ex quamvis spectato jure Civili satis probabile videatur, juramentum metu gravi extortum nullam inducere obligationem; ut colligitur *ex Authent. Sacramenta puberum Cod. Si adversus venditionem*, Nihilominus communis sententia docet, teste Sanchez *lib. 4. de Matrim. disput. 20. numer. 5. in solutione secundi argumenti*, in hoc jus Civile correctum fuisse à Canonico *in Capit. Si verò, & Capit. Verum de Jurejurando*, nisi velimus dicere, jus Civile loqui de firmitate contractus, quem omnino infirmat per juramentum metu extortum, non verò de obligatione

quæ

quæ oritur ex vi ipsius juramenti : maximè quia in materia juramenti , utpote spirituali , potiùs standum Juri Pontificio, quàm Cæsareo.

9 Quæres 1. quanta sit obligatio juramenti metu extorti, sub mortali scilicet, an sub veniali ? Resp. si materia jurata gravis sit, sub mortali inducere obligationem, quidquid in contrarium dixerit Angelus, putans inducere obligationem sub levi ; si verò materia levis sit, inducere obligationem sub levi ; & ratio est, quia ostendere se infidelem in re gravi, gravis irreverentia est in Deum ; neque minuit talem gravitatem irreverentiæ metus injustè incussus , cum Deus non intulerit illum. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 3. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 18. Navarrus *cap.* 12. *num.* 14. Covarruvias 4. *Decret.* 2. *par. cap.* 3. §. 5. *num.* 4. Sanchez *lib.* 3. *Summ. cap.* 11. & Castropalaus *disp.* 2. *de Juram. pun.* 4. *num.* 12.

10 Quæres 2. an jurans ob metum gravem teneatur rem juratam adimplere, si postea dubitet, an habuerit animum se obligandi, quando juravit ? Resp. affirmativè , quia possessio stat pro juramento : nam pro illo stare videtur possessio, pro quo stat præsumptio juris, sed forum utique judicaret in favorem juramenti, quia probato facto præsumitur, interveniisse omnia ad illud requisita *ex Cap. In præsentia, de Probat.* si ergo constat de juramento, præsumendum est, omnia requisita ad illud interveniisse, & consequenter adfuisse animum se obligandi. Sic Covarruvias 4. *Decretal.* 2. *par. cap.* 3. §. 5. *nu.* 3. Sanchez *libr.* 1. *de Matrim. disputat.* 9. *numer.* 13. & Bonacina *disputat.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de Juram. punct.* 9. *numer.* 4.

11 Quæres 3. an juramentum præstitum de redeundo ad carcerem inducat obligationem, servandi illud ? Resp. extra controversiam esse, inducere obligationem, si carcer justus sit : cum talis reditus & honestus sit, & fidelitati, & Religioni, ac Justitiæ debitus. Solùm igitur controversia versatur in eo, quando licèt carcer justus sit, probabiliter timet jurans, injustè vexandum esse ; aut quando carcer est absolutè injustus. Negativam sententiam sustinent Covarruvias, Plaza, Basilius Legionensis, Guttierrez, Vasquez, Navarrus, & Reginaldus relati à Castropalao *disputat.* 2. *de Juram. punct.* 4. *numer.* 14. moventur, quia tale juramentum de redeundo est illicitum, utpote oppositum propriæ Charitati dictanti fugiendum esse periculum vitæ ; ergo non inducit obligationem. Insuper reditus non est licitus, nec honestus, cum subministret Tyranno occasionem injustæ vexationis, nec est actus fidelitatis, quia fides non debetur iniquè expostulanti illam ; neque tandem est actus fortitudinis, cum non sit fortitudo sic vitam irrationabiliter prodigere. Affirmativam sententiam sequor, quam docent Suarez, Toletus, Sanchez, Lessius, Angelus, Filliuccius, Layman, *quos referunt*, & sequuntur Castropalaus *loc. cit.* & Bonacina *quæst.* 1. *de Juram. pun.* 9. *numer.* 2. & ratio est, quia reditus factus ob finem servandi juramentum, & fidem juramento firmatam est actus Veracitatis, fortitudinis, & patientiæ ; ergo nisi juramentum relaxetur, servari omnino debet. Probatur antecedens solutione rationum pro adversa sententia allatarum, quibus solutis remanet, quòd reditus juratus sit licitus, & honestus, adeoque inducens obligationem ut servetur. Ad 1. rationem respondetur, quòd licèt secluso juramento teneatur quis ad fugiendum periculum injustæ mortis, vel similis mali imminentis ; non tamen obligatur posito juramento : cum fides data per juramentum sit actus veracitatis, fidelitatis, & Religionis, imò & propriæ Charitatis, cum sic proprium honorem tueatur observando fideliter promissa jurata ; ergo inducit obligationem servandi, quod juratum est. Ad 2. respondetur, non subministrari Tyranno occasionem injustæ vexationis ; hanc enim antea ex sua malitia Tyrannus acceperat, & suspensam per juramentum restitui ; ideoque non datur : imò rediens ad carcerem intendit bonum finem, nempe servare fidem datam, & juratam ; nec dat occasionem peccandi Tyranno, esto ille ex sua malitia occasionem accipiat. Ad 3. respondetur, reditum illum esse verum actum fidelitatis, & fortitudinis ; fidelitatis, quia adest rationabilis causa exponendi se vitæ periculo : nam ut bene probat Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 9. *dubit.* 6. ex rationabili causa hoc decet ; imò non est propriè conjici in vitæ periculum, quia antea habebatur, & solùm per juramentum suspensum fuit. Fortitudinis, quia firmiter servantur promissa jurata : nec est sic vitam prodigere, aut se occidere redeundo ; sed solùm ex rationabili causa exponere se vitæ periculo, ut dictum est : neque tandem fides cum hac fortitudine servatur injustè expostulanti illam, sed Deo, qui in testem vocatus fuit.

Adnotandum hic : si quando juravit quis secum re- 12
ditum ad carcerem, inscius erat tanti periculi, quod postea esse cognoscit ; utique non obligabitur ad redeundum : & ratio est, quia *supervenit* notabilis mutatio in materia jurata, ad quam jurans non se obligavit : habet siquidem juramentum hanc tacitam conditionem sibi imbibitam, nisi notabilis mutatio superveniat. Sic Suarez *lib.* 2. *de Juram. cap.* 10. *num.* 16. & Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 11. *num.* 34.

Rogabis : an possit hoc juramentum relaxari ab Epis- 13
copo ? Resp. si adsit legitima causa, ut si inique postulatum fuerit juramentum, quia carcer injuriosus est, vel injusta pœna timeatur ; posse utique ab Episcopo relaxari ; uti dici debet de juramento metu gravi extorto : & ratio est, quia ex vi *talis juramenti nullum* jus acquiritur ab exigente illud, sed à Deo, qui ob iniquitatem commissam, vel committendam à Tyranno facultatem dat Prælatis relaxandi similia *juramenta* sibi facta. Nec obstare potest damnum inde secuturum Custodi, quia per accidens est : ut docent Suarez *libr.* 2. *de Juram. cap.* 10. *num.* 16. Rodriquez 1. *tom. Summ. cap.* 40. *num.* 3. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 11. *num.* 35. Sà *verb. Juramentum. num.* 11. & Castropalaus *disput.* 2. *de Juram. pun.* 4. *num.* 17. Secus verò dicendum, si juramentum fuerit justè expostulatum, nec carcer injuriosus, neque *injusta* pœna timeatur : & ratio est, quia relaxatio vergeret in damnum Judicis, & Custodis, qui jam acquisierunt jus retinendi in carcere, & huic juri cesserunt per *juramentum justè exactum* ; nequit ergo tolli juramentum per relaxationem, sicuti non potest tolli jus acquisitum detinendi in carcere, cujus loco subrogatur juramentum. Et hoc est discrimen, cur relaxari poterit juramentum injustè exactum, non verò si justè exactum fuerit ; quia in primo casu non acquiritur jus ab exigente illud, sed solùm à Deo ; in secundo verò casu acquiritur ab exigente, & à Deo. Sic Sanchez *l. c. num.* 36.

Advertendum hic ex Sanchez, & Suarez citatis, do- 14
ctrinam superiùs traditam de relaxatione juramenti injustè exacti intelligendam esse, *quando non sequatur* ex relaxatione grave scandalum, & gravis irrisio contra Religionem Catholicam. Sic qui captivus inter Turcas juravit reditum ad captivitatem, vel immissionem pretii ad suam redemptionem ; utique tenebitur ad juramentum servandum, nec relaxari poterit : cum ejus observantia maximè cedat in bonum commune fidei Catholicæ, & Religionis ; quamvis captivitas injusta fuerit, & injustè expostulatum juramentum.

CAPUT X.

De Nonnullis Juramentis, quorum materia dubia est, an sit licita, adeoque an inducat obligationem.

1 *An Juramentum non ludendi sit licitum, & obligans ?*
2 *An Juramentum non mutuandi, aut fidejubendi inducat obligationem ?*
3 *An Juramentum non emendi cariori pretio, aut non vendendi minori pretio obliget ?*
4 *An obliget Juramentum non accusandi, aut denunciandi delinquentes ?*
5 *An Juramentum accusandi, vel denunciandi aliorum crimina obliget ?*
6 *Quomodo obliget Juramentum præstitum à Medicis monendi infirmos, ut confiteantur ?*
7 *An Juramentum factum contra Promissionem, Votum, aut aliud Juramentum obliget ?*
8 *An valeant gesta, & actus, qui fiunt contra obligationem juramenti præstiti ?*

QUÆRES 1. an Juramentum non ludendi licitum 1
sit, & an inducat obligationem ? Resp. si absolutè factum sit juramentum de non ludendo, quamvis Navarrus *cap.* 12. *num.* 11. & Rodriquez 1. *tom. summ. cap.* 189. *num.* 20. putent non inducere obligationem, cum non sit de materia licita : nam ludus moderatus tum in tempore, tum in quantitate actus est Virtutis, quando assumitur in levamen naturæ, spectat enim ad Eutropeliam, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 168. *art.*

art. 3. in Corp. Nihilominus certum puto inducere obligationem, saltem prout importat ludum immoderatum tum in tempore, tum in quantitate. Cum enim dividua sit materia Juramenti hujus, nempe ludus immoderatus, & moderatus; prout dicit ludum immoderatum, materia juramenti absque dubio licita erit, & obligatoria. Nec dissentire videntur Doctores supracitati, qui simul cum Sanchez *in Summ. lib. 3. cap.* 18. *num.* 2. Reginaldo *lib.* 18. *num.* 47. Bonacina *de Juram. quæst.* 1. *pun.* 16. *num.* 4. & Castropalaus *disp.* 2. *de Juram. pun.* 7. *num.* 2. sustinent, juramentum sic absolutè prolatum de non ludendo intelligendum esse de ludo immoderato: & ratio est, quia licèt juramentum ex natura sua inducat obligationem; nihilominus restringendum per hoc ipsum erit, & interpretandum quoad fieri potest, ut minorem inducat obligationem *ex Leg. Quidquid adstringendæ, ff. de verbor. obligat.* Sic Abbas *in Cap. Cum. Clerici, de verbor. signific.* Quòd si constet ex mente jurantis per illud juramentum absolutè prolatum voluisse comprehendere etiam ludum moderatum; dicendum est contra Navarrum, & Rodriquez citatos, tunc etiam obligare juramentum ad abstinentiam à ludo moderato: & ratio est, quia licèt ludus moderatus recreationis honestæ causa susceptus sit actus virtutis; nihilominus potest esse perfectior actus virtutis ejus omissio, privare scilicet se honesta illa recreatione ob pœnitentiam, carnis mortificationem, & ut meliùs tempus insumatur in vacando Deo. Sic Sanchez, Bonacina, & Castropalaus *l. c.* Regula autem dignoscendi, an in juramento absolutè prolato de non ludendo comprehendatur etiam ludus moderatus; erit respicere ad finem, & intentionem, quam habuit proferens juramentum. Si enim juravit ob intentionem vitandi prodigalitatem pecuniæ, & jacturam bonorum, vel fugiendi rixas, blasphemias, ac juramenta inconsiderata, & similia mala; clarè apparet, non comprehendisse ludum moderatum, cum ex illo non oriantur hæc mala. Si verò juravit ex ea intentione, ut talli delectatione careret, & temporis jacturam non faceret, sed ad sua negotia pertractanda seriò incumberet, vel ad res Divinas expeditior inveniretur; utique comprehensus videtur in juramento ludus moderatus, & honestus; à quo tenetur abstinere jurans juxta superiùs dicta.

Adnotandum hic: cum, qui absolutè juravit non ludere; non solùm non posse ludere propter se, verum etiam propter alios: & ratio est, quia ludus susceptus propter alios est propriè ludus, à quo juravit se abstinere. Secus verò dicendum (nisi tamen aliud colligatur ex mente jurantis) si traderet alteri pecuniam ad ludendum propter se, ipsumque in ludendo aspiceret: quia non protulit juramentum de non tradendo alteri pecuniam, aut de non inspiciendo ludentes; sed de non ludendo; adeoque hoc, non illa sub materia promissa comprehenditur. Sic Sanchez, Bonacina, & Castropalaus *locis citatis.*

Si denique Juramentum non ludendi factum sit non absolutè, sed sub aliqua determinatione, an inducat obligationem; deducendum erit ex fine, quem habuit jurans. Nam si finis habitus honestus sit, utique obligationem inducet. Non sic verò, si vanus, aut superstitiosus sit; aut alio modo illicitus: v. g. juravit quis non ludere cum hac determinata persona, hoc determinato ludi genere, in hac determinata domo &c. si finis sic jurantis fuerit, quia ludens cum hac determinata persona facilè in rixas, & jurgia devenit; aut ludens hoc determinato ludi genere longum tempus, & magnam bonorum jacturam fecit; aut habet promptas occasiones prorumpendi in jurgia, & blasphemias, si in hac determinata domo ludat; utique juramentum factum inducet obligationem, ut pote respiciens materiam honestam, & utilem. Si verò finis fuerit vanus, & superstitiosus, vel malus, quia in vindictam, & in signum malevolentiæ juravit non ludere cum hac persona, vel in illa domo; non inducet obligationem: quia juramentum non debet assumi in fomentum iniquitatis. Sic iidem Doctores superiùs citati.

2 Quæres 2. an juramentum non mutuandi, nec fidejubendi inducat obligationem? Resp. si juramentum hoc factum fuerit ex motivo honoris Dei, & propriæ utilitatis; erit irritum, & nullam obligationem inducet: & ratio est, quia non potest cedere in honorem Dei, quod est contra misericordiam, & Charitatem, & aliquando contra Præceptum subveniendi proximo. Nec propria utilitas, quæ habetur ex non mutuatione, & fidejussione, ex quibus sæpe sæpius gravis bonorum jactura sequitur; prævalet majori bono quod est in mutuatione, & fidejussione, præcipuè si aliqua non levis proximi necessitas urgeat. Sic expressè Suarez *lib.* 2. *de Juram. cap.* 17. *num.* 12. Abbas *in Cap. Si verò de Jurejur. nnm.* 9. Covarruvias *de Pactis* 1. *par. §.* 6. *num.* 7. Navarrus *cap.* 12. *num.* 16. & Sanchez alios referens *lib.* 4. *de Voto, cap.* 9. *num.* 18. Si tamen juramentum non mutuandi, nec fidejubendi factum sit in favorem tertii, quia videlicet sic voluere filii, Uxor, Creditores? Resp. cum distinctione: ante illorum acceptationem revocari posse tale juramentum ad libitum; ad eum modum quo dicitur de Promissione, cujus naturam sequitur, quæ quidem vim non habet, antequam acceptetur ab eo, in cujus gratiam fit. Post acceptationem tamen tenere juramentum, ac obligationem inducere, ut servetur in illis casibus, in quibus mutuatio, & fidejussio non sit ex obligatione: & ratio est, quia juramentum in utilitatem tertii factum, & ab eo acceptatum servari deber, quoties in dispendium salutis æternæ non vergit, nec ab illo tertio relaxatum fuerit. Sic Castropalaus *de Juram. disp.* 2. *pun.* 7. *§.* 2. *num.* 2.

Quæres 3. an juramentum non emendi cariori pretio, 3
nec vendendi minori pretio teneat, ac inducat obligationem? Resp. negativè: & ratio est, quia hæc juramenta passim emissa à Mercatoribus, cum neque respiciant honorem Dei, nec proximi utilitatem; inde est, quod non habeant materiam requisitam ad juramentum. Nec propria utilitas, in cujus bonum cederent, est caput sufficiens inducendi obligationem, cum jurans de facili ipsi cedere possit. Sic Sanchez *lib.* 3. *Summ. cap.* 9. *num.* 15. Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de Juram. punct.* 4. *num.* 2. & Castropalaus *de juram. disp.* 2. *pun.* 7. *§.* 2. *num.* 4.

Quæres 4. an Juramentum non accusandi, nec de- 4
nunciandi delinquentes obliget? Resp. si factum sit generaliter de non accusando, nec denunciando delinquentes quoscumque, certum est, esse de materia illicita, adeoque non obligatoria. Si verò factum sit de non accusando, nec denunciando delinquentem aliquem determinatum; respondendum est cum distinctione: vel juramentum factum est ante commissum delictum, vel post illud commissum; insuper post commissum delictum non emendatum, vel jam emendatum. Si juramentum factum sit ante delictum, vel post illud non emendatum; solùm inducit obligationem non accusandi, nec denunciandi circa aliquod, cui jurans cedere potest: sic jurans latroni non accusare illum apud Judicem de rapina sibi facta, tenebitur ad servandum hoc juramentum, prout spectat ad rapinam sibi factam, cui cedere potest. Non inducit tamen obligationem servandi illud, prout spectat ad publicam vindictam, & ad bonum commune Reipublicæ; maximè si præcepto superioris obligetur ad accusandum: sic enim tribueretur occasio latronibus liberiùs peccandi, cum securi essent, non fore accusandos. Si verò factum sit juramentum post delictum commissum, & jam emendatum, & delinquens acceptavit illud; obligabit ad observantiam: quia sola satisfactio propriæ injuriæ poterat cohonestare accusationem, sed jam per juramentum huic satisfactioni ceditur. Nisi tamen præcepto Superioris urgearis ad accusationem, vel denunciationem faciendam: nam inferior non potuit se juramento obligare ad aliquid contra præceptum Superioris. Sic Sanchez, Suarez, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juram. pun.* 4. *num.* 3. & Castropalaus *de juram. disp.* 2. *pun.* 7. *§.* 3. *num.* 2. Adnotandum tamen hic cum Castropalao *l. c. num.* 3. ex Panormitano, Suarez, & Lessio, si bono communi, & publicæ vindictæ satisfieri potest per denunciationem, & juramentum fuit de non accusando; utique non habetur obligatio accusandi: quia juramentum factum in favorem tertii jam servari potest absque dispendio æternæ salutis.

Quæres 5. an juramenta facta accusandi, vel denun- 5
ciandi aliorum crimina inducant obligationem? Resp. frequenter hæc juramenta fieri calore rixæ, & animo sumendi vindictam; ac proinde non esse obligatoria, cum sint de re illicita. Unum adnotandum, quòd si hic animus esset de vindicta gravi sumenda, grave peccatum esset, non solùm contra Charitatem proximi ob grave malum, quod illi desideraretur, verum etiam contra Religionem: cum Nomen Dei invocaretur ad confirmandum propositum vindictæ. Pueri tamen jurantes

rantes accusare alios penes Parentes, vel Magistros; regulariter peccant venialiter, quia etsi jurent ex animo vindictæ, non est tamen gravis. Sic etiam dicendum de Parentibus, Dominis, & Magistris artium jurantibus castigare filios, servos, & famulos: quia ut plurimum animo vindictæ emittunt juramenta; cum tamen vindicta illa non soleat esse gravis, ideo venialem culpam non excedit. Sic Lessius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de juram. disp. 2. punct. 7. §. 3. numer.* 5.

6 Quæres 6. quomodo obliget juramentum præstitum à Medicis monendi infirmos, ut confiteantur? Ob meliorem hujus quæsiti intelligentiam sciendum est: quòd Innocentius III. *in Cap. Cum infirmitas. de Pœnit. & Remiss.* districtè præcipit Medicis, ut ad infirmos vocati, eos ante omnia moneant, ut medicum animarum advocent. Decretum hoc innovavit S. Pius V. *per suam Constitutionem*, quæ incipit: *Super gregem Domini*, præcipiens pariter Medicis, ut ad infirmos vocati eos ante omnia de confessione facienda moneant; neque eos tertio die visitent, nisi per rescriptum ipsius confessarii constet, jam peractam esse confessionem. Additque Pontifex de horum exacta observantia medicos juramentum facere debere, antequam medendi facultatem obtineant, subjunctis pœnis infamiæ, privationis gradus, & pœne pecuniariæ arbitrio Ordinariorum, ultra pœnas contentas *in Cap. Cum infirmitas. citato*. Hinc oritur difficultas, quænam videlicet debeat esse infirmitas obligans sic Medicos circa confessionem faciendam ab ægroto? Resp. ubi usu recepta est Constitutio S. Pii V. obligare, quando morbus est gravis, aut adest periculum, quod possit fieri gravis: nam obligare pro quacumque levi infirmitate, pro qua nullum periculum habetur, quòd fiat gravis; est nimis rigida sententia: obligare tantùm, quando periculum vitæ habetur; est *nimis laxa*: ergo sententia docens obligare, quando est gravis infirmitas, aut habetur timor, quòd possit fieri gravis; videtur rationi consona. Sic expressè Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juram. pun. 16. num. 10.* Castropalaus *de juram. disp. 2. pun. 7. §. 3. num.* 5. referens Sanchez, Suarez, Cajetanum, Tabienam, & Sylvestrum. Adnotandum hic 1. satisfacere Medicos huic obligationi, si per interpositam personam moneant ægrotum. Adnotandum 2. tunc obligationem urgere, quando profutura speratur admonitio: quapropter si certi sint medici non profuturam admonitionem, non tenentur ad illam: cum præceptum non obliget ad inutile. Si tamen dubium est, si profutura sit; tenentur ad monitionem faciendam, quia stat in possessione præceptum. Adnotandum 3. decretum non ita strictè obligare, ut Medici teneantur deserere infirmum, si eo derelicto morbus fieret gravior: esset enim contra Charitatem. Mens igitur Pontificis præcipientis deserere infirmum intelligenda est, quando non est probabile periculum vel moriendi, vel aggravandæ magis infirmitatis: ut ex Navarro, Suarez, Graffio, Sanchez, & Rodriquez tradit Bonacina *l. c.*

7 Quæres 7. an Juramentum factum contra Promissionem, Votum, aut aliud juramentum inducat obligationem, & sit validum? Resp. si promissio, Votum, & primum juramentum valida sint, & obligant pro eo tempore, pro quo secundum juramentum emittitur; indubitatum est, secundum juramentum non obligare; ratio est, quia est de re omnino illicita, nec servari potest absque peccato; cum illicitum sit violare promissionem validam, & validum votum, vel juramentum. Sic si promisisti contrahere cum Berta, à qua promissio acceptata fuit, & postea jures contrahere cum Joanna; vel voviisti dare calicem Ecclesiæ D. Petri, & postea jures dare calicem illum in eleemosynam pauperibus; aut jurasti commodare equum Petro, & postea jures commodare illum Titio; utique juramenta ista secunda, & invalida erunt, & nullam inducent obligationem servandi illa; cum sint de re illicita; attenta validitate promissionis, Voti, & juramenti primi, ut supponimus. Secus verò dicendum, si promissio, Votum, aut primum juramentum vel non sint valida, vel non obligent pro eo tempore, quo elicitur secundum juramentum; vel habeant diversam materiam licitam à materia pariter licita secundi juramenti; tunc secundum juramentum, & validum, & licitum erit, ac inducet obligationem: ratio est, quia secundum juramentum & respicit materiam licitam, & aliunde non opponitur promissioni, voto, aut primo juramento, à quibus invalidari potest; ergo & licitum erit, & obligatorium. Sic Suarez, Sanchez, Azor. Filliuccius, & Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juram. pun. 6. num. 1.* & Castropalaus *de juramen. disp. 2. punct. 8. §. 6. num. 3.*

Petes hic an gesta, & actus, qui fiunt contra obli- 8
gationem juramenti præstiti validitatem habeant? Resp. si aliunde gesta, & actus non sint irrita à Jure, habent suam validitatem. Sic valida erit revocatio testamenti facta contra juramentum, quo se obstrinxerat testans ad non revocandum; valida quoque erit venditio contra promissionem factam, & juratam de non vendenda re illa; matrimonium insuper factum contra votum simplex Castitatis, excepto Voto Castitatis emisso in Societate Jesu post Biennium Novitiatus, aut contra sponsalia jurata cum alia; erit validum, ut constat *ex Leg. Traditionibus, Cod. de Pactis, & Leg. Quoties, Cod de rei vendit.* ratio autem est, quia per juramentum non redditur inhabilis jurans ad faciendum actum contrarium ex se validum, esto illicitus sit; ergo si actus, qui fiunt contra juramentum, non irritantur à Jure aliquo; ex se validi sunt. Addit Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juram. pun. 6. n. 2.* ex Suarez, & Sanchez etiam validos esse tales actus contra obligationem juramenti, si jurans habuerit in jurando voluntatem auferendi à se potestatem validè faciendi actus contrarios: & ratio est, quia non poterat abdicare à se talem potestatem, cum non pendeat ab ipso; & est superioris potestatis reprimere voluntatem, ne possit validè velle, quod validè potest. Si verò gesta, & actus contra obligationem juramenti sint irrita à Jure; tunc nullam validitatem, habebunt: sic mulier jurans non alienare dotalem fundum, si postea alienet absque Judicis authoritate; alienatio nulla erit, & invalida; non quia contra juramentum facta, sed quia à Jure irritatur. Sic Doctores citati.

CAPUT XI.

An Juramentum factum circa materiam per Legem prohibitam possit obligare?

1 *Juramentum factum circa materiam lege naturali, Divina, aut Canonica prohibitam nequit obligare.*
2 *Juramentum factum circa materiam Lege Civili prohibitam spectantem ad bonum commune, aut in præjudicium tertii obligare non potest.*
3 *Non obligat juramentum factum contra Legem Civilem immediatè disponentem de bonis, & actionibus Civium, si Lex obliget ad culpam.*
4 *Quando nam Lex Civilis disponens de bonis, & actionibus Civium obliget ad culpam?*
5 *Juramentum factum contra Legem Civilem, quæ immediatè respiciat bonum privatum; inducit obligationem; secus verò si respiciat bonum Commune.*
6 *Juramentum factum contra solos bonos mores Civiles respicientes bonum privatum obligat. Secus verò contra respicientes bonum Commune, aut contra bonos mores naturales.*

UT certa ab incertis segregemus: certum est 1. Ju- 1
ramentum factum circa materiam prohibitam per Legem Naturalem, Divinam, & Canonicam non posse obligare: & ratio est, quia sic esset de re mala, vel saltem impeditiva majoris boni. Licèt enim aliquę Leges Canonicæ, quæ propriè non videntur habere vim legis, sed potiùs directionis, & rectæ gubernationis, ad culpam non obligent, ut sunt plures Religionum Constitutiones: nihilominus maximè conducunt ad perfectionem consequendam; adeoque iurare earum transgressiones esset iurare à recta perfectionis via deviare. Sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de juramen. cap. 20. num. 2.*

Certum est 2. Juramentum factum circa materiam 2
prohibitam à Lege Civili spectantem ad bonum publicum nec inducere obligationem: cum iuramentum non possit esse vinculum iniquitatis, & iniquitas, ac culpa esset transgressio similium Legum. Nec iuramentum obligare potest in præiudicium tertii *ex Cap. Cum contingat, de jurejur. & ex Cap. Quamvis pactum de Pact. in 6.* sed iuramentum factum contra materiam ad commune bonum ordinatam est in prejudicium tertii, nempe Communitatis; ergo inducere nequit obligationem. Sic Clericus iurans se renunciaturum Privilegio fori,

vel

vel non contraventurum renunciationi iam factæ ipsius privilegii; illicitè operabitur contra materiam respicientem bonum Commune Status Clericalis fruentis privilegio non judicandi à Sæculari Potestate. Sic Rebellus, Tuscus, Suarez, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 2. de juram. punct. 8. numer. 3.* Ex his colligitur, quòd jurans excedere in venditione taxam rerum venalium, aut extrahere merces, arma, & similia per Legem Civilem prohibita in bonum Communitatis; peccet tam jurando, quàm executioni mandando rem juratam.

3 Certum denique est, quòd juramentum factum contra Legem Civilem immediatè disponentem de bonis, & actionibus Civium, si illa Lex obliget ad culpam, ut obligare potest; non inducat in jurante obligationem servandi illud: & ratio est, quia sic obligaret ad peccatum, quod fieri nequit. Sic Suarez *lib. 2. de juramen. cap. 20. & 21.* Basilius Legionensis *lib. 2. de Sponsal. cap. 3. num. 30.* & Castropalaus *disp. 2. de juram. pun. 3. num. 4.*

4 Controversia celebris est, quandonam Lex Civilis disponens de bonis, & actionibus suorum Civium obliget ad culpam. Communior regula in hoc dignoscendo illa est, quam tradit Sanchez *in Decal. lib. 3. cap. 9. num. 35.* Abbas *in Cap. Cum contingat. de jurejur.* Imola, Salicetus, Corneus relati à Bonacina *disput. 4. Decal. quæst. 1. de juramen. punct. 5. num. 4.* quando videlicet non immediatè respicit bonum privatum, sed bonum Commune; itaut ex illius transgressione immediatè lædatur bonum Commune, non verò bonum privatum. Sic tempore belli Lex lata Civibus de non extrahendis cibis, armis, equis &c. obligabit ad culpam: eo quia Cives furtim transgredientes legem deferendo cibos, arma, equos, &c. ad hostes, quamvis in suo bono privato dammum non patiantur, cum potiùs lucrentur; detrimentum nihilominus afferunt bono Communi, & Civitati ipsi: cum sic Civitas privetur cibis, armis, equis &c. necessariis ad ejus securitatem. Quando verò immediatè respicit bonum privatum, & mediatè bonum Commune; itaut ex illius transgressione non immediatè lædatur bonum Commune, sed potiùs privatum; tunc non obligabit ad culpam. Sic Leges non alienandi fundum dotalem absque facultate Principis; vel ne minor contractus faciat absque Curatore; immediatè respiciunt bonum privatum, mediatè bonum Commune, quatenus bonum privatum resultat in bonum Communitatis; immediatè siquidem respiciunt, ne mulier sine dote remaneat; & ne minor fraudetur in Contractibus, & sic pauper evadat: cum non multum noceat Reipublicæ, si bona potiùs sint Civis unius, quàm alterius. His præmissis

5 Dicendum; quòd juramentum factum contra materiam per Legem Civilem prohibitam, quæ immediatè respiciat bonum privatum, seu favorem, & commodum personæ privatæ; inducat obligationem, ut servetur: & ratio est, quia quælibet persona privata cedere potest juri suo, & suo privato bono, dummodo non sit in præjudicium tertii. Nec Lex respiciens bonum privatum intendit laqueum peccati iniicere ex transgressione, cum intendat tantùm actum irritare in favorem personæ privatæ; ergo jurans contra Legem immediatè respicientem suum bonum privatum, obligationem habebit servandi illud. Sic Sanchez *in Decal. lib. 3. cap. 9. num. 37.* & Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juramen. punct. 5. num. 2. & 3.* Secus verò dicendum, si Juramentum sit factum contra materiam per Legem Civilem prohibitam, quæ immediatè respiciat bonum commune juxta superiùs dicta.

6 Hinc deducitur: juramentum factum contra solos bonos mores Civiles obligare, si immediatè respiciant bonum privatum: & ratio est, quia non est de re illicita, & peccaminosa: cum quilibet cedere possit juri suo. Secus verò si immediatè respiciant bonum publicum, quod obligat ad culpam; tunc enim juramentum erit de re illicita, & peccaminosa; adeoque non inducens obligationem. Sicuti eam non inducit juramentum factum contra bonos mores naturales; esset enim de re illicita, & peccaminosa. Sic Suarez, Reginaldus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disputat. 4. Decal. quæst. 1. de juramen. punct. 5. numer. 3.*

CAPUT XII.

An Juramentum confirmare possit contractum alioqui invalidum?

1 *Aliud est juramentum firmare contractum invalidum, aliud inducere obligationem, ut servetur.*
2 *Contractus dupliciter potest esse irritus jure positivo.*
3 *Juramentum non firmat contractum invalidum propter bonum commune.*
4 *Firmat tamen contractum invalidum propter bonum privatum, modo juramentum servari possit sine peccato.*
5 *Ut juramentum firmet contractum debet esse Promissorium, & de futuro.*
6 *An juramentum firmet contractum factum, si aliud juramentum contrarium præcesserit?*
7 *An Juramentum firmans contractum fieri debeat in ipso contractu?*
8 *Quos effectus præstat Juramentum contractui, quem firmat?*

OB clariorem notitiam dicendorum advertendum est 1
1. juxta ea, quæ superiùs dicta sunt: aliud esse juramentum firmare contractum, qui alioquin esset invalidus, aliud juramentum inducere obligationem, ut servetur contractus. Sic juramentum factum usurario de usuris solvendis, quamvis non firmet contractum initum cum ipso usurario; nihilominus obligat ad hoc, ut servetur, cum servari sine peccato possit, & sine præjudicio alterius.

Advertendum 2. contractum irritum à Jure positivo 2
dupliciter posse esse talem. 1. quia per ipsum læderetur bonum Commune primariò, & per se. 2. quia per ipsum lęderetur bonum privatum immediatè, & per se; mediatè, & per accidens bonum commune. His notatis

Dicendum 1. Juramentum non posse confirmare con- 3
tractum alioquin invalidum, & irritum propter bonum commune: colligitur doctrina hæc *ex Cap. Si diligenti de For. Compet.* ubi habetur, Clericum etiam cum juramento non posse renunciare privilegio fori, ut cognoscatur à Judice sæculari; quia privilegium est specialiter, & immediate concessum statui Clericali: & ratio ulterior est, quia juramentum factum de re mala non potest Inducere obligationem: cum autem contractus irritus ob bonum commune malus sit; inde est, quod juramentum cadens super illum; est de re mala. Insuper juramentum tendens in præjudicium tertii obligare non potest, cum non sit vinculum iniquitatis; si ergo hoc juramentum esset in præjudicium boni communis, maximè tenderet in præjudicium tertii. Sic Suarez *lib. 2. de Juram. cap. 22.* Sanchez *in Oper. moral. lib. 3. cap. 12. num. 42.* & Bonacina *de Contractibus disp. 3. quæst. 1. pun. 1. num. 7.* Hinc infertur clarè: hoc juramentum non indigere relaxatione, cum non sit necessaria relaxatio, ubi nulla est obligatio.

Dicendum 2. Juramentum firmare contractum aliun- 4
de irritum à Jure propter utilitatem privatam, modo juramentum absque peccato servari possit; nec appareat turpitudo aliqua in eo, in cujus favorem fit: & ratio est, quia ita jura disponunt, & habent facultatem sic disponendi, ut colligitur *ex Cap. Contingat. de jurejur.* adeoque contractus, quo uxor consentit in alienationem sui fundi dotalis, est irritus jure positivo sine juramento, quo addito validus, & servandus erit, ut optimè docet Covarruvias *in Capit. Quamvis pactum de Pact. part. 2. §. 1. numer. 5.* cum Molina *tract. 1. disp. 115.* Sic etiam contractus Minorum facti sine authoritate Curatoris, & absque licentia Judicis circa bona immobilia irriti, & invalidi sunt jure positivo ob privatam utilitatem; nihilominus juramento addito firmitatem accipiunt, sic jure positivo disponente: ut patet *ex Authent. Sacram. Puber. & ex aliis Locis,* ut docent Rebellus *lib. 1. quæst. 9.* Azor. 1. *part. lib. 11. cap. 7. quæst. 1.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 29.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dubit. 3. num. 56.* Covarruvias, & Molina *locis citatis.*

Adnotandum hìc: ad hoc ut juramentum firmet 5
contractum, non sufficere, quod sit assertorium de præsenti: ut si diceret contrahens, juro me vendere, juro me alienare: sic enim juramentum non afficeret contractum, nec firmitatem illi tribueret, sed tantùm veri-

veritatem de præsenti ostenderet; requiritur namque ulterius, quod sit de futuro, & promissorium: quasi contrahens diceret, juro me non revocaturum contractum, non resiliturum à contractu, nec contraventurum contractui: sic enim apponendo juramentum perjurium committeret, si juramentum non servaret. Sic expressè Sanchez *in Oper. Moral. lib. 3. cap. 12. numer. 16.* referens Covarruviam, Riminaldum, & alios; ubi generaliter docet, tria hæc de necesse requiri, ad hoc ut juramentum firmare possit contractum. 1. ut sine peccato servari possit. 2. ut non reperiatur turpitudo in eo, in cujus favorem fit, ut si dolus, aut metus gravis intercesserit. 3. ut formaliter, vel virtualiter contineat juramentum promissionem non revocandi contractum, quæ omnia colliguntur *ex Cap. Cum contingat de jurejur. in 6. & ex Cap. Quamvis pactum de Pact. in 6.*

6 Quæres 1. an juramentum confirmet contractum factum, quamvis habitum sit aliud juramentum contrarium huic? Exemplo res melius explanatur: juravit uxor non vendere fundum dotalem; vendidit postea per publicum contractum appositio juramento de non contraveniendo: quæritur, an hoc secundum juramentum firmet contractum hunc venditionis factum contra prius juramentum de non vendendo? Resp. duo actuum genera considerari posse. 1. genus est illorum actuum, qui secluso juramento suam firmitatem habent. 2. illorum, qui firmitatem accipiunt à juramento. Si sermo sit de actibus habentibus firmitatem secluso juramento, validi sunt, & firmi, etiamsi adversentur priori juramento: & ratio est, quia per juramentum non tollitur potestas faciendi actum, quem aliàs validè facere potest: sic si jurasti vendere Petro agrum, quem postea vendidisti Titio appositio juramento; tenet venditio, quamvis illicita sit propter periurium: cum secluso juramento appositio actus venditionis validus esset, quamvis illicitus: ut constat *ex Leg. Quoties. Cod. de rei vendit. & Leg. Traditionibus. Cod. de Pact.* juxta axioma illud: *Multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent.* Secus verò dicendum de actibus habentibus firmitatem à juramento appositio, cum unum juramentum non possit esse contrarium alteri priùs facto, esset enim vinculum iniquitatis, utpote respiciens actum illicitum. Sic venditio facta ab uxore sui fundi dotalis appositio juramento de non contraveniendo contra prius juramentum de non vendendo; & invalida, & illicita erit: eo quia talis venditio firmitatem accipit à juramento, cum secluso illo invalida sit; sed juramentum non dat firmitatem actui contra aliud juramentum, cum non sit vinculum iniquitatis *ex Cap. Quanto de Jurejur.* ergo invalida, & illicita erit. Sic Sanchez *in Oper. moral. lib. 3. cap. 12. num. 18.* Lessius *lib. 2. de just. cap. 17. dubit. 7. nu. 58.* Azor. 1. *par. lib. 11. cap. 6. quæst. 3.* & Bonacina *disp. 3. de Contract. quæst. 1. punct. 1. numer. 10.*

7 Quæres 2. an juramentum, ut firmet contractum; fieri debeat in ipso contractu? Resp. non necesse hoc requiri, sed sat est, si fiat vel ante, vel post contractum: & ratio est, quia juramentum ejusdem valoris est, quocumque tempore fiat, dummodo fiat à puberibus, nam ad hoc ut juramentum contractum firmet, requiritur pubertas; ut constat *ex Authen. Sacramenta Puberum Cod. si advers. vendition.* Sic Sanchez *in sum. lib. 3. cap. 12. num. 29.* Antonius Gomez 2. *Varior. cap. 14. num. 18.* & Bonacina *disp. 3. de Contract. quæst. 1. pun. 1. num. 8.*

8 Quæres 3. quos effectus præstet Juramentum contractui, quem firmat? Resp. præstare omnes illos effectus, quos haberet contractus, si validus esset. Sic Suarez, Molina, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num. 12.* Hinc sequitur 1. quod jurans habeat per juramentum duas obligationes, unam erga Deum, ne adductus sit in testem falsi; alteram erga hominem, qui acquisivit jus contra ipsum jurantem ob firmitatem contractus. Quando verò juramentum non firmat contractum, una tantùm habetur obligatio erga Deum, stanti videlicet promissis ratione juramenti facti. Sequitur 2. quando firmat contractum dare actionem parti contra jurantem ad agendum contra illum: cum pars jam acquisierit jus contra jurantem. Si verò non firmat contractum, non dare talem actionem contra jurantem: cum pars nullum jus acquisierit, Sic Usurarius non acquirit actionem ad repetendas usuras promissas à mutuatario cum juramento, quamvis iste teneatur illas solvere ob reverentiam Deo debitam, ne videatur illum adduxisse in testem falsi. Sequitur 3. quando juramentum firmat contractum transmittere obligationem ad hæredes: & ratio est, quia talis obligatio ex contractu est realis, non personalis; ergo transmittitur ad hæredes. Secus verò dicendum, si non firmet contractum: quia est tantùm obligatio personalis illa, quam inducit juramentum; alligat enim solùm jurantem: ut docent D. Thomas 2. 2. *quæst. 98. art. 2.* Sotus *lib. 2. quæst. 8. art. 2.* Sylvester, & alii apud Vasquez *de Testam. cap. 3. dub. 2. num. 43.*

CAPUT XIII.

Quomodo Juramentum explicari possit?

1 *Si constet de intentione jurantis explicari non debet. Si non constet, explicandum secundum proprietatem verborum strictè.*
2 *Resolvitur quidam Casus specialis.*
3 *Restringendum juramentum juxta naturam actus, super quem cadit.*
4 *Jurans dare equum Titio promittenti dare vestem juranti? si Titius promissionem non servet, non tenebitur jurans dare equum.*
5 *Promittens cum juramento nuptias Bertæ sanæ, diviti, Virgini, & bonæ famæ non tenetur ad juramentum, si post promissionem incidat in infirmitatem, paupertatem, fornicationem, ob quam diffametur.*
6 *Jurans se soluturum centum Titio non tenetur ad solutionem, si jus habeat compensandi.*
7 *Jurans obedire Petro superiori non adstringitur hac obligatione, si Petrus à suo Officio Superioris removeatur.*
8 *Jurans parere mandatis Ecclesiæ, vel stare Sententiæ judicis poterit appellare, si se gravatum sentiat.*
9 *Jurans se non illaturum damnum inimico non peccat contra juramentum, si ex nova causa superveniente noceat.*
10 *Jurans servare Statuta alicujus Academiæ, vel Reipublicæ non tenetur servare ea, quæ minima sunt, nec in usu.*
11 *Jurans se dicturum omnia judici non tenetur ad occulta revelanda.*
12 *Jurans urbanitatis gratia non præcedere in loco, non tenetur juramentum servare.*
13 *Juramentum tunc obligat, quando res permanet in eodem statu, non verò quando res est notabiliter mutata ab intentione jurantis.*
14 *Quomodo dignoscenda hæc notabilis mutatio?*
15 *Tres illationes ex dictis pro tot Casibus particularibus.*
16 *Quando Juramentum censetur factum in præjudicium tertii semper restringendum.*
17 *Quomodo interpretandum juramentum dubium?*

HÆC quæstio valde difficilis in dubietatibus ex Juramento ortis per aliquas regulas generales absolvenda erit. Sit igitur 1. Regula: Quando constat de intentione jurantis, nulla adhibenda erit interpretatio, & explicatio juramenti, si tamen non constet intentio, semper explicandum erit Juramentum hoc pacto, ut servata proprietate verborum quoad minus fieri possit inducat obligationem. Prima pars traditæ regulæ non indiget probatione, cum ex terminis pateat, quòd ex intentione Jurantis desumenda sit intentio juramenti. Secunda pars probatur: quia odiosum est, & grave creaturæ rationali obligari, & adstringi ad aliquid determinatè faciendum; ergo servata proprietate verborum Juramenti explicatio fieri debet, quominus inducat obligationem, quando non constat de mente Jurantis. Colligitur hæc regula *ex Cap. Ad nostram. de jurejur. & ex Cap. 1. eod. tit. in 6. & ex Leg. Quidquid adstringendæ, ff de Verbor. Obligat.* ubi dicitur: obligationem promissionis, & stipulationis strictè esse interpretandam. Sic Abbas *in Cap. Cum Clericis. de Verbor. signific.* Sylvester, & Suarez, relati à Castropalao *disp. 2. de juram. pun. 14. num. 1.* 1

Hinc colligitur resolutio casus illius: quando videlicet Pater iturus in aliquam Civitatem, Romam e. g. quia scit filium suum ludo deditum, exigit ab illo Juramentum non ludendi, donec Roma redeat; accidit, quòd pater Romæ moritur, inquiritur, an filius secuta jam morte patris remaneat liber à Juramento non ludendi; an verò integrum remaneat vinculum 2

lum de non ludendo, eò quia pater nec Roma redeat, nec redire possit? Bonacina *quæst.* 1. *de juramen. punct.* 16. *num.* 6. citans Sanchez putat remanere ligatum vinculo juramenti juxta verborum significationem; quia nondum rediit pater; & quia neque redire potest, inde est quòd vinculum semper durabit. Si verò filius jurasset; se non lusurum, donec pater velit; tunc posset ludere eo mortuo: quia mortuo nulla est voluntas, & nullus consensus. Secus verò dicendum, si tantùm in furorem incidisset Romæ: quia per furorem non cessat voluntas, nec consensus: ut constat *ex Cap. Majores. §. final. de Baptism.* & ex aliis Juribus juxta doctrinam Sanchez afferentis Covarruviam.

Verùm si Bonacina laudatus non admittit ligamen juramenti in secundo casu de morte Patris, quia mortuo nulla est voluntas, & nullus est consensus; non video, cur admittat hoc ligamen in primo casu de morte Patris Romæ, quia etiam mortuo nullus est reditus. Nec Sanchez *libr.* 8. *de Matrim. disputat.* 28. *numer.* 55. non verò 53. ut citatur à Bonacina, loquitur de Juramento non ludendi, donec Pater redierit, sed de Voto non ludendi, donec Pater velit; & censet mortuo Patre filium posse ludere.

3 2. Regula est: restringendum esse juramentum juxta naturam actus super quem cadit: sic juramentum cadens supra propositum, vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione jurantis, vel ex jure, aut recepta consuetudine; eo modo explicandum erit, quo explicatur, & obligat ipsa promissio: & ratio est, quia accessorium sequitur naturam principalis *ex Regul.* 46. *juris in* 6. & juramentum sortitur naturam actus, super quem cadit; nec diversimodè præsumenda erit intentio jurantis. Sic Covarruvias, Guttierrez, Sanchez, Suarez, Lessius, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de juram. disputat.* 2. *punct.* 14. *numer.* 4. Neque dicas, juramentum aliquando confirmare actum invalidum; adeoque non sequi naturam actus. Respondent enim Covarruvias *de Pact.* 1. *par. §.* 4. *num.* 1. & Guttierrez 1. *par. de juramen. cap.* 37. *numer.* 5. Juramentum sequi naturam primordialem actus, non verò accidentalem, & extrinsecam.

4 Ex hac regula colligitur 1. quòd promittens cum juramento dare equum Petro, Petrus verò promisit juranti vestem; si Petrus non servet suam promissionem, non tenebitur jurans stare juramento de equo dando: nam promissio hæc jurata pendet ab illa promissione facta à Petro, quæ dum non servatur, nec promissio ipsi facta servanda erit juxta illud: Licet frangere fidem illam non servanti. Quod etiam dicendum erit, etiam si promissio facta fuerit absolutè Petro, & non intuitu alterius promissionis ipsius Petri de veste danda: & ratio est; quia absoluta, & liberalis promissio censetur facta cum hac tacita conditione, nisi alius ingratum se præbuerit, uti nunc se habet Petrus non stando promissioni factæ de veste. Sic Molina *de justit. tom.* 2. *disp.* 272. Sanchez *in Summ. libr.* 3. *cap.* 17. *numer.* 1. Bonacina *quæst.* 1. *de juram. pun.* 16. *num.* 7. & Castropalaus *de juram. disp.* 2. *pun.* 14. *num.* 4.

5 Colligitur 2. promittentem cum juramento nuptias Bertæ sanæ, diviti, Virgini, & bonæ famæ non teneri stare juramento, si post promissionem incidat in gravem infirmitatem, pauperiem, fornicationem, ob quam diffametur: & ratio est, quia juramentum habet eam tacitam conditionem, quam habent Sponsalia: Sponsalia siquidem censentur facta cum hac conditione, nisi sponsa incidat in infirmitatem notabilem, aut in pauperiem, vel fornicationem. Sic Doct. communiter.

6 Colligitur 4. jurantem, se soluturum Titio centum, posse compensatione uti, si totidem ab eodem Titio repetere debeat, non solvendo illa centum: & ratio est, quia censetur facta promissio jurata cum tacita conditione, nisi facienda erit compensatio. Sic Rodriquez, Sayrus, Suarez, Reginaldus, Azor. Sà, Sanchez quos refert, & sequitur Bonacina *quæst.* 1. *de juramen. pun.* 16. *num.* 2.

7 Colligitur 5. jurantem obedire Petro Superiori non adstringi ab hac obligatione, si Petrus ab Officio removeatur: cum ex Jure supponatur hæc tacita conditio, si jurisdictionem habuerit, & possit præcipere; quæ utique cessat per remotionem ab Officio; ut patet *ex Cap. Venerabilem. in fin. de Elect.* & notat Lessius *libr.* 2. *de justit. cap.* 42. *dubit.* 4. *nu.* 22.

8 Colligitur 6. jurantem parere mandatis Ecclesiæ, vel Judicis, & stare ejus sententiæ; posse appellare, si se injustè gravatum sentiat: cum juramentum sic generaliter factum non excludat rationabilem appellationem *ex Cap. Prout nobis de Dolo,* & docent Decius, Joannes Guttierrez *de juram.* 1. *par. cap.* 37. *num.* 25. & Sylvester *verb. juramentum* 4. *num.* 1. *§.* 14.

9 Colligitur 7. jurantem, se non illaturum damnum inimico, non peccare contra juramentum; si ex nova occasione, & causa superveniente noceat: quia subintelligitur tacita conditio, nisi nova causa supervenerit causæ subsistenti tempore juramenti: ut ex communi Doctorum docet Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juram. pun.* 16. *num.* 2.

10 Colligitur 8. jurantem servare Decreta alicujus Congregationis, Academiæ; vel Statuta Reipublicæ; non teneri servare ea, quæ minima sunt, nec in usu; eo quia censendus est jurare ea, quæ sunt majoris momenti, & quæ in suo vigore permanent; nisi aliunde constet de mente jurantis. Nec censeri potest, se obligasse sub gravi ad minima servanda, cum minima in Statutis non contineri possint sub gravi. Sic Vasquez, Molina, & alii relati à Sanchez *in summ. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. *&* 6.

11 Colligitur 10. jurantem, se dicturum omnia Judici, non teneri ad occulta revelanda: eo quia intelligitur juramentum dicendi omnia juridicè, quæ scilicet secundum ordinem Juris interrogantur. Sic Bonacina *quæst.* 1. *de juram. punct.* 16. *num.* 2. *in fine.*

12 Colligitur tandem: jurantem urbanitatis gratia non præcedere in loco, non primum introire domum, templum &c. non sedere in nobiliori loco, & similia; non teneri servare juramentum: cum intelligatur factum sub hac tacita conditione, nisi coactus fuerit, nisi molestus sit aliis. Adde quòd juramentum, cum sit factum in gratiam alterius, censetur ab illo relaxari: ut docent Lessius, Sayrus, Azor. quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c.* & Castrop. *de juram. disp.* 2. *pun.* 14. *nu.* 17.

13 3. Regula est: Juramentum tunc obligare, quando res permanent in statu eodem; secus verò si fuerint notabiliter mutatæ ab intentione Jurantis. Desumitur Regula hæc *ex Cap. Brevi. de jurejur. & ex Cap. Petitio. Cap. Veniens. eod. tit. & ex Cap. Cum inter. De Renunciat.* & ratio est, quia cum juramentum obliget secundum intentionem Jurantis, inde fit, quòd mutatis notabiliter rebus non censendus quis est, habuisse intentionem se obligandi. Hanc Regulam confirmant Tiraquellus *in Leg. Si unquam. Cod. de revocan. donat. num.* 166. & Guttierrez *de juram. par.* 1. *cap.* 29. *num.* 6. *& cap.* 71. *num.* 6.

14 Difficultas tamen est in dignoscenda hac notabili mutatione, ob quam censendus sit jurans deobligatus à juramento servando. Nec potest certa regula tradi, sed prudentis Viri arbitrio remittenda erit, ut merirò adnotavit Sanchez *in re simili de Voto lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 22. Inferuntur nihilominus aliqui Casus Particulares.

15 Infertur 1. jurantem residere in Ecclesia posse se absentare pro utilitate, & necessitate Ecclesiæ non obstante juramento. Sic *in Cap. ex parte tua. de Cleric. non resid. & ibi Gloss. cum aliis.* Infertur 2. jurantem non alienare bona Ecclesiastica sine Pontificis, vel Superioris facultate; posse urgente necessitate ea alienare, si Superior vel Pontifex adiri non possunt: ut docet Sylvester aliis relatis *verb. juram.* 3. *quæst.* 4. *Argumento Leg. Tutor, qui repertorium, ff. de Administr. Tutor.* ubi habetur: Quòd ex causa necessitatis possit Tutor administrare bona pupilli inventario non confecto, quod utique non posset ea necessitate cessante. Sic Castropalaus *de juram. disp.* 2. *pun.* 14. *n.* 22. Infertur 3. jurantem non petere beneficium à se renunciatum, posse illud acceptare, si denuo ipsi conferatur: ut colligitur *ex Cap.* 2. *de Renunciat.* & ibi notant Gloss. Abbas *nu.* 9. Imola. *nu.* 2. & Sanchez *lib.* 3. *cap.* 17. *nu.* 4. & ratio est, quia subintelligitur juramentum factum ex causa præexistente tempore Renunciationis.

16 4. Regula est: juramentum, quando censeri potest factum in præjudicium tertii; semper restringendum erit: & ratio est, quia juramentum alteri præjudicans est illicitum, adeoque inducere non poterit obligationem: sic jurans servare secretum alicui non tenetur, quando hoc est alteri nocivum; adeoque revelare poterit iis, qui poterunt juvare, & non nocere; ut constat *ex Cap. hoc videtur.* 22. *quæst.* 5. & docent Sanchez *lib.* 3. *summ. cap.* 17. *nu.* 25. Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 6. & Castropalaus *de juram. disp.* 2. *pun.* 14. *num.* 28. Colligitur hæc Regula *ex Cap. Venientes. Cap. Cum tuis Cap. Cum contingat. de jurejur. & ex Cap. Quamvis pactum de Pact. in* 6.

Quæ-

17 Quæres hìc: quomodo interpretandum sit juramentum dubium? Resp. multipliciter dubium versari posse circa juramentum. 1. an juramentum emissum fuerit; & tunc communis sententia deobligat à juramento, quia stat in possessione libertas, quæ certò adstringenda non erit, quando vinculum est dubium. Et hæc ratio non solùm probat pro dubio negativo, quando in neutram partem assensus proferri possit; verum etiam pro dubio positivo, quando rationes probabiles pro utraque parte non desunt, esto magis propendatur ad emissionem juramenti: quia cum semper vinculum sit dubium, libertas non certò adstringi debeat. Idem dicendum erit: si certò constet, verba prolata fuisse: quæ in sensu jurandi accipi possent, & in sensu non jurandi, & dubitatur, in quo nam sensu prolata fuerint: quia semper possidet libertas, quæ absque vinculo certo adstringenda non erit absolutè. Sic Cajetanus, Covarruvias, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp.* 2. *de Juram. punct.* 15. *num.* 1. Secundò dubitari potest de intentione jurandi, & obligandi; & tunc quando certò non constat de verbis juramenti emissi, præsumendum est, habitam fuisse intentionem jurandi, & obligandi: & ratio est, quia nemo præsumendus est fictionem committere, & sic delinquere; etiam si coactus juraverit; ut bene habet Castropalaus *l. c. num.* 2. Tertiò dubitari potest de materia, licita ne sit, an illicita; & tunc superiorem, vel Confessarium oportet adire, ut loco Dei, cui juramentum factum est, dubietatem resolvat, & explicet, quid magis gratum sit Deo. Quòd si adhuc consulto superiore, vel Confessario remaneat dubietas, juramenti executio non obligat: cum non possit esse Deo gratum, quod periculum turpitudinis continet. Sic citatus Castropalaus *numer.* 3. Quartò dubitari potest: an res jurata executioni mandata fuerit; insuper an ità notabiliter mutata sit, ut ab executione deobliget? Et tunc si dubium vinci non potest, urget obligatio juramentum exequendi: quia ab obligatione certa non potest quis eximi ob causam dubiam. Sic jurans ingredi religionem nudis pedibus incedentium; si gravi morbo correptus sit, & postea sanitati restitutus dubitet, an possit religionis onus subire ob infirmitatem habitam; tenebitur religionem illam ingredi: cum obligatio sit certa, à qua nequit eximere dubia excusatio, ut docent Suarez *lib.* 2. *de Juram. cap.* 33. *num.* 7. Sanchez *lib.* 4. *de Voto cap.* 16. *numer.* 37. Rodriquez 2. *tom. summ. cap.* 95. *num.* 5.

CAPUT XIV.

An Consuetudo jurandi inducat gravem culpam?

1 *Consuetudo jurandi ex se non est grave peccatum; & duplex esse potest.*
2 *Consuetus jurare absque advertentia an verum, vel falsum sit, quod jurat; graviter peccat, si eam consuetudinem non extirpet.*
3 *Consuetus jurare cum advertentia ad veritatem, itaut verum sit, quod juret; non tenetur sub gravi eam consuetudinem evellere.*
4 *Quid dicendum, si cum consuetudine jurandi verum, simul consuetudo habeatur mentiendi, quamvis sine juramento?*
5 *An differenda absolutio habenti consuetudinem pejerandi?*
6 *Quomodo juvandus, qui prava consuetudine pejerandi laborat?*

1 CONSUETUDO jurandi prout importat facilitatem, quam dat erumpendi in iuramenta ex repetitis passim iuramentis consurgentem; ex se non est grave peccatum, sed potiùs effectus peccati: peccatum siquidem non consistit in habitu inclinante ad actus malos, sed potiùs in ipsis actibus malis. Dupliciter autem potest quis habere consuetudinem iurandi. 1. modo iurandi falsum, absque scilicet advertentia, an sit falsum, vel verum id, quod iurat. 2. modo cum advertentia, ut verum sit, quod iurat. His positis

2 Dicendum 1. qui habet consuetudinem iurandi primo modo, hoc est, absque advertentia, an verum, vel falsum sit, quod iurat; peccat graviter, si talem consuetudinem non conetur extirpare: & ratio est, quia censetur esse in morali periculo, & proximo peccandi, quod amare videtur, dum non conatur illud extirpare, æquè enim expositus est ad verum iurandum, ac falsum. Imò advertunt Doctores, quod quoties recordatur illius pravæ consuetudinis, & illam extirpare non procurat; toties graviter peccet: sicuti toties graviter peccat habens domi concubinam, quoties advertens ad peccandi periculum illud non removeat, cum possit; videntur enim amare periculum peccandi, adeoque graviter peccare. Sic Suarez, Valentia, Petrus de Ledesma, Sanchez, Reginaldus, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Juramen. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 4.

Dicendum 2. qui habet consuetudinem iurandi se- 3
cundo modo hoc est cum advertentia ad veritatem. ita ut verum sit, quod iurat; nec est in statu peccati mortalis, nec sub gravi tenetur consuetudinem illam evellere: & ratio est, quia non censetur esse in morali periculo pejerandi, cum fiant iuramenta illa cum plena advertentia ad veritatem, esto aliquando sed rarò pejeret. Ad periculum siquidem constituendum non sufficit unum, vel alterum perjurium; sed requiritur, quòd frequenter in perjuria incidatur. Solùm igitur juramenta repetita ex consuetudine cum advertentia ad veritatem erunt venialia: quia absque necessitate facta; & occasio, quæ pertrahit ad venialia, tantum sub veniali vitanda erit, adeoque consuetudo orta ex illis mortalis esse non poterit. Sic Suarez, Valentia, Vega, Rodriquez, Petrus de Ledesma, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de juram. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 2.

Quæres 1. quid dicendum, si cum consuetudine ju- 4
randi verum, habeas pariter consuetudinem mentiendi, quamvis juramentum *non* addas? Resp. quamvis Valentia, & Petrus de Ledesma, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *decal. quæst.* 1. *de juram. punct.* 13. *num.* 5. putent, te graviter peccare, si consuetudinem illam extirpare omittis: & ratio ipsorum est, quia censeri esse in morali periculo pejerandi, cum ex consuetudine iurandi, & consuetudine *mentiendi* de facili iuramentum coniungi possit cum mendacio. Nihilominus probabilius reputo oppositum cum Sanchez *lib.* 3. *summ. cap.* 5. *nu.* 10. Castropalao *de juram. disp.* 1. *pun.* 9. *nu.* 3. & videtur annuere Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de juramen. cap.* 6. *num.* 2. & ratio est, quia licèt aliquando contingere possit, quòd iuramentum cum mendacio coniungas; nihilominus id non per se, sed per accidens; & rarò est; adeoque censeri non poteris in morali periculo peccandi constitutus.

Quæres 2. an differenda sit absolutio laboranti pra- 5
va consuetudine pejerandi? Resp. per se loquendo absolvi posse, si doleat, & firmum propositum habeat in futurum abstinendi à consuetudine pejerandi: & ratio est, quia peccata pendentia à fragilitate humana, & non ab occasione extrinseca non exposcunt, ut necessario differatur absolutio pœnitenti: cum per dolorem, & propositum in contrarium interrumpatur occasio, & retractetur. Poterit tamen prudens confessarius absolutionem differre, quoties iudicaverit expedire æternæ saluti ipsius pœnitentis, aut ratione scandali vitandi, quod ab ipso pejerante aliis præbetur: ut docent Bonacina *disp.* 4. *decal. quæst.* 1. *de juram. punct.* 13. *nu.* 7. & Castropalaus *de juram. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 6. referentes Sanchez, Suarez, & Filliuccium.

Quæres 3. quomodo liberandus, qui prava consue- 6
tudine pejerandi laborat? Resp. ex Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. & ex Sanchez *lib.* 3. *summ. cap.* 5. *num.* 11. inducendo illum ad dolendum de peccatis, & de mala consuetudine præterita; ad proponendum insuper, se ampliùs non pejeraturum, & consequenter non habiturum talem consuetudinem: quia sic non est ampliùs in proxima occasione peccandi, quæ jam interrupta, & retractata est per dolorem, & propositum contrarium; nec potest imputari tamquam in causa ipsi consuetudini, si postea inadvertenter pejeret, cum iam per dolorem, & propositum interrupta, & retractata supponatur. Conveniens tamen, & optimum consilium erit, quod docet ex Sanchez, & Soto Castropalaus *de juram. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 7. ut imponat vel Confessarius, vel ipse pœnitens sibimetipsi pœnam aliquam ad præcavendum, si fortè in periurium inciderit, ieiunium v. g. eleemosynam, frequentem confessionem, brevem aliquam orationem &c. sic enim faciliùs prava evelletur consuetudo. Dixi consilium, quia non potest hoc esse ex obligatione respectu periuriorum committendorum, cum Confessarius non sit Judex, & Medicus nisi peccatorum commissorum: & quamvis pœnitentiam à Confessore injun-

injunctam, maximè si fuerit Medicinalis, teneatur pœnitens acceptare, & exequi; ut docet Suarez multis relatis *tom.* 4. *in* 3. *par. disp.* 37. *sect.* 7. *num.* 2. juxta Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. verùm hæc pœnitentia non potest injungi dependenter à peccato futuro.

CAPUT XV.

Quænam Personæ jurare possint?

1 *Extra judicium omnes Personæ rationis compotes jurare possunt exceptis Atheis.*
2 *In Judicio jurare nequeunt pueri ante decimum quartum annum, & puellæ ante duodecimum in causis civilibus. In Criminalibus nequit admitti minor viginti annis.*
3 *An isti admitti possint ante ætatem, si sponte se offerant?*
4 *Excluduntur à jurando Mulieres in judicio pro causis criminalibus, non verò pro civilibus.*
5 *Excluduntur Perjuri in judicio taliter convicti, & condemnati.*
6 *Quonam modo excludantur Sacerdotes, & Prælati à jurando?*
7 *Excluduntur à Juramento judiciali infames infamia juris, vel facti, Socius criminis, & inimicus ejus, contra quem juramentum ferri debet, Persona vilis, Saraceni, & Judæi.*
8 *Quando excluduntur Laici à testificando contra Clericos; & qui non possunt esse Sacerdotes à testificando contra Sacerdotes; & Consanguinei, & affines contra consanguineos, & affines.*
9 *An qui jurat in Judicio debeat esse jejunus; & quando prohibetur jurare?*
10 *An juramentum præstari possit per Procuratorem; & quænam requirantur ad hoc?*

1 EXTRA judicium jurare possunt omnes personæ rationis compotes, non solùm fideles, verum etiam infideles, Judæi, vel Hæretici; excipi tamen debent Athei, qui nullum Deum agnoscentes; nequeunt illum in testem adducere. Et hoc ampliandum est non solùm in hominibus existentibus in statu naturæ lapsæ, verum etiam in statu innocentiæ; tunc enim ad confirmandum sua dicta, Deum adducere potuissent in testem. De Angelis sanctis cum hominibus alloquentibus idem dicendum videtur; & de facto juraße constat *ex Apocalyps.* 10. ubi Angelus per viventem in sæcula sæculorum juraße dicitur. Et hoc idem adnotavit Innocentius III. *in Cap. Etsi Christus de Jurejur.* Secus dicendum, si inter se alloquantur: cum enim evidenter constet cuicumque Angelo, alterum mentiri non posse, eo quia beatus est, inde fit, quod juramento non indigeat. De Angelis reprobis dicit Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 14. *nu.* 15. rarò jurare, ne videantur indigere divino testimonio ad sua dicta confirmanda, & ne Deum sic Superiorem agnoscant. Quod dictum est de Angelis beatis, & reprobis, pariter dicendum de hominibus beatis, & damnatis.

Christus Dominus cum hominibus alloquens, utpote minor Patre secundum Humanitatem; poterat per ipsum jurare; & aliquando jurans se affirmat Innocentius III. *in Cap. Etsi Christus cit.* Deus verò cum sit ipsamet infallibilis veritas, nec indiget testimonio ad sua dicta confirmanda; propriè jurare non potest. Etsi in Scriptura Sacra legitur juraße, ut patet *Genesis* 22. *Psalm.* 109. *& alibi*, hoc intelligendum erit metaphoricè, instar enim jurantis sui Decreti infallibilitatem indicare volebat. Videatur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. disp.* 1. *num.* 2. *&* 3. nec dissentit Cajetanus *in Cap.* 22. *Genes.* sic etiam Filliuccius *tract.* 25. *cap.* 3. *quæst.* 10. *num.* 93. & Castropalaus *de Juram. disp.* 1. *punct.* 3. *num.* 1.

2 Non omnes, qui extra judicium jurare possunt; poterunt pariter & in judicio jurare; nam à jure positivo plures repelluntur. Et 1. Pueri ante decimum quartum annum completum; & Puellæ ante duodecimum completum jurare non possunt in causis civilibus; sic habetur *in Cap. Parvuli* 22. *quæst.* 5. & ratio est, quia ante talem ætatem non supponuntur habere sufficientem rationis usum, seu maturum judicium ad sic solemniter jurandum cum debita reverentia; adeoque non poterunt à Judice cogi ad jurandum. In causis verò Criminalibus non admitti potest ad juran.lum minor viginti annis *ex Leg. Inviti ff. de Testibus.*

Controvertitur tamen; an admitti possint ad juran- 3
dum, si sponte se offerant ante talem ætatem: & ratio dubitandi est, quia *in Cap. Parvuli* 22. *quæst.* 5. dicitur: jurare non cogantur; ergo si sponte sua jurare velint, admittendi erunt. Insuper prohibitio non est pœna, sed favor pueris concessus; ideoque tali favori cedere poterunt, maximè si sufficientem discretionem ad jurandum habeant: quapropter Sotus *lib.* 8. *de Just. quæst.* 1. *art.* 10. & Suarez *l. c. de Juram. cap.* 14. *num.* 15, *in fin.* Divus Antoninus; & alii putant, posse admitti. Probabilius tamen puto, admitti non posse: ratio est, quia nec ratione pœnæ, nec ratione favoris interdicitur pueris jurare in judicio; sed quia præsumuntur, non habere sufficiens judicium ad jurandum solemniter, maximè cum ætas illa plena sit perjuriis, ut adnotant Gloss. *in Cap. Testes* 4. *quæst.* 2. *&* 3. Sic Sylvester *verb. Juramentum* 2. *quæst.* 3. Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 11. *quæst.* 6. Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 3. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 3. *Summ. cap.* 3. *num.* 6. & Castropalaus *de juram. disp.* 1. *punct.* 3. *num.* 11. Non negant tamen Sylvester *verb. Impubes*, Sanchez, & Castropalaus *locis citatis*, quòd si minores dicta ætate admittantur ad Juramentum; licèt non faciant plenam fidem, faciunt tamen sufficientem præsumptionem ad torturam.

2. Excluduntur à jurando in Judicio tamquam te- 4
stes mulieres, si causa criminalis sit; fragilitas namque sexus, & ingenii mutabilitas dat Juri Canonico sufficiens motivum repellendi mulieres à testificando: ut habetur *in Cap. Forus de Verbor. signific. §. ult. Cap. Meminimus de Accusat. & Cap. Mulierem* 33. *quæst.* 5. Et solùm admittuntur in illis casibus, in quibus infames admitti possunt. In causa tamen civili mulieres etiam contra Clericum admitti possunt ad testificandum: ut habetur *in Cap. Quoniam, & Cap. Jam litteris de Testib. & in supracit. Cap. Forus.* Jure verò Civili, ut tradit Lessius *lib.* 2. *de justit. cap.* 30. *num.* 39. referens Gomez in omni causa admittuntur *Leg. Ex eo* 18. *ff. de Testib.* solùm excluduntur in Testamento *ex Leg. Qui testamento* 20. *§. Mulier. ff. Qui Testamen. facer. possunt, & §. Testes Institut. de Testamen.*

3. Excluduntur perjuri, qui scilicet ut tales in ju- 5
dicio convicti sint, & condemnati; ut constat *ex Cap. Parvuli* 22. *quæst.* 7. & ratio est, quia ex quo semel pejerarunt, semper præsumuntur pejerare velle. Sic Sotus, Aragonius, Azor. Reginaldus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de Juram. punct.* 9. *num.* 1.

4. Excluduntur Sacerdotes, & Prælati, cum ipsis 6
interdicatur jurare in judicio sine gravi causa, & necessitate *in Cap. Si quis Presbyter* 2. *quæst.* 4. & ratio est, quia dedecet dignitatem Sacerdotalem, ut exigatur Juramentum pro levi causa, sicuti exigitur à Laicis, de quibus dubitatur de veritate; quod dubium cadere non potest circa personas tanta dignitate præditas. Sic Doctores superiùs citati. Adnoto tamen, non omnia juramenta prohiberi Sacerdotibus; nam pro tuenda fama, rebus familiaribus defendendis, si alia via non habeatur, pro fide, obedientia, indemnitate suæ Ecclesiæ bene jurare poterunt; ut colligitur *ex Cap. Cum Nuntius de Testib.* & docent Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 11. *quæst.* 6. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 3. *num.* 7. & Castropalaus *disp.* 1. *de Juram. punct.* 3. *num.* 14. Coram Laico tamquam Superiore nullo modo Clerici, etiam in minoribus constituti, & gaudentes privilegio fori jurare possunt, aut vocari in testes absque facultate Episcopi *ex Cap. Nullus* 22. *qu.* 5. *& ex Cap.* 1. *de juram. calumn. in fin.* Quòd si veritas manifestari aliter non poterit, cogi debent per Episcopum, ut notavit Gloss. *in Cap. Statutum* 2. *quæst.* 6. *versic. Ad testimonium.*

5. Excluduntur à juramento judiciali Infamis infa- 7.
mia Juris, qui videlicet de gravi crimine damnatus sit *ex Cap. si quis* 3. *quæst.* 4. *& ex Cap. Constituimus ead. caus. quæst.* 5. Infamis quoque infamia facti, qualis esset ille, qui criminosus est, quamvis in judicio non sit condemnatus. Sic docet Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 30. *num.* 39. referens Julium Clarum; & videtur constare *ex Cap. Super eo* 13. *de Testib. & Attestat.* Socius criminis *ex Cap. Veniens* 10. *de Testib. & ex Leg. final. Cod. de Accusat.* Inimicus ejus, contra quem ferri debet juramentum *ex Cap. Accusatores, Cap. Omnes* 3. *quæst.* 5. Quæ-

nam

nam autem inimicitia sufficiens sit ad removendum à testificando, communiter dicitur debere esse capitalem, & criminalem. Pariter excluditur persona vilis, & inops, quia habetur suspicio, quòd facilè pecunia corrumpi possit *ex Leg. 3. & Leg. 22. titul. 16. partit. 3.* Saraceni, Judæi, & alii alterius Legis repelluntur à testificando contra Christianos ob dissimilitudinem Religionis, & odium, propter quod præsumuntur pejeraturi *ex Cap. Judæi, Cap. Licet de Testib. & ex Leg. 8. titul. 16. partit. 3.* Excipiuntur casus læsæ Majestatis Divinæ, & Humanæ, in quibus jurare possunt contra Christianum, si tamen sint ejus conditionis, ut penes ipsos paganos admitti possent in testes.

§ 6. Excluduntur laici à testificando contra clericos, si criminaliter procedatur *ex Cap. de cætero de Testib.* Insuper omnes illi, qui Sacerdotes esse nequeunt; à testificando contra Sacerdotes *ex Cap. Ipsi Apostoli, & ex Cap. Testes 2. quæst. 7.* Secus verò si civiliter procedatur, ut constat *ex Cap. Quoniam de Testib.* Consanguinei, & Affines usque ad quartum gradum cogi non possunt ad testificandum contra consanguineos, & affines in causis criminalibus; quamvis admitti possint, si liberè se offerant *ex Leg. 11. titul. 16. part. 3.*

9 Quæres 1. an qui jurat in judicio, debeat esse jejunus? Resp. affirmativè: sic expressè habetur *in Cap. Honestum 22. quæst. 5. & Cap. Placuit 4. quæst. 3. insuper in Cap. 1. de Testib.* Verùm talis conditio, ut docet Sanchez *lib. 3. Decal. cap. 3. num. 4.* alios referens non est ex præcepto, sed tantùm ex consilio. Prohibitio non jurandi judicialiter à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ; & ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, in jejuniis quoque quatuor temporum, & Rogationibus usu abrogata est. Prohibetur tamen juramentum Judiciale diebus Dominicis, & Festivis, nisi pro bono pacis, aut causæ piæ *in Cap. Conquestus de Feriis.*

10 Quæres 2. an Juramentum præstari possit per Procuratorem? Resp. ex se præstari posse, nisi sit contrarium Legi, aut consuetudini id vetanti: & ratio est, quia medio procuratore servari possunt necessariò requisita ad juramentum, invocatio scilicet Dei in testem cum tali intentione; ergo optimè præstari poterit juramentum per procuratorem. Et sicuti per Scripturam, & Nuntium potest actus internus jurandi manifestari; & in matrimonio contrahendo, quamvis actio sit personalis, contrahi potest per procuratorem, aut nuntium; cur etiam hoc præstari non poterit in juramento? Sic constat *ex Cap. 1. §. Verum de Statu Regul. in 6. & ex Cap. ultim. de juram. calumn. in 6.* sic etiam Azor. *1. par. lib. 11. cap. 6. quæst. ult.* affirmans esse communem Canonistarum Sententiam; Suarez *lib. 2. de juram. capit. 31.* Covarruvias *Cap. Quamvis pactum de Pact. 1. par. §. 5. num. 8.* Sanchez *in Summ. lib. 3. capit. 13. num. 13.* & Castropalaus *disput. 2. de juram. punct. 12. num. 1.* Hinc deducitur, ex vi juramenti facti per procuratorem obligari illum, cujus nomine præstatur; non verò ipsum procuratorem: & ratio est, quia non nomine proprio, sed alieno juramentum emittit; ergo ille, nomine cujus emittitur; remanet obligatus ex vi juramenti, & subjacet pœnis perjurii, ut patet in matrimoniis per procuratorem contractis. Sic Sotus *libr. 8. de justit. quæst. 2. art. 2.* Azor. Suarez, & Sanchez *locis citatis.* Adnotandum tamen, quòd ut procurator licitè, & validè juret, debeat habere speciale mandatum jurandi, videlicet in tali, & tali causa: cum non sufficiens sit generale mandatum. Et Suarez *loc. cit. num. 6.* requirit mandatum adeo speciale, sicuti requiritur in Matrimonio; & consentire videntur Covarruvias, Matienzo, Latius, Julius Clarus, & Sanchez relati à Castropalao *de juram. disputat. 2. punct. 12. num. 2.* & ratio est, quia cum juramentum maximi sit momenti, & inducat strictam obligationem; ideo præstari non debet sine speciali mandato ejus, cujus nomine emittitur. Nec jurans nomine alieno potest illud, quod jurat tamquam verum, & certum asserere; nisi illud certò noverit per speciale mandatum illius, cujus nomine jurat, & ab eo habuerit nominatam causam. Hinc infertur, quòd dans generale mandatum suo Procuratori ad contrahendum, & jurandum suo nomine; tenebitur quidem stare contractibus suo nomine celebratis à Procuratore ex vi contractus; non tamen ex vi juramenti: & ratio est, quia mandatum generale licèt sufficiens sit ad contrahendum, excepto matrimonio; non tamen sufficiens est ad jurandum; ergo inducit obligationem ex vi contractus, non verò ex vi juramenti. Sic Sotus, Sanchez. & Cajetanus, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 4. Decal. quæst. 1. de juram. punct. 10. num. 5.* Adnotandum denique, quòd dans speciale mandatum suo Procuratori jurandi, si illud revocet ante tempus juramenti emissi à Procuratore, etiamsi de hoc insscius sit Procurator; non obligabitur ex vi juramenti emissi suo nomine: ratio est, quia deficit consensus, & intentio in eo, nomine cujus juramentum præstatur; & juramentum sine consensu, & intentione factum obligare nequit. Sic Cajetanus, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c.*

CAPUT XVI.

De Irritatione, Relaxatione, & Commutatione Juramenti.

1 *Differt Irritatio à Relaxatione, & Commutatione juramenti.*
2 *Irritatio, Relaxatio, & Commutatio versantur circa obligationem inductam, non verò inducendam, quamvis hæc possit aliis modis impediri.*
3 *An Lex Civilis impedire possit obligationem juramenti, antequam præstetur?*
4 *Obligatio juramenti jam inducta tolli potest per Irritationem factam à Superiore, cui subjecta est materia juramenti.*
5 *Quinam Superiores irritare possint juramenta facta in Dei honorem?*
6 *Quinam Superiores irritare possint juramenta in favorem hominum facta?*
7 *Episcopus in sua Diœcesi irritare potest juramenta facta à beneficiariis ipso non consulto in materia suæ dispositioni subjecta.*
8 *Prælatus Regularis irritare potest juramenta à suis religiosis subditis facta.*
9 *Maritus irritare potest juramenta ab uxore facta in favorem tertii, si materia sit suæ dispositioni subjecta.*
10 *Dominus irritare potest juramenta servi in præjudicium Domini vergentia.*
11 *Parentes, & Tutores irritare possunt juramenta pupillorum, & impuberum, quibus firmant contractus de rebus suis.*
12 *An Superior consentiens in juramenta subditorum, & Pater filiorum possint postea ea irritare?*
13 *Tolli potest obligatio inducta juramenti per Relaxationem, seu Dispensationem.*
14 *Assignatur duplex causa legitima relaxandi juramentum.*
15 *Extorsio juramenti per injustitiam, vim, & metum gravem, per dolum incidentem in contractum, & per lasionem injustam in contractu; dat causam relaxationis.*
16 *A quo non petenda relaxatio juramenti legitima causa interveniente?*
17 *An sit sufficiens ad relaxationem causa dubia?*
18 *Obligatio juramenti tolli potest per Commutationem.*
19 *Quinam habeant facultatem commutandi juramenta?*
20 *An ipsemet jurans propria auctoritate possit sibi commutare juramentum?*

DIFFERT Irritatio juramenti ab ejus Relaxatione, 1
seu Dispensatione, sicuti etiam à Commutatione; eo quia irritatio est actus, quo Superior omnino tollit obligationem à subdito, & provenit à potestate Dominativa; Relaxatio verò, seu Dispensatio est actus Jurisdictionis temporalis, vel spiritualis in subditum, & requirit ad sui valorem causam, quam non requirit Irritatio. Ambæ tamen, Irritatio scilicet, & Relaxatio, differunt à Commutatione; eo quia Commutatio non extinguit, aut suspendit juramenti obligationem, sed transfert in aliam materiam; secus verò Irritatio, & Relaxatio.

Tam Irritatio, quàm Relaxatio, & Commutatio ver- 2
santur circa obligationem juramenti jam inductam; nam obligatio inducenda per juramentum non auferetur per Irritationem, Relaxationem, & Commutationem, sed aliis modis. Et 1. per Legem destruentem omnino contractum, supra quem cadit juramentum: destructo siquidem fundamento, destruitur pariter id, quod ipsi innitebatur. Sic Tridentinum *Sess. 24.*

capitul. 16. *de Regular.* nullam reddit renunciationem bonorum, etiam juramento firmatam ante duos menses præcedentes professionem religiosam. 2. modo impeditur obligatio juramenti per legem prohibentem executionem ipsius sub peccato: cum enim juramentum non sit vinculum iniquitatis, nec obliget ad peccatum; inde est, quòd ipsius obligatio impeditur, dum prohibetur ejus executio.

3 Hac occasione inquires: an Lex Civilis possit impedire obligationem juramenti, antequam præstetur; nam de Lege Ecclesiastica nullum dubium est, ut patet factum à Tridentino *citato*? Resp. plures Doctores relatos à Castropalao *disput.* 2. *de Juram. punct.* 13. *num.* 1. Covarruviam videlicet, Barbosam, Suarez, & Parladorum putasse, potestatem civilem prohibere tantùm posse, ne juramentum apponatur; non verò impedire ejus obligationem, si jam appositum sit: ratio ipsorum est, quia cum obligatio juramenti sit spiritualis, non poterit à potestate sæculari, & civili impediri. Insuper ex eo, quòd juramentum afficiat contractus jure positivo invalidos; non inde sequitur, juramentum esse invalidum, aliàs juramentum solvendi usuras, & illas non repetendi invalidum esset. Nihilominus opposita sententia communior est, & non solùm docet, posse prohibere, ne juramentum apponatur; verum etiam impedire ejus obligationem, si appositum sit; & de facto in Regno Castellæ; & Lusitaniæ multæ Leges habentur, ut refert Castropalaus *loc. cit. num.* 3. prohibentes, ne aliquibus contractibus juramenta apponantur, & si apposita fuerint, eorum obligationem nullam reddunt sub gravibus pœnis: & ratio est, quia Lex Civilis ob bonum publicum remittere potest obligationem eo ipso, quòd intentetur juramentum; sicuti remittere potest is, in cujus favorem est præstitum: insuper eadem Lex Civilis inhabilitare potest ad acceptandam hanc, vel illam promissionem tali modo præstitam, ejusque executionem sub culpa illicitam reddere; ergo Lex Civilis & juramentum impedire potest, & ejus obligationem nullam reddere. Sic Molina, Guttierrez, Matienzo, Sanchez, Lessius, Bonacina, Basilius Legionensis, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. num.* 2. Ad rationes contrariæ sententiæ respondetur: Legem Civilem non irritare immediatè, & directè vinculum juramenti, quod spirituale est, & facultatem ipsius superans; sed mediatè, & indirectè destruendo scilicet contractum, antequam celebretur; vel si celebratus est, ejus executionem sub culpa prohibendo ob rationem boni communis. Neque urget paritas de contractu usurarum, quia ibi honestatur promissio de usuris solvendis à Charitate propria ob redemptionem vexationis, quæ quidem locum non habet in aliis contractibus nullis, præcipuè cum nulli sunt ob bonum publicum: imò pertinet ad Charitatem propriam, quòd bonum publicum præferatur privato.

4 Jam verò obligatio juramenti semel induta tolli potest 1. per Irritationem factam à Superiore, cui subjecta est materia Juramenti: possunt siquidem Superiores per facultatem, quam habent; irritare juramenta facta à suis subditis in materia sibi subjecta; sicuti possunt eorumdem vota irritare in materia pariter sibi subjecta: & ratio est, quia nemo jurare potest in præjudicium tertii, cum igitur subditus jurat in materia subjecta suo Superiori, ejus potestatem restringit, & consequenter jurat cum ejus præjudicio. Sic Sanchez, Suarez, Lessius, Azor. Reginaldus, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de Juram. punct.* 17. *num.* 4. Sed ut distinctius procedamus.

5 Quæres 1. quinam Superiores possint irritare juramenta facta in Dei honorem? Resp. cùm juramenta facta in Dei honorem imitentur naturam Votorum; inde est, quòd gaudentes facultate irritandi vota, pariter habeant facultatem irritandi hæc juramenta. Colligitur facultas hæc *ex Cap.* 30. *Numer.* ubi æqualis potestas tribuitur Patri, & Matri irritandi vota, & juramenta; quæ ob paritatis rationem extenditur ad alios simili facultate gaudentes: ut docent Divus Thomas, Cajetanus, Sylvester, Azor. Toletus, Lessius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *disputat.* 2. *de Juram. punct.* 15. *num.* 1. & ratio est, quia cum potestas irritandi proveniat ex potestate dominativa in personam, vel in materiam promissam; inde est, quòd habentes potestatem dominativam in personam, vel in materiam promissam sicut possunt hæc vota irritare; sic poterunt & juramenta facta in Dei honorem, cum hæc naturam votorum sequantur. Quinam autem sint, qui facultatem habeant irritandi vota, dicemus cum de Voto.

Quæres 2. quinam sint Superiores, qui possint juramenta irritare in favorem hominum facta? Resp. esse omnes illos, qui potestatem habent dominativam, dummodo juramenta subditorum facta sint in materia sibi subjecta. Sic 1. Pontifex irritare potest juramenta facta de alienandis, vel non alienandis bonis Ecclesiasticis, de beneficio renunciando, de non acceptando Gradu in alia Academia, & similibus; quia sunt in materia dispositioni Pontificis subjecta, adeoque in Juramentis factis censeri debet excepta potestas Superioris: ut constat *ex Cap. Venientis de jurejur.* Nec requiritur aliqua causa ad talem irritationem, cum sufficiens causa sit negare usum materiæ subjectæ Pontificis dispositioni; ut docent Sylvester *verb. Juramentum* 5. *quæstion.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 11. *capit.* 9. *quæst.* 9. Sanchez *lib.* 3. *Decal. cap.* 20. *num.* 1. 6

2. Episcopus in sua Diœcesi irritare poterit juramenta facta à beneficiariis ipso non consulto in materia ejus dispositioni subjecta: ut si jurarunt non acceptare præbendam, non servire Ecclesiæ &c. in his enim casibus poterit eos cogere Episcopus, ut acceptent, si ita magis conveniens putaverit, & sic coactum fuisse Florentium Archidiaconum à Gregorio Pontifice habetur *in Cap. Florentium distinct.* 85. 7

3. Prælatus Regularis irritare poterit quæcumque juramenta à suis religiosis subditis facta: cum ratione voti plenè eorum voluntas Prælato subjecta sit; nec sine ejus consensu aliquid firmum esse possit: ut docet Sanchez *lib.* 3. *in Decal. cap.* 20. *num.* 3. referens Sotum, & Ledesmam. 8

4. Maritus juramenta suæ Uxoris in favorem tertii facta irritare poterit in materia suæ dispositioni subjecta. Subjiciuntur autem marito non solùm bona ipsius, verum etiam bona dotalia uxoris *ex Leg. Dote ancillam Cod. de rei vendit.* Fierent siquidem hæc juramenta ab uxore in præjudicium viri: ut docent Molina *tom.* 2. *disp.* 343. & Sanchez *in Summ. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 3. 9

5. Dominus irritare poterit juramenta servi vergentia in præjudicium ipsius domini; secus verò si sint in materia, quæ non vergat in præjudicium Domini: cum in hoc casu potiùs ut liber, quàm ut servus operetur. Sic Sanchez *l. c.* 10

6. Parentes, & Tutores juramenta pupillorum, & impuberum, quibus firmant contractus de rebus suis; irritare poterunt: nam secundum probabilem sententiam non firmant contractum. Si enim talia juramenta contractum firmarent, ut evenit in aliquibus casibus; tunc irritari non poterunt à Parentibus, & Tutoribus: cum ratione juramenti extracta sit materia ab eorum dispositione, & ex facultate Legis ex minoribus facti sunt majores: ut adnotat Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 42. *dubit.* 12. *num.* 61. *ex Leg.* 1. *& 2. Cod. Si adversus venditionem.* 11

Quæres 3. an Superior consentiens in juramentis subditorum; & Pater in juramentis filiorum possint postea ea irritare? Resp. negativè: temere siquidem irritarent, & absque ullo fundamento; ut in simili dicitur de irritatione votorum. Si tamen nova causa accesserit post consensum, licitè irritare poterunt: ut habent Sanchez, Suarez, Lessius, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *de juram. punct.* 17. *num.* 5. Adnotandum hìc, quod morte irritantium non reviviscant juramenta irritata: ratio est, quia semel ac obligatio extincta est, nequit revivisceré *ex Cod. de remission. pignorum*, & docent Sayrus *in Clavi Regia lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 5. Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. disp.* 39. *num.* 10. & Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 42. *dub.* 12. *num.* 62. 12

2. Tolli potest obligatio Juramenti jam inducta per Relaxationem, seu Dispensationem; quæ importat actum jurisdictionis spiritualis, vel temporalis in subditum, requirens ad sui valorem justam causam. Et quidem ut certum reputandum est, esse in Ecclesia Dei potestatem hæc juramenta relaxandi à Christo Domino relictam, utpote necessariam ad animarum salutem, & rectam Ecclesiæ gubernationem. Quod igitur spectandum diligenter est in relaxatione: an adsit justa causa, nam ea non habita nequibit talis relaxatio concedi; conceditur siqui- 13

dem

dem nomine Dei, Deus autem Relaxationem sine causa ratam non habet.

14 Quæres igitur 1. quænam sit legitima causa relaxationis Juramenti? Resp. duplicem communiter assignari in genere, unam, quæ bonum Commune directè respiciat; alteram, quæ sit in pœnam Creditoris. Tunc directè bonum Commune respicitur, quando juramenti observatio obstat bono Communi: ut si quis juraret non denunciare, non accusare, non testificari contra aliquem: cum enim obstent similia juramenta rectæ administrationi, quæ exigit, ut crimina detegantur; & puniantur; insuper ut defendatur innocentia, & opprimatur iniquitas; inde est, quòd talia juramenta à quolibet habente Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem relaxari poterunt. Ad hanc causam reducuntur juramenta, quæ cadunt super contractus Lege prohibitos, cum det sufficientem relaxationis causam Legis transgressio. Sic Abbas *in Cap. Pervenit de jurejur.* Sylvester *verb. Juramentum* 4. *quæst.* 20. Angelus *eod. verb.* 5. *num.* 33. & Sanchez *lib.* 3. *Summ. cap.* 21. *num.* 3. Altera causa relaxandi juramenta facta in utilitatem hominum est turpitudo ejus, in cujus favorem præstitum est; vel quia iniquè exegit juramentum, vel quia delictum commisit, ob quod privari debeat jure sibi quæsito: spectat enim ad Ecclesiæ bonum punire delicta, & injustitias, ac fraudes removere. Et si ob delictum puniri potest delinquens *in* bonis propriis acquisitis, multò magis puniri poterit in acquirendis, ut docent Covarruvias, Molina, Aragonius, Suarez, & Sanchez relati à Castropalao *disp.* 3. *de juram. punct.* 3. *num.* 4.

15 Hinc infertur: relaxationem juramenti obtineri posse, quando extortum est per injustitiam, vim, seu metum gravem, nam si levis sit, communiter docent, pro foro tantùm interno relaxari posse juramentum; insuper non solùm quando juramentum extorquetur per metum incussum à recipiente, verùm etiam à tertia persona absque recipientis culpa, cum semper jurans patiatur injuriam. Per dolum quoque incidentem in contractum, si non versetur circa substantiam contractus, aut det causam contractui; tunc enim non opus est relaxatione, cum & contractus, & juramentum irrita sint. Denique quando quis injustè læsus fuerit in contractu, in quo juramentum emisit: læsio tamen in minore ad relaxationem obtinendam sufficit enormis, hoc est excedens dimidium pretii; in majore verò debet esse enormissima, hoc est, longè excedens dimidietatem pretii: sic enim jurans dicitur pati injuriam, ob quam rectè relaxatio concedi possit. Sic Bonacina alios referens *disput.* 1. *de Contract. quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 15.

16 Quæres 2. à quonam petenda sit Juramenti relaxatio, quando legitima intervenit causa petendi? Ante responsionem præmittendum est, relaxationem Juramenti, seu remissionem vinculi hujus spiritualis dupliciter accipi posse: 1. propriè, pro remissione videlicet obligationis spiritualis, quam quis tamquam Dei Vicarius relaxat. 2. impropriè pro condonatione videlicet obligationis, quæ fit ab eo, in cujus favorem præstitum est juramentum. His præmissis

Resp. relaxationem juramenti propriè dictam peti posse, ut superiùs innui, à Pontifice, ab Episcopo, & ab illis, qui jurisdictione fere Episcopali pollent: ut sunt Capitulum Sede Vacante, aut ipse Vicarius Episcopi, si habuerit quoad hoc speciale mandatum; nam in generali non comprehenditur juxta Sanchez, Garziam, Layman, Henriquez, & Guttierrez, quos refert, & sequitur Bonacina *disput.* 3. *de Contractibus quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 16. Adnotandum hìc cum Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 2. Prælatum Papa inferiorem non posse relaxare spiritualem juramenti obligationem facti in favorem tertii, si tertius non tenetur restituere: & ratio est, quia jam tertius acquisivit jus per juramentum; solus autem supremus Princeps potest gravissima urgente causa jus tertii auferre, ut bono communi consulat. Relaxationem verò juramenti impropriè dictam peti posse ab eo, in favorem cujus juramentum factum est; certum est penes omnes: cum quilibet cedere possit juri suo, & remittere obligationem ex juramento insurgentem in sui favorem. Peti insuper posse à legitimo Superiore illius, in cujus favorem juramentum est factum, sive Superior Ecclesiasticus sit, sive laicus: nam licèt laicus non possit remittere obligationem vinculi spiritualis, & relaxationem propriè dictam concedere, quia talis concessio esset actus jurisdictionis spiritualis, cujus incapax est laicus; potest tamen partem compellere ad remittendam obligationem, & renuente parte consensum supplere, quem pars tenetur præstare: sicuti etiam potest totum hoc efficere Superior Ecclesiasticus, cum uterque citata, & audita parte, & supposita legitima Superioritate possit obligationem condonare nolente condonare parte: cum contractus ratione juramenti, & perjurii evadat mixti fori, ut colligitur *ex Cap.* 1. *de jurejur.* & ex Molina, & Sanchez tradit Bonacina *l. c. prope finem*. Adnotandum hìc ex Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 18. Legitimum Superiorem esse Judicem ordinarium, quoties juramentum extortum est per injuriam, aut recipiens tenetur ad restitutionem rei promissæ, vel acceptæ: nam si solum bonum commune spectetur, legitimus Superior non erit Judex ordinarius, sed supremus Princeps laicus, vel Ecclesiasticus, cujus est bono communi prospicere, & subditum bonis suis privare, quoties bonum commune sic exposcit. Legitimus autem Superior debet esse illius, in cujus favorem factum est juramentum: non verò jurantis: & ratio est, quia condonare id, quod spectat ad suum subditum est actus jurisdictionis; sed nemo exercere potest jurisdictionem, nisi in sibi subditum; ergo relaxatio hæc impropriè dicta debet esse à Superiore non jurantis, sed illius, cui juratum est. Secus tamen esset in relaxatione propriè dicta, deberet siquidem provenire à Prælato ipsius jurantis; non verò illius, cui juratum est: & ratio est, quia non condonatur obligatio loco illius, in cujus favorem factum est juramentum, sed relaxatur obligatio religionis, & solvitur vinculum spirituale juramenti in ipso jurante, qui sunt actus jurisdictionis erga ipsum jurantem; ergo exerceri debent à proprio Prælato ipsius jurantis, qui jurisdictionem habet in suum subditum.

Quæres 3. an sufficiens sit ad Relaxationem causa dubia? Resp. negativè: ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis: si igitur is, in cujus gratiam factum est juramentum, non convincitur de dolo, vi, metu, aut alia injustitia; non debet à possessione excludi, nec præsumendum est de injustitia contra illum, imò in favorem ipsius judicandum erit. Non nego tamen, ad hanc relaxationem concedendam non esse adeo necessariam certam notitiam causæ, ut non sufficiat probabilis: ratio est, quia si certa notitia esset requisita, potiùs rescissio, quam relaxatio operaretur. Sic Sanchez *lib.* 3. *Summ. capit.* 21. *num.* 27. Bonacina *de Contractibus disput.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 15. & Castropalaus *de Juramen. disp.* 3. *punct.* 5. *num.* 2. *in fine*. 17

3. Juramenti obligatio jam inducta tolli potest per Commutationem, seu ut melius dicam, suspendi potest, & mutari in aliam materiam: nam Juramenti Commutatio non aufert absolutè obligationem, sed eam in aliam materiam commutat: legitimus siquidem Superior habens facultatem subtrahit unam juramenti materiam, & aliam inducit. 18

Sed inquires: quinam sint, qui habeant facultatem commutandi juramenta? Resp. si sermo sit de potestate ordinaria, omnes illos, qui habent potestatem ordinariam commutandi vota, habere pariter facultatem commutandi juramenta in honorem Dei præstita, cum amborum eadem sit natura. Sic docet communis sententia cum Sanchez, Basilio Legionensi, & Azorio, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp.* 3. *de Juram. punct.* 1. *num.* 2. Si verò sermo sit de potestate delegata major habetur difficultas; nihilominus probabilis sententia, quam docent Suarez, Basilius Legionensis, Sà, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num.* 5. putat, habentem potestatem delegatam, seu privilegium commutandi vota, pariter habere potestatem commutandi juramenta Deo præstita; sive hæc accessoria sint voto, sive non: ratio est, quia talia juramenta ob affinitatem, quam habent cum voto, in communi hominum existimatione vota reputantur; ergo potestas delegata, & privilegium respiciens hæc vota respicit quoque juramenta. Insuper obligatio juramenti cessat sublata promissione; sed promissio, seu votum auferri potest ab habente facultatem delegatam; ergo ab eodem auferri poterit juramentum. Sic etiam docent Aragonius *quæst.* 88. *art.* 12. Rodriquez 1. *par. Summ. cap.* 131. *num.* 4. & alii apud ipsos. 19

20 Inquires ulterius: an ipsemet jurans propria auctoritate possit sibi commutare juramenta in Dei honorem facta in melius, vel in rem evidenter æqualem? Resp. affirmativè: ratio est, quia propria auctoritate potest commutare sibi vota in evidenter melius, aut evidenter æquale; ergo & juramenta in Dei honorem facta, cum amborum eadem sit ratio. Confirmatur circa rem evidenter æqualem, quia posita æqualitate redditur Deo, quod illi æquè gratum est; ergo jam satisfactum est obligationi. Non idem tamen dicendum est, si juramentum factum sit hominibus: eo quia non semper æquè gratum est hominibus, quod in se melius, vel æquè bonum est; ideoque non tenentur acceptare rem meliorem, aut æquè bonam cum re promissa; sed in eadem specifica forma, qua juramentum fuit factum, adimplendum erit.

CAPUT XVII.

De Adjuratione.

1 *Definitur Adjuratio, quæ distinguitur à Juramento cum vehementia, & energia facto.*
2 *Adjuratio alia propria, & perfecta; alia nec propria, nec perfecta.*
3 *Alia Solemnis, Privata alia; & utraque alia Deprecativa, Imperativa alia.*
4 *Quando utendum Deprecativa, quando verò Imperativa?*
5 *Quænam requiruntur, ut Adjuratio licitè fiat, & sine peccato?*
6 *Quinam sunt, qui adjurare possint?*
7 *Quinam verò adjurari possunt?*
8 *Quænam servanda in Adjuratione Dæmonis, ut fiat sine periculo?*
9 *Adjurans non potest aliud Dæmoni imperare, nisi desistat à nocendo.*
10 *Adjurans ea solum interrogare potest à Dæmone, quæ spectant ad utilitatem aliorum, & ipsum expellendum?*
11 *Nequit adjurans petere à Dæmone opem ad tempestates repellendas.*
12 *Non peccat adjurans, si contemptum Dæmonis rutam, stercus caprinum, aut similia adhibeat; sicuti si obsessum flagellet, aut alapis, vel sputis afficiat.*
13 *Poterit adjurans absque peccato connivere pactioni Dæmonis non petentis rem malam ob egressum.*
14 *Poterit sine peccato petere signum egressus à Dæmone.*

1 AFFINITATEM cum Juramento habet Adjuratio, ideo post absolutam Juramenti tractationem nonnulla de Adjuratione attingimus, quæ contestationem importat divini Numinis. Definiri solet Adjuratio: Contestatio divini Numinis, vel rei Sacræ, ut ejus reverentia permoveatur adjuratus ad aliquid faciendum, vel omittendum. Sic Divus Thomas *ab omnibus receptus* 2. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. Non confunditur hic Adjuratio cum Juramento aliqua vehementia, ac energia facto, ut communiter accipi solet; nec pro eo, quòd quis ad jurandum inducatur: hæc enim coincidunt cum juramento, de quo satis tractatum est. Accipitur ergo juxta definitionem allatam pro contestatione divini Numinis, vel rei Sacræ, quam veluti præsentem adducimus, ut ejus præsentia, & reverentia permotus adjuratus faciat, quod petimus, vel imperamus; sive de reliquo juramentum petatur, sive non. Quapropter tria requiruntur ad Adjurationem, quamvis non semper realiter distincta; Adjurans videlicet, Adjuratus, & is, per quem adjuratur.

2 Adjuratio multiplex est, alia propria, & perfecta, & fit contestando Deum, vel Sanctos, ut ad Deum relatos; & hæc summam vim habet, & authoritatem ad rem optatam impetrandam. Alia non propria, nec perfecta; & fit contestando Sanctos secundum sua merita, & propriam dignitatem absque speciali habitudine ad Deum; & hæc non habet summam illam vim, ac efficaciam ad impetrandum ut prima, quamvis magnam habeat. Sicuti in juramento, si Deus invocetur in testem, vel Sancti prout ad Deum relati; efficitur juramentum propriè dictum; si verò Sancti secundum suam propriam authoritatem, & excellentiam invocentur in testes; non juramentum, sed humanum testimonium ex se infirmum adducitur, cum non reducatur invocatio in testem ad infallibilem veritatem, ut in primo casu. Adnotandum hic ex Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Adjurat.* & Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 42. *num.* 2. Contestationem ad Adjurationem requisitam debere esse necessariò rei Sacræ, ut excludatur omnis contestatio rei humanæ, vel non sacræ: ut si quis per vitam Patris aliquid obtinere vellet à filio, non adjurationem, sed amicabilem obsecrationem ad humanam, & politicam amicitiam spectantem efficeret.

3 Insuper Adjuratio alia est Solemnis, alia Privata. Solemnis illa dicitur, quæ fit ex præscripta forma ab Ecclesia instituta, & per Ministros ad hoc consecratos. Privata verò illa erit, quæ talem solemnitatem non habet. Tandem Adjuratio sive solemnis, sive privata alia est deprecativa, alia imperativa. Deprecativa dicitur, cùm contestatione rei sacræ aliquem deprecamur, ut postulata concedat. Sic Divus Paulus *ad Roman.* 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis &c.* sic etiam usus Ecclesiæ in Litaniis, & Orationibus contestatur merita Christi Domini, & Sanctorum, ut Deus promoveatur ad concedenda postulata. Imperativa illa dicitur, qua aliquid imperamus per contestationem rei sacræ: sic fuit adjuratio iniquè facta à Principe Sacerdotum Christo Domino *Matth.* 26. *Adjuro te per Deum vivum*. Divus Paulus 1. *ad Timoth.* 4. adjuravit ipsum Timotheum per adventum Christi, & regnum ejus, ut prædicaret verbum Evangelii opportunè, & importunè. *Et Genes.* 24. Abraham adjuravit servum per Dominum Cœli. Ad hoc genus Adjurationis reducuntur exorcismi Ecclesiæ, quibus Dæmones adjurantur.

4 Utimur adjuratione deprecativa erga Deum, Sanctos, & homines ad aliquid impetrandum, ut patet ex praxi Ecclesiæ, & usu communiter recepto. Imperativa verò utimur erga subditos, cum vis præceptiva ad subditos dirigatur; imò graviter peccari posset in hoc, si videlicet in re gravi in non subditos exerceatur, esset enim usurpatio alienæ potestatis. Hac tantum adjuratione uti possumus in Dæmones, non verò deprecativa; tum quia Ecclesia specialem habet potestatem sibi communicatam à Christo Domino, ut patet *ex Luc.* 10. *Dedit illis virtutem, & potestatem super omnia Dæmonia*; tum etiam quia uti in dæmones adjuratione deprecativa esset signum subjectionis, submissionis, & Societatis cum illis, quæ prorsus illicita sunt cum Dæmonibus infensissimis hostibus humani generis. Sic Divus Thomas, Suarez, Lessius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Adjuratione punct.* 1. *num.* 2.

5 Quæres 1. quænam requirantur, ad hoc ut Adjuratio licita sit, & absque peccato? Resp. tria communiter requiri ad honestandam, & reddendam licitam Adjurationem, sicuti etiam ad Juramentum; nempe Veritatem, Justitiam, & Judicium. Requiritur ergo Veritas 1. ex parte rei contestatæ, quòd videlicet sit vera res sacra, & non fictitia, & falsa: sic qui per Jovem, Mercurium &c. adjuraret, gravissimum peccatum committeret habens admixtam idololatriam, cum non sit veri Numinis contestatio. 2. ex parte adjurantis, ut habeat verum animum obtinendi postulata, vel imperandi; aliàs irrisoriè, & perperam divina Authoritas contestaretur: hoc tamen peccatum regulariter non excedit veniale, cum non remaneat divinus honor graviter læsus ex hac fictione: ut docent Suarez *de Adjurat. lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 7. & Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 42. *num.* 5. 3. requiritur veritas ex parte causæ motivæ ad adjurandum, ne scilicet ficta sit, vel falsa: quapropter si quis paupertatem simulans divites obsecraret contestato nomine Christi ad impetrandam eleemosynam, ultra peccatum injustitiæ sic fictè extorquendo illam, graviter etiam peccaret contra Religionem contestando divinam Authoritatem ad iniquè recipiendam eleemosynam: contemneret namque graviter divinam Authoritatem assumendo illam ut medium ad iniquitatem patrandam. Sic Suarez *l. c.* & Castropalaus *de Adjurat. disput.* 4. *punct.* 1. *num.* 5. Requiritur quoque Justitia in Adjuratione, & consistit in hoc, quòd res postulata, & imperata justa, ac honesta sit: uti siquidem contestatione divini Numinis, vel rei sacræ ad rem turpem obtinendam, magnam affert injuriam Deo, & rebus sacris, quasi turpe illis gratum foret. Hoc peccatum grave erit, vel

leve

leve juxta gravitatem, vel levitatem rei: ut docent Suarez, Sanchez, Sotus, Filliuccius, & alii apud Bonacinam *disp.* 4. *Decal. quæst.* 1. *pun. ult. nu.* 12. Requiritur tandem ad Adjurationem Judicium, quòd scilicet fiat cum debita consideratione: non enim passim adjurandum est absque reverentia, & necessitate. Non nego tamen, quod defectus Judicii non excedat in Adjuratione culpam venialem, ut de Juramento dictum est. Sic Valentia, Suarez, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Adjurat. disp.* 4. *pun.* 1. *num.* 7. Ultra has tres conditiones requiritur ad Adjurationem modus, ne videlicet imperentur, quæ deprecari debemus; & ne deprecemur, quæ imperanda sunt: cum servandus sit modus debitus personis adjuratis. His positis in adjuratione, honestam esse ad faciliùs obtinendas res, omnibus patet; sicuti etiam patet, differre ab Oratione in hoc, quòd non sit formalis Petitio.

6 Quæres 2. quinam sint, qui adjurare possint? Resp. privatim adjurare, & non per formam ab Ecclesia institutam concessum esse omnibus creaturis intellectualibus; cùm quælibet istarum contestari possit Deum, vel Sanctos, ut ipsorum amore, vel timore moveatur adjuratus ad aliquid faciendum, vel omittendum. Solemniter tamen adjurare solis Ministris ab Ecclesia consecratis datum esse quales sunt habentes Ordinem Exorcistæ. Quamvis aliquando prohibeatur ipsis exercitium hujus potestatis in Dœmones, nisi fuerint specialiter ad hoc approbati: cùm non solùm requiratur scientia, & prudentia, verum etiam vitæ probitas. Sic Suarez *to.* 2. *de* Relig. *lib.* 4. *de Adjurat. cap.* 2. *num.* 10. Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 42. *num.* 18. Navarrus *in Manual. cap.* 11. *num.* 28. & Delrius *lib.* 6. *Disquis. Magic. cap.* 3.

7 Quæres 3. quinam sint, qui adjurari possint? Resp. solam creaturam rationalem adjurari posse: & ratio est, quia sola creatura rationalis moveri potest ob reverentiam rerum Sacrarum, & ob amorem, vel timorem Dei ad aliquid faciendum, vel omittendum; ergo sola ipsa adjurari potest. Hinc sequitur, homines tam viatores, quàm beatos, aut damnatos adjurari posse; Angelos quoque tum bonos, tum malos. Imò & Deus ipse adjurari potest non per modum imperii, sed obsecrationis & deprecationis, & per se ipsum, & per Sanctos: invocato siquidem ejus nomine, & Sanctorum meritis contestatis beneficia à Deo poscimus, ut communis Ecclesiæ praxis testatur: nam petitio beneficiorum quatenus dicit supplicum postulationem rei honestæ, oratio est; quatenus dicit illam invocationem, & contestationem Dei, & Sanctorum ad movendum ipsum Deum ad concessionem beneficiorum petitorum, est Adjuratio. Nec obstat, quòd Deus à seipso non destinguatur, quapropter sui invocatione, & contestatione moveri: non possit ad postulata concedenda. Omnia namque propter se ipsum operatus est Dominus, ideoque repræsentata ejus bonitate, & ipse efficaciùs movetur ad concedendum, & nos efficaciùs postulamus. Creaturas irrationales per se adjurari non posse, communis docet Doctorum sensus; & ratio est, quia nil ipsis repræsentari potest ob amorem, vel timorem cujus moveantur. Cùm verò sal, & aqua exorcizantur, revera non ipsa, sed Deus, & Dœmon adjurantur; Deus adjuratione deprecativa, ut in eorum usu assistat, & favores præstet; dœmon adjuratione imperativa, ut fugiat; & à nocendo desistat. Simili modo adjurantur locustæ, nubes, grandines, & alia nocentia non per se quidem, & directè; sed ut dictum est per ordinem ad Deum, & dœmonem, ut Deus nocentia illa non permittat; dœmon ne illis utatur ad nocendum aliis. Sic Divus Thomas, Suarez, Lessius, & Valentia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Adjurat. pun.* 3. *num.* 5.

8 Quæres 4. quænam servanda sint in adjuratione dœmonis? Resp. tria servari debere, 1. ne fiat obsecrando, sed objurgando, & imperando: sic enim non communicatur cum ejus malignis operibus, nec societas initur cum illo, aut subjectio illi demonstratur: hæc siquidem prohibita sunt, ut docent Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 9. *art.* 2. Cajetanus *ibi art.* 1. Sotus *lib.* 8. *de Just. quæst.* 3. *art.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 42. *dubit.* 13. *nu.* 20. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Adjurat. cap.* 2. *num.* 8. 2. ut fiat adjuratio ad finem à Christo præordinatum, nam si ad alium finem adjuraretur dœmon, cùm effectus obtineri non posset virtute, & potestate naturali adjurantis; nec virtute Divina à Christo accepta, ut supponitur, infertur clarè, quòd ab ipso dœmone obtinendus esset, quod dicere est impium. 3. ut fiat à legitimo ministro juxta formam ab Ecclesia præscriptam, si solemniter fiat, & publicè: non verò si privatim. Sic Doctores superiùs relati.

Adnotandum hìc 1. adjurantem non posse aliquid aliud dœmoni imperare, nisi ut desistat à nocendo, & ratio est, quia ad hunc solum finem relicta est à Christo Domino suæ Ecclesiæ potestas supra dœmones, ut patet *ex Marc. ultim. & Lucæ* 10. neque alia potestas admittenda erit sine fundamento, ut docent Suarez, & Lessius supracitati. Quòd si Sancti Viri aliquando dœmones exorcizantes impulerunt illos ad alias actiones efficiendas distinctas ab expulsione; dicendum est, hæc feciisse ex speciali instinctu Spiritus Sancti, & ob virtutem supernaturalem specialiter à Deo communicatam: ut communicata fuit Divo Antonio in Eremo degenti, & aliis sanctitate vitæ fulgentibus; ut sic magis dœmones confunderent, & proximorum utilitati inservirent: hac igitur virtute non habita, nemini licebit aliud dœmonibus imperare, quàm ut à nocendo desistant, & abeant. Sic Sylvester *verb. Adjuratio quæst.* 5. Lessius *lib.* 1. *de Just. cap.* 42. *dubit.* 15. *num.* 17. & Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 42. *num.* 23. 9

Adnotandum 2. adjurantem ea solùm interrogare posse à dœmone, quæ spectant ad utilitatem aliorum, & ad ipsum expellendum: sic interrogare poterit imperando quod nomen ipsi, ut adjuratio directè ad ipsum dirigatur; quibus cùm sociis assistat energumeno, ut omnes expellantur, & præcipiantur abire; qua de causa ingressum habuerit, ut ea cognita removeatur, & faciliùs egrediatur: hæc enim permissa sunt adjuranti, & ratio est, quia sunt media ad dœmonem expellendum, cui enim licitus est finis, & pariter media licita erunt. Alia verò interrogare, quæ nec ad ipsum expellendum, nec ad Dei Gloriam, aut adstantium utilitatem conferunt; per se illicitum est petere, quia omnis societas, & benevolentiæ signa vitanda sunt cum dœmone. Quapropter qui curiositate permotus aliquid occultum crimen proximis suis interrogationibus sic manifestaret, graviter peccaret, cum vitanda sit omnis proximi infamia. Insuper peccaret graviter, si ad hunc finem interrogaret, ut aliquid à dœmone addisceret; quia esset dœmonis honoratio fateri discipulum ejus, & beneficium ab ipso expetere. Peccatum quoque grave esset miscere longos sermones cum ipso de rebus nugatoriis, vanis, & inutilibus; cum hoc valde periculosum sit, ne errores misceat, & absque necessitate signa societatis dentur. Et multo magis grave peccatum erit ejus responsis, ac dictis indubitatam præbere fidem: licèt enim cogi possit dœmon exorcismis ad veritatem fatendam, illique fides quoad hoc præstari possit; nihilominus per se loquendo in aliis, & præcipuè in iis, quæ sponte dicit; nulla adhiberi poterit fides, cùm sit ex se mendax, & mendacii pater: ut docent Tyræus, Delrius, Sanchez, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Adjurat. punct. ult. num.* 9. Quòd si ex levitate curiositatis una vel altera res vana interrogetur à dœmone non deprecando quidem, sed imperando; nec certam fidem illi adhibendo, nec addiscendi fine, aut revelandi occultum crimen proximi, tunc venialem culpam non excedere docent Sylvester, Cajetanus, Sotus, Navarrus, Valentia, Suarez, Lessius, Sanchez, & Bonacina, quos refert, sed non sequitur Castropalaus *disp.* 4. *de Adjurat. pun.* 4. *num.* 7. quia non videtur signum notabile amicitiæ, & benevolentiæ cum dœmone; quamvis ipse Castropalaus putet, grave peccatum esse. 10

Adnotandum 3. non licere adjuranti petere à dœmone, ut opem ferat ad tempestates, grandines, & alia nocentia repellenda: hoc enim esset beneficium expectare à dœmone, & societatem cum eo inire: quamvis licitum sit præcipere dœmoni superiori in energumeno assistenti, ut totam legionem secum ferens simul abeant, cum hoc non sit beneficium expectare à dœmone, & societatem cum eo inire; sed potiùs illum cum sociis fugare, & ut inimicos repellere. Sic Sylvester *verb. Adjuratio quæst.* 5. Bonacina *pun. ult. de Adjurat. num.* 5. & Castropalaus *disp.* 4. *de Adjurat. pun.* 4. *num.* 10. Qui bene advertit, præceptum exeundi simul dari dœmoni Superiori, & inferioribus: nam si daretur tantùm Superiori, ut expelleret inferiores; esset petere auxilium à dœmone ad alios inferiores expellendos, quasi essent insufficientes ad hoc exorcismi, & adjurationes Ecclesiæ, quod non est dicendum; nam si vim habent expellendi superiorem, & multo magis 11

gis inferiores; & in hoc sensu loquuti sunt Suarez, Sotus, Lessius, Sanchez, & alii negantes dari posse hoc præceptum dœmoni superiori.

12 Adnotandum 4. non peccare adjurantem, si in contemptum dœmonis rutam adhibeat, stercus caprinum, & similia; sicuti si obsessum flagellis, contumeliis, alapis, vel sputis afficiat moderatè: quia hæc conducunt ad dœmonis expulsionem, qui utpote superbissimus molestè fert hujusmodi confusionis signa. Secus dicendum, si hæc adhibeantur tamquam vim naturalem habentia ad dœmones fugandos; tunc enim grave peccatum superstitionis committeretur, cum res corporeæ agere nequeant in Spiritus. Et si energumenis aliqua medicamina dantur, sunt ad expellendos humores potiùs, vel dispositiones, quibus homines vexantur à malis spiritibus. Sic Delrius, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Adjurat. pun. ult. n. 13.*

13 Adnotandum 5. posse adjurantem absque peccato connivere pactioni cum Dœmone; si rem malam non petat ob egressum, ut si petat novis suppliciis non cruciari; non detrudi in desertum locum, in infernum non relegari, & similia: ratio est, quia possumus uti mediis licitis ad dæmones fugandos, connivendo videlicet ejus petitioni, dummodo iniqua non petat: nec videtur permitti hoc in complacentiam Dœmonis, sed potiùs ad facilitandum ejus egressum. Secus verò si rem malam petat, transeundi videlicet ad alium hominem, vexandi alios, aut nocendi arboribus, segetibus &c. quia sic adjurans cooperaretur iniquis Dæmonum actionibus. Sic Tyræus, & Doctores superiùs relati à Bonacina *loc. cit. num.* 14.

Adnotandum denique: posse adjurantem absque pec- 14
cato petere signum à Dæmone, quo indicet, se egressum ab energumeno, & non ampliùs rediturum: ut esset extinctio lucernæ, confractio vitri &c. & ratio est, quia talis petitio approbatur à Sacerdotali Romano; & quamvis non sit infallibile signum expostulatum ad comprobandum egressum Dæmonis; nihilominus rarò contingit, quod fallax sit, si in ejus postulatione servetur modus præscriptus ab Ecclesia; conducit quoque, si non ad Dæmonis expulsionem; ad cognoscendam saltem expulsionem secutam. Sic Tyræus, Delrius, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Adjurat. disp.* 4. *pun.* 4. *num.* 1.

QUÆSTIO X.

DE VOTO.

VOTUM similitudinem habet cum Juramento, & ambo respiciunt Virtutem Religionis: ideo post Juramenti tractationem ad voti explicationem accedimus.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Votum.

1 *Quid veniat nomine Voti, & quomodo definitur?*
2 *Quinque requiruntur ad perfectam rationem Voti, & explicantur.*
3 *Quonam actu compleatur Votum, intellectus ne, an Voluntatis?*
4 *An propositum exequendi rem aliquam honestam in Dei Cultum sufficiens sit ad Votum?*

1 VOTUM non accipitur hìc pro desiderio, seu voluntate obtinendi bonum aliquod honestum juxta phrasim à Latinis usurpatam, in votis habere, pro desiderare; sed promissione facta Deo inducente obligationem, juxta quem sensum etiam ab ipsis Latinis acceptum fuit votum, ut liquet ex Cicerone 1. *de Legibus*. Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, quo obligamur Deo; pœna verò violatæ religionis justam excusationem non habet. Definiri solet votum hoc secundo modo acceptum: Voluntaria, & deliberata promissio facta Deo de meliori bono. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. & cum eo Doctores communiter. Per prima verba convenit votum cum promissione facta hominibus, per reliqua discriminatur ab illa: votum siquidem licèt sit voluntaria, & deliberata promissio; fit tamen Deo, & de meliori bono. Habetur etiam aliud discrimen inter promissionem factam Deo, & promissionem factam hominibus: nam facta hominibus de necesse indiget verbis, seu nutibus, quibus manifestetur, secus acceptari non posset ab hominibus; facta tamen Deo non indiget his, cum omnia manifesta, & aperta sint ipsi Deo. Sic Divus Thomas *l. c.* Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 26. Azor. *lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 1. & Sanchez *l.* 2 4. *Summ. cap.* 1. *num.* 44.

Ex tradita definitione colligunt Doctores quinque requiri ad perfectam rationem Voti: & 1. Deliberationem, hoc est Libertatem. 2. Propositum, seu voluntatem vovendi. 3. Promissionem, seu ipsam voluntatis determinationem. 4. ut hæc promissio fiat Deo. 5. denique ut fiat de meliori bono, quæ omnia per di- 3
stincta capita explicanda erunt.

Quæres 1. quonam actu compleatur votum, intellectus, an voluntatis? Resp. utroque actu compleri, sed præcipuè voluntatis: præcedit namque in intellectu voventis cognitio expressa, vel tacita de voti natura, ac de ejus essentia, & de convenientia illius; nam sine hac cognitione nec moveri potest voluntas voventis, nec suscipere in se obligationem: posita tali cognitione voluntas se determinat ad vovendum Castitatem e. g. quo quidem actu & vovet, & promittit ex nunc Deo obligatam esse ad Castitatem servandam, in quo actu consistit ratio formalis voti. Sic Suarez, *tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *de voto. lib.* 1. *cap.* 13. & Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 8.

Quæres 2. an propositum exequendi rem aliquam 4
honestam in Dei Cultum sufficiens sit ad constituendum votum? Resp. negativè etiamsi propositum absolutum, & efficax sit: & ratio est, quia propositum nequit inducere obligationem ad rationem voti requisitam; ergo non est sufficiens ad votum constituendum. Antecedens probatur: non inducit obligationem ex Lege aliqua extrinseca imponente obligationem habentibus bonum propositum de re honesta facienda, cum assignari nequeat; non enim est à propria voluntate proponentis, quia hæc se extendit tantùm ad faciendum, non tamen ad se obligandum, non ex natura ipsa propositi, quia cum hæc variabilis sit, mutari poterit juxta illud: Sapientis est mutare consilium, seu propositum; ideoque nec mortalem, nec venialem inducit obligationem, aliàs proponens firmiter servare Divina præcepta peccaret duplici peccato illa transgrediendo, 1. adversus violatum præceptum, 2. adversus obligationem à proposito inductam, quod est absurdum; ergo propositum inducere nequit obligationem ad votum requisitam, & consequenter nequit votum constituere. Sic Navarrus, Valentia, Sanchez, Azor. Sayrus, Toletus, Sylvester, Suarez, Filliuccius, & Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *de Voto pun.* 1. *num.* 2.

CAPUT II.

Quænam Deliberatio, seu Libertas requiratur ad Votum constituendum.

1 *Requiritur ad Votum perfecta Deliberatio, & Libertas.*
2 *Ea sufficit, quæ ad peccandum mortaliter sufficiens est.*
3 *Semiplena Deliberatio, & Libertas non sufficit.*
4 *Qui repentino quodam motu, & consuetudine vovent non advertentes ad id, quod faciunt; carent plena deliberatione ad vovendum.*

5 Obli-

5 *Obligat ne Votum, quando dubitatur, an plena deliberatione sit factum.*
6 *An actu dum votum emittitur, requiratur usus rationis?*
7 *An deliberatio Virtualis sufficiens sit ad Votum?*
8 *Vovere absque plena deliberatione quale peccatum sit?*

1 AD Votum requiri libertatem, deliberationem, & perfectam advertentiam ad id, quod fit; ut dictum est de Juramento; omnes fatentur, & ratio comprobat; quia cum Votum sit quædam privata Lex, quam sibi imponit vovens obligando se Deo: nemo autem reputatur velle se obligare, nisi plenam habeat deliberationem ejus, quod facit; unde est, quod requiratur ad votum perfecta deliberatio. Sic Navarrus *cap.* 12. *Summ. num.* 26. Sotus *lib.* 7. *de Just. quæst.* 1. *art.* 2. Ledesma *tom.* 2. *summ. tit.* 10. *cap.* 1. *dub. ult.* Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 1. *num.* 2. Suarez *lib.* 1. *de Voto cap.* 2. *num.* 6. & Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 1. *num.* 8.

2 Quænam autem deliberatio, & libertas requiratur ad votum constituendum, non una est doctorum mens: communior tamen sententia docet, eam libertatem sufficere ad votum, quæ sufficiens est ad peccatum mortale committendum: ratio est, quia illa libertas, ac deliberatio, quæ sufficit ad ligandum hominem diabolo, sufficiens pariter erit ad illum obstringendum Deo: requirere ergo eam maturam, & exactam deliberationem, quæ reducat ad trutinam omnem circumstantiam, & convenientiam in vovendo, nimis arduum est, ac fere nemo verum votum emitteret; adeoque sufficiens tantùm erit ea deliberatio, quæ ad meritum, & demeritum communiter requiritur. Sic cum S. Thoma Navarrus *in summ. cap.* 22. *num* 8. Valentia 22. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 1. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 40. *dubit.* 1. *nu.* 3. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Voto cap.* 6. *num.* 4. Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 3. & colligitur *ex Cap. sicut nobis de Regular.*

3 Hinc deducitur: semiplenam libertatem, & deliberationem non sufficere ad votum: quia imponere sibi, vel alteri obligationem faciendi aliquid, etiam sub veniali culpa est res gravis momenti, ergo requiritur in imponentè libertas, ac determinatio plena: quapropter votum ex semiplena deliberatione ortum nec tenet, nec obligare potest sub mortali, vel veniali. Sic docent Lessius, & Suarez locis citatis, & Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 1. *num.* 2.

4 Deducitur quoque deliberationem, & animadversionem ad votum requisitam non habere illos, qui repentino quodam motu, ac consuetudine vovent, non advertentes ad id, quod faciunt, carent siquidem plena deliberatione ad votum emittendum necessaria. Quamvis non sit caput sufficiens ad probandos hos repentinos motus, & inadvertentiam statim pœnitere voti facti: nam voluntas humana facilis est ad mutandum mutatis circumstantiis; & multos statim pœnitet celebrasse contractus, quos plena libertate, & cæteris requisitis celebrarunt. Sic Azor. *lib.* 11. *cap.* 15. *quæs.* 5. Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 1. *nu.* 10. & Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 3.

5 Quæres 1. quando dubitatur, an Votum factum sit cum plena deliberatione; obligat ne? Resp. quamvis aliqui doctores putarint, in dubio obligationis voti votum non obligare; nihilominus dicendum erit obligare: & ratio est, quia si constat, votum factum fuisse, & dubia est ejus excusatio; possessio stat pro voto: insuper præsumptio stat pro plena deliberatione, cum ex communiter contingentibus vota fieri soleant ex plena deliberatione; & dummodo oppositum non probatur, præsumendum est pro ipsa. Sic Bonacina *quæst.* 2. *de voto punct.* 1. *nu.* 3. referens Soncinum, Parisium, & Menochium.

6 Quæres 2. an requiratur usus rationis actu, dum votum emittitur? Resp. affirmativè; quia si vovens sui compos non esset, dum vovet; gaudere non posset deliberatione requisita ad votum; & solùm verba promissoria proferre posset, absque intentione ea proferendi cum debita advertentia, & consideratione; ergo actu dum vovet, habere debet rationis usum. Sic communiter doctores, qui asserunt, amentem, & laborantem ex quocumque capite usu rationis, non validè vovere; si voveat, cum sit rationis usu destitutus. Secus verò si quis habeat lucida intervalla, & dum illis potitur, votum emittit cum deliberatione sufficienti circa rem promissam, etiamsi usu rationis non polleat circa alia; validè vovet, cum habeat omnia requisita ad validè vovendum. Sic Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 8. *num.* 23. *allos referens doctores*. Semiebrius pollens sufficienti usu rationis ad mortaliter peccandum validè vovet, si votum emittit; censetur enim sufficientem deliberationem habere ad vovendum. Ita etiam dicendum de vovente ex calore iracundiæ, dummodo calor tantus non sit, ut rationis usum auferat. In dubio autem præsumendum est, non abstuliisse usum rationis; nisi alia indicia habeantur in oppositum: ut rectè docent Suarez *lib.* 4. *de Voto cap.* 6. *num.* 10. & Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7.

7 Quæres 3. an ad votum sufficiens sit deliberatio virtualis? Resp. sufficere, quando votum est in se volitum, e. g. si quis vovendi causa incipiat cæremonias, & omnia, quæ solent antecedere emissionem voti, cum tamen pervenit ad formam ipsius voti distrahitur ad alia; iste talis utique validè vovet, & habet sufficientem deliberationem, quæ requiritur ad votum: & ratio est, quia illa formalis voluntas vovendi remanet in virtute, & in effectu à se relicto; & sicuti talis deliberatio virtualis sufficiens est ad conficienda, vel recipienda Sacramenta; ita sufficiens erit ad votum emittendum. Secus verò dicendum, si non sit in se volitum: quapropter si quis prævidens fore ut in somno, vel in ebrietate emittat votum, nec diligentiam adhibet ad non emittendum, si possea in somno, vel ebrietate votum emittat etiamsi cæremonias ante somnum, vel ebrietatem cœperit; non vovet validè: quia non operatur humano modo, nec actum humanum efficit: sicuti non est valida absolutio, aut baptismus collatus in somno, aut ebrietate, etiamsi cæremoniæ ante illa cæptæ fuerint. Sic Sanchez *in summ. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 6. Suarez *lib.* 1. *de Voto. cap.* 10. *num.* 5. & Navarrus *cap.* 12. *summ. num.* 25.

8 Quæres 4. Vovere absque plena deliberatione quale peccatum sit? Resp. passim esse culpam venialem: & quidem quòd sit aliqua culpa probatur ex eo, quia obligare se Deo est res gravis momenti; ergo imponere sibi talem obligationem absque prævia consideratione, & prudentia, aliqua culpa erit. Quòd autem frequenter hæc culpa venialis sit, patet ex eo, quia talis defectus prudentiæ in promittendo, quando cætera omnia habentur; non videtur posse excedere culpam venialem: ut expressè docent Cajetanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. Valentia 2.2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *pun.* 1. Sanchez *lib.* 4. *de Voto. cap.* 1. *num.* 9. & Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 2.

CAPUT III.

Quomodo Metus, error, aut Ignorantia impediant libertatem ad Votum requisitam?

1 *Multiplex est Metus, & explicatur ejus Multiplicitas.*
2 *Metus incussus à causa intrinseca, & naturali non reddit votum invalidum.*
3 *Metus incussus à causa extrinseca libera sive justè, sive injustè, dummodo non sit ad extorquendum votum; non reddit illud invalidum.*
4 *Metus gravis ab extrinseco justè incussus ad votum extorquendum non invalidat illud.*
5 *Metus gravis ab extrinseco injustè incussus ad votum extorquendum, dummodo innotescat voventi; invalidat votum Iure Ecclesiastico, non verò naturali.*
6 *Nullum est votum religiosæ professionis fœminæ, quæ illud emittit ob timorem patris minitantis graves injurias.*
7 *Non tenetur ad Votum Castitatis accedens ad Sacros Ordines metu cadente in constantem virum.*
8 *Metus levis nec reddit invalidum votum Solemne, nec aliud quodcumque simplex.*
9 *Error, & Ignorantia circa quatuor ad Votum spectantia versari possunt.*
10 *Si versentur circa essentiam Voti irritant illud.*
11 *Si versentur circa Materiam, & obiectum voti irritant illud.*
12 *Si versentur circa Conditiones, & Circumstantias voti non irritant.*
13 *Si versentur circa Causam finalem, & Motivam irritant.*
14 *Non irritant si versentur circa Causam Impulsivam.*
15 *Quomodo dignoscenda Causa finalis; & quomodo Impulsiva?*

DEFE-

1 DEFECTUS Libertatis, & intentionis in vovendo provenire potest à Metu, Errore, aut Ignorantia; ideo meritò inquirimus ordine suo, quomodo libertatem impediant. Metus multiplex est, alius intrinsecus, extrinsecus alius. Intrinsecus ille est, qui à causa intrinseca, vel naturali infertur; talis est metus proveniens ex morbo periculoso, aut ex occursu ferarum, & animalium; ex tempestatibus &c. dicitur hic metus fieri à causa intrinseca, & naturali, ut distinguatur à metu proveniente à causa extrinseca libera, videlicet ab homine: quapropter vota facta intuitu morbi, ferarum, tempestatum &c. dicuntur fieri ex metu intrinseco, non verò ab extrinseco. Metus extrinsecus ille est, qui infertur à causa extrinseca libera, scilicet ab homine. Insuper metus alius est gravis, & cadens in constantem virum; alius levis, & cadens in virum inconstantem. Primus ille dicitur, quo eligitur minus malum, ut vitetur majus malum probabiliter imminens, & quod non possit faciliter impediri: quapropter ad metum cadentem in constantem virum duo hæc requiruntur, ut videlicet malum, quod timetur judicio prudentum grave sit, & quod probabiliter immineat. Secundus ille dicitur, quo eligitur majus malum ad evitandum minus. Metus cadens in constantem virum aliquando est justus, aliquando injustus: justus erit, quando quis minatur malum, quod potest inferre justam pœnam, e. g. justam criminis accusationem &c. injustus erit, quando minatur malum, quod justè inferre nequit. Metus denique proveniens ab extrinseco, & à causa libera aliquando incutitur ad extorquendum votum; aliquando verò ad alium finem distinctum à voti extorsione. His prænotatis

2 Dicendum 1. metus incussus à causa intrinseca & naturali non reddit votum invalidum: sic vovens ob metum incussum ab infirmitate, tempestate, occursu leonis, vel alterius feræ ad vitandum illud validè vovet tam jure naturæ, quàm jure Ecclesiastico: & ratio est, quia liberè assumitur ut medium aptum ad vitandum malum. Esto quòd votum nollet facere vovens, si alia via posset malum vitare: sed quia censet, hoc esse impossibile vel difficillimum; eligit votum, ut medium aptum ad malum imminens vitandum; ergo liberè vovet: & sic definitum est *in Cap. Sicut nobis de Regular.* Favet quoque paritas deducta ex matrimonio, & cæteris contractibus, qui validi sunt, etiamsi cum tali metu celebrentur; ergo etiam validum erit votum ex tali metu factum. Sic Doctores passim.

3 Dicendum 2. metus incussus à causa extrinseca libera, sive justè, sive injustè incutiatur, dummodo non sit ad votum extorquendum, sed ad alium finem; non reddit votum invalidum: & ratio est eadem, quia sufficienter est voluntarium voventi, qui sponte illud eligit; nec ab aliquo adstringitur ad votum emittendum, nec metus est causa voti, sed potiùs occasio illius: & sicuti Matrimonium hoc metu celebratum validum est; sic pariter & validum erit votum. Ita Suarez, Sanchez, Lessius, Azor. & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp. 1. pun. 5. num. 3.*

4 Dicendum 3. Metus gravis incussus ab extrinseco justè ad votum extorquendum non invalidat votum: & ratio est, quia nulla fit injuria voventi per talem metum justè incussum; ob quam votum invalidetur; ergo validum erit, antecedens probatur; quia per voti oblationem potiùs affertur medium ad vitandum malum ex ipsa natura delicti ortum, quàm metus incutiatur: metus siquidem potiùs est à causa intrinseca, & à lege & natura delicti, quàm à causa extrinseca; ergo nulla injuria fit voventi per metum justè incussum: sic si quis adstringitur ad votum, aliàs justè damnabitur ad triremes ob sua delicta; si votum emittit validum erit. Sic Sà, Sanchez, Lessius, Bonacina quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp. 1. pun. 5. num. 5.* contra Rodriquez, Lopez, & Vegam putantes iniustè incúti, per hoc metus incutiatur ad extorquendum votum; sed gratis assumetur, quia ut ex nostra ratione patet, nulla fit iniuria, & iniustitia voventi.

5 Dicendum 4. Metus gravis iniustè incussus ab extrinseco, seu à causa libera ad votum extorquendum, dummodo hoc innotescat voventi; invalidat votum ex Jure Ecclesiastico; & probatur *ex Cap. 1. de his, quæ vi:* ubi puella metu mortis compulsa à marito ad professionem emittendam, & postea marito mortuo ad secundas accedens nuptias; declarat Pontifex, quòd debeat ad religionem compelli, si non constiterit ex metu gravi consensisse, nec liberè ratificasse. Insuper *ex Cap. Dilectus eod. tit.* ubi decernitur, fuisse validum votum, quia per metum gravem non fuerat factum; ergo si per metum gravem factum fuisset, utiq; invalidum fuisset. Quod dicitur de voto solemni, à fortiori dici debet de votis simplicibus, quæ non inducunt adeo gravem obligationem respectu illius. Sic Sotus *lib. 7. de Just. quæst. 2. art. 1.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. pun. 4.* Navarrus *cap. 12. Summ. num. 52.* Azor. 1. *par. lib. 11. cap. 15. quæst. 7.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 3. num. 12.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 40. dubit. 3. num. 18.* Sà *verb. Votum. num. 8.* & Bonacina *de voto quæst. 2. pun. 3. num. 5.* contra Sylvestrum, Suarez, & alios cum Castropalao, qui putant, excepto voto solemni Religiosæ professionis, & voto Simplici Religionis, cætera vota, etiam per metum gravem facta, valida esse Jure Ecclesiastico. Dixi Jure Ecclesiastico invalidum esse quodcumque votum factum per metum gravem injustè incussum ad extorquendum votum; eo quia iure naturæ videtur esse validum, ut communior sententia fert contra Sotum *l. c.* & alios putantes oppositum, & ratio est, quia iure naturæ voluntarium requisitum ad vovendum sufficienter habetur in tali casu, cum habeatur deliberatio illa, quæ sufficit ad peccatum mortale: insuper iuramentum, & contractus cum tali metu celebrata valida sunt, & obligant iure naturæ; ergo etiam & votum, esto quòd Jus Ecclesiasticum ob gravia motiva putarit invalidum reddere, ac irritum, ut patet *ex Capitibus citatis.* Dixi quòd debeat innotescere voventi metus gravis incussus ad votum extorquendum; nam si non innotescit, validum erit votum emissum: & ratio est, quia dum vovens non cognoscit, metum ordinari ad votum extorquendum, libere eligit votum, & sponte sua ad periculum vitandum; ergo non est, unde tale votum irritari possit. Sic Bonacina *l. c.* referens valentiam, & Sanchez.

6 Ex dictis infertur 1. nullum esse votum religiosæ professionis fœminæ, quæ illud emisit ob timorem patris minitantis graves iniurias, etiamsi extra mortem, aut exilium: nam reputatur metus gravis; & minor metus sufficiens est ad excusandam mulierem ob sexus fragilitatem, quam virum: ut rectè adnotarunt Sayrus, Sanchez, & alii relati à Bonacina *de Voto. quæst. 2. pun. 3. num. 8.*

7 Infertur 2. non teneri ad votum Castitatis accedentem ad sacros ordines suscipiendos metu cadente in constantem virum, nisi illos ex metu susceptos postea ratificet verbo, aut facto semel utens Ordine suscepto, idque sine coactione. Sic docet Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 29.* Azor. Angelus, Sotus, & alii penes Bonacinam, *l. c.* contra Paludanum. Et Rota *in Decision. 1. par. decis. 661.* affirmat Stylum Cancellariæ Romanæ liberam dare facultatem; ut ii, qui taliter promoti sint, matrimonium contrahere possint: quamvis Ecclesia illos cogere possit ad emittendum de novo votum continentiæ, aut ad abstinendum ab usu, & exercitio Sacrorum Ordinum.

8 Dicendum tandem: metum levem non reddere invalidum votum solemne, neque quodcumgue votum simplex, etiamsi vovens aliàs non voviſſet: & ratio est, quia Ecclesia, ut constat ex Capitibus citatis, nec irritat talia vota, nec vovens cum tali metu caret sufficienti voluntario ad votum requisito; ergo liberè vovet; & per consequens validum erit votum. Sic Valentia, Sotus, Azor. Suarez, Sanchez, Sà, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp. 1. pun. 5. num. 15.*

9 Error, & Ignorantia, quæ pariter libertatem ad votum requisitam impedire possunt, versari poterunt 1. circa Essentiam Voti. 2. circa Materiam. 3. circa aliquas conditiones, & circumstantias. 4. circa causam motivam, & impulsivam voti: quapropter hæc omnia distinctè explicare oportet.

10 Ignorantia, seu error versans circa Essentiam voti; ut si ignoretur perpetuitas voti, & eius obligatio; aut si quis credat, se profiteri in una religione, & postea invenit, in alia se professum fuisse; irritat votum factum, ac invalidum reddit: ratio est, quia cum non cognoscitur nativa voti obligatio, & essentia, non potest voluntariè eligi iuxta vulgatum axioma: Nil volitum, quin præcognitum. Insuper error irritat contractum oneroſum; ergo à fortiori irritabit votum, quod importat promissionem gratuitam, & liberalem. Sic Sotus *lib. 7. de Just. quæst. 1. art. 2.* Sanchez, *in Summ. lib. 4. cap. 2. num. 15.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de Vot.*

Vot. cap. 11. *num.* 6. & Leffius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 2. *num.* 11. Adnotandum hic ex Sanchez, & Suarez locis citatis, quod ignorans essentiam voti, & volens illud votum emittere pro ut est in se, & secundum id, quod alij emittunt; tenebitur ad votum servandum, & adstringetur ab obligatione voti emissi: & ratio est, quia per talem voluntatem jam expellitur ignorantia, & emittens præsumitur velle amplecti ea, quæ secum fert votum.

11 Ignorantia, & error versans circa materiam, & obiectum Voti, reddit pariter irritum votum, & ejus obligationem: eo quia impedit, quòd materia, & objectum sit cognitum, & per consequens quòd sit volitum: sic ferè doctores omnes, adeoque vovens Hierosolymitanam peregrinationem putans absque navigatione compleri posse, cum revera non possit; non tenebitur ad votum: cum erret in obiecto, & materia voti, non enim vovit viam necessariam ad talem peregrinationem complendam, sed aliam sua mente confictam per errorem, quæ revera Hierosolymam non conducit. Sic etiam vovens adire limina Apostolorum, quæ putabat non longè distare; cum comperit longè distare supra id, quod credebat; non tenebitur ad votum adimplendum. Sic denique vovens Carthusianorum, aut Minimorum Religionem credens ibi carnibus vesci liberè; non tenebitur remanere, aut aliam ingredi religionem, in qua carnes comedere possit, quia votum nullum est ex defectu materiæ promissæ; & aliunde non absolutè, sed de tali Religione emissum fuit. Sic Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Voto cap.* 11. *num.* 11.

12 Error, & Ignorantia circumstantiarum, & conditionum non irritat valorem voti, etiamsi votum non emitteretur, si talis circumstantia, & conditio cognosceretur: ratio est, quia ignoranti tunc causat involuntarium votum, quando objectum est ignoratum; si igitur objectum non ignoratur, quamvis ignorentur aliqua extrinseca ipsi obiecto; non poterit votum dici involuntarium, sed voluntarium. Nec impedit rationem voluntarii in voto, quòd si tales circumstantias cognosceres, illud non emitteres. Non impedit inquam, quia illa dispositio habitualis non facit, quin votum absolutè amplectaris, ut patet in dante eleemosynam pauperi, quam non daret, si cognosceret esse inimicum: voluntas siquidem conditionalis non posita conditione nil ponit in esse; si igitur non cognoscis esse inimicum, absolutam habes voluntatem dandi eleemosynam. Sic Cajetanus, Sotus, Molina, Lessius, Sanchez, Valentia, & Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 4. Adnotandum hìc: quòd si circumstantia, & conditio ignorata ita immutet objectum voti, ut judicio prudentum censeri debeat excepta; tunc irritabit valorem voti: sæpe enim sunt ita graves circumstantiæ, ut jure existimentur immutare objectum voti, ut patet in abstinentia à carnibus in Religione Carthusianorum, & Minimorum. Quando verò hoc contingat, decidendum erit arbitrio prudentum, cum nulla alia firmior regula dari possit, ut adnotavit Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Voto. cap.* 1. *num.* 13.

13 Ignorantia, & error versans circa causam Motivam, & finalem irritat valorem voti: & ratio est, quia finis voti est ipsum voti objectum, ergo si adest error in fine, adest error in obiecto voti, adeoque votum voluntarium non erit. Multiplex finis considerari potest in voto. 1. communis omnibus votis, divinus scilicet Cultus, & Honor, quo deficiente nequaquam votum subsistere potest, cum non remaneat materia capax voti. 2. est specialis, & intrinsecus materiæ promissæ, quo pariter deficiente mutatur obiectum, & cessat obligatio; sic finis intrinsecus, & specialis eleemosynæ est sublevare alienam miseriam; quapropter si vovisti eleemosynam dare Petro, putans illa indigere ad sublevandam ejus miseriam, si revera est dives, nec illius indigens; cessabit voti emissi obligatio. 3. licet sit extrinsecus, quia tamen intenditur per votum obtineri, ad voti ipsius obiectum formaliter spectabit: sic credens amicum suum Romæ adesse vovet peregrinationem Romanam ad illum invisendum; utique visitatio amici spectabit ad obiectum talis voti; adeoque si non adsit amicus Romæ, nulla erit hujus voti obligatio. Secus verò dicendum, si visitatio amici non esset causa finalis, sed merè impulsiva. Sic etiam vovens calicem Ecclesiæ ob recuperandam filio sanitatem, qui revera non ægrotat; aut vovens largam eleemosynam ob pingue legatum sibi relictum, quod revera non est; nullam voti obligationem subibunt, cum obiectum talium votorum, seu causa finalis, & motiva cessat: & ratio ulterior est, quia peregrinatio, calix, & eleemosyna in casibus adductis non absolutè promittuntur, sed tanquam medium ad invisendum amicum, recuperandam filio salutem, & Deo reddendas gratias pro legato relicto; quæ cum revera nulla sint, nullam inducere poterunt obligationem. Sic Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Voto cap.* 11. *num.* 14. Lessius *lib.* 2. *de Just. dubit.* 2. *num.* 11. & Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 2. *nu.* 45. Quid verò dicendum sit, si votum emittatur non solùm ob fines supradictos non existentes, verum etiam ob alios existentes; cum distinctione declarandum erit. Nam vel vovens habet expressam voluntatem se obligandi ob quemlibet ex illis, si adesset; & tunc evidens est obligari aliquo ex illis finibus revera existente. Si verò talem expressam voluntatem non haberet, & uterque finis moveret ad vovendum, ut per votum obtineatur; quolibet ex illis deficiente impediretur voti obligatio, quæ secus ferretur in aliquod impossibile. Sic Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 2. *num.* 40. & Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 5.

14 Si error, & ignorantia versetur circa causam impulsivam, non irritat votum: & ratio est, quia non reddit illud involuntarium, cum non occultet nec voti obiectum, nec ejus substantiam. Insuper voluntas voventis semper supponitur determinata ad vovendum ob causam finalem; ergo hac subsistente erit validum votum, quamvis error adsit ex parte causæ impulsivæ, quæ solùm facit, ut faciliùs, & libentiùs votum emittatur, quamvis sine illa emitteretur: patet in Caio emittente votum dandi eleemosynam Petro ob motivum paupertatis; sed libentiùs vovit, quia reputabat illum virum doctum; si revera reperiat Petrum pauperem, quamvis indoctum, tenebitur ad eleemosynam illi elargiendam: quia jam extat finis, ob quem motus est ad vovendum, licèt non extet causa illa impellens ad faciliùs vovendum. Error namque tantùm se tenens ex parte causæ impulsivæ non vitiat voluntarium, aliàs ut bene advertit Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 15. referens Vasquez, Valentiam, Sanchez, & Rebellum, omnes contractus essent involuntarij, & nulli; cum ferè semper aliquid lateat ex parte causæ impulsivæ, & quo quidem cognito, contractus non fuisset celebratus.

15 Sed modo dubium insurgit, & sanè difficile: quomodo scilicet cognoscendum sit, causam fuisse finalem, an verò impulsivam. Et respondeo, cognosci debere ex affectu, quo vovens movetur ad præstandam rem voto promissam: nam si magnum habeat affectum ad præstandam rem illam motus à tali causa; itaut si quæcumque alia cessaret, utique rem illam præstaret, talis causa motiva, & finalis dicenda erit; & illa, qua cessante, rem voto promissam præstaret, dicenda erit impulsiva, & merè occasionalis. Sic in exemplo superiùs allato sublevatio pauperis in Petro dicenda erit causa finalis, quia ex tali affectu movetur Cajus ad vovendam eleemosynam Petro; doctrina vero falsò apprehensa in Petro dicenda erit causa impulsiva, & merè occasionalis; quia ea cessante non desisteret Cajus à voto eleemosynæ. Quòd si adhibita omni diligentia adhuc dubitaretur, an causa fuerit finalis, an verò impulsiva. Resp. si in voto emisso non habetur alter finis, causam reputandam esse finalem, non verò impulsivam: nam absque fine votum non emittitur. Si verò constat de alio fine, causa, de qua dubitatur, reputanda erit impulsiva, & merè occasionalis: cum in dubiis jus præsumat pro valore actus *ex Leg. Quoties ff. de Rebus dub.* maximè quia possessio stat pro voto, quod constat, emissum fuisse. Sic Sylvester *verb. Votum.* 2. *quæst.* 8. Azor *lib.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 8. Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 2. *num.* 52. & Rebellus *de donat. quæst.* 13. *num.* 6.

CAPUT IV.

De Voluntate requisita ad vovendum, ac de Promissione facta per Votum.

1 *Requiritur ad validitatem voti voluntas vovendi saltem tacita, aut virtualis.*

2 *An accedens ad Sacros Ordines sciens; illis annexum esse Castitatis votum, quod positivè respuit nolens se obligare ad illud; revera teneatur ad illud?*

3 *An*

3 *An ex voto facto cum intentione positiva non obligandi se oriatur obligatio?*
4 *Quid dicendum: si votum sit factum cum animo negativo, hoc est sine expressa, vel tacita intentione se obligandi?*
5 *An votum factum cum animo vovendi & se obligandi; sed cum animo non adimplendi promissionem; inducat obligationem?*
6 *An peccet vovens, si cum animo non vovendi, aut se non obligandi, vel non exequendi promissionem voveat?*
7 *An possit revalidari votum invalidum ob defectum voluntatis, vel alterius requisiti?*

1 REQUIRI ad validitatem voti voluntatem vovendi, saltem tacitam, implicitam, aut virtualem, nemini dubium esse potest: & ratio est, quia lex in tantum obligat, eo quia Legislator vult obligare; sed in nostro casu legislator est vovens, lex est votum; ergo ideo obligabit votum, quia vovens voluerit obligare; sed nemo vult obligare, nisi per voluntatem saltem tacitam, implicitam, aut virtualem; ergo ad validitatem voti requiritur talis voluntas. Implicita autem voluntas illa dicitur, qua quis ignorans voti naturam, vult tamen promittere ea intentione, qua cæteri promittunt. Tacita verò, & virtualis illa est, qua quis vovens statum aliquem tacitè, & virtualiter vult onera statui illi annexa, etiamsi illa ignoret. Sic volens, & recipiens Sacros Ordines tacitè, & virtualiter vult Votum Castitatis, & onus recitandi Divinum Officium, etiamsi ignoret, hæc annexa esse tali Statui. Sic Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 22. *num.* 11. Clavis Regia *lib.* 6. *cap.* 1. & Bonacina *de Voto disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 7.

2 Dubitabis 1. an accedens ad Sacros Ordines sciens illis annexum votum Castitatis, quamvis positivè respuat illud nolens ad Castitatem se obligare; revera teneatur ad illam? Resp. affirmativè, quamvis non obligetur ad Castitatem servandam ratione voti, quod subsistere nequit cum voluntate non vovendi, est enim votum voluntaria, & deliberata promissio; sed tenebitur ad Castitatem ex Statuto Ecclesiæ præcipientis observantiam Castitatis illi, qui accedens ad Sacros Ordines noluit Castitatem vovere, & simul illum inhabilem reddit ad matrimonium contrahendum. Sic Paludanus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 14. Sanchez *in Summ. cap.* 1. *num.* 29. Sylvester *verb. Matrimonium.* 8. *quæst.* 12. *dub.* 2. Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *de Voto pun.* 1. *num.* 4. contra Navarrum, Toletum, & alios asserentes obligari voto Castitatis. Hinc deducitur 1. discrimen intercedens inter votum Castitatis, & alia onera annexa Sacris Ordinibus: nam suscipiens Sacros Ordines cum eo animo non vovendi Castitatem non tenebitur ad illam ex vi voti; suscipiens tamen Ordines Sacros cum animo non obligandi se ad recitationem Horarum Canonicarum obligabitur ad illas: & ratio est, quia licèt Ecclesia possit sponte ordinatos obligare ad recitationem Horarum, sive velint, sive nolint; non potest tamen adstringere ad votum Castitatis, nisi cum plena voluntate illud emittant, cum de ratione voti sit voluntaria, & deliberata promissio. In foro externo non est de facili danda fides asserenti, suscepisse sacros ordines cum animo non vovendi Castitatem, cum semper in tali foro præsumptio stet pro voto. Deducitur 2. invalidè suscipientem Sacros Ordines non teneri ad Castitatem: ratio est, quia deficiente principali, debet pariter deficere accessorium; cum igitur principale sit in casu nostro Ordo Sacer, accessorium votum Castitatis; inde est, quòd deficiente Ordine Sacro deficere debeat votum Castitatis. Secus tamen dicendum in Religione, in qua profitens invalidè tenebitur ad Castitatis votum servandum: quia principaliter, & non accessoriè emissum fuit à professente votum Castitatis. Sic ex Sanchez docet Bonacina *de Matrim. quæst.* 3. *pun.* 9. *num.* 9.

3 Dubitabis 2. an ex voto facto cum intentione non se obligandi, revera oriatur obligatio? Resp. negativè) etiamsi vovens habuerit animum expressum vovendi, quamvis simul habuerit animum non se obligandi: & ratio est, quia cum votum sit lex quædam privata, non poterit obligare, nisi Legislator intendat obligare; cum igitur legislator sit ipse vovens, non poterit votum obligare, nisi ipse voluerit. Non nego tamen, quòd aliquando ratione scandali teneatur stare promissis, quamvis non teneatur ratione voti: sicuti superiùs diximus, ex statuto Ecclesiæ obligari ad Castitatem suscipientem sacros Ordines cum intentione non se obligandi ad Castitatem. Sic Valentia, Azor. Sanchez; Henriquez, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *de Voto pun.* 1. *num.* 12.

4 Sed quid dicendum: si votum factum sit non cum animo positivo non se obligandi, sed cum animo negativo, scilicet sine expressa, vel tacita intentione se obligandi? Resp. non oriri obligationem ex tali voto, etiamsi factum sit cum animo vovendi, sed absque expressa, vel tacita intentione se obligandi: sic vovens, qui ignorat votum obligare, vel credit non obligare; non tenebitur ad votum servandum, & ratio est, quia votum in tantum obligat, in quantum vovens intendit obligare se, sed qui non habet nec expressam, nec tacitam intentionem se obligandi; non intendit obligare se; ergo non emittit votum obligans. Sic Sylvester *verb. Metus quæst.* 8. Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 27. Lessius *lib.* 2. *Just. cap.* 40. *dubit.* 1. *num.* 13. & Sanchez *in Summ. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 26. & alii contra Sotum. Si tamen dubium insurgat voto jam facto: an scilicet quando vovit, scierit obligationem ex voto consurgere, vel habuerit intentionem se obligandi; tenebitur ad votum: tum quia possessio stat pro voto, tum etiam quia probato, & constante facto prudenter præsumi debet, omnia requisita ad factum interveniisse; ut colligitur *ex Cap. In præsentia, de Probat.* & docent Navarrus *lib.* 3. *Consil. de voto consil.* 4. Corduba, Antoninus, & alii apud Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 3.

5 Dubitabis 3. an votum factum ex animo vovendi, & se obligandi; sed cum animo non adimplendi promissionem; inducat obligationem? Resp. affirmativè: oritur enim obligatio ex vi voti, adeoque vovens tenebitur sub gravi, vel levi, secundum gravitatem, aut levitatem rei promissæ ad votum adimplendum: & ratio est, quia intentio non adimplendi non tollit obligationem voti, seu promissionis factæ, imò naturaliter sequitur ex ipso voto, & promissione, ergo quamvis habeatur animus non adimplendi votum, & promissionem, si revera fuit animus se obligandi; habebitur obligatio ex vi voti ad exequendum promissa: antecedens probatur, quia votum non consistit in animo exequendi promissionem, sed in animo se obligandi, & suscipiendi obligationem; ergo intentio non adimplendi non tollit obligationem voti. Confirmatur paritate contractus emptionis, & venditionis, qui validi esse possunt absque animo traditionis, cum eorum essentia non in traditione, sed in obligatione ad traditionem consistat: sic etiam votum non in executione rei promissæ, sed in obligatione illam exequendi consistere debet. Insuper à Legislatore, aut Superiore præcipi potest aliquod opus, quin voluntatem habeat, ut exequatur: sic in præcepto Abrahæ imposito à Deo sacrificandi Isaac habuit quidem Deus voluntatem obligandi Abraham ad Sacrificium, quamvis non habuerit voluntatem, ut sacrificium executioni mandaretur. Ita Sanchez, *lib.* 1. *de matrim. disp.* 9. *num.* 2. Suarez *lib.* 1. *de voto cap.* 4. *num.* 2. Reginaldus *lib* 18. *num.* 262. & Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 9. & alii contra Valentiam, cujus sententia reputatur singularis.

6 Dubitabis 4. an peccet vovens cum animo non vovendi, aut se non obligandi, vel non exequendi & adimplendi promissionem? Resp. eum, qui fictè vovet sine animo vovendi, aut se obligandi; peccare venialiter in votis simplicibus, exceptis iis, qui post biennium Novitiatus in Societate Jesu emittuntur: & ratio est, quia aliquam irreverentiam facit Deo sic fictè vovendo, & promittendo. In votis autem solemnibus, & coram aliis peccare graviter tum ratione scandali, tum ratione damni, quod Religioni infert; nisi fortè habeat sufficientem causam sic fictè vovendi. Eum verò, qui vovet cum animo non adimplendi promissionem; peccare graviter, aut leviter juxta gravitatem, aut levitatem materiæ promissæ: nam animus violandi votum sic est peccaminosus, ut est ipsa violatio voti; sed hæc est gravis, vel levis juxta meteriam gravem, vel levem; ergo & ipse animus violandi erit sic. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 261. & Bonacina *de voto quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 15. alios referens.

7 Dubitabis tandem: an votum invalidum vel ob defectum voluntatis vovendi, aut alterius capitis revalidari possit per ratificationem? Resp. affirmativè: quia

cum

cum ratificatio sit nova promissio ; inde est , quòd consurgat obligatio ex ratificatione facta, sicuti consurgit ex promissione facta Deo in voto. Sic Azor. Lessius, Sanchez , Navarrus , Cajetanus & alii , quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 16. Adnotandum tamen hìc , quod ratificans debet scire, aut saltem putare, votum esse invalidum : quia si ratificans putat , esse validum , cum revera invalidum sit ; non efficit validum per ratificationem : & ratio est, quia intendit consentire in votum, ut priùs factum; quod cum sit invalidum, invalida pariter erit ratificatio. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 1. *nu.* 40. & Bonacina *loc. cit.*

CAPUT V.

An vota soli Deo fieri possint; & quomodo fiant de meliori bono?

1 *Vota prout sunt actus Religionis, soli Deo fiunt sive immediatè, sive mediatè; sive expressè, sive tacitè.*
2 *Ad votum non solùm requiritur; quòd ejus materia sit bona, & honesta; verùm etiam quòd sit melior suo contradictorio.*
3 *An votum non vovendi sit de meliori bono?*
4 *An votum non petendi dispensationem, aut non utendi ea sit de meliori bono?*
5 *An votum non acceptandi Episcopatum, aut Prælaturas Regulares, vel Sæculares sit de meliori bono?*
6 *An votum contrahendi Matrimonium sit de meliori bono?*
7 *An Votum perpetuò inserviendi alicui hospitali sit de meliori bono?*
8 *An vota non ingrediendi aliam religionem, nisi hanc; non recitandi coronam, nisi flexis genibus; non dandi eleemosynam minorem decem aureis, & similia, sint de meliori bono?*

1 CUM ex definitione voti habeatur, esse promissionem factam Deo; ideo inquiritur, an soli Deo votum fieri debeat , an etiam fieri possit cæteris Sanctis? Communis sententia docet , votum , prout importat actum Religionis, quæ Deum respicit, soli Deo fieri posse immediatè, vel mediatè ; tacitè , vel expressè: & ratio ulterior est, quia votum cum sit Cultus recognoscens Divinum Numen, à quo tamquam ab Authore bonorum omnium aliquid impetrare intendimus, vel pro impetratis gratias referre; inde est, quòd ad solum Deum referri possit, cum non sit alius, qui hoc modo coli possit . Quod si Sancti invocantur in promissione, & voto; ita ut videatur ipsis votum fieri, tunc revera dirigitur ad Deum, qui honoratur in Sanctis suis, & invocantur ut testes promissionis factæ, & ut Mediatores ad votum Deo deferendum, & intercedendum pro consecutione rei, pro qua votum emittitur; in quo sensu dicitur votum fieri Sanctis; tum etiam quia fit Deo in Sanctis, in quantum vovemus Deo, quod Sanctis promittimus. Et quamvis nonnulli in votis, quæ efficiunt Sanctis , non intendant hoc modo vovere; eorum tamen intentio erit rectè explicanda juxta eum sensum, quem docet, & intendit Ecclesia. De Voto tamen facto Episcopo, vel alteri Prælato locum Dei tenenti non eodem modo discurrendum est, ac de Sanctis : nam non in Prælati cultum , & honorem promittis , nec illum invocas ut Mediatorem, & Intercessorem penes Deum; sed revera Deo promittis Obedientiam e. g. tuo Prælato servandam. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 5. *ad* 3. Suarez *lib.* 1. *de voto cap.* 16. *num.* 5. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 6. *pun.* 3. & Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 41. Hinc infertur ; non emitti revera votum ab eo, qui in suam utilitatem alteri homini promittit absque relatione ad Deum, se e. g. non lusurum amplius, non accessurum ad domum meretricis &c. quia similes promissiones non Deo fiunt, sed hominibus; adeoque civiles , & humanæ erunt, non actus Religionis Divinæ : ut bene notarunt Sanchez *loc. cit. num.* 42. & Navarrus *in Manuali cap.* 12. *num.* 25. Idem dicendum de eo, qui aliquod promittit alicui Sancto cum animo obligandi se soli Sancto, non verò Deo : cum enim promissio hæc non sit facta Deo, sed tantùm homini licèt Sancto; inde est, quòd non erit actus Religionis, sed merè observantiæ erga illum Sanctum; ut docet idem Sanchez *l. c. num.* 43. & Valentia 2. 2. *disputation.* 6. *quæstion.* 11. *punct.* 5.

2 Ad votum requiri, quòd res promissa non solùm sit bona, & honesta; verùm etiam melior præ suo contradictorio; communis sententia docet cum D. Thoma. Votum siquidem est promissio facta Deo de meliori bono: quapropter si res promissa non erit melior præ suo contradictorio, omittendum esset id, quod melius, & perfectius est, & Deo gratius; quod nec Divino obsequio, nec nostræ perfectioni consonum esse potest. Hinc fit , quòd vovens jejunium validè voveat, quia licèt jejunium non sit optimum inter omnes actus virtutis , est tamen de meliori bono : quia melius est jejunium, quàm ejus contradictorium, nempe non jejunare : nam ad melius bonum non requiritur, quòd in se sit optimum; sed quòd melius respectu sui contradictorii. Fit etiam, quòd omnia vota Consiliis Evangelicis opposita regulariter nulla sint, quia non sunt de meliori bono: sic invalida erunt vota non suscipiendi Ordines Sacros; non ingrediendi Religionem; non mutandi ; non fidejubendi ; non erogandi eleemosynam, & similia : tum quia in istis negationibus nulla reperitur honestas; tum quia impediunt majoris boni exercitium, & executionem. Hæc indubitata sunt penes Doctores, quos longum esset afferre.

3 Solùm dubitatur de aliquibus votis, aut de meliori bono? Et 1. dubitatur de voto non vovendi : videtur siquidem directè, & contradictoriè opponi meliori bono, nempe emissioni votorum, quam Deus consulit, & ad quam inclinat. Sed dicendum est, si sic absolutè emittatur votum , scilicet voveo non vovere; nullum esse ob rationes dictas, opponitur siquidem meliori bono, nempe emissioni votorum. Si tamen fieret non absolutè, sed cum aliqua circumstantia excludente vel temeritatem, vel imprudentiam in vovendo; validum foret : ut si emitteret votum non vovendi absque consilio Confessarii, vel virorum prudentum; aut coram aliquibus personis &c. quia similes conditiones non impediunt votum, sed apponunt aliquas circumstantias ad votorum temeritatem, aut imprudentiam vitandam; adeoque erunt de meliori bono. Sic Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 13. *quæst.* 6. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 8. *n.* 14. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 7. *num.* 45. Suarez *lib.* 2. *de vot. cap.* 11. *num.* 5. Castropalaus *de voto disp.* 1. *pun.* 8. *§.* 5. *num.* 3. & Bonacina *de voto quæst.* 2. *pun.* 4. *§.* 6. *num.* 2. Sed quid dicendum , si quis hoc voto sic emisso, voveat nihilominus absque prædictis circumstantiis? Resp. votum validum esse quamvis peccet sic vovens : quòd autem peccet sic vovens, probatur : quia violat votum validum priùs factum; quamvis tale peccatum regulariter sit veniale, quia non videtur materia gravis. Quòd verò sit validum, probatur; quia peccatum commissum in vovendo non aufert valorem voti, & aliunde supponimus, esse de meliori bono. Sic Sanchez, Lessius, Suarez, Bonacina, & Castropalaus *locis citatis*.

4 Dubitatur 2. an votum non petendi dispensationem, aut relaxationem sit de meliori bono? Resp. si votum hoc fiat cum aliqua limitatione e. g. non petendi relaxationem, vel dispensationem, nisi causa, vel legitima necessitas habeatur; validum esse , & de meliori bono: ratio est, quia est votum de non faciendo peccatum; cum petere, vel concedere voti relaxationem absque causa peccatum sit. Si verò fiat absque ulla limitatione, sed absolutè; validum esse, & de meliori bono, quando utilius erit voventi non petere dispensationem : ratio est , quia gratum Deo est , velle exactè rem promissam adimplere, relicto jure petendi dispensationem, quando non est utilior petenti dispensatio; ergo tale votum erit validum, ac de bono meliori, utpote grato Deo. Sic Sylvester *verb. votum* 2. *quæst.* 14. Rodriquez 2. *par. cap.* 94. *num.* 2. Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 11. & Angelus *verb. votum* 3. *num.* 20. contra Sanchez, & Sotum putantes esse invalidum. Validum quoque erit votum emissum non utendi dispensatione ob easdem rationes : quamvis Superior non obstante tali voto dispensare possit, & dispensatio valida erit : eo quia votum subditi nequit auferre, aut impedire potestatem Superioris in dispensando. Sic Azor. & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de voto quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 28.

5 Dubitatur 3. an votum non acceptandi Episcopatum sit de meliori bono? Resp. esse de meliori bono, & per consequens validum si fiat cum animo non procurandi , nec acceptandi illum , quantum est ex

parte ſua; & niſi urgeat Eccleſiæ utilitas, vel Superioris præceptum: & ratio eſt, quia votum ſic emiſſum præcludit viam ambitioni, & aliunde non præjudicat utilitati Eccleſiæ. Favet quoque exemplum Sanctiſſimorum virorum totis viribus talem Dignitatem reſpuentium. Neque obſtat illud D. Pauli: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Et quòd ſtatus Epiſcopalis ſit ſtatus perfectionis. Non obſtat, inquam; quia bonum opus eſt, deſiderari Epiſcopatum ab eo, qui vitæ irreprehenſibilis eſt, & qui habet ceteras qualitates ab Apoſtolo requiſitas *ad Timoth.* 4. & *ad Titum* 1. Cum igitur nemo de ſe præſumere poſſit tales qualitates, & aliunde opus ſit periculoſum; inde eſt, quòd conſultius ſit cuilibet particulari illum reſpuere, quàm appetere, quantum eſt ex parte ſua. Nec Epiſcopatus promovet ad perfectionem, ſed illam ſupponit in recipiente Epiſcopatum: cum autem nullus ſupponere debeat tantam perfectionem in ſe; ideo poterit talem ſtatum reſpuere, utpote bonum ſibi melius. Sic Divus Thomas, Sotus, Corduba, Guttierrez, Rodriquez, Sanchez, Suarez, Layman, Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de voto diſp.* 1. *pun.* 8. *num.* 7. contra Navarrum, & Azorium. Pari modo diſcurrendum erit de voto non acceptandi, nec procurandi quamlibet aliam Prælaturam, ſive Regularem, ſive Sæcularem: cum ſic melius chriſtiana humilitas conſervetur, & omnis ambitio vitetur; nec aliunde patitur incommodum Religio, cui paratus eſt vovens inſervire, quando ſic ipſa voluerit. Ita ex Suarez docet Caſtropalaus *loc. cit. num.* 9.

6 Dubitatur 4. an votum contrahendi matrimonium ſit de meliori bono, & per conſequens validum? Reſp. tripliciter hoc votum emitti poſſe. 1. ſi fiat animo non conſummandi matrimonium ſed petendi Religionem; & tunc ſi fiat ab uno conjuge neſciente alio tale votum; certum eſt non eſſe de meliori bono, nec eſſe validum: ratio eſt, quia eſt votum de contractu graviter præjudicante alteri conjugi. Si tamen fiat conſentiente utroque conjuge, neque erit de meliori bono, & validum: nam conſtituit contrahentes in periculo violandi Caſtitatem, & recedendi à ſtatu cœlibatus; adeoque non poterit eſſe gratior Deo carentia illius.

Quòd ſi in Matrimonio Beatiſſimæ Virginis cum Divo Joſeph tale periculum longè fuerit ob fines altiſſimos, ad quos tale matrimonium dirigebatur; non ideo tamen ſimiliter diſcurrendum erit in cæteris. Sic Sanchez *lib.* 1. *de Sponſal. diſp.* 4. *num.* 2. Suarez *diſp.* 9. *cap.* 9. *n.* 6. Layman *cap.* 2. *n.* 12. Guttierrez *de Matrim. cap.* 4. *num.* 7. & Caſtropalaus *de vot. diſp.* 1. *pun.* 8. *num.* 13. 2. emitti poteſt hoc votum in remedium depravatæ conſuetudinis, & frequentis lapſus in peccata luxuriæ; & tunc licèt Doctores magni nominis ut Cajetanus, Navarrus, Bellarminus, Valentia, Azor. Toletus, Sanchez, & Guttierez, putarint eſſe validum, & de meliori bono; nihilominus Sotus, Aragonius, Suarez, Leſſius, Coninch, Layman, & alii doctiſſimi Neoterici, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. num.* 14. oppoſitum ſuſtinent: eo quia poſita illa facilitate, & peccandi conſuetudine ſemper votum de Matrimonio contrahendo impedit majus bonum formaliter, nempe ſtatum religioſum, & vitam cœlibem; ergo non eſt de meliori bono. Inſuper cum tali facilitate, & peccandi conſuetudine ſtat votum Caſtitatis, & ingrediendi religionem, licèt inconſideratè emittatur; ergo votum matrimonii contradictoriè oppoſiti Caſtitati non erit de meliori bono, adeoque non erit validum. Tandem ideo matrimonium, quod voves, erit tibi utilius, quàm Caſtitas; eo quia eſt remedium ad temperandas carnis tentationes, & moleſtias, & ad lapſus coercendos; ſed hoc non eſt unicum remedium, cum plura alia dentur Divino beneplacito gratiora, ut ſunt oratio, jejunium, maceratio carnis per pœnitentias, & ſimilia; ergo tale votum abſolutè non eſt de meliori bono. 3. emitti poteſt ob motivum pietatis, quale eſſet ducere pauperem, vel meretricem in conjugem. Verùm ſic abſolutè prolatum invalidum eſſe, nec de meliori bono docent Sanchez *lib.* 1. *de Sponſal. diſp.* 4. *num.* 12. Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 9. *n.* 18. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 4. *de voto cap.* 2. *num.* 12. & ratio eſt, quia talia motiva pietatis, & miſericordiæ non faciunt, quin res promiſſa non excludat à vovente perfectiorem ſtatum continentiæ Deo gratiorem. Si verò non abſolutè emittatur, ſed conditionatè, ſcilicet ſi matrimonium contraham, ducam pauperem, vel meretricem; tunc eſſe validum, & firmum docent ſupracitati Doctores: & ratio eſt, quia ex vi voti emiſſi non obligaris ad matrimonium; ſed ex ſuppoſitione, quòd te determinaveris ad matrimonium voluntariè, obligaris ad illud exequendum perfectiſſimo uſu illius. Si tandem hoc modo proferatur: promitto Deo, me ducturum in matrimonium puellam pauperem, docet Suarez *l. c. num.* 21. ſenſum habere conditionatum, ſcilicet ſi aliquam ducturus ſum, ducam puellam pauperem, adeoque validum eſſe: & movetur, quia ſic vovens intendit ſe obligare, quantum poteſt; ergo cum non poſſit ſe obligare ad matrimonium abſolutè; cenſendus eſt, quòd voluerit ſe obligare conditionatè. Oppoſitum docent Sanchez, & Caſtropalaus *locis citatis*, quibus adhæreo: quia verba illa ſunt abſoluta; ergo dum non conſtat de intentione conditionata, explicari non poterunt in prædicto ſenſu conditionato: maximè quia obligatio voti, niſi clarè conſtet, affirmari non poteſt.

Dubitatur 5. an votum perpetuò inſerviendi alicui 7
hoſpitali ſit de meliori bono, & validum? Reſp. affirmativè, quia licèt obſtare videatur ingreſſui Religionis; nihilominus quia melius eſt inſervire pauperibus in hoſpitali præ ſuo contradictorio non inſerviendi; ideo reputatur de meliori bono; eſto quòd perfectior ſit ingreſſus in religionem, non enim requiritur ad votum, ut ſuperius notavi, quòd res promiſſa ſit in ſe melior præ cæteris bonis; ſed ſat eſt, quòd ſit melior præ ſuo contradictorio, aliàs votum ingrediendi religionem laxam non eſſet validum, & de meliori bono: cum melior ſit Religio ſtrictior. Sic docent Suarez, Valentia, Sanchez, & Layman, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de voto diſp.* 1. *pun.* 8. *num.* 11.

Dubitatur tandem: an vota non ingrediendi aliam 8
religionem, niſi hanc; non recitandi coronam niſi flexis genibus; non dandi eleemoſynam minorem decem aureis, & ſimilia ſint valida & de meliori bono? Reſp. quamvis Sanchez, & Bonacina relati à Caſtropalao *l. c. num.* 16. valida reputent & de meliori bono, utpote obligantia ad rem perfectam, ad ingreſſum ſcilicet in Religionem, ad abundantem eleemoſynam, ad reverentem coronæ recitationem, licèt alia bona excludant non directè, ſed conſequenter. Nihilominus probabilius puto cum citato Caſtropalao eſſe invalida, nec de meliori bono: ratio eſt, quia talia vota hunc ſenſum conditionatum reddunt, ſi aliquam ingrediar religionem, promitto, & voveo hanc me ingreſſurum; ſi decrevero eleemoſynam facere, promitto me non daturum minorem decem aureis; & ſi coronam recitare voluero, promitto flexis genibus recitaturum; ſed in tali ſenſu, qui eſt favorabilior adverſæ ſententiæ, tacitè promittitur materia voto inepta, à qua ſeparari nequit materia apta; ex modo promittendi ergo & invalida ſunt, nec de meliori bono. Minor probatur: non ſolùm ſic vovens promittit ingreſſum in hanc religionem, ſed etiam non ingreſſum in alias; nec ſolùm promittit eleemoſynam decem aureorum, verùm etiam non faciendi aliam minorem; ſicuti etiam non ſolùm promittit recitationem coronæ flexis genibus, verum etiam nullam aliam recitationem factam non flexis genibus; ſecus non eſſet peccatum aliam religionem ingredi, minorem eleemoſynam dare decem aureis, & coronam recitare ſedendo; ſed quoties in voto materia apta conjungitur cum inepta, itaut ex intentione voventis reddantur inſeparabiles; votum nullum eſt; ergo prædicta vota nulla ſunt. Inſuper vota hæc ſi conſiderentur, retrahunt abſolutè à bonis operibus, & tantùm conditionatè dependenter à voluntate voventis obligant ad opus perfectum; ergo non ſunt in Dei obſequium, & in utilitatem ipſius voventis.

CAPUT VI.

Quotuplex ſit Votum? & quomodo obliget Conditionale?

1 *Explicantur variæ ſpecies votorum.*
2 *Quænam Vota ſub conditione facta valida ſint, & obligent?*
3 *An Votum ſub pluribus conditionibus emiſſum obliget illis omnibus non adimpletis?*
4 *An conditio adimpleri debeat in forma ſpecifica; an ſufficiat æquivalens?*

5 *An*

5 *An vovens sub conditione futura contingente teneatur expectare eventum conditionis; an possit se reddere ineptum ad voti executionem ante eventum conditionis?*

6 *Quomodo peccet contra votum, qui conditionem impedit, sub qua obligari debebat?*

1 POST declarationem essentiæ voti, ejusque definitionis explananda remanet divisio Voti; Votum namque multiplex est. Et 1. aliud est Personale, aliud Reale, Mixtum aliud. Personale illud dicitur, quo promittitur Deo aliqua actio ipsius personæ; vel aliqua omissio, e. g. peregrinatio ad loca Sancta, jejunium, oratio &c. vel abstinere à rixis, ludis, comessationibus &c. Reale est illud, quo res aliqua Deo promittitur, e. g. fabrica Ecclesiæ, calix, eleemosyna &c. Mixtum denique illud est, quod personale, & reale includit, ut si voveas visitare Ecclesiam Divi Petri, illique calicem argenteum offerre. 2. aliud est Temporale, Perpetuum aliud. Temporale est, quod ad certum tempus durat, ut si quis voveat Castitatis observantiam ad duos annos, vel recitationem coronæ per annum integrum. Perpetuum erit, quod durat ad vitam ipsius voventis, ut si quis absolutè absque temporis limitatione Castitatem, vel coronæ recitationem voveret. 3. Votum aliud est Commune, Particulare aliud. Commune illud dicitur, quod à Communitate emittitur. Particulare verò, quod particularis persona facit juxta suam voluntatem. 4. aliud est solemne, aliud simplex. Solemne illud dicitur, quod cum quadam solennitate, & circumstantiis ab Ecclesia approbatis fit coram aliquo illud acceptante, tamquam Dei vices gerente: ut sunt vota religiosæ professionis, & Vota Castitatis in susceptione Sacrorum Ordinum. Simplex tamen illud est, quod tali solemnitate caret, & in pura promissione consistit Deo facta. 5. aliud est reservatum, non reservatum aliud. Reservatum est, quando Superior sibi reservat potestatem dispensandi in tali voto; quod si non reservat, dicitur non reservatum. 6. Votum aliud est expressum, aliud tacitum. Expressum erit, quando vovens utitur verbis illud exprimentibus: ut promitto Deo castitatem, obedientiam, jejunium &c. Tacitum verò, quando non fit per verba illud exprimentia, sed fit per aliquod, cui est annexum votum: sic per susceptionem sacrorum ordinum emittitur Votum Castitatis, etiamsi illos susciplens non habeat explicitè intentionem tale votum emittendi. 7. tandem Votum aliud est absolutum, aliud conditionale. Absolutum dicitur, quando absque ulla conditione apposita emittitur. Conditionale verò, quando apponitur conditio aliqua. Rursus conditionale dividitur in pœnale, & non pœnale. Pœnale dicitur, cum pœna aliqua apponitur, si violetur votum: ut si quis voveat non inebriare se sub pœna eleemosynæ erogandæ pauperibus, quod quidem votum duo vota includit, alterum absolutum non se inebriandi, alterum conditionale elargiendi eleemosynam pauperibus posita ebrietate. Aliquando tamen potest esse votum pœnale simplex, ut si quis voveat erogare eleemosynam pauperibus, si se inebriaverit; in quo casu, qui longè distat à primo, tantummodo vovens se obligat ad pœnam, non verò ad evitandam ebrietatem; itaut ex vi voti tantum teneatur ad eleemosynam elargiendam supposita ebrietate, non verò ad evitandam ebrietatem. Non pœnalis verò erit, quando nulla apponitur pœna. De hac Votorum divisione pro dignitate loquuntur Suarez *lib.* 2. *de Voto cap.* 12. Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 14. Clavis Regia *libr.* 6. *capit.* 2. Sylvester *verb. Votum* 1. *quæst.* 5. & Sanchez *in Summ. libr.* 4. *cap.* 15. *num.* 2.

2 Quæres 1. quænam vota sub conditione facta sint valida, & obligationem inducant? Resp. varias esse conditiones, quæ apponi possunt voto; aliæ enim sunt contra substantiam, & naturam voti; aliæ impossibiles, aut turpes; aliæ necessariæ, vel contingentes; aliæ denique honestæ; de quibus non eodem modo discurrendum est; ideo de singulis dicemus.

Dicendum 1. Votum, cui apponitur conditio contra substantiam, & naturam Voti, vel rei, quæ promittitur; irritum esse, ac invalidum: colligitur *ex Cap. final. de Condit. appos.* Quapropter vovens ea conditione, ut non obligetur; invalidè vovet: cum apponat conditionem contra substantiam ipsius voti. Sic etiam religionem vovens ea apposita conditione, ut sibi reservet aliquid proprii; invalidè vovet: cum repugnet conditio illa cum statu religioso, in quo paupertas, quæ profitetur; repugnat cum reservatione alicujus proprii. Sic Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 9. Sylvester *verb. Religio* 3. *quæst.* 3. & Sanchez *lib.* 3. *Summ. cap.* 23. *num.* 8.

Dicendum 2. Votum, cui apponitur conditio impossibilis, invalidum esse: eo quia sic vovens non vult obligari, nisi conditione posita; sed impossibile est, conditionem poni; ergo non poterit remanere obstrictus vinculo voti. Et quamvis in matrimonio conditio impossibilis habeatur pro non adjecta, non tamen sic dicendum de voto: & dispar ratio est, quia hoc specialiter statutum est in aliquibus contractibus, ut docent Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 23. *num.* 8. & Molina *tom.* 1. *de Just. disp.* 206. *concluf.* 1. *in fin.* non verò in voto. Doctrina tradita non solùm valet, quando vovens cognoscit, impossibilem esse conditionem, verum etiam si eam possibilem credat: cum vovens non intendat se obligare, nisi sub ea conditione, quam apprehendit. Valet quoque non solum in conditionibus de futuro, verum etiam de præsenti, & de præterito. Sic expressè Bonacina *de Voto disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 3.

Dicendum 3. votum, cui apponitur conditio turpis, regulariter invalidum esse, quando vovens vult, talem conditionem evenire: e. g. voveo eleemosynam, si vindictam de inimico sumam; si mulierem aliquam ad turpem actum obtinuero: ratio est, quia licèt bona sit eleemosyna, nihilominus promissa ut medium ad finem malum obtinendum bona esse non poterit: cum regulariter conditio turpis in se contineat finem promissionis. Quòd si tamen apponatur voto, non ut finis obtinendus, sed ut pura conditio; tunc voti obligationem non impediet: cum omnia requisita ad votum habeantur, intentio scilicet, materia honesta, & finis honestus, ut supponitur; nec votum pendet à re turpi, nisi tamquam à pura conditione. Sic Angelus *verb. Votum* 1. *in fin.* Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 23. *num.* 17. Vasquez *in Opusc. de Restit. cap.* 7. *dub.* 11. *nu.* 104. Suarez *lib.* 2. *de Vot. cap.* 5. Bonacina *quæst.* 2. *de Voto punct.* 2. *num.* 3. & Castropalaus *disp.* 1. *de Voto punct.* 17. *num.* 1.

Dicendum 4. Votum, cui apponitur conditio necessaria, validum esse, statimque obligare, dummodo non sit præfixum tempus ab ipso vovente: ratio primæ partis est, quia cum conditio sit necessaria, habetur pro impleta; secundæ vero partis est, quia si tempus præfigitur, vovens non intendit se obligare quoad executionem rei promissæ, nisi elapso tempore præfixo: sic qui vovet eleemosynam, si post annum sol oriatur; non obligabitur ad illam largiendam, nisi anno elapso, esto quòd votum statim perfectum sit, & absolutum; nihilominus ad executionem eleemosynæ non obligabitur nisi post annum. Sic Bonacina *quæst.* 2. *de Vot. punct.* 2. *num.* 3.

Dicendum 5. Votum, cui apponitur conditio contingens honesta; obligare purificata conditione, ante tamen purificatam conditionem remanere suspensum; & ratio est, quia votum obligat juxta intentionem voventis; sed vovens non vult se obligare nisi existente conditione, qua posita tranfit votum ex conditionato in absolutum; ergo antequam ponatur conditio remanet suspensum. Sic Sanchez *lib.* 4. *de Voto cap.* 22. *num.* 28. & Castropalaus *l. c. num.* 2.

Quia tamen conditio aliquando non est una, sed multiplex; & hæc aliquando disjunctiva, aliquando conjunctiva; ideo dicendum: si conditio multiplex est conjunctiva, votum non obligare, nisi omnes partes conditionis purificentur: sic vovens eleemosynam decem aureorum, si frater, & soror ejus eo anno non moriantur; non tenetur ad illam, si eo anno moriatur frater, quamvis vivat soror: quia tota conditio non est adimpleta. Secus verò dicendum, si disjunctiva sit: nempe voveo eleemosynam decem aureorum, si hoc anno meus frater, aut mea soror non moriatur; moriente siquidem eo anno fratre, & vivente sorore, vel viceversa; tenebitur ad eleemosynam elargiendam: quia sat est ad verificandam conditionem disjunctivam, quod una ex ejus partibus verificetur, & purificetur, quod tamen non sufficit ad conjunctivam. Sic Clavis Regia *libr.* 6. *capit.* 8. *numer.* 3. & Sanchez *libr.* 4. *de Voto capitul.* 23. *num.* 20.

Quæres 2. an quando votum emissum est sub plu- 3
ribus

ribus conditionibus, obliget illis omnibus non adimpletis? Resp. ex dictis tunc obligare omnibus conditionibus adimpletis, quando conjunctivè apponuntur conditiones illæ; secus verò si disjunctivè apponantur; tunc enim sufficit, quòd una ex illis verificetur, Quòd si revocetur in dubium; an conditiones appositæ fuerint conjunctivo, an disjunctivo modo; tunc standum erit intentioni voventis, quomodo se obligare intendebat, dependenter ne à purificatione omnium, an unius tantùm conditionis? Quòd si tandem neque ex intentione voventis, neque ex vi verborum colligi possit, an conjunctivè, an verò disjunctivè appositæ fuerint conditiones; reputandum est, copulativè appositas fuisse, ne in re dubia vovens gravetur; ut rectè notavit Sanchez *lib.* 4. *de Voto cap.* 23. *num.* 20.

4 Quæres 3. an debeat adimpleri conditio in specifica forma, an satisfit adimpleri æquivalenter? Resp. Sanchez *lib.* 4. *de Voto capit.* 23. *num.* 27. alios referentem putasse, quod sufficiat adimpleri æquivalenter, si tamen per æquivalentiam illam idem sequatur effectus intentus: movetur, quia conditio non spectatur in se, sed quatenus disponit, & viam parat ad effectum faciliter obtinendum; cum igitur alia via faciliter obtineatur effectus intentus, jam intelligitur æquivalenter adimpleta conditio, & intentio voventis satisfacta, adeoque tenebitur ad promissionem. Quapropter vovens Religionem, si sua Soror matrimonio collocata fuerit; tenebitur ad religionem, si soror vel moriatur, vel in aliqua religione professionem emiserit, aut alii fratres divites eam honestè alere promiserint; quando ingressum in religionem differebat, ne Sororem destitutam relinqueret. Oppositam nihilominus sententiam, quam defendit Castropalaus *disputat.* 1. *de Voto punct.* 17. *numer.* 5. sequor; puto enim, non sufficere conditionem adimpleri in forma æquivalenti, sed in forma specifica, ut obligationem voti inducat: nam satis vulgatum est, & tritum: Conditionem in specifica forma adimpleri debere *juxta Legem Qui hæredi §.* 1. *& Legem Mævius ff. de Condit. & Demonstr.* cum conditio inducat formam.

Quòd si ab hac Regula excipiuntur conditiones, quæ tamquam dispositiones, & media assumuntur ad finem intentum; itaut necesse non sit, eas in specifica forma adimplere, cum æquivalenter alia via obtineatur effectus intentus; ut doctè probant Menochius *de Præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 185. *annot.* 6. Sarmiento *libr.* 2. *Selectar. cap.* 1. *annot.* 12. Hoc tamen non habetur ex natura ipsius conditionis, sed ex dispositione Juris sic statuentis: cum igitur in Votis, & illorum obligationibus nil tale statuatur à Jure; dicendum erit, quòd specificè, non verò æquivalenter in ipsis conditiones adimpleri debeant; maximè quia obligatio votorum non ex Lege, ut in humanis contractibus evenit, sed ex intentione voventis pendeat. Sic vovens religionem, si soror matrimonio collocata fuerit; non vovet religionem, quando finis collocationis Sororis utcumque obtentus fuerit: non enim dicit, voveo religionem, si soror mea collocata fuerit, itaut destituta non remaneat; sed voveo religionem, si soror mea matrimonio collocata fuerit; itaut determinet medium ad collocationem sororis, sub quo medio determinato religionem vovet, quo non posito non tenebitur ad religionem.

5 Quæres 4. an vovens aliquid sub conditione futura contingente teneatur expectare conditionis eventum, ut obligetur, vel deobligetur; an verò possit reddere se ineptum ad voti executionem casu quo eveniat, & purificetur conditio? Resp. si conditio appositа dependet à voluntate ipsius voventis, non tenetur expectare eventum conditionis, sed poterit statum incompatibilem assumere, e. g. vovit quis religionem, si luserit per annum; aut vovit ingredi Ordinem Carthusianorum, si religiosus fiat; poterit iste talis matrimonium inire non expectato eventu conditionis: & ratio est, quia sicuti pendet à voluntate voventis adimplere conditionem, & religionem ingredi; ita etiam est in ipsius libertate matrimonium inire, vel omittere: conditio siquidem tota pendet à voluntate voventis, ita ut ejus voluntati remittatur; ergo non obligabitur vovens ad expectandum eventum conditionis, & aliquando tenetur abstinere ab illa, ut in primo casu de ludo. Sic Sanchez *lib.* 4. *de Voto cap.* 23. *num.* 28. Rodriquez 2. *par. cap.* 98. *num.* 2. Suarez *lib.* 4. *de Voto cap.* 17. *num.* 9. Sylvester, Azor. Layman, Filliuccius, Clavis Regia, & Navarrus apud Bonacinam *de Voto quæst.* 2. *punct.* 2. *numer.* 5. *in fine*. Si tamen conditio appósita non pendet à voluntate voventis, sed ab alterius voluntate; tunc tenebitur ad expectandum eventum conditionis: ut si quis Ordines sacros vovit, aut religionem ingredi, si ab infirmitate liberabitur, aut talem gratiam à Deo obtinuerit; tenebitur ad expectandum eventum conditionis absque eo quòd possit statum incompatibilem assumere: & ratio est, quia sicuti conditio pendet ab alterius voluntate, ita non est in potestate voventis se ineptum reddere ante conditionis eventum; aliàs esset frustrare, & pro libito eludere obligationem sub aliena voluntate promissam; ergo non poterit ante conditionis eventum recedere à Voto, nec se ineptum reddere ad ipsius voti executionem. Sic Doctores supracitati cum Castropalao *disp.* 1. *de Voto punct.* 17. *num.* 6. Admotandum hìc cum eisdem Doctoribus, quòd si conditio appósita pendens ab alterius voluntate reputetur moraliter impossibilis, non peccat vovens assumendo statum incompatibilem, & per consequens reddendo se ineptum ad voti executionem ante conditionis eventum: & ratio est, quia sic esset vanè expectare, expectaretur siquidem effectus, cujus nullus esset eventus; ergo proinde se haberet tale votum, ac si numquam factum fuisset.

Quæres tandem; quomodo contra votum peccet, qui 6
conditionem impedit, sub qua obligari debebat? Resp. si conditio à voluntate voventis pendeat, nullum peccatum esse, nec contra votum effici, si impediatur; patet responsio ex supradictis, eo ipso enim quòd propriæ voluntati voventis, & ejus judicio remissa est conditio; poterit pro ejus libito impediri, vel non impediri. Sic Sanchez, Suarez, Layman, Filliuccius, Castropalaus, & alii citati. Si verò pendeat ab alterius voluntate, & conditio appósita ab aliqua Lege prohibetur, ut si promiseris ingredi Religionem, si filius tuus inimicum occiderit; teneberis ad impediendam omni conatu conditionem illam: cum Religio nequeat esse contraria Charitati, nec poterit impedire, quin homicidium à filio committendum evitare non possis. Sic expresè Sanchez *lib.* 4. *de Voto cap.* 23. *num.* 43. Si conditio tamen nulla lege prohibeatur, obligari ventem ex vi voti ad non impediendam conditionem: & ratio est, quia vovens sub conditione pendente ab alterius voluntate, in ejus voluntatem obligationem voti remittit; ergo non poterit ejus voluntatem impedire, ne talis remissio vana sit. Sic Sanchez, Suarez, Bonacina, Layman, Castropalaus superiùs citati. An denique teneatur ad votum adimplendum, qui conditionem culpabiliter impedivit, ac si adimpleta fuisset conditio, cum per ipsum steterit, ne adimpleretur; non una est Doctorum mens, qui inmis inter se discrepant. Tabiena, & Angelus sustinent, quòd teneatur ad votum, ac si de facto impleta esset conditio: cum per ipsum ventem steterit, quin adimpleretur. Sylvester, & Rodriquez obligant ad votum exequendum, si conditio impedita fuerit, ne poneretur ex malitia, non ex infirmitate. Navarrus, Sanchez, & Bonacina obligant tantùm ad votum, si conditio impedita fuerit in fraudem voti, & animo vitandi obligationem voti. Major tandem, Suarez, & Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 17. *num.* 12. defendunt; malitiosè impedientem eventum conditionis voto appositæ non obligari ad voti executionem: sequor hanc sententiam, quam valdè probabilem reputat Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 3. & ratio est, quia sic vovens, & malitiosè impediens conditionem, vel obligaretur ad votum ratione conditionis adimpletæ, vel ob culpam in impediendo conditionem adimplendam; sed ex neutro capite obligatur; ergo nulla est obligatio sic voventis. Minor probatur: non ex primo capite obligatur, quia supponimus conditionem non positam, utpote impeditam, adeoque non adimpletam. Non ex secundo capite, quia peccatum commissum in impediendo conditionem non obligat ad restitutionem, & satisfactionem, sed ad pœnitentiam. Humana siquidem promissio obligat, si lædatur in conditione pendente ex alterius voluntate ad satisfactionem, & recompensationem, cum lædatur promissarius in bonis sibi utilibus, quorum compensatio fieri debeat. Secus verò promissio divina cum per violationem nullum detrimentum patiatur in bonis sibi utilibus, inde est, quòd ad pœnitentiam obliget, non ad recompensatio-

tionem. Adde, quòd cum tota obligatio voti pendeat à voluntate voventis, qui in voto conditionali nonnisi sub conditione adimpleta se obligavit; inde est, quòd nisi revera adimpleatur conditio, non poterit absolutè obligare.

CAPUT VII.

Quænam sit Materia Voti?

1 *Votum necessariò debet esse de re bona & honesta.*
2 *An res indifferens possit esse materia voti?*
3 *An votum factum de re honesta ob malum finem, vel indifferentem validum sit?*
4 *An votum factum ob finem temporalem obtinendum validum sit?*
5 *Quid dicendum in dubio, an materia promissa sit indifferens, vel bona?*
6 *Quale peccatum sit, rem turpem, vel indifferentem vovere ob turpem, vel indifferentem finem?*
7 *An res præceptæ possint esse materia voti?*

1 QUAMVIS superiùs dictum sit, votum debere esse de meliori bono; remanent nihilominus nonnullæ dubietates explicandæ de materia, circa quam votum versari debeat; ideo ut clariùs procedamus, distinctè de illis pertractabimus. Certissima regula, & ab omnibus recepta est, votum necessariò debere esse de re bona, & honesta; consequenter si votum fiat de re mala, & inhonesta, non habebit materiam sibi proportionatam. Hinc fit, quòd votum factum de re mala, & inhonesta invalidum, & irritum sit ex Divo Thoma 2.2. *quæst.* 88. *art.* 2. Soto *lib.* 7. *de Just. quæst.* 1. *art.* 3. Navarro *in Summ. cap.* 12. *num.* 28. Suarez *lib.* 2. *de voto cap.* 5. & ex aliis communiter: ratio est, quia Deus acceptare nequit promissionem rei sibi ingratæ, quod enim malum est, & inhonestum, Deo gratum esse non potest. Quapropter votum factum de materia à Superiore prohibita invalidum erit, est enim de materia illicita.

2 Dubitabis 1. an res indifferens possit esse materia voti? Resp. nomine rei indifferentis accipi hìc rem illam, quæ non habet rationem boni aut mali; nec magis conducit ad vitam æternam possidendam, quàm ejus omissio, ut docent Sylvester *verb. votum* 1. *quæst.* 4. & Angelus *eod. verb. num.* 4. hoc præmisso dicendum erit, rem indifferentem, dum in sua indifferentia remanet; non posse esse materiam voti, nec votum de ea factum validum esse: ratio est, quia res indifferens non pertinet ad Dei cultum, sicuti debet esse materia, circa quam votum versatur; nec est de meliori bono, cum non magis grata Deo sit ipsa, quàm ejus omissio. Sic votum non recidendi ungues die Sabbathi in honorem Beatæ Virginis invalidum erit, cum nil majus conferat ad Dei Cultum, & honorem Beatæ Virginis cessare à recisione unguium, quàm illorum recisio. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. quem sequuntur Sylvester, Angelus, Aragonius, Sotus, Rodriquez, Sanchez, Navarrus, & alii relati à Bonacina *quæst.* 2. *de voto pun.* 4. §. 2. *num.* 2. Dictum est quod res indifferens ex se non possit esse materia voto apta, quando perdurat in sua indifferentia; nam si ratione circumstantiarum additarum amittit indifferentiam, & honesta redditur, erit materia voto apta. Sic votum non ingrediendi talem domum ex se est de re indifferenti, si tamen ingressus in illam domum tibi sit occasio peccandi; non ingredi erit de re bona, & honesta, adeoque votum de non ingrediendo domum illam emissum erit validum, & obligans. Sic etiam votum non ludendi cum Titio sed cum aliis est de se indifferens, & consequenter incapax obligationis; si tamen ludus cum Titio, & non cum aliis tibi sit occasio rixarum, blasphemiarum &c. validum erit votum, & de materia apta, & honesta. Sic Cajetanus, Sotus, Navarrus, Azor. Valentia, Toletus, Sanchez, Suarez, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp.* 1. *de voto pun.* 7. §. 2. *num.* 1.

Adnotandum hìc: non sufficere ad honestandam rem indifferentem, quòd ad finem honestum referatur; nisi ipsa apta, & conveniens ad finem illum consequendum reputetur: nam extrinseca illa relatio non immutat rem. Sic votum muliercularum non nendi in die Sabbathi in honorem Beatæ Virginis, quamvis à cæteris servilibus operibus non abstineant; validum non erit: cum non cedat in specialem cultum Dei, & Beatæ Virginis abstinere ab hoc opere servili, & non à reliquis. *Non nego tamen*, quòd si hoc opus sevile potiùs, quàm cætera impediant illas à vacando Divinis; tunc votum illud validum erit: quia abstinere ab illo opere conveniens, & aptum est ad finem illum bonum, & honestum consequendum vacandi Divinis. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 7. *nu.* 6. & Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 8. Idem sentiendum de voto omisso non edendi capita animalium in honorem Beati Joannis Baptistæ; carnes assas in honorem Sancti Laurentii, & linguas animalium in honorem Beati Antonii Patavini, relicta sibi facultate edendi cæteras carnes & partes animalium. Cum enim abstinentia hæc non cedat in honorem, & Cultum talium Sanctorum, nisi ex quadam relatione extrinseca voventis; inde est, quòd de re indifferenti vota ista reputanda erunt. Nisi ex speciali affectu quis ductus esset ad privandum se tali usu carnium, in quibus voluptatem reperiret; tunc enim honesta, & bona esset talis privatio, utpote ad virtutem pœnitentiæ spectans; adeoque validum esset votum emissum, ut notant Sanchez *l. c. num.* 8. & Layman *l. c.*

Adnotandum insuper: honestatem in re aliàs indifrenti debere reperiri eo tempore, quo votum emittitur: nam si tunc non habeatur, licèt successu temporis adveniat; nullam voti obligationem inducet. Sic votum non transeundi per talem viam, etiamsi successu temporis in illa via habitet Berta, cum qua occasio habeatur peccandi; invalidum, & nullum erit: ratio est, quia objectum debet esse capax obligationis pro eo tempore, pro quo votum emittitur, cum igitur tali tempore incapax sit obligationis; inde est, quòd non poterit obligare. Et quamvis fiat capax successu temporis, quia tamen votum non emittitur eo tempore; nec talis capacitas *spectata fuerit à voto antecedenter* emisso; inde est, quòd nullam novam obligationem vi voti *inducere* poterit. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *nu.* 41. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 7. *num.* 19. Quòd si votum sic emissum fuerit, non transeundi videlicet per talem viam, quia ibi putabat inhabitare Bertam, quæ revera non inhabitabat; si postea ibi inhabitet; tenetur vovens ad non transeundum: & ratio est, quia illud votum honestatem habuit à principio, adeoque validum, & obligatorium à principio, quoties Berta inhabitaverit; votum siquidem fuit abstinendi ab illa via, quoties fuerit occasio peccandi cum Berta, quod successu temporis jam verificatur. Sic Sanchez *l. c.*

5 Dubitabis 2. an votum factum de re honesta ob malum finem, vel indifferentem validum sit? Resp. duplicem distinguendo finem; unum, qui sit rei promissæ per votum, scilicet qui obtineri intenditur per rem voto promissam; alterum, qui sit ipsius voventis, & ventem excitat ad vovendum, & ipso actu vovendi obtineri speratur. e. g. vovet quis eleemosynam, ut sanitatem ex infirmitate reportet; excitatur autem vovens ad hoc votum emittendum, ut sanitati restitutus meliùs vagetur: in hoc casu finis rei promissæ erit *sanitas recuperanda ex infirmitate* per eleemosynam promissam, finis verò voventis, quoad vovendum impellitur, erit vagatio. *His declaratis.* Si finis rei promissæ per votum alias bonæ, & honestæ malus sit; votum nullum, & invalidum erit: ratio est, quia quando finis rei promissæ malus est, malum, & inhonestum absolutè evadit id, quod promittitur, ordinatur siquidem opus bonum ad malum finem, à quo participat ejus malitiam; ergo votum sic emissum validum esse non poterit, cum non possit acceptare Deus, quod malum est: sic vovens eleemosynam ad obtinendam *vindictam* de inimico, fornicationem &c. invalidè vovet: nam licèt bona sit eleemosyna, volita tamen ut medium ad *consequendum vindictam* de inimico, aut fornicationem; mala erit. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 30. Sotus *lib.* 7. *de Just. quæst.* 1. *art.* 3. *dubit.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de Voto cap.* 4. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 7. *num.* 15. & Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 17. *num.* 16. Si tamen finis rei promissæ bonus sit; malus verò finis ipsius voventis validum erit votum: sic vovens religionem, ut in ea lautiùs, & commodius vivat; obligabitur ad Religionem: ratio est, quia obligatio voti non desumitur ex honestate ipsius actus in individuo, aliàs votum, & juramentum inconsideratè facta non induce-

cerent obligationem; sed ex honestate objecti promissi; cum igitur honesta, & bona sit religio promissa per votum; ideo Deus eam acceptat, esto quòd religio malè promittatur, & malus sit actus in individuo; bonus tamen est in specie, & sufficiens ad obligationem inducendam. Adde, quòd cum bonus sit finis principalis voti, parum refert ad tollendam obligationem, quòd finis secundarius, & impulsivus ipsius voventis, quo scilicet impellatur ad applicandam voluntatem voto; malus sit. Sic Doctores superiùs citati. Quod dictum est de fine malo, similiter extendi debet ad finem indifferentem, qui si sit finis rei promissæ, non poterit utpote vanus cedere in cultum Dei, & consequenter esse materia Voti. Secus verò si sit finis ipsius voventis, ut si quis religionem voveret, ut varias videret urbes, & Regiones; validum utique esset tale votum, & obligationem inducens. Sic Sanchez, Suarez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 2.

4 Dubitabis 3. an votum factum ob finem temporalem obtinendum habeat materiam aptam ad obligationem voti? Vovet quis e. g. eleemosynam, si pingue matrimonium obtineat à Deo; si filios ex matrimonio habeat; si munus valde honorificum obtineat, & similia? Resp. affirmativè: quia licèt finis talium votorum videatur indifferens, & non aptus ad materiam pro votis requisitam; non est tamen revera talis, sed honestissimus: & ratio est, quia consecutio horum beneficiorum respicit divinam donationem illorum, à qua participat honestatem, quid enim honestius hoc? aliter vota in periculis, infirmitatibus, ac persecutionibus constitutorum, ad hoc ut ab illis evadant; nulla, & irrita forent, quod est contra communem sensum. Sic expressè Layman *lib.* 4. *Summ. tract. de Voto cap.* 2. *nu.* 10. & Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 6. Unum tamen adverterem cum Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 7. *num.* 25. Votum, quo quis voveret eleemosynam ad removendam à se opinionem avari; vel jejunium, ut sic parceret sumptibus; non habere materiam aptam voto, cum in tali fine nulla honestas reperiatur.

5 Dubitabis 4. quid dicendum, quando insurgit dubium, & an materia promissa sit indifferens, vel bona? Resp. ventem teneri adimplere votum: ratio est, quia possessio stat pro voto; & in dubio jus præsumit pro valore actus. *Cap. Abbate de Verbor. signif. & Leg. Quoties ff. de reb. dubiis.* Sic Rodriquez, Aragonius, Sanchez, & Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Voto quæst* 2. *punct.* 4. §. 2. *num.* 5. Secus verò dicendum, si dubitetur, an materia sit licita, vel illicita: & ratio est, quia sic vovens exponeret se periculo peccandi, cum fortè materia illicita sit; & aliunde nemini licitum est operari cum conscientia practicè dubia. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 11. *num.* 34. & Bonacina *l. c.* contra Suarez, & Filliuccium oppositam sententiam sustinentes.

6 Dubitabis 5. quale peccatum erit, rem turpem, vel indifferentem vovere; aut ob finem turpem, vel indifferentem? Resp. si res promissa turpis sit mortaliter, & ob finem mortaliter turpem promittatur; communis sententia docet, ultra peccatum gravi desiderii, grave peccatum committi contra religionem: & ratio est, quia res illa turpis vel promittitur Deo, ut ipsi grata, vel ut ingrata. Si ut grata, quæ major injuria, & blasphemia in Deum, quàm factis testari, rem turpem placere summæ Bonitati Divinæ. Si ut ingrata, non promittitur, sed per contemptum est minari Deo; minari autem Deo, quis negabit, grave peccatum esse? Quòd si res promissa fuerit turpis venialiter, vel ob finem venialiter turpem promittatur, quamvis multi Doctores dixerint, sic ventem venialiter tantùm peccare. Nihilominus sentiendum puto cum Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 5. *de Voto cap.* 2. *num.* 7. Lessio *lib.* 2. *de justit. cap.* 40. *dubit.* 3. *num.* 39. & Castropalao *de Voto disput.* 1. *punct.* 8. §. 3. *num.* 8. mortaliter peccare ob rationem superius allatam: quæcumque enim res turpis, etiam minima, quæ Deo promittitur, utpote cedens in ejus honorem; gravissimè Bonitatem Dei lædit; ergo gravissimè peccat, qui illam sic promittit. Si verò tamquam Deo ingrata promittatur, blasphemiam continebit; est enim comminari Deo, & tribuere illi, quod convenire nec potest, nec debet. Adnotandum tamen hìc cum eisdem Doctoribus: frequenter hujusmodi vota iniqua, nec esse promissiones, nec comminationes Deo factas; sed potiùs esse juramenta; quibus in malo proposito ea affirmans se confirmare vult: sic qui dicit, voveo Deo, me vindicaturum de inimico; hunc sensum exprimit: juro Deo, me de inimico vindicaturum; & tunc grave, vel leve peccatum erit secundùm gravitatem, vel levitatem materiæ, juxta dicta de Juramento. Si tandem res promissa indifferens sit, vel ob finem indifferentem promittatur; sic vovens venialiter peccabit: quia licèt ut grata Deo res indifferens promittatur, quia tamen positivè non est ingrata Deo, nec ei contemptum parit, ideo culpam venialem excedere non potest; ut ex Suarez expressè docet Castropalaus *l. c. num.* 10.

Dubitabis 6. an res præceptæ possint esse materia 7
voti, & ratio dubitandi est, quia votum emittitur ad firmandam voluntatem, illamque obligandam quoad executionem operis promissi; si ergo per præceptum Superioris reperitur firmata, & obligata voluntas ad operis executionem, supervacaneum videtur votum? Resp. nihilominus affirmativè cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. quem sequuntur Cajetanus, Valentia, Navarrus, Azor. Sanchez, Suarez, Lessius, & Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp.* 1. *de Voto punct.* 8. §. 4. *num.* 2. putant enim hi Doctores esse catholicam veritatem, quòd de rebus aliàs præceptis possit esse propriissimè votum: & ratio est, quia opera præcepta sunt honesta, & grata Deo; ex alia parte eorum oblatio liberè, & spontaneè Deo fit; ergo & sunt materia apta ad votum, & votum de ipsis emissum erit propriissimè tale. Secunda pars antecedentis probatur, quia præceptum non impedit liberam, & spontaneam oblationem Deo operis præcepti, cum non cogat ad obligationem, nec necessitet voluntatem, sed omnino liberam relinquit, ut opus præceptum exequatur; ergo oblatio talium operum liberè, & spontaneè fit. Nec supervacaneum dici debet votum per hoc, quòd versetur circa rem aliàs præceptam, sed potiùs virtutem promovet, & voluntatem firmiorem reddit, cum pluribus vinculis alligetur, novo siquidem titulo fidelitatis, quem votum respicit, non verò præceptum, obligatur. Nec una obligatio alteram impedit, aliter eidem actui non possent plures obligationes correspondere, quod non est dicendum.

CAPUT VIII.

Quomodo materia Voti debeat esse in potestate voventis; & quid dicendum de materia partim apta ad Votum, & partim non?

1 *Materia Voti debet esse possibilis voventi. Et quid de Votis incompossibilibus?*
2 *An Votum numquam peccandi sit de materia possibili?*
3 *Quid dicendum de Voto, cujus materia partim est possibilis, partim impossibilis, partim honesta, partim turpis?*
4 *Quid dicendum, quando quis adimplere possit objectum principale voti, licèt adimplere nequeat modum promissum in voto?*
5 *An vovens teneatur exequi accessorium voti, si non possit principale?*
6 *An Votum disjunctivè emissum, cujus una pars est apta, altera inepta; inducat obligationem?*

COMMUNIS sententia docet, & docere debet, 1
materiam Voti debere esse in potestate voventis; adeoque vovens rem sibi impossibilem; nullam sibi obligationem imponit: ut constat *ex Regul. Nemo potest, de Regul. Jur. in 6. & ex Leg. Impossibilium ff. eod. tit.* & ratio ulterior esse potest, quia nemo rationabiliter alteri promittere potest, quod sibi impossibile est. Hinc clarè deducitur, quòd si quis emittat votum de non moriendo; invalidè vovet, cum non sit in ejus potestate mori, aut non. Patet insuper, emittentem vota simul pro eodem tempore incompossibilia inter se ad nullum teneri: sic vovens audire plura sacra, & pro eodem tempore inservire hospitali; ad nihil tenebitur: cum impossibile sit pro eodem tempore assistere sacris, & ministrare infirmis. Secus verò dicendum; si sic vovens voluit se tantùm ad unum ex ipsis obligare; tunc enim tenebitur ad unum ex ipsis juxta suam intentionem: ut docent D. Antoninus 2. *par. tit.* 11. *cap.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 15. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 5.

num. 22.

num. 22. Imò si dubium habeatur præsumendum erit, ad unum voluisse se obligare voventem: cum in dubio præsumendum sit pro validitate actus. Si tamen non pro eodem tempore, & simul emissa fuerint vota incompossibilia inter se, sed diversis temporibus; tunc vovens tenebitur adimplere primum, cum secundum votum sit de materia impossibili attento primo voto; cum quo impossibile est. Sic Sylvester *verb. Votum 2. quæst.* 17. Azor. *l. c.* Sà *verb. Votum. num.* 33. & Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *de Voto punct.* 4. §. 3. *num.* 8. Quòd si secundum votum sit de materia meliori præ primo, non tamen de materia æquè bona cum primo; putant supracitati doctores contra Sanchez, secundum votum servandum esse non primum: & ratio est, quia tunc primum esset impeditivum majoris boni, quod reperitur in secundo. Insuper concurrentibus duobus præceptis inter se incompossibilibus majus eligitur, cum utrumque adimpleri non possit; sic etiam in casu duorum votorum inter se incompossibilium. Neque dicas, voventem rem, quam certò scit, aut dubitat incompossibilem esse cum præcepto; teneri potiùs adimplere præceptum, quàm votum; ergo etiam voventem rem incompossibilem cum primo voto teneri potiùs adimplere primum, quàm secundum votum. Ne inquam, dicas: quia lata habetur disparitas, cum vovens obligare se non possit contra rem præceptam, cum non sit in ejus potestate; secus verò in votis quando melius, & majus bonum habetur. Nec desunt doctores, ut notat Bonacina *l. c.* qui asserant: si res promissa voto cedat in Dei Majorem Gloriam, & Honorem; ut merito præferri possit Ecclesiastico præcepto; tunc servandum esse votum, non præceptum: & ratio est, quia in tali concurrentia desinit obligare præceptum, & obligat votum, utpote de re magis accepta, & gratiore Deo.

2 Dubium tamen hìc non levis momenti est: an votum numquam peccandi sit de materia possibili, & in potestate voventis; an verò de materia impossibili? Quia tamen votum hoc multipliciter emitti potest; ideo per varias Responsiones dilucidandum dubium. Resp. 1. votum numquam peccandi tam mortaliter, quàm venialiter invalidum esse: & ratio est, quia licèt vitare omnia peccata, seu collectionem omnium peccatorum tam mortalium, quàm venialium sit physicè possibile, speculativè loquendo, moraliter tamen, & spectato rerum cursu, & auxiliis divinæ gratiæ impossibile est, ut experientia demonstrat; sed Lex humana nequit obligare ad sic impossibilia; ergo neque votum. Neque dicas, Legem divinam naturalem obligare ad vitanda omnia illa peccata; adeoque posse obligare & votum. Nam talis obligatio est proprietas rationalis naturæ, & solam potentiam physicam respicit; moralis tamen impossibilitas, quæ provenit ex appetitu non subjecto rationi, accidit naturæ rationali, & mirum non est, si non respiciatur ab illa. Obligatio verò voti, sicuti & cujuslibet Legis positivæ cum subsequatur hanc moralem impossibilitatem, illam respicit, & cum illa compati nequit. Sic Sotus, Valentia, Sanchez, Lessius, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *num.* 5. Resp. 2. si Votum numquam peccandi tam mortaliter, quàm venialiter factum sit ad modum unius, itaut vovens non intendebat se obligare ad vitanda mortalia, nisi simul maneret obligatus ad vitanda venialia; utique non inducit obligationem ad vitanda mortalia ex vi voti: & ratio est, quia non purificatur conditio, sub qua obligationem suscipere intendebat. Si verò intendebat se obligare, ut communiter fit, quantùm obligari poterat; censendus erit ex vi voti obligatus ad vitanda mortalia: quia obligatio vitandi mortalia distincta, & separabilis est ab alia parte non peccandi venialiter; & est in physica, & morali potestate ipsius voventis. Sic Suarez *lib.* 2. *de Voto cap.* 3. *num.* 16. & Castropalaus *disp.* 1. *de Voto punct.* 8. *num.* 8. Resp. 3. si votum non peccandi emissum fuit hoc modo, vitandi scilicet mortalia omnia, & venialia in certa determinata materia, e. g. mendacia levia, aut verba jocosa; tunc sanè validum erit votum, ac obligationem inducens: ratio est, quia hæc sunt in potestate voventis. Sic Suarez, Filliucius, Angles, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 4. *decal. quæst.* 2. *de Voto. punct.* 4. §. 3. *num.* 4. *in fine*. Resp. 4. votum adhibendi specialem diligentiam ad non peccandum sive mortaliter, sive venialiter; validum esse, & obligatorium: ratio est; quia cum sit de moraliter possibili, in potestate voventis erit talem diligentiam adhibere. Sic Sanchez, Suarez, Filliucius, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. nu.* 5.

Quando materia voti partim est apta, & partim inepta voto; seu partim est possibilis, partim impossibilis; 3
vel partim honesta, & partim turpis; si vovens expressam habuerit voluntatem promittendi, & obligandi se ad utramque partem per modum unius, vel ad unam dependenter ab alia; tunc ad neutram partem obligabit ipsum voventem: & ratio est, quia lex, quam sibi inponit vovens per votum; nequit extendi ultra intentionem illius: cum igitur expressa intentio voventis sit, non se obligare ad unam, quin remaneat obligatus ad aliam, quæ non est apta voto. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 7. *numer.* 21. Suarez *libr.* 2. *de Voto capit.* 2. *à numer.* 7. & Castropalaus *disput.* 1. *de Voto punct.* 8. §. 1. *numer.* 10. Si tamen hæc expressa voluntas non habeatur, nec de ipsa constat; tunc spectanda erit materia promissa, & si habeat partes inter se separabiles, itaut non pendeat ab alia; in tali casu validum erit votum, & obligatorium quoad partem voto aptam; licèt nullam inducat obligationem quoad partem ineptam: & ratio est, quia præsumendus est vovens vovere intentione accommodata obiecto; & votum præsumendum est factum ad instar plurium votorum, adeoque, licèt votum rei indifferentis, turpis, & impossibilis sit invalidum, validum tamen erit votum rei bonæ, honestæ, & possibilis, quamvis simul cum illo emittatur. Sic Suarez, Valentia, Layman, Navarrus, Sanchez, Reginaldus, & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacina *disp.* 4. *Decal. quæst.* 2. *de Voto.* §. 4. *numer.* 1. & Castropalaus *l. c.* Hinc deducitur, quod uxor, quæ vivente Marito vovit Castitatem sine ejus consensu, obligabitur quidem ad non petendum, non tamen ad non reddendum debitum, ut constat *ex Capit. Placet. de Conversi. Conjugat.* Sic etiam vovens jejunare per totam Quadragesimam, cum tantùm possit partem; tenebitur ad jejunandum secundum eam partem. Item vovens pœnitentias, & graves corporis afflictationes tenebitur ad eas, quas prudens confessarius ipsi præscribet; sicuti vovens Eleemosynam mille aureorum, ad quos impotens reperitur, quamvis potens sit ad centum; obligabitur utique ad centum aureos pauperibus erogandos: quia ut dictum est, impossibilitas partis unius non impossibilitat alteram partem à se distinctam, & separabilem.

Quid dicendum, quando quis adimplere potest ob- 4
jectum principale voti, licèt non possit adimplere modum, quo promissum fuit, seu accessorium? Resp. obligari voventem ad principale, quamvis non possit illud exequi per modum voto promissum; si tamen principale, & accessorium non promissa fuere ad modum unius; ità ut nollet vovens principale exequi, nisi tali modo. Sic qui vovit peregrinationem Romanam flexis genibus, capite denudato, ac cilicio indutus; si reddatur impossibilis ad exequendum Romanam peregrinationem hoc modo; obligabitur ad illam modo peregrinandi communi, & ordinario: sic etiam qui vovit jejunare in pervigilio alicujus sancti cum pane, & aqua, si impossibilitetur ad sic jejunandum, poterit tamen jejunare modo Ecclesiastico; tenebitur ad hunc modum servandum: & ratio est, quia impossibilitas modi non impossibilitat votum quoad substantiam; nec impossibilitas accessorii reddit impossibile principale. Quando verò Principale, & Accessorium adinstar unius promittuntur in voto; tunc accessorium quasi induit naturam ipsius principalis, itaut ipso deficiente absolutè deficiat obiectum voto promissum. Sic Bonacina alios referens *disput.* 2. *de Voto punct.* 4. §. 4. *numer.* 5.

Major tamen difficultas est: an quis teneatur exequi, accessorium in voto, si non poterit principale, & primarium? Resp. non teneri: & ratio est, quia præsumitur rationabiliter, hanc esse intentionem voventis, obligare se ad accessorium dependenter à principali; cum potiùs principale trahat ad se accessorium, quàm viceversa; ergo si non poterit exequi principale, non tenebitur ad accessorium: sic vovens adire limina Apostolorum indutus sacco, si non poterit Romam adire, non tenebitur ad induendum se sacco; quamvis viceversa si non poterit limina Apostolorum adi-

re

re facco indutus, quamvis possit sine facco; tenebitur adire Romam sine facco. Quòd si constet, voventem habuisse intentionem obligandi se ad accessorium independenter à principali; tenebitur ad accessorium, etiamsi principale exequi nequeat. Sic Suarez *lib.* 2. *de Voto capit.* 2. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 19. *num.* 10.

6 Quæres hìc: an Votum disjunctivè emissum, cujus una pars est apta ad votum, altera inepta; inducat obligationem? Resp. si tempore, quo votum emissum fuit modo disjunctivo, revera una pars erat apta, altera inepta voto; nullam inducet obligationem: sic vovens audire sacrum, vel blasphemare, ad neutram partem tenebitur: sic etiam vovens tradere Ecclesiæ suum bovem, vel equum, si tempore emissi voti bos mortuus erat; non tenebitur ad equum: & ratio est, quia obligatio voti disjunctivi cùm cadat supra utramque partem, itaut liberum sit voventi eligere eam partem, quam voluerit; cum una pars sit inepta, & incapax obligationis; inde est, quòd obligari, & necessitari non poterit vovens ad aliam. Secus verò dicendum, si tempore emissi voti disjunctivi utraque pars erat apta, quamvis postea una evadat inepta: sic in casu allato tenebitur vovens ad tradendum Ecclesiæ æquum, mortuo jam bove: ratio est; quia cum obligatio voti cadat supra utramque partem, jam tempore suo capacem talis obligationis; ideo si redditur inepta una, urget obligatio quoad aliam. Sic colligitur *ex Leg. Stichum, aut Pamphilum* 95. §. 1. *ff. de solut.* sic etiam docet Bonacina *disputat.* 4. *Decal. quæstion.* 2. *de Voto punct.* 4. §. 5. *nu.* 2. Notandum tamen ex Molina *disp.* 270. & ex aliis apud Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 13. *num.* 25. quòd si bos periit emisso jam voto absque culpa ipsius voventis, sed ante electionem factam à vovente circa partes; satisfieri poterit voto per hoc, quòd tradatur pretium, vel aliud æquivalens bovi; aut per hoc, quòd tradatur equus: ratio est, quia est in potestate voventis eligere partem, quam voluerit; ergo poterat eligere bovem, qui periit; cum autem perierit absque culpa sua, æquitas exposcit, ut possit eligere vovens pretium, vel aliud æquivalens bovi, si velit; vel tradere equum. Si tamen periit bos absque culpa voventis post factam electionem bovis; non teneri ad tradendum æquivalens bovi, neque equum: & ratio est; quia tenetur vovens facta electione ad rem electam; ergo si res electa periit absque culpa voventis, periit illi, cui promissa fuit; ergo ad nihil aliud tenebitur vovens.

CAPUT IX.

Quæ, & qualis sit obligatio voti; & quomodo adstringat, quando ejus materia non est determiaata?

1 *Votum est opus laudabile, & meritorium, ac à Virtute Religionis elicitum.*
2 *Ex fide constat, & lumine naturæ, obligationem voti adstringere voventem ad executionem rei promissæ.*
3 *Ex genere suo hæc obligatio gravis est; licèt controvertatur, an possit fieri levis ex intentione voventis, aut materia promissa?*
4 *Quomodo dignosci possit gravitas, vel levitas in materia voti?*
5 *An possit dari votum non obligans ad culpam aliquam nec gravem, nec levem?*
6 *Quomodo obligatio voti adstringat voventem, quando materia voti non est determinata?*
7 *Qui vovit audire sacrum quotidie, satisfacit voto, si die festo unum sacrum audiat.*
8 *Vovens recitare Rosarium, aut sacrum audire tenetur ad debitam attentionem.*
9 *Vovens assumere religionem, aut sacros Ordines non tenetur ad Castitatem ante assumptionem illorum.*
10 *Qui perpetuam Virginitatem vovit tenetur ad abstinendum à qualibet delectatione venerea, etiamsi semel venereè delectatus fuerit.*
11 *Vovens longam peregrinationem satisfacit si equester arripiat iter, quamvis cogitaverit arripere pedester. Satisfacit etiam, si negotii causa, vel curiositatis, aut coactè, vel mercede conductus iter illud arripiat cum animo pariter satisfaciendi voto Peregrinationis.*
12 *Vovens jejunare tenetur ad jejunium eodem modo, quo tenetur ad Ecclesiasticum.*
13 *Indeterminatio proveniens à tempore non tollit obligationem voti.*
14 *Indeterminatio proveniens à qualitate, vel quantitate rei promissæ non obstat obligationi voti.*
15 *Quomodo tollenda indifferentia in materia indeterminata voti.*
16 *Indeterminatio proveniens ab individuo non tollit obligationem voti, quamvis vovens eligere possit quodlibet individuum sub specie contentum, dummodo sit utile.*

VOTUM ex se esse opus laudabile, & meritorium, ac elici à Virtute Religionis, suppono certissimum ex Divo Thoma 2. 2. *quæstion.* 88. *artic.* 3. quem Doctores sequuntur: finis enim voventis est per promissionem Deum honorare, vel Sanctos propter Deum; adeoque Divinus honor in promissione spectatur, qui est actus à Religione elicitus. Executio tamen rei promissæ ab ipsa Religione imperatur; exequitur enim vovens promissum eo animo, ut votum impleatur. 1

Obligationem, quæ ex voto oritur; adstringere vo- 2
ventem ad executionem rei promissæ, ex fide constat, & lumine naturali: nam si fides data hominibus obligat, ut servetur; à fortiori data Deo obligabit: debetur siquidem Deo ratione promissionis cultus promissus, & ipse Deus jus habet exigendi illum à promittente, non quia concedatur Deo à promittente jus, quod antea non habebat, ut evenit in promissionibus humanis; sed quia Cultus, & honor, qui Deo debetur propter ejus supremum dominium, & excellentiam in tali materia per promissionem determinatur. Quapropter debitum consurgens per votum ex vi promissionis est à fidelitate, & veracitate; ex vi Juris, quod reperitur in Deo; est ex Justitia.

Ex genere suo hanc obligationem gravem esse, docent omnes Doctores sic explicantes illud Divi Pauli 1. *ad Timoth.* 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Definitur quoque ab Innocentio III. *in Cap. Licet de Voto:* & ratio est, quia non exequi talem obligationem infert Deo gravem injuriam, cum sit contra reverentiam ipsi debitam; unde *Ecclesiast.* 5. habetur: *Displicere Deo stultam, & infidelem promissionem.*

Controversia tamen inter Doctores est: an possit; fieri levis ex intentione voventis, aut ex materia promissa? Resp. 1. ex sola intentione voventis extendi posse obligationem ad culpam tantùm venialem, etiamsi votum in materia gravi emissum sit: & ratio est, quia sicuti Legislator in materia gravi potest leviter obligare, ut in Tractatu de Legibus sustinent communiter Doctores; sic etiam votum, quod est Lex quædam privata, poterit in materia gravi leviter obligare: nam sicuti in Lege universali, & publica obligatio oritur ex intentione Legislatoris; sic in Lege particulari, & privata voti obligatio oritur ex intentione voventis; ergo si vovens in re gravi habuit intentionem se leviter obligandi, ad culpam tantùm venialem se extendet. Sic Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de Voto cap.* 4. *num.* 7. Sanchez *lib.* 1. *de Sponsalib. disp.* 9. *num.* 6. Navarrus *cap.* 23. *Summ. num.* 49. Henriquez, Molina, Rebellus, & alii penes Bonacinam *quæst.* 3. *de Voto punct.* 5. §. 4. *num.* 7. contra Vasquez, Sotum, Cordubam, & Basilium Legionensem. Hinc infert Sanchez *libr.* 4. *Summ. cap.* 11. *num.* 4. *cum aliis*: eum qui generaliter proposuit non obligare se, nisi sub levi, nec revocavit hoc propositum generaliter factum, aut particulariter, si postea votum emittat etiam in re gravi; remanere tantùm obligatum sub veniali, quamvis voveret immemor propositi illius: ratio est, quia semper censendus est, voluisse se obligare juxta propositum factum, nec à se revocatum, quamvis immemor fuerit in actu vovendi propositi facti? Resp. 2. ex levitate materiæ posse votum obligare sub levi tantùm, itaut ejus violatio non excedat culpam venialem: ratio est, quia obligatio voti est obligatio ex fidelitate, vovens siquidem suscipit in se onus adimplendi promissionem factam; sed talis obligatio

susci-

ſuſcipit magis, & minus juxta materiæ gravitatem, vel levitatem; ergo ex levitate materiæ levis fieri poteſt obligatio. Inſuper obligatio voti non eſt major præ obligatione præceptorum divinorum, & Eccleſiaſticorum; ſed hæc in materia levi non niſi leviter obligant; ergo & votum; maximè quia parva ſit irreverentia, & injuria Deo per violationem voti in parva materia. Sic Navarrus, Valentia, Aragonius, Suarez, Sanchez, Azor. Reginaldus, Sayrus, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *diſp. 4. decal. quæſt. 2. de Voto punct. 5. §. 4. num. 7.* & Caſtropalaus *diſp. 1. de Voto punct. 11. num. 6.* Doctrina allata extenditur, non ſolùm ſi parvitas ſit pars voti; verum etiam ſi ſit tota materia voti; ut bene notarunt Suarez, Sanchez, Valentia, Sotus, & alii contra Navarrum, & Cajetanum putantes, violare votum in tota materia parva eſſe mortale. Extenditur quoque ad voventem cum intentione ſe obligandi ſub gravi in materia levi: nam materia levis non videtur capax tantæ obligationis, ut docuere Suarez, Sanchez, Valentia, & Filliuccius contra Sayrum.

4 Inquires: quomodo dignoſci poſſit hæc gravitas, vel levitas in materia voti; ac proinde quomodo obliget ſub mortali, & quando ſub veniali? Reſp. duplicem paſſim aſſignari regulam ad dignoſcendam gravitatem, vel levitatem in materia voti; prima eſt, ſi ex honeſtate circumſtantiarum, quæ afficiunt ipſam rem promiſſam penſatis omnibus magnus, vel exiguus honor reſultet in Dei honorem: nam ſi magnus, materia erit gravis, & obligabit ſub mortali; ſi verò exiguus, materia erit levis, & ſub veniali tantùm obligabit. Secunda regula eſt, ſi facta comparatione ad Legem, & ad alia præcepta, materia eſſet talis, ut ſub gravi præciperetur ab ipſis, ſub gravi etiam cenſenda erit reſpici à voto; ſi verò ſub levi etiam à voto. Sic ex Sanchez docet Bonacina *diſp. 4. decal. quæſt. 2. de Vot. punct. 5. §. 4. num. 7.* Ex dictis colligitur, graviter peccare eum, qui omittit votum ſumendi Euchariſtiam etiam ſemel; aut confitendi mortalia; vel audiendi, aut celebrandi ſacrum; ſicuti etiam viſitandi Eccleſiam aliquam, & ibi orandi, ut lucretur indulgentiam, & animam è purgatorio liberet; quia hæc omnia cenſentur, materiam gravem reſpicere, & nimis cedentem in Dei honorem: ut docet idem Sanchez *lib. 4. ſumm. cap. 12. num* 20. Leviter tamen peccare, qui parum vini bibit ſemel contra votum non bibendi vinum; aut non confitetur venialia contra votum confitendi illa, quando confeſſio facienda eſt; vel non recitare ſemel ternam orationem dominicam contra votum recitandi illam, etiam intuitu acquirendi indulgentiam plenariam. In voto verò eleemoſynæ erogandæ gravitas, vel levitas materiæ deſumenda erit ex fine intento: ſi enim voviſti eleemoſynam ad ſacrum faciendum, gravis materia erit illam omittere, cum ad Cultum Divinum maximè ſpectet ſacrum. Si tamen commodum temporale Eccleſiæ, vel pauperum reſpexiſti, juxta gravem, vel levem materiam furti metienda res erit.

5 Inquires inſuper: an poſſit dari votum non obligans ad culpam aliquam ſive gravem, ſive levem? Reſp. negativè: ratio eſt, quia nequit excogitari votum, in quo non urgeat illa Lex Divina: Redde Domino vota tua; cum autem Lex illa ſemper obliget; ideo non poterit dari votum immune ab obligatione ſive ſub mortali, ſive ſub veniali. Inſuper vel votum eſt pœnale, vel non; ſi non eſt pœnale, certum eſt, obligare ad culpam, ut obligat Lex non pœnalis; ſi eſt pœnale, etiam ad aliquam culpam obligabit, cum pœna non debeatur, niſi ob culpam aliquam. Sic Suarez *lib. 4. de Voto cap. 4. num.* 14. & Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 9.*

6 Potiſſima difficultas circa obligationem voti eſt, quomodo ipſa adſtringat voventem, quando materia per votum promiſſa determinata non eſt? Pro majori tamen dilucidatione ſolutionis præmittenda ſunt nonnulla tamquam certa, & in quibus conveniunt doctores. Et 1. præmittendum eſt, votum obligare ſecundum intentionem voventis, nec ulteriùs extendi; quia cum hæc obligatio voluntaria ſit, & liberè aſſumatur, non poteſt excedere præſcriptum à propria voluntate, ut conſtat ex illo *deuteron. 23. Facies ſicuti promiſiſti domino Deo tuo; & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* 2. cum conſtat expreſsè de intentione voventis, inſpicienda erit materia promiſſa, & juxta naturam illius deducenda erit voti obligatio. Nam quilibet præſumitur, eam obligationem ſubire velle, quæ materiæ promiſſæ accommodari poſſit. 3. ſi conſiderata intentione voventis, & inſpecta materia per votum promiſſa, adhuc remanet dubium circa obligationem voti; verba promiſſionis conſideranda erunt, & interpretanda juxta communem, & frequentem uſum ſecundum quem voti obligatio colligenda erit. Cum quilibet præſumendus ſit facere velle, quod verbis explicat; & præſumendus quoque ſit velle uſurpare verba, & ſenſum verborum in ſenſu communiter recepto. 4. ſi omnibus his conſideratis adhuc dubietas perſeverat circa obligationem voti, tunc benignè interpretandum votum, ut quoad fieri poſſit, minus obliget. Cum non ſit imponenda obligatio, niſi de ipſa clarè conſtet ob periculum transgreſſionis: ut colligitur *ex Cap. Ex parte de Cenſib.* & docent ibi Doctores. His præmiſſis reſolvuntur nonnulli Caſus in particulari.

Reſolvitur 1. ſatisfacere voto audiendi ſacrum quotidie eum, qui feſtivis diebus unico tantùm ſacro intereſt: ratio eſt, quia licèt teneatur ad ſacrum audiendum tum ex voto, tum ex præcepto; non videtur tamen cenſendum, quod duplici ſacro voluerit ſe obligare diebus feſtivis. Sic Suarez *libro 4. de Voto capit. 7. numero* 14. & Caſtropalaus *de Voto diſput. 1. punct. 12. numero 6.* 7

Reſolvitur 2. voventem recitare Roſarium, aut audire ſacrum, teneri ad recitandum, aut audiendum attentione debita: nam ſine debita attentione, nec dicitur orare, qui Roſarium recitat; nec dicitur audire ſacrum, quamvis ſacro interſit. Ad attentionem autem ſacri ex voto ſufficit illa eadem, quæ requiritur ex præcepto; quod etiam intelligi debet de integritate, cum doctores aſſerant obligationem voti urgere ad inſtar præcepti. Sic Sanchez *libro 4. de Voto capit. 11. numero 36.* Notandum hìc, voventem recitare Roſarium, abſque expreſſa intentione recitandi illud integrum, teneri tantùm ad tertiam partem: & ratio eſt, quia ſecundum frequentiorem uſum nomine Roſarii tertia tantum pars intelligitur, ut docent Suarez *lib. 4. de Voto cap. 8. numero* 5. & Sanchez *libro 4. de Voto capit. 13. numer.* 15. An tamen ſatisfaciat alternatim recitando; putant ſatisfacere Azor. *libro 11. capit. 7. quæſtion.* 10. Bonacina *de Voto quæſtion. 2. punct. 6. numero* 27. & alii, cum talis uſus communiter receptus ſit in recitatione Roſarii: maximè quia ſic etiam ſatisfit recitationi divini Officii, quidquid in contrarium dixerint Navarrus, & alii citati à Caſtropalao. Non ſatisfacit nihilominus voto, qui mente tantùm, & non voce recitat: cum uſitata Roſarii recitatio non ſit purè mentalis; ſed etiam vocalis & ſecundum hanc fieri votum præſumitur. 8

Reſolvitur 3. non teneri ad caſtitatem ſervandam ex vi voti eum, qui vovit Ordines ſacros, vel religionem aſſumere ante ipſam aſſumptionem; ratio eſt, quia iſte talis non vovet Caſtitatem, ſed ſtatum, cui Caſtitas adnexa eſt, ergo illo ſtatu non jam aſſumpto non urgere poteſt obligatio Caſtitatis: ut docent Cajetanus 2. 2. *quæſtion.* 88. *artic. 3.* Suarez *lib. 4. de Voto capit. 7. numero* 25. & Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 6. punct.* 4. 9

Reſolvitur 4. teneri ad abſtinendum à qualibet delectatione venerea eum, qui perpetuam Virginitatem vovit, etiam ſi ſemel, aut bis venereè delectatus fuerit. Cum præſumendus ſit Caſtitatem voviſſe ſub nomine perpetuæ Virginitatis: nam licèt Virginitatem vovens intendat nullam admittere delectationem, quæ integritatem corporis, & animæ auferat; nihilominus quòd illam delectationem admiſerit, & per conſequens talem integritatem amiſerit; per accidens ſe habet, nec voti obligationem minuit, quod perpetuam reſpicit Virginitatem: niſi expreſsè voluerit ſe obligare vovens ad vitandum primum actum, quæ quidem intentio nullatenus præſumi poterit, quando inſurgit dubium: ut docent Sanchez alios referens *libro 9. de Matrim. diſput. 33. numero 6.* Suarez *lib. 4. de Voto capit. 7. numer.* 5. & Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 6. punct.* 4. 10

Reſolvitur 5. voventem longam peregrinationem ad diſtantem Eccleſiam ſatisfacere voto, ſi eam arripiat equeſter, quamvis tempore voti cogitaverit eam aſſumere pedeſter: ſicuti etiam voto elargiendi eleemoſynam ſatisfacere illum, qui minorem quantitatem tradit, quamvis tempore concepti voti cogitaverit de majori 11

jori quantitate : & ratio eſt, quia ad obligationem inducendam non ſufficit aliquid venire in mentem, ſed ulterius requiritur, quòd illud promittatur, & intendatur per votum : cum obligatio in voto non oriatur ex cogitatione ſed ex promiſſione. Sic Suarez, & Sanchez, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp.* 4. *Decal. quæſt.* 2. *de voto pun.* 6. *num.* 15. An autem ſatisfaciat voto peregrinationis ad Eccleſiam aliquam, ad Divi Petri Romæ. e. g. qui aliàs Romam iturus eſſet negotii cauſa, vel curioſitatis, aut mercede conductus, aut coactus; controvertitur inter Doctores. Negat Sanchez *lib.* 4. *de voto cap.* 11. *num.* 68. quia votum peregrinationis debet eſſe voluntarium, religioſum, & pium; ſi ergo peregrinatio aſſumitur ob fines adductos, nec voluntaria, nec religioſa, nec pia erit. Affirmat Caſtropalaus, *quem ſequor diſput.* 1. *de voto pun.* 12. *num.* 9. & ratio eſt, quia coactè ſuſcipiens peregrinationem, dummodo vis illata non tollat integram libertatem, quamvis illam minuat; abſolutè peregrinationem piam voluntariè ſuſcipit, maximè ſi voluntatem habeat ſic inviſendi Eccleſiam Divi Petri, & ſatisfaciendi voto. Pariter diſcurrendum erit, ſi peregrinationem aſſumat negotii cauſa, vel curioſitatis; ſi ſimul finem habeat ſatisfaciendi voto : nam expeditio negotii, & curioſitas non impediunt peregrinationem religioſam quoad ſaltem ſubſtantiam actus; ſecus verò dicendum, ſi ſolus finis negotii, & ſatisfaciendi curioſitati adeſſet. Nec tandem impedit piam, & religioſam peregrinationem, voventem eſſe ſtipendio conductum : quia ut ſupradictum eſt, obligatio voti, & obligatio ex juſtitia cadere poſſunt ſupra eamdem matariam : nam Sacerdos obligatus ex ſtipendio accepto Sacrum facere, poterit & ad illud ſe obligare ex voto.

12 Reſolvitur 6. voventem jejunare teneri ad jejunium eo modo, quo obligat præceptum Eccleſiaſticum in ſuis jejuniis : eo quia cum votum ſit lex privata ſibi impoſita à vovente, ideo menſura talis obligationis per convenientiam deſumenda erit à menſura legis Eccleſiaſticæ, cum nulla alia aptior dari poſſit : ut ex Suarez, & Sanchez adnotat Caſtropalaus *de Voto diſp.* 1. *pun.* 12. *num.* 11.

Hinc ſequitur 1. debere abſtinere à carnibus, & à repetita refectione; debere inſuper tempus conſuetum ſervare in comeſtione, & in refectiuncula. In Vigilia tamen Nativitatis Domini etiam voto adſtrictis permitti poterit largior refectiuncula, quæ permittitur præcepto ligatis; cum nemo cenſendus ſit obligare ſe ad jejunium per votum aliter ab eo, quàm Eccleſia obligat, niſi id expreſsè intenderit : ut docet Sanchez *lib.* 4. *de voto. cap.* 11. *num.* 65.

Sequitur 2. voventem jejunium per menſem, aut annum non teneri ſervare illud diebus Dominicis : cum non præſumi debeat velle vovere contra conſuetudinem ab Eccleſia receptam. Sic Sanchez, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de voto diſp.* 1. *pun.* 12. *num.* 11.

Sequitur 3. voventem jejunare in pervigilio alicujus Sancti non teneri ad jejunium ſervandum die Dominico, ſi in Dominica fuerit pervigilium; ſed poterit anticipare die Sabbathi juxta obligationem præcepti Eccleſiaſtici. Sic Azor. 1. *par. lib.* 11. *capit.* 20. *quæſtion.* 4.

Sequitur 4. voventem abſtinentiam à carnibus teneri ad abſtinendum à jure, quo carnes coctæ fuere : cum ſic urgeat præceptum Eccleſiaſticum, quod prohibens carnium comeſtionem, pariter prohibet & juris continentis ſubſtantiam carnis. Pari modo dicendum, peccare toties quoties eo die carnem comedat : nam ſic obligat præceptum Eccleſiaſticum, videlicet ſemper, & pro ſemper. Nec diſſimiliter diſcurrendum de vovente abſtinentiam à vino, & ſimilibus; toties enim peccabit, quoties vinum bibet, eſt enim votum hoc inſtar præcepti Eccleſiaſtici prohibentis carnium comeſtionem. Non ſic tamen dicendum de vovente jejunium : nam ſemel ac eo die jejunium fregerit aut carnium comeſtionem, aut repetita comeſtione; non tenebitur ampliùs ad jejunium ſervandum, & poterit eo die pluries comedere abſque novo peccato, cum ſit impoſſibile jejunium ſervare. Sic Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. Non poterit tamen abſque novo peccato carnes comedere, ut docet tamquam communiter receptum Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 7. *num.* 9. quidquid in contrarium dixerit Sanchez : nam vovens jejunium, conformare ſe debet præcepto Eccleſiaſtico jejunii, quod importat unicam comeſtionem, & abſtinentiam à carnibus per integrum diem.

Major tamen difficultas eſt in hac materia an vovens jejunium ſextis feriis, aut alio die hebdomadæ teneatur illud ſervare, ſi in die præfixo à vovente inciderit Feſtum Nativitatis Chriſti Domini ? Deobligant ſic voventem Molina, & Azor. cum aliis; probabilius tamen puto, obligatum eſſe cum Sanchez, Suarez, Reginaldo, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de voto diſp.* 1. *pun.* 12. *num.* 12. & ratio eſt, quia Eccleſia ſolam obligationem præcepti diſpenſat, non autem voti : ut clarè, & apertè colligitur *ex Cap. final. de Obſervat. jejunii*, ubi ait : *Qui nec voto nec regulari obſervantia ſint adſtricti*; ergo ſi vovens ſpecialiter non exceperit diem Natalis Chriſti Domini, ſi inciderit in ſexta feria, aut alio die à ſe præfixo; tenebitur ex vi voti ad ſervandum jejunium. Neque dicas : ſi vovens in actu vovendi cum illa generalitate meminiſſet diei Natalis, utique illum excepiſſet. Contra enim eſt; quia obligatio voti non deſumenda eſt ex eo, quod faceret vovens; ſed ex eo, quod actu fecerit, & promiſerit : cum igitur promiſerit jejunium qualibet ſexta feria anni, vel aliadie abſque ulla exceptione, ſic jejunare debebit.

Alia difficultas eſt : an vovens jejunium teneatur abſtinere ab ovis, & lacticiniis ? Reſp. extra tempus quadrageſimæ in illis regionibus, in quibus viget conſuetudo non abſtinendi ab ovis, & lacticiniis; poterit illis veſci; cum non debeat præſumi, voventem voluiſſe ſe obligare alia ſtrictiori forma ab Eccleſia uſitata. Non ſic vero in tempore quadrageſimali, in quo ex vi voti tenebitur ſervare jejunium ac ex vi præcepti; niſi bullam Cruciatæ habeat, ubi viget ejus uſus aut aliunde permiſſus ſit uſus ovorum. Sic corduba *in Summ. quæſt.* 168. *pun.* 2. Ludovicus Lopez 2. *par. Inſtruct. de Jejun. fol.* 714. Azor. 1. *par. lib.* 7. *cap.* 10. *quæſtion.* 2. Suarez, *libr.* 4. *de voto capitul.* 7. *num.* 9.

An autem vovens abſtinentiam à carnibus comprehendat etiam abſtinentiam à lacticiniis, & ovis. Sicuti etiam vovens abſtinentiam à lacticiniis comprehendat pariter abſtinentiam ab ovis ? Reſpondendum eſt, non comprehendere, cum ſint res inter ſe diſparatæ; & licèt uniantur in præcepto Eccleſiaſtico, non ideo tamen uniuntur in voto quo obligatio deſumitur ex intentione voventis, qui potiùs ob ſpecialem finem unam obligationem ſibi imponere vult non verò aliam. Sic Sà *verb. votum num.* 25. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 11. *num.* 47.

13 Ut verò generales regulæ innoteſcant circa obligationem voti rei alicujus indeterminatæ. Sciendum eſt, indeterminationem provenire poſſe vel à tempore, quia non exprimitur tempus, pro quo vovens ſe adſtringere velit; vel à quantitate, aut qualitate rei promiſſæ, quia videlicet per votum emiſſum non expreſſæ fuere; vel tandem ab individuatione, quia non exprimitur in individuo res voto promiſſa. His poſitis

Dicendum 1. indeterminationem provenientem à tempore non tollere obligationem voti : nam licèt verba ſonent indeterminationem, revera tamen votum in ſe determinatum eſt, ut in perpetuum obliget : ſic vovens Caſtitatem intelligitur velle illam in perpetuum ſervare; ſic etiam vovens jejunare ſextis feriis, vel aliis diebus; cenſendus erit in perpetuum velle jejunare ſextis feriis, vel aliis diebus, dum aliud in contrarium non exprimat. Non ita tamen dicendum eſt, ſi jejunium, aut eleemoſynam abſque ſigno diſtributivo voveat; tunc enim unico jejunio, aut unica eleemoſyna ſatisfaceret voto; ut bene docet Caſtropalaus *diſp.* 1. *de Voto pun.* 12. *num.* 22.

14 Dicendum 2. indeterminationem provenientem à qualitate, vel quantitate rei promiſſæ non obſtare obligationi voti : ſic vovens triticum, aut vinum non explicata quantitate vel qualitate, adhuc tenebitur ad votum exequendum : & ratio eſt, quia habentur omnia requiſita ad valorem voti, cum ſit de re honeſta, & poſſibili : nec jure aliquo irritatur tale votum. Quòd ſi Jus Civile irritat promiſſionem rei incertæ, & indeterminatæ *in Leg. Triticum. ff. de verbor. obligat.* nihilominus in præjudicium cauſæ piæ non valent civiles diſpoſitiones. Ut docent Suarez, Azor. Sanchez, quos refe-

referunt, & sequuntur Bonacina *disput. 4. Decal. quæst. 2. de Voto punct. 6. numer. 31.* & Castropalaus *disp. 1. de Voto punct. 12. num. 23.* Neque dicas ; impossibile esse, exequi votum sub illa indifferentia. Contra enim est, quia ipsum votum emissum obligat ad tollendam indifferentiam illam, quod quidem possibile est : aliàs sequeretur, quod vovens religionem non teneretur ad ingrediendum illam, quia nullam determinavit. Nam licèt ex vi voti nulla Religio determinata fuerit, determinatur tamen vovens ad aliquam.

15 Quomodo autem tollenda sit talis indifferentia ? Respondetur tollendam saltem esse per minimam quantitatem, vel qualitatem utilem sub re promissa contentam, nisi recepta consuetudo aliud expoſcat ; vel remittendo illam arbitrio viri prudentis, qui considerata persona vovente, loco, tempore, & causa movente ad votum determinare poterit. Quòd verò sufficiens sit minima pars utilis, probatur : quia votum obligat tantùm, ut servetur promissum, quod quidem verificari potest, si per minimam partem utilem impleatur, ut constat *ex Cap. ex parte de Censib.* ubi decidit Pontifex fieri satis voto, per quod mensura tritici Divo Jacobo, & ejus Ministris promissa fuit ; si minima reddatur, *nisi* aliud consuetudo generalis expostulet ; & movetur Pontifex ad sic decidendum : quoniam hujusmodi vota cum gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à viris Ecclesiasticis exigenda. Hinc sequitur, quòd vovens calicem alicui Ecclesiæ debeat donare argenteum, quia est inferioris qualitatis ex iis, quibus utitur Ecclesia : ut constat *ex Capit. Ut calix dist.* 1. Sic Azor. Sanchez, Valentia, Suarez, Layman, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disputat. 1. de Voto punct. 12. numer. 24.*

16 Dicendum 3. indeterminationem provenientem ab individuatione non tollere obligationem voti facti ; quamvis vovens eligere poterit quodlibet individuum, quod voluerit, ex contentis sub illa specie, dummodo sit utile : & ratio est, quia cum non constet de determinatione voluntatis voventis, non est major ratio, *cur potiùs ad meliorem obligetur*, non verò ad alium deterioris conditionis. Sic Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 13. num. 19.* Bonacina *disputat. 4. Decal. quæst. 2. de Voto punct. 6. num. 33.* & Castropalaus *disp. 1. de Voto punct. 12. num. 25.*

Inquires hìc : quid dicendum, si ex bobus, aut equis voventis cum indeterminatione *supradicta* ante voti adimpletionem unus optimus remaneat cęteris mortuis, aut furto ablatis ? Resp. quamvis Sanchez *l. c.* & Molina *tract. 2. de Just. disput.* 270. docuerint, non teneri ad reddendum superstitem illum. Nihilominus puto, teneri ad reddendum : ratio est, quia votum stat in sua possessione, & aliunde habetur materia sufficiens, per quam adimpleri possit. Insuper omnes boves sub disjunctione voto obligati fuere, inter quos superstes ; ergo cęteris pereuntibus per hoc ipsum determinatur superstes, ut sit materia voti : nisi aliunde ex paupertate voventis, vel ex alia circumstantia notabilis mutatio adveniat, per quam prudenter judicetur, noluisse voventem se obligare ad superstitem. Sic Bonacina *l. c. num. 34.* & Castropalaus *l. c. num. 26.* qui hanc doctrinam extendunt ad hæredes ipsius voventis.

CAPUT X.

Pro quo tempore urgeat obligatio Voti, ad hoc ut adimpleatur ?

1 *Votum emissum pro tempore præscripto tenetur vovens exequi pro eo tempore.*
2 *An si prævideat vovens impedimentum pro eo tempore teneatur prævenire ?*
3 *An vovens jejunium in vigilia alicujus Sancti teneatur jejunare in vigilia proximè adveniente ?*
4 *Votum emissum non præscripto tempore adimplendum est, ut primùm commodè potest ?*
5 *Quænam dilatio sit mortalis in votis emissis sine temporis præscriptione ?*

1 VOTUM duplici modo emitti potest à vovente, vel præscribendo sibi tempus adimplendi illud, ut ingrediendi religionem intra annum, jejunandi sextis feriis, visitandi Ecclesiam Deiparæ Virginis in Sabbathis &c. vel non designando tempus exequendi illud, ut dandi eleemosynam, visitandi Ecclesiam, ingrediendi Religionem &c. Si votum primo modo emissum fuerit, designando videlicet tempus ; certum est, teneri ventem adimplere illud tempore præscripto : nam votum obligat juxta intentionem voventis ; ergo si vovens sibi tempus præfixit, tenebitur illud adimplere juxta tempus præfixum : quapropter habens votum audiendi sacrum, aut jejunandi tali die à se designata, peccabit graviter, si tali die sacrum non audiet, aut non jejunabit : ad eum modum, quo graviter peccant non audientes sacrum, aut non jejunantes die præcepta ab Ecclesia. Sic passim Doctores.

Dubitabis 1. an teneatur vovens prævenire tempus 2
sibi præfixum, si prævideat tali tempore impediendum fore ? Resp. si tempus præfixum fuit à vovente ratione specialis honoris erga diem illum, seu animo ibi finiendi suam obligationem, ut jejunare in pervigilio Divi Antonii, abstinere ab opere servili in festo Divæ Luciæ &c. vovens non tenetur prævenire, nec satisfacit prævenìendo : & ratio est, quia votum adimplendum est dum obligat ; sed non obligat ante tempus præfixum in honorem talis Sancti ; ergo vovens anticipans non satisfacit. Ad eum modum, quo prævenìens obligationem audiendi sacrum die Dominica, quod audit in Sabbatho ; non satisfacit præcepto audiendi sacrum die Dominica, etiamsi prævideat impedimentum habendum tali die ; adeoque sicuti nulla est obligatio prævenìendi in præceptis Ecclesiasticis designantibus diem, sic etiam & in votis. Nisi fortè anticipatio fiat animo commutandi votum in æquale ; aut in melius. Sic Suarez *libr. 4. de Voto capit. 14. numer. 5.* Reginaldus *libr. 18. numer. 236.* Sanchez *libr. 4. de Voto capit. 14. num. 26.* & Bonacina *de Voto quæstion. 2. punct. 5. §. 1. numer. 13.* Addit Bonacina ex Doctoribus citatis : elapso termino sic præfixo ad finiendam obligationem non teneri ventem adimplere rem promissam alia die subsequenti : & ratio est, quia sicuti Ecclesiastica præcepta audiendi sacrum die festo, jejunandi in Vigiliis statutis, recitandi Horas Canonicas singulis diebus &c. non obligant elapso tempore præfixo ad recompensationem ; sic etiam nec vota præfixa suis diebus, cum voti obligatio jam extincta sit. Si verò tempus præfixum fuit à vovente, ne ultra tale tempus differatur voti obligatio ; poterit tunc prævenire, & sic prævenìendo satisfacere : ratio est, quia tunc votum obligat, ergo vovens tunc ponendo rem promissam satisfacit : nec terminus præfixus fuit, ne citiùs impleatur, sed ne ultra differatur : sic vovens intra annum ingredi Religionem, vel jejunare tribus diebus in hoc mense ; satisfaciet obligationi voti emissi, si post duos menses Religionem ingrediatur, & intra primos dies mensis ter jejunet.

Sed quid dicendum, si sic vovens præfixo termino prævideat futurum impedimentum ; an teneatur prævenire, ut voto satisfaciat ? Resp. affirmativè : quia votum obligat pro tota illa latitudine temporis jam designati, & intra illam adimpleri potest ; ergo si prævidetur impedimentum in aliquibus partibus temporis illius, urget obligatio ad exequendum votum in aliis partibus non impeditis : nec sic prævenitur tempus obligationi designatum, cum tota illa latitudo temporis obliget ; sed prævenitur tempus ineptum executioni Voti : ut patet in obligatione confessionis annuæ, qui enim prævidet impedimentum futurum ultimo mense anni, tenetur anticipare ; sicuti tenetur anticipare recitationem Divini Officii, qui prævidet impedimentum futurum ante tempus mediæ noctis ; & auditionem sacri summo manè, qui prævidet impedimentum ante tempus meridianum. Sic Divus Thomas, Sylvester, Reginaldus, Suarez, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *quæstion. 1. de Voto punct. 5. §. 1. numer. 13.* & Castropalaus *de Voto disputat. 1. punct. 13. num. 3.*

Dubitabis 2. an vovens jejunium in vigilia alicu- 3
jus Sancti teneatur jejunare in vigilia proximè adveniente ; an verò possit illud differre ad annos subsequentes ? Resp. teneri ad vigiliam proximè adveniem-

tem,

tem, si non constet de ejus intentione, nec de qua vigilia sibi obligationem imposuerit: & ratio est, quia non præscribens sibi terminum præfixum in voto tenetur illud adimplere, quàm primùm commodè potest juxta dicenda inferiùs; tum quia sic decernitur à Lege Civili in promissione facta homini, ut constat *ex Leg. Eum, qui Kalendis ff. de Verb. obligat.* ergo pariter dicendum erit in promissione facta Deo, cum hæc non debeat esse deterioris conditionis. Adde, quòd hæc præsumi debet rationabilis intentio voventis jejunium in vigilia Sancti alicujus. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 14. *nu.* 40. & Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 5. §. 1. *num.* 5.

4 Si votum emissum fuerit à vovente non præscribendo sibi tempus, tenebitur illud adimplere quàm primùm commodè fieri possit. Sic ut certum asseritur à Sylvestro, Armilla, Sà, Valentia, Azorio, Sanchez, Suarez, Layman, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disputat.* 1. *punct.* 13, *num.* 4, quod colligunt ex illo *Deuteron.* 23. *Cum votum voveris Domino, non tardaveris reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; & ex illo *Ecclesiast.* 5. *Si quid vovisti Deo, ne tardaveris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Ratio autem est, quia promissio facta hominibus, à quibus supponimus acceptatam, statim inducit obligationem; & debitum absque termino præfixo poterit creditor exigere, quoties voluerit, ut constat *ex Leg. Promissor. ff. de Constit. pecun.* ergo pari modo discurrendum erit de promissione facta Deo, & de debito contracto à vovente. Insuper si votum emissum non statim obligaret, quàm primùm commodè fieri posset; non posset assignari aliud tempus, in quo obligaret, quod non est dicendum; ergo statim obligat.

Notandum hìc 1. ly quàm primùm commodè fieri possit, explicandum esse moraliter, non verò mathematicè, itaut statim; & illicò teneatur vovens ad voti executionem: & ratio est, quia votum, quod nullum tempus executioni præscribit; præsumendum est factum cum aliquo temperamento juxta interpretationem *Legis Quod dicimus ff. de solution.* ubi habetur: *Statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est.* Sic etiam habetur *ex Leg. Ratum cod. tit. Statim, sive cum primùm, cum quodam temporis spatio accipi debet.* Moralis autem hæc temporis latitudo, itaut nec maximam, nec minimam contineat; arbitrio prudentis viri remittenda erit, cum non possit assignari aptior regula: ut colligitur *ex Leg. Continuus §. cum ita ff. de Verb. obligat.* & docent Sanchez, Suarez, Layman, Azor. Bonacina, quos sequitur, & refert Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 13. *num.* 4.

Notandum 2. ob justam, & rationabilem causam vota hæc non præscribentia tempus differri posse, ut executioni mandentur. Sic vovens religionem poterit ingressum differre: donec aptus fiat ad labores, & asperitates illius sustinendas: ut docent Sanchez *lib.* 4. *de Voto capit.* 14. *numer.* 13. Sylvester *verb. Votum* 1. *quæstion.* 2. Layman *libr.* 4. *Summ. tract.* 4. *capit.* 3. *numer.* 5. & Bonacina *de Voto disput.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. §. 1. *numer.* 2. Poterit quoque ingressum differre ob studia litterarum, quas in Religione addiscere nequit, & sic magis utilis fieri Religioni: ut sustinent Corduba *in Summ. quæstion.* 39. Sanchez *loc. cit. numer.* 11. Layman *loc. cit.* & Castropalaus *de Voto disputat.* 1. *punct.* 13. *numer.* 5. Insuper sufficiens causa erit ad ingressum differendum, si parentes illum ægrè ferant, usquedum minùs ægrè ferant, si hoc rationabiliter sperari possit: ut ex Sanchez, & Sylvestro docet Bonacina *loc. cit.* Cavendum tamen, ne nimia sit dilatio, cum ex hac periculum insurgat numquam exequendi.

Notandum 3. in votis non præscribentibus tempus justam, & rationabilem causam esse differendi illa, si spes habeatur exequendi illa majori cum devotione, ac meliùs, & utiliùs ea dilatione posita: cum hoc videatur magis cedere in Dei Gloriam, & Honorem; ut docuerunt Aragonius 2. 2. *quæstion.* 88. *art.* 3. Tabiena *verb. Votum* 3. *quæst.* 3. Sylvester *eod. verb. quæst.* 3. Sanchez *libr.* 4. *de Voto capit.* 14. *numer.* 8. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 4. *capit.* 3. *num.* 5. Bonacina *disp.* 2. *de Voto punct.* 5. §. 1. *num.* 3. & Castropalaus *loc. cit.*

Quæres hìc: quænam dilatio sit mortalis in votis sic emissis absque temporis præscriptione? Resp. designare hanc regulam esse nimis difficile; nihilominus distinguendum puto inter vota, quæ temporis dilatione minuuntur; & inter ea, quæ temporis dilatione non minuuntur, sed integra executioni mandanda erunt. Quapropter vota ingrediendi religionem, perpetuo inserviendi hospitali &c. quæ ob dilationem minuuntur; si post habitam occasionem differantur ad sex menses, materia gravis erit talis dilatio, cum cedat in gravem diminutionem divini Cultus, & propriæ utilitatis spiritualis; levis verò materia erit, si intra tale spatium differantur ob difficultatem tanti operis emancipandi se perpetuò Cultui divino. Sic Sanchez *libr.* 4. *de voto capit.* 14. *numer.* 22. & Castropalaus *de voto disputat.* 1. *punct.* 13. *num.* 7. Vota verò, quæ per dilationem non minuuntur, si differantur ad duos, vel tres annos; gravem materiam ministrabunt; secus verò si intra tale spatium dilatio restringatur: quia eorum executionem ad tale tempus differre, gravem deordinationem importat contra voluntatem Dei Creditoris; ut patet in simili dilatione debitorum hominibus promissorum: intra tamen tale tempus differre non gravis deordinatio reputatur, ut docent citati Doctores.

CAPUT XI.

An Votum ita obliget ventem, ut non possit per alium adimpleri?

1 *Votum Personale ita obligat ipsum ventem, ut non possit per alium adimpleri?*
2 *An Votum Personale ita adstringat solum ventem, ut non possit alios adstringere?*
3 *Votum Reale non ita obligat ventem, ut non possit per alium adimpleri?*
4 *Votum Mixtum ex ea parte, qua Personale est, non potest per alium adimpleri; secus verò ex ea parte, qua Reale est.*

UT distinctius procedamus in quæsito proposito per singulas Votorum species respondendum erit? Resp. igitur 1. Votum Personale solum ventem obligare, nec posse adimpleri per alium: & ratio est, quia res promissa in voto personali est actio propria, non verò alterius; ergo à solo vovente adimpleri potest votum personale, non verò ab alio. Et quamvis aliquis vovere possit peregrinationem, jejunium, & similia per alios facienda; non ideo tamen votum dicitur adimpleri per alios, sed per ipsum ventem, cum ipse promiserit peregrinationem, & jejunium fecienda per alios, quod quidem ab ipso vovente efficitur procurando personas; non verò promisit peregrinationem, & jejunium à se suscipienda; quapropter materia proxima hujus voti est procurare, ut peregrinatio, & jejunium suscipiantur ab aliis; & hoc ponitur à vovente: remota verò erit peregrinatio, & jejunium alterius. Sic Suarez *lib.* 4. *de Voto capit.* 10. *numer.* 3. Navarrus *in Summ. capit.* 12. *numer.* 55. Sanchez *in Summ. libr.* 4. *cap.* 15. *numer.* 3. Azor. *lib.* 11. *capit.* 15. *quæst.* 16. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Voto disputat.* 2. *punct.* 5. §. 3. *num.* 1.

Ex his bene deducitur, non teneri ventem ad votum personale adimplendum per alium, si factus sit impotens, sive propria culpa, sive non in talem impotentiam devenerit: cum per votum non sibi imposuerit talem obligationem, nec aliena satisfactio est voti emissi executio, quod actionem voventis respiciebat, non verò alienam. Dubitatur tamen, an teneatur ad votum adimplendum per alium, si impotentia extiterit eo tempore, quo votum emissum fuit? nam si supervenerit, pro certo habent Doctores, non inducere talem obligationem. Et ratio dubitandi est, ne vanum, & irrisorium videatur votum; ideoque præsumendum erit, sic ventem velle per alium adimplere. Sic docuerunt Abbas, Sylvester, Navarrus, Sanchez, & alii apud Castropalaum *de Voto disputat.* 1. *punct.* 15. *numer.* 4. Nihilominus talis ratio dubitandi non videtur sufficiens

ad

dubitandi non videtur sufficiens ad inducendam obligationem in vovente satisfaciendi per alium, & ad fundandam præsumptionem voluntatis in vovente sic satisfaciendi : cum nullum ex verbis colligatur indicium similis obligationis, esto arroganter, temerè, & inutiliter voveat. Sic Suarez *lib. 4. de voto pun. 5. §. 1. num. 7.* & Castropalaus *l. c.* Bonacina alios referens *disp. 2. de voto pun. 5. §. 1. num. 2.*

2 Quæres hìc : an votum Personale ita adstringat solum ventem, ut non possit alios obligare ? Et ratio dubitandi consurgit ex eo, quòd sæpe Populus, vel Communitas aliqua ob speciale beneficium acceptum vovet Virgini Deiparæ, vel alicui Sancto diem festum, cum præcedenti jejunio ; aut Communionem faciendam, vel certam aliquam eleemosynam dandam ; ad quod votum observandum adstringuntur omnes, etiam Successores, & religiosi exempti. Nec talis obligatio consurgere potest ex vi præscriptæ consuetudinis, cum teneantur ante tempus requisitum ad consuetudinem præscribendam. Neque ex vi Legis, aut Statuti ; quia Populus, & Communitas in spiritualibus non habens facultatem condendi Leges, & Statuta ; infertur igitur obligationem insurgere ex vi voti emissi. Insuper filii tenentur ad vota facta à Parentibus nomine ipsorum filiorum, ut constat *ex Cap. Licet, de vot.* quia secus vanè, & irrisoriè Parentes voverent, si filii non tenerentur ad vota Parentum pro filiis, & nomine ipsorum emissa. Denique votum emissum à Procuratore nomine Titii, cujus procurationem agit ; Titium obligat ad executionem, non verò Procuratorem ; ergo votum obligare poterit alium à vovente. Nihilominus respondendum est juxta communem, & certam sententiam, votum non posse alium à vovente obligare : & ratio est, quia votum adstringere tantùm potest eum, qui habet intentionem se obligandi ; sed hanc intentionem tantùm habet, qui vovet, & promittit ; ergo solum ventem, & promittentem obligare potest ; maximè cum nemo possit alienum factum promittere, quod à voluntate aliena pendet, & hæc nemini efficaciter, & absolutè subjicitur ; sicuti nemo potest alienam rem promittere, quæ suæ dispositioni non subjacet. Colligitur doctrina hæc ex illo *Deuteronom. 23. Quòd semel egressum est de labiis tuis observabis.* Et ex illo *Psalm. 65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Quapropter obligatio oritur ex iis, quæ propria labia pronunciarunt, non verò labia alterius. Sic Sylvester, Sotus, Layman, Suarez Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disp. 1. pun. 15. nu. 1.*

3 Ad rationes dubitandi respondetur : votum emissum à majore parte Populi, & acceptatum ab Episcopo obligare etiam non consentientes, non ex vi voti ; sed ex vi Legis ab Episcopo media illa acceptatione promulgatæ : ut docet Suarez *de vot. lib. 4. capit. 9. numer. 10. & 11.* votum Parentum nomine filiorum emissum non obligat filios, nisi consenserint ; & tunc erit votum quasi ab ipsis emissum, ut colligitur *ex eod. Cap. Licet*, nec inania, & inutilia erunt similia vota Parentum, cum non promittant facta filiorum, sed propria, nempe curare, & diligentiam adhibere, ut filii illa opera præstent, maximè si alicui Religioni eos dicaverint. Denique votum à Procuratore factum obligat Titium nomine cujus, & à quo supponimus facultatem datam, votum emittit : quia revera votum Titius emisit, declarandum tamen medio suo procuratore : quapropter Procurator revera non vovet, sed merè declarat per facultatem acceptam votum à Titio factum ; ut doctè observavit Castropalaus *de voto disp. 1. pun. 15. num. 3. in fine* : stat igitur, quòd votum solum ventem semper adstringat.

4 Resp. 2. Votum reale non ita obligare ventem ad executionem rei promissæ, ut non possit per alium fieri : & ratio est, quia materia voti hujus non est aliqua actio ipsius ventis, sed res, calix e. g. suppellex, elemosyna &c. cum igitur hæc æquè exhibeantur à vovente per se ipsum, ac per alium ; inde est, quòd votum reale per alios adimpleri possit. Sic passim Doctores. Hinc fit, ventem satisfacere voto reali, si res promissa ab alio detur nomine ventis inscio ipso vovente ; dummodo certior factus ratam habeat rem datam nomine ipsius ; cum jam res promissa impleta fuerit nomine ventis, & positus sit consensus, qui tunc deerat. Non satisfacere tamen, si invito ipso vovente ab alio res promissa tradatur, certum puto, cum non habeatur intentio exequendi rem promissam, & ad hoc ut satisfiat præcepto, requiritur intentio ponendi rem præceptam, quæ in casu posito deest. Sic Sanchez *libro 4. summ. capit. 17. numero 7.* & Bonacina *de Voto disp. 2. punct. 5. §. 3. num. 4.*

An verò teneatur vovens ad implendum votum reale per alium, ac ex pecunia illius, rogando illum, &c. quando per se adimplere non possit ; aut petendo eleemosynam, aut artem suscipiendo, vel laborando, cum hæc dedeceant statum suum ; probabilius est, non teneri : eo quia vovens sub promissione facta rei alicujus non comprehendit rogare amicos, ut nomine suo satisfaciant, sunt enim hæ obligationes diversæ ; & nisi expressè intendantur, nequeunt adstringere. Sic Suarez *libro 4. de Voto capitul. 10. numero 10.* & Castropalaus *disputat. 1. de Voto punct. 15. numero 6.* Quòd verò non teneatur ad ea, quæ dedecent suum statum ; patet ex eo, quia onera nimis gravia essent, nec tantum dispendium obligatio voti importare videtur : cum nec restitutio ipsa ad hoc obliget ; ut habet Bonacina alios referens *loc. cit. numero 5.* 5

An denique teneatur vovens ad satisfaciendum voto reali, quando posita re promissa non satisfactum est fini ipsius voti ; e. g. vovit quis sacra aliqua, dedit solita stipendia sacerdoti, qui omisit illa celebrare ; aut vovit mittere peregrinum nomine suo ad invisendam Ecclesiam Divi Petri Romæ, qui expensis necessariis acceptis, etiam omisit ; an inquam teneatur vovens iterum ad sacra, & ad peregrinationem mittendam ? Negativè respondeo cum Suarez *loc. cit. numero 8.* & Castropalaus *loc. cit.* ratio est, quia sufficienter satisfactum est voto, quod fuit de sacris faciendis, & de peregrinatione mittenda modo communiter usitato, qualis est dare stipendium, & expensas necessarias ; adeoque vovens liber manet ab obligatione, cum posuerit quantum debebat ex parte sua. 6

Respondeo 3. Votum mixtum ex Personali, & Reali obligare ventem, quando per ipsum adimpleri non possit, ad ponendam per alium eam partem, quę realis est ; non verò eam, quę personalis est ; dummodo hę partes æqualiter se habeant : nam si Personalis principaliter, & realis accessoriè se habeant ; si non poterit partem personalem adimplere, non obligabitur ad realem ponendam per alium ; e. g. vovit quis peregrinationem Compostellanam, impotens ex infirmitate redditus est ad exequendum eam ; non ideo tenebitur ad mittendum Compostellam sumptus, quos ad talem peregrinationem suscipiendam impenderet : quia peregrinatio, quæ est pars personalis, principaliter se habet ; & sumptus, qui sunt pars realis, accessoriè, & principale trahit ad se accessorium. Si verò Compostellanam peregrinationem vovit, ibique calicem aureum offerre, itaut unum ex his votis non dependens fuerit ab alio, nec ad instar unius emissum, juxta superiùs dicta ; tunc si redditus sit vovens jam impotens ad peregrinationem arripiendam, tenebitur per alium ad calicem aureum mittendum : quia impossibilitato uno voto non ideo impossibilitatur & aliud, cum illo disparatè se habens, & per alium executioni mandari potest. Sic Suarez, *libro 4. de Voto capitul. 10. numero 12.* Sanchez *libro 4. summ. capitul. 15. numero 13.* Layman *libro 4. summ. tractat. 4. cap. 3. quæstion. 5. numero 11.* Bonacina alios referens *disp. 2. de Voto punct. 5. §. 3. num. 6.* & Castropalaus *de Voto disp. 1. punct. 15. num. 7.* 7

CAPUT XII.

An obligatio per Votum contracta transeat ad hæredes.

1 *Nemo potest suo voto alium obligare ex vi voti.*
2 *Hæredes non obligantur ad vota Personalia defuncti adimplenda, quamvis obligari possint ex aliis capitibus.*

3 *Hæredes obligantur ad vota realia Teſtatoris ſjuxta vires hæreditatis.*
4 *Ad vota mixta Teſtatoris obligantur hæredes quoad partem realem, non verò perſonalem.*
5 *An domus Religioſa, vel quilibet alius hæres profeſſi Religioſi teneatur ad vota realia illius?*
6 *Quomodo ſe gerere debeat hæres circa Vota defuncti perſolvenda?*
7 *Quid faciendum ab hærede, ſi hæreditas ſufficiens non ſit ad perſolvenda omnia vota realia Teſtatoris defuncti.*
8 *Ad quid teneatur hæres Teſtatoris voventis duas res ejuſdem rationis, ſed diverſi valoris?*
9 *Ad quid teneatur hæres certus de Voto emiſſo à Teſtatore, ſed dubius de obligatione?*
10 *An quando hæredes multi ſunt, omnes teneantur in ſolidum ad vota defuncti perſolvenda?*
11 *An donatarius obligetur ad vota realia donantis, ſi hic impotens factus ſit?*
12 *An Legatarius obligetur ad vota realia Legantis, ſi hic impotens factus ſit?*
13 *An teneatur adimplere Votum mortuus redivivus.*

1 QUAMVIS certum ſit, neminem poſſe ſuo voto alium obligare ex vi voti, cum obligatio voti ſit perſonalis ad inſtar obligationis juramenti; nihilominus inquiri debet, an ex alio capite poſſit contrahi obligatio voti ab hæredibus voventis defuncti.

2 Dicendum 1. hæredes non obligari ad vota perſonalia defuncti implenda; nam vota perſonalia cum perſona extinguuntur: & ratio eſt, quia reſpiciunt tamquam materiam actiones voventis, quæ ceſſant mortuo vovente, nec in alium tranſire poſſunt. Actiones verò hæredum cùm non fuerint in poteſtate voventis, non poſſunt eſſe materia voti facti à defuncto, cùm materia debeat eſſe in poteſtate voventis. Sic communiter doctores. Poterunt tamen hæredes obligari ad ſimiles actiones ponendas, peregrinationem ſcilicet, jejunium, auditionem ſacri &c. ad quas defunctus tenebatur ex aliis capitibus. Et 1. ſi ſponte ſua promittant Teſtatori, ſicuti conſtat *ex Capit. de Voto*, obligatum fuiſſe filium Regis Hungariæ: nam talis promiſſio ſi Deo facta ſit coram Teſtatore, erit novum votum obligans ex vi voti; ſi tamen Teſtatori facta fuerit, obligabit ex juſtitia, aut ſaltem ex fidelitate. 2. ſi obligentur ex præcepto ipſius Teſtatoris, qui ſicuti obligare poteſt hæredes ad legata pia, ita obligare poterit ad ponendas ſimiles actiones nomine ſuo. Verùm in hoc diſtinguendum puto inter hæredes neceſſarios, & voluntarios: nam ſi hæredes neceſſarii ſint, gravari non poterunt à teſtante in iis, quæ hæreditati adnexa non ſunt: nec teſtans dominium non habens in hæredes diſponere poteſt de actionibus eorum. Si tamen hæredes voluntarii ſint, adhuc ſubdiſtinguendum erit: nam vel hæreditas conceditur ſub hac conditione, ut vota nomine teſtantis exequantur, & ipſi eam acceptent; utique tenebuntur ad exequendum vota teſtatoris nomine ipſius: & ratio eſt, quia fuit liberum teſtatori hos potiùs, quàm alios hæredes inſtituere; ergo potuit inſtitutionem facere ſub hac, vel ſub alia conditione: inſuper liberum fuit perſonis inſtitutis acceptare, vel non inſtitutionem factam; ergo ſemel ac acceptarunt, obligatæ erunt ad conditionem appoſitam adimplendam. Sic Sanchez *libro* 4. *de Voto capit.* 15. *numero* 17. Layman *libro* 4. *ſumm. tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 13. *concl.* 2. & Caſtropalaus *de Voto diſp.* 1. *punct.* 16. *numero* 1. Si verò hæreditas conceditur abſolutè nulla appoſita conditione, præcipit tamen teſtator hæredibus, ut vota perſonalia à ſe emiſſa nomine ſuo ſuſcipiant; tunc ſolùm ex quadam convenientia, & gratitudine illa vota exequi poterunt, non verò ex juſtitia. Sic Suarez *libro* 4. *de Voto cap.* 11. *numero* 3. & Caſtropa-
3 laus *loc. cit.*

Dicendum 2. hæredes obligari ad vota realia teſtatoris defuncti perſolvenda juxta vires hæreditatis, ſalva legitima portione: & hoc extenditur non ſolùm ad hæredes voluntarios, verum etiam neceſſarios: & ratio eſt, quia tàm hæredes voluntarii, quàm neceſſarii ſtatim ac hæreditatem ineunt, ſicuti ſuccedunt in juribus, & actionibus, ac bonis teſtatoris defuncti; ſic etiam ſuccedunt in obligationibus, & oneribus hæreditatis annexis, ſrepræſentant ſiquidem ejus perſonam; ergo ſi bona defuncti per votum reale ab ipſo emiſſum affecta fuere tali obligatione, quamvis nulla res ſpecialiter obligata fuerit; cum ſimili obligatione tranſeunt ad hæredes. Hæredes namque dum hæreditatem ineunt, veluti contractum cum teſtatore efformant ſolvendi omnia debita realia illius, inter quæ datur debitum conſurgens ex voto reali, cum hoc tamen diſcrimine, quod teſtator tenebatur ex virtute religionis ad exequendum vota realia, ipſi verò teneantur ex virtute Juſtitiæ. Sic Sylveſter *verb. Votum.* 2. *quæſtion.* 11. Navarrus *capitul.* 12. *numero* 56. Leſſius *libro* 2. *de Juſtit. capitul.* 40. *dubitat.* 10. *numero* 65. Sanchez *libro* 4. *de Voto capitul.* 15. *numero* 25. Bonacina *de Vot. diſput.* 2. *punct.* 5. §. 2. *nnmero* 4. alios referens, & Caſtropalaus *de Voto diſput.* 1. *punct.* 16. *numero* 2. qui colligunt talem obligationem in hæredibus *ex Cap. ex parte de Cenſib. & Capit.* 1. *de ſolut. & ex Capit. ſi hæres. de Teſtamen.* Addunt inſuper, poſſe cogi hæredes ad hæc vota realia teſtatoris defuncti adimplenda ſub pœna excommunicationis, & privationis hæreditatis: quia cùm hæc obligatio ortum habeat ex voto, & rem ſpiritualem reſpiciat, ideo ad ejus executionem poterunt obligati compelli excommunicatione: inſuper ad obligationes ex juſtitia via hæreditatis provenientes hæredes adſtringi poterunt per privationem hæreditatis, utpote illa indigni. Sic Abbas *in Cap. Licet. de Voto numero ultim. ibi* Antoninus. *numero* 7. Azor. 1. *part. libro* 11. *capitul.* 15. *quæſtion.* 17. Bonacina *loc. cit.* & Caſtropalaus *loc. cit. numero* 6.

Oritur hìc dubium: an poſſit teſtator, ſi velit, hæredes eximere ab obligatione ſolvendi vota realia à 4
ſe emiſſa? Et ratio dubitandi inſurgit, quia poſita hac voluntate teſtatoris ceſſat in hæredibus ratio contractus, quo obligantur teſtatori: inſuper obligatio hæc in hæredibus non naſcitur ex vi voti, & promiſſionis, ſed ex vi hæreditatis; ergo poterit teſtator hæreditatem ab hoc onere eximere, licèt non poſſit ſe ipſum ab onere voti eximere. Et quamvis non deſint, qui putent propter has rationes, hæredes in caſu poſito non teneri ad vota realia teſtatoris defuncti perſolvenda. Nihilominus ſuſtinendum eſt, non eſſe conſtitutum in voluntate Teſtatoris hæreditatem eximere ab onere ſuorum votorum realium: & ratio eſt, quia ſicuti non eſt conſtitutum in voluntate Teſtatoris eximere hæreditatem ab onere debitorum, quæ cum hominibus contraxit; ita nec liberum ipſi erit, hæreditatem eximere ab onere debitorum, quæ contraxit ex vi voti cum Deo, utriſque enim obnoxia eſt hæreditas. Libertas igitur Teſtatoris in eo ſita eſt, quòd hæredem inſtituere poſſit; at poſita inſtitutione, & acceptata hæreditate non eſt in libertate teſtantis impedire obligationem, quam ſecum trahit hæreditas, cum naſcatur obligatio ex aditione hæreditatis, ſic Jure Communi ſtatuente. Modo tamen votum reale factum fuerit abſolutè, & non cum aliqua reſtrictione temporis: inſuper quòd non fuerit emiſſum cum intentione non obligandi hæredes; nam obligatio voti, ut dictum eſt, non poteſt excedere intentionem voventis. Sic Suarez, Sylveſter, Rodriquez, Sanchez, Azor. Sayrus, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Voto quæſtion.* 2. *punct.* 5. §. 2. *num.* 12.

Notandum tamen 1. quod obligatio orta ex vi hæ- 5
reditatis non poteſt excedere vires ipſius hæreditatis: cum enim procedat ab illa, æquum eſt, quòd illi uniformetur, nec illam excedat. Nec tenebuntur in conſcientia hæredes ſolvere, etiam ſi per Judicis ſententiam obligentur: cum hæc ſententia fundata ſit in falſa Præſumptione. Lex autem, ſicuti, & ſententia Judicis in falſa præſumptione fundatæ non obligant in conſcientia. Extendunt etiam Sanchez *libro* 4. *de Vot. capitul.* 15. *numero* 37. Bonacina *loc. cit. numero* 4. & Caſtropalaus *loc. cit. numero* 4. hanc doctrinam ad hæredes inventarium non conficientes, qui ex præſcripto Legis tenentur ad debita ſolvenda ſupra vires hæreditatis: nam ſi in falſa præſumptione fundatur, non obligat in foro conſcientiæ hæredes.

Notandum 2. quòd talis obligatio non poſſit afficere 6
legitimam hæredis ſive deſcendentis, ſive aſcendentis: cum non poſſit legitima gravari debito voluntario Teſtatoris, ut eſt votum, & legarum pium; nec Teſtator diſponere poteſt in præjudicium rei alteri debitæ: eſto dum

vivat

vivat sit dominus legitimæ illius, cessat tamen ejus dominium post mortem. Sic Covarruvias, Gregorius Lopez, Sanchez, Layman, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp. 1. punct. 16. numero 6.*

4 Dicendum 3. hæredes obligari ad vota mixta Testatoris defuncti quoad partem realem, non verò quoad partem personalem, quando tamen pars realis, & personalis æqualiter se habeant juxta ea, quæ diximus *capit. 11. numero 4.* de obligatione ventis quoad votum mixtum. Ad pleniorem doctrinam hujus obligationis hæredum circa vota emissa à Testatore defuncto remanent solvendæ nonnullæ dubietates, quæ oriri possunt.

5 Dubitabis 1. an domus Religiosa, vel quilibet alius hæres illius, qui professionem religiosam emisit; teneatur ad persolvenda vota realia ab illo facta? Resp. si domus religiosa, vel quilibet alius constituatur hæres ob mortem voventis jure hæreditario, antequam commutationem, vel irritationem habuerit vovens; tenebitur ad vota realia persolvenda: & ratio est, quia jure hæreditario acquiruntur bona illa simul cum oneribus, quibus gravantur; sed ante commutationem, vel irritationem gravantur obligatione adimplendi vota realia; ergo cum tali obligatione suscipiuntur. Sic Sylvester *verb. Votum quæstion. 7.* Sanchez *libro 4. de Voto capit. 15. numero 32.* & alii passim. Si tamen domus religiosa, vel quilibet alius constituatur hæres ratione professionis emissæ in religione approbata; non tenebitur ad illa vota realia persolvenda: & ratio est, quia per religiosam professionem in religione approbata extinguuntur juxta communiorem sententiam omnia vota tam personalia, quàm realia; sed hæres non tenetur persolvere debita extincta tempore initæ hæreditatis, ut patet in eo, qui hæreditatem init post obtenta à vovente commutationem, vel irritationem; ergo nec domus religiosa, nec quilibet alius tenebitur ad vota realia voventis defuncti, si jure professionis emissæ succedat hæres. Limitant tamen Bonacina ex Sanchez, & Lessio, nisi hæc vota acceptata fuerint ab eo, in cujus favorem facta sunt: nam jus, quod alter acquisivit, non potest tolli per religiosam professionem. Sed hoc ipsum intelligi debet, ut bene advertit Castropalaus *disput. 1. de Voto punct. 16. numero 7.* quando ulrra promissionem, & votum deo factum promissionem fecerit ei, in cujus favorem cedit; nam si nullam promissionem ei fecerit, sed Deo; nullum justitiæ jus acquirit, etiam si promissionem Deo factam acceptet, quæ non dirigitur ad illum, quamvis in ejus favorem cedat, sed ad Deum.

6 Sed major insurgit difficultas: quando religiosus ille tempore suæ professionis voluisset expressè, sua vota realia non extingui; in hoc enim casu maneret ne hæres obligatus? Resp. quamvis Bonacina *quæstion. 2. de Voto punct. 5. §. 2. numero 9.* sustineat, tunc hæredem remanere obligatum: quia vota illa realia non extinguuntur per irritationem, ut patet; neque per commutationem in alia onera religionis, quia ad commutationem requiritur consensus, qui in casu posito non habetur. Nihilominus dicendum est non remanere obligatum: ratio est, quia vota emissa ante religiosam professionem extinguuntur per illam non irritatione, aut commutatione, vel alia relaxatione; sed solutione perfectissima, quam professi consensus nequit immutare: obligatio siquidem perpetuò inserviendi Deo hanc perfectissimam solutionem secum affert, ut reputat Jus. Adnotat Sanchez *loc. cit. numero 33.* Vota biennii in societate Jesu, & Coadjutorum formatorum non extinguere ipso jure vota antecedenter facta, sed suspendere *juxta Canonem 22. 1. Congregationis*, quamvis per ingressum in societatem ex proprio consensu commutari possint, utpote in rem perfectiorem.

7 Dubitabis 2. quomodo se gerere debeat hæres circa vota defuncti persolvenda? Resp. vota non præferenda esse ab hærede debitis ex justitia contractis à defuncto: & ratio est, quia non acceptat Deus, quæ offeruntur cum præjudicio tertii habentis jus acquisitum; nec vota sic adimplerentur ex bonis hæreditatis, cum bona hæreditatis dicantur ea, quæ supersunt ære alieno detracto, ut constat *ex Leg. Mulier. bona ff. de Jure dotium*. Præferenda tamen esse Legatis piis, & multo magis non piis, detractis semper expensis funeri necessariis: ratio est, quia vota adstringebant defunctum, non autem Legata pia; ergo cum hæres repræsentet defunctum, priùs tenebitur ad vota, dein ad Legata pia. Sic Sanchez *libro 4. de Voto capit. 15. numero 3. & 9.* Layman *libro 4. summ. tract. 4. capit. 3. quæst. 6. numero 13.* Bonacina *de Voto disput. 2. punct. 5. §. 2. numero 16.* & Castropalaus *de Voto disp. 1. punct. 16. num. 10.*

Dubitabis 3. quid faciendum ab hærede, si pluribus votis obstrictus fuerit Testator defunctus, nec hæreditas secundum ea, quæ obnoxia sunt tali obligationi; sufficiens est ad omnia illa persolvenda? Resp. vel inter illa vota emissa dignosci potest, quodnam sit de meliori bono, vel non. Si dignosci potest, illud præferendum erit cæteris, utpote de meliori bono: nam & hunc eumdem ordinem servare debuisset defunctus, quem hæres repræsentat. Si tamen dignosci nequit; tunc adimplendum erit, quod priùs tempore emissum fuit secundum ea, quæ diximus de Votis incompossibilibus inter se. Quòd si adhibitis diligentiis adhuc perseverat dubietas, quodnam videlicet sit de meliori bono, & quodnam priùs emissum fuerit; tunc pro rata satisfaciendum votis; vel hæres eligat, quodnam illorum adimplere velit: nam si facultatem hanc eligendi habebat defunctus in facta hypothesi, cur non etiam & hæres illum repræsentans, & illi succedens in juribus, & in omni potestate? cum hoc tamen, quòd non fiat præjudicium iis, in favorem quorum facta fuere, & per promissionem specialem ab ipsis acceptatam: quia tunc non datur locus electioni, sed ratæ. Sic Bonacina *disput. 2. de Voto punct. 5. §. 2. numero 15.* & Castropalaus *disput. 1. de Voto punct. 16. num. 12.* 8

Dubitabis 4. ad quid teneatur hæres illius Testatoris defuncti, qui voverat duas res ejusdem rationis, sed diversi valoris, duos calices e. g. quorum unus est aureus, alter argenteus, duabus Ecclesiis; vel duas vestes, quarum una est pretiosior alia, duabus puellis pauperibus non designando in individuo? Resp. si Testator præcepit hæredi satisfactionem horum votorum, tunc satisfacienda erunt ab hærede ad instar legatorum indeterminatorum; legata verò indeterminata ita sunt adimplenda per hæredem, ut qui primo loco constitutus sit legatarius, rem habeat pretiosiorem, utpote magis dilectus, adeoque magis præferendus argumento *Leg. Quoties. ff. de usufruct.* ut docet Molina *tom. 1. de Just. disput. 198. versic. dubium.* qui alios refert. Si verò Testator non præcepit adimpletionem, sed facienda erit ex obligatione hæreditatis acquisitæ; vel adhibita diligentia adhuc dubitatur, in cujus favorem primo loco factum fuerit votum; tunc poterit hæres calicem, aut vestem prètiosiorem tradere, cui voluerit ex duabus Ecclesiis, vel ex duabus puellis: & ratio est, quia hæres succedit defuncto in omni potestate; ergo si defunctus testator poterat in casu posito tradere cui volebat rem pretiosiorem, poterit etiam & hæres illum repræsentans. Nec urget ratio deducta ex debitis ex justitia, de quibus dubitatur, inter quos dividenda sit satisfactio, quæ utique fieri debet pro rata. Nam larga habetur disparitas, cum obligatio voti nascatur ex propria voluntate; obligatio verò justitiæ ex jure aliorum. Sic Sanchez *in sum. libro 4. capit. 13. numer. 28.* Molina *loc. citat.* Gomez *1. Variar. capit. 12. numero 18.* & Bonacina *disp. 2. de Voto punct. 5. §. 2. num. 13.* 9

Dubitabis 5. ad quid teneatur hæres, qui certus est de Voto emisso à Testatore defuncto; dubius tamen est, an votum adimpletum fuerit? Resp. obligari ad votum adimplendum: & ratio est manifesta; quia possidet votum, de cujus certitudine constat: & sicuti in foro externo cogeretur hæres ad votum defuncti adimplendum, ita etiam & in foro interno cogi debet, cum in utroque foro idem sit judicium, quando forum externum non nititur in falsa præsumptione. Sic Sanchez *in summ. libro 4. capitul. 15. numero 46.* & Bonacina *cum aliis loc. cit. numero 17.* Non obligaretur tamen, si dubietas caderet supra emissionem voti, quia sic teneretur ad certam solutionem pro debito incerto, ad quam nemo obligat, cum possideat libertas. 10

Dubitabis 6. an quando hæredes sunt multi, teneantur omnes in solidum ad vota defuncti persolvenda? Respondeo non teneri in solidum: ratio est, quia unusquisque tenetur, quatenus est hæres: & cum non sit hæres in toto, ideo tenetur secundum par- 11

partem ; & pro rata hæreditatis ; secundum enim id , quod sentit commodum , par est, quòd sentiat incommodum : Constat *ex Leg. In executione* 85. *versic. secunda ff. de verbor. obligat.* Sic Gomez 2. *Var. cap.* 10. Angelus *verb. Hæreditas nmmero* 8. Sylvester *eod. verb.* 3. *quæst.* 11. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 15. *numero* 42. Bonacina *de Vot. disp.* 2. *punct.* 5. §. 2. *numero* 11. & Castropalaus *de Voto disp.* 1. *punct.* 16. *numero* 13. Limitat tamen Castropalaus ex Sanchez, si res Deo promissa à Testatore defuncto sit penes unum ex hæredibus, tunc enim teneretur in solidum , quamvis ipsi non deneganda esset actio in alios cohæredes, ut partem eorum hæreditati contingentem solvant : ut annuit Bonacina *loc. cit.*

11 Dubitabis 7 occasione accepta ex hæredibus: an donatarius obligetur ad vota realia donantis , si donans impotens factus sit ad vota adimplenda ; vel mortuus sit; aut ejus hæredes nequeant adimplere ? Resp. non teneri, etiam si donationem acceptarit sciens , per ipsam reddi impotentem donatarium ad votum adimplendum: & ratio est, quia nequit assignari caput, ex quo oriatur talis obligatio ; non ex re accepta , cum hæc facta sit propria donatarii attento dominio in ipsum translato à donante , esto Deo promissa fuerit determinatè ; non ex acceptatione illicita rei donatæ, nam hæc ad summum erit actio contra religionem , quia cooperatur peccato donantis, non vero contra justitiam, ex qua oritur obligatio satisfaciendi ; nec tandem oriri potest ex implicito contractu cum donante inito , uti oritur in hæreditate , nam de hac sic Jura disponunt , cum hæres repræsentet personam defuncti ; non verò sic disponunt de donatione , cum donatarius non repræsentet donantem : & patet à fortiori , quia si donatarius non tenetur ad persolvenda debita donantis ex justitia , nec tenebitur ad ea persolvenda ex voto, quæ tantùm ex Religione obligant , nisi tamen donans hoc expressè imposuerit donatario . Quòd si sine ullo onere accepit , liberè donis donatis uti poterit , quamvis peccaverit contra religionem cooperans peccato voventis , dum sciebat , illum sic fieri impotentem ad satisfaciendum voto advertenter , & per consequens etiam eum peccare contra Religionem . Sic expressè docent Sanchez *libro* 4. *de Voto capit.* 15. *numero* 34. Suarez *libro* 4. *de Voto capit.* 16. *numer.* 12. Bonacina *quæst.* 2. *de Voto punct.* 5. §. 2. *numer.* 21. & Castropalaus *disput.* 1. *de Voto punct.* 16. *nu.* 14.

12 Dubitabis 8. an doctrina tradita de donatario extendi possit ad Legatarium , cum videantur militare eædem rationes pro utroque? Resp. non debere extendi : cum non se habeant eodem modo rationes donatarii, ac Legatarii ; eo quia donatarius dominium acquirit rei donatæ , licèt promissa fuerit Deo , ob traditionem ipsi factam à donante : esto traditio illicita fuerit , quia voto contraria ; valida tamen , & firma fuit . Legatarius verò dominium acquirit rei legatæ per valorem promissionis in testamento factæ ; quæ promissio si nulla fuerit , petit legatum : tunc autem nulla est promissio, cum respiciat materiam voto contrariam ; quia cum sit promissio de re illicita , nullius valoris erit. Disparitas igitur habetur ex eo , quod valor donationis destruitur per hoc , quod respiciat rem injustam , non verò illicitam , valor verò Legati , seu promissionis sufficienter destruitur per hoc , quòd respiciat rem illicitam. Hinc fit , quod si legatarius accepit per legatum sibi factum rem Deo determinatè promissam : utique tenebitur ad illam Deo restituendam , cum non habeat sufficientem titulum eam sibi retinendi; eo quia nullum fuit legatum factum , utpote de re illicita , & voto contraria . Si verò accepit rem non determinate promissam Deo , tunc inspiciendum erit , si hæreditas sufficiens sit ad vota testatoris legantis persolvenda , nam si non sufficit , tenetur reddere : eo quia legans vel prævidit hanc insufficientiam , & peccavit legando , dum putavit , non posse satisfieri votis , & hoc obstante legavit ; adeoque legatnm fuit de re illicita . Vel non prævidit insufficientiam hæreditatis , & tunc legatum erit contra voluntatem Testatoris legantis , qui semper præsumendus erit , velle priùs statisfactionem voti , postea legati . Sic Castropalaus *disp.* 1. *de Voto punct.* 16. *numero* 15.

13 Dubitabis tandem : an teneatur votum adimplere , qui post mortem ad vitam revocatus fuit? Resp. si votum personale fuit , non teneri ad ejus executionem : & ratio est, quia votum personale afficit personam , eaque extincta extinguitur pariter personalis obligatio, & quod semel extinctum fuit , nequit revivisere : sic professus , si è mortuis suscitetur ; liber manet ab obligatione votorum solemnium , quapropter nubere poterit validè, dummodo non fuerit in sacris constitutus. Sic Bonacina *quæst.* 2. *punct.* 5. *de Voto* §. 2. *numero* 23. referens Sanchez ; & Henriquez , qui assentiri videtur . Si verò votum reale fuit , probabilius puto cum eodem Bonacina referente Sylvestrum , & Joannem Andream, teneri ad adimpletionem: & ratio est, quia afficit bona, & transmittitur ad hæredes, unde perpetuum reputari debet : insuper is , in cujus favorem factum fuit votum , acquisivit jus , quod non extinguitur morte voventis , ad differentiam matrimonii , in quo mortuo uno ex conjugibus, qui remanet, amittit jus in corpus illius ; quapropter si mortuus conjux reviviscat , poterit cum alio matrimonium celebrare.

CAPUT XIII.

Quam nam obligationem inducant Votum Castitatis , & Votum non nubendi?

1 *Votum Castitatis inducit obligationem abstinendi ab actibus venereis internis , & externis , à contractione Matrimonii, & ejus actibus .*
2 *An obstrictus simplici Voto Castitatis , si Matrimonium ineat , teneatur , antequam consummet , religionem ingredi ob servandum votum?*
3 *An votum Castitatis æquivaleat Voto simplici Religionis .*
4 *Votum non nubendi obligat voventem ad non contrahendum matrimonium .*
5 *An matrimonio jam contracto possit postea petere , aut reddere debitum?*
6 *An vovens non nubere teneatur contracto matrimonio , sed nondum consummato , religionem ingredi?*
7 *An votum non fornicandi sit æquale Voto non nubendi?*
8 *An Votum non cognoscendi fœminam obliget ad abstinendum à contractione matrimonii, & actibus conjugalibus?*

VOTUM Castitatis perfectæ , aut Virginitatis inducit obligationem abstinendi non solùm ab actibus 1
venereis internis illicitis , & externis, verum etiam à contractione matrimonii , & ab actibus matrimonialibus : eo quia matrimonium contrahere est se obligare ad copulam ; castitas verò , & Virginitas secum trahunt obligationem abstinendi ab omni copula ; ergo qui votum Castitatis , & Virginitatis emisit , tenetur ad abstinendum à matrimonii contractione , & ab ejus actibus. Sic Doctores passim .

Hinc fit 1. graviter peccare , qui Castitatem vovit , 2
& matrimonium contrahit , quamvis hoc faciat animo ingrediendi religionem ante consummatum matrimonium ; aut ad conservandam corporis salutem , ad quam necessarium reputat matrimonium : cum apponantur fini intento per Votum Castitatis, & ad tuendam salutem alia remedia non desunt, ut docet Sanchez de Matrim. *disput*, 20. *numero* 20. alios referens, & Bonacina *quæst.* 2. *de Voto punct.* 5. §. 5. *numero* 2. Fit 2. graviter peccare , si secundum matrimonium contrahat dissoluto jàm primo ; aut sponsalia ineat : nisi tamen conditionem apponat obtinendi dispensationem Voti : ut docet idem Bonacina cum aliis. Fit 3. graviter peccare , si debitum petat ante obtentam dispensationem : Castitas namque , & Virginitas important ex se abnegationem omnis venereæ voluptatis voluntariæ . Conceditur tamen posse debitum reddere alteri conjugi petenti , ne ipsi molestum sit matrimonium: ut sustinent Navarrus, Valentia, Azor. Toletus, Sayrus, Sanchez, & Layman relati ab eodem Bonacina *l. c. nu.* 3. Non nego Hostiensem, Calderinum, & alios, quorum sententiam probabilem putat Angelus, concedere conjugi adstricto voto Castitatis posse debitum petere, excepta semper prima vice: &

moven-

inventur, quia secus matrimonium esset nimis alteri molestum, si ad ipsum semper spectaret petere. Verùm dicendum puto cum Sanchez *in summ. libro 4. capit. 21. numero 10.* hoc tunc concedendum, quando conjux voto ligatus prævidet incontinentiæ periculum in alio, eo quia tunc potiùs esset reddere, quam petere: nec votum obligat ad non petendum cum spirituali detrimento alterius; ut aliis relatis docet idem Sanchez *libro 9. de Matrim. disp. 7. num. 5.* Extendi etiam posset hæc concessio, si non in gratiam sui, sed alterius conjugis peteret, quem cognosceret non audere petere præ verecundia; in quo casu potiùs esset reddere, quàm petere, ut consideranti patet: videatur Sanchez *l. c.*

2 Inquires 1. an obstrictus simplici voto Castitatis, si matrimonium contrahat, teneatur antequam illud consummet religionem ingredi ob servandum Votum? Resp. quamvis possit, si velit, religionem ingredi; non tenetur tamen ad ingrediendum: ratio est, quia aliud est votum Religionis, aliud votum simplex Castitatis; & primum importat onera longè difficiliora præ secundo; ergo qui se obligat ad secundum, non ideo tenebitur ad primum. Insuper qui vovit susceptionem sacrorum Ordinum, si matrimonium contrahat; non tenetur ad ingrediendum religionem; ergo neque ille, qui votum simplex Castitatis emisit. Sed difficultas insurgit, si possit matrimonium consummare reddendo debitum conjugi petenti illud? Resp. affirmativè cum duplici limitatione, ne videlicet hoc fiat in primo bimestri à matrimonio contracto: quia si præciso voto conjuges habent jus in primo bimestri non reddendi debitum, multo magis hoc fieri debebit instante voto. Insuper ne habeatur justa causa perpetui divortii, quia sic etiam habetur jus non reddendi, & votum instat ne reddatur. Posita igitur hac duplici limitatione, quòd scilicet redditio debiti non sit in primo bimestri, nec cum justa causa perpetui divortii, poterit absque culpa fieri post contractum matrimonium ab habente votum simplex Castitatis; & ratio est, quia obligatio ex justitia ad reddendum debitum, ob quod traditur corpus alteri; major est, & strictior præ obligatione voti simplicis Castitatis; adeoque prima obligatio urgebit præ secunda. Sic Sotus *in 4. distinct. 38. quæst. 20. artic. 1.* Lessius *libro 2. cap. 42. dubit. 13. numer. 106.* Sanchez *libro 9. de Matrim. cap. 2. numero 8.* Sayrus *libro 6. capit. 7. numero 6.* & Bonacina *disput. 2. de Voto punct. 5. §. 5. num. 4.*

3 Inquires 2. an votum Castitatis æquivaleat voto simplici Religionis? Resp. non æquivalere, quia diversas important obligationes: nam votum simplex religionis facit, ut peccet, qui eo obstrictus matrimonium contrahit, cum constituat se in statu incompossibili cum voti adimpletione; insuper contracto matrimonio, & nondum consummato urget ventem ad ingrediendum Religionem, cum adhuc sit ipsi possibilis, & licita voti satisfactio; adeoque peccat graviter matrimonium consummando, cum impedimentum apponat executioni voti emissi. Poterit tamen post matrimonium consummatum non solùm licitè reddere, verum etiam petere debitum: & ratio est, quia qui vovit religionem non tenetur ante ingressum in illam ad Castitatem servandam, nisi aliud intenderit in voti emissione: nam voveus statum aliquem non tenetur ad onera illius ante status assumptionem: nec votum ingrediendi, & profitendi religionem aliquam respicit tamquam materiam Castitatem; sed potiùs statum, in quo vovenda est Castitas: ut rectè docuerunt Suarez *libro 4. de Voto capit. 7. numero 15.* Cajetanus *2. 2. quæst. 147. art. 4.* & alii. Tenebitur nihilominus uxore mortua ad ingrediendum religionem: quia per matrimonium contractum non cessavit absolutè votum, sed ad tempus suspensum fuit, quoadusque perseveraret impedimentum. Sic Navarrus, Sotus, Cajetanus, & alii apud Sanchez *libro 9. de Matrimon. disputat. 33. numero 11.*

4 Votum non nubendi inducit obligationem in vovente non contrahendi matrimonium; graviter enim peccaret sic contrahendo, cum ageret contra votum jam emissum.

5 Dubitabis tamen 1. an contracto jam matrimonio possit postea licitè petere, & reddere debitum? Resp. affirmativè: ratio est, quia votum non nubendi non est idem, ac votum Castitatis: importat siquidem abnegationem status matrimonialis: cum tamen per matrimonium contractum facta sit impossibilis abnegatio illa; inde est, quòd licitè petere, & reddere possit. Hinc consequenter sequitur, quòd obstrictus voto non nubendi non peccabit contra votum fornicando: cum longè diversum sit votum non nubendi à voto non fornicandi. Graviter nihilominus peccabit contra votum, si dissoluto matrimonio aliud de novo contrahat, cum adhuc observari possit votum non nubendi. Sic Navarr. Sanch. Rodriq. Sayrus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disput. 2. de Voto punct. 5. §. 5. numero 6.* contra Cajetanum, & alios putantes, votum non nubendi æquivalere Voto Castitatis.

6 Dubitabis 2. an vovens non nubere teneatur contracto matrimonio, sed nondum consummato ad ingrediendum religionem? Resp. non teneri: & ratio est, quia aliud est votum non nubendi, aliud ingrediendi religionem, & important onera inter se diversa, nec arbitrariè confundenda sunt. Extenditur etiam hoc ad casum, quo vovens in matrimonio contrahendo habuisset propositum firmum ingrediendi religionem: nam propositum, ut superiùs statutum est, non inducit obligationem voti. Sic Sanchez *in summ. lib. 4. cap. 21. num. 13.* & Bonacina *quæst. 2. de Voto punct. 5. §. 5. num. 7.*

7 Dubitabis 3. an votum non fornicandi sit æquale cum voto non nubendi; & an qui voverit non fornicari obligetur ad abstinendum ab actibus matrimonialibus? Resp. negativè: quia vota explicanda erunt juxta explicationem, & intelligentiam communem, nisi aliter constet de ipsa intentione voventis: cum igitur votum non fornicandi non importet abstinentiam à Matrimonio, & ab actibus matrimonialibus, ideo vovens non fornicari nec tenebitur ad abstinendum à Matrimonio contrahendo, & ab ejus actibus. Sic Sanchez *in summ. lib. 4. capit. 21. num. 22.* & Bonacina *quæst. 2. de Voto punct. 5. §. 5. num. 8.*

8 Major tamen insurgit difficultas in voto non cognoscendi fœminam; an inquam sic vovens teneatur abstinere à contrahendo Matrimonium, & ab actibus conjugalibus licitis? Resp. inspiciendam esse voventis mentem, quæ dignosci poterit ex motivo, quo adductus fuerit ad vovendum. Quòd si mens, & intentio constare non poterit neque ex motivo, neque ex circumstantiis, quamvis Bonacina ex Sanchez inclinet ad præsumendum, quòd tale votum intelligi debeat de abstinendo à cognoscendo fœminam concubitu illicito; nihilominus probabilius videtur intelligi debere de omni concubitu cum fœmina tam licito, quàm illicito; quia concubitus licitus non facit, quin cognoscatur fœmina.

CAPUT XIV.

De Obligatione, quam inducit Votum Religionis.

1 *Religionem vovere, & alios inducere ad vovendum eam est opus meritorium; quamvis illicitum sit inducere ad vovendum minis, vi, importunis precibus, vel simonia.*

2 *Votum ingrediendi certam aliquam religionem obligat voventem ad ingrediendum, si in ea serventur substantialia Regulæ.*

3 *An vovens mori in religione censeatur emittere votum Religionis?*

4 *An satisfaciat voto ingrediendi religionem, qui assumit habitum D. Jacobi, Calatravæ, aut Alcantaræ?*

5 *An vovens Religionem, si non admittatur à superioribus nisi ad statum laicorum; teneatur eam ingredi?*

6 *An conjuges possint se obligare Voto Religionis; & ad quid teneantur, si illud emiserint?*

7 *Vovens Religionem determinatam, si à superioribus non admittatur; an remaneat liber ab obligatione Voti?*

8 *An vovens repulsus à Religione, si superiores repellentes voluntatem mutent; teneatur eam ingredi?*

9 *An vovens Religionem, si à superioribus repellatur ob insciitiam, vel inertiam; teneatur litteras addiscere, aut artem, ut suo voto satisfaciat?*

10 *An vovens religionem determinatam, si non admissus fuerit in monasteriis propriæ Provinciæ; teneatur alia monasteria inquirere extra illa?*

11 *An teneatur vovens determinatam religionem declarare votum à se emissum, si per ejus aperitionem probabiliter reputet se admittendum?*

12 *Votum simplex religionis non amplius obligat vovenem, si post ingressum ante professionem egrediatur, dummodo de professione emittenda nil determinaverit.*

13 *Quid dicendum, si non constet de intentione voventis circa professionem?*

1 SUPPONO 1. tamquam certum, religionem vovere, & alios inducere ad eam capessendam, opus meritorium, ac valde laudabile esse: eo quia Status Religionis est Status, in quo ad perfectionem tenditur: ut cum D. Thoma 2. 2. *quæst. ult. art. ult.* docent Doctores omnes. Suppono 2. ex eodem D. Thoma, illicitum esse alios inducere ad Religionis Statum amplectendum, aut vovendum minis, violentia, & importunis precibus, vel simonia: non enim facienda sunt mala, ut inde bona eveniant. Et multo magis illicitum esse, alios retrahere similibus modis ab ingressu Religionis, & à vovendo illam: sic enim esset facere malum, ne bonum eveniat. His suppositis

2 Dicendum 1. Votum ingrediendi certam aliquam religionem obligare ventem ad ingrediendum illam, dummodo in ea serventur substantialia Regulæ: & ratio est, quia tenetur vovens stare promissioni Deo factę. Nec retrahit à facta promissione periculum perversionis, jam enim substantialia observantur. Quòd si non observarentur, votum illam ingrediendi non obligaret cum tanto periculo perversionis, ut docent Navarrus *in sum. cap.* 12. *num.* 46. Sanchez *in summ. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 26. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 5. & Reginaldus *lib.* 18. *num.* 380. Poterit tamen aliam arctiorem ingredi, si velit, absque eo quod voto emisso contraveniat: & ratio est, quia votum non debet impedire majus bonum. Nequibit verò aliam minùs arctam eligere, aut in ea perseverare nondum emissa professione: sic enim non adimpleret votum Deo factum, cum non esset de meliori bono respectu illius, quod promiserat. Sed quid dicendum, si in hac minus arcta professionem emisit? Resp. in ea remanere posse, si velit: ratio est, quia jam religio acquisivit jus in professum; & votum solemne etiam in Religione laxiori emissum liberat à quocumque voto simplici. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. *ad* 3. Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 48. D. Antoninus, & alii, qui hoc colligunt *ex Cap. Penult. de Regularib. in* 6. Quòd si vovens determinatam religionem eligeret aliam æquè arctam, poterit absque voti emissi violatione illam ingredi, & in ea perseverare: & ratio est, quia vovens sic commutaret suum votum propria auctoritate in aliud æquale, quod fieri posse loco suo dicemus. Sic Sanchez *l. c.* & Bonacina *de Voto quæst.* 2. *pun.* 5. *§.* 6. *num.* 4.

3 Quæres 1. an vovens mori in religione dicendus sit emittere votum religionis, illamque ingredi? Resp. affirmativè: statim enim ac vovet in Religione mori, intelligitur vovere ingressum in religionem, & ibi professionem facere, ac perseverare: & ratio est, quia excogitari non potest alius modus moriendi in religione, nisi in illam ingrediatur, professionem emittat, ac in ea perseveret; unde colligitur, sic voventem obligari ad ingrediendum religionem, nec posse ingressum taliter differre, ut postea inhabilis evadat, ut admittatur. Sic Azor. Rodriquez, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num.* 7.

4 Quæres 2. an satisfaciat voto ingrediendi religionem, qui habitum assumit Equitum S. Jacobi, Calatravæ, aut Alcantaræ? Resp. negativè: quia licet hi equites sint veri Religiosi, ut probabiliter sustinent Rodriquez, Navarrus, Mota, Sanchez, Layman, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Censur. disp.* 4. *pun.* 1. *numer.* 7. nihilominus vovens religionem non intendit communiter hos habitus assumere, sed statum Religionis illius, in quo in communi vivitur, & longè à sæculi tumultibus, & ab omni Mundi fastu: quapropter hi religiosi habitus non sunt juxta mentem voventis religionem, nisi eos expressè intenderit. Sic Sanchez *in summ. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 11. & Bonacina *l. c. num.* 5. qui ob paritatem rationis extendit hanc doctrinam ad Equites S. Joannis Hierosolymitani, quamvis extra omne dubium veri sint Religiosi, & eorum solemne Votum Castitatis matrimonium dirimat.

5 Quæres 3. an vovens religionem si non admittitur à Superioribus nisi ad Statum laicorum; teneatur illam sic ingredi, ut suo voto satisfaciat? Resp. si vovens determinaverit statum Clericalem in vovendo, aut Laicalem, certum est, quòd secundum ejus intentionem voti obligatio urgeat; nec tenetur ad Statum Clericalem, qui Laicalem vovit, & è converso non tenetur ad Laicalem, si Clericalem vovit; nisi ipse consenserit. Si verò indifferenter vovit, & pro quocumque Statu Superiores voluerint; tenebitur, ut suo voto satisfaciat, ad acceptandum Statum, quem superiores ipsi designabunt. Si tandem non constet de ejus intentione; tunc præsumendum est, voviſse eum statum in religione, ad quem communiter solent admitti personæ similes ipsi voventi: quapropter si vir sit bonæ conditionis, grammaticæ gnarus, & Philosophiæ; reputandus erit statum clericalem voviſse: cum similes personæ pro tali statu admitti consueverint in Religione; ideoque si iste talis adstringatur ad statum laicalem amplectendum, ipso renuente, non tenebitur Religionem ingredi: & ratio est, quia ejus intentio licèt tacitè expressa, fuit vovere statum clericalem & juxta illum se obligare voto Religionis. Sic Sotus *libr.* 7. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 22. *quæst.* 4. Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 16. *num.* 56. & Bonacina *l. c. num.* 6. Extendunt etiam hanc doctrinam ad filium spurium voventem religionem, & nescientem impedimentum ascendendi ad dignitates ordinis; qui si tales conditiones superiùs explicatas habeat, non tenebitur statum laicalem assumere, cum non possit clericalem in Religione habere. Videatur Sanchez *l. c. num.* 59.

6 Quæres tandem: an conjuges obligari possint voto religionis, & continentiæ, & ad quid teneantur, si illud emiserint? Resp. posse conjugem, etiam altero invito post contractum, sed nondum consummatum matrimonium vovere Religionem, aut Castitatem, cum Jura concedant spatium duorum mensium post contractum matrimonium, & non consummatum ad deliberandum, an statum religionis assumere debeant. Transacto etiam hoc spatio, si non dum matrimonium consummatum fuerit; religionem ingredi poterunt, & in ea validè professionem emittere. Sic Rodriquez 2. *par. cap.* 90. *num.* 1. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 5. *numer.* 12. Henriquez *lib.* 2. *de Matr. cap.* 5. *num.* 8. & Bonacina *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 4. Si tamen matrimonium consummatum fuerit, non posse religionem vovere, nisi legitimum urgeat motivum perpetui divortii, ob quod religionis ingressus non prohibeatur: & ratio est, quia votum emitti nequit cum præjudicio, & detrimento alterius; nec sic emissum obligat, cum non sit vinculum iniquitatis. Sic Henriquez *lib.* 1. *de Matr. cap.* 11. Sayrus *l. c.* & alii. Hinc infertur: quod conjux consummato jam matrimonio non possit vovere altero renuente abstinentiam à debito reddendo: cum sit hoc votum contra jus alterius conjugis exigendi debitum; poterunt tamen vovere abstinentiam à petendo, cum tale votum non sit in præjudicium juris alterius, sed proprii. Poterit insuper unus conjux vovere abstinentiam à reddendo, si alter consenserit: quia volenti, & consentienti nulla fit injuria, cum quilibet juri suo cedere possit.

7 Insurgit nihilominus difficultas: an maritus postquam præbuit assensum Uxori voventi abstinentiam à debito redendo, possit ab ea debitum petere? Resp. si solùm consensit voto uxori, absque eo quod simul cum ea votum illud emiserit; probabile est, posse ab ea debitum petere: quia non est præsumendum, quòd per simplicem consensum jus petendi à se auferre & abdicare voluerit, ac se obligare ad non petendum, cum tantùm præsumi debeat, voluisse facultatem concedere uxori voventi, ut ipsa debitum non peteret, quod quidem vergeret in præjudicium mariti consentientis, ad quem solum cura petendi spectaret. Si verò ita consensit in Votum Uxoris, ut simul cum ipsa ex communi consensu votum emiserit; neuter ipsorum debitum petere poterit, cum uterque obstrictus maneat continentiæ voto, quod obligat ad non petendum. Sic Navarrus, Angelus, Lopez, Sayrus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 5. *§.* 6. *nu.* 9.

8 Dicendum 2. voventem aliquem determinatum Ordinem religiosum, ad quem si à Superioribus non admissus fuerit; remanere liberum à voti emissi obligatione: eo quia nec votum obligat ad impossibilia, nec ultra intentionem voventis, qui semper præsumitur vovere religionem cum hac imbibita conditione, si à Superioribus, ad

quos

quos spectat, admittatur. Sic passim Doctores: dummodo tamen per ipsum non stet, quin recipiatur: nam votum obligat ad faciendum quantum potest vovens, ut adimpleatur promissio facta: maximè si culpa propria voventis fuerit occasio, quin admitteretur; cum nulli favere possit culpa propria, nisi fortè per accidens posita fuerit occasio, ob quam non admittitur. Insuper quod repulsa habita non fuerit ad tempus, sed simpliciter: nam si repulsa habita fuerit ad tempus determinatũ, elapso eo tempore tenebitur religionem ingredi: sicuti etiam tenebitur ingredi, si rejectus fuerit ob causam temporalem, ob æs alienum e. g. ob insciti am litterarum: quando jam æs alienum solutum fuerit, vel sufficientes litteras didicerit: & ratio est, quia jam urget voti obligatio, & illam adimplere possibile est voventi; cum votum habeat tractum successivum, adeoque transacto tempore, & ablata causa temporali tenebitur vovens suum votum adimplere. Sic Navarrus, Reginaldus, Rodriquez, Valentia, Sanchez, Azor. Aragonius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 5. §. 6. *num.* 10.

8 Quæres 1. an repulsus à religione vovens teneatur religionem ingredi, si Superiores repellentes voluntatem mutaverint, etiam si repulsa fuerit simpliciter? Resp. affirmativè: ratio est, quia votum per se loquendo non remanet extinctum, nisi perduret illa tacita, & imbibita conditio, si Superiores repulerint, & in hac voluntate perseveraverint: quapropter mutata eorum voluntate urget obligatio ingrediendi religionem. Sic Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *capit.* 6. *num.* 4. Sanchez *lib.* 4. *in Summ. capit.* 19. *num.* 71. Abulensis *cap.* 3. *Numer. quæst.* 53. & Bonacina *l. c. numer.* 11. contra Aragonium, Azorium, & alios.

9 Quæres 2. an habens votum Religionis si ob insciti am, vel inertiam à Superioribus non admittatur; teneatur ex vi voti ad addiscendas litteras, vel artem aliquam comparandam, ut sic instructus admittatur, & suo Voto satisfaciat? Resp. si dum vovit, cognovit, quòd talia media necessaria essent ad sui voti consecutionem; tenebitur ad illa comparanda: eo quia censendus est, etiam illa media voviss conducentia ad finem intentum, quamvis sibi difficilia. Si verò non cognovit, non tenebitur ad illa, quia habetur notabilis in promissione facta, & difficultas pariter notabilis, & non prævisa. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. capit.* 19. *num.* 61. ubi pro dignitate de hac quæstione pertractat, Rodriquez 2. *par. quæst.* 95. *num.* 10. Azor. *lib.* 11. *cap.* 22. *quæst. ult.* & Reginaldus *lib.* 18. *num.* 381.

10 Quæres 3. an vovens determinatum aliquem Ordinem, si in Monasteriis propriæ Provinciæ, & Regionis non admitteretur; teneatur adire alia Monasteria extra suam Provinciam, & Regionem sita, ut admittatur, & suo voto satisfaciat? Resp. si non expresè, aut saltem tacitè intenderit, se ad hoc obligare, dum votum emisit; non teneri adire alia Monasteria extra suam Provinciam, & Regionem posita: & ratio est, quia ex communi modo vovendi Religionem nemo intendit se obligare ad Monasteria extra suam Provinciam, & regionem; & votum explicandum est juxta communem sensum, nisi positivè aliquid obstet in contrarium. Quòd si dubitetur: an hoc intenderit in voto emisso? adhuc præsumendum est, non intendisse: cum nemo censendus sit, vovere religionem extra suam Provinciam, & à sua Regione distantem, nisi positivè constet: nec onus imponendum est sine positiva ratione. Sic Sylvester *verb. Relig.* 2. *quæst.* 16. Aragonius 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 16. *num.* 44. Navarrus *in Summ. cap.* 27. *num.* 276. Sotus, Valentia, Azor. Reginaldus, Rodriquez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *quæst.* 2. *de Voto punct.* 5. §. 6. *num.* 13. An verò teneatur adire omnia Monasteria suæ Regionis, & Provinciæ, ut admittatur? Putant Azor. Sanchez, Rodriquez, Aragonius, Sayrus, & alii, relati ab eodem Bonacina *l. c. numer.* 15. non teneri ad omnia, & singula Monasteria, satis enim est, si multa adeat; & probabiliter existimet, eodem modo repellendum ab aliis: sic enim efficiendo adhibet sufficientem diligentiam ex parte sua, ut comprobet, quòd per ipsum non stet, quin votum adimpleat, & promissionem Deo factam servet.

11 Quæres 4. an teneatur vovens religionem determinatam patefacere votum à se emissum, si per aperitionem sui voti probabiliter reputet, admittendum fore? Resp. quamvis Azor. & Reginaldus sustineant non teneri; quia licèt religionem voverit, non vovit tamen aperire suum votum. Nihilominus probabilius reputo cum Bonacina *l. c.* teneri ad votum suum manifestandum, dummodo probabiliter existimet, sic admittendum: ratio est, quia qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media conducentia ad finem: & licèt non voverit directè aperitionem sui voti, posito tamen voto consurgit obligatio per sequelam naturalem ponendi media apta, & accommoda ad finem promissum consequendum, ut in casu posito se habet voti manifestatio. Si verò reputet per voti manifestationem non fore admittendum; non tenebitur: quia nemo tenetur apponere media inepta ad finem intentum consequendum.

12 Dicendum 3. Votum simplex Religionis non amplius obligare voventem, si post ingressum ante professionem à religione egrediatur; cum hoc tamen quòd dum religionem voverit, nil de professione emittenda determinaverit: & ratio est, quia tale votum censendum est factum juxta Dispositionem Juris concedentis annum Novitiatus: & conceditur, ut vicissim probetur ingrediens à religione, & Status religiosus probetur ab ingrediente; itaut liberum sit religioni dimittere ingredientem, & ingredienti relinquere Statum illum, si ipsi non placeat. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst. ult. art. ult.* Sotus *lib.* 7. *de Just. quæst.* 2. *art.* 1. Aragonius 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. & alii. Sed insurgit dubium: quid dicendum sit, si vovens è Religione egrediatur absque justa causa, quamvis bona fide, & animo perseverandi ingressus fuerit? Resp. quamvis Sotus, Valentia, Cajetanus, Toletus, Rodriquez, Sanchez, Layman, & alii penes Bonacinam *quæst.* 2. *de Voto* §. 6. *num.* 22. putarint; sic violari votum, & teneri iterum religionem assumere. Nihilominus sua probabilitate non caret sententia Navarri, Azorii, Sayri, & aliorum, quos refert, & sequitur citatus Bonacina docens, nec violare votum, & liberum esse ab obligatione redeundi, quamvis peccet ratione levitatis temere deserendo statum religiosum, quem assumpserat: & ratio est, quia votum religionis semper habet hanc tacitam conditionem, si facta probatione mihi Religio placuerit: nec præsumendum est, voventem voluisse facultati à Jure habitæ renunciare, nisi id expresserit in emittendo votum. Si verò vovens, dum votum religionis emisit; intentionem habuit profitendi, non remanebit liber à voto, si post ingressum in Religionem egrediatur: imò tenetur iterum ingredi, ut promissionem adimpleat, & suo voto satisfaciat: ratio est, quia urget obligatio adimplendi votum emissum secundum intentionem, quam habuit in vovendo: cum igitur ejus intentio fuerit ingrediendi religionem, ibique profitendi; ideo tenebitur ad sic adimplendum votum suum: quapropter si exierit, tenebitur iterum ingredi, ut profiteretur. Nec ei favere potest beneficium Juris concedentis annum probationis, cui videtur renunciasse per expressam voluntatem profitendi. Sic Navarrus, Azor. Valentia, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c.* contra Reginaldum, Sotum, Aragonium, & alios.

Hinc fit: quòd vovens ingredi Religionem, in eaque profiteri, teneatur ad emendationem eorum, propter quæ à Religione dimissus fuit, ut iterum admittatur, & suum votum adimpleat: sicuti etiam tenetur ad hoc præstandum professus, qui propter suorum morum incorrigibilitatem à Religione *ejectus fuit*, qua remota agnosceret, se iterum à Religione admittendum: & ratio est, quia vovens tenetur adhibere ea media, quæ conferunt ad satisfaciendum voto, & quę commodè aptari possunt, insuper removere ea impedimenta, quæ in sua potestate sunt, & voti executionem difficultant, cum nulli favere debeat culpa propria. Sic Toletus *lib.* 4. *capit.* 17. *num.* 12. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 419. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 41. *dubit.* 15. *numer.* 115. & Bonacina *de Vot. quæst.* 2. *punct.* 5. §. 6. *numer.* 25. Si tamen post emendationem per ipsum non stet, quin admittatur; sed per Superiores Religionis; poterit licitè in sæculo vivere: eo quia voti sui adimpletio facta est impossibilis, nec tenetur ad onera obedientiæ, ad vigilias, jejunia, silentium, & ad alia, ad quæ tenentur Religiosi ex obedientia juxta suas Constitutiones declarata: eo quia Superior illum ejiciens, de eo curare non videtur, nec ei aliquid præcipere, vel prohibere. Tenetur verò Professus ob incorrigibilitatem ejectus vivere sub Episcopi jurisdictione, habitum clericalem deferre, nisi fortè cum habitu reli-

religioso ejectus fuerit; paupertatem servare eo modo, quo possit; & Castitatem ratione voti solemnis in professione emissi, itaut invalidum esset Matrimonium, si illud contraheret; & Sacrilegium committeret, si copulam haberet: ut patet *ex Cap. Unic. de Voto in 6.* & tradunt supracitati Doctores.

Petes hìc: quid dicendum si non constet de intentione voventis Religionem: an videlicet habuerit intentionem profitendi in ea? Resp. in tali casu censendum esse, vovisse communi modo, & secundum dispositionem Juris concedentis annum probationis ad determinandam professionem: cum non imponendum sit onus certum, & restringenda libertas pro re dubia. Votum quoque in dubio obligat ad minus, non verò ad majus, quamvis hoc tutius sit. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 16. *num.* 86. & Bonacina *quæst.* 2. *de Voto punct.* 5. §. 6. *numer.* 23. contra Rodriquez oppositum docentem. Hinc sequitur, quòd vovens in genere religionem, si aliquam ingressus fuerit bona fide, & cum animo perseverandi, quamvis postea egrediatur; non tenetur ad aliam religionem petendam: ratio est, quia jam satisfecit voto suo, & promissioni factæ ingrediendi religionem: cum non voverit perseverantiam, sed ingressum, quem revera executus est animo perseverandi, & bona fide, licèt mutata voluntate uti velit beneficio Juris. Sic ex Sanchez docet Bonacina *l. c. num.* 24.

CAPUT XV.

Quænam Personæ Vota emittere possint?

1 *Omnes homines rationis usum habentes vota emittere possunt, nisi specialiter ab Ecclesia impediti fuerint.*

2 *Præter casum Religiosæ Professionis ante decimum quartum annum non constituit Ecclesia fideles inhabiles ad alia vota emittenda.*

3 *Votum emissum circa materiam præceptam, cujus impletionem non potest impedire Superior; validum est, nec pendet à consensu Superioris.*

4 *Votum emissum à Religiosis impuberibus, Uxoribus, Servis versans circa materiam ipsis prohibitam absolutè nullum est.*

5 *Votum ab his emissum circa rem honestam, sed ipsis prohibitam quoad modum, non verò absolutè; validum est, & tenet.*

6 *Votum de Materia à nulla Lege prohibita, nec impeditiva majoris boni à quacumque Persona emittatur; validum est.*

7 *Quid dicendum de voto emisso absque facultate Superioris vetantis votum sine sua facultate?*

8 *Quomodo obliget votum Religiosi de aliqua eleemosyna facienda?*

9 *Quomodo obliget votum Uxoris, filiorum familias, & Servorum de eleemosyna facienda?*

10 *Quomodo obliget Votum Episcoporum, Parochorum, & Clericorum beneficiatorum ad residentiam obligatorum de Religione, aut Peregrinatione assumenda?*

1 TAMQUAM certum suppono, omnes homines rationis usu pollentes vota emittere posse, ac illis obligari, nisi specialiter impediti fuerint. Sic Doctores omnes cum Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. & 9. ratio autem est, quia homines ratione utentes rem honestam, & Deo gratam promittere possunt, quam si Deus acceptaverit, voto ligati erunt. Dictum est, nisi specialiter impediti fuerint, quia dantur promissiones aliquæ etiam de re maximè honesta, quæ impediuntur, eo quia Ecclesia declaravit, Deum eas non acceptare. Sic à Concilio Tridentino declaratum fuit *sess.* 25. *de Regular. cap.* 15. professionem religiosam, quæ de re honestissima est, ante decimum sextum annum non completum, aut anno Novitiatus non expleto emissam, nullam, & invalidam esse, adeoque eam Deum non acceptare. Idem etiam declaratum fuit *in Cap. Ad nostras de Regular. in Cap.* 1. & 2. *eod. titul. in 6. & in Capit. Puella* 20. *quæst.* 2. Conveniens siquidem fuit ad deliberandum de perpetuitate, & perfectione Religiosi status, ut talis ætas completè expectaretur, & ut annua probatio completè intercederet; itaut ipsis deficientibus promissio facta non acceptetur à Deo, uti declarant allegati Textus; & hanc facultatem declarandi inesse Ecclesiæ nemo Catholicorum dubitare potest. Hic solus Casus religiosæ professionis reperitur in Jure expressus, in quo Votum aliàs de re honesta emissum, nec impeditivum majoris boni non acceptetur ab Ecclesia. Cæterùm negari non debet, quòd potuerit & alios Casus excipere; cum enim Ecclesia vices Dei sibi commissas habeat, sicut Deus votum suorum fidelium potest nolle acceptare, nisi sub hac vel illa conditione fiat; sic etiam hoc declarare poterit Ecclesia ejus Vicaria, videlicet votum non fuisse à Deo acceptatum, quia non factum sub tali conditione. Videatur Suarez eximiè de hac re pertractans *lib.* 3. *de Voto cap.* 3. & 4.

2 Præter Casum prædictum Ecclesia suos fideles rationis usum habentes non constituit inhabiles ad vovendum; ideoque vota facta ab Episcopis, & Clericis beneficiariis, si de materia honesta, nec Ecclesiæ præjudicialia sint; ut valida, & firma acceptat, sicuti etiam vota Religiosorum, filiorum, impuberum, Uxorum, Servorum, si circa materiam majus bonum non impedientem versentur: subjectio namque harum personarum non impedit vovendi potestatem, quamvis illam aliquo modo infirmet; ut ex communi Sententia probant Suarez *lib.* 3. *de Voto cap.* 4. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 24. *num.* 47. Ad clariorem hujus doctrinæ intelligentiam distingui debent vota, quæ à talibus personis fieri possunt; ut innotescat, an inhabiles factæ sint in illis emittendis. Primò igitur emittere possunt sua vota circa materiam præceptam; secundò circa materiam nulla lege præceptam, aut prohibitam. Vota circa materiam præceptam alia sunt, quorum adimpletionem nullatenus Superior impedire potest, ut votum audiendi Sacrum die festo, jejunandi in quadragesima, non blasphemandi &c. alia sunt, in quibus Superior dispensare solet; alia denique, quæ respiciunt materiam non absolutè præceptam, sed præcipitur ne fiat absque licentia Superioris: ut si Superior præciperet, ne quis tali die jejunaret absque sua facultate, & subditus voveret jejunare tali die. His declaratis

3 Dico 1. votum emissum circa materiam præceptam, cujus adimpletionem non potest Superior impedire; validum esse, nec ejus validitatem pendere à Superioris consensu: & ratio est, quia nequit assignari caput, ob quod invalidetur, & irritum evadat: maximè quia nec perfectionem impedit, nec præjudicium infert Juri Superioris. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Suarez *lib.* 3. *de Voto capit.* 15. *à num.* 3. Sanchez *lib.* 4. *Sum. cap.* 25. *à n.* 2. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 40. *dubit.* 13. *à n.* 73. Neque dicas: invalidari ob defectum consensus Superioris, cum voluntas subditorum plenè subiecta sit Voluntati Superioris, quem vices Dei gerentem agnoscunt; & per obedientiæ votum suam voluntatem ita Superiori tradiderunt, ut ab ejus voluntate dependeant: sic constat ex *Cap. Si Religiosus de Elect. in 6.* adeoque si absque Superioris consensu votum aliquod emitterent, non de sua voluntate, sed de aliena disponerent: ut sustinet Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 6. Ne inquam hoc dicas, quia subjectio Religiosorum, Impuberum, & similium non impedit ipsis liberum exercitium, & usum suæ voluntatis circa res honestas, & licitas; nec Juri Superiorum præjudicium inferentes. Sic enim nimis dura, & irrationabilis esset, & impossibile eam exequi. Solùm igitur ex citato Capite colligitur, quòd non ita liberè suo utantur arbitrio, quin possint in multis à Superioribus impediri. Nec dissimilem interpretationem patitur Textus *ex Cap. Monacho* 20. *quæst.* 4. qui licèt sit dubiæ authoritatis, cum non reperiatur in Operibus Div. Basilii, quem Gratianus refert; est tamen insertus in Decreto, ubi habetur: *Monacho non licere vovere sine consensu Abbatis; si autem voverit, frangendum est votum.* Nam Glossa, Sanchez, Lessius, Suarez, Sayrus, Layman relati à Castropalao *disp.* 1. *de Voto pun.* 19. *num.* 5. *in fin.* docent, Monacho non licitum esse vovere sine consensu Abbatis abstinentiam, quando ex defectu hujus consensus alii scandalizarentur, non verò secluso scandalo.

4 Dico 2. votum emissum à Religiosis, impuberibus, Uxoribus, Servis versans circa materiam ipsis absolutè prohibitam, nullum esse, & invalidum: ratio est, non quia tales personæ incapaces, & inhabiles sint ad vovendum; sed quia materia talis voti incapax est obligationis suscipiendæ. Nam vel ipsis prohibita est quia mala; & tunc evidens est, votum circa ipsam nullam

lam secum afferre obligationem ; vel ipsis prohibita , quia sic melius expedit rectæ gubernationi ; & tunc non erit de meliori bono, & gratiori Deo , quod explicatur à Superioribus vices Dei gerentibus per prohibitionem de ea re latam . Sic Suarez *lib. 3. de Voto cap. 6. à num. 19.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 25. num. 10.* & Castropalaus *de Voto disp. 1. pun. 19. num. 6.*

5 Dico 3. votum emissum à Religiosis, Uxoribus, Servis &c. circa rem honestam , sed ipsis prohibitam non absolutè ; sed quoad modum , scilicet ne jejunent tali die sine facultate obtenta à Superiore ; validum esse, & firmum : ratio est, quia versatur circa rem honestam , nec absolutè prohibitam : non enim prohibetur jejunium cum facultate Superioris , imò consulitur ; nec facultas, quæ conceditur à Superiore , præceptum relaxat , sed potiùs illud confirmat . Tenetur tamen vovens ad petendam facultatem à suo Superiore , cum contineatur in materia voti emissi ; vovit siquidem jejunare tali die, pro quo sciebat, necessariam esse ad jejunandum Superioris facultatem ; ergo si se obligavit ad votum tali die , obligavit se etiam ad petitionem facultatis necessariæ. Supponimus enim hic scientiam prohibitionis factæ à Superiore , quam si nescisset tempore voti emissi, non teneretur ad illam petendam : sicuti neque teneatur ad eam petendam, si prohibito facta esset post votum emissum ; quia non contineretur in re , sicuti promissa fuit à principio . Sic Suarez *lib. 3. de Voto cap. 6. num. 9.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 25. numer. 8.* Lessius *lib. 2. de Just. capit. 40, dubit. 13. numer. 74.* & Castropalaus *de Voto disput. 2. punct. 19. numer. 7. & 8.*

6 Dico 4. votum de materia, quæ à nulla Lege prohibetur & sit honesta , nec majus bonum impedit, à quacumque persona rationis usum habente emittatur ; validum esse : cum non possit assignari motivum, ob quod invalidum reddatur.

7 Difficultas tamen insurgit, si habeatur prohibitio Superioris non vovendi absque sua facultate , & nihilominus votum emittitur circa materiam aliunde aptam ; an tale votum sic emissum suam validitatem habeat ? Affirmativam sententiam sequor , quam sustinent Suarez *lib. 3. de Voto cap. 6. num. 25.* Sanchez *in Summ. lib. 4. cap. 24. num. 52.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. num. 9.* & Castropalaus *de Voto disp. 2. punct. 19. num. 15.* ratio est , eo quia licèt modus promittendi sit malus, promissio nihilominus quoad substantiam tenet, & obligationem inducit; cum in hoc solùm spectetur honestas rei promissæ, quę habetur. Advertendum tamen, ne prohibitio facta simul sit irritatio voti , quia tunc nullum esset . Hanc autem irritationem non omnes Superiores facere possunt ; sed solùm conceditur illis, qui dominativam habent potestatem , ratione cujus contradicere possunt promissionibus faciendis, & promissiones jam factas infirmare, ut suo loco dicetur.

8 Quæres 1. quomodo obliget Votum Religiosi de eleemosyna aliqua facienda ? Resp. si religiosus habeat administrationem bonorum Conventus, nec votum excedit facultatem ipsi præscriptam in elargiendo eleemosynam ; nec à Superiore majore hac prohibeatur ; tenere votum emissum, & obligare ad executionem : ratio est, quia versatur circa materiam honestam , nec aliàs prohibitam . Si verò excedit facultatem sibi præscriptam circa eleemosynam faciendam , tunc votum valebit dependenter ab ea conditione , si Superior, ad quem spectat, facultatem dederit : ratio est, quia nullo alio modo supponitur prohibita eleemosyna , nisi quia deficiat voluntas Superioris dantis facultatem ; ergo votum factum obligabit dependenter ab illa conditione , quam tenetur petere vovens , & si Superior eam denegabit , jam vovens fecit ex parte sua totum id , ad quod tenebatur . Eodem modo discurrendum est de Religiosis subditis voventibus eleemosynam ex rebus propriis usibus applicatis : tenebit enim votum sub pari conditione, si Superiori visum fuerit facultatem dare, ad quam petendam obligabuntur , nisi fortè ex præscripta consuetudine concessa fuerit. Sic Suarez *lib. 3. de Voto cap. 7. num. 3.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 25. num. 13.* & Castropalaus *de Voto disp. 2. pun. 19. num. 10.* Si tamen religiosus vovens promittat eleemosynam ex bonis Religionis, quorum nullam administrationem habet, nec suo usui applicata ; regulariter tale votum nullum erit, & imprudens : ratio est , quia non elucet titulus, ob quem specialiter moveri possit ad vovendum de bonis Religionis, etiam dependenter à facultate Superioris. Dixi regulariter, quia si occurrente gravi necessitate eleemosynæ faciendæ votum emiserit ; prudenter se gessit, & tenebitur monere Superiorem de eleemosyna facienda. Sic bene Suarez *l. c. nu. 5.* quidquid in contrarium dixerint Sanchez , & Castropalaus .

9 Quæres 2. quomodo obliget votum Uxoris , filiorum familias qui non sint impuberes , & Servorum circa eleemosynam faciendam? Resp. si eam voverint de bonis propriis, & quorum libera administratio ad ipsos spectat ; ita tenere votum , & validum esse, ut neque invalidari possit per apertam contradictionem mariti , Parentis, aut Domini : eo quia est de re honesta , nec impeditiva majoris boni , nec dependente à facultate alterius, ideoque vana erit contradictio . Si verò eleemosynam voverint de bonis Mariti, Parentis, aut Domini , quorum administrationem habent ; tenebit votum, sed dependenter ab ea conditione, si facultatem dederint : & ratio est , quia dependenter à tali conditione promissio facta honesta erit, nec impeditiva majoris boni , adeoque obligatoria . Sic Suarez *lib. 3. de Voto cap. 7. num. 6.* & Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 25. num. 14.*

10 Quæres 3. quomodo obliget Votum Episcoporum , Parochorum, & Clericorum beneficiatorum residentiam requirentium de Religione , vel Peregrinatione assumenda? Resp. votum Episcoporum de Religione assumenda sub conditione facultatis petendæ à Sede Apostolica validum esse, & obligare in conscientia : eo quia versatur circa rem , quæ regulariter loquendo magis convenit propriæ perfectioni, & saluti æternę . Si vero absque tali conditione fiat, nullum esse , cum vetitum sit Episcopis absque Sedis Apostolicæ licentia Episcopatui renunciare ob spirituale vinculum, quod inter Episcopum, & Ecclesiam intercedit, ut constat *ex Cap. Nisi cum pridem de Renunciat. Cap. Licet. §. si vero de Regul. & ex Cap. Inter corporalia de Translat. Episcop.* Sic Suarez *lib. 3. de Voto cap. 4. num. 8.* Azor. *1. par. lib. 11. capit. 16. quæst. 3.* Sayrus *lib. 6. capit. 5. num. 24.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 25. num. 36.* & Castropalaus *de Voto disput. 1. punct. 19. num. 12.* Votum verò ab Episcopis factum de peregrinatione assumenda, si præjudicium inferat muneri Episcopali impediendo residentiam ipsis præceptam ; regulariter nec valet , nec licitum est : eo quia impeditivum est majoris boni : majus siquidem bonum est, Episcopum in sua Diœcesi residere ad pascendum gregem sibi commissum , quam devotionis ergo longam vovere peregrinationem . Adde quod tale votum esset de materia absolutè prohibita : quia licèt non prohibeatur peregrinatio Episcopis, prohibetur tamen non residentia , quam infallibiliter secum trahit peregrinatio. Sic Sylvester *verb. Votum 3. quæst. 1.* Azor. *1. par. lib. 11. cap. 16. q. 2.* Sayrus *in Clavi Regia lib. 6. cap. 5. n. 24.* Suarez & Sanchez *locis infra citandis* . Si tamen votum peregrinationis sit intra tempus Episcopis permissum , ut absint à suis Ecclesiis, nec in damnum Episcopalis muneris cedit ; validum absolutè, & licitum erit : cum impeditivum non sit majoris boni, nec de re ipsis prohibita. Sic Suarez *lib. 3. de Voto cap. 4. num. 4.* Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 25. num. 39.* & Castropalaus *de Voto disp. 1. punct. 19. num. 12.* Votum verò Religionis factum à Parochis, & Beneficiariis ad residentiam obligatis , communis Sententia docet, quòd ad ejus valorem requiratur conditio petendi facultatem ab Episcopo, quamvis non necesse sit illam ab eo obtinere : ratio est , quia absque talis facultatis petitione transitus ad religionem est illis prohibitus *ex Cap. Licet de Regul. & Capit. Admonet. de Renunciat.* Sic docet Azor. *1. par. lib. 11. capit. 16. quæst. 3.* Graffis *2. par. Decis. lib. 2. cap. 11. numer. 24.* Sayrus *lib. 6. cap. 5. num. 25.* Suarez *lib. 3. de Vot. cap. 4. num. 10.* & Sanchez alios referens *lib. 4. Summ. cap. 25. num. 48.* Nihilominus ipse Sanchez probat, quod ex præcitatis Textibus nulla appareat obligatio hanc facultatem petendi : nam Textus *ex Cap. Admonet.* prohibens Ecclesiarum dimissionem Episcopo inconsulto intelligendus est de dimissione extra casum Religionis à Jure concessum, ut notat ibi Glossa. Textus *ex Cap. Licet*, non est ad rem : loquitur enim de Regularibus transeuntibus ad strictiorem religionem . Aliunde Textus, in quo Urbanus II. permittit quibuslibet Clericis ad Religionem posse transire , nec ab Episcopis revocari posse ; nimis clarè loquitur *in Cap. Duæ 19. quæst. 2.* ubi nulla mentio fit facultatis petendæ ab Episcopo ; adeoque

non

non est hoc onus illis imponendum; ut docent Innocentius, Hostiensis, Cardinalis, & Abbas relati ab ipso Sanchez *l. c.* Circa Votum Peregrinationis eodem prorsus modo dicendum, ac de Episcopis dictum est; quamvis residentiæ obligatio strictiùs oneret Episcopos, quàm Parochos; & hos magis, quàm Canonicos, aut alios Clericos beneficiarios de Jure residentes, cum horum absentia faciliùs toleretur. De aliis Clericis ad residentiam non adstrictis dicendum, quòd votum Religionis, aut Peregrinationis ab ipsis emissum absolutè obliget etiam inconsulto Episcopo; cùm non cedat in præjudicium ullius muneris obligantis; aliunde est de re honesta, & licita. Sic ex Suarez, Sanchez, & aliis colligit Castropalaus *disput.* 2. *de Voto punct.* 19. *numer.* 14.

CAPUT XVI.

Quomodo obligatio Voti dissolvi possit per Irritationem?

1 *Explicatur Irritatio, & ad quæ Vota extendatur.*
2 *An Irritatio sit actus Jurisdictionis, an dominii?*
3 *An potestas irritandi sit ex Jure naturali, an verò humano?*
4 *Quibus Personis competat potestas irritandi vota?*
5 *Pontifex non habet potestatem directam irritandi vota fidelium, sed tantùm indirectam; potest tamen irritare vota Religiosorum, quæ irritari possunt à suis Prælatis.*
6 *Patres, & Tutores possunt vota tam realia, quàm personalia, & mixta filiorum, & pupillorum irritare intra tempus impubertatis.*
7 *Quinam veniant nomine Patris, & filiorum circa vota irritanda?*
8 *Quid dicendum de Votis emissis à filiis puberibus?*
9 *Maritus quænam Vota Uxoris irritare possit?*
10 *An Maritus irritare possit votum Uxoris cum facultate ipsius emissum?*
11 *An Uxor irritare possit vota Viri sui?*
12 *Domini quænam vota Servorum irritare possint?*
13 *An Herus irritare possit vota suorum famulorum?*
14 *Prælati Regulares quænam vota suorum subditorum irritare possint?*
15 *Quinam veniant nomine Prælatorum, qui possint vota in Religione irritare?*
16 *An Abbatissæ, & Prioriss gaudeant facultate irritandi vota suarum Monialium?*
17 *An possit Superior irritare Votum religiosi subditi, si ejus facultate sit factum?*
18 *Quinam veniant nomine Religiosorum, quorum vota irritari possunt à suis Prælatis?*

1 EXPLICATIS jam voti essentia, materia, circa quam versatur, & obligatione, quam inducit; remanent explicandi modi, quibus votum dissolvi potest, cum pluries expediat obligationem à voto inductam tollere ob naturæ humanæ fragilem conditionem. Triplici autem modo voti relaxatio contingere potest, Irritatione scilicet, Dispensatione, & Commutatione, de quibus singillatim pertractandum. Et primò de Irritatione, quæ nihil aliud est, nisi actus liber, quo is, à quo votum pendet, tollit ipsius voti obligationem. Unde apparet, irritationem extendi ad vota illorum, qui subjecti sunt alterius voluntati, sive in omnibus, sive tantùm in eo, quod est materia voti: cum nemo vovere possit in præjudicium alterius, à quo pendet, nisi is consenserit; ut bene advertit Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 24. *num.* 30. Quia tamen subjectio voventis alterius voluntati potest esse duplex, vel ratione personæ voventis, quæ ex sua conditione, & natura integrè alteri subjecta est, ut filius impubes parenti, Religiosus suo Prælato; vel ratione materiæ promissæ, quæ ab alio pendere potest aut ratione dominii, & administrationis; aut quia potestatem habet illam prohibendi; ideo duplex etiam erit Irritatio. Alia directa, & propria: quæ respicit primam subjectionem, & fertur in actum ipsum vovendi, illumque de medio tollit. Alia indirecta, & impropria, quæ respicit secundam subjectionem, & fertur in materiam promissam impediendo executionem illius; quæ potiùs suspensio voti dicenda erit, quàm irritatio. Et maximè inter se differunt tales irritationes, ut bene docet Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 1. *num.* 4. nam irritatio directa, & propria respiciens subjectionem voluntatis, si absolutè fiat, votum taliter extinguit, ut revivisere nequeat. Irritatio verò Indirecta ob impedimentum appositum materiæ promissæ, vel quia subtracta fuerit, vel quia prohibita; votum non extinguit; sed ejus obligationem suspendit durante impedimento, quo ablato revivisit voti obligatio.

2 Petes 1. an Irritatio sit actus jurisdictionis, an dominii? Resp. irritationem provenientem ex subjectione voluntatis non esse actum jurisdictionis, sed dominii: & ratio est, quia Superior ob potestatem dominativam habet jus, ne subditus aliter obligetur, quàm ipse Superior consenserit, & voluerit. Irritationem verò provenientem ex materia promissa alteri subjecta, aliquando esse actum jurisdictionis spiritualis, vel Temporalis; spiritualis, si Pontifex, vel Episcopus materiam promissam prohibeat, vel aliquod cum materia promissa incompatibile præcipiat; temporalis, si Princeps, aut Magistratus justè aliquod cum executione materiæ promissæ incompossibile præcipiat; aliquando esse actum dominii, si dominus ob potestatem, quam habet imperandi suis famulis, aliquod ipsis præcipiat cum voti executione incompossibile: ut adnotat Castropalaus *de Voto disput.* 2. *punct.* 1. *numer.* 3.

3 Petes 2. an irritandi potestas sit ex Jure naturali, an verò humano? Resp. controversiam hanc validos habere Patronos utrinque: nam Sotus, Sayrus, Petrus de Ledesma, Azor. & Suarez penes Castropalaum *loco citato* putant, ortum habere à Jure naturali: eo quia naturaliter pater habet subjectionem sui filii, Vir suæ Uxoris; sicuti etiam dominus sui servi, & Prælatus sui subditi: cum igitur radix hujus potestatis irritandi sit à subjectione dicta, consequens est, quòd à Jure naturali ortum habeat. Oppositam sententiam sustinent Vasquez, Lessius, Sanchez, quos sequitur Castropalaus *loco citato num.* 4.: eo quia tam potestas irritandi directa, quæ scilicet provenit ex dominio, quàm indirecta proveniens ex facultate impediendi executionem materiæ promissæ ortum habent à Jure positivo. Nam directa proveniens à dominio, quod Jure gentium introductum est, potiùs à Jure positivo, quàm naturali oritur, esto quòd tale jus positivum naturali nimis conforme sit, adeò ut præbuerit fundamentum putandi, quòd à naturali ortum sit. Indirecta verò cum proveniat sæpe sæpius à Jurisdictione, quæ Jure positivo concessa est, ab ipso satis clarè originem trahit. Sed in hac controversia hæc libasse sit satis.

4 Personæ, quibus competere potest facultas irritandi vota; sunt præcipuè Summus Pontifex, aliique Ecclesiæ Prælati respectu Clericorum, vel Laicorum, sibi subjectorum; Pater, vel Tutor respectu filiorum, vel pupillorum; Vir respectu suæ Conjugis; Domini respectu Servorum; & Superiores respectu suorum religiosorum subjectorum. De his inquirere debemus, quænam potestas irritativa ipsis competat, & quomodo.

5 Pontifex non habet potestatem directam irritandi vota Christianorum: ratio est, quia nullibi reperitur hanc facultatem ipsi datam fuisse à Christo Domino, nec est necessaria regimini Ecclesiæ, nec conveniens: nam potiùs conveniens erat relinquere fideles liberos, ut cum majori firmitate Deo obligarentur; aliunde justa causa intercedente potest fideles à voti obligatione eximere per dispensationem, aut impediendo voti executionem per potestatem, quam habet, præceptivam. Et licèt Pontifex habeat plenissimam potestatem super fideles in rebus spiritualibus; non tamen habet potestatem dominativam in iis, quæ fiunt privata authoritate; nec homines sunt illi ita subjecti, ut ab ejus voluntate omnino pendeant, quod requiritur ad potestatem directam. Sic Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 40. *dubit.* 13. *numer.* 81. Azor. 1. *par. lib.* 11. *capit.* 17. *quæst.* 3. Navarrus *in Summ. capit.* 12. *numer.* 76. Glossa *in Cap. Quemadmodum de Jurejur. verb. Conditio*; & Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 7. §. 2. *numer.* 2. Habet tamen potestatem indirectam irritandi vota fidelium, provenientem scilicet ex prohibitione materiæ, quæ ipsius administrationi, & regimini Ecclesiæ obesse potest; specialiter si materia

teria ejus disposition subjecta sit : sic irritat vota Episcoporum, & Clericorum præjudicantia muneri ipsis commisso. Quòd si materia nec obsit ejus administrationi, nec Ecclesiæ regimini, nec specialiter ejus dispositioni subdatur ; neque indirectè talia vota irritare poterit : sic non poterit irritare votum, quo quis carnem suam macerationibus, jejuniis, & aliis afflictationibus voverit domare. Sic Bonacina *loco citato numer. 3.* Suarez *loco citato numer. 6.* Lessius *loco citato*, Sanchez *lib. 2. de Voto capit. 24. numer. 19.* Castropalaus *de Voto disput. 2. punct. 2. numer. 3.* Habet insuper potestatem irritandi illa vota Religiosorum, quæ irritabilia sunt à suis Prælatis : cum Pontifex potestatem dominativam habeat in Religiosos, qui obedientiæ votum ipsi præstant, & sit ipsorum Supremus Generalis, nec minori authoritate pollere debet, qua polleant Prælati Religiosorum. Sic Azor. 1. *par. lib. 11. cap. 17. quæst. 3.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 6. pun. 6.* Navarrus *in Summ. capit. 12. num. 76.* Layman *lib. 4. tract. 4. capit. 7. numer. 8.* & Bonacina *loco citato numer. 6.*

Prælati Pontifice inferiores ; & multo minus Reges, & Principes Seculares non habent potestatem directam irritandi vota suorum subditorum : eo quia si talis facultas non reperitur in Pontifice erga suos subditos, à fortiori reperiri nequibit in ipsis, cum minori potestate polleant, ut adnotant Doctores relati.

6 Patres, & Tutores possunt vota tam realia, quàm personalia, vel mixta filiorum, & pupillorum irritare intra tempus impubertatis : ratio desumitur ex dispositione Juris, quod propter immaturum impuberum judicium voluit in eorum votis hanc intelligi tacitam conditionem, nisi Pater, & Tutor contradixerint : sic colligitur *ex Cap. Mulier. 32. quæst. 2. ex Cap. 1. & 2. 20. quæst. 1. & ex Capit. Si quis de Regular.* Quod quidem intelligendum erit, etiamsi malitia suppleat ætatem ipsius impuberis : cum Jura absolutè loquantur, nec Doctores in hoc distinguunt, maximè quia respexerunt ad id, quod sæpe accidere solet, non verò ad id, quod rarò evenit. Sic Suarez *lib. 6. de Voto capit. 6. num. 1.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 35. numer. 7.* Layman *lib. 4. Summ. tract. 4. capit. 7. num. 10. assert. 5.* Lessius *lib. 2. capit. 40. dubit. 14. num. 82.* Bonacina *de Voto quæst. 2. punct. 7. §. 2. numer. 18.* & Castropalaus *disput. 2. de Voto punct. 7. numer. 4.* Adnotandum hìc ex supradictis Doctoribus ; impubertatem, vel pupillarem ætatem durare in maribus à puncto nativitatis usque ad annum decimum quartum completum ; in fœminis verò usque ad duodecimum completum. Sic habetur *ex Cap. Puella 20. quæst. 2. & ex Leg. final. Cod. Quando Tutor.* Pubertatem tamen incipere à fine impubertatis, & durare usque ad annum vigesimum quintum completum. Sic habetur *ex Leg. 1. Cod. Si minor se majorem dixerit.* Adnotandum quoque : munus Tutoris, qui præcipuè datur ad regendum pupillum ipsum, & secundariò pupilli res ; terminari, ut primùm pupillus pubertatem attigerit. Constat expresè *ex Instit. Quibus modis tutela finitur*, ubi habetur : *Pupilli, Pupillæque cùm puberes esse cœperint à tutela liberantur.* Munus tamen, & Officium Curatoris, qui præcipuè datur ad administrandas puberis res ; terminari ipso jure cum pubertas finitur, seu completur annus vigesimus quintus. Colligitur *ex Instit. de Curatorib.* ubi habetur : Masculi quidem puberes ; & fœminæ viri potentes usque ad vigesimum quintum annum completum Curatores accipiunt.

7 Controverti solet à Doctoribus quinam veniant nomine Patris, & Filii circa irritandum hæc vota? Sub nomine filii comprehendi non solùm legitimum, verùm etiam naturalem, ac spurium, si moraliter constet, verè esse filium illius, qui irritare debet ; putat Castropalaus *de Voto disp. 2. punct. 7. numer. 5.* & movetur, quia licèt pater non habeat potestatem à Jure Civili ad filium naturalem, vel Spurium gubernandum ; habet tamen potestatem à Jure naturæ, ut consulat imbecillitati, & immaturo judicio filii in vovendo ; ne videatur destitutus hoc convenienti remedio. Hæc tamen intelligenda sunt, quando nullus adest Tutor, qui consulere queat huic remedio : quòd si Tutor adsit ; ipsi, & non parenti competit illius filii gubernatio, cum sub Tutoris potestate sit, non vero Parentis. Sic *ex Instit. de Patria potest. in principio* ; & sic etiam Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 35. numer. 82.* Sub nomine Patris circa irritanda hæc vota impuberis venire Tutorem, qui sufficitur loco patris ex juris dispositione ; omnes concedunt. Idem dicendum de Matre, si mortuo patre filio impuberi non sit datus Tutor : quia licèt mater non sit tutrix ipso jure ob mortem mariti ; nihilominus jure naturali datur matri filium impuberem gubernare, si deficiant Pater, avus, aut Tutor : cum consulendum sit imbecillitati impuberis in vovendo. Sic Suarez *lib. 6. de Voto capit. 6. numer. 22.* Sà *verb. Voti irritatio, numer. 1.* Sayrus *lib. 6. capit. 10. numer. ult.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 35. numer. 76.* Layman *lib. 4. Sum. tract. 4. capit. 7. numer. 10.* Bonacina *quæst. 2. de Voto punct. 7. §. 2. numer. 18.* & Castropalaus *disput. 2. de Voto punct. 7. numer. 7.* Vivente tamen patre, aut ipso mortuo, si filio impuberi datus sit Tutor ; non poterit mater vota ulla irritare filii impuberis : & ratio est, quia nec personæ filii, nec ejus bonorum competit matri administratio ; cum hæc sit penes patrem, vel eo deficiente penes tutorem, cujus est imbecillitati impuberis consulere in vovendo. Sic Sylvester *verb. Votum 4. quæst. 2.* Navarrus *in Sum. cap. 12. numer. 64.* Azor. 1. *par. lib. 11. capit. 17. quæst. 7.* Lessius *lib. 2. capit. 40. dubitat. 14. numer. 82.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 35. numer. 78.* Suarez *lib. 6. de Voto capit. 6. numer. 22.* & Castropalaus *de Voto disputat. 2. punct. 7. numer. 7.* An etiam sub nomine patris intelligi debeat herus, & Magister, si deficiant pater, tutor, & alii ascendentes, quibus de Jure competit impuberis gubernatio ; dubia res est. Nam licèt hanc facultatem irritandi vota impuberum extendant ad herum, & Magistrum in casu posito Sayrus, Lessius, Suarez, & Layman *loco citato* : eo quia videtur pietati consonum, & æquitati, ne impubes destitutus sit hoc remedio, cum facilè ductus ex imprudentia vovere possit. Nihilominus probabilior videtur sententia opposita : eo quia dominativa potestas requisita ad irritationem, nec jure naturali, nec positivo competit hero, & Magistro : sic Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *loco citato numer. 8.* quamvis putet sententiam affirmantem probabilem, & piam ob tantorum Doctorum authoritatem.

Sed quid dicendum de Votis emissis à filiis puberibus, poterit ne pater eorum vota irritare? Resp. patrem irritare tantùm posse ea vota filiorum puberum, quæ ejus administrationi, & domesticæ gubernationi præjudicium inferunt, non verò alia vota : & ratio est, quia accedente pubertate præsumitur filius habere discretionem ad vovendum requisitam ; nec jus decernens, vota impuberum habere tacitam illam conditionem, ob quam patri data est facultas illorum vota irritandi ; pariter decrevit de votis puberum ; ergo nisi vota à filiis puberibus emissa præjudicium afferant paternæ administrationi, & ejus domesticæ gubernationi, nam semper eorum vota, ut valida sint, imbibitam habent hanc conditionem, nisi patri præjudicium inferant ; irritari non poterunt à patre. Colligitur hæc doctrina *ex Leg. Deo nobis §. hoc etiam Cod. de Episcop. & Cleric. ex Cap. Ad nostram de Regular. & ex Capit. 1. & 2. 20. quæst. 2.* Sic Suarez *lib. 6. de Voto capit. 5. numer. 4.* Valentia 2. 2. *disputat. 6. quæst. 6. punct. 6.* Sayrus *lib. 6. capit. 5. numer. 6.* Lessius *lib. 2. capit. 40. dubitat. 14. numer. 82.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 35. numer. 15.* Bonacina *quæst. 2. punct. 7. §. 2. numer. 21.* & Castropalaus *disput. 2. de Voto punct. 7. numer. 9.* Extendunt hanc doctrinam Sanchez, Suarez, & Castropalaus *locis citatis* ad vota etiam juramento firmata : nam juramentum soli Deo præstitum sortitur voti naturam, & est ipsi voto accessorium ; adeoque huic irritativæ potestati patris derogare non poterit. 8

Adnotandum hìc : filium non eximi à potestate Patris ratione ætatis, quamvis enim vigesimum quintum annum expleverit ; poterit tamen esse sub patria potestate, nisi caput exemptionis habuerit, ut sunt professio religiosa, eligi in Episcopum ; aut obtinere aliquam Dignitatem ex illis, quarum mentionem faciunt Leges &c. Nec ratione Ordinis Sacri, etiam si Præsbyteratus sit, eximitur à Patris potestate : quia nullibi hoc cautum est, adeoque pater non poterit amittere usum fructuum, & bonorum administrationem. Sic communiter Doctores teste Castropalao *disp. 2. de Voto punct. 7. num. 2.*

Ex dictis deducitur 1. non posse patrem irritare vota Re-

ta Religionis, Castitatis, & Ordinis Sacri suscipiendi filii puberis, in his enim sui juris est. Nec vota fundendi moderatas preces, faciendi moderata jejunia, observandi Divina mandata, frequentandi Sacramenta, & similia: non enim rectæ administrationi, & domesticæ gubernationi detrimentum, & præjudicium inferunt; ut docent Suarez *lib. 6. de Voto capit. 5. numer. 4.* Lessius *lib. 2. capit. 40. dubit. 14. numer. 85.* Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 35. numer. 15.* & Castropalaus *de Voto disp. 2. punct. 7. numer. 10.* Poterit tamen irritare votum longæ peregrinationis, & diuturnæ absentiæ; cum ad patrem spectet curam habere de filio, dum sub patria potestate reperitur. Sic supracitati Doctores.

Deducitur 2. nec posse irritare vota realia filiorum ex bonis, quorum dominium, & administrationem habent; ut sunt bona Castrensia; vel quasi Castrensia; in his enim sui juris sunt, nec præjudicant potestati patris *ex Leg. Filius familias in fin. ff. de Donation.* Et docent Navarrus *in Summ. cap. 21. numer. 70.* Suarez *lib. 6. de Voto capit. 5. numer. 6.* Sanchez *lib. 4. Sum. capit. 35. numer. 23.* Lessius, Azor. Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disput. 2. punct. 7. numer. 11.*

Deducitur 3. patrem non posse irritare vota filiorum puberum, quæ de bonis adventitiis emiserunt: nam de his neque usum fructum, neque administrationem pater habet, adeoque cessat ratio administrationis domesticæ, cui præjudicari possit per talia vota. Colligitur *ex Textu in Authen. Ut liceat Matri, & Aviæ versic. Rex autem.* Sic Castropalaus *de Voto disput. 2. punct. 7. numer. 12.*

Deducitur tandem: quòd si filius jam egressus fuerit è patria potestate, non possit ampliùs pater ejus vota irritare, quęcumque fuerint: & ratio est, quia jam filius est sui juris quoad personam, & bona; nec in his Patri subjectus est. Sic communiter Doctores.

9 Maritus, quamvis ex probabili sententia, quam docent Sotus *lib. 7. quæst. 3. art. 1.* Aragonius, & alii apud Sanchez *lib. 9. de Matrim. disput. 3. numer. 7.* & videtur favere Divus Thomas 2. 2. *quæst. 88. artic. 8.* ad 3. possit omnia vota uxoris irritare, quæ emissa fuere constante matrimonio, excepto voto continentiæ facto cum utriusque consensu: nam cum uterque in tali casu cedat juri suo, videtur à se abdicare jus revocandi, & irritandi votum alterius, ut bene notarunt Lessius, Sanchez, Suarez, Sayrus, & Reginaldus penes Bonacinam *de Voto quæst. 2. punct. 7. §. 2. numer. 16.* Probabilior tamen censenda est Sententia asserens: ea solùm vota irritare posse maritum, quæ sive ante, sive post matrimonium uxor emisit cum præjudicio usus matrimonii, educationis prolis, & domesticæ gubernationis; eam namque sustinent Navarrus, Valentia, Azor. Sayrus, Lessius, Suarez, Basilius Legionensis, Layman, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *disp. 2. de Voto punct. 6. num. 2.* eo quia nec ex jure naturali, neque ex jure positivo constat, uxorem subiici marito in actionibus, personalibus, non præjudicantibus usui matrimonii, prolis educationi, & domesticæ gubernationi. Subjectio namque uxoris ad virum oritur ex contractu matrimonii, adeoque commensuranda erit ex fine per matrimonium intento: cum igitur multæ actiones viri sint, quæ non obstant tali fini, ut sunt moderatæ pœnitentiæ, divinorum mandatorum observantia, breves quædam orationes, eleemosyna ex propriis bonis &c. inde erit, quòd poterit uxor ad hæc se firmiter obligare ex voto, absque eo quod suo Viro subjaceat.

Hinc deducitur 1. posse matrimonium irritare votum uxoris de non petendo debito, cum sit subjecta marito quoad hoc: potest enim ipsi afferre præjudicium, quatenus verecundiam pati possit, ut semper ipse teneatur petere. Sic docent Sanchez, Reginaldus, Valentia, Rodriquez, & Filliuccius penes Sayrum *lib. 6. capit. 5. numer. 13.* Et hoc extendit Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 34. numer. 9.* etiam si factum fuerit cum ipsius mariti licentia, dummodo tamen uterque ex communi consensu non emiserit votum Castitatis, ut supra dictum est.

Deducitur 2. non posse maritum irritare votum Uxoris, quod emisit implendum post mortem mariti: eo quia nec uxor in hoc subjecta est marito, nec præjudicium infert ipsi in aliquo. Sic ex Suarez, & Sanchez docet Bonacina *de Voto quæst. 2. punct. 7. §. 2. numer. 13.* quidquid in contrarium dixerint Innocentius, & Panormitanus.

Sed quæres 1. an possit maritus irritare votum Uxoris emittum cum facultate ipsius mariti? Resp. posse, eo quia maritus per facultatem datam uxori ad votum emittendum non amisit potestatem in uxorem; ergo si durat hæc potestas, poterit votum illius irritare: nam potestas irritandi votum, quæ competit viro; fundatur in potestate Viri in Uxorem. Sic Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 27. numer. 11.* Suarez *lib. 6. de Voto capit. 4. num. 10.* Sayrus *lib. 6. capit. 10. num. 19.* & Reginaldus *lib. 18. numer. 304.* Hoc tamen intelligendum erit, nisi vir dederit facultatem irrevocabilem Uxori respectu alicujus rei, quam poterat à se abdicare: eo quia concedens facultatem irrevocabilem cedit juri suo; & consequenter cessat in eo potestas irritandi: quod etiam extenditur ad vota Religiosorum, filiorum, & Servorum facta cum licentia irrevocabili Superioris, Patris, & Domini: ut bene adnotant Sanchez *l. c.* & Bonacina *de Voto quæst. 2. punct. 7. §. 2. numer. 15.* 10

Quæres 2. an etiam Vxor irritare poterit vota Viri sui? Resp. ea vota irritare posse uxorem respectu sui viri, quæ sibi præjudicium inferunt, & aliquod afferunt incommodum; ut sunt vota longæ peregrinationis, immoderatorum jejuniorum, & castigationum corporis, quæ illum reddunt ineptum ad debitum conjugale; nimiarum precum illum distrahentium à domus cura, & providentia Uxoris, induendi habitum Eremiticum, vel Tertii Ordinis Sancti Francisci, quia horrorem incutiunt mulieribus, & retrahunt illas à cohabitatione, & debito conjugali, ac similium: ratio est, quia conjuges sunt pares, & æquale jus habent quoad cohabitationem, & debitum conjugale; ergo si vir potestatem habet irritandi ea vota, quæ in hoc sibi præjudicant; etiam & uxor æquali potestate gaudere debebit. Sic Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 34. numer. 20.* Suarez *lib. 6. de Voto capit. 4. numer. 8.* Lessius *lib. 2. capit. 40. dubit. 15. numer. 98.* Bonacina *de Voto quæst. 2. punct. 7. §. 2. num. 17.* & Castropalaus *de Voto disput. 2. punct. 6. num. 9.* Non poterit tamen alia vota mariti irritare, quæ sibi præjudicium non inferunt: quia vir nequit subjici uxori, quæ non habet potestatem dominativam in virum. Sic supracitati Doctores. 11

Domini ea vota servorum irritare poterunt, etiam invitis ipsis servis; quæ ipsorum dominio præjudicant: eo quia servi ratione servitutis, adstricti sunt Domino suo, qui habet in illos potestatem dominativam, ergo habet potestatem irritandi eorum vota, quatenus præjudicant suo dominio. Quòd si vota servorum nullum præjudicium inferant suo domino, non poterunt ab illo irritari: quia in his, in quibus servus non præjudicat obsequio, & servitio domini sui juris est, nec est subjectus Domino. Sic Divus Thomas *in 4. distin. 38. quæst. 1. artic. 1.* Sylvester *verb. Votum 4. quæst. 2.* Suarez *lib. 6. de Voto capit. 3. numer. 1.* Azor. *lib. 11. capit. 16. quæst. 8.* Lessius *lib. 2. capit. 40. dubit. 14. numer. 86.* & Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 36. numer. 2.* 12

Hinc deducitur: dominos non posse ea vota servorum irritare, quæ remiserint adimplenda tempore solutæ servitutis, quando sui juris erunt: nam in his extra domini potestatem sunt, nec præjudicium inferunt ejus obsequio. Sic Lessius *loco citato numer. 86.* Vota verò, quæ emissa fuere ante tempus incœptæ servitutis, si præjudicium afferant obsequio debito domino; suspendi poterunt ab ipso domino, si scilicet præcipiat alia opera incompatibilia pro eo tempore cum executione ipsorum votorum; quamvis irritari non possint, cum non sint de materia domino subjecta, ut essent vota audiendi missam, jejunandi, communicandi &c. Votum tamen Castitatis nullo modo irritari, aut suspendi poterit à domino: quia non est de materia domino subjecta, nec ejus executio præjudicium aliquod ejus obsequio affert, ut omnes Doctores concedunt teste Castropalao *de Voto quæst. 2. punct. 5. num. 1.*

Inquires hìc: an etiam herus irritare possit vota suorum famulorum? Resp. non posse, cum non habeat in famulos potestatem dominativam, sicuti dominus respectu servorum; poterit tamen ea vota 31

famu-

famulorum suspendere, quæ præjudicialia sunt ejus obsequio sibi debito: ut docent Suarez *libr. 6. de voto capit. 3. numer. 6.* Sanchez *lib. 4. de voto capit. 24. numer. 24.* & Sotus *lib. 7. de Just. quæstion. 3. art. 1.*

14 Prælati Religiosorum extra controversiam habent facultatem irritandi vota suorum subditorum, quæ apponuntur, & impediunt suam jurisdictionem, ac religiosam gubernationem: & ratio est, quia vota à religiosis emissa nequeunt esse contraria voto obedientiæ, nec præjudicium inferre jurisdictioni Prælati, cui subesse debent. Et jus Ecclesiasticum hanc conditionem inesse voluit votis religiosorum, si Prælatus scilicet non contradixerit, ut probat communis religiosorum praxis, & testantur Angelus, Sotus, Suarez, Sanchez, Lessius, Vasquez, Reginaldus, & alii apud Bonacinam *de voto quæstion. 2. punct. 7. §. 2. num. 26.*

Quia tamen multa possunt esse vota Religiosorum, quæ nec Obedientiæ, nec Jurisdictioni Superiorum præjudicium inferant, ut sunt vota de actibus internis, de servandis Ecclesiæ, vel suæ religionis præceptis; ideo inquiritur, an etiam ad hæc vota extendatur irritativa potestas Prælatorum religionis. Communior sententia cum Divo Thoma, Navarro, Azorio, Valentia, Lessio, Suarez, Sanchez, Layman, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disputat. 2. punct. 8. num. 2.* docet extendi ad omnia vota religiosorum Statum religionis non constituentia de quacumque materia sint, excepto tamen voto arctioris religionis assumendæ: ratio est, quia potuit Pontifex ita voluntatem subditorum suis Prælatis subjicere, ut nil firmiter vovere possint absque eorum consensu, sic enim melius consuleretur religiosæ gubernationi; sicuti potuit voluntatem filiorum impuberum, & pupillorum, ut consuleretur eorum immaturæ deliberationi, ita voluntati patris, & tutoris subjicere, ut in horum potestate sit filiorum, & pupillorum vota firmare, vel irritare. Et sicuti quæcumque Respublica facultatem habet apponendi contractibus suorum Civium aliquas conditiones, sine quibus contractus obligatio non persistit; cur etiam hoc non poterit Pontifex in votis Religiosorum, apponendo scilicet hanc conditionem, si Superior consenserit, ut sic rectius, & tutius procedant Regulares in Statu assumpto. Et quòd ita sit factum rectè colligitur ex usu, & praxi ipsorum Religiosorum, & indicat Divus Augustinus relatus *in Cap. Non dicatis 12. quæst. 2.* ubi ait: Religiosum non solùm facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis renunciare; & se per promissam obedientiam aliorum potestati, & imperio subdere. Et *in Capitul. Si religiosus de Elect. in 6.* ait Bonifacius VIII. *Religiosus, cujus arbitrium non ex sua, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit; voluntate dependet.*

Non nego, oppositam sententiam defendere Cajetanum Palacios, Armillam, Angles, & alios à Suarez relatos *libr. 6. de vot. capit. 7. numer. 2.* & probabilem reputat Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 13. num. 74.* Eorum ratio est, quia ex voto Obedientiæ, & ex ipso statu religioso colligi nequit tam lata subjectio; Ergo religiosi non in omnibus obligationibus assumendis ita subjecti sunt suis Prælatis, ut in horum voluntate sit constitutum, eorum obligationes assumptas firmare, aut irritare. Verùm ad rationem adductam responderi posset, latam hanc subjectionem non oriri præcisè ex voto obedientiæ, & ex ipso statu religioso; sed oriri ipsis ex dispositione Ecclesiæ volentis consulere rectæ gubernationi religiosorum. Et quamvis sæpè Prælati nequeant impedire materiæ executionem per votum promissæ, ut audiendi Sacrum die festo, & similium; possunt tamen impedire novam, & voluntariam obligationem circa ipsam auditionem Sacri, utpote non necessariam, & sæpe sæpius non convenientem, ut adnotat Castropalaus *disputat. 2. de voto punct. 8. numer. 2.*

Ab hac potestate irritandi vota religiosorum, quæ in eorum Prælatis reperitur; excipi debent ea vota, quæ statum religiosum constituunt, ut superiùs innui, hæc enim irritabilia non sunt, imò ab ipsis oritur irritativa potestas, & in ipsis tamquam in fundamento consistit: quapropter ipsis ablatis corrueret irritandi facultas. Sic vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, in quibus Status religiosus constituitur; irritari nequaquam poterunt: sicuti nec irritari poterunt vota Statui Religioso ex dispositione Pontificis annexa: ut sunt votum Quadragesimalis abstinentiæ in Religione Patrum Minimorum; votum Redemptionis captivorum in Religione Patrum Mercenariorum; & in nostra Societate Jesu votum acceptandi Gradum, quem Præpositus Generalis designaverit; votum solemne specialis Obedientiæ Summo Pontifici, aliaque vota simplicia à nostris Professis post professionem emissa; annexa namque sunt Statui religioso, adeoque minimè irritabilia cum accessorium sequatur naturam sui principalis. Sic Sanchez *libr. 4. Summ. capitul. 33. numer. 5.* Layman *libr. 4. Summ. tractat. 4. capitul. 7. numer. 6. assert. 3. in fine*, & Castropalaus *disp. 2. de voto punct. 8. num. 3.*

Excipi insuper debet à potestate irritandi votum assumendi arctiorem religionem: & ratio est, quia sicuti executio hujus voti impediri nequit à Prælatis religiosorum, ut habetur *ex Cap. Licet de Regular.* ita neque irritari poterit: nam per irritationem impediretur talis assumptio, quæ cum respiciat perfectiorem professionem, excipi videtur ab irritativa potestate. Sic Navarrus, Sayrus, Lessius, Suarez, Sanchez, Layman, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disp. 2. pun. 8. num. 4.* 15

Quæres 1. quinam veniant nomine Prælatorum, qui gaudeant in religione potestate irritandi vota? Resp. venire omnes illos, quibus religiosus subjicitur ratione Status religiosi: ut sunt Generalis, Provincialis, aut Provinciæ visitator, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, & similes, ut omnes concedunt. Superiores verò, qui in eadem domo religiosa subordinantur Priori, Guardiano, Præposito, Rectori &c. quamvis Superioris nomine sint insigniti, revera tamen non sunt tales; nam non nomine proprio, sed alieno imperant; nec in virtute Obedientiæ præcipiunt; nec absolvere possunt à reservatis; adeoque facultate irritandi vota minimè gaudere possunt: ut ex Suarez, & Sanchez, adnotat Castropalaus *de voto disp. 2. pun. 8. num. 5.* De illis, qui vices gerunt Generalis, Provincialis, Prioris, Guardiani, Præpositi, & Rectoris eodem modo discurrendum est, ac de illis, quorum vices subeunt; videntur enim parem habere facultatem, ac jurisdictionem cum illis, nisi aliunde limitata fuerit, & restricta ad aliquas tantùm causas; tunc enim facultas præterire nequibit terminos concessionis: ut docent Sayrus, Azor. Suarez, Sanchez, Reginaldus penes Bonacinam *quæstion. 2. de voto pun. 7. §. 2. num. 31.* qui addit potestatem irritandi vota delegari posse alteri ab habente illam, cum nihil obstet, cur delegari nequeat.

Difficultas non levis est: an Abbatissæ, & Prioris- 16
sæ gaudeant hac facultate irritandi vota suarum Monialium? Et ratio dubitandi est, quia non habent jurisdictionem spiritualem, ut probat Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 1. num. 17.* in qua fundatur irritativa facultas. Nihilominus Sayrus, Lessius, Suarez, & Sanchez, penes Castropalaum *disputation. 2. de voto punct. 8. numer. 7.* concedunt illis hanc facultatem, sicuti & aliis Prælatis: cum votum obedientiæ æquè à suis subditis ipsis emittatur, ac aliis Prælatis. Probabilius tamen putarem cum Azorio *1. par. lib. 11. capit. 17. quæstion. 3. in fine*, & Castropalao *loco citato*, solùm irritare posse Abbatissas, & Prioriſſas ea vota suarum Monialium, quæ gubernationi domesticæ obstant: eo quia Moniales ipsis promittunt obedientiam in his rebus, quæ ad politicam, & domesticam gubernationem diriguntur ac temporalia bona domus, & familiæ religiosæ respiciunt; ergo nullam aliam potestatem in moniales habebunt Abbatissæ, & Prioriſſæ, nisi politicam, & domesticam, in qua parte sunt tantum Superiores, & habent monialium voluntatem sibi subjectam; ergo ea vota solùm irritare poterunt suarum monialium, quæ huic gubernationi domesticæ apponuntur.

Quæres 2. an Superior irritare possit votum re- 17
ligiosi subditi, postquam petita facultate in illud consensit, vel confirmavit? Respond. posse, si non

non sit executioni mandatum, aut confirmatum à Superiore majori, cum inferior Prælatus non habeat potestatem supra majorem: ratio autem cur irritare possit, est quia Superior per consensum jam præstitum non amisit dominium, aut potestatem, etiam si dixerit juri suo cedere, & in ea re eximere voventem à sua jurisdictione: sunt etenim hæ protestationes inefficaces, una semel quòd subditus Superiori subjectus remaneat: ut notat Lessius *lib.* 2. *capit.* 40. *dubit.* 13. *numer.* 76. *versic. Nec refert*. Adde, quòd in votis religiosorum semper intelligitur conditio illa, nisi Superior aliquando contradixerit, quæ quidem conditio non deperditur per consensum à Superiore jam præstitum. Sic Navarrus, Lessius, Reginaldus, Valentia, Azor. Sayrus, Sanchez, Layman, & Suarez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 7. §. 2. *numer.* 28. Non nego tamen peccare Superiorem, si absque justa causa irritet votum post concessam vovendi facultatem: impedit namque divinum Cultum. Quamvis putarem cum Suarez *lib.* 6. *de Voto capit.* 4. *in fine*, Bonacina *loco citato numer.* 29. *& aliis*, non esse tale peccatum nisi veniale, etiamsi materia voti gravis sit: eo quia Superior sic irritans non violat votum, cum ipse votum non emiserit, nec est causa violationis voti, nam irritatione posita aufertur voti obligatio. Paritas, quæ adduci solet de impediente absque justa causa adimpletionem præcepti Ecclesiastici ad irritantem votum, non est ad rem: nim ab irritante aufertur obligatio, quæ non aufertur ab impediente adimpletionem præcepti Ecclesiastici.

18 Quæres 3. quinam veniant nomine Religiosorum, quorum vota irritare possunt eorum Prælati? Resp. venire omnes illos, qui sunt subjecti ex voto obedientiæ, & status religiosi, etiamsi vota solemnia non emiserint, sed solùm simplicia, per quæ constituantur verè religiosi, ut est in nostra Societate Jesu: sic docent Suarez *lib.* 6. *de Voto capit.* 7. *numer.* 10. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. capit.* 33. *numer.* 24. cum communi Doctorum. Non veniunt tamen Religiosi assumpti ad Episcopatum, etiamsi vota emiserint in Religione; nec perfectè exempti à subjectione religiosa, ut sunt Professi, cum quibus Pontifex dispensat ex plenitudine suæ potestatis, & à votis absolvit; aut religiosi ejecti in perpetuum justis de causis; vel Scholares, & Coadjutores è Societate Jesu dimissi: horum enim vota etiam in religione emissa nequeunt irritari à Prælatis regularibus: & ratio est, quia non sunt religiosi, & statu religioso cessante, in quo fundatur facultas irritandi, cessat pariter & ipsa irritativa facultas, ut bene advertit Sanchez *lib.* 4. *de voto capit.* 30. *numer.* 23. Secus verò dicendum, si non absolutè eximantur à subjectione religiosa, sed imperfectè, poterunt tunc eorum vota irritari à Prælatis, quibus subjiciuntur, non verò ab aliis, à quibus eximuntur, quia absolutè remanent Religiosi. Sic Castropalaus *de Voto disput.* 2. *punct.* 8. *numer.* 8. Nec veniunt Novitii, quia sunt sui juris, nec ex voto obedientiæ alicui subjecti: sic Nvarrus, Azor. Lessius, Sayrus, Suarez, Sanchez, Layman, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *loco citato numer.* 10. Non denegant tamen hi Authores facultatem suspendendi vota personalia Novitiorum illis Prælatis, ad quos spectat eorum gubernatio, & probatio; si sint impedimento ad probationem faciendam. De Votis tamen realibus diversimodè sentiendum: cum enim hæc vota non impediant regularem observantiam, ac exercitia propria Novitiorum, aut ea difficiliora reddant; inde est, quòd non poterunt à Prælatis Regularibus suspendi, sed commutari cum causa, etiamsi personalia sint, in opera, & exercitia Novitiatus, utpote in rem evidenter meliorem; quod etiam præstare poterunt ipsi Novitii: quia commutatio voti in evidenter melius potest fieri ab ipso vovente non per modum jurisdictionis, sed per abundantiorem satisfactionem: ut docent Lessius, Suarez, Sanchez, Sayrus, Azor. relati à Bonacina *quæst.* 3. *de Voto punct.* 7. §. 2. *numer.* 32.

CAPUT XVII.

Quomodo tollatur Voti obligatio per Dispensationem?

1 *Quid sit Dispensatio Voti, & quomodo differat ab Irritatione?*
2 *Dispensare est actus Jurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ. Et quibus competat?*
3 *Ad licitam, & Validam Dispensationem Voti requiritur justa causa.*
4 *Quænam sint causæ sufficientes ad Voti Dispensationem?*
5 *Adnotantur quinque circa Voti Dispensationem.*
6 1. *Causa sufficiens ad dispensandum est occasio majoris ruinæ spiritualis.*
7 2. *Est experiri gravem difficultatem non sufficienter prævisam in emissione voti,*
8 3. *Si dubium insurgat, an votum factum impediat majus bonum.*
9 4. *Si bonum commune Reipublicæ impediatur à Voto.*
10 5. *Si ex Voto emisso sequatur damnum propriæ domus, vel familiæ.*
11 *Adnotantur duo circa has causas.*
12 *Quinam habeant ordinariam potestatem dispensandi? Et ad quæ Vota extendatur?*
13 *Quinam veniant nomine subditorum, in quos Episcopus exercere valeat potestatem dispensandi?*
14 *An Episcopus extra Diœcesim dispensare possit in Voto sui subditi?*
15 *An Archiepiscopus dispensare valeat in Votis emissis à suis Episcopis suffraganeis?*
16 *An Episcopus dispensare possit in Votis Novitiorum?*
17 *An Prælati Regulares dispensare possint in Votis Novitiorum?*
18 *An Episcopus dispensare possit in Votis Religiosorum exemptorum?*
19 *Quænam sint Vota specialiter reservata Summo Pontifici?*
20 *Quænam vota Castitatis, Religionis, & Peregrinationis reservata dicantur.*
21 *An Prælati inferiores Pontifice possint aliquando dispensare in his votis?*
22 *Adnotantur duo circa hanc dispensationem.*
23 *An Prælati inferiores dispensare possint in his quinque Votis, si fuerint conditionalia?*
24 *Quinam habeant delegatam facultatem dispensandi in Votis?*
25 *An concessa facultate generali dispensandi in Votis intelligatur comprehensa facultas dispensandi in Votis reservatis?*
26 *An si Pontifex in facultate data excipiat tria minota vota, nulla facta mentione duorum majorum; intelligatur hæc concedere?*
27 *An Votum sit reservatum per hoc, quòd vovens voluerit illud reservare Pontifici, itaut ab alio dispensari nequeat?*

DISPENSATIO nihil aliud importat, nisi remissionem nomine Dei factam obligationis, quam vovens erga Deum contraxerat per votum: & sicuti per remissionem à Creditore factam, vel ab altero habente vices illius debitum extinguitur; sic per remissionem factam ab habente Vices Dei obligationis voti extinguitur Votum. Sic Dispensationem explicant Suarez *lib.* 6. *de Voto capit.* 9. *numer.* 15. Vasquez 1. 2. *disputat.* 178. *numer.* 13. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubitat.* 17. *numer.* 112. Differt Dispensatio ab Irritatione, eo quia dispensatio pertinet ad potestatem spiritualem, & ad sui validitatem requirit causam; secus verò Irritatio, quæ spectat ad potestatem dominativam, nec causam requirit ad sui valorem. Differt quoque à Commutatione, quia hæc non aufert simpliciter obligationem voti, sed novam materiam loco promissæ substituit. 1

Dispensare est actus Jurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ: quòd autem in Ecclesia sit hæc vera, propria, & spiritualis potestas dispensandi in Vo- 2

in votis, & aliis obligationibus, quibus homo est Deo obstrictus, ut ex inveterata Ecclesiæ consuetudine patet; constat ex illo *Matth. 16. ubi Christus Dominus Petro* ejusque successoribus illam concessit dicens: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cœlis. Matth. in super* 18. dixit: *Amen dico vobis, quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis.* Quæ quidem verba ob generalitatem, quam includunt, extendunt Patres simul cum Traditione Ecclesiæ ad quodcumque vinculum salutem animarum, & rectam Ecclesiæ gubernationem respiciens: expediens numque erat ad hæc non solùm culpæ, & pœnæ, sed etiam Voti, & Juramenti solutio. Hæc verò potestas absolvendi à Voto, & Juramento à Christo Domino suæ Ecclesiæ relicta cum non sit potestas Ordinis, non enim spectat ad Ordinem aliquem ad hoc munus deputatum; erit tantùm potestas Jurisdictionis externæ Spiritualis Ecclesiasticæ habenti subditos, illosque in foro externo gubernanti. Sic Lessius, Sayrus, Sanchez, Bonacina, Basilius Legionensis, quos refert, & sequitur Castropalaus *disput. 2. de Voto punct. 9. numero* 2. Hinc infertur, potestatem hanc dispensandi in Votis competere solùm Prælatis habentibus jurisdictionem in foro exteriori; non verò Principibus Laicis, aut infidelibus, non enim sunt successores Apostolorum, sicuti Prælati; nec capaces sunt Ecclesiasticæ Jurisdictionis: spectat siquidem hæc potestas, ut dictum est, ad externam Ecclesiæ gubernationem; sicuti ad eamdem spectat potestas concedendi Indulgentias, excommunicandi, relaxandi Leges, &c. quamvis non negaverim, delegari posse sacerdotibus, aut etiam Clerico tonsurato, non verò Conjugato: ut adnotat Bonacina *de Voto quæst. 2. punct. 7. §. 4. num. 3.*

3 Ad licitam, & validam Voti dispensationem requiritur Causa justa: nam cum fiat nomine Dei, & in jure suo Divino in tantum fieri poterit, in quantum ipse consenserit; ideo censendum non est, Deum consentire in remissione sui debiti absque justa causa. Sic Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 88. articul. 12. ad 2.* & Canonistæ cum Glossa *in Capit. Non est, versic. adimplere de Voto,*

4 Quænam sint Causæ sufficientes ad dispensationem Voti? Resp. esse illas, quæ obstant executioni Voti; non enim censetur Deus remissioni obligationis Voti consentire, cum cedat in sui honorem, & voventis utilitatem; nisi adsit causa impediens obligationem hujus executionis. Sic D. Thomas *loc. cit.* Causæ autem, quæ obstant executioni Voti; sumi possunt vel ex modo vovendi, vel ex ipsa materia Voti. Ex modo vovendi sunt, vovere imprudenter, temere, & absque perfecta deliberatione, quod maxime evenit in ætate tenera; aut vovere metu interveniente, tristitia, aut alia passione; vel cum errore circa causam impulsivam; aut quia cessavit causa, quæ movit ad vovendum. Nam in casibus enumeratis regulariter vovens experitur periculum violandi votum; & voluntarium diminuitur, & per consequens voti obligatio, quæ à libera voventis voluntate procedit. Sic Suarez, & ferè omnes Doctores, quos videre est penes ipsum *libro 6. de Voto capitul. 17. numero* 8. & Sanchez *de Matrimon. libro* 8. *disputat.* 20. *numero* 12.

5 Adnotandum 1. licèt defectus plenæ, & perfectæ libertatis det sufficientem causam ad dispensandum; non tamen eam semper præbere ita absolutè ad votum omnino relaxandum absque aliqua commutatione, cum hoc dijudicandum relinquatur prudentis arbitrio; imò frequenter admiscenda erit Commutatio, ut docet Sanchez *libro 4. summ. capitul. 45. numero* 28. & annuit Suarez *libro 6. de Voto capit. 17. numero* 8.

Adnotandum 2. votum à pupillo emissum in pupillari ætate dispensari posse absolutè absque ulla commutatione ob defectum plenæ libertatis, qui à Jure præsumitur: par enim est, ut Divina Benignitas non ita rigorosè acceptet obligationem in tenera illa ætate susceptam. Sic Sanchez *loc. cit. numero* 30. & Castropalaus *de Voto disputat. 2. punct. 9. numero* 8.

Adnotandum 3. timorem mortis ob naufragium, gravem infirmitatem, vel aliud simile periculum non excludere ex se maturam deliberationem ad vovendum; imò cum matura, & prudenti deliberatione votum emittitur in similibus circumstantiis, ut timor cesset, & securus vovens fiat; quapropter talis timor non dat regulariter sufficientem causam ad dispensandum. Quòd si vovens ob nimium affectum conservandi vitam aliquando fuerit præceps ad vovendum; censet, posse cum ipso dispensari admixta tamen commutatione Castropalaus *loc. cit. numero* 1. colligens hoc ex Sanchez *loc. cit. numero* 31. Extendit etiam hanc doctrinam ad voventem ira, tristitia, vel simili passione agitatum: cum illa inconsideratio præbeat aliqualem causam dispensandi, sed cum admixta commutatione.

Adnotandum 4. quamvis error circa causam impulsivam, vel cessatio causæ, ob quam motus fuerit vovens ad vovendum; dent sufficientem causam ad dispensandum, eo quia voluntarium requisitum ad vovendum minuitur; nihilominus absolutè non est concedenda dispensatio, sed commutatione adjuncta: ut colligitur *ex Capit. Magnæ de Voto* & docet Sanchez *libro 4. summ. capitul. 45. numero 33. & 34.*

Adnotandum denique: dubium insurgens circa intentionem obligationis dare sufficientem causam ad dispensandum apposita commutatione, cum vergat in Divinum honorem remissio illius debiti, de quo non satis constat obligatio. Sic idem Sanchez *loc. cit. num. 39.* cum Castropalo *de Voto disp. 2. punct. 9. num.* 11.

Causæ sufficientes ad dispensationem in Voto ex 6
materia ipsius utpote obstantes executioni illius; multiplices enumerantur. Prima est: si votum emissum sit occasio majoris ruinæ ob fragilitatem communis conditionis humanæ, vel ob spiritualem dispositionem voventis: sic dispensari poterit votum non peccandi mortaliter, aut non petendi debitum inter conjugatos, quia adest regulariter periculum transgressionis, & spectata fragilitate, aut malitia voventis sæpe est occasio violationis; adeoque redditum est inutile ad finem intentum votum jam emissum; & dispensatio erit censenda potiùs in Dei Gloriam, & bonum spirituale voventis: ut docent Suarez *libro 6. de Voto capitul. 17. num. 9.* Sanchez *libro 4. summ. capitul. 45. numero 40.* Layman *libro 4. summ. tractat. 4. capitul. 8. numero* 5. & Lessius *libro 2. capitul. 40. dubitat. 17. numero* 120 & Castropalaus *de Voto disputat. 2. punct. 9. num.* 12.

Secunda causa est experiri gravem difficultatem 7
in exequendo, nec sufficienter prævisam in voti emissione: & ratio est, quia licèt non sit sufficiens motivum ad hoc ut cesset obligatio voti; sufficiens tamen erit, ad hoc ut dispensatio concedatur: spectat namque ad benignitatem Dei remittere obligationem ob difficultatem non satis prævisam, quam experitur vovens in executione, & cum qua habet periculum violandi illud. Sanchez *libro 8. de Matrim. disputat. 20. numero 18.* Suarez *libro 6. de Voto capit. 17. numero* 12. & Castropalaus *de Voto disput. 2. punct. 9. num.* 13.

Tertia causa est: si dubium insurgat, an votum 8
factum impediat majus bonum; stante siquidem tali dubio *non* apparet sufficienter, an votum gratum fuerit Deo; adeoque ad tollendam perplexitatem, & ut securus magis in conscientia reddatur vovens; dispensandum erit, maximè si ex dispensatione major speretur utilitas voventis. Sic Doctores superiùs citati relati à Castropalao *loc. cit. num.* 14.

Quarta est, si bonum commune Reipublicæ im- 9
pediatur à voto: *gratius* namque foret Deo bonum illud commune, quàm persistentia obligationis voti: sic dispensari poterit cum obstricto voto Castitatis, aut religionis, si matrimonium ab ipso contrahendum censeatur opportunum ad pacandas inimicitias inter Cives *magni* nominis, & famulatus; aut inter provincias. Sic etiam dispensari poterit in adstricto voto jejunii, si impediat concionem publicam magno cum animarum emolumento; vel lectionem magno cum studentium profectu. Sic Suarez, Sayrus, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disputat. 2. punct. 9. num.* 15.

Quinta denique est, si ex voto emisso sequatur dam- 10
num propriæ domus, vel familiæ: esset enim dura nimis, & onerosa obligatio, si cum tali damno servanda esset: spectat namque ad pietatem consulere bono propriæ domus, & familiæ. Sic dispensari poterit in voto peregrinationis, si ex absentia voven-

voventis tale damnum timeatur. Sic ex Suarez, & Sanchez tradit Castropalaus *l. c. numer.* 16. Addit Sanchez, posse ad conservandam illustrem familiam dispensari Votum Castitatis, aut Religionis admixta commutatione; quia videtur cedere in specialem Ecclesiæ honorem.

11 Duo hic adnotanda sunt. 1. quòd rarò quælibet ex recensitis causis sufficiat ad absolutam dispensationem; sed requirit admixtam commutationem, præcipuè si votum emissum grave sit, & perpetuum; uti esset votum Castitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis ultramarinæ, inserviendi personaliter Hospitali &c. Nam excellentia, & gravitas voti graviorem causam exposcere videntur ad dispensationem, ut ex Suarez, & Sanchez colligit Castropalaus *de Voto disput.* 2. *pun.* 9. *numer.* 17. quamvis non neget: quòd si aliqua causa sufficiens videatur Viro docto, & prudenti; possit dispensari integrè, & absolutè ab habente facultatem. 2. quod adnotari debet, est, teneri aliquando Superiorem ad dispensandum, si adsit legitima causa, & pensatis omnibus videtur magis expedire ad bonum commune, & speciale voventis; ut dispensetur, Sic Castropalaus *l. c. in fin.*

12 Quinam habeant ordinariam potestatem dispensandi; & ad quæ vota extendatur? Certum est, omnes Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suos subditos habere simul facultatem dispensandi in omnibus eorum votis, exceptis Summo Pontifici reservatis; & iis, quæ in favorem tertii facta sunt, & ab eo acceptata: ratio autem est, quia hæc facultas dispensandi in Votis necessaria est propter varia incommoda, quæ insurgere possunt, nec non ad rectam Ecclesiæ gubernationem valde congrua; cum igitur Prælati habeant omnem jurisdictionem, necessariam ad rectam gubernationem Ecclesiæ, & suorum subditorum; inde est, quòd ipsis competat facultas dispensandi in votis, Sic non solùm Pontifex, verum etiam Episcopi, Legati à latere in sua Provincia, Pœnitentiarius Summi Pontificis, Capitulum Sede Vacante, Abbates habentes propriam Diœcesim, ac Prælati Regulares exempti habent potestatem ordinariam dispensandi in Votis, Parochus tamen non sic, cum non habeat jurisdictionem in foro externo, quæ requiritur ad facultatem dispensandi in Votis, Sic Suarez *lib.* 6. *de Voto capit.* 10. & Sanchez *lib.* 4. *Sum. capit.* 38.

13 Quæres 1. quinam veniant nomine subditorum, in quos Episcopus exercere valeat potestatem dispensandi? Resp. venire non solùm eos, qui domicilium habent in ejus Diœcesi; verum etiam illos, qui licèt domicilium non habeant, habitant tamen ibi cum animo commorandi ad majorem anni partem; insuper venire vagos, qui cum sint quasi nullius Diœcesis, illam contrahunt pro tempore, quo ibi commorantur. Sic Suarez *lib.* 6. *de Voto capit.* 11. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disput.* 23. & Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 7. §. 4. *numer.* 5.

14 Quæres 2. an Episcopus extra Diœcesim existens possit dispensare in Voto sui subditi? Resp. affirmativè; eo quia dispensare in voto est actus jurisdictionis voluntariæ, & jurisdictio voluntaria exerceri potest extra propriam Diœcesim. Et hoc intelligi debet, non solùm si Episcopus sit extra Diœcesim, & subditus intra; vel viceversa; verum etiam si ambo sint in aliena Diœcesi. Sic ex Suarez, Sanchez, & Filliuccio tradit Bonacina *loco superiùs citato numer.* 6.

15 Quæres 3. an Archiepiscopus possit dispensare in Votis emissis à suis Episcopis suffraganeis? Resp. affirmativè; cum sit immediatus eorum Superior, præcipuè si Episcopi hoc requirant ab ipso. Sic Sayrus *lib.* 6. *capit.* 11. *numer.* 7. *dubit.* 12. Sylvester *verb. Archiepiscopus*, Aragonius 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. Sanchez *lib.* 4. *de Voto capit.* 38. *numer.* 16. & Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 7. §. 4. *numer.* 7. Cum subditis tamen suffraganeorum possunt tantùm dispensare, si sint in Visitatione Provinciæ, secus verò extra Visitationem, cum non habeant in ipsos ordinariam jurisdictionem. Sic Suarez, Sayrus, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c.*

16 Quæres 4. an Episcopus possit dispensare in Votis Novitiorum? Celebris hæc quæstio agitatur inter Doctores Magni nominis utrinque decertantes; nihilominus breviter respondendum, posse Episcopum absque controversia dispensare in votis Novitiorum: ratio est, quia ab ejus jurisdictione non sunt plenè exempti, cum adhuc religiosi non sint; & si ordinandi essent, ab Episcopo deberent accipere dimissorias juxta communem sententiam. Episcopus autem dispensans debet esse illius Diœcesis, in qua de præsenti residunt Novitii, non verò Diœcesis, in qua fortè antea commorabantur: & ratio est, quia per ingressum in Religiosum Novitiatum verum, & proprium domicilium acquirunt. Sic Suarez, Henriquez, Sanchez, & Bonacina relati à Castropalao *de Voto disput.* 2. *punct.* 10. *num.* 2.

Prælati verò Regulares, quamvis plures Doctores ipsis denegent hanc facultatem dispensandi in Votis Novitiorum; nihilominus possunt cum ipsis, sicuti cum professis in votis dispensare; eo quia licèt dominativam potestatem non habeant in Novitios, habent tamen potestatem jurisdictionis ad illos in suis actionibus regendos, & formandos; sicuti ad puniendos illorum excessus, ut ex praxi, & communi usu Religiosorum constat: cum igitur potestas dispensandi in hac jurisdictione fundetur, dicendum est, quod Prælati regulares exempti habeant in Novitios hanc facultatem dispensandi in eorum votis. Sic Angelus, Sylvester, Henriquez, Rodriquez, Lessius, Sanchez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disput.* 2. *punct.* 10. *num.* 3. 17

Quæres 5. an Episcopus dispensare possit in Votis religiosorum exemptorum? Resp. posse dispensare ex licentia Prælatorum eorumdem religiosorum; sicuti & quemlibet alium habentem facultatem dispensandi in Votis: dummodo extendatur ad ea vota, ad quæ extenditur facultas ipsius Prælati regularis: & ratio est, quia dispensatio in tali casu censetur concedi ex facultate commissa à Prælato regulari. Quòd si absque Superioris regularis licentia, & in iis, ad quæ facultas ipsius non extenditur, dispensatio fiat ab Episcopo; tunc nulla erit, cum sit in præjudicium privilegii exemptionis Religionibus concessi, nisi fortè Superior injustè deneget licentiam, nec de facili habeatur accessus ad Pontificem: nam per Epykejam præsumendum esset, Pontificem non denegare facultatem hanc Episcopis dispensandi in Votis Religiosorum, cum nec Sedes Apostolica adiri possit, nec sine dedecore religiosi status cogerentur Religiosi ad vagandum, ut dispensationem obtinerent. Sic Molina *tom.* 4. *disput.* 61. *numer.* 5. Sanchez *lib.* 4. *Summ. capit.* 39. *numer.* 36. & Bonacina *quæst.* 2. *de Voto pun.* 7. §. 4. *numer.* 10. Adnotandum hìc; Religiosos recurrentes ad Episcopos ex facultate suorum Superiorum non solùm in dispensatione Votorum, verum etiam in irregularitate, & censuris, ac aliis casibus concessis Episcopis à Tridentino; posse licitè uti eorum potestate; cum pro omnibus his militet par ratio. Sic ex Molina, Suarez, Sanchez, & Henriquez docet Bonacina *l. c.* 18

Quæres 6. quænam sint Vota specialiter reservata Summo Pontifici, ad quæ nec Episcopi, nec quasi Episcopalem Dignitatem habentes se extendere valeant in dispensatione? Resp. quinque enumerari, scilicet Vota Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad Terram Sanctam, ad Sanctum Jacobum Compostellanum, ad Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum in Urbe. Et quamvis non desint Doctores putantes, posse Episcopum dispensare in his tribus Votis Peregrinationis, si facta fuerint devotionis causa, & non in subsidium, Communis tamen sententia docet, & ex consuetudine universali Ecclesiæ receptum est, etiam hæc tria Vota Peregrinationis, devotionis causa emissa, Summo Pontifici reservari; & ratio est, quia licèt non exprimantur in Jure, nihilominus per consuetudinem induci potuit reservatio, sicuti per eamdem consuetudinem auferri potuit, Colligitur quoque hæc reservatio *ex extravag. Etsi Dominici de Pœnit. & Remiss.* in qua fertur excommunicatio contra illos, qui prætextu facultatum Sixti IV. sine Summi Pontificis facultate ista quinque vota commutant; ex quo rectè infertur eorum reservatio Summo Pontifici. Sic Sanchez, Lessius, Suarez, Basilius Legionensis, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disputat.* 2. *punct.* 10. *num.* 5. 19

Qures 7. quæ Vota Castitatis, Religionis, & Peregrinationis reservata dicantur? Resp. reservationem, ut po- 20

utpotè odiosam ; & diminuentem facultatem ordinariam strictè esse interpretandam ; adeoque restringendam esse ad vota perfecta, & absoluta Castitatis, Religionis, & Peregrinationis. Quapropter diminuta, nec integra, & perfecta non erunt obnoxia Reservationi : sic vota non contrahendi matrimonium, non fornicandi, non polluendi, non petendi debitum conjugale, non tangendi inhonestè mulierem cum sint diminutæ Castitatis ; reservata non erunt : ut docent Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 40. *num.* 41. Suarez *lib.* 9. *de voto cap.* 21. & Castropalaus *de voto disp.* 2 *pun.* 11. *num.* 3. Idem dicendum de voto assumendi Sacros Ordines, cum enim non sit votum Castitatis promissæ, sed potiùs promittendæ ; inde est, quòd dici revera nequeat votum Castitatis emissæ. Sic Azor. Sayrus, Lessius, Layman, & Barbosa relati à Castropalao *loco citato*.

Votum Religionis non approbatæ, & votum paupertatis, & Obedientiæ extra statum religiosum, cum illum non constituant; non erunt revera reservata: quia non sunt vota religionis : ut docent Lessius, *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 18. *num.* 123. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 21. *num.* 8. & Sanchez alios referens *l.* 4. *Summ. cap.* 40. *num.* 72.

Votum quoque Peregrinationis Hierosolymitanæ, compostellanæ, & Romanæ factum ob alium finem expressum, & non devotionis dictorum locorum ; nec reservatum erit ; cum *in citat. Extravag. Etsi Dominici*, non reservetur quodlibet peregritationis votum ad supradicta loca ; sed quod nuncupatum fuerit ob devotionem prædictorum locorum. Sic ex Sanchez, & Basilio Legionensi tradit Castropalaus *disp.* 2. *de voto pun.* 11. *num.* 3.

Vota denique Castitatis, Religionis, & Peregrinationis quæ fiunt cum aliqua circumstantia ipsis accidentali ; non erunt reservata secundum id quod important de circumstantia accidentali, quamvis secundum substantiam reservata remaneant : sic votum e. g. religionis approbatæ strictioris secundum id quod dicit de strictiori ; non erit reservatum, adeoque Prælatus dispensare poterit, ut laxiorem religionem approbatam vovens ingrediatur : eo quia non dispensat in voto religionis, cum integrum remaneat, etiam si laxiorem ingrediatur. Sic Sà *verb. votum num. ultim.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 18. *num.* 124. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 40. *num.* 46. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 20. *numer.* 15. & Castropalaus *de voto disputat.* 2. *punct.* 11. *num.* 4.

21 Quæres 8. an Prælati inferiores possint in aliquibus casibus dispensare in his votis reservatis ? Resp. quamvis non concessa fuerit facultas ordinaria dispensandi in his Prælatis quacumque dignitate præditis, etiam Legatis à latere, nisi ex delegata facultate à Pontifice ; nihilominus in aliquo extraordinario eventu, ut si urgeret gravis necessitas dispensationis, nec expectari posset Pontificis responsum sine gravi periculo æternæ salutis ; posset Prælatus inferior dispensare : & ratio est, quia prudenter præsumitur in tali casu nolle Pontificem adeo rigorosè sibi reservare dispensationem, ut eam nolit Prælato inferiori concedere, cum hoc non expediat rectæ Ecclesiæ gubernationi. Hoc etiam extenditur, quando timetur scandalum in fama, vel aliud grave damnum ex dilatione dispensationis : ut si quis voto Castitatis, vel Religionis adstrictus virginem violasset, quapropter ad reparandum illius honorem necessarium foret matrimonium contrahere, quod impediretur à cognatis vovent is, si dispensatio à Pontifice expectanda esset; tunc posset Episcopus dispensare, sicuti etiam si talis vovens morti proximus contrahere matrimonium deberet ad prolem legitimandam, posset pariter dispensare Prælatus. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 18. *num.* 126. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 26. *num.* 9. Sanchez *lib.* 4. *de voto cap.* 40. *num.* 44. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 16. & Castropalaus *de voto disp.* 2. *pun.* 12. *num.* 4.

22 Duo hìc adnotanda. 1. quòd dispensatio concedenda sit, quatenus necessitas postulat, & non ultra : cum sola necessitas det facultatem dispensandi ; unde si dispensetur cum adstricto voto Castitatis ad matrimonium contrahendum, non tamen dispensatur cum illo, ut non violet votum, si cognoscat aliam fœminam, aut alio modo contra promissam Castitatem peccet. 2. quòd Regulares mendicantes, & reliqui, quibus data est facultas dispensandi in votis Episcopalibus ? nullatenus dispensare possint in dictis votis Papæ reservatis in casu etiam extremæ necessitatis : & ratio est, quia conceditur Regularibus dispensare in iis votis, in quibus possunt Episcopi jure ordinario, non verò extraordinario, & ex benigna interpretatione mentis Pontificis. Sic Suarez, Sanchez, Layman, Basilius Legionensis, Barbosa quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disp.* 2. *pun.* 12. *num.* 6. & 7.

Quæres 9. an Prælati inferiores dispensare possint 23
in his quinque votis, si fuerint conditionalia ? Resp. vota conditionalia alia esse verè talia, alia apparenter talia ; insuper alia esse conditionalia purè, alia conditionalia pœnalia ; denique considerari posse vota conditionalia ante adimpletam conditionem, vel post conditionem adimpletam. His positis

Si vota conditionalia considerentur ante adimpletam conditionem, reservata non erunt, adeoque à Prælatis inferioribus dispensabilia : & ratio est, quia reservatio utpote odiosa restringenda erit ad obligationem perfectam, & consummatam ; sed vota hæc conditionalia obligationem perfectam inducunt conditione adimpleta, ergo ante illam non erunt reservata. Sic ex communi sententia docent Suarez, Sanchez, Lessius, Basilius Legionensis, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disp.* 2. *pun.* 12. *num.* 13. Si verò considerentur post adimpletam conditionem, & fuerint purè conditionalia, non verò pœnalia non poterit in illis dispensare Episcopus, vel habens quasi potestatem Episcopalem ; ratio est, quia purificata conditione censetur absoluta, ac si nulla apposita fuisset conditio; Ergo Pontifici reservata. Sic Reginaldus, Sayrus, Suarez, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de voto quæst.* 2. *pun.* 7. §. 4. *num.* 17. Quòd si pœnalia fuerint, putat probabilius reservata non esse idem Bonacina *loc. cit.* referens Reginaldum, Aragonium, Sanchez, Lessium, Suarez, Sayrum, Filliuccium, & alios apud ipsos : ratio est, quia cum reservatio sit stricti juris, censenda est cadere supra votum factum ex directa volitione ; & ex affectu ad bonum, quod promittitur ; sed in voto pœnali non habetur hoc, ut si quis voveret religionem, si tale delictum commiserit : nam votum non fit ex directa volitione religionis, & ex affectu ad illam promissam ; imò potius ex quadam detestatione illius, & ut retrahat à delicto patrando. Vota denique hæc si fuerint apparenter conditionalia, non erunt ullatenus à Prælatis inferioribus dispensabilia, cum sint revera absoluta ; sicuti si emissa fuerint sub conditione de præterito, vel de præsenti, vel sub conditione necessaria de futuro : cum non suspendant consensum similes conditiones, etiamsi cum displicentia rei promissæ votum emissum fuerit. Sic Suarez, Sanchez, Basilius Legionensis, quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disp.* 2. *punct.* 12. *num.* 17.

Regula autem, quæ passim traditur ad dignoscendum votum apparenter conditionale à re verè tali ; est, quando particula *si non* apponitur ad suspendendum consensum usque ad eventum conditionis, sed potiùs ad limitandum tempus, in quo votum adimpleri debeat : sic vovens religionem si pater moriatur, dicitur emittere votum apparenter conditione, cum idem sit ac dicere, voveo religionem ingredi, quando morietur meus pater. Quando verò particula *si* apposita suspendit consensum usque ad conditionis eventum, tunc erit revera conditionale : ut voveo religionem, si meus pater incolumis redibit è longa peregrinatione assumpta. In dubio an particula *si* apposita voto reddat illud conditionale, an verò absolutum ; dicendum est, reddere illud conditionale, cum præsumptio desumenda sit ex communiter contingentibus. Sic Bonacina *de Voto quæst.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 17.

Quæres 10. quinam habeant delegatam facultatem 24
dispensandi in votis ? Resp. habere illos, quibus commissio datur ab habente ordinariam facultatem, juxta tenorem tamen commissionis, quæ debet diligenter examinari, ut innotescat, ad quæ vota extendatur delegata potestas. Committi autem potest hæc facultas non solùm Parochis, & Sacerdotibus, verum etiam Clericis : eo quia fieri potest voti dispensatio extra confessionem, & est actus externæ jurisdictionis, cujus exercendæ capacitatem habet Clericus : ut docet Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 12. *in principio*, & Bonacina cum aliis *loc. cit.*

25 Sed dubium insurgit : an concessa facultate generali dispensandi in omnibus votis intelligatur comprehensa facultas dispensandi in Votis reservatis ? Resp. quamvis Sotus, Rodriquez, & Sanchez putarint, comprehendi facultatem dispensandi in tribus Votis Peregrinationis ultramarinæ, Compostellanæ, & Romanæ ; non verò Castitatis, & Religionis ; nihilominus sustinendum est, nullatenus comprehendi vota reservata, quæcumque sint, in illa generali facultate; nisi de ipsis specialis, & expressa concessio fiat : nimis apertè constat *ex Cap. Si Episcopus de Pœnit. & Remiss. in 6.* ubi Pontifex de casibus reservatis sermonem habens denegat comprehendi in generali concessione ; sed indigere speciali concessione, & expressione : & rationem subjungit, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus in specie *ex Regul. in generali 81. de Regul. Juris in 6.* Sic Suarez, Layman, Basilius Legionensis, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp.2. punct.13. num.2.* & Sanchez, qui se retractat *in Summ. lib. 4. de Voto cap.40. num.16.* Si verò concessio fiat dispensandi in votis reservatis, nulla exceptione apposita, tunc extenderetur ad omnia vota reservata, cum non sit major ratio, cur unum excipi debeat, non verò aliud : maximè quia non constat exceptio neque ex usu, neque ex consuetudine, neque ex alio capite. Sic supracitati Doctores, Quòd si à concessione reservatorum exciperet Pontifex aliquod ex quinque votis enumeratis ; non ideo limitaretur facultas circa reliqua, imò exceptio facta firmaret regulam in contrarium pro aliis non exceptis, ut bene advertit Suarez *lib.6. de Voto capit. 25. num.* 10. Hinc colligitur : quòd si Pontifex facultatem daret dispensandi in votis excepto voto Castitatis, & Religionis; in facultate illa comprehenderetur facultas dispensandi in tribus Votis Peregrinationis. Et si facultatem daret dispensandi in omnibus votis excepto Voto Castitatis, comprehenderetur facultas dispensandi in Voto Religionis ; vel è contra si exciperet votum Religionis, non ideo excideret Pontifex votum Castitatis ; & ratio est, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis ; & Pontifex per hoc quod excipiat aliqua, censendus est, reliquorum gratiam facere. Sic Suarez, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *quæst. 2. de Voto punct.7. §.4. num.* 12. contra Covarruviam, Everardum, & Decium.

26 Dubium tamen majus insurgit : an si in facultate data excipiat Pontifex tria minora vota reservata, nempè triplicis peregrinationis, nulla facta mentione duorum majorum, Castitatis scilicet, & Religionis ; intelligatur concedere facultatem in his ? Resp. negativè, nisi aliunde constet de mente Pontificis : & ratio est, quia excipiens minora à fortiori præsumitur excipere majora ; adeoque nisi aliunde constet de non exceptione majorum, præsumitur in minoribus expressis velle tacitè excipere majora. Nec valet regula superiùs tradita, quæ valet in casibus non exceptis æqualibus, vel inferioribus ; non verò majoribus ; ut ex Suarez, Reginaldo, Sanchez, & Filliuccio tradit Bonacina *disp.2. de Voto punct.7. §.4. num.13.*

Notandum hìc : quòd facultas generaliter concessa dispensandi in Votis ; & idem dicendum de facultate commutandi, extendatur ad vota non solùm emissa ante concessionem, verum etiam post ipsam concessionem : cum sit latè interpretanda juxta Suarez *lib.6. de Voto cap.13.* Non extenditur tamen ad vota in favorem tertii facta, & ab ipso acceptata : quia tunc non haberetur sola obligatio voti, verum etiam obligatio fidelitatis, & Justitiæ ex vi promissionis acceptatæ ; ut docet idem Suarez *cap.14. num.13.*

Potestas delegata dispensandi in Votis non exceptis generaliter solùm videtur data Religiosis : nam Innocentius VIII. concessit Mendicantibus dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi excepto voto peregrinationis ultra duas dietas, hoc est sexaginta milliaria, aut viginti leucas ; & Martinus V. concessit Patribus Benedictinis dispensandi in omnibus Votis Episcopalibus absque ulla exceptione, quo privilegio gaudent cæteri Religiosi, qui communicant cum ipsis in Privilegiis.

27 Quæres tandem : an votum sit reservatum per hoc, quòd vovens habuerit intentionem illud reservandi Pontifici, à quo solo dispensari possit, & non ab alio ? Resp. negativè : & ratio est, tum quia non est de materia reservata, tum quia privata intentio voventis non potest privare, & tollere potestatem à Superiore habente illam. Sic Suarez *lib.6. de Voto cap.21. num.* 15. Sanchez *lib.4. Summ. cap.* 40. *num.* 13. Reginaldus *lib.* 18. *num.333.* Sayrus *lib.6. cap.* 11. *num.* 67. Bonacina *de Voto quæst.2. punct.7. §.* 4. *num.19.* & Castropalaus *de Voto disp.2. punct.11. num.7.*

CAPUT XVIII.

Quomodo tollatur voti obligatio per Commutationem?

1 *Quid sit Commutatio ; & quomodo differat ab Irritatione, & Dispensatione ?*
2 *An habentes ordinariam potestatem dispensandi in Votis habeant pariter facultatem commutandi illa ?*
3 *An habentes facultatem delegatam dispensandi in Votis habeant pariter facultatem delegatam commutandi illa ?*
4 *Quonam modo Vota commutari possint, & quanam ex causa ?*
5 *An Commutatio facta in minorem, vel æqualem materiam sit valida ?*
6 *An facta legitima commutatione Voti ita extinguatur prioris materiæ obligatio, ut numquam revivisere possit ?*
7 *An etiam Vota juramento firmata commutari possint ?*
8 *Quænam facultas commutandi vota concedatur per Jubilæum, & Bullam Cruciatæ ?*

COMMUTATIO Voti nil aliud importat, quàm loco prioris obligationis per votum contractæ aliam substituere. Differt ab Irritatione, & Dispensatione, quia hæ tollunt absolutè voti obligationem, commutatio verò minimè, sed unam materiam in aliam mutat. Quapropter bene dici potest commutari votum, si Prælatus relaxet obligationem unius voti cum conditione emittendi aliud, quod vovens tenetur exequi; adeout peccet contra Religionem, seu promissionem Deo factam, si non exequatur ; aut saltem primum votum non adimpleat : ut docent Cajetanus *verb. Votum cap. ult.* Sotus *lib. 7. de Justit. quæst. 4. art.* 1. & alii communiter. 1

Habentes ordinariam potestatem dispensandi habent pariter potestatem commutandi ; respicit siquidem utraque potestas hæc bonum Ecclesiæ regimen : ut adnotant Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 49. num.* 28. & Suarez *lib. 6. de Voto cap.* 12. *num.* 4. Hinc infertur, non solùm Pontificem, verum etiam Episcopos, & quasi Episcopali dignitate præditos, ac omnes jurisdictionem spiritualem habentes in foro externo posse vota commutare. Poterunt pariter vota commutare omnes habentes facultatem delegatam vel à Pontifice, aut Episcopo, vel ab omni alio tali facultate ordinaria gaudente. Facultas siquidem hæc delegabilis est, cum nulla sufficiens ratio afferri possit in contrarium, & aliunde praxis, & Ecclesiæ usus comprobat esse delegabilem. Semper tamen observandus erit tenor delegationis, aut privilegii, ut innotescat, ad quod se extendat talis facultas. 2

Quæres 1. an habentes facultatem delegatam dispensandi in votis, pariter habeant facultatem commutandi illa ? Resp. quamvis Navarrus, Valentia, Azor. & Sanchez putarint concessa facultate dispensandi in votis non ideo concedi facultatem commutandi illa, cum sint facultates disparatæ, nec una in alia comprehensa; nihilominus verior, & probabilior sententia docet, concessa facultate dispensandi pariter concedi facultatem commutandi : & ratio est, quia cui licet majus, licet etiam & minus in eo contentum *ex Regul. Cui licet 13. de Regul. Jur. in 6.* cum igitur commutatio sit partialis quædam, & diminuta dispensatio ; ideo cui licebit dispensatio, licebit etiam commutatio. Sic Sotus, Sà, Lessius, Layman, Suarez, Sayrus, Sylvester, Reginaldus, & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacina *quæst. 2. de Voto punct.7. §.3. num.* 10. & Castropalaus *de Voto disp. 2. punct. 14. num.* 4. Hinc patet responsio ad fundamentum adversæ sententiæ, non esse scilicet facultates disparatas, sed unam sub alia contineri tamquam partem sub toto : dirigitur siquidem utraque potestas ad tollendam voti obligationem cum hoc discrimine, quòd facultas dispensandi illam tollat nulla alia obligatione apposita, facultas tamen commutandi novam obligationem subrogat loco prioris. 3

Si

Si petas: an viceversa concessa facultate commutandi concedatur facultas dispensandi? Resp. negativè cum communi sententia, teste Castropalao *l. c. num.* 2. & ratio est, quia cum facultas dispensandi sit major, contineri nequibit sub facultate commutandi, quæ est minor. Si verò potestas commutandi concessa fuerit cum facultate mutandi in minus; utique in tali facultate reperitur potestas aliqualiter dispensandi. Sed minus propriè dispensatio dicitur, cum non relaxetur absolutè vinculum voti, sed in aliud minus convertatur.

4 Quæres 2. quonam modo vota commutari possint, & quanam ex causa? Resp. 1. in rem evidenter meliorem posse commutari à vovente, propria authoritate, & absque causa, nisi specialis prohibitio habeatur à Lege, vel præcepto: & ratio est, quia si id, in quod voti obligatio commutatur; est melius evidenter, evidenter quoque erit gratius Deo. Et quamvis hæc Regula non valeat cum hominibus, quia sæpe meliora non sunt eis gratiora; valet tamen in Deo, cujus velle cum perfectissimum sit, semper erunt ei gratiora, quæ sunt meliora. Insuper majus bonum impediri nequit à voto, ergo neque impediri poterit subrogatio perfectioris materiæ. Denique videtur favere *Caput Pervenit de Jurejurand.* ubi dicitur: Promissum non infringit, qui illud in melius commutat. Sic Covarruvias, Sayrus, Azor. Valentia, Sà, Sanchez, Suarez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp.* 2. *punct.* 15. *num.* 2. Si tamen à Lege, vel præcepto prohibeatur commutatio, tunc neque in melius fieri poterit, ut evenit in Votis reservatis, quæ si emissa fuerint, prohibet Pontifex, alterius arbitrio posse in melius mutari: non quia impedire velit majus bonum, sed ut prudenter, & maturè eligatur: ut habet Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 18. *num.* 14. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 52. *num.* 5, & Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 19. Nisi tamen commutatio reservatorum fiat in statum religiosum, quia cum religiosus status sit talis penes omnes, ut nil gratius ipso offerri possit Deo; inde est, quòd Pontifex noluerit perfectissimam hanc commutationem prohibere, imò illam approbabit *in Cap. Scripturæ de vot.* vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 16. *num.* 106.

Resp. 2. non posse commutari votum propria authoritate in rem evidenter inferiorem: & ratio est manifesta, quia hoc esset obligare Deum creditorem ad acceptandam rem inferiorem loco melioris debitæ, quod est contra omnem rectam rationem. Sic communiter Doctores, & habetur *in Cap.* 1. *de voto.*

Resp. 3. neque posse commutari votum propria authoritate in rem evidenter æqualem, quidquid in contrarium dixerint Henriquez, Rodriquez, Sà & alii penes Bonacinam *de voto quæst.* 2. *pun.* 7. *§.* 3. *num.* 10. ratio est, quia licèt possit esse æquè grata Deo materia promissa, ac materia subrogata; si utraque spectetur secundum se; nihilominus ex vi promissionis, & obligationis unius specialiter rei, quàm alterius, poterit non esse æquè grata Deo: maximè quia plures sunt materiæ, quæ per se spectatæ æquales apparent, & omnibus perpensis tales non sunt; ut additis exemplis comprobat Suarez *lib.* 6. *de voto c.* 19. *numer.* 11. Insuper cum ex parte rei promissæ varietur firmitas, & constantia, non videtur hoc posse cohonestari, nisi aliquis excessus appareat in materia subrogata; adeoque necessaria erit ad hanc commutationem faciendam Prælati authoritas habentis facultatem sive ordinariam, sive delegatam, cum sit veluti quædam diminuta dispensatio; & remissio debiti nomine Dei facta, & causam requirit licèt non adeo gravem, cum levis sufficiat, eo quia non est absoluta obligationis remissio. Sic Suarez *l. c. num.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 16. *num.* 110. Sanchez aliis relatis *lib.* 4. *Summ. cap.* 50. *num.* 22. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 23. & alii multi, quos refert, & sequitur Castropalaus *de voto disp.* 2. *pun.* 15. *num.* 4. Ampliant hanc doctrinam ad rem sub dubio, vel sub opinione majorem, & meliorem: eo quia in tali casu non manifestè constaret de excessu materiæ subrogatæ, quapropter cohonestari non posset mutatio in re promissa, authoritate propria facta.

Resp. 4. habentes facultatem tantùm commutandi vota in materiam solùm æqualem possunt illa commutare: & ratio est, quia cummutatio ex natura sua poscit æqualitatem, aliàs commutatio non erit, sed donatio; Ergo potestas, quæ solùm extenditur ad commutandum, ad æquale tantùm se extendere poterit, non verò ad minus, aliàs erit dispensatio. Insuper si commutatio stare posset cum materia minori, sequeretur, quòd si etiam notabiliter minor sit materia subrogata, semper salvaretur commutatio, quod neque ab authoribus oppositæ sententiæ admittitur, secus confunderetur facultas commutandi cum facultate dispensandi. Sic Cajetanus *in Summ. verb. votum cap. ult.* Covarruvias *de Pactis* 1. *par. §.* 3. *num.* 4. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 50. *num.* 4. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 19. *num.* 7. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 24. & Castropalaus *de voto disp.* 2. *pun.* 16. *num.* 2.

Adverto tamen: æqualitatem non ita strictè, & mathematicè accipiendam esse; sufficit namque moralis, & probabilis; quæ prudentis arbitrio taxari poterit, consideratis qualitatibus tum personæ voventis, tum operis promissi, tum etiam finis intenti, ob cujus consecutionem votum emissum fuerit. Ex quo fit, quòd licèt physicè materia promissa & materia subrogata nimis diversæ, & inæquales sint inter se; moraliter tamen æquales sint quoad cultum Divinum, & satisfactionem dandam. Fit insuper votum personale in reale commutari posse; & perpetuum in non perpetuum; vel vice versa, si excellentia unius compenset aliud; quamvis semper congruentius sit, quoad fieri possit, personale in personale, reale in reale, & perpetuum in perpetuum commutare; cum sic fini voventis, qui in votis præcipuè spectatur, meliùs prospiciatur. Sic Sanchez, Suarez, & Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num.* 4. Adverto denique, causam requisitam ad commutandum in æquale sufficere levem, ut superiùs innui; ad commutandum verò in minus, cum potiùs ex potestate dispensandi, quàm commutandi proveniat; requiri eamdem, quæ ad dispensationem diximus necessariam.

Quæres 3. an commutatio facta in minorem, vel 5
æqualem materiam sit valida, & extinguat obligationem prioris voti? Resp. 1. si propria authoritate fiat, neque validam esse, neque prioris voti obligationem extinguere: quia ut superiùs diximus, talis commutatio irrita est, & nulla: nam nequit quis propria authoritate eximere se à voti obligatione, nisi majorem compensationem subroget loco prioris. Si verò authoritate Prælati fiat, sed in minorem materiam ea, quam vovens promisit; etiam invalida erit, nec priorem obligationem extinguet: eo quia nequit Prælatus liberare aliquem ab obligatione voti, nisi ut vices Dei gerens; sed Deus non reputatur acceptare commutationem factam in rem inferiorem; ergo non ageret Dei vices, nec acceptaret nomine Dei rem inferiorem; adeoque nec liberaret ab obligatione priori ventem. Insuper liberare ventem ab obligatione voti per subrogationem inferioris materiæ est actus facultatis dispensativæ, non purè commutativæ; ergo Prælati habentes facultatem purè commutativam nequeunt in minus commutare. Sic Suarez, Navarrus, Azor. Palacios, Ludovicus Lopez, Alcozer, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Voto disp.* 2. *punct.* 17. *num.* 3.

Resp. 2. si authoritate Prælati commutatio fiat in rem æqualem scienter absque ulla causa; nulla erit: eo quia nemo habet facultatem remittendi vota sive per dispensationem, sive per commutationem absque causa: esset siquidem talis concessio irrationabilis. Si verò bona fide Prælatus commutationem faciat, putans adesse causam, quæ revera *non* est; valida erit commutatio; cum ipsa bona fides Prælati commutantis sufficiens causa sit; & ne videatur Deus nimis rigidus in voti obligatione exigenda, ut notant Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 20. *num.* 7. & Castropalaus *l. c. num.* 4. Hinc infertur, eam commutationem factam propria authoritate ventis validam esse, quæ fit in melius, non verò quæ fit in æquale, aut inferius. Factam verò authoritate Prælati tunc validam esse, quando fit in æquale cum causa. Infertur quoque, graviter peccare ventem, si per materiam æqualem, aut minorem intendat se eximere à primi voti obligatione; sicuti etiam Prælatum, si absque causa commutet in æqualem materiam, aut minorem, & per hoc ventem liberet à priori obligatione: cum usurpent facultatem sibi non concessam, & reddunt actum nullum. Infertur denique, ventem per commutationes sibi nulliter factas teneri ad prius votum, ac si numquam factæ fuissent: cum *ex Regul. Non præ-*

stat

ſtat de Regul. Jur. in 6. cauſa nulla nullum producit effectum. Sic Navarrus *lib.* 3. *Conſil. conſil.* 5. *de voto* & Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 18. *quæſt.* 12.

6 Quæres 4. an facta legitima commutatione ita extinguatur prioris materiæ obligatio, ut numquam revivi-ſcere poſſit? Reſp. certum eſſe, commutationem legitimè factam extinguere obligationem prioris materiæ; cum ſit translatio obligationis veteris materiæ in novam, adeoque extinctio veteris obligationis eſt ſuſceptio novæ. Nec obſtat, quòd vovens poſſit relinquere novam obligationem, & veterem aſſumere; id enim fit benignè interpretando conſenſum Dei creditoris. Sic omnes ferè Doctores penes Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 55. *num.* 2.

Nihilominus 1. dubium inſurgere poteſt: an facta inutili, vel impoſſibili ſecunda materia, reviviſcat prioris materiæ obligatio? Reſp. negativè, etiamſi commutatio facta, dummodo ritè facta fuerit, ſit in melius, æquale, vel minus: & ratio eſt, quia ſecundum communem ſenſum Doctorum commutatio abſolutè extinguit priorem obligationem nova jam ſuſcepta, ſed extinctum non reviviſcit *ex Gloſſ. in Leg. Qui res §. Arcam ff. de Solution.* maximè in obligationibus propria voluntate ſuſceptis, ut ſunt in Juramento, & Voto; quin voluntariè renoventur; ergo facta inutili, vel impoſſibili nova materia non reviviſcit obligatio prioris materiæ. Neque obſtat dicere, quòd commutatio ſemper fiat ea conditione intellecta, quod ſi vovens novam materiam exequi non poſſit, teneatur ad primam. Gratis enim hoc dicitur contra communem ſenſum, & abſque ulla prorſus ratione: cum ſemper commutatio apprehendatur ut favor factus voventi; & ſic eſſet potiùs ad illum gravandum, quam ſublevandum. Sic Sayrus, Graffis, Suarez, Sanchez, Layman, & alii, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Voto diſp.* 2. *punct.* 18. *num.* 2.

Secundum dubium inſurgit: an viceverſa redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ ceſſet obligatio materiæ ſubrogatæ: Caſus eſt, ſi diſpenſatus ad contrahendum matrimonium habens votum Caſtitatis, vel religionis ſub onere commutationis in confeſſionem menſtruam, & alia pia opera quotidie efficienda; an inquam uxore mortua, cum jam teneatur vovens ad priſtinum votum, quia ſolùm ad hunc effectum diſpenſatum fuit; obligabitur ad confeſſionem menſtruam, & ad alia pia opera quotidie præſtanda? Reſp. quamvis Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 55. *num.* 21. affirmativam ſententiam ſuſtineat, quòd videlicet perſeveret ſecunda obligatio redeunte prima: eo quia talis commutatio videtur imponere perpetuitatem, ut colligitur ex tenore litterarum, quibus conceditur facultas hæc Confeſſario. Nihilominus negativam ſententiam ſequor: eo quia communiſſima regula eſt ab omnibus accepta, nec denegata ab ipſo Sanchez: quòd redeunte principali voto ceſſet ſubrogatum: cur igitur à communi regula excipit Votum Caſtitatis, & Religionis? maximè quia nulla mentio fit hujus exceptionis in Jure, quam clarè, & expreſsè apponere oportebat. Ad fundamentum adductum reſpondetur: quòd perpetuitas, quæ colligitur ex tenore litterarum, nempe ex illis verbis, ſingulis menſibus, quotidie, & ſemper; rectè explicatur pro toto illo tempore, quo votum non redit; at redeunte voto ceſſat, cum ceſſet finis hujus novæ obligationis, & impoſitionis. Sic Caſtropalaus *de Voto diſputat.* 2. *punct.* 18. *num.* 6.

Tertium dubium: quandonam liceat voventi omiſſa materia ſubrogata redire ad materiam priorem? Reſp. ſi commutatio facta fuerit in rem minorem, ſemper licitum eſſe voventi redire ad priorem materiam, ut excellentiorem, & gratiorem Deo, ut omnes Doctores fatentur. Si tamen facta fuerit in æqualem materiam, diſcrepant inter ſe, an reditus ad priorem ſit licitus: eo quia cum ſecundum noſtram ſententiam fieri non poſſit propria authoritate commutatio in rem æqualem, quod verificaretur, ſi vovens propria authoritate à materia ſubrogata rediret ad priorem æqualem; inde eſt, quòd fieri nequeat reditus. Verùm probabilius puto, etiam cum æqualitate materiæ licitum eſſe reditum è materia ſubrogata ad priorem materiam: ratio eſt, quia poſita æqualitate materiæ gratius erit Deo priorem materiam exequi, quàm ſubrogatam, quæ ſolùm conceditur voventi ex gratia, & benigna interpretatione divinæ mentis. Sic expreſsè docent Azor. 1. *par. lib.* 11. *cap.* 18. *quæſt.* 10. Suarez *lib.* 6. *de Voto capit.* 20. *num.* 4. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 55. *num.* 26. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 16. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 22. & Caſtropalaus *de Voto diſp.* 2. *punct.* 18. *num.* 8. Si denique commutatio fuerit facta in rem meliorem ſive propria authoritate, ſive Prælati, putat Suarez ſatis probabiliter *loc. cit.* non eſſe licitum redire ad priorem materiam: eo quia hic reditus diminuit Dei Cultum, & utilitatem voventis, adeoque Deo gratus eſſe nequibit. Nihilominus communior ſententia docet cum Leſſio, Sayro, Sanchez, Layman, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. num.* 10. facta legitima commutatione liberum eſſe, & licitum voventi è materia ſubrogata redire ad priorem, quæcumque ſit: & ratio eſt, quia cum commutatio fiat ex benigna conceſſione Dei; ſemper præſumitur cum facultate redeundi ad priorem materiam, ut ſic fideles faciliùs ſua vota exequantur, & fideliùs ſtent promiſſis jam factis, etiamſi per materiam ſubrogatam aliquid plus addatur in Dei Cultum, & voventis utilitatem.

Quartum dubium: qui è materia ſubrogata rediit ad materiam priorem, poterit ne iterum ſi velit ad materiam ſubrogatam redire? Reſp. poſſe: ratio eſt, quia licèt commutatio relinquat in poteſtate voventis ſatisfacere voto per hoc, quòd priorem materiam exequatur; non inde tamen ſequitur, quòd ſi exequatur priorem materiam, privetur poſtea facultare accepta per commutationem, niſi illi expreſsè renunciaret; adeoque liber remanebit vovens, è materia commutata redire ad ſubrogatam; & è contra è ſubrogata redire ad commutatam. Imò ſi ſæpius facta ſit commutatio, poterit voto ſatisfieri per quamlibet materiam, in quam facta ſit commutatio: ſic votum annuæ peregrinationis e. g. ſi commutetur in confeſſionem quolibet menſe efficiendam, & confeſſio menſtrua poſtea commutetur in jejunium pro qualibet hebdomada, & jejunium tandem commutetur in certas preces quotidie recitandas; utique per quamlibet ex iſtis materiis obligationi voti ſatisfiet. Sic Leſſius *lib.* 2. *de Juſtit. cap.* 40. *dubit.* 16. *num.* 111. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 55. *num.* 29. Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 20. *num.* 13. & Caſtropalaus *de Voto diſp.* 2. *punct.* 18. *num.* 11.

Notandum hìc: quòd vovens, ſi obtenta commutatione voti emiſſi, ad quam accedit, iterum ratificet votum commutatum; non ſolùm tenebitur ad materiam ſubrogatam, verum etiam ad materiam commutatam: & ratio eſt, quia eſt nova emiſſio voti, ſupponto hic per ratificationem habere animum ligandi ſe priori obligatione, & non renunciare commutationi obtentæ. Notandum inſuper: quòd vovens ſi obtenta commutatione decrevit illa non uti, imò illi ceſſit cum animo redeundi ad priorem obligationem; ad hanc tenebitur, nec poterit commutatione uti: nam per renunciationem factam virtualiter iterum emittit primum votum. Sic ex Suarez, & Sanchez docet Bonacina *quæſt.* 2. *de Voto punct.* 7. *§.* 3. *num.* 22.

Quæres 5. an etiam vota juramento firmata commu- 7
tari poſſint ab habente facultatem commutandi vota? Reſp. affirmativè: quia vinculum juramenti non excedit vinculum voti; ſi ergo quis commutare poterit vinculum voti, poterit etiam & vinculum juramenti. Sic communiter Doctores teſte Mendo *in ſua Epitom. verb. Votum num.* 26. Noto tamen ex Bonacina *l. c. num.* 24. non teneri ex obligatione juramenti ad materiam ſubrogatam eum, qui commutationem obtinuit voti jurati, cum juramentum non commutetur, ſed votum; ergo tenebitur ad illam ex vi tantùm voti, non juramenti; niſi tamen velit etiam ſe obligare ad materiam ſubrogatam ex vinculo juramenti.

Quæres tandem: quænam facultas commutandi vo- 8
ta concedatur per Jubilæum, aut Bullam Cruciatæ? Reſp. per Jubilæum, aut Bullam Cruciatæ concedi Confeſſario approbato ab Ordinario loci, in quo confeſſio excipitur; facultatem commutandi vota, quæ non excipiuntur per ipſum Jubilæum, & Bullam. Commutatio autem hæc debet fieri in materiam ſubrogatam æqualem, non verò inferiorem, aliàs eſſet diſpenſatio, non commutatio; quæ ex genere ſuo debet importare æqualitatem. Requiritur quoque cauſa ad commutationem faciendam, quæ poteſt eſſe minor virtute Jubilæi, & Bullæ, ut docent Navarrus, Panormitanus, Sylveſter, Cajetanus, & Suarez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Bulla Cruciatæ pun. 9. num.* 5.

num. 5. & 6. Hæc commutatio transacto tempore jubilæi fieri nequit, etiamsi voluntariè, aut per oblivionem non curata fuerit: eo quia tali tempore transacto caret jurisdictione confessarius, cum eam alliget Pontifex tali determinato tempori. Sic probabiliùs Suarez *lib. 6. de Voto cap. 16. num. 14.* Beja 2. *par. Casu 9.* & Bonacina *quæst. 2. de Vot. punct. 7. §. 3. numer. 14.* Quamvis probabiliter oppositam sententiam defendant Henriquez, Sayrus, Sà, Sanchez, & Lessius penes citatum Bonacinam. Concedo tamen, quòd inchoata causa tempore Jubilæi, ut si exprimerentur in genere vota, & materia subroganda; quamvis in particulari meliùs exprimerentur transacto tali tempore; aut requireretur tempus ad considerandam materiam, quæ subrogari deberet; vel similis alia intercederet causa, quæ semper requiritur ad transferendam commutationem post Jubilæum; posset utique licitè, & tutò fieri commutatio: cum perfici debeat causa jam incepta tempore Jubilæi. Sic Sayrus, Suarez, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. nu.* 15. Commutatio autem non debet fieri tempore Jubilæi in confessione, sed sat est, si fiat extra confessionem: cum non sit materia necessaria Sacramenti, nec ullo Jure præscribatur, sic faciendum esse: ut adnotant Sanchez *lib. 4. Summ. capit. 54. num. 17.* Suarez *loc. cit. numer. 15.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 6.* Bonacina *loc. cit. num. 16.* & Castropalaus *de Jubilæo punct. 12. §. 3. num. 14.*

QUÆSTIO XI.

DE VOTIS RELIGIOSIS.

VOTA Religiosa specialem sibi exposcunt tractationem; quia verò eorum perfecta cognitio haberi nequit, nisi de Statu Religioso, quem constituunt, notitia habeatur; ideo præmittimus ea, quæ ad Statum Religiosum spectant, dein de ipsis votis Religiosis pertractabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Status Religiosi; & quotuplex sit?

1 *Definitur Natura Status Religiosi?*
2 *Dicitur Status, ut denotet Immutabilitatem.*
3 *Est Status Perfectionis adipiscendæ, non adeptæ.*
4 *An tria Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ debeant esse omnimodè talia?*
5 *An ad essentiam Status Religiosi requiratur, quòd tria Vota Solemnia sint?*
6 *In quonam consistat Solemnitas Votorum?*
7 *Ex parte suscipientis Statum Religiosum requiritur traditio sui Religioni.*
8 *Requiritur insuper quod tria Vota, & Traditio sui fiant in Religione à S. Sede approbata.*
9 *Status Religiosus suam originem trahit à Christo Domino.*
10 *Multiplex est Religiosus Status multiplicitate accidentali, non verò essentiali.*
11 *Ratione finis dividi solet religiosus vivendi modus in Vitam Activam, Contemplativam, & Mixtam.*

1 NATURA, & essentia Religiosi status rectè definita fuit à Divo Thoma 2. 2. *quæst. 186. art. 1.* ubi dixit: Quòd sit status perfectionis per tria Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ perpetuò adipiscendæ. Et quamvis alii Doctores satis amplè Naturam Status Religiosi descripserint per hoc, quod sit status fidelium ad divinæ Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus, nihilominus parùm discrepant à definitione tradita à Divo Thoma communiter recepto, ut patet consideranti.

2 Dicitur 1. Status, ut denotet immutabilitatem: Status etenim esse non potest, nisi ex natura sua immutabilitatem importet. Quapropter de necesse ex parte suscipientium religiosum statum requiritur immutabilitas: cum enim status religiosus ex se perpetuus sit; inde est, quòd illum suscipiens debeat habere animum perpetuò perseverandi in illo, & abdicandi à se omnem potestatem discedendi ab illo. Non requiritur tamen hæc eadem immutabilitas, & abdicatio facultatis dimittendi per solutionem Votorum ex parte Prælatorum admittentium ad statum Religiosum: nam de facto in Ecclesia Sancta Dei datur Religio Societatis Jesu ab eadem approbata, quæ ex justis causis subditos dimittere potest solutos à Votis simplicibus, quæ verum religiosum constituunt, secundum facultatem ab eadem Ecclesia acceptam. Nec hoc novum videri debet, quòd immutabilitas debeat se tenere ex parte suscipientis statum, non verò acceptantis ad illum: cum status servitutis temporalis ex se perpetuus sit, & verus status; & nihilominus Dominus, sub cujus servitute vivit, potest servum liberum dimittere. Idem est de statu Episcopali, qui est status Perfecti, non verò tendentis ad perfectionem; & nihilominus potest Pontifex Episcopum ex una ad aliam Ecclesiam transferre, vel omnino ab Ecclesia solvere. Hæc certissima sunt, & indubitata propter sanctiones Ecclesiæ.

Dicitur 2. Status perfectionis perpetuò adipiscendæ, 3
ut innuatur, quòd non sit status perfectionis adeptæ, ut est status Episcopalis supponens Episcopos perfectos; sed perfectionis adipiscendæ. In hoc enim distinguitur status Episcopalis à Religioso, quod Episcopalis supponat Episcopos jam perfectos; Religiosus verò supponat Religiosos non perfectos, sed ad perfectionem tendentes: ut habet Divus Thomas 2. 2. *quæst. 186. art. 1. ad 3.* Tenentur autem Religiosi ad perfectionem adipiscendam ratione status Religiosi, quem assumpserunt mediis Votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: & ratio est, quia cum perfectio consistat in sequela Christi Domini, ac illius imitatione, quæ quidem sequela perfecta esse nequit, nisi sequens illum abrenunciet & omnibus bonis, quæ possidet juxta illud Christi Domini *Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; & veni, & sequere me.* Neque perfecta sequela esse potest, nisi sequens abrenunciet omnibus voluptatibus carnis juxta illud *Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum.* Denique nec perfecta esse potest, nisi sequens abneget semetipsum, & propriam voluntatem juxta illud *Matth. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; inde est quòd si Religiosus perfectionem adipisci velit, ut tenetur; de necesse per vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ ad statum perfectionis pervenire debet.

Controverti hìc solet: an hæc tria Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ extra controversiam perfecta esse debent, ut statum religiosum constituant; debeant esse omnimodæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ut perfecta sint? Et quamvis sic videatur sentire Divus Thomas 2. 2. *quæst. 186. art. 3. 4. & 5.* necnon omnes illi, qui docent: Ordines Militares Divi Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ verè, & propriè non esse Ordines Religiosos, quos refert Sanchez *lib. 4. de Voto cap. 16. num. 11.* Nihilominus non esse necessarium ad perfectionem horum Votorum, quòd omnimoda sint, satis constat. Et 1. de Voto Paupertatis religiosæ, quod stare potest sine dominii abdicatione, & solùm sufficit, si fiat quoad usum dominii, & ejus administrationem, prout definivit Gregorius XIII. *in sua Bulla*, incipit, *Ascendente Domino*, in qua declarat veros Religiosos, qui post biennium Probationis 4

nis vota Scholasticorum emittunt in Societate Jesu, quamvis suorum bonorum dominium retineant, quousque renunciare jubeantur. Nec *Cap. Cum ad Monasterium in fin. de Stat. Monach.* ubi dicitur, quòd abdicatio proprietatis adeo annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam neç Summus Pontifex possit licentiam indulgere; loquitur de proprietate non prout importat nudum dominium rei; sed prout importat usum liberum, & expeditum: nam ipse Textus in principio præcavet quid faciendum cum Monacho, qui deprehensus fuerit proprietatem habere; & proprietas culpabilis, quæ deprehendi potest in Monacho; non est habere purum, & nudum dominium rei, sed usum liberum, & administrationem invito Abbate. Sic optimè Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 1. num. 17.* Vasquez 1. 2. *disp. 165. cap. 6. à num. 10.* Ponce *lib. 7. de Matr. cap. 13. num. 10.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 1. pun. 1. num. 4. 2.* de voto Castitatis religiosæ, quod in probabili sententia stare potest cum copula conjugali, si cum aliis duobus votis Paupertatis, & Obedientiæ conjunctum fuerit, à qua tamen copula abstinere tenentur aliquibus diebus ex vi regulæ, & Constitutionis, adeoque hos Equites militares veros esse religiosos, docuere plures Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 4. de vot. cap. 16. num. 11. 3.* de voto Obedientiæ Religiosæ nimis clarè constat, non debere esse ita latum, & omnimodum: cum communiter sufficiat, quòd emittatur secundum Regulas, & constitutiones, quas sibi proponit sequendas Religionem profitens, ut passim fit.

4 Controvertitur insuper: an ad essentiam, & Naturam status Religiosi requiratur, quòd tria vota emissa sint Solemnia, itaut non sufficiant Simplicia? Sed sufficere Simplicia, si in Religione à S. Sede approbata emissa fuerint; jam definitum fuit à Gregorio XIII. *in sua Bulla*, incipit, *Ascendente Domino*, in qua statuit: eos qui in Societate Jesu vota Simplicia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emiserint post biennium Probationis; veros esse Religiosos. Nec hoc novum est in Ecclesia Sancta Dei, quia ut multis comprobat Basilius Legionensis *lib. 7. de Matrim. cap. 11. & 12.* tempore nascentis Ecclesiæ habebantur veri Religiosi, quamvis vota Simplicia emitterent, non tamen Solemnia.

5 Si tamen inquiras, in quonam consistat Solemnitas Votorum? Resp. difficilem explicatu esse, & varias esse Doctorum sententias, quarum meminit Suarez *tom. 3. de Religione lib. 2. cap. 4.* Mihi arridet ea, quæ docet, consistere in reservatione, quam facit Pontifex, ne ex parte acceptantis in religiosum vota voventis relaxari, remittique liberè possint: nam si non haberetur reservatio ista, possent Prælati Religionum liberè religiosos à suis votis dimittere. Solemnitas siquidem votorum Jure Ecclesiastico inducta est, ut constat *ex Cap. unico de voto in 6. & ex Bulla cit. Ascendente Domino.* Nec obstat, quod vota Simplicia, quæ Professi Societ. Jesu emittunt post Professionem, nequeant à Prælatis ejusdem Societatis relaxari; & tamen Solemnia non sunt. Non obstat inquam, quia relaxari nequeunt à Prælatis Societatis non per se, sed per accidens, utpote annexa cum votis Solemnibus, quæ ab eisdem relaxari nequeunt. Sic Castropalaus *de Stat. Religios. disp. 1. pun. 1. num. 6.*

7 Ultra superiùs dicta requiruntur de necesse alia duo ad Statum Religiosum constituendum. 1. est, ut ex parte suscipientis illum habeatur Donatio, seu Traditio sui in potestatem Religionis assumptæ: nam sine tali donatione, & traditione nec Status religiosus esset firmus, & immutabilis; nec Religio haberet potestatem dominativam in assumentes ipsam; cum potestas ista non proveniat ratione votorum, per quæ solùm se obligat Deo suscipiens Religionem; sed ratione traditionis sui in potestatem Religionis, quam facit ipse suscipiens, & per quam se obligat Religioni; sunt etenim duo contractus distincti, unus cum Deo, alter cum Religione: & potestas dominativa oritur ex secundo contractu suppositio primo, adeoque non oritur ex votis utcumque, sed à votis emissis cum donatione, & traditione sui in potestatem Religionis, ut gubernetur. Si enim potest quis liberè accepto pretio se tradere in servum; cur non poterit fidelis se tradere in servum spiritualem Religioni, ut ab ipsa regatur.

8 2. Quod requiritur est: ut tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ cum traditione sui fiant in Religione à Sancta Sede approbata, ut decisum est *in Cap. ne nimia de Religios. domib. & in Cap. unico eod. tit. in 6.* & quamvis ex nativa sua institutione non requirat Religiosus Status hanc Pontificiam approbationem; nam olim multæ fuere Sacræ Religiones absque tali approbatione, sed ex solo Episcoporum consensu, aut eorum non repugnantia. Nihilominus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. optimè statutum fuit, ut constat *ex Cap. ne nimia cit.* ne nova Religio instituatur absque Summi Pontificis approbatione: convenientissimum siquidem fuit, ut Religio, quæ est Communitas Sacra, in qua debet esse spiritualis Jurisdictio emanans à Pontifice; ab eodem examinaretur, & approbaretur: ut rectè expendunt Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 15.* Vasquez 1. 2. *disp. 165.* Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 1. num. 15.* Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. capit. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 1. num. 18.* & alii. Hinc est, quòd voventes Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam Episcopo, aut Confessario non sint Religiosi: eo quia talibus votis non subjiciuntur Jurisdictioni spirituali, quæ à Deo proveniat medio ejus Vicario.

9 Status Religiosus originem suam trahit à Christo Domino, à quo institutus, & creatus fuit; quamvis ab Ecclesia novis Legibus, & Constitutionibus auctus, & regulatus. Primus enim omnium, qui proposuerit, & prædicaverit sequendum hunc perfectionis adipiscendæ statum extra omne dubium fuit Christus Dominus, quando dixit *Matth. 19. Si vis perfectus esse &c. Qui vult venire post me &c.* Et de facto ejus Discipuli relictis omnibus secuti sunt eum: ut nomine omnium testatus fuit Petrus, qui subjunxit: *Quid ergo erit nobis?* quæ quidem interrogatio sic facta denotat abrenunciationem bonorum terrenorum, & Uxoris firmatam fuisse Paupertatis, & Castitatis voto; sicuti etiam firmatam fuisse Voto Obedientiæ sequelam Christi: aliàs si sic firmata non fuisset, sed pro libito, & sine peccato retractari potuisset; ad quid eam tanti facere, & magnificare: ut rectè expendunt Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 2.* Basilius Legionensis *lib. 7. de Matrim. cap. 2.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 1. punct. 1. num. 9.*

10 Multiplex est status Religiosus non multiplicitate quidem specifica, & essentiali; sed tantùm numerica, & accidentali. Cum enim Religiosus status situs sit in adipiscenda perfectione religiosa per tria vota in Religione approbata; & perfectio utpote in Charitate fundata, quæ una est, una sit, inde est, unum tantùm specie esse Religiosum statum, cum qua unitate specifica stat multiplicitas numerica tum ob finem proximum, & specialem, quem sibi proponunt Religiosi Ordines; tum ob media, quæ aptant ad consecutionem illius. Quamvis denegare non possim, diversitatem istam numericam Religionum potiùs desumendam esse à diversitate finis, quàm mediorum: cum finis diversificare soleat, non verò media. Conveniens autem fuit diversitas ista numerica Religionum ad decorem, & ornatum Ecclesiæ, ad divini Cultus exaltationem; & fidelium utilitatem uberiorem. Cum enim in multiplicitate fidelium variæ, & multiplices sint propensiones, & inclinationes; inde est, quòd unus vivendi modus, & unus status adipiscendi perfectionem nequibat esse omnibus facilis, & accommodatus.

11 Ratione finis dividi solet Religio, seu Religiosus vivendi modus in Vitam Activam, Contemplativam, & Mixtam. Illæ Religiones dicuntur Vitam activam exercere, quæ ex proprio Instituto, & ex vi suarum Regularum incumbunt Misericordiæ operibus; ita sunt Ordines Religiosi militares, & hospitalares: propriissimè enim vacant vitæ activæ religiosæ militiæ, & hospitalitatis. Illæ verò Religiones Vitam contemplativam exercent, quæ sibi vacant, & Deo; videlicet Orationi, Lectioni, & Contemplationi; sic sunt Ordines Religiosi Monachales Divi Basilii, Benedicti, Hieronymi; Bernardi, Brunonis, & similes. Illæ denique Religiones Vitam mixtam exercent, quæ ex vi proprii Instituti, & Constitutionum & propriæ perfectioni incumbunt per Orationem, & Contemplationem; & perfectioni proximorum per prædicationem, & exhortationem ad instar Christi Domini, & suorum Apostolorum, qui non minùs Orationi vacabant, quàm prædicationi verbi Dei: sic sunt Ordines Regulares Mendicantium Divi Dominici, Francisci, Augustini, & Carmelitarum, Societatis Jesu, & similium. Utraque

que vita tam activa, quàm contemplativa adumbrata fuit in illis duabus Sororibus Martha, & Magdalena, quarum prima satagebat in ministrandis necessariis Christo Domino; secunda verò audiebat verbum illius, quam Christus prætulit, & ejus partem, ut optimè electam, laudavit. Una ergo Religio diversum corpus constituit ab alia ex diversitate finis, & mediorum ad finem consequendum; itaut quo perfectior sit finis sibi propositus, & aptiora media ad illum consequendum; perfectior sit Religio, utpote in perfectiori Charitate Dei fundata, & proximi, etiamsi nec in austeritate Vitæ, nec rigiditate paupertatis constituta: cum Charitas Dei, & Proximi vinculum sit Perfectionis. Vide Suarez *tom.4. de Relig. tract.9. lib.1. & 2.* & Lessium *lib.2. cap.41. dub.2.*

CAPUT II.

De Personis, quæ Religiosum statum assumere possunt; & quæ impediuntur ab eo sumendo.

1 *Omnes fideles, qui sui juris sunt, nec aliis obstricti, si jure naturæ, aut positivo non impediuntur; statum Religiosum assumere possunt.*
2 *Episcopi absque licentia Pontificis statum Religiosum assumere nequeunt relicto Episcopatu.*
3 *Filiifamilias impuberes, & servi nequeunt statum Religiosum assumere.*
4 *An filii puberes impediantur à statu Religioso assumendo ob necessitates Parentum?*
5 *An quis impediatur ab eo assumendo ob necessitates Avorum, Fratrum, aut Sororum?*
6 *Obstrictus debitis, & ratiociniis reddendis impeditur à statu Religioso assumendo.*
7 *Conjuges Matrimonio jam consummato quomodo possint statum Religiosum assumere?*
8 *An ob paupertatem Domus Religiosæ excludi queant volentes assumere statum religiosum?*

1 OMNES fideles, qui sui juris sunt, nec aliis obstricti, si aliunde jure naturæ, vel positivo impediti non fuerint; sunt capaces statum religiosum assumendi. Si verò aliis obstricti fuerint, aut Jure humano positivo impediti; nequibunt illum assumere sine consensu eorum, quibus obstricti sunt; aut sine dispensatione ejus, qui in impedimento dispensare poterit. Est indubitata conclusio, & communis penes Doctores teste Lessio *lib.2. cap.41. dub.3.*

2 Hinc sequitur 1. non posse Episcopum absque licentia Summi Pontificis religiosum statum assumere relicto suo Episcopatu: ratio est, quia est impeditus ratione obligationis contractæ inserviendi suæ Ecclesiæ. Sic constat *ex Cap. Nisi cum pridem de Renunciat. & Cap. Licet de Regularib.* ac docent Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 7. Suarez *tom.3. de Relig. lib.5. cap.4. num.*14. Lessius *lib.2. cap.41. dubit.3. num.*24. Azor. 1. *par. lib.*11. *cap.*16. *quæst.*2. Controvertitur tamen: an affectus, & amor religiosæ vitæ in Episcopo absque alia causa ex sex enumeratis *in Cap. Nisi cum pridem cit.* sit motivum sufficiens, ut ei facultatem concedat Pontifex: & ratio dubitandi est, quia videtur excluſum in præcitato Capite. Nihilominus dicendum, sufficiens esse nostris hisce temporibus: ratio est, quia hisce temporibus æquè bene consuli potest bono communi per alium Successorem, quod fuit motivum Pontificis, ne sufficeret in Episcopo studium, & amor Religiosi status ad obtinendam dispensationem. Quod si hoc difficile esset, ut possit Successor inveniri, qui æquè bene inserviat; sine dubio facultas concedi nequibit: ut docent Suarez *tom.3. de Relig. lib.1. cap.20. num.*7. & Castropalaus *de Statu Relig. disp.1. punct.7. §.2. num.*4. Non sic tamen dicendum de Parocho, aut alio beneficiato, qui possunt statum Religiosum assumere, etiam contradicente Episcopo, nec petita facultate ab eo, ut deciditur *in Cap. Duæ 19. quæst.* 2. quamvis teneatur statim monere Episcopum, ut provideat de Successore, ut per se patet. Sic Suarez *tom.3. de Relig. lib.5. cap.4. num.*14. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.1. punct.7. §.2. num.*1.

3 Sequitur 2. impeditos esse ad statum Religiosum assumendum filiosfamilias impuberes, & Servos. Nam filiifamilias impuberes quoad vitæ suæ dispositionem subsunt Parentibus, & ipsis demortuis Tutoribus. Si verò puberes sint, nullatenus ab ipsis impediri possunt quoad assumptionem Religiosi status, cum sui juris sint in eo eligendo; imò Concilium Tridentinum *Sess.25. cap.* 18. *de Regular.* excommunicatione ferit impedientes. Servi nequeunt durante servitute religionem assumere, quia ex Justitia obligantur Dominis suis. Controverti hìc solet: quomodo filii impuberes offerri possint à suis Parentibus Religioni? Sed non immorandum in hac controversia: eo quia ex Statutis à Tridentino *Sess.25. cap.15. de Regular.* jam constat, quòd etiamsi offerantur à Parentibus Religioni habenti facultatem à S. Sede admittendi hos alumnos; eorum novitiatus non computetur, nisi pubertate acquisita, ita ut professio emittatur completo jam decimo sexto anno. Quòd si completo Novitiatu habiles non reperti fuerint ad professionem, expellendi erunt. De Puellis verò quamvis doceat Rodriquez *tom.3. Quæst. Regul. quæst.* 12. *art.*2. & Barbosa *in declarationibus Concilii Tridentini loc. cit.* non posse religiosum habitum assumere ante annos pubertatis, nisi expressè Parentes, vel Tutores consenserint. Nihilominus sufficit, quòd non contradicant: quia in hoc Concilium Tridentinum nihil statuit, sed reliquit dispositioni Juris antiqui *in Cap.2. de Regular. & Cap.* 1. 2. *& 3. Caus.* 20. *quæst.* 2. ubi habetur, quòd tam impuberes Viri, quàm Mulieres non contradicentibus Parentibus, vel Tutoribus religiosum habitum suscipere possint. Solùm ergo disposuit Tridentinum, quòd si puella major duodecim annis velit religiosum habitum suscipere; debeat Episcopus ejus voluntatem explorare. De minori verò nil disposuit quoad hoc examen in susceptione habitus; quamvis examinanda sit ejus voluntas ante emissionem Professionis, sicuti examinanda etiam est, quæ in pubertate habitum suscepit. An autem sit gravis culpa hoc examen omittere in susceptione habitus? puto, quod non: gravis tamen culpa esset illud in professione omittere, cum res sit majoris momenti. Sic Sanchez *lib.5. Summ. capit.4. num.84. in fin.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.5. cap.1. num.* 9. *in fin.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 1. *punct.*7. *§.2. num.*2.

Inquires 1. an filius pubes impediatur à suscipiendo religioso statu ob parentum necessitates? Resp. non solùm necessitatem extremam, eam videlicet, in qua si filius genitoribus non succurrat, periclitatur eorum vita; sed etiam gravem, quando scilicet genitores sine gravi difficultate, & labore sustentare se nequeant; aut cadere cogantur à suo statu mendicando, famulando, aut aliud Officium indecorum exercendo; impedire ingressum in Religionem, si aliunde filius in sæculo manens possit Genitoribus in talibus necessitatibus constitutis subvenire: nam si non posset, aut posset in Religione; non est impeditus ab ingressu: ratio est, quia ob reverentiam, & pietatem parentibus debitam obligatur filius sive re familiari, sive industria, & labore manuum suarum subvenire talibus necessitatibus suorum genitorum, quæ quidem obligatio cessare nequit ob exequenda opera Consilii, & perfectionis, maximè quia si præceptum Pietatis, & Charitatis obligare potest, in nullo alio casu obligare poterit, quàm in prædictis necessitatibus: in quo sensu aptari possunt verba illa Christi Domini *Matth. 9. Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Sic *ex Cap. Si quis filii dist.* 30. docent Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.6. in corp.* quem sequuntur Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Toletus, Sà, Azor. Sanchez, Suarez, Lessius, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.1. punct.7. §.5. num.* 5. Extenditur doctrina tradita ad Casum, quo filius Religionem voverit: eo quia votum nequit esse contrarium naturali præcepto subveniendi Parentibus in his necessitatibus constitutis. Limitatur superior doctrina, 1. si filius vitare non posset periculum proximum, quod sub mortali vitare tenetur, quàm Religionem ingrediendo. 2. si manens in sæculo Parentes inducerent eum ad peccandum, quod peccatum aliter vitare non posset, nisi per ingressum in Religionem. Quæ dicta sunt de filiis respectu suorum parentum à fortiori intelligenda sunt de Parentibus respectu filiorum, quos in extrema, vel gravi necessitate constitutos relinquere nequeunt, ut statum Religiosum assumant: cum ex Jure naturali obligentur ad suos filios alendos, & sustentandos, ut habent Doctores superiùs citati. Necessitas communis parentum, aut filiorum, illa scilicet, quæ communiter accidit, & frequens est penes plurimos, non

non impedit filios à ſuſcipiendo religioſo ſtatu, ſicuti non impedit Genitores ab illo: ratio eſt, quia cum ſit levis conſiderationis, & frequenter penes homines accidat; inde eſt, quòd non ſit ſufficiens ad impediendum magnum bonum Religionis. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. & alii paſſim.

5. Inquires 2. an ob neceſſitatem Avorum, Fratrum, aut Sororum impediatur quis à ſuſcipiendo religioſo ſtatu? Reſp. ſi neceſſitas extrema ſit, impedit quidem ſuſceptionem: ratio eſt, quia ex præcepto Charitatis non ſolùm iſtis conſanguineis, ſed cuilibet proximo ſubvenire tenemur: maximè, quia neceſſitas extrema nequit ad longum tempus durare, aliàs non eſſet extrema, & cum periculo vitæ; ergo ſtante neceſſitate extrema proximi tenetur quis differre ſuſceptionem religioſi ſtatus pro eò tempore, quo neceſſitas extrema durat. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 105. *art.* 4. Cajetanus, Sanchez, Leſſius, Layman, Valentia, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput.* 1. *punct.* 7. §. 5. *num.* 4. Si verò neceſſitas ſit gravis, non impedit ad longum tempus ſuſceptionem Religioſi ſtatus, nec pro Avis, nec pro Fratribus, aut Sororibus, maximè ſi ſui juris ſint: ratio eſt, quia obligatio iſta eſt ex Charitate, qua proximum diligere tenemur; ergo ſi ob neceſſitatem gravem extraneorum non tenemur diu ſtatu religioſo privari; neque ob neceſſitatem conſanguineorum, eſto in hoc genere ſtrictiùs obliget. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. Sanchez *in Summ. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 30. & Caſtropalaus *loc. cit. num.* 12. Advertendum tamen, quòd ſi Sorores patiantur periculum incontinentiæ; laudabile eſt, ingreſſum Religionis differre, eſto non habeatur obligatio id faciendi. Quòd ſi prædicti conſanguinei ſub tui Parentis cura exiſtant, & ipſe patitur gravem neceſſitatem in eis alendis ob tuum diſceſſum, cui ſubvenire poſſis; teneris differre ſuſceptionem religioſi ſtatus, & impediris ab illo ſuſcipiendo non tam ob ſubveniendum gravi neceſſitati Fratrum, aut Sororum; quàm ob ſubveniendum gravi neceſſitati Parentis, ad quod adſtringeris à jure debito Parenti, non verò Conſanguineis. Et adnotandum, quòd ſi Voto Religionis adſtringeris pro determinato tempore; requiritur authoritas Prælati ad differendum Votum emiſſum, cum non ſufficiat propria authoritas. Idem dicendum, ſi dubium habeas, ſi talis ſit neceſſitas parentis: cum obligatio voti certa ſit, & excuſatio dubia; adeoque Prælati authoritas interponenda erit: ut ex Suarez, & Sanchez docet Caſtropalaus *l. c. num.* 6. & 13.

6. Sequitur 3. obſtrictum debitis, ac reddendis ratiociniis impeditum eſſe à ſuſcipiendo religioſum ſtatum. Et quidem ſi obſtrictus debitis, ſeu ære alieno gravatus ſit abſolutè impotens ad ſatisfaciendum Creditoribus, ita ut nec bona habeat, nec probabiliter ſperet poſſe habere; non erit impeditus ab ingreſſu Religionis: quia abſoluta illa impotentia impedimentum aufert. Secus verò dicendum, ſi brevi tempore ſperet, ſe ſatisfacturum Creditoribus vel ex fructibus alicujus beneficii, aut officii; vel ex comparatis propria arte, & induſtria; tenebitur ingreſſum differre: quia cenſetur abſolutè potens ſatisfacere; & aliunde æquitas Juſtitiæ, & præceptum naturale reſtituendi non permittunt, quòd obſequendum Conſilia graviter præjudicetur Creditoribus; niſi tamen extraordinarium periculum committendi peccatum immineret, quod non poſſet alia via evitari, niſi Religionem ingrediendo: ut tradunt Suarez, Sanchez, Leſſius, Navarrus, Azor. Navarra, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Religioſ. diſp.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 3. Hoc autem tempus, quo differri debet ingreſſus; erit biennium, aut triennium ad ſummum: ut docent Sanchez, Major, & Navarrus penes citatum Caſtropalaum. Quòd ſi ultra illud ſperet, ſe ſatisfacturum, negant plures Doctores poſſe religionem ingredi cum Suarez, Valentia, Medina, & aliis à Caſtropalao relatis *l. c. nu.* 4. eo quia præceptorum obligatio non debet omitti ob ſequenda opera conſilii, & perfectionis. Alii verò cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 6. *ad* 3. Cajetano, Sylveſtro, Aragonio, Sà, Sanchez penes eumdem Caſtropalaum *l. c. num.* 5. docent poſſe ingredi, dummodo bona præſentia, quæ habet; cedat Creditoribus: eo quia ſatisfactio, quæ nonniſi magno tempore expectato, & cum magna difficultate, & detrimento ſalutis ſpiritualis fieri debet; reputatur moraliter impoſſibilis, adeoque non obligans.

Nihilominus in hac controverſia dirimenda diſtinctione utendum erit: in debitis ex liberali promiſſione ortis ſecunda ſententia mihi arridet; ſicuti etiam in debitis, quæ incertis dominis debentur, loco quorum ſuccedunt pauperes, & loca pia. In debitis verò ex delicto, vel contractu oneroſo emanantibus primam ſententiam amplector propter rationes ab eorum fautoribus allatas; & ſic ſentire videtur idem Caſtropalaus *loc. cit. num.* 6. & 7. Advertendum hìc: quòd Sixtus V. *in ſua Conſtitutione edita anno* 1587. inhabiles reddidit non ſolùm ad profeſſionem; ſed etiam ad religioſum habitum aſſumendum criminoſos, qui furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliave facinora patrarint, & ad religionem confugiunt, ut punitionem vitent, quæ quidem facinora publica debent eſſe, non verò occulta; inſuper illegitimos, & ingenti ære alieno gravatos, ac obſtrictos ad ratiocinia reddenda. Hanc Conſtitutionem revocavit Clemens VIII. quoad inhabilitatem, & nullitatem habitus, & profeſſionis; non revocatis tamen pœnis contra ingredientes, & recipientes in ea impoſitis. Quoad illegitimos verò prorſus ſuſtulit Gregorius XIV. quod de illis diſpoſuerat Sixtus V. & ad terminos Juris communis reduxit, ſolùm præcavens, ne illegitimus in ea Religione recipiatur, in qua ejus Pater ſuperſtes eſt.

Obſtrictus verò ratiociniis, ſeu obligatus ad ratiocinia reddenda, ſi ea publica ſunt, eo quia ad Rempublicam, aut aliam Communitatem ſpectant; impeditus eſt ab ingreſſu in Religionem; ſecus verò ſi privata fuerint, & ad privatas perſonas ſpectantia: ut conſtat *ex Cap. Unic. de Obligat. ad Ratiocin.* & *ex Cap. Legem diſt.* 35. & ſic docent Sylveſter *verb. Religio* 2. *quæſt.* 6. & Sanchez *lib.* 4. *Summ. capit.* 19. *nu.* 19. Sed probabilior eſt ſententia docens, tum obligatum ad ratiocinia publica, tum privata impeditum eſſe ad aſſumendum habitum religioſum: ratio eſt, quia extra religionem facilè ſatisfieri poteſt huic obligationi, difficilè verò in religione: cum ſæpe ex redditione ratiociniorum turbationes, & lites ſuboriantur: & ſic docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 3. *num.* 33. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 9. Non nego tamen, quòd ſi abſque lite, aut ullo gravamine partium ratiocinia de facili reddi poſſint; non habeatur impedimentum ad ſumendum ſtatum religioſum; quæ quidem non ſunt faciliter ſupponenda, niſi aliunde conſtent.

7. Sequitur 4. Conjuges impeditos eſſe ad religioſum ſtatum ſumendum conſummato jam matrimonio, niſi adſit cauſa perpetui divortii; aut niſi facultas habeatur ab altero conjuge. Sic ſtatuitur *in Cap. Quidam Cap. Placet Cap. ex parte & Cap. Veniens de Converſ. Conjugat.* ubi clarè conſtat, ita impeditos eſſe, ut nulla ſit profeſſio emiſſa, ſi ab eis emittatur. Quòd ſi conjux Novitiatum incœperit conſummato matrimonio abſque conſenſu alterius conjugis, qui tamen conſenſum præbeat ante profeſſionem; non ideo invalidus erit Novitiatus incœptus: ratio eſt, quia nullibi reperitur irritus: & quamvis irritetur profeſſio, ad quam Novitiatus diſponit; non ideo irritatur Novitiatus, ſi profeſſio habeat effectum ſuum; quamvis irritandus fuiſſet, ſi irritanda eſſet profeſſio. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *capit.* 4. *num.* 10. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat.* 1. *punct.* 7. §. 3. *numer.* 2. Ante matrimonii conſummationem non impediuntur conjuges à ſuſcipiendo Religioſum Statum intra bimeſtre eis à Jure conceſſum ad hunc finem.

8. Exagitari hìc ſolet: an ob inopiam, & paupertatem domus religioſæ aliqui excludi poſſunt ab aſſumendo Religioſum ſtatum? Reſp. Bonifacium VIII. ſanxiſſe in *Cap. Periculoſo §. Sane de Stat. Regular. in* 6. ne in Monaſteriis Ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero Sorores, niſi quot poterunt de ipſorum Monaſteriorum bonis, ſive proventibus abſque penuria ſuſtentari. Si ſecus actum fuerit, irritum decernentes. Hinc ſequitur, ſi ultra numerum earum, quæ de bonis Monaſterii ali poſſunt; aliqua Soror recipiatur in prædictis Monaſteriis non mendicantium; & grave peccatum committitur, & profeſſio ab ea emiſſa nulla eſt. Tridentinum tamen *Seſſ.* 25. *capit.* 3. *de Regular.* juxta *Cap.* 1. *de Inſtitut.* comprehendit omnes Domos Religioſas tam mulierum, quàm Virorum bona immobilia

bilia possidentes, vel non possidentes; ac statuit, ut in prædictis Monasteriis, & Domibus is tantùm numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari. Huic Sacrosancti Concilii Decreto conformantur Constitutiones Sancti Pii V. & Urbani VIII. hac de re editæ in quibus designatur modus stabiliendi numerum pro unaquaque Religiosa Domo, & statutum conservare. Pro monialibus verò etiam exemptis debet Episcopus numerum designare cum Prælato Monasterii exempti juxta Constitutionem Gregorii XIII. incipit, *Deo Sacris*. Hunc numerum non designare grave peccatum erit; ut ex Navarro, Barbosa, & aliis docet Castropalaus *de Stat. Relig. punct. 7. §. 6. numer. 3. in fine*. Adnotandum tamen, Concilium non irritasse professionem Monialis ultra numerum receptæ sine dote; quare sola receptio Monialium non mendicantium sine dote, & ultra numerum est irrita *ex Capit. 1. de Stat. Regul. in 6.* ut adnotat Lessius *libr. 2. capit. 41. dubit. 3. in fine*. Poterit tamen Monialis recipi ultra numerum, si sufficientem dotem Monasterio dederit, qua per totam vitam substentari queat: cum receptio ista Monasterium non gravet; ut docent Navarrus, Guttierrez, Suarez, Barbosa, Lessius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *loco citato numer. 4.* Addit ex Sanchez, id verum esse, etiam si post ingressum dos consumatur: quia semper verum est, non fuisse ingressum cum gravamine Monasterii, sed potiùs in ejus sublevamen, & utilitatem. Addit quoque ex eodem Sanchez in Monasteriis Virorum, decretum istud consuetudine temperatum fuisse, & cohonestatur receptio ob periculum, & timorem ne Monasterii Opinio deperdatur ac ejus solita Ministeria cessent.

CAPUT III.

De Impedimentis Specialibus pro ingressu in Societatem Jesu.

1 *In Societate Jesu aliqua Impedimenta sunt Primaria, & Substantialia; aliqua verò Secundaria, & Accidentalia.*
2 *Primum impedimentum substantiale est Infidelitas, quæ quatuor partes sub se continet, & omnes explicantur.*
3 *Secundum est homicidium perpetrasse, aut perpetrari jussisse cum deliberatione effectu secuto. Aut infamem esse ob enormia peccata commissa.*
4 *Tertium est Habitum sumpsisse alicujus Religionis Fratrum, aut Clericorum, vitam aliquando cum eis agendo in obedientia, etiamsi professionem non emiserit. Aut si quis Eremita fuerit cum vestibus Monachalibus.*
5 *Quartum est vinculum Matrimonii consummati.*
6 *Quintum est infirmitatem pati, unde obscurari, vel parum sanum judicium alicui esse soleat; aut dispositionem notabilem ad hujusmodi infirmitatem habere.*
7 *Aliquod ex istis impedimentis in examine reticere, aut in eo mentiri, itaut ex admissione grave incommodum Societati oriatur; grave peccatum est, & superioribus ejusdem Societatis reservatur.*
8 *Impedimentum Originis ex Hebræis, vel Saracenis, quamvis inter substantialia non enumeretur; indispensabile tamen est à Præposito Generali.*
9 *Explicantur Impedimenta Accidentalia, quæ reddunt illicitum ingressum in Societatem Jesu.*
10 *Sex enumerantur, quæ spectant ad Interiora hominis.*
11 *Enumerantur tria spectantia ad exteriora hominis.*
12 *Additum his Impedimentis gaudere in Hispania Jure Majoratus.*
13 *Ligatus aliquo ex impedimentis accidentalibus, si admitteretur in Societatem à non habente facultatem dispensandi in illis; invalidè reciperetur, sive ei detectum fuerit impedimentum, sive non.*
14 *Quid dicendum de ligato admisso ab habente facultatem dispensandi, si non detegat impedimentum, sed malitiosè taceat?*
15 *Facultas admittendi Novitios in Societatem Jesu est penes Præpositum Generalem, nec alii Superiores admittere possunt, nisi ab eo communicatam habeant facultatem.*
16 *Ligatus impedimentis substantialibus admitti poterit in Societatem ex facultate Summi Pontificis, vel ejus Legati, aut Nuntii, vel Summi Pœnitentiarii non repugnante Proposito Generali.*

HABET sua specialia Impedimenta Societas Jesu pro admittendis in ea, alia quorum sunt Primaria, & Substantialia; alia verò Secundaria, & accidentalia. Explicatis priùs substantialibus, & Primariis gradum faciemus ad secundaria, & accidentalia. In eo differunt substantialia ab Accidentalibus, quia substantialia non solùm impediunt licitum ingressum, sed etiam validum; itaut si admittatur in Societatem Jesu habens impedimentum substantiale, prorsus irritus, & nullus sit ejus ingressus, etiam si secuta fuerit Solemnis Professio quatuor Votorum: ut expressè constat *ex 1. Part. Constit. capit. 3.* ubi dicitur de his impedimentis: Omnino excludunt; & particula, omnino, non solùm denotat ingressum licitum, sed etiam validum: ut declaravit Congreg. VII. Generalis *Decret. 35.* & docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. capit. 1. numer. 17.* & Sanchez *lib. 5. Summ. capit. 4. num. 60.* Impedimenta verò Accidentalia quamvis non excludant à Societate Jesu, reddunt tamen eis affectum minùs idoneum, ut admittatur, & tanti momenti esse possunt, ut cum eis admitti non debeat. Quòd autem potuerit Societas Jesu hæc impedimenta apponere approbante Sancta Sede, dubitari non potest; cum admissio in Religionem sit contractus, quo Religiosus se tradit Religioni ad obsequendum ei, & Religio se obligat ad illum alendum, ac in via Perfectionis dirigendum juxta suas Constitutiones; adeoque sic contrahentes apponere possunt conditiones, quibus deficientibus nullus sit contractus. Conveniens verò fuit talia impedimenta apponere, ut pro suo Instituto aptiores Ministros haberet Societas Jesu, ac expeditiores ad verbum Dei disseminandum in agro Domini, ac fideliter Euangelizandum. 1

1. Ergo ex Impedimentis substantialibus est Infidelitas, quæ quatuor sub se partes continet: & 1. est, si quis recesserit è gremio Sanctæ Ecclesiæ fidem abnegando penes infideles. 2. si quis inciderit in errores contra fidem, in quibus reprobatus fuerit per sententiam publicam: ut si quis ob aliquam propositionem hæreticam damnatus fuerit. 3. si quis ut suspectus hæresis per sententiam publicam declaratus fuerit. 4. si quis tamquam schismaticus se ab Ecclesiæ unitate sejunxerit. Sic *in 1. Part. Constit. capit. 3. §. 3. & in Examin. cap. 2. §. 1.* 2

Pro quibus adnotandum 1. pro prima parte: abnegationem debere esse perfectam, hoc est, quòd interiùs, & exteriùs fidem abnegaverit: nam interior abnegatio tantùm non subjacet pœnis Ecclesiasticis. Exterior tantùm sine interiori non est revera abnegatio, sed simulatio illius. Debet insuper abnegatio esse à fide jam recepta, ac professa in ætate adulta; secus si non esset recessus à fide personalis, sed nationalis; nec esset peccatum particulare personæ, sed generale Nationis, quod non præstat impedimentum, ut expressè notatur *in 1. Par. Constit. cap. 3. in Gloss. litera B.* Non requiritur tamen, quòd ista abnegatio sit publica, sed quòd sit probabilis, & nota duobus testibus: sic enim abnegans notam incurreret, & redderetur Minister minus idoneus ad euangelizandum. Sic Suarez *tom. 4. de Religione tract. 10. lib. 2. capit. 1. numer. 14.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 1. punct. 8. §. 1. numer. 7.* Denique particula illa, Inter Infideles, non facit, quin abnegatio inter fideles non sit impedimentum, imò gravius impedimentum erit: apponitur enim non ad restringendum impedimentum, sed ad illud magis corroborandum; ita ut sensus sit, etiamsi abnegatio fidei professæ in adulta ætate fierit in Terris infidelium vel timore pœnæ, vel amore præmii, adhuc impedimentum est: ut rectè advertit Castropalaus *l. c. num. 6.*

Adnotandum 2. pro secunda parte: quòd quamvis aliquis per publicam sententiam damnatus non fuerit, nec reprobatus; si tamen error ejus publicus

blicus fuerit, ac vehementer suspectus esset, & timeri posset, quòd conveniri posset in Judicio, non deberet hic admitti in Societatem; sed res tota ad Judicium Præpositi Generalis committenda esset, ac ejus arbitrio relinquenda, Sic expresse *in Epitom. Instit. Par.* 1. *cap.* 1. *sess.* 2. *num.* 3.

Adnotandum 3. pro tertia parte: quòd si quis ut suspectus hæresis per sententiam declaratus fuerit, cum revera in errores non inciderit; non erit ab ingressu in Societatem excludendus; ratio est, quia sententia in falsa præsumptione fundata non est vera Sententia; nec à Societate excluditur, qui merè damnatus fuerit ut suspectus hæresis; sed qui in errores verè inciderit, aut aliquam propositionem hæreticam, ita ut declaratus sit ut suspectus hæresis. Nec valeat dicere, spectari potiùs in impedimentis istis infamiam, quàm delictum, Nam contra est, quia utrumque spectari debet; imò primò delictum, dein infamia, cum hæc sine illo impedimentum non præstet, utpote iniqua, & injusta: ut rectè docet Castropalaus *de Statut. Relig. disputat.* 1. *punct.* 8. §. 1. *numer.* 8.

Adnotandum 4. pro quarta parte; ut ad hoc inducat impedimentum Schisma, debet esse perfectum, ac inducens excommunicationem, & infamiam: ut autem tale sit, debet esse personale, & non generale Nationis, esto generaliter excommunicata sit Natio. Sic *in* 1. *Par. Constit. capit.* 3. *adnotat Glossa*, Non requiritur tamen, ut Schisma Personale conjunctum sit cum hæresi; cum sine hæresi possit haberi verum, & proprium Schisma, esto regularite conjungatur, adeoque solum Schisma impedimentum facit.

3 2. Ex Impedimentis substantialibus est, siquis homicidium perpetraverit, vel perpetrari cum deliberatione jusserit, si effectus secutus fuerit; aut si publicè infamis fuerit propter enormia peccata. Duas partes hoc secundum impedimentum continet; 1. est homicidium perpetrasse, aut cum deliberatione jussisse perpetrare secuto effectu, 2. est infamem esse ob enormia peccata commissa. Sic *in* 1. *Part. Const. cap.* 3. §. 4. *Litera C. & in Examin. cap.* 2. §. 2.

Adnotandum 1. circa primam partem: homicidium in propriam defensionem factum cum moderamine inculpatæ tutelæ non inducere hoc impedimentum: ratio est, quia si nec irregularitatem inducit, nec usum Ministerii Sacri impedit; nec impedimentum hoc inducere debet: & ratio ulterior esse potest, quia potiùs est justa defensio, quàm homicidii perpetratio, ut habet communis Doctorum sententia.

Adnotandum 2. nec inducere hoc impedimentum homicidium factum authoritate publica: & ratio est, quia licèt ob defectum lenitatis irregularitatem inducat, usum Sacri Ministerii impediat, ac notam aliquam crudelitatis inurat; nihilominus cum in rigore homicidium significet interfectionem illicitam, & peccaminosam hominis, non verò licitam, & potestativam; ut docet Divus Thomas ab omnibus receptus 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 68. ideo hoc impedimentum non inducitur à tali homicidio; maximè quia loquebatur Sanctus Parens Ignatius de delictis, & peccatis; nec nota, quæ ab eo inuritur, est tanti momenti; & irregularitas, quam inducit, dispensari potest à Præposito Generali, vel Provinciali *ex Compend. Privileg. Societatis Jesu verb. Dispensatio* §. 2. & sic docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 1. *numer.* 7. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *numer.* 10.

Adnotandum 3. quòd licèt homicidium voluntarium, sive simplex, quod videlicet est directè volitum dum contingit, ut evenit in subitanea rixa, sive præmeditatum, quod scilicet tempore antecedenti deliberatum, & meditatum est; hoc impedimentum inducat. Nihilominus de homicidio casuali, sive culpabili, in quo videlicet ponitur causa mortis cum culpa, licèt non intendatur mors ex ea sequen; sive inculpabili, eo quia causa mortis inde secutæ apponitur absque culpa; controverti potest an impedimentum inducat? Denegat Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 8. §. 1. *numer.* 13. putatque, neutrum ex ipsis impedimentum afferre, Nihilominus ex Congregatione Generali II. *artic.* 31. consulendus est Præpositus Generalis, maximè quia habet Privilegium dispensandi in Irregularitate orta ex homicidio casuali *ex Compend. Privileg. Societatis Jesu verb. Dispensatio.* Sicuti etiam in dubio, an revera sit homicidium, vel non; dijudicare debebit Præpositus Generalis, cui cautum est, ne se facilem in hujusmodi dubiis exhibeat *ex* 1. *Par. Constit. cap.* 1. *litera C.*

Adnotandum 4. quòd licèt probabiliter doceat Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 8. §. 1. *numer.* 16. homicidium occultum non inducere impedimentum, maximè si nullum periculum probabile habeatur, quòd aliis manifestari possit. Nihilominus probabilius puto, quod docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 2. *capit.* 1. *numer.* 12. nempe quòd impedimentum inducat; cum nec Constitutiones limitent ad publicum, non verò occultum; nec ratio occulti faciat, quin homicidium hoc irregularitatem inducat.

Adnotandum 5. consulentem homicidium etiam secuto effectu non habere hoc impedimentum, quod tantùm contrahit mandans, & jubens cum deliberatione illud perpetrare: & ratio est, quia Constitutiones de mandante, ac jubente loquuntur, non verò de Consulente: maximè quia communissima sententia docet, in rebus odiosis strictam fieri debere interpretationem; & censuras, ac pœnas latas contra facientes non comprehendere mandantes; sicuti latas contra mandantes non comprehendere Consulentes. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 8. §. 1. *numer.* 18.

Adnotandum denique circa secundam partem hujus impedimenti, quòd peccata enormia, ob infamiam quorum quis excluditur ab ingressu in Societatem; dignoscenda remittuntur judicio Præpositi Generalis, ut constat ex Glossa *in* 1. *Par. Constit. capit.* 3. *litera D.* Et advertendum, quòd si quis discedens à loco, ubi infamiam contraxit, tam seriò resipuerit, ut nil timeri possit; cessat hoc impedimentum ex Glossa *loco citato.* Et idem dicendum videtur, si in pluribus locis infamis fuerit cum publicitate, quam semper requirit infamia; & in illis locis jam abolita sit infamia ob resipiscentiam, ac veram vitæ emendationem; tunc pariter cessabit impedimentum: eo quia licèt infamis fuerit, infamis tamen nunc non est, imò redolens bonam famam. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *numer.* 19.

4 3. Impedimentum ex substantialibus est, siquis Habitum sumpserit alicujus Religionis Fratrum, vel Clericorum, vitam aliquando cum eis agendo in obedientiæ, etiamsi professionem non emiserit; aut siquis Eremita fuerit cum vestibus Monachalibus. Sic *in* 1. *Part. Constit. capit.* 3. §. 1. *& in Examin. capit.* 2. §. 3.

Adnotandum hìc 1. ad hoc impedimentum inducendum sufficere habitum gestasse per unum diem eo tamen animo, ut religiosus fieret; ut declaratur *in* 1. *Part. Constit. capit.* 3. *litera E.* Quænam verò ætas requiratur, ad hoc ut susceptio Regularis habitus sufficiens sit ad hoc impedimentum; itaut si in puerili ætate contigerit, non censendum sit sufficiens; non est decisum: sed remittitur statuendum pro singulis casibus Præposito Generali à Congregatione Generali II. *action.* 36. Idem quoque Præpositus Generalis inspicere, & decernere debet: an gestasse habitum minùs quàm uno die; impedimentum inducat. Sic ex eadem Congregatione Generali II. *action.* 43.

Adnotandum 2. quòd licèt certum sit, eos qui è Religione Societatis Jesu egressi fuerint non soluti à votis, & Habitum alterius Religionis assumpserint, in qua tamen non perseveraverint; si ad Religionem Societatis Jesu regressi fuerint; non ideo esse impeditos, ut constat *ex Part.* 2. *Constit. capit.* 4. *litera B.* Sicuti certum quoque est, professentes Ordinem aliquem Militarem Divi Joannis Hierosolymitani, Divi Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, Sanguinis Christi, & similium non esse affectos hoc impedimento: quia non sunt Religio Clericorum, aut Fratrum in communi viventium, ut declaratum fuit à Congregatione Generali I. *Decret.* 125. *can.* 5. Nihilominus secus dicendum est de Fratribus Cappellanis Sancti Joannis Hierosolymitani, cum propriè, & rigorosè Religiosi sint, ac multis in locis viventes in communi. Sic expresse Congregatio Generalis XIII. *Decret.* 7. Quod extendendum puto ad Clericos aliarum Religionum militarium: quia propriè, & rigorosè Religiosi sunt, & voto Religionis adstringuntur. Et sic docet

Suarez

Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. capit. 1. numer. 16.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 1. punct. 8. §. 1. numer. 20.*

5 4. Impedimentum substantiale est Vinculum Matrimonii consummati; vel servitutis legitimę. Sic *in 1. par. Constit. capit. 3. §. 6.* Pro quo adnotandum 1. quòd licèt in loco citato Constitutionum non expressum fuerit, Matrimonium debere esse consummatum; exprimitur tamen *in Examin. Capit. 2. §. 4.* Cessat autem hoc impedimentum, si alter conjux licentiam dederit ingrediendi Religionem observatis simul aliis circumstantiis, quæ juxta sanam doctrinam, & laudabilem usum Sanctæ Matris Ecclesiæ servari solent; adeout ex sola licentia Conjugis absque istis circumstantiis requisitis nullus esset ingressus teste Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. capit. 1. numer. 22.*

Adnotandum 2. quòd licèt non sit substantialiter impeditus ad ingrediendum Societatem Jesu habens Matrimonium ratum; nihilominus recipi, & admitti non potest sine alterius Conjugis consensu; vel nisi recipiatur ad solemnem professionem faciendam expleto biennio Novitiatus: ratio est, quia vota simplicia post biennium Novitiatus emissa quamvis irritent matrimonium de futuro, non irritant tamen jam contractum, & ratum; adeoque graviter læderetur Conjux, si absque illius consensu ad vota simplicia admitteretur; & jure meritò posset conjux non consentiens illum repetere à Societate, & teneretur Societas illum restituere absolutum à Votorum obligatione.

Adnotandum 3. impedimentum Servitutis legitimæ cessare, si dominus facultatem concesserit servo ingrediendi religionem: ratio est, quia sic Servitus cessat; nec impedimentum est, fuisse servum; sed esse talem; sicuti impedimentum non est, fuisse uxoratum, sed esse.

6 Quintum impedimentum substantiale est infirmitatem pati, unde obscurari, vel parum sanum judicium alicui esse soleat; aut dispositionem notabilem ad hujusmodi infirmitatem habere. Sic *ex 1. Par. Constit. capit. 3. §. 7. & Examin. capit. 2. §. 1.* Adnotandum, quòd si dubietas insurgat circa infirmitatem istam, aut notabilem dispositionem ad illam; decidenda erit ex Medicorum Consilio, & assensu Præpositi Generalis.

7 Pro omnibus istis impedimentis substantialibus adnotandum est, quòd aliquod ex ipsis reticere in examine, aut in eo mentiri; itaut grave aliquod incommodum oriri possit Societati ob admissionem in eam; grave peccatum sit, & Superioribus ejusdem Societatis reservatum ex Congregatione Generali V. *Decret. 51.*

8 Impedimentum Originis, hoc est, originem traxisse ab Hebræis, vel Saracenis, quamvis inter impedimenta substantialia Societatis Jesu non recenseatur; attamen à Congregatione Generali V. *Decret. 52. & 53.* statutum fuit, indispensabile esse, etiam à Præposito Generali; adeoque sortiri effectum impedimenti substantialis. Licèt enim Societas Jesu juxta suum Institutum omnia hominum genera complectatur, ut eorum Spirituali utilitati inserviat; attamen necesse non est, ut suos Ministros ex quolibet hominum genere desumat. Sic *in 1. Part. Constit. capit. 3. §. 1.* Non nego, additam fuisse aliquam moderationem, itaut exclusis iis, qui Morisci in Hispania vocantur; & iis, qui specie tenus Christiani vocantur, cum revera non sint; denique iis, qui hoc nomine Generationis Hebræorum, aut Saracenorum infames habentur; cum reliquis verò, qui alioqui essent honestæ familiæ, & nominis, informationes accipi deberent usque ad quintum Gradum inclusivè. Et quamvis secretò faciendæ sint informationes, exactè tamen fieri debent; & sicuti non est credendum cuicumque rumori, aut cuipiam asserenti, se aliquid audisse; ità si constans fama habeatur, cupientem ingredi Societatem Jesu hac macula notatum esse; admittendus non erit. Probationes igitur, ut aliquis usque ad quintum Gradum ab hac nota eximatur; debent esse certæ, & fide dignæ: ultra quintum Gradum inclusivè, nisi talis infamia publicè constet, non erit inquirendum, cum non sit impedimentum. De aliis Tartaris, & Mahumetanis, cum cesset ratio infamiæ in ipsis; committitur Præposito Generali, ut possit cum ipsis dispensare intra prædictos Gradus, Sic Congregatio Generalis VI. *Decret. 28.*

Explicatis Impedimentis substantialibus, essentialibus, & primariis, quæ & licitum ingressum impediunt in Societatem Jesu, ac reddunt illum invalidum, etiam secuta Professione solemni quatuor Votorum; remanent explicanda impedimenta accidentalia, & secundaria, quæ licèt non excludant ab ingressu in Societatem Jesu, attamen reddunt minus idoneum ad illum. Sed quia evenire potest, aliquem habentem impedimentum ex istis ornari aliis præclaris Dei donis, ideo relinquitur prudentiæ ejus, qui dispensare potest, id discernere. Sic *in 1. Part. Constit. cap. 3. §. 8. & in Regul. Provincial. 36.* 9

Dividuntur impedimenta hæc Accidentalia, & Secundaria in ea, quæ ad Interiora spectant; & ea quæ spectant ad exteriora hominis. 1. ex Interioribus impedimentis est habere passiones, & affectus, qui domari non posse videantur; aut peccatorum habitus, de quibus non speretur magna emendatio. 2. minùs rectam habere intentionem ad Religionis ingressum; itaut admixtionem cum aliquo fine humano præseferat. 3. pati inconstantiam, aut animi remissionem notabilem. 4. indiscretas habere devotiones, quę in causa esse solent, ut aliquis in illusiones, & non exigui momenti errores incidat. 5. habere litterarum ignorantiam; vel defectum ingenii, aut memoriæ ad eas addiscendas; vel linguæ ad explicandum: in illis tamen hoc impedimentum viget, qui intentionem, & desiderium præseferunt ulteriùs progrediendi, quàm solent Coadjutores Temporales. 6. defectum judicii habere, vel notabilem in proprio judicio obdurationem, quæ omnibus Congregationibus multum solet facessere negotii. Sic *in 1. Part. Constit. capit. 3. §. 9. usque ad 15.* Hæc impedimenta adnotationibus non indigent; sed ejus arbitrio remittuntur, qui facultatem habet admittendi Novitios: ut adnotat Glosa *l. c. Constitut. litera H.* 10

1. Verò ex exterioribus impedimentis est defectus in integritate corporis, morbus, debilitas, vel notabilis deformitas; sive hæc contingat à natura, sive ab aliqua externa causa: cum semper obstet Sacerdotio, & proximorum ædificationi. Sic *in 1. Par. Constit. capit. 3. §. 15. litera I.* 2. est ætas valde tenera, aut nimis provecta. Valde tenera est, si quis ad probationem admittatur in Novitiatu minor quatuordecim annis; aut ad professionem minor viginti quinque annis, nisi ex peculiaribus causis Præpositus Generalis dispensaverit in utroque casu. Sic *ex 1. Par. Const. capit. 2. §. 12. & Capit. 3. §. 15. litera K.* Non solet autem dispensare nisi minor decimumquartum annum expletum habeat. Et advertendum, quòd si sine dispensatione ejusdem aliquis admissus fuerit ad Novitiatus probationem ante decimum quintum annum expletum; aut ad vota simplicia ante decimum septimum annum expletum; quamvis irritum sit quidquid actum fuerit etiam authoritate Provincialis, ut statutum est à Congregatione Generali VIII. *Decret. 35. & Regul. Provincialis 36.* Nihilominus ex eadem Congregatione *Decret. 22.* prima Renovatio Votorum post annum decimum septimum expletum facta vim habebit primæ nuncupationis, & defectus quoscumque supplebit. Biennium tamen Novitiatus tunc validè inchoatum erit, quando jam annum decimumquintum expleverit ex Congregatione Generali XII. *Decret. 13.* Nimis provecta ætas reputatur, quæ quinquagesimum annum completum attingit; in qua etiam ex peculiaribus causis dispensare poterit Præpositus Generalis, ut dispensat in ætate tenera. 11

3 Est æs alienum, aut naturalis, vel civilis aliqua obligatio. In hoc impedimento diligenter considerandum est, ne ex admissione aliqua oriatur occasio offendiculi, vel perturbationis; præsertim in obligationibus civilibus, de quibus Jura disponunt; ut etiam in obligationibus naturalibus propter ædificationem. Sic *ex 1. Par. Constit. capit. 3. §. 15. litera L. & ex Examin. capit. 3. §. 2.*

Additum fuit his impedimentis accidentalibus, & secundariis aliud à Congregatione Generali V. *Decret. 18.* ne videlicet deinceps quis recipiatur in Societatem Jesu gaudens in Hispania Jure Majoratus, nisi facultatem habuerit à Præposito Generali, & iis dotibus ornatus sit, quæ spem faciant, posse post biennium Novitiatus promoveri juxta Constitutiones ad Professionem 12

trium Votorum ex facultate ipsius Præpositi Generalis. Nisi tamen ea fuerit qualitas Majoratus, ut ejus abdicatio firmari possit per promotionem ad Ordinem Sacrum: quia tunc Ordinatio procuranda erit, non verò Professio trium Votorum. Si quid tamen contra hoc Decretum factum fuerit, non ideo admissio irrita, & invalida esset: ut expressè decrevit Congregatio Generalis XI. *Decret.* 25.

13 Adnotandum 1. quòd si aliquis ligatus esset aliquo ex prædictis impedimentis Secundariis, & admitteretur in Societatem ab eo, qui non haberet facultatem dispensandi in illis; sive aliunde ei detectum fuerit impedimentum, sive non; invalida erit receptio, & admissio: ratio est, quia receptio est facta ab eo, qui facultatem recipiendi non habet sic impeditum. Nec obstat, hæc impedimenta non esse essentialia, & substantialia; sed tantum accidentalia, & secundaria. Nam hoc non probat validam esse receptionem à quocumque Superiore factam, si impedimentum hoc urgeat; sed quod possit à Præposito Generali dispensari: maximè quia nullitas receptionis non provenit ex vi impedimenti, sed ex vi defectus potestatis in recipiente, & admittente in Societatem.

14 Adnotandum 2. quòd quamvis extra controversiam sit, ligatum aliquo ex prædictis impedimentis secundariis, si illud detegat Superiori admittenti in Societatem Jesu, & habenti facultatem dispensandi in illo; valida sit receptio, & admissio. Nihilominus valde controversum est de validitate admissionis, si illud non detegat, & malitiosè taceat. Dicendum tamen, validam esse admissionem, & ingressum: ratio est, quia impedimentum substantiale non est, aliunde admittens dispensare in eo potest; ergo si sic ligatum admittit ad substantiam ingressus, & in ea consentit; censetur etiam consentire in dispensatione. Sicuti si Episcopus admittat ad Ordinem excommunicatum, vel irregularem, admissio valida est; sic si superior Societatis Jesu admittat ad Religionem habentem impedimentum non detectum, in quo tamen dispensare potest; valida erit admissio. Nec obstat, quòd si sciret impedimentum, non admitteret; sicuti non obstat, quòd si Episcopus sciret esse excommunicatum, vel irregularem Clericum ordinandum, illum ad Ordinationem non admitteret. Sufficit ergo, quòd substantiali collationi Ordinum consentiat; sicuti sufficit, quòd Superior Societatis substantiali admissioni in Societatem consentiat. Non nego tamen, quòd si Episcopus expressam voluntatem haberet non ordinandi excommunicatum, aut irregularem; nulla esset Ordinatio. Sic etiam si Superior admittens in Societatem expressam voluntatem haberet non admittendi sic impeditum; nulla esset receptio, & admissio. Attamen talis voluntas nec justa esset, nec præsumenda ob inconvenientia, quæ sequerentur: imò supponi debet, habere voluntatem suæ cognitioni, & rebus ipsis conformem; & velle Novitium recipere abstrahendo an habeat, vel non habeat impedimentum. Sic ex Navarro, Rodriquez, & Sanchez docet Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 8. §. 2. *numer.* 9.

15 Adnotandum 3. facultatem admittendi Novitios in Societatem Jesu totam esse penes Præpositum Generalem, nec alios Superiores eam habere, nisi quatenus ipsis communicatam ab eodem Præposito Generali, ut expressè dicitur *in* 1. *Part. Constit. Capit.* 1. Quapropter non poterit Provincialis sine hac facultate sibi communicata Novitios admittere; & si admittit, nulla est receptio. Et multò magis admittere non poterit ligatos impedimentis facultate obtenta admittendi cum limitatione impedimentorum: cum igitur *in Regul.* 35. *&* 36. *Provincialis* limitentur aliqua impedimenta secundaria, in quibus dispensare non possit, esto possit dispensare in aliis: ut sunt magna deformitas; aut defectus insignis, & notabilis, quem habent Eunuchi; ætas tenera infra decimumquintum annum expletum; & nimis provecta ultra quinquagesimum expletum; Matrimonium etiam in eo casu, in quo non est impedimentum essentiale; infectio generis; & Jus Majoratus; hinc est, quòd si Provincialis admittat absque facultate Præpositi Generalis aliquem sic impeditum, nulla erit admissio, & receptio: quoties enim aliqua potestas cum limitatione conceditur non habenti illam, si limitationem excedit, actus nullus erit quoad excessum illum: ut ex Cardinali, Abbate, & Felino docet Sanchez *lib.* 5. *Summ. capit.* 4. *numer.* 26. & alii passim.

16 Adnotandum denique pro impedimentis substantialibus, & essentialibus: quòd habens aliquod ex illis, & sit raris dotibus præditus, ex quibus speretur magnus animarum fructus, ac Dei obsequium; non solùm poterit in Societatem admitti ex facultate Summi Pontificis, ut est indubitatum; verùm etiam si supplicatio fieret ejus Legato, aut Nuntio, vel Summo Pœnitentiario non repugnante Præposito Generali; dummodo tamen ostium istud non multis, imò nulli, qui non sit talibus dotibus præditus, aperiatur. Sic *in* 1. *Part. Constit. capit.* 3. *littera G.*

CAPUT IV.

De Conditionibus requisitis ad licitum, & validum ingressum in Religionem; ac de Obligationibus Novitii, & ejus Privilegiis.

1 *Prima Conditio est Libertas, quæ explicatur.*
2 *Secunda est, ut ingressus sit Immunis à labe Simoniæ.*
3 *Tertia est, ut admittens authoritatem, & potestatem habeat admittendi.*
4 *Quarta est, ut ante ingressum fiat informatio de genere, Vita, & moribus admittendi.*
5 *Enumerantur obligationes urgentes Novitium. Et* 1. *est, ut servet Regulas, & Constitutiones Religionis assumptæ, ut Professi observant.*
6 *Superior non solùm poterit Novitium punire, si contra Regulas, & Constitutiones deliquerit; sed etiam si contra alias Leges egerit.*
7 *Prælatus Regularis non potest præcipere Novitio, nisi eo modo, quo potest Prælatus Ecclesiasticus suis Clericis subditis proportione servata.*
8 *Novitius secluso scandalo non tenetur aperire Statum suum, si forte egerit contra Paupertatem, Castitatem, aut Obedientiam.*
9 *Secunda obligatio est non contrahendi Matrimonium.*
10 *Obligatio non deserendi Religionem assumptam sine causa, ne notam levitatis, & inconstantiæ sibi inurat; per se nullam culpam inducit.*
11 *Ad quid teneatur Novitius habitum religiosum deserens ob expensas à Religione factas in eo alendo?*
12 *Enumerantur sex Privilegia Novitiis concessa.*

PRIMA Conditio, quæ requiritur in Religionis ingressu; est Libertas, quę oppositionem habet cum coactione. Et quamvis coactio soleat tantùm irritare Professionem, ut constat *ex Capit. Perlatum de His, quæ vi, & metu*; non verò ingressum in Novitiatum: nam irritatio, & annullatio cum pendeat à Jure positivo; inde est, quòd non debeat extendi ultra casus à Jure expressos. Cum ergo Jus exprimat tantùm Professionem, non verò ingressum in Novitiatum; ideo Professio irritatur, non verò Novitiatus. Nihilominus grave peccatum erit, ac gravis injustitia cogere aliquem ad ingressum in Novitiatum; imò Concilium Tridentinum *sess.* 25. *capit.* 18. *de Regular.* excommunicationem novam fert contra cogentes fœminas, quæcumque sint, ad ingrediendum Monasterium, præterquam in Casibus à Jure expressis. Quæ quidem excommunicatio lata est solùm in favorem fœminarum; quamvis gravissimum peccatum sit, ut diximus, etiam viros ad Religionem cogere: ut bene adnotat Suarez *tom.* 5. *de Censur. disputat.* 23. *sess.* 7. *numer.* 9. Sanchez *lib.* 4. *Summ. capit.* 4. *numer.* 3. & Castropalaus *de Stat. Religios. disput.* 1. *punct.* 9. *numer.* 3. 1

Secunda Conditio est, ut immunis sit ingressus à labe Simoniæ, de qua specialiter diximus in Quæstione de Simonia. Adnotandum tamen hìc, quòd Simoniæ labes nec reddit invalidum ingressum in Religionem, nec ipsam Professionem: & ratio est, quia ex nullo Jure constat invaliditas ista, & irritatio. 2

Ter-

3 Tertia Conditio est, ut admittens ad Religionis ingressum authoritatem, & potestatem habeat admittendi: nam si deficit hæc facultas in admittente; nulla erit Novitii admissio, ut per se patet. Qui verò Superiores admittere possint Novitios, deduci debebit ex Constitutionibus, & Regulis unjuscujusque Religionis, ac ex earum usu, & praxi.

4 Quarta Conditio est, ut ante ingressum fiat informatio de genere, vita, & moribus admittendi in Religionem. Pro qua informatione multæ editæ sunt Constitutiones à Sixto V. Gregorio XIV., & tandem à
2 Clemente VIII, de quibus Constitutionibus peragunt Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 1. *artic.* 1. & Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 5. *capit.* 10. Illud est certum, quòd nullitas Novitiatus, & Professionis inducta à Sixto V. ob defectum non observatæ informationis à se præscriptæ abolita sit. Modus verò informationis faciendæ in Novitiis admittendis ex recepta consuetudine, & praxi cujuslibet Religionis præscriptus censeatur. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 9. *numer.* 14. Adnotandum hic, quod si informationes favorabiles sint ingressuro in Religionem, & habilem, ac aptum pro illa repererint; graviter peccant Superiores, ad quos spectat admissio, illum excludendo, semel ac justam causam excludendi non habeant: ratio est, quia & viam securam salutis æternæ absque rationabili causa illi præcludunt; & religioni etiam damnum inferunt. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 18. & Castropalaus *l. c. numer.* 15.

5 Hæ sunt conditiones requisitæ ad admissionem, & ingressum Novitii in Religionem. Obligationes verò, quæ urgent Novitium, jam in Religionem admissum, sunt sequentes. 1. est, ut servet Regulas, & Constitutiones Religionis assumptæ, quas Professi observant: & ratio est, quia si eas non servat; nec ipse Religionem, nec Religio ipsum probare potest; & aliunde Novitiatus est mutua probatio. Et quamvis obligatio ista sit ex quadam decentia, & honestate; non verò ex culpa, cum non sit per se obligatus, nec præcepto Superioris obligari potest, quia nec voto Obedientiæ est jam adstrictus; nec Status ipse Novitiis inducit sub culpa hanc obligationem; sicuti eam non inducit status Cathecumeni ad observandas Leges Ecclesiasticas. Nihilominus est obligatus Novitius ad pœnam sustinendam, si delinquat contra Regulas, & Constitutiones. Quæ quidem obligatio oritur ex eo, quòd tradiderit se gubernandum, & docendum Religioni, quæ in hunc finem eum substentat, & alit. Accedit Jurisdictio concessa à Pontifice Religioni in hunc finem, ut videlicet sic perfectius novitios probare, & experiri queat. Sic docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *capit.* 16. *numer.* 18. Azor. 1. *par. lib.* 12. *capit.* 2. *quæst.* 10. Sanchez alios referens *lib.* 6. *Summ. capit.* 10. *numer.* 7. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 10. *numer.* 5.

6 Hinc colliges 1. Novitium puniri posse à Superiore, non solùm si contra Regulas, & Constitutiones deliquerit; verum etiam si contra alias Leges deliquerit, ob quas pœnam mortis mereatur: ratio est, quia Superior non solùm habet jurisdictionem in similibus excessibus contra Religiosos, sed etiam contra Novitios, ut tradunt Suarez *de Religion. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 16. *numer.* 18. Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 10. *à num.* 10. Barbosa 2. *par. alleg.* 12. *numer.* 87. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 10. *numer.* 8. Nec obstat dicere, quòd Novitius tunc possit Religionem deserere; adeoque puniri nequibit pœna carceris, aut alia pœna impediente Religionis egressum: nam liber egressus à Religione ei conceditur à Jure *in Cap. Statuimus de Regular. & Cap. Non solùm eod. tit. in* 6. Contra enim est, quia impedimentum istud non egrediendi, ut proportionatam pœnam delicto subeat; non est absolutum, sed conditionatum, ex suppositione videlicet delicti. Nec conveniens est, eximi Novitium à pœna sibi debita ob delictum commissum per hoc, quòd habeat voluntatem egrediendi; aliàs sic daretur ansa novitiis quæcumque scelera perpetrandi; ut rectè docent Suarez, & Castropalaus *locis citatis* contra Sylvestrum, & Sanchez. Imò poterit Superior Regularis supposito delicto, & ejus sententia obligare Novitium sub præcepto, & censuris ad pœnam illam subeundam; ut potest Prælatus Ecclesiasticus sibi subjectos obligare: cum obligatio ista fundetur in eadem jurisdictione, quam habent: ut adnotat Sanchez *lib.* 6., *Summ. capit.* 10. *numer.* 17. Et quamvis controvertatur, an Superior Regularis possit obligare novitium ad pœnam exequendam, postquam egressus fuerit à Religione. Nihilominus verius mihi videtur obligare posse: ratio est, quia est præceptum, & sententia data Novitio, quatenus Religionis membrum est, eique subjectum, & dum tale est: quam quidem sententiam acceptatam propria sua authoritate declinare non potest, nisi appellaverit ad Judicem legitimum. Sic Sanchez *loco citato numer.* 13. & Castropalaus *loco citato*.

Colliges 2. Prælatum Regularem non posse præcipere Novitio, nisi eo modo, quo potest Prælatus Ecclesiasticus Clericis sibi subjectis proportione servata: ratio est, quia cum nondum subdatur Novitius Prælato Regulari vi voti, sed solùm vi jurisdictionis Ecclesiasticæ à Pontifice concessæ; inde est, quod ad instar Prælati Ecclesiastici præcipere poterit, cum novitii per ingressum in Religionem facti sint personæ Ecclesiasticæ. Hinc est, quod non possit præcipere ea, quæ sunt de Consilio, & Religionis perfectione, quia nondum se obligavit ad perfectionem observandam, sed probandam: ut adnotant Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *capit.* 16. *numer.* 18. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 7. 7

Colliges 3, non obligari novitium secluso scandalo ad aperiendum Statum suum, si fortè Paupertatem, Castitatem, aut Obedientiam violaverit: ratio est, quia non addit Status ille novam malitiam peccato, quæ specialiter aperienda sit in confessione: cum non ut specialiter adstrictus ad illas servandas, sed est in via ad subeundam talem obligationem: ut tradunt Suarez *loco citato numer.* 3. & Castropalaus *loco citato numer.* 6. Idem dicendum de Casibus reservatis, non enim obligantur peccata reservata confiteri Superiori, cum reservatio illos non afficiat. Nec prohibitio facta Regularibus non utendi Bulla Cruciatæ quoad Casus in Religione reservatos afficit novitios, qui ea uti poterunt, uti utuntur reliqui fideles Sæculares. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *capit.* 16. *numer.* 10. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 9. 8

2. Obligatio est non contrahendi Matrimonium durante Novitiatu: cum enim Status Matrimonii alienus sit ab habitu religioso assumpto, nec componi possint ostendere animum paratum ad observandam perpetuò Castitatem, & simul matrimonium celebrare; inde est, quòd jure merito prohibuit Ecclesia, ne Matrimonium cum habitu religioso contrahatur; itaut impedimentum impediens sit ad contrahendum illud, quamvis non dirimat, si contractum fuerit. Sic constat *ex Capit. Consuluit. Qui Clerici. vel Monach.* Sicuti enim votum simplex impedit Matrimonium contrahendum, quamvis illud jam contractum non dirimat; sic habitus religiosus susceptus sine professione impedit contrahendum; si tamen contractum fuerit illud non dirimit, & dissolvit: ut tradit Glossa *in Capit. Beneficium de Regular. in* 6. Tenetur igitur sub gravi culpa habitum dimittere Novitius ille, qui cum habitu religioso matrimonium contraxit; nisi tamen pœnitentia ductus Matrimonio non consummato religiosum Statum probare velit, ut professionem emittat, ad quod habet jus intra bimestre. Sic adnotant Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 11. *numer.* 8. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 10. *numer.* 3. 9

Obligatio non deserendi Religionem assumptam absque legitima causa, ne notam levitatis, & inconstantiæ sibi inurat; per se nullam culpam inducit, dummodo religionem assumptam non deserat ad malum finem: ratio est, quia sicuti nullam culpam inducit nolle religionem ingredi, ita nullam inducit culpam post ingressum nolle perseverare, cum ingrediens non se obliget ad perseverandum, sed ad probandum Statum cum libertate intra annum; & probatum eligere, si sibi commodus videatur. Sic decernitur *in Capit. Statuimus de Regular.*, ubi dicitur: Ad pristinum statum redire potue liberè infra annum, *& ex Capit. Is, qui de Regular. in* 6. Hinc fit, non indigere Novitium facultate Prælati ad habitum dimittendum, sed illo inscio deserere posse absque ulla pœna, vel inhabilitate: ut adnotat Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *capit.* 11. *numer.* 2. & Castropalaus 10

de Stat. Relig. disput. 1. punct. 10. numer. 1. Nec egrediens incurrit notam levitatis, & inconstantiæ : cum non teneatur perseverare ex ulla obligatione Legis, aut voti ; imò ingreditur Religionem ad probandum ejus Statum sub libertate exeundi. Et quamvis Prælatus Religionis absque gravi culpa nequeat expellere novitium, aliàs abuteretur potestate sibi facta à Religione ; non inde tamen sequitur, eodem modo peccare novitium, si absque legitima causa Religionem deserat : & ratio disparitatis est, quia gravius obligatur Religio, & consequenter Prælatus ad retinendum Novitium aptum, & cedentem in ejus commodum, & utilitatem ; quàm obligetur novitius aptus ad perseverandum in Religione sibi commoda ; & utili : & de facto conceditur novitio illegitimè dimisso jus agendi contra Religionem dimittentem, ne dimittatur ; non conceditur tamen Religioni jus agendi contra novitium aptum, & sibi commodum, ne exeat. Sic ex Sanchez, Gregorio Lopez, & aliis tradit Castropalaus *l. c. in fin.*

11 Sed inquires : ad quid teneatur Novitius habitum religiosum deferens ob expensas à Religione factas in eo alendo ? Resp. certum esse 1. teneri novitium pro rata temporis solvere ea, quæ promisit pro victu, & vestitu ; si ab eo hæc promissio facta fuerit : & ratio est, quia se obligavit ad rem justam, & licitam, ac à Concilio Tridentino approbatam *sess. 25. capit. 16. de Regular.* Si verò promissionem istam non fecerit, & bona fide in Religionem ingressus fuerit ; ad nihil tenebitur ; eo quia redditus Domus Religiosæ æquè pro Professorum alimentis, & novitiorum statuti censentur. Et sic expressè docent Suarez *tom. 3. de Relig. lib 5. capit. 11. numer. 5.* Sanchez alios referens *lib. 6. Decal. capit. 10. numer. 4.* Azor. 1. *par. lib. 12. capit. 3. quæst. 6.* Rodriquez *tom. 3. Quæst. Regul. quæst. 15. artic. ult.* Layman *lib. 4. Sum. tract. 5. cap. 4. in fine* & Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 1. punct. 10. numer. 2.* Quòd si supposita obligatione à Novitio facta timor sit, quòd ea, quæ debet, non solvat, si egrediatur ; non ideo impediri poterit egressus à Religione : ratio est, quia non conceditur Religioni per vim creditum suum à novitio exigere, cum talis exactio nimis præjudicare possit Religioso statui. Solùm igitur contra novitium egressum agere poterit, ut agit contra reliquos Sæculares sibi debitores ; ut adnotat Suarez *l. c.*

Certum est 2. teneri novitium ad expensas Religioni solvendas, si animo ficto, & absque voluntate perseverandi Religionem ingressus fuerit ; ratio est, quia est injustus damnificator Religionis, adeoque damnum illi illatum resarcire tenetur. Nisi fortè obsequium à Novitio præstitum Religionis æquaret damnum illi illatum ; quod tamen obsequium non posset Religio ab aliis suis religiosis æquè habere ; ut limitat Sanchez *loco citato num. 2.* Denique si bona fide ingressus fuerit Novitius, & animo perseverandi absque promissione solvendi alimenta ; ad nihil tenebitur egrediens ; cum redditus Monasterii communes sint Professis, ac Novitiis ; imò omnia, quæ sua sunt restituenda erunt : quod ut rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellere poterit. Sic Tridentinum *sess. 25. cap. 16. de Regul. in fine*, & sic docent Doctores superiùs citati.

12 Privilegia Novitiis concessa multa enumerantur. 1. est, quòd gaudeant Privilegio Canonis, ut deciditur *in Cap. Religioso de Senten. Excomm. in 6.* 2. est Privilegium Fori ; ut docent passim Doctores cum Azorio, Sanchez, Barbosa, Farinacio, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 1. punct. 11. numer. 6.* 3. ut possint lucrari eas omnes Indulgentias, quas ceteri Professi lucrantur : ut habet communissima sententia. 4. ut immunes sint à gabellarum solutione, cum sint personæ verè Ecclesiasticæ, & religiosæ gaudentes Privilegio Canonis, & fori. Sic Molina, Lopez, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *loco citato numer. 9.* Quidquid in contrarium dixerint Lasarte, Rodriquez, & Guttierrez. 5. ut juxta probabilem sententiam possint ad Sacros etiam Ordines ascendere, esto communior sententia deneget ; ratio est, quia nullo jure prohibitum est, Novitios posse Ordinibus etiam Sacris insigniri ; nec Textus *in Capit. Monasteriis 19. quæst. 3.* loquitur de receptione Ordinum, sed de Professione : ut docent Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. capit. 16. numer. 17.* Sanchez *lib. 6. Summ. capit. 10. num. 19.* Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. capit. 4. numer. 5.* & Castropalaus *loco citato numer. 7.* Requiritur tamen ad Ordines suscipiendos facultas Episcopi, & consensus Superioris Regularis. 6. est, quòd juxta probabilem sententiam communicentur novitiis omnia Privilegia Religionis, professis ejusdem concessa : ratio est, quia licet propriè religiosi non sint, sunt tamen in via, ut sint ; & in communi acceptione religiosi censentur, & tales appellantur, ac tamquam partes, & membra Religionis connumerantur. Sic Henriquez, Molina, Azor. Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 1. punct. 11. num. 1.*

CAPUT V.

Quomodo peragendus Novitiatus, ut licita, & valida sit Professio post ipsum emissa.

1 *Annus Probationis, & Novitiatus necessarius ad validam Professionem.*
2 *Excipiuntur ab hoc anno Milites Ordinum, nisi habeant ex proprio Instituto.*
3 *Quid dicendum de Professis unius Religionis transeuntibus ad aliam.*
4 *Annus Novitiatus ita integer esse debet, ut de momento ad momentum numerari debeat.*
5 *Quid dicendum de anno bissextili.*
6 *Annus Novitiatus debet esse continuus, & non interruptus.*
7 *Quænam interruptio sufficiens sit ad discontinuationem ; & quid de depositione habitus ?*
8 *Quid per egressum à Monasterio animo fugiendi asperitatem Religionis ; aut subjectionem Prælato, etiam habitu retento ?*
9 *Quid de amentia, & furore superveniente Novitio ?*
10 *Continuatio Novitiatus debet esse usque ad Professionem.*
11 *Tempus Novitiatus computandum ab eo momento, quo novitius habilis est ad ingressum.*
12 *Vir habilis est ad ingressum post completum decimum quartum annum ; mulier post duodecimum completum ? nec in hoc malitia supplet ætatem.*
13 *Non est adeo addictus Novitiatus Monasterio ex Jure Communi, ut ex licentia Superioris peragi nequeat extra illud.*
14 *Si Constitutiones speciales habeant Sacri Ordines circa locum Novitiatus, sanctè observandæ erunt.*
15 *Præpositus Generalis Societatis Jesu admittere potest impuberem regendum inter Novitios, quamvis Novitiatum computæ debeat à pubertate acquisita.*
16 *Potest insuper expleto integro Novitiatus anno, legitimè peracto ad Professionem admittere.*
17 *Ex licentia Superioris potest in Societate Jesu Novitiatus peragi extra locum Tyrocinii.*

ANNUS Probationis, & Novitiatus necessarius est ad Professionem in quacumque Religione sive Virorum, sive Mulierum ; itaut ejus omissio nullam reddat professionem factam, ac nullam obligationem inducentem juxta definitionem Tridentini *sess. 25. capit. 15. de Regularib.* Quidquid sanctum fuerit in Jure antiquo ; omitti siquidem poterat ex consensu tum Novitii, tum Religionis interveniente justa causa, ut habetur *in Capit. Ad Apostolicam de Regular.* Nostris hisce temporibus prorsus caret probabilitate sententia permittens renunciationem annuæ probationis ; aliàs si talem renunciationem non excluderet Tridentinum per suam Constitutionem, frustraneè, & inutiliter eam apposuisset : ut bene docent Navarrus, Rodriquez, Azor, Suarez, Sanchez, Lessius, Barbosa, Garzia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 1. punct. 12. §. 1. num. 2.* 2

Excipiuntur ab hoc anno Novitiatus milites Ordinum Calatravæ, Alcantaræ, Divi Jacobi, & Divi Joannis Hierosolymitani, qui possunt professionem emittere, non præmisso Novitiatus anno, secluso tamen proprio instituto : ratio est, quia videtur Tridentinum loqui de Religiosis in communi viventibus, & strictam Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam profitentibus : maximè quia ob eorum prærogativam, & obsequium, quod præstant Ecclesiæ, eam defendendo ; 3

do; debebant ſpecialiter, non verò generaliter comprehendi. Et ſic deciſum fuiſſe à Sacra Congreg. teſtantur Navarrus, Azor. Gonzalez, Sanchez, Barboſa relati à Caſtropalao *de ſtat. Relig. diſp. 1. punct. 12. §. 1. numero 6.* Si verò proprium Inſtitutum annum Novitiatus præſcribat, & tempus emittendi Profeſſionem, uti præſcribit Inſtitutum D. Joannis Hieroſolymitani, quod requirit ad Profeſſionem annum decimumſextum completum, & annum Novitiatus præcedentem; ſtandum ritè erit proprio Inſtituto.

3 Dubitari ſolet de Profeſſis unius Religionis tranſeuntibus ad aliam Religionem, an comprehendantur ſub hoc Tridentini Decreto: & ratio dubitandi eſt, quia jam in prima Religione aſperitates Religioſi ſtatus per annum probavere; adeoque congruum videtur, ut poſſint ex proprio conſenſu, ac conſenſu ſuperiorum ſecundæ Religionis profeſſionem infra annum emittere. Et ſic docuerunt Henriquez *libro 13. de Excomm. capitul. 40. numero 2.* Sorbus *in Compend. Privileg. Mendican. verb. Novitius*. Sed omnino ſuſtinendum, etiam comprehendi ſub hoc Decreto profeſſos iſtos: ratio eſt, quia Regula Tridentini eſt generalis; nec ratio firma afferri poteſt illos eximens: maximè quia licèt experti ſint primæ Religionis aſperitates, non tamen experti ſunt aſperitates ſecundæ Religionis; & ſicuti prima Religio eos probavit, ſic eos probare debet ſecunda. Ita Navarrus, Azor. Rodriquez, Garzia, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de ſtat Religion. diſputat. prima punct. 12. §. 1. numero 4.*

4 Annus iſte Novitiatus ita integer eſſe debet, ut de momento ad momentum numerari debeat; adeout ſi ante completum integrum Novitiatus annum emitteretur profeſſio, irrita, & nulla foret. Sic ingrediens Novitiatum, & ritè inter Novitios admiſſus hora quinta poſt meridiem die prima Januarii, ſi profeſſionem emiſerit ante meridiem diei primæ inſequentis. Januarii; invalidè profiteretur. Nec valet dicere cum Stephano Gratiano *Diſcept. Forenſ. capitul. 413. num. 22.* & Barboſa *3. parte de Poteſt. Epiſc. alleg. 101. numero 22.* diem incœptum haberi pro completo in favorabilibus; adeoque validam eſſe profeſſionem ſic emiſſam. Contra enim eſt, quia Tridentinum requirens annum Novitiatus ante profeſſionem nimis rigoroſè loquitur: ait enim *ſeſſ. 25. capitul. 15. de Regular.* nullam eſſe profeſſionem illius, qui minore tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit. Hinc eſt, annum iſtum à momento in momentum numerandum eſſe; nec ſtatuit hunc annum in favorem ſolùm Novitii, ſed etiam Religionis, ut maturiùs, & prudentiùs ex parte utriuſque procederetur; & quoties ad hunc finem tempus deſignatur, debet eſſe perfectum, & completum; ne inconſideratè Novitius aſperitates Religionis ſubiret; & religio inconſideratè ſibi aptaret membrum ineptum. Sic Sanchez *libro 5. ſumm. capitul. 4. numero 4.* Baſilius Legionenſis *libro 9. de Matrimon. capitul. 9. numero 6.* Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. capitul. 15. numero 1.* Leſſius *libro 2. capitul. 41. dubit. 7. numero 59.* Rodriquez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 15. articul. 4.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſput. 1. punct. 12. §. 2. num. 2.*

5 Sed quid dicendum in anno biſſextili, an duplex ille dies pro uno numerandus ſit? Reſpondeo affirmativè: ratio eſt, quia in temporis computatione ſenſus communis, & ſtylus attendendus eſt, ac obſervandus: cum igitur in biſſextili anno duplex ille dies pro uno habeatur; inde eſt, quòd pro uno die numerari debeat: maximè quia nil exprimitur in contrarium, & prolongatio diei illius favorabilis ſit ad finem intentum à Tridentino, ut cum majore advertentia, & conſideratione profeſſio fiat tum ex parte Novitii, tum ex parte Religionis. Et ſic ſuſtinent Sanchez *libro 5. ſumm. capitul. 4. numero 4.* Leſſius *libro 2. cap. 41. dubit. 6. num. 19.* Bonacina *de Sacram diſput. 8. quæſt. unic. punct. 5. numero 15.* Rodriquez *tom. 3. Quæſt. Regul. quæſt. 15. articul. 4.* Baſilius Legionenſis *libro 9. de matr. capit. 9. numero 5.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſput. 1. punct. 12. §. 2. numero 3.* Non nego, oppoſitam ſententiam ſuſtineri à Sylveſtro, Henriquez, Riccio, quos refert, & ſequitur Barboſa *3. part. de Poteſt. Epiſc. alleg. 101. num. 20.*

6 Non ſolùm annus Novitiatus debet eſſe integer, ac de momento in momentum numeratus; ſed ulteriùs debet eſſe continuus: ratio eſt, quia ex communi modo loquendi quando deſignatur dies ad numerandum tempus; continuum eſſe debet, alias nil certum in obligationibus, & in contractibus ſtatui poſſet; cum ergo Tridentinum *ſeſſ. 25. capitul. 15. de Regul.* ſtatuat, quòd à die ſuſcepti habitus annus Novitiatus computandus ſit; inde eſt, quòd annus à tali die numerandus continuus eſſe debeat: maximè quia continuatio iſta favorabilis eſt tum Novitio, tum Religioni ad probandam aſperitatem Religionis, & mores Novitii. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. cap. 15. num. 3.* Sanchez *lib. 5. ſumm. cap. 4. nu. 31.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dubit. 7. num. 59.* Miranda *1. par. Manual. Prælat. quæſt. 22. art. 4. concl. unic.* Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 1. punct. 12. §. 2. nu. 4.* & Barboſa *3. par. de Poteſt. Epiſc. allegat. 101. num. 23.*

7 Quæ verò interruptio ſufficiens ſit ad diſcontinuandum annum Novitiatus; non una eſt Doctorum mens. Dicendum tamen 1. depoſitionem perfectam habitus cum animo relinquendi ſtatum religioſum, etiam ſi ad breve tempus fuerit; continuationem Novitiatus interrumpere: ratio eſt, qua Novitiatus conſiſtit in aſſumptione habitus animo experiendi vitam religioſam, ergo ſi deponitur habitus aſſumptus, & animus habetur relinquendi Religioſum ſtatum, jam ceſſat ſtatus aſſumptus Novitii. Debet tamen dimiſſio habitus eſſe perfecta, ut quis per eam cenſeatur à ſtatu novitii recedere: nam ſi quis novitius latitanter in Novitiatu ſæcularibus veſtibus indutus animo relinquendi religionem, ac fugiendi è religioſa domo; & antequam fugiat, pœniteat, ac reſipiſcat; non debet cenſeri plenè, & perfectè novitii ſtatum deſerere. Idem dicendum ſi ſuperior volens novitium dimittere, ac cum ſæcularibus veſtibus indueret, ſed antequam è Monaſterio egrediatur, mutat ſuperior ſententiam ſuam, non ideo dimiſſio illa cenſenda erit plena, & perfecta; dum non conſummatur egreſſu è Monaſterio. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. capitul. 15. numero 7.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſput. 1. punct. 12. §. 2. numero 7.* Depoſitio verò habitus abſque animo relinquendi religionem, ſive fiat joci cauſa, ſive fornicationis, aut alterius peccati perpetrandi; non diſcontinuat Novitiatum: ratio eſt, quia non ceſſat verè, & propriè per depoſitionem illam ſtatus aſſumptus; cum vera, & propria ceſſatio ſtatum interrumpens debeat etiam importare animum relinquendi ſtatum aſſumptum, ac ſubtrahendi ſe ab obedientia. Sic Doctores ſuperiùs citati.

8 Dicendum 2. interrumpi, ac diſcontinuari novitiatum per egreſſum à Monaſterio animo fugiendi aſperitatem religionis, ac ſubjectionem Prælato, etiamſi non habeatur depoſitio habitus: ratio eſt, quia cum Novitiatus conſiſtat in præparatione illa animi, & corporis, ut novitius aſperitates Religionis experiatur, & religio ejus mores, non verò in illa geſtatione materiali religioſi habitus; inde eſt, quòd ſi per egreſſum illum redditur impoſſibile tale experimentum; interrumpi cenſetur tempus Novitiatus, & probatio ceſſat. Sic Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſput. 1. punct. 12. num. 8.*

9 Dicendum 3. amentiam, & furorem non diſcontinuare Novitiatum, non ſolùm ſi ad breve tempus duret, ut eſſet, quæ ex vehementi febri excitaretur; ſed etiamſi extraordinaria eſſet, & per Menſem duraret: ratio eſt, quia tunc interrumpitur Novitiatus, cum ceſſat ſtatus Religioſus; ſed ceſſare nequit ſine voluntate Novitii, vel Prælati Religionis; ergo perſeverante voluntate utriuſque non ceſſat ſtatus Religioſus, & per conſequens non interrumpitur Novitiatus. Et quamvis pro eo tempore nec novitius Religionem, nec Religio Novitium experiri poſſit; nihilominus cum id ab extrinſeco accidente proveniat, non verò ex ipſo ſtatu; inde eſt, quòd moraliter non cenſeatur novitiatum diſcontinuare: ſicuti illum non diſcontinuaret, ſi captivus exiſteret, ac per vim detentus, aut ex voluntate Prælati navigaret. Sic Sanchez *libro 5. ſumm. capitul. 4. numero 55.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſput. 1. punct. 12. §. 2. nu. 9.* & quamvis Sanchez doceat, ſupplendum eſſe tempus amentiæ: eo quia licèt non interrumpatur, ſuſpenditur, adeoque reſarciendum; nihilominus Caſtropalaus probabiliùs docet oppoſitum: eo quia non ſuſpenditur per illam amentiam ſtatus Religioſus, ſed potiùs ejus uſus;

usus ; & passiva illa exercitatio novitii à superiore toleratur.

10 Continuatio Novitiatus debet esse usque ad professionem, itaut si finito integro anno Novitiatus nollet novitius professionem emittere, aut religio putans eum non satis idoneum expelleret, non posset, si pœnitentia ductus iterum ad religionem rediret ; aut si religio mutans consilium vellet eum denuo recipere ; professionem facere, nisi iterum novum novitiatus annum perageret : ratio est, quia prior susceptio habitus, ac religionis probatio extincta est, ac si numquam fuisset ; ergo revera ad Professionem admitteretur absque Novitiatus anno, qui requiritur omnino à Tridentino ad Professionis valorem. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. capit. 15. à numero 8.* & Castropalaus *de stat. Relig. disput. 1. punct. 12. §. 2. num. 10.* Quidquid in contrarium dixerint Sylvester, Lopez, Rodriquez, & Sanchez.

11 Tempus Novitiatus computandum est ab eo momento, quo Novitius habilis, & in Legitima ætate constitutus à superiore habente facultatem eum admittendi admittitur ad Religionis difficultates probandas. Ingressus siquidem in Religionem in hac legitima admissione totus situs est; sic enim admissus & ipse Religionem probat, & Religio ipsum : ut adnotat Suarez *tom. 3.* de *Relig. libro 5. capit. 13. numero 6.* Quapropter non requiritur de necesse susceptio habitus Religiosi, cum non sit de substantia Novitiatus : admitti siquidem quis potest ad Novitiatum, quin sæcularem habitum mutet *ex Capit. Constitutionem de Regular. in 6.* & sic admissus potest in morbum incidere, adeout in lectulo perseverare cogatur usque ad completum annum Novitiatus absque eo quod regularem habitum induere possit. Accedit, quòd gestatio habitus, etiam in Religionibus habentibus illum specialem, & contradistinctum, non est necessaria, ut novitius experiatur asperitatem illius; communis siquidem doctrina docet cum Navarro, Rodriquez, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disp. 1. punct. 12. §. 4. numero 4.* non requiri de necesse, ut novitius omnes asperitates Religionis experiatur, cum sufficiat vivere sub Obedientiæ jugo, nec est necessaria gestatio ista habitus, ut à sæcularibus, & reliquis Professis distinguatur, cum possit aliis pluribus modis distingui ; ergo jure merito non videtur gestatio habitus necessaria ad novitiatus substantiam. Nec obstat Tridentinum *sess. 25. capit. 15. de Regul.* ubi ait : per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Cum Consilium loquatur, prout communiter contingit; non tamen præscribit, sic absolutè fieri debere ; utitur namque signo illo clariori frequenter contingenti ad numerandum tempus novitiatus, non quòd requirat signum illud uti simpliciter ; & absolutè necessarium. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. capit. 14. à numero 10.* & Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 12. §. 3. numero 1.*

12 Censetur autem habilis, & in legitima ætate constitutus novitius, ad hoc ut in Novitiatum admitti possit ; si pubertatem completam habuerit : hoc est, si fuerit vir, habeat decimum quartum annum expletum ; si verò fœmina duodecimum expletum ; nec in hoc malitia ætatem supplere potest : ratio est, quia impuberes non censentur apti ad experiendas Religionis asperitates, non sic verò puberes. Et sic tradit Gloss. *in Clement. final. de Regul. verb. Ætate*, Sylvester *verb. Religio 2. quæst. 12.* Gregorius Lopez *l. 3. verb.* Un anno *tit. 7. part. 1.* Sanchez alios referens *libro 5. summ. capit. 4. numero 22.* Nec Tridentinum immutavit decretum istud, sed tantùm statuit *sess. 25. capit. 15. de Regular.* quòd in quacumque Religione tam Virorum, quàm mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit ; ad professionem admittatur. Et adnotandum hic : quòd Sacrosanctum Concilium statuit minus, sed non denegat majus: hoc est, ad minus debet esse tempus Novitiatus per annum integrum ; non verò denegat, quòd non possit fieri longiori tempore : sicuti statuit, quod professio Religiosa ad minus debeat fieri completo jam anno decimo sexto ; non verò quòd non possit fieri in majori ætate. Insuper idem Tridentinum statuit *capit. 16.* ut finito tempore Novitiatus, superiores novitios, quos habiles invenerint; ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos Reiiciant. Quod quidem intelligendum est, nisi justa causa habeatur differendi professionem, & nimis justa causa esset non habere legitimam ætatem ad profitendum, sicuti morbo aliquo laborare. Et sic sustinent Navarrus, Azor, Rodriquez, Sanchez, Lessius, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 13. §. 3. num. 3.*

Non est adeo addictus Novitiatus Monasterio, ut non possit extra illud peragi de licentia superioris : ratio est, quia non tam locus designatus essentiam novitiatus constituit, quàm ut ex vi suæ voluntatis paratus sit novitius, ad hoc ut in quolibet loco regatur, & gubernetur à suo superiore. Quod quidem extra Monasterium præstari poterit, etiamsi non experiatur Monasterii asperitates, sicuti eas non experiretur, qui ingrediens Novitiatum statim in infirmitatem incideret, ob quam cogeretur per annum in lectulo decumbere : quapropter non est conditio simpliciter necessaria novitiatum peragere in Monasterio. Et sic decisum à Sacra Congreg. Cardinalium testatur Navarrus *libro 3. Consil. titul. de Regular. consil. 41.* Azor *1. parte libro 12. capit. 2. quæstion. 8.* Lessius *libro 2. capit. 41. dubit. 7. punct. 19.* Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. capit. 14. numero 13.* Sanchez *libro 5. summ. capit. 4. numero 27.* Barbosa *3. parte de Potest. Episc. allegat. 101. numero 27.* & Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 12. §. 4. numero 2.*

13 Quæ hucusque dicta sunt procedunt de Jure Communi : cæterùm si Constitutiones speciales habeant sacræ Religiones, quas à sacra sede approbatas suppono ; standum erit ipsis, salvo semper integro Novitiatus anno, & quod Professio non emittatur ante decimum sextum annum completum. Pro societate Jesu præter annum Probationis à Tridentino requisitum alius additur *ex Capit. 1. §. 12. Examin. & ex 4. Part. Constitut. capit. 3. §. 3.* antequam enim quis ad Vota simplicia, aut ad Professionem admittatur, biennium integrum Novitiatus explere debet; ministeria siquidem societatis Jesu viros diù probatos, & in solidis virtutibus fundatos requirunt : & ita cofirmarunt Paulus IV. Julius III. & Gregorius XIII. *in sua Constitutione*, incipit, *Ascendente Domino.*

14 Adnotandum tamen 1. quòd licèt in societate Jesu nemo admitti possit ad verum Novitiatum incorporantem Religioni, & utilem ad Professionem ; nisi habeat pubertatem, seu decimum quartum annum expletum, ut constat *ex 1. Part. Constit. capit. 2. §. 12.* nihilominus poterit Præpositus Generalis aliquem impuberem admittere regendum inter novitios, ut possunt Prælati aliarum Religionum impuberes admittere cum habitu religioso : cum hoc tamen, quòd verum Novitiatum, & utilem incipiat pubertate completa. Societas siquidem Jesu in hoc nullum speciale Privilegium habet : ut adnotant Sanchez *libro 5. summ. capit. 4. numero 22. & 26.* & Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 13. numero 1.*

15 Adnotandum 2. quòd licèt non possit Præpositus Generalis societatis Jesu aliquem admittere ad vota simplicia, & incorporationem Religioni, aut ad Professionem ; qui nondum expleverit annum integrum Novitiatus à Tridentino requisitum, aliàs nulla esset incorporatio, aut professio emissa, quod ut certum suppono. Nihilominus si expleto integro Novitiatus anno ex justis causis judicaret novitium admittere ad professionem ; poterit id licitè, & validè præstare : Sic habetur *in 5. Part. Const. capitul. 1. §. 3. littera C.* conceditur enim ibi Præposito Generali facultas contrahendi biennium in ordine ad Professionem, ut explicat Congregatio Generalis V. *Can. 10.* Hinc oritur difficultas : an si Præpositus Generalis biennium contraheret ad incorporandum aliquem per vota simplicia, aut per Vota Coadjutorum formatorum ; licita, & valida esset incorporatio ? Et quamvis videatur, quod non : eo quia eadem Congregatio Generalis V. *decret. 9.* præter casum Professionis ait : In nullo casu exercere liceat facultatem illam dispensandi in contrahendo biennii spatio, ad hoc ut quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus per emissa Vota simplicia. Nihilominus dicendum, quòd valida esset admissio ad vota illa, quamvis illicita:

ta : ratio est , quia Congregatio prædicta non adimit facultatem; sed prohibet usum, ut illicitum: ait enim, non liceat, non verò dixit, non possit: expresse siquidem fatetur *Canon.* 10. se non intendere dictam facultatem Præposito Generali adimere , sed tantùm facultatis usum prohibere . Sic Sanchez *libro* 5. *summ. capit.* 4. *numero* 9. & Castropalaus *de stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 13. *numero* 5. Prædicta facultas nec validè , nec licitè competere potest Provinciali; quapropter si ex consensu Novitii ante expletum biennium eum admitteret ad vota simplicia , etiamsi annum integrum Novitiatus expleverit ; nulla esset admissio : eo quia nullibi facta est Provinciali facultas admittendi ad vota simplicia ante expletum biennium . Sic Sanchez *l. c.* & Castropalaus *l. c. num.* 7.

17 Adnotandum denique : in Societate Jesu ex licentia superioris posse extra Tyrocinii locum peragi Novitiatum : & defacto peragitur ex ejus Instituto peregrinando , & inserviendo in Nosocomiis pauperibus , & infirmis; sic enim exercentur Novitii juxta Societatis Ministeria ; ut patet *ex Examin. Generali capit.* 4. *numero* 11. *&* 12. *& ex Regula Magistri Novitiorum cap.* 3. Insuper in habitu sæculari novitiatus peragi potest , si ita in Domino superioribus visum fuerit : & si in aliis Religionibus necessarium fuerit , Novitiatum agere cum habitu religioso juxta suas Constitutiones ; id minimè necessarium est in nostra Societate Jesu , quæ communi Clericorum habitu utitur , non verò speciali : ut patet *ex Exam. Generali cap.* 1. *§.* 13. *& ex* 3. *Part. Constit. cap.* 2. *& ex* 6. *Part. capit.* 2. *litera M.* & sic docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *libro* 2. *capit.* 4. *numero* 6. Sanchez *lib.* 5. *summ. capit.* 4. *num.* 29. & Castropalaus *de stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 13. *num.* 8. *&* 9.

CAPUT VI.

De dispositione bonorum suorum , quam facere debent Novitii ante Professionem .

1 *Dupliciter disponere potest Novitius de suis bonis per Testamentum videlicet , & per donationem , vel Renunciationem .*

2 *An testamentum , & Legata in eo facta à Novitio infirmentur per Professionem ?*

3 *An hæreditas , & Legata concedenda sint hæredibus, & Legatariis à puncto professionis emissæ à Novitio ?*

4 *An testamentum sic factum à Novitio revocetur per decretum Tridentini requirentis fieri intra duos menses Professioni proximos ; & licentiam Ordinarii ?*

5 *An donatio facta à Novitio de suis bonis comprehendatur in decreto Tridentini ?*

6 *An valida sit dispositio facta à Novitio Societatis Jesu per viam Testamenti ?*

7 *Dispositio per modum Donationis , & Renunciationis à Novitio facta de suis bonis debet esse secundum decretum Tridentini , ut valorem habeat secuta professione .*

8 *An Decretum Tridentini comprehendat non solùm dispositionem factam ante professionem , sed etiam factam ad ingrediendum Novitiatum ?*

9 *An decretum Tridentini non solùm comprehendat Novitios minores sexdecim annis , sed etiam majores illis .*

10 *An sub hoc decreto includatur donatio facta à Novitio irrevocabiliter inter vivos , & sit magni momenti ?*

11 *An possit Novitius dare mutuum Monasterio cum sufficienti cautione reddendi illud ante professionem ?*

12 *Quomodo intelligenda conditio à Tridentino apposita, quod Renuntiatio fieri debeat intra bimestre professioni proximum ?*

13 *Quomodo intelligenda conditio à Tridentino apposita, ut Renuntiatio fiat de licentia Episcopi , aut ejus Vicarii ?*

14 *An Novitius perseverans in Religione possit Renuntiationem jam factam revocare ?*

15 *Quando transferatur dominium bonorum à novitio renuntiatorum in Renunciatarium ?*

16 *An necessariò requiratur consensus Monasterii , aut cessatio illius ad validam Renuntiationem à Novitio factam paternæ hæreditatis vivente patre , aut alterius consanguinei in favorem alicujus extranei ?*

17 *Quid speciale importent Renunciationes factæ à Novitiis Societatis Jesu ?*

NOVITIUS duplici modo de suis bonis disponere potest , ut se rectè dirigat ad professionem emittendam tamquam mortuus sæculo. Primus est, si Testamentum condat ad instar morientis . Secundus est si donationem , seu Renuntiationem suorum bonorum alicui faciat . Et de utroque modo agere debemus ordine suo , enodando difficultates , quæ insurgere possunt in hac materia . Et quidem licitum est cuicumque volenti Religionem ingredi , aut jam ingresso in Novitiatum disponere de suis bonis per modum Testamenti absque ulla superioris Monasterii licentia : ratio est , quia tunc Novitius est sui Juris , adeoque facultatem retinet disponendi de suis bonis , non requisita superioris facultate , cum ex nullo Textu hoc appareat prohibitum. Sic docent Suarez *de Relig. tomo* 3. *libro* 5. *capit.* 16. *numero* 7. Navarrus *Comment.* 2. *de Regular. numero* 49. Molina *tomo* 1. *de Just. disput.* 131. *versic. His ita* ; Sanchez *libro* 7. *summ. capit.* 3. *numero* 3. Covarruvias *capit.* 2. *de Testam. numero* 5. *in fin.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp.* 1. *punct.* 14. *numero* 1. Nec tenetur in hoc testamento aliquid Monasterio relinquere : cùm hæc obligatio ex nullo Textu constet, ut ex Suarez, & Sanchez advertit Castropalaus *loc. cit.* Tenetur tamen ad validitatem testamenti hujus eas servare solemnitates , quas aliàs servaturus esset , si extra religionem testaretur : ratio est , quia nullum extat fundamentum eximendi Novitium ab hac obligatione servandi solemnitates , quas aliàs servaturus esset , si extra religionem testaretur , non solùm à Jure Communi Ecclesiastico requisitas *in Capit. Relatum. de Testam.* sed etiam à Civili: maximè quia tum laici , tum Ecclesiastici tenentur has leges Civiles servare , utpote vergentes in bonum Commune , nec statui Ecclesiastico præjudicantes , *Authen. de Monachis , §. illud* ; quæ in contrarium adduci solet , solùm declarat facultatem liberam testandi , quam habent Novitii , non verò eos eximit ab obligatione servandi solemnitates à Jure Civili requisitas in bonum commune: ut docent Navarrus *Commen.* 2. *de Regular. num.* 52. Guttierrez *Can. Quæst. libro* 2. *capit.* 1. *numero* 14. *in fin.* Rodriquez *tom.* 2. *summ. capit.* 7. *numero* 9. Sanchez alios referens *libro* 7. *summ. capit.* 3. *numero* 13. & Castropalaus *de stat. Relig. disputat.* 1. *punct.* 14. *numero* 2. contra Bartolum , Abbatem , Sà , Azorium , & Clarum ab eo relatos . 1

Quæres 1. an Testamentum , & Legata in eo facta à Novitio infirmentur per Professionem religiosam? Resp. certum esse , non infirmari per professionem factam in religione incapaci Juris succedendi , ut est Religio Minorum , Capuccinorum &c. nam Testamentum solùm rumpi potest ab eo , qui successionis jura tenet; ut constat *ex Leg. Suus hæres. Cod. de Repud. hæredit. & Leg. Si post mortem §. libet , ff. de Bonorum posses. contra Tabul* ; & sic habent Doctores. Difficultas igitur est, si Professio facta sit in Religione capaci jure succedendi ; an inquam per eam infirmetur testamentum à Novitio factum , cum Monasterium loco filii habeatur . Sed dicendum , nullatenus infirmari , etiam si factum fuerit , cum de Religionis ingressu non cogitaverit : ratio est , quia à Jure *in Authent. de Monach. §. illud* ; *& Authen. Nunc autem, Codic. de Episcop. & Cleric.* conceditur libera facultas testandi de rebus suis ingressuro Religionem; ergo per ipsum ingressum in Religionem non infirmatur testamentum , aliàs frustranea , & futilis esset concessio , ut patet . Nec constat ex aliquo Textu , Monasterium loco filii habendum , & ex similitudine filii posse testamentum infirmare . Nec præsumi debet , hanc esse tacitam voluntatem ipsius Novitii ; cum nullum fundamentum habeat hæc præsumptio : nam quòd Novitius tradens seipsum Religioni præsumatur pariter omnia bona sua ei tradere ; intelligendum est , si ea aliàs à se non abdicaverit per Testamentum , aut renunciationem . Et sic 2

tradunt

tradunt Panormitanus, Felinus, Navarrus, Molina Juriſta, Fachineus, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat.* 1, *punct.* 14. *num.* 4.

Hinc clarè deducitur: Teſtamentum à Novitio conditum ita firmum perſiſtere profeſſione Religionis ſive incapacis ſucceſſionis, ſive capacis, ut nullus remaneat locus revocationi; cum à puncto profeſſionis jus ad dominium transferatur in hæredes, & legatarios; & teſtator ita cenſetur moraliter mortuus, ac ſi naturaliter talis eſſet. Nec video fundamentum probabile ad hanc revocationem ſuſtinendam, cum religioſi profeſſione emiſſa non ſint ampliùs rerum ſuarum domini, adeoque nequibunt de illis diſponere. Accedit, quòd ſicuti nequeunt teſtamentum condere *ex Capit. Quia ingredientibus 19. quæſt. 3.* ſic nequibunt teſtamentum factum revocare: cum revocatio iſta facienda ſit teſtamenti factione *ex Inſtit. Quibus modis Teſtam. infirmet, §. ex eo*, & ſic docent Abbas, Navarrus, Covarruvias, Guttierrez, Fachineus, Molina, Sanchez, Barboſa, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat.* 1. *punct.* 14. *numer.* 6.

3 Quæres 2. an hæc hæreditas, & legata concedenda ſint hæredibus, & legatariis à puncto profeſſionis emiſſæ à Novitio? Reſp. quamvis jus ad dominium à puncto profeſſionis transferatur in hæredes, & legatarios; nihilominus ut teſtamentum effectum habeat, requiritur mors naturalis Teſtatoris, nec ſufficit moralis; adeoque concedi nequibunt, niſi morte naturali ſecuta: requirit enim Divus Paulus *ad Hebr. 9.* ut teſtamentum effectum habeat, quod mors Teſtatoris intercedat; & ſic ſtatuitur *in Leg. 1. ff. de Teſtamen.* & Doctores omnes fatentur. Excipitur 1. ab hac Regula teſtamentum à Novitio factum cum hac expreſſa voluntate, ut effectum ſuum ſortiatur à puncto emiſſæ profeſſionis: nec ſufficit voluntas præſumpta, ut ſi hæredem, aut legatarium inſtitueret Monaſterium, niſi id exprimeret: ſicuti non ſufficit voluntas dubia, cum non de facili præſumendum ſit, velle recedere à diſpoſitione Juris Communis; ſed potiùs velle ſe conformare illi *ex Leg. Hæredes mei §. Cum ita ff. ad Trebell.* Sic Guttierrez *libr. 2. Can. Quæſt. cap. 1. num. 51.* Sanchez alios referens *libr. 7. Summ. cap. 3. num. 60.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 1. punct. 14. num. 8.*

Excipitur 2. teſtamentum factum à Novitio in Religione incapaci ſucceſſionis; tunc enim nulla militat ratio differendi conceſſionem bonorum emiſſa profeſſione ad tempus mortis naturalis, cum Monaſterium frui nequeat bonis illis. Sic Covarruvias, Guttierrez, Molina, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *loc. cit. num. 9.* Dicere autem, quòd pro eo tempore ſuccedat ut uſufructuaria Eccleſia Romana; caret prorſus probabilitate, ac fundamento; & multò minus dici poteſt, quòd intrent hæredes veluti ab inteſtato: quia hæc doctrina locum habet, cum defunctus inteſtatus moritur.

4 Quæres 3. an Teſtamentum ſic factum à Novitio revocetur per Decretum Tridentini *Seſſ. 25. capit. 16. de Regular.* ubi irritat, & annullat omnem renunciationem, & obligationem à Religioſo factam circa bona ſua; niſi facta fuerit intra duos Menſes profeſſioni proximos, & de licentia Ordinarii? Reſp. negativè, quidquid in contrarium dixerint nonnulli Doctores: ratio eſt, quia teſtamentum non importat eam renunciationem bonorum, & obligationem, de qua loquitur Tridentinum, videlicet factam per contractum irrevocabilem inter vivos; ne novitius impediatur à libero ingreſſu in Religionem, quod contingere nequit per teſtamentum ex natura ſua revocabile: cum igitur ſolùm loquatur Tridentinum de renunciatione facta per contractum ex natura ſua irrevocabilem inter vivos; inde eſt, quòd in ſuo Decreto non comprehendat teſtamentum. Et ſic docent Navarrus *libr. 3. Conſil. tit. de Regul. conſil.* 85. Guttierrez *libr. 2. Canon. Quaſt. capit. 1. à numer.* 31. Molina *tom. 2. de Juſt. diſputat.* 139. *verſic. Ambiget fortaſſe*, Sanchez *libr. 7. Summ. capit. 5. numer.* 18. Barboſa 3. *par. de Poteſt. Epiſc. alleg.* 91. *numer.* 13. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat. 1. punct.* 14. *num.* 11.

5 Quæres 4. an comprehendatur in Decreto Tridentini donatio facta à Novitio de ſuis bonis? Reſp. extra controverſiam eſſe, donationem irrevocabiliter factam inter vivos abſolutè comprehendi ſub Decreto Tridentini, adeoque irritam eſſe, niſi fiat bimeſtri ante profeſſionem ex licentia Ordinarii: nam eſt vera, & abſoluta renunciatio, & obligationem irrevocabiliter inducens, ut per ſe patet. Solùm dubitatur, ſi apponatur conditio illa, profeſſione ſecuta, & non aliter. Et quamvis ſua probabilitate non careat ſententia Navarri, Garziæ, Sanchez, & aliorum penes Caſtropalaum *de Stat. Relig. diſputat. 1. punct.* 14. *numer.* 13. adhuc comprehendi: eo quia Tridentinum non ſolùm ſpectavit ad removenda impedimenta retardantia à libero ingreſſu in Religionem, ſed etiam ad præſcribendum modum liberè diſponendi de rebus ſuis: & de facto etiamſi donatio fuerit facta intra bimeſtre ante profeſſionem, & ex licentia Ordinarii; non ideo impeditur novitius è Religione egredi; ergo ſpectavit Tridentinum & ad liberum ingreſſum, & ad præſcribendum modum. Nihilominus ſententia oppoſita habet etiam & ſuam probabilitatem: eo quia ſolùm mens Tridentini fuit præſcribere modum liberum in contractibus, & obligationibus à Novitio factis, & quæ liberum egreſſum è Monaſterio impedire non poſſent: cum igitur donatio ſub ea conditione facta non impediat liberum egreſſum è Monaſterio; inde eſt, non comprehendi ſub Tridentini Decreto: cum conditio tota pendeat à libera voluntate Novitii. Nec valet paritas donationis intra bimeſtre, & cum licentia Ordinarii: eo quia niſi Tridentinum appoſuiſſet, quòd effectum habere non debeat, niſi profeſſione ſecuta; utique obligaſſet ad executionem, ut cæteræ obligationes, & donationes; adeoque non habet ex ſe inducere liberum egreſſum, ſed ex Tridentino: ſecus verò prima donatio cum illa conditione facta habet ex ſe inducere liberum egreſſum, ut Teſtamentum. Sic Molina *tom. 1. de Juſt. diſputat.* 19. *in medio verſic. Quoad Eccleſiam*, Leſſius *libr. 2. capit.* 41. *dubit.* 4. *num.* 40. Barboſa *de Poteſt. Epiſc.* 3. *par. alleg.* 99. *numer.* 17. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat. 1. punct.* 14. *numer.* 14. De donatione facta cauſa mortis, quia ex ſe revocabilis eſt, nec retardans liberum egreſſum è Religione; dicendum eſt, quòd non comprehendatur ſub Tridentini Decreto; imò in omnibus de ea diſcurrendum erit, ac de Teſtamentis: ut ex Navarro, Guttierrez, Molina, Sanchez, & Suarez tradit Caſtropalaus *l. c.* contra Garziam.

6 Quæres 5. an valida ſit diſpoſitio facta à Novitiis Societatis Jeſu per viam Teſtamenti? Reſp. quamvis *in Exam. Generali capit.* 4. cautum ſit, ut Novitii debeant ante ingreſſum in Novitiatum diſponere de ſuis bonis, quæ habent, & habere poſſunt in pauperes, & alia pia opera abſque ſpe, & fiducia ea recuperandi: quam ſanè renuntiationem ſi non fecerint, debeant in ingreſſu promittere, ſe facturos poſt primum Novitiatus annum, quando à Superiore injunctum fuerit. Nihilominus ſi Novitii Societatis Jeſu teſtamentum fecerint, ſive ante ingreſſum in Novitiatum, ſive poſt illum; validum erit, & conſequenter tenet diſpoſitio facta, eſto peccaminoſa ſit, & contra promiſſionem in ingreſſu factam; & poſſunt Superiores eos cogere ad revocandam diſpoſitionem illam. Quod quidem peccatum non excedit veniale, ut docet Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat. 1. punct.* 14. *numer.* 15. nam Congregatio Generalis III. *Decret.* 9. dicit, promiſſionem iſtam non eſſe votum, ſed ſolam humanam promiſſionem obligantem ſub fidelitate, adeoque ſub veniali. Quòd autem Teſtamentum ſic factum validum ſit, licèt contra normam Conſtitutionum; probatur ex eo, quia eſt diſpoſitio facta ab habili, & capaci faciendi illam, cum & jus habeat, & dominium rerum diſpoſitarum, nec à Jure Communi eſt impeditus. Adde, quòd Conſtitutiones Societatis Jeſu nullam in hoc facto inhabilitatem imponunt. Sic Sanchez *libro 7. ſumm. capit. 1. numero 31. & 32.* & Caſtropalaus *l. c.*

Diſpoſitio per modum Donationis, & Renuntiationis ſuorum bonorum à Novitio facta, debet utique eſſe ſecundum decretum Tridentini *ſeſſ. 25. capit. 16. de regular.* ut valorem habeat, & effectum profeſſione ſecuta. Quidquid ſit de valore illius ſecluſo Jure Tridentini, & ſolùm ſpectato Jure Communi. Decernit

cernit igitur Sacrosanctum Concilium *loc. cit.* quòd nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ valeat; nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata; sit irrita, & nullius effectus. Subjungit idem Concilium *loc. cit.* specialem favorem, & singulare Privilegium pro Societate Jesu his verbis: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere; quin Religio Clericorum Societatis Jesu juxta pium eorum Institutum à sancta Sede Apostolica approbatum; domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint.*

8 Petes 1. an hoc decretum Tridentini comprehendat non solùm Novitios, qui de bonis suis disponunt ante professionem; sed etiam eos, qui se disponunt ad ingrediendum Novitiatum, & eo intuitu disponere volunt de suis bonis ante ingressum in Novitiatum? Resp. quamvis putarint docti Viri Navarrus, Flaminius, Molina, Lessius, Azor, Sà, Zeballos relati à Castropalao *de stat. Relig. disput. 1. punct. 17. numero 3.* comprehendi etiam disponentes de suis bonis ante ingressum in Novitiatum; eo quia eadem militat ratio utrobique, & idem est finis intentus à Tridentino in utroque casu, & eadem inconvenientia sequerentur. Nihilominus licèt non denegem suam probabilitatem huic sententiæ tot doctorum Virorum suffragio fultæ; probabiliorem reputo oppositam docentem non comprehendere volentem ingredi in Novitiatum; ratio est, quia Concilium Tridentinum loquitur de Regularibus, ac jam ingressis in Novitiatum, ut patet ex Rubrica, quæ est de Regularibus; ergo non debet decretum extendi ad sæculares jam, quamvis ingredi volentes Novitiatum: cum dispositio Legis, præcipuè si Jus Commune corrigat; non debet extendi ad casum non comprehensum sub forma verborum, ut tradit communis sententia; adeoque si casus expositus à Tridentino est de Novitiis se disponentibus ad Professionem, non debet extendi ad sæculares volentes Novitiatum ingredi. Nec eadem militat ratio utrobique, cum sæcularis sit sui juris, & possit bonis suis cedere, prout ipsi placuerit; non sic verò Novitius. Adde, quòd si eadem militaret ratio, & idem esset finis intentus à Concilio in utroque casu, ac eadem sequerentur inconvenientia; non ideo fieri debet talis extensio ad Casum disparatum, & non comprehensum sub forma verborum Legis corrigentis Jus Commune. Sic Menochius *libro 2. de Arbitr. casu 436. numero 3.* Sanchez *libro 7. summ. capit. 5. numero 4.* Rodriquez *tom. 3. Quæst. Regul. quæst. 16. artic. 1.* Garzias *de Benefic. 11. par. capit. 9. numero 15.* Barbosa *3. parte de Potest. Episc. alleg. 99. numero 17.* qui testatur sic decisum à Sacra Congregatione & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 1. punct. 17. num. 4.*

9 Petes 2. an solùm sub hoc decreto Tridentini comprehendantur Novitii minores sexdecim annis, an etiam Majores illis; ut si vigesimum annum haberent? Resp. affirmativè, quidquid contrarium senserit Menochius *l. c. num. 8.* qui docuit, Tridentinum respexisse ad immaturam ætatem, cui consulere voluit; non verò ad ætatem maturam: ratio nostra est, quia sine fundamento asseritur, cum Tridentinum indiscriminatim loquatur de Novitiis, in quacumque ætate fuerint, ut consultius, & maturius, ad professionem se disponerent, & ad vitandas fraudes parentum, consanguineorum, & Monachorum, quæ in quacumque ætate occurrere possunt. Sic Navarrus, Gutierrez, Zenedo, Valascus, Rodriquez, Sanchez, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disp. 1. punct. 17. num. 5.*

10 Petes 3. an sub hoc Tridentini decreto includatur donatio irrevocabiliter facta inter vivos à Novitio, si magni Momenti fuerit? Resp. affirmative: ratio est, quia licèt non includatur Testamentum, & donatio revocabilis, aut aliquis contractus onerosus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, quia regulariter per hos contractus quantum datur, recipitur; & moraliter loquendo nil per eos amittitur, quod possit liberum egressum à Religione impedire. Nihilominus includitur donatio ex natura sua irrevocabilis, quæ licèt non sit propriè renuntiatio; est tamen quædam species illius, minuit siquidem patrimonium cum efficacia, ac obligat donantem tradere donatario rem donatam. Debet tamen donatio ista irrevocabilis esse magni momenti, ut sub isto decreto comprehendatur: nam donationes, quæ notabiles non sunt, nec patrimonium considerabiliter minuunt; permittuntur Novitiis sive maribus, sive fœminis in eorum ingressu in Novitiatum, propinæ, & similes recognitiones, quæ à Monialibus fieri solent: ut docent Suarez *tom. 3. de Relig. libro 5. capit. 16. numero 11.* Sà *verb. Religio numero 5.* Navarrus *libro 3. Consil. tit. de donationibus consil. 7. & 8.* Sanchez *libro 7. summ. capit. 5. numero 20.* Menochius *de Arbitr. libro 2. casu 436. numero 7.* Molina *tom. 1. de Just. disput. 139. versic. Ambiget*, & Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 17. numero 7.*

Controvertitur tamen: an aliqua donatio exigua fieri possit titulo eleemosynæ Monasterio à Novitio in ingressu in Novitiatum, ultra victum, & vestitum. Et ratio controvertendi est, quia Tridentinum *sess. 25. cap. 16. de Regul.* ait: sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur. Nihilominus dicendum est, posse ultra victum, & vestitum Monasterio tribui exiguas eleemosynas: cum non debeat esse Monasterium deterioris conditionis præ cæteris pauperibus, quibus liberè has eleemosynas tribuere potest Novitius ingrediens. Mens siquidem Tridentini est non prohibere has exiguas eleemosynas, & donationes Monasterio, sed notabiles; satis enim sapienter se explicat Concilium, dum subjungit: Ne hac occasione discedere nequeant, quia totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat: nec facilè, si discesserit, id recuperare possit. Quapropter vetuit donationes Monasterio, quæ totam, vel majorem partem substantiæ minuant; non verò tenuem, & exiguam: ut expressè docent Suarez *l. c.* Sanchez *libro 7. summ. capit. 4. numero 22.* & Castropalaus *l. c.*

11 Petes 4. an possit dari mutuum à Novitio Monasterio cum cautione sufficienti reddendi illud ante professionem, aut si Religionem reliquerit? Resp. quamvis id licitum visum fuerit aliquibus doctis Viris; eo quia putarint, non esse veram donationem, & renuntiationem pecuniæ illius, sed temporaneam concessionem. Nihilominus sustinendum est, esse illicitum, & sub prohibitione Tridentini comprehendi: ratio est, quia est vera translatio dominii, & usus pecuniæ illius in Monasterium, & quidem irrevocabiliter; quamvis obligationem subeat Monasterium reddendi tantundem tempore statuto. Sic rectè exprimit, & docet Valascus *de Partit. capit. 16. numero 32.* Sanchez *lib. 7. summ. capit. 5. num. 24.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 1. punct. 17. num. 8.*

12 Petes 5. quomodo intelligenda conditio apposita à Tridentino, quòd renuntiatio bonorum fieri debeat à Novitio intra bimestre proximum professioni? Resp. quòd quolibet die intra illud bimestre renuntiatio validè, & licitè fieri valeat, etiamsi fuerit ultimus dies bimestris. Quòd si contingat, differri professionem ex aliqua causa ultra annum, sufficit renuntiatio facta intra bimestre proximum anno, in quo fieri debebat professio translata; nec opus est, ut fiat intra bimestre proximum professioni translatæ faciendæ. Sic Sanchez *libro 7. summ. capit. 5. numero 81.* Barbosa *3. parte de Potest. Episc. alleg. 91. numero 11.* & Castropalaus *de stat. Relig. disput. 1. punct. 17. num. 9.*

Dubitatur tamen: an si Pontifex cum aliquo Novitio dispenset circa ætatem, & annum Novitiatus, ut si ante decimum sextum annum expletum, & ante duodecim menses Novitiatus professio emitti possit; tunc poterit renuntiatio fieri intra bimestre professioni proximum? Resp. affirmativè, quamvis Sanchez, & Barbosa locis citatis doceant, renuntiationem tunc faciendam eodem die professionis ante illam: eo quia dispensatus ad ætatem, & annum novitiatus, non intelligitur dispensatus ad renuntiationem, utpote diversam. Sed ratio nostra est, quia Tridentinum

tinum absolutè loquitur, & vult renuntiationem fieri intra bimestre ante professionem; adeoque posita dispensatione Pontificia circa ætatem, & tempus Novitiatus poterit Novitius intra bimestre proximum professioni cum dispensatione faciendæ renuntiare. Nec video, cur debeat ex necessitate eodem die professionis fieri; nec dispensatio cadit supra renuntiationem. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 1, punct. 17. num. 9.*

13 Petes 6. quomodo intelligenda alia conditio à Tridentino appositа; ut renuntiatio fiat ex licentia Episcopi, seu ejus Vicarii? Resp. nomine Episcopi intelligi Ordinarium loci illius, ubi professio emittitur; sufficit autem, quòd sit electus, & confirmatus, quamvis consecratus non sit. Intelligi etiam nomine Episcopi Abbates, & similes Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suo Territorio exempto. Nomine verò Vicarii non intelligi Vicarium foraneum ipsius Episcopi; sed verum ejus Vicarium Generalem, qui etiam hanc potestatem habebit, si fuerit Vicarius Generalis Capituli sede-Vacante: ut docent Sanchez *libro 7. summ. capit. 5. num. 64.* Barbosa *3. par. de Potest. Episc. alleg. 99. numero 3.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 1. punct. 17. numero 10.* Hæc licentia Episcopi, seu ejus Vicarii non solùm requiritur pro Monasteriis ejus jurisdictioni subjectis, sed etiam pro exemptis ab ejus jurisdictione; ut sic liberius renuntiatio fieri possit à Novitiis, maximè quia pro eo tempore non plenè Religioni subiecti sunt; ut traduut Sanchez *loc. cit. numero 14.* Barbosa *loc. cit. num. 7.* Castropalaus *l. c.* & Rodriquez *tom. 2. Quæst. Regul. quæst. 47. art. 14.* debet licentia esse obtenta, cum non sufficiat petita; debet insuper præcedere professionem, nec sufficit illam subsequi, cum necessaria sit ad valorem actus. Non debet tamen necessario tradi in scriptis, cum id non requiratur à Tridentiao; sed sufficit oretenus obtenta: ut adnotant DD. *cit.*

14 Petes 7. an novitius perseverans in religione possit renunciationem jam factam revocare? Resp. negativè: ratio est, quia si liberum esset novitio renuntiationem factam revocare suppositа perseverantia in Religione, ad quid Tridentinum tot conditiones, & solemnitates requireret; ergo dicendum est, ita firmam, & stabilem esse renunciationem factam, ut amplius revocari non possit à perseverante in Religione. Et quamvis talis firmitas pendeat à conditione illa, si in feligione perseveraverit, & professionem emiserit; nihilominus per eam conditionem licèt suspendatur effectus donationis, non tamen suspenditur ejus valor & firmitas conditionalis ob jus renuntiatario quæsitum. Sic Sanchez *libro 7. summ. capit. 5. numero 58.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 1. punct. 17. numero 12.*

15 Petes 8. quandonam dominium bonorum renunciatorum à Novitio transferatur in Renunciatarium? Resp. transferri cum primum professio valida secuta est: cum Tridentinum expressè statuat: Non sortiri renuntiationem effectum suum, nisi secuta professione; ergo si antecedenter ad professionem transferretur dominium bonorum novitii, antecedenter ad professionem sortiretur effectum suum. Hinc sequitur 1. non firmari per professionem invalidam etiam longo tractu annorum continuatam renuntiationem factam, etiam si præsumptio habeatur de professione; ratio est, quia per Tridentinum vera professio, & non præsumptio illius, aut continuatio temporis firmat effectum renuntiationis. Non nego tamen, quòd ratificatio professionis invalidæ, per quam vera professio constituitur, firmet statim renuntiationem cum solemnitatibus requisitis jam factam: ut docent Sanchez *libro 7. summ. cap. 5. numero 56.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 1. punct. 17. numero 13.* sequitur 2. professione non secuta, ut si novitius moreretur renuntiatione facta ante emissam professionem, non succedere Monasterium in bonis Novitii, sed hæredes, ad quos de jure spectat successio: ratio est, quia renuntiatio illa nullius effectus est, non secuta professione; adeoque hæredes succedere debent novitio mortuo ab intestato, non verò renuntiatarius, si aliunde non sit hæres; nec Monasterium, cum non jam per professionem ei incorporatus fuerit Novitius. Hæc sententia nunc temporis certa est, quidquid fuerit ante Tridentinum, ut adnotant Sanchez *libro 7. summ. capit. 5. numero 51.* Rodriquez *tom. 2. Quæst. Regular. quæst. 47. artic. 12.* & Castropalaus *loc. cit.* Sequitur 3. non posse Monasterium si renuntiatio in ejus favorem fuerit facta à Novitio; capere bona sibi renuntiata; aut ei tradi debere ante secutam professionem: ratio est, quia Monasterium se habet ut quilibet alius renuntiatarius; ergo si hic ante professionem novitii nequit capere bona sibi renuntiata, neque Monasterium attento Jure novo Tridentini irritantis omnes donationes Monasterio factas ex bonis novitii, ne hac occasione liberè discedere valeat, eaque de facili recuperare non possit; vult enim Concilium, & jure merito, ut omnem libertatem habeat Novitius in emittenda professione usque ad novissimum Quadrantem. Sic expressè Sanchez *libro 7. summ. capit. 6. numero 53.* impugnat hanc sententiam ingeniosè, ut assolet Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 1. punct. 17. numero 15.* sed ut verum fatear, adhæreo sententiæ Sanchez, quæ mihi videtur consona Tridentino, & rationi.

Petes 9. an ad validam renuntiationem à novitio 1
factam paternæ hæreditatis vivente Patre; aut alterius consanguinei in favorem alicujus tertii requiratur de necesse consensus Monasterii, ac illius cessio? Respondeo hunc consensum, & cessionem Monasterii requirere Bolognetum, Fernandez, Seraphinum, Rojas, Spino, Azorium penes Castropalaum *de stat. Religion. disputat. 1. punct. 17. numero 17.* eo quia hæreditas patris viventis, vel alterius consanguinei effectum habet, quando pater, aut consanguineus moritur; ergo tunc renuntiatarius illam acquirere potest; sed tunc novitius renuntians est jam professus incapax acquirendi hæreditatem; ergo incapax etiam erit resignatarius; qui nomine renuntiantis illam acquirere debet; ergo acquirit Monasterium. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam oppositam sustinentem, non requiri hanc Monasterii cessionem: ratio est, quia novitius spolians se per renuntiationem jure hæreditatis patris viventis, aut consanguinei tempore præscripto ad renuntiandum omnino remanet privatus jure illo, ac in renuntiatarium transfert, sub conditione tamen perseverantiæ, & professionis, ergo professione facta à novitio renunciatarius acquirit jus ad hæreditatem post mortem Patris adeundam, adeoque non est penes Monasterium, nec penes novitium jam professum incapacem juris succedendi: maximè quia etiamsi novitius esset sui juris præscindendo à professione, adhuc succedere non posset, cum à se jam abdicaverit jus succedendi posita, & secuta professione: non video ergo, quo jure succedere debeat Monasterium, & ad quid requiratur ejus consensus, ac cessio. Nec renunciatarius agit nomine novitii renuntiantis, sed jure proprio habito à Novitio renuntiante, professione secuta. Sic Covarruvias *de Pact. 3. parte §. 2. numero 3.* aliquos antiquiores referens Guttierrez *de Pact. §. dum nuptui tradebatur. numero 1.* Baeza *de non melioran. filiab. capit. 14. numero 31.* Gama *decis. 375. numero 5.* Manesca *de succeff. creation. libro 2. §. 18. numero 93.* Sanchez *libro 7. summ. capit. 6. numero 2.* & Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 17. numero 18.*

Petes ultimo: quid speciale habeatur pro renun- 17
tiationibus factis à Novitiis Societatis Jesu? Respondeo, illud in primis speciale haberi, quòd decretum Tridentini non comprehendat renuntiationes factas à Novitiis; aut ab eis, qui vota simplicia biennii emiserunt, ut expressè declarat idem Concilium *sess. 25. capit. 16. de Regul.* adeoque quocumque tempore Novitiatus non servato bimestri, & absque facultate Episcopi renuntiatio validè fieri potest: & sic expressè docent Rodriquez, Sà, Molina, Lessius, Sanchez, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 1. punct. 18. numero 1.* Controvertitur tamen: an si renuntiatio fieret, & non juxta pium Institutum societatis Jesu, ut loquitur Tridentinum, si videlicet in consanguineos, vel alios extraneos non indigentes fieret; non verò in pauperes, aut alia pia opera, ut institutum requirit; an inquam tunc comprehenderetur sub Tridentini Decreto? Nihilominus dicendum non com-

comprehendi : ratio est , quia licèt Institutum Societatis Jesu velit renuntiationem fieri in pauperes , aut pia opera ; attamen nec irritat , nec invalidat secus factam . Sic Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 5. numer.* 10. & Castropalaus *de Stat. Religios. disput. 1. punct. 18. numer. 2.* Controvertitur insuper : an facta renuntiatione à Novitio Societatis Jesu in favorem Societatis , possit hæc à puncto renuntiationis dominium , & usum bonorum renuntiatorum accipere , & retinere ? Resp. affirmativè : eo quia alia ratio militat pro Societate Jesu , quàm pro aliis Sacris Ordinibus : renuntiatio siquidem facienda in Societate Jesu secundum ejus Institutum debet esse absoluta , & independenter à professione futura ; adeoque à puncto renuntiationis transfertur absolutè Jus in Renuntiatarium absque spe recuperationis . Nec obstat Tridentinum , imò favet , dum approbavit laudabile Institutum Societatis Jesu in his renuntiationibus faciendis ; quæ quidem approbatio extenditur ad omnia in eo Decreto contenta , etiamsi in medio Decreti apposita fuerit : ut comprobat multis adductis Menochius *de Præsump. libr. 4. præsumpt.* 181. *numer.* 7. Controvertitur denique : an novitius , vel qui Vota biennii in Societate emisit ; si renuntiaverit hæreditati paternæ vivente Patre in favorem Societatis , & Pater moriatur , quando renuntians professus est , vel Vota Coadjutorum formatorum emiserit ; an inquam succedere possit tunc Societas , in cujus favorem facta est renuntiatio ? Resp. Sanchez *libr. 7. Summ. capit. 9. numer.* 25. sententiam negativam sustinere , ea motum ratione , quia si renuntians hæreditati paternæ in favorem Societatis moreretur ante suum patrem , hæreditas vivente patre non deferretur ad filium , quia non datur hæreditas viventis *ex Leg. Superstitis. ff. de Acquir. hæred.* ergo neque Societas repræsentans renuntiantem ; sed renuntians emissa professione , aut votis Coadjutorum formatorum mortuus est naturaliter per æquiparationem , & similitudinem ; ergo Societas per respectum ad illum capax nequit esse hæreditatis illius . Addit , quòd sicuti Conventus Fratrum Minorum succedere nequeunt ratione suorum Fratrum , sic nec Societas Jesu ratione suorum Professorum . Nihilominus Castropalaus *disputat. 1. de Stat. Religion. punct. 18. numer.* 5. tuetur affirmativam sententiam , solvendo rationes in contrarium adductas . Et in primis mors Civilis , ac moralis Religiosorum non in omnibus æquiparatur morti naturali , ut testatur ipsemet Sanchez *libr. 7. Summ. capit. 3. numer. 68. & 78.* & docent Molina *de Primog. libr. 5. capit. 13. numer.* 94. Nec professio , aut Vota formata Coadjutorum extinguunt Jura in tertium translata ; sed ea , quæ tunc professus haberet : cum igitur sua jura transtulerit tempore habili professus , aut Coadjutor formatus in Societatem ; inde est , quòd per ejus formationem , aut professionem non extinguantur in Societate jura illa , sicuti non extinguerentur in aliis extraneis , ut fatetur ipse Sanchez *loc. cit. cap. 6. num.* 2. Nec societas succederet Jure professi , sed jure ipsi collato tempore habili à jam professo per renuntiationem . Et quamvis Societas professa incapax sit hæreditatis , & multò magis acquirendi illam per suos professos , in quo valet paritas adducta ex Fratribus Minoribus ; nihilominus Collegia Societatis Jesu capacia sunt hæreditatis , ac habendi illam renunciatam à non professis . Verùm probabilior mihi apparet Sententia Sanchez cujus rationes illustrat more suo Card. Delugo *lib. 4. Resp. Moral. dub. 4.*

CAPUT VII.

De Susceptione Status Religiosi per Professionem ; & quibus modis fieri possit Professio.

1 *Susceptio Status Religiosi fit per Professionem , quæ sita est in traditione sui Religioni à Santa Sede approbatæ per tria Vota perpetua.*

2 *Professio alia est Expressa , alia Tacita ; & explicatur Expressa.*

3 *An ad Professionem Expressam requiratur Scriptura?*

4 *Conveniens est , ut fiat scriptura . Et Religio compellere potest tacitè profitentem ad eam faciendam in scriptis.*

5 *Ex parte admittentis Professionem non requiruntur verba , aut scriptura ; sed sufficit quodlibet signum acceptationis illius.*

6 *Professio , quamvis conveniens sit fieri per propriam personam ; facta tamen per Procuratorem valida est.*

7 *Valida est Professio facta extra Ecclesiam , vel nondum suscepto habitu religioso.*

8 *Professio fieri debet per traditionem continentem Vota Paupertatis , Castitatis , & Obedientiæ.*

9 *Quænam dicatur Tacita Professio?*

10 *Conditiones à Tridentino requisitæ pro Expressa professione servandæ sunt in professione Tacita.*

11 *In Societate Jesu nequit habere locum Professio Tacita.*

EGIMUS de Susceptione Status Religiosi per 1
ingressum in Novitiatum , & explicuimus omnia requisita ad Novitiatum , ut licitè , & validè fiat . Remanet nunc peragendum de susceptione Status Religiosi per Professionem , quæ tota sita est in traditione , quam aliquis facit de se Religioni à Sancta Sede approbatæ per tria vota perpetua Paupertatis , Castitatis , & Obedientiæ , quæ regulariter solemnia sunt , quamvis in Societate Jesu Simplicia esse possint . Non nego tamen , quod nomine Professionis verè , rigorosè , & propriè dictæ veniat illa , quæ per Vota solemnia fit ; quamvis latè , & minùs rigorosè veniat illa emissa per Vota Simplicia juxta Apostolicas Constitutiones , & Bullas.

Professio, quæ Statum Religiosum constituit , ac 2
reddit professum Religiosum ; alia est Expressa , alia Tacita : ut clarè constat *ex Cap. Religiosi de Senten. Excomm. in 6.* ubi dicitur : Quamvis autem is, qui Religionem ingreditur , religiosus censeri cum effectu non possit , donec sit Tacitè , vel Expressè Professus . Expressa professio dicitur , quæ signo aliquo externo declarante , ac exprimente consensum fit.

Adnotandum 1. circa professionem expressam, quòd 3
quamvis per se ad ejus essentiam , & formam non sint necessaria verba , aut scriptura ; sed sufficiant nutus, aut alia signa externa exprimentia consensum internum : eo quia de natura contractus est perfici posse quolibet signo externo declarante consensum internum. Nihilominus si ex Statuto , & Constitutionibus alicujus Religionis scriptura, & verba de necesse requirantur; utique essentialia erunt, & sine ipsis nulla esset professio. Sic est in Societate Jesu, in qua statuitur 5. *Part. Constit. cap. 3.* ut Professio fiat scripto, & ex scripto coram Domesticis, & Externis legatur . Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 12. num.* 2. Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 3. num.* 4. Azor. 1. *par. lib. 12. cap. 5. quæst. 7.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 1. num. 1.*

Adnotandum 2. quod licèt in aliis Religionibus 4

hæc forma stripta, & publicè lecta coram aliis religiosis, & externis non sit essentialis; nihilominus conveniens esset ad attestationem claram, & perdurantem professionis emissæ, & ad auferendas controversias, & lites, quæ insurgere possent, si secus esset facta juxta Textum *in Cap. Vidua 20. quæst. 1. verb. Scriptis.* & adnotat Glossa. Hinc sequitur posse Religionem compellere professum per professionem tacitam, ut in scriptis professionem faciat; eo quia Juri conformis est, & Religioni ipsi conveniens, nec præjudicans professo. Et è contra professus scripto faciens professionem compellere poterit Religionem, ut professionem scriptam admittat, & sic constet, ut possit eligi in Prælatum, à qua electione excluditur, dum professionem expressè non facit *ex Cap. Nullus. de Elect. in 6.* ut ex Abbate, Gregorio Lopez, & Sanchez tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 1. num. 1.*

5 Adnotandum 3. quòd non requiruntur verba, aut scriptura ex parte admittentis professionem: cum sufficiat, quòd signo aliquo declaret acceptationem professionis factæ. Nec de necesse requiruntur testes, esto conveniens sit, quòd adsint ad testandum de Statu assumpto, & ne profitens recedere possit: ratio est, quia ex nullo Capite constat requiri præsentiam testium, & aliunde compleri potest traditio, quam de se facit professus Religioni, inter se, & Prælatum tantùm; ut notant Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 12. numer. 2. & 5.* Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 2. punct. 1. num. 1.*

6 Adnotandum 4. conveniens esse professionèm Religiosam fieri per propriam personam: quia tamen nullo jure prohibitum est per Procuratorem fieri, inde est, quòd per Procuratorem facta validè consistit: maximè quia *ex Regul. 68. de Regul. Juris in 6.* potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum, quando à Lege, vel Statuto aliter præscriptum non est. Est expressa Sententia Sylvestri *verb. Relig. 3. quæst. 15.* Azorii *lib. 12. capit. 5. quæstion. 5.* Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 3. num. 7.* Suarez *tom. 3. de Relig. cap. 12. num. 22.* & Castropalai *de Stat. Relig. disputat. 2. punct. 1. numer. 1.* Advertunt tamen, quòd ob difficultatem, & arduitatem rei Procurator debeat habere speciale mandatum, cum non sufficiat generale; ex quo infero, quòd sicuti requiritur speciale mandatum ad professionem faciendam procuratorio nomine; ita requiritur ob eamdem difficultatem, & arduitatem rei, quòd specialiter nominetur Religio, in qua professio emittenda est: nec sufficit, electionem religionis relinquere Procuratori, etiamsi liberè electus sit Procurator, & absque ullo metu, & coactione, quod per se constat requiri; & etiamsi eligens Procuratorem tempore, quo professio fit; perseveret in voluntate profitendi, quod pariter de necesse requiritur. Sic Sanchez, quamvis oppositum sentiant Suarez, & Castropalaus *loc. cit.*

7 Adnotandum 5. validam esse professionem extra Ecclesiam factam, vel nondum suscepto habitu religioso: cum parum referat extra Ecclesiam fieri, aut nondum suscepto religioso habitu, ut constat *ex Cap. Insinuante. Qui Cleric. vel Vovent. & ex Cap. Porrectum de Regul.* Sic etiam docent Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 12. num. 24.* Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 3. numer. 12.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 1. num. 1.*

8 Adnotandum denique: professionem fieri debere per traditionem continentem Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; sunt etenim de essentia Status religiosi, ut suo loco diximus. Quapropter si in aliquibus Religionibus, ut in Benedictina solùm exprimitur Obedientia secundum Regulam; & in Cartusiana, in qua promittitur Conversio morum; subintelligitur tamen Obedientia secundum Regulam, hoc est, cum Paupertate, & Castitate ab eadem Regula præscriptis; & Conversio Morum per Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam. Sic ex communi sententia asserunt Rodriquez *tom. 2. Summ. capit. 8. numer. 13.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 2. numer. 12.* Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 3. num. 3.* Sà *verb. Relig. numer. 18.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 4. quæst. 2.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 1. num. 2.* An autem traditio ista sub promissione Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ debeat esse absoluta, an verò possit esse conditionata; controversa res est. Illud est certum, quòd si conditio apposita fuerit repugnans Paupertati; Castitati, & Obedientiæ in illa Religione præscriptis; nulla sit professio sic emissa, utpote deficiens in aliquo essentiali, & substantiali: sicuti nullus est contractus Matrimonii sub conditione repugnante Statui illi celebratus *ex Cap. final. de Condit. apposit.* Si verò conditio non fuerit repugnans, imò honesta, aut indifferens: ut si quis promitteret traditionem sui Religioni per Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, si ejus pater consenserit, qui postea consentit; quamvis Sanchez plures referens *lib. 5. Summ. cap. 4. num. 88. & lib. 5. de Matrim. disputat. 8. num. 4. & 10.* sustineat probabiliter, purificata conditione illa validam esse professionem, ut validum etiam purat Matrimonium sub simili conditione celebratum ea purificata: eo quia consensus conditionalis præcedens transit in absolutum, ac absolutam obligationem inducit, semel ac conditio purificata est, Nihilominus sua probabilitate non caret sententia Suarez *tom. 3. de Regul. lib. 6. cap. 12. num. 20.* quem sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 2. pun. 1. numer. 5.* quòd videlicet non sufficiat consensus ille conditionatus ad professionem, cum non sit traditio præsens, sed futura, & promissio traditionis; adeoque non erit professio, sed potiùs votum simplex emittendæ professionis impleta conditione apposita de consensu patris; quapropter requiritur novus consensus absolutus.

9 Tacita Professio illa dicitur, quæ ex signis à Jure statutis inducitur. Dupliciter autem hæc professio jure antiquo inducebatur. 1. gestatione habitus professorum, qui in colore, figura, aut benedictione distinctus esset ab illis, quibus novitii utebantur: inducebatur verò professio ista post expletam pubertatem ante completum annum novitiatus per solam tridui perseverantiam, ut constat *ex Cap. Ad nostram de Regul. & Cap. Constitutionem eod. tit.* Quòd si habitus fuisset communis professis, ac novitiis, quamvis à Sæcularibus distinctus; non sufficiebat triduana perseverantia post pubertatem completam, sed requirebatur annalis. Denique si habitus fuisset communis novitiis, professis, & aliis Monasterio inservientibus, quamvis distinctus à sæcularibus; requirebatur annalis perseverantia in illo habitu post annos discretionis; & insuper quòd esset assumptus post pubertatem: nam si ante illam assumptus fuisset, etiamsi post illam longo tempore gestaretur; professionem non induceret. Hæc & alia constant *ex Cap. Is, qui de Regular. in 6. & Clement. Eos, qui eod. tit. 2.* inducebatur professio tacita per exercitium alicujus actus Professorum: & ratio est, quia efficacius signum est actus, quàm habitus. Requirebatur tamen habitus novitiorum ex *Cap. Vidua 20. quæst. 1.* ut actus professorum exercitus professionem istam induceret. Et sic docent Sylvester *verb. Religio 3. quæstion. 19.* Azor. *1. part. lib. 12. capit. 4. quæstion. 3.* & Sanchez *lib. 5. Summ. capit. 3. numer. 20.* Quamvis Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 19. numer. 8.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 1. num. 7.* requirant de necesse habitum professorum, saltem communem professis, & novitiis, ut actus ille inducat tacitam professionem: ratio est, quia professio ista inducitur ex signis à Jure statutis, cum sit præsumptio Juris; sed nullibi Jus statuit, novitium exercentem actum professorum in habitu novitii distincto ab illo professorum facere professionem tacitam; ergo necessariò requiritur habitus professorum, qui saltem communis sit novitiis, ut actus ille professionem inducat tacitam. Requirit insuper Suarez *l. c. num. 14.* triduanam perseverantiam in gestatione habitus professorum, quam tamen communis sententia denegat cum Sanchez, Lessio, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit.*

10 Advertendum hìc: quòd licèt Concilium Tridentinum nil disposuerit de hac professione tacita, sed eam reliquit dispositioni Juris; nihilominus conditiones ab ipso Tridentino præscriptæ pro professione expressa servari debent in professione tacita, quòd videlicet præcedat ad professionem integer annus novitiatus,

tus,

tus, & quòd signa inducentia professionem tacitam fiant post annum decimum sextum completum; nam si ante hanc ætatem exhiberentur, nullatenus professionem inducerent. Debet quoque exhibens signa illa cognoscere, quòd indecent professionem, ac tali intentione ea exhibere, consentiente Prælato professionem admittente: nam si exhibens illa protestaretur, nolle per talia signa à se assumpta, & à Jure statuta professionem emittere; neque in foro conscientiæ, neque in foro exteriori professus censendus esset; non enim signum est vera professio, sed signum professionis, quod cessat per contrariam voluntatem expressam: ut docent Navarrus, Sylvester, Lessius, Layman, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 1. num. 8.*

11 In Societate Jesu Professio tacita nullatenus haberi potest: nam essentiale est, eam fieri publicè per lectionem scripti, ut constat *ex 5. Part. Constit. cap. 3.* Nec induci potest per vota simplicia, quæ post biennium novitiatus emittuntur, cum per talia Vota non designetur Gradus Coadjutoris formati, aut Professi trium, vel quatuor Votorum. Nec per ea vota assumitur habitus incorporationis; aut actus exercentur, qui sint proprii incorporatorum. Societas siquidem nec habitum proprium habet, & specialem; nec ullus actus exercetur ab incorporatis in ea, qui non sit communis Novitiis; nec denique tempus determinatum habet admissionis, cum ex voluntate Superioris differri possit admissio ultra biennium *ex Cap. 1. numer. 12. & Cap. 4. num. 43. Exam. Gener. & ex 5. Part. Constitut. cap. 1. in fin.* adeoque vota biennii nec tacitam professionem inducunt, aut incorporationem, nec inducere possunt, etiamsi emittens illa hanc intentionem haberet; & consensus haberetur illius, qui facultatem haberet admittendi. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 8. num. 3.* referens Navarrum; sic etiam Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 1. num. 10.*

CAPUT VIII.

De Conditionibus requisitis ex parte Profitentis, & Admittentis, ut valida sit Professio emissa; & an eadem requirantur pro Votis Simplicibus biennii Societatis Jesu?

1 *Prima Conditio requisita ex parte Profitentis est ætas legitima.*
2 *Secunda quòd præcedat annus integer Novitiatus.*
3 *Tertia ut spontè fiat, & libera à metu cadente in constantem Virum.*
4 *Quarta ut non intercedat error, & ignorantia circa substantialia Instituti.*
5 *Quinta ut profitens liber sit à servitute.*
6 *Sexta ut profitens non sit ligatus vinculo Matrimonii consummati.*
7 *Septima ut profitens liber sit à Dignitate Episcopali.*
8 *Octava ut parentes profitentis non sint in gravi necessitate; quamvis hæc conditio requiratur ad licitam, non verò validam professionem.*
9 *Nona ut profitens immunis sit à debitis, & Ratiociniis reddendis; & hæc etiam requiritur ad licitam, non verò validam professionem.*
10 *Decima ut profitens non sit ligatus vinculo strictioris Religionis.*
11 *Undecima ut profitens non sit excommunicatus, aut Simoniæ labe infectus; sed hæc requiruntur ad licitam, non verò validam professionem.*
12 *Pro Monialibus requiritur ante professionem examen juxta præscriptum Tridentini; quod quidem requiritur, ut licita non verò ut valida sit professio.*
13 *Ex parte Admittentis nomine Religionis requiritur acceptatio, & simul quòd obliget Religionem ad alendum, retinendum, & dirigendum profitentem juxta Statuta Religionis.*
14 *Quinam possint professionem religiosam admittere?*
15 *An si Admittens professionem excommunicatus vitandus fuerit, admissio nulla sit?*

PRIMA Conditio ex parte profitentis requisita ad validitatem Professionis est, ut emittatur in ætate legitima, quæ Jure novo Tridentini debet esse annus decimus sextus jam completus, ut patet *ex Sess. 25. Cap. 15. de Regular.* quidquid fuerit ex Jure antiquo. Dubitatur 1. an ita determinata sit ætas ista à Tridentino, ut major non possit requiri in aliqua Religione essentialiter? Resp. quamvis minor requiri nequeat, utpote contra Tridentini Decretum; major tamen requiri poterit: & ratio est, quia tale Statutum Religionis non apponeretur Decreto Tridentini, imò potiùs faveret ejus fini. Defacto tamen licèt aliquæ Religiones requirant majorem ætatem præ statuta à Tridentino, ut est Religio Minorum requirens decimum octavum annum completum ad profitendum; eam tamen non requirunt essentialiter, & sub clausula *irritante*. Quapropter si professio fieret ante decimum octavum annum, completo tamen decimo sexto, validè consisteret: ut docent *Suarez, Sanchez, Rodriquez, Barbosa*, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 2. §. 1. num. 2.* 1

Dubitatur 2. *An etiam decimus sextus annus completus requiratur pro Votis Simplicibus post biennium Novitiatus in Societate Jesu?* Resp. affirmativè: quia licèt Tridentinum usum fuerit nomine Professionis in statuenda ætate illa; & nomine professionis rigorosæ non veniant Vota simplicia biennii; nihilominus veniunt sub nomine lato professionis, quatenus per ea ex parte voventis perpetuò assumitur Status Religiosus, quem non vult assumi Tridentinum ante decimum sextum annum expletum, sive per vota solemnia, sive simplicia assumatur. Cæterùm præscindendo à Tridentino non potest quis admitti ad vota biennii per Constitutiones Societ. nisi habeat decimum sextum annum expletum, cum non possit ad Novitiatum admitti ante decimum quartum annum expletum. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 6. numer. 3.* & Castropalaus *de Stat. Religion. disputat. 2. punct. 2. §. 1. num. 1.*

Secunda Conditio est, quòd ad professionem validè emittendam præcedat integer annus Novitiatus; de quo satis diximus in præcedentibus Capitibus, quomodo peragendus, & computandus. 2

Tertia Conditio est, ut spontè facta sit professio, adeoque libera à metu gravi, seu cadente in constantem virum; sic esset incarceratio, alimentorum subtractio; eo quòd nolit professionem emittere. Idem esset metus reverentialis non ex se solo, sed simul sive cum precibus, & blanditiis; sive cum imperio, & sæpius repetita importunitate, aut cum indignatione continuata consanguineorum, vel gravi offensione: maximè si addantur minæ de subsidiis negandis ob egressum à Religione. Nec siquidem vel singillatim considerata, vel conjunctim metum gravem incutere possunt professionem irritantem: ut docent Lessius *lib. 2. de Just. cap. 43. dub. 3.* & Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. cap. 5.* Nam professio emissa ex metu gravi in profitentem inducto nulla, & irrita est saltem ex Jure Ecclesiastico, & ex consuetudine, ut constat *ex Cap. 1. de his, quæ vi, & ex Cap. Cum dilect. eod. tit.* 3

Quæ dicta sunt de professione, intelligi etiam debent de emissione Votorum biennii in Societ. Jesu, per quæ verè assumitur Status Religiosus, & verum Religiosum constituunt: & tam Textus *in Cap. 1. de his, quæ vi* confundit professionem cum ingressu in Reli-

glorem: ait enim, timore mortis Religionem intraverit; quam Tridentinum *sess. 25. cap. 19. de Regular.* ubi ait: Quicumque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem. Et sic docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 6. numer. 6.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 2. §. 2. num. 1.* Dubitabis hìc; an si metus gravis non fuisset incussus profitenti, sed Prælato professionem acceptanti; an inquam professio irrita, & invalida foret? Resp. negativè, quamvis Lessius *lib. 2. de Just. cap. 41. dubit. 7. num. 61*, affirmativam sententiam sustineat: ratio nostra est, quia cum metus non jure naturali, sed tantùm positivo professionem irritet; & aliunde Jus positivum nil disponat de metu gravi incusso Prælato professionem acceptanti; inde est, non reddere irritam professionem. Nec è casu profitentis fieri debet extensio ad casum acceptantis professionem; & licèt requiratur utriusque consensus, non requiritur tamen eodem modo in acceptante cum immunitate à metu gravi, ut requiritur in profitente. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 4. num. 19.* & Castropalaus *loc. cit. num. 2.*

4 Quarta Conditio est, ut non intercedat error, & ignorantia circa substantialia Instituti: & ratio est, quia posito hoc errore, & ignorantia tollitur substantialis consensus profitentis essentialiter requisitus tam ad professionem rigorosam, quàm ad incorporationem per vota biennii in Societate Jesu, ut rectè docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 6. numer. 7.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 2. num. 4.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 2. §. 2. numer. 3.* qui etiam docet ex Suarez, hunc errorem, & ignorantiam habere locum in Prælato admittente, qui si erret in persona, aut in conditionibus essentialiter requisitis; deficit substantialiter ejus consensus in admissione, adeoque nulla erit professio emissa. Secus tamen esset, si error sive profitentis, sive admittentis ad professionem versaretur circa accidentalia; non utique irritam professionem redderet, cum error iste in accidentibus nec Matrimonium ipsum reddat irritum: & sic tradunt Navarrus, Rodriquez, Sanchez, quos refert; & sequitur Castropalaus *l. c.*

Controverti hic solet: an decipiens religionem in re aliqua gravi accidentali expelli possit à Religione, si admissus fuerit? ut si quis laboraret aliquo morbo occulto, quem interrogatus occultavit, & si manifestasset, in Religionem admissus non fuisset. Resp. quamvis Navarus *lib. 2. consil. tit. de Regular. consil. 25.* Sà *verb. Religio. num. 34.* & alii doceant dimitti posse, eo quia sufficiens fundamentum præbeat ad dimissionem; Negativam tamen sententiam sustinent Rodriquez *tom. 2. Summ. capit. 6. numer. 3.* Sanchez *lib. 5. Summ. capit. 4. numer. 57.* & alii putantes dimitti non posse, cum non sit culpa adeo gravis, ut gravissimam pœnam dimissionis mereatur. Mihi verò arridet sententia medii Castropalai *de Stat. Relig. disputat. 2. punct. 2. §. 2. numer. 4.* asserentis tentanda prius esse remedia curationis, ex quibus si per annum non convaluerit; posse à Religione dimitti, tum ob deceptionis culpam, tum ob præcavendum periculum contagii, & damnum aliorum. Societas Jesu poterit dimissionem liberiùs facere: eo quia cum vota biennii non sint solemnia, minorem exposcunt causam ad eorum dissolutionem, majorem vero requirunt vota solemnia; ut bene adnotant Sanchez, & Castropalaus *locis citatis*.

5 Quinta conditio est, ut professus liber sit à servitute, gravem siquidem injuriam domino suo faceret, si ab ejus obsequio absque licentia se subtraheret, ut constat *ex Capit. Si servum 17. quæstion. 4.* Notandum tamen 1. quod si servus religiosum habitum assumens cum hac malitia & in eo per triennium perseveraverit, numerandum à die assumptionis habitus; poterit in Religionem admitti: ratio est, quia ex præsumptione juris reputatur à domino dimissus: poterat enim intra tale tempus reclamare dominus, & non reclamavit, nisi magna fuerit distantia: sic *ex Capit. Si quis incognitus 17. quæstion. 4.* Si verò reclamaverit intra tale tempus, tradendus erit domino, etiamsi professionem fecerit, accepta prius fide de impunitione, ut statuitur *in Cap. cit.* Quòd si dominus servum noluerit, sed ejus pretium à Religione exposcat; tenebitur Religio ad acquiescendum petitioni domini, si conscia servitutis eum admisit; secus verò si bona fide processerit, cum non appareat tunc fundamentum talis obligationis: ut docent Sylvester, Lopez, Sanchez, Suarez, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 2. pun. 2. §. 3. num. 1.* Notandum 2. quòd licèt teneatur servus ad dominum redire intra triennium reclamante domino; etiam si professionem fecerit; nihilominus ejus professio ante triennium facta absque consensu domini valida censetur, adeo ut teneatur in Religione perseverare non reclamante domino: ratio est, quia ea professio non est irrita jure naturæ, cum vota servorum valida sint, nec dominus ea irritare potest, sed solùm impedire usum sibi incommodum, & præjudicantem. Nec est irrita jure positivo, cum nullum jus irritans talem professionem afferri possit, imò *Capit. Si quis incognitus 17. quæstion. 4.* supponit validitatem professionis, dum dicit, quòd intra triennium domino reclamanti restitui debet, etiamsi professionem fecerit; nec transacto triennio dicit, faciendam esse novam professionem. Sic contra Paludanum, Azorium, & Lessium docent Sylvester *verb. Religio 2. quæstion. 3.* Lopez, *Leg. 6. tit. 7. par. 1.* Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 6. numer. 3.* Sanchez alios referens *lib. 5. Summ. capit. 4. numer. 49.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 2. punct. 2. §. 3. numer 2.* Adnotandum 3. nec incorporationem servi per vota biennii, nec ejus professionem validam esse in Societate Jesu: eo quia servitus est unum ex quinque impedimentis essentialibus *ex Capit. 2. Examin. Gen. & ex 1. Part. Constit. cap. 3.*

Sexta conditio est, ne emittens professionem ligatus sit vinculo matrimonii consummati, nisi forte data fuerit occasio divortii ob fornicationem, hæresim, vel sævitiam. Ob matrimonium verò ratum datur bimestre ad convolandum ad Religionem, & tunc professione secuta dirimitur matrimonium ratum. Quòd si quis post matrimonium consummatum professionem emitteret nulla habita occasione perpetui divortii; tunc si absque conjugis licentia professionem emitteret, sive ex malitia, sive ex ignorantia; nulla esset professio emissa, & revocatus à conjuge remanente in sæculo teneretur obedire, ac deberet reddere debitum, quamvis illud petere non posset: quia professio illa quoad obligationem non petendi ab Ecclesia acceptata fuit, cum non cedat in præjudicium conjugis. Sic constat *ex Capit. Placet & Cap. Quidam de Convers. Conjugat.* dummodo conjux profitens non habuerit expressam, ac explicitam voluntatem non aliter se obligandi ad Castitatem, quàm dependenter à statu religioso, qui in tali casu cum nullus esset, nulla pariter foret obligatio ad Castitatem ex expressa voluntate Status Religiosi; ut docent Lessius, Sanchez, Guttierrez, Suarez, Basilius Legionensis, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 2. punct. 2. §. 4. numer. 2.* Si verò professionem emitteret cum licentia Conjugis in casu supradicto valida, & licita erit professio, servatis tamen conditionibus à Jure præscriptis cum positis talibus conditionibus nullum est caput, ob quod talis professio invalida, & illicita esse possit. Conditiones autem istæ habentur *in Capit. Agathosa 27. quæstion. 2. Capit. Qui uxorem 33. quæstion. 5. Capit Cum iis Capit. Cum uxoratus, & Capit. Significavit de Convers. Conjugat.* Si tamen prædictæ conditiones servatæ non fuerint, etiam si habita fuerit licentia Conjugis; valida erit professio, quamvis illicita: *ut ex Capit Agathosa citat. & ex Capit. Ex parte 9. de Convers. Conjugat.* docet communis sententia paucis exceptis cum Sanchez, Guttierrez, Basilio Legionensi, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 2. punct. 2. §. 4. numer. 7* Revocari tamen poterit à Religione ab altero Conjuge remanente in sæculo, nec ingrediente Religionem, nec votum Castitatis emittente; quamvis revocatus debitum nullo modo petere poterit, etsi reddere teneatur: ac conjuge mortua tenetur ad Religionem redire, in qua professionem fecit, cum sit revera Professus. Sic *ex Cap. Præterea de Convers. Conjug.* docent Suarez, Basilius Legionensis relati à Castropalao *loc. cit. numer. 8. & 9.* Si verò votum Castitatis emisserit, tametsi juvenis sit, aut de incontinentia suspectus, nequibit conjugem validè professum à Religione revocare: ut decidìtur in *Cap. 1. de Conv. Conjug.* & ratio est quia ob professionem ex licentia ipsius factam impeditus est profitens petere debi-

debitum; & ob votum Castitatis emissum à conjuge licentiam dante impeditus est reddere, per votum siquidem Castitatis amittitur jus ad debitum petendum, ad quid ergo inserviret revocatio ista; ut ex Suarez, Sanchez, & Basilio Legionensi tradit citatus Castropalaus. In Societ. Jesu nec incorporatio per vota biennii, nec professio conjugati tenet, nisi cum licentia conjugis, & servatis conditionibus à Jure præscriptis, quibus omnino impediatur revocatio: ratio est, quia matrimonium consummatum est unum ex impedimentis essentialibus in Societ. Jesu à S. Sede approbatis. Quòd quidem non cessat, nisi servatis conditionibus à Jure requisitis, ut conjugatus religionem ingredi possit: ut expressè habetur *in Exam. Gen. cap. 2. num. 6. & 1. Part. Constit. cap. 3. littera F.* Et specialitas hujus impedimenti facit, quòd non solùm requiratur ad rationem liciti, sed etiam ad rationem validi: ut rectè adnotat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 6. num. 9.*

7 Septima conditio est, ut professus liber sit à Dignitate Episcopali: nam interdicitur Episcopis profiteri in aliqua Religione absque facultate Summi Pontificis ob bonum Ecclesiæ: ut constat *ex Cap. Licet de Regular. & ex Cap. Nisi cum pridem De Renunciat.* adeoque graviter peccat Episcopus professionem Religiosam emittens absque facultate Summi Pontificis, cum faciat contra gravem prohibitionem Ecclesiæ, docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 185. art. 4.* quem Doctores sequuntur. Nomine autem Episcopi veniunt hic electi, & confirmati, ac alicujus Ecclesiæ servitio addicti, etiamsi consecrati non fuerint: ut statuitur *in Cap. Inter corporalia de Translat. Episcop. & Cap. Nisi cum pridem cit.* Non veniunt tamen illi, qui Episcopatui renunciarunt, aut Episcopi sunt, quamvis nulli Ecclesiæ addicti: in hisenim cum cesset obligatio inserviendi suæ Ecclesiæ; ideo exempti sunt ab obligatione petendi facultatem istam à S. Sede: ut docet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 8. num. 4.* Controvertitur tamen de Episcopis Titularibus, & relegatis, qui licèt determinatæ Ecclesiæ desponsati; attamen vel ob infidelium occupationem, vel tyrannorum persecutionem impediuntur à servitio Ecclesiæ illius. Et quamvis Suarez *loc. cit. num. 4.* hos non eximat ab hac obligatione, utpote determinatæ Ecclesiæ addictos. Nihilominus mihi arridet sententia Castropalai *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 2. §. 5. num. 3.* docentis, si impedimentum illud non sit perpetuum, sed removendum speratur; non eximi ab ista obligatione: secus verò si ex se perpetuum sit, nec removendum speratur: & ratio est, quia si Episcopi nulli Ecclesiæ addicti eximuntur ab hac obligatione, cum Episcopi habentes perpetuò impeditum exercitium suæ Dignitatis, & jurisdictionis in propria Ecclesia æquivaleant illis; dicendum est, etiam hos eximi: par enim effectus est in utroque casu. Hæc obligatio Episcoporum extendi non debet ad Prælatos ipsis inferiores, etiamsi dignitatem veluti Episcopalem habeant, & Pontifici sint subjecti: ratio est, quia nulla mentio istorum fit *in Cap. Licet de Regular. Cap. Nisi cum pridem Cap. Post Translationem de Renunciat. & Cap. Inter corporalia de Translat. Episcop.* Et leges odiosæ, & pœnales restringendæ sunt, non verò ampliandæ: Esto convenientissimum sit, tam hos Prælatos inferiores Episcopis, quàm Episcopos Titulares perpetuò impeditos monere Pontificem. Sic Panormitanus *in Cap. Licet de Regular.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 8. num. 13.* & Castropalaus *loc. cit. num. 4.* Controversia potissima in hac materia est: an Episcopus propriæ Ecclesiæ addictus absque ullo impedimento, si professionem emitteret absque licentia Summi Pontificis contra prohibitionem Ecclesiæ; valida consisteret ejus professio? Videtur, quòd non: eo quia est incompossibilis cum statu Religioso, qui vinculum Episcopalem non dissolvit: maximè quia professus assumit statum minùs perfectum; & ita docuit Valentia 2. 2. *disp. 10. quæst. 3. pun. 4. versic. Tertius Casus.* Sed dicendum, quod sic: ratio est, quia nullo jure positivo talis professio irritatur, esto prohibeatur; Ergo valida consistit, quamvis illicitè facta: maximè quia si religiosus assumi potest in Episcopum, ut in dies evenit, retento statu religioso, & illius nativa obligatione, ac votorum observantia quantum potest; etiam Episcopus assumi poterit in religiosum, observando ea, quæ compossibilia sunt cum Episcopatu. Sic Suarez *loc. cit. nu. 7.* & Castropalaus *loc. cit. num. 2.*

8 Octava conditio est, quòd parentes emittentis professionem non sint in gravi necessitate constituti; quæ quidem conditio licèt requiratur, ad hoc ut licitè professio fiat; non tamen requiritur, ut validè fiat; quapropter facta tenet, etiamsi parentes in extrema necessitate sint: cum nullus Textus eam irritet, nec jus naturale illam invalidet: ut tamquam certum docent Suarez *tom. 3. de Relig. libr. 6. capit. 9. num. 1.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 20. num. 10.* Navarrus *lib. 3. Consil. tit. de Regular. consil. 26.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 3. num. 34.* & Castropalaus *de Stat. Religios. disp. 2. pun. 2. §. 6. num. 1.* Controvertitur tamen supposita validitate professionis, quam obligationem habeat filius professus succurrendi parentibus. Et quidem si necessitas extrema fuerit, tenebitur succurrere parentibus eo modo, quo possit; sive in eam necessitatem inciderint ante professionem, sive post: & ratio est, quia si hæc obligatio urget erga extraneos, à fortiori urgebit erga parentes; ut rectè tradunt Suarez, *loc. cit. num. 5.* Navarrus *in Summ. cap. 14. num. 14.* & Castropalaus *loc. cit. num. 4.* Si verò gravis fuerit necessitas, non verò extrema; variant Doctores inter se, & in hac varietate dicendum, obligatum esse filium professum succurrere parenti in gravi necessitate constituto salva Obedientia, & Ordine religioso, hoc est, exercendo eas actiones, quæ absolutè non sunt prohibitæ ab Ordine, sed prohibentur fieri absque licentia Superioris, ad quem recurrere leve onus est, nec difforme Statui Religioso. Tenebitur verò Superior eam licentiam concedere in tali casu, quam si deneget, poterit professus salvo scandalo, & violentia actiones illas præstare ex præsumpta licentia Superioris majoris, vel ex pia interpretatione Legis, quæ non censetur hunc casum præsentem comprehendere: ut docent Suarez *loc. cit. num. 27.* Sanchez *loc. cit. num. 19.* & Castropalaus *loc. cit. num. 9.* Actiones verò illas, quæ absolutè prohibentur ex voto Obedientiæ, vel Paupertatis, ut sunt vendere artefacta, eorumque pretium parentibus tradere; aut sibi donata dare parentibus, non monasterio; vel pecuniam penes se retinere distribuendam successivè parentibus; poterit professus facere, petita tamen priùs licentia à Superiore, qui tenebitur eam concedere supposita necessitate; aliàs si denegabit, eas exercebit ex licentia Superioris Majoris, vel ex Epykeja ut docent supracitati Doctores: nam si actiones istæ ex facultate Superioris fieri possunt in favorem monasterii absque indecentia Status Religiosi; fieri etiam poterunt in favorem parentis graviter indigentis. Debet tamen necessitas parentum esse manifesta, ut professus has actiones exercere possit: nam si dubia esset, prævaleret jus certum religiosi Status, à quo retrocedere non licet. Quòd si necessarium esset professo habitum religiosum deserere, eo quia nulla alia via suppeteret succurrendi; id nullatenus fieri poterit absque dispensatione, & facultate Superioris, etiamsi parentes tempore professionis in illa gravi necessitate constituti fuerint. Hic autem Superior solus Summus Pontifex esse potest: ut docent Rodriquez *tom. 2. Summ. cap. 6. num. 4.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 20. num. 22.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 2. §. 6. num. 12.* Cessante autem necessitate parentum tenebitur ad Monasterium redire: quia cessavit dispensationis causa, & rediit obligatio Status Religiosi.

Quæ dicta hucusque sunt, valent pro filiis professis respectu parentum, & de parentibus professis respectu filiorum in sæculo relictorum, in quibus reciproca viget obligatio; non verò valent pro fratribus, vel Sororibus, aut aliis consanguineis, esto professus strictiùs obligetur istis succurrere, quàm extraneis: ut docent Suarez *loc. cit. num. 31.* Sanchez *loc. cit. num. 30.* & Castropalaus *loc. cit. num. 15.* In Societate Jesu doctrina tradita exeundi à Religione ob subveniendum parentibus æquè extenditur ad habentes vota biennii ac ad professos: nam illi quantum est ex parte sua perpetuò se tradiderunt Religioni: ut docent Suarez *loco citato numer. 13.* Sanchez *loc. cit. num. 25.* & Castropalaus *loco citato numer. 14.* In casu quo Monasterium subire vellet obligationem professi ad subveniendum ejus parentibus; liber erit professus ab hac obligatione, & tenebitur ad Statum Religiosum servandum ut cæteri Religiosi: sic notat Suarez *tom. 3. de Religion. libr. 6. capit. 9. numero 10.*

Hanc autem obligationem non tenetur subire monasterium, nisi fortè in bonis Religiosi professi successerit, & juxta bona illa tenebitur alimenta subministrare, sive necessitas advenerit post professionem, sive extiterit tempore professionis. Sic Sanchez *l. c. num.* 21. & Castropalaus *l. c. num.* 3.

9 Nona conditio est, ut professus immunis sit ab obligatione debitorum, & reddendi ratiocinia; quæ quidem conditio requiritur ad licitam, non verò validam professionem, quæ utique valida consisteret cum tali obligatione emissa, Non tenebitur tamen professus manibus laborare, vel eleemosynam exposcere, aut alias inquirere vias, quibus satisfacere possit debitis: eo quia debita civilia morte civili extinguuntur, cum illorum obligatio afficiat personam, dum sui juris est; non verò si alteri tradita fuerit, & bonis omnino careat, Adnotandum pro Societate Jesu, quòd emittens vota Simplicia biennii, si bona haberet, aut ei de novo advenirent post illa emissa; non eximeretur ab hac obligatione satisfaciendi debitis; ratio est, quia cum tollant dominium rerum, & capacitatem habendi illud, ut tollunt vota professorum, & Coadjutorum formatorum; inde est, quòd debita non extinguantur, sed suspenduntur, usque dum emittens vota biennii bona habeat. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 16. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 2. §. *ult. num.* 1.

10 Decima conditio est, ne ligatus sit professus vinculo alterius strictioris Religionis: cum non detur transitus è strictiori ad laxiorem, imò nec ad æqualem. Quòd solùm permittitur est, ut è laxiori ad strictiorem fiat transitus. Pro Societate verò Jesu non solùm professio facta in alia Religione, quæ vera Religio sit, irritat professionem in Societate emissam, aut incorporationem per vota biennii; sed etiam habitum alterius Religionis gestasse animo serio profitendi in illa, quamvis tempus breve fuerit. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 12. & Castropalaus *de Stat. Relig. disputation.* 2. *punct.* 2. §. *ultim. num.* 2.

11 Undecima conditio est, ut professionem emittens non sit excommunicatus, aut Simoniæ labe infectus, vel alterius peccati mortalis conscius, Verùm nullum ex his reddit nullam, & irritam professionem, si in professente habeatur; cum nullo jure id constet; nec insuper irritam reddit incorporationem per vota biennii in Societate Jesu: ut docent Sanchez *l.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 36. & Castropalaus *loc. citat. num.* 3. Advertendum tamen, quòd Excommunicatio etiam occulta reddit professionem illicitam; adeout professens cum ea graviter peccet, si adjunctæ sint illi aliquæ Orationes Ecclesiæ, à quarum communicatione privatus est sub gravi Excommunicatus etiam occultus. Si verò in professione facienda non adjungantur Orationes Ecclesiæ, venialiter peccabit. Professi tamen cum simonia, & grave peccatum est, & gravissimas incurrit pœnas, ut patet *ex Extravag.* 1. *de Simonia*. Professi denique cum conscientia peccati mortalis, quamvis illicitam non reddat professionem; impedit tamen remissionem pœnæ debitæ pro culpis commissis; necnon frustraneum reddit, ac opponitur fini intento per assumptionem religiosi Status, cujus est ad perfectionem dirigere, ac Divino obsequio promptiores reddere.

12 Ultima conditio est pro monialium professione, quod videlicet Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis juxta Decretum Tridentini *sess.* 25. *cap.* 17. *de Regular.* ante professionem monialis voluntatem exploret, si liberè consentiat, ac professionem emittat. Et quamvis graviter peccet professens, ac professionem recipiens, si absque hoc examine professio emittatur: sicuti graviter peccabit Episcopus, si monitus tempore suo, hoc examen omittat, cum graviter præcipiatur à Tridentino sub gravibus pœnis, utpote expediens bono communi monialium. Nihilominus si omittatur, valida erit professio, quamvis illicita: cum non prohibeatur à Tridentino ejus omissio cum clausula irritante professionem. Sic Rodriquez *tom.* 2. *Summ. cap.* 8. *num.* 3. *concl.* 2. Sanchez *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 84. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 2. §. *ult. num.* 4.

13 Explicatis Conditionibus se tenentibus ex parte professentis, remanent explicandæ nonnullæ conditiones se tenentes ex parte admittentis ad professionem, seu acceptantis illam, Et quidem per se patet debere aliquem intervenire, qui nomine Religionis traditionem sui à professente factam acceptet, & simul Religionem obliget ad professentem alendum, retinendum, ac dirigendum juxta ipsius Religionis Statuta, ac Regulas: est etenim mutuus contractus, & mutua obligatio religiosi ad Religionem, & Religionis ad Religiosum; ut constat *ex Cap. Porrectum Cap. Ad Apostolicam de Regular.* Quæ quidem doctrina indubitata etiam locum habet in incorporatione per vota biennii in Societate Jesu: cum non solùm ea emittens perpetuò se tradat Societati manendo in ea per observantiam Religiosorum votorum; sed etiam ipsa Societas perpetuò se obliget ad eum retinendum, alendum, & dirigendum, si justam causam expulsionis non dederit. Quapropter nequibit ullatenus Societas eum dimittere, qui vota biennii emisit, & nullam causam expulsionis dederit juxta ipsius Societatis Constitutiones. Differt ergo in hoc obligatio emittentis vota biennii erga Societatem, & Societatis erga ipsum; ut obligatio emittentis vota absoluta sit, & cum onere non dandi justam causam Societati; obligatio vero Societatis conditionata, si videlicet ab emittente non detur justa causa. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 3. *cap.* 1. *in fin.* Sanchez *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 63. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 3. *num.* 1.

14 Petes hìc: penes quem sit facultas admittendi professionem Religiosam? Resp. quamvis spectanda sit in hùc forma à Sede Apostolica concessa Religioni, in qua professio fit, prout usu. & consuetudine declarata est; regulariter tamen est penes Prælatum, & Conventum ubi professio fit; itaut nec consensus Prælati sine consensu Conventus, nec consensus Conventus sine consensu Prælati sufficiens sit; & admissio aliter facta nulla est: eo quia receptio illa utrique utilis, vel nociva esse potest; adeoque utriusque consensus necessariò requiritur: ut docent Sanchez, Navarrus, Layman, Rodriquez, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 3. *num.* 3. In Societate tamen Jesu omnis potestas est penes Præpositum Generalem, qui eam communicat illis, quibus expedire judicaverit: ut patet *ex* 5. *Part. Constit. cap.* 1. *littera B.* Solùm controvertitur de votis biennii, quæ in nullius manibus videntur fieri *loc. cit. Constit. cap.* 4. ubi dicitur: Qui peracta sua priori probatione, & experimentis in Scholasticos approbatos admittuntur coram aliquibus domesticis, quamvis non in manibus cujusque vota sua emittent. Insuper in declaratione additur: Ut hoc Votum soli Deo offeratur, & non homini; ergo censentur in nullius manibus fieri vota biennii. ac nullius acceptatione se obligantis nomine Societatis indigere. Sed dicendum, quòd licèt quoad formam expressam in nullius manibus fieri videantur, attamen quoad rem ipsam fiunt in manibus ejus, qui acceptat nomine Societatis, & qui ab ea constitutus est ad hoc munus: & ratio est, quia vota ista biennii constituunt verum religiosum, & emittens ea verè se Societati tradit, ut definit Gregorius XIII. *in sua Constitutione*, incipit, *Ascendente Domino*; sed nequit dari traditio, quæ non acceptetur ab eo, qui habet facultatem acceptandi, ergo vota biennii in manibus alicujus à Societate designati fieri debent, qui ea acceptet nomine Societatis, quamvis Societatem non obliget ad ea semper in suo valore conservanda, & retinenda, etiamsi justam causam Societati dederit juxta suas Constitutiones dimittendi admissum. Et hoc est discrimen inter Novitium emittentem post annum Novitiatus ex devotione vota simplicia per eamdem formam, & emittentem illa post biennium Novitiatus sub eadem forma: nam emissa ex mera devotione licèt eamdem obligationem inducant ex parte emittentis, quia tamen à nemine Religionis nomine acceptantur; inde est, quòd ex parte Religionis nulla habeatur obligatio. Secus verò emissa post biennium Novitiatus, quæ acceptantur ab habente facultatem nomine Societatis, & in manibus cujus fiunt. Sic ex Suarez tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 3. *nu.* 2.

15 Petes insuper: an si Superior, aut alius ex Conventu requisitus ad admissionem professionis excommunicatus fuerit vitandus; admissio illa nulla sit, ac invalidam constituens professionem factam? Resp. negativè: ratio est, quia cum hic actus non sit jurisdictionis spiritualis, laicus siquidem, & mulier capaces sunt exercendi illum; inde est, validam esse admissionem,

& per consequens professionem factam. Hinc sequitur, quòd si admittens ad professionem ex præcepto Superioris fuerit interdictus, & suspensus ab hoc exercitio, & nihilominus admittat; valida erit admissio, quamvis illicita, & peccaminosa contra præceptum Superioris: ratio est, quia præceptum illud non aufert potestatem admittendi, sed tantùm impedit ejus exercitium, adeoque admittens licèt illicitè admittat, admittit tamen cum potestate admittendi. Secus esset, si simul cum prohibitione adderetur clausula irritans admissionem factam: ut docent Sanchez referens alios *lib. 5. Summ. cap. 4. num. 78.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 3. num. 4.* An autem Prælatus Superior, ut Generalis, vel Provincialis possit sub Decreto irritante admissionis exercitium prohibere inferiori, si ipso non consulto admiserit; dubia res est. Nam potestas ista non videtur immediatè haberi à Generali, aut Provinciali; sed à Pontifice, seu tota Religione, cui Pontifex illam concessit; ergo non poterit Generalis, seu Provincialis eam restringere, aut limitare sub clausula irritante inferiori habenti illam. Nihilominus dicendum est, posse id efficere: ratio est, quia licèt non habeat potestatem immediatè ab illis, usum tamen, & exercitium talis potestatis habet dependenter ab illis: sic enim expedit recto regimini Religionis, & maximè illi conveniens. Et sicuti Episcopus potest limitare Parocho ex justa, & urgenti causa, ne matrimonio assistat sub invaliditate eo inconsulto, quamvis Parochus jurisdictionem ordinariam assistendi habeat; & Abbatissæ potenti Monialem recipere, ne eam recipiat ipso inconsulto sub invaliditate receptionis; sic etiam in casu nostro poterit Generalis, aut Provincialis admissionem prohibere inferiori sub invaliditate eo non consulto. Sic Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 4. num. 71.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 2. num. 1.*

CAPUT IX.

An Professio facta sine aliqua conditione essentiali inducat aliquam obligationem? Et an Professio nulla ratificari possit?

1 *Professio emissa cum defectu conditionis essentialis nullam inducit obligationem servandi vota per eam emissa.*
2 *An urgeat obligatio ratificandi professionem nulliter factam sive bona fide, sive ex malitia.*
3 *Quid dicendum, si professionem nulliter factam probare nequeat; an teneatur eam ratificare?*
4 *An Religio cogere possit nulliter professum ad ratificandum, si postquam tentavit probare nullitatem, eam non probavit?*
5 *Ratificatio Professionis nullius fieri potest expressè, & tacitè.*
6 *Professio nulla sive ex impedimento ex parte professitentis, sive Religionis, sive utriusque ratificari nequit, nisi sublato impedimento, & adveniente novo consensu professitentis, & Religionis acceptantis.*
7 *Consensus iste procedere debet ex notitia nullitatis professionis.*
8 *An revalidatio professionis invalidæ fieri possit gestatione habitus professorum per annum.*
9 *An repetendus Novitiatus ob revalidandam professionem?*
10 *An tacitè professus frui possit omnibus privilegiis expressè professorum?*
11 *An in Societate Jesu dari possit ratificatio incorporationis invalidæ, aut invalidæ professionis per tacitam professionem?*
12 *Quomodo liceat invalidè professis, & invalidè incorporatis in Societate Jesu Religionem deserere, & reclamare contra illam?*
13 *Quinquennium computandum à die professionis emissæ.*
14 *Reclamatio fieri debet coram Superiore illius Conventus, in quo professio emissa fuit; & coram Ordinario loci illius, in quo situs est Conventus.*
15 *Ut possit nulliter professus causam suam dicere coram prædictis intra quinquennium, debet pro eo tempore habitum religiosum gestare, nec ab Obedientia discedere.*
16 *Elapso quinquennio nequit admitti nulliter professus ad allegandas causas nullitatis suæ professionis.*

QUI professionem nullam emisit, & non fuerit conjugatus ex defectu alicujus conditionis essentialis, sive id bona fide fecerit, sive ex malitia; nullam contrahit obligationem servandi vota religiosa in ea professione emissa: eo quia obligatio ista ex vera professione consurgit; ergo si professio nulla est, nulla erunt vota in ea facta. Nec obstat in contrarium dicere, quòd in professione illa licèt corruat traditio sui facta Religioni, nihilominus integra perseverat promissio facta Deo servandi Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam. Nam contra est, quia hæc duo adeo sunt annexa inter se, ut corruente uno, necesse est ut corruat aliud: nemo enim Religiosorum se obligat ad vota servanda extra Religionem, sed in Religione; ergo nisi expressam voluntatem habeat ea servandi extra Religionem, corruente in eo statu Religioso, corruit obligatio religiosa vota servandi. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 4. num. 2.*

2 Nec eum urget obligatio ratificandi professionem nulliter factam sive ex malitia, sive bona fide: ratio est, quia sicuti antea non cogebatur, sic nec cogi potest post illam nulliter factam; cum professio nulliter facta ita se habeat, ac si numquam facta fuisset; & nemo cogi potest contra propriam vuluntatem ad assumendum statum difficilem, & arduum religiosæ professionis. Nec valet dicere, quòd non cogatur contra propriam voluntatem, quia saltem eam habuit in foro externo, & ex vi hujus in foro externo præsumptæ cogi potest. Nam contra est, quia voluntas illa prorsus inefficax fuit, ac nullius effectus; adeoque obligationem inducere nequit in foro interno, & conscientiæ, si scandalum non habeatur; esto pro foro externo cogi possit ad observantiam professionis Religiosæ, non verò ad ratificandam professionem, quæ à foro externo supponitur validè facta, aliàs cogere nequiret ad ejus observantiam. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 7. num. 6.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 37. nu. 38.* Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 41. dubit. 7. num. 65.* Henriquez *lib. 11. cap. 11. num. 11.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 4. num. 3.*

3 Sed quid dicendum, si professus nulliter probare nequeat nullitatem suæ professionis, nec sine scandalo, & periculo majoris damni fugere possit; teneatur eam ratificare, ne alimenta à Religione non religiosus recipiat, ac illius privilegiis utatur quoad receptionem Ordinum, Sacramentorum administrationem, & illorum receptionem, ac quoad dispensationem in Votis, & suffragia ferenda in electionibus? Resp. non teneri ad ratificandam professionem, cum omnimodè liberè fieri debeat; adeoque si nolit ratificare, sui juris erit pro foro interno. Quamvis pro foro externo in ista rerum perplexitate se gerere possit ut verum religiosum, si absque gravi incommodo id vitare nequeat. Et quidem quoad alimenta poterit ea à Religione recipere in compensationem servitii à se exhibiti, si servitium æqualis sit æstimationis alimentorum: quòd si alimenta servitium superaverint, animum habere debet eam partem Religioni compensandi, in qua excessus habetur. Quoad receptionem Ordinum, Sacramentorum administrationem, & dispensationem in Votis poterit juxta privilegia cæteris Religiosis concessa ea præstare: ratio est, quia licèt habeatur præceptum Ecclesiasticum non ordinandi ad titulum Paupertatis, nisi veros Religiosos, ac veris Religiosis datur Sacramenta ministrare, & dispensare in Votis; nihilominus præceptum istud cessat ratione urgentis necessitatis, ut cessat in excommunicato, vel irregulari occulto, si absque gravi incommodo excusare se nequeat à Sacramentorum administratione. Absoluti quoque, & dispensati in Votis ab hoc nulliter professo verè absoluti, ac dispensati sunt, quia habetur error communis, & titulus coloratus *juxta Legem Barbarius ff. de Offic. Prætoris*. Idem dicendum de suffragio lato in electione ob rationes supradictas: & sic docent Navarrus *lib. 3. Consil. tit. de Regular. consil. 5.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 2. num. 6.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. nu. 38.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 7. num. 65.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 4. nu. 3.* Adnotant tamen Sanchez *l. c. nu. 42.* & Castropalaus *l. c.* quòd non possit ipse absolvi, aut dispensari in Votis ab iis, qui potestatem habent in Religione absolvendi, & dispensandi cum aliis Religiosis: ratio est, quia cum non sit revera religiosus, & aliunde

excu-

excusare se potest veritatem aperiendo confessario, qui tenetur in tali foro ei credere; vel ad alios accedere, qui talem facultatem habent respectu sæcularium; inde est, quòd cesset ratio superiùs tradita legitimè excusans.

4 An verò possit Religio nulliter professum cogere ad ratificandam professionem, si postquam eam probare tentavit, & non probavit; controversa res est. Nam Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 2. num.* 8. affirmativam sententiam sustinet, ut probabiliorem: eo quia si religio secundum allegata, & probata jus habet retinendi sic professum; poterit illum cogere, ut remaneat in Religione debito, & consueto modo. E contra verò, quamvis hanc sententiam probabilem reputent Fautores negativæ sententiæ; probabiliorem tamen reputant suam, ut ego reputo: ratio est, quia hæc potestas obligandi sic professum ad ratificandum ab alio oriri nequit in Religione, nisi à vera professione; cum igitur professio vera non sit, sed tantùm præsumpta; inde est, quòd tali jure, & facultate Religio careat. Nec Leges in falsa præsumptione fundatæ inducunt obligationem aliquam in conscientia: nec professus se tradit Religioni, ut possit illum compellere ad ratificandum, sed tantùm ad observandam professionem à se emissam. Sic Navarrus, Sanchez, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *punct.* 4. *nu.*4.

5 Ratificatio professionis nullius fieri potest expressè, & tacitè. Expressè fit, cum ponitur novus consensus ex parte se tradentis Religioni, & ex parte acceptantis illam. Tacitè verò fit, cum signa ponuntur, quæ ex præsumptione Juris professionem inducunt. Inquirendum tamen remanet, quando professio expressè ratificari debeat, & quando tacitè ratificari possit. Jam verò professio nulla potest esse talis ex impedimento se tenente ex parte solius profitentis, ut si fictè consensisset, aut ex metu, vel dolo consensum præbuerit: Et potest esse nulla ex parte Religionis, si videlicet Superior admittens fictè, aut dolo, vel ex errore consensit; aut revera facultatem admittendi non habebat. Et denique potest esse nulla ex parte utriusque admittentis scilicet, & admissi: ut si ante legitimam ætatem, vel ante expletùm Novitiatus annum admitteretur; vel cum aliquo impedimento substantiali, quale esset matrimonium consummatum, aut aliud impedimentum dirimens juxta statuta Religionis à Sancta Sede approbatæ.

6 Professio nulla sive ex impedimento se tenente ex parte profitentis, sive ex parte Religionis, sive ex parte utriusque ratificari non potest, nisi sublato impedimento, & adveniente novo consensu profitentis, & Religionis acceptantis: ratio est, quia stante eo impedimento & consensus, & traditio profitentis nulla fuere; sicuti nulla fuere consensus, & acceptatio Religionis; ergo novus consensus, ac nova traditio, & acceptatio ex parte utriusque requiritur: maximè quia quod nullum à principio fuit, tractu temporis revalidari nequit, cum totum vitiatum fuerit. Sic Azor. Basilius Legionensis, Sanchez, Suarez, Lessius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 2.

7 Consensus iste denuo præstandus tum à professe; tum à Religione ex notitia nullitatis procedere debet: nam nequit quis habere voluntatem ratificandi professionem à se emissam, nisi cognoverit nullitatem suæ professionis, & traditionis factæ; sicuti nequibit Religio per novum acceptare professum, ac se obligare ad eum retinendum, & alendum, nisi cognoverit nullitatem professionis illius, ac consensus, & acceptationis factæ. Sic Cajetanus, Navarrus, Azor. Sanchez, Suarez, Lessius, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. Nec huic doctrinæ obstat Tridentinum, quod *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* præsumit, professum ratificasse professionem suam, si ante ætatem eam fecerit; aut per vim, & metum, aut aliud simile fecerit, quando non reclamavit intra quinquennium à die professionis emissæ, sed eo transacto; quapropter non admittitur ad causas nullitatis probandas. Ex quo colligitur per Tridentinum requiri consensum, & scientiam nullitatis ex parte profitentis, non verò Religionis ignaræ impedimenti, de qua nil statuit Concilium. Nam contra est: quia per hoc argumentum solùm convincitur, non requiri eodem modo notitiam nullitatis professionis in professe, ac in Religione; licèt in utroque novus consensus requiratur. In professe siquidem requiritur expressa notitia professionis invalidæ, qua habita, si non reclamaverit intra quinquennium, licèt novum consensum non præbuerit quinquennio elapso, ex præsumptione juris inducitur tacita ratificatio, & vera professio per delationem habitus professorum, ac exercitium eorum; quæ sunt signa à Jure posita, ut præsumatur denuo consentire professum post notitiam nullitatis suæ professionis. In Religione verò nulla determinata notitia nullitatis professionis requiritur, ut in professe: eo quia consensus ab ipsa præstatur, statim ac professus professionem suam ratam habuerit; & Pontifex supremus Religionum Prælatus eam acceptat media Religione, suumque consensum de facto præbet, semel ac professus suum consensum præstiterit, & Religio non reclamaverit. Sic *ex Cap. Ad nostram Cap. Significatum de Regular. & ex Cap.* 1. *eod. tit. in* 6. ac ex Tridentino *loc. cit.* docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 7. *num.* 61. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 37. *num.*64. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.*2. *punct.*5. *num.*4.

8 Petes 1. an possit fieri revalidatio professionis invalidæ per gestationem habitus professorum per annum? Resp. attento Jure novo Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* necessariam esse gestationem habitus per quinquennium, quidquid fuerit de jure antiquo: ratio est, quia Tridentinum dat intra quinquennium facultatem reclamandi coram Superiore suo, & Ordinario; ergo durante quinquennio illo non supponit revalidatam professionem invalidam per gestationem habitus professorum per annum. Sic Sanchez *lib.*7. *de Matrim. disp.*37. *num.*10. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *punct.* 5. *num.* 5.

9 Petes 2. an repetendus sit Novitiatus ob professionem revalidandam? Resp. si professio invalida fuerit ex alio capite, non verò ex eo, quòd annus integer Novitiatus non præmissus fuerit validè; non repetendus erit Novitiatus ob revalidandam professionem: ratio est, quia Tridentinum solùm requirit ad validitatem professionis annum integrum Novitiatus, qui jam completus fuit, esto professio post illum emissa invalida extiterit; ergo non repetendus erit ob revalidandam professionem. Et hoc ut certum supponit Sanchez *lib.*7. *de Matrim. disp.*37. *num.*45. Nec obstat in contrarium, quòd nec etiam repetendus esset ab eo, qui Religionem dimisit post illum, aut ab ea expulsus fuerit; si iterum fuerit admissus. Nam larga disparitas habetur: cum per dimissionem extinctus omnino fuerit status Religiosus, non verò extinctus remanet per invaliditatem professionis. Si verò Professio invalida fuerit, eo quia annus Novitiatus non fuerit validè præmissus, aut integrè; putat probabilius Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap.* 1. *num.*34. quod repetendus sit annus Novitiatus: eo quia ita præmittendus est annus integer novitiatus, ut ad illum immediatè sequi debeat professio. Verùm oppositam sententiam censeo probabiliorem, si tamen invalidè professus per annum integrum extiterit sub habitu religioso, & sub regula vixerit: ratio est, quia jam verificatur finis intentus à Tridentino statuente annum probationis, ut Religio mores admissi probet, & admissus austeritates Religionis: quæ quidem probatio eodem modo se habet, sive professus se habeat, ut novitius, vel si se habeat, ut professus; si ergo Religio non reclamat contra illum, & habet ut verum professum, ad quid annum novitiatus reiterare? maximè quia si necessarius esset talis annus; deberet professus nullitatem suæ professionis declarare; nec ullus Textus adduci potest probans hanc necessitatem reiterandi Novitiatum; quod cum sit magnum onus sine textu evidenti induci nequit. Ad immediationem Novitiatus ad Professionem, quam requirit Suarez, respondetur, sufficere solam illam continuationem novitii sub habitu religioso, & observantia Regulæ, esto à Religione reputetur professus. Sic Azor. 1. *par. lib.*12. *cap.*1. *quæst.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 37. *num.* 47. Lessius *lib.*2. *cap.*41. *dub.*3. *num.*66. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.*2. *punct.*5. *num.*7.

10 Petes 3. an tacitè professus frui possit omnibus privilegiis Religionis, quibus fruuntur expressè professi? Resp. si tacita hæc professio inducta fuerit per quinquennium à die professionis emissæ juxta requisita à Tridentino *Sess.* 25. *cap.*19. *de Regular.* mihi dubium non esse, quòd possit illis frui: eo quia elapso quinquennio dum non reclamaverit, jam reputatur expressè professus. Si verò tacita professio alia via inducta fuerit intra

tra quinquennium, valde dubia res est: cum videatur Tridentinum, hunc solum modum professionis tacitæ probare, esto expressè, & signatè alios modos Juris antiqui non reprobet. Cæterùm Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. num. 36.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 5. num. 10.* putant probabile, quòd si nullitas professionis occulta fuerit, itaut deduci non possit ad forum contentiosum; possit tacitè professus privilegiis Religionis uti; ac possit eligi in Prælatum: eo quia licèt *in Capit. Nullus de elect. in 6.* prohibeatur eligi in Prælatum, qui professus expressè non est; nihilominus ex benigna interpretatione Ecclesiæ expressus professus hic reputatur, cum verè professus sit. Secus verò dicendum, si nullitas professionis manifesta sit, aut faciliter manifestari possit: quia cum revera professus non sit, nec in judicio Ecclesiæ professus expressus existimari potest.

11 Petes 4. an in Societate Jesu dari possit ratificatio incorporationis invalidæ, aut invalidæ professionis per tacitam professionem? Resp. quamvis superiùs dixerim, non habere locum in Societate Jesu tacitam professionem à Jure antiquo præscriptam; nihilominus tacita professio Jure novo Tridentini inducta denegari non potest tum quoad incorporationem invalidam per vota biennii, tum quoad professionem: ratio est, quia Societas Jesu non exclusa fuit ab eodem Tridentino circa taciturnitatem quinquennii inductam in favorem status Religiosi, & in pacem Religiosorum, uti exempta fuit à renuntiatione bonorum; ergo non habetur fundamentum dicendi, quòd hæc tacita professio non valeat in Societate pro validitate incorporationis, aut professionis: nec Societas de hac validitate aliquid disposuit, & aliunde Tridentinum Societatem non eximit ab ea. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 8. num. 5.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 2. punct. 6. num. 2.* Inducitur autem revalidatio incorporationis, & professionis in Societate juxta Tridentinum per illos eosdem actus, per quos in aliis Religionibus inducitur, nempe per gestationem quinquennalem habitus incorporatorum, aut professorum, ac per exercitia eorum, & per non reclamationem in quinquennio. Et quamvis Societas habitum proprium non habeat; sufficit tamen, quòd eum gestent, quem gestant incorporati, & professi, esto communis etiam Novitiis sit. Revalidatio autem ista sic facta extenditur ad omnes gradus ratificandos, in quibus quis invalidè constitutus fuit, sive Scholaris approbati, sive Coadjutoris formati, sive Professi trium, aut quatuor Votorum.

12 Petes 5. quomodo liceat invalidè professis in quacumque Religione, & invalidè incorporatis in Societate Jesu religionem deserere, & reclamare adversus illam? Resp. quamvis qui professionem irritam emisit ex defectu alicujus conditionis essentialis; aut vota biennii in Societate Jesu, seu incorporationem irritam fecerit in eadem Societate, nisi eam tacitè, vel expressè postea ratificaverit; possit è Religione egredi. Nihilominus ad scandalum evitandum debet causam sui egressus dicere juxta statuta à Tridentino *Sess. 25. cap. 19. de Regularibus*.

13 Et 1. statuit Tridentinum *loc. cit.* quinquennium computandum esse à die professionis emissæ, intra quod causas exponere possit nullitatis suæ professionis. Verùm si ita etiam computandum sit, quando ab illa die non cessat impedimentum dirimens professionem, aut ignoratur ab habente, illud dirimere professionem; controversa res est. Et quamvis Sanchez *libr. 7. de Matrim. disp. 37. num. 19.* putet, sic computandum esse in utroque casu, & hanc sententiam suam aliis Doctoribus relatis comprobat multis rationibus. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam docentem, quinquennium per se enumerandum esse à die professionis emissæ, casu quo auferatur impedimentum; sin minus, numerandum esse à die sublati impedimenti cogniti quoad effectum ratificandi professionem, & denegandi audientiam transacto quinquennio: nam quoad effectum reclamandi poterit statim reclamare stante impedimento, & quidem cum majori efficacia, quàm illo sublato, ut patet: ratio est, quia novum Jus Tridentini præsumit ex hac quinquennii perseverantia, professum suam professionem ratificasse casu, quo nulla fuisset; sed perseverante impedimento per totum illud quinquennium dirimente professionem, aut perseverante ignorantia illius, non potest jus præsumere ratificationem professionis, cum id sit impossibile, & jus fundetur in falsa præsumptione; ergo dicendum est, quinquennium in tali casu numerandum esse à die sublati impedimenti cogniti; non verò à die professionis emissæ. Nec sententia ista opponitur Decreto Tridentini: cum loquutum fuerit in eo casu, in quo cesset impedimentum à die professionis, quod revera esse tale cognoscebat professus. Magnum mihi facessit negotium ad hanc sententiam corroborandam, quod docet ipsemet Suarez *l. c. n. 34.* dicit enim, quòd si toto quinquennio duraverit impedimentum, aut impotentia reclamandi: illud quinquennium non esse enumerandum, sed aliud tempus concedendum arbitrio prudentis viri, intra quod reclamare, & audiri possit; ergo in hoc casu concedit Sanchez, quinquennium non currere huic impedito à die professionis; ergo etiam nec currere debet aliis impeditis. Nec objicias impedimentum metus, & ætatis, de quo loquutum est Tridentinum; non cessare à die professionis, sed protrahi ad aliud tempus; & tamen pro istis impeditis currit quinquennium, ut expressè habet ipsum Tridentinum; ergo & pro aliis impeditis currere debet. Contra enim est, quia optimè per Tridentinum in his impedimentis metus, & ætatis numerandum est quinquennium à die professionis; quia ut plurimum à tali die cessare solent, esto aliquando per accidens ulterius prorogentur ad aliud breve tempus intra quinquennium; adeoque Concilium spectavit ad id, quod per se evenit, & non ad id, quod ex accidenti evenire potest. Et quia per se evenit, quòd impedimentum metus, & ætatis à die professionis cessat, & eo die tolli poterat; ideo Concilium statuit, ab eo die computandum esse quinquennium. Quod si ex accidenti protrahatur ad aliud tempus, computandum erit à die impedimenti cogniti, seù à die, quo professus poterat illud tollere; adeoque si impedimentum toto priori quinquennio duraverit, ab eo die computandum erit quinquennium, à quo impedimentum auferri poterat. Sic Navarrus, quem sequitur Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. capit. 4. numer. 6.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 7. numer. 5.*

2. Statuit Tridentinum, hanc reclamationem fieri 14
debere coram Superiore illius Conventus, in quo professio emissa fuit; & coram Ordinario loci illius, in quo Conventus est situs. Adnotat tamen Barbosa *3. Par. de Potest. Episc. alleg. 104. num. 11.* quòd si idem fuerit Superior Conventus, & Ordinarius loci; sufficiens erit coram illo tantùm causam dicere; nam loquitur Concilium, quando Superior Conventus, & Ordinarius loci sunt distincti, ut regulariter evenit; non verò quando indistincti sunt.

3. Statuit Concilium quòd, ut possit nulliter pro- 15
fessus causam suam dicere coram supradictis intra quinquennium, debeat pro eo tempore habitum retinere, & ab obedientia Superiorum non discedere: nam si intra quinquennium habitum dimiserit; audiendus non erit: imò ad Monasterium redire cogendus erit, & tamquam apostata puniendus; nec interim ullo Privilegio suæ Religionis juvari poterit.

Dubitabis 1. quid dicendum, si ob justam causam, ac rationabilem habitum dimiserit professus, qualis esset, si ei denegaretur potentia ad reclamandum; an inquam ob talem dimissionem ei deneganda esset audientia? Resp. si habitus dimissio non temere facta sit, sed rationabiliter, & ex justa causa, aut quæ justa putatur, sic benignè accipiendum erit Decretum Tridentini, ut audiri nequeat, nisi habitum de bono, & æquo reassumat, ac sponte se Religioni tradat, non verò si invitus ab ea capiatur; & tunc poterit causam suam allegare: eo quia per reassumptionem habitus, & per reditum sponte factum ad Religionem Religio jam in suam pristinam possessionem restituta est, qua spoliata fuerat. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. capit. 3. numer. 14.* Navarrus *Comm. 4. de Regul. numer. 78.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. numer. 4.* Lessius *lib. 2. capit. 41. dubit. 7. num. 74.* Azor. *1. par. lib. 12. capit. 4. in fine*, & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 2. punct. 7. num. 7.*

Dubitabis 2. an professus certò cognoscens suam professionem esse nullam, quam nec ratificavit; peccet mortaliter habitum dimittendo, & fugiendo à Religione absque sententia à Superiore, & ab Ordinario loci lata? Resp. si certò cognoscit nullitatem professionis (nam si dubiè cognoscit, attendenda erit qualitas dubii, ut dignoscatur, pro qua parte possessio stet) si

igitur

igitur certò cognoscit nullitatem, cum distinctione procedendum erit: nam vel nullitas absque gravi difficultate probari potest, & tunc habitum dimittere, & secretò fugere grave peccatum erit: eo quia Religionem privat possessione, quam habet retinendi illum nondum lata sententia, quæ de facili ferri potest: insuper cum in foro Ecclesiæ verus Religiosus habeatur, judicio ipsius Ecclesiæ declarari debet non religiosus, quod facilè præstari poterit, ut supponimus. Vel nullitas professionis probari absque gravi difficultate non potest, quia videlicet nulliter professus à Religione impeditur aut ab aliis vexatur, vel testes nolunt veritatem deponere, aut quia impedimentum talis naturæ est, ut non subjaceat probationi; & tunc sic fugiendo, & habitum dimittendo non peccat: ratio est, quia est moraliter impossibile, quod sine gravi difficultate fieri non potest; & stante tali impossibilitate non tenetur eam tentare; adeoque ea omissa habet jura suæ libertatis, & nullo vinculo Religionis adstringitur, & consequenter fugere poterit. Sic Navarrus *Comm.* 4. *de Regular. num.* 17. Sà *verb. Religio num.* 71. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 3. *à num.* 11. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 37. *nu.* 1. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 7. *num.* 65. & Barbosa *de* 3. *par. de Potest. Episc. alleg.* 104. *num.* 12. Limitant tamen Suarez, Sanchez, & Lessius, ne oriatur scandalum. Sed Castropalaus putat in tali casu non urgere talem obligationem vitandi illud, si legitimè fugiens utitur jure suo, à quo usu absque gravi incommodo abstinere nequit.

Dubitabis tandem: an teneatur habitum reassumere, & ad Religionem redire nulliter professus, qui certò scit nullitatem suæ professionis, & habitum dimisit ac fugit? Resp. negativè etiam in casu, quo potuerit absque gravi difficultate nullitatem probare: ratio est, tum quia ex nullo jure colligi potest talis obligatio; tum quia licèt peccet habitum dimittendo, & fugiendo, dum poterat facilè nullitatem probare; nihilominus ex tali culpa commissa non tenetur ad reditum, ac se restituere Religioni; sicuti non tenetur recuperans propria authoritate rem suam ab alio possessam ad illam restituendam, quamvis peccaverit eam sic recuperando, si de facili authoritate Judicis recuperare poterat. Et sic docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 12. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 9. Qui addunt, nec obligari, etiamsi citetur per excommunicationem ad comparendum: eo quia citatur ex præsumptione, quòd verus religiosus existat; & citatur non ut audiendus, sed ut puniendus.

16 4. Statuit Tridentinum: ne audiatur nulliter professus, seu admittatur ad allegandas causas nullitatis suæ professionis elapso jam quinquennio. Præsumit siquidem Concilium eam pro tali tempore ratificasse, si nulla extiterit; & simul præcipit Judicibus Ecclesiasticis sic præsumere; vocaturque præsumptio ista Juris, & de Jure, cum ab ipso Jure constituta sit, ut omnino servetur: ut tradunt Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 37. *num.* 7. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num* .11.

Petes tamen 1. an certus de nullitate suæ Professionis, stante hoc Decreto, obligetur ad eam ratificandam, ac in Religionis obsequio remanendum perpetuò? Resp. negativè: ratio est, quia Decretum istud cum fundetur in præsumptione; inde est, quòd si falsa extiterit, nullam obligationem in conscientia inducere possit: ut tradunt Navarrus *Comm.* 4. *de Regular. num.* 77. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 4. *à num.* 3. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 37. *à nu.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 45. *dubit.* 7. *num.* 64. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 11

Petes 2. an dictum Decretum Tridentini locum habeat, etiamsi impedimentum sublatum non fuerit in quinquennio vel duraverit pro eo ignorantia nullitatis professionis, aut impotentia reclamandi? Resp. negativè: si enim toto quinquennio impedimentum duraverit, audiri quidem poterit via ordinaria elapso quinquennio: ratio est, quia non habet locum præsumptio Tridentini, quòd pro eo tempore ratificaverit professionem nulli factam, cum id impossibile fuerit: supponit namque Tridentinum ante lapsum quinquennii cessasse impedimentum illud, quod cum revera perseveret; non poterit ejus præsumptio de cessatione locum habere. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 7. *num.* 64. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *nu.* 33. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 12. Idem dicendum, si pro toto quinquennio duraverit ignorantia in professe nullitatis suæ professionis; posita siquidem tali ignorantia minimè præsumi potest professus professionem suam ratificasse, adeoque remanet illi jus ad reclamandum elapso quinquennio; ut ex Lessio, & Suarez adnotat Castropalaus *loc. cit.* Nihilominus in foro externo non admittitur allegans talem ignorantiam: cum contra illam militet præsumptio Juris, & de Jure: præsumit enim jus ratificatam professionem per quinquennium sublato impedimento; præsumit pariter notitiam nullitatis, quæ est de intrinseca ratione ratificationis. Quapropter in tali casu agere solùm poterit beneficio restitutionis in integrum; ut tradit Sanchez *loc. cit. num.* 27. Idem denique dicendum de impotentia reclamandi pro toto quinquennio, etiam sublato impedimento, & cognita nullitate professionis: posita enim tali impotentia locum non habet Decretum Tridentini, quod fundatur in præsumptione non solùm cessationis impedimenti, & cognitionis nullitatis, sed etiam spontaneæ non reclamationis; si ergo non reclamatio spontanea non fuerit, sed coarctata; cessat Tridentini præsumptio. Et quamvis adversus præsumptionem Juris, & de Jure non admittatur probatio directa, admittitur tamen indirecta, seu probatio illa, quæ aufert fundamentum, in quo nititur præsumptio. Cæterùm quia hæc impotentia non reclamandi per quinquennium sublato jam impedimento rarò potest concludenter probari, sed ad summum probabiliter; ideo consultius erit, ea aliqualiter probata uti beneficio restitutionis in integrum: ut rectè docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 37. *nu.* 33. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 2. *num.* 64. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 12.

Petes denique: an detur beneficium restitutionis in integrum, si intra quinquennium sublatum fuerit impedimentum nullitatis, nec ulla fuit impotentia reclamandi; vel si fuerit, probari nequit liquido à nulliter professo, nolente professionem suam ratificare? Resp. quamvis non desint Doctores, qui eam denegent in casu adiecto cum Flaminio *lib.* 13. *de Resignat. benefic. quæst.* 5. *num.* 46. Zevallos *in Quæst. Pract. quæst.* 500. *in fin.* & aliis: eo quia professio semel facta, sicuti & matrimonium ex natura sua indissolubilia sunt; & restitutio in integrum conceditur ad dissolvenda ea, adversus quæ datur: si ergo Tridentinum eam denegat Professis gestantibus spontaneè per quinquennium habitum professorum, & facientibus eorum exercitia; inde est, his non dari restitutionem in integrum. Verum dari posse hanc restitutionem in integrum, communior & probabilior sententia docet, uti datur in aliis materiis: ratio est, quia Tridentinum non interdicit beneficium hujus restitutionis adversus præscriptionem quinquennii; quod quidem beneficium jure speciali, ac extraordinario concessum est tam majoribus, quàm minoribus licèt diversimodè adversus præscriptionem longi temporis, ut constat *ex Cap.* 1. *&* 2. *de Restitut. in integrum in* 6. & *ex Legib.* 1. *§. final. ff. ex quibus causis Majores*: ergo adversus hanc præscriptionem quinquennii lapsi dari potest restitutio in integrum, ut datur in aliis materiis: & sic docent Navarrus *Comm.* 4. *de Regular. num.* 71. *&* 76. Azor. 1. *par. lib.* 13. *cap.* 4. *quæst. ult.* Sanchez *lib.* 7. *matr. disp.* 37. *num.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 7. *num.* 65. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 13. Riccius *Resol.* 510. *numero* 16. & Barbosa 3. *part. de Potest. Episc. alleg.* 104. *num.* 108. Et quamvis Tridentinum dixerit, elapso quinquennio non esse audiendum; intelligi debet via ordinaria, quam Jus speciale, & extraordinarium concedit, cui non derogavit Tridentinum. Nec præscriptio ista quinquennalis ex sua natura importat, denegandam esse restitutionem in integrum; fundatur enim in professione non vera, sed tantùm præsumpta; & ad infirmandam præsumptionem Juris, & de Jure, concessum fuit beneficium restitutionis in integrum tum Minoribus, tum Majoribus; ut constat *ex Leg. Mater. ff. de Except. rei judicat.* ubi conceditur restitutio ista contra sententiam, quæ transit in rem judicatam ex rationabili causa. Denique ratio adversæ sententiæ non obstat contra nostram sententiam: nam solùm probat, non

posse

posse dari hoc beneficium restitutionis in integrum contra professionem certam, & Matrimonium certum, quia ex natura sua indissolubilia sunt; non verò contra professionem præsumptam, aut Matrimonium præsumptum; si probetur, probationem ipsorum non esse veram, nec in veritate fundari: eo quia nec facta, nec ratificata professio fuit, nec Matrimonium legitimè contractum.

Hoc beneficium restitutionis in integrum diversimodè conceditur minoribus præ Majoribus. Minores siquidem, qui videlicet vigesimum quintum annum nondum implerunt; hoc beneficio fruuntur, non solùm ex impotentia reclamandi orta sive ex metu gravi, sive ex ignorantia nullitatis professionis; sed etiamsi nullitatem scierint, & reclamare potuerint; quia talis respectus debetur eorum immaturæ ætati. Majores verò, qui videlicet vigesimum quintum annum explevere; solùm tali privilegio uti poterunt ex impotentia reclamandi, & ex probabili ignorantia nullitatis suæ professionis, non tamen ex crassa, & supina, utpote culpabili: nec idem respectus, qui habetur minoribus; extendi debet ad majores, quibus inest maturior ætas: ut ex Matienzo, Covarruvia, & aliis docet Castropalaus *de stat. Relig. disp. 2. punct. 7. num. 14.*

Tempus post quinquennium elapsum, in quo potest à majori allegari ignorantia nullitatis professionis; est omne illud, pro quo dicta ignorantia duraverit: quia ea stante corruit præsumptio ratificationis illius. Accedente vero scientia nullitatis, & habita potentia reclamandi conceditur Jure communi quadriennium: *ut ex Cap. 1. de Restit. in integrum in 6. & ex Leg. final. Cod. de Tempor. in integr. Restit.* docent Matienzo *lib. 1. Recopil. titul. 11. Leg. 8. Gloss. 12. nu. 6.* Covarruvias *Regul. Possessor. 3. par. §. 3.* & Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 37. nu. 26.*

CAPUT X.

De effectibus Professionis Religiosæ, & Votorum biennii Societatis Jesu.

1 *Profitens transit in potestatem, & dominium Religionis, cui obsequium præstare debet juxta statuta Religionis. Et Religio obligatur ei ut Mater filio.*
2 *Per professionem religiosam, & vota biennii Societatis Jesu remittuntur peccata quoad pœnam.*
3 *Per professionem Religiosam commutantur omnia vota antecedenter ad illam facta, non solùm si personalia fuerint, sed etiam realia.*
4 *Tollitur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam sed non quoad Prælaturam, aut beneficium curatum.*
5 *Professio religiosa purgat inhabilitatem ad aliquos actus temporales ratione delicti commissi.*
6 *Delet notam ingratitudinis antea commissæ, ob quam exhæredari poterat, vel legitima portione privari.*
7 *Dirimit Matrimonium subsequens, ut etiam dirimunt vota biennii Societatis Jesu.*

1 INTER varios effectus, quos inducit Religiosa professio, primus, & substantialis est, quòd profitens ex vi professionis emissæ transeat in potestatem, & dominium Religionis; ita ut ei obsequium præstare debeat in omnibus juxta ipsius Religionis statuta, & Regulas. Sicuti obligatur ipsa Religio profitenti ad eum alendum, & dirigendum, uti mater obligatur filio, dominus servo, & Respublica civi. Hinc est, professum teneri ea obsequia præstare Religioni, eique inservire, ut filius matri, servus domino, & civis Reipublicæ. Sic omnes Doctores teste Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 13. nu. 2.* Quæ dicta sunt de Professione Religiosa quoad hunc effectum, extenduntur ad Vota biennii Societatis Jesu obligantis se ad alendum, & retinendum emittentem illa, nisi justa causa dimittendi interveniat. Et sicuti Religiosa professio potestatem patriam dissolvit, dum professus in Religionis potestatem transit; sic etiam incorporatio per vota biennii in Societate à patria potestate eximit, & facit ut transeat in potestatem Societatis incorporatus. Non nego tamen, quòd hæc exemptio professi, & incorporati intelligi debeat in iis, quæ sibi utilia sunt, non verò in damnosis: cum ea, quæ in favorem conceduntur, non debent in detrimentum converti: ut ex Navarro, Covarruvia, & Sanchez rectè advertit Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 8. nu. 2.* Quòd si professus è Religione ejectus fuerit, controvertitur, an ad patriam potestatem redeat? Sed dicendum redire, si à Religionis Votis absolutus fuerit; ut evenit dimissis è Societate post vota biennii; secus verò si à votis absolutus non fuerit: eo quia cum verus Religiosus permaneat, esto per accidens à Religionis consortio ejectus; ipsius Religionis potestati subditur: ut docent Sanchez *lib. 5. summ. cap. 5. nu. 71.* Layman *lib. 4. summ. tract. 5. cap. 10. nu. 5.* & Castropalaus *l. c.*

Secundus effectus tam Religiosæ professionis, quàm 2
incorporationis per vota biennii in Societate Jesu est remittere peccata, non quoad culpam quidem, cum Sacramentum non sint, sed quoad pœnam; in quo sensu assimilantur à Sanctis Patribus, & Doctoribus Baptismo: ut habent D. Thomas 2. 2. *quæst. 189. art. 3 ad 3.* Cajetanus, Azor. Suarez, Lessius, Sanchez, Layman relati à Castropalao *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 8. num. 3.* Et quamvis controversum sit, quonam pacto id conveniat oblationi illi: an videlicet ex Divina Liberalitate, & gratitudine, qua Deus gratum se exhibeat oblationi factæ, quamvis ipsa non sit condigna satisfactio; an verò ex ipsamet Excellentia, & præstantia operis; an tandem ex speciali Pontificis indulgentia? Attamen dicendum cum D. Thomas *l. c.* & Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 13. num. 6.* id evenire ex ipso opere, quod ex se adeo excellens est, ut fiat condigna satisfactio pro omnibus peccatis. Quòd si oblatio illa à Religioso facta remissa fuerit, & tenuis, ejus verò peccata fuerint plura, & graviora; tunc non esset plena satisfactio, adeoque requireretur Pontificis Plenaria Indulgentia, qua ex causa à Paulo V. omnibus Religionem profitentibus concessa fuit. Controversum insuper est; an renovatione hujus obligationis condigna hæc remissio obtineatur? Et quamvis deneget Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 4. num. 5.* eo quia prima soleat esse intensior, & difficilior præ cæteris subsequentibus oblationibus. Nihilominus valde probabile est, quòd si peccata non sint gravia, nec renovatio remissa; sed fervens & devota novam remissionem mereatur: cum sit quoad voluntatem renovantis, quam Deus respicit, nova traditio, ac nova remissio ac digna. Sic Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. cap. 10. num. 8.* Sà *verb. Religio. num. 17.* & Castropalaus *loc. cit. in fine.*

Tertius effectus est, quod per professionem Religio- 3
sam commutentur omnia vota antecedenter ad illam facta; non solùm si personalia fuerint, ut communis sententia docet; sed etiam si realia fuerint, ut sustinet probabilior sententia innixa *in Cap. Scripturæ de vot.* ubi dicitur, quòd volens ingredi Religionem per hoc, quòd non impleverit votum visitandi sepulchrum Dominicum, vel limina Apostolorum; non sit reus voti factus ingrediendo Religionem: cum temporale obsequium *in* perpetuam noscatur Religionis observantiam commutare.

Notandum autem 1. quòd fieri potest hæc commutatio non solùm ex expressa voluntate voventis, ut est certum, cum religiosus Status adeo ex se excellens, & perfectus sit, ut eminenter contineat omnia alia obsequia quæ præstari possunt; sed etiam si hæc specialis voluntas non habeatur; adhuc Jure ipso Divino, naturali, & Ecclesiastico inducitur: & ratio est, quia abundantius solvit Deo, qui religiosa professione omnes suas facultates, ac vires devovet Deo; quàm ille, qui particularia tantùm obsequia præstaret. Sicuti abundantiùs solvit suo creditori, cui ingentem debet summam; si ei offert omnes suas facultates, quas habet, & quas habere potest; & insuper ei se in servum tradit; quàm si particulares facultates ei tantùm offerret. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 12. ad 1.* Paludanus *dist. 38. quæst. 4. art. 1. num. 15. concl. 6.* Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 5. num. 38.* & Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. cap. 10. num. 3.* Favent Textus *in Cap. Scripturæ de vot. & in Cap. Qui post votum de Regul. in 6.* Quamvis Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 14. num. 14.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 8. num. 5.* putent non jure naturali, nec Divino positivo, sed tantùm Ecclesiastico consuetudine introducto.

Notandum 2. quòd si professus huic commutationi contradicat, non consequitur effectum illius in sententia docente, commutationem introductam esse consuetudine à Jure Ecclesiastico: non enim credendum est, velle Pontificem invito, ac renuenti beneficium concedere: ut docent Hostiensis, Richardus, Rosella, Angelus, Suarez, Lessius relati à Castropalao *de Stat. Relig.*

Relig. disp. 2. pun. 8. num. 6. Secus verò in sententia docente, commutationem istam esse à Jure Divino positivo, & naturali: cum non possit ista contradictio talibus Juribus refragari: ut tradunt Sylvester, Sanchez, & Layman penes citatum Castropalaum.

Notandum 3. pro votis biennii Societatis Jesu, quòd licèt talis incorporatio constituat verum Religiosum, ac contineat ferè omnes illas prærogativas, quas solemnis professio continet: cum incorporatus, quantum est ex parte sua, moriatur Mundo, & vivat Deo, in cujus obsequium se perpetuò tradit oblatione adeo perfecta, ut eminenter contineat omne aliud obsequium, quod in particulari exhiberi queat. Nec obstat, non esse perpetuam ex parte Religionis: quia non existente justa causa dimissionis etiam ex parte Religionis perpetua, est sicuti dicitur perpetua solemnis professio, quamvis legitima intercedente causa à Pontifice dissolvi possit. Nihilominus cum major causa requiratur ad professionem dissolvendam, quam incorporationem; ideo vinculum incorporationis solubile reputatur, insolubile verò illud professionis. Hinc est, quod in sententia docentium, commutationem istam votorum antecedentium esse à Jure Ecclesiastico consuetudine introductam; non extinguantur hæc vota, sed remanent suspensa; cum nulla sit in Societate consuetudo hujus exstinctionis, sed tantùm suspensionis: ut clarè expessit Congreg. Gener. I. *Can.* 22. ubi dicitur: vota, quæ nostri in sæculo emisserunt, in nostra Societ. suspensa sunt, etiamsi professione non tollantur: & ita obligationes eorum cessare dum in Societate manent, intelligantur. Et sic docent Suarez, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 8. num. 7.* In sententia verò docentium, commutationem esse à Jure naturali, dicendum est, per Incorporationem extingui.

4 Quartus effectus est tollere irregularitatem ex defectu natalium provenientem; sed non quoad Prælaturam, aut beneficium curatum: sic apertè constat *ex Cap. 1. de Filiis Præsbyt.* Notandum tamen 1. quòd licèt ex rigore Textus citati sola Prælatura excludatur, non verò beneficium curatum; nihilominus communis sententia, & quæ praxi probatur, est, non solùm Prælaturam, sed etiam Dignitates, ac beneficia curata interdici illegitimis; & solùm concedi beneficia simplicia curam animarum non habentia. Sic *ex Cap. final. de filiis Præsbyt.* docent Navarrus *lib. 1. Consil. tit. de Presbyteris consil. 3.* Sanchez alios referens *lib. 5. Summ. cap. 5. num. 16.* & Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 8. in fin.* Extenditur hæc prohibitio ad Prælaturam, intra, & extra Religionem: ut advertunt Suarez, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 8. num. 8. in fine.*

Notandum 2. hanc solam irregularitatem ex defectu natalium tolli per religiosam professionem, non verò aliam: cum nullum fundamentum habeatur hoc dicendi: ut advertunt Sanchez *loc. cit. num. 9.* Lessius *loc. cit. num. 73.* & Castropalaus *loc. cit. in princip.* quamvis quælibet irregularitas ex defectu natalium proveniens tollatur, sive professus sit filius naturalis, sive adulterinus, aut sacrilegus, vel incestuosus, ut tradunt præcitati Doctores,

Notandum 3. illegitimè natum, & absque dispensatione ordinatum, si relicto sæculo Religionem profiteatur; posse in susceptis Ordinibus ministrare, cum cessset suspensio illa per professionem religiosam: eo quia in facultate suscipiendi ordines includitur facultas utendi jam susceptis: ut contra Sayrum docent Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 5. num. 10.* Layman *lib. 4. cap. 10. nu. 4.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 2. punct. 8. n. 8.*

Notandum 4. solam professionem Religiosam hanc irregularitatem excludere, non verò ingressum in Novitiatum, ut voluit Rodriquez *tom. 1. Regul. Quæst. 13. art. 4.* motus ex eo, quia in favorabilibus novitius verè est Monachus; quamvis addat, si è Religione egrediatur, in illam incidere. Nam cum hæc irregularitas absolutè tollatur, & non ad reincidentiam; inde est, quòd sola professione Religiosa tolli possit; non verò per probationem religiosi status, quæ causa ex se perpetua non est, & sic docent Suarez *tom. 5. de Censur. disp. 50. sect. 5. num. 12* Azor. *1. par. lib. 12. cap. 5. quæst. 12.* Sanchez plures referens *lib. 5. Summ. cap. 5. num. 12.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. pun. 8. num. 10.*

Quod dictum est de Professone Religiosa extenditur ad incorporationem per vota biennii Societatis Jesu: ratio est, quia ad tollendam hanc irregularitatem solùm requirit Jus *in Cap. 1. de filiis Presbyt. & in Cap. 1. dist. 56.* ut per vota religiosa verè religiosi fiant; sed sic evenit in Votis biennii, ut decidit Gregorius XIII. *in sua Bulla* incipit, *Ascendente Domino*; ergo per hanc incorporationem tollitur irregularitas ista; adeo ut si justa interveniente causa à Societate dimittatur, non reincidat in illam. Sic Sanchez *l. c. nu. 13.* Castropalaus *l. c. nu. 11.* & Layman *l. c.*

Notandum denique: quòd exclusio à Prælatura *in Cap. 1. de filiis Presbyt.* extendatur ad Moniales professas, si illegitimæ fuerint: quapropter eligi non poterunt in Abbatissam, vel Priorissam. Sic contra Rodriquez *loc. superiùs cit. art. 13.* docet communis sententia comprehendens sub nomine Prælaturæ munus Abbatissæ, vel Priorissæ, sive perpetuæ, sive temporalis. Sic Gloss. *in Cap. Indemnitatibus §. sanum. de elect. in 6.* & ibi Joann. Andreas, Ancharanus, Archidiaconus, & alii, Navarrus, Flaminius, Sayrus, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disp. 2. punct. 8. num. 12.*

5 Quintus effectus est purgatio inhabilitatis ad aliquos actus temporales ratione delicti commissi: nam per professionem religiosam cum non præsumatur professus similia delicta commissurus, utpote Divino obsequio mancipatus, ac monachalis vitæ conversatione sic factus honestus, ut omnem humanam hominis maculam detergat: quapropter si quis ante professionem ob furtum commissum, vel falsum testimonium latum inhabilis redditus fuerit ad testimonium ferendum, beneficio professionis religiosæ emissæ ab hac inhabilitate purgatur. Sic colligitur *ex Authen. de Monachis, collat. 1. in princip.* & docent Gloss. *in Cap. Cum deputati. de Judiciis*, Felinus, Rebuffus, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disp. 2. punct. 8. nu. 14.* Extendunt Sanchez, & Castropalaus hanc purgationem per Vota biennii Societatis Jesu, cum eadem militet ratio: nam incorporatus ex parte sua æquè per vota illa se mancipat divino obsequio, & honestatur Religiosæ vitæ conversatione, ac professus.

6 Sextus effectus est delere notam ingratitudinis antea commissam, ob quam exhæredari poterat, vel legitima parentis portione privari: eo quia per obsequium perpetuum, quo professus se mancipat Deo; nec non per mutationem vitæ censetur reparare quamlibet injuriam parenti factam, ac in pristinam ejus gratiam restitui. Sic ex Novella Justiniani Imperatoris relata à Gratiano *Cap. final. 19. quæst. 3.* & docet Covarruvias *in Cap.* Raynutius *de Testam. nu. 28.* Sanchez *lib. 5. summ. cap. 5. nu. 33.* Molina *de Just. tom. 1. disp. 176. in fin.* Layman *lib. 4. summ. tract. 5. cap. 10. num. 6.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 2. punct. 8. nu. 15.* qui extendit ex Sanchez, & Layman ad incorporationem per vota biennii in Societate Jesu, cum eædem prorsus militent rationes.

Septimus effectus religiosæ professionis est dirimere Matrimonium subsequens, ut suo loco dicemus; qui effectus pariter extenditur ad vota biennii Societatis Jesu, pro quo habetur specialis declaratio à summo Pontifice facta. Matrimonium verò ratum antecedens religiosam professionem, quamvis dirimatur per religiosam professionem; non tamen dirimitur per Vota biennii Societatis Jesu, ut suo loco explicabimus. Alii effectus, qui religionem profitentibus conveniunt per specialia privilegia à summis Pontificibus concessa Religiosis Ordinibus circa administrationem, & receptionem Sacramentorum, nec non pro absolutione à peccatis, & Censuris, ac dispensatione aliarum inhabilitatum; cum varii sint, & non omnes omnibus communes; ideo de his hoc in loco sermo non instituitur.

CAPUT XI.

De obligatione Religiosi Professi ex vi Voti Paupertatis.

1 *Votum Paupertatis, si solemne sit, jure Ecclesiastico privat ipso facto Voventem jure, & dominio pecuniæ, & rerum pecunia æstimabilium, ac incapacem reddit.*

2 *Votum solemne Paupertatis compati potest cum Juribus spiritualibus.*

3 *Vota biennii Societatis Jesu non privant Voventem dominio, nec incapacem reddunt.*

4 Quo-

4 *Quomodo peccare possint, qui Vota biennii in Societate emiserunt; si nondum bonis suis renuntiarunt?*
5 *An si emittens vota bienni de suis bonis disponeret via Testamenti, renuntiationis, aut donationis sine facultate superioris; valida consisteret dispositio?*
6 *Quonam jure ad Monasterium transeant bona illa, de quibus professus ante professionem non disposuit?*
7 *Quænam bona professi non disponentis de suis bonis ante professionem transeant ad Monasterium capax successionis.*
8 *Quomodo Societas Jesu, & ejus Religiosi capaces sint hæreditariæ successionis, aut cujusvis alterius Legati?*
9 *Quonam modo prohibeatur Religiosis Societatis Jesu non recipere stipendia pro missis, Concionibus, aliisve Ministeriis spiritualibus propriis Societatis.*
10 *Quonam pacto prohibitum sit Religiosis professis Testamenta condere?*
11 *An possit Religiosus validè contrahere sine facultate superioris; & an ipse, & contrahentes cum ipso teneantur stare contractui?*
12 *An Monasterium subeat obligationem aliquam ex delicto sui Religiosi, vel ex ejus contractibus?*
13 *Quænam bona possit secum deferre Religiosus transiens ex una Religione ad aliam?*
14 *Ad quid teneatur Religio circa Religiosos suos expulsos, fugitivos, aut in aliena Religione recluſos?*
15 *Cui nam acquirat Religiosus Episcopus, vel beneficiarius, aut fugitivus, ejectus, vel reclusus?*
16 *Quale peccatum committatur à Violante Religiosam Paupertatem?*
17 *Quænam acceptio, retentio, & expensio violent Paupertatis Votum?*
18 *An licitum sit Religiosis in particulari eleemosynas facere?*
19 *Quænam licentia superioris requiratur, ne Paupertatis Votum violetur?*
20 *Religiosi Paupertatis Votum violantes quibus pœnis subjaceant?*

1 OBLIGATUR Professus ex vi professionis emissæ ad servanda specialiter vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; quibus annectuntur aliæ obligationes juxta Constitutiones, & Regulas Religionis, quam profitetur; ideo necesse est, has obligationes aperire singillatim initium faciendo à Paupertatis Voto, & obligationibus ei adnexis.

Quamvis Paupertatis Votum in sua latitudine acceptum per se, & jure naturali non privet dominio acquisito, nec incapacem reddat dominii acquirendi voventem: eo quia per votum Paupertatis præcisè spectatum obligatur vovens excludere dominium, & ab illo cessare; adeoque ipso facto dominium non excluditur per se à Voto, licèt obliget voventem illud excludere, & ab illo cessare: ut rectè ponderat Suarez *tom. 3. de Relig. libro 8. capit. 5. numero* 14. Nihilominus Jure Ecclesiastico votum solemne Paupertatis ipso facto privat voventem jure, & dominio pecuniæ, & aliarum rerum pecunia æstimabilium; necnon reddit illum incapacem, & inhabilem ea acquirendi; ut fatentur unanimi consensu Doctores *ex Cap. Cum ad Monasterium de stat. Monach.* & ex Tridentino *sess. 25. cap. 2. de Regularib.*

2 Adnotandum hìc 1. Votum solemne Paupertatis compati posse cum Juribus spiritualibus, ut sunt Ecclesiasticum beneficium, Magistratus, Doctoratus, & similia munia publica; jus insuper eligendi, præsentandi, confirmandi; adeoque Religionem solemniter profitens non privatur ipso facto ex vi Voti Paupertatis similibus Juribus: & ratio est, quia hæc per se non faciunt divitem. Quòd si temporale aliquod lucrum pecunia æstimabile sibi annexum habeant; prohibetur ex vi Voti paupertatis recipi, ac expendi posse; non tamen prohibentur ipsa jura spiritualia, quibus annectitur, & quæ compati possunt cum Paupertatis Voto. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 186. art. 7. ad* 4. Navarrus *Comment. 2. de Regalar.* Suarez *tom. 3. de Relig. cap. 4. libro 8. num.* 12. Lessius *libro 2. de Just. cap. 4. dubit.* 5. & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 2. nu. 2.*

3 Adnotandum 2. Vota simplicia biennii, quæ emittuntur in Societate Jesu sive à scholaribus, sive à Coadjutoribus non adhuc formatis, cum solemnia non sint; non privare incorporatum Societati ex vi Voti paupertatis dominio, quòd habet; nec incapacem illum reddere ad acquirendum: ut constat *ex 4. Part. Constitutionum cap. 4. litera E.* ex Tridentino hoc approbante *sess. 25. cap. 16. de Regular.* & ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ascendente Domino*. Quamvis obligetur ex vi Voti illius ad non utendum tali dominio absque superioris facultate; hoc enim obstat statui Religioso, & ejus profectioni, non verò dominium. Concedere autem hoc singulare privilegium Societati Jesu juxta suum pium Institutum, ut loquitur Tridentinum, convenientissimum fuit: nam sic liberius, & cum offensione minori fieri poterit dimissio incorporati à Societate justa interveniente causa, ut dixit Gregorius XIII. *in sua Balla citata.*

Petes tamen 1. quomodo peccare possint in hoc incorporati per Vota biennii Societati, qui nondum bonis suis renuntiarunt? Respondeo 1. peccare graviter posse, si jubente superiore renunciationem, etiam sine præcepto sub Virtute Obedientiæ, ipsi renuntiare nolint: ratio est, tum quia ex vi Voti Paupertatis obligantur ad non utendum re propria invito superiore: cum igitur retentio illa bonorum sit usus proprii dominii invito superiore; inde est, esse graviter peccaminosam; tum etiam quia cum emissum fuerit ab ipsis paupertatis votum juxta Societatis Constitutiones, & istæ declarant, proprium ab ipsis retineri posse, quousque visum fuerit superiori; si ergo sic visum fuerit superiori, graviter peccabunt ex vi voti emissi paupertatis non renuntiando. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. cap. 3. nu. 3. & 20.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 2. nu. 4.* 4

Secundo graviter peccare posse ex vi voti paupertatis aliquid de novo acquirendo absque voluntate superioris: ratio est, quia nullus usus est ita proprius rei, quàm acquisitio illius; ergo si ipsis, sicuti & cæteris Religiosis Societatis, prohibetur usus rei independenter à superioris voluntate, ut expressè habetur *in Exam. Generali cap. 4. & in 3. Part. Constit. capit. 1. numero* 7. prohibetur etiam acquisitio rei absque superioris facultate. Hæc autem, quæ prohibentur de novo acquiri absque facultate Superioris ex vi Voti Paupertatis; debent esse talia ut indigeant speciali acceptatione incorporati: ut sunt ea, quæ acquiruntur hæreditario Jure, donatione, Testamento, vel Legato; & pro his absque controversia sine voluntate Superioris acceptatio esset proprietarius usus. Secus verò ea, quæ de novo acquiruntur ex vi Juris possessi, & ad quod consequuntur: ut sunt fructus hæreditatis possessæ; nam in his censetur concessa facultas in ipsa facultate concessa retinendi hæreditatem. Sic Suarez *loc. cit. numero* 4. & Castropalaus *loc. cit. numero* 5.

Tertio graviter peccare posse ex vi Voti paupertatis, si disponant de rebus propriis absque superioris facultate in ea quantitate, quæ sufficiens sit ad constituendum grave peccatum furti: ratio est, quia hoc votum specialiter respicit, ne emittentes illud utantur re propria tamquam propria, esset enim actus ille proprietarius. Hinc est, quòd si disponant de rebus à se possessis via Testamenti, Renuntiationis, aut donationis, etiam in pauperes, & juxta normam à Constitutionibus requisitam, absque facultate tamen superioris, graviter peccabunt contra Votum paupertatis: nam licèt Constitutiones Societatis liberum ipsis reliquerit modum disponendi in pia opera; attamen non reliquit liberum id facere inscio superiore, imò illo approbante: ut declaravit Congr. Generalis V. *Can. 7. Decret. 7. & 39.* & docet Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. libro 4. cap. 6. nu. 4.*

Petes 2. quid dicendum, si incorporati per vota biennii Societati Jesu sine facultate superioris via Testamenti, Renunciationis, aut Donationis de suis bonis disponerent, an inquam dispositio facta, quamvis peccaminosa, & illicita valida esset? Resp. licèt Lessius *lib. 2. de Just. cap. 4. dubit. 5. nu.* 28. & Molina *tom. 1. de Just. disput. 139. versic. Illo qui tempore*; sustineant invalidam talem dispositionem: eo quia post vota biennii emissa non est incorporatus sui juris, sed Religionis; adeoque non poterit nisi Religione approbante, validè disponere. Nihilominus communior sententia oppositum sustinet: eo quia talis dispositio nec irritatur à Jure naturali, nec à Jure Canonico, nec à Jure Societatis; ergo validè consistit, esto illicitè fuerit facta. Nec votum tollit dominium, & per consequens non annullat dispositionem, quamvis eam infidelem reddat contra impedimentum appositum à Virtute Religionis ob votum paupertatis emissum. Sic Suarez

tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 6. nu. 13. Sanchez *lib. 7. sum. cap. 18. n. 28.* Layman *lib. 4. sum. tract. 5. cap. 7. n. 3.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 2. num. 7.* Addunt tamen Suarez, & Castropalaus, & quidem optimè: quòd licèt valida sit, irritabilis est à superiore ob potestatem dominativam, quam habet in voluntatem incorporati, & in ejus actiones, Nec verum est, tales religiosos non esse sui juris quoad bona sua, esto de illis disponere, & uti non possit licitè sine superioris facultate.

5 Petes 3. quonam jure ad Monasterium transeant illa bona, de quibus professus ante professionem non disposuit? Resp. non omnia Monasteria, & Religiones jus habere succedendi in bonis suorum Religiosorum; aliqua enim capacia sunt successionis, non quidem ex Jure naturali, sed positivo Ecclesiastico, & civili: ut patet *ex Capit. Quia ingredientibus 19. quæst. 3. & ex Authent. Ingressi. Cod. de Sacrosan. Eccles.* & tandem ex Trident. *sess. 25. capit. 3. de Regular.* concedente omnibus Monasteriis tam Virorum, quàm Mulierum immobilium possessionem, & per consequens succedendi in bonis religiosi professi non disponentis de illis, nec de hæreditaria successione. Sed quia excipit Tridentinum *l. c.* Patres de Observantia D. Francisci, nec non Patres Capucinos; ideo dixi, non omnia Monasteria capacia esse successionis. Excipitur quoque Societas Jesu, de qua licèt expressè non meminerit Tridentinum; nihilominus cum non obliget Religiones ad utendum tali Privilegio, ideo ipsi renuntiare possunt Religiones, si sic expedire in Domino judicaverint; uti judicavit Societas Jesu à sui initio non admittendi successionem ab intestato, ut sic liberiùs Deo vacaret per sua Ministeria cum minore offensione sæcularium.

Hinc sequitur 1. Monasteria tantùm capacia successionis Jure Ecclesiastico, & Civili succedere in bonis professi non disponentis de illis; & ita efficaciter succedere, ut nulla professus actione indigeant: nam statim ac professus suam professionem emisit, omnia ejus jura, bona, & actiones in Monasterium translata fuere, itaut si post professionem huic translationi repugnaverit, effectum impedire nequeat, cum totus sit à Lege in Authentica citata, non verò ab ejus voluntate. Monasteria verò incapacia successionis, sicuti & Societatem Jesu non posse succedere ab intestato, sed tantùm hæredes Religiosi professi non disponentis de suis bonis: cum enim professus omnium suorum bonorum dominium à se abdicaverit, & ipso jure non succedat tale Monasterium; ne bona domino careant, ad hæredes spectant. Sic Sanchez *lib. 7. sum. cap. 25. nu. 21.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 3. nu. 2.*

Sequitur 2. non posse Jus Civile derogare huic Privilegio: tum quia Privilegium semel concessum à Jure Civili Ecclesiæ, & ab ea acceptatum revocari nequit; tum quia cum etiam Jure Ecclesiastico concessum sit; inde est, quòd à Jure Civili revocari non possit. Poterit tamen consuetudine revocari spatio quadraginta annorum præscripta, ut in Gallia evenit. Et sic docent Rebuffus, Covarruvias, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. nu. 5.*

6 Petes 4. quænam bona Religiosi professi non disponentis de suis bonis ante professionem transeant ad Monasterium capax successionis ex persona Religiosi? Resp. omnia ejus bona, jura, & actiones transferri in Monasterium professione secuta, & non facta de illis dispositione. Sic apertè statuitur *in Authentic. de Monachis §. Si quis autem, & in Authent. si qua mulier. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & docent omnes ferè doctores, ac eruditè probant Navarrus *Comm. 2. de Regular. à numero 44.* Lessius *libro 2. de Justit. capit. 41. dubit. 10. numero 81.* Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. punct. 4. in princip.* & alii. Secus verò dicendum, si Monasterium incapax successionis sit ex persona Religiosi non disponentis; tunc ejus bona remanent suspensa, & adespota; quapropter transeunt ad hæredes ab intestato. Sic Bartolus, Abbas, Felinus, Baldus, quos referunt, & sequuntur Sanchez *libro 7. summ. capit. 25. num. 1.* & Castropalaus *loc. cit.*

7 Petes 5. quomodo Legatum, vel Census competere possint Monasteriis incapacibus successionis; nam de capacibus, non fit controversia? Resp. vel legata, & Census sunt de rebus mobilibus, ut sunt animalia, oves, boves, capræ, & similia; & in hoc casu dicendum, capacia esse retinendi illa, si in parvo numero fuerint, & tantùm ad sustentationem legata; ut si quis relinqueret quatuor, vel quinque boves etiam annuos ex suo armento; vel decem, aut duodecim oves ex suo grege, si durabit per decennium; ut quodlibet anno mactentur successivè in sustentationem Religiosorum. Secus verò si in magno numero fuerint, vel legata fuerint ad fructificandum: ratio est, quia mendicitas incerta talium domorum Religiosarum nimis violaretur ab illa retentione excessiva; insuper à fructibus ipsorum animalium, qui cum verè redditus sint *ex Gloss. in Cap. Generali de Elect. in 6. verb. Redditus*; adversantur incapacitati similium domorum Religiosarum. Nec obstat, posse has domos nutrire Gallinas, & columbas propter ova, & pullos. Nam hæc propter tenuitatem & levitatem suorum fructuum consuetudine permissa sunt; sicuti permittuntur fructus ex domestico horto, dummodo ex eis negotiatio non fiat, sed tantùm ad occurrentes necessitates Religiosæ domus inserviant. Sic *ex Clement. Exivi §. Cum annui redditus de signific. verbor.* docent Corduba *in Regul.* D. Francisci *capit. 6. quæst. 10. punct. 2.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. capit. 17. nu. 14.* Sanchez *lib. 7. sum. cap. 26. nu. 19.* & Castrop. *de stat. Relig. disp. 3. punct. 9. n. 9.*

Si verò Legata, & Census annui fuerint de rebus immobilibus, tunc distinguendum erit: vel Legatum factum est ad modum unius, ut si legans diceret: lego hunc censum, vel annuum redditum religiosis istis; & tunc accipi, & retineri poterit in æstimatione, hoc est, ut æstimetur, & vendatur ab ipsis: ratio est, quia se habet ut quodlibet aliud legatum simpliciter relictum cujuslibet alterius rei immobilis, palatii, vineæ, &c. quæ quidem vendi possunt applicato pretio in sustentationem Religiosorum: ut rectè docent Bartolus *tract. Minor. dist. 6. cap. 1. num. 33.* Sanchez *lib. 7. summ. cap. 26. num. 33.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 9. num. 11.* Vel legatum multiplex est: cum scilicet legans legat Religiosis istis annuum censum, quem possidet, exprimens ut singulis annis eum percipiant. Et in isto casu corruit: ratio est, quia continet modum paupertati istorum Religiosorum contrarium; esset enim legatum perpetuum voluntate Testatoris in Religiosos istos translatum: cum annui redditus inter Immobilia censeantur à Jure: ut expressè habet de hac re *Clement. Exivi versic. Cumque annui redditus*. Vel denique legatum hoc modo constituatur à legante: ut hæredem, vel alium quasi hæredem obliget ad dandam singulis annis certam portionem à se designatam istis Religiosis. Et in hoc casu valde controversa res est de subsistentia legati: & ratio est, quia sunt veri annui redditus, ac perpetui, quorum incapaces sunt tales domus Religiosæ: & sic sustinent Bartolus, Abbas, Navarrus, & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 7. summ. cap. 26. nu. 46.*

Limitant tamen 1. sententiam suam, dum non intelligatur de legato relicto ad breve tempus, quale esset infra decennium; eo quia inter mobiles reputaretur, ac veluti relictum per modum unius; nec tolleretur mendicitas, sed sublevaretur. Sic sentiunt & bene Abbas, Sylvester, Corduba, Sà, Sanchez, Suarez quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 9. nu. 14.* Limitant 2. ne intelligatur de Legatis ordinatis ad divinum Cultum, pro cera videlicet, vino, oleo, ornamentis Ecclesiæ, & à fortiori pro fabrica ipsius Ecclesiæ, & ratio est, quia non cedunt in utilitatem, ac commodum Religiosorum, & eorum sustentationem; sed immediatè in honorem, & commodum divini Cultus. Sic ex recepta praxi docent Sylvester, Tabiena, Navarrus, Corduba, Rodriquez, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 9. num. 15.* Limitant 3. ne intelligatur de libris emendis in Religiosorum studium; secus verò si esset pro alendis studentibus Religionis. Et sic docuere Abbas, Menoch. & Sanch. relati à Castrop. *l. c. nu. 18.* qui eorum sententiam probabilem reputat. Ego tamen probabiliorem reputo oppositam, sustinentem caducitatem hujus legati: eo quia immediatè cederet in commodum, & utilitatem horum Religiosorum; & ea, quæ sic cedunt, in eorum sustentationem cedere censentur; ut optimè sustinet Suar. *tom. 3. de Relig. cap. 17. nu. 30.* Limitant denique, ne intelligatur de Legato relicto pro curandis infirmis, & hospitibus sustentandis. Reprobatur tamen hæc limitatio, ii procedat de infirmis, & hospitibus ejusdem Religionis: eo quia satis cederet in eorum substentationem, utilitatem, & commodum: secus verò esset de infirmis, & hospitibus exteris: ut ex Sanchez, & Suarez tradit Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct 9. nu. 19. & 70.*

Ni-

Nihilominus sententia docens, legatum subsistere, si fiat per obligationem hæredis, ut reddat annuam portionem designatam à legante istis Religiosis; suam probabilitatem habet: ratio est, quia licèt imponitur ista obligatio perpetua hæredi, vel quasi hæredi, ut pensionem illam solvat Religiosis, & in commodum, & utilitatem ipsorum resultet; attamen quia obligatio ista non est ex Jure aliquo Civili Religionis acquisita; inde est, posse ipsis competere. Pontifex enim dum hos annuos redditus prohibet Religiosis istis, intelligit de redditibus, qui ex Jure competant ipsis, ac debiti sint; non verò de illis, qui debentur ex hæreditate relicta, & ex mera voluntate legantis, & sunt eleemosynæ, quæ gratis ipsis donantur. Sic Sylvester, Angelus, Tabiena, Rodriquez, & Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. punct. 9. num.* 12.

Adnotandum hic: posse Monasteria incapacia successionis uti remedio extra judicium implorando Officium sive Judicis Ecclesiastici, sive sæcularis ob recuperandum legatum sibi validè relictum. Et tenetur Judex annuere petitioni factæ à talibus Monasteriis, imò ipsis non petentibus tenetur id procurare ex proprio Officio, semel ac ei constet, hæredes, vel alios legatarios negligentes esse in satisfaciendo propriæ obligationi. Poterunt quoque Patres Minores, & Capucini D. Francisci legatum sibi validè relictum recuperare in judicio medio Syndico, qui nomine Pontificis agere potest in judicio. Si tamen ex vi legati illius resultet in Conventu legatario actio Civilis; secus verò si non resultet; tunc enim primo remedio uti poterunt, & debebunt: *ut ex Cap. Existi, §. ad hæc de Verb. Signific. in 6. & ex Clement. Exivi eod. tit.* docent Corduba, Rodriquez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. punct. 9. num.* 22.

3 Petes 5. quomodo Societas Jesu, & ejus Religiosi capaces sint hæreditariæ successionis ex Testamento, vel ab intestato, & cujusvis alterius legati? Resp. distinguendo priùs varios Gradus tum Religiosorum, tum domorum Societatis Jesu. Dantur enim in Societate professi tum quatuor, tum trium Votorum; dantur quoque Coadiutores Formati sive Spirituales, sive Temporales; dantur denique scholastici approbati, & Coadjutores Temporales nondum Formati, quamvis vota biennii emiserint. Dantur insuper in Societate domus, quarum aliæ sunt domus professorum; aliæ Collegia, seu seminaria, aliæ denique domus probationum.

Jam verò ex Religiosis Societatis, qui professi sunt quatuor, vel trium Votorum; aut Coadjutores Formati, sive Spirituales, sive Temporales incapaces omnino sunt cujuslibet hæreditariæ successionis; sive ex Testamento sit, sive ab intestato; non tamen incapaces sunt legati. Legatum tamen ipsis relictum acquiritur Domui, in qua resident, sive fuerit professorum domus, sive Collegium, sive domus Probationis, & juxta capacitatem, vel incapacitatem harum domorum legatum tenet, vel non tenet. Scholastici verò approbati, & Coadjutores Temporales nondum formati, qui vota biennii tantum emisere; capaces sunt cujuslibet hæreditariæ successionis, ac legati; non solùm quoad dominium independenter à voluntate superioris, dummodo non requiratur acceptatio; sed etiam usus, & administrationis illius, dependenter tamen à voluntate superioris: ut clarè constat ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ascendente Domino, & ex 4. Par. Constit. cap. 4. num. 5. & 6. & ex 6. Part. earumdem Constit. cap. 2. nu.* 11.

Ex domibus verò Societatis, si Collegia fuerint, seminaria, aut domus probationum, capacia erunt bona stabilia possidendi, & consequenter hæreditariæ successionis, aut cujuslibet legati, sibi tamen ex Testamento relictorum, vel Renuntiatione; non verò capacia erunt succedendi ab intestato ratione Religiosi capacis hæreditariæ successionis ab intestato, etenim in Bulla præcitata Gregorii XIII. sic habetur: *Hæc propter emissa hujusmodi Vota publica (intellige scholarium) aut per mortem ab intestato in illorum, sicut nec in professorum bonis domus ulla, aut Ecclesia, vel Collegium dictæ Societatis succedere potest.*

Si tamen Domus fuerit professorum, incapax omnino erit habendi bona stabilia, ut sunt possessiones annui redditus, & similia, etiamsi applicata fuerint fabricæ Ecclesiæ, & sacristiæ. Solùm igitur habere poterit communem, & consuetam habitationem, sub qua comprehenduntur domus, Ecclesia, sacristia, & hortus contiguus. Insuper habere poterit hortum, seu vineam ad extraordinarium usum Religiosorum in eorum honestum levamen; ex cujus tamen fructibus sustentari possint, quamvis nec eos locare possint, nec vendere ut constat *ex 6. Part. Constit. cap.* 2. & ex Bullis Pauli III. Julii III. & Gregorii XIII. Institutum Societatis Jesu confirmantibus.

Tria hic adnotanda. 1. quòd non adversatur strictæ paupertati domus Professorum, si hæres instituatur ex libera Testatoris voluntate, etiam in bonis immobilibus: dummodo bona stabilia ipsi domui relicta, vel ejus Ecclesiæ, aut sacristiæ, si non necessaria fuerint ad habitationem, vel recreationem superiùs explicatam; vendi debeant, quàm primùm possint; ut fieri solet de legato immobili Religiosis Minoribus D. Francisci relicto. Sic *ex 6. Part. Constit. cap. 2. numero 5. in declarat. litera L.* docent Sanchez *libro 7. Summ. cap. 27. numero* 15. Molina *tom. 1. disp. 195. versic. A Regula proposita*, & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct.* 10. *num. 3.*

Secundum: quòd si contingat, non inveniri statim emptorem rerum immobilium justum pretium offerentem; expectanda erit opportunitas, modò brevi tempore sperari possit infrà decennium, non verò ulterius. Interim verò locari poterunt, ac fructus, & emolumenta inde percepta juxta probabilem sententiam Sanchez *l. c. nu.* 22. applicari poterunt in sustentationem Professorum. Quamvis probabiliorem reputem sententiam Castropalai *l. c.* magis conformem Examini Generali. *cap. 1. nu. 3. & 6. Parti Constit. cap. 2. nu.* 2. docentem, erogandos esse in pauperes, ne pro aliquo tempore, professa societas redditus stabiles haberet, & mendicitatem excluderet contra prohibitionem latam in Examine Generali, & Constitutionibus *locis citatis.*

Tertium: quòd non adversatur paupertati domus professorum, si aliquis earum Fundator, vel earum Ecclesiæ, & sacristiæ vellet redditus annuos relinquere ad usum fabricæ, dummodo dispositionem eorum Societati non relinquat; itaut ei aliqua actio in illos competere possit; sed fidelitati alterius viri probi relinquat, quamvis sit in Societatis cura, ut hic munus suæ fidelitati commissum exequatur, Sic constat *ex 6. Part. Constit. cap. 2. in declarat. litera B.*

Controverti hìc solet: an valeat Legatum à Testatore relictum domui professorum gravando scilicet hæredem suum, ut illi solvat aliquam annuam pensionem in sustentationem Religiosorum, vel pro fabriça Ecclesiæ, Sacristiæ, & eorum ornamentis? Et quamvis videatur opponi paupertati domus Professorum incapacis annuorum reddituum, & consequenter nullum esse. Nihilominus probabilius puto, tale legatum validum esse, & teneri hæredem gravatum Votum Testatoris exolvere domui illi: ratio est, quia quod prohibetur ex vi Voti paupertatis juxta Societatis Constitutiones domui professorum, est, ut jus civile acquirere nequeat ad tales redditus percipiendos, non tamen prohibetur acquisitio illorum, si de facto donati fuerint; ergo supposita tali capacitate in Domo professorum impediri nequit à Societate obligatio ex dispositione, & libera Testatoris voluntate inducta. Et quamvis non negem, obligationem istam in hærede gravato provenire tantùm ex Charitate respectu domus professorum non habentis Jus Civile ad repetendam pensionem relictam in judicio, ut satis expressit *in 6. Parte Constit. capit. 2. numero 6.* Sanctus Parens Ignatius per illa verba; *Si aliquis sponte sua perpetuas eleemosynas relinqueret, nullum jus Civile ad eas petendas in Judicio acquiratur.* Attamen obligatio ista in hærede gravato respectu Testatoris ex tacito illo contractu ob hæreditatem sibi relictam, & jam acceptam; non est ex Charitate, sed ex Justitia: ut optimè tradunt Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. libro 4. cap. 9. num. 9. in fin.* Sanchez *lib. 7. Summ. cap. 27. num. 9.* & Castropalaus *de stat. Religios. disp. 3. punct.* 10. *nu.* 5.

Adnotandum tamen: quòd Constitutiones *Part. cap. 6. num. 6.* prohibent, ne ullus è Societate ad has eleemosynas perpetuas elargiendas domibus, vel Ecclesiis Societatis Professæ excitet ob majorem ædificationem, & paupertatis puritatem. Sed dubium insurgit, an aliquis suadens, quamvis simplici suasione, ad illas, peccet contra Votum Paupertatis? Resp. negativè: quia hæc suasio non est materia Voti Paupertatis; aliunde nec est contra Obedientiam, cum Constitutiones

id non prohibeant in virtute obedientiæ, adeoque non apparet fundamentum peccati. Sic Suarez *l. c.* Sanchez *l. c. nu.* 11. & Castropalaus *l. c. nu. 6.*

9 Petes 6. quonam modo prohibetur Religiosis Societatis Jesu non recipere stipendia pro Missis, Concionibus, aliisque Ministeriis spiritualibus propriis ipsius Societatis: ut nimis clarè constat ex Constitutionibus *Part. 6. capit.* 2. *numero* 6. & ex Examine Generali *capit.* 11. *numero* 3. Nihilominus controvertitur: an id tantùm prohibeatur ex vi Regulæ, & Constitutionum; an etiam ex vi Voti Paupertatis? Sed dicendum cùm vera, eaque probabiliori sententia, prohiberi etiam sub Voto Paupertatis, ac ex vi illius: ratio est, quia abstinere ab hac receptione stipendii, omnes Doctores fatentur, & Societas ipsa testatur, esse proprium, & quid speciale nostri Instituti; ergo erit ex vi Voti Paupertatis, cum substantia Instituti in Votis consistat, & ex vi Votorum resultet. Confirmatur ex eo quia S. Parens Ignatius in Examin. Generali *capit.* 1. *numer.* 3. declarans Votum Paupertatis ait: *Sic paupertatem accipiendo, ut nec velit, nec possit redditus ullos ad suam sustentationem, aut quodvis aliud habere; nec etiam pro Missarum Sacrificiis stipendium.* Et sanè loquitur S. Patriarcha de Paupertate per votum emissa, non solùm à Professis, sed etiam ab aliis per vota biennii. Nec obstat, quòd Congregatio Generalis V. *decret.* 21. de hac re postulata, nil decidere voluerit; quamvis omnibus commendaverit de hac re observantiam, itaut nullus superior, nec ipse Præpositus Generalis dispensare valeat. Non obstat, inquam, quia licèt noluerit mentem suam explicare, non ideo hanc sententiam reprobavit, attendens potiùs ad observantiam abstinentiæ à tali receptione stipendii, quàm ad motivum, ex quo proveniat, relinquens Doctoribus exagitandum. Aliunde Doctores, qui de hac materia scripsere, omnes sentiunt, hanc nostram sententiam probabiliorem, securiorem, ac conformiorem esse instituto Societatis Jesu. Sic Navarra *libro 3. de Restit. capit.* 1. *punct.* 3. *dub.* 2. *num.* 170. Rodriquez *tom.* 3. *Quæst. Regular. quæst.* 19. *art.* 13. Sanchez *libro* 7. *summ. capit.* 28. *numero* 6. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *libro* 4. *capit.* 8. *numero* 10. & Castropalaus *de stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 11. *nu.* 4.

Advertendum 1. non esse prohibitam receptionem eleemosinę gratis datę pro ministeriis Societatis, si titulo eleemosynæ detur, non verò stipendii, esto aliunde posset esse stipendium; ratio est, quia stipendium, seu compensatio pro ministeriis prohibetur, non verò eleemosyna gratis data, & sine ullo respectu compensationis: nam si talis respectus haberetur, esset verum stipendium sub pallio eleemosynæ, à quo cavendum; de facili enim sub prætextu gratuitæ eleemosynæ compensatio fieri potest, ac verum stipendium accipi: ut adnotant Sanchez *libro* 7. *summ. capit.* 28. *numero* 2. & Castropalaus *de Stat. Relig. disputat.* 3. *punct.* 11. *numero* 5.

Advertendum 2. non esse prohibitam receptionem eleemosynæ, si detur ob ministeria Societatis obeunda pro sustentatione, viatico, aliisve necessariis ad illa exequenda ob disseminandum verbum Dei, & inserviendum animabus. Et notandum signanter, quòd dixi, eleemosynam, ut indicarem, non obligari ex vi illius Societatem ad talia munia exequenda ob receptam eleemosynam ex Justitia, sed ex Virtute Fidelitatis, & Gratitudinis: non enim potest Societas Jesu obligare se ex Justitia ad similia ministeria spiritualia exequenda. Hinc est, quòd in fundationibus Collegiorum, missionum, & similium non se obliget ex Justitia; sed ex Fidelitate, & Gratitudine; ut rectè notat Castropalaus *de stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 11. *num.* 6.

Advertendum 3. quòd licèt Navarra, Rodriquez, & Sanchez docuerint penes Castropalaum *l. c. num.* 7. esse contra votum Paupertatis, si obliget se Religiosus Societatis alicui ad faciendum sacra pro illo, sub conditione quòd stipendium ipsorum det suo consanguineo, vel alteri: eo quia non gratis, sed ob stipendium tradendum se obligat ad illa facienda contra paupertatem à Constitutionibus declaratam. Nihilominus benignior sententia docet, posse id fieri absque Paupertatis violatione, maximè si ex motivo subveniendi paupertati, & necessitatibus consanguineorum, aut aliorum fiat: ratio est, quia Votum Paupertatis in Constitutionibus declaratum violatur per acceptionem pecuniæ, aut per distributionem pecuniæ acceptæ; cum igitur ex parte religiosi obligantis se ad sacrificia illa nec habeatur pecuniæ acceptatio, nec distributio illius; inde est, non violare paupertatem. Nec ille, qui sacrificia vult; tradit pecuniam consanguineo sacrificantis, aut alteri nomine sacrificantis, sed nomine suo; esto tribuat ob sacrificia, quæ quidem causa sacrificiorum eodem modo se habet, ac si per preces, & intercessiones ipsius religiosi sacrificantis eam tribueret. Nec denique Constitutiones obligant ad facienda sacrificia utcumque gratis, sed ne fiant accepta pecunia, aut stipendio in compensationem, ut ex Examin. Generali & Constitutionibus expressè tradit Castropalaus *l. c.*

Extenditur doctrina tradita ad Religiosum Societatis promittentem se sacra facturum alicui gravato ob stipendia accepta pro sacrificiis, quæ nondum celebrare potuit: nam sic promittens sacrificia, eaque faciens nullum stipendium recipit, nec illud concedit gravato; sed solùm liberat illum ab obligatione, quam habet; & est causa, ut stipendium jam acceptum justè retineat. Nec religiosus celebrans in subsidium gravati dat ei titulum, ut stipendium accipiat: titulus namque in gravato est, & acquisitus fuit, dum primò ei datum fuit stipendium, ut sacra faceret; solùm ergo religiosus ponit conditionem illam, sine qua nequit gravatus stipendium acceptum justè retinere ex titulo. Sic expressè Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. punct.* 11. *numero* 8. referens approbationem P. Michaelis Vasquez Primarii Theologiæ Professoris in Collegio Sal. maticensi, & P. Joannis de Salas primarii etiam Theologiæ Professoris in Collegio Vallisoletano.

Adnotandum 4. quòd si Religiosus Societatis defacto stipendia accipiat pro missis, aut aliis spiritualibus Ministeriis Societatis, si nondum sacra fecerit; teneatur ex Voto Paupertatis acceptum stipendium tradenti reddere: cum non possit illud retinere, nec admittere sub tali onere; imò nec Præpositus Generalis ut diximus, poterit in hoc dispensare ex *decreto* 21. Congregationis Generalis V. Si tamen sacra jam fecerit, non tenetur ex Voto Paupertatis, nec ex vi Constitutionum illud restituere tradenti; sed ex licentia sui superioris poterit illud in pia opera applicare: ratio est, quia neque ex Justitia tenetur ad talem restitutionem, cum voluntati tradentis plenè satisfactum sit, nec ex vi Voti Paupertatis secundum Constitutiones, cum obliget tantùm votum ad non petendum, & admittendum stipendium pro Missis, non verò ad restituendum illud, si Missæ celebratæ fuere: maximè quia finis intentus à Societate per restitutionem illam reparari nequit in sua violatione, cum semper verum sit reddito etiam stipendio, quòd illæ Missæ non gratis celebratæ fuere juxta Constitutiones Societatis. Sic Henriquez *libro 9. de Euchar. capit.* 22. *numero 3. in Comment. litera P.* Navarra *libro 3. de Restit. capit.* 1. *punct.* 3. *numero* 279. & Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. punct.* 11. *numero* 9. contra Sanchez *libro* 7. *summ cap.* 28. *numero* 11. Si tandem stipendium acceptum consumptum fuerit, nec Religiosus illud accipiens habeat, unde solvere possit; tenetur ex obligatione Justitiæ sacra facere: ex stipendio namque accepto, & consumpto oritur ex Justitia obligatio vel sacra faciendi, vel reddendi stipendium: cum impotens igitur sit ad stipendium, obligabitur ad Missas, quas celebrare potest, esto illas celebrare debuisset sine stipendio. Sic Sanch. *l. c. nu.* 15. & Castrop. *nu.* 10. Qui extendunt à fortiori hanc doctrinam ad eum, qui ante ingressum in Religionem, vel Novitiatus tempore hæc stipendia acceperit, & consumpserit. Hæc autem obligatio satisfaciendi sacris orta ex stipendio accepto, & consumpto, cum sit ex Justitia, præferenda erit obligationi satisfaciendi Sacris debitis ex Instituto, & Regulis: ratio est, quia obligatio orta ex Instituto, cum tota sit ex honestate, & Fidelitate; prævalere nequit obligationi ortæ ex Justitia. Nec religio sacra imponens suis Religiosis ex vi Voti intendit ea præferre debitis ex obligatione Justitiæ, etiamsi obligatio ista adveniat illicitè post emissa vota; ut evenit in casu adjecto. Sic rectiùs Castropalaus *l. c. num.* 11. Esto doctissimus Sanchez oppositum sentiat *l. c. numero* 23.

Petes 7. quonam pacto prohibitum sit Religiosis pro- 10
fessis Testamenta condere? Resp. indubitatum esse penes omnes Doctores, Religiosos professos nec valide, nec licitè testamenta condere posse absque superioris licentia, qui solus Pontifex est: sic apertè statuitur *in Authent. Ingress. 1. Cod. de sacrosan. Eccles. & in Cap. Quia ingredientibus 19. quæst.* 3. cum enim Religiosi professi

fessi nil proprium possideant ; quod in alium transferre possint ; inde est , quòd testamentum facere nequeant . Et si sæcularis aliquis eis committeret , ut per testamentum de suis bonis disponerent ; nulla esset dispositio illa absque superioris facultate : fieret siquidem nomine proprio religiosorum , non verò committentis , & incapaces sunt Religiosi professi efficiendi id nomine proprio . Secus verò esset , si mentem sibi expositam à committente , & nomine illius merè declararent. Prædicta prohibitio professis facta comprehendit Codicillum , qui cum nil aliud sit , quàm Testamenti pars, ac ejus defectum supplens, ideo qui incapax ad testandum est , incapax pariter erit ad codicillos condendos : ut notant Gloss. *verb. Testamentum. in Leg. divus §. Codicillos ff. de Jure Codicilli* .

Notandum 1. Coadjutores Formatos Societatis Jesu ; sive spirituales, sive Temporales incapaces esse condendi Testamenta , & Codicillos æquè ac professos : ratio est, quia cum sint incapaces habendi proprium , ut sunt incapaces professi : ideo sub eadem prohibitione non condendi testamenta , & codicillos comprehenduntur : ut adnotant Sanchez *libro 7. sum. capit. 8. numero 25.* & Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 3. punct. 12. num. 5.*

Notandum 2. Religiosos professos Ordinum militarium , qui ut laici vitam communem in sæculo degentes cum aliis laicis ducunt ; capaces esse Testamenta , & Codicillos condendi tum de bonis patrimonialibus, tum de fructibus ex Commendis perceptis: nam ex vi votorum suorum non privantur dominio suorum bonorum , nec incapaces sunt aliud de novo acquirendi ; adeoque de illis disponere poterunt via testamenti , & codicilli servatis iis, quæ in suis legibus , & ordinationibus præscribuntur : maximè quia hi Ordines militares sua privilegia habent à Santa sede concessa , & approbata : accedit etiam recepta consuetudo hæredes instituendi , & defacto instituunt . Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 16. n. 22.* Sanchez *lib. 7. sum. cap. 8. n. 29.* Molina *tom. 1. de Just. disp. 141.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 12. numero 7.*

Major tamen difficultas est pro Equitibus D. Joannis Hierosolymitani, quos incapaces reputat , tum ex vi voti , tum etiam ex vi prohibitionis Juris communis ad testamenta condenda Suarez *l. c. nu. 25.* Sed probabiliorem reputo sententiam docentem , posse testamenta condere ex licentia suorum superiorum : ratio est , quia cum vitam degant communem cum aliis sæcularibus , ideo votum paupertatis eorum non ita strictè accipiendum erit, ut retinere nequeant dominium bonorum suorum , ac de illis disponere via testamentaria ex facultate suorum superiorum ; quæ si non habeatur , illicitum erit testamentum , non verò invalidum . Sic Boreta, quem refert, & sequitur Sanchez *l. c. nu. 36.* & Castropalaus *l. c. nu. 8.* Clerici horum Ordinum militarium , si extra Claustra vivant ex legitima facultate; testari pariter poterunt , ac milites professi cum facultate suorum superiorum : eædem siquidem militant rationes . Si verò intra Claustra sint , ibique permanenter degant ; incapaces sunt testandi , ut alii professi cæterarum Religionum : quia cum priventur ex vi Voti solemnis Paupertatis dominio, & proprio ; privantur etiam facultate testandi . Sic Suarez *l. c. nu. 25.* & Castropalaus *l. c. nu. 9.* Religiosi illi , qui lato vocabulo sic dicuntur, ut sunt Eremitæ, oblati, & similes, qui religiosam professionem per vota solemnia non emittunt , capaces erunt testamenta condendi , & codicillos ; nec dominio privantur , nec dispositione suorum bonorum via testamentaria : ut aliis relatis tradit Sanchez *lib. 7. sum. cap. 8. nu. 40.*

Notandum 3. incapacitatem istam professorum testandi intelligi debere absque facultate superioris: nam superior eam concedere poterit non relaxato Paupertatis voto : sicuti enim potest concedere Professis facultatem donandi aliqua bona in vita non concessa retentione alicujus dominii ; sic eam concedere poterit in morte via testamentaria non retento dominio , nec relaxato paupertatis voto . Conceditur siquidem in utroque casu sola administratio bonorum dependenter à voluntate superioris : ut tradunt Navarrus *Commen. 2. de Regular. numero 57.* Covarruvias *capit. 2. de Testam. numero 10.* Suarez *tom. 3. de Relig. libro 8. capit. 16. numero 19.* Molina *tom. 1. de Justit. disput. 141.* Sanchez *libro 7. summ. capit. 8. numero 4.* & Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. punct. 12. numero 11.* superior autem iste, qui possit hanc facultatem testandi concedere Professis , est solus Pontifex ; alii namque Prælati Regulares carent hac facultate : eo quia prohibitio facta testandi à Jure Communi Religiosis Professis æquè afficit Prælatos Regulares , ac eorum subditos ; adeoque nec ipsi secum, nec cum suis subditis dispensare poterunt : ut docent Navarr. *loc. cit. numero 44. & 58.* Abbas *in capit. in præsentia de Probat. numero 61.* Suarez *l. c. numero 9. & 10.* Molina *l. c. circa finem* , Sanchez *l. c. numero 5. 45. & 47.* Castropalaus *l. cit. numero 11.* & Lessius *libro 2. de Just. capit. 41. dubit. 8. numero 73.* Quæ quidem facultas nequit à Pontifice concedi irrevocabiliter , nisi facta dispensatione in Voto Paupertatis: cum licentia ista irrevocabiliter concessa disponendi de bonis sit pariter concessio dominii, & proprietatis eorum independenter ab aliem voluntate. Ideo Pontifex poterit eam pro libito revocare ; quæ si revocetur antequam testamentum morte Testatoris confirmetur; eo ipso revocatur Testamentum , & nullum est: ut advertit Suarez *l. c. nu. 13. & 16.* Facultas ista, si non revocetur à Pontifice, non finitur , nisi Testamentum morte Testatoris firmatum fuerit ; adeoque ante mortem poterit testamentum factum revocare , & aliud condere : cum facultas intelligi debeat concessa juxta naturam Testamenti , quod durante vita Testatoris revocari potest ab eo . Extenditur etiam ad Codicillos faciendos , qui sunt pars testamenti ; & ad donationes causa mortis: cui enim datum est testari, pariter est donationes facere causa mortis , quæ testamento æquiparantur , utpote ultimæ voluntatis dispositiones ; & sic statuitur *in leg. Marcellus ff. de donat. cauf. mort.* maximè quia privilegium à Principe concessum extendi debet , ut docet communis sententia , & tradunt Sanchez *libro 8. de matrim. disp. 1. numero 3.* & Castropalaus *de stat. Relig. disput. 3. pun. 12. nu. 14.* Bona de quibus à Pontifice conceditur facultas testandi , quamvis spectent ad Religionem ; eo quia incapax sit professus ex voto paupertatis aliquid sibi acquirendi de novo ; sed omnia , quæ acquirit , Religioni acquirit . Nihilominus Pontifex ut supremus Religionum Prælatus , dispensator, & administrator poterit facultatem concedere disponendi de illis rebus, & bonis . Cum autem Dominus non sit, sed Administrator, & dispensator ; inde est , non posse hanc facultatem concedere Professis ad usus vanos , profanos , ac alienos à Religioso statu : qui enim mundo mortui sunt , abstinere debent à similibus vanitatibus , & bona applicare ad pios usus , vel saltem honestos , ac condecentes statum Religiosum : ut rectè advertunt Molina Jurista, Molina Theologus , & Sanchez , quos refert , & sequitur Castropalaus *de stat. Relig. disputat. 3. punct. 12. numero 13.*

Notandum 4. quòd licèt professi incapaces sint testandi, attamen si filios habeant , aut filium , vel nepotes , sive legitimos, sive legitimatos , nam si naturales fuerint , vel spurii , debent esse necessarii hæredes, seu debent habere jus necessario succedendi deficientibus legitimis ; poterunt hæreditatem inter illos dividere, ac bona distribuere , si antè prfessionem non diviserint, nec distribuerint. Conceditur facultas ista *in Authen. si qua Mulier. de Sanct. Episcop. collat. 9. tit. 15. capit. 38. in Authen. Si qua mulier. Cod. de Sacros. Eccles. & in Authen. Nunc autem Cod. de Episc. & Cleric.* & refertur *in Decreto causa 19. quæst. 3.* Et quamvis sit Juris Civilis , nihilominus Jure Canonico canonizata est non tam scripto , cum non sufficiat , eam retulisse Gratianum in decreto, quàm consuetudine, & approbatione Gregorii Papæ *in Epist. 6. libro 3.* ut tradunt Lessius *libro 2. de Justit. capit. 41. dubit. 3. numero 82.* Suarez *tom. 3. de Relig. libro 8. capit. 16. numero 1.* Molina *tom. 1. disput. 141. versic. Hinc in Regno* ; Sanchez *libro 7. summ. capit. 9. numero 7.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 3. punct. 13. num. 2.* Non habet decisio ista bonorum facta à Professo suis filiis vim testamenti , ut nonnulli putarunt , quamvis loco testamenti succedat ; sed est purus actus administrationis à Lege permissus : & sic docuere Navarrus *Comment. 2. de Regular. numero 45.* Lessius *libro 2. de Just. cap. 41. dubit. 10. numero 82.* Sanchez *l. c. numero 11.* & Castropalaus *l. c. numero 4.* In hac divisione facienda nil detrahere potest professus eam faciens de legitima filiis debita , ut cautum est *in Authen. Si qua mulier cit.* Tenetur Monasterium professi assentiri divisioni factæ à professo , cum sit dispositio Juris communis civilis à Jure canonico canonizata. Procedit tamen Lex ista in professo Monasterii, & Religionis capacis successionis , ut constat ex verbis illius; secus verò in professo Minorum D. Francisci , Capucinorum ,

rum, vel Societatis Jesu; idem est de Coadjutoribus formatis ejusdem Societatis : in his enim Religionibus à puncto professionis, vel incorporationis per formationem succedunt filii, ac si naturaliter eorum parentes professi mortui essent : ut ex Bartolo, & Jasone docent Sanchez *lib. 7. Summ. cap. 9. numer. 2. & sequentib.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 13. numer. 1. in fine*.

11 Petes 8. an possit Religiosus validè contrahere sine facultate Superioris ; & an ipse, & contrahentes cum ipso teneantur stare contractui ? Resp. quamvis indubitatum sit penes Doctores, posse religiosum ex facultate sive expressa, sive tacita Superioris validè contrahere; ac naturaliter, & civiliter obligatum esse stare contractui, qui legitimè initus est, & habet omnia requisita ad inducendam tum naturalem, tum civilem obligationem, videlicet tum pro foro interno, tum externo. Adeout nec Superior concedens facultatem, nec ejus Successor possint contractum illum sic celebratum irritare : ut rectè docent Sanchez *lib. 7. Sum. capit. 31. numer. 41.* & Rodriquez *tom. 3. Quæst. Regul. quæst. 26. art. 1.* referens Abbatem, Baldum, Cardinalem, & Decium. Nihilominus valdè controversum est, quomodo obligetur ex contractu inito absque Superioris facultate expressa, vel tacita : nam Hostiensis, Panormitanus, Felinus, Jason, Cucus, Zeballos, & alii relati à Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 31. numer. 36.* & à Castropalao *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 15. numer. 2.* putant, nec obligari naturaliter in conscientia, nec civiliter in foro externo : eo quia voluntas Religiosi subjecta est dispositioni Prælati, & ex hac dispositione oritur in eo obligatio, aliàs resistit *Lex in Cap. Non dicatis 10. quæst. 1.* maximè quia *in Cap. 2. de Testamen. in 6.* dicitur *Religiosum nec velle, nec nolle habere*. E contra Sylvester, Azor. Lessius, Rebellus, Sanchez relati à Castropalao *l. c.* docent : obligari naturaliter Religiosum sic contrahentem, non verò civiliter : ratio est, quia votum in favorem hominum factum tenet in Religioso, etiamsi sine facultate Superioris fiat ; ergo etiam & promissio homini facta, cum nullum discrimen inter hæc habeatur. Adde, quòd si Religiosus in hoc casu non obligaretur naturaliter, nec obligaretur ejus fidejussor, cum non obligato principali nec obligetur fidejussor *ex Leg. 1. & 2. ff. de fidejussor.* Insuper si servus contrahens sine consensu domini naturaliter obligatur *ex Leg. Naturaliter, & Leg. Si id, quod. ff. de condict. indebit.* à fortiori obligatus erit Religiosus contrahens sine consensu Superioris. Non nego, utramque sententiam suam habere probabilitatem tum propter intrinsecas rationes, tum propter authoritatem eas docentium. Nihilominus distinguendum puto : si contractus fuerint de actionibus personalibus Religiosi, vera mihi est secunda sententia obligans religiosum naturaliter ad exequendam promissionem illarum, dum non contradicit Superior : ratio est, quia licèt sint absque voluntate Superioris; non sunt tamen contra ipsam, nec contra votum, aut Regulam; adeoque nulla Lex resistit. Si tamen contractus fuerint in materia respiciente paupertatem; vera mihi est prima sententia deobligans tum naturaliter, tum civiliter : ratio est, quia est obligatio injusta, utpote contra paupertatis votum obligans religiosum, ne sine consensu Superioris dare, aut recipere possit, & per consequens nec se obligare ad sic dandum, aut recipiendum : ut constat *ex Cap. Non dicatis 12. quæst. 1.* Sic ex Navarro *Commen. 2. de Regular. numer. 42.* docet Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 15. numer. 3.* Excipitur contractus stipulationis pro Monasterio factus, qui validus est non contradicente Monasterio : cum enim cedat in utilitatem Monasterii, in cujus favorem donatio præsumitur fieri; ideo validitatem retinet : ut expressè statuitur *in Instit. de inutilib. stipulat. §. Si quis alii*, & docent Navarrus *l. c. numer. 31.* Castropalaus *l. c. num. 5.* & Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 31. numer. 32.* Et quamvis Sanchez *num. 34.* asserat, religiosum sic stipulantem animo non acquirendi sibi, sed Monasterio leviter peccare ; Castropalaus verò *loco citato* putat probabilius, nullum peccatum committere, cum hæc stipulatio in favorem Monasterii facta tacitè à Jure concessa est cuilibet Religioso in *Instit. cit.*, aliunde non adversatur paupertati ; ergo nullum peccatum erit. Si verò fieret in favorem alterius à Monasterio, jam nulla esset, cum non sit concessa facultas religioso stipulandi pro alio absque ejus Mandato. Et si Mandatum haberetur, actio non acquireretur mandanti, sed Monasterio; quamvis teneretur Monasterium illam mandanti cedere. Sic Sanchez *l. c. numer. 32.*

Contrahentes cum Religioso non habente facultatem contrahendi à suo Superiore, si contractus circa temporalia versetur ; nullam habent obligationem standi contractui, nec expectandi consensum, vel dissensum Superioris, vel Monasterii, ut resilire possint ab illo, excepto contractu stipulationis, de quo loquuti sumus : ratio est, quia semper æqualitas respicienda est in contractibus, eaque servanda inter contrahentes, nisi exceptio fiat à Jure : cum igitur non sit exceptus in Jure hic contractus factus cum religioso non habente facultatem à Superiore, uti excepti fuere contractus celebrati cum pupillo, vel minore absque authoritate Tutoris, & Curatoris; & contractus celebratus cum Ecclesia absque debita solemnitate, à quo resilire nequit contrahens ex communi Doctorum sententia, nisi ipsa Ecclesia dissentiat ; sunt enim Privilegia exorbitantia à Jure, è quibus fieri nequit extensio ad alia ; ergo si claudicat, & nullus est absolutè contractus ex parte religiosi sic contrahentis ; nullus pariter absolutè erit ex parte contrahentium cum ipso, ut debita æqualitas in contrahendo servetur. Sic Lessius *libr. 2. de Justit. capit. 41. dubit. 12. numer. 90.* & Castropalaus *de Stat. Religios. disputat. 3. punct. 15. numer. 7.* quamvis Sanchez *lib. 7. Summ. cap. 31. num. 29.* sit contrarius.

Petes 9. an subeat obligationem aliquam Monaste- 12
rium ex delicto sui religiosi, vel ex ejus contractibus ? Resp. Monasterium nullam contrahere obligationem satisfaciendi ob delicta commissa à Religioso, etiam si fuerit Prælatus ipsius Monasterii; nisi fortè ex delicto commisso commodum aliquod perceperit, & tunc juxta æstimationem commodi percepti restituere, & satisfacere tenebitur Monasterium : ut si ditius factum esset ex furto à religioso commisso, quæ quidem obligatio oritur ex re accepta, ut patet. Tenebitur autem religiosus delinquens, si peculium habeat, satisfacere ex peculio, & debebit Monasterium illum compellere; quòd si peculium fuerit penes Monasterium, debebit ex illo satisfacere Monasterium ipsum : ut tenetur pater ad dolum filii, si ejus peculium habeat. Sic *ex Capit. Si Episcopus 16. quæst. 6. & ex Regul. Delictum 76. de Regul. Juris in 6.* tradunt Navarrus, Lessius, Molina, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 16. numer. 1.* Pro contractibus verò à Religioso factis, si ante professionem initi fuere; obligabitur Monasterium bona religiosi accipiens pro viribus hæreditatis, & bonorum acceptorum : transeunt enim ad Monasterium cum onere illo ; quapropter nequit obligatio ista excedere vires bonorum, cum consurgat ex vi bonorum, non verò religiosi. Sin autem Monasterium nil acceperit, ad nihil tenebitur. Sic Sanchez *libr. 7. Summ. capit. 31. numer. 3.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 16. numer. 2. & 3.* Si verò post professionem initi fuerint, nulla obligatio ex eis consurgit Monasterio ; nisi ditius factum fuerit, aut commodum aliquod reportaverit ; & juxta qualitatem commodi accepti obligationem subibit, quæ consurgit ex re accepta ; ut indubitatum est penes Doctores, Ut indubitatum est, Monasterium subire obligationem, si contractus celebrati fuerint ex expresso, vel tacito consensu Monasterii.

Hinc fit 1. teneri Monasterium ad reddendum mutuum à religioso acceptum ex legitima facultate extra Monasterium commorante ; quod accepit ad subveniendum sibi in necessitatibus juxta consuetudinem, & usum suæ Religionis ; secus verò si terminum istum excederet, & expenderet in sumptus superfluos : ratio est, quia habetur tacitus Monasterii consensus, quod dum dat facultatem Religioso vivendi extra claustra, dat pariter facultatem comparandi sibi necessaria, non verò superflua. Sic Navarrus, Surdus, Azor, Zevallos, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 3. punct. 16. numer. 5.*

Fit 2. posse Prælatum Monasterii mutuum accipere ob utilitatem ipsius Monasterii, & ad securitatem mutui bona Monasterii generaliter obligare, vel fructus ex bonis provenientes : ratio est, quia id efficit ex expresso, vel tacito consensu monasterii.

Quòd

Quòd ſi mutuum ſic acceptum mutatâ voluntate in alios uſus expenderet; adhuc tenebitur Monaſterium, quia nomine illius acceptum fuit. Secus verò eſſet, ſi mutuum acciperet in uſus non convenientes Monaſterio, quamvis poſtea mutata voluntate illud in utilitatem Monaſterii applicaret; tunc non obligabitur Monaſterium: eo quia Prælatus non nomine Monaſterii proceſſit, ſed ut Perſona particularis. Sic ex Tapia, & Sanchez tradit Caſtropalaus *loco citato numer. 6.*

Fit 3. teneri religioſum ſolvere mutuum malè conſumptum; cum id, quod conceditur filio familias à Jure, cui religioſus comparatur; non extendatur ad illum: militant enim diverſæ rationes. Bona autem, ex quibus ſolutio fieri debet, ſunt ea, quorum religioſus liberam habet diſpoſitionem à ſuo Prælato. Sic Zeballos *Comm. Opin. quæſt. 446. numer. 19.* Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 21. numer. 22. in fine*; & Caſtropalaus *l. c. numer. 7.*

13 Petes 10. quænam bona poſſit ſecum deferre religioſus tranſiens ex una Religione ad aliam? Reſp. petitionem procedere de tranſitu licito, & valido, per quem videlicet extinguatur obligatio prioris Religionis, & regreſſus ad illam: hoc poſito. Dicendum 1. bona, quæ religioſus priori Religioni detulit ex diſpoſitione Juris ſtatuentis omnia bona religioſi in Monaſterium transferri ſimul cum perſona, ac in conſequentiam perſonæ, ut jus loquitur; non poſſe in poſteriorem Religionem transferri: ratio eſt, quia licèt translata fuerint in conſequentiam perſonæ, & videantur perſonam ſequi; nihilominus quia abſolutè tranſlata fuere in priorem religionem abſque ulla dependentia, & nulla addita conditione, ſi perſeveraverit in ea; dicendum eſt, non poſſe auferri ab illa: maximè quia Jus non apponit talem conditionem; nec ſi concedit tranſitum ad ſtrictiorem religionem, pariter concedit translationem bonorum. Sic *ex Authen. de Monach. §. ſi verò*, docent Navarrus *Comm. 4. de Regul. numer. 24. verſic. undecimo*, Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 14. numer. 5.* Azor. *1. par. lib. 12. capit. 15. quæſt. 3.* Molina *tom. 1. de Juſt. diſput. 150. verſic. Quando religioſus*, Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 32. numer. 8.* Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſputat. 3. punct. 17. §. 2. num. 3.*

Dicendum 2. bona, quæ religioſus detulit priori religioni via Teſtamenti, Renuntiationis, vel Donationis; non poſſe in poſteriorem religionem transferri, ſi abſolutè, & nulla adjecta conditione perſeverantiæ donata fuere priori religioni: ratio eſt, quia bona illa plenè, & perfectè acquiſita fuere priori religioni; ergo non adeſt caput ea auferendi ab illa: maximè quia donatio facta religioni æquivalet donationi factæ pauperibus, vel Hoſpitalibus. Nec valet paritas deducta ex Moniali, quæ ſi contingat ad aliud Monaſterium transferri; transfertur & dos. Falſum enim aſſumitur: cum dos non aſſignetur priori Monaſterio ſub hac conditione; ſed ſi tranſit Monialis ad ſecundum Monaſterium eo petente, debet indotatam accipere, & eam alere. Si verò tranſit ob Mandatum Superioris, & reluctante ſecundo Monaſterio; tenebitur prius Monaſterium ex Mandato Superioris alimenta ſubminiſtrare. Sic Navarrus, Rodriquez, Suarez, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 3. punct. 17. §. 2. num. 6. & 7.* Si verò bona tradita fuere appoſita conditione expreſſa, quòd ſi contingat ad aliam religionem tranſire, ea ſecum deferre debeat; eſt extra dubium, poſſe in poſteriorem religionem tranſferri: cum nullum inconveniens ſequatur: eo quia non plenè, & perfectè acquiſita fuere priori Religioni; ut notat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. libr. 3. cap. 14. num. 17.*

Dicendum 3. non poſſe Religioſum ſecum deferre ad poſteriorem Religionem ea bona, quæ acquiſivit durante profeſſione in priori Religione, quovis titulo ea acquiſierit, propria videlicet induſtria, labore, donatione, ſucceſſione, vel legato; ſive tranſitus fiat ad laxiorem, ſive ſtrictiorem religionem: ratio eſt, quia omnia illa bona abſolutè quæſita fuere priori religioni ſic diſponente Jure; ſed non diſponit jus ſecum deferri poſſe in poſteriorem religionem; ergo non poterit id fieri: ad eum modum quo ſervus tranſiens è ſervitute prioris domini nequit ſecum deferre ad poſteriorem dominum, quæ in priori ſervitute acquiſivit, utpote priori domino abſolutè quæſita. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 13. numer. 2.* Navarrus *Comm. 4. de Regul. numer. 24.* Molina *tom. 1. de Juſt. diſput. 140. in fine*; Surdus *de Alimen. capit. 9. quæſt. 27. num. 8.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 3. punct. 17. §. 1. num. 1.*

Hinc fit 1. non poſſe profeſſum ad aliam Religionem tranſeuntem ſecum deferre veſtes duplicatas, ſed ſimplices tantùm juxta decentiam, ne nudus, ac indecenter incedat. Quamvis facta profeſſione non teneatur ſecunda Religio veſtes illas priori Religioni tradere: ſaperet enim nimiam rigiditatem ſic obligare ſecundam religionem: ut tradunt Suarez *l. c. num. 2.* Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 37. numer. 13.* & Caſtropalaus *l. c. num. 2.*

Fit 2. non poſſe ſecum ferre libros etiam à conſanguineis, vel aliis acceptos cum facultate Superiorum utendi illis: ratio eſt, quia non eſt præſumendum concedi facultatem à Religione ad uſum extra illam. Quod extenditur ad peculium cujuſcumque generis. Sic Suarez *l. c. numer. 8.* Sanchez *l. c. numer. 14.* & Caſtropalaus *l. c.*

Fit 3. nec poſſe ſecum portare ſcripta in prima Religione compoſita, computantur enim inter cætera bona priori Religioni acquiſita. Sic communis ſententia teſte Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 13. n. 10. in fine*. Nihilominus aliqua æquitas in hoc ſervanda erit à priori Religione, quæ ſi non poteſt impedire religioſum tranſeuntem, ne ſecum deferat ſcientiam, nec impedire debet media apta ad eam ſibi conſervandam, præcipuè ſi Religioſus tranſiens animum habeat ea reſtituendi priori religioni; ut benignè adnotat Suarez *l. c.*

Fit 4. nec poſſe ſecum deferre inſtrumenta artis, quia computantur inter bona priori Religioni acquiſita. Nec benignitas, quæ in ſcriptis exerceri poteſt, debet exerceri in inſtrumentis: cum non excitent ſcientiam ut ſcripta; ſed ſolùm uſui artis deſerviunt, & ſimilia comparari poſſunt; niſi fortè eſſet inſtrumentum aliquod ſingulare, difficile inventu; quod vendi debet à priori Religione ipſimet Religioni poſteriori, vel interim mutuare: ut tradit Suarez *loco citato capit. 13. in fine*.

Petes 11. ad quid teneatur Religio circa Religioſos 14
ſuos expulſos, fugitivos, vel in aliena Religione recluſos? Reſp. circa expulſos, ſi juſtè expulſi fuerint, ut ſupponendum eſt, ad nihil teneri: nam ſi à Religionis poteſtate, & cura excluſi fuere, alimenta ab ea requirere non poſſunt. Quod à fortiori militat contra non profeſſos dimiſſos à Societate, qui cum abſoluti remaneant à votis ſuis, & verè ſeculares evadant; nequibunt alimenta à Societate requirere. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 14. numer. 11.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. pun. 18. num. 1.* Et adnotandum, quòd ſi aliqua bona Societati donarunt, ex rigore Juſtitiæ non tenetur Societas ea reddere: eo quia abſolutè donata fuerunt abſque ſpe recuperationis, ac ſi Hoſpitalibus, vel pauperibus donata fuiſſent. Nihilominus ex quadam æquitate concedit Societas aliqua ex illis, ſi neceſsaria fuerint ad ſuſtentationem; nec dicenda erit conceſſio facta bonorum Eccleſiaſticorum alienatio: quia à ſui principio ſic acceptantur à Societate, ut poſſit juſtis ex cauſis ea, vel partem illorum dimiſſo concedere. Sic tradit Suarez *l. c. à numer. 21.* & Caſtropalaus *loco citato*. Circa fugitivos dubium non eſt, quòd eos Religio alere teneatur: cum revera exiſtant ſub ejus poteſtate, & cura. Nihilominus excuſari ſolet Religio ab alimentis tradendis: eo quia cum fugitivi curam, & poteſtatem Religionis declinent; cenſentur alimentis cedere, eaque nolle. Denique circa recluſos in aliena Religione ob peragendam ibi pœnitentiam à Superioribus deſignatam, communis Doctorum Sententia eſt, teneri propriam religionem eos alere, ne aliena gravetur. Sic Sylveſter, Covarruvias, Molina, Sanchez, Azor. Suarez, Rodriquez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 3. punct. 18. num. 4.* niſi fortè recluſus aliquam afferret utilitatem alienæ Religioni, quæ compenſaret æſtimationem alimentorum.

Petes 12. cuinam acquirat Religioſus, Epiſcopus, vel beneficiarius, vel fugitivus, aut recluſus, vel ejectus? Reſp. extra controverſiam eſse, Religioſum non ſibi acquirere, ſed ſuæ Religioni; quamvis an acquirat toti Religioni, vel Monaſterio, cujus filius exiſtit; ſtandum erit conſuetudini in ea Religione receptæ: ut

bene

bene tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 19. numer. 1.* & Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 32. num. 53.* Controverti tamen solet de Religioso facto Episcopo, vel beneficiario; sicuti de Religioso fugitivo, recluso, aut ejecto. Quapropter

Dicendum 1. Religiosum Episcopum nec sibi, nec suæ Religioni acquirere; sed suæ Ecclesiæ, quæ eo defuncto succedit, non verò Religio: sic deciditur *in Capit. Uniç. 18. quæst. 1.* Cum verò Textus generaliter loquatur, ideo Ecclesia, non solùm succedit in bonis ab Episcopo Religioso acquisitis titulo Ecclesiæ; sed etiam in acquisitis successione, donatione, legato, aut propria industria, & arte: ut docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 22.* Sanchez alios referens *lib. 7. Summ. Cap. 32. numer. 63.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 3. punct. 18. numer. 13.* Et quamvis Textus citatus loquatur de Religiosis D. Benedicti ad Episcopatum assumptis, attamen extendenda erit doctrina tradita ad omnes alios religiosos ad Episcopatus assumptos, etiamsi fuerint Minorum D. Francisci: cum eadem militet ratio pro omnibus æquè exemptis à Religionis Obedientia: ut ex Tapia, Molina, Azor. Sanchez tradit Castropalaus *l. c. num. 14.* Extendenda quoque erit ad Episcopos religiosos Titulares: eo quia licèt non inserviant suæ Ecclesiç, inserviunt tamen Ecclesiæ universali, ideoque à suis Religionibus exempti; ob quod Pontifici acquirunt, ut ex Azorio, & Sanchez docet citatus Castropalaus. Ad Episcopos insuper Religiosos electos, & confirmatos, quamvis nondum consecratos: eo quia ob confirmationem à Religione eximuntur, & suis Ecclesiis inservire possunt jurisdictionem exercendo; adeoque propriis Ecclesiis acquirunt. Sic Rodriquez *tom. 3. Regul. Quæst. quæst. 69. art. 4.* Sanchez *l. c. n. 62.* & Castropalaus *l. c.* Extendunt Sanchez, & Castropalaus eamdem doctrinam ad assumptos ad Cardinalatum: eo quia ob supremam Dignitatem à Religione sua eximuntur, denique extenditur ad Episcopos Religiosos, quibus non in titulum, sed in commendam datur Episcopatus: eo quia ea commendatione durante exempti sunt à Religionis jurisdictione; adeoque non Religioni, sed Ecclesiæ commendatæ acquirunt. Sic ex Sanchez tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 3. pun. 18. numer. 14.*

Dicendum 2. Religiosum promotum ad beneficium, si pleno jure beneficium sit subjectum Monasterio; omnia quæ acquirit successione, donatione, aut legato; Monasterio acquirere: ea verò, quæ ex beneficio, sua industria, & arte acquirit; Ecclesiæ acquirere. Si verò beneficium non fuerit pleno Jure Monasterio subjectum, sed Ordinario loci; omnia, quæ acquirit; Ecclesiæ acquirit: dummodo beneficium ei perpetuò assignatum sit ab Ordinario loci, itaut removeri nequeat à Prælato regulari: & ratio est, quia exemptus est à jurisdictione regulari, ac ab obedientia, & jugo Religionis; & eodem modo se habet, ac regularis assumptus ad Episcopatum. Quòd si beneficium ei manualiter assignatum sit, itaut removeri possit ad nutum Prælati Regularis; tunc cum sit in omnibus Prælato Regulari subjectus, ac cæteri Religiosi exceptis iis, quæ non obsunt administrationi beneficii; ideo quæ acquirit intuitu beneficii, & ex suis operibus, Ecclesiæ cedunt; omnia verò alia à tali beneficiario religioso acquisita, Monasterio cedunt. Sic ex *Clement. unic. de supplen. neglig. Prælat.* docent Sanchez referens Bartolum, & Baldum *lib. 7. Summ. capit. 32. à numer. 71.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 19. numer. 7.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 3. punct. 18. numer. 15.* qui licèt approbet hanc communiorem sententiam, probabilem nihilominus reputat *numer. 16.* sententiam asserentem, quæcumque religioso beneficiario acquiruntur, quomodocumque acquisita fuerint; cedere Ecclesiæ, sive beneficium sit subjectum Monasterio, sive non; sive fuerit perpetuum, sive manuale: eo quia durante beneficio jam à Religionis regimine, & obedientia eximitur. Et pro ea citata Abbatem, Navarrum, Rodriquez, & Sà.

Dicendum 3. religiosum fugitivum è sua religione acquirere suç religioni, ac si in ea esset: eo quia adhuc est sub regimine, & potestate Religionis, cum fuga arrepta eum non eximat à potestate Religionis gubernandi, coercendi, & puniendi illum, ut satis manifestè statuitur *in Capit. Abbas 18. quæst. 2.* Quòd si alienam Religionem ingrediatur absque debita facultate, quamvis aliqui Doctores sustineant, si id bona fide Prælati secundæ Religionis fiat, durante ea bona fide acquirere religioni secundæ. Nihilominus probabilior mihi videtur sententia docens, quomodocumque acquirat religiosus iste; priori religioni acquirere, non verò posteriori: ratio est, quia bona fides secundæ Religionis non facit, quòd jus priori religioni quæsitum minuatur, nec minui potest jure naturali, ut per se patet; jure autem positivo non constat, diminutum esse; ergo integrum perseverat. Nec putativa professio aliquid præscribere potest in favorem posterioris Religionis, cùm numquam veram professionem constituere possit. Sic Castropalaus alios referens *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 19. numer. 3.* Si autem fugitivus iste assumptus fuerit absque dispensatione debita ad Episcopatum, vel aliud beneficium *juxta Cap. Requisisti de Test.* cum promotio illa nulla sit; ea, quæ titulo beneficii, ac ejus intuitu acquirit; Ecclesiæ acquirit: censentur siquidem in tali casu veluti beneficia vacantia; acquisita verò intuitu personæ priori Religioni acquiri. Sic Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 33. numer. 20.* & Castropalaus *loco citato numer. 4.*

Dicendum 4. religiosum recluſum in aliem religione ob pœnitentiam religioni propriæ acquirere, non verò alienæ: ratio est, quia professio dat jus ad acquirendum, non verò recluſio; ergo si professionem fecit in propria religione, non verò in aliena, in qua recluſus fuit; propriæ acquirere debet, quæ alimenta solvit; non verò alienæ. Sic contra Rodriquez docet Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 19. numer. 2.*

Dicendum 5. religiosum professum è Religione ejectum, & expulsum justè, ut semper supponendum est (nam si injustè expulsus esset, omnia ab eo acquisita religioni cederent; eo quia injustitia Prælati, & Conventus non debet nocere Religioni, cujus filius revera est, & obligationem habet alendi eum) si pro determinato tempore expulsus fuerit, religioni acquirere; adeout tempore præfixo finito debeat ad Religionem reverti cum omnibus à se acquisitis: ut docet Suarez *tom. 4. de Relig. disput. 3. punct. 19. numer. 7.* Si verò in perpetuum expulsus fuerit, variant Doctores inter se, in qua varietate dicendum in primis: liberam habere bonorum acquisitorum administrationem, quamvis de eis testari non possit: ratio est, quia sic necessarium est in statu expulsionis, in quo nec est sub cura Religionis, nec alitur ab illa: non datur autem facultas testandi, quia non est necessaria, ut administratio. Sic Lessius *lib. 2. Just. capit. 41. dubit. 15. numer. 113.* Molina *tom. 1. de Justit. disput. 140. versic. Quando verò,* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 19. numer. 8.* Advertendum tamen, quòd quamvis Lessius, & Molina putarint validam administrationem factam ab expulso, & consumptam in usus vanos, & illicitos; ac si à sæculari Clerico facta fuisset; nihilominus probabiliorem reputo sententiam Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 6. numer. 21.* & Castropalai *loco citato num. 9.* docentem invalidam esse, ac restitutioni subjectam: ratio est, quia cum non sit dominus proprietatis, non est credendum, ita amplam ei concedi administrationem, & distributionem, ut in quoscumque usus turpes, & illicitos, ac suo statui minimè convenientes validè consistat; cum non sit necessarius talis modus concedendi. Dominium verò proprietatis bonorum ab ejecto administratorum, si post ejectionem ad Episcopatum, vel beneficium assumptus fuerit; spectabit ad Ecclesiam: nam si religiosi ad has Dignitates translati Ecclesiæ acquirunt; à fortiori ejecti, qui minùs religioni subjiciuntur: ut docent Azor. Lessius, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 19. numer. 10.* Si tamen non fuerit assumptus ad has Dignitates, spectabit ad Religionem expellentem: ratio est, quia si jure statutum est omnia bona religiosi ad Religionem spectare, nec ab hoc statuto eximitur ejectus; dicendum est, bona ejecti ad Religionem expellentem pertinere: maximè quia semper parata est, ejectum jam emendatum admittere; nec dum expellit, emendare se nolentem, intendit privare se jure sibi quæsito quoad utilia, sed tantùm quoad inutilia, & nociva: cum ergo persona noceat, non verò bona: ideo personam expellit, non verò bona jam sibi quæsita. Sic Molina *tom. 1. de Just. disput. 140. versic. Quoad votum*, Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 6. numer. 22.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 41.*

capit. 41. *dubit.* 15. *numer.* 112. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 19. *numer.* 11. Ex Bulla tamen Gregorii XIII. incipit, *Officii nostri*, bona religiosi ejecti in sæculo morientis spectant ad Cameram Apostolicam. Vide Bonacinam *de Clausur. quæst.* 2. *punct.* 12. §. 7. *numer.* 3.

Advertendum hìc: ex Jure novo Pii IV. *in sua Constit.* quæ incipit, *Decens esse censemus*, & in alia, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, decerni, quòd omnia acquisita à Clericis etiam in sacris tam sæcularibus, quam Regularibus per illicitam negotiationem, vel aliàs contra Sacros Canones, ad Cameram Apostolicam pertineant; exceptis tamen Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Hinc est, quòd Religiosus sive ad Episcopatum, vel aliud beneficium promotus; sive ex legitima facultate extra Claustra degens, sive fugitivus, aut ejectus quidquid per illicitam negotiationem, aut contra Statuta Sacrorum Canonum acquirit; non Monasterio acquirit, sed Cameræ Apostolicæ.

Notandum tamen 1. regularem istum debere esse ex numero Clericorum, non verò Laicorum: cum de Clericis Constitutio loquatur; & ut pœnalis strictè accipi debet. Notandum 2. acquisitionem bonorum debere esse illicitam vel ex natura rei, vel ex prohibitione Sacrorum Canonum; nam non sufficit, quòd sit tantùm illicita ex vi Regulæ. Notandum 3. requiri sententiam Judicis declarantis ex se illicitam, vel contra Sacros Canones talem acquisitionem: cum enim sit lex pœnalis privans Religionem jure sibi quæsito; ideo requiritur ad obligandum Judicis sententia. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *capit.* 2. *numer.* 28. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 19. *numer.* 20.

Gregorius XIII. aliam Constitutionem edidit, quæ incipit, Officii nostri, in qua statuit: bona quocumque modo acquisita à Regulari extra Claustrum degente, etiam cum facultate Superiorum, ad Cameram Apostolicam pertinere; nec Monasterio, aut alteri pio operi adscribi posse: ut videre est penes Suarez *loco citato*, Castropalaum *loco citato num.* 21. & Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 33. *numer.* 21.

16 Petes 13. quale peccatum committatur à violante religiosam paupertatem? Resp. sacrilegium committi, cum sit contra reverentiam Deo debitam ob infidelitatem commissam contra promissionem ei factam. Supponitur autem gravitas materiæ, nam si levis esset, leve peccatum esset: nec excludi debet ab hac voti materia levitas, ut nonnulli putarunt absque solido fundamento; cum nil speciale contineat, ob quod levitas excludenda sit: ut docent Navarrus *lib.* 3. *Consil. tit. de Regular. consil.* 75. Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 20. *numer.* 2. Azor. 1. *Par. lib.* 12. *capit.* 12. *quæst.* 6. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 4. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 20. *numer.* 1. Desumenda tamen est levitas, vel gravitas materiæ in Voto paupertatis ex se, non verò ex circumstantiis; & communiter explicari solet per ordinem ad materiam furti gravem, vel levem. Sed quia furtum desumit suam gravitatem, vel levitatem materiæ à damno, quod patitur persona, contra quam furtum committitur; itaut idem furtum respectu personæ ditissimæ levis sit materia, respectu pauperrimæ gravis sit materia; ideo dictum est, præscindi debere à circumstantiis. Quapropter rectiùs desumitur levitas, vel gravitas materiæ à Voto eleemosynæ: illa igitur materia, quæ est gravis in voto eleemosynæ, gravis erit in voto Paupertatis; & quæ levis reputatur in Voto eleemosynæ, levis reputanda erit in Voto Paupertatis. Sic quia in Voto eleemosynæ reputantur quatuor argentei materia gravis, ita etiam erunt in Voto Paupertatis. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 6. *nu.* 9. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 20. *num.* 3. Regulariter loquendo huic peccato sacrilegii adnectitur peccatum furti, & injustitiæ, quando videlicet res Monasterii, vel à Sæcularibus absolutè donatas professus recipit, retinet, vel expendit absque facultate Superioris, & eo inconsulto: ratio est, quia Monasterium, in cujus dominium translatæ sunt, est invitum. Si verò Sæcularis aliquis daret professo rem eo animo, ut nollet transire in dominium, & administrationem Monasterii; sed inutilitatem, & commodum ipsius professi; tunc peccabit sacrilegè professus utendo illa absque facultate Superioris contra Votum Paupertatis; sed nec furtum committeret, nec injustitiam: cum dominus non sit invitus. Sic Corduba *in Summ. quæst.* 109. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 21. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 41. *dubit.* 9. *numer.* 80. Navarra *lib.* 3. *de Rest. cap.* 1. *punct.* 3. *dubit.* 3. *numer.* 182. Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 19. *numer.* 12. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 20. *num.* 4.

Petes 14. quænam acceptio, retentio, & expensio 17
violent Paupertatis Votum? Resp. eam acceptionem violare votum paupertatis, quæ fit nomine proprio; sapit enim proprietatem, qua nil nocentius respectu Voti paupertatis. Sic clarè definitur *in Cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 2. *& in Cap. Cum ad Monasterium de Stat. Monach.* & est communis sententia. Quale autem peccatum sit acceptio ista absque debita facultate, dignoscendum erit ex gravitate, vel levitate ipsius materiæ acceptæ. Adnotandum tamen, quòd si acceptio fiat ex rebus Monasterii, ut si professus aliquas Monasterii res inscio Superiore occultaret ad proprium usum; graviter peccaret, supposita gravitate materiæ, contra Justitiam, & contra Religionem; uteretur siquidem nomine proprio re pretio æstimabili invito domino: ut docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *capit.* 11. *numer.* 39. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 21. *numer.* 1. Non nego tamen, quòd si acceptio fieret ex comestibilibus ad communem sustentationem religiosorum destinatis, & in propriam sustentationem consumeret professus; requireretur major materia præ cæteris, ad hoc ut attingat ad gravitatem peccati mortalis: ratio est, quia Superiores in his non censentur adeo inviti, ut censentur in aliis; sed ad instar Patrum familias se habent cum suis subditis, & filiis suis quoad comestibilia pro se. Quando autem hæc comestibilia sic furtim accepta attingant ad gravem materiam; dignoscendum erit judicio prudentum Virorum ex damnificatione, quam Monasterium patitur. Sic Suarez *l. c. nu.* 41. Castropalaus *l. c. num.* 2. & Sanchez *lib.* 7. *Summ. cap.* 21. *nu.* 31. Minor tamen materia requiritur ad grave peccatum, si comestibilia è Monasterio accipiantur, ut tradantur exteris, vel ut vendantur: maximè si pretiosa fuerint, nec ad communem usum designata, sed ad extraordinarium pro infirmis: in hac enim acceptione magis nociva religioni semper supponitur invitus Superior, ut adnotant Doctores citati. Quæ dicta sunt de comestibilibus Monasterii intelligi debent de comestibilibus à sæcularibus acceptis absque licentia Superioris: cum enim eorum usus sit pretio æstimabilis, ideo est contra votum paupertatis illum exercere absque facultate Superioris. Requiritur tamen major quantitas in comestibilibus à sæcularibus acceptis, ad hoc ut pertingat ad gravitatem peccati mortalis; præ acceptis à proprio Monasterio: & ratio est, quia præsumuntur minùs inviti Superiores in acceptis à Sæcularibus, quàm in acceptis à monasterio, præciso semper scandalo. Sic Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 19. *numer.* 13. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *pun.* 21. *numer.* 4. & Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 11. *numer.* 41.

Receptio eodem modo se habet, ac acceptio: quapropter si inscio Superiore professus recipiat, eodem modo peccabit, ac si acciperet nomine proprio juxta superiùs dicta. Sed dubitatur: quale peccatum sit, accipere res usu præsentaneo non consumptibiles à monasterio; vel eas recipere à Sæcularibus eo animo, ut sibi retineat: nam recipere Superiori tradendas rarò potest esse peccatum mortale; sic esset accipere libros, Sacras imagines, vestes, & similia. Resp. si à Monasterio accipit, & occultè sibi retinet inscio Superiore, ne auferre possit; per se patet, esse grave peccatum, si ad longum tempus id fieret: ratio est, quia illa retentio occulta facit, ut Superior non possit rebus illis uti, ac pro libito auferre. Secus esset, si accepta à Monasterio palam retineret, ut posset de illis Superior disponere pro libito; dummodo tamen non sint immixta cum aliis rebus, quas ex facultate Superioris retinet, itaut discerni nequeant: nam in tali casu æquè se haberent, ac res occultè retentæ inscio Superiore. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* & *cap.* 12. *num.* 4. Sanchez *lib.* 7. *Sum. cap.* 19. *num.* 57. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 21. *numer.* 3. Si verò ab externis recipit absque consensu Superioris eo animo, ut sibi retineat; absque dubio mortaliter peccabit, si materia gravis fuerit. Nec favet, quòd sæcularis, & extraneus usum religioso concedat retento penes se dominio: eo quia paupertatis votum non solùm privat dominio rei, sed etiam libero ejus usu independenter à consensu Superioris.

Sic

Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 4. *dubit.* 5. *num.* 28. Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 19. *numer.* 53. Azor. 1. *par. lib.* 12. *capit.* 12. *quæst.* 2. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 21. *numer.* 4. Solùm excusatur professus à vitio proprietatis, si accipiat à sæculari in fidelem custodiam pecuniam, aut aliud; ut cum legitima Superioris licentia possit ex ea sibi libros emere, aut alteri necessitati succurrere: eo quia in tali casu nec dominium, nec usum, nec administrationem illius haberet; cum hæc omnia sint penes sæcularem tradentem in custodiam. Sic ex D. Bonaventura docet Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 19. *numer.* 50. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *capit.* 7. *quæst.* 1. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *capit.* 11. *numer.* 45. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 21. *numer.* 6. Suppono tamen, id non prohiberi ex vi Regulæ, & Constitutionum, ut defacto in aliquibus Religionibus prohibetur; quia tunc si non esset contra votum paupertatis, esset tamen contra Regulas, & Constitutiones exigentes perfectionem Religiosæ paupertatis. Suppono insuper, nullatenus tradi pecuniam illam, aut aliam rem Religioso in vim depositi: cum peccet Religiosus contractum depositi celebrando; & quamvis talis contractus nullus sit, & nullam obligationem monasterio inducat; nihilominus velle quantum est ex parte sua hanc obligationem subire, & jura depositi concedere deponenti inscio Superiore; peccaminosum est, & iniquum.

Expensio illa, ac dispensatio pecuniæ, aut alterius rei paupertatis votum violat, quæ fit sine expressa, vel tacita licentia Superioris: esset enim, ut ex se patet, usus dominii, & præcipuus ejus actus; sive expensio, & dispensatio fiat per donationem, sive per emptionem, mutuum, commodatum, aut depositum; quocumque modo ex istis fieret, semper professus uteretur pecunia, aut alia re tamquam propria, adeoque actum proprietatis exerceret. Non nego tamen, quòd religiosus mutuans, vel commodans res ad suum usum designatas, si securus sit de restitutione, & conservatione illarum; excusetur à gravi peccato: tum quia videtur levis materia, si non ad longum tempus extenderetur; tum quia non censeretur Superior notabiliter invitus: ut docent Sanchez *lib.* 7. *Summ. cap.* 19. *numer.* 65. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *pun.* 22. *num.* 1.

18 Petes 15. an licitum sit Religiosis in particulari facere eleemosynas? Resp. certum esse, Prælatis Religionum licere eleemosynas facere, & aliquas donationes; in his tamen faciendis servanda erit consuetudo suæ Religionis. Procuratoribus verò Religionum permittitur eleemosynas facere ex rebus Religiosæ Domus, sed juxta præsumptam voluntatem Superioris, à qua aberrare non debent; ne se gerant ut domini, sed ut fideles sui Prælati administratores. Quapropter ejus voluntatem explorare debent, quam si non possint, uniformare se debent consuetudini in sua Religione præscriptæ. Sic Azor. 2. *par. lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 3. Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 19. *numer.* 92. *&* 94. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *capit.* 15. *numer.* 9. 10. *&* 11. Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 22. *numer.* 3. Singulis tamen religiosis non est licitum eleemosynas facere ex bonis Communitati designatis; non enim ipsis, sed Prælatis religionis datur bonorum administratio. De bonis verò proprio usui destinatis eleemosynam facere, standum erit consuetudini receptæ in sua Religione, & propriis Statutis. Id conceditur in omnibus ferè religionibus, quòd si religiosi iter agant, vel extra Claustra in Academiis studeant, moderatas aliquas eleemosynas facere possunt consentaneas pietati, & religioni. Sicuti leves aliquas donationes facere possunt consanguineis, & amicis in signum gratitudinis acceptæ, & beneficii in receptione, ac in significationem debitæ amicitiæ, & ad conciliandum animum religioni: ut tradunt Suarez *l. c. numer.* 11. & Castropalaus *l. c.*

19 Petes 16. quænam licentia Superioris requiritur, ut non violetur Votum paupertatis? Resp. varia requiri ad hanc legitimam licentiam, ut indemne servetur Paupertatis Votum. Et 1. requiritur, ut licentia sit à legitimo Superiore, aut sic communiter reputato, qui si habeat alios Superiores sibi subordinatos, poterit ab ipsis obtineri, dummodo restrictionem non habuerint quoad hoc à primario Superiore. Moniales accipere poterunt facultatem istam à suis Abbatissis; nam Abbatissæ revera habent administrationem bonorum omnium suorum Monasteriorum; eisque obedientia à Monialibus promittitur; ergo eis competere debet posse facultatem concedere suis Monialibus accipiendi, retinendi, aut expendendi. Sic Ludovicus, & Gregorius Lopez, Corduba, Layman, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 23. *numer.* 11. 2. requiritur, quod licentia à Superiore voluntariè concedatur; & non sit ex metu, coactione, dolo, aut fraude obtenta: hæc enim reddunt actum concessionis involuntarium: ut advertunt Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *capit.* 11. *numer.* 14. Sanchez *lib.* 7. *Summ. capit.* 19. *num.* 16. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 3. *punct.* 23. *num.* 1. Dolus, & fraus erit, in petendo à superiore licentiam ea tacere, quibus manifestatis concedi non solet licentia; vel ea falsò addere, sine quibus non concederetur. Sic citati Doctores. 3. requiritur, ut licentia sit justa: nam Prælatus religionis non habet facultatem disponendi cum injustitia de rebus alienis, & invitis earum dominis. Quòd si res essent Monasterii, idem dicendum erit: cum Prælatus non sit dominus bonorum monasterii, sed dispensator fidelis, & administrator à Deo constitutus; adeoque ut justa sit facultas ab eo data suo subdito Religioso aliquid à Monasterio accipiendi, nequit excedere limites concessos fideli dispensatori, & administratori. Nec valet dicere, ex vi voti paupertatis non teneri Religiosum vitare injustitiam, sed solùm proprietatem, quæ sufficienter vitatur per facultatem à Superiore concessam, quamvis sit de re injusta. Contra enim est, quia per licentiam injustam, & iniquam nec vitatur injustitia, ut proposita objectio fatetur; nec vitatur proprietas, ad hanc enim vitandam requiritur licentia legitima, quæ ut talis sit, non debet esse iniqua, & injusta; aliàs licentia nulla esset, seu licentia de facto, non de Jure. Hinc est, quòd facultas à Prælato concessa suo subdito ad expendendum in res turpes, vanas, & superfluas; non sit licentia excusans à proprietate contra Votum Paupertatis: quia ut diximus, non est dominus Prælatus rerum Monasterio quæsitarum, sed fidelis administrator, & dispensator à Deo constitutus, & à Religione, quæ non præsumi debet velle, ut sua bona, in res turpes, vanas, & superfluas insumantur. Nec Prælatus ipse potest sibi ampliorem facultatem in hoc usurpare præ cæteris subditis, cum æquè subjaceat vitio proprietatis: juxta igitur præscriptum religionis sibi, & aliis facultatem concedere debet. Sic Navarrus, Sanchez, Navarra, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 23. *numer.* 4. 4. requiritur, quòd licentia sit expressa, vel tacita, aut præsumpta; unaquæque ex istis sufficiens est ad excusandum à proprietate. Dicitur expressa licentia, cum Superior expressis verbis, vel litteris dat facultatem. Dicitur tacita, quæ in virtute continetur in expressa: ut si Superior facultatem daret Religioso peregrinandi absque prohibitione recipiendi, & expendendi recepta; eo ipso in facultate peregrinandi concedit tacitam licentiam recipiendi, & expendendi. Idem dicendum, si superior esset conscius, nec prohiberet, cum facile prohibere posset receptionem, & expensionem; tunc in ea dissimulatione tacitè contineretur licentia. Secus tamen esset, si difficulter prohibere posset, ne domus religiosa rumoribus impleretur; tunc dissimulatio illa non esset tacita licentia, sed permissio facti, quæ non excusat à proprietate: ut docent Navarrus, Mendoza, Rodriquez, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 23. *num.* 7. Dicitur præsumpta, cum præsumitur superiorem licentiam daturum esse. An autem valeat licentia tacita, sicuti & præsumpta, cum superior facilè adiri possit ad petendam eam expressè, controversum est inter Doctores. Dicendum nihilominus valere: ratio est, quia si ad furtum vitandum sufficit præsumptio de voluntate domini, ut habet *Lex Inter omnes §. rectè ff. de furt.* ad proprietatem vitandam pariter sufficiet præsumptio de voluntate superioris, cum non obliget strictiùs votum paupertatis, quam Divinum Mandatum de non furando. Et sic docent Navarrus, Valentia, Navarra, Azor. Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 3. *punct.* 23. *numer.* 8.

Tria hìc adnotanda. 1. est, quod præsumpta licentia debet procedere ex cognitione voluntatis futuræ superioris, si non certa, ut voluere nonnulli, saltem probabili; adeout non se exponat moraliter periculo

operan-

operandi sine licentia, & proprietatis actum committendi. Ut docent Navarrus, Lessius, Mendoza, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur supracitatus Castropalaus. 2. est, quòd obtenta licentia à Superiore ob libros emendos e. g. non potest Regularis mutata opinione uti ea licentia ad alias res emendas; nisi licentia præsumpta utatur expendendi in alias res: ratio est, quia prima licentia limitata fuit ad libros, adeoque non poterit extendi ad aliam dispositionem, esset etenim usus pecuniæ absque ulla licentia. Sic Mendoza, Rodriquez, Sanchez, Suarez penes Castropalaum *loco citato numer.* 2. Hinc sequitur, quòd si Religioso iter agenti dentur pecuniæ ad eum finem; non poterit, etiam si solito strictiùs vixerit detrahendo à sua sustentatione ex subtractis libros emere, eleemosynas facere, aut in alios usus expendere; ratio est, quia ad finem sustentationis pro itinere datæ fuere à Religione, non verò ad alios fines. Suppono tamen, Religionem non determinare taliter expensas, ut si plures requisitæ fuerint, ab ipsa non subministrentur: in hoc enim casu sicuti Religio non tenetur supplere defectum, nec Religiosus obligatur dare residuum, sed illud expendere poterit in honestos, & pios usus. Secus verò dicendum, si Religio suppleret defectum, ut est in Societate Jesu; in qua residuum tradendum est Religioni: ut bene docent Navarrus, Navarra, Molina, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 22. numer.* 2. 3. est, quod rarò vitari possit peccatum veniale in hac receptione, & dispositione bonorum clandestina: cum commodè Superior adiri possit ob licentiam expressam, & manifestam: ratio est, quia ægrè superiores eas ferunt, sunt etenim veluti furtivæ, ac observantiæ regulari, & puritati paupertatis non consonæ. Quia tamen adversantur circa modum, non verò circa substantiam; ideo culpam venialem non excedunt: ut docent Suarez, Navarrus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 23. numer. 9.*

20 Petes ultimo: Regulares Votum Paupertatis violantes, quibus pœnis subjaceant? Resp. tres tantùm pœnas statui à Jure Ecclesiastico contra religiosos violantes paupertatis votum per retentionem absque Prælati licentia; nam per acceptionem, & expensionem non incurruntur prædictæ pœnæ, nisi tamen convictus fuerit religiosus, retinuisse, ut tradunt Sanchez *libr. 7. Summ. capit. 20. numer. 13.* Layman *lib. 4. Sum. tract. 5. capit. 7. in fine*, & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 3. punct. 24. numer. 4.* 1. igitur pœna est, ne in loco sacro sepeliatur, & si sepultus fuerit; extrahi debet, si id absque scandalo fieri possit. Sepeliri igitur debet in sterquilinio cum sua pecunia, si convictus fuerit decessisse retinendo proprium: sic statuitur *in Capit. Monachi, Cap. Cum ad Monasterium; & Cap. Super quodam de Stat. Monach.* Et quamvis spectato rigore Juris sepeliendus sit cum tota pecunia in opprobrium proprietarii; attamen ex benignitate sufficiens erit, non totam pecuniam, sed partem illius cum proprietario sepelire: ut docent Abbas, Joannes Andreas, Gregorius Lopez, Sanchez, & Layman relati à Castropalao eos sequente *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 24. num.* 1. 2. pœna erat expulsio à Monasterio, ut constat *ex Capit. Cum ad Monasterium cit.* Sed ne daretur Religiosis libera vagandi occasio correcta fuit *in Cap. final. de Regular.* & mutata in carcerem, ubi detrudendus erit, ac puniendus juxta qualitatem delicti: ut docent Abbas, Sanchez, & Layman, quos refert, & sequitur citatus Castropalaus *numer.* 2. 3. pœna statuta fuit *à Tridentino sess. 25. capit. 2. de Regular.* quòd videlicet Proprietarius per biennium privetur voce activa, & passiva, ac aliis pœnis puniatur juxta Religionis constitutiones. Ad incurrendas pœnas prædictas necessaria est Judicis sententia; satis enim indicant necessitatem sententiæ hujus Textus præcitati, dum volunt proprietarium deprehensum, & convictum: ut rectè advertunt Sanchez *lib. 7. Summ. capit. 20. numer. 13.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 3. pun. 24. num. 4.*

CAPUT XII.

De Obligatione Professi ex vi Voti Castitatis.

1 *Obligantur Religiosi ex vi Voti Castitatis ad non contrahendum Matrimonium, & abstinendum ab omni voluntaria actione venerea interna, & externa.*
2 *Desumitur gravitas, vel levitas peccati contra Votum istud ex gravitate, vel levitate materiæ contra Castitatem.*
3 *Desumi debet gravitas, vel levitas ex violatione castitatis propriæ, non alienæ.*
4 *Hinc non infertur dari levitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsita.*
5 *Plura spectantia ad Votum Castitatis dicta sunt de Voto, & plura dicentur in Sexto Decalogi Præcepto, & in Sacramento Pœnitentiæ.*

TENETUR religiosus professus, sicuti etiam omnes religiosi Societatis Jesu, qui vota sua, post biennium Novitiatus emisere; abstinere 1. ex vi Voti Castitatis emissi à Matrimonio contrahendo, nisi fuerit Professus aliquorum Ordinum militarium, qui non emittunt Votum absolutæ Castitatis, sed Conjugalis tantum. Obligatio ista in Religiosis Professis consurgens ex vi Voti Castitatis absolutè emissi, tanta est, ut vim habeat dirimendi Matrimonium ratum antecedens; non sic verò in Religiosis Societatis emittentibus vota biennii, ut suo loco dicemus. Matrimonium verò subsequens dirimitur non solùm in professis, sed etiam in ligatis Votis biennii Societatis Jesu, ut in Sacramento Matrimonii explicabimus. 2. tenetur abstinere ex vi Voti Castitatis ab omni voluntaria actione venerea, sive interna, sive externa; itaut contra Castitatem peccans duo peccata committat, luxuriæ videlicet contra Castitatem, & Sacrilegii contra votum emissum. Sic passim Doctores. 1

Gravitas, vel levitas peccati contra Votum Castitatis commissi desumitur ex gravitate, vel levitate peccati contra Castitatem commissi: nam si peccatum contra Castitatem commissum grave fuerit, grave pariter erit contra Votum; si verò leve fuerit contra Castitatem, leve etiam erit contra Votum. 2

Desumenda autem erit gravitas, vel levitas ista ex violatione Castitatis propriæ, non verò alienæ: nam vovens vovet Castitatem propriam, non verò vovet Castitatem alienam conservare; adeoque ex vi Voti non habet hanc obligationem, esto illam habeat ex præcepto Charitatis. Sic si quis leviter Castitatem propriam violaret, aut ex alia levitate materiæ, non enim negari potest posse leviter violari Castitatem propriam; & proximus ex illa veniali actione ad mortale induceretur; utique peccatum istud contra Votum veniale esset; mortale verò peccatum scandali adversus virtutem Castitatis commissum. Sic Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 6. num.* 10. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 3. punct. 1. numer.* 2. 3

Hinc non infertur, dari levitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsita: est etenim maximum absurdum hoc dicere, & à Doctoribus fere omnibus reprobatum: nam sicuti non conceditur in copula, & pollutione parvitas materiæ; sic nec concedenda erit in delectatione venerea deliberatè quæsita, quæ ex ipsis oritur, vel ex commotione spirituum vitalium, & seminis ex renibus ad pudenda. Sic Rebellus, Sanchez, Layman, Filliuccius, & alii penes ipsos, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 3. punct. 1. numer.* 2. Distinguendum igitur erit diligenter, aliam esse parvitatem materiæ in violatione Castitatis, & ejus Voti; aliam esse parvitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsita. Prima admittitur ob defectum perfectæ deliberationis, & plenæ advertentiæ. Secunda verò constantissimè negatur, cum supponat delectatio illa, etiam minima, & deliberationem, & advertentiam. 4

Plura spectantia ad Votum Castitatis dicta fuere cum de Voto; plura etiam remanent dicenda in Sexto Decalogi Præcepto, & in Sacramento Pœnitentiæ, ubi proprium locum habent. Adeoque hæc attigisse de obligatione orta ex vi Voti Castitatis in Religione emissi sive per professionem, sive per Vota simplicia biennii in Societate Jesu sit satis

CA-

CAPUT XIII.

De Obligatione Professi ex vi Voti Obedientiæ.

1 *Quid formaliter contineat Votum Obedientiæ.*
2 *In traditione sui, quam religiosus facit; virtualiter continetur promissio exequendi ea, quæ Prælati Religionis præceperint.*
3 *In violatione religiosæ Obedientiæ plures malitiæ continentur, quæ omnes enumerantur.*
4 *Tenetur religiosus ex vi Voti Obedientiæ servare omnia, quæ continentur in suis Regulis & Constitutionibus, prout obligant.*
5 *Dupliciter Regula potest leviter obligare.*
6 *Transgrediens Regulam obligantem sub gravi duplicem malitiam committit, unam contra Votum; alteram contra Virtutem, circa quam versatur actus imperans.*
7 *Licèt transgrediens Regulam sub nulla culpa obligantem nullam culpam committat ex vi Voti, regulariter tamen semper annectitur venialis culpa.*
8 *Et licèt nullam culpam committat, tenetur tamen subire pœnam transgredientibus impositam.*
9 *An religiosus transgrediens regulas sub nulla culpa obligantes, vel tantùm sub levi, sit in statu peccati mortalis?*
10 *Ad quid teneatur religiosus ex vi suæ professionis?*
11 *Quibus Superioribus tenetur obedire Religiosus professus, vel incorporatus Societati Jesu?*
12 *An ex vi voti Obedientiæ teneantur Moniales obedire suæ Abbatissæ, vel Priorissæ?*
13 *Regulares omnes sive mares, sive fœminæ tenentur obedire Summo Pontifici præcipienti.*
14 *Tenentur Moniales non exemptæ ex vi Voti Obedientiæ obedire suo Episcopo.*
15 *Quonam modo præcipere debeat Superior, ut teneatur Religiosus obedire ex vi voti Obedientiæ?*
16 *Quænam Prælatus præcipere possit ex vi voti Obedientiæ à subditis emissi?*
17 *An possit Religiosus obligari ad relinquendam debitam subjectionem, quam in statu religioso assumpsit?*

1 RELIGIOSA Obedientia formaliter continet Votum Deo factum obediendi Prælatis Religionis, in qua emittitur. Et quamvis ut Votum est, formaliter contineat promissionem Deo factam, non verò homini; nihilominus accessoriè habet etiam sibi adjunctam promissionem, & traditionem Prælatis factam: ratio est, quia religiosus Status, ut diximus in principio hujus Quæstionis; cum sit perfecta abnegatio sui, ob quam religiosus propria libertate, & dominio se spoliat, eaque transfert in Prælatos Religionis, quibus se regendum, & gubernandum tradit; ideo sine hac promissione, & traditione facta Prælatis Status Religionis consistere nequit. Sacratur autem traditio, & promissio facta homini per conjunctionem cum Voto, & promissione facta Deo; ideoque dicitur holocaustum, ac Sacrificium gratissimum Deo: ut adnotat Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 5. *à num.* 4.

2 In hac traditione sui, quam facit Religiosus; virtualiter continetur promissio exequendi ea omnia, quæ Prælati Religionis præceperint juxta Regulas, & Constitutiones Ordinis, quem profitetur: nam ad hunc finem traditio fit; non enim aliter regi, & gubernari Religiosus poterit à Prælatis suæ Religionis. Sic Doctores omnes duce Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 104. *artic.* 5. *ad* 3.

3 Ex dictis colligitur: in violatione religiosæ Obedientiæ plures malitias contineri specie inter se diversas. 1. est Sacrilegii malitia adversus Votum, & promissionem Deo factam, ut est indubitatum. 2. est malitia injustitiæ contra jus à Religione, & ejus Prælatis quæsitum per promissionem, & traditionem factam. 3. est malitia adversus eam virtutem, circa quam versatur actus à Superiore imperatus; ut si imperaret audire missam, Orationem facere; esset contra Religionem non obedire; si verò jejunium imperaret, esset contra Temperantiam. Sed ut habeatur malitia ista in violatione Obedientiæ, debet Superior præcipere utens jurisdictione Ecclesiastica à Pontifice concessa, quod minimè præsumi debet, nisi manifestè exprimat; ut esset jubendo sub pœna excommunicationis, vel legem statuendo expressè, & in utroque casu requiritur jurisdictio. Cæterùm si non exprimat, censendum est præcipere tantùm ex vi Obedientiæ sibi debitæ ex Voto; adeoque violatio præter malitiam Sacrilegii, & injustitiæ aliam non habebit. Sic Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *capit.* 6. *numer.* 6. Sanchez *libr.* 4. *Summ. capit.* 111. *numer.* 25. Layman *libr.* 4. *tract.* 5. *capit.* 7. *numer.* 6. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 1. *numer.* 3.

4 Ex vi voti Obedientiæ tenetur etiam Religiosus omnia contenta in Regulis, & Constitutionibus suæ Religionis servare. Et quidem si Regulæ, & Constitutiones sub gravi culpa obligent, eas sub gravi obligatione servare tenetur, alias mortaliter peccabit transgrediendo. Si vero Regulæ, & Constitutiones sub levi culpa obligent, tenebitur eas servare sub levi obligatione, & transgrediendo veniale peccatum committit. Si tandem nec sub culpa gravi, nec sub levi obligent; nullam culpam transgrediendo committit: esto violando illas subire debeat pœnitentias impositas transgredientibus; ut mox dicemus.

5 Notandum 1. regulam dupliciter posse leviter obligare. 1. ex levitate materiæ ipsius, si enim materia à regula imposita levis est; manifestè apparet non posse sub gravi culpa obligare; sed tantùm sub levi. 2. ex intentione Legislatoris, qui etiam si materia capax sit obligationis gravis, nihilominus eam ex sua voluntate restringit ad levem: nam si poterat nullam obligationem apponere, ut est in Regulis Ordinis Prædicatorum, & Societatis Jesu; multo magis poterat relicta gravi obligatione levem imponere. Nec votum Obedientiæ est de exequenda materia gravi, sed de exequendo præcepto circa illam, quod præceptum cum latum fuerit ex voluntate Legislatoris sub levi obligatione; inde est, quòd Votum in tali casu absolutè respiciat materiam levem: ut docent Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *capit.* 7. *numer.* 11. & *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *capit.* 2. *numer.* 4. & Castropalaus *de Stat. Religios. disputat.* 4. *punct.* 3. *numer.* 2.

6 Notandum 2. quòd religiosus transgrediens regulam obligantem sub gravi peccato duplicem malitiam committat, unam adversus Votum, aliam adversus eam virtutem, circa quam versatur actus imperatus: ut si Regula sub gravi præciperet auditionem Sacri, etiam diebus festis, vel jejunium diebus Veneris, etiam extra præceptum Ecclesiasticum; utique violare Regulam non audiendo Sacrum esset contra Votum, & contra Virtutem Religionis; sicuti non jejunare die illo esset contra Votum, & contra Virtutem Temperantiæ: cum enim Regula sit quædam lex rigorosè sumpta, ideo transgressionem constituet in duplici illa malitia. Non nego tamen, quòd si Regula præcipiat id, quod lege Divina, vel Ecclesiastica præceptum est; tunc non habebit vim Legis rigorosè sumptæ; sed potiùs vim admonitionis, & excitationis ob servandam obligationem à Deo, vel ab Ecclesia impositam: ut adnotant Sanchez *lib.* 6. *Moral. capit.* 4. *num.* 6. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *capit.* 7. *numer.* 6. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 1. *numer.* 4.

7 Notandum 3. quòd licèt nullam culpam committat transgrediens Regulam sub nulla culpa obligantem: eo quia non respicit utcumque observantiam Regularum, sed observantiam illarum, prout à Jure, vel ab homine in religione præcepta est: nec possunt Regulæ ullam in conscientia inducere obligationem, nisi eam desumant à præceptis Juris, vel hominis: nec de illis est Votum, nisi dependenter à præceptis: ut ex Suarez, & Sanchez adnotat Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 3. *numer.* 3. Nihilominus regulariter loquendo in transgressione harum Regularum culpa venialis committitur: ratio est, eo quia plerumque ex otiositate, torpore, vel alio non recto fine procedit; & dat insuper occasionem labefactandi religiosam disciplinam: ut tradit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 166. *artic.* 9. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *capit.* 3. *numer.* 12. Vasquez *tom.* 2. *disput.* 258.

cap. 3. num. 16. Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 4. n. 14.* Layman *libr. 4. Summ. tract. 5. capiti 8. numer. 7.* & Castropalaus *de Stat. Religion. disputat. 4. punct. 3. numer. 3.*

8 Notandum 4. quamvis violans Regulas sub nulla culpa obligantes coram Deo, & in conscientia nullam culpam haberet; nihilominus tenetur pœnam transgredientibus impositam subire: non enim hæc pœna est propriè talis; sed pœnalitas quædam, quæ imponitur non ob moralem culpam, sed regularem; quæ quidem pœnalitas optimè imponi potest à Superiore, si non est taxata à Regula, aliàs inefficax esset gubernatio: ut docent Suarez, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num.* 4. An autem transgressio hujus pœnæ impositæ inducat culpam moralem, itaut sustinere illam sit obligatio in conscientia, & ex vi Voti; dignoscendum erit à verbis Superioris imponentis illam; si enim ea imponit in Virtute Obedientiæ, vel in nomine Jesu Christi; certum est, obligationem in conscientia inducere, & ex vi Voti. Si tamen absolutè feratur sive à Superiore, sive à Regula sine tali formula; nullam obligationem inducet moralem, & in conscientia, ac ex vi voti; sed regularem tantùm, quæ ad nullam culpam obligat. De omnibus siquidem Regulis, ac Ordinationibus in Religione Prædicatorum, & Societatis Jesu constat, ad nullam culpam obligare, nisi in Nomine Jesu Christi, vel in Virtute Obedientiæ latæ fuerint; ut ex Suarez, Sanchez, & Layman docet Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 3. n. 4.* & constat in Societate Jesu *ex 6. part. Constit. cap. 5. in fine.*

9 Controverti solet hìc: an Religiosus habens consuetudinem transgrediendi Regulas sub nulla culpa obligantes, vel tantùm obligantes sub culpa veniali; sit in statu peccati Mortalis? Et quamvis per se loquendo carere intentione observandi has regulas, & illas defacto passim violare, non sit peccatum mortale, & consequenter non esse mortaliter peccaminosam per se consuetudinem, & habitum resultantem ex frequentatis actibus transgressionum: eo quia cum consuetudo, & habitus coalescat ex illis actibus, qui nullam culpam in se important, vel venialem tantùm, ut suppono ex Regulis; ideo habitus nequit esse reus ex se culpæ mortalis. Nihilominus per accidens grave peccatum erit, nisi efficaciter religiosus violans sic passim regulas procuret, & proponat correctionem, & extirpationem pravi illius habitus, & consuetudinis; ratio est, quia semelac advertit ex suo libero, ac irregulari modo operandi grave detrimentum sibi, & religioni inferri; sub culpa gravi tenetur illud evitare, ac curare efficaciter ne inferatur; ergo quamvis per se, hoc est ex vi illarum transgressionum non sit in statu peccati mortalis; per accidens, hoc est propter detrimenta, quæ sibi, & religioni sequuntur, erit in statu peccati mortalis, nisi extirpationem, & correctionem efficaciter procuret. Quis enim non videt damna, quæ sibi infert talis habitualis transgressor, per transgressiones siquidem illas se exponit probabili periculo formaliter contemnendi Regulas, hoc est, reputando illas ut frivolas, inutiles, ac nullius considerationis, vel animo deliberato non subjiciendi se pœnæ, & resistendi Prælato ob transgressionem, qui quidem contemptus formalis est. Insuper exponit se periculo probabili expulsionis à Religione, quæ quidem expulsio grave damnum est; & profitens obligavit se ita vivere, ac mores suos corrigere, & componere; ut dignus esset religiosorum cœtu. Damna verò, quæ Religioni infert; sunt, eam privare utilitate, & fructu, quos ex illo sperabat post tot expensas, & labores in ejus utilitatem insumptos. Insuper Regularem observantiam labefactare suo pravo exemplo, quo plures inducuntur ad regulas passim violandas: quæ quidem omnia nec levia sunt, nec parvi momenti, adeoque transgredientem obligant graviter ad correctionem efficaciter procurandam, ac mores componendos, aliàs in statu peccati mortalis erit. Sic docent Sanchez alios referens *lib. 6. Summ. cap. 4. num. 18.* Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. cap. 8. num. 9. quæstion. 7. concl. 4.* & Castropalaus *de Stat. Religion. disputat. 4. pun. 3. numer. 7.*

10 Ex dictis colligitur: Religiosum ex vi suæ professionis teneri per se, & primariò ad progrediendum in via perfectionis incœptæ per media essentialia, qualia sunt observantia Votorum, & Præceptorum Religionis, per media namque suæ Religionis tenetur ad perfectionem progredi, non verò per alia. Teneri verò secundariò, & per accidens iis mediis uti, & auxiliis secundariis, etiam sub nulla obligatione ad culpam à Religione præscriptis; quæ conferunt ad observantiam mediorum essentialium: aliàs nec esset in Statu tendendi ad perfectionem, nec debitam intentionem haberet suæ æternæ salutis. Hinc est, peccare religiosum omnia media abjicientem, ac omnia monita, & regulas negligentem: eo quia nullum perfectionis studium adhiberet. Peccare insuper, si velit ea tantum servare, quæ sub mortali præcipiuntur; vel si habeat animum directè contrarium nolendo perfectionem, aut nolendo se subjicere Regulis, ac Superioribus: non enim debitam suæ salutis æternæ intentionem haberet. Denique tenetur Religiosus aliqua opera bona supererogationis facere, etiamsi specialiter non sint præcepta, nec ab eo promissa: ratio est, quia sine his non potest moraliter loquendo habere debitam salutis suæ intentionem; cum per hæc conservetur Status gratiæ, & debita tendentia ad perfectionem. Sic Doctores citati, & alii passim.

Quæres 1. quibus Superioribus ex vi voti obedientiæ teneatur obedire Religiosus professus, vel qui vota biennii Societ. Jesu emisit? Resp. extra dubium esse, debere obedire suo superiori locali, Provinciali, & Generali: cum omnes isti veri Superiores sint, & ordinariam habeant jurisdictionem; adeoque omnibus his per Votum obedientiæ se subdidit religiosus, cum debito tamen ordine inter illos, ut videlicet Generalis præferatur Provinciali, & Provincialis Superiori locali: non enim jurisdictio inferioris extendere se potest contra jurisdictionem Superioris, & præcipere illi contraria: esset quidem iniquum præceptum, & nullatenus servandum: ut docent Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. num. 6.* Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 2. num. 1.* & alii passim. Tenetur quoque obedire ex vi Voti obedientiæ omnibus habentibus facultatem delegatam ab ipsis: cum enim potestas ordinaria delegabilis sit; inde est, quòd si constet delegatam fuisse, tenetur obedire delegatis. Sic parere debebit religiosus ex vi voti obedientiæ Visitatoribus Provinciarum à Generali delegatis; Vice Provincialibus delegatis à Provinciali; & Vice Rectoribus, vice Prioribus, aut vice Guardianis habentibus facultatem à Superiore locali, sive Rector, sive Prior, sive Guardianus fuerit, vel Præpositus, aut simili nomine nuncupatus. Non censenda tamen erit hæc jurisdictio delegata Ministris, & Officialibus Domus religiosæ, ut sunt Vicarii Conventus, Ecclesiæ, Chori; etiam in illis actibus, qui ad suum Officium pertinent; nisi specialem delegationem habuerint à Superiore locali, & de ea constet: ut bene tradunt Suarez *l. c. num. 18. & 19.* & Castropalaus *l. c.* In his tamen semper attendenda erit propriæ Religionis consuetudo: in Societate Jesu quamvis Minister sit primarius Officialis Superioris Domus, vel Collegii; nihilominus eam potestatem habet ad rectam gubernationem, quam Superior ei concedet *ex 4. part. Constit. cap. 10. §. 7.* Et licèt non possit præcipere in Virtute Sanctæ Obedientiæ; attamen si Sacerdos fuerit, omnes alii Officiales Domus; vel Collegii, sicuti omnes alii Religiosi, qui Officiales non sunt, etiamsi fuerint professi; tenentur ei obedire *ex part. 4. Constit. cap. 10. §. 8.* & ex Congreg. Gen. III. *Decret. 21.* adeout qui Ministro clarè diceret: *Nolo facere*, incurreret in quartum Casum reservatum inobedientiæ expressæ juxta Declarationem Cong. Gen. VII. *Decret. 45.* 11

Controvertitur de Abbatissa: an videlicet Moniales ei subditæ teneantur obedire ex vi Voti Obedientiæ: & ratio controvertendi est, quia Abbatissa ex Jure Ecclesiastico incapax est jurisdictionis spiritualis, & ad præcipiendum ex virtute Obedientiæ requiritur hæc spiritualis jurisdictio, cum finem spiritualem respiciat. Adeoque denegarunt Victoria de *Potest. Eccles. quæstion. 2. numer. 4.* & Sanchez *lib. 6. Summ. capit. 1. numer. 21.* posse Abbatissam suis Monialibus præcipere in Virtute obedientiæ. 12

Nihilominus dicendum 1. est : posse Abbatissam suis Monialibus præcipere ex vi Voti obedientiæ quidquid expediens fuerit ad rectam gubernationem politicam, & temporalem sui Monasterii ; adeout teneantur ex vi Voti obedientiæ ei Moniales obedire : ratio est, quia si à Religione constituta est jam Monasterii Rectrix, & Gubernatrix ; nec possit rectam gubernationem instituere sine jurisdictione ; evidenter sequitur, concessam ei pariter esse jurisdictionem ad imperanda ea, quæ ad rectam gubernationem politicam, & temporalem conferunt. Hinc est, posse præcipere ex virtute Voti obedientiæ à Monialibus emissi, ne cum exteris loquantur, ne ad hortum domesticum exeant, ne litteras scribant, aut accipiant, & similia; quæ rectæ gubernationi domesticæ conferunt, ac bono nomini Monasterii. Sic expresse docuere Sotus *in 4. dist. 20. quæstion. 1. articul. 4.* Bartholomæus Ledesma *in Summ. Sacram. ubi de Claus. diff. 4. dub. ult.* Sanchez plures referens *lib. 6. Summ. cap. 1. num. 17.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disputat. 4. punct. 2. num. 2.* Posse etiam defectus Monialium commune bonum impedientes inquirere, & inquisitos punire. Si enim Rector Universitatis alicujus ex vi Juramenti à Scholaribus præstiti potest ea omnia præcipere, quæ rectæ gubernationi Universitatis illius expediunt; cur non poterit id præstare Abbatissa ex vi Voti obedientiæ à Monialibus emissi? Et sic docent Vasquez *1. 2. tom. 2. disputat. 166. capit. 4. numer. 28.* Sanchez *libr. 6. Summ. capit. 1. numer. 27.* & Castropalaus *l. c.*

Dicendum 2. est : posse etiam Abbatissam prædicta omnia præcipere ex vi Voti obedientiæ Monialium, quatenus conferunt spirituali profectui uniuscujusque Monialis ; & consequenter posse ea omnia illis præcipere, quæ juxta Regulas, & Constitutiones Monasterii observare tenentur : ratio est, quia potest quis voto simplici se obligare fœminæ, vel laico ad ei obediendum in iis, quæ ad spiritualem profectum suum judicaverit expedire, quamvis ex vi Voti illius nullam spiritualem jurisdictionem acquirat fœmina, vel laicus ; ergo etiam poterunt se obligare voventes Moniales ex vi Voti solemnis Obedientiæ ad obediendum Abbatissæ in iis, quæ spectant ad profectum spiritualem proprium juxta Constitutiones, & Regulas Monasterii, absque eo quod Abbatissa jurisdictionem spiritualem acquirat : & sic credendum est, emitti Votum Obedientiæ à Monialibus; cum congruentius sit observantiæ, & disciplinæ Regulari, ac profectui spirituali Monialium : sicuti enim in Monasteriis Virorum eo titulo Prælatus localis potest suis subditis ea omnia præcipere ; sic eodem titulo poterit ea omnia præcipere suis Monialibus, esto non habeat annexam jurisdictionem spiritualem. Aliàs Monasteria Mulierum appellari re vera non poterunt Domus Religiosæ, sed Convictus, & Seminaria, ubi ad instar Regularium aluntur Sæculares Juvenes, & educantur. Sic rectiùs sustinent Suarez *tom. 3. de Religion. libr. 10. capit. 11. numer. 20.* & Castropalaus *de Stat. Religion. disp. 4. pun. 2. num. 3.*

13 Regulares omnes sive Mares, sive fœminæ tenentur obedire Summo Pontifici præcipienti, non solùm ex jurisdictione, quam habet à Christo Domino; sed etiam ex vi Voti obedientiæ : ratio est, quia est Supremus Religiosorum omnium Generalis, & Caput ; & à quo omnium Religionum Prælati suam jurisdictionem dependentem habent : adeoque ex vi Voti obedientiæ à Regularibus emissi, efficaciùs, & fortiùs ei emittitur præ cæteris aliis Prælatis suarum Religionum, qui omnes ab eo pendent: maximè quia dum Religiones approbavit, censendum est, sub ea conditione eas approbasse, ut sit earum Supremus Prælatus. Sic Doctores ferè omnes cum Soto, Navarro, Suarez, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 2. num. 4.*

14 Tenentur Moniales non exemptæ obedire suo Episcopo ex vi Voti Obedientiæ; est enim earum Superior, ut sunt Prælati Regulares suorum subditorum : sic Sanchez *libr. 6. Summ. capit. 1. num. 11.* & Castropalaus *de Stat. Religion. disputat. 4. punct. 2. numer. 5.* Moniales verò exemptæ à Jurisdictione Episcopi, sicuti & alii Regulares exempti non subduntur ex vi Voti obedientiæ Episcopo quoad Regularem observantiam; quamvis ei subdantur quoad aliquas actiones spectantes ad Ecclesiasticam disciplinam. Sunt autem actiones, in quibus Religiosi exempti subduntur Episcopo, & quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent; sequentes, Libros imprimere, confessiones sæcularium audire, Officium Concionatoris exercere, festa, & Censuras observare, publicis processionibus assistere. Subjacent quoque Episcopo in controversiis de præcedentia loci, in exploratione voluntatis puellæ professuræ, in Visitatione Clausuræ Monialium, & in punitione Religiosi publicè delinquentis extra Claustra. Si Religiosi exempti privilegium habeant à Sancta Sede, ne possint excommunicari, suspendi, aut interdici ab Episcopo, non poterit Episcopus ad hæc observanda per Censuras prædictas compellere Religiosos exemptos, nisi in Casibus à Tridentino expressis, si videlicet celebrent in Oratorio privato absque licentia, & horis non debitis ; si superstitiones in celebratione Missarum admittant ; ut dicitur *sess. 22. Decret. de vitand. & observant. in celebr. Missar.* si nolint bona Novitiis restituere, qui resipiscunt ab intentione ingrediendi Religionem. *Sess. 25. capit. 16. de Regular.* si Clausuram Monialium tentent impedire. *Sess. 25. capit. 1. de Regularib.* In aliis Casibus non expressis à Tridentino solùm poterit cogere Episcopus per Depositionem, Detrusionem in Monasterium arctiùs, vel per alias pœnas arbitrarias : *ut in Cap. 1. de Privileg. in 6.* docuerunt Glossa, Hostiensis, Joan. Andreas, Sanchez, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Religion. disputat. 4. punct. 2. numer. 5.* Religiosi non exempti à potestate Episcopi, si qui sunt, & votum Obedientiæ emittunt ; quamvis communis Sententia, quæ videtur esse D. Thomæ *in 2. distin. 44.* & quam sequuntur Sanchez alios referens *libr. 6. Summ. capit. 1. numer. 13.* Layman *libr. 4. Summ. tract. 5. capit. 8. numer. 2.* & alii ; doceat, ex vi voti emissi non posse Episcopum religiosos illos non exemptos compellere ad regularem observantiam, bene tamen ad disciplinam Ecclesiasticam. Nihilominus mihi apparet probabilior sententia opposita : moveor, quia si hi Religiosi non tenerentur in Regulari observantia obedire Episcopo, sed suo Prælato; sequeretur, quòd essent exempti contra suppositionem. Probatur sequela : quia jam eorum Prælatus immediatè acciperet jurisdictionem à Pontifice, in quo consistit exemptio. Quòd si eam acciperet à Pontifice medio Episcopo, jam Episcopus esset principalior Superior præ Religionis Prælato ; ergo si ex vi Voti subjiciuntur Prælato Religionis, à fortiori subjici debent Episcopo. Sic Petrus Ledesma *2. tom. Summ. tract. 10. cap. 7. notab. 2.* Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 2. num. 6.* & inclinat Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. num. 15.*

Quæres 2. quonam modo Prælatus præcipere de- 15
beat, ut teneantur Regulares subditi ei obedire ex vi voti emissi? Resp. debere ita expressè præcipere, ut verborum formula declaret voluntatem obligandi in Superiore : sic esset si præciperet in Virtute Sanctæ Obedientiæ, vel in Nomine Jesu Christi; idem esset, si præciperet in Nomine Dei Patris Omnipotentis, aut in Virtute Spiritus Sancti: satis enim per has formulas voluntatem suam obligandi declararet Superior. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 4. num. 67.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 2. n. 7.* Hinc est, quòd si superior utatur verbis præceptivis, absq; eo quòd addat aliquid, quod exprimat in Virtute Obedientiæ velle obligare; tunc ejus præceptum obligationem non inducet ex vi Voti Obedientiæ. Inde est, quòd *in Constit. Soc. Jesu part. 6. cap. 5. in fine* cautum sit, præceptum Superioris nullam inducere obligationem, quantumcumque verbis præceptivis utatur, nisi addat In Virtute Obedientiæ, vel in Nomine Jesu Christi.

Quæres 3. quænam Prælatus Regularis possit præ- 16
cipere suis subditis ex vi Voti Obedientiæ? Resp. licèt videatur, posse quamlibet rem honestam suis subditis præcipere ex vi Voti Obedientiæ : eo quia subditi per hoc Votum omnem suam voluntatem penitus abnegant, ac sub voluntate, & nutu Superioris constituunt. Quapropter non solùm Constitutiones

Societ.

Societ. Jesu, *ut constat ex part. 6. cap. 1. n. 23. & ex part. 6. cap. 1. n. 1.* sed etiam aliæ Constitutiones Regulares præscribunt suis Religiosis, ut prælato obediant in iis omnibus, in quibus turpitudo non apparet. Nihilominus dicendum est, non posse Prælatum suis subditis religiosis præcipere ex vi Voti obedientię nisi ea, quę sunt juxta Regulas expresse, vel tacitè; non verò extra illam; ratio est, quia Prælatus nequit suo pręcepto subditos obligare nisi secundum id, quod ipsi voverunt, & se tradiderunt; sed voverunt obedire, & se tradiderunt Superiori secundum Regulam; ergo ea, quæ secundum Regulam sunt; præcipere poterit, non verò alia. Professus siquidem per votum Obedientiæ non indiscriminatim voluntatem suam transtulit in voluntatem Superioris, sed juxta Regulam, quam expertus est, & profitetur: & in hoc consistit religiosa sequela Christi, & abnegatio propriæ voluntatis. Non nego tamen, quòd perfectissima Christi sequela expoſcat à Religiosis obedientiam Prælato in iis omnibus, quæ honestati, & Statui assumpto non repugnant, uti pręscribunt nonnulli Sacri Ordines suis Religiosis. Sed hoc non est opus pręcepti, de quo loquimur; sed consilii: nec prędictæ Religiones præcipiunt, sed consulunt. Est expressa sententia D. Bernardi *lib. de Præcept. & Dispens. cap. 7.* D. Thomæ 2. 2. *quæst. 104. art. 5. ad 3.* quos sequuntur Navarrus, Valentia, Vasquez, Sanchez, Suarez, relati à Castropalao eos sequente *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. n. 2.*

Dictum est: posse ea tantum Superiorem præcipere ex vi Obedientiæ, quæ sunt juxta Regulas; non requiritur tamen, ut expressè sint juxta Regulas Ordinis, sed sufficit, quòd sint tacitè: Tacitum enim, & expressum ejusdem Juris sunt *ex Regul. Expressa 156. ff. de Regul. Jur. & ex Leg. Cum quid ff. Si certum petatur.* Ea tamen censentur tacite sub Regula contineri, quę moraliter necessaria reputantur ad observantiam Regulæ expressę. Quę verò moraliter necessaria censenda sint ad observantiam Regulę expressæ, non potest certa regula pro eis assignari, quę utique difficilis est; sed Prudentis arbitrio hoc dijudicandum erit. Sic D. Thomas *in 2. Senten. dist. 44. quæst. 2. art. 3.* Durandus, Sylvester, Lessius, Vasquez, Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. num. 4.*

Hinc fit 1. tacitè contineri sub Regula punitionem omnium transgressionum, quæ contra Regulam fiunt: eo quia talis punitio necessaria est ad communem observantiam regulę; nam sine punitione passim violaretur: ut tradunt Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 8. num. 7.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 2. n. 45.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 41. dubit. 9. n. 77. & alii.* Fit 2. tacitè contineri sub Regula jejunium, reclusionem, & similes pœnitentias, quando necessaria sunt ad lapsum peccati vitandum, vel ad exactè observanda vota, & Statuta Religionis: quapropter ea imponere poterit sub pręcepto Superior, utpote necessaria ad talem Regulę observantiam. Sic Supracitati Doctores, qui doctrinam suam confirmant ex Tridentino indicente perpetuam clausuram Monialibus, quam professæ non fuerint: eo quia perpetua clausura necessaria est ad castitatem promissam; & professam. Fit 3. tacitè etiam contineri sub Regula indictionem aliquarum Orationum, precum, jejuniorum, & similium pœnitentiarum, quas Prælatus necessarias reputaverit ob bonum Commune Domus Religiosę, vel totius Ordinis: nam si Episcopus in sua Diœcesi poterit hęc indicere ex justa causa, cur non poterit id prestare Regularis Prælatus, qui ex vi voti emissi à suis Religiosis non solùm habet in illos potestatem jurisdictionis, sed etiam dominativam? Sic Lessius, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. punct. 4. n. 5. in fin.*

Controvertitur tamen 1. an tacitè contineatur Missio ad Indos, infideles, & hęreticos ad eos convertendos, vel reducendos, sub promissione generali facta in aliqua Religione procurandi salutem proximorum? Et quamvis affirmativam sententiam sustinuerit Sotus *lib. 7. de Just. quæst. 2. art. 4.* eo quia si ex vi sui Instituti obligatur Religiosus procurare salutem proximorum, efficacius obligabitur ad eam procurandam penes Indos, infideles, aut hęreticos. Sed negativam sententiam amplectendam puto docentem, quod ex vi generalis promissionis procurandi animarum salutem non comprehendatur tacitè Missio ista; sed necessario requiritur specialis, ac expressa obligatio, ut est in Regula Societatis Jesu: ratio est, quia licèt hęc Missio sit Ecclesię Dei valde necessaria; nihilominus cum nimis ardua sit, & difficillima ob pericula animę, & corporis, quibus est exposita; non poterit ullatenus intelligi sub generali promissione comprehensa; nisi ejus specialis, ac expressa Mentio fiat. Sic Corduba, Rodriquez, Ludovicus Lopez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. n. 6.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4. n. 22.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 41, dubit. 9. n. 77.* & Sanc. *lib. 6. Summ. cap. 2. n. 47.*

Adnotandum hìc 1. quòd si Religiosi habuerint Domos inter Indos, infideles, vel hęreticos, etiamsi specialiter, & expressè non professi fuerint Missionem istam; teneantur ex vi Voti ad habitandum ibi, si missi fuerint à suo Superiore: ratio est, quia non mitteret Superior, nec compelleret ad habitandum in loco suæ professioni alieno. Sic Navarrus *Comment. 3. de Regul. n. 22.* Suarez *l. c.* & Castropalaus *l. c.*

Adnotandum 2. Religiosos Societatis Jesu, etiamsi non fuerint professi quatuor Votorum, sed solis votis biennii obstricti; teneri ex vi Voti ad Missiones istas, adeo ut compelli possint à Pręposito Generali ad illas, etiamsi nulla Domus, vel habitatio Societatis habeatur, & etiamsi mittantur ad tempus indefinitum, ac etiamsi nulli Christiani ibi habeantur, sed sperentur haberi. Dummodo mittat ad exercendas ibi actiones, quas ad proximorum salutem exercere solet Societas, non verò ad alias, ut esset Captivos redimere, negotia tractare commodum temporale Reipublicę respicientia, & similia: ratio est, quia finis, & scopus principalis cuilibet Societatis Jesu religioso propositus est, omnes Mundi partes peragrare, ubi majus Dei obsequium, & Proximorum salus speratur: ut constat *ex part. 9. Constit. cap. 3. §. 9.* & docent Ribadineyra *de Societ. Jesu Instit. cap. 20.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. . cap. 12. num. 11. & 12.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 2. n. 47.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. n. 6.*

Controvertitur 2. An possit Superior imponere obligationem aliquam, itaut teneatur subditus obedire cum periculo vitę, ut esset servire infectis contagio, aut simili morbo laborantibus? Pro qua controversia dirimenda supponendum ut certum, quòd si bonum commune Religionis pendeat ab illa actione cum periculo vitę, poterit Superior illam pręcipere, & subditus tenetur obedire: ratio est, quia si Princeps ob bonum commune temporale potest suis subditis periculosam navigationem pręcipere, aut ad pugnandum in bello progredi, cur non poterit Regularis Prælatus actiones periculosas suis subditis pręcipere ob bonum spirituale totius suę Religionis? Sic Cajetanus *tom. 3. Opuscul. tract. 9.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 9. num. 29.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. num. 7.* Hinc deducitur, quòd tunc superior poterit subdito suo pręcipere inservire infectis contagio cum periculo vitę, quando actio illa inserviendi respiceret bonum commune Religionis; mutua enim, & fraterna Charitas exigit, sese mutuis obsequiis in necessitatibus adjuvare ad conservationem boni communis Religionis. Adeoque quilibet Religiosus debet esse expositus ad parendum pręcepto superioris; absonum enim esset obligare exteros ad inserviendum: ut bene tradunt Suarez *l. c. n. 29.* Castropalaus *l. c.* Rodriquez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 31. art. 3.* & Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 2. n. 56.* Advertunt tamen, debere superiorem in pręcipiendo considerare qualitatem infecti, & inservientis; dissonum namque esset, & bono communi Religionis adversum pro religioso infecto non tantæ considerationis exponere religiosum valde proficuum religioni, cum sint alii, qui exponi possint. Sic insuper esset, si bono nomini religionis notabiliter expediret, ut religiosi aliqui assisterent peste infectis, etiamsi exteri fuerint. Tunc enim posset Prælatus ad bonum nomen suę Religionis conservandum pręcipere actionem illam aliquibus suis subditis, & isti obedire tenerentur: ratio est, quia & prælatus, & subditi tenentur bono nomini suę Religionis consulere notabiliter periclitanti. Sic Suar. & Castrop. *l. c.* Adnotandum tamen, quòd cum Exteris contagio infectis numquam obligari possint religiosi ex vi voti, & suę professionis religiosę ad inserviendum illis in corporalibus, ut esset Medicinas, cibaria, & similia

milia ministrare : cum finis Religiosorum mendicantium, & eorum qui Monasticam vitam sibi tantùm incumbentem non degunt, sed etiam proximorum saluti; non sit salus temporalis proximorum, sed sola spiritualis; solùm igitur obligari poterunt ex Charitate, ut teneantur alii Clerici; cum obligatio religiosorum non sit major in hoc præ illa clericorum. In spiritualibus igitur tenentur ex vi Voti, & professionis religiosæ in defectum Parochorum, & aliorum Clericorum, qui non reperiantur ab Episcopo etiam mercede conducti, & salus æterna infectorum periclitatur. Sic Armilla Tabiena, Sanchez, Rodriquez, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. num. 7.*

Controvertitur 3. An possit obligari religiosus ad asperitates sustinendas primitivæ Regulæ à Fundatore institutæ, & à Pontifice approbatæ? Ratio controvertendi est, quia Votum emissum fuit secundum Regulam; si ergo primitiva Regula tales asperitates præscribit, sustineri debebunt, quia sunt secundum Regulam. Nihilominus dicendum, si austeritates illæ, & regulares observantiæ cadunt sub voto, & sic à suo Institutore præscriptæ fuere, & à Pontifice approbatæ; poterit subditus ex vi Voti obedientiæ emissi secundum regulas obligari ad austeritates illa sustinendas: ratio est, quia transgressiones, & violationes illarum nullam consuetudinem, & præscriptionem inducere potuerunt; nam contra Votum, utpote inducens obligationem Jure Divino, & naturali, nulla consuetudo, & præscriptio prævalere potest: ut docent Navar. *in Summ. cap. 12. n. 50.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 8. n. 18.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 2. n. 36.* & Castrop. *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. n. 9.* Si verò non cadunt sub Voto, nec sic institutæ fuere; sed lex, & regula illas statuens à sui initio id fecit ob majorem Religiosi Status observantiam, & declaravit sub Satu religioso contineri; tunc quia declaratio ista, & comprehensio est tantùm Juris Ecclesiastici, non verò Divini; ideo contra ipsam prævalere poterit consuetudo, & præscriptio. Quapropter jam introducta consuetudine, qui vota emittit post illam; non tenetur austeritates illas sustinere, nec ad illas obligari poterit: ratio est, quia Votum Obedientiæ non semper fit secundum rigorem Regulæ à Fundatore institutæ, & à Pontifice approbatæ à sui initio, sed secundum Regulam consuetudine legitimè præscripta mitigatam. Et licèt consuetudo non possit derogare Regulæ, quatenus est sub voto comprehensa; potest tamen illi derogare, quatenus Regula est; & sic derogata nec Lex, nec Regula est; adeoq; Votum Obedientiæ secundum Regulam emissum non comprehendit austeritates illas. Sic Navarrus, Ludovicus Lopez, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. punct. 4. num. 9.*

Controvertitur 4. An teneantur Religiosi ad observandam Regulam reformatam à prælato, & Generali Capitulo juxta pristinum Statum, si professionem suam emiserint ante reformationem illam? Et quidem quòd teneantur ad illam, si post reformationem Votum obedientiæ emiserint; est extra controversiam; solùm ergo controversia est de Religiosis vota emittentibus ante reformationem. Pro qua dicendum; si reformatio facta à generali Capitulo cum suo prælato necessaria fuerit moraliter ad conservationem Religionis assumptæ, itaut sine illa deperderetur Religio; tenentur Religiosi ex vi voti emissi ante reformationem subjacere reformationi, eamque observare: ratio est, quia tacitè, & in virtute ea reformatio sub regula comprehensa est; & religiosus ex vi voti secundum regulas tenetur servare ea, quæ necessaria moraliter sunt ad conservandum suum statum religiosum assumptum; hoc enim est tacitè, & in virtute contineri sub regula, aliàs voveret Statum religiosum sine Religione. Quòd si reformatio per novum Statutum generalis Capituli, & prælati necessaria non fuerit moraliter ad Regulæ mitigatæ conservationem; non tenebitur ex vi voti emissi ante illam observare religiosus: ratio est, quia nec expressè, nec tacitè continetur sub voto emisso, semelac moraliter necessaria non est ad regulæ mitigatæ conservationem, & ad statum religiosum assumptum; adeoque non poterit ad illam obligari, utpote sub Regula mitigata, quam vovit, non comprehensam. Sic ex Felino, Abbate, Sylvestro, Azorio, Vasquez, Sanchez, Suarez, Layman tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 4. num. 10. & 11.*

Si tamen petas: quando reformatio Regulæ censenda erit moraliter necessaria ad conservationem Ordinis Religiosi? Resp. ex Layman, & Castropalao, quando per præsentem Regulæ observationem vel nulli, vel pauciissimi ex illis religiosis student ad perfectionem pervenire, ad quam pervenirent cum reformatione illa; vel quando ita viverent cum scandalo, & sæcularium querela, ut expediret, religionem illam dissolvi; & per reformationem vitaretur scandalum, & querela Sæcularium; vel denique si sine reformatione nec vota essentialia, quæ ad religiosam vitam faciunt; nec alia essentialia Ordinis observari possent.

Quæres 4. an possit Religiosus obligari ad relin- 17
quendam debitam subjectionem in Statu Religioso, quem assumpsit? Resp. nullatenus posse ex vi Voti Obedientiæ obligari ad relinquendam debitam subjectionem: ratio patet ex se, quia aliàs Votum Obedientiæ esset sibi manifestè contrarium; per Votum siquidem Obedientiæ subjicitur Religioni, & in ejus potestatem traditur; adeoque ex vi hujus Voti nequit subjectionem istam relinquere. Sic DD. omnes teste Castropalao *de stat. Relig. disp. 4. punct. 5. num. 1.*

Hinc sequitur 1. ex vi Voti Obedientiæ non posse obligari Religiosum ad transeundum in aliam Religionem, etiamsi perfectior fuerit, aut æqualis perfectionis: ratio est, tum quia vovens obedientiam in tali determinato Ordine non promittit perfectiorem ingredi, aut æqualem; nec promittit obedire Prælato talem ingressum præcipienti; sed tantum promittit perfectionem in hoc Ordine, & obedientiam præstare Prælato juxta Regulam hujus Ordinis; tum quia nequit Prælatus Religionis suo subdito ea præcipere, quæ eximunt ab Obedientia sua. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. capit. 10. num. 4.* & Castropalaus *de stat. Relig. disput. 4. punct. 5. numero 4.*

Sequitur 2. Non posse obligari Religiosum ex vi Voti Obedientiæ ad Episcopatum assumendum: ratio est, quia Episcopatus eximit ab Obedientia *ex cap. 1. 18. quæst. 1.* cui religiosus per votum se subjecit; maximè quia votum Obedientiæ emittitur juxta Regulam, & Episcopatus est extra Regulam; nec Episcopatus refertur ad bonum Religionis, & Religiosi; sed ad bonum commune Ecclesiæ, cui consulere non attinet ad Prælatos Regulares. Solùm ergo ex vi Voti obedientiæ tenetur Religiosus ad subeundum Prælati Officium, vel aliud Munus in sua Religione, non verò extra; cum hæc Officia sint juxta Regulam. Non nego tamen, quòd possit Pontifex assumere Religiosum in Episcopum, ut passim facit, quando in bonum Ecclesiæ expedire judicaverit. Sed hoc non præstat ex vi Voti Obedientiæ, sed ex universali jurisdictione, & potestate, quam habet in totam Ecclesiam suo regimini commissam. Sic Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 10. num. 19. & 21.* Sanchez *lib. 6. summ. cap. 2. num. 49.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 51. dubit. 9. num. 76.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4 punct. 5. num. 1.* An autem ex vi Voti teneatur Religiosus assumptus ad Episcopatum præstare consensum dependenter à licentia sui Prælati, controversa res est: nam consensus à Religioso præstitus absque licentia sui Prælati prohibetur, & irritatur Jure Ecclesiastico *in Cap. Si Religiosus de Elect. in 6.* Verùm hoc non probat, teneri ad consensum præstandum dependenter à licentia sui Prælati ex vi Voti; sed ex vi Juris Ecclesiastici, cui obedire convenientissimum est. Advertendum tamen, requiri Prælati licentiam pro consensu in Electionem, non verò in presentationem, aut Collationem. Insuper requiri pro Electione Prælaturæ, non verò cujuslibet alterius beneficii, quod Prælaturam non præseferat, ut est beneficium Curatum, aut simplex. Sic Suarez *l. c. num. 14. 16. & 17.* & Castropalaus *l. c. n. 2.*

Sequitur 3. non posse obligari religiosum ad acceptandum beneficium sæculare Curatum, vel simplex; aut religiosum beneficium alterius Ordinis; ratio est, quia neque provisio eorum est juxta Regulam Ordinis professi, nec observantiam regularem respicit, aut bonum Monasterii, sed Ecclesiæ; adeoque ex vi Voti Prælatus regularis nequibit suum subditum compellere præcepto ad acceptandum. Sic Navar. *Comm. 4. de Reg. n. 23.* Rodriq. *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 34.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 10. in fin.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 2.*

cap. 2. num. 11. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 5. num. 3.* Et quamvis referatur à Doctoribus quidam motus proprius S. Pii V. in quo decernit, posse Regulares compelli ad acceptandum inter Indos munus Parochorum; hoc non provenit ex vi voti Obedientiæ, sed ex vi Jurisdictionis, & potestatis universalis Pontificis in Ecclesia Dei, ut ex Sanchez docet Castropalaus *l. c.* Si verò beneficium Curatum, aut simplex regulare fuerit Ordinis professi, non verò alterius Ordinis Regularis; bene poterit compelli religiosus ex vi voti ad illud acceptandum: ratio est, quia est juxta Regulam professam, & in bonum commune Ordinis professi vergit ejus administratio: *ut ex Cap. Quorumdam de Elect. in 6.* docent Navarrus, Suarez, Sanchez, Rodriquez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 5. num. 3.*

Sequitur 4. non posse compelli ex vi voti ad relinquendum Statum religiosum ut Statum matrimonialem assumat: ratio est, quia Religio professa, quæ assumitur, est contraria statui matrimoniali, imò per professionem religiosam huic Statui renuntiatur; Ergo nequibit professus ex vi voti obedientiæ posse obligari à Prælato ad illum assumendum. Et si in casu rarissimo, ac urgentissima cogente necessitate id possit præcipere Pontifex; non operatur ex vi voti Obedientiæ, sed ex plenitudine jurisdictionis, & potestatis, quam habet. Sic Doct. omnes testo Castrop. *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 5. n. 1.*

CAPUT XIV.

De aliis votis, & Obligationibus annexis Statui Religioso, ac de eorum relaxatione, & præcipuè in Societate Jesu.

1 *Omnes ferè Religiones votis essentialibus alia vota adjungere solent; sed enumerantur tantùm ea, quæ spectant ad Societatem Jesu,*

2 *Qui vota substantialia, quamvis simplicia biennii emiserunt obligantur etiam voto ab illis distincto ingrediendi Societatem, ut vitam in ea perpetuò degant, omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones.*

3 *Professi Societatis Jesu, & Coadjutores spirituales formati ligantur voto distincto à substantialibus specialis curæ circa puerorum eruditionem.*

4 *Professi quatuor votorum Societatis Jesu ultra tria vota solemnia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ ligantur voto solemni, & substantiali specialis Obedientiæ Summo Pontifici circa missiones.*

5 *Professi Societatis Jesu tam quatuor, quàm trium votorum solemnium ligantur quinque votis simplicibus, quorum primum est, nulla ratione agere, aut consentire, ut quæ in Constitutionibus circa paupertatem ordinata sunt, immutentur.*

6 2. *Est: ne unquam agant, nec prætendant, ne indirectè quidem, ut in aliquam Prælationem, vel Dignitatem in Societate eligantur, vel promoveantur.*

7 3. *Est: numquam curare, vel prætendere extra Societatem Prælationem aliquam, vel Dignitatem; nec consentire in sui electionem, quantum in se fuerit, nisi coactus obedientia ejus, qui ei præcipere potest sub pœna peccati.*

8 4. *Est: quòd si sciant aliquem curare, vel prætendere Prælationes, & Dignitates intra, vel extra Societatem; manifestabunt illum, & rem totam Societati, vel ejus Præposito.*

9 5. *Est: quod si fortè in Præsides aliquarum Ecclesiarum promoti fuerint, non detrectabunt audire consilia Præpositi Generalis, vel alterius ab eo substituti; & ea sequi, si meliora, & Deo gratiora judicaverint præ illis, quæ ipsis in mentem venerint.*

10 *Prædicta quinque vota sunt Simplicia, & cur?*

11 *Pontifex tantum dispensare potest Primum, & Tertium ex prædictis votis.*

12 *Alia præcepta, & Censuræ impositæ sunt Religiosis Societatis Jesu, quorum tamen obligatio non oritur ex vi voti Specialis, sed ex vi Præcepti Præpositi Generalis aut Congregationum Generalium.*

1 PRÆTER vota substantialia, & essentialia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ hucusque explicuimus; solet omnis ferè Religio suos subditos adstringere aliis votis, & Obligationibus, quæ remanent explicanda. Sed quia impossibile moraliter est quæ ad singulas Religiones spectant, percurrere, & quæ multùm pendent ab illarum usu, & consuetudine; ideo quæ solùm spectant ad Societatem Jesu, cujus indignissimus, & omnium minimus filius exto, & in cujus sinu mori exopto; percurram resolvendo difficultates uniuscujusque voti, & obligationis.

1. Igitur votum annexum tribus substantialibus, quamvis simplicibus factis post biennium à Scholaribus Societatis, & à Coadjutoribus nondum formatis, est: promittere, se Societatem ingressuros, ut vitam in ea perpetuò degant, omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones. Quòd autem hæc promissio sit votum, satis manifestè apparet: quia est promissio de meliori bono, & Deo facta, ac ejus Divinæ Majestati: insuper promissio ista copulatur per particulam, *&*, tribus votis paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ Divinæ Majestati pariter fiunt; ergo erit votum, ut sunt illa. Et sic declaravit Congreg. V. Generalis *Decr. 3. Can. 2.* Nec multum refert, vocari promissionem, ac tali nomine exprimi, non verò votum: factum enim fuit ad distinctionem Trium votorum substantialium, quæ formaliter constituunt religiosum Statum; cum hoc votum sit secundarium, & accessorium. 2

Materia circa quam versatur obligatio hujus voti, est: acceptare Gradum Professorum, vel Coadjutorum Formatorum, prout Præposito Generali visum fuerit ad majus Dei obsequium: ut constat *ex Examin. Gen. cap. 7. §. 1. Part. 5. Constit. cap. 4. liter. E.* & Cong. Gen. V. *Decr. 3. Can. 2.* Quòd autem sit materia digna voto, patet ex eo, quia Gradus Professorum, aut Coadjutorum formatorum est perfectior Gradu Scholarium, & Coadjutorum non formatorum; nam professi, & Coadjutores formati majoribus obligationibus obstringuntur, ergo cadere potest talis materia sub voto: maximè quia diversitas prefectionis horum Graduum pontificia auctoritate approbata est.

Notandum tamen 1. non obligari Scholarem, aut Coadjutorem non formatum ex vi hujus voti ad procurandum Gradum professi, aut Coadjutoris formati; sed solùm obligari ad eum acceptandum, cum ita visum fuerit in Domino Præposito Generali: ut expressè dicitur *in Par. 5. Constit. cap. 4. §. 5.* obligari insuper ad se perficiendum in eo Gradu Scholaris, aut Coadjutoris non formati, in quo coaptatus fuit à Societate, absq; eo quod curet ex uno ad alium Gradum progredi.

Notandum 2. ex vi hujus voti teneri obedire Religiosum Societ. Præposito Generali Gradum professi, vel Coadjutoris formati imponenti: & quamvis detur locus proponere debita cum humilitate, & submissione, quæ occurrunt pro Gradu impositio; nihilominus proponens debet esse paratus, ut id melius reputet, quod Superiori suo re considerata melius videbitur; ita ut si efficaciter, & absolutè consideratis omnibus certum Gradum imponat Superior, violet hoc votum non acceptando, aut procrastinando subditus, ut declaravit Cong. Gen. VII. *Decr. 27.*

Notandum 3. peccare contra hoc votum Scholarem, aut Coadjutorem non formatum, qui ob repugnantiam, & difficultates, quas habet in Gradu impositio suscipiendo; facit ut præpositus Gen. mutet, vel suspendat absolutam suam voluntatem obligandi: ratio est quia iniquè, & injustè cogit Superiorem à voluntate illa absoluta desistere; & aliunde per votum emissum se obligavit ad pendendum ab illa circa acceptationem Gradus impositi; vovit siquidem Deo, eum accipere Gradum, quem Superior absolutè voluerit ei imponere; tenetur ergo proprias difficultates vincere, & omne impedimentum tollere, ob quod suspendatur absolata voluntas Superioris. Sic ex Suarez tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 1. num. 5.*

Notandum 4. ex vi hujus voti non obligari Coadjutorem jam formatum ad acceptandum Gradum professi: ratio est, quia per Gradum Coadjutoris formati jam satisfactum est voto ingrediendi Societatem, qui quidem ingressus nil aliud importat, nisi acceptare, & constitui in Gradu professi, vel Coadjutoris formati; ergo si semel acceptavit gradum Coadjutoris formati, & in eo constitutus est; jam ingressus est Societatem, ac est in termino, & non in via ingrediendi, adeoqee suo voto plenè satisfecit. Nec obstat, quòd gradus professi sit perfectior præ gradu Coadjutoris formati; nam licèt hoc verum sit, non probat, quòd non sit ingressus in Societ. Gradus ille, quamvis inferior; nec promisit acceptare utrumq; aut perfectiorem, sed vel unum vel alium à Supe-

Superiore impositum, Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 1. num. 7.*

3 2. Votum annexum Votis Professorum, & Coadjutorum Spiritualium formatorum est specialis cura circa puerorum eruditionem juxta formam, & modum in Litteris Apostolicis Societatis Jesu, & ejus Constitutionibus contentum. Notandum 1. Materiam hujus Voti esse eruditionem puerorum, & sub nomine puerorum comprehenduntur rudes, tum in iis, quæ pertinent ad Mysteria nostræ Fidei, & ad Doctrinam Christianam; tum in iis, quæ ad mores spectant, videlicet illos incitando ad observantiam Divinorum Præceptorum, & Ecclesiasticorum; & ad alia Pietatis, & Religionis Officia. Notandum 2. teneri Professos, & Coadjutores formatos ad hanc curam eruditionis puerorum, si à Superioribus ex Obedientia illis demandata fuerit; ut clarè constat ex verbis Formulæ: quapropter si ex Obedientia non fuerit demandata, nulla in ipsis est obligatio ex voto. Hinc est, quòd licèt quilibet Professus quatuor, vel trium Votorum, & quilibet Coadjutor formatus teneatur intra annum à die suscepti Gradus per quadraginta dies continuos, vel interpolatos docere pueros, & rudes doctrinam christianam, ut statuitur in Cong. Gen. I. *Decret.* 134. & in Cong. Gen. II. *Decret.* 48. Sicuti etiam tenentur Rectores, cum primò tale Munus subeunt, ad docendum, vel legendum per se, aut per alium doctrinam Christianam per quadraginta dies continuos, vel interpolatos intra annum à die suscepti regiminis: ut decernitur *in part. 4. Constit. cap.* 10. §. 10. & explicat Cong. Gen. II. *Decr.* 54. Nihilominus ad hæc omnia tenebuntur ex voto, si eis ex obedientia demandata fuerint; si verò non fuerint demandata, tenebuntur tantùm ex vi Regulæ, & Instituti non obligantis ad peccatum. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 2. n. 3.* Notandum 3. specialiter promissam esse curam hanc erudiendi pueros, non verò homines provectioris ætatis à solis Professis, & Coadjutoribus spiritualibus formatis; non verò à Scholaribus approbatis; eo quia Paulus III. *in prima sua Bulla Societati concessa*, incipit, *Regimini militantis Ecclesiæ*, specialiter eam commendat, utpote fundamentum ædificii vitæ Christianæ, & nulla alia fructuosior occupatio regulariter haberi potest; eo quia ex ea non solùm pueri, & rudes; sed etiam docti instruuntur, & ad pœnitentiam excitantur, & quidem efficaciùs quavis alia graviori, & doctiori prædicatione. Quia tamen in oculis Mundanorum abjecta, & humilis videtur occupatio ista, licèt fructuosior; ideo hominibus in perfectiori Gradu à Societate constitutis demandata est ad ædificationem proximorum, & humilitatem, & Charitatem in seipsis excitandam: maximè quia aptiores, & dexteriores sunt in pueris, & rudibus instruendis. Sic *in part. 5. Constit. cap. 3. littera B.*

4 3. Votum, & quidem solemne annexum tribus Votis solemnibus Professorum quatuor Votorum est specialis Obedientia Summo Pontifici circa Missiones, prout in litteris Apostolicis, & Constitutionibus continetur. Hoc Votum aliàs solemne in Societate Jesu est; speciale pro solis Professis quatuor votorum; hi siquidem per tria vota solemnia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ quartum votum solemne addunt specialis obedientiæ Summo Pontifici in Missionibus peragendis ad animarum salutem: sic constat *ex part. 5. Constit. cap. 3. §. 3.* Notandum 1. materiam hujus quarti Voti solemnis esse obedire Pontifici pro tempore existenti in omni eo, quod ipse jusserit pertinens ad animarum salutem, & fidei propagationem; itaut parati esse debeant sic voventes ad eundum illicò, quantum in ipsis fuerit, sine ulla tergiversatione, & excusatione, ac nullo petito viatico ad quascunq; Provincias mittere voluerit, sive ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles in Indiis, aut aliis remotioribus partibus commorantes; sive ad hæreticos, & schismaticos, sive ad quoscumque fideles; sive denique mittantur equites, sive pedites; sive cum pecuniis sive sine illis. Sic constat *ex Exam. Gen. cap. 1. §. 5. & ex part. 6. Constit. cap. 2. §. 2. & in Declarat. littera I. & ex part. 7. Constit. cap. 1. & 2.* insuper ex Bullis Pauli III., Julii III., & Gregorii XIII. Institutum Societ. Jesu confirmantibus. Notandum 2. quod licèt teneatur professus quatuor Votorum obedire Pontifici ad Missiones mittenti absque ulla tergiversatione, & excusatione; nihilominus hoc intelligendum erit de excusatione frivola, & inani; nam si excusatio justa est, & legitima, eam Superiori proponere non erit contra mentem Pontificis, imò conforme Constitutionibus: ut advertunt Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 3. num. 3.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4. nu.* 11. & Sanchez *lib. 6. Summ. cap.* 18. *num.* 6. Notandum 3. quòd licèt Professus teneatur ad Missiones pergere jubente Pontifice nullo petito Viatico, nec expectato subsidio tum propter iter agendum, tum propter ibi residendum. Nihilominus ei permissum est repræsentare Pontifici, quæ sit mens ipsius circa iter faciendum, & quomodo ibi manendum, num petendo eleemosynas, an alio modo. Sic constat *ex part. 7. Constitut. cap. 1. §. 3. littera L.* Notandum 4. quòd licèt Scholares approbati Societ. Jesu, & Coadjutores Spirituales formati, ac Professi trium Votorum Solemnium teneantur ire, & commorari in qualibet Mundi parte. Nihilominus Scholares non tenentur pedites ire, & nullo petito viatico, nec cum periculo vitæ, quia nullibi extat talis obligatio; sicuti Coadjutores Spirituales, & Professi trium votorum, quamvis teneantur ire non petito Viatico; non tamen tenentur non petere ex Voto, sed ex Constitutione ad culpam non obligante. Soli enim professi quatuor Votorum tenentur in Societate Jesu ex vi Voti solemnis specialis obedire Summo Pontifici, vel Præposito Gen. nomine Pontificis Missiones jubenti. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4. num. 32. & 33.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18. num. 5.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 3. num. 3.* Notandum denique, tunc teneri Professum quatuor Votorum obedire sub gravi culpa Pontifici, aut Præposito Gen. nomine Pontificis Missionem jubenti; quoties eam præcipit in nomine Jesu Christi, aut in Virtute obedientiæ, vel simili formula, qua explicet voluntatem suam sub gravi culpa obligantem. Sic Suarez *l. c. n. 36.* & Castropalaus *l. c. n. 6.*

5 Explicatis superioribus Votis explicanda remanent quinque Vota simplicia, quæ solent Professi tum quatuor, tum trium Votorum emittere in Sacristia coram Domesticis, & externis post solemnem professionem emissam in Ecclesia coram eisdem domesticis, & externis juxta Constitutiones Societ. *part. 6. cap. 2. §. 1.* & Bullam Gregorii XIII. incipit, *Ascendente Domino.*

1. Horum Votorum simplicium est, nulla ratione agere, aut consentire, ut quæ in Constitutionibus circa Paupertatem ordinata sunt; immutentur, nisi quando causa justa rerum exigentium videretur Paupertas restringenda magis: ut constat *ex Constitutionib. part. 6. cap. 2. §. 1.* Notandum 1. materiam hujus Voti simplicis esse distinctam à materia Voti solemnis Paupertatis; nam materia voti solemnis Paupertatis versatur circa prohibitionem usus cujusvis rei temporalis tamquam propriæ; materia verò hujus Voti simplicis est non alterare, nec mutare legem paupertatem præcipientem ab eo modo, quo præcepta est; & consequenter non relaxare paupertatem; quæ materiæ valde diversæ sunt inter se. Notandum 2. hoc votum esse negativum, negat enim omnem actionem, aut consensum, ut immutentur ea, quæ in Constitutionibus pro paupertate ordinata sunt, nisi magis restringendam judicarent. Notandum 3. hoc votum intelligendum esse de omni paupertate, quæ cadit sub Votum; non verò de sola Paupertate Domorum Professarum quoad redditus, aut possessionem aliquam habendam ad proprium usum, vel usum Sacristiæ, aut fabricæ &c. adeoque comprehendit paupertatem Collegiorum, Domorum professarum, Scholarium approbatorum, & Coadjutorum Spiritualium formatorum: ratio est, quia Votum Paupertatis hæc omnia respicit; & Constitutiones non solùm loquuntur de paupertate Domorum professarum, sed etiam prædictorum; ergo votum simplex de non relaxanda paupertate hæc omnia respicit. Adde *Constit. part. 6. cap. 2.* dicere: Paupertatem ut murum Religionis firmum diligendam, & in sua puritate conservandam esse; nec admittendas innovationes, & declarationes primo spiritui minimè consentaneas; loquuntur ergo Constitutiones de paupertate in communi, non verò de paupertate tantùm Domorum professarum. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 6. num.* 18. & Castropa-

laus

palaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 4. num. 6.* Notandum 4. hoc votum gravem obligationem inducere: respicit siquidem materiam gravissimam, & valde necessariam conservationi Religionis; ac ejus communis boni. Quapropter non solùm erit gravis violatio illius ferre suffragium decisivum in Congregatione pro paupertate relaxanda, sed procurare etiam illud; ut docet Castropalaus *l. c. num. 7.* Et quamvis non esset violatio hujus voti si novis inspectis circumstantiis, ac mutatis temporum conditionibus in quibus certò appareat, gratius fore Deo, fieri mutationem aliquam circa paupertatem, suffragium ferre pro innovatione, & mutatione illa, tunc enim votum cessaret, eo quia jam non esset de meliori bono. Nihilominus si dubia res esset, nec certò constaret; hoc votum violaretur ferendo suffragium, aut procurando innovationem illam, & mutationem paupertatis; posset siquidem in dubio illo votum, & à sua possessione ob dubietatem non esset deturbandum. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 6. num. 12.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18. num. 10.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 4. num. 8.* Quòd si Pontifex proprio motu relaxationem faceret; tunc attendendum erit, quomodo relaxationem illam concederet: nam si absolutè concederet, & independenter à Religione; non tamen Religionem coarctando, sed eam liberam relinquendo, ut concessit Tridentinum omnibus Regularibus, ut possent proprium in communi possidere, exceptis Fratribus Minoribus de observantia, & Capucinis, ut constat *ex Sess. 25. cap. 3. de Regul.* tunc non tenentur professi ex vi voti emissi cedere concessioni factæ, ut putavit Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18. num. 15.* eo quia posita hac relaxatione motu proprio Pontificis facta independenter à Religione, cessat obligatio hujus voti de conservando paupertatis voto in sua puritate. Et defacto quamvis Congreg. Gen. II. *Decret. 28. Can. 21.* cesserit Decreto supra citato Tridentini, non tamen cessit ex necessitate, & ex vi voti; sed voluntariè, & ex electione, ut clarè constat ex ipso Decreto, ubi Patribus congregatis expositum fuit: *An placeret, ut cederetur à Societate Jesu cuicumque Juri ex Consilio nobis provenienti, & juxta nostras Constitutiones, & vota, quæ post professionem emittuntur paupertatem in professis, ac ipsorum Domibus retineremus; & ita cesserunt totius Societatis nomine.* Hinc deducitur, quòd ex placito, non ex necessitate, nec ex vi voti cesserunt. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 6. n. 16.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 4. num. 11.* Si verò relaxationem concederet Pontifex dependenter à Religionis acceptatione, ut si eam ad instar privilegii concederet, quod requireret acceptationem privilegiati; tunc probabile est, acceptare talem relaxationem à Pontifice oblatam non esse contra hoc votum: ratio est, quia acceptatio illa non est causa relaxationis concessæ motu proprio à Pontifice, nec à Professis procurata fuit; & quamvis præbeatur consensus illi, attamen consensus non est causa illius: illa igitur procuratio, & consensus sunt contra votum istud, quæ sunt causa relaxationis. Accedit, quòd si Pontifex sciens hoc votum Professorum Societ. relaxationem aliquam paupertatis concedit dependenter ab acceptatione Societ. censetur in eo voto dispensare cum il prærequiratur ad legitimam concessionem, & acceptationem, ne peccaminosa sit, quod non est censendum. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 6. num. 16.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 4. num. 12.* Denique si Pontifex relaxationem Paupertatis concederet Societati obligando illam ad acceptandum; tunc clarè patet, quòd si eam professi acceptent, votum istud non violabunt: ratio est, quia hoc præcepto posito cessat voti obligatio, & variatur ejus materia; quæ antea honesta erat, nunc verò non. Ut si Pontifex judicaret, talem Paupertatem non expedire bono Religionis, manifestum tunc esset, materiam, quæ antea honesta erat, nunc reddi iniquam. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18 num. 9.* Suarez *loc. cit. num 13.* & Castropalaus *loc. cit. num. 10.*

6 2. Votum simplex, quod emittunt Professi Societatis Jesu, est, ne unquam agant, nec prætendant, ne indirectè quidem, ut in aliquam Prælationem vel Dignitatem in Societate eligantur, vel promoveantur. Sic sanctè, ac Societati Jesu convenientissimè statuitur *Par. 10. Constit. §. 6.* & specialiter approbatur à Gregorio XIII. *in sua Bulla*, incipit: *Ascendente Domino*, ut omnis aditus ambitioni præcludatur, & removeantur contentiones, invidiæ, dissensiones, calumniæ; & sic felix Societatis Jesu Status conservetur.

Notandum 1. materiam hujus voti esse negativam, consistit enim in non agendo, nec prætendendo directè, vel indirectè aliquam Prælaturam, vel Dignitatem in Societate. Hinc est, quòd si professi interiùs appetant, vel desiderent Prælationem aut Dignitatem in Societate; nec exteriùs demonstrent hunc suum appetitum, & desiderium; non violabunt hoc votum. Et quamvis hoc ipsum, non appetere scilicet interiùs, nec desiderare prælationem, aut Dignitatem in Societate, posset esse materia voti; defacto tamen sub hoc voto non est comprehensum, nec est ejus materia: internus siquidem appetitus, & desiderium, dum exteriùs non manifestatur; non perturbat felicem Statum Societatis. Sic Suarez *t. 4. de Relig. tract. 10. l. 6. c. 7. n. 9.* Vasquez 1. 2. *quæst. 74. art. 8. disput. 115. concl. 3. in fin.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18. num. 18.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 5. num. 2.*

Notandum 2. eam actionem externam esse contra hoc votum, quæ ex se apta est ad obtinendam prælationem, & Dignitatem; & eo animo ac intentione exercetur. Quòd si aliquæ actiones exerceantur, quæ sint ex se honestæ, ut sunt Studiis vacare, regularem disciplinam, ac exteriorem observantiam sectari, Obedientiæ incumbere, obsequia Superioribus præstare: eo tamen animo fiant, ac sinistra intentione, ut à Superioribus promoveatur professus ad prælationem, vel Dignitatem; tunc erunt contra votum istud quando ex circumstantiis colligi posset ambitiosus operantis animus, nam tunc manifesta esset prætensio saltem indirecta. Secus verò dicendum, si ex illis non potest colligi internus ambitiosus animus: dum enim ambitio, & prætensio exterior non est, sed merè internè conservatur; nec perturbat Statum felicem Societatis, nec movere potest Superiores ad prælationem concedendam, & consequenter non est contra hoc votum. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18. num. 19. & 20.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 5. num. 4.*

Notandum 3. Prælationem, & Dignitatem in Societate esse Synonima; & nomine Prælationis, & Dignitatis in Societate Jesu venire tum Prælationem, & Dignitatem Ordinariam, ut est Dignitas Generalis, Provincialis, Præpositi, Rectoris; tum delegatam, ut est dignitas Commissarii, Visitatoris, Vicarii Generalis, Vicarii provincialis, Vice præpositi, Vice Rectoris. Sic ex Congregatione Gen. VII. *Decr. 44.* docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 7. n. 14.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 18. num. 25.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 5. num. 6.* Hinc sequitur, non esse contra Votum hoc ambire in Societate esse Ministrum, Lectorem Theologiæ, prædicatorem: ratio est, quia hæc sunt Officia, non verò prælationes, & Dignitates: ut ex Suarez, & Sanchez tradit Castropalaus *l. c.* De Officio Assistentis declaratum est, nec esse prælationem, nec Dignitatem. Sic *in Epitome Instituti part. 3. cap. 3. sect. 4. num. 2.*

Notandum denique: impositas esse pœnas contra violatores hujus voti, inhabiles siquidem, & incapaces redduntur cujuscumque prælationis, & Dignitatis: ut statuitur *part. 10. Constit. §. 6.* Quòd si violatio fuerit per ambitionem Generalatus, ultra inhabilitatem passivam ad prælationes contrahit inhabilitatem activam ad Congregationes Generales, à quibus perpetuò excluditur: ut patet *ex part. 8. Constit. cap. 6. §. 2.* Sed dubitatur: an etiam excludendus sit à Congregationibus Provincialibus, eo quia ibi non exprimitur. Dicendum tamen, quòd etiam meritò excludendus sit ab illis ob crimen adeo Religioni nocivum commissum: ut docet Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 5. num. 7.* Ad has pœnas tamen incurrendas requiritur saltem sententia declaratoria criminis, quæ sine manifesta probatione dari non potest; ut docet citatus Castropalaus.

7 3. Votum simplex à professis emissum est nunquam curare, vel prætendere extra Societatem prælationem aliquam, vel Dignitatem; nec consentire in sui electionem, quantum in se fuerit, nisi coactus obedientia ejus, qui præcipere ei potest sub pœna peccati. Sic habetur *in part. 10. Constit. §. 6.* & approbatur à Gregorio XIII. *in sua Bulla*, incipit, *Ascendente Domino*. Finis hujus Voti est, ut unusquisque professus juxta suæ Vocationis humilitatem, & submissionem animæ-

animarum saluti incumbat; & ne Societas talibus hominibus valde necessariis ad finem sibi propositum privetur,

Notandum 1. materiam hujus voti esse negativam, consistit siquidem in negatione curationis, vel prætensionis prælationis, & Dignitatis extra Societatem; etiamsi curatio, & prætensio non finem malum, & ambitiosum; sed aliàs honestum haberent: cuilibet enim prætensioni aditum præcludit hoc votum: ut advertunt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 6. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 5. *pun.* 6. *num.* 2. Consistit etiam in negatione consensus, & acceptationis Dignitatis oblatæ liberè, & spontaneè: cum nequeat consentire professus, nec acceptare; nisi cogente necessitate, & urgente præcepto. Notandum 2. solum Pontificem esse eum, qui potest præcipere, & cogere ex obedientia professum ad prælationem, & Dignitatem acceptandam. Tunc verò dicitur cogere, & præcipere ex obedientia, quando voluntatem suam explicat talibus verbis, quibus obligare dignoscitur sub pœna peccati. Notandum 3. Prælationes extra Societatem esse Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, Vicariatum Episcopi, & quamlibet aliam Dignitatem jurisdictionem secum ferentem sive fuerit Ecclesiastica, sive Laicalis: ut declaravit Urbanus VIII. *ann.* 1632. 25. *Jan.* Qui etiam declaravit *in sua Bulla ann.* 1635. 25. *Maii.* Per quamcumque dimissionem è Societate non extingui obligationem hujus Voti. Dignitates verò Cardinalatum, & quamlibet aliam Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, etiamsi jurisdictionem non præseferat. Notandum denique, nullam pœnam statui contra professos ambientes Prælationes, & Dignitates extra Societatem; sicuti statuitur contra ambientes illas intra Societatem: nam hoc crimen est nocentius Societati præ illo extra Societatem: ut bene ponderat Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 16. adeoque arbitrio superiorum remissa fuit pœna contra ambientes extra Societatem.

8 4. Votum simplex à professis emissum est: quòd si sciant aliquem curare, vel prætendere Prælationes, & Dignitates intra, vel extra Societatem; manifestabunt illum, & rem totam Societati, vel ejus Præposito. Notandum 1. hanc formulam Voti inductam, ac impositam fuisse à Cong. Gen. III. *Decr.* 34. & postea approbatam fuisse à Gregorio XIII. *in sua Bulla*, incipit, *Ascendente Domino*. Nam in primæva Societate *juxta Constitutiones part.* 10. §. 6. *& Cong. Gen. I. Decr.* 99. solùm emittebatur Votum de denunciandis ambientibus intra Societatem prælationes, & Dignitates, non verò extra illam. Notandum 2. materiam hujus Voti esse denunciationem, non solùm quando adest obligatio ex Charitate, vel Justitia; verùm etiam quando nulla ex his obligationibus adest: ratio est, quia si solam denuntiationem obligatoriam respiceret hoc votum, parum utile fuisset Societati, cum aliunde haberetur præceptum; nec satis præclusus fuisset aditus ambitioni; ergo quamcumque denuntiationem, etiam non aliunde præceptam à Charitate, vel Justitia respicit hoc Votum. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 5. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 18. *num.* 59. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 5. *pun.* 7. *num.* 2. Notandum 3. hanc denuntiationem posse esse judicialem, vel paternam, prout sciens reputaverit magis honestum, & licitum. Nec videtur adesse obligationem denuntiandi judicialiter, cum ea fieri poterit; dummodo fiat paterna: ratio est, quia ex vi voti alia obligatio non resultat, nisi denuntiandi abstrahendo à denuntiatione judiciali, vel paterna; ergo cogere ad judicialem faciendam, cum denuntians vult paternè eam facere; est ultra obligationem voti. Sic Suarez *l. c. num.* 9. & Castropalaus *l. c. num.* 3. Notandum 4. personas ambientes denuntiandas ex vi hujus voti non solùm esse Professos, sed etiam Scholares approbatos, & Coadjutores Spirituales formatos: ut declaravit Cong. Gen. IX. *Decr.* 13. Notandum 5. ad denuntiationem hanc faciendam ex vi Voti istius requiri scientiam curationis, vel prætensionis Dignitatis, & Prælationis, ut patet ex verbis Voti, *si quem sciam*, & scire in sua propria significatione, & usu importare saltem debet moralem certitudinem, ut habet Aristoteles 1. *Poster.* & Gloss. *in Leg.* 2. §. *idem Labeo ff. de aqua pluvia arcenda*. Quapropter ut obligetur professus ad denunciationem ex vi hujus voti, sufficit, quòd à Viro timoratæ conscientiæ, & omni acceptione majori acceperit negotiationem Dignitatis, etiamsi propriis oculis non viderit: ut ex Feliuo, & Navarro docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 12. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 5. *pun.* 7. *num.* 8. Nec requiritur, quod delictum sit publicum, sed sufficit, quòd sit secretum, dummodo sit moraliter certum: ad moralem enim certitudinem non requiritur publicitas: ut ex Suarez, & Sanchez docet Castropalaus *l. c. num.* 9. Quòd si ipse solus delictum sciat sub secreto sibi commissum; tunc denuntiatio tantùm paterna fieri poterit ab eo, non verò judicialis: cum bonum commune præferendum sit privato, & particulari delinquentis, habito aliquali respectu ad secretum in denuntiatione facienda: ut tradunt supracitati Doctores. Sicuti si aliquando expediret, suspicionem hujus delicti Superiori manifestare, semper manifestanda erit ut Patri, tum ut diligentiùs invigilet; tum ut suspicionis occasionem tollat. Sic ex Suarez, & Sanchez tradit Castropalaus *l. c. num.* 8. Notandum 6. non teneri ex vi Voti hujus professum ad præmittendam correctionem fraternam ante denuntiationem; nam solùm vovit denuntiare, non verò fraternam correctionem præmittere. Nec ex lege Charitatis eam præmittere tenetur; tum quia delictum cedit in detrimentum Communitatis; tum quia rarò impeditur per secretam monitionem, sed per manifestationem superiori, ut Patri factam. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 32. *& 33.* Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 5. *pun.* 7. *num.* 13. Non nego tamen, quòd si fraternam correctionem præmittat, non faciat contra votum, non enim votum impedit fraternam correctionem: ratio est, quia professus vovens non vovit denuntiare nulla præmissa correctione, ut bene adnotat Castropalaus *l. c.* Imò si præmissa correctione, certò constat, delictum esse emendatum tam quoad culpam, quàm quoad effectum, itaut nulla relinquatur via ex ambitione ad prælationem, & dignitatem obtinendam; cessat obligatio denuntiandi ex voto, quia cessat ejus materia, quæ solùm erat delictum præsens quoad effectum, non verò præteritum. Sic ex Suarez tradit Castropalaus *l. c. num.* 13. *in fine*.

9 5. Votum simplex à Professis emissum est: quòd si fortè in præsides aliquarum Ecclesiarum promoti fuerint, non detrectabunt audire consilia præpositi Gen. vel alterius è Societate ab eo substituti; & ea sequi, si meliora, & Deo gratiora judicaverint præ illis, quę ipsis in mentem venerint. Sic constat *ex part.* 10. *Constit.* §. 6. Finis injungendi hoc Votum professis fuit, ut propriæ saluti consulerent, & rectè se gererent in administratione Muneris sibi impositi; qui quidem fines omnino inter se connexi sunt, ut patet *ex Cap. Miramur. dist.* 61. ubi dicitur: *Integritas præsidentium salus est subditorum*.

Notandum 1. Matetiam hujus Voti esse 1. non detrectare consilia præpositi Generalis, sive ab ipso proponantur, sive ab alio substituto ab eo. Quapropter si professus in præsidem alicujus Ecclesiæ assumptus nollet audire consilia ista, aut ita acerbè, & indignanter audiret, ut prudenter timeretur, Generalem ab illis imposterum se abstinere; Votum istud violabit; cum debeat ex vi Voti hujus paratum se præbere ad illa audienda; & virtualiter acerbè, ac indignanter audire, est nolle audire. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 8. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 5. *pun.* 8. *num.* 3. 2. Exequi prædicta consilia, si meliora, & Deo gratiora judicaverit præ illis, quæ sibi in mentem venerint. Quapropter votum istud non est sequendi consilium Generalis, etiam si honestum fuerit, aliàs esset obedientiam præstare Generali; sed est sequi consilium Generalis, si melius, & Deo gratius judicaverit præ concepto mente sua, quod est obedientiam præstare Deo, cui fit votum; ut adnotat Castropalaus *l. c.*

Notandum 2. Votum istud de audiendis consiliis, solùm esse de consiliis illis, qu respiciunt animæ propriæ salutem, & rectam Offic. administrationem. Quapropter non tenetur professus assumptus in præsidem audire consilia Generalis circa res temporales administrandas, Gubernationem suæ Domus, circa studia, & speciales occupationes; nisi tamen ex istis tanta inordinatio sequeretur, ut pateretur, aut periclita-

clitaretur propriæ animæ salus, & recta Officii assumpti administratio. Hinc sequitur: quòd Præpositus Generalis Societatis in hoc Officio exercendo non passim se ingerere debeat, sed rarò, & quando ad Dei obsequium plurimum expedire judicaverit; & tunc in eo exercendo cum sancto zelo, ac christiana libertate admiscere debet religiosam humilitatem, ac debitam submissionem, ut finem intentum per consilium assequatur. Sic rectè adnotant Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 9. num. 9.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 5. pun. 8. num. 4.*

Notandum 3. Præpositum Generalem non habere specialem obligationem ad hoc munus exercendum, cum nec habeat ex voto, nec ex Constitutionibus; imò expressis verbis à tali obligatione eximitur *Part. 10. Constit. §. 6. in Declaratione*, ubi dicitur; *Non tamen obligatur Societas ad hoc munus suscipiendum, quandocunque alicui ex ea Episcopatus esset admittendus; imò libera manet, ut id oneris & relinquere, & assumere possit, ubi multum referre ad Dei obsequium judicaret.* Hinc patet, Societatem, & ejus Præpositum Gen. aliam obligationem non habere ad hoc munus exercendum præter communem Charitatis.

Hæc quinque Vota hucusque explicata à professis emissa post eorum solemnem professionem sunt simplicia, non verò solemnia; eo quia sic statuit Pontifex, è cujus sola dispositione votorum solemnitas: pendet, & sic accepta fuere à Societate, & ea intentione emittuntur à professis minori cum solemnitate, non simul cum professione in Ecclesia, sed post illam in Sacristia, ut constat ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ascendente Domino*, & ex Congreg. Gen. I. *Decr. 99.* & Cong. Gen. III. *Decr. 34.* 10

Quoad Relaxationem horum Votorum dicendum, quòd solus Pontifex relaxare poterit per dispensationem primum, & Tertium ex prædictis Votis: ut declaravit Paulus V. *ann. 1618. 31. Januarii* & Urbanus VIII. *ann. 1632. 25. Januar. Sic in Epitome Instituti Societatis Jesu part. 3. cap. 3. sect. 4. n. 1. in fine.* 11

Remanerent hic explicanda præcepta, & Censuræ Religiosis Societ. Jesu impositæ; sed quia obligatio, quæ oritur ex ipsis est ex vi præcepti à Præposito Generali, vel Congregatione Generali impositi, non vero ex vi voti specialis; ideo ab illis abstineo: cum finis propositus fuerit explicare obligationes ex vi Votorum Religiosorum sive principalium, sive annexorum explanare. 12

QUÆSTIO XII.

DE CLAUSURA RELIGIOSORUM,

ET POENIS IMPOSITIS VIOLANTIBUS ILLAM.

EXPLICATIS Religiosorum votis remanet explicanda ipsorum Religiosorum Clausura, affinis siquidem hæc quæstio est votis Religiosis, ex eis namque oritur sive immediatè, sive mediatè obligatio servandi Clausuram. Quia tamen hæc obligatio non solùm afficit Religiosos viros, sed etiam fœminas; ideo de utraque obligatione hic sermo erit, nec non de pœnis transgredientibus illam impositis. Initium facimus à Monialibus, eo quia strictior est earum Clausura, explicata tamen prius Clausuræ essentia.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Clausura, & quonam Jure introducta?

1 *Explicatur, quid importet Clausura, & quinam sint ejus Termini.*
2 *Violat Clausuram Monialis egrediens è limitibus Clausuræ, etiamsi ad alia loca Monasterii ejusdem extra Clausuram se conferat, & etiam clausis horum januis.*
3 *Monialis accedens ad Domum aliquam monasterio contiguam; ubi inhabitant mulieres designatæ servitiis monasterii; Clausuram violant.*
4 *Clausuram violat monialis per tectum monasterii transiens ad tectum Domus monasterio contiguæ.*
5 *Violat Clausuram Monialis, si utroque pede extra januam, & limites Clausuræ egrediatur.*
6 *Valde probabile est, Monialem in rota positam, & versam ad eam partem, quæ sæcularibus patet; violare clausuram, etiamsi è rota non egrediatur.*
7 *Monialis semel egressa è Clausura non eam violat toties quoties ex una domo ad aliam pergit.*
8 *Jus indicens Clausuram Monialibus non est naturale, nec Divinum, sed tantùm humanum Ecclesiasticum.*
9 *Solvuntur ea, quæ in contrarium objiciuntur.*
10 *Ostenditur, quòd Jus Ecclesiasticum possit obligare Regulares ad Clausuram.*
11 *Quomodo possit derogari Juri Ecclesiastico, quod Clausuram introduxit?*

1 NIHIL aliud Clausura est, nisi locus ille, intra quem sistere Moniales debent, & à quo egredi non possunt sine violatione præcepti, vel voti, si ex voto teneantur servare Clausuram. Limites verò Clausuræ istius sunt omnia loca Monasterii, quæ intra januam clausam continentur, & ad quæ non datur aditus Secularibus. Sic constat ex Bulla Gregorii XIII. incipit *De Sacris Virginibus*. Quapropter loca illa Monasterii, quæ patere solent sæcularibus, ut sunt Ecclesia, Sacristia; & ea, quæ designata sunt venientibus ad colloquendum ad crates, ad rotam, vel ad pulsandam ipsam januam Clausuræ; hæc inquam loca extra clausuram censeri debent, etiam eo tempore, quo clausa fuerint Sic expressè prædictus Pontifex *in sua Bulla citata.*

Hinc sequitur 1. violare Clasuram Monialem illam, quæ egreditur è terminis, & limitibus clausuræ ad aliquem ex prædictis locis monasterii, quæ sunt extra Clausuram, sive sit Ecclesia, sive Sacristia, sive Domus colloquiis destinata; etiamsi clausa fuerint, & nullus sæcularis intra illa habeatur; & etiamsi egrediatur è janua clausuræ ob claudendam aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus ad rotam, crates, & ad januam Clausuræ pulsandam. Sic præcitatus Pontifex, & Doctores passim. 2

2. Sequitur: violare clausuram, si Monialis accedat ad Domum aliquam monasterio contiguam, quam inhabitent tantummodo fœminæ designatæ Servitiis monasterii, vel ad eleemosynas pro monasterio colligendas: ratio est, quia locus ille, ut extra Clausuram, & ad illum patere potest accessus sæcularibus, cum nec intra septa monasterii sit, nec intra terminos Clausuræ contentus. Nec obstat, S. Pium V. *in sua Bulla*, incipit, *Cura Pastoralis*, dixisse: Non solùm Monasterii loca, janua principali clausa, sub Clausuræ terminis comprehendi, verum etiam proprias Domos. Nam per proprias Domos intellexit S. Pontifex habitationes Monialibus designatas, que non distinguuntur à Monasterio ipso, & unum pro alio accipit. Alias sequeretur, quòd non solùm egredi possent ad istas proprias Domos monasterio contiguas, sed ad alias proprias monasterii Domos exteris locatas sine violatione clausuræ, cum omnes istæ sint propriæ monasterii Domus. Sic ex communi Doctorum Bonacina *de Clausura quæst. 1. pun. 1. num. 2.* Navarrus *de Regular. Commen. 4. num. 56.* & Sanchez *in Conciliis lib. 6. cap. 15. num. 9.* 3

3 Sequitur violare Clausuram Monialem si per tectum pro- 4

proprium monasterii transeat ad tectum alienæ Domus Monasterio contiguæ: nam licèt clausuram non violet, dum est supra tectum proprium monasterii; illam tamen violat, dum transit ad alienum tectum: ratio est, quia dum manet in tecto proprio, continetur intra terminos Clausuræ, cum illa pars superior tecti ad monasterium spectet, & sit intra ejus Clausuram. Dum verò transit ad tectum alienum, non continetur intra terminos Clausuræ, adeoque illam violat. Sic Bonacina *de Clausur. quæst.* 1. *pun.* 1. *num.* 3.

5 4 Sequitur: monialem quæ utroque pede extta januam, & limites Clausuræ egressa est ad unum, vel duos palmos, etiamsi statim revertatur ad januam, & etiamsi extra Clausuram se recipiat intra spatium illud, quod adjacet intra portam Clausuræ, & inter aliam, quæ dat aditum sæcularibus; vel se recipiat in partem Ecclesiæ, quæ sæcularibus patet; violare Clausuram: ratio est, quia loca illa sunt extra Clausuram, & subest periculum honestatis, & puritatis amittendæ. Sic Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 49. *art.* 5. Sanchez *in Consiliis lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 67. *& lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 76. Bonacina *de Clausur. quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 2. Nec recurri potest ad parvitatem materiæ, quia in rebus certis terminis definitis non datur parvitas materiæ, semel ac per parvitatem illam transgreditur terminus definitus, & cum veritate verificatur, trangressio termini. Et in casu nostro tam verificatur, quòd sit extra Clausuram, qui est extra illam ad palmum, quam qui est extra illam ad centum palmos. Sic contra Graffium, & Naldum docet Bonacina citatus.

6 Adnotandum hìc 1. quòd quamvis Monialis in rota posita clausuram non frangat, dum est in ea parte, quæ sæcularibus non patet; si tamen vertatur rota ad partem sæcularibus patentem, valde probabile est, clausuram frangere, etiamsi ab illa non egrediatur, ut patet considerànti inconvenientia, quæ sequi possent. Sic Comitolus, cujus sententia semper sequenda est ante factum, ut advertit Bonacina *de Clausur. quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 3. Non nego tamen suam probabilitatem sententiæ oppositæ, quam sustinet citatus Bonacina, quòd videlicet clausuram non perfectè violet, cum non possit perfectè dici, quòd sit extra Clausuram, dum è rota non egreditur; quamvis non liberet monialem à gravi peccato ob grave periculum, cui se exponit: quam quidem sententiam consulendam tantùm vult post factum

Adnotandum 2. Monialem jam è monasterio egres-
7 sam licèt violaverit Clausuram egrediendo, non tamen violare illam toties quoties ex una domo, in quam se receperat, ad aliam transit, & ex ista ad aliam: ratio est, quia Domus illæ extra monasterium nec sunt partes Monasterii, nec intra clausuram illius continentur; adeoque in illis dari nequit clausuræ violatio per egressum. Sic Bonacina *de Clausur. quæst.* 1. *pun.* 4. *num.* 5.

Jus, quod Clausuram Monialibus indixit; non est
8 nec Naturale, nec Divinum; sed tantùm Ecclesiasticum, & humanum positivum. Et quidem quòd Clausura monialibus indicta non sit à Jure naturæ, sic ostenditur: onus & obligatio ad Clausuram non est per se nota, nec ex se notis deducitur; ergo non est ex Jure naturæ: maximè quidem cum idem semper sit Jus naturæ, debuisset nobis innotescere à pricis temporibus, in quibus nullum vestigium Clausuræ habemus. Quod autem nec sit à Jure Divino, sic probatur: quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione Divina constat; Ergo non est à Jure Divino. Quòd verò sit ex Jure positivo humano Ecclesiastico clarè apparet *ex Cap. Periculoso de Stat. Regular. in* 6. ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 5. *de Regular.* ex Bulla S. Pii V. incipit, *Circa Pastoralis*, & ex alia ejusdem incipit, *Decori, & honestati*, & ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Deo sacris virginibus*. Et sic fatentur Doctores Navarrus, Miranda, Azor. Sanchez, Rodriquez, Vega, Suarez, & alii quos refert, & sequitur Bonacina *de Clausur. quæst.* 1. *pun.* 3. *numer.* 1. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 9. *num.* 1. Idem dicendum de Clausura Monachorum. & aliorum Regularium virorum.

Nec dicas in contrarium: Clausuram comprehendi sub
9 voto Obedientiæ, quod quidem votum obligat Jure naturali, & Divino. Contra enim est, licèt comprehendatur Clausura sub Obedientia Regulæ, non comprehenditur tamen Jure naturali, & Divino; sed Ecclesiastico tantùm. Nisi fortè votum expressum emittatur Clausuræ ut faciunt Moniales S. Clarę, & similes. Nec insuper dicas, clausuram indictam fuisse ad scandala, & pericula vitanda; & ad hęc pericula pręcavenda adest obligatio ex Jure naturali, & Divino. Sed contra est, quia hoc argumentum nimis probat; probat siquidem omnes teneri ad Clausuram ex prędictis Juribus, eo quia omnes tenentur ex illis ad scandala vitanda, & pericula pręcavenda. Jus igitur naturale, & Divinum non obligat simpliciter ad Clausuram. sed tantùm dictat, incumbentibus ad perfectionem valde opportunam esse Clausuram ad scandala vitanda, & ad pericula pręcavenda, quo dictamine motum Jus Ecclesiasticum directè obligavit Regulares ad Clausuram,

Quòd autem Jus Ecclesiasticum, & Pontifex possit
10 directè obligare Regulares ad Clausuram debet esse extra omnem controversiam; clarè enim patet hęc potestas in Pontifice ex eo, quòd assumens liberè statum aliquem, & liberè se obligans ad perseverandum in eo, pariter se obligat ad ea media, quę moraliter judicata fuerint necessaria ad puram, & integram conservationem status assumpti à Principali Gubernatore, & Directore status illius, qui quidem indubitanter est Pontifex; ergo si moraliter judicavit necessariam ad conservationem status assumpti à Regularibus Clausuram, potuit eam jure optimo illis pręcipere; maximè si pręcipiat ex plenitudine Jurisdictionis, qua Ecclesiam Dei sibi commissam gubernat; & ex potestate Dominativa, quam habet in Religiosos ob votum Obedientiæ emissum, & ob professionem factam. Sic Catholici Doctores Navarrus, Rodriquez, Suarez, Sanchez, Barbosa, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 9. *num.* 2. quidquid in contrarium deblaterarint hęretici.

Ex hoc quòd Clausura sit Jure humano Ecclesiastico
11 introducta; abrogari poterit per contrariam consuetudinem legitimè introductam; ubi videlicet pręcepta indicentia illam non fuere recepta, aut per contrariam consuetudinem abrogata. Cum enim Clausura de Jure humano sit, potest contra illud consuetudo pręvalere, ut dictum fuit cum de Consuetudine: maximè quia nec status Religiosus, nec votum Castitatis ad sui essentiam exposcunt Clausuram. Sic Azor. 1. *Par. lib.* 13. *cap.* 8. *quæst.* 1. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *n.* 4. Bonacina *de Claus. quæst.* 1. *pun.* 3. *in fine*, & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 9. *num.* 4.

CAPUT II.

Quænam Moniales teneantur ad Clausuram? Et sub quibus pœnis? Et quinam jus habent cogendi illas ad Clausuram?

1 *Omnes, & singulæ Moniales in Congregatione viventes, cujuscumque Ordinis, & Congregationis fuerint post emissam professionem tenentur servare Clausuram,*
2 *Non tenentur eam servare fœminæ solemnem emittentes professionem sub ea conditione, ut domi suæ vivant.*
3 *An eximantur ab obligatione Clausuræ Moniales viventes in Congregatione, & professionem emittentes, sed cum animo non servandi Clausuram?*
4 *Quotuplex peccatum committat Monialis Clausuram violans?*
5 *Explicantur pœnæ impositæ Monialibus violantibus Clausuram?*
6 *An sufficiat ad has pœnas incurrendas utroque pede egredi è Clausura?*
7 *An monialis legitima ex causa, & facultate egressa è Monasterio, cessante postea causa si non revertatur; incurrat prædictas pœnas?*
8 *An Episcopi incurrant prædictas pœnas, si sine justa causa licentiam exeundi concesserint?*
9 *Quid veniat nomine Dignitatum, Officiorum, & Administrationum, quibus privantur moniales, & inhabiles ad illa fiunt, si injustè egressæ fuerint?*
10 *Quid veniat nomine Comitatus, & Receptionis Monialium injustè egressarum, ob quæ incurritur Excommunicatio Pontifici reservata?*
11 *An prædictæ pœnæ ipso facto incurrantur?*
12 *Quisnam possit ab hac Excommunicatione absolvere, & in prædictis pœnis dispensare?*
13 *Episcopi jus habent cogendi Moniales ad Clausuram authoritate ordinaria respectu Monasteriorum sibi subjectorum; respectu subjectorum immediatè Sedi Apostolicæ authoritate Delegata; respectu subjectorum immediatè Prælatis Regularibus simul cum istis.*
14 *Episcopi, & Superiores Monialium tenentur recurre-*

re

re ad brachium ſæculare, cum opus fuerit, ad continendas Moniales in Clauſura. Et quomodo teneantur Magiſtratus ad brachium porrigendum, ne excommunicationem incurrat?

15 *An hæc excommunicatio ſit Pontifici reſervata?*

16 *An Epiſcopus, & alii Prælati Ordinarii teneantur ſingulis annis publicare in ſuo Diſtrictu Decretum de Clauſura Monialium.*

1 TENENTUR Moniales omnes, & ſingulæ, quæ in Congregatione vivunt, poſt emiſſam profeſſionem ſervare Clauſuram, cujuſcumque Ordinis, & Religionis fuerint. Sic expreſsè Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 22. de Regular.* & S. Pius V. *in ſua Bulla*, incipit, *Circa Paſtoralis*. Nec eximuntur ab onere Clauſuræ Converſæ, & Tertiariæ poſt profeſſionem emiſſam. Et quamvis antiquitus permittebatur certis profeſſis converſis extra monaſterium in Domo contigua vivere ad colligendas eleemoſynas ex licentia Ordinarii, & ſuorum Superiorum; id tamen impoſterum vetuit S. Pius V. *in ſua Bulla cit.* quamvis permiſerit eas, quæ tunc temporis extabant. Tenentur igitur Moniales omnes, & ſingulæ cujuſcumque Religionis, Ordinis, vel militarium, etiamſi Hieroſolymitanæ fuerint, quæ vel jam receptæ ſint, vel impoſterum recipientur in quibuſve Monaſteriis, ſive Domibus: & tacitè vel expreſsè Religionem profeſſæ, etiamſi Converſæ, aut quocumque nomine appellentur; etiamſi ex Inſtitutis, vel Fundationibus earum Regulæ ad Clauſuram non teneantur, nec unquam in earum Monaſteriis, ſeu Domibus, etiam ab immemorabili tempore ea ſervata fuerit; ſub perpetua in ſuis Monaſteriis, ſeu Domibus de cætero debere permanere Clauſura. Sic expreſsè S. Pontifex Pius V. *in Bulla cit.*

2 Non tenentur tamen ad Clauſuram fœminæ illæ, quæ ſolemnem emitterent profeſſionem ſub ea conditione, ut in propria Domo viverent, ſicut olim fiebat, ut patet *ex Cap. Inſinuantes. Qui Cleric. vel vovent*: ratio eſt, quia Jura præcitata præſcribunt Clauſuram Monialibus in Cong. & Monaſterio viventibus, non autem in propriis Domibus: maximè quia propriæ Domus limites Clauſuræ non habent. Nec etiam ad Clauſuram tenentur fœminæ illæ, quæ in communi vivunt ex licentia Prælati, & ſimpliciter vovent certum religioſum modum vivendi; aut ſimplicia vota emittunt abſque ulla profeſſione ſolemni: ratio eſt, quia non ſunt Moniales profeſſæ, eſto vitam in Communitate degant ſuis certis Regulis, ubi tamen permittuntur. Nec denique tenentur ad Clauſuram Novitiæ, cum ex Jure teneantur ad illam profeſſæ. Sic ex Suarez, Miranda, & aliis tradit Bonacina *de Clauſ. quæſt. 1. pun. 2. num. 3. 4. & 5.*

6 Petes hìc 1. An Moniales in Congregatione viventes, ſi dum profeſſionem ſolemnem emittunt, animum habeant interiùs non ſe obligandi ad Clauſuram; eximantur ab obligatione Clauſuræ? Reſp. negativè: ratio eſt, quia obligatio adſtringens ad Clauſuram non oritur ex voluntate Monialium profeſſionem emittentium; ſed ex præcepto Juris obligantis Moniales ad illam poſt emiſſam profeſſionem. Sic Miranda *tract. de Monialib. quæſt. 1. art. 4. concl. 5.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 1. pun. 2. num. 5.*

4 Petes 2. quotuplex peccatum committat Monialis Clauſuram violans? Reſp. peccare 1. contra Præceptum ab Eccleſia latum Monialibus de Clauſura ſervanda. Peccare 2. contra Regulam, ſi Regula Clauſuram præcipiat. Peccare 3. contra votum, ſi ex voto ſpeciali ſe adſtrinxerit ad illam, ut faciunt nonnullæ Moniales. Sic Bonacina *loc. cit. num. 6.*

5 Pœnæ impoſitæ Monialibus violantibus Clauſuram, & illicitè è Monaſterio egredientibus ſunt Excommunicatio ipſo facto incurrenda, & Pontifici reſervata. Privatio Dignitatum, Officiorum, & Adminiſtrationum, quæ eo tempore obtinent. Denique Inhabilitas ad ea, & ad alia impoſterum obtinenda. Sic ſtatuitur in Bulla S. Pii V. incipit, *Decori, & honeſtati*. Extenduntur prædictæ pœnæ Excommunicationis, Privationis Dignitatum, & Inhabilitatis ad illas, ad Concedentes licentiam injuſtè exeundi è Monaſterio, & ſine cauſa in eadem Bulla expreſſa. Denique extenditur Excommunicatio tantùm ad illas comitantes, & recipientes, ſive fuerint Perſonæ laicæ, & ſæculares; ſive Eccleſiaſticæ, & Regulares; ſive conſanguineæ, ſive non prædictarum Monialium. Sic conſtat *ex præcitata Bulla*.

6 Sed dubitabis 1. an ſit culpa gravis, & ſufficiens ad has pœnas incurrendas egredi è Monaſterio utroque pede ad ſpatium unius, vel alterius palmi, & ſtatim reverti? Reſp. affirmativè: ratio eſt, quia per eum actum violatur Clauſura, & pœnæ ob violationem impoſitæ incurruntur, per quem verificatur, Monialem eſſe extra Clauſuram; ſed in caſu adjecto cum veritate dici poteſt, eſſe extra Clauſuram, & limites ipſi deſcriptos; ergo per actum illum ſubjicitur pœnis à Jure Eccleſiaſtico impoſitis. Sic Sanchez *lib. 8. Oper. Moral. cap. 16. num. 76.* & Bonacina *de Clauſur. quæſt. 1. pun. 4. n. 2.*

7 Dubitabis 2. an Monialis legitimo titulo, & facultate è Monaſterio egreſſa, ſi poſtea ceſſante legitima cauſa egreſſus iniquè commorari velit extra Clauſtra; incurrat excommunicationem, & alias pœnas impoſitas violantibus Clauſuram? Reſp. quamvis Sanchez *lib. 6. Summ. c. 15. n. 70.* quem laudat, & ſequitur Bonacina *de Clauſur. quæſt. 1. p. 4. num. 3.* putarint, non incurrere: eo quia prædictæ pœnæ à S. Pontifice Pio V. impoſitæ fuere egredientibus è Monaſterio illicitè, non verò licitè; & pœnæ ſtrictè accipiendæ ſunt, ac ſtrictè interpretandæ. Nihilominus veram puto ſententiam docentem incurrere; ratio eſt, quia prædictus Pontifex imponit pœnas illas Monialibus aliter è Monaſterio egredientibus ac ipſe in ſua Bulla diſpoſuerat; ſed diſpoſuit, ut nonniſi ex cauſa incendii, infirmitatis, lepræ, & epidemiæ ab Epiſcopo cognita, & in ſcriptis approbanda è Monaſterio exirent, neque extra illud niſi ad neceſſarium tempus ſtarent? Ergo ſi ſtant extra illud ad tempus non neceſſarium, faciunt contra diſpoſitionem Pontificis, & Clauſuram violant. Sic Llamas *in Meth. Curat. in Appendic. §. 10.* Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. p. 9. num. 21.* & Zechius *tit. de Regul. cap. 3. num. 19.*

8 Dubitabis 3. an prædictas pœnas incurrant Epiſcopi ſine juſta cauſa concedentes licentiam exeundi è Monaſterio Monialibus? Et ratio dubitandi eſt, quia *in prædicta* Bulla S. Pii V. non videtur expreſſa mentio facta Epiſcoporum *& ex Cap. Quia periculoſo de Sent. Excomm. in 6.* conſtat, nulla ſuſpenſione Epiſcopos ligari, niſi illorum fiat expreſſa mentio. Reſp. affirmativè: eo quia Epiſcoporum fuit facta mentio expreſſa, dum Bulla dicit, Epiſcopi. & Prælati Regularis eſſe hanc licentiam concedere; Ergo ſi poſtea imponit Pontifex pœnas contra concedentes injuſtè, ac ſine cauſa licentiam illam; imponit contra Epiſcopos, & contra Prælatos Regulares, quos ſuperiùs expreſſerat. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 15. num. 71.* Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. p. 9. num. 22.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 1. pun. 4. n. 4.*

9 Dubitabis 4. quid veniat nomine Dignitatum, Officiorum, & Adminiſtrationum, quibus privantur, & ad quas inhabiles redduntur moniales injuſtè egredientes; & illi, qui injuſtè licentiam exeundi concedunt? Reſp. venire Dignitates, Officia, & adminiſtrationes, quæ ſecum Superioritatem ferunt, & quaſi juriſdictionem; ſecus verò ſi nec Superioritatem, nec juriſdictionem præferant. Sic Caſtropalaus *l. c. n. 20. in fine* & Bonacina *l. c. n. 6.* referens Sanchez Filliuccium, & alios.

10 Dubitabis 5. quid veniat nomine Comitatus, & Receptionis Monialium iniquè egredientium, ob quæ incurritur Excommunicatio Pontifici reſervata? Reſp. venire Comitatum illum, & Receptionem, quæ important cooperationem ad injuſtum Egreſſum, & fovent perſeverantiam in illo: ratio eſt, quia hic eſt formalis Comitatus, & Receptio, ut communiter dicitur de fautoribus, & receptatoribus hæreticorum. Nam ſi Perſonæ aliquæ Moniales injuſtè egreſſas comitarentur, aut reciperent ob honorem, conſanguinitatem, urbanitatem, vel amicitiam animo vitandi ſcandala, & admirationes, ac illas inducendi ad Clauſuram; non utique prædictam excommunicationem incurrerent, cum utiliter negotium Eccleſiæ gererent, & materialiter tantùm comitarentur, & reciperent. Sic Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 49. art. ult.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 15. num. 72.* Llamas *in Meth. Curat. in Append. §. 11.* Bonacina *de Clauſur. quæſt. 1. pun. 4. num. 5.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 9. num. 23.*

11 Dubitabis 6. an prædictæ pœnæ ipſo facto incurrantur? Reſp. Excommunicationem ipſo facto incurri: eo quia uſus induxit, cenſuras ſic incurri. Ad reliquas verò pœnas incurrendas requiri ſaltem ſententiam declaratoriam criminis commiſſi ob violationem Clauſuræ per egreſſum perfectum, & completum; ita ut totum corpus fuerit extra illam, non verò aliqua pars corporis. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 15. num. 65.* Motina *in ſimili tom. 1. de Juſt. diſp. 96. verſic. Duo obſerva*; Navarrus *in Expoſitione Bullæ de Datis & Permiſſis*.

miſſis. num. 44. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 9. *num.* 20. *in fin. &* 24.

12 Dubitabis tandem : quiſnam poſſit ab hac excommunicatione abſolvere & in prædictis pœnis diſpenſare? Reſp. quòd excommunicatio hæc cum ſit reſervata Pontifici; ab ipſo abſolvi poterit, vel ab habente facultatem ab ipſo ; cum enim delegabilis ſit hæc facultas abſolvendi, ideo Delegatus à Pontifice poterit ab ea abſolvere, Confeſſarius ab Ordinario approbatus, & virtute Bullæ Cruciatæ electus poterit ſemel in vita, & ſemel in morte ab hac excommunicatione abſolvere pro foro interno. Religioſi quoque Mendicantes habentes privilegium abſolvendi à Cenſuris Pontifici reſervatis poterunt toties, quoties ab hac excommunicatione abſolvere pro foro interno dummodo non fuerint intra Italiam extra Orbem Romæ, Extenditur cum prædicta limitatione facultas iſta ad alios Religioſos participantes in Privilegiis cum Mendicantibus. Et advertendum; quòd virtute Bullæ Cruciatæ, & Privilegiorum Mendicantium abſolvi poterit hæc excommunicatio pro foro interno, etiamſi publica fuerit, & ad forum contentioſum deducta : ratio eſt, quia nec in Privilegiis Bullæ, nec in Privilegiis Mendicantium appoſita fuit talis reſtrictio, uti appoſita fuit à Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform. pro Epiſcopis*, qui nequeunt à Cenſuris Pontifici reſervatis abſolvere, & conſequenter ab hac excommunicatione pro foro interno, niſi occulta fuerit, nec crimen ad forum contentioſum deductum; Ergo ſi reſtrictio iſta appoſita non fuit in Privilegiis Bullæ Cruciatæ, & Mendicantium, ut appoſita fuit pro Epiſcopis; non eſt cur apponi debeat à Doctoribus ; maximè quia reſtrictio adeo gravis exprimi ſoleat, ubi imponi vult. Sic Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *art.* 3. Henriquez *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 2. Rodriquez *in Addit. ad Bull. n.* 49. *§.* 9. Sanchez *l.* 6. *Summ. cap.* 17. *num.* 43. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.* 5. *num.* 2. *&* 3. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 8. *num.* 12.

Diſpenſare verò in Privatione Dignitatum, Officiorum, & Adminiſtrationum, ac inhabilitate ad illa in futurum, ſi delictum publicum fuerit; ad ſummum Pontificem ſpectat : & à fortiori ad illum ſpectat poſt ſententiam declaratoriam criminis. Si verò delictum occultum fuerit, nec ad forum contentioſum deductum; poterit diſpenſare Epiſcopus ex facultate, quam habet à Tridentino citato diſpenſandi in quibuſcumque caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Poterunt quoque diſpenſare per ſe ipſos tamen, non per alios, & pro ſuis ſubditis, ut poſſunt Epiſcopi, Superiores Ordinis Prædicatorum Generalis videlicet, Provincialis, & Superiores locales ; nec non cæteri Superiores Religioſi communicantes cum ipſis in Privilegiis reſpectu ſuorum ſubditorum, Hæc conceſſio facta fuit à S. Pio V. *in ſua Bulla*, incipit, *Romani Pontificis*, quam refert Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 61. *art.* 9. ubi dicit S. Pontifex : eodem privilegio gaudere erga ſuos ſubditos in foro conſcientiæ, quo gaudent Epiſcopi erga ſuos virtute Concilii Tridentini. Sic Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 24. *art.* 17. Sanchez, Sorbus, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſura quæſt.* 1. *pun.* 5. *num.* 5.

13 Jus cogendi ad Clauſuram Moniales, & inſtandi, ut obſervetur, ubi indicta eſt; ſpectat ad Ordinarios locorum ſeu Epiſcopos reſpectu Monaſteriorum ſibi immediatè ſubjectorum, & quidem authoritate Ordinaria. Reſpectu verò Monaſteriorum immediatè Sanctæ Sedi ſubjectorum ſpectat etiam ad Epiſcopos, ſed authoritate eis delegata à Sancta Sede, quatenus videlicet ſunt Delegati Sedis Apoſtolicæ : ſic expreſsè ſtatuitur à Tridentino *ſeſſ.* 25. *capitul.* 5. *&* 21. *de Regularium* Reſpectu tandem Monaſteriorum Regularium immediatè ſubjectorum Prælatis Regularibus, & mediatè Pontifici controvertitur, an Epiſcopi ut Sedis Apoſtolicæ Delegati authoritatem Delegatam habeant cogendi Moniales illas ad Clauſuram, & inſtandi, ut obſervetur, ubi indicta eſt. Nam Navarrus, Sanchez, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.* 6. *num.* 1. Llamas *in Method. Curat. in Appendice §.* 5. putant, non habere Epiſcopos hanc delegatam poteſtatem reſpectu horum Monaſteriorum Prælatis Regularibus ſubjectorum : eo quia *in Cap. Periculoſo De Stat. Regul. in* 6. ſatis apertè ſtatuitur, hanc facultatem in Monaſteriis exemptis non competere Epiſcopis, ſed Superioribus illorum Ordinum, Nihilominus dicendum, ea competere Epiſcopis ſimul cum Prælatis Regularibus, quibus Monaſteria illa ſubjiciuntur : ratio eſt, quia licèt ita ſtatutum fuerit *in Cap. Periculoſo cit.* attamen Tridentinum *loc. cit. cap.* 5. & S. Pius V. *in ſua Bulla*, incipit, *Circa Paſtoralis*, eam dederunt etiam Epiſcopis, ait enim Tridentinum : Quòd S. Synodus præcipit omnibus Epiſcopis, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ authoritate Clauſuram Sanctimonialium procurent. S. Pius verò V. ait : Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Civitatibus, & Diœceſibus propriis præſentes noſtras litteras publicare faciant, ac in Monaſteriis Monialium ſibi ordinario jure ſubjectis. In iis verò, quæ ad Romanam mediatè, & immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ authoritate, una cum Superioribus eorumdem Monaſteriorum Clauſuram procurent. Et ſic deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione Concilii Tridentini teſtatur Barboſa *in Remiſſion. Concilii ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *& de Potest. Epiſc.* 3. *Part. allegat.* 102. *num.* 7. *&* 8. *Praxis Epiſcop.* 1. *Par. verb. Monialis, quæſt.* 4. *&* 8. Caſtropalaus *de Stat. Religioſ. diſp.* 4. *pun.* 9. *num.* 7.

Epiſcopi, & Superiores Monialium tenentur recurre- 14
re ad brachium ſæculare, cum opus fuerit, ad continendas Moniales in ſua Clauſura, ad Principes videlicet, ad Magiſtratus. Et quamvis Principes, ad quos recurſus fit, non poſſint ſub cenſura excommunicationis compelli in tali caſu, quia eos tantùm hortatur Tridentinum *loc. cit.* nihilominus aliunde adſtringuntur ſub gravi culpa ad porrigendum brachium ob inconvenientia, quæ ſequi poſſent : *ut ex Cap. Omnes Principes de Major. & Obedien. ex Cap.* 1. *de Offic. Ordinar. & ex Cap. Si Imperator, diſt.* 96. docet Navarrus, Sanchez, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.* 6. *num.* 2. *in fin.* Magiſtratus verò tenentur ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, ſi ſub hac pœna moniti fuerint ad ſuum brachium porrigendum, & porrigere noluerint : dummodo tamen omiſſio iſta fuerit mortaliter culpabilis, ut ſtatuitur à Tridentino citato. Nomine Magiſtratus ſæcularis veniunt hic Perſonæ publicæ, quæ juriſdictionem exrceant *ex Leg. Eum, qui ff. de Juriſdict. omn. Judic.* cujuſcumque generis, vel Ordinis fuerint; afficit ſiquidem omnes Magiſtratus ſæculares, ac nullum excludit. Sic ſunt Prætores, Judices, Gubernatores Civitatum, Præfecti Provinciarum, & ſimiles ſecularem juriſdictionem exercentes : ut tradit Bonacina *loc. cit. num.* 4. Qui rectè addit *num.* 5. etiam comprehendi ſub nomine Magiſtratus Perſonam Eccleſiaſticam, ſi juriſdictionem ſecularem exerceret ut ſi Epiſcopus, vel alius Sacerdos, aut Clericus conſtitueretur Præſes Magiſtratus alicujus, vel Provinciæ; & requiſitus ab Epiſcopo loci, & monitus ad præbendum brachium pro continenda Clauſura Monialium, nollet tamen præbere : ratio eſt, quia juriſdictionem exerceret titulo ſeculari, & Tridentinum non reſpexit ad perſonam præcisè, ſed ad qualitatem Officii.

Inquires hìc 1. an hæc excommunicatio reſervata ſit ſummo Pontifici? Reſp. negativè, non enim cautum eſt in Tridentino, eam ſummo Pontifici reſervari, ut patet conſideranti illud, & expreſsè adnotat Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *punct.* 7. *nu.* 6.

Inquires 2. an Epiſcopus, & alii Prælati Ordinarii te- 16
neantur ſingulis annis decretum publicare in ſuo diſtrictu de Clauſura Monialium, ut videtur præcipere S. Pius V. *in Virtute Sanctæ Obedientiæ in ſua Bulla*, incipit, *decori, & honeſtati*? Reſp. negativè, ſufficit enim fuiſſe publicatum, niſi fortè neceſſitas publicationem ſuaderet: ratio eſt, quia temperatum fuit præceptum iſtud tum ab ipſo S. Pio V. in alia Bulla, incipit, *Circa Paſtoralis*, tum à ſuo ſucceſſore Gregorio XIII. in ſua Bulla, incipit, *Deo ſacris*, in qua ſolùm publicationem ſimpliciter faciendam indixit, nec præſcripſit repetendam ſingulis annis : maximè quia uſus, praxis, & conſuetudo eſt in contrarium, cum nullibi Prælati ſingulis annis illud publicent, nec ſe ſentiunt tali obligatione adſtringi : ut docent Navarrus *Comment.* 4. *de Regul. num.* 14. Sanchez *lib.* 6. *ſumm. cap.* 15. *num.* 23. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 9. *nu.* 8.

CAPUT III.

Quinam possit facultatem legitimè concedere Monialibus exeundi è Monasterio; & quibus ex Causis?

1 *Concedere facultatem exeundi Monialibus in Monasteriis Episcopis subjectis, vel immediatè Sanctæ Sedi spectat ad Episcopos; in Monasteriis exemptis spectat ad Episcopos, & Prælatos Regulares in rigore Juris.*
2 *Spectat etiam ad Vicarium Generalem Episcopi, non verò foraneum: indiget tamen Vicarius Generalis speciali mandato.*
3 *Abbatissa, vel Prioriſsa nequeunt hanc facultatem concedere.*
4 *Facultas exeundi, cognita priùs causa, de necesse tradi debet in scriptis.*
5 *Quid faciendum, si urgente necessitate, & stante legitima causa, nolint Episcopus, vel Superior Regularis facultatem exeundi concedere?*
6 *Causæ exeundi debent esse legitimæ, justæ, & graves, quas statuit S. Pius V.*
7 *Quid veniat nomine magni incendii, Infirmitatis lepræ, & Epidemiæ?*
8 *An facultas exeundi extendi possit ad alias similes tribus enumeratis?*
9 *Quid dicendum ingruente inundatione fluvii, bello, aut Terremotu continuato?*
10 *An Juramentum fidelitatis præstandum ab Abbatissa Principi sit causa legitima exeundi?*
11 *An sit causa legitima exeundi ad fundandum Monasterium, vel illud reformandum; si fuerit ejusdem Ordinis, & habitus?*
12 *Ex facultate Episcopi poterit Monialis ex uno Monasterio transferri ad aliud?*
13 *Ob bonum commune Monasterii poterit Monialis ex uno Monasterio transferri ad aliud, ut ibi pœnitentiam agat, & corrigatur.*
14 *An infirmitas non contagiosa aliis; sed periculosa ipsi Moniali infirmæ sit causa sufficiens ad egressum?*
15 *Cessante causa, quæcumque fuerit, tenetur statim Monialis redire ad Clausuram.*

1 IN Monasteriis Episcopo subjectis, vel immediatè subjectis Sedi Apostolicæ concedere facultatem Monialibus exeundi à Monasterio ob legitimam causam spectat ad Episcopos, vel ad eorum Vicarios Generales, ut statutum est in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* & in Bulla Pii V. incipit, *Decori, & honestati.* Solùm lis est de Monasteriis exemptis, & immediatè subjectis Prælatis Regularibus, & mediatè Sedi Apostolicæ: nam docuere nonnulli cum Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 49. *art.* 6. solam facultatem requiri ad exeundum Prælati Regularis, nec requiri facultatem Episcopi: eo quia semel concessa à Prælato Regulari intelligitur concessa ab Episcopo, cum Prælatus Regularis jurisdictionem veluti Episcopalem habeat. Sed omnino dicendum: spectato rigore Juris, quidquid sit de consuetudine, ultra facultatem Prælati Regularis requiri facultatem Episcopi; ratio est, quia sic expressè statuitur *in Bulla præcitata* Sancti Pii V. ubi dicitur: Quòd causa exeundi, infirmitas e. g. præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberer; etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit. Ex quibus verbis clarè constat, facultatem exeundi in his Monasteriis ob legitimam causam concedendam esse, & approbandam à Prælato Regulari, & ab Episcopo loci. Sic Azor. 1. *par. lib.* 13. *cap.* 8. *quæst.* 1. Navarrus *Comm.* 4. *de Regul. num.* 60. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *numer.* 28. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *numer.* 13. *Praxis Episcoporum* 2. *par. verbo Monialis dub.* 8. Barbosa 3. *Part. de Potest. Episc. alleg.* 102. *numer.* 28. Bonacina *de Claus. quæst.* 1. *punct.* 8. *numer.* 1. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 9. *numer.* 9. Dixi in rigore Juris attenta Bulla citata Sancti Pii V. ut non negarem, quòd si ex usu, vel consuetudine recepta non fuerit alicubi prædicta Bulla; possit legitimè hæc facultas concedi à Prælato Regulari tantum, cui Monasterium quoad regimen, & gubernationem subjicitur; quem usum vigere in Hispania tradunt Rodriquez, Miranda, Joannes de la Crux, Sanchez, & Llamas relati à Castropalao *l. c.* nec improbat Bonacina *l. c.*

Vicarius autem Episcopi, qui facultatem hanc concedere potest, non est Vicarius foraneus, sed Generalis; hic enim est Ordinarius, & facit unum tribunal cum Episcopo, non verò ille: ut adnotat Barbosa *l. c.* Suarez *l. c. nu.* 30. Bonacina *l. c. nu.* 2. & Castropalaus *l. c. nu.* 10. Controvertitur tamen: an hæc facultas competat Vicario Generali ex vi Vicariatus, an verò indigeat speciali mandato quoad hoc. Et quamvis Sanchez *l. c.* doceat, quoad Monasteria immediatè subjecta Episcopo eam habere ex vi Vicariatus; non verò quoad Monasteria immediatè subjecta Sanctæ Sedi, vel Prælatis Regularibus: eo quia in Monasteriis immediate subjectis Episcopo procedit Episcopus, ut Ordinarius; in subjectis tamen immediatè Sanctæ Sedi, vel Prælatis Regularibus procedit ut Delegatus Sanctæ Sedis: & quamvis potestas ordinaria Episcopi transeat in ejus Vicarium; non transit tamen potestas Delegata sine speciali mandato Episcopi. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam asserentem, neutram potestatem habere ex vi Vicariatus, nisi speciale mandatum ab Episcopo habuerit: ratio est, quia est res ex se gravis, & magni momenti, quæ censetur speciali mandato indigere: nec omnis potestas, quæ Jure Ordinario Episcopo competit; intelligitur Vicario commissa: multa enim sunt, quę speciali mandato indigent: nec verba illa Pii V. in sua Bulla, ubi ait: licentiam approbandam esse ab Episcopo, seu alio loci Ordinario; accipi possunt pro Vicario Generali, cum non sit alius Ordinarius loci ab Episcopo, cum quo unum tantùm Tribunal efficit; sed accipi debent pro aliis potestatem veluti Episcopalem habentibus, & non sunt Episcopi. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Barbosa *de Potest. Episc.* 3. *par. alleg.* 54. *à num.* 60. tradens sic decisum à Sacra Congregatione, & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 9. *num.* 10. Idem dicendum de Vicario Generali Capituli Sede Vacante, qui tunc habebit facultatem istam, si ei à Capitulo commissa fuerit. Quòd autem Capitulum hanc facultatem habeat Sede Vacante nimis clarè constat ex eo, quod ad rectum Regimen Ecclesiæ sic spectet: ita docent Barbosa *l. c. alleg.* 36. *numer.* 13. & Castropalaus *l. c. in fine.* 2

Abbatissa, vel Prioriſsa Monialium non veniunt nomine Superiorum, qui hanc facultatem egrediendi è Monasterio ex causa legitima concedere possunt: ratio est, tum quia ipsa tenetur eidem præcepto servandi Clausuram; tum quia non est revera Superior Ordinis Monialium, sed tantùm Monasterii. Sic Rodriquez *tom.* 1 *Quæst. Regul. quæst.* 46. *art.* 2. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *nu.* 28. Bonacina *de Claus. quæst.* 1. *pun.* 8. *num.* 1. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 9. *num.* 9. 3

Facultas, & licentia exeundi è Monasterio, cognita priùs legitima causa, tradi debet de necesse in scriptis: sic enim expressè statuit *in sua Bulla*, incipit, *Decori, & honestati.* S. Pius V. ait enim, ex causa cognita, & expressè in scriptis approbata; itaut non sufficiat purè tradere in scriptis facultatem exeundi, sed etiam exprimi debeat causa exitus, quæ approbatur; ut sic verificetur illud, causa cognita, & expressè in scriptis approbata. Ita ex Navarro, & Suarez docet Bonacina *l. c. n.* 3. & rectè advertit *n.* 4. non esse validam, si oretenus tradatur: ratio est, quia scriptura in hoc casu est de forma actus, & actus sine forma celebratus non subsistit. 4

Quid autem faciendum sit, si urgente necessitate, & stante legitima causa, nolit Episcopus, & Superior Regularis licentiam concedere? Resp. si periculum sit in mora, & legitimitas causæ manifestè constet; poterit Monialis sine culpa exire, sive ipsa teneatur ad Clausuram ex præcepto, sive ex voto: ratio est, quia nec Lex Ecclesiastica, nec Votum, quod se conformat Legi Ecclesiasticæ, censentur per se obligare cum gravi detrimento propriæ vitæ, vel boni communis. Dixi, si manifestè constet legitimitas causæ; nam si dubia esset, & sub opinione, semper standum erit judicio Superioris: ut docent Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 15. *numer.* 51. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *capit.* 12. *numer.* 1. *versic.* 4. & Castropalaus *de Stat. Relig. quæst.* 4. *punct.* 9. *numer.* 11. Nec ex hoc sequitur, quòd posita manifesta causa legitima posset exire facultate non petita; tenetur namque ex præcepto, vel voto ad petendum, dum defacto obtineri 5

poteſt. Non nego tamen, quòd ſi urgens eſſet neceſſitas, & periculum in mora grave eſſet; daretur locus Epykejæ: reputaretur ſiquidem caſus exceptus, & extra Legem, cum neceſſitas careat Lege: quamvis Monialis egreſſa teneretur, certiorem ſtatim facere Superiorem de ſuo egreſſu, & cauſa urgente illius: ſic Sorbus, Rodriquez, Llamas, Sanchez, Zechius, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *punct.* 8. *num.* 5. Adnotandum verò hìc, quòd ſi è tali egreſſu, etiam cum cauſa legitima, & quæ manifeſtè conſtet, ſive petita licentia, & denegata, ſive per Epykejam præſumpta, ſequeretur grave ſcandalum, & infamia Religioni; ſuſtinenda tunc eſſet Clauſura, etiam cum periculo vitæ, cum bonum privatum poſtponendum ſit communi. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 12. *&* 16. & Caſtropalaus *l. c.*

6 Cauſæ legitimæ, juſtæ, & graves eſſe debent, ut à Superioribus facultas tradatur Monialibus exeundi è Monaſterii Clauſura; ſic ex ſe patet, & ſic exigit natura ipſa Clauſuræ ſtrictiſſimè indicta Monialibus *in cap. Periculoſo de Stat. Regul. in* 6. in Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* & in Conſtitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. Et adnotandum, quòd *in cap. Periculoſo* Bonifacius VIII. ſtrictè locutus eſt, eam cauſam ut legitimam, juſtam, & gravem aſſignans, ſi Monialis tanta, ac tali infirmitate laboret, ut nequeat cum aliis abſque periculo, & ſcandalo in Monaſterio commorari. Tridentinum *verò l. c.* mitiùs ſe geſſit, dum nullam in particulari aſſignavit, ſed eam remiſit arbitrio Epiſcopi, à quo agnoſci debet, & approbari. S. Pius V. tamen, ne diſpenſatio Legis adeo gravis arbitrio cujuſlibet Epiſcopi relicta eſſet; *in ſua Bulla, Decori, & Honeſtati*, ſtatuit quaſi per novum jus legitimas cauſas, quas expreſſit; & ad tres reduxit, nempe ad magnum incendium, infirmitatem lepræ, & Epidemiam; ac ſub graviſſimis pœnis vetuit, ne præter has cauſas facultas iſta concederetur.

7 Dubitabis 1. quid veniat nomine magni incendii, Infirmitatis lepræ, & Epidemiæ? Reſp. illud reputandum eſſe magnum incendium in Monaſterio, vel extra illud, cui nequeat ſuccurri, & periculum probabile, & proximum adeſt pereundi Moniales, ſi in Monaſterio detinerentur intra Clauſuram. Hinc eſt, quòd ſi Moniales incendium evadere valeant abſque periculo vitæ; vel poſſent tutò ex una parte Monaſterii ad aliam migrare ſub clauſura contentam, tenentur ſe ad hanc recipere, & non egredi è Monaſterio. Lepræ infirmitas reputatur morbus ille contagioſus, ob quem infectus à communi conſortio ſeparari ſolet. Epidemia verò non ſolùm eſt peſtis majorem partem regulariter interimens, ſed quiſvis alius morbus, qui alios inficere ſolet, quamvis non interimat majorem partem eorum, quos inficit, ut eſt morbus gallicus, & ſimiles. Sic Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 49. *art.* 4. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 15. *numer.* 34. Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput.* 4. *punct.* 9. *numer.* 12. & Bonacina *de clauſ. quæſt.* 1. *punct.* 9. *numer.* 2. qui adnotat, & rectè ſi Monialis abſque aliarum infectione poſſit à lepra, vel Epidemia curari in Monaſterio; non poſſe juſtè ab illo exire.

§ Dubitabis 2. an prædicta facultas extendi poſſit ad alias ſimiles, & urgentes cauſas præter tres ſupra enumeratas? Reſp. licèt Zerola, Miranda, Riccius, & alii penes Barboſam *de Poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 102. *num.* 16. docuerint, non poſſe extendi; eo quia S. Pius V. *in ſua Conſtitutione* uſus fuit dictione taxativa in enumerandis tribus illis cauſis; adeoque extra illas facultas concedi nequit. Nihilominus communis ſententia ſuſtinet, ad cauſas ſimiles poſſe diſpoſitionem S. Pii V. extendi, quia extenſio illa non eſset formalis, ſed materialis: & ratio eſt, tum quia ſatis commune eſt inter Doctores, & ab eis paſſim receptum, quòd diſpoſitio Legis ſive favorabilis, ſive odioſæ extendi queat ad caſus ſimiles ſub ratione decidendi comprehenſos, cum non dicenda ſit extenſio, ſed incluſio; ſi ergo ratio deſignandi tres illas cauſas fuit, quia toti Monaſterio, & Communitati nocivæ erant; ſi aliæ ſimiles, & urgentiores darentur nocivæ toti Monaſterio, & Communitati religioſæ, utique comprehenderentur ſub ratione deſignandi illas tres, quas non deſignavit ob eſſe materiale earum, ſed quia nocivæ erant Monaſterio. Tum quia ſic communiter Doctores interpretantur dictionem illam taxativam, cum extenſione videlicet materiali ad alias cauſas diverſas ab aſſignatis, ſed comprehenſas ſub ratione formali diſponendi. Tum denique quia ſi in aliis diſpoſitionibus præſertim ad bonum commune ſpectantibus datur locus Epykejæ, ita etiam & in caſibus conſimilibus, vel urgentioribus ad concedendam hanc facultatem ſpectantibus: maximè ſi non ſequatur relaxatio Clauſuræ, nec regularis obſervantiæ, ut non ſequitur in tribus à Pontifice aſſignatis. Sic Navarrus *Comm.* 4. *de Regul. numer.* 48. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Azor. 1. *Par. lib.* 13. *cap.* 8. *quæſt.* 1. *in fine*, Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 49. *art.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *nu.* 37. Guttierrez *lib.* 1. *Canon. Quæſt. cap.* 14. *num.* 9. Caſtropalaus *de Stat Relig. diſp.* 4. *pun.* 9. *numer.* 13. Zenedo *collect.* 31. *ad ſextum Decretal.* Llamas *in Method. Curat.* §. 10. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *punct.* 9. *numer.* 6. & Barboſa *loc. cit.*

Hinc infertur 1. ſi ingruente inundatione fluminis pe- 9
riculum probabile adſit immergendi Monaſterium, & ſuffocandi Moniales; haberi cauſam ſufficientem; & legitimam ad concedendam facultatem exeundi à Monaſterio. Idem dicendum, ſi ingruente bello præſertim infidelium, aut hæreticorum periculum probabile ſit, quòd Monaſterium dilapidetur, & Sacræ Virgines inſolentiis militum exponantur; habetur enim ſufficiens, & legitima cauſa egrediendi, & reparandi ſe in tutiorem locum: ſunt namque hi caſus ſimiles incendio. Sic Azor. Navarrus, Sanchez, Barboſa, Suarez, Guttierrez, Zenedo, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.* 9. *num.* 7. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 9. *num.* 13. *in fin.* Idem denique dicendum tempore Terremotus continuati, ſi tamen habitatio lignea immunis à ruinis fabricæ fieri nequeat intra ſepta Clauſuræ, eſt enim ſimilis cauſa incendio.

Infertur 2. ſi juramentum fidelitatis præſtandum eſſet 10
ab Abbatiſſa propter feudum alicui Principi ſeculari ſubjectum, nec illud præſtare poſſet per Procuratorem; poſſe cum honeſto comitatu è Monaſterio egredi ad illud præſtandum, & ſtatim reverti: ratio eſt, tum quia redundat in bonum commune Monaſterii, cum poſſet à feudo decadere juramento non præſtito; tum quia hæc cauſa appoſita fuit *in cap. Periculoſo §. Verum de Stat. Regul. in* 6. à Bonifacio VIII.; nec revocata fuit *in ſua Bulla* à S. Pio V. ſic Sylveſter *verb. Religio* 7. *quæſt.* 16. *dicto* 2. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *num.* 51. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *punct.* 9. *nu.* 9. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 9. *num.* 17.

Infertur 2. ſufficientem cauſam ad exeundum à Mo- 11
naſterio eſſe, ſi Monialis exeat ad fundandum Monaſterium aliquod ejuſdem Ordinis, & habitus, vel ad illud gubernandum, & reformandum: ratio eſt, quia ex illo egreſſu provenit bonum temporale, & ſpirituale Religioſæ Communitati; & aliunde Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de Regul.* hanc facultatem conceſſit, quę quidem facultas licèt non fuerit expreſsè enumerata à S. Pio V. non tamen comprehenditur ſub excluſis; ut tradunt Navarrus, Guttierrez, Rodriquez, Sanchez, Barboſa, Suarez, quos referunt, & ſequuntur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 9. *nu.* 16. & Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.* 9. *nu.* 10. qui extendit ad Magiſtram Novitiarum, & ad Præfectam januæ; cum hæc etiam Officia publicam Monaſterii utilitatem, ac ſpirituale bonum reſpiciant. In his tamen ſemper tutius eſt Sacram Congregationem conſulere, ut ipſa declaravit teſte Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6.

Infertur 4. ex facultate Epiſcopi poſſe Monaſterium 12
ſibi ſubjectum, vel immediatè Sanctæ Sedi; aut ſimul cum facultate Prælati Regularis, ſi illi fuerit immediatè ſubjectum; ex uno loco transferri in alium, & conſequenter habere Moniales facultatem exeundi abillo: ſic eſſet, ſi Monaſterium extra Mœnia urbis, vel Oppidi coſtitutum eſſet, ac expoſitum malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus; & videbitur expedire, ut Moniales ex eo ad aliud novum Monaſterium, vel antiquum intra Urbem, aut Oppidum reducantur. Sic expreſsè Tridentinum *ſeſſ.* 25. *capit.* 5. *in fine de Regul.* & docent Rodriquez, Sorbus, Sanchez, Miranda, Barboſa, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.* 9. *num.* 8.

Infertur 5. ad bonum Commune Monaſterii, & ejus 13
ſpiritualem profectum, poſſe Monialem transferri ex uno Monaſterio ad aliud ad peragendam pœnitentiam, ibique recludi; ut de recepto, & recipiente Simoniacè ſtatuitur *in Cap. Quoniam de Simon.* Eodem modo

dicen-

dicendum, si translatio Monialis ex uno Monasterio ad aliud esset necessaria ad illam corrigendam, eo quia ob præpotentiam Consanguineorum, & Cognatorum, vel ob aliam causam in proprio Monasterio commodè corrigi nequit: maximè quia nec exitus ad pœnitentiam agendam, nec exitus ad correctionem voluntarii sunt, sed necessarii, ut aliæ Moniales timeant, & ne pravo exemplo pervertantur. Sic Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 49. *art.* 5. *coll.* 2. Navarrus *lib.* 3. *Consil. titul. de Regul. consil.* 48. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*9. *num.*13. Sanchez *lib.*6. *Sum. cap.* 15. *nu.* 47. Miranda *de Monial. quæst.*3. *art.*2. *versic.* 4. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 1. *pun.*9. *nu.* 12. *&* 13. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.*4. *pun.*9. *nu.*17. *in fine*. Quòd si Monialis adeo esset incorrigibilis, ut nec in proprio, nec in alieno Monasterio corrigi speraretur; non ideo ejicienda esset è Monasterio, ut incorrigibilis; sed potiùs punienda magis, & in carcerem detrudenda, ne detur ansa aliis spe incorrigibilitatis evadendi è Monasterio, & Clausura. Et quamvis Religiosi Viri sic incorrigibiles ejici possint *ex cap. Cum ad Monasterium, & ex Cap. final. de Stat. Monach.* non ideo tamen extensio fieri debet ad Mulieres: cum majora ex his sequi possint incommoda, nec usu receptum est, ut rectè adnotat Bonacina *l. c. n.*14. ex Barbosa, & Decisione Rotæ Romanæ.

14 Controverti tamen solet de infirmitate non contagiosa aliis, sed periculosa, & nociva Moniali patienti illam; ita ut censeatur Monialem interemptura, si in Monasterio perduret, vel propter illius aeris intemperiem, vel ob rerum necessariarum inopiam, & medicaminum; vel ob absentiam, & distantiam Medicorum, vel ob similes causas: an inquam infirmitas ista sit causa sufficiens ad egressum è Monasterio, & comprehendatur in causis à S. Pio V. enumeratis? Resp. communiorem sententiam, quam probabiliorem reputo; docere: non esse causam sufficientem ad egressum, nec similem illis à Pio V. expressis, imò dissimilem: ratio est, quia causæ enumeratæ à S. Pontifice non respiciunt bonum particulare Monialium, sed commune Monasterii; ergo si hæc tantùm, & dumtaxat respicit bonum particulare Monialis, non verò Monasterii; nec continetur in illis, nec est similis illis, imò dissimilis. Ex hac siquidem causa, si sufficiens esset; sequerentur non pauca inconvenientia Monasterio: cum enim ardens sit in Monialibus desiderium eximendi se à Clausura, & hi morbi non sint adeo infrequentes, ac faciles Medici ad ita judicandum, & simul attestandum; Ideo Monasterium, & ejus Clausura magnum pateretur detrimentum, non sine spirituali Monialium. Nec dura videri debet hæc Lex Monialibus perseverandi videlicet in Monasterio cum periculo vitæ: eo quia ipsæ sibi eam voluntariè imposuerunt, cum per professionem religiosam ab ipsis voluntariè, & nullo cogente emissam, se tali Legi subjecerunt. Et sicuti doctissimi Viri docent de Carthusianis, quòd etiam cum periculo vitæ tenentur abstinere à carnibus ob bonum commune Religionis, attenta ratione superiùs dicta; ita & Moniales cum periculo vitæ, dum infirmitas non est contagiosa aliis, tenetur abstinere ab egressu ob bonum commune Monasterii, maximè quia Lex humana obligat cum periculo vitæ, si respiciat bonum commune. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *nu.* 39. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.*49. *art.*3. Layman *lib.*4. *Summ. tract.*5. *cap.*12. *num.*1. Guttierrez *lib.* 1. *Canon. Quæst. cap.*14. *nu.*3. Barbosa 2. *par. de Potest. Episc. alleg.* 192. *nu.*21. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.*9. *n.*14. Bonacina *de Clauſ. quæst.*1. *pun.*9. *n.*18. referens Zerolam, Mirandam, Sorbum, Cordubam, Zenedum, & quamplures Doctores Salmaticenses. Denegare tamen non possum suam probabilitatem sententiæ oppositæ, quam Doctissimi, & timorati Viri sustinent, quorum authoritas mihi magnum negotium facessit; eam namque docent Navarrus *Comm.* 4. *de Regul. num.*49. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*9. *num.* 9. Azor. 1. *Part. lib.*13. *cap.*8. *quæst.* 1. Graffis 1. *Part. lib.*4. *cap.*23. *nu.*17. & alii. Nec Rodriquez, Sanchez, Castropalaus, & Bonacina *locis citatis*, audent eam improbare; imò advertunt, non esse puniendos eos, qui tali sententia moti facultatem concessere exeundi in casu prædicto: non sunt enim pœna digni, si culpam non commisere; & culpam non committunt, si Opinionem Classicorum Doctorum sequuntur, nec erroneam, nec reprobatam.

15 Adnotandum hìc: quòd cessante causa, quæcumque fuerit, ob quam egressus concessus fuerit Moniali; debet statim ad Monasterium redire, & Clausuram servare, cessante siquidem causa dispensationis, & concessionis cessat concessio ipsa: ut expressè constat *ex cap. Periculoso de Stat. Monach. in* 6. *& ex Bulla* Pii V. incipit, *Decori, & honestati*. Non debet tamen accipi mathematicè ly statim, itaut quæcumque mora gravem inducat culpam, sed moraliter, & judicio Prudentum, quòd non sit adeo diuturna, ut in fraudem legis censeatur facta: quare differre regressum ad unum, vel alterum diem nec erit gravis culpa, nec in fraudem Legis. Sicuti si Monialis pergeret ad fundandum Monasterium aliquod, & diverteret à via recta ad viginti quinque milliaria ob invisendam Sacram Imaginem, aut consanguineos; nec longum spatium reputaretur, nec factum in fraudem Legis, & Clausuræ. Sic Sanchez *lib.*6. *Sum. cap.*15. *num.*60. *&* 61. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 47. *art.* 11. Guttierrez *lib.* 1. *canon. Quæst. quæst.* 14. *in fin.* Bonacina *de clauſ. quæst.* 1. *pun.*9. *num.*21. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.*4. *pun.*9. *num.*19.

CAPUT IV.

Qualis Ingressus in Monasteria Monialium sit Violatio Clausuræ; & sub quibus pœnis prohibitus.

1 *Ingredi Monasteria clausurata Monialium, seu septa intra januam semper clausam; itaut verificari possit, quòd ingrediens sine legitima facultate sit completè in clausura; est violatio clausuræ sub pœnis prohibita.*

2 *Personæ, quibus prohibetur ingressus in clausuram Monialium, sunt omnes cujuscumque generis, conditionis, & sexus. Tacitè excluduntur aliquæ ab hac prohibitione.*

3 *An Virgo volens habitum religiosum assumere possit Monasterium ingredi sine licentia ad illud invisendum? Et an Monialis cum facultate egressa possit aliud Monasterium ingredi sine licentia ad illud invisendum?*

4 *An infantes usum rationis non habentes illud ingredi possint sine licentia?*

5 *Quid dicendum de perpetuò amentibus, ac rationis usu carentibus?*

6 *Qui possint facultatem concedere ingrediendi Monasteria sunt Episcopi, & eorum Vicarii Generales; Abbates, & Priores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suis Territoriis exemptis; nec non Prælati Regulares respectivè ad sua Monasteria.*

7 *An facultas ista delegari possit Abbatissæ, vel Confessario Monasterii pro casibus sæpè contingentibus?*

8 *An Episcopus, aut Superior Regularis possint Monasteria ingredi?*

9 *Quomodo concedenda sit licentia ista ab habentibus facultatem eam concedendi?*

10 *An etiam Scriptura requiratur pro casibus frequenter contingentibus, & à jure concessis?*

11 *An quando licentia nec in scriptis, nec oretenus peti possit à Superiore, saltem peti debeat ab Abbatissa?*

12 *An ingrediens Monasterium extra causam urgentis necessitatis cum licentia oretenus obtenta graviter peccet, & incurrat pœnas latas contra ingredientes?*

13 *An licentia in scriptis concessa finiatur primo actu?*

14 *Quænam causæ sint necessariæ ad concedendam hanc licentiam?*

15 *Quomodo causa necessaria debeat esse manifesta?*

16 *Subduntur nonnulli Casus particulares dandi licentiam ob necessitatem Monasterii.*

17 *Excluduntur aliqui Casus non dantes in hoc sufficientem causam ad licentiam.*

18 *Subduntur aliqui casus dantes causam ob necessitatem singularum Monialium.*

19 *Excluduntur aliqui casus non sufficientes pro tali necessitate.*

20 *Subduntur aliqui casus dantes causam ob necessitatem ingredientium.*

21 *An ingrediens Monasterium cum facultate ob necessitatem, si finita necessitate non statim egrediatur; clausuram violet, & incurrat pœnas?*

22 *An ingrediens ex prætextu necessitatis, si revera opus necessarium præstare non intendat; clausuram violet, & pœnas incurrat?*

23 *An si simul cum intentione præstandi opus necessarium curiositate ductus videndi Monasterium ingrederetur;*

retur, violaret clausuram, & incurreret pœnas?

24 *An ingrediens ex causa vera tempore concessionis, sed non existente tempore ingressus; violet Clausuram, & pœnas incurrat? Et quid si vice versa eveniret?*

25 *An sit licitus ingressus concessus sine causa, vel cum ea cognita insufficiente?*

26 *An contedens facultatem sine legitima causa incurrat Excommunicationem?*

27 *Enumerantur pœnæ impositæ contra ingredientes sine debita facultate.*

28 *Enumerantur pœnæ impositæ contra facientes ingredi, aut permittentes ingressum.*

29 *Enumerantur pœnæ impositæ contra Moniales præsumentes admittere ingredientem prætextu licentiarum ab Episcopo, vel Superiore concessarum.*

1 INGREDI Monasteria clausurata Monialium, seu septa illa Monasterii, quę continentur intra januam semper clausam, quæcumque sint; graviter prohibitum est, & sub gravibus pœnis *in Capit. Periculosa de Stat. Monachor. in 6.* in Tridentino *sess. 25. cap. 5. de Regul.* in Bulla Sancti Pii V. incipit, *Cura Pastoralis*, & in Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ubi gratiæ*, & in aliis, nisi ingredientes legitimam facultatem habeant; alias Clausuram violabunt, & pœnas pro violatione indictas incurrent, etiam si ingressus fuerit ad unum, vel duos palmos, dummodo verificari possit de ingrediente, quòd sit completè per partes sui corporis intra Clausuram juxta ea, quæ superiùs diximus do violatione Clausuræ Monialium per egressum. Debet autem Monasterium esse clausuratum, ut innui, nam si Clausuræ nondum deputatum esset, ut si ædificaretur, aut novum esset, nec dum Moniales introductæ, & clausuratæ; nec esset prohibitus ingressus, nec pœnæ impositæ ingredientibus incurrerentur: ut declaratum fuit à Sacra Congregatione Cardinalium teste Coriolano, Sorbo, & aliis relatis à Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 1. numer. 1.* Ut autem distinctius, & clariùs procedamus, explicare 1. debemus Personas, quibus prohibetur ingressus. 2. Superiores, qui licentiam ingressus concedere possint, & quomodo. 3. causas necessarias ad ingressum, & sufficientes ad facultatem dandam. 4. denique pœnas contra illegitimè ingredientes, eos admittentes, & facultatem dantes.

2 Personæ, quibus prohibetur ingressus in Monasteria clausurata Monialium, sunt omnes cujuscumque generis, & conditionis, & sexus sint: sic clarè constat ex præcitatis Textibus. Quapropter prohibetur ingressus in Monasteria prædicta tam Viris, quàm Mulieribus; tam Laicis, quàm Clericis; tam Sæcularibus, quàm Regularibus, etiam ipsis Episcopis, nisi in aliquibus Casibus: ut sustinent Navarrus *Comm. 4. de Regul. numer. 39.* Gratianus *in Discept. Forensib. cap. 393. num. 5.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 1.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. punct. 10. §. 1. num. 1.* Tacitè excipiuntur ab ista generali prohibitione Imperatores, & Imperatrices; Reges, & Reginæ cum eorum filiis, & nepotibus; ratio est, quia ob eorum Regalem, & summam conditionem non intelliguntur comprehensi sub generalibus verbis, nisi eorum fiat expressa mentio: cum ergo in nullo ex præcitatis Textibus fiat eorum mentio expressa; inde est, non comprehendi. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 16. num. 3. & cap. 17. num. 5.* Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 48. art. 1.* & Castropalaus *l. c.*

3 Dubitabis 1. an Virgo volens religiosum habitum assumere possit Monasterium ingredi ad illud invisendum sine licentia? Et an Monialis ex legitima causa morans extra clausuram possit aliud Monasterium à suo ingredi ad illud invisendum? Resp. negativè: ratio est, quia in utroque casu interdicitur ingressus, absolutè enim loquuntur præcitati Textus de quibuscumque Personis cujusvis conditionis, status, & sexus fuerint; nam omnes sunt extraneæ Monasterio illi, etiamsi Monialis extra Clausuram legitimè commorans fuerit ejusdem Ordinis, & habitus; cum etiam Regularibus interdictus sit ingressus. Nec juvat esse ejusdem Ordinis, & habitus, si sit extranea; alias etiam Viris Religiosis ejusdem Ordinis, & habitus deberet patere ingressus; aut saltem fœminis religiosis ejusdem Ordinis, & habitus domi suæ commorantibus. Sic Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. pun. 1. num. 3.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 10. §. 1. num. 4.* Non nego tamen, quod Virgo bona fide, & eo animo ingrediens Monasterium sine licentia excusetur à peccato, & Censura à Bonacina, dummodo ingressa non egrediatur.

Dubitabis 2. an infantes, qui nondum rationis usum attigere; includantur sub hac prohibitione non ingrediendi Monasteria clausurata? Resp. negativè, si moraliter constet non attigisse septennium: ratio est, quia super illos cadere nequit præceptum Ecclesiasticum, nec finis intentus ab illo violari potest per ingressum infantium, adeoque nec Moniales illos admittentes culpam aliquam, aut pœnam incurrere possunt; si eam non incurrunt admissi. Sic Navarrus *Comm. 4. de Regul. num. 59.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. nu. 2.* Sanchez *lib. 6. Summ. capit. 16. numer. 5.* Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 46. art. 1.* Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 10. §. 1. num. 2.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. pun. 1. num. 5.* referens Sorbum, Mirandam, Riccium, Barbosam, Llamas, Reginaldum, Salas, Azorium, & Henriquez. Advertit tamen citatus Bonacina ex Corduba, Sanchez, Sà, & aliis in dubio de usu rationis pueri non admittendum esse in Monasterium, si septennium jam attigerit. 4

Dubitabis 3. de perpetuo amentibus, & usu rationis carentibus, an in Monasterium admitti possint à Monialibus absque culpa, & incursu pœnarum? Resp. quamvis non peccarent amentes isti admissi, quia usu rationis carentes; peccarent tamen Moniales admittentes illos: ratio est, quia sunt hoc præcepto ligati, ut sunt dormientes, & ebrii; esto ob defectum usus rationis excusentur à culpa ob violationem illius. Hinc est, solùm peccare liberè, & pœnas incurrere admittentes illos, ac permittentes illis ingressum, cum per eum violetur prohibitio, & finis intentus per illam. Sic Navarrus, Rodriquez, Zerola, Suarez, Sanchez, Barbosa, Miranda, Llamas, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 1. num. 7,* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 10. §. 1. numer. 3.* 5

Superiores, qui facultatem concedere possunt ingrediendi Monasteria clausurata Monialium; sunt Episcopi pro Monasteriis sibi immediatè subjectis per potestatem ordinariam; per delegatam verò pro Monasteriis immediatè subjectis Sanctæ Sedi. Nomine Episcopi veniunt hìc Abbates, aut Priores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suis Territoriis exemptis. Vicarius quoque Generalis Episcopi, aut Capituli Sede Vacante, dummodo speciale mandatum habuerit quoad hoc ab Episcopo, vel Capitulo, ut superiùs diximus. Pro Monasteriis exemptis, & immediatè subjectis Prælatis Regularibus Superiores, qui facultatem ingrediendi concedere possunt; sunt Generalis, Provincialis, & Superior localis, cui Monasterium subjicitur; ratione siquidem subjectionis, & gubernationis ad hos spectat facultatem concedere; ut docent Rodriquez, Navarrus, Sanchez, Graffius, Miranda, Azor. Barbosa, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. pun. 2. num. 3.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 10. §. 2. num. 3.* Quòd si Monasterium alicui particulari Personæ, sive Clericus sit Sæcularis, sive Regularis ex speciali commissione Sanctæ Sedis, vel ex Privilegio, commissum fuerit, facultas ista ab ipso petenda erit, non verò ab Episcopo, aut ab alio Prælato Regulari. Et defacto Romæ conceditur hæc licentia à Prælato à Summo Pontifice specialiter designato ad hoc munus, non verò à Prælatis Religionum: ut testatur Bonacina *l. c.* qui dum Romæ moraretur, commissa fuit à Pontifice. Nullatenus autem Abbatissa concedere potest licentiam istam: tum quia ipsa subjicitur oneri Clausuræ, nec potest clausuram indicere; tum quia non venit nomine Superioris, cum illi Monasterium non sit absolutè subjectum, sed secundùm quid; videlicet secundùm regimen domesticum; & hæc licentia juxta Tridentinum ab Episcopo, vel Superiore concedi potest. Sic Dominicus, Archidiaconus, Joan. Andreas, quos refert, & sequitur Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 46. art. 2.* Navarrus *Com. 4. de Regul. n. 59.* Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 16. num. 22.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 14.* Azor. 1. *par. lib. 13. cap. 8. quæſt. 6.* Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 10. §. 2. num. 3.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 2. num. 5.* 6

Petes 1. an facultas ista delegari possit Abbatissæ, vel Confessario Monasterii pro casibus sæpè contingentibus? Resp. quamvis doctissimi viri Navarrus, Rodriquez, Sanchez, Graffius, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. in fine*, putent posse delegari ab Episcopo, vel Prælato Regulari Abbatissæ, aut Confessario. Nihilominus 7

minus

minus vera mihi videtur sententia docens, solùm delegabilem esse à Summo Pontifice; non verò ab Episcopo, aut Prælato Regulari: ratio est, quia Tridentinum *sess.* 25. *capit.* 5. *de Regul. expressè ait*: Dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel imposterum concedendi. Ergo prohibetur à Tridentino hæc delegatio, si dixit, nullum alium præter Episcopum, vel Superiorem posse eam concedere. Igitur nec Abatissa, nec Confessarius dant facultatem istam, etiam in casibus sæpissimè contingentibus; sed dat Episcopus, vel Prælatus Regularis committendo tamen cognitionem causæ Abbatissæ, vel Confessario, si sufficientem eam judicaverint. Sic rectiùs Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 14. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 10. §. 2. *num.* 4.

8 Petes 2. an Episcopus, aut Superior Regularis possint Monasteria ingredi, & secum dispensare, ut possunt aliis facultatem concedere? Resp. affirmativè, dummodo id faciant ex justis causis, & in casibus necessariis, & ingrediantur cum paucis, ac senioribus associati: sic decernitur à Gregorio XIII. *in sua Bulla*, incipit, *In dubiis, quæ emergunt* 25. *Decem. ann.* 1581. & ratio est, quia si ex rationabili, & justa causa possunt aliis facultatem concedere, cur non poterunt ex eisdem causis secum dispensare? Sic Navarrus, Rodriquez, Suarez, Sanchez, Miranda, Azor. Barbosa, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Clausur. quæst.* 4. *pun.* 2. *numer.* 9. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 10. §. 2. *num.* 5. Extendunt hanc doctrinam ad omnes habentes hanc facultatem dispensandi ad ingressum à Sancta Sede, dummodo non sit limitata ad personas, sub quibus Delegati comprehendi nequeunt: ut esset ad triticum, vinum, oleum, & ligna deferenda; tunc enim comprehendi non posset Delegatus, cum causa limitata ad limitatum effectum extendatur.

9 Modus, quo concedenda est licentia ista ab habentibus facultatem; præscribitur tum *in Capit. Periculoso de Stat. Monach. in* 6. tum in Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regular.* Exposcit igitur Bonifacius VIII. *in Capit. Periculoso cit.* quòd licentia ista sit specialis, ait enim, nisi de speciali licentia. Hinc est, quod si in ea non fiat mentio ingressus in Monasterium, etiam si generaliter daretur licentia ad quoscumque actus, quos Superior concedere posset; non utique comprehenderet ingressum: ratio est, quia est dispensatio adversus Clausuram Jure Communi statutam; adeoque non comprehenditur sub generali concessione, nisi specialiter exprimatur. Non nego tamen, quòd specialis censenda esset licentia data ingrediendi quælibet Monasteria: eo quia licèt sit generalis quoad Monasteria. est tamen specialis quoad ingressum. Sicuti specialis censenda erit facultas generaliter data, ut possint Monasterium ingredi Medici, Chirurgi, fabri cæmentarii, lignarii, bajuli onera deferentes, & similes: eo quia licet non sit specialis quoad singulas Personas illas, est tamen specialis quoad ingressum. Sic Sanchez *libr.* 6. *Summ. capit.* 16. *numer.* 28. Miranda *de Monial. quæst.* 2. *art.* 2. *in fine*, & Bonacina *de Clauf. quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 1. Tridentinum verò *l. c.* requirit, ut detur in scriptis, ait enim: Sine Episcopi, aut Superioris licentia in scriptis obtenta; quod sanè fecit, ut rariùs concedatur, & cum maturiori consideratione.

10 Inquires 1. an etiam scriptura requiratur pro casibus frequenter contingentibus, ac à jure concessis: ut sunt ingressus Confessoris, Visitatoris, Medici, artificum, & similium? Resp. affirmativè, nisi periculum esset in mora, ut dictat natura ipsa: ratio est, quia Tridentinum absque ulla exceptione loquitur pro omnibus casibus; & quamvis jus concedat ingressum supradictis urgente necessitate, attamen eam examinare, & approbare spectat ad Episcopos, & Superiores; quæ quidem approbatio in scriptis tradi debet, ut cum majori consideratione fiat; expedit enim eam aliquando denegare aliquibus, & eam concedere aliis: ut docent Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 16. *numer.* 33. Bonacina *de Clauf. quæst.* 4. *punct.* 3. *numer.* 2. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 7. Hinc sequitur. 1. qualitatem istam scripturæ requisitam ad licentiam non esse levis momenti: valde enim confert ad fines intentos à Concilio Tridentino, & Sancto Pio V. ut ex Llamas, & Sanchez, advertit Castropalaus *loco citato numer.* 6. Quaproter si Superior licentiam generalem concederet, ut possent Monasterium ingredi personæ necessariæ, quas Abbatissa, vel Confessarius judicaverit; hæc eadem in scriptis tradi debet, cum sit vera licentia ad ingressum: quamvis judicium, & approbatio Abbatissæ, vel Confessarii non debeat in scriptis tradi, cum non sit vera licentia, sed conditio, ut effectum habeat licentia à Superiore concessa. Sequitur. 2. licentiam oretenus datam, cum tempus patitur dari eam in scriptis; nec sufficere pro foro externo, nec pro interno: ratio est, quia Concilium Tridentinum, & Sanctus Pius V. absolutè hanc qualitatem scripturæ requirunt, quæ, ut diximus, non est parvi momenti. Secus tamen esset, si periculum esset in mora, nec tempus pateretur scripturam: nam Lex humana cùm tanto rigore obligare non solet, nec esset bene provisum repentinis necessitatibus; hi enim casus per Epykejam censentur excepti; imò nec obligarent licentiam oretenus expectare, si adeo repentina esset necessitas, ut grave damnum expectatione timeretur. Sic Navarrus *Comm.* 4. *de Regul. num.* 60. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 16. *num.* 34. Graffis 1. *Part. Decis. lib.* 4. *capit.* 23. *num.* 6. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 46. *art.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 13. *capit.* 8. *quæst.* 8. Bonacina *de Clauf. quæst.* 4. *punct.* 3. *numer.* 2. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 7. *in fine*. Sequitur. 3. non sufficere licentiam præsumptam ex patientia, & tolerantia Superioris tacentis, & non contradicentis: ratio est, tum quia taciturnitas per se consensum non præbet; tum etiam quia si sufficeret, non esset licentia scripta. Sic contra Homobonum expressè docet Bonacina *l. c.*

11 Inquires 2. an quando licentia nec in scriptis, nec oretenus peti possit à Superiore ob repentinam necessitatem, peti saltem debeat ab Abbatissa? Resp. si Abbatissæ facta fuerit à Superiore commissio, & arbitrium generalis licentiæ ab ipso Superiore concessæ in scriptis, ut admittat eas personas in Monasterium, quas ipsa necessarias judicaverit; est extra controversiam, requiri ejus consensum: nam nequiret haberi ingressus ex facultate Superioris, nisi haberetur Abbatissæ consensus sic judicantis, & arbitrantis, ut apertè constat; adeoque in casibus etiam repentinis petendus esset ejus consensus. Si verò nec licentia ista generalis à Superiore habeatur, nec arbitrium Abbatissæ commissum fuerit; tunc in rigore Juris quamvis non expostulandus esset Abbatissæ consensus, cui nullatenus competit facultas concedendi ingressum; nihilominus ex æquitate, quia commissum est Abbatissæ Regimen Monasterii, expedit ut ejus consensus requiratur de necesse; sicuti etiam requiritur ob ingressum cujuslibet habentis in scriptis facultatem ingrediendi à Superiore: non enim præsumendum est, velle Superiorem ingressum alicui concedere sine consensu Abbatissæ. Sic expressè Castropalaus *de Stat. Religios. disp.* 4. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 8. & Bonacina *de Clauf. quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 2.

12 Inquires 3. an ingrediens Monasterium extra casum urgentis necessitatis per solam licentiam oretenus obtentam graviter peccet, & incurrat pœnas contra ingredientes latas? Resp. affirmativè: ratio est, quia scriptura est de essentia privilegii illius, ad quod Superior privilegium concedens illam requirit, esto ex genere suo scriptura non sit de essentia Legis, & Privilegii, aut Dispensationis: ad eum modum quo licèt scriptura non sit de essentia contractus; nihilominus si legitimus Superior illam præscribat in celebratione contractuum, aut contrahentes inter se conveniant, ut scriptura declaretur contractus; erit de essentia, & forma substantiali illius juxta *Leg. Contract. Cod. de Fid. instrum.* cum ergo Tridentinum præscribat scripturam in concessione hujus facultatis, extra periculum urgentis necessitatis, sine illa nulla erit concessio: maximè quia nec omissio scripturæ est res levis momenti, ut supra dixi, nec concesso principali inteelligitur concessum accessorium, si fuerit specialiter prohibitum. Sic Sanc. *lib.* 6. *Sum. cap.* 16. *nu.* 31. Bonac. *de Clauf. quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 3. & alii.

13 Inquires 4. an licentia absolutè concessa in scriptis ad ingrediendum Monasterium finiatur primo actu, nisi aliter in ipsa scriptura fuerit expressum? Resp. affirmativè: ratio est, quia strictè, & limitatè semper interpretanda est dispensatio contra Legem Jure communi statutam, ut est Clausura; adeoque concessio facta adversus illam, nisi aliud exprimatur, primo actu finiri debet. Et sic decisum tradit Ric-

Riccius *in Prax. rerum for. Eccleſiaſt. deciſ.* 649. Barboſa *de Poteſt. Epiſc.* 3. *Part. alleg.* 102. *numer.* 59. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput.* 4. *punct.* 10. §. 2. *numer.* 9.

14 Cauſæ neceſſariæ ad concedendam facultatem iſtam ingrediendi Monaſteria nec à Jure, nec à Tridentino, nec à Pontificibus ſingillatim declaratæ fuere, nec commodè ſic ſpecialiter declarari poterant: ratio eſt, quia pendent à caſibus particularibus cum ſuis circumſtantiis, quæ quidem variæ, & variæ eſſe poſſunt, adeoque judicio virorum prudentum remittendæ. Quapropter *in Cap. Periculoſo de Stat. Monach. in.* 6. ſolùm ſtatuit Bonifacius VIII. cauſam debere eſſe rationabilem, & manifeſtam. *Tridentinum verò ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* declarans præcitatum Caput ſtatuit, eam cauſam rationabilem eſſe, quæ eſt neceſſaria Monaſterio, vel Monialibus. Idem ſtatuere S. Pius V. & Gregorius XIII. *in ſuis Bullis*. Et quamvis non quæcumque cauſa, quæ viſa fuerit rationabilis Superiori; ſufficiens ſit ad talem licentiam concedendam, cum ulteriùs requiratur neceſſitas Monaſterii, vel Monialium, cui quidem moniales per ſe ipſas occurrere non poſſint ſine extraneorum ope. Nihilominus quanta, & qualis debeat eſſe neceſſitas, definitum non fuit à Tridentino, & Pontificibus. Illud tamen ut certum reputatur, non requiri neceſſitatem phyſicam, ſed moralem, ſicuti etiam non requiri extremam, ac ſtrictiſſimam neceſſitatem; ſed ſufficere gravem, illa videlicet, cui ſuccurri moraliter nequeat à Monialibus abſque ingreſſu extraneorum: ut docent Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 46. *art.* 4. Miranda *Tract. de Monialib. quæſt.* 2. *art.* 4. *concl.* 2. Suarez *tom.* 4. *de Regul. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 10. *numer.* 17. Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 16. *numer.* 40. Barboſa 3. *Par. de Poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *numer.* 48. Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 10. §. 3. *numer.* 1. Llamas *in Meth. Curat. in append. in fine* §. 6. & Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *numer.* 2. Nec negandum eſt, minorem requiri cauſam pro ingreſſu fœminarum, quàm Virorum; pro ingreſſu matris, Sororum, & Conſanguineorum; quàm pro ingreſſu aliarum fœminarum extranearum; pro ingreſſu diurno tempore facto, quàm nocturno; pro ingreſſu ad partes viciniores januæ, quàm ad interiora cubicula, & receptacula: minus enim videtur offendi clauſuræ obſervantia, ut adnotant Rodriquez, Miranda, Suarez, Sanchez, & Caſtropalaus *locis citatis*.

15 Advertendum hìc: quòd quamvis hæc cauſa neceſſaria debeat eſſe manifeſta, ut præſcribit Bonifacius VIII. *in Cap. Periculoſo cit.* non tamen infertur, quòd debeat eſſe publica omni populo, ipſique manifeſta; ſed ſat eſt, quòd ſit manifeſta Superiori facultatem ingreſſus concedenti, cum aliud ſit manifeſtum, aliud publicum; & Pontifex requirit in cauſa rationem manifeſti, non verò publici. Nec ad rationem manifeſti requiritur, ut res ſit omnino evidens, & certa; ſed ſufficit, quòd moraliter, & probabiliter reputetur juſta, & ſufficiens, aliàs negotium iſtud eſſet expoſitum innumeris ſcrupulis, & ad concedendam hanc facultatem formari deberet proceſſus. Sic Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 45. *art.* 4. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *pun.* 4. *numer.* 3. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput.* 4. *punct.* 10. §. 4. *numer.* 1. Illud verò eſt certum, quòd ſi cauſa ſit dubia, nequeat Superior facultatem concedere, niſi dubium deponat: cum non poſſit operari cum conſcientia dubia, exponeret namque ſe periculo peccandi.

16 Ut autem in hac materia clariùs procedamus, ſubjungendi ſunt nonnulli Caſus particulares, ex quibus innoteſcere poteſt manifeſta, & rationabilis neceſſitas concedendi facultatem. Sed quia alii reſpiciunt neceſſitatem Monaſterii, & totius Communitatis; alii verò neceſſitatem ſingularum Monialium; alii denique neceſſitatem externorum ingredientium; ideo particulares caſus ad ſingulas has neceſſitates ſpectantes ſuo ordine exponemus.

Ex parte igitur Monaſterii, & totius Communitatis ſufficiens cauſa, & manifeſta neceſſitas ad ingreſſum cenſetur 1. ſi Monaſterium reparatione indigeat, & artifices cæmentarii, vel lignarii neceſſarii ſint, & qui cæmenta, aut ligna afferant. Sic Navarrus *Commen.* 4. *de Regul. numer.* 49. Barboſa 3. *Part. de Poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *num.* 6. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput.* 4. *punct.* 10. §. 3. *numer.* 2. 2. ſi res aliqua magni ponderis introducenda ſit in Monaſterium, vel inde extrahenda, quod fieri nequeat per Moniales inſervientes. Sic Barboſa *l. c. num.* 56. Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 16. *num.* 56. Caſtropalaus *l. c.* & Bonacina *de Clauſur. quæſt.* 4. *pun.* 4. *num.* 8. 3. ſi hortus, aut viridarium domeſticum excolendum ſit, cum tale opus exerceri non ſoleat à fœminis. Sic Barboſa, Sanchez, Caſtropalaus *locis citatis*, & Bonacina *l. c. num.* 9. 4. ſi Moniales indigeant fœminis ſæcularibus ad curandas infirmas, & ad alia infima munia Monaſterii exercenda, eo quia careant Converſis, dummodo tamen admittantur cum onere ſervandi Clauſuram. Sic Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 46. *art.* 7. Sanchez *l. c. nu.* 65. & 66. Barboſa *l. c. num.* 60. Caſtropalaus *l. c.* Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 18. & Bonacina *l. c. numer.* 10. Extendunt hanc doctrinam Sanchez, & Bonacina, ſi id expoſcat neceſſitas alicujus Monialis nobilis infirmæ valetudinis, cui ſuccurri nequeat à Converſis Monaſterii. Sed mihi tutius videtur, quod docent Suarez, & Caſtropalaus, ut ſemper recipiantur fœminæ iſtæ ob inſerviendum infirmis Monaſterii, & ob utilitatem communem, eſto habeatur reflexus ad ſervitium illud ſpeciale. 5. ſi archivium reconditum ſit in Monaſterio, & quærenda ſit ſcriptura aliqua neceſſaria ad negotium expediendum, quod præſtari nequit à Moniali, ſed ab OEconomo Monaſterii. Sic Sanchez *l. c. cap.* 16. *num.* 55. Llamas *in Meth. Curat. in appendice* §. 6. & Caſtropalaus *l. c.* 6. ſi malefactor in Monaſterio reperiatur, & nolit exire, ſive neceſſitate coactus ad tuendam vitam, ſive ex aliquo pravo fine; licitus erit ingreſſus Judici, & Satellitibus ad illum extrahendum ex licentia Superioris, & poſtea examinandum ſi gaudeat, aut non gaudeat Immunitate: nec tenentur Sacræ Virgines ad tuendam vitam illius poſtponere honeſtatem, & religioſam decentiam ſui Monaſterii. Sic Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 47. *art.* 4. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 16. *num.* 57. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 13. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 10. §. 3. *num.* 2. 7. ſi Viſitatio Monaſterii facienda ſit; licitus tunc erit ingreſſus Superiori cum decenti comitatu, paucis videlicet; eiſque Senioribus, & Religioſis perſonis juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. incipit, *Ubi gratiæ*, poterit inviſere omnia Monaſterii, an rectè ſe habeant, & juxta religioſam decentiam; Officinas omnes, omnes cellas, Dormitoria, ſupellectiles, ædificia conſtruenda, & quę minitantur ruinam, & à fortiori ea, quæ Clauſuram ſepiunt. Poterit inſuper in Capitulo excluſis externis cum ſolis Monialibus exhortationem habere, defectus corrigere, pœnitentias imponere, & ſi quæ ſunt cauſæ, quæ Capitulari congreſſu indigent; proponere, & diſcutere: cum non detur aptior occaſio, & locus id peragendi. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 16. *num.* 54. Miranda *tract. de Monial. quæſt.* 2. *artic.* 14. Llamas *in Meth. Curat. in appendice* §. 7. Barboſa *de Poteſt. Epiſc. Part.* 3. *alleg.* 102. *num.* 45. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 6. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct* 10. §. 3. *num.* 2. *in fine*. Hinc patet, poſſe Epiſcopum ingredi Monaſterium exemptum ad Clauſuram viſitandam, maximè ſi ſuſpicio violationis habeatur. Vide Mirandam de hac re pertractantem *l. c.*

17 Non ſunt tamen cauſæ neceſſariæ, & ſufficientes ad ingreſſum. 1. benedicere Monialem, aut eam conſecrare: cum ſatis commodè id fieri poſſit ad feneſtellam Eccleſiæ. 2. exhortationem, aut concionem communem habere monialibus: cum poſſit ad feneſtellam Eccleſiæ haberi ejus januis clauſis. 3. Sacramentum Confirmationis Monialibus miniſtrare, cum etiam ad feneſtellam Eccleſiæ ſatis decenter miniſtrari poſſit, ut miniſtratur Communio. 4. Electionem Abbatiſſæ facere, ac ſuffragia ſuſcipere, cum hoc expreſsè prohibitum fuerit à Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de Regul.* Quòd ſi in electione facienda magna perturbatio inter Moniales haberetur, & periculum ſubornationis, vel alia cauſa magni momenti; ita ut prudenter Epiſcopus judicaverit, electionem faciendam eſſe in Capitulo Monaſterii ad turbas ſedandas, & ſcandala evitanda; ingredi poterit, cum in tali caſu non eſſet ingreſſus contra mentem Tridentini, non vetantis ingreſſum neceſſarium. Sic Navarrus *Comm.* 4. *de Regul. num.* 59. Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 46. *art.* 5. Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 16. *num.* 50. Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 10. §. 3. *num.* 3. & Bonacina alios referens *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 7. 5. Miniſterium Sartorum pro veſtibus Monialium ſarciendis; ſicuti & Sutorum pro calceis ſuen-

ſuendis : cum non adſit pro talibus miniſteriis neceſſitas ingrediendi Monaſterium, ſatis enim commodè extra exerceri poſſunt, cognita menſura corporis pro veſtibus, vel pedis pro calceis ex veteribus veſtibus, vel calceis. Quòd ſi ex ſpeciali motivo pro tali menſura neceſſaria eſſet corporis dimenſio, aut pedis, poſſet utique id fieri prope januam in limine, itaut nec Monialis egrediatur, nec artifex ingrediatur. Sic Caſtropalaus *l. c. num.* 11. & Bonacina *l. c. num.* 11. referens Llamas, & Mirandam.

18 Ex parte ſingularum Monialium ſufficiens cauſa, & manifeſta neceſſitas erit ingrediendi Monaſterium. 1. Miniſtratio Sacramenti pœnitentiæ alicui Moniali decumbenti in lectulo, vel impotenti accedere ad feneſtellam confeſſionis; non ſolùm ſi in periculo mortis conſtituta fuerit, cum recipiendum eſt Sacrum Viaticum, ut ex ſe patet; verùm etiam ſi Communiones ex Regula factura ſit : non enim ob infirmitatem debet eſſe deterioris conditionis præ aliis, cum eo tempore magis indigeat his adjumentis ſpiritualibus. Quòd ſi confeſſarius deputatus ad ejus confeſſiones audiendas Regularis fuerit, & ſolitus cum Socio incedere; poterit cum eo Socius ingredi, etiamſi explicitè pro Confeſſario data fuerit facultas, comprehenditur enim Socius in facultate data, aliàs inutilis eſſet : ut docent Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 16. num. 46.* Miranda *Tract. de Monial. quæſt. 2. art. 17.* & alii contra Bonacinam putantem, ſocium debere remanere ad januam. Verùm pace tanti viri, non ſic expoſcit decentia religioſa: imò valdè neceſſarium putarem, omnem religioſum in ſimilibus caſibus cum ſocio ingredi debere, qui ſit teſtis ſuarum actionum. Idem dicendum de Miniſtratione Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis; ſic etiam de commendatione animæ. Idem quoque dicendum, ſi Sacerdos celebraturus ſit Sacrificium in Oratorio valetudinarii ad communicandas valetudinarias, & actu infirmas; poterit cum Clerico Socio ingredi, cujus opera indiget ad Sacrum celebrandum, cum non deceat fœminam ad Sacrum Altare accedere. Sic ex Miranda, Rodriquez, Sanchez, Barboſa, & aliis docent Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 4. numer. 4.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. punct. 10. §. 3. num. 6. & 7.* 2. cura Monialis infirmæ, ad eam enim curandam ingredi poſſunt Medicus, Chirurgus, vel barbitonſor, ſed ſine famulis. Quòd ſi gravitas morbi expoſcat conſultationem plurium medicorum, ingredi etiam poterunt, cum ſit caſus neceſſitatis. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. capit. 16. num. 43.* Bonacina *l. c. num. 5.* Caſtropalaus *l. c. num. 9.* & Barboſa *3. Par. de Poteſt. Epiſc. allegat. 102. nu. 52.* Non licet tamen ingreſſus Pharmacopolæ, cum poſſit medicamina in ſua Officina præparare, quæ miniſtrari poſtea poſſunt per moniales. Solùm ei permittitur ingreſſus, cum docere debeat moniales præparationem aliquorum medicaminum, & modum aſſervandi illa pro urgentibus neceſſitatibus; ſi extra clauſuram eas docere nequeat, tunc enim haberetur moralis neceſſitas : ſic Sanchez, Bonacina, & Caſtropalaus *locis citatis*. 3. ut monialis demortua ſepeliatur, poſſunt enim ingredi ad hoc pium munus exercendum omnes illi, qui neceſſarii fuerint ad deferendum cadaver, ſepulturam aperiendam, ibique corpus collocandum. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 16. num. 45.* Barboſa *de Poteſt. Epiſc. 3. Part. alleg. 102. numer. 50.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. punct. 10. §. 3. num. 8.*

19 Advertendum hìc : non eſſe cauſam ſufficientem ad monaſterium ingrediendum ob inviſendam Monialem infirmam, aut ob aſſiſtendum ejus profeſſioni, vel morti ardens deſiderium Matris, Sororum, aut aliarum conſanguinearum : non enim reputatur moralis neceſſitas, & ſufficiens ad diſpenſandum in Clauſura : ut deciſum refert à Sacra Congregatione Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 4. punct. 10. §. 3. numer. 10.* ratio eſt, quia viſitatio illa mœrorem potiùs affert, quàm ſolatium, ac mentem monialis valde diſtrahit, ac tepeſcere facit in Dei amore. Et ſic docent Rodriquez, Miranda, Sanchez, Zerola, Barboſa, Joannes de la Crux, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 4. numer. 12.* & Caſtropalaus *loco citato*.

20 Ex parte Ingredientium poteſt eſſe neceſſitas manifeſta. 1. in Puellis, quæ in Monaſterio educari cupiunt, vel ut habitum Religioſum ſumant; vel ut nuptæ virtutibus polleant, quibus inſtructæ fuere : redundat ſiquidem educatio illa in Monaſteriis in utilitatem ipſorum, nec ullo Tridentini Decreto prohibetur. Quapropter poterit Epiſcopus, vel Superior conſentiente Abbatiſſa, & majori parte Monaſterii has Puellas in Monaſterio admittere : ut deciſum à Sacra Congregatione Concilii teſtatur Quaranta *verb. Monaſteria Monialium*, Bonacina *de Clauſur. quæſt. 4. punct. 4. num. 15.* referens Mirandam, Rodriquez, Zerolam, Suarez, Azorium, Sanchez, Sorbum, & Barboſam, quibus adde Caſtropalaum *de Stat. Relig. diſput. 4. punct. 10. §. 3. numer. 13.* Fatentur tamen omnes iſti Doctores, varias conditiones appoſitas fuiſſe à Sacra Congregatione pro receptione harum Puellarum. Quarum. 1. eſt, ut in Monaſterio non habeatur Statutum in contrarium, videlicet non recipiendi illas : quia tunc ſtandum erit Statuto Monaſterii, & ejus conſuetudini, in quo ſi numerus præfixus fuerit, non poterit Puella recipi ſupra numerum. 2. eſt, ut habeatur in ſcriptis licentia Epiſcopi, vel Superioris; & noſtris hiſce temporibus ulteriùs requiritur licentia Sacræ Congregationis; requiritur inſuper conſenſus Abbatiſſæ, & Majoris partis Monialium. 3. eſt, ut non adducant ſecum ancillas. 4. ut honeſtè ibi vivant, & veſtibus virginali pudori convenientibus utantur. 5. ut quolibet Semeſtri anticipatè portio alimentorum ſolvatur. 6. ut locum habeant pro ipſis deſignatum, ac ſeparatum à reliquis Monialibus, & Novitiis tum ad dormiendum, tum ad laborandum, 7. ut non ſint minores ſeptennio, nec majores vigeſimoquinto anno, quo tempore adveniente debent vel religioſum habitum aſſumere, vel è Monaſterio egredi ad paternam Domum; & compelli oſſunt ab Epiſcopo, vel Superiore præfixo termino ad egreſſum : quòd ſi egreſſæ non fuerint non ideo incurrunt excommunicationem, eo quia legitimè ingreſſæ fuere : ut advertit Bonacina *l. c. 8.* ut ſervent Clauſuram, nec egredi poſſint; nam ſemel egreſſæ iterum ingredi non poterunt, niſi velint Religioſum habitum aſſumere; aut niſi egreſſæ fuerint cauſa infirmitatis ex licentia Superioris. Quæ dicta ſunt de his puellis extenduntur ad eas, quæ in Conſervatoriis educantur, donec nubendi ſe offerat opportunitas; vel ex legatis relictis conſervantur in Monaſteriis, ut habitum religioſum aſſumant, omnes enim tenentur ad has conditiones, cum omnium par ſit ratio.

2. Poteſt eſſe neceſſitas in mulieribus nuptis, quæ vel viri ſævitiem metuentes, aut alia ex cauſa à Maritis ſeparatæ vivunt, ac in Monaſterium ſe recipi cupiunt. Verum iſtæ minimè recipi poſſent, ut educentur in Monaſterio, ac ut virtutibus inſtruantur, niſi habeatur ſpecialis Diſpenſatio à Pontifice. Si tamen ad Monaſterium confugiunt ob vitandam mariti ſævitiem, & donec lites, & rixæ componantur; recipi poterunt; ex licentia Epiſcopi, vel Superioris in ſcriptis habita cum conſenſu Abbatiſſæ, & majoris partis Monialium : ratio eſt, quia videtur ſumma neceſſitas, & Chriſtiana Charitas ſic expoſcere videtur : dummodo tamen ſervent conditiones ſuperiùs recenſitas pro Puellis educandis. Sic Navarrus, Zerola, Campanilla, Barboſa, Miranda, Rodriquez, Sanchez, Joannes de la Crux, relati à Bonacina *de Clauſur. quæſt. 4. punct 4. num. 17.* & à Caſtropalao *de Stat. Relig. diſput. 4. punct. 10. §. 3. num. 14.*

3. Poteſt eſſe neceſſitas in Viduis, quæ ſi velint Monaſterium ingredi, ut vitam in eo honeſtè degant, ac à ſæculi tumultibus ſegregatam; debent omnino diſpenſationem habere à Summo Pontifice : eo quia hic non judicatur caſus neceſſitatis, ſed utilitatis; adeoque extra facultatem Epiſcopi, vel Superioris. Si verò velint religioſum habitum aſſumere, ac in Monaſterio habili profiteri; poterunt admitti. Sic Bonacina *de Clauſ.* alios referens *quæſt. 4. punct. 4. num. 17.* Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 46. art. 10.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 21.* Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 16. num. 64.* Barboſa *3. Part. de Poteſt. Epiſc. alleg. 102. num. 67.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 4. punct 10. §. 3. numer. 15.*

21 Quæres 1. an habens facultatem Monaſterium ingrediendi ob prædictas neceſſitates, ſi neceſſitate finita non ſtatim egrediatur; violet Clauſuram, & Cenſuras incurrat? Reſp. quamvis graviter peccet contra obligationem Clauſuræ, eo quia ceſſante fine conceſſionis, ceſſat conceſſio; ſupponimus autem moram eſſe diuturnam : nam ſi brevis eſſet, nec levitatem materiæ excederet; adveniale tantùm extenderetur : imò à mortali, & veniali liberant Sanchez, Molfeſius, Rodriquez, Miranda,

quos

quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 22. ſi merè curioſitatis gratia aliquantisper immoraretur ob inviſendum Oratorium, aut alias officinas: cum uſu à timoratis etiam viris ſic receptum ſit, maximè quia hæc præcepta morali, non methaphiſico modo accipienda ſunt, ut adnotat Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 10. §. 3. *nu.* 12. Non nego tamen, quòd etiam breviſſima mora ad pravum finem facta, ſit culpa gravis. Non incurrit verò Excommunicationem, qui ex legitima facultate ingreditur, & ceſſante cauſa diuturnam moram habet in Monaſterio, ſed non ad pravum finem: eſto enim graviter peccaret, nihilominus quia ex legitima cauſa, & facultate ingreſſus eſt; excommunicationem latam contra ingredientes ſine legitima facultate non incurrit. Secus eſt de immorante ad pravum finem, etiam ad breve temporis intervallum; incurrit namque excommunicationem latam, & Pontifici reſervatam contra ingredientes Monaſteria ad pravum finem, à qua nec Religioſi, nec alii habentes Caſus Pontificios abſolvere poſſunt intra Italiam extra Urbem. Sic Decretum Sacræ Congregationis juſſu Clementis VIII. editum anno 1602. 22. Novembris, incipit: *Sacra Congregatio*, ut teſtatur Bonacina. *l. c.*

22 Quæres 2. an Monaſterium, ingrediens ex prætextu alicujus operis neceſſarii, & utilis, quod revera præſtare non intendit; eſt violator Clauſuræ; & pœnas contra violantes illam incurrit? Reſp. affirmativè: ratio eſt, quia nec juſtam habet ingrediendi cauſam, nec operatur juxta Legem, ſed in fraudem illius. Secus tamen dicendum, ſi cum animo ingrediens præſtandi opus illud, poſtea ex aliquo accidente non præſtaret: in eo enim caſu ex legitima facultate haberetur ingreſſus, nec eſſet in fraudem Legis. Sic Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *nu.* 18.

23 Quæres 3. an ingrediens Monaſterium ex legitima facultate præſtandi opus neceſſarium, & utile, quod præſtare intenderet; ſed ſimul curioſitate ductus intentionem haberet videndi Monaſterium, aut alloquendi Moniales; violaret Clauſuram? Reſp. negativè: ratio eſt, quia hæc ſecunda intentio nec deſtruit primam, nec illi opponitur: ſicuti ſi quis Romam pergeret animo inviſendi ſacra limina Apoſtolorum, & ſimul inſpiciendi Romanas magnificentias. Secus tamen eſſet, ſi cum prima intentione præſtandi opus neceſſarium, & utile, quod à monialibus præſtari nequiret, ſimul haberet pravam intentionem furandi, aut congrediendi cum moniali; tunc enim non ſolùm graviſſimè peccaret, & gravibus pœnis puniendus eſſet, ut ſuſtinent Zerola, Sanchez, Rodriquez, penes Bonacinam *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *nu.* 18. ſed etiam puto incurrere excommunicationem latam contra violantes Clauſuram ad pravum finem: ratio eſt, quia ſecunda intentio deſtruit priorem, illique opponitur: cum præſumi nullatenus poſſit, Superiorem pro tali caſu licentiam conceſſiſſe; tantum enim ei fuit aliquod, quod ſi expreſſum fuiſſet, nec facultatem conceſſiſſet, nec concedere potuiſſet. Sic ex Barboſa docet Bonacina *loc. cit.*

24 Quæres 4. an habens facultatem Monaſterium ingrediendi ex cauſa, quæ vera erat tempore conceſſionis; ſed vera non eſt, quando fieri debet ingreſſus: an inquam ingredi poſſit ſine violatione Clauſuræ? Reſp. negativè: ratio eſt, quia ceſſante cauſa conceſſionis, & diſpenſationis corruit conceſſio, & diſpenſatio: ut communiter Doctores tradunt de diſpenſatione. Accedit declaratio Greg. XIII. *in ſua Bulla*, incipit, *Ubi gratiæ*, excommunicationem ferens etiam contra ingredientes cum licentia, ſi juſta cauſa non adſit ingrediendi. Idem colligitur *ex Cap. Periculoſo de ſtat. Monach. in* 6. & ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Reform.* requirentibus cauſam rationabilem, eamque manifeſtam, ac neceſſariam; quæ, ut ſupponimus, ceſſaret in caſu adiecto. Sed quid dicendum, ſi viceverſa tempore conceſſionis non extitiſſet cauſa falsò repræſentata; quamvis revera exiſtat, cum debeat fieri ingreſſus? Reſp. pariter negativè: ratio eſt, quia illicitus eſſet ingreſſus, utpote factus ſine licentia: quæ enim data fuit nulla, & irrita eſt, eo quia in voluntaria ratione erroris, aut mendacii. Sic Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *nu.* 19. & 20.

25 Quæres 5. an licitus ſit ingreſſus in Monaſterium, ſi ſuperior abſque cauſa facultatem conceſſit; aut ſi eam conceſſit ſciens, & agnoſcens inſufficientiam cauſæ? Reſp. illicitum eſſe, niſi bona fide fieret ab ingrediente, qui expoſuit cauſam ſuperiori, ad quem ſpectat, eam examinare; & facultatem ingrediendi obtinuit. Aut neſciebat, ſine juſta, & legitima cauſa non poſſe ab eo hanc facultatem concedi: excuſaretur etenim in tali caſu tum à peccato, tum à Cenſuris. Secus tamen eſſet, ſi mala fide ingrederetur; eo quia abſque legitima cauſa ingrederetur, non enim nomine licentiæ ad ingreſſum requiſitæ venit tantùm libera voluntas ſuperioris, ſed voluntas Prudentiæ arbitrio accommodata, & in ſcriptis expreſſa, quæ ſupponere debet rationabilem, manifeſtam, & neceſſariam cauſam juxta Canonicas Sanctiones, & Conſtitutiones Pontificias: ut tradunt Menochius *libro* 1. *de Arbitr. quæſt.* 8. *num.* 45. & 49. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. Sanchez *lib.* 6. *ſumm. cap.* 16. *nu.* 73. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 21. Bartolus, Ancharranus, & alii apud ipſos.

Quæres 6. an ſuperior concedens facultatem ingre- 26
diendi Monaſterium abſque legitima cauſa incurrat excommunicationem? Reſp. quamvis graviſſimè peccaret, ut extra omnem controverſiam ſuppono; attamen excommunicationem non incurreret: eo quia nullibi reperitur expreſſa. Et quamvis Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul*, eam ferat ipſo facto incurrendam ab illegitimè ingredientibus; nihilominus eam non fert contra concedentes illegitimam facultatem: ut habet Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 4. *nu.* 23.

Pœnæ impoſitæ ob Violationem Clauſuræ Monialium 27
aliæ ſunt contra Ingredientes; aliæ contra eos, qui ingredi faciunt, aut permittunt ingreſſum; aliæ denique contra admittentes ingredientes, quas omnes breviter explicabimus.

Prima pœna contra ingredientes eſt excommunicatio ipſo facto incurrenda, quamvis reſervata non ſit; lata à Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regularib.* contra ingredientes Monialium Monaſteria ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta; quæ quidem afficit quoſcumque ingredientes, cujuſcumque generis, conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint. Notandum 1. non affici hac excommunicatione Tridentini Epiſcopos, aut ſuperiores Monaſterii: eo quia ipſi ad ingrediendum non indigent licentia in ſcriptis obtenta. Sic Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſputat.* 4. *punct.* 10. §. 4. *num.* 1. Notandum 2. quòd quamvis hæc Excommunicatio reſervata non ſit, ſi tamen ad pravum finem ingreſſus factus fuerit; reſervatur Pontifici, & ex declaratione Sacræ Congregationis juſſu Clementis VIII. facta ab ea abſolvere nequeunt intra Italiam extra Urbem habentes Privilegium abſolvendi à Caſibus Pontifici reſervatis. Sic Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 5. *nu.* 2.

Secunda pœna eſt Excommunicatio reſervata Pontifici lata à Gregorio XIII. *in ſua Bulla*, incipit, *Ubi gratiæ*, contra ingredientes Monaſteria Monialium prætextu facultatum à ſummo Pontifice, Legato, Epiſcopo, aut aliis conceſſarum ante prædictam Bullam, quas omnes in prædicta Bulla revocat, quibuſcumque Perſonis conceſſa fuerint; tam Viris, quàm fœminis, etiam Comitiſſis, Marchionibus, Duciſſis, & aliis cujuſcumque ſtatus. Similiter eas revocat Paulus V. *in ſua Bulla*, incipit, *Monialium ſtatus*. Notandum 1. non comprehendi ſub hac excommunicatione Imperatores, & Imperatrices; Reges, & Reginas cum ſuis filiis, & Nepotibus, quorum nulla expreſſa mentio fit in prædictis Bullis juxta ea, quæ ſuperius diximus. Notandum 2. hac eadem excommunicatione affici omnes illas perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares, ac etiam Ordinum quorumcumque etiam mendicantium Regulares, qui prætextu facultatis ab Epiſcopo, vel ſuperiore conceſſæ in caſibus neceſſariis juxta diſpoſitionem Tridentini monaſteria ingrediuntur pro libito, & non urgente neceſſitate dumtaxat. Sic apertè Gregorius XIII. *in ſua Bulla* incipit, *Ubi gratiæ*, & adnotant Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 4. *punct.* 5. *num.* 9. & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 10. §. 4. *numero* 2. Præter Excommunicationem prædictam incurrunt etiam ex eadem Bulla Privationem dignitatum, & Beneficiorum ſuorum, nec non inhabilitatem ad illa, & ad alia impoſterum obtinenda.

Tertia pœna lata eſt contra Prælatos ſive ſæculares, ſive Regulares, qui Monaſteria ingrediuntur Monialium ſibi ſubiectarum extra caſus neceſſitatis ſibi à Jure attributos, in quibus caſibus neceſſariis à paucis, eiſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati eſſe debent. Quapropter ſi extra caſus neceſſitatis ingrediantur, ſi Pontificali dignitate fuerint inſigniti, etiamſi Cardinales fuerint, pro prima vice ingreſſus Eccleſiæ interdicuntur; pro ſecunda à Munere Pontificali, & à Divi-

nis ſuſpenduntur; deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicati exiſtunt. Si tamen Prælati Regulares fuerint, ſive Ordinum Abbates, ſive Priores, Miniſtri, & alii quicumque ſuperiores Regulares omni officio, & Miniſterio privati erunt, & Excommunicationi ſubjecti. Sic Gregorius XIII. *in ſua Bulla edita anni* 1581. 23. Decembris incipit, *dubiis quæ emergunt*. Notandum 1. Prælatos Regulares prima vice ingredientes incurrere has pœnas, non verò ad inſtar Prælatorum Pontificali Dignitate gaudentium prima vice interdici ab ingreſſu Eccleſiæ, ſecunda vice ſuſpendi à Divinis, tertia vice excommunicari, & privari omni Officio, ut docuere Llamas *in Meth. Curat. in Append. §.7.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. pun. 5. nu. 11. in fin.* ratio eſt, quia ſi ad inſtar Prælatorum Pontificalem Dignitatem habentium voluiſſet eos Pontifex punire, ad quid diſtinctio facta inter ipſos? Sic rectiùs Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 16. num.* 102, & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 10. §. 4. num. 5.* Notandum 2. hanc Excommunicationem non eſſe Pontifici reſervatam, cum nulla mentio fiat hujus reſervationis, adeoque abſolvi poterit à quolibet Sacerdote approbato *juxta Cap. Nuper de Sent. Excomm.* ſic Bonacina *loc. cit. num.* 13. Notandum 3. non affici hac excommunicatione Epiſcopos, & Prælatos Regulares in caſibus neceſſitatis ingredientes per hoc, quòd ingrediantur ſine comitatu paucarum Perſonarum Seniorum, & Religioſarum: ratio eſt, quia finis excommunicationis, & pœnarum eſt ingreſſus ſine neceſſitate, non verò ſine comitatu. Sic Bonacina *loc. cit. num.* 12. Notandum 4. non incurrere hanc excommunicationem, ſed aliam Prælatos ſæculares non habentes Pontificalem Dignitatem, & ſine neceſſitate ingredientes monaſteria ſibi ſubjecta: ſic eſſent vicarius Generalis Epiſcopi, & Abbates habentes Territorium exemptum: ratio eſt, quia lata fuit contra Prælatos habentes Pontificalem Dignitatem, adeoque non extendenda ad non habentes illam. Sic Sanchez *lib. 6. cap. 16. num. 99.* & Bonacina *de Clauſura quaſtion. 4. pun. 5. num. 11.*

Pœnæ poſitæ contra facientes ingredi monaſteria, aut
28 permittentes ingreſſum ſunt ſequentes. Abbatiſſæ, Conventus, & Superiores monaſteriorum facientes ingredi, vel permittentes ingredi ſua monaſteria perſonam aliquam prætextu facultatum obtentarum à Summo Pontifice, Legato, aliiſve ante Bullam Greg. XIII. incipit, *Ubi gratiæ*; incurrunt ipſo facto Excommunicationem Pontifici reſervatam, & privationem Dignitatum, ac inhabilitatem ad illas: ſic Prædictus Pontifex *in ſua Bulla Citata*. Idem ſtatuit Paulus V. *in ſua Bulla*, incipit, *Monialium ſtatui*, contra Abbatiſſas, & Superiores Monaſteriorum introducentes, admittentes, aut retinentes aliquam fœminam prætextu licentiarum apoſtolicarum ingredi volentem, ut cum Monialibus converſationem habeat, & refectionem. Notandum 1. quòd tunc aliquis dicitur facere ingredi, quando aliqua ſua actione poſitiva cauſa eſt, ut alter ingrediatur: ſic eſſet, ſi januam aperiret, vel juberet, aut conſuleret ingreſſum. Tunc verò dicitur permittere ingredi, cum non impedit, dum commodè impedire poſſit. Sic ex communi omnium acceptione docet Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 6. nu. 2.* Notandum 2. nomine Conventus, prout exprimitur in Bulla Gregorii XIII. venire Religioſos, aut Moniales capitulariter congregatas: ſi enim in hac Congregatione Capitulari conſenſum præbuerint ingreſſui, aut non contradixerint, vel non impedierint, cum commodè potuerint; omnes ſubjacent prædictis pœnis, ut ſubjacent Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & ſuperiores. Sic Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 16. num.* 85. & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 6. num. 4.* Notandum 3. non ſolùm ingredi facientes, aut permittentes ingredi Viros, ſed etiam mulieres, affici his pœnis: licèt enim Bulla dicat, quemquam maſculino genere, nihilominus quia refertur ad perſonas antecedenter expreſſas, Viros ſcilicet, & mulieres, ſeu cujuſcumque ſexus; ideo fœminas etiam comprehendit. Sic Sanchez *l. c. num.* 89. & Bonacina *l. c. num.* 5. Notandum 4. quamvis ad incurrendam Excommunicationem latam à Paulo V. requiratur ſcientia, & præſumptio, ut colligitur ex ejus verbis, *audeant, ſeu præſumant*; attamen ad incurrendam excommunicationem latam à Gregorio XIII. non requiritur: eo quia verba ejus Bullæ dicunt, *ingredi faciant, vel permittant*; non autem dicunt, *præſumant ingredi facere, vel permittere ingreſſum*. Sic Bonacina *l. c. nu. 6.* Notandum denique: quòd licèt probabile ſit, hanc excommunicationem, & pœnas afficere tantùm Abbatiſſas Conventus, & ſuperiores Monaſteriorum, quia de his facta eſt mentio expreſſa in Bulla Gregorii XIII. ut docuerunt Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 16. num.* 84. Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 47. art. 3.* Miranda *de Monialib. quæſt. 2. art. 12. concl. 3.* & Barboſa 3. *Part. de Poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *nu.* 37. Nihilominus probabiliorem reputo ſententiam oppoſitam docentem afficere etiam Moniales ſubditas facientes ingredi perſonam aliquam, aut permittentes ingreſſum prætextu prædictarum facultatum: ratio eſt, quia non ſolùm Gregorius XIII. expreſſit ſuperiores in ſua Bulla, verum etiam perſonas quocumque nomine vocentur; ergo ſub his verbis comprehendit moniales ſubditas: ad quid enim addere *perſonas quocumque nomine vocentur*, ſi tantùm ſuperiores, & Abbatiſſas, quas jam expreſſerat, voluiſſet ſuis pœnis afficere? Sic Llamas *in Meth. Curat. in Append. §.* 12. & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 6. nu. 3.*

Pœnæ denique poſitæ contra moniales præſumentes 28
admittere ingredientem Monaſterium prætextu licentiarum ab Epiſcopo, vel ſuperiore conceſſarum, quibus in caſibus neceſſitatis tantùm juxta Tridentinum, & ex legitima cauſa facta eſt talis facultas; ſi extra caſum neceſſitatis ingredientem præſumpſerint admittere; ſunt Excommunicatio Pontifici reſervata, Privatio dignitatum, & Inhabilitas ad illas, & ad alias impoſterum obtinendas. Sic Gregorius XIII. *in ſua Bulla*, incipit, *Ubi gratiæ*, ait enim: Neve moniales ſub iiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant. Notandum 1. hanc excommunicationem afficere moniales præſumentes admittere ſic ingredientes, non verò alios, qui moniales non fuerint, & præſumpſerint admittere; ſive ſuperior fuerit, ſive alius: ratio eſt, quia lata eſt contra Moniales, & non debet ad alios extendi. Sic Bonacina *de Clauſur. quæſt. 4. punct. 6. nu. 8.* Notandum 2. nomine Monialium venire non ſolùm Moniales ſubditas, ſed etiam Abbatiſſas, & alias ſuperioritatem habentes, & ad quas principaliter ſpectat cura, & regimen Monaſterii: ratio eſt, quia non eſt præſumendum, velle Pontificem has pœnas irrogare Monialibus privatis, & ſubditis, ad quas non attinet Monaſterii cura; & excludere eas, ad quas principaliter ſpectat; maximè quia privatio dignitatis ad ſuperiores refertur. Et quamvis in pœnalibus, & odioſis regulariter nomine Monialium non veniant Abbatiſſæ, & Prioriſſæ ex communi ſententia *in Cap. final. de Simon.* attamen in materia reſpiciente bonum Religionis, & animarum ſalutem, ac proportionata Monialibus comprehenduntur. Sic Panormitanus *Clement. 2. de Procur. nu. 2.* Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 16. nu. 19.* Bonacina *de Clauſur. quæſt. 4. punct. 6. nu. 9.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 10. §. 4. nu. 3.* Notandum 3. eam monialem dici admittere ingredientem, quæ directè, vel indirectè cooperatur ingreſſui, ſive per poſitivam actionem, ut eſſet aperire januam, manu trahere, conſulere, mandare, jubere ingreſſum, vel approbare illum; ſive negativè, ut ſi teneretur ex officio impedire, & commodè poſſet, non impediret. Quamvis hic modus negativus afficiat tantùm Moniales ſuperiores, ad quas ex officio ſpectat impedire; non verò moniales ſubditas, & privatas, ad quas ex officio non incumbit. Sic ex Suarez, Miranda, & Sanchez tradit Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 6. nu.* 12. Notandum 4. monialem privatam alteri moniali conſulentem, ut aliquem ingredi faciat, vel permittat, aut admittat; non incurrere has pœnas; idem dicendum, ſi mandet: ratio eſt, quia revera ipſa non facit ingredi, aut permittit, vel admittit; quamvis remotè cooperetur ſuo conſilio, & mandato alteri moniali dato. Et eſt doctrina communis in materia Cenſurarum, quòd ſi latæ fuerint in facientes, non afficiant conſulentes, & mandantes, niſi exprimantur. Secus eſſet, ſi conſilium, aut mandatum daretur à moniali ſuperiore; tunc enim eſſet permittere, & admittere: eo quia cum teneatur ex officio impedire, non impedit. Sic Sorbus, Rodriquez, Sanchez, Coriolanus, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Clauſ. quæſt. 4. punct. 6. nu.* 13. Notandum 5. monialem privatam, quæ jam ingreſſum, & admiſſum abſque ſua cooperatione comitaretur, aut alloqueretur; non incurrere prædictas pœnas: eo quia non fecit ingredi, nec permiſit, nec admiſit. Et quamvis ſi ſua allocutione in cauſa ſit, ut diutius immoretur; putant probabiliter Rodriquez, & Sorbus penes Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 16. nu. 95.* prædictas pœnas incurrere: eo quia licèt non cooperata fuerit ingreſſui in fieri, cooperatur tamen ingreſſui in facto eſſe:

& ſi-

& ſicuti incurrit pœnas contra admittentes bannitos ; qui eos domi ſuæ reperit ſe inſcio ; ſed voluntariè retinet ; ita in caſu de Moniali . Nihilominus non caret ſua probabilitate ſententia Sanchez *l. c.* & aliorum docens oppoſitum , quòd ſcilicet peccet ex alio capite contra obſervantiam Clauſuræ ; non verò quòd incurrat has pœnas latas contra Moniales facientes ingredi , permittentes , aut admittentes ; cum nullum ex his verificari poſſit de moniali diutiùs alloquente jam in facto eſſe abſque culpa ipſius monialis . Notandum denique : ad hoc ut monialis prædictas pœnas incurrat contra admittentes latas , requiri ſcientiam hujus prohibitionis : ratio eſt , quia Pontifex in ſua Bulla utitur illis verbis : *admittere præſumant* , quæ quidem præſumptio ſtare nequit ſine ſcientia prohibitionis ; & quòd ingrediens illicitè ingrediatur , quia extra caſum neceſſitatis ingreditur . Non nego tamen , quòd aliquando ingens temeritas non ſupponat ſcientiam , ſed æquiparatur illi : nam Monialis cum ingenti temeritate admittens , quamvis prohibitionem neſciat ; videtur tamen expoſita ad prohibitionem violandam , & parvifaciendam , etiamſi eam ſciret . Sic ex Sanchez , Rodriquez , Sorbo , & Coriolano docet Bonacina *de Clauſur. quaſt. 4. punct. 6. nu. 16.*

CAPUT V.

Qualis Acceſſus ad Monaſteria Monialium ſit prohibitus ; & ſub quibus pœnis?

1 *Explicatur Acceſſus prohibitus ad Monaſteria monialium .*
2 *Quid veniat nomine Monaſterii , ad quod prohibetur Acceſſus?*
3 *Ex quibus Capitibus prohibitus Acceſſus ad Monaſteria monialium?*
4 *Quid veniat nomine Acceſſus prohibiti in Cap. Monaſteria de Vit. & honeſt. Cleric. & Cap. Periculoſo de ſtat. Monach. in 6.*
5 *An miſſio litterarum ad moniales comprehendatur ſub Acceſſu?*
6 *An ſcribentes litteras Monialibus , quas mittunt , ſed ad manus earum non perveniunt ; incurrant pœnas contra mittentes litteras monialibus?*
7 *Sub qua culpa prohibetur Acceſſus , & frequentia ad Monaſteria Monialium?*
8 *Enumerantur pœnæ impoſitæ contra frequentantes Monaſteria 1. contra Laicos. 2. contra Clericos. 3. contra Religioſos .*
9 *Subduntur cauſæ excuſantes à culpa , & pœnis Laicos , & Clericos Monaſteria frequentantes .*

1 ACCESSUS ad Monaſteria monialium , qui prohibitus eſt ; nihil aliud importat , niſi aditum , & translationem ſui ad Monaſteria Monialium animo videndi , ſeu colloquendi cum Monialibus . Quapropter ex alia cauſa ad illa accedere non comprehenditur ſub prohibitione ut tradunt Navarrus *Comm. 4. de Regul. nu. 61.* Rodriquez *tom. 1. Quaſt. Regul. quæſt. 45. art. 2.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. nu. 24.* Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 16. nu. 112.* & alii . Hinc ſequitur 1. alloquentem Monialem è domo ſua Monaſterio contigua non dici accedere ad Monaſterium . Sicuti nec accedere dicitur , qui arrepto itinere adeundi cauſa Monaſterium , mutata poſtea voluntate aliò acceſſit . Sequitur 2. mittentem ancillam , aut famulum ad Monaſterium non dici propriè accedere ad illud , cum perſonaliter non eat . Sic Graffis *lib. 1. deciſ. cap. 12. nu. 23.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 3. punct. 1. nu. 2.* & alii .

2 Controvertitur autem : quid veniat nomine Monaſterii , ad quod prohibetur Acceſſus . Et quamvis Panormitanus , Hoſtienſis , Imola , & alii antiquiores Canoniſtæ putarint , non ſolùm venire Moniales , ſed etiam materialem locum . Nihilominus dicendum eſt venire Moniales tantùm , contentum namque pro continente accipitur : & ratio eſt , quia alias accedentes ad Monaſteria audiendi cauſa miſſam in Eorum Eccleſiis , vel inſpiciendi ornamenta , & exteriores ſtructuras abſque animo videndi , aut colloquendi cum Monialibus dicerentur accedere ad Monaſteria Monialium , & pœnas impoſitas contra accedentes incurrere ; quod nec dicendum eſt , nec uſu , & praxi ſervatur : ut rectè tradunt Navarrus *Comm. 4. de Regul. num. 61.* Innocentius *in Cap. Monaſteria de Vit. & honeſt. Cleric.* Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 16. nu. 112.* Rodriquez *tom. 1. Quaſt. Regul. qu. 45. art. 2.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt. 3. punct. 1. num. 3.*

Prohibitus fuit Acceſſus ad Monaſteria Monialium *in* 3
Cap. Monaſteria de Vit. & honeſt. Cleric. quamvis frequens Acceſſus prohibitus fuerit , & quidem non omnibus perſonis , ſed Viris tàm Clericis , quàm laicis , ut patet ex verbis Textus , ait enim Pontifex Alexander III. *Monaſteria Sanctimonialium ſi quiſpiam Clericus ſine manifeſta , & notabili cauſa frequentare præſumpſerit , per Epiſcopum arceatur ; & ſi non deſtiterit , ab Officio Eccleſiaſtico reddatur immunis : ſi laici Excommunicationi ſubdantur , & à cœtu fidelium fiant penitus alieni .* Sed *in Cap. Periculoſo de ſtat. Regul. in 6.* non ſolùm frequens Acceſſus , ſed Acceſſus ſimpliciter prohibitus fuit & omnibus tàm Viris , quàm fœminis , ait ſiquidem Pontifex Bonifacius VIII. *Nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ , neque etiam honeſtæ , niſi rationabilis , & manifeſta cauſa exiſtat , ac de illius , ad quem pertinuerit , ſpeciali licentia ; ingreſſus , & acceſſus pateat ad eaſdem Moniales .*

Petes 1. quid veniat nomine Acceſſus prohibiti in præ- 4
dicto *Cap. Periculoſo* ; & quiſnam ſit frequens Acceſſus prohibitus *in Cap. Monaſteria citato* ? Reſp. jam dixiſſe *nu. 1.* nomine Acceſſus venire aditum , ſeu translationem ſui ad Monaſteria Monialium animo videndi , ſeu colloquendi cum Monialibus : & ſic explicant Doctores ibi citati . Nomine verò frequentis Acceſſus venire frequentiam adeundi , ac ſe transferendi ad Monaſteria Monialium cum prædicto animo . Et quamvis nonnulli ſuſtinèant , frequentiam iſtam conſtitui per duos actus adeundi , ut tradit Gloſſa *in dict. cap. Monaſteria.* Nihilominus communiter non recipitur talis explicatio : nam ſi inter unum , & alium actum longum temporis intervallum mediaretur , poſſet frequentia dici , quod non conceditur . Accipienda igitur erit frequentia iſta ex communi modo loquendi , ac ex prudentum arbitrio : ut bene tradunt Navarrus *comm. 4. de Regul. nu. 61.* Hoſtienſis *in cap. Monaſteria nu. 3.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. nu. 25.* Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 45. art. 4.* Sanchez *ſumm. lib. 6. cap. 16. num. 110.* Barboſa *3. Part. de Poteſt. Epiſc. alleg. 102. num. 70.* Bonacina *de clauſur. quæſt. 3. punct. 2. nu. 4.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 11. nu. 2.* Putant autem Navarrus , Rodriquez , & Bonacina , non dici frequentiam acceſſus , ſi quis ter , aut quater in anno ad Monaſterium accederet ; ſecus verò ſi ter tribus diebus continuis ; aut quater in hebdomada ; vel ſemel in menſe per annum integrum acceſſus haberetur .

Petes 2. an miſſio litterarum ad moniales ſub acceſſu comprehendatur ? Reſp. quamvis ex Juribus præcitatis miſſio litterarum ad moniales comprehendi non poſſit ſub prohibitione acceſſus : cum revera , & in propria ſignificatione non dicatur accedere , ſeu per ſuam perſonam Monaſteria adire , qui eas mittit : maximè quia in Legibus , & præceptis quoad effectum prohibitionis verba non ſunt improprianda , ut docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. nu. 28.* Navarrus *Comm. 4. de Regul. nu. 61.* Barboſa *de Poteſt. Epiſc. 3. par. alleg. 102. nu. 8.* Bonacina *de Clauſ. quæſt. 3. punct. 2. nu. 5.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 11. nu. 3.* Nihilominus in aliquibus diœceſibus extat ſpecialis prohibitio ſcribendi ad moniales . Et Gregorius XIII. prout teſtatur Bonacina *l. c.* qnibuſdam Regularibus præcepit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ , ſi ad Moniales ſui Ordinis litteras mitterent . Item Romæ , prout Navarrus refert *Comm. 4. de Regul. nu. 61.* extat Decretum Vicarii Pontificis : Ne quis vir , vel fœmina nocte , vel die loquatur , aut ſcribat alicui Monialı , vel prælatæ , vel puellæ in Monaſterio quacumque de cauſa incluſæ abſque Vicarii Pontificis ; aut protectoris Ordinis licentia ſub pœna quingentorum aureorum , & aliis arbitrariis , exceptis deferentibus eleemoſynas , aut opera manuum ab eis facienda , qui ſolam Abbatiſſam , aut ejus Vicariam alloqui poterunt . Non extenditur autem hoc Decretum extra Curiam Romanam , cum intra illam tantùm Juriſdictionem habeat Vicarius Pontificis : ut tradunt Navarrus , Rodriquez , & Sanchez , quos refert , & ſequitur Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 4. puact. 11. nu. 4.*

Petes 3. an illi , quibus prohibita ſub pœnis eſt miſ- 6
ſio litterarum ad Moniales ; pœnas incurrant , ſi litteras ſcribant , eaſque ad moniales mittant , quamvis ad illarum manus non perveniant? Reſp. negative : ratio eſt , quia ſcriptio , & miſſio litterarum , quæ prohibetur ; illa eſt , quæ communicationem dat cum monialibus , earumque

rumque mentes à Dei servitio distrahit, ac perturbat. Et hic finis intentus à prohibente non est extrinsecus, sed intrinsecus, ac primario intentus: si igitur haberi nequeat communicatio cum monialibus, & perturbatio mentis earum, nisi ad earum manus litteræ missæ pervenerint, dicendum est, non haberi scriptionem, & missionem harum prohibitam, & inducentem pœnas. Sic Navarrus *lib. 5. de sent. Excom. consil. 19.* Sanchez *in sum. lib. 6. cap. 16. nu. 117.* Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 45. art. 3.* Miranda *in Tract. de Monial. quæst. 4. art. 5.* Barbosa *3. part. de Potest. Episc. alleg. 102. nu. 77.* Bonacina *de Clausur. quæst. 3. punct. 2. nu. 6.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 11. nu. 5.* Addunt Sanchez, & Bonacina *loc. cit.* quòd si aliquis litteras ad monialem missas aperiat, & ore manifestet illi, quæ in litteris continebantur, sed eas non tradat; non ideo scribentem, & mittentem litteras incurrere pœnas impositas: quia revera litteræ non perveniunt ad monialem, quamvis ei manifestetur, quid in ipsis contineatur. Sed ut verum fatear, vera mihi videtur sententia Navarri *l. c.* docentis oppositum, quòd scilicet pœnas incurrat; ratio est, quia licèt non habeatur receptio materialis litterarum à Moniali; nihilominus posita sunt ea omnia, quæ sufficiunt ad communicationem cum moniali, & ad perturbandam, & distrahendam ejus mentem; aliunde posita est scriptio, & missio litterarum, ergo non est caput, cur pœnæ impositæ incurri non debeant. Aliàs si Monialis legere nesciret, & litteras sibi missas alteri legendas traderet; vel si uteretur alia Moniali, ut secretaria fideli ad litteras sibi missas legendas, eisque respondendum; scribens, & mittens non incurreret pœnas, quod non est dicendum,

7 Sub qua autem culpa prohibeatur à Juribus citatis accessus, & frequentia ad Monialium Monasteria, sub mortali videlicet, an veniali; controversum est inter Doctores. Dicendum tamen 1. quòd possit sub mortali prohiberi accessus, & frequentia ista sine legitima licentia, & sufficienti causa: ratio est, quia non videtur materia levis ea, quæ prohibetur sub excommunicationis comminatione, & aliarum gravium pœnarum; ergo si sic prohibetur, ne injusta censenda sit prohibitio, erit materia gravis: maximè si sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibitio fiat, quæ numquam imponitur, nisi ob grave peccatum; à quo non excusatur violans prohibitionem per hoc, quòd in uno, vel altero casu non sequantur inconvenientia; sufficit namque, quòd regulariter, & frequenter sequantur: ut bene adnotant Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. nu. 27.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 11. nu. 6.* Dicendum 2. quamvis probabile sit, non prohiberi defacto sub gravi culpa in prædictis Juribus per se accessum, & frequentiam ad Monasteria monialium, si præcisè considerentur; attamen certum esse debet, prohiberi sub gravi spectatis circumstantiis extrinsecis, quæ solent comitari accessum, & frequentiam: ut esset accedere, vel frequentare Monasterium ob pravum finem; si periculum lapsus haberetur in accedente, vel moniali; si scandalum oriretur in aliis, aut sinistra opinio de Monasterio: maximè si accessus fieret furtivo modo, & absque licentia superioris, & Abbatissæ. Cum his enim circumstantiis, quis non videt, sub gravi culpa prohiberi accessum, & frequentiam ad Monasterium: & sic fatentur Doctores omnes. Præscindendo tamen ab istis circumstantiis, quod est difficile, putant Navarrus *in Manual. cap. 25. nu. 10.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. nu. 27.* Sanchez *lib. 6. summ. cap. 16. nu. 120.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 11. nu. 8. & 9.* accessum non esse peccatum, frequentiam verò esse culpam venialem, nisi tamen ab Episcopo monitus frequentans non desistat: ratio est, quia non videtur res gravis, & pœnæ statutæ non sunt absolutè, sed posita monitione Episcopi.

8 Pœnæ impositæ contra frequentantes Monasteria monialium aliæ sunt contra Laicos, aliæ contra Clericos, aliæ denique contra Religiosos. Contra Laicos Monasteria frequentantes absque manifesta, & notabili causa indicitur excommunicatio comminatoria *in Cap. Monasteria de Vit. & honest. Cleric.* quam non incurrunt ob frequentationem, nisi ab Episcopo moniti fuerint, & nolint ab accessu desistere, & tales declarati fuerint: ut ex Panormitano, Ancharrano, & aliis tradit Bonacina *de Claus. quæst. 3. punct. 3. nu. 1.* Contra Clericos ferenda est pœna suspensionis ab Officio Ecclesiastico; si tamen frequentantes Monasteria, & ab Episcopo moniti desistere nolint: *sic in præcitato Cap. Monasteria statuitur*: Poterunt etiam Clerici Monasteria frequentantes excommunicari, & deponi; si suspensi non desistant *ex cap. ut Clericorum eod. tit.* Post monitionem ab Episcopo factam sive Laicis, sive Clericis Monasteria frequentantibus; si semel accesserint, Laici excommunicari poterunt, & Clerici suspendi: ratio est, quia habetur sufficiens contumacia ad pœnas illas infligendas, ut docent Hostiensis, Ancharranus, Cardinalis, Imola, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. nu. 2.* Contra Religiosos accedentes ad Monasteria extat Decretum Sacræ Congregationis jussu Sixti V. editum nonis Maii ann. 1590. in quo prohibetur omnibus Religiosis sub pœnis privationis Officiorum, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, & aliis ejusdem Sacrę Congregationis arbitrio; ne absque expressa ejusdem Sacræ Congregationis licentia accedant ad Monialium Cœnobia, sive sui, sive alterius cujusvis Ordinis ad colloquendum, sive tractandum cum Monialibus, sive aliis personis intra Clausuram existentibus. Excipiuntur superior monialium, & Confessarius ordinarius, & extraordinarius, cum ad tempus deputatur. Hujus decreti mentionem faciunt Sanchez *lib. 6. summ. cap. 16. nu. 115.* Sorbus *in Compendio Privilegiorum mendicantium verb. Ingredi Monasteria*, Barbosa *3. Part. de Potest. Episc. alleg. 102. nu. 72.* Bonacina *de claus. Regul. quæst. 3. punct. 4. nu. 3.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 11. nu. 7.* Sed dubitatur de hoc decreto, an latum fuerit pro toto Orbe Terrarum, an pro urbe tantum; insuper an satis promulgatum, & receptum: videtur enim nimis durum, omnes Religiosos in quavis mundi parte existentes indigere expressa Sacræ Congregationis licentia ad loquendum cum monialibus. Sed quidquid sit de hoc decreto. Extat aliud benignius Decretum Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. editum 12. kalendas Decembris ann. 1623. contra Religiosos accedentes ad Monasteria sub eisdem pœnis, si tamen licentiam non habuerint à Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione, vel ab Episcopo, & ab alio superiore, ad quem spectat eam concedere, servatis his conditionibus ut quater in anno concedi possit ad summum cuicumque Religioso alloquendi moniales sibi primo, vel secundo consanguinitatis gradu conjunctas: dummodo non fiat in diebus festivis, aut in Adventu, Quadragesima, feria sexta, Sabbato, & Vigiliis. Quæ quidem licentia in scriptis dari debet pro die, & hora certa, ac in Cancellaria Ordinarii asservari, & consimilis tradi debet Confessario Ordinario Monasterii, qui eam apud se servare debet. Notandum 1. his pœnis affici etiam Religiosos militares, qui verè Religiosi sunt, ut sunt Equites Hierosolymitani, cum inter Religiosos comprehendantur. Et sic declaratum à Sacra Congregatione testantur Campanilla *in Rubr. diversf. Jur. Canonic. rubr. 12. cap. 16. nu. 43.* & Barbosa *de Potest. Episc. 3. Part. alleg. 102. nu. 71.* Notandum 2. religiosos affici his pœnis pro prima vice, si absque debita licentia accedant; cum latæ sint contra religiosos accedentes. Sic Bonacina *de Claus. quæst. 3. punct. 4. nu. 5.* Notandum denique, religiosos alloquentes absque licentia moniales subjectas Prælato Regulari in Monasterio exempto posse ab Episcopis puniri, ut delegatis Sedis Apostolicæ. Sic ex Constitutione Gregorii XV. *in Bulla de exemptorum Privilegiis.* Sic etiam censuit Sacra Cardinalium Congregatio, & approbavit Urbanus VIII. anno 1624. teste Bonacina *l. c. nu. 8. in fine.*

Causæ excusantes à culpa, & pœnis Laicos, & Cleri- 9
cos frequentantes Monasteria monialium tres enumerantur. 1. quarum est parvitas materiæ; si enim una, vel altera vice accederent ad Monasteria, censeretur parvitas materiæ respectu frequentationis, maximè quia ipsis non prohibetur sub gravi pœna accessus, sed frequentia. Sic Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 45. art. 4.* Sanchez *lib. 6. sum. cap. 16. n. 119.* & Bonacina *de Claus. punct. 5. quæst. 3. nu. 1.* Qui extendit ex Homobono hanc parvitatem ad Religiosum, qui ex licentia Monasterium petit concionis causa, vel ibi celebrandi, & pauca verba habet cum moniali; idem est, si ex licentia loquatur cum Moniali, & per accidens pauca verba habet cum alia moniali urbanitatis gratia. 2. Causa est legitima consuetudo introducta in contrarium: si enim usu alicubi receptum sit, ut laici, sive mulieres, sive viri sint, sine ullo obstaculo, & sine remorsu conscientiæ ad Monasteria accedant, eaque frequentent; excusabuntur à culpa, & pœnis, dummodo consuetudo sit jam legitimè introducta juxta ea, quæ dicta sunt de

Con-

Consuetudine. Sic Bonacina *de Claus. quæst. 3. punct. 5. nu. 2. 3.* causa est licentia superioris cum causa rationabili, & manifesta; quæ quidem licentia non debet esse in scriptis, ut requiritur pro Religiosis accedentibus ad Monasteria, & pro ingredientibus: cum ex nullo textu hoc cautum sit, & aliunde de ratione Privilegii non est scriptura; sed sufficit, quòd oretenus concedatur. Sic Bonacina *de Claus. l. c. nu. 4.* Hæc autem licentia concedi poterit ab eo superiore, ad quem spectat licentiam dare, ingrediendi: cui enim conceditur majus, à fortiori conceditur minus. Hinc est, Abbatissis non competere hanc facultatem concedere: eo quia ipsis non conceditur facultas permittendi ingressum; & aliunde nullo jure constat, ei competere. Sic contra Rodriquez, & Sanchez docet Bonacina *de Claus. quæst. 3. punct. 5. nu. 7.*

CAPUT VI.

De Clausura Virorum Religiosorum.

1 *Tenentur Religiosi Viri ad Clausuram non perpetuam, sed temporalem; & quomodo intelligenda.*
2 *An Clausura perpetua imponi possit Religiosis Viris à suis superioribus?*
3 *Violatio Clausuræ à Religiosis Viris facta, dummodo non fuerit per nocturnum, & furtivum egressum; ex genere suo non excedit peccatum veniale.*
4 *Ut Religiosus Vir immunis sit ab omni culpa ob egressum è Monasterio, licentiam habere debet à suo superiore.*
5 *Egressus sine licentia non solùm prohibitus est Religiosis Viris Jure positivo Ecclesiastico, sed etiam probabile est, quòd prohibeatur jure naturali, & ex voto Obedientiæ.*
6 *Declarantur varii modi, quibus Clausura violari potest à Religiosis Viris.*

1 NON solùm moniales, de quibus hucusque actum est, tenentur ad Clausuram; sed etiam Religiosi Viri: quamvis non teneantur ad Clausuram perpetuam, ut illæ, sed ad aliquam temporalem Clausuram, quatenus videlicet è suo Claustro egredi non possint absque superioris licentia, sive hæc fuerit expressa, sive tacita; sive præsumpta, sive interpretativa. Sic colligitur *ex cap. Placuit. 16. quæst. 1. & ex aliis Capitibus*; nec non ex Constitutionibus omnium Religiosorum: maximè quia nonnulli Casus dantur, in quibus prohibentur Religiosi Viri sub excommunicationis Censura, ne è Claustro egrediantur, ut infra dicemus.

2 An autem perpetua Clausura imponi possit Religiosis Viris à suis superioribus, controversa res est. Dicendum tamen: si ea non sit ex Constitutionibus à Summo Pontifice approbatis imponi non posse: ratio est, quia esset novum onus, & nova Regula, quam Religiosi illi non voverunt. Secus tamen si esset ex Constitutionibus: ut docent Navarrus *in cap. statuimus 19. quæst. 3. nu. 4.* Salas cum recentioribus Theologis *de Legibus disp. 8. sect. 12. num. 61.* Bonacina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. nu. 19.* Poterunt tamen superiores Regulares Clausuram ad aliquod tempus suis subditis præcipere; cum eam profectui spirituali illorum, ac Observantiæ Regulari necessariam judicaverint. Quòd autem eam imponere possit Summus Pontifex justis de causis, mihi extra omne dubium est: eo quia plenitudinem habet potestatis, & jurisdictionis erga omnes fideles, & præcipuè Ecclesiasticos, & Religiosos in ferendis Legibus Ecclesiasticis: maximè quia si eam imposuit Religiosis mulieribus, cur non Religiosis Viris? Sic Bannez 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 6.* Sanchez *in summ. lib. 6. cap. 2. nu. 43.* & Bonacina *de Legib. disp. 1. punct. 3. nu. 19.*

3 Violatio Clausuræ à Religiosis Viris facta, dummodo non fuerit per nocturnum, & furtivum egressum, qui est Casus reservatus juxta decretum Clementis VIII. *de Casibus reservatis Religiosorum*; ex genere suo non videtur excedere culpam venialem; nam per egressum diurnum modo consueto factum non læditur graviter custodia Religionis, & subjectio Prælatis, ut adnotat Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 7. nu. 9.* poterit tamen ratione circumstantiarum evadere culpa gravis, maximè si ex illo egressu sine licentia magnum oriretur scandalum inter Religiosos, & infamia sequeretur Religioni. Quod etiam militat, quando Regula hanc licentiam præscribens ad nullam culpam obliget. In hoc tamen attendendus erit usus, & praxis Regulæ præscribentis licentiam istam à superiore in egressu è Monasterio: eo quia juxta hanc praxim religiosus vovet observantiam Regulæ istius. Sic Navarrus *Comm. 4. de Regular. nu. 29.* Miranda *in Manuali Prælat. 1. Part. quæst. 32. art. 2.* & Bonacina *de Clausur. quæst. 2. punct. 1. nu. 2.*

4 Ut autem Religiosus egrediens immunis sit ab omni culpa ob egressum è Monasterio, licentiam habere debet à suo superiore: ratio est, quia absolutè non prohibetur ei egressus; sed egressus absque licentia, qua posita licitus erit, & immunis ab omni culpa. Quod etiam verum est, si licentia à superiore imprudenter, & absque legitima causa data fuerit: quomodocumque enim ipsa concedatur, culpa non committitur contra Clausuram, cum jam Religiosus sit sub regimine, & subjectione superioris. Aliud est si aliqui Religiosi Ordines, præcipuè Monastici, ut sunt Carthusienses, Camaldulenses, & similes, qui sub speciali Regula, ac sub gravi peccato egressum è Monasterio prohibent. In his enim Sacris Ordinibus licentia absque rationabili causa data nulla est, & Religiosus cum ea egrediens absque licentia egreditur, & peccat juxta obligationem suæ Regulæ: ratio est, quia est dispensatio in Lege superioris absque rationabili causa facta. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. à nu. 12.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 7. nu. 4.*

5 Adnotandum hìc: quòd egressus è Monasterio absque licentia superioris, non solùm prohibitus sit religiosis Viris ex Jure positivo, ut innuimus *nu. 1. ex cap. Placuit 1. & 2. ex cap. Monachi 2. ex cap. Juxta, & ex cap. Qui verè 16. quæst. 1.* qui quidem Textus licèt non videantur communes omnibus Religiosis; attamen efficacior prohibitio habetur, & communior omnibus Religiosis *in Cap. Quanto. De offic. Ordin. in Clement. 1. §. quia verò de stat. Monach.* & in Tridentino *sess. 25. cap. 4. de Regular.* Sed etiam valde probabile est, prohibitum esse talem egressum sine licentia Jure naturali, & ex Voto Obedientiæ: ratio est, quia per professionem religiosam se tradunt Religiosi gubernandos à superioribus Religionis, à qua gubernatione se eximunt per egressum furtivum, & ignotum superioribus. Insuper per votum obedientiæ non solùm debent obedire, sed etiam debent esse parati religiosi ad obediendum suis Prælatis: & quomodo sic dispositi esse poterunt, si insciis suis superioribus à Monasterio recedunt; ergo dicendum est, jure naturali, & ex Voto etiam prohibitum esse talem egressum furtivum. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. nu. 8.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 7. nu. 2.*

6 Multipliciter Clausura violari potest à Religiosis Viris, adeoque expedit varietatem modorum, quibus Clausura violatur; exponere, declarando pariter pœnis impositas violantibus illam per subsequentes Casus. Et primo quomodo violetur per dimissionem habitus religiosi.

CAPUT VII.

Quomodo interdicta sit Religiosis dimissio habitus suæ Religionis?

1 *Temeraria dimissio habitus prohibetur omnibus Religiosis professis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.*
2 *Quid dicendum de Religiosis Professis Societatis Jesu; & ligatis Votis biennii?*
3 *Non quælibet dimissio habitus excommunicationem inducit, sed Temeraria.*
4 *Ut sit Temeraria dimissio habitus, quænam requiruntur?*
5 *Dimissio habitus ob dormiendum, natandum, commodiùs laborandum, aut illum lavandum non est Temeraria.*
6 *Dimissio habitus ad actionem turpem exercendam absque animo occultandi se, & statum religiosum, sed ad faciliùs peccandum; non est dimissio Temeraria.*
7 *Religiosus fugiens è Monasterio detento habitu non incurrit hanc excommunicationem.*
8 *Religiosus per sententiam carceri perpetuo damnatus sine habitu, si inde fugiat sine habitu religioso; non incurrit hanc excommunicationem.*
9 *Excusatur ab hac excommunicatione religiosus dimittens habitum, ut occultet se, & statum suum, ob actionem cedentem in salutem animarum.*
10 *Dimittens habitum religiosum cum ignorantia hujus*

jus prohibitionis; dummodo non fuerit affectata; non incurrit hanc excommunicationem.

11 *Non retinens habitum cum dispensatione liberatur à peccato, & à Censura.*

12 *An ad incurrendam hanc excommunicationem depositionis habitus religiosi requiratur, quòd aliis vestibus induatur?*

13 *An qui dimittit habitum religiosum aliquid ipsius retinens, ex quo dignosci nequeat; incurrat hanc excommunicationem?*

14 *An professus dimittens habitum suum, & induens illum Novitiorum incurrat hanc excommunicationem?*

15 *An religiosus non dimittens habitum, sed alium super induens, ut occultet statum suum; hanc excommunicationem incurrat?*

16 *An dimittens habitum propriæ Religionis, & induens habitum alterius religionis incurrat hanc excommunicationem?*

17 *An si dimissio Temeraria habitus fiat intra Claustra, quamvis postea dimittens non egrediatur; incurrat excommunicationem hanc?*

18 *An dimissio habitus ut Temeraria sit; fieri debeat cum animo non amplius assumendi illum?*

19 *An Religiosus promotus ad beneficium Parochiale, si habitum suæ Religionis dimittat; incidat in hanc excommunicationem?*

20 *An Religiosus promotus ad Episcopatum, vel Cardinalatum, si habitum suæ Religionis dimittat; incurrat hanc excommunicationem?*

21 *An excommunicatio ista sit reservata?*

1 VIOLARI potest Clausura à Religioso Viro dimittendo habitum suæ Religionis; quapropter ne detur occasio vagandi extra Claustra per dimissionem istam, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibetur omnibus Religiosis professis tacitè, vel expresse Temeraria dimissio habitus suæ Religionis: ut statuitur *in Cap. ut periculosa. Ne Clerici, vel Monach. in* 6. Quæ quidem prohibitio sub eadem censura afficit non solùm Religiosos professos, verum etiam Moniales professas; cum de omnibus indiscriminatim lata fuerit, exceptis Novitiis.

2 Solùm controversia esse potest de Religiosis Societatis Jesu sive professis, sive ligatis per Vota simplicia post biennium Novitiatus: & ratio controvertendi est, eo quia Societatis Jesu habitum proprium, & specialem non habet, sed accommodatum usui Patriæ, ut habent Constitutiones 6. *Part. cap.* 2. *num.* 15. Quapropter putavit Sanchez *lib.* 6. *summ. cap.* 8. *nu.* 70. non affici hac excommunicatione Religiosos Societatis Jesu, cum supponat Textus, religiosos habitum temerariè dimittentes habere habitum proprium, & specialem. Verùm communior sententia docet, affici: ratio est, quia Textus indiscriminatim loquitur de omnibus Religiosis, & aliunde licèt Societas non habeat habitum specialem, & proprium genericè, habet tamen pro singulis Regionibus accommodatum habitui honesto Clericorum Regionis illius: aliàs Religiosi Societatis ligati Votis sive solemnibus, sive simplicibus temerè habitum suum dimittentes, & induentes se sæcularibus vestibus nullam culpam committerent, quo nil absurdius ad dandam vagandi extra Claustra facilitatem. Sic Filliuccius *tract.* 14. *cap.* 8. *quæst.* 4. *n.* 133. Bonac. *de clauf. quæst.* 2. *punct.* 2. *n.* 24. & Castrop. *de stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 6. *nu.* 2.

3 Non quælibet habitus dimissio sufficiens est ad inducendam ipso facto excommunicationem istam, sed de necesse requiritur, quod Temeraria sit: ut constat *ex cap. cit. ut periculosa*; ubi Textus ait: *ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacitè, vel expresse professus in Scholis, vel alibi temere habitum Religionis suæ dimittat.* Et paulò post ait: *Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.* Ex quibus verbis clarè constat, prohiberi sub excommunicatione ipso facto incurrenda Temerariam habitus dimissionem, *ut docent Doctores.*

4 Ut autem Temeraria censenda sit dimissio habitus suæ Religionis, duæ conditiones necessario requiruntur. 1. quarum est, ut dimittatur habitus religiosus animo occultandi statum, & se alium ab eo, qui revera est, significandi. 2. est, ut habitum dimittat absque rationabili causa sive vera, sive apparente, & ex contemptu Legis non formali quidem, sed virtuali consistente in libera & impudenti dimissione habitus, non obstante lege prohibente, quam novit: nam si ex rationabili causa sive vera, sive apparente habitus religiosus dimitteretur ad occultandum statum, & se significandum alium ab eo, qui revera est; nec haberetur Legis contemptus, nec temeraria dimissio habitus; sed potiùs discreta, & prudens, ac rationabilis depositio habitus. Sic Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Sanchez *lib.* 6. *summ. cap.* 8. *nu.* 43. Bonacina *de clauf. quæst.* 2. *punct.* 2. *nu.* 2. 13. & 17. *in fin.* Castropalaus *de stat Relig. disp.* 4. *punct.* 6. *nu.* 3. & 8.

Ex dictis colligitur 1. non dici Temerariam habitus dimissionem, cum Religiosus habitum deponit ad dormiendum, natandum, purgandum, & lavandum habitum, ad commodiùs laborandum, deferendum saxum, vel alia onera, ad ludendum, saltandum, expeditius currendum, ad aliquam personam aptiùs repræsentandam in ludo, & recreatione: ratio est, quia non est dimissio habitus ad se occultandum, & statum suum etiam si aliæ vestes assumantur ad breve tempus pro istis actionibus exercendis. Sic Navarrus *in Manual. cap.* 27. *nu.* 131. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 23. *sect.* 4. *nu.* 27. Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 8. *n.* 55. Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 76. *art.* 6. Azor 1. *part. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 5. *cap.* 16. Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 8. *quæst.* 4. *n.* 133. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 13. Bonac. *de clauf. quæst.* 2. *punct.* 2. *n.* 2. & Castrop. *de stat. relig. disp.* 4. *punct.* 6. *nu.* 3. 5

Colligitur 2. religiosum dimittentem habitum, ut commodiùs furetur, alium verberet, fornicetur, aut aliam actionem injustam, vel turpem exerceat absque animo occultandi Statum, & se, ut liberiùs peccet, sed ut expeditiùs peccet; non censeri habitum temerariè dimittere, & hanc excommunicationem incurrere, esto gravissimè peccet: ratio est, quia non facit dimissionem illam ad occultandum Statum suum, & se; quamvis faciat ex alio pravo fine. Sic ex præcitatis Doctoribus docent Bonac. & Castrop. *l. c.* 6

Colligitur 3. religiosum cum habitu suæ religionis fugientem è Monasterio absque licentia sui Superioris non incurrere hanc excommunicationem latam contra dimittentes habitum, quem revera non dimittit; sed aliam latam contra fugitivos, & Apostatas, quæ quidem excommunicatio non incurritur ex Jure Communi, cum nullibi extet, sed ex particulari Privilegio religionum, cujus tenor consulendus est: ut docent Less. Sanch. Bann. Suar. Sanctar. quos refert, & sequitur Bonac. *de Clauf. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 4. contra Henriq. Azor. Armillam, Tabienam, & Alterium. 7

Colligitur 4. religiosum, qui per sententiam adjudicatus fuerit carceri perpetuo sine habitu; si nudus fugiat sine vestibus religiosis; non incurrere excommunicationem istam: eo quia non dimittit voluntariè habitum, imò patitur dimissionem habitus, quem reassumere nequit. Sic Rodriq. *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 22. *art.* 6. Navar. *Commen.* 4. *de Regul. n.* 54. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *n.* 47. & Bonac. *de clauf. quæst* 2. *pun.* 2. *n.* 6. 8

Colligitur 5. religiosum excusari ab incursu excommunicationis hujus, si habitum dimittat, ut occultet se, & statum suum ob aliquam actionem cedentem in bonum salutis proximorum, quam retento habitu exercere non posset: ut si religiosus inter loca hæreticorum, & infidelium viveret ob inserviendum Catholicis, eisque Sacramenta ministrandum. Idem dicendum, si dimitteretur habitus ad tuendam propriam vitam, vel alienam. Tandem si dimitteretur ad evitandum grave periculum temporale divitiarum, scandali, aut infamiæ sui, vel suorum; & generaliter loquendo quando justa causa timoris exegerit habitum transformare, ut dicit Textus: ratio est, quia quoties adest justa, & rationabilis causa transformandi se, seu dimittendi habitum; nequibit dici temeraria dimissio. Sic Suarez *tom.* 5. *de censur. disp.* 25. *sect.* 4. *n.* 27. & 28. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *n.* 41. Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 6. *n.* 12. & Bonac. *de clauf. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 14. Quænam autem sit justa causa arbitrio prudentis Viri decidi debet; nec requiritur, quòd sit evidens justitia illius, sed sufficit probabilis. 9

Colligitur 6. dimittentem habitum religiosum cum ignorantia hujus prohibitionis, etiamsi culpabilis fuerit, vincibilis, crassa, & supina, dummodo non sit affectata, & quasi scientia; non incurrere hanc excommunicationem: ratio est, quia quod temere fit, debet fieri consultò, & scienter, alias non esset transgressio ex contemptu, esto ignorantia culpabilis non sit sufficiens ad 10

excusandum à peccato. quamvis excuset à censura ista. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Sanch. *lib.* 6. *Summ. c.* 8. *n.* 43. Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 6. *n.* 8. & Bonac. *de Clausur. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 18. referens Cardinalem, Ancharranum, & Sanctarellum.

11 Colligitur tandem: Religiosum obtinentem dispensationem liberari ab hac Censura, & à peccato: cum enim sit à Jure Ecclesiastico prohibitio facta; ideo poterit in ea dispensare Summus Pontifex, non verò alius ab ipso; cum sit dispensatio in Jure communi. Debet tamen adesse justa causa dispensandi, arbitrio virorum prudentem dijudicanda; ut dispensatio licita. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 15. & Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 6. *n.* 13.

12 Inquires 1. an ad incurrendam hanc Excommunicationem requiratur depositio habitus religiosi, & quòd vestiatur aliis vestibus? Resp. quamvis Sylv. *verb. excommunicatio* 9. *casu* 24. *n.* 52. Rodriq. *t.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 76. *art.* 6. Navar. *in Summ. c.* 27. *n.* 131. Sà *verb. excomm. tit. de excomm. nulli refer. n.* 9. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 12. *pun.* 1. & Sanch. *lib.* 6. *Summ. c.* 8. *n.* 51. putarint de necesse requiri ad temerariam habitus dimissionem, quòd dimisso religioso habitu aliis vestibus induatur; alias non esset dimissio, sed denudatio, & spoliatio: hinc est, quòd si religiosus nudus fugeret cum solis femoralibus non incurreret excommunicationem istam. Sed veram existimo sententiam oppositam docentem, non requiri ad temerariam habitus dimissionem, quòd aliis vestibus dimittens induatur; sed sat esse, si animo temerario dimittat, etiamsi nudus incedat, ut occultet se, & statum suum; moveor, quia dimittere aliquid ex propria sua significatione non importat illud relinquere, & aliud accipere; sed quod absolutè, & simpliciter relinquat, etiamsi aliud non accipiat; Ergo non video, cur ad dimissionem habitus religiosi requiratur de necesse assumptio aliarum vestium. Nec valet dicere, quòd modus incedendi nudus cum solis femoralibus non sit ita frequens, adeóque nec ad hunc modum incedendi respexit Jus prohibens, nec ex eo datur occasio vagandi. Contra enim est, quia licèt non ita frequens, dat tamen occasionem vagandi, & aptus est ad vagandum; adeoque sub lege prohibente comprehensus. Sic rectiùs Suar. *tom.* 5. *de Censur. disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 18. Castr. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 6. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 14. *c.* 8. *quæst.* 4. *n.* 133. & Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 7.

13 Inquires 2. an qui non ex toto dimittit habitum suæ Religionis, sed partem illius retinet, ex qua tamen dignosci nequeat; incurrat excommunicationem istam? Resp. affirmativè: ratio est, quia remaneret occasio liberè vagandi, & perinde se haberet, ac si totum habitum dimisisset. Idem esset, si retenta parte sui habitus aliam partem habitus alterius Religionis assumeret: non enim dignosci posset, quisnam esset, & quisnam ejus status. Secus tamen dicendum, si ex parte retenta sui habitus dignosceretur; cum non esset in tali casu absoluta dimissio, sed secundum quid. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 11. Sanch. *lib.* 6. *Summ. c.* 8. *n.* 52. Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 8. & Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 6. *quæst.* 4. *n.* 134.

14 Inquires 3. an professus dimittens habitum suum, & induens illum Novitiorum incurrat hanc excommunicationem? Resp. si habitus Novitiorum proprius sit, & distinctus ab habitu professorum substantialiter, & non quoad signum aliquod; excommunicationem incurrit: ratio est, quia dicitur revera dimittere habitum proprium professorum suæ Religionis; maximè quia per habitum Novitiorum, qui possunt liberè è Monasterio egredi, daretur occasio liberè vagandi contra finem intentum à prohibitione. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *num.* 53. Sanctarellus *de Apostasia cap.* 1. *num.* 20. & Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 9. Secus esset si habitus Novitiorum non esset contradistinctus ab habitu professorum; aut si contradistingueretur in parvo signo difficilè dignoscibili, non tamen in signo facilè dignoscibili, quia recurreret superior ratio.

15 Inquires 4. an religiosus non dimittens habitum suum, sed alium superinduat, ut occultet statum, & incognitus incedat; an inquam hanc excommunicationem incurrat? Resp. quamvis non deneganda sit sua probabilitas sententiæ asserenti non incurrere: eo quia non prohibetur à Jure occultatio habitus, sed ejus dimissio; nec prohibetur quælibet occasio vagandi, sed occasio vagandi per temerariam habitus dimissionem: ut docuerunt Sayrus *de Censur. lib.* 6. *cap.* 33. *num.* 9. & 10. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 12. & alii, qui licèt excusent ab excommunicatione, non tamen excusant à gravi peccato. Nihilominus probabiliorem, ac amplectendam puto communiorem sententiam docentem incurrere; ratio est, quia licet non habeatur dimissio materialis habitus, qui occultatur, habetur tamen formalis, dum dignosci nequit: & moraliter ita se habet, ac si dimissus esset. Nec elusio dispositionis legis pœnalis eximit à pœna incurrenda. Sic Navarrus, Julius Clarus, Mandosius, qui testatur, sic fuisse decisum à Rota, Rodriquez, Valentia, Bannez, Azor. & alii quamplures, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *num.* 63. Sanctarellus *de Apostasia cap.* 1. *n.* 8. Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 10. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 6. *num.* 5. qui non denegant suam probabilitatem sententiæ oppositæ eximenti ab excommunicatione, non verò à gravi peccato, tum ob occasionem liberè vagandi; tum quia Tridentinum supponit *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* prohibitum tegere proprium habitum suæ Religionis, & defacto prohibet Prælatis Regularibus, ne licentiam concedant suis subditis tegendi habitum suæ Religionis, qua licentia non indigerent, si nulla extaret prohibitio: ut rectè adnotat Barbosa *in Remiss. Concilii Tridentini ad loc. cit.*

16 Inquires 5. an Religiosus dimittens habitum suæ Religionis, & alium assumens alterius Religionis excommunicationem hanc incurrat? Resp. si temere dimittit etiamsi alium habitum alterius Religionis assumat; excommunicationem istam incurrit: ratio est, quia jam temere dimittit habitum suæ Religionis, esto alium religiosum habitum assumat: maximè, quia haberet occasionem liberè vagandi sub habitu religioso assumpto, & occultandi se sub aliena pelle. Quod etiam extenditur ad dimittentem proprium habitum suæ Religionis, & assumentem habitum alterius Religionis, quam ingredi vult invalidè, & contra Jura; non tamen validè, & secundum Jura: ratio est, quia si invalidè, & contra Jura alienum habitum religiosum assumit, & proprium dimittit; jam temere, & sine rationabili causa dimittit habitum suæ Religionis, ex quo nasci potest libera occasio vagandi; ergo excommunicationem incurrit. Sic Sylvester *verb. religio*, 4. *quæst.* 4. Navarrus *in Summ. cap.* 27. *n.* 131. Suarez *tom.* 5. *de Censur. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 32. Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 3. Filliuccius *tract.* 14. *cap.* 8. *quæst.* 2. *num.* 134. *in fin.* Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *num* 17. & Castropalaus *de Stat. relig. disp.* 4 *pun.* 6. *n.* 9.

17 Inquires 6. an si temeraria proprii habitus dimissio fiat intra Claustra, etiamsi postea ipsa dimissione facta non vagetur, nec egrediatur religiosus; vel quia resipuit, vel quia impeditus fuit; sufficiens sit ad inducendam istam excommunicationem? Resp. si non excusetur à parvitate materiæ, de qua infra; illam incurrere; ratio est, quia absolutè dicitur, habitum suæ Religionis dimittere temerariè, animo vagandi, & occultandi statum suum, esto non egrediatur è Claustro, nec se exponat aspectui intuentium, vel quia resipuit, vel quia impeditus fuit: nam per actionem illam dimittendi habitum posuit, quantum est ex parte sua omne id, quod dat libertatem vagandi, quamvis vagatus non fuerit; & Textus prohibet, ne in Scholis, vel alibi talis dimissio fiat. Sic Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *n.* 6. Azor. 1. *part. lib.* 12. *c.* 17. *quæst.* 13. & 14. Navarrus *in Summ. cap.* 27. *num.* 131. Sanctarellus *de Apostasia cap.* 1. *num.* 17. Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 12. & Castropalaus *de Stat. relig. disp.* 4. *pun.* 6. *num.* 10.

18 Inquires 7. an dimissio habitus fieri debeat cum animo non ampliùs assumendi illum, ut incurratur excommunicatio; an verò sufficiens sit, si fiat ad aliquod tempus? Resp. adnotando prius, nec solum animum internum dimittendi perpetuò habitum, nec dimittendi illum ad tempus sufficere ad inducendam excommunicationem, nisi conjunctus fuerit cum actuali dimissione illius temeraria: imposita enim est excommunicatio Dimissioni temerariæ proprii habitus; dimissio autem completur per illum animum, & actualem depositionem habitus: hoc adnotato, Dico, non requiri ad excommunicationem incurrendam, ut dimissio habitus fiat cum animo perpetuo non reassumendi illum; sed sufficere dimissionem pro aliquo tempore cum animo reassumendi postea: ratio est, quia ex dimissione temeraria cum utroque animo facta præbetur

occa-

occasio vagandi, ut testatur Communis sententia. Et quamvis doctissimi viri cum Suarez, Sylvestro, Sayro, Bannez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 6. num.* 11. doceant, incurri excommunicationem eo ipso, ac completur dimissio temeraria habitus, nec admittant parvitatem temporis in hac re: eo quia non requiritur à Textu inducente excommunicationem perseverantia in dimissione; cum perseverantia non faciat dimissionem, sed illam supponat; quæ quidem sententia valde mihi arridet. Nihilominus non deneganda est sua probabilitas sententiæ oppositæ benignè admittenti parvitatem materiæ. & sic esset, si ad dimidiam, vel integram horam dimitteret cum animo vagandi etiam ad turpem finem, quamvis effectus vagationis extra Claustra non secutus fuerit, nec ullum scandalum ortum: ratio est, quia licèt dimissio facta peccaminosa sit ob qualitatem finis, & circumstantiarum; attamen in ratione dimissionis, temerariæ reputatur parvitas materiæ, quæ immeritò denegatur in materia ista; esset enim potiùs despoliatio proprii habitus, quàm temeraria dimissio illius; sicuti non censetur recedere, qui brevi revertitur *ex Leg. Divortium ff. de Divortiis*. Sic Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 5. *casu* 16. Sà *verb. excommunicatio refer. num.* 9. Toletus *lib.* 4. *Summ. c.* 18. *num.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *n.* 57. & Bonacina *de Clausur. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 20.

19 Inquires 8. an hac excommunicatione afficiatur Religiosus, qui promotus ad beneficium aliquod Parochiale dimittit habitum suæ Religionis? Resp. affirmativè, sive promotus fuerit ad beneficium Parochiale pleno jure Religioni subjectum, sive non: ratio est, quia adhuc remanet Religiosus, & observantiæ Regulari addictus in eis, quæ commodè componi possunt cum tali munere. Et obligatio deferendi habitum suæ Religionis est strictior in ipso, quam in Religiosis Episcopis, vel Cardinalibus: debet enim esse non solùm secundum colorem, sed etiam secundum figuram. Sic Sylvester *verb. Religio*, 7. *quæst.* 11. D. Antoninus 3. *Part. titul.* 16. *c.* 5. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 6. *num.* 36. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 11. Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 25. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 25. *num.* 3.

20 Inquires 9. an Religiosus promotus ad Episcopatum, vel Cardinalatum incidat in hanc excommunicationem dimittendo habitum proprium suæ Religionis? Resp. adnotando priùs, concessum fuisse à Clemente VIII. *in Rituali Romano ejus jussu edito, & reformato* Episcopis Regularibus, ut retento colore habitus suæ Religionis possent se conformare cum Episcopis sæcularibus in formâ, seu figura illius; & uti birreto Clericali, & cum mantilleto coloris suæ Religionis; non possunt tamen Rochetum portare, sed superpellicium in functionibus Ecclesiasticis. Hoc adnotato. Dico, quamvis Sylvester *verb. Religio*, 7. *quæst.* 11. Majolus *lib.* 2. *de Irregular. cap.* 1. *num.* 13. Surdus *de Aliment. titul.* 8. *privileg.* 79. *num.* 10. & alii docuerint, religiosum ad Episcopatum, vel Cardinalatum promotum dimittentem habitum suæ Religionis, & induentem se habitu sæcularium Episcoporum, & Cardinalium incidere in hanc excommunicationem: quia cum Religiosi sint, verè habitum suæ Religionis dimittunt. Nihilominus longè probabiliorem reputo sententiam oppositam docentem non incurrere: ratio est, quia Textus imponens excommunicationem ob temerariam dimissionem habitus suæ Religionis expressè loquitur de Monachis sub obedientia Abbatis intra Claustra viventibus; cum ergo Religiosi ad Episcopatum, vel Cardinalatum promoti sint extra Claustra, nec sub obedientia Snperioris vivant *ex c. unico* 18. *quæst.* 1. inde est, non affici hac excommunicatione. Non nego tamen, quòd *ex c. penult. de vit. & honest. Cleric.* teneantur religiosi isti sic promoti ad deferendum habitum suæ Religionis, quamvis ex Concessione Clementis VIII. superiùs notata facta sit aliqua remissio. Sic Covarr. *de Testam. c.* 1. *n.* 18. Rodriq. *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 58. *art.* 3. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 17. *n.* 11. Sanch. *lib.* 6. *Summ. c.* 6. *n.* 23. Barbosa *de Potest. Episcop. part.* 1. *c.* 4. *n.* 17. Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 26. & Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 24. *num.* 11.

21 Inquires tandem: an excommunicatio ista reservata sit? Resp. negativè: cum nulla mentio hujus reservationis fiat *in prædicto cap. Ut Periculoso Ne Clerici, vel Monachi in* 6. ut per se patet, & adnotat Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 32.

CAPUT VIII.

Recensentur Actiones, & Officia Religiosis prohibita ob continendos eos intra Clausuram.

1 *Contractio Matrimonii absque licentia Pontificis prohibita est Religiosis professis viris, & fœminis sub pœna excommunicationis.*
2 *Prohibitum est Religiosis proficisci ad partes ultramarinas absque licentia Superioris sui ordinis per litteras patentes concessa sub pœna excommunicationis.*
3 *Quomodo prohibitum sit Monachis, & Canonicis Regularibus non habentibus administrationem se conferre ad Curias Principum sine licentia speciali suorum Prælatorum?*
4 *Religiosis professis prohibetur accedere ad quævis studia litterarum sub pœna excommunicationis, nisi à suo Prælato cum Consilio Conventus licentiam habuerint.*
5 *Prohibetur Religiosis egredi è Claustro ad audiendas Leges, vel Medicinam; & nisi intra bimestre redierint, incurrunt excommunicationem.*
6 *Prohibentur Religiosis actus Judiciales, & alii actus extrajudiciales, qui omnes explicantur.*
7 *Quomodo prohibitum sit Religiosis Officium Judicis exercere in negotio forensi, & ecclesiastico?*
8 *Quomodo prohibitum Religiosis esse Actores, vel Reos in Causis Civilibus, & Criminalibus;*
9 *Explicantur aliqui Casus, in quibus Religiosus potest esse Actor, vel Reus tam in Civilibus, quàm Criminalibus absque licentia sui Prælati.*
10 *Prohibitum est Religiosis Officium Advocati, aut Procuratoris exercere in Judicio sive sæculari, sive Ecclesiastico absq; licentia Superioris, & utilitate Monasterii.*
11 *Prohibitum est Religiosis Procuratorem substituere, aut constituere absque licentia Superioris.*
12 *Extra Judicium per se non est prohibitum religiosis officium Advocati, aut Procuratoris agere.*
13 *An ita rigorosa sit prohibitio facta Religiosis non exercendi officium Judicis, Advocati, aut Procuratoris in Judicio, ut violetur per unum actum?*
14 *Officium Tabellionis, & Notarii prohibitum est religiosis.*
15 *Quomodo religiosus possit esse Testis in Judicio, & extra illud?*
16 *An actus illorum Officiorum, quæ exerceri debent à religioso cum licentia sui Superioris; irriti sint absque illa?*
17 *Nequit esse religiosus executor Testamentarius absque licentia sui Superioris.*
18 *Fidejussio prohibita est religiosis, & quomodo?*
19 *Quomodo religiosus possit esse Depositarius?*
20 *Prohibitum est religiosis Tutoris, vel Curatoris Officium suscipere.*
21 *Officium Medici, vel Chirurgi cum incisione, & adustione prohibitum est religiosis.*
22 *Negotiatio propriè dicta prohita est religiosis, & Clericis in Sacris.*
23 *Quænam Conductio prohibita sit religiosis, & clericis in Sacris?*
24 *Prohibitum est religiosis assistere Nundinis, vel in foro exercere Officium Proxonetæ.*
25 *Adnotantur aliqua spectantia ad hanc materiam.*
26 *Venatio prohibita Clericis à fortiori prohibetur religiosis.*
27 *Ludus alearum, & taxillorum est prohibitus Clericis, & religiosis.*
28 *Eligere sibi sepulturam prohibitum est religiosis.*
29 *An prohibitus Gradus litterarum religiosis in Jure Civili vel Medicina?*

PROHIBETUR religiosis professis Matrimonium contrahere absque licentia Pontificis sub pœna excommunicationis, ut constat *ex Clement. unic. de Consanguin. & Affin.* quæ quidem excommunicatio non solùm afficit religiosos viros, sed etiam Moniales. Non est tamen reservata, cum nulla mentio fiat reservationis in prædicta Clem. 1

Proficisci ad partes ultramarinas prohibitum est religiosis universis, & singulis cujuscumque conditionis, religionis, Ordinis, vel status existant absque licentia Superioris sui Ordinis per ipsius litteras patentes expressè concessa. Quam quidem licentiam Superiores nequeunt quibuscumque fratribus sui Ordinis impertire, nisi dumtaxat viris litteratis, providis, & expertis. Privilegium habet; Præpositus Gen. Soc. Jesu mittendi suos quocumque locorum *ex Compendio Privileg. Societ. Jesu verb. Generalis* §. 2. Contra præsumentes contrarium quovis modo imposita est Excommunicatio ipso facto incurrenda Romano Pontifici reservata. Sic Joannes 2

XXII. *in sua Extravag. ad nostrum de Regular. & transeun. ad Relig.* Notandum 1. affici hac Excommunicatione non solùm religiosos transeuntes ad partes ultramarinas absque licentia Superioris sui Ordinis; verum etiam ipsos Superiores si licentiam concedant illitteratis, improvidis, & inexpertis suis subditis, nisi bona fides intercesserit; cum Pontifex requirat præsumptionem. Notandum 2. requiri facultatem in litteris patentibus concessam, & scriptam, ut patet ex Textu. Notandum 3. Superiorem Ordinis accedentem ad partes ultramarinas absque licentia scripta non affici hac excommunicatione, cum hæc licentia requiratur in subditis. Nomine autem Superioris venit hic Generalis, aut alius æqualis jurisdictionis, vel Delegatus à Generali specialiter quoad licentias istas concedendas.

3 Monachis, & Canonicis Regularibus non habentibus administrationem aliquam prohibitum est, ne ad Curias Principum se conferre præsumant absque speciali Prælatorum suorum licentia. Quòd si ad dictas Curias se conferre præsumpserint, ut suis Prælatis, aut monasteriis damnum aliquod inferant; excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt. Sic *in Clement. 1. In agro de Stat. monach.* Notandum 1. prohibitionem hanc factam esse solis Monachis, & Canonicis Regularibus non habentibus administrationem, non verò aliis Religiosis: nam si alios Religiosos non Monachos comprehendere voluisset, ad quid exprimere tantùm Canonicos Regulares? Notandum 2. quòd si Monachi, & Canonici Regulares non habentes administrationem absque licentia speciali suorum Prælatorum præsumant accedere ad Curias Principum, & si animo non nocendi suis Prælatis & monasteriis accedant; graviter peccant, quamvis excommunicationem non incurrant: cum faciant contra gravem prohibitionem Pontificis. Quòd si ad dictas Curias se conferre præsumperint, ut suis Prælatis, aut Monasteriis damnum aliquod inferant; Excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, sive cum licentia accesserint, sive sine illa. Notandum 3. in utroque casu requiri præsumptionem à Pontifice, ut patet ex Textu. Notandum 4. non esse reservatam ex Jure Communi hanc excommunicationem.

4 Religiosis Professis facta est prohibitio accedendi ad quævis studia litterarum, nisi à suo Prælato cum Consilio sui conventus, vel majoris partis ejusdem licentiam habuerit eundi ad studium; sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda: Sic *in cap. 2. ut periculosa. Ne Cleric. vel Monach. in 6.* Notandum 1. omnes religiosos professos, & etiam scholares Societatis Jesu, qui vota post biennium Novitiatus emiserunt; quia sunt verè Religiosi, affici hac excommunicatione, si absque prædicta licentia accesserint ad quæcumque studia, sive eis prohibita, ut sunt Leges, & Medicina; sive eis permissa, ut Philosophia, Theologia, & Canones. Non verò afficiuntur Novitii, aut Prælatus ad ea accedens: eo quia Textus loquitur de Religiosis professis, & subditis: ut tradunt Navarrus, Sayrus, Suarez, Filliuccius, Azor. Sanchez, Sanctarellus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus. quæst. 2. pun. 6. num. 13. & 14.* Notandum 2. illum accessum prohiberi sub excommunicatione ad quævis studia, qui sit extra Oppidum sui Monasterii: loquitur enim Textus de proficiscente aliò causa studendi. Quod si extra Oppidum sui Monasterii aliud Monasterium sit suæ Religionis, in quo studia sint intra Claustra, si accederet ad illud, non incurreret hanc excommunicationem: esset enim mutare Monasterium, cujus mutatio non prohibetur sub excommunicatione, nec studia essent extra Claustra. Si tamen extra Claustra essent, & Religiosi illius Monasterii accederent in eo Oppido ad studia extra Claustra, posset se conformare illis, semel ac ordinarius modus studendi illorum Religiosorum esset accedere ad studia extra Claustra, quamvis intra Claustra habitaret cum illis. Sic ex Sanchez, Sanctarello, & aliis tradit Bonacina *l. c. n. 5. & 6.* Notandum 3. nomine Prælati venire hìc immediatum Superiorem Monasterii, ad quem spectat Consilium Monasterii convocare: venit etiam potiori Jure Generalis, vel Provincialis, qui majori potestate gaudent; imò isti sine consilio Conventus poterunt facultatem concedere, cum illa arctatio facta sit pro Superioribus Monasterii, non verò Provinciæ, aut totius Religionis. Sic Navar. Cajet. Azor. Sayr. Sanch. Suar. quos refert, & sequitur Bonac. *de Claus. quæst. 2. pun. 6. n. 8.* Notandum deniq; hanc excommunicationem jure communi reservatam non esse, cum mentio reservationis non fiat in Textu.

Egredi è Claustro ad audiendas Leges, vel Medicinam prohibitum est Religiosis, quòd si intra bimestre non redierint ad Claustrum; excommunicationem incurrunt. Sic *in c. Non magnopere. Ne Cleric. vel Monach. & in c. Super speculæ eod. tit.* Hæc excommunicatio non est reservata, cum in Textu non fiat mentio reservationis. 5

Prohibentur quoque Religiosis actus Judiciales, & alii actus extrajudiciales, ut omnis occasio vagandi extra Claustra auferatur; quos omnes breviter explicabimus, & quomodo prohibeantur. Actus Judicales sunt Officium Judicis exercere, Actoris, Rei, Procuratoris, Advocati, Tabellionis, & Testis. Extrajudiciales sunt, esse executorem Testamenti, seu ultimæ voluntatis; fidejubere; depositarium esse Tutorem, aut Curatorem; Officium Medici, vel Chirurgi exercere; esse Negotiatorem, venationi incumbere, aut ludo alearum, eligere sibi sepulturam, & habere Gradum litterarum. 6

Judicis Officium in negotio forensi, & Ecclesiastico exercere prohibitum est Religiosis, nisi utilitas Monasterii intervenerit, & licentia sui Prælati: ratio est, quia dedecet statum Religiosum, revocat ad sæcularia, & minuit amorem Clausuræ: sic constat *ex c. Monachis 2. 16. quæst. 1. & ex c. ex parte de Postul.* & docent hostiensis Joan. Andreas, Abbas, Cardin. Ancharr. quos referunt, & sequuntur Sanch. *lib. 6. Summ. c. 13. n. 55. & 85.* & Castrop. *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 12. §. 1. n. 1.* Notandum 1. Superiorem, qui possit hanc facultatem concedere; non solùm esse Generalem, & Provincialem, sed etiam localem. Nisi tamen reservata fuerit soli Generali, ut est in Societate Jesu, & constat *ex 6. Part. Constit. c. 3. §. 7. in Declarat. Litera D.* Notandum 2. utilitatem Monasterii requisitam non solùm posse esse directam, quæ potiùs esset necessitas, quàm utilitas; sed etiam indirectam, ut partes scilicet judicandas gratas, & benevolas Monasterio reddat. Sic Abbas, Navar. Salzedo. Sanch. Layman, quos refert, & sequitur Castrop. *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 12. §. 1. n. 3.* Notandum 3. non posse hanc licentiam Franciscanis concedi, etiamsi constet utilitas Conventus: sic *in Clement. Exivi de Paradiso de verbor. signific.* Notandum 4. posse Religiosos esse Vicarios Episcopi ex licentia suorum Prælatorum; posse etiam esse Judices arbitros, ac Judices Assessores, interveniente utilitate Monasterii, exceptis semper Franciscanis: sic Sanch. *lib. 6. Summ. c. 13. n. 85. & 88.* & Castrop. *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 12. §. 1. n. 5. 6. & 7.* Notandum denique, posse Religiosos, Franciscanis exceptis, esse Judices Delegatos Episcopi ex licentia suorum Prælatorum, & interveniente utilitate Monasterii: cum nullibi sit prohibitum. Non poterunt tamen esse Delegati Pontificis vel ejus Legati, nisi fuerint Superiores, qui dignitatem cum administratione haberent, nec alium Superiorem Regularem supra se haberent: ut deciditur *in c. Statutum de Rescript. in 6. & in Clement. 2. in fin. de Rescript.* in qua delegatione acceptanda nec requiritur licentia, nec utilitas Monasterii: ut docent Abbas, Cardinalis, Ancharr. Imola, Sylv. Sanch. Laym. quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 12. §. 1. num. 8.* 7

Actorem esse, vel Reum in Judicio in Causis Civilibus prohibitum est Religiosis *in cap. cum dilecta de Rescript. & in Authen. causa, quæ sit cum Monacho cod. de Episcop. & cleric.* ratio est, quia cum omnia bona sua, jura, & actiones transtulerint Religiosi in Monasterium, ideo ad monasterium spectat, Actorem esse, vel Conventum, non verò ad Religiosos in particulari. Sic Navar. *comment. 2. de Regul. n. 64.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 12. n. 1.* Laym. *lib. 4. Summ. tract. 5. cap. 11. in princip.* & Castrop. *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 12. §. 2. n. 1.* Extenditur hæc doctrina ad contractus in sæculo initos, pro quibus monasterium agere, vel conveniri potest juxta bona à Religioso accepta: pro contractibus verò à Religioso initis post professionem absque facultate Superioris nequit conveniri monasterium, nisi inde locupletius evaserit: nam contrahens cum religioso sibi imputare debet contraxisse cum incapaci, ut docent Sanch. *l. c. num. 2.* & Castrop. *l. c. in fine.* In Causis verò Criminalibus non potest Religiosus agere, nisi de licentia sui Superioris saltem præsumpta, cum videlicet Superior absens est, nec procuratorem reliquit: ratio est, quia non est sui Juris, sed religionis; adeoque ad ipsam spectat agere pro injuriis suis religiosis factis juxta *Leg. sed si unius §. ait Prætor. ff. de Injuriis*: nec remissio pro injuria facienda est Monacho, sed Religioni, quæ potest eam facere invito Monacho: ut docent Navarrus *Comm.* 8

2. de

2. *de Regul. num.* 64. Sanchez *lib.* 6. *Summ. c.* 12. *n.* 6. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 2. *num.* 2. E contra tamen si Monachus deliquerit, ipse conveniendus erit, non Monasterium : cum non obligetur Religio ex delicto Monachi, sicuti non obligatur Dominus ex delicto servi juxta *Leg. penult. Cod. de Noxalib.*

9 Notandum hìc : dari aliquos Casus, in quibus Religiosus potest esse Actor, & reus tam in Civilibus, quàm in Criminalibus absque sui Prælati licentia; sed ex Licentia à Jure habita. 1. est si Religiosus beneficium habeat saltem manuale : cum enim liberam habeat sui beneficii administrationem, & sui juris sit; ideo in eis, quæ spectant ad beneficium illud, convenire, & conveniri potest in Civilibus, & Criminalibus. Sic Navarrus *Comm.* 2. *de Regul. num.* 64. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 12. *num.* 17. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *capit.* 11 *n.* 1. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 2. *n.* 4. 2. est, si ex licentia in studiis versetur, vel in alio negotio : tunc enim agere, & conveniri potest tum pro contractibns studiis, vel negotio necessariis; tum pro injuriis acceptis : ratio est, quia hæc omnia tacitè concessa videntur, cum sint necessaria, & consequentia ad licentiam datam. Sic Navarrus *l. c. n.* 65. Sanchez *l. c. num.* 14. Castropalaus *l. c.* & Azor. 1. *part. lib.* 12. *c.* 11. *quæst.* 9. 3. est, quando Superior absens est, & probabiliter præsumit religiosus licentiam concessurum; tunc enim ex licentia præsumpta, ageret : ut docent Navarrus, Azor. Sanchez, Layman, & Castropalaus *locis citatis*. 4. est, cum agit pro conservatione sui Juris ex professione insurgentis, ne videlicet injustè à Religione expellatur; ne alimenta communia ei denegentur; ne solitas præeminentias ferendi, vel recipiendi suffragium, sedendi in Choro, & similes deperdat; ne beneficio sæculari, vel regulari perpetuo, vel manuali spolietur ex vindicta : quia hæc Jura sibi defendere concessum ei est à natura : maxime si à Prælato illata sit, à quo si licentiam petere deberet, indefensus remaneret; ut tradunt Navarrus, Azor. Sanchez, & Castropalaus *l. c.* 5. si accusare debeat Abbatem ob delictum commissum, si expedire judicaverit, intendens bonum Monasterii : sic *ex cap. Ex parte de Accusation.* alium autem non poterit, nisi licentia Superioris, & bonum Monasterii habeatur, ut constat *ex eod. c. cit.* dummodo non sit in causa Fidei. Quod dicitur de accusatione Judiciali, extenditur ad denunciationem judicialem, quæ naturam accusationis imitatur. Quæ potest Religiosus præstare per se ipsum in casibus prædictis absque Abbatis licentia, poterit per Procuratorem facere : ratio est, quia quæ potest quis per se ipsum facere agendo, vel se defendendo; poterit per alium præstare : ut tradunt Glossa *in clement. Religiosus de Procurator. verb. constituere*, Navarrus *comm.* 2. *de Regular. num.* 27. Sanchez alios referens *lib.* 6. *Summ. c.* 12. *num.* 32. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 2. *num.* 5.

10 Advocati, vel Procuratoris Officium prohibitum esse Religiosis in Judicio sive sæculari, sive Ecclesiastico, nisi habeatur Superioris licentia, & utilitas monasterii, clarè constat *ex cap. Monachis* 2. 16. *quæst.* 1. *cap. Ex parte de Postuland. & ex clementin. Religiosus de Procurat.* Excipiuntur Fratres Minores D. Francisci *ex clement. Exivi. de verbor. signific.* qui etiam cum licentia, & utilitate monasterii nequeunt hoc præstare. Hanc licentiam dare poterunt Generalis, Provincialis, & Superior localis, nisi fuerit reservata Generali, ut est in Societate Jesu *ex* 6. *Part. constit. cap.* 3. §. 7. *in Declarat. litera D.* Utilitas verò Monasterii potest esse tam directa, quàm indirecta : sic esset ad defensionem alterius Monasterii, vel Religiosi ejusdem Ordinis, non verò alieni; nisi aliena hæc defensio vergeret in utilitatem proprii Monasterii : ut docent Imola, Felinus, Layman, Sanchez, quo refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 3. *num.* 2. Sic etiam esset defensio Episcopi, Patroni Monasterii, aut alicujus Personæ præpotentis, quorum defensio non levem affert utilitatem monasterio. Idem dicendum de defensione pupillorum, viduarum, egenorum, & miserabilium Personarum, quarum defensio ob opus pietatis, quod exercetur, redundat in utilitatem Monasterii. Denique si causa esset communis monasterio, & aliis; haberetur namque ex parte utilitas monasterii; ut expressè habetur *in clement. Religiosus cit.* Pro consanguineorum defensione non debet dari à superioribus licentia, nisi fuerint notabiliter egeni, semper enim resultat in damnum Monasterii talibus negotiis consanguineorum impediri. Sic ex Navarro, Sanchez, Sayro, & aliis tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. *num.* 2.

Prohibetur insuper Religiosis posse Procuratorem sub- 11
stituere, & constituere, etiamsi per constituentem ipsi fuerit expressè commissum, nisi habita fuerit Superioris licentia : sic statuitur *in clement. Religiosus de Procurat.* Solùm controversia est, an ultra licentiam requiratur utilitas Monasterii ? Et quamvis Castropalaus *l. c. n.* 6. ex Sanchez eam non requirat : quia licentiæ fit tantùm mentio, non vero utilitatis *in clement. cit.* Nihilominus probabilius mihi videtur requiri : moveor, quia si requiritur ad Procurationem peragendam; cur non debet requiri ad eam substituendam ? maximè quia æquè prohibet Clementina prædicta Procurationem, ac ejus substitutionem. Secus esset, si non haberetur substitutio Procuratoris, sed mera nominatio, & declaratio Procuratoris ab alio substituti, & constituti; tunc enim nec licentia Superioris, nec utilitas monasterii requireretur : ut contra Sanchez docet Castropalaus ex Bartolo *l. c. n.* 7.

Extra Judicium per se non est prohibitum Religiosis, 12
etiam Franciscanis Officium Advocati, & Procuratoris agere, nisi aliunde à suis superioribus prohibitum fuerit : ratio est, quia omnes fere Textus prohibentes loquuntur de his Officiis in Judicio, nec ullus affertur de extrajudicialiter exercitis; adeoque nec licentia superioris, nec utilitas Monasterii requirenda erit : ratio est, quia allegationes illæ non sunt judiciales, sed meræ doctrinæ extra judicium propositæ; adeoque nec Advocationes, nec Procurationes censendæ erunt, quæ indigeant superioris licentia, & utilitate monasterii. Sic ex Bartolo, Abbate, Sylvestro, Rosella, Angelo, Tabiena, & Diaz tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 3. *n.* 3. *&* 4. contra Sanchez, & Layman.

Sed inquires : an ita rigorosa sit, & stricta prohibitio 13
Religiosis facta non exercendi in Judicio officium Judicis, Advocati, & Procuratoris sine licentia Superioris, & utilitate monasterii; ut etiam semel exercere pro quacumque causa, nec multum ardua, nec difficili sit prohibitionem factam violare ? Resp. quamvis Angelus, Navarrus, Salzedo, Sayrus, & omnes illi, qui docent, Clericum in una, vel altera causa hæc munia exercentem non violare prohibitionem sibi factam, nempe Felinus, Gregorius Lopez, Bernardus Diaz penes Castropalaum *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 3. *num.* 5. docuerint, in una vel altera causa exercere; non dici absolutè Officium Judicis, Advocati, & Procuratoris exercere, cum ex communi loquendi modo Officium importet usum continuatum, ac esse expositum ad omnes causas. Nihilominus dicendum est cum sententia opposita violari per exercitium unius causæ tantùm : ratio est, quia in Textibus prohibentibus non solùm prohibetur Officium, prout importat expositionem ad omnes causas, & usum continuatum exercendi illud, sed etiam prout importat susceptionem alicujus singularis causæ tantùm, pro qua revera dicitur exercere officium illud, esto non continuet ad alias causas : loquuntur enim Textus de officio indiscriminatim accepto, & ita puto pro Clericis sæcularibus, quidquid alii dixerint. Sic rectè Sylvester *verb. Advocatus, quæst.* 7. Decius *de Judiciis cap.* 2. *num.* 74. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 13. *num.* 34. & Castropalaus *loc. cit. in fine*.

Officium Tabellionis, seu Notarii prohibitum esse Re- 14
ligiosis, itaut nec ex licentia Superioris illud suscipere possint, imò si susceperint deponere teneantur; clarè constat *ex cap. Sicut. Ne cleric. vel monach. & ex cap. ut officium Inquisitionis §. verum de hæreticis in* 6. ubi conceditur in favorem fidei Religioso, qui in sæculo Tabellarius fuerat, illud exercere : quapropter ex alia causa assumi nequibit : Est enim tale Officium dedecens statum Religiosum, ut habent Covarruvias *Pract. Quæst. cap.* 19. *num.* 8. *versic. Monachi*, Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 13. *num.* 46. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 4. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. §. 3. *num.* 8. Permitti tamen potest ex licentia Superioris, ut instrumenta, quæ in sæculo confecerat, obsignet, vel latiùs extendat : cum non sit nova confectio in Religione, sed complementum necessarium jam factæ. Tenebitur superior ad prædictam licentiam concedendam, ne bonum publicum aliquid damni patiatur. Sic ex Covarruvia, Navarro, & Layman docent Castropal. *l. c.* Sanchez *lib.* 6. *Summ. c.* 13. *n.* 51. & Rodriquez *tom.* 3. *Quæst. Regular. quæst.* 8. *art. ultimo*.

Testis in Judicio, & extra illud poterit esse Religiosus; etiamsi Franciscanus fuerit : ratio est, quia nulla extat prohibitio, imò expresse conceditur, cum rationabilis causa habetur, *in cap. Nuper. de Testib. & in Authen. de Monach. §. cogitandum collat.* 1. & docent Jason, Abbas, Sylvester, Farinacius, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun.* 12. *§.* 3. *num.* 9. Non solùm autem Testis esse potest in aliena causa, sed etiam in qualibet ad suum Conventum spectante, dummodo non sit sua propria, & singularis : cum nemo testis esse possit in propria causa, secus ad Communitatem spectante, cujus testis est pars. Poterit ergo Religiosus subscribi Testamento ut testis, in quo suus Conventus hæres substituitur, quamvis subscribi nequeat alicui legato sibi relicto, ut adnotant Farinacius *de Testib. quæst.* 60. *num.* 463. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 13. *num.* 102. & Castropalaus *l. c.* Ad præstandum verò testimonium coram Judice non suo requiritur licentia sui Superioris : cum nequeat alieno Superiori submitti sine consensu sui Superioris : ut docent Jason, Abbas, Felinus, Sylvester, Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c.* Nequibit tamen hæc licentia concedi in causa Criminali, aut etiam Civili, si ex eo, quòd testimonium uni parti faveat, & alteri noceat, sequatur incommodum Conventui : ut expresse est cautum in Societate Jesu 6. *part. Const. cap.* 3. *num.* 7. *in Declarat. litera E.* In testimonio extrajudicialiter tradendo non video necessitatem hujus licentiæ, quamvis conveniens sit eam exposcere.

16 Controvertitur hìc : an actus illorum Officiorum, quæ exerceri debent cum licentia Superioris, irriti, & nulli sint, si sine licentia exerceantur ? Pro cujus decisione : Dico 1. actus Officii Judicii sine licentia exerciti esse illicitos, sed non invalidos : eo quia in Textu prohibente nulla fit mentio irritationis, quamvis possint à Superiore invalidari, & annullari ob potestatem dominativam, quam habet in voluntatem religiosi subditi. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun.* 12. *§.* 4. *num.* 2. Dico 2. munus Actoris à Religioso præstitum invalidè exercetur sine facultate Superioris : ratio est, quia cum omnia sua transtulerit Religiosus in Religionem; jura quoque, & actiones transtulit; adeoque sine ejus facultate nulliter agit. Sic ex Navarro, Sanchez, & Layman tradit Castropalaus *l. c. num.* 3. Dico 3. actus Advocati, & Procuratoris in Judicio sine licentia Superioris factos illicitos esse, sed non invalidos, quamvis irritari queant à Superiore, vel si à parte contraria fiat exceptio : ratio est, quia Jure naturali religiosus inhabilis non est ad hæc Officia; nec agit nomine proprio, sed alieno; nec aliunde in Textu prohibente fit mentio irritationis. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. *§.* 4. *num.* 5. Dico 4. actus Officii Tabellionis invalidos non esse, si sine licentia fiant; sed illicitos : nullus enim Textus eos irritans, & invalidans habetur; nisi tamen Superior prohiberet religioso talem usum, de qua prohibitione publicè constaret : ratio est, quia tunc prohibitioni à Lege factæ accederet irritatio Superioris. Sic ex Sanchez, Layman, & aliis docet Castropalaus *l. c. num.* 6. Dico 5. testimonium à Religioso factum absque licentia sui Superioris validum esse in Judicio : tum quia ex nullo Textu constat ejus irritatio; tum quia incompetentia Judicis non reddit nullam depositionem factam, esto illicitè facta sit. Sic Abbas, Farinacius, Layman, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 12. *§.* 4. *num.* 7.

17 Executor Testamentarius, & ultimæ voluntatis nequit esse Religiosus absque sui Superioris licentia : ut statuitur *in Cap. Religiosus* 2. *de Testamen. in 6. & in Clementin. unic. de Testamen.* Quapropter sine sui Superioris licentia nec tale munus suscipere potest, nec susceptum exercere, sive ultima voluntas declaretur testamento, sive codicillo, sive Donatione causa mortis, aut alio modo. Sic Gloss. *in dict. Clement. versicul. Cuilibet*, Cardinalis *num.* 2. Imola *num.* 6. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 11. *num.* 2. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 1. *num.* 2. Notandum 1. hanc licentiam concedere posse Generalem, Provincialem, aut Superiorem localem, dummodo Franciscani non sint, qui excipiuntur *in Clement. Exivi. de Verbor. Signific. §. Proinde*, cum omnes veniant nomine Prælati, nec alia restrictio habetur; nisi aliunde ex Regulis, & Constitutionibus, aut consuetudine reservata fuerit soli Generali, ut est in Societate Jesu *in 6. part. Constit. capit.* 3. *§.* 7. Notandum 2. non posse Monasterium loco Religiosi, qui tale munus suscepit, illud exercere : eo quia personale est, & intransferibile in Monasterium, cum à Testatore electa fuerit industria Personæ. Sic ex Bartolo, Imola, & aliis docet Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 11. *num.* 21. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 1. *num.* 6. Notandum 3. teneri religiosum, etiamsi exemptus fuerit, reddere rationem suæ executionis testamentariæ coram Ordinario, qui obligatur eam exigere : ut cautum est *in Clement. cit.* & parum refert, quòd sit plenè exemptus, cum textus indiscriminatim loquatur, nisi tamen Religio expressum Privilegium haberet. Sic Molina *tom.* 1. *de Justit. disp.* 247. *circa fin.* Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 11. *num.* 22. Barbosa 3. *part. de Potest. Episc. alleg.* 82. *num.* 34. & Castropalaus *de Stat. Religion. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 1. *num.* 7. Notandum 4. validam esse executionem, quamvis illicitam, si sine licentia Superioris fiat : ratio est, quia in Textu non fit mentio talis invaliditatis, & irritationis : dummodo tamen non contradicat Superior, nec in Judicio opponatur defectus legitimæ potestatis. Sic ex Gregorio Lopez, Menochio, Azorio, Matienzo, & Sanchez docet Castropalaus *l. c. num.* 8. Notandum denique non requiri Superioris licentiam, si Religiosus non fit executor Testamenti, sed merè Consiliarius executorum, sic præcipiente Testatore; & executores tenentur illud petere. Sicuti si relictus esset à Testatore, ut eligeret executores sui Testamenti, aut Virgines, aut Pauperes, vel Ecclesias, quibus dividendum esset legatum à Testatore relictum : ratio est, quia solùm prohibetur religioso *in Cap. Religiosus de Testam. in 6.* susceptio, & executio Testamenti absque licentia Superioris; ergo non debet extendi prohibitio ad alios casus à Lege non expressos in materia odiosa, & restrictiva. Sic ex pluribus Doctoribus firmat Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 1. *à num.* 10.

Fidejussores esse prohibitum est Religiosis, nisi fide- 18
juberent ex licentia Prælati, & majoris partis Capituli; ut constat *ex cap. penult. de Fidejussion.* Ubi Capitulum non habetur, sufficit licentia prælati : sic est in Societate Jesu, ubi non congregatur Capitulum: ut ex Molina, & Sanchez tradit Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 4. *num.* 1. Ipse verò prælatus potens aliis licentiam concedere fidejubere potest ex se. Requiritur utilitas Monasterii, ut fidejussio præstari possit : ratio est, quia censetur veluti quædam bonorum Religionis alienatio : ut docent Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 14. *num.* 38. & Castropalaus *l. c.* Non interveniente prælati licentia invalida est, & nulla fidejussio, etiamsi Religiosus peculium haberet; cum subjectum sit voluntati Superioris, & aliunde bonis careat. Sic Sylvester *verb. Excommunicatio* 9. *num.* 55. Azor. 1. *part. lib.* 12. *capit.* 11. *quæst.* 2. Molina *tom.* 2. *de Just. tract.* 2. *disp.* 390. *versic. Religiosus*, Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 14. *numer.* 41. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 4. *num.* 2.

Depositarius potest esse Religiosus, cum nulla extet 19
prohibitio, imò colligitur *ex Argum. Cap.* 1. *de Deposito*. Nihilominus graviter peccabit Religiosus absque consensu saltem præsumpto sui Superioris depositarium agens; suscipit enim gravem obligationem ex contractu inito propria authoritate : ut docent Molina *tract.* 2. *de Just. disp.* 225. *versic. Non solùm Clericus*, Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 14. *numer.* 27. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 4. *n.* 3. Non inservit tamen licentia, ut obligetur prælatus, aut Monasterium ad resarciendum depositum amissum, aut deterioratum, nisi locupletius factum fuerit, & in ea parte tantùm; sed ad hoc ut licitè Religiosus depositum suscipiat; qui si sua culpa depositum amittit, vel deteriorat; tenetur ad resarciendum, si peculium habeat suæ dispositioni relictum. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 27. *dubit.* 3. *numer.* 12. Sanchez *libr.* 6. *Summ. cap.* 14. *num.* 29. Molina *l. c.* & Castropalaus *l. c.* Notandum 1. non posse prælatum removere depositum à Religioso subdito non consentiente Domino, & servare penes se : quia sic depositum removeret,

ret, & vindicaret : quamvis posset prohibere subdito, ne apud se depositum teneat, sed vel quod illud Domino restituat; vel consentiente Domino servet penes Procuratorem Monasterii. Sic Sanchez *loc. cit. num.* 30. & Castropalaus *loc. cit. num.* 4. Notandum 2. Prælatum non corrigentem subditum, quem videt expendentem, & comsumentem depositum; teneri ad illud resarciendum : quia obligatur ex Officio ad reparanda damna à suis subditis facta, sicuti quilibet alius Gubernator sæcularis. Sic Sanchez alios referens *lib. 6. Summ. cap.* 14. *num.* 31. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. §. 4. *num.* 5. referens Gregorium Lopez;

20 Tutoris, vel Curatoris Officium suscipere prohibitum est Religiosis, sive fuerint ex Testamento designati sive à Judice; adeo ut si id admiserint, nulla sit admissio, & omnia ea, quæ inde sequuntur : sic statuitur *in Cap. Pervenit. dist. 86. & in Authentic. de Sanctiss. Episcopis §. Deo autem amabilis collat. 9.* ratio præcipua est, quia Religiosi cum careant bonis propriis, non possunt ea obligare pro administratione Tutelæ, vel Curatelæ; quod quidem est imbibitum & necessarium ipsis. Hinc infertur, nullam Tutelam admittere posse Religiosos, etiam miserabilium Personarum. Sic Sanchez, Gregorius Lopez, Guttierrez, Molina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. §. 7. *num.* 1. & 2.

21 Medici, & Chirurgi Officium cum incisione, & adustione prohibitum est Religiosis *in Cap. Tua nos de homcid.* ita ut secuta morte, etiamsi omnis diligentia aptata fuerit in ea evitanda; incurrit Religiosus irregularitatem : nec ab ea excusatur, eo quia ex pietate exercuerit, exercuit namque artem prohibitam, nisi sit casus magnę vel saltem extremæ necessitatis. Sic Abbas, Divus Antoninus, Soncinas, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. §. 2. *num.* 1. Controvertitur tamen : an citra incisionem, & adustionem prohibitum sit Religiosis talia Officia exercere : & ratio controvertendi est, quia nullus Textus habetur ea prohibens. Nihilominus dicendum est, prohiberi *in c. Clerici 2. de vit. & honest. Cleric. & in c. 1. & sequentibus Ne Cleric. vel monach.* in quibus generaliter prohibetur, sæcularia Officia exercere; & Medici, vel Chirurgi Officium exercere valde sæculare est, & à Statu Religioso alienum : & sic docent Rosella, Angelus, Armilla, Navarrus, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. §. 2. *num.* 3. Non nego tamen, quòd Religiosus, aut Clericus sæcularis citra incisionem, & adustionem ea exercens causa pietatis, & gratis circa personas miserabiles, vel cognatas nec graviter peccet, nec irregularitatem incurrat apposita debita diligentia, etiamsi sequatur mors: ratio est, quia sic exercitum non est sæculare Officium, imò religiosæ pietati consonum; ut docent præcitati Doctores, & Sà *verb. Clericus num.* 20. Religiosis Societatis Jesu concessum fuit à Gregorio XIII. ut habetur *in Compendio Privilegiorum verb. Medicus* : quòd si fuerint artis Medicinæ periti; possint Domesticos, & externos mederi ex licentia Superioris, etiam localis; quando sæcularis Medicus commodè haberi nequit, & per se ipsos non præstent adustionem, vel incisionem.

22 Negotiationem propriè dictam prohibitam esse Religiosis, & Clericis in Sacris constitutis, expressè constat *ex Cap. Consequens Cap. Negotiorum Cap. Fornicari dist.* 88. *Cap. final. de vit. & honest. Cleric. & in Clement. 1. eod. tit.* Sub interminatione verò anathematis facta est prohibitio Monachis, & Clericis causa lucri negotiantibus *in Cap. Secundum, Ne Clerric. vel Monach.* Dicitur autem propriè Negotiatio illa, quæ fit emendo rem aliquam eo animo, ut eam integram, & immutatam cariùs vendas, & sic lucreris. Ita Divus Chrysostomus relatus *in Cap. Ejiciens dist.* 88. quem sequuntur omnes Doctores cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. Requiritur ergo ad negotiationem prohibitam per supradictos Textus, & quòd res ematur animo vendendi eam cariùs; & quòd ematur animo vendendi integram, & immutatam. Quapropter si unum ex his requisitis deficiat, non erit negotiatio propriè dicta, lucri causa facta, quæ prohibetur. Hinc sequitur 1. non esse negotiationem prohibitam si religioti res emant, ut consumant, quamvis quod residuum est vendant; vel quia penuria adveniente pretium crevit, & res emptas vendunt cum spe emendi similes viliori pretio imposterum : ratio est, quia non emitur res, ut vendatur; & aliunde spectat ad prudentem, & œconomicam gubernationem domesticam sic efficere : ut docent Molina, Sà, Zenedo, Salas, Guttierrez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. §. 3. *num.* 3. 2. non esse negotiationem prohibitam emere animalia, boves, oves, & similia saginanda in propriis pascuis; ut postea sic saginata vendantur; aut ea emere, ut grandiora facta partus efficiant, & alios fructus, qui vendantur : nam non venduntur immutata, vel non venduntur ipsa, sed eorum fructus. Vel emere equum, aut mulum, vel simile animal indomitum, ut postea domitum vendatur : cum in hoc casu proprius labor, & industria in eo domando vendatur. Sic Guttierrez, Lassarte, Molina, Salas, quos refert, & sequitur Castropal. *loc. cit.* 3. non esse negotiationem Religiosis prohibitam emere res aliquas, ut artefactæ vendantur : sic esset emere lanas, ut in pannum redactæ vendantur : nec enim immutata res venditur, nec sola res, sed etiam proprius labor, & industria venditur exemplo antiquorum religiosorum, qui res ad portas necessarias emebant, ut in sportas redactas venderent, & sic se sustentarent : ut ex Molina, Salas, & Guttierrez tradit Castropalaus *loc. cit.*

Conductio quoque cum sit affinis negotiationi pro- 23
hibetur Religiosis, & Clericis in Sacris *in Cap.* 1. *& 3.* 21. *quæst.* 3. *& in Cap.* 1. *Ne Cleric. vel monach.* & conveniens erat prohiberi, dum negotiationem saperet. Non autem omnis Conductio negotiationem lucri causa factam importat, quæ sola prohibetur : cum Conductiones dentur negotiationem non importantes. Illa igitur Conductio negotiationem importans lucri causa factam, & qua prohibetur; est, quæ vel supponit emptionem antecedentem eo animo factam, ut res conductioni exponantur : ut si Religiosi emerent equos, mulos, boves, ut eos conductioni exponerent. Idem dicendum de Prædiis, ut si ea tantùm emerent, ut conductioni exponerent : vel respicit venditionem futuram; ut si Religiosi agros conducerent non ad sustentationem sui gregis, vel propriam sustentationem eos colendo; sed ad vendendos fructus ex agris reportatos, ut inde lucrum comparent. Hinc fit 1. prohibitum esse Religiosis uvas emere, ut per conductos colonos in vinum redigant, quod vendant. Fit 2. prohibitum esse lanas emere, ut in pannum redigant per conductos artifices, ut postea vendant : ut docent Molina, Lassarte, Guttierrez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 13. §. 3. *num.* 4. Fit 3. prohibitum etiam esse religiosis, lanas proprias per artifices conductos in pannum redigere ad vendendum. Secus esset, si pannus inserviret vestibus religiosis, & superfluus venderetur, sive confectus fuerit per conductos artifices, sive per proprios religiosos : ut ex Molina, & Guttierrez tradit Castropalaus *loc. cit.* Non est tamen prohibita Conductio 1. si fiat à Religiosis in propriam sustentationem : ut si agros conducerent, ac eos per suos colonos colerent ad propriam sustentationem. 2. dando conductui proprios agros, quos habent, relictos ex fundatione, vel donationibus. Sic Doctores omnes.

Assistere Nundinis, vel in foro prohibitum est Reli- 24
giosis exercendo officium Proxonetæ, seu Mediatoris inter vendentes & ementes : sic colligitur *ex capit. Clericus dist.* 91. Magnum siquidem scandalum esset, Religiosum hoc munus exercere in Nundinis & foro, non solùm in contractibus usurariis, simoniacis, vel aliàs illicitis, sed etiam licitis : ut tradunt Navarra *lib.* 2. *de Restit. cap.* 2. *num.* 326. & Salas *de Empt. & vendit. dub.* 2. *in fine*. Secus esset, si Religiosus assisteret Nundinis curiositatis gratia, vel emendi necessaria Monasterio, aut vendendi per suos ministros boves, oves, aut alios fructus Monasterii; vel ut practicus emptionum, & venditionum ut staretur ejus judicio in conciliandis contrahentibus.

Adnotanda hìc sunt nonnulla ad hanc materiam spe- 25
ctantia : & 1. graviter peccare Religiosum, qui una vice tantum negotiatur per negotiationem propriè dictam : ratio est, quia ad hoc ut dicatur negotiator, sat est venditionem, vel emptionem facere semel contra prohibitionem : & gratis requiritur frequentia similium actuum, quidquid sit de denominatione Mercatoris : ait enim Textus *in cap. Ejiciens dist.* 88. *Qui verò rem comparat*; Ergo ex unico actu consurgere

pq-

poteſt. Sic Molina, Salon, Morla, Rebellus, Guttierrez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 13. §. 3. num. 6.* 2. quòd quamvis communior ſententia doceat, religioſum negotiationem propriè dictam exercentem per tertiam perſonam, non verò per ſuam: ut ſi ipſe pecuniam applicaret, & alter induſtriam ſuam; non violare prohibitionem factam, & conſequenter non peccare graviter: eo quia Textus loquuntur de negotiatione per propriam perſonam facta: & ſic ſuſtinent Joannes Medina, Leſſius, Valentia, Rebellus, Aragonius, Molina, Sà, Salas relati à Caſtropalao *l. c. num.* 7. Nihilominus denegari non poteſt, aliquam indecentiam continere, & ſcandalum afferre proximis eam ſcientibus, cum nimis dedeceat Statum religioſum: ut rectè conſiderarunt Molina, & Guttierrez quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. 3.* neceſſitatem gravem propriam, vel familiæ ſuæ, ſi revera extet, nec alius modus ſit ſubveniendi; eſſe caput ſufficiens ad excuſandum à tali prohibitione: ratio eſt, quia Lex Eccleſiaſtica, quæ provenit à pia Matre, non obligat cum tanta rigiditate. Hinc fit, aliquibus Religioſis in Braſilia permiſſum eſſe mittere aliquas merces in Luſitaniam, ut eas carius vendant, & ex pretio emant ſibi neceſſaria; & tantum mercium tranſmittunt, quantum ſufficit ad purè neceſſaria comparanda pro ſuſtentatione, & non plus. Sic Guttierrez *de Gabellis lib. 7. pract. Quaſt. quaſt. 93. num.* 75. Reginaldus *tom. 2. lib. 25. cap. 11. §. Tertia circumſtantia*, Torres *tract. de Juſt. diſp. 342. §. Tertio obſervandum*, & Caſtropalaus *de Stat. Relig. l. c. num.* 8.

26 Venatio prohibita eſt Clericis, & à fortiori Religioſis *in cap. 1. & 2. de cleric. Venat. & Clement. 1. §. Porro de Stat. Monach.* & in Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12, de Reform.* Ut autem violatio hujus prohibitionis pertingat ad mortale peccatum, debet eſſe Clamoroſa, & cum vociferatione inſequendo canes, & aves venantes: ratio eſt, quia hæc venatio dedecet Statum clericalem, & multò magis religioſum; nam citra ſcandalum, contemptum, ac temeritatem non erit grave peccatum, ut tradunt Navarrus *commen. 4. de Regul. num.* 26. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 11. num.* 12. Sà *verb. Venatio*, *num.* 4. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 13. §. 5. num.* 1. Imò, Suarez, & Sà, ac Caſtropalaus locis citatis ab omni peccato excuſant, ſi rara, & moderata ſit venatio, & ad reficiendum animum.

27 Ludus alearum, & Taxillorum eſt prohibitus Clericis, & Religioſis, imò ei intereſſe. Sic *in cap. penult. de Vit. & honeſt. cleric. & in cap. 1. diſt. 35.* Et pœna ſuſpenſionis, vel excommunicationis imponenda erit ei, qui his ludibus inſervierit. *Et in cap. Inter dilectos. de exceſſib. Pralat.* cuidam Clerico aleatori publico, & uſurario facta eſt privatio Dignitatis, ad quam electus fuerat non obſtante conſuetudine, quam appellabat, & quam Pontifex dixit, eſſe corruptelam. Nomine ludi alearum, & taxillorum venit omnis ludus fortunæ, non vero induſtriæ: ut notat Valentia 2. 2. *diſp. 5. quæſt. 6. pun. 5. verſic. Ubi duo ſunt notanda*. Una vel altera vice ſic ludere non importat gravem violationem hujus prohibitionis; cum non inducant conſuetudinem, quam Pontifex extirpare intendit, & verba, quibus utitur, nempe vacans, deſerviens, aleator, conſuetudinem ſic ludendi importare videntur: ut docent Salas *de Ludo dub. 24. num.* 3. Molina *tom. 2. de Juſt. tract. 2. diſp. 512.* Azor. *3. part. lib. 1. cap. 27. quæſt. 2.* Rebellus 2. *part. lib. 12. quæſt.* 1. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 13. §. 5. num.* 1. Cæterùm ſi conſuetudo ludendi habeatur, ſive fiat lucri cauſa, ſive principaliter animo recreandi ſe; ſemper erit ſub prohibitione contenta: cum Textus non diſtinguat, & conſideret conſuetudinem, non verò finem ludendi. Et quamvis dubitetur, an iſta prohibitio extendatur ad Religioſos laicos, cum tantum de Clericis ſermo ſit. Nihilominus dicendum omnino eſt, extendi ad illos: eo quia quoties prohibitio reſpicit decentiam Status, ſub nomine Clericorum veniunt Religioſi tam Clerici, quàm Laici. Sic communis ſententia cum Navarro, Valentia, Suares, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. num.* 2.

28 Eligere ſibi ſepulturam prohibitum eſt Religioſis *in cap. fin. de Sepult. in 6.* niſi à propriis Monaſteriis adeo ſint remoti, quòd cum moriuntur, ad ea commodè portari non poſſint, cum de cætero tumulandi ſint apud ſua Monaſteria. Sic *ex prædicto Capite* docent Gloſſa, Abbas, Sylveſter, Navarrus, Rodriquez, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 13. §. 8. num. 3. & 4.* Hæc doctrina certa, & indubitata eſt de Religioſis ſubditis, de quibus ſolùm controvertitur: an eam poſſint ſibi eligere ex licentia Superioris, cum Textus expreſsè aſſerat, Religioſos carere tali poteſtate eligendi ſepulturam. Sed dicendum eſt, poſſe religioſum ſubditum ex licentia ſui Superioris eam licitè, & validè ſibi eligere; ratio eſt, quia ſi Superior poteſt eam ſibi eligere, ut videbimus, cur non poterit facultatem iſtam ſuo ſubdito concedere? maximè quia tunc non eligeret ſubditus ex proprio velle, quod non habet; ſed ex velle Superioris: ut docet Caſtropalaus *l. c. num.* 5. In caſu tamen, quòd Religioſus decederet è vita in loco remoto à ſuo Monaſterio, per quem tranſit; ſepeliendus erit in Eccleſia Parochiali ejuſdem loci, ut quilibet alius peregrinus in itinere moriens, ſi ad ſepulchra ſuorum Majorum deferri non poſſit: ut tradit Caſtropalaus *l. c. num.* 7. Superior Supremus poteſt ſibi ſepulturam eligere, quia habet velle, & nolle. De Superioribus inferioribus dubitatur, eo quia non habent velle, & nolle abſolutè, dependent enim à Supremo. Nihilominus dicendum eſt, poſſe ſibi ſepulturam eligere: eo quia dum Superior eſt, habet velle, & nolle in pertinentibus ad ſe, & diſpoſitionem ſuorum, eſto annullari poſſit à prælato ſupremo, ſi nondum morte confirmata fuerit Electio. Sic Rodriquez *tom. 3. Quæſt. Regul. quæſt. 60. art.* 1. Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 14. num.* 7. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 13. §. 8. num.* 1. Novitius poteſt ſibi ſepulturam eligere, cum prohibitio facta ſit Religioſis profeſſis, ac ligatis Votis: ut docent Sanchez *l. c. num.* 10. & Caſtropalaus *l. c. num.* 8. Si tamen deceſſerit electione non facta in Monaſterio ſepeliendus erit, ut cæteri Religioſi. Circa expenſas pro ſepultura conſuetudine firmatum eſt, fieri à Monaſterio, nec obligari ejus parentes ad tales expenſas; quia ab eorum conſortio ſeparatus eſt, quamvis revocabiliter. Electione tamen ſibi facta ſepulturæ propriis expenſis ſepeliri debet, ſi proprium habeat. Sic Sanchez *l. c. num.* 12. & Caſtropalaus *l. c.*

29 Gradus litterarum, ut eſt Doctoris, Licentiati, Magiſtri, & Baccalaurei in Jure Civili, & Medicina; quamvis videatur Religioſis prohibitus: eo quia ipſis prohibetur ſtudium harum Scientiarum *in Cap. Magnopere, & cap. Super ſpecula. Ne Cleric. vel Monach.* Nihilominus ſi in talibus ſcientiis verè periti fuerint, vel quia eis ſtuduerint in ſæculo, vel in Religione violando Sacros Canones; poterunt ex facultate Superioris Graduari: ratio eſt, quia ſuſceptio talis Gradus ex nullo Capite apparet prohibita; nec prohibitio non ſtudendi talibus facultatibus ſecum affert prohibitionem Graduationis, cum ſint res omnino diverſæ: maximè ſi talem Gradum accipiant poſt Theologiæ Curſum, ob cujus intuitum prohibitum fuit ſtudium Juris Civilis, & Medicinæ. Sic Felinus *in cap. cum dilecta de Reſcript. num.* 19. Navarrus *commen. 2. de Regul. num.* 2. Salzedo *in Pract. Quæſt. cap.* 59. Rodriquez *tom. 2. Quæſt. Reg. quæſt. 74. art. 1. & 2.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 14. n. 45.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 13. §. 6. num.* 1. In Sacra verò Theologia, & Jure Canonico Graduari poterunt ex licentia Prælati omnes Religioſi, etiam Franciſcani ſervatis iis conditionibus, quas pro ſuis ſubditis præſcribit prudentiſſimè quælibet Religio. Quidquid deblateraverint in contrarium, ut alienum à Religioſo Statu, humili, & pauperi impugnantes Religioſum Statum, contra quos Divus Thomas *Opuſc. 19. capit. 2. & 3.* D. Antoninus 3. *part. Tit. 5. cap. 2. §. 3.* & omnes Doctores Catholici. Quòd ſi Religioſi Gradum ſuſceperint abſque licentia ſui Prælati, quamvis peccaminoſa ſit ſuſceptio; attamen valida eſt ex Jure Communi, ex quo non conſtat talis invalidatio. Ex Privilegio tamen ſpecialiter conceſſo Religioni invalida eſſe poteſt, ut eſt Privilegium conceſſum Patribus Dominicanis ab Innocentio VIII. & Patribus Franciſcanis à Martino V. quæ refert Rodriquez *tom. 2. Quæſt. Regul. quæſt. 74. art. 2. & 3.* Religioſi Societatis Jeſu non poſſunt Gradu aliquo inſigniri ſine licentia

Præpo-

Præpositi Generalis : ut expressè dicitur *in Regul. 62. Provinc.* & servatis conditionibus, & qualitatibus pro his Gradibus recipiendis requisitis *in 4. part. Constit. cap. 6. num. 17. & cap. 15. num. 4. & in Regula Provincial. 64.* Concessit Julius III. *in sua Bulla*, incipit, *Sacræ Religionis anno* 1552. quam confirmavit Pius IV. *in sua Bulla*, incipit, *Exponi nobis anno* 1561. Religiosis Collegiorum Societatis Jesu existentium in Universitatibus alicujus studii Generalis, si prævio rigoroso, & publico examine in eisdem Universitatibus reperti fuerint idonei, & Rectores Universitatum eos gratis promovere recusaverint; ut in prædictis Collegiis à Præposito Generali, vel de ejus licentia à quovis ex inferioribus Præpositis, vel Rectoribus hujusmodi Collegiorum cum duobus, vel tribus Doctoribus, seu Magistris per eosdem eligendis; promoveri possint ad Baccalaureatus, & Magisterii, Licentiaturæ, & Doctoratus Gradus. Religiosis verò Collegiorum existentium extra Universitates concessit, ut absoluto cursu suorum studiorum, & rigoroso examine præcedente à Præposito Generali, vel de ejus licentia à quovis ex Præpositis, vel Rectoribus hujusmodi Collegiorum cum duobus, vel tribus Doctoribus, & Magistris per eosdem eligendis ad prædictos Gradus possint promoveri. Hi verò promoti gaudent omnibus Privilegiis, & Prærogativis, quibus gaudent, qui in Universitatibus rigoroso examine prævio, ac aliàs juxta inibi observari solitos, & requisitos usus promoventur. Sic *in supradictis Bullis relatis in Compend. Privileg. verb. Gradus*, & à Rodriquez *tom. 2. Quæst. Regul. quæst. 74. art. 3.*

CAPUT IX.

Quomodo prohibitus sit Religiosis Transitus ex una Religione ad aliam, & sub quibus pœnis?

1 *Transitus ex Religione stricta potest esse ad aliam minùs strictam, æqualem, vel strictiorem.*
2 *An licitus sit Transitus è Religione minùs perfecta ad perfectiorem, quamvis hæc benignior sit in asperitatibus corporis?*
3 *Jure Communi nulla facta est prohibitio Religiosis transeundi è Religione minùs perfecta ad perfectiorem; bene tamen Jure speciali, & ex Privilegio.*
4 *Secluſis Privilegiis Transitus ad perfectiorem Religionem Jure Communi concessus est omnibus Religiosis.*
5 *Quænam Conditiones servandæ sunt, ut Transitus ad perfectiorem Religionem licitus, & validus sit?*
6 *An defectus prædictarum Conditionum irritet professionem jam emissam à transeunte in perfectiori Religione?*
7 *Quomodo ex Jure Communi licitus sit transitus ad Religionem æqualem, vel laxiorem?*
8 *An fieri possit Transitus in eadem Religione è statu laicali ad Clericalem, & vice versa?*
9 *Quomodo spectatis Privilegiis specialibus Religionum prohibitus sit Transitus sive ad perfectiorem, sive æqualem, sive latiorem Religionem? Et explicantur Privilegia Societatis Jesu in hoc.*
10 *Explicantur pœnæ impositæ Religiosis ad alias Religiones transeuntibus.*

1 TRANSITUS esse potest ex Religione stricta ad aliam minùs strictam, vel æqualem, vel strictiorem: cum in Ecclesia Dei varii sint Religionum Ordines, & Classes aliæ strictiores, aliæ perfectiores, aliæ laxiores. Illud tamen adnotandum, quòd licèt Religio perfectior debeat dici strictior, durior, ac severior: eo quia cum perfectio Religionis oriatur ex perfectiori fine, quem habet; & ex perfectioribus mediis, & magis proportionatis, quibus utitur ad consecutionem finis, ut habet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. & actus virtutis, quo perfectiores sunt, eo sunt difficiliores, & magis ardui, cum Virtus circa difficilia versetur; inde est, quòd Religio perfectior, & perfectiores actus virtutis exercens dici debeat severior, & strictior: ut sustinent Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *num.* 38. & Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 11. Nihilominus cum hac stare poterit, quòd Religio minus stricta, & perfecta in sensu explicato duriores habeat corporis asperitates in vestitu, silentio, clausura, abstinentia, chori prolixitate, & similibus præ Religione perfectiore in fine, & in Mediis. His adnotatis

Inquiritur: an licitus sit Transitus ex Religione minùs perfecta ad perfectiorem, quamvis hæc benignior sit quoad asperitates corporis? Communis responsio est, licitum esse Jure humano, & Jure Naturali Divino, nisi extet specialis prohibitio Pontificis. Et quidem licitum esse Jure humano, clarè constat *ex cap. licet. cap. Non est, ex cap. Sanè, & cap. Significatum de Regular.* Licitum verò esse Jure naturali Divino, probatur ex eo, quia cuique competit ex Jure Naturali Divino posse vacare majori perfectioni, & cum majori profectu animæ suæ Dei obsequio incumbere, ac votum ex se emissum in melius commutare, perfectioremque vitæ Statum sectari. Nec obstat, religiosum per professionem factam in priori Religione non solùm se tradere Deo, sed etiam Religioni; adeoque quæsitum esse jus Prælato Religionis, cui propria authoritate Religiosus derogare non potest. Non obstat inquam, quia Traditio facta fuit Prælato propter Deum, & in ejus obsequium, ac propter utilitatem spiritualem propriam: cum igitur in perfectiori Religione majus Dei obsequium habeatur, ac major utilitas spiritualis propria; ideo hæc commutatio, & Transitus licitus erit. Sic Cajetanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 22. *Versic. Ad hujus evidentiam*, Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 1. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 3. Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 9. §. 1. *n.* 1. Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *pun.* 26. §. 2. *num.* 2. 2

Quamvis spectato Jure Communi, ut vidimus, nulla sit facta prohibitio Religiosis transeundi è Religione minùs perfecta ad perfectiorem; nihilominus Jure speciali, & ex Privilegiis concessis Religionibus à Summis Pontificibus interdictus est talis Transitus, quapropter prohibitione posita illicitus omnino erit. Quòd autem possit Pontifex hoc privilegium Religionibus etiam minùs perfectis concedere, patet ex eo, quia ad ipsum spectat conservatio Religionum, & tollere scandala, lites, & perturbationes Religiosorum ob tales transitus; agnoscere finem transeundi, si bono, aut pravo spiritu ducatur; denique an revera Religio, ad quam transire vult, sit perfectior. Nec obstat dicere, quòd ea, quæ Juris Naturalis Divini sunt; nequeat Pontifex impedire: si ergo talis Juris est ad Religionem perfectiorem transire, nequibit Pontifex transitum impedire. Contra enim est: quia licèt Jus sanctissimum sit, nec à Pontifice impedibile; usus tamen, & modus utendi tali Jure pravus esse potest ex circumstantiis, quas dignoscere spectat ad Pontificem, qui juremerito vult dignoscere illas: maximè quia per Privilegium Religionibus concessum non occluditur aditus ad Majorem perfectionem etiam in Summo gradu acquirendam in propria Religione, cum non detur Religio, in qua id effici nequeat à quolibet Religioso: ut rectè adnotant Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 10. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. §. 2. *n.* 6. Hinc fit, non de facili consulendum esse hunc Transitum, sed rarò juxta Consilium Apostoli 1. *ad Corinth.* 7. *Quisquis in Vocatione, qua vocatus est, permaneat*, D. Basilii *in Constit. Monastic. cap.* 34. D. Bernardi *in lib. de præcept. & Dispen. cap.* 20. & D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. 3

Secluſis Privilegiis concessus est Transitus ad perfectiorem religionem Jure Communi omnibus Religiosis, cum omnibus Jure positivo humano, & naturali Divino competat facere id, quod perfectius est suo profectui spirituali, & Deo gratius. Hinc sequitur 1. non solùm Religiosis Sacerdotibus, & Clericis, sed etiam Laicis, Conversis, & Oblatis tale jus competere, cum non debeant esse deterioris Conditionis. Et quamvis Conversi, & Oblati se, & sua bona Religioni manciparunt, ut servi; nihilominus talis oblatio imbibitam habet hanc tacitam conditionem transeundi ad melioris vitæ frugem, aliàs irrationabilis esset ea oblatio, utpote impeditiva spiritualis profectus, & majoris Dei obsequii: ut docent Suarez *tom.* 4. *de Relig. disp.* 4. *pun.* 26. §. 2. *n.* 5. Sanctarel. *de Apostasia cap.* 8. *n.* 1. Barb. *in cap. Licet. de Regular. n.* 4. & Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 9. §. 2. *n.* 3. Imò advertunt Suar. & Castrop. *l. c.* posse Conversos, & Oblatos è Religione, in qua eorum modus vivendi est veluti sæcularis, transire ad laxiorem Religionem, in qua veram professionem emittunt: cum per veram professionem Statum perfectiorem acquirant, quo antea carebant. 4

2 Sequitur: etiam Monialibus competere tale Jus:

&

& quamvis eis indicta sit Clausura, & prohibitus è Clausura egressus à Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Reg.* & à S. Pio V. *in sua Bulla*, incipit, *Decori*; nihilominus nec Concilium, nec Sanctus Pontifex annullarunt permissionem hujus Transitus *in cap.* 1. 20. *quæst.* 4. factam à Jure antiquo: maximè quia egressus iste non esset ob vagationem periculosam, & contrariam regulari observantiæ; sed potiùs ad efficaciùs excludendam periculosam evagationem, & ad perficiendam magis regularem observantiam. Sic Sacra Cardinalium Congregatio *in una Nannaten.* 16. *Januar.* 1615. Rodriq. Sanch. Navar. Suarez, Barb. Sanctarellus, quos referunt, & sequuntur Bonac. *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9. §. 2. *n.* 4. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. §. 2. *n.* 4.

3 Sequitur: totum Conventum transire posse ad perfectiorem Religionem: ratio est, quia si partibus concessum est, censetur etiam toti concessum. Sic ex Sanchez, Rodriquez, & aliis docet Bonacina *l. c. n.* 5. Quamvis non sequatur ex hoc, permitti translationem locorum, seu Unionem duorum Monasteriorum, pro qua facienda requiritur specialis licentia à S. Sede.

4 Sequitur: Prælatum Religionis posse transire ad perfectiorem Religionem, dummodo non sit Supremus, ut est Generalis, qui immediatè subjectus est S. Sedi, sine cujus facultate transire nequit; quam si deneget, & Transitus fiat; revocari potest *ex cap. Si Abbas. de Elect. in 6.* Quòd si Pontifex non responderet petenti, transire poterit, quia non præsumitur denegare. Sic Sylvester *verb. Religio* 4. *quæst.* 3. Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 7. *in fin.* Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 8. Barbosa *in cap. Licet. de Reg. n.* 5. & Bonac. *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9. §. 2. *n.* 6.

5 Sequitur: Episcopum Regularem gaudere etiam hoc privilegio transeundi ad perfectiorem Religionem cum facultate tamen Pontificis, cui immediatè subjectus est: facta siquidem est generalis prohibitio Episcopis non transeundi etiam ad Religionem propriam sine facultate Pontificis: ut statuitur *in cap. Licet. de Regular.* Poterit Episcopus Regularis, qui Episcopatui renuntiavit, si nolit ad priorem Religionem redire; laxiorem ingredi: ratio est, quia ex una parte non tenetur ad priorem Religionem redire, cum subtractus fuerit à Regulari observantia, quamvis possit Pontifex illum adstringere ad priorem Religionem reassumendam, & ipse tenetur ex Voto obedire: ut docent Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 8. *num.* 93. & Sanchez *in Summ. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 4. ex alia parte secunda Religio quamvis laxior, est tamen strictior Statu Episcopali; ergo posito quòd nolit ad priorem redire, poterit ad hanc secundam laxiorem convolare. Sic probabiliter ex Bonifacio *in Clement.* 1. *de Regul. n.* 83. docet Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9. §. 2. *n.* 8. Non denego suam probabilitatem sententiæ oppositæ: eo quia cum sit verus Religiosus prioris Religionis ad laxiorem transire non poterit: ut docent Ancharranus *in Clement.* 1. *de Regul. n.* 4. & Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 8. Si verò post renuntiationem in sæculo remaneat instar prælatorum exemptorum, immediatè Summo Pontifici subjectorum; non poterit ad Religionem accedere sine licentia Pontificis. Et si ad propriam rediit, & velit ad perfectiorem transire; requiritur licentia suorum Superiorum. Sic Bonac. *l. c. n.* 7. *in fine.*

1 Quæres 1. quænam conditiones servari debent, ut transitus ad perfectiorem Religionem licitus, & validus sit? Resp. tres colligi communiter à Doctoribus *ex cap. Licet. de Regul.* quarum 1. est, ne moveatur ad Transitum faciendum ductus levitate quadam, aut temeritate, sed animo vero, & bono zelo inchoandi perfectiorem vitam. Hinc fit, levitate, & temeritate duci eum Religiosum, qui transire vult, si ob vindictam injuriæ acceptæ à Religione moveatur ad transitum; ob lucrum sibi obveniens ex ingressu in perfectiorem Religionem; ob dignitates faciliùs in ea adipiscendas; ob conjunctionem, & consanguinitatem cum Religiosis aliquibus ejusdem Religionis; ob disciplinas, quas facilè docere posset ibi, & sic faciliùs promoveri: denique si ineptus sit, nec vires habeat ad sustinendos labores perfectioris Religionis: non enim hæc motiva sunt ex animo vero, & puro perfectioris vitæ. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 12. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. §. 3. *num.* 1.

2 Conditio est: ne Transitus cedat in gravem jacturam, vel injuriam Religionis desertæ. Tunc verò habetur jactura, vel injuria Religionis, cum absque culpa ipsius Religionis graviter despiciatur, aut contemnatur ob transitum à Religioso faciendum; adeoq; grave scandalum, & notabile detrimentum in fama, & bononomine Religionis sequeretur, & quamvis videantur hæc per accidens sequi religioni, & quæ imputari non debeant Religioso transituro; nihilominus tenetur ea evitare, & habet obligationem id faciendi: eoquia præponderant profectui spirituali, quem ex Transitu percipere posset; & sicut majus bonum præponderat, & præfertur minori; sic communis utilitas præponderat, & præferenda est privatæ utilitati. Sic Sylvester *verb. Relig.* 4. *quæst.* 1. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 6. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 11. Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. §. 3. *num.* 1. & Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9. §. 1. *n.* 1.

3 Conditio est: petere licentiam à Superiore cum humilitate, & puritate, ne bonum Obedientiæ contemnere videatur. Notandum 1. hanc obligationem petendi licentiam esse sub gravi: ratio est, quia sub debito explicatur in Textu, & debitum in sua significatione non importat honestatem, sed præceptum: maximè quia Jus habet Prælatus retinendi Religiosum transeuntem, nisi ex bono zelo appetat Religionem perfectiorem. Notandum 2. debere Religiosum transeuntem manifestare reverenter Prælato Religionem, ad quam transire cupit; & animum sincerum, non fictum, quo ducitur ad transeundum, ne levitate, & temeritate ducatur; non verò bono zelo Charitatis, & perfectionis: hoc enim est petere cum humilitate, & puritate, & scandalum vitare, quòd fugiat inconsulto Prælato. Notandum 3. non satisfacere huic suæ obligationi petendo licentiam post ingressum, & per litteras; sed necessariò requiritur, ut petat ante ingressum, & personaliter: tum quia licentia, quæ requiritur ad actum, debet illum præcedere; tum quia cum dignoscendus sit animus transeuntis, & causa transitus; & petitio fieri debeat cum humilitate, & puritate, videntur hæc omnia requirere præsentiam petentis. Notandum 4. petita, & non obtenta licentia prælati posse ad perfectiorem religionem transire, dummodo non contradicat Prælatus ex justa, & legitima causa: tunc enim transire non poterit, donec controversia decidatur, & veritas innotescat. Quæ quidem controversia decidenda erit ab illo Judice, qui judicare solet causas vertentes inter illas Religiones. Quòd si Prælatus non contradixerit, sed suspendit quoadusque negotium examinet; concedendum ei erit tempus necessarium, nec transitus fieri potest *ex cap. Cum in veteri in fin. de Elect.* Notandum 5. licentiam Prælati requiri, non verò Conventus: cum Prælati mentionem faciat Textus, non verò Conventus. Nomine tamen Prælati venit Generalis, Provincialis, & Superior localis, omnes enim isti verè prælati sunt. Respectu verò Monialium non venit Abbatissa, aut Prioriſſa; sed Episcopus, vel prælatus Regularis, cui immediatè subjiciuntur. Notandum 6. Prælatum perfectioris Religionis non posse transeuntem admittere, nisi per litteras patentes ei constet de licentia petita *juxta Textum in cap. Statuimus* 19. *quæst.* 3. aut saltem ei constet protervè, & injustè denegari licentiam; aliàs lædet Jus priori Religioni quæsitum. Sic *ex cap. Licet. de Regul.* colligunt Rodriq. Sanch. Suar. Sylv est. Azor. Sayr. & alii, quos referunt Bonac. *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9. §. 3. *difficul.* 1. *per totam*, & Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. §. 3. *per totum*.

6 Quæres 2. an defectus supradictarum conditionum irritet professionem emissam in perfectiori Religione à transeunte? Resp. quamvis Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *à n.* 88. quem sequuntur alii, doceat, invalidam esse: eo quia à Jure permittitur Transitus sub illis conditionibus, quibus deficientibus videtur deficere Juris permissio. Nihilominus probabilior mihi videtur sententia opposita asserens, esse validam, quamvis illicitam: ratio est, tum quia jure Naturæ competit cuilibet commutare votum suum in melius, & aspirare ad majorem perfectionem, esto vitietur finis extrinsecus ex modo, & prava circumstantia; tum quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent; ergo emissa jam professione in Religione perfectiori, quamvis levitas animi habita fuerit, vel detrimentum Religionis desertæ, aut non petita fuerit licentia; valida erit professio, & per consequens revocari nequibit à priori Religione, nec poterit ad eam regredi; sed pro qualitate culpæ puniendus

dus erit in Religione assumpta. Secus verò dicendum si dubium sit de majori perfectione Religionis : nam si certo non constaret, Religionem assumptam esse perfectiorem, adhuc revocari posset emissa professione. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 21. Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 9. *§.* 3. *diffic.* 1. *n.* 7. & Castrop. alios referens *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 4. *n.* 2. Revocari insuper poterit emissa professione, si sine debitis requisitis ad laxiorem convolaverit, vel æqualem ; aut si Religio deserta Privilegium habeat annullandi professionem aliter factam ; ut adnotat Bonac. *l. c.* Ante verò professionem emissam in Religione, quam constat esse perfectiorem ; revocari poterit à prælato Religionis desertæ, quando ei non constat de legitimitate causæ: nam si ei constaret, causam esse legitimam ; tunc revocare non poterit ; quia jus habet convolandi, esto deficiat in modo. Sic Castropalaus *l. c. n.* 3.

7 Quæres 3. quomodo licitus sit Transitus ad Religionem æqualem, vel laxiorem ex Jure communi ? Resp. nullatenus licitum esse hunc transitum ad Religionem æqualem, vel laxiorem absque legitima causa, quod indubitatum est penes Doctores. Si autem legitima causa intercesserit, nec fieri poterit propria authoritate : ratio est, quia nemo potest propria authoritate votum suum Deo factum nisi in melius commutare ; non verò in æquale, aut deterius : cum igitur Religiosus iste vota à se emissa per professionem commutaret in æqualia, vel minora ; inde est, non posse id propria authoritate efficere : maximè quia Jure positivo communi non constat, hanc facultatem concessam fuisse. Concedi igitur debet per Dispensationem : sed remanet inquirendum, quisnam eam concedere valeat ? In primis debet extra dubium esse, posse Pontificem eam concedere : sed controvertitur, an absq; legitima causa concessa sit licita, & valida ? Dicendum tamen, nec licitam, nec validam esse dispensationem transeundi ad laxiorem Religionem sine legitima causa : ratio est, quia continet commutationem voti in minus, & per consequens dispensationem partis voti : cum ergo nequeat Pontifex sine justa causa dispensare in Voto, seu Jure Divino ; ideo ejus dispensatio sic facta nec licita, nec valida erit. Sic Navar. Rodriq. Lessius, Azor. Sanch. Suarez, quos refert, & sequitur Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 5. *n.* 2. & Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 9. *§.* 3. *difficul.* 1. *n.* 14. quamvis adnotet Bonac. ex communi sententia cum Navar. Azor. Rodriq. Sanch. Lessio, Sanctarello, hanc licentiam valere pro foro externo : cum Pontifex in Terris Superiorem non habeat, qui dignoscere possit invaliditatem licentiæ concessæ. Quòd si licentia concessa à Pontifice absq; causa legitima esset transeundi ad Religionem æqualem, quamvis illicita foret, & graviter peccaret Pontifex sic eam concedendo, utpote derogantem juri alieno quæsito ; nihilominus ut validam sustinent aliqui. Sed veriùs puto ob rationem superiùs allatam, quòd etiam invalida esset : cum non possit votum in æquale commutari absq; causa, nec Deus censetur juri sibi quæsito per promissionem cedere, nisi cessio vergat in Majorem Dei honorem. Vide quæ diximus de Voto.

An autem spectato Jure Communi, & interveniente legitima causa possit hanc dispensationem facere prælatus Regularis controversa res est. Nihilominus posse dispensare quoad transitum ad æqualem Religionem docet communior sententia : ratio est, quia hæc potestas videtur necessaria ad rectam Religionis gubernationem ; nec est à Jure Communi restricta, cum non habeatur in ipso prohibitio ulla in contrarium. Sic Panormit. *in cap. Non est de Regular. n.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 13. *n.* 103. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 68. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 4. Greg. Lopez *Leg.* 9. *tit.* 1. *part.* 1. Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 9. *§.* 3. *diffic.* 1. *n.* 12. & Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 5. *n.* 3. Quoad vero Transitum ad Religionem laxiorem major difficultas habetur : eo quia habetur cum commutatione quædam relaxatio professionis factæ; quæ quidem nequit competere prælatis Regularibus, nisi speciale privilegium habeant à S. Sede, ut habet præpositus Generalis Societatis Jesu concedendi transitum Professis, qui ejectione digni sunt, ad quamlibet Religionem concessum à Gregorio XIII. incipit, *Cum alias ann.* 1582. Nihilominus sustinent doctissimi Viri, posse etiam hunc transitum concedi à prælato Regulari : ratio est, quia etiam hæc facultas videtur necessaria ad rectam Religionis gubernationem, nec restricta à Jure communi : Et quamvis Prælato Regulari non competat potestas dispensandi in Voto perfectioris Religionis ex jurisdictione per professionem acquisita ; competit tamen ex jurisdictione à Pontifice concessa occasione professionis, ob quam dispensare poterit. Sic Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 68. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 13. *n.* 103. Navar. *Titul. de Regular. lib.* 3. *Consil.* 56. *n.* 3. Sayr. *decis.* 55. *de Regular.* Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 1. Sanctar. *de Apostas. cap.* 8. *n.* 27. Miranda *quæst.* 31. *art.* 6. Barb. *in cap. Licet. de Regular. n.* 13. & Castrop. *de Stat. relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 5. *n.* 5. Nec obstat Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. *de regular.* prohibens transitum ad laxiorem Religionem vigore cujuscumque facultatis. Loquitur enim de facultatibus prætextu Privilegiorum, quibus Regulares abutebantur transeuntes ad laxiorem Religionem absque legitima causa, ac sine cognitione illius ; non verò de facultatibus à Jure concessis cum causa, quibus nulla derogatio facta est à Tridentino, ut rectè ponderant Doctores superiùs citati.

Prælati Regulares, qui hanc licentiam concedere possunt ; sunt Generalis, & Provincialis respectu Religiosorum exemptorum ; respectu verò non exemptorum est Episcopus : sic communiter Doctores ; quamvis dubitent de prælato immediato, & locali : ratio dubitandi est, quia Religiosus per professionem non traditur illi speciali Conventui, sed toti Provinciæ, adeoq; Superior Conventualis non poterit hanc facultatem tradere. Sed dicendum puto, ex vi Juris communis etiam Prælato immediato Conventus competere : ratio est, quia est verè Prælatus, & potestatem habet bona Conventus, & personas sibi subditas administrandi, æquè ac Provincialis, & Generalis ; ergo ob jurisdictionem poterit vota commutare, & ob administrationem sibi à Religione concessam subditum alienare ex justa causa instar Provincialis, & Generalis. Nec obstat ratio dubitandi, quæ si valeret, probaret, hanc potestatem tantùm esse in Generali, non verò Provinciali : siquidem Religiosus per professionem traditur toti Religioni, non verò determinatæ Provinciæ, aut singulari Conventui. Restat igitur, quòd spectato Jure Communi, & secluſis specialibus Privilegiis, & prohibitionibus, ac reservationibus à Religione factis ; possit hæc etiam potestas competere non solùm Generalibus, & Provincialibus, sed etiam Superioribus Conventualibus, & immediatis. Sic Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 5. & Castrop. *de Stat. relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 5. *n.* 7. *&* 8. Consensus Conventus ad hunc transitum faciendum quamvis non requiratur ab aliquibus Doctoribus, sed solùm ad majorem cautelam postulandus, eo quia ex nullo Textu requiritur. Veriùs tamen est, de necesse requiri : ratio est, quia dimittere Religiosum, & cedere illius debitæ Obedientiæ est grave negotium spectans ad bonum commune Religionis, ejusque conservationem ; ergo definiri nequibit sine consensu conventus, vel capitulariter congregati, vel juxta Ritum aliàs servatum à Religione : & sicuti sine consensu Conventus admitti nequit quis ad Religionem, ita neque ab illa dimitti. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 3. *n.* 107. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 66. Ang. *verb. Religiosus n.* 34. Sanctar. *de Apostasia cap.* 8. *n.* 22. Bonac. *de Claus. quæst.* 2. *pun.* 9. *§.* 3. *diffic.* 1. *n.* 12. & Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 5. *n.* 9. *&* 10.

Causa legitima ad hunc transitum concedendum dignoscenda erit ut talis judicio prudentum Virorum, cum non possit certa regula describi : quamvis major requiri debeat ad transitum in laxiorem religionem, quàm in æqualem ; ibi enim est admixta relaxatio, & hìc pura commutatio habetur. Afferri nihilominus aliquæ solent, quas breviter exponam. 1. est, si speretur in laxiori major profectus spiritualis : eo quia transiens est aptus ad sustinenda onera Religionis laxioris, non tamen strictioris ; cum sæpe sæpius indigeat dispensatione molesta sibi, aliisque odiosa. Sic Abbas, Azor. Sanch. Suar. quos refert, & sequitur Castrop. *de Stat. relig. disp.* 4. *pun.* 26. *§.* 5. *n.* 6. 2. est persecutiones perpeti ab aliis Religiosis, quibus ipse causam non dederit ; vel si dederit ob aliquod delictum commissum, jam pœnitet, & emendationem procurat ; & nihilominus nec persecutiones desistunt, nec odium injustum cessat, & magna habetur occasio frangendi Charitatem. Vel si ita infamatus sit penes Religiosos, ut continuo pudore suffusus & magnam tristitiam patiur, & magnum habet impedimentum sui profectus spiritualis. Sic Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 72. Castrop. *l. c.* & Bonac. alios

alios referens *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9. §. 3. *diffic.* 1. *n.* 13. 3. eſt, ſi gravem difficultatem ſentiat ſive ex prava conſuetudine, & habitu, ſive ex innata conditione in exequendis Regulis ſtrictioris Religionis, præcipuè ſi initio ſuæ profeſſionis talem difficultatem exactè non agnoverit, qua ſtante Regulæ rarò, ut decet, obſervantur. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 22. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 72. & Caſtrop. *l. c.* 4. eſt, ſi parentes graviter indigeant, nec in Religione ſtrictiori datur modus ſubveniendi illis, ut habetur in laxiori: cum enim neceſſitas Parentum ſit veluti propria, inde eſt, quòd detineat Religioſum ſollicitum, & anxium, ac impeditum in ſuo profectu ſpirituali. Sic Suar. *l. c. n.* 24. Sanch. *l. c. in fine*, Caſtrop. *l. c.* & Bonac. *de Clauſ. quæſt.* 2. *pun.* 9 §. 3. *diffic.* 1. *n.* 13. Aliæ cauſæ videri poſſunt penes Doctores.

8 Quæres 4. an Tranſitus in eadem Religione ex uno Gradu ad alium, nempe è Statu Laicali ad Statum Clericalem, vel vice verſa, fieri poſſit; & ex qua cauſa; & à quo Prælato? Reſp. fieri poſſe hunc tranſitum cum nulla extet de eo prohibitio in Jure Communi, niſi ſit ex Conſtitutionibus Religionis: non enim mutatur Religio, & eadem ſunt Vota, licèt mutetur miniſterium. Sic Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 6. *quæſt.* 7. Sotus *lib.* 10. *de Juſt. quæſt.* 3. *art.* 3. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 80. & Caſtrop. *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 26. §. 5. *n.* 11. Cauſa ad hunc tranſitum faciendum, ſi ſit è ſtatu laicali ad Clericalem, nulla requiritur ſuppoſita aptitudine ſubjecti tranſeuntis: eſt enim aſcenſus ex inferiori ad Superiorem Gradum, & ex imperfectiori ad perfectiorem. Requiritur tamen in tranſitu è ſuperiori, & perfectiori Gradu ad inferiorem, & imperfectiorem: quia eſt deſcenſus, & veluti tranſitus è perfectiori Religione ad imperfectiorem, & laxiorem Religionem. Sufficiens tamen cauſa erit ad cum concedendum inhabilitas, & incapacitas ad addiſcenda, & exercenda miniſteria ſuperiora; & aptitudo ad inferiora. Inſuper ſingularis affectus, & ardens amor ſanctæ humilitatis, & propriæ vilitatis in exercendo Miniſteria infima Religionis, ex quibus deduci poteſt major profectus in ſpiritu, qui fortè non deductus fuiſſet ex ſuperioribus Miniſteriis. Hic tamen tranſitus fieri non poterit invito tranſeunte, niſi ei imponatur in pœnam delicti. Sic Sanch. *l. c. n.* 81. & Caſtrop. *l. c.* Superior, qui iſtum tranſitum concedere poteſt, non ſolùm poteſt eſſe Generalis, & Provincialis, ſed etiam Superior localis, cum integrè, & plenè habeat adminiſtrationem bonorum, & perſonarum ſui Conventus ſibi commiſſam. Cæterùm ſtandum eſt Statutis cujuſcumque Religionis. In Societate Jeſu eſt Generali reſervatus, adeoque à Superioribus ipſo inferioribus concedi nequit eo inconſulto. Nec Regula 67. Provincialis concedens ei intra biennium Novitiatus applicare Novitium, quem ut indifferentem recepit, Gradui ſcholaſticorum, vel Coadjutorum Temporalium; dat facultatem mutandi Gradum jam ſuſceptum, ſed determinandi unum ex duobus, ad quos eſt indifferens.

9 Quæres 5. an ſpectatis privilegiis ſpecialibus Religionum poſſit eſſe prohibitus tranſitus ſive ad perfectiorem, ſive æqualem, ſive laxiorem religionem; & quomodo? Reſp. quæ hucuſque dicta fuere de Tranſitu ad aliam Religionem, procedunt de Jure Communi; cæterùm habent Religiones ſua ſpecialia Privilegia à Pontificibus conceſſa, quæ omnino inſpicienda ſunt in hoc tranſitu faciendo. Sed quia longum eſſet, & difficile ſingula recenſere, ideo ea ſolùm attingam, quæ ad Societatem Jeſu ſpectant. Conceditur igitur à Paulo III. *in ſua Bulla*, incipit, *Licet debitum ann.* 1549. & à S. Pio V. *in ſua Bulla*, incipit, *Æquum reputamus. ann.* 1565. Privilegium: Ut nullus poſt emiſſa Vota ſecundum Societatis Jeſu Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive ſcholaris, ſive Coadjutor poſſit tranſire ad alium Ordinem, præter Carthuſienſium, ſine expreſſa licentia Præpoſiti Generalis, vel Sedis Apoſtolicæ ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda reſervata Pontifici, aut Societatis Præpoſito Generali. Quæ quidem lata eſt non ſolùm contra tranſeuntes, ſed etiam contra eos recipientes; & tranſitus declaratur nullus. Tempus præſcribendum volentibus tranſire ad Carthuſiam eſt trium menſium; ad alios verò Ordines relinquitur præſcribendum arbitrio Generalis. Si verò intra tempus præſcriptum volens tranſire non tranſit, vel non admittitur, aut non perſeverat; tenetur redire ad Societatem ſub eadem pœna excommunicationis, quam incurrit ipſe, eum recipientes, & auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes. Addidit Greg. XIII. *in ſua Bulla*, incipit, *Dilecte fili. ann.* 1584. Ut prædicti Religioſi Societatis Jeſu volentes tranſire ad Carthuſiam ſemel tantùm poſſint tentare ingreſſum Carthuſiæ abſque conſenſu Præpoſiti Generalis; & interdicit aliis Religionibus communicationem cum hoc privilegio. Denique idem Greg. XIII. *in ſua Bulla*, incipit, *Cum aliàs felicis recordationis. ann.* 1582. ſtatuit: Ut deinceps in perpetuum liceat Generali præpoſito Societatis Jeſu, quos judicaverit ab ipſa Societate emittere eoſque de ipſius prælati licentia non tantùm ad Carthuſienſium, ſed ad quemvis alium mendicantium, vel non mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris obſervantiæ Ordinem per ipſum Præpoſitum illis præſcribendum, de conſenſu tamen ſuperiorum loci illius, quo deſtinabuntur; demigrare. Prohibet hoc privilegium communicari aliis Religionibus.

Notandum 1. Pontifices ſupracitatos non prohibere abſolutè Religioſis Societatis Jeſu tranſitum ad alias Religiones, ſed ne fiat abſque Præpoſiti Generalis licentia: ut tranſitus fiat debita maturitate, conſideratione, ac conſilio. Sicuti non prohibent tranſitum abſolutè ad Carthuſiam, ſed multiplicem; permittendo tantùm unum abſque licentia Præpoſiti Generalis, non verò reliquos: & adducunt rationes, & motiva, ob quæ prudenter moti ſunt ad hæc ſtatuenda juxta plenitudinem poteſtatis. Vide Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 12. *à num.* 5.

Notandum 2. quòd licèt concedatur tempus trium menſium ad tranſeundum ad Carthuſiam; vel aliud tempus deſignatum arbitrio præpoſiti Generalis ad tranſeundum ad aliam Religionem, ultra quod tempus tranſitus differri nequit. Nihilominus ſi intra hoc tempus præfixum mutet Religioſus tranſire volens propoſitum ſuum, aut certò agnoſcat, à Religione, ad quam tranſire vult, non eſſe admittendum; tenetur ad Societatem redire ſub gravi culpa: ratio eſt, quia conceditur eſſe pro eo tempore extra Religionem ob ſpem negotiationis utilis, & fructuoſæ; ergo ſi ceſſat talis ſpes, ceſſat etiam licentia, & nulla habetur cauſa, ut religioſus vivat extra Clauſtra, & Religionem. Sic Suar. *l. c. n.* 27. & Caſtrop. *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 29. §. 6. *n.* 4.

Notandum 3. facta profeſſione jam ſive in Carthuſia, ſive in alia Religione non teneri Societatem recipere redeuntem, nec recipere poſſe: eo quia jam extincta eſt profeſſio facta in Societate, ex vi cujus tenebatur Societas. Quòd ſi ante profeſſionem reditus fiat, tenetur admittere: eo quia eſt verus Religioſus Societatis. Sic Suar. *l. c. n.* 30. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 204. & Caſtrop. *l. c. n.* 5. Idem dicendum, ſi profeſſio facta in ſecunda Religione nulla ſit, ſive ex defectu veræ licentiæ requiſitæ, ſive ex alio capite, quęcumque fuerit Religio ſive ſtrictior, ſive laxior; tenetur ſtatim ad Societatem redire, cujus eſt verus Religioſus; & ſecunda Religio tenetur dimittere, utpote alienum profeſſum *juxta cap. final. de Regular.* puniendum tamen pro qualitate culpæ: ut adnotant Sanchez *l. c. num.* 105. & Caſtropalaus *l. c.*

Notandum 4. Religionem admittentem religioſum Societatis, qui ad eam tranſit; non poſſe admittere, ſi eo animo admittat, ut perpetuò vivat extra Clauſtra abſque gravi cauſa: ratio eſt, quia hic modus recipiendi prohibitus eſt à Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 11. *de Reform.* ubi ait: Nemo cujuſcumque Ordinis prælatus, vel Superior vigore cujuſcumque facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi ut in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris Obedientia in Clauſtro perpetuò maneat. Quamvis non ſit contra Concilium ex gravi cauſa permittere aliquo longo tempore extra Clauſtrum commorari, ſi ſolitus ſit talis Ordo facultatem iſtam concedere ex gravi cauſa ſuis ſubditis: ut docent Navar. *Comm.* 4. *Regul. n.* 11. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 7. *n.* 82. Rodriq. *tom.* 3. *Quæſt. Regul. quæſt.* 53. *art.* 4. & Caſtrop. *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 26. §. 6. *n.* 6.

Notandum 5. poſſe Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu non ſolùm profeſſis, qui expulſione digni ſunt; ſed etiam profeſſis, & Scholaribus, qui culpas dimiſſione dignas non commiſerunt; concedere facultatem tranſeundi ad quamlibet Religionem etiam laxiorem; dummodo judicaverit, ſic expedire puritati, & incremento Societatis, ac emiſſorum profectui ſpirituali: Sic conſtat ex Privilegio præpoſito Generali Societa-

tis

tis Jesu concesso à Gregorio XIII. *in sua Bulla*, incipit, *Cum alias felicis recordationis*, quod quidem Privilegium cum speciale sit, & aliis Religionibus incommunicabile non censendum est tantùm extendi ad Professos expulsione dignos, quod esset commune cæteris; sed etiam Professis, & Scholaribus non committentibus culpas dignas expulsione, sed transitum petentibus ob honestos fines; quod Privilegium speciale est. Sic Sanchez *lib.6. summ. cap. 7. nu.68. & 71.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp.4. punct.26. §. 6. nu.8.*

Notandum 6. hoc privilegium concedendi facultatem transeundi ad aliam Religionem soli Præposito Generali Societatis concessum esse; adeoque eo vivente, & inconsulto, nec Provincialis, nec Commissarius Generalis, nec Vicarius Generalis, nec Congregatio ipsa Generalis tali privilegio uti poterit: non enim Societati conceditur, sed Præposito Generali illius, adeoque eo demortuo nequibit Congregatio Generalis, vel Vicarius Generalis hoc privilegio uti, sed expectandum donec eligatur Præpositus Generalis, quod ut tutius docet Suarez *tom.4. de Relig. tract. 10. lib. 11. cap. 2. in fine.*

10 Quæres 6. quænam pœnæ, & prohibitiones factæ sint Religiosis ad aliam Religionem transeuntibus? Resp. non solùm impositas esse pœnas nonnullis Religiosis ad alias Religiones transeuntibus transitu non permisso, multæ enim excommunicationes latæ sunt contra tales Religiosos sic transeuntes, & contra eos admittentes, de quibus in Tractatu de excommunicatione, ubi multas ex eis recensebimus, & unaquæque Religio suas habet, & scit; sed etiam impositas esse pœnas aliquas, ac prohibitiones Religiosis ad alias Religiones transeuntibus transitu legitimo, quas hic explicabimus. Et 1. omnes Religiosi, quicumque sint, etiam Canonici Regulares, translati ex una Religione ad aliam, etiam arctiorem; redduntur incapaces quorumcumque beneficiorum sæcularium, etiam Curatorum. Sic expresse Tridentinum *sess. 14. cap. 11. in fin. de Reform.* Et adnotandum; quòd licèt Regulares sint incapaces beneficiorum sæcularium, nihilominus Regulares translati sunt incapaces ex duplici capite, adeoque duplici dispensatione indigentes, & quà Regulares, & quà Translati.

Secundò Regulares translati ex Ordine Mendicantium ad non mendicantes, etiamsi cum facultate Pontificis translatio facta sit; plures incurrunt pœnas statutas *in Clement. I. Ut professores de Regular.* 1. quarum est privatio Vocis in Capitulo, Vocis, inquam, tum activæ, tum passivæ: cum generaliter, & sine ulla limitatione Textus loquatur: ut advertunt Navarrus *Commen.4. de Regular. nu.24.* Lessius *lib.2. de Iust. cap.41. dubit. 13. nu. 105.* Sanchez *lib. 6. summ. cap.7. nu.120.* Bonacina *de Clausur. quæst.2. punct.9. §. 5. diffic. 1. nu. 2.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 27. nu. 5. 2.* est privatio loci in Capitulo quoad honores, scilicet quoad electiones, & tractatus; non verò quoad correctionem, & disciplinam religiosam, & similia onera tum in bonum Religionis, tum Religiosorum. In aliis verò Congregationibus, & in Choro locum habere possunt, cum tantùm Textus loquatur de loco honorifico in Capitulo. Sic Glossa, Bonifacius, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. nu.3.* Sanchez *l. cit. nu. 123.* & Castropalaus *l.c. 3.* est Inhabilitas ad Prælaturas, Administrationes, & officia quæcumque; etiam tamquam Vicarios, Ministros, & curam aliorum gerentes. Nec curam animarum pro se, vel pro aliis exercere possunt. Denique prædicta inhabilitas extenditur non solùm ad Prælaturas, Administrationes, & Officia quæcumque intra Religionem, sed extra: eo quia Textus generaliter loquitur, & sine ulla limitatione. Sic Ancharranus, Cardinalis, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus. quæst.2. punct.9. §. 5. diffic. 1. nu. 3. in fine.* 4. non est pœna in Jure statuta, sed quid necessariò consequens ad ipsam translationem, quod videlicet amittat translatus locum honorificum, quem ob suam antiquitatem obtinebat in priori Religione, & alias prærogativas: ratio est, quia cum extincta sit prior professio, quam prærogativę illæ comitabantur; inde est, quòd juxta antiquitatem secundæ professionis debeantur. Quòd si Religiosus translatus sit, ut esset Prælatus in Religione illa, non verò subditus, & filius; tunc finita Prælatura, vel eà renuntiata sedere debebit juxta Prælatum in memoriam Prælaturæ exercitæ, nisi alii essent digniores, aut antiquiores in Prælatura. Sic Navarrus, Rodriquez, Sanchez, Barbosa, quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 9. §. 4. diffic. 1. nu. 2.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 27. nu. 5.* Notandum 1. finem hujus prohibitionis factæ *in Clemen. cit.* esse, ut Professores Ordinum Mendicantium libentiùs perseverarent in ea vocatione, qua vocati fuere; & si transirent ad non Mendicantes, quietiùs viverent, ac discordiarum, & schismatum occasio auferretur ambitione repressa.

Notandum 2. factam esse prohibitionem istam Mendicantibus, qui verè Mendicantes sunt. Verè autem Mendicantes sunt Religiosi illi, qui ex vi suæ professionis, Regularum, & Constitutionum à Sancta Sede confirmatarum nequeunt redditus, vel possessiones ad congruam sustentationem in communi habere: ut statuitur *in Cap. unic. §. confirmatur de Relig. domib. in 6.* Nec loquitur Textus de Religiosis tunc existentibus, sed etiam futuris, & de novo instituendis: cum Lex generalis, & perpetua sit, complectens natos, & in futurum nascituros. Quapropter non solùm verè Mendicantes sunt Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitæ, de quibus citatus Textus mentionem facit; sed etiam Trinitarii, Mercenarii, Minimi, qui etiam suas approbationes habent verè Mendicantium à Sancta Sede. Insuper Religiosi Societatis Jesu, non solùm Professi, & Coadjutores formati, sed etiam scholares dominium bonorum habentes: ut expressè declararunt S. Pius V. *in Bulla*, incipit, *dum in defessæ anno* 1571. & Gregorius XIII. *in Bulla*, incipit, *Quanto fructuosius anno* 1582. *& in alia Bulla*, incipit, *Ascendente Domino ann.* 1584.

Notandum 3. Mendicantem transeuntem ad alium Ordinem Mendicantem; vel non mendicantem transeuntem ad alium Ordinem Mendicantem non affici his pœnis: ratio est, quia impositæ tantùm sunt *in Clemen. cit.* Mendicantibus transeuntibus ad non Mendicantes. Idem dicendum putat Bonacina *de Claus. quæst.2. punct. 9. §. 5. diffic. 1. nu. 5. in fin.* referens Bonifacium de Episcopo assumpto ex Ordine Mendicantium, qui ex licentia Pontificis translatus est, renuntiato Episcopatu, ad Ordinem non Mendicantium: eo quia Clementina loquitur de Mendicantibus Professis regulari observantia Mendicitatis obstrictis, non verò de Episcopis regulari observantia Mendicitatis jam exemptis. Sed probabilius puto affici his pœnis, semel ac transit ad non mendicantes: ratio est, quia ob assumptionem ad Episcopatum non amisit statum Religiosi Mendicantis; ergo si ad alium regularem statum non mendicantem transit, afficitur pœnis in prædicta Clementina statutis. Sic Cardinalis *in dict. Clement. nu.17.* Sanchez *lib.6. summ. cap. 7. nu, 119.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 27. num. 4.*

Notandum 4. non affici his pœnis Mendicantes, qui professionem suam invalidè emiserunt inter mendicantes, & postea ex facultate Pontificis transeunt ad non Mendicantes: ratio est, quia Textus loquitur de Religiosis professis, non verò de invalidè professis. Nec prædictis pœnis affici professos Mendicantes transeuntes ad Carthusiam: eo quia licèt Carthusia non sit Ordo Mendicans; attamen Jure Communi permissus est talis transitus, non verò ex speciali Indulto Apostolico. Sic Sanchez *l. c. num.* 110. & Bonacina *l. c. nu.* 5.

Notandum denique: Officia, quibus privantur Mendicantes transeuntes ad non mendicantes: esse ea, quæ communiter ut talia censentur in Religione; & quæ frequenter exercentur ab illis Religiosis. Sic est, esse Prædicatorem, Lectorem ex Officio, non verò pro interim, esse Oeconomum, Ostiarium, Sacristam, Syndicum, & similia. Extra verò Religionem illis Officiis privati sunt, quæ exerceri solent à Religiosis non Mendicantibus, ne occasio discordiæ oriatur, quam Clementina vitare intendit. Secus verò esset de illis Officiis extra Religionem, quæ non solent exerceri à prædictis non Mendicantibus: ut esse Vicarium Episcopi, aut quid simile, cum regulariter non exerceatur per Religiosos non mendicantes. Illud est certum, non privari promotione ad lauream Doctoratus, cum non sit Officium, nec Administratio. Sic Cardinalis, Glossa, Lessius, Sanch. quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus. quæst. 2. pun. 9. §. 5. diffic. 1. nu. 4.* Navarrus *Comm. 4. de Regul. nu. 24.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 27. nu. 8. & 9.*

CAPUT X.

De Religiosis fugitivis, Apostatis, & ejectis; nec non de eorum obligationibus, & pœnis; ac de obligationibus Religionis erga ipsos.

1 *Dupliciter Religiosus è sua Religione, & Clausura fugere potest.*
2 *Ad fugam, vel Apostasiam à Religione requiritur, ut Religio sit approbata.*
3 *An dicendus Apostata Religiosus indebitè transiens è sua Religione ad aliam, in qua invalidè profitetur;*
4 *An religiosi perpetuò carceri damnati, vel ad triremes, si fugiant; dicendi sint Fugitivi?*
5 *An censendus sit fugitivus Religiosus confugiens ad Prælatum Superiorem, si absque facultate immediati superioris confugiat?*
6 *Grave peccatum est à Monasterio fugere, sive animo redeundi, sive non.*
7 *An censendus sit fugitivus, vel Apostata Religiosus discedens à Religione animo recedendi ad tempus, vel in perpetuum; & postea mutata voluntate statim rediit?*
8 *In Jure nullæ pœnæ impositæ sunt Religiosis fugitivis tantum, sed puniendi juxta pœnas à sua Religione statutas.*
9 *Apostatis Religiosis nullæ pœnæ impositæ sunt ipso jure, sed imponendæ arbitrio Superioris. In Societate Jesu ipso facto excommunicantur.*
10 *Quid possint Prælati Regulares contra suos Religiosos fugitivos, vel Apostatas?*
11 *Quam obligationem habeant Prælati Religionum revocandi ejectos, fugitivos, & Apostatas?*
12 *Quas expensas teneatur solvere Religio pro revocatione ejectorum, Fugitivorum, & Apostatarum?*
13 *Apostata, vel fugitivus non dimittens habitum suæ Religionis fruitur privilegiis illius?*
14 *Religiosus Apostata nequit Sacros Ordines in Apostasia recipere; & si recipit, manet suspensus ab illis?*
15 *Cooperantes ad fugam, vel Apostasiam Religiosorum incidunt in Excommunicationem à Paulo IV. latam.*
16 *Quisnam dicatur ejectus, & expulsus à Religione?*
17 *Quanam sit justa, & legitima causa ejiciendi professum è Religione?*
18 *An emittens professionem non manifestato impedimento aliquo, quod si manifestasset, non fuisset admissus; det legitimam causam expulsionis?*
19 *An Religiosi Societatis Jesu ad sæculum emitti possint?*
20 *An Religiosus ejectus teneatur suos mores corrigere, ob quos ejectus fuit, & reditum ad Religionem procurare?*
21 *An religiosus ejectus, si emendatus non recipiatur à sua; possit ad aliam Religionem transire, vel cogi ad talem transitum?*
22 *An religiosus ejectus cui à Religione reditus denegatur; teneatur ad observantiam Regularum?*
23 *An Religiosus ejectus promoveri possit ad Ordines? Et an suspensus remaneat à susceptis?*
24 *Ad quem spectant bona Religiosi ejecti, quando moritur?*

1 RELIGIOSUS à sua religione, & Clausura fugere potest ex duplici animo, & 1. animo vagandi pro aliquo tempore, & postea redeundi ad Religionem, & Clausuram. 2 animo deserendi Religionem, & numquam redeundi. Si primo modo religiosus fugiat, dicitur Fugitivus; si secundo modo dicitur Apostata, sive de cætero fuga fiat cum habitus, sive sine habitu. Dignoscitur ergo mera fuga ab Apostasia ab animo recedendi, sed redeundi ad Religionem: nam Apostasia importat animum recedendi, & non redeundi ad Religionem; sive de cætero tempus recessus sit longum, sive breve; sive fiat recessus cum habitu, sive sine illo. Sic Cajetanus, Bannez, Aragon. Valent. Lessius, Azor. Rodriq. Sanch. quos referunt, & sequuntur Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 16. *n.* 2. & Bonac. *de Clauſ. qu.* 2. *punct.* 11. *§.* 1. *num.* 5.

2 De necesse requiritur ad Fugam, & Apostasiam, de quibus agimus; ut recessus fiat à Religione approbata à Santa Sede; & quòd recedens sit professus, vel ligatus Votis verum Religiosum constituentibus. Hinc sequitur 1. Novitium fugientem à Religione non esse fugitivum, aut Apostatam, etiamsi fortasse Vota simplicia, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emiserit: ratio est, quia nondum est ligatus Votis verum Religiosum constituentibus; adeoque nequit dici Religiosus fugitivus, aut Apostata. Sequitur 2. fugientes à statu Religioso, nondum approbato ut tali à Sancta Sede, etiam si in illo emitterent Vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, non dici fugitivos, & Apostatas cum nondum eorum Congregatio approbata sit à Pontifice, ut Religio; esto peccent graviter contra Obedientiam promissam. Sequitur 3. Religiosos Societatis Jesu, qui post biennium Novitiatus sua Vota emiserunt, si ex Societate recedant; esse veros fugitivos, aut apostatas *juxta Constitutionem* Gregorii XIII. incipit, *Ascendente Domino*. in qua per vota illa emissa declarantur veri Religiosi.

3 Sed dubitabis 1. an sit dicendus Apostata, qui ex sua Religione transit ad aliam indebitè, in qua invalidè profitetur? Resp. quamvis communis sententia probabiliter doceat, non censendum esse Apostatam: eo quia non habet animum recedendi à statu Religioso, sed tantùm commutandi illum; adeoque fugitivus dicendus potiùs erit, dum sine debita facultate transit ad aliud Monasterium, propriæ Religioni non subjectum, quàm Apostata: & ita docent Sà, Majolus, Sayr. Sanch. Lessius, Azor. quos refert, & sequitur Bonac. *de Clauſ. quæſt.* 2. *punct.* 11. *§.* 1. *n.* 4. Sylvest. Cajetan. Bann. Valent. Rodriq. penes Castrop. *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 16. *n.* 6. Nihilominus pace tantorum Virorum probabiliorem reputo sententiam oppositam docentem, esse Apostatam: ratio est, quia si est fugitivus, ut concedunt adversarii, erit Apostata: quia ex animo non redeundi ad veram suam Religionem recedit; aliàs nec fugitivus, nec Apostata erit. Insuper recedit à statu, qui verè eum Religiosum constituit animo non redeundi ad illum; & accedit ad statum, in quo scit Religiosum non constitui; ergo erit verus Apostata. Denique commutat statum veræ Religionis cum statu apparente alterius; ergo verè habet animum commutandi statum religiosum cum statu non religioso; ergo est Apostata, cui favere nequit habitus alterius Religionis iniquè, & invalidè assumptus. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 12. *à nu.* 17. & Castropalaus *loc. cit. nu.* 7.

4 Dubitabis 2. an religiosi perpetuo carceri damnati, vel ad triremes dicendi sint fugitivi si aufugiant? Resp. si carcer sit intra Claustra, & Religiosus aufugiat: dicendus erit fugitivus: ratio est, quia sine debita facultate è Monasterio recedit: nec sententia probabilis docens, licitum esse sæculari è carcere fugere, favere potest Religioso, qui potestate exeundi, & vagandi sine debita facultate se privavit per professionem emissam. Sic Bannez, Aragon. Rodriq. Sanchez, quos refert, & sequitur Bonac. *de Clauſ. quæſt.* 2. *punct.* 11. *§.* 1. *nu.* 7. Limitatur 1. hæc responsio, dummodo sententia injusta non fuerit, & moraliter constet de injustitia; aut si justa fuerit, modus eam exequendi sit injustus. Sic ex Navarro, Sayro, Sanch. & aliis docet citatus Bonac. Limitatur 2. dummodo non inferenda sit ei mors, aut mutilatio, cum magnum jus tribuat natura ad propriam vitam tuendam. Sic ex Aragonio, Lessio, Rodriq. Sanctarello, & aliis tradit Bonac. citatus. Limitatur 3. dummodo non fugiat ad vagandum, sed ad recurrendum, & impetrandam veniam à Prælato Religionis, vel à Pontifice. Sic ex Bannez citatus Bonac. Si verò Carcer sit extra Claustra, vel quia ejectus crimen commisit, ob quod damnatus fuerit ad carceres extra Claustra; vel quia extra Claustra deliquit, & carceribus extra Claustra recluſus; tunc cum è potestate Religionis non fugiat, censendus non erit fugitivus. Idem dicendum de Religioso damnato ad triremes à Religione, sive in perpetuum, sive ad tempus. Si enim, in perpetuum damnatus fuit, cum censeatur ut ejectus à Religione, fugitivus non erit, si non animo vagandi, sed ut ab illis ærumnis se liberet: est enim magna pœna, & continuæ morti comparatur *ex Leg. penult. ff. de Regul. Iur.* Sic ex Bannez docet Bonac. *de Clauſ. qu.* 2. *punct.* 11. *§.* 1. *nu.* 8.

5 Dubitabis 3. an Religiosus ad Superiorem Prælatum confugiens absque facultate immediati Superioris ut se eximat ab injusta vexatione, quam patitur; censendus sit fugitivus? Resp. si certo constet de injustitia vexationis, nec alius suppetat modus liberandi se ab illa, nisi recurrendo ad superiorem Prælatum; non censendum esse fugitivum: ratio est, quia cuilibet competit jure naturæ se defendere ab injusta vexatione. Secus verò si non constet de injustitia vexationis, sed dubia sit; tunc ut fugitivus censendus erit, si absque licentia confugiat, vel à Superiore Prælato vocatus non fuerit. Sic accipitur prohibitio facta Regularibus à Tridentino *sess.* 25. *capitul.* 4. *de Regul.* ubi prohibetur Religiosis egredi è suis Monasteriis absque licentia Superioris, etiamsi egrediantur; ut ad Superiores accedant, nisi ab ipsis vocati fuerint: &

sic

sic docent Rodriquez, Azor. Sayr. Sanch. Sà quos refert, & sequitur Bonac. *de Claus. qu. 2. punct. 11. §. 1. n. 9.*

6 Fugere à Monasterio, quocumque animo fiat sive redeundi, sive in perpetuum deserendi Religionem; grave esse peccatum, indubitatum est penes Doctores: eo quia per talem fugam se subtrahit Religiosus à potestate Prælati, cui se tradidit per obedientiam in professione Religiosa emissam: facit enim tunc contra Justitiam lædendo Jus Prælati; tum contra Religionem transgrediendo votum emissum; tum denique contra præceptum à Tridentino latum, quo prohibet talem recessum Religiosis; ait enim *sess. 25. cap. 4. de Regularib. Nec liceat Regularibus à suis conventibus recedere.* Ultra scandalum, quod semper talem fugam comitari solet.

7 Petes tamen: an fugitivus, vel Apostata censendus sit Religiosus ille, qui discessit animo recedendi ad tempus, vel in perpetuum; sed mutata opinione, & pœnitentia ductus statim rediit? Resp. quamvis in foro conscientiæ sit verus fugitivus, vel apostata secundum animum, quo movebatur ad fugiendum, & grave peccatum commiserit; nihilominus in foro externo non erit præsumendus ut talis: ratio est, quia recedens à loco aliquo, & statim rediens non censetur recessisse. Sic fugiens è carcere, & statim rediens non afficitur pœnis contra fugientes è carcere impositis; & defraudans gabellas, sed statim solvens non subjicitur pœnis defraudantium illas: ita à pari in casu nostro. Et sic *ex cap. divortium de Pœnit. dist. 2. & ex Leg. 1. §. qui præsens. ff. de Verbor. Obligat.* docent Mascardus *de Probat. part. 2. concl. 834. nu. 26.* Sanctarellus referens Baldum, & alios *de Apostas. cap. 3. dubit. 1. nu. 1.* & Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 11. §. 1. nu. 1.*

8 Pœnæ impositæ Religiosis fugitivis tantùm, & quà talibus nullæ reperiuntur in Jure; & si aliqua Jura videntur eas imponere, non loquuntur de fugitivis, quà talibus; sed vel quà Apostatis, aut in alio contumacibus: ut rectè expendunt Navarrus *Comm. 2. de Regul. n. 61.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. n. 10.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 16. nu. 8.* Nec si in Juribus, aut aliis Pontificiis Constitutionibus reperiuntur verba illa generalia recedere, dimittere, deficere à Religione, per ea verba comprehenduntur religiosi fugitivi non Apostatæ: eo quia non simpliciter recedunt à Religione, aut eam dimittunt, vel ab ea deficiunt; sed incompletè, & secundum quid; adeoque pœnis latis contra Apostatas subjici nequeunt per hanc temporalem fugam. Hinc sequitur Religiosum Societatis fugientem ad tempus animo redeundi ad Religionem non affici excommunicatione, & aliis pœnis latis *in Bullis* Pauli III. S. Pii V. & Greg. XIII. quarum mentionem facit Compendium Privilegiorum Societatis Jesu *verb. Apostata*: eo quia fugitivos apostatas afficiunt, non verò eos, qui animo revertendi fugiunt. Sic Sanchez *lib. 6. sum. cap. 8. nu. 11.* Bonac. *de claus. quæst. 2. punct. 11. §. 1. nu. 6. in fin.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 16. nu. 9.* quamvis oppositum sustineat Suarez *l. c. nu. 16.* Restat igitur, quòd merè fugitivi puniendi sint juxta speciales Sanctiones, & Consuetudines uniuscujusque Religionis, & Privilegia, quæ habet. In Societate Jesu ipso facto excommunicationem incurrunt, ut statuit Congregatio Generalis IX. *decret. 27. in manuscriptis.*

9 Apostatis Religiosis in Jure Communi non reperiuntur pœnæ, & Censuræ ipso Jure latæ; nec Tridentinum loquens de Religiosis iniquè à suis Conventibus recedentibus *sess. 21. cap. 4. de Regul.* mentionem ullam facit pœnarum, aut Censurarum in Jure latarum, ut accuratè facere solet; sed arbitrio suorum superiorum puniendos relinquit; ergo signum evidens est, in Jure nullas pœnas, aut Censuras latas esse contra Religiosos Apostatas. Nec Jura, quæ afferri solent in contrarium, loquuntur de Apostatis, quà talibus; sed vel quia vagantur dimisso religioso habitu; vel quia Sacrum Ordinem in Apostasia receperunt; vel ob alia crimina. Sic Navarrus *Comm. 2. de Regul. nu. 61.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. n. 31.* Castrop. *de stat. Relig. disp. 4. punct. 16. à n. 10.* Bonac. *de clausur. quæst. 2. punct. 11. §. 4. n. 1.* referens Sanchez, Lessium, Bannez, Aragonium, & Sanctarellum. Ex Privilegiis tamen specialibus Sacris Religionibus concessis, ultra excommunicationem alias pœnas incurrunt Apostatæ. In Societate Jesu ipso facto excommunicantur, & aliis pœnis subjiciuntur: reservatur excommunicatio Pontifici, aut Præposito Generali ex Privilegio Societati concesso à Greg. XIII. *in sua Bulla*, incipit, *Ascendente Domino*, *§. 2. vers. denique*; cujus Communicationem prohibet aliis Religionibus *§. 29. versic. Præsentis*.

Possunt tamen Prælati Regulares suos religiosos fugitivos, & apostatas capere, incarcerare, aliisque pœnis afficere, ut resipiscant, & abjectum habitum reassumant: quòd si nec blanditiis, nec minis induci possint; sub gravi custodia carceris detineri debent, & ibi asperè, & durè affligi, ut solummodo misera sibi vita reservetur. Sic *ex cap. Anobis de Apostat.* docent Navarrus *Comm. 3. de Regul. n. 50.* Sanch. *lib. 6. sum. cap. 8. n. 33. & 36.* Rodriq. *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 30. art. 6.* Sanctarellus *de Apost. cap. 3. dub. 2. nu. 10.* Castrop. *de stat. Relig. disp. 4. punct. 16. n. 14.* Bonac. *de Claus. quæst. 2. punct. 11. §. 3. n. 1.* Non solùm autem possunt Prælati Regulares suos fugitivos, & apostatas capere in proprio Territorio, sed extra Monasterium, & ubique: ratio est, quia possessor rei alicujus potest eam capere, & vendicare, ubicumque illam inveniat *ex Leg. Si quis §. differentia ff. de acquiren. possess.* & dominus servum fugientem, & inventum etiam extra Provinciam capere *ex leg. 1. Cod. ubi causa stat.* ut tradunt Doctores superiùs citati. Habentur etiam specialia Privilegia Religionibus concessa pro fugitivis, & apostatis capiendis, & puniendis, & multa refert Rodriq. *l. c.* Societati Jesu concessit S. Pius V. *in sua Bulla*, incipit, *Æquum reputamus. ann. 1565.* Ut si quis Societatis Religiosus post emissa vota biennii absque Superioris licentia exiret, & in sæculo, vel etiam alio Regulari loco degere præsumeret; liceret Generali, aliisque Societatis Præpositis, & Superioribus eosdem transgressores, & exeuntes tamquam apostatas, etiam per auxilii sæcularis brachii invocationem summariè, & sine figura judicii ad dictam Societatem revocare, capere, & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ subjicere, auctoritate Apostolica perpetuò statuit, ordinavit, præcepit, atque mandavit. Sic S. Pontifex *in sua Bulla cit.* Adnotat Compendium Privilegiorum Societatis *verb. Apostata §. 5.* Quòd vagantes in aliena Religione à solis Provincialibus, & ex eorum licentia capi, & incarcerari possint; vagantes verò in sæculo à quocumque superiore Societatis.

Prælati Religionum obligationem habent revocandi 11
fugitivos, ejectos, & Apostatas per se loquendo, si subsit spes emendationis; & rarò ab hac obligatione excusantur, quamvis sæpe fugitivi, ejecti, & apostatæ inutiles sint, imò nocivi Religioni, & suis membris: ratio est, quia sic statutum est *in cap. final. de Regul.* Abbates, seu Priores fugitivos suos, & ejectos ex ordine annuatim sollicitè requirere debeant; qui si in Monasteriis suis recipi possint, compellendi sunt Abbates, seu Priores per censuram Ecclesiasticam ad illos recipiendos, salva Ordinis disciplina; quod si fieri non potest, provideant in locis proximis apud eadem Monasteria, si fieri potest absque scandalo, vel in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis ad pœnitentiam ibi peragendam, dando eis necessaria ad vitam. Innovatum fuit hoc idem, ac approbatum decreto Sacræ Congregationis ex peculiari facultate Urbani VIII. ann. 1624. 21. Septembris in quo obligatio annuatim revocandi fugitivos, & ejectos extenditur ad eos, qui justè, & legitimè expulsi fuerunt, modo certa spes subsit emendationis, & graves pœnas imponit transgressoribus. Videatur Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. n. 17.* & Bonac. *de claus. quæst. 2. punct. 11. §. 2. nu. 3.*

Notandum 1. Prælatos habentes hanc obligationem esse Prælatos illos, quibus fugitivus, vel ejectus est personaliter subjectus. Quamvis Episcopi, in quorum diœcesibus Religiosi fugitivi, & ejecti scandalosè procedunt; tenentur eos capere: vel si requisiti fuerint, præbere auxilium Prælatis Regularibus ad capiendum; aut si Prælati Regulares in captura fuerint negligentes. Sic Miranda *tom. 1. manual. Prælat. quæst. 51. art. 3.* Layman *lib. 4. summ. tract. 5. cap. 13. nu. 17.* & Castropalaus *de stat. Relig. disp. 4. punct. 17. nu. 1.*

Notandum 2. hanc obligationem annuatim revocandi urgere, non solùm si ejectus, aut fugitivus non sit ita noxius Religioni, ut expulsione dignus sit; verùm etiamsi ita noxius sit, ut expulsione dignus sit: ratio est, quia capiendus est, ut pro qualitate culpæ puniatur in aliorum exemplum, ne ansam arripiant; in utilitatem ipsius, cui vexatio dabit intellectum; & ut authoritate separatus incedat, non verò ex sua propria voluntate. Quòd si Prælatus sine gravi scandalo, & nota Religionis nequiret fugitivum capere, deobligatus

gatus erit à captura, cum bonum Religionis preferendum ſit bono ſubditi. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. nu. 19.* & Caſtropalaus *l. c.*

Notandum 3. Prælatos Religionis hanc obligationem habere revocandi annuatim ſub pœnis ſtatutis fugitivos, & ejectos etiam legitimè; quoties ſpes certa, & evidens ſubeſt emendationis: quapropter ſi nulla ſpes evidens emendationis eluceſceret, ceſſaret talis obligatio. Idem dicendum, ſi nulla ſpes eos inveniendi haberetur; eſſet enim prorſus inutile eos annuatim revocare. Sic Suarez *l. c. nu. 17.* Caſtropalaus *l. c.* Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 9. nu. 18.* Layman *lib. 4. ſum. cap. 13. nu. 7.* & Bonacina *de clauſ. quæſt. 2. punct. 11. §. 2. nu. 2.*

12 Religio quamvis teneatur ſolvere expenſas factas pro revocatione fugitivorum, ejectorum, & apoſtatarum, eo quia reductio illa in bonum Monaſterii, & Religionis vergit; non tenetur tamen ſolvere expenſas factas ab ipſis pro ſuſtentatione propria extra caſum reductionis: ratio eſt, quia non vergunt in bonum Monaſterii, & Religionis, imò ſi eis alimenta denegata fuiſſent, inſtar filii prodigi ad propriam domum, & ad Patrem fame preſſi reverſi fuiſſent. Et ſicuti non tenetur Pater ad alendum filium inique fugientem è paterna domo; & maritus uxorem inique diſcedentem è conſortio illius; ſic in caſu noſtro. Ita Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 9. nu. 22.* Caſtrop. *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 17. nu. 2.* Sanctarellus *de Apoſtaſ. cap. 3. dub. 2. nu. 22.* Surdus *de Alimen. tit. 8. privileg. 97. num. 6. quæſt. 27. num. 22.* & Bonac. *de clauſ. qu. 2. punct. 11. §. 3. nu. 4.*

13 Apoſtata non dimittens habitum ſuæ Religionis gaudet Privilegiis illius, ut quilibet alius Religioſus: idem dicendum de Religioſo fugitivo; ratio eſt, quia ſunt veri Religioſi; ergo frui debent privilegiis Religioſis illius Religionis conceſſis, dum per ſententiam Judicis illis privati non ſunt; maximè quia perſonalia ſunt, & perſonam ſequuntur. Secus verò eſſet de Privilegiis conceſſis alicui ſpeciali loco Religioſo, à quo abſunt: ſic ex Mandoſio, & Sanchez docet Bonacina *l. c. nu. 3.* Si verò habitum dimiſerit prætendens invalidare profeſſionem; non gaudet Privilegiis Religionis ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 19. de Regul.*

14 Religioſus Apoſtata non poteſt ſacros Ordines ſuſcipere in Apoſtaſia; & ſi receperit ſuſpenſus eſt ab illis; ſic ſtatuitur *in cap. Hi qui. diſt. 50. & in cap. Conſultationis de Apoſtat.* An autem hæc potiùs dicenda ſit Irregularitas, quàm ſuſpenſio; eſt res incerta. Illud eſt certum, quòd relicta Apoſtaſia ſi ſe reconciliaverit cum ſuo Abbate, & pœnitentiam receperit; adhuc non poterit in Ordine Sacro recepto in Apoſtaſia miniſtrare abſque diſpenſatione Romani Pontificis; ut expreſſe dicitur *in Cap. Conſultationi cit.*

15 Cooperantes ad fugam, & Apoſtaſiam Religioſorum, quamvis ex Jure Communi nullas pœnas incurrant; nihilominus Paulus IV. *in ſua Bulla*, incipit, *Poſt quam divina Bonitas*, generaliter excommunicat omnes cujuscumque Gradus, & Conditionis homines, qui recipiunt, ſeu nutriunt Apoſtatas; auxilium, vel conſilium, aut favorem præſtant, ne redeant ad ſuum Monaſterium, domum, aliumve locum Regularem; ſi poſtquam ab Ordinario loci, in quo degunt, admoniti à præmiſſis non deſiſtunt. Juxta hanc Bullam ſic cooperantes ad fugam, vel Apoſtaſiam Religioſi non incurrunt excommunicationem, niſi admoniti ab Ordinario loci non deſiſtant. Nec eſt excommunicatio reſervata. Per Privilegia verò particularia Religionum, & per communicationem ipſorum, ſi Religio Privilegium communicandi habeat; incurrunt Cooperantes ad Apoſtaſiam Religioſorum excommunicationem ipſo facto Pontifici reſervatam impoſitam ab Innocentio IV. Leone X. & Julio II. ut habetur in Libris *Monumenta Ordinum* in Compendio Privilegiorum Mendicantium *verb. Apoſtata §. 8.* & in Compendio Privilegiorum Societatis Jeſu *verb. Apoſtata §. 3.* ubi dicitur: *Per Privilegium conceſſum Minoribus Noſtri ab Ordine recedentes, niſi poſt mandatum cujusvis ſuperioris eiſdem factum intra octo dies proximos ad Obedientiam redierint; excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrunt ſoli ſummo Pontifici reſervatam. Eidem ſententiæ ſubjacent omnes, qui eis auxilium, conſilium, aut favorem præſtiterint. Et in §. 4.* per Privilegium conceſſum Minoribus ab Innocentio IV. *qui retinent Noſtros ſine licentia recedentes ipſo facto ſunt excommunicati.*

16 Ejectus, & Expulſus à Religione dicitur Religioſus ille, qui ex juſta cauſa, & juxta ritum Religionis agitata ab ipſa ejicitur, & expellitur, ut membrum putridum è corpore ſano. Et quamvis non defuerint Doctores, qui putarint, non poſſe religioſos profeſſos à Religione ejici, & expelli, etiam juſta interveniente cauſa; ſed detrudendos eſſe in carcerem, ibique pro qualitate delicti puniendos: ut putarunt Abbas, Cardinalis, Graffis, & alii penes Caſtropalaum *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 19. nu. 1.* quorum ſententiam non improbant Sylveſter, & Armilla, ſi tamen parati ſint ad emendationem, ac pœnam ſibi debitam ſuſtinendam. Nihilominus vera ſententia eſt: Religionem poſſe profeſſos juſta, & legitima cauſa intercedente à ſe ejicere, ac expellere; quæ non ſolùm Jure Communi firmatur, ſed etiam naturali, ac uſu, & Conſuetudine omnium Religionum. Et quidem Jus Commune *in cap. Cum ad Monaſterium de ſtat. Monach.* ſtatuit: proprietarium expellendum eſſe; *in cap. ult. eod. tit.* dicitur: *Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat ſanas oves; in Cap. cum in Eccleſiis de majorit. & Obedien.* dicitur: *Alioquin de Fratrum conſortio pœnius excludatis, & in cap. Relatum, Ne Cleric. vel Monach.* dicitur: *Vel ſi reſtiterint auſu temerario ejectis &c.* Jus verò Naturale dictat, bonum Commune Religionis præferendum eſſe bono privato Religioſi; & fidem non eſſe ſervandam frangenti illam: ſi ergo Religio ſe obligavit ad retinendum, & alendum Religioſum, ſi juxta Regulas, & Conſtitutiones mores ſuos compoſuerit ut in profeſſione promiſit, & vovit; dum huic obligationi non ſatisfacit, poterit à ſe ejicere. Denique uſus, & Conſuetudo omnium Religionum ſic firmavit ab initio, ut conſtat ex D. Baſilio *in Regul. 28.* & D. Benedicto *in ſua Regula quæſt. 28.* ex D. Auguſtino *in ſua cap. 20.* ex D. Hieronymo *relato in cap. Reſecandi 24. quæſt. 3.* ex D. Dominico *diſtin. 1. cap. 19. ſuarum Conſtitutionum*; ex D. Franciſco *in ſua Regula, cap. 13.* & tandem ex D. Ignatio *2. part. Conſtitutionum Societatis Jeſu cap. 1. §. 1.* Reſtat igitur ſatis firmatum, membrum putridum reſecari poſſe, ne corpus corrumpatur; & ovem morbidam è grege expellendam, ne ſanas inficiat, & totum corrumpat Ovile. Sic D. Thomas *quodlibet. 12. art. ult.* quem ſequuntur Rodriquez, Molina, Navarrus, Leſſius, Sanchez, Suarez, Azor. Layman, Miranda, Sanctarellus, Barboſa, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Clauſur. quæſt. 2. punct. 12. §. 1. nu. 4.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 19. nu. 2.*

17 Juſta, & legitima cauſa ejiciendi è Religione Profeſſum eſt ex Jure Communi Incorrigibilitas, & quidem de peccato mortali gravi, & ſcandaloſo, quod quidem publicum ſit publicitate facti, vel Juris. Non requiritur autem, quòd delictum publicè commiſſum ſit; ſed ſufficit, quòd in ſecreto commiſſum in judicium deductum fuerit, ibique ſufficienter probatum: ſic enim publicum eſt notorietate Juris, & publica pœna dignum: ratio autem, cur hæc omnia requirantur ad Incorrigibilitatem ob ejectionem, eſt, quia cum hæc pœna ſit graviſſima, & publica, irrogari non poterit, niſi ob grave delictum, & publicum, & quidem ſcandaloſum: imponitur ſiquidem prædicta pœna in bonum delinquentis, & Communitatis Religioſæ; adeoque delictum debet eſſe ſcandaloſum, & nocivum aliis Sociis, & Communitati. Non expectandum tamen eſt, ut noceat; ſed ſufficit, quòd nocere poſſit Sociis, niſi reſecetur: *ut ex cap. Reſecandæ cap. Ecce 24. quæſt. 3. & ex cap. ſed illud diſt. 45.* docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 8. nu. 9.* & Caſtropalaus *de ſtat. Relig. diſp. 4. punct. 19. num. 5.*

18 Requiritur inſuper ad Incorrigibilitatem ob ejectionem, quòd incorrigibilis monitus, & punitus fuerit, & quòd poſt monitionem, & punitionem adhuc reincidat, nec ulla ſpes habeatur reſipiſcentiæ, & emendationis: ex communi ſententia debet trina monitio, & punitio præcedere, poſt quæ ſi relabatur, cenſendus erit incorrigibilis, & legitimam, & juſtam cauſam dare ejectioni, & expulſioni. Sic Abbas, Majolus, Sayrus, Graffis, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 9. nu. 4.* Sanctarellus *de Apoſtaſ. cap. 4. dub. 3. nu. 6.* & pro Religione D. Benedicti *in Regulis cap. 58.* dicitur: *eſſe incorrigibilem, qui ter deſerit Religionem poſt profeſſionem factam.* In Religione Minorum prout habetur *in Ordinationibus Generalibus Toletanis cap. 6. tit. de Incorrigibilibus*, dicitur: *Eſſe incorrigibilem, qui ter convictus, & punitus de crimine, non emendavit.* Ad hanc incorrigibilitatem non requiritur de neceſſe, ut crimina ſint ejuſdem generis; ſed ſufficit, quòd ſint ejuſdem gravitatis, vel graviora; ut rectè adnotat Sanchez *loc. cit. ex*

Textu

Textu in Cap. ut famæ de Senten. Excommun. ubi dicitur: Ad similia, vel pejora facilè labitur. Illud est certum, & indubitatum, quòd si ad ejectionem Religiosi professi requiritur Incorrigibilitas, ut ostensum est; nequibit ejici ob delictum quantumcumque grave, nisi sæpius monitus, & punitus reinciderit. Sic D. Thomas *quodlibet. 12. art. ult.* D. Bonaventura *in Regul. D. Francisci quæst. 14.* Sylvester *verb. Religio 6. quæst. ult.* & Armilla *eod. verb. nu. ultimo*.

Requiritur denique nostris hisce temporibus ad Incorrigibilitatem ob ejectionem, & expulsionem præter superiùs dicta, ut in carceribus probetur per annum jejunio, & pœnitentia, quibus peractis si non resipuerit, sed adhuc pertinaciter depravatis moribus adhærere voluerit; ut verè incorrigibilis habeatur, & expellatur ab ipsomet Generali tantùm de Consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum, & Constitutiones, processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Sic Sacra Cardinalium Congregatio de speciali Mandato Summi Pontificis Urbani VIII. 21. septembris ann. 1624. Quod quidem decretum derogat in principio omnibus aliis Privilegiis, statutis, & Constitutionibus à Sancta Sede concessis, & approbatis, ait enim: Sublatis hac in parte statutis, & Constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis. Refertur hoc Decretum à Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 1. nu. 6.*

18 Controverti hic solet: an qui professionem emisit aliquo impedimento non manifestato, quod si manifestasset, non fuisset ad professionem admissus; det legitimam causam expulsionis? Resp. controversiam procedere de impedimentis non essentialibus, & quæ vel ex Jure communi, vel ex Jure proprio cujuslibet Religionis irritam, & nullam professionem reddunt: sic enim extra controversiam esset, ejiciendum fore ex nullitate professionis, & ejus incapacitate. Procedit ergo controversia de impedimentis illis, quæ professionem non irritant; sed si manifestarentur Superioribus admittentibus ad professionem; non utique admitterent: & controvertitur, an cognito postea impedimento habeant sufficientem causam ejiciendi? Resp. negativè: ratio est, quia culpa commissa per talem deceptionem potest alia via puniri, & sic satisfieri scandalo, si aliquod ortum sit; ergo non recurrendum erit ad gravissimam pœnam expulsionis: maximè quia nec infamia, nec nota sequitur contra Religionem; imò qui impedimentum occultavit, potiùs censetur motus ex affectu Religionis, quàm ex malitia. Sic Rodriquez *tom. 3. Quæst. Regul. quæst. 17. art. 9.* Sanchez retractans priorem suam sententiam *lib. 5. summ. cap. 4. nu. 58.* Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 1. nu. 7.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. punct. 19. nu. 9.* contra Navarrum, Sorbum, Vegam, Sà, & Layman ab eo relatos.

19 Quæres 1. an Religiosi Societatis Jesu ad sæculum emitti possint? Resp. quæsitum procedere tam de Professis, quàm de eis, qui absoluto biennio Novitiatus sua vota simplicia emisere, quæ verum Religiosum constituunt. Et quamvis ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ascendente domino & ex 2. Part. Constit. cap. 1. & 2.* tam ligati Votis solemnibus Professionis, quàm Votis simplicibus post biennium ejici possint; nihilominus diversimodè dimissio fit, ut constat ex Bulla citata: nam Professi, eo quia sua Vota solemnia emittunt, absolutè, & absque ulla conditione, & Religio quoad vinculum firmitatis Votorum perpetuo retinet; ideo ad sæculum dimitti nequeunt, liberi à Votis emissis, sed eis ligati remanent, ut cæteri Professi ab aliis Religionibus ejecti, expulsi, ac dimissi. Qui verò vota biennii emiserunt, sive Scholastici sint, sive Coadjutores formati, eo quia sua vota emiserunt, ac se Religioni tradiderunt, quousque ipsa Religio retinendos judicaverit; ideo si Religio eos judicet dimittendos, cessat obligatio eorum ad vota ob defectum conditionis illius, sub qua emissa fuere: adeoque liberi à suis Votis dimittuntur.

Justa causa ad dimissionem Professorum debet esse gravissima, & nostris hisce temporibus debet esse Incorrigibilitas secundum ea, quæ superius explicata fuere *nu.* 17. attento Decreto Sacræ Congregationis Jussu Urbani VIII. edito derogantis omnibus aliis Privilegiis, & statutis Religionum, etiam Authoritate Apostolica approbatarum. Requiritur etiam justa causa ad dimissionem Scholarium approbatorum, & Coadjutorum formatorum, non solùm ex Constitutionibus, & Regulis, ac Bullis Pontificiis; sed etiam ex ipsa Votorum emissione. Et quidem quòd requiratur ex Constitutionibus, & Regulis patet *in Examine Generali cap. 6.* ubi S. Parens Ignatius in ejus declaratione dicit: Non est injustum (ut patet in litteris Apostolicis) si Societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent; retinet. Ex quibus verbis clarè deducitur, quòd si faciunt quod debent; talem libertatem non retinet. *Et cap. 7. §. 1.* de Scholaribus ait: Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem, nec in Coadiutores formatos; si studiorum tempore malè se gererent. Hinc deducitur, quòd si studiorum tempore bene se gererent; non manebit libera Societas, imò tenebitur ad eos admittendos ad professionem, vel in Coadiutores formatos. Ex Bulla Gregorii XIII. incipit, *Quanto fructuosius*, constat, requiri rationabilem causam ad dimissionem istam faciendam, ait enim Pontifex: Quamvis rationabili ex causa juxta Constitutiones easdem ab ipso Præposito Generali dimitti, & Votis hujusmodi liberari possint. Quòd tandem constet ex ipsa Votorum emissione, sic ostenditur: Religiosus se tradit Societati, ut ab ipsa retineatur, prout obligata est retinere ex suis Regulis, Constitutionibus, ac Bullis Pontificiis; sed ut vidimus, ex his obligatur retinere, nisi justa, rationabilis, & legitima causa adsit ad dimissionem; ergo deficiente legitima, & justa causa, non poterit Religio dimittere; imò tenebitur retinere, & incorporare juxta Gradum debitum; adeout dimissio nec licita, nec valida foret. Constat igitur ex Constitutionibus, Regulis, Bullis Pontificiis, & ex ipsa Votorum emissione, requiri justam, & rationabilem causam, ad hoc ut Societas validè, & licitè dimittat Scholares approbatos, & Coadjutores formatos. Sic unus pro cunctis sufficiat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 9. n. 10.*

Causas autem rationabiles, & justas, ob quas Societas dimittere possit suos Religiosos non professos; enumerat S. Parens Ignatius *in examin. Generali cap. 6. & 2. Part. Constitut. cap. 2.* quarum aliæ culpabiles sunt dimittendo, aliæ verò non. 1. ex causis culpabilibus est, si Societas judicaret, damnum allaturum malo vitæ exemplo, ac præcipuè si inquietum se ostenderet, & verbis, aut actibus offendiculum aliis præberet, vel inducendo eos ad malum, vel ad discordiam; vel si quid contra superiores, vel Commune Societatis bonum moliretur. 2. si aliqua peccata offendiculum non præberent; utpote non manifesta, tamen in Domino judicaretur contra ipsius honorem, & Gloriam fore, ut qui ea admisit, maneret in Societate: cum videatur in quibusdam pravis affectibus, aut vitiis, quæ divinam offendunt Majestatem, corrigi non posse. 3. quando qui ad probationem admissus fuit, se componere ad vitam sub Obedientia, & juxta modum procedendi Societatis non posset, aut vellet: & cum ipse etiam importunè dimissionem petit. Ex causis verò Inculpabilibus dimittendo 1. est, si aliqua impedimenta, etiam non essentialia, sed vel secundaria, vel aliqui insignes defectus deprehenderentur, quos antea in Examine non dixisset. 2. si experimento comperiretur infirmitas virium, ob quam valde inutilis, & notabiliter ineptus judicaretur ad quævis munera: qualis esse potest ægritudo aliqua, aut debilitas impar laboribus, quos procedendi modus Societatis requirit. Quæ quidem ægritudo si contracta fuerit in Societatis obsequio exercendo emissis votis; dimitti non potest, nisi eo consentiente, & petente. Secus si in tempore Novitiatus eam contraxerit exercendo consuetos, & ordinarios labores, non verò extraordinarios, & non solitos à Novitiis; dimitti utique poterit: sicuti dimitti poterit, si ante ingressum contraxerat, vel dispositionem ad eam attulerit in ingressu. 3. si ineptitudo ex debilitate ingenii comperiretur; itaut non posset in litteris progredi, & ad alia Ministeria Societatis ineptus foret; in quo casu sicuti ante Vota dimitti debet, ita post vota emissa dimitti potest: cum adhuc sit in probatione ad ulteriores Gradus, præcipuè si ineptitudo illa conjuncta sit cum aliqua voluntaria culpa.

Advertendum hìc 1. quòd licèt cum dimittendis omnis Charitas exercenda sit à Societate, ut de facto satis abundè exercetur; attamen cavendum, ne in retinendis iis, in quibus locum habent enumeratæ causæ satis justæ, & sufficientes ad dimissionem, imprudens sit Cha-

ritatis usus : cum bonum universale Societatis, ut ex se constat, præferendum sit bono particulari Religiosi.

Advertendum 2. petentem dimissionem à Societate non ex veris, sed ex fictis causis ; ut si fingeret graves lapsus carnis, vel gravia alia peccata, aut gravem difficultatem in illis superandis, cum revera non sint, & sic dimissionem extorqueret; esse verum apostatam, ac Apostatarum Censuris, & pœnis subjacere : cum nulla sit dimissio obtenta, utpote sine vera causa concessa. Sic Congregatio Generalis VII. *Decret.* 23. §. 4.

Advertendum 3. si ex causis veris, & justis, ortis tamen ex gravibus delictis obtineretur Dimissio, sed delicta perpetrata fuerint ad finem extorquendi Dimissionem; nullam, & invalidam esse Dimissionem illam statuit Congregatio Generalis VII. *l. c.* ratio est, quia illa dimissio, seu licentia irrita est, & nulla, utpote obtenta per dolum dantem ipsi causam : nam dimissio concessa non fuisset, ob ea delicta ex industria commissa; adeoque involuntaria censenda erit, & consequenter sic dimissum non esse tutum in conscientia, sed verum Apostatam, & pœnis Apostatarum subjectum. Sic Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 9. num. 66.* Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 1. num. 13.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. punct. 20. num. 10.* qui addit; posse Generalem dimissionem concedere ex malitia peccantis, sed hoc minimè præsumi debet, nisi clarè exprimat.

Advertendum 4. Religiosos Societatis sic dimissos iniquis mediis, & per extorsionem Dimissionis teneri ad Religionem redire, & apponere media necessaria ad reditum obtinendum : eo quia nulla fuit dimissio facta. Primò igitur tenetur detegere fraudem, & malitiam, ac dolum à se commissum declarare, dein animum suum aperire paratum ad reditum. Quòd si detecta fraude, & aperto animo Superiori, qui dimittere potest, ut est in Societate Generalis, & ex Commissione ipsius Provincialis, dimissionem factam ratificet; ex tunc cessat omnis obligatio Votorum : eo quia censetur vera, & legitima dimissio. Hæc autem fieri nequeunt à Provinciali inconsulto Generali : ut bene admonet Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 4. punct. 20. num. 11.*

Advertendum 5. extorquentem dimissionem iteratis instantiis, & importunè, quamvis validè dimittatur, si dimissionem obtineat; attamen reum esse mortalis culpæ, si adductis suis rationibus ad P. Generalem, quas ut insufficientes ad dimissionem reputaverit, adhuc in sua obstinatione persistat : nam ob solam importunitatem dimitti vult, adeoque adversus votum procedit. Sic ex Congregatione Generali VII. *Decreto* 22. §. 1. docent Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 9. num. 6.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 4. punct. 20. numer. 12.*

Advertendum 6. culpæ mortalis reum esse Religiosum Societatis, qui mediocrem diligentiam non adhibet in vitandis culpis illis, ob quas justè præsumere potest à Religione dimitti posse : ratio est, quia cum teneatur perpetuò vivere in Religione, ibique vota emissa servare; inde est, quòd pariter teneatur ad apponenda media necessaria ad talem finem, & ad removenda obstacula in contrarium, & quæ possent dimissionem causare : sic Sanchez *lib. 6. Summ. capit. 9. num. 69.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. punct. 20. numer. 13.*

Advertendum denique : dimissum sive ex justa causa, sive per fraudem, sive per importunas instantias non teneri ad restitutionem faciendam Religioni ob expensas factas in eo alendo : ratio est, quia non est in usu; & aliunde Religiosus non est servus, adeoque non tenebitur incommodum, & utilitatem Religionis ex justitia laborare, sed ex Voto Obedientiæ, quo est devinctus; qui quidem actus Religionis est, non verò Justitiæ ; & obligatio restituendi non oritur ex violatione Religionis, sed Justitiæ. Sic Sanchez, Navarra, Vasquez, Sotus, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 1. numer. 14.*

20 Quæres 2. an religiosus ejectus teneatur suos mores corrigere, ob quos ejectus fuit; & reditum ad Religionem procurare ? Resp. affirmativè : & quidem quòd teneatur mores corrigere constat ex eo, quia in professione emissa fidem dedit religiosè vivendi ; ergo fidem datam servare tenetur, adeoque quod depravatum est in suis moribus, ob quod ejectus fuit; emaculare, ac corrigere tenetur : cum par non sit, ut ex sua iniquitate commodum libertatis reportet : per ipsum namque stat, quin fidem datam, ac sua vota in Religione expleat. Quòd autem teneatur reditum ad Religionem procurare satis clarè infertur ex prædictis rationibus ; fidem enim dedit perpetuò vivendi in Religione, & servandi ea, quæ ibi servantur; ergo tenetur, quantum est ex parte sua, reditum ad eam procurare sic vivendo, ut admissione dignus sit. Sic Sayrus, Sotus, Aragonius, Lessius, Sanctarellus, Sanchez, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 2. num. 1.*

Extenditur 1. hæc obligatio ad Religiosos ejectos etiam invalidè : ratio est : quia cum ex vi Votorum teneantur ad Religiosam vitam vivendam; ideo ex parte sua reditum ad Religionem procurare tenentur. Extenditur 2. ad religiosos ejectos pro tempore determinato; tenentur siquidem pro eo tempore & religiosè vivere, & eo elapso reditum facere, ne ut fugitivi, vel Apostatæ extra Religionem vagentur. Extenditur 3. ad ejectos à Religione perpetuò per sententiam definitivam : ratio est, tum quia liberi non remanent per talem sententiam à Votis Religiosis, quamvis eorum observantia Statui expulsionis accommodanda sit : ut docent communiter Doctores, quos longo ordine refert Castropalaus *de Stat. Relig. disput. 4. punct. 21. num. 1.* tum quia satis colligitur *ex Cap. final de Regular.* ubi præcipitur : tam fugitivos, quàm ejectos quæri, & ad Religionem reduci : quod non præciperet Pontifex, nisi supponeret, ejectos obligationem habere redeundi. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 5. à num. 4.* Sanchez *lib. 6. Summ. capit. 9. num. 23. & 30.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 15. numer. 111.* Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. capit. 13. quæst. 3.* Castropalaus *l. c. numer. 5.* & Bonacina plures referens *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 2. num. 1.*

Hinc fit 1. ejectos à Religione, dum redeunt, non debere novam professionem emittere, cum à priori non fuerint absoluti. Sic Sanchez *l. c. num. 33.* Suarez *l. c. num. 15.* & Castropalaus *l. c. num. 2.* Fit 2. non extingui in ejectis vota illa, quæ professioni religiosæ annexa sunt, sed tantùm suspendi in statu ejectionis : cum obligari non possint ad eorum executionem, dum extra Religionem vivunt ; adeoque Religiosus ejectus Sanctæ Mariæ de Mercede non obligabitur ad Redemptionem; minimus D. Francisci de Paula non obligabitur ad vitam Quadragesimalem; Professus Societatis Jesu non obligabitur ad missiones : suspenditur siquidem eorum obligatio in statu ejectionis. Nec redeuntes ad Religionem renovare ea debent, cum statim reviviscant. Sic Sanchez *l. c. num. 56.* & Castropalaus *l. c. num. 3.* Fit 3. ejectos à religione, dum ad illam redeunt, & constat, justam fuisse ejectionem, non admittendos esse ad eumdem Gradum antiquitatis Professionis, Sedis, Loci, Suffragii, & similium prærogativarum, quas ante ejectionem habebant : ratio est, quia tales Gradus non sunt Professioni religiosæ annexi, adeoque in pœnam delictorum, ob ejus humilitatem, & aliorum exemplum illis privare poterit religio, quamvis post debitam satisfactionem possit restituere. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 5. num. 17.* Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 30. art. 29. in fine,* Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 2, num. 2.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 21. num. 7.* Secus dicendum puto, si injusta comprobata fuerit ejectio, tunc enim rediens talem pœnam non mereretur.

Quæres 3. an religiosus ejectus, cui denegatur à re- 21
ligione reditus, teneatur ad observantiam regularem ? Resp. certum esse, religiosum ejectum in Statu ipso ejectionis ligari Votis substantialibus in professione emissis, ut toties dictum est, adeoque obligari ad eorum observantiam : cum enim sit obligatio personalis, sequitur Personam, ubicumque fuerit. Nec ejectio est absolutio, aut dispensatio Votorum; sed separatio à communi vita, & regimine religionis. Quia tamen obligatio prædicta, difficile est, quòd possit compati cum exemptione ab Obedientia Prælatorum regularium, & cum administratione bonorum ad sustentationem religiosi necessariorum in statu ejectionis, & in sæculo ; ideo inquirendum est : quænam obligatio oriatur ex vi Votorum substantialium in religiosis ejectis, dum eis non permittitur reditus ad religionem.

Dicen-

Dicendum 1. ex Voto Paupertatis tenetur eam servare juxta exigentiam Status illius, in quo constitutus est; cum autem exigentia status illius non exigat dominium aliquod ullius rei, sed ejus merum usum, & liberam acquisitorum administrationem; ideo conceditur ei à Pontifice, suppositа ejectione facta à religione, talis usus, & libera administratio bonorum, dummodo non sit in pravos usus, nec via testamenti: sic enim ex usu, & praxi constat.

Dicendum 2. ex Voto Castitatis teneri ad observantiam illius eodem prorsus modo, ac ante ejectionem; nec in hoc datur ullus favor: ratio est, quia observantia hujus Voti cum tota sita sit in absentia à licita, & illicita copula, ac omni re venerea; nec respicit hunc, vel illum Statum; ideo integrè servari debet in Statu ejectionis extra Claustra, ac servatur intra illa. Sic Doctores omnes.

Dicendum 3. ex Voto Obedientiæ quamvis nullam obligationem oriri censeant ex defectu materiæ, circa quam versatur, adeoque remanere suspensum in ejectis Molina *tom.* 1. *de Justit. disp.* 140. *in fine*, Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 30. *art.* 19. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 15. *in fine*, & Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 9. *num.* 29. & 31. qui solùm agnoscunt generalem quamdam obligationem obediendi Episcopo, ut assolent Clerici Sæculares; non tamen ex vi Status religiosi. Nihilominus verius est, remanere in ejecto ex vi Voti Obedientiæ subjectionem aliquam suis Prælatis Regularibus, & simpliciter esse sub potestate Episcopi, & multò magis sub Potestate Pontificis. Et quidem quòd subjectionem aliquam retineant erga suos Prælatos regulares, sic ostenditur: Prælati regulares possunt cogere ejectos, ut redeant ad religionem, & ipsi obedire tenentur, ut cum communissima sententia dictum est; ergo ex vi Voti Obedientiæ retinent subjectionem istam erga suos Prælatos regulares. Quòd autem sit simpliciter subjectus Episcopo sic probatur: ejectus in statu ejectionis remanet ligatus Voto Obedientiæ, ut supra statutum est, sed hoc est imperceptibile sine ordine ad alium Prælatum; ergo cum non sit Prælatus regularis, debet esse Episcopus, in cujus Diœcesi degit: maximè quia censetur Pontifex in tali casu suas vices illi committere, ut sic aptiùs gubernetur ejectus; nec ulla extat necessitas asserendi hoc votum remanere suspensum. Denique quòd ejectus à fortiori sit sub Potestate Pontificis ex vi Voti Obedientiæ, sic evincitur: Pontifex est omnium religionum, & religiosorum Supremus Prælatus, & per professionem religiosam omnes regulares sub ejus dominio, & obedientia sunt; ergo licèt concedat religionibus professos ejicere, & in aliquibus eos eximere à potestate suorum Prælatorum regularium, non tamen eximit, nec eximere potest, dum Votis ligati sunt, à suo dominio, & Obedientia. Sic Navarrus *Comment.* 2. *de Regular. num.* 34. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Zerola *in Praxi* 2. *par. Verb. Regular. versic.* 3. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 23. *numer.* 5. Qui addit *num.* 6. ex præcitatis Doctoribus, teneri religiosum ejectum manifestare statum suum Episcopo, ut ab ipso regatur: non enim ab eo regi potest, ac ex ejus voluntate pendere, nisi ipsi manifestet Statum suum Religiosus ejectus.

Adnotandum hìc 1. teneri religiosum ejectum obedire Episcopo in iis, quæ ad observantiam Castitatis, & Paupertatis Statui illi accommodatæ moraliter necessaria judicaverit. Idem dicendum de illis, quæ spectant ad decentiam, & honestatem Status religiosi in eo vitæ genere; non enim amisit religiosum Statum, quem ab eo exigere spectat ad Episcopum: quapropter si in ludis, comessationibus, & ebrietatibus versaretur, itaut scandalo esset; vel vestitu non condecente uteretur cum ignominia religiosi status, posset eum Episcopus præceptis, & pœnis corrigere, ut posset ejus Prælatus regularis. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *capit.* 6. *num.* 18. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 23. *num.* 9.

Adnotandum 2. non posse Episcopum eum cogere ad Orationes, austeritates, pœnitentias, jejunia, & similia à regula præscripta, etiam sub culpa gravi: ratio est, quia religiosus observationes illas regulares promisit, dum sub regula est, & à religione alitur, & cum aliorum religiosorum consortio vivit; non verò dum extra religionem est. Sic Suarez *l. c. n.* 10. Sanchez *lib.* 6. *Sum. c.* 9. *nu.* 50. & Layman *lib.* 4. *Sum. tract.* 5. *c.* 13. *quæst.* 2.

Adnotandum 3. religiosum ejectum, si sit Clericus in minoribus, non posse cogi ad horas Canonicas recitandas: ratio est, quia obligatio ista orta ex consuetudine solùm afficit religiosos deputatos Choro, dum in religione degunt; non verò si extra illam vivant. Cessat igitur obligatio ista, dum à religione separatur; & efficaciùs cessare debet pro eo, si è Gradu Clericali ad laicalem in Religione eadem transiret. Sic Suarez *l. c. num.* 11. & Castropalaus *l. c. num.* 11.

Adnotandum 4. non teneri ejectum habitum religiosum deferre: ratio est, quia sic est signum, quòd habitum gestans sit membrum talis religionis, illique unitum, ac sub ejus regimine: cum ergo nec illi uniatur, nec sub ejus regimine sit; ideo habitum deferre non debet: maximè quia gestatio cederet in ignominiam religionis. Et quamvis religiosis ad Episcopatum assumptis expressè præcipiatur habitum deferre saltem quoad colorem, si non quoad formam; nihilominus hoc non evincit contra nos, quia gestatio illa habitus est in honorem religionis habentis alumnum ad illam Dignitatem assumptum. Multò magis habitum deferre non poterit, si ei per sententiam vetitum fuerit deferre, cui parere tenetur. Debet ergo honestum tantùm habitum deferre, qui Clericalis esse debet, si ejectus fuerit Clericus; secus verò si Laicus. Sic Navarrus *Comm.* 2. *de Regul. nu.* 36. Lessius *lib.* 2. *capit.* 41. *dubit.* 15. *num.* 112. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 14. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 9. *num.* 55. & Castropalaus *de Stat. Relig. disput.* 4. *punct.* 23. *num.* 12.

Quæres 4. an religiosus à religione ejectus, si emen- 22
datus non recipiatur à sua; possit ad aliam religionem transire, aut cogi ad talem transitum? Resp. quamvis non teneatur aliam religionem ingredi, quia status ille solùm eum obligat ad perseverandum in sua, quam assumpsit; non verò ad assumendam alienam: quapropter securè in sæculo vivere poterit, ut docent Navarrus *Comm.* 2. *de Regul. num.* 36. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *capit.* 5. *numer.* 20. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 30. *art.* 20. Azor. *Part.* 1. *lib.* 12. *capit.* 16. *quæst.* 7. Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 9. *num.* 34. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 11. *numer.* 111. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 5. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 22. *numer.* 1. Nihilominus si propriæ religioni se pœnitentem exhibuerit, ac emendatum se præbeat, & offerat; ac constet religioni per illum non stare, quin redeat; qua diligentia facta persistat adhuc religio in eo non admittendo; tunc propria authoritate absque alterius licentia ingredi poterit aliam religionem, sive strictiorem, sive æqualem, sive laxiorem: ratio est, quia religiosus in perpetuum ejectus quasi suo juri relictus est, & defacto diximus remanere posse in sæculo; sed melius est religionem ingredi, quæcumque sit, quàm in sæculo manere; ergo quamcumque religionem ex se, & veluti ex jure suo ingredi poterit, ut vir sæcularis; itaut in ea emittens professionem revocari nequeat à priori religione, à qua Jus deperditum est, & quæsitum novæ religioni assumptæ. Sic Navarrus *Consil.* 78. *num.* 2. *de Regular.* Sà *verb. Religio numer.* 40. Armilla *eod. verb. num.* 15. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 30. *art.* 22. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 9. *num.* 36. Sanctarellus *de Apostas. cap.* 5. *dubit.* 1. *num.* 15. Bonacina *de Claus. quæst.* 2. *punct.* 12. §. 4. *num.* 1. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 22. *num.* 3. Qui addit *num.* 4. hos ejectos non posse recipi in aliam religionem, nisi afferant litteras Testimoniales Generalis, vel Provincialis suæ ejectionis; aliàs sine ipsis requireretur facultas Sedis Apostolicæ. Quamvis ex Rodriquez, & Sanchez putet, esse conditionem ad licitum, non verò ad validum ingressum. Nequit tamen ejectus cogi ad aliam religionem ingrediendum: eo quia ingressus debet esse voluntarius; nisi fortè hac conditione ejectus fuerit sub disjunctione proposita, ut videlicet perpetuo carceri, aut triremibus damnetur, vel aliam religionem ingrediatur; tunc enim liberè assumeretur ingressus, ut à justa pœna se liberaret, & proponeretur ut beneficium, non ut onus. Sic Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 20. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *capit.* 13. *quæst.* 5. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 9. *num.* 42. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 22. *num.* 2.

Quæres 5. an religiosus ejectus promoveri possit ad 23
Ordines; & an suspensus remaneat à susceptis? Resp.

ejectos

ejectos à Religione suspensos esse ab exercitio Ordinum susceptorum : ut constat ex Decreto Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. edito die 21. Septembris ann. 1624. ubi dicitur : *Ejecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum*. Et quia Sacra Congregatio non distinguit; ideo dicendum est, non solùm remanere suspensos ab Ordinibus majoribus, sed etiam minoribus. Quòd si functiones majorum Ordinum in tali suspensione exercuerint, Irregularitatem incurrunt; quamvis eam non incurrant, si Minores tantùm exercuerint. Hinc sequitur : tales ejectos non posse ad Superiores Ordines ascendere, cum enim vetita sit ipsis functio Ordinis ob Suspensionem, vetita pariter erit ejus susceptio, cum Ordines ob exercitium suscipiantur. Suspenduntur quoque à receptione beneficiorum, quibus annectitur functio Ordinis : nam si supensi sunt ab Exercitio Ordinum, suspensi pariter erunt à beneficiis exercitium Ordinum requirentibus. Absolutio hujus suspensionis Summo Pontifici est reservata, ait enim Decretum supracitatum : *Sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi*. Cessat verò prædicta suspensio, si religiosus ejectus ad propriam religionem redeat, aut aliam ingrediatur, etiam si in Novitiatu sit : eo quia afficit religiosos ejectos, dum extra religionem vivunt, ut rectè observat Bonacina *de Claus. quæst. 2. punct. 12. §. 6. à numer. 3.*

24 Quæres 6. ad quem spectant bona religiosi ejecti, quando moritur? Resp. certum esse, si redeat ad propriam religionem, ad eam spectare; sicuti si ad alienam transiit, & in ea professus sit, spectare ad hanc. Quæsitum ergo procedit, si moriatur in Sæculo : & quamvis variæ sint Doctorum Sententiæ; nihilominus extat Bulla Gregorii XIII. incipit, *Officii nostri*, qua statuitur : Bona religiosorum ejectorum spectare post eorum mortem in sæculo ad Cameram Apostolicam. Sic Azor. Rodriquez, Sanchez, Sanctarellus, Barbosa, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Claus quæst. 2. punct. 12. §. 7. numer. 3.*

CAPUT XI.

Quomodo teneantur ad Vota, & Præcepta suæ Religionis Regulares promoti ad Cardinalatum, Episcopatum, vel Parochiam?

1 *Religiosi promoti ad Cardinalatum, vel Episcopatum remanent ligati Votis essentialibus suæ religionis.*
2 *Religiosus promotus ad has Dignitates servare debet Paupertatem Statui Dignitatis accommodatam, Castitatem absolutè, Obedientiam Summo Pontifici.*
3 *Obedire debet Pontifici ex vi Voti Obedientiæ in eis, quæ sunt secundùm regulam.*
4 *Religiosus assumptus ad Episcopatum, si ei renuciaverit, vel privatus fuerit; non tenetur redire ad Observantiam regularem, & subjectionem Prælatorum.*
5 *Non sic verò si assumptus ad Cardinalatum ei renunciaverit, vel ab eo depositus fuerit : nam tenetur ad Observantiam regularem redire, & Obedientiam.*
6 *In aliquibus religionibus præter Vota constituentia Statum Religiosum dantur alia ipsi annexa; & quomodo teneantur ad illas assumpti ad Cardinalatum, vel Episcopatum.*
7 *Non tenetur religiosus assumptus ad Cardinalatum, vel Episcopatum obedire præceptis regulæ ex debito legali.*
8 *Non tenetur sic assumptus ad austeritates, jejunia, & alias corporis afflictiones à regula præscriptas.*
9 *Non afficitur Censuris, & pœnis à regula impositis contra transgressores Votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ.*
10 *Quid dicendum circa Comestionem Carnium die Natalis Domini, si venerit die Veneris aut Sabbathi, eam prohibente religione dictis diebus.*
11 *Non tenetur recitare Officium juxta Ritum sui Ordinis.*
12 *Non tenetur ad deferendum habitum juxta formam, & figuram; sed tantùm secundùm colorem.*
13 *An Episcopus Regularis Titularis tantùm gaudeat his Privilegiis, & exemptione à Regulari Observantia.*
14 *A quonam tempore exemptio ista incipiat?*
15 *An Religiosus assumptus gaudeat Privilegiis, & gratiis suæ Religionis.*
16 *An quæ dicta sunt de Religioso assumpto ad Episcopatum intelligi debeant de Religioso assumpto ad alias Dignitates?*
17 *Quid dicendum de Religiosis assumptis ad Parochiam?*

RELIGIOSOS promotos, & assumptos ad Cardinalatum, vel Episcopatum remanere obstrictos Votis essentialibus suæ religionis, docent ferè omnes Doctores, *ex capit. Cum ad Monasterium in fine de Stat. Monach.* manent siquidem veri religiosi, ideoque Votis essentialibus sue religionis obstricti. Imò si religiosus ad Summum Pontificatus apicem promoveretur, adhuc illis obstringeretur; quamvis nulli teneretur obedire, quia nullum habet Superiorem in Terris : ut adnotat Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 6. num. 6.* 1

Ex dictis sequitur : teneri religiosum ad has Dignitates promotum servare Paupertatem, accommodatam tamen statui Dignitatis. Castitatem verò absolutè servare prout in religione. Obedientiam denique actu servare debet Summo Pontifici, ut Supremo religionum omnium Prælato; non verò suis Prælatis regularibus : ratio est, quia si per Votum Obedientiæ in professione emissum ex vi illius ante assumptionem tenebatur obedire Pontifici, etiam post assumptionem semel ac ligatus remanet Voto Obedientiæ, tenetur illi obedire; cum nullum extet caput se eximendi ab illo; sicuti habetur *cap. unic. 18. quæst. 1.* eximens à Prælatis regularibus, ait enim Textus : Hæc Canonica electio à jugo regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & consequenter ab Obedientia, quæ secundum regulam Prælatis regularibus debebatur. Alteri verò à Pontifice, vel Prælatis regularibus obedientia promissa non fuit; ideoque ei non debetur ex vi Voti; quidquid sit an ex Jure Ecclesiastico, vel Jurisdictione ab eo collata teneatur religiosus assumptus ad Dignitatem Archiepiscopo, Patriarchæ, vel Primati obedire. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 11. ad 4.* Navarrus *Comment. 3. de Regul. num. 46.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 17. num. 1.* Covarruvias *de Testament. par. 1. num. 18.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 14. num. 113.* Valentia 2. 2. *disp. 10. quæst. 3. punct. 10.* Layman *lib. 4. Summ. tract. 5. cap. 1. num. 9.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 6. num. 2.* & Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 24. num. 1.* 2

Adnotandum 1. Religiosum assumptum ad has Dignitates teneri ex vi Voti Obedientiæ ad parendum Pontifici in eis tantùm, quæ sunt secundum regulam; non verò in eis, quæ extra, vel præter regulam sunt; ratio est, quia obedientia promissa fuit in professione cum limitatione, videlicet secundum regulam; non verò sine ulla limitatione. Sic Suarez *l. c. nu. 5.* Sanchez *l. c. num. 5.* & Castropalaus *l. c. num. 3.* 3

Adnotandum 2. Religiosum assumptum ad Episcopatum, si ei renuntiaverit, vel eo privatus fuerit; non teneri ad regularem observantiam, ac Prælatorum regularium subjectionem redire : ratio est, quia licèt non habeat animarum curam, attamen retinet Episcopalem Eminentiam per consecrationem acquisitam, ratione cujus exemptio prædicta concessa fuit. Secus verò dicendum, si fuerit realiter degradatus : nam per illam actualem degradationem privatus fuit omnibus Privilegiis, & exemptionibus. Sic Henriquez *lib. 10. de sacram. Ordinis cap. 32. num. 4.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 6. num. 29.* Layman *lib. 4. Summ. tract, 5. cap. 1. numer. 9.* Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 24. num. 21.* & Barbosa *de Potest. Episc. tit. 1. cap. 4. num. 18.* Qui adnotat, Episcopum redeuntem ex Apostolica concessione ad Religionem inhabilem esse ad Officia, & Dignitates Religionis *juxta Bullam 45.* Pauli IV. incipit, *In sacra*, ubi eligentes variis pœnis afficiuntur. 4

Adnotandum 3. Religiosum assumptum ad Cardinalatum, si ei renuntiaverit vel ab eo depositus fuerit; reincidere in suorum Prælatorum Regularium obedientiam, ac teneri ad Regularem observantiam : ratio est, quia Cardinalatu relicto nil retinet de Dignitate Cardinalitia : quapropter si Pontifex renuntiationem factam acceptavit; tenetur ad regularem Observantiam redire sub Obedientia suorum Prælatorum regularium, cum omnino cesset ratio exemptionis ab illa, nec aliquid sui relinquat; ut relinquit Consecratio in Episcopis. Sic Castropalaus *de Stat. Relig. disp. 4. pun. 24. nu. 25.* & Cardinalis Delugo *in Respons. Moralib. lib. 5. dub. 12.* 5

In aliquibus Religionibus præter Vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ constituentia religiosum statum dantur alia ipsis annexa : sic in Religione Sanctæ Mariæ de

riæ de Mercede emittitur quartum Votum incumbendi redemptioni captivorum; in religione Minimorum Divi Franciſci de Paula emittitur quartum Votum Vitæ Quadrageſimalis; & in Societate Jeſu emittitur quartum Votum ſolemne obediendi Summo Pontifici in Miſſionibus peragendis; & poſtea emittuntur quinque Vota ſimplicia, de quibus ſupra egimus. Inquiritur ergo, an religioſus aſſumptus ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum ex his Religionibus teneatur ad obſervantiam illorum. Et quidem teneri Religioſum Societatis Jeſu ad obſervantiam ultimi Voti ex quinque ſimplicibus, quæ emittit, nempe: In ſtatu Prælationis audire Præpoſitum Generalem, ejuſque conſilia ſequi, ſi meliora viſa fuerint, indubitatum eſt; aliàs nugatorium, & fruſtraneum eſſet, cum pro ſtatu aſſumptionis ad Prælaturam emittatur. De reliquis verò controvertitur: & quamvis probabilitate non careat ſententia aſſerens, prædictorum Votorum obligationem ſuſpendi in eo ſtatu aſſumptionis, prout ſuſtinet expreſsè Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 6. numer. 15.* cui favet Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. punct. 24. à num. 5.* Qui percurrens ſingula Vota probat eorum ſuſpenſionem, excepto quinto ex ſimplicibus emiſſis in Societate Jeſu. Nihilominus ut ipſemet Caſtropalaus teſtatur conſulenda ſemper erit ſententia oppoſita, utpote tutior; quæ docet obligare eodem modo in ſtatu aſſumptionis, ac ante illum obligabant: ratio eſt, quia obligatio iſta eſt perſonalis, adeoque perſonam comitatur, inquocumque ſtatu fuerit; & ſicuti Vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ perſeverant in Dignitate aſſumpta, & obligant ad ſui obſervationem, quia non pugnant cum ſtatu aſſumpto, ſic & cætera Vota Religioſo ſtatui annexa, quæ neque pugnant cum illo: maximè quia magis adjuvant ad conſervandam perfectionem ſtatus Epiſcopalis. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 17. nu. 8.* cui libenter ſubſcribo.

7 Non tenetur tamen religioſus aſſomptus ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum obedire Præceptis regulę ex debito Legali, ſeu ex obligatione Legis, & regulæ præcipientis; eximitur namque à jugo regulæ monaſticæ per talem aſſumptionem; ut expreſsè deciditur *in Cap. Unico, 18. quæſt. 1.* ait enim Textus: Quem Canonica electio à jugo Monaſticæ Profeſſionis abſolvit. Præceta ſiquidem regulæ primò, & per ſe afficiunt religioſam Communitatem, & dein quamlibet partem illius; cum ergo regularis aſſumptus ad Epiſcopatum ſit extra Communitatem, ac Regimen illius, ideo non poterit afficere illum, ut Communitatis membrum. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 17. à nu. 6.* Sanchez *lib. 6. Sum. tract. 5. cap. 1. num. 10.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 4. pun. 24. num. 13.* qui excludit etiam debitum honeſtatis.

8 Hinc colligitur 1. non teneri religioſum aſſumptum ex obligatione ad auſteritates, jejunia, & alias corporis afflictiones à regula præſcriptas; integrè ſiquidem exemptus eſt à jugo regulę: ut docent Sotus, Sanchez, Layman, Barboſa, quos refert, & ſequitur Caſtrop. *de Stat. Relig. diſp. 4. punct. 24. num. 17.*

9 2. Non affici Cenſuris, & pœnis à regula impoſitis contra Tranſgreſſores Votorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ ob eamdem rationem; quia integrè exemptus eſt à jugo Regulæ. Sic ex Soto, Sanchez, & Barboſa docet Caſtropalaus *l. c. num. 16.*

10 3. Si ex præſcripto regulæ ſuæ religionis, ex qua aſſumptus fuit, prohibeatur carnes comedere die Natalis Domini, ſi veniret die Veneris, vel Sabbathi; poterit carnes comedere: ratio eſt, quia jam exemptus eſt à jugo regulæ. Nec valet dicere *in Cap. explicari de Obſerv. Jejun.* excipi ab hac conceſſione eos, qui ex regulari obſervatione tenentur: nam ut dictum eſt, non tenetur ad regularem obſervantiam Epiſcopus, vel Cardinalis regularis: ut docent Cajetanus, Covarruvias, Sanchez, Suarez, quos refert, & ſequitur Caſtrop. *de Stat. Relig. diſp. 4. punct. 24. num. 18.* Secus tamen eſſet, ſi teneretur ex Voto, & non ex regulari obſervatione: ratio eſt, quia excipiuntur ab hac conceſſione, qui ex voto, vel regulari obſervatione tenentur: & quamvis religioſus aſſumptus non teneatur ad obſervationem regulæ, tenetur tamen ad obſervationem Voti. Sic religioſus aſsumptus ex religione Minimorum D. Franciſci de Paula tenetur ad Vitam Quadrageſimalem, etiam die iſto Natalis Domini. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. capit. 17. numer. 19.* & Barboſa *de Poteſt. Epiſc. tit. 1. cap. 4. num. 14.*

11 4. Non teneri ad recitandum Divinum Officium juxta Ritum ſui Ordinis Regularis; ſed conformare ſe debet ſuæ Eccleſiæ; cum ſit à ſuo Ordine Regulari ſeparatus. Sic Abbas, Azor. Barboſa, Sanchez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. punct. 24. num. 19.*

12 5. Non teneri ad deferendum habitum juxta formam, & figuram; ſed retento colore habitus poterit illum deferre juxta formam, & figuram Epiſcopi ſæcularis; ut ſupra diximus, conceſſum fuiſse à Clemente VIII. *in Rituali Romano ab ipſo reformato.*

13 Dubitabis 1. an ſi Epiſcopus regularis ſit Titularis tantùm, & ſine ſubditis, gaudeat etiam exemptione à regulari obſervatione? Reſp. affirmativè; ratio eſt, quia revera Epiſcopus eſt, & Eccleſiæ Princeps; ergo ſi talis exemptio conceſſa fuit in favorem dignitatis Epiſcopalis, quàm non decet ſubjici inferioribus Prælatis regularibus; illam habebit Epiſcopus Titularis, qui Conſecratione fit caput alicujus Eccleſiæ, & jus accipit ad regendos ſubditos, eſto per accidens illis careat. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 17. num. 2.* Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 6. num. 27.* Azor. 1. *Part. lib. 12. cap. 10. quæſt. 7.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſput. 4. punct. 24. num. 20.*

14 Dubitabis 2. à quonam tempore exemptio iſta incipiat? Reſp. incipere ab eo tempore, quo Pontifex confirmat electionem factam, eſto nondum conſecratus fuerit: nam ea confirmatione poſita Dignitatem acquirit, & juriſdictionem accipit, ac ſub Pontificis protectione exiſtit *juxta Cap. Inter corporalia, De Tranſlat. Epiſc.* Sic Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 6. num. 32.* & Caſtropalaus *loco citato num. 23.*

15 Dubitabis 3. an religioſus aſſumptus gaudeat Privilegiis, & Indulgentiis ſuæ religioni conceſſis? Reſp. quamvis abſolutè denegent has participationes religioſis aſsumptis ad Dignitates Rodriquez *tom. 2. Quæſt. Regul. quæſt. 58. art. 4.* Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 6. numer. 33.* & alii: eo quia non videtur æquum, quòd qui onera religionis non ſuſtinet, fruatur ejus gratiis, & Privilegiis. Nihilominus diſtinguendum puto: ſi Privilegia, quibus utitur, ſunt in præjudicium aliorum religioſorum ejuſdem Ordinis, ut eſset retinere vocem activam, & paſſivam in electionibus, ſupellectilem habere, ac cameram, & reſidere velle in Domibus religionis, & ſimilia; certum eſt, non poſſe eis frui ſine conſenſu, & licentia Prælatorum Ordinis. Et ſic declaratum fuiſſe à Sixto IV. teſtatur in Monumentis Ordinis Minorum *conceſſ. 365.* & docent communiter Doctores, & favet ratio adducta. Si verò Privilegia, Gratiæ, & Indulgentiæ conceſsa fuerint Ordinis religioſo, & ſingulis membris; & quorum uſus abſque ullo onere, & gravamine religionis exerceri poteſt; non video, cur illis privandus erit, adeoque obtinere poterit Indulgentias Ordinis, abſolvi, & abſolvere à peccatis, ut cæteri religioſi ſui Ordinis. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 18. numer. 2.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. punct. 24. num. 23. & 24.*

16 Dubitabis 4. an quæ dicta ſunt de Epiſcopis religioſis extendantur ad religioſos aſsumptos ad alias Dignitates? Reſp. certum eſse extendi ad religioſos aſsumptos ad Cardinalatum juxta ea, quæ ſuperiùs dixi, & communis teſtatur Sententia cum Azorio, Sanchez, Suarez, & aliis penes Caſtropalaum *loc. cit. numer. 25.* Solùm dubitatur de religioſis aſsumptis ad Abbatiam, aut aliam Dignitatem habentem pro ſe Territorium exemptum; & de his probabiliter dici poteſt, quod per unionem ad ſæcularem Eccleſiam, ac obligationem regendi illam eximantur ab Obedientia Prælatorum regularium, & ſub Pontificis protectione conſtituantur; ſunt etenim veluti Epiſcopi, ac quaſi Juriſdictionem Epiſcopalem habentes. Sic Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 6. num. 35.* & Caſtropalaus *loc. cit. num. 26.*

17 De religioſis verò ad Parochiam aſsumptis, ſi Parochia pleno jure religioni ſubjecta fuerit; indubitatum eſt, non ſolùm teneri ad obſervationem trium Votorum ſubſtantialium, ſed etiam aliorum ex præſcripto religionis emiſsorum, & Præceptorum regularium, quæ aliunde non repugnant cum adminiſtratione Officii: ratio eſt, quia non deſinit eſse membrum religionis, & ei incorporatum per talem aſsumptionem. Sic Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 19. nu. 6.* Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 6. num. 26.* Layman *lib. 4. Sum. tract. 5. cap. 1. nu. 11.* & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp. 4. pun. 25. nu. 1.* Advertit tamen Suarez *l. c. num. 19.* quòd licèt ex vi

Voti

Voti Obedientiæ non teneatur obedire Prælato in iis, quæ ſpectant ad adminiſtrationem ſui Officii; tenetur tamen ei obedire, ut Parochus ſæcularis ſuo Epiſcopo. Si verò beneficium non fuerit pleno jure ſubjectum religioni; quamvis teneatur ad vota ſubſtantialia, & ad deferendum habitum religioſum juxta colorem, formam, & figuram, ut omnes fatentur; nihilominus controvertitur de aliis ex præſcripto regulæ emiſſis: ſed dicendum teneri etiam ad iſta, cum obligatio perſonalis ſit, & ſequitur perſonam in quocumque ſtatu fuerit, ut ſuperiùs diximus de Epiſcopis, & Cardinalibus. Ad obſervantiam tamen regularum, & præceptorum Religionis, puto, non teneri ex debito Legali, ſed tantùm ex honeſtate: ratio eſt, quia aſſumptione ad beneficium iſtud Regularis à religione ſeparatur, nec eſt ſub obedientia ſuorum Prælatorum; ergo affici nequit debito Legali, quod reſpicit Communitatem, & ejus membra unita, non verò ſeparata; adeoque ex ſolo debito honeſtatis tenebitur. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 24. *&* 28. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 25. *nu.* 3. Religioſus tranſlatus ad Parochiam pleno jure Religioni non ſubjectam eximitur ab obligatione gravi habendi Socium, dummodo non ſit Canonicus regularis, qui eum habere debet, ſi id commodè poſſit. Translatus verò ad Parochiam pleno jure religioni ſubjectam Socium habere debebit ſub gravi culpa quicumque religioſus fuerit; Canonicus verò regularis, ſi commodè poſſit. Sic *ex cap. Monachi* 2. *de Stat. Monach. Cap. Quòd Dei timorem eod. tit. Cap. Ex parte, & Cap. Ad audientiam de Cappell. Monach.* tradunt Abbas, Cardinalis, Joannes Andreas, Gregorius Lopez, Azor. Suarez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c. num.* 4.

CAPUT XII.

Quomodo prohibitum ſit Fœminis Monaſteria Virorum ingredi, & religioſis eas admittere, & ſub quibus pœnis?

1 *Prohibitum eſt Fœminis poſtquam ad annos diſcretionis advenerint Monaſteria Virorum ingredi ſine ſpeciali facultate Sanctæ Sedis.*
2 *Comprehendit prohibitio omnes Mulieres exceptis Imperatricibus, Reginis, ac earum Filiabus, & Nepotibus. Et quid dicendum de Fundatricibus?*
3 *Mulieres ſive titulo Regio, ſive ex Privilegio Sanctæ Sedis Monaſteria Virorum ingredientes ſecum deferre poſſunt decentem comitatum.*
4 *Prohibitio non ingrediendi afficit eas Religioſas Domos, in quibus permanenter inhabitant.*
5 *Extenditur prohibitio ad ea loca Monaſterii, quæ ſunt ſub Clauſura contenta.*
6 *Eccleſiæ Monaſteriorum non afficiuntur hac prohibitione, niſi fuerint intra Clauſuram.*
7 *Chorus habens aditum ab Eccleſia, probabile eſt, quòd hac prohibitione afficiatur.*
8 *Atrium Scholarum Societatis Jeſu, ubi etiam continentur Sodalitia Beatæ Virginis; non ſubjacent huic prohibitioni, cum non contineantur intra Clauſuram.*
9 *Mulieres abſque legitima facultate ingredientes excommunicantur ipſo facto.*
10 *Excuſantur ab Excommunicatione, ſi bona fide fecerint.*
11 *An mulier certa, nullum Religioſum Virum eſſe in Monaſterio, ſi illud ingrediatur; graviter peccet, & incurrat Excommunicationem?*
12 *Religioſi Viri permittentes ingreſſum Mulieribus, vel eas introducentes incurrunt ipſo facto Suſpenſionem à Divinis, Privationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa.*
13 *Mulieres hanc Excommunicationem incurrentes abſolvi ſolùm poterunt à Pontifice, vel ab habentibus facultatem ab ipſo. Religioſi Viri eas introducentes, vel permittentes ingreſſum abſolvi poterunt ab Epiſcopo, vel ab habentibus Privilegia Mendicantium.*
14 *Excuſat ab hac Excommunicatione, & aliis pœnis ſpeciale Privilegium à Pontifice obtentum poſt Conſtitutiones S. Pii V. & Gregorii XIII.*
15 *Excuſat neceſſitas, cui commodè ſuccurri nequeat, niſi per ingreſſum Mulieris.*
16 *Excuſat denique Pietas, & Religio; quæ explicantur, quid importent.*

PROHIBITUM eſſe Fœminis, poſtquam ad eam ætatem pervenerunt, quę ſufficiens eſt ad rationis uſum; Virorum Monaſteria ingredi, niſi fortè ſpeciale Privilegium à Sancta Sede habuerint, vel ex cauſa Pietatis, & Neceſſitatis ingrediantur, ut inferiùs explicabimus; ſatis conſtat *ex Conſtitutione* S. Pii V. incipit, *Regularium Perſonarum ann.* 1566. *& ex alia Conſtitutione ejuſdem*, incipit, *Romanum Pontificem ann.* 1570. quarum mentionem faciunt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 9. Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 16. *nu.* 79. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. *pun.* 2. *nu.* 1. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *pun.* 8. *nu.* 1. 1

Comprehendit prohibitio facta à S. Pontifice Pio V. Mulieres cujuſcumque Status, Gradus, Ordinis, Conditionis, & quacumque Dignitate, ac præeminentia præditas, etiam Comitiſſas, Marchioniſſas, Duciſſas. Sed dubitatur 1. de Imperatricibus, ac Reginis, ac ipſarum Filiabus, & Nepotibus. Verùm communior ſententia docet, non comprehendi: ratio eſt, tum quia ſunt Perſonæ ſpeciali notæ dignæ, & ob earum ſupremam Dignitatem ſub generali prohibitione Mulierum comprehendi non debent; tum quia Pontifex expreſſit Comitiſſas, Marchioniſſas, & Duciſſas ut Gradum ultimum in prohibitione; & conſequenter cenſetur, noluiſſe ulteriùs progredi. Sic Suarez *l. c. nu.* 7. Sanchez *l. c. num.* 4. Bonacina *l. c. nu.* 5. Caſtropalaus *loc. cit. num.* 3. & Layman *lib.* 4. *Sum. tract.* 5. *cap.* 12. *nu.* 5. 2

Dubitatur 2. de Fundatricibus: & quamvis Rodriquez *in Expoſit. Conſtitutionis* S. Pii V. *num.* 3. Layman *l. c.* Bonacina *l. c. numer.* 3. & Sanchez *l. c.* doceant, comprehendi, niſi fortè ex Conſtitutionibus religionis permiſſus fuerit ipſis ingreſſus. Nihilominus probabilem reputo ſententiam aſſerentem non comprehendi: ratio eſt, quia ſi non comprehendit prohibitio Imperatrices, & Reginas ob notam ſpecialem Dignitatum earum, à fortiori comprehendere non debet Fundatrices, quæ ſecundum omnem æquitatem reputari non debent ut perſonæ extraneæ, ſed ut Matres, & Patronæ Monaſteriorum à ſe fundatorum; vinculum ſiquidem ſtrictius devincit Monaſteria fundata Fundatricibus, quàm aliis Perſonis Imperialibus, & Regiis. Adde, quòd ſi ex præcitatis Doctoribus conceditur ingreſſus, ſi permittatur à regula, nec obſtat tunc prohibitio; nec pariter obſtare debebit, ſi Regula præſcindat: cum prohibitio Pontificia non ſit ad derogandum regulis, ſed ad derogandum facultatibus contra regulas. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 6. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 4.

Adnotandum hìc, Mulieres ſive ex ſpeciali Privilegio Sanctæ Sedis, ſive ex Stirpe Imperatoria, aut Regia fuerint, ſive titulo fundationis ingredientes Monaſteria Virorum, poſſe ſecum deferre decentem Comitatum perſonarum, quo frequenter utuntur. Sic ex ipſa praxi, *& ex Capit. Licet de Privileg. in* 6. colligunt Rodriquez *in Expoſit. Conſtit.* S. Pii V. *nu.* 4. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *cap.* 12. *nu.* 5. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. *punct.* 4. *num.* 3. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 5. Requirit tamen decentia, ut comitatus ſit gravium Mulierum, & Matronarum, non verò Puellarum. 3

Monaſterium, ſeu Religioſa Domus Virorum, quam fœminæ prohibentur ingredi; accipitur hic pro toto illo ſpatio, quod continetur intra ſepta Monaſterii, & religioſæ Domus ſub Clauſura; ubi Religioſi Viri ſuam vitam degunt permanenter. Sic communiter Doctores. Requiritur ergo 1. ad rationem Monaſterii, in quo fieri nequit ingreſſus Mulierum, ut ſit habitatio permanens Religioſorum, ibi in communi viventium: quapropter ſi in aliqua Domo ad tempus commorentur, ut ſolent Miſſionarii Societatis Jeſu in aliquibus Reſidentiis temporariis, non comprehendetur ſub hac prohibitione: non enim ob inſtabilitatem prædictam dici poteſt Religioſa Domus; ut ex Sanchez, & Layman tradit Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 6. Idem dicendum de Infirmariis, & hoſpitiis Religioſorum longè diſſitis à Monaſterio; aut ſi ex occaſione ædificandi novam Domum Religioſam aliquam habitationem incolerent Religioſi ad id efficiendum deſignati: non enim habitatio illa tumultuariè accommodata fixam Sedem habere cenſeretur, & rationem Domus Religioſæ. Sic Sorbus, Sanchez, & Barboſa, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *l. c.* & Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. 4

quæst. 5. *punct.* 1. *num.* 4. *ex Declaratione Cardinalium*. De prioratibus Div. Benedicti, & Div. Bernardi illud dicendum : quod si in eis conventualiter vivant Religiosi, vera Monasteria erunt, & sub prohibitione comprehensa . Si verò frequenter plures non inhabitent ibi, non subjacent prohibitioni ; dummodo ibi numquam fuerit Clausura, non verò si ob laxitatem non servetur.

5 2. Requiritur ad rationem Monasterii, ut prohibitio locum habeat; quòd loca, ad quæ prohibetur ingressus Mulierum, sint intra septa sub Clausura contenta : quapropter si extra Clausuram erunt, prohibitioni non subjacent.

Hinc sequitur 1. quòd Prædia, Domus Rusticanæ, horti, & similes Possessiones à Monasterio separatæ, quamvis bona Monasterii sint; non comprehendantur sub Pontificia prohibitione : non enim veniunt nomine Monasterii, nec intra ambitum illius sunt contenta. Sic Navarrus *Comm.* 4. *de Regul. num.* 62. Bonacina *de Claus. quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 2. qui testatur esse Communem Sententiam, & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 8. *nu.* 7. Secus verò dicendum de horto contiguo Monasterio, ad quem religiosi per claustrum ingredi solent; etiam si alia janua sit, per quam extra Claustrum ingredi possint sæculares : cum enim hæc frequenter clausa sit, signum evidens dat, quod sub clausura contineatur. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 17. *numer.* 15. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *capit.* 12. *numer.* 5. Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 8. *numer.* 7. & Bonacina *de Claus. quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 6. referens Sorbum, & Coriolanum.

6 2. Sequitur : Ecclesiam Monasterii non comprehendi sub hac prohibitione, est enim extra Monasterium, & sine custodia sæcularibus patet. Quòd si esset intra Clausuram, ut sunt nonnullæ Ecclesiæ Patrum Benedictinorum, Carthusianorum, Camaldulensium, & similium Religiosorum; indubitatum est subjici prohibitioni. Sic Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *pun.* 8. *num.* 7.

7 3. Sequitur : Chorum juxta Ecclesiam, & Sacristiam habentem aditum ab Ecclesia, non verò à Claustro, in probabili sententia non comprehendi sub prohibitione : ut sustinent Suarez *l. c.* & Bonacina *de Claus. quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. Verùm praxis, & consuetudo stat in contrarium : eo quia disjuncta censentur ab Ecclesia medio pariete, adeoque partes Ecclesiæ censendæ non erunt; & sic decentius consulitur honestati, ut praxis demonstrat, & recepta consuetudo. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 17. *num.* 17. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 8. *num.* 7.

8 4. Sequitur : Atrium scholarum Societatis Jesu, ubi etiam solent esse Sodalitia B. Virginis non subjici huic prohibitioni Pontificiæ, non enim sub Clausura continentur. Quamvis ex pervetusta Societatis consuetudine non permittatur Mulieribus ingressus, quæ sanctè servari debet; nisi extet rationabilis causa permittendi : ut adnotant Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 17. *num.* 18. Layman *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 5. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 8. *num.* 7.

9 Pœnæ statutæ à S. Pio V. *in sua Constitutione*, incipit, *Regularium Personarum*, contra Mulieres absque legitima causa ingredientes Monasteria Virorum sunt, ultra grave peccatum mortale contra gravem prohibitionem Ecclesiæ commissum, Excommunicatio ipso facto incurrenda, ac Pontifici reservata, non solùm si prætextu facultatum à Summo Pontifice, ejus Legato, vel aliis concessarum; verum etiam si sine tali prætextu ingrediantur, *ut in alia sua Constitutione*, incipit, *Romanum Pontificem*, declaravit idem Sanctus Pontifex.

10 Excusantur tamen fœminæ ab incurrendo hanc excommunicationem, si bona fide fecerint, vel ex ignorantia vincibili, & crassa, modò affectata non sit, aut conjuncta cum ingenti temeritate : ratio est, quia requiritur audacia à Pontifice; & hæc vel supponit scientiam, aut ingentem temeritatem, quæ scientiæ comparatur, & sæpe conjungitur cum ignorantia affectata. Sic Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 16. *numer.* 96. Bonacina *de Claus. quæst.* 5. *punct.* 3. *num.* 1. *in fine*, & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 8. *num.* 10.

11 Dubitabis : an fœmina Monasterium Virorum ingrediens eo tempore, quo certa sit, neminem Religiosum ibi adesse, ut revera est; graviter peccet, & excommunicationem prædictam incurrat? Resp. affirmative : ratio est, quia violat Legem prohibentem graviter illum ingressum fœminis sub Excommunicationis censura ipso facto incurrenda. Et parum refert, quòd nullus religiosorum perturbari queat ob ejus ingressum : non enim per hoc cessat ex se finis Legis, sed tantùm per accidens; & Lex respicit ad casum per se, non verò per accidens. Sic Bonacina *de Claus. quæst.* 5. *pun.* 2. *num.* 7.

Religiosi permittentes fœminis ingressum *in* sua Mo- 12
nasteria, vel eas introducentes sine prætextu facultatum, ultra grave peccatum, quod committunt violando gravem prohibitionem Pontificis; incurrunt ipso facto suspensionem à Divinis, & privationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia imposterum consequenda : ut expressè decernitur *in Constitutione* S. Pii V. incipit, *Regularium Personarum*. Si verò prætextu facultatum permiserint ingredi, aut eas admiserint, ultra privationem Dignitatum, & Beneficiorum, ac inhabilitatem ad illa, vel alia imposterum habenda, *in*currunt Excommunicationem ipso facto Pontifici reservatam. Sic Gregorius XIII. *in sua Constitutione*, incipit, *Ubi Gratiæ* . Adnotandum tamen discrimen inter Constitutionem S. Pii V. & Constitutionem Gregorii XIII. nam Constitutio S. Pii non requirit prętextum facultatum, quamvis requirat præsumptionem; Constitutio verò Gregorii requirit prætextum facultatum, quamvis non requirat præsumptionem.

Absolutio ab Excommunicatione incursa ob ingressum 13
Mulieris intra Monasterium Virorum, cum sit Pontifici reservata; ab *ipso* absolvi poterit, vel ab habentibus Privilegium ab ipso : ut virtute Bullæ Cruciatæ habent pro foro conscientiæ Confessarii ab Ordinario loci approbati semel in Vita, & semel in morte respectu pœnitentis habentis illam; & Confessarii Ordinum Mendicantium, & participantium cum illis in Privilegiis. Episcopi verò tunc poterunt ab hac Excommunicatione absolvere, ut Delegati Sedis Apostolicæ; quoties publica non erit, nec ad forum contentiosum deducta : ut constat ex Tridentino *sess.* 24. *capit.* 6. *de Reform.* & docent Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 15. *num.* 76. & Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 8. *nu.* 12. Absolutio verò à Suspensione à Divinis incursa à Religiosis mulierem admittentibus, vel introducentibus in suum Monasterium, cum reservata non sit; poterit præstari ab Episcopo, etiamsi ad forum contentiosum deducta fuerit : Virtute tamen privilegiorum mendicantium, aut Bullæ Cruciatæ toties quoties opus erit, ut expressè tradit citatus Castropalaus. In privatione Officiorum, & inhabilitate ad illa, si occultæ sint, nec ad forum contentiosum deductæ; poterunt Episcopi dispensare ex privilegio Tridentini superiùs citato; insuper Religiosi Mendicantes, & communicantes cum illis *in* privilegiis; dummodo per se, & non per delegatum dispensent ex privilegio Patribus Dominicanis concesso à S. Pio V. cujus mentionem facit Rodriquez *tom. Quæst. Regul. quæst.* 69. *art.* 1. Si verò publicæ sint, & ad forum contentiosum deductæ, ac per sententiam declaratoriam impositæ, quamvis deneget Sanchez *lib.* 6. *Summ. capit.* 15. *numer.* 78. dispensari posse à Prælato Religionis cum suis subditis; nihilominus si delinquentes resipuerint, & pœnitentiam egerint, poterit cum illis dispensare Episcopus, aut Prælatus Religionis : ratio est, quia cum reservatę non sint, expedit recto Ecclesiæ regimini; ut dispensabiles sint ab Episcopis, aut Prelatis Religionum. Sic *ex argum. Cap. Nuper. de Senten. Excom.* docet Castropalaus *de Stat. Relig. disp.* 4. *punct.* 8. *num.* 12. *in fine*, alios referens.

Causæ legitimè excusantes ab incursu peccati, Ex- 14
communicationis, & aliarum pœnarum ob ingressum Mulierum in Monasterium Virorum tres communiter enumerantur. 1. est, si post Constitutiones S. Pii V. & Gregorii XIII. superiùs relatas speciale privilegium obtinuerint à Pontifice. Cum enim prohibitio Jure Pontificio facta sit, ideo in eo Pontifex dispensare poterit, ut per se patet. Nullus autem Pontifice inferior dispensare in hoc poterit : imò privilegia ipsa à Sancta Sede concessa antecedenter ad Constitutiones prædictas revocata, ac derogata fuere. Quòd si Monasterium, quod ingressura est Mulier; ex suis Statutis habeat, non posse Mulieres recipi, aut admitti in illud; cui statuto expressè non sit derogatum in privilegio obtento, ex vi illius non poterit tale Monasterium ingredi Mulier privilegiata : ratio est, quia non censendus

dus eſt Pontifex velle illi derogare, niſi exprimat, & aliunde ut Supremus Princeps non tenetur ſcire ſtatuta particularia inferiorum. Sic *ex cap.* 1. *de Conſtit. in* 6. docet Bonacina *de Clauſ. qu.* 5. *p.* 4. *n.* 2. referens Sanchez, Suarez, Rebellum, Reginaldum, & alios.

15 2. Eſt Neceſſitas, cui commodè ſuccurri non poſſit, niſi per ingreſſum Mulieris in Monaſterium Virorum: ſic eſſet, ſi repentinum conflagraret incendium, nec viri haberentur ad extinguendum illud, & ad bona Monaſterii ſervanda: ratio eſt, quia ſi ob ſimilem cauſam permittitur Viris Monialium Monaſteria ingredi, par eſt, ut Mulieribus permittatur ingredi Monaſteria Virorum: maximè quia ſtrictior eſt prohibitio facta Viris ingrediendi Monaſteria Monialium, quàm fœminis ingrediendi Monaſteria Virorum. Sic etiam eſſet, ſi Religioſus jaceret in lectulo ob oſſium fracturam, vel ſi alio gravi morbo laboraret in lectulo, cui nullus alius præter fœminam mederi ſciret, poſſet utique ob talem neceſſitatem Monaſterium ingredi decenter comitata ad ſubveniendum neceſſitati religioſi infirmi jacentis in lectulo. Sic Rodriquez, Sorbus, Sanchez, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 4. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 8.

16 3. Eſt Pietas, & Religio: nam cauſa Proceſſionis alicujus, Miſſæ, Vigiliæ, funeris, aut alterius Divini Officii celebrandi in Clauſtro, aut ejus Cappellis; vel ſi concio habeatur, aut tantus concurſus populi ſit in Eccleſia, ut Mulieres commodè ingredi, & egredi non poſſint per portam principalem ipſius Eccleſiæ; poterunt tunc cum aliis Virginibus ſæcularibus ingredi, & egredi per portam Clauſtri Monaſterii, dummodo recto tramite accedant. Sic conſtat *ex Declaratione* S. Pii V. *vivæ vocis oraculo facta ann.* 1569. *die* 15. *Novembris*, cujus mentionem faciunt Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 48. *art.* 3. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. *punct.* 4. *num.* 6. & alii.

Notandum 1. nomine alterius Divini Officii poſſe bene intelligi benedictionem candelarum, aut olivarum; Lotionem pedum in die Cœnæ Domini; Suſceptionem habitus religioſi, vel profeſſionem Religioſam. Secus verò dicendum de Diſputationibus Philoſophicis, aut Theologicis; idem eſt de repreſentationibus alicujus pii, & religioſi Operis: ratio eſt, quia non ſunt Divina Officia, nec Proceſſio, Miſſa, Vigilia aut funus. Sic Bonacina *l. c. nu.* 8. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 9.

Notandum 2. non poſſe Mulieres, quibus permittitur ex prædictis cauſis Clauſtrum inferius Monaſterii Virorum ingredi; aſcendere ad Clauſtrum ſuperius, aut Officinas interiores ingredi ſine violatione Clauſuræ: ratio eſt, quia prohibitio ceſſat ſolùm pro eo loco, ubi Divina Officia celebrantur, ad quem via recta accedere debent, nec declinare ab illa: quapropter declinantes ad alia loca Monaſterii Clauſuram violant, ac pœnas incurrunt. Sic ex Sanchez, & Rodriquez tradit Caſtropalaus *loc. cit.*

Notandum 3. non poſſe Mulieres ingredi Clauſtrum illud ſub prohibitione contentum, antequam Divina celebrentur: ſed in ipſa celebratione Divinorum: ratio eſt, quia nondum habetur cauſa cohoneſtans, & permittens ingreſſum; quapropter ſi veſpere celebrantur Divina, manè nequibit haberi ingreſſus. Idem dicendum, ſi poſt celebrationem Divinorum ingredi velint Mulieres, repellendæ erunt: quia ceſſavit cauſa honeſtans, & permittens ingreſſum; quapropter ſi manè celebrata fuere Divina, veſpere nequibit fieri ingreſſus. Sic ex Rodriquez, & Sanchez tradit Caſtropalaus *l. c.* Non nego tamen, quòd ſi ultra finem audiendi Divina, & interveniendi illis animum haberent videndi Monaſterium, aut alium pravum animum, dummodo ad alia loca non progrediantur; non per hoc incurrunt cenſuram latam: quia eſto mulieres peccarent ex prava intentione, attamen ingrediuntur locum permiſſum, & in circumſtantiis permiſſis, quando ſuſpenſa eſt excommunicatio. Idem dicendum puto, ſi Mulier ingrediens occaſione Divinorum; animum non haberet audiendi Divina, ſed pravum aliquem finem; quamvis intra confluentes immoraretur, & non ſe extenderet ad alia loca: ratio eſt, quia licèt peccaret ex pravo animo, non tamen peccaret, quia ingreditur locum non permiſſum, cum ingrediatur in circumſtantiis permiſſis. Et quamvis privilegium concedatur, ut poſſint Divinis aſſiſtere, non tamen conceditur ſub conditione, quòd aſſiſtant ſub tali fine. Sic Rodriquez *in expoſit. Bullæ* S. Pii V. *numer.* 17. Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. *pun.* 4. *nu.* 13. & Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *numer.* 9.

Notandum 4. non poſſe Religioſos proceſſiones aliquas inſtituere eo fine, ut intra Clauſtra prohibita fœminæ ingrediantur, eſſet enim operari contra Pontificis intentionem, qui pietatem, & religionem fovere intendit, non verò Clauſuræ relaxationem: graviter enim peccarent, & gravi pœna puniendi eſſent ob abuſum poteſtatis, & privilegiorum. Nihilominus non incurrent pœnas latas contra admittentes fœminas: ratio eſt, quia non admittunt fœminas illicitè ingredientes, & ſi ipſæ jus habent ingrediendi ob proceſſionem illam, nequeunt religioſi illas ſic admittentes pœnas incurrere. Sic ex Coriolano tradit Bonacina *de Clauſ. quæſt.* 5. *punct.* 4. *numer.* 14. quamvis Sanchez, & Rodriquez ab eo relati oppoſitum ſentiant, quorum ſententia probabilitate non caret.

Notandum 5. Religioſum comitantem, confabulantem, & detinentem Mulierem ex ſe ingreſſam in Clauſuram extra caſus permiſſos; ſi ex Officio teneatur cuſtodire Clauſuram, certum eſt, incurrere pœnas impoſitas contra admittentes Mulieres: non enim expellit, cum poſſit, & tenetur ex Officio ad id faciendum, adeoque moraliter cenſetur admittere, & introducere. Si verò non teneatur ex Officio, nec comitatus ille, vel confabulatio cauſa eſt detentionis; non cenſendus erit admiſſor, & detentor. Secus verò ſi comitatus, & confabulatio ſit cauſa detentionis, aliàs mulier egrederetur; cenſendus erit admiſſor, cum indirectè detentioni Mulieris concurrat. Sic ex Suarez, & Sanchez docet Caſtropalaus *de Stat. Relig. diſp.* 4. *punct.* 8. *num.* 11.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO:

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

HOC Tertium Decalogi Præceptum spectans ad primam Tabulam respicit Dei Cultum, & venerationem per observationem Festorum; extenditur quoque ad Cultum, & Venerationem Sanctorum, de quibus Festa instituuntur; ideò in præsenti de hac Observatione sermonem habemus.

QUÆSTIO XIII.

DE OBSERVATIONE FESTORUM.

PLURA exagitari solent in hac quæstione, præcipua tamen sunt de Festorum Institutione, & quodnam Præceptum habeatur circa observantiam illorum, de Operibus, quæ prohibentur in die Festo; & de Causis, quæ excusare possint ab exercitio operum vetitorum in die festo.

CAPUT PRIMUM.

Quodnam Præceptum habeatur de Observatione Festorum, & quale illud sit?

1 *Quid importet præceptum observandi Sabbata? & cur Dies Dominicus designatus?*
2 *A quonam Jure sit Observatio Festi in die Dominico?*
3 *Quinam sint Dies Festi pro tota Ecclesia à Pontificibus designati?*
4 *Ob quem finem instituta fuit Observatio Festorum.*

1 PRÆCEPTUM observandi Sabbata latum fuit in veteri Lege, ut manifestè habetur *Exodi* 12. 16. *& 20. & Levitic.* 23. Verùm quia tale præceptum duo importat, nempe exigere tempus aliquod ad Cultum, & reverentiam Deo præstandam, necnon ad gratias ei exhibendas ob accepta beneficia, secundum quam partem morale, & naturale est. Designare insuper pro tali tempore Diem Sabbati, secundum quam partem Cęremoniale est; ideo in Lege Gratiæ abrogatum fuit secundum partem Ceremonialem, & pro Sabbato Dies Dominicus justis de Causis ab Ecclesia designatus fuit; licèt immutabile perseveret secundum partem Moralem, & naturalem: cum Jus ipsum naturæ dictet, & obliget ad habendum tempus, in quo Cultus Deo exhibeatur, & gratiæ ipsi reddantur pro acceptis donis, & beneficiis; secundum quam partem omnes obligat, licèt non obliget secundum partem cæremonialem: quia Cæremonialia veteris Legis deleta fuere per Christi mortem: ut bene ait D. Thom. 1. *par. quæst.* 100. *art.* 3. Assignatus autem fuit in Lege Veteri dies Sabbati, ut coleretur à Judæis in memoriam beneficii creationis: eo enim die requievit Deus ab omni opere, quod patrarat; in memoriam insuper liberationis à dura servitute Ægypti. Sed quia beneficium Redemptionis longè majus, & excellentius est beneficio creationis; ideo Ecclesia in Lege gratiæ exclusa festivitate Sabbati, ut constat *ex cap. Pervenit. de Consecr. dist.* 3. Diem Dominicum ut festivum observandum esse à Populo Christiano sanxit *in cap. Pronuntiandum, & Cap. Sabbato de consecr. dist.* 3. in memoriam Resurrectionis Christi Domini, qui insigne opus Redemptionis patrarat, & à dura inferni servitute liberaverat; in memoriam quoque requiei illius, quam Populus Christianus habiturus sperat cum Christo, quando in vitam æternam resurget. Tandem ne Christiani cum Judæis convenirent in cæremoniis.

2 Quæres 1. an observatio Festi in die Dominico sit à Jure Divino; an potiùs humano, & Ecclesiastico? Resp. quamvis Sylv. & Ang. putarint esse de Jure Divino; Communis tamen sententia cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 4. quem sequuntur Cajet. Sot. Navar. Azor. Suar. Fagun. & Bonac. quos refert, & sequitur Castrop. *tract. 9. de Relig. disp. unic. pun.* 1. *n.* 4. docet, esse tantùm de Jure humano, & Ecclesiastico; ratio est, tum quia nullum præceptum Divinum in hoc à Christo Domino latum est assignabile, cum communiter Theologi præter præcepta Fidei, & Sacramentorum, nulla alia ab eo lata recognoscant; tum quia satis providit observationi Festorum per hoc, quod suæ Ecclesiæ potestatem reliquerit assignandi dies sub præcepto, prout magis conveniens erit, cum facultate mutandi, aut dispensandi pro opportunitate fidelium; ergo dies festus Dominicus, prout nunc est in Ecclesia Dei, sicuti dies Festi Sanctorum, qui meritò ab Ecclesia instituti sunt; sunt tantùm à Jure Ecclesiastico, non verò Divino, aliàs essent omnino immutabiles, quod non est dicendum. Et licèt sit de Jure Divino, ut superiùs innui, quòd detur aliquod tempus pro Dei Cultu, & illius beneficiorum memoria, hoc enim est fundamentum contrariæ sententiæ; nihilominus illud assignare relictum est Ecclesiæ, quæ pro opportunitate variare poterit.

3 Quæres 2. quinam sunt dies Festi à Pontificibus pro tota Ecclesia designati? Resp. in primis esse diem Dominicum, ut constat *ex cap. Sabbatum de Consecr. dist.* 3. *& cap. Quoniam de feriis* observatio autem illius ab ipsis Apostolis traxisse originem, bene ostendit Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 4. 2. diem Pentecostes cum duobus subsequentibus *ex cap. pronuntiandum de Consecr. dist.* 3. *& cap. conquest. de feriis*. 3. Dies Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, & Resurrectionis cum duobus sequentibus *ex cit. cap. conquest.* & quamvis ibi feriandum statuatur pro tota hebdomada Resurrectionis, consuetudine tamen abrogatum est circa opera servilia, remanente solùm obligatione feriandi ab actibus Judicii, ut notat idem Suar. *l. c. cap.* 6. *n.* 2. quod etiam extendit *n.* 15. ad hebdomadam majorem, & sic est in usu. 4. Diem Ascensionis Christi Domini *ex cap.* 1. *de Consecr. dist.* 3. *& ex cap. conquest. de feriis*. Festum corporis Christi *ex Clemen. unic. de Reliq. & Vener. Sanctor.* Festum Inventionis S. Crucis *ex cap. Crucis de Consecr. dist.* 3. qui Textus quamvis tribuatur Eusebio, nihilominus tribui debet Sylvestro: cum Crux tempore Eusebii adhuc inventa non fuerit, sed post celebratum Concilium Nicænum, & Constantini Imperatoris conversionem, ut probat Baron. & infert Suar. *l. c. cap.* 7. 5. Festivitates Beatissimę Virg. Mariæ, Videlicet Conceptio, quæ licèt à Jure Communi non præcipiatur; consulitur tamen observanda à Sixto IV. *in Extravag. cum præexcelsa de Reliq. & Venerat. Sanct. & Extravag. Grave nimis*. Nunc verò temporis dies Conceptionis ferè in omni Diœcesi est ex consuetudine observandus: ut adnotat Castrop. *disp. unic. de observ. Festor. pun.* 1. *n.* 6. & novæ accesserunt Constitutiones Summorum Pontificum, vi quarum per totam Ecclesiam Festum hoc de præcepto celebrandum est. Nativitas, Annunciatio, Purificatio, & Assumptio præcipiuntur servari *in cap. Conquest. de Feriis* sub generali illa distributione Festorum Beatiss. Virg. licèt non sit receptum ejus Præsentationem in Templo, & Visitationem ad Elisabeth sub

ſub præcepto ſervari; ut adnotant Hoſtienſis, Panorm. & Jo: Andreas *in ſupradict. cap. conquæſt.* Nativitas tamen, Purificatio, & Aſſumptio expreſsè præcipiuntur *in cap. pronuntiandum de Conſecr. diſt. 3.* 6. Feſtivitates aliquorum Sanctorum, qui enumerantur *in cap.* 1. *de Conſecr. diſt. 3. & cap. ultim. de Feriis*, ſed quia ex prædictis capitibus non ſufficienter colligitur obligatio obſervandi Feſta, niſi accedat traditio, & conſuetudo; ideo aliquæ feſtivitates ibi enumeratæ in deſuetudinem abiere: ratio autem eſt, quia *cap.* 1. *de Conſecr. cit.* non eſt Concilii Generalis, ſed Provincialis, nec eſt Juris Pontificii; *cap. verò fin. de Feriis* non loquitur de obſervatione Feſtorum, prout importat obligationem audiendi Sacrum, & ceſſandi ab operibus ſervilibus; ſed in ordine ad feriandum à ſtrepitu Judiciorum, ut notat Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 20. Omiſſis igitur aliis Feſtivitatibus ibi enumeratis recenſebimus hic illas, quæ ex traditione, & conſuetudine ſervantur. Sunt itaque Feſtum Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, Natalitia duodecim Apoſtolorum, maximè Petri, & Pauli, Sanctorum Innocentium, Sancti Stephani, Sancti Laurentii, & Sanctorum omnium. His acceſſere Feſta S. Joſeph Sponſi Beatiſſimæ Virginis, & S. Annæ Matris ejuſdem Virginis. Alii tamen ſunt dies Feſti, qui non ſervantur ex obligatione univerſaliter, ſed in aliquibus Diœceſibus, & Civitatibus; ſicuti nonnulli ex Devotione tantùm ſervantur, aut ex Voto.

4 Quæres 4. ob quem finem obſervatio Feſtorum inſtituta fuit? Reſp. finem præcipuum eſſe, ut ab operibus ſervilibus ceſſantes fideles meliùs Orationi, & devotioni inſiſtant; inſuper ut Sanctorum Feſta colentes eorum exempla imitentur juxta illud D. Gregorii: *Imitari non pigeat, quod celebrare delectat*; denique ut accendantur fideles ad requiem illam æternam, in qua ſempiternum canatur Alleluja. Habet etiam quodlibet Feſtum ſuos fines particulares, quos longum eſſet recenſere.

CAPUT II.

Quinam poſſint Feſta Inſtituere; & quinam obligentur ad Obſervationem eorum?

1 *Pontifex, & Concilium Generale ex approbatione ipſius poſſunt Feſta inſtituere.*
2 *Poſſunt ex Jure Communi Feſta inſtituere Epiſcopi cum Conſenſu Cleri, & Populi pro ſuis Diœceſibus.*
3 *An invalida ſit Inſtitutio facta ab Epiſcopis ſine conſenſu Cleri, & Populi?*
4 *Nequit laica Poteſtas, quæcumque ſit, Dies Feſtos inſtituere.*
5 *An poſſit inſtitui Dies feſtus uſque ad Meridiem?*
6 *Quando nam ſit initium, & finis diei feſti?*
7 *Explicantur quænam Perſonæ teneantur ad obſervationem feſtorum.*

1 EXTRA controverſiam eſt, poſſe Pontificem, & Concilium Generale ex approbatione Pontificis dies feſtos inſtituere, & inſtitutos abrogare pro tota Eccleſia, nec in hoc requirere debent conſilium aliorum; eo quia ad ipſos attinet fideles in viam Domini dirigere, & Dei Cultum promovere, ipſi enim ſunt ſupra totam Eccleſiam; in qua ſi datur poteſtas dies feſtos inſtituendi, aut inſtitutos abrogandi, ut certum eſt dari, maximè ad ipſos ſpectare videtur: & ſic docent Sayr. *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 16. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. & alii communiter.

2 Poſſunt quoque Epiſcopi ex Jure Communi dies feſtos inſtituere cum conſenſu Clerici, & Populi pro ſuis tantùm Diœceſibus, ut colligitur *ex cap. pronunciandum de Conſecr. diſt.* 3. *& cap. conquæſt. de feriis*. Debent autem Feſtivitates iſtæ ab Epiſcopis inſtituendæ eſſe de Chriſto Domino, Beatiſſima Virgine, vel aliquo Sancto jam à Pontifice canonizato; non verò de Beatis, nondum in numerum Sanctorum relatis; vel aliquo Martyre, de quo conſtet etiam publicè in odium fidei peremptum fuiſſe; ſed canonizatus non ſit: eo quia Alexander III. *in cap.* 1. *de Reliq. & Vener. Sanct.* prohibuit, ſolemniter celebrari ut Sanctum, qui authoritate Romani Pontificis approbatus non ſit; ſed quæ major ſolemnitas, cultus, & celebritas, quàm ejus diem feſtum inſtituere? Sic Gloſſ. *in cap. præcit. verb. Feſtivitas*; *& ibi* Hoſtienſis *n.* 8. Jo: Andreas *n.* 3. Sanch. Suar. Azor. Bonac. & alii relati à Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 2. *n.* 2.

Sed dubitabis hic: an ita requiratur conſenſus Cle- 3
ri, & Populi, ad hoc ut Epiſcopus diem feſtum aliquem pro ſua Diœceſi inſtituat; ut ſine illo non valeat inſtituere? Reſp. ſi revera Jus Commune ſpectetur, non poterunt Epiſcopi dies feſtos perpetuos pro ſua Diœceſi inſtituere abſque conſenſu Cleri, & Populi; non quia Clerus, & Populus authoritatem habeant per ſua ſuffragia deciſiva hoc ſtatuendi; ſed quia juriſdictio, & Officium commiſſum Epiſcopis inſtituendi dies feſtos pro Diœceſi ſub hac conditione conceſſum fuit, qua non habita, non habetur in Epiſcopis facultas inſtituendi. Sic Covarr. Barb. Azor. Suar. Fagun. quos refert, & ſequitur Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 2. *n.* 5. & colligunt hanc doctrinam *ex cap.* 1. *de Conſecr. diſt.* 3. *& ex cap. final. de feriis*. Ratio autem cur appoſita fuerit à Jure talis conditio eſt, quia non videbatur congruum, Epiſcopos gravare Clerum, & Populum præcepto Feſtivitatis alicujus, ipſis non conſentientibus. Sufficienter tamen habetur hic conſenſus, ſi Clerus, & Populus ſcientes, Epiſcopum Feſtivitatem inſtituere, non contradicant: ut docet Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 9. Si verò conſuetudo ſpectetur, Epiſcopi dies feſtos pro Diœceſi inſtituunt abſq; Populi conſenſu, ſed ex conſenſu Capituli. Sic Doctores ſuperiùs citati cum Bonac. *quæſt. unic. de obſerv. feſtor. pun.* 1. *n.* 3. Verùm *ex Conſtitutione ſpeciali* Urbani VIII. quæ incipit, *univerſa* hæc poteſtas reſtricta fuit Epiſcopis.

Principes Sæculares, Reſpublicæ, & Civitates, ac 4
quæcumque alia poteſtas laica non poſſunt dies feſtos inſtituere: eo quia obſervantia, & Cultus diei feſti cum ſit actus Religionis, non poteſt præcipi à Poteſtate laica, quæ non ſe extendit ad Sacrum, & Religioſum præcipiendum: ut conſtat *ex cap. Cum laicis de Reb. Eccleſ. non alienan. & cap. Decernimus de Judiciis*. Inſuper ſi poſſet illos inſtituere laica Poteſtas, poſſet pariter prohibere, quod non eſt dicendum: ut benè aſſerunt Sylveſt. Azor. Sà, Sayr. & Filliuc. quos refert, & ſequitur Bonac. *l. c. n.* 5. Non nego tamen, quòd poſſit laica Poteſtas obligare ſibi ſubditos ad ceſſandum ab operibus ſervilibus pro aliquo, vel aliquibus diebus in ſignum lætitiæ, & civilis honoris ob partam Victoriam, aut alterius felicis eventus; ſed ceſſatione tantùm politica, non verò Religioſa, & ad Dei Cultum ordinata, ut præcipitur ab Eccleſia: cum poteſtas laica ut dictum eſt, non progrediatur ad Materiam Sacram, & Religioſam. Hinc ſequitur, quòd transgredientes præceptum hoc politicum poteſtatis laicæ non peccent mortaliter ſecluſo ſcandalo, cum non ſit materia adeo gravis, & ſic graviter conducens ad publicum bonum, ut videatur obligare in conſcientia. Sic Suar. Fagun. & Azor. quos refert, & ſequitur Caſtrop. *diſp. unic. de obſerv. Feſt. pun.* 2. *n.* 11. Sequitur quoque, quòd feſta introducta per conſuetudinem laicorum non afferant obligationem audiendi Sacrum, & ceſſandi ab operibus Servilibus, cum eorum poteſtas non extendatur ad actus religioſos præcipiendos. Si verò conſuetudo mixta ſit, cum introducta fuerit à Clericis, & Laicis ex intentione obligandi, ſeu cum exiſtimatione obligationis, non verò ex mera devotione; tunc non audientes Sacrum, & non abſtinentes ab operibus ſervilibus graviter peccabunt; cum conſuetudo mixta Laicorum, & Clericorum habeat vim inducendi obligationem circa obſervantiam Feſtorum, ſicuti vim habet illam abrogandi. Sic expreſsè Bonac. *quæſt. unic. de obſerv. Feſt. punct.* 1. *n.* 6. referens Suarez, Sà, Sylveſtrum, Azor. & Sayrum.

Petes hic: an poſſit inſtitui dies feſtus uſque ad Me- 5
ridiem? Reſp. affirmativè, cum nil in hoc habeatur in contrarium, & qui poteſt totum præcipere, poterit etiam & partem: quapropter habebitur tunc obligatio audiendi Sacrum, & ceſſandi à ſervilibus uſque ad Meridiem, quo tranſacto liberum erit cuique ſervilia exercere. Sic Azor. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 26. *quæſt.* 8. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 11. & Navarrus *cap.* 13. *num.* 5.

Petes inſuper: quod nam ſit initium, & finis diei 6
feſti? Reſp. in hoc attendendam eſſe locorum conſuetudinem, quæ communiter eſt à media nocte ad mediam noctem juxta jejunii obſervantiam, nam ſic Eccleſia ſolet diem ſuum numerare. Ita Graff. Suar. Azor. Sayr. Navar. & Laym. relati à Bonac. *quæſt unic. de obſer. feſt. pun.* 1. *n.* 7.

Rema-

Remanet inquirendum: quinam teneantur ad Observationem Festorum? Et certum est, non teneri infantes, amentes, & ebrios, dum ebrii sunt, & qui usu rationis carent ex defectu advertentiæ, rationis, & consensus. Nec teneri infideles, & qui baptizati non sunt, ut cathecumeni, cum non sint per baptismum jam subjecti Ecclesiæ, & ejus Præceptis. Teneri tamen omnes baptizatos usum rationis habentes, etiamsi hæretici sint; quia jam per baptismum Ecclesiæ subditi facti sunt. Sic communiter Doctores, cum hoc tamen, quòd si Observantia sit communis toti Ecclesiæ, ad illam teneantur omnes baptizati habentes usum rationis; si verò localis, teneantur omnes, quos afficit præceptum illud locale juxta ea, quæ dicuntur de observantia Legum, & Præceptorum, ubi fusiùs de hac re pertractatur.

CAPUT III.

An Præceptum observandi Festa sit affirmativum, an verò negativum? Et an detur in eo parvitas materiæ.

1 *Explicantur, quænam contineat Præceptum observandi festa, & ex qua parte sit affirmativum, vel negativum.*
2 *Parvitas Materiæ datur in hoc Præcepto.*
3 *Quod nam tempus constituat in hoc Præcepto parvitatem Materiæ?*
4 *An peccet Mortaliter, qui in pluribus diebus festivis multas parvitates materiæ committit.*
5 *An si in eodem festo quis plures leves materias commiserit contra auditionem Sacri, Cessationem à Servilibus; Recitationem Horarum, & Jejunium, si inciderit eo die; peccet mortaliter?*

1 PRÆCEPTUM observandi Festa duo continet, nempe auditionem Sacri, & cessationem ab operibus servilibus, & aliquibus liberalibus prohibitis. Quatenus ergo importat auditionem Sacri, esse affirmativum Communis sententia docet; præcipit enim Cultum positivum Deo exibendum. Solùm controversa est: an sit negativum secundum id, quod importat de Cessatione ab operibus servilibus: & ratio dubitandi est, quia ex una parte nulla actio præcipitur per cessationem, imò prohibetur; adeoque videtur importare quid negativum; ex alia verò parte talis cessatio debet esse non qualiscumque, sed religiosa, & sacra, per quam Deus colatur; sed sacrum, & religiosum spectans ad Dei Cultum, videtur importare quid positivum; ergo præceptum hoc respiciens talem cessationem erit affirmativum. Ideo Castropalaus *de Observat. Fest. pun. 3. nu.* 2. feliciter componit controversiam ex mente Suarii, Azorii, & Fagundez, quos refert, dicendo: Præceptum servandi festa secundum eam partem, quam dicit de Cessatione à servilibus esse materialiter negativum, formaliter verò positivum: nam sanctificatio cessationis, quatenus dirigitur in Dei Cultum, positiva reputatur; quia tamen sanctificatio in Cessatione non exhibetur aliqua actione physica positiva, sed potiùs carentia actionis; ideo materialiter, & absolutè hoc Præceptum negativum erit quoad hanc partem.

2 Parvitas Materiæ datur in hoc præcepto non solùm secundum id, quod dicit de affirmativo, prout videlicet importat auditionem Sacri, de qua agemus cum de Sacrificio Missæ; verum etiam secundum id, quod dicit de negativo, prout importat cessationem ab Operibus Servilibus, & à liberalibus prohibitis, de qua nunc agimus.

3 Quæres igitur 1. quod nam tempus constituat parvitatem materiæ in die festo, si non cessetur in eo à Servilibus? Ante responsionem præmittendum, hoc Præceptum obligare à cessatione Servilium à principio usque ad finem diei festi. Dies tamen festus non eodem modo numeratur ab omnibus; nam in aliquibus Regionibus incipit à Vesperis diei antecedentis, & durat usque ad Vesperas sequentis diei; in Hispania vero, Gallia, & Italia computatur à media nocte usque ad mediam noctem per spatium viginti quatuor horarum. Hoc præmisso. Resp. Suarez putare, parvitatem hanc statuendam esse judicio Viri prudentis, qui attenta persona, labore, & circumstantiis dijudicare possit, an tempus insumptum in servilibus faciendis parvum fuerit, an magnum: sic habet *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *capit.* 3. *numer.* 2. refellens eos, qui asserunt, attingere horam integram grave peccatum esse, cum una hora non sit notabilis materia respectu viginti quatuor horarum. Idem docet Castropalaus *disput. unic. de Obser. Fest. punct.* 3. *numer.* 4. & Sanchez *libr.* 1. *Decal. cap.* 4. *numer.* 18. Quapropter non multum excedere unam horam, ita tamen ut non attingantur duæ, non erit grave peccatum: duas verò attingere grave peccatum erit, cum reputetur notabilis pars diei festivi; neque Doctor classicæ notæ reperitur, qui tale spatium concedat. Refellendi tamen sunt Doctores Juris Canonici, qui nimis laxè concedunt tertiam partem diei festivi, cum per omnes Theologos gravissima materia sit, & sic larga aperiretur via ad contemnendum Dei Cultum. Advertit tamen Castropalaus *loco citato numer.* 5. non eodem modo discurrendum esse de parvitate Materiæ respectu operum Judicialium, & forensium, quæ prohibentur die festivo: nam in eis gravitas, & parvitas Materiæ non desumenda erit ex quantitate temporis, quod requiritur; sed ex qualitate operis: sic venditio rei magni momenti solemniter celebrata die festivo, etiamsi brevissimo tempore finiretur; esset utique materia gravis sufficiens ad mortale: sic etiam quilibet actus judicii die festivo exercitus ad breve tempus de re magna gravis materia erit, cum ex se contineat gravem deformitatem, & sufficientem ad reddendum actum irritum, ac nullum. Secus tamen dicendum: si venditiones sint rerum parvi momenti, etiamsi ad longum tempus protrahantur; cum consuetudine firmatum sit, non esse grave peccatum, imò neque veniale ob necessitatem ementium, & vendentium, aliàs agricolæ concurrentes die festivo ad urbes grave damnum paterentur ex denegata venditione calceorum, & similium rerum: ut bene docent Navarrus *lib.* 2. *de Feriis consil.* 1. *fol.* 101. & Rodriquez *in Summ. cap.* 121. *num.* 4.

4 Queres 2. an qui pluribus diebus festis aliqua opera servilia fecit, quæ simul sumpta notabilem materiam constituunt; peccet mortaliter? Resp. negativè: & ratio est, quia opera illa non continuantur, nec integrantur in unum, cum diversos respiciant dies, in quibus diversæ habentur obligationes cessandi à servilibus, & transacto die transit pariter obligatio illa. Confirmatur quoque responsio ex absurdis, quæ sequerentur in sententia opposita, nam relinquens parvos versiculos in Officio Divino, qui ad plures dies constituerent notabilem materiam; graviter peccaret; sicuti etiam graviter peccaret, qui per plures parvas materias singulis diebus Quadragesimæ sumptas, notabilem quantitatem ad jejunium infringendum manducaret; quæ non conceduntur à cordatis Viris. Sic Sanchez *lib.* 1. *Oper. Moral. capit.* 4. *numer.* 12. & Bonacina *quæst unic. de Obser. Fest. punct.* 3. *numer.* 3. Non nego tamen, quod plura opera servilia facta eodem die festivo, etiamsi parva sint, & distinctis vicibus efficiantur, si notabilem materiam attingant; grave peccatum sint; quia cum idem sit dies, & eadem urgeat obligatio; ideo continuari reputantur, & efficere unum. Sic Azor. 2. *par. lib.* 1. *capit.* 28. *quæst.* 5. Reginaldus *lib.* 19. *numer.* 53. Navarrus *capit.* 13. *Summ. numer.* 9. Sanchez, & Bonacina *locis citatis*.

5 Quæres 3. qui eodem die festo aliquid leve committit contra observationem audiendi Sacrum, contra cessationem à servilibus, contra Recitationem Horarum, & tandem contra jejunium, si eo die incidat, ita tamen ut levia hæc notabilem materiam constituant; an inquam peccet mortaliter? Resp. negativè: quia licèt sint eodem die, diversæ tamen sunt obligationes, & diversas respiciunt materias, inter se non continuabiles, nec unum morale constituentes; adeoque nequeunt in unum peccatum ex se grave confluere. Sic Sanchez *in Summ. lib.* 1. *capit.* 4. *numer.* 16. & Bonacina *de Observat. Fest. quæst. unic. punct.* 3. *numer.* 5.

CAPUT IV.

Quænam Opera præcipiantur diebus festivis; & quænam Opera Servilia prohibeantur?

1 *Præceptum Observationis Festorum duo continet; unum de positivo, alterum de negativo.*
2 *Ex vi præcepti Observationis Festorum Opus tantùm auditionis Sacri præstandum est.*
3 *Ex*

3 *Ex vi præcepti obſervationis feſtorum prohibentur omnia opera ſervilia.*
4 *An ſcribere, vel tranſcribere lucri cauſa ſit Opus ſervile?*
5 *An pingere, vel delineare ædificium conſtruendum ſit opus ſervile?*
6 *An Venatio, Aucupatio, & Piſcatio ſint opera ſervilia?*
7 *An præliari, digladiatoriam, aut exercitia militaria facere ſint opera ſervilia?*
8 *An iter agere ſit actio ſervilis?*

1 DIXIMUS, præceptum Obſervationis Feſtorum duo continere, unum de poſitivo, quo bona aliqua opera præcipit; alterum de negativo, quo à ſervilibus, & quibuſdam liberalibus præcipit abſtinendum; ideo inquirimus, quænam ſint ea, quæ præcipiantur, ut fiant; quænam ea, quæ prohibeantur, ne fiant.

2 Dicendum 1. ex vi præcepti Obſervationis Feſtorum nullum aliud opus præſtandum eſſe, quàm auditionem Sacri: & ratio eſt, quia nec ex præcepto Divino, nec Eccleſiaſtico conſtat alia obligatio exercendi poſitivam actionem. Sic Suarez *lib.* 2. *de feſtis cap.* 16. Bonac. *diſp.* 5. *quæſt. unic. de obſerv. feſt. pun.* 2. *à n.* 1. & Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 4. *à n.* 1.

Hinc fit 1. ex vi hujus præcepti non adeſſe obligationem ad eliciendum actum dilectionis Dei, vel actum Contritionis de peccatis commiſſis in die feſto, ut docuit Angelus *verb. feriæ num.* 45. cum aliis: ratio eſt, quia nullo jure probatur talis obligatio; non Divino, quia Jus Divinum præcipiens dilectionem non deſignat tempus feſtivum; non Eccleſiaſtico, quia cum dilectio Dei, & contritio de peccatis ſint actus interni, & Eccleſia non præcipiat actus merè internos; ſaltem directè, & immediatè; ideo non cadunt ſub præcepto Eccleſiaſtico. Neque colligitur obligatio contritionis in die feſto ex Virtute Pœnitentiæ, cum hæc non obliget potiùs in die feſto, quàm in alio; neque ex Virtute Religionis, cum hæc ſufficienter habeatur per auditionem Sacri. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. Cajetanus *ibi*, Sotus *lib.* 2. *de Juſt. quæſt.* 4. *art.* 4. Navarrus *cap.* 13. *n.* 17. Suarez *lib.* 2. *de feſtis cap.* 16. *n.* 11. & Sanch. *lib.* 2. *Summ. cap.* 31.

Fit 2. ex vi hujus præcepti non eſſe obligationem habendi aliam orationem diſtinctam ab auditione Sacri: eo quia *Canon omnis Chriſtianus diſt.* 4. *de Conſecr.* ubi videtur præcipi Oratio die feſtivo, loquitur de Oratione in Miſſa facienda, non de alia: & huic Orationis obligationi ſatisfaciunt fideles, ſi cum debita attentione aſſiſtant Orationibus Eccleſiæ à Sacerdote factis in Sacrificio Miſſæ: conſuluntur autem, non præcipiuntur aliæ Orationes die feſtivo.

Fit 3. neque præcipi ex vi hujus obligationis auditionem Sacræ Concionis; eo quia nullibi reperitur hoc mandatum: nam licèt teneantur fideles ex vi propriæ Charitatis ad conſulendum animæ ſuæ ediſcendo ea, quæ ad ſalutem æternam ſpectant, & præcipuè audiendo Monita Sacra Concionatorum; hoc tamen commodè præſtari poterit aliis diebus non feſtivis; ergo præcisè ex præcepto obſervandi feſta non colligitur obligatio audiendi concionem ipſis diebus feſtivis. Sic Suarez *lib.* 2. *de feſtis cap.* 16. *num.* 6. Graſſis 1. *part. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8. Filliuccius *tract.* 24. *cap.* 8. *quæſt.* 132. Bonacina *quæſt. unic. de obſerv. feſt. pun.* 2. *num.* 27. & Caſtropalaus *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 4. *num.* 5.

Fit denique: neque ex vi hujus præcepti obſervationis Feſtorum haberi adnexam ſpecialem obligationem, qua teneantur fideles ad non peccandum die feſto; adeout ſi peccent, duplicem contrahant malitiam contra obſervantiam feſti, & contra ſpecialem virtutem, cui opponitur peccatum commiſſum: & ratio eſt, quia non conſtat de hac ſpeciali obligatione, & prohibitione non peccandi in diebus feſtis, cum æque prohibeatur peccatum diebus feſtis, ac profeſtis; ergo peccatum diebus feſtis commiſſum non habet ſpecialem malitiam formaliter contra obſervantiam feſtorum, adeout aperienda ſit in confeſſione: ſic fornicans die feſtivo committit quidem actum continentem malitiam contra Virtutem Caſtitatis, non verò contra Virtutem Religionis. Confirmatur: cultus Dei, qui præcipitur per Obſervationem Feſtorum, habetur per ſolam auditionem Miſſæ, & ceſſationem ab operibus ſervilibus; ſed per peccatum nec impeditur auditio Miſſæ, nec ceſſatio à ſervilibus; ergo non eſt contrarium Cultui Divino, qui præcipitur per Feſtorum obſervantiam, adeoque cum hoc præcepto non repugnat. Et quamvis pugnet cum fine hujus, quod non nego, nam finis eſt vacare Deo, & impendere diem illum in ejus honorem, cui repugnat, & opponitur quælibet peccati actio; nihilominus finis præcepti juxta communem ſententiam non cadit ſub præcepto. Sic Navar. Guttier. Covarruv. Suar. Azor. Graſſis, Cajetan. Filliuc. quos referunt, & ſequuntur Bonac. *de obſerv. feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *n.* 3. & Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. punct.* 9.

Dicendum 2. per hoc præceptum obſervationis Feſtorum prohiberi omnia opera ſervilia, ut conſtat *ex cap. licet de feriis*, & ex uſu Eccleſiæ. Nomine autem Operis ſervilis intelligitur illud, quod commoditati corporis famulatur, & à ſervis propriè fieri ſolet; ita eſt terram colere, ſerere, calceos & veſtes conficere, opera mechanica exercere, cibaria præparare, & ſimilia; quæ licet aliquando à non ſervis præſtari poſſint, propriè tamen, & regulariter à ſervis fieri ſolent: ut ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. docent Cajet. Tolet. Suar. Navar. Azor. & alii communiter penes Bonac. & Caſtrop. *l. c.* Diſtinguitur Opus ſervile ab opere liberali, eo quod ſervile proximè, & immediatè ordinatur ad inſerviendum corpori, in cujus utilitatem cedit. Liberale verò proximè, & immediatè ordinatur ad inſtruendam vel mentem propriam, vel alienam: ut eſt docere, legere, concionari, diſputare, conſulere, & ſimilia, quæ ordinantur ad animam, adeoque opera animæ dici conſueverunt; ſicuti Servilia opera corporis dicta fuere. Sed quia multa opera dantur inſervientia commoditati corporis, quæ tam à ſervis, quàm à Dominis, & nobilibus fieri ſolent; ideo de illis ſpeciale dubium inſurgit, an hoc præcepto abſtinendi à ſervilibus comprehendantur. 3

Et 1. dubitatur: an tranſcribere lucri, & mercedis cauſa opus ſit ſervile hoc præcepto prohibitum: nam ſcribere ut memoria excolatur, augeatur, & conſervetur; vel ad abſentes ſalutandos, commonefaciendos hortandos, & docendos opus eſſe liberale, nemini dubium fuit. Summiſtæ cum Soto, Richar. Ang. Roſel. Tab. Sylv. quos refert, & ſequitur Azor. 2. *part. lib.* 1. *cap.* 27. *quæſt.* 4. communiter putarunt, eſſe opus ſervile & mechanicum, quia nihil aliud eſt, niſi expreſſio litterarum, quæ in Originali habentur ad inſtar impreſſionis libri, quæ extra controverſiam mechanica eſt. Nihilominus dicendum: neque ſcribere, neque tranſcribere lucri cauſa eſſe opus ſervile, ſed omnino liberale; & ratio eſt, quia tam ſcribere, quàm tranſcribere ordinantur ad exprimendos conceptus mentis, & ſubſtituuntur loquutionis loco; ſed loquutio non eſt opus ſervile, ſed omnino liberale inſerviens animæ; ergo neque ſcriptio, neque tranſcriptio erit opus ſervile. Sic Med. Ludov. Lop. Sayr. Suar. Fagun. Bonac. quos refert, & ſequitur Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 5. *n.* 4. Neque vitiatur opus ex ſe Liberale per mercedem, & lucrum; itaut evadat ſervile: quia intentio operantis propter mercedem non variat opus, ſed illud immutatum relinquit in ſuis intrinſecis, eſt enim talis intentio illi extrinſeca. Et quamvis intentio illa reddat opus mercenarium, non gratioſum; non inde ſequitur, quòd reddat ſervile: eo quia eſſe Mercenarium, vel gratioſum pendet quidem ab intentione operantis, non verò pendet ab ea eſſe liberale, vel ſervile. Sic generaliter loquentes docent Cajet. Tolet. ipſe Azor. Suar. Navar. Fagun. relati ab eodem Caſtrop. *l. c. n.* 3. Paritas deducta ab impreſſione librorum non eſt ad rem: nam licet opus impreſſum ordinetur ad illuſtrandam mentem; actio tamen imprimendi eſt omnino ſervilis, nec ordinatur ad mentem illuſtrandam, cum ſufficienter habeatur per tranſcriptionem; ſed ad inſerviendum commoditati corporis. Qui vult enim partus ſuæ mentis cæteris divulgare, cum non ſic facilè id præſtare poſſit per tranſcriptionem, quia nimis defatigaretur; ideo utitur adinventa ad hunc finem impreſſione. Non nego tamen, impreſſionem ordinari remotè ad mentem illuſtrandam; ſed hoc non ſufficit, aliàs fundentes ex metallo characteres, ac papyros efficientes neque opus ſervile præſtarent, quod abſurdum non eſt facilè concedendum. 4

2 Dubitatur: an pingere, aut delineare ædificium conſtruendum, vel opus acu pingendum ſint ſervilia, & præcepto Obſervationis feſtorum prohibita? 5

Arge-

Angelus, Sylvester, Rosella, Tabiena, Armilla, quos refert, & sequitur Azor. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 6. putant, hæc omnia præstare recreationis causa, & ad reficiendum animum, vel addiscendi ergo artem, non esse servilia, sed liberalia. Nihilominus communior, & tutior sententia docet, hæc opera servilia esse, adeoque die festo prohibita, etiamsi ob motiva adducta fiant: & ratio est, quia hæc opera à servis fieri consueverunt, & ex se non ordinantur ad instruendam mentem, sed potiùs ad assimilandam imaginem artefactam rei veræ, quod opus servile importat; aliàs nec servile esset imaginem sculpere, aut illam ex ære conflare, quod nemo usque adhuc concessit. Sic Cajetanus, Suarez, Sà, Fagundez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de observ. fest. disp. unic. pun.* 5. *num.* 7. Differt autem non parùm pictura à scriptura, eo quia scriptura à mente procedit, & ordinatur ad exprimendos ejus conceptus, judicia, & discursus; imò est ipsa expressio conceptuum, & quædam externa locutio permanens, adeoq; opus ex se liberale. Pictura verò non est expressio conceptuum mentis, sed rerum per conceptus repræsentatarum, adeoque ex se opus servile erit. Nec favet dicere: quòd sæpe à Nobilibus exerceatur, hoc enim per accidens est, nec eruit opus à sua conditione servili; aliàs si Nobilis mechanicam exerceret, mechanica evaderet liberalis. Non nego tamen, quòd merè addiscere, & memoriæ mandare regulas, & præcepta artis mechanicæ, & servilis die festo non sit prohibitum; cum hoc non sit opus servile, & corporale exercere: ut notavit Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de festis cap.* 26. *num.* 6.

6 3 Dubitatur: an Venatio, Aucupatio, & Piscatio sint opera servilia, adeoque prohibita die festo? Plures Doctores cum Azorio, Medina, Sà, Navarro, quos refert, & sequitur Bonacina *de observ. fest. quæst. unic. pun.* 2. *n.* 25. putarunt esse ex se licita die festo, si recreationis causa fiant, quia sic non sunt servilia; secus verò si ob lucrum, & quæstum fiant, quia tunc servilia erunt. Verùm dicendum existimo cum Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de festis cap.* 28. *num.* 5. Fagundez *de præcep. Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 17. Toleto *lib.* 1. *cap.* 24. & Castropalao *de observ. fest. disp. unic. pun.* 1. *num.* 9. venari, aucupari, piscari esse opera per se servilia; important enim actiones ordinatas ad inserviendum corpori ob ejus usum, & utilitatem; ad hunc siquidem finem colliguntur, deferuntur, & occiduntur animalia terrestria, volatilia, & aquatilia per venationem, aucupationem, & piscationem. Nec fieri recreationis causa, aut lucri constituit rationem liberalis, vel servilis, ut superiùs notavimus, quamvis constituat rationem gratuiti, aut mercenarii. Nihilominus ratione consuetudinis, quæ scientibus, & tolerantibus Prælatis introducta est; licitum erit venari, & aucupari die festo; sicuti etiam piscari *in flumine* moderatè, & sine magno labore ministrantium. Piscari tamen in mari non est in consuetudine, nisi ob specialem, & urgentem necessitatem, qualis esset piscatio alecium, quæ certis diebus apparere solent; itaut præteriri non possit sine magna jactura, pro qua piscatione specialis habetur licentia *ex cap. licet. de feriis* extenditur nihilominus juxta commune Doctorum sensum teste Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de festis cap.* 32. *num.* 6. ad omne aliud genus piscium, qui statutis temporibus apparent ut est piscatio tynnorum in nostra Sicilia, & alibi. Adnotandum tamen hìc, facultatem hanc concedi in supradicto *cap. licet.* diebus Dominicis, & Festis, exceptis tamen solemnioribus anni, cum obligatione elargiendi eleemosynam aliquam post capturam factam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus; quam quidem obligationem strictam existimat Suarez cum aliis *lib.* 2. *de festis cap. ult. num.* 7. cum sub illo onere detur facultas non debita.

7 4 Dubitatur: an præliari, vel digladiatoriam exercere, aut similes exercitationes militares facere, sint opera servilia die festo prohibita? Cajetanus, Bannez, Valentia, Sà, & Rodriquez penes Castropalaum *de observ. fest. disp. unic. pun.* 5. *num.* 11. putant, non esse opus servile hæc facere: cum sint actiones non minus servis, quam Principibus communes. Verùm dicendum est cum Suarez *lib.* 2. *de festis cap.* 28. *n.* 8. Fagundez *de præcep. Eccl. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. & Castropalao *l. c.* esse actiones per se serviles; quia sunt merè corporales, laboriosæ, & usus quidam artis mechanicæ, & ad effectus corporis ordinatæ; ratione tamen necessitatis, qua ferè semper habetur, licitas esse etiam diebus festivis *juxta leg. omnes Judices. Cod de feriis, & legem Duces, ff. de feriis*: nam vel bellum est defensivum, & tunc cohonestantur tales actiones ad propriam vitam, vel Rempublicam defendendam; vel est aggressivum, & necessitate acquirendi victoriam cohonestantur, opportunitas cujus die festivo habetur. Ob eamdem necessitatem pariter excusantur ab abstinendo à servilibus, qui muniunt urbes, arces, vel oppida aggeribus, fossis, vallo, & similibus: cum hæc sine gravi damno ad diem profestum differri non possint: ut bene notat Azor. *lib.* 1. 2. *part. cap.* 27. *quæst.* 2. Quòd si tempore pacis fiant diebus festivis nonnullæ exercitationes militares, ut juvenes assuescant digladiari, sicut consuetudine receptum est; hoc provenit ratione moralis necessitatis ad publicam custodiam, cui maximè prodest habere milites, & juvenes bene peritos in hac arte; nec possunt commodè, & absque dispendio eorum, qui exercentur, in alios dies non festivos differri similes exercitationes, quæ ut plurimùm fiunt videntibus, & consentientibus Prælatis, ut ait Fagundez *l. c.*

5 Dubitatur: an iter agere sit actio servilis, & pro- 8
hibita à præcepto Observationis Festorum? Dicendum præcisè iter agere sive peditùs, sive equitando non esse opus per se servile, quidquid *in* contrarium dixerint Cajetanus, Sotus, & Abulensis putantes consuetudine excusari viatores die festivo à peccato; ratio est, quia est quædam actio naturalis consistens in situatione corporis, & exercitatione; ergo per se spectata liberalis erit, non servilis: & quamvis aliquando fiat cum nimia corporis defatigatione, hoc non efficit, quòd id, quod est ex se liberale transeat in servile, aliàs choreas ducere, saltare, & tripudiis incumbere, quæ fiunt cum corporis defatigatione; essent opus servile, quod est contra communem Doctorum sententiam, putantium hæc ad animi oblectamentum, & corporis levamen instituta esse; sicuti etiam putant de exercitationibus Musicis tam voce, quàm instrumentis fieri solitis diebus festivis. Sic Navarr. *cap.* 13. *Summ. num.* 6. Angelus *verb. Feriæ n.* 15. Rosella *eod. verb. n.* 26. Azor. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 8. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de Festis cap.* 27. *n.* 2. Bonac. *de observ. Fest. quæst. unic. pun.* 2. *n.* 25. & Castrop. *de observ. Fest. disp. unic. pun.* 5. *n.* 12. Dixi, quòd iter agere ex se non sit opus servile præcisè sumptum: nam iter agere deferendo bestias, aut currus cum oneribus super impositis, quæ indigeant ope ad levanda, & iterum imponenda onera, ut communiter fit; opus erit servile, & prohibitum die festivo, nisi excuset vel parvitas materiæ, vel publica necessitas, ad quam confert mercium asportatio, vel alius titulus cohonestans.

CAPUT V.

Quænam actiones liberales licitæ sint die festo, & quænam prohibitæ.

1 *Omne opus liberale, quod est opus animæ, licitum est die festo.*
2 *Enumerantur Opera liberalia, quæ à Jure prohibentur.*
3 *Quid sit Mercatus à Jure prohibitus die festo?*
4 *Quid sit Placitum à Jure prohibitum die festo?*
5 *Quid sit Judicium Criminale à Jure prohibitum die festo?*
6 *Quid sit Sacramentum Publicum à Jure prohibitum die festo?*
7 *Quænam prohibeantur die festo circa citationem rei?*
8 *Quænam prohibeantur die festo circa formationem processus, & cognitionem causæ?*
9 *Quænam prohibeantur die festo circa prolationem sententiæ?*
10 *An etiam sententia arbitri, & amicabilis compositoris prohibeatur die festo?*

OMNE opus liberale, quod opus animæ dici consuevit, licitum est die festivo, cum ex vi Præcepti Observationis Festorum sola opera servilia prohibeantur. A Jure tamen excipiuntur aliqua opera liberalia, quæ non permittuntur die festivo, & tamquam 1

illicita prohibentur, Sic D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. quem ſequuntur Navar. Graſſis, Sotus, Azor. Suar. Reginal. Sylv. & alii communiter relati à Bonac. *de obſerv. Feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *n.* 6.

Licitum ergo eſt 1. concionari, legere, conſilia præbere, reſponſa dare ad dubia propoſita, etiamſi ſcripto fiant, & lucri cauſa, Judices privatim informare ſive voce, ſive ſcripto, agere cum Advocato, & Procuratore de Statu litis, allegationes conficere, quæ poſtea ante Tribunalia Judicum depromi debeant, ſtudere iis, quæ liti inſerviunt, eaque ſcripto adnotare: & ratio eſt, quia omnes iſtæ actiones liberales ſunt, nec ullo jure prohibitæ. Sic Suar. Azor. Graſſius, Sayr. Reginal. Cajetan. quos refert, & ſequitur Bonac. *de obſerv. feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *n.* 7.

Licitum eſt 2. actus juriſdictionis voluntariæ exercere, uti ſunt filios emancipare, adoptare, ſervos manumittere, ſignare, convocare cives ad conſilia, eligere Officiales ad regimen Civitatis, vel Eccleſiarum, teſtamenta conficere, eligere Tutores pupillorum, privilegia, aut diſpenſationes concedere, à cenſuris, & excommunicatione abſolvere: ratio autem eſt, quia omnia hæc cum neque judicialia ſint, neque ſtrepitum judicialem requirant, nullo jure prohibentur. Sic Sylv. *verb. Dominica quæſt.* 3. *n.* 5. Maranta 6. *part. de ordin. Judic. n.* 39. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de feſtis cap.* 30. *n.* 10. Fagundez *de præcep. Eccl. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 14. & Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. punct.* 6. *num.* 3.

2 Opera liberalia, quæ à Jure prohibentur; reducuntur ad hæc quatuor, nempe Mercatum, Placitum, Judicium Criminale, & Sacramentum publicum, ut conſtat *ex cap.* 1. *de feriis*, de quibus ſingillatim agendum eſt: nec immeritò à Jure prohibita fuere diebus feſtivis, quamvis liberalia eſſent; ad evitandas diſſenſiones, jurgia, & ſæculares diſtractiones, quæ ſecum trahunt ſimiles actiones; & maximè impediunt quietem animæ, & vacationem Deo, quæ intenduntur diebus feſtivis.

3 Quid ſit Mercatus? Nomine Mercatus non ſolùm veniunt Nundinæ, quæ fieri ſolent ſemel, bis, aut ter in anno ſecundum conceſſionem Principis; verùm etiam veniunt Nundinæ, quæ fieri ſolent qualibet hebdomada die determinato in aliqua Civitate, villa, aut oppido, quæ propriè nomine Mercatus appellantur, & ſunt prohibitæ à Jure Canonico in die feſto. Verùm primæ Nundinæ, de quibus benigniùs loquuntur Doctores; licitè cenſentur die feſto, & conſuetudine videtur abrogata obligatio ceſſandi ab illis, celebrantur ſiquidem videntibus, & non reprobantibus Prælatis, nec deeſt motivum cohoneſtandi illas, publica videlicet utilitas. Sic Suar. Cajet. Filliuc. Layman, quos refert. & ſequitur Bonac. *de obſerv. feſt. quæſt. unic. punct.* 2. *numer.* 10. & Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 6. *n.* 4. De Secundis Nundinis hebdomadariis in die ſtatuto major habetur difficultas, an licitæ ſint, ſi incidant in diem feſtum? Nihilominus ubi eſt recepta conſuetudo efficiendi has Nundinas excuſat à peccato, ut patet ex Regulis Generalibus, præcipuè quia non reprobant Prælati, & habetur titulus cohoneſtans illas, & earum permiſſionem; nempe bonum publicum; ad quod nimis confert habere diem præfixum, ut ex locis vicinis vendentes, aut ementes confluant, & ſi adveniente die feſto haberetur mutatio, maximum inſurgeret incommodum. Sic expreſsè Cajet. *in Summ. verb. feſtorum Violatio*, Navar. *in manual. cap.* 13. *num.* 8. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 24. *num.* 4. & Suarez *lib.* 2. *de feſt. cap.* 29. *n.* 5. Veniunt inſuper nomine Mercatus omnes contractus emptionum, & venditionum, locationum, permutationum: ut bene notat Suarez *l. c.* ſive privatim fiant, ſive publica ſolemnitate. Conſuetudine tamen receptum eſt, quòd operarii ſine ullo ſcrupulo conducantur die feſto, bona pupillorum, & bona mortuorum publica voce præconis ſubhaſtentur, prædia beneficiorum locentur, proventus Eccleſiarum publicè vendantur, quę neceſſaria ſunt cibo; & potui venalia fiant die feſtivo; Merces levioris momenti vendantur, & emantur, ac tandem paſſim fiant privatæ venditiones, & locationes in gratiam ſive emptorum, ſive venditorum, qui alio die non feſtivo adeſſe non poſſunt; quæ quidem omnia fiunt ſcientibus, & tolerantibus Superioribus, ad quos ſpectat. Quapropter in hac re ſpectanda erit recepta conſuetudo, quæ extenderda non erit, ſed in ſuis limitibus ſervanda, nec ullatenus nova introducenda, ubi recepta non eſt, magna enim reverentia debetur huic præcepto; ut rectè adnotat Bonac. *quæſt. unic. de obſerv. feſt. pun.* 2. *n.* 10. qui refert in favorem receptæ conſuetudinis Cajet. Navar. Suar. quibus addendi Fagundez *de præcept. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. Azor. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 17. *quæſt.* 10. & Caſtrop. *de obſerv. feſt. diſp. unic. pun.* 6. *n.* 5.

Quid ſit Placitum? Accipitur communiter Placitum pro Judicio forenſi Civili, ſeu pro quacumque lite, & cauſa fori, quæ in Judicio exagitatur, cum omnibus iis, quæ ſpectant ad acta Judicii, ad formationem proceſſus, & ad prolationem ſententiæ. Nam hæc omnia prohibentur die feſto, ut conſtat *ex cap.* 1. *& ultim. de feriis*; imò non ſolùm prohibentur, verùm etiam annullantur, & redduntur irrita ad differentiam Mercatus, qui prohibetur, ſed jam factus tenet; Placitum verò & prohibetur, & factum non tenet. Sic Azor. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 27. *quæſt.* 12. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 1. Reginal. *lib.* 19. *n.* 44. Bonac. *de obſerv. feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *n.* 10. 4

Sed petes 1. an ſi hæc omnia fiant ex conſenſu partium, valida ſint? Reſp. negativè ſi fiant in feriis inſtitutis in honorem Dei, ut ſunt dies feſtivi: & ratio eſt, quia partes non poſſunt renunciare, & cedere irritationi factæ per Jus Pontificium reſpiciens finem publicum Religionis, cui cedit jus particulare litigantium, ut habetur expreſsè *in cap. ult. de feriis*. Secus tamen dicendum, ſi fiant in Feriis non inſtitutis in honorem Dei, ſed in levamen, & favorem partium, ut ſunt feriæ Vindemiarum, Meſſium, & ſimilium; tunc enim valida, & licita erunt; quia poſſunt cedere, & renuntiare feriis in gratiam ipſorum inſtitutis. Sic Panormit. *in cap. Conqueſtus de feriis*, Suar. *l. c. cap.* 30. *n.* 2. Azor. *l. c. quæſt.* 18. Sylv. *verb. dominica n.* 2. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 24. *n.* 5. Bonac. *l. c.* & Caſtropalaus *l. c. num.* 3.

Petes 2. an dentur cauſæ, quæ poſſint reddere validum, & licitum Placitum diebus feſtivis? Reſp. affirmativè: & 1. ſi urgeat bonum pacis, & concordiæ, aut pietatis: ut conſtat *ex cap. ultim. de feriis, & ex leg. ult. cod. de feriis*; ſic Azor. Toletus, Bonacina *locis citatis*, & Sayrus *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 18. 2. ſi Judex, vel Teſtes aliis diebus commodè haberi non poſſint, aut periculum habeatur impediendi juſtitiam; ſi dilatio interponatur ad alium diem. Sic Cajetanus, Navarrus, Sayrus, Filliuccius, Reginaldus, Azor. relati à Bonacina *l. c.* 3. ſi Judex cogatur diſcurrere modò huc, modò illuc ob pagorum multitudinem, in quibus tenetur Jus dicere; aut ſi ruri commoretur, ubi ſolùm diebus feſtis rurales conveniunt; tunc enim civilia negotia expedire poterit ad pauperes ſpectantia: nam hi ſine gravi incommodo à ſuis operibus aliis diebus deſiſtere nequeunt. Reducuntur enumeratæ cauſæ ad præciſam neceſſitatem quæ legem non habet, adeoque Placitum & validum & licitum reddunt diebus feſtivis: ut bene docent Navarrus, Reginaldus, Azor. Cajetanus, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Obſerv. Feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *num.* 10.

Quid ſit Judicium Criminale? Eſt omne id, quod 5
ſpectat ad proferendam ſententiam mortis, vel cujuslibet pœnæ corporalis; & ſicuti ad Judicium forenſe Civile, quod nomine Placiti dictum eſt, ſpectant actiones illæ, ſcilicet citatio partis, formatio proceſſus, ſeu cognitio cauſæ, & prolatio ſententiæ; ita etiam eædem ſpectant ad Judicium forenſe Criminale habendum. Quæ quidem pariter prohibentur diebus feſtivis, in quibus omnis ſtrepitus Judicialis, omneque Placitum interdicitur, ut patet *ex cit. cap.* 1. *de Feriis* niſi neceſſitas urgeat, vel Pietas ſuadeat de quibus dictum eſt in Placito. Nam urgere quoque poteſt neceſſitas in Judicio Criminali, quæ reddat illud validum, & licitum diebus feſtivis: ut ſi atrox delictum commiſſum fuerit, quod ob publicitatem ſcandali, & ejus notoriam gravitatem exigat, ut etiam die feſto reus ſtatim damnetur; vel prudenter timeatur periculum impediendi juſtitiam; ſi reus ulteriùs detineatur; aut ſi publicus latro ſuſpectus ſit de fuga, tunc poterit die feſto in carcerem detrudi, & contra eum proceſſus formari quantum neceſſe erit; aut ſi conditio belli exigat aliquod criminale exequi die feſto: & ratio eſt, quia lex prohibens judicium criminale die feſto patitur hanc benignam

nignam interpretationem, quòd videlicet non præsumatur obligare cum gravi incommodo contra commune bonum justitiæ, & Reipublicæ. Sic juxta Glossam, Bartholum, & alios *in Leg. ult. Cod. de Feriis tradit* Maranta *6. part. de Ordin. Judic. titul. Actor. edit.* 38. Suarez *lib. 2. de Festis cap. 30. numer.* 19. Fagundez *de Præcep. Eccl. lib. 1. cap. 13. num.* 28. Filliuccius *cap. 10. quæst. 4.* Bonacina *l. c. punct. 2. num.* 10. & Castropalaus *l. c. pun. 7. num.* 17.

6 Quid sit Sacramentum publicum? Nomine Sacramenti publici intelligitur hìc Juramentum. Verùm controversia est: an quodcumque Juramentum prohibeatur. Affirmat Panormitanus *in cap. ultim. de Feriis num.* 18. putans, non solùm judiciale Juramentum prohiberi, sed etiam quodcumque extrajudiciale, cum sit absoluta Sacramenti publici prohibitio. Negat Cajet. 2. 2. *quæst. 122. art. 4. §. secundum* asserens, solum Juramentum judiciale prohiberi: eo quia prohibitio interpretanda est secundum materiam subjectam, quæ cum sit de Judiciis; de Juramento Judiciali intelligenda erit, non verò de quocumque alio Juramento extrajudiciali. Inter has sententias ex extremo oppositas placet mihi alia sententia media, quæ sustinet cum Suarez *lib. 2. de Festis cap. 30. n.* 17. Fagundez *de præcep. Eccles. lib. 1. cap. 13. num.* 29. & Castropalao *de observ. Fest. disp. unic. pun. 8. num. 3.* non solùm Juramenta Judicialia sive criminaliter, sive civiliter; verùm etiam ea omnia, quæ spectant ad contractus, & conventiones sub nomine Mercatus comprehensa, prohiberi; non verò reliqua Juramenta, quæ neque ad Judicium, neque ad Mercatum attinent: ratio est, quia *præcitatus Textus de Feriis* æquè prohibet Judicium, Placitum, & Mercatum, & statim addit prohibitionem Sacramenti, seu Juramenti; ergo videtur prohibere juramentum, quod non solùm spectet ad Judicium Criminale, verum etiam Civile, & ad Mercatum; cum æquè prohibeantur, & non possit major ratio assignari, cur juramentum Judici, & non Mercatus prohibeatur. Adnoto hìc 1. ex Fagundez *l. c. n. 30.* celebrantem contractum prohibitum die festivo, & illum juramento confirmantem debere in confessione & contractum, & juramentum manifestare, cum sit duplex peccatum. Adnoto 2. ex Suarez *l. c.* si judicium, & contractus ex rationabilibus causis licitè fieri possint die festivo; licitè quoque fieri posse juramentum ad illa requisitum: & ratio est, quia concesso principali videtur concedi accessorium.

7 Quæres 1. quænam prohibeantur die festivo circa Citationem rei, quæ est prima pars judicii? Resp. non solùm prohiberi mandatum Judicis, quo citationem rei præcipit; verùm etiam ipsam executionem citationis: cum tam mandatum, quàm executio spectent ad judicialem strepitum, ideoque prohibentur, & annullantur die festivo *ex Cap. ult. de Feriis, & ex leg. ult. Cod. de Feriis*, Sic Bartolus, Calderinus, & alii apud Panormitanum *cap. ult. de Feriis. n. 9.* Sic etiam Suarez, Azor. Filliuccius, & Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de observ. Fest. quæst. unic. pun. 2. num. 3.* & Castropalaus *de obser. Fest. disp. unic. pun. 7. num.* 1. Idem dicendum, si mandatum die profesto factum fuerit à Judice, & eodem die parti intimatum cum hoc, quòd compareat die festo: & ratio est, quia non solùm mandatum, & ejus executio tacere debet die festo; verùm etiam apparitio partis, quia sapit strepitum judicialem: ad quid enim pars comparere debeat, nisi ut examinetur, & processus fiat, aliàs inutiliter compareret: ecce tibi strepitum judicialem; ut bene notarunt Abbas *cap. ult. de Feriis num.* 21. Bartolus *in leg. ex quacumque ff. si quis in Jus vocatus*; Azor. 2. *par. lib. 1. cap. 22. quæst. 16.* Suarez *lib. 2. de Festis cap. 30. num. 3.* & Fagundez *de præcep. Eccl. lib. 1. cap. 13. num. 2.* Denique Citatio nulla erit, & illicita si fiat in loco, ubi celebratur dies festus, & ibi reperitur reus, quamvis in loco, ubi reperitur Judex, non colatur dies festus: & ratio est, quia intimatio ex una parte pertinet ad strepitum judicialem, ex alia parte intimatio respicit potiùs locum, ubi pars citata residet, quàm locum, ubi residet Judex; ergo nulliter, & illicitè fit in loco, ubi celebratur dies festus. Secus verò dicendum, si dies festus sit tantùm in loco, ubi est Judex, non verò ubi est pars, quæ citari debet; supponimus tamen, Mandatum citationis non fuisse factum à Judice die festo. Videatur Bonacina *de observ. Fest. quæst. unic. punct. 2. à num.* 19.

Quæres 2. quænam prohibeantur die festo circa 8
formationem processus, seu cognitionis causæ, quæ est secunda pars Judicii? Resp. formationem hanc processus duo importare, & jusjurandum, quod interponitur à Testibus; & eorum depositionem. De Jurejurando dubium non est, nec exigi, nec fieri posse die festivo; cum neque validum, neque licitum sit tali die, ut expressè habetur *in cap. 1. de Feriis*, ubi dicitur: Nec Sacramenta præstentur. Solùm controvertitur de Depositione, quam non prohiberi die festo, si jusjurandum factum fuerit die profesto, existimant Azor. Joannes Andrea, Maranta, & alii, Panormitanus verò putat, eam illicitè fieri die festo, sed validè: Sed dicendum, depositionem Testium, & eorum examen illicitè, & invalidè fieri, ac continuari die festo, etiamsi juramentum factum fuerit die profesto. Sic Suarez alios referens *lib. 2. de Festis cap. 30. num.* 16. Reginaldus *lib. 19. num.* 45. Fagundez *de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 13. n.* 16. Filliuccius *tract. 27. cap. 10. quæst. 7. num.* 193. Bonacina *loc. cit. num. 2.* & Castropalaus *de observ. Fest. disp. unic. punct. 7. num. 6.* & ratio est, quia talis depositio, & examen Testium est pars præcipua processus, imò per ipsam firmatur processus; sed *in cap. præcit. de Feriis* mandatur, litem omnino quiescere, & processum habitum non tenere; ergo & illicitè, & invalidè fit die festo. Insuper ipsa examinatio Testium, & depositio cum præviis interrogationibus à Judice factis actus sunt Judiciales, & ad strepitum forensem spectantes; sunt quoque iterationes, & renovationes juramenti emissi, quæ omnia cessare debent die festivo. Quapropter Tabellio scribens dicta Testium, & fidem faciens de ipsis die festo; graviter peccat, quia opponitur directè prohibitioni factæ, & facit actum nullum, ut notant Suarez, & Fagundez *l. c.* Extenditur doctrina allata non solùm ad causas temporales, verùm etiam spirituales: cum Jus absolutè loquatur, & generaliter, nec distinguendum à nobis est, ubi ipsum non distinguit. Sic Suarez, Reginaldus, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de observ. Fest. disp. unic. punct. 7. num.* 7. Limitari tamen poterit à consuetudine, quæ est optima Legum interpres; & nisi adsit causa pacis, aut alia necessitas, ut patet *ex ipso cap. 1. de Feriis*.

Quæres 3. quænam prohibeantur die festo circa prola- 9
tionem sententiæ, quæ est tertia pars Judicii? Resp. non solùm prohiberi sententiam ut illiciram, & invalidam in causa criminali, sed etiam in civili; & non solùm temporali, verum etiam spirituali: cum absolutè, & generaliter loquatur *Textus in c. ult. de Feriis*, ubi dicitur, ac mandatur: Ut omnis vox Judicis fileat. Loquitur autem Textus de sententia Judicis inter partes, & quæ requirat causæ cognitionem, & strepitum judicialem ut apparet consideranti Textum; nam sententia non requirens hanc recognitionem causæ, nec strepitum judicialem non prohibetur ullatenus. Sic absolutio ab Excommunicatione, Dispensatio, Concessio Privilegii, collatio beneficii, & similes actus voluntariæ jurisdictionis, qui sine judiciali strepitu fiunt; nec prohibentur, nec illiciti, aut invalidi sunt die festo. Sic Suarez referens Panormitanum, & Federicum de Senis, Azor. Reginaldus, Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Observ. Fest. quæst. unic. pun. 2. num.* 12. & Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun. 7. num.* 10.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti lata die festivo major insurgit difficultas, an licita, & valida sit? Affirmant nonnulli cum Antonio Butrio *in cap. ult. de Feriis*, esse invalidam, & illicitam: eo quia *ex Legib. ultim. Cod. de Feriis*, præcipitur, ut omnis vox Judicis his diebus fileat: quomodo ergo filet, si sententiam profert censurarum? hoc enim est maximè loqui: verum communior est sententia asserens, & licitam, & validam esse: & ratio est, quia sententiæ censurarum non requirunt cognitionem causæ, & strepitum judicialem; sed potiùs sunt præcepta, aut leges, quæ tales pœnas imponunt. Nec per Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum intenditur manifestari delictum, sed potiùs delinquentem à delicto removere; nec sunt pœnæ punitivæ, sed

medi-

medicinales ; quæ reſpiciunt bonum animæ . Textus adductus ex Lege non contradicit huic Opinioni: cum præcipiat, ut vox Judicis ſileat, ſi requirat ſtrepitum judicialem , & ſi revera ſit vox Judicis judicantis , non Superioris afferentis remedium malo. Sic Cajetanus, Maranta, Suarez, Fagundez, Bonacina, quos refert , & ſequitur Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſp. unic. pun. 7. num.* 11.

Executio ſententiæ ſive Civilis, ſive Criminalis licita, & valida reputatur die feſtivo à Panormitano *Cap. ult. de Feriis & c. ult. de Judiciis*; eo quia non pertinet ad ſtrepitum judicialem , data ſiquidem ſententia quieſcit Judex in munere ſuo, & illam exequi potiùs ſpectat ad miniſtros , quam ad Judicem. Sed longè probabilior eſt opinio eorum, qui aſſerunt, & illicitam , & invalidam eſſe ; adeoque revocabilem, ſi non tranſierit, & revocari poſſit: ratio autem eſt, quia ſtrepitus judicialis terminatur , & completur per ſententiæ executionem; ergo executio maximè prohibetur, & irritatur die feſtivo. Adde, quòd majorem perturbationem ingerit die feſtivo executio ſententiæ, quam prolatio ipſius : favet *Lex ult. Cod. de Feriis*, ubi dicitur : ut à cunctis executionibus excuſetur, nulla quemque urgeat admonitio ; taceat apparitio præconis , horrida vox ſileat. Sic Felinus *in Cap. ult. de Judiciis*, *num.* 13. Suarez *lib.* 2. *de Feſtis*, *cap.* 30. *num.* 11. Fagundez *de Præcept. Eccl. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 23. Bonacina *de Obſerv. Feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *num.* 12. & Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſput. unic. punct.* 7. *num.* 12.

An appellatio licita, & valida ſit die feſtivo ? dubia res eſt : nam Suarez *loc. cit num.* 13. & Reginaldus *lib.* 19. *num.* 45. putant, eam non conſulendam eſſe in praxi : eo quia eſt pars proceſſus, & pertinet ad actus judiciales, ac ad ſtrepitum judicialem; ſuſpendit ſiquidem juriſdictionem in Judice à quo, & firmat in Judice ad quem. Inſuper proſecutio Appellationis prohibita eſt die feſtivo, ergo à fortiori ipſa appellatio: nam ad appellandum conceduntur decem dies ; adeoque non habetur neceſſitas interponendi appellationem die feſto : cognoſcere quoque debet Judex merita appellationis , num juſta , & legitima ſint, ut à cauſa abſtineat , quod formaliter importat ſtrepitum judicialem . Negari non poteſt , quòd rationes adductæ maximum pondus afferant, unde probabilius videtur, abſtinendum eſſe die feſtivo ab appellatione, ut bene notavit Caſtropalaus *loc. cit. num.* 13. Nihilominus neganda non erit ſua probabilitas communiori ſententiæ, quæ ut licitam, & validam defendit appellationem die feſto ; eam ſuſtinent Gloſſa *in Cap. ult. de Feriis*, *& ibi* Panormitanus *num.* 12. Felinus *col.* 5. Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 4. Fagundez *de Præcept. Eccl. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 24. & Bonacina *de Obſerv. Feſt. quæſt. unic. pun.* 2. *num.* 13. moventur, quia appellatio non eſt actus judicialis, nec exercitium juriſdictionis, cum à parte proveniat, non à Judice : inſuper quilibet à Jure naturæ habet , poſſe ſe defendere quolibet die : cum igitur appellatio inſtituta ſit ad propriam defenſionem , ideo licitè , & validè fieri poterit etiam die feſtivo. Tandem quia *Lex.* 1. *Cod. de Feriis* concedit appellationem tam in feriis repentinis, quàm ſolemnibus, nec reprobatur à Jure Canonico : & etiamſi concedatur ad actus Judiciales pertinere , quia tamen ſine magno ſtrepitu fieri ſolet , & aliunde res favorabilis eſt ; non reputari debet comprehenſa ſub generali prohibitione actuum judicialium , ut comprobat conſuetudo optima Legum interpres.

10 Quæres 4. an etiam ſententia Arbitri, & Arbitratoris, ſeu amicabilis Compoſitoris prohibeatur ut illicita, & invalida die feſtivo ? Reſp. affirmativè de Sententia Arbitri : & ratio eſt, quia hæc procedit ſervato Juris Ordine. ac cauſa cognita; adeoque reputanda erit ſententia lata ab ordinario Judice. Sic Panormitanus, Suarez, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſp. unic. pun.* 7. *n.* 16. Per hoc tamen non negatur, quòd partes die feſto poſſint convenire in eo, quod ſtent ſententiæ arbitri: quia talis conſenſus partium non eſt actus Judicialis, ſed mutuus contractus, quo ſe obligant ſtare ſententiæ , quam Judex electus protulerit : ſic ſupracitati Doctores. De Sententia verò Arbitratoris dicendum eſt, licitam, & validam eſſe die feſtivo : quia non judicat de lite, ſed illam componit; quod eſt Charitatis Miniſterium , & opus pacis non prohibitum die feſto. Sic Fagundez , & Caſtropalaus *l. c.*

CAPUT VI.

Quænam cauſæ excuſent ab Obſervatione Feſti?

1 *Quatuor ſunt cauſæ excuſantes ab Obſervatione Feſti.*
2 *Quænam Opera Religionis, & Cultus Divini gratia exerceri poſſint die feſto?*
3 *Quænam Opera Pietatis fieri poſſint die feſto?*
4 *Quænam neceſſitas exercendi ſervilia excuſet ab Obſervatione Feſti?*
5 *An ſit ſufficiens cauſa ad laborandum die feſto ſuſtentatio ſui, & familiæ; aut laborare ad peccatum vitandum; & ad quem recurrendum in dubio?*
6 *A quonam petenda Diſpenſatio non ceſſandi à Servilibus die feſto?*

QUAMVIS Cauſæ excuſantes ab Obſervatione Feſti variæ eſſe poſſint , nihilominus reducuntur ad quatuor , Religionem videlicet, Pietatem, Neceſſitatem, & Diſpenſationem; de quibus ſingillatim agemus, cum certum ſit , abſque ulla cauſa diem feſtum non obſervare, grave peccatum eſſe ex ſe, cum ſit contra Divinum Præceptum , contra Religionem, & Cultum Deo debitum ; niſi aliunde proveniret inobſervantia , ex ignorantia , aut indeliberatione ſecundum generales regulas excuſandi à peccato . 1

Quid de Religione . Opera, quæ Religionis cauſa, & Cultus Divini exerceri poſſunt in die feſto, in triplici differentia conſiderari poſſunt : nam alia immediatè, & per ſe ſpectant ad Cultum Divinum; alia præparant ad illum; alia tandem remotè, & accidentaliter pertinent ad illum. His poſitis . 2

Dicendum 1. opera, quæ per ſe & immediatè ſpectant ab Cultum Divinum, licitè fieri poſſe die feſto: ſic ſunt pulſare organa, cymbala, vel alia muſica inſtrumenta, crucem deferre, & ſimilia : & ratio eſt, quia non ſunt opera propriè ſervilia, cum ſervilia potiùs ordinentur ad inſerviendum hominibus , quam Deo : ut bene adnotavit Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſp. unic. pun.* 10. *num.* 1.

Dicendum 2. opera , quæ præparant ad Divinum Cultum, non debere fieri die feſto, ſi antea fieri poſſunt , cum ſint actiones ex ſe communes hominum ſervitio, vel Dei. Quòd ſi fiant die feſto , quamvis anticipari potuerint die profeſto ; non cenſenda ſunt excedere culpam venialem : ſic ſunt ornare tapetibus Templa, præparare altaria, tabulata ad ſolemnitatem requiſita conficere , verrere Templi ſordes, mundare vias publicas, per quas facienda eſt proceſſio, coquere azimos panes ad Sacrificia, & his ſimilia : & ratio eſt, quia talia opera ob connexionem , quam habent cum Dei Cultu, ad quem ordinantur; amittunt rationem operis ſervilis, & reputantur levis materia, quæ nequit tranſire veniale peccatum. Sic Cajetanus, Suarez, Azor. Fagundez, & Bonacina , quos refert , & ſequitur Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſp. unic. pun.* 10. *num.* 1. Quòd ſi rationabilis cauſa accedat, ut eſt, non potuiſſe omnia præparari die profeſto; vel quia multi dies feſti continuantur inter ſe; aut quia neceſſarii apparatus priùs haberi non potuerunt; aut artifices, qui talia opera præſtare debebant : tunc nec levis culpa erit; ut docent Sayrus , Azor. Fagundez, Reginaldus, Sotus, & Suarez relati à Bonacina *de Obſerv. Feſt. quæſt. unic. pun.* 3. *num.* 6. & à Caſtropalao *loc. cit.*

Dicendum 3. opera, quæ remotè, & accidentaliter ſpectant ad Dei Cultum, illicitè fieri die feſto : ſic ſunt aptare operam ad colendos Eccleſiæ agros ; portare lapides ad Eccleſiam conſtruendam, vel illam conſtruere; calices, aut alia ſacra vaſa, vel res ad Eccleſiam ſpectantes, & Dei Cultum conficere : & ratio eſt, quia ſunt opera per ſe ſervilia , & nimis remotè ad Dei Cultum ordinantur; ſunt etenim indifferentia, ut Cultui Divino , vel corporali hominum ſervitio aptentur . Sic Suarez , Navarrus , Fagundez , Reginaldus , Bonacina , quos refert , & ſequitur Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſput. unic. punct.* 10. *à num.* 1. Niſi urgeat neceſſitas , itaut Eccleſia grave patiatur damnum , ſi careat his ſubſidiis ; vel Epiſcopus ob pietatem ſubveniendi pauperi Eccleſiæ det facultatem laborandi

die

die festo; aut Parochus, ubi consuetudo adest, quòd Parochus talem facultatem det, ac concedere possit: ut docent Navarrus, Cajetanus, Sotus, Sayrus, Azor. & Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *loco superiùs citato*.

3 Quid de Pietate? Opera, quæ ex Pietate fieri possunt die festo, in duplici genere considerari possunt, alia enim sunt pia ex se, ut sepelire mortuos, curare infirmos; & hæc licita esse die festo, nemini dubium fuit, cum vel Pietas ipsa doceat. Alia non sunt pia ex se, sed per accidens quatenus ad Pietatem ordinantur: ut congerere lapides, vel ligna ad locum pium ædificandum, vel Domum Religiosam; aut pontes erigere, vel vias sternere pro publico bono viatorum, & similia; quæ minimè licita sunt die festivo: & ratio est quia sunt servilia ex se, & tantùm ex intentione operantis diriguntur ad Pietatem, quod non sufficit ad illa cohonestanda die festivo; aliàs liceret omnibus laborare diebus festivis, ut ex lucro quod reportarent, eleemosynam pauperibus impertiantur. Nec opus per se Religionis, ut est observantia diei festi; postponi debet operi Pietatis per accidens. Sic Suarez, Cajetanus, Navarrus, Reginaldus, Sayrus, & Layman, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Observ. Fest. quæst. unic. pun. 3. num. 7.* & Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun. 10. num. 7.*

4 Quid de Necessitate? Necessitas exercendi servilia die festo potest esse publica, vel privata; aliena, aut propria: quapropter per distinctos Casus considerandа erit; nam si judicio prudentum virorum justa, & legitima videatur; utique à peccato excusabit, cum Ecclesia semper pia Mater non intendat obligare cum gravi incommodo ad observantiam suarum Legum.

Excusantur igitur 1. à peccato ratione necessitatis parantes ea, quæ inserviunt ad communem victum, ut carnes vendere, illas coquere, etiamsi quæ spectant ad cibum, & potum diei illius superflua sint, & potiùs ad delectationem, quàm necessariam corporis sustentationem, cum consuetudine sic introductum sit: ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 4. quem sequuntur Doctores. Extenditur hæc doctrina ad fructus colligendos eodem die festo ex arboribus, ut integriores, & saniores sint; sicuti etiam ad occidenda animalia illaque excorianda, si carnes non ita utiles essent, aut suaves ex occisione die pristino facta in quo attendenda est consuetudo Sic Suarez *lib.* 2. *de Fest. cap* 21. *num.* 4. Bonacina *de Obser. Fest. quæst. unic. pun.* 3. *num.* 9. & Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun.* 10. *num.* 3.

Excusantur 2. Pistores, quando plures concurrunt dies festivi; vel quia panis non est sufficiens; vel quia non esset satis aptus. Sic Azor. 2. *part. lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 2. & alii cemmuniter. Excusantur pariter molitores, si magnus habeatur concursus ad molendum, & omnibus satisfieri non possit diebus profestis; maximè si utantur vento, vel aqua ad molendum, cum tunc parum laboris requiratur. Secus verò dicendum esset, si brachiis, aut laborioso instrumento uterentur, tunc enim ablata supradicta necessitate concurrentium, minimè liceret. Sic Rodriquez *in Summ. cap.* 125. *n.* 4. Bonacina *de Observ. Fest. quæst. unic pun.* 3. *num.* 9. & Castropalaus *de Observat. Fest. disp. unic. pun.* 10. *num.* 3.

Excusantur 3. Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ medicamina parantes pro infirmis, dummodo necessaria sint pro ipso die festo, quia si commodè differri possent ad diem profestum, non esset licita eorum præparatio, quia jam cessaret necessitas cohonestans illam. Sic Sotus, Suarez, Sayrus, Azor. Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit.*

Excusantur 4. ob publicam necessitatem ingruentem reficientes pontes, fontes, vias publicas; quæ sine gravi damno boni communis differri nequeunt ad diem profestum. Sicuti etiam remigantes; Muliones cum mulis onustis iter agentes; Muros, foveas, aggeres construentes ad Civitatis defensionem causa belli, parantes tormenta bellica; fabri ferrarii ferreas laminas equorum efficientes, ac accommodantes, necessitate urgente: & ratio est, quia si privata necessitas cohonestat laborem die festivo; multo magis cohonestare poterit publica necessitas. Sic Suarez *lib.* 2. *de Festis c.* 32. *n.* 4. Azor. 2. *Par. lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 4. Fagundez *de Præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 23. Bonacina *de Observ. Fest. quæst. unic pun.* 3. *num.* 11. & 12. & Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun.* 10. *numer.* 3. Extendunt hi Doctores hanc doctrinam ad laborantes ob occasionem publicæ lætitiæ, sive vestes conficiant, sive theatra construant, aut alia instrumenta lætitiæ; quia similes demonstrationes necessariæ sunt ad Reipublicæ utilitatem.

Excusantur 5. ob necessitatem propriam, vel alienam qui segetes metunt, triticum purgant à paleis, fœnum asportant, fructus colligunt, ne ingruente pluvia corrumpantur; aut aliud sequatur grave damnum. Ex quo motivo plura opera incœpta die profesto continuari poterunt die festivo; si ex omissione, ut dictum est, grave sequeretur damnum: sic evenit in decolatione æris, ferri, vitri, aut in concoctione calcis, laterum, & similium: semper tamen præciso scandalo, ad quod vitandum urget obligatio; quod etiam vitare tenentur ferentes die festo tempore autumni ex necessitate, quia ingrueret tempus minus opportunum ad ferendum triticum. Sic Suarez, Navarrus, Sotus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Observ. Fest. quæst. unica pun.* 10. *num.* 13.

Excusantur 6. serviliter laborantes in piscatione tynnorum, alecium, & similium piscium transeuntium, quorum jactura grave damnum reputatur; maximè quia in jure permissa est talis piscatio nonnullis additis conditionibus. Sic Navarrus, Fagundez, Azor. Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun.* 10. *num.* 3.

Excusantur 7. ratione obedientiæ, & coactionis subditi, servi, uxores, filii, famuli, dum compelluntur ab heris, Dominis, Maritis, aut genitoribus ad præstanda opera servilia; si tamen ipsis grave sequeretur incommodum, ut amittendi stipendium, remotionis à famulatu, cum alios dominos invenire non possent: nam si leve tantùm sequeretur incommodum, non utique licitus ipsis esset labor die festivo. Sicuti nullo modo est licitus, si ipsis talis labor præcipitur in contemptum diei festi, vel fidei; tunc enim urgeret magis bonum Religionis, quàm propriæ vitæ, quæ ultro exponenda erit, ne sic sacrilegis mandatis obtemperetur. Sic Suarez, Navarrus, Fagundez, Azor. & Bonac. quos refert, & sequitur Castrop. *loco supracitato.*

Quæres hìc: an sit sufficiens necessitas laborandi 5
die festivo sustentatio sui, & suæ familiæ; vel laborare ad vitandum peccatum? Resp. 1. sustentationem sui, & suæ familiæ tunc sufficientem esse ad cohonestandum opus servile die festo, quando aliunde sublevari non possit talis necessitas; & quod non prorogetur labor ultra id, quod necessarium est ad sustentationem, audita prius missa, & secluso scandalo; ideoque non in publico, sed in secreto laborare oportet: ratio autem est, quia licèt necessitas non habeat legem, sed potius ipsa sibi legem præscribat *ex Cap. Remissionem 1. quæst. 1.* nihilominus jam facultatem tribuit, quanta præcisè necessaria est, remoto scandalo, & adimpleto præcepto servandi festum quoad Missæ auditionem, cum breve tempus requirat. Sic Azor. Suarez, Toletus, Fagundez & Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun.* 10. *num.* 13.

Quod si dubium insurgat, an necessitas sufficiens sit; recurrendum erit ad Episcopum, vel Parochum, aut saltem ad virum doctum, & prudentem. Et ratio est, quia præceptum stat in sua possessione, & causa dubia non est sufficiens ad tollendam obligationem præcepti, ut advertit Bonacina alios referens *de Observ. Fest. quæst. unic. pun.* 3. *num.* 14. quapropter sanum semper consilium erit petere facultatem à Parocho, quando publicè servilia fieri debent ob gravem necessitatem, ut tollatur omne scandalum, & tuto conscientia operetur.

Resp. 2. quamvis necessitas spiritualis ad vitandum peccatum, quod probabiliter committeretur ex otio; sufficiat ad excusandum sic serviliter operantem die festo, cum efficacius excusare debeat necessitas spiritualis præ corporali, ut communiter admittunt Doctores; nihilominus rectè docet Castropalaus *de Observ. Fest. disp. unic. pun.* 10. *num.* 3. *in fine*, rarò esse medium adeo necessarium ad vitandum peccatum, ejusque occasionem serviliter laborare, cum æquè vitari possit, imò præstantius per orationem, lectionem librorum piorum, visitationem Ecclesiarum aut aliam honestam recreationem.

Quid de Dispensatione? Cum per Dispensationem tolla-

tollatur obligatio Legis præcipientis ceſſationem à ſervilibus operibus die feſtivo; ideo inquiritur, à quonam petenda ſit talis diſpenſatio, & quid requiratur ad illam. Quia tamen Feſta alia ſunt ex Jure Communi, alia ex Conſtitutionibus Synodalibus; ideo ſi de Synodalibus loquimur, petenda Diſpenſatio erit ab Epiſcopo, vel ejus Vicario; qui ſi eam concedant, etiam nulla interveniente legitima cauſa; utique legitima, & valida erit diſpenſatio: ratio eſt, quia Feſta conſuetudine populorum inducta, aut ab Ordinariis inſtituta poſſunt auferri ab eiſdem Ordinariis. Ergo multò magis poſſunt in ipſis diſpenſare etiam nulla intercedente cauſa. Sic Navarrus, Sotus, Sayrus, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Obſerv. Feſt. quæſt. unic. pun. 3. num.* 21. & Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſp. unic. pun.* 10. *num.* 5. Si verò de Feſtis Jure communi ſtatutis loquimur; tunc diſpenſare poterit Epiſcopus, quando legitima intercedit cauſa: quia licèt inſtituta fuerint à Pontifice, ſupra quem non eſt Epiſcopus; nihilominus valde neceſſarium eſt ad rectam Eccleſiæ gubernationem, quòd talis facultas diſpenſandi reſideat in Epiſcopo; cum repentini, & frequentes caſus accidere ſoleant, in quibus commodè Pontifex adiri non poteſt; ideoque legitima urgente cauſa communi cum populis communiter diſpenſare poterit; ſi tamen urgeat legitima cauſa particularis, cum particulari tantùm diſpenſare poterit. Sic Doctores ſuperiùs citati. Quænam autem ſit hæc legitima cauſa ad diſpenſandum requiſita, arbitrio Prudentum determinandam relinquit Caſtropalaus, & paſſim reducitur ad Pietatem, aut Neceſſitatem. Quod dictum eſt de Epiſcopis ampliatur ad habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, Abbates exemptos, Capitulum Sede Vacante, & Superiores Regularium reſpectu ſuorum ſubditorum. Sic Gloſſa *in Cap. Quamquam, de Uſur. in 6. verb. Loci Ordinario*, Azor. 2. *Part. lib.* 1. *cap.* 28. *quæſt.* 5. Fagundez *de Præcept. Eccl. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 28. & Caſtropalaus *de Obſerv. Feſt. diſp. unic. pun.* 10. *num.* 5. De Parocho ex recepta conſuetudine, & quando commodè Epiſcopus adiri non poterit, pariter loquuntur, ac de ſupradictis Azor. Suarez, Fagundez, Bonacina, & Caſtropalaus eos referens *loc. cit.* quamvis diſpenſationem non poſſit concedere in perpetuum, ſed ad tempus: cum conſuetudine acquiri poſſit juriſdictio quoad hanc facultatem, & fideles remedio deſtitui non debeant.

QUÆSTIO XIV.

DE IMMUNITATE LOCORUM SACRORUM, ET REVERENTIA EIS DEBITA.

SICUT ad Religionem ſpectat debitum Cultum Deo exhibere, ſic ad eamdem ſpectat ea loca, quæ ſpecialiter in Dei Cultum dicata ſunt, debitè revereri. Hæc autem reverentia non conſiſtit in actu aliquo poſitivo, nullus enim Cultus poſitivus directè & abſolutè Locis Sacris debetur; nam ex vi ſuæ Conſecrationis, & deputationis ſolùm habent, eſſe ſpecialiter deputata, ut in eis Orationes fundantur, & Sactificium offeratur, ſi offerendum ſit; adeoque directè & abſolutè nullus Cultus poſitivus ipſis debetur; ſed tantùm negativus conſiſtens in negatione omnis injuſtæ actionis contra ipſa, debent enim Loca Sacra immunia eſſe ab omnibus injuſtis actionibus. Ideo priùs explicabimus, quid ſit Immunitas iſta; poſtea quibus Locis competat, & ad quas perſonas confugientes extendatur; denique à quibus actionibus injuſtis abſtinendum.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Immunitas Eccleſiaſtica, & quo Jure introducta?

1 *Immunitas Eccleſiaſtica quamvis à Libertate diſtinguatur, cum ea tamen confunditur.*
2 *Quid ſit Immunitas Eccleſiaſtica genericè accepta, & quid ſpecialiter ſumpta?*
3 *Cur Immunitas iſta dicta fuerit Eccleſiaſtica?*
4 *Immunitas Eccleſiaſtica genericè accepta eſt de Jure Divino naturali, in particulari verò de Jure humano Canonico.*

1 QUAMVIS Immunitas Eccleſiaſtica diſtingui ſoleat à Libertate Eccleſiaſtica, eo quia libertas reſpicit perſonas Eccleſiaſticas, quæ immunes, & exemptæ eſſe debent ab omni actione ſibi injurioſa juxta ſuum privilegium; Immunitas verò Eccleſiaſtica reſpicit Eccleſias, quæ pariter immunes, & exemptæ eſſe debent ab omni actione ſibi injurioſa, *ut ex Extravag.* 1. *de Privileg. verſic. Incendiarios*, comprobant Cajetanus *verb. Immunitas*; Farinacius *de Immun. cap.* 1. *num.* 3. & alii. Nihilominus ſæpe ſæpius confunduntur, & Immunitas accipitur pro Libertate, & Libertas pro Immunitate, ut videre eſt in Bulla Gregorii XIV. quam de Immunitate edidit, ut advertit Bonacina *de Excomm. in Particul. Extra Bull. Cœn. diſp.* 2. *quaſt.* 3. *pun.* 16. §. 1. *num.* 2.

2 Immunitas Eccleſiaſtica genericè accepta ſignificat exemptionem Eccleſiarum, & Locorum Sacrorum ab omni injuria, ab oneribus videlicet, uſibus, aut operibus eorum reverentiæ, Sanctitati & libertati repugnantibus. Specialiter tamen accepta ſignificat exemptionem quoad locum, ut videlicet ad illas confugientes immunes, ac exempti ſint, & tuti ab omni poteſtate laicali. Hæc autem appellari conſuevit Immunitas Eccleſiaſtica quoad locum, non quia revera non ſpectet etiam ad perſonas; ſed quia primariò, & immediatè conceſſa fuit loco Sacro; ſecundariò perſonis, ad ipſum confugientibus, ut tradunt Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 2. Peregrinus, Italia, Gambacurta, Farinacius, Ambroſinus, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *loc. cit. num.* 1.

3 Dicitur Immunitas Eccleſiaſtica, quia Eccleſiis conceſſa, & Locis Sacris. Nomine autem Eccleſiæ non intelligitur hic juxta ſuam propriam, & rigoroſam acceptionem, quam à verbo græco deſumit. Sic enim accepta fidelium Congregationem, & Cœtum denotat, ut omnes fatentur. Largè igitur, accipitur, prout denotat Materialem Eccleſiam, ſeu locum in Dei Cultum dicatum, ſive Authoritate Pontificis, ſive Epiſcopi; ut in eo fideles orationes Deo fundant, Sacrificia offerant, & Sacramenta recipiant: ut ex Communi ſententia tradit Peregrinus *de Immunit. cap.* 1. *num.* 8.

4 Quonam autem Jure introducta ſit hæc Immunitas Eccleſiaſtica Locorum valde controverſum eſt inter Doctores. Mihi tamen arridet ſententia eorum, qui aſſerunt, Eccleſiaſticam Immunitatem in genere eſſe de Jure Naturali Divino; in particulari verò eſſe de Jure humano Canonico: ad eum modum quo Decima in genere eſt de Jure Divino naturali, quota verò decimalis de Jure Eccleſiaſtico; ſic etiam jejunium in genere eſt de Jure Divino, in particulari eſt de Jure Eccleſiaſtico. Exigit ſiquidem Jus naturale Divinum, ut reverentia, & immunitas ab omni actione injurioſa debeatur Eccleſiis, & Locis Sacris: ut conſtat ex *Deuteron.* 23. *Judic.* 20. *Pſalm.* 68. D. Pauli 1. *ad Corinth.* 11. & 14. & ex

Mira-

Miraculis, quæ Deus operatus est in attestationem, quam sibi acceptus, & gratus sit Cultus, ac veneratio Ecclesiarum, & Sacrorum Locorum; de quibus Bellarminus *in Controvers. tom. 2. lib. 1. cap. 29. in fin.* & Gambacurta *de Immunit. lib. 3. cap. 7.* Cui tamen loco Ecclesiastico, quando, & in quibus casibus debeatur hæc Immunitas; & quænam actio injuriosa sit loco sacro, & contra reverentiam ipsi debitam; spectat ad Pontificem declarare ex facultate, & potestate accepta à Christo Domino: adeoque Immunitas Ecclesiastica locorum in particulari est de Jure Ecclesiastico. Nec habetur in hoc contrarietas ulla inter Jus Divinum, & Ecclesiasticum, imò summa conformitas; sicuti summa habetur conformitas inter Jus naturale Divinum mandans in genere Deum colere, & inter Jus Ecclesiasticum mandans in particulari colendum esse tali, & tali speciali Cultu. Videtur comprobare hanc nostram sententiam Tridentinum *sess. 25. cap. 10.* ubi ait: *Ecclesiæ & Personarum Ecclesiasticarum Immunitatem Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam.* Sic bene conciliat Doctores inter se dissidentes Bonacina *de Excomm. in particul. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 2. num. 2. in fin.* & alii.

CAPUT II.

Quibus Locis debeatur Immunitas, & reverentia ista?

1 *A Jure Ecclesiastico concessa est Immunitas omnibus Christianorum Ecclesiis, & aliis Locis piis.*
2 *Ecclesiæ authoritate Episcopi erectæ gaudent Immunitate Ecclesiastica, etiamsi nondum consecratæ, aut benedictæ fuerint, nec in eis celebrata sint Divina Officia.*
3 *Extenditur Immunitas ad Ecclesias non ex integro constructas, sed ædificari cœptas.*
4 *Ad Ecclesias pollutas, & interdictas.*
5 *Ad Ecclesias dirutas, dummodo dirutæ non fuerint auctoritate Superioris sine spe reædificationis.*
6 *Extenditur Immunitas ad totam Ecclesiæ fabricam interiùs, & exteriùs.*
7 *Extenditur etiam ad fines Ecclesiæ per circuitum; itaut si Cathedralis fuerit, aut Matrix habeat quadraginta passus, si minor triginta.*
8 *Hospitale authoritate Episcopi erectum cum altari ad celebrandum gaudet Immunitate.*
9 *Oratorium authoritate Pontificis, vel Episcopi erectum, ac perpetuò Divino Cultui dicatum gaudet Immunitate.*
10 *Monasteria, & Domus Religiosæ virorum, & mulierum gaudent Immunitate quoad totum suum ambitum septum.*
11 *Palatium Episcopi Immunitate gaudet etiam eo absente, vel mortuo.*
12 *Quid dicendum de Palatiis Cardinalium tum intra, tum extra Urbem?*
13 *Quid de Statuis Magnorum Principum, & de confugientibus ad illas?*
14 *Quid de Sacerdote Sacram Eucharistiam deferente, & de confugiente ad illum?*

1 GENERICE concessa est à Jure Ecclesiastico Immunitas omnibus Christianorum Ecclesiis, & aliis religiosis Locis: ut clarè constat *ex Cap. Miror. Cap. Definivit; Cap. Nullus* 17. *quæst.* 4. *Cap. Inter alia de Immun. Eccles.* & denique *ex Constit.* Gregorii XIV. incipit, *cum alias nonnulli*. Et quamvis in prædicta Constitutione Gregoriana non exprimantur nonnulla loca, quæ Jure antiquo expressa fuere, nihilominns dici non poterit, quòd excluſa fuerint à Privilegio Immunitatis: & ratio est, quia ex ipsa mente præcitati Pontificis constat, non ad minuendam; sed ad roborandam, ac manutenendam Immunitatem Ecclesiasticam edidisse Constitutionem illam; adeoque mens ejus non fuit, ea loca sacra ab Immunitate excludere, quamvis in sua Constitutione non meminerit: ut advertit Bonacina *de excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 2. num.* 1. Confirmata pariter fuit Immunitas, & Reverentia debita Ecclesiis, & Locis Sacris à Jure Cæsareo, ut patet *ex Cod. De his, qui ad Eccles. confugiunt.*

2 Ex dictis constat 1. Ecclesiam authoritate Episcopi erectam gaudere Immunitate, maximè si consecrata fuerit, aut benedicta, ac in ea Divina Officia celebrentur, aut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum servetur: sic constat *ex Cap. Ecclesiæ de Immun. Eccles.*: & ratio est, quia locus iste auctoritate Episcopi fundatus, ac perpetuò Dei servitio dicatus & est locus sacer, & habet ea omnia, quæ ad Ecclesiam propriè dictam requiruntur: sic Doctores omnes. Controversia tamen est: an hac Immunitate gaudeat, si nondum consecrata fuerit, aut benedicta; vel si in ea non servetur Sanctissima Eucharistia; aut nondum Divina in ea celebrata fuerint? Nihilominus dicendum, Immunitate gaudere: ratio est, quia hoc Privilegium Ecclesiis, & Locis Sacris concessum latè est interpretandum, cum enim sit in Materia favorabili, latè extendi debet: maximè quia Ecclesia semel ac Divinis obsequiis in perpetuum dicata est authoritate Episcopi, etiamsi nondum consecrata fuerit, aut benedicta; aut necdum Divina Officia in ea celebrata fuerint nec Eucharistiæ venerabile Sacramentum in ea servetur; verè, & propriè Ecclesia dicitur, adeoque nullis temerariis usibus profananda. Sufficit ergo, ad hoc ut Ecclesia Immunitate ista gaudeat; quòd auctoritate Episcopi sit dicata in perpetuum Divinis obsequiis, ex hoc enim aptitudinem habet, ut Ecclesia, & Locus sacer dicatur. Et defacto si tales Ecclesiæ polluuntur effusione sanguinis, vel seminis, purificandæ erunt *ex c. ult. de Consecr. Eccles.* quod non est leve indicium, esse revera Loca Sacra, & Privilegio Immunitatis gaudere. Sic Sylvester *verb. Ecclesia*, Angelus *eod. verb.* Suarez *lib. 3. cap. 9. num.* 2. Azor. *Part. 2. lib. 9. à num.* 2. Farinacius *quæst.* 28. *num.* 34. *& in Appendice de Immunit lib. 3. cap.* 17. *num.* 258. Bonacina plures referens *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun.* 16. *§.* 4. *num.* 2. & Castropalaus *de Rever. debit. Eccles. disp. 1. pun. 6. num. 2. & 3.*

3 Extenditur 1. hæc Sententia ad Ecclesiam non ex integro constructam, sed ædificari incœptam: & ratio est, quia ab eo puncto, quo Episcopus, vel alius ejus Auctoritate primum lapidem imponit Ecclesiæ construendæ; locus ille evadit sacer, nec ampliùs profanis usibus deservire potest, utpote Divinis obsequiis designatus; Ergo ex eo puncto privilegium Immunitatis acquirit. Nec requiritur, quod fabrica continuetur, vel non: cum ob cessationem à fabrica non amittatur designatio in perpetuum facta ab Episcopo Divinis obsequiis, per quam habet locus ille Immunitatem. Sic Farinacius *l. c. num.* 261. Bonac. *l. c.* & Castrop. *l. c.* referens Abbatem, & Ancharranum.

4 Extenditur 2. ad Ecclesiam pollutam, aut interdictam: ratio est, quia Ecclesia neque per pollutionem, neque per Interdictum amittit sanctitatem loci; adeoque neque amittere debebit privilegium Immunitatis: maximè quia ex nullo jure constat, Ecclesiam pollutam, aut interdictam hoc privilegio privari, cum neque pollutio, neque interdictum operentur ultra præscriptum à Jure, & ab Ecclesia. Sic ex communi sententia docent Suarez, Sylvester, Farinacius, Cardin. Tuscus, Italia, Peregrinus, Decianus, Azor. quos referunt, & sequuntur Bonac. *de excomm. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun.* 16. *§.* 4. *n. 3.* & Castrop. *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 6. num. 5. & 6.*

5 Extenditur 3. ad Ecclesiam dirutam: dummodo diruta non fuerit authoritate Superioris sine spe reædificationis; nam si diruta esset authoritate Superioris ad reædificandum, non amitteret Immunitatis Privilegium: ratio est, quia semel ac diruitur sine spe reædificationis ab habente potestatem, jam desinit esse sacer, & locus profanus evadit, adeoque Immunitatis Privilegio spoliatur. Secus tamen esset, si vetustate diruta, aut dirueretur ad reædificandum, non ideo sanctitatem suam amitteret: cum saltem ratione loci, in quo ædificata fuerat; non desinat esse sacra. Sic *ex Leg. Æde sacra ff. de contrah. empt. & ex Leg. Intantum §. Sacræ in fin. ff. de Rer. Division.* docent Dacianus, Clarus, Card. Tuscus, Italia, Ambrosinus, Farinacius, Gambacurta, Sanchez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c. n.* 4. & Castropalaus *l. c. n.* 7.

6 Extenditur 4. ad totam Ecclesiæ fabricam, non solùm quoad corpus internum, sed etiam externum; adeoque Immunitate gaudebunt Capellæ, Sacristia Ecclesiæ juncta, Turris campanarum, Tectum, exteriores parietes: ratio est, quia cum hæc omnia adhæreant loco Sacro; sacra pariter censenda erunt, & Privilegium Immunitatis habere *juxta Leg. Quæ religiosis ff. de rei vendicat.* ubi dicitur: Quæ religiosis adhærent; religiosa censentur. Favet etiam paritas deducta ex atrio, seu porticu Ecclesiæ: ut habetur *in Cap. si quis in atrio & cap.*

Id

Id constituimus 17. *quæst.* 4. ubi statuitur: Atrium, seu Porticum Ecclesiæ, Immunitate gaudere; ergo etiam cætera ad fabricam Ecclesiæ spectantia. Hinc sequitur, scalas Ecclesiæ, claustrum, & Cæmeterium eadem Immunitate frui; accessorium enim naturam Principalis sequitur. Quæ quidem doctrina valet, non solùm si Cæmeterium sit Ecclesiæ conjunctum; sed etiam si separatum fuerit, sive aliàs consecratum fuerit, sive benedictum, aut non. In casu enim, quo nec consecratum, nec benedictum fuerit, sufficit, ut dicatur locus sacer quòd ex licentia Episcopi, & Domini loci aliquis Christianus in eo sepultus fuerit cum divinis Officiis: sic Farinacius *in Append. ad Immunitatem cap.* 17. *num.* 168. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 7. Ambrosinus, Dacianus, Italia, Peregrinus, Gambacurta, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de excomm. in Particul. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 4. *num.* 1. & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 8. & 16.

7 Extenditur 5. ad fines seu terminos Ecclesiæ, cum hoc tamen, quòd si Ecclesia Cathedralis fuerit aut Matrix extendantur fines ad quadraginta passus per circuitum; si vero Minor fuerit, ad triginta passus, *ut constat ex Cap. Definivit, Cap. Sicut antiquitus* 17. *quæst.* 4. Enumerandi verò sunt passus ab ipsis muris Ecclesiæ per circuitum: quilibet passus constare debet ex quinque pedibus; & quilibet pes ex quindecim digitis, ut ex Ambrosino, Farinacio, & aliis tradit Castropalaus *de Rever. debit. Locis Sacr. disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 11. *in fin.* & Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 4. *num.* 8. & 9. referens Peregrinum, Dacianum, Gambacurtam, & Tuscum. Sententia hæc, quamvis communissima, nihilominus suas patitur limitationes, quarum 1. est, ut procedat in Ecclesiis, quæ sitæ sunt extra ambitus murorum Civitatis; cum ob locorum angustias, servari nequeat intra Mœnia Civitatis constructis *ex c. Quisquis inventus* 17. *quæst.* 4. & tradunt Suarez, Tuscus, Italia, Farinacius, Ambrosinus, Filliuccius, Gambacurta, Dacianus, Germonius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *loc. cit. n.* 6. & Castropalaus *loc. cit. num.* 13. 2. est ut confugiens ad Ecclesiam ad hoc ut possit ad triginta, vel quadraginta passus progredi per circuitum, debet priùs illam assequi; nam si in eam adhuc non se receperit, non poterit hac immunitate per circuitum gaudere. Sic *ex cap. Definivit* 17. *quæst.* 4. tradit Castropalaus *loc. cit. num.* 14. ait enim Textus: Qui Ecclesias petunt per omnia, licitum eis est in triginta passus ab Ecclesiæ januis progredi. 3. est, si intra circuitum illum extet domus alicujus particularis, etiamsi clericus fuerit, aut via publica nullatenus privilegio immunitatis ibi existens gaudeat: ratio est, quia discontinuatur circuitus, & territorium Ecclesiæ; cum neque domus illa particularis, etiam clerici; nec via publica dici possint circuitus Ecclesiæ; cum non sint Ecclesiæ. Secus verò dicendum, si essent Ecclesiæ, & ad ipsam spectarent, ut solent esse Domus Parochorum, Canonicorum, & similium Ecclesiasticorum, quamvis in eis actu non inhabitent, sed laicis locatæ fuerint: cum enim privilegium sit locale, non verò personale; ideo sequitur locum, quicumque sit fidelis, qui reperiatur in illo. Sic ex Daciano, Ambrosino, & aliis expressè docet Bonacina *loc. cit. num.* 7. Colligitur quoque *ex Cap. Frater, Cap. Si quis contumax, Cap. Illud constituimus; Cap. Si quis in atrio.* 17. *quæst.* 4. & præcipuè *ex Leg. Pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ubi habetur: Quidquid fuerit interjacens sive in cellulis sive in Domibus, hortulis, balneis, atque porticibus confugas interioris Templi vice tueantur. Et loqui videtur Lex de his spectantibus ad Ecclesiam in spatio interjacente. 4. est, ut procedat privilegium istud Immunitatis per ambitum 30. aut 40. passuum ex Jure communi, & antiquo. Secus verò esset ex consuetudine, quæ ubi viget in contrarium, sustinendam esse docent graves Doctores. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib* 3. *cap.* 9. *n.* 8. Covarruvias *lib.* 2. *Variar. cap.* 20. *num.* 5. Navarrus *in Summ. cap.* 25. *num.* 18. *versic. Admonemus*, Farinacius *de Carcer. quæst.* 28. *num.* 12. & Castropalaus *de Rever. deb. locis Sacr. disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 15.

8 Constat 2. hospitale erectum auctoritate Episcopi, in quo Altare constitutum sit ad celebrandum Divinum Sacrificium; hac Immunitate gaudere: ratio est quia locus sacer est, & religiosus, adeoque ea omnia privilegia, quæ Ecclesiis concessa sunt, ei concessa censentur: *ut ex Cap. Definivit.* 17. *quæst.* 4. *Cap. Ad hæc de Religios. Domib. & ex Leg. Omnia, Cod. de Sacros. Eccles.* docet communis sententia cum Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 9. Covarruvia *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *num.* 4. Sanchez *lib.* 9. *Matrim. disp.* 15. *num.* 39. Daciano *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 18. Farinacio *in Append. de Immun. num.* 265. & Castropalao *de Rev. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 17.

Constat 3. Oratorium authoritate Pontificis, vel Episcopi erectum, ac perpetuò Divino Cultui dicatum frui Immunitatis Privilegio: ratio est, quia locus sacer, & religiosus est, nec in profanos usus convertibilis *ex Cap. Ad hæc De Relig. Domib.* Ipse quoque Episcopus jus habet visitandi illud, ac exigendi procurationem *ex Cap.* 1. §. *deinde liceat de Censib. in* 6. adeoque inter loca Sacra, & religiosa connumerandum. Secus tamen esset, si privata tantùm authoritate erectum fuisset, etiamsi facultas haberetur celebrandi in eo Divinum Sacrificium: cum enim nec perpetuò Divino Cultui dicatum sit, ad profanos usus redire possit; nec Episcopus illud visitare possit, & procurationem exigere *ex Cap. final. de Censib.* ideo locus sacer, & religiosus censendus non erit, nec Immunitatis Privilegio gaudens. Sic Panormitanus *in Cap. ult. de Censib. num.* 4. Sylvester *verb. Immunitas num.* 10. Julius Clarus *lib.* 5. *quæst.* 30. *num.* 7. Suarez *tom* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. Sanchez *lib.* 9. *Matrim. disp.* 15. *num.* 39. Covarruvias *lib.* 2. *Variar. cap.* 20. *num.* 4. Dacianus *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 19. Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 17. *num.* 267. Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 19. & Bonacina *de Excomm. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst* 3. *pun.* 16. §. 4. *num.* 14. referens Armillam, Italiam, Tuscum, Filliuccium, Peregrinum, & Gambacurtam. In dubio autem an Oratorium censendum sit Auctoritate Episcopi erectum, an privata authoritate? Si in eo publicè celebretur admittendo omnes ad Sacrificium, maximè si id per decennium factum sit; censendum erit authoritate Episcopi erectum. Et à fortiori si campanam habeat supra tectum locatam, quæ publicè pulsetur ad gentes convocandas; tunt enim indubitanter præsumendum erit authoritate Episcopi erectum esse, cum non soleat hæc publica pulsatio campanæ permitti Oratoriis privatis *ex capit. Patentibus de Privileg.* ut tradunt Mascardus, Sanchez, Farinacius, Dacianus, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *loc. citat.* & Bonacina *loc. cit. num.* 15. 9

Constat 4. Monasteria, & Domos Religiosorum tam Virorum, quàm Mulierum Immunitate gaudere quoad totum suum ambitum septum, prout includit dormitorium, claustrum, & hortum: ratio est, quia totus ille locus septus reputatur una, & eadem domus Religiosa; adeoque sacer censendus, & Immunitate gaudens. Sic *ex Bulla* Gregorii XIV. *ex cap. Si quis contumax, cap. Frater. cap. Minor.* 17. *quæst.* 4. docent Farinacius *in Append. de Immun. num.* 268. Sanchez *lib.* 9. *Matr. disp.* 15. *num.* 42. Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 18. & Bonacina plures referens *de Excomm. in Partic. extra Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 4. *num.* 10. Qui meritò hanc doctrinam extendit ex Genuensi, Peregrino, & aliis ad Seminaria, & Oratoria confratrum affixa alicui Ecclesiæ, vel Monasterio: sunt enim loca pia, & Religiosa, ac Immunitatis Privilegio digna. 10

Constat 5. Palatium Episcopi Immunitate gaudere etiam eo absente, aut demortuo: sic *ex cap. Id constituimus* 17. *qu.* 4. docet communis Doctorum sententia. Quamvis controverti soleat inter ipsos: an id habeat ratione sui, an verò ratione circuitus Ecclesiæ Cathedralis, quia regulariter Palatium Episcopi est intra quadraginta passus à Cathedrali. Quapropter si distet ultra quadraginta passus, & non habeat Cappellam, seu Oratorium privatum, ut regulariter habere solent Episcopi; non gaudebit Immunitate, ut putant nonnulli, quos refert, & sequitur Bonacina *loc cit. num.* 11. Secus verò si Cappellam. & Oratorium privatum habeat, ut docent fere omnes. Nihilominus spectato jure, non verò Consuetudine, si aliqua sit in contrarium, dicendum puto: Palatium Episcopi ex se habere Immunitatem ab ipso jure, etiamsi Oratorium non habeat, aut situm sit extra quadraginta passus à Cathedrali: ratio est, quia jus ob reverentiam debitam Dignitati Episcopali hoc Privilegium absque ulla restrictione ad Oratorium, aut ad quadraginta passus concessit; Ergo absque fundamento restrictio ista addi- 11

tur,

tur, & independenter ab istis Immunitate sua gaudebit, Nec Oratorium privatum, aut Cappella annexa Palatio Episcopali hanc immunitatis prærogativam addit, eo quia ex se non habet Oratorium privatum immunitatis privilegium, nec id communicare poterit Palatio Episcopi. Debita igitur erit hæc immunitas Palatio Episcopi, quia designatum ad inserviendum Dignitati Episcopali, quę est maxima Dignitas. Sic Navarrus *in Manual. cap.* 25. *numer.* 18. Germonius *de Sacr. Immun. lib.* 3. *capit.* 16. *num.* 45. Card. Tuscus *verb. Eccles. concl.* 9. *numer.* 15. Suarez *de Immun. lib.* 3. *capit.* 9. *numer.* 9. Farinacius plures referens *in Append. de Immun. cap.* 17. *num.* 272. & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 22.

12 Dubitatur 1. de Palatiis Cardinalium tum intra, tum extra Urbem, an gaudeant immunitate? Sed respondendum ex Jure non gaudere, cum nullum in Jure extet Caput comprobans hoc Privilegium; quapropter de Jure prædictis Palatiis immunitas competere nequit. Et quamvis ex consuetudine introduci potuerit, maximè quia si hæc reverentia debetur Palatiis Episcoporum, par est ut debeatur Cardinalium Palatiis: quapropter eam concessere Navarrus, Dacianus, Julius Clarus, Card. Tuscus, & Italia relati à Castropalao *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 23. Nihilominus si quæ fuerit talis consuetudo ablata est per Constitutiones Gregorii XIII. & Sixti V. teste Farinacio *in Appendic. de Immunit. capit.* 17. *numer.* 274.

13 Dubitatur 2. de Statuis Magnorum Principum, an videlicet ad illas confugientes gaudeant immunitate? Et quamvis Hostiensis, Ancharranus, & Joannes Andreas *in Cap. Ecclesia de Immunit.* eam concesserint, & comprobaverint *ex Leg. Unic. Cod. de his, qui ad Stat. confugiunt, ex Leg.* 1. *Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & ex Leg. Capitalium, §. ad Statuas, ff. de Pœnis.* Nihilominus si talis immunitas habetur, nullatenus dicenda erit Ecclesiastica, de qua agimus; sed merè Civilis: & ratio est, quia nec sacra, nec religiosa est, nec in reverentiam Divini Cultus introducta, aut à Pontifice approbata: ut bene expendit Castropalaus *l. c. num.* 24. Testantur tamen Dacianus *Tract. Crimin. lib.* 6. *cap.* 2. *nu.* 5. & Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 17. *num.* 278. consuetudine abrogatam fuisse, quia confugientes ea abutebantur.

14 Dubitatur denique de Sacerdote Venerablle Eucharistiæ Sacramentum deferente, an inquam ad illum confugiens immunitate gaudeat? Et quamvis in Jure, & in celebri Constitutione Gregorii XIV. non exprimatur hoc Privilegium; nec in Materia Privilegiorum, ut suo loco notavimus, argumentandum sit à pari, vel à minori ad majus, sed verba Privilegiorum accipienda sint, prout expresè sonant, ac communiter significant. Nihilominus non deneganda erit hæc immunitas huic Augustissimo Sacramento, sive à Sacerdote deferatur, sive in aliquo Altari per transitum veneretur: quapropter confugiens ad illud immunitate gaudere debebit: ratio est, quia sive proveniat ex consuetudine nimis legitimè introducta, sive ex pietate fidelium erga tam Venerabile Sacramentum eam volente, & requirente, sive quia intuitu ipsius conceditur hæc immunitas Ecclesiis, & Locis Sacris, adeoque à fortiori ipsi concedi debebit; denegari non potest, quod ipsum dictamen fidei nostrę exigat, hanc reverentiam jure optimo deberi huic venerabilissimo Sacramento; adeout Doctores adversæ sententiæ fateantur esse illicitum confugientem extrahere; ergo dicendum est hac immunitate tot tantisque titulis præscripta gaudere. Accedit, quòd verum Templum sit Sanctissimum Christi Corpus; ergo si aliis Templis Sacris, & Religiosis data est Immunitas, excellentiori quodam modo, ac irrefragabili, utpote non humana auctoritate fundato ei competere debet. Sic Suarez, Farinac., Julius Clarus, Ambrosinus, Anastasius, Germonius, Card. Tuscus, Marius, Italia, Peregrinus, Gambacurta, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. §. 4. *numer.* 27. & Castropalaus *de Rev. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 24.

CAPUT III.

Quænam Personæ Immunitate gaudere possint?

1 *Quilibet fidelis ad Loca Sacra confugiens gaudet immunitate ipsis concessa.*
2 *Excommunicatus, & Interdictus ab ingressu Ecclesiæ Immunitate Ecclesiæ gaudere possunt.*
3 *Quid dicendum de hæretico ad Ecclesiam confugiente.*
4 *Quid de Judæis, Saracenis, & aliis infidelibus?*
5 *An Clerici Immunitate Ecclesiæ gaudeant respectu suorum Judicum Ecclesiasticorum?*
6 *An fures etiamsi famosi sint gaudeant Immunitate Ecclesiæ?*
7 *An jam damnati per sententiam, si ad Ecclesiam fugiant; gaudeant Immunitate illius?*
8 *An capti, aut in carcere detenti, si confugiant ad Ecclesiam; gaudeant ejus Immunitate?*
9 *Quid dicendum de eo, qui fidem dedit cum juramento custodi carceris de redeundo, si fugiat ad Ecclesiam; gaudeat ne Immunitate illius?*
10 *Quid de Servo respectu domini sui confugiente ad Ecclesiam?*
11 *An Debitores, quibus non est solvendo, gaudeant immunitate Ecclesiæ?*
12 *An raptores Virginum, & adulteri gaudeant immunitate Ecclesiæ?*
13 *An Incendiarii gaudeant hac Immunitate?*
14 *An Banniti, & Exules gaudere possint Immunitate?*
15 *An homicida gaudeat Immunitate Ecclesiæ?*
17 *An ea gaudere possint Perjuri, Falsi Testes, & Sacrilegi?*
17 *An gaudere possint Blasphemi, Simoniaci, & Sodomitæ?*
18 *An Ministri, & Judices violenter extrahentes aliquem è Loco Sacro ob casus non exceptos, si ad Ecclesiam confugiant; gaudeant Immunitate illius?*
19 *Quid de deferentibus arma in Ecclesia contra edictum Principis, vel Episcopi?*
20 *Quid de falsam Monetam construentibus, aut veram adulterantibus?*

LICET Immunitas ista directè concessa sit Locis Sacris supra recensitis, nihilominus indirectè concessa est Personis ad Loca Sacra confugientibus; ideo meritò inquiritur: quænam Personæ ad illa confugientes Immunitate gaudeant? Et quidem de omnibus Christi fidelibus, cujuscumque Status, & conditionis sint, si ad illa confugerint; Immunitate gaudere, indubitata res est, preterquam in Casibus à Jure exceptis: sic enim constat *ex cap. Inter alia de Immunit. Eccles. cap. Frater, cap. Minor, cap. Definivit, cap. Si quis contumax, cap. Id constituimus* 17. *quæst.* 4. *& ex Constitut.* Gregorii XIV. Hinc est, quòd quilibet Christi fidelis nobilis, aut ignobilis sit; puer, aut senex; liber, aut servus indiscriminatim hoc privilegio uti poterit in casibus non exceptis. 1

Dubitari tamen potest 1. de Excommunicato, aut ab Ecclesiæ ingressu interdicto, an Immunitate gaudeant, cum nequeat censeri, velle Ecclesiam favere eis, qui ab ipsius Ecclesiæ, & fidelium participatione excluduntur, & ab ingressu illius. Sed dicendum, utrumque Immunitatem Ecclesiarum participare: ratio est, quia nec censura excommunicationis, nec interdicti præstat hunc effectum privandi immunitate Ecclesiæ; aliunde immunitas indefinitè concessa est omnibus Christi fidelibus absque exclusione excommunicati, vel interdicti; ergo tam excommunicatus, quàm interdictus immunitate Ecclesiarum gaudebit. Nec interdictus ab Ecclesiæ ingressu privatur ingressu materiali Ecclesiæ, sed formali, hoc est ab interveniendo Divinis Officiis. Et sicuti Ecclesia interdicta non privatur immunitate, sic nec personaliter interdictus ingrediens Ecclesiam privabitur immunitate. Et quamvis uterque indignus sit hoc beneficio Ecclesiæ, nihilominus suam majorem pietatem ostendit Ecclesia, dum intuitu loci Sacri eis favet. Sic Farinacius, Suarez, Covarruvias, Julius Clarus, Ambrosinus, Tuscus, Azor. Dacianus, Peregrinus, Italia, Filliucclus, Germonius, Gambacurta, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excom.* 2

in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5. nu. 2, & 3. & Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 7. num. 2. & 3.*

3 Dubitatur 2. de Hæretico, an Immunitate gaudeat confugiens ad Ecclesiam? Resp. quamvis Reus criminis hæresis hac immunitate non gaudeat quoad crimen hæresis à se commissum, ut indubitatum est, & expressè excipitur *in Constitutione* Gregorii XIV. nam si proditores hominum hoc favore indigni sunt, potiori jure indigni erunt, qui proditionem committunt in Deum, & in Ecclesiam. Sic communis sententia docet cum Covarruvia, Suarez, Daciano, Sylvestro, Ambrosino, Gambacurta, Filliuccio, & aliis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 10. n. 1.* qui addunt, hanc doctrinam extendi non solum ad hæreticum declaratum, sed etiam ad nondum sufficienter declaratum, sed sufficienter præsumptum. Controvertitur nihilominus inter Doctores: an hæreticus immunitate gaudeat in aliis delictis ab hæresi distinctis, Denegant Covarruvias, Gambacurta, Ambrosinus, Dacianus, Peregrinus penes Bonacinam *l. c. num. 2.* eo quia hæretici utpote Ecclesiæ rebelles omni Ecclesiastico favore indigni sunt, & ab eo excludendi. Affirmant verò Sylvester, Suarez, Farinacius, Filliuccius, quos referunt, & sequuntur Bonacina *l. c.* & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacris disput. 1. punct. 7. num. 3.* quorum sententiam, ut probabiliorem amplector: ratio est, quia in aliis delictis ab hæresi crimen hæresis materialiter se habet; aliunde in exceptione Gregorii XIV. crimen hæresis excipitur, & consequenter hæreticus ratione criminis hæresis, non verò alterius ab hæresi distincti; ergo hæreticus ob crimen hæresis privatur immunitate, non verò ob alia delicta ab hæresi distincta, maximè quia in odiosis Lex strictè interpretanda erit. Non nego, hæreticum indignum esse hoc favore; sed in hoc magis elucet pietas, & benignitas Sanctæ Matris Ecclesiæ. Illud certum est penes Doctores: hæreticos Ecclesiæ reconciliatos hac immunitate gaudere. Quod dictum est de hæreticis, intelligendum erit de Schismaticis, Apostatis, & credentibus hæreticorum dictis; hi enim omnes in criminibus cum hæresi conjunctis immunitate non gaudent, secus verò in aliis ab hæresi disjunctis.

4 Dubitatur 3. de Judæis, Saracenis, & aliis infidelibus, an immunitate ista gaudeant? Affirmant cum Glossa *in Cap. Inter alia de Immun. Eccles. verb. Extrahendus*, Innocentius, Sylvester, Tabiena, Armilla, & alii penes Castropalaum *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 7. num. 6.* eo quia *Caput Inter alia cit. Capit. Minor, Cap. Frater, Cap. Si quis inventus, Cap. Si quis contumax, 17. quæst. 4.* indistinctè loquuntur absque exclusione alicujus; ergo cum favores Ecclesiæ ampliandi sint, extendi etiam debent ad non baptizatos, & infideles. Denegant verò alii communiter cum Covarruvia, Farinacio, Daciano, Guttierrez penes eumdem Castropalaum *l. c. nu. 5.* eo quia de his, qui foris sunt, non curat Ecclesia: maximè quia in Jure Civili *Leg. 1. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* excluduntur à Privilegio immunitatis, etiamsi baptismum petant; quia simulant se Christianæ Legi velle conjungi. Nihilominus in hac probabilitate sententiarum inter se pugnantium probabiliorem reputo eam, quæ asserit: infideles, & nondum baptizatos immunitate gaudere, si ad Ecclesiam confugiant, & animo non simulato baptismum petant: ratio est, quia jure merito defendendi sunt ab Ecclesia, qui ejus gremio se committunt, & eam animo non simulato sequi volunt; maximè quia servandum est Jus Civile, quoties Juri Canonico non repugnat; ergo si Jus Canonicum non excludit expressè infideles, & Jus Civile solùm excludit, si cum animo simulato baptismum petunt; includere videtur è contrario sensu, si animo non simulato petant; adeoque infideles animo non simulato baptismi ad Ecclesiam confugientes immunitatis Privilegio gaudere debent. Nec Ecclesia suum favorem impertiret ei, qui omnimodè foris esset, cum jam votum haberet baptismi, & cuperet sibi aperiri januas, ut intus esset. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. capit. 10. numer. 10.* Navarrus *in Summ. cap. 21. nu. 10.* Azor. 2. *Part. lib. 9. cap. 9. qu. 9. nu. 9.* Card. Tuscus *verb. Ecclesia concl. 10. numer. 28.* Farinacius *in Append. de Immun. capit. 5. num. 83.* Bajardus *in Addit. ad Julium Clarum quæst. 30. numer. 23.* Filliuccius *tract. 15. capit. 6. quæst. 5. num. 151.* Guttierrez *Pract. Quæst. Civil. lib. 3. quæst. 7. numer. 51.* Gambacurta *lib. 2. par. 2. capit. 7. numer. 88.* Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disput. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 10. numer. 3.* & Castropalaus *loco citato numer. 7.* Signum autem, quod petitio baptismi, & conversionis ad fidem simulata non fuerit; illud erit, si antequam delictum patraret, ob quod ad Ecclesiam confugeret, talem animum suum declaraverit; præsumendus enim tunc erit ejus animus non simulatus. Si verò post patratum delictum, & conceptum judicii timorem se declaraverit; præsumendus erit simulatus. Non nego tamen, quòd quamvis hæc præsumptio sit Juris, & de Jure; quia Jus statuit quid certum ob præsumptionem, quam habet; nihilominus locum habere possunt probationes indirectæ, quibus fundamentum præsumptionis excludatur: ut si infidelis probaret aliis rationibus, se non motum fuisse ad petendum baptismum ob delictum à se commissum. In quo casu Ecclesia tenetur illum defendere, usquedum facta probatione dijudicet, animum fuisse simulatum, vel non; & consequenter gaudere, vel non gaudere Immunitate: ut ex Sanchez, Suarez, Farinacio, & Bonacina docet Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disput. 1. punct. 7. num. 8. in fine.*

5 Dubitatur 4. de Clericis, an gaudeant immunitate Ecclesiastica respectu suorum Judicum Ecclesiasticorum? Nam quòd gaudeant hac Immunitate respectu Judicum laicorum in iis casibus, in quibus permissum est potestati Laicali eos capere: ut si Clericus non beneficiatus nec habitum, nec tonsuram deferens delictum commiteret, posset à potestate laicali capi juxta Tridentinum *sess. 23. capit. 6. de Reform.* Nihilominus si ad Ecclesiam confugeret, ejus Immunitate gauderet, nec à laica potestate capi posset: ratio est, quia licèt habeatur à Tridentino ut laicus, nihilominus non debet esse deterioris conditionis præ laico; ergo si laicus tunc Immunitate gauderet, etiam & Clericus; maximè quia laica potestas nequit jurisdictionem suam in Ecclesia exercere. Dummodo non commiserit aliquod ex delictis exceptis, quia tunc sicuti potest servata forma Gregorii XIV. & Concilii Tridentini extrahi laicus, ita & Clericus ille: ut ex Navarro, Suarez, Filliuccio, Gambacurta, Farinacio, Germonio, Genuensi, Italia, Farinacio afferente Declarationem Sacræ Congregationis docet Bonacina *de Excom. in Par. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5. numer. 4.* Et quidem quòd Clericus non gaudeat immunitate Ecclesiæ in casibus exceptis respectu suorum Superiorum, certum esse debet; cum non constet de hoc speciali privilegio Clericis concesso, ut rectè tradunt Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. capit. 10. numer. 7.* Farinacius *in Append. de Immun. Eccles. capit. 15. numer. 35.* & alii. Solùm ergo controversia est de aliis criminibus, an inquam in illis Immunitate Ecclesiæ gaudeant, ut gaudere solent laici; adeout à Ministris suorum Superiorum minimè ab Ecclesia extrahi possint. Denegant Abbas, Sylvester, Armilla, Rosella, Dacianus, Navarrus, Suarez, Genuensis, Peregrinus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5. num. 5.* eo quia immunitas Ecclesiæ non præjudicat potestati illius; & sicuti potestas laica suam jurisdictionem exercet in locis sibi subjectis, ita eam exercere potest potestas Ecclesiastica. Adde, quòd si hoc verum esset, numquam religiosi delinquentes capi possent à suis Prælatis, cum ferè semper in Monasterio vivant. Nec Gregorius XIV. in sua Constitutione mentionem fecit Clericorum, sed Laicorum tantùm. Affirmant verò Farinacius, Covarruvias, Julius Clarus, Diaz, Card. Tuscus, Ambrosinus, Italia, Guttierrez, Innocentius, Cardinalis, Zerola, Gambacurta relati à Castropalao *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 7. nu. 16.* & à Bonacina *l. c.* eo quia Jura loquentia de immunitate ista indiscrimimatim, & absque ulla limitatione eam ponunt, ut videre est in Textibus superiùs citatis; ergo sine fundamento in Jure extenditur immunitas ad solos Laicos: maximè quia Clerici non debent esse deterioris conditionis præ Laicis. Nec privilegium istud concessum est personis, sed locis, quæ communia sunt Clericis, & Laicis. Et si Ecclesia est propria Domus potiùs Clericorum, quàm Laicorum; refugium ad illam potiùs favere debet Clericis, quàm Laicis: in propria siquidem Domo non decet quem capere, aut vinculis alligare ex *Leg. Plerique de in Jus vocandi, & ex Leg. Nemo, ff. de Regul. Jur.* Ut verum fatear utraque sententia magnam

habet

habet probabilitatem, & validis fulcitur rationibus, & Patronis. Sed prima ſententia conſuetudine, & praxi roboratur: cum paſſim Judices Eccleſiaſtici Clericos delinquentes abſque ullo ſcrupulo violationis Immunitatis in Eccleſia capiant, & ab ea extrahant, ut puniant: forſitan quia cum ab eodem fonte emanet Immunitas, ac Poteſtas Eccleſiaſtica judicandi; inde eſt, quod una non debeat pugnare cum alia. Sic ex Guttierrez adnotat Caſtropalaus *l. c. num.* 17.

6 Dubitatur 5. an fures etiamſi famoſi fuerint immunitate gaudeant? Reſp. affirmativè: ratio eſt, quia non ſunt excepti per Conſtitutionem Gregorii XIV. ut excepti fuere publici latrones, & Graſſatores viarum, de quibus infra; & exceptio unius firmat Regulam in Caſibus non exceptis. Hac immunitate gaudent fures, etiamſi cum rebus furto ablatis ſe in Eccleſiam receperint, illiſque ibi utantur: nam eadem militat ratio ſupradicta, ut docent Covarruvias 2. *Variar. cap.* 20. *num.* 15. Cardinalis Tuſcus *tom.* 3. *Liter. E. concl.* 11. *numer.* 16. Farinacius *in Append. de Immun. capit.* 16. *numer.* 218. Peregrinus *de Immun. capit.* 12. *dubit.* 10. *numer.* 10. & Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 16. §. 5. *numer.* 7. *in fin.* Poterunt tamen res furto ablatæ ſubtrahi per Judicem Eccleſiaſticum. Major difficultas eſt, ſi furtum commiſſum fuerit in Eccleſia, an inquam in tali caſu fur immunitate gaudeat vel in ea, vel in alia Eccleſia? Sed reſpondendum affirmativè: ratio eſt, quia non eſt caſus exceptus, adeoque in illa, & in alia Eccleſia immunitate gaudebit: ut docent Cardinalis *in cap. final de Immun. Eccleſ.* Peregrinus alios referens *capit.* 12. *num.* 9. & Bonacina *l. c.* contra Dacianum, & Farinacium. Poterit tamen Judex Eccleſiaſticus capere hunc furem, & alios in Eccleſia delinquentes: nam commiſit Sacrilegium mixti fori, in quo datur locus prævention; ſuppono autem furem ſæcularem, & furtum ſæculare commiſiſſe: nam ſi fur Clericus eſſet, aut ſi laicus eſſet, furtum tamen Eccleſiaſticum commiſiſſet; ſolùm ſpectaret ad Judicem Eccleſiaſticum illum punire, eſſet enim extra Juriſdictionem Judicis ſæcularis. Si verò ab Eccleſia aufugerit; nec citatus comparuerit; poterit uterque Judex procedere, cum non detur locus prævention; hæc enim ſupponit poſſeſſionem rei delinquentis; adeoque & Judex ſæcularis procedere poteſt in pœnis debitis, & Judex Eccleſiaſticus; ut tradunt Salzedo, Tuſcus, Guttierrez, Leo, Italia, Farinacius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. diſput.* 1. *pun.* 9. *nu.* 24. Controvertitur inſuper: an conſuetudine arcendi ſint ab Eccleſia fures, itaut ejus immunitate gaudere non debeant? Et quamvis Covarruvias 2. *Variar. cap.* 20. *numer.* 16. *in fine*, Clarus *in Pract. lib.* 5. §. *fin. quæſt.* 30. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 5. & alii docuerint, hanc conſuetudinem non eſſe contra immunitatem Eccleſiæ; nihilominus Conſtitutio Grogoriana reducens ad unam formam immunitatem iſtam eſt in contrarium; aufert enim ſub Clauſula irritante omnem conſuetudinem in contrarium, adeoque non vult hos ſimplices fures ab Immunitate Eccleſiæ excluſos. Sic Farinacius revocans priorem ſuam ſententiam *in Append. de Immun. cap.* 6. *num.* 94. Italia *de Immun. lib.* 1. §. 1. *num.* 2. Card. Tuſcus *verb. Eccleſia concl.* 10. *numer.* 23. Caſtropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. diſput.* 1. *punct.* 9. *num.* 3. referens Bonacinam.

7 Dubitatur 6. de jam condemnatis, an immunitate gaudeant, ſi ad Eccleſiam confugiant? Et quidem ſi condemnatio fuerit ob delicta non excepta, immunitate gaudere debent, etiamſi ad mortem damnati fuerint, & è manibus ſatellitum ſe eximant, ac ad Eccleſiam confugiant: ratio eſt, quia in locum ſacrum ſe recepere, nec excluduntur ab immunitate ipſius. Sic Dacianus, Ambroſinus, Suarez, Graſſius, Farinacius, Gambacurta, Peregrinus, Tuſcus, Guttierrez, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. diſp.* 2. *quaſt.* 3. *punct.* 16. §. 4. *numer.* 16. & Caſtropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. diſput.* 1. *punct.* 7. *numer.* 12. Si verò ob delicta excepta condemnati fuerint, certum eſt, immunitate non gaudere; qua ſi non gaudent ante condemnationem, nec illa gaudere debent jam condemnati. Solùm dubium eſſe poteſt, ſi condemnati fuerint ex ſolis indiciis, non verò ex probationibus concludentibus. In quo caſu dubia videtur immunitas: quia non condemnati ſunt ob delictum, ſed potiùs ob contumaciam; nihilominus non videntur ab immunitate excludendi, donec concludentes probationes habeantur: nec ipſi intendunt inobedientiam, & contumaciam fovere, ſed potiùs condemnationem vitare. Sic Farinacius *in Appendic. de Immun. cap.* 2. *n.* 42. & Caſtrop. *l. c. nu.* 9.

Dubitatur 7. an capti, vel in carcere detenti ſi è manibus ſatellitum effugiant, vel carcere effracto ad Eccleſiam confugiant, ejus immunitate gaudebunt? Et quidem captos à Miniſtris Juſtitiæ, ſi liberi ab eorum manibus ad Eccleſiam confugerint immunitate gaudere, certa mihi res eſt: eo quia liberi ad Eccleſiam confugiunt; ergo non eſt, cur ejus Immunitate gaudere non debeant? Et ſic ex Daciano, Guttierrez, Tuſco, Farinacio, & Germonio docet Caſtrop. *de Rever. debit. Loc. Sacr. diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 11. qui hanc doctrinam optimè extendit cum Farinacio, & Italia ad eum caſum, quo captus etiam per vim ſecum traheret Miniſtros Juſtitiæ ad Eccleſiam: ſemper enim verum eſt ad Eccleſiam confugere, & per conſequens ejus immunitate gaudere. Secus verò eſſet, ſi non ipſe traheret Miniſtros Juſtitiæ, ſed traheretur ab ipſis vinctus; tunc etiamſi per locum Sacrum eum traherent, non frueretur immunitate: & ratio eſt, quia non ipſe ad Eccleſiam confugit, ſed per illam à Miniſtris vinctus duceretur: ut docent Guttierrez, Suarez, Tuſcus, Ambroſinus, Farinacius, Dacianus, Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *loc. cit. num.* 10. Idem dicendum de recluſis in carcere, cum enim effractis vinculis, & diſruptis carceribus liberi ad Eccleſiam confugiunt; cenſendi erunt ejus Immunitate gaudere: maximè quia immunitatis Privilegium omnibus confugientibus ad Eccleſiam conceſſum ſit, præterquam in Caſibus exceptis. Sic Navarrus, Dacianus, Suarez, Covarruvias, Farinacius, Tuſcus, Ambroſinus, Bonacina, relati à Caſtropalao *loc. cit.* 8

Dubitatur 8. de eo, qui fide data Cuſtodi carceris cum juramento promiſit, ſe ad carcerem rediturum, quamvis poſtea ad Eccleſiam confugerit, ejuſque immunitate gaudere velit. Et quamvis communis ſententia doceat, gaudere immunitate, ſi injuſtè in carcere detinebatur; nihilominus ſi juſtè detentus erat, putant aliqui Authores immunitate non gaudere. Sed dicendum immunitate gaudere, ſive juſtè, ſive injuſtè detentus erat: ratio eſt, quia nec ob caſum exceptum detinebatur, ut ſupponimus, nec perjurium illud tollit immunitatem, nec Eccleſia defendit confugientes ad ſe ob cauſam juſtam tantum, ſed ob reverentiam debitam loco Sacro. Sic Sylveſter, Panormitanus, Ambroſinus, Suarez, Farinacius, Peregrinus, Dacianus, Covarruvias, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 16. §. 4. *num.* 17. Fagundez 2. *Part. de Præcept. Eccleſ. libr.* 4. *capit.* 4. *numer.* 58. & Caſtropalaus *de Rev. debit. Loc. Sacr. diſput.* 1. *punct.* 7. *num.* 13. Nec verum eſt, quòd poſſit Epiſcopus facultatem dare capiendi illum in Eccleſia, ſi juſtè detinebatur in carcere, obtenta priùs cautione de impunitate corporalis pœnæ; ut putarunt aliqui Doctores: ratio eſt, quia Conſtitutio Gregoriana prohibet, exceptis Caſibus in Jure expreſſis, extractionem fieri ab Eccleſia pro quavis pace, & cauſa. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 15. *nu.* 199. Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 19. *nu.* 10. Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 16. §. 5. *nu.* 18. & Caſtropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 13. 9

Dubitatur 9. de Servo reſpectu Dómini ſui: ut ſi Servus delictum committens, & timens Dominum ſuum ad Eccleſiam confugiat; an inquam immunitate gaudere debeat? Hic Caſus expreſſus fuit ab Innocentio III. *in cap. Inter alia §. Si verò Servus de Immun. Eccleſ.* ubi ait: *Poſtquam de Immunitate ſua Dominus ejus Clericis juramentum præſtiterit, ad ſervitium Domini ſui redire compellitur, etiam invitus; alioquin à Domino poterit occupari.* Idem ſtatuitur *in Leg. Præſenti, §. final Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.* Verùm communis Doctorum ſententia eſt, hanc Deciſionem procedere, cum delictum, ob quod à Domino ſuo aufugit, & ſe in Eccleſiam recuperat; eſt levis momenti: quia tunc ſufficere videtur ad tollendum periculum immoderatæ caſtigationis, & ad ſecuritatem ſervi juramentum præſtitum à Domino. Quòd ſi delictum grave fuerit, non erit regulariter ſufficiens ſolùm juramentum, ſed alia ſecuritas præſtanda erit à Domino, aliàs nequibit Judex Eccleſiaſticus eum 10

Domino tradere. Sic Gloss. *in Leg. Præsenti citat. vers. Aut propter delictum*; Farinacius *in Append. de Immun. cap. 4. num. 76.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. capit. 10. num. 2.* Guttierrez *Practic. Quæst. civil. quæst. 1. num. 1.* Azor. *2. part. lib. 9. cap. 9. quæst. 9. in fine*; Germonius *de Sacr. Immun. lib. 3. cap. 16. nu. 55.* & Castropalaus *de Rev. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 7. n. 19.* In casu tamen, quod Dominus nequibit securitatem istam tradere, vel tradere noluerit; docet Castropalaus *l. c.* ex Abbate, Butrio, Daciano, & aliis relatis à Farinacio *l. c.* cogendum esse Dominum ad vendendum servum, aliàs non poterit ei tradi.

11 Claritatis gratia afferuntur alii Casus, ad quos se extendit Ecclesiarum Immunitas, licèt aliqua dubitandi ratio pro ipsis habeatur. Et 1. Casus est de Debitoribus, quibus non est solvendo, & ne carceribus recludantur confugiunt ad Ecclesiam; inquiritur, an Immunitate gaudeant? Et ratio dubitandi est, quia Immunitas Ecclesiarum conceditur delinquentibus, & debitores delinquentes dici nequeunt. Insuper Immunitas præjudicaret Juris Tertii, scilicet Creditoris, & faveret nocenti, hoc est Debitori. Sed omnino dicendum; debitores ad Ecclesiam confugientes ejus immunitate gaudere, sive de cætero suspecti sint de fuga, sive debito publico obstricti fuerint, aut magno cum detrimento Reipublicæ bona sua decoxerint, vel negotiatores falliti declarati fuerint: ratio est, quia hic Casus non est inter exceptos à Constitutione Gregoriana; & aliunde si Ecclesia tuetur confugientes ad ipsam ob causas criminales non exceptas, potiori jure debet tueri confugientes ob causas Civiles. Nec obstat ratio dubitandi; licèt enim in Jure sola mentio fiat reorum, & delinquentium, sub quibus propriè, & strictè comprehendi nequeunt debitores; nihilominus lato vocabulo rei, & delinquentes dici possunt, & defacto vocantur in judicium; sunt enim rei, & delinquentes civiliter, non verò criminaliter: adeoque sicuti immunitas extenditur ad reos criminales, ita extendi debet ad civiles. Nec immunitas directè præjudicat Juri alterius, nec favet nocentibus; cum directè intendat reverentiam Locis Sacris, & ne ab ipsis extrahantur confugientes, esto per accidens impediatur Jus alterius, & nocens defendatur. Denique huic Immunitati Debitorum favet Jus Civile *in Leg. Præsenti Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & Leg. ult. eod. tit.* quæ utpote non præjudicantes immunitati, sed potiùs faventes, & augentes eam approbatæ fuerunt *in cap. Inter alia de Immun. Eccles.* & à Trident. *sess. 25. cap. 20.* Sic Abbas, Dacianus, Guttierrez, Farinacius, Ambrosinus, Azor, Germonius, Suarez, Tuscus, Peregrinus, Gambacurta, & aliis, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5. num. 6.* & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 8. num. 2.*

12 2. Casus est in Criminalibus de Raptoribus Virginum, & Adulteris, qui si ad Ecclesiam confugiant; immunitate gaudebunt: ratio est, quia Raptus, & Adulterium non sunt Casus excepti. Et quamvis excipiantur à Jure Civili, hæc tamen exceptio correcta fuit à Jure Canonico; maximè quia in Materia immunitatis Ecclesiasticæ standum est Juri Canonico, & Constitutionibus Pontificiis, non verò Juri Civili; aut alicui Consuetudini, cui derogatur per Constitutiones Pontificias. Sic Suarez, Tuscus, Guttierrez, Germonius, Italia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. punct* 10. *num.* 5. Farinacius *in Append. de Immun. cap. 6. nu.* 88. mutans sententiam, & Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5.* referens Peregrinum, & alios.

13 3. Casus est de Incendiariis, qui videntur æquiparari nocturnis agrorum depopulatoribus, & hi excipiuntur ab immunitate Ecclesiarum. Nihilominus sustinendum est, Incendiarios immunitate gaudere: ratio est, quia non sufficit, hoc delictum incendendi esse simile delicto depopulandi agros; cum enim diversum sit, nec idem delictum; hinc sequitur, quòd exceptio unius non sit exceptio alterius, imò firmet regulam in casu non excepto. Incendere siquidem est tantùm urere; depopulari vero est fructus, & segetes agrorum diripere, & surripere, ac arbores, vineas, & ipsas segetes remanentes devastare animo illo citiùs diripiendi, & surripiendi. Et de puris Incendiariis nulla expressa exceptio habetur in Constitutione Gregoriana, uti habetur de agrorum depopulatoribus: & in hac materia cum odiosa sit, non de facili facienda est extensio. Non nego tamen, quòd difficile sit dari purum incendium sine direptione, surreptione; aut quod non conjungatur cum alio crimine ex exceptis. Nihilominus si daretur, etiamsi data opera fieret; non eximeret ab Immunitate, cum non sit casus expressè exceptus. Sic Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. qu. 3. pun. 16. §. 6. n. 6. in fin.* Farinacius *in Append. de Immun. cap. 6. n.* 105. & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 8. num. 9.*

14 4. Casus est de Bannitis, seu Exulibus: si enim Banniti, & Exules sunt ob delicta non excepta, debent Immunitate gaudere: cum non sit ratio, cur illa privari debeant. Secus verò dicendum, si ob delictum exceptum banniti fuerint, & in exilium missi. Sic ex Julio Claro, Mantica, Navarro, & aliis à Farinacio relatis docet Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5. num.* 15.

15 5. Casus est de Homicida, modò tamen proditorie non occiderit, cum sit Casus exceptus; homicida igitur immunitate gaudere debet, etiamsi in duello occiderit; & etiamsi Clericum, Monachum, aut aliam Personam Ecclesiasticam occiderit, ob quam Canonis Censuram incurrat: ratio est, quia non sunt delicta excepta, ac ab immunitate eximentia. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap. 7. numer.* 117. Boerius *Decis.* 109. *num.* 7. Peregrinus *cap. 12. num.* 13. & Bonacina *l. c. num. 9.*

16 6. Casus est de Perjuris, Falsis Testibus, & Sacrilegis, qui immunitate gaudere debent; cum hæc delicta non excipiantur; ut docent Dacianus *Tract. Crimin. lib. 6. capit.* 18. *num.* 121. Farinacius *in Append. de Immun. cap. 9. num.* 140. Peregrinus *cap.* 12. *numer.* 5. Bonacina *l. c. nu.* 11. & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 8. num. 8.* Qui extendit hanc doctrinam ad casum, quo ex perjurio, & falso testimonio aliquis morti damnaretur; tunc enim quamvis censeatur ab aliquibus proditorius homicida, adeoque ab immunitate exceptus, Nihilominus debet immunitate gaudere: ratio est, tum quia potiùs censendus esset voluntarius homicida, quàm proditorius, ut ex Daciano, & Farinacio adnotat Castropalaus: & voluntarius homicida sine proditione non privatur immunitate: tum quia etiamsi proditorius esset, cum non physicè occidat, sed moraliter tantùm; ideo non neganda erit ei immunitas.

17 7. Casus est de Blasphemis, Simoniacis, & Sodomitis; hi enim immunitate gaudere debent, cum non exprimantur in exceptione. Et quamvis blasphemi, sicuti etiam Superstitiosi, qui suspecti fuerint de hæresi, ac de tali suspicione examinandi; capi possint in Ecclesia à Ministris Tribunalis Inquisitionis; hinc non sequitur, privatos esse immunitate, ac à laica potestate capi posse in Ecclesia; nisi tales declarati fuerint à Judice competente. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 13. *nu.* 175. Bonacina *de Excom. in Par. extr. Bull. Cœn. disput. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 5. nu.* 13. & Castropalaus *de Rev. debit. Loc. Sacr. disput. 1. punct. 8. numer.* 7. Idem dicendum de Sodomita, qui licèt ex variis Legibus Regiis morti tradendus sit; & ex Constitutione S. Pii V. si Clericus fuerit, tradendus est Curiæ sæculari; hinc tamen non sequitur immunitate privari; esto crimen nefarium sit, quapropter si ad Ecclesiam confugerit, ejus immunitate gaudebit, donec à Pontifice facultas obtineatur, ut extrahatur; dummodo de pluribus nefandis actibus infamatus fuerit, ut citata Constitutio loquitur, ac requirit S. Pius V. Sic docent Navarrus *cap. 27. num. 249. versic. Tertio dico*; Farinacius *in Append. de Immun. capit. 6. numer. 98.* & Castropalaus *l. c. num. 6.*

18 8. Casus est de Ministris, & Judicibus violenter extrahentibus à Loco Sacro confugientem ad illum ob casus non exceptos. Et quamvis Dacianus, Petrus Gregor. Italia, Germonius relati à Castropalao *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 8. num.* 10. putarint, ob hujusmodi delictum privari immunitate, cum indignus sit beneficio Ecclesiæ frui, qui in idipsum Ecclesiæ Jura violat. Nihilominus non eximendi erunt ab Immunitatis Privilegio, esto indigni sint; & licèt Ecclesia potuerit eos eximere, defacto tamen non eximit; cum hoc delictum non exprimatur in Casibus exceptis. Sic rectiùs docent Farinacius *in Append. de Immun. capit. 6. numer.* 106. & Castropalaus *l. c.*

19 9. Casus est de deferentibus arma in Ecclesia contrà edictum à Principe, vel Episcopo latum: hi enim capi nequeunt in eadem Ecclesia à laica Potestate, quamvis defe-

deferendo illa delinquere videantur in eadem Ecclesia: ratio est, quia licèt ob talem armorum delationem delinquant adversus Principis, vel Episcopi mandatum; delictum tamen non est inter excepta, adeoque beneficio Immunitatis frui debent: ut tradunt Peregrinus *de Immun. capit.* 12. *dubit.* 11. *numer.* 11. Farinacius *in Append. de Immun. capit.* 16. *numer.* 247. & Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *punct.* 16. §. 5. *num.* 10.

10. Casus est de falsam monetam construentibus, aut veram adulterantibus, qui licèt videantur injustitiam committere non solùm contra Rempublicam, verùm etiam contra Regem, adeoque crimen læsæ Majestatis patrare. Nihilominus Immunitate Ecclesiæ privari non debent, si ad illam confugerint: ratio est, quia licèt hoc delictum gravissimum ex se sit, attamen non excipitur ab Immunitate: nec dici potest publicum latrocinium, eo quia non fit cum violentia, & publicitate; imò secretissimo modo, & cum occulta fraude. Nec insuper dici potest crimen læsæ Majestatis in Principis Personam, sed tantùm in ejus statum, & in damnum subditorum; adeoque non extat caput, ob quod censendum sit exceptum. Sic Guttierrez *Pract. Quæst. Civil. lib.* 3. *quæst.* 4. Farinacius *in Append. de Imm. capit.* 6. *numer.* 91. & Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp.* 1. *punct* 8. *num.* 11.

CAPUT IV.

De Casibus Exceptis ab Immunitate Ecclesiarum.

1 *Primo Immunitas Ecclesiarum quamvis extendatur ad Casus graves, nonnulli tamen excepti fuere à Summis Pontificibus.*
2 *Excipiuntur ab Immunitate Ecclesiarum Publici Latrones.*
3 *Secundo Viarum Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident.*
4 *Tertia Depopulatores agrorum.*
5 *Quarta Occidentes, vel mutilantes in Ecclesia.*
6 *Extenditur exceptio ad occidentes, vel mutilantes in Cœmeterio.*
7 *Extenditur ad Occidentes, & Mutilantes in dictis locis sive ex proposito, sive ex subitanea, & impensata rixa.*
8 *Extenditur ad prædictos etiamsi sine spe Immunitatis occiderint, aut mutilaverint.*
9 *An hæc privatio Immunitatis extendenda sit ad alia delicta in Ecclesia, vel Cœmeterio commissa?*
10 *An vulnerans aliquem in Ecclesia, si non sequatur mors; Immunitate privetur?*
11 *An existens in Ecclesia, si alium extra illam, aut ejus cœmeterium occidat, vel mutilet; privetur Immunitate?*
12 *An existens extra Ecclesiam, & ejus cœmeterium, si occidat, vel mutilet alium in Ecclesia, vel ejus cœmeterio existentem; Immunitate careat?*
13 *An extrahens dolo, aut vi aliquem in Ecclesia receptum, quem postea occideret, aut mutilaret; privari debeat Immunitate?*
14 *An mandans occidere, vel mutilare aliquem in Ecclesia privandus sit Immunitate?*
15 *An occidens, aut mutilans propè Ecclesiam ductus spe confugiendi ad illam; Immunitate privetur?*
16 *An occidens, aut mutilans in Ecclesia privari debeat Immunitate ob alia delicta, pro quibus gaudere posset?*
17 *Quinto excipiuntur ab Immunitate, qui proditione proximum suum occiderint.*
18 *An occidens inimicum post promissionem factam de non offendendo proditorie agat?*
19 *An occidens inimicum post reconciliationem cum eo factam, post quam nova causa inimicitiæ advenit; proditorie occidat?*
20 *An proditorie occidat, qui se alteri comitem dat in via; quem sine rixa occidit?*
21 *An occidens per insidias inimicum dormientem, aut alio modo incautum; proditorie occidat?*
22 *An occidens inimicum per industriam, non verò per insidias; proditorie occidat?*
23 *An volens proditorie occidere, sed tantùm vulneret non secuta morte; Immunitate careat?*
24 *An occidens proditorie infidelem careat Immunitate?*
25 *An procurantes abortum, Falsi Testes, & Iniquus Judex in causa mortis immunitate priventur?*
26 *Sexto excipiuntur ab Immunitate Ecclesiæ Rei Assassinii.*
27 *An dicendus Assassinius, qui pretio conductus aliquem occiderit; quamvis pretium non receperit?*
28 *An si pretium datum ob Assassinium tenue fuerit, liberet ab Assassinio?*
29 *An promissio facta Sicario verbis generalibus sufficiens sit ad Assassinium?*
30 *An si mandans promittat Sicario in pretium homicidii, se daturum ei in uxorem aliquam fœminam, quam promissionem acceptet; committat assassinium si occidat?*
31 *An occidens inimicum suum, quamvis pretio conductus sit ab alio; committat assassinium?*
32 *An non solùm Immunitate careant committentes assassinium, sed etiam cooperantes ad illud?*
33 *An pretio, vel promissione conductus ad vulnerandum dicatur assassinium committere, si vulneret?*
34 *An committens assassinium in infidelem careat Immunitate?*
35 *Septimo excipiuntur ab Immunitate Rei hæresis.*
36 *Octavo excipiuntur ab Immunitate Rei læsæ Majestatis in Personam ipsiusmet Principis.*
37 *Quid dicendum de lædentibus Personas Cardinalium?*
38 *Quod nam sit crimen læsæ Majestatis in Personam Principis?*
39 *A quonam præstari debet hoc crimen, ut Immunitate privet?*
40 *An præter enumeratos casus dentur alii eximentes ab Immunitate Ecclesiastica?*
41 *An ex vi consuetudinis possint alii casus induci?*

QUAMVIS Immunitas Ecclesiarum extendatur ad Casus quantumcumque graves, ut clarè constat ex verbis Innocentii III. *in cap. Inter alia de Immun. Eccles.* ubi ait: *Quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus.* Nihilominus ipsemet Pontifex in eodem Capite varios Casus ab immunitate excipit; sicuti alios excipit Gregorius IX. *in cap. ultim. de Immun. Eccles. & in cap.* 1. *de Homic.* Quos omnes per suam Constitutionem Gregorius XIV. in unam formam reduxit, & moderatus est; in qua quidem Constitutione alios addidit. Hos igitur Casus in Constitutione Gregoriana expressè exceptos ordine suo explicare debemus, resolutis difficultatibus ad ipsos spectantibus. 1

1. Casus exceptus est, ut immunitatis Privilegio non gaudeant Publici latrones *ex cap. Inter alia, & ex Constitutione Gregoriana citatis*. Sed explicandum quid veniat nomine Publicorum latronum. Latro dicitur ille, qui violenter aggreditur, ac prædatur. Publicus verò, qui palam prædatur, aut per insidias in viis publicis, vel in domibus privatorum publicè cum violentia furatur. Extenditur hæc doctrina ad publicè deprædantes in mari, si videlicet transeuntes invadant, expolient, ac prædas agant. Sic Panormitanus, Farinacius, Decianus, Peregrinus, Ambrosinus, Italia, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 6. *num.* 2. & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. Notandum 1. quodlibet ex delictis supradictis constituere publicum latronem; nec requiri ut omnia committat: sic ex Deciano, & Ambrosino tradit Castropalaus *l. c.* Notandum 2. ad hoc ut delictum ex supradictis publicum latronem constituat, debet esse frequentatum; non sufficit semel, sed requiritur bis, vel ter illud commisisse: nomen enim ipsum latronis frequentiam præseferre videtur. Sic ex Deciano, Ambrosino, Farinacio docent Castropalaus, & Bonacina *locis citatis*. Notandum 3. si quis ex uno furto publico, & ex aliis Secretis diffamatus fuerit; censendus erit publicus latro, ac ab immunitate exceptus. Sic ex Deciano, Ambrosino, & Farinacio asserit idem Castropalaus *loc. cit.* Notandum denique, non sufficere dubitationem, aut præsumptionem, quòd quis sit publicus latro, ut immunitate privetur; sed debet constare, quòd talis sit. Constat autem, cum informatione facta priùs citata parte accedit sententia declaratoria Judicis. Sic ex Deciano, & Farinacio tradit Castropalaus citatus. 2

2. Casus est, ut immunitate careant Viarum Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Sic *ex cap. Inter alia & ex Constitutione Gregoriana citatis*. Dicitur Viarum Grassator, qui graditur cum impetu, 3

petu, ut spoliet, vulneret, aut occidat viatores in viis publicis, & itineribus frequentatis; nec sufficit ad Grassatorem viarum, quòd hæc alibi committat: ut docent Ambrosinus, & Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr, disput. 1. punct. 9. num. 6.* Nec sufficit, quòd semel, sed requiritur quod bis, vel ter grassatus fuerit, & sic ex Deciano, Ambrosino, Farinacio docent Castropalaus *l. c. nu. 2.* & Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 6. numer. 3.* In hoc differt Viarum Grassator à Publico latrone, quòd Grassator vias in Urbe obsideat, Latro verò Publicas vias extra urbem: ut ex Deciano, Ambrosino, Farinacio tradit citatus Bonacina *juxta Leg. Capitalium §. Grassatores, ff. de Pœnis.*

4 3. Casus exceptus est, ut Immunitate careant Depopulatores agrorum: *sic ex Capit. Inter alia, & ex Constitutione Gregoriana citatis.* Advertendum tamen, quòd licèt *in Cap. Inter alia*, solum excepti erant nocturni agrorum Depopulatores, quapropter excluſi videbantur diurni. In Gregoriana tamen Constitutione nulla facta est restrictio ad nocturnos; adeoque comprehendere voluit diurnos: ut docent Ambrosinus *de Immun. cap. 4. num. 5.* Farinacius *de Immun. capit. 11. num. 161.* & Bonacina *de Excom. in Partic. extr. Bullam Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 6. nu. 5.* Dicitur autem Depopulator agrorum, qui alienos agros, segetes, arbores, vineas, fructus furripit, & devastat *ex Leg. 1. Cod. Quando liceat unicuique sine judic. sibi jus dicere*; ut docent Ambrosinus, Tuscus, Italia, Peregrinus, Suarez, Farinacius relati à Bonacina *loc. cit.*

5 4. Casus exceptus est: ut Occidentes, vel Mutilantes in Ecclesia Immunitate non gaudeant: ut habetur *in Cap. final. de Immun. Eccles. & in Constitutione Gregoriana* per verba: *Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur*. Jure meritò ducta fuit Ecclesia ad excipiendos ab Immunitate hos delinquentes; par siquidem est, ut in eo, in quo quis delinquit puniri debeat; & frustra Legis auxilium imploret, qui in Legem delinquit *juxta Capit. Quia frustr. de Usur. & Leg. Auxilium §. In delictis ff. de Minor.* Sed hęc potiùs probant congruentiam Legis, & Constitutionis, quam earum validitatem, quæ tota à Mente Conditoris pendet.

6 Extenditur 1. tradita doctrina ad Occidentes, vel mutilantes in Ecclesia, aut in ejus Cœmeterio; sive de cætero Ecclesia consecrata fuerit, sive non: ratio est, quia non restringitur occisio, vel mutilatio ad Ecclesias consecratas; ergo ubicumque Ecclesiarum Immunitate gaudentium commissæ fuerint, Immunitate privabunt. Quapropter si quis delictum istud commiserit in Ecclesia non consecrata, nec benedicta; sed auctoritate Episcopi erecta, & confugiat ad Ecclesiam consecratam, vel benedictam; non ideo Immunitate gaudebit. Nec juvat ex Ecclesia, in qua delictum commissum fuit, ad aliam, quęcumque sit, confugere: cum semper verum sit, delictum in Ecclesia commisisse, ob quod Immunitate privatur. Sic Italia, Farinacius, Covarruvias, Azor. Ambrosinus, Decianus, Peregrinus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 7. num. 1.*

7 Extenditur 2. ad Occidentes, & Mutilantes in Ecclesia, aut ejus Cœmeterio sive ex proposito, sive ex subitanea rixa, & impensata: ratio est, quia Textus generaliter loquitur, adeoque ex quocumque accidente proveniat, aut ex animo deliberato delictum istud, Immunitate privat. Quidquid in contrarium nonnulli dixerint de occidente, aut mutilante ex subitanea rixa. Sic contra hos docent Decianus *tom. 2. lib. 6. cap. 28. num. 5.* Farinacius *in Append. de Immun. cap. 16. num. 239.* Italia *lib. 1. cap. 5. §. 3. nu. 7.* Peregrinus *capit. 6. nu. 15.* & Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 7. num. 1.*

8 Extenditur 3. ad occidentes, aut mutilantes in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio sine spe Immunitatis. Docuerunt enim Guttierrez, Card. Tuscus, Azor. Italia, Azebedo, & Farinacius, quòd si sine spe Immunitatis commissum fuerit tale delictum in Ecclesia, Immunitate non privet: eo quia *Textus in Cap. Inter alia de Immun. Eccles.* videtur requirere spem istam, contra quam facta est exemptio ab Immunitate; adeoque si spes ista non habeatur; Immunitatis Privilegium suum robur habet. Sed omnino sustinendum, occisionem, aut mutilationem in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio commissam sive sine spe Immunitatis, sive cum illa semper privare Immunitate: ratio est, quia Pontifex absolutè loquitur, & indistinctè; nec respexit ad animum committentis delictum, sed ad ipsius delicti qualitatem, quocumque animo committatur; & ad periculum committendi similia delicta cum facilitate in Ecclesia; adeoque voluit, tales non debere gaudere Immunitatis Privilegio, quo faciunt se indignos. Et quamvis superiùs dixerat Innocentius III. *in Cap. Inter alia. Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes*; & infra: *Qui nisi per Ecclesiam, ad quam confugiunt, crederent se defendi, nullatenus fuerint commissuri.* Nihilominus Pontifex ex hac particulari causa universalem prohibitionem protulit; & mandavit generaliter, & indistinctè, homicidas, & mutilatores in Ecclesia, aut ejus Cœmeterio Immunitate privari. Gregorius verò XIV. extra controversiam generaliter, & indistinctè dixit in sua Constitutione: Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 6. in fine*, Covarruvias 2. *Variar. cap. 20. numer.* 15. Julius Clarus *Pract. §. fin. quæst. 30.* Navarrus *in Summ. capit. 25. numer.* 20. Decianus *libr. 6. capit. 28. numer. 5.* Germonius *de Sacr. Immun. lib. 3. capit. 16. num. 79.* Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disput. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 7. numer. 1.* & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disput. 1. punct. 9. numer. 12.* Adnotandum tamen, quòd Doctores adversæ sententiæ concedant, semper præsumendum esse, quòd committentes talia delicta in Ecclesia cum spe Immunitatis commiserint, adeoque excludendos esse ab Ecclesia, nisi probent, sine tali spe commisisse.

9 Petes 1. an Privatio hæc Immunitatis extendenda sit ad alia delicta in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio commissa præter Occisionem, aut mutilationem? Resp. quamvis Docti Viri Navarrus, Covarruvias, Guttierrez, Bobadilla, Suarez penes Castropalaum *de Rever. debit. Loc. Sacr. disput. 1. punct. 9. numer. 8.* putarint, indignum esse Immunitate delinquentem per alia delicta in Ecclesia, quia spe Immunitatis delinquere videtur; & ratio decidendi *in Cap. Inter alia* contra occidentes, aut mutilantes, convenit etiam aliis delictis. Nihilominus per Constitutionem Gregorii XIV. verius, & probabilius est, non faciendam esse extensionem Privationis Immunitatis ad alia delicta commissa in Ecclesia: ratio est, quia pœnæ non extendendæ sunt ultra verba Legis; ergo si Lex Immunitate privat ob homicidium, aut mutilationem commissa in Ecclesia, non debet extendi ad alia delicta in eadem Ecclesia commissa. Et quamvis ratio decidendi convenire videatur aliis delictis, & committentes illa indigni sint Immunitate Ecclesiæ, utpote delinquentes in illa; nihilominus hæ rationes tantùm probant, quòd sicuti facta fuit Constitutio contra occidentes, aut mutilantes in Ecclesia; ita fieri poterat contra committentes alia crimina in Ecclesia, stupra videlicet, adulteria, sodomias &c. non verò probant, defacto Constitutionem factam esse pro illis, ac exceptionem ab Immunitate extendendam esse ad illa. Sic Boerius *Decis. 109. num. 3. in medio*, Farinacius *in Append. de Immun. capit. 16. numer. 208.* Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disput. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 7. num. 1. in fine, & 11.* Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. n. 9.* & Peregrinus *cap. 12. quæst. 15. n. 15.*

10 Petens 2. an vulnerans aliquem in Ecclesia, si mors non sequatur, privetur Immunitate Ecclesiastica? Resp. negativè: ratio est, quia occidere, & mutilare privant Immunitate, non verò vulnerare: & verba Legis in propria significatione accipienda sunt. Quamvis enim omnis mutilatio dici possit vulneratio, non tamen omnis vulneratio est mutilatio, cui annexa est privatio Immunitatis: nam vulneratio licèt importet aperturam aliquam corporis cum percussione factam, non tamen importat abscissionem membri, quæ de necesse requiritur ad mutilationem. Illa verò pars corporis dicitur membrum, quæ habet officium aliquod in corpore disjunctum, vel conjunctum cum aliis membris juxta ea, quæ latiùs dicemus de irregularitate. Secus dicendum, si ex vulneratione mors secuta fuerit; tunc enim occisio esset. Sic Boerius *Decis. 109. num. 3.* Farina-

rinacius *in Append. de Immun. cap. 6. n. 227.* Bonacina *de Excom. in Part. extra Bull. Cœn. disp. 2. qu. 3. punct. 16. §. 7. n. 7.* & Castrop. *de Rev. de Loc. sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 10.*

11 Petes 3. an existens in Ecclesia si alium extra Ecclesiam, aut ejus Cœmeterium sclopo, sagitta, aut alio instrumento occidat, vel mutilet; privetur Immunitate? Resp. licèt Bonacina *l. c. nu. 2.* & Fagundez *de Præcept. Eccl. lib. 4. cap. 4. nu. 17.* asserant, non privari Immunitate: eo quia licèt inchoet occisionem, vel mutilationem in Ecclesia, eam tamen perficit extra Ecclesiam; insuper si suborta contentione, & rixa in Ecclesia quis ensem evaginaret, eoque inimicum insequeretur, & extra Ecclesiam occideret, aut mutilaret; non utique Immunitate privaretur; ergo neque privari debet ob actum inchoatum in Ecclesia, & perfectum extra illam. Nihilominus vera, & communis sententia docet, privari Immunitate: ratio est, quia revera occisio, aut mutilatio in Ecclesia committitur, cum in ea ponatur causa necessaria occisionis, vel mutilationis, seu ex qua necessario sequitur occisio, vel mutilatio. Ad eum modum quo si quis vulneraret aliquem in Ecclesia, ex quo vulnere mors sequeretur extra Ecclesiam, utique diceretur occisionem committere in Ecclesia, ut non denegat ipse Bonacina, & non ex alio capite, nisi quia apposuit in Ecclesia causam necessariam ad mortem; ergo si explodens sclopum, aut sagittam emittens in Ecclesia alium extra Ecclesiam existentem occidat, aut mutilet, quia ponit in Ecclesia causam necessariam ad mortem, vel mutilationem; privari debet Immunitate. Et hinc patet disparitas ad evaginantem gladium in Ecclesia, licet inimicum extra Ecclesiam occidat; non enim hic apposuit causam necessariam mortis in Ecclesia, cum evaginatio gladii pure facta in Ecclesia non sit causa necessaria mortis, sed ejus applicatio in corpore inimici facta extra Ecclesiam. Sic Abbas, Navarrus, Decianus, Guttierrez, Ambrosinus, Covarruvias, Suarez, Azor, Italia, Villagut, Farinaccius, Bobadilla, quos refert, & sequitur Castrop. *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. n. 15.* Gambac. *lib. 5. cap. 24. n. 2.* & Peregr. *cap. 6. nu. 17.*

12 Petes 4. an existens extra Ecclesiam, vel ejus Cœmeterium si occidat, vel mutilet sclopo, vel sagitta, aut alio instrumento existentem in Ecclesia, aut ejus Cœmeterio; immunitate careat? Resp. Villagut *de Exten. leg. cap. fin. n. 50.* putasse, non privari Immunitate: eo quia causa necessaria occisionis illius, aut mutilationis revera apposita fuit extra Ecclesiam; ergo licet mors secuta fuerit in Ecclesia, non inde tamen Immunitate privabit: sicuti si lethaliter quis vulneraret aliquem extra Ecclesiam, & vulneratus ingrediens Ecclesiam in ea moreretur, non ideo vulnerans Immunitate privaretur. Communis tamen sententia docet Immunitate privari: ratio est, quia si initium alicujus actionis, ex qua necessario mors sequitur, aut mutilatio per hoc, quòd in Ecclesia sit, immunitate privat; à fortiori Immunitate privare debebit perfectio actionis illius facta in Ecclesia: maximè quia formaliter homicidium, vel mutilatio consistit in privatione vitæ, aut alicujus membri; ergo cum existens extra Ecclesiam vita privet, aut membro existentem in Ecclesia; verè, & propriè dicitur occisionem, aut mutilationem in Ecclesia committere. Non sic verò qui vulnerat lethaliter extra Ecclesiam, esto vulneratus moriatur in Ecclesia; non dicitur occidere in Ecclesia: eo quia causa, ex qua necessario secuta est mors illa; non apposita fuit in Ecclesia. Sic Covarruvias, Suarez, Farinaccius, Italia, Ambrosinus, Decianus, Navarrus, Bobadilla, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. qu. 3. punct. 16. §. 7. nu. 2.* & Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 16.*

13 Petes 5. an si quis vi, aut dolo aliquem in Ecclesia receptum ab ea extraheret, & postea occideret, aut mutilaret; privari debebit Immunitate? Resp. negativè contra Azorium, Sylvest. Peregr. Farinac. penes Bonac. *l. c. nu. 4.* ratio est, quia extractio illa violenta, aut dolosa, licèt sacrilega sit, & peccaminosa; non est tamen causa necessaria, ex qua mors sequitur extra Ecclesiam; adeoque nequit dici, homicidium, vel mutilationem in Ecclesia commissa fuisse, aut originem necessariam habuisse ab Ecclesia: quapropter nequibit immunitate privare, qua privant occisio, vel mutilatio in Ecclesia commissæ; non verò extractio violenta, aut dolosa in ipsa commissa. Sic Bonacina *loc. cit.* & Castropalaus *l. c. nu. 18.*

Petes 6. an mandans occidere, vel mutilare aliquem 14
in Ecclesia Immunitate privetur? Respondeo licèt Suarez, Gambacurta, Farinacius, Peregrinus, Sylvester, & alii penes Bonacinam *de Excommun. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. qu. 3. punct. 16. §. 7. n. 10.* docuerint: mandantem homicidium, vel mutilationem fieri in Ecclesia Immunitate privari; eo quia revera censetur causa homicidii, vel mutilationis illius in Ecclesia. Quamvis Decianus, Ambrosinus, Peregrinus, Farinacius ab eodem Bonacina relati *l. c.* putent, non privari Immunitate, si existens in Ecclesia mandat, aliquem occidi, vel mutilari extra illam. Nihilominus probabilior sententia est, non privari Immunitate Mandantem istum, sive mandatum det in Ecclesia, sive extra illam; sive ut mandatum exequatur in Ecclesia, sive extra illam: ratio est, quia Mandantes non propriè, sed impropriè, ac Juris interpretatione dicuntur homicidium, vel mutilationem illam committere; & solùm sunt causa moralis, non verò physica delicti in Ecclesia commissi; sed pœnæ non sunt extendendæ, nisi in propria, & rigorosa significatione; ergo si pœna privationis Immunitatis afficiuntur occidentes, vel mutilantes in Ecclesia, nequeunt eadem affici Mandantes, qui impropriè, & largè comprehenduntur sub illis. Adde quòd ex recepta sententia, si censura lata est contra facientes delictum aliquod, non comprehendit mandantes, & Consulentes illud, nisi exprimantur; ergo idem dicendum in hac pœna Ecclesiastica privationis Immunitatis. Et quamvis censeatur mandans causa occisionis, vel mutilationis in Ecclesia; censetur tamen causa moralis, non physica, & pœna privationis Immunitatis annectitur causæ physicæ, scilicet physicè occidenti, aut mutilanti; non verò morali hoc est mandanti, aut consulenti. Nec valet in hoc casu regula illa: Qui facit per alium, per seipsum facere censetur. Nam non habet locum in pœnis, nisi ab ipsa Lege fiat expressa extensio: esto moraliter, largè, & impropriè, ac Juris interpretatione censeatur facere per se ipsum; non ideo tamen pœnas incurrit physicè actioni annexas, nisi id expressum fuerit. Sic rectiùs Bonacina *l. c.* & Castropalaus *de Rev. deb. loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 17.*

Petes 7. an committens occisionem, vel mutilationem 15
prope Ecclesiam ductus spe confugiendi ad illam Immunitate privetur? Resp. aliquos Doctores cum Covarruvia, Navarro, Bobadilla, Gambacurta, Menochio, Farinacio relatis à Bonacina *l. c. nu. 12.* & à Castropalao *l. c. num. 20.* putasse, Immunitate privari: eo quia spe Immunitatis, & confugiendi ad Ecclesiam occisionem, aut mutilationem committeret; adeoque ne Ecclesia Dei spelunca latronum evadat; privari debet Immunitate? Quòd si ex subitanea rixa sequatur occisio, vel mutilatio prope Ecclesiam; & occidens, vel mutilans absque præconcepta spe immunitatis ad illam confugeret; Immunitate gauderet. Et sic docent Decianus, Guttierrez, Tuscus, & Farinacius penes citatum Castropalaum. Nihilominus veram puto sententiam asserentem; quod Immunitate gaudeat committens occisionem, aut mutilationem illam prope Ecclesiam, sive de cætero cum spe Immunitatis commiserit, sive sine illa: ratio est, quia excipitur ab Immunitate occidens, aut mutilans in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio, ut patet ex Textibus toties repetitis, & præcipuè ex Constitutione Gregoriana; ergo si hæc occisio, vel mutilatio facta est extra Ecclesiam, vel ejus cœmeterium, esto prope illa; Immunitate privare non debet. Accedit, quòd spes Immunitatis accidentariè se habet quoad delictum, & Pontifices privantes Immunitate occidentes, aut mutilantes in Ecclesia non respexere ad spem Immunitatis, sed ad injuriam loci Sacri. Et sicuti Ecclesia Dei non evadit spelunca latronum pro confugientibus sine spe, ita nec evadit pro confugientibus cum spe; dummodo extra illam deliquerint, & in ipsa emendari possint. Sic Suarez, Filliuccius, Italia, Peregrinus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 7. num. 12.* & Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 21.*

Petes 8. an occidens, vel mutilans in Ecclesia prive- 16
tur Immunitate ob alia delicta, pro quibus Immunitate gaudere posset? Resp. negativè: ratio est, quia exemptio ab Immunitate solùm datur pro occisione in Ecclesia; ergo quoad alia delicta non excepta, Immunitas Ecclesiæ in suo robore firmanda est: cum ex nullo Capite deduci possit, quòd privatus Immunitate ob delictum occisionis, vel mutilationis in Ecclesia privetur etiam

ea

ea pro aliis delictis Immunitate gaudentibus. Sic Covarruvias, Boerius, Guttierez, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cen. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 7. n. 9.* & Castropalaus *de Rev. de Loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 23.*

17 Quintus Casus exceptus est, ut Immunitate priventur, qui proditione proximum suum occiderint; sic *ex cap. 1. de Homicid. & expressè ex Constitutione Gregoriana*. Sed dubium insurgit: quisnam dicatur proximum suum proditoriè occidere? Communis responsio est, illum dici proditoriè occidere, qui incautum, & nil tale prævidentem occidit, vel quia amicitiam cum eo simulabat, vel quia dolosè seduxit, ut occideret. Sic *ex cap. Clericus dist. 46. Cap. Si cupis 16. quæst. 1. ex Leg. Propter insidias Cod. Qui accusare non possunt Leg. final. Cod. de delatorib. & ex Leg. 4. ff. ad Leg. Jul. Majest.* tradunt pluribus relatis Gomez *3. Variar. cap. 3. de Homicid. nu. 5.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. de Rever. deb. loc. Sacr. cap. 11. nu. 12.* Farinacius *in Append. de Immun. cap. 9. num. 134.* Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 8. n. 2.* & Castropalaus *de Rev. deb. loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 26.* Quocumque tamen modo proditoria occisio fiat, sive ferro, sive fustibus, sive veneno, aut alio modo, & instrumento semper Immunitate privabit: quia semper dicitur occidere proximum suum proditoriè: ut rectè adnotat Bonacina *l. c.*

18 Dubitabis 1. an occidens inimicum post factam illi promissionem de nonoffendendo censeatur proditoriè occidere, & Immunitate privari? Resp. affirmativè: quia per promissionem factam de non offendendo securus extabat, ac omnis occasio se præcavendi sublata fuit; adeoque proditoriè occisus fuit. Sic Farinacius *lib. 2. Consil. consil. 168. nu. 75.* & Castropalaus *de Rev. deb. loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 26.*

19 Dubitabis 2. an qui pacem, & reconciliationem cum inimico fecit, si post factam reconciliationem nova causa inimicitiæ habita est, & eum occidat; dicatur proditoriè occidere? Resp. negativè: ratio est, quia per novam illam inimicitiæ causam, debebat sibi consulere, ac sibi præcavere; adeoque non proditoriè occisus. Sic Farinacius *3. par. qu. 107. n. 435.* & Bonac. *de excom. in part. extr. Bull. Cen. disp. 2. qu. 3. pun. 16. §. 8. nu. 5.*

20 Dubitabis 3. an qui se comitem, amicum, & socium dat alteri in via, quem sine rixa, aut occasione inimicitiæ occidit; dicatur proditoriè occidere? Resp. affirmative: ratio est, quia incautum occidit, & nil tale prævidentem de occisione illa, imò ratione comitatus, & societatis amicum putabat. Sic Farinacius, Gomez, Ambrosinus, Suarez, Peregrinus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cen. disp. 2. qu. 3. punct. 16. §. 8. nu. 3.* Qui addit patrem occidentem filium, aut filium Patrem proditoriè occidere, & Immunitate privari: ratio est, quia nil tale sibi pater timere poterat à filio, aut filius à patre. Secus verò si aliqua inimicitiæ causa intercesserit, ob quam mortem prævidere poterat.

21 Dubitabis 4. an occidens inimicum dormientem, aut alio modo incautum per insidias occidat; Immunitate privetur? Resp. quamvis doctissimi viri Covarruvias, Placa, Menochius, Italia, Villagut, Azebedo, Bobadilla, quos refert, sed non sequitur Castropalaus *de Rev. deb. loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 27.* putarint, proditoriè occidere: eo quia revera occideret incautum per insidias scilicet, & industriam. Nihilominus vera sententia est, quòd stante inimicitia insidiæ illæ non constituunt proditionem: ratio est, quia stante ea inimicitia semper habere debet inimicus fundamentum se præcavendi; atque adeo imputare sibi debet, sic incautè occisum fuisse. Ita Bartolus, Gomez, Ambrosinus, de Franchis, Suarez, Guttierrez, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. num. 28.* & Farinacius *in Append. de Immun. cap. 9. num. 143.* qui testatur, admisisse Clementem VIII. doctrinam istam *in una Panorm.*

22 Dubitabis 5. an occidens inimicum per industriam, vulgò appostatamente, non verò per insidias; dicatur proditorie occidere, & Immunitate carere? Resp. plures Doctores, quos referunt, & sequuntur Julius Clarus *Pract. quæst. 30. versic. Punctus est*, Decianus *lib. 6. cap. 28. num. 15.* & alii, putasse Immunitate privari: moventur, quia *in cap. 1. de Homicid.* habetur: avellendum esse ab altari, & Immunitate privandum, qui per industriam occiderit, & per insidias; ergo si hic per industriam occidit, Immunitate privari debet. Nihilominus semper mihi visa est probabilior sententia opposita docens, non privari Immunitate: ratio est, quia si stemus Textui allato unus terminus est per industriam, & per insidias: maximè quia propositio est simplex, non verò copulativa; adeoque facit hunc sensum: qui per industriam insidiosam occiderit, avellendus est ab altari, & immunitate privandus; non verò qui mere per industriam, & cum animo deliberato, & pensato occidendi occiderit absque insidiis. Clariùs apparet ex Constitutione Gregoriana, quæ solùm homicidium proditorium excipit, forsitan ad tollendas dubietates ortas: & homicidium proditorium non dicitur, quod animo deliberato, & pensato occidendi fit; nisi fiat additis insidiis. Sic post antiquiores docet Boerius *decis. 109. numer. 39.* Covarruvias *2. Variar. cap. 10. numer. 7. vers. In his profecto casibus*; Antonius Gomez *de delictis cap. 10. numer. 2.* Farinacius plures referens *consil. 76. numer. 17.* Suarez *lib. 3. cap. 11. num. 13.* & Castropalaus *de Rev. deb. loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. nu. 29.*

23 Dubitabis 6. an volens proditorie occidere, ac appositis insidiis per industriam, sed tantùm vulneret non secuta morte, veniat Immunitate privandus? Resp. affirmativam sententiam sustinere Navarrum, Covarruviam, Boerium, Placa, Guttierez, Azebedo Bobadillam penes Castropalaum *de Rev. deb. loc. Sacr. disp. 1. punct. 9. num. 30.* moventur, quia *in Cap. 1. de Homicid.* Textus relationem facit ad locum *Exodi 21.* ubi dicitur. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem fugere debeat: si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Ex quibus verbis clare colligit, Pontifex, quod licet non sit avellendus ab altari, qui percusserit non insidiosè volens occidere; avellendus tamen erit, qui percusserit insidiosè volens occidere. Sed negativa sententia est sustinenda, quæ non denegat Immunitatem: ratio est, quia Lex vetus Ceremonialis Exodi eam vim habet, quam ei tribuit Ecclesia; ergo si *in cap. citato* decernitur, avellendum à Sacro Altari, qui insidiosè occiderit proximum suum; non erit extendenda pœna ad insidiosè vulnerantem: cum nec ex Textu citato, nec ex alio Juris, nec ex Constitutione Gregoriana extensio ista olim in Exodo facta contineatur, ac recepta sit. Sic Rebuffus, Italia, Decianus, Farinacius, Peregrinus, Bajada in Addit. ad Clarum, Germonius, Villagut, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cen. disputat. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 8. numero 5.* & Castropalaus *loc. cit.*

24 Dubitabis 7. an occidens proditoriè infidelem Immunitate careat? Resp. quamvis Ambrosinus *de Immun. c. 7. num. 12.* & Bonacina *loc. cit. num. 6.* probabile putent, non privari Immunitate: eo quia infidelis non est noster proximus cum baptismo careat, per quem noster proximus fit, ac nobiscum communicans, nec Ecclesia impertire vult hoc privilegium eis, qui foris sunt. Nihilominus vera, ac probabilior sententia est, immunitate carere: ratio est, quia revera occisio proditoria infidelis est occisio proditoria nostri proximi, cum propriissimè infidelis noster proximus sit, & præceptum diligendi proximum sicut nos ipsos absque ulla controversia extenditur ad infideles, quos ex Charitate diligere tenemur. Nec ad rationem proximi requiritur participatio in fide, & Sacramentis; aliàs nec hæreticus, nec excommunicatus, aut peccator essent nostri proximi. Sufficit ergo, quod participent nobiscum eamdem naturam rationalem capacem beatitudinis, si media aptent ad illam, & quod nobiscum redempti fuerint sanguine pretiosissimo Christi Domini, cujus beneficio perfrui possint, si ad fidem accedant. Sic rectiùs Farinacius *in Append. de Immun. cap. 8. num. 120.* Italia *lib. 1. cap. 3. §. 3. n. 7.* Peregrinus *de Immun. cap. 7. num. 3.* & Castropalaus *de Rev. debit. Loc. Sacris, disp. 1. punct. 9. num. 31.*

25 Dubitabis denique de Procurantibus abortum secuto effectu; de Testibus, qui falso testimonio fuere causa mortis; & de Judicibus, qui aliquos injusta morte condemnant; an priventur Immunitate? Sed negativè respondendum: eo quia procurantes abortum ex communi sententia, & modo loquendi non dicuntur proditorie occidere, cum non occidant dolosè, & per insidias incau-

incautum, in quo supponi debet usus rationis, esto innocentem occidant. Sic ex Farinacio, & aliis docet Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 8. num. 8.* Falsi verò Testes, & injustus Judex non physicè occidunt, sed moraliter; & contra physicè occidentes proditorie lata est privatio Immunitatis Ecclesiæ, ut superiùs diximus, & docet Bonacina *loc. cit. num. 4.*

26 Sextus Casus exceptus est, quòd Immunitate privetur Assassinii Reus: sic expressè Constitutio Gregoriana; sed quid veniat nomine Assassini explicandum est. Et quidem venire eum, qui conductus pecunia, aut alio pretio, vel promissione mandatum accipit occidendi aliquem incautum, & nil tale præmeditantem, communis sententia docet, ducto vocabulo à quibusdam infidelibus Assassini dictis patria lingua, qui ex mandato sui Principis alios infideles, aut fideles incautos occidebant: ut tradit Covarruvias *2. Variar. cap. 20. n. 10.* & sic docent Probus Ancharranus, Imola, Menochius, Julius Clarus, Ambrosinus, Decianus, Mascardus, Suarez, Guttierrez, Farinacius, Peregrinus relati à Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 9. num. 2.*

27 Inquires 1. an dicendus sit assassinus, qui pretio conductus aliquem occidit; licèt pretium nondum receperit, quamvis ei promissum fuerit, & acceptatum? Resp. affirmativè: ratio est, quia promissio acceptata pretii æquivalet ejus receptioni: ut benè tradunt Mascardus *de Probat. libro 1. concl. 138.* Farinacius *de Homicid. quæstion. 123. numero 36.* & Castropalaus *de Rever. debit. loc. Sacr. disputat. unic. punct. 9. numer. 34.* Venit autem nomine pretii non solùm pecunia, sed omne, quod pretio æstimari potest, ac pecunia comparari.

28 Inquires 2. an si pretium datum aut promissum tenue fuerit, ut thorax, vel par caligarum; liberet à crimine assassinii? Resp. quamvis liberet Bonacina *loc. cit. num. 3.* ex Farinacio, Ambrosino, & aliis: eo quia non videtur pretio conductus, parum enim pro nihilo reputatur. Sed contrariam sententiam probabiliorem, & veriorem puto: moveor, quia levitas pretii auget, non minuit gravitatem assassinii, cum vitam hominis parvipendat, & viliorem æstimat levi pretio; & defacto graviùs peccat, si ex contractu illius parvæ rei occidat, ut etiam evenit in contractu Simoniaco. Sic bene Castrop. *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 9. num. 24.*

29 Inquires 3. an promissio facta Sicario verbis generalibus, & urbanitatis & jactantiæ; ut si mandans illi diceret, se non defuturum illi in suis necessitatibus; aut remuneraturum suos labores; an inquam sufficiens sit ad assassinii crimen? Resp. negativè: ratio est, quia promissio inducens obligationem debet esse certa, specifica, & determinata; cum ergo hæc sit generalis, & indeterminata; non poterit obligationem inducere: adeoque si occisio sequatur, gratis fieret, & purum homicidium constitueret, non verò assassinium. Sic Baldus, Bosius, Vulpellus, Bajardus, Farinacius, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 9. num 34. in fin.* & Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 9. num. 3.*

Tria hìc adnotanda 1. quòd promissio certa, & determinata facta à Mandante acceptata sit à Mandatario, ut obligationem inducat. 2. quod promissio, aut largitio pretii acceptata facta sit pro ipsa occisione, non verò pro expensis itineris faciendi ad occidendum, aut pro aliis sociis necessariis ad defendendum occisorem: nam ad crimen assassinii de necesse requiritur, ut non gratis, sed pretio occisio illa fiat; ut ex Bosio, Ambrosino, Farinacio, Vulpello, Peregrino docent Castropalaus *loc. cit.* & Bonacina *loc. cit. num. 5.* Hinc est, quòd qui sine promissione, & nullo accepto pretio aliquem occidat, aut occidere faciat spe alicujus præmii obtinendi à Mandante, vincendi litem e. g. obtinendi officium, aut succedendi in bonis occisi; revera crimen assassinii non committat: ratio est, quia occidit absque prævia promissione, aut pretio; & à fortiori si sine mandato occideret. Sic Vulpellus, Ambrosius, Farinacius, Parisius, Bajardus *in Addition. ad Clarum*, Baldus, Peregrinus, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *l. c.* & Bonac. *loc. cit. num. 3. & 5.*

30 Inquires 4. an mandans promittens Sicario ob occisionem, se daturum ei aliquam fœminam in uxorem, quam promissionem Sicarius acceptet, an inquam occidendo crimen assassinii committat privans Immunitate? Resp. quamvis nonnulli Doctores putarint, non committere assassinii crimen: eo quia promissio ista facta, & acceptata nulla reputatur, cum non pendeat à voluntate promittentis consensus fœminæ, ut sit uxor Sicarii, Nihilominus veram puto sententiam oppositum sustinentem: & ratio est, quia promissio illa facta est pretio æstimabilis, & movet sicarium ad exequendum mandatum; aliunde licèt non sit in potestate mandantis, nec pendeat à sua voluntate consensus fœminæ; nihilominus, ad procurandum illum obligatur, quantum est ex parte sua, quod quidem pretio æstimabile est; ergo habentur ea, quæ requiruntur ad crimen assassinii. Sic Decianus *Tract. Crimin. lib. 9. cap. 3. n. 16. in fin.* & Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 9. num. 34.*

Inquires 5. an occidens inimicum suum, quamvis 31
pretio conductus fuerit ab alio; censeatur crimen assassinii commisisse? Resp. Negativè: ratio est, quia non occidit incautum, & nil de occisione sua timentem: cum enim occisus erat inimicus communis tam mandanti, quàm mandatario; ideo sibi timere debebat: & parum refert, quod pretium acceperit. Secus verò esset, si tantùm inimicus fuisset mandanti; incautus tunc censendus esset respectu mandatarii, cum quo inimicitias non habebat. Sic Ambrosinus, Farinacius, Peregrinus, Julius Clarus, Covarruvias, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excomm. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 9. num. 5.* & Castropalaus *de Rever. deb. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 9. n. 36.* qui addit ex Hieronymo Gabriele, Farinacio, & aliis penes ipsos: nec dicendum esse assassinum, nec Immunitate privari eum, qui præsente mandante ex ejus mandato, ac pretio accepto inimicum mandantis occidit: ratio est, quia non occidit incautum præsente mandante, à quo sibi timere debebat: in eo siquidem casu, quo mandans præsens est, & notus occiso; potiùs dicitur præcipuus occisor ipse, quàm mandatarius, qui auxilium ipsi præbere videtur; & præsentem mandantem sibi timere debebat occisus, quapropter incautus dici nequibit?

Inquires 6. an non solùm committentes assassinium, ve- 32
rum etiam cooperantes ad illud Immunitate priventur? Resp. probabilius esse, non gaudere Immunitate: ratio est, quia sunt rei assassinii, & ex Constitutione Gregoriana rei assassinii Immunitate privantur. Quod autem rei sint assassinii constat *ex cap. 1. de homicid. in 6.* ubi pœnæ enumerantur contra interficientes per assassinos, mandantes assassinium, quamvis mors non sequatur, receptantes, defendentes, aut occultantes assassinos: quæ quidem pœnæ imponuntur, quia rei censentur criminis assassinii. Non nego tamen, quod receptantes, defendentes, & occultantes assassinos debent eos, ut tales cognoscere, ut Immunitate priventur. Sic Decianus, Farinacius Suarez, Ambros. Peregrin. Clarus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 9. num. 6. & 7.* & Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 9. n. 39. & 40.* Adnotandum hic: quod etiamsi mors non sequatur, sed tantùm habitus sit actus proximus ad occidendum, ut insultus, vel vulneratio; dicendus erit mandans reus assassinii: ut nimis clare patet *ex Text. cap. 1. de homic. in 6.* ubi dicitur: vel etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur. Quæ quidem doctrina non secuta morte non extendenda erit ad Mandatarium: eo quia Textus tantum mentionem fecit in hac parte mandantis, non verò Mandatarii, & multò minus Receptantis, Defendentis, aut occultantis: ut rectè docent Farinacius alios referens, Mascardus, Zevallos, quos refert & sequitur Castropalaus *loc. cit. num. 38.*

Inquires 7. an sit reus assassinii, & immunitate privan- 33
dus, qui pretio, vel promissione habita ad vulnerandum vulneravit? Respondeo negativè; moveor quia assassinium revera committitur ab eo, qui pretio accepto ex officio, vel contractu animam à corpore abscindit; & defacto Textus *in cap. 1. de homicid. in 6.* de interficientibus Christianos loquitur, non verò de vulnerantibus; ergo juxta hunc Textum accipientes mandatum ad vulnerandum assassini dici non debent. Sic Decianus, Vulpellus, Bajardus ad Clarum, Farinacius, Ambrosinus, Guttierrez, Gabriel, Mascardus, Peregrinus, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excomm. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. punct. 16. §. 9. num.*

num. 7. & Castropalaus *de Rever. debit. loc. sacr. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 37. Quòd si vulnerando interficeret reus esset assassinii, esto vulnus tantum infligere vellet, incumberet enim rei valde periculosæ, & ex qua non difficile mors sequitur. Nec mandans vulnerare est reus assassinii, ut est mandans occidere, quamvis mors non sequatur, eo quia hic exprimitur in Textu, non verò ille. Sic Ambrosinus, Peregrinus, Farinacius, Mascardus, & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *l. c.*

34 Inquires tandem; an assassinium commissum in infidelem privet Immunitate? Resp. affirmativam sententiam defendere Dacianum *tract. Crim. lib.* 6. *cap.* 28. *n.* 18. Italiam *de libert. Eccles. lib.* 1, *cap.* 5. §. 4. *num* 20. Peregrinum *de Immun. cap.* 5. *num.* 39. & alios: moventur quia esse fidelem, vel infidelem accidens est respectu assassinii; ergo si habetur substantia assassinii parum refert hoc accidens; insuper in homicidio proditorio sufficit esse proximum, & occisio proditoria infidelis privat Immunitate, ergo idem dicendum in assassinio. Nihilominus probabilior, & Communior sententia est negativa: ratio est, quia Textus *in cap.* 1. *de Homicid. in* 6. cui conformat se Constitutio Gregoriana loquitur de assassinio commisso contra Christianos, ait enim Textus: Quicumque Princeps, Prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica, seu sæcularis Persona quem piam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit; ergo non extendenda erit privatio Immunitatis ad assassinium contra infideles commissum. Nec in casu nostro esse fidelem, vel infidelem est accidens, sed substantia delicti privantis Immunitate. Nec à casu proditorio facienda est extensio ad assassinium, quia in casu proditorio loquitur Textus nimis expressè de proximi occisione proditoriè facta, & ut ibi probavimus, infidelis est noster proximus; in casu verò assassinii loquitur de occisione christianorum expressè, & infidelis non est christianus. Sic Julius Clarus, Bajardus *in Additionibus ad litum*, Mascardus, Ambrosinus, Bosius, Corneus, Vivius, & alii relati à Bonacina *de Excom. in part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. §. 9. *nu.* 9. Castropalaus *de Rever. deb. loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 35. referens Covarruviam, Guttierrez, & alios. In dubio an occisus sit infidelis, an verò Christianus; si ex aliis signis dignosci nequeat; sufficientem præsumptionem dabit, quòd christianus sit, si occisus reperiatur in Territorio Christianorum, ubi infideles non ita libere vagari solent: & quamvis in aliquibus Regionibus Judæi permittantur, attamen non permittuntur sine suis signis. Sic ex Claro, Guttierrez, & aliis docent Castrop. & Bonacina *locis citatis*.

35 Septimus casus exceptus est, ut immunitate priventur rei hæresis: sic expresse habetur in Constitutione Gregorii XIV. Ob crimen tamen hæresis privatur hæreticus privilegio Immunitatis, non verò ob alia delicta ab hæresi distincta, quæ non fuerint excepta. Sed controvertitur, an non solùm hæretici, hoc est pertinaciter aliquid credentes contra fidem, Immunitate priventur; verum etiam auxilium, aut favorem eis præbentes. Et ratio dubitandi est, quia hi non sunt hæretici, esto hæreticis auxilium præbeant, aut favorem. Attamen sustinenda est sententia docens, præbentes auxilium, aut favorem hæreticis immunitate privari; adeoque extrahi posse ab Ecclesia, ut examinetur eorum fides: ratio est, quia omnes incurrentes suspicionem hæresis examinatione indigent; ergo si auxiliantes, & faventes hæreticis hanc suspicionem incurrunt, ab Ecclesia extrahi possunt, sicut quilibet alius de hæresi suspectus, ut ejus fides probetur. Et hanc esse praxim testatur ex Farinacio, Bonacina, & aliis pluribus penes ipsos, Castropalaus *de Rever. debit. loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 9. *nu.* 41.

36 Octavus, & ultimus Casus exceptus est, ut Immunitate priventur læsæ Majestatis rei in Personam ipsius Principis: sic expresse habet Constitutio Gregoriana. Sed petes 1. quisnam veniat nomine Principis? Resp. venire eum, qui supremam Jurisdictionem habet, & nemini est subjectus in ea: sic sunt summus Pontifex, Imperator, Reges, Dux Venetus, Januensis, Dux sabaudiæ, Florentiæ, Parmæ, Magnus Magister equitum S. Joannis Hierosolymitani, & similes: hi enim omnes supremam habent jurisdictionem, in qua alteri non subjiciuntur: ut bene docent Farinacius, Ambrosinus, Italia, Peregrinus, & alii, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. §. 11. *num.* 2. & Caltrop. *de Rever. deb. loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 43. Hinc est, Immunitatis Privilegio non privari ob læsam Majestatem in Personam Principis, qui ejus uxorem, aut filios lædit; licet enim sit reus læsæ majestatis, secundum alia Jura, non tamen secundum Constitutionem Gregorianam circa exemptionem ab Immunitate: ut ex Marsilio, Bursato, Farinacio, Peregrino, & aliis tradit Bonacina *l. c. numer.* 3. Nec eadem Immunitate privatur lædens Ministros Principis, Vicarium, Proregem, Supremos Consiliarios, & similes: eo quia crimen non committit in Personam Principis: sic ex Julio Claro, Farinacio, Peregrino, Italia docet citatus Bonac. *n.* 4. Idem dicendum de lædente Oratores, Principum, Nuntios Summi Pontificis, statuam Principis, vel ejus simillimam imaginem depictam. Idem de cudente monetam veram, vel falsam contra Principis edictum; de præcise conspirante, conjurante, machinante contra statum, Provinciam, vel Civitatem Principis, non verò contra ejus personam: ratio est, quia licet istæ actiones sint contra Dignitatem personæ annexam, & dignæ sint gravissimis suppliciis, quia tamen non sunt in offensionem personæ Principis; Immunitate non privant. Sic Farinacius, Peregrinus, Italia, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. nu.* 5. 6. 7. & 8.

Controverti hic solet de lædentibus personas Cardi- 37
nalium, an ex vi Constitutionis Gregorianæ immunitate priventur? Communior sententia merito docet, privari: eo quia *in Cap. Felicis de Pœnis in* 6. dicitur: debere puniri ut reos læsæ Majestatis. Accedit Bulla S. P. V. incipit, *Infidelis sæculi*, ubi habetur: ut nobilissimæ corporis nostri partes undique protegantur; adeoque si lædens Personam summi Pontificis est extra controversiam reus læsæ Majestatis, pariter erit reus læsæ Majestatis ladens partes nobilissimas talis Corporis videlicet Cardinales. Denique Cardinales ob supremam eorum dignitatem merito æquiparantur Regibus, & revera sunt Romanæ Ecclesiæ Principes. Sic Julius Clarus §. *læsæ Majestatis nu.* 4. Peregrinus *cap.* 9. *nu.* 6. Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 44. *dub.* 2. *nu.* 5. & Bonac. *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 11. *num.* 9. putat probabilissimam hanc sententiam. Et quamvis Farinacius mutans sententiam *in Append. de Immun. cap.* 14. *num.* 185. *Italia de Immun. lib.* 5. §. 7. *nu.* 29. & alii docuerint, non privari: eo quia lædentes Cardinales revera non offendunt Personam Principis, cum non sint revera Principes, esto æquiparentur nobilissimis partibus Corporis Pontificis, Regibus, & Principibus; adeoque ex vi Constitutionis Gregorianæ non excluduntur. Non recedendum tamen à prima sententia; Constitutio siquidem Gregoriana non derogat *Capiti Felicis de Pœnis in* 6. si ergo ibi dicitur, debere puniri ut reos læsæ Majestatis, & similes rei puniuntur privatione immunitatis, si læsio fuerit in personam; sic faciendum erit.

Petes 2. quod nam sit crimen læsæ Majestatis, quod in 38
Personam Principis committitur? Resp. esse quamlibet actionem resultantem in offensam; & damnum Personæ Principis: sic sunt occisio, vulneratio, percussio, conjuratio, machinatio, hostilis insecutio, revelatio alicujus secreti Principis ejus inimicis, ut capiatur: omnes enim istæ actiones resultant in offensam, & damnum Personæ Principis. Nec solùm has actiones præstantes dicuntur, & sunt rei læsæ majestatis in Personam Principis, sed etiam eas mandantes, consulentes, vel auxilium, aut favorem præstantes: ratio est, quia etiam hi omnes sunt rei læsæ Majestatis in Personam Principis ob datum mandatum, consilium, auxilium, aut favorem. Sic Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 11. *n.* 10. quamvis non ita sentiat & meritò cum Peregrino de scientibus crimen patrandum, & non revelantibus illud, sicuti de ratum habentibus illud, aut defendentibus reum post patratum crimen: & ratio est, quia ratihabitio, & carentia revelationis, aut defensio post factum non important actionem, aut positivum aliquem influxum contra Personam ipsius principis, prout requiritur, ut sit offensa in Personam illius. An autem effectu non secuto deperdatur Immunitatis Privilegium? Dicendum est, deperdi: eo quia adhuc non secuto effectu mandantes, Consulentes, auxilium, vel favorem præstantes sunt rei læsæ majestatis; sicuti attentantes occisionem, vulnerationem, percussionem, aut quamliber aliam actionem resultantem in offensam, & damnum Personæ Principis effectu non secuto, Sic Julius Clarus *in Pract.*

§. *Cri-*

§. *Crimen læsæ Majestatis num.* 16. Farinacius *tom.* 2. *tit. de Crimine Læsæ Majestatis. quæst.* 112. *nu.* 91. Peregrinus *cap.* 10. *num.* 7. & Bonacina *loc. cit. num.* 11.

39 Petes 3. à quonam patrari debeat hoc crimen, ut Immunitate privet? Resp. pátrari debere à subdito ipsius Principis, qui talis esset ratione Originis, vel domicilii: nequit enim quis dici Princeps respectu offendentis, nisi habeat jurisdictionem in illum ratione originis, aut domicilii: ut expresse constat *ex Clement. Pastoralis §. denique de senten. & re judicata*, & docent Glossa ibi, Imola, Cardinalis, Zabarella, Diaz, Gomez, Julius Clarus, Farinacius, Ambrosinus, Italia, Decianus, Peregrinus, quos referunt, & sequuntur Castropalaus *de Rever. debit. loc. sacr. disp.* 1. *punct.* 9. *num.* 43. & Bonacina *de excom. in Part. extr. Bull. Cœnæ disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. §. 11. *num.* 12. Hinc est, quòd subditus ratione tantùm delicti, non verò Originis, aut domicilii non privetur Immunitate.

40 Exagitari hic solet: an præter enumeratos Casus alii dentur, qui ab Immunitate Ecclesiastica eximant? Et communis responsio est negativa, tum quia tantùm prædicti casus excipiuntur in Constitutione Gregoriana, non verò alii; tum quia exceptio fit per modum formę, ut patet ex illis verbis Gregorii XIV. ad unam tantum formam reducimus; & quando exceptio fit per modum formæ nil addi, aut minui potest ex Casibus exceptis. Nec identitas, aut majoritas rationis favere potest ad excipiendum alium Casum, quia extensio illa præjudicaret causæ favorabili Immunitatis Ecclesiæ. Restat igitur inconcussum, quòd nec ex identitate rationis, nec ex majoritate fieri possit extensio ad alios Casus, aliàs Regula assignata *in cap. Inter alia de Immun. Eccles.* & tradita à citato Pontifice in sua Constitutione non esset firma, & stabilis, ut docent Suarez, Franciscus Leo, Farinacius, Guttierrez, Germonius, Ambrosinus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. deb. loc. sacr. disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 4.

41 Solùm dubitari potest: an ex vi Consuetudinis alii Casus excipi possint? Et quamvis aliquorum sententia fuerit affirmativa, eo quia vim habet consuetudo legitimè præscripta abrogandi Legem ab Ecclesia statutam, nec in Constitutione Gregoriana tollitur consuetudo, quamvis tollantur privilegia, & Indulta Principibus concessa. Nihilominus probabilissima sententia est, non posse vi consuetudinis alios Casus excipi: ratio est, quia à Tridentino *sess.* 25. *cap.* 20. ablatæ fuerunt omnes consuetudines Immunitati Ecclesiasticæ derogantes; nec post ipsum usque ad Constitutionem Gregorii XIV. alia de novo introduci potuit, cum non intercesserit spatium quadraginta annorum, quod ad minus requiritur ad similem consuetudinem introducendam. Aliunde Constitutio Gregoriana tollit omnes consuetudines in contrarium, expresse siquidem derogat, ac tollit quamlibet facultatem, quomodocumque emanaverit à sede Apostolica contrarium judicandi; sub qua tam statutum, tam Lex, quàm consuetudo comprehenduntur, ut rectè probant Ambrosinus, Italia, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. deb. loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 10. *nu.* 2. maximè quia corruptelam nominat consuetudinem Immunitati Ecclesiasticæ derogantem; & ad unam formam vult Pontifex omnes Casus ab Immunitate excipientes reducere; ergo dicendum est, velle abolere omnem aliam consuetudinem in contrarium sive præteritam, sive futuram; ut imposterum ad unguem ejus servetur Constitutio, ac forma, & norma circa Immunitatem à se tradita. Sic præcitati Doctores apertè colligunt ex verbis ipsius Constitutionis, ubi dicitur: *sublata qualibet differentia ad unam formam tantùm reducimus*. Nec obstat, quòd Pontifex motus fuerit ad suam Constitutionem edendam, ut derogaret Privilegiis, & Indultis, quæ Principes prætendebant circa Immunitatem; nam ex hac occasione derogavit etiam cuilibet consuetudini in contrarium, ut ejus Constitutio exactiùs servaretur, & una tantùm esset forma in hac re servnada ablatis omnibus Consuetudinibus.

CAPUT V.

De Effectibus Immunitatis Ecclesiasticæ.

1 *Plures sunt effectus Immunitatis Ecclesiasticæ.*
2 *Primus effectus est, ut nequeant confugientes ad Ecclesiam extrahi ab illa inviti à Potestate laica sine consensu Ecclesiæ.*
3 *Etiamsi Casus exceptus fuerit, nequit fieri extractio à Potestate laica sine consensu Ecclesiæ.*
4 *Secundus effectus, ne impediantur recepto in Ecclesia alimenta, vestes, & reliqua ad vitæ sustentationem necessaria.*
5 *Tertius effectus, ne ulla vis, aut damnum inferatur recepto in Ecclesia.*
6 *Quarto effectus; ne receptus in Ecclesia possit damnari ad mortem, aut aliam pœnam.*
7 *Quintus Effectus, ut extractus per vim ab Ecclesia restituatur ipsi.*
8 *Cuinam Ecclesiæ restituendus sit extractus?*
9 *Quid faciendum in controversia, an reus captus sit in Ecclesia, an extra illam?*
10 *Sextus effectus, ut si extractio fiat non servata forma in Constitutione Gregoriana præscripta; nulla, & invalida sit.*
11 *Septimus effectus, ut tum à recepto, tum ab Ecclesia resisti possit mediis licitis potestati Laicæ tentanti injustam extractionem.*

PLURES enumerantur effectus Ecclesiasticæ Immunitatis, prout faciunt ad rem nostram, & de quibus singillatim agemus; nam de aliis effectibus Immunitatis Ecclesiæ, prout videlicet eam immunem reddunt à pollutionibus, effusione sanguinis, furtis, actionibus forensibus Judiciorum, confabulationibus, ac contractibus politicis; non spectat ad nostrum institutum pertractare, sed de eis suis locis specialibus agetur. 1

1. Igitur effectus est, ut confugientes ad Ecclesiam nequeant à potestate laica ab illa extrahi inviti, & sine consensu Ecclesiæ. Sic constat ex Jure Canonico *in c. Inter alia de Immun. Eccles. cap. Frater. cap. Minor; cap. Reum; cap. Id constituimus. 17. quæst.* 4. ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 20. & ex Constitutione Gregorii XIV. incipit, *Cum alias Prædecessoris nostri, die* 28. *Maii ann.* 1591 & ex Jure Civili *Leg.* 2. *Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ubi sancitur: *Nemini licere ad Sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere.* Dicitur autem invitus extrahi ab Ecclesia, qui ipso reluctante extrahitur sive ab alio, sive à potestate laica: nam si ipse exiret liberè, & à potestate laica caperetur extra Ecclesiam etiam ipso reluctante; non diceretur invitus extrahi: ut ex Deciano, Suarez, Farinacio, Bonacina docet Castropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 11. *num.* 1. Non dicitur tamen liberè exire ab Ecclesia, qui receptus est in illa, si necessitate coactus exeundi ob exonerandum corpus, recedit ab illa statim reversurus: quapropter si interim à Ministris Justitiæ capiatur, Ecclesiæ restituendus erit, cum revera non dicatur liberè exisse à Loco sacro: ut ex Bonacina, & Fagundez rectè adnotat citatus Castropalaus. Secus verò dicendum, si blanditiis, ac verbis dolosis inductus ab Ecclesia exiret, & à potestate laica caperetur; tunc enim non diceretur invitus extrahi ab Ecclesia, sed liberè ab illa exire, adeoque capi poterit: nam extractio violenta prohibetur, quia reddit invitum; non verò dolo, & fraudulenta, quæ non reddit invitum; sed incautum. Sic Decianus, Suarez, Farinacius, Bonacina, Fagundez, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit. num.* 3. Quod si Judex promiserit Immunitatem punitionis reo, qui hac spe inductus ab Ecclesia exiit; non poterit eum punire, perdurat enim in Privilegio Immunitatis, cui absolutè non cessit, sed pro securitate à Judice data, ad quam servandam Judex tenetur: ut ex Navarro, Azebedo, Azorio, Farinacio docet Castropalaus *loc. cit.* 2

Nec poterit confugiens ad Ecclesiam extrahi ab illa sine voluntate Ecclesiæ, etiamsi Casus exceptus fuerit: cum nullum Jus habeat laica potestas in Ecclesia. Poterit tamen eum extrahere ex facultate habita ab Ecclesia, quando Casus exceptus est: ut constat ex Constitutione Gregoriana. Si verò Casus exceptus non fuerit, valde controversum est, an possit Judex Ecclesiasticus hanc facultatem concedere potestati Laicæ, maximè si confugiens fuerit invitus? Et quamvis aliqui Doctores dixerint, concedi posse hanc licentiam, præstito priùs juramento à sæculari Iudice de omni securitate pœnarum *juxta cap. Id constituimus* 17. *qu.* 4. cui juramento si Iudex sæcularis non steterit; compelli poterit per Censuras ab Ecclesiastico ad standum. Nihilominus quidquid sit de Iure Communi, attenta Constitutione Gregoriana id fieri non poterit, quæ solùm pro casibus exceptis dat hanc facultatem, adeoque denegat pro non exceptis, 3

& ir-

& irritum, ac inane reddit, quod contra actum fuerit. Igitur ne violetur Immunitas, & Reverentia Ecclesiis debita in concedenda hac facultate in Casibus non exceptis duo de necesse concurrere debent, primum consensus ipsius recepti in Ecclesia, secundum consensus Ecclesiæ, ita ut unum sine alio sufficiens non sit: nec ergo sufficit consensus confugientis sine consensu Ecclesiæ, cum hoc privilegium à nullo renuntiari possit, & est ut privilegium fori Clericis concessum ob dignitatem Clericalem, & illud ob Reverentiam locis sacris debitam, adeoque si non acceptetur ab Ecclesia, renuntiatio facta nulla erit; nec sufficit consensus Ecclesiæ sine consensu confugientis, si velit hic immunitate Ecclesiæ gaudere. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 19. *n.* 304: & Castrop. *de Rev. deb. loc. sacr. disp.* 1. *pun.* 11. *n* 5.

4 2 Effectus est, ne impediantur recepto in Ecclesia alimenta, vestes, & reliqua ad vitę sustentationem necessaria: ratio est, quia sic esset illum indirectè extrahere violenter ab Ecclesia. Quapropter jure merito statuitur *in leg. præsenti Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*: Nullum in ecclesiis ita detineri, & constringi posse, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies, *& in cap. definivit.* 17. *qu.* 4. mandatur; Ne iis quodcumque nocibilitatis, aut damni inferatur. Et sic docent Covarruvias, Suarez, Farinacius, Ambrosinus, Clarus, Decianus, Panormitanus, Italia, Gambacurta, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de excom. in part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. *§.* 3. *nu.* 4. & Castropalaus *de Rever. deb. loc. sacr. disp.* 1. *punct.* 11. *n.* 7. Sed quid dicendum: si confugiens ad ecclesiam non habeat, ex quo ali possit, nec de suo, nec à Consanguineis, vel ab amicis, Tenebitur utique ecclesia illi alimenta ministrare ex eleemosynis, quas pauperibus distribuit: cum enim protectioni ecclesiæ commissus sit, par est, ut ecclesia non ita illum derelinquat, ut coactus inedia potestati sæculari se tradat. Quòd si ecclesia pauper sit, ad nihil tenebitur: quamvis spectat ad judicem ecclesiasticum ad aliam transferre ecclesiam, ubi necessaria habere possit. Sic Decianus, Azor. Boerius, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c.*

5 3 Effectus est, ne ulla vis, aut damnum inferatur recepto in ecclesia, & ne vinculis alligetur; aut bonis, quæ in illa juste possidet, spolietur: ratio est, quia aliàs ex loco sacro carcer evaderet ecclesia; & ex loco immunitatis fieret locus punitionis, ut per se patet, *& ex cap. definivit.* 17. *qu.* 4. & ex Concilio Toletano XII. *cap.* 19. docent Decianus, Suarez, Tuscus, Italia, Farinacius quos referunt, & sequuntur Castrop. *de Rev. deb. loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 11. *num.* 6. & Bonacina *de excom. in part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 16. *§.* 3. *n.* 5.

Dubitabis 1. an potestas sæcularis possit custodire in Ecclesia delinquentem eo animo, ut tradatur judici ecclesiastico, ad quem spectat causam examinare, si Immunitate gaudeat? Et ratio dubitandi esse potest, quia dum examinatur causa, dubia res est, ad quam jurisdictionem spectare debebit. Nihilominus dicendum est, nullatenus licere potestati sæculari obsidere confugientem ad Ecclesiam intra terminos illius; esset enim eum vexare in loco sacro contra Textum expressum *in cap. definivit.* 17. *qu.* 4. ubi habetur: Ne ipsi aliqua vis, aut nocibilitas, damnumve inferatur; quin possit per triginta passus ab Ecclesia exire. Solùm poterit Potestas sæcularis extra terminos Ecclesiæ illum custodire, ut si extra tales terminos se recipiat, & illum capiat; tunc enim in Territorio propriæ jurisdictionis caperet absque violatione Immunitatis. Sic ex Covarruvia, Suarez, Italia, Farinacio, Peregrino docent Bonacina *l. c. n.* 3. Castropalaus *l. c. nu.* 6. & Fagundez 2. *par. de præcept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 55.

Dubitabis 2. an potestas sæcularis possit ligare confugientem ad Ecclesiam, ut ad judicem Ecclesiasticum deferat, qui causam examinet, si Immunitate gaudere debeat? Resp. negativè: quia priùs expressam licentiam habere debet à Judice Ecclesiastico, cujus nomine agere debet, & nullatenus nomine proprio, imò semper interveniente ministro aliquo judicis Ecclesiastici: & ratio est, quia tunc judex Ecclesiasticus facit suum brachium sæculare. Nec datur judici ecclesiastico facultatem facere Potestati Laicæ violandi Immunitatem, quapropter dum Laica potestas confugientem ad ecclesiam capit, id facere debet nomine episcopi, & ut brachium episcopi, & nullatenus ut Potestas sæcularis est, alias Immunitatem violabit. Sic expressè Bonacina *l. cit.* quidquid in contrarium alii dixerint.

Dubitabis 3. an confugiens ad Ecclesiam cum rebus furto ablatis, aut cum armis prohibitis possit à Potestate Laica spoliari? Resp. negativè sed spoliandus erit à ministris Judicis Ecclesiastici: ratio est, quia dum in Ecclesia reperitur, est extra Territorium, & Jurisdictionem sæcularis Potestatis; adeoque si id efficeret sæcularis Potestas, falcem in alienam messem immitteret cum violatione Immunitatis Ecclesiasticæ. Sic Covarruvias, Decianus, Farinacius, Suarez, Ambrosinus, Peregr. quos refert, & sequitur Bonac. *de excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. *§.* 3. *num.* 7.

4. Effectus est, ne confugiens ad Ecclesiam, dum est 6
receptus in illa, damnari possit ad mortem, aut ad aliam pœnam; sed potiùs de morte, debilitate, & omni pœnarum genere debet esse securus. Sic *ex Cap. Inter alia de Immun. Eccles. & cap. Id constituimus* 17. *quæst.* 4. docent ferè omnes Doctores, & quamvis *ex cap. Inter alia c.* Non liberè dimittendus sit sed, super hoc, quod inique fecit, legitimè puniendus: nihilominus communis responsio est, non puniendum esse corporali pœna, sanguinis videlicet effusione, triremibus, exilio, perpetua servitute; sed pecuniaria pœna, ut sententiæ condemnatoriæ satisfaciat. Hinc est, quod Potestas sæcularis possit procedere contra ea bona, quæ extra Ecclesiam habet confugiens ad illam, cum solum Ecclesia defendat Personam, & ea bona; quæ secum affert Persona confugiens ad Ecclesiam; non verò ea bona quæ extra Ecclesiam habet, & subjacent Potestati sæculari juxta qualitatem delictorum, & juxta Sanctiones Legum. Nec Textus liberans confugientem ad Ecclesiam à pœnis, liberat eum à pœna pecuniaria: sic Panormitanus Decianus, Farinacius, Suarez, Gambacurta, Peregrinus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 9.

5. Effectus est, ut extractus ab Ecclesia per vim resti- 7
tuatur ipsi Ecclesiæ: ratio est, quia resarciendum est damnum, & reparanda injuria Ecclesiæ illata: quæ alio modo resarciri, & reparari non potest, nisi ipsum extractum Ecclesiæ tradendo: maximè quia si non teneretur Potestas sæcularis tradere extractum ab Ecclesia cum vi, reportaret commodum ex sua iniquitate. Sic *ex c. Sicut antiquitus &c. Miror.* 17. *quæst.* 4. docent Abbas, Anchar. Bellamera, Bajard. *in Addit. ad Clarum*, Italia, Tuscus, Decianus, Azor. Farinac. Peregr. quos referunt, & sequuntur Bonac. *de excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. *§.* 3. *n.* 10. & Castrop. *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 11. *num.* 12.

Adnotandum 1. quod non sufficiat ad hanc restitutionem dare securitatem, aut juramentum præstare de impunitate; sed realiter debet Extractum Ecclesiæ tradere: sic enim vestit, & non aliter Ecclesiam jam spoliatam *ut ex cap. Miror. cit.* & ex Covarruvia, Deciano, Farinacio, Suarez, Archidiacono, Turrecremata, Angelo, Sylvestro, & aliis docent Bonac. *l. c. n.* 11. & Castrop. *l. c.* Idem dicendum de extractione facta in casibus Exceptis nondum cognita causa, nec obtenta priùs ab Episcopo extrahendi facultate. Et poterit Episcopus per Excommunicationem compellere ad restitutionem imò contra Potestatem sæcularem agere de spolio Ecclesiæ facto: ut ex Remigio de Gonnis, Peregrino, Cardin. Tusco, & aliis tradit citatus Bonacina.

Adnotandum 2. non posse potestatem laicam sic violenter ab Ecclesia extractum punire ob alia delicta: ratio est, quia semper est in obligatione restituendi, & reparandi injuriam ecclesiæ factam; adeoque priùs vestire debet Ecclesiam spoliatam. Sic ex Italia Farinac. Pereg. Genuensi, & aliis docent Bonac. *loc. cit. num.* 13. & Castropalaus *l. c.* : Adnotandum 3. etiam faciendam esse restitutionem in casu, quo vellet extractus remanere penes potestatem sæcularem: ratio est, quia cum Privilegium immediatè concessum sit Loco Sacro, inde est, quod non spectat ad delinquentem cedere huic Privilegio alteri concesso, sed semper Ecclesiæ restituendus erit. Sic ex Deciano, Suar. Pereg. Italia, & aliis docet Bonac, *loc. cit. num.* 12.

Inquires 1. cui Ecclesiæ facienda sit restitutio; illi à qua 8
extractus fuit, an alteri? Resp. fieri posse sive illi, sive alteri, dummodo æquè tuta, ac secura sit: ratio est, quia injuria extractionis non fit illi Ecclesiæ materiali, sed in genere fit Ecclesiæ; adeoque per restitutionem factam cuique Ecclesiæ, æquè commodæ, ac tutæ habetur resarcitio injuriæ illius. Imò restitutio fieri poterit Episcopo, vel ejus Vicario; quia offensa facta Ecclesiæ censetur facta Episcopo Ecclesiam repræsentanti, *juxta cap. Scire debes.* 17. *quæst.* 1. Sic Genuensis *in Prax. Neapol. cap.* 22. *num.* 7. Farinacius *in Append. de Immun.*

mum. cap. 2. num. 48. Bonac. *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 2. pun. 16. §. 3. n. 14.* & Castrop. *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 11. num. 13.*

9 Inquires 2. quid faciendum in controversia, si reus captus fuerit extra locum Sacrum, an in illo? affirmantibus ministris Laicæ Potestatis captum extra Locum Sacrum, & denegante reo? Resp. quidquid alii dixerint, quod videlicet credendum sit ministris. Res tota dirimenda erit à judice Ecclesiastico, ad quem de hac causa ex probabilibus conjecturis dijudicare, si danda sit fides ministris attenta eorum qualitate, vel non. Ut in simili deciditur ad definiendam controversiam an captus à Potestate laica sit Clericus, vel Laicus? spectat enim ad Judicem Ecclesiasticum id decernere *ex cap. si judex de Sent. Excomm.* & idem dicendum in casu nostro. Sic Italia, Gambacurta, Peregrinus, Farinacius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num. 16.*

10 6. Effectus est, ut si extractio fiat ab Ecclesia sive in Casibus non exceptis, sive in exceptis non servata forma in Constitutione Gregoriana præscripta; nulla, invalida & irrita sit extracto facta: ratio est, quia actus ille extractionis, utpote factus à non habente jurisdictionem extrahendi juridicè, nullus est, adeoque remanet confugiens ad Ecclesiam in suo Jure, ne invitus ab illa extrahatur: sic expressè habetur in Constitutione Gregorii XIV. per illa verba: *Nec non irritum decernimus, & inane; si secus super iis, per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Et sic docent Sylvester, Panormitanus, Angelus, Italia, Ambrosinus, Peregrinus, Farinacius, Suarez, & alii penes Bonacinam *de Excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 3. n. 17.* & Castrop. *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 11. num. 14.* Hinc sequitur: omnes actus inde emanantes irritos, ac nullos esse, nec procedere posse ad interrogandum, torquendum, incarcerandum reum: cum omnia hæc, utpote sine jurisdictione facta non solùm irrita, & inania erunt; verum etiam sacrilega, & injusta. Tenetur quoque Potestas sæcularis, omnia damna sarcire reo ex illa injusta, & irrita extractione provenientia: cum omnia sint contra jus, quod reus habet fruendi Privilegio sibi ab Ecclesia concesso: ut ex Suarez, Valentia, Farinacio, Bonacina, Ambrosino docet Castropalaus *loc. cit.*

11 7 Effectus est, ut tum à delinquente, tum ab Ecclesia resisti possit mediis licitis potestati laicæ tentanti injustam extractionem ab Ecclesia: ratio est, quia cum injuria fiat utrique, ideo uterque poterit vim vi repellere mediis licitis. Sic Suarez *de Rever. debit. Loc. Sacr. cap. 13. num. 4.* Farinacius *in Append. de Immun. c. 2. n. 46.* Italia *lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 45.* Bonac. *de excom. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 3. n. 3.* & Castrop. *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 11. n. 15.* Quomodo autem resistentia ista fieri poterit, optimè explicant Doctores per hoc, quod reo licitum sit in defensionem proprii juris arma capere, aut aliam viam tentare, quia se defendat ab illa injusta aggressione, animo semper defendendi se, & sua jura. Ecclesiæ verò licitum erit, arma spiritualia aptare, censuras videlicet, ostia Ecclesiæ claudere, brachium sæculare invocare, & similia media sine bello activo. Regulariter tamen non erit licitum Ecclesiæ per bellum activum, & cum armis se defendere: cum defensio ab Ecclesia facta non debeat esse more castrorum, maximè quia sic majora mala, & scandala suborirentur: ut ex Covarruvia, Suarez, Remigio, Peregrino, Farinacio, Azebedo, Bobadilla, Fagundez; tradunt Bonacina, & Castropalaus *locis citatis.*

CAPUT VI.

Quandonam confugientes ad Ecclesiam tradi possint Potestati Sæculari, & quomodo id efficiendum.

1 *In Casibus exceptis debent judices Ecclesiastici tradere Potestati Sæculari receptos in Ecclesia, si à Potestate Sæculari requisiti fuerint.*

2 *Servandæ tamen nonnullæ Conditiones. Et 1. est ut extractio ab Ecclesia non fiat à Potestate Sæculari, nisi ex expressa facultate judicis Ecclesiastici.*

3 *2. Conditio est: ut in extractione interfit Persona Ecclesiastica Episcopi.*

4 *3. Conditio: ut extractus non statim tradatur Curiæ sæculari, sed servandus in carcere nomine Episcopi, donec ab eo causa recognoscatur.*

5 *An possit recognitio causæ Immunitatis, si videlicet Casus exceptus sit, vel non; spectare ad judices sæculares?*

6 *An delictum certò, & plenè constare debeat Episcopo, antequam tradat extractum Curiæ sæculari an sufficiat, si constet per conjecturas, & præsumptiones?*

7 *An debeat judex Ecclesiasticus stare processui à Curia sæculari formato?*

8 *An debeat Episcopus in cognitione hujus causæ servare Solemnitates juris?*

9 *An detur Appellatio à Sententia Episcopi declarantis gaudere, vel non gaudere?*

10 *An judex Ecclesiasticus antequam extractum consignet, debeat exigere à judice sæculari cautionem non puniendi eum pœna sanguinis.*

IN Casibus exceptis tradi debent à Judicibus Ecclesiasticis confugientes ad Ecclesiam Potestati sæculari, si ab ipsa requisiti fuerint; nec ab ipsis denegari poterunt, eo quia id faciunt sine nota Irregularitatis: ratio est, quia cum non prosit Immunitas confugientibus, inde est quod de jure competant confugientes, si laici sint, Potestati Sæculari, ac si extra Ecclesiam capti essent: & sicuti si extra illam capti essent, non ideo esset reus Irregularitatis Judex Ecclesiasticus; sic nec eos tradendo irregularitatem incurrit. Ita expressè constat ex verbis Constitutionis Gregorianæ, ubi dicitur: Ut laicos confugientes ad Ecclesiam, si à Curia sæculari requisiti fuerint in Casibus prædictis; absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ consignari curent, & faciant. Vide Bonacinam *de excom. in Part. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 12. num. 1.* verba per extensum referentem. 1

Antequam tamen confugiens ad Ecclesiam in Casibus excéptis Potestati Sæculari tradatur, servandæ erunt nonnullæ conditiones. Et 1. Conditio est: ut extractio ab Ecclesia confugientis, ut tradatur Potestati sæculari; non fiat ab ipsa Potestate sæculari absque expressa facultate Episcopi, aut ejus Officialis: nec sufficit tacita facultas, ut clarè constat ex verbis Constitutionis citatæ, in qua dicitur, sine expressa licentia. Nomine Episcopi venit hìc verus Episcopus, non verò alius Episcopo inferior. Et si locus exemptus habeatur, qui nullius Diœcesis sit; petenda erit expressa facultas à Viciniori Episcopo, ut habet præcitata Constitutio. Nomine verò Officialis Episcopi venit Vicarius Generalis, ut tradunt Doctores *ex Clement. 2. de Rescriptis.* Venit etiam Sede Vacante Vicarius Generalis Capituli qui succedit in Jurisdictionem Episcopi. Quod si Episcopus, aut ejus Officialis requisitus à Judice laico culpabiliter noluerit annuere requisitioni factæ ob extrahendum delinquentem ab Ecclesia; tunc poterit Judex laicus illum extrahere, & in carcerem Ecclesiasticum immittere, non verò in carcerem proprium laicum, quousque per Superiorem ipsius Episcopi cognoscatur, si gaudeat, vel non gaudeat Immunitate: ut ex Constitutione Gregoriana docent Bonacina, Farinacius, Ambrosinus, Italia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. debit. Loc. Sacr. disp. 1. pun. 13. num. 4.* 2

2. Conditio est, ut in extractione facienda interfit Persona aliqua Ecclesiastica facultatem habens ab Episcopo, aut ejus Officiali: sic enim servatur, quod extractio fiat nomine Episcopi, uti fieri debet. Quamvis si Episcopus, aut ejus Officialis, vel alia Persona Ecclesiastica facultatem habens ab eis intervenire recusaverint capturæ, & extractioni confugientis post requisitionem factam; poterit tunc judex Sæcularis delinquentem extrahere, ac extractum Episcopo consignare, ut de Immunitate recognoscat, si gaudeat, an non. Sic cautum est in Constitutione Gregoriana, & docent Genuensis *in Prax. cap. 17.* Italia *lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 80.* Farinac. *in Append. de Immun. c. 22. n. 366.* & Bonac. *de excom. in Partic. extr. Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 3. pun. 16. §. 12. n. 7.* 3

3. Conditio est, ut extractus ab Ecclesia non statim consignetur Potestati laicæ; sed in carcere Curiæ Ecclesiasticæ vel alio nomine Episcopi servandus erit, donec ab Episcopo recognoscatur causa, & si delictum revera sit ex exceptis: ut constat ex Constitutione Gregoriana, & docent Farinacius *in Append. de Immun. cap. 22. num. 367.* Italia *lib. 1. cap. 5. §. 14. num. 7.* & Bonacina *loc. cit. num. 7. in fin.* Hinc est, quod nisi constet Episcopo de delicto, etiamsi aliunde notorium fuerit, non poterit extractum Potestati Laicæ tradere: ut rectè advertit Genuensis *in Prax. Neapol. cap. 22. num. 5.* quidquid in contrarium alii dixerint. 4

5 Dubitabis 1. an recognitio causæ Immunitatis, si videlicet delictum sit ex exceptis, an non; spectare possit ad Judices sæculares? Resp. quamvis Vulpellus *concl.* 130, *num.* 6. & alii relati à Germonio *de Immun. lib.* 3. *cap.* 16, *num.* 21. dixerint, spectato juris rigore ad judices Laicos pertinere hanc causam dignoscere: eo quia judex Ecclesiasticus incompetens est, cum sit causa propria, Nihilominus vera, & omnino sustinenda sententia est, nullo modo spectare ad illos, sed ad judicem Ecclesiasticum: ratio est, quia inquirere de privilegiis Immunitatis est causa Ecclesiastica; & causæ Ecclesiasticæ ad solum judicem Ecclesiasticum spectant extra omnem controversiam, ac nimis apertè loquitur Constitutio Gregoriana, quæ ait: Nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum; an ipsi verè crimina superius expressa commiserint. Sic *ex cap. Metuentes cap. Ad Episcopum* 17. *quæst.* 4. *& ex Leg. Præsenti Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt*, docent Germonius *loc. cit.* Farinacius, Azebedo, Italia, Guttierrez, Bonacina, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. deb. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 13. *num.* 7.

6 Dubitabis 2. an debeat de delicto certò & plenè constare Episcopo, antequam consignet extractum Potestati laicæ; an verò sufficiat, quod per conjecturas, & præsumptiones ipsi constiterit? Resp. debere constare certò; ratio est, quia in Constitutione Gregoriana mandatur, ut cognoscatur priùs per Episcopum, aut ejus deputatum, an ipsi verè crimina commiserint; sed an verè delictum exceptum commissum fuerit, nequit dignosci per conjecturas, & præsumptiones, sed requiritur certitudo: maximè quia quando conjecturæ, & præsumptiones sufficiunt, cavetur in ipsa Lege, ut patet *in Leg. Non omnes §. A barbaris ff. de re milit. & Cap. Pro humani de homicid. in 6.* Insuper præsumptio stat pro possessore, & qui pro se habet Regulam; adeoque stare debet pro possidente Immunitatem Ecclesiæ *ex Leg. Ea parte ff. de Probat.* Demum quoties Lex probationem requirit, probatio debet esse plena & concludens *ex Leg. Lutius ff. de condit. demonstr*; Ergo non sufficit probatio conjecturalis, & præsumpta. Remanet igitur statutum, quod nisi Episcopo verè constet, & certò sciat de probatione delicti; non poterit Potestati sæculari extractum tradere. Ea verò dicuntur sciri, & verè constare, quæ propriis oculis inspicimus, vel alias indubitanter novimus *ex cap. cum causam de juram. calumn.* Adeoque si sine certa, & plena probatione extractum tradit; in justitiam committit contra reum, & contra Ecclesiam, dum violat eorum Jura. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap. ult. num.* 374. Ambrosinus *de Immun. cap.* 11. *num.* 4. Gambacurta *lib.* 6. *cap.* 14. Italia *lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. *num.* 80. Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bull. cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. §. 12. *n.* 8. & Castrop. *de Rev. deb. Loc. Sacr. disp.* 1. *pun.* 13. *num.* 8.

7 Dubitabis 3. an debeat Judex Ecclesiasticus stare processui à Potestate sæculari formato? Resp. negativè: quia cognitio hujus causæ fieri debet per Episcopum, aut ab eo deputatum; Ergo ipsi delegatur, & mandatur facultas sumendi probationes; adeoque nulla in eo est obligatio standi processui formato à foro sæculari: maximè quia suspicionem redolet processus ille, cum exhibeatur in propria causa à foro sæculari; & in hoc videntur convenire Doctores. Solùm controversia est: an Judex Ecclesiasticus uti possit ex sua libertate processu formato à foro sæculari? In qua controversia dirimenda opus est distinctione. Si processus formatus fuerit à Laica Potestate postquam reus ad Ecclesiam confugerit; non poterit Episcopus illi stare: ratio est, quia non levem præsefert suspicionem falsitatis in diminutionem Ecclesiasticæ Libertatis, & Immunitatis, & in defensionem proprii Juris. Si verò processus formatus fuerit ante receptionem rei in Ecclesia; tunc non levem faceret veritatis fidem: eo quia non formatus cum competentia Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ præbet fundamentum suspicionis; adeoque si voluerit, poterit illo uti Episcopus; quamvis debeat brevissimè Testes examinare, & alios actus jurisdictionis exercere, itaut proprium faciat processum illum. Sic Farinacius *in Append. de Immunit. cap. ult. nu.* 375. Bonacina *l. c. nu.* 9. & Castropalaus *l. c. num.* 9.

8 Dubitabis 4. an Episcopus in cognitione hujus causæ debeat servare solemnitates juris? Resp. affirmative: ratio est, quia judicialiter procedit, adeoque solemnitates à jure requisitas præstare debebit. Hinc est, quòd citari debeat reus, ut suas defensiones promat; concedendæ insuper erunt dilationes, quamvis restringi possint: & ratio est, quia licèt hoc Privilegium concessum fuerit locis Sacris; attamen delinquentes illo frui possunt, adeoque præjudicium illis fieret, si non citarentur. Citanda quoque erit ecclesia, seu Promotor Fiscalis, cui jura ecclesiæ defendere competit, cum directè de ejus præjudicio agatur. Denique facto processu publicari debet, ut delinquens, & ecclesia, si quid habeant in sui favorem, & defensionem depromere possint, & allegare. Sic Farinacius *consil.* 168. *numer.* 64. Bonacina alios referens *de excom. in part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. §. 12. *nu.* 10. & Castrop. *de Rever. debit. loc. Sacr. disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 10. 11. *&* 14.

9 Dubitabis 5. an detur Appellatio à Sententia episcopi declarantis gaudere, vel non gaudere Immunitate? Resp. si sententia lata ab Episcopo fuerit in favorem fori sæcularis, quòd videlicet confugiens jam extractus non gaudeat Immunitate; non habet locum appellatio rei: ratio est, quia clarè dicitur in Constitutione Gregoriana: quòd per judicem ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacumque appellatione postposita, consignetur. Si verò lata fuerit in favorem rei, quòd scilicet immunitate gaudeat; controvertitur, an locum habeat appellatio fori sæcularis: nam Peregrinus *de Immun. cap.* 16. *nu.* 33. putat non habere locum: eo quia eadem est ratio, cur non competat reo, aut cur non competat sæculari foro. Sed probabilius dicendum est, habere locum appellationem ad judicem Superiorem ecclesiasticum: ratio est, quia appellatio ab inferiori ad superiorem est de jure communi, nec prohiberi potest, nisi expressè à jure prohibeatur; sed Constitutio Gregoriana solùm expressè prohibet appellationem rei, dum constiterit, verè crimen exceptum commisisse; non verò expressè prohibet appellationem, quando lata est in favorem rei, sunt enim disparati Casus; adeoque non arguendum à paritate rationis, sed standum verbis legis. Nec ratio eadem est, sed diversa: nam in primo Casu non vult Pontifex privare forum sæculare suo jure, dum constat, reum non gaudere; in secundo tamen casu non rejicit appellationem Fisci sæcularis, quia interim non patitur grave damnum reus, dum pro ecclesia stat; aliunde non vult præsumere Pontifex, quod Fiscus velit frivolam, & frustratoriam appellationem interponere; adeoque eam expressè non vetuit. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 22. *num.* 372. Gambacurta *de Immun. lib.* 6. *cap.* 17. *nu.* 3. & Bonacina *de excomm. in part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. §. 12. *nu.* 11.

10 Dubitabis denique: an judex ecclesiasticus debeat cautionem exigere à judice sæculari, antequam consignet illi extractum ab ecclesia non gaudentem Immunitate, & ne eum pœna sanguinis puniat? Respondeo negativè: ratio est, quia apertè Constitutio Gregoriana præcipit? semel ac Episcopo, aut ejus deputato constiterit, verè crimen exceptum à delinquente laico commissum fuisse; tradi debere Curiæ sæculari absque nota aliqua Irregularitatis, aut vinculo Censuræ; ergo superflueret talis cautio: maximè quia judices sæculares eam non servarent ob atrocitatem criminis patrati. Sic Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 22. *nu.* 243. Bajardus *in addit. ad Clarum quæst.* 30. *num.* 25. Decianus, Peregrinus, Gambacurta, Ambrosinus, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. nu.* 12.

CAPUT VII.

De culpa, & pœnis, quas incurrunt, indebitè extrahentes ab Ecclesia Confugientes ad illam.

1 *Extrahens indebite ab Ecclesia receptum in ea sacrilege peccat.*
2 *Peccat insuper peccato injustitiæ, & tenetur ad restitutionem.*
3 *Ex Jure Civili puniendus est pœna capitali.*
4 *Extrahenti indebite publica pœnitentia judici Episcopi imponenda est, addita pœna pecuniaria.*
5 *Incurrit ipso facto Excommunicationem juxta Constitutionem Gregorianam.*
6 *Explicantur actiones illæ, per quas laditur Immunitas Ecclesiastica.*
7 *Quænam Personæ incurrere possint hanc Excommunicationem?*
8 *An incurratur hæc excommunicatio effectu non secuto, sed attentato?*
9 *An Consulentes aliquid contra formam, vel præter formam*

mam in hac constitutione exhibitam incurrant hanc Excommunicationem?

10 *Quis possit ab hac excommunicatione absolvere?*

11 *An possint Episcopi per delegatum à se specialiter deputatum absolvere ab hac excommunicatione.*

1 QUI indebitè extrahit receptum in Ecclesia, peccat peccato Sacrilegii: ratio est, quia facit injuriam reverentiæ debitæ loco sacro, & quidem gravem: cum nemo dubitare possit per hanc indebitam extractionem gravem irrogari injuriam loco sacro: maximè quia sub gravibus pœnis prohibita est talis indebita, & violenta extractio; adeoque gravissimum sacrilegium erit sic violare Immunitatem loci sacri: ut rectè docent Divus Thomas 2.2. *quæst.* 92. *art.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *numer.* 4. Valentia *tom.* 3. *dub.* 6. *quæst.* 15. *pun.* 12. Bonacina alios referens *de excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 16. *§.* 13. *nu.* 1. & Castropalaus *de Rev. deb. loc. sacr. disp.* 1. *pun.* 12. *nu.* 1.

Peccat insuper peccato injustitiæ, facit enim injuriam delinquenti in Ecclesia recepto, tum illum indebitè extrahit; & de facto potest extrahenti resistere, & se defendere; ergo evidens signum est, quod jus habeat, ne sic indebitè extrahatur; adeoque indebitè extrahens peccat contra jus alterius. Inde est, teneri ad restitutionem, & resarcitionem omnium illorum damnorum, quæ per indebitam, ac violentam extractionem factam delinquens passus est: consurgit siquidem restituendi obligatio ex actione peccaminosa contra jus alterius, ut docet recepta, & communis sententia. Secus esset si blanditiis, aut precibus inductus esset ad exeundum ab Ecclesia, extra quam caperetur: quia tunc nulla ei fieret injuria, volenti siquidem, & consentienti injuria non fit: ut ex præcitatis Doctoribus habet Bonacina *loc. cit. num.* 2.

2 Variæ sunt pœnæ, quas incurrit indebitè extrahens receptum in Ecclesia. Et 1. est ex jure Civili, quòd videlicet pœna capitali, & ultimo supplicio sit puniendus: ut patet *ex leg.* 2. *Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* reputatur siquidem crimen læsæ majestatis commisisse, ut constat *ex leg. Præsenti, Cod. eod. tit.* Non nego tamen, hanc pœnam non esse in usu, forsitan ex benignitate Ecclesiæ eam moderante, ad Ecclesiam enim spectat judicare, & punire hoc crimen, quæ secundum suam benignitatem operatur; non verò ad sæcularem potestatem: ut rectè adnotant Covarruvias 2. *Variar. cap.* 20. *num.* 3. Decianus *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 7. Farinacius *de Carcer. quæst.* 28. *num.* 6. & Castropalaus *de Rever. deb. loc. sacr. disp.* 1. *pun.* 12. *num.* 1.

3 2. Pœna est pœnitentia publica, judicio Episcopi injungenda, addita pœna pecuniaria triginta librarum examinati argenti, aut nonaginta solidorum: quamvis possit Judex pro suo arbitrio hanc pœnam diminuere attenta qualitate delicti, & conditione delinquentis: *ut ex Cap. Si quis contumax* 17. *quæst.* 4. docent Hostiensis ibi; Gutierez *Pract. quæst. civil. lib.* 3. *quæst.* 4. *post. num.* 11. Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 20. *num.* 320. & Castropalaus *loc. cit. num.* 2. Et quamvis nonnulli cum Claro, Deciano, & aliis dixerint antiquatam hanc pœnam; nihilominus hoc nullatenus sustineri potest attenta innovatione facta omnium Sacrorum Canonum ad Ecclesiasticam Immunitatem spectantium tum à Tridentino *sess.* 25. *cap.* 20. *de Reform.* tum à Gregorio XIV. *in sua Constitutione*, & sic meritò docent Card. Tuscus *verb. Ecclesia concluf.* 8. *num.* 11. Farinacius *loc. cit. nu.* 319. Ambrosinus *de Immun. cap.* 15. *num.* 3. Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. *§.* 13. *num.* 3. & Castropalaus *loc. cit. nu.* 2.

4 3. Pœna est excommunicatio, ut patet *ex cap. Definivit, cap. Frater, cap. Sicut antiquitus, cap. Miror, cap. Quisquis, & cap. Si quis contumax* 17. *quæst.* 4. quamvis ex his Capitibus non colligatur ipso facto imposita excommunicatio, cum tantùm comminatoria sit, & ferenda; si videlicet violans Ecclesiasticam Immunitatem nolit Ecclesiæ satisfacere, ac extractum illi restituere: & sic docuerunt Suarez *lib.* 3. *de Rever. deb. loc. sacr. cap.* 13. *num.* 2. Zerola, Peregrinus, Silvester, Soncinus, & alii apud Farinacium *in Append. de Immun. cap.* 20. *num.* 312. Sed quidquid sit de Jure communi, attenta tamen Constitutione Gregoriana eam ipso facto impositam esse, in dubium revocari non debet: ratio est, quia Pontifex statuit: hos violatores Immunitatis ipso facto incurrere censuras adversus violatores Immunitatis à Sacris Canonibus promulgatas; ergo si promulgata est censura à Canonibus citatis contra tales violatores, ipsam incurrere debent ipso facto, esto à Sacris Canonibus ipso facto imposita non fuerit, aliàs verba Constitutionis apponentis ipso facto nil operarentur; & superfluè apposita fuissent: & sic de mandato Clementis VIII. declaravit Sacra Congregatio in suo Decreto, incipit, *Sacra Congregatio*, in quo absolutionem ab hac excommunicatione prohibet aliis Confessariis, non obstantibus quibuscumque Privilegiis: ut testatur Bonacina *de Excommun. in Part. extr. Bull. Cen. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. *§.* 13. *num.* 3. *in fin.* Italia *de Immun. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *§.* 2. *num.* 29. Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 20. *num.* 213. & Castropalaus *de Rev. deb. loc. sacr. disp.* 1. *pun.* 12. *num.* 3.

Petes 1. quænam sint actiones illæ, per quas læditur 5
Immunitas Ecclesiastica, & incurritur ipso facto Excommunicatio. Resp. esse 1. capere in ipsa Ecclesia existentem in casibus non exceptis; & in exceptis non servata forma, quæ præscribitur à Constitutione Gregoriana, quæ quidem forma servanda erit, etiamsi notoriè constet de exceptione delicti. 2. extrahere ab ipsa Ecclesia, hoc est cum vi trahere extra illam. 3. incarcerare extractum, aut in publica custodia detinere, quocumque modo hoc fiat; dummodo sit sub custodia. 4. extrahere cum magno scandalo, quando sine magno scandalo extrahi poterat; aut extrahere cum vulneribus, & nece, quando sine illis, & illæsus capi poterat. Sic Gambacurta *lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 11. & Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cen. disput.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 16. *§.* 14. *num.* 3. 5. Extractum cum licentia Episcopi, vel sine illa reponere in Carceribus sæcularis Curiæ ex propria auctoritate, non verò si id fieret auctoritate Episcopi, ut tutius custodiretur, & nomine ipsius Episcopi ibi conservaretur. 6. exercere has actiones, vel aliquam ex illis contra Clericum, & personas Ecclesiasticas, quæ ratione libertatis Ecclesiasticæ etiam in Criminibus exceptis immunes sunt à potestate laica. 7. cognoscere, & judicare de his criminibus, an gaudeant, vel non gaudeant Immunitate; cum hoc non spectet ad sæculare forum, sed ad ecclesiasticum.

Petes 2. quænam personæ hanc excommunicationem 6
incurrant? Resp. omnes fideles cujuscumque gradus, & conditionis existant, qui prædictas actiones, vel singulas ipsarū exercuerint. Hinc est, Judicem sæcularem mandantem extrahi delinquentem ab Ecclesia, aut alias actiones superiùs dictas exequi contra illum; hanc excommunicationem incurrere. Sicuti etiam eam incurrunt Ministri exequentes, aut aliis adjuvantes executionem ipsam.

Dubium tamen 1. est: si extractio fieret à persona pri- 7
vata, an hæc excommunicatio incurreretur? Et communis responsio est affirmativa: eo quia generaliter data est contra facientes aliquid præter formam in Constitutione præscriptam: & licèt principaliter dirigatur contra Ministros publicos, extenditur etiam ad privatas personas contrafacientes: ut docent Suarez, Genuens, Peregrinus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cen. disp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 16. *§.* 14. *nu.* 9.

Dubium 2. est: an si Judex in carcerem conjiceret extractum ab Ecclesia à persona privata, teneretur eum restituere Ecclesiæ, & excommunicationem incurreret? Cum distinctione respondendum: si Judex conscius sit extractionis factæ, & multò magis si particeps sit; utique excommunicationem incurrit, & tenetur Ecclesiæ restituere in carcere detentum, ac resarcire damna omnia, quæ passus est in carcere detentus: omnes enim illæ actiones injustæ sunt, ac illegitimæ, & irritæ. Secus verò si inscius sit extractionis, nec particeps illius, cum bona fide operetur, & ex munere suo; quamvis accedente notitia extractionis factæ, teneatur statim extractum Ecclesiæ restituere. Sic ex Genuensi, & Peregrino docet Bonacina *loc. cit. nu.* 10.

Dubium 3. est: an Episcopi & Judices Ecclesiastici ex- 8
trahentes, vel extrahi mandantes contra formam Constitutionis Gregorianæ excommunicationem hanc incurrant, & alias pœnas in ipsa statutas? Denegat Bonacina *loc. cit. nu.* 11. Dummodo utantur auctoritate Ecclesiastica: eo quia injuncta fuit excommunicatio ad frænandam licentiam sæcularis potestatis. Sed veram puto sententiam affirmantem: moveor ex verbis ipsius conditionis, quæ sic ajunt: Quòd si quis quacumque dignitate, & Auctoritate præditus quidquam præter, aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit; censuras, & pœnas easdem incurrere &c. ergo cum generaliter loquatur Constitutio de quibuscumque personis

quacúmque dignitate, & auctoritate prædictis; nec diſtinguat inter laicas perſonas, & eccleſiaſticas attentare præſumentes; dicendum eſt comprehendere etiam Eccleſiaſticas: maximè quia ſuo exemplo præcedere debent in obſervantia Conſtitutionis hujus. Sic Gambacurta *lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 7. Illud mihi arridet, quod docet Bonacina *d. cit. num.* 12. contra Gambacurtam: non incurrere videlicet excommunicationem Judicem Eccleſiaſticum, ſi deneget poteſtati ſæculari facultatem extrahendi in caſibus, in quibus delinquens gaudere non debet Immunitate: Eſto enim illicitè neget facultatem illam, dum ei conſtat non gaudere; non inde tamen facit contra Immunitatem, & excommunicatio injuncta eſt contra violantem illam.

8 Petes 3. an incurratur hæc excommunicatio effectu non ſecuto, ſed tantùm attentato: ut ſi tentatæ fuerint captura, extractio, incarceratio, ſed ſine effectu? Reſp. affirmativè: ratio eſt, quia nimis clarè conſtat ex verbis ſuperiùs citatis conditionis, ubi dicitur: Attentare præſumentes; attentatio ſiquidem importat ponere actum externum capiendi, extrahendi, incarcerandi, conſummationi proximum, eſto non ſequatur conſummatio ob reſiſtentiam, vel aliud impedimentum. Poſito igitur hoc actu externo dicitur delictum attentatum, & ſub cenſura prohibitum, etiamſi effectus ſecutus non ſit. Sic Decianus, Farinacius, Italia, Peregrinus, Menochius, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Excommunic. in Part. extr. Bull. Cœn. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 16. §. 14. *num.* 4. & Caſtropalaus *de Rev. deb. Loc. Sacr. diſp.* 1. *pun.* 12. *nu.* 5. Tractatus tamen extrahendi, capiendi, &c. cum non ſit actus proximus, propriè nequibit dici attentatio. Secus verò mandatum extrahendi à mandatario acceptatum, quamvis effectus ſecutus non ſit.

9 Petes 4. an conſulentes aliquid contra formam, vel præter formam in hac Conſtitutione exhibitam incurrant ipſo facto Excommunicationem? Reſp. negativè: ratio eſt, quia ſolùm lata eſt contra facientes, & attentantes; adeoque extendi non debet ad conſulentes: in materia namque Cenſurarum, & pœnarum facienda eſt ſtrictè interpretatio, nec de facili extenſio admittenda. Hinc fit, etiam ratam habentem aliquam ex prædictis actionibus prohibitis poſt factum non incurrere excommunicationem: ratio eſt, quia approbare tantùm factum, non eſt facere, neque attentare illud. Sic Italia *lib.* 1. *cap.* 5. §. 16. *num.* 16. & Bonacina *de Excom. in Part. extr. Bul. Cœn. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *pun.* 16. §. 14. *num.* 7.

Petes 5. quis poſſit ab hac Excommunicatione abſolvere? 10
Reſp. extra controverſiam eſſe, nullum Confeſſarium virtute cujuſcumque privilegii poſſe ab hac excommunicatione abſolvere, niſi ſpecialem facultatem ad hunc effectum obtinuerit à Sancta Sede. Sic clarè conſtat ex Decreto edito ſub Clemente VIII. *ann.* 1601. incipit, *Sacra Congregatio*, in quo prohibetur Confeſſariis abſolutio virtute privilegiorum plurium Caſuum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum; & præcipuè Caſuum Bullæ Cœnæ clarè, vel dubiè, nec non violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. *Cum aliàs nonnulli*. Quod quidem Decretum innovavit Paulus V, ut tradunt Quaranta *in Summ. Bullar. in Gloſs. Caſus reſervati*, Italia *de Immunit. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 31. Bonacina *loc. cit.* §. 16. *num.* 1. & Caſtropalaus *de Rever. deb. Loc. Sac. diſput.* 1. *pun.* 12. *num.* 6.

Controverſia ſolùm eſſe poteſt de Epiſcopis, an poſſint 11
per ſe ab hac Excommunicatione abſolvere, aut per alium Confeſſarium à ſe ſpecialiter deputatum? Et quamvis affirmativam ſententiam ſuſtinuerint Genuenſis *in Prax. Neapolit. cap.* 22. *num.* 3. Bonacina *de Excomm. in Part. extr. Bull. Cœn. diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punt.* 16. §. 16. *num.* 2. Caſtropalaus *de Rever. deb. Loc. Sacr. diſp.* 1. *punt.* 12. *num.* 7. *& alii*: eo quia nullibi reperitur hæc Excommunicatio Summo Pontifici reſervata: nec in Bulla Cœnæ fertur Excommunicatio contra violatores Immunitatis Eccleſiaſticæ, ſed libertatis eccleſiaſticæ; & Immunitas reſpicit locum eccleſiaſticum, libertatem verò perſonam Eccleſiaſticam. Nihilominus negativa ſententia omninò ſuſtinenda eſt; reſervatur enim in Bulla Cœnæ ſoli ſummo Pontifici per terminos libertatis Eccleſiaſticæ, quæ comprehendit Immunitatem Eccleſiaſticam. Et hoc ſupponere videtur Clemens VIII. *in ſuo Decreto* per prohibitionem factam aliis abſolvendi. Denique ſic declaratum fuiſſe ab interpretibus Sacræ Congreg. Concilii ann. 1617. Menſe Decembris teſtatur Farinacius *in Append. de Immun. cap.* 20. *num.* 315. Teſtantur inſuper ſic deciſum fuiſſe in Sacra pœnitentiaria ſub Paulo V. annuente Farinacius *loc. cit.* Graffius *in Conſil. unic. de Immun.* & Peregrinus *de Immun. cap.* 15. *num.* 18. Et hæc eſt praxis noſtris hiſce temporibus.

QUÆSTIO XV.

DE IMMUNITATE PERSONARUM.

ECCLESIASTICARUM ET REVERENTIA EIS DEBITA, ET EARUM BONIS.

DIXIMUS ſpectare ad Religionem, & Cultum Deo debitum revereri ea loca, quæ ſpecialiter in Dei Cultum dicata ſunt, eaque immunia reddere ab injuriis. Spectabit igitur ad eamdem virtutem Religionis revereri perſonas Eccleſiaſticas in Dei Cultum ſpecialiter deputatas, eaſque immunes, ac indemnes reddere ab actionibus injurioſis ſæcularis poteſtatis tum quoad ſuas perſonas, tum quoad ſua Bona. Immunes ſiquidem debent eſſe in utroque perſonæ Eccleſiaſticæ, cùm exemptionem habeant per Privilegium Fori à Iudicio, & Iuriſdictione Poteſtatis ſæcularis, quæ quidem exemptio appellari conſuevit Eccleſiaſtica libertas, ſeu Immunitas, & de hac in præſenti agimus. Nam de Immunitate, & indemnitate à qualibet injurioſa percuſſione, quam Eccleſiaſticæ perſonæ habent per Privilegium *Canonis Si quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4. agemus cùm de Cenſuris in particulari, & de Excommunicatione in particulari:

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Libertas Eccleſiaſtica, ſeu Immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum, & quo Jure introducta?

1 *Immunitas Eccleſiaſtica dividitur in Localem, Realem, & Perſonalem, ſed ſola Immunitas Perſonalis conſuevit dici libertas Eccleſiaſtica.*
2 *Quid importet libertas Eccleſiaſtica?*
3 *De Fide eſt, Perſonas Eccleſiaſticas liberas eſſe à poteſtate laicali, quamvis controvertatur, quo jure introducta ſit.*
4 *Exemptio perſonarum Eccleſiaſticarum à Laica poteſtate quoad cauſas ſpirituales eſt à Jure Divino.*
5 Que-

5 *Quoad causas temporales, & civiles; sive criminales fundamentum habet à Jure Divino, sed immediatè est à jure Pontificio.*

6 *Exemptio ista jure Pontificio immediatè concessa à nulla potestate humana tolli potest.*

7 *Nec ipse Pontifex potest absolutè tollere quoad omnes Personas Ecclesiasticas, & omnes causas hanc exemptionem à Jure Pontificio immediatè concessam.*

8 *An Summus Pontifex inducere potuerit hanc Immunitatem Ecclesiasticam invitis sæcularibus Principibus.*

9 *An Summus Pontifex immediatè habeat hanc exemptionem à Christo Domino.*

10 *An possit Summus Pontifex facultatem dare Laicis cognoscendi causas Ecclesiasticas?*

1 QUAMVIS Immunitas Ecclesiastica rectè dividatur in Localem, quæ videlicet competit Locis Ecclesiasticis, & de qua egimus in præterita Quæstione; Realem, quæ scilicet competit Rebus, & Bonis Ecclesiasticis, ut immunia sint à quolibet tributo, censu, & onere imposito à Laica Potestate; & Personalem, quæ competit Personis Ecclesiasticis, ne graventur oneribus, Judiciis, ac Jurisdictionibus sæcularis Potestatis. Nihilominus Immunitas tantùm Personalis dici consuevit Libertas Ecclesiastica, esto aliquando confundantur Libertas Ecclesiastica, & Immunitas Ecclesiastica: in rigore tamen Libertas respicit Personas, Immunitas verò respicit Loca & Bona Ecclesiastica.

2 Immunitas, prout est Libertas Ecclesiastica; nihil aliud importat, nisi liberam facultatem faciendi quidquid Jure naturali, Divino, aut Canonico prohibitum non est absque ulla subjectione, vel coactione Laicæ Potestatis. Hinc est lædi libertatem Ecclesiasticam, quoties Laica Potestas prohibet Personis Ecclesiasticis facere id, quod eis nec à Jure Naturali, nec Divino, nec Canonico prohibitum est; aut eis præcipit aliquid, quod eis à prædictis Juribus præceptum non est. Consistit ergo Libertas Ecclesiastica in libera facultate faciendi omne id, in quo Ecclesiasticæ Personæ non sunt arctatæ à Jure Naturali, Divino, aut Canonico; sive de reliquo spectet ad esse naturale, sive spirituale; sive ad operari, sive ad recipere, aut ad quodcumque aliud; quocumque modo eis competat talis facultas sive ex naturæ dono, sive ex dono gratuito, sive ex Jure Communi, sive ex Privilegio: ut rectè adnotant Cajetanus *verb. Excommunicatio cap. 31. notab. 5.* Duardus *quæst. 19. num. 2.* & Bonacina *de Cens. in Bull. Cœn. qu. 14. sect. 1. punct. 1. num. 1.*

3 Licèt de Fide sit: Personas Ecclesiasticas exemptas esse à Potestate Laicali; ut omnes Doctores Catholici fatentur: & clarè constat *ex cap. At si Clerici, cap. Clerici. cap. Cum non ab homine; cap. Qualiter de Judiciis; Cap. si diligenti; cap. significasti de For. Compet. & ex Authen. Statuimus de Episc. & Cleric.* sic enim magis expediebat ad Dei Cultum, ut Personæ ad illum designatæ majori cum reverentia venerarentur, ac magis earum dignitas commendaretur. Nihilominus controvertitur inter Doctores, ex quonam Jure hæc exemptio originem habeat, à Divino scilicet, an Canonico, an verò Civili? Quia tamen exemptio est in Causis non solùm Spiritualibus, sed etiam Temporalibus; ideò de utraque exemptione, inquirendum à quonam Jure proveniat.

4 Et quidem quod exemptio Personarum Ecclesiasticarum à Laica Potestate quoad causas Spirituales, quæ scilicet versantur circa Fidem, Sacramenta, Sacrificium, Divinum Cultum, & animarum salutem; sit à Jure Divino, indubitata res est penes Catholicos: eo quia Christus judicium harum Causarum Spiritualium soli Petro, ejusque Successoribus commisit, ut patet ex illis verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & statim subjunxit: *Tibi dabo claves regni cælorum*; ergo Jure Divino in exemptione harum causarum Spiritualium immunes, & liberæ sunt Personæ Ecclesiasticæ à quacumque Potestate sæculari. Non solùm verò Personæ Ecclesiasticæ exemptæ sunt in Judicio harum causarum à Potestate laicali, sed etiam ipsæ personæ laicæ si in his causis dijudicandæ erunt: nam Personæ laicæ subdi nequeunt Jurisdictioni sæculari in causis Spiritualibus, & ad Jurisdictionem Spiritualem spectantibus; cum solùm subdantur illis in causis sæcularibus, & quæ propriæ sunt Jurisdictionis sæcularis. Sic Suarez *in defens. Fidei lib. 4. de Immunit. Eccles. cap. 2.* Covarruvias *Pract. Quæst. cap. 31. num. 2.* Bonacina *de Censur. in Bull. Cœn. quæst. 19. sect. 1. pun. 2. num. 1.* Farinacius *lib. 1. Praxis tit. 1. quæst. 8. num. 2.* Molina *tom. 1. disput. 31. concluf. 2.* & Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. punct. 1. num. 2.*

Quoad verò Temporales Causas, sive Civiles, sive Criminales, ut sunt obligatio servandi Leges Civiles, Solutio Tributorum, Criminum punitio; non conveniunt inter se Doctores, an talis exemptio sit à Jure Divino. Affirmant Abbas, Felinus, Radulfus, Julius Clarus, Zenedo, Bellarminus relati à Castropalao *de Rever. deb. Pers. Eccles. pun. 1. num. 3.* & alii plures relati à Covarruvia, & Farinacio locis supra citatis: comprobant suam affirmativam sententiam variis Testibus Sacræ Scripturæ, variis insuper Testibus Juris Canonici, denique ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9. in Bulla Reform. Curiæ*, ubi dicitur: Cum à Jure tam Divino, quam Humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas Personas attributa sit. Et ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 20. de Reform.* ubi dicitur: Ecclesiæ, & Personarum Ecclesiasticarum Immunitas Dei Ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam. Huic sententiæ suam probabilitatem denegare quis poterit? cum auctoritate tot præclarissimorum Doctorum, ac suis rationibus sit fulta. Nihilominus mihi non displicet sententia asserens, hanc exemptionem fundamentum habere in Jure Divino, quamvis immediatè proveniat à Jure Positivo Pontificio: ratio est, quia non provenit immediatè à Jure naturali, cum Character Clericalis ex se, & ratione sui, quamvis habeat deputare hominem Divino Cultui; non habet tamen eximere à Laicali Potestate, uti de facto Clerici non eximebantur tempore nascentis Ecclesiæ, sicuti postea exempti fuere. Nec immediatè provenit à Jure Divino Positivo, prout de facto est in Ecclesia Dei; cum nullus assignari possit Textus novi Testamenti comprobans hanc exemptionem Fori, quæ de facto datur. Præcepta verò Positiva Veteris Testamenti, nisi aliundè in Jure Naturali fundentur; omnia cessarunt per promulgationem Legis Gratiæ. Quæ adducuntur ex Conciliis Lateranensi, & Tridentino, solùm comprobant, Immunitatem Ecclesiasticam, prout de facto datur in Causis Civilibus, & Criminalibus per Privilegium Fori; Dei Ordinatione concedi, adeoque in Jure Divino fundari: Modum verò hujus concessionis tum quoad personas, tum quoad materias relictum fuisse dispositioni Pontificis à quo proveniunt Sanctiones Canonicæ per potestatem ipsi concessam à Christo Domino gubernandi Ecclesiam; adeoque meritò dicitur Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitura Immunitas. Concluditur igitur, quòd quamvis hæc exemptio Personarum Ecclesiasticarum per Privilegium Fori fundetur in Jure Divino, immediatè tamen est à Canonicis Sanctionibus, & ex Jure Pontificio, cui etiam accessit Jus Cæsareum. Et quidem Jus Pontificium hanc exemptionem statuit *in cap. Christianus; cap. Non minus, de Immun. Eccles. cap. Si Imperator dist. 99.* eam quoque statuere Concilia, Milevitanum *in cap. Placuit*, Calcedonense *Can. 9.* Carthaginense III. *Can. 9.* Lateranense sub Leone X. *Sess. 9. in Bulla Reform.* & Tridentinum *sess. 25. cap. 20. de Reform.* Jus verò Cæsareum eam statuit *in Authent. ut Clerici apud proprios Judices conveniantur, in leg. Placet Cod. de Sacros. Eccles. in leg. 2. Cod. de Episcopis & Cleric. & leg. 7. eod. tit.* Carolus Magnus *in suo Capitulari libro cap. 109.* ubi ait: *Clericis non sæcularibus Judicibus, sed Episcopali Audientiæ reservantur: fas enim non est, ut Divini Muneris Ministri Temporalium Potestatum subdantur arbitrio.* Constantinus Imperator quorundam Clericorum querimoniis respondit: *Vos à nemine judicari potestis, sed Judicio Dei reservamini.* Sic docent Innocentius *in cap. de Major. & Obed.* Alciatus *in cap. Cum non ab homine, col. 2. de Judiciis*, Covarruvias *Pract. Quæst. cap. 31. num. 2.* Medina *cod. de Restitut. quæst. 15.* Molina *de Justit. tom. 1. disput. 31. col. 3.* Victoria, Sotus, Ledesma, Salon, Bannez, Henriquez, quos refert, & sequitur Suarez *in defensione Fidei, lib. 4. cap. 8. num. 2.* Farinacius *de Inquisit. quæst. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dubit. 4.* Sayrus *lib. 3. cap. 22. numer. 8.* Menochius *de Arbitr. cap. 430. num. 1.* Zevallos *Communium contra communes quæst. 550.* Vivaldus *cas. 15. num. 3.* & Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. punct. 1. num. 4.*

Hinc colligitur primo: Exemptionem istam personarum Ecclesiasticarum à Laica Potestate, quamvis Jure pontificio immediatè concessam, non posse tolli ab ulla potestate humana: ratio est, quia nulla potestas humana est superior potestate illa supernaturali, quam Christus Dominus concedit Pontifici legitimè 6

electo gubernandi suam Ecclesiam; ex vi cujus Potestatis concessa est hæc exemptio Personis Ecclesiasticis à Jure Pontificio; adeoque à nulla Potestate humana aut tolli, aut mutari potest; Immunitas siquidem, ut Tridentinum *l. c.* dicit: *Dei Ordinatione, & Canonicis Sanctionibus est constituta*, Sic Doctores inferiùs citandi.

7 Colligitur 2. nec ipsum Pontificem posse absolutè tollere quoad omnes Personas Ecclesiasticas, & quoad omnes Causas Ecclesiasticas exemptionem istam; eo quia talis Potestas data est ei à Christo Domino in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ; si ergo necessaria est dicta exemptio ad rectam Ecclesiæ gubernationem, nequibit eam absolutè tollere Pontifex; maximè quia Dei Ordinatione fundata, quamvis modus eximendi Personas Ecclesiasticas Pontifici commissus fuerit. Solùm igitur poterit Pontifex, prout expedierit ad rectam Ecclesiæ Gubernationem, eam ampliare, aut restringere: cum enim data sit in ædificationem Ecclesiæ, ejusque rectam Gubernationem; hinc fit, quòd si sic expediat, ampliare, aut minuere poterit. Sic Suarez *lib. 4. de Immunit. cap. 30. n. 18.* Covarruvias *pract. quæst. cap. 31. n. 4. & 6.* Farinacius *de Inquisit. lib. 1. quæst. 8. n. 4.* & Castrop. *de Rev. debit. person. Eccles. pun. 1. n. 7.*

8 Petes 1. an Summus Pontifex hanc Immunitatem inducere potuerit invitis principibus Secularibus? Resp. affirmativè: ratio est, quia potestas collata à Christo Domino Pontifici gubernandi suam Ecclesiam ligando, aut absolvendo in omnibus, quæ conferunt ad rectam ejus Gubernationem; non dependet à Sæculari potestate, nec concessa est dependenter ab illa: & defacto observantia hujus Immunitatis præcipitur sub Censuris ipsis Sæcularibus Principibus; ut constat *ex cap. Noverim. cap. Gravem. de Sent. Excom. cap. Quamquam de Constit. in 6. & cap. ultim. de Reb. Eccl. non alienan.* ergo clarè constat, potuisse eam inducere ipsis invitis. Sic Suar. *lib. 4. de Immun. cap. 11.* Covarruvias *l. c. concl. 3. & 4.* Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 24.* Sotus, Zevallos, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de censur. in Bull. Cœn. quæst. 16. sect. 1. pun. 2. n. 3.*

9 Petes 2. an Summus Pontifex immediatè exemptus sit à Sæculari potestate à Christo Domino? Quamvis certum sit, Summum Pontificem exemptum esse à Laica potestate, & temporali Jurisdictione Sæcularium principum; quia si id conceditur personis Ecclesiasticis ipso inferioribus, à fortiori concedendum est ipsi, qui majorem Dignitatem, & potestatem habet, etiam supra principes; nihilominus controvertitur: an talis exemptio sit immediatè à Christo Domino? Et omnino dicendum puto, quòd immediatè sit à Christo: statim enim ac est legitimè electus sicuti accipit immediatè à Christo Domino Jurisdictionem pro Ecclesia, sic accipit exemptionem istam, quæ ob tot tantaque motiva ei debetur. Colligitur ex illo *Matth. 17.* ubi Petrum exemptum declaravit à solutione tributorum, quamvis ei mandaverit solutionem petitam, non quia debitam, sed ne scandalizarentur. Hinc fit, non posse pontificem alterius Jurisdictioni se submittere quoad vim coactivam, cum omnis alia Jurisdictio ab ipso pendeat, adeout revocari possit, ac ejus efficacia impediri. Sic Suarez *in Defens. Fidei lib. 4. de Immun. cap. 4. & sequentibus* Molina *tom. 1. de Just. disp. 31. concl. 4.* & Castropalaus *de Rev. deb. pers. Eccles. disp. unic. pun. 1. n. 8.*

10 Petes 3. an pontifex possit facultatem dare Laicis cognoscendi causas Ecclesiasticas? Resp. affirmativè: quia cum hæc potestas sit Jurisdictionis, non Ordinis; inde est, quòd delegabilis sit à Pontifice Laicis, qui non operarentur ex sua facultate ordinaria, sed ex facultate à Pontifice ipsis delegata. Nec Laici ex se incapaces sunt accipiendi hanc facultatem à Pontifice ipsis commissam, ac delegatam. Sic ex Azorio, Ambrosino, & aliis tradit Bonacina *de Cens. in Bull. Cœn. quæst. 16. sect. 1. pun. 2. num. 9.* & tradunt communiter Doctores *in Tractatu de Legib. & de Censuris*. Hanc tamen facultatem dare non poterit Episcopus, tum quia impeditur à Jure *in cap. Nullus Judicum cap. Si diligenti de for. compet.* tum quia si hanc exemptionem habent à Jure personæ Ecclesiasticæ, non poterit Episcopus in Jure Communi dispensare. Sic Declanus, Azor. Julius Clarus, de Sousa, Comitolus, Filliuccius, Reginaldus, Ambrosinus, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. n. 10.* Per hoc tamen non denegatur Episcopo, quòd in dijudicandis Clericis non possit Assessore Sæculari uti, aut delinquentem Clericum per Ministros Laicos capere. Imò probabilis est sententia docens, posse Episcopum facultatem dare Laico conveniendi Clericum in Causa Civili; *ut ex cap. 1. 2. & 4. de for. Compet. & ex cap. At si Cleric. de Judic.* tradunt Panormitanus, Clavis Regia, Farinacius, Decianus à citato Bonacina relati.

CAPUT II.

Quænam sint Personæ Ecclesiasticæ Privilegio Fori, & Libertatis Ecclesiasticæ gaudentes.

1 *Personæ, quæ ex speciali Deputatione ad Dei cultum, & Ministerium dicatæ sunt; Ecclesiasticæ dicuntur, & gaudent Privilegio Fori, & Libertatis Ecclesiasticæ.*
2 *Quid dicendum de clericis Minoribus, & initiatis primæ Tonsuræ?*
3 *Quid requiratur ex Tridentino, ut clericus Minor Privilegio Fori gaudeat?*
4 *An clerici conjugati gaudeant Privilegio Fori?*
5 *An deferentes Habitum clericalem ex licentia Episcopi sine Tonsura gaudeant Privilegio Fori?*
6 *An Uxor clerici Græci, vel Latini, & eorum filii legitimi gaudeant privilegio Fori?*
7 *An Famuli, Familiares, & Ministri cardinalium, & Episcoporum gaudeant Privilegio Fori?*
8 *Religiosi omnes sive Mares, sive Faminæ sunt Personæ Ecclesiasticæ.*
9 *An Ordines Militares gaudeant Privilegio Fori?*
10 *An Eremitæ habeant Privilegium Fori?*
11 *An Tertiarii D. Dominici, & D. Francisci gaudeant Privilegio Fori?*
12 *An patrans delictum in Sæculo, si postea assumat habitum Religiosum gaudeat Privilegio Fori?*
13 *An Rectores Hospitalium censendi sint Personæ Ecclesiasticæ?*
13 *An clericus Minor sive solutus, sive conjugatus habitum dimittens possit illum reassumere, & Privilegio Fori gaudere?*
15 *An si clerici isti ad longum tempus habitum non deferant, & delictum committant, quamvis postea habitum reassumant; gaudeant Privilegio Fori?*
16 *An si arma deferant, priventur Privilegio Fori?*
17 *An si se immiscean Mercaturis, & Negotiationibus deperdant Privilegium Fori?*

OMNES Personæ vel Laicæ sunt, vel Ecclesiasticæ; ut patet *ex cap. Duo sunt genera hominum. 12. quæst. 1.* adeoque quæ Laicæ non sunt, Ecclesiasticas esse oportet, & consequenter privilegio Fori gaudere; Dicuntur autem personæ illæ Ecclesiasticæ, quæ ex speciali Deputatione ad Dei Cultum, & Ministerium dicatæ sunt. Sic sunt extra omnem Controversiam Summus Pontifex, Cardinales, Patriarchæ Archiepiscopi, Episcopi, Sacerdotes, aliique Sacris Ordinibus initiati: ut testantur Doctores omnes. 1

Dubitatur tamen 1. de Clericis Minoribus, & specialiter de Initiatis prima Tonsura: eo quia licèt Clerici Minores, & initiati prima Tonsura spectato Jure Communi personæ Ecclesiasticæ sint; cum in sortem Dei, ejusque Ministerium, & servitium vocati sint; nihilominus Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de Reform.* statuit: Nullum Clericum in Minoribus constitutum privilegio Fori gaudere, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de Mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores suscipiendos, versetur. Quapropter si has conditiones non servent, ex eodem Tridentino privilegio Fori gaudere non poterunt. Non enim eadem ratio militat pro Clericis in Majoribus Ordinibus, ac in Minoribus: Clerici siquidem Minores non tenentur ad perseverandum in Clericatu *ex cap. Joannes de Cleric. Conjug.* sicuti tenentur Clerici in Majoribus constituti, qui apostasiam committunt, si Statum Clericalem deserunt, & cogi possunt ad habitum portandum *ex cap. Tua, de Apostas.* Ideo 2

eo has conditiones juremerito requisivit Tridentinum in Clericis Minoribus, & Tonsura initiatis.

3 Requiritur ergo ex Tridentino, ut Clericus Minor privilegio Fori gaudeat, quòd vel beneficiatus sit; vel habitum, & Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ inserviat de Mandato Episcopi, vel sit in Seminario Clericorum, vel in Schola, aliquave Universitate versetur.

Pro quibus notandum 1. præcipi à Tridentino disjunctum, quòd vel beneficiatus sit, vel habitum, & Tonsuram deferat inserviendo Ecclesiæ. Quapropter si Clericus beneficiatus habitum, & Tonsuram non deferret, privilegio fori gauderet; & vice versa habitum, & Tonsuram deferens inserviendo Ecclesiæ, etiamsi beneficium non haberet, privilegio fori gauderet. Clericus tamen non beneficiatus, ut privilegio fori gaudeat; debet utrumque deferre, habitum scilicet, & Tonsuram; nec sufficit Tonsuram deferre sine habitu, nec habitum sine Tonsura. Sic Barbosa alios referens 2. *part. de Potest. Episc. alleg.* 12. *n.* 14. Castropalaus alios referens *de Rever. deb. person. Eccles. pun.* 2. *n.* 6. *&* 7.

Notandum 2. Modum deferendi habitum, & Tonsuram debere esse frequentem, & continuum; aliàs privilegio fori non gaudebit Clericus. Quòd si ex aliquo casu contingenti laicis vestibus uteretur, non ideo fori privilegium amitteret: cum sufficiat, solitum esse Clericales vestes portare: ut ex Suarez, Barbosa, & Riccio tradit citatus Castropalaus. Idem dicendum de servitio præstando Ecclesiæ de Mandato Episcopi; debet enim frequenter inservire Clericus, hoc est pro Majori parte anni, nec sufficit bis aut ter inserviisse; sic enim indicant verba Tridentini *l. c. perseverans servitium.* Debet quoque servitium esse præsens, nec sufficit præteritum tantùm. Denique servitium debet esse spirituale, hoc est, in Ministerio sui Ordinis. Non requiritur ad probandum mandatum Episcopi de inserviendo Ecclesiæ, quòd scriptura traditum sit; cum sufficiat ab ejus ore prolatum, ut continuata praxis comprobat. Sic Graffis, Riccius, Barbosa, & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c. n.* 8.

Notandum 3. pro Clerico Beneficiato sufficere quodcumque beneficium Ecclesiasticum, seu quodlibet jus perpetuum percipiendi fructus ex beneficio, etiamsi de cætero ob penuriam temporum, aut alia ex causa non percipiantur: ut docent Garzias *de Benefic. 1. part. cap. 6. n.* 37. Barbosa 2. *part. de potest. Episc. alleg.* 12. *n.* 7. & Castropalaus *de Rever. deb. person. Eccles. pun.* 2. *n.* 3. Insuper sufficit habere præstimonium in titulum, habens enim illud dicitur propriissimè beneficium habere: ut ex Salzedo, Garzia, Riccio, Gonzalez, & Barbosa tradit citatus Castropalaus. Denique sufficit habere Cappellaniam collativam sive à Pontifice, sive ab Episcopo, cum sit verum beneficium. Idem dicendum de habente Coadjutoriam Canonicatus à Pontifice assignatam, cum nominetur beneficium perpetuum sufficiens ad privilegium Fori; ut ex Garzia, & Barbosa tradit Castropalaus *loc. cit.*

Notandum 4. quod licèt controvertatur de pensione Ecclesiastica, an sufficiens sit ad privilegium Fori, denegant siquidem Flaminius, Azebedo, Graffis, Garzia, Gonzalez, Riccius, & Zenedo penes Castropalaum *de Rev. deb. pers. Eccles. pun.* 2. *n.* 4: eo quia non censetur esse beneficium, cum non sit jus perpetuum percipiendi fructus ob spirituale obsequium, spirat namque mortuo pensionario. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam affirmativam docentem, in favorabilibus ecclesiæ comprehendi pensionem sub nomine beneficii, & dare privilegium Fori: ratio est, quia bene dici potest Jus perpetuum percipiendi fructus, si pro tota sua vita conceditur pensionario: quæ enim pro tota vita conceduntur, perpetua sunt, esto spirante Vita pensionariis spirent. Sic Salzedo, Rodriquez, Lazarte de Alcavala, Crescentius, Barbosa, Suarez, quos refert, & sequitur Castropalaus *l. c.*

Notandum denique: quòd quamvis docti Viri Clarus, Bajardus, Mascardus, Menochius, Scacia, Farinacius, Graffis, Riccius, & Tuscus penes Castropalaum *de Rev. deb. pers. Eccles. pun.* 2. *n.* 5. putarint, requiri de necesse ad fruendum privilegio Fori, quòd Clericus beneficiatus possessionem habeat beneficii, cum non sufficiat habere merum titulum: eo quia sine possessione non datur firmum jus percipiendi fructus; nihilominus si non constet de nullitate Tituli, ipsum solum sufficere ad privilegium Fori, declaravit Sacra Congregatio die 16. Julii ann. 1587. teste Barbosa *in Remission. Concilii Tridentini sess. 23. cap. 6. de Reform.* Malleus, Flaminius, Covarruvias, Gigas, Zenedo, Rebuffus, quos refert, & sequitur Castropalaus *loc. cit.*

Dubitatur 2. de Clericis Conjugatis, an privilegio 4
Fori gaudeant? De his Clericis mandat Tridentinum, servari decretum Bonifacii VIII. *in cap.* 1. *de cleric. conjug. in* 6. ubi dicitur: Trahi non posse criminaliter, vel civiliter ad Judicium sæculare. Et quamvis nonnulli putarint cum Covarruvia *pract. quæst. cap.* 31. *n.* 7. gaudere solùm privilegio fori in Criminalibus, non verò in civilibus; ut etiam innuere videtur Castropalaus *de Rev. deb. pers. Eccles. punct.* 2. *n.* 9. & latiùs sustinet *pun.* 5. *n.* 3. Nihilominus si conditiones habeant in prædicto capite requisitas, tam in Civilibus, quàm in Criminalibus gaudent privilegio Fori. Et sic *ex cap. cit.* quod nimis clarè loquitur, tradunt Martha, Duardus, Alterius, Carolus de Graffis, Charus, Farinacius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Cens. in Bull. Cœn. quæst.* 16. *sect.* 1. *punct.* 3. *num.* 3.

Prima tamen Conditio, quæ ibi requiritur est, ut non sint bigami bigamia vera, aut interpretativa; sed quòd Matrimonium contraxerint cum Virgine, quæ saltem talis reputabatur tempore contracti matrimonii; aut si cognita fuerit ante Matrimonium, ab ipso Clerico contrahente cognita fuerit, cum per subsequens Matrimonium illa purgetur: ut ex Antonio Gomez, Claro, Farinacio, & Suarez, docet Castropalaus *l. c.* Idem dicendum, si cum una Virgine contraxit, qua mortua ante Matrimonii consummationem cum alia Virgine postea contraxit: sic enim censetur cum unica Virgine contrahere ut ex Glossa, & Suarez tradit idem Castropalaus.

Secunda conditio est, ut habitum, & Tonsuram deferant, ac deputati sint de mandato Episcopi servitio alicujus Ecclesiæ. Dicuntur autem habitum vestemque deferre, si eam ex consuetudine deferant, qua distingui à Laicis possint; nam si cum eis confunderentur in vestibus, non dicerentur Clericales vestes portare: ut ex Covarruvia, Farinacio, Claro, Sanchez, & Suarez adnotat Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. punct.* 2. *num.* 9. *& punct.* 5. *num.* 3. Qui pariter adnotant, non sufficere, si vestes tantum Clericales deferant, dum sunt in servitio Ecclesiæ; sed debent etiam ita incedere per alia loca, alias non dicerentur vestes Clericales deferre. Demortua Uxore extra controversiam est, frui omnibus Privilegiis Clericalibus, si ea servent, quæ Tridentinum præscribit, ut superiùs innuimus; & sic ex Claro, Carolo de Graffis, Covarr. & aliis docet Bonacina *de cens. in Bull. cœn. quæst.* 16. *sect.* 1. *punct.* 3. *nu.* 4.

Dubitatur 3. de deferentibus habitum Clericalem ex 5
licentia Episcopi absque Tonsura, animo tamen statum Clericalem suscipiendi. Et quamvis Ambrosinus, & Decianus penes Bonacinam *l. c. num.* 6. putent, hos Privilegio Fori gaudere. Vera tamen sententia est non gaudere: ratio est, quia ad gaudendum hoc Privilegio requirit Tridentinum habitum, & Tonsuram; cum igitur isti Tonsurati non sint; quamvis habitum deferant, par non est, ut Privilegio Fori gaudeant: maximè quia privilegio Canonis non gaudent, adeoque nec privilegio fori gaudere debebunt. Sic Bonacina *l. c.* & Reginaldus *lib.* 9. *n.* 355.

Dubitatur 4. de Uxore Clerici Græci, vel etiam Latini, sicuti de eorum filiis legitimis; an privilegio Fori gaudeant? Et quamvis Tiraquellus, Avila, Antonius Cucus relati à Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disp.* 47. *num.* 2. dixerint, gaudere: eo quia Uxor sortiri debet Forum Viri *ex leg. cum quædam Puella ff. de Jurisd. omn. Judic.* & privilegium Domino concessum conceditur omnibus, qui de ejus Familia sunt *ex cap. final. de offic. Archid.* & Uxor, & filii de Viri Familia sunt *ex leg. Mulieres cod. de Dignit.* Nihilominus dicendum est, non gaudere; eo quia hoc privilegium cum concessum sit in Reverentiam Status Clericalis, ideo Clericis tantùm convenire potest: cum ergo nec Uxores Clericorum, nec filli illorum Clerici sint; non poterit ad eos privilegium

Fori

Fori extendi. Nec rationes adductæ aliquid comprobant, cum hoc privilegium ſit perſonale, non Reale; adeoque perſonas revera Eccleſiaſticas, ac Ordinibus inſignitas afficit. Nec privilegium conceſſum Domino ex titulo, & Cauſa ſpeciali ejus perſonæ conveniente extenditur ad alios de ejus familia: quapropter non poterit in hoc Uxor ſequi Forum Viri. Hinc ſit: quod ſi Clericus ad Sacros Ordines aſcenderet manente ejus Uxore in ſæculo, nullo modo huic competeret privilegium fori. Sic rectè docent Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 47. n. 3.* Caſtropalaus *de Rev. deb. perſ. Eccl. pun. 2. n. 10. in fin.* & Bonacina *de Excom. in Bull. Cœn. quæſt. 16. ſect. 1. pun. 3. n. 8.*

7 Dubitatur 5. de famulis, familiaribus, ac Miniſtris Cardinalium, & Epiſcoporum, præcipuè de ſpectantibus ad Curiam Epiſcopalem, ut ſunt Fiſcalis, Magiſter Notarius, Cuſtos Carcerum, Lictores, & ſimiles an fori privilegium habeant? Et quamvis in hac re ſtandum ſit conſuetudini Locorum; nihilominus quantum eſt ex vi rationis, niſi aliunde perſonæ Eccleſiaſticæ ſint, non videntur habere privilegium fori, quod ut diximus, datum eſt in Reverentiam debitam perſonis Eccleſiaſticis, & ipſas perſonas afficit, quia ſpeciali ſigno, & nota in Dei Cultum deſignatæ ſunt: cum ergo perſonæ iſtæ laicæ ſint, non videtur poſſe ipſis competere privilegium fori. Sic Alterius *diſp. 16. cap. 1. dub. 6.* Duardus *Canon. 15. quæſt. 8. num. 3.* Reginaldus *lib. 9. n. 354.* & Bonacina *l. c. n. 7.* Non nego ſuam probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, quam Doctiſſimi Viri defendunt; ſed hæc mihi probabilior.

8 Non ſolùm Clerici hucuſque conſiderati ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam Religioſi omnes, cujuſcumque Ordinis ſint, ſive Mares, ſive fœminæ; & etiamſi Ordinibus initiati non fuerint: omnes enim perſonæ Eccleſiaſticæ dicuntur, & ſunt; quamvis Novitii fuerint, aut Converſi, licèt vulgò Laici dicantur, quia non deputati Miniſteriis eccleſiæ, ſed Temporalibus. Et quamvis Novitii nondum Vota Religioſa emiſerint in Religione approbata, quæ verè Religioſos conſtituunt; nihilominus in favorabilibus verè Religioſi ſunt, & perſonæ eccleſiaſticæ Regulares, ſunt etenim in via ad Religionem, & conſequenter privilegio fori gaudent: ut ex Communi ſententia firmant Guttierrez *de Gabellis quæſt. 95. n. 21.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 2. quæſt. 2.* Farinacius *quæſt. 8. n. 46.* Barboſa *2. part. de poteſt. Epiſc. alleg. 12. num. 37.* Bonacina *de Cenſ. in Bull. Cœn. quæſt. 16. ſect. 1. pun. 3. n. 10.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. perſ. Eccleſ. pun. 2. n. 10.* Privilegium illud fori conceſſum omnibus Regularibus clarè conſtat *ex cap. final. de Religioſ. Domib. cap. 3. de for. compet.* & ex Conſtitutione Gregorii XIV. *Cum alias nonnulli*; ubi expreſsè dicitur: privilegio Libertatis gaudere non ſolum perſonas Sæculares eccleſiaſticas, verum etiam perſonas cujuſvis Ordinis, vel Militiæ, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, & Regulares quoque modo.

9 Petes 1. an cæteri Ordines Militares, ut ſunt equites D. Jacobi, D. Benedicti, D. Auguſtini, SS. Annuntiationis, Ordinis Chriſti, SS. Mauritii, Lazari, & Stephani gaudeant privilegio fori? Reſp. quamvis extra controverſiam ſit de equitibus S. Joannis Hieroſolymitani: eo quia ſunt verè Religioſi; nihilominus valde controverſum eſt de ſupradictis Ordinibus Militaribus, an verè, & propriè Religioſi ſint, adeoque gaudentes privilegio fori. Standum igitur erit, ſive eorum privilegiis, cum nonnullis ex dictis Militaribus Ordinibus conceſſum ſit privilegium Canonis, & fori; ſive Conſuetudini legitimè introductæ: cum non ſoleant regulariter loquendo judicari, niſi à Superioribus ſui Ordinis. Sic Navarrus, Filliuccius, Garzias, Graffis, Barboſa, quos referunt, & ſequuntur Bonacina *de Cenſ. in Bull. Cœn. quæſt. 16. ſect. 1. pun. 3. num. 16. in fin.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. perſ. Eccleſ. pun. 2. n. 10.*

10 Petes 2. An eremitæ privilegium fori habeant? Reſp. ſi ex expreſſa, vel tacita Summi Pontificis Authoritate in aliqua Congregatione vivant in communi ſub aliquo prælato, quamvis religioſa vota in ea non emittant; habebunt utique privilegium fori: ratio eſt, quia cenſentur perſonæ eccleſiaſticæ, ac religioſæ. Secus verò eſſet, ſi extra religioſam Communitatem viverent, & ſub nullius obedientia: cum tunc propriè laici eſſent, adeoque privilegio fori carentes. Sic Navarrus, Molina, Sylveſter, Avila, Suarez, Filliuccius, Reginaldus, Coninch, Graffis, Martha, Duardus, Alterius, Barboſa, quos referunt, & ſequuntur Bonacina, & Caſtropalaus *l. c.* extendit non improbabiliter Alterius *diſp. 16. cap. 1. dub. 5.* privilegium iſtud ad eremitas ſpecialem habitum deferentes, & alicui loco ſacro inſervientes, peculiarem modum vivendi ibi ſervantes ſub obedientia epiſcopi, vel alterius ab epiſcopo deſignati; nec diſſentit Bonacina, cum nimis congruum videatur, ut mihi videtur, maximè ſi aliqui ex ipſis ad Statum Clericalem tendant.

Petes 3. an Tertiarii D. Dominici, aut D. Franciſci 11
privilegio fori gaudeant? Reſp. ſi privatim domi ſuæ vivant extra conventum, etiamſi Regulam ſervent; non gaudere hoc privilegio: ratio eſt, quia cum non emittant tria Vota ſubſtantialia ſecundum Regulam à S. Sede approbatam, nec religioſam vitam in conventu degant, ſed ſæcularem domi ſuæ; inde eſt, quod verè, & propriè religioſi non ſint. Et defacto tempore Interdicti nequeunt à fratribus Minoribus admitti ad Divina Officia; quod fieri nequiret, ſi religioſi eſſent. Secus verò dicendum, ſi aſſumpto habitu Religioſo ſe, & ſua in Religionis ſervitium transferrent: ut ſunt illi, qui vulgò Oblati dicuntur, & familiares Religionis, ac ſub Obedientia Religionis approbatæ vivunt. Quamdiu enim in ea ita vivunt, etiamſi vota ſubſtantialia non emittant; dicuntur perſonæ eccleſiaſticæ, & privilegio fori gaudentes; ut ſunt Novitii. Sic Rota, ut tradit Navarrus *cap. 17. n. 79.* Sacra Congregatio, ut teſtatur Filliuccius *tract. 16. cap. 11. quæſt. 4. num. 14.* Suarez *diſp. 22. ſect. 1. n. 20.* Tuſcus *litera O concl. 16.* Peregrinus *Variar. lib. 6. n. 71.* Barboſa *2. part. de poteſt. Epiſc. alleg. 12. n. 29.* Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 50. num. 4.* Bonacina alios referens *de Cenſ. in Bull. Cœn. quæſt. 16. ſect. 1. pun. 3. n. 17. & 18.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. perſ. Eccleſ. pun. 2. n. 10.*

Petes 4. an ſi quis patrans delictum in ſæculo dein 12
habitum religioſum aſſumat, gaudeat privilegio fori? Reſp. negativè: ratio eſt, quia præſumitur religioſum habitum aſſumere in fraudem: maximè ſi in religionem admittitur non adhibitis diligentiis, & inquiſitione, quas præſcripſit Sixtus V. *in ſua Bulla*, incipit, *cum de omnibus* pro admittendis in Religionem, ſi videlicet delictum aliquod commiſerint, aut ære alieno gravati ſint. Accedit, quòd ad cognoſcendum forum delicti, reſpiciendum eſt ad tempus, & Statum commiſſi delicti; ſi ergo in ſæculo commiſſum fuit, à ſæculari poteſtate dijudicandum erit: ut docet Baldus *in leg. Affinitatis Cod. Comm. de Succeſſion.* Et defacto Novitius, qui tempore Novitiatus delictum aliquod commiſit; immunis remanet à Laica poteſtate Religionem deſerens ob tale delictum commiſſum. Sicuti etiam clericus, qui in Clericatu delictum commiſit; nequit Clericatum deſerens à Laica poteſtate puniri ob delictum in Clericatu commiſſum. Ut ex Sayro, Claro, Farinacio, Abbate, Zenedo, Graffis, & Molina docet Bonacina *de Cenſ. in Bull. Cœn. quæſt. 16. ſect. 1. pun. 3. n. 14. & 15.*

Petes 5. an Rectores Xenodochiorum, & Hoſpita- 13
lium cenſendi ſint perſonæ eccleſiaſticæ? Reſp. ſi authoritate epiſcopi erecta ſint Hoſpitalia, à Laicali poteſtate Immunia eſſe debent, cum ſint Loca Sacra à Juriſdictione ſæculari exempta; adeoque Rectores illorum curam gerentes perſonæ Eccleſiaſticæ cenſendæ erunt, ac privilegio fori gaudentes. Sic Barb. *2. par. de poteſt. Epiſc. alleg. 12. n. 40.* Graffis *de effect. clerical. effect. 1. pun. 117.* Caſtropalaus *de Rev. deb. perſ. Eccl. pun. 2. n. 10.* & Bonacina *l. c. n. 20.*

Petes 6. an Clericus Minor ſive ſolutus, ſive conju- 14
gatus habitum dimittens poſſit iterum illum reaſſumere, & privilegio fori gaudere? Reſp. quamvis aliqui Doctores cum Jo: Andrea, Ancharrano, & aliis *in cap. Joannes de Cleric. Conjug.* dixerint, non poſſe reaſſumere, & privilegio fori gaudere: eo quia dimiſſio illa eſt renuntiatio privilegii, quod amittitur, ſi renuntiatio acceptata ſit à ſuperiore. Nihilominus ſuſtinenda eſt ſententia oppoſita docens, poſſe habitum clericalem dimiſſum reaſſumere, & privilegio fori gaudere: ratio eſt, quia privilegio clericali renuntiari non poteſt; adeoque nec clericus renuntiare poterit, nec Superior acceptare renuntiationem factam juxta *cap. Si diligenti de for. Compet.* & ſic deciſum fuiſſe à ſacra Cong. 11. Junii 1587. referunt Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 17. num. 18.* & Barboſa *in Remiſſ. Concil.*

Concil. Triden. sess. 23. cap. 6. de Reform. & sic sustinent Covarruvias, Barbosa, Julius Clarus, Sanchez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. pun. 3. num.* 1.

15 Petes 7. an si Clericus minor sive solutus, sive conjugatus habitum Clericalem ad longum tempus non deferens, delictum committat, & post patratum delictum reassumat Clericalem habitum; Privilegio Fori gaudeat? Resp. affirmativè eo quia licèt delictum pro eo tempore commissum sit Jurisdictionis sæcularis; attamen habitu reassumpto est Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut est Persona, quæ dum habitum, & Tonsuram defert est immunis à Laica Potestate. Accedit, quod delictum pro eo tempore commissum non est delictum absolutè laicale, seu à Persona non potente habitum reassumere; si ergo Persona potens est habitum reassumere, & defacto reassumit; evadit delictum Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Sic decisum à Sacra Cong. refert Barbosa *in Remiss. Concil. Triden. sess. 23. cap. 6. de Reform.* Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 15. num. 16.* Covarruvias *c. 31. num. 7.* Farinacius *quæst. 8. num. 66.* Graffis *de effect. Cleric. effect. 1. num. 84.* & Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. pun. 3. num. 2.*

Si tamen antequam habitum reassumat capiatur à Potestate Sæculari, aut citetur, non gaudet Privilegio Fori, etiamsi habitum reassumat: ratio est, quia reassumptio illa censetur facta in fraudem sæcularis Jurisdictionis adeoque prodesse non poterit; fraus siquidem, & dolus nemini patrocinari debet, alias fomentum esset delictorum Ecclesiastica Immunitas: ut ex Guttierrez, Menochio, Julio Claro, Farinacio, Barbosa, Zenedo, & aliis tradit Castropalaus *loc. cit. n.* 3. Præsumitur autem in fraudem assumi habitum Clericalem, si quis antea Clericus non erat, & post delictum minores Ordines suscipit. Aut si Clericus erat, habitum dimiserat, quem post diffamationem delicti reassumit ad vitandam Jurisdictionem sæcularem, & non ex animo perseverandi in illo. In assumptione tamen Ordinis Sacri non datur locus huic præsumptioni, cum in eo casu susceptio illa perpetuitatem inducat. Sic ex Suarez, & Farinacio docet Castropalaus, *loc. cit. n.* 4. Et adnotandum ex eodem Castropalao, & Farinacio, quod assumptio status Clericalis licèt relinquat Clericum in delictis commissis ita subditum Potestati laicæ, ac si numquam Clericus fuisset, in judicio delicti quoad bona, & punitionem pecuniariam; quoad tamen judicium, & punitionem Personæ relinquit subditum jurisdictioni Ecclesiasticæ: nam per assumptionem habitus Clericalis specialiter Persona Dei Cultui dicatur, & destinatur.

16 Petes 8. an Clerici minores sive soluti, sive conjugati arma deferentes priventur Privilegio Fori? Resp. negativam sententiam sustinere Clarum *lib. 5. Praxis §. fin. quæst. 36. n. 12.* Sanchez *lib. 7. Matrim. disp. 46. num. 26. in fin.* & inclinat Suarez *de Immun. lib. 4. cap. 28. num. 25.* moventur, eo quia delatio armorum prohibita est quibuscumquo Clericis, efficit siquidem, ne Clericus appareat talis: sic *in Cap. Clerici de vit. & honest. Cleric.* Nihilominus mihi non displicet sententia distinguens: si delatio armorum talis sit, ut deferentem potiùs cum sæcularibus confundat, quam ab illis distinguat; certum est, quod illa deferens amittat Privilegium fori: eo quia non apponit conditionem à Tridentino requisitam ad gaudendum, quod videlicet habitum Clericalem deferat, quem non defert, si cum sæcularibus confunditur, & talis censetur. Si verò delatio armorum talis sit, ut Clericum demonstret, ac à sæcularibus distinguat; non video, cur debeat privilegio fori privare? maximè quia ex nullo Capite constat ob delationem armorum amitti Privilegium Fori. Sic Azor. 1. *Part. lib. 3. cap. ult. quæst. fin.* Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. punct. 3. num. 6.*

17 Petes 9. an Clericus sive solutus, sive conjugatus immiscens se mercaturis, ac Negotiationibus deperdat Privilegium Fori? Resp. licèt omnibus Clericis prohibita sit negotiatio, & mercatura; ut constat *ex c. final de vit. & honest. Cleric.* Nihilominus ipso jure non inducit privationem Privilegii Fori, ut adnotat Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 18. num. 10.* Quapropter si negotiatio talis sit, ut cedat in opprobrium status Clericalis; privari poterit per sententiam Judicis privilegio Fori: non enim par est, ut fruatur Privilegio status illius, quem offendit. Ante verò sententiam Judicis ob negotiationem, & mercaturam non remanet Privilegio Fori privatus. Non nego tamen, quòd cum Clericis conjugatis major conniventia haberi possit in hoc; cum decens, & moderata negotiatio non videatur disconvenirè eorum statui, adeoque non de facili per sententiam privari possunt Privilegio Fori. Sic *ex cap. Joannes, de Cleric. Conjug.* docent Sanchez, Barbosa, Suarez, Covarruvias penes Castropalaum *de Rev. deb. Pers. Eccles. pun. 3. num. 5.*

CAPUT III.

Quis sit Judex in dubiis de Privilegio Fori? Et in quibus Causis possit Judex Ecclesiasticus Laicos judicare?

1 *Quid sit in hac materia dubium Juris, & dubium Facti?*
2 *Clericatus præsumi non debet, sed probari. Et quomodo probari possit?*
3 *An teneatur Judex laicus delinquentem remittere ad Judicem Ecclesiasticum, si delinquens ex publica fama, & possessione allegat, se esse Clericum?*
4 *In dubio Juris decisio spectat ad Judicem Ecclesiasticum.*
5 *Etiam in dubio Facti decisio privativè spectat ad Judicem Ecclesiasticum.*
6 *In Causis omnino spiritualibus Judex Ecclesiasticus judicat Laicos,*
7 *Laici hæresim, aut simoniam committentes, vel suspicionem de illis dantes à solo Judice Ecclesiastico condemnari debent.*
8 *Causæ Temporales simul, & spirituales Laicorum, quæ mixti fori dicuntur; judicari poterunt tàm à Judice Ecclesiastico, quàm Laico, dummodo prævenerit.*
9 *Causæ Temporales, & profanæ Laicorum tunc judicari poterunt à Judice Ecclesiastico, quando aliqua qualitas Religionis eas affecerit.*

ANTEQUAM ad decisionem primi dubii propositi deveniamus, Præmittendum est 1. dubium ortum in materia, Privilegii Fori posse esse Juris, vel Facti. Dicitur dubium Juris, si dubitetur de aliquo, an veniat nomine Clerici gaudentis Privilegio Fori. Dicitur verò dubium Facti, si dubitetur, an habeat qualitates requisitas, Ordines videlicet, beneficium, Tonsuram, & Habitum. 1

Præmittendum 2. Clericatum non debere præsumi, nisi probetur: nemo enim præsumendus est Clericus, nisi Clericatum suum probet: ratio est, quia dicitur qualitas Facti; & qualitas facti non præsumitur, sed probatur: sic *ex cap. si Judex de sent. excomm. in 6. cap. Legem 2. quæst. 1.* docent innumeri Doctores relati à Farinacio *lib. 1. Prax. quæst. 8. numero 38.* Probari autem 1. potest Clericatus per litteras ab Episcopo Ordines conferente expeditas in testimonium susceptorum Ordinum. 2. per litteras Commendatitias ipsius Episcopi, quæ mentionem faciant Clericatus, illumque testentur; & quæ authenticæ sint, & munitæ ordinario signo Episcopi. 3. per Testes, si deperditi fuerint Tituli, aut Litteræ: sic *ex cap. 2. & 3. de Cler. Peregr. ex leg. Testium Cod. de Testib. ex leg. si solemnibus Cod. de Fid. Instr.* tradit Glossa *in cap. si judex laicus de sent. excom. in 6. verb. defecerit*, & communiter doctores cum Glossa. An verò sufficiat unus Testis ad probandum Clericatum, controversa res est: dicendum tamen sufficere, si de nullius præjudicio agatur: ut esset, si peteretur facultas ad prædicandum, ad faciendum sacrum, & similia: cum hæc solùm petenti nocere possent, non alteri; & sic pluribus relatis docent Mascardus *de Probat. concl. 303. numero 4.* Farinacius *quæst. 8. numero 42.* & Castropalaus *de Rever. deb. Pers. Eccles. punct. 4. numero 3.* Si verò de præjudicio tertii agatur, rectè putat Castropalaus non sufficere: nam *in cap. Tuæ de Cleric. Peregr.* dicitur: Clericatum probari per scripturam, vel per Testes ut tacitè insinuaret, plures requiri. 4. per famam publicam, & publicam possessionem ad longum tempus Clericatus: sic enim reputatus est ab omnibus Clericus; vel quia habitum, & Tonsuram ad longum tempus detulit; vel quia longo tempore possessionem beneficii Ecclesiastici habuit: & dum oppositum non plenè probetur à contradicentibus injustum erit, illum à possessione Clericatus deturbare. 2

Hinc

3 Hinc oritur quæſtio illa: an teneatur Judex laicus delinquentem remittere ad Eccleſiaſticum Judicem, ſi delinquens ex publica fama, & poſſeſſione allegat, ſe eſſe Clericum? Pro qua reſpondendum: ſi Judex laicus delinquentem capiat ſine tonſura, & habitu, non tenetur delinquentem remittere ad Judicem Eccleſiaſticum, niſi manifeſtè probetur, Clericum eſſe, & regulariter habitum, & tonſuram portaſſe; aut alicui Eccleſiæ deſervire ex Mandato Epiſcopi; vel Eccleſiaſticum beneficium habere: ratio eſt, quia ſi reum ſine habitu, & tonſura cœpit, poſſeſſionem illius acquiſivit, à qua deturbari nequit ex ſola fama Clericatus. Interim tamen dum cauſa agitatur, nequibit Judex ſæcularis in cauſa principali procedere, ne ſe exponat periculo uſurpandi juriſdictionem ſibi non debitam: ut expreſsè habetur *in cap. Si judex laicus de ſentent. excomm. in 6.* & docent Salzedo *Pract. cap. 62. num. 21.* Farinacius *quæſt. 8. num. 35.* Scaccia *de Judic. lib. 1. cap. 11. num. 90.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun. 4. num. 5. & 6.* Si vero cum habitu, & tonſura capiat, aut alius titulus extet comprobans eſſe Clericum; remittere debet ad Judicem eccleſiaſticum, ut illum cuſtodiat, etiamſi nondum ſit cognita cauſa juriſdictionalis: ratio eſt, quia videtur eſſe in poſſeſſione Clericatus, adeoque non habet ſuam intentionem Judex ſæcularis ita fundatam, ut habent Judex Eccleſiaſticus, & Clericus. *Sic ex cap. Si Judex laicus cit. & ex cap. Inter quatuor. de Cler. pereg.* docent Barboſa *2. part. de poteſt. Epiſc. allegat. 12. num. 34.* Maſcardus *concluſ. 302.* Farinacius *qnæſt. 8. num. 33. &* Caſtropalaus *loc. cit.*

4 Præmiſſis iſtis. Reſp. ad 1. dubium propoſitum: Quiſnam videlicet ſit Judex in dubiis ortis de Privilegio Fori. Et quidem ſi dubium ortum ſit Juris, extra omnem controverſiam eſt, deciſionem dubii ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum: ratio eſt, quia ad ipſum attinet cauſas ſpirituales decidere, imò ipſum decidere cauſas ſpirituales quid ſpirituale eſt, nullatenus competens Judici ſæculari. Sic nimis clarè conſtat *ex Cap. Quanto, cap. Decernimus, de Judic. ex cap. Lator. cap. Cauſam. Qui filii ſint legit. & ex cap. Tuam de Ordin. cognit.* & Doctores paſſim.

5 Si verò dubium ortum ſit Facti: an ſcilicet revera Clericatum habeat; an habitum, & tonſuram detulerit; an beneficium habeat; an ſi adſcriptus eſt mandato Epiſcopi ſervitio alicujus Eccleſiæ? Quamvis non defuerint Doctores, qui dixerint: talem cognitionem exagitari poſſe penes ſæcularem Judicem: eo quia non videtur cognitio rei ſpiritualis, ſed merè temporalis. Nihilominus vera ſententia eſt, ſpectare privativè ad Judicem Eccleſiaſticum: ratio eſt, quia licèt ſit cognitio de facto, eſt tamen de facto ſpirituali, non temporali: nam decernere, quis dicatur ordines habere; habitum, vel tonſuram deferre; beneficium Eccleſiaſticum poſſidere; alicui ſervitio Eccleſiæ eſſe adſcriptum; eſt cognitio facti ſpiritualis ſecundum Canonum ſanctiones, ac determinationes; adeoque ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum ſpectare poterit, & nullatenus ad ſæcularem. Non nego tamen, quòd Judex Eccleſiaſticus citare debeat ſæcularem Judicem, & ejus Fiſcalem, ut interveniat cognitionis cauſæ, & ſuas rationes depromat. *Sic ex cap. Si Judex laicus de ſent. excomm. in 6.* docent Covarruvias *cap. 33. numer. 1.* Salzedo *cap. 62. num. 14.* Germanius *de ſacr. Immun. lib. 3. cap. 15. à num. 55.* Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap. 190. à num. 13.* Barboſa *part. 2. de Poteſt. Epiſcopi allegat. 12. num. 33.* & Caſtropalaus *de Rever. deb. perſ. Eccl. pun. 4. num. 7.*

6 Ad alterum dubium propoſitum, in quibus videlicet cauſis poſſit Judex Eccleſiaſticus laicos judicare? Reſp. 1. in cauſis omnino ſpiritualibus non poſſe laicos niſi à Judice Eccleſiaſtico tantum judicari: ſic ſunt cauſæ ſpectantes ad collationem ordinum, ad adminiſtrationem Sacramentorum; ad electionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, & ſimiles. In his enim cauſis judicium privativè ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, & nullatenus ſpectare poteſt ad Judicem ſæcularem, etiamſi controverſia eſſet cum laico. Idem dicendum in cauſis hæreſis, ſimoniæ, excommunicationis, Interdicti Feſtorum, tranſgreſſionis jejuniorum, & ſimilium: cum enim hæ cauſæ oriantur ex aliquo, quod ad Eccleſiam privativè ſpectat, nempe ad Fidem, & Præcepta Eccleſiæ; ideo ad Judicem Eccleſiaſticum tantùm ſpectabunt, & nullatenus ad ſæcularem. *Sic ex cap. Tua de Ordin. cognit. cap. Cauſam. Qui filii ſint legit. cap. Decernimus, & cap. Quanto de Judiciis.*

Hinc fit: Sæculares committentes crimen hæreſis, aut ſuſpicionem dantes de illa; ſicuti ſimoniam committentes, aut de illa ſuſpicionem dantes ab Eccleſiaſtico tantùm Judice condemnandos eſſe, eo quia crimina iſta Fidei, & Religioni adverſantur. Sic Farinacius alios referens *quæſt. 8. Pract. num. 127.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun. 13. num. 3.* Qui advertunt, contrahentem binas nuptias, cum ſuſpicionem de hæreſi det; conveniendum eſſe coram Judice Eccleſiaſtico, non verò ſæculari. Sicuti cauſæ matrimoniales coram Judice Eccleſiaſtico agitandæ erunt in eis, quæ ſpectant ad earum valorem, & legitimam contractionem; aut ſi Conjuges ſeparandi ſint ob adulterium, fornicationem; lepram, ſævitiem &c. ſunt etenim cauſæ ſpirituales ortum habentes à ſtatutis Eccleſiæ; ut deciditur *in cap. Multorum 31. quæſt. 6. cap. Accedentibus de exceſſibus Pralat. & cap. Tuæ. de Procurat.* Quod non ſolùm ſervandum erit, ſi directè cauſa matrimonialis agitetur; verùm etiam ſi indirectè, & incidenter tractetur: ut ſi lis inſtituta ſit de hæreditaria ſucceſſione penes Judicem ſæcularem, & pendeat ab eo, ſi matrimonium, ex quo natus ſit, qui hæres inſtituendus eſt; validum fuerit, necne; tunc deciſio ſpectabit ad Judicem Eccleſiaſticum *ex cap. Tuam de Ordin. cognit.* Secus tamen eſſet, ſi quæſtio, & lis eſſet de facto: an videlicet hæres natus fuerit ab illo matrimonio, an ab alio; tunc ſpectabit ad Judicem ſæcularem decidere: eo quia quid temporale eſt, non verò ſpirituale. Sic ex Covarruvia, Arnoldo, Albertino, & Farinacio tradit Caſtropalaus *de Rever. deb. Perſ. Eccleſiaſt. punct. 13. num. 4.*

8 Reſp. 2. in cauſis temporalibus ſimul, & ſpiritualibus, quæ mixti fori appellari conſueverunt; quæ videlicet verſantur circa crimina non ſolùm Jure Canonico, & naturali prohibita; verùm etiam Jure Civili, & Cæſareo; perſonæ laicæ ea committentes judicari poterunt tam à Judice Eccleſiaſtico, quàm Civili, dummodo prævenerit; qui enim ex ipſis prævenerit, jus deciſionis acquirit, ut fatentur Doctores omnes. Crimina autem mixti fori ſunt Blaſphemia, Sodomia, Inceſtus, Adulterium, Stuprum, Concubinatus, Sacrilegium, & Sortilegium, ut tradit Farinacius *quæſt. 8. à num. 128.* & aliis.

9 Reſp. 3. in cauſis temporalibus, & profanis tunc laici judicari poterunt à Judice Eccleſiaſtico, quando qualitas aliqua Religionis illas afficit: ut ſi contractus juratus fuerit, & agitur de validitate juramenti: qualitas enim iſta cum ſpiritualis ſit, efficit, ut cauſa, quæ ſæcularis erat, ſpiritualis evadat *ex cap. Licèt Mulieres de jurejur. in 6. & ex cap. finali de for. compet. in 6.* Adnotandum tamen, quòd obligatio juramenti cum perſonalis ſit, nequit afficere hæredes: quapropter nequibit hæres conveniri ante Judicem Eccleſiaſticum ob juramentum teſtantis, niſi in duplici caſu. 1. eſt ſi judicium cœptum fuerit penes Judicem Eccleſiaſticum contra jurantem; tunc eo demortuo hæres proſequi debet cauſam incœptam coram Judice Eccleſiaſtico, illamque finire. 2. eſt, ſi officium Judicis Eccleſiaſtici imploretur, ut hæres animam defuncti exoneret exequendo ejus obligationes. *Sic ex cap. final. de Sepultur.* docent Farinacius *quæſt. 8. num. 141.* Bobadilla *lib. 2. Polit. cap. 17. num. 52.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun. 13. num. 6.*

CAPUT IV.

De Exemptione Eccleſiaſticorum in Cauſis Criminalibus.

1 *An in nonnullis cauſis Criminalibus non gaudeant Eccleſiaſtici hac exemptione?*
2 *An Clerici committentes crimina læſæ Majeſtatis, perjurii, Falſæ Monetæ, homicidii; conſpirationis in Epiſcopum, & ſimilia, amittant Privilegium Fori?*
3 *Clericus aſſaſſinium committens amittit Privilegium Fori?*
4 *An poſſit Clericus criminoſus tradi à Judice Eccleſiaſtico poteſtati ſæculari, ſi non fuerit incorrigibilis?*
5 *An Clericus per reconventionem poſſit judicari, & puniri à Judice ſæculari?*
6 *An Clericus, qui fuit ſocius criminis cum laico principaliter agente, poſſit cum laico à Judice ſæculari judicari, & puniri?*
7 *An Judex ſæcularis poſſit ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici in puniendo Clericos delinquentes?*

8 *An possit aliquando Judex sæcularis Clericum capere, & incarcerare?*
9 *Judex sæcularis si mandatum habeat à Judice Ecclesiastico; poterit capere Clericum.*
10 *Judex sæcularis poterit Clericum capere delictum grave committentem tribus concurrentibus circumstantiis, quæ enumerantur.*
11 *Prædictis circumstantiis concurrentibus poterit Judex laicus ad instantiam creditoris Clericum debitorem capere.*
12 *Servatis supradictis circumstantiis non solùm à Potestate publica laica, sed etiam à privata persona capi poterit Clericus volens delictum contra tertium committere, quod alia via impediri nequeat.*

1 QUAMVIS Statutum sit, Clericos omnes sive solutos, sive conjugatos gaudere Privilegio fori, ac exemptionis à laica Potestate in causis Criminalibus: cum de Clericis generaliter acceptis id constet *ex cap. Clerici, cap. Qualiter, & quando, de Judic. & cap. 2. & cap. Si diligenti de for. compet.* De Clericis verò conjugatis expresse habetur *in cap. unic. in 6.* nihilominus in dubium revocati solent nonnullæ causæ criminales continentes gravissima crimina, fortè degradatione digna: quapropter meritò de ipsis inquiritur, an exceptionem patiantur ab hac generali concessione, & exemptione à laica Potestate per Privilegium Fori.

2 Et 1. dubitatur de Clericis committentibus crimina læsæ majestatis, perjurii, falsæ moneræ, homicidii, conspirationis in Episcopum, & similia; an inquam per talia crimina Privilegium Fori amittant? Resp. non solùm Clericos in sacris, quod est extra controversiam; sed etiam Clericos in minoribus constitutos, sive solutos, sive conjugatos in enumeratis criminibus gaudere Privilegio fori, & immunes esse à Potestate laica, si servaverint ea, quæ Tridentinum ipsis præscribit: ratio est, quia nullus Textus afferri potest comprobans hanc jurisdictionem in Potestate laica, imò positivè contrarium constat *ex c. Cum non ab homine, cap. Clerici & c. At si Clerici de Judiciis*. Quapropter priùs dijudicandus erit Clericus in his criminibus à Judice Ecclesiastico, qui si illum remittat ad Potestatem laicam, tunc Potestas laica procedere poterit. Sic Covarruvias *Pract. Quæst. cap. 32. num. 2.* Scaccia *de Judic. lib. 1. cap. 11. num. 58.* Farinacius *lib. 1. tit. de Inquis. quæst. 8. num. 74.* Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 11. à num. 9.* & Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. pun. 6. num. 2.* Qui advertunt, quod si in aliquibus Provinciis introducta sit consuetudo in oppositum, ut Clerici in his criminibus dijudicentur à sæculari Judice; diligenter inquirendum est, ac examinandum: an fuerit legitimè introducta, de quo maximum habetur fundamentum dubitandi, eo quia Juri Canonico contraria est, & Tridentinum omnem consuetudinem Immunitati Ecclesiasticæ contrariam irritavit. Legatur Clericatus in Erot. cap. 27. ubi pro Republica Veneta allegat Decr. & Bullas Summ. Pontificum in favorem ejusdem Reipub. procedentis contra Clericos, & regulares.

3 Excipitur ab hac regula generali crimen assassinii: & ratio excipiendi est, quia assassinus est quasi morti traditus, ac à toto populo diffidatus, ut constat *ex cap. 1. de Homicid. in 6.* & docent Clarus, Decianus, Farinacius, Scaccia, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccl. pun. 6. num. 3.* adeoque Potestati laicæ remissus. Advertendum tamen, quòd priùs constare debet, esse assassinum, aliàs Clericale Privilegium non amittet, nec Judici sæculari traditur, ut comprobat Farinacius *de Inquis. quæst. 8. num. 82.* Constare autem dicitur, si à Judice Ecclesiastico facta fuerit authentica, & Judicialis declaratio de assassinio à Clerico commisso, & per eam jurisdictio tribuitur sæculari Potestati in Clericum. Sic Farinacius *quæst. 8. num. 86.* & Castropalaus *loc. cit.* Advertendum insuper, non requiri incorrigibilitatem ad acquirendam hanc jurisdictionem: semel enim ac declaratus fuit legitimè, & authenticè Clericus assassinus, statim Potestas laica etiam sine incorrigibilitate acquirit jurisdictionem in illum. Sic constat *ex cap. 1. de homicid. in 6.* & docent Bosius, & Clarus, quos sequuntur Farinacius *l. c. nu. 84.* & Castropalaus *loc. c.*

Petes hic: an possit Clericus criminosus tradi à Judice Ecclesiastico Potestati sæculari, si incorrigibilis non fuerit? Resp. si standum Juri Communi, non posse, excepto tamen crimine assassinii, ut diximus. Ideoque si crimen gravissimum fuerit, & atrox, nisi cum incorrigibilitate conjunctum fuerit; nequibit Judex Ecclesiasticus Clericum ita criminosum Curiæ sæculari tradere. Sic aperte constat *ex cap. Cum non ab homine de Judic. ex cap. Clerici de excess. Prælat. ex cap. Tuæ de pœnis, & ex cap. Felicis de pœn. in 6.* & sic docent Diaz, Bosius, Covarruvias, Placha, Scaccia, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Ecc. pun. 6. nu. 4.* Stante verò incorrigibilitate tradi poterit; adeoque Judex sæcularis judicare, & punire poterit Clericum criminosum, & incorrigibilem, *ex cap. Cum non ab homine cit.* Puniri tamen ab eo debet pœnis à Jure Civili impositis; nam eum punit ut laicum, non verò ut Clericum juxta *cap. Ad falsariorum de crimin. falsi*. Sic ex Claro, Farinacio, & aliis advertit Castropalaus *loc. cit. num. 7.* Dicitur Clericus Criminosus incorrigibilis, si ter admonitus sub Excommunicationis pœna, adhuc in crimine contumax persistit, & perseverat; ut praxi, & consuetudine firmatum est: quamvis ex *cap. cum non ab homine*, prius monendus sit sub pœna depositionis, postea excommunicationis, denique anathematis. Dixi stando juri Communi, nam si stare velimus consuetudini introductæ, & praxi receptæ quando crimen à Clerico commissum nimis atrox est, & scandalum publicum inducens; ac à viris piis, & probis expediens reputatur; ut è gremio personarum ecclesiasticarum in utilitatem Reipublicæ pellatur, & ultimo supplicio damnetur Clericus sic criminosus, nulla expectari solet incorrigibilitas: & ratio est, quia Privilegium fori concessum in honorem, & reverentiam Clericalis status non debet vergere in ejus dedecus: ut tradunt Covarruvias, Placha, Farinacius Clarus, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccl. pun. 6. nu. 6.*

4 2. Dubitatur: an Clericus per reconventionem amittat Privilegium fori, & possit à Judice sæculari judicari & puniri. Dicitur autem Clericus reconveniri, si accusavit laicum aliquem penes sæcularem Judicem, & Clericum reconvenit laicus penes eumdem Judicem de calumnia sibi apposita. Resp. si reconventio fiat ob vitandam calumniam appositam, vel ob repellendum calumniatorem, & defendendum innocentem; poterit utique Judex laicus reconvenire Clericum, & de falsitate cognoscere. Cum enim debeat veritatem rei investigare, nec potest eam assequi sine reconventione Clerici; ideo ad hunc effectum potest illum reconvenire: ut ex omnium sententia tradit Covarruvias *Pract. quæst. cap. 18. in fin. vers. illud verò*. Si verò reconveniat ad effectum puniendi illum etiam pecunialiter: nequibit prorsus reconvenire, nec reconventionem admittere, etiam cognita calumnia: ratio est, quia *in cap. Qualiter; & quando, de Judiciis*, omnino prohibet Pontifex cognitionem causarum Clerici faciendam à Judice laico. Et ly omnino denotat prohibitionem cujuscumque cognitionis Clerici, sive principaliter, sive incidenter, sive per viam exceptionis factæ. Nec obstat, quòd *lex Nullum, Cod. de testib.* dicat: Privilegiatum deponentem falsum coram Judice, qui nequit alias illum punire; posse ratione falsitatis à Judice puniri. Contra enim est, quia lex loquitur de laicis Privilegiatis, à quibus per falsitatem aufert Privilegium; non verò loquitur de Clericis habentibus Privilegium fori, à quibus per falsitatem non aufertur à Jure Canonico Privilegium. Sic Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 15. num. 11.* Covarruvias, Clarus, Farinacius, Guttierrez, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. deb. Pers. Eccles. pun. 6. nu. 9.*

5 3. Dubitatur: an Clericus, qui fuit socius criminis cum laico principaliter agente; amittat Privilegium fori, & possit cum laico à Judice sæculari puniri? Ratio dubitandi est, quia *ex Reg. Accessorium de reg. jur. in 6.* Accessorium sequitur naturam Principalis; ergo si coram Judice sæculari convenitur laicus principaliter agens, coram eodem conveniendus erit Clericus, qui fuit adjutor in crimine, quamvis accessoriè. Nihilominus respondendum est negativè: ratio est, quia Jus Canonicum eximens Clericum criminosum à laicali Potestate absolutè eximit, nec distinguit inter Principale, & Accessorium. Nec Accessorium sequitur Principale in diversis Personis, sed in eadem persona: quapropter crimen Clerici licèt sit accessorium respectu crimis laici; attamen quia diversa Persona est à laico, constituit crimen principale in suo genere agnoscendum à Judice Ecclesiastico: sic Castropalaus *de Rev. deb. Pers. Eccles. pun. 6. nu. 10.* & ferè omnes. Hinc tamen non sequitur, quod laicus simul cum Clerico crimen committens ratione Clerici dijudicari debeat à Judice Ecclesiastico, non verò à sæculari, ut docuere Bosius,

ſius, Menochius, Scaccia, & Decianus penes Caſtropalaum *loc. c. num.* 11. moti ex eo, quia unica, & individua cauſa eſt; adeoque unicum habere debet Judicem: aliàs de eadem cauſa plures ferrentur ſententiæ, quod eſt abſurdum *ex leg. null. Cod. de Judiciis*, cum ergo Judex in cauſa iſta nequeat eſſe ſæcularis, fatendum eſt, quòd debeat eſſe Eccleſiaſticus. In praxi enim ſervatur oppoſitum: laicus ſiquidem cum Clerico delinquens dijudicatur à ſæculari Judice, cui ſubditur: cum ſocius criminis non gaudeat Privilegio ſocii *ex leg. Si quis uxori. ff. de Furtis*, & ratio eſt, quia quamvis delictum in eſſe phyſico ſit unicum, & individuum; in eſſe tamen morali multiplex eſt, & dividuum, & adeoque diverſas ſententias patiens à diverſis Judicibus. Sic Aymon, Covarruvias, Clarus, Antonius Gomez, Farinacius, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *loc. cit. in fine*.

7 4. Dubitatur: an negligente Judice Eccleſiaſtico in punitione Clerici poſſit Judex ſæcularis ſupplere negligentiam illius, & Clericum delinquentem punire? Reſp. negativè: ratio eſt, quia juriſdictio Eccleſiaſtica numquam ſubditur ſæculari; licèt viceverſa ſæcularis ſubdatur Eccleſiaſticæ ut conſtat *ex cap. Licet ex ſuſcepto, de for. compet.* quapropter negligentiam Judicis eccleſiaſtici Ordinarii corrigere debet ejus ſuperior Eccleſiaſticus, ad quem recurrendum eſt, non verò ad Judicem ſæcularem, & ſi omnes Judices Eccleſiaſtici negligentes fuerint, recurrendum erit ad Pontificem, ut conſtat *ex cap. Qualiter de Judiciis & ex cap. Placuit*, 11. *qu.* 1. Nec valet dicere *ex cit. cap. Licet ex ſuſcepto*, quòd negligentibus Judicibus ſæcularibus recurri poteſt ad Epiſcopum, vel Pontificem; ergo à pari negligentibus Judicibus Eccleſiaſticis recurri poteſt ad ſæculares. Non enim tenet conſequentia, & patet diſparitas ex dictis, quia juriſdictio ſæcularis ſubditur Eccleſiaſticæ, non verò Eccleſiaſtica ſæculari. Sic rectè Farinacius *quæſt.* 8. *num.* 46. Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccl. pun.* 6. *num.* 13.

8 5. Dubitatur: an aliquando poſſit Judex ſæcularis Clericum capere, & incarcerare? Reſp. numquam per ſe, & propria auctoritate id efficere poſſe: nam eſſet exercere juriſdictionem in Clericum, quod nulli laicorum conceſſum eſt. Captura ſiquidem, & incarceratio ſunt præcipui actus juriſdictionis, & juriſdictio in Clericos non datur laicis: ut conſtat *ex cap. Cum non ab homine, de Judic. cap. Si verò de ſentent. excomm. & cap. Si Canonici, de Offic. ordin. in* 6. & docent communiter doctores. Dubium igitur reducitur ad eos caſus, in quibus vel expreſsè habetur licentia ab Eccleſia, vel præſumitur tacita: an inquam in prædictis caſibus poſſit Judex ſæcularis Clericos capere, aut eos incarcerare?

9 Et 1. certum eſt, poſſe id efficere ſæcularem Judicem, ſi mandatum à ſuperiore Eccleſiaſtico habuerit capiendi Clericum: ratio eſt, quia captura illa non eſt revera ſæcularis, & à ſæculari foro proveniens, ſed eccleſiaſtica: nam Eccleſia tunc facit ſuum ſæculare forum, quod non operatur, nec agit in Clericum nomine ſæculari, ſed Eccleſiaſtico. Sic colligunt *ex cap. ut famæ §. final de ſenten. excomun.* Bernardus Diaz *Pract. ca.* 114. *in fin. verſ. Non etiam*, Boſius *de capt. num.* 37. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 41. Farinacius *de Inquiſ. quæſt.* 8. *num.* 121. & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun.* 6. *n.* 14.

10 2. Poterit Judex laicus Clericum capere committentem grave delictum eo tamen animo, ut eum præſentet Judici eccleſiaſtico, dummodo hæ concurrant circumſtantiæ. 1. Ut delictum grave ſit, & notorium, 2. ſi ſuſpicio habeatur de fuga Clerici delinquentis. 3. ut non poſſit de facili fieri recurſus ad Judicem Eccleſiaſticum. His enim habitis conditionibus rationabiliter præſumitur, licentiam à Judice eccleſiaſtico dari; nec temere, & abſque fundamento firmo ſupponitur operari Judex laicus in Clericum, imò cenſetur rem gratam facere Judici Eccleſiaſtico. Sic aliis allatis docent Menochius *de Arbitr. lib.* 2. *cap.* 180. *num.* 22. Farinacius *quæſt.* 8. *num.* 116. & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun.* 6. *num.* 14. Advertunt tamen cum Felino *in cap. Cum non ab homine de Judic. num.* 4. non poſſe eum detinere Clericum in ſuis carceribus etiam per unum diem naturalem, ſi poſſit illum remittere ſtatim ad Judicem Eccleſiaſticum; hic enim non ſupponitur conſentire.

11 3. Prædictis circumſtantiis concurrentibus poterit Judex laicus ad inſtantiam Creditoris Clericum capere pro ſolutione civilis debiti. Si enim notorium eſt creditum, & ſuſpicio habetur, quòd Clericus fugam arripiat, & ſuum creditum amittat creditor; nec mandatum accipi potuerit à Judice Eccleſiaſtico capiendi illum. Imò extenditur hæc doctrina ad ipſum Creditorem, qui ſine brachio Judicis ſæcularis poterit talibus circumſtantiis concurrentibus Clericum debitorem capere, & detinere animo præſentandi ad Judicem Eccleſiaſticum: ratio eſt, quia illa captura, & detentio non eſt actus juriſdictionis in Clericum, ſed juſta defenſio bonorum ſuorum, quæ à nullo Jure prohibetur. Advertendum tamen, quòd ſi Judici laico, vel creditori conſtet, nulla bona poſſidere Clericum, vel tantùm ea, quæ ſecum portat, & quæ ab ipſo auferri nequeunt, niſi ipſe capiatur; tunc capi nequibit nec à Judice laico, nec à Creditore: ratio eſt, quia Clericus ob civile debitum etiam ab ipſo Judice Eccleſiaſtico capi nequit, & incarcerari *ex cap. Odoardus de ſolution*, & *ex cap.* 2. *de fidejuſſor.* Sic Covarruvias 2. *Variar. cap.* 1. *nu.* 9. Menochius *caſu* 183. *nu.* 29. Farinacius *de carcer. qu.* 27. *num.* 85. & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun.* 6. *num.* 14.

12 4. Capi poterit Clericus ſervatis conditionibus ſupra recenſitis non ſolùm à Poteſtate publica laica, ſed etiam à privata perſona; ſi alia via impediri non poſſit delictum ab ipſo Clerico committendum contra tertiam perſonam: ratio eſt, quia à jure naturæ cuilibet datum eſt innocentem defendere; & injuriam ab eo repellere. Sic Alciatus, Abbas, Navarrus, Clarus, Suarez, Menochius, Farinacius, quos refert & ſequitur Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun.* 6. *num.* 14. Qui licet videantur hanc facultatem extendere ad eum caſum, in quo damnum tertii non haberetur, ut eſſet in fornicatione ob defenſionem Divini honoris, & boni communis; in hoc tamen cautè procedendum, nec video ſic de facili capturam iſtam poſſe reddi licitam; cum hæc facultas ſic violenter corrigendi Clericos non ſit data aliis à Prælatis & Judicibus Eccleſiaſticis, ut rectè adnotat citatus Caſtropalaus. Et à fortiori datur Judici laico, & perſonæ privatæ Clericum capere prædictis circumſtantiis concurrentibus, ſi in flagranti delicto inventus fuerit, eo ſemper animo remittendi ſtatim ad Judicem Eccleſiaſticum: ratio eſt, quia à jure cenſetur cuilibet data talis facultas. Et multo magis id fieri poterit, ſi Clericus delinquens talis ſit, ut à quolibet occidi, aut verberari poſſit impunè: cum minus damnum captura inferat, quàm verberatio, & occiſio. *Sic ex leg. Raptores Cod. de Epiſc. & Cleric.* tradunt Villalobos, Bernardus Diaz, Farinacius, Clarus, Scaccia, Suarez, Navarrus, quos refert, & ſequitur Caſtropalaus *loc. cit. in fine*.

CAPUT V.

De Exemptione Eccleſiaſticorum in cauſis Civilibus, & ab obligatione ſervandi Leges Civiles.

1 *Clerici minores ſervantes præſcripta à Tridentino exempti ſunt à poteſtate laica in cauſis civilibus. Idem dicendum de Clericis conjugatis.*

2 *Excipitur cauſa feudalis, quando lis eſt de proprietate, aut poſſeſſione feudi.*

3 *Excipitur quoque cauſa de Bonis Regalibus, & de Bonis relictis ſub conditione, quod lite occurrente agitari debeat coram Judice ſæculari.*

4 *Excipitur denique, ſi Clericus citetur à Judice ſæculari ad comparendum in Tribunali ea conditione, ſi ſua putaverit intereſſe, nil alio addito.*

5 *An poſſit Clericus conveniri civiliter coram Judice ſæculari, ſi cauſa agitetur non contra ejus perſonam, ſed contra ejus bona?*

6 *An conveniri poſſit, ſi cauſa agitetur de poſſeſſione?*

7 *An Clericus conveniri poſſit ad Tribunal laicum, ſi nomine alterius conveniatur?*

8 *An negligentia Judicis eccleſiaſtici in deciſione cauſæ civilis ſufficiens motivum ſit, ut Clericus conveniri poſſit coram Tribunali laico?*

9 *Quando leges civiles directè impoſitæ ſunt Clericis, eximuntur Clerici ab obligatione eas ſervandi. Secus verò ſi directè impoſitæ ſint communitati, nec repugnent ſtatui Eccleſiaſtico; debent namque eas obſervare quoad vim directivam, non coactivam.*

10 *Quomodo dignoſcendum, quòd leges Civiles, & ſtatuta non repugnent ſtatui Eccleſiaſtico?*

11 *An ſtatutum civile præſcribens modum in funeribus, & conviviis repugnet ſtatui Eccleſiaſtico?*

12 *An ſtatutum Civile obligans Cives ad non vendenda bona immobilia exteris repugnet ſtatui Eccleſiaſtico?*

13 *Statutum Civile à laicis factum, ne vendantur Clericis, quæ aliis vendi ſolent; aut ne emantur ab illis, quæ ab aliis*

aliis emi solent; vel ne potiantur Clerici Privilegiis aliis Civibus concessis; apertè est contra Libertatem Ecclesiasticam.

14 *Quid de Statuto Civili privante Clericos beneficiis à Regibus concessis, si declinaverint Jurisdictionem Sæcularem?*

15 *Quid de Lege prohibente ne exteris beneficia Ecclesiastica, aut pensiones conferantur?*

16 *An Ministri, & Consiliarii Regii possint examinare Litteras Apostolicas à Sancta Sede emanantes, earumque executionem impedire, si Jus Regium lædant?*

1 QUAMVIS controversa res sit de Clericis Conjugatis servantibus ea, quæ ipsis Tridentinum præscribit, an exempti sint à potestate Laica in Causis Civilibus? in qua controversia secutus sum superiùs sententiam ipsis favorabilem. Nihilominus de cęteris Clericis tum in Sacris, tum in Minoribus servantibus præscripta à Tridentino, indubitata res est, eos in Causis Civilibus à potestate laica esse exemptos, ita ut trahi nequeant in ipsis ad Sæculare Tribunal: ut apertè decisum est *in cap. Nullus Clericus. cap. Nullus Episcopus, cap. Placuit.* 11. *quæst.* 1. *cap. si diligenti, cap. Significas. de for. compet. cap. Si Judex laicus de sent. Excom. in* 6. *& cap. Sæculares de for. compet. in* 6. Dixi, non posse trahi ad forum sæculare, & conveniri in illo, ut adverterem, posse Clericos trahere laicos ad forum sæculare, & in eo contra illos agere: ut comprobatur *ex cap. Experientia; & ex cap. Si quisquam* 11. *quæst.* 1. & ratio deducitur ex eo principio satis recepto: quòd videlicet Actor sequi debeat forum Rei, ut est statutum *in cap. neminem* 3. *quæst.* 6. *& in leg. ult. Cod. Ubi in rem actio*. Non nego tamen, quòd potuerit Ecclesia etiam in hoc eximere Clericos, quando videlicet personam Actoris agunt, & conventos Laicos ad Tribunal Ecclesiasticum trahere. Attamen expediens non fuit, ne videatur sæcularem Jurisdictionem affectare, ac sua Tribunalia litibus satis obviis occupare ac Clericorum avaritiam fovere, & sic sibi infestos reddere laicos, illosque offendere. Satis ergo fuit, Clericos eximere, dum à Laicis provocati fuerint.

2 Ab hac generali Regula 1. exceptio est in Causa feudali, quando lis est de proprietate feudi, aut ejus Possessione: conveniri siquidem debet Clericus in ista causa penes Dominum feudi, etiam si laicus fuerit: ratio est, quia sub hac conditione à Jure approbata concedi solent feuda; apposuit namque Jus conditionem istam in favorem feudorum: ut videre est *in cap. Verum, cap. ex transmissa de for. compet.* & sic docent Clarus *§. Feudum quæst.* 90. *Versic. Sed quid si Vassalli*, Menochius *de Retinen. possess. rem.* 3. *n.* 396. Farinacius *de Inquisit. quæst.* 8. *n.* 22. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 97. & Castropalaus *de Rev. deb. perf. Eccles. pun.* 7. *n.* 3. Secus verò dicendum, si lis agitetur de Reparatione feudi, aut satisfactione debita Domino illius; tunc enim conveniendus erit Clericus feudatarius coram Judice Ecclesiastico proprio, non verò coram Judice sæculari, aut Domino feudi; quia in illis fit exceptio à Jure, non verò in istis Causis. Sic ex Farinacio, Villalobos, & aliis tradit citatus Castrop.

3 2. Exceptio est in bonis Regalibus, quæ semper censentur à Regibus concessa sub ea conditione, ut occurrente lite coram Judice sæculari decidenda sit, à quocumque possideantur sive Ecclesiastico, sive Laico. Idem quoque dicendum de bonis relictis Ecclesiæ, vel Clericis sub tali conditione, ut in casu litis agitanda sit coram sæculari Judice: & ratio est, quia tunc ecclesiastici non dicuntur conventi penes Tribunal sæculare coacti, sed voluntarii; qui poterant bona illa sub tali conditione non acceptare. Sic *in cap. Verum de for. compet.* docent Joan. Andreas, & Hostiensis, sic etiam Suar. *lib.* 4. *de Immun. cap.* 14. *n.* 13. Guttier. *lib.* 1. *pract. quæst. quæst.* 10. *n.* 1. & Castrop. *de Rev. deb. perf. Eccles. pun.* 7. *n.* 5.

4 3. Exceptio est: si clericus citetur à Judice Seculari ad comparendum in Tribunali ea conditione apposita, si sua putaverit interesse, absque alio addito compellente, & constringente Clericum ad comparendum; aliàs nulla esset citatio, & nulla pariter forent omnia inde sequentia, ut patet, quia adjectum, & additum destrueret priorem conditionem, & foret violenta citatio. Facta autem citatione, si Clericus comparet, & declinatoriam non apponit; stare debet sententiæ à Judice laico prolatæ: eo quia non est conventus necessarius, sed actor voluntarius. Secus verò si non compareat, aut declinatoriam apponat; tunc enim stare non debet sententiæ latæ à Judice laico, cum satis apertè innuat, non esse suum Judicem competentem. Sic Farinacius *quæst.* 8. *n.* 87. *&* 90. Menochius *de Recuper. possess. rem.* 15. *n.* 228. & Castropalaus *de Rev. deb. perf. Eccles. pun.* 7. *n.* 6.

Dubitabis 1. an clericus conveniri possit civiliter coram Judice sæculari, si causa agitetur non de personali actione contra clericum, sed reali tantùm contra ejus bona? Et quamvis Tiraquellus, & Farinacius penes Castropalaum *l. c. n.* 2. putarint, non de Jure, sed ex consuetudine locali id fieri posse: eo quia non traheretur ad sæculare Tribunal persona clerici, quæ exempta est; sed ejus bona. Nihilominus vera sententia est, non posse id fieri: ratio est, quia non solùm persona clerici exempta est à sæculari Jurisdictione, sed etiam ejus bona: ut sanctum est *in cap. Quamquam de Censib. in* 6. *& cap. Similiter* 16. *quæst.* 1. Nec agitari lis potest contra clericum circa bona, quia citetur, & cogatur comparere; quæ actiones sunt directè contra Personam clerici. Sic docent Suar. *lib.* 1. *de Immun. cap.* 14. *n.* 11. Covarruvias *pract. quæst.* 31. *n.* 5. *versic.* 2. Scaccia *lib.* 1. *de Judiciis cap.* 11. *n.* 30. Villalobos *in Com. opin. versic. Clericus*, *n.* 70. Mising *observat.* 22. *Cent.* 1. & Castropalaus *de Rev. deb. perf. Eccles. pun.* 7. *n.* 2. 5

Dubitabis 2. an conveniri possit clericus coram sæculari Judice, si causa agitetur de possessione? Resp. negativè, quidquid in contrarium dixerint antiquiores putantes, hanc causam esse omnino Temporalem, adeoque ad Judicem laicum spectare: ratio est, quia Clericus nullatenus citari potest, & ad suum tribunal trahi à Judice laico nullam Jurisdictionem habente in clericum: ut apertè declarat Textus *in cap. Qualiter de Judic. cap. Placuit. cap. Inolita* 11. *quæst.* 1. *& in Authen. Statuimus Cod. de Episc. & Cleric.* Nec causa dici potest omnino Temporalis, si connexionem habeat vel cum beneficiis Ecclesiasticis, vel cum aliis bonis ab Ecclesiasticis possessis. Sic Covarr. Menoc. Roland. Farinac. Azor. quos refert, & sequitur Castrop. *de Rev. deb. perf. Eccles. pun.* 7. *n.* 4. 6

Dubitabis 3. an Clericus conveniri possit ad Tribunal laicum, si nomine alterius conveniatur? ut si Clericus institutus esset hæres ab aliquo laico, & ratione hæreditatis acceptæ conveniretur, prout repræsentat defunctum laicum. Resp. si lis contestata fuerit cum defuncto tunc Clericus tenebitur eam prosequi nomine defuncti, in cujus locum succedit, coram Judice laico, qui habet jam firmatam jurisdictionem suam in causa, & stat in possessione illius. Secus verò dicendum, si lis contestata non fuerat, sed incipit cum Clerico: cum enim Clericus exemptus sit à sæculari Jurisdictione, tum quoad personam, tum quoad sua bona, ideo nequit Tribunali laico se subjicere. Sic docent Abbas, Bartol. Farinac. Scaccia & alii, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. deb. perf. Eccles. pun.* 7. *num.* 7. 7

Dubitabis 4. an negligentia Judicis ecclesiastici in decisione Causæ civilis sufficiens motivum sit, ut Clericus conveniri possit coram tribunali laico? Resp. negativè: ratio est, quia non spectat ad Judicem laicum supplere negligentiam Judicis Ecclesiastici, nec datur inferiori potestati supplere negligentiam superioris. Sic expressè statuitur *in cap. Qualiter. de Judic.* ubi omnino prohibetur recursus ad sæcularem Judicem, etiam negligente Ecclesiastico. Absonum siquidem est, quòd Judex sæcularis examinet negligentiam Judicis Ecclesiastici; quæ priùs examinari debet, ut ritè procedatur: sic bene docent *in cap. Qualiter. cit.* Glossa, & Panormitanus; & tradunt alii Doctores *in cap. licèt ex suscepto de for. compet.* Suar. Farinac. Azor. quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rev. deb. perf. Eccl. pun.* 7. *n.* 8. Et si quæ sunt Leges Civiles oppositum statuentes, utpote contrariæ Immunitati Ecclesiasticæ vim non habent. 8

Ab obligatione servandi leges civiles eximuntur clerici, quando directè impositæ sunt ipsis: & ratio est, quia cum clerici sint extra Jurisdictionem legislatoris civilis, ideo nequeunt ab ipso arctari directè ad observantiam illarum. Solùm igitur obligantur clerici ad observantiam Legum civilium, quando istæ impositæ sunt Communitati: tunc enim non directè obligantur ut Clerici; sed indirectè, quatenus videlicet partes sunt Communitatis illius, & bonum regimen Communitatis exigit uniformitatem inter partes, & ob hunc respectum noluit Ecclesia clericos eximere. Quamvis obligatio ista in clericis servandi Leges Communitati impositas, non repugnantes Statui Ecclesiastico sit tantùm quoad vim directivam, & nullatenus quoad vim coactivam. Quapropter nequibit Judex laicus Clericos inobedientes Legibus Communitati impositis cogere ad abstinen- 9

dum ab inobedientia: eo quia cum coactio iſta fieri debeat per exactionem pœnæ impoſitæ contra inobedientes, quæ quidem exactio cum non ſpectet ad uniformitatem ſervandam inter partes Communitatis, ſed varia eſſe poteſt pro varietate delinquentium inobedientia; ideo non eſt neceſſaria in Clericis: maximè quia cogi poſſunt per Judicem eccleſiaſticum, ad quem ſpectat, Clericos ſibi ſubjectos impellere ad obſervantiam Legum Naturalium, Divinarum, Eccleſiaſticarum, & Civilium. Quòd ſi modus cogendi præſcriptus fuerit à Jure Canonico, illi ſe conformare tenebitur Judex eccleſiaſticus. Si verò præſcriptus non fuerit; ſervabit eum, quem recta ratio ſibi convenientiorem, & utiliorem dictaverit, relictis pœnis, & ſuppliciis à Lege Civili impoſitis, quibus ſe conformare non tenetur, Sic Suarez *lib. 4. de Immunit. cap. 16. per totum.*

10 Quænam verò leges Civiles, & Statuta ſupponi debent non repugnantia Statui Eccleſiaſtico generaliter dignoſci poterit ab eo, ſi rectæ gubernationi Reipublicæ expediant: nam difficile eſt repugnare Statui Eccleſiaſtico, ſi revera rectam Reipublicæ Gubernationem reſpiciant. Sic ſunt in particulari leges illæ Civiles, quæ arma prohibent deferri, quæ ſolemnitates debitas contractibus deſignant, quæ pretia mercibus, & rebus venalibus taxant, & ſimiles. Conveniens namque eſt, Clericos obligari directivè ad obſervantiam harum legum ut partes ſunt Communitatis: eo quia quæ juſta ſunt, & in bonum commune vergunt; juſtum eſt, ut ab eccleſiaſticis ſerventur; & ſic ferè omnes Doctores fatentur.

11 Dubitari ſolet de aliquibus legibus, & Statutis Civilibus, an repugnent Statui eccleſiaſtico? adeoque eximantur Clerici ab illorum obſervantia. Et 1. dubitatur de Statuto Civili præſcribente modum in funeribus, & Convivils: ne videlicet cum detrimento Reipublicæ magni ſumptus impendantur in illis. Reſp. quamvis Clericos deobligent ab obſervantia horum Statutorum Tab. *verb. excommunicatio caſu* 20. Azor. 2. *part. lib. 9. cap. 11. in 6. privilegio Cleric.* & alii, qui moventur ex eo, quia *in cap. ult. de Reb. Eccleſ. non alienan.* annullantur Statuta laicorum diſponentia de Mortuariis; maximè quia cedunt in damnum eccleſiæ, & Clericorum. Nihilominus probabiliorem reputo ſententiam obligantem Clericos ad illorum obſervantiam: ratio eſt, quia Statuta iſta reſpiciunt bonum, & utilitatem communem, ita ut æquè Clericis, quàm laicis faveant: utile ſiquidem non minùs eſt Clericis, quàm laicis ne inanes ſumptus inſumantur in iſtis pompis funeralibus, & convivalibus; & ſic meliùs bona conſervantur in poſteris. Nec *cap. ultim. cit.* loquitur de his, ſed de illis, quę in Mortuariis ex ſua natura diriguntur, vel ad Divinum Cultum, vel ad ſalutem animę defuncti, ut eſſent celebrationes Miſſarum, aut alia pia opera exequenda in ſuffragium defuncti: in his enim mortuariis nil diſponere poſſunt Statuta laicorum. Sic Suar. *lib. 4. de Immun. cap. 13.* Cajet. *verb. Excommunicatio cap. 31.* Felin. *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de conſtit. n. 90.* Navar. *cap. 27. n. 120.* Tiraquel. *de Legib. Connub. gloſſ. 8. quæſt. 17. n. 169.* & Caſtrop. *de Rev. deb. perſ. Eccleſ. pun. 8. n. 4.* Hinc eſt, quòd ſi ad rectam Gubernationem Communitatis ſpectat modum imponere in conſtruendis domibus, parandis liminibus, mundandis viis, feneſtris aperiendis, & ſimilibus; tenebuntur Clerici uniformitatem ſervare cum laicis: maximè quia expreſsè non eximuntur à Jure Canonico.

12 Dubitatur 2. de ſtatuto Civili obligante Cives, ne bona immobilia vendant externis; an etiam obliget Clericos? Et quamvis non deſint aliqui, qui doceant, non obligare: eo quia jure naturæ vetitum non eſt, bona ſua exteris vendere. Nihilominus probabilius reputo, obligare Clericos; ratio eſt, quia cedit tale Statutum non minùs in bonum laicorum, quam Eccleſiaſticorum; nec video, in quonam deroget Immunitati Eccleſiaſticæ: bonum ſiquidem eſt eccleſiaſticis bona ſua ſic conſervare in propria civitate. Nec bonum Communitatis ſemper debet trahere originem à Jure Naturali, alias Lex Eccleſiaſtica lata de non alienandis bonis Eccleſiæ eſſet contra Jus Naturale, quòd non eſt dicendum. Sic Suar. *lib. 4. de Immun. cap. 16. n. 13.* Felin. *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de Conſt. n. 88.* & Caſtrop. *de Rev. deb. per Eccl. pun. 8. n. 3.*

13 Dubitatur 3. de Statuto à Laicis facto, ne vendantur Clericis, quæ aliis vendi ſolent; & ne emantur ab ipſis, quę ab aliis emi ſolent; aut ne Clerici potiantur Privilegiis aliis Civibus conceſſis. Sed talia ſtatuta eſſe contra Immunitatem Eccleſiaſticam, nimis apertè conſtat; videntur enim facta in odium Clericorum, præcipuè ſi Privilegia communia fuerint cæteris Civibus, quorum ſunt nobilior pars. Sic clarè habetur *in c. ult. de Immun. Eccleſ. in 6.* ubi hæc, & ſimilia ſtatuta, utpote libertatem Eccleſiaſticam violantia, prohibentur Idem dicendum, ſi ſtatutum factum eſſet ſive à Poteſtate laica, ſive ab Eccleſiaſtico Judice, ne videlicet vocentur Religioſi ad mortuos ſepeliendos, niſi prius vocati fuerint omnes Clerici Sæculares. Adverſaretur ſiquidem tale ſtatutum liberæ morientium Electioni, & Juri, quod habent Religioſi aſſiſtendi exequiis defunctorum; & Pietati ipſi, quæ non excludit Religioſos. Sic Azor. 1. *Part. lib. 9. cap. 11. in 6. Privileg. Cleric.* & Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccl. pun. 8. num. 5. & 7.*

Dubitatur 4. de ſtatuto civili privante Clericos beneficiis à Regibus conceſſis, ſi declinaverint juriſdictionem ſæcularem? Reſp. ſi reges ſub talibus conditionibus beneficia illa fundarunt, certum eſt, non poſſe Clericos beneficia Regia poſſidentes declinare juriſdictionem ſæcularem; cum ſub hac conditione data fuerint Clericis, & violata conditione ceſſat donatum. Secus tamen dicendum, ſi tales conditiones non habeant ex ſua primæva Inſtitutione, nec Clericus ſub ea conditione beneficium acceptavit. Sic ex Covarr. & Guttierrez docet Caſtropalaus *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun. 8. num. 8.* 14

Dubitatur 5. an Leges prohibentes ne exteris beneficia Eccleſiaſtica conferantur; aut ne ex illis beneficiis Penſiones ſolvantur exteris; opponantur Immunitati Eccleſiaſticæ? Reſp. ſi ex ſolâ Auctoritate ſæculari conſtitutæ fuerint, indubitatum mihi eſt opponi, Immunitati Eccleſiaſticæ, ejuſq; Libertati, ut rem ingenuè conſideranti apparet: non enim alteri à Pontifice datum eſt in materia Spirituali qualis eſt materia beneficiorum, Leges, aut ſtatuta condere: maxime quia ſi nullus laicus habet Jus præſentandi ad beneficium, niſi ipſi à S. Sede conceſſum fuerit; nec à fortiori habere poterit jus excludendi à beneficiis præſentatos à Sancta Sede. Quapropter ſi in aliquibus Regnis ſimiles Leges vigent, ut fertur vigere in Hiſpania Gallia, Flandria; dicendum eſt, ex auctoritate accepta à S. Sede illas Leges conditas fuiſſe. Pontifices ſiquidem ob juſtas, & rationabiles cauſas talem facultatem delegarunt Conditoribus illarum Legum, quæ ſine tali auctoritate accepta, manifeſtum eſt, repugnantes eſſe Immunitati Eccleſiaſticæ. Sic Azor. 1. *Part. lib. 5. c. 14. quæſt. 3.* & Caſtrop. *de Rev. deb. Perſ. Eccleſ. pun. 8. num. 9.* 15

Dubitatur tandem: an miniſtri, & Conſiliarii Regii poſſint Apoſtolicas Litteras, & à S. Sede emanantes examinare, earumque executionem impedire, ubi compertum fuerit, jus Regium lædi? Reſp. ſi præſcindamus à privilegio, & Conceſſione Pontificis, nullum jus habere Principes ſæculares recognoſcendi per ſuos miniſtros, & Conſiliarios tales Litteras, ſint ne veræ, vel falſæ certæ fidei, vel dubiæ; legitimæ, vel ſubreptitiæ; ratio eſt, quia ſunt de materia ſpirituali; & Eccleſiaſtica, adeoque extra omnem eorum juriſdictionem. Nec juvat dicere: cuilibet datum eſſe ſe defendere, & illæſum ſervare jus ſuum ab injuriis. Contra enim eſt, quia licet id verum ſit quando conſtat de injuria, cum nec ipſe Pontifex velit, ut obedientia præſtetur Litteris falſis, dubiis, aut ſubreptitiis. Nihilominus priùs debet conſtare de injuria contenta in Litteris, ut jus acquiratur ad ſe defendendum ac illæſum ſervandum ab illa; ſed non poteſt conſtare penes Tribunal Regium, & ex declaratione illius 1. quia declaratio illa eſſet à Judice incompetente, cum ſit de materia Eccleſiaſtica. 2. quia nemini datum eſt jus ſibi dicere in propria cauſa. 3. quia ad præmittendam declarationem injuriæ debebat conſtare de injuria; & cum ſit in materia Eccleſiaſtica, nequit ſine uſurpatione juriſdictionis conſtare penes ipſum Tribunal Regium; ergo præcautio allata nulla eſt, præſcindendo à Privilegio, & authoritate habita à S. Sede Quapropter dicendum eſt, quod in Regnis ubi conſuetudo viget recognoſcendi Litteras Apoſtolicas, cum privilegio S. Sedis inducta fuerit, nam alia via fieri nequibat à ſupremis Principibus, & eorum Miniſtris. Et quamvis non appareat hoc Privilegium ſcriptum, cenſendum eſt, fuiſſe conceſſum, licèt nunc temporis immemoriale ſit: cum non aliter præſumi poſſit de Principibus alias Piis, & S. Sedi obſequentiſſimis. Et ſic honeſtatur Conſuetudo vigens in Regnis Hiſpaniæ, Galliæ, Flandriæ, & aliarum provinciarum, ubi per Leges ſanctum eſt, nullum Nuntium uti poſſe ſua juriſdictione, niſi Litteras ſuæ Nuntiaturæ Regio Tribunali exhibeat. Sic Azor. 1. *Part. l. 5. cap. 14. quæſt. 4.* & Caſtropalaus *de Rever. deb. Perſ. Eccleſiaſt. pun. 8. num. 10.* 16

CA-

CAPUT VI.

De Exemptione Ecclesiasticorum à Gabellis, & Tributis realibus.

1 *Tributa imposita rebus, & bonis Ecclesiasticis à Dominis, qui ea Ecclesiæ reliquerunt; solvi debent, quicumque fuerit Dominus imponens.*

2 *Eximuntur Ecclesiastici à Tributis realibus impositis super bona ipsorum à Potestate Sæculari etiam Regia.*

3 *Omnes Clerici sive in Sacris, sive in Minoribus servantes requisita Trident. immunes sunt à Tributis in suis bonis.*

4 *An Clericus negotiator immunis sit à Gabellis impositis rebus negotiationi expositis?*

5 *Quando dicendus Clericus Negotiator;*

6 *Si ex emptione priùs facta rerum, quæ mutatæ venduntur, lucrum formaliter intenditur; aperta negotiatio est.*

7 *Clericus vendens fructus perceptos ex suis beneficiis, decimis, aut fundis patrimonialibus nullatenus dici debet negotiator.*

8 *An teneatur Clericus solvere Tributa, quæ pro reparatione pontium, fontium, Murorum, Viarum, & similium imposita sunt?*

9 *An teneatur Clericus solvere gabellas stabiliter impositas in venditione panis, Carnis, Vini, Olei, & similium?*

10 *An Clerici exempti sint à Tributis, & obsequiis Personalibus?*

11 *Quæ dicta sunt de Clericis intelligi debent de omnibus Religiosis.*

1 TRIBUTA imposita rebus, & bonis ecclesiasticis à Domino, qui ea ecclesiasticis, & Ecclesiæ reliquit; solvi debent ab ipsis ecclesiasticis, quicunque fuerit Dominus ea imponens: ratio est, quia Dominus liberè rem suam donavit ecclesiasticis, & ecclesiæ; ergo ita donavit, ut potuerit non donare; & sicuti potest donare integrè, ita & diminutè donare, adeoq; potest donare cum onere solvendi tributum alteri. Potest siquidem verus Dominus ita res suas gravare aliquo onere, ut in quemcunq; transeant, etiamsi ecclesiasticus sit; transeant cum illo onere: quapropter ecclesiastici, vel Ecclesia acceptantes talem donationem, cum tali onere acceptare censentur. Hinc fit, quòd si fundus relinquatur ecclesiæ sub conditione, quòd collectas, aut contributiones aliquas solvat certis personis, etiam laicis; debet eas solvere. Sic constat *ex cap. Si tributum, cap. magnum* 11. *quæst.* 1. *cap. Tributum* 2. 2. *quæst.* 8. *cap. Cum non sit, cap. pastoralis de Decimis, & ex cap. Ex litteris de pignor.* & docent Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 1. Suar. *de Immun. lib.* 4. *cap.* 20. *à n.* 5. & Castrop. *de Rev. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 1.

2 Exemptio igitur ecclesiasticorum à Tributis realibus est, cum super ipsorum bona à Jurisdictione sęculari, etiam Regia imposita fuerint: sunt enim extra hanc Jurisdictionem sæcularem quę solùm afficere potest sibi subditos, non verò ecclesiasticos: nec decet tributorum impositione contaminare ea bona, quæ ad Ecclesias, & ecclesiasticos attinent; sunt enim sub speciali dominio Dei, ac ad ejus Cultum, & sacrum ministerium ordinata: ut constat *ex cap. Qualiter, & quando de Judic. cap.* 2. *de for. compet. cap. Non minus. de Immun. Eccles. cap. Quamquam de Cens. cap. Cleric. de Immun. Eccles. in* 6. & ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 20. *de Reform.* Hinc fit non solùm bona ecclesiasticorum ex titulo spirituali provenientia, ut sunt fructus Decimarum, vel beneficii in stipendium administrationis Sacramentorum recepti; immunia esse ab oneribus, & tributis à sæculari potestate impositis; verum etiam bona titulo hæreditario provenientia, aut ex donatione: semel enim ac hęreditas, aut donatio ad ecclesiasticos pervenit exempta est à Jurisdictione sæculari, uti exempta est persona ipsius ecclesiastici. Hæc certa sunt penes Doctores.

5 Omnes Clerici sive in Sacris constituti sint, sive in Minoribus, dummodo servent conditiones à Tridentino requisitas spectato Jure Communi immunes sunt in suis bonis à tributis: nam generaliter concessa est hæc Immunitas omnibus Clericis, ut patet *ex cap. Quamquam de Censib. in* 6. *ex cap. non minus, & cap. Adverſ. de Immun. Eccles.* & tradunt Doctores omnes. Quòd si in aliquibus Regnis Hispaniæ, & Lusitaniæ Clerici Minores beneficio carentes etiamsi requisita à Tridentino servent, non sunt exempti ab his tributis; dicendum est, ex expressa Pontificis facultate, & dispositione id provenire, alias leges sic præcipientes injustæ essent, & invalidæ, utpote expressè contradicentes Immunitati ecclesiasticę juxta capita superiùs citata. Sic Suar. *lib.* 4. *de Immun. c.* 27. *n.* 16. Mol. *tract.* 2. *de Just. disp.* 671. *in fine* Barb. 3. *part. de potest. Episc. alleg.* 13. *num.* 2. Guttier. *pract. quæst. lib.* 1. *quæst.* 8. Fel. *de Cens. lib.* 2. *cap. fin. n.* 13. & Castrop. *de Rev. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *num.* 14.

Inquires 1. an Clericus negotiator immunis sit à Gabellis, & tributis impositis saper res negotiationi expositas? Resp. negativè: sic enim expressè deciditur *in c. Quamquam de Censib. in* 6. & sic tradit communis sententia. Nec requiritur in hoc trina monitio, quæ præscribitur *in c. ult. de vit. & honest. Cleric.* cum solum requiratur, quando Clericus privandus est privilegio fori, & reputandus est, ut laicus ob negotiationem: ut rectè ex Gregorio Lopez, Molina, & aliis adnotat Castrop. *l. c. n.* 15. Controversia, & difficultas in hac re est; quando Clericus dicatur Negotiator, quia si revera negotiator est, non habet privilegium exemptionis à tributis, & gabellis in eis rebus, quas per negotiationem acquirit. Pro qua decidenda 4

Dicendum 1. quando Clericus res emit, ut eas immutatas vendat, absque ulla controversia negotiator dicendus est: sic si triticum emeret, vinum, oleum, & similia, ut ea immutata venderet, patet omnibus negotiationem exercere, & negotiatorem censendum esse. Quia verò sępè res istæ emptæ mutatæ venduntur; ideo recurrit difficultas, quando nam res emptę mutatæ venduntur: negotiationem sapiunt nec sunt immunes à gabellis? Pro qua difficultate 5

Dicendum 2. si ex emptione prius facta rerum illarum, quæ postea mutatæ venduntur, lucrum formaliter intenditur; aperta negotiatio erit. Secus verò si non intendatur formaliter lucrum, esto aliunde proveniat; nullatenus dicenda erit negotiatio. Sic si quis triticum, uvas, lanas, venas metallorum emeret, ut mutet in panes, vinum, pannos, & metalla per ministros, & operarios à se conductos, quæ postea venderet; diceretur negotiationem exercere: ratio est, quia nihil aliud vendit, nisi id, quod priùs emerat; & lucrum, quod reportatur non provenit ex natura rei, aut tua industria; sed ex ipsa emptione, ergo in illis rebus mutatis formaliter tantum lucrum intenditur, dum venduntur, quod est sapere negotiationem. Secus esset, si illa emerentur; & non per ministros conductos operarentur, sed ex propria industria, aut industria domesticorum, & Familiarium; tunc enim non venditur formaliter, quod emptum est, sed potius propria industria aptata in rebus emptis, & per eam mutatis. Sic Molina *tract.* 2. *de Just. disp.* 342. *concl.* 5. Castrop. *de Rev. deb. Per. Eccl. pun.* 9. *n.* 16. & alii. Idem dicendum, si quis agrum conducat, ut fructus, quos ex illo percipit; vendat, etiamsi fructus proveniant ex semine proprio, & ex propria industria: nam in hoc casu ex re mutata formaliter intenditur lucrum reportare; adeoque conductio ista avaritiam, & negotiationem Clericis interdictam saperet. Sic ex Mol. Barb. & Gutier. docet Castrop. *l. c.* Secus tamen esset, si Clericus habens ex suis vaccarum armentis vitulos, quos saginare vellet ut eos venderet: & pascua conduceret: tunc non diceretur formaliter intendere lucrum ex emptione pascuorum, sed ex propriis armentis, quibus necessaria sunt pascua. Denique negotiator dicitur, qui domum, agrum, jumentum emit purè ad locandum; intendit siquidem formaliter lucrum ex illis rebus, quas partialiter vendit per locationem. Sic *ex c.* 1. *Ne Cler. vel Monach.* tradit Mol. *tract.* 2. *de Just. disp.* 342. *concl.* 5. Barb. 2. *Part. de Potest. Episc. alleg.* 13. *n.* 13. & Castrop. *de Rev. deb. Pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 16. qui adnotat *in fin* ex Salz. Graffis, Zen. & Barb. ad hoc ut Clericus dicatur Negotiator, non sufficere semel, aut bis negotiationem exercere; requiritur enim ad hoc delictum frequentia, quæ non habetur per unum, aut duos actus. 6

Dicendum 3. nullatenus dici Clericum negotiatorem, si fructus vendat perceptos ex suis Decimis, beneficiis, aut patrimonialibus possessionibus; in quocumque consistant, tales fructus, qui omnino immunes esse debent à gabellis: ratio est, quia lucrum non reportatur ex emptione, sed ex pura venditione fructum suarum possessionum. Sic ex Greg. Lopez, Mol. & Barb. tradit Castrop. *de Rever. debit. Pers. Eccles. pun.* 9. *num.* 16. Idem dicendum, si Clericus necessaria emerit ad sui, suorumque sustentationem, ex quibus superflua venderet, etiamsi cariori pretio venderet eo, quo emerit: ratio est, tum quia prior emptio non fuit facta animo venditionis, quod formaliter requiritur ad negotiationem; tum quia sic cogerentur Clerici res emptas & sibi superfluas perdere, dum non est licitum eas alienare, quod resultat in detrimentum status Clericalis. Et sic in praxi receptum est penes Clericos doctos, & timoratos; & sic docent Riccius *prax. resol.* 311. *n.* 10. Barb. 2. *part. de potest. Episc. alleg.* 13. *n.* 11. Molin. *tract.* 2. *de Just. disp.* 342. *concl.* 2. & Castrop. *de Rev. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 16. Denique dicendum: non esse Negotiatorem Clericum illum, qui animalia emat, ut ea crescere faciat 7

in suis pascuis, & saginet; vel pascua aliena emat, ut oves, & armenta in eis pascat, & fructum inde reportatum vendat; vel Mulas, aut alia jumenta emat, ut ea crescere faciat in suis pascuis, ut grandiora facta cariùs vendat: ratio est, quia lucrum inde reportatum non provenit ab emptione, sed à natura animalium, & ex possessionibus Clerici. Sic Molin. *l. c. concl.* 6. Barb. & Castrop. *l. c.* Graffis *de Effect. Cleric. effect.* 6. *n.* 18.

8 Inquires 2. an teneatur Clericus solvere ea tributa, quæ pro reparatione pontium, murorum, fontium, viarum, & similium; quæ publicum commodum, & utilitatem respiciunt; imposita fuere? Resp. affirmativam sententiam sustinere plures Juristas: moventur ex pluribus Legibus, & præcipuè ex eo quia tam Clericus quàm Laicus æqualiter sentiunt commodum illarum; ergo æqualiter incommodum tributi impositi sentire debent. Sed vera sententia est, secluso speciali consensu Pontificis, vel Episcopi, & Cleri id fieri licitè non posse; ratio est, quia *in cap. non minus, & cap. Adversus. de Immun. Eccles.* expressè prohibetur, hæc tributa imponere Clericis pro prædictis communibus necessitatibus absque consensu Pontificis, qui si adiri non poterit, absque consensu Episcopi, & Cleri. Nam licèt beneficium commune sit Clericis, & Laicis; nihilominus obligatio in Clericis nequit oriri ex mandato Legum sæcularium, ad quas non spectat videre commodum Clericorum, & ob id tributa imponere eis: Dignitas siquidem Clericalis petit, ut sit extra Jurisdictionem Potestatis sæcularis, & speciali privilegio fruatur supra laicos, uti fruuntur exemptione in his casibus milites, & Magistratus ratione Militiæ, & Regiminis, quamvis laici sint: Sic Azor. Greg. Lopez, Guttier. Zenèd. Barb. Molin. quos refert, & sequitur Castrop. *de Rever. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 4. & 5. Tunc verò in prædictis contributionibus ob publicam utilitatem præstare tenebitur suum consensum Pontifex, aut Episcopus cum Clero; quando revera constat, sic communi utilitati expedire, & aliunde non suppetunt facultates Laicorum: sic enim apertè colligitur ex Textu *in cap. non minus. cit.* Quapropter si Pontifex suum consensum præbere noluerit, nullatenus cogi poterunt Clerici; eo quia præsumitur rem attentè consideràsse, nec expedire judicaverit, vel quia necessarium non existimat, vel quia suppetunt facultates laicorum; quin Clerici graventur. Sic expressè Suar. *lib.* 4. *de Immun. cap.* 26. *n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 6. referens Greg. Lopez; & Guttier. Tria hic adnotanda. 1. est, quod si Pontifex consuli potest, non sufficit consensus Episcopi, & Cleri: nam expressè dicitur *in cap. Adversus. de Immun. Eccles.* Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Ergo si Pontifex consuli potest, sufficere nequit consensus Episcopi, & Cleri. 2. quòd nomine Cleri, qui cum Episcopo præstare debet suum consensum, cum Pontifex consuli nequit; veniat Capitulum: impossibile namque est habere consensum omnium Clericorum Diœcesis, & sæpe Capitulum nomine Cleri venit, ut bene tradunt Suar. *l. c. n.* 16. & Castrop. *l. c. n.* 8. Uterque autem consensus de necesse requiritur, episcopi videlicet, & Cleri: cum uterque æqualiter requiratur, & cum simultate tam *in cap. non minus, quàm in cap. Adversus. de Immun. Eccles.* in primo enim dicitur: Nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, & utilitatem aspexerint; in secundo dicitur: Verùm si quando Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint. 3. quòd tunc dicuntur facultates laicorum non suppetere, quando non suppetunt communes facultates Civitatis: ratio est, quia aliàs impossibile erit, facultates particularium non suppetere, & sic Clerici numquam obligari possent. Adde, quòd impossibile etiam est examinare facultates singulorum laicorum, si suppetant, vel non: nec Prælati Ecclesiastici id facilè examinare poterunt: ut adnotat Castropalaus *l. c. n.* 9.

9 Inquires 3. an debeant Clerici solvere gabellas impositas stabiliter in venditione carnis, olei, vini, & similium? Resp. quamvis Rich. Astens. Rosel. Ang. penes Castrop. *de Rever. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 10. putarint, teneri eas solvere, si velint prædictas res emere gabellis subjectas: eo quia liberum est eis non emere. Nihilominus vera sententia est, illicitas esse tales impositiones, & gabellas; nisi pariter statuatur modus eximendi Clericos ab illis, & de facto ita est in praxi, ubi tales gabellæ vigent: ratio est, quia cum res prædictæ necessariæ sint ad victum, sequeretur, quòd eodem modo cogerentur laici ad solvendas gabellas super illas impositas, ac Ecclesiastici. Nec favet, quòd liberè emant; nam & liberè emunt laici, & tamen dicuntur gravati; cum moraliter loquendo vivi nequeat sine ipsis. Igitur illicita erit impositio similium gabellarum, nisi priùs statuatur modus eximendi Clericos. Sic Azor. 2. *part. lib.* 8. *cap.* 10. *privileg.* 5. *Cleric.* Castrop. *l. c.* & Doctores passim.

Inquires 4. an etiam Clerici exempti sint à tributis, & obsequiis Personalibus? Resp. certum esse, quòd exempti sint ab eis tributis, & obsequiis, quæ sordida sunt, dedecent siquidem Statum Clericalem: sic essent fodere arenas, purgare stabula, mundare cloacas: & de facto Constantinus *leg.* 10. *cod. de Episc. & Cleric.* statuit: ut repellatur ab his exactio munerum sordidorum. Adde, quòd non solùm Clerici, sed eorum mancipia, & domestici eximuntur ab his muneribus, & tributis: ut constat *ex cap. Generaliter, cap. Juxta sanctionem. & cap. placet.* 16. *quæst.* 1. A tributis verò, Muneribus, & obsequiis honorificis, ut essent regere Civitates, & similia; sicuti ab indifferentibus, ut sunt Curatoris Officium, Testamentarii, & similium exercere; eximuntur, si ipsi velint: ut sancitur *in leg.* 1. 2. 9. & aliis *Cod. de Episc. & Cler. & in cap. Generaliter cit. & in toto Titulo de Immun. Eccles. & ne Clerici, vel Monach.* Solùm urgente necessitate defendendi Civitatem non eximuntur Clerici à Vigiliis faciendis in Muris, ad quas tamen Vigilias faciendas cogi non possunt nisi à proprio Superiore, seu Episcopo: ut habetur *in cap. pervenit. de Immun. Eccles.* & rectè tradunt Suar. *de Immun. lib.* 4. *cap.* 22. *à num.* 7. Azor. 2. *par. lib.* 8. *cap.* 10. *versic. Tertium privilegium*, & Castrop. *de Rever. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 11.

Quæ hucusque dicta sunt de Clericis intelligenda pariter erunt de omnibus Religiosis, qui in Religione approbata tria vota sive solemnia, sive simplicia emiserint, quæ verum Religiosum constituant, ut est in Societate Jesu. Insuper de omnibus Novitiis harum Religionum approbatarum, qui non solum exempti sunt à tributis, & gabellis personaliter, sed etiam in suis bonis, quæ si tempore Novitiatus vendiderint; non subjacent gabellis, & tributis: sunt etenim Novitii personæ ecclesiasticæ *ex cap. Religioso §. 1. de Senten. Excom. in* 6. sunt insuper pars Religionis, & sicuti gaudent privilegio Canonis, & fori; sic etiam in persona, & bonis gaudere debent privilegio exemptionis à tributis, & gabellis, à Jurisdictione sæculari impositis. Demum intelligi debent de illis Ordinibus Militaribus, qui Privilegium Canonis, & Fori habent: nam si illis gaudent, pareat, ut etiam isto gaudere debeant: ut ex Navar. Menoch. Bobad. Guttier. & Barb. tradit Castrop. *de Rever. deb. pers. Eccles. pun.* 9. *n.* 13.

CAPUT VII.

Quæ culpa, & pœna contrahatur à violante istam Immunitatem; & an Privilegium istud amitti possit per Renuntiationem, aut consuetudine amitti, vel diminui possit?

1 *Violans Immunitatem istam mortaliter, & sacrilegè peccat, ac injustitiam committit.*
2 *Pœnæ, quas incurrit violans; sunt excommunicatio lata in Bulla Cœnæ, Restitutio tributi exacti; & omnia ejus acta nulla, & irrita sunt.*
3 *Clericus neque expressè, neque tacitè renuntiare potest Privilegio Fori.*
4 *An saltem renuntiare possit consentiente Episcopo?*
5 *An renuntiare possit ex consensu Summi Pontificis?*
6 *An Clericus delinquens fingendo se laicum, si captus à Sæculari Judice confiteretur suum crimen coram illo, & pateretur judicari ab illo; teneret judicium factum?*
7 *Nequit Consuetudo abrogare privilegium istud, nec diminuere.*

CULPA, quæ contrahitur à violantibus Immunitatem, & reverentiam debitam ecclesiasticis, mortalis est, & sacrilega: committitur enim contra Personas Ecclesiasticas, & contra vetitum Ecclesiæ intuitu Religionis. Involvit etiam injustitiam, cum adversetur Juri, quod habent ecclesiasticæ personæ. Quapropter gravissima res erit hanc violationem facere, quæ non solùm præjudicat particulari personæ ecclesiasticæ, cui fit; sed etiam toti Ordini ecclesiastico, contra quem injuria resultat; & ideo gravissimis pœnis subjacet talis violatio: ut Doctores omnes fatentur. 1

Inter

2 Inter pœnas, quas incurrit violans Immunitatem Ecclesiasticam, 1. est excommunicatio lata *in Bulla Cœn. Domin. Clausul.* 17. non solùm contra imponentes, & exigentes tributum; verum etiam contra quomodolibet auxilium præstantes, ut suo loco explicabimus. 2. est, ut si Clericus tributum impositum solvat, debeat ipsi restitui ab exactore, utpote injustè exactum, & absque Jurisdictione. 3. denique, ut omnia acta irrita sint, & invalida; procedunt siquidem ab eo, qui jurisdictionem non habet. Quod etiam verum est, quamvis exceptio non opponatur coram Judice laico, ut constat *ex Authent. Statuimus. Cod. de Episc. & Cleric. ex cap. Adversf. de Immun. Eccles. & cap. Sæculares de for. compet. in 6.* Et omnes Doctores tradunt Covarruvias *pract. cap. 33. num. 3.* Salzedo *pract. cap. 62. num. 2.* Farinacius *tit. de Inquisit. quæst. 8. n. 15.* Molina *pract. 2. de Iust. disp. 670.* & Castrop. *de Rever. deb. perf. Eccles. pun. 10. n. 2.*

Huic Privilegio fori renuntiare nequit Clericus, neque tacitè, neque expressè: ut constat *ex cap. Si diligenti de for. comp. cap. Cum non ab homine. cap. Si Cleric. de Iudic. & cap. Cum contingat. de Senten. Excom.* Cum nemo renuntiare possit privilegio, si ex renuntiatione damnum vergat contra publicum, ut evenit in casu nostro, in quo renuntiatio vergit in præjudicium totius Ordinis Clericalis: ut docent Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 31. n. 1.* Covarruvias *pract. cap. 33. n. 2.* Gomez *Variar. Resol. tit. 3. cap. 10. n. 3.* Farin. *lib. 1. de Inquis. quæst. 8. n. 10.* & Castropalaus *de Rever. deb. perf. Eccles. pun. 11. n. 1.* Quod etiam intelligendum est, etiam si renuntiatio fuerit juramento firmata: cum sit Juramentum Sacrilegum, & de re illicita, ac ab eo, in cujus potestate non est renuntiare: ut ex Suarez, Farinacio, & Scaccia adnotat Castropalaus *l. c. num. 2.* & expressè traditur *in cap. Si diligenti de for. Compet.*

4 Petes 1. an Clericus renuntiare possit huic privilegio consentiente episcopo? Resp. licèt in aliquibus antiquioribus juribus videatur innui, quòd ex consensu episcopi possit Clericus huic privilegio renunciare ut videre est *in cap. Cleric. 1. & 2. 11. quæst. 1.* Nihilominus *in cap. Si diligenti, & cap. Significasti de for. compet. & in cap. Qualiter, & quando de Iudic.* satis declaratum est, id esse illicitum: & ratio est, quia nequit episcopus ea immutare, quæ Juris Communis sunt, & ab ipso Jure statuta. Sic Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 31. n. 4.* Scaccia *de Iudic. lib. 1. cap. 11. n. 28.* Farinacius *de Inquisit. lib. 1. quæst. 8. n. 13.* & Castropalaus *de Rever. deb. perf. Eccles. punct. 11. num. 3.*

5 Petes 2. an saltem Clericus renuntiare possit huic privilegio ex consensu Summi Pontificis? Resp. quamvis nec Pontifex, nec Generale Concilium, aut alia Communitas ecclesiastica possit totaliter renuntiare huic privilegio: eo quia nulla potest excogitari rationabilis causa, ob quam induci possint Pontifex, Generale Concilium, aut alia Communitas ecclesiastica ad renuntiandum totaliter huic privilegio; adeoque si id fieret, irrationabiliter, & cum injuria Status ecclesiastici fieret; & si fieret, factum non teneret utpote contra bonum Regimen ecclesiæ: maximè quia non solùm à Pontificibus, sed etiam ab ipsis Principibus Sæcularibus privilegium istud concessum, & donatum fuit Statui ecclesiastico, ac ab ipsa ecclesia nomine Christi acceptatum, quapropter sine consensu Christi repudiari nequit donatio ista acceptata: nec Christus ullatenus censeri potest consensurus huic renuntiationi tam præjudiciali suæ ecclesiæ: quapropter si renuntiatio fieret, & illicitè fieret, & facta non teneret, ut rectè expendit Suarez *lib. 4. de Immun. cap. 31. n. 10.* Nihilominus datum est Pontifici ex rationabili, & justa causa, prout expediens judicaverit, privilegium istud restringere quoad personas, & causas, quando sic poposcerit bonum Status ecclesiastici: ut innuitur *in cap. 2. de for. compet.* adeoque poterit Clericus ex consensu Summi Pontificis huic privilegio renuntiare: ut optimè tradunt Suarez *l. c. num. 8.* & Castropalaus *de Rever. deb. perf. Eccles. punct. 11. num. 3.*

Petes 3. an Clericus delinquens fingens se laicum, 6
& captus à Sæculari Judice crimen suum confiteretur coram illo, & pateretur, se à Judice sæculari damnari; an inquam confessio facta, & damnatio tenerent, eo quia nulla exceptio, & declinatoria apposita est? Resp. negativè: eo quia facta illa utpote coram Judice incompetente irrita, & nulla sunt; quidquid enim à Judice laico contra Clericum fit, etiamsi nulla exceptio, & declinatoria fiat; est prorsus irritum invalidum, & nullum. Sic *ex cap. Etsi Cleric. de Iudic.* docent Salzedo, Decianus, Covarruvias, Farinacius, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Rever. deb. perf. Eccles. pun. 11. n. 6. & 7.* Qui addunt, Clericum omittentem opponere exceptionem, & declinatoriam coram Judice sæculari, puniendum esse arbitrio Judicis ecclesiastici pœna extraordinaria, ut transgressorem Juris; insuper damnari debere in expensis: eo quia cum posset, imò deberet expensas excusare; noluit, nec curavit.

Consuetudo non potest in totum abrogare privile- 7
gium istud: ratio est, manifesta, quia si id nequit efficere Lex, etiamsi à Pontifice, vel Concilio Generali emanaverit; à fortiori id efficere non poterit consuetudo, quæ minorem vim, & efficaciam habet præ lege: & sic testantur Doctores omnes. Controversia igitur solùm in eo versatur: an possit consuetudo diminuere tale privilegium: diximus enim supra, posse Pontificem ex rationabili, & justa causa illud restringere quoad personas, & quoad causas, seu materias; ideo videtur, quod etiam consuetudine introduci possit diminutio, & restrictio: maximè quia consuetudo videtur habere vim introducendi illud, quod Leges, & privilegia introducere potuere. Et sic docuerunt Covarruvias, Navarrus, Villalobos, Julius Clarus, Farinacius penes Castropalaum *de Rever. deb. perf. Eccles. pun. 12. n. 2.* Nihilominus omnino dicendum est, non posse consuetudinem id efficere, nisi Authoritate S. Sedis firmata fuerit: ratio est, quia tunc consuetudo vim habet diminuendi, & restringendi legem, quando ab ipsis Conditoribus legis introducitur vel permittitur, ut aperte constat *ex dictis in Tractatu de Consuetudine*; sed Lex Immunitatis ecclesiasticæ condita est à Pontificibus; ergo ex eorum consensu introduci poterit consuetudo restringens prædictam legem, nec ullus alius à Pontifice talem facultatem habere potest: ut pro dignitate defendunt Suarez *in Defens. Fidei lib. 4. cap. 32. n. 14.* Azor. 1. *part. lib. 5. cap. 12. vers. Sed dubitari posset*, Castropalaus *loc. cit. num. 3.* & alii Theologi passim.

Nec dicas 1. tacitè consentire Pontificem in hac Consuetudine. Contra enim est, quia nimis apertè declarat mentem suam in oppositum Pontifex, dum singulis annis bullam Cœnæ Domini publicat, & innovat, in cujus Clausula 14. excommunicationis gladio ferit Judices Sæculares vocantes ad sua Tribunalia Clericos, ut vocati respondeant: insuper abrogat omnes Consuetudines Immunitati ecclesiasticæ Derogantes. Tantum abest, quòd Pontifex tacitè consentiat.

Dices 2. defacto in Regno Castellæ, Lusitaniæ, Galliæ, & similium Judices sæculares cognoscunt de pluribus causis ecclesiasticis. Sed contra, quia non ex vi consuetudinis id efficiunt, sed ex privilegio à S. Sede emanato: ipsa enim immemorialis consuetudo comprobat, ortum habuisse à privilegio: cum alia via cohonestandi illam non reperiatur; durum autem est præsumere immemorialem consuetudinem turpem, & illicitam, si in privilegio fundetur: ut docent Banez 2. 2. *quæst. 67. art. 1. dub. 2. concl. 6.* Menochius *de retinen. possess. rem. 3. n. 354.* Rebuffus *in Concord. tit. ult. de potest. concordat.* Sic conciliantur quæ sunt in viridi observatu apud aliquos Principes, & Respublicas.

QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

ABSOLUTIS Præceptis primæ Tabulæ, quæ Deum respiciunt, ejusque Cultum, Honorem, ac Amorem; progredimur ad explicanda Præcepta secundæ Tabulæ, quæ ad Proximum diriguntur, ejusque dilectionem. Quia verò inter nobis proximos principem locum habent Genitores, ideò de Honore debito à filiis suis Parentibus, & Genitoribus primò hæc quæstio instituitur.

QUÆSTIO XVI.

DE REVERENTIA DEBITA PARENTIBUS A FILIIS.

PLURA in hac Quæstione explicanda veniunt, nempe quid intelligatur nomine honoris, & Parentum; & quænam reverentia, amor, ac obedientia ipsis debeatur à Filiis; & si hi teneantur ad eorum sustentationem; & è contra quamnam curam filiorum habere teneantur Genitores; de quibus per distincta Capita pertractandum.

CAPUT PRIMUM.

Quid per Honorem, & quid per Patrem, & Matrem veniat?

1 *Explicatur quid veniat nomine honoris debiti à Filiis suis Parentibus.*
2 *Explicatur quid veniat nomine Patris, & Matris.*
3 *An hoc Præceptum adstringat tantum Filios erga Parentes, non verò Parentes erga Filios?*

1 HONOR debitus à Filiis suis Parentibus non solum accipitur hìc pro actu interno, vel externo, quo honorans testatur, & manifestat reverentiam, ac excellentiam ejus, cui honor exhibetur juxta ea, quæ docent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 3. & Alensis 3. *par. quæst.* 33. *memb.* 2. *art.* 2. Verum etiam accipitur pro Amore, Reverentia, Obedientia, & promptitudine ad subveniendum Parentibus in necessitate constitutis. Non enim intelligi potest, quomodo filii Parentes honorent, si eos non ament, revereantur, obediant, ac eorum necessitatibus non subveniant; cum hic honor non solùm debeat esse affectivus, sed etiam effectivus: ut rectè notarunt Sylv. *verb. Filii n.* 2. & Tab. *eod. verb. n.* 17.

2 Pater, & Mater non solùm significant hic Genitores, à quibus via generationis immediatè vitam agnoscimus; verùm etiam Avos, Abavos, Proavos, à quibus mediatè vitam accepimus. Extenditur quoque significatio ad Superiores spirituales, ut sunt Papa, Episcopus, Parochus; & pari modo ad Superiores Temporales, ut sunt Imperator, Rex, Princeps, vel Reipublicæ Caput. Tandem sub nomine Patris, & Matris accipi possunt Tutores, Curatores, & Magistri; quibus omnibus debitum honorem præstandum esse, vel ipso dictamine naturæ constat; nam si Natura docet, honorem exhibere parentibus, à quibus per generationem multa bona agnoscimus; eadem dictare videtur, honorandos esse & alios superiores, à quibus multa bona vel spiritualia, vel Temporalia nobis promanant. Sic D. Anton. 1. *par. tit.* 14. *cap.* 4. Navar. *in Sum. cap.* 14. *n.* 3. Regin. *lib.* 20. *cap.* 1. *n.* 3. Sylv. *verb. parentes*, Sà *eod. verb.* & Toletus *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 1.

3 Petes hìc: an hoc præceptum obliget tantùm Filios ad honorem exhibendum parentibus; an etiam adstringat parentes ad honorandum, hoc est, amandum, & subveniendum filiis in suis necessitatibus? Resp. affirmativè: & ratio est, quia licèt explicitè nulla mentio facta sit in hoc præcepto honoris, & amoris parentum erga suos filios; implicitè tamen subintelligitur, cum natura ipsa demonstret obligationem istam per propensionem parentum in filios, quæ major est præ propensione filiorum in honorem parentum juxta vulgatum axioma: amor descendit. Quapropter juremerito expressa mentio facta est in hoc præcepto obligationis filiorum in parentes, non verò parentum in filios, ad quos rapiuntur. Sic D. Anton. & Reginal. *l. c.* quos cum aliis sequitur Bonacina *in* 4. *Decal. præcept. quæst. unic. punct.* 1. *n.* 3.

CAPUT II.

Ad quem honorem erga Parentes teneantur Filii ex vi hujus Præcepti?

1 *Tenentur filii ad amorem, Obedientiam, Reverentiam ac ad subveniendum necessitatibus suorum parentum.*
2 *Non sufficit amor interius conceptus, nisi etiam signis externis demonstretur.*
3 *Præceptum honorandi Parentes includit Præceptum negativum non habendi odio illos.*

1 CONSTAT ex dictis hucusque, honorem debitum à filiis suis parentibus relucere in amore, obedientia, reverentia erga illos, ac in subveniendo eorum necessitatibus; adeoque ex vi hujus præcepti, & ex Lege quadam Justitiæ, & observantiæ naturalis tenentur filii ad hæc omnia præstanda suis Genitoribus: ut autem distinctiùs procedamus singillatim de his agemus.

Et quidem, quòd teneantur filii ad Amorem erga parentes, satis colligitur ex eo, quòd si tenentur ad diligendum proximum, imò & inimicos ipsos, à quibus mala recepere; à fortiori tenentur parentes diligere, à quibus tot bona habuere. Quamvis hic amor erga parentes non sit præferendus amori erga Deum: cum magis diligendus sit Deus præ parentibus ipsis juxta illud Christi Domini *Matth.* 4. *Qui amat Patrem plusquam me, non est me dignus*; & *Luc.* 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus.*

2 Amor hic non sufficit, quòd interiùs tantùm concipiatur; sed oportet, ut etiam aliquando signis externis manifestetur: quapropter quando habetur necessitas, quæ juxta judicium prudentum urgeat ad exhibitionem signorum amoris; tenentur filii ad hæc signa exhibenda: & ratio est, quia præceptum amoris obligans ad parentes amandos, obligat etiam ad exteriùs manifestandum amorem internum concurrentibus circumstantiis, quæ prudenter inducunt necessitatem ad illum manifestandum. Sic Sylv. *verb. Filius quæst.* 22. Navar. *in Summ. cap.* 14. *n.* 11. Reginal. *lib.* 20. *n.* 8. Tol. *lib.* 5. *Summ. cap.* 1. *n.* 3. & Sayr. *lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 7. Hinc infertur peccare graviter filios, si durè, & asperè tractent Genitores, si torvo vultu illos aspiciant, diù perseverantes in hoc: nam si breviter ob rixulam aliquam hoc fecerint, non erunt peccati mortalis rei. Sic citati Doctores.

3 Dicit etiam amor parentibus debitus, ne ipsos odio prosequantur: cum præceptum amandi parentes implicitè

citè involvat præceptum negativum non odio habendi illos; amor siquidem excludit odium, utpote sibi contrariè oppositum. Suadet hoc ipsum Naturæ lumen, quod si dictat, fugiendum esse odium proximi; potiori jure dictabit, fugiendum esse odium Parentum, qui supra reliquos proximos principem locum habent. Sic Doctores superiùs citati. Hinc infertur: graviter peccare filios malum aliquod grave spirituale, vel temporale desiderantes suis parentibus; aut deliberato animo mortem illis exoptantes; ut citò in illorum bona succedant, & quidem graviùs quàm si mala hæc aliis desiderarent: cum non solùm violetur Charitas, verùm etiam pietas naturalis, & Observantia parentibus debita. Quapropter circumstantia hæc aperienda erit in confessione, cum peculiarem contineat malitiam; sicuti aperienda est in confessione circumstantia parricidii, cum non sufficiat dicere, se occidisse hominem, nisi ulterius explicet, esse suum Genitorem. Sic iidem citati Doctores.

CAPUT III.

Ad quam Obedientiam, & Reverentiam teneantur Filii erga parentes ex vi hujus præcepti?

1 *Tenentur filii sub mortali ad obediendum Parentibus in iis, in quibus subjiciuntur circa Gubernationem domus.*
2 *Non tenentur filii obedire Parentibus præcipientibus res pravas, & contra Legem Dei.*
3 *Non tenentur filii obedire Parentibus in iis, quæ spectant ad vitæ statum capiendum in materia Religionis, aut Matrimonii. Et an peccent, si pro suo libito eligant uxorem dignam, relicta æque digna à Parentibus proposita?*
4 *Ex vi hujus præcepti tenentur Filii ad reverentiam non solùm internam recognoscendo Parentes, ut superiores per timorem filialem; verùm etiam externam.*
5 *An graviter peccent filii ex vi hujus præcepti, si probra, convicia, & maledicta conjiciant in Genitores demortuos?*
6 *An semper illicitum sit percutere, & occidere Parentes; itaut numquam sine peccato fieri possit?*

1 FILII tenentur sub mortali obedire suis parentibus in iis, in quibus ipsis subjiciuntur, & ad domus gubernationem spectant: constat tum *ex Proverb. 1. Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas Legem matris tuæ; tum ad ephes. 6. Filii obedite Parentibus vestris in domino*; tum denique ex ipso Christo Domino, de quo *Lucæ 2.* habetur: *Et erat subditus illis:* ratio autem est, quia si tenemur obedire præceptis Principum, à fortiori obligabimur ad obediendum præceptis Genitorum, quibus potiori jure adstringimur: sic communiter Doctores. Quapropter graviter peccabunt filii non obedientes parentibus aliquid præcipientibus circa mores, & bonum spirituale animæ: cum in his sint subditi illis, & ad parentes spectat filios bonis moribus informare, & eorum spirituali bono consulere; adeoque gravem culpam committent filii, si non obediant parentibus præcipientibus, ne se cum flagitiosis hominibus immisceant, ne noctu vagentur, ne pravas familiaritates habeant, sed illas fugiant, ne domos Meretricum, & lupanaria adeant, ne ludos prohibitos inquirant, & alia similia vitia vitent. Nisi tamen parvitas materiæ excusaret à peccato lethali. Sic Toletus *lib. 1. sum. cap. 1. n. 6.* Navar. *cap. 14. n. 12.* Sà *verb. Filii n. 14.* & Sayr. cum aliis *lib. 7. cap. 6. n. 9.* Graviter etiam peccabunt Filii, si non obtemperent parentibus in iis, quæ ad domus gubernationem ipsis præcipiuntur; dummodo tamen res sit gravis, & notabiliter pervertat ordinem domesticæ gubernationis: nam si levis esset, nec notabiliter perverteret, non ascenderet ad peccatum lethale; eo quia licèt filii suis parentibus subjecti sint in rebus spectantibus ad domesticam gubernationem; nihilominus levitas materiæ excusat à mortali, imò etiam excusat à veniali, si parentes imperent, sed nõ intendant obligare filios ad executionem rei imperatæ, vel non ita rigorosè imperent: cum præceptum non obliget ultra intentionem præcipientis. Quapropter graves Doctores excusant à mortali uxorem denegantem debitum conjugale viro benevole petenti, nec intendenti illam obligare: eo quia in tali casu non denegaret debitum ex Justitia. Sic Navarr. *cap. 14. nu. 2.* Rodriq. *1. part. cap. 14. concl. 1.* & alii relati à Bonacina *de Matr. disp. 4. pun. 1. n. 1.*

2 Non tenentur tamen Filii ad obediendum suis parentibus, quoties eorum mandata versantur circa res pravas, & contra legem Dei juxta illud *Act. 1. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus:* sic filii non debent obedire parentibus præcipientibus jurare falsum, alienum furripere, proximum verberare, inimicum occidere, aut similes res injustas: & ratio est, quia mandata, & voluntas Dei præferenda sunt mandatis, & voluntatibus parentum; & sicuti legislator nequit suis legibus obligare ad aliquid contra jus naturale, vel divinum positivum; ita neque parentes, nisi superveniat justa causa, ob quam prohibitio, & pravitas cesset. Sic Toletus *lib. 5. summ. cap. 5. nu. 6.* Sayrus *lib. 7. cap. 6. nu. 9.* & Navarrus *in Man. cap. 14. nu. 12.*

3 Nec tenentur parentibus obedire in iis, quæ pertinent ad vitæ statum capiendum, sive sint in materia Religionis, sive Matrimonii: cum in his liberi sint, ac sui juris Filii. Imò peccabunt Parentes graviter, si suos filios adstringant ad Religionem ineundam, vel contrahendum Matrimonium: ut communiter docent Doctores. Non nego tamen, graviter peccaturum Filium, si ex suppositione quòd se determinaverit ad Matrimonium, non accipiat uxorem dignam à Parentibus propositam; ut accipiat indignam cum ipsorum injuria, & familiæ dedecore: & ratio est, quia in re gravi injuriam inferret Filius Parentibus, & familiæ, quam vitare tenetur. Et licèt Parentes absolutè nequeant filium ad Matrimonium obligare, ex suppositione tamen determinationis Filii poterunt dignam proponere relicta indigna, & filius obedire tenetur: maximè si alia bona inde sequantur parentibus, & familiæ; ut inimicitias sopire, vel lites auferre. Sic Navarrus *in Man. cap. 14. nu. 15.* Toletus *lib. 5. cap. 1. n. 6.* Fagundez *lib. 4. decal. cap. 4. nu. 3.*

Major tamen insurgit difficultas, si filius ducere velit dignam ex suo libito, rejecta æquè digna à patre, vel Matre proposita: an inquam in tali casu mortaliter peccet non obediendo parentibus? Peccare mortaliter in hoc casu filium non obediendo docuere Navarrus *in man. cap. 4. nu. 15.* quamvis non ita clarè loquatur, Gutierrez *lib. 1. Quæst. Canon. cap. 20. nu. 3.* citans Sotum, Petrum Sotum, & alios, inclinat Fagundez *lib. 4. in 4. Præcept. decal. cap. 4. nu. 4. in fin.* referens Barbosam, & Veracrux: moventur, quia Filius sine justa causa in re gravi, & justa parentes offenderet; quod est grave peccatum. Non peccare mortaliter, & fortasse neque venialiter dixerunt expresse Toletus *lib. 5. summ. cap. 1. nu. 6.* Molina *de Primogen. lib. 2. cap. 13.* Corduba *Casu 171.* *Victoria §. 267.* Covarruvias *cap. 3. §. 8.* Henriquez *lib. 11. matr. cap. 6. nn. 4.* Hanc sequor sententiam, & moveor, quia nulla fit gravis injuria parentibus à filio, si æque dignam accipiat; & aliunde libertas in eligendo inter æque dignas stat pro filio, alias quid faveret filiis exemptio communiter ipsis data in iis, quæ pertinent ad vitæ statum?

4 Ratione Reverentiæ debitæ parentibus tenentur Filii ex vi hujus præcepti non solùm interius recognoscere illos ut superiores per timorem quemdam filialem; verùm etiam exteriùs verbis, & signis talem reverentiam demonstrare, loquendo videlicet de illis cum terminis honorificentiæ, non detrahendo eorum famæ, & bono nomini; impediendo damna, si quæ illis obvenire possunt; famulando, caput inclinando, assurgendo, & similia reverentiæ signa. Constat hæc obligatio in filiis tum ex verbis præcepti hujus: Honora patrem tuum, &c. tum ex jure naturæ, in quo fundatur decalogi præceptum: cum ipsum Naturæ jus dictet, reverentiam exibendam esse parentibus. Sic Navarrus *in man. cap. 14. nn. 21.* Sylvester *verb. Filii quæst. 22.* Armilla *eod. verb. nu. 22.* Toletus *lib. 5. cap. 1. n. 1.* Regin. *lib. 20. nu. 8.* & alii passim.

Hinc fit 1. graviter peccare filios, qui parentes percutiunt non solùm graviter, verùm etiam leviter: & ratio est, quia communiter reputatur ipsa levis percussio gravis injuria in Parentes. Extenditur hæc doctrina ad Filios elevantes manus, vel baculum ad percutiendum parentes cum deliberatione sufficienti, quamvis actu non percutiant: eo quia magna injuria, & gravis irreverentia communiter existimatur: ut docent Navarrus *in Man. cap. 14. nu. 13.* Sayrus *lib. 4. cap. 7. n. 3.* Graffis *1. part. lib. 2. cap. 56. nu. 6.* & Reginald. *lib. 20. num. 24.*

Fit 2. graviter etiam peccare filios, si contumeliis, & conviciis parentes afficiant cum sufficienti deliberatione, & in materia gravi: nam si materia levis esset, aut indeliberatio haberetur, ex Regulis generalibus excusa-

retur

rentur à mortali; quia gravis injuria non intercederet: ut notat Bonacina *disp. 4. de Matr. pun. 2. num. 4.*

Fit. 3. grave peccatum esse Filiorum, si deliberatè parentes ad notabilem iracundiam provocent verbis, vel factis; etiamsi parentes actu non irascantur, licèt verba illa, vel facta ex se in magnam iram inductiva sint. Secus verò dicendum, si actu magnam iram concipiant parentes ex verbis, vel factis filiorum; quamvis ex se considerata minimè inducere debebant ad tantam iracundiam: eo quia irrationabiliter sic graviter irascuntur, ut habent Toletus *l. c. n. 9.* & Sayrus *l. c.*

Fit 4. filios dedigantes parentes, aut illos contemnentes, aut agnoscere nolentes ob eorum paupertatem; graviter peccare contra reverentiam illis debitam: ut docent Navarrus *in Man. c. 14. num. 3.* Toletus *lib. 5. cap. 1. n. 9.* & Azor. *lib. 2. cap. 2. quæst. 10.* Quamvis si hoc non fiat animo interno contemnendi illos, & dedigandi; sed quia filius ex justa causa vitandi damnum honoris, divitiarum, aut vitæ exteriùs dissimulet; tunc Parentes supponendi erunt non inviti, nec injuriæ adscribent hæc omnia ob bonum filii, qui sopponitur interiùs nolle illos contemnere; quapropter grave peccatum non committet. Sic iidem Doctores. Nec graviter peccabit filius dedignans parentes hæreticos, proditores, aut publicè infames; cum moveatur ex justa, ac legitima causa dedignandi illos: nam semper commune bonum anteponendum est privato. Sic Navar. *in man. cap. 14. num. 13.* & Reginaldus *lib. 20. num. 15.*

Fit 5. filios accusantes in Criminalibus parentes grave peccatum committere contra reverentiam eis debitam. Quamvis licitum sit filiis in Civilibus coram judice alimenta petere injustè à parentibus denegata, ut quotidiana praxis comprobat, & est communis Doctorum sententia. Licitum quoque, & justum erit filiis, si in criminibus tantum læsæ Majestatis Divinæ, & humanæ parentes accusent in judicio. Utrum autem ad hoc obligentur, quamvis licitè possint; controvertitur inter Doctores: puto nihilominus sentiendum cum obligantibus: moveor quia ex Lege Charitatis naturalis semper bonum commune præferendum est bono privato, & particulari: cum igitur hæresis pestis sit inficiens, quæ communi bono adversatur; sicuti etiam Proditio Principis, Reipublicæ, Patriæ, è quibus communis populorum salus, ac bonum pendent; inde est, quod filii in conscientia obligentur ad anteponendum bonum hoc commune bono privato proprio; adeoque Parentes infectos crimine læsæ Majestatis Divinæ, & humanæ accusare tenentur. Non nego tamen, quòd si hæresis Parentum secreta sit, nec periculum adsit nocendi aliis, deobligent filios ab accusando. Toletus, Alexander, & Simancas relati à Fagundez *in 4. Præcept. Decal. lib. 4. cap. 4. num. 13.* qui pari modo discurrunt de tali obligatione Parentum erga filios, & Fratrum inter se, & Sorores.

5 Quæres 1. an filii, qui probra, convicia, & maledicta in mortuos Genitores conjiciunt; graviter ex vi præcepti hujus? Resp. affirmativè: cum natura ipsa dictet, reverentiam Genitoribus debitam extendendam esse ad ipsos non solùm viventes, verum etiam mortuos. Quapropter in confessione non sat erit dicere: maledicta, & probra conjeci in mortuos; sed ulterius aperiendum in Parentes mortuos: nam si talis circumstantia manifestanda est ex supradictis contra Parentes vivos, cur non contra ipsos mortuos? Sic Navarrus, Graffis, Reginaldus, & Filliuccius relati à Bonacina *disp. 4. de Matrim. pun. 2. num. 4.*

6. Quæres 2. an semper illicitum sit percutere, & occidere Parentes, itaut in nullo casu absque peccato fieri possit? Resp. in casu injustæ aggressionis, quando videlicet Parentes injustè mortem intentarent filiis; tunc enim juxta Regulas moderaminis inculpatæ tutelæ licitum erit filiis Parentes percutere, contra illos arma desumere, aut etiam occidere: & ratio est, quia ex jure naturæ licitum cuique est, vim vi repellere, cum alia non suppetit via. Extenditur etiam hæc doctrina in favorem filiorum contra Parentes, quando hi grave malum intentarent contra Fidem, Ecclesiam, Regem, vel Patriam. Sic Azor. 2. *Part. lib. 2. cap. 2. quæst. 14.* & Fagundez *lib. 4. in 4. Decal. Præcep. cap. 4. n. 10.* Hinc tamen non sequitur, quod si Pater sit publicè proscriptus à Patria, seu bannitus, cum facultate data à Principe cuique illum occidendi; possit tunc filius absque gravi peccato Patrem occidere: & ratio est, quia in tali casu verisimile apparet, quod facultas concessa aliis illum occidendi, non concedatur filio, pugnat enim cum Pietate, & Charitate debitis à filio Patri: nec publicè proscripti existimandi sunt Patriæ hostes, dum contra illam arma non capiunt in communem destructionem. Sic idem Azor. *l. c. qu. 15.* qui refert Angelum, Decium, Iulium Clarum, & Covar.

CAPUT IV.

Quomodo filii teneantur subvenire Parentibus?

1 *Filii tenentur ad subveniendum Parentibus in eorum necessitatibus Spiritualibus.*
2 *Tenentur quoque eis subvenire in gravibus necessitatibus temporalibus, si possint.*
3 *An teneatur filius alimenta subministrare Parenti damnato à judice ad pereundum inedia?*
4 *An filii Catholici tenentur alimenta præbere Parentibus hæreticis?*
5 *An teneantur filii ad non ingrediendum Religionem, vel exeundum ab ea, ut suis Parentibus alimenta ministrent?*
6 *Filii habentes votum Religionis non tenentur ad exequendum illud in gravi, aut extrema necessitate Parentum.*
7 *Si tempore Novitiatus Parentes sint in gravi, vel extrema necessitate; tenetur filius è Religione egredi, ut illis subveniat, dummodo possit subvenire.*
8 *Si filii professi sint, & Parentes reperiuntur in extrema necessitate; tenentur sub gravi ad egrediendum, ut subveniant, etiam reluctantibus Prælatis?*
9 *Si verò non sint in extrema, sed gravi necessitate; non tenentur egredi.*
10 *An teneantur filii solvere debita Parentum, si hæc excedant facultatem hæreditatis?*
11 *An teneantur filii, qui nil acceperunt ex bonis Patris mortui; aut Uxor, quæ nil accepit ex bonis mariti; solvere debita illorum ex propriis bonis?*

EX vi hujus Præcepti si tenentur Filii ad diligendos 1
Parentes, maximè tenebuntur ad subveniendum illis in necessitate constitutis: quisnam enim erit amor filiorum erga Parentes, si eorum necessitatibus non subveniant, quando subvenire possunt; ut bene docet D. Thomas 2. 2. *qu. 100. art. 2.* quem sequuntur Theologi communiter. Tenentur ergo 1. subvenire filii suis Parentibus in necessitatibus spiritualibus, quæ majoris momenti sunt præ temporalibus: quapropter graviter peccabunt filii non curantes, ministrari Sacramenta Parentibus in mortis articulo; aut impedientes, ne testamentum condant, & res rectè dispositas relinquant; ne in satisfactionem peccatorum eleemosinas, aut similia pia opera instituant, ut opulentiorem hæreditatem acquirant; Sic enim contra hoc præceptum minimè necessitatibus spiritualibus Parentum subvenirent, ut tenentur. Sic Navarrus *in Man. cap. 14. num. 13.* Reginaldus *lib. 20. sect. 1. num. 9.* & Bonacina *de Matrim. disp. 4 pun. 5. n. 2.* Eodem modo peccabunt filii, si Parentes avertant à restitutione illorum bonorum, quæ malè parta fuere; & ad quam restitutionem Parentes tenebantur; in quo casu non solum peccabunt, verum etiam ipsi tenebuntur ad restitutionem, quia eorum causa non fuit facta à Parentibus. Si post eorum mortem Legata, aut alia pia opera ab ipsis relicta differant: cum non solum sit contra justitiam, verum etiam contra Pietatem animabus Parentum debitam non subvenire illis in Purgatorio his suffragiis. Si exequias, & anniversaria Officia non curent celebrari Parentibus juxta illorum voluntatem: cum sic non subveniatur eorum necessitatibus Spiritualibus contra Pietatem Parentibus debitam. Ita Navarrus *in Man. cap. 14. num. 16.* Toletus *lib. 5. cap. 1. num. 3.* & D. Thomas *Quodlib. 6. art. 14.*

Tenentur 2. filii sub gravi culpa subvenire Parentibus 2
in gravi necessitate temporali constitutis, si possint: quod non solum asseritur de filiis legitimis, sed etiam de filiis naturalibus; & spuriis; cum ipsum jus naturale, & humanum per regulam correlativorum & filios legitimos, ac naturales, & spurios comprehendat: ut rectè docent Menoch. *de Præsumpt. lib. 3. quæst. 24. num. 16.* Surdus *de Aliment. tit. 1.* Molina *de just. tract. 2. disp. 228.* Sayrus *in Clav. Reg. lib. 7. cap. 5. num. 15.* Azor. 2. *Part. lib. 2. c. 3. quæst. 2.* & Rebellus *Part. 2. lib. 5. quæst. 8. num. 8.* Quapropter graviter peccabit filius, si alimenta deneget Parentibus, cum aliunde possit, in paupertate constitutis; etiamsi ipsi Parentes possint sibi alimenta comparare per Officium, & Artem, quæ tamen non conveniant suo statui: quia adhuc reputantur

in

in gravi necessitate constituti. Secus tamen dicendum, si officium, aut ars nullum dedecus afferant suo statui: nam tunc non reputarentur in gravi necessitate constituti, cum possint sine dedecore alimenta sibi subministrare. Sic Azor. & Sayr. *l. c.* Navar. *in Man. c.* 14. *n.* 13. & Reginal. *lib.* 20. *sect.* 1. *n.* 9. Graviter etiam peccabit filius, si à captivitate parentes non liberet, dum possit; si in carcere detentos liberare non curet? si graviter infirmos non visitet; si ammentes deturbatos per remedia adjuvari minimè curet: cum in his omnibus non subveniat Parentibus in eorum gravibus necessitatibus, ut tenentur ex vi præcepti hujus: sicuti docent D. Thom. 2. 2. *qu.* 122. *art.* 5. *ad* 3. Navar. Reginal. & Sayrus *l. c.*

3 Dubitabis tamen hìc 1. an teneatur filius alimenta subministrare Parenti à Judice condemnato ad pereundum inedia, ac fame? Resp. affirmativè: & moveor, quia hæc Judicis setentia quamvis rectè obliget alios ad non subministrandum alimenta, non potest tamen obligare filios jure naturali adstrictos ad Parentes alendos: suppono tamen, Parentem non damnatum esse à Judice ad hanc pœnam ob crimen læsæ majestatis Divinæ, aut humanæ juxta superius dicta. Sic Azor. Cardosus, Molina Rebellus, & Menochius, quos refert, & sequitur Fagundez *in* 4. *Decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 4.

4 Dubitabis 2. an filii Catholici, & orthodoxi teneantur ad præstanda alimenta Parentibus hæreticis, & etherodoxis in necessitate constitutis? Antequam respondeam, suppono duplicem considerari posse necessitatem, Gravem unam, Extremam aliam. Gravis est, quando Parentes ad se alendos cogerentur mendicare, aut munus exercere suæ conditioni nullatenus conveniens. Extrema est, quando adeo sunt pauperes, & ignavi, ut neque victum, neque vestitum habeant, neque habilitatem ad illa comparanda. His suppositis. Resp. Azor. *l. c.* & Glossam *in c.* 1. *verb. Fidelis dist.* 30. putare, absolutè haberi hanc obligationem in filiis alendi Parentes sive in gravi, sive in extrema necessitate constitutos, etiam si hæretici, Judæi, Ethnici, Turcæ, aut excommunicati sint, & nolint ad veram fidem converti: moventur, quia ista obligatio fundatur in Jure naturæ, nec Jus humanum positivum afferri potest auferens illam in pœnam hæresis Parentum; insuper Parentes hæretici semper præferendi sunt, si egent, in eleemosyna aliis pauperibus Catholicis extraneis: ut habetur *in Leg. Reg.* 8. *tit.* 23. *part.* 1. & docent Castro *lib.* 2. *de hæretic. punit. c.* 7. & Surdus *tract. de Aliment. tit.* 1. *quæst.* 18. *n.* 3. Nihilominus communior sententia distinguit inter necessitatem gravem, & extremam: nam si necessitas Parentum extrema sit, admittit hanc obligationem in filiis; secus verò si sit gravis: & ratio est, quia majori vinculo obstringuntur parentes ad filios, quam filii ad parentes: cum natura descendat à parentibus ad filios, non verò ascendat à filiis ad parentes; & tamen parentes Catholici denegare possunt alimenta filiis hæreticis; nisi extremè indiguerint; ergo à fortiori denegare poterunt filii catholici alimenta parentibus hæreticis, nisi extremè indiguerint. Minor probatur *ex Authent. Ut cum de appell. agnoscens §. Causa ut ex Leg. Reg.* 7. *tit.* 7. *part.* 6. ubi habetur Patrem exhæredare posse filium hæreticum; Ergo & alimenta negare secluſa extrema necessitate: cum communis Doctorum sententia sit, teste Molina *de Primog. lib.* 2. *c.* 16. *num.* 1. quod in iis casibus, in quibus possunt Parentes exhæredare filios; possint, & alimenta negare, si extremè non indiguerint. Sic Sanch. *lib.* 2. *Decal. cap.* 24. *num.* 7. Fagundez *in* 4. *Decalog. Præcept. lib.* 4. *c.* 2. *num.* 6. Lara *Leg. Si quis à liberis. §. Et si impubes num.* 1. *§. de Liber. agnosc.* & Surdus *de Alimentis tit.* 7. *à num.* 29. qui Legem Regiam in contrarium allatam de Eleemosyna explicat pro necessitate extrema. Addit Fagundez *l. c. n.* 7. etiam in extrema necessitate constitutis posse filios denegare alimenta parentibus hæreticis, si conentur filios à vera fide avertere, nec à tali prava intentione desistere velint: & ratio est, quia ut habet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 1. si tenemur odio habere parentes, quando ad peccatum impellunt juxta illud Christi Domini *Luc.* 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum*; multò magis poterimus alimenta denegare, si ad malum compellunt, & ad denegandam veram fidem; & si nolint ab ita prava intentione cessare. Insuper si possunt filii in tali casu de crimine hæresis accusare parentes, ut docet Tol. *lib.* 5. *Sum. cap.* 1. *in fin.* etiam si sciant morte puniendos fore; & potiori jure poterunt ipsis extremè indigentibus alimenta denegare: verum casus fictus ex Fagund. est rarissimus.

Dubitabis 3. an filii teneantur ad non ingrediendum Religionem, vel egrediendum ab ea, ut parentibus alimenta ministrent? Quia tamen dubitatio varios Casus sortiri potest, ideo per distinctas Responsiones dilucidanda erit. 5

Resp. 1. teneri filios sub gravi culpa ad non ingrediendum Religionem, ut parentibus sive in gravi sive in extrema necessitate constitutis alimenta ministrent: & ratio est, quia ingredi Religionem opus est consilii, subvenire vero parentibus sic indigentibus opus est præcepti, & præceptum præferendum est consilio: violaret siquidem præceptum hoc pietatis & juris naturalis filius, qui relictis parentibus sic miserè indigentibus ad Religionem avolaret. Sic D. Thom. 2. 2. *qu.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Cajetanus *ibi*, Alenûs 3. *Part. quæst.* 33. *n.* 4. *quæstiunc.* 2. Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 1. *n.* 5. Angelus *verb. Religio. n.* 32. Rosella *cod. verb.* 2. *n.* 7. Sylvester *eod. verb.* 2. *quæst.* 7. & Azor. *Part.* 2. *lib.* 2. *c.* 3. *qu.* 5. Neque obstant illud *Deuter.* 33. *Qui dixerit Patri suo, & fratri suo nescio vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum*. Et illud Christi Domini *Luc.* 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem &c. non potest meus esse discipulus*. Et illud *Matth.* 5. *Relictis retibus, & patre secuti sunt eum*; quod de Apostolis Jacobo, & Joanne in eorum commendationem dixit Matthæus, qui statim relicto patre ad Christum avolarunt. Non obstant, inquam, quia non reliquerunt suum parentem in necessitate constitutum sive gravi, sive extrema; & cæteri textus de relinquendis, nesciendis, & odio habendis parentibus intelligendi sunt, quando filios impellunt ad peccandum, aut à bonis actionibus aliàs præceptis retrahunt; non verò quando ab ingressu Religionis retrahunt, ut alimenta sibi debita habeant. Sic explicat D. Thomas citatus hos Textus, quem sequuntur Jansenius, Corduba, Palacios, Rodriquez, Sà, & Sanchez, quos refert Fagundez *in* 4. *Decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 15. Extenditur responsio data non solùm ad necessitatem gravem, & extremam parentum præsentem, verum etiam imminentem, & probabiliter futuram: cum eadem prorsus ratio habeatur, & in Jure æquiparatur necessitas præsens necessitati futuræ. Sic Sanchez *in Summ. lib.* 4. *c.* 20. *n.* 5. afferens Abulensem *in c.* 8. *Matth. quæst.* 67. Filliuc. *tract.* 28. *c.* 1. *quæst.* 5. *n.* 9. Bonac. *in* 4. *Decal. Præcept. quæst. unic. pun.* 5. *n.* 4. Fagund. *l. c. n.* 16. contra Rodriq. Sayrum, & alios putantes, debere esse præsentem.

Adnotandum hìc ob necessitatem gravem fratrum, & Sororum non teneri aliquem sub gravi ad abstinendum ab ingressu Religionis; sed solum ob necessitatem extremam: & ratio est, quia non ita strictè obligatio urget erga fratres, & Sorores, sicuti erga Parentes; adeoque non debebit privare se tanto bono Religionis ob subveniendum illis sicuti ob subveniendum parentibus, quibus aliter subvenire non possit, nisi remanendo in sæculo. Sic Azor. Sayrus, Reginal. Sanch. quos refert & sequitur Bonac. *in* 4. *Decal. Præcept. quæst. unic. pun.* 5. *nu.* 4. *in fine*.

Resp. 2. filios habentes votum ingrediendi Religionem non teneri ad illud adimplendum in gravi, aut extrema necessitate parentum; sive votum emissum fuerit ante prædictam necessitatem, sive post illam: ratio est, quia si votum emissum sit ante illam, jam mutatio notabilis facta est in re promissa ob notabilem Parentum necessitatem; si post illam emissum fuerit, votum non obligat contra jus naturale, & pietatem parentibus debitam, cum tempore necessitatis illius illicitus sit ingressus, adeoque versetur votum circa materiam illicitam. Sic Sanchez *lib.* 4. *Decal. c.* 29. *n.* 8. D. Anton. 3. *Part. tit.* 16. *c.* 2. *§.* 1. Sylv. *verb. Religio* 2. *quæst.* 7. Rodriq. *tom.* 2. *Summ. cap.* 6. *num.* 4. & Bonacina *in* 4. *Decal. Præcept. quæst. unic. pun.* 5. *num.* 5. 6

Dicta hucusque semper intelligenda sunt, quod filii subvenire possint necessitatibus parentum remanentes in sæculo, non vero ingredientes Religionem: nam si remanentes in sæculo nullum juvamen afferre possunt parentibus; & è contra ingredientes Religionem sive per se, sive per alios aliquod juvamen allaturi essent; utique tenebuntur ad ingrediendum Religionem. Sic Doctores citati. In dubio tamen, an revera necessitas parentum gravis sit, itaut omnibus perpensis agnosci facilè non possit; tenentur ad adimplendum votum emissum filii: & ratio est, quia in dubiis faveudum est possidenti; cum igitur votum possideat, pro voto standum erit. Sic ex Sanchez docet expresè Bonacina *l. c.*

Resp. 3. teneri filios sub gravi culpa ad egrediendum è Religione; si tempore Novitiatus in gravi necessitate, vel 7

ex-

extrema constituantur parentes ; ut illis subveniant : ratio est, quia cum tunc licitè egredi possint, & aliunde in Novitiatu perseverare sit tantum opus Consilii ; ideo prævalet præceptum subveniendi parentibus ab ipso jure naturali inditum. Quod intelligendum est juxta superiùs dicta. Sic Sanchez *lib.* 4. *decal. cap.* 20. *nu.* 7. Sà *verb. Religio nu.* 3. Navarrus *Comment. 3. de Regular. nu.* 48. Fagundez *lib.* 4. *in* 4. *decal. præcept. cap.* 1. *n.* 17. & Bonac. *in* 4. *decal. præcept. qu. unic. punct.* 5. *nu.* 5. cum aliis.

8 Respondeo 4. si jam filii professi sint, & parentes reperiantur in extrema necessitate ; tenentur sub gravi ad egrediendum è Religione, etiam invitis, & reluctantibus prælatis, ut parentibus sic extremè indigentibus subveniant: & ratio est, quia præceptum naturale subveniendi parentibus in extrema necessitate prævalet obligationi, quam inducit votum professionis: cum hoc votum ex natura sua imbibat hanc conditionem, nisi alicui præcepto naturæ repugnet ; adeout si aliquis professionem emittens habuerit specialem intentionem se obligandi etiam in extrema necessitate parentum ; utique votum sic emissum nec obligaret: quia numquam eximere se poterit ab illa intrinseca conditione. Confirmatur magis: quia si licitum est Religiosis, etiam invitis superioribus, imò tenentur egredi è Monasterio ad succurrendum proximo extraneo in extrema necessitate constituto, ut si in puteum incidisset, vel ejus domus incendio conflagraret, dum non sit alius, qui opem ferre possit ; & potiori jure licitum, & obligatorium erit succurrere parentibus extremè indigentibus: cum jus naturale magis obliget erga parentes, quam erga extraneos. Sic communiter doctores Cajetanus, Sanchez, Medina, Corduba, Tabiena, Navarrus, Ledesma, Rodriq. Azor. Toletus, quos refert, & sequitur Fagundez *in* 4. *decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 22. Valentia, Sayrus, & alii relati à Bonac. *in* 4. *decal. Præcept. qu. unic. punct.* 5. *nu.* 7. quamvis oppositum videatur docere D. Thom. 2. 2. *qu.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Admonendum tamen, quod filii egredientes jam professi à Religione ob succurrendum parentibus extremè indigentibus ; teneantur necessitate cessante ad Religionem redire: & ratio est, quia votum non tollitur, sed suspenditur usque dum necessitas duret ; quapropter illa cessante urget obligatio redeundi. Tenentur quoque ad ea vota, & obligationes Religionis, quæ compossibiles sunt cum sublevamine parentum, à quibus minimè eximuntur, cum urgeant, si jam compossibiles sint. Tenentur denique habitum Religionis deferre: si tamen semper secluso scandalo meliùs possent illos adjuvare dimisso habitu ; non obligat Navarr. *Comm. 3. de Regul. nu.* 49. & ratio est, quia si naturale jus ipsis concedit majus, nempè egressum è Religione, potiori jure videtur concedere minus, nempe habitum dimittere.

Respondeo 5. si parentes non in extrema, sed in gravi 9 necessitate constituti sint ; filii jam professi in Religione non tenentur, nec possunt licitè è Religione egredi, quando æquè bene in Religione, ac in sæculo illos adjuvare possint: cum prævaleat in æqualitate jus Religionis, quod jam est in possessione: & quoad hoc communis est doctorum sententia. Difficultas tamen sita est in eo : si filii professi meliùs adjuvare possint parentes gravi necessitate laborantes in sæculo, quàm in Religione ; an in tali casu licitè egredi possint, & teneantur nulla petita licentia superiorum, imò ipsis reluctantibus. Tres circa hanc difficultatem habentur sententiæ. 1. docet, teneri filios professos ad exeundum à Religione, petita tamen quamvis non obtenta facultate superiorum, sive necessitas gravis parentum antecesserit ipsam professionem, sive subsecuta fuerit. Sic Anchona *de potest. Papæ qu.* 5. *art.* 1. Henricus de Gandavo *quodlibet* 6. *qu.* 9. Jansenius *in Concord. evang. cap.* 60. Viguerius *lib.* 1. *Inst. mor. cap.* 6. *§.* 7. & Corduba *in Regul. D. Francisci cap.* 2. *qu.* 6. *art.* 2. citantur etiam pro hac sententia Palac. Adrian. & Major: verùm hi loquuntur de necessitate extrema parentum, non de gravi. 2 sententia sustinet, si necessitas gravis parentum antecesserit professionem filiorum teneri hos ad egrediendum à Religione, ut parentes adjuvent ; secus verò si subsecuta fuerit, tunc enim nullam habebunt obligationem egrediendi, sed in ipsa Religione ut poterunt, succurrere tenentur. Sic Toletus *lib.* 5. *summ. cap.* 1. *n.* 5. Navarr. *in Man. cap.* 14. *nu.* 14. Sylvester *verb. Religio* 6. *qu.* 9. Ludovicus Lopez 1. *par. Instr. cap.* 14. Rodriquez *tom.* 2. *summ. cap.* 6. *nu.* 4. & Cucus *lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 126. 3. sententia, quam sequor, putat, in gravi necessitate parentum non teneri filios professos ad egrediendum è Religione, ut illos adjuvent ; petita, & non obtenta facultate superiorum, sive necessitas antecesserit professionem, sive illam subsequatur ; posse tamen, si velint, egredi, sed petita facultate superiorum: ratio est, quia Religiosus per professionem traditur Prælato, ac Religioni, in cujus potestatem transit; sed res semel tradita non potest auferri absque facultate ejus, cui tradita fuerit, nisi in extrema necessitate; ergo in sola extrema parentum auferri potest filius professus à Religione, cui traditus fuit: sic qui tradidit pecuniam Petro, non potest illam ab eo auferre absque ejus facultate, etiam si gravis necessitas urgeat, nisi extrema sit. Confirmatur, quia sicuti filius conjugatus non obligatur ad relinquendum statum suum, ut parentibus succurrat in gravi eorum necessitate, dicente scriptura Genes. 5. *Relinquet homo Patrem, & Matrem ; & adhærebit vir uxori suæ* ; sed intra susceptum statum tenebitur adjuvare, ut poterit. Et sicuti etiam filius Clericus non tenetur Clericatum relinquere, & militiæ se adscribere, ut sic parentes adjuvet in gravi necessitate ; sed in statu suscepto adjuvare tenetur, ut poterit ; sic etiam & filius Professus. Ita Sà *verb. Relig. nu.* 2. Rosella *eod. verb.* 2. *n.* 7. D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. *§.* 1. Armilla *verb. Pietas. n. unic.* Tabiena *eod. verb. in fin.* Corduba *in Summ. qu.* 141. *art.* 2. Angles *in Florib.* 2. *par. qu. unic. art.* 2. *diffic.* 13. Alensis 3. *part. qu.* 33. *memb.* 4. *art.* 1. Bonac. *in* 4. *decal. Præcept. qu. unic. punct.* 5. *nu.* 7. & Fagundez *in* 4. *decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 27. Facultatem hanc egrediendi, si velint filii professi, concedere possunt Generales, & Provinciales, ut docet Navarr. *Comm. 3. de Regul. n.* 49. quam petitam si denegaverint, cum irrationabiliter denegent, habent siquidem justam causam illam concedendi ; poterunt tunc licitè egredi, cum etiam ipsi habeant justam causam exeundi petita, & non obtenta licentia ratione gravitatis, & necessitatis materiæ, quæ est de jure naturæ. Sic Fagund. *l. c.* Sanch. *lib.* 4. *decal. c.* 20. *n.* 22.

Dubitabis 4. an teneantur filii solvere debita Parentum, 10 quando hæc excedunt facultates hæreditatis? Resp. non teneri in foro conscientiæ ad hęc debita solvenda, etiamsi omiserint inventarium conficere: & ratio est, quia hæres non tenetur solvere, nisi ex illis bonis, quæ ex hæreditate suscepit ; ergo si hæreditas non est sufficiens ad illa solvenda, nullam in conscientia inducere potest obligationem. Hæreditas autem illa dicitur, quæ supersit deducto ære alieno ; si ergo ex bonis à parentibus relictis nil supersit deducto ære alieno, nimis clarè constat, filios non habere obligationem ex hæreditate. Quòd si hæreditas sufficiens sit ad debita solvenda patris, affecta tamen est vinculo primogenitorum, in tali casu cum distinctione respondendum est. Si debita contracta fuere à patre ante institutionem primogenituræ, teneri primogenitum in conscientia ad satisfaciendum creditoribus, etiam cum alienatione alicujus partis immobilis ad hæreditatem primogenituræ spectantis: & ratio est, quia non potuit Pater justè agendo eximere bona illa à reali obligatione in grave damnum creditorum, clamat enim jus creditorum contra bona ipsa, quæ afficit. Si tamen debita post institutionem primogenituræ contracta fuere à patre ; teneri primogenitum in conscientia ad debita solvenda ex fructibus annuis ab ipsa hæreditate primogenitorum provenientibus, non verò ad vendenda bona immobilia talem hæreditatem constituentia, ut Creditoribus satisfaciat : & ratio est, quia jus primogeniti non est plenum, & perfectum respectu talium bonorum hæreditatis, cum usum fructum, & administrationem habeat, dum vivit ; ergo ex fructibus, non verò ex bonis obligationem habere potest. Sic Azor. 2. *part. lib.* 2. *c.* 3. *qu.* 12. Molina Jurista *de primog. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 11. Molina Theologus *de Major. Instit. disp.* 640. *num.* 5. Antonius Gomez *ad Leg.* 10. *Tauri n.* 72. & Bonac. *in* 4. *decal. Præcept. qu. unic. punct.* 5. *nu.* 10.

Dubitabis tandem : an filii, qui nil acceperunt ex bonis 11 patris mortui; sicuti etiam uxor, quę nil accepit ex bonis Viri defuncti ; teneantur solvere debita patris, aut Mariti ex propriis bonis, quæ habent ; si ipsis constet, facta fuisse à patre ; aut marito ad illos alendos, & ad cetera necessaria subministranda? Resp. probabiliorem mihi videri sententiam obligantem in conscientia, quam sustinent Bartol. Angelus, Jason. Purpuratus, Cepola, Cremensis, Ludovicus Romanus, Lupus, Barbosa, relati à Fagundez *in* 4. *Præcept. decal. lib.* 4. *capit.* 2. *nu.* 34. *infin.* & cum quibus ipse inclinat, licèt non deneget suam probabilitatem sententiæ deneganti talem obligationem in conscientia, quam defendunt Sanchez, Molina Theologus, Decius, Alciatus, & alii. Moveor 1. quia debita contracta à patre, aut Marito ob domum locandam, vestes, & cibaria emenda, mercedem solvendam famulis &c. conversa fuere in utilitatem, & commodum filiorum, & uxoris ; sed quando res aliena conversa est in utilitatem alicujus, inducit obligationem restitutionis in percipiente commodum, & utilitatem,

etiam

etiam si non immediate acceperit; sed alter qui non est solvendo; ergo filii, & uxor habent obligationem solvendi hęc debita contracta à patre, aut Marito. Minor patet *ex leg. & qui 7. §. Alioq. Cod, Cum eo; & ex leg. His solis ff. de Cond. indeb.* ubi statuitur: Jus repetendi pecuniâ competere solùm contra recipientem, si recipiens est solvendo: nam si non est solvendo, competit etiam contra eos, quibus profecit, modo illi rem habeant ex causa lucrativa non onerosa juxta Gloss. *ibi verb. Proficit.* Cum igitur in casu nostro causa sit lucrativa, lucrati enim sunt filii, & uxor utilitatem, & commoditatem illam alimentorum; ideo tenentur in conscientia ad restitutionem accepti. 2. quia si hæc debita non contracta fuissent à patre, aut Marito; contrahi utique debuissent ab ipsis filiis, & uxore, ne fame perirent; ergo omnis ratio naturalis dictare videtur, quòd istam obligationem subeant filii, & uxor in defectum patris, aut Mariti demortui. 3. denique quia etsi pater non obligetur ad solvendum mutuum à filio familias acceptum, ut liquet *ex toto titul. ff. ad S. C. Maced.* nihilominus si mutuum illud constet conversum fuisse in utilitatem, & commodum patris; tenebitur ad illud solvendum: ut colligitur *ex leg.* Sed Julianus 9. *§. Proinde ff. eod. tit.* ergo à pari si filius aliunde non teneatur ad solvenda debita patris; si tamen constet, in ejus utilitatem, & commodum conversa fuisse, in conscientia obligabitur ad restituendum id, in quo factus est ditior ex re aliena.

CAPUT V.

De ogligatione Parentum erga Filios.

1 *Ex vi hujus Præcepti tenentur Parentes ad tria erga filios, ad alimenta videlicet; bonam educationem, & disciplinam; ad non cogendum eos ad vitæ statum. Explicatur, quid importet obligatio alimentorum.*
2 *Peccant graviter Parentes, si cum possint, filiis alimenta denegent.*
3 *Tenentur Parentes ad alimenta præstanda filiis, etiam si proscripti fuerint.*
4 *Tenentur etiam ad ministranda alimenta filiis excommunicatis.*
5 *Posita impotentia Patris tenetur sub gravi mater ad ministranda alimenta filiis.*
6 *An mater teneatur lactare filios per se ipsam? Et quam obligationem habent Parentes quærendi Nutricem?*
7 *Quodnam peccatum committant Parentes, qui cum possint alere filios sive legitimos, sive illegitimos; eos tamen exponunt in Templis, Hospitalibus, aut aliis locis?*
8 *An teneantur Parentes filias spurias dotare, si nubere velint, vel Monasterium ingredi?*
9 *De obligatione Parentum circa educationem filiorum, ut addiscant necessaria ad salutem æternam.*
10 *De obligatione Parentum erga filios circa Vitæ statum.*

1 EX vi hujus Quarti præcepti decalogi non solùm obligantur filii erga parentes, verùm etiam parentes erga filios; absoluta igitur obligatione filiorum remanet absolvenda obligatio parentum. Ad tria reducitur obligatio parentum erga filios ex vi præcepti hujus, nempe ad Alimenta, bonam disciplinam, & educationem, & ad non cogendum eos ad statum: de singulis sermo erit.

Obligatio alimentorum non solùm importat hic cibaria, verum etiam medicamina, vestes, habitationem, & ea omnia, sine quibus ratione sui status vita humana sustentari nequit: sic *ex Jure Civili leg. Si quis à liberis §. non tantum ff. de Liber. agnosc. & leg. Legatis ff. de Alimen.* & Jure Canonico *Cap. Cum secundum de Præben. & cap. Non liceat eod. tit.* ut docent Panormitanus *in suprad. capit.* Sylvester *verb. alimentum nu.* 1. Navarrus *in Man. cap.* 14. *nu.* 17. & Azor. 2. *Part. lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 2. Accipiuntur patris nomine omnes ascendentes per lineam paternam Avus, Proavus, Atavus: sicuti nomine Matris intelliguntur omnes ascendentes per lineam maternam. Deficientibus ergo Parentibus obligationem hanc alendi filios subeunt ascendentes per lineam paternam, qua deficiente obligantur ascendentes per lineam maternam. Nec distinguendum est inter filios, an legitimi, vel illegitimi sint, spurii, aut non spurii; emancipati, vel non emancipati: cum de Jure naturæ sit obligatio hæc in Parentibus alendi suos filios, quando victum sibi aliunde comparare non possint, quicumque sint. Et quamvis de Jure Civili aliàs habeatur, de Jure tamen Canonico tam Patres, quam Matres obligantur ad alendos filios spurios, ut bene notat Innocent. *in cap. 2. de Regul.* & Panormit. *in cap. Cum haberet de eo, qui duxit in Uxor. eam quam poll.* Sic Sylvest. *verb. Alimenta n. 3.* Navarr. *in Man. cap.* 14. *n. 3.* & Fagundez *in 4. decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 4.

Colligitur 1. ex dictis: graviter peccare parentes, si 2
cum possint, filiis alimenta denegent, maximè si in gravi, aut extrema necessitate sint; & ratio est, quia ad quem spectat vitam Temporalem conferre, spectat etiam & necessaria ad eam vitam tuendam subministrare; si ergo parentes per generationem vitam filiis contulere, jus naturæ obligat illos ad alimenta præstanda vitæ filiorum, sive sint intra paternam potestatem, sive extra. Sic cum communi docent Covarruv. *in Epit. part.* 3. *cap.* 8. *§.* 6. *nu.* 1. Azor. 2. *part. lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 1. & Sylvester *verb. Alimenta nu.* 2. Possunt tamen parentes in pœnam criminis à filiis commissi alimenta moderari circa victum & vestitum ad aliquod tempus, sine tamen gravi eorum damno in corpore, & valetudine, ut sic resipiscant, & errata commissa emendent; quamvis aliquando ex denegatione vestitus Missam audire nequeant, quod quidem per accidens sequitur, & præter intentionem parentum, solùm volentium emendationem in filiis: ratio est, quia sicuti de Jure naturæ tenentur parentes ad bene educandos filios; sic etiam jus habent ab eadem natura juxta tamen Regulas prudentiæ ponere media proportionata ad hunc finem assequendum, sed inter media proportionata ad hunc finem efficaciora sunt victum restringere cum prudentia, ac vestitum denegare; ergo poterunt his mediis uti ad bonam filiorum educationem, esto per accidens missa omittatur. Sic expresè Fagundez *in 4. decal. præcept. lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 2.

Colligitur 2. teneri parentes ad subministranda alimen- 3
ta filio, etiam si à Principe, vel Republica proscriptus fuerit: & ratio est, quia edictum Principis, vel Reipublicæ non potest auferre obligationem indictam à Jure Naturæ, nisi Jus Naturæ ob circumstantias mutatas desinat obligare: ut si esset reus læsæ Majestatis divinæ, aut Humanæ. Sic Pontanus *de Alimen. cap.* 1. Azor. 2. *part. lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 6. & Bonacina *in 4. decal. Præc. quæst. unic. punct.* 6. *§.* 1. *nu.* 2.

Colligitur 3. teneri etiam parentes ad alimenta submi- 4
nistranda filio excommunicato: & ratio est, quia censura non est supra obligationem Juris naturæ. Sic Azor. & Bonacina *locis citatis*, Filliucc. *tract.* 28. *cap.* 2. *qu.* 5. *n.* 29. Quamvis Pontanus, & Panormitanus relati ab Azorio *l. c. nu.* 8. putarint, tunc obligari ad alimenta danda filio excommunicato, quando secus fame periret.

Quamvis obligatio alendi filios ex dispositione Juris 5
incumbat ad patrem, itaut si hic impotens non sit ad alendum filios, non peccet mater alimenta denegando; nihilominus posita impotentia Patris sub gravi tenetur mater filios alere, ut patet *ex leg. Si quis à liberis ff. de Liberis agnosc.* & ratio est, quia in tali casu onus translatum in Patrem ex dispositione Juris transfertur in Matrem, ne filii fame pereant. Sic Molina *tom.* 1. *disp.* 168. Pontanus *de Aliment. cap.* 8. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 6. Azor. 2. *Part. lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 3. & alii cum Bonacina *in 4. decal. Præcept. quæst. unic. punct.* 6. *§.* 1. *num.* 3. Adnotandum hic: Matrem teneri sub gravi ad lactandum filium per triennium, si tamen lacte non careat, vel justam causam non habeat non lactandi illum: ut patet *ex leg. Nec filium Cod. de Patr. Potest.* & Jus ipsum naturæ hoc dictare videtur. Quòd si tamen ipsa per totum Triennium non possit commodè lac subministrare filio, spectat ad Patrem consulere de lacte subministrando. Sic Doctores supra cit. cætera alimenta præter lac tenetur Pater subministrare, ita ut quæ ad ipsum spectant, poterit mater in utroque foro exposcere à Patre juxta legem citatam. Sic iidem Doctores.

Quæres 1. an mater teneatur per se ipsam lactare fi- 6
lios? Et quamnam obligationem habeant parentes quærendi Nutricem? Resp. non peccare graviter matrem, etiamsi commodè possit, si filium per se ipsam non lacte, dummodo filius non patiatur de lacte: & ratio est, quia obligatio juris naturæ est ad lactandum filium sine ejus detrimento; si ergo bene provisum est filio de lactæ, nil contra talem obligationem efficitur; ut testantur Navarrus, Azor. Sayrus, Reginaldus, Filliuccius, Layman relati à Bonacina *in 4. decal. Præcept. quæst. unic. punct.* 6. *§.* 1. *num.* 4. Quamvis nonnulli putent cum Navarro *in Man. cap.* 14. *nu.* 17. venialiter peccare Matrem, si absque ulla causa filium propriis

ube-

uberibus non lactet, cum aliqua causa tamen neque venialiter. Tenentur nihilominus parentes sub gravi ad quærendam bonam nutricem, sic enim exigere videtur jus naturæ, cum grave damnum inde oriri possit filio, ad quod vitandum graviter obligantur parentes. Sic Doctores supracitati cum Bonacina.

7 Quæres 2. quodnam peccatum committant parentes, qui cum possint alere filios sive legitimos, sive illegitimos, eos tamen exponunt in Templis, vel Hospitalibus, aut in biviis, vel aliis locis publicis, aut privatis? Resp. peccatum lethale committere, nisi justam causam habeant sic exponendi: & ratio est, quia sic filios deserere est contra naturalem, & paternam pietatem; & aliunde jus filii exigit, ne innocens derelinquatur, & ne cum suo probro, & contumelia in Hospitali alatur. Sic docent Navarrus *in Man. cap.* 14. *numer.* 17. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 30. Covarruvias 1. *par. cap.* 8. §. 6. *nu.* 9. Sylvester *verb. Adulterium quæst.* 5. & Toletus *lib.* 5. *cap.* 1, *num.* 11. Si tamen justa causa habeatur, ut esset valde grave periculum vitæ, aut infamiæ, vel alia gravis necessitas; non peccarent parentes sic exponendo filium: eo quia quod ex justa, & rationabili causa fit, prudenter fit, adeoque adscribi culpæ non poterit. Tenentur tamen in conscientia, si habeant, unde possint restituere expensas factas ab Hospitali in alendo filio juxtà eorum respectivam obligationem: eo quia jus Hospitalis resarciendum est in damno, quod patitur ex subministratione alimentorum. Nec favet dicere: Hospitalia ad hunc finem erecta fuisse, sive ex bonis publicis, sive ex privatis; consequenter nil fieri contra eorum jus sic exponendo filium Parentum divitum. Contra enim est, quia finis Hospitalium ex sua primaria institutione est gratis alere filios pauperum, ac impotentium alimenta subministrare; quapropter qui possunt alimenta præbere, & nihilominus filios exponunt cum animo non resarciendi damna, & expensas factas ab Hospitali; injustè agunt, graviter peccant, & tenentur ad restitutionem. Sic Tabiena, Sylvester, Azor. Sayrus, Reginaldus, Layman, Lessius, Vasquez, & Molina, quos refert, & sequitur Bonacina *in* 4. *decal. Præcept. quæst. unic. punct.* 6. §. 1. *nu.* 6. Addit Fagundez *lib.* 4. *in* 4. *decal. Præcept. cap.* 1. *num.* 5. quòd si ex rationabili, & justa causa restitutio fieri nequeat Hospitali; pauperibus facienda sit, aut in pia opera expendenda juxta communem doctrinam in materia Restitutionis passim traditam.

8 Quæres 3. an teneantur parentes filias spurias dotare, si nubere velint, vel Monasterium ingredi? Resp. affirmativè cum communi sententia, quam docent Bartolus, Baldus, Abbas, Barbosa, Alexander, Petrus Surdus, Azor. quos refert, & sequitur Fagundez *in* 4. *decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 6. & ratio est, quia dos succedit alimentis; ergo si parentes tenentur ad filias spurias alendas, tenentur ad dotem subministrandam, si nubere velint, aut Monasterium ingredi. Valet siquidem arguere ab alimentis ad dotem, cum utrobique militet par ratio: nam si jus naturæ cogit parentes ad alimenta danda filiabus spuriis, idem videtur cogere illos ad consulendum de statu ipsarum. Non nego, sententiam oppositam esse satis probabilem, putat enim non teneri in conscientia parentes ad hanc dotem subministrandam filiabus spuriis, sed esse illis liberum, quamvis teneantur ad alimenta: nec valere argumentationem ab alimentis ad dotem, cum larga sit disparitas; onus enim alimentorum non est totum simul, sed de die in diem, aut per mensem ad summum per annum; onus verò dotis est totum simul, adeoque major est obligatio dotis præ obligatione alimentorum. Sic Panormitanus *in cap. Pervenit. de Arbitr. num.* 1. Vasquez *de succession. creat. lib.* 2. §. 20. *num.* 314. & Molina Theologus *tom.* 1. *de Just. disp.* 224. *numer.* 22. Nihilominus non recedendum est à prima sententia communiori, & magis deducta in praxim, & majori Doctorum suffragio suffulta; adeout doceant, posse cogi parentes ad dotem hanc subministrandam non solùm in foro interno, verùm etiam externo. Dos autem tradenda sufficit, quòd sit competens: ut verò talis sit, habenda est ratio ad alimenta, ad dignitatem contrahentium, & ad facultatem Patris. Sic Cardin. Tuscus *tom.* 2. *concl.* 733. aliis relatis. Hinc deducitur: posse patrem uni filiæ spuriæ majorem dotem assignare præ alia filia spuria, ob dignitatem mariti, & aliarum circumstantiarum; nisi in contrarium Lex aliqua, aut statutum habeatur. Sic Bonacina *in* 4. *decal. Præcept. quæst. unic. punct.* 6. §. 2. *num.* 3. *in fin.* qui si hoc asserit de filiabus legitimis, à fortiori docere videtur de spuriis.

9 Obligatio parentum erga filios quoad bonam disciplinam, & educationem, quæ sunt alimenta animæ; est etiam de Jure Naturæ: cum Jus naturæ, & Pietas ipsa dictare videatur hanc parentum obligationem: & ut bene notat Toletus *lib.* 5. *sum. cap* 1. *n.* 2. omnia decalogi præcepta sive in prima, sive in secunda Tabula contenta fundantur in Justitia, & Jure naturæ. Et si D. Paulus ad Corinth. 1. *cap.* 5. infidelem, imò infideli deteriorem putat eum, qui suorum, maximè domesticorum, curam non habet, quanto magis parentes, qui spiritualem curam filiorum non habent.

Colligitur 1. ex hac doctrina: graviter peccare Parentes contra suam obligationem, si quantum in se est, diligenter non curent, ut filii necessaria ad salutem æternam addiscant; ut mandata Dei, & Ecclesiæ Præcepta servent; ut ab omni peccato saltem mortali fugiant. Sic Azor. 2. *part. lib.* 2. *cap.* 4. *qu.* 17. Reginaldus *lib.* 20. *n.* 41. Filliuc. *tract.* 28. *cap.* 2. *qu.* 1. *nu.* 24. & Bonac. *in* 4. *decal. Præcept. qu. unic. punct.* 6. §. 1. *nu.* 2.

Colligitur 2. graviter peccare parentes, si à filiis non auferant occasiones peccandi mortaliter; aut si filiabus permittant impudicos habere amatores; aut illas acriter non reprehendant, si illicitis utantur ornamentis ad animos juvenum illaqueandos; si sinant, turpem vitam degere; & si desponsatæ sint, permittant tactus impudicos, & inhonestos habere cum suis sponsis propter periculum incontinentiæ, & voluntariæ pollutionis. Sic D. Thomas 2. 2. *qu.* 154. *art.* 4. Sanchez *tom.* 3. *de Matr. lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 52. Navarr. *in Man. cap.* 14. *n.* 16. & Cajet. 2. 2. *qu.* 114. *art.* 4. An autem absque peccato permittere possint oscula, & amplexus animo fovendi matrimonium, & amorem conjugalem, non verò luxuriæ causa? Affirmant Sanch. Cajet. & Navarr. locis citatis, & Sà *verb. Luxuria §. oscula*; cùm sint actus magis remoti à copula, & pollutione; & sicuti Matrimonium honestat copulam, sic sponsalia honestant oscula, & amplexus. Admonendum tamen, ut magna cum cautela adhibeantur, & in propatulo secundùm morem patrium, est enim ex se res valde periculosa.

Colligitur 3. teneri parentes ad faciendos sumptus necessarios, ut filii studiis incumbant, & sic melius in bona educatione proficiant: eam tamen obligationem habent quoad sumptus faciendos, quam Parentes paris conditionis in eadem patria habere consueverunt. Sic ex Azorio, & Reginaldo docet Bonac. *in* 4. *decal. Præcept. quæst. unic. punct.* 6. §. 1. *nu.* 2.

Colligitur 4. graviter peccare parentes filios depravantes malo exemplo, & consiliis pravis; aut ubi necessariæ sint ad filiorum dissolutam vitam emendandam castigatio, & objurgatio, eis non utantur. Non nego tamen, quòd sit habenda moderatio in verberibus infligendis: potest siquidem parens mortaliter peccare, si propter ejus immoderata verbera notabilem patiatur læsionem in corpore filius. Sic Sotus *lib.* 5. *qu.* 2. *art.* 1. Sylvester *verb. Percussio*, & Reginald. *lib.* 20. *nu.* 41.

10 Obligatio denique parentum erga filios quoad vitæ statum suscipiendum est, non cogere eos ad hunc potiùs statum, quàm illum; sed liberum eis relinquere, quem eligere velint: cum in hoc filii sint sui Juris, adeoque parentes coarctantes voluntatem in statu Vitæ eligendo contra jus filiorum faciunt.

Hinc infertur 1. peccare parentes graviter, si filios, aut filias invitas minis, vi, fraude, vel dolo ad Matrimonium cogant, vel ad Religionis ingressum. Imò Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* anathemate ferit omnes, & singulas personas, adeoque parentes, si fœminas puellas, vel viduas compellant ad ingressum Religionis, vel habitus susceptionem, aut emissionem professionis. Non comprehendit tamen hæc excommunicatio compellentes viros ad ingrediendum Religionem: cum pœna restringenda sit, & lex pœnalis strictè interpretanda, ut notavit Navarr. *in Man. cap.* 14. *n.* 17. Licitum verò erit parentibus consiliis, & præmiis suadere filiis Matrimonium, aut ingressum Religionis: sic enim non cogunt. Ita Navarr. *l. c.* Toletus *lib.* 5. *sum. cap.* 1. & Fagundez *in* 4. *decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 20.

Infertur 2. graviter etiam peccare parentes, si filios, vel filias habentes votum simplex Castitatis compellant suasionibus, & præmiis ad matrimonium ineundum: Sic Communis Doctorum sententia cum Navarro supra cit. Solùm controversia est non levis momenti: an liceat parentibus suadere filio habenti Votum Castitatis, sed

in

in concubinatu viventi, aut ita carnis molestiis agitato, ut se continere nequeat, & passim cadat; ut Matrimonium ineat, imò illud ei præcipere, ut minùs peccet? Et quamvis affirmativè respondeant Angelus *verb. Matr. 3. impedimento 5. in fin.* Veracrux 1. *Pær. Specul. art. 15. dub. ult.* & Matienzo *lib. 1. Recopil. tit. 1. gloss. 1. nu. 152.* afferentes pro hac opinione *Cap. Nervi, dist. 13. desumptum ex* D. Gregorio; insuper D. Epiphanium *lib. 2. contra hereses hæres. 61.* D. Ambrosium *lib. 1. de Abraham. cap. 6.* D. Augustinum *lib. quæst. in Genesim cap. 42.* & Div. Thomam *in Genesim cap. 19.* cum videantur hi Sancti Patres locis allegatis docere, quòd minus malum consulendum sit, ut majus vitetur. Nihilominus negativè respondendum est cum Sylvestro *verb. Matrimonium 7. quæst. 5. dict. 9.* Summa Astensi 2. *Part. lib. 8. tit. 10. art. unic. quæst. 10.* Hostiensi *in Sum. tit. de Voto, §. Quot sunt species, nu.* Gregorio Lopez *Leg. 2. tit. 8. par. 1.* Sanchez *lib. 7. Matrim. disp. 1. num. 29.* & ratio est, quia ut licita sit suasio Minoris mali præ majore duo requiruntur: ut jam sit quis determinatus, & resolutivè elegerit, ac statuerit majus malum perpetrare; & quòd nullo alio remedio possit retrahi à majoris mali commissione, nisi per propositionem minoris mali; sed in casu posito nec filius se determinavit, ac resolutivè elegit concubinatum, nec desunt alia remedia præter Matrimonium ad retrahendum filium à concubinatu, cum possit Religionem ingredi, ut Votum Castitatis servet; vel Dispensationem petere, quæ exposito incontinentiæ periculo de facili obtinetur; ergo peccabunt Parentes suadendo Matrimonium filio habenti Votum Castitatis, ut illum à concubinatu retrahant: sic enim esset suadere malum simpliciter, non verò minus malum. Et in hoc sensu explicato loquuntur Sancti Patres adducti pro prima sententia, cum nunquam licita esse possit consultatio, & suasio minoris mali, nisi habeatur determinatio ad majus malum, & ejus resolutiva electio; nec aliud sit remedium vitandi majus malum, nisi propositio minoris mali. Sic Sanchez, Sotus, Molina, Salon, & Vega relati à Fagundez *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. cap. 1. nu. 16.* In casu ergo, quo filius nollet à concubinatu desistere, & ita rebus venereis deditus sit, ut non possit ab illis abstrahi nisi per Matrimonium; & aliunde non velit Religionem ingredi, nec dispensationem Voti Castitatis, quo obstrictus est, petere; tunc poterunt absque peccato Parentes ei Matrimonium consulere, ac suadere; haberentur siquidem omnia requisita, ut licitè suaderi possit. Sic habet expressè Sanchez *lib. 7. de Matrim disp. 1. num. 29.*

CAPUT VI.

De Obligatione Mariti erga Uxorem, & Uxoris erga Maritum.

1 *Tenetur Maritus Uxorem diligere internè, & externè eo animo, ut Christus dilexit Ecclesiam.*
2 *Tenetur eam honorare actibus internis, & externis, ut Sociam, & Coadiutricem suam.*
3 *Tenetur ad obedientiam præstandam Uxori in iis, in quibus ei subest.*
4 *Tenetur sub gravi ad cohabitandum cum Uxore, si non adsit legitima causa.*
5 *Tenetur denique ad alimenta subministranda uxori?*
6 *An Maritus teneatur potiùs subvenire Uxori extremè indigenti; an verò Parentibus, aut filiis?*
7 *Graviter peccat Maritus verba infamatoria, aut injurias proferens contra Uxorem; aut eam immoderatè verberans; vel eam impediens ab observatione Præceptorum Dei, & Ecclesiæ.*
8 *Uxor tenetur ad amorem, honorem, & obedientiam Marito in eis, in quibus subest; & graviter peccat, si illum provocet ad iracundiam, & blasphemias, aut sibi usurpet jus administrandi rem familiarem, aut gubernationem domus.*

1 POST obligationem Parentum erga filios, & filiorum erga Parentes tractari solet à Theologis Moralibus de obligatione Conjugum inter se; nec non de obligatione fratrum, & Sororum; ac de obligatione Servorum, & Dominorum: nos eorum vestigia insequentes de his obligationibus per distincta Capita agemus.

Tenetur 1. Maritus diligere Uxorem non solùm actibus externis, verum etiam internis affectu sincero, non concubinario, vel adulterino, ut concubinus concubinam, aut adulter adulteram; sed ut Christus dilexit Ecclesiam juxta D. Paulum *ad Ephes. 5.* ratio autem talis dilectionis est, quia si Maritus tenetur se ipsum; & proximum diligere; cum Uxor sit valde proxima Marito, imò sint duo in carne una, ut patet Matth. 19. tenebitur ad eam diligendam. Sic communiter Doctores.

Tenetur 2. ad honorem præstandum Uxori tum actibus internis. tum etiam externis signis, ac verbis: & ratio est, quia Uxor non est Serva; sed Socia, & coadjutrix Mariti, adeoque non sine mysterio Eva efformata fuit à Deo è latere Adami, non verò è capite, aut pedibus; ergo illi non denegandus est honor, saltem qui præstandus est æquali ab æquali propter suam excellentiam. Sic Bonacina *in 4. Decal Præcep. quæst. unic. punct. 7. num. 1.* 2

Tenetur 3. ad obedientiam præstandam Uxori in iis, in quibus Uxori subest, patet ratio ex mutua obligatione conjugum ad reddendum debitum petenti, ad quod tenentur juxta communem Sententiam. 3

Tenetur 4. ad cohabitandum cum Uxore, si non adsit legitima causa; nolle enim cum ea cohabitare, grave peccatum est, si multo tempore fiat, cum sit contra jus naturale, & Divinum: nam si obligatio ad debitum reddendum de Jure naturali, & Divino est; etiam & talis erit obligatio cohabitandi, cum non sit minor præ obligatione reddendi debitum. Sic Sanchez *lib. 9. Matr. disp. 4. nu. 2.* & colligitur *ex Cap. 1. & 2. de Conjug. Leprosor.* ubi Alexander III. hanc obligationem cohabitandi probat *ex illo Genes. 2. erunt duo in carne una; & ex illo Matth. 5. Omnis qui dimiserit Uxorem suam &c.* Dixi, si non adsit legitima causa, nam ea interveniente non erit mortale non cohabitare cum Uxore, etiam ad longum tempus: ut si Maritus ob Mercaturam, quam exercet; vel ob alia utilia negotia domui suæ, vel ob exilium cogatur ad non cohabitandum. Sic Navarrus *in Man. cap. 14. num. 19.* Toletus *lib. 5. Sum. cap. 2.* & Fagundez *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. cap. 7. num. 5.* Obligatio autem ista cohabitandi non intelligitur tantùm de commorando simul in eadem domo, sed etiam accumbendi in eadem mensa, & recumbendi in eodem toro: hoc siquidem videtur exigere perfecta conjugum unio ad mutuum amorem inter se fovendum; & hoc importare videtur natura ipsius contractus Matrimonialis, & Status conjugalis. Sic Sanchez *l. c. num. 4.* Permittitur tamen conjugibus justa causa intercedente, & ex mutuo consensu separari quoad torum, saltem ad aliquod tempus, si periculum incontinentiæ non habeatur. Causa verò hoc faciendi ex mutuo consensu esse potest amor continentiæ servandæ, aut melius, & expeditius vacandi Deo, & rebus spiritualibus. Constat expressè hæc sententia *ex verbis D. Pauli 1. ad Corinth. 7. Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Nec de facili Ecclesiasticus Judex permittere debebit hanc tori separationem, si conjuges juvenes sint, cùm periculum incontinentiæ facilius sit in ipsis: ut optimè docent Abbas *Cap. 1. de Conjug. leprof. num. 7.* & Sanchez *l. c. num. 5.* 4

Tenetur 5. ad alimenta subministranda uxori, si eam alere possit, & si uxor propria culpa non discesserit à Mariti convictu; adeoque peccabit graviter talia alimenta denegans: & ratio est, quia obligatio Patris ad alendum filium est æqualis conditionis cum obligatione mariti ad uxorem alendam; erga si pater sub gravi tenetur ad alimenta danda filio, & pariter maritus sub gravi tenebitur ad alimenta danda uxori. Sic Surdus *de Aliment. tit 1. quæst. 32.* multa Jura allegans, & Bonacina *in 4. Decal. Præcep. quæst. unic. pun. 7. n. 3.* Advertendum hìc, quòd licèt Maritus teneatur in conscientia Uxorem alere, si ob Mariti sævitiem à convictu recesserit; cum non sit æquum, quod reportet maritus commodum ex suo delicto. Non tenetur tamen ad alimenta præstanda, si propria sua culpa Uxor discesserit: cum non debeat recipere, quod ei oportet, qui non facit quod debet, *juxta Leg. Julius, ff. de act. empt.* cum igitur Uxor ob suam culpam non fecerit Marito quantum debuerat; non poterit ab illo alimenta recipere. Extendunt hanc doctrinam Sanchez, Surdus, & Bonacina citati, etiam si Maritus dotem receperit: & ratio est, quia Uxor non solùm tenetur ad dotem tradendam Viro, verùm etiam ad standum sub obsequio Viri. 5

Sed inquires: an etiam à Marito alenda sit, quando culpa utriusque discedit à convictu? Resp. si ultima culpa, ob quam à Marito recedit, refunditur ad ipsum; utique tenebitur ad alimenta: ut si post discessum tentet uxor regressum ad Maritum, & Maritus nolit eam admittere; tunc tenebitur ad alimenta, quia ultima culpa refunditur ad illum, & ipsi imputatur. Secus verò dicendum, si Maritus paratus sit ad recipiendam Uxo-

rem, & ipsa regredi nolit; ultima culpa Uxori imputabitur, & Maritus non tenebitur ad alimenta, Sic Sanchez *lib.9. Matr. disp.4. n.24.* & Bonac. *in 4. Decal. Præcep. n.5.*

6 An teneatur Maritus potiùs subvenire Uxori extremè indigenti, an verò Patri, aut filiis extremè etiam indigentibus, cum non possit omnibus subvenire; magna est controversia. Nam aliqui cum Henriquez *lib.11. de Matr. cap.18. nu.1.* putarunt, teneri potiùs in extrema necessitate subvenire uxori, quam Patri, aut filiis; ea ratione moti, quia Maritus, & uxor sunt una caro, & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ. Sed communior sententia oppositum docet cum Valentia, Aragonio, Bannez, Sanchez, Toleto, Lopez, & Surdo, quos refert, & sequitur Bonac. *in 4. Decal. Præcep. quæst. unic. pun.7. n.10.* & Fagundez *in idem Decal. Præcep. lib.4. c.7. n.1.* citans D. Thomam 2. 2. *qu.26. art.11.* qui allegata Scripturę loca explicant quoad cohabitationem, domesticam administrationem, & actus coniugales; non verò quoad alimenta in extrema necessitate subministranda; & ratio est, quia juxta ductum naturæ rationalis obligatio erga Parentes, qui sunt principium, à quo esse accipitur; major est præ obligatione erga uxorem, cum major sit conjunctio cum ipsis quoad esse absolutè, quàm cum uxore. Insuper major est conjunctio quoad propriam substantiam cum filiis, quàm cum uxore; sunt enim filii pars substantiæ, & viscerum parentum; uxor tamen non est pars substantiæ Viri; ergo tenebitur potiùs Maritus ex jure naturali subvenire patri, aut filiis extremè indigentibus, quàm Uxori; si aliunde non possit omnibus subvenire.

7 Ex obligationibus hucusque dictis, ac declaratis infertur 1. graviter peccare maritum verba infamatoria, ac injuriosas proferentem contra uxorem, etiamsi ex animo non infamandi proferat; si tamen sufficiens advertentia habeatur: & ratio est, quia sic Maritus facit contra suam obligationem amandi, & honorandi uxorem: non enim dicitur quis alterum amare, & honorare; si eum verbis infamatoriis, ac injuriis afficiat. Non nego tamen, quòd possit aliquando licitè, sed cum discretione, & moderatè verbum aliquod injuriosum proferre in uxorem correctionis, aut emendationis gratia, dummodo uxor non patiatur infamiæ notam, aut periculum illam incurrendi; & ratio est, quia licitum est marito uti mediis necessariis ad fructum emendationis habendum in uxore, quæ aliunde injustè damnum non patiatur. Sic Navarrus *in Summ. cap. 14. nu. 19.* Toletus *in Sum. lib. 5. cap. 2.* Rodriquez *1. par. cap. 15. nu. 5.* Reginaldus *lib.20. num. 47.* & Sayrus *lib. 7. cap. 7. num. 9.*

Infertur 2. graviter peccare maritum verberantem uxorem immoderatè, etiamsi gravis causa adsit: & ratio est, quia tenetur uxorem diligere, & curam ejus habere: nec spectat ad ipsum gravis verberatio, sed ad Judicem; cujus est juridicè punire, & condignam delicto pœnam imponere. Permittitur tamen Marito ex gravi causa verberare uxorem moderatè, & cum discretione animo corrigendi uxorem, & ut emendetur; si spes emendationis habeatur; in quo semper attendenda erit conditio uxoris, & si admonitio absque fructu præcesserit: ut colligitur *ex Leg. Rei judicatæ, ff. Solut. Matr.*: sic Sotus 5. *de just. quæst. 2.* Salonius 2. 2. *quæst.65. art.2.* Reginaldus *lib.20. n.47.* Sylvester *verb. Uxor. quæst.3.* Navarrus *in Sum. cap. 14. num. 19.* & Sanchez *lib.10. de Matr. disp. 18. num. 16.*

Infertur 3. Maritum peccare absque legitima causa impedientem uxorem ab observatione Præceptorum Dei, & Ecclesiæ, ut si velet, ne missam audiat, ne jejunet, ne confiteatur, aut communicet in Paschate: & ratio est, quia sic non diligeret uxorem, ut tenetur: non enim quis alterum diligit, imò odio habet si eum impedit ab observatione Divinorum Mandatorum, & Ecclesiæ. Si tamen opera hæc essent ex devotione, & non ex præcepto debita, ut audire plures missas die festivo, interesse concioni, frequentare Ecclesias, sæpius communicare, & confiteri, missam die profesto audire, & similia; illa impedire uxori sine causa, veniale erit; quòd si cum causa impediat, nec veniale erit: & ratio est, quia non infertur notabilis injuria illi, nec grave damnum. Sic Toletus *in Sum. lib. 5. cap. 2.* & Bonacina *in 4. Decal. Præcept. quæst. unic. pun. 7. nu. 2.* referens Rodriquez, Reginaldum, Sayrum, & Filliuccium.

8 Obligatio verò Uxoris erga Maritum importat etiam amorem, honorem, & obedientiam in iis, in quibus marito subest: est enim maritus caput uxoris, ejusque Superior, adeoque uxor amorem, honorem, & obedientiam capiti debitam denegare non poterit. Et si maritus ad hæc tenetur erga uxorem, potiori jure tenebitur uxor ad ea erga maritum. Sic Toletus *lib.5. Sum. cap.2.* Sayrus *lib. 7. cap. 7. nu. 10.* Navarrus *in Sum. cap. 14. nu. 20.* & Reginaldus *lib.20. num. 44.* cum aliis.

Ex hac obligatione deducitur 1, graviter peccare uxorem, si verbis, rixis, aut similibus modis maritum provocet ad iracundiam, & blasphemias: & ratio est, quia sic nec debitum amorem, nec reverentiam debitam marito servat in re gravi. Sic Navarrus *l.c.* & Reginaldus *l.c. num. 145.*

Deducitur 2. uxorem usurpantem sibi jus administrandę rei familiaris, & domus gubernationis; & notabiliter impedientem viro gubernationem familiæ, & ea, quæ ad bonos mores spectant; graviter peccare: quia potestatem alienam sibi arrogat, nec obedit viro in eis, in quibus subjecta est ipsi. Sic Doctores supracitati.

Deducitur 3. Uxorem nolentem sequi Maritum, quando pergit ad alium locum, & non habet motiva sufficientia ad illum non sequendum; graviter peccare: cum teneatur ad cohabitationem cum viro, illique subesse. Sic Navarrus, Reginaldus, Toletus, Rodriquez, & Sanchez quos refert, & sequitur Bonacina *in 4. Decal. Præcept. quæst. unic. punct. 7. num. 12.*

Deducitur 4. Uxorem divitem denegantem alimenta marito ad inopiam redacto graviter peccare: eo quia ex amore, quem Viro præstare debet, teneatur ad ferendos casus fortuitos ipsius Viri, ut constat *ex Leg. Si cum dotem, §. si Maritus, ff. Solut. Matr.* & expressè docent Surdus *de Alim. tit. 1. quæst. 35.* Pontanus *de Alimen. cap. 14.* & Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 4. num. 27.*

CAPUT VII.

De Obligatione Fratrum, & Sororum inter se.

1 *Non solùm Charitas, sed justitia, & quædam naturalis Pietas obligat fratres, & Sorores ad sibi subministranda alimenta in extrema necessitate.*
2 *An frater dives teneatur alere, & dotare Sororem pauperem.*
3 *Quid dicendum, si Soror sit tantum ex patre, non verò ex matre;*
4 *Quid si sit tantùm uterina, & non ex eodem Patre?*
5 *An frater Uterinus teneatur dotare Sororem uterinam ex ea portione, quam insumere debebat in alendo eam?*
6 *An frater dives teneatur dotare Sororem debitè à Patre exhæredatam.*
7 *An saltem teneatur eam pauperem alere?*
8 *An frater Clericus beneficiarius teneatur ex fructibus beneficii sororem pauperem alere?*
9 *An teneatur ad eam dotandam ex eisdem fructibus?*

1 NON solùm Charitas, sed etiam quædam naturalis Pietas obligant fratres, & Sorores inter se ad subministranda alimenta in extrema indigentia: & ratio est, quia si habetur obligatio subveniendi exteris extremè indigentibus, potiori jure habebitur talis obligatio ad subveniendum fratribus, aut Sororibus sic indigentibus. Tenentur pariter fratres, aut Sorores divites alimenta præstare fratribus, aut Sororibus redactis ad inopiam, & non habentibus bona, quibus convenienter ad statum suum vitam vivere possint. Quæ quidem obligatio subministrandi alimenta proportionata ad honestè vivendum pro suo genere vitæ non solùm urget pro foro interno, sed etiam externo; adeout frater egenus implorare possit facultatem Judicis ad levamen habendum à fratre, vel Sorore divite. Sic Azor. *par. 2. lib. 2. cap. 40. quæst. 1.* & Fagundez *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. cap. 16. n. 1.* cum aliis.

2 Quæres 1. an frater dives teneatur alere, & dotare Sororem pauperem utrinque natam, hoc est ab eodem patre, & matre fratris? Resp. teneri non solùm in foro conscientiæ, sed etiam exteriori: & ratio est, quia inter fratrem, & Sororem ab eodem patre, & matre natam strictissimum datur vinculum, & arctissima consuetudo, ratione quorum sunt communia jura nominis, agnitionis, ac familiæ; ergo ex ipsis resultare debet obligatio alendi, & dotandi Sororem pauperem utrinque natam. Favet etiam *Lex Cum plures, §. Cum tutor. ff. de administr. Tutor. & Lex Non omnis, ff. eod. tit.* Est communis sententia, quam sustinent Barbosa, Afflictis, Menochius, Bartolus, Ripa, Molina, Lara, Garzia, quos refert, & sequitur Fagundez *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. cap. 16. num. 2.*

3 Quæres 2. an idem dicendum de Sorore consanguinea, hoc est ab eodem patre, sed non eadem matre nata? Resp. affirmativè: cum eadem sit obligatio fratris divitis alendi, & dotandi Sororem pauperem utrinque

natam

natam, ac consanguineam: militant enim eædem rationes utrobique, maximè quia soror consanguinea succedit ab intestato fratri consanguineo. Adnotandum tamen, quòd hæc obligatio in fratribus divitibus alendi, & dotandi competenter ad genus suum sorores utrinque natas, aut consanguineas consurgit in defectu ascendentium, silicet Avorum, aut Proavorum, quibus primariò incumbit, si possint. Quòd autem supposito defectu ascendentium ex justitia teneantur fratres divites alere, & dotare supradictas Sorores apertè colligitur *ex cit. Leg. Cum plures ibi enim, §. final.* habetur: sed non dabit dotem Sorori ex alio patre natæ, etiamsi ea aliter nubere non possit: nam si id faciat, & si honestè faciat, ex liberalitate tamen facit, non ex justitia. Ex quibus verbis apparet, quòd licèt non obligetur frater dives ad dotandam Sororem uterinam, seu ab eadem matre, sed non ab eodem patre natam ex justitia; obligabitur tamen ex Justitia ad dotandam Sororem pauperem tum utrinque natam, tum consanguineam. Sic Bartolus, Barbosa, Fulgosius, Menochius, Jason, Molina Theologus, quos refert, & sequitur Fagundez *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. cap. 16. num. 3.*

4 Quæres 3. an frater dives teneatur alere, ac dotare Sororem uterinam pauperem, natam videlicet ab eadem matre, sed non eodem Patre? Resp. teneri ex justitia ad alendum tantùm, non verò ad dotandum: & ratio est, quia vinculum hoc non est adeo strictum, ac vinculum Sororis utrinque natæ, aut consanguineæ; ergo licèt importet ex Justitia obligationem alendi, non importabit tamen obligationem dotandi: maximè quia non omnia jura, quæ competunt Sororibus utrinque natis, aut consanguineis; competunt Sororibus uterinis: ut videre est penes Juristas, *& ex Lex Cum plures superiùs citata* apertè excluuit Sorores uterinas ab obligatione ex Justitia dotandi, quam habent fratres. Tunc verò frater habebit obligationem ex Justitia alendi, & dotandi simul Uxorem uterinam, quando hæres est bonorum matris, & ratio est, quia per hæreditatem à matre habitam transfunditur obligatio in fratrem, quæ in matre reperiebatur; sed hęc non solùm tenebatur ad alendam, verumetiam ad dotandam competenter ad genus suum filiam; ergo eamdem obligationem habebit filius hæres. Sic Barbosa *tom. 1. 4. par. Leg. 1. ff. Solut. Matr. nu. 127.* Bartolus *Leg. Cum plures 13. ff. de admin. Tutor. §. fin.* Gregorius Lopez *Leg. 16. par. 6.* Azor. 2. *Par. lib. 2. cap. 40. §. Quæres*, Molina *tom. 1. de Just. disp. 159. §. Nihilominus*, & alii.

5 Quæres 4. an saltem frater Uterinus teneatur dotare Sororem uterinam assignando portionem, quam plus minusve insumpturus erat in alendo eam? Resp. quamvis Gregorius Lopez, Molina Jurista, Tiraquellus, & alii putent, in hoc casu teneri fratrem uterinum divitem ad dotandam Sororem pauperem non absolutè, sed pro ratione alimentorum debitorum, etiam si matris hæres non sit. Probabilius nihilominus est non teneri; ratio est, quia ut superiùs notavimus, non valet arguere ab obligatione alimentorum ad dotis obligationem: cum hæc tota simul erogari debeat, illa vero erogantur paulatim; & majus onus est solvere debitum totum simul, quàm per partes cum tempore. *Et Lex Cum plures*, toties citata apertè eximit fratres uterinos à tali onere dotandi Sorores; quamvis si dotent, ut liberales, & honestos commendet, cum aliàs non habeant obligationem ex Justitia. Sic expressè Barbosa *4. par. Leg. 1. ff. solut. Matr. tom. 1. nu. 126.* Fagundez *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. c. 16. n. 7.* & alii penes ipsos.

6 Quæres 5. an teneatur frater dives dotare sororem utrinque natam, vel consanguineam pauperem, si ritè ac debitè fuerit à Patre exhæredata? Resp. negativè: & ratio est, quia si pater ob injuriam sibi à filia irrogatam eximitur ab onere illam dotandi; à fortiori eximetur frater: maxime cum injuria facta Parentibus reputetur facta filiis, imò toti familiæ: ut constat *ex Leg. Cornelia, ff. de Injuriis.* Sic Barbosa *l. c. nu. 135.* & Fagundez *l. c. nu. 16.* Neque dicas: Jus Canonicum correxisse Jus Civile in eo, quòd possent Patres familias filios, & filias exhæredare. Respondetur enim, illud correxisse in favorem Matrimonii, quando scilicet filii contra patris, vel matris voluntatem nupserint defuncto patre; non verò in aliis casibus.

7 Quæres 6. an saltem teneatur frater dives alere Sororem pauperem ritè exhæredatam à patre? Resp. teneri ad alimenta præcisè necessaria ad vitæ sustentationem: & ratio est, quia ad hoc tenetur pater, ergo si filius succedit in onere Patri; tenebitur etiam ipse ad hæc alimenta. Sic Azor. 2. *par. lib. 2. cap. 40. quæst. 4.* & Pontanus *Tract. de Alimen. cap. 10. nu. 1.* Non nego tamen, quòd si frater dederit Sorori portionem aliquam ratione alimentorum, quam ipsa sua culpa dissipaverit; non teneatur amplius ad alimenta, nisi ad ea, quæ aliunde subministrare teneretur cuicunque proximo extremè indigenti. Sic Salicetus, Lara, Barbosa, & alii cum Fagundez eos referente *in 4. Decal. Præcep. lib. 4. cap. 16. num. 22.* & ratio ipsorum est, quia jam alimenta convenientia ei assignata fuere; ergo si culpa Sororis pereunt, ipsi pereunt: nec majorem obligationem haberet pater, in cujus defectum filius sufficitur.

8 Quæres 7. an frater Clericus beneficiarius teneatur ex fructibus beneficii Sororem pauperem competenter alere? Resp. teneri in utroque foro, imò in externo cogi posse ad alimenta præstanda Sorori pauperi convenienter ad Statum suum ex redditibus, & fructibus beneficii: ratio autem est, quia si fructus beneficii in usus pauperum expendi debent, & lex ordinatæ Charitatis in æquali necessitate potius impellit ad consanguineos, quàm ad extrancos; evidenter colligitur talis obligatio in Clerico beneficiario erga sororem pauperem. Sic Gloss. *in Cap. Omnino, dist. 31.* Abbas *in Cap. Pervenit de Arbitris*; *Angelus verb. Clericus, quæst. 13. nu. 11.* Sylvester *eod. verb. quæst. 15.* & Azor. 2. *Par. lib. 2. cap. 40. quæst. 5.* Neque dicas: *in cap. Pervenit 1. quæst. 6.* haberi: quòd gravius peccatum sit dare aliquid ex bonis Ecclesiasticis consanguineis, quàm extraneis. Respondetur enim, ibi sermonem esse de beneficiariis, aut Episcopis dantibus aliquid ex bonis Ecclesiasticis consanguineis divitibus ad eos magis ditandos, quàm alendos; non verò ad eos sustentandos, si revera pauperes sint: cum ipsum naturæ Jus, & ordinatæ Charitatis dictet, præferendos esse consanguineos extraneis, cum æquali necessitate premuntur.

9 Quæres 8. an etiam teneatur ad eam dotandam ex eisdem fructibus? Resp. non teneri nec in foro conscientiæ, nec externo; posse tamen id efficere tuta conscientia, si velit: ratio autem quòd non teneatur in utroque foro, est quia hæc dos daretur titulo eleemosynæ, cum hoc solo titulo dotare possint ex fructibus beneficii in defectu bonorum patrimonialium fratres Clerici Sorores suas pauperes; sed nemo cogi potest ad eleemosynam, cum excepto casu extremæ necessitatis relinquitur arbitrio, & electioni personæ facientis illam, ut docet D. Thomas *quodlibet. 8. art. 13.* ergo nec in foro interno, nec externo cogi potest ad dotandum. Quòd autem possit tuta conscientia dotare, si velit, etiam non apposito pacto, quòd soluto matrimonio dos redeat ad Ecclesiam, de cujus fructibus facta est; probatur ex eo, quia liberum est Clericis dotare, aut hæredes instituere quoscumque alios pauperes de fructibus è suis beneficiis perceptis absque appositione talis pacti; ergo multo magis id præstare poterunt sororibus pauperibus, cum non debeant esse deterioris conditionis præ cęteris pauperibus. Sic Vasquez *de Succes. lib. 2. §. 20. n. 314.* & Fagundez *in Decal. Præcep. lib. 4. cap. 17. num. 2.*

CAPUT VIII.

De Obligatione Dominorum, & Servorum.

1 *Tenentur Domini, & Superiores ex vi Præcepti hujus non solùm ex Charitate, sed etiam ex Justitia curam habere salutis Spiritualis suorũ Servorum, & Subditorum.*
2 *Graviter peccant Domini notabiliter negligentes, ne assuescant Servi vivere pravè non observando Mandata Dei, & Præcepta Ecclesiæ.*
3 *Graviter peccant Domini permittentes servis occasionem peccandi, aut eos non corrigentes in publicis peccatis.*
4 *Graviter peccant Domini denegãtes alimenta suis Servis.*
5 *Graviter peccant Domini impedientes Matrimonia suorum Servorum.*
6 *Graviter peccant Domini gravibus injuriis suos servos afficientes, vocando eos canes, diabolos, abesque fide, non solùm contra Charitatem, sed etiam contra proprium Officium.*
7 *Tenentur Servi, & Subditi ad amorem, reverentiam, & obedientiam suis Dominis, & Superioribus.*
8 *Tenentur Servi ad ea præstanda non solùm Dominis probis, sed etiam Discolis.*
9 *Tenentur Servi, & subditi ad alimenta ministranda suis Dominis, & Superioribus in necessitate constitutis.*
10 *Tenentur sub gravi servi non solùm ad non inferendum damnum grave Dominis suis, sed etiam ad impediendum illud, ne patiantur ab aliis.*
11 *Quinam veniant nomine Servorum?*

1 TENENTUR Superiores, & Domini ex vi hujus 5. Præcepti Decalogi ex Charitate, curam habere salutis Spiritualis suorum Servorum, & subditorum: & ratio est, quia sunt eorum caput, & vices gerunt Parentum; insuper si cura spiritualis habenda est ex Charitate de Proximis, à fortiori habenda erit de Servis, & subditis; & sicuti servi tenentur ex Justitia suis Dominis inservire, sic etiam isti tenebuntur ex eadem Justitia servis alimenta præbere: & quia inter alimenta locum præcipuum habent spiritualia, ideo tenebuntur ad alimenta spiritualia danda suis subditis, & servis. Quapropter graviter peccabunt Superiores, & Domini notabiliter negligentes salutem spiritualem suorum Domesticorum: ut clarè constat ex Div. Paulo 1. *ad Thimoth.* 5. *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior*. Sic Doctores communiter.

2 Ex tradita doctrina infertur 1. Dominos notabiliter negligentes, ne servi assuescant vivere pravè, pejerando, & Dei, ac Ecclesiæ præcepta contemnendo; nec eos admoneant, si Missam diebus festivis non audiant, si Sacramenta suis temporibus non suscipiant &c. graviter peccare contra obligationem superiùs explicatam præcipuè ex Justitia. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 14. *nu.* 21. Bonacina *in* 4. *Decal. Præcep. quæst. unic. punct.* 8. *numer.* 2. & Fagundez *in* 4. *Decal. Præcep. lib.* 4. *cap.* 14. *numer.* 1.

3 Infertur 2. graviter peccare Dominos permittentes Servis occasionem peccandi, aut non corrigentes eos in peccatis publicis: nam tenentur eos è domo ejicere, si neque admonitionibus, neque justa punitione resipiscant, dummodo profutura sit ejectio; si enim è domo ejecti deteriores evasuri essent, ut ex probabilibus conjecturis argui posset; utique non tenebuntur ad ejectionem; & ratio est eadem, ac de fraterna correctione, ad quam non obligamur, ubi nullus speratur ejus fructus. Sic Navarrus *in Man. capit.* 14. *numer.* 21. quem sequuntur communiter Doctores alii. Ex quo etiam sequitur, non teneri Dominos, aut Parentes compellere servos, aut filios ad jejunandum; si eis constet, nec sic jejunaturos, sed clam comparaturos sibi cibos ad manducandum: cum nulla possit esse obligatio ad opus inutile. Sic ex Soto tradit Bonacina *in* 4. *Decal. Præcep. quæst. unic. punct.* 8. *num.* 2.

4 Infertur 3. Dominos denegantes alimenta Servis graviter peccare: cum sit dignus Operarius cibo suo. An autem peccent contra Justitiam, si Servos ægrotos ad Hospitale transmittant, quando infirmæ sunt valetudinis; & an teneantur resarcire Hospitali expensas factas in Servis curandis? Breviter dico: nec peccaturos contra Justitiam eos transmittendo, cum non se obligarint ad expensas faciendas tempore infirmæ valetudinis, nec contra Charitatem, ad quam tenentur Domini erga Servos, cum sit alius, qui succurrat juxta ea, quæ passim dicuntur de Charitate. Nec teneri ad restitutionem faciendam Hospitali, cum non lædatur à Dominis. Sic Azor. 2. *par. lib.* 2. *cap.* 39. *quæst.* 3. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 60. & Bonacina *in* 4. *Decal. Præcep. quæst. unic. punct.* 8. *num.* 7.

5 Infertur 4. graviter peccare Dominos, si Matrimonia impediant suorum Servorum, maximè si isti in concubinatu reperiantur; quamvis non teneantur præbere consensum, & facultatem contrahendi ipsis petentibus: ratio colligitur *ex Capit.* 1. *de Conjug. Servor. & ex Gloss. ibi*, nam dicitur: Nec inter servos Matrimonia ullatenus prohiberi, & si contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Ex quibus verbis duo colliguntur. 1. quòd prohiberi non debeant Matrimonia inter servos à Dominis nec verbis asperis, nec minis; sunt etenim in matrimoniis contrahendis servi sui juris, adeoque injustè à Dominis impediuntur; & Ecclesia contra impedientes, & prohibentes meritò eos defendit: & multò minùs possunt Domini servos punire ob Matrimonium contractum, ut docent Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disput.* 21. *nu.* 6. Bartholomeus Ledesma *de Matr. dub.* 31. *concl.* 4. Petrus Ledesma *de Matr. quæst.* 52. *art.* 2. & Fagundez *in* 4. *Decal. Præcept. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. 2. quod colligitur est, non teneri Dominos dare consensum servis petentibus illum, quamvis Matrimonium consensu denegato à Dominis, ac ipsis invitis validum sit, nec dissolvi possit: & ratio est, quia talis obligatio præbendi consensum ex nullo capite colligi potest, maximè quia eo denegato jam matrimonium tenet. Sic Div. Thomas *in* 4. *dist.* 36. *quæst. unic. artic.* 2. *Corp.* Sanchez *l. c. num.* 3. Navarrus *in Man. cap.* 14. *nu.* 21. & Fagundez *l. c. num.* 3.

Sed petes hic: an sit licitum Domino, qui conscius est Matrimonii contrahendi à servo; illum vendere, aut aliò mittere, ut postea vendatur: esset enim sic matrimonium impedire? Resp. cum distinctione, vel hoc fit à Domino contractis jam Sponsalibus, vel antequam contrahantur. Si jam contracta sunt Sponsalia, non erit licitum Domino servum vendere, aut aliò vendendum mittere; esset enim manifestè matrimonium impedire, quod prohibetur *in cap.* 1. *de Conjug. Servor.* nam per promissionem, & fidem datam à Servo Mulieri de Matrimonio, Mulier acquisivit jus ad Matrimonium cum servo, etiam si Dominus servi invitus fuerit; ergo non poterit Dominus Servi jus acquisitum à Muliere impedire. Si verò sponsalia nondum contracta fuerint, quamvis de eis tractatio habeatur; poterit Dominus licitè servum vendere, aut aliò mittere, ut vendatur: & ratio est, quia non est acquisitum jus tertio, adeoque Dominus liberè utitur facultate, quam habet vendendi quocumque modo servum, cum ei non interdicatur talis potestas; nec esset directè Matrimonium impedire, aut in fraudem matrimonii hoc efficere, cum jure suo utatur. Sic doctissimè Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disput.* 18. *numer.* 29. & Fagundez *in* 4. *Decal. Præcep. lib.* 4. *capit.* 14. *numer.* 6. & 7.

6 Infertur 5. Dominos, qui servos afficiunt gravibus injuriis; graviter peccare non solùm contra Charitatem proximo debitam, sed etiam contra proprium Officium de speciali cura Servorum, deficerent enim in re gravi à suo Munere. Sic Bonacina *in* 4. *Decal. Præcep. quæst. unic. punct.* 8. *num.* 6.

7 Explicata est hucusque obligatio Dominorum in Servos, ac subditos; remanet modo explicanda obligatio servorum in suos Dominos. Tenentur ergo 1. subditi ac servi amorem, reverentiam, ac obedientiam præstare suis Dominis, & Superioribus: & ratio est, quia cum Domini, & Superiores vices gerant Parentum; & amor, reverentia, & obedientia præstanda sint Parentibus, & illis, qui vices illorum gerunt; inde est, quòd etiam præstanda sint Dominis, & Superioribus. Sic communiter Doctores.

Hinc infertur: graviter peccare Christianos non obedientes Summo Pontifici in rebus gravibus, & justis; Diœcesanos non obedientes suo Prælato; & Parochianos suo Parocho, quando gravia, & justa decernunt in iis, in quibus Superioritatem habent. Et eodem modo peccant subditi, & Vassalli non obedientes suis Regibus & Principibus justa decernentibus in rebus sæcularibus, in quibus jurisdictionem habent; vel illos contemnunt, aut honorem debitum denegant: violatio namque ista legum, & Præceptorum justè latorum, ac honoris debiti sive coram illis, sive clam fiat; est magnus contemptus reverentiæ, & obedientiæ Superioribus debitæ: ut docent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 105. *art.* 1. Navarrus *in Sum. cap.* 19. *nu.* 22. & alii, qui hanc sententiam probant ex D. Paulo *ad Hebræos* 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ad Ephes.* 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Ad Titum* 3. *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Et ex D. Petro 1. *cap.* 2. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas Dei.*

8 Tenentur 2. servi honorem, & reverentiam, ac obedientiam præstare non tantùm Dominis probis, verùm etiam improbis: ut apertè dicit D. Petrus 1. *capit.* 2. *Servi subditi estote Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam Dyscolis.* Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 2. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 7. *nu.* 12. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 65. & Bonacina *in Decal. disp.* 6. *quæst. unic. punct.* 8. *num.* 14.

9 Tenentur 3. Servi, & subditi subministrare necessaria ad victum suis Dominis, ac Superioribus in necessitate constitutis: cum amor, ad quem tenentur erga suos Dominos, & Superiores, non debeat esse internus tantùm, verùm etiam externus, quo eorum necessitati subveniatur & si Charitas hoc præscribit erga proximos in necessitate constitutos, multo magis hoc præscribet erga Dominos, & Superiores. Sic Bonac. alios referens. Extra necessitatem tenentur Populi suos Reges alere, eisque tribu-

tributa ordinaria, ac etiam extraordinaria ſolvere ad eorum ſuſtentationem, & Regni defenſionem neceſſaria; ſicuti viciſſim tenentur Reges ex vi hujus contractus Populos ſuos defendere, ac in pace, & juſtitia eos gubernare, ac maritimam oram tutam reddere à latronibus juxta cujuslibet Regni Statuta; aliàs ſi notabiliter in hoc defecerint, tenebuntur ad reſtitutionem: ut docet Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *in corp. & ad* 3. Navarrus, Gregorius Lopez, Affictus, & alii, quos refert, & ſequitur Fagundez *in* 4. *Decal. Præcep. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 5. Tenentur inſuper Populi in ſupervenientibus Regni neceſſitatibus ob bonum publicum, & ejus defenſionem ad nova tributa ſolvenda; quamvis Reges antequam ſimilia tributa imponant, debeant populis manifeſtare urgentem neceſſitatem, ac exhauſta eſſe æraria Regia, nec ordinarios redditus ſufficientes eſſe ad reparandum malum jam imminens; inſuper adempta eſſe à donatariis bona Regiæ Coronæ illis donata: his poſitis poterunt Reges ob publicum totius Regni bonum nova tributa imponere, & populi tenebuntur ad illa ſolvenda: cum omnis recta ratio ſic expoſcere videatur. Sic docent Navarrus *in Man. cap.* 25. *nu.* 6. Sotus *lib.* 3. *de Juſtit. quæſt.* 5. *art.* 1. Ledeſma *quæſt.* 18. *art.* 3. Afflictus, Rolandus, Oſtrius, & alii Juriſtæ, quos refert, & ſequitur Fagundez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 5.

Tenentur 4. Servi ſub mortali non ſolùm non inferre grave damnum Dominis ſuis; ſed etiam impedire, ne grave damnum patiantur Domini, cum ad hæc ex ſpeciali titulo Servitutis obligentur: ut ex Sayro, Navarro, Reginaldo, & Azorio docet Bonacina *in* 4. *Decal. Præcep. diſp.* 6. *quæſt. unic. punct.* 8. *num.* 14. 10

Quæres: quinam veniant nomine Servorum? Reſp. quamvis largè nomine Servi veniant etiam famuli; revera tamen, & ſtrictè differunt inter ſe famuli, & ſervi: nam ſervi ſunt illi, qui non ſunt ſui juris, & communiter emuntur à Dominis, à quibus vendi poſſunt. Famuli verò dicuntur illi, qui locant ſe ipſos ad tempus ad inſerviendum Dominis pro mercede, & ſtipendio. Differunt quoque famuli ab Operariis, quia Operarii locant operas ſuas ad certum genus operis conventione facta de mercede, & ſtipendio. Sic Azor. 2. *par. lib.* 2. *cap.* 39. *quæſt.* 1. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 17. & Filliuccius *tract.* 28. *cap.* 3. 11

QUINTUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non occides.

MATERIA, circa quam verſatur hoc Quintum Præceptum Decalogi; eſt homicidium, crimen adeò deteſtabile, ut contra ipſum clament Ductum Naturæ, Diſciplina Morum, Leges tum Civiles, tum Canonicæ, & quod præcipuum eſt Dei Mandatum. De Homicidio igitur nobis ſermo erit.

QUÆSTIO XVII.

DE HOMICIDIO.

PROHIBETUR per hoc Preceptum non ſolùm hominis occiſio, ſed etiam mutilatio, verberatio, & omnis alia ſimilis afflictio injurioſa; nec non damna, quæ ex eis ſequuntur, quapropter de ipſis diſtinctè pertractandum erit.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Homicidium, Quotuplex, & Quale Peccatum.

1 *Definitur homicidium: injuſta, & illicita hominis occiſio.*
2 *Dividitur homicidium in id, quod fit Authoritate publica, & quod fit authoritate privata.*
3 *Graviſſimum peccatum eſt homicidium, & declaratur ejus gravitas.*

1 HOMICIDIUM definiri ſolet ab aliquibus: Occiſio hominis ab alio homine facta: verùm hæc deſcriptio potiùs, quàm definitio reſpicit magis vim nominis, & ejus ethymologiam, quàm eſſentiam, adeoque ſic rectè definiri ſolet à Theologis: eſt injuſta, & illicita hominis occiſio. Ad homicidium ergo Jure humano, & Divino prohibitum requiritur, quòd fiat injuſtè, & illicitè, ut patet ex difinitione allata: quapropter homicidium definitum complectitur tum factum privata authoritate non ſervato debito moderamine inculpatæ tutelæ, tum factum authoritate publica non ſervata juſtitia debita, & ordine Juris: cum utrumque homicidium & injuſtè, & illicitè fiat. Sic communiter Doctores.

2 Præcipua homicidii diviſio eſt in id, quod fit authoritate publica; & in id, quod fit authoritate privata, quæ propriè ſpectat ad noſtrum Inſtitutum: nam cæteræ diviſiones homicidii parùm utiles ſunt ad noſtram tractationem: ſic ſunt homicidium ſpirituale, quo quis detractione aliquem injuſtè privat fama; homicidium, quo quis ſuum proximum odio habet; homicidium, quo quis alteri ſuadet, ut proximo ſuo noceat; homicidium, quo quis proximo ſuo extremè indigenti alimenta negat, & ſimiles homicidii Diviſiones, quæ, ut dixi, ſunt alterius conſiderationis.

Homicidium jam definitum inter graviſſima peccata connumerari, nemini unquam dubium fuit: eo quia damnum infert irreparabile, & maximum affert nocumentum inter ea, quæ homini afferri poſſunt; quapropter inter Decalogi Præcepta prius apponitur, Non occides, poſtea ſubjungitur, Non furtum facies, Non mœchaberis; cum homicidium majus nocumentum afferat, quàm furtum, & adulterium: & ratio eſt, quia majus eſt illud nocumentum, quod infertur corpori præ eo, quod infertur rebus externis hominis, & bonis illius: ut rectè advertit Soncinus *Conſil.* 157. *num.* 8. *lib.* 2. & majus eſt damnum illud, quod ſemel illatum reparari nequit præ eo, quod reparari poteſt. Colligitur quoque gravitas peccati homicidii ex gravitate pœnę regulariter ſtatutæ in Jure contra committentes illud, quæ cum ſit pœna mortis; meritò reputatur graviſſima. Sic in Jure Civili habetur *in Leg.* 3. *§. patiatur, Cod. de Epiſc. aud. Homicida, Parricidaque quod fecit, ſemper expectet, & in Leg. Cornelia, ff. de public. prædict. Homicidas ultore ferro eſſe perſequendo; & in Leg. penul. §. qui alias perſonas, ff. de Parricid.* Idem ſtatuitur in Jure Divino *Geneſ.* 9. ubi habetur: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis illius. Levit.* 24. *Qui percuſſerit, & occiderit hominem, morte moriatur,* & paulò poſt ſubjungitur: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, ab altari meo evellas, ut moriatur. Matth.* 23. *Omnis, qui gladio percuſſerit, gladio peribit, & Apocal.* 13. *Qui in gladio occiderit, oportet gladio occidi.* Sic communis omnium Doctorum Sententia cum Julio Claro, Covarruvia, Antonio Gomez, Farinacio, Alberto, Rolando, Decio, quos refert, & ſequitur Fagundez *in* 5. *Decal. Præcep. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. 3

CAPUT II.

An licitum sit Malefactores occidere?

1 *Licitum est Malefactores occidere publica Authoritate; & solvuntur objecta in contrarium.*
2 *Licitum est hominibus privatis interficere proscriptos per sententiam publicam capitis.*
3 *Licitum est Proscriptis proscriptos occidere ob præmium, vel libertatem promissam.*
4 *Illicitum est marito uxorem in adulterio deprehensam occidere, & Patri filiam in adulterio deprehensam, nisi ipsi tradantur occidendæ per sententiam publicam.*
5 *An licitum sit filio occidere Patrem publicè proscriptum?*
6 *An licitum sit Principi, vel Magistratui ante sententiam ritè prolatam dare facultatem occidendi Malefactores?*
7 *Extra causam necessariæ defensionis numquam est licitum, malefactores authoritate privata occidere.*
8 *Non est licitum Clericis malefactores occidere nec privata, nec publica authoritate.*
9 *Quinam Clerici comprehendantur in prohibitione non immiscendi se in causa sanguinis?*
10 *An Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possint constituere Judices sæculares ad sententiam proferendam in causa sanguinis?*

1 DICENDUM 1. licitum esse occidere malefactores publica authoritate: ratio est, quia sic exposcit commune bonum, ut homines à criminibus retrahantur; maximè tamen quia *Exod.* 22. *dicitur: Maleficos non patieris vivere, & ad Roman.* 13. loquens D. Paulus de Potestate ait: *Vis autem non timere Potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim Minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris time; non enim sine causa gladium portat: Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 2. Aragonius, Molina, Medina, Covarruvias, Turrianus, Valentia, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. propter Homicid. quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 2. *nu.* 1. Nec dicas cum Scoto *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. per quintum Decalogi Præceptum, Non occides, simpliciter prohiberi omnem hominis occisionem, adeoque etiam factam authoritate publica. Nam communi suffragio respondetur, prohiberi hoc Præcepto omnem injustam, & illicitam hominis occisionem; non verò justam, & licitam, qualis est illa, quæ publica authoritate fit servato ordine Juris, & servato pariter Jure innocentis: sic enim docet Praxis universi Orbis Christiani.

2 Hinc fit 1. licitum esse homini privato interficere proscriptos, contra quos lata est sententia capitis: & ratio est, quia ad eos occidendos datur publica authoritas, & justè quidem, cum hoc ad Rempublicam defendendam, & ut delinquentes retrahantur ab excessibus, necessarium sit: nec privatus agit privata authoritate, sed publica, & ut publicus Minister Justitię. Sic Sylvester *verb. Assassinus quæst.* 3. Azor. 3. *par. lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 3. Toletus *lib.* 1. *cap.* 73. & alii apud Menochium *lib.* 1. *de Arbitr. quæst.* 92. *num.* 4. Cavendum tamen, ne id fiat odio, aut privatæ vindictæ studio, cum fieri debeat zelo Justitiæ. Si tamen non lata fuerit sententia capitis, vel si ea lata proscriptus sit extra ditionem ejus, qui sententiam tulit; tunc licitum non erit proscriptum occidere, cum fiat injuria Principi, in cujus ditione reperitur; qui si assentitur expresè, tacitè, aut præsumptè, tunc illicitum non erit occidere, cum nulla fiat injuria. Sic Sylvester, Sà, Azor. Filliuccius, & Julius Clarus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. propter homic. quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 2. *num.* 2.

3 Fit 2. licitum esse proscriptis occidere proscriptos propter præmium à Principe statutum, vel ob libertatem promissam: & ratio est, quia hoc faciunt authoritate publica, & aliquando ita expedit ob commune bonum. Quapropter extendunt hoc etiam, si fiat ab ipsis proditoriè, & per insidias, non ob vindictam privatam, sed ob zelum boni communis, Azor. Julius Clarus, Decianus, & alii apud Riccium *verb. Praxis Clericor. Decis.* 487. Quamvis hic modus non approbetur Soto, & meritò ob periculum damnationis æternæ, cui exponitur proscriptus, si in eo statu proditoriè, & per insidias occidatur.

4 Fit 3. quamvis illicitum sit Marito occidere propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam juxta Propositionem 19. inter damnatas ab Alexandro VII. sicuti etiam illicitum est Patri propria authoritate filiam occidere in adulterio deprehensam, quidquid in contrarium permiserint Leges Civiles à Jure Canonico correctæ; nihilominus si post sententiam juridicè prolatam ipsis tradantur occidendæ; utique non peccabunt; quia non privata authoritate, sed publica, & ut Ministri Justitiæ id peragent. Hinc adnotandum: quòd licèt impunè occidant Pater, aut Maritus adulterum deprehensum in adulterio cum filia, aut uxore ante sententiam à Judice prolatam; nihilominus illicitè operantur, & mortaliter peccant: cum sit contra jus naturæ occidere aliquem ante sententiam, & inaudita parte. Sic Sotus *lib.* 5. *quæst.* 1. *artic.* 3. Bannez *quæst.* 64. *artic.* 3. *ad* 3. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *punct.* 3. & Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 16.

5 Quæres 1. an licitum sit filio occidere Patrem publicè proscriptum? Resp. Bartolum, Gomez, & alios apud Julium Clarum, §. *Homicidium*, *versic. Sed hic quæram* putasse, id licitum esse filio: quia non privata, sed publica authoritate occidit; insuper si id licitum est aliis ob sententiam latam proscriptionis; licitum quoque erit filio. Verùm sequor oppositam sententiam asserentem, id illicitum esse filiò: nam facultas concessa aliis, non videtur concessa filio, pugnat enim cum Charitate, & Pietate debitis à filio Patri: maximè quia publicè proscripti non videntur Patriæ hostes, dum arma non capiunt in communem Patriæ destructionem: ut cum Azorio, Angelo, Decio, Covarruvia, & Julio Claro dixi *in Quæst.* 16. *cap.* 3. *num.* 6. *in fine* contra Bartolum.

6 Quæres 2. an licitum sit Principi, vel Magistratui antè sententiam ritè prolatam occidere, vel facultatem tribuere occidendi malefactores? Resp. illicitum esse, & graviter peccare regulariter loquendo, si jubeant reos occidi non citatos, vel non auditos, aut non damnatos, etiamsi privata scientia constet ipsis, esse revera nocentes: & ratio est, quia ex jure naturæ constat, quòd actus publicus fieri debeat ex scientia, & authoritate publica; nec sententia mortis proferenda est inaudita parte, cum hoc repugnet Juri naturæ: ut rectè docent Cajetanus *verb. Homicidium*; Filliuccius *tract.* 29. *c.* 2. *qu.* 6. *n.* 27. & Bonacina *de Restit. propter homicid. disp.* 2. *quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 2. *num.* 7. Notanter dictum est, regulariter loquendo, quia in aliquibus casibus id licitum est Principi Supremo, aut ejus vicesgerenti; dum sic exposcat recta ratio, & bonum commune; & crimen sit notorium, ac sub pœna mortis prohibitum. Idem permittitur Ducibus belli præcipientibus occisionem ob quædam commissa crimina in exercitu, vel arcibus, quæ aliunde prohibita sint pœna mortis, cum id bonum commune exigere videatur; & ne pernicioſa licentia vagetur crimen inter milites. Sic Filliuccius, & Bonacina *locis citatis*.

7 Dicendum 2. extra causam necessariæ defensionis numquam esse licitum privata authoritate malefactores occidere: & ratio est, quia hoc solum permittitur Potestati publicæ, ut dictum est hucusque; & aliunde urget quintum Decalogi Præceptum de non occidendo injustè, & illicitè homines; & occisio privata authoritate facta malefactoris extra necessariam defensionem, & illicita, & injusta est, ut omnes Doctores habent. Hinc à fortiori infertur, non esse licitum homini privato suum legitimum Principem, qui sit Tyrannus solo regimine, & administratione, occidere: cum hoc definitum sit in Concilio Constantiensi *sess.* 15. & ratio est, quia Tyrannus ob regimen, & administrationem non amittit, quòd sit verus Superior, & pastor; sed non licet subdito suum Superiorem interficere, nec ovi suum Pastorem; imò tenentur ad obedientiam, & reverentiam illi præstandam, etiamsi malus sit. Nec insuper licet illum occidere, etiamsi injustè privet bonis: & ratio est, quia non videntur esse tantæ considerationis, ut ad illa defendenda tribuatur facultas Superiorem occidendi. Sic Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 6. Aragonius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 2. *ad* 1. Sayrus *lib.* 7. *capit.* 10. *numer.* 3. Bannez 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 3. Salonius *ibidem* Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 8. *punct.* 3. & alii communiter, ut testatur Suarez *in Tract. de Fidei Defens. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. Cavendum quoque

que est, ne prætextu usurpatæ Tyrannidis absque titulo; & invasionis Regni licitum sibi faciant privatæ Personę Superiorem occidere; cùm hoc gravissimum malum sit, & magna causa malorum.

8 Dicendum 3. Clericis non esse licitum malefactores occidere neque privata, neque publica authoritate: nam ex Jure humano ipsis interdicitur immiscere se in causa sanguinis: ut constat *ex cap. Sententiam. Ne Cleric. vel Monach.* ratio autem istius prohibitionis deducitur ex eo, quòd Clerici deputati sint ad inserviendum Altari, in quo Christus Agnus mitissimus immolatur, nec repercussit cum percuteretur; nec comminatus est, cum pateretur; adeoque indecens erit, Clericos tanto Ministerio deputatos immiscere se in causa sanguinis. Videatur Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 4. Molina *tom.* 4. *tract.* 63. *disp.* 8. Turrianus *disput.* 26. *dubit.* 2. & alii Doctores passim. An autem prohibitio hæc facta Clericis sit etiam de Jure Naturæ, & Divino, quando malefactor meretur talem pœnam? Videtur quod non: secus in veteri Lege non permissum fuisset Sacerdotibus immiscere se in causa sanguinis, uti permissum fuit Moysi *Exod.* 22. & Samueli 1. *Regum*. Nec posset Summus Pontifex dispensare cum Clericis quibusdam, quibus committit proferre sententiam in causa sanguinis absque peccato, & irregularitate: ut advertit Molina *disp.* 8. *numer.* 2. Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *artic.* 4. & Covarruvias *ad Clement. Si furiosus de Homicid.* 2. *part.* §. 5. *num.* 1. & cum ipsis alii Doctores.

9 Dubitabis 1. Quinam Clerici comprehendantur in prohibitione dicta, ne se immisceant in causa sanguinis? Resp. non solùm comprehendi Clericos in Sacris constitutos, verùm etiam habentes Ordines Minores, & prima tonsura tantùm initiatos: & ratio est, quia omnes isti sunt revera Clerici, & deputati Ministerio Altaris; & sicuti omnes isti gaudent privilegio Fori, & Canonis; ita omnes removeri debent ab immiscendo se in causa sanguinis. Non nego tamen, quòd aliquod discrimen inter ipsos admittendum sit in hoc, quòd si proferrent sententiam in causa sanguinis non petita facultate à Summo Pontifice Clerici sacris initiati, graviter peccarent, cum respectu status illorum gravis irreverentia, & indecentia reputaretur illam proferre; Clerici verò in minoribus constituti venialiter tantùm peccarent; cum indecentia ipsorum non esset adeo gravis, eo quia possent ad Statum laicalem redire. Sic Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 4. Molina *disp.* 8. *num.* 12. Filliuccius *tract.* 29. *cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 7. & Bonacina *de Rest. propter homicid. disp.* 2. *quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 4. *num.* 3.

10 Dubitabis 2. An Prælati Ecclesiastici habentes temporalem jurisdictionem, vel ratione dignitatis, quam possident; aut ratione bonorum Patrimonialium sibi debitorum; possint absque facultate Pontificis, vel alicujus Privilegii constituere sæculares Judices ad proferendam sententiam in causa sanguinis? Resp. affirmativè: & ratio est, quia nulla in hoc extat prohibitio, cum solummodo ipsis prohibeatur, ne per seipsos exerceant, vel cooperentur ad exequendam sententiam sanguinis; nec in hoc ulla indecentia apparet, si videlicet non per se ipsos, sed per Judices à se constitutos causam sanguinis agant; imò possunt Judicibus præcipere non solùm in generali, sed etiam in particulari, ut justitiam faciant secundùm munus suum. Sic. Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 4. *ad* 3. Molina *disp.* 8. *nu.* 2. & Bonacina alios referens *l. c. num.* 4.

CAPUT III.

An privata authoritate licitum sit aliquem occidere ob propriam defensionem?

1 *Cuique licitum est in omni loco occidere injustum invasorem vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ.*
2 *Valet doctrina, etiamsi aggressus causam dederit aggrediendi, dummodo aggrediens injustè aggrediatur.*
3 *Cum moderamine inculpatæ tutelæ licitè occidi poterunt furiosus, amens, ebrius, noctambulus.*
4 *Licitum est Vassalis contra Principem, subditis contra Superiorem, filiis contra Patrem, & servis contra Dominos injustè aggredientes se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.*
5 *Locum habet moderamen inculpatæ tutelæ contra satellites, & Ministros Justitiæ injustam vim inferentes.*
6 *Qui injustè aggreditur in principio, si decursu aggressionis manifestet aggresso, se velle desistere ab aggressione, & nolit aggressus; uti poterit moderamine inculpatæ tutelæ.*
7 *An injustè aggressus ita teneatur, se justè defendere; ut peccet graviter contra propriam Charitatem, si à justa defensione desistat.*
8 *An licitum sit prævenire paratum ad aggrediendum injustè vitam nostram?*

COMMUNIS Sententia inter Theologos, & Juris-1 perítos docet: licitum esse cuique, sive laicus sit; sive Clericus, sive Religiosus, injustum invasorem occidere ob defensionem vitæ propriæ, & integritatis suorum membrorum in quocumque loco, & tempore, etiam in Ecclesia, & quando celebrantur Divina Officia; dummodo occisio fiat cum moderamine inculpatę tutelæ, & vim vi repellendo, quibus ritè servatis secundum conditiones, quas explicabimus, per tale homicidium justum, & licitum nulla irregularitas incurritur, aut excommunicatio, etiamsi occisus Clericus sit, vel Monachus; imò impunitum remanebit in foro externo, semel ac probata fuerit justa defensio. Apertè constat hæc sententia *ex Cap. Si verò de Sent. Excom.* ubi Alexander III. sic ait: *Si verò Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat, vel lædat; non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si incontinenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges, omniaque Jura permittant*. Sic etiam habetur *in Cap. Significasti* 2. *de Homicid.* ut docent Hostiensis, Abbas, Ancharranus, Butrius, Zabarella, AntoniusGomez, & Julius Clarus. Sic etiam Leges Civiles, ut patet *ex Leg. Ut vim, ff. de Justit. & Jur. & ex Leg. Scientiam, §. qui cum aliter, ff. ad Leg. Aquil.* ut habent Hippolytus, Bartolus, & Farinacius. Sic denique Theologi catervatim cum Suarez, Soto, Lessio, Molina, Majore, Armilla, Bannez, Navarro, & aliis, quos recenset Bonacina *de Restit. per homicid. disput.* 2. *quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 8. *numer.* 3. & ratio est, quia vim vi repellere nullam infert injuriam, & omnes Leges id permittunt: cum quilibet habeat jus ad defendendam propriam vitam, & integritatem suorum membrorum contra injustum invasorem.

Ad hoc autem, ut servetur debitum moderamen inculpatæ tutelæ, ob quod licitum est vim vi repellere, & injustum invasorem occidere; requiritur 1. ut tantùm efficiatur id, quod præcisè est necessarium ad vitam defendendam, & conservandam ab injusto aggressore; seu quòd tantùm adhibeatur ea cautio, ac moderatio, sine quibus injuria injustæ aggressionis non posset expelli: quapropter adhibens majorem vim præ ea, quæ requiritur ad injuriam expellendam; non dicitur vim vi repellere, & se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sic qui putat probabiliter, posse se defendere ab injusto invasore cum levi percussione, & nihilominus gravi percussione utitur; non dicitur, vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ: cum adhibeat majorem vim, quàm necesse sit ad repellendam injuriam: ut docent Suarez *tom.* 5. *disput.* 46. *sect.* 1. *num.* 8. & Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 11. & alii passim.

Requiritur 2. ut vis inferatur ab aggressore, & quòd injustè aggrediatur; ideo enim à Jure Naturæ permittitur, vim vi repellere; eo quia vis infertur: si enim vis non inferatur ab altero, quomodo contra ipsum vis inferri poterit? Nec jus habetur ad illum repellendum vi, nisi injustè aggrediatur, & vim injustè inferat: ut adnotat Molina *l. c.* Quapropter minimè licitum erit ob vehementem suspicionem, quæ habetur de aliquo, quòd nobis mortem machinetur; illum occidere, cum adhuc vim non inferat. Et si revera suspicio fundata sit, admoneri priùs debet, ut desistat ab iis, quæ suspicionem ingerunt; aut manifestet, cur illa faciat, cum teneatur ad expellendum timorem nobis incussum ob fundatam suspicionem in ejus gestis.

Requiritur 3. ut occisio licitè fiat ob justam defensionem, quòd sit in ipso actu aggressionis injustæ; non verò quòd præcedat, aut sequatur ipsam aggressionem: & ratio est, quia si præcedit, nondum est aggressor injustus, necdum vim intulit, ut superiùs notavimus; si sequitur, non est defensio, sed ultio. Sic percussor, qui post percussionem fugit, ac ab ipsa desistit; non

potest

potest licitè repercuti: quia non datur locus ad defensionem, sed tantùm ad ultionem. Si verò post percussionem iterum percutere conetur, nec credatur; quòd ab iterata percussione desistat; poterit repercuti, si alia via non suppetat ad repellendam ejus vim. Sic Navarra *lib. 2. cap. 3. num. 350.* Salonius 2. 2. *quæst. 64. controv. 1. concl. 3.* Rodriquez 1. *par. cap. 136. num. 1.* & Filliuccius *tract. 29. num. 28.* cum aliis.

Requiritur 4. ut fiat animo se defendendi, & conservandi suam vitam ab injusto aggressore, non verò animo ulciscendi in illum; insuper quòd aggressus probabiliter existimet, se fore graviter lædendum, vel occidendum ab injusto aggressore: & ratio est, quia aliter non erit inculpata tutela, sed culpata ultio: nec potest grave damnum inferri alteri, si tantùm leve damnum, aut incommodum reputetur nobis allaturum esse: ut notat Bonacina *disp. 2. quæst. ult. de restitut. per Homicid. sect. 1. pun. 8. num. 2. in fine*. Hæ conditiones necessariò requiruntur, ut licita sit occisio alterius hominis ob nostram defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

2 Ex dictis colligitur 1. quòd si aggressus occidat injustum aggressorem, non peccet, etiamsi ipse aggressus causam præbuerit, ut injustè aggrederetur: sic qui furtum facit, vel contumeliam, aut adulterium, quæ sint causa, ut aggrediatur; si tamen injustè aggreditur, & occidit injustum aggressorem cum moderamine superiùs explicato; non peccat: & ratio est, quia utitur jure sibi à natura concesso; nec ex eo, quòd dederit causam aggressionis per furtum, contumeliam, aut adulterium; sequitur, quòd deperdat jus propriam vitam defendendi cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sic expressè Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 15. num. 2.* Navarra *lib. 2. de restit. cap. 36. numer. 362.* Sotus *lib. 5. quæst. 1. art. 2.* qui etiam sustinet non incurri irregularitatem in casu proposito; eamdemque doctrinam defendunt Lessius, Julius Clarus, & Rodriquez relati à Bonacina *de restit. per Homicid. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. pun. 8. nu. 3.*

3 Colligitur 2. cum eodem moderamine posse licitè occidi furiosum, amentem, ebrium, aut noctambulum, si invadant, & aggrediantur, nec detur locus aliter ab ipsis evadendi. Sic Lessius *lib. 2. cap. 9. dubit. 8. num. 41.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 15. num. 2.* & alii passim.

4 Colligitur 3. licere Vassallis contra Principem, nisi ex interitu Principis grave damnum sequeretur Communitati; subditis contra superiorem, filiis contra patrem, servis contra dominos vim vi repellere; ex suppositione tamen quod ab ipsis vis injustè inferatur: cum jus hoc datum à natura extendatur ad omnes. Sic Silvester *verb. Bellum 2. §. 2.* Julius Clarus *lib. 2. sentent. §. Homicidium*, Bonacina *disp. 2 quæst. ult. de restit. per homicid. sect. 1. pun. 8. num. 4.*

5 Colligitur 4. habere etiam locum moderamen inculpatæ tutelæ in occisione satellitum, & publici Ministri justitiæ; si isti injustam vim inferant, & conentur innocentem interficere, aut illum capere, ut occidant injustè; cum hoc tamen quòd constet Ministris, esse innocentem: nam si bona fide procedant putantes esse reum, & sic munus suum exequantur; occidi non possunt: & ratio est, quia ad bonum commune spectat non inferre vim, aut damnum publicis justitiæ ministris bona fide, & in bonum publicum munus suum exercentibus: ut docent Silvester *verb. Bellum 2. num. 7.* Aragonius 2. 2. *quæst. 69. art. 4.* Rodriquez 1. *part. cap. 136. num. 9.* Navarra *lib. 2. cap. 3. num. 347.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 15. num. 3.* referens Covarruviam, & Sotum.

6 Colligitur tandem: eum qui injustè aggreditur in principio, sed decursu aggressionis manifestet aggresso velle ab aggressione desistere; non peccare peccato homicidii, si sufficienter aggresso suam voluntatem manifestavit, & aggressus noluit à pugna desistere, qui postea occisus remaneat ab aggressore cui non suppetat alia via defendendi vitam suam: & ratio est, quia licèt in principio fuerit injustus aggressor, postea tamen diligentiis illis adhibitis evadit justus defensor vitæ suæ, ideoque cum jure à natura habito vim vi repellendi. Sic Molina *loc. cit. nu. 2.* & Bonacina *disp. 2. quæst. ult. de restit. per homic. sect. 1. pun. 8. num. 6.*

7 Controverti hic solet: an aggressus, & invasus ita teneatur ad justè defendendum se, & vitam suam cum debito moderamine inculpatæ tutelæ; ut peccet graviter contra propriam charitatem, si desistat à defensione, & sinat se occidi ab injusto invasore, & aggressore?

Dicendum 1. nulla justa causa intercedente, & cæteris paribus non esse licitum à justa defensione cessare, ac permittere se occidi, cum possit vitam suam tueri: & 1. ratio est, quia si nulla justa causa interveniente illicitum est se occidere, illicitum pariter erit, se exponere occidendum; cum perinde se haberet, ac si se occideret. 2. ratio est, quia ille, qui potest sine suo gravi incommodo mortem proximi impedire, & non impedit, cum possit; graviter peccat contra charitatem, & contra justitiam, si ad hoc teneatur ex munere suo; ergo pariter peccabit contra charitatem propriam, si mortem suam non impediat, cum possit, nulla intercedente justa causa. 3. ratio est, quia sic strictè obligat, & tam intrinseca est obligatio indita à jure naturali defendendi propriam vitam, ut illam prodigere grave sit peccatum, ergo si nulla intercedit justa causa cohonestans profusionem illius, erit illam prodigere, adeoque graviter peccare. Sic Farinacius, Paulus de Castro, Salon, quos refert, & sequitur Fagundez *in quint. Decal. Præcept. lib. 1. cap. 3. num. 9.*

Dicendum 2. intercedente justa causa licitum erit, & absque ullo peccato desistere à justa defensione, & permittere se potiùs occidi, quàm ipsum invasorem occidere: & ratio est, quia jam cohonestaretur ex regula charitatis profusio vitæ, & permissio propriæ occisionis. Sic D. Antoninus *3. part. tit. 4. cap. 3. §. 1.* Sylvester *verb. Bellum 2. §. 7.* Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 8. dubit. 9. num. 55.* Cajetanus 2. 2. *quæst. 64. art. 7.* Navarra *lib. 2. de restitut. cap. 3. num. 62.* Toletus *lib. 5. cap. 6. num. 10.* & Sà *verb. Homicidium num. 21.*

Causæ autem justæ erunt, si aggressus injustè sciat aggressorem esse in statu peccati mortalis; & aliunde putet moraliter, se non esse in tali statu: nam si putaret, se esse in statu peccati mortalis; teneretur utique ad se defendendum omnibus modis cum morte alterius, etiam si sciret, illum esse in statu peccati mortalis: cum teneamur magis ad nostram salutem spiritualem, quàm ad corporalem, vel etiam spiritualem alterius juxta illud Christi Domini *Matth. 16. Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Insuper si aggressor injustus sit persona, à qua pendeat multorum vita temporalis, aut spiritualis, ut si esset Princeps, dux exercitus, aut similis persona publica, vel esset celeberrimus concionator, aut Doctor, qui verbis, & scriptis pravas doctrinas ab hæreticis disseminatas solitus esset confutare. Tandem si cęteris paribus vita injustè aggredientis esset magis necessaria suis filiis; & familiæ, aut Reipublicæ; in his enim, & similibus casibus juxta Regulas charitatis sufficiens haberetur causa ad cohonestandam profusionem propriæ vitæ, ne injustus aggressor occidatur: ut docent doctores superiùs citati.

An autem licitum sit, prævenire eum, qui paratus § est injustè aggredi vitam nostram, aut mutilare, vel alio modo graviter offendere? controversia est non levis momenti: quia tamen paratus injustè aggredi considerari potest in actu remoto aggressionis, & in actu proximo, itaut moraliter incœpta reputetur aggressio, ideo

Dicendum 1. Illicitum esse prævenire injustum aggressorem in actu remoto: & ratio est, quia ideo jus naturæ reddit licitam propriam defensionem, & occisionem injusti aggressoris: eo quia licitum est vim vi repellere: sed paratus ad injustè aggrediendum in actu remoto nullam vim infert, quæ alia vi repelli debeat; ergo non erit licitum eum prævenire. Minor probatur, quia paratus in actu remoto ad aggrediendum sivè injustè, sive justè nondum dicitur aggressor ex morali omnium prudentum æstimatione; ergo non infert vim neque injustè, neque justè: aggressor enim ab ipso actu aggressionis dicitur talis. Sic Navarrus, Lessius, Aragonius, Rodriquez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de restitut. per homic. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. pun. 9. num. 1.*

Dicendum 2. licitum esse prævenire injustum aggressorem in actu proximo, itaut moraliter reputetur incepta aggressio injusta: & ratio est, quia licèt actu non invadat, mo-

moraliter tamen reputatur prudentum estimatione, cum sit in procinctu ad invadendum, incipere actum aggressionis, & sic invadere, ergo licitum erit illum prævenire ad vim repellendam, cum nemo teneatur expectare actum ipsum aggressionis; imprudens enim reputaretur, qui habens suum sclopum jam præparatum, & videns injustum aggressorem præparantem suum, expectaret, donec aggressor finiret, & suum exploderet. Sic Toletus *lib. 5. cap. 6. num. 44.* Julius Clarus *lib. 5. sentent. num. 32.* Sayrus *in Clav. Reg. lib. 7. cap. 10. num. 18.* Sotus *lib. 5. de Justit. quæst. 2. art. 4.* & Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib. 5. cap. 6. num. 2.* referens Navarram, Navarrum, Lessium, Felinum, Decium, Carreram, & alios Jurisperitos. Addunt etiam citati Doctores, non incurri per talem præventionem irregularitatem, aut Canonis excommunicationem, si fortè præventus sit Clericus, aut alia persona Ecclesiastica; quando revera præveniens non possit alia via se defendere, & præsens periculum mortis sibi imminentis evitare.

Ex dictis colligitur 1. quòd si uxor advertat, suum conjugem ex industria apponere gladium sub cervicali ad eam occidendam noctu clauso ostio cum clavi; posse illum licitè prævenire, etiamsi adultera sit, dummodo constet, revera ad hunc finem appositum fuisse gladium, nec alia via suppetat liberandi se à morte. Idem dicitur de eo, qui venenum paravit ad alium occidendum; si hic præveniri poterit ipsomet veneno, cum alia non suppetat via ad liberandum à morte imminente per venenum; poterit licitè præveniri, cum par militet ratio in casu proposito per gladium. Sic Navarrus, Julius Clarus, Rodriquez, Lessius, Bannez, Molina, Filliuccius, Turrianus, & Corduba, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restitut. per homicid. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. pun. 9. num. 2.* Adnotandum tamen diligenter, non esse ullatenus licitum uxori adulteræ, cui constat, maritum conscium esse adulterii sui commissi, ob quod mortem sibi timeat; prævenire maritum occidendo illum, si hic non se præparavit ad occisionem, nec est in actu proximo saltem morali occisionis. Sic Bannez 2. 2. *quæst. 64. art. 7. dub. 4. concluf.* & alii communiter cum ipso.

Colligitur 2. licitum esse prævenire eum, qui est in actu vocandi famulum, aut sicarium, ut injustè aggrediatur, & occidat; si alia via non habeatur evadendi à tali periculo, nisi occidendo paratum advocandum famulum, aut sicarium, ut occidat: & ratio est, quia materialiter se habet, an quis sit in actu morali proximo injustè aggrediendi vitam alterius per se ipsum, an verò per alium. Sic Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 12. num. 2.* Bannez 2. 2. *quæst. 64. art. 7. dub. 4.* Lessius *lib. 2. de Iustit. cap. 9. dubit. 8. num. 46.* Navarra *de Restitut. lib. 2. quæst. 95. art. 8.* & alii.

Colligitur 3. posse cogi verberibus maleficam ad hoc ut desistat à nocendo suis maleficiis, & magicis artibus per dæmonem; si non habeatur alia via evadendi à nocumentis illis continuò illatis; quæ tamen constare debent, quod ab ipsa proveniant. Imò occidi poterit, si cum possit damnum illatum per maleficium factum reparare, absque tamen novo peccato, & novo maleficio; nolit tamen reparare, & ab inferendo damnum desistere, sic enim parata esset ad injustè aggrediendum. Ita Lessius *lib. 2. cap. 9. dubit. 8. num. 48.* & Bonacina *de restit. per homicid. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. pun. 9. nu. 4.*

Colligitur 4. provocatum ad duellum, cui non datur alia via defendendi vitam suam, nisi illud acceptet; posse duellum acceptare; imò poterit arma exposcere, si inermis sit; ut in duello jam indicto à provocante pugnet, & sic vitam suam defendat absque periculo excommunicationis incurrendæ per duellum, cum esset in tali casu vera defensio vitæ: ut expressè docet Bonacina *de Censur. disp. 2. quæst. 6. pun. 1. num. 4.* referens Navarrum, Lessium, & alios.

CAPUT IV.

An quando licitum est alicui alterum occidere, possit per alium id præstare? Et an aggressus teneatur fugam arripere, si sic possit evadere imminentem mortem ab injusto aggressore?

1 *Quando licitum est injustè aggresso invasorem injustum occidere, licebit etiam per alium id facere, præcipue si non possit per se injustè aggressus.*
2 *Explicantur quatuor genera personarum, quæ pati possunt injustam aggressionem.*
3 *Viri nobiles non tenentur fugam arripere, etiamsi possint; ut vitent mortem, aut percussionem injusti aggressoris.*
4 *Milites & exercitia militaria agentes non tenentur ad fugam ob vitandum injustum aggressorem.*
5 *Qui nec Nobiles, nec Milites sunt tenentur ad fugam.*
6 *Personæ Ecclesiasticæ tenentur ad fugam ad evitandam injustam aggressionem.*

AD primum dubium in capite propositum respondendum videtur affirmativè: nam si licitum est injustè aggresso injustum invasorem occidere, licitum pariter ei erit, id per alium præstare, maximè si per se non possit injustè aggressus: & ratio est, ex parte 1
mandantis fieri occisionem, quia quod licet nobis facere per nos ipsos immediatè, licebit etiam facere mediatè per alios, cum eadem obligatio urgeat mandantem, ac mandatarium defendendi proximum ab invasione injusti aggressoris, præcipuè cum mandans non possit per se ipsum injustè aggressum defendere. Ratio autem ex parte mandatarii est, quia cum mandatarius membrum sit Reipublicæ, poterit aliud membrum ipsius Reipublicæ, quod vim injustè patitur ab aggressore, licitè defendere: cum licitum sit unicuique de Republica injustam violentiam repellere alteri factam, etiam cum morte ipsius aggredientis, si aliter repelli non poterit: ergo urgente necessitate propriæ defensionis, si licitum est injustum aggressorem occidere; licitum erit, fieri per alium. Sic Farinacius, Bartolus, Claudius, Angelus, Paulus de Castro, Fulgosius, & Antonius Gomez, quos refert, & sequitur Fagundez *in Quint. Decal. Precept. lib. 5. cap. 7. num. 14.*

Dices 1. Mandatarius non est injustè aggressus, nec patitur vim ab injusto aggressore; ergo non poterit licitè vim vi repellere, ac mandatum acceptare, Resp. pati vim, & injustè aggressum esse in alio membro ipsius corporis Reipublicæ, non potente se defendere ab aggressione injustè illata; adeoque jure merito cooperari poterit bono, & partes innocentis agere vim vi repellendo.

Dices 2. ergo sic licitum erit, privata auctoritate malefactorem occidere, quod cum communi sententia superiùs negatum fuit. Resp. quando superiùs cap. 2. num. 7. statutum fuit cum communi Doctor. illicitam, & injustam esse occisionem malefactoris privata auctoritate factam, ibi exceptum fuisse casum necessariæ defensionis cum communi ipsorum Doctorum. Adde, quòd dici posset, occisionem factam injusti aggressoris, quando alia via non suppetit liberandi innocentem injustè aggressum; non fieri privata auctoritate, sed publica, accepta videlicet à Natura, & à Republica.

Dices 3. juxta leges civiles permissum est marito ob justum dolorem, impunè adulterum in actu adulterii cum propria conjuge deprehensum occidere; sicuti etiam Patri impunè occidere adulterum cum propria filia nupta in adulterio deprehensum; quamvis non possint hanc occisionem impunè alteri demandare; ergo quamvis licitum sit ipsi mandanti injustum aggressorem occidere, non erit licitum mandatario. Resp. Leges civiles permittentes occisionem adulteri, & uxoris adulteræ marito in hoc correctas fuisse à Jure Canonico; imò Alexander VII. damnavit propositionem illam asserentem: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*; quapropter illicitum erit, propria auctoritate hoc præstare ante sententiam Judicis, & multò minùs licitum erit hoc mandare alteri: Si verò spectemus solam impunitatem, præscindendo à peccato, quæ permittitur à Jure Civili ob justum dolorem marito, & patri, si adulterum in adulterio deprehen-

hensum cum uxore, aut filia nupta occidant; respondeo, quòd licèt Baldus, Claudius, Rolandus, & alii, negarunt hanc impunitatem extendi etiam ad mandatarium; nihilominus ipse Baldus sibi contrarius *in l. Gracchus num. 3. ff. ad leg. Iul. de Adult.* Julius Clarus, *Homicidium, num.* 51. Covarruvias *in 4. Decretal. num.* 5. & Antonius Gomez *in leg.* 8. *Taur. num.* 6. illam extendunt ad mandatarium. Vide Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 16. qui hanc sententiam hodie communem appellat.

2 Ad 2. dubium in capite propositum respondeo, quatuor genera personarum considerari posse, quæ injustam aggressionem pati possunt; & de quibus controvertitur; an teneantur fugam arripere, ut vitent sic, si possint, mortem, vel percussionem injusti aggressoris, ob quam contrahere debent pœnam homicidii, Irregularitatis, & excommunicationis Canonis, si fortè aggressor sit Clericus, primum genus, quod considerari potest; est virorum nobilium. Secundum militarium; & armorum officia exercentium. Tertium ignobilium, qui videlicet nec nobiles, nec militares sunt. Quartum denique Ecclesiasticorum, sive vitam regularem degant, sive non. Et quia non de omnibus eadem resolutio esse potest, ideo singillatim de ipsis dicendum erit.

3 Dicendum 1. Viri nobiles non tenentur, etiam si possint, fugam arripere, ut sic vitent mortem, aut percussionem injusti aggressoris, & pœnas annexas, quas fugiendo vitare possent: & ratio est, quia non tenentur se graviter infamare, & notam gravis dedecoris sibi inurere, ut nocentis sibi vitam servent illæsam; sed per fugam arreptam & magnam infamiam; & grave dedecus incurrerent; ergo non tenentur ad fugam arripiendam: Insuper si vir nobilis occideret, aut percuteret sibi insultantem graviter; utiquenullam culpam contraheret, imò haberet moralem necessitatem ad hoc faciendum: cum nihil aliud moraliter loquendo sit magis necessarium Viro nobili, quàm infamiam vitare, ac honoris amissionem; sed etiam in circumstantia injustæ aggressionis habet hanc moralem necessitatem, itaut rectè dici possit, directè non intendere occisionem, mutilationem, aut percussionem injusti aggressoris; sed vitare ignominiam, ac dedecus, quæ ex fuga arrepta sequerentur; esto per accidens sequatur occisio, mutilatio, aut percussio aggressoris, involuntariè enim hoc continget: cum licitum sit cuilibet jus suum prosequi; quamvis per accidens damnum sequatur tertio. Ideò homicidium tali pacto commissum à Viro nobili, ut licitum, & inculpabile in foro interno docent communiter Theologi cum Suarez, Soto, Lessio, Toleto, Aragonio, Navarro, Silvestro; & Jurisperiti cum Bartolo, Julio Claro, Ancharrano, Zabarella, Imola, & aliis relatis à Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. In foro verò externo ut impunibile, & non subjacens censuris, & irregularitati defendunt Suarez, Filliuccius, Bonacina, Coninch, & Fagundez eos referens *loc. cit.* qui putat sententiam hanc probabiliorem; quamvis oppositam defendant Sayrus, Avila, Reginaldus, Fernandez, & alii fundati *in Clement. si furiosus de homicid.* ubi solum excusantur ab irregularitate, qui aliter se defendere non possint, nisi occidendo: cum igitur Vir nobilis in casu adjecto possit aliter defendere se, scilicet fugam arripiendo; ergo irregularitatem incurret. Sed non bene, quia adhuc verificatur in Viro nobili, quòd non possit aliter se defendere. Etiamsi fugam arripere possit, cum non sit modus debitus viro nobili se defendere per fugam, ad quam non tenetur.

4 Dicendum 2. milites, & exercitia militaria agentes, quamvis non sint sanguine nobiles; non teneri ad fugam arripiendam, si sic possent mortem, mutilationem, aut percussionem injusti aggressoris evitare, etiam si hic Clericus sit, cum par militet ratio pro militibus, ac Viris nobilibus; ergo si licitum est viris nobilibus se defendere, absque fuga ab injusto aggressore, licitum pariter erit militibus, qui cum specialiter arma tractent, ac militiæ genus profiteantur, magnam sibi dedecoris, ac infamia notam inurent fugam arripiendo. Sic Farinacius, Bartolus, Parisius, Albericus, Soncinus, Butrius, quos refert, & sequitur Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 7. *nu.* 3.

5 Dicendum 3. Ignobiles, qui videlicet nec nobiles, nec milites sunt; sicuti etiam plebei, ac mechanici tenentur ad fugam, si sic possent se defendere ab injusto aggressore, & probabiliter putent per fugam salvare posse sibi vitam, & injusto aggressori: & ratio est, quia in hujuscemodi hominibus fuga vergere non potest in infamiam; ergo tenebuntur ad illam, cum non sit aliud caput deobligans à fuga, quæ salva vita arripi potest præter notam infamiæ, & dedecoris magni momenti, ut esset in Viris nobilibus, & militibus, non verò in ignobilibus; in quibus si aliqua esset nota, non esset tantæ considerationis, ut prævalere possit vitæ aggressoris, etiam injusti. Sic Suarez *tom.* 5. *de Cens. disp.* 46. *sect.* 1. *num.* 5. Aragonius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Lessius *lib.* 2. *de justit. cap.* 9. *dubit.* 12. *num.* 77. Sotus *lib.* 2. *de Iustit. quæst.* 1. *art.* 8. Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 6. Navarrus *in Summ. cap.* 15. *num.* 3. Non nego tamen, afferri pro contraria sententia multos Authores præcipuè Canonistas, quos longo ordine recenset Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 6. Verùm non puto à nostra sententia recedendum in materia tanti momenti, quanti est homicidium: maximè quia supponimus salva vita sua, & aggressoris injusti posse hominem ignobilem fugere; nam si esset adeo vicinus suo injusto aggressori homo etiam vilis, & infimæ plebis, ut terga vertendo posset ab injusto aggressore occidi, non tenebitur ad fugam. Sicuti non tenebitur ad illam, etiamsi longè distet; si probabiliter prævideat, quia debilis, aut claudus est, vel nimis pinguis, aut alio modo ad fugiendum ineptus; aut quia habeat æquum claudum, vel debilem; ita ut de facili pervenire possit aggressor, & eum sic fugientem occidere, aut mutilare. Loquuti igitur sumus ex vi puræ infamiæ & dedecoris; & diximus, quòd ex vi illius non possunt deobligari ignobiles à fuga arripienda.

6 Dicendum 4. Personas Ecclesiasticas sive Regulares, sive non, teneri ad fugam, si sic se defendere possint ab injusta aggressione, facta sive à laico, sive à Clerico: nam si probabiliter putent ob similia motiva, superiùs adducta, per fugam non posse defendere vitam suam; non tenebuntur ad illam, quia esset justa defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio autem prioris partis hujus assertionis est, quia personæ Ecclesiasticæ per fugam nil dedecoris, aut infamiæ contrahunt, sed potiùs vertitur illis ad gloriam, & honorem dare locum iræ ob virtutes humilitatis, modestiæ, ac contemptus mundi, quas profitentur; ergo non habetur caput sufficiens illas deobligans à fuga arripienda, si eam commodè arripere possint. Est communis sententia, quam defendunt Suarez *to.* 5. *de Cens. disput.* 46. *sect.* 1. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 77. Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 6. §. *Duo hic*, Aragonius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Navarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 389. Navarrus *in Summ. cap.* 15. *num.* 3. & Fagundez *in Quint. decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 9. qui refert Covarruviam, Decium, Claudium, Mascardum, & alios.

Adnotandum hic: non fugientes ab injusto aggressore, quando tenentur fugere; si illum occidant, incurrere irregularitatem, aut excommunicationem Canonis, si Clericus sit occisus; quamvis non sint puniendi ordinaria pœna mortis à Jure imposita homicidii, sed tantùm arbitraria Judicis; eo quia provocati, & non sponte homicidium fecerunt. Sic Antonius Gomez *tom.* 3. *Variar. cap.* 3. *rubric. de Homicid. num.* 24. Placa *in epitom. delict. cap.* 28. *num.* 12. & Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 125. *de Homicid. tit.* 14. *numer.* 138. & Fagundez *loc. cit. numer.* 13.

CAPUT V.

An licitum sit occidere injustum aggressorem bonorum, honoris, & pudicitiæ?

1 *Licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem bonorum magni valoris occidere, cum alias servari, aut recuperari nequeant.*

2 *An iste defensor suorum bonorum incurrat excommunicationem Canonis, aut irregularitatem?*

3 *Illicitum est defendere defensione occisiva ab injusto aggressore ea, quæ non possidentur.*

4 *Illicitum est occidere injustum aggressorem bonorum magni momenti, si post injustam aggressionem recepit se in loco tuto, & cœpit pacificè possidere.*

5 *Illicitum est defendere defensione occisiva proprium honorem.*

6 *Quid veniat nomine calumniæ, cujus defensio occisiva prohibetur.*

7 *An licitum sit occidere aggressorem honoris factis, quando hæc ignominia aliter vitari nequeat ab aggresso?*

8 An

8 *An sic defendens honorem suum incurrat excommunicationem Canonis, aut irregularitatem?*
9 *An teneatur Vir honoratus fugere ob vitandam ignominiam à sicario inferendam?*
10 *An possit Vir honoratus repercutere, & insequi sicarium, qui post inflictam plagam fugit?*
11 *An Clerici Religiosi, & Viri plebeji teneantur fugere, ne sicarius fuste percutiat?*
12 *An possit innocens, cui magnum imminet damnum; interficere falsum accusatorem, falsos testes, aut injustum Judicem?*
13 *An sit licitum acceptare duellum, si magna infamia ex recusatione sequatur?*
14 *Licitum est virgini, aut uxoratæ, vel adolescenti ob defensionem pudicitiæ, & castitatis cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem occidere.*

1 DICENDUM 1. licitum esse cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere injustum aggressorem pro defensione bonorum, quæ tamen sint magni valoris, nec aliter servari queant, aut recuperari, non solum laicis, verum etiam clericis; & ratio est, quia jus naturæ non solùm laicis, sed etiam Clericis concedit facultatem vim vi repellendi non solùm in propria vita, sed etiam in iis, à quibus vita propria pendet, ut sunt bona, & facultates, sine quibus aut simpliciter, aut saltem commodè vita sustentari nequit; ergo tam laicis, quàm clericis licitum erit cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem bonorum occidere vim vi repellendo. Colligitur hæc sententia *ex cap. Dilecto, de sentent. excommun. in 6.* maximè quia si hoc licitum non esset, magna daretur facilitas latronibus surripiendi bona aliena sive laicorum, sive clericorum; nec charitas ordinata obligat ad negligendas proprias facultates intuitu proximi non existentis in necessitate: cum igitur aggressor supponatur injustus, non poterit in necessitate supponi, aliàs non injustus, sed justus aggressor esset. Sic ex Theologis Navarrus, Rodriquez, Bannez, Valentia, Salonius, Sotus, Cajetanus, Navarra, Lessius, Turrianus, Molina; ex Canonistis Julius Clarus, Lopez, Gomez, Covarruvias, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restitut. per homicid. disput. 2. quæst. ultim. sect. 1. punct. 10. numer. 1.*

Ex dictis deducitur 1. non esse licitum, injustum aggressorem occidere, si de facili servari possint bona, aut recuperari, saltem absque magno incommodo: & ratio est, quia si revera magnum non patitur incommodum aggressus, non habebit motivum sufficiens ad cohonestandam propriam defensionem bonorum cum morte aggressoris, & vim vi repellendo cum debito moderamine. Si autem probabiliter dubitet, non posse bona imposterum recuperare; tunc aggressus poterit licitè occidere invasorem, si alia via non suppetat sua bona defendendi: cum non teneatur exponere facultates suas magni momenti periculo amissionis, ut sic salvam reddat vitam injustè aggredientis illas. Sic Bonacina *loc. cit.*

Deducitur 2. bona debere esse magni valoris, ut licita sit occisio aggredientis illa; nam si exigui sint valoris, non poterunt cohonestare occisionem injusti aggressoris: & ratio evidens est, quia vita proximi anteponenda erit exiguo damno, quod aggressus patitur, ut omnis recta ratio dictare videtur, & Doctores superiùs citati signanter advertunt. Ideoque jure merito Sanctissimus Dominus Innocentius XI. damnavit propositionem illam, quæ est 31. inter damnatas à se; asserentem: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*; nimis enim parvipenderetur vita hominis, & laxarentur habenę homicidiis. Quando autem bona sint magni momenti, quando verò exigui, non facile est per generalem regulam dijudicare: quamvis Bonacina putarit, rem trium, quatuor, vel quinque aureorum exigui valoris esse reputandam. Sed hoc negotium potius judicio prudentis viri relinquendum erit, qui inspectis circumstantiis personarum magis, vel minus indigentium, & ipsarum rerum magis, vel minus necessariarum, & similibus; judicium proferre poterit. Nam casus accidere poterit, in quo res unius aurei (puta instrumentum artis respectu artificis, quo sustentare soleat se, & familiam suam, nec aliud habere possit) sit sufficiens motivum ad illam defendendam ab injusto aggressore cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et non sine speciali reflexione propositio superiùs dicta damnata fuerit, quæ regulariter asserebat, hoc licitum esse pro conservatione unius aurei, quod est falsissimum, quamvis in casu extraordinario posito admitti possit licita defensio instrumenti illius cum debito moderamine. Videatur Cardenas *in explicatione hujus propositionis Dissert. 31. cap. 4. art. 2. nu. 90.*

Controvertitur hic non leviter: an defensor suorum 2
bonorum cum circumstantiis explicatis incurrat irregularitatem, vel excommunicationem Canonis occidendo injustum aggressorem, si fortè sit persona Ecclesiastica? Communior sententia docet, non incurrere irregularitatem, aut excommunicationem, sive aggressor injustus sit nocturnus, sive diurnus: & ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi expressa sit in Jure; sed nullibi in Jure exprimitur, irregularitatem incurri ob defensionem bonorum magni valoris cum moderamine inculpatæ tutelæ; ergo non incurritur. Et quamvis Jure novo *in Clement. si furiosus de homicid.* dicatur: tantùm non incurrere irregularitatem eum qui propriam vitam defendit cum debito moderamine; non ideo tamen positivè dicitur, eam incurrere, qui cum debito moderamine bona sua defendens injustum aggressorem occidit; sed nihil de hoc dicitur, imò jure antiquo *in cap. 2. de Homicid.* habetur, non incurrere irregularitatem, nec peccare defendentes bona sua cum debito moderamine. Insuper non contrahitur irregularitas ex homicidio voluntario, nisi per culpam mortalem, aut in bello aggressivo sive justo, sive injusto, vel per spontaneam voluntatem immiscendi se in officium Judicis contra vitam hominis, ut patet in Judicibus, Notariis, Testibus, accusatoribus, &c. sed defendens bona sua cum moderamine inculpatæ tutelæ nec culpam mortalem contrahit, nec sponte & voluntariè se ingerit, imò invitus, & coactus ab aggressore injusto, ergo non contrahit irregularitatem. Nec excommunicationem, si invasor sit Clericus: incurritur enim hæc per actionem diabolicam; in qua culpa lethalis reperiri debeat. Sic Suarez *tom. 5. de Cens. disput. 22. sect. 1. num. 25. & disp. 46. sect. 2. num. 4.* Molina *tom. 3. de Justit. tract. 3. disput. 51. num. 6.* Toletus *lib. Summ. cap. 6.* Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib. 5. cap. 3. num. 15.* Navarra *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 364. & 414.*

Dicendum 2. illicitum esse defendere defensione oc- 3
cisiva, etiam ab injusto aggressore ea, quæ non actu possidentur, sed ad quæ jus inchoatum habetur, & quæ possidenda sperantur. Illicitum pariter esse tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se defendere defensione occisiva; sicuti illicitum erit habenti jus ad Cathedram, aut Præbendam se defendere defensione occisiva contra injustè impedientem earum possessionem. Oppositas siquidem sententias expressè damnavit, ac proscripsit Innocentius XI. *die 2. Martii ann. 1679.*

Dicendum 3. illicitum esse occidere injustum aggres- 4
sorem bonorum magni momenti, si post injustam aggressionem recepit se in loco tuto, ac ea occultavit, & incœpit pacificè possidere; ratio est, quia non censetur vim actualem inferre, licèt eam intulerit, etiam adeptus est veluti pacificam possessionem illorum bonorum, quamvis injustitiam committat retinendo, ob quam minimè licitum est, privata authoritate illum occidere, cum recursus fieri possit ad auctoritatem publicam, ne ordo legum invertatur. Sic Sylvester *verb. Bellum, 2. num. 3.* Navarra *de restitut. lib. 2. cap. 3. num. 411.* Sanctus Antoninus *3. part. tit. 4. cap. 3. §. 2.* Turrianus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de restitut. per homicid. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. pun. 10. num. 4.* Quod si nondum se receperit in loco tuto, sed eum fugientem insequitur aggressus, & rem furto ablatam, quæ sit magni valoris, secum affert, ac nolit eam dimittere, quamvis minis, & clamoribus terreatur; tunc licitè poterit eum occidere injustè aggressus explodendo sclopum, emittendo sagittam, aut jaculum, si aliter rem recuperare nequibit: & ratio est, quia moraliter perseverat injusta aggressio, & vis illata; necdum aggressus censetur privatus possessione rei suæ; adeoque licitum erit vim vi repellere, & rem suam defendere, cum debito moderamine. Sic Sotus *lib. 5. de Justit. quæst. 2. art. 8.* Sylvester *verb. Excommunicatio in 6. notab. 4. cas. 9.* Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 9. dubit. 11. num. 75.* Navarra *lib. 2. de restit. cap. 3. nu. 409.*

num. 409. Rodriquez *cap.* 136. *num.* 15. Reginaldus *cap.* 5. *num.* 67. Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 6. *numer.* 13. Bonacina *loco citat. numer.* 2.

5 Quòd ſpectat ad defenſionem proprii honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ ſciendum eſt, Summum Pontificem Innocentium Undecimum, damnaſſe Propoſitionem illam, quæ eſt numero 30. inter damnatas à ſe, aſſerentem: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Sicuti antea Alexander VII. damnaverat valde ſimilem propoſitionem, quæ eſt ordine 17. inter damnatas à ſe, aſſerentem: *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſupperere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Attentis igitur his damnationibus erit omnino illicitum non ſolùm Religioſis, & Clericis, verum etiam cuicumque Viro honorato laico, & multo magis vili defendere defenſione occiſiva proprium honorem, vel ſuæ Religionis, ſi Religioſus ſit, etiam ſi alia via, non ſuppetat defendendi illum à Calumniatore minitante ſpargere, vel nitente calumniam inferre, aut parato ad calumniam inferendam.

6 Sed quæres hic: quid veniat nomine calumniæ, cujus defenſio occiſiva, etiamſi alia via non ſuppetat defendendi proprium honorem ab illa; prohibetur ut illicita à Pontificibus ſupradictis? Reſp. venire quamlibet famæ detractionem, ſive coram, ſive in abſentia factam; & quamcumque violationem honoris verbis tantùm inductam. Quapropter hujuſcemodi calumniatores illicitum erit occidere ob defendendam propriam famam, & honorem ut à Pontificibus ſuperiùs citatis ſanctum eſt. Vide Cardenas explicantem propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. *Diſſert.* 21. *cap.* 2. *art.* 4. *num.* 39.

7 Major tamen difficultas eſt: an licitum ſit occidere aggreſſorem honoris factis, quando ignominia hæc factis irrogata aliter vitam non poſſit ab aggreſſo? Exemplum ſit: ſicarius impingere vult alapam, aut fuſte, vel nervo percutere virum honoratum, ut illi ignominiam inferat; an inquam licitum erit iſti viro honorato, qui aliter talem ignominiam vitare non poterit; ſicarium occidere, & ſic honorem ſuum defendere? Virgo aggreſſa ab impudente juvene, ut defloretur; cui non ſuppetit alia via defendendi honorem ſuum, cum fugere non poſſit, vel proclamare ſit inutile illi, aut magis ignominioſum; niſi juvenem occidendo, an inquam poſſit illum licitè occidere. Denique Pater, Frater, aut Maritus, quibus non ſuppetit alia via defendendi honorem ſuum, & Filiæ, Sororis, aut Uxoris ab homine effræni, & carnali, qui factis inſultat; niſi illum occidendo in loco injuſtæ aggreſſionis: an licitè hoc efficere poſſint? Reſp. affirmativè in his, & ſimilibus caſibus, in quibus honor invaditur factis; itaut magna ignominia reſultet in aggreſſo; quæ aliter vitam non poterit niſi morte aggreſſoris: & ratio eſt, quia ſi licet occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum aggreſſorem facultatum magni momenti; licitum potiori jure erit occidere cum eodem moderamine injuſtum aggreſſorem honoris factis: cum juxta illud *Proverb.* 22. *Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Sic Doctores communiter cum Navarro *in Summ. cap.* 15. *num.* 3. Soto *lib.* 1. *de Iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. Leſſio *lib.* 2. *de Iuſtit. cap.* 9. *dubit.* 12. *num.* 77. Turriano *diſp.* 23. *dub.* 3. *num.* 1. Sylveſtro *verb. Homicidium*, 1. *quæſt.* 5. Toleto *lib.* 5. *Summ. cap.* 6. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *pun.* 4. Molina *tract.* 3. *diſp.* 17. Bonacina *de reſtitut. per homicid. diſput.* 2. *quæſt. ult. ſect.* 1. *pun.* 10. *num.* 5. & Fagundez *in Quint. Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 3. *numer.* 20. referente Navarram, Julium Clarum, Farinacium, Ananiam, & Bartolum. Nec ſententia hæc adverſatur Pontificis damnationibus, ut bene probat citatus Cardenas *à num.* 40. cum neque formaliter, neque virtualiter comprehendatur in damnatis Propoſitionibus, quæ loquuntur de eo, qui nititur calumniam inferre, aut gravia crimina ſpargere minetur, vel paratus ſit ad calumniam inferendam: & hæc omnia important invaſionem honoris verbis tantùm, quam illicitum eſſe rejicere morte invaſoris, etiamſi alia via non ſuppetat; ſuperiùs dixímus; non verò ſignificant invaſionem honoris factis, in eis in circumſtantiis, de quibus locuti ſumus.

Petes primo: an ſic defendens honorem ſuum factis 8
invaſum ab injuſto aggreſſore incurrat excommunicationem Canonis, ſi fortè invaſor Clericus ſit, aut irregularitatem? Reſp. negativè cum Leſſio, Soto, Navarro, Farinacio, Salomone, Boerio, Toleto, Anania, Sylveſtro, Julio Claro, Bartolo, Angelo, & Navarra, quos refert, & ſequitur Fagundez, *in Decal. Præcept. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 20. & ratio eſt, quia *ex cap.* 2. *de Homicid.* conceditur juſta defenſio cum morte invaſoris injuſti non ſolùm ob propriam vitam defendendam, ſed etiam facultates magni valoris, cum igitur honor juxta prudentes Viros pluris exiſtimetur; quàm divitiæ multæ, imò æquiparetur ipſi vitæ; ideo ſi irregularitatem, vel excommunicationem non incurrit ob defenſionem propriæ vitæ, & bonorum magni momenti cum debito moderamine injuſtus aggreſſor, neque illas incurret ob defenſionem proprii honoris factis invaſi, quando utitur eodem debito moderamine. Nam verba illa, Te, tuaque liberandi in ſuprac. capite contenta non ſolùm importare videntur propriam vitam, facultates magni momenti, verum etiam honorem.

Petes ſecundo: an teneatur vir honoratus, nobilis 9
videlicet, aut miles fugere, ſi ſic vitare poſſit ignominiam inferendam à ſicario, qui alapa, fuſte, vel nervo vult eum dehonorare? Reſp. negativè: & ratio eſt, quia ſi fuga in maximam ignominiam reſultat injuſtè aggreſſi, non tenetur ad patiendum tantum incommodum ob ſervandam vitam injuſti aggreſſoris. Sic Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtit. cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 86. Filliuccius *tract.* 29. *cap.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 41. Turrianus *diſp.* 27. *dub.* 3. *num.* 2. & Bonacina *de reſtit. per homicid. quæſt. ultim. ſect.* 1. *punct.* 10. *numer.* 6.

Petes 3. an poſſit vir honoratus repercutere, & 10
inſequi ſicarium, qui poſt inflictam alapam, vel ictum fuſtis, aut nervi fugit, etiamſi alia via non ſuppetat ad recuperandum honorem ſuum? Reſp. negativè: quia ſic daretur locus, & anſa vindictis, & occiſionibus: quapropter jure merito Innocentius Undecimus, in Propoſitione 30. ſuperiùs citata damnavit etiam eam partem aſſerentem: *Idem quoque dicendum* [*ſcilicet fas eſſe viro honorato occidere invaſorem*] *qui impingat alapam, vel fuſte percutiat; & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.* Et ratio potiſſima eſt, quia ſicarius fugiens non eſt in actu injuſtæ aggreſſionis, ſed fecit injuſtam aggreſſionem; ergo non datur locus ad id, quod requiritur ad occiſionem faciendam cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſed potiùs erit occiſio facta auctoritate privatâ, & ad vindictam ſumendam; non verò ad honorem defendendum, quod repugnare videtur Legi Euangelicæ.

Dices: licitum eſt inſequi furem ſecum deferentem rem magni valoris, ſi aggreſſus aliam viam non habeat recuperandi illam; ergo licitum pariter erit occidere invaſorem honoris fugientem, qui ſecum deferre videtur honorem Viri honorati, quando alia via non ſuppetit recuperandi illum. Reſp. negando conſequentiam, quia fur dum ſecum portat rem illam, dicitur, & eſt in actuali invaſione; adeoque licitum erit illam defendere cum debito moderamine: ſecus verò dicendum de eo, qui alapam impegit, aut fuſte percuſſit, & jam fugit; nam nec ſecum portat honorem injuſtè aggreſſi, nec recuperatur hic honor amiſſus per repercuſſionem, aut occiſionem invaſoris fugientis, niſi in exiſtimatione hominum mundanorum leges vindictæ ſequentium, quæ utpote oppoſitæ Legi Euangelicæ omnino damnandæ ſunt. Audi Vaſquez, qui *in Opuſc. de reſtitut. cap.* 2. §. 1. *dub.* 9. *numer.* 37. ſic invehitur contra ſententiam damnatam: Hæc doctrina non chriſtiana, ſed gentilitatem ſapere videtur: quoniam inde ſequeretur, quòd ei, qui alapam recepit, liceret inimicum, ſi poteſt ibi fuſte cædere; quod lex mundi ad tuendum honorem requirit. Et ſi aliquis fuſte cæſus eſt, poteſt ſtatim inſequi percuſſorem, & ipſum occidere, quia aliter non poteſt honori ſatisfacere. Vel denique poterit aliquod aliud malum ſtatim illi inferre in retributionem. Quod eſt Legem Euangelicam, imò & Decalogi deſtruere.

Pe-

11 Petes 4. an Clerici, Religiosi, & homines plebei teneantur fugere, quando sic absque morte invasoris vitare possunt, quòd alapa, fuste, vel nervo percutiat? Resp. affirmativè: & ratio est, quia sine gravi incommodo vitare possunt occisionem proximi; ergo tenentur ad hoc præstandum; sed nullum grave incommodum, & damnum ipsis sequitur ex fuga, & sustinendo patienter id, quod valdè ignominiosum esset viro nobili, & militari; ergo tenentur. Sic Rodriquez 1. *part. cap.* 136. *numer.* 13. Navarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 389. referens Sotum, & Covarruviam; Sylvester *verb. excommunicatio quæst.* 9. & Bonacina *de Restit. per homicid. quæst. ultim. sect.* 1. *punct.* 10. *numero* 11.

12 Petes 5. an possit licitè Vir innocens, cui magnum imminet damnum sive in honore, sive in bonis, quod aliter vitare non potest, nisi interficiendo falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua, certò imminet sententia; an inquam possit hoc efficere? Resp. negativè, cum expressè damnata fuerit hæc sententia ab Alexandro VII. *die* 24. *Septembris* 1665. & est 18. inter damnatas ab illo: eo quia non sunt injusti aggressores, nec locum habet defensio propriæ Innocentiæ cum moderamine debito; nam nec vim intulerunt, nec injustè aggressi sunt.

13 Petes tandem: an sit licitum acceptare duellum, si illud recusare magnam infamiam affert recusanti? Resp. negativè: eo quia duellum non est medium ad vitandam infamiam, imò per illud maxima, & perpetua infamia incurritur: ut decretum fuit à Tridentino *sess.* 14. *cap.* 14. *de Reform.* & per Reges magni nominis idem statutum fuit in suis Regiis. Quòd si apud aliquos non christianè viventes, licèt christiani sint; & apud plebejos fortè videatur amissio honoris duellum non acceptare; non est tamen sufficiens motivum ad reddendam licitam duelli acceptationem: eo quia illam recusando apud prudentes homines piè, ac christianè viventes nulla incurritur infamia, aut timiditatis nota. Maximè quia responderi potest duellum offerenti: se utique paratum esse ad defendendum honorem suum, sed non per media contraria statutis Sanctæ Matris Ecclesiæ; nec decere christianum hominem, eumque nobilem exponere se perpetuæ infamiæ decertantibus in duello præscriptæ. Cæterùm si alia ratione honesta aggrediatur, se non defuturum partibus à christiana virtute, & ab honore suo requisitis. Sic Sayrus *lib.* 7. *cap.* 13. *numer.* 23. Valentia *tom.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 1. Rodriquez 1. *part. cap.* 137. *numer.* 1. Sanchez *in oper. Moral. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 9. & alii.

14 Circa defensionem Pudicitiæ cum moderamine inculpatæ tutelæ dicendum est, licitum esse Virgini, Adolescenti, & cuilibet alteri aggressorem Pudicitiæ, & Castitatis occidere, si alia via non suppetat se defendendi, vel fugiendo, aut vociferando. Nec irregularitas incurritur, aut excommunicatio, si invasor Clericos sit, ut superiùs diximus: quia si licitum est aggressorem facultatum magni valoris occidere cum moderamine requisito, absque irregularitatis pœna, & censura excommunicationis; multo magis licitum erit invasorem Pudicitiæ, & Castitatis sic interficere, cum bona præstantiora sint præ divitiis. Sic Toletus *lib.* 5. *summ. cap.* 6. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 9. *dubit.* 12. *num.* 76. Sylvester *verb. Homicidium* 1. *quæst.* 5. *num.* 9. Navarra *lib.* 2. *de Restit. cap.* 3. *num.* 393. & Fagundez *in decal. lib.* 5. *cap.* 3. *numer.* 24. qui refert Farinacium, Baldum, decium, Albericum, Jodocum, Bossium, & Ugolinum.

CAPUT VI.

An etiam ob defensionem Vitæ, Bonorum, Honoris, & Pudicitiæ Proximi liceat aggressorem injustum interficere?

1 *Licitum est in eo casu, quo vita Proximi aliter defendi nequeat; ejus injustum aggressorem occidere.*

2 *Licitum est defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ bona proximi magni valoris, si amplius recuperari nequeant.*

3 *An ita teneamur succurrere proximo innocenti vim patienti ab injusto aggressore in vita, vel bonis magni valoris; ut si id omittamus peccemus saltem contra Charitatem?*

4 *Quinam teneantur ex Justitia ad hoc præstandum, itaut si omittant; obligentur ad restitutionem?*

5 *Licitum est defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ honorem Proximi factis injustè aggressum; sic etiam ejus Pudicitiam, & Castitatem.*

DICENDUM 1. licitum esse ob defensionem vi- 1
tæ proximi in eo videlicet casu, quo vita proximi aliter defendi non possit; injustum ejus aggressorem occidere: & ratio est, quia licet cooperari bono proximi, & partes innocentis suscipere, quando id sine gravi nostro incommodo, & detrimento possumus: ad hoc enim obligamur ex Lege Charitatis, proximum videlicet defendere, quando vim patitur injustè; sed in casu adiecto, & vim patitur injustè ab aggressore, & possumus sine gravi nostro incommodo illius vitam defendere morte aggressoris; ergo id licitum nobis erit. Confirmatur: ex eadem lege Charitatis tenemur proximum sicut nos ipsos diligere, tum quoad vitam spiritualem, tum quoad temporalem respectivè, & secundùm superiùs dicta; ergo si in tali casu nobis liceret cum debito moderamine injustum aggressorem propriæ vitæ occidere, licebit pariter cum eodem moderamine aggressorem injustum vitæ proximi occidere. Sic Suarez *tom.* 5. *de Cens. disp.* 46. *sect.* 3. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 9. *dub.* 13. *num.* 87. Molina *tract.* 3. *disp.* 18. *num.* 1. Turrianus *disp.* 27. *dub.* 3. *num.* 13. Major *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. Covarruvias *in Clement.* Si Furiosus *part.* 3. §. *unic. numer.* 5. Julius Clarus §. *Homicidium num.* 23. & 28. Bonacina alios referens *de Cens. disp.* 7. *quæst.* 4. *pun.* 6. *num.* 11. & Fagundez *in decal. lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 1. referens Bartolum, Alciatum, Farinacium, Baldum.

Notat idem Fagundez *loc. cit.* ex relatis Authoribus, non incurri irregularitatem, vel Canonis excommunicationem ob tale homacidium, si injustus Proximi aggressor Clericus sit. Imò in foro externo probato jam justæ defensionis moderamine impunibile est homicidium. Hinc fit, quòd si doctrina hæc extenditur ad cujuscumque proximi extranei defensionem vitæ; potiori jure extendatur ad defendendam vitam in simili discrimine positam Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, affinium, propinquorum, & Sociorum *in* itinere, cum Societas ipsa instar fraternitatis sit. Constat *ex Leg. Verum ff. Pro Socio*, & docent Julius Clarus, Suarez, Lessius, & Fagundez *loc. cit.*

Dicendum 2. licitum esse defendere cum mode- 2
ramine inculpatæ tutelæ bona proximi, si magni valoris sint, nec recuperari amplius possint; si absque gravi incommodo hoc fieri possit: & ratio est eadem, quæ supra, nam ex Lege Charitatis non solùm vitam proximi, sed etiam bona magni momenti, à quibus ejus vita dependet, tenemur defendere, absque gravi nostro incommodo, ac causam innocentis suscipere indigentis nostro auxilio; ergo tenemur illum defendere. Sic Suarez *tom.* 5. *de Cens. disputat.* 46. *sect.* 3. Lessius *libro* 2. *de Justit. capit.* 9. *dubitat.* 12. *numero* 87. Navarra *libro* 2. *de Restit. cap.* 3. *numero* 393. D. Antoninus 3. *part. tit.* 4. *capit.* 3. §. 2. Julius Clarus §. *Homicidium numero* 29. Fagundez *in decalog. libro* 5. *capit.* 4. *numere* 3. referens Bartolum, Decium, Butrium, Francum, Abbatem, Felinum, & alios.

Sed quæres hinc: an ita teneamur succurrere proximo innocenti, qui vim patitur ab injusto invasore in vita, ut peccemus saltem contra Charitatem, si non contra Justitiam, quando non tenemur ex officio; cum aliundè defendi non possit nisi morte invasoris? Respondeo si nulla justa causa intercedat desistendi ab occisione invasoris injusti, qui vitam proximi innocentis invadit, & cætera sint paria; nec aliunde defendi possit ejus innocentia in vita, nisi morte ipsius invasoris; tenemur sub gravi ad succurrendum ei, maximè si se velit defendere: & ratio est, quia Charitas proximi obligat nos ad illum defendendum, quando sine gravi nostro incommodo id efficere

possumus, ut supponitur : alioquin si tunc non obligaret Charitas prædicta, numquam obligare posset; Aliunde melior est conditio innocentis patientis vim, quàm injusti aggressoris illam inferentis; Ergo sub gravi tenemur ad hoc præstandum. Contrarium defendit Lessius *supracit. num.* 92. Videantur, quæ dicta sunt circa hoc dubium de defensione propriæ vitę ab injusto aggressore *cap. 3. num. 7. per totum*. Et quamvis Bonacina *de Restit. per homic. quæst. ult. sect.* 1. *pun.* 11. *num.* 5. putet cum Molina, Sà, & Turriano, solùm nos teneri, quando defendenda est vita proximi innocentis ab injusto invasore; non verò quando defendenda sunt bona externa, etiam magni valoris ipsius, Nihilominus Fagundez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 11. *cum* Glossa, Garzia, Curtio, Mantua, Farinacio, Boerio, & Ugolino ab eo relatis non solum extendunt ad defensionem vitæ proximi innocentis; verùm etiam Pudicitiæ, & ejus bonorum temporalium magni momenti.

4 Quæres insuper: quinam teneantur ex Justitia ad hoc præstandum, ita ut ex ejus omissione obligentur ad restitutionem? Resp. teneri omnes, qui obligantur ex Officio: nam qui non satisfacit Officio suo, peccat contra Justitiam, & tenetur ad resarciendum damnum illàtum. Quapropter tenentur 1. ex Officio Superiores sæculares, ut Reges, Principes, Prætores, Magistratus, ac Judices; eo quia Reges, ac Principes conducti sunt à Populo; Prætores verò, Magistratus, ac Judices conducti sunt à Regibus, & Principibus ad recte gubernandam Rempublicam, & avertenda mala ab illa, & à singulis Civibus: ad hunc enim finem solvuntur tributa Regibus, & Principibus à Populis; & Reges, ac Principes honorifica salaria statuunt suis Prætoribus Magistratibus, ac Judicibus; ergo omnes isti tenentur ex Officio, & consequenter ex Justitia ad occurrendum damnis Reipublicæ, & singulorum Civium; ita ut teneantur ad restitutionem, si delicta, damna, injustitias, ac publica latrocinia à Republica non avertant; aut latrones, fures, homines scandalosos punire, capere, in carceres injicere minime curent Sic Navarrus *in Summ. cap.* 24. *num.* 18. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 9. *dub.* 13. *num.* 49. Bonacina *de Rest. per homicid. quæst. ult. sect.* 1. *pun.* 11. *num.* 10. Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 125. *de homic. num.* 314. & alii.

Tenentur 2. Prælati, Episcopi, Parochi, ac Ecclesiarum Rectores ex officio ad damna spiritualia tantùm resarcienda: eo quia sicuti inter subditos, & Principes temporales datur virtuale pactum do, ut facias, scilicet subditi se obligant ad tributa, & alimenta convenientia Principibus; & Principes se obligant ad tuendos, regendos, & defendendos à malis subditos; sic etiam inter Pastores spirituales, & oves sibi commissas datur simile pactum, do, ut facias; ita ut oves se obligent ad Pastores alendos suis fructibus, ac decimis; & Pastores, se obligent ad pascendas oves pascuis spiritualibus; adeoque ex vi contractus hujus tam Pastores, quàm oves obligentur ex justitia: ut rectè docent Navarrus *in Summ. cap.* 24. *num.* 18. Lessius *loc. cit.* Farinacius *loc. cit. num.* 320. & Bonacina alios referens *loc. cit. num.* 11.

Tenentur 3. ex officio Tutores, Curatores, Pœdagogi, milites, ac Custodes Urbium, vinearum, & cęterarum rerum sibi commissarum; denique omnes servi, & famuli stipendio conducti ad rem aliquam tractandam: cum pactum virtuale superius expressum etiam hos urgeat; adeoque tenebuntur ex Justitia ad munus suum rectè obeundum. Sic Lessius, Fagundez, Bonacina, Farinacius, & Navarrus *locis supracitatis*.

Adnotandum 1. Parentes non teneri ex Justitia ad defendendum filios suos; nec teneri filios ex Justitia ad Parentes defendendos, sed ex Pietate. Sic ex Lessio, & Filliuccio tradit Bonacina *loc. cit.* Adnotandum 2. Principes, Prætores, Judices, Ministros justitiæ stipendio conductos non teneri ad obviandum Civium damnis, & ad administrandam justitiam cum manifesto vitę periculo; & ratio est, quia etiamsi teneantur armis defendere, si opus fuerit, justitiam, & reparare damna Civium; hoc tamen intelligitur civili quodam modo, & salva semper eorum vita. Secus verò dicendum de Ducibus exercituum, ac militibus; qui stipendio conducuntur ad propugnandam, ac defendendam Rempublicam belligero, ac armifero modo usque ad sanguinis effusionem: sic enim ex primario fine conducuntur, non sic verò Ministri justitię Civiles. Ita Fagundez, *loc. cit.* referens Farinacium Claudium, Curtium, & Baezam. Adnotandum tandem: neminem ex Charitate obligari ad defendendum proximum innocentem injustè aggressum cum vitę suę periculo, & gravi incommodo, ac dispendio: & ratio est, quia quisque est magis sibi proximus, quàm cęteris; & magis tenetur vitam suam defendere, quàm aliorum, & bona propria, quàm proximorum, ut ex communi Theologorum doctrina constat,

Dicendum 3. licitum esse defendere cum moderamine inculpatę tutelę honorem proximi factis injustè aggressum; sicuti etiam ejus Pudicitiam, & Castitatem; & ratio est, quia honor, & fama æquiparantur vitę, imò excedunt bona magni valoris; ergo si possumus servatis servandis vitam proximi, ejusque bona defendere, sicuti diximus, posse defendere proprium honorem factis invasum, pudicitiam, & Castitatem cum moderamine debito, Sic Suarez *tom.* 5. *de Cens. disp.* 46. *sect.* 3. *num.* 5. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 35. Salon 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *concl.* 2. *corroll.* 1. Ludovicus Lopez 1. *Part. cap.* 62. Sà *verb. homicidium* Navarra *lib.* 2. *de Restit. cap.* 3. *num.* 393. Julius Clarus *lib.* 5. *Senten.* §. *homicidium num.* 26. & Fagundez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 6.

Neque dicas: Charitatem obligare ad defendendum proximum, sed sine offensione alterius proximi, quod non evenit in casu nostro, Contra enim est, quia tunc valet hoc, quando alter proximus innocens est, aut alia via suppetit liberandi illum; quando innocens defenditur ab injusta aggressione. Secus verè si nec alia via suppetat, & aliunde invasus, qui vim patitur in pudicitia, Castitate, & honore est innocens; invasor verò nocens, & injuriosus in eo aggressu; tunc justè, & licitè possumus innocentem defendere cum morte aggressoris nocentis, qui sibi imputet damnum, quod patitur in vita; cum ad illud faciendum coegerit sua injusta aggressione.

Adnotandum tamen hic: quod si invasus consentiat tacite, vel aperte in prostitutione sua, sive adolescens, sit, sive virgo, sive quęcumque alia fœmina, quę in statu virginitatis non reperiatur; non esse tunc licitum, invasorem occidere, cum consentienti nulla fiat injuria, nec vim patitur. Secus dicendum si tacitè, vel expresse auxilium implorent tunc enim licita erit occisio invasoris in defensionem supradictorum cum debito moderamine: ut docent Cajetanus 2. 2. *quæstion.* 64. *artic.* 3. Sotus *libr.* 5. *de Justit. quæstion.* 1. *artic.* 8. & Navarra *libr.* 2. *de Restit. cap.* 3. *num* 394.

CAPUT VII.

An liceat seipsum occidere, aut mutilare?

1 *Explicantur tres modi, quibus cooperari quis potest ad propriam mortem.*
2 *Nemo potest directè, & immediatè se ipsum occidere.*
3 *An qui directè, & immediatè se ipsum occidit; peccet contra Charitatem, & contra Justitiam?*
4 *Qui jejuniis abstinentiis, & aliis corporis macerationibus directè intendit mortem, aut notabile detrimentum sibi inferre; peccat contra propriam Charitatem, & Jus Dei ad vitas hominum.*
5 *Nec permissivè directè intendi potest propria occisio.*
6 *An licitum sit militibus, & Ducibus Classium ex communi consensu naves comburere, & absumi, si alia via evadendi ab hostibus non suppetat?*
7 *An liceat seipsum occidere, ut citò transeat ad Beatam Gloriam, vel malum aliquod effugiat, aut grave peccatum vitet?*
8 *An liceat pro vita temporali proximi, amici, aut consanguinei voluntariè se morti offerre?*
9 *Illicita est mutilatio membri, aut partis membri ad vitandas carnis molestias, peccatum fugiendum, aut perfectiùs vitam spiritualem agendam.*
10 *Sic mutilans se graviter peccat, & si est Ecclesiasticus incurrit Excommunicationem Canonis.*

11 *Lici-*

11 *Licitum est sibi membrum, vel membri partem abscindere, si hoc necessarium sit ad totius corporis conservationem.*

12 *An teneatur quis ad hanc mutilationem patiendam, si magnis doloribus, & cruciatibus fieri debeat?*

1 TRIPLICITER quis cooperari poterit ad propriam mortem. 1. directè, & immediate, ut si ferro, laqueo, igne, veneno, sulphure, aut aquis se interimat. 2. indirectè, mediatè, & per accidens: ut si jejuniis, vigiliis, ac aliis corporis afflictationibus ità se maceret, ut inde sequatur mors. 3. permissivè permittendo scilicet, ut ab aliis occidatur: de quibus singillatim agendum est.

2 Indubitatum est 1. neminem posse directè, & immediatè in quocumque eventu seipsum occidere: constat ex Concilio Bracharensi *cap. 34. uti refertur in cap. Placuit. 23. quæst. 5.* illis verbis: Placuit, ut qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem; nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Constat etiam ex Quinto decalogi Præcepto: *Non occides*, per quæ verba prohibetur non solùm aliena, verùm etiam propria occisio privata auctoritate facta, & quæ repugnet rectæ rationi, cui nil magis repugnat, quàm se ipsum occidere. Et ratio ulterior est, quia homo non est dominus vitæ suæ, & suorum membrorum, & multò minus animæ suæ; ergo non poterit seipsum occidere, cum sic & animam, & corpus perderet in gehennam, ut habet D. Thomas 2. 2. *qu.* 64. *art.* 5. D. Bonaventura *in 3. dist. 37. num.* 10. D. Antonin. 2. *par. tit.* 7. *cap.* 8. cum communi Doctorum.

Ex allata Doctrina rectè colligitur: graviter peccare eum, qui privata auctoritate occidit alterum sic volentem, & consentientem, imò rogantem: & ratio est, quia nemo potest dare potestatem hanc, cum nemo sit dominus vitæ suæ, nec possit, se ipsum interficere, ut patet. Adnotandum hic: quòd ad hoc ut ecclesiastica sepultura privetur, qui seipsum interficit; debet plenè constare, interfeciisse se cum perfecto judicio, ac deliberatè: nam si compos sui non erat, quando mortem sibi intulit; non supponendum est, Ecclesiam piam matrem, dum sibi plenè non constat, velle illum sepultura privare. Imò si dubia res est, inclinandum est in favorem, cum in dubiis ex pietate ipsius Ecclesiæ pro reo standum sit: minuendus tamen erit apparatus Ecclesiasticus in sepeliendo ob terrorem cæterorum: ut bene notat Farinacius *tom. 4. quæst. 128. nu. 16.* allegans Carreram, & Jodochum.

3 Controvertitur à doctoribus: an qui se ipsum directè, & immediatè occidit, peccet non solùm contra Charitatem, verùm etiam contra Justitiam? Et communis responsio est cum D. Thoma 2. 2. *qu. 64. art. 5. ad 1.* Soto *lib. 4. de Just. qu. 2. art. 3. concl. 1.* Bannez 2. 2. *qu. 64. in Comm. art. 15. concl. 2.* Lessio *lib. 2. de Just. cap. 8. dub. 6. nu. 20.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 9. nu. 2.* Sayro *lib. 7. cap. 17. nu. 2.* & aliis, peccare non solùm contra Charitatem propriam, qua tenetur se diligere, & conservare juxta mandatum illud: diliges proximum tuum sicut te ipsum; sed etiam contra Justitiam, cum faciat deo injuriam habenti altissimum dominium supra vitas hominum. Facit insuper injuriam Reipublicæ habenti Jus custodiendi vitas suorum Civium, ut illis utatur in supervenientibus necessitatibus. Verùm hoc de Republica dicitur lato modo, nam Respublica non est propriè domina Vitarum suorum Civium; nec ipsi facienda est restitutio Vitarum Civium; & parva injuria est respectu Reipublicæ auferre vitam à Cive privato, cum innumeros penes alios Cives habeat. Sic Sayrus *loc. cit.*

4 Indubitatum est 2. neminem posse uti jejuniis, abstinentiis, & aliis corporis macerationibus, ut directè mors intendatur, aut illorum causa notabile nocumentum saluti; aut notabilis vitæ abbreviatio habeatur; mortaliter enim peccaret contra propriam Charitatem, & contra jus Dei ad vitas hominum sic operando, & sic intendendo. Imò etiam mortaliter peccat, qui utitur immoderatis vigiliis, abstinentiis, ac macerationibus, vel cibis novis, & inusitatis quibus prævidet magnum afferre vitæ nocumentum, etiamsi illis utatur non ex directa intentione se occidendi, vel decurtandi vitam suam; sed ex intentione meliùs satisfaciendi Deo pro peccatis commissis: & ratio est, quia teste Apostolo 1. *ad Thimoth.* 4. castigatio, & exercitatio corporis non est utilis, nisi quantum ad pietatem inservit, si ergo quis ex immoderatis jejuniis, & afflictationibus reddit se ineptum ad debita pietatis, & devotionis opera, contra rectam rationem operatur, & peccat. Insuper media ad carnis rebelliones deprimendas, & ad corpus mortificandum debent applicari juxta Regulas Prudentiæ, & discretionis: si igitur indiscreta sunt, illicita, & contra rectam rationem sunt, dicente alibi eodem Apostolo, quòd rationabile debeat esse obsequium nostrum. Sic Toletus *lib. 5. summ. cap. 6. concl. 4.* Navarrus *in summ. cap. 15. numer. 12.* Aragonius 2. 2. *quæst. 64. art. 5. ad 5.* Navarr. *lib. 2. de Rest. cap. 3. numer. 88.* Covarruvias *lib. 1. Var. resol. cap. 10. vers. 4.* & Fagundez *in decal. lib. 5. cap. 11. numer. 17.* Si quis tamen non ex intentione se occidendi, vel abbreviandi vitam suam, sed ex Virtutis affectu moderatis vigiliis, abstinentiis, ac corporis macerationibus uteretur, quamvis prævideret, sic decurtandam fore ejus vitam; non ideo peccaret, nec teneretur abstinere ab illis: & ratio est, quia cum hæc opera sint laude digna, & maximè conferant ad corpus redigendum in servitutem juxta Apostolum: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo; non poterunt esse contra rectam rationem, imò juxta Regulas prudentiæ adhibita valdè laudabilia, ac meritoria erunt, ut patet in Religiosis Cætibus, quibus ea præscribuntur magna cum laude, ac merito: cum à Viris non minùs Sanctis, quàm Prudentibus excogitata fuerint, ac à Summis Pontificibus approbata, utpotè ad veram, & solidam virtutem conducentia, & ad corporis rebelliones comprimendas valde accommoda. Sic Victoria *de Temperantia num. 15. in fin.* Aragonius *l. c.* Navarra *l. c. num. 89.* Toletus *loc. cit. numer. 14.* & Ludovicus Lopez 1. *par. cas. 64.*

Hinc colligitur, laudabile esse Carthusianorum Institutum, qui non solùm in bona valetudine, sed etiam in mortis articulo constituti non vescuntur carnibus. Nam cum sufficiat ad vitam alendam uti iis cibis, qui in usu sunt, scilicet ovis, piscibus, oleribus, & similibus; inde est, quod non teneantur etiam in extremo vitæ constituti eam alere carnibus, aut aliis delicatis alimentis, quamvis vita sic decurtetur: Nec favet dicere: quòd in articulo mortis carnes adhibeantur loco medicinæ, & ægrotus tenetur medicinam sumere ad vitam suam conservandam. Contra enim est: etiam si ægrotus teneatur ad medicinam sumendam ob vitam protrahendam, non inde sequitur teneri ad medicinam delicatiorem, cum sufficiat ordinariam sumere; sic sunt ordinarii cibi, quibus Religio adeo commendabilis utitur in infirmitatibus etiam extremis. Nec si Medicus alicui non vescenti carnibus, nec bibenti vinum consulat, ut illis utatur ad protrahendam vitam, alias eam notabiliter abbreviabit; tenebitur ad cessandum à piscibus, & aqua, quibus alitur; ut carnes, & vinum assumat: ut rectè docet citatus Sayrus *numer.* 28. cum Victoria *de Temper. numer.* 1. Nam potus aquæ, & esus piscium cum sint alimenta sufficientia ad vitam sustentandam, nec ex se sunt contraria vitæ, aut illam minuant; inde est, quòd illa sumens non censeatur minuere vitam suam, aut se occidere, estò illam non protrahat ad longum tempus: non enim habetur obligatio vitam protrahendi, aliàs obligaremur ad inquirenda loca salubriora, & ubi diutiùs vivitur, relictis patriis minùs salubribus; & adipharmaca excellentiora, quibus vita ad longum tempus conservari posset, quod nemo dixit.

5 Indubitatum est 3. neque permissivè posse directè intendi propriam occisionem: & ratio est, quia propria occisio directè volita nullo modo est honestabilis, cum sit contra Jus Dei supra vitas hominum, & contra propriam Charitatem, ac naturalem inclinationem dictantem conservationem propriæ vitæ. Nisi tamen adsit divinum Præceptum disponens de Vita, quæ sub dominio Dei continetur; tunc enim directè, & immediatè intendi poterit propria occisio, ut factum fuisse ab aliquibus non solùm in novo, verùm etiam in veteri Testamento, ut de Samsone probat D. Thomas 2. 2. *quæst. 64. artic. 4. ad 3.* allegatus à Bonacina *de Rest. pro homicid. quæst. ultim. sect. 1. punct. 4. numer. 3.* An verò in aliquibus casibus permitti possit propria occisio indirectè, per accidens, & mediatè ob ra-

ob rationabiles causas per sequentia Quęsita patebit.

6 Quęres 1. an militibus, & Ducibus Classis licitum sit ex communi consensu ignem pulveri sulphureo aptare, ut naves, & ipsi absumantur, ne deveniant simul cum navibus in manus hostium, dum non suppetit alia via ab ipsis evadendi? Resp. sententiam negantem communiorem esse, & magis receptam; eam defendunt D. Thomas 2. 2. *qu.* 64. *art.* 5. & Thomistæ communiter huic innixi fundamento: quod sit contra Charitatem propriam, ac naturalem inclinationem seipsum occidere; & judicium mortis, & vitæ spectat ad Deum juxta illud *Deuteron. 33. Ego occidam, & Ego vivere faciam*; & in facto Samsonis, Eleazari, & aliorum Sanctorum Virorum recurrunt ad miraculum, & specialem Dei Impulsum, eos interius moventem. Nihilominus affirmativa sententia suos habet Patronos, qui eam sustinent.

7 Quæres 2. an liceat seipsum occidere, ut citò ad Beatam Gloriam transeat; aut ut malum aliquod effugiat, vel grave peccatum? Resp. negativè: & ratio est, quia non sunt facienda mala, etiamsi inde eveniant bona: cum igitur intrinsecè malum sit se ipsum occidere, ut habet D. Thomas 2. 2. *qu.* 112. *art.* 6. ideo in se consideratum appetibile non erit, sed magis horribile, utpote bono intrinseco vitæ privans. Quod autem homicidium sit intrinsecè malum, probat ex eo, quod privat intrinseco bono propriæ vitæ: loquitur autem de homicidio propria, & privata auctoritate facto.

Hinc sequitur 1. non posse licitè Virginem, aut quamlibet aliam honestam mulierem ad vitandum stuprum, aut adulterium perimere se; nam violatio illa non imputabitur ipsi ad peccatum, nisi adsit consensus: ut benedixit Sancta Lucia Virgo ad impium Tyrannum conversa, quando jussit ad lupanar adduci. Non idem tamen dicendum de viro coacto ad fornicationem committendam metu mortis in hoc enim casu cum active concurrat, consentit, & vult actum illum committere; adeoque tenebitur mortem potius subire, quam peccare. Sic Navarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 104. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 4. *num.* 43. Navarrus *in Summ. c.* 16. *in princip.* & Bonac. *qu. ult. de Restit. per homicidium sect.* 1. *pun.* 5. *n.* 12.

Aliud tamen fore, si etiam vir ligatus tale quid invitus pati cogeretur, uti de Niceta quopiam memoratur; quia etiam tunc ad culpam ipsi non imputaretur turpitudo citra consensum illius subsequens, nec ad eam excitandam fas ei esset interimere seipsum.

Sequitur 2. quod si non licet se ipsum interficere ad fugiendum peccatum, multò minus licebit ad ignominiam vitandam, aut ad vitæ ærumnas fugiendas, vel similia mala præsentis conditionis humanæ. Imò nec ad fruendum citiùs Deo & Gloria beata: audi D. Augustinum *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 26. hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem spontaneam mortem sibi inferre debere veluti fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata præterita propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari: neminem veluti desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit

8 Quæres 3. an liceat pro vita temporali proximi, amici, aut consanguinei voluntariè se morti offerre? Resp. quamvis Div. Bonaventura *in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 3. Durandus *in* 4. *distin.* 17. *quæst.* 6. *ad* 2. Paludanus *ibid. dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *concl.* 3. Navarra *lib.* 2. *de Rest. cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 41. & Divus Augustinus *lib. de Mendacio cap.* 6. negativam sententiam sustinent, quia excedit Doctrinam Christi diligere proximum plusquam seipsum. Nihilominus affirmativam sententiam sequor, si non temerè sed ex rationabili causa, ac prudenter oblatio propriæ vitæ pro temporali vita proximi efficiatur eam docent D. Thomas *in* 3. *dist.* 29. *art.* 1. *ad* 3. Victoria *in Relect. de homic. ad* 5. *num.* 27. Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 6. Bannez 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *dub.* 3. Salon 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 5. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 4. *pun.* 3. Cordùba *lib.* 1. *quæst.* 38. *ad* 4. Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 6. *concl.* 3. *cas.* 3. Sà *verb. homicidium* Sayrus *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 23. & alii: ratio est quia exponens vitam suam propter proximum non diligit illum plusquam se ipsum, sed diligit magis actum honestum virtutis, propter quem præfert vitam amici suæ proprię. Quod autem licitum sit propter exercitium virtutis alicujus aliquid efficere, ex quo certò consecutura sit mors; patet ex eo, quod majus bonum sit actus honestus virtutis prę conservatione proprię vitę temporalis, cum jactura ipsius vitę temporalis compensetur majori bono actus Virtutis. Insuper non magis diligit proximum quàm seipsum, sed vice versa: nam proximo vult vitę conservationem, sibi vero majus bonum, nempe actum honestum virtutis, & Charitatis, quapropter non violat pręceptum Charitatis in se ipsum, uti putabat sententia opposita; sed potius exequitur illud Christi Domini *Joannis* 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Adnotandum hic: tunc hoc posse licitè fieri, quando cetera sunt paria: nam si quis magis utilis esset Reipublicę, bono communi proprię familię prę amico, pro quo vult mortem subire; tunc non posset licitè propriam vitam exponere, quia vergeret in damnum, & prejudicium tertii.

9 Circa ea, quæ ad mutilationem spectant: Dicendum est 1. illicitum esse mutilare sibi membrum, aut membri partem ad vitandas carnis molestias, ad peccatum fugiendum, & ad vitam spiritualem melius agendam: & ratio est, quia abscissio illa membri non est medium necessarium ad fines illos assequendos, quia ut docent Divus Basilius, & Divus Augustinus relati à Lessio *lib.* 2. *de Just. cap.* 9. *dubit.* 14. *num.* 8. qui sibi virilia secuerunt, non solum non experti sunt imminutas carnis tentationes, sed magis ad libidinem incitamenta habuere; ex alia parte propria Charitas dictat, conservandam esse vitam, quę constat ex integritate membrorum; Ergo illicitum erit ob hos fines se mutilare. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. *ad* 3. Molina, Salonius, Toletus, Filliuccius, Turrianus, & Bannez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. per homic. quæst. ult. sect.* 1. *pun.* 6. *num.* 6. Advertit tamen Molina, licitam esse afflictionem membri per sanguinis effusionem ad tentationem vincendam, dummodo discreta sit, & absque periculo amittendi membrum aut vitam.

Neque dicas: Origenem sibi virilia abscidisse, ut melius Deo vacaret; & Anachoretam quemdam Marcum nomine pollicem sibi amputasse, ut Baronius refert *tom.* 1. *ad ann.* 45. *Christi Domini*, ex humilitate, ne Sacerdos fieret; *& Matth.* 4. *dicitur: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice illum abs te*; *&* 16. *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Cœlorum*. Facilis enim est responsio: nam facta Origenis, & Marci anachoretę excusantur vel ob ignorantiam, vel ob specialem Dei inspirationem, qui sicuti Dominus est vitę, ita etiam & membrorum. Ad loca ex Divo Matthęo adducta respondendum est: non explicari per realem abscissionem & sectionem materialem; sed per spiritualem, removendo scilicet occasiones ab oculo, & addicendo se per votum Castitati perpetuę: sic evangelicè eruitur oculus, & castratur corpus propter Regnum Cœlorum. Vide Divum Augustinum *cap.* 24. *de Virginibus* Basilium, & Chrysostomum, ac alios Patres, & Interpretes *in dicta loca*. Adnoto hic: licitum esse particulam aliquam linguę sibi mutilare, & sic expuere in faciem Meretricis ad libidinem solicitantis, quando alia via non suppetit fugandi illam.

10 Dicendum 2. sic mutilantem se graviter peccare, & si est Persona Ecclesiastica, incurrere excommunicationem Canonis: ratio est, quia Canon ille factus fuit in favorem non hujus, vel illius Personę Ecclesiasticę: sed totius Ordinis Clericalis: cum igitur Persona Ecclesiastica, se mutilando, etiam amore Castitatis, & ad peccatum vitandum injuriam inferat toti Ordini Clericali; inde est, quod graviter peccet, & quod Censuram contrahat: colligitur *ex cap. si quis à Medicis dist.* 55. *& ex Can.* 6. *Concilii Niceni* Sic Joan: Andreas, Panormitanus, & Felinus *in c. Contingit.* 1. *de Sent. excomm.* Sic etiam Navarrus, Molina, Suarez, Sylvester, Tabiena, Toletus, Julius, Clarus, & Farinacius, quos refert, & sequitur Fagundez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 2.

11 Dicendum 3. licitum esse sibi membrum, vel membri partem amputare quando hoc necessarium est ad totius corporis sanitatem: & ratio est, quia

quia membra sunt in bonum totius; si ergo membrum aliquod est toti corpori pernicioſum, & aliunde ejus abſciſſio opitulatur vitæ; utique jus naturæ dictabit recidendum esse. Sic Molina *tom. 4. tract. 2. disp. 10. num. 2.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 9. dubit. 14. n. 96.* Sotus *lib. 5. de Just. quæst. 2. art. 1.* Sà, *verb. homicidium num. 24.* & Toletus *lib. 5. cap. 6. num. 7.*

12 Sed inquires hìc : an teneatur quis ad hanc mutilationem patiendam, si effici debeat magnis doloribus, ac cruciatibus; nam si exigui sint dolores, unumquemque teneri ad illos patiendum ob vitæ conservationem, certum est penes Doctores. Resp. non teneri: & ratio est, quia nemo tenetur vitam propriam defendere, ac conservare cum tanto dolore & magno suo incommodo : remedia enim, ad quæ tenemur, debent esse ordinaria, non vero extraodinaria & adeo difficilia, Sic Sotus, & Lessius *locis citatis*, Filliuccius *tract. 29. cap. 4. quæst 3. num. 76.* Turrianus *disp. 29. dub. 1.* Fagundez *in Decal. lib. 5. cap. 13. num. 6.* & Bonacina *de Rest. per homic. quæst. ult. sect. 1. pun. 6. num. 2.*

Excipi solent ab hac doctrina duo Casus, in quibus tenetur quis abſciſſionem pati etiam cum magnis doloribus, 1. est, quando infirmus est persona valde Reipublicæ, & bono communi necessaria, ut esset Rex, Princeps Dux valde strenuus, & peritus in magno exercitu, vel alia excellens persona, qua demortua, similem reperire difficile sit. Sic Sotus, Lessius *l. c.* Aragonius 2. 2. *quæst. 65. art. 1.* Salon 2. 2. *qu. 65. art. 1. contr. 2.* Navarra *lib. 2. de Rest. cap. 3. n. 102.* Sayrus *lib. 7. c. 9. n. 38.* Fagundez *l. c. n. 7.* & Bonacina *l. c.* qui addunt, posse à Republica cogi ad hoc patiendum, si aliqua spes vitæ habeatur, & ratio est, quia commune bonum præferendum est bono privato.

2. Casus est de Religioso valde utili suæ Communitati, qui cum se totum mancipaverit potestati sui Superioris, tenebitur Superiore sic præcipiente, pati mutilationem ad vitam conservandam, si talis spes fulgeat, Et si tenentur sæculares, ut dictum est in primo casu, ob bonum commune, & sic urgente Republica; multo magis tenebitur Religiosus ob bonum commune suæ Religionis, & sic præcipiente Superiore, cui magis proprium est obedire, & pati. Ceterùm ex vi suæ subjectionis Superiori non evincitur intentum, ut bene probat Salonius *l. c.* & D. Thomas 2. 2. *qu. 65. art. 1. in Corp.* & ratio est, quia superiores, sicuti etiam patres, & Magistri non possunt omnia honesta, si difficillima sint, suis subditis, filiis, & Discipulis præcipere; sed tantùm ea, quæ moderata sunt: difficillima quidem non cadunt sub præcepto. Vide Sayrum *in Clavi Regia lib. 7. cap. 9. num. 38.*

Ex doctriua superius tradita sequitur 1. licitum cuique esse, secare sibi membrum cancro infectum; vel viperæ morsu, aut aspidis venenatum; si hoc necessarium sit ad vitam conservandam, nec aliud suppetat remedium. Sic passim Doctores.

Sequitur 2. licitum esse damnato ad mortem, vel ad mutilationem manus, aut sumptionis veneni scalam ascendere, collum funi aptare, manum extendere ad supplicium, os aperire ad venenum sumendum : & ratio est, quia illæ actiones sunt dispositiones ad mortem, & sicuti licitè possunt illas præcipere Judices, sic & reus poterit illas licitè exequi, & parere Judici sic præcipienti; non enim sunt ipsa mors formaliter, ut patet. Secus verò dicendum putat Fagundez citandus de aliis actionibus quænam accedunt ad mortem; illicitum omnino erit reo illas exercere; sicuti illicitum erit Judici illas reo per sententiam præcipere : Sic non poterit reus ad supplicium damnatus dimittere se è scala præcipitem, si carnifex desit, qui illum dimittat; aut abscindere sibi manum, vel brachium, aut propriis manibus venenum sumere; si ita à Judice vel à Tyranno cogatur, etiamsi per abscissionem manus liberetur à morte quam Judex, vel Tyrannus ipsi ministrantur : & ratio est, quia actiones istæ formaliter continentes mortem vel mutilationem utpote supra vires humanas, ex se illicitæ sunt, nec justè à Judice, vel Tyranno præcipi possunt; nec licite à reis per se ipsos executioni mandari : est enim contra jus naturæ seipsum interficere, & mutilare; adeoque nequibit reus cooperari peccato Judicis, vel Tyranni qui contra jus naturæ id præcipiunt. Nec medium abscissionis manus in tali casu est licitum ex se, aut saltem indifferens; ita ut illo uti possit reus ad majus malum mortis vitandum, est enim omnino illicitum, quia esset cooperari peccato, & injustitiæ Judicis, vel Tyranni. Sic ex D. Thoma 2. 2. *qu. 65. art. 1.* quem sequuntur Sotus, Bannez, Salon, Sayrus, Cajet. Arag. Navarra, Ludovicus Lopez, Rodtiquez, colligit Fagundez, *in Decal. lib. 5. cap. 12. num. 14. & 16.* oppositа tamen sententia sustinetur à Toleto Lessio, Sà, Filliuccio, & aliis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. per homic. quæst. ult. sect. 1. pun. 6. num. 4.* Et hæc sententia mihi probabilior est propter illam rationem vitandi majus malum.

Sequitur 3. licitum esse detento in carcere à latronibus, ac catena ferrea ligato, ut postea occidatur; amputare sibi pedem, ut à vinculis eruatur, & vitam sibi conservet abscondendo se; vel ne voretur à flammis, aut feris, membrum aliquod sibi resecare, per quod ligatus detinetur, ut se eripiat vitamque conservet. Insuper licitum esse, dentes sibi abscindere ad immittendos illos loco glandium plumbearum in sclopum ad vitam suam defendendam ab aggressore injusto, si alia via non suppetat, ut à quodam milite factum referunt historiæ; sicuti etiam licitum erit, si domus comburitur, aut ruinam patitur, posse è fenestra, aut ab alio loco alto se demittere, quamvis prævideat infringendum pedem, vel brachium ob saltum illum : & ratio est, quia ex una parte non habetur cooperatio cum peccato alterius, imò ab ipsorum iniquitate fuga arripitur; ex alia parte jus naturæ dictat, majus bonum præferendum esse minori, & conservationem totius corporis præferendam esse conservationi membri : homo enim plus diligere debet se totum, quam sui partem, & conservando corpus per membri abscissionem, utiliter agit negotium suum; Ergo licitum erit hoc efficere. Sic Major *in 4. dist. 15. quæst. 25. dub. 1.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 65. art. 1. ad 1.* Aragonius & Salon *ibi*, Sayrus *lib. 7. cap. 9. n. 31.* Sotus *lib. 5. de Just. quæst. 1. art. 1.* Toletus *lib. 5. Summ. cap. 6. concl. 2.* Fagundez & Bonacina *locis supra citatis.*

CAPUT VIII.

An liceat Innocentem occidere?

1 *Illicitum est directè Innocentem occidere.*
2 *Illicitum est: pueros Saracenorum, & Turcarum, aut alios innocentes in bello justo captos occidere.*
3 *Illicitum est occidere Obsides innocentes. etiam si illi, qui eos miserunt, non stent promissis.*
4 *Aliquando licitum est indirectè cooperari ad mortem innocentis, non tamen eam directè intendendo.*
5 *An Judex damnare possit ad mortem secundum allegata, & probata, quem privata scientia scit revera esse innocentem.*
6 *An licitum sit dare pharmacum Matri gravidæ, si timeatur periculum abortus?*

INDUBITATUM est penes Doctores, illicitum 1
esse directè Innocentem occidere: & ratio est, quia nemo est Dominus vitæ alterius, & nemo eam tollere potest, nisi ob defensionem propriæ vitæ cum debito moderamine, aut ob justam criminum punitionem cum publica tamen auctoritate. Sic expressè D. Thomas 2. 2. *qu. 65. art. 6.* & cum eo omnes Commentatores ipsius, fundati in illis verbis *Exod. 23. Insontem, & Justum non occides.*

Hinc colligitur 1. illicitum esse occidere pueros Sa- 2
racenorum, & Turcarum, vel alios innocentes in bello justo captos : quia cum sint innocentes directè occidi non possunt. Neque licitam reddere potest talem occisionem motivum illud, quod si adoleverint, evadent hostes infensissimi Christianorum. Nam mala non sunt facienda, ut inde eveniant bona; nec pro malo futuro injungi potest pœna præsens, cum nemo occidi possit pro injuria imposterum patranda; & mors injungi soleat pro delicto patrato, non patrando : maximè quia huic periculo satis obviari potest alia via, si videlicet in servitutem redigantur, & in captivitatem sive in triremibus, sive alibi. Sic Victoria *in Relect. de Jure Belli. num. 38.* Aragonius 2. 2. *quæst. 64. art. 6.* & Bonacina *de Restit. per homic. quæst. ult. sect. 1. pun. 7. num. 7.*

Colligitur 2. illicitum esse occidere Obsides inno- 3
centes etiam si non stent promissis illi, qui eos mise-

sunt; & pari modo illicitum esse occidere innocentes existentes in Castris obsidentium, ut sic obsessi terreantur, & deditionem meditentur: ratio est eadem, quia directè innocentem occidere est intrinsecè malum; Et malum non est faciendum, etiam si inde bona eveniant. Sic Victoria, Aragonius, & Bonacina *locis citatis*, Lessius *lib. 2. de just. cap. 9. dubit. 7. num.* 37. & alii.

4 Indirectè tamen aliquando licitum erit cooperari ad mortem Innocentis, non directè intendendo mortem ipsius, sed liberationem Reipublicæ & Communitatis ab imminenti periculo. Sic si Tyrannus desistere nolit ab obsidione Urbis, cui ruinam minitatur, nisi habeat innocentem, quem interficere cupit; poterit utique Respublica eum cogere, & præcepto compellere, aut ex urbe excludere, ut Tyrannum adeat, & sic cesset hostilitas: & ratio est, quia in tali casu non est directè cooperari ad mortem innocentis, sed tantum eam permittere, cum traditio illa sit ex se indifferens, & mors tantùm indirectè sequatur, & præter intentionem ipsius Reipublicæ, Insuper innocens in casu posito tenetur ex Charitate, & Justitia legali vitam ponere pro Republica, & ultro se exponere Tyranno; Ergo Respublica cooperari poterit ad id, quod innocens absque peccato efficere potest in bonum commune, eo fine tamen non ut innocens occidatur, sed ut Civitas liberetur, quod si facere renuat innocens, jam factus est nocens. Sic Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 10. num. 4.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 9. dubit. 7.* citans Adrianum, & alios, Navarra *lib. 2. de Rest. cap. 3. num. 120.* Filliuccius *tract. 29. num. 11.* & Bonacina *de Rest. per homic. qu. ult. sect. 1. pun. 7. num. 1.* Adnotat & bene Molina citatus, quod licèt possit innocens cogi à Republica, ut hoc efficiat; non poterit tamen Respublica illum interficere propria auctoritate, cum occisio innocentis sit ex intrinsecis suis & ex objecto mala.

Neque opponas: sequi ex hac doctrina, quod si Tyrannus vellet sibi virginem è Republica defloranda, & violandam; aut vellet Sacramenta, reliquias, aut alias res Sacras, quas dehonorare cuperet; possent à Republica permitti. Negatur sequela, lata enim habetur disparitas: eo quia cum non teneatur virgo cum tanto periculo salutis æternæ Tyrannum adire; inde est, quòd Respublica non poterit illam cogere invitam; quidquid sit, si invita non est, aut si teneatur Respublica ad illam defendendam invitam cum tanto suo incommodo, & apud se retinere, aut ab urbe excludere. A fortiori non erunt permittenda sacramenta, & Res Sacræ Tyranno, ut contumeliam patiantur, cum bonum commune Religionis, ac fidei semper præferendum sit bono temporali totius Reipublicæ, quæ tenetur usque ad sanguinis effusionem honorem illorum defendere. Vide Lessium alios referentem *l. c. n.* 40.

Indirectè etiam licebit cooperari ad mortem Innocentis ob victoriam habendam, quando hæc aliter haberi non poterit; intendendo directè victoriam, ex qua indirectè mors innocentis, vel innocentum sequitur: sic in bello justo licitum est mœnia subvertere turres diruere, tormenta bellica ibi dirigere, ubi multitudo habetur etiam innocentum: & ratio est, quia dum victoria procuratur, indirectè, & per accidens horum mors sequitur. Sic Aragonius 2. 2. *quæst. 65. art. 1. ad 1.* & Lessius *lib. 2. de Just. c. 9. dubit. 7. n.* 40. Licebit quoque in bello justo innocentem interficere, qui ex parte opposita pugnat cum ignorantia invincibili; hoc enim spectat ad jura belli justi. Pariter licitum erit ad defensionem propriæ vitæ cum debito moderamine innocentem interficere, quo pro scuto utitur injustus aggressor, cum alia via non habeatur occidendi injustum aggressorem, nisi simul cum innocente; in quo casu non intenderetur innocentis occisio, sed propriæ vitæ defensio ab injusto aggressore. Denique licitum erit fugienti ab hoste per angustum iter, in quo puer baptizatus, vel claudus reperitur; infantem conculcare, aut claudum: eo quia fugiens ab hoste insequente utitur jure suo ad transeundum per illud iter, ut sic vitam defendat, esto sequatur per accidens mors pueri baptizati, vel claudi, quam tantum permittit. Dictum est de puero baptizato, nam si baptizatus non esset; non posset hoc licitè fieri, cum salus spiritualis proximi extremè indigentis præferenda sit saluti corporali propriæ. Sic Lessius referens Cordubam, & Cajetanum *lib. 2. de Just. cap. 9. num. 59.* Rodriquez 1. *part. cap. 136. n. 6.* Filliuccius *tract. 29. cap. 3. quæst. 1. n. 36.* Julius Clarus §. *Homicidium versic. Adde*, & Bonacina *de Rest. per homic. quæst. ult. sect. 1. pun. 7. n. 1. in fine.*

Quæres 1. an Judex possit damnare ad mortem eum, qui secundum allegata, & probata convincitur nocens, quamvis secundum privatam scientiam, quam habet; sit revera innocens? Resp. certum esse penes Doctores, teneri ex Charitate sub culpa gravi ad illum liberandum aliqua via, si possit, ut impediendo actus accusationem; testes rigorosiùs & personaliter examinando; carcerem sine scandalo aperiendo; judicium protrahendo; causam remittendo ad superius tribunal cum protestatione ejus innocentiæ, & similia, in quibus communiter Doctores conveniunt ob indemnitatem debitam Innocentiæ: ut testatur Fagundez *in Decal. lib. 5. cap. 14. n. 1.*

Controversia solùm est, quando nil eorum efficere possit; an secundum allegata, & probata, ac secundum scientiam publicam possit illum licitè ad mortem damnare? Affirmativè respondet D. Thomas 2. 2. *quæst. 67. art. 2.* quem sequuntur communiter Thomistæ, Cajetanus, Sotus, Aragonius, Salon, cum Covarruvia, Sayro, Valentia, Reginaldo, Toleto, Navarro, & aliis Juris utriusque Doctoribus apud Fagundez *loco superiùs citato*, & Bonac. *de Rest. per homic. quæst. ult. sect. 1. pun. 7. n. 2.* imo addunt teneri in conscientia ad hoc in causis tam Civilibus, quàm criminalibus: moventur, quia Judex, qua Judex est, non est persona privata, sed publica; ergo secundum scientiam publicam, non privatam procedere debet. Insuper Judex magis tenetur habere rationem publici Juris, & sui Officii; quàm vitæ alterius privati. Negativè tamen respondent Lessius *lib. 2. de Just. cap. 29. dubit. 10.* Navarra *lib. 2. de Rest. cap. 3. n. 161.* Sà *verb. Iudex* Filliuccius *tract. 29. cap. 2. n. 32.* Nicolaus Lyranus *in cap. 22. Exod.* Corduba *lib. 1. quæst. quæst. 37.* Hostiensis, Calderinus, & Panormitanus *in cap. Pastorali de Offic. Deleg.* Bonacina *disp. 10. in 8. Decal. præcept. quæst. 2. pun. 2. num. 2.* alios referens, & Cardinalis Delugo *disp. 37. sect. 14.* moventur, quia directè innocentem occidere est intrinsecè malum; ergo quomodocumque sciatur, innocentem esse, peccatum erit illum occidere; repugnans siquidem est Juri tam naturali, quàm Divino directè mortem innocentis intendere, etiam ad servandum Ordinem Juris positivi, juxta illud *Exod. 22. Insontem, & Justum non occides.* Et ratio ulterior est, quia ideo tenetur Judex ad judicandum secundum allegata, & probata, ut servetur Veritas, & non habeatur error in judicando; ergo si Judex est certus, se errare, nec veritatem servare juxta allegata, & probata; non tenetur ad judicandum juxta illa. Confirmatur: per adversarios Judex Supremus non potest hunc innocentem condemnare; ergo neque Judex inferior, cum non teneatur inferior ad servandas leges superioris cum tanto incommodo Innocentis. Quapropter Raymutius *in sua Glossa ait*, sic testante Sylvestro *verb. Iudex 2. quæst. 5.* debere potiùs Judicem omnia mala tolerare, quam condemnare talem ad mortem, vel mutilationem præcipiente etiam superiore; quia in hac pœna homo non est subjectus dispositioni Reipublicæ, & superioris, cum nec Respublica, nec Superior possint eam pœnam innocenti inferre nisi ob culpam veram. Ex dictis solutæ remanent rationes adversæ sententiæ, quam non nego suam probabilitatem habere ob tantorum Virorum Auctoritatem, quamvis hanc secundam sententiam longè probabiliorem existimem.

Adnotandum hìc 1. extendi etiam hanc doctrinam ad pœnam Mutilationis, cum eodem modo discurrendum sit de ea respectu Innocentis, ac de morte juxta Doctores citatos. Non sic verò ad alias pœnas criminales mitiores, ut est exilium, pœna pecuniaria; aut quid simile; & multò minùs ad causas Civiles, in quibus quoties Judex compellitur, poterit secundum allegata, & probata sententiam ferre: & ratio est, quia ex una parte Respublica potestatem habet in bona suorum Civium, cùm id requirit bonum publicum, quale est, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur; ex alia parte innocens per appellationem potest in integrum restitui, quod effici nequit in pœna mortis, & Mutilatio-

tionis; ergo sufficientes causas habet ad judicandum secundum allegata, & probata. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 29. *dub.* 10. Navarra *lib.* 2. *de Rest. cap.* 3. *n.* 157. Aragonius 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 5. Bonacina *disp.* 10. *in* 8. *Decal. præcept. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 4. & Layman *cap.* 2. *n.* 4. cum aliis.

Adnotandum 2. non valere vice versa Doctrinam superiùs allatam in eo casu, quando Judex inferior per scientiam privatam noscit aliquem nocentem, quamvis juxta allegata, & probata demonstretur innocens: & ratio est, quia talis Judex non habet facultatem derogandi legibus superioris, sed tenetur se conformare illis: cum igitur ordo legum sit, non posse condemnari eum, qui secundum allegata, & probata convincitur innocens; sive hic ordo sit Juris positivi, ut sustinet Sayrus *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 16. sive sit Juris Gentium, ut putat Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 10. *n.* 95. Idem dicunt de Judice Supremo, qui via ordinaria, & per se loquendo non potest hujusmodi reum condemnare, quoties crimen occultum est, & secretum, ac probari non potest, Aragonius, & Navarra apud Sayrum, & Lessium *locis citatis* contra Covarruviam. Extendunt hanc doctrinam non solùm in causa mortis, & mutilationis, verum etiam in privatione bonorum. Vide Bonacinam *disp.* 10. *in* 8. *Decal. præcept. quæst.* 2. *pun.* 2. *n.* 5. qui allegat Lessium, Sayrum, Navarrum, Cajetanum, Navarram, Filliuccium, & alios contra Covarruviam.

6 Quæres 2. an licitum sit dare pharmacum Matri gravidæ, ex quo habetur periculum, quod fœtus moriatur? Resp. certum esse penes Doctores, numquam licere dare pharmacum Matri gravidæ ex se ordinatum ad abortum, & occisionem fœtus: sive hoc fiat ante, sive post animationem ipsius fœtus & ratio est, quia non licet directè occidere innocentem cum ejus periculo salutis spiritualis, ut vita temporalis alterius servetur: nam tenetur Mater vitam suam temporalem exponere pro vita spirituali filii. Nec hoc fieri potest ante animationem filii, quia procurare abortum directè, ita videtur illicitum, etiam ob salutem Matris, ac directè procurare pollutionem ob salutem: cum non sint media necessaria ad illam, & directè adversantur naturæ generationis. Sic Covarruvias 2. *par.* §. 3. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 10. *n.* 6. Navarra *lib.* 2. *de Rest. cap.* 3. *num.* 140. Sà *verb. Homicidium n.* 1. & alii apud Sanchez *de matr. lib.* 9. *disp.* 20. in quo Doctores conveniunt. Si verò mater periculosè laboret, nec aliud supersit remedium ad ejus vitam conservandam, quam pharmacum sumere ex se sanativum morbi, aut venæ scissionem; pati poterit his medicaminis licitè uti cum directa, & positiva intentione expellendi morbum, esto inde sequatur expulsio fœtus nondum animati, aut qui probabiliter non reputatur animatus: & ratio est, quia cum mater sit in certa possessione suæ vitæ, & fœtus in nulla possessione, aut saltem dubia; ideo Mater uti potest jure suo aptando remedia illa ad conservationem suæ vitæ, quamvis per accidens sequatur expulsio fœtus: sicuti licitum est uti medicamine ex se sanativo morbi cum directa intentione sanandi morbum, esto quòd per accidens ex illo sequatur ebrietas, aut pollutio. Sic Covarruvias, Sylvester, D. Antoninus, Lessius, Navarra, Sayrus, quos refert, & sequitur Fagundez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 29. sic etiam Sanchez, Navarrus, Sà, Henriquez, Filliuccius, & Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. per homic. quæst. ult. sect.* 1. *pun.* 7. *n.* 3. Secus verò dicendum, si fœtus sit animatus; tunc enim licitum non erit, hæc medicamina sumere, aut venæ abscissionem pati, etiam cum positiva, & directa intentione curandi morbum & non faciendi abortum: ratio autem est, quia jam fœtus stat in possessione vitæ, & licèt mater stet etiam in possessione vitæ; nihilominus cum fœtus sit in extrema necessitate spirituali, ideo salus illius spiritualis præferenda erit necessitati corporali Matris. Sic D. Antoninus, Sylvester, & Navarrus apud Sayrum *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 20. Sic etiam Lessius, Sanchez, & Filliuccius apud Bonacinam *l. c.* contra Cordubam, & alios.

Adnoto 1. ex Lessio, Sayro, & Sanchez *locis citatis*, quòd si nulla sit spes, ut proles viva edatur, & aliunde sit spes salutis Matris; poterit licitè adhiberi medicamen illud ex se sanativum morbi, etiamsi fortè æquè ordinetur ad sanandum morbum, ac ad occidendum fœtum: & ratio est, quia Mater licitè utitur jure suo, nec tenetur ad exponendam propriam salutem corporalem, quando nulla spes habetur salutis spiritualis proximi. Quòd si medicamen esset tantùm ex natura sua ordinatum ad occidendum fœtum; non poterit ullatenus licitè adhiberi juxta superiùs dicta, etiamsi non habeatur talis intentio illum occidendi.

Adnoto 2. juxta communiorem Regulam inter Doctores receptam, fœtum, si masculus est, animari in utero Matris post dies quadraginta; si tamen fœmina post dies octoginta: comprobatur tum Authoritate Aristotelis *lib.* 5. *animal. cap.* 3. *&* 9. tum Hyppocratis *lib. de natur. fœtus*. Et quamvis hoc ipsum incertum sit ob varias Doctorum Opiniones de animatione fœtus, nihilominus cum aliqua Regula in hoc tradenda sit, nec communiorem ista reperimus; ideo probabiliter eam sequi possumus, nisi ex signis aliter certò constare possit. In dubio autem an fœtus sit animatus, standum est pro animatione.

CAPUT IX.

An aliquando liceat Duellum?

1 *Explicatur quid veniat nomine Duelli.*
2 *Duellum ex genere suo grave peccatum est.*
3 *Damnatur ab Ecclesia sub gravibus pœnis, quæ recensentur.*
4 *Advertuntur septem valde necessaria ad materiam Duelli.*
5 *Quisnam habeat facultatem absolvendi ab excommunicatione contracta ob causam Duelli?*
6 *An Regulares juxta sua Privilegia possint ab hac excommunicatione absolvere?*
7 *An ita Duellum illicitum sit; ut numquam reddi valeat licitum?*

ID quod latine Duellum dici solet, grecè dicitur Monomachia, & definiri solet: Duorum, vel etiam plurium certamen, quod ex condicto in certo, & convento loco, ac tempore suscipitur uno indicente, & altero acceptante. Ex quo patet, non quodlibet duorum certamen dicendum esse duellum, si non fiat ex condicto, scilicet ex pacto, statuto tempore, designato, & convento loco. Sic Sanchez *lib.* 2. *decal. cap.* 39. *num.* 1. Azor. 3. *Part. lib.* 2. *cap.* 5. Salon 2. 2. *quæst.* 9. *art.* 3. & alii. 1

Duellum ex genere suo grave peccatum est: & ratio est, quia per ipsum vita innocentis temerè exponitur periculo; nam evenire potest, ut innocens occidatur, quod est intrinsecè malum contra jus naturale, & nulla consuetudine cohonestabile. Insuper quia non licet privata authoritate alium occidere, & à fortiori non licebit in duello; cum prohibitum sit Jure naturali, & divino, ut bene ostendit Peregrinus *quæst.* 17. est enim exponere propriam, vel alienam vitam periculo mortis absque sufficienti motivo; nec non Jure Canonico sub excommunicatione, & aliis pœnis gravissimis. 2

Damnatur ergo ab Ecclesia duellum ob multas, & graves causas, quas recenset Julius II. *in sua Const. mense Aprili ann.* 1508. Et 1. damnatum fuit *in Cap. Monomachiam* 2. *quæst.* 5. *& Cap.* 1. *&* 2. *de Purgat. vulgari*. 2. à Tridentino *sess.* 25. *cap.* 19. *de Reform.* 3. à Variis summis Pontificibus sive ante, sive post Tridentinum, scilicet à Julio II. Leone X. Clemente VII. Julio III. Pio IV. Gregorio XIII. & tandem à Clemente VIII. qui confirmavit suorum Prædecessorum pœnas, & excommunicationem impositas, extendens eas ad Imperatores, Reges, & alios quoscumque, qui publicè, vel privatim, etiam sine cartulis, litteris provocatoriis, vel Patrinis duellum commiserint; vel si convenerint, ut non singuli cum singuli, sed bini cum binis, terni cum ternis hinc inde pugnent. Delinquentes igitur contra Constitutiones Pontificias adversus duellum emanatas ultra confiscationem bonorum, & alias pœnas pro qualitate Personarum, incurrunt Excommunicationem. Civitates verò, Oppida, & loca, in quibus duellum committitur scientibus, & permittentibus ipsorum Dominis, Ecclesiastico Interdicto subjiciuntur. Decertantes denique, si in ipso conflictu obierint, privandi erunt Ecclesiastica sepultura. Quòd si duel- 3

si duellantes fuerint Clerici ultra suspensionem *ex cap. 1. de Cleric. pugnant. in duell.* & Excommunicationem ipso facto incurrendam *ex Trident. cit.* privandi erunt Beneficiis, dignitatibus, & Officiis Ecclesiasticis cum inhabilitate ad illa, vel alia imposterum obtinenda *ex Constit.* Pii IV. hac de re edita.

4 Advertendum 1. Bellum non esse duellum, cum non servetur in bello idem numerus personarum, nec pugna est ex condicto, statuto loco, & tempore, quod de necesse requiritur ad rationem duelli. Quòd si in bello unus dux mittat viginti milites ad pugnandum, contra quos totidem expediat dux adversi exercitus; tunc conflictus ille non dicendus erit propriè duellum, sed pars belli publica auctoritate suscepti ob bonum commune, & justis de causis. Vide Bonacinam *de excomm. in part. disp. 2. quæst. 3. punct. 48. num. 3.* qui allegat Sayrum, Navarram, Sanchez, Reginaldum, & Valentiam.

Advertendum 2. non esse propriè duella quotidianos conflictus, qui altercatione, & subito iræ furore nascuntur: cum non sint ex deliberatione, & ex condicto, etiam si aggrediens dicat, evagina ensem, volo enim tecum duellare. Sic idem Bonacina *l. c. num.* 5. referens Filliuccium, Tuscum, Sanchez, & Peregrinum. Idem dicendum de militibus, & aliis armigeris, qui se invitant ad pugnandum, & districtis ensibus pugnant, & se occidunt; eo quia nec pugna fit ex determinatione loci, nec temporis. Secus verò dicendum, si locum, & tempus determinarent.

Advertendum 3. invitationem ad pugnandum ex calore rixæ, aut iracundiæ, etiam si fiat cum assignatione loci; ut hic, & nunc ensem distringe, ut pugnemus; non dici propriè invitationem ad pugnam ex condicto, quod requirit præviam aliquam deliberationem; adeoque non sufficere ad duellum constituendum; ut rectè advertit Sanchez *in Oper. Moral. lib. 2. cap. 39. num.* 28. ex Farinacio, & cum eo sentiunt Graffius, Peregrinus, Filliuccius, & alii.

Advertendum 4. non committere, duellum, qui videns inimicum suum in Ecclesia ob reverentiam loco sacro debitam, dicit illi: exi foras, ut ibi pugnemus; vel videns inimicum in medio plateæ, aut domi suæ cum consanguineis, invitat illum, ut exeat, & solus pugnet in eo loco, ubi ipse reperitur; nam hoc non est propriè indicere locum, & tempus, sed potiùs observare reverentiam loco sacro debitam, & præcavere se à multitudine, quæ posset inimico favere. Sic Sanchez *l. c.* Delrius *lib. 4. disquis. Magic. cap. 4. sect. 2.* & Fagundez *lib. 5. in decal. cap. 8. nu. 33.*

Advertendum 5. Principes Christianos permittentes duellum in suis terris non incurrere pœnas contra permittentes duellum, si duellantes sint infideles, quia expressè prohibetur contra Christianos. Quòd si ex duellantibus unus sit infidelis, alter Christianus; utique prædictas pœnas incurrent, ut patet ex Constitutione Clementis VIII.

Advertendum 6. pœnas contra duellantes incurri effectu secuto, secus verò si non sequatur effectus; nam tunc non incurrent dictas pœnas duellantes. Non idem tamen dicendum de dominis locorum permittentibus duellum, de Patrinis, sociis, suasoribus, mandantibus, instigantibus, consilium, aut favorem præbentibus: ut patet ex verbis Bullæ ipsius Clementis, qui istos incurrere declarat, etiam effectu non secuto; quamvis nil dicat de ipsis duellantibus. Sic Sanchez, Delrius, Sayrus, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Fagundez *in decal. lib. 5. cap. 8. nu. 29.*

Advertendum denique: spectatores ex composito, seu ex proposito, qui adjuvandi causa, aut favendi duellanti in pugna, quem comitantur; incurrere excommunicationem, etiam si pugna non sequatur, cum fiant sic talis criminis socii. Non verò spectatores illac casu transeuntes: & duellum aspicientes; aut subsistentes; in loco duelli, ut pugnam dirimant: cum non sint spectatores ex composito, modo tamen statim recedant, si nulla spes adsit dirimendi pugnam, ne videantur sua præsentia animum præbere duellantibus. Sic Sanchez, *tom. 1. decal. lib. 2. cap. 39. nu. 31.* Filliuccius *tract. 29. cap. 9. nu. 177.* & Fagundez *in decal. lib. 5. cap. 8. nu. 36.*

5 Rogabis hic: quisnam habeat facultatem absolvendi ab excommunicatione contracta ob causam duelli? Resp. quidquid sit de Jure Concilii Tridentini, & Motus proprii Gregorii XIII. Pius IV. *in suo Motu proprio edito ann. 1560.* & Clemens VIII. *in sua Constitut.* quæ incipit, *Illius vices ann. 1592.* hanc excommunicationem sibi, & sedi Apostolicæ reservarunt; quapropter solus summus Pontifex habebit facultatem eam auferendi. Episcopus verò absolvere poterit, quando delictum est occultum, & nondum ad forum contentiosum deductum, ut colligitur ex Privilegio Episcopis concesso à Tridentino *sess. 24. cap. 6.* quod non est abrogatum per Bullam Clementis VIII. cum in ea nulla fiat mentio abrogationis talis facultatis, quæ mentio esset necessaria: ut docent Rodriquez, Sanchez, Henriquez, Suarez, Peregrinus, & alii relati à Bonacina *de excommunic. in Partic. disput. 2. quæstion. 3. punct. 48 numero 38.* Poterit insuper absolvere episcopus, si justo detineatur impedimento pœnitens, ne Pontificem adire possit: ut colligitur *ex Cap. de cætero de sentent. excommun.* Confessarius virtutæ Bullæ Cruciatæ electus poterit ab hac excommunicatione absolvere semel in vita, & semel in Mortis articulo juxta facultatem in ipsa Bulla contentam: ut docent Sanchez *libr. 2. in decalog. capit. 39. numero* 27. Addit Gaspar Hurtado *disput. 29. de Peccat. difficul. 30.* posse non solùm semel, sed etiam bis virtute duarum Bullarum absolvere à tali excommunicatione, & citat pro hac sententia Petrum Hurtado.

Dubium tamen est: an Regulares juxta sua Privile- 6
gia possint ab hac extommunicatione absolvere? Et ratio dubitandi est, quia Clemens VIII. decernit, ut non possint absolvi illi, qui eam incurrerint virtute ullius Privilegii concessi quibuscumque Religiosis, seu Personis cujuscumque status: quapropter existimat Sanchez *libro 2. in decal. cap. 39. numero* 27. hodie nullum ex Religiosis virtute suorum Privilegiorum concedentium omnes Casus Papæ reservatos posse ab illa absolvere: cum derogatum sit per prædictam Constitutionem talibus Privilegiis. Nihilominus sua probabilitate non caret sententia asserens, posse hodie Religiosos, qui virtute suorum Privilegiorum habent Casus Papæ reservatos, absolvere à tali excommunicatione in urbe, & extra Italiam: ut constat ex declaratione Congregationis Cardinalium specialiter deputatæ ab ipso Clemente ad explicanda dubia suæ Constitutionis, quæ solùm revocavit in Italia, & per Italiam extra Urbem, Sic Filliuccius, Comitolus, Bonacina, Gaspar Hurtado, quos refert, & sequitur Fagundez *in decal. lib. 5. cap. 8. num.* 5.

Remanet tandem inquirendum de Duello, an ita 7
illicitum sit, ut nunquam licitum reddi possit? Nam licitum reddi nequit ad indagandam veritatem, justitiam, vel purgationem à crimine objecto; nec ad litem terminandam, injuriam, vel inimicitiam, aut ad vires ostentandas, vel vitandam ignominiam. Quamvis ergo duellum, ut ostensum est, *num.* 2. per se loquendo illicitum sit, excipi nihilominus poterunt aliqui Casus, in quibus licitum reddi possit juxta mentem Doctorum citandorum. 1. igitur acceptari, vel offerri licitè poterit duellum ad conservandam existimationem exercitus apud hostes, vel ad eos debilitandos, aut ad bellum terminandum cum pugna duorum, & cum minore damno: ratio est, quia tunc exponitur periculo pars, ut totum servetur; imò possumus dicere, tunc haberi partem belli, non verò duellum. Sic Azor. Navarrus, Toletus, Sanchez, Becanus, Filliuccius, Cajetanus, Navarra, Azevedus & Valentia, quos referunt, & sequuntur Bonacina *de Excomm. in partic. disp. 2. quæst. 3. pun. 48. num.* 18. & Fagundez *in Decal. lib. 5. cap. 8. num.* 46. 2. licitum erit duellum acceptare, quando quis compellitur sub vitæ periculo ad illud acceptandum: quia tunc esset justa sui defensio. Similiter dicendum, si Judex duos damnatos ad mortem vellet duello congredi; tunc enim constituerentur publici Ministri Justitiæ: ut docet Trullench *lib. 5. cap. 2. disp. 13. num. 4.* & alii,

CAPUT X.

An licitum sit bellum, & quomodo?

1 *Bellum aliud defensivum, Offensivum aliud.*
2 *Bellum Defensivum authoritate privata susceptum licitum. Offensivum vero, sub certis conditionibus suscipiatur; licitum erit.*
3 1. *Conditio est, ut incidens bellum authoritatem habeat.*

4 2. *Con-*

4 2. *Conditio est, ut justa, & gravis causa interveniat.*
5 3. *Conditio est, ut recta intentio habeatur.*
6 *An habens facultatem indicendi bellum possit illud semper indicere, dum habet justam causam?*
7 *An dubitans, si justam causam habeat indicendi bellum; possit illud indicere?*
8 *An bellum possit esse justum ex utraque parte bellantium.*
9 *An milites, ut licite militent in bello; teneantur examinare justam causam belli?*
10 *An licitè inferri possit bellum infidelibus, eosque vita, & bonis privare?*
11 *An quibus bellum exerceri possit, & quonam tempore?*
12 *Quænam licite fieri possint in bello justo?*
13 *Ad quem spectant bona hostibus sublata?*
14 *An possint occidi hostes, qui deditionem fecere.*
15 *An servus bello justo captus fugere possit, & in libertatem se redigere?*
16 *An licitæ sint Repressaliæ.*

1 BELLUM, quod tale à belluis dici consuevit, vel per antiphrasim, quia scilicet nil belli habeat propter varia, & diversa incommoda, quæ secum afferre solet, aliud est Defensivum, Offensivum aliud. Defensivum illud dicitur, quo vis injustè illata repellitur. Offensivum verò, quod etiam Vindicativum appellatur, illud est, quo vis infertur. Utrumque *Bellum* definiri poterit: Conflictus armorum; seu professio nocendi vi, & armis parti contrariæ.

2 Jam verò bellum defensivum, etiam privata authoritate susceptum, licitum esse, concors Doctorum sententia sustinet. De bello offensivo major habetur difficultas, an licitum esse possit Christianis. Nihilominus si cum certis conditionibus, quas recensebimus fiat, licitum esse posse, docent Molina, Valentia, Sayrus, & alii penes Bonacinam *de Restit. in Partic. pun. ult. de Bello §.* 1. Moventur tum ex pluribus Scripturæ exemplis, Abrahæ scilicet, Mosis, & aliorum, quæ refert Molina *tom.* 1. *disp.* 99. tum etiam ratione: quia Jure naturæ competit etiam Christianis non solum jus propulsandi injurias se defendendo cum debito moderamine; verum etiam jus prohibendi, ne injuriæ inferantur, & si illatæ fuerint amovendi illas, ac aliquo modo vindicandi compensationem, ut sic Cives salvi vivere possint, ac tuti; sed aliquando hoc obtineri nequit, nisi per bellum, dum non datur Superior utrique parti, ad quem recursus fieri possit pro compensatione injuriarum; Ergo bellum licitum aliquando esse poterit etiam Christianis. Nec juvat opponere aliqua Scripturæ loca, quibus videtur bellum offensivum, & vindicativum prohiberi Christianis; ut est, Si quis te percusserit in una maxilla, præbe ei & alteram. De facili enim respondetur, hoc non intelligendum esse de bello justo, ac publica authoritate suscepto; sed de privata vindicta, quæ minimè suscipienda est privata authoritate: cum quilibet Christianus paratus esse debeat ad privatas injurias tolerandas non realiter, & materialiter præbendo maxillam alteram, sed ut animo pacato, ac rectè disposito toleret injurias, si inferantur.

3 Conditiones requisitæ ad hoc, ut bellum Offensivum licitum sit; tres communiter enumerantur. Et 1. omnium est Authoritas in indicente bellum, nam si bellum indicens tali auctoritate careat, licitum esse non poterit: ut patet *ex cap. Quid culpatur 23. quæst.* 1. & ex communi sententia Doctorum.

Sed petes 1. Quinam sint, qui habeant facultatem, & auctoritatem indicendi bellum? Resp. esse Principem, vel Rempublicam perfectam nullum agnoscentes Superiorem in sua Jurisdictione: ita sunt Papa, Imperator, Reges, & quædam Respublicæ, uti Venetorum Genuensium &c. Sic Mol. *disp.* 100. Cajet. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 3. *art.* 5. Covar. *Reg. peccatum par.* 2. *§.* 9. *n.* 1. Filliuc. *tract.* 29. *cap.* 9. *quæst.* 1. *n.* 185. & Bonac. *de Rest. in part. pun. ult. de Bello §.* 2. *n.* 4. Loquimur hic de indicendo bello offensivo, nam de defensivo interveniente justa causa, & recta intentione cuicumque licet illud aggredi, cum cuicumque liceat ex jure naturæ vim vi repellere auctoritate propria: ut ex Valentia, Molina, Azorio rectè admonet Bonacina *loc. cit.*

Petes 2. an licitè Ministrari possint subsidia Militantibus cum legitima auctoritate ab iis, qui nullam accepere injuriam, nec bellum geri interest ad illos? Resp. affirmativè: & ratio est, quia exercentes bellum justum opus bonum exercent; ergo adjuvare illos in opere bono licitum erit, & absque ullo peccato fieri poterit. Sic ex communi Doctorum Bonac. *l. c. n.* 5.

2. Conditio requisita ad bellum, ut licitum sit; est 4
justa causa, & ea gravis: ut esset necessitas boni communis, & quietis conservandæ; recuperatio injustè ablatorum; coercitio Rebellium; defensio innocentium, & similes: ut colligitur *ex cap. Dominus noster 23. quæst.* 2. Generaliter autem tunc censetur adesse justa causa, quoties bellum indicitur ad justè impediendam, aut vindicandam, vel compensandam injuriam: ut bene adnotarunt Mol. *disp.* 102. Rodriq. 1. *part. cap.* 126. *n.* 1. & Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. cum aliis. Injuriæ verò, ob quas licitè bellum assumi potest, sunt variæ. Quando videlicet denegatur id, quod Jure debetur; aut recuperari debent bona, quæ injustè detinentur, ut si subditi unius Regis prædas agant in Regno alterius Regis; poterit enim tunc Rex invasus bellum gerere, si alter Rex satisfactionem, & compensationem prædarum deneget; cum habeat jus talem compensationem, & satisfactionem exigendi: ut docet Azor. 3. *part. lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 19. Quando defendenda est Respublica contra oppugnantes illam injustè; Quando impedienda sunt auxilia, quæ afferuntur hostibus: quia sicuti licitè bellum geritur cum hostibus, ita etiam licitè geri poterit cum ferentibus auxilium ipsis. Quando irrogata est publica contumelia Principi, aut ejus subditi sunt rebelles, vel ipsis auxilium præstatur, & favor, vel aliis malefactoribus, & perturbatoribus publicæ quietis. Denique quando violantur fœdera, aut pacta inita. De his, & similibus causis cum exemplis Scripturæ Sacræ doctissimè peragunt Molina *disp.* 104. & Azor. *l. c. quæst.* 34.

3. Conditio requisita, ad hoc ut bellum licitum sit; 5
est recta intentio, ut constat *ex cap. Quid culpatur 23. quæst.* 1. Dicitur autem adesse recta intentio, quando non ex odio, sed ex amore boni communis, pacis &c. bellum suscipitur. Quamvis hæc conditio non ita necessaria reputetur, ut si ipsa deficiat; bellum sit injustum, aut inducat obligationem restituendi; sicuti eam inducunt prima, & secunda conditio ex enumeratis. Sic ex D. Thom. docent Mol. *disp.* 107. Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. Laym. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 12. Sayr. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 8. Rodriq. 1. *part. cap.* 126. *n.* 1. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 6. Hæ sunt tres illæ conditiones, quæ bellum, & justum, & licitum reddunt; remanent nihilominus enodandæ nonnullæ dubietates, quæ in hac re insurgere possunt.

Dubitatur 1. an habens facultatem indicendi bellum 6
possit semper illud indicere, semel ac habet justam causam? Resp. priùs petendam esse condignam satisfactionem à parte adversa, quæ si offeratur non erit licita, & justa belli indictio: eo quia per talem sufficientem satisfactionem oblatam cessat injuria præterita quæ est causa justa indicendi bellum, & illud jam incœptum prosequendi. Sic Mol. *disp.* 103. Rodriq. *l. c.* Sà *verb. Bellum n.* 9. & Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 8. contra Cajetanum. Imò addit Molina citatus, probabilius esse, si jam cœptum sit, finiri mox debere satisfactione oblata saltem ex Charitate, si non ex rigore Justitiæ. Bellum quoque ex Charitate intermitti debet, si scandala ex eo sequantur, & damna longè majora toti Reipublicæ, etiamsi inimicus nolit satisfactionem condignam præstare: quia ut advertit Bonac. *pun. ult. de Bello §.* 2. *n.* 9. Charitas dictare videtur, quòd semper majus damnum præcavendum sit.

Dubitatur 2. an dubitans, si justam causam habeat 7
indicendi bellum, possit illud indicere? Resp. ante diligentem, & accuratam inquisitionem de Justitia belli non posse indici ab habente facultatem indicendi illud: cum teneatur, antequam bellum incipiat; omnem adhibere diligentiam, ut certus sit de Justitia belli, & de gravitate causæ; quapropter curare etiam tenetur, ut habeat Peritos, & Probos Consiliarios; ut non tantùm à suis Consiliariis, sed etiam à variis Theologis examinetur belli Justitia, qui liberè suam sententiam proferant; ut auditis omnibus ipse quoque coram Deo illam examinet, statuatque id, quod in puncto suæ Mortis, statuendum putaret; ut attendat, & invigilet, an à suis impediantur, vel intervertantur litteræ, aut instructiones ad ipsum. Quòd si his omnibus

bus adhibitis, adhuc dubius manet de justitia belli, non poterit bellum indicere, si alter stet in possessione, cum in dubiis melior sit conditio possidentis. Sic Valent. Azor. Victor. Barn. Rodriq. Sà, Reginal. & Filliuc. quos refert, & sequitur Bonac. *de Bello pun. ult. §. 2. num. 8.*

8 Dubitatur 3. an bellum possit esse justum ex utraque parte bellantium? Resp. materialiter, & in se non posse esse utrique parti justum: cum realiter uni parti tantùm competere possit Jus, nec actus contrarii circa idem spectare possint ad eamdem virtutem; formaliter verò, & per accidens posse esse justum utrique parti, propter ignorantiam invincibilem alterius partis. Sic Covarr. *ad Regul. Peccatum par. 2. §. 6. n. 10.* Azor. *3. part. lib. 2. cap. 7. quæst. 24.* & Filliuc. *tract. 29. cap. 9. n. 185.* cum aliis. Advertit tamen Azor, quòd pars, quæ scit, bellum esse injustum, quantum spectat ad se, justum verò quantum spectat ad hostes; non possit licitè se defendere, nisi de hoc partem contrariam certiorem faciat eidemque satisfactionem offerat, nec tamen hęc ab illa acceptetur cum circa eamdem rem non possint duo habere contraria jura. Quòd si pars contraria admonita adhuc desistere nolit, tunc poterit etiam cum morte adversariorum se defendere, servato semper moderamine inculpatæ tutelæ: quia tunc utitur jure à natura habito, ut superiùs innuimus.

9 Dubitatur 4. an Milites, ut licitè militent in bello, teneantur examinare justam causam belli, si revera habeatur, & talis sit? Resp. Milites subditos Principis indicentis bellum, vel ab eo conductos cum stipendio assignato etiam tempore pacis, & ante bellum non teneri inquirere de Justitia belli, quamdiu nulla vehemens suspicio occurrat in contrarium, quæ reddat positivè eos dubios de Justitia: & ratio est, quia præsumere debent in favorem sui Principis, cui in dubiis tenentur obedire: nam authoritas sui Principis plerumque sufficiens est illis ad positivè formandum judicium probabile de Justitia causæ indicendi bellum, ne cum fide dubia operentur. Sic Mol. referens Cajet. & Victor. *disp. 113. Tab. verb. Bellum n. 14.* Sà *eod. verb. n. 10.* Ang. *eod. verb. n. 3.* Azor. *3. par. lib. 2. cap. 7. quæst. 21.* Cardinalis Delugo *disp. 18. de Just. sect. 1. n. 21.* Si verò non sint subditi, nec stipendio priùs conducti, sed de novo conducuntur; tenentur priùs inquirere de justitia belli, cum non possint cum dubio sponte ad bellum accedere: & ratio est, quia se exponerent periculo inferendi injustum damnum parti adversæ; nec ulla necessitas eos cogit ad obediendum Principi cum tali dubio, & periculo. Quòd si morali diligentia facta, ac debita inquisitione adhibita sibi persuadeant, bellum esse justum; aut ob bonam opinionem, quam habent de æquitate, & pietate Principis, aliàs bellum non indicturi, si injustum esset, probabile judicium sibi formant de justitia belli; poterunt utique licitè sub illo militare. Sic Mol. referens Cajet. & Sylv. *disp. 114.* Navar. *in Summ. cap. 15. n. 15.* cum Filliuc. & Azor. *l. c.*

Ex dictis sequitur 1. Militem paratum ad pugnandum, sive bellum justum sit, sive injustum; esse in malo statu, & incapacem absolutionis, nisi mens ejus corrigatur. Sequitur 2. militem etiam subditum, qui practicè non deposuit dubium de injustitia belli; teneri ad restitutionem damnorum illatorum si postea compererit bellum fuisse injustum: quia sicuti perseverante dubio non excusatur à peccato injustitiæ, ita neque excusari debet ab obligatione restituendi. Quòd si miles sive subditus, sive non deposito dubio de injustitia belli, pugnaverit; non tenebitur ad restitutionem, postquam cognoverit injustitiam belli; nisi in eo, in quo invenerit se factum locupletiorem; cum bona fides eum excuset. Sic Molina, Bannez, & alii apud Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 23. n. 6.*

10 Dubitatur 5. an licitè bellum inferri possit infidelibus, eosque vita, & bonis privare? Resp. si infideles subditi sint alicui Principi Christiano, aut Reipublicæ defacto, & de Jure, ut sunt Judæi in Italia, aut alii infideles habitantes in Terris Christianorum; interveniente justa causa licitè poterit illis bellum inferri, & consequenter propter scelera commissa, aut sic exigente communi bono eos vita, & bonis privare: ratio est, quia revera subditi sunt de facto, & de jure Principi, aut Reipublicæ, ad quos spectat justa interveniente causa eos coercere. Sic Valentia, Salon, & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de Bello pun. ult. §. 2. n. 12.* Si verò Infideles subditi sint de Jure, non verò de facto, ut sunt Turcæ, & alii occupantes Terras, ad quas jus habent Christiani, licèt de facto possideantur ab ipsis Turcis; etiam poterit illis bellum licitè inferri justa interveniente causa, eosque bonis, ac vita privare: quia licèt non sint subditi de facto, sunt tamen subditi de Jure; adeoq; coerceri poterunt vel à Principe, ad quem spectat jus illud; vel ab aliis habentibus facultatem tacitam, vel expressam à Summo Pontifice. Sic Valent. 2. 2. *disp. 3. quæst. 16. pun. 2.* & alii quos refert Azor. *3. par. lib. 2. cap. 7. quæst. 30.* & Bonacina *l. c.* Hinc sequitur, quòd christiani nec peccent, nec ad restitutionem teneantur, si navigantes bona Turcarum capiant, dummodo habeant generalem facultatem à Principibus capiendi similia bona. Nec pariter peccant, aut ad restitutionem tenentur expellentes, ferientes, aut occidentes piratas, qui ad littora accedunt: sunt enim piratæ injusti aggressores, contra quos etiam sine moderamine inculpatæ tutelæ bellum defensivum geri potest, & consequenter titulo belli justi eos licet occidere, ac bonis spoliare. Si tandem infideles nec defacto, nec de jure subditi sint, ut sunt Indi, ac Pagani, qui nec possident Terras Christianorum, nec Romano Imperio Christiano subditi fuere; per se loquendo non poterit illis bellum licitè inferri, & consequenter nec eos vita, & bonis privare licet: cum nullum jus supra ipsos habeant Christiani Principes: ut docent Cajet. 2. 2. *quæst. 66. art. 8.* Azor. superiùs citatus, & alii cum Bonac. *de Bello pun. ult. §. 2. n. 12.*

Dantur nihilominus tituli aliqui, ob quos licitè bellum ipsis inferri potest. 1. titulus est, si ab ipsis impediatur prædicatio Legis Evangelicæ; facerent enim injuriam Ecclesiæ impediendo promulgationem illam; cum Ecclesia acceperit potestatem à Christo Domino prædicandi Evangelium omni creaturæ, & universo Terrarum Orbi; adeoque licitè poterit injuria hæc per bellum expelli. 2. titulus est, si committant peccata afferentia damnum proximo; quia licèt relinquantur punienda à Divina ultione ea, quæ Dei honorem respiciunt, ut sunt idololatria, & similia; ea tamen, quæ sunt contra proximum, illique noxia; rectè poterunt impediri à Principe; & si qui damnum patitur, licitè potest se defendere; licitè quoque Princeps poterit illum adjuvare; imò necessitate urgente tenebitur ad hoc præstandum, ut si infideles more belluarum viventes innocentes interficerent, eosque comederent. Sic Mol. *disp. 106.* Rodriq. *1. part. cap. 126. n. 6.* & alii.

11 Dubitatur 6. à quibus bellum exerceri possit, & quo tempore? Resp. extra controversiam esse, quòd bellum justum exerceri possit à Laicis, cum contra ipsos nulla extet prohibitio, Controversia solùm agitatur de Clericis, an etiam & ipsis licitum sit pugnare in bello justo, nam de injusto nulla est controversia. Resp. Clericis in Minoribus constitutis licitum esse propria manu pugnare, non verò in Majoribus Ordinibus constitutis: cum de his habeatur jure Ecclesiastico specialis prohibitio: ut constat *ex cap. Clericis 23. quæst. 8. & cap. Eos qui. 20. quæst. 3.* non vero de illis. Permittitur tamen Clericis in Majoribus Ordinibus interesse bello ad spiritualia subsidia administranda, & ad hortandum in genere ad pugnam absque particulari intentione, ut aliquis occidatur: ut docent Valent. *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. pun. 4.* Navar. *in Summ. cap. 29. n. 217.* Sà *verb. Bellum. n. 11.* Filliuc, *tract. 29. cap. 7. quæst. 10. n. 197.* Poterunt quoque propriis manibus pugnare, quando non suppetit alia via ad liberandum se à morte, vel amicos, aut socios: ut docent Sylv. *verb. Bellum 3. n. 3.* Rodriq. *1. part. cap. 126. n. 7.* Mol. *tom. 1. disp. 110.* Filliuc. *tract. 29. cap. 6. quæst. 7. n. 110.* Et à fortiori bellare poterunt ad defensionem Regis, Principis, Patris, Exercitus, vel Civitatis, si alia non habeatur via ad illos à morte defendendos: ut docet Bannez 2. 2. *quæst. 40. art. 3. dubio 2.* & cum ipso alii ex citatis Doctoribus.

Circa tempus, quo bellum gerendum sit. Resp. quolibet tempore geri posse, excepto tempore induciarum in quo standum est fidei datæ; & tempore festivo, cum potiùs vacandum sit rebus spiritualibus, nisi urgeat necessitas, ut diximus *in 4. Decalogi Præcepto.*

12 Dubitatur 2. Quænam licitè fieri possint in bello justo? Resp. illa omnia licitè fieri posse in bello justo, quæ ad finem belli necessaria sunt, vel ad rem ablatam recuperandam, aut compensationem faciendam,

pacem ſtabiliendam, vel vindictam ſumendam pro modo culpæ commiſſæ: & ratio eſt, quia licitè uti poſſumus iis mediis, illaque adhibere, quæ ad finem licitum apta, & neceſſaria reputantur: ut docet Sylv. *verb. Bellum* 1. *quæſt.* 1. Victor. *n.* 18. Mol. *tom.* 1. *diſp.* 117. Filliuc. *tract.* 29. *n.* 189. & Bonac. *pun. ult. de Bello §.* 3. *n.* 14.

Ex quo fit 1. licitum eſſe occidere, ſpoliare, & ſimilia damna inferre, hoſtibus præliantibus. Non tamen eſt licitum ſive in pugna, ſive poſt pugnam directè occidere innocentes, aut qui tales præſumuntur juxta illud *Exod.* 23. *Inſontem, & juſtum ne occidas*. Sic ſunt pueri, Mulieres, Senes, & qui arma geſtare nequeunt, Clerici, Religioſi, Legati; Oratores, Mercatores non illic reſidentes, ſed tranſeuntes, & ſolùm Mercaturas ibi vendendas portantes. Quamvis licitum ſit ſpoliare bonis innocentes, qui poſſunt auxilium præſtare hoſtibus ſuis bonis, & ſi ſunt pars Civitatis, quæ obſidetur, poſſunt puniri in iis bonis, quæ ſubſtant dominio Reipublicæ, aliter finis belli obtineri non poſſet. Sic Mol. *tom.* 1. *diſp.* 121. Victor. *de Jure Belli*, Sà *verb. Bellum n.* 3. & Bonac. *punct. ult. de Bello §.* 3. *n.* 17.

Fit 2. licitum eſſe per inſidias, & bellica ſtratagemmata, ſecluſis ſemper mendaciis, & mentalibus reſtrictionibus, victoriam procurare. Niſi tamen fides data ſit hoſtibus non utendis inſidiis; in eo enim caſu fides data omnino ſervanda eſſet: ut docent D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 3. Mol. *tom.* 1. *diſp.* 111. Azor. 3. *part. lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 14. cum Sylv. Sà, Ang. & Valent. Excipe caſus, in quibus hoſtes non ſervarent & ipſi fidem datam vel ex toto, vel ex parte, cum fides ſervanda non ſit frangenti illam; aut ſi fides data fuerit coactè & ex metu gravi; vel cederet in grave detrimentum Reipublicæ, aut Religionis; vel denique ſi circumſtantiæ in quibus data fuerit; ſint notabiliter mutatæ. Sic Bonacina *de Bello pun. ult. §.* 3. *n.* 15.

Fit 3. licitum eſſe per accidens aliquando comburere, & devaſtare Eccleſias, aut hoſtes ab illis extrahere, ſpoliare, occidere; ſi videlicet hoſtes utantur illis tamquam caſtris, ad illaſque confugiant, ut ibi ſe defendant; & meliùs contra adverſarios militent. Sic Bannez 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 2. Rodriq. 1. *part. cap.* 128. *n.* 3. Sylveſt. *verb. Bellum* 1. *n.* 11. Sà, *eod. verb. num.* 3. & Angelus *eod. verb. num.* 13.

Fit 4. licitum eſſe dare Urbem obſeſſam in prædam militibus, raro tamen, & ob graviſſimas, & urgentiſſimas cauſas: cum omnino illicitum ſit inferre damnum hoſtibus longè majus præ damno ab ipſis illato. Sic Mol. *tom.* 1. *diſp.* 122. Regin. *lib.* 21. *cap.* 8. *n.* 115. Azor. Victor. Filliuc. Valent. & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Bello pun. ult. §.* 3. *n.* 20.

Adnotandum hìc 1. *non* eſſe ullo modo licitum veneno inficere aquas, puteos, glandes è tormentis bellicis emiſſas, & ſimilia, ad quæ præcavenda nulla induſtria humana pervenire poteſt; & ſunt ex ſe contra Jura belli: ut rectè docet laudatus Molina cum aliis *tom.* 1. *diſp.* 111.

Adnotandum 2. milites non poſſe privata auctoritate prædas agere, aut alia damna hoſtibus inferre: quia tantùm ſunt executores, & Miniſtri Juſtitiæ, adeoq; juxta mandatum ipſis datum operari poterunt. Sic Sà *verb. Bellum* cum aliis. Peccant pariter cum obligatione reſtituendi, ſi auferant, vel extorqueant ab invitis à Ruſticis, aut ab aliis, apud quos hoſpitantur, aut per quorum loca tranſeunt; præter ea, quæ ſubminiſtrari debent ipſis ex Principis mandato, & conſtitutione. Niſi tamen ipſis liberè, & ſpontaneè ſubminiſtrentur, non verò coactè; aut ſi reperiantur in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate. Sic Mol. Coninch, Caſtrop. Becan. & alii apud Dian. *par.* 6. *tract.* 4. *reſol.* 26.

13 Quæres 1. ad quem ſpectent bona hoſtibus ſublata? Reſp. bona mobilia eſſe capientium, niſi conſuetudo aliter præſcribat, aut aliter ſtatutum ſit à Principe: ſic enim expedit bono communi, ut iis allecti milites animoſiores evadant; ſupponimus tamen, bellum eſſe juſtum; nam ſi injuſtum ſit, cum Domini non amiſerint dominium illorum; tenebuntur milites ad reſtitutionem. Bona verò immobilia ſpectant ad Principem, aut Rempublicam. Sic Tab. *verb. Bellum num.* 10. Angelus, & Sylveſter *eod. verb.*

Quæres 2. an hoſtes, qui deditionem fecerunt; occidi poſſint? Reſp. ſi innocentes ſint nullatenus occidi poſſe juxta ſuperiùs dicta. Si verò nocentes diſtinguendum eſt: nam ſi in deditione appoſuerunt conditionem hanc, ne læderentur in vita; utique occidi non poterunt, cum ſervanda ſit illis fides data; ſi non appoſita fuit talis conditio, poterunt occidi juxta ea, quæ ſuperiùs diximus. Sic Azor. 3. *par. lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 11. Bonac. *de Bello pun. ult. §.* 3. *n.* 25. cum aliis. 14

Quæres 3. an ſervus juſto bello captus poſſit à Domino ſuo fugere, & ſe in libertatem redigere? Reſp. certum eſſe, ſervum emptitium non poſſe hoc efficere, cum peccet fugiendo: eo quia Dominum privat poſſeſſione ſibi debita. Servum verò bello juſto captum poſſe licitè, & abſque peccato fugere ad ſuos extra fines, & Ditionem Domini ſui: ubi ſi incolumis pervenerit, liber evadit, nec reincidit in ſervitutem, ſi facta jam pace negotiationis cauſa, vel alterius finis ad hoſtes redeat; nec ad aliquam reſtitutionem obligatur dummodo juramentum non præſtiterit de fuga non arripienda: & ratio eſt, quia homines aliunde liberi jure gentium cum hac conditione ſervi fiunt, ſi videlicet ad ſuos incolumes non pervenerint. Sic colligitur *ex leg.* 7. *ff. de acquiren. domin.* & ſic docent Sot. Azor. Covarr. Leſſius, Filliuc. & Sà cum aliis, quos contra Navar. refert, & ſequitur Bonac. *de Bello pun. ult. §.* 3 *n.* 26. 15

Quæres tandem: an Repreſſaliæ licitæ ſint? Reſp. Repreſſalias, ſeu pignorationes dici illas, in quibus prægravari ſolet aliquis pro alio: ut ſi Milites Galli prædas egerint in agro Hiſpano contra aliquos hiſpanos; & Rex Galliæ, ad quem fit recurſus, nolit cogere prædictos milites ad reſtitutionem; hiſpani verò auctoritate ſui Regis agricolas, aut Mercatores Gallos in Hiſpania exiſtentes ſpolient ad reſarciendum damnum à Militibus Gallis illatum, quamvis innocentes ſint. Has igitur Repreſſalias, dico, licitas eſſe, & licitè concedi poſſe à Rege, Principe, aut Republica, ſi tamen concurrant hæ conditiones; 1. eſt, ſi manifeſtè conſtet, Cives unius Reipublicæ feciſſe injuriam notabiliter gravem civibus alterius Reipublicæ: non loquimur autem hìc de injuria ſufficiente ad bellum indicendum, quia aliàs non eſſent Repreſſaliæ, ſed potiùs bellum juſtum. 2. ut Rex, vel Superior Civium damnificantium rogatus recuſet, vel negligat juſtitiam adminiſtrare. 3. ut conſtet, quòd talis Rex, vel Superior nolit culpabiliter juſtitiam miniſtrare; nam ſi inculpabiliter ſe gereret, non eſſet ſufficiens conditio. 4. ut Rex, vel Supremus Princeps Civium damnificatorum cognita cum reflexione cauſa concedat facultatem faciendi Repreſſalias. 5. ut non inferatur à damnificatis plus damni, quàm ſatisfactio pro injuria accepta exigat. 6. demum, ut non concedantur in Perſonas Eccleſiaſticas. His conditionibus ſervatis & Repreſſaliæ licitæ erunt, & licitè concedi poterunt à Principe ſupremo: & ratio eſt, quia ſicuti in bello juſto licitè bona innocentium diripiuntur, quando neceſſaria reputantur ad plenam ſatisfactionem habendam de injuriis acceptis, ut communis ſententia docet; ſic etiam & in Repreſſaliis, cum utrobique militet par ratio: ut contra Petrum Lorcam docent Sylv. Cajet. Covarr. Victor. Gabr. Navar. D. Anton. Gran. Caſtrop. Coninch, Mol. Valent. Tanner. Laym. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 4. *miſcell. Reſol.* 72.

SEXTUM

SEXTUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non Mœchaberis.

ET NONUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non concupiſces Uxorem Proximi tui.

CONJUNGI regulariter ſolent à Doctoribus hæc duo Præcepta, eo quia eamdem reſpiciunt Materiam cum hoc diſcrimine, quòd Sextum prohibeat omnes actus externos, qui ad libidinem impudicam allicere ſolent. Nonum verò prohibeat deſideria interiùs concepta de illis, quapropter explicato Sexto, remanet explicatum Nonum. Et advertendum, quòd non ſolùm Adulterium ex parte viri, quod propriè Mœchia *dicitur; verùm etiam ex parte Uxoris prohibetur per Sextum Decalogi Præceptum; ſicuti etiam quælibet alia carnalis copula extra uſum legitimum Matrimonii, & omnes actus, qui ad libidinem impudicam allicere ſolent, ut ſunt tactus, amplexus, oſcula, ornamenta laſciva, laſcivæ locutiones, & amatoriæ litteræ, ac ſimilia, quæ ad peccata Luxuriæ ſpectant, à quibus juxta hoc Præceptum cavendum eſt.*

QUÆSTIO XVIII.

DE PECCATIS AD LUXURIAM ſpectantibus.

PECCATA, ſeu actus pravi ad Luxuriam ſpectantes alii ſunt imperfecti, in quibus ſcilicet non habetur ultimus terminus rerum venerearum, ut ſunt actus interni deſideriorum, & moroſæ oblectationes. Alii verò perfecti, ac conſummati, utpote habentes ultimum terminum ſupradictum. Et hi quidem ſubdividuntur in Naturales, & in Innaturales, primi non repugnant Naturæ, nec ſunt contra illam; ſecus verò ſecundi, qui & naturæ repugnant, & ſunt contra illam. De his omnibus pertractandum erit ea tamen verecundia, quam requirit Materia; ſed ea etiam utilitate, quam expoſcit neceſſitas præbendi remedia opportuna pœnitentibus.

CAPUT PRIMUM.

An Motus Senſualitatis, & Delectatio moroſa de re venerea ſint peccaminoſa?

1 *Senſualitas, ſeu Concupiſcentia ſecundùm ſe conſiderata non eſt peccaminoſa. Ejus Motus alii ſunt primò primi, alii ſecundò primi.*
2 *Motus primò primi omnis rationis advertentiam prævenientes non ſunt peccaminoſi.*
3 *Motus ſecundò primi, ſi proveniunt ex cauſa nullam habente honeſtatem, erunt peccaminoſi.*
4 *Si verò proveniant ex cauſa habente honeſtatem, non erunt peccaminoſi.*
5 *An requiratur advertentia, ut Motus Senſualitatis peccaminoſi ſint?*
6 *Qualis conſenſus requiratur, ut Motus ſenſualitatis ſint graviter peccaminoſi?*
7 *Explicatur Delectatio moroſa, quæ alia eſt de cogitatione, alia de re cogitata.*
8 *Delectatio moroſa verſans circa cogitationem tantùm rei illicitæ, ſi ex ſe conſideretur præſcindendo à periculo, & motivo malo; non eſt peccaminoſa.*
9 *Si verò verſetur circa rem turpem, & malam cogitatam, mala erit juxta rationem illam formalem quæ fertur in ſuum objectum.*
10 *An Vidua, vel Sponſa, quæ delectantur de actu conjugali; ſemper graviter peccent?*
11 *An Conjux, qui in abſentia alterius Conjugis delectatur de actu conjugii præteriti, vel futuri; mortaliter peccet?*
12 *An delectatio Moroſa ſit ejuſdem ſpeciei cum opere externo?*
13 *An poſſit dari parvitas Materiæ in delectatione venerea?*
14 *An habens actum velleitatis, deſiderii, aut delectationis de re mala, & graviter illicita, ſub conditione tamen ſi liceret; graviter peccet?*

UT certa ab incertis ſegregemus præmittendum eſt 1. Concupiſcentiam, ſeu Senſualitatem, ſi ſecundùm ſe conſideretur; non eſſe peccatum. Et quamvis D. Paulus *ad Romanos* 7. eam peccatum appellet, hoc non intelligendum erit formaliter, ſed cauſaliter, quia ſcilicet ad peccatum inclinat: ut declarat Tridentina Synodus *ſeſſ.* 5. *can. ult.* Præmittendum 2. Motus concupiſcentiæ, & Senſualitatis, de quibus præſens controverſia inſtituitur; alios eſſe primò primos, alios ſecundò primos. Motus primò primi illi ſunt, qui repentè conſurgunt, ac præveniunt omnem conſiderationem rationis, adeo ut nullus detur locus apprehenſioni, aut ſuſpicioni de malitia objecti repræſentati. Motus verò ſecundò primi illi ſunt, qui ſequuntur primò primos, & continent aliquam advertentiam malitiæ. His præmiſſis claritatis gratia. 1

Dicendum eſt 1. Motus primò primos, qui omnem rationis advertentiam antecedunt, & prævenient; non eſſet peccaminoſos: eo quia non ſunt voliti neque in ſe ipſis, neque in cauſa; nec ſunt in poteſtate patientis illos, cum evitari non poſſint ſine ſpeciali Dei auxilio & voluntarii non ſint. Sic Valent. *tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 4. *pun.* 2. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 106. Becan. 2. *par. tract.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 4. & alii communiter. Quod etiam extendit Vaſquez ad primos Motus potentiæ volitivæ, & intellectivæ: ut ſi quis repente malè ſuſpicaretur de proximo ſuo. 2

Dicendum 2. Motus ſecundò primos, qui prævideri & evitari poterant, ſi proveniunt ex cauſa nullam habente honeſtatem, & utilitatem; eſſe peccaminoſos; 3

& ra-

& ratio est, quia repugnantes sunt rectæ rationi, & inciant ad ulteriorem libidinem, ac sunt sufficienter voluntarii. Advertendum tamen, quòd si proveniant ex causa venialiter tantùm mala, ut ex curiosa lectione, ex verbis jocosis, ex curioso aspectu erunt venialiter peccaminosi, cùm ad culpam mortalem requiratur majus voluntarium, quàm sit voluntarium tantùm ex causa venialiter mala, in qua prævidentur; dummodo tamen non intendatur delectatio in his motibus, nec sit periculum consentiendi, quia sic absque controversia erunt mortaliter peccaminosi. Sicuti tales erunt, si proveniant ex causa mortaliter peccaminosa, in qua prævidentur. Sic Henriquez *lib. 11. cap. 6. num. 6.* Vasquez 1. 2. *disp. 115. cap. 13. num. 9.* & Bonacina *de Matrim. quæst. 4. pun. 7. num. 5.*

4 Dicendum 3. motus sensualitatis secundò primos provenientes ex causa habente aliquam honestatem, & utilitatem, etiamsi prævideantur; non esse peccaminosos: sic sunt motus, qui proveniunt ex auditione rerum turpium in confessione; aut motus in medico applicante secundùm necessitatem medicamina partibus verendis, si ut supponimus, nullus habeatur consensus, aut turpis delectatio de ipsis motibus. Et ratio est, quia ut isti motus sint peccaminosi, non sufficit quodlibet voluntarium, quod sufficit ad alia peccata; sed requiritur majus voluntarium: eo quia & sunt nobis connaturales, & facilè insurgunt ob fragilitatem naturæ, quæ multùm nos excusat; sicuti etiam multùm excusat, dare tunc operam rei licitæ, ut est confessiones audire, ac medicamina aliàs necessaria applicare. Vide Vasquez *in Opusc. de restit. cap. 3. dub. 6. num. 24.*

5 Sed dubitabis 1. an requiratur advertentia, ut motus sensualitatis peccaminosi sint? Resp. requiri advertentiam, & quidem actualem ipsorum motuum secundùm rationem malitiæ, vel saltem requiri dubitationem aliquam expressam de malitia, aut scrupulum de periculo malitiæ; ideoque si nil advertatur ad malitiam horum motuum, non erunt peccaminosi, nec imputabiles ad culpam: & ratio est, quia deficiente advertentia non habetur voluntarium, cùm voluntas non feratur in incognitum, & si voluntarium non habetur, utique non habebitur peccaminosum. Sic Vasquez 1. 2. *disp.* 107. Becanus 2. *part. tract. 3. cap. 5. quæst. 5.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dubit. 5. num. 116.* cum aliis.

Hinc fit, quòd non solùm motus sensualitatis, verùm etiam cæteræ actiones externæ, quæ malæ sunt, quia prohibitæ; non erunt imputabiles ad culpam, si absque ulla advertentia malitiæ fiant; ut patet in comedente carnes absque ulla advertentia malitiæ, quòd die illo prohibeatur talis comestio ab Ecclesia. Quamvis hæc regula non valeat in iis, quæ sunt per se mala, hoc est prohibita jure naturali: quia inadvertentia non solet contingere in illis, nisi in quibusdam casibus valde subitis, & primis motibus; ut si quis amore capiendæ feræ correptus statim saggittam emitteret ad illam occidendam, nil advertens ad proximum periculum occidendi hominem. Vide Vasquez *loc. cit. num. 13.* & Reginaldum *lib. 15. num. 75.*

6 Dubitabis 2. qualis consensus requiratur, adhoc ut motus sensualitatis sint lethaliter peccaminosi? Ut distinctiùs in hac dubitatione respondeatur, advertendum est, duplicem posse intervenire consensum, unum directum, & expressum; alium indirectum, seu virtualem, ac interpretativum. Directus, & expressus dicitur ille consensus, quo voluntas directè fertur in illud idem objectum, quod appetit sensualitas volendo illud; vel quando fertur in motus sensualitatis, volendo ut motus illi sint in sensualitate. Indirectus tamen, virtualis, ac interpretativus dupliciter evenire potest. 1. quando voluntariè fit aliquod, quod causat motus sensualitatis, ut immoderatè aspicere, loqui jocosè, legere cum curiositate &c. 2. quando voluntas non reprimit, aut impedit motus, quos reprimere, & impedire potest; sed se habet negativè non divertendo animum ad alia, quod facere posset absque ullo gestu exteriore corporis & absque ulla admiratione adstantium, his claritatis gratia animadversis. Resp. motus sensualitatis esse lethaliter peccaminosos, si circa illos feratur consensus directus, & expressus: ratio est, quia habent rationem voluntarii ad peccatum lethale constituendum. Sic Lessius, Vasquez, & Becanus locis citatis. Si tamen versetur circa illos consensus indirectus, esse venialiter peccaminosos, quando quod voluntariè fit, & causat motus sensualitatis, non est lethaliter peccaminosum, ut si ex joco, levitate, curiositate fiat. Quando verò est lethaliter peccaminosum, quod voluntariè fit; esse lethaliter peccaminosos, nemini dubium esse potest. Idem dicendum de consensu indirecto secundo modo, quando voluntas non reprimit, nec impedit, quod reprimere, & impedire potest, sed negativè se habet: cùm enim in tali casu habeatur consensus interpretativus sufficiens ad voluntarium, ideo si motus non repressi sufficientes erunt ad constituendam quantitatem peccati lethalis; mortaliter peccaminosi erunt, Si verò non sufficiant ad tantam quantitatem, erunt venialiter peccaminosi. Sic Lessius, Navarrus, Becanus, Reginaldus, Sanchez, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *quæst. 4. de Matrimon. pun. 7. num. 7.* in fine.

Notandum 1. ob proclivitatem naturæ expedire, ut hi motus reprimantur in principio, etiamsi in parva quantitate sint, cùm de facili augeri possint, maximè si voluntas negativè se habeat; censeretur siquidem sic se habendo illos positivè velle: ut benè ex Divo Thoma docet Sylvester *verb. delectatio, quæst. 1.* quidquid dixerit Cajetanus *eodem verb.* non sufficere ad imputationem peccati lethalis consensum interpretativum; sed necessariam esse positivam complacentiam in motibus sensualitatis.

Notandum 2. ex se requiri majorem quantitatem motuum ad peccatum lethale constituendum, si consensus non sit directus, & expressus; sed solùm virtualis, & interpretativus: & ratio est, quia ad interpretandum consensum requiritur major fundamentum, quàm si directè, & expressè constet. Sic D. Thomas 1. 2. *quæst. 74. art. 6.* & alii cum eo.

7 Delectatio morosa non dicitur talis à mora temporis, quando videlicet ad longum tempus quis in ea immoretur; sed potiùs talis dicenda erit à mora rationis, quando scilicet posita jam advertentia malitiæ, quæ reperitur in actu; adhuc quis in ea immoretur; ac delectationem admittat, illique consensum præbeat. Quapropter si quis non advertens ad malitiam actus ad longum tempus de illo delectetur; non dicitur habere delectationem morosam, nec graviter peccare: graviter verò peccat, quando advertentia habita adhuc perdurat in delectatione, nec illam reprimit, & dicitur rectè habere delectationem morosam.

Jam verò delectatio alia est de cogitatione, alia de re cogitata, seu de objecto cogitationis. Tunc dicitur delectatio de cogitatione, quando objectum delectationis est ipsa cogitatio: ut si quis delectetur de novis inventis, quæ fieri possunt in bellis; tunc diceretur delectari de cogitatione immediatè, & principaliter; itaut delectatio oriretur ex solo affectu ad cogitationem illam. Delectatio verò de re cogitata habetur, quandò sumitur de objecto per cogitationem repræsentato, seu quando oritur delectatio ex affectu non ad cogitationem, sed ad rem cogitatam: ut si quis cogitans occisionem inimici delectetur de ipsa occisione.

Adnotandum hìc 1. actum internum voluntatis, quo fertur in suum objectum; alium esse efficacem, inefficacem alium. Efficax dicitur ille, qui tendit ad executionem sui objecti, intendens illam, quasi actu committeret: sic si quis delectatur de occisione inimici, quasi inimicum actu occideret; dicitur habere actum efficacem de occisione inimici. Inefficax verò ille est, qui non tendit ad executionem: ut si quis de occisione inimici delectaretur absque animo illam exequendi.

Adnotandum 2. actum internum efficacem habere easdem conditiones, circumstantias, & malitias, quas habet actus externus, quem respicit uti executioni mandandum: sic qui habet actum internum efficacem peccandi cum conjugata, etiamsi rejiciat conditionem illam, quòd sit aliena; & conjugata; habebit pariter in illo actu omnes malitias, circumstantias, & conditiones, quas habet actus externi adulterii: & ratio est, quia quando quis vult efficaciter aliquod, vult etiam omnia ea, quæ advertit esse illi annexa; ergo si vult peccare efficaciter cum conjugata, talis actus internus habebit annexam malitiam adulterii, quæ conjungitur cum actu externo, quamvis malitiam illam, quam advertit, mente respuat. Secus verò evenit in actu inefficaci, qui non omnem mali-

tiam habebit, quæ repræsentatur intellectui in objecto: & ratio est, quia non specificatur ab actu externo, non enim respicit illum, uti executioni mandandum. Sic Vasquez 1. 2. *cap. 3. disp.* 111. Coninch *de matrim. disp.* 34. *dub.* 11. *num.* 108. cum aliis.

8 Delectatio morosa versans circa cogitationem tantùm rei illicitæ, si ex se consideretur; non est peccatum: & ratio est, quia cum talis delectatio ex se sit actus inefficax, non tendens scilicet ad executionem; suam malitiam, vel bonitatem sumere debet ex motivo, sub ratione cujus fertur in objectum; sed habens delectationem morosam de cogitatione rei illicitæ, non habet illam ex motivo malo, ut supponendum est; nam si haberet motivum malum, aut conjungeretur cum periculo peccandi, extra controversiam graviter peccaminosa esset; ergo ex se peccaminosa non est. Si verò finem bonum habeat; erit bona ab objecto bono; à quo specificatur. Si denique careat fine bono, quamvis malum non habeat; erit otiosa, & venialis. Sic communiter Doctores sequentes D. Thomam 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8.

9 Delectatio verò morosa versans circa rem turpem, & malam cogitatam, mala erit juxta rationem illam formalem, qua fertur in suum objectum: eo quia delectatio ex se est actus inefficax, quapropter totam suam malitiam, aut bonitatem desumere debet à motivo, & ratione formali, qua fertur in suum objectum; ideoque si motivum malum est, mala erit delectatio; si bonum bona; si otiosum erit venialis. Sic Sayrus plures referens, quos sequitur Bonacina *qu.* 4. *de Matr. pun.* 8. *nu.* 5. contra Sanchez, & Azorium putantes, delectationem de opere malo esse absolutè lethalem.

Ex dictis colligitur primò: habentem delectationem de aliquo actu carnali, ut si quis delectaretur de tactibus impudicis, osculis, fornicatione ex affectu carnali, & conjugatus non esset; peccare lethaliter. Colligitur secundò: graviter etiam peccare habentem delectationem de gravi malo proximi, ut malum ipsius est; sicuti gaudentem de malo gravi proximi, eo quod ex bono illius proprium bonum putet imminui; vel tristantem de bono proximi, eo quod ex bono illius proprium bonum imminuatur. Sic Bonacina alios referens *loc. cit. num.* 6. & 9. Excusantur tamen à peccato gravi, qui habentes bonum finem delectantur de homicidio aliàs secuto, etiam injusto, ut si injustè occisus fuerit privata authoritate latro, ex cujus occisione bonum commune quiescit. Sic etiam de furto delectantes, ex quo innocentis miseria sublevata fuerit; vel de fractione jejunii ob finem bonum. Pariter dicendum de desiderantibus ob bonum finem involuntariam pollutionem ob scilicet sanitatem; dummodo desiderium non sit adeo intensum, ut illam causet, nec alio modo procuretur. Vide Vasquez *disput.* 115. *cap.* 1. *num.* 2.

10 Petes hic primò: an vidua, vel sponsa, quæ delectantur de actu conjugali; semper lethaliter peccent? Resp. tam viduam, quæ de actu conjugii præterito; quàm sponsam, quæ de actu conjugii futuro delectantur carnaliter, hoc est delectantur de actu illo, quatenus sensui conveniens est, & delectabilis; peccare mortaliter: & ratio est, quia delectatio sumit bonitatem, vel malitiam à motivo; sed motivum est actus externus conjugii, seu delectatio illa externa venerea, quæ non constaret matrimonio illicita est; ergo si lethaliter peccant tàm vidua, quàm sponsa actu habentes copulam, & lethaliter peccant actu delectantes de illa, cum in utraque non constet Matrimonium. Sic Sanchez *lib.* 9. *de Matrimon. disput.* 47. *num.* 4. Graffius 1. *par. lib.* 2. *cap.* 74. *numer.* 8. Vasquez *disp.* 114. *cap.* 2. Filliuccius *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 359.

Neque dicas, fuisse licitum viduæ actum conjugii præteritum, sicuti futurum esse sponsæ actum conjugii futurum; adeoque tum in vidua, quàm in sponsa delectationem carnalem esse de re licita. Contra enim est, quia delectatio non fertur in rem præteritam, ut præteritam, neque in rem futuram, ut futuram, sicuti desiderium; sed fertur in suum objectum aliquo modo præsens, & apprehensum sub ratione delectabilis; adeoque & vidua, & sponsa secundùm rem apprehensam habent motivum suo modo præsens, quod utrique illicitum est; cùm non constet matrimonium. Ad summum objectio probat, quòd delectatio præterita in vidua fuerit licita, non verò quòd præsens licita sit; sicuti quòd delectatio futura in sponsa erit licita, non verò quòd præsens licita sit. Si verò tàm vidua, quàm sponsa delectentur de actu conjugii præterito, & futuro non carnaliter, seu apprehenso ut venereè delectabili, sed ob aliud motivum honestum; tunc non peccabunt mortaliter. & ratio est, quia delectatio cum ex se sit actus quidam inefficax, desumere debet suam malitiam, vel bonitatem à motivo malo, vel bono: cum igitur supponamus motivum bonum in tali delectatione; inde erit, quòd nec mala, nec peccaminosa esse poterit. Sic Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dubit.* 15. *num.* 120. Reginaldus *lib.* 11. *num.* 12. & Vasquez *disp.* 114. *cap.* 2. *num.* 3.

Adnotandum hìc: desiderantem copulari matrimonio, ut possit dein ipso constante venereè delectari; sicuti habentem propositum firmum, ac efficacem voluntatem habendi actum conjugii tempore matrimonii; non peccare mortaliter; dummodo desiderium, & voluntas illa non conjungantur cum actuali complacentia, & delectatione venerea, quæ, ut superiùs diximus, illicita est: & ratio est, quia bonitas, vel malitia desiderii, & voluntatis efficacis desumitur ex objecto bono, vel malo: cùm igitur objectum sit copula, conjugalis habenda tempore matrimonii, quæ utique bona, & licita est; ergo bonum! & licitum erit desiderium, & voluntas efficax talis copulæ. Sic Vasquez *locis superius citatis*.

Petes secundò: an conjux, qui in absentia alterius 11
conjugis delectatur de actu conjugii præterito, vel futuro; peccet mortaliter? Resp. negativè: nam actus externus conjugii, qui est motivum talis delectationis non est illicitus conjugatis ratione matrimonii; ergo neque delectans de illo in absentia alterius conjugis erit illicitum, & peccaminosum. Nec obstat, quòd talis delectatio non ordinetur ad finem generationis in matrimonio intentum. Nam sic sequeretur, quòd oscula, & tactus conjugibus permissa, etiam *sine* ordine ad actum conjugalem, dummodo non sit periculum pollutionis extra vas; essent illicita, & peccaminosa, quod non est dicendum. Sic Cajetanus, & Armilla, *verb. Delectatio*; Reginaldus *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 12. & alii apud Vasquez *disp.* 113. *cap.* 2. & apud Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 45. *num.* 45. contra Navarrum. Notandum tamen hìc ex Vasquez *loc. cit.* quòd licèt tactus, quibus delectantur conjuges; non sint illiciti, & peccaminosi; nihilominus conjux, qui libidinosè se tangeret in absentia alterius conjugis; graviter peccaret, cum actus illi nec conjugales essent, nec ordinarentur ad copulam.

Petes 3. an delectatio morosa sit ejusdem speciei cum 12
opere externo; adeoque an sit obligatio aperiendi in confessione circumstantias operis, de quo delectatio habetur? Resp. cæteras delectationes morosas, excepta venerea, non esse ejusdem speciei cum opere externo; sed tantùm esse illius speciei, cujus est motivum, & ratio formalis, ob quam delectatio sumitur: & ratio est, quia delectatio suam malitiam accipit à motivo, nec respicit opus externum uti executioni mandandum; ergo illam malitiam habebit; quam habet motivum, quod respicit, non verò alias malitias, quæ fortè reperiuntur in ipso opere externo; adeoque illa tantùm malitia aperienda erit in confessione, ob quam delectatio habita est, non verò aliæ, quæ reperiuntur in ipso opere externo. Sic habens delectationem de homicidio Petri, non ex odio ad ipsum Petrum, sed quia ipso mortuo faciliùs raperet ejus bona; hæc utique delectatio haberet solam delectationem furti. Sic Vasquez *disp.* 112. & Sayrus *lib.* 8. *cap.* 6. *nu.* 1.

Specialis tamen difficultas est de delectatione venerea, quam puto esse ejusdem speciei cum opere externo, & consequenter aperiendas esse in confessione circumstantias ipsius operis externi: & ratio est, quia delectatio venerea, non solùm habet malitiam ex motivo malo, ut habent reliquæ delectationes; sed etiam ex mala causalitate, qua influit in opus externum ex natura sua: habita siquidem delectatione venerea in voluntate, sequitur etiam in appetitu sensitivo, & excitat ardorem, ac libidinis materiam usque ad perficiendam delectationem, & actum. Sic Navarrus, Sanctus Antoninus, Lessius, Tabiena, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. disp.* 4. *pun.* 8. *num.* 19.

Fit ergo, quòd explicanda sit in confessione circumstantia personæ, de qua habita est delectatio: quapropter si habita est venerea delectatio de moniali; non solùm aperienda est circumstantia stupri, aut fornicationis, verùm etiam sacrilegii, & in delectatione venerea de consanguinea

ultra

ultra circumstantiam stupri, aut fornicationis, addenda erit circumstantia incestus; sic tandem de conjugata, quæ ultra malitiam adulterii contra castitatem, habet etiam malitiam injustitiæ contra jus mariti.

13 Petes 4. an possit dari parvitas materiæ in delectatione venerea? Resp. negativè, quidquid in contrarium dixerint alii Doctores moti ex eo, quòd sicuti in reliquis præceptis datur parvitas materiæ, ita & in hoc, cùm non possit assignari disparitas. Ratio autem nostræ responsionis est, quia quælibet delectatio venerea, tactus, aut motus carnalis cum tendat ex natura sua ad seminis effusionem, quæ grave peccatum est extra conjugatos in vase ordinato ad generationem; ita grave peccatum erit quælibet delectatio venerea talem finem respiciens, esto non intendatur ab operante; cum alius sit finis operantis, alius ipsius operis. Periculum insuper emissionis seminis, ad quam quælibet delectatio venerea, ac impudicus tactus alliciunt, ob naturæ nostræ lubricitatem est valde proximum; nec de facili in re adeo periculosa materia gravis à levi, & delectatio venialis à mortali discerni potest, cùm adsint & consensus, & advertentia. Sic D. Thomas, quem sequuntur Rebellus *lib. 3. de Matrim. quæst. 19. sect. 3.* Filliuccius *tract. 30. cap. 9. quæst. 1. nu. 166.* & alii Doctores specialiter nostræ societatis catervatim. Ad rationem contrariæ sententiæ respondetur: non omnia præcepta admittere parvitatem materiæ, ut patet in infidelitate, blasphemia, perjurio, simonia, & aliis; in quibus tota ratio malitiæ reperitur in qualibet parte materiæ, ut est etiam in casu nostro, in quo quælibet pars, seu quantitas materiæ venereæ habet totam malitiam emissionis seminis, ad quam ordinatur. Non tamen idem evenit in furto, & similibus, in quibus non quælibet pars habet totam malitiam; sic cùm malitia furti consistat in gravi damno, quod contra jus proximi infertur; nec quælibet quantitas furti inducat grave damnum proximo, inde est, quòd in ipso admitti possit parvitas materiæ; idem dicendum de jejunio, auditione sacri, & similibus in suis materiis. Hinc sequitur: motum sensualitatis, quicumque sit, dummodo sit plenè voluntarius cum consensu directo, & expresso; esse mortaliter peccaminosum, sicuti mortaliter peccaminosa erit quælibet distillatio seminis voluntaria, cum carnis commotione, quidquid in oppositum senserint alii.

14 Petes denique: an habens actum velleitatis, desiderii, aut delectationis de re mala, & illicita graviter, sub conditione tamen si liceret; graviter peccet? loquimur hìc de actibus inefficacibus, ut demonstrat velleitas ipsa, quæ actum inefficacem desiderii præsefert; aliud enim est dicere vellem, aliud volo; cùm hoc secundum dicat actum voluntatis efficacem, tendit siquidem in objectum cum ordine ad exequendum illud, non sic verò primum, his præhabitis. Resp. quamvis sanum consilium posset abstinuere à similibus velleitatibus; nihilominus habere tales actus ex motivo honesto, vel sub conditione, qua sive per possibile, sive per impossibile purificata, actus non esset peccaminosus; non erit grave peccatum: & ratio est, quia actus inefficax non tendit absolutè in objectum sed sub conditione, quod esset licitum; nam si licitum non esset ab ipso repugnat. Sic Suarez *lib. 2. de legib. cap. 13. num. 10.* Vasquez *disp. 116. cap. 2.* Valentias 2. *disp. 6. quæst. 4. pun. 4.* Sà *verb. Peccatum num. 2.* & Sayrus *lib. 8. cap. 7. num. 28. & 29.* Castropalaus *tract. 2. disp. 3. pun. 10. §. 3. num. 4.*

Ex hac doctrina colligitur primò, non esse grave peccatum habere delectationem, ac desiderium inefficax ulciscendi de inimico sub illa conditione, si licita esset vindicta, si peccatum non esset, ac Dei offensa: nam potiùs voluntas per tales actus refugit à vindicta præstanda, ut peccatum vitet: quàm velit vindictæ peccatum committere. Colligitur 2. habentem desiderium suspendendi latrones, si judex esset, aut publicam auctoritatem haberet; sicuti habentem velleitatem, quòd Uxor Titii esset sua uxor; vel quod sicuti conjuncta est in matrimonio cum Titio, esset secum conjuncta in matrimonio; vellet cum illa habere copulam, dummodo cum tali desiderio simul non habeat delectationem veneream; non esse grave peccatum: & ratio est, quia hi omnes actus inefficaces specificantur; & bonitatem sumunt à motivo bono, quod sibi repræsentant. Colligitur 3. nec graviter peccare habentem desiderium comedendi carnes diebus vetitis, si talis comestio liceret; aut non extaret Ecclesiæ prohibitio. Sicuti nec graviter peccat Religiosus, aut Sacerdos, vel alius voto castitatis adstrictus, si dicat: vellem uxorem accipere, ni religiosus, aut sacerdos essem, vel votum castitatis haberem: sunt enim actus inefficaces honestatem sumentes à motivo honesto, à quo specificantur in bonitate.

E contra tamen graviter peccabit Religiosus, sacerdos, aut habens votum castitatis, si diceret: nisi Religiosus, Sacerdos, aut voto castitatis essem adstrictus, vellem fornicationem habere: cùm fornicatio extra illos status semper illicita sit, adeoque actus illi non imputentur motivo honestanti, & includunt affectum ad peccatum: cum adhuc peccatum sit fornicatio habita à non Religioso, non Sacerdote, & non adstricto voto castitatis. Graviter etiam peccabit Religiosus, aut Sacerdos dicens: si non impedirer à ratione mei status, vel nisi respectum haberem ad statum meum, vel si statum meum non magnifacerem; utique te occiderem, vel tua surriperem: cum apponatur conditio, qua etiam purificata, peccatum esset occidere, & furari; dummodo habeatur voluntas hæc exequendi extra statum Religionis, & Sacerdotii. Tandem graviter peccabit, qui dicit, si inimicus meus moreretur, magnam conciperem lætitiam: desideraret namque mortem inimico absque ullo motivo bono, cui innitatur.

Dubitabis 1. an dicens nisi infernus esset, & supplicium in æternum crucians fornicarer, occiderem, furarer; graviter peccet? Resp. affirmativè: ratio est, quia motivum allatum non est tantæ honestatis, ut ipso posito ipsa evadat fornicatio, aut occisio, vel furtum: habetur siquidem timor servilis cum servilitate, qui secundùm Doctores peccatum est,

Dubitabis 2. an dicens, si timor Dei non me impelleret, carnes comederem die vetito; graviter peccet? Resp. si movetur à timore Dei ad desistendum à comestione vetita filialiter, & ob reverentiam Deo debitam; non peccaret graviter, haberet enim motivum bonum absque affectu ad peccatum, imò cum fuga ab illo. Secus verò si movetur à timore Dei ob pœnas, quas Deus infligere potest comedenti carnes die vetito; peccaret graviter: cùm moveretur à timore servili cum servilitate, & per consequens cum affectu ad peccatum. Sic Bonacina *quæst. 4. de Matr. pun. 8. num. 30.*

CAPUT II.

An, & qualia peccata sint Oscula, Amplexus, Tactus, Turpiloquia, & aspectus extra matrimonium?

1 *Oscula, Tactus, Amplexus, aspectus, si fiant à solutis Matrimonio ob delectationem veneream; erunt gravia peccata ejusdem speciei cum actibus perfectis, ad quos ordinantur.*
2 *An Oscula, Tactus, Aspectus liceant inter Conjugatos, vel sponsos?*
3 *An fœmina advertens se libidinosè tangi à Viro, si non se retrahat; peccet mortaliter?*
4 *An vellicare fœminam, aut ejus digitos intorquere, vel leviter manum tangere, aut pedem; sit grave peccatum.*
5 *An osculari pueros, eorumque carnes tangere, cum magna suavitate; sit grave peccatum?*
6 *An aspicere fœminas, vel alias personas pulchras sit peccatum?*
7 *An in turpibus aspectibus aperienda sit in confessione circumstantia personæ, de qua delectatio venerea habita est?*
8 *An adolescentulæ, quæ se præbent aspiciendas è fenestris, aut similibus locis juvenibus, à quibus putant inhonestè amari; graviter peccent?*
9 *An mulier fucans faciem, & ornans se graviter peccet?*
10 *Loqui turpia, & obscœna, aut illa legere; assistere inhonestis comœdiis, & audire cantiones lascivas ex animo venereè delectandi gravia peccata sunt.*
11 *Gestus, nutus, amatoriæ litteræ, ac dona ex animo incitandi ad libidinem sunt gravia peccata.*
12 *An Clerici turpibus comœdiis intervenientes graviter peccent?*
13 *An graviter peccent exhibentes turpes Comœdias, vel illas componentes, aut alios obscœnos libros?*

1 UT faciliùs dignoſcantur, quæ dicenda ſunt; adnotandum eſt cum Doctoribus, duplicem percipi poſſe delectationem ex oſculis; amplexibus, & tactibus, unam ſenſitivam, quæ conſiſtit in proportione quadam, ac conformitate rei tactæ, vel viſæ cum organo tactus, vel viſus; aliam veneream, ac libidinoſam cum quadam commotione carnis; & ſpirituum tendente ad pollutionem. Hinc ſequitur, oſcula, tactus, amplexus, aſpectus, & ſimilia, ſi fiant à ſolutis matrimonio ob delectationem veneream, & libidinoſam; eſſe gravia peccata, etiam ſi non intendatur illa perfecta delectatio, quæ habetur in pollutione: & ratio eſt, quia extra matrimonium ſemper impudica ſunt, & illicita, ut pote tendentia ex ſe ad perfectam delectationem emiſſionis ſeminis. Sic Sanchez *lib. 9. de Matr. diſp. 46. num. 3.* Leſſius *lib. 4. cap. 3. dubit. 8.* & Filliuccius *tract. 30. cap. 9. num. 174.* Tales quoque actus erunt ejuſdem naturæ, ac ſpeciei cum actibus perfectis, ad quos ex natura ſua tendunt: ſic oſculans conſanguineam animo fruendi delectatione illa venerea; peccabit peccato inceſtus; ſic etiam oſculans ex eodem animo conjugatam peccabit peccato adulterii, & ſic de ſimilibus, quapropter erunt circumſtantiæ aperiendæ in confeſſione. Sic Sanchez, & Leſſius loc. cit. Oſcula, verò, amplexus, & compreſſiones manuum facta à ſolutis matrimonio amicitiæ cauſa, vel juxta conſuetudinem, & morem patriæ; aut in ſignum amoris honeſti, & benevolentiæ; non eſſe gravia peccata, quamvis habeatur delectatio purè ſenſitiva conſiſtens in proportione ſaperiùs explicata, modò non tranſeat in libidinoſam, quæ ſi ſuboriatur ſtatim reprimenda erit, & ceſſandum ab actibus, ne adſit periculum conſenſus in delectatione libidinoſa ſuborta: ratio autem cur licitè fieri poſſint tales actus ob *motiva* adducta, eſt, quia ſicuti licitum eſt delectari de amicitia, honeſta benevolentia, & amore, ac obſequio amicorum: ita licitum pariter erit delectari de ſigno ſignificante illa juxta morem patrium. Sic Navarrus *in Summ. cap. 16. num. 11.* Cajetanus *verb. Impudicitia*, Leſſius *lib. 4. cap. 3. dubit. 8.* Reginaldus *tom. 2. lib. 22. num. 6.* & Sanchez *lib. 9. de Matr. diſp. 46. num. 3.* Si verò iſti actus fiant ex aliqua vanitate, joco, petulantia, vel levitate dummodo non adſit periculum conſentiendi delectationi venereæ, ſi fortè ſuboriatur præter intentionem, quæ tunc repellenda erit, & ceſſandum ab illis, erunt peccata, ſed venialia. Secus verò dicendum, ſi adſit periculum conſenſus, ut ſi vir amplexetur mulierem nudam in loco clauſo, aut nullis adſtantibus; tunc grave peccatum erit. Sic Leſſius, Sanchez, Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonacina *quæſt. 4. de Matr. punct. 9. num. 1.* Pariter diſcurrendum erit de tactu, & aſpectu partium inhoneſtarum proprii corporis; aut commixtionis animalium, non ſcilicet cum animo libidinoſo, & delectandi venereè; ſed tantùm ex curioſitate, aut levitate, ſecluſo ſemper periculo conſentiendi delectationi venereæ, & ſcandalo: nam ſi tactus & aſpectus partium inhoneſtarum proprii corporis fiant ex aliqua neceſſitate; neque peccatum veniale erunt. Sic ſupracitati Doctores.

2 Petes 1. an oſcula tactus, & aſpectus liceánt inter conjuges, & ſponſos? Reſp. licere inter conjugatos, ſi ordinentur ad copulam, quæ ipſis licita eſt; ſi verò non ordinentur ad copulam, ſed ob meram delectationem, abſque tamen periculo pollutionis extra vas debitum; licèt ratione matrimonii excuſentur à mortali, cum hos actus cohoneſtet; non tamen excuſantur à veniali: quia defectus debiti finis ad copulam in conjugatis, licèt non ſit mortalis, eſt tamen venialis. Sic Sanchez *lib. 9. de Matr. diſp. 46. num. 7.* Leſſius *lib. 4. cap. 3. dubit. 15. num. 121.* Henriquez, *lib. 11. cap. 16. num. 7.* Coninch *de Matrim. diſp. 34. dubit. 11. num. 113.* & alii. Inter ſponſos vero non licere tactus impudicos, qui proximè diſponunt ad copulam; quæ cum illis ſit illicita, illiciti pariter erunt tactus diſponentes ad illam. Licere verò tactus, non impudicos, & oſcula; modo ſint citra periculum pollutionis, & deſiderii copulæ, quæ ipſis prohibentur; & ratio eſt, quia ſicuti matrimonium facit licitam copulam conjugatis, ita ſponſalia faciunt licitos eos actus ſponſis, qui ſunt extra conſenſum copulæ, & extra periculum pollutionis, cum ſint ſponſalia via ad matrimonium. Sic Sanchez *loc. cit. nu. 50.* Toletus *lib. 5. cap. 14.* Navarrus *in Summ. cap. 16. numer. 12.* & Filliuccius *tract. 10. numer. 317.* cum aliis.

3 Petes 2. an fœmina advertens ſe libidinosè tangi à viro, mortaliter peccet, ſi ſe non retrahat, ac impediat libidinoſum illum contactum; dum ipſa tamen tangat juxta morem patriæ, & in ſignum honeſtæ benevolentiæ, ut eſſet in adventu conſanguinei, vel amici? Reſp. cum diſtinctione: vel tactus viri ſunt impudici, ut ſi tangeret mammillas, vel partes verendas, aut daret oſcula moroſa, & ſimiles actus, qui à viris impudicis fieri ſolent; tunc graviter peccare, ſi ſe non retrahat, aut impediat actus illos; certum eſt penes omnes: cum in tali caſu concurreret ad actus intrinſecè malos, & ex ſe illicitos. Si verò actus à viro exhibiti exterius honeſti ſunt, & conformes mori patrio, ſubdiſtinguendum erit: ſi fiant in publico, & coram aliis, tunc non tenebitur fœmina ſe retrahere, ac impedire: quia ſic ſuſpicionem ingereret in adſtantes de prava voluntate viri illius, ejuſque fama periclitaretur. Si tamen fierent in ſecreto, & abſque adſtantibus, graviter peccabit contra charitatem proximi, ſi non impediat: cum teneatur unuſquiſque ex charitate, cum commodè poſſit, impedire peccata proximi. Si tandem dubia eſt fœmina de bono, vel pravo animo viri in actibus juxta morem patrium, nec ex circumſtantiis magis præponderat ad animum pravum, quàm bonum; tunc non tenebitur ſub mortali ſe retrahere: cum *nemo* præſumendus ſit malus, niſi rationabiliter conſtet. Secus verò ſi rationabiliter ad animum pravum propenderet. Sic Graſſis, Azor, Leſſius, Sà, quos refert & ſequitur Bonacina *qu. 4. de Matr. punct. 9. nu. 10.*

Petes 3. an vellicare fœminam, aut ejus digitos intorquere, vel leviter manum tangere, aut pedem; ſit grave peccatum? Reſp. in hoc attendendam eſſe intentionem operantis: nam ſi ex animo venereo, ac libidinoſo hæc fiant; non excuſanda erunt à gravi peccato, cum ſint irritamenta ad venerem. Si verò ex levitate joco, & petulantia, abſque prava delectatione fiant; erunt peccata venialia, dummodo abſit periculum pravi conſenſus in alio, & ſecluſo ſemper ſcandalo. Sic Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. Lopez 1. *part. cap.* 58. & alii. 4

Petes 4. an oſculari pueros, eorumque carnes tangere, cum magna ſuavitate ſit grave peccatum? Reſp. ſi hoc fiat; ut communiter fit à matribus, & nutricibus, etiam cum delectatione illas purè ſenſitiva ex amore tenellulæ ætatis; non eſſe peccatum: cum ſic infiniti inſurgerent ſcrupuli in illis, & damnare illas de peccato, eſſet nimis durum. Si verò hoc fieret cum animo pravo; & delectatione venerea, quis negare poterit, eſſe grave peccatum. Sic Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 46. num. 16.* Rebellus *lib. 3. de Matrimon. quæſt. 19. ſect. 3.* & Bonacina *quæſt. 4. de Matrimon. punct. 9. num. 12.* 5

Aſpectus fœminarum, vel aliarum perſonarum pulchrarum, ſi fiat non ex animo venereo, ac libidinoſo; ſed vel ex curioſitate, aut levitate; non erit grave peccatum; dummodo non habeatur periculum conſentiendi venereæ delectationi, quæ inſurgere poteſt: & ratio eſt, quia in aſpectu non reperitur tanta vis provocandi ad libidinem, ſicuti reperitur in tactu. Sic Navarrus *de pœnit. diſt. 1. Cap. Si cui. num. 11.* Leſſius *lib. 4. cap. 4. numer. 63.* Cajetanus, & Armilla apud Sanchez *lib. 9. de Matr. diſp. 46. nu. 22.* Non loquimur hìc de aſpectibus illis, qui ex ſe impudici ſunt, & graviter peccaminoſi, etiamſi ex pravo fine non fiant: ut eſſet ſi vir, aut fœmina, aſpicerent pudenda alterius ſexus: nam hujuſcemodi aſpectus multùm excitare ſolent ad libidinem, adeoque à peccato mortali excuſari nequibunt. Sicuti non excuſatur à mortali vir aſpiciens pudenda, aut vicinas partes juvenis pulchri ob rationem adductam. Solùm excuſantur à mortali aſpicientes inter ſe pudenda viri natantes; aut fœminæ inter ſe aſpicientes pudenda etiam natantes; dummodo non fiat ex pravo animo, & abſque periculo conſenſus in venereæ delectationem: & ratio eſt, quia tales aſpectus inter perſonas ejuſdem ſexus non videntur adeo incitare ad venerem. Sic Sanchez *loc. cit. num. 12.* Filliuccius *tract. 30. cap. 9. quæſt. 9. num. 218.* & Bonacina *quæſt. 4. de Matrim. punct. 9. num. 13.* Exciperem nihilominus pueros inter ſe natantes, in quibus aſpectus ille nudarum partium faciliùs incitaret ad libidinem, quàm excitet in viris ætate provectis. 6

Ex dictis ſequitur: grave peccatum eſſe aſpicere quemcumque concubitum, ſivi viri cum fœmina, ſivi viri cum viro, etiam ſi fiat ex mera curioſitate, & abſque pravo fine: & ratio eſt, quia ſimiles aſpectus nimis ex ſe excitare ſolent ad libidinem, adeoque ex ſe impudici, & illiciti ſunt. Quamvis non ſimiliter diſcurrendum ſit de aſpectu concubitus

bitus brutorum inter se, vel de aspectu partium ipsorum turpiter commotarum; dummodo semper absit periculum percipiendi veneream delectationem ex tali aspectu. Sic Sanchez *loc. cit.* & Filliuccius alios referens *loc. cit. nu.* 219.

7 Petes primo: an in turpibus aspectibus aperienda sit in confessione circumstantia personæ, de qua habita est venerea delectatio. Resp. affirmativè: eo quia talis delectatio est ejusdem speciei, & habet eamdem malitiam, quam habet actus consummatus; tendit enim ex se ad illum exequendum; sicuti ergo in actu consummato aperienda est persona in confessione; ita etiam in delectatione, tendente ad talem actum aperienda erit persona. Sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 46. nu. 23.* & Bonacina *disp. 4. de matrim. pun. 10. n. 16.*

8 Petes secundo: an adolescentulæ, quæ se præbent aspiciendas juvenibus è fenestris, aut similibus locis, si credant inhonestè amari ab ipsis; graviter peccent hoc efficiendo? Resp. si data opera, & absque ulla necessitate, sed potiùs ex levitate, & vanitate hoc efficiant; graviter peccabunt ob scandalum, & occasionem ruinæ, quam proximo præbent. Secus verò dicendum, si ex aliqua necessitate, aut commoditate id efficiant; aut ne sua libertate priventur, dummodo absit intentio præbendi ruinam proximo: & ratio est, quia sic utuntur jure suo, & scandalum illud potiùs est acceptum, quàm datum. Sic Navarrus *in Summ. cap. 23. num.* 18. Azor *3. par. lib. 3. cap. 16. quæst. 6.* Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 6. num. 6.*

9 Petes 3. an mulier fucans faciem suam, aut ornans caput suum alienis capillis; vel vestibus pretiosis, ac odoriferis se induens; graviter peccat? Resp. affirmativè si hoc faciat animo pravo, ac inducendi causa alios ad libidinem: esset enim sic dare occasionem ruinæ spiritualis proximo, & scandalum in re gravi non esset acceptum, sed datum. Si tamen ob levitatem aliquam fœminilem, & vanitatem hoc efficeret absque pravo animo inducendi alios ad libidinem; venialiter peccaret: cum ornatus per se non sit malus, sed indiferens, esto quòd aliquis ex malitia sua, accipiat occasionem ruinæ spiritualis. Si denique hoc efficiat ex causa rationabili, quia vel sic decet statum suum, aut sit sponsa novella sponsa, vel tandem quia sic maritus jubet; nullum peccatum committet, utitur enim ex rationabili causa jure suo, nec talis ornatus ex se repugnat cum Dei charitate, vel proximi. Sic Navarrus *in Summ. cap. 16. numer. 14.* Sà *verb. Ornatus num. 1.* Graffius *1. par. lib. 2. cap. 77. num. 5.* Filliucius *tract. 30. num. 220.* Bonacina *de Matrimon. quæst. 4. pun. 10. num. 25. & 26.* & alii apud Lessium *lib. 4. cap. 4. dubit. 14.*

10 Loqui turpia, & obscœna, aut illa legere, sicuti spectatio comædiarum lascivarum, auditio cantionum inhonestarum; si fiant ex animo veneræ è delectandi de rebus ipsis turpibus, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel proximorum; erunt gravia peccata, ut per se patet, & docent communiter Doctores cum Cajetano, Toleto, Rebello, Navarro, Sanchez, Azorio relatis à Bonacina *de Matrim. quæst. 4. pun. 10. num. 18.* Si tamen fiant non ex animo pravo, sed ex curiositate, vel vano solatio, præciso semper periculo ruinæ spiritualis sui, vel proximi; erunt peccata venialia, cum remotè tantùm disponant ad libidinem, & ex se sint indifferentes; aliàs nec præceptor de illis sermonem habere posset in lectione morali, nec legere posset in Doctoribus, imò nec Confessarius audire posset in confessione, nec pœnitens illa dicere, aut de illis prævium examen habere ad confessionem. Ex intentione igitur, & ex animo hæc faciendi dignosci debet an grave, an leve peccatum, an denique nullum sit, ut est in Præceptore, Confessario & similibus. Sic Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 56. nu. 32.* Filliuccius *tract. 30. cap. 10. qu. 3.* & Bonacina *loc. cit.* cum aliis.

11 Gestus, *nutus*, litteræ amatoriæ, & dona; si fiant ex animo pravo incitandi ad libidinem; erunt pariter gravia peccata; venialia tantùm si fiant absque animo pravo, & secluso semper periculo ruinæ spiritualis propriæ, vel proximi; sed ex levitate quadam, & vanitate. Idem dicendum de choreis, quæ ex se sunt indifferentes, & exhiberi solent in signum lætitiæ; ex pravo igitur fine excitandi ad libidinem erunt gravia peccata; aut ex circunstantiis si fiant in loco sacro, & tempore divinorum Officiorum. Levia peccata erunt si fiant ex levitate, & vanitate; nullum denique peccatum erunt, si fiant ex rationabili causa, ut in conviviis Magnatum. Sic Sylvester, & Angelus *verb. Chorea*; Filliuccius *tr. 30. n. 203.* & alii.

12 Petes 1. an Clerici, qui interfuit comœdiis turpibus; graviter peccent? Resp. si assistant ex prava intentione delectandi venereè, graviter peccare, ut ceteros, qui Clerici non sunt; si tamen non ex prava intentione, & secluso scandalo, ac peccandi periculo assistant; non peccare graviter. Decens tamen est, Ecclesiasticos abesse ab his nugis, uti prohibitum est *in cap. Non oportet 2. de consecr. dist. 5. & cap. Clerici 2. de Honest. & vit. Clericis.* Quamvis prohibitio hæc non sit sub gravi obligatione: ut notat Bonacina & Sanchez, & Cajetano *de Matr. quæst. 4. pun. 10. nu. 22.*

13 Petes 2. an exhibentes turpes comedias, aut illas componentes, vel alios libros obscœnos graviter peccent ob occasionem ruinæ, quam proximo præbent, quamvis illam non intendant? Resp. affirmativè, cum moraliter sit certum ex tali occasione ruinæ spiritualis multos peccaturos; ergo præbentes occasionem illam graviter peccabunt. Idem dicendum depingentibus, aut sculpentibus nudas fœminas, & turpiter, aut de fœminis veste ita tenui se cooperientibus, ut ab aliis conspici possint partes earum pudendæ, sunt enim sic causa incitans ad veneream delectationem proximi. Sic Angelus *verb. Ludus num. 3.* Filliuccius *tract. 30. nu. 211.* & alii apud Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 46. nu. 42.*

CAPUT III.

De speciebus Luxuriæ consummatæ naturalibus, & primò de fornicatione & concubinatu.

1 *Quænam dicantur species luxuriæ consummatæ naturales?*
2 *Fornicatio alia est simplex, & strictè accepta; alia non simplex, & largè accepta.*
3 *Fornicatio simplex, & strictè accepta ex se grave peccatum est, & intrinsecè mala.*
4 *An copula habita cum alterius sponsa sit simplex fornicatio?*
5 *Non solùm accedere ad meretrices est grave peccatum toties quoties, sed etiam eas inducere ad peccandum, etiam si ex se paratæ sint.*
6 *An fœmina si comprehendatur vi à juvene in loco remoto, & cogatur ad actum turpem nolens, & renuens; dicatur fornicari?*
7 *An liceat Principibus, & Magistratibus locum permittere meretricibus in Civitate?*
8 *An licitè locari possunt domus meretricibus?*
9 *Concubinatus reducitur ad simplicem fornicationem, sed continuatam cum eadem persona.*
10 *Quid sit concubinatus ex jure Civili antiquo, novo, & ex Jure Canonico?*
11 *Concubinatus ex se grave peccatum est, nec absolvendus concubinarius; nisi concubinam, quam domi habet; eiiciat.*
12 *Adnotantur varia circa occasionem proximam peccandi.*
13 *Afferuntur nonnulli casus, in quibus occasio peccandi non est voluntaria.*
14 *An concubinæ, de quibus fit mentio in Sacra scriptura; fuerint uxores?*
15 *An sit pœna aliqua specialis jure Canonico lata contra Clericos concubinarios notoriè tales?*
16 *An Sæculares, qui concubinarii sunt; puniri possint ab Ordinariis locorum?*

SPECIES luxuriæ consummatæ naturales illæ dicuntur, in quibus commixtio habetur cum fine intento ad generationem, & modo à natura *instituto*, servato scilicet sexu diverso, eadem specie, & ordine naturali in commiscendo. Et de his pertractandum in hoc, & sequentibus capitibus; pertractaturi posteà in aliis de speciebus luxuriæ consummatæ in naturalibus. Omnes autem sive naturales, sive innaturales castitati, & virginitati opponuntur, ac luxuriæ nomen habent, & peccata lethalia sunt ex genere suo: cum luxuria ex Divus Thoma *2. 2. quæst. 153. art. 4.* sit excessus modi, & ordinis rationis circa venerea, & voluptatem carnis; & ex Divus Paulo *ad Galat. 5. Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* 1

Fornicatio, quæ à verbo fornicor originem trahit: eo quia meretrices, ut turpi quæstui operam darent; in fornicibus, & locis suboscuris habitare solebant; alia est simplex, & strictè accepta; alia non simplex, & largè accepta. Simplex & strictè accepta est concubitus

soluti cum soluta. Nomine soluti intelligitur ille, qui liber à voto, ordine sacro, matrimonio, religione, consanguinitate, vel affinitate. Non simplex, & large accepta est quicumque concubitus sive personæ solutæ cum non soluta, sive personæ non solutæ cum non soluta.

3 Jam verò fornicatio simplex, & strictè accepta, nam non simplex, & largè accepta reducitur ad alias species luxuriæ, de quibus in sequentibus; ex se grave peccatum est, & intrinsecè mala, adeout numquam cohonestari, & reddi licita possit, nec suam malitiam habet ab extrinseca prohibitione, uti definitum fuit ab Innocentio Undecimo, damnante propositionem illam, quæ est 48. inter damnatas à se: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involuere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Et ratio est, quia nimis repugnat rectæ rationi, ac Juri naturali, & divino: Deus siquidem concedens concubitum humanum, illum concessit non ob solam filiorum multiplicationem, sed etiam ob eorum rectam educationem, & institutionem; quæ haberi nequit, ubi certi non habentur progenitores, & per matrimonium designati. Consonat Divus Paulus *ad Ephes. 5. Omnis fornicator non habet partem in regno Dei; & ad Corinth. 6. Neque fornicarii Regnum Dei possidebunt.* Sic etiam Doctores passim.

Dices: Deum mandasse Oseæ, ut sibi sumeret uxorem fornicationum, & filios de fornicatione susciperet; ergo fornicatio nec est intrinsecè mala, nec talis, ut non possit reddi licita ex divino Mandato. Resp. vel Deum præcepisse Prophetæ, ut sumeret sibi in uxorem eam, quæ antea fornicaria fuerat, adhoc ut Prophetæ sancta conversatione; ex impudica pudica, & honesta evaderet. Vel ut doctissimè habet Nicolaus de Lyra explicans hunc Textum, sumeret sibi uxorem gentilem, quæ fornicaria dicebatur ob idololatriam, nam idololatria fornicatio spiritualis appellari consuevit etiam apud Patres, & Interpetres.

4 Dubium hìc consurgit: an copula habita cum alterius sponsa, sit simplex fornicatio. Resp. Si sponsa est de præsenti, esse revera adulterium: & ratio est, quia sponsus cum sponsa de præsenti contrahit verum matrimonium ratum, licèt non consummatum, & per matrimonium ratum habet sponsus jus accusandi uxorem propter adulterium. Si verò sponsa est de futuro. esse simpliçem fornicationem, eo quia inter sponsos de futuro non datur verum matrimonium, sed tantùm vera promissio futuri matrimoni; nec sponsus de futuro habet jus illud, quod habet sponsus de præsenti. Advertendum tamen, quòd licèt hic concubitus cum sponsa de futuro sit intra eamdem speciem simplicis fornicationis, ut tamen gravior, quapropter aperienda erit circumstantia hæc in confessione, maximè respectu sponsæ: & ratio est, quia est gravis injuria respectu sponsi, quamvis tanta non esset respectu sponsæ, si sponsus haberet copulam cum alia, cum non tanta honestas requiratur in sponso, quanta requiritur in sponsa. Sic Rodriquez *tom. 1. cap. 109.* Sanchez *de Matrimon. tom. 1. lib. 1. disput. 2. numer. 6.* Filliucçius *tom. 2. tract. 30. cap. 2. num. 53.* & Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 1. num. 15.*

5 Posito & jam probato quòd fornicatio ex natura sua sit grave peccatum, sequitur apertè, quòd non solùm accedere ad meretrices sit mortale peccatum toties, quoties; verùm etiam quod sit mortale, peccatum eas inducere, & invitare ad talem accessum, sive ex se paratæ sint ad peccandum, sive non: cum invitentur ad actum, quem licitè facere non possent, aut quem non facerent, nisi invitarentur. Sic etiam grave peccatum erit dare pecuniam, aut quid simile, sive dono, sive mutuo fœminis volentibus, aut non volentibus tale scelus committere, eo animo ut peccent; esset enim hoc cooperari ad malum, ut clarè patet ex se. Ita Sylvester *verb. concubinarius, quæst. 3.* Filliucçius *loc. citat.* & alii.

6 Quæres primo: an dicatur fornicari fœmina si comprehendatur à juvene, & cogatur ad actum turpem ipsa nolente, & renuente. Resp. negativè, si ipsa interiùs non consentiat, nec modum evadendi habeat; & ratio est, quia in tali actu nil voluntarium exerçet, in quo peccatum consistit: ut rectè docent Toletus *lib. 5. Summ. cap. 10. num. 4.* Navarrus *in Summ. cap. 16. num. 2.* Sanctus Antoninus *3. part. tit. 8. §. 6.* & Fagundez *loc. cit. num. 18.* Secus verò dicendum si consentiat, etiamsi consensus vi, metu, ac minis extorqueatur: cum teneatur mori potiùs, quàm consentire: nec sufficiunt ad talem consensum cohonestandum minæ, metus mortis, infamiæ periculum, aut impedimentum implorandi auxilium: non nego tamen, quòd ex parte minuant: ut benè notat Navarrus *loc. cit.* & innuitur *in cap. Merito 15. quæst. 1.* Hinc fit: quòd si fœmina vi comprehensa, & non consentiens virgo sit; non amittat in sui defloratione virginitatem, etiam violato Virginali claustro, & etiamsi concipit: nam licèt virginitatem naturaliter amittat, & secundùm esse physicum: non amittit tamen illam moraliter: cum virginitas sit moralis virtus, & ad animum spectet, & nonnisi per voluntarium consensum amittitur. Sic Sanctus Augustinus *lib. de Virgin. cap. 13.* quem sequitur Divus Thomas *2. 2. quæst. 112. artic. 1.* Cajetanus ibi, Valentia *disp. 9. quæst. 1. punct. 2.*

Quæres secundò: an liceat principibus permittere lo- 7
cum aliquem in civitate meretricibus? Resp. affirmativè, dummodo malum ab ipsis patrandum non intendant; & tantùm permittant, aut majora mala in Civitate vitentur; nam Deus ipse aliqua mala permittit, ut majora vitentur, cum hoc intendere non sit actio ex se illicita. Sic apertè Divus Thomas *2. 2. quæst. 100. artic. 2.* quem passim sequuntur Doctores.

Quæres 3. an licitè locari possint domus meretrici- 8
bus? Resp. posse, numquam intendendo malum ab ipsis patrandum, sed merè accipere pecuniam ex locatione suarum domorum; & ratio est, quia Domini sic efficientes utuntur jure suo, & nemo utens jure suo peccare censetur; nec per hoc censentur cooperari ad peccata illarum, cum locus, & domus extrinsecè, & valde remotè se habeant quoad peccandum. Sic Valentia, Lopez, Azor, Lessius, Rebellus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disput. 4. de matrimon. punct. 14. num. 5.* Extendunt quoque hanc doctrinam, etiamsi commodè domos locare possent aliis, dummodo semper locent ad habitandum, non ad meretricandum: quia utuntur jure suo, nec restringi debent in suo dominio. Sed hæc extensio mihi dura videtur, si commodè suas domos honestis personis locare possint: cum offensa Dei etiam in pura permissione loci vitanda sit, si commodè fieri possit, & nullum sequatur Dominis detrimentum. Quapropter bene Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 24. dubit. 7. num. 39.* & Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 7. num. 20.* limitant doctrinam superiùs traditam de locatione domorum meretricibus, dummodo non habeatur specialis commoditas ad peccandum sive ratione situs, sive alterius circumstantiæ; nec aliquod grave incommodum sequatur, ac scandalum honestis vicinis ibi inhabitantibus: in his enim casibus minimè licitum esse potest, domos meretricibus locare, etiam ad habitandum, non ad meretricandum.

Concubinatus reducitur ad simplicem fornicationem, 9
nec speciem ab ea diversam constituit; est enim concubinatus Frequens, & continuata fornicatio cum eadem persona. Quapropter ad concubinatum constituendum non sufficit unus, vel alter actus fornicarius; sed plures actus requiruntur, qui consuetudinem, & continuationem indicant, adeout concubinarius, & concubina quodammodo ita cohabitent, ac si matrimonio conjuncti inter se essent. Differt autem concubinarius à fornicario, eo quia concubinarius habet copulam frequentem, & continuatam cum eadem fœmina, retinendo eam ad libidinem, ac si uxor propria esset. Fornicarius verò, & si habet copulam frequentem, & continuatam non tamen eam habet cum eadem fœmina, retinendo eam ad libidinem; sed vagè modo cum hac, modo cum illa. Sic Sylvester *verb. Concubinarius, numer. 1.* Toletus *lib. 1. Summ. cap. 47.* & Bonacina *quæst. 4. de Matrimonio punct. 14. numer. 8.*

Quamvis de jure civili antiquo concubinatus esset 10
contubernium diuturnum soluti cum soluta in eadem domo retenta, & inibi eodem affectu commorantium. Jure tamen novo est concubinatus viri, quicunque sit, sive solutus, sive non solutus cum fœmina soluta, quam domi propriæ retinet, alit, ac tractat ut propriam uxorem. Sic Doctores, quos refert Farinacius *tom. 4. quæst. 138. num. 3.* & 10. De Jure verò Canonico: Est concubitus viri cum fœmina soluta, quamvis vel in domo propria, vel extra retinet; & ad quam frequenter,

vel

vel ex consuetudine accedit, sive retineat ut concubinam, sive ut pedissequam, sive alio titulo. Quapropter ut Clericus concubinarius dici possit, sat est, quòd concubinam domi retineat, ut pedissequam Matris, aut Sororis; dummodo tamen constet, esse concubinam, & ut talis passim reputetur: ut ex Filliuccio adnotat Fagundez *lib. 6. in Decal. cap. 2. num. 2.*

11 Jam verò concubinatus ex se consideratus grave peccatum est: quia concubinarius non solùm peccat per iteratos actus, verùm etiam continuò jacet in statu peccati, & proposito virtuali saltem, quod habet perseverandi in illo. Quapropter absolvendus non erit concubinarius, nisi priùs concubinam è domo ejiciat: & ratio est, quia persistit in proxima occasione peccandi, nec videtur rectè dispositus ad veram pœnitentiam per sufficientem dolorem, ac propositum vitandi peccata imposterum; requiritur siquidem ad ejus resipiscentiam non solùm cessatio ab actibus carnalibus, sed etiam recessus à tali statu. Sic Azor. Sayrus, Graffis, Navarrus, Coninch, Lopez, Filliuccius, & alii passim, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 14. num. 11.* Quòd si domi concubinam non retineat, sed extra; differenda erit absolutio à prudenti confessario quoadusque à statu, & prava consuetudine peccandi recessisse videatur, præsertim si sæpe proposuerit talem emendationem, & nihilominus se non continuerit. Vide Fagundez *lib. 6. in Decal. cap. 2. num. 4.*

12 Adnotandum hìc 1. ad occasionem proximam peccandi, quam quisque vitare tenetur; duo requiri, primum quòd talis occasio sit ex se, & ex genere suo hujusmodi, ut ferè semper inducat ad peccatum homines similis conditionis; aut saltem per experientiam comprobatum sit, quòd ferè semper inducatur talis homo ad peccandum, quoties in tali occasione positus fuerit, aut illa utatur. Nam si non soleat inducere ad peccatum, etiam si aliàs induxerit, vel quia habita est mutatio, vel ex alio capite; non dicenda erit occasio proxima: ut docent Navarrus *in Sum. capit. 3. num. 15.* Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 8.* cum aliis. Secundum, quod requiritur, est, quòd talis occasio voluntaria sit; cum nulla occasio culpabilis esse possit, & peccaminosa, nisi voluntaria sit. Tunc autem reputabitur involuntaria, quando moraliter vitari non potest; aut si gravissima necessitas, & causa urgeat ad se exponendum tali periculo. Sic Suarez *de Pœnit. disput. 32. sect. 2. numer. 4.* Henriquez *lib. 4. capit. 24. numer. 4.* Reginaldus *lib. 5. numer. 63.* Navarrus *in Summ. cap. 3. num. 14.* Sà *verb. Absolutio, num. 12.* & alii.

Adnotandum 2. quòd licèt confessarius denegare debeat absolutionem existenti in proxima occasione peccandi, nisi illam removeat; non debet tamen illam denegare existenti tantùm in remota occasione peccandi; aliàs omnibus deneganda esset, omnes siquidem in hac vita existunt in remota peccandi occasione; ut bene advertunt citati Doctores.

Adnotandum 3. quòd concubinarius in mortis articulo absolvi possit, si tunc non possit concubinam ejicere, dummodo habeat firmum propositum illam ejiciendi, ut primùm poterit. Extra tamen mortis periculum absolvi non debet concubinarius, nisi concubinam è domo expellat: imò Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 14. num. 12.* Lopez *1. par. cap. 78.* docent, non esse absolvendum concubinarium, qui revera talis non sit, sed censeatur talis à civitate, aut populo; nisi fœminam, ut concubinam reputatam ejiciat, cum tollendum sit scandalum exterorum; aut manifestandum sit populo, revera non esse concubinarium.

13 Ex dictis huc usque infertur 1. posse absolvi filium familias, si à paterna domo non expellat ancillam, aut aliam fœminam, cum qua peccare consuevit; dummodo firmum propositum habeat non peccandi imposterum, & aufugiendi occasionem, ut solus cum ipsa moretur, sed coram aliis: & ratio est, quia cum filius familias non sit sui juris, & à paterna potestate pendeat in admittendo, vel dimittendo servas; ideo talis occasio non erit ipsi voluntaria, & à suo nutu pendens. Sic Graffis *lib. 1. Decis. capit. 28. num. 12.* Lopez, & Bonacina *l. c. num. 13.* cum aliis.

Infertur 2. posse etiam absolvi Dominum, qui domi retinet ancillam, cum qua non semper, sed ter, vel quater in anno ardore libidinis repentinæ correptus peccare soleat; sed speret modò, non ampliùs relapsurum esse in futurum: & ratio est, quia sic non dicitur esse in consuetudine, & frequentia peccandi, nec in occasione proxima; ut docent Graffis *lib. 1. Decis. cap. 28. num. 13.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 15. nu. 12.*

Infertur 3. posse absolvi à Confessario adolescentem, qui ex propria fragilitate sæpius in mollitiem erumpit: cum talis occasio sit à causa secum immanente; nec censetur voluntaria in hoc, quòd possit illam expellere. Quamvis confessarius ex sua prudentia possit aliquando absolutionem differre, ac salutaria remedia imponere, ut cum efficaciori proposito imposterum abstineat à peccatis adeo turpibus. Sic Henriquez *lib. 4. cap. 24. nu. 4.* Coninch *de Pœnit. disp. 8. dubit. 7. num. 134.* cum aliis. Secus tamen dicendum, quando occasio est illi extrinseca, & illam expellere possit; tunc enim deneganda est illi absolutio, nisi occasionem tollat. Ut si adolescens fœminam ex loco aliquo aspiciat, ex cujus aspectu in turpes cogitationes incidat, & consentiat, à quibus permotus in voluntariam pollutionem erumpat; tunc enim tenebitur hanc occasionem expellere, cum sit proxima, & voluntaria, ac resecabilis: ut bene notat Bonacina *l. c. num. 14.*

Hinc fit: posse absolvi à Confessario artificem illum, qui in iteratis confessionibus ferè semper fatetur de commissis à se fraudibus, ac mendaciis in arte sua, quam relinquere nequit sine magno incommodo sui, ac familiæ, quam alit, nec aliam exercere valeat, dummodo doleat de peccatis præteritis, & firmiter proponat, non ampliùs se commissurum imposterum cum Dei adjutorio. Sic Henriquez *l. c.* Rodriquez *cap. 29.* & Graffis *l. c. num. 25.* cum aliis.

Infertur tandem; fornicarium, qui modò cum hac, modò cum illa vagè peccare consuevit, dummodo nec domi, nec alibi aliquam retineat, ac suis expensis alat; posse absolvi, si firmum, & constans propositum habeat non peccandi imposterum; sic Doctores citati cum Sà *verb. Absolutio, num. 12.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 15. numer. 16.*

Quæres 1. an Concubinæ, de quibus fit mentio in Sacris Paginis, fuerint revera Uxores? Resp. fuisse revera Uxores, sed minùs principales: nam cum Hæbreis olim permissum fuerit, duas ducere uxores, unam solemni ritu, & publica demonstratione; aliam sine tali solemnitate, ac publicitate, quæ neque ad domus gubernationem admitti solebat; ideo prima dicebatur Uxor, secunda verò concubina, quamvis juxta Legem illam vera Uxor esset. Vide Filliuccium *tract. 30. cap. 2. num. 57.* & Interpretes passim. 14

Quæres 2. an sit pœna aliqua specialis Jure Canonico lata contra Clericos publicè Concubinarios, & notoriè tales? Resp. Sylvestrum, Navarrum, Toletum, Panormitanum, Julium Clarum, & alios, quos refert Fagundez *in 6. Decal. Præcep. lib. 6. cap. 2. num. 9.* putasse, esse ipso facto de Jure suspensos, & si in eadem suspensione vel celebrent, aut exerceant actum aliquem sui Ordinis; evvadere irregulares. Sed oppositum hodie est probabilius, ut docent Suarez, Sayrus, Avila, Garzia, Sotus, Medina, Rodriquez, Henriquez, Innocentius, Archidiaconus, Covarruvias, Guttierrez, & alii, quos refert, & sequitur idem Fagundez *l. c. num. 10.* & ratio est, quia jus antiquum, in quo fundabatur prima sententia; jam correctum est à Jure novo Tridentini *sess. 25. cap. 14. de Reform.* ubi statuitur suspendendos esse ab Ordinariis, quæ verba censuram ferendam, non verò latam important: nam præcipit, ut præmissa trina monitione suspendantur, nisi resipuerint; ergo non sunt ipso Jure suspensi, sed suspendendi ab Ordinariis, aliàs frustra juberentur suspendi, si jam ipso facto sint suspensi. 15

Quæres tandem: an Sæculares, qui concubinarii sunt, possint puniri ab Ordinariis locorum? Resp. affirmativè, non solùm enim subjacere debent pœnis ab Ordinario infligendis, sed etiam excommunicationi, si post trinam monitionem non resipiscant; patet ex Tridentino *sess. 24. cap. 8. de Reform.* Ubi additur: posse etiam Locorum Ordinarios extra oppidum, aut suam Diœcesim expellere mulieres concubinarias, sive solutas, sive conjugatas, si trina monitione adhibita minimè obedire voluerint. Vide Azorium *3. par. lib. 3. cap. 6.* & Riccium *in Praxi decis. 378.* 16

CAPUT IV.

De Adulterio;

1 *Definitur Adulterium.*
2 *Ex se gravissimum peccatum est importans ultra malitiam simplicis fornicationis, injustitiæ contra Conjugem.*
3 *An sit adulterium copula habita à soluto cum conjugata consentiente ejus Marito?*
4 *Quibus modis adulterium committi possit?*
5 *An adulter per adulterium commissum deperdat jus petendi debitum ab Uxore?*
6 *Quænam pœnæ adulteris impositæ sint?*
7 *Quam obligationem habeant adulterantes.*
8 *An adulter præcisè ratione commissi adulterii teneatur ad restitutionem aliquam faciendam Marito adulteræ?*
9 *Ad quid teneantur duo cognoscentes eamdem fœminam conjugatam, vel solutam, ex qua proles habita sit?*
10 *An teneatur adultera prodere suum adulterium, ne defraudentur filii legitimi in portione hæreditatis?*

1 ADULTERIUM, quatenus est luxuriæ species; sic definiri solet: est accessus ad alienum thorum, quo fides conjugalis violatur: colligitur *ex Cap. Nemo* 32. *quæst.* 4. & ex Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 8. quem Doctores sequuntur. Hinc apertè constat, ad hoc ut adulterium habeatur; requiri saltem, ut unus ex eis, qui copulam habent, sit conjugatus, aliàs nec accessus haberetur ad thorum alienum, nec violatio fidei conjugalis, quæ in conjugio promitti solet; & vox ipsa adulterium, quasi transitum, & accessum ad alteram sonare videtur; nec altera, seu aliena esset, nisi conjugio foret juncta. Parimodo dicendum, si vir esset conjugatus, & mulier soluta; esset enim tunc accessus ad alterum.

2 Adulterium ex se consideratum est gravissimum peccatum, ut colligitur ex variis Scripturæ locis, nam *Deuter.* 27. *habetur: Maledictus, qui dormierit cum Uxore Proximi sui; Levitic.* 20. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui; morte moriatur & mœchus, & adultera*; D. Paulus 1. *ad Corinth.* 6. *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt.* Ratio autem est, quia hoc peccatum ultra malitiam simplicis fornicationis, quam in se continet; includit etiam malitiam gravissimæ injuriæ contra conjugem; violatur enim per adulterium in re gravi jus conjugis contra omnem justitiam: cum ex D. Paulo 1. *ad Corinth.* 7. Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor; neque Uxor habet potestatem corporis sui, sed vir. Sequuntur quoque ex adulterio alia mala.

3 Quæres 1. an copula habita à soluto cum conjugata, consentiente ejus conjge, & cedente juri suo; sit adulterium? Resp. affirmativè; eo quia semper fit injuria Statui Matrimoniali, licèt non fiat injuria Marito consentienti: nec maritus cedere potest juri, quod consurgit ex statu Matrimoniali; & obligatione vinculi Matrimonii, quod ex se indissolubile est. Sicuti semper fit injuria Statui Clericali, & toti Ordini Ecclesiastico si Clericus exemptus pertrahatur ipso consentiente ad Tribunal laicale. Adeo indubitata est nostra responsio, ut in controversiam revocari nequeat; damnata siquidem fuit *ab Innocentio XI.* Propositio 50. inter damnatas à se asserens: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

4 Quæres 2. quibus modis adulterium committi possit? Resp. tres enumerari modos, quibus adulterium committi potest. 1. cum solutus cum conjugata copulam habet. 2. cum conjugatus cum soluta. 3. cum conjugatus cum conjugata. Gravius tamen peccatum adulterii erit, si solutus cum conjugata peccaverit; quàm si conjugatus cum soluta: & ratio est, quia fit specialis injuria marito, cui aliena proles supponitur; fit etiam injuria proli legitimæ, cui minuenda erit hæreditas: quæ quidem incommoda minimè sequuntur ex adulterio conjugati cum soluta. Gravissimum tamen ex supra enumeratis adulteriis erit, quando conjugatus cum conjugata miscetur, cum sit duplicatum adulterium necessariò in confessione exprimendum, quia licèt sint injuriæ ejusdem speciei, sunt tamen duę numero distinctæ; duplicis siquidem habetur violatio thori, & fidei conjugalis. Sic Lessius *de Just. lib.* 4. *cap.* 3. *dubit.* 9. *nu.* 74. Azor. 3. *par. lib.* 3. *cap.* 7. Filliuccius *tract.* 29. *cap.* 4. *num.* 8. & alii passim.

5 Quæres 3. an adulter per adulterium commissum deperdat jus petendi debitum ab Uxore? Resp. quamvis Navarrus *in Sum. capit.* 22. *numer.* 23. putarit cum aliis, non posse conjugem adulterum petere ex justitia debitum ab uxore innocente, sive publicum sit adulterium, sive occultum; conscia, vel inscia sit uxor adulterii commissi; sed tantùm posse petere amicè, & rogando: eo quia licèt amittat jus petendi ex justitia per commissum adulterium; non tamen amittit jus petendi amicè, & rogando. Nihilominus probabilior sententia asserit cum Soto, Henriquez, Palacios, Petro, Soto, Sanchez alios referente, quos citat, & sequitur Fagundez *in Decal. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 11. posse ex justitia petere debitum conjugale ab uxore innocente: & ratio est, quia per adulterium commissum non privatur adulter jure petendi, nisi privet Judex vel uxor ipsa; cum pœna hæc sit conventionalis, quòd scilicet frangenti fidem fides frangatur; sed de ratione pœnæ conventionalis est, quòd non debeatur in conscientia ante sententiam Judicis, vel antequam pars illam exigat; ergo si adulter necà Judice, nec ab uxore privatus est Jure petendi, poterit illud exigere ex Justitia. Quòd si Judex, vel Uxor privaverint adulterum suo jure (& sufficit; ad hoc ut Uxor privet, quòd deneget debitum adultero petenti sciens commissum adulterium) tunc amicè, & rogando petere debebit. Si verò conjux innocens, qui debitum denegavit conjugi adultero ob adulterium commissum, postea in adulterium incidat; tenebitur deinceps reddere ex Justitia; quia per similem adulterii injuriam amittit jus denegandi: ut bene docent Sanchez *lib.* 10. *de Matr. disp.* 12. *num.* 8. *& lib.* 1. *disp.* 68. *num.* 4. & Navarrus *l. c.* qui adnotat, obligandos esse à Confessariis maritos, qui ob commissum adulterium ab uxoribus eas reliquerunt; ut ad ipsas redeant, si ipsi in adulterium inciderunt, cum injuria aboleatur ob mutuam compensationem; nec absolvendi erunt, si id facere recusent.

6 Quæres 4. quænam pœnæ adulteris debeantur? Resp. ex Jure Civili deberi pœnam mortis, ut constat *ex Leg. Quamvis* 2. *in fin. Cod. ad Leg. Jul. de Adulter.* & ex aliis Legibus: cum Leges Civiles severè in adulteros animadvertant, ac ut Sacrilegos nuptiarum habeant. Amittit quoque uxor adultera dotem, quæ per sententiam Judicis Ecclesiastici marito adjudicatur, ut constat *ex Capit. Plerumque de Donat. inter Vir. & Uxor.* Insuper amittit arrhas, & munera propter nuptias, quamvis non amittat paraphernalia. Adnotandum tamen, quòd ad incurrendum has pœnas, adulterium debet esse consummatum, & probatum juxta communiorem sententiam. Ultra has pœnas potest fieri divortium ab adultero juxta ea, quæ superiùs dicta sunt. Aliæ pœnæ enumerantur, sed materia hæc potiùs spectat ad forum externum, & videri possunt penes Covarruviam *par.* 2. *capit.* 7. *§.* 6. & Azorium 3. *part. lib.* 3. *cap.* 8. Quæ autem pœna debeatur Christiano conjugato habenti copulam cum fœmina Judæa, vel alia non baptizata; sicuti quæ pœna debeatur Judæo, vel alteri non baptizato habenti copulam cum fœmina christiana sive conjugata, sive soluta; vide Menochium *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 3. *casu* 290. Solùm controverti potest: an concubitus Christiani cum infideli conjugata sit verum adulterium? Et breviter respondeo affirmativè: quia cum non possit esse simplex fornicatio, quæ intercedit inter solutum & solutam; ideo debet esse verum adulterium. Sic ex Azorio, & Filliuccio tradit Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *punct.* 15. *num.* 7.

7 Quæres 5. quam obligationem habeant adulterantes? Resp. adulterum, qui certò scit, ac indubitanter credit, filium ex adultera natum esse suum; teneri insolidum cum adultera ad restitutionem damnorum, quæ verus maritus patitur, & quæ patiuntur filii legitimi, vel hæredes. Habet enim obligationem adulter resarciendi ea alimenta, quæ Maritus adulteræ consumpsit in alenda prole illa spuria; quamvis enumerari debeant à tertio Nativitatis anno, cum ex Jure communi teneatur Mater alere filium pendentem ab uberibus usque ad annum tertium à Nativitate, ut constat ex *Leg. Nec filium Cod. de patr. potest.* ratio autem harum obligationum colligitur, quia sunt causa illorum

lorum damnorum, quæ contra jus alterius inferunt: adeoque tenebuntur ad illa resarcienda. Sic Lessius, Rebellus, Azor. Molina, & Filliuccius cum aliis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 8. Quòd si dubitet, aut probabiliter credat, prolem ex adultera natam non esse suam; non tenebitur ad hanc restitutionem faciendam: ratio est, quia possessio prolis stat pro Matrimonio, pro quo præsumendum erit; aliunde adulter stat in possessione suæ libertatis. Nec ad illum à sua libertatis possessione privandum sufficiens est juramentum matris, vel quòd filius natus ejus imaginem referre videatur. Hæc enim sunt signa fallacia, nec tantam obligationem in adulterum inducere possunt, cum sint meræ conjecturæ; nec de facili credendum est adulteræ, etiam cum juramento asserenti. Sic Molina, Azor. Lessius, Mascardus, Riccius, Henriquez, Salonius, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 8.

8 Petes 1. an adulter ratione commissi adulterii præcisè teneatur ad restitutionem aliquam faciendam Marito adulteræ, etiam si proles ex adulterio habita non fuerit? Resp. non teneri ad restitutionem aliquam pecuniariam faciendam, ut putavit Rebellus *quæst.* 10. *numer.* 1. ratio est, quia non pro omni injuria facienda est restitutio pecuniaria, sed pro injuria, & damno pecunia æstimabili: cum igitur damnum, quod maritus patitur, eo quia vilipendeatur, & in contemptu sit penes reliquos adulterium scientes; non sit pecunia æstimabile, ideo talem obligationem restitutionis inducere non poterit. Poterit tamen adulter aliam exhibere satisfactionem petendo veniam, si hanc sciat desiderari à Marito, cui notum sit adulterium; secus dicendum; si illi notum non sit, aut satisfactionem respuat; cum non debeat se manifestare, nec aliquid eo invito exhibere. Sic Lessius, Molina, Azor. Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *punct.* 15. *num.* 15.

9 Petes 2. ad quid teneantur duo cognoscentes eamdem fœminam conjugatam, vel solutam; ex qua proles habita sit. Resp. utrumque teneri in solidum ad resarcienda damna illata, quando dubium est, uter illorum sit pater prolis cum uterque causa sit illorum juxta ea, quæ de obligatione restituendi dici solent. Sic Rebellus *lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 21. & Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *disput.* 103. *num.* 3.

10 Petes 3. an adultera teneatur prodere adulterium à se commissum, ne filii legitimi in portione hæreditatis defraudentur? Resp. 1. adulteram occultam, quæ sit honestæ conditionis, ac in communi existimatione pro tali habetur; non teneri ad adulterium manifestandum, si ex manifestatione periculum vitæ suæ, aut famæ sequatur, etiamsi damnum, quod legitimis hæredibus infertur; sit im ampla hæreditate: & ratio est, quia bona superioris ordinis, ut sunt vita, & fama, non exponi debent ob reparanda minora damna, qualia sunt hæreditas, & successio in bonis fortunæ, aurum namque, & divitiæ in comparatione vitæ, & famæ non sunt tantæ existimationis, ut communiter docent Doctores, quos refert Bonacina *disput.* 1. *de Rest. quæst. ult. punct.* 1. *nu.* 11. Et multo magis adulterium suum manifestare non debet; si dubia remanet, an ex manifestatione impediatur damnum: cum posito tali dubio stet in possessione ejus vita, & fama, & conditio possidentis est melior. Tenebitur nihilominus ad compensandum damnum, quod filiis legitimis, & hæredibus advenit ea via, qua poterit, vel relinquendo filiis legitimis bona paraphernalia, vel alia propria industria acquisita, si habeat; aut suadendo ingressum Religionis filio spurio, si hoc commodè facere possit, & aliàs aptè obire possit munia Religionis: & ratio est, quia & adultera, & adulter tenentur in conscientia resarcire eo modo, quo possunt damna illata filiis legitimis, ac hæredibus, saltem pro rata, imò insolidum, si unus illorum sit impotens, alter potens. Vide Vasquez *de Test. cap.* 5. *§.* 1. *dubit.* 10. *num.* 19. Ex dictis sequitur: quòd si adultera possit aliunde occurrere damno filiorum legitimorum, vel hæredum cum bonis paraphernalibus, aut per ingressum filii spurii in Religionem; non tenebitur ullatenus adulterium suum manifestare, cum ad hunc finem ordinetur manifestatio.

Resp. 2. si adultera non sit occulta, nec periculum vitæ ejus, vel famæ judicio Virorum prudentum præponderet damnis, quæ filii legitimi, Maritus, aut hæredes patiuntur, & probabiliter putet cum manifestatione adulterii resarcienda fore; teneri in conscientia ad manifestationem sui adulterii, si aliam viam non habeat reparandi ea: nam incommodum, quod patitur in manifestatione sui delicti; non prævalet, nec excusat in suppositione allata ab obligatione resarciendi damna illata: ut bene docent Molina, Rebellus, Covarruvias, Salonius, & Valentia apud Bonacinam *de Matr. quæst.* 4. *punct.* 15. *num.* 20. Advertendum tamen, opus esse magna prudentia in Confessario obligante adulteram ad suum adulterium manifestandum etiam in articulo mortis: eo quia talis manifestatio rarò prodesse potest, cum filius spurius non teneatur illi credere, si cum Marito cohabitaverit tempore conceptionis; tum ob incommoda ipsius adulteræ si convalescat, tum etiam prolis spuriæ, quæ occidi forsitan poterit. Nec sufficiens remedium est, si manifestetur à Confessario post mortem juxta facultatem ab ipsa datam, cum & proles, & confessarius subjacere possint discrimini Vitæ. Vide Henriquez *lib.* 11. *cap.* 21. *num.* 2.

CAPUT V.

De Stupro.

1 *Quid sit Stuprum?*
2 *Ex se grave peccatum est habens malitiam distinctam à simplici Fornicatione.*
3 *An liberè consentiente Virgine in sui defloratione habeatur Stuprum?*
4 *Ad quid teneatur corruptor Virginis sponte consentientis?*
5 *Ad quid teneatur Stuprator, qui vi, & metu, aut mendaciis copulam à Virgine extorsit?*
6 *Ad quid teneatur Stuprator occultus puellæ per vim & fraudem Stupratæ equè benè nuptæ ac si non fuisset corruptæ?*
7 *Ad quid teneatur Stuprator cognoscens fœminam per vim, & fraudem, quam Virginem putabat, sed corruptam invenit ab alio?*
8 *Ad quid teneatur ille, qui vi, ac fraude, & mendaciis ita puellam sollicitavit, ut fuerit ipsi causa infamiæ, ac si eam defloraſſet?*
9 *An si puella condonaverit stupratori obligationem restituendi, adhuc stuprator aliquid restituere teneatur ipsi, vel ejus Parentibus?*
10 *Ad quid teneatur stuprator se offerens ad ducendam Virginem stupratam in Matrimonium, si ipsa nolit, aut ejus parentes?*
11 *An si stuprator precibus importunis tantùm, aut blanditiis, vel muneribus copulam à Virgine extorserit; teneatur ad aliquam restitutionem?*
12 *An Virgo corrupta per copulam, vel alio modo velari possit, & sacrari?*
13 *An Virgo occultè corrupta, quæ jam velata, & sacrata est; teneatur desistere ab illis Officiis, quæ Virginibus velatis, & Sacratis conferuntur?*
14 *An dispensari in hoc possit cum Virginibus occultè corruptis?*

STUPRUM strictè acceptum sic communiter definiri solet: est concubitus Viri cum fœmina Virgine, quo Virginale claustrum rumpitur, & carnis integritas violatur. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 194. *art.* 7. quem alii Doctores sequuntur. Ad Stuprum ergo committendum hæc requiritur 1, quòd concubitus sit cum fœmina Virgine, nam si virgo non est; aut si virgo sit, non est fœmina, sed mas; stuprum non committitur. Requiritur insuper disruptio claustri virginis, qua deficiente stuprum non habetur, ut communis Doctorum Sententia docet. 1

Stuprum grave esse peccatum, & habere malitiam à simplici fornicatione distinctam, & necessariò aperiendam in confessione; asserunt communiter Doctores; sicuti etiam asserunt contradistingui à Raptu, cum raptus tantùm consideret injuriam, ac violentiam illam, qua fœmina è domo paterna, vel Mariti extrahitur, sive de cetero Virgo sit, sive vidua, sive conjugata, aut corrupta; parum curat. 2

Controversia tamen non levis momenti est in hac re: 3 an si virgo consentiat in sui defloratione liberè, ac spontè; habeatur verum stuprum cum obligatione aperiendi talem circumstantiam in confessione; an verò

simplex

simplex tantùm fornicatio committatur absque onere declarandi circumstantiam illam. 1. Sententia docet, non committi stuprum, sed simplicem fornicationem, etiamsi aliunde inviti sint Parentes, vel Tutores; adeoque non esse circumstantiam in confessione aperiendam: & ratio est, quia non fit injuria ipsi Virgini, volenti enim, & consentienti nulla injuria fit; non ejus Parentibus, ac Tutoribus, quia cùm Virgo domina sit sui corporis, ac virginalis integritatis; poterit liberè disponere, licèt non licitè disponeret de suo corpore Parentibus, ac Tutoribus invitis: nec parentes, aut tutores habent majus jus in corpus puellę non corruptę, quàm corruptæ. Non denique fit injuria Sponso de futuro, cùm sponsus futurus non habeat jus in corpus Sponsæ de futuro; ergo nulli fit injuria; ergo in stupro commisso Virgine consentiente non adest specialis malitia injustitiæ, vel alterius injuriæ: maximè quia neque Parentes, neque Tutores, neque Sponsi de futuro damnum aliquod patiuntur in facultatibus, aut in re aliqua pretio existimabili; adeoque rectè reducitur ad simplicem fornicationem absque onere, manifestandi hanc circumstantiam in confessione. Sic Sotus, Lessius, Vasquez, Suarez, Navarra, Coninch, Salas, & Sanchez, quos refert, & sequitur Fagundez *in 6. Decal. Præcep. lib. 6. cap. 4. numer. 7.* Quamvis non negent hi Doctores, ut rectè adnotat Bonacina *de Matr. qu. 4. pun. 17. n. 2.* haberi aliquando aliquam malitiam mortalem non contra Justitiam, sed contra Charitatem proximi, ac Pietatem Parentibus debitam: nam sepissimè ex stupro etiam consentiente puella patrato gravia damna sequuntur nempe rixæ, odia, inimicitiæ, & occisiones. Neque dicas: ex hac sententia sequi, quòd neque esset adulterium, & consequenter neque circumstantia aperienda in confessione copula habita cum conjugata consentiente, & pariter consentiente ejus Marito. Lata namque intercedit disparitas: nam ex Matrimonio hic contractus resultet, ut conjuges sint tantùm ad invicem domini corporis ad usus proprios, non alienos, seu ad usus aliorum: ut colligitur ex D. Paulo 1. *ad Chorinth. 7. Uxori vir debitum reddat, similiter autem & Uxor viro, revertimini in idipsum*, hoc est, ut explicant Doctores inter vos ipsos, non inter alios. Vide Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 14. num. 16.* & Lessius *de Just. lib. 2. capit. 10. dubit. 1.*

2. Sententia putat, stuprum continere semper specialem malitiam aperiendam in confessione, sive invita sit puella, sive non; adeoque reduci non posse, ad simplicem fornicationem: sic D. Thomas, Cajetanus, Azor. Henriquez, Filliuccius, Toletus, Rodriquez, Guttierrez, quos refert idem Fagundez *l. c. num. 5.* & sequitur Bonacina cum aliis *l. c.* moventur, quia Virgo non habet dominum suæ integritatis corporalis, sicuti non habet dominium suæ vitæ; & pater videtur habere curam specialem corporis filiæ: ut constat *ex Ecclesiast. 7. Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum*; ergo per stuprum commissum, etiam puella consentiente, fit injuria Patri, aut vices ejus gerenti: cum per ejus consensum non subtrahatur à paterna cura; & sicut peccat puella, si matrimonio jungatur inconsulto patre absque rationabili causa, cùm hoc exigat Pietas debita Parentibus, sic etiam peccabit graviter consentiendo suæ defloration contra eamdem Pietatem parentibus debitam; & contra specialem curam, quam habent ejus integritatis corporis. Ambæ sententiæ sunt probabiles ob classicos Patronos, quos habent. Sed ut verum fatear, prima sententia videtur mihi validioribus innixi fundamentis, licèt secunda sit magis Pietati consona.

4 Quæres 1. ad quid teneatur corruptor Virginis sponte consentientis? Resp. si nihil illi promisit, ad nihil teneri, non solùm ipsi, verùm etiam ejus Parentibus, vel Tutoribus: ratio est, quia neque ipsi, neque Parentibus, aut Tutoribus fecit injuriam, ex qua ipsis damnum secutum sit; ergo ad nihil tenebitur in foro interno ex Justitia, cùm obligatio restituendi oriatur ex injuria cum damno alterius illata. Sic Molina *tom. 1. de Just. tract. 4. disp. 106. concl. 2.* Sà *verb. Restitutio, num. 14.* Vasquez *de Rest. cap. 3. §. 2. dub. 1. num. 13.* Azor. *3. par. lib. 5. capit. 5. diffic. 9.* Rebellus *1. par. lib. 3. quæst. 6. num. 6.* Navarra *lib. 2. cap. 3. num. 438.* & alii cum Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 17. num. 14.* contra Navarrum, Sylvestrum, & alios. Quod si aliquid promiserit, certum est, debere stare promissioni factæ, cum fides alteri data servanda sit.

5 Quæres 2. ad quid teneatur Stuprator, qui per vim, metum, aut fraudem, vel mendacia Virginem induxit ad sui defloration, absque tamen promissione Matrimonii? Resp. teneri ad illam ducendam in Matrimonium, vel commodè dotandam, vel saltem procurare, ut æquè bene Matrimonio jungatur, ac si Virgo esset: & ratio est, quia damnum illi intulit contra Justitiam; ergo tenetur ex Justitia illud reparare; sed alia via non suppetit reparandi illud, nisi vel ducendo eam in Uxorem, vel dotando commodè, aut procurando, quòd æquè nubat, ac si defloratа non fuisset, vel remittendo judicio prudentis viri, quanti illatum damnum existimatur; ergo ad hæc omnia ex justitia tenetur. Sic Navarrus, Navarra, Azor. Vasquez, Guttierrez, Rebellus, Molina, Salonius, Lessius, Sanchez, Sylvester, D. Antoninus, Sayrus, & alii, quos referunt, & sequuntur Fagundez *in 6. Decal. Præcep. lib. 6. capit. 5. num. 4.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 17. num. 7.* Adnotandum hìc: quòd si copula extorta fuerit à defloratore sine vi, aut fraude, sed liberè consentiente puella; ad nihil tenebitur ex supradictis, cùm non habeatur violatio justitiæ per injuriam ipsi illatam, volenti siquidem, ac scienti, & consentienti nulla fit injuria inducens obligationem restitutionis. Et quamvis in Jure habeatur: Stupratorem debere accipere in uxorem Virginem stupratam; hoc intelligendum est, ut bene notat Molina *tom. 4. de Just. disp. 106. num. 7.* post sententiam Judicis: quia cum Leges illæ sint pœnales, & fundentur in præsumptione deceptionis, inde est quòd non obligent ante Judicis sententiam. Adnotandum quoque, quòd si intercesserit promissio Matrimonii; standum omnino erit promissioni factæ, ut tradunt omnes Doctores.

Quæres 3. ad quid teneatur Stuprator occultus, quando puella per vim, aut fraudem defloratа æquè bene nupserit, ac si corrupta non fuisset? Resp. non teneri ad restitutionem, eo quia nullum passa est damnum. Sic Molina, Vasquez, Lessius, Navarra, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæst. 4. punct. 17. numer. 8.* Nihilominus videtur teneri ad aliquid restituendum ratione violationis claustri Virginalis, cùm in hoc intulerit injuriam, quæ compensabilis est pecunia per Navarrum *in Sum. cap. 16. num. 19.* & alios Doctores. 6

Quæres 4. ad quid teneatur cognoscens fœminam per vim, & fraudem, quam virginem putabat, & ita communiter existimabatur; quamvis reperisset ab alio corruptam? Resp. teneri ad aliquam restitutionem faciendam ratione damni, & infamiæ: non enim poterit sic commodè nubere, ac antea: hæc autem restitutio taxanda erit judicio viri prudentis, attenta semper ratione damni, & infamiæ. Sic Molina *tom. 4. disput. 106. num. 11. concl. 8.* & Azor. *3. par. lib. 5. cap. 5.* 7

Quæres 5. ad quid teneatur, qui vi, ac fraude, & Mendaciis ita puellam sollicitavit, ut fuerit ipsi causa infamiæ, ac si eam defloraſſet? Resp. teneri illam ducere in uxorem, vel taliter dotare, ut possit commodè nubere, ac nupsisset, si non fuisset infamata per sollicitationem: cùm hæc damna teneatur reparare sollicitator, qui ea puellæ intulit absque ejus consensu. Secus verò dicendum esset, si puella consentiret sollicitationi. Sic Azor. *l. c. difficul. 8.* Rebellus *1. par. lib. 3. quæst. 8. nu. 2.* & Salonius *2. 2. quæst. 62. art. 2. contr. 3.* 8

Quæres 6. an si puella condonaverit Stupratori obligationem restituendi aliquid ob stuprum commissum; teneatur nihilominus stupraror ad talem restitutionem faciendam ipsi, vel ejus parentibus? Resp. non teneri: ratio est, quia ipsi facienda est restitutio, non parentibus; si ergo ipsa cedit juri suo, ut cedere potest; extinguitur obligatio restituendi. Sic Lassius *lib 2. de Just. cap. 10. dubit. 2. num. 19.* & Vasquez *de Rest. cap. 3. §. 2. dub. 1. numer. 13.* Hinc colligitur: ad nihilum teneri stupratorem, si virgo defloratа moriatur, antequam nubat: eo quia nemo patitur damnum, & consequenter nulla resultere potest obligatio restituendi: & ut notat Vasquez citatus, *num. 10.* hæc obligatio est subsidiaria, quæ debetur ipsi personæ, ne damnum patiatur. 9

Quæres 7. an teneatur ad aliquid stuprator, si se offerat ad ducendam in Uxorem Virginem defloratam; ipsa tamen respuit eum in conjugem, aut parentes ejus nolunt eam tradere? Resp. in eo casu obligari ad honestam dotem illi assignandam, qua nubere possit juxta conditionem sui status: ratio est, quia puella habet in sua libertate, vel stupratorem admittere in conjugem, 10

vel

vel dotem acceptare; ergo si respuit eum in conjugem, tenebitur stuprator ad dotem illi assignandam. Sic Azor. *3. par. lib. 5. cap. 5. diffic. 4.* & Bonacina *de Matrim. quæst. 4. punct. 17. num. 12.* Eamdem obligationem subit juxta hos Doctores stuprator decipiens Virginem mendaciis, simulans se nobilem, ac prædivitem, cùm revera talis non sit.

11 Quæres 8. an si stuprator copulam extorsit à Virgine non vi, & metu, aut mendaciis; sed vel muneribus, precibus importunis, aut repetitis, & assiduis blanditiis; teneatur ad aliquam restitutionem faciendam? Resp. Navarrum, Cajetanum, Cordubam, & alios putare, Stupratorem teneri ad restitutionem faciendam: quia importunæ preces per ipsos comparantur coctioni; ergo si coactio obligat, obligabunt etiam & preces importunæ. Nihilominus probabiliorem reputo oppositam sententiam, quæ talem obligationem excludit: & ratio est, quia munera, preces importunæ, continuatæ blanditiæ non auferunt voluntarium: ergo non coactè, sed liberè assentitur Virgo. Sicuti munera preces importunæ, continuata obsequia quia non auferunt voluntarium à concedente aliquod Officium, non inducunt obligationem restituendi lucrum ex Officio perceptum, ergo nec obligabunt stupratorem ad aliquid restituendum ob copulam à Virgine extortam. Sic Vasquez *de Restit. capit. 3. §. 2. num. 5.* Navarra *lib. 2. de Rest. cap. 3. num. 343.* Sayrus *lib. 11. cap. 2. numer. 28.* Molina *tom. 1. de Just. tract. 4. disp. 106. concl. 1.* Lessius *lib. 4. cap. 4. nu. 14.* & Sanchez *de Matr. lib. 4. disp. 10.*

12 Quæres tandem: an Virgo, quæ corrupta fuerit per copulam, aut alio modo, possit velari, & sacrari? Resp. si corrupta fuerit per copulam, ac fractionem claustri virginalis; non posse velari, & sacrari: ratio est, quia non est ampliùs Virgo nec virginitate Virtutis, nec virginitate naturali. Hoc tamen intelligendum est ipsa consentiente, nam si per vim passa sit cupulam ipsa non consentiente, & copula occulta fuerit; utique velari, & sacrari poterit: cùm adhuc sit inviolata coram Deo, nec peccaverit in oppressione, quam passa est. Si tamem corrupta fuerit per actus internos pravos, aut venereas delectationes, vel per voluntariam pollutionem; tunc velari, & sacrari poterit: eo quia licèt non sit Virgo virginitate virtutis, est tamen Virgo virginitate naturali, cum habeat naturalem corporis integritatem, & non sit reseratum claustrum virginale. Sic Lessius, Filliuccius, Rodriquez quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 17. num. 4.* Excipit Azor. *3. par. lib. 3. cap. 12. §. In hac re*, casum, quo puella corrupta fuerit per copulam occultam, nec possit velum Consecrationis recusare absque gravi sua infamia. Quod mihi videtur sapienter exceptum.

13 Sed petes 1. an Virgo, quæ occultè per copulam corrupta fuerit, & velata, ac sacrata invenitur; teneatur desistere ab iis Officiis, quæ Virginibus Sacratis, & velatis consueverunt conferri? Resp. si revera absque suo incommodo, & periculo infamiæ, ac scandali posset se excusare ab administratione talium Officiorum; teneri, præsertim si aliquis titulus excusans haberetur: & ratio est, quia Officia illa instituta sunt ab Ecclesia pro solis Virginibus, non verò pro corruptis. Si tamen scandalum, aut periculum infamiæ, vel notabile incommodum ipsi sequeretur, non teneri ad abstinendum, cùm Ecclesia non obliget cum tanto dispendio.

14 Petes 2. an dispensari in hoc possit cum Virginibus occultè corruptis? Resp. Rodriquez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 64. art. 4.* putare, solum Pontificem in hoc dispensare posse. Sed Navarrus *in Sum. cap. 16. nu. 3.* Sylvester *verb. Consecratio 3. quæst. 1.* Sà *verb. Consecratio num. 6.* Filliuccius *tract. 30. cap. 1. quæst. 10. num. 25.* & Azor. *3. par. lib. 3. cap. 12. quæst. 3. & 5.* existimant, posse dispensare Episcopos. Advertit tamen Bonacina *l. c. num. 6.* hanc doctrinam valere in iis locis, ubi recepta est consuetudo dispensandi; ubi verò habetur consuetudo non petendi dispensationem hanc, cùm tam Virgines, quàm corruptæ similia Officia exerceant absque dispensatione; non esse petendam, cùm sic consuetudo introducta permittat.

CAPUT VI.

De Raptu.

1 *Quid sit Raptus, & quænam requiruntur ad illum constituendum?*

2 *Ex se grave peccatum est, & constituit speciem à simplici fornicatione distinctam.*

3 *An qui puellam sibi Matrimonio conjunctam eo non consummato intra bimestre eam per vim abducit ad libidinem explendam; dicatur Raptum committere?*

4 *Quæ pœnæ constituæ sint contra Raptores? Et 1. ipsarum est Excommunicatio ipso jure, perpetua infamia, & incapacitas ad omnes Dignitates. Extenditur ad consilium, auxilium, & favorem dantes.*

5 *An infamia, & incapacitas ad Dignitates incurratur ipso jure, & ante sententiam Judicis?*

6 *An tollatur per subsequens Matrimonium ritè celebratum inter Raptorem, & Raptam?*

7 *Secunda pœna est, ut obligetur Raptor ad decenter dotandam Raptam arbitrio Judicis, sive cum ipsa Matrimonium contrahat, sive non.*

8 *Tertia pœna est, ut Matrimonium inter Raptorem, & Raptam nullum sit, dum permanet Rapta in potestate Raptoris.*

RAPTUS propriè dictus, & prout constituit Luxuriæ speciem ab aliis contradistinctam; est abductio Personæ alicujus invitæ, sive invitis iis, quorum potestati subest, per vim facta explendæ libidinis causa, vel Matrimonii contrahendi. Colligitur hæc definitio *ex Cap. Lex illa 36. quæst. 1.* & approbant Julius Clarus, Molina, Lessius, Filliuccius, & alii passim. Quapropter ad Raptum constituendum requiritur 1. abductio; ideo siquis puellam in domo patris repertam, vel in alia domo vi opprimat, non educendo eam è domo illa, quamvis ex uno cubiculo trahat ad aliud commodius; non dicitur propriè Raptum committere. Sicuti neque Raptum committit, qui Virginem in agro repertam vi opprimat, aut trahat ad aliquod spatium intra eumdem agrum, non educendo tamen illam ad domum, vel alium locum extra agrum: ut bene docent Molina *tom. 1. tract. 4. disp. 105. nu. 3.* Rodriquez *in Sum. 1. part. cap. 232. nu. 2.* Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 13. num. 7.* & Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 9. num. 66.* cum aliis relatis à Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 18. num. 8.* 1

Requiritur 2. quòd abductio fiat per vim, nam si nulla vis inferretur, ut si sponte è domo paterna, aut precibus inducta discederet puella cum juvene nescientibus iis, sub quorum cura esset; non esset Raptus, sed voluntaria fuga. Raptus tamen esset scientibus, & renuentibus iis, quorum curæ subest: & ratio est, quia vis illis inferretur: sic Henriquez, Guttierrez, Tuscus quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num. 5.* quamvis oppositum docent Sanchez, & Coninch. Raptus quoque esset abductio facta per dolum, aut alia via, quæ violentiam sapiat: ut docet Guttierrez *cap. 86. num. 15.* Secus verò si solis precibus, promissionibus, aut Muneribus abducatur è domo paterna: cùm hæc vim inferre non soleant, adeoque raptus propriè acceptus non habetur. Vide Bonacinam *l. c. num 6.*

Requiritur 3. quòd abductio per vim facta sit explendæ libidinis causa, vel Matrimonium contrahendi: nam si alio fine redigendi e. g. illam in servitutem fieret, non esset Raptus, de quo loquimur, sed plagium.

Adnotandum hìc cum Sà *verb Matrim. nu. 9.* declaratum fuisse à Sacra Congregatione: Raptum non solùm esse impedimentum dirimens Matrimonium, si fiat causa contrahendi Matrimonium, verùm etiam si fiat ex mero motivo explendæ libidinis: cùm Tridentinum generaliter loquatur de Raptore, & non minus dicitur Raptor, qui abducit puellam animo explendæ libidinis, quàm qui abducit contrahendi causa matrimonium, & uterque subjacet pœnis à Concilio Statutis.

Adnotandum quoque: Raptum non solùm haberi per violentam abductionem Virginis, verùm etiam per quamcumque abductionem alterius fœminæ sive incorruptæ, sive corruptæ; sive solutæ, sive conjugatæ, imò etiam per violentam abductionem maris sive Matrimonii causa, sive libidinis explendæ: cùm in his omnibus Raptibus habeatur abductio per vim, & ex motivo contrahendi, aut explendi libidinem. Sic Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 13. num. 14.* Reginaldus *lib. 31. nu. 165.* cum aliis. Quamvis Sanchez *l. c. num. 16.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dubit. 9. num. 66.* Guttierrez *capit. 86. nu. 23.* Rebellus *2. par. lib. 3. quæst. 11. num. 5.* & alii putent: Raptum viri non subjacere pœnis à Tridentino statutis *sess. 24. capit. 6. de Reform. Matr.* contra Raptorem, cum Tridentinum propriè loquatur de Raptore fœminæ.

Raptum

2 Raptum grave esse peccatum, ac constituere speciem distinctam à simplici fornicatione necessariò in confessione aperiendam, dubium non est; cùm superaddat malitiam contra Justitiam ob injuriam factam personæ abductæ; aut illis, quorum curæ commissa est, cùm sint rationabiliter inviti: sic Doctores passim.

3 Quæres 1. an qui puellam Matrimonio sibi conjunctam, nondum tamen consummato, per vim abducat ad libidinem explendam, intra tamen bimestre puellæ à jure concessum ante Matrimonii consummationem ad deliberandum de statu eligendo; dicatur Raptum committere, Resp. Azor. *3. par. lib. 3. cap. 14.* Molina *tom. 3. de Just. disp. 96. nu. 7.* & Bonacinam *de Matr. quæst. 4. punct. 18. num. 13.* putare, Raptum committere: eo quia habetur abductio per vim ad explendam libidinem, facit siquidem puellæ injuriam, cum habeat jus intra bimestre denegandi debitum, ac deliberandi de suo statu. Quæ quidem sententia mihi probabilis est, licèt cum sua quoque probabilitate oppositam doceant Lessius *lib. 4. de Just. cap. 3. n. 70.* & Filliuccius *tract. 30. à n. 113.*

4 Quæres 2. quænam pœnæ constitutæ sint contra Raptorem? Resp. ultra pœnas in Jure Civili statutas, ut sunt punitio capitis, & amissionis bonorum, quas videre est In Julio Claro. §. Raptus, & in aliis; tres præcipuè constitui à Tridentino *sess. 24. cap. 6. de Reform. Matr.* Prima quarum est, ut non solùm ipse Raptor, verùm etiam omnes illi, qui consilium, auxilium, & favorem dant, sint excommunicati ipso jure, perpetuò infames, ac omnium Dignitatum incapaces. Advertit tamen Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 18. nu. 9.* hanc excommunicationem non esse jure communi reservatam: eò quia Tridentinum eam constituens nullam mentionem faciat reservationis, quam si voluisset, utique expressisset.

5 Sed petes hìc 1. an etiam infamia, & omnium Dignitatum incapacitas incurrantur ipso jure, & ante Sententiam Judicis, an verò post latam à Judice sententiam? Resp. non incurri ante Judicis sententiam: ratio est, quia pœnæ communiter post declaratam à Judice sententiam incurruntur. Sic Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 13.* & Molina *tom. 1. de Just. disp. 96. versic. Duo observa.* Scio oppositum docere Coninch *de Matr. disp. 31. dub. 4. num. 48.* & Bonacinam *l. c.* sed nimis strictè.

6 Petes 2. an infamia, & incapacitas Dignitatum tollatur per subsequens Matrimonium ritè celebratum inter Raptorem, & Raptam? Resp. probabiliùs mihi apparere, quòd non tollantur: ratio colligitur ex ipsis verbis Tridentini constituentis perpetuam infamiam, ac omnium Dignitatum incapacitatem; ergo ex mente Tridentini debent esse pœnæ perpetuæ. Et sicuti per subsequens Matrimonium ritè celebratum secundùm requisita à Tridentino non tollitur excommunicatio, ita neque tollitur perpetua infamia, ac incapacitas Dignitatum. Sic Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 3. n. 69.* Filliuc. *tract. 30. nu. 118.* & Bonac. *de Matr. quæst. 4. punct. 18. num. 10.*

7 Secunda pœna à Tridentino statuta contra Raptorem est, ut obligetur ad decenter dotandam raptam arbitrio Judicis, sive cum ipsa Matrimonium contrahat, sive non. Ad alia verò damna, quæ Rapta passa est; tenebitur Raptor ex Jure naturæ antequamcumque sententiam Judicis: ut rectè docet Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 13. num. 1.* cùm sit causa injusta damni, & causans injustè damnum tenetur ad illud resarciendum ante Judicis sententiam.

8 Tertia pœna est ab ipso Tridentino constituta contra Raptorem, ut Matrimonium contractum à Raptore cum Rapta nullius valoris sit, dum permanet Rapta in potestate Raptoris, etiam si ipsa liberè consentiat. Quòd si Rapta à Raptore separetur, & in loco tuto, ac libero constituta ab eo, ad quem spectat; consenserit habere in conjugem Raptorem; tunc poterit inter ipsos Matrimonium ritè celebrari, ut ex citato Tridentino habetur.

Hinc colligitur 1. eodem modo discurrendum de Sponsalibus: nam si Sponsalia contrahantur, dum Sponsa rapta est in potestate Raptoris, etiam si liberè consentiat, invalida, & nulla erunt. Si tamen Sponsa rapta à Raptore separetur, ac in loco tuto, ac libero constituatur, & liberè Sponsalibus consentiat; tunc valida, & licita erunt: ut declaravit Congregatio Cardinalium à Molina relata *tom. 1. de Just. disp. 96. num. 22.* & ratio est, clara, quia aliàs non benè provisum fuisset à Concilio Tridentino malis Matrimonio imminentibus, cum Sponsalia sint via ad Matrimonium.

Colligitur 2. invalidum esse Matrimonium cum Sponsa celebratum, quæ post Sponsalia ritè contracta rapta fuit à Sponso ipsa non consentiente raptui: & ratio est, quia habetur verus raptus, & Matrimonium contractum à Raptore cum Rapta, dum in potestate Raptoris invenitur Rapta; nullum, & invalidum est ex Tridentino. Secus dicendum, si Sponsa raptui consenserit ob Matrimonium celebrandum, etiamsi ejus parentes inviti essent: cùm in Matrimonio concrahendo fœmina sit sui Juris, nec ex Juræ Canonico est verus raptus, ut patet *ex Capit. Cum causa de Raptor.* quidquid sit de Jure Civili. Si tamen Sponsa raptui consenserit ob turpem actum invitis Parentibus, ac renuentibus; habebitur verus raptus, ut constat ex superiùs dictis. Sic Rebellus, Azor. & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 18. num. 11.*

Colligitur 3. quamvis Raptor non immediatè, sed per alios distraxerit fœminam, non poterit cum illa contrahere, dum non est in loco tuto, ac libero; cùm parùm referat, distraxisse per se aut per alios. Si tamen Rapta dum est in potestate Raptoris liberè contrahat Matrimonium cum alio tertio, qui nec causa fuit raptus, nec raptui consenserit; validum erit Matrimonium, cùm solùm invalidetur à Tridentino in pœnam, cui subjacet Raptor, non verò alius tertius, qui raptor non est; apposita siquidem est pœna à Concilio contra Raptorem, & Raptam. Sic Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 13. num. 7.* & Guttierrez *cap. 186. num. 10.*

CAPUT VII.

De Incestu.

1 Quid sit Incestus?
2 Cognatio ad Incestum requisita quadruplex est.
3 An tantùm per copulam, an etiam per alios actus impudicos committi possit Incestus?
4 An copula habita à Confessario cum pœnitente sit revera incestus?
5 Incestus ex se gravissimum peccatum est, & constituit speciem luxuriæ distinctam ab aliis.
6 An omnes Incestus sint ejusdem speciei; & an omnes gradus sint ejusdem Speciei?
7 An gradus Incestus aperiendus sit in confessione?
8 Quænam pœnæ debeantur Incestuosis?
9 An Incestus commissus ab uxorato cum consanguinea propria inducat obligationem, & pœnam non petendi debitum, & non transeundi ad alias nuptias uxore mortua?

INCESTUS originem trahit à verbo Cestus. prout 1
significabat cingulum Veneris juxta Pœtas; nunc accipitur à Teologis moralibus ad significandam illicitam copulam cum Cognatis, & constituit propriam luxuriæ speciem ab aliis distinctam. Quapropter sic communiter definiri solet: est congressus cum persona cognata intra gradus prohibitos, in quibus Matrimonium celebrari nequit.

Cognatio verò quadruplex est, adeoque quadruplici- 2
ter Persona dici potest cognata. 1. per Consanguinitatem, quæ est communicatio in sanguine: quapropter copula habita cum persona descendente ab eodem stipite, à quo ipse descendit; dicitur Incestus consanguinitatis, & extenditur usque ad quartum gradum inclusivè; nam ultra quartum gradum non est incestus, nisi fortè in linea recta. 2. per Affinitatem, quæ est propinquitas personarum proveniens ex carnali copula consummata: quapropter copula habita à Titio cum Berta, reddit Titium affinem cum consanguineis Bertæ, & reddit pariter Bertam affinem cum consanguineis Titii. Extenditur hæc affinitas usque ad quartum gradum inclusivè, si copula, ex qua ipsa oritur; sit licita, & conjugalis. Si verò illicita sit, usque ad secundum gradum inclusivè; ideoque Uxoratus habens copulam cum consanguinea suæ Uxoris usque ad quartum gradum committit incestum affinitatis; similiter qui copulam illicitam habuit cum Berta, & postea carnaliter cognoscit consanguineam aliquam Bertæ usque ad secundum gradum; committit incestum affinitatis ex copula illicita. 3. dicitur persona cognata per cognationem spiritualem; & contrahitur per susceptionem in Baptismo, aut Confirmatione: oritur tamen hæc cognatio jure Ecclesiastico, & intercedit ex Tri-

dentino

dentino *sess. 24. cap. 2.* inter baptizantem & baptizatum, & hujus patrem, & matrem; & inter susceptorem, & susceptum, & hujus patrem, & matrem similiter dicendum de Confirmatione: quapropter si copula intercedat inter hos, dicetur Incestus cognationis spiritualis. 4. per cognationem legalem, quæ est propinquitas oriens ex adoptione perfecta; quando videlicet quis personam extraneam adoptat in filium, aut nepotem. Intercedit hæc cognatio inter adoptantem, & adoptatum, ac adoptati descendentes usque ad quartum gradum inclusivè; nec non inter Adoptatum & uxorem Adoptantis; denique inter Adoptatum & filios legitimos Adoptantis ut constat *ex cap. Per adoptionem 3. quæst. 3. & cap. unic. de Cognat. Legal.* & docent Divus Thomas *in 4. dist. 42. qu. 2. art. 3.* quem sequuntur Sanchez, Reginaldus, Guttierrez, Filliuccius, Coninth, & alii passim, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. qu. 3. pun. 5. §. 3. num. 4.* Quapropter copula habita inter hos gradus erit Incestus cognationis legalis.

3 Dubitabis 1. an solùm per copulam; an verò per alios actus impudicos inter personas cognatas committatur Incestus? Resp. propriè non committi incestus, sed peccatum vel sodomiæ, vel pollutionis, aut tactuum impudicorum per alios actus libidinosos inter personas cognatas: & ratio est, quia incestum propriè dictum requiritur, quod copula habeatur in vase naturali, & quod sit consummata; cùm igitur in casu adjecto sit extra vas naturale, incestus propriè haberi non poterit, nec impedimentum inducit quoad matrimonium contrahendum, nec reos facit pœnarum legalium tùm Civilium, tùm Canonicarum: ut rectè docet Fag. *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 6. n. 31.* Quamvis Cajetanus, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 16. num. 3.* putent, quoad malitiam, & peculiarem deformitatem, ac repugnantiam cum ratione esse incestum, cùm violetur naturalis reverentia cognatis debita; sed revera impropriè tantùm incestus erunt.

4 Dubitabis 2. an copula habita à Confessario cum pœnitente sit revera Incestus? Resp. negativè: quia incestus committitur per copulam habitam inter personas cognatas; sed inter pœnitentem, & confessarium nulla cognatio intercedit; Ergo nullus incestus haberi poterit propriè, & revera talis. Minor probatur, quia nullum jus afferri potest statuens hanc cognationem inter Confessarium, & pœnitentem. *Quod si in cap. omnes 30. quæst. 1.* videatur, quòd talis copula sit incestus; dicendus erit talis metaphoricè, & impropriè: eo quia Confessarius pater spiritualis pœnitentis dici consuevit, & pœnitens filia spiritualis. Colligitur ergo copulam habitam à Confessario cum pœnitente extra causam confessionis, nec incestum propriè esse nec inducere obligationem aperiendi malitiam incestus in confessione. Sic Azor. *3. par. lib. 3. c. 9. qu. 5.* Ledesma *de Matr. quæst. 56. art. 2. dub. ult.* Sà *verb. Confessio num. 26.* Filliuccius *tract. 10. par. 2. cap. 5. quæst. 5. num. 187.* Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 6. num. 3.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 16. num. 8.* Si verò ob causam confessionis copulam habeat Confessarius cum pœnitente, ita ut utatur tali foro ad sollicitandam pœnitentem; revera non committit incestum, sed sacrilegium ob irreverentiam gravissimam Sacramento irrogatam, & habet specialem malitiam in confessione aperiendam; de quo crimine inquirunt Quæsitores fidei, & meritò: nam sollicitans pœnitentem in confessione, sive paulò ante, sive post confessionem, aut in confessionali, vel loco confessionibus deputato juxta Constitutiones fundat suspicionem hæresis contra Sacramentum Pœnitentiæ, ut bene docent Pegna *in Direct. Inquisit. par. 2. quæst. 56.* & Henriquez *lib. 6. cap. 22. num. 6.* & tenetur pœnitens Confessarium ipsis Quæsitoribus denuntiare juxta easdem Pontificias Constitutiones.

Incestum gravissimum esse peccatum, & specialem ma-
5 litiam continere distinctam ab aliis Luxuriæ speciebus, non revocatur in dubium, constat enim tum *ex Levit. 18. Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus* & ex 1. Div. Pauli *ad Corint 5.* sæpius repetita; tum etiam quia per ipsum speciali modo peccatur contra Reverentiam debitam personis Cognatis, ut habet Divus Thomas *2. 2. quæst. 154. art. 9.*

6 Sed dubitatur 1. an omnes incestus sint ejusdem speciei; & an etiam omnes Gradus sint ejusdem speciei? Resp. Navarrum *in Summ. cap. 16.* Valentiam *tom. 3. disp. 9. qu. 3. pun. 3.* & alios putare, incestus specie differre inter se; ita ut consanguinitas non solùm specie differat ab affinitate, verùm etiam à cognatione spirituali, & legali, & sic de cæteris; & per consequens gradus cosanguinitatis specie differre à gradibus affinitatis, cognationis spiritualis, & legalis; ipsos quoque gradus consanguinitatis specie differre inter se ipsos, sicuti inter se ipsos specie differunt gradus affinitatis, & gradus cognationis spiritualis, & legalis. Lessium tamen *lib 4. de Just. c. 2. dubit. 11. num. 79.* Azorium *3. part. lib. 3. cap. 9. quæst. 1.* Filliuccium *tract. 30. cap. 5. num. 96.* cum aliis docere: quod gradus consanguinitatis specie differant à gradibus affinitatis, cognationis spiritualis, & legalis, sicuti gradus affinitatis specie differunt à gradibus, consanguinitatis, & sic de reliquis; non tamen gradus consanguinitatis specie differunt inter se, sicuti non specie differunt inter se gradus affinitatis, cognationis spiritualis, & legalis. Nihilominus in hac sententiarum varietate visa est mihi probabilior illa, quæ asserit: nec incestus specie differre inter se, nec gradus ejusdem incestus specie differre inter se. Hanc sententiam sustinent Cajetanus *2. 2. qu. 154. art. 9.* Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 16. num. 6.* quos sequuntur docti Recentiores: moveor quia & incestus & gradus ejusdem incestus inter se comparati differunt secundùm magis, & minùs; sed differentia secundùm magis, & minus non variat speciem, ut ex communi axiomate constat, & patet in majori quantitate furti, quæ non differt specie à minori; Ergo nec incestus nec gradus ejusdem incestus specie differunt inter se. Confirmatur magis ex eo, quia non potest assignari ratio probans hanc diversitatem specificam inter incestus, & inter gradus ejusdem incestus.

Dices 1. assignari ex eo, quod aliqui gradus Incestus sint prohibiti jure naturæ, aliqui verò Jure positivo Ecclesiastico. sed contra est: quia sicuti peccata non differunt specie inter se ob diversitatem præceptorum juris Naturæ, Divini, aut Ecclesiastici; sic nec Incestus, nec gradus ejusdem Incestus specie differre debent inter se ratione juris Naturæ prohibentis, aut Ecclesiastici: & ratio à priori est, quia Jus Ecclesiasticum prohibens non habet motivum, ac finem diversum à Jure Naturæ; cum ambo respiciant reverentiam debitam gradibus cognationis; Ergo ambo constituunt eamdem speciem.

Dices 2. aliqui gradus habent causare effectus specie differentes ab aliis gradibus: sic aliqui gradus consanguinitatis irritant matrimonium jure naturæ, aliqui vero non, sed tantùm Jure Ecclesiastico; insuper incestus cum propria matre, aut sorore est turpior, & longè diversus, quàm cum noverca, aut consobrina; Ergo signum est, & incestus & gradus ejusdem incestus ex natura sua specie differre inter se. Sed contra est: quia non semper diversitas specifica effectuum arguit diversitatem specificam in causa, cum eadem causa possit effectus specie differentes inter se causare. Adde, quòd eumdem effectum causant gradus jure naturæ prohibiti cum gradibus prohibitis Jure Ecclesiastico, sic eo disponente ob idem motivum, & finem Juris Naturæ. Nec major turpitudo, & gravitas arguit diversitatem specificam, cùm semper respiciat irreverentiam contra Cognationem; sicuti major quantitas rei ablatæ licèt arguat in furto majorem injuriam contra Jus alterius præ minore quantitate furti; non tamen arguit diversitatem specificam, cùm ambæ respiciant violationem Justitiæ, & sistant in eadem specie, ut indubitatum est penes Doctores,

Dubitatur 2. an gradus incestus aperiendus sit in con- 7
fessione? Resp. affirmativè: nam non solùm tenetur pœnitens declarare in confessione incestum sive consanguinitatis, sive affinitatis &c. verùm etiam gradum ejùsdem incestus, sive in primo, secundo &c. Imò addunt gravissimi Doctores in primo gradu consanguinitatis explicandam esse lineam rectam, aut transversam: ut si incestus fuerit cum Matre, an cùm Sorore; & ratio est, quia licèt non distinguantur inter se specie incestus, & eorum gradus: Nihilominus cùm habeant circumstantias notabiliter aggravantes, vel minuentes contra reverentiam Cognatis debitam; ideo probabilius, & tutius erit eos in confessione aperire, cùm præbeant diversum motivum ad rectè judicandum Confessario. Quis enim neget, quòd quò magis sit cognatio strictior, & propinquior gradus, eo magis evadat gravior incestus: sic incestus commissus cum consanguinea gravior erit præ

commisso cum affine, aut cognatis spiritualibus, vel legalibus; & gravior erit in cestus commissus cum Matre, quàm cum sorore; sicuti gravior erit incestus commissus in primo gradu consanguinitatis, quàm in secundo, & sic de reliquis. Ita Suarez *de Pœnit. disp. 22. sect. 3. numer. 7.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1.* Coninch *de Pœnit. disp. 7. dub. 3. numer. 13.* Nugnus *in Addit. quæst. 9. art. 2. dub. 3.* Rodriquez *in Summ. tom. 1. cap. 209. num. 3.* Filliuccius *tract. 30. num. 97.* Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 16. numer. 7.* Fagundez *in 6. decal. præcept. libro 6. cap. 6. à num. 25.* & Sayrus *libro 8. cap. 4. numero 3.* qui dicit, hanc sententiam esse rectè sentientium, quidquid in contrarium dixerit Cajetanus *l. c.* cum aliis recentioribus putantibus, non debere pœnitentem esse sollicitum de his in confessione aperiendis,

8 Dubitatur 3. quænam pœnæ debitæ sint Incestuosis? Resp. ex Jure Civili, si incestus conjunctus sit cum adulterio; deberi incestuoso pœnam capitis; sic Julius Clarus *§. Incestus num. 3.* Si verò Incestus sine adulterio sit; deberi pœnam exilii: verùm ipsemet Julius Clarus *l. c. lib. 5. senten.* cum Baldo, Gomez, Menochio, & aliis putat, esse arbitrariam, Ex jure tamen Canonico 1. pœna, quæ incestuoso per affinitatis incestum debetur; est, quòd non possit petere debitum à sua uxore, licèt reddere possit: sic uxoratus habens copulam consummatam cum consanguinea uxoris suæ in primo, aut secundo gradu non poterit debitum exigere ab uxore sua, quamvis reddere possit ipsi petenti: eo quia factus est uxori affinis in eodem gradu, in quo incestuosa est consanguinea uxori. Sic Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 27. n. 1.* Toletus *lib. 7. sum. cap. 17.* & communiter alii Doctores. Advertit tamen laudatus Sanchez cum aliis, quòd talis incestuosus debeat esse sciens affinitatis; nam si eam ignoraret non incurreret supradictam pœnam. 2. pœna est, quòd mortua uxore non possit aliam ducere, quam si duxerit; non poterit ab ea debitum petere, quamvis reddere possit. Poterit tamen in petitione hac, sicuti in superiùs dicta Episcopus dispensare, vel alii hoc privilegium habentes. Verùm hæc secunda pœna ibi servanda erit, ubi consuetudo est eam servandi: quamvis Navarr. *in Manual. cap. 22. n. 75.* dicat; hoc impedimentum consuetudine non servari. 3. pœna contra incestuosos est, quòd si scienter nuptias incestuosas contrahant in gradibus prohibitis ipso facto excommunicentur. Constat *ex Clement. 1. de Consang. & Affinit.* quamvis ab ea absolvere possint mendicantes, & Parochi ordinarii, cùm non sit reservata: ut notat Fagund. *in 6. decal. Præcep. lib. 6. cap. 6. num. 37.*

Petes; an incestus commissus ab uxorato cum consanguineis propriis inducat pœnas non petendi debitum, & non transeundi ad alias nuptias uxore mortua? Resp. negativè, quidquid in contrarium dixerint Navarrus, Sotus, & multi Canonistæ penes Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 17. nu. 15.* & ratio est, quia in Jure nihil exprimitur de his pœnis propter incestum commissum cum propriis consanguineis, uti exprimitur pro incestu commisso cum consanguineis propriæ uxoris. Et quamvis gravior sit incestus commissus cùm propriis consanguineis, quàm cum consanguineis uxoris; nihilominus non ità offenditur matrimonium per ipsum, sicuti offenditur per incestum cum consanguineis propriæ uxoris, cùm violetur Affinitas. Sic D. Thom. Turrecr. Sanch. Cajet. Henriq. Covarr. Sylvest. Lessius, & communiter Theologi relati à Fagundez *in 6. decal. Præcept. lib. 6. cap. 6. nu. 34.*

CAPUT VIII.

De Sacrilegio.

1 *Quid sit sacrilegium prout constituit luxuriæ speciem ab aliis distinctam?*
2 *Ex se gravissimum peccatum est.*
3 *An habens turpes delectationes, & prava desideria peccandi cum persona sacra committat sacrilegium?*
4 *An persona sacra cum persona pariter sacra aliquod luxuriæ peccatum committens gravius peccet, quàm si illud committeret cum alia persona non sacra?*
5 *An si committens aliquod luxuriæ peccatum sit simul Religiosus professus, sacerdos, aut sacris initiatus; plura sacrilegia committat?*
6 *An si committens aliquod luxuriæ peccatum habeat simul votum solemne, & simplex Castitatis; debeat utrumque votum aperire in confessione?*
7 *An sacrilegium committatur, si persona non sacra copulam habeat cum persona non sacra habente ad collum appensas reliquias, aut agnos Dei benedictos?*
8 *An committatur sacrilegium per copulam conjugalem in loco sacro habitam?*
9 *An qui delectatur de fœmina in loco sacro existente, vel illam concupiscat; sacrilegium committat?*
10 *An inhonestè mulieres respicere in Ecclesia, loqui obscœna, habere oscula, aut tactus impudicos; sit sacrilegium?*
11 *Quænam sint ea loca sacra, in quibus sacrilegium committitur per copulam, aut Pollutionem?*
12 *An omnes Ecclesiæ partes veniant nomine loci Sacri?*
13 *An si Ecclesia destructa sit, committatur hoc Sacrilegium?*
14 *Quanam requirantur ad Ecclesiam pollucndam ob seminis effusionem?*

SACRILEGIUM, prout constituit luxuriæ speciem ab aliis distinctam; sic passim definitur: est peccatum luxuriæ, quo Persona sacra, vel Locus sacer violatur. Colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 154. art. 10.* quem sequuntur cæteri Doctores. Tripliciter Sacrilegium per luxuriam haberi potest. 1. ratione personæ sacræ, & voto dicatæ Deo, ut si vir, aut fœmina habens Castitatis Votum, sive solomne sit, sive simplex, committat aliquod luxuriæ peccatum sive internum; sive externum; sive intra se, sive cum alio Sacrilegium etiam committit ille, qui licèt non sit persona Deo dicata per Votum; peccat tamen cum persona voto ligata. 2. ratione loci sacri, ut si quis quamvis non adstrictus Castitatis voto voluntariè se polluat, aut copulam habeat sive illicitam, sive licitam in Templo, aut Cæmeterio sacro, aut benedicto. 3. ratione personæ sacræ, & loci sacri, ut si quis adstrictus castitatis voto voluntariè se pollueret, aut copulam haberet cum persona sacra, vel *non* sacra *in* Templo, aut Cæmeterio benedicto, 1

Sacrilegium gravissimum esse peccatum, & constituere speciem luxuriæ ab aliis contradistinctam, indubitatum est penes Doctores; violat siquidem Sanctitatem propriæ Personæ, aut loci sacri, cui maxima debetur reverentia. Quapropter erit circumstantia aperienda in confessione inter luxuriæ peccata. Verùm quia nonnulla dubia insurgunt in hac materia tum circa Personas sacras, tum circa Loca sacra; ideo per sequentia quæsita resolvenda erunt. 2

Quæres 1. an habens turpes delectationes, & prava desideria peccandi cum Persona sacra, & voto Deo dicata, cùm Moniali e. g. committat sacrilegium? Resp. affirmativè; ratio est, quia cupit violare rem sacram, & affectivè ex parte sua violat, ac tenetur circumstantiam hanc aperire in confessione. Sic Azor. *3. par. lib. 3. cap. 27. quæst. 8.* Filliuccius *tract. 30. cap. 7. quæst. 3. num. 122.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. ult. nu. 2.* 3

Quæres 2. an Persona sacra, puta sacerdotem, Religiosum professum, Clericum sacris initiatum, vel alium voto simplicis Castitatis ligatum, si copulam habeat cum Persona pariter sacra, aut aliud luxuriæ peccatum exerceat circa illam; graviùs peccet, quàm si ea peccata committeret cum alia persona non sacra? Resp. affirmativè: eo quia in primo casu duplex sacrilegium committitur, unum contra propriam sanctitatem status, aliud contra sanctitatem status personæ illius, quod non evenit in secundo casu: sicuti duplex adulterium committitur ab uxorato, & graviùs peccat, si cum alia uxorata adulteretur, quàm si cum persona à matrimonio soluta. Quapropter circumstantia hæc necessariò aperienda erit in confessione, cùm sint revera duo peccata numero distincta, & numerus peccatorum aperiendus est in confessione. Sic Lessius *de Just. lib. 4. cap 3. dubit. 12. n. 84.* Filliuco. *tract. 30. cap. 7. n. 128.* Sylvest. *verb. Sacrilegium §. 1.* & alii passim, 4

Quæres 3. an si persona sacra committens luxuriæ peccatum sit simul Religiosus professus, & sacerdos, aut sacris initiatus Ordinibus; duplex sacrilegium efficiat unum contra votum, aliud contra Ordines, & ambo aperire teneatur in sacramentali confessione? Resp. negativè: est enim unum, & idem specie Sacrileg. quapropter sufficiens erit expli- 5

explicare in confessione, se esse religiosum professum tacendo esse Sacerdotem, aut Sacris initiatum, vel viceversa: ratio est, quia obligationes istæ sunt ejusdem speciei, oriuntur siquidem ex voto solemni Castitatis, & eamdem virtutem respiciunt. Nec in Sacris Ordinibus obligatio Castitatis oritur ex præcepto ab Ecclesia impositio servandi illam, sed ex voto solemni implicito Castitatis, quod secum afferunt Sacri Ordines: præceptum namque mediatè datur ab Ecclesia suscipientibus Sacros Ordines, nempè mediante voto Castitatis implicito, adeoque ex voto illos obligare intendit. Sic Sanchez, Lessius, Corduba, Cajetanus, Lopez, Ovandus, Rodriquez, & Medina, quos refert, & sequitur Fagundez *in 6. Decal. Præc. lib. 6. c. 7. n. 10.* Scio Valentiam, Guttierrez, Turrecrematam, & alios apud Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 27. num. 9.* putare obligationem in Sacris Ordinibus servandi Castitatem oriri immediatè ex præcepto, adeoque in casu posito duplex committi Sacrilegium specie diversum, unum contra votum, aliud contra Præceptum. Scio insuper, Azorium cum Paleoto, Medina, & aliis docere, quamvis sit unum Sacrilegium, habere nihilominus sibi adjunctam circumstantiam aggravantem notabiliter religiosi status, vel Sacrorum Ordinum necessariò aperiendam in confessione. Et quamvis sua probabilitate non careant hæ sententiæ, non tamen recedendum à nostra.

6 Quæres 4. an si persona peccatum luxuriæ committens habeat votum solemne, & simplex Castitatis teneatur utrumque in confessione aperire? Resp. negativè: sat enim est dicere, se peccasse contra votum Castitatis: ratio est, quia votum solemne, & simplex accidentaliter tantùm inter se differunt; & circumstantia solemnitatis licèt augeat aliquantulùm culpam, non tamen notabiliter auget; sicuti non auget notabiliter fornicationem, si persona eam committens sit sanctior, aut aliis beneficiis à Deo prædita, præ aliis personis fornicantibus: nam votum solemne, & simplex relinquunt peccatum intra eamdem speciem, cum ambo sint contra Religionem, nec notabiliter aggravant, cum tantum offendatur Deus in violatione simplicis voti, quantum offenditur in violatione Solemnis. Sic Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 27. num. 31.* Henriquez *lib. 5. de Pœnit. cap. 5. num. 6.* Lud. Lopez *1. par. Instruct. cap. 29. col. 9.* Filliuccius *tract. 30. cap. 8. n. 127.* & Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 7. num. 14.*

7 Quæres 5. an committatur Sacrilegium, si persona non Sacra copulam habeat cum fœmina non Sacra, quæ tamen appensas habeat ad collum reliquias, aut Agnos Dei benedictos, vel coronam benedictam cum indulgentiis? Resp. si non habeatur specialis intentio agendi contra res illas sacras, ut sic violentur per actum libidinosum, sed per accidens reperiatur cum illis, & præter intentionem peccantis cum illa; non committi Sacrilegium, nec esse circumstantiam necessariò aperiendam in confessione: ratio est, quia non operatur specialiter contra rem Sacram, & cum animo violandi per actum venereum reverentiam illi debitam, sed præter intentionem hoc evenit. Sic Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 7. num. 15.* Filliuccius *tract. 30. cap. 7. num. 129.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. ult. num. 5.* cum aliis. Hinc fit 1. ut rectè advertit Bonacina *loc. cit. n. 4.* quod violans rem aliquam Sacram per actum libidinosum circa illam exercitum cum animo illam polluendi, & violandi; Sacrilegium committit cum obligatione aperiendi talem circumstantiam in confessione. Fit 2. ut advertit Fagundez *l. c. num. 16.* quod dans rem sacram in pretium actus venerei; non autem titulo tantum gratitudinis, & benevolentiæ; simoniam committit, & Sacrilegium ad eum modum, quo Simoniam, & Sacrilegium committit conferens beneficium, vel eligens aut præsentans ad illud tanquam prætium copulæ habitæ cum sorore electi, aut præsentati; ut habet Filliuccius *l. c. n. 130.*

8 Quæres 6. an committatur Sacrilegium per copulam conjugalem in loco Sacro? Resp. certum esse, sacrilegium committi per copulam conjugalem habitam in loco Sacro absque ulla necessitate, cùm per ipsam polluatur Ecclesia, & specialis injuria ei fiat, vel alteri loco Sacro, etiamsi copula conjugalis absque necessitate habita occultè fiat. Sic Sylvester, Toletus, Azor. Sanchez, Navarrus, Lessius, Rebellus, Henriquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. ult. num. 6.* contra Lopez, & Vasquez oppositum sentientes, si occulta sit. Debitum tamen est, si cum necessitate, fiat occultè, ut si periculum incontinentiæ habeatur in uno ex conjugibus, nec locus alter detur congrediendi; vel si ex aliqua concessione permissum sit conjugibus habitare in Ecclesia, an inquam per talem copulam sacrilegium committatur. Resp. ex communiori sententia contra Navarrum *in Summ. cap. 16. num. 32.* & Graffium *1. par. lib. 2. cap. 56. num. 26.* & alios, nec esse sacrilegium, nec Ecclesiam pollui: ratio est; quia in tali copula non habetur culpa, non sequitur scandalum, & necessitas, quæ habetur tollit irreverentiam; Ergo nec sacrilegium per ipsam committitur; nec locus sacer polluitur: Sic Azor. 2. *part. lib. 9. cap. 5.* Reginaldus *lib. 29. num. 182.* Lessius *lib. 4. cap. 4. num. 86.* & alii multi quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. ult. num. 6.*

Quæres 7. an qui delectatur de fœmina in loco sacro 9
existente, vel illam concupiscit; sacrilegium committat, & teneatur hanc circumstantiam in confessione declarare? Resp. si habeat animum per delectationem illam, & concupiscentiam congrediendi cum fœmina in ipso loco sacro, certum esse, & quòd sacrilegium committat, & quòd talis circumstantia aperienda sit in confessione, etiamsi actus delectationis, & concucupiscentiæ non sint publici, sed occulti: & ratio est; quia actus internus est ejusdem rationis cum externo; si ergo actus externus copulæ in loco sacro habet specialem malitiam sacrilegii necessariò in confessione explicandam, cùm sufficiat ad Ecclesiam polluendam; pariter hanc malitiam sacrilegii necessariò aperiendam in confessione habebit actus internus, qui solus non polluit Ecclesiam, cùm debeat esse actus internus seminis consummatus. Si verò, ut communiter accidit, delectatio, & concupiscentia de fœmina in loco sacro existente non tendant ad copulam in ipso loco sacro habendam, sed alibi; tunc nec sacrilegium committetur, nec circumstantia talis aperienda erit in confessione: ratio est, quia non tendunt directè in violationem loci sacri. Sic Rodriquez, Sanchez, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæst. 4. pun. ult. num. 7.*

Queres 8. an aspicere inhonestè mulieres in Eccle- 10
sia, loqui verba obscæna, & habere oscula, & tactus impudicos in illa, vel altero loco sacro sit sacrilegium, & circumstantia aperienda in cofessione? Resp. si per tales actus periculum habeatur pollutionis, & proximæ dispositionis ad illam in ipso loco sacro; utique sacrilegium committi, & circumstantiam exprimendam esse in confessione. cùm ordinentur actus illi ad violationem, & pollutionem loci sacri, adeoque specialem continere malitiam confessario declarandam. Si verò absit tale periculum violandi per pollutionem locum sacrum, non committi sacrilegium nec circumstantiam esse exprimendam in confessione: cùm non violetur specialiter locus sacer, sicuti per pollutionem violatur, pollutio namque directè repugnat cum reverentia debita loco Sacro. Sic Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 15. num. 10.* Coninch *disp. 7. de Pœnit. dub. 4. num. 22.* Filliuccius *tract. 30. num. 133.* & Bonacina *de Matrim. quæst. 4. pun. ult. num. 8.*

Quæres 9. quænam sint loca Sacra, in quibus Sa- 11
crilegium committitur per copulam, aut pollutionem? Resp. non solùm esse Ecclesiam consecratam, aut benedicta; verùm etiam Oratoria constructa auctoritate Prælati, & ad divinum cultum deputata, ac Cœmeteria: ut latè probant Sanchez, Sylvester, Reginaldus, Filliuccius, Mascardus, & alii. Quamvis non comprehendantur sub nomine loci sacri quoad hoc Sacrilegium, licet privilegio Immunitatis gaudeant, Monasteria, Dormitoria, cubicula Religiosorum, aut Oratoria privata non constructa auctoritate Prælati, nisi in ipsis extet altare ad Divina celebranda. Sic Sylvester *verb. Ecclesia num. 1.* Azor. *par. 2. lib. 9. cap. 27. quæst. 13.* Navarrus *in Summ. cap. 16. num. 3.* & Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 15. num. 21.* qui adnotat in dubio, an Oratorium sit auctoritate Episcopi constructum; præsumendum esse, quod sic, quando in eo publicè celebrantur & admittuntur omnes ad Divina.

Petes 1. an omnes Ecclesiæ partes veniant nomine 12
loci sacri requisiti ad hoc sacrilegium committendum? Resp. illud solùm Ecclesiæ; spatium intelligi hic nomine loci sacri, quod attinet ad corpus interius Ecclesiæ, videlicet à tecto interiori ad pavimen-

tum usque, prout comprehendit cappellas, chorum, etiamsi Cappella de novo addita sit Ecclesiæ, cùm hæc omnia efficiant unum corpus Ecclesiæ interius. Sic Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 9. num. 7.* Navarrus *in summ. cap. 16. num. 251.* Graffis *lib. 2. cap. 48.* Reginaldus *lib. 29. num. 187.* & Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 15. num. 21.* Hinc fit: non committi sacrilegium, si voluntaria seminis effusio habeatur supra tectum Ecclesiæ, vel in ejus turri campanaria, aut in Sacristia, vel cubiculis Ecclesiæ adhærentibus, aut extra parietes Ecclesiæ, dummodo non sint etiam parietes cœmeterii. Idem dicendum de loco subterraneo Ecclesiæ, vel caverna aliqua, si tamen non sint sepulturę; de porta Ecclesiæ extra limen, quod valvæ attingunt, quandò non spectat ad cœmeterium spatium illud: ratio horum omnium est, quia non censentur hæc loca spectare ad corpus interius Ecclesiæ à tecto interiori ad pavimentum, imò esse extra illam, & Cæmeterium. Sic Navarrus, Suarez, Graffis, Sanchez, Reginaldus, Nugnus, Coninch, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. ult. nu. 11. & sequentibus*.

13 Petes 2. an in Ecclesia destructa committatur hoc sacrilegium? Respondeo si auctoritate Episcopi destructa sit, non committi in ea Sacrilegium, cùm non sit amplius locus sacer. Si tamen diruta sit, ut denuo ædificetur; committi sacrilegium, cùm adhuc sit locus sacer, & immunitatis privilegio potiatur. Sic Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 15. num. 21.* & Bonac. *loc. cit. num. 10.* cum aliis.

14 Petes 3. quænam requiruntur ad Ecclesiam polluendam ob seminis effusionem? Respondeo requiri 1. quòd voluntaria sit: nam si involuntaria sit, ut in somnis, vel in vigilia coactè; non polluitur Ecclesia: constat *ex Capit. Ecclesiis de Consecr. distinct. 1.* & docent Navarrus, Sylvester, Tabiena, & alii apud Sayrum *libro 5. cap. 16. numero 21.* Henriquez *lib. 9. capit. 27. numero 5.* qui etiam putant, non pollui Ecclesiam per pollutionem in somnis habitam, quamvis voluntaria fuerit in causa, cùm non sit actu libera, & consequenter non irrogatur irreverentia loco sacro. Non requiritur tamen ad Ecclesiam polluendam, quòd semen emissum effundatur super terram, sed sat est, quòd emittatur in loco sacro, ubicumque postea recipiatur. Per parvam verò humectationem, & distillationem non polluitur Ecclesia: cum effusio ex se importare debeat aliquam copiam, ut adnotant Suarez, Coninch, Nugnus, Graffius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæstion. 4. punct. ultim. numero 19.* Requiri 2. quòd effusio seminis ad Ecclesiam polluendam sit ab homine, sive mas, sive fœmina sit; sive paganus, sive fidelis: cùm non sufficiat effusio seminis à brutis, ut docent passim Doctores. Requiri 3. quòd delictum sit publicum; nam si occultum remanet, nec Ecclesia polluitur; nec reconciliatione indiget: ut ex Suarez, Navarro, Coninch docet Bonacina *l. c. nu. 25.*

CAPUT IX.

De Peccatis Luxuriæ contra Naturam, & primò de Pollutione, seu Mollitie.

1 *Quænam peccata Luxuriæ dicantur contra Naturam?*
2 *Quinque modis potest quis peccare per Luxuriam contra Naturam?*
3 *Omnes quinque modi sic peccandi gravia peccata sunt, & omnes specie differunt inter se, adeoque in confessione explicandi.*
4 *Definitur Pollutio, seu Mollities.*
5 *Quandonam Pollutio sit sufficienter voluntaria, & imputabilis ad peccatum?*
6 *An semper sit peccatum grave procurare pollutionem?*
7 *An liceat sumere medicinam resolventem semen in alium humorem?*
8 *An sit peccatum lethale non reprimere pollutionem incohatam in somno, quamvis seminis effusio sequatur in vigilia?*
9 *An liceat procurare vi medicinæ emissionem seminis corrupti in fœmina patiente venenosa acciaentia?*
10 *An licitum sit pollutionem desiderare, aut de ea jam secuta complacere?*
11 *An pollutiones sint ejusdem speciei; & an habeant circumstantias aperiendas in confessione?*
12 *An sit grave peccatum procurare magnam spirituum commotionem ad pollutionem ordinatorum, vel ad magnam distillationem?*

ABSOLUTIS peccatis Luxuriæ naturalibus remanet pertractandum de Innaturalibus, seu contra Naturam. Peccata autem hæc ea dicuntur, quibus pervertitur ordo, quem natura cætera animalia docuit, & sine quo prolis conceptio fieri nequit, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 159. art. 11. in.* 12. quem sequuntur Theologi Morales cum Cajetano, Lessio, Navarro, Medina, Toleto, & aliis. Dicuntur peccata hæc contra Naturam, non solùm quia sunt contra dictamen naturæ, & rectæ rationis, ut generaliter de omnibus peccatis dici potest; verùm etiam quia speciali modo repugnant ordini à natura instituto ad generationem, & propagationem humanæ speciei. 1

Jam verò quinque modis quis per luxuriam peccare potest contra naturam, cùm natura quinque etiam requirat ad effusionem seminis ordinatè ad generationem humanam. 1. ut habeatur conjunctio duorum, & ex defectu hujus requisiti à natura, quando semen emittitur absque conjunctione cum fœmina per sui corruptionem, ut sic expleatur voluptas carnalis; peccatur contra naturam per mollitiem, seu pollutionem. 2. ut habeatur conjunctio duorum, sed diversi sexus, maris scilicet cum fœmina; adeoque si conjunctio duorum habeatur inter marem, & marem; aut inter fœminam, & fœminam; vel si non servetur vas congruum ad copulam, ut si esset conjunctio maris cum fœmina in vase præpostero; tunc peccabitur contra naturam per sodomiam, quamvis hoc ultimum non sit perfecta sodomia, sed imperfecta, quia habetur diversitas sexus. 3. ut adhibeatur in copula persona debita, scilicet ejusdem speciei humanæ: quapropter congredi cum bestia, quæcumque sit, peccatum erit contra naturam, quod bestialitas dicitur. Hinc resultat quartus modus peccandi contra naturam, si copula scilicet habeatur cum dæmone, & dicitur congressus dæmoniacus, quod peccatum ultra malitiam bestialitatis secum affert malitiam superstitionis, necessariò aperiendam in confessione. 5. denique, ut servetur debitus modus in conjunctione naturali; nec sufficit, quòd copula sit in vase naturali, & cum persona debita; si non servetur etiam modus debitus ad naturalem conjunctionem, ut possit generatio sequi absque periculo: quapropter contra naturam peccabitur, quando mas congreditur cum fœmina ordine inverso, vel præpostere instar pecudum accedendo retrò, vel stando aut sedendo; quod peccatum dicitur innaturalitas contra modum debitum à natura institutum ad generationem. 2

Nos quinque modos peccandi luxuriosè contra naturam gravia peccata esse, constat ex D. Paulo *ad Romanos 1. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Et ad Galatas. 5. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c.* & statim subjungit: *Prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Ubi advertit Fagundez *in 6. Decal. Præcept. libro 6. capit. 9. numero 5.* in vocabulo, *Immunditia*, comprehendere Apostolum omnes enumeratos modos peccandi contra naturam. 3

Sed dubium hìc insurgit: an quinque enumerati modi peccandi luxuriosè contra naturam specie differant inter se; & importent obligationem aperiendi distinctè unamquamque ipsorum speciem in confessione? Resp. affirmativè: quia singuli ipsorum habent malitiam specialem, ac peculiarem luxuriæ turpitudinem repugnantem Virtuti Castitatis, ac privant speciali quodam bono à natura ordinato ad finem generationis humanæ; nam Mollities privat bono conjunctionis, & principio agente ad generationem; Sodomia sive perfecta, sive imperfecta privat bono proportionis mediorum naturalium ad generationem ordinatorum;

Bestia-

Bestialitas privat bono identitatis specificæ personarum, & à fortiori congressus cum dœmone, qui ultra addit malum Superstitionis, Innaturalitas denique congrediendi privat bono facilius habendi generationem, cum illam exponat periculo, ne non sequatur. Sic Lessius *lib. 4. de Just. cap. 3. dubit. 13. num. 90.* Falliuccius *tom. 2. tract. 30. cap. 8. num. 142.* & Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 9. num. 6.* Et quamvis non desint Doctores, qui putent, non ita rigorosè distingui hos modos inter se propter malitias recensitas; nihilominus conveniunt, quod adeo aggravantes habeant circumstantias, ut obligationem inducant aperiendi expresse eas in confessione.

4 Post generalem notitiam peccatorum Luxuriæ contra naturam explicanda remanent, quæ singillatim ad unum quodque illorum spectant; sit igitur primo loco sermo de Pollutione. Pollutio, seu Mollities sic definitur: Est voluntaria Seminis Effusio absque copula. Rectè dicitur voluntaria, quia ea, quæ contra, vel præter voluntatem evenit; non est peccaminosa: cum ubi voluntarium non sit, non possit esse peccatum; & Apostolus quando 1. *ad Corinth. 6.* dixit: *Molles Regnum Dei non possidebunt*, de voluntariè mollibus, seu polluentibus locutus est.

5 Quæres 1. quandonam sufficienter voluntaria, & imputabilis ad culpam dici possit Pollutio? Resp. quando non sequitur præter intentionem ex aliqua causa necessaria, quæ conveniens sit corpori, ut est moderatus cibus, ac moderatus potus vel conveniens animæ, ut studere, orare; vel tandem utilis aliis, ut confessiones audire, cum fœminis alloqui cautè, & cum necessitate. Si autem pollutio sequatur ex aliqua causa non necessaria nec utili aliis, nec conveniente corpori, aut animæ; dicendum est, quod habeat sufficienter requisita ad voluntarium, & quod non accidat præter intentionem, & consequenter quod sit imputabilis ad peccatum: ratio est, quia pollutio sequens ex causa aliqua necessaria, etiamsi prævideatur in illa, dummodo sit præter intentionem; non debet imputari ad peccatum utenti jure suo, aliàs coercendus esset, ne multas actiones sibi, vel proximis convenientes, ad quas jus habet; exercere possit, & sic omittendæ essent innumeræ actiones necessariæ, ne innumeri insurgant scrupuli, quod non est de facili concedendum. Effectus enim per accidens, & præter intentionem subsequens, ut est pollutio in casibus adjectis, non habet rationem voluntarii, imò illam habens potiùs pati, quàm agere censendus erit: Sic Sanchez *de Matrimon. libr. 9. disputat. 45. numer. 4.* allegans Divum Gregorium, Divum Thomam, Cajetanum, Gersonem, Abulensem, Divum Antoninum, Tabienam, Armillam, & Navarrum. Sic etiam Bonacinam *de Matrimon. quæstion. 4. punct. 10. numer. 5.* referens Suarez, Lessium, Vasquez, Henriquez, Azorium, Filliuceium, & alios.

Adnoto tamen ex eodem Sanchez *loc. cit. numer. 6.* quod si probabile periculum habeatur consensus in delectationem pollutionis, sub gravi culpa abstinendum erit ab ea causa, quantumvis licita, ex qua pollutio sequitur: ratio est, quia amans periculum voluntariè dicitur perire in illo. Periculum verò hoc sufficienter incurritur, quando quis experientiam habet, quod fere semper in simili occasione positus in delectationis consensum labatur. Nihilominus huic periculo urgente gravissima necessitate licitè poterit quis se exponere, firmiter tamen priùs proponens, se non consensurum: ut si unicus esset chirurgus in Civitate, qui mederi deberet fœminæ in pudendis laboranti cum periculo vitæ; tunc enim iste talis non diceretur periculum amare, sed fretus Divina Misericordia ob succurrendum proximo se conjicere in illud, ut liberetur. Vide Divum Thomam 2. 2. *quæst. 10. art. 9. in corp.* Cajetanum *in Suum. verb. Periculum* Armillam *eod. verb. numer. unic.* & Navarrum *in Summ. cap. 3. nu. 15.*

Ex dictis colligitur 1. nec esse peccaminosam, nec imputabilem ad peccatum pollutionem illam, quæ sequitur vi naturæ; vel ex alia causa habente diversum effectum, ut si sequeretur ex ebrietate, ex comestione ciborum calidorum, ex equitatione, ex tactu licito, vel amplexu juxta morem patrium, ex situ corporis supino: & ratio est, quia est effectus subsequens præter intentionem, adeoque non imputabilis ad culpam, supponimus enim non intendi pollutionem, quamvis prævideatur; nec haberi animum delectandi de illa si subsequatur; imò potiùs haberi animum comprimendi positivè delactationem, si sequatur pollutio, nec merè negative se habendi quoad consensum repellendum. Sic Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 45. num. 7. &* 8. Navarrus *in Summ. cap. 16. num. 7.* Vasquez 1. 2. *quæst. 74. art. 8. disp. 113. num. 8.* Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 7.* Sà *verb. Luxuria num. 8.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 10. num. 6.*

Colligitur 2. nec esse peccaminosam pollutionem sequentem ex refricatione circa partes verendas ad sedandum magnum pruritum ibi exortum; vel ex lotione partium pudendarum ad expurgandum fœtorem, dummodo absit periculum consensus, quia eo urgente tenetur unusquisque abstinere: ratio autem est, quia tam refricatio ad pruritum sedandum, quàm lotio ad fœtorem expellendum sunt ex natura sua licitæ, & ex necessitate fiunt; ideoque pollutio inde sequens præter intentionem sequi censenda erit. Sic Sanchez *l. c.* & Bonacina *l. c. n. 8.*

Colligitur 3. pollutionem sequentem ex causa leviter, ac venialiter luxuriosa, ut curiosus aspectus, vel curiosa lectio; dummodo nec volita, nec intenta fuerit, nec consensus habeatur circa illam; non esse grave peccatum: eo quia causa leviter influens in pollutionem non dicitur absolutè, & simpliciter causa illius; adeoque pollutio inde sequens non dicetur sufficienter volita, itaut imputabilis sit ad grave peccatum. Sic Vasquez, Lessius, Henriquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæstion. 4. punct. 10. num. 9.*

Quæres 2. an semper sit peccatum grave procurare 6
pollutionem, etiam ob bonum finem sanitatis, aut sedandi molestias carnis? Resp. affirmativè: cum ob nullam causam quamvis honestam, & justam talis procuratio cohonestabilis sit, adeoque graviter peccabit medicus ordinans medicinam ægroto ob sanitatem recuperandam, quæ nil aliud agat, quàm excitare naturam ad seminis expulsionem. Sic Navarrus, Angelus, Sylvester, Toletus, Sà, Divus Antoninus, Vasquez, Sanchez, Sotus, Corduba, Lopez, Filliuccius, & alii communiter, quos refert, & sequitur Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 9. num. 31. &* 32. multas afferunt rationes ad hanc communem sententiam comprobandam, & satis ingeniosas, sed suas patiuntur oppositiones. Mihi arridet præ omnibus assignata à Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 17. n. 16.* quam colligit ex Abulensi *cap. 5. quæst. 184. in Matth.* ideo natura denegat in omni eventu emissionem seminis præter conjugalem usum, quia adeo vehemens est delectatio, quæ in seminis effusione percipitur, ut homines ea passione commoti facilè sibi persuaderent quamcunque causam, ut licitam, & justam procurandi pollutionem, & sic semen prodigerent; indeque orirentur universa luxuriæ vitia, fornicationes, adulteria, sodomię &c. Non sic tamen evenit in permissione abscissionis membrorum, manus, pedis, brachii, aut etiam testiculorum ad vitam temporalem tuendam, cum nec natura ad hoc proclivis sit, & dolor ipse, qui percipitur, est causa, ut non de facili illam sibi suadeant ut licitam.

Quæres 3. an liceat medicinam sumere resolventem 7
semen in sanguinem, vel alium humorem sanitatis gratia? Resp. affirmativè cum Sanchez, & Bonacina citatis: ratio est quia sic non procuraretur pollutio, quod est illicitum; sed resolutio tantùm seminis in alios humores, quod non est contra naturam generationis.

Quęres 4. an sit peccatum lethale non reprimere pol- 8
lutionem inchoatam in somno quoad commotionem spirituum, & seminis decisionem: quamvis seminis effusio sequatur in vigilia? Resp. si patiens in tali casu pollutionem sit in semiplena vigilia, in qua non habeat perfectam libertatem se cohibendi; nullum peccatum erit non reprimere: & ratio est, quia nec voluntaria dicitur, nec necessitas habetur eam comprimendi, ut constat. Difficultas tamen est si sit in plena vigilia, in qua supponitur facultas, ac libertas eam reprimendi: quapropter Toletus putavit *lib. 5. Summ. cap. 13.* grave esse peccatum eam non reprimere. Verùm cessante periculo delectationis non erit grave peccatum non cohibere seminis fluxum jam è lumbis decisi in somno quamvis effusio sequatur in perfecta vigilia: & ratio est, quia sicuti patiens fluxum seminis absque suo consensu, & culpa, & citra periculum delectationis ut

esset Confessarius audiens peccata turpia; nec peccat, nec habet obligationem illum reprimendi; ita qui somno habet decisionem seminis è lumbis, licèt effusio sequatur in perfecta vigilia: maximè cum semen decisum sit naturali via ad erumpendum foras, & difficile sit illud reprimere in vigilia. Sic Sà, Navarrus, Filliuccius, Graffis, Azor, Corduba, Sotus, Sanchez, & alii quos refert, & sequitur Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 9. num. 28.*

Noto tamen. 1. ex eisdem Doctoribus illicitum omnino, & peccaminosum esse cooperari aliquo modo in vigilia ad seminis illius jam decisi expulsionem; quia hoc esset procurare pollutionem, & non merè eam pati; imò expedit componere manus in signum Crucis, & ferventer deprecari Deum, ne permittat lapsum in delectationem, ut non minùs piè, quam docte habet Gerson. Noto 2. ne pollutio illa inchoata in somno, & postea completa in vigilia volita fuerit antecedenter ad somnum, & procurata in causa illam inducente ob voluptatem veneream, & carnalem delectationem explendam. Quis enim non videt, tunc graviter peccaminosam fore in causa, quę etiam in somnis inficitur malitia voluntariæ pollutionis; qui enim vult causam in se, vult moraliter effectum in ipsa causa, nec in hoc præscindibilis est amor effectus ab amore causæ,

9 Quęres 5. an liceat procurare emissionem seminis corrupti in fœmina patiente venenosa accidentia adhibendo medicamina ad hoc præstandum? Resp. si certò constet, semen esse corruptum, & sanitati noxium, nam si dubia res est, non licebit; posse licitè medicamen aptari ad illud expellendum, etiam si per accidens sequatur expulsio veri seminis, quę non intenditur, & supponitur abesse periculum delactionis erga illam; ratio est, quia emissio veri seminis per accidens, ac præter intentionem sequitur ad rem aliunde licitam; & expulsio corrupti seminis, ac ad generationem inutilis, sanitatique noxii non est contra naturam. Sic Sanchez *de Matr. libr. 9. disp. 17. num. 16.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. pun. 10. num. 16.* Sed cautè in hoc procedendum.

10 Quæres 6. an licitum sit pollutionem desiderare, aut de ea jam secuta complacere? Resp. eam desiderare, vel de ea habita complacere ex animo pravo, & delectatione libidinis, illicitum esse, ac grave peccatum: & ratio est, quia sic consentiretur directè delectationi libidinosæ ipsius, pollutionis, quod plane ex se grave peccatum est. Complacere tamen, aut eam desiderare, ut absque culpa sequatur ob corporis sanitatem, vel ad naturam exonerandam, aut sedandas tentationes; non est peccatum: eo quia esset complacere, aut desiderare simplici quodam affectu causam, & effectum indifferentem, dummodo nulla intercedat libera cooperatio ad illam, nec desiderium sit adeo vehemens, ut influat in illam; quapropter cautius erit à similibus complacentiis, & desideriis abstinere. Sic Navarrus, Angelus, Sylvester, Sà, Toletus, Vasquez, Sanchez, & alii apud Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 9. num. 31.*

11 Quæres 7. an Pollutiones sint ejusdem speciei, & an habeant circumstantias aperiendas in confessione? Resp. quamvis pollutiones secundùm se consideratę sint ejusdem speciei, eo quia habent eamdem oppositionem, & contrarietatem cum recta ratione: nihilominus possunt per accidens, & ratione circumstantiarum sibi additarum specie diversificari inter se, & consequenter importare obligationem eas circumstantias aperiendi in confessione, quæ habent specie Diversam malitiam. Sic polluens voluntariè se in loco Sacro debet in confessione talem circumstantiam aperire, cum ultra malitiam pollutionis habeat malitiam sacrilegii; sic etiam voluntariè se polluens cum morosa delectatione, ac desiderio personę alicujus solutæ, aut conjugatæ, vel obstrictæ voto debet pariter confessario tales circumstantias declarare, quia ultra malitiam pollutionis contrahit malitiam fornicationis, vel adulterii, aut sacrilegii. Sic denique voluntariè se polluens cum cooperatione alterius debet personam, cujus ope pollutio commissa fuerit; explicare, cum ipsa cooperatio, & inductio ad peccatum sit in confessione etiam aperienda. Quamvis non sit necesse aperire in quanam parte corporis commissa fuerit pollutio cum persona cooperante, hoc enim materialiter se habet. Sic Cajetanus, Navarrus, Azor, Filliuc. & alii, quos refert & sequitur Bonac. *de Matr. quæst. 4. pun. 10. num. 15.*

Quæres 8. an procurare magnam spirituum commotionem ad pollutionem ordinatorum, vel ad magnam distillationem sit grave peccatum? Resp. affirmativè: quia sicuti est grave peccatum pollutionem procurare, sic grave peccatum erit talem spirituum commotionem procurare, quæ est causa proxima, & notabiliter influens in pollutionem ipsam. Idem dicendum, si commotio spirituum excitet ad magnam distillationem: nam magna distillatio proximè tendit ad pollutionem, cum proveniat ex magna carnis commotione, quæ non sine mortali delectatione venerea accidere potest. Quamvis de levi commotione disponente ad levem, vel parvam distillationem non eodem modo discurrendum erit: ut habet Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 19. num. 3.* Distillatio autem est quidam humor medius inter urinam, & semen; & quamvis semini assimiletur, revera tamen non est tale. 12

CAPUT X.

De Sodomia.

1 *Definitur Sodomia: & resolvitur quæstio, an congressus viri cum fœmina in vase præposlero sit Sodomia.*
2 *Sodomia ex se gravissimum peccatum est, turpissimum, & nefandum.*
3 *An Sodomia ultra suam malitiam aliam habere possit aperiendam in confessione?*
4 *Quænam pœnæ inflictæ sint contra Sodomitas?*
5 *An in confitendo Sodomiam aperienda sit circumstantia agentis, vel patientis?*

SODOMIA propriè accepta sic definiri solet: Congressus inter personas ejusdem sexus. Colligitur ex Div. Thoma 2. 2. *quæst. 154. art. 11.* quem sequuntur Cajetanus, Navarrus, Azor. Valentia, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæst. 4. pun. 11. num. 1.* Hinc oritur quæstio: an congressus viri cum fœmina in vase præposlero sit propriè Sodomia? Ad quam respondeo, quamvis communiter talis congressus sodomiticus dicatur, sicuti quilibet alius congressus in vase præposlero fœminæ, cum fœmina, aut fœminę cum viro; nihilominus impropriè dicitur talis: & ratio est, quia ad sodomiam propriè talem requiritur concubitus ad indebitum sexum, & in vase non debito; concubitus autem est copula consummata, quę intercedere non potest inter marem & marem nisi in vase prępostero; inter fœminam, & fœminam nisi in vase naturali; adeoque perfecta sodomia erit solus concubitus viri cum viro in vase prępostero, & fœminę cum fœmina in vase naturali. Hinc sequitur, congressum viri cum fœmina in vase prępostero non esse perfectam Sodomiam, cum non sit congressus ad indebitum sexum, licet sit in vase non naturali. Sic Cajetanus, Azor. Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæst. 4. pun. 11. num. 1.* & Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib. 6. cap. 9. num. 8.* Noto tamen ex citato Fagundez æqualibus pœnis puniri sodomiam propriam, ac impropriam, & prępiuè quoad separationem thori in conjugatis, cum utraque Sodomia tendat ad divisionem carnis, quod est contra finem in institutione Matrimonii intentum, cum finis in Matrimonio intentus sit, ut Conjuges efficiantur una caro juxta illud *Genes. 2. Erunt duo in carne una*; & sodomia, quęcumque sit illam dividit. 1

Sodomiam gravissimum esse peccatum, ac turpissimum; ita ut nefandum appellari soleat, communis Doctorum Sententia docet; & constat tum ex Div. Paulo *ad Roman. 1.* tum ex pœnis gravissimis a Jure Civili, & à jure Canonico impositis contra Sodomitas. 2

Quęres 1. an sodomia possit habere aliam malitiam aperiendam necessariò in confessione ultra sodomię malitiam? Resp. affirmativè: nam si committitur cum persona voto Castitatis ligata habebit patiter malitiam Sacrilegii in confessione explicandam; si fiat cum violentia contra alium repugnantem, habebit malitiam injustitię; si cum conjugato, malitiam adulterii; si cum Consanguineis, vel Affinibus in primo, aut secundo gradu, malitiam contra reverentiam, ac pietatem Cognatis debitam. Imò addunt Doctores explicandam esse hanc malitiam in linea rectà consanguinitatis, etiam si gradus sit remotus nimis, sic enim repugnat hic abusus luxuriosus inter cognatos jure naturali, quamvis non sit reve- 3

ra incestus, qui solùm committitur in vase debito cum debito sexu. Vide Azorium 3. *part. libro 3. cap.* 18.

Petes: an etiam explicanda erit in Sodomia circumstantia Cognationis spiritualis, aut Legalis, vel circumstantia Virginitatis, si cum Virgine commissa fuerit? Resp. probabile esse, non explicandas esse has circumstantias, sicuti non explicandæ sunt circumstantiæ tertii, vel quarti gradus in affinitate, vel consanguinitate transversæ lineæ; & ratio est, quia nulla lex specialis habetur, quæ tales congressus sodomiticos prohibeat præter legem naturalem, aut positivam generaliter prohibentem turpissimum sodomiæ peccatum; ergo si naturæ lex prohibet congressum cum Cognatis in primo, & secundo gradu Consanguinitatis lineæ transversæ, ac Affinitatis ob reverentiam Cognationi debitam; & solum lex humana ad impediendum Matrimonium instituit tertium, & quartum Gradum; in quibus gradibus prohibet ordinarios congressus cum debito sexu, non verò extraordinarios matrimonium non impedientes; sicuti etiam eadem lex humana instituit cognationem spiritualem, ac legalem ad Matrimonium impediendum cum prohibitione congressus ordinarii, nullam mentionem faciens de extraordinario; inde erit, quòd nec circumstantia tertii, aut quarti gradus Consanguinitatis lineæ transversæ, aut Affinitatis; nec circumstantia Cognationis legalis, aut spiritualis in congressu sodomitico explicandæ necessario erunt in confessione, sed sat erit explicare solam malitiam sodomiæ. De circumstantia Virginitatis clarior habetur ratio: nam cum per Sodomiam non disrumpatur Virginale Claustrum; quod necessario requiritur ad stupri malitiam; ideo talis circumstantia Virginitatis non est de necesse explicanda in confessione. Sic Azor. 3. *part. lib. 3. cap.* 18. *quæst.* 5. & Bonacina *de Matr. qu.* 4. *punct.* 11. *nu.* 8. *& 9.*

4 Quæres 2. quænam pœnæ inflictæ sint contra Sodomitas? Resp. ex Lege Civili pœnam mortis naturalis tam agenti, quàm patienti statutam esse, ut constat *ex Leg. Cum vir nubit in fœminam Cod. de Adulter. ad leg. Jul.* & docent Julius Clarus *lib.* 5. *Sent. §. Sodomia n.* 2. Menochius *de arbitr. Quæst. lib.* 2. *casu* 286. *n.* 1. & Farinacius *tom.* 4. *quæst.* 148. *n.* 4. Imò propter tanti criminis detestationem extendit Parisius *consil.* 163. *n.* 4. *lib.* 4. hanc pœnam, etiam non consummato actu, dummodo ventum sit ad actus propinquos. Nec solùm hac pœna vindicatur hoc detestabile crimen à Jure Civili, sed etiam post mortem additur pœna combustionis corporum delinquentium juxta citatos Doctores; & confiscatio bonorum, quamvis consuetudine abrogata fuerit hæc pœna, ut habet Farinacius *l. c. n.* 15. & alii Juristæ, qui eum sequuntur. Amittunt insuper Sodomitæ jus testandi post latam sententiam mortis in pœnam tanti delicti, ut probat idem Farinacius *in Respons. verb. Sodomia.*

Ex Lege verò Ecclesiastica multæ pœnæ imponuntur præsertim contra Clericos de hoc nefando crimine convictos: nam beneficio privari possunt, deponi ac in Monasterium detrudi, ut habetur *in cap. Clerici de Excessib. prælat.* Imò Vivianus *opin.* 727. *num.* 1. Menochius *de arbitr. Quæst. lib.* 2. *casu* 286. *num.* 3. & alii putant, posse realiter degradari, & potestati sæculari tradi, ut dein morte, & flammis puniantur; & sic aliquando observatum fuisse à Viennensi Concilio testatur Petrus Crinitus, quem ipse Menochius refert; & S. Pius V. *in sua Extravag.* quam refert Navarrus *in Summ. cap.* 27. *n.* 249. decrevit: Omnes & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos seculares, & Regulares cujuscumque Gradus, & dignitatis tam dirum nefas exercentes omni Privilegio Clericali, omnique Officio, Dignitate, & beneficio Ecclesiastico privari, ita quod per Judicem Ecclesiasticum degradati potestati statim sæculari tradantur. Ad clariorem hujus extravagantis intelligentiam

Petes 1. an ipso facto incurratur suspensio ab officio, & beneficio absque ulla sententia Judicis, & etiam si crimen occultum sit? Resp. negativè, quamvis Navarrus, Felinus, & alii putarint, Clericum sodomiam committentem, etiam occultè, ipso facto, & ante quamcumque Judicis sententiam suspensionem ab officio incurrere: & ratio nostræ sententiæ est, quia solæ censuræ Ecclesiasticæ, pœneve Medicinales, quæ ad executionem non requirunt factum hominis, si fuerint latæ sententiæ incurruntur ipso facto; & ante quamcumque Judicis sententiam declaratoriam per criminis commissionem, cui adnexa est excommunicatio; reliquæ verò pœnæ non incurruntur nisi post sententiam declaratoriam Judicis: ut rectè docet Suarez *tom.* 5. *de Censur. disp.* 30. *sect.* 1. *numer.* 14. ubi ait: Ad suspensionem ab Officio, & beneficio, quamvis in Jure ipso facto imponantur; semper requiri declaratoriam criminis sententiam; idem docent Sylvester *verb. Assassinus numer.* 4. Pagundez *in 6. decal. Præcept. lib.* 6. *cap.* 9. *numer.* 18. *in fin.* & Bonacina alios referens *de Major. quæst.* 4. *de Matrim. punct.* 11. *numer.* 2. *in fin. & 3.* Hinc deducitur juxta eosdem doctores, non incurrere in irregularitatem Clericum vitio occulto sodomiæ laborantem, si in eo celebret; dummodo non celebret post latam sententiam. Nec teneri in conscientia dimittere Officium, beneficium, aut dignitatem, aut fructus restituere, nisi post Judicis sententiam, quidquid in contrarium dicant Farinacius, & Lopez.

Petes 2. an ad incurrendum pœnas contra Clericum sodomitam latas à Pio V. necessario requiratur, quòd tale crimen in sua specie sit consummatum? Resp. affirmativè, non enim sat est haberi aliquam pollutionem, vel immunditiam cum aliquo; sed requiritur quòd sit in vase præposteto, ubi tale delictum consummatur: & ratio est, quia lex puniens delictum aliquod requirit, quòd illud sit in sua specie consummatum, cum Leges pœnales strictè interpretandæ sint: ut rectè docent Suarez, Navarrus, Julius Clarus, Ugolinus, Rodriquez, & alii apud Bonacinam *de Matr. qu.* 4. *punct.* 11. *num.* 3. & Quarantam *verb. Simonia.*

Petes 3. an Constitutio S. Pii V. comprehendat quemcumque Clericum semel, bis, aut ter sodomiam committentem? Resp. comprehendere quemcumque Clericum sodomiam exercentem, ut patet ex verbis citatis ipsius Constitutionis: in Jure autem exercere importat frequentare, & quasi ex consuetudine, & iterato usu facere: quapropter semel, bis, aut ter hoc peccatum committere non erit exercere; sicuti non dicitur quis artem aliquam exercere, si eam semel, bis, aut ter efficiat. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 27. *num.* 249. qui ait: hanc fuisse mentem S. Pontificis, nam à se consultus ita respondit per datarium Rotæ: quapropter non rectè Farinacius secutus Salzedum docuit: Clericum per unicum sodomiæ actum incurrere has pœnas. Navarrum sequuntur Quaranta, Ricius, Garzia, Suarez, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *punct.* 11. *num.* 2. & Fagundez *in* 6. *decal. Præcept. lib.* 6. *cap.* 9. *nu.* 20.

Quæres tandem: an in confessione peccati Sodomiæ 5
explicanda sit circumstantia agentis, vel patientis? an verò sufficit dicere sodomiam commisi? Resp. explicandam esse: & ratio est, quia agens pollutionem habet, quam non habet patiens; adeoque magis opponitur fini naturæ agens, quàm patiens: ut per se patet. Sic Cardin. Delugo *disputat.* 16. *de Pœnit. sect.* 5. *numer.* 243. & Tamburinus *in meth. confess. lib.* 2. *cap.* 7. *§.* 10. *num.* 76.

CAPUT XI.

De Bestialitate, Congressu cum dœmone, & Conjunctione naturali indebito modo facta.

1 *Quid sit Bestialitas, quæ ex se gravissimum peccatum est; & an specie differat pro diversitate specierum brutorum?*
2 *Quid sit Congressus cum Dæmone, qui est scelestissimum peccatum ex se; & quibus modis accidere possit?*
3 *Quandonam habeatur Conjunctio naturalis, sed indebito modo facta?*
4 *Quale peccatum sit Conjunctio naturalis indebito modo facta?*

BESTIALITAS est carnalis conjunctio cum 1
bestia, quod peccatum ex se gravissimum est, & contra omnem Naturæ Legem, ut constans est omnium Doctorum sententia, & excepto congressu cum Dœmone malitia humana ulteriùs ascendere non poterat: ut rectè observat Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 13. *n.* 7. Meritò igitur punitur in Jure pœna Mortis, atque concremationis post mortem, cum non de-

beat

beat vivere homo, qui cùm homo sit, evadit bestia. Imò non pacui Doctores ob atrocitatem hujus criminis non requirunt ad hanc pœnam subeundam consummationem, & perfectionem delicti. Verùm crimine non completo, ac non secuto effectu non pœna mortis, sed alia benignior Judicis arbitrio imponenda erit: ut colligitur *ex leg. 1. §. fin. ff. de Extraord. Criminib.* ubi habetur: Perfecto flagitio punitur capite, imperfecto in insulam reus deportatur. Vide Fagundez *in 6. Decalog. præcept. libr. 6. cap. 9. numer. 24.*

Petes hìc: an Bestialitatis peccatum specie differat pro diversitate specierum brutorum, cum quibus commissum fuerit; & an inducat obligationem explicandi bestiam in confessione? Resp. negativè: quia diversitas specifica belluarum materialiter se habet ad malitiam, & turpitudinem peccati bestialitatis, quæ consistit in copula cum re alterius speciei ab homine, & omnes species animalium diversæ ab homine quoad hoc conveniunt inter se: quapropter non erit explicanda bestia, cum qua commissum fuerit tale peccatum; nec si fœmina, aut mas fuerit. Sic Azor. 3. *part. libr. 3. capit. 32.* Sà *verb. Luxuria numer. 6.* Filliuccius *tractat. 30. numer. 161.* cum aliis.

2 Congressus cum Dœmone est omnium scelestissima peccati species contra naturam. Diversis tamen modis accidere potest, apparente scilicet Dœmone vel in forma bruti, capri videlicet, Canis &c. vel in forma humana sive Maris, sive fœminæ solutæ, conjugatæ, Monialis &c. Item congressus potest esse cum Dœmone incubo, vel succubo; aut in vase naturali, aut præpostero. Quæ quidem circumstantiæ aperiendæ sunt in confessione. Nam hoc peccatum ultra malitiam propriam, & ultra malitiam superstitionis ob societatem cum Dœmone habere potest aliam malitiam superadditam sodomiæ, adulterii, fornicationis, incestus, sacrilegii pro qualitate personæ illius, quæ apprehenditur in forma illa, & ad quam dirigitur affectus. Sic Cajetanus 2. 2. *quæstion. 15. articul. 11.* Sà *verb. Luxuria numer. 6.* Filliuccius *tractat. 30. numer. 162.* & Bonacina *de Matr. quæst. 4. punct. 12. num. 3.*

Adnotandum hìc: posse Dœmonem humanum semen aliunde acceptum intra vas fœminæ transferre, & sic applicare in circumstantiis ad generationem requisitis; ut fœmina concipere possit. Et hoc modo conceptum fuisse Homerum poetam inter Græcos celeberrimum; ac Merlinum Vatem pariter celebrem in Anglia testantur historiæ, quidquid sit de veritate facti; nihilominus generatio hæc non dicetur Dœmonis, sed hominis: cùm solùm transferat Dœmon in vas Mulieris decisum ab homine semen; & puer sic conceptus erit verus filius hominis, non Dœmonis. Vide Divum Thomam *in 2. distint. 8. quæstion. 1. articul. 4.* Et Durandum ibidem *quæstion. 2.*

Conjunctio naturalis, sed indebito modo facta; 3
seu Congressus inordinatus tunc habetur, quando servantur quidem identitas speciei, diversitas sexus, & apta naturæ organa; sed non servatur naturalis, ac debitus concumbendi modus: ut si vir succumbat, & mulier incumbat; vel si ambo sint à latere, vel sedendo, aut stando; denique si vir accedat ad Mulierem retro instar pecudum, quamvis in vase debito. Qui quidem congrediendi modi sunt contra naturam præscribentem congressum aptum ad generationem debito modo.

Conjunctio naturalis indebito modo facta grave 4
peccatum erit, si habeatur periculum frustrandi finem à natura intentum ob generationem: ut si tanta esset inordinatio in modo congrediendi, ut semen deperderetur, quòd facilè putandum est evenire in homine succubo, & muliere incuba: ratio siquidem est, quia aperte frustraretur contra naturam finis generationis ab ipsa intentus. Si verò non habeatur tale periculum, cùm inordinatio conjungendi non sit tanta, ut possit generationem impedire, quamvis nulla habeatur necessitas taliter congrediendi; erit veniale peccatum grave in genere suo: eo quia licèt non sit contra naturam habentem jam finem suum, est tamen præter naturam. Si denique nullum adsit periculum impediendi generationem, & adsit necessitas sic inordinatè concumbendi, ut si Mulier esset prægnans, vel vir adeo pinguis, ut non posset aliter cognoscere uxorem suam; tunc nullum peccatum erit ob necessitatem, & causam justam. Sic Coninch *disputat. 34. dub. 9. numer. 80.* Reginaldus *libr. 31. numer. 335.* Henriquez, Sanchez, Filliuccius, & alii apud Bonacinam *de Matrimon. quæstion. 4. punct. 13. numer. 2.*

SEPTI-

SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non furtum facies.

ET DECIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non concupiſces rem Proximi tui.

CONJUNGUNTUR etiam paſſim à Doctoribus hæc duo Præcepta, quia eamdem reſpiciunt Materiam; quamvis Septimum omnem injuſtam actionem damnificativam Proximi prohibeat; Decimum verò omnia deſideria injuſtè damnificandi proximum: explicato igitur Septimo remanet & Decimum explicatum. Per Septimum Decalogi Præceptum prohibetur omnis injuſta Proximi damnificatio in ſuis bonis, quæ tribus modis accidere poteſt: 1. per Furtum, & Rapinam. 2. per Omiſſionem reparationis damni illati. 3. per contractus iniquè initos, ideò priùs abſolvemus ea, quæ ad Furtum, & Rapinam ſpectant; poſteà quæ ad Reſtitutionem; denique quæ ad Contractus attinent.

QUÆSTIO XIX.

DE FURTO, ET RAPINA.

NOMINE furti accipitur hìc non ſolùm quæcumque injuſta rei alienæ acceptio, verùm etiam quæcumque injuſta retentio: cùm injuſta retentio moraliter accepta furtum ſit. Plura autem de Furto exagitari ſolent, quæ per ſubſequentia capita declarabimus.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Furtum? Quidve Rapina? Et qualia peccata?

1 *Definitur Furtum, & explicatur Definitio.*
2 *An qui abſente Domino perfringit fores ejus domus, ut inde aliquid auferat; furtum committat, an Rapinam?*
3 *An auferens rem vidente Domino, ſed non contradicente; furtum committat?*
4 *Definitur Rapina propriè dicta, & à furto contradiſtincta.*
5 *Ex genere ſuo tam Furtum, quàm Rapina gravia peccata ſunt, licèt levia eſſe poſſint ratione parvitatis materiæ.*
6 *Rapina ſpecie differt à furto, & eſt circumſtantia aperienda in confeſſione.*

1 DEFINIRI ſolet Furtum ex communi Theologorum ſententia duce D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 3. Occulta, & injuſta rei alienæ ablatio invito rationalibiliter Domino. Explicatur per ſingula verba: dicitur occulta, ut diſtinguatur à Rapina, quæ ſpecie differt à Furto, nam Rapina apertè fit, & cum violentia. Dicitur injuſta, ut diſtinguatur ab occulta ablatione rei per jocum, vel in bonum ipſius Domini: ut ſi Uxor auferat peccunias à Marito, ne eas ludis, & commeſſationibus diſſipet; aut librum hæreticum, vel vinum, aut gladium, ne eum legat, inebrietur, aut occidat. Dicitur ablatio rei alienæ, quia auferre rem ſuam, vel quam putat eſſe ſuam, non eſt furtum; dummodo tamen non ſit aliquo juſto titulo penes alium, ut ſi eſſet oppignorata, accommodata &c. tunc enim furtum committeretur, cùm auferat ab alio ſecuritatem, & uſum rei accommodatæ. Dicitur denique invito rationabiliter Domino, nam ſi non eſſet invitus, vel ſi invitus eſſet, ſed irrationabiliter, ut in compenſatione juſta debiti aliter non recuperabilis, aut in accipiente cum extrema neceſſitate quantum ſibi ſubveniat; utique furtum non committetur.

2 Petes 1.: an qui abſente Domino perfringit fores ejus domus, ut inde aliquid auferat; furtum committat, an rapinam? Reſp. furtum committere, non rapinam: & ratio eſt, quia licèt inferat damnum Domino in bonis, non infert tamen illi injuriam in perſona, cum ſit ignorans, & abſens. Sic Molina *diſput.* 267. *dub.* 4. & Bonacina *quæſt.* 8. *de Furto punct.* 1. *numer.* 1.

Petes 2. an auferens rem Domino vidente, ſed non 3
contradicente furtum committat? Reſp. ſi Dominus videat, ſed non contradicat ob metum, aut verecundiam; furtum committitur, ſumendo hoc in ſenſu paulo laxiori ut conſtat *ex leg. penult. ff. de Furtis*, quia cenſendus eſt invitus. Si verò videat, & nullo intercedente metu, aut verecundia taceat; furtum non committitur, cùm non reputandus ſit invitus: ut colligitur *ex cap. Error. diſt.* 23. ubi dicitur: Error, cui non reſiſtitur, approbatur: & ſic docent Navarra *lib.* 3. *de Reſtit. cap.* 1. *num.* 379. Sylveſter *verb. Furtum quæſtion.* 1. Azor. 3. *part. lib.* 5. *cap.* 11. & alii apud Sanchez *in oper. Moral. lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 11.

Rapina propriè accepta, & prout contradiſtincta à 4
furto definiri ſolet: Ablatio rei alienæ per violentiam: nam licèt in reliquis conveniat Rapina cum furto, per violentiam tamen diſtinguitur ab illo, & fundat ſpeciem à furti ſpecie diverſam, ac in confeſſione aperiendam. Ut autem talem ſpeciem fundet Rapina, duo requiruntur, unum quòd Dominus rei ablatæ ſciat auferri, alterum quòd actualis violentia illi inferatur; quæ non importantur à furto, cùm ſufficiat ad furtum, quòd aliquid auferatur à Domino injuſtè abſque violentia, & ipſo inſcio. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 4. & 9. Cajetanus *ibidem*, Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 12. *dubit.* 1. *num.* 6. & Molina *tom.* 4. *diſp.* 683.

Tam Furtum, quàm Rapina ſunt ex genere ſuo pec- 5
cata mortalia juxta communem ſenſum Doctorum cum D. Thoma *l. c. art.* 6. ſunt enim contra Juſtitiam, & contra Septimum Decalogi Præceptum, dicente D. Paulo *ad Corinth.* 1. *Neque fures Regnum Dei poſſidebunt*: ratio autem eſt, quia ex genere ſuo ſunt contra Charitatem Dei, & Proximi, cui damnum infertur. Et quamvis furtum non ſit gravius peccatum cæteris, quæ in Proximum committuntur, cùm ſit minus adulterio,

terio, occisione &c. juxta quem sensum explicat D. Thomas *l. c. illud proverbior, 6. non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit*; ideſt, non est grandis culpa habito respectu ad adulterium, de quo in eodem loco agitur; nihilominus ex genere suo grave peccatum est, ut constat ex dictis. Dixi ex genere suo, quia potest esse veniale ratione parvitatis materiæ, aut quia prudenter censetur Dominus non invitus quoad substantiam, etiamsi invitus censeatur quoad modum, ex eo, quia res, quæ accipitur, non petatur ab ipso quam ultro daturus esset. Quapropter culpam mortalem non committunt Uxores accipientes aliquid occultè à suis Conjugibus; Filii à suis Parentibus, aut Avis; Nepotes à suis Patruis, vel Avunculis; Amici ab Amicis benignis, ac liberalibus; quando prudenter existimantur res illas concessuri ob justas causas, quamvis inviti reputarentur quoad modum: nec ulla intali casu urgeret obligatio restituendi, cùm non retineatur res accepta invito. Sic Rebellus 1. *par. lib. 3. quæst. 5. sect. 3. n. 3.* citans Navarrum, & Cajetanum. Sic etiam Molina, Clavis Regia, Filliuccius, Sà, & Antonius Gomez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in partic. disp. 2. quæst. 8. pun. 1. n. 6.*

Et quamvis furtum magnum, & parvum non distinguantur in genere furti specificè, distinguuntur tamen sic in genere moris: nam circumstantia, quæ facit actum peccaminosum mortaliter, sine qua talis non esset actus; mutat speciem in genere moris: ut rectè probat Navarrus *in Summ. cap. 17. n. 3.* si ergo furtum magnum attingit peccatum mortale, & privat vita æterna, quod non attingit furtum parvum; specie differunt ingenere moris.

6 Rapinam specie differre à furto, & inducere obligationem aperiendi eam in confessione, ita ut non explicet peccatum suum, qui rapuit, dicens furatus sum ac gravius peccatum esse præ furto; doctrina est passim recepta à Theologis Moralibus, & meritò, quia ait habet D. Thomas 2. 2. *quæst. 66. art. 9.* majorem injuriam infert Domino, qui rapit, quàm qui furatur adeoque magis invitus censebitur Dominus in rapina, quàm in furto: per rapinam enim datur involuntarium in Domino per violentiam, & injuriam illatam in rebus, & in persona ipso sciente; per furtum verò datur involuntarium in Domino per ignorantiam, ac ipso nesciente, & infertur injuria Domino in rebus tantum: quapropter quamvis cætera sint paria, gravius peccatum erit rapere centum à Domino, & quidem specie distinctum, quàm furari illa centum ab eodem.

CAPUT II.

Quæ Quantitas requiritur ad peccatum mortale furti? Et quomodo peccet, qui minuta furta committit?

1 *Mensura Magnitudinis, & Parvitatis Moralis furti est judicium Prudentum.*
2 *Non eodem modo discurrendum de Magnitudine quantitatis simul ablatæ, ac ablatæ paulatim per parva furta, & longo temporis intervallo.*
3 *Ea quantitas simul ablata magna censetur, & sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ consideratis omnibus infert grave damnum proximo.*
4 *Considerari etiam debent aliæ circumstantiæ à prudenti Confessario, quæ augere, vel minuere possint quantitatem furti; dummodo pertingens ad unum aureum magna, & grave peccatum regulariter sit.*
5 *An furtum ex se veniale possit ratione notabilis circumstantiæ fieri mortale?*
6 *An parvitas Materiæ semper sit eadem in rebus?*
7 *Quid dicendum de iis, qui minuta furta committunt?*
8 *An furripiens notabilem quantitatem ab eodem Domino per parva furta, si quando ultimum furtum committit complens gravitatem materiæ immemor sit furtorum præcedentium; mortaliter peccet?*
9 *Quid requiritur ad moralem continuationem parvorum furtorum?*
10 *An plures auferentes quid leve ab eodem Domino quæ pluria levia integrent quantitatem notabilem; graviter peccent?*

VARIÆ sunt sententiæ, quæ circumferuntur à Doctoribus ad taxandam quantitatem pro peccato mortali furti requisitam; ex quibus aliquæ nimis scrupulosè procedunt, aliquæ verò nimis laxè: sed longum esset eas recensere. Ut autem clariùs, & distinctiùs in hac difficili materia procedamus ob tantam Opinionum varietatem præmittenda sunt nonnulla. 1 Præmittendum igitur 1. Mensuram Magnitudinis, & parvitatis moralis esse judicium Prudentum, ac Peritorum; itaut si omnes Prudentes conveniant in hoc, quòd talis materia furti sit magna, & grave peccatum tunc moraliter evidens est, eam esse Materiam Magnam. Si verò aliqui Prudentes innixi suis rationibus putent, hanc materiam esse magnam; quamvis non deſint alii æquè Prudentes, qui ob suas rationes reputent, esse parvam; tunc materia non erit evidenter, sed probabiliter magna. Si denique prudentes plures, & peritiores existiment hanc materiam magnam; licèt aliqui nec plures, nec peritiores judicent eam parvam tunc erit materia probabiliùs magna.

Præmittendum 2. non eodem modo discurrendum 2 esse de Magnitudine quantitatis simul ablatæ, ac ablatæ paulatim per parva furta, & cum magno temporis intervallo. Nec eodem modo discurrendum, si auferatur ab eodem Domino, ac si à diversis Dominis auferatur: quia diversimodè infertur damnum, quod patiuntur Domini; ideoque diversam Magnitudinem requirunt, ac diversam inducunt obligationem restituendi.

Præmittendum 3. quantitatem magnam simul ablatam, quæ sufficiens sit ad peccatum mortale furti; communiter censeri eam, quæ omnibus consideratis infert grave damnum Domino, vel eum notabili utilitate privat. Sic Sayr. Navar. Lessius, Molin. Filliuc. Vasq. quos refert, & sequitur Bonac. *de Restit. in partic. disp. 2. quæst. 8. pun. 1. n 7.* Sed quia ex furto non idem damnum sequitur respectu omnium; ideo distinguunt communiter quatuor Genera personarum. 1. est illorum hominum, qui familiam splendidè alunt; & respectu horum sufficiens erit ad materiam gravem furti unus aureus: eo quia licèt unus aureus non noceat notabiliter iis quoad victum, nocet tamen quatenus inservit ad alendam familiam suo statui convenientem. 2. genus est illorum, qui vivunt ex suis redditibus, nec indigent arte ad sui sustentationem, ut sunt Communes Divites; & respectu horum quatuor regales circiter, seu quinque tareni constituunt materiam gravem furti: quia quatuor Regales sufficiunt illis ad competentem victum unius diei circiter, non enim assignari potest in hac materia mensura Mathematica quantitatis. 3. genus illorum, qui vivunt opera, & labore suæ artis; & respectu horum materia gravis furti erunt duo Regales circum circa: quia & possunt esse pretium laboris unius diei, & ad victum unius diei comparandum sufficientes. 4. denique genus est illorum, qui ex mendicato vivunt, & sic se sustentant & respectu horum materia gravis furti erit unus regalis: cùm possit illis inservire ad sustentationem unius, vel duorum dierum, his præmissis.

Apparet jam statuta communior regula assignata à 4 Doctoribus ad dignoscendum detrimentum notabile, quod respectivè infertur Dominis attento eorum statu; ex qua deducitur magna quantitas ad peccatum mortale furti sufficiens. Quamvis in hac eadem regula assignata aliæ circumstantiæ considerari possint, quæ minuant, vel augeant quantitatem, quæ prudentis Confessarii judicio ponderandæ erunt: ideo laudati Doctores Covarruvias *lib. 1. Var. cap. 3. n. 11.* Sylv. *verb. Furtum quæst. 2.* & Joannes Medina *de Contract. quæst. 10. in fin.* docuerunt, quantitatem furti ad mortale peccatum pertingendum relinquendam esse arbitrio Prudentis Viri, qui attentis, & consideratis locis, personis magis, vel minùs divitibus, eam statuet. Adnotat tamen, Cardenas *in Dissertationibus propositionum damnatarum ab Innocentio XI.* ultimum terminum peccati mortalis in furtis debere esse unum aureum: quia eo ablato supponitur graviter læsum jus cujuscumque Domini, vel Dominorum; adeoque cum ex dictis non possit arithmetica regula taxari in hoc, juxta hanc attentis omnibus prudens Confessarius judicium suum dirigere poterit. Quæ doctrina locum habet in Europæ partibus, & non comprehendit furta filiorumfamilias.

Quæres 1. an furtum ex se veniale possit fieri mor- 5
tale

tale ratione notabilis damni, quod Domino infert, vel alterius notabilis circumstantiæ? Resp. affirmativè: sic si acus à Sartore, vel setæ à sutore furto ablatę sint, modò fur sciat alias non habere artifices illos; grave peccatum erit; & ratio est, quia licèt res illæ in se minimæ sint, ratione tamen gravis damni illati; ac detrimenti illorum artificum, magnum quid evadunt. Non nego tamen, hoc peccatum furti non esse mortale formaliter in genere furti, cùm non auferatur quantitas notabilis, in se enim minimæ sunt res illæ; sed in genere injustæ damnificationis, cujus est causa furtum illud rei minimæ. Sic Suarez, Toletus, Navarra, Lessius, Navarrus, Sanchez, quos refert, & sequitur Fagundez *in 7. Decal. præcept. lib. 7. cap. 2. n. 2.* Idem dicendum ratione notabilis alicujus circumstantiæ: ut si ex furto rei minimæ scias Dominum ob iracundiam blasphematurum esse, vel facturum perjuria, aut alia peccata gravia, vel magnam tristitiam, ac notabilem passurum: ut si fructum ex planta auferas, quam Dominus suis manibus excoluit, & ipsi est apprimè cara. Sunt etenim peccata gravia non contra Justitiam, sed contra Charitatem; cùm teneamur ex Charitate vitare peccata mortalia proximi, & ne simus ipsi causa peccandi. Sic Rebellus, Lopez, Sayrus, Navarrus, Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. in partic. disp. 2. quæst. 8. pun. 1 n. 8.* Sic etiam peccata gravia erunt non ratione furti, sed sacrilegii, si absque contemptu auferas parum Olei Sacri, ut infundas in tuam lucernam; vel Agnum e Sacra Cera compactum fureris, ut candelam efficias ad studendum: quia licèt res parvæ sint, ratione tamen injuriæ factæ, ac irreverentiæ rei speciali modo sacræ, convertendo illam ad prophanos usus; sacrilegium erit, Quamvis tale non sit in parvis furtis candelarum benedictarum, aut sacrarum vestium; sed tantùm veniale peccatum: ut docent Rebellus *1. par. lib. 3. cap. 1. n. 11.* Rodriquez *in Summ. cap. 148. n. 3.* & Sà *verb. Sacrilegium n. 1.*

6 Quæres 2. an parvitas Materiæ semper sit eadem in rebus? Resp. negativè: variari siquidem potest pro varietate conditionum; & ea, quæ tali tempore, & loco erat parva, potest evadere magna, & ad peccatum mortale sufficiens: & ratio est, quia una eademque res modò plus modò minùs pretii habet, ac valoris non solùm ob penuriam, vel abundantiam; verùm etiam ratione loci: sic fructus in campis, & ab arboribus pendentes minùs estimantur, magis verò si domi sint, aut in foro vendantur: quapropter non semper materia ad parvam, vel magnam quantitatem furti constituendam erit eadem; sed modò major, modò minor requiritur juxta circumstantias augentes vel minuentes rei valorem, ac estimationem: ut benè notarunt Rebellus *1. part. quæst. 15. sect. 4. num. 37.* Molina *disp. 686. num. 11.* & Lessius *lib. 2. cap. 12. dubit. 8.*

7 Quid dicendum de iis, qui minuta furta committunt? Ut autem distinctiùs respondeamus in re tam obvia, operæ pretium erit, varias distinguere positiones. Dico igitur 1. qui furatur minima cum animo majora furandi successivè; mortaliter peccat: & ratio est, quia furripere notabilem quantitatem est peccatum mortale, ut certum est penes omnes, ergo etiam peccatum mortale erit, velle illam furripere, cum velle furripere, ac furripere sint ejusdem malitiæ; ergo furripiens parva cum animo furripiendi successivè majora, mortaliter peccat. Sic D. Thomas *2. 2. quæst. 66. art. 6. ad 3.* quem communiter cæteri Doctores sequuntur.

Dico 2. qui furatur parva absque animo furripiendi majora, & notabiliter nocendi, si nondum furta illa pervenerint ad notabilem quantitatem; non Committit peccatum mortale: & ratio est, quia illa furta neque seorsim, neque collectivè accepta sunt notabilis quantitas, & notabile damnum, neque ex objecto, neque ex materia; ergo per illa non committitur grave peccatum. Secus tamen dicendum, si ad notabilem quantitatem pervenerint: Posito quòd illa faciens saltem cùm ad ultimum pervenit; advertat illud unà cum præcedentibus esse gravis damni illativum. Et ratio est, quia illa parva furta licèt seorsim accepta non sufficiant ad notabilem quantitatem constituendam; simul tamen, & collectivè accepta ob moralem continuationem constituunt illam, & grave damnum proximo inferunt, ac eum notabili utilitate privant. Opposita sententia damnata fuit ab Innocentio XI. & est *38.* inter damnatas à se, quæ sic ait: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Ex ea namque maxima sequebantur absurda: cùm injusti venditores aliquid modicum sæpe sæpius subtrahentes ab emptoribus sive dolosis ponderibus, sive injustis mensuris possent ditescere usque ad summum absque peccato mortali, & absque onere restituendi, quo nil perniciosius bono Communitatis, & Reipublicæ.

Dico 3. qui furatur parva ab eodem Domino cum brevi temporis intervallo, & eodem animo superiùs explicato mortaliter peccat, cùm pertingit ad eam quantitatem, quæ respectivè ad personas superiùs explicatas notabilis est, si tota simul auferretur: & ratio est, quia idem detrimentum patitur Dominus, cùm brevis illa interpolatio eadem reputetur, ac si simul evenirent furta. Secus tamen dicendum, si parva fiant eidem Domino cum longo temporis intervallo, majorem siquidem quantitatem requirunt ex superiùs assignatis; & ratio est, quia minùs ægrè ferunt Domini, & minus detrimentum accipiunt; si minima ab ipsis furripiantur longo intervallo, & cursu temporis, quàm si simul eadem quantitas furripiatur. Sic Dominus molestè fert, si ab eo octo regales furripiantur simul, aut spatio dierum octo; quàm si furripiantur ad longum tempus, scilicet per obolos quinque singulis Mensibus. Sic Sanchez, Navarrus, Graffis, Rebellus, Lessius, & Rodriquez, quos refert, & sequitur Cardenas *Dissert. 23. prop. damnat. cap. 3. art. 4. n. 113.*

Dico 4. si parva furta fiant diversis Dominis, major quantitas requiritur ad peccatum Mortale, quàm si fiant eidem Domino: & ratio est, quia quò plures sunt Domini, minus detrimentum patiuntur, quo pauciores majus: quapropter semper habendus est respectus ad plures, vel pauciores Dominos in hac quantitate assignanda, dummodo ultimus terminus quantitatis sit unus aureus, ut superiùs innui ex eodem Cardenas *loc. cit. num. 115.* qui refert pro hac sententia Sanchez, & Rebellum.

Quæres 1. an furripiens notabilem quantitatem ab 8
eodem Domino per parva furta, quando ultimum furtum committit complens materiam gravem, & notabilem, immemor autem furtorum præcedentium; an inquam peccet mortaliter? Resp. negativè: & ratio est, quia cum tale furtum ex se leve sit, versatur siquidem circa materiam levem, & ex ignorantia, & inadvertentia furtorum præcedentium voluntas operantis nullam habeat unionem, & connexionem cum illis; non est, unde desumat gravem malitiam; & si in hac ignorantia, & inadvertentia perseveret, non tenebitur ad restitutionem sub gravi. Sic Moya *tom. 1. tract. 6. disp. 4. de Restit. quæst. 4. §. 1.* qui testatur esse communem sententiam. Sicuti morraliter non peccat, qui post ablatam notabilem quantitatem à Domino dolet de tali furto commisso, & propositum habet restituendi, quamvis differat restituere non habens opportunitatem; & interim de novo levia furta committat non attingentia notabilem quantitatem: & ratio est, quia interrumpitur continuatio quantitatis præcedentis per mutationem voluntatis, pœnitentiam, ac firmum propositum restituendi. Sic Lessius, Rebellus, Filliuccius, quos refret, & sequitur Bonac. *de Rest. in partic. disp. 2. quæst. 8. pun. 2. n. 4. in fin.* Secus dicendum, si memor sit furtorum levium præcedentium, peccat enim graviter, dum furripit ultimam partem levem complentem summam notabilem, propter connexionem, ac unionem illarum partium inter se, de quibus est memor; & oppositum dicere est incidere in damnationem Innocentii XI. Si verò factus sit memor postea, licèt non graviter peccaverit, dum furripuit ob ignorantiam præcedentium; tenebitur nihilominus, dum factus est memor, ad restituendum sub mortali non solùm id, in quo factus est ditior; verùm etiam reliquas partes consumptas, cùm ex pluribus levibus obligationibus in eodem ordine continuatis consurgere possit obligatio gravis, ut latè probat pluribus rationibus, ac paritatibus Cardenas *super propositiones damnatas ab Innocentio XI. Dissert. 23. cap. 3. articul. 2. num. 87.* referens Sanchez, & Cardin. Delugo.

Quæ-

9 Quæres 2, quid requiratur ad moralem continuationem parvorum furtorum? Resp. sufficere voluntatem, & animum ea continuandi sive brevi, sive longo temporis intervallo; itaut dum perveniunt ad notabilem quantitatem juxta superiùs explicata, & respectivè ad diversum Personarum genus, statim confient quantitatem notabilem inducentem obligationem sub gravi ad restituendum. Quòd si interrumpatur voluntas, & animus sive per pœnitentiam, sive per firmum propositum non committendi de cetero cum voluntate restituendi ablata, cessat moralis continuatio juxta superiùs dicta. Si tamen furripiantur res parvæ, licèt non habeatur animus continuandi, quamvis paulatim deveniatur ad summam notabilem; recidit doctrina à nobis superius assignata. Quando enim ultimò completur quantitas notabilis, vel habetur memoria furtorum parvorum antecedentium, & talis memoria sufficiens erit ad moralem unionem; vel non habetur, & tunc non habetur moralis unio actu, sed habebitur cùm primò recordabitur fur præcedentium furtorum, & habebit pariter obligationem restituendi sub gravi. Hæc omnia colligo ex Doctoribus supra citatis.

10 Quæres 3. an plures auferentes quid leve ab eodem Domino, licèt omnes integrent quantitatem notabilem; mortaliter peccent? Resp. si ex communi consensu auferant, graviter peccabunt singuli, & per consequens tenentur sub mortali ad restitutionem in integrum; ratio est, quia singuli cooperantur ad damnum notabile, quod Domino infertur; & ab ipsis injustè retinetur summa illa notabilis; aliunde damnum est individuum, nec est major ratio; cur unus teneatur, quàm alius; inde est, quòd singuli teneantur in integrum. Si verò non ex communi consensu, sed unus inscius parvi furti alterius, & sic de singulis, magnam quantitatem furripiant ex parvis furtis singulorum coalescentem; nec mortaliter peccabunt, nec obligabuntur ad restitutionem sub gravi: ratio est, quia singuli neque ut una causa, neque ut consortes cooperati sunt ad damnum grave alterius, ergo non dicuntur formaliter damnum grave inferre, & per consequens nec mortaliter peccabunt, nec habebunt obligationem singuli restituendi in integrum, sed unusquisque pro parte sua. Sic Lessius, *lib. 2. cap. 12. dub. 9. n. 52.* Molina *disp. 689.* Sotus *lib. 4. de Just. quæst. 7. art. 3.* Sanchez *in Summ. lib. 7. cap. 21. n. 22.* & alii, qui ampliant doctrinam hanc ad eum, qui furatur rem levem, quamvis sciat, ab eodem Domino ablatam fuisse ab aliis quantitatem notabilem: ut si quis racemum uvæ furetur ab eadem vinea, à qua ablata fuerit ab aliis magna quantitas racemorum, quod ipsi furi notum est, quamvis non fuerit consors, nec causa talium furtorum levium; & idem dicendum, si magna quantitas ab uno tantùm ablata fuerit. Sic Sanch. *l. c.* Navarr. *de Restit. lib. 2. cap. 1. num. 44.* & Vasquez 1. 2. *disp. 146. cap. 2.* Nihilominus talis ampliatio rejicitur à Suarez, Rebello, Sayro, Turriano, Salonio, Navarro, Medina, & aliis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. in partic. disp. 2. quæst. 8. pun. 2. n. 6. in fine*: & ratio est, quia quilibet sciens tenetur præcavere damnum notabile proximi; & dum scit notabilem læsionem proximi, tenetur sub gravi ad non ampliùs augendam illam sive in levi, sive in gravi: aliàs sequeretur, posse dominum spoliari omnibus fructibus vineæ suæ absque eo quòd ullus ex scientibus gravе damnum Domini teneatur sub gravi ad illud resarciendam ob injuriam levem à se illatam, quod est maximum absurdum. Nam scientia illa dat veluti moralem unitatem, sicuti superiùs dictum est de eodem fure, qui recordatur in ultimo furto levi complente magnam quantitatem furtorum antecedentium, quam moralem unitatem non dat ignorantia. Et ratio ulterior esse potest, quia qui furatur leve nesciens dominum damnificatum in materia notabili; supponit illum leviter invitum: e contra tamen sciens dominum damnificatum in materia notabili supponit illum notabiliter invitum, etiam si leve furetur. Obligatio tamen restituendi quamvis sit sub mortali, non erit tamen in integrum, sed secundùm partem ablatam, quia revera non est causa, aut occasio furtorum ab aliis commissorum, quamvis illa sciat.

CAPUT III.

An licitum sit furripere in necessitate?

1 *Duplex datur necessitas Gravis, & Extrema:*
2 *In extrema necessitate constitutus si furripiat quantum sufficit ad suam necessitatem sublevandam; non peccat, nec tenetur restituere.*
3 *An licitum sit aliquid furripere à Dominis ob succurrendum extremè indigenti?*
4 *An licitum sit extremè indigenti mori potiùs, quàm furripere alienum?*
5 *In gravi necessitate constitutus peccat juxta quantitatem gravem, vel levem, si alienum furripiat.*

1 DUPLEX necessitas considerari potest gravis scilicet, & extrema. Necessitas gravis illa dicitur, quando quis non habet necessaria ad statum suum itaut ad se alendum cogatur mendicare, aut munus aliquod exercere non conveniens suo Statui. Extrema verò illa est, quando quis nullatenus habet necessaria ad sustentationem, vel victum, & neque aptitudinem habet ad illa sibi comparanda, aut ratione gravis morbi, vel ratione periculi vitæ, in quo est constitutus. Sic passim explicant Doctores.

2 Dicendum 1. qui in extrema necessitate est constitutus, si furripiat quantum sufficit ad ejus extremam necessitatem sublevandam; non peccat, nec illicitè operatur: & ratio est, quia juxta vulgatum axioma necessitas extrema facit omnia communia; qui ergo furripit purè necessarium ad consulendum suæ extremæ necessitati, suum accipit. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 66. art. 7.* & alii passim sequentes illum. Neque dicas: in extrema necessitate non esse licitum mentiri, ergo neque alienum furripere. Non enim tenet consequentia, cùm non furripiat revera alienum sed suum accipiat: nam ratione extremæ necessitatis fit communis Domino, & extremè indigenti. Nec ex communi sententia allata infertur, licitum esse furtum in extrema necessitate, cùm furtum ex suis intrinsecis incohonestabile sit, ut est mendacium: quapropter bene probat objectio quoad hoc punctum; sed solùm asseritur ex communi sententia, furripere rem alienam in extrema necessitate non esse furtum. Ideoque rectè Innocentio XI. damnavit Propositionem illam 36. asserentem: *Permissum esse furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Cùm neque furtum permitti possit in extrema necessitate, non solùm in gravi. Vide Cardenas differentem super hanc Propositionem.

Adnoto 1. ex D. Thoma *l. c.* & ex communi Doctorum: non esse licitum furripere in extrema necessitate à Domino in pari necessitate constituto; cùm in hoc casu melior sit conditio possidentis, & contra jus ejus ageretur; nec esset tunc communis res illa. Adnoto 2. ex Lessio *lib. 2. cap. 12. dubit. 12. n. 69.* non posse Dominum impedire eum, qui in extrema necessitate accipit necessarium ad sibi subveniendum: & ratio est, quia utitur jure suo, & nemo in suo jure impediri potest; imò licitum erit sic extremè indigenti se defendere, & servato moderamine inculpatæ tutelæ impedientem occidere. Adnoto tandem ex communi Doctorum sic furripientem in extrema necessitate non teneri ad restitutionem rei acceptæ, etiamsi in meliorem devenerit fortunam si res ablata non fuerit magni pretii, & adhuc non extet: & ratio est, quia in tali necessitate constitutus suum accipit, & nemo adstringitur obligatione restituendi ob suam rem acceptam.

3 Quæres 1. an licitum sit aliquid furripere à Dominis ob succurrendum extremè indigenti? Resp. si furripiens ab aliis Dominis nil proprii habeat ad subveniendum extremè indigenti; poterit licitè, & absque peccato hoc efficere: & ratio est, quia si licitum est ipsi extremè indigenti hoc efficere, licitum quoque erit cooperari, & adjuvare eum in hac licita operatione, cùm hæc cooperatio nil addat contra jus Domini. Secus dicendum, si furripiens proprium habeat, quo ipse succurrere possit in extrema necessitate constituto: & ratio est, quia supponi debet Dominus rationabiliter invitus, cùm non magis communis sit cum extremè indigente res sua, quàm res furripientis; nec obliga-

obligatio Charitatis minùs urgeat ad ſubveniendum proximo extremè laboranti ipſum ſurripientem, quàm Dominum illum, à quo rem ſurripuit. Sic Medina *de Eleemoſyn. quæſt.* 5. Bonacina *de Reſtit. in Partic. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 3. num.* 8. cum aliis.

Quæres 2. an licitum ſit extremè indigenti cum periculo mortis imminentis mori potiùs, quàm accipere alienum? Reſp. ſi aliquis finis honeſtus haberetur tunc ab extremè indigente, ut eſset, nolle occidere Dominum rem illam injuſtè defendentem, aut quid ſimile; poſset permittere mortem ſuam licitè. Si tamen nullus finis honeſtus haberetur, teneretur ſub gravi ad conſervandam potiùs propriam vitam accipiendo alienum, quàm mori potiùs abſtinendo ab acceptione rei alienæ. Sic Bonacina *l. c. num. 7.*

Dicendum 2. qui eſt in gravi neceſſitate conſtitutus peccat juxta quantitatem gravem, vel levem, ſi alienum ſurripiat: & ratio eſt, quia accipit, & retinet injuſtè alienum; nam in neceſſitate gravi res non fit communis, ut fit in extrema; adeoque illam ſurripiens revera furatur, alienum ſiquidem accipit invito Domino, & tenebitur ad reſtitutionem ex re injuſtè detenta, ac injuſtè. Sic communiter Doctores, & ſic Innocentius XI. damnans oppoſitam Propoſitionem. Notandum hìc: quòd licèt Dominus rei teneatur ad ſubveniendum pauperi in gravi neceſſitate ex Charitate, non tenetur tamen ex Juſtitia: quapropter contra jus alterius facit, qui in tali neceſſitate conſtitutus alienum ſurripit. Et ſicuti indebitis ex ſola Charitate minimè licita eſt compenſatio, ita neque in gravi neceſſitate conſtituto licita erit ablatio rei alienæ. Vide Bonacinam *de Reſtit. in Partic. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 3. num.* 5.

CAPUT IV.

De Furtis Filiorum, Uxoris, Religioſorum, & Famulorum.

1 *Graviter peccat Filius ſurripiens notabilem quantitatem à Patrefamilias ex illis bonis, quorum poſſeſſio, & uſusfructus ad Patrem ſpectant.*

2 *Major quantitas requiritur ad peccatum grave furti pro filiis, quæ non requiritur pro famulis, aut extraneis reſpectu bonorum Patris.*

3 *Bona Filiorum alia ſunt Caſtrenſia, vel quaſi; alia Adventitia, alia Profectitia.*

4 *Ad quem ſpectant prædicta bona, ad filios ne, an ad Patrem?*

5 *An filius accipiens clam à Patre avaro quantum ſubminiſtrare ſolent Patres ejuſdem conditionis ſuis filiis; peccet peccato furti?*

6 *An peccet mortaliter filius, & ad reſtitutionem teneatur; ſi pecuniam à Patre datam ad libros emendos, aut alia neceſſaria eroget in fœminas, ludos, & compotationes?*

7 *An furta minima filiorum in eſculentis, & poculentis communi uſui deſervientibus, ſi continuentur ad longum tempus; attingant gravem culpam?*

8 *Uxor magnam quantitatem auferens furto à Marito è bonis ad ipſum ſpectantibus graviter peccat.*

9 *Non peccat Uxor, nec furatur, ſi inſcio Marito capiat, donet, aut alio modo conſumat quantitatem bonorum paraphernalium. Sed quid dicendum de bonis ſibi donatis à conſanguineis ſui Viri?*

10 *Graviter peccat Uxor, ſi ex fructibus ſuæ dotis magnam qnantitatem clam accipiat, & conſumat invito Marito.*

11 *Graviter peccat Uxor, ſi ex bonis communibus ſibi, & Marito, aut ex bonis propriis Mariti notabilem quantitatem accipiat.*

12 *Quænam accipere poſſit uxor inſcio marito abſque peccato furti?*

13 *Religioſus profeſſus connumerandus eſt inter filios reſpectu Domus Religioſæ. Et furtum ipſorum, ut mortale attingat; dignoſcenda erit quantitas à filiis parentum mediocriter divitum, non verò ditiſſimorum.*

14 *An quantitas ſufficiens ad peccatum grave furti in Religioſis ſufficiat ad peccādum contra Votum Paupertatis?*

15 *An Religioſus accipiens minima eſculenta, & poculenta ad proprios uſus ab extraneis ſine licentia graviter peccet, & Votum Paupertatis violet?*

16 *An Religioſus ſuam indigentiam Superiori aperiens, qui injuſtè deneget ſuccurrere; poſſit clam à Sæcularibus ſponte dantibus, vel à Monaſterio accipere, ut ſuæ indigentiæ ſubveniat?*

17 *Famuli ſive ſimul, ſive ſucceſſivè notabilem quantitatem furto auferentes à Dominis ſuis graviter peccant. Sed quid dicendum de parvis furtis circa eſculenta, & poculenta?*

FILIUS accipiens à Patrefamilias notabilem quanti- 1
tatem ex illis bonis, quorum poſſeſſio, & uſusfructus ſpectant ad Patrem; mortaliter peccat peccato furti, & ad reſtitutionem obligatur: ratio eſt, quia rem alienam in notabili quantitate accipit invito domino; & cum faciat contra jus alterius, obligabitur ad reſarciendum damnum illatum ex bonis propriis, ſi habeat. Conſonant verba *Proverb.* 28. *Qui ſubtrahit à Patre ſuo, vel à Matre; & dicit, hoc non eſſe peccatum; particeps homicidii eſt.* Sic Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 12. *dub.* 13. Vaſquez *de Reſt. cap.* 4. *§.* 2. *dub.* 6. *nu.* 40. Salonius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 3. Turrianus *diſp.* 33. *dub.* 1. *n.* 4. Navarrus, & alii apud Sayrum *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 13.

Adnotandum 1. majorem quantitatem requiri ad pec- 2
catum furti filiorum ex bonis patris, quæ non requiritur in furtis famulorum, aut extraneorum, habito ſemper reſpectu ad bona Patris, ejuſque conditionem, ac amorem, & indulgentiam erga filios: & ratio eſt, quia Pater non ſupponitur ita invitus in furtis filiorum, ut eſt in furtis famulorum, & extraneorum: ut bene advertit Reginaldus *lib.* 20. *cap.* 2. *nu.* 27. cum aliis Doctoribus. Quænam autem ſit hæc notabilis quantitas judicio prudentis viri taxanda erit, cum non poſſit aſſignari certa Regula pro omnibus; nam conſiderari debent in patre conditio perſonæ, quantitas bonorum, multiplicitas familiæ, & ſimilia. Leſſius, Filliuccius, & Navarra excuſant à culpa mortali filium accipientem à Patre prędivite tres aureos, quamvis eum damnent de culpa gravi, ſi majorem quantitatem accipiat.

Adnotandum 2. Bona filiorum alia eſſe Caſtrenſia, vel 3
quaſi Caſtrenſia, alia Adventitia, alia denique Profectitia. Bona Caſtrenſia ea ſunt, quæ filii acquirunt militando, vel quæ ratione militiæ eis traduntur, etiàmſi immobilia ſint. Ad hæc bona etiam reducuntur ea, quæ filii acquirunt in Palatio Regis inſerviendo Aulæ, vel habent ex donatione Regia. Quaſi Caſtrenſia ſunt, & dicuntur ea, quæ licèt non ſint acquiſita ex militia, gaudeant tamen Privilegio Caſtrenſium: ſic ſunt bona acquiſita à Filiis ratione alicujus Officii publici, quod exercent, Advocati, Notarii, Medicis, Lectoris Theologiæ, Juris Pontificii, vel Cæſarei, aut alicujus Artis ex ſeptem liberalibus. Ad hæc etiam quaſi Caſtrenſia reducuntur bona acquiſita à filiis ex Officiis, vel Beneficiis Eccleſiaſticis; imò bona Adventitia acquiſita à filiis Clericis poſt Clericatum gaudent etiam Privilegio quaſi Caſtrenſium, ut docent Graſſis, Navarrus, Reginaldus, Leſſius, Molina, Turrianus relati à Bonacina *de Reſtit. in Partic. diſput.* 2. *quæſt.* 10. *pun.* 1. *num.* 1. Bona Adventitia ea ſunt, quæ filii acquirunt aliunde, quàm à Patre, vel ex bonis, & cauſa Patris: ſic ſunt bona acquiſita à filiis ſuo labore, & induſtria; aut jure hæreditario à Matre, vel ab avis maternis, dummodo non ſint Caſtrenſia; vel ea acquirunt ſuo labore, dum ſunt ſub patris poteſtate, & ab eo alimenta recipiunt. Sic Sylveſter *verb. Peculium* 1. *quæſt.* 12. *num.* 12. Bartolus, & alii apud ipſum; ſic etiam Molina alios referens *diſp.* 234. Bona denique Profectitia ea dicuntur, quæ dantur filiis intuitu Patris principaliter. Ad hæc revocantur ea bona, quæ à patre aſſignantur filiis ad Ordines Sacros in Patrimonium, & filiabus in dotem, vel cauſa Nuptiarum, quamvis hæc computanda ſint, quando hæreditas partienda erit: ut docent Molina *tom.* 1. *diſp.* 233. & Sayrus *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 18.

Adnotandum 3. Bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtren- 4
ſia ſpectare ad filios quoad dominium, & uſumfructum, ac liberam adminiſtrationem, non verò ad Patrem: quapropter filii accipientes è bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus nec furtum committunt, nec aliquid reſtituere tenentur patri, cum non lædant jus ejus; ſpectant ſiquidem quoad Dominium, & uſumfructum, ac adminiſtrationem ad filios. Sic Graſſis, Navarrus, Reginaldus, Leſſius, & Molina citati. Bonorum verò Adventitiorum proprietatem habent filii; uſumfructum Pater *ex Leg. Cum non ſolùm Cod. de bonis, quæ liberis*, quapropter filii accipientes à Patre notabilem quantitatem ex fructibus bonorum adventitiorum peccant mortaliter peccato furti, & ad reſtitutionem tenentur, cum lædant jus Patris quoad uſumfructum. Bonorum denique Profectitiorum proprietas, & uſusfructus pertinent ad patrem, quamvis excipiantur

bona assignata à Patre filiis in patrimonium ob Sacros Ordines, & filiabus in dotem, aut causa Nuptiarum, quorum proprietas, & ususfructus spectant ad filios; ideo filii surripientes à Patre notabilem quantitatem bonorum Profectitiorum, & graviter peccant peccato furti, & ad restitutionem tenentur, quia invito patre jus ejus lædunt: *ut ex Leg. final. Cod. de bonis, quæ liberis*, colligunt Sanchez *lib. 6. de Matr. disp. 39. num. 7.* Lessius *lib. 2. de Just. capit. 4. dubit. 3.* & Molina *tom. 1. disp. 268.* cum aliis.

5 Quæres 1. an filius accipiens clam à patre austero, & avaro quantum subministrare solent, ac indulgent Patres ejusdem conditionis suis filiis; peccet peccato furti? Resp. negativè: & ratio est, quia licèt pater sit invitus, non est tamen rationabiliter invitus, cum non uniformetur erga filios cęteris patribus suæ conditioni æqualibus. Sic Salonius, Turrianus, & Sayrus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. in Partic. disp. 2. quæst. 10. punct. 1. nu. 6.* maximè si in recreationem honestam, & suo statui convenientem, aut eleemosynas, vel etiam ludos licitos expendat filius pecuniam à patre clam acceptam. Secus tamen dicerem, si eam luxuriosè impenderet, aut vitiosis ludis; tunc enim supponendus est pater invitus, & rationabiliter quidem.

6 Quæres 2. an filius consumens in fœminas, vel ludos, aut compotationes pecuniam sibi datam à patre ad libros emendos, aut alia necessaria; peccet mortaliter, si magna est quantitas, ac teneatur ad restitutionem? Resp. affirmativè: & ratio est, quia cum pater absolutè non dederit, sed cum restrictione ad tales usus, non alios; erit rationabiliter invitus, & resarciendum erit damnum ei illatum. Sic Navarrus *in Sum. capit. 27. num. 164.* Reginaldus *lib. 20. cap. 18. dub. 16. num. 126.* & Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 77.*

7 Quæres 3. an furta minima filiorum in esculentis, & poculentis non pretiosis quidem, sed ad communem usum deservientibus, si continuentur ad longum tempus, culpam mortalem attingant? Resp. negativè, si nec ad vendendum, nec ad illicitos usus accipiantur, sed tantùm ad famem levandam: & ratio est, quia pater non solet esse rationabiliter invitus quoad substantiam rei acceptæ, nec rationabiliter supponi debet, etiam si temporis decursu magna erit summa: quapropter cum usurpatio non fiat invito domino quoad substantiam rei acceptæ, nec grave peccatum erit, nec gravem inducet obligationem restituendi. Sic Sanchez *in Sum. lib. 7. cap. 21. num. 31.* & Moya *tom. 1. tract. 6. disp. 4. de Rest. quæst. 4. §. 3. num. 14.*

8 Uxor si magnam quantitatem furto à Marito auferat ex bonis ad ipsum maritum spectantibus, vel quorum administrationem, & usumfructum Maritus habet; peccat mortaliter, & ad restitutionem tenebitur, si absque expresso, vel tacito mariti consensu id efficiat, sive aliis donet, sive alio modo dissipet: & ratio est, quia alienum accipit invito rationabiliter Domino, ac damnum illatum resarcire tenetur ex bonis propriis, si habeat. Sic. D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. art. 1.* quem sequuntur communiter cęteri Doctores, quamvis conveniant, majorem quantitatem requiri ad furtum mortale Uxoris, ut dictum est de filiis præ furtis famulorum, & extraneorum.

Hac occasione sciendum: bona Conjugum alia esse ipsis communia, marito scilicet, & Uxori, alia verò propria mariti; alia denique propria Uxoris. Bona communia ea sunt, ut patet ex Jure Communi, quæ percipiunt Conjuges ex fructibus dotis, & arrharum; horum tamen bonorum ususfructus, & administratio ad Maritum spectat. Bona propria mariti ea dicuntur, quæ Maritus possidet ultra dotem Uxoris, ac donationem factam causa nuptiarum: sic sunt bona acquisita à marito per hæreditatem, aut propriam industriam, ac laborem absque juvamine dotis Uxoris. Bona denique propria Uxoris sunt dos, & bona paraphernalia; dos traditur marito ad sustentanda matrimonii onera, ad quem spectat administratio dotis, & ejus ususfructus. Paraphernalia verò sunt bona, quæ habet Uxor non titulo dotis, sed alio titulo vel hæreditatis, aut legati, vel alia industria extraordinaria præter eam, quam debet exercere in administratione domus: horum bonorum dominium, ac administratio spectat ad Uxorem, nisi ipsa committere velit marito. Sic Navarrus *in Sum. cap. 17. num. 151.* Graffis 1. *par. lib. 2. cap. 6.* & Molina *de Contract. disp. 274. num. 7.*

9 Hinc infertur 1. non peccare uxorem, nec furtum committere, si inscio marito capiat, donet, aut alio modo consumat quantitatem aliquam ex bonis paraphernalibus: eo quia non accipit alienum, cum talium bonorum dominium, ususfructus, & administratio ad ipsam spectent, nec in hoc mariti dominio subest. Sic communis Doctorum sententia. Dubitabis tamen: an absque peccato furti possit uxor consumere clam dando, vel alio modo expendendo ea bona, quæ sibi donata fuerunt etiam à consanguineis sui Viri? Resp. si ea sibi donata fuere absolutè, itaut sibi ea acquireret; nec peccare, nec furtum committere: cum dominium, & ususfructus ad ipsam spectent. Si verò non absolutè donata fuere, sed intuitu mariti; acquiruntur marito, & peccat, ac furtum committit Uxor, si invito marito de illis in magna quantitate disponeret, acciperet siquidem alienum invito domino. Si denique non constaret, sed dubium esset, an absolutè, an verò conditionatè, intuitu scilicet mariti donata fuerint illa bona Uxori à consanguineis mariti; præsumendum prudenter esset, donata fuisse intuitu mariti, ac ipsi marito acquisita fuisse. Sic juxta probabiliorem sententiam docet Sanchez *lib. 6. de Matr. disp. 26. num. 11.* Julius Clarus *§. Donatio, quæst. 10.* Mascardus *de Probat. concl. 564.* Molina *disp. 430. concl. 2. num. 5.* referens Gomezium, & alios.

10 Infertur 2. peccare graviter Uxorem, si ex fructibus suæ dotis magnam quantitatem accipiat clam, ac marito invito: & ratio est, quia administratio, & ususfructus bonorum dotalium ad Maritum spectat, adeoque læderetur ejus jus ab Uxore. Sic Bonacina *de Rest. in Partic. disp. 2. quæst. 10. punct. 2. num. 5.*

11 Infertur denique: graviter etiam peccare Uxorem, si ex bonis communibus sibi, & marito, aut ex bonis propriis mariti notabilem quantitatem accipiat: & ratio est, quia ususfructus, & administratio bonorum communium ad maritum spectat; sicuti etiam ad ipsum spectat dominium, ususfructus, & administratio bonorum propriorum; ergo læderetur graviter ejus jus, si ipso rationabiliter invito magnam quantitatem acciperet. Sic Sayrus *lib. 9. cap. 16.* Molina *de Contract. disp. 274. nu. 7.* Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 14.* & Turrianus *disp. 35. dub. 2.*

1 Quæres hìc: quænam accipere potest Uxor inscio marito absque peccato furti, & absque onere restituendi? Resp. posse accipere 1. ea, quæ ad honestam recreationem inserviunt, ad eleemosynam faciendam, aut ad *consuetas largitiones*; dummodo hæc non excedant statum sibi convenientem: & ratio est, quia tenetur maritus ad ministrandum uxori non solum ea, quæ spectant ad congruam sustentationem, victum, aut vestimenta; verùm etiam tenetur ad submistrandum ea, quæ pertinent ad recreationes honestas, decentes largitiones, & eleemosynas; ergo si ea accipiant, non supponendus erit maritus rationabiliter invitus, nec læsum jus ejus. Sic Molina *disp. 274. n. 7.* Lessius *l. c.* & Navarra *lib. 3. cap. 1. num. 83.* 2. accipere posse pecuniam ad ludendum secundum limites sui status, ac conditionis; nec qui in ludo lucratur pecuniam ab Uxore acceptam, tenetur ad restitutionem faciendam marito: quia si non tenetur mulier ob rationes superiùs allatas, qui lucratur non lædit jus mariti. Unum adverti potest in hac materia, quòd posset uxor peccare contra Charitatem, si ex ludo aliàs sibi licito orirentur rixæ, ac discordiæ inter ipsam, & maritum; tunc enim teneretur, quantùm fieri potest, ad tales rixas vitandas, & ad mutuam pacem servandam: ut docet Molina *l. c. 3.* accipere posse absque peccato ea, quæ moraliter, ac prudenter præsumitur concessurus maritus facilè, si rogaretur. Sicuti etiam eam pecuniam, quæ necessaria est ad emendum ea, quæ marito opus sunt, filiis, aut rebus domesticis: nam in his casibus non supponitur accipere contra voluntatem mariti, nec eum esse rationabiliter invitum; imò operari videtur ex ejus tacita facultate: ut tradit Turrianus *disput. 35. dubit. 2. num. 4.* 4. accipere posse quantum sufficit ad subveniendum in extrema necessitate constituto, etiam invito marito: & ratio est, quia irrationabiliter censeretur invitus maritus, si id prohiberet uxori, nam & ipse teneretur ad hoc, ut ait Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 14. num. 84.* 5. accipere posse quantum sufficit ad sublevandam egestatem Patris, aut Matris, vel filiorum ex alio Matrimonio susceptorum non solùm in iis, quæ necessaria sunt vitæ, verùm etiam statui, petita tamen priùs facultate à Marito, quam si denegaverit, poterit ea accipere clam, etiam marito contradicente: supponimus tamen uxorem

non

non habere bona paraphernalia, nec parentes, aut filios habere unde vivant ex suo: & ratio est, quia jus naturale dictat filiam alere debere parentes, & Matrem filios, si aliunde non habeant, unde vivant; Ergo maritus injustè prohibet, ne uxor talem obligationem exequatur. Sic Navarra *lib. 3. de Rest. cap. 1. num. 161.* Sayrus *lib. 9. cap. 16. num. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dubit. 14. n. 84.* & Molina *tom. 1. de Just. disp. 228.* Extendunt hanc doctrinam ad fratres, & sorores uxoris in necessitate, & miseria constitutos Lessius & Navarra, quos sequuntur Fagundez & Bonacina: quia etiamsi hoc non sit de jure naturæ, videtur tamen consonum esse Pietati erga Consanguineos debitæ. 6. non committere furtum uxores, si pecunias secreto accipiant à maritis prodigis, ebriis, dissipatoribus, ne in commessationibus, aut ludis disperdant, ut sic eas in familiæ usum convertant hoc enim esset utiliter agere mariti, ac rei familiaris negotium: ut docent Toletus *lib. 5. Summ. cap. 15. num. 3.* Navarrus *in Summ cap. 17. num. 154.* Sylvester *verb. Furtum §. 15.* & alii.

13 Religiosus Professus post Votum Paupertatis emissum in Religione approbata, quamvis jure communi careat omni dominio bonorum, tàm mobilium, quam immobilium non solum directo, verum etiam utili, usu fructu, &c. non ideo tamen inter servos, & famulos connumerandus erit, ut male nonnulli inter juris peritos putarunt; sed potius inter filios domus Religiosæ, ut constat *ex cap. litteris de Sepult. in 6.* quapropter de eorum furtis pari modo discurrendum erit, ac de furtis filiorum. Quia tamen domus Religiosæ ut plurimum Egenæ sunt, & Religiosi votum habent Paupertatis; ideo ad dignoscendam quantitatem, quæ sufficiens sit ad constituendum peccatum mortale furti in Religiosis; non habendus erit respectus ad filios ditissimorum parentum, sed potius ad filios parentum mediocriter divitum. Et quia ad furtum similium filiorum sufficit valor quinque argenteorum, ideo ad peccatum mortale furti Religiosorum sufficit talis valor, nisi certa alia taxa statuta sit ab ipsis domibus Religiosis. Sic viri doctissimi hac de re consulti existimarunt, ut testatur Sanchez *lib. 7. de Relig. cap. 21. num. 31.* Rebellus *lib. 3. de Just. part. 1. qu. 15. sect. 3. n. 22.* Graffis 1. *Part. decis. aur. lib. 3. c. 5. num. 51.* & Fagundez *in Decal. lib. 7. cap. 5. num. 2.*

14 Quæres 1. an eadem quantitas quæ sufficit ad peccandum moraliter peccato furti; sufficiat ad moraliter peccandum contra votum paupertatis in Religiosis, si aliquid absque superioris facultate sibi usurpent? Resp. affirmativè, eo quia eodem modo se habent accipere rem alienam invito domino per furtum, ac sibi eam usurpare invito superiore per voti violationem; ergo eadem quantitas, quæ sufficit ad furtum, sufficiens est ad voti violationem in Religiosis. Sic Doctores omnes Societatis Jesu teste Mol. *tom. 3. tract. 2. disp. 687. n. 2.* ac teste Bonac. *disp. 2. de Rest. in Part. quæst. 10. pun. 3. num. 5.*

Hinc fit: quod Religiosus accipiens sive simul, sive successivè, vel ab externis, vel ex bonis Monasterii, aut sibi approprians, aut dans externis quantitatem notabilem absque facultate suorum superiorum, graviter peccet peccato furti, & votum paupertatis violet. Sic expresse Sanchez *lib. 7. de Relig. cap. 21. num. 30.* & Fagundez *in Decal. lib. 7. c. 5. n. 5.* Si tamen per furta minima notabilem quantitatem accipiat ad proprium usum ex rebus esculentis & poculentis Monasterii, absque eo quod illa minima vendat, aut det externis; nec graviter peccat, nec votum paupertatis graviter violat: & ratio est, quia in esculentis, & poculentis minima furta ex bonis monasterii non continuantur, adeout ultimum minimum furtum complens quantitatem notabilem cum advertentia præcedentium det veluti unitatem ad unam quantitatem notabilem constituendam graviter peccaminosam; tum quia in istis esculentis & poculentis non solent esse ita inviti superiores, & facilè concederetur facultas, si peteretur; tum etiam quia in istis esculentis & poculentis furto ablatis à filiis non solent esse inviti patres, si ad proprios usus consumunt, & si essent inviti forent irrationabiliter tales; Ergo cum Religiosi inter filios connumerandi sint, non vero inter servos & famulos, quibus etiam hæc minima comestibilia ad proprios usus non prohibentur sub gravi, quando ad notabilem quantitatem perveniunt; nec graviter peccabunt, nec graviter violabunt paupertatis votum per talem continuationem furtorum comestibilium ad proprios usus. Sic Cajetanus *in Summ. verb. Furtum notab. 1.* Navarrus *in Summ. cap. 17. num. 138.* Sayrus *in Clavi Regia lib. 9. cap. 15. num. 27.* Navarra *lib. 3. de Rest. 3. par. cap. 1.* & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 12. num. 48.* Quòd si non ad proprium usum Religiosus clam acciperet hæc minima comestibilia ex bonis Monasterii, sed ut ea venderet, aut aliis daret extraneis; peccaret mortaliter, & Sacrilegium contra Paupertatem committeret, statim ac per ultimum furtum ad notabilem quantitatem perveniret, cum supponantur Superiores rationabiliter inviti. Sic Sanchez, Lessius, Navarrus, & Navarra *loc. cit.*

Quæres 2. an Religiosus accipiens minima esculenta, 15
& poculenta ab externis ad proprios usus absque tamen expressa, vel tacita Suorum Superiorum licentia: peccet mortaliter, & Votum Paupertatis violet? Resp. si Religiosus acciperet ab externis hæc minima per furtum, & ipsis invitis, statim ac perveniet ad notabilem quantitatem per ultimum furtum & graviter peccabit, & graviter Paupertatis Votum violabit, ut patet: tum quia Superior esset omnino invitus, & contradiceret; tum quia ad observantiam septimi Præcepti Decalogi magis adstringuntur præ Sæcularibus Religiosi, ut bene notat Sanchez *lib. 7. de Relig. cap. 21. num. 35.* Si tamen ea minima ab externis non invitis, sed sponte dantibus acciperet absque facultate Superioris, discurrendum eodem modo est, ac de minimis comestibilibus acceptis clam à Monasterio. Imò Sanchez citatus requirit majorem quantitatem simul acceptam ad peccatum grave à Sæcularibus sponte dantibus præ accepta à Monasterio cum in hac soleant esse magis inviti Superiores, non verò in illa à Sæcularibus sponte tradita.

Quæres 3. an Religiosus, qui suam indigentiam Su- 16
periori aperuit, possit necessaria clam accipere à Monasterio, vel à Sæcularibus sponte dantibus ad sibi subveniendum, si Superior deneget injustè succurrere ei? Resp. affirmativè: & ratio est, quia habet jus sibi succurrendi datum à natura; aliunde Superior scit ejus indigentiam, & non subvenit; ideo non censendus erit rationabiliter invitus. Sic Navarrus, Molina, Sanchez, Azor. Sayrus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in Part. disp. 2. quæst. 10. pun. 3. numer. 3.* Dictum est de necessariis, nam de superfluis non militat eadem ratio.

Famuli peccant mortaliter peccato furti auferendo 17
clam à suis Dominis notabilem quantitatem sive simul, sive successivè, cum accipiant alienum invito Domino, & tenentur ad restitutionem faciendam suis Dominis. Sic Navarrus *in Sum. cap. 17. n. 178.* & alii communiter. Dubium tamen est de parvis furtis commissis ab ipsis circa esculenta, & poculenta, quæ progressus tempori notabilem quantitatem excedant: an inquam ob talem excessum mortaliter peccent, & ad restitutionem teneantur? Resp. si successivè continuent hæc parva furta comestibilium ad proprios usus, dummodo non dent ea aliis, aut vendant, vel ludis consumant, nec graviter peccant; nec ad restitutionem tenentur: & ratio est, quia Domini in his non supponuntur inviti quoad substantiam, licet aliquando inviti sint quoad modum: modus autem ea accipiendi clam contra voluntatem Domini non sufficit ad mortale constituendum, cum aliunde non sit invitus Dominus quoad substantiam. Sic Navarrus *l. c.* & alii Doctores superiùs citati de his furtis filiorum, cum pariter discurrant de Famulis. Controversia tamen esse potest de esculentis, & poculentis extraordinariis: an in quam parva furta in his commissa coalescant in materiam notabilem, & sufficientem ad peccatum mortale? Resp. coalescere: & ratio est, quia in his supponuntur, & sunt inviti rationabiliter Domini tum quoad substantiam, tum quoad modum. Indicium autem ad hoc comprobandum esse potest, quia servari soleant sub clavi, nec sunt patenter exposita domi: ut rectè ex Layman, Escobar, & Lessio adnotat Busembaum *lib. 3. tract. 4. cap. 1. de Furto dub. 2. nu. 9.*

QUÆSTIO XX.

DE RESTITUTIONE.

EXPLICATIS iis, quæ ad Furtum, & Rapinam spectant; remanent explicanda, quæ ad Restitutionem attinent; ut sic omnis injusta Proximi damnificatio resarciatur, quod etiam intenditur per hoc Septimum Decalogi Præceptum.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Restitutio; & quomodo necessaria ad salutem?

1 *Explicatur quid veniat nomine Restitutionis.*
2 *Restitutio est actus Justitiæ.*
3 *Non cujuscumque justitiæ, sed Commutativæ. Et explicatur quotuplex sit justitia?*
4 *Sola violatio justitiæ Commutativæ inducit obligationem restituendi.*
5 *An Magistratus, Princeps, vel alius Superior conferens Dignitatem, vel Officium Digno, relicto Digniore teneatur ad Restitutionem?*
6 *Restitutio est necessaria ad salutem necessitate Præcepti.*
7 *An Præceptum restituendi sit potius negativum, quam positivum?*
8 *An Restitutio, Solutio, & Satisfactio differant inter se?*

1 RESTITUTIO, si vis nominis spectetur; nihil aliud importat nisi repositionem in statu pristino: quapropter ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. restituere nihil aliud est, nisi iteratò aliquem statuere in dominio, vel possessione rei suæ. Hinc infertur, Restitutionem, de qua agimus, esse actum Justitiæ Commutativæ ad salutem necessarium necessitate Præcepti, quo res accepta restituitur, vel reparatur damnum proximo illatum per injuriam.

2 Claritatis gratia explicantur singula. Et 1. Restitutionem esse actum Justitiæ, quia scilicet ad Justitiam pertinet, unam ex quatuor Virtutibus Cardinalibus, quæ unicuique debitum per æqualitatem tribuit; adeoque radix Restitutionis non erit quævis læsio proximi v. g. contra Charitatem, Pietatem, aut alias Virtutes, in quibus non habet proximus jus, quod violetur; sed ea tantum læsio, quæ est contra Justitiam, in qua propriè infertur injuria, videlicet læditur aliquod jus, quod proximus in re, vel ad rem, in qua damnum patitur. Hæc autem læsio variis modis effici potest, furando scilicet, defraudando, destruendo, rem alterius negligenter conservando, occidendo, mutilando, detrahendo, infamando, conviciando, & similibus.

3 2. Restitutionem esse actum Justitiæ, non cujuscumque sed Commutativæ. Ideo sciendum: Justitiam aliam esse Generalem, seu Legalem; aliam Particularem. Justitia Generalis, & Legalis illa dicitur, quæ respicit bonum Commune, seu jus Communitatis, ad quod conservandum Princeps Jura, & Leges condit; adeoque hæc Justitia Generalis duo importare videtur, ut ait Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 61. *art.* 1. unum ex parte Principis, jus scilicet condendi Leges ad bonum commune servandum; aliud ex parte subditorum, obligationem videlicet reddendi debitam Obedientiam Legibus. Particularis verò Justitia illa est, quæ respicit bonum particulare personale, cujus proprium est reddere cuique ad æqualitatem, quod ei debetur; exercetur autem hæc justitia inter membra particularia Communitatis. Insuper Justitiam aliam esse Distributivam, Commutativam aliam. Distributiva illa dicitur, quæ constituit æqualitatem totius ad partes secundum merita partium, & qualitatem præmiorum distribuendorum; ideoque munus hujus Justitiæ erit Officia, Munera, Dignitates, & onera communia Reipublicæ, sicuti etiam & præmia ita suis partibus distribuere, ut habeatur respectus ad merita Personarum, & ad qualitatem præmiorum: quapropter Viro docto majora præmia debentur, ac Dignitates præ indocto; sicuti etiam Viro Nobili præ ignobili; ac militi strenuo præ ignavo. Commutativa ea dicitur, quæ non respicit merita Personarum, sed æqualitatem rei ad rem inter partes distinctas, & particulares ipsius Communitatis; quapropter munus hujus Justitiæ erit reddere unicuique, quod ei debetur sive ex contractu, aut quasi contractu emptionis, venditionis, donationis, mutuationis, locationis &c, aut ex delicto, furto videlicet, rapina, vastatione, homicidio, mutilatione, detractione, aut alia actione injuriosa: quod enim ex his modis debetur, stricte debetur. Addunt alii tertiam speciem Justitiæ, quam vindicativam vocant, cujus munus est servare æqualitatem in pœnis infligendis pro delictis, habito respectu ad pœnas & delicta; Verùm si vindicatio comparetur cum reo, non est actus Justitiæ, cum ipse non exigat vindictam, sed potiùs involuntariè illam sustineat. Si comparetur ad Judicem infligentem pœnam est actus Justitiæ Commutativæ, cum ex vi sui Officii conductus sit à Republica, & obligetur ad puniendos malefactores: ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 208. *art.* 2. *ad* 1. Si denique comparetur Vindicatio respectu Offensi, qui vindictam exigit; vel non est actus Justitiæ, nisi per similitudinem, cum damnum factum per vindictam non reparetur, sed integrum manet, & ad justitiam propriè dictam requiritur satisfactio damni ad æqualitatem. Et ita docuerunt Sotus *lib.* 3, *de Just. qu.* 3. *art.* 1. Molina *tract.* 1. *de Just. disp.* 12. *in fin.* & Layman *lib.* 3. *Sum. sect.* 5. *cap.* 4. *in fin.* Vel si est actus Justitiæ, quia moraliter reparatur damnum per vindictam, quod passus est offensus; spectat ad Justitiam commutativam: ut putarunt Rebellus *de Oblig. Just. lib.* 1. *qu.* 3. *sect.* 4. Valentia *disp.* 5. *quæst.* 1. *pun.* 1. *in fin.* & Castropalaus *de Just. in genere disp. unic. pun.* 4. *num.* 1.

Ex his prænotatis clarè colligitur: Restitutionem esse actum solius Justitiæ Particularis Commutativæ, non verò Legalis, Distributivæ, aut Vindicativæ: & ratio est, quia Restitutio facienda est ad æqualitatem rei ad rem, quæ debetur nullo habito respectu ad Personas, & earum merita, & qualitates, quod est proprium solius Justitiæ Commutativæ: ut docent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 6. & alii.

Hinc infertur, solam Violationem Justitiæ Commuta- 4
tivæ inducere obligationem restituendi; non verò violationem Justitiæ Legalis, Distributivæ, aut Vindicativæ, nisi violatio earum importet simul violationem alicujus juris spectantis ad Justitiam Commutativam. Sic Judex non impediens furtum, quod impedire potest; peccat contra Justitiam: quia tenetur ex Officio conservare bonum Commune, ad quod se obligavit ex contractu cum Republica; adeoque tenetur ad Restitutionem non ex vi Justitiæ Legalis, sed Commutativæ: ut bene docent Sayrus *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 15. *num.* 7. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 1. *dubit.* 3. *num.* 11. Idem dicendum de illo, cui à Principe, Republica, aut alio legitimo Superiore impositum est ex Officio, ut bona Communia, præmia, spolia, eleemosynas, dotes, & similia juxta qualitatem Personarum, merita, indigentiam, eruditionem, aut alias circumstantias præscriptas distribuat Civibus, Militibus, pauperibus, Studiosis, Puellis, & similibus; graviter enim peccat, si materia est notabilis, & ad Restitutionem tenetur non ex violatione Justitiæ Distributivę, sed Commutativæ, si ea non distribuat juxta qualitates præscriptas; tum quia obligavit se ex Officio, veluti ex contractu; tum etiam quia Cives, Milites, pauperes, Studiosi, Puellæ acquisierunt strictum jus ex Mandato Principis, Reipublicæ, aut alterius legitimi Superioris ad bona illa pro qualitate præscripta accipienda, ac si cuilibet in particulari relicta, & assignata fuissent: & sicuti violaretur Justitia Cõmutativa, ut tradit Lessius *l. c. n.* 23. cum aliis passim, si non darentur bona cuilibet assignata in particulari; sic etiam in nostro casu si non distributa fuissent juxta merita singulorum, ac qualitates præscriptas.

Quæres hìc: an Magistratus, Princeps, aut alius Su- 5
perior conferens Officium, aut Dignitatem Digno, relicto Digniore, teneatur huic ad Restitutionem? Resp. non teneri: & ratio est, quia non violatur Justitia Commutativa, sed Distributiva: cum non habeat Dignior præ Digno strictum jus ad Officium illud, vel Dignitatem: supponimus enim

enim dignè, quamvis non digniùs administrare posse officium impositum. Teneretur tamen ad Restitutionem, si indignum, vel ineptum ad tale officium eligeret: & ratio est, quia est causa damni provenientis ex mala, ac inepta officii administratione, & qui est causa damni, damnum censetur inferre maximè quia ex officio tenetur Magistratus, aut Princeps, qui ob id tributa exigit à subditis, idoneos constituere Ministros ad munia obeunda. Sic Lessius, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in partic. disp. 1. quæst. 1. pun. 1. num. 13.*

Dices: Prælatus conferens beneficium digno, relicto Digniore, tenetur ad restitutionem, ut communiter habent Doctores in Tractatu de Beneficiis; Ergo idem dicendum de Magistratu, aut Principe conferente Officium, aut Dignitatem Digno, relicto Digniore. Resp. assignando disparem rationem: nam dignior in concursu beneficii habet strictum jus præ digno ad illud obtinendum ex jure Ecclesiastico præscribente, beneficia conferenda esse dignioribus; adeoque fit illi injuria contra Justitiam commutativam; secus verò dicendum in aliis materiis, in quibus Jura non ita præscribunt: nam si præscriberent, militaret eadem ratio.

6 3. Dictum est, Restitutionem esse necessariam ad salutem necessitate Præcepti. Quamobrem sciendum est, dupliciter aliquod necessarium esse ad salutem, vel necessitate Medii, vel necessitate Præcepti. Id dicitur necessarium necessitate Medii ad salutem æternam, quod ex Divina Institutione est medium per se ordinatum ad salutem æternam obtinendam per Dei gratiam, ita ut eo prætermisso sive ex ignorantia, sive ex alia causa salus æterna per Dei gratiam obtineri non possit, ut patet in Baptismo, & Pœnitentia. Necessarium verò necessitate Præcepti id dicitur, quod ex præcepto ponendum est, ne salus æterna, aut gratia Dei deperdatur; ita ut eo prætermisso ex ignorantia invincibili aut impotentia non impediatur salutis æternæ consecutio, nec gratie Dei: & sic cujuslibet Præcepti executio necessaria est. His declaratis clarè apparet, Restitutionem non esse necessariam necessitate Medii ad æternam salutem, cùm non sit medium per se intentum, & institutum à Deo ad salutem obtinendam per collationem gratiæ, & ea prætermissa ob justam causam ignorantiæ invincibilis, vel impotentiæ salus æterna obtineri potest, nec gratia Dei deperditur: ut docet Divus Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. quem passim sequuntur Theologi morales. Remanet ergo, quòd sit necessaria ad salutem necessitate Præcepti, ut constat ex variis Scripturę locis, in quibus ea præcipitur: *Tobiæ* 11. *Videte, ne furtivus sit, reddite eum Dominis suis; quia non licet nobis, aut edere ex furto quidquam, aut contingere Matth.* 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Pauli *Ad Roman.* 14. *Reddite omnibus debita.* Et Sanctus Augustinus relatus *cap.* 1. 14. *quæst.* 6. ait: *Si res aliena, propter quam peccatum est reddi possit, & non reddatur; pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*: si ut dictum est restitui possit. Necessitas autem ponendi Restitutionem præceptam probatur ex eo, quia abstinere à peccato est necessarium ad salutem, ne gratia Dei deperdatur; sed peccatum injustitię est rem alienam retinere invito Domino, aut non reparare jus lęsum proximi; Ergo necessitamur ad abstinendum à retentione rei alienę, & à non reparatione juris alieni lęsi: maximè quia jus ipsum naturale sicuti dictat, servandum esse jus uniuscujusque; ita dictat reparandum esse, si lęsum fuerit, ne commissa injustitia, & inęqualitas conservetur.

7 Petes 1. an Præceptum restituendi sit potiùs Negativum, quàm Positivum Resp. esse Positivum quamvis in Præcepto Negativo contineatur, & ob ejus observantiam latum sit: ratio est, quia illud Præceptum dicitur affirmativum, seu Positivum, quod aliquam positivam actionem præcipit ad differentiam Negativi, quod actionem positivam prohibet; sed præceptum restituendi primò, & per se rem positivam præcipit, nempe Restitutionem rei ablatę, solutionem debiti, satisfactionem damni illati, quę actiones positivę sunt; Ergo est præceptum Positivum, quamvis origenem trahat à Præcepto Negativo non furandi. Confirmatur: Præceptum hoc restituendi non semper, & pro semper obligat, sed pro opportunitate oblata, & sub quibusdam circumstantiis; Ergo non erit negativum, quod ex natura sua obligat semper, & pro semper. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 8. *ad* 1. Navarrus, Molina, Rebellus, Lessius, Layman, quos refert, & sequitur Castropalaus *de Just. Commut. disp.* 1. *pun.* 18. *§.* 1. *numer.* 6. Quamvis Medina, Angelus, Adrianus, & Navarra putarint, esse Negativum. Cajetanus verò, Valentia, Turrianus, & Filliuccius dixerunt, esse partim Negativum, partim Positivum.

Petes 2. an Restitutio, Solutio, & satisfactio differant inter se? Resp. quamvis ut plurimùm confundantur, & idem significent; nam qui restituit, solvere debitum dicitur, & obligationi satisfacere; sæpè tamen diversam habent significationem. Restitutio siquidem fieri solet pro re alterius injustè detenta, vel pro damno illato. Solutio pro debitis pecuniariis ex vi contractus. Satisfactio tandem pro debitis honoris, & famæ. Insuper satisfacere dicimur Deo pro peccatis commissis, quamvis respectu illius nulla sit propriè solutio, & restitutio. Sic Lessius *de Justit. lib.* 2. *cap.* 7. *dubit.* 4. *numer.* 17. Salonius 2. 2. *quæst.* 62. *artic.* 2. *controv.* 1. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 1. *cap.* 2. cum aliis. 8

CAPUT II.

Quænam sint Radices, ex quibus oritur obligatio restituendi?

1 *Explicantur tres Radices, ex quibus oritur obligatio restituendi.*
2 *Omnis Radix, ex qua oritur restituendi obligatio; supponere debet injuriam damnosam illatam sive materialiter, sive formaliter.*
3 *Tria inferuntur ex dictis.*

TRES communiter assignantur radices, ex quibus restituendi obligatio oritur, si restitutio latè accipiatur, pro redditione scilicet rei debitæ ad æqualitatem. 1
1. Radix est res accepta aliena, quando videlicet rem alienam apud te habes bona fide, nulla prævia injusta acceptione; aut rem alienam bona fide consumpsisti, ob quod factus ex ditior; obligaris siquidem ad restituendam rem Domino, statim ac cognoscis, esse alienam, sicuti pariter obligaris ad restituendum id, in quo factus es ditior, ut cognoscis rem alienam consumpsisse, & illud emolumentum percepisse; & quidem ex prima radice restitutionis, nempe ex re accepta. 2. Radix est injusta acceptio, seu damnificatio proximi, quando scilicet quis rem alienam injustè accepit, vel si eam non accepit, iniquè dissipavit, aut destruxit: ut esset vinum, aut oleum alterius dissipare per terram; segetes, aut sylvas comburere; tenebitur siquidem ad restitutionem faciendam, & obligabitur ad illam, si injustè rem alienam accepit tum ex re accepta, tum ex injusta acceptione; sed si eam non sibi accepit, sed dissipavit, aut destruxit iniquè, ex injusta acceptione tantùm: ut rectè adnotat Castropalaus *de Just. Commut. disp.* 1. *pun.* 18. *§.* 1. *num.* 2. *in fin.* 3. Radix est Contractus inter aliquas personas celebratus, ex eo namque nascitur obligatio restituendi. Et quamvis Rebellus, Lessius Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *nu.* 4. has tres radices assignent, ab ipsis tamen non discrepant D. Thom. Aragonius, Sayrus, Molina, & alii ab eodem Bonac. relati, qui primas duas Radices Restitutionis agnoscunt: nam hi Doctores loquuntur de Restitutione strictè accepta, prout scilicet importare videtur redditionem rei alienæ, sivè justè, sive injustè acceptæ, hoc est bonæ, vel malæ fidei; illi verò Doctores loquuntur de Restitutione largè accepta, videlicet de redditione rei debitæ ad æqualitatem. Quamvis ex triplici Radice huc usque explicata oriatur restituendi obligatio, hìc tamen agemus de prima, & secunda Radice, videlicet de re bona fide accepta, & de injusta acceptione, vel damnificatione; acturi postea in sequenti Quæstione de tertia Radice, nempe de obligatione restituendi, quæ oritur ex Contractu.

Omnis autem Radix, ex qua restituendi obligatio oritur; supponit injuriam damnosam illatam: diximus enim supra ex sola violatione Justitiæ, non cęteratum Virtutum nasci obligationem restituendi; adeoque si injuria damnosa non infertur, non nascitur talis obligatio restituendi: cùm Restitutio sit actus Justitiæ Commutativæ, quo debitum alteri redditur ad æqualitatem. Jam verò dupliciter inferri potest injuria damnosa, 2

materialiter scilicet, & Formaliter. Materialiter infertur, cùm quis bona fide accipit, retinet, vel destruit rem alienam. Formaliter verò cùm quis rem alienam mala fide accipit, retinet, vel destruit: Bonafides tunc habetur in accipiente, retinente, vel destruente rem alienam, quando prudenter judicat, rem esse suam, seu invincibiliter ignorat, esse alienam: nec sufficit ad bonam fidem ignorantia crassa, & affectata, ac vincibilis, malafides è contra tunc habetur, quando scit, rem esse alienam, vel si non scit, scire possit, ac debeat, sed non curat vincere talem ignorantiam, imò illam affectat. Sic Molina *tom. 3. tract. 2. disput. 720. num.* 4. Rebellus 1. *par. lib.* 2. *quæst.* 4. *numer.* 14. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 9. & Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 158.

3 Hinc infertur 1. quòd qui injuriam intulit sed non damnosam, ex qua scilicet nullum damnum alteri secutum sit; non tenetur in conscientia ad restitutionem, esto cogi possit à Judice ad satisfactionem præstandam pro injuria illata: ratio est, quia restitutio est reparatio damni illati, ergo si nullum secutum est damnum, nulla oriri potest obligatio ad reparandum illud. Infertur 2. quòd qui intulit injuriam damnosam materialiter, teneatur restituere sed tantùm id, quod ex re aliena extat adhuc; vel id, in quo ex re aliena factus sit ditior. Infertur 3. quòd qui intulit injuriam danosam formaliter, teneatur ad restitutionem, non solùm si res extet, verùm etiam si non extet; & quidem tantùm restituere tenetur, quantum est damnum illatum. Sic passim Doctores habent.

CAPUT III.

Ad quid teneatur inferens injuriam damnosam materialiter, seu possessor bonæ fidei?

1 *Possidens rem alienam bona fide tenetur ex Justitia statim ac conscius est, rem esse alienam, eam Domino tradere.*

2 *An bona fide possidens rem alienam, quam à fure; vel ab alio emit; possit exigere à Domino rei pretium à se solutum?*

3 *Qui bona fide rem alienam possidet, tenetur restituere Domino una cum re fructus ejusdem, si percepti sunt, & extent; sive naturales sint, sive industriales mixti cum natura, non verò merè industriales.*

4 *Consumens bona fide rem alienam, vel ejus fructus tenetur ad restituendum id, in quo factus est ditior.*

5 *Quisnam censendus est ditior factus ex re aliena?*

6 *Quid dicendum in dubio, an factus sit ditior ex re aliena?*

7 *Si res aliena casu periit, aut cum culpa possessoris putantis eam suam, ad nihil tenebitur.*

8 *Emens bona fide rem alienam, & eadem fide illam vendens æquali, vel minori pretio; ad nihil tenetur.*

9 *Utens bona fide re aliena, non usurus alia, si non haberet rem alienam, quam suam putat; non tenebitur ad restituendum pretium usus illius.*

10 *Qui bona fide rem alienam dedit, quam bona fide dono acceperat, si aliundè non daturus erat aliam; ad nihil tenebitur.*

11 *Ad quid teneantur consumens vestem alienam bona fide; comedens eadem fide apud amicum res alienas; milites bona fide militantes; & Celebrantes contractum bona fide, qui postea usurarius dignoscitur?*

1 DICENDUM 1. qui rem alienam bona fide possidet, & sic damnum materialiter proximo infert; tenetur ex justitia, statim ac conscius est rem esse alienam, eam Domino restituere: ratio est, quia accedente cognitione, quòd res aliena sit, incipit mala fides; ergo statim consurgit obligatio eam restituendi Domino suo, ne alienum detineatur invito Domino: sic enim posset quis locupletior fieri cum detrimento, & jactura alterius, quod est maximum absurdum contra *Regulam* 48. *Juris in* 6.

2 Dubitatur hìc: an qui rem alienam bona fide possidet, quam à fure, vel à quocumque alio emit; possit exigere à Domino, cui facienda est restitutio, pretium à se solutum? Responsio communis Doctorum est negativa, ut testatur Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 23. *nu.* 2. & meritò, quia sic Dominus rem suam emeret, quod est contra omnem æquitatem. Imò adnotant Doctores, quòd si nolit absque pretio rem Domino restituere, evadat *possessor* malæ fidei, & obligabitur ad omnia damna inde provenientia ratione iniquæ detentionis, quæ assimiliatur iniquæ acceptioni. Restituenda ergo erit res absque ullo pretio, quod confirmatur *ex Leg.* 2. *Cod. de Furtis*, *& ex Leg. si Mancipium* 23. *Cod. de rei vendicat.* nisi tamen empta fuerit titulo depositi, & cum circumstantiis, quæ demonstrent, utiliter gestum esse negotium Domini.

Dicendum 2. Possessorem bonæ fidei rei alienæ teneri restituere omnes fructus ejusdem rei, si percepti sint, & extent; sive hi fructus sint merè naturales, qui nullo ferè hominum labore indigent, ut fœtus animalium, fructus arborum, gramina, & herbæ camporum; sive sint etiam industriales, ad quos videlicet concurrit industria hominum simul cum natura, ut sunt Segetes, Vinum, Oleum; sive denique sint Civiles, ut sunt pretia provenientia ex locationibus domorum, jumentorum &c. deductis semper expensis propriis, ac æstimatione laboris insumpti. Excipiuntur tamen fructus meræ industriæ, qui potiùs provenire videntur ex industria, quàm ex re aliena. Ratio autem hujus obligationis deducitur ex eo, quia *fructus* superiùs dicti censentur facere unum cum ipsa re aliena, ex qua emanarunt; ergo si adest obligatio restituendi rem, adest pariter obligatio restituendi id, quod facit unum cum ea, maximè quia res Domino suo fructificare censentur. Sic passim Theologi apud Rebellus 1. *par. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 2.

Dicendum 3. qui bona fide rem alienam, vel ejus 4
fructus consumpsit, aut alienavit; tenebitur ad restituendum tantùm id, in quo ditior factus est: nam res accepta, & fructus inde percepti non extant, quia bona fide consumpti, & alienati; ut supponitur; ergo obligabitur tantùm restituere id, quod succedit eorum loco, nempe id, in quo factus est ditior: res enim, & fructus censentur æquivalenter remanere in eo, ergo ad id tantùm obligabitur, & non ad aliud: quòd si in nullo factus sit ditior, ad nihil obligabitur. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. quem sequuntur Cajetanus, Bannez, Aragonius, Navarrus, Rebellus, Rodriquez, Molina, Lessius, & alii apud Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 4.

Quæritur hìc 1. quinam censendus sit locupletior fa- 5
ctus ex re aliena? Resp. illum censeri factum locupletiorem ex aliena re, qui cessante bona fide cognoscit multa habere occasione rei alienæ, quę sine illa non haberet; aut multas expensas non feciisse, quas aliunde sine illa non facturus erat ex propriis rebus. Ubi adnoto, quòd res aliena debet esse ex se occasio, non verò per accidens, itaut potius sit effectus industriæ, quàm ipsius rei: sic comedens rem alienam, cùm aliunde comedere deberet rem propriam, dicitur per se factus ditior ex occasione rei alienæ; si verò ex occasione comestionis rei alienæ cum sociis ludat, & ex ludo reportet magnum lucrum; dicitur per accidens, & ex propria industria factus locupletior ex occasione rei alienæ. Quapropter in casu adjecto tenebitur quidem ad restituendum quantum insumere debebat ex comestione de re propia; non verò tenebitur ad restituendum lucrum ex ludo illo reportatum. Sic Sanchez *l. c. num.* 7. & alii communiter.

Quæritur 2. quid dicendum quando dubitatur: an fa- 6
ctus sit locupletior ex re aliena? Resp. si diligentia adhibita sit, & nihilominus dignosci nequit, an factus sit locupletior ex re aliena; censendum est, quòd non sit factus locupletior, & consequenter ad nihil tenetur: ratio est, quia conditio possidentis melior est; & aliunde, onus probandi, quòd commodum, & utilitatem reportaverit ex re aliena, spectat ad dominum rei cùm igitur non habeantur ut supponimus, rationes hoc probantes, præsumendum erit, non reportasse. Nec *Lex Cùm in debito ff. de Probation.* ubi asserimus, quod nemo præsumi debet res suas inutiliter consumere; est contraria: nam accidere potest casus, quòd consumserit bona fide vivendo lautiùs, & splendidiùs ex re illa, quod alioquin non fecisset, si eam non habuisset. Sic Sanchez, Rebellus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 7.

Hinc deducitur 1. quòd si res aliena casu periit, aut et- 7
iam cum culpa possessoris bonę fidei, qui eam suam putabat; non inducet ullam obligationem restituendi: & ratio est, quia res in hoc casu, neque in se extat, neque in alio æqui-

valen-

valenti, ex quo factus sit ditior bonæ fidei possessor; ergo non habetur radix inducens talem obligationem. Nec obstat, quòd res culpa ejus perierit: putabat siquidem esse suam, & sicuti si sua fuisset, ad nihil tenebatur ob talem culpam; sic ad nihil tenebitur, si aliena erit, dummodo putaverit, esse suam. Sic Navarra *lib. 3. de restit. cap. 4. par. 3. num.* 147. Molina *tom. 3. de Iustit. disp.* 720. *num* 4. Lessius *lib. 2. de Iustit. cap.* 14. *dubit.* 1. *num.* 7. Rebellus 1. *par. lib. 3. quæst. 4. num.* 13. Sayrus *lib.* 10. *cap. 2. num.* 4. Vasquez *cap. 9. de restit. §. 2. num.* 5. contra Sotum, Valentiam, & Navarrum.

8 Deducitur 2. qui bona fide rem alienam emit, & eadem bona fide alteri vendit æquali, vel minori pretio; ad nihil tenetur: ratio est, quia non est factus locupletior in aliquo; ergo non habet caput, unde consurgat restituendi obligatio. Secus tamen dicendum esset, si majori pretio vendidisset; teneretur ad restituendum illud pretii augmentum, in quo factus est ditior ex re aliena. Sic Rebellus *lib. 9. quæst.* 18. *numer. 9.* cum aliis.

9 Deducitur 3. qui bona fide utitur re aliena, non usurus alia, si rem alienam, quam bona fide putat esse suam, non haberet; non tenebitur ad restituendum pretium illius usus: sic qui equum alienum habet putans esse suum, & eo utitur in itineribus, à quibus abstineret, vel pedibus ea ageret, si equum illum non haberet; non tenebitur ad restituendum pretium locationis: ratio est, quia in nullo fit ditior. Secus dicendum, si in itineribus illis alieno equo usurus fuisset, aut alias expensas facturus esset; teneretur ad restituendum id, in quo factus est ditior. Sic Sanchez *in Oper. Moral. lib. 2. cap. 23. numer. 9.* & alii.

10 Deducitur 4. nec teneri ad restitutionem eum, qui bona fide rem alienam dono accepit, eamque alteri dedit, non daturus aliunde, nisi eam dono accepisset; vel eam, aut ejus valorem in ludos consumpsit, aliàs non consumpturus, si eam dono non habuisset: ratio est, quia in his, & similibus casibus bonæ fidei possessor in nullo factus est ditior. Secus tamen dicendum esset, si aliunde daturus fuisset ex proprio aliquod æquivalens rei alienæ; aut ex proprio consumpturus fuisset in ludos; tunc enim ad restitutionem tenebitur, utpotè factus ditior ex re aliena. Sicuti etiam tenebitur ad restituendum Domino rei bona fide acceptæ id, quod in remunerationem habuit à Donatario; etiamsi rem illi non dedisset, si eam bona fide donatam non accepisset, cùm censeatur ex hoc factus ditior. Sic Molina *tom.* 1. *disp.* 246. Vasquez *cap. 9. de restit. §. 3. num. 3.* Sanchez *in Oper. Moral. lib. 2. cap. 23. nu. 30.* & alii.

11 Deducitur 5. consumentem vestem alienam bona fide acceptam non teneri ad restituendum apparente Domino, nisi pretium vestis, quam sibi facturus erat juxta statum suæ conditionis. Comedentem bona fide apud amicum res alienas non teneri ad restituendum nisi pretium, quod domi suæ insumeret pro suo ordinario victu. Milites bona fide militantes, si postea certiores facti sint de belli injustitia; non teneri ad restituendum, nisi quod remanet ex præda facta, & in quo facti sint dictiores. Celebrantem contractum bona fide, & inculpata ignorantia, qui postea usurarius, vel alio modo injustus reperiatur; teneri ad restituendum tantùm rem extantem, & id in quo factus est ditior à tempore cognitæ injustitiæ. Sic Layman *lib. 3. tract. 2. cap. 3.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 23. num. 7.* Sayrus *lib.* 10. *tract. 2. cap. 2. num. 9.* & alii.

CAPUT IV.

Dubitans rem esse alienam tenetur ne illam, & fructus ex illa perceptos restituere?

1 *Dubium differt ab opinione, & quam diligentiam adhibere debeat dubitans?*
2 *Bona fide possidens rem alienam si dubitare incipiat, & sufficientem diligentiam adhibeat post dubium; poterit eam sibi retinere.*
3 *An æqualiter dubius an res sit propria, an aliena; teneatur ad aliquid restituendum?*
4 *An inæqualiter dubius, & præmissa diligentia magis inclinet in eam partem, quòd aliena sit; teneatur ad aliquid restituendum?*
5 *An possessor bonæ fidei, qui post dubietatem ortam poterat diligentiam adhibere, sed neglexit; impotens postea factus teneatur ad restitutionem?*
6 *An possessor bonæ fidei, qui dubitare incæpit; possit re uti, dum diligentiam adhibet ad veritatem inquirendam?*
7 *An dubitans rem esse alienam possit eam emere, vel alio titulo acceptare, à possidente illam bona fide?*
8 *Qui mala fide rem accipit, & dubitat esse alienam; tenetur omnem deligentiam aptare pro inquisitione veritatis, qua non comperta debet eam restituere iis, de quibus dubitat pro rata dubii.*
9 *Cui facienda sit restitutio rei mala ide acceptæ, de qua dubitatur; an aliena sit, sed ignoratur Dominus, ad quem spectat?*
10 *An dubitans rem aliquam furtivam esse, aut mala fide possideri; possit eam emere, aut dono accipere?*
11 *Dubitans rem esse suam, nequit eam auferre à possessore bonæ fidei, & si auferat tenetur ad integram restitutionem, ut possessor malæ fidei.*
12 *Primò occupans rem nondum ab alio possessam, si dubitet, an sua sit, an aliena; non poterit eam sibi totam retinere, sed partem illius pro qualitate dubii.*

AD clariorem intelligentiam hujus difficultatis præ- 1
mittenda sunt nonnulla. Et 1. dubium differre ab opinione: nam tunc habetur dubium, cum intellectus non valet potiùs se inclinare in unam partem, quàm in aliam, sed hæret anceps: sic in casu nostro non potiùs inclinat, quòd sit sua, quàm quòd sit aliena. Opinio verò tunc habetur, cùm intellectus perpensis rationibus pro utraque parte, potiùs adhæret uni, quàm alteri, licèt non ita firmiter, & certò adhæreat, ut non habeat formidinem de opposito. 2. dubitantem an res sit aliena, teneri adhibere debitam diligentiam ad inquirendum veritatem: nam si diligentiam non adhibeat, exponit se periculo retinendi rem alienam cum peccato: ut rectè adnotarunt Sylvester *verb. restitutio* 3. Azor. 3. *par. lib. 2. cap.* 19. *quæst.* 5. & Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disp.* 41. cum aliis passim. 3. eum, qui cœpit dubitare, an res sit sua, an aliena, & rectam fecit inquisitionem ad veritatem indagandam; justè posse postea retinere sibi rem illam, & consumere; imò si decursu temporis verus Dominus inveniatur, solùm tenebitur restituere ei rem, si extat, & id, in quo factus est ditior. Quòd si tamen diligentiam ad dignoscendam veritatem non fecerit post dubium ortum, apparente posteà Domino, non solùm tenebitur ad restituendam rem, & id, in quo factus est ditior; verùm etiam fructus consumptos à tempore, dubii orti, cùm incœperit ex tunc esse possessor malæ fidei, & peccare contra justitiam. Sic Molina *tom.* 1. *disp.* 63. *conclus.* 2. Sayrus *lib. 5. tract. 2. cap. 3. num.* 29. Rebellus *lib. 2. de restit. quæst. 5. nu. 9.* & Lessius *lib. 2. de Iustit. cap.* 14. *dubit. 4. num.* 23. His præmissis.

Dico 1. qui bona fide rem alienam accipit, aut possidet, 2
si posteà dubitare incipiat, an aliena sit, & adhibita, sufficienti inquisitione, non reperit alienam esse; poterit eam sibi retinere, consumere, aut vendere; dummodò habeat animum paratum ad restituendum id, in quo factus est ditior, si fortè verus Dominus appareat: & ratio est deducta *ex Regul. Iur. in 6.* quòd videlicet in dubiis melior sit conditio possidentis; & bona fide simul cum animo parato ad restituendum Domino id, in quo factus est ditior, si fortè apparebit post diligentem inquisitionem jam adhibitam; reddunt licitos actus illos retentionis, consumptionis, aut venditionis. Sic Doctores supracitati, & alii communiter. Unum adnoto in casu venditionis, quòd admonere debeat emptorem de hoc dubio: & ratio est, quia secus venderet rem alicui vitio expositam, & cum periculo patiendi damnum apparente Domino; nam periculum hoc minuit valorem rei. Sic Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Sanchez *in Summ. lib. 2. cap.* 10. *num.* 9. Rebellus *loc. cit. num.* 11. Lessius *loc. cit. num.* 13. Molina *tom. 3. disp.* 731. *num.* 4. Vasquez *de restitut. cap. 9. §. 2. dub. 3. numer.* 19. & Sà *verb. restitutio in fine.*

Petes 1. an qui æqualiter dubitat, an res sit propria, 3
vel aliena; teneatur ad aliquid restituendum? Resp. negativè: cum melior sit conditio possidentis, & pro æquali dubio standum pro possidente; hinc rectè infertur, Judicem in æquali dubio teneri parti possidenti favere. Sic Bonacina *de Restitut. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 5. & 6.

Petes 2. an si inæqualiter dubitet, & magis inclinet 4

præ-

præmissa debita diligentia investigandi veritatem in eam partem, quòd aliena sit; teneatur restituere? Resp. aliquos Doctores putare, teneri ad restitutionem juxta qualitatem dubii; aut rem dividere, si divisibilis sit; sin minus ad recompensationem faciendam juxta valorem dimidietatis: eo quia non est par causa supposita illa inclinatione, & conditio possidentis melior est in pari causa, non verò in dispari; ergo ratione talis disparitatis obligabitur possidens ad aliquid restituendum. Sic Salon, Bannez, Valentia, Sanchez, & Coninch apud Castropalaum *disp. 3. de Consc. dubia, punct. 2. numer. 10.* Quamvis hæc sententia probabilis sit, probabiliorem tamen reputo sententiam oppositam asserentem, non teneri ad aliquid restituendum, dummodo non sit certus moraliter, rem esse alienam, etiamsi probabilius ipsi appareat, esse alienam, modò, simul probabiliter judicet, esse suam: ratio est, quia possessio certa præponderat omnibus rationibus non convincentibus, nec generantibus assensum in partem oppositam, etiamsi in illam inclinent, aliàs possessio legitima non esset titulus sufficiens, sed inutilis, & onerosus. Et sicuti in foro externo non obligaretur quis in isto casu ad ullam restitutionem faciendam, neque obligandus erit in foro conscientiæ, cùm idem debeat esse judicium quando forum exterius non innititur falsæ præsumptioni: ut bene advertit Bonacina *de restitut. in gen. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 6.* qui hanc sententiam ut probabiliorem sustinet, & pro ea refert Vasquez, Salas, Aragonium, & Filliucium; Sic etiam Castropalaus *loc. cit.* qui etiam pro ea refert Covarruviam, Sanctum, Villalobos, Perez, & Sanchez se retractantem *in Decal. lib. 1. cap. 10. num. 9.* Notanda sunt tamen duo. Primum, quòd si talis res sub dubio possessa vendenda sit, monendus erit emptor de dubietate, si spes probabilis sit, quòd Dominus appareat juxta paulò superiùs dicta. Secundum quòd hæc sententia locum non habeat in debitis certò contractis, quando dubia est solutio: cùm possideat legitimè creditor, qui in dubia solutione, non privandus est suo jure contra debitorem; non enim servaretur æqualitas Justitiæ inter debitum certum, & dubiam solutionem; nec exceptio dubia potest excusare excipientem *ex Leg. Titiæ textores, ff. de legat.* Sic Sanchez, Vasquez, Sanctius, & Suarez ab eodem Castropalao relati *loc. cit. num. 14.*

5 Petes 3. an possessor bonæ fidei, qui post dubietatem ortam investigare poterat veritatem, sed neglexit, impotens postea factus ad eam investigandam obligabitur ex hoc ad restituendum? Resp. quamvis communior sententia obliget ad restitutionem: eo quia ob omissionem illam veritatis indagandæ factus est possessor malæ fidei, & infert damnum Domino, qui forsitan investigatione facta apparere poterat; adeoque tenebitur rem, & fructus pro qualitate dubii restituere Domino, vel eo ignoto pauperibus. Sic Molina *tom. 1. de Justit. tract. 2. disput. 36. conclus. 1.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 23. num. 183.* Salas *disp. unic. sect. 23. num. 238.* & Rebellus 1. *par. lib. 2. de restit. quæst. 5. num. 12.* Nihilominus ipse Rebellus licèt probabiliorem reputet, & tutiorem sententiam relatam; existimat tamen probabilem sententiam asserentem, non teneri ad aliquam restitutionem faciendam, nisi Dominus compareat; & ratio est, quia licèt peccaverit negligendo veritatis investigationem, non tamen constitutus est malæ fidei possessor, ad quod requiritur, quòd certus aliquando fuerit, rem alienam possidere; sed numquam factus est de hoc certior, ergo numquam à possessione bonæ fidei deturbatus est. Et ratio ulterior esse potest, quia licèt probabiliter inquisitione facta apparere poterat Dominus, poterat etiam probabiliter non apparere; sed quoties dubium est, an omissio alicujus actionis damnum intulerit Domino, vel non; non obligatur omittens ad restitutionem; cum damno dubio non debeat correspondere certa restitutio, ut docent innumeri Doctores; ergo in casu adiecto non tenebitur omittens diligentiam inquisitionis ad restitutionem. Rebellum sequuntur Castropalaus *de Conscient. dub. disp. 3. pun. 2. num. 9.* & Bonacina *de restit. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num. 8.* & alii apud Rebellum.

6 Petes 4. an possessor bonæ fidei, qui dubitare incœpit, an res aliena esset, dum diligentiam adhibet ad veritatem dignoscendam, possit ea uti? Resp. affirmativè, si res, de qua dubitatur, non sit usu consumptibilis, nec deterior ipso usu efficiatur; dummodo tamen habeat animum paratum ad solvendum pretium usus, detractis expensis factis, si fortè aliena esset: ratio est, quia in suppositione allata minimè censendus esset rationabiliter invitus Dominus, adeoque nulla illi injuria irrogaretur, cùm res integra perseveret, & pretium usus illi non denegetur. Secus tamen dicendum, si res usu consumptibilis esset, aut deterior efficeretur: nam exponeret se dubitans ad consumendam, aut deteriorandam rem alienam Domino invito rationabiliter, cùm integram rem suam posset accipere. Sic Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 41. num. 21.* Rebellus *lib. 2. de restit. quæst 5. nu. 10.* Vasquez 1. 2. *disp. 66. cap. 6. cap. 7.* & Sà *verb. restitutio.*

Petes 5. an dubitans rem esse alienam possit eam emere, 7
aut alio titulo acceptare à possidente illam bona fide? Resp. posse, dummodo ipse adhibeat diligentiam ad inquirendam veritatem, si jam non adhibita fuerit à possessore bonæ fidei, quem sit, talem esse: ratio est, quia si licitum est possessori bonæ fidei rem illam vendere, aut dono dare; licitum mihi pariter erit, eam emere, aut acceptare; succedo enim in bona fide ipsi possessori. Nec dubietas ad aliud obligat, nisi ad inquirendam veritatem per sufficientem diligentiam, si jam facta non fuerit. Secus dicendum esset, si certò mihi constaret, non bona fide ab ipso possessam esse alienam, aut mala fide ab ipso possideri; tunc enim illicitum esset eam emere, aut acceptare. Sic Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 23. nu. 177.* Molina *tom. 5. disp. 723. nu. 6.* Vasquez *l. c.* cum aliis.

Dico 2. qui mala fide rem accipit, & dubitat esse alie- 8
nam; tenetur ad omnem diligentiam aptandam pro inquisitione veritatis, qua non comperta debet rem restituere iis, de quibus dubitat pro rata dubii: ratio est, quia in dubio dum mala fides habetur, non est melior, nec suffragatur conditio possidentis, ergo non poterit eam sibi retinere, adeoque tenebitur eam dividere pro rata dubii inter eos, ad quos spectare dubitat: cùm non sit major ratio, cur uni potiùs tradenda sit, quàm alteri. Sic Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 14. dubit. 4.* allegans Cajetanum & Medinam, Sanchez *loc. cit.* Vasquez *de restit. cap. 6. §. 3. dub. 5. num. 32.* Molina *tom. 2. disp. 81.* Turrianus *disp. 13. dub. 3. nu. 25.* & Sà *verb. Restitutio nu. 52.*

Petes 1. cui facienda sit restitutio, quando dubitatur res 9
esse alienas, quæ mala fide habita est, sed omnino ignoratur Dominus, ad quem spectat? Resp. faciendam esse pauperibus, quia sic communiter interpretatur voluntas Dominorum, quando sufficienti diligentia adhibita reperiri non possunt. Sic docent Sanchez, Molina, & Lessius citati. Posset etiam fieri juxta decreta, & consuetudines locorum alicui pio operi, ut communiter dicitur de restitutione incertorum.

Petes 2. an dubitans rem aliquam furtivam esse, aut 10
mala fide possideri ab aliquo; possit eam emere, aut dono accipere? Resp. non posse? ratio est, quia exponeret se periculo accipiendi alienum invito Domino, quod minimè licitum est. Quòd si rem furtivam accipiat, aut emat tenui pretio cum animo adhibendi diligentiam sufficientem ad inquirendum Dominum, cui comperto restituat; tunc poterit rem accipere, & licitè emere, supponeretur enim in tali casu non invitus Dominus, cùm ejus negotium utiliter geratur; posset namque accidere, quòd aliter res ipsi non restitueretur. Quapropter poterit rem illam emens tenere, pretium jam impensum à Domino jam comperto exigere propter eamdem rationem, quòd utiliter ejus negotium gesserit; nec ex sua diligentia adhibita in utilitatem, & bonum Domini reportare debet detrimentum, ac incommodum. Non sic verò si æquali, aut majori pretio emerit; quia tunc non tenebitur Dominus ad integrum pretium solvendum, sed pro rata diligentiæ adhibitæ, nam non utiliter ejus negotium gessit. Sic Silvester *verb. Restitutio 3. quæst. 7.* Molina *tom. 3. disp. 721. nu. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 14. dubit. 4 num. 24.* & Sayrus *lib. 10. cap. 3. nu. 25.*

Dico 3. dubitans rem esse suam, non potest eam au- 11
ferre à possessore bonæ fidei, à quo si aufert; tenetur ad restitutionem integram faciendam tamquam possessor malæ fidei: ratio est, quia in dubio possessor bonæ fidei habet meliorem conditionem ex Regulis Juris; ergo alter habere nequit jus spoliandi illum possessione acquisita, nisi certò ipsi constet rem esse suam; adeoque si tantùm dubitat, rem esse suam; contra justitiam operatur auferendo illam invito possessore justè, ac bona fide; & ad restitutionem tenebitur, utpotè injustè spolians alium re, quam justè possidet. Sic Lessius *loc. cit. num. 25.* Rebellus 1. *par. quæst. 5. num. 9.* Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 4. num. 26.* Molina *tom. 3. disp. 723. num. 4.* Coninch *de Matr. disp. 38. dub. 10. num. 89.* & alii contra Medinam. Pari modo discurrunt Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 41. nu. 34.* Bonacina

de

de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num. 15. & alii de opinante rem esse suam, quam alter bona fide possidet : tunc enim non poterit licitè eam auferre à possessore bonæ fidei, nisi certò ipsi constet, esse suam, ut dictum est de dubitante, cum par militet ratio, quòd scilicet semper melior sit conditio possidentis bona fide, à qua licitè deturbari nequit, nisi certò constet deturbanti, esse suam. Quapropter jure optimo requiritur à Doctoribus in compensatione facienda certitudo, aliàs licitè fieri nequibit.

12 Dico 4. primo occupans rem aliquam, nondum ab alio possessam, si dubitet, suam esse, vel alienam; non poterit rem illam totam sibi retinere, sed solùm illius partem pro qualitate dubii insurgentis : ratio est, quia non potest illi favere bona fides, incœpit enim occupare, & possidere, cum dubietate, an aliena foret ; ergo conditio illius possessionis non videtur potior, & melior præ conditione alterius, de quo dubitatur ; ergo non poterit integram sibi retinere. Quòd autem possit sibi retinere partem pro qualitate dubii, probatur ex eo, quòd non debet esse deterioris conditionis præ illo, à quo antea non possidebatur : quapropter si inclinet magis in hoc, quòd aliena sit, debet majorem partem restituere ; si verò magis inclinet in hoc, quòd sua sit, poterit majorem partem sibi retinere ; si tandem æquè dubitet ad se spectare, vel ad alium, dividat pro medietate. Sic Sanchez, Vasquez, Coninch, Lessius, Rebellus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 2. num. 16.*

Petes hìc : an sic præoccupans rem à nullo possessam teneatur postea apparente Domino integram restituere unà cum fructibus, si fortè percepti sint ? Resp. affirmativè : & moveor, quia non solùm res Domino clamat, verùm etiam fructus inde percepti, cum res Domino fructificare soleat. Sic Bonacina *l. c.* cum aliis.

CAPUT V.

Ad quid teneatur inferens injuriam damnosam Formaliter, seu Possessor malæ fidei?

1 *Injuria damnosa formaliter semper supponit delictum commissum contra justitiam cum culpa Theologica.*
2 *Non solùm ex culpa Theologica mortali contra Justitiam oritur restituendi obligatio, sed etiam ex culpa Theologica veniali.*
3 *An qui fuit causa damni alterius ob culpam venialem tantùm ; teneatur ad resarciendum totum damnum illatum?*
4 *An talem Restitutionem facturus ob culpam venialem obligantem ad notabilem restitutionem ; teneatur eam facere sub gravi?*
5 *An dans operam rei illicitæ, & injustæ si damnum inferat nec prævisum, nec intentum, sed per accidens sequens, teneatur resarcire illud?*
6 *Explicantur ea, ad quæ tenetur inferens injuriam damnosam formaliter, seu possessor malæ fidei.*

1 INJURIA damnosa formaliter, de qua loquimur, supponit delictum, contra Justitiam commissum cum culpa Theologica, hoc est cum peccato sive mortali, sive veniali ; nam de culpa Juridica, seu de omissione debitæ diligentiæ, ob quam damnum sequitur alteri, erit alibi sermo. Ex qua injuria damnosa formaliter alteri illata oritur obligatio restituendi, & resarciendi ad æqualitatem tum jus læsum alterius, tum damnum, quod illi injustè illatum est, nisi aliter de damnificati mente, & consensu rationabiliter præsumi possit. Sic communiter Doctores.

2 Quòd autem non solùm ex culpa theologica mortali contra Justitiam commissa oriatur obligatio restituendi, verùm etiam ex culpa theologica veniali; patet ex eo, quòd sequeretur, auferentem paulatim magnam quantitatem non teneri ad restitutionem ; nam si primum furtum leve utpote veniale, non obligat ad restitutionem, neque obligabit secundum, & sic de reliquis quod est maximum absurdum ; ergo ex culpa theologica veniali contra Justitiam commissa oritur obligatio restituendi, non sub gravi quidem, si materia levis sit, sed sub veniali. Sic Navarra *lib. 2. cap. 1. num. 43.* Rebellus 2. *par. lib. 2. quæst. 10. sect. 4. num. 17.* Reginaldus *lib. 10. num. 74.* Bonacina *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. §. unic. num. 5.* & alii contra Sanchez, Lessium, Azorium, & alios putantes, non induci obligationem restituendi, si non adsit peccatum grave, præcisa semper obligatione Contractus, vel Officii.

Hinc fit 1. ubi nulla extat culpa commissa in damno illato, etiam gravi, nullam reperiri posse obligationem restituendi : & ratio est, quia restitutio cum sit pœna, supponere debet culpam ; ubi ergo nulla culpa est, ibi nulla pœna esse potest. Sic Rebellus 1. *part. lib. 2. quæst. 4.* Navarra *l. c. num. 47.* Lessius *lib. 2. cap. 7. dubit. 6. num. 26.* cum aliis : quapropter aperiens puteum, & ex oblivione non cooperiens absque culpa non tenetur ad restitutionem ullam faciendam ei, qui in puteum incidit, aut ejus equus, vel bos.

Fit 2. non obligari ex justitia ad restitutionem illum, qui damnum intulit cum ignorantia comitante : ut si quis invincibiliter Petrum occideret putans, revera esse feram, quem utique occidisset, si cognovisset, esse Petrum : ratio est, quia illa actio exterior homicidii ob ignorantiam comitantem non imputatur ad culpam, nec est injusta ; ergo nequit inducere obligationem restituendi ob homicidium commissum : esto non excuset à pravo illo affectu interno, quo Petrum occidisset, si eum cognovisset. Sic Navarra *lib. 2. cap. 1. nu. 61.* Molina *disp. 718.* Lessius *lib. 2. cap. 7. dubit. 9.* Reginaldus *lib. 10. tract. 1. num. 70.* & Turrianus *de Justit. disp. 11. dub. 3.*

3 Dubitabis 1. an qui fuit causa damni alterius ob culpam venialem tantùm, teneatur ad resarciendum totum damnum illatum? Resp. non teneri ad totum ; moveor, quia pœna debita jure naturæ, ut est restitutio, proportionari debet culpæ ; si ergo culpa levis est, non meretur adeo gravem pœnam, qualis est restitutio in integrum ; aliàs eadem pœna corresponderet inferenti damnum ex inadvertentia, & indeliberatione, ac inferenti voluntariè, & cum plena advertentia, quod est absurdum. Sic Reginaldus *lib. 10. tract. 7. num. 74.* Rebellus 2. *par. lib. 2. quæst. 10. sect. 4. num. 17.* & Bonacina *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 9.* Quòd si dubitetur : an culpa in damno illato fuerit levis, an gravis ; poterit obligari damnificator ad dimidium resarciendum ex Bonacina citato, non verò ad totum : movetur, quia nemo in dubio spoliandus est re sua, & semper conditio possidentis melior est ; ergo si dubium est, gravem culpam commisisse non debet certò gravari onere restituendi.

4 Dubitabis 2. an qui culpam venialem tantùm commisit in gravi damno illato, sed culpa illa adeo gravis est in genere suo, ut obliget damnificantem ad notabilem restitutionem ; teneatur ad talem restitutionem faciendam sub mortali peccato? Resp. quamvis Lessius, Navarra, & Filliuccius putarint, non teneri ad restitutionem sub gravi, semel ac culpa levis est ; nihilominus magis probabile videtur, teneri sub gravi ; & ratio est, quia præceptum restituendi rem notabilem obligat sub gravi, ex quacumque culpa Theologica oriatur obligatio restituendi rem illam notabilem, ut videre est in furante rem notabilem sive simul, sive successivè ; ergo si quis tenetur ad rem notabilem restituendam, etiam ex culpa levi commissa, obligabitur sub gravi ad talem restitutionem faciendam : aliàs sequeretur, retinentem rem notabilem invito Domino peccare leviter, quod non est dicendum. Sic Turrianus, Rebellus, Reginaldus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 10.*

5 Dubitabis 3. an dans operam rei illicitæ, ac injustæ si damnum inferat nec prævisum, nec intentum, sed præter ejus intentionem, ac per accidens sequatur ; obligetur ad resarciendum damnum illatum : ut si fur ingrediens alienam domum ad furandum nocturno tempore domum incendat præter suam intentionem? Resp. in conscientia non obligari ad restitutionem, ac ad reparandum damnum illatum : ratio est, quia damnum illatum per accidens, quamvis ex actione injusta sequatur ; imputari nequit ad culpam, cum nec volitum, nec prævisum sit ; ergo neque ad pœnam restitutionis. Consequentia tenet : quia pœna correspondere debet, ac proportionari culpæ ; ergo si in damno per accidens illato nulla est culpa, nulla erit & restitutionis pœna. In foro tamen externo si damnificatus expostulet apud Judices, ut damnum sibi illatum per accidens resarciatur juxta *Legem in Lege ff. ad Leg. Aquiliam* ; poterit licitè sibi retinere, quod per sententiam Judicis adjudicatum fuerit, sequendo præsumptionem fori externi ; quamvis damnificator in conscientia non teneatur, ut dictum est. Sic Navarrus *in Summ. cap. 17. num. 140.* Molina *tom. 3. disp.*

disp. 728. *num.* 2. Tamburinus 2. *par. lib.* 2. *quæst.* 10. *num.* 19: Lessius *lib.* 2. *dub.* 9. *nu.* 26. & Bonacina *de Restit. in gen. disp.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 3. *§. unic. nu.* 11. Adnoto tamen hìc ex Molina *l. c. nu.* 3. non extendi debere hanc doctrinam ad ea damna, quæ licèt non intendantur, sequi tamen solent ex tali actione illicita ut plurimum, & consequenter non censetur sequi per accidens. Sic fur nocte obscura ingrediens domum alienam, & pedibus in aliquod incidit, quod disrumpat, & frangat; utique tenebitur ad restitutionem, & resarciendum damnum hoc; cum ex tali actione ut plurimum similia damna sequi soleant, adoque non per accidens, & præter intentionem sequi censetur.

6 Statuto igitur quòd obligatio restituendi non solùm oriatur ex culpa Theologica mortali, verùm etiam veniali; inquirendum remanet, ad quid teneatur inferens injuriam damnosam formaliter, seu Possessor malæ fidei, in qua re distinctè procedendum erit.

Dicendum 1. Possessorem malæ fidei, seu inferentem injuriam damnosam formaliter teneri ad restituendum Domino rem, si eam habeat; quòd si non habeat, tenetur ad ejus valorem, vel aliam æqualem reddendam. Assertio est indubitata penes Doctores ob violationem Juris alterius, quod resarciri nequit, nisi per redditionem rei ablatæ, si extet; vel per ejus valorem, aut æquivalens, si non extet.

Dicendum 2. teneri insuper ad resarcienda omnia damna illata Domino ob injuriam formaliter damnosam: cum causans damnum culpa sua Theologica teneatur ad illud resarciendum, si jus alterius æquare velit, ac reducere ad pristinum statum: est etiam indubitata assertio penes Doctores.

Dicendum 3. teneri quoque ad reddendos fructus ex ipsa re injustè detenta provenientes; & omne id, in quo ex ipsa re factus est ditior, exceptis fructibus merè industrialibus; cum res tum in se, tum in suis fructibus Domino clamet, & pro illo fructificet: hæc certa sunt penes Doctores. Sicuti certum est, quòd si ille qui damnum patitur, habet jus in re, facienda sit restitutio in integrum, si in ea damnum patiatur. Si verò habet tantùm jus ad rem, facienda erit restitutio pro quantitate Juris, attentis, & consideratis circumstantiis omnibus: cum solidus, & integer rei valor non debeatur pro illa re, quæ sperabatur; est enim in spe, ac multis modis impediri potest.

CAPUT VI.

An teneantur ad Restitutionem Cooperantes ad damnum alienum?

1 *Recensentur novem Modi, quibus possit quis cooperari ad damnum alienum.*
2 *Qui positivè concurrunt ad damnificationem proximi aliquo ex primis sex modis, etiamsi participes non fuerint rei acceptæ; tenentur ad restitutionem.*
3 *Qui negativè, & indirectè concurrunt ad damnificationem proximi tribus ultimis modis; si obligantur ex Officio; tenentur ad Restitutionem.*
4 *An qui tantùm est occasio damnificationis proximi, non verò causa efficax illius, teneatur ad restitutionem.*
5 *An dubitans in sua actione, vel omissione cooperatus efficaciter sit ad alterius damnum; teneatur ad restitutionem.*
6 *An efficaciter cooperans, seu alio modo inferens damnum volenti, & consentienti teneatur ad restitutionem damni illati.*

1 VARIA hominum genera considerari debent, qui ad alterius damnum cooperari possint. 1. ille qui jubet, mandat ac præcipit damnum fieri. 2. qui consulit, fieri damnum. 3. qui consentit, ac suo consensu in damnum influit. 4. qui palpat, seu approbat, ac laudat damnificantem. 5. qui recipit, favet, ac securum reddit damnificantem ad se recurrentem. 6. qui participat, adjuvat, & Socius est criminis. Hi omnes positivè dicuntur ad damnum alterius concurrere, & directè. 7. qui Mutus est, videlicet qui tacet, cum ex Justitia loqui teneatur, & non tacere. 8. qui non obstat, cum ex justitia obstare, ac impedire teneatur. 9. qui non manifestat, & tenetur ex Justitia manifestare. Et hi dicuntur indirectè, & negativè ad damnum alterius cooperari. Meliùs, ac breviùs explicantur novem hæc genera personarum ad damnum alterius cooperantium versiculis illis.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.
Participans, Mutus, Non obstans, non Manifestans.

Dicendum 1. teneri ad restitutionem faciendam, & damnum resarciendum omnes, qui positivè concurrunt ad damnificationem proximi aliquo ex primis sex modis superiùs explicatis, etiamsi participes facti non fuerint rei acceptæ: ratio est, quia causans injustè damnum tenetur in conscientia ad illud resarciendum; sed omnes, qui modis prædictis influunt, censentur causare damnum inde secutum, ergo omnes tenentur ad restitutionem, ac reparationem damni secuti. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. Bannez *quæst.* 62. *art.* 2. Azor 3. *part. lib.* 4. *cap.* 10. Sà *verb. Restitutio in fin.* & alii passim. 2

Dicendum 2. teneri etiam ad restitutionem faciendam, ac damnum resarciendum omnes, qui negativè, & indirectè cooperantur ad damnificationem proximi tribus ultimis modis, videlicet non loquendo, non obstando, non manifestando; quando tamen tenentur ad hoc faciendum ex justitia: ratio est quia damnum efficaciter inferri potest non solùm per actionem positivam, verùm etiam negativam, per omissionem videlicet actionis illius, ad quam ex justitia tenetur; sed omnis, qui damnum infert efficaciter alteri sua culpa theologica; tenetur ad illud resarciendum; ergo omnes, qui negativè cooperantur ad damnum alterius non loquendo, non obstando, non manifestando, quando ex justitia tenentur; obligantur ad restitutionem, & damnum resarciendum. Advertendum hìc: ad hoc ut causans damnum, sive positivè, sive negativè obligetur ad restitutionem; requiri, quòd efficaciter concurat ad damnum: nam si inefficaciter tantùm concurrit; non tenebitur ad restitutionem, cum ex mente omnium Doctorum causa inefficax non obligetur ad restitutionem: & ratio est, quia obligatio restituendi consurgit ex actione, vel omissione injusta, qua proximus damnificatur; per actionem autem, vel omissionem inefficacem nullum damnum proximo infertur, ergo nulla consurgere potest restituendi obligatio. Et sicuti actio incerta, injusta, cui comparatur actio, vel omissio inefficax, non inducit obligationem restituendi; sic nec actio, vel omissio inefficax. 3

Hinc fit 1. verberantem cadaver hominis mortui non obligari ad restitutionem faciendam, cum per talem actionem damnum non inferat. Fit 2. nec teneri ad restitutionem suadentem parato occidere Titium hodie, ut occidat cras; vel parato ad occidendum gladio, ut occidat veneno: cum per talem suasionem non censeatur influere in damnum, quod proximus patitur. Teneri tamen ad restitutionem eum, qui parato occidere post aliquot dies suadeat occidere antea: & ratio est, quia influit in damnum, quod proximus injustè patitur, & est revera causa mortis; quia fortasse intra illos dies occisor sententiam revocasset, & à pravo animo resipuisset. Sic Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 8. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 130. Navarra *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 8. & Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *numer.* 64.

Quæres 1. an teneatur ad restitutionem, qui solùm est occasio damnificationis proximi, non verò causa efficax illius? Resp. non teneri ad restitutionem, quamvis graviter peccet contra Charitatem: ratio est, quia occasio non est causa efficax damni, nec in damnum influit, adeoque non poterit inducere obligationem restituendi. Sic fingens litteras, quibus scribat Venetiis adesse tritici inopiam; quas in nostra Sicilia spargit, cum revera talis inopia Venetiis non sit; Mercatores tamen Siculi talibus fictitiis litteris inducti triticum Venetias asportant magno cum ipsorum detrimento ob affluentiam, quæ ibi reperitur; non tenebitur ad restitutionem Mercatoribus Siculis faciendam, quia tantùm fuit ipsis occasio damni, non verò causa per litteras fictitias; & graviter peccavit contra Charitatem, non verò contra Justitiam: damnum siquidem potiùs imputari debet levitati Mercatorum, qui fidem dederunt litteris ad se non missis, & à personis non notis, quàm ipsis litteris fictitiis. Secus tamen dicendum esset, si litteræ ad Mercatores directæ fuissent; tunc enim mittentes litteras tenerentur ad restitutionem, & damna resarcienda, quia positivè sua actione directa, ac sua fide inducunt Mercatores ad transferendum triticum, magno cum ipsorum detrimento. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *numer.* 132. Ludovicus Lopez 1. *par. cap.* 124. Bonacina *de Rest. in gen.* alios referens *disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 3. *num.* 11. 4

Ex dictis colliges 1. non esse causam, sed occasionem mortis, qui alapam impingit alteri ægrè ferenti talem injuriam

injuriam, si hic ob impatientiam in morbum incidit, ob quem moritur; cum mors sequatur potiùs ex impatientia ipsius, quàm ex inflictione injusta alapæ. Colligitur 2. accusantem injustè Titium de aliquo delicto commisso à Petro quamvis advertat ex occasione, & incidenti inquisitionem faciendam esse contra Petrum, qui revera delictum commisit, & puniendum fore; non teneri ad aliquam damni restitutionem Petro, quia non peccavit contra justitiam in illum: non enim Petrum, sed Titium injustè accusavit, esto ex illa injusta accusatione occasionem arripuerit Judex inquirendi contra verum Petri delictum: solùm igitur tenebitur ad damna, quæ passus est Titius ob injustam illam accusationem. Sic Turrianus *de Just. disp. 11. dub. 3. num. 3.* Navarra *lib. 2. cap. 1. diffic. 9.*

5 Quæres 2. an teneatur ad restitutionem dubitans, si sua actione, vel omissione cooperatus efficaciter sit ad alterius damnum? Resp. vel dubium oritur ante factum, vel post factum. Si ante factum oritur, tenebitur ad resarciendum damnum, postquam ipsi constiterit, damnum secutum fuisse ex sua actione, vel omissione: ratio est, quia jam voluntariè se exposuit periculo faciendi actionem, vel omissionem injustam; ergo tenebitur ad resarcienda damna, quæ ex sua actione, vel omissione injusta secuta sunt, cum peccaverit contra Justitiam. Sic Rebellus *lib. 2. quæst. 14. sect. 6. num. 34.* & Bonacina *de Restit. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. num. 6.* Si post factum oritur dubium, non tenebitur dubitans ad restitutionem: quia stat in possessione suæ libertatis, & pecuniæ, & in materia Justitiæ semper melior est conditio possidentis in dubiis. Favet quoque *Lex Civilis 2. Cod. de Condict. ob turpem causam*: ubi habetur, quòd reus in pari causa absolvitur. Sic Sylvester, Lessius, Avila, Rebellus, Navarra, Medina, Henriquez, Sanchez, Reginaldus, Sà, Sayrus relati à Bonacina *l. c. num. 1.*

Hinc infertur 1. dubitantem post factum, an sua actione nec ne cooperatus fuerit vel ad furtum, vel ad homicidium; non teneri ad restitutionem faciendam; cum in hoc dubio possideat ejus libertas, adeoque melior ejus conditio. Infertur 2. dubitantem, an suo consilio alteri dato de occidendo inimicum, revera illum occiderit; non teneri ad restitutionem, cum possessio ejus libertatis sit melior, nec in foro externo judicaretur contra ipsum. Infertur 3. dubitantem an depositum, vel commodatum perierit culpa sua, vel non; non teneri ad restitutionem: tum quia possessio stat pro ejus libertate; tum quia in foro externo non præsumeretur contra ipsum: ut bene docent Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 10. num. 44.* & Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 15.*

6 Quæres 3. an efficaciter cooperans, seu quocumque modo inferens damnum volenti, & consentienti teneatur ad restitutionem damni illati? Resp. in duplici suppositione procedere posse quæsitum. 1. si sit absolutè, & simpliciter consentiens, qui damnum patitur. 2. si non sit absolutè, & simpliciter, sed involuntariè mixtè consentiens. Si in prima suppositione procedit quæsitum, dicendum est, non teneri ad restitutionem: & ratio est, quia *ex Regulis Juris in 6. Volenti, & scienti nulla fit injuria*; quapropter Doctores communiter asserunt, nullum nisi nolentem pati injustitiam formaliter, seu injuriam; si ergo nulla habetur injuria formalis alteri illata, seu formalis violatio Juris alieni, nulla inde consurgere poterit restituendi obligatio: ut docent Aragonius 2. 2. *quæst. 19. art. 3.* Bannez *ibidem*; Molina *tom. 1. disp. 9. & 11.* Azor 3. *par. lib. 1. cap. 8. quæst. 7.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 7. dubit. 3.* & Turrianus *disp. 3. dub. 2. nu. 1.* Si verò in secunda suppositione procedat, dicendum est, teneri ad restitutionem: ratio est, quia non consentienti absolutè, sed tantùm voluntariè mixtè fit injuria, ex qua oritur restituendi obligatio: non enim verificatur, quòd sit omnino consentiens, qui mixtionem habet voluntarii cum involuntario; adeoque de illo verificari non poterit regula superiùs tradita *Juris in 6.* Hinc fit: usurarium facere injuriam mutuatario sub usuris mutuum accipienti: cum semper supponatur mutuatarius non simpliciter voluntariè mutuum accipere ad usuras, sed quia aliter concessurus non erat mutuatario usurarius mutuans. Sic etiam latrones injuriam faciunt viatoribus exigendo amicè pecuniam ab ipsis: quia semper supponuntur non simpliciter, & absolutè pecuniam tradere voluntariè; sed mixtè, quia secus non haberent liberum iter. Sic Turrianus, & Molina *locis citatis*.

Ex dictis, in prima suppositione colligitur 1. occidentem aliquem absolutè, & simpliciter consentientem non teneri ad aliquam restitutionem faciendam: ratio est, quia absolutè consentienti nulla fit injuria, aut violatio Juris illius; ergo nulla oritur restituendi obligatio. Sic Vasquez, Turrianus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 1. de Rest. quæst. 2. pun. 1. num. 2.*

Neque dicas: sic Tyrannos injuriam non irrogasse Sanctis Martyribus, qui ad Martyria ibant tamquam ad epulas invitati. Contra enim est 1. quia Martyres non volebant, sed permittebant, quod à Tyrannis contra ipsos exercebatur, ut bene notat Lessius *lib. 2. de Just. cap. 7. dubit. 3.* 2. quia Martyres exposcebant quidem pro Christi fide tormenta atrocia pati, & ibant ad illa, tamquam ad epulas; nolebant tamen hoc iniquè, ac injustè à Tyrannis fieri: ut rectè advertit Azor. 3. *par. lib. 1. cap. 8. quæst. 9.*

Colligitur 2. committentem adulterium consentiente conjuge non teneri ad restitutionem illi faciendam: ratio est eadem, quia volenti absolutè, & simpliciter nulla irrogatur injuria, adeoque nulla inde oritur restituendi obligatio.

Colligitur 3. neminem sibimet ipsi facere injuriam, si aliquid contra seipsum operetur: nam eo ipso quòd aliquid contra se ipsum voluntariè facit, consentire videtur, nec invitus esse; sed volenti, & consentienti nulla injuria formaliter irrogatur, nec invitus supponitur; ergo nulla ex hoc oritur injuria.

Dices: fieri injuriam consentienti etiam absolutè, & simpliciter in sui mortem, vel adulterium conjugis, quia non potest cedere juri suo, cum non sit Dominus vitæ, ac membrorum suorum, nec conjugis; sed potiùs custos, & administrator. Contra enim est, quia consentiens per talem cessionem juris sui, licèt illud non abdicet à se materialiter, abdicat tamen formaliter, cum nolit eo uti, illudque quantum in se est, cedat; ideoque volens, ac consentiens, si in corpore læsus fuerit ab aliquo, vel conjugem alteri violandam tradiderit; non poterit conqueri de injuria sibi facta, cum sit tantùm materialis, non formalis juxa illud Aristotelis *lib. 5. Ethic. cap. 9.* Neminem sponte pati injuriam, etiamsi possit sponte lædi, & damno affici. Consonat D. Thomas 2. 2. *quæst. 59. artic. 3.* & Lessius *libr. 2. de Just. cap. 7. dubit. 3. num. 13.*

CAPUT VII.

Quomodo teneatur ad restitutionem Iubens, & Mandans damnum inferri?

1 *Quinam dicatur Jubens, aut Mandans?*
2 *Qui ita jubet, aut mandat, ut sua jussione, & mandato moveat animum alterius ad inferendum damnum proximo, tenetur ad resarciendum damnum inde secutum.*
3 *Qui Mandatum revocavit sive expressè, sivè tacitè antè damnum patratum, & revocatio innotuit Mandatario; non tenetur in conscientia ad damnum resarciendum, si sequatur.*
4 *Ex hac doctrina colliguntur quatuor digna notatu.*
5 *An ratum habens damnum nomine suo factum teneatur in foro conscientiæ ad resarciendum illud?*

SINGILLATIM de cooperantibus ad damnum alterius pertractandum est, ut distinctiùs procedamus; ideo de Jubente, ac Mandante initium facimus. Jubentis ac Mandantis nomine venit hìc non solùm qui jubet, ac mandat ob potestatem imperandi, quam habet; verùm etiam quicumque alius jubet, ac mandat, quamvis talem potestatem non habeat; quapropter de utroque agitur. 1

Dicendum igitur 1. qui ita jubet, ac mandat, ut sua jussione, ac mandato animum alterius moveat ad damnum inferendum proximo; tenetur ad resarciendum damnum inde secutum: & ratio est, quia est causa efficax damni illius, nam inter causas hæc est præcipua, cum non sit efficacior modus, quo homo liberè moveatur ab alio, quàm per mandatum; imprimit siquidem mandans obligationem quamdam, & veluti obligationem mandatario, sive expressè mandet, 2

det, ut si quis dicat famulo, vel alteri interfice; volo ut interficias; vel tacitè, ut si dicat, utinam esset, qui hoc obsequium mihi præstaret; carus ultra modum mihi erit, qui hoc præstabit; & similia. Sic Navarra *lib. 3. cap. 4. 1. par. num. 26.* Molina *tom. 3. tract. 2. disp. 739.* Salon 2. 2. *quæst. 61. art. 7. controv. 1.* Sayrus *lib. 10. tract. 2. cap. 7.* Vasquez *de Rest. cap. 9. dub. 1. §. 1.* & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 13. dubit. 3. num. 11.*

3 Dicendum 2. qui Mandatum revocavit sive expresè, sive tacitè ante damnum patratum, & revocatio innotuerit Mandatario; non tenetur in conscientia ad resarciendum damnum, si postea secutum sit per Mandatarium: & ratio est; quia non censetur causa illius, non enim influit, imò tollit, ac retrahit influxum, quem antea per suum Mandatum præbuerat; & si damnum sequitur, ex mera malitia Mandatarii sequitur. Secus verò dicendum, si revocatio Mandati non innotuerit Mandatario nec expresè, nec tacitè; tenebitur ad restitutionem Mandans, nam censetur causa efficax damni, & perseverare videtur ejus influxus per mandatum jam datum. Sic Lessius *l. c.* & Bonacina *de Rest. in gen. quæst. 2. pun. 6. num. 5.*

4 Hinc colliges 1. inducentem alium precibus, blanditiis, vel promissis ad damnum proximo inferendum non teneri ad restitutionem damni secuti, si quantum est ex parte sua ante damnum patratum retraxerit suum influxum declarando sibi displicere, quod fecerat, ac propositum mutasse, & promissa rescindere: non enim censendus est amplius causa damni.

Colliges 2. Mandantem Titio occidere Petrum, cum quo postea mandans reconciliatus est, quod quidem Titio innotuit ante Petri occisionem, si dein Titius Petrum occidat; non teneri Mandantem ad restitutionem: nam per reconciliationem factam cum Petro suo inimico, quæ quidem Titio innotuit, intelligebatur Mandatum jam revocatum; & Titius Mandatarius ex sua pura Malitia Petrum occidit, & non ex influxu Mandantis. Sic communiter Doctores teste Bonacina *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 6. nu. 4. & de Irregul. quæst. 4. pun. 8. nu. 14.*

Colliges 3. Mandantem non teneri ad resarcienda damna illa, quæ Mandatarius intulit excedendo fines Mandati accepti: ut si quis mandavit occidere Petrum inimicum suum, & Mandatarius illum occidit comburendo ejus domum; tunc non tenebitur Mandans ad reparandum damnum combustionis, cum tale damnum non sequatur ex mandato illius, ac ejus consensu, sed ex pura malitia Mandatarii. Sic Azor 3. *par. lib. 2. cap. 8. vers. 5.* & Bonacina *l. c. num. 7.*

Colligitur 4. ex Azorio *l. c.* mandantem occidere Petrum, & Mandatarius per errorem occidit Paulum; teneri ad restitutionem homicidii hominis, non verò homicidii Pauli; sicuti per errorem si occidit Clericum, & mandatum erat de occidendo Laico, teneri ad restitutionem tamquam ob occisionem Laici, non Clerici: ratio est, quia Mandatarius Mandati formam excedit, cum in potestate ipsius esset illam servare. Secus verò dicendum, si non sit in potestate Mandatarii formam, & fines mandati servare.

5 Quæres hic: an ratum habens damnum nomine suo factum teneatur in foro conscientiæ ad illud resarciendum? Resp. negativè: & moveor, quia ex illa ratihabitione damni jam illati non sequitur damnificatio; quæ jam secuta est; nec pendet ab illa tamquam à causa movente; ergo ex illa orriri nequit restituendi obligatio. Sic Medina *quæst. 7. ad 4.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 13. dubit. 3. num. 13.* & alii contra Navarrum *in Summ. cap. 17. num. 233.* docentem, mandato æquivalere ratihabitionem, si Mandans poterat mandare.

Neque dicas 1. quòd damnum factum sit nomine illius, adeoque ab ejus voluntate perdere videtur. Contra enim est, quia ex hoc solùm sequitur, voluntatem ratihabentis fuisse causam finalem damni illati; & ideò hoc fecisse damnificantem, ut rem gratam faceret ratihabenti. Hoc tamen minimè sufficit, ut voluntas ratihabentis dicatur causa efficiens, & voluntariè movens ad damnum; cum finis, quantùm in se est, non voluntariè moveat, sed naturaliter.

Neque dicas 2. ratihabitionem *ex Regulis Juris in 6.* retrotrahi, & Mandato, non est dubium, comparari. Contra enim est, quia licèt comparetur Mandato circa obligationem contractuum præteritorum, qui tantùm firmari possunt voluntate foris expressa, & respectu pœnæ in foro externo, cum æquè puniatur ratum habens damnum, ac qui mandavit illud fieri. Non comparatur tamen Mandato in foro interno respectu operis patrati, & obligationis restituendi, de quibus non loquitur Regula allata. Vide Lessium *loc. cit.*

CAPUT VIII.

Quomodo teneatur Consulens?

1 *Quisnam veniat nomine Consulentis?*
2 *Consulens alteri inferre damnum proximo tenetur ad illud resarciendum.*
3 *Sed quid dicendum, si consilium revocaverit ante damnum patratum, quod tamen secutum est.*
4 *Quomodo revocandum consilium falsum ante patratum damnum, ut deobliget à restituendo.*
5 *Quomodo revocandum consilium verum ante patratum damnum, ut deobliget à restitutione facienda?*
6 *Adnotantur duo.*
7 *An consulens damnum aliquod, quod alter consuluisset; teneatur ad restitutionem?*
8 *An consulens minus damnum, ut majus impediat; teneatur ad restitutionem?*
9 *An consulens majus damnum parato facere minus teneatur ad totum majus damnum?*

CONSULENS non solùm intelligitur hic, qui 1 consilium dat, verùm etiam qui suadet, hortatur, rogat, ac instruit: ut bene adnotarunt Rebellus *lib. 2. de Rest. quæst. 14. sect. 4. num. 17.* Azor *lib. 4. cap. 11. in princip.* Filliuccius *tract. 32. cap. 3. quæst. 4.* & alii passim.

Dicendum 1. qui suo consilio, suasione, precibus, aut 2 promissionibus, fraude, vel culpa lata movet alium ad damnum inferendum; tenetur ad resarciendum damnum inde secutum: ratio est, quia est causa efficax damni, & ad illud faciendum promovet. Sic communiter Doctores.

Sed quid dicendum, si consilium revocaverit consulens 3 ante damnum patratum, quod nihilominus secutum est: an inquam teneatur ad illud resarciendum? Verùm dupliciter esse potest consilium datum. 1. si falsum sit, quia falso innixum fundamento, ut si consilium dedisti, contractum esse licitum, aut bellum justum, cum revera contractus usurarius sit, & bellum injustum. 2. si verum sit consilium ostendendo scilicet rationem patrandi delictum, ac utilitatem, & honorem ex delicto consequentes; aut aperiendo consilium petenti occultam nocendi viam. His positis

Dicendum 1. qui revocat consilium falsum ante patra- 4 tum damnum, retractando videlicet sententiam suam illi, qui consilium petiit; ac sincerè, & ex animo explicando, se deceptum fuisse, cum contractus usurarius sit, & bellum injustum; non tenetur ad restitutionem, si postea damnum sequatur: & ratio est, quia satis destruitur consilium jam datum demonstrando falsitatem illius, adeoque si in sua prava intentione persistat, qui consilium accepit; malitiæ suæ, ac suæ pravæ opinioni damnum sequens imputabitur.

Dicendum 2. qui revocat consilium verum ante patratum 5 damnum; non sufficit, ut deobligetur à resarciendo damnum, si sequatur, ostendere petenti consilium, rem esse illicitam, ac contrarium illi suadere; sed ulteriùs requiritur, quòd revera suadeat, ac illum removeat à prava opinione patrandi damnum: ratio est, quia non sufficienter revocatur influxus consilii dati, cum semper maneat eadem motio in voluntate inferentis damnum ob motiva adducta in consilio dato; ergo censeri debet causa efficiens damni secuti. Ad eum modum quo præbens arma furenti ad inimicum occidendum tenetur ad restitutionem damni inde secuti, nisi reipsa arma auferat, nec sufficit revocare traditionem, ostendendo esse illicitam; sed ulteriùs requiritur, quod cesset furens à damno, quod contra inimicum meditabatur. Debebat siquidem damna hæc prævidere tradens arma furenti; sicuti debebat prævidere, qui consilium verum dedit. Sic ex Lessio, Vasquez, & aliis docet Bonacina, *de Restit. disp. 1. quæst. 2. pun. 7. num. 6.*

Notandum hic claritatis gratia: consilium peti posse ad 6 dignoscendam veritatem rei, ut si contractus sit illicitus, aut usurarius, vel non; si bellum sit injustum, an justum. Insuper peti posse, non ad dignoscendam veritatem rei, sed ejus convenientiam, & utilitatem. De primo consilio dictum est, non inducere obligationem restituendi, si falsum sit, & revocetur ejus falsitas ante damnum patratum ostendendo illam petenti consilium. De secundo dicitur, inducere obligationem restituendi, etiam si revocetur antè patratum delictum, nisi revera suadeat oppositum: & dispar ratio esse potest, quia in primo consilio non movetur petens

con-

consilium ob solam authoritatem consulentis, sed ex veritate *ipsa*, quam inquirit. *In* secundo vero movetur à rationibus adductis à consulente, & ab ejus authoritate, quas consulens cum effectu tenetur evertere.

Notandum *insuper* discrimen, cur mandans revocato mandato non teneatur ad restitutionem, ad quam tenetur consulens revocato consilio vero; si damnum sequatur. Nam mandatarius agit nomine mandantis; quapropter revocato mandato non potest censeri mandatarius agere nomine mandantis. Secus vero consilium accipiens agit nomine suo, ac ut rebus suis consulat, suumque facit consilium acceptum; adeoque nisi oppositum suadeatur, semper perseverare censetur. Non nego tamen sententiam oppositam doceri à Navarra, Medina, Regin. Salon. & aliis non improbabiliter quidem, dum quantum in se est consulens, consilium revocat, & contrarium revera suadere conatur, quamvis reipsa non suadeat; fecit siquidem quantum *in* se potuit, ideoque movetur potius consultus ex propria malitia, quam ex consilio accepto.

7 Quæres 1. an consulens damnum aliquod, quod alter consuluisset, teneatur ad illud resarciendum? Resp. affirmative: quia fuit revera causa efficax damni, ergo obligabitur ad illud compensandum. Nec ipsum excusare potest, quod alter idem consilium dedisset; nam sicuti ille si prævenisset, habuisset in se obligationem compensandi damnum, ita & iste præveniens. Ad eum modum, quo qui furatur rem, quam alius furaturus esset; non ideo deobligatur ab onere restituendi. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *dub.* 2. *n.* 2. referens Cajet. Medin. & Sotum. Sic etiam Vasq. *c.* 7. *de Restit. §.* 1. *dub.* 1. Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 1. *num.* 5. & Reginaldus *lib.* 10. *num.* 109.

8 Quæres 2. an consulens minus damnum, ut majus impediat; teneatur ad illud compensandum? Resp. si qui damnum illaturus erat, paratus fuisset ad majus damnum inferendum, nec alia via esset ad distrahendum à majori damno, quam consulendo minus; non tenebitur consulens ad restitutionem damni illati: ratio est, quia utiliter, ac laudabiliter gerit negotium illius, qui damnum patitur, defendens eum à damno majori; ergo non peccat contra illum; nec contra damnificantem, cum supponat illum paratum ad damnum inferendum. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *dubit.* 3. *num.* 9. citans Navarrum asserentem, neque peccare consulendo minus damnum, etiamsi de illo non cogitaverit petens consilium; quia non absolute consulit, quod esset malum sed sub conditione, Sic Bonacina *de Rest. in gener. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 7. *n.* 8. referens Valentiam, Aragonium, Salonium, Reginaldum, Sayrum, Molinam, Sanchez, Rebellum, Azor. Vasquez, Salas, & alios. Si vero qui consilium petit paratus sit ad inferendum majus damnum Petro, & consulens suadeat ad inferendum minus damnum Cajo, de quo non cogitabat; tunc dicendum est, obligari ad damnum resarciendum quia injuriam infert illi, dum animum latronis inclinat ad damnum alterius, de quo non cogitabat: nec licitum ex se est impedire majus damnum Petri cum injuria Cji, nisi injuria illa esset in re levi, ita ut Cajus ex Charitate teneatur ad patiendum damnum illud leve, ne notabile detrimentum contingat Petro, cum in hoc non supponi debeat rationabiliter invitus Cajus. Sic Doctores superius citati, qui addunt: si damnificans de utroque cogitaverit, & paratus sit uni ipsorum damnum inferre; poterit consulens suadere in genere, quod minus est, non determinando in individuo potius Petrum, quam Cajum, cum sic non sit suo consilio causa damni, ad quod paratus erat damnificans; sed potius veritatem illam speculativam proponit, potius faciendum esse minus malum, quam majus ex suppositione determinationis.

9 Quæres 3. an consulens parato facere minus damnum, ut faciat majus; teneatur ad totum damnum illatum compensandum, an vero ad solum excessum? Resp. teneri ad solum excessum: sic consulens Petro parato ad damnificandum Cajo in quinquaginta, ut damnificet in centum; tenetur tantum ad quinquaginta, in quibus fit excessus: & ratio est, quia in excessu reputatur causa efficax damni suo consilio, non vero in reliquis, ad quæ paratus supponitur damnificans, nec ad hæc movetur consilio accepto. Sic Salon, Aragonius, Sayrus, Lessius, Rebellus, Reginaldus, Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 7. *num.* 13.

CAPUT IX.

Quomodo teneatur Consentiens?

1 *Quisnam dicatur consentiens damno alterius?*
2 *Qui suo consensu, & suffragio est causa efficax damni alterius; tenetur ad illud resarciendum.*
3 *Qui vero non est causa efficax non tenetur.*
4 *Qui fert suffragium cum damno alterius, quod necessarium fuerit; tenetur ad restitutionem damni illati.*
5 *Quid dicendum de dubitante, an suum suffragium fuerit ex posterioribus, & post sufficientem numerum suffragiorum requisitorum.*

CONSENTIENS non solum dicitur ille qui approbat; verum etiam qui suffragium dat in delicto patrando, ut recte advertit Molina *disp.* 737. Nec quicumque consensus reputandus erit obligans ad restitutionem; sed solùm consensus ille, à quo pendet, ut damnum fiat, vel non fiat: nam si ab illo non pendeat, vel quia nullam authoritatem habeat consentiens, vel quia ante *ipsum* consensum jam omnia parata erant, nec ipsum expectabant; non poterit jure censeri causa efficax damni illati: ut notat Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *dubit.* 3. *num.* 22. adeoque nullam inducere poterit restituendi obligationem. 1

Dicendum igitur 1. qui suo consensu, ac suffragio, non vero mera complacentia est causa efficax damni alterius; tenetur ad illud resarciendum: & ratio est, quia injuriam facit alteri, illique damnum causat; ergo obligatur ad illud reparandum, non minus ac consulens, ut est indubitatum penes Doctores. 2

Dicendum 2. qui suo consensu non est causa efficax damni, nontenetur ad restitutionem, cum efficaciter in damnum non influat. Sic Proceres, & Magnates consentientes bello injusto à Rege indicto, non tenentur ad resarcienda damna inde sequentia: nam non convocati fuere à Rege ad præbendum suum suffragium circa bellum ineundum, vel non; sed ad præbendum tantum suum consensum; quapropter damna sequentia non censentur ab ipsorum consensu causari, sed ab injusta Regis determinatione ante ipsorum consensum. Sic Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 5. *num.* 30. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 9. 3

Dicendum 3. qui fert suffragium cum damno alterius, quodtamen necessarium fuerit; tenetur ad restitutionem damni illati; ratio est, quia efficaciter concurrit suo suffragio ad damnum illud. Quod si plures sint, qui habeant suffragia necessaria, hoc est necessariò requisita ad concludendum major tamen illorum pars per sua suffragia jam inique concluserit; reliqui habentes suffragia necessaria, si accedant per illa ad damnum jam injuste conclusum; non tenentur ad resarciendum damnum ut primi, licet graviter peccent consentiendo in damnum proximi contra Charitatem; ratio est, quia quamvis suffragia illa sint necessaria, tamen non sunt causa efficax damni, quod jam supponunt sufficienter conclusum per priora suffragia; adeoque non peccant contra Justitiam, ex qua oritur restituendi obligatio. Et suffragia subsequentia non dicuntur formaliter necessaria, sed sunt veluti complacentia quædam damni alterius, quod est contra Charitatem. Advertendum tamen in hac doctrina est: ne recusantibus posterioribus suum ferre suffragium injustum, spes foret, quod primi revocarent suam injustam sententiam; tunc enim censeri possent influere in damnum conclusum, & ad restitutionem teneri: cum quilibet ex ipsis habentibus suffragium necessarium teneatur ex officio, si possit, damnum impedire. Sic Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 5. *num.* 30. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. *controv.* 1. Molina *disp.* 732. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 3. *num.* 22. Medina *quæst.* 7. *ad* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *pun.* 3. 4

Quæres hic quid dicendum de dubitante, an suum suffragium fuerit ex Posterioribus, & post sufficientem numerum suffragiorum? Resp. teneri ad restitutionem; & ratio est, quia possessio stat pro actione injusta, ac damnificativa ex sua natura, constat enim damnum illatum esse; nec est major ratio cur aliis suffragiis imputandum sit, non vero suo. Insuper in foro externo contra ipsum judicaretur, ergo & in interno, cum idem 5

sit judicium, quando non constat, forum externum niti in falsa præsumptione. Sic Navarra *lib. 3. cap. 4. n. 33.* & Bonacina *d. Restit. in gen. quæst. 2. pun. 8. num. 5.* Nec valet paritas deducta ab eo, qui dubitat post factum, an sua actione fuerit causa damni, qui non tenetur ad restitutionem. Disparitas est, quia in foro externo non posset contra ipsum judicari, ut judicatur in casu adjecto de suffragio injusto.

CAPUT X.

Quomodo teneatur Palpans, Receptans, & Participans?

1 *Quisnam dicatur Palpans?*
2 *Tenetur Palpans ad Restitutionem damni secuti.*
3 *An laudans delictum, sed non approbans illud, ex quo sequitur lætitia in malefactore, quamvis non moveat illum; teneatur ad restitutionem?*
4 *Quisnam dicatur Receptans?*
5 *Tenetur Receptans ad resarciendum damnum illatum.*
6 *Quid dicendum de occultante furem simul cum furto insecutum à Ministris Justitiæ, ne occidatur; tenetur ne ad manifestandum furem, & furtum?*
7 *An Caupones, & alii recipientes à filiis familias, vel servis pecunias, aut alias res à Parentibus, vel Dominis invitis subreptas; teneantur ad restitutionem?*
8 *An si prædicti nil recipiant à filiis familias, aut servis; sed tantum concedant locum aptum ad ludendum, & sic res subreptas insumunt; teneantur ad restitutionem?*
9 *An receptans furem, aut alium malefactorem ratione amicitiæ, consanguinitatis, aut necessitatis, non præbendo tamen securitatem imposterum, teneatur ad restitutionem?*
10 *Quisnam dicatur Participans?*
11 *Particeps damni alterius per suam actionem injustam, & intrinsece malam tenetur ad Restitutionem, sive id faciat libere sive coacte.*
12 *Particeps damni alterius per suam actionem indifferentem, si id faciat metu justo compulsus, aut ex rationabili causa; non tenetur ad restitutionem.*
13 *Particeps damni alterius per suam actionem indifferentem, si id fecerit sponte sua, aut nullo metu coactus, aut sine rationabili causa; tenetur ad restitutionem.*

1 PALPANS ille dicitur, qui adulatur, aut laudat malefactorem; aut scelus ab ipso patrandum commendat, & sic malefactorem inducit ad illud committendum. Ad Palpantem etiam reducitur, qui deridet, vituperat, aut exprobrat ignaviam alicujus, quod non furetur non ulciscatur, non occidat; si ex tali derisione, vituperatione, aut exprobratione moveatur ad furtum faciendum, ulciscendum, aut occidendum,

2 Quod autem teneatur Palpans ad restitutionem damni secuti, probatur ex eo, quod censetur causa efficax damni illius, ut aperte patet in laudante maritum, si adulterium cum sua conjuge commissum lavet sanguine adulteri; aut illum derideat, vituperet, aut exprobret uti ignavum, parvi animi, ac timidi, si de adultero vindictam non sumat; quæ enim efficacior causa ad influendum in homicidium illud adulteri. Sic passim Doctores.

3 Petes: an qui tantummodo laudat delictum, non approbando tamen illud, quamvis per ipsam laudem inducatur lætitia quædam in malefactorem licet non moveat ad damnum inferendum; an inquam teneatur ad restitutionem damni secuti? Resp. Navarram, Azorium, Sayrum, Rebellum, Lessium, Molinam, Reginaldum, Vasquez, Filliuccium apud Bonacinam eos sequentem *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. n. 1.* putare, non teneri ad restitutionem, cum non sit causa efficax damni, nec delictum approbet. Veneror sententiam tantorum Doctorum, sed nimis cautè procedendum puto in hac re, in qua natura proclivis ad ulciscendum de facili moveri potest.

4 Receptans hic accipitur pro eo, qui non solum malefactorem ad se recurrentem receptat, aut rem furto, vel rapina ablatam conservat; sed etiam fovet, ac protegit malefactorem, & refugium, ac securitatem præbet ad delictum committendum, vel ad non faciendam restitutionem debitam.

5 Receptantem sic explicatum teneri ad resarciendum damnum illatum, docet communis sententia. & ratio est, quia efficaciter influit in damnum, quod ejus culpa patitur proximus; ergo obligabitur ad illud compensandum; censetur siquidem moraliter cooperari vel ad damnum inferendum, vel ad non reparandum jam illatum. Sic Molina *disp. 733. num. 2.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 13. dubit. 3. num. 26.* Salon, Aragonius, Vasquez, Rebellus, & alii apud Bonacinam eos referentem *disp. 1. de Rest. in gen. quæst. 2. pun. 9. num. 2.*

6 Dubitabis hic 1. quid dicendum, si quis occultet furem simul cum furto insecutum à Ministris Justitiæ, ne occidatur, aut aliud damnum patiatur; tenetur ne ad furem manifestandum, aut furtum prodendum? Resp. negativè: imò poterit eum adjuvare ad fugiendum, & recipiendum se in tuto, dummodo non det illi spem imposterum similis receptionis, ne fur ea receptione innixus animum sumat nova perpetrandi delicta, tunc enim censeretur cooperari ad damna sequentia. Quod autem possit eum sic adjuvare, constat ex eo, quia si licitum est reo fugere, licitum pariter erit eum in hoc adjuvare, dummodo ut dictum est, non præbeat ansam ad nova facinora. Res vero furto ablatas, quas penes se custodit; tenetur domino restituere, ad quem clamant vel immediatè, si absque suo incommodo & damno id præstare poterit; vel medio confessario, aut persona fide digna, si aliquod damnum sibi timeat. Sic Sayrus *lib. 10. cap. 11. num. 11.* Lessius *loc. cit. num. 27.* Navarra *lib. 3. cap. 3. num. 19.* Reginaldus *lib. 10. numer. 86.*

7 Dubitabis 2. an Caupones, & alii recipientes à filiis familias, vel servis pecunias, aut alias res subreptas à parentibus; vel dominis rationabiliter invitis quoad substantiam; teneantur ad restitutionem? Resp. affirmative: ratio est, quia sunt revera Receptatores malefactorum, ac damnificantium; & recipiunt rem alienam invito domino, adeoque obligantur ad restitutionem non solum ex re accepta, & recepta; sed etiam ex injusta acceptione, & receptione. Sic Molina *disp. 733. num. 3.* Sayrus *loc. cit.* & Azor. *lib. 4. cap. 13.*

8 Dubitabis 3. quid dicendum, si Caupones, vel alii nil recipiant à filiis familias, aut servis, sed solum concedant locum aptum cum sedilibus, mensa, lumine, ac instrumentis ludendi, & sic pecunias, aut res furto ablatas insumunt; tenentur ne ad restitutionem? Resp. affirmative, si non restituant ludentes, vel inde lucrum reportantes: ratio est, quia efficaciter concurrunt ad damnum alterius; ergo tenentur ad illud restituendum in defectu ludentium, vel lucrum reportantium: præbent enim securitatem quamdam, dum eos sic occultant, ac defendunt; quod est non remote quidem, sed proxime cooperari ad damnum alterius. Secus tamen dicendum esset de iis, qui nec illos occultant, nec defendunt, nec instrumenta ad ludendum porrigunt; sed tantum permittunt domi suæ ludere: quia hoc non esset proxime cooperari ad damnum alterius. Sic Molina, Rebellus, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 3.*

9 Dubitabis 4. an receptans furem aliquem, aut malefactorem ratione amicitiæ, urbanitatis, consanguinitatis, aut necessitatis non præbendo securitatem, vel ansam ad male agendum, aut confirmandum illum in delictis; teneatur ad restitutionem? Resp. negative: & ratio est, quia nil efficeret, quod in damnum alterius influeret; adeoque non censendus esset causa damni; nec Receptator formalis esset, sed materialiter tantum illum reciperet. Quapropter juremerito advertit Bonacina *loc. cit. num. 5.* pœnas latas, ac Censuras contra Receptatores hæreticorum, ac bannitorum intelligendas esse de Receptatoribus formalibus nisi aliud expresse habeatur, & refert pro hac sententia Sayrum, Salonium, Aragonium, Filliuccium, & alios.

10 Participans intelligi potest 1. ille, qui particeps factus est rei ablatæ: & in hoc sensu tenebitur extra controversiam ad restitutionem partis sibi contingentis. 2. ille, qui participat, & simul cooperatur sua actione in damno alterius, præbendo scilicet auxilium, ac adjuvando ad executionem damni, ut agere excubias, scalas applicare, vel eas sustinere ascendente latrone, parare instrumenta, comitari furem cum armis ad eum defendendum, asportare res ablatas, conficere litteras, effringere fores, fenestras &c. Sed quia variis modis quis participare potest, sua actione in damno, vel actione ex se intrinsece mala & injusta, vel actione indifferenti. Insuper vel participare potest coactus

ctus, vel libere aut in toto damno, vel in parte damni; ideo distinctè procedere debemus.

11 Dico igitur 1. qui particeps est damni alterius suâ actione intrinsecè mala, & injusta; tenetur ad restitutionem damni illati, sive id faciat coacte, sive libere: sic perfringens domum alienam, vel penetrans per fenestram projicit foras res, quæ ibi servantur; vel pecora è stabulo subducens: sic etiam Christiani, qui mandato Turcarum ignem admovent, & tormenta bellica explodunt, aut sagittas, aut alia tela conjiciunt contra Christianos; & graviter peccant, & tenentur ad resarciendum damnum illatum, non solum si id libere faciant, verum etiam si metu compulsi id efficiant: ratio est quia sunt participes in damno proximi per actionem damnificativam ex se intrinsece malam, ac culpabilem; adeoque efficaciter influentem cum culpa, & inducentem obligationem restituendi. Sic Vasquez *de Rest. cap. 9. §. 1. dub. 2. num. 39.* Lessius *lib. 2. cap. 13. dubit. 3. num. 30.* Bonacina alios referens *de Rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. pun. 10. num. 3.*

12 Dico 2. qui particeps est damni alterius sua actione non intrinsece mala, sed indifferenti, si id faciat metu justo compulsus, & ex rationabili causa; non tenetur ad restitutionem damni secuti, nec graviter peccat. Sic se habent, qui gravi metu compulsi apponunt scalas, vel eas sustentant furibus ascendentibus; vel claves domorum, aut arcarum eis tradunt; aut instrumenta ad fores, vel arcas confringendas. Sic etiam se habent rustici asportantes res postquam furto ablatæ fuere; aut abigendo pecora jam furto ablata. Sic quoque Christiani, qui metu justo compelluntur à Turcis ad remigandum in triremibus contra alios Christianos, aut ad pertrahendum tormenta bellica ad mœnia, & propugnacula hostilia: & ratio est, quia hæ actiones sunt ex se *indifferentes*, sicuti etiam actiones indifferentes reputantur, gravi metu comitari latronem, aut excubias illi agere animo potius impediendi furtum, quamvis latro animosior reddatur ex illis actionibus ad furandum; nec lædunt dominum, nisi ex prava intentione utentis illis ad malum finem, cum possit ad bonum uti; Ergo, nec peccaminosæ erunt, nec inducunt restituendi obligationem. Sic Molina *tom. 1. de Just. disp. 115.* Reginaldus *lib. 21. cap. 8. num. 119.* Azor. *3. par. lib. 4. cap. 15. quæst. 2.* Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 7. num. 18.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 9. dub. 8. & cap. 13. dub. 3. num. 28.*

13 Dico 3. qui particeps est damni alterius per suam actionem indifferentem, si id fecerit sponte sua, ac nullo metu coactus, aut ex rationabili causa motus; & peccat mortaliter, si grave est damnum, & tenetur sub gravi ad restitutionem: ratio est, quia præsumitur voluntarie influere in damnum alterius, ac ex sua prava intentione determinare actionem indifferentem ad malum. Sic qui sponte sua comitatur furem ad furandum; scalam illi apponit ad ascendendum; aut excubias illi agit; reus utique erit furti, non minus ac ipse fur. Sic passim Doctores.

CAPUT XI.

Quomodo teneantur Mutus, non obstans, non Manifestans?

1 *Quisnam dicatur Mutus?*
2 *Quisnam non obstans?*
3 *Quisnam non Manifestans?*
4 *Omnes isti omittentes actionem positivam, ad quam ex Justitia tenentur, obligantur ad restitutionem. Secus vero si non teneantur ex Justitia.*
5 *Principes, Magistratus, Duces belli, Præfecti viarum non impedientes cum impedire possint furta, & damna suorum; tenentur ad restitutionem.*
6 *Omnes illi, qui per modum contractus se obligarunt ad custodiam stipendio accepto, si custdiam omittant; tenentur ad resarcienda damna.*
7 *Famuli, quibus cura domus commissa est, si non impediant furta confamulorum & extraneorum; tenentur ad restitutionem.*
8 *An accipiens à fure aliquid, ne impediat; possit acceptum retinere, & deobligari ab onere restituendi?*
9 *An impediens ex pravo animo alium, qui ex charitate impedire volebat damnum; teneatur ad resarciendum damnum secutum?*
10 *An custodes ex contractu saltuum, lacuum, & ve-*
11 *An graviter peccent tradentes aliquid custodibus, ut non manifestent?*
12 *An teneantur ad restitutionem Confessarii, si sua culpa, vel malitia non cogant pœnitentes ad illam, quam feciſſent, si coacti fuissent.*
13 *An inducens suo pravo exemplo alium ad damnum inferendum, teneatur ad resarciendum illud, si sequatur?*

MUTUS hic accipitur non solum pro eo, qui non clamat, quando clamare tenetur ex officio, vel ex stipendio, aut ex pacto aliquo inito; verum etiam pro eo, qui non præcipit, quando ex officio præcipere tenetur, ut si superior esset; vel non consulit si ex officio consultor esset. 1

Non obstans ille dicitur, qui omittit opem, vel operam, ad quam tenetur ex officio ob impediendum damnum, quod impedire poterat: ut sunt Principes, Magistratus, Duces belli, Præfecti viarum, & alii similes. 2

Non Manifestans ille erit, qui ex officio manifestare tenetur delinquentes, vel ante damnum patratum, ut impediatur; vel post damnum illatum, ut resarciatur. Sic sunt custodes deputati ad res suæ curæ commendatas, ut eas custodiant. Sic passim explicantur hæ causæ negativæ concurrentes ad damnum alterius: teste Lessio *lib. 2. de Just. cap. 12. dub. 9.* qui refert Sotum, Cajetanum, Sylvestrum, Medinam, & Navarrum. 3

Quod omnes isti sic negative concurrentes ad damnum alterius, omittendo scilicet actionem positivam, ad quam tenentur, obligentur ad restitutionem; clare deducitur ex eo, quia censentur causa damni illati non minus ac si per actionem positivam influerent; utroque enim modo damnum proximo infertur, sive sit ex injusta actione, sive ex injusta omissione: ergo ex utroque modo consurgere debet obligatio resarciendi damnum illatum. Sic communiter Doctores duce Div. Thoma 2. 2. *quæst. 62. art. 7.* cum hi omnes teneantur ex justitia, damnum avertere, & cavere. Secus tamen dicendum, si non tenerentur ex justitia: quapropter qui ex odio aut alia prava intentione non clamat, non obstat, non manifestat, aut alio modo non impedit damnum alterius; non tenebitur ad restitutionem: & ratio est, quia non peccat violando justitiam, ex qua consurgit restituendi obligatio; sed violando Charitatem erga proximum; ex violatione cujus non oritur obligatio restituendi. Sic Divus Thomas *loc. cit.* Salonius, Aragonius, Lessius, Molina, Sayrus, Valentia, Rebellus, Azor. & Navarrus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp. 1. quæst. 2. pun. 9. num. 2.* contra Angelum, & alios. 4

Colliges 1. ex dictis: teneri ad restitutionem furtorum, vel similium damnorum, quæ patiuntur subditi, ea non impediendo Principes, Magistratus, Duces belli, ac præfectos viarum: cum ad hæc impedienda teneantur ex justitia ratione Officii. Quod si ad impedienda similia damna privatarum personarum, nam de damnis Communitatis alia militat ratio, pati debent æqualia damna, aut majora in vita, honore fama, aut re familiari; non obligabuntur cum onere restituendi: & ratio est, quia non censentur, nec censendi sunt suscepisse talia officia cum tanto onere; sed opem, & operam suam veluti locasse Reipublicæ, & Communitati, ut gravia eorum damna, ut sunt hæreses, publicæ viarum grassationes, etiam cum periculo vitæ impedire teneantur; non vero damna privatorum. cum pari aut majori suo periculo. Sic Lessius *lib. 2. de Just. cap. 13. dub. 10. num. 70.* Vasquez *de Restit. cap. 9. §. 3. num. 25.* Molina *tom. 4. disp. 116. num. 1.* & Sà *verb. Restitutio. num. 1.* 5

Colliges 2. teneri etiam ad restitutionem omnes illos, qui per modum contractus se obligarunt ad custodiam stipendio accepto: cum ex lege justitiæ teneantur ad præstandam custodiam illam, adeoque ea omissa obligantur ad damna resarcienda, quæ ex tali omissione consecuta fuere. Hoc tamen intelligendum, si culpabilem negligentiam commisserint in custodiendo. Sic obligantur Custodes hortorum, vinearum, stagnorum, saltuum, Lacuum &c. Sic etiam Tutores, Curatores, ad defendenda bona pupillorum, & minorum. Sic etiam milites ad defendendam stationem, & arcem sibi commissam, etiam cum discrimine vitæ: cum ad hujusmodi opus 6

periculosum se locarunt ex stipendio; dummodo tamen spes sit prævalendi contra hostes irruentes: nam si nulla spes foret, non tenerentur certam mortem appetere, esset enim vitam prodigere. Sic Molina *disp.* 116. Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 3, *quæst.* 12. *num.* 7. Bonac. *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 4.

7 Colliges 3. teneri ad restitutionem famulos, quibus cura Domus commissa est; si non impediant damna confamulorum, & extraneorum; quæ Domini patiuntur: hanc enim obligationem subeunt ratione famulatus, & ratione specialis commissionis ipsis factæ. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 10, *num.* 75. Azor. 3. *par. lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 8. Molina *disp.* 506. *num.* 5. Navarra *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 226. & Sotus 4. *de Just. quæst.* 7. *art.* 3. Si tamen specialis cura non fuerit ipsis demandata, licèt non peccent mortaliter, nec ad restitutionem teneantur ob damna illata à confamulis, & domesticis; peccant tamen, & ad restitutionem tenentur ob damna illata ab extraneis, si in hoc negligentiam culpabilem commiserint: nam ratione famulatus tenentur bona Domini custodire contra extraneos, non vero contra domesticos, nisi fuerit specialiter demandatum: ut docet Les
8 sius *loc. cit.* cum Soto, Navarra, Turriano, & aliis.

Quæres 1. an accipiens aliquid à fure, ne impediat furtum clamando, & manifestando; possit acceptum retinere, nec teneatur ad restitutionem damni inde secuti? Resp. posse, dummodo ipse non teneatur ex justitia ad impediendum furtum, nec res accepta sit pars furti, quam quidem restituere tenetur ratione rei acceptæ; si fur absolute donavit, ut sic alliceret ipsum accipientem ad tacendum: ratio est, quia reputatur absoluta donatio; & sicut meretrix non tenetur restituere acceptum illi datum animo alliciendi ad peccandum, ita neque in casu adjecto. Sic Molina, Lessius, Rebellus, & alii relati à Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 13. Si vero fur donavit cum eo animo, ac pacto ut accipens absolutè taceret, non solum dum furtum committitur, verum etiam post illud commissum, tenebitur accipiens ad restituendum acceptum; & ratio est, quia acceptum pro peccato patrando habet eamdem malitiam, quam habet peccatum ipsum, medium siquidem participat malitiam finis mali intenti; cum igitur finis intentus sit occultatio furti, quod saltem ex Charitate revelari debet, ne proximus damnum patiatur; inde est, quod acceptum pro hoc peccato patrando minimè retineri poterit: sicuti non retinere poterit meretrix pretium acceptum pro peccatis in futurum patrandis: ut bene docet Molina relatus à Bonacina *loc. tit.* Si denique donavit fur, ut accipiens taceret, dum furtum committitur; poterit post furtum commissum retinere acceptum, quod semper supponimus, non esse partem furti: ratio est, quia accepta ob turpem causam post factum retineri possunt. Sic Navarrus, Sotus, Filliuccius, Lessius, Molina, relati à Bonacina *loc. cit.*

Quoad vero restitutionem damni secuti, tunc tenebitur accipiens aliquid à fure, quando non solum non impedit, sed etiam positive furem animosiorem reddit, & veluti securitatem ingerit, ut audacter furetur ut si dicat, securus esto, non te prodam, operare strenue: cum aliud sit mere non impedire, aliud positive signis externis reddere securiorem furem ad furandum, sic enim censentur efficaciter influere in damnum alterius, quod secum trahit obligationem resarciendi damnum illatum. Secus vero dicendum, si solum non impediret; tunc enim non tenebitur ad damnum secutum resarciendum: quia recipiendo pretium illud non infert injuriam ei, quem fur aliunde paratus est invadere. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *dubit.* 10. *n.* 68. Navarra *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 132. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 13. *n.* 2. & alii.

9 Quæres 2. an impediens ex pravo animo alium, qui ex charitate obstare volebat furi invadenti res Titii; teneatur ad resarciendum damnum Titio illatum? Resp. extra controversiam esse, graviter peccare contra Charitatem sic impedientem illum, qui obstare volebat; non ideo tamen teneri ad restitutionem, nisi vi aut fraude impediret: & ratio est, quia non facit contra justitiam, non enim Titius habet jus justitiæ ad hoc auxilium rebus suis præstandum; Ergo non habetur obligatio restituendi, quæ ex violatione justitiæ oritur: & sicuti impeditus ad obstandum in hoc casu non peccat contra justitiam non succurrendo, sic etiam & impediens non peccabit contra Justitiam, sed contra Charitatem. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. *n.* 66. Rebellus, Navarra, Sayrus relati à Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 3.

Quæres 3. an Custodes, qui ex contractu, & stipendio ad id accepto custodiunt Saltus, Lacus, vectigalia; teneantur non solum ad resarcienda damna, quæ Domini patiuntur; verum etiam ad restitutionem pœnarum, quæ forte impositæ sint venantibus, lignantibus, pascentibus, piscantibus, aut defraudantibus; si illos non manifestent? Resp. certum esse, teneri ad resarcienda damna illata Dominis, cum ad id obligentur ex Officio, & contractu juxta superius dicta. Circa tamen restitutionem pœnarum eos obligant Navarra, Sotus, Salonius, & alii: nam non manifestando defraudant jus dominorum ad mulctam illam accipiendam, & custodes tenentur ex stipendio procurare commoda, & lucra suorum dominorum. Sed deobligandos esse probabilius puto cum Navarro, Sylvestro, quos sequitur Lessius *l. c. n.* 73. Vasq. Filliuc. & aliis, quos refert Bonac. *l. c. n.* 10. ratio est, quia Custodes non tenentur ex justitia, ut domini ditentur pœnis, & mulctis; sed tantum ut impediantur damna, quæ Domini patiuntur ex infideli eorum custodia. Nec defraudantes vectigalia, aut lignantes, pascentes, piscantes, & venantes tenentur ex justitia ad pœnas solvendas ante judicis sententiam: Leges enim pœnales, & commissoriæ non obligant ante sententiam Judicis; adeoq; falsum est, quod assumitur à fautoribus adversæ sententiæ, habere scilicet Dominos jus ad mulctas illas percipiendas, sed solum ad negatam solutionem vectigalium. 10

Quæres 4. an graviter peccent tradentes aliquid Custodibus, ne ab ipsis manifestentur juxta officium suum? Resp. peccare, juxta tamen qualitatem delicti ab ipsis custodibus commissi: ratio est, quia inducunt custodes ad peccandum, adeoque rei evadent peccati juxta ejus qualitatem. Imò obligantur ad restituendum, si custodes teneantur ad restituendum non manifestando illos, & facti sunt impotentes ad restituendum. Sic Navarra *lib.* 3. *cap.* 4. *par.* 1. *dub. ultim.* & Turrianus *disp.* 38. *dub.* 2. *num.* 12 cum Bonacina *de Rest. disp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 11. *num.* 12. 11

Quæres 5. an teneantur ad restitutionem confessarii, si culpa sua vel malitia non cogant pœnitentes accedentes ad se ad restitutionem faciendam, quam pœnitentes fecissent, si adstricti fuissent, vel admoniti, aut si denegata fuisset absolutio? Resp. multos Doctores putare, teneri ad restitutionem: moventur, quia confessarii cum obligentur ex officio regere pœnitentes, eosque dirigere, ne aliis damnum inferant; inde est, quod damna sequentia ex eorum culpa ipsis imputentur, illosque obligent ad resarciendum. Quapropter secundum hos Doctores non solum Episcopi, & Parochi, qui ex Officio curam habent animarum; verum etiam quilibet alius confessarius non habens curam animarum tenetur ad similem restitutionem faciendam, cum vices subeat audiendo confessiones Episcopi, & Parochi. Sic Nav. Mol. Med. Rosella, Angelus, Navar. Sayr. Filliuc. Salon, Aragon. relati à Bonac. *de Rest. disp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 11. *n.* 15. Sed hæc sententia valde ardua est, ac nimis deterreret confessarios à confessionibus fidelium excipiendis: quapropter dicendum est, non teneri, quando omissio admonitionis, vel coactionis ad restituendum non habet rationem consilii: nam si confessarius consultus à pœnitente, an teneatur ad restitutionem, respondet ex malitia, vel ignorantia crassa, aut culpa lata, eum non teneri, cum revera teneatur; aut obliget ad restituendum uni, cum teneatur alteri; concedunt communiter Doctores, teneri tunc ad restitutionem, cum efficaciter influat suo consilio in damnum alterius, ut notat Suarez. Ratio autem cur non teneantur Confessarii ad restituendum, etiamsi ex ignorantia, vel negligentia omiserint admonitionem, vel coactionem; & etiamsi Episcopi, & Parochi sint; quia solum tenentur ex officio ad consulendum bonis spiritualibus pœnitentium, non vero temporalibus aliorum: quapropter peccabunt Confessarii contra debitum justitiæ, quo obstricti sunt ad bonum spirituale pœnitentium; non vero contra debitum justitiæ circa damnum tertii non obligando ad restitutionem. Sic Lessius, Valent. Sanchez, Azor. Sà, Suarez, Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit.*

Quæres tandem: an inducens suo pravo exemplo alium ad damnum inferendum furtum e. g. homicidium, aut quid simile, teneatur ad damnum secutum resarciendum? Resp. licet peccet peccato scandali, quod 13

non

non est controversum; non teneri tamen ad restitutionem damni secuti, nisi incumbat ex Officio impedire damnum secutum: ratio est, quia non violat justitiam, ex qua consurgit restituendi obligatio, sed Charitatem. Idem dicendum etiamsi habeat intentionem inducendi illum suo malo exemplo ad damnum inferendum: nam intentio illa cum sit actus mere internus, non influit in opus externum alterius. Nec obligatio restituendi consurgit ex quocumque opere interno malo, sed requiritur, quod sit injustum, & influat in externum. Extenditur hæc doctrina ad Episcopos, & Parochos, si pravo exemplo ipsorum inducantur alii ad damna inferenda, cum non peccent sic contra justitiam; non enim tenentur ad conservanda bona subditorum, sed ad pascendas spiritualiter illorum animas. Sic Sanch. *in Sum. lib. 1. c. 6. n. 5.* Salas *de Legib. disp. 14. sect. 2. n. 17.* & Bonac. *de Rest. disp. 1. quæst. 2. pun. 11. num. 16.*

Dixi nisi incumbat ex officio impedire damnum secutum, quia puto cum Bonacina cit. teneri ad restitutionem Judicem, aut quemlibet alium ex officio, vel contractu gravatum ad damna impedienda; si suo pravo exemplo inducat ad damnificandum: & ratio est, quia inducens alium ad damnificandum suo pravo exemplo non impedit damnum, ad quod impediendum ex justitia ratione Officii, aut contractus tenetur; Ergo obligabitur ad illud resarciendum. Non nego, oppositam sententiam sustineri à Sanchez *loc. cit.* sed probabiliorem reputo à nobis allatam.

CAPUT XII.

Quomodo teneantur ad restitutionem impedientes alios à consecutione alicujus boni?

1 *Dupliciter impediri quis potest à consecutione boni alicujus.*
2 *Impediens alium à consecutione boni ipsi debiti ex justitia tenetur ad restitutionem etiamsi sine dolo, fraude, aut vi faciat; sed suadendo, aut consulendo.*
3 *Impediens alium à consecutione boni ipsi non debiti ex Justitia non tenetur ad restitutionem, etiamsi ex animo nocendi id faciat.*
4 *Qui vi aut dolo alium impedit à consecutione hæreditatis gratuitæ, legati, Donationis, aut beneficii, quibus dignus erat; tenetur ad resarciendum damnum pro valore spei.*
5 *Qui sine vi, aut dolo impedit dignum à consecutione boni, ut detur indigno; tenetur ad resarciendum damnum, quod patitur Ecclesia, vel Respublica.*
6 *Quid dicendum, si bonum datum indigno vi, & dolo impeditum fuerit digno, non habenti tamen spem consequendi illud?*
7 *An vi & fraude impediens dignum à consecutione boni, ut digniori detur; teneatur ad restitutionem aliquam faciendam digno?*
8 *An vi & fraude impediens digniorem à consecutione boni, ut digno detur; teneatur ad restitutionem aliquam faciendam Digniori?*
9 *An teneatur ad restitutionem, qui postquam suis dictis falso Collatorem beneficii informavit, ea apud eumdem retractavit?*

1 AD clariorem notitiam dicendorum notandum 1. dupliciter posse aliquem impediri à consecutione boni alicujus, primo si bonum debitum ipsi erat ex Justitia. Secundo si non debitum erat ex Justitia, sed ex mera ac libera voluntate aliorum, & ex ipsorum liberalitate, ac beneficentia. Notandum 2. illud dici debitum ex Justitia alicui, quod ipsi debetur sive ex Jure quod habet ad rem, sive in re, à quocumque proveniat jus illud sive à Natura, sive à Lege, aut alio modo. Jus autem ad rem illud dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed tantum in personam: tale jus acquiritur per stipulationem, donationem, emptionem, & alios contractus ante rei traditionem. Simile etiam Jus habetur per electionem, postulationem, & præsentationem ad beneficium, imò per collationem ipsam beneficii, aut successionem hæreditatis ante acceptationem. Jus verò in re illud est, quod tribuit actionem realem, ob quam res obligata maneat: tale jus acquiritur per donationem, emptionem, aliosve contractus secuta jam traditione rei. Insuper per electionem, postulationem, præsentationem, collationem beneficii, per Testamentum, vel successionem hæreditatis ab intestato, posita jam acceptatione. *His notatis*

2 Dicendum 1. qui alterum impedit à consecutione boni alicujus, ipsi debiti ex justitia; tenetur ad restitutionem faciendam, etiamsi sine fraude, dolo, aut vi impedierit; sed tantum suadendo, aut consulendo: ratio est, quia violat jus alterius, ergo tenetur ad resarciendum damnum ex tali violatione consurgens. Sic communiter Doctores teste Lessio *lib. 2. de Just. c. 12. dubit. 18.* Advertendum tamen ex eodem Lessio, restutionem faciendam ob consecutionem alicujus boni sic impeditam, quando jus non est in re, sed ad rem; non commensurandam esse ex valore rei, & boni non consecuti; sed ex valore juris illius, ac spei, qui judicio viri prudentis existimari debet, attendendo videlicet ad circumstantias, & ad mutabilem voluntatem collatoris beneficii: cum non sit bonum in re, sed in spe; & bonum in spe minoris existimatur præ bono in re: ut docent Vasquez *de Benefic. cap. 2. §. 4. dub. 19. n. 143.* & Molina *tom. 3. disp. 727. num. 7.*

3 Dicendum 2. qui sine vi, & fraude, aut dolo alterum impedit à consecutione boni non debiti ex justitia; non tenetur ad restitutionem faciendam ob bonum non consecutum, etiamsi animo nocendi impedierit: ratio est, quia non violat justitiam: non enim impeditus habet jus ad bonum, quod impeditur, cum adhuc pendeat à libera voluntate Collatoris. Nec obstat pravus animus nocendi, tum quia non est contra justitiam, sed contra Charitatem, & ex delicto contra justitiam oritur restituendi obligatio, non verò contra Charitatem; tum quia nisi opus externum sit injustum secundum se, parum refert, quod animus internus sit pravus, ut restituendi obligationem inducat. Ad eum modum, quo si quis propositionem dicat, nullam exterius habentem speciem hæresis, etiamsi illam dicat animo pravo, ac hæretico; non ideo exterius reputandus erit hæreticus & excommunicationem contra hæreticos latam incurrere. Sic Lessius *lib. 2. de Just. c. 12. dubit. 18. n. 128.* referens Navarrum, & Sotum. Sic etiam Rebellus, Azor. Molina, Salon, Aragonius Bannez, Vasquez, Sà, Filliuccius, & Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 1. de Rest. quæstion. 2. punct. 12. numer. 2.*

Hinc colligitur: non teneri ad restitutionem faciendam eum, qui sine vi, & dolo impedivit alterum à donatione nondum acceptata; aut à Legato, vel hæreditate gratis instituenda, etiam si pro se procuraverit, vel pro aliis; vel fecit sine vi, & dolo, ut testamentum mutaretur à testante; & alius hæres, vel legatarius institueretur: ratio est, quia secuti non tenetur ad restitutionem donans revocando donationem non acceptatam; & testans, vel legans revocando, & mutando institutionem faciendam, vel factam, ut supponit casus adjectus; ita neque obligabitur ad restitutionem, qui sine vi, & dolo mediis licitis ad hoc efficiendum cooperatur: nam adhuc positis talibus mediis, ac cooperatione donans, testans, vel legans liber remanet ad revocandum, vel non revocandum. Sic Bonacina *loc. cit. num. 5.* referens Lopez, Rebellum & alios.

4 Dicendum 3. qui vi, aut dolo alium impedit, ne consequatur hæreditatem gratuitam, legatum donationem, aut beneficium, vel officium, quo dignus erat; tenetur ad restitutionem pro valore spei illius judicio viri prudentis existimando: ratio est, quia ob suam dignitatem habet veluti jus inchoatum ad bonum illud, adeoque injuria aliqua illi fit, si vi, & dolo à bono illo impediatur. Clarius, licet non habeat jus absolutum ad bonum illud, quod sperat; habet tamen conditionatum in voluntate Collatoris ratione suæ dignitatis, à quo sine injuria deturbari nequit vi & dolo. Sic Lessius *lib. 2. de Just. cap. 12. dub. 18. num. 123.* asserens esse communem sententiam.

Hinc colligitur: quod vi, & dolo impediens dignum à consecutione boni, ut indigno conferatur, non solum tenetur ad resarciendum damnum digno illatum, vel dignis, si plures fuerint, quos inique impedivit, secundum spem uniuscujusque; verum etiam Ecclesiæ, aut Reipublicæ, si damnum patitur ob indigni prælationem, existimandum semper juxta judicium prudentum: ratio est, quia non solum per vim, & dolum irrogatur injuria dignis, verum etiam Ecclesiæ, & Reipublicæ habentibus jus quærendi sibi idoneos ministros: sic ex eodem Lessio *loc. cit. numer. 127.* docet Bonacina referens Valentiam, Azorium, Lopez, & alios.

5 Dicendum 4. qui sine vi, & fraude impedit dignum à consecu-

secutione boni, ut detur indigno; non tenetur ad restitutionem digno faciendam; sed vel Ecclesiæ, aut Reipublicæ, si damnum patiantur: & ratio est, quia solum Jus Ecclesiæ, vel Reipublicæ violatur, habent enim jus ad idoneos ministros, & dignos; non verò jus digni violatur; ergo ad resarciendum damnum Ecclesiæ, vel Reipublicæ tenetur, non vero digni. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dubit.* 18. *num.* 128. *&* 129. Qui hunc ordinem servat in restitutione facienda, ita ut primo loco teneatur, qui officium administrat, & lucrum percipit; secundo loco Collator Officii; tertio loco suasor ipse, qui indignum antepositit.

Adnotandum tamen: excipiendam esse hanc doctrinam, quando dignus haberet jus ad bonum, sive ex speciali statuto Ecclesiæ, sive Reipublicæ; tunc enim & digno facienda esset restitutio juxta prudentem existimationem: quia violaretur ejus jus ad bonum per prælationem indigni, etiam sine vi, & dolo; ut patet in collatione beneficii curati facta sine vi, & dolo indigno, vel alteri extra numerum concurrentium, postposito digno, & concurrente; quia dignus habet ex Constitutione Ecclesiæ semel ac concurrit strictum, & immediatum jus ad beneficium, quod non censetur habere indignus, & non concurrens. Sic Rebellus, Navarra, Lopez, Vasquez, & alii; quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 12. *num.* 9.

6 Quæres 1. quid dicendum, si bonum datum indigno vi, & dolo impeditum fuerit digno, non habenti tamen spem, ut ipsi conferretur? Resp. impedientem non teneri ad restitutionem digno faciendam: ratio est, quia dolosa illa cooperatio inefficax fuit, nec in damnum influens: nam ipsa non posita, adhuc privatio boni secuta fuisset; ergo non habetur caput, ex quo consurgat resarciendi obligatio, cum nulla spes esset obtinendi bonum. Sic Vasquez *de benef. cap.* 2. §. 4. *dub.* 19. *num.* 135. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. *nu.* 125. & Bonacina *loc. cit. nu.* 6. *in fin.*

7 Quæres 2. an vi, & fraude impediens dignum à consecutione Officii, vel beneficii, ut digniori daretur; teneatur ad restitutionem digno facienda? Resp. negativè: quia dignus non habet jus supra digniorem, adeoque non violatur ejus jus: nam secundum omnem rectam rationem Officia, & beneficia conferenda sunt à Republica, & Ecclesia dignioribus: nec dignus habet jus, ut non cogatur Collator ad conferendum digniori. Si tamen vi, & dolo impeditus fuit, ut æquè digno conferretur; tunc impediens tenebitur ad restitutionem faciendam impedito: nam dignus fraude, & vi impeditus habebat jus respectu æquè digni, ut libera relinqueretur collatio in voluntate Collatoris. Sic Covarruvias *ad Regul. Peccatum part.* 2. §. 7. *num.* 8. Salonius *quæst.* 62. *art.* 2. *controv.* 25. Lessius *libro* 2. *cap.* 12. *dubitat.* 18. *numero* 126. & Turrianus *disput.* 16. *dub.* 2.

8 Quæres 3. an impediens sine vi, & fraude digniorem à consecutione beneficii, ut digno conferatur; teneatur ad restitutionem digniori faciendam? Resp. affirmativè in beneficiis habentibus annexam animarum curam: eo quia ex statuto Ecclesiæ jus habet dignior supra dignum; ergo violatur ejus jus, adeoque resarciendum erit. Sic ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *&* 18. *de Reform.* Cajetanus, Rebellus, Vasquez, & alii recentiores communiter, ut testatur Bonacina *de Restit. in general. disputat.* 1. *quæstion.* 2. *punct.* 12. *numero* 7.

Neque dicas: sic numquam poterit petere beneficium cum tali cura, qui noverit alios competitores digniores, & aptiores se. Concedo namque consequentiam, si certò illi constet: tunc enim & ipse peccaret procurando, & Collator conferendo, relictis dignioribus competitoribus; & bonum commune semper præferendum est privato. Quòd si non certò ipsi constaret, ut ferè semper accidit; nec semper evadit optimus ad officia illa obeunda, qui dignior, & aptior reputatur; tunc divina ope fretus poterit bona fide se Collatori offerre, cujus est omnia considerare in eligendis ministris. Sic doctissimè Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 129.

Si tamen quæsitum procedit de Beneficiis, & Officiis non habentibus annexam curam animarum. Resp. quamvis mortaliter peccet cooperando sine vi, & fraude ad prælationem digni supra digniorem; non teneri tamen ad restitutionem digniori faciendam: moveor quia nil actum est contra jus alterius, ergo nulla insurgit restituendi obligatio: antecedens probatur, quia non actum est contra jus dignioris, cum non habeat in tali casu jus supra dignum; nec contra jus Ecclesiæ, vel Reipublicæ, quia nullum patitur damnum per electionem digni. Quòd autem peccet, probatur: quia cooperatur peccato alterius, nempe Collatoris, qui ex fidelitate tenetur conferre officium, & Beneficium digniori: nam licèt non ita strictè in his beneficiis, & officiis obliget Ecclesia Prælatum, vel Respublica Principem, aut alium Collatorem, ut si ea non conferant dignioribus, peccent contra Legem Justitiæ, cum onere restituendi; obligat tamen ad hoc præstandum, ita ut si non præstent, peccent contra Legem Fidelitatis in dispensando. Sic apertè Lessius *loc. cit.* & sic intelligendi sunt Navarrus, Sotus, & alii apud Azorium *3. par. lib.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 3.

Quæres 4. an teneatur ad restitutionem faciendam, 9
qui postquam suis dictis falsò collatorem Beneficii informavit, illa apud eumdem retractet: Resp. vel ante retractationem res est integra; & tunc non tenebitur ad restituendum: eo quia dum res est integra, & falso informans retractat sua dicta apud collatorem Officii, vel Beneficii; non censetur in damnum influere, cum per retractationem auferat causam positam ad damnificandum, & in libera voluntate collatoris remanet conferre, vel non conferre beneficium. Si vero res non est integra ante retractationem, tenetur ad resarciendum damnum secutum ex vi prioris injuriæ; nec amplius in libertate collatoris est illud impedire, vel non. Sic Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 12. *dubit.* 18. *num.* 24.

CAPUT XIII.

An teneantur restituere in solidum, & quo ordine Cooperantes ad damnum alterius modis superius dictis?

1 *Cooperantes ad damnum alterius positive consulendo, mandando, consentiendo, laudando, receptando, & participando tenentur ad totum damnum, si causa fuere totius; vel partis, si causa tantum fuere partis.*

2 *Quid dicendum de Participante, cum plures simul damnificant?*

3 *Miles gregarius injustè cum aliis aggrediens urbem non tenetur in solidum.*

4 *Qui sine justo metu, & causa, sed voluntarie comitatur fures, custodit sarcinas, abigit pecus, ostendit iter, agit excubias; tenetur in solidum.*

5 *Dux exercitus tenetur in solidum ad damnum illatum à militibus in injusta invasione urbis.*

6 *Quid dicendum de pluribus depopulantibus eamdem vineam, aut pomarium?*

7 *Negative cooperantes ad damnum alterius non clamando, non impediendo, non manifestando, si tenentur ex Officio; obligantur insolidum.*

8 *Explicatur Ordo servandus inter obligatos ad restitutionem, si res aliena extet, aut consumpta sit.*

9 *Explicatur Ordo servandus in pura damnificatione absque acceptatione rei. Et* 1. *loco tenetur, qui imperavit, coegit, aut fraude induxit ad damnificandum.*

10 2. *Loco tenetur executor, qui physicè cooperatus est ad damnum.*

11 3. *Loco tenentur cæteri, qui cooperati sunt consulendo, consentiendo, laudando, recursum præbendo, præstando obsequium, comitatum, aut instrumenta.*

12 *An servandus sit aliquis Ordo inter eos, qui tenentur ad resarciendum post imperantem, & exequentem?*

13 *An resarciente damnum causa principali cæteræ immunes remaneant ab obligatione restituendi?*

14 *An restituente causa minus principali teneatur ad aliquid Principalis?*

15 *Quid dicendum de pluribus causis æquè Principalibus, vel minus Principalibus?*

16 *An si Dominus, qui passus est damnum; condonet uni ex pluribus æqualiter damnificantibus obligationem restituendi, reliqui immunes maneant ab onere restituendi.*

Dico

1 DICO 1. quicumque positivè cooperatur ad damnum alterius consulendo, mandando, consentiendo, laudando, receptando, vel participando; tenetur in solidum, seu ad totum, si causa fuit totius damni; si verò partis damni, tenetur ad partem tantùm: & ratio est, quia unusquisque tenetur ad damnum resarciendum eo modo, quo in damnum efficaciter influxit, ergo si influxit in totum; tenebitur ad illud; si verò in partem obligabitur ad illam. Sic Salon, Bannez, Aragonius, Vasquez, Molina, Lessius, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 10. *n.* 10.

2 Sed dubium insurgit de participante, seu adjuvante an teneatur in solidum, an verò secundum partem: ut quando milites injustè invadunt Urbem; aut plures latrones spoliant transeuntes per viam; vel plures simul ingrediuntur eamdem vineam, ex qua uvas subripiunt; an inquam unusquisque illorum teneatur in solidum ad damnum illatum, an verò secundum partem? Ad quod cum distinctione respondendum: vel cooperatur participans, ita ut simul cum cæteris, cum quibus participat, & quos adjuvat, efficiat unam causam integram; tenebitur ad restitutionem in solidum faciendam: & ratio est, quia unusquisque reputatur causa totius damni, licèt partialis; ergo unusquisque obligabitur ad totum: antecedens probatur, quia unusquisque totam vim suam confert in damnum illud; sicuti unusquisque ex pluribus trahentibus eumdem currum totam vim confert, & dicitur unum pondus portare. Et maximè locum habet hæc sententia, si participans immediatè proximè cooperetur cum aliis ad idem in individuo damnum: ut esset ad effringendam, vel incendendam eamdem domum, ad eamdem arcam auferendam, ad idem pecus abigendum. Sic Cajetanus, Sotus, Medina, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *dubit.* 4. *num.* 34. & alii passim. Si verò participans cooperetur cum Sociis non ad idem dammum in individuo, sed ad aliud distinctum, itaut cum sociis non censeatur efficere unam causam integram; non tenebitur ad resarciendum damnum in solidum, & in totum, sed secundum partem à se illatam: & ratio est, quia reputatur causa tantùm partialis illius damni à se illati, non verò damnorum ab aliis illatorum; ergo ad partem damni illius tenebitur, non verò ad totum damnum resarciendum. Sic Adrianus, Sylvester, Navarrus, quos refert, & sequitur Lessius *l. c. n. 36.*

3 Hinc colligitur 1. Militem gregarium simul cum aliis injustè invadentem Urbem non teneri ad restitutionem in solidum faciendam, sed secundum partem damni à se illati: cum non censeatur causa efficax totius damni ab aliis illati, sed tantùm illius, quod per se in bello iniquo fecit, cum ipse unam domum, alii verò alias domos expilaverint: ut docent Navarrus, Azor. Molina, Navarra, Vasquez, Lessius, quos refert, & sequitur *Bonacina de Restit. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 10. *n.* 13. Secus tamen dicendum, si miles gregarius simul cum aliis tribus, aut quatuor commilitonibus se ad invicem excitarent ac moverent ad unam Domum diripiendam: ut etiam esset, si sex, vel plures latrones viarum se excitarent ad expoliandos transeuntes; tunc unusquisque illorum teneretur in solidum, non verò in partem ad damnum illatum: quia unam causam efficerent, & unusquisque censeretur efficaciter influere in damnum à socio illatum. Sic Bonacina *l. c. n.* 16.

4 Colligitur 2. qui sine justo metu, & causa, sed voluntariè comitatur fures, custodit sarcinas, abigit pecus, ostendit iter, sustentat scalas, excubias agit &c. tenetur in solidum ad damnum illatum: cum censeatur efficaciter influere cum aliis cooperantibus, & unam causam damni illati cum illis constituere. Sic Lessius, Azor. Vasquez, Molina, Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 10. *n.* 17.

5 Colligitur 3. Ducem exercitus teneri in solidum ad damnum illatum à Militibus in injusta invasione Urbis, cum censeatur causa efficax totius damni injustè illati, vel quia milites ad hoc direxit suo imperio, vel quia illos non impedivit, cum teneretur ex Officio impedire. Et sic proportione servata tenentur Duces subalterni in solidum ad damnum injustè illatum à Militibus sibi commissis ob rationes supradictas, Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 4. *n.* 37. Sayrus *libr.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. Navarra *libr.* 3. *capit.* 4. *num.* 54. & alii.

6 Colligitur 4. quando plures eamdem vineam ingrediuntur, vel Viridarium, uvas, vel poma auferendo, si ad invicem se excitarunt, ita ut animosiores facti sint ex consortio; unusquisque illorum tenebitur in solidum ad damnum illatum: ratio est, quia ultra propriam causalitatem, & damnificationem censetur influere efficaciter in causalitatem, & damnificationem cæterorum. Quòd si unus independenter ab alio damnum intulit, nec ex communi consensu aut scientia partem notabilem abstulit; ad illam tenebitur, non verò ad totum: & ratio est, quia non habetur prudens motivum extendendi causalitatem, & damnificationem unius ad causalitatem, & damnificationem alterius. Sic Sayrus *l. c. num.* 8. Azor. 3. *part. lib.* 4. *cap.* 19. *quæst.* 2. Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 15. *num.* 6. Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 3. *quæst.* 2. *n.* 47.

Petes: an si plures ingressi sint simul eamdem vineam, aut viridarium scienter, & singuli levem quantitatem abstulerint, licet non ex communi consensu id fecerint; teneantur in solidum ad resarciendum notabile damnum illatum, & si mortaliter peccent? Resp. quòd nonnulli putant, singulos peccasse mortaliter, & teneri in solidum ad restitutionem: ratio est, quia singuli scienter concurrunt ad damnum notabile alterius, nec est major ratio, cur uni imputandum sit, non verò alteri, & jus Domini clamat, ut resarciatur; ergo & singuli mortaliter peccant ob damnum notabile illatum, & singuli tenentur ad resarciendum illud in totum. Quamvis si fiat ab aliquo ipsorum restitutio secundum partem, ita ut reliquæ partes remanentes non sint notabiles; non teneantur cæteri ad restitutionem faciendam sub mortali: cum nec notabilem materiam ampliùs retineant nec censeantur causa damni notabilis. Sic Salon, Vasquez, Molina, Sayrus, Rebellus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 10. *num.* 15. Contrarium ex Soto, Sanchez, Dicastillo, aliisque, ut quid probabilius tuetur Tamburinus *lib.* 8. *in Decal. tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. eo quod unus nullo modo est causa furti alterius.

7 Dico 2. qui negativè cooperatur ad damnum alterius non clamando scilicet, non impediendo, non manifestando cum ex Justitia, sive ex Officio, sive ex contractu teneatur ad id; obligatur in solidum ad resarciendum damnum inde secutum, si absque justa causa id efficiat: ratio est, quia negativè cooperans ad damnum alterius, non minùs efficaciter influit in illud juxta prudentum existimationem, ac qui positivè cooperatur; ergo si positivè cooperans tenetur in solidum ad damnum resarciendum, etiam tenebitur negativè cooperans, cum uterque sua actione injusta, vel omissione faciat contra *Justitiam*. Sic Lessius *libr.* 2. *cap.* 13. *dub.* 11. *n.* 79. qui testatur esse communem Doctorum sententiam.

8 Ordo, qui servandus est in restitutione facienda ob damnum illatum, iste est: ut 1. loco teneatur ad illam, qui principalis, ac præcipua causa damni fuit. 2. loco, qui minùs principaliter; & hic quidem obligabitur ad restitutionem faciendam non restituente principali. Quapropter primo loco, & ante omnes alios principaliter tenetur ad restitutionem, qui rem alienam habet, vel in se formaliter, vel æquivalenter aut in effectu, in eo scilicet, in quo factus est ditior ex re aliena: ratio est, quia obligatio orta ex re accepta est summa, ideoque principaliter obligat retinentem; ergo illum primo loco principaliter, ac ante omnes alios urgebit ad restitutionem faciendam. Sic Covarruvias *Regul. Peccatum par.* 2. §. 12. *num.* 4. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. *controv.* 8. *conclus.* 1. Molina *disp.* 737. *num.* 2. Navarra *libr.* 3. *capit.* 4. *par.* 1. *num.* 88. Vasquez *in Opusc. de Restit. cap.* 9. *num.* 51. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 15. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 5. *num.* 39. Quod si res consumpta sit, principaliter tenebitur consumptor; si tamen bona fide consumpsit; principaliter tenebitur ad restituendum id, in quo factus est ditior juxta superiùs dicta; si verò mala fide, tenebitur ad pretium rei, ac si extaret: nam qui sciens, & volens præ cæteris commodum reportavit ex ipsa re, præ cæteris sentire debet incommodum obligationis facendæ, alias ex injuria alteri illata commodum reportaret. Sic Vasquez *cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 13. Rebellus *lib.* 2. *de Rest. quæst.*

quæst. 15. *num.* 1. Azor. 3. *part. lib.* 4. *cap.* 19. *quæst.* 3. *regul.* 2. & Lessius *loc. cit. num.* 40.

9 Si verò nil ablatum sit, quod remaneat vel in se formaliter, vel æquivalenter, aut in effectu, sed tantummodo damnum illatum fuerit; tunc inter cooperantes ad illud hic ordo servandus erit: ut primo loco, & principaliter teneatur ad resarciendum, qui imperavit, coegit, aut fraude induxit ad damnum inferendum; sive habeat potestatem, sive non in eum, qui exequitur, dummodo non audeat contradicere: ratio est, quia sic cooperans ad damnum illud reputatur principaliter agere, ergo in illum transfundenda erit primariò restituendi obligatio, non verò in exequutorem, qui minùs principaliter se habet. Sic principaliter injusta despoliatio Urbis tribuitur duci imperanti, & minùs principaliter militibus exequentibus: sic etiam injusta sententia magis tribuitur Judici, quàm Ministro illam exequenti; & homicidium commissum à famulo sic mandante Domino, tribuitur principaliter potiùs Domino mandanti, & præcipienti, quàm ipsi famulo exequenti. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 5. *n.* 42. qui refert Cajetanum, Sotum, & Bannez. Sic etiam Medina *quæst.* 8. Sylvester *verb. Restitut.* 3. *quæst.* 3. Molina *disp.* 737. *num.* 3. Extendit hanc eamdem doctrinam Lessius *cit.* ad eum, qui nomine suo fecit, vel rogavit, aut suasit fieri damnum: nam principaliter ad instar finis operatur movendo cæteras causas; ergo primariò in ipsum transfunditur restituendi onus: par enim est, ut qui damnum suo nomine fieri expescit ob sui commodum, honorem, vel oblectamentum; subeat primo loco incommodum restituendi, ac resarciendi damnum secutum.

10 2. loco tenetur ad resarciendum damnum illatum executor, qui physicè cooperatus est ad damnum inferendum: ratio est, quia exequens damnum physicè, ac immediatè influit in illud; ergo si non agnoscit, damnum reparatum fuisse à causa principaliori se, tenebitur post illam ad damnum reparandum, cum cæteræ causæ sint veluti accessoriæ, & secundariæ, ac ordinatæ ad imperantem, & exequentem.

11 3. loco tenentur cæteri, qui cooperati sunt ad damnum, vel consulendo, consentiendo, laudando, recursum præbendo, aut præstando obsequium, comitatum & instrumenta: quia ut dictum est, sunt causæ accessoriæ, & secundariæ, adeoque in defectum imperantis, & exequentis subire debent onus restituendi: nam qui magis principaliter damnum causat, & immediatè, obligatur primariò ad illud restituendum; qui verò minùs principaliter, & remotè, tenebitur minùs immediatè ad restitutionem. Sic Lessius *libr.* 2. *de Just. cap.* 13. *dubit.* 5. *n.* 44. Notandum hic: cooperantes negativè ad damnum, non clamando scilicet, non impediendo, non manifestando, cum tenerentur ex Officio, ut supponimus; obligari quidem, ut dictum est ad restitutionem faciendam, sed post reliquos positivè cooperantes, cum potior sit positivus influxus in damnum causandum, quàm purè negativus.

12 Quæres 1. an inter eos, qui tenentur ad damnum resarciendum post imperantem, & exequentem; aliquis ordo servandus sit? Resp. Navarram *lib.* 3. *de Restit. cap.* 4. *n.* 81. Alcozer *in Summ. cap.* 25. & alios putare, hunc ordinem servandum esse: ut post executorem consulens; post consulentem receptans, & comitans; denique non clamans, non obstans, non manifestans obligentur. Sed probabilior sententia docet, inter causas secundarias nullum ordinem servandum esse, sicuti servandus est inter causam primariam, & secundariam; adeoque una ex ipsis solvente in integrum, reliquæ immunes remanent ab onere restituendi in integrum, cum æquè primò teneantur in defectum principalis. Quamvis teneantur postea juxta ratam cooperationis ad damnum restitutionem facere ipsi solventi itaut majorem portionem conferre debeat, qui magis executorem movit ad damnificandum; quòd si æquè moverint, æquas portiones conferre debeant: & ratio est, quia unaquæque ex his causis secundariis cooperata est ad damnum per se in suo ordine, nec una inservit alteri tamquam instrumentum illius; non enim laudans servit consulenti, nec consulens consentienti; ergo licèt immediatè succedant in solidum in locum executoris non restituentis, restituente tamen una ex ipsis tenentur pro rata damni portionem conferre. Sic Lessius, Mol. Vasq. quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 8. *pun.* 1. *n.* 10. *in fin. & 15.*

13 Quæres 2. an resarciente damnum causa principali reliquæ causæ minùs principales immunes remaneant ab onere restituendi tum ipsi Domino, qui damnum passus est; tum principali restituenti? Resp. affirmativè: ratio est, quia non tenentur Domino, cum jam à principali reparatum sit damnum ipsi illatum, nec habet jus ad repetendum duplum. Neque tenentur principali, quia obligatio causæ minùs principalis quoad restitutionem, est solvere in defectum principalis; non verò solvere sive in totum, sive in partem principali solventi, cum potiùs jus habeat repetendi minùs principalis in principalem, quàm vice versa. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. Cajetanus, Salonius, & Aragonius *ibidem* Valentia, Covarruvias, Vasquez, Rebellus relati à Bonacina *l. c. n.* 11.

14 Quæres 3. an restituente causa minùs principali teneatur Principalis aliquid restituere? Resp. licèt non teneatur principalis resarcire damnum Domino, quod jam supponitur restitutum ad æqualitatem à causa minùs principali; nec ullum titulum, vel jus habeat dominus læsus ad duplicem compensationem percipiendam: *ut ex leg. Bona fides ff. de Regul. Jur. constat.* tenetur nihilominus ad restituendum causæ minùs principali quantum solvit ad reparationem damni illati: & ratio est, quia minùs principalis succedit in locum Domini, cui damnum reparatum fuit; ergo si Dominus habebat jus ad exigendam solutionem à causa principali, hoc idem habebit causa minùs principalis solvens in gratiam principalis, cujus negotium utiliter gessit, ex quo incommodum reportare non debet: *ut patet ex leg.* 45. *Cum pecuniam ff. de negot. gest.* Sic Rebellus, Azor. Sayrus, Vasquez, Valentia, Medina Lessius, Aragonius, Salon, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 1. *de Rest. quæst.* 8. *pun.* 1. *n.* 12. Ex allata doctrina sequitur, quòd si executor restitutionem faciat in defectum imperantis, teneatur imperans restituere executori quantum solvit; sicuti executor tenetur restituere consulenti, suadenti, laudanti, aut alteri causæ morali quantum in defectum ipsius executoris solvit.

15 Quæres 4. an quando plures fuere causæ damni illati æque principales, vel æquè minùs principales: ut si plures imperassent idem damnum, vel plures illud executi fuissent; teneantur restituere uni ex ipsis solventi in integrum? Resp. hos æquè inferentes damnum alicui primò obligari ad damnum sarciendum per æquales portiones: quia cum æqualiter damnum intulerint, tenentur ad æqualiter sarciendum. Secundò unusquisque ipsorum tenetur in solidum ad damnum reparandum Domino; itaut unusquisque succedat in solidum in defectu alterius, quia unusquisque cooperatus est in totum damnum. Tertiò tenentur omnes per æquales portiones resarcire uni ex ipsis priùs solventi, quantum ipse solverit ad damnum reparandum deducta ejus portione: eo quia jus Domini exigendi à singulis æqualem portionem ad compensandum damnum translatum est per solutionem factam in eum, qui satisfecit pro reliquis, & utiliter gessit eorum negotium, ex quo non debet incommodum reportare; alias pejor esset conditio ejus, quem primò pœnituit damni commissi, & diligenter curavit resarcire illud præ reliquis sociis, qui ex suo defectu, & negligentia commodum reportarent. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 7. Molina *disp.* 737. *num.* 4. Sayrus *libr.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 20. Navarra *lib.* 3. *capit.* 4. *num.* 86. Reginaldus *lib.* 10. *n.* 129. & alii.

Sed quid dicendum: si reliqui æquè damnificantes restituere velint uni ex ipsis quantum solvit in integrum, sed non omnes; an teneantur augere portionem suam in defectu nolentium restituere? Claritatis gratia sit casus: sex intulerunt damnum Cajo sexcentorum aureorum, & quidem æquè principaliter, unus ex ipsis pœnitentia ductus, nolentibus aliis restituere, sexcentos aureos Cajo dedit, ac integrum damnum illatum reparavit; tres ex reliquis sociis resarcire volunt primo solventi pari pœnitentia ducti summam Cajo datam, licèt duo omnino nolint, vel non possint restituere: quæritur an isti tres teneantur restituere tantùm primo solventi singulas portiones, nempe centum aureos; an teneantur ad augere illam in supplementum duorum sociorum restituere nolentium aut impotentium; itaut unusquisque teneatur ad portionem centum quinquaginta aureorum? Resp. teneri ad portionem augendam in defectum sociorum: ratio est,

est, quia sic servatur æqualitas in restitutione facienda, alias defectus sociorum non restituentium gravaret tantùm primum restituentem, qui fuit omnium diligentissimus ad sarciendum damnum. Non nego tamen, quòd ipsis competat jus repetendi quinquaginta aureos à duobus sociis non restituentibus, sicuti etiam competit & primo restituenti. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 7. *num.* 52. Molina, Reginaldus, Rebellus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 8. *pun.* 1. *n.* 16.

16 Quæres 5. an si condonet Dominus, qui damnum passus est, restituendi obligationem uni ex pluribus æqualiter damnificantibus, reliqui immunes remaneant ab onere restituendi? Resp. certum esse penes Doctores, quòd si damnificatus condonet obligationem restituendi principaliter damnificanti, liberi, ac immunes remaneant à restituendo minùs principaliter damnificantes: ratio est, quia sicuti facta restitutione à principali ad nihil tenentur minùs principales; sic ablata obligatione restituendi per condonationem; à principali ad nihil tenentur minùs principales, qui solùm succedere debebant obligationi principalis. Certum insuper esse, quòd si condonet obligationem minus principaliter damnificanti; non ideo immunis remaneat à restituendo principaliter damnificans: ratio est, quia obligatio principalis non pendet à minùs principali, sed è contra: nam ut dictum est, solvente principali ad nihil tenetur minùs principalis solvente tamen minùs principali tenetur principalis; ei compensare solutionem; ergo condonata obligatione restituendi à damnificato minùs principaliter damnificanti; non ideo immunis remanet à restituendo principaliter damnificans. Vide Lessium alios referentem *lib.* 2. *de Just. cap.* 13. *dubit.* 8.

Difficultas ergo est, quando plures æqualiter, & eodem gradu tenentur ad damnum sarciendum, si uni fiat remissio obligationis, an etiam cæteri immunes, ac liberi remaneant? Et respondendum, teneri ad restituendum in solidum, dempta tamen parte ejus, cui facta est condonatio: eo quia inter æqualiter damnificantes obligatio unius non pendet ab alio, sed æquè se habent ad damnum, ergo æquè ad restitutionem faciendam, in solidum, si singuli accipiantur; ad ratam, si simul. Et quia ab uno facta est restitutio, nam condonatio æquivalet restitutioni factæ; ideo reliqui obligabuntur ad restituendum, quod supereſt. Sic Lessius, Azor. Sayrus, Molina, Navarra, Reginaldus, Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restitut. in gen. disputat.* 1. *quastion.* 2. *punct.* 1. *num.* 17.

CAPUT XIV.

Quid restituendum sit, & quantum, ut obligationi restituendi satisfiat?

1 *Si res aliena extat; ea restituenda erit Domino compensato damno, si aliquod interceſſerit.*
2 *An re accepta extante possit æqualis Domino restitui eo invito?*
3 *An qui rem alienam accepit bona, vel mala fide, & eam ita rebus suis permiscuit, ut discerni non valeat; immunis sit à restituendo eamdem numero?*
4 *Si extat cumulus ille, in quo permixta est res aliena; tunc dominus rei permixtæ habet jus in re, & uti potest occulta compensatione juxta Lessium.*
5 *Tantum restituendum est, quantum requiritur ad æqualitatem cum debito, vel damno illato.*
6 *Ad quid tenentur projicientes in mare merces alienas ingruente tempestate?*

1 DICO 1. si res aliena, aut alteri quocumque modo debita extet; restituenda erit Domino, cui debetur: ratio est, quia ut satisfiat obligationi restituendi, debet servari æqualitas, & jus alienum; quæ quidem non servarentur, si res, quæ extat; non restitueretur domino, è quo dominium non est jam abdicatum, *ut patet ex leg. Manifesti Cod. de solut.* Si verò non extet, restituendus erit ejus valor, & pretium, quod loco rei ipsius succedere censetur. *Ex Authen. Hoc nisi de Solut.* & sic Doctores passim.

Hinc infertur 1. teneri furem ad restituendam rem acceptam, quæ extat, sive melior, sive deterior facta sit, sive tantùm in statu eodem reperiatur, compensato semper damno si deterior effecta fuerit, cum sic servetur æqualitas. Quapropter qui rude argentum surripuit, ex quo sibi craterem fecit; tenebitur ad restitutionem illius Domino, licèt deducendæ sint expensæ in opere elaborando.

Infertur 2. damnificantem, seu debitorem obligari ad resarcienda damna, quæ damnificatus, vel creditor passus est ejus culpa, fructus scilicet, quos percepisset, & expensas factas in re sua recuperanda: eo quia sic servatur æqualitas, & resarcitur Jus alienum læsum. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 17. *numer.* 24. Navarra *lib.* 4. *de Rest. cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 4. Rodriquez 1. *par. cap.* 151. *n.* 4.

2 Petes 1. an qui rem accepit à Domino, & adhuc extat; possit illi æqualem restituere, etiamsi invitus sit? Resp. negativè: tenetur enim sub gravi rem extantem Domino restituere, si invitus supponatur ob specialem affectum, quem erga rem illam conservat, vel conservare censetur: ratio est, quia res domino suo clamat, nec ejus dominio spoliatus est; ergo injuria illi fit, si non restituatur eadem ob affectum, quem habet ad illam, & in quo injustè vexatur. Secus dicendum, si non supponatur specialiter affectus circa rem illam, tunc enim & servaretur æqualitas in restituenda re, nec supponitur graviter invitus, adeo ut gravem patiatur injuriam. Sic Molina *tom.* 3. *disp.* 751. Rebellus *quast.* 5. *num.* 14. Cajetanus 2. 2. *quast.* 88. *art.* 12. Navarrus *in Summ. cap.* 17. *n.* 25. & Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 14. Quamvis Navarra, & Sayrus putent, absque peccato posse restitui domino invito rem æquè bonam. Hinc colligitur: posse depositarium uti pecuniis apud se depositis si securus sit, similes se habiturum tempore depositi restituendi; dummodo tamen eas occlusas non habuerit in arca, vel sacculo obsignato; quia hoc ipsum indicat, restituendas esse easdem.

3 Petes 2. an qui rem alienam bona, vel mala fide à Domino acceptam ita rebus suis permiscuerit, ut amplius discerni nequeat; liber, & immunis sit à restitutione ejusdem numero? Resp. affirmativè: & ratio est, quia per talem mixtionem cum propriis rebus, itaut facta sit impossibilis separatio; acquiritur dominium rei illius: ut colligitur *ex leg. Si alieni nummi. ff. de Solution. & ex §. si duorum Instit. de rerum divis.* & est valde consentaneum naturali æquitati: cum enim discerni nequeat, an hæc potiùs pars quàm illa sit aliena; par est, ut omnes partes sint illius permiscentis cum suis; adeo ut pereat obligatio realis individua, licèt remaneat obligatio personalis, cui poterit satisfieri vel per pretium rei ablatæ, vel per aliam æqualem. Sic Sylvester *verb. Usura.* 6. *quæst.* 1. Angelus *eod. verb.* 2. *num.* 18. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 14. *dubit.* 3. *num.* 22. Medina *quæst.* 10. *de Rest.* Sà *verb. Restit. n.* 7. & Navarra *lib.* 3. *de Rest. cap.* 4. *pun.* 2. *n.* 17.

Colliges hinc 1. non teneri ad Restitutionem, si frumentum, oleum, vinum, & similia facilè permiscibilia à fure emeris, quæ domi suæ permixta habebat cum aliis similibus à se possessis; etiamsi scienter emeris, & adhuc penes te extent: ratio est, quia à vero Domino empta fuere: fur siquidem per mixtionem illam cum rebus suis dominium acquisivit, esto teneatur ipse satisfacere dominis, à quibus res abstulit. Sic Sanchez, Sayrus, Vasquez, Navarra, & alii communiter relati à Bonacina *de Rest. quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 6. & expressè Medina *quast.* 10. Teneris tamen ad restitutionem, si in fraudem Creditorum emeris, ut meritò advertit idem Bonacina citatus.

Colliges 2. si bona fide rem aliquam emptori vendidisti, qui nummos furtivos in pretium justum tradidit; teneris ad eos Domino restituendos, si antequam cum tuis permisceas, agnoscas esse furtivos: ratio est quia res semper Domino suo clamat, ac illi restituenda erit, dum ab eo dominium abdicatum non fuerit. Secus verò dicendum, si agnoscas esse furtivos, postquam cum tuis miscuisti; tunc enim ad nihil teneberis, nec ratione injustæ acceptionis, quia bona fide accepisti, & miscuisti; nec ratione rei acceptæ, quia jam per mixtionem bona fide factam dominium abdicatum est à Domino nummorum, & in te translatum nec factus es locupletior ex re aliena, cum servata fuerit æqualitas inter rem, & pretium. Sic Sanchez

in Summ.

in Summ. lib. 2. cap. 23. num. 35. Navarra *lib. 3. de Rest. cap. 4. pun. 2. num. 17.* & Bonacina *de Rest. quæst. 3. pun. 1. n. 7.*

Contrarium innuere videtur Lessius *lib. 2. cap. 20. dubit. 18. n. 157.* ubi docet, quod quando extat cumulus ille, in quo permixtum reperitur frumentum alienum, vel vinum, aut oleum, & aliquo modo perseverat idem; tunc dominus frumenti, vini, aut olei permixti valde congruenter habebit jus in re, adeout possit ex illo occultè accipere quantum sibi ablatum fuit; & præferendus sit ante omnes alios, ut ex illo cumulo satisfactus remaneat: ratio est, quia jus ipsum naturæ dictare videtur, quòd si mihi constet, rem meam esse in hoc cumulo, possim ex illo repetere, quantum ad me spectat: maximè quia *ex Instit. superius cit.* competit actio in rem illi, cujus erat res permixta, quamdiu acervus extat totus: confirmatur etiam ex *leg. Marcellus §. Pomponius ff. de rei vendicat.*

5 Dico 2. tantum restituendum esse, ut obligationi restituendi satisfiat, quantum requiritur ad æqualitatem ponendam cum debito, vel damno illato: ratio est, quia cum sit actus Justitiæ commutativæ restitutio facienda, ideo servare debet hanc æqualitatem quæ primariò respicitur à Justitia commutativa. Sic Doctores communiter.

Hinc fit 1. quod si certa sit quantitas debiti satisfaciendi, aut damni illati; tantundem restituendum sit, ut servetur æqualitas ad justitiam requisita, & ut cesset obligatio restituendi. Si verò incerta fuerit, tantum restituendum erit, quantum moraliter, & judicio prudentis viri censetur sufficiens ad æqualitatem servandam, consideratis priùs circumstantiis loci, temporis, & personæ; & perpensis rationibus lucri cessantis, ac damni emergentis: his enim adhibitis nec alicui fit injuria, nec quod alienum est retinetur: & cum versemur in moralibus nulla alia exactior Regula in restitutione assignari poterit. Sic Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. pun. 6.* Salonius 2. 2. *quæst. 62. art. 4.* Reginaldus *lib. 10. n. 214.* Rebellius *lib. 2. de Rest. quæst. 10. sect. 2.* Sà *verb. Rest. n. 61.* Molina *tom. 3. disp. 726.*

Fit 2. devastantem alienas segetes sive ex malitia, sive ex negligentia antèquam ad maturitatem perveniant; sicuti occidentem equinum pullum antequam ad annos perfecti equi perveniat non teneri ad restitutionem integri pretii, quod habuisset tempore suo, sed quod actu habent cum proportione geometrica, non aritmetica ad tempus illud, cum multa pericula considerari possent, antequam perveniant ad tempus illud, quibus substant; & minoris existimatur id, quod in spe est, & in virtute præ eo, quod actu existit. Sic si segetes tempore Messis existimatæ fuissent duo centum, & pullus equinus in statu perfecto centum; non ideo vastator, aut occisor obligabitur ad restituenda aritmeticè pretia illa, sed prudentis viri erit considerare omnia, & pretium minuere cum proportione geometrica. Nec malitia vastantis, & occidentis aggravat, vel minuit pretium rei, cum à Justitia non consideretur, sed ab alia Virtute. Et quamvis Doctores in hoc discrepare videantur, ut sunt Sotus, Salonius, Bannez, Navarra, Reginaldus, qui putant, restitutionem faciendam esse juxta pretium, quod tempore suo habebunt. E contra Lessius, Molina, Sayrus, Filliuccius censent, faciendam esse juxta pretium, quod actu habent; nihilominus revera non dissentiunt, cum & primi consideratam velint rationem periculi, & expensarum; & secundi proportionatum pretium actu tribuant, quod non tribuerent si consideratam nollent futuram spem: actu siquidem segetes, ac pullus equinus vel nullum pretium haberent, vel valde exiguum. Sic optimè observat Bonac. *de Rest. quæst. 3. pun. 1. n. 9. & 10.*

Fit 3. damnificantem, aut debitorem solùm teneri ad restitutionem cum æqualitate faciendam pro damno, & debito pecunia æstimabile; non verò præ mœrore, tristitia, aut animi molestia, quam damnificatus, vel creditor passus est ob damnum illatum, aut ob dilatam solutionem: ratio est, quia similes injuriæ aliam exigunt satisfactionem, non præstandam per restitutionem; nec pecunia compensabiles existimantur ut similiter dicitur de contumeliis à Doctoribus. Sic Molina *disputat. 726. numer. 4.* Reginaldus *libr. 10. num. 214.* & alii.

Petes: ad quid teneantur projicientes in mare alienas merces tempestate ingruente? Resp. cum distinctione: vel projicientes alienas merces habent etiam & proprias, vel non habent. Si habent tenentur pro rata mercium resarcire projectionem factam mercium alienarum: ratio est, quia non solùm alienæ merces sunt causa depressionis navis, verum etiam propriæ; ergo non esset secundum æquitatem transfundere totum onus in alienas merces, non verò in proprias: cum igitur æquè concurrant ad navis interitum, æquè subjacere debent projectioni: ut constat *ex leg. 2. & 4. de leg. Rhodia de Jact.* Si tamen nullas merces habeant, tunc projicientes non tenentur ad ullam restitutionem faciendam: ratio est, quia jus naturæ tribuit cuique, posse à se repellere quidquid interitum affert, vel impedimentum, ne possit in extremo periculo constitutus vitam suam salvare; ut sunt merces in casu adjecto. Sic *ex leg. 2. cit.* colligunt Medina *de Rest. quæst. 3. cauf. 1.* Navarra *lib. 3. cap. 1. num. 381.* & Lessius *lib. 2. de Just. cap. 12. dubit. 20.*

Hinc deduces: posse licitè absque obligatione restituendi in extremo periculo constitutum perfodere alienum parietem, segetes conculcare, & similia, si aliter vitam suam ab hoste ingruente salvare nequeat; sicuti etiam accipere alienum equum, si ibi reperitur ut celeriùs fugiat ab hoste insequente, etiamsi æquus fortuitò intereat: ratio enim est, quia natura dat unicuique jus ad utendum re aliqua, itaut possit illam licitè consumere, si extremè ea indigenti necessaria est ad vitæ defensionem; itaut si nil ejus remaneat, aut in nullo factus sit ditior; ad nihil teneatur. Sic Doctores citati.

Sed quid dicendum: si merces propriæ sint parvi ponderis, ut sunt gemmæ, vel margaritæ, quamvis longè majorem æstimationem habeant præ mercibus alienis projectis? Resp. quamvis lege positiva statutum sit, habendam esse rationem æstimationis mercium: quia quò merces sunt pretiosiores, eò magis interest, ut navis incolumis perveniat, & sic majus commodum reportat projiciens alienas merces in suis salvandis, adeoque æquum visum fuit, collationem fieri debere secundum mercium æstimationem. Nihilominus ubi talis lex non extat, valde probabile est, servandam esse rationem ponderis in mercibus: moveor, quia in hoc casu fortuito periculum submersionis navis immediatè provenit à pondere mercium, non ab æstimatione, aut pretiositate earum; ergo ratio ponderis attendenda erit, non vero æstimationis mercium. Vide Lessium *de hac re* expressè tractantem *lib. 2. de Just. cap. 12. dubit. 20.*

CAPUT XV.

An accepta ob causam honestam aliàs debitam restituenda sint?

1 *Accepta ob causam honestam aliàs debitam ex justitia restituenda sunt.*
2 *Accepta ob actionem, vel omissionem proximo debitam ex Charitate non importantem laborem, aut incommodum restituenda sunt.*
3 *Accepta ob actionem, vel omissionem aliquam cedentes in utilitatem ipsius accipientis, vel in Dei honorem, & Gloriam non sunt restituenda.*

1 QUAMVIS aliqui putarint cum Medina, Navarra, & Covarruvia, indiscriminatim restituendum esse acceptum ob causam honestam, alias debitam sive ex Justitia, sive ex Charitate, aut alio præcepto; nihilominus cum distinctione procedendum, non enim de omnibus eodem modo discurrendum est, ut constabit.

Dicendum igitur 1. accepta ob causam honestam alias debitam ex Justitia e. g. ob aliquam honestam actionem, vel omissionem debitam proximo ex Justitia ut si Judex accipiat pecuniam ob sententiam justam ferendam, testis ob veritatem testandam, aut fur ne furetur, occidat, comburat, restituenda esse tradenti, supponimus tamen Judicem alias habere stipendium à Republica: ratio est, quia accipiens aliquid supra æqualitatem tenetur ad id restituendum, cum justitiam violet; ergo si accipiens tenetur ad actionem illam honestam ex Justitia, vel ad omissionem pariter hone-

honestam ex Justitia; accipit supra æqualitatem, & cum injuria, si aliquid accipiat. Maximè quia quod datur pro justitia obtinenda, vel injuria vitanda, non sponte, sed coactè tradi videtur, adeoque per tacitam quamdam *injuriam* extorqueri censetur. Sic Sot. *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *n.* 63. Navarra *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 97. Sà *verb. Rest. n.* 9.

Adnoto tamen: nec Judicem teneri ad restitutionem pro sententia justa, si aliquid accipiat ipsi liberaliter traditum; nec testem, si acceperit id ob damnum, vel periculum, quod sibi prudenter timet ob veritatis attestationem: eo quia licèt teneatur ex Justitia ad veritatem testandam, si testari velit; nihilominus non semper tenetur ex Justitia ad testandum, & maximè cum sui incommodo, ac detrimento. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 14. *dubit.* 9. *num.* 64. & 65.

Adnoto insuper: pro omissione injuriæ furti e. g. homicidii, combustionis, detractionis &c. quæ quidem omissiones ex justitia debitæ sunt, nec ullum laborem, ac incommodum afferre solent omittenti; nil accipi posse, etiamsi in gratiam alterius fiant; quapropter semper restitutio facienda erit tradenti pecuniam; & ratio est, quia quando actio vel omissio est ex se invendibilis, invendibile pariter erit obsequium, quo in gratiam alterius fiunt: obsequium namque præstitum pro eo, quod ex Justitia debetur, non censetur pretio dignum penes homines, alias usurarius poterit ultra sortem aliquid accipere, quia in gratiam alterius mutuat. Non nego tamen, quod si aliquod liberaliter, & gratuitò daretur; retineri posset in casibus adjectis; cum non censeretur invitè, & coactè datum, sed ex motivo liberalitatis. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 14. *dub.* 9. *num.* 67.

Pari modo discurrendum erit in reddendo depositum, commodatum, inventum, aut in solvendo debitum, nil enim exigi potest pro actionibus istis, quin habeatur obligatio restituendi acceptum tradenti: cum omnes sint actiones ex justitia debitæ, & æqualitas violaretur, si aliquid acciperetur pro ipsis. Loquimur hic de nuda redditione depositi, commodati, inventi, aut debiti, quæ nil laboris, aut incommodi secum afferre solet. Si tamen laborem aliquem, vel incommodum pretio æstimabile, ad quod reddens non teneretur ex justitia, secum afferret actio illa; poterit aliquid pro tali labore, & incommodo accipi absque restituendi obligatione, ut ex se patet.

2 Dicendum 2. acceptum pro actione, vel omissione debita proximo ex Charitate, si non importent laborem, aut incommodum; restitui debet tradenti: & ratio est, quia non sunt pretio æstimabiles secundum prudentum judicium; quod enim nil laboris, nil incommodi, aut sumptus secum affert, & aliunde proximo valde utile est, non video, quem titulum dare possit, ut acceptum pro ipsis justè retineri possit: maximè quia natura ad id obligat juxta vulgatum axioma: quod tibi non nocet, & alteri prodest, faciendum erit. Imò si aliquid pro ipsis traditur, nisi constet liberaliter traditum; semper supponendum erit tradi coactè. Sic Medina *quæst.* 26. Covarruvias *ad Regul. peccatum pun.* 2. §. 3. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 14. *dub.* 9. *n.* 69. Navarrus *in Summ. capit.* 17. *n.* 34. & Reginaldus *lib.* 10. *n.* 179.

Neque dicas: ex violatione Justitiæ oriri obligationem restituendi, non verò Charitatis, alias Medicus teneretur restituere pecuniam acceptam ab infirmo indigente ejus opera, cum aliunde teneatur ex Charitate mederi infirmo indigenti. Contra enim est: licèt ex sola violatione Justitiæ, non verò Charitatis oriatur restituendi obligatio; nihilominus exigendo aliquid pro actione, vel omissione debita proximo ex Charitate absque detrimento, vel incommodo exigentis violatur justitia, cum nil ponat pretio æstimabile. Ad sequelam de medico respondetur, ponere actionem pretio æstimabilem, dum *infirmum* curat, etiamsi ex Charitate teneatur; adeoque nulla restituendi obligatio illum urget, nisi obligaverit se ad gratis medendum, præcipuè egenis, & pauperibus.

Ex dictis sequitur: acceptum pro deponendo odium contra *inimicum*, etiamsi in gratiam alterius fiat; restituendum esse tradenti; nisi liberaliter, & gratuitò detur: cum sit actio debita proximo ex Charitate, & utpote non afferens detrimentum, & incommodum ex se invendibilis est, & pretio non æstimabilis. Sicuti restituendum pariter erit acceptum pro detegendo furе, aut indicando loco ubi res alienæ depositæ fuere; nisi dominus liberaliter tradiderit, & omnino gratuitò; aut *nisi* laborem, sumptus, periculum pati debeat accipiens ob tales actiones ex Charitate debitas. Sic Covarruvias, & Lessius *l. c.*

Dicendum 3. acceptum pro actione, vel omissione 3
aliqua, quæ solùm cedant in utilitatem ipsius accipientis, vel in Dei honorem, & Gloriam; retineri potest absque obligatione restituendi: ratio est, quia quod traditur pro ipsis, supponitur liberaliter, & gratuitò traditum; ergo licitè retineri poterit ab accipiente absque ullo onere restituendi, antecedens probatur, quia nemo supponendus est, velle emere actiones, aut omissiones liberas, ad quas aliunde tenetur accipiens, & quæ solùm vergunt in commodum accipientis, vel in Dei honorem; ergo si quid pro ipsis traditur, censendum erit liberaliter datum in bonum ipsius accipientis, & in Dei Gloriam, & honorem. Sic Navarra *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 100. Lessius *lib.* 2. *capit.* 14. *dubit.* 9. *n.* 70. & alii.

Hinc deducitur non restituendum esse acceptum à Turca, ut Christianus fieret; ab obstinato peccatore, ut non blasphemaret, confiteretur in Paschate, conciones, aut Missas audiret, & similia; à juvene, ut scholas frequentaret, artem addisceret, ne fornicaretur &c. ratio est, quia habetur prudens fundamentum censendi, liberaliter datum fuisse quod accipitur, nec extortum à tradente: ut rectè supponitur in aliis actionibus, & omissionibus debitis proximo ex Justitia, vel Charitate secundum superiùs dicta.

Adnotandum tamen: posse accipientem aliquid pro non patrando peccato compelli in judicio ad restituendum quantum accepit, ut clarè constat *ex leg.* 2. *Ut puta ff. de Condict. ob turp. caus.* ratio est, quia per ipsam legem datur actio ad repetendum in Judicio, quod datum est pro *non* patrando *crimine*, ab ipsis tamen legibus punito; quæ tamen obligatio restituendi non oritur ante latam sententiam, sed post ipsam: ut habet Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *n.* 71.

CAPUT XVI.

An accepta ob turpem causam restituenda sint; & cui?

1 *Præmittuntur duo necessaria in hac re.*
2 *Accepta post factum ob turpem causam, si pactio interceserit; non sunt restituenda, dummodo accipiens non sit factus inhabilis ad retinendum.*
3 *Accepta ob turpem causam ab incapaci ad accipiendum etiam post factum restituenda sunt tradenti.*
4 *Quando facienda est restitutio ante factum, vel post factum ab incapaci, semper facienda est tradenti.*
5 *An acquisita ob turpem causam à filiis, servis, Uxoribus, restituenda sint Parentibus, Dominis, Maritis?*

SUPPONO 1. tamquam indubitatum, & certum 1
quòd contractus, vel alia quæcumque pactio de re illicita facienda nullam obligationem inducat ad exequendum illam, imò omnino rescindendi erunt similes contractus, & pactiones: nam ex ipso jure naturæ quilibet adstringitur ad retrahendum se à peccato, nec ulla posse obligatione urgeri ad ipsum patrandum. Suppono 2. nil dari, vel accipi posse pro turpi causa, seu pro opere illicito patrando ante *factum*: eo quia cum quilibet obligetur ad abstinendum ab opere malo, tenebitur pariter abstinere à medio inducente ad illud, cum medium participet malitiam finis; adeoque cum pretium sit medium ad opus malum patrandum, sicuti ante factum abstinendum est ab ipso opere malo, abstinendum pariter erit à pretio inducente ad *illud*: quapropter nil dari, vel accipi poterit pro opere malo patrando. Hæc sunt certa penes Doctores.

Dubium controvertitur inter ipsos: an accepta post 2
factum ob turpem causam, scilicet ob crimen patratum, restituenda sint ab accipiente, & cui?

Dico 1. accepta post factum ob turpem causam, seu pro opere illicito patrato, de quo contractus, pactio aut promissio inita fuerat; non sunt restituenda, si accipiens capax est dominii, nec inhabilis factus ad illud, & si tradens habet dominium rei traditæ: ratio est, quia obligatio restituendi oritur ex causis, quæ sunt contra Justitiam; sed acceptio pretii ob

turpem

turpem causam, seu ob opus illicitum adimpletum pretio æstimabile, & quod non est debitum; non est contra Justitiam, esto sit contra aliam Virtutem; ergo non inducit obligationem restituendi. Exemplo res complanatur: accepit Titius à Cajo nummos, ut Sejum vulneraret, quem defacto vulneravit: in quo casu actio illa vulnerandi non est debita Cajo mandanti vulnerationem, & aliunde est pretio æstimabilis, ut pote variis obnoxia periculis, laboribus, ac damnis, & utpote cedens in bonum utile, vel delectabile Caji; ergo non debet restituere Cajo, cui nullam infert injuriam. Nec debet restituere pretium acceptum Sejo, nam Sejus non est dominus pretii illius, esto teneatur Titius resarcire omnia damna Sejo illata ob vulnerationem, non tamen pretium illud; ergo non habetur obligatio restituendi ratione Justitiæ pretium acceptum ob opus illicitum adimpletum. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *&* *cap.* 18. *dubit.* 3. *n.* 18. Molina *disp.* 74. *concl.* 2. Sà *verb.* *Rest.* *n.* 17. Sanchez *in oper.* *moral.* *lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 96. Turrianus *disput.* 4. *dub.* 4. *n.* 10. Azor. Cajetanus, Medina, Reginaldus, Covarruvias, & Navarra relati à Bonacina *de Restit.* *quæst.* 3. *pun.* 3. *n.* 2.

Hinc colliges 1. teneri promittentem juxta probabiliorem sententiam secuto effectu solvere pretium pro opere illicito patrando statutum: cum fuerit promissio onerosa, & pro re exposita labori, periculo, & detrimento fortunarum, & quæ non supponitur gratis facienda ab executore: quapropter ipsa posita consurgit in promittente obligatio reddendi promissum ad æqualitatem, etiamsi promissio facta fuerit ob opus illicitum, quod Legibus punitur, ut est homicidium, adulterium, furtum, cum hæ Leges loquantur pro foro externo, ut notat Bonacina *l.* *c.* *num.* 3. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 3. *n.* 18. referens Covarruviam, Cajetanum, & Medinam. Hinc est, quòd tenetur promittens reddere pretium promissum pro copula habita cum quacumque fœmina, sive soluta sit, sive conjugata, sive Monialis.

Colliges 2. non teneri Judicem ad restitutionem pretii accepti pro injusta sententia lata, quamvis teneatur resarcire parti omnia damna per eam illata. Nec teneri falsum testem ob perjurium à se factum restituere pretium acceptum, quamvis simili obligatione urgeatur resarciendi damna illata ob falsum testimonium. Eodem modo dicendum de milite, qui non tenetur ad restitutionem pretii accepti pro bello injusto, quamvis teneatur ad resarcienda damna in bello injusto illata. Denique non teneri Divinatorem qui ope dœmonis utitur ad futura divinanda; restituere pretium acceptum ob Divinationem, cujus artem callet. Secus verò dicendum, si esset ignarus talis artis, cum tradentem deciperet; & tunc non solùm tenetur restituere pretium acceptum, verum etiam damna, & expensas factas à tradente, quem fallit, resarcire, cum sit causa injusta talium expensarum. Sic Sanchez *in oper.* *moral.* *lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 96. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 8. Navarra *lib.* 2. *pun.* 1. *n.* 117. & Bonacina alios referens *de Rest.* *disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 3. *n.* 10.

Notandum hic discrimen inter promissionem factam Deo, & factam hominibus. Nam si facta Deo sit ob malum finem, Deus illam non acceptat, sed potiùs detestatur; secus verò si fiat hominibus ob malum finem, & illa acceptetur; inducit post factum obligationem tradendi pretium statutum. Neque dicas: non posse accipi pretium pro peccato, & malitia, imò si peccatum est præteritum per pretii receptionem illud approbatur; & quod accipitur pro opere illicito, illicitè retinetur, & obligat ad restitutionem, cum peccatum sit opus invendibile. Resp. pretium non accipi pro peccato, & malitia, quod extra controversiam est invendibile; sed pro aliis circumstantiis, quæ vendibiles sunt, & pretio æstimabiles: ut clarè constat in homicida, & Meretrice locantibus operam suam, & corpus suum, pro qua locatione pretium accipiunt: ut rectè advertit Azor. 3. *par.* *lib.* 4. *cap.* 21. *quæst.* 1. Nec per receptionem pretii approbatur peccatum præteritum, cum possit detestari; nec post factum illicitè retinetur pretium ut constat ex dictis. Vide Molinam *disp.* 44. *in fine*.

3 Dico 2. accepta ob turpem causam ab incapaci ad accipiendum illa, etiam post factum restituenda erunt tradenti: eo quia si incapax est dominii, non poterit ullatenus accepta retinere, utpote aliena; & alienum Domino suo restituendum erit: ideo accepta per Simoniam, etiamsi gratuitò tradita fuerint, ac liberaliter; semper restituenda erunt, cum lex Ecclesiastica reddat incapacem dominii sic accipientem, juxta tamen ea, quæ dicta sunt de Simonia. Sic Molina *disp.* 94. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 185. Navarrus *in Summ.* *cap.* 17. *n.* 30. Navarra *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 91. & Bonac. *de Restit.* *quæst.* 3. *pun.* 3. *n.* 12. Idem dicendum, si tradens non potuerit tradere, & donare, utpote non habens dominium rei traditæ; tunc enim accepta ob turpem causam, sive ante, sive post factum restituenda erunt, cum non possit transferri dominium in accipientem, quod non habetur, ut patet ex se.

Petes hic 1. cui facienda sit restitutio acceptorum ob turpem causam? Resp. quando facienda est ante factum, ac quando etiam post factum facienda est ab incapace Dominii per Leges, semper facienda est tradenti: ratio est, quia tradens non abdicavit à se dominium, nisi sub ea conditione, quod transferatur in accipientem secuta causa, ob quam traditur, & si accipiens capax sit dominii; ergo ante secutam causam, & si accipiens incapax est dominii per Leges, dominium non alienatur à tradente; ergo ipsi facienda erit restitutio. Sic Sanchez *in Summ.* *lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 96. Sotus *lib.* 4. *de Just.* *quæst.* 7. *art.* 1. Nav. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 146. Vasquez *cap.* 7. *dub.* 9. *n.* 77. Molina *disp.* 94. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *n.* 61. & alii contra Medinam putantem debere fieri pauperibus. 4

Petes 2. an acquisita ob turpem causam à filiis, § servis, Uxoribus restituenda sint Parentibus, Dominis, Maritis? Resp. quamvis Navarra, Sotus, Reginaldus, Bannez, Molina, Turrianus, & Filliuccius apud Bonacinam *de Rest.* *disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 3. *n.* 14. putent, restituenda esse Parentibus, Dominis, Maritis, cum pariter discurrendum sit de acquisitis licitè ab ipsis, ac de illicitè acquisitis, nam peccatum favere non debet; nihilominus satis probabilis mihi videtur sententia Bonacinæ, & Didaci Perez cum aliis, quæ asserit non restituenda esse supradictis: ratio est, quia neque Parentes, neque Domini, aut Mariti habent jus in rebus illicitè, & inhonestè acquisitis à filiis, servis, & Uxoribus; sicuti habent in licitè, & honestè acquisitis secundum leges, & Jura, quæ de illicitè acquisitis non loquuntur: nec talia turpiter acquisita, utpote odiosa Parentibus, Dominis, ac Maritis, congruum est ut ipsis restituantur. Nec favet peccatum, quia acquisita non retinentur propter peccatum, aut malitiam illius, ut dictum est.

CAPUT XVII.

An bona incerta restituenda sint, & cui?

1 *Quænam dicantur bona incerta?*
2 *Si bona incerta dominum habent, licèt incertum* § *restituenda sunt.*
3 *Bona inventa, quorum dominus ignoratur post diligentem inquisitionem, restituenda sunt pauperibus, aut aliis piis locis.*
4 *Bona incerta acquisita sive ex delicto, sive ex contractu injusto, si dominus ignoretur post diligentem inquisitionem; restituenda sunt pauperibus; aut aliis piis locis.*
5 *Quinam veniant nomine Pauperum, quibus facienda est hæc restitutio?*
6 *An facta restitutione pauperibus, si dominus compareat; remaneat obligatio aliqua erga illum?*
7 *An restitutio incertorum fieri possit quibuscumque pauperibus?*
8 *An si non ignoretur dominus, quamvis ignoretur ubi sit, vel ita ejus habitatio longinqua sit, ut difficilis reddatur; possit restitutio fieri pauperibus?*
9 *An habens rem incertam teneatur restituere cuicumque asserenti, esse suam?*
10 *An inventor rei alienæ possit aliquid petere pro inventione illius?*

11 *An*

11 *An compositio incertorum fieri possit non solùm authoritate Pontificis, sed etiam Prælati, aut Principis sæcularis.*

1 BONA incerta ea dicuntur, quæ vel habent Dominum, sed ignoratur, quisnam sit, ut accidit in rebus inventis; vel nullum habuerunt Dominum, ut sunt gemmæ, venæ metallorum, & similia; aut si Dominum aliquando habuerunt, nunc non habent, ut sunt Thesauri. Incerta tamen dici non debent, quando satis constat deberi alicui Communitati, aut toti, vel ejus majori parti; quamvis nesciatur in particulari, cui debeantur: ut bene adnotat Lessius *lib. 2. cap. 14. dub. 6. nu. 32.* Incerta pariter dicuntur debita sive ex contractu, sive ex injusta acceptione, quando ignoratur creditor, vel dominus, cui restitutio facienda sit. His positis

2 Dicendum est: bona incerta restituenda esse, quando Dominum habent, licèt incertum: ratio est, quia per se loquendo Dominus præsumitur invitus, & alienum invito Domino retineri non potest, nec ex eo quis locupletior fieri potest; ergo clarè apparet, bona incerta incertum dominum habentia restituenda esse. Est communis Doctrina.

3 Dubium tamen est: cui restituenda sint, si Dominus ignoratur? Resp. 1. bona inventa, quorum Dominus ignoratur post diligentem inquisitionem, & judicio viri prudentis sufficientem pro qualitate rei inventæ; restituenda esse pauperibus, vel aliis piis operibus juxta consuetudinem regionum: ratio est, quia consuetudo apud pios homines *sic* efficiendi usque adhuc introducta videtur habere vim Legis: maximè quia orta est ex communiori sententia, & magis pietati consentanea, ac Juri Civili, statuenti *in Auth. Omnes Peregrini. Cod. Communia de succeff.* Quod si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 3. & cum eo passim Theologi *in 4. dist.* 15. Sylvester *verb. Inventum. num.* 2. asserens, omnes Canonistas ita sentire; Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 7. *num.* 49. citans pro ea Navarrum, & Covarruviam. Sic etiam Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 4. *nu.* 3. referens Rebellum, Molinam, Bannez, Turrianum, & Filliuccium.

Non nego, Dominicum Sotum, Navarram, Aragonium cum aliis putasse, post adhibitam sufficientem diligentiam posse inventorem retinere ea sibi cum onere restituendi apparente Domino: cum ejusmodi bona ita se habeant, ac si nullius Domini essent, adeoque jure naturæ communia, & primi occupantis. Sed minimè recedendum est à communiori sententia, quæ utpotè innixa communi consuetudini vim legis habere videtur: accedit rationabilis interpretatio voluntatis Dominorum, qui semel ac sua habere non possint, velint potius, ut tradantur in eleemosynam pauperibus, & locis piis, quàm aliis.

4 Resp. 2. bona incerta acquisita sive ex delicto, sive ex contractu injusto, ut essent ex furto, rapina, damno illato; vel ex deposito, commodato, mutuo, venditione &c. restituenda esse pauperibus, vel aliis piis locis juxta consuetudinem regionum, quando Dominus post sufficientem inquisitionem ignoratur: ratio est, quia hæc est consuetudo, & praxis piorum hominum, quæ vim Legis habet; tum quia cum retineri non possint ab injusto detentore, ne ex injuriis, & iniquitatibus locupletior evadat; par est, ut pauperibus dentur, vel locis piis; tum denique quia *in Cap. Cum Tua de Usur.* Alexander III. jubet, ut ea, quæ usuris iniquè acquisita sunt, si non supersunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes; dentur pauperibus. Quod communiter extenditur à Doctoribus teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *n.* 33. & 34. ad bona incerta acquisita ex aliis delictis; ac refert pro hac sententia Covarruviam, Joannem Medinam, & Navarrum. Non curo tamen, an hoc debeatur jure naturæ, quod quidem difficile esset probare; sed sat est, quod debeatur ex Jure positivo, & ex inducta consuetudine vim Legis habente, quam parvi pendere grave esset.

5 Petes 1. quinam veniant nomine pauperum, quibus facienda sit hæc restitutio? Resp. non solùm venire publicos Mendicos, ac privatos; verùm etiam Monasteria, & Hospitalia pauperum; insuper Ecclesias non habentes ea, quæ requiruntur ad ornamenta Sacra, luminaria, ædificia restauranda, & similia. Veniunt etiam personæ illæ, quæ licèt non mendicent; carent tamen necessariis ad congruam, & condecentem sustentationem suæ vitæ: ratio est, quia juxta communem prudentum existimationem cum pauperibus adnumerari consueverunt, ac passim dici solent Monasterium pauperum, Ecclesia paupera, familia paupera, &c. Sic Navarrus, Azor, Navarra, Vasquez, Reginaldus, Molina, Filliuccius, Turrianus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. quæst.* 3. *pun.* 4. *num.* 5.

Adnotandum hìc restitutionem istam non faciendam esse pauperioribus, & vitæ sanctitate melioribus; sed sat est, si fiat pauperibus, qui re vera sint tales: ratio est, quia Jura statuentia talem restitutionem non distinguunt hoc, sed simpliciter decernunt fieri restitutionem pauperibus. Sic Navarra, Reginaldus, Vasquez, Navarrus, & Turrianus relati à Bonacina *l. c. num.* 6.

† An autem restituens possit ea sibi applicare, ut pauperi, cum sit re vera talis; controversa res est. Et quidem quod possit, docent Scotus *disp.* 15. *quæst.* 3. Cajetanus *quæst.* 62. *art.* 5. cum aliis: moventur, quia non debet esse pejoris conditionis præ aliis pauperibus. Alii Doctores distinguunt, si culpa intercesserit in re illa acquirenda, vel debito contrahendo; non debet hoc privilegium ex iniquitate sua reportare, & in pœnam meretur re illa privari. Secus dicendum, si nulla intercesserit culpa. Nihilominus Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *num.* 41. indulget etiam si culpa intercesserit: quia vera paupertas, quæ in ipso reperitur, est sufficiens motivum, ut possit ea sibi applicare per Confessarium, vel propria authoritate: maximè quia, ut dictum est, non requiritur, quòd restitutio fiat pauperi sanctiori.

6 Petes 2. an facta restitutione pauperibus, si dominus comparuerit, remaneat obligatio aliqua erga illum? Resp. negativè, si sufficiens diligentia præmissa fuerit inquirendi illum, ut supponimus: ratio est, quia nec tenetur restituens, nec tenentur pauperes: non restituens, quia *non* tenetur ratione rei acceptæ, cum nil penes se extet; non ratione injustæ acceptionis, quia culpa jam abstersa est per restitutionem factam eo meliori modo, quo poterat. Neque tenentur pauperes, quia jam legitimè acquisierunt jus rei traditæ, etiamsi pauper sit ipse restituens, ergo facta applicatione pauperibus nulla remanet obligatio restituendi comparente jam Domino. Sic Rebellus, Henriquez, Vasquez, Navarra, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 4. *num.* 18. Quamvis Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *n.* 45. & Molina *disp.* 747. *n.* 4. putent, si res extet penes pauperem vel in se, vel in æquivalenti restituendam esse Domino comparenti ob æquitatem; secus verò si consumpta fuerit, vel alienata: quæ quidem sententia mihi arridet, utpote consentanea rectæ rationi; & magis militat, si applicatio facta fuerit à restituente sibi ut pauperi.

7 Petes 3. an restitutio incertorum fieri possit quibuscumque pauperibus; an verò illis, qui commorantur in loco, ubi reputantur esse Domini incerti? Resp. quando post adhibitam sufficientem diligentiam, ac industriam sciri nequeunt Domini, ad quos bona incerta spectant; posse fieri restitutionem pauperibus tum illius, tum alterius loci: eo quia dum præcipitur hæc, non distinguitur inter pauperes unius, vel alterius loci. Sic expressè Lessius *loc. cit. num.* 32. *in fin.* Azor, Molina, Vasquez, Navarra, & alii relati à Bonacina *de Rest. quæst.* 3. *pun.* 4. *num.* 10.

8 Petes 4. an quando Dominus non est ignotus, sed nescitur, ubi habitet; vel est ita longinqua ejus habitatio, ut difficile sit, ei restitutionem fieri; tunc poterit tuta conscientia fieri pauperibus? Resp. affirmativè; moveor, quia attentis his circumstantiis idem est, ac si Dominus ignoraretur; sed ignorato Domino prudenter, ac tuta conscientia restitutio fieri potest pauperibus; ergo in casu adjecto tuto fieri potest restitutio pauperibus. Imò comparente Domino aliquando, eodem modo discurrendum est, ac de restitutione facta pauperibus ignorato Domino, ut superiùs dictum est. Suppono tamen, non posse fieri Dominum certiorem de re sua; quia si aliqua viâ suppetit ad illum certiorem reddendum, fieri debet. Sic Navarrus, Molina, Azor, Vasquez, & alii relati à Bonacina *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 4. *num.* 12.

9 Petes 5. an habens rem incertam teneatur illam restituere cuicumque asserenti, esse suam? Resp. non ita temere credendum esse cuicumque id asserenti, sed adhibenda erit diligentia Moralis in personis dignoscendis: quapropter si persona id asserens sit timoratæ conscientiæ, bonæ æstimationis penes

Cives, nec de aliqua persona æqualiter dubitetur, quod sua sit; tunc sufficiens diligentia adhibita est, & prudenter ei restituitur. Quòd si æqualiter de pluribus dubitetur, poterit distribui inter plures, si res divisibilis sit. Si verò indivisibilis, & dissensio inter ipsos oritur, auctoritate Judicis decernenda lis erit, vel pauperibus applicanda, cum non habeatur melior modus servandi æqualitatem. Sic Navarra, Cajetanus, Reginaldus, Angles, Rebellus, Molina, Vasquez, & Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. disp. 1. quæst. 3. pun. 4. num. 17.*

10 Petes 6. an inventor rei alienæ possit aliquid exigere pro ipsa rei inventione? Resp. præciso labore, aut impensis factis in re invenienda, quæ à Domino rei exigi possunt, cum non habeatur obligatio impendendi laborem considerabilem, aut expensas in inveniendâ re aliena; non posse præcisè ratione inventionis aliquid exigi, si nullus considerabilis labor, aut expensæ factæ sint: ratio est, quia & Dominus habet jus recuperandi rem suam, & inventor habet obligationem illam restituendi absque ullo pretio, nisi aliquid consuetudo permittat, vel promissum fuerit. Sic Salon 2. 2. *quæst. 62. art. 6. contr. 4. concl. 1.* Rebellus 2. *par. lib. 10. quæst. 20. num. 3.* Azor 3. *par. lib. 4. cap. 27. quæst. 1.* & Reginaldus cum aliis *lib. 10. num. 179.* Potest tamen inventor aliquid petere sine vi, & minis, sed humilibus precibus: nam quod precibus expositur, si obtineatur, voluntarium sapit, ac gratuitam donationem, ut communiter conceditur.

11 Petes 7. an compositio incertorum fieri possit non solùm authoritate Pontificis, verùm etiam Prælati, vel Principis sæcularis? Resp. extra controversiam esse, fieri posse authoritate Pontificis: ratio est, quia cum sit Supremus Princeps in spiritualibus, ad ipsum spectare videtur disponere de Temporalibus suorum subditorum, prout ad bonum spirituale illorum expedire putaverit: quando domini de illis bonis disponere nequeunt, & ex tacita illorum voluntate præsumitur, in pias causas erogari debere. Quapropter cum Pontifex Pater sit communis, præcipuè pauperum, & piarum causarum; ideo ad ipsum spectat per Legem statuere, ut similia bona in pauperes, vel pias causas distribuantur, vel in totum, vel secundum partem. Poterit quoque sua lege sancire: ne Prælati inferiores, vel sæculares Principes hanc facultatem sibi adscribant, vel eam sibi reservent. Compositio vigore Bullæ Cruciatæ à Pontifice emanat secundùm limitationes ab ipso appositas. Has autem compositiones concedit Pontifex, si crimen est occultum, per Sacram Pœnitentiariam, si publicum per Datariam, ut adnotat Filliuccius *tract. 32. cap. 4. quæst. 1. num. 85.* Sic Navarrus, Reginaldus, Sotus, Azor, Molina, Bannez, Sà, Turrianus, Navarra, Medina, Sylvester, & Henriquez relati à Bonacina *de Restit. disp. 1. quæst. 3. pun. 4. num. 21.*

Adnoto tamen: videri mihi probabiliorem, & æquitati magis consentaneam sententiam Molinæ, Turriani, Cordubæ, & aliorum putantium, si facta compositione appareat Dominus; ipsi faciendam esse restitutionem bonorum, quæ supersunt, deductis scilicet iis, quæ pro compositione facienda tradidit, & quæ bona fide consumpsit: cum voluntas Pontificis compositionem concedentis hæc videatur esse, quòd videlicet nulli inferatur injuria; & domini censentur semper velle restitutionem sibi fieri, quantum saltem potest comperta re sua. Quidquid in contrarium dixerint penes Bonacinam *loc. cit.* Bannez, Sà, Henriquez, & alii.

Prælati Pontifice inferiores habent etiam facultatem concedendi compositionem, nisi ipsis à Pontifice prohibita fuerit, vel consuetudine abrogata: cum Prælati possint aliqua in suis Diœcesibus facere, quæ potest Pontifex pro toto Orbe: maximè quia distributio bonorum in pias causas, ut supponitur ex rationabili voluntate, Dominorum incertorum, ad Prælatos spectare videtur. Sic Bonacina *l. c.* referens Henriquez, & Turrianum.

Idem dicendum de Principibus Sæcularibus in locis sibi subjectis, nisi à Pontifice id prohibitum sit, vel consuetudine abrogatum: cum bona Civium jure naturæ dirigantur in bonum Reipublicæ, & deficiente Domino pertinent ad Rempublicam, seu ad Principem illam administrantem: ut docent Sotus, Henriquez, Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. disp. 1. quæst. 3. pun. 4. num. 22.*

CAPUT XVIII.

An Bona Vacantia, Derelicta, Thesauri, Gemmæ, & Metalla è venis erута restituenda sint?

1 *Quænam sint bona Vacantia, & quibus ex Jure debeantur.*
2 *Quænam sint bona derelicta, & cujus fiant per occupationem? Et quid de Bonis tempestate ingruente projectis, aut alluvione fluminum asportatis?*
3 *Quid veniat nomine Thesauri, & cujus fiat per inventionem?*
4 *Gemmæ, & similia fiunt primi occupantis, si nondum in nullius dominio sint?*
5 *Venæ Metallorum, secluſa Lege, & consuetudine in contrarium, spectare debent ad Dominum fundi, è quo effodiuntur.*

DICO 1. Bona vacantia, quæ scilicet post mortem remanent non relictis hæredibus, & non confecto testamento, ex jure Civili communi devolvuntur ad Fiscum, si non habeantur hæredes intra decimum gradum: *ut constat ex Leg. Vacantia Cod. de Bonis vacant.* quapropter ad ipsum spectant, ipsique restitutio facienda erit, si fortè ablata fuerint; nisi aliud præscribant particulares Leges, vel Consuetudo. Bona tamen vacantia Peregrini alicujus ab intestato demortui penes hospitem aliquem non spectant ad ipsum hospitem, sed tradenda sunt per loci Episcopum hæredibus, si hoc fieri possit, vel in pia opera eroganda, *ut habetur ex Auth. Omnes Peregrini, Cod. Communia de succession.* & docent Lessius *lib. 2. cap. 14. dub. 7. nu. 49.* Molina *tom. 1. disp. 53.* Bannez 2. 2. *quæst. 66. art. 5.* Rebellus 1. *par. lib. 5. quæst. 15. sect. 2.* & Vasquez *de Rest. cap. 5. §. 4.* 1

Dico 2. Bona derelicta, quæ videlicet abiiciuntur animo non amplius ea recuperandi, vel Dominus non curat ea recuperare, cum facilè possit; sunt primi occupantis, nec inducunt obligationem restituendi: ut constat *ex Instit. de rer. divis. §. alia sanè*, & docent communiter Doctores. 2

Petes 1. an inter bona derelicta connumeranda sint ea, quæ tempestate ingruente è navi projiciuntur sublevandi causa illam, & salvandi homines? Resp. negativè: cum omnibus innotescat animus ea projicientium, qui necessitate coacti id efficiunt, & omnibus modis vellent ea recuperare: quapropter jure optimo lata est excommunicatio contra occupantes bona Christianorum in naufragio deperdita, ut constat *ex Bulla Cœnæ Domini*; & communiter Doctores asserunt, teste Vasquez *de Rest. cap. 5. §. 4. dub. 3. num. 38.* iniquam esse Legem statuentem, prædicta bona spectare ad eum, ad cujus locum pervenerint.

Petes 2. an si longo temporis intervallo bona in naufragio projecta jaceant in fundo maris, dein instrumento aliquo eruantur, vel in littore reperiantur; connumerari debeant inter bona derelicta? Resp. affirmativè cum Azorio *3. par. lib. 1. cap. 13. in fin.* nam longiturnitas temporis in aqua sufficiens argumentum est probandi, quòd dominus projiciens, vel non potuit ea recuperare, vel non curavit; aut quia aquis consumpta reputavit non curanda, adeoque moraliter censetur abdicasse à se dominium bonorum illorum. Non nego tamen, quòd si dubium insurgat, an bona censeantur derelicta, potiùs præsumendum erit, non esse derelicta: ratio est, quia in dubio nemo censeri debet velle jactare, & perdere res suas, ac illas inter derelicta connumerare.

Petes 3. an eripiens tempestate ingruente bona, quæ verò peritura erant, possit sibi ea retinere, tamquam derelicta? Resp. negativè: quia quælibet res clamat ad dominum, dum non est consumpta, & dum moraliter non constat, voluisse dominum abdicare à se dominium illius; ut constat *ex Leg. Pomponius. ff. de aquir. rer. domin.* quapropter eripiens è fluctibus saccharum, triticum, farinam, papyrum, & similia tenetur ea dominis suis restituere, ad quos clamant. Idem dicendum de eripiente vitulum, aut ovem è faucibus lupi quos devorassset; vel vestes ab incendio, quas consumpsisset. Ideo non rectè Navarr. *in Summ. c. 17. n. 99.* dixit, posse retineri talia, si cum periculo vitæ ab undis, ab incendio, vel feris extracta fuere; magna enim inde sequerentur absurda, nam accedentes

tes ad extinguenda incendia domorum conflagrantium possent liberè accipere quidquid vellent: quia cum periculo vitæ extraxere, & aliunde domus comburenda erat. Doctrina igitur Navarri tunc locum habet, quando moraliter, ac prudenter reputatur, dominum permittere eripientibus cum vitæ discrimine similes res ex undis, feris, vel incendio, vel quia statim fuissent perituræ, vel quia tanti existimatur periculum vitæ, quanti res ipsa eruta: nam licèt dominus habeat jus vindicandi sibi rem, recuperans tamen habet pariter jus exposcendi, ac exigendi æstimationem sui laboris, & periculi. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 5. *dub.* 18. & Bonac. alios referens *disp.* 1. *de Rest. quæst.* 3. *pun.* 5. *nu.* 7.

Petes 4. an arbores, ligna, & alia similia, quæ fluminum alluvione asportantur; censenda sint derelicta; & retineri possint ab eripientibus illa apposita industria? Resp. hoc dignoscendum esse judicio prudentum, qui consideratis circumstantiis omnibus, puta periculum, ac industriam appositam in illis recuperandis, pretium, ac qualitatem lignorum, distantiam locorum, & dominorum; poterit judicium ferre: maximè si dominus potuisset ea recuperare, sed non curaverit; vel si non reclamet, cum possit. Secus verò esset, si vellet ea omnino recuperare, & reclamet contra retinentes, quibus tamen aliquid solvere deberet pro laboribus, ac industria apposita. Sic Molina *tom.* 3. *disput.* 55. *in fine*, Turrianus *de Just. disp.* 42. *dub.* 2. *num.* 18. Filliuccius *tract.* 31. *cap.* 6. *quæst.* 8. *nu.* 147. & Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 3.

3 Dico 3. Thesauri, qui *ex Leg. Numquam*, *ff. de acquir. rer. domin.* sic definiuntur: veteres quædam Depositiones pecuniæ, quarum non extat memoria, ut jam dominum non habeant; ex jure naturali, & Gentium transeunt in dominium inventoris occupantis: ratio est, quia ea, quæ nullius sunt, fiunt primi occupantis. Sic communis sententia Doctorum teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 5. *dubit.* 15. *num.* 58.

Notandum 1. *ex Leg. unic. Cod. de Thesaur.* nomine pecuniæ intelligi etiam opes mobiles pretiosas, ut sunt catenæ aureæ, vel argenteæ, gemmæ, Vasa, numismata aurea, argentea, & similia, quæ tamen per veterem depositionem certo loco apposita fuerint; adeo ut si depositio non sit vetus, sed recens, ut ex circumstantiis colligi poterit, etiam si Dominus sciri nequeat; non dicentur Thesauri, nec fient inventoris occupantis; sed in pauperes, vel pias causas distributio fieri debet juxta ea, quæ dicta sunt de bonis incertorum Dominorum.

Notandum 2. quamvis ex jure naturæ, & gentium Thesauri sint inventoris primò occupantis, ut dictum est; Jus tamen Commune meritò multa disposuit circa inventionem Thesaurorum, ut jurgia tolleret, & communi bono consuleret: ut videre est *in Leg. unic. Cod. de Thesaur. & in §. Thesauros*, *Instit. de Rer. divis.* quam dispositionem, utpote latam ab habente facultatem, sequi debemus. Extant etiam & aliæ Leges particulares, vel consuetudines introductæ circa Thesaurorum inventionem, quibus standum in locis particularibus, ubi vigent: cum possit Lex, & consuetudo ex justa causa impedire acquisitionem thesauri, & transferre jus in alium, ut ex Covarruvia, Molina, & Turriano adnotat Bonacina *de Rest. quæst.* 3. *punct.* 6. *num.* 10. *in fine*.

Juxta igitur Jus Commune thesaurus inventus in proprio fundo totus erit inventoris: *sic Instit. superius cit.* ubi habetur: Thesauros, quos quis in loco suo invenerit, Div. Adrianus naturalem æquitatem secutus ei concessit, qui eos invenerit. Addit etiam congruentiam *Lex Unic. cit.* ne Dei beneficium invidiosa calumnia prosequatur. Si tamen in fundo alieno inventus fuerit; si fortuitò repertus sit, in partes æquales dividendus erit inter inventorem, & dominum fundi, quicumque sit, sive Princeps, sive Civitas, aut persona particularis. Si tamen ex industria, & data opera sine consensu Domini fundi, totus erit Domini fundi: *sic habetur in Leg. Unic. cit. de Thesauris*: Qui in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit; totum hoc locorum Domino reddere compellatur. Docent verò Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 15. *num.* 19. *in fine*, Vasquez, Bannez, & alii non teneri inventorem ad integram restitutionem faciendam Domino fundi ante sententiam Judicis, cum Lex præcitata pœnalis sit, ut constat ex verbo compellatur; adeoque Judicis compulsio expectanda erit; poterit igitur inventor dimidiam partem Domino fundi tradere altera sibi retenta. Si denique repertus fuerit Thesaurus in fundo alieno ex industria cum consensu Domini, standum erit pactioni factæ cum illo; quòd si nulla pactio præcesserit, nec ullus dolus, aut fraus intercesserit; totus erit inventoris, quia Dominus illi cedere videtur partem suam. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 127. Sylvester *verb. Inventum*, *quæst.* 3. & Molina *tom.* 1. *disp.* 56.

Dubitabis 1. si fundus habeat duos Dominos directum unum, utilem alium, cui restituenda erit dimidia pars Thesauri? Resp. dimidiam partem dividendam esse æqualiter inter ipsos, cum uterque habeat dominium in fundo, licèt unus directum, alter utile; emphyteuta siquidem, vel feudatarius non habet solum usum. Hinc sequitur, quod si inventor sit unus ex ipsis tenebitur tantùm ad quartam partem tradendam Domino directo, & proprietatis, & tres sibi retinere; duas scilicet uti medietatem thesauri, quæ ad inventorem spectat; tertiam uti partem sibi contingentem, qua dominus utilis est. Sic Lessius *l. c. num.* 61. contra Navarrum, & quosdam alios.

Dubitabis 2. an Usufructuarius tantùm, vel conductor, aut pignoratarius fundi alicujus dicantur domini illius, & ad ipsos tamquam dominos spectet pars aliqua thesauri inventi? Resp. negativè: ratio colligitur *ex Leg. Fructus*, *ff. solut. Matrim.* ubi sancitur: Thesaurum inventum in fundo dotali, in quo Vir habet usumfructum; non deberi viro, sed uxori, cujus est fundus: quia Thesaurus non est fructus fundi; ergo clarè constat, nil thesauri spectare ad Usufructuarium, Conductorem, & Pignoratarium, cum pro omnibus militet par ratio, nec revera sunt Domini fundi illius. Sic Rebellus, Aragonius, Covarruvias, Filliuccius, Molina, Vasquez, & Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. *num.* 8.

Dubitabis 3. an emens fundum, in quo scit latere thesaurum; acquirat dominium thesauri, si post emptionem illum effodiat? Resp. affirmativè: & ratio est, quia illum eruit è fundo proprio, nec tenebatur ad indicandum vendenti latere thesaurum, aut augere pretium fundi *ex Leg. A Tutore*, *ff. de rei vendit.* aliunde Leges nil statuunt in contrarium, imò Christus Dominus *Matth.* 13. assimilavit Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit, præ gaudio vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum. Eodem modo discurrendum est, si quis emat rem mobilem, saccos e. g. lino, vel lana, aut simili plenos, in quibus latent res pretiosæ veteres, habentes rationem thesauri, si illas occuper, fiet dominus illarum. Quòd si non occuparet, sed alteri revenderet cum thesauro latente; iste fieret dominus thesauri, dum illum occupat. Sic accidit militi, qui saccos lupulo refertos occupavit ab hoste, in quibus occlusæ erant laminæ aureæ, & argenteæ; vendidit saccos alteri priusquam sciret, quid lateret, & hic laminas inveniens factus est dominus illarum. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 5. *dubit.* 15. *numer.* 62. *in fine*. Sic etiam, Rebellus, Molina, Azor. Sotus, Navarrus, Salon, Bannez, Aragonius, & Vasquez relati à Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 6. *num.* 7.

Dubitabis 4. quid dicendum, si in loco publico, vel Sacro reperiatur thesaurus, aut arte magica inventus fuerit? Resp. 1. si in loco publico, qui propriè nullius est, imò deputatus usibus omnium, ut est via publica, platea, flumen &c. reperiatur; totus spectare videtur ad inventorem, non verò ad Principem, aut Rempublicam, cum non sint domini talis loci dominio speciali, de quo loquuntur Jura; sed tantùm dominio Jurisdictionis, & authoritatis disponendi, ut docent Covarruvias, *Reg. Peccatum*, *par.* 3. *§.* 2. *n.* 3. referens Baldum, Cirinum, & alios: sed in hoc potiùs standum consuetudini, & Legibus specialibus. Quod si *in Instit. de Rer. divis. §. Thesauros* dicitur: Si quis in fiscali loco, vel publico, vel Civitatis thesaurum invenerit; dimidium esse fisci, vel Civitatis. Nomine loci publici intelligi debere eum, quem Princeps, vel Respublica, aut Civitas possidet speciali dominio: ut sunt sylvæ, pascua, & similia. Vide Lessium *de Just. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 16. *num.* 63. *in fine*.

Resp. 2. si in loco sacro, aut religioso reperiatur, dimidium spectabit ad inventorem, & dimidium ad Ecclesiam, vel Monasterium, etiamsi casu reperiatur: cum Ecclesia,

& Monasterium habeantur pro domino loci illius. Sic Navarrus, Molina, Vasquez, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. num. 5.* quidquid in contrarium dixerit Covarruvias.

Resp. 3. si arte magica inventus fuerit thesaurus, vel alio modo à Legibus prohibito totus spectabit ad fiscum, etiam si in proprio fundo repertus fuerit: constat *ex Leg. unic. Cod. de Thesaur.* Non tenetur tamen inventor ad thesaurum restituendum, nisi post sententiam Judicis, cum lex ista pœnalis sit. Si in alieno fundo repertus fuerit, ea pars fisco adjudicanda erit, quæ ad inventorem spectat; non verò pars spectans ad Dominum fundi, qui ob maleficium alterius non debet privari suo jure, ut asserit communis sententia cum Lessio *lib. 2. cap. 5. dub. 17. num. 66.* Adnotandum hìc tandem: ea, quæ de thesauris dicta sunt, secundum Jus commune tradita esse. Cæterùm si Leges particulares, vel Consuetudines justas ob causas introductæ habeantur, ipsis standum etiam in foro conscientiæ, ut probabilior sententia fert.

4 Dico 4. Gemmæ, lapilli pretiosi, corallium, succinum, & alia similia, quæ vel in promontoriis, aut littore maris, vel fluminibus reperiuntur; fiunt primi occupantis: eo quia in nullius dominio existunt. Sic statuit *Instit. de Rerum divis. §. Lapillorum*. Requiritur autem ad dominium ipsorum acquirendum aliqua exterior actio, ob quam censeatur inventor dominium sibi acquirere, cum non sufficiat aspicere tantùm. Sic passim Doctores.

5 Sed petes: quid dicendum de venis metallorum auri, argenti, stamni, plumbi, ferri, & similium; ad quem videlicet spectent? Resp. nimis probabile esse, has venas metallicas sub nullius dominio esse, adeoque fieri primi occupantis: nec qui aurum, argentum, aut aliud metallum eruit ab alieno fundo, tenetur ad restitutionem faciendam domino, quamvis teneatur ad refarciendum damnum illatum ob effossionem. Colligitur ex eo, quòd Princeps, & Respublica sibi reservant jus effodiendi metalla, vel concednnt privatis Personis facultatem illa eruendi è quolibet loco, reservata sibi portione, & compensato damno, quod domino fundi infertur; ergo sub nullius dominio censentur, nam si censerent spectare ad dominum fundi; non utique talem facultatem permitterent. Insuper cum venæ metallicæ maximæ sint existimationis, videntur ab ipsa natura institutæ in bonum publicum; nec congruum est, eas cedere vilissimo fundo, sicuti ridiculum esset, ut habetur *§. Litteræ, Istit. de rer. divis.* picturam Apellis, vel Parrasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. Sic Sotus *lib. 6. quæst. 3. art. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 12. num. 51.* Vasquez *de Rest. cap. 5. §. 4. dub. 2. num. 15.* Filliuccius *tract. 31. cap. 6. quæst. 10. num. 141.* Negari tamen non potest, quòd secluså omni lege, & consuetudine in contrarium, quibus standum; de jure naturæ, & gentium tam ipsæ venæ metallicæ, quàm jus, & facultas effodiendi illas spectent ad dominum fundi; adeo ut si fundus sit publicus competat Reipublicæ; si privatus privatæ personæ: non secus ac ad ipsum spectant venæ lapidum, arenarum, carbonum, argillarum, aquarum &c. ratio est, quia cum permixtæ sint, & inhæreant ipsi fundo, fructus fundi censeri debent, ubi generantur; & de jure naturæ, & gentium fructus ipsius fundi ad dominum fundi spectare videntur. Vide Molinam *tom. 1. disp. 55.* Turrianum *disp. 43. dub. 1. num. 7.* & Lessium *l. c.*

CAPUT XIX.

An animalia Venatione, aucupio, aut piscatione capta restituenda sint?

1 *Animalia quædam ex natura sua fera sunt, quædam domestica. Ex feris quædam mansueta reduntur, sicuti è domesticis quædam sylvestria evadunt.*
2 *Animalia fera fiunt primi occupantis.*
3 *Animalia ex natura sua domestica, etiam si longo tempore aberrent à Dominis suis; non ideo fiunt primi occupantis.*
4 *Animalia ex natura sua fera usu, & consuetudine reddita jam mansueta non fiunt primi occupantis, sed sub potestate domini sunt.*
5 *Quando nam animalia fera, quæ sub potestate Domini erant; dicuntur in suam pristinam libertatem redire?*
6 *Quando animalia mansuefacta dicuntur amisisse consuetudinem redeundi ad Dominum?*
7 *An licitum sit columbas ex alieno columbario ad proprium allicere? & an licita sint columbaria?*
8 *Cujus sint animalia fera?*
9 *An possit Princeps licitè sibi reservare venationem, aucupium, aut piscationem in locis, quæ sunt publici Juris?*
10 *An licitum venari in alieno prædio? Et ad quid teneantur venantes, & piscantes contra prohibitionem factam?*
11 *An injustè prohibens alicui venationem, aucupium, aut piscationem teneantur resarcire damnum illatum illi?*
12 *Cujus sit fera ab uno vulnerata, ab alio tamen capta?*
13 *An fera capta instrumento parato ab alio; si capiatur à transeunte fiat hujus?*

UT distinctiùs in hac re procedamus præmitendum 1
est: ex animalibus quædam esse natura sua mansueta, ut sunt oves, boves, sues, equi, gallinæ, & similia; quædam verò natura sua fera, ac sylvestria, aut saltem habentia naturalem libertatem: sic sunt leones, ursi, lupi, cervi, lepores, cuniculi, apes, volucres in aere, & omnes pisces in mari natantes. Præmittendum insuper, aliquando fera, & sylvestria animalia ita cicurari, ut mansueta reddantur; & aliquando mansueta ita efferari, ut sylvestria evadant, ut patet in suibus dici in sylvis derelictis, & in columbis dici per nemora errantibus. His præmissis

Dicendum 1. animalia fera, quæ videlicet naturalem 2
libertatem habent, & sub nullius custodia sunt; fieri primi occupantis: ratio est, quia ea, quæ sub nullius dominio sunt; evadunt primi occupantis, ut patet ex *Instit. de rer. divis.* Pariter dicendum, si mansueta fiant fera, ac sylvestria, & naturalem acquirant libertatem relicta consuetudine redeundi ad priorem Dominum, ut si columbæ domesticæ immixtæ fuerint sylvestribus, itaut ad consueta columbaria non redeant ampliùs; tunc enim fient primi occupantis, cum censeantur in naturalem libertatem rediisse: ut expressè habetur *in Instit. cit.* & docent communiter Doctores.

Dicendum 2. animalia, quæ ex natura sua sunt 3
mansueta, & domestica, etiamsi longo tempore aberrent à suis dominis; non ideo fiunt occupantis: ratio est, quia non censentur naturalem acquirere libertatem, nec eximi à dominio prioris Domini, adeo ut ubicumque reperta fuerint, semper dominis restituenda erunt; imò si quis gallinam, ovem vel vitulum à custodia dominorum errantes è faucibus vulpis, vel lupi eripuerit mortuas, & semiexesas; tenetur partem remanentem Domino restituere. Constat *ex Instit. de rer. divis. §. Gallinarum*: ubi dicitur: furtum committere, qui hæc animalia, cum effugerint, detinet. Vide Lessium *lib. 2. cap. 6. dub. 6. num. 28. in fin.*

Dicendum 3. animalia ex natura sua fera, & sylvestria jam mansueta reddita usu, & consuetudine, ita 4
ut ex libera vagatione in potestatem domini redire soleant; nequeunt licitè occupari, imò tenetur occupans ad restitutionem: ut evenit in pavonibus, cervis, struthionibus, & columbis. Sic *in Instit. cit. de rer. divis. §. Pavonum*: & ratio est, quia dum naturalem libertatem non acquisierint, censentur sub potestate prioris domini. Secus tamen dicendum, si consuetudinem redeundi ad dominum amiserint, ac in naturalem libertatem se redegerint; tunc enim licitè occupari, ac prosequi poterunt, cum jam sub nullius potestate sint, adeoque primi occupantis. Sic Lessius *lib. 2. de Just. cap. 6. dub. 6. num. 31.*

Sed dubitabis 1. quando nam dicuntur animalia fe- 5
ra, & sylvestria, quæ sub potestate domini erant; redire jam in naturalem libertatem? Resp. ex Regula communi Doctorum tunc censeri naturalem libertatem acquirere, quando jam evaserunt è domini potestate, ut difficilè comprehendi possint à domino. Quando tamen ita evasere, ut facilè comprehendi possint; non censentur naturali libertati reddita. Sic cervus, lepus, etiam si in sylva, vel prato tuo concluſi, si evaserint, ut difficilè comprehendi possint; fiunt primi occupantis; sic etiam perdix, aut columba. Idem dicendum de examine apum, si è tuo alveari avolaverint, ita ut difficilè comprehendi possint.

Sic

Sic *ex Instit. cit.* docent Molina, Vasquez, Lessius, Navarrus, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 7.

6 Dubitabis 2. quando nam animalia mansuefacta dicuntur amisisse consuetudinem redeundi ad Domini potestatem? Resp. Navarrum, & Sylvestrum putare, si bis, aut ter tempore consueto non redeant; Azorium si per biduum, aut triduum non revertantur, Molinam tamen, Sayrum, Lessium, Reginaldum, & Turrianum, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num.* 8. docere, hoc remittendum esse judicio prudentis Viri, ac consuetudinis locorum: cum difficile sit regulam in hoc designare per dies, nam multa ex animalibus mansuefactis vagantur ad decem, & quindecim dies per loca vicina, & postea patiuntur à Dominis reduci; adeoque non censentur rectè consuetudinem amisisse. Imò in dubio, an consuetudinem amiserint, præsumendum est, non amisisse, nec naturalem libertatem acquisivisse, cum possessio stet pro priori domino, & in favorem ejus clamet.

7 Dubitabis 3. an licitum sit columbas ex columbariis alienis ad suum accersere; & an licita sint columbaria? Resp. 1. fraude, ac dolo allicere ad suum columbarium alienas columbas habentes consuetudinem redeundi ad suum dominum furtum esse, & ad restitutionem obligare: cum sit alienum accipere invito Domino. Si tamen sine fraude, & dolo id efficiatur, vel quia pascua aptiora tradantur, vel quia statio commodior est, & sic ad tuum columbarium confugiant; tunc licitè retinere poteris: sic enim redarguitur negligentia Domini, & tua commendatur diligentia sine fraude. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 6. *num.* 28. *in fin.* Molina *disp.* 50. Vasquez *de Rest. cap.* 5. §. 7. *dub.* 8. Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 8. *numer.* 78. Navarrus *in Summ. cap.* 17. *numer.* 127. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 10. *numer.* 2. Nec est comprobanda consuetudo, si revera viget, ut docent, in aliquibus locis allicendi quocumque modo columbas.

Resp. 2. columbaria ex se licita esse, nisi speciali lege prohibeantur, *sic consuetudine approbante*; nec videntur damnum notabile Reipublicæ afferre, quod non compensetur bono, quod afferunt suis carnibus. Quamvis Domini columbas foventes teneantur pabula parare, ne alterius segetibus noceant. Sic Doctores passim.

8 Dubitabis 4. cujus sint animalia fera? Resp. ea, quæ custodiuntur in parvo nemore muris circumdato, aut in stagnis, & vivariis pertinere ad dominum, sub cujus custodia reperiuntur: ratio est, quia non censentur naturalem libertatem habere, adeoque non fiunt primi occupantis. Secus verò dicendum, si sint in vasto nemore, aut prægrandi palude; censentur enim tunc, naturalem habere libertatem, & fieri primi occupantis, etiam si solus dominus loci habeat jus venandi, & piscandi in ipsis. Sic Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 9. referens Salonium, & alios.

9 Dubitabis 5. an Principes possint juste prohibere, & reservare sibi venationem, aucupium, & piscationem in illis locis, quæ sunt publici Juris? Resp. quamvis Hostiensis, Joan: Andreas, Decius, Tiraquellus, Rebuffus, & alii Juris Consulti, quorum sententiam communem vocat Jason, putarint, non posse Principem absque injuria Juris naturæ, & Gentium tollere à subditis facultatem venandi, aucupandi, & piscandi in locis publici juris. Nihilominus Covarruvias *Regul. Peccatum par.* 2. §. 8. alios Jurisperitos allegans, & cum eo innumeri Theologi Cajetanus, Medina, Sotus, Molina, Salonius, Aragonius, Bannez, Valentia, Rebellus, Sà, Sayrus, Turrianus, Vasquez relati à Lessio *lib.* 2. *de Just. cap.* 5. *dub.* 7. & à Bonacina *disp.* 1. *de Rest. quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 13. docent, posse juste fieri à Principe talem prohibitionem, sibique reservare facultatem cum aliquibus conditionibus, non solùm quando hoc necessarium sit ad sui sustentationem, vel ad onera solvenda Reipublicæ; verùm etiam si sit ad solam Principis recreationem, & oblectamentum: ratio est, quia omnis æquitas exposcit, ut Princeps sustinens labores Reipublicæ habeat necessaria, & accommoda suæ sustentationi, & recreationi; ac dignitati. Conditiones autem requisitæ ad justam hanc prohibitionem sunt, ut non excludat populum ab omnibus locis publicis ob solam sui delectationem: saperet enim hoc tyrannidem, ut rectè observat Medina, nisi aliunde compenset remittendo tributa sibi debita. Insuper cave-

re, ne feræ multiplicatæ inferant damnum agris vicinorum: sic enim Princeps teneretur in conscientia resarcire damna illata.

Dubitabis 6. an licitum sit venari in prædio alieno, & an teneantur ad restitutionem venantes, & piscantes contra justam prohibitionem? Resp. 1. licitam esse venationem in prædiis alienis, modo feræ non ita ibi concludantur, ut non possint egredi: tenetur tamen venans ad resarcienda damna, si quæ intulit ob venationem. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 8. 10

Resp. 2. venationem, vel piscationem aliquando prohiberi, vel quia dedecent certas personas, ut prohibetur venatio clamorosa Clericis; vel quia vergit in ferarum diminutionem cum damno Reipublicæ, ut quando feræ sunt gravidæ, aut nimis parvæ certis anni Mensibus; aut quia capiuntur instrumentis, quasi exterminantibus illas, vel quia Principi reservantur. Quocumque ex dictis modis prohibeatur venatio, aut piscatio, si tamen animalia fera capta naturalem retineant libertatem, non inducunt obligationem restituendi, quamvis teneantur venatores, & piscatores post sententiam Judicis ad solvendam pœnam lege statutam: ratio est, quia non capitur alienum, sed commune, quod jure gentium fit primi occupantis; nec conditio personarum, vel temporis, aut instrumentorum facit actum illum injustum, aut obnoxium restitutioni, cum feræ non sint res Reipublicæ; nec denique Leges prohibent ipsam acquisitionem ferarum, sed usum venationis, aut piscationis; uti autem venatione, aut piscatione contra prohibitionem legis non apparet notabilis injuria Reipublicæ. Nisi modus venandi, & piscandi esset notabiliter perniciosus, exterminando penitus feras, vel projiciendo in flumen escas sic compositas, ut inficiantur aquæ, & moriantur pisces omnes; tunc enim grave peccatum erit, & secundum Molinam, & alios habetur obligatio resarciendi damnum illatum. Sic Medina *Cod. de Restit. quæst.* 12. Covarruvias *Regul. Peccatum par.* 2. §. 8. *numer.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 9. Reginaldus *lib.* 10. 1. *par. num.* 360. Rodriquez *cap.* 137. *numer.* 9. Sà *verb. Venatio numer.* 4. Valentia, Rebellus, Azor, Vasquez, Aragonius, & alii relati à Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 17.

Resp. 3. si prohibitio venandi, aut piscandi facta sit, quia alteri locata à Republica, vel Principe; aut Personæ determinatæ concessa ob sua officia in Republica; quamvis venator, vel piscator teneatur ad compensationem damni illati, ut si sepimenta dissipaverit, segetes conculcaverit, aut lucrum aliquod, quod percipere solebat, cessaverit; non tenetur tamen ad restitutionem ferarum jam captarum: ratio est, quia licèt faciat illi injuriam venando, aut piscando invito domino, adeoque talem injuriam resarcire teneatur; nihilominus feræ captæ, quas supponimus habere libertatem naturalem; *non spectant* ad dominum illius fundi, agri scilicet, vel fluvii, nec sunt fructus agrorum, vel fluviorum, ut sunt arbores solo hærentes; ergo damnum illatum contra jus venandi, & piscandi resarciendum erit, si aliquod illatum fuerit; non verò feræ captæ, quæ utpote sub nullius dominio transeunt in dominium primi occupantis. Sic Covarruvias *loc. cit. num.* 4. Medina *loc. cit.* Lessius *loc. cit. à num.* 43. Molina, Reginaldus, Sà, & alii apud Bonacinam *l. c.*

Dubitabis 7. an injustè prohibens alicui venationem, aucupium, vel piscationem teneatur restituere illi damnum illatum? Resp. quamvis teneatur prohibens ad restitutionem probabilis lucri, inde secuturi, deductis semper expensis, ac laboribus, quos facturus erat prohibitus; non tenetur tamen ad restitutionem ferarum, quas non cœpit; ratio est, quia fuit injusta causa damni, quod ille patitur in probabili lucro, ergo tenetur ad resarciendum illud; non verò tenetur ad feras, quæ utpote non captæ, non fuerunt sub dominio illius. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 120. Covarruvias *Regul. Peccatum par.* 2. §. 8. *num.* 11. & 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *num.* 38. & Vasquez *de Rest. cap.* 5. §. 2. *dub.* 7. *num.* 29. 11

Dubitabis 8. cujus sit fera ab uno vulnerata, ab alio tamen capta? Resp. si fera ita vulnerata fuerit, ut percussor insequatur cum morali certitudine eam capiendi; tunc erit vulnerantis, adeo ut si ab alio capiatur, restituenda erit: ratio est, quia per vulnera- 12

tionem, insecutionem, & spem capiendi illam moraliter certam, censetur quasi capta, & sub Dominio vulnerantis, cui fiet injuria, si ab alio auferatur. Si tamen ita vulnerata fuerit, ut fugere possit absque spe illam accipiendi; tunc fiet primi occupantis, cum vulnere illo non amiserit naturalem libertatem, & feræ, quæ sub naturali libertate sunt, fiunt primi occupantis: ut deducitur *ex Leg. Naturalem ff. de aquir. rer. domin.* ubi dicitur: Feram recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est ejus prosecutio. Sic Molina *disp.* 42. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 10. Si denique vulnus inflictum non fuit causa totalis, sed partialis, ut ab aliquo caperetur; tunc æquitas exposcit, ut dividatur inter vulnerantem, & capientem: ut ex Rebello, Reginaldo, Molina, & Covarruvia rectè docet Bonacina *disp.* 1. *de Rest. quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 10.

13 Dubitabis 9. an fera capta laqueo, vel instrumento alio à me parato, si eximatur, aut auferatur ab aliquo transeunte; fiet illius? Resp, si ita irretita erat fera meo laqueo, vel instrumento, ut inde evadere non poterat; mea erat, adeoque illam occupans alienum occupavit, ac ad restitutionem tenetur: ratio est, quia per meum laqueum, & naturalem libertatem amisit, & à me apprehensa, & occupata fuit: nam sicut sufficit ad deveniendum in meam potestatem, ut manibus apprehendam, sic & sufficiet instrumento meo apprehendisse. Favet huic sententiæ *Lex In laqueum. ff. de aquir. domin.* ubi ad casum propositum sic respondetur: Feram meam esse, si in potestatem devenerit. Sic Molina *disp.* 42. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 11. *num.* 49. Rebellus 1. *par. de præludiis Justitiæ quæst.* 14. Sà *verb. Venatio num.* 1. Filliuccius *num.* 135. & Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 11. Quidquid in contrarium docuerint Covarruvias, Navarrus, Azor, & alii putantes, quod fiet eximentis. Si tamen ita in laqueum incidit, ut inde se eximere poterat, ac in naturalem libertatem redire, tunc evadet eximentis, quia non perfectè pervenerat in meam potestatem. Verùm in hoc attendenda erit etiam spes domini laquei, quæ compensanda erit ab eximente; sicuti etiam occasio tradita ob paratum laqueum; ut adnotant Molina, Lessius, & Bonacina citati.

Quod dictum est de venatione extendi proportionaliter debet ad aucupium, & piscationem, cum similes militent rationes. Sed quid dicendum: si quis feram extrahat à meo laqueo, aut volucrem è mea cavea, vel pisces è mea nassa, quibus repleta erat; quamvis denuo parârit instrumenta illa, in quæ iterum animalia similia inciderunt? Resp. prima animalia spectare ad me dominum instrumentorum; nam sub potestate, ac dominio meo erant per mea instrumenta, adeoque mihi restituenda. Secunda verò animalia quamvis meis instrumentis capta, si ab ipso eximente priùs occupata fuerint; erunt ipsius, quia ejus industria capta; si verò priùs à me occupata fuerint, erunt mea, quia meo instrumento capta. Idem dicendum, si ego persequens feram, quæ incidat in tuum laqueum, prior illam occupem, mea erit, quia mea industria capta; si tamen tu prior illam occupes, tua erit, quia tuo instrumento capta. Sic enim æquitas exposcere videtur, ut advertit citatus Lessius; sicuti etiam eadem exigit, ut aliquid tradatur domino laquei ob laqueum, maximè si damnum aliquod passus sit, quod utique resarciendum erit; aut illi, qui suam industriam aptavit, ut fera incideret, ob industriam à se positam, ut notat citatus Bonacina.

CAPUT XX.

De Tempore, Loco, & Modo, quo fieri debeat restitutio.

1 *Tempus restitutionis faciendæ ob rem acceptam, vel injustam acceptionem urget statim ac commodè fieri potest. Idem dicendum ob injustam damnificationem. Ob contractum tamen, statim ac elapsus est terminus constitutus.*

2 *An mortaliter peccet, qui est in mora restituendi ob contractum, quamvis Creditor non patiatur detrimentum.*

3 *An non restituens cum possit, maneat in statu peccati, & teneatur resarcire damna proveniéntia ex non restitutione?*

4 *Quid facere debeat Confessarius cum pœnitente obstricto obligatione restituendi?*

5 *Locus, ubi facienda est restitutio ob injustam acceptionem; est ille, in quo Dominus rem suam possessurus erat, nisi ei ablata fuisset.*

6 *Locus, ubi facienda est restitutio ob rem bona fide acceptam, est ille, ubi primò agnoscitur esse alienam.*

7 *Locus, ubi facienda est restitutio ob contractum; erit ille, qui designatus fuit; vel si non fuit designatus, attendendus erit ille, in quo res accipitur.*

8 *Modus, quo facienda est restitutio; non requirit, ut immediatè fiat per ipsum debitorem; nec semper fieri debet publicè.*

TEMPUS, quo restitutio facienda est, sive ratione rei acceptæ, sive injustæ acceptionis, & detentionis; urget statim ac commodè fieri potest, nisi facultas differendi fiat ab eo, cui facienda est restitutio; vel nisi quia sit irrationabiliter invitus ob dilationem: ratio desumitur ex eo, quia præceptum obligans ad restitutionem, quamvis sit affirmativum, prout præcipit actionem positivam reddendi alienum; prout tamen præcipit, non retinere alienum, negativum est, & originem habet à negativo præcepto, Non furaberis, quod utique adimpleri debet, statim ac commodè potest, obligat enim semper, & ad semper. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 8. Valentia *tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 6. *pun.* 7. Molina *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 753. *num.* 2. Rebellus *lib.* 2. *de Rest. quæst.* 17. *num.* 2. & Sà *verb. Restitutio num.* 6. 1

Adnotandum hìc 1. restitutionem non faciendam esse ita rigorosè statim, ut nulla omnino mora intercedere possit; sed statim moraliter, scilicet expectata commoditate faciendi illam opportunè, absque eo quòd in hoc intercedat fraus, vel dolus. Sic decumbens in lectulo nocturno tempore, vel Missam audiens, aut in honesta recreatione detentus cum amicis, si restitutionis faciendæ recordetur; non ideo obligabitur ad surgendum è lectulo, vel Missam relinquendam, aut honestam recreationem, nisi modicum illud tempus esset causa notabilis damni domini, quod non ita de facili evenire solet. Sic Valentia, Molina, Rebellus *locis cit.*

Adnotandum 2. quæ dicta sunt de Restitutione facienda ob rem acceptam, vel injustam acceptionem, extendi etiam ad restitutionem faciendam ob delictum, vel quasi delictum; cum par militet ratio: ut constat *ex Leg. In re furtiva ff. de condict. furti.* Si tamen facienda sit ob contractum, vel quasi contractum; statim incipit obligatio restituendi, ac elapsus est terminus constitutus solutioni, etiam si debitor non fuerit admonitus; terminus namque constitutus interpellat pro domino *ex Cap. Final. de Locat. & Conduct.* Si verò terminus constitutus non fuerit, nec debitor admonitus, ut solvat; tunc nec graviter peccat, nec est in culpabili mora, si solutionem differat: eo quia præsumitur, velle dominum solutionem concedere, dum sciens, ac potens non petit. Dummodo tamen non petat ob timorem, impotentiam, aut oblivionem; tunc enim esset debitor in mora culpabili, cum supponatur alienum retinere invito domino. Sic Navarra *lib.* 4. *de Rest. cap.* 3. *num.* 12. Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 79. Sylvester *verb. Mora. quæst.* 1. Rodriquez 2. *par. cap.* 43. *num.* 4. & Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 223.

Petes 1. an censendus sit mortaliter peccare, qui est in mora restituendi ex contractu, quamvis absque damno creditoris? Resp. negativè, etiam si creditor petierit solutionem, dummodo tamen creditor non subeat periculum amittendi creditum suum, & debitor intentionem habeat solvendi, quamvis non possit commodè restituere: ratio est, quia dilatio solutionis in casu adjecto non videtur adeo injuriosa creditori, ut possit præbere fundamentum culpæ gravis in debitore, cum nullum patiatur damnum creditor. Sic Molina *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 753. *num.* 1. & Bonacina *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 6. *pun. unic. num.* 4. 2

Petes 2. an non restituens, cum possit commodè restituere, maneat in statu peccati mortalis, & teneatur resarcire domino damna ex non restitutione sequentia? Resp. certum esse eum, qui scienter alienum retinet invito domino, & opportunitatem habet ad restituendum, & non restituit; manere in statu peccati mortalis, si ex dilatione restitutionis dominus grave damnum patiatur: cum præceptum restituendi obliget sub gravi data opportunitate, nisi excuset parvitas materiæ restituendæ, 3

tuendæ, vel parvitas temporis; qualis esset dimidium horæ, vel hora: cum ex tam brevi, & exiguo spatio temporis parum videatur lædi creditor ob dilatam solutionem: ut adnotat Azor. 3. *par. lib.* 4. *cap.* 34. nisi urgeat rara necessitas. Quot autem peccata committat pro eo longo tempore, pro quo potens restituere non restituit; dignoscendum erit ab actibus intentionis, & voluntatis non restituendi moraliter interruptis: ut communiter docent Doctores. Circa restitutionem damnorum ex dilatione sequentium, certum pariter est, obligari ad illa non restituentem, cum possit: nam ex peccato contra justitiam cum damno alterius oritur obligatio restituendi, ac resarciendi damna illata: ut constans est Doctorum sententia. Vide Molinam *l. c. num.* 6.

4 Petes 3. quid confessarius facere debeat cum pœnitente obstricto restituendi obligatione? Resp. si agnoscat, illum non habere firmum propositum restituendi pro opportunitate data quàm primùm; vel cum commodè possit, nolit restituere, sed restitutionem differre usque ad mortem, vel illam committere hæredibus; aut denique cum possit totam summam restituere, velit tantùm per partes; & à fortiori si nolit absolutè restituere; non poterit confessarius ullatenus ei absolutionem impertire: ratio est, quia non est rectè dispositus, non enim habet propositum vitandi peccata in futurum. Sic docent Navarra, Salon, Azor, Sayrus, Reginaldus, Molina, & Aragonius penes Bonacinam *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 6. *punct. unic. à num.* 14. Idem dicendum regulariter, si pœnitens eidem confessario, vel aliis sepius promiserit restitutionem facere, quam non fecit, cum commodè potuisset; nec dilationem à suo creditore obtinuit: cum censeatur in proxima occasione peccandi, nam potens restituere, & non restituens censetur ut ille, qui domi concubinam retinet, & potens ejicere non ejicit. Sic probabilius Cajetanus, Navarra, Reginaldus, Bannez, Aragonius, Salon, Valentia, & alii apud Bonacinam *l. c. num.* 18. Non nego tamen, quòd si ex circumstantiis loci, temporis, & personarum prudenter judicet confessarius, revera faciendam esse restitutionem; possit illum absolvere: cum ex circumstantiis adiectis reputetur rectè dispositus cum debito dolore, & proposito firmo, & pœnitenti rectè disposito non sit deneganda absolutio, quamvis in hoc opus sit magna prudentia. Sic Salon, Valentia, Navarra citati.

5 Locus, ubi facienda est restitutio ob injustam acceptionem, ille erit, ubi dominus rem suam possessurus erat, si illi ablata non fuisset, & quidem expensis ipsius restituentis: ratio est, quia dominus debet in pristinum statum restitui, à quo ob iniquitatem auferentis ejectus est, ut servetur justitiæ æqualitas; ergo non solùm tenebitur auferens ad ipsam rem restituendam domino, verùm etiam ad expensas in hoc faciendas, cum recta ratio potiùs dictet, hoc incommodum sentiri debere ab injustè auferente, quàm à Domino, qui injustam acceptionem passus est, Sic Cajetanus 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. Sotus *lib.* 4. *de Just. quæst.* 7. *art.* 1. Lessius *lib.* 2. *de Just. cap.* 15. *dub.* 8. *num.* 48. Covarruvias *Regul. Peccatum* 1. *par. nu.* 9. Medina *Cod. de Restit. quæst.* 2. *dubit.* 3. Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 8. & Navarrus *in Summ. capit.* 17. *numer.* 43.

Petes 1. an etiam teneatur restituens suis expensis restitutionem facere, quando Dominus in alium migravit locum, ac domicilium mutavit? Resp. affirmativè: quia ob injustam auferentis acceptionem non debet dominus sua libertate privari, & domicilium transferre quò libuerit; auferens igitur sibi imputet tale incommodum. Possent tamen deduci expensæ illæ, quas dominus fecisset in illa asportanda ob domicilii mutationem: quia sicuti non debet reportare incommodum, ita neque lucrum, maximè quia sufficienter servatur æqualitas etiam detractis expensis à domino faciendis. Sic Covarruvias, & Lessius *l. c.* Rebellus, Sayrus, Azor. Medina, Molina, Navarra, Vasquez, & alii relati à Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 5. *punct. unic. num.* 6.

Petes 2. quid dicendum, si res restitui non possit, nisi majoribus expensis, quam ipsa valeat? Resp. ex quadam æquitate naturali posse tunc differri restitutionem, donec minoribus expensis fiat absque tanto detrimento: maximè si dominus vel nullum, vel parum damnum patiatur; cum non sit rationabiliter supponendum, velle dominum restitutionem sibi fieri cum tanto incommodo restituendi. Sic Sayrus *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 8. *nu.* 50. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. Aragonius *ibid.* & Molina *tom.* 3. *disp.* 712. *num.* 5. Si tamen periculum sit in morâ, ita ut nisi nunc restituatur res magnis expensis, nec dominus, nec ejus hæredes rem habituri sint, vel magnum ipsis sequatur damnum; tunc utique restituenda erit: eo quia dominus ob talem respectum non poterit in perpetuum sua re spoliari. Sic Lessius *l. c.* cui constat Navarrus, Cajetanus, Valentia, & alii. Quòd si denique prudenter judicetur, nolle rem sibi restitui sumptibus adeo ingentibus; & nulla spes fulgeat eam impostetum recuperandi; tunc in pauperes, vel alia pia opera distribuenda erit, cum connumerari possit inter bona incerti domini: ut ex Lessio bene observat Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 5. *pun. unic. num.* 5.

Quando restitutio facienda est ob rem bona fide ac- 6
ceptam, tunc fieri debet in eo loco, ubi primò agnoscitur esse alienam, nec tenetur restituens ad expensas inde faciendas, ut ad dominum perveniat: ratio est, quia domiuus non fuit per injuriam deturbatus à possessione rei suę; ergo non tenetur restituens suis expensis illum reponere in statum pristinum: nec par est, ut possessor bonæ fidei ex restitutione alieni damnum reportet, ut cautum est *in Leg. Possessor. ff. de petit. hæred.* Tenetur tamen, qui restituere debet custodire rem, & dominum admonere de re sua; imò si debeat in alium locum migrare, nec poterit rem illam fidelitati alicujus committere; poterit secum afferre repetitis expensis ad hunc effectum præstitis, & in utilitatem domini cedentibus: ut constat *ex Leg.* 2. *ff. de negot. gestis.* Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 8. *n.* 51. & Bonacina *l. c. nu.* 2. alios referens. Si tandem res restitui nequit domino, vel quia admoneri non potest, nec spes habeatur illum admonendi; vel quia minoris momenti res est præ expensis faciendis ob transmissionem; tradi poterit consanguineis, si quos habeat, vel pauperibus in eorum defectu. Sic Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 42. Molina *tom.* 3. *disp.* 752. Medina *Cod. de Rest. quæst.* 2. *dub.* 5. Navarra *lib.* 4. *de Rest. capit.* 3. *num.* 2. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 5. *capit.* 1. *numer.* 9. & alii apud Vasquez *de Rest. cap.* 10. *num.* 14. & 60.

Quando denique restitutio facienda est ex contractu, 7
vel quasi contractu; tunc si ex conventione contrahentium justè designatus sit locus, in eo loco fieri debet: cum sic expostcat obligatio ex justo contractu orta: sicuti expensis illius fieri debet, qui justè designatus fuerit ex conventione. Si tamen nec locus designatus fuerit, nec designata persona pro expensis; tunc attendendus locus in quo accipitur, & attendenda erit persona, in utilitatem cujus cedit res accepta: quapropter si cedit in utilitatem Debitoris, expensis illius restituenda erit; si verò Creditoris, expensis hujus restitui debet: ratio deducitur ex eo, quòd qui commodum, & utilitatem percipit; par est, ut onus, ac incommodum sentiat, cum ipsius negotium agatur. Sic Doctores communiter.

Hinc fit 1. Commodatum, & mutuum restituenda esse in eo loco, ubi accepta fuere, & expensis Commodatarii, & Mutuatarii, in quorum utilitatem cedunt. Si tamen Commodans, & mutuans in alium locum commigraverint, non tenentur Commodatarius, & Mutuatarius ad restituendum in eo loco, & propriis expensis, quia ibi non accepere. Sic Molina, Reginaldus, Covarruvias, Rebellus, Sayrus, Vasquez, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 5. *punct. unic. num.* 15.

Fit 2. Depositum, & Pignus restituenda esse in eo loco, ubi deposita, ac pignorata fuere, & expensis deponentis, ac pignorantis, in quorum utilitatem cedunt, loquimur enim de depositio gratis accepto in custodiam. Quòd si contingat, depositum, & pignus transferri in alium locum, sine tamen culpa lata Depositarii, aut Pignoratarii; tunc si faciendæ sint expensæ ob restitutionem; spectant ad Deponentem, & Pignorantem: quia incommodum adveniens depositio, & pignori sine culpa lata depositarii, & pignoratarii non est eis imputandum cum eorum incommodo; & negotium, quod agitur, spectat ad deponentem, & pignorantem, *ex Leg.* 2. *ff. de negot. gest.* Sic Medina, Sayrus, Vasquez, & Bonacina eos referens *l. c. num.* 13.

Fit 3. quæ debentur ex Contractibus venditionis, emptionis, locationis, census; restituenda esse, nisi aliud

justè

justè conventum fuerit, in eo loco, ubi res vendita, empta, locata, permutata fit, aut ubi sit census constitutus: ratio est, quia in his contractibus nullus alius locus magis justitiæ congruit præter assignatum; & recta ratio dictare videtur, ut ibi res restituatur, ubi vendita, empta, permutata, vel locata fuerit; aut ubi est census constitutus. Vide Lessium *lib.2, de Just. cap.* 18. *dub.8. num.* 56. 57. & 58.

Fit denique: ea, quæ debentur ratione promissionis, donationis, testamenti, vel Legati, aut alterius tituli gratiosi; restituenda esse in eo loco, ubi reperiebantur, cum promitterentur, donarentur &c. itaut si alibi restituenda sint, expensis ipsius promissarii, donatarii, legatarii, in quorum utilitatem cedunt, id fieri debeat, supponimus enim, non fuisse aliter dispositum: ratio autem est, quia gratis promittens, donans, legans non præsumitur ad aliud se obligare velle, nisi ad eum locum, ubi res reperitur, quòd si eam nolint, relinquant. Non nego tamen, quòd si hæres eam aliò transferat; teneatur propriis sumptibus in pristino loco, ubi relicta fuit, restituere: cum legatarius, donatarius &c. jus habeant ad illam percipiendam in eo loco. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 8. *num.* 59. Vasquez *de Restit. capit.* 10. *dubit.* 1. *numer.* 18. & Reginaldus *lib.* 10. *num.* 233.

8 Modus, quo restitutio facienda est, non requirit, ut immediate fiat per ipsum debitorem, sed sat est, si fiat per personam interimediam: eo quia cum ordinetur restitutio ad æqualitatem resarciendam, & resarciri potest non solùm immediatè, verùm etiam mediatè; inde est, quòd non habeatur obligatio faciendi restitutionem immediatè. Sic Doctores passim. Nec habetur obligatio faciendi eam publicè ob idem motivum, maxime si aliqua oriatur infamia publicè restituenti: cum etiam per occultam restitutionem resarciri possit æqualitas læsa. Et si aliquando fieri debeat publicè ad tollendum scandalum datum; nihilominus hoc non provenit ratione Justitiæ, quam respicit restitutio, sed Charitatis proximi. Sic publicus Usurarius tenetur ad publicam usurarum restitutionem ob tollendum scandalum datum. Sic Navarra, Sayrus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 7. *pun. unic. num.* 2.

9 Petes: an debitum solvi possit quocumque genere pecuniæ? Resp. nisi aliter statutum sit inter contrahentes, posse ex se solvi quocumque genere pecuniæ, etiamsi debitum solvendum sit ex mutuo: ratio est, quia quælibet pecunia ex se potens est restituere æqualitatem inter debitorem, & creditorem, esto aliquam patiatur molestiam in numerando. Sic Sylvester *verb. solutio, quæst.* 3. Vasquez *de Rest. cap.* 11. *numer.* 1. & Azor. 3. *par. lib.* 4. *cap.* 31. *quæst.* 1.

CAPUT XXI.

De Ordine in restitutione servando tum inter debita, tum inter personas, quibus facienda est.

1 *Debita alia sunt certa, incerta alia, Creditores alii sunt Reales, alii Personales.*
2 *Priùs restituenda sunt debita certa, postea incerta.*
3 *Inter debita certa ex delicto, & certa ex contractu justo oneroso non datur prælatio cum omnia paris juris sint.*
4 *Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratuito.*
5 *Priùs solvenda sunt debita Creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus; postea creditoribus personalibus non habentibus illa.*
6 *Quid faciendum, cum eadem res pluribus creditoribus hypothecata sit, & non est omnibus solvendo?*
7 *An servandus aliquis ordo inter creditores personales non habentibus hypothecam nec jus prælationis?*
8 *An possit debitor satisfacere creditori personali non habenti jus prælationis, quia pauper est, postpositis cæteris creditoribus.*
9 *An inter creditores personales non habentes jus prælationis possit priùs ei satisfieri, qui prior petiit?*
10 *An peccet debitor, qui sponte restituit creditori non priùs petenti solutionem, ut illi rem gratam faciat, cum sic fiat impotens ad solvendum cæteris?*
11 *An teneatur creditor restituere solutionem acceptam in fraudem cæterorum creditorum jus æquale habentium?*
12 *An peccent debitores non servantes hunc ordinem in restitutione facienda?*

1 DICTUM fuit superiùs *capit.* 13. de ordine servando in restitutione inter personas damnum inferentes; nunc dicendum remanet de ordine servando inter ipsa debita, & inter personas, quibus restitutio fieri debeat, quando præcipuè bona debitoris non sufficiunt ad integram omnium Creditorum satisfactionem. Ut autem clariùs procedamus.

Prænotandum 1. debita alia esse certa, incerta alia. Debita certa ea dicuntur, quæ certò constat deberi, ac certò scitur cui debeantur. Incerta verò ea dicuntur, de quibus dubitatur, an debeantur; vel si certò scitur deberi, nesciatur tamen quibus debeantur, & quomodo.

Prænotandum 2. inter Creditores alios esse Reales, qui videlicet habent jus in re, vel ad rem; alios Personales, seu Chirographarios, qui scilicet non habent jus ad bona debitoris, sed tantùm ad personam illius.

Prænotandum 3. Creditores hypothecarios, quibus videlicet facta est hypotheca à debitore assignante rem aliquam pro securitate, sive tradatur ipsis, ut esset armilla aurea, & tunc dicitur pignus; sive non tradatur, ut esset ager, & tunc revera dicitur hypotheca; alios dici tales ob hypothecam generalem, per obligationem scilicet omnium bonorum debitoris; alios per hypothecam specialem, per obligationem videlicet alicujus rei particularis, & certæ. Insuper alios esse tales per hypothecam expressam, quæ scripto, vel verbis apponitur per partium conventionem; alios per hypothecam tacitam, quæ à Jure apponitur absque ulla partium conventione: ut est hypotheca dotis, qua omnia bona meriti intelliguntur obligata pro dote suæ Uxoris. His prænotatis

2 Dicendum 1. priùs restituenda esse debita certa, quorum videlicet creditor scitur, postea incerta, quorùm creditor ignoratur: ratio deducitur ex eo, quia jus ipsum naturæ dictare videtur, ne persona certa, & determinata damnum patiatur, quàm potiùs incerta, & indeterminata: maximè quia juxta mentem plurium Doctorum debita certa debentur jure naturæ creditoribus certis, incerta verò jure positivo tantùm debentur pauperibus, & jus naturæ anteponendum est juri positivo. Nec personæ incertæ, & indeterminatæ ita ægrè ferunt, non solvi sibi debita, ut personæ certæ, & determinatæ. Sic Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 10. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 5. *capit.* 10. Vasquez *de Rest. capit.* 11. *num.* 3. & 10. Bannez, Aragonius, & Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 8. *dub.* 3. & Lessius *libr.* 2. *cap.* 15. *dub.* 1. *num.* 5.

Petes hìc: an satisfieri possit creditoribus certis ex re in sua specie aliena, ex equo e. g. furto ablato, cujus tamen dominus ignoratur, & est incertus? Resp. negativè: nam res ista primò restitui debet iis, quibus assignata sunt bona incerta aliena, pauperibus videlicet aut piis locis: ratio est, quia restitutio facienda creditoribus certis debet esse ex propriis bonis debitoris, non alienis: quapropter res istæ in sua specie alienæ non connumerandæ sunt inter bona debitoris, imò prorsus ab illis primo loco segregandæ, & personis, aut locis jure positivo statutis tribuendæ. Vide Lessium *loco citato num.* 3. qui testatur, esse communem sententiam.

3 Dicendum 2. inter debita certa ex delicto, ut ex furto, rapina, usuris, & debita ex contractu justo oneroso non dari prælationem; itaut non teneatur restituens priùs solvere debita contracta ex delicto, & postea ea, quæ ex contractu oneroso sunt, cum omnia paris juris censeantur sine ulla prælatione: ratio est, quia bona debitoris non minus sunt obnoxia iis, quibus debentur ex delicto; quàm iis, quibus debentur ex contractu oneroso justo; ergo non est, cur priùs debeantur creditoribus ex delicto, quàm creditoribus ex contractu oneroso: maximè quia jus prælationis neque ex jure naturæ, neque ex jure positivo colligi queat. Suppono tamen hìc, rem restituendam in sua specie alienam non extare; nam si extet, semper primo loco restituenda erit Domino, pro quo clamat, sive sit creditor ex delicto, sive ex contractu, ut indubitatum est penes Doctores. Sic Navarra *lib.* 4. *capit.* 4. *num.* 41.

num. 41. Sylvester *verb. Restitutio 6. quæst.* 5. *punct.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 3. *num.* 16. Bannez, Aragonius, Reginaldus, Molina, Vasquez, Filliuccius, Turrianus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 8. contra Medinam, Salonium, & alios putantes debere priùs solvi ea, quæ ex delicto sunt; & contra Navarrum, Cajetanum, & alios putantes, priùs solvi debere ea, quæ ex licito contractu proveniunt.

Neque dicas: majorem fieri injuriam creditoribus ex delicto, quàm creditoribus ex contractu; adeoque priùs satisfaciendum debitis ex delicto, quàm debitis ex contractu. Contra enim est: injuria, quæ fit per retentionem rei alienæ eadem est sive ex delicto, sive ex contractu proveniat, cum hic sit status quæstionis, quæ exagitatur. Et esto, quòd sit major injuria; non inde tamen infertur prælatio: ut patet in auferente centum à Titio, & quinquaginta à Cajo, absque eo quod teneatur præferre Titium Cajo, per hoc quòd majorem injuriam Titio intulerit præ Cajo. Sicuti non probatur prælatio inter debita contracta ex delicto per hoc, quod unum delictum sit majus alio; adeoque non priùs solvendum erit debitum ex rapina, quàm ex furto, vel usura; quamvis majus delictum sit rapina pr furto, & furtum præ usura, sed omnia restituenda erunt secundum ratam bonorum debitoris. Sic Azor. Navarra, Sayrus, Bannez, Lessius, Filliuccius, & Aragonius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 11. *in fine*.

4 Dicendum 3. debita ex contractu oneroso priùs solvenda esse præ debitis ex contractu gratuito, & gratioso: sic priùs satisfaciendum erit ex bonis debitoris creditoribus ex contractu venditionis factæ, & emptionis; postea creditoribus ex promissione, legato, donatione &c. ratio est, quia ex lumine naturæ sic æquitas exposcere videtur; & in contractibus gratuitis videtur semper imbibita hæc conditio, nisi aliud solvendum erit ex contractu oneroso. Sic Medina *Cod. de Restit. quæst.* 2. *dub.* 5. *concl.* 4. Navarrus *in Sum. cap.* 17. *nu.* 50. Molina *tract.* 2. *disp.* 760. *num.* 4. Rebellus *quæst.* 19. *num.* 14. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 4. *nu.* 35. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *numer.* 34. & Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 12.

5 Dicendum 4. priùs solvenda esse debita creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus; quàm creditoribus personalibus, seu chirographariis, qui nec hypothecam, nec pignus habent: ratio est, quia ad hunc finem fit hypotheca, & traditur pignus; constat quoque *ex Leg. Eos, Cod. Qui potior. in pign. & hypoth.* habeantur, ut docent Salonius, Valentia, Bannez, Sayrus, Lessius, Navarrus, & alii relati à Bonacina *l. c. num.* 15.

6 Sed petes 1. quid faciendum, si eadem res pluribus Creditoribus hypothecata fuerit, & non sit omnibus solvendo? Resp. priùs restituendum esse illi, qui prioritatem temporis habet in hypotheca exceptis nonullis casibus, quos addam: ratio fundatur in Regula Juris: Qui prior est tempore, potior est jure. Nec distinguendum est inter hypothecas: una semel enim, quod prior est, præfertur posteriori, etiam si prior fuerit generalis, vel tacita, & posterior specialis, & expressa. Sic Covarruvias *lib.* 3. *Var. cap.* 7. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 4. *num.* 23. Molina *disp.* 536. *num.* 22. Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 4. *num.* 126. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 16. & alii. Quidquid dixerint Sylvester, & Navarrus putantes, specialem hypothecam præferri generali, & expressam tacitæ. Casus autem, qui eximuntur ab hac Regula, & in quibus posterior hypotheca præfertur priori, sunt sequentes.

1. Est, si mutuans dedit pecuniam ad reficiendam rem aliquam, e. g. domum, vel navim alteri hypothecatam ac ipsi mutuanti; hypotheca mutuantis quamvis posterior præferenda erit priori hypothecæ alterius: ut habetur *ex Leg.* 5. *ff. qui potiores in pignore*: ratio est, quia sine tali mutuo res illa periisset, & prior hypothecarius nil reportasset.

2. Casus: si mutuans detit pecuniam suam pro vectura mercium, aut locatione ædium pro conservatione mercium; merces illæ isti mutuanti obligatæ remanebunt ante alios hypothecarios habentes sive generalem, sive specialem, sive expressam aut tacitam hypothecam *ex Leg.* 6. *Cod. Qui potior*.

3. Casus: si mutuans dedit pecuniam suam ad emendam rem aliquam, fundum, vel domum e. g. cum expressa conventione, ut ipsi hypothecata remaneat pro mutuo; hæc hypotheca præferenda erit cæteris habentibus priorem hypothecam generalem super bonis omnibus mutuatarii. Sic constat *ex Leg. Licet. Cod. Qui potior*.

4. Casus: si ex pecuniis pupilli res aliqua empta fuerit, remanebit pupillo hypothecata ante omnes alias hypothecas priores, ut sic possit pretium suum recuperare. Sic *ex Leg. penul. Cod. de serv. pignor. dato*.

5 Casus: si quis contrahit cum Fisco, ejus bona manebunt Fisco hypothecata cum prælatione, & similem prælationem habet Fiscus ratione tributi non soluti: patet *ex Leg.* 2. *Cod. de Privileg. Fisci*. Fiscus enim, & dos Uxoris pari jure gaudent *ex Leg. Dotis tuæ, Cod. de Jur. dotium*.

6. Casus: si quis pecuniam alicui mutuavit ad militiam, ut videlicet arma, equum, & alia ad militiam necessaria emeret; habebit jus prælationis, etiam ante dotem: colligitur *ex Novella Justiniani, cap.* 4.

7. Casus est hypotheca dotalis: bona siquidem mariti ita hypothecata remanent doti Uxoris, ut ipsa uxor, ac ejus descendentes necessarii præferri debeant in dotium restitutione cæteris hypothecariis habentibus priores, sed tacitas hypothecas, ut sanctum est *in Leg. Assiduis, Cod. Qui potior. in pign.* Quod etiam extenditur ad dotem putativam, quando scilicet mulier bona fide contraxit Matrimonium nullum. Vide Gomez *in Leg.* 50. *Tauri*, & Molinam *disp.* 348. *nu.* 5. Non præfertur tamen dos juxta probabiliorem, & communiorem sententiam hypothecæ priori expressę, quamvis præferatur taciræ; licèt Panormitanus, Faber, Rebellus, Soncinas, Barbosa, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 11. *num.* 9. probabiliter sustineant præferri, sicuti non præfertur hypothecis privilegiatis in 1. 2. & 3. casu relatis, etiam per Bonacinam. Quæ usque adhuc dicta sunt, procedunt ex Jure communi, quòd si alicubi aliæ Leges particulares, vel Consuetudines legitimè introductæ reperiantur; ipsis standum erit.

Petes 2. an servari debeat aliquis Ordo inter Creditores Personales, & Chirographarios, qui hypothecam non habent, nec jus prælationis? Resp. negativè, etiamsi inter ipsos prioritas temporis habeatur; moveor, quia habent æquale jus, ergo injuria fit, si unus alteri præferatur, adeoque juxta proportionem debiti ad debitum rata quantitatis restitutionis facienda erit; ut colligitur *ex Leg.* 1. *ff. de Solution.* Nec sufficiens fundamentum est prioritas temporis ad prælationem in restitutione. Nam regula illa: Qui prior est tempore, potior est jure, non valet in creditoribus personalibus non habentibus hypothecam, aut jus prælationis; sed solùm in realibus hypothecariis, aut jus prælationis habentibus, ut ex multis Legibus colligitur, teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 6. *nu.* 44. allegant pro hac sententia Sylvestrum, D. Antoninum, Baldum. Sic etiam Sayrus, Vasquez, Navarrus, Azor. Reginaldus, Bannez, Aragonius, Filliuccius, Turrianus, quos refert Bonacina *de Rest. quæst.* 8. *pun.* 2. *num.* 19. contra Medinam, Gabrielem, Valentiam, Toletum, & Sà. 7

Sunt autem nonnulli Creditores personales, qui jus prælationis habent ex Legibus. Sic 1. sunt *ex Leg.* 2. *ff. de Privileg. Cred. & ex Leg. penult. ff. de reliq. & sumpt. funer.* qui moderatas fecere expensas pro funere debitoris; vel pro persona, quam debitor sepelire tenebatur. Quod etiam extenditur ad expensas factas pro testamenti copia, ejus insinuatione, ac pro inventario, ut colligitur *ex Leg. ult. §. in Comput. Cod. de jure debit.* 2. sponsa de futuro in bonis sponsi, cui dotem tradidit non secuto Matrimonio *ex Leg. Eos, Cod. Qui potior in pign.* 3. qui pecuniam deposuit apud publicum nummularium absque usuris *ex Leg. Si hominem, §. Quoties, ff. Depositi.* 4. pupillus super bonis tutoris, aut gestoris suorum negotiorum, si ipsi debitores sint. Simili privilegio prælationis gaudent minores, prodigi, fatui, surdi simul, & muti, *ut ex variis Legibus constat ff. de Privileg. Creditor. & ff. de Tutela.* 5. ille, qui solvit creditori habenti jus prælationis, in cujus locum succedit *ex Leg. Si ventri. §. ult. ff. de Privileg. Creditor.* Vide Molinam pro dignitate de hac re pertractantem *disp.* 536.

Petes 3. an debitor possit priùs satisfacere Creditori personali non habenti jus prælationis, quia pauper 8

est,

est, relictis creditoribus divitibus? Resp. negativè, nisi sit in extrema, vel gravi necessitate: & ratio est, quia neque jure naturali, neque jure positivo colligi potest talis prælatio; ergo fit cum injuria cæterorum creditorum, qui essent rationabiliter inviti ob æquale jus, quod habent. Permittitur autem talis prælatio in extrema, vel gravi necessitate ob duplicem titulum, quem haberet creditor pauper Justitiæ, & Charitatis, & reliqui creditores non pauperes supponerentur irrationabiliter inviti. Sic Lessius, Azor. Vasquez, Filliuccius, Turrianus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. quæst.* 7. *punct.* 2. *nu.* 24. Quamvis suam probabilitatem habeat sententia opposita, quam sustinent D. Thomas, Valentia, Medina, Rebellus, Sayrus, & alii.

9 Petes 4. an inter creditores personales non habentes jus prælationis possit primò restitui illi, qui priùs petiit solutionem? Resp. posse, etiam si petitio fiat in judicio, vel extra illud: & ratio est, quia diligentia illius facit eum potiorem, sicuti facit hypotheca, vel pignus: imò tenetur in conscientia debitor illi integrè satisfacere, etiam si agnoscat tempore posteriorem præ reliquis non habentibus jus prælationis, patet *ex Leg. Pupillus, ff. quæ in fraudem creditor.* & docent Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 52. Sylvester *verb. Restitutio, cap.* 11. *dub.* 5. Azor. Bannez, Reginaldus, & Sayrus relati à Bonacina *de Restit. quæst.* 7. *punct.* 2. *num.* 20.

10 Petes 5. an peccet debitor, qui sponte restituit creditori non priùs petenti solutionem, ut illi rem gratam præstet, cum inde evadat impotens ad solvendum cæteris creditoribus? Resp. affirmativè: cum injuriam faciat cæteris creditoribus æquale jus habentibus; nec titulum sufficientem habeat, ob quem præferri debeat, cum non petierit prior. Sic Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 53. Sayrus *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 31. Vasquez *de Restit. cap.* 11. *numer.* 106. & Bonacina *l. c. num.* 22.

11 Petes 6. an peccet, & teneatur Creditor restituere solutionem acceptam in fraudem reliquorum creditorum æquale jus habentium? Resp. si bona fide acceperit nesciens fieri in fraudem creditorum, nec induxit debitorem ad hoc faciendum; non peccare, nec teneri ad restitutionem, cum hoc tamen quod res accepta alteri obligata non sit: ratio est, quia accipiens utitur jure suo, nec cooperatur actioni injustæ alterius; insuper non teretur ad restitutionem ratione rei acceptæ, quia debitoris erat, nec alteri obligata; nec ratione injustæ acceptionis, cum non accipiat illam cum injuria domini; ergo nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. Et in hoc conveniunt Doctores.

Discrepant tamen, si scierit, restitutionem fieri in fraudem creditorum, dummodo non inducat ad illam. Nam Molina, Lessius, Navarra, Filliuccius, & alii asserunt, non teneri accipientem in foro conscientiæ ad restitutionem, etiamsi ex titulo gratuito, vel oneroso accipiat, & etiamsi noscat, tradentem impotentem evadere ad satisfaciendum reliquis: eo quia utitur jure suo, nec cooperatur actioni injustæ alterius; & damnum alteri sequens ex illa acceptione, est per accidens. Nihilominus sententia opposita probabilior videtur, quam sustinent Angelus, Sylvester, Covarruvias, Rebellus, Salonius, Aragonius, Valentia, Azor. Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 27. docent enim hi Doctores, & peccare in casu adjecto, & teneri ad restitutionem: ratio est, quia cooperatur actioni injustæ cum damno aliorum, quam scit, & noscit, esse injustam; ergo & peccat, & ad restitutionem tenetur: maximè quia si est injusta ex parte tradentis, injusta pariter censenda erit ex parte accipientis.

12 Petes tandem: an peccent debitores, qui non servant ordinem superiùs explicatum in restitutione facienda suis Creditoribus? Resp. si aliæ non extent Leges speciales contrariæ, vel consuetudines receptæ; aut nisi excuset ignorantia invincibilis juris, vel facti, aut parvitas materiæ; graviter peccabunt contra justitiam; ratio est, quia Leges Civiles, quæ non nituntur falsæ præsumptioni, obligant in conscientia, præcipuè si ex ipsarum transgressione notabile damnum, ac injuria alteri inferatur, ut communiter Doctores asserunt.

CAPUT XXII.

De Causis differendi restitutionem.

1 *Quatuor causæ ad differendam restitutionem considerari possunt.*
2 *Grave damnum Creditoris, aut alterius Personæ, quod prudenter, & probabiliter timeatur; est causa sufficiens ad differendam restitutionem.*
3 *Damnum Debitoris si est longè majus præ eo, quod patitur creditor ex dilata solutione; est causa sufficiens ad differendam restitutionem.*
4 *Quod nam esse debeat magnum damnum debitoris, ob quod differri possit restitutio?*
5 *An quis teneatur restituere bona inferioris ordinis cum notabili detrimento bonorum superioris ordinis?*
6 *An debitor possit restitutionem differre, si absque æquali suo detrimento cum illo creditoris eam facere non possit?*
7 *An differri possit restitutio ob spem magni lucri, quod debitor reportaret?*
8 *Impotentia debitoris est sufficiens causa ad dilationem restitutionis.*
9 *An necessitas gravis debitoris, suorum, vel proximi sit sufficiens causa ad differendam restitutionem.*
10 *An transacta necessitate extrema habeatur obligatio restituendi rem?*
11 *Cessio bonorum est causa sufficiens ad restitutionem differendam.*
12 *An habens justam causam differendi restitutionem teneatur resarcire damna, quæ creditor patitur ob dilatam restitutionem?*

QUATUOR causæ considerandæ veniunt, ob quas 1 differri restitutio possit; prima est damnum Creditoris, vel alterius personæ; secunda damnum ipsius debitoris; Tertia impotentia debitoris; quarta Cessio bonorum à debitore facta; de quibus singillatim agendum.

Dico 1. damnum grave creditoris, vel alterius per- 2 sonæ, quod probabiliter, aut prudenter timetur ex restitutione facienda; est sufficiens motivum ad restitutionem differendam: ratio est, quia obligatio restitutionis vergit, ac ordinatur in bonum creditoris, sed non ordinaretur in bonum creditoris, si illi allatura esset grave damnum; ergo sufficiens motivum erit ad illam differendam tempore magis congruo, & opportuno. Quòd etiam differri possit ob grave damnum alterius, probatur: quia creditor ex Charitate tenetur pati dilationem illam, ut proximum à gravi damno liberet; & si id ægrè ferat, supponendus est rationabiliter invitus. Nec debitor restitutionem differens in utroque casu est redarguendus, cum prudenter, & utiliter gerat negotium Creditoris, & Proximi. Sic Molina *tom.* 3. *disp.* 755. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. Sotus *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 63. Rebellus *lib.* 2. *de Rest. quæst.* 17. *sect.* 3. *num.* 18. & Turrianus *disp.* 17. *dub.* 1.

Hinc fit: non restituendum esse domino equum, si debitor probabiliter sciat, quòd si tunc temporis restituatur, furto auferendus sit; nec restituenda esse arma domino, si probabiliter sciat, illis abusurum esse ad se, vel alios occidendos; nec denique reddendum depositum Principi, si sciat, illo abusurum ad Civitatem injustè obsidendam.

Quæres hac occasione: an teneatur debitor restituere Creditori rem ipsi debitam, si sciat, ea abusurum esse? Resp. si abusurus erit re illa in sui detrimentum spirituale, vel corporale, in libidines scilicet, aut simoniacam beneficii emptionem, vel in ludos, commessationes, comporationes &c. non teneri ad restitutionem ex Lege Charitatis, nisi aliquod notabile damnum sibi timeat, & non sit in creditore periculum majoris, vel æqualis detrimenti absque spe emendationis: ratio est, quia si potest commodè debitor, debet ex lege Charitatis damno proximi subvenire, ac malum illius impedire tam spirituale, quàm corporale. Quòd si restituat, non peccabit contra justitiam: eo quia si creditor habet jus petendi, debitor non facit contra ejus jus restituendo; imò actus restitutionis quatenus à debitore est ex suis intrinsecis bonus, esto vitietur à pravo usu creditoris: nec spectat ex justitia ad debitorem inquirere, an in bonos, vel pravos usus à creditore res restituta

ſtituta inſumatur. Sic Navarrus, Sotus, & Leſſius *locis ſuperius citatis*; ſic etiam Navarra, Azor. Sanchez, & alii relati à Bonacina *de Reſt. quæſt. ult. pun.* 1. *nu.* 4. Si verò abuſurus erit re illa in detrimentum proximi, graviter peccabit debitor reſtituendo, & tenetur ex juſtitia ad reſarcienda damna inde ſequentia proximo, niſi fuerit coactus à Judice; & niſi grave malum ſibi immineret ob denegatam reſtitutionem: ratio eſt, quia reſtitutio illa cenſeretur propinqua cooperatio ad damnum proximi, & inducens obligationem reſarciendi illud: quamvis cooperatio non cenſeretur, ſi fieret ob Judicis Mandatum, vel ob grave damnum imminens. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. *num.* 59. & ſic communiter Doctores teſte Bonac. *l. c. nu.* 9. *in fin.*

3 Dico 2. damnum debitoris, ſi eſt longè majus præ eo, quod creditor patitur ex dilata reſtitutione; eſt cauſa ſufficiens ad reſtitutionem differendam: loquimur hìc de damno, quod ſequitur in rebus non debitis creditori, ſeu de damno diſtincto à re reſtituenda; cum damnum præcisè ſequens ex ipſa re reſtituenda non ſit caput ſufficiens ad excuſandum, ut ex ſe patet, & Doctores omnes fatentur: ratio eſt, quia in reſtitutione facienda ſervanda eſt æqualitas non ſolùm ex parte creditoris, ſed etiam debitoris: non ſervaretur tamen æqualitas prædicta, ſi cogeretur debitor ad reſtituendum cum longè majori ſuo detrimento præ eo, quod creditor patitur ob dilatam reſtitutionem; imò reputandus eſſet irrationabiliter invitus creditor, ſi dilationem concedere nollet; ergo erit cauſa ſufficiens. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 22. referens Navarrum, & Div. Antoninum. Sic etiam Valentia, Salon, Aragonius, Sayrus, Sà, Molina, & alii apud Bonacinam *de Reſt. diſp.* 1. *quæſt. ult. pun.* 1. *num.* 11. Contra Cajetanum, & Sotum.

Hinc fit 1. poſſe differre reſtitutionem eum, qui debet mille aureos, nec eos reſtituere poſſit, niſi domum, vel agrum vendat cum notabili detrimento pretii; ut ſi valeat bis mille, & cogatur vendere pro medietate: quod quidem locum habet non ſolùm in reſtitutione ex contractu, verùm etiam ex delicto: eo quia par militat ratio; cum ſaltem ex Charitate, & æquitate quadam teneatur creditor concedere dilationem reſtitutionis, adeo diſpendioſæ debitori. Sic Medina, Leſſius, Navarrus, Sayrus, Navarra, & Valentia penes citatum Bonacinam *num.* 22.

Fit 2. virum nobilem, aut primarium Civem poſſe reſtitutionem differre, ſi ob eam privare ſe debeat omni obſequio ſibi debito, & cogatur abſtinere à conſortio ſuorum æqualium, aut artem mœchanicam exercere, ſuo ſtatui non convenientem, quem ſtatum juſtè teneat. Debet tamen intra limites decentiæ moderari, ac diminuere ſumptus, victum, veſtitum, famulatum &c. ut ſic paulatim reſtituat, non enim ſic grave pateretur damnum. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *nu.* 25. Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 6. Sylveſter *verb. Reſtitutio* 5. *quæſt.* 1. referens Scotum, & Archidiaconum.

Fit 3. debitorem poſſe reſtitutionem differre, ne cadat à ſtatu ſuo juſtè acquiſito, etiamſi ad tales anguſtias redactus ſit culpa ſua, ſuperfluis ſcilicet ſumptibus, ludis, prodigalitatibus, commeſſationibus &c. quæ omnia auferre debet, imò etiam diminuere juxta limites decentiæ ea, quæ conveniunt ſuo ſtatui juſtè acquiſito, ut paulatim reſtituat: ratio eſt, quia licèt culpa ſua ad hoc redactus ſit, non ideo tamen detrimentum longè majus pati debet, quale eſſet è ſuo ſtatu juſtè acquiſito decidere. Sic benigniùs docent Valentia, Bannez, Navarrus, Rebellus, Salonius, & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Reſt. diſp.* 1. *quæſt. ult. punct.* 1. *num.* 24. Non nego, ſatis laudabiliter oppoſitum docere alios Doctores apud Leſſium *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 26. Si debita ſint ex delicto: non enim meretur dilationem reſtitutionis debitorum ex delicto, qui ſibi imputare debeat anguſtias ſui ſtatus; ſecus enim eſſet, ſi infortunium, vel improviſa calamitas ad illas redegiſſet. Quæ quidem ſententia mihi non diſplicet contra Nobiles, & prædivites Perſonas debita abſque fine contrahentes, ut ſatis largè ſupra conditionem ſui ſtatus expendant. Si tamen ſtatus ſit injuſtè acquiſitus per rapinas, furta, uſuras, conveniunt omnes Doctores teneri ſtatim, ad reſtitutionem: quia non eſſet ſuum ſtatum amittere, ſed ad priſtinum ſe reducere; nec eſſet decidere è proprio ſtatu, ſed alieno.

Fit 4. poſſe differre reſtitutionem eum, qui ut ſtatim reſtituat; cogitur vendere inſtrumenta ſuæ artis, quibus ſe, & familiam ſuam ſuſtentat; aut vendere veſtes ſibi neceſſarias, vel operimenta lecti: non enim ſervaretur æqualitas cum tanto incommodo in tali reſtitutione. Vide Bonacinam *loco citato* alios referentem.

Fit denique: poſſe debitorem differre reſtitutionem, ſi magnum, & probabile periculum timeat ſalutis animæ ſuæ, vel ſuorum: ratio eſt, quia ſi poteſt id fieri ob probabile periculum notabile temporale, cur non poterit ob probabile periculum ſpirituale, quod eſt majoris momenti? maximè quia magis quiſque tenetur ad conſulendum bono ſuo ſpirituali, vel ſuorum, quàm bono temporali aliorum. Sic ſi ex reſtitutione facienda oritur probabile periculum, quòd reſtituens præ deſperatione ſe interimat, aut filias proſtituat, vel ejus filii publici latrones evadant; nec alius ſuppetat modus hæc mala avertendi, niſi reſtitutionem differendo; licitè eam differre poterit. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *numer.* 21. referens Div. Antoninum, Scotum, & Navarrum. Sic etiam Rebellus, Filliuccius, & Turrianus relati à Bonacina *de Reſt. diſp.* 1. *quæſt. ult. pun.* 1. *num.* 12.

Sed petes 1. quod nam debeat eſſe magnum dam- 4
num debitoris, ob quod licitè differri poſſit reſtitutio? Reſp. quamvis hoc potiùs dignoſcendum ſit judicio viri prudentis; nihilominus aliqua taxa in particulari aſſignari poteſt; ſi videlicet damnum debitoris ſit duplo majus præ eo damno, quod creditor patitur: ut docent Rebellus, & Bonacina.

Petes 2. an quis teneatur reſtituere bona inferioris 5
ordinis cum notabili detrimento bonorum ordinis ſuperioris? Ut clariùs innoteſcat reſponſio, præmittendum eſt: bona in triplici ordine collocata fuiſſe, infimo ſcilicet, medio, & ſupremo. In infimo ordine collocantur pecuniæ, & res pecunia comparabiles, ut ſunt triticum, vinum, oleum, ager, oppidum, & ſimilia. In medio reponuntur Fama, & Honor. In Supremo denique Vita, Sanitas, Membra, Libertas, Virginitas, & his ſimilia. His præmiſſis, Reſp. differri poſſe reſtitutionem, ſi cum notabili jactura bonorum Superioris Ordinis fieri debeat reſtitutio bonorum ordinis inferioris; ſecus verò ſi notabilis non ſit: ratio eſt, quia non fieret injuria creditori, qui ſupponendus eſt irrationabiliter invitus, ſi nolit in dilationem conſentire ſecundum rectam rationem; æquitas ſiquidem, Charitas, & recta ratio expoſcunt, ut nolit creditor ſibi ſtatim ſatisfieri cum tanto incommodo debitoris. Supponendus tamen eſſet rationabiliter invitus, ſi jactura bonorum ſuperioris Ordinis non eſſet notabilis: ut ſi ex reſtitutione, quam faceret publicus latro; ſequeretur famæ periculum, in eo enim non eſſet notabilis jactura. Quapropter in his, & ſimilibus caſibus præ oculis ſemper habenda erit regula à doctiſſimo Scoto tradita *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 4. quem Doctores communiter ſequuntur: Quòd videlicet ſolutio differri, aut omitti poſſit; quoties Dominus rei rationabiliter velle deberet differri, aut omitti. Sic Navarra, Navarrus, Leſſius, Azor. Sayrus, Molina, Sà, Turrianus, Valentia, Aragonius, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Reſt. diſput.* 1. *quæſt. ult. punct.* 1. *num.* 13.

Petes 3. an debitor poſſit reſtitutionem differre, ſi 6
abſque æquali ſuo detrimento cum illo creditoris eam facere non poſſit? Reſp. negativè: nam in æquali damno potior eſt conditio Creditoris, ut rectè adnotat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 31. qui teſtatur, eſſe communem Doctorum ſententiam.

Petes tandem: an differri poſſit reſtitutio ob ſpem 7
magni lucri, quod debitor reportaret ex dilata ſolutione? Reſp. negativè, quia damnum non pateretur in rebus, quas poſſidet, ſed in lucro, quod ſperat; nec amittit de ſuo, ſed non reportat lucrum de alieno, ac alteri debito. Sic Cajetanus *verb. Reſtitutio, capit.* 6. Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 59. Molina *diſp.* 754. *verſic. Quando detrimentum*; Leſſius *lib.* 2. *capit.* 16. *dub.* 1. *nu.* 24. & alii. Solùm permittunt nonnulli Doctores dilationem in hoc caſu, ſi debitor intendat lucrum illud ad ſatisfaciendum reliquis creditoribus, quia tunc creditor non ſupponendus eſſet invitus pro dilata reſtitutione ob tale motivum.

Dico 3. Impotentia debitoris ad ſolvendum eſt legi- 8
tima cauſa dilationis reſtitutionis: patet ex eo, quia

nemo

nemo obligari potest ad impossibile; si igitur debitor non habet, quod solvat; impossibile est stante impotentia solvere: supponeretur quoque creditor irrationabiliter invitus, si restitutionem sibi fieri vellet stante impotentia. Sic communiter Doctores, & lumen ipsum rectæ rationis demonstrat. Eodem prorsus modo dicendum de extrema necessitate ipsius restituentis, vel suorum, vel proximi; cui aliter subveniri nequeat nisi restitutionem differendo: quia in tali casu omnia essent communia saltem quod usum. Sic Lessius *libr.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *nu.* 2. qui testatur esse communem sententiam.

9 Sed dubitabis 1. an etiam extendi posset ad necessitatem gravem sive ipsius restituentis, sive suorum, vel proximi? Resp. negativè, quidquid olim in contrarium dixerint aliqui Authores putantes, probabile esse in gravi necessitate clam furripere non esse peccatum, ergo & multò magis restitutionem differre. Sed quia damnata fuit ab Innocentio XI. talis Propositio, non solùm sub termino furti, verum etiam sub termino subreptionis, ut bene demonstrat Cardenas *Dissert.* 23. *cap.* 1. *art.* 2. ideo illicitam reputo dilationem restitutionis ob gravem necessitatem restituentis, vel suorum, vel proximi; nec eædem rationes, quæ militant pro extrema necessitate, militare videntur pro gravi. Vide D. Thomam 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7.

10 Dubitabis 2. an transacta necessitate extrema habeatur obligatio restituendi rem? Resp. si adhuc res extat transacta extrema necessitate, ut si tantùm ejus usus necessarius fuisset, v. g. vestem, navim, vel equum quis acceperit in necessitate extrema; tenebitur ad restitutionem transacta illa: ratio est, quia extrema necessitas tantùm tribuit jus ad usum in tali casu, ut videlicet à periculo evadat; ergo transacta necessitate tenetur ex re accepta ad restitutionem. Sic Lessius, Navarra, Vasquez, Bannez, Sayrus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst. ult. punct.* 1. *num.* 34. sed si res non extat, quia consumpta fuit in extrema necessitate, tunc si accepta fuit in ipsa necessitate nullam obligationem restituendi inducet: eo quia cum in tali necessitate res illa fuerit communis, qui eam consumpsit, suum consumpsit. Nec obligatio restituendi colligi potest ratione rei acceptæ, quę non extat; nec injustæ acceptionis, quia licitè accepta fuit in extrema necessitate; nec ex contractu, quem nullum extitisse supponimus; ergo ex nullo capite colligi potest restituendi obligatio. Sic Navarra *lib.* 4. *capit.* 4. *num.* 26. Sylvester *verb. Restitutio* 5. *num.* 2. Azor. Sotus, & alii relati à Bonacina *l. c. num.* 33. Si denique res consumpta fuerit in extrema necessitate, sed ante ipsam accepta fuerit, sive ex delicto per rapinam scilicet, furtum, aut usuras; sive ex contractu, quia empta fuerit, vel mutuo accepta, aut alio modo translativo dominii; tunc transacta necessitate urget obligatio restitutionis: ratio est, quia obligatio restituendi, quæ contracta fuit ante extremam necessitatem, non extinguitur per supervenientem necessitatem, sed suspenditur; adeoque illa transacta reviviscit, & urget. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 4. Azor. Filliuccius, Turrianus apud Bonacinam *l. c. num.* 33. Scotus, Sylvester, Paludanus, & alii apud Navarram *loco citato*.

Unum hìc adnoto: si quis rem acceperit ante necessitatem ex contractu non translativo dominii, ex commodato scilicet, precario, aut conducto, si adveniente necessitate extrema rem acceptam consumpserit absque culpa sua; non teneri ad restitutionem transacta necessitate: ratio est, quia isti contractus non translativi dominii non obligant ad restitutionem pereunte re absque culpa. Sic Petrus Navarra, Sylvester relati à Lessio *l. c. num.* 35. quorum sententiam probabilem reputat. Secus verò dicendum, si etiam in ipsa extrema necessitate rem acceperit ex contractu translativo dominii, in qua rem propriam consumeret, acquisitam per contractum translativum dominii; ideo necessitate transacta obligabitur ad restitutionem ex contractu inito. Sic Salon, Sayrus, Valentia, Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disput.* 1. *quæst. ult. punct.* 1. *num.* 35.

11 Dico 4. Cessio bonorum est causa sufficiens ad dilationem restitutionis: ratio est, quia æquiparatur impotentiæ, ac necessitati; ergo si istæ dant causam justam differendi restitutionem, etiam & illa. Non nego tamen, quòd si cedens bonis in meliorem devenerit fortunam; teneatur ad restitutionem: ratio est, quia per bonorum cessionem non extinguitur obligatio debitorum, sed suspenditur ad meliorem fortunam, ut expressè cautum est *in Leg. Cum filii familias, Cod. Qui bonis cedere possint*. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 16. *dubit.* 3. *numer.* 47. & Gomez 2. *Variar. capit.* 11. *nu.* 52. & ambo testantur, esse communem Doctorum sententiam.

Notandum tamen 1. in foro exteriori cessionem bonorum juvare tantùm, ne cedens detrudi possit in carcerem; & ne possint ab eo auferri, quæ necessaria sunt ad sui, & suorum sustentationem, ut in Jure communi sanctum est *Leg.* 1. *Cod. Qui bonis cedere possint*, & *Leg. Qui bonis, ff. de Cess. bonor.*

Notandum 2. posse eum, qui bonis cedere cogitur absque sua culpa, abscondere, & retinere sibi, quantum necesse est ad tenuem sustentationem sui, & suorum, quos alere tenetur: ratio est, quia Jura ipsa videntur concedere, non esse fraudandum quotidianis alimentis eum, qui bonis cessit: nec obligatio restitutionis videtur urgere cum tanto incommodo. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 16. *dub.* 3. *numer.* 45. referens Navarram, & Sylvestrum. Sic etiam Bonacina, *qui disp.* 1. *de Rest. quæst. ult. punct.* 1. *num.* 37. non addit particulam illam limitantem, absque culpa sua, sed absolutè loquitur, & refert pro hac sententia Rebellum, Sayrum, Filliuccium, & Turrianum.

Notandum 3. etiam teneri ad restitutionem eum, si devenerit in pinguiorem fortunam, qui bonis cessit juxta consuetudinem loci actibus ignominiosis: ratio est, quia pœna illa non imponitur, ut liberetur à solutione; sed ut puniatur culpa, quæ supponitur à cedente commissa: nec cessio bonorum sic ignominiosè facta potest extinguere naturalem obligationem restitutionis. Sic Covarruvias 2. *Var. cap.* 11. *num.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 3. *num.* 49. Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 5. *quæst.* 7. *num.* 153. & Bonacina *l. c. nn.* 38.

Quæres: an habens justam causam differendi restitu- 12
tionem, quæcumque sit ex enumeratis hucusque; teneatur ad resarcienda creditori damna, quæ patitur ob dilatam restitutionem? Resp. si debita contracta sint ex delicto, tenetur debitor damna, quæ interim patitur creditor, sive lucrum cessans ob dilatam solutionem, & restitutionem, compensare: ratio est, quia fuit causa injusta ob rei acceptionem illius damni emergentis, ac lucri cessantis, quod advertere debebat, utpote facilè emanans è tali delicto: & omnis recta ratio exposcit, ut indemnis servetur creditor ob alterius delictum. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *nu.* 32. Navarra *lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 56. Molina *disp.* 755. *num.* 4. Si verò debita contracta sint ex contractu justo, non tenebitur debitor ad damna reparanda ob justè dilatam solutionem: ratio est, quia nec injustè accepit, nec mora illa in restituendo est culpabilis, cum justè fiat. Sic Lessius, & Navarra *loc. cit.* Sayrus *lib.* 10. *tract.* 5. *cap. unic. num.* 12. & Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst. ult. punct.* 1. *num.* 4. referens Vasquez.

Advertendum tamen cum Lessio *l. c. num.* 33. Molina, Sayro, Aragonio, & aliis à Bonacina relatis, quòd si debitor restitutionem differat non ob inopiam, aut extremam necessitatem cum periculo amissionis sui status; sed ne magnum patiatur incommodum, aut se indemnem servet; tunc tenebitur ad damna resarcienda, quæ patitur creditor ob moram restitutionis; non enim æquitati consentaneum est, ut damnum, quod à se avertit debitor; refundatur in creditorem, & ex natura contractus justi videtur tacito consensu comprehendi, quòd si differatur solutio elapso termino, teneatur debitor damna inde emergentia creditori resarcire.

CAPUT XXIII.

De Causis omittendi restitutionem.

1 *Enumerantur quatuor Causæ principaliores ob restitutionem omittendam.*
2 *Condonatio facta à creditore cum debitis conditionibus est sufficiens causa omittendi restitutionem.*
3 *An compositio facta à debitore cum creditoribus contentis minori summa sit sufficiens caput deobligandi illum à restitutione, etiamsi venerit in meliorem fortunam?*
4 *An excusetur à restituendo, qui habet moraliter certam*

certam voluntatem formalem, vel præsumptam creditoris de condonatione.

5 *Compensatio facta à creditore est sufficiens causa omittendi restitutionem.*

6 *Compensatio facta cum Pontifice, aut alio habente facultatem ab illa est causa sufficiens omittendi restitutionem.*

7 *Præscriptio legitima est causa sufficiens pro utroque foro ad omittendam restitutionem.*

8 *An excommunicatio creditoris liberet debitorem ab onere restituendi?*

9 *An ingressus in Religionem liberet ab obligatione restituendi?*

1 VARIÆ enumerantur causæ, ab quas controvertitur; an Restitutio omitti possit. Verum ut brevitati consulamus, ad quatuor principaliores nostra reducetur tractatio, videlicet ad Condonationem debiti à creditore factam, ad Compensationem, Compositionem, Præscriptionem, de quibus ordine suo.

2 Dico 1. Condonatio, seu remissio debiti à creditore facta, dummodo habeat conditiones infra recensendas, est sufficiens causa ad omittendam restitutionem. Sic communiter Doctores cum Cajetano, Covarruvia, Soto, Navarra teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 2. ratio est, quia sicuti potest jus, quod habet in debitorem, alteri donare, ita poterit & ipsi debitori, & sic condonare, & remittere debitum: nec ulla fiet injuria creditori per omissionem restitutionis, quia volens, & sciens cessit juri suo.

1. Autem conditio ad validam condonationem est, ut possit condonare, & ille potens est condonare, qui donare potest; quapropter si filius familias credita sui Genitoris condonet, aut Uxor spectantia ad suum Maritum; invalida erit condonatio: quia neuter ipsorum donare potest in casibus adjectis.

2. Conditio est, quòd non sit à Jure impedita condonatio: quapropter condonatio facta à pupillo, & furioso invalida est; à Jure enim impeditur, cum neuter ipsorum donare possit. Sic etiam est condonatio facta à Clero Episcopo ob visitationem, qui aliquid accepit præter sumptus necessarios ad victum illis diebus, quibus visitat; aut condonatio facta à Canonicis ei, qui non interfuit Divinis Officiis, & distributiones accepit tempore absentiæ: ut constat ex Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 12. Idem dicendum de Condonatione facta à partibus Judici Delegato, nisi fuerit esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, & consumptibile paucis diebus; vel si cogatur exire à domicilio, & moderatas expensas ad hunc finem acceperit: *ex Cap. Statutum, de Rescript. in* 6. Ac etiam de condonatione facta Inquisitoribus, qui pecunias extorserint prætextu Officii Inquisitionis *ex Clement. Nolentes de Hæretic. in* 6.

3. Conditio ut sit omnino libera condonatio, ne videlicet metu, vel fraude interveniente extorqueatur, aut per ignorantiam: & ratio est, quia cum sit condonatio quædam donatio, & ad validam donationem requiratur, quòd sit omnino libera; ideo ad condonationem omnimodo libertas requiritur. Quapropter metu extorta censeretur condonatio facta à creditore, si debitor sive expressè sive implicitè minitaretur creditori, aut eum cogeret ad multas molestias subeundas, ut suum acciperet; quod interdum evenit in Viris Nobilibus cum Mercatoribus, & Mechanicis, qui sæpe veniunt, diù expectant, & semper frustra. Fraude censetur extorta condonatio, si debitor se pauperem fingeret, aut variis oppressum molestiis, ac debitis, cum revera non sint. Per Ignorantiam tandem dicitur extorta, cum creditor nesciat rem sibi deberi, & condonat; quod si sciret, utique non condonaret; nam si sciens condonasset, valida foret condonatio.

3 Dubitabis 1. an compositio facta à debitore cum suis creditoribus contentis minore summa, sit caput sufficiens ad deobligandum illum à solutione summæ relictæ, etamsi in meliorem postea devenerit fortunam? Resp. affirmativè, si compositio facta sit absque metu, & fraude: ratio est, quia æquiparatur condonationi, & donationi liberæ. Secus verò metu intercedente, & fraude, ut si in Ecclesiam se recipiat, aut in Civitatem longinquam; vel si bona, quæ habet alteri applicet: esset enim tunc remissio coacta, & consequenter invalida. Sic Sylvester, Sà, Navarrus, Navarra, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst. ult. punt.* 2. *numer.* 6.

4 Dubitabis 2. an excusetur à restituendo ille, qui voluntatem formalem, vel præsumptam creditoris de remissione, & condonatione habet moraliter certam? Resp. affirmativè: eo quia non retinet invito creditore, adeoque ad restitutionem non obligabitur; constat enim ei, sic esse voluntatem formalem, vel præsumptam creditoris. Idem dicendum de restitutione differenda, si moraliter constet de voluntate creditoris permittentis dilationem. Secus verò dicendum, si moraliter constet, esse invitum quoad omissionem, vel dilationem. Sic Molina, Reginaldus, Rebellus, Sayrus, Sà, Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. num.* 8. Aut si dubitaretur de voluntate formali, vel præsumpta creditoris: cum in dubiis possessio stet pro creditore, qui non est præsumendus de facili velle suum prodigere: ut notant Molina, Lessius & Sanchez penes Bonacinam.

5 Dico 2. Compensatio si fiat à Creditore, habebit debitor sufficientem causam omittendi restitutionem: ratio est, quia jam creditor suum obtinuit; ergo liber est debitor ab onere restituendi, alias obligaretur ad duplicem solutionem. Sic Doctores communiter.

Hac occasione inquires: an licitum sit compensatione uti? Resp. ad hoc ut licita sit compensatio in foro interno, requiri nonnullas circumstantias: quamvis enim ex Jure naturæ, & gentium possit creditor ex qualibet re sui debitoris sibi satisfacere, si alia non suppetat via ad solutionem obtinendam; nihilominus ut tuta conscientia fiat, concurrere debent hæ conditiones. 1. Ut debitum sit certum, & liquidum; non verò dubium, aut litigiosum: ratio est, quia liquidi ad non liquidum non datur compensatio ex communi axiomate, & in dubiis melior est conditio possidentis. 2. Ut fiat in re ex justitia debita, non verò alio titulo: ratio est quia fit ad recuperandum id, quod debitor tenetur restituere; sed obligatio restitutionis oritur ex justitia: ergo alius titulus non sufficit ad licitam compensationem. 3. Ut non plus accipiatur supra id, quod debetur: esset enim sic accipere alienum invito rationabiliter domino, & per consequens furari. 4. Ut non possit commodè per Judicem, aut per petitionem ipsi debitori factam suum recuperare, sine notabili molestia: inimicitiis, expensis, aut jactura honoris. Secus verò si commodè posset suum obtinere, & absque molestia: nam occultæ compensationes suspicionem dant furti, nec cuique datur jus suum sibi dicere quocumque modo. 5. Ut fiat in re ipsius debitoris, non verò alterius; & quòd non sit alteri priùs hypothecata. 6. Denique, ut absit damnum alterius, cui imputari possit ut furtum; periculum quoque scandali, aut punitionis corporalis: cum sæpe in foro externo similes compensationes puniantur ut furta, etiam si licitè in foro interno fieri possint. His igitur servatis conditionibus in compensatione facienda licita erit: cum & servetur justitia, & nulli fiat injuria. Si tamen non serventur, saltem violabitur Justitia Legalis per hoc, quod prætermittatur ordo à Jure præscriptus, & compensans sibi usurpet actum judicandi in re propria; imò aliquando obligabitur ad restitutionem, si videlicet fiat cum excessu, aut ex re alterius, vel alteri hypothecata.

Petes 1. an teneatur compensans compensatione facta admonere debitorem, aut ejus hæredes de satisfactione habita? Resp. si commodè hoc efficere possit, & absque suo notabili detrimento; teneri saltem ex Charitate, maxime si aliquod damnum debitori, aut hæredibus insurgat: ratio est, quia ex Lege Charitatis tenetur quisque damnum spirituale, vel temporale proximi avertere: ut bene observant Molina *disputat.* 691. & Navarrus *in Summ. capit.* 17. *numer.* 113.

Petes 2. an fieri possit compensatio cum bonis, aut obsequiis gratis exhibitis pro debitis ex justitia, e. g. debet quis Titio quinque, exhibet gratis Titio obsequium ejusdem valoris, vel rem æquivalentem gratis donat: an inquam omittere possit per talem compensationem restitutionem illorum quinque? Resp. negativè: eo quia titulus donationis non extinguit titulum justitiæ, cum sint longe diversi inter se; ergo si remanet titulus justitiæ, remanet pariter obligatio restituendi: ut rectè

cte docent Aragonius, Rodtiquez, Sayrus, Sanchez, & Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. quæstion. ultim. punct.* 2. *numer.* 26. Extendunt hanc eamdem doctrinam Sayrus, Sanchez, & Salas cum eodem Bonacina ad eum casum, quo debitor donaverit immemor, & ignarus obligationis debiti ex justitia; quod si forte sciviſſet, non donaſſet, sed restituiſſet; oblivio namque illa, vel ignorantia non facit, quin donatio fuerit libera; si libere igitur facta fuerit, extinguere minime poterit obligationem ex justitia longe disparatam.

6 Dico 3. Compositio facta cum Pontifice, vel cum alio habente facultatem à Summo Pontifice, ut est Generalis Comissarius Bullæ Cruciatæ; est causa sufficiens ad omittendam restitutionem debitorum sive ex delicto, ut in minutis furtis, & usuris; sive absque delicto ut in contractibus, & rebus inventis, dummodo ignoretur creditor, cui facienda sit: ratio est, quia ut bene arguit Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 83. obligatio faciendi similem restitutionem pauperibus, vel piis locis non est ex jure naturæ, sed positivo; Ergo justa causa interveniente licite dispensare poterit, ac licitam reddere talem compensationem. Secus vero dicendum, si creditores sint noti, & non adsit gravis causa componendi, ac dispensandi; tunc enim non valebit à restitutionis onere liberare, cum non sit dominus bonorum suorum subditorum, neque pro suo libito dispensator, imò defensor juris uniuscujusque, & criminum vindex. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 11. §. 3. referens Sylvestrum, Quintum, & Innocentium. Sic etiam Sayrus *libr.* 10. *tractat.* 5. *capit.* 8. *numer.* 22. Bannez 2. 2. *quæstion.* 22. *art.* 5. *dub.* 8. Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 5. *quæst.* 12. *num.* 161. Molina *disp.* 691. & Bonacina *de Rest. quæst. ult. punct.* 2. *num.* 27.

Petes an obtinens compositionem à Pontifice de bonis incertis teneatur ex illis satisfacere aliis creditoribus certis, si aliunde non habeat, quod restituat? Resp. affirmative: quia per compensationem illa bona facta sunt debitoris, qui tenetur ex propriis satisfacere creditoribus certis; Ergo non est, cur restituere non debeat. Nec compositio reddit bona illa exempta à quocumque alio onere, sed tantum ab onere restituendi creditoribus incertis. Sic DD. præcitati.

7 Dico 4. Præscriptio legitima, quæ videlicet habeat omnes conditiones requisitas ad recte præscribendum juxta Leges; est causa sufficiens ad omittendam restitutionem, non solum in foro interno, sed etiam externo: ratio est, quia debitor possidens rem illam bona fide per temporis continuationem à Lege statuti acquirit dominium illius, & facit suam; sed nemo tenetur ad restitutionem rei suæ, & cujus dominium habet; Ergo liber est ab onere restituendi; sic colligitur *ex cap. si virgo & cap. Sanctorum. de Præscript.* & sic docent Menochius, Lopez, Salon, Sylvester, Lessius, Sayrus, Bannez, & Molina relati à Bonacina *de Restitution. disputat.* 1. *quæstion. ult. pun.* 2. §. 2. *num.* 33.

Conditiones autem requisitæ ad legitimam præscriptionem sunt sequentes. 1. est continuata Possessio, sine qua dari nequit Præscriptio *ex Reg.* 3. *de Regul. Jur.* 2. est capacitas tum activa respectu possidentis, scilicet quod possit revera possidere; tum passiva respectu rei possessæ, quod videlicet possideri possit, alias non verificabitur possessio. 3. est bona fides, cum possessor malæ fidei nullo tempore præscribat: ut patet *ex Regul.* 2. *Jur. in* 6. *ex cap. vigilanti, & ex cap. ultim. de Præscript.* ubi derogatur Legibus Civilibus, & cuicumque consuetudini non requirentibus bonam fidem. Sic passim Doctores. 4. est titulus probabiliter præsumptus, ut si quis rem furtivam dono acceperit, vel emerit, putans à vero Domino donari, vel vendi, & interim possidet per tempus à jure definitum ad præscribendum; tunc revera fit dominus rei illius positis aliis conditionibus: eo quia licet titulus præsumptus non sit ex se solo sufficiens ad transferendum dominium, simul tamen cum præscriptione transfert: ut constat *ex capit. Vigilanti. cit. & ex Leg.* 1. *ff. de usucap.* 5. denique conditio est tempus à Lege statutum ad præscribendum, quod quidem varium est pro varietate rerum mobilium, vel immobilium; Laicarum, vel Ecclesiasticarum, ut diximus loco suo cum de Præscriptione.

Quæres 1. an excommunicatio Creditoris liberet debitorem ab onere restituendi? Resp. quamvis non improbabile sit differri posse usque dum absolvatur à tali censura: ut Adrianus, Felinus, Panormitanus & Glossa docuerunt apud Lessium *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 9. Nihilominus probabilior, & verior sententia docet, nec differri posse, nec omitti, etiamsi nominatim excommunicatus fuerit: ratio est, quia neque Jure Divino, nec humano prohibetur solutio talis debiti; ergo statim facienda erit: maxime quia ex Div. Paulo *ad Roman.* 13. debita etiam ethnicis, & publicanis solvenda sint. Nec textus, qui afferri solent pro contraria sententia, loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis, & obsequii. Nec communicatio cum excommunicato in debito solvendo est tanti momenti, cum brevis, & parva sit, & in re necessaria, ac ex justitia debita. Sic Covarruvias *ad Reg. Pecc.* 1. *par.* 8. *num.* Lessius *loc. cit. num.* 79. Sylvester *verb. excommunicatio* 5. *quæstion.* 12. Joannes Medina *quæstion.* 3. *caus.* 9. Aragonius, Valentia, Navarra, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restitution. quæstion. ult. punct.* 2. *numer.* 31. Non nego tamen; quod si repetat debitum in judicio, repelli possit, ut expresse constat *ex capit. Pia. de exception. in* 6. Si tamen sit excommunicatus debitor, non ideo ob suam excommunicationem differre, aut omittere potest restitutionem: quia sic reportaret commodum ex suo delicto, quod est contra rectam rationem, quidquid in contrarium dixerint aliqui Canonistæ. 8

Quæres 2. an Ingressus in Religionem liberet à Restitutione? Resp. quamvis valida sit professio emissa à debitore ære alieno, ac obligatione restitutionis gravato, nec poterit ad sæcularem statum regredi, ut creditoribus satisfaciat juxta communem Doctorum sententiam sequentium Divum Thomam: eo quia licet sit debitor pecuniæ, est tamen liber in persona, cum non sit nec servus, nec conjugatus: maxime quia Clemens VIII. moderatus est Motum Sixti V. quoad invaliditatem professionis. Nihilominus graviter peccat, si non tradat creditoribus ea bona, quæ habet, antequam professionem emittat. Quod si nulla habeat, ad nihil tenebitur, cum reputetur impotens ad solvendum. Sic Divus Thomas, quem sequuntur Thomistæ, Navarra *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 95. Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 8. *num.* 73. & alii. 9

Sed in hac re duo insurgunt dubia 1. an debitor professione jam emissa teneatur aliquo modo satisfacere, quod restituere debebat videlicet scribendo, aut quid simile in Religione faciendo, per quod comparet necessaria ad restitutionem cum facultate sui Superioris? 2. an teneatur ingressum differre, ut in sæculo remanens suis creditoribus satisfaciat?

Resp. ad 1. non teneri, etiamsi potuisset in sæculo satisfactionem, & restitutionem exhibere; ratio est, quia professus in Religione cessit suis bonis, adeoque solvendi obligatione liberatus; insuper factus est incapax acquirendi proprium, & restitutio fieri debet ex bonis propriis, non vero alienis. Demum hic modus satisfaciendi in Religione est extraordinarius; ergo non poterit religiosus obligari ad illum. Nec tenetur superior concedere illi hanc veniam: non nego peccare professum, qui poterat restitutionem exhibere, & non exhibuit ante ingressum in Religionem.

Sicuti peccant, & subjacent pœnis à Six. V. & Clemente VIII. statutis Superiores, qui scienter ad professionem admittunt gravatos ingenti ære alieno; sed hoc non probat, quod professione emissa teneantur inquirere extraordinarium modum restituendi. Sic Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 19. *num.* 14. referens Paludanum, Divum Antoninum, Rosellam, Angelum, Sylvestrum, Tabienam, & Aragonium, quidquid in contrarium dixerint Medina, Navarrus, & Molina, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 1. *quæst. ult. pun.* 3. *num.* 7.

Resp. ad 2. si debitor rem habet in specie penes se, quam restituere debeat; prius restituere debet, & postea religionem ingredi; sicuti si tenetur ad reddendam rationem administrationis alicujus, prius rationem reddere debet, & postea Religionem adire: ratio est, quia nullum habetur justum motivum non restituendi prius rem, ad quam tenetur ex Justitia; sicuti non reddendi prius rationem, ad quam ex contractu tenetur: maxime quia brevi tempore expediri pos-

possunt ; ergo hæc prius peragenda sunt ante ingressum in Religionem . Sic Div. Thomas ex Div. Gregorio , quos cum aliis sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 8. *numer.* 71. Si verò rem non habet in specie , sed tenetur ad restituendum sive ex delicto , sive ex contractu , & brevi tempore , ac paucis annis spes sit satisfaciendi creditoribus ex suis consuetis laboribus ; tunc tenetur differre ingressum , ut suis creditoribus satisfaciat : ratio est , quia creditores in tali casu erunt rationabiliter inviti , cum de facili possit illis satisfieri . Nec beneficium cessionis bonorum , si quæ habet , favere potest debitori : cum hæc tantum concedatur in favorem eorum , qui à debitis aliter se liberare non possint ; ergo in casu adiecto tenetur prius satisfacere, & postea Religionem ingredi . Sic Navarra , Lopez , Medina plures referens Doctores Parisienses , Lessius eos citans *l. c. numer.* 72. Si denique longum tempus , ac multi anni , vel insueti labores , & statui debitoris non convenientes requirerentur ; tunc non tenebitur ad ingressum differendum ; sed sat est , si ea bona , quæ habet , tradat creditoribus : ratio est , quia censetur impotens ad solvendum , qui actu bona non habet , nec est impotentia proxima ad ea habenda , & impotens excusatur à restitutione . Nec obligari potest ad insuetos labores , ac longos , cum neque ad eos obligetur à Judicibus in foro exteriori , ut constat ex praxi ; ergo sat est , si bona , quæ habet , tradat creditoribus , ut possit statim Religionem ingredi . Sic Navarra , Sylvester , & omnes , qui Div. Thomam sequuntur, teste Lessio *l. c. numer. 73. usque ad finem Dubitationis* .

CAPUT XXIV.

De aliquibus Restitutionibus in particulari.

1 *Quid restituendum pro injuria illata corpori pro Vita , membro , cicatrice ?*
2 *Quid restituendum pro Stupro illato ?*
3 *Quid restituendum pro Adulterio ?*
4 *Quid restituendum pro Fama ?*
5 *Quid restituendum pro damnis spiritualibus ?*
6 *Quid restituendum pro privatione facta per injuriam memoriæ , Usus rationis , vel alicujus sensus sive philtro , sive veneno , aut alio modo ?*

1 QUÆRES 1. quid restituendum pro illata injuria corpori , pro vita videlicet, membro , aut cicatrice? Resp. injustum occisorem , mutilantem , vulnerantem præcisè ob vitam , membrum , aut cicatricem nil teneri restituere , si facta sit similis injuria homini libero : ratio est , quia sunt bona altioris Ordinis , quæ pecunia æstimari nequeunt ; & cum Justitia commutativa respiciat æqualitatem juxta æstimationem rei, ideo non potest locum habere restitutio, quæ Justitiam Commutativam respicit . Colligitur hæc Doctrina , *ex Leg. ult. ff. de his , qui effuderunt* . Sic Navarrus , Ledesma , Navarra , Covarruvias , Gomez , quos refert , & sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 23. *num.* 141. Sic etiam Vasquez Filliuccius, & Turrianus , quos refert , & sequitur Bonacina *disp.* 2. *de Rest. quæst. ult. sect.* 2. *pun.* 1. *num.* 10. Dixi pro vita , membro , aut cicatrice hominis liberi : nam si talis injuria fiat servo , aut animali , utique locum habet restitutio , quia pretio æstimabilia sunt , ac pecunia ad æqualitatem compensabilia : quapropter pro vita servi , aut animalis tantum restitui debet , quantum erat eorum pretium , quo vendi poterant ; pro mutilatione tamen , aut cicatrice id restituendum erit , quod plus accepisset Dominus , si absque mutilatione aut cicatrice vendidisset . Tenetur tamen in conscientia injustus occisor , mutilator , aut vulnerans non solum damnum emergens , ac expensas factas in morbo curando , verum etiam lucrum cessans resarcire , quæ ex tali occisione , mutilatione , aut vulnere secuta sunt ; & directè ab eo causata : ratio est , quia fuit causa efficax talis damni , & cessationis lucri : & causa efficax directa damni illati tenetur ad illud resarciendum , ut superius statutum est . Sic Navarra , Molina , Rodriquez , Sayrus , Vasquez , Turrianus & alii, quos refert , & sequitur Bonacina *l. c. num.* 6.

Petes 1. an occisor teneatur non solum restituere Uxori, ac filiis occisi ; verum etiam creditoribus , si quos habebat ? Resp. quamvis teneatur restituere Uxori , ac filiis , aut Parentibus si nec filios , nec uxorem habebat , quia hi censentur una persona cum occiso , adeoque qui patrem lædit , filios lædit , sicuti qui filios lædit patrem ledit, & qui maritum lædit, uxorem lædit. Nihilominus non eadem militat ratio pro Creditoribus, qui per accidens, & civili quodam modo cum debitore uniuntur : quapropter damnum , quod debitori fit , minimè censetur factum creditori , nisi eo expresso animo , ac intentione occidisset ; ut creditor damnum pateretur . Sic Sotus , Salon , Lopez , & alii , quos refert , & sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 26.

Petes 2. an pro anima occisi aliquid sit restituendum ? Resp. negativè : & ratio est , quia temporale non potest esse pretium rei spiritualis, nec spirituale temporalis, adeoque nequibit servari æqualitas , quæ respicitur à Justitia in restitutione , sunt enim res diversi ordinis , ac inæquabiles inter se . Poterit tamen ex consilio , & Charitate animæ occisi suffragari bonis spiritualibus , eleemosynis , Missis, ac orationibus , maximè si occisor non habeat , quod solvat pro damno illato . Sic communior sententia cum Soto , Sylvestro , quos refert , & sequitur Lessius *l. c. dub.* 25.

Petes 3. an si occisor puniendus sit pœna talionis , immunis esse debeat à restituendi obligatione ? Resp. quamvis Scotus, Adrianus , Gabriel , Angelus , & alii putent, homicidam subeuntem pœnam talionis nil amplius debere pro vita occisi . Nihilominus probabilior sententia est , teneri adhuc ad resarcienda damna ex homicidio patrato secuta: ratio est , quia per pœnam talionis , seu per mortem inflictam occisori non restituitur quod ablatum est , ut exigit justitia commutativa ; ergo adhuc remanet obligatio restituendi , ac resarciendi damnum illatum : & ratio ulterior esse potest , quia licet per pœnam talionis satisfiat injuriæ illatæ Reipublicæ, non satisfit tamen injuriæ illatæ occiso , ac suis hæredibus . Sic Navarra , Lessius, Vasquez, Aragonius , Azor. Navarrus , Covarruvias , Molina , Sà, Rodriquez , Sayrus, Filliuccius , & Turrianus relati à Bonacina *disp.* 2. *de Rest. qu. ult. pun.* 1. *num.* 14.

Adnotandum hic : ad nihil teneri occisorem , si occisus ante mortem omnia occisori condonavit exprimendo etiam damna illata : ratio est , quia si teneretur, maximè filiis , aut hæredibus necessariis ; sed hi sicuti habent jus per patrem , ita illud amittunt condonante patre ; ergo ad nihil tenetur occisor . Non nego , imprudenter se gerere , & aliquando peccare patrem habentem filios pauperes , si condonet restitutionem damnorum illatorum , cum ex Charitate obligetur prius consulere filiis . Sic Molina, Bannez, Salon , Gomez , Sayrus , Lessius , quos refert, & sequitur Bonacina *l. c. numer.* 16. Si vero occisus condonet delictum homicidii non exprimendo damna sequentia , putat Molina *tom* 4. *disp.* 81. præsumendum esse condonare injuriam tantum , non verò restitutionem .

Quæres 2. quid restituendum pro stupro ? Resp. 2
qui virginem defloravit per injuriam , tenetur rependere damna , quæ ex tali injuria secuta fuere , vel conjungendo sibi illam in matrimonium , vel commodè dotando , ita ut æquè nubat , ac nupsisset , si violata non fuisset : ratio est quia fuit causa efficax , ac directa damni illius virginis injustè allati ; ergo tenetur in conscientia ad reparandum illud eo modo, quo poterit . Sic Navarrus in *Summ. cap.* 16. *n.* 16. Vasquez *de Restit. cap.* 3. *§.* 2. *dub.* 1. *numer.* 2. Molina *tom.* 4. *disp.* 106. Lessius *lib.* 2. *capit.* 10. *dub.* 2. *numer.* 10. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 11. & Bonacina alios referens *quæst.* 4. *de Matr. pun.* 17. *numer.* 7. Quod si absque injuria , scilicet sine vi , aut fraude illam violaverit , imò ipsa consentiente ; ad nihil tenebitur : ratio est , quia volenti , ac consentienti nulla fit injuria , & ex injuria oritur restituendi obligatio. Sic Sotus *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 2. Navarrus , Vasquez , Navarra , Lessius , & Bonacina *locis citatis* . Adnotandum tamen , quod si stuprator injuste divulgaverit copulam illam occultam habitam cum Virgine consentiente , ex qua divulgatione damnum Virgini defloratæ sequitur , cum nubere æquè bene non possit ; tenebitur ad damnum resarciendum , cuius est injusta causa. Secus verò si ab alio divulgata fuerit absque cooperatione deflorantis ; tunc enim non tenebitur defloians ad damnum resarciendum , cuius causa non fuit. Sic Molina *tom.* 4. *disp.* 106. *contl.* 2. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 2. *in fin.* & Bonacina *l. c.*

Petes 1. an pro sola virginitate sit aliquid restituendum? Resp. negativè: ratio est, quia non est passa detrimentum pretio æstimabile; nec æquabile est, & reparabile per pecuniam hoc damnum illatum. Quapropter si Virgo violata per vim, aut fraudem æquè bene nupsit, ac si non fuisset violata, cum stuprum occultum manserit; ad nullam restitutionem obligabitur stuprator; ut docent Molina *tom.* 4. *disp.* 106. *concl.* 8. *num.* 11. Vasquez *de Rest. cap.* 3. §. 2. *dub.* 3. *num.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 15. Navarrus *in summ. cap.* 16. *num.* 17. & 19. Navarra *lib.* 2. *capit.* 3. *num.* 451., Filliuccius *tract.* 30. *cap.* 8. *numer.* 221., & Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *pun.* 17. *num.* 8.

Petes 2. an teneatur stuprator ad restitutionem, si precibus importunis, suasionibus, vel muneribus copulam extorserit? Resp. si non fuerint appositæ minæ, aut metus quidam reverentialis, ut si esset dominus, superior, aut vir magnæ authoritatis; non teneri ad restitutionem: ratio est, quia preces importunæ, suasiones, ac munera non auferunt voluntarium, & volenti, ac consentienti nulla fit injuria; hæc enim vim non afferunt, sed blandè alliciunt, præcipuè munera. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 14. Navarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 343., Vasquez *de Rest. cap.* 3. §. 2. *n.* 5. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 28. Sanchez *de Matr. libr.* 4. *disp.* 10. Molina *tom.* 4. *disp.* 106. *concl.* 1. Azor. Rebellus, Salon, & alii relati à Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *pun.* 17. *num.* 13.

Petes 3. an si puella condonaverit obligationem restituendi juveni stupratori, teneatur hic ad restitutionem faciendam parentibus? Resp. negativè: ratio est, quia si puella cedit juri suo, jam ablata est omnis obligatio restituendi; ipsi enim, non parentibus facienda est: & quamvis stuprator intulerit injuriam parentibus deflorando filiam; non tamen intulit damnum, quod reparari solet per restitutionem. Quapropter si puella moriatur etiam absque condonatione, antequam accedat ad nuptias; ad nullam restitutionem obligabitur deflorator, quia nullum habetur damnum reparabile ipsi personæ: est enim hæc restitutio veluti subsidium, ne damnum patiatur ipsa persona, non verò parentes ejus. Sic Lessius, Vasquez, Molina, Sà, Salon, Navarra, Azor. & Rebellus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *pun.* 17. *numer.* 10. & 14.

Petes 4. an si puella priùs violata fuerit, sed publicè virgo reputetur; teneatur cognoscens illam per vim, & metum, aut fraudem aliquid restituere, quia ipsi tribuitur violatio? Resp. affirmativè: ratio est, quia licèt antea corrupta fuerat, erat tamen in possessione virginitatis penes homines; & hoc jus amisit per cognoscentem illam secundo; ergo hic tenebitur ad reparandum tale damnum, saltem arbitrio prudentis viri ob amissam priùs virginitatem occultè. Sic ex Azorio, & Molina docet Bonacina *l. c. num.* 9.

3 Quæres 3. quid restituendum pro Adulterio? Resp. si nullus secutus sit partus, aut aliud damnum, non tenetur adulter præcisè ex vi adulterii ad restitutionem aliquam faciendam marito adulteræ: ratio est, quia adulterium præcisè sumptum non est pecunia adæquabile, & compensabile; ergo talis injuria utpote à damno separata nequibit exigere restitutionem pecuniariam, quamvis teneatur ad aliam satisfactionem dandam, si maritus sit conscius delicti, demonstrando scilicet doloris signa pro commisso adulterio, & veniam petendo. Quòd si maritus tantùm exigat satisfactionem pecuniariam, non verò aliam; non ideo adulter obligabitur ad præstandam illam, cum Lege prohibita sit talis conventio: ut patet *ex Leg. Transigere. Cod. de Transact.*, ne videatur maritus corpus suæ uxoris ad quæstum prostituere. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 5. Molina *disp.* 100. Azor. 3. *par. lib.* 5. *cap.* 6. *qu.* 6., & Filliuccius cum aliis *tract.* 32. *cap.* 8. *qu.* 10. *num.* 222. Si tamen partus secutus sit, & indubitanter credit esse suum, itaut non habeat probabilem rationem dubitandi de opposito; tenebitur insolidum cum adultera ad resarcienda damna, quæ patitur maritus, & patiuntur filii legitimi, vel hæredes: ratio est, quia uterque, adulter scilicet, & adultera, sunt causa efficax directa horum damnorum; Ergo uterque tenebitur ad resarcienda illa pro rata, vel in totum ex defectu alterius. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 42. Molina *disp.* 101. *num.* 3. *in fin.*, Rebellus *lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 15., Azor. 3. *par. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 2, & Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 8.

Hinc fit 1. adulterum teneri ad restituenda alimenta filii spurii post tertium nativitatis annum, usquedum possit ea ubi comparare: nam primis tribus annis à nativitate ex Jure communi spectat ad matrem eum alere, cum dicatur pendere ab uberibus: ut constat *ex Leg. Nec filium. Cod. de Patr. Potest.*: ratio est, quia verus maritus patitur damnum illud alimentorum, dum spurium æquè ac legitimos filios alit; & aliunde verus pater habet talem obligationem; Ergo si adulter indubitanter est verus pater, tenebitur alimenta illi resarcire. Sic Doctores superius citati.

Fit 2. teneri pariter adulterum ad resarcienda damna hæreditatis, quæ patiuntur filii legitimi, dum spurius æqualem accipit portionem cum legitimis: vel si spuria est, & dotem habuerit: ratio est, quia causat efficaciter hoc damnum per adulterium, quod quidem prævidere debebat, ac præcavere, utpote sequens ut plurimum ex tali facto injurioso, etiamsi suppositionem non suaserit. Sic Aragonius, Finellius, Navarrus, Azor. Lessius, Rebellus, Vasquez, Filliuccius, Cajetanus, & Sylvester, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 13. contra Sotum, Henriquez, & alios deobligantes, si suppositionem non suaserit.

Fit 3. eamdem obligationem habere adulteram cum non minus ipsa, quàm adulter causa sit talis damni: ergo non minus ipsos, quàm adulter tenebitur ad resarciendum illud: ut communiter Auctores tradunt teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 7. *num.* 47. Quapropter si habeat paraphernalia, ea adhibere tenebitur legitimis in compensationem; vel si aliquid lucri percipiat, etiam legitimis aptare debebit; sicuti sumptus diminuere debebit, quantùm commodè poterit: spectata conditione sui status, ut sic compenset, quod satisfacere debet legitimis. Quæ tamen omnia intelligenda sunt, fieri posse absque famæ dispendio, & vitæ periculo: nam si hæc præstando se proderet, non teneretur: quamvis posset inducere bonis artibus ad religiosam vitam assumendam, si aptus ad illam esset; ut sic præcaveret damna, quantum poterit. Vide citatum Lessium.

Fit 4.: eodem modo obligari ad restitutionem, quicumque sit, supponentem partum cum præjudicio veri mariti, aut legitimorum hæredum; cum eadem damna sequantur ex actione illa, & eadem militet ratio obligans ad resarciendum: ut docent Navarrus in *Summ. cap.* 16. *numer.* 43. Suarez *tom.* 5. *de Cens. disp.* 10. *sect.* 4. *numer.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *numer.* 41. & Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 14.

Adnotandum hic: quod tam adulter, quam adultera, ut subjaceant huic obligationi restituendi debent esse indubitanter certi, prolem esse suam, & damna secuta esse ex adulterio: nam si probabiliter dubitent de opposito, & probabiliter dubitent, esse suam; melior erit conditio possidentis suam libertatem, maximè quia in dubijs præsumptio stat, prolem susceptam esse ex vero Matrimonio, etiam si adultera dicat cum juramento, esse filium adulteri, & etiam si filius referat eius imaginem, cum hæc signa fallacia sint. Sic Molina, Lessius, Azor, Salon, Henriquez, Filliuccius, Mascardus, Riccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 8.

Quæres 4. quid restituendum pro fama? Resp. Fa- 4
mam, quæ potissimum consistit in opinione & æstimatione virtutis, & sapientiæ alterius; tripliciter lædi posse, 1. si verum crimen alterius occultum manifestetur, 2. si falsum crimen ipsi apponatur, 3. si publice, aut privatim infametur. Quapropter qui verum crimen alterius occultum manifestavit, quamvis non teneatur dicere, se mentitum fuisse, aut falsum manifestasse, cum revera ita sit; tenebitur tamen ad famam resarciendam apud quos occultum crimen manifestavit laudando infamatum, de eo honorifice sæpius loquendo, illumque publice signis honoris afficiendo, damnando iracundiam vel otiositatem, quæ ad lubricitatem linguæ inutiliter impellit: ratio est, quia sic congruenter, & opportune videtur tantundem famam illius illustrare, quantum denigravit; & aliunde urget obligatio restituendi infamatum in pristino statu eo congruentiori modo, quo poterit. Sic Molina *tract.* 4. *disputat.* 41. Reginald.

nald. *lib.* 10. *n.* 341. Arag. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. Filliuc. *tract.* 32. *c.* 9. *n.* 254. Navar. *in Summ. c.* 18. *n.* 95. & Bonac. *disp.* 2. *de Rest. qu.* 4. *pun.* 15. *n.* 3. Qui tamen falsum crimen apposuit, tenebitur retractare, quod dixit, penes auditores dicendo, se falsum dixisse, vel deceptum fuisse; adeo ut si opus sit ad famam resarciendam addere juramentum; addendum utique erit, & si ultra juramentum testes requirantur, addendi erunt: ratio est, quia infamator tenetur ex justitia adhibere ea media, quę necessaria sunt ad efficacem revocationem criminis falso appositi, ut integrè fama læsa restituatur; ergo si pro rei gravitate, requiritur juramentum, vel testes; hæc media de necesse adhibenda erunt: Sic Mol. Sot. Les. Sal. & alii quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 15. *n.* 4. Adnotandum hìc cum Les. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 20. *n.* 109. quod si auditores non habentes probabilem rationem nolint detractori credere, etiam juranti. Et testes adhibenti, ad nihil aliud tenebitur, quia potius erit causa illius pravæ opinionis eorum perversitas, quam malitia detractoris, qui fecit ex parte sua quantum potuit. Si denique publice, vel privatim fama læsa fuerit, tenebitur lædens ad eam publice, vel privatim restituendam: ratio est, quia debet resarciri ad æqualitatem; nec resarciretur, nisi publice lædens eam publice restitueret; & privatim lædens, privatim restitueret; ut passim Doctores habent.

Petes 1. an qui tenetur ad restitutionem famæ, & ob vitæ periculum, aut alias justas causas non possit restituere; obligetur ad illam compensandam pecunia, vel aliis bonis fortunæ? Resp. negative, cum non sit obligatio resarciendi illam ex bonis diversi ordinis, nisi habeatur sententia judicis; fama siquidem cum sit in altiori ordine ad pecunias, & bona fortunæ, non poterit per illa adæquari ex justitia; aliud enim esset ex quadam æquitate, si infamatus scilicet esset pauper, & velit famam sibi compensari pecunia, quod sine suo gravi incommodo lædens facere posset. Sic Nav. Turrian. Sà, Lessius, Azor. Filliuc. Nav. & Regin. relati à Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun. ult. num.* 14.

Petes 2. an infamans manifestando verum, sed occultum crimen, vel falsum apponendo teneatur ad resarcienda damna, quæ ex illa infamia sequuntur? Resp. affirmative: ratio est, quia non solum est causa principalis damnorum inde sequentium, dum falsum crimen apponit; verum etiam dum occultum, sed verum manifestat: nam non secuta fuissent similia damna, si crimen occultum quamvis verum apertum non fuisset; Ergo in utroque casu tenebitur ad sarcienda damna: ut docent Lessius, Reginaldus, Salon, Sayrus, Navarra, Molina, & alii quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 16. *num.* 1.

5 Quæs 5. quid restituendum pro damnis spiritualibus? Resp. inducentem alium ad peccandum, vel illum retrahentem à bono absque metu, vel fraude, sed precibus, vel pretio; non teneri ex Justitia, sed tantum ex Charitate ad curandum, ut à peccato resipiscat: ratio est, quia induxit sine metu, & fraude, non abstulit aliquid à voluntario, etiamsi preces, aut pretium adhibuerit; Ergo inductus volens, & sciens peccat; Ergo nulla fit illi injuria, volenti enim, & scienti non fit injuria. Quod autem teneatur ex Charitate supra cæteros, colligitur ex eo, quia si cæteri tenentur ad hoc, multo magis tenebitur ipse inducens, qui præ cæteris fuit author peccati, quamvis hæc major obligatio non urgeat sub mortali. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 8. *dub.* 2. *num.* 7. & 10. Molina *tract.* 4. *disp.* 5. *num.* 6. Navarrus *lib.* 5. *Consil. tit.* 3. *consil.* 2. *n.* 4. Sylvester *verb. Restitutio.* 3. *quæst.* 1. Sotus *lib.* 4. *de Just. quæst.* 6. *art.* 3. Rebellus 1. *par. lib.* 4. *quæst.* 13. *concl.* 5. Si vero cum metu, vel fraude induxit ad peccandum, sive inducendo ad malum, sive retrahendo à bono; tenetur non solum ad tollendum metum, vel fraudem, si adhuc extant; verum etiam tenetur suasionibus, precibus, vel alio opportuniori modo curare, ut à peccato resipiscat, & quidem ex justitia: ratio est, quia unusquisque habet jus, ne vi, aut dolo lædatur in bonis suis spiritualibus; Ergo lædens obligabitur ex justitia ad resarciendum tale damnum, illudque retractandum eo meliori modo, quo poterit: est communis sententia teste Lessio *loc. cit. num.* 3.

Hinc infertur 1. retrahentem Novitium à profitendo Religionem vi, aut dolo; vel etiam jam professum in Religione; teneri ad compensanda damna omnia, quæ patitur Religio consideratis omnibus futuræ hæreditatis, donationis, industriæ, & similium; habita quoque consideratione incertitudinis, expensarum &c. teneri quoque, ad compensanda damna omnia quæ patitur retractus vi, aut dolo, & quidem ex justitia: ratio est, quia tam religio quam ipse retractus patiuntur hæc damna per injuriam à retrahente; Ergo ex justitia obligabitur retrahens ad illa compensanda, & multo magis obligabitur ad tollendam vim, & fraudem, si adhuc perseverant. Sic Molina, Azor. Vasquez, Sà, Bannez, Turrianus, Lessius, Salon, Navarra, & Filliuc. quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 1. *pun. unic. num.* 5. Extendunt hanc eamdem doctrinam ad ingressurum Religionem, Molina, Vasquez, Azor. cum eodem Bonacina *loc. cit. num.* 4. consideratis semper considerandis: nam retrahens hunc volentem ingredi Religionem vi, aut dolo, injuriam facit ipsi religioni, impeditur siquidem per vim, & fraudem, ne assequatur bonum, quod alias obtinuisset; Ergo tenetur ex justitia ad compensandum juxta arbitrium viri prudentis Religioni damnum, quod per retractionem patitur. Non tenebitur tamen ex justitia ad hæc, si absque vi, & dolo retraxerit; & multo magis deobligabitur, si bona fide fecerit.

Dubium tamen majus est: an retrahens professum à Religione absque vi, & metu; sed precibus, vel consilio; teneatur ex justitia ad damna, quæ inde sequuntur Religioni? Resp. negative: ratio est, quia Religiosus non tenebatur ex justitia procurare emolumenta Religioni, ut si foret eximius Concionator, Doctor, &c. sed tantum ex virtute Obedientiæ, & Religionis, nec ipse non procurans talia lucra Religioni peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem; ergo neque contra Justitiam peccabit, & tenebitur restituere, qui eum absque vi & dolo à Religione retraxit. Sic Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 18. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *concl.* 2. Navarra *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 23. Sayrus Sotus, & Filliuccius relati à Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 1. *pun. unic. num.* 4. contra Molinam, Reginaldum, Vasquez, Azorium, Turrianum, & alios oppositum docentes.

Infertur 2. decipientes alium falsa doctrina vel circa fidem, aut mores, vel humanas artes; teneri ex justia deceptionem manifestare, nisi aliunde deceptio manifestata fuerit: ratio est, quia sicuti unusquisque habet jus ne lædatur errore, aut fraude in bonis corporis; ita etiam ne invitus lædatur in bonis animæ, quapropter sic lædens ex justitia tenebitur reparare damnum illatum. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 2. Reginaldus, Filliuccius, Navarra, & rebellus, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 3.

Quæres tandem: quid restituendum pro privatione 6
facta per injuriam memoriæ, usus rationis, vel alicujus sensus sive philtro, sive veneno, sive alio modo? Resp. obligari sic lædentem, & quidem ex Justitia, si in sua potestate est, ut læsus ad pristinum statum reducatur: ratio est, quia tenetur injuste damnificans reparare damnum illatum, si in sua potestate sit, ut sic ad æqualitatem restituat, & irritum, infectumque reddat damnum à se illatum. Sic Vasquez *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 7. *pun.* 5. & alii passim. Quod si in potestate sua non sit reducere ad pristinum statum injuste læsum; tenebitur lædens ad damnum temporale, quod inde sequitur, ut si non posset functionem, vel artem obire, quam antea exercebat cum lucro: nam causa efficax, & directa fuit per injuriam talis, damni, inde sequentis; Ergo tenebitur ad reparationem illius. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. *num* 1. & communiter alii Doctores.

Controversia tamen est: an præcisè pro ipso damno privationis memoriæ, usus rationis, vel alicujus sensus, etiamsi nullum aliud temporale damnum sequatur; sit obligatio restituendi per pecuniam, aut aliud bonum temporale? Resp. quamvis aliqui Doctores penes Sayrum *lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 18. putent, adesse talem obligationem; si alia via non suppetat reparandi damnum illud. Nihilominus probabilius dicendum est cum Navarro, Gomez, & aliis relatis à Lessio *loc. cit.* & à Bonacina *de Rest. in particul. disp.* 2. *quæstion.* 1. non haberi hanc obligationem; ratio est, quia hæc damna cum sint bonorum superioris ordinis ad bona temporalia; nequeunt æstimari, & compensari per illa, ut initio hujus capitis dictum est de injuria illata corpori pro vita, membro, aut cicatrice.

QUÆSTIO XXI.

DE CONTRACTIBUS.

ABSOLUTIS iis, quæ ad Restitutionem pertinent, remanet pertractandum de Contractibus, ut sic omnis injusta damnificatio proximi arceatur, quæ per hoc Septimum Decalogi Præceptum prohibetur; cum & per contractus injustè initos proximus damnificari possit, & inde oriatur obligatio reparandi damnum illatum: ut autem distinctiùs procedamus, priùs de contractibus in genere, dein de illis in particulari sermo erit.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Contractus, & quotuplex?

1 *Definitur Contractus largè acceptus.*
2 *Definitur Contractus strictè acceptus.*
3 *Explicantur Divisiones Contractus latè sumpti.*
4 *An omnis contractus pariat obligationem in foro interno, & externo?*
5 *An Jus positivum facultatem habeat irritandi contractus.*

1 CONTRACTUS latè acceptus sic definiri solet: Conventio duorum, vel plurium in alterutro saltem obligationem pariens. Quæ quidem definitio complectitur Pactum, Donationem, & Promissionem, nam aliquo modo dicuntur contractus, & saltem in uno pariunt obligationem: ut patet in Donatione, quæ inducit obligationem in donante; & in promissione acceptata, quæ inducit obligationem in promittente.

2 Contractus verò strictè acceptus sic definiri solet; Consensus duorum, vel plurium signo externo expressus, quo se legitimè ultro citroque obligent. Ita ut formaliter consistat contractus in consensu illo practico, hoc est signo externo expresso, sive locutione, sive scriptura, aut aliis signis; ex quo tamen consensu proveniat obligatio ultro citroque. Colligitur hæc definitio *ex leg. Labeo ff. de Verbor. signif.* quapropter definitio illa communiter tradita contractus, quòd sit ultro, citroque obligatio; non erit formaliter accipienda, quasi contractus consistat in obligatione, cum potius sit effectus contractus; & consequens ad suam causam; sed causaliter, quòd scilicet consistat in consensu practico, ex quo ultro, citroque provenit obligatio. Vide Lessium *de Contract. in genere dubit.* 1.

A contractu strictè accepto excluduntur Pactum, quod consistit in conventione duorum, vel plurium; itaut duæ, vel plures voluntates reciproco consensu conveniant in idem. Donatio, & Promissio acceptata quæ non pariunt obligationem ultro citroque, sed in alterutro. Latè tamen contractus dicuntur, ut patet *ex leg. Contract. Cod. de Fid. Instrumen.* & sic accipiuntur à nobis; quapropter per nos idem erit contractus, ac Pactum, & comprehendet non solùm contractus onerosos, verum etiam gratuitos.

3 Jam verò Contractus sic latè sumptus multiplex est, & 1. alius Onerosus, Gratuitus, seu Lucrativus alius. Onerosus ille est, per quem onus imponitur, ut aliquid loco ejus, quod datur, reddi debeat: sic in Venditione v. g. imponitur onus vendenti ad rem tradendam, emptori ad solvendum pretium. Gratuitus vero, seu Lucrativus ille est, quo aliquid absque pretio, aut alia mercede traditur, vel promittitur; ut evenit in commodato, precario, promissione, donatione, ad quæ reducuntur Testamentum, & Legatum. Adnotandum hic: quod contractus onerosus, vel transfert dominium integrum, ut accidit in emptione, mutuo &c. vel dominium utile tantum, ut in feudo, emphytheusi; vel usumfructum, seu usum, ut in locatione, conductione; vel securitatem ut in pignore, hypotheca, fideiussione; & ad hos contractus reducuntur cæteri onerosi.

2. Alius est contractus bonæ fidei, alius stricti juris. Bonæ fidei dicitur, quando Judex ex æquo, & bono judicat, & arbitrium sumit; non vero ex rigore Legis, ac Jurisscripti: ut evenit in emptione, venditione, locatione, conductione, permutatione, societate, depósito, commodato, & pignore. Stricti Juris dicitur, cum judex judicat ex rigore Legis, & pactionis, ac adstringitur ad verba: ut accidit in stipulatione, feudo, & emphytheusi. Vide Covarruviam *ad Regul. Possessor. par. 2. §. 6.* & Rebellum 2. *par. lib. 1. quæst. 2. sect. 1.*

3. Alius est Perfectus, alius non. Perfectus dicitur ille, qui habet omnia necessaria, quæ requiruntur secundum suam speciem, sive inter hæc requiratur traditio rei, sive non. Quapropter aliquando ad contractum perficiendum requiritur traditio rei, ut in commodato, pignore, donatione, mutuo, & depósito, qui contractus per traditionem rei perficiuntur, cum ante traditionem imperfecti sint. Aliquando perficitur contractus scriptura, itaut ante scripturam ex juris dispositione ratus non habeatur, ut est in emphyteusi, & in aliis contractibus, in quibus contrahentes concludere nolunt, nisi coram notario, qui instrumentum conficiat. Aliquando perficitur verbis, & requirit certam verborum formam: ut est in omnibus stipulationibus, *juxta Instit. de verbor. obligation.* Aliquando denique perficitur consensu utriusque exterius quocumque modo explicato absque certa verborum forma: ut accidit in emptione, venditione, locatione, conductione, Matrimonio &c. Vide Molinam *tract. 2. disp.* 254. Contractus vero, qui requisita hæc non habet secundum suam speciem, non erit perfectus.

4. Alius est contractus Nominatus, Innominatus alius. Nominatus ille dicitur, qui proprium, ac speciale nomen habet, ut ab aliis distinguatur: sic est emptio, venditio, locatio, pignus, Mutuum &c. Innominatus ille dicitur, qui proprium nomen non habet, sed tantum genericum conventionis; cujus quatuor sunt species. 1. dicitur: Do, ut des, ut si dem panem Titio, ut ipse det mihi vinum: & quamvis reduci possit ad Permutationem, nihilominus ipsa permutatio est contractus Innominatus, conveniens pluribus contractibus nominatis, nec habens speciale nomen, sed genericum. 2. est: do, ut facias; ut si dem panem, aut vinum Titio, ut pro me laboret: nam si pecuniam darem, esset conductio. 3. est: Facio, ut des; ut si scribam, vel serviam alicui, ut det mihi panem, vel vestem. 4. est: Facio, ut facias; ut servio tibi, ut tu me doceas, laboro in tua vinea, ut tu labores in meo viridario. Ad hos contractus Innominatos reducuntur alii, de quibus dubitatur *in Leg. 1. ff. de æstimat. action.* an pertineant ad contractus Nominatos, Adnotandum tamen cum Lessio *lib. 2. cap. 17. dub. 2. num. 14.* quod licet ex his contractibus Innominatis statim oriatur naturalis obligatio urgens in foro interno; non tamen oritur obligatio Civilis tribuens actionem in foro externo, nisi vestiatur formula stipulationis, vel juramenti.

5. Denique contractus, seu pactum aliud est nudum, aliud vestitum. Nudum dicitur, quando sistit in meris finibus conventionis absque ullo alio firmamento, ut evenit in contractibus Innominatis, antequam formula stipulationis, vel juramento firmentur, aut sint ex altera parte impleti. Sic etiam sunt contractus Nominati, qui ad suam perfectionem requirunt traditionem rei, & ante illam habent rationem pacti nudi. Vestitum dicitur, quando vestitur aliquo addito, ex quo robur, & firmitatem accipiat in jure Civili. Vestiti autem

tem 1. potest reipsa, ut si ex una saltem parte adimpletum sit: 2. verbis forma scilicet stipulationis. 3. litteris, & scriptura, ut si fateatur, esse sibi satisfactum. 4. apposito juramento. 5. si specifico nomine contractus perficiatur; nam contractus nominati sunt vestiti, si in suo genere sunt perfecti. Vide Lessium *lib. 2. cap. 17. dub. 3. num. 17.*

4 Quæres 1. an omnis contractus pariat obligationem in foro tum conscientiæ, tum externo? Resp. omnem contractum etiam nudum, dummodo sponte, ac libere initus sit à contrahentibus habilibus, parere obligationem naturalem, & in foro conscientiæ, itaut rescindi minime possit dissentiente parte altera; nec irritari, nisi à jure positivo irritetur, aut detur facultas irritandi: ratio est, quia tenetur unusquisque jure naturæ ad præstandum id, quod promisit acceptante altero, quicumque fuerit titulus, sive onerosus, sive gratuitus, cum jus naturæ, & gentium, non distinguat inter hos titulos, nec ad hanc obligationem inducendam aliud requiritur, quam animus exterius expressus, ac acceptatus; Ergo si hæc omnia habentur, consurgit in foro conscientiæ obligatio standi contractui, etiam nudo. Sic Sylvester *verb. Pactum. num.* 4. & cum eo communiter Theologi. Non parit tamen contractus nudus obligationem in foro externo, & civili, nisi fuerit aliqua circumstantia vestitus ex superius enumeratis: ratio est, quia licet Jus Civile non irritet tales contractus, noluit tamen actionem concedere, ne multiplicentur lites. Jus tamen Canonicum, cum respiciat forum *conscientiæ*; urget ad implendum promissum, & standum contractui nudo; nisi forte error, vel fraus irrepserit: sic colligitur *ex cap. 1. de Pactis* & docent Covarruvias *in cap. Quamvis Pactum par. 2. §. 4. num.* 24. Sylvester *verb. Pactum n.* 3. & Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 4. num.* 22.

5 Quæres 2. an Jus positivum facultatem habeat irritandi contractus? Resp. affirmative: non solum enim habet facultatem apponendi conditiones, sine quibus irriti, & invalidi sint; verum etiam irritandi illos, etiamsi jure naturali, & gentium validi forent; ut patet in contractu impuberis, alienatione fundi dotalis, & similibus; ratio desumitur ex eo, quia si licet privatis hominibus apponere aliquas conditiones, & formulas, dum inter se contrahunt, adeo ut invalidus sit contractus imposterum sine ipsis, nec obligationem inducat naturalem; multo magis licebit hoc sancire Reipublicæ, Principibus sæcularibus, in quos suam potestatem Respublica transtulit, & Principibus Ecclesiæ circa ea, quæ ad bonum spirituale suorum subditorum spectant: maxime quia potestatem habent à Christo naturaliter supremo omnium Domino. Sic communiter Doctores.

CAPUT II.

Qui nam Consensus requiratur ad validitatem contractus?

1 *Necessario requiritur ad validitatem contractus consensus contrahentium.*
2 *An sufficiat ad validitatem contractus consensus per errorem habitus?*
3 *An sufficiat Consensus per dolum habitus?*
4 *An sufficiat Consensus per metum habitus?*
5 *Contractus per metum gravem, aut levem celebratus validus est jure naturæ.*
6 *Etiam per jus positivum validus est Contractus per metum gravem, aut levem celebratus, exceptis aliquibus, qui recensentur.*
7 *Contractus metu gravi celebratus injuste incusso ad extorquendum consensum irritandus est in foro conscientiæ.*
8 *Contractus metu levi celebratus injuste incusso ad extorquendum consensum, etiamsi non tribuat actionem in foro externo, pro interno tamen rescindi potest, excepto matrimonio, & voto solemni Religionis.*
9 *Contractus celebratus per metum juste incussum, etiam ad extorquendum consensum; non est rescindendus.*

1 EXTRA controversiam est, requiri ad validitatem contractus Consensum contrahentium: nequit enim obligatio ex contractu oriri, nisi oriatur ex vero consensu exterius manifestato, & ex voluntate non ficta contrahentium. Ideo merito inquiritur à Doctoribus, qualis debeat esse iste consensus ad contractum requisitus cum validitate; & an sufficiat, etiamsi per errorem, dolum, vel metum extortus fuerit, quod per sequentia quæsita explanabitur.

2 Quæres 1. an consensus per errorem habitus in contractu sufficiat ad ejus validitatem? Resp. errorem accidere posse vel circa substantiam rei, ut si velis emere gemmam, & invenias vitrum; vel circa accidentia, & extrinseca, quæ allicere solent, vel retrahere à contrahendo, ut si credas emere equum strenuum, quem postea invenias pigrum. His positis. Si error in contractu versetur circa substantiam rei; contractus irritus erit, & invalidus jure naturæ; ratio est, quia consensus deficit, qui est de substantia contractus, nam consensus non fertur in rem illam, sed in aliam: sic consentiens in gemmam non dicitur consentire in vitrum. Quæ quidem doctrina non solum extenditur ad contractus onerosos, sed etiam gratuitos, & ad vota; & est communis inter Doctores. Si tamen error versetur circa accidentia, dummodo consensus non sit alligatus ipsis, contractus validuserit, & dicitur habere consensum sufficientem ad sui validitatem: ratio est, quia vere consentit circa substantiam rei illius, esto erret in accidentibus: non enim requiritur ad consensum necessario requisitum ad contractum, ut noscat omnes qualitates rei, & consentiat illis: sic validus est contractus ementis equum, quem strenuum credebat, & invenit pigrum. Ita communiter Doctores teste Lessio *lib. 2. de Just. c. 17. dub. 5. n. 28.*

3 Quæres 2. an consensus habitus per dolum in contractu sufficiens sit ad ejus validitatem? Resp. dolum, seu deceptionem, qua quis alterum decipit; evenire posse dictis, vel factis, aut omissione eorum, quæ dicenda, vel facienda erant ex obligatione. Insuper dolum aliquando dare causam contractui, hoc est, ita inducere ad contrahendum, ut si dolus abesset; non contraheret: aliquando vero incidere in contractum, hoc est, si dolus abesset, utique contraheret, sed non ita libenter, vel cum tanto gravamine. Denique dolum aliquando provenire ex parte unius contrahentis; aut à tertia persona, ita ut contrahens non participet aliquo modo de dolo, vel denique ex propria opinione. His positis. Si dolus in contractu sive gratuito, sive oneroso, excepto tamen Matrimonio, proveniat ab altero contrahente, & det causam contractui; contractus invalidus erit, nec habebit consensum sufficientem ad sui validitatem ex Jure positivo, adeoque non erit obligans in conscientia: ratio est, quia qui inducit alium ad contrahendum per dolum dantem causam contractui, inducit invitum; nam si dolus abesset, non contraheret, ergo facit illi injuriam, ergo tenebitur ad restituendum illum in pristinum statum, sic statuente Jure positivo, ut constat *ex Leg. Et eleganter ff. de Dolo; & ex Leg. Ea vero. §. de illo. ff. Pro Socio*, ubi habetur; Societatem dolo initam non esse validam. Sic Sylvester, Rebellus, Azor. Salon, Salas Turrianus, & alii apud Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 64. num. 3.*

Notandum hic 1. talem contractum esse quidem invalidum Jure positivo, sed non jure Naturæ: nam si talis esset jure naturæ, nec Matrimonium cum dolo initum esset validum, quod non est dicendum. 2. dolum provenire debere ab altero contrahente; nam si proveniat à tertia persona, cujus non est particeps; vel à propria opinione, qua seipsum decepit contrahens; validus erit contractus etiam cum dolo dante causam; ratio est, quia ex una parte error non est circa substantiam, sed circa extrinseca, scilicet circa causas allicientes ad contractum, vel avocantes ab illo; ex alia parte nulla intervenit injuria alterius contrahentis, ergo non est cur sit invalidus. Sic Gloss. *in cap. cum dilecti de empt. & vendit*, Bartolus *in Leg. Et elegan-ter ff. de dolo* Covarruvias *Reg. Possessor. par. 2. §. 6. n. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 33.* Sylvester, Sanchez, Molina, Rebellus, Reginaldus, & Azor. penes Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 1. pun. 2. §. 2. n. 3. 3.* contractus bonæ fidei cum hoc dolo celebratos irritos esse in utroq; foro tum externo tum conscientiæ; contractus vero stricti juris non esse invalidos in foro externo, sed irritandos, ut constat *ex Leg. Dolo. Cod. de inutilib. stipulat.* quamvis remaneat decepto actio contra decipientem; esse tamen invalidos in foro conscientiæ, ut dictum est.

Si

Si tamen dolus incidat in contractum, validus erit, in utroq; foro conscientiæ, & externo: ratio est, quia jam habetur consensus sufficiens ad contrahendum, contrahens siquidem etiam remoto dolo contraxisset, ac consensisset, esto majore cum difficultate: nec ullum jus asserri potest irritans talem contractum, imò pro ejus validitate stant *Leges si quis affirmaverit & eleganter ff. de dolo*; & sic docent Rebellus, Gomez, Molina, Azor. Lessius, Reg. Filliuccius, & Salas tum apud Sanchez *lib. 1. de Matri. disp. 64. num. 6.* tum apud Bonacinam *de Contract. disp. 3. quæst. 1. pun. 2. §. 2. num. 6.*

Sed petes 1. an adhibens dolum in contractibus peccet, & teneatur ad restitutionem? Resp. si materia, circa quam dolus versatur, est gravis; graviter peccabit adhibens dolum; si verò levis, leviter peccabit: sic vendens vinum bonæ qualitatis apposito mendacio; quod sit plurium annorum, vel loci alicujus, cum revera non sit, quamvis excessus pretii per dolum adhibitum non sit notabilis supra bonam qualitatem ipsius vini; non peccabit graviter, sed leviter: ratio est, quia emens non graviter læditur, nec gravem patitur injuriam, ut patitur per materiam gravem. Sic Molina *disp. 252. num. 18.* Reginaldus *lib. 25. num 125.* Azor. *3. par. lib. 4. cap. 21. quæst. 8.* & Bonacina alios referens *loc. cit. num. 7.* Tenebitur insuper ad restitutionem damnorum, quæ passus est deceptus: nam decipiens fuit injusta causa talium damnorum, & contra justitiam peccavit, adeoque consurgit in illo obligatio ex justitia resarciendi damna illa. Imò tenetur ad rescindendum contractum per dolum incidentem, sic volente decepto, in cujus favorem *Lex. Eleganter. cit.* dat facultatem rescissionis contractus, dum noluerit deceptus in eo permanere. Sic Gomez, Rebellus, Turrianus, Molina, referens Covarruviam, & Conradum, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num. 6.*

Petes 2. an qui deceptus est invincibiliter vel à tertio, vel à propria opinione, cognito errore, ac dolo teneatur contractum adimplere, si nondum sit utrinque adimpletus, vel ex una parte? Resp. non teneri: ratio est, quia supervenit notabilis mutatio cognito errore, & dolo, quo si à principio cognovisset, non utique contraxisset, loquimur enim hic de errore, & dolo dantibus causam contractui; ergo nequibit obligari ad illum adimplendum, cum semper intelligatur illa tacita contrahentium intentio; quod nolint se obligare ad contractum perficiendum cognito dolo. Sic Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. n. 33.* Sanch. *de Matr. lib. 1. disp. 64. num. 5.* Reginaldus *lib. 25. num. 224.* & Filliuccius *tract. 33. cap. 7. quæst. 7. num. 124.*

A Quæres 3. an consensus habitus per metum in contractu sufficiens sit ad ejus validitatem? Resp. metum, qui nihil aliud est, quam perturbatio animi orta ex apprehensione mali imminentis; alium esse Gravem, alium Levem. Gravis alius est absolute talis, alius respective: absolute talis ille dicitur qui cadit in constantem virum, hoc est, qui oritur ex aliquo malo apprehenso, quod sit formidabile viro constanti, illumque merito commovere possit: sic existimantur mala mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, aut exilii, servitutis, stupri, amissionis omnium bonorum, vel notabilis partis, amissionis honorifici status, injustæ excommunicationis, infamiæ juris, vel facti, quæ difficulter abstergi possit, sive hæc impendeant ipsi contrahenti, sive ejus filiis, parentibus, aut Uxori. Ad hunc metum cadentem in constantem virum reducitur metus reverentialis gravis, seu ingens, cum quo scilicet conjunctæ sint minæ, asperitates, malæ tractationes, aut importunæ preces, sæpius repetitæ, & vehementes, quapropter filius timeat offensionem parentum, pupillus Tutoris, subditus sui Principis, uxor sui mariti, Monachus sui Abbatis, & clericus sui Prælati: æquivalent enim hæc omnia metui gravi juxta Covarruviam, Henriquez, & Sanchez relatos à Lessio *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 35.* Secus vero dicendum, si non fuerit ingens, erit enim metus levis. Respective gravis ille dicitur, qui licet non sit absolute talis, nec alicujus mali viro constanti formidabilis, respectu tamen pueri, fœminæ, vel senis, aut hominis natura sua timidi erit gravis, cum æquè isti concutiantur minoribus malis, ac viri constantes, & robusti majoribus. Levis vero metus ille erit, qui nec cadit in constantem virum, nec est ingens reverentialiter, nec est respective gravis. Insuper metus alius provenit ab intrinseco; hoc est à naturali causa, ut à morbo, tempestate &c. alius ab extrinseco, hoc est à causa libera, scilicet ab homine, qui potest metum incutere juste, aut injuste. Denique metus ab extrinseco incuti potest ad extorquendum consensum, vel ad alium finem. His declaratis

Dicendum 1. contractum per metum gravem, aut levem celebratum validum esse jure naturæ, adeoque ex eodem jure habere sufficientem consensum ad validitatem: ratio est, quia habetur voluntarium necessarium ad contrahendum; cum metus non tollat simpliciter voluntarium; ut constat ex Aristotile *3. Ethic. cap. 1.* & sicuti metus non tollit voluntarium sufficiens ad peccandum, ita neque ad contrahendum. Confirmatur paritate contractus, cui dolus dat causam, ubi injuria illata per dolum non facit contractum irritum jure naturæ, sed irritandum; sic etiam metus, quamvis irroget injuriam contrahenti; non facit tamen contractum jure naturæ irritum. Sic Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 36.* referens Sotum, Richardum, & Paludanum. Sic etiam Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 1. pun. 2. §. 3. num 2.* referens Filliuccium, Turrianum, & alios contra Salas. 5

Dicendum 2. etiam Jure positivo contractum per metum gravem, vel levem celebratum validum esse, exceptis aliquibus contractibus, quos infra subjiciam: ratio est, quia non possunt afferri Jura irritantia contractum per metum gravem, aut levem celebratum; imò multa afferuntur, ex quibus colligitur, validum esse, ut videre est penes Lessium *loc. cit. num. 36. in fin.* Ergo Jure positivo talis contractus validus erit. Sic Navarrus *in cap. Accepta. oppos. 5. n. 7.* Lessius *loc. cit.* Sanchez, Azor. Sotus, Paludanus, Lopez, Becanus, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 1. pun. 2. §. 3. num. 3.* contra Salas, Molinam, Rebellum, Sayrum, & Valentiam. 6

Contractus autem excepti à Glossa *in cap. 2. de his, quæ vi, & metu*, qui um semel celebrati fuerint per metum gravem injuste incussum ad consensum extorquendum, sunt ipso facto omnino irriti, enumerantur sequentes 1. contractus Matrimonii, & sponsalium. 2. si dos promissa, vel soluta sit per metum gravem injuste incussum, est enim dos accessoria ad Matrimonium, & gaudet privilegio Matrimonii. 3. promissio, vel traditio facta in rebus Ecclesiæ per metum gravem injuste incussum. 4. votum emissum per metum gravem. 5. authoritas Tutoris per metum gravem extorta. 6. jurisdictio per metum gravem extorta, vel prorogata. Sed probabilius est, talem jurisdictionem esse validam, cum nulla juris dispositione irritetur, nisi sit absolutio à censuris per vim extorta. Sic Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 37.* Sanchez *lib. 3. de Matr. disp. 39.* & Bonacina *loc. cit.* Addunt Doctores alios contractus ipso facto invalidos jure positivo ob metum gravem injuste incussum, ut sunt Renunciationes beneficiorum; Testamentum, in quo adhibiti sunt testes per metum gravem injustum; Donatio, aut ea, quæ donationem sapiunt, ut remissio debiti, Legatum, & Testamentum, si per metum gravem injuste incussum extorta fuerint: ut docent Cajetanus, Azor. Reginaldus, & Rebellus penes citatum Bonacinam.

Dicendum 3. contractum celebratum metu gravi injuste incusso ad extorquendum consensum irritandum esse in foro conscientiæ ad arbitrium ejus, qui damnum passus est. Colligitur hæc doctrina *ex c. 2. & 4. de his, quæ vi, & metu*, ubi dicitur: Quæ vi, & metu fiunt debere in irritum revocari, & debere robore firmitatis carere: ratio autem est, quia inculiens injuste metum animo extorquendi consensum injuriam alteri facit; ergo tenetur in priorem statum illum restituere, cum alter habeat jus talem restitutionem exigendi. Est communis sententia Doctorum teste Lessio *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 38.* Extenditur hæc doctrina ad metum gravem injuste incussum à tertia persona ob extorquendum consensum, etiamsi absque participatione in hoc alterius contrahentis: colligitur *ex Leg. item si cum exceptione §. in hac actione ff. de eo, quod metus causa*, ubi habetur: In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecit; sufficit enim, hoc docere metum sibi illatum, 7

latum, vel vim. Insuper *ex cap. 1. 3. & 4. de his, quæ vi & metu* metu, colligitur hæc eadem doctrina, ut docent Sanchez, Molina, Reginaldus, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 1. pun. 2. §. 3. num. 5.*

8 Dicendum 4. contractum celebratum metu levi injuste incusso ad consensum extorquendum, etiamsi in foro externo non det actionem ad rescindendum; in foro tamen interno rescindi posse, & in irritum revocari; ratio est, quia quod obtinetur per hunc metum levem, sed injuste incussum, per injuriam obtinetur; sed quod per injuriam obtinetur obnoxium est restitutioni, utpote privans coactum metu levi sua libertate; Ergo tenetur in pristinum statum reducere illum, ac suæ libertati restituere. Sic Sylvester, Navarrus, Adrianus, Sotus, Covarruvias, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 2. c. 17. dub. 6. num. 46.* Excipiuntur tamen ab hac regula matrimonium metu levi celebratum, & votum solemne Religionis pariter metu levi emissum; cum non sit sufficiens quilibet metus ad Matrimonium, & votum solemne Religionis dissolvendum, & irritandum, ut docent Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num 47.* Rebellus, Sarmiento, Filliuccius, & alii quos refert, & sequitur Bonac. *disp. 3. de Contr. quæst. 1. pun. 2. §. 3. n. 4.*

9 Dicendum tandem: contractum celebratum per metum juste incussum, etiamsi ad extorquendum consensum incussus fuerit, non esse rescindendum: dicitur autem metus juste incussus, quando malum, quod quis minitatur, juste inferre possit: ratio autem est, quia nulla irrogatur injuria, & contractus nequeunt irritari, nisi ratione injuriæ irrogatæ. Sic Sylvester *verb. Metus quæst. 6.* Angelus *eod. verb. num. 10.* Lessius *l. c. n. 41.* & Sanchez *lib. 4. matr. disp. 8. num. 8.*

Ex dictis colligitur 1. omnes emptiones, venditiones, transactiones, concessiones, promissiones, donationes, & generaliter omnes consensus per metum gravem injuste extortos posse revocari, & irritos reddi; sicuti etiam revocari, & irritum reddi potest quidquid ex illis secutum est.

Colligitur 2. teneri ad restitutionem eum, qui aliquid consecutus est ex hujusmodi contractibus, & consensibus; sive metus ab ipso illatus fuerit, sive ab alio, cum semper detur actio in rem, apud quemcumque existat *ex Leg. 8. §. sed quod ff. de eo quod metus causa.*

Colligitur 3. acquisita per metum gravem, aut levem juste incussum non esse restituenda, cum nulla intercedat injuria: sic virgo accipiens dotem à defiorante, qui eam tradidit metu compulsus; non tenetur ad dotem restituendam. Sic etiam qui pecuniam accepit ab eo, qui crimen commisit, & compulsus metu ne accusaretur eam tradidit; non tenetur ad restitutionem: quia jure, ac juste accusari potest. Sic Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 41.*

CAPUT III.

Quinam contrahere possint? Et quibus concedatur Restitutio in integrum ob damnum ex contractu?

1 *Omnes usum rationis habentes, si administrationem bonorum habeant, & non fuerint à Jure impediti, contrahere possunt.*
2 *An minor, vel Pupillus pubertati proximus contrahere possit absque authoritate curatoris, vel Tutoris?*
3 *An si Pupillus, vel minor ptopria authoritate contrahant, in nullo contractu obligationem incurrant?*
4 *An filius familias valide contrahere possit absque consensu patris?*
5 *Explicatur quid sit Restitutio in integrum.*
6 *Conceditur minoribus, & quando.*
7 *Quænam requirantur, ut minor frui possit beneficio restitutionis in integrum?*
8 *An hæc restitutio extendatur non solum ad rem, sed etiam ad fructus ex ea perceptos?*
9 *Quando minor censendus est læsus ex vi contractus?*
10 *Conceditur restitutio in integrum per quadriennium Ecclesiæ, & Reipublicæ. Et quid veniat nomine Ecclesiæ, aut Reipublicæ?*

1 GENERALITER loquendo omnes habentes rationis usum, si administrationem bonorum habeant, & non impediuntur à Jure; contrahere possunt in iis, in quibus se extendit administratio illa: ratio est, quia habent omnia requisita ad contrahendum, nec assignari potest, quid desit. Hinc colligitur: tria requiri ad contrahendum. 1. quod habeatur usus rationis. 2. bonorum administratio. 3. quod non habeatur impedimentum à Jure. Quapropter infantes, furiosi, amentes non habentes lucida intervalla contrahere non possunt ex defectu usus rationis, & liberi consensus. Prodigi, quibus à Jure prohibita est administratio suorum bonorum, nequeunt contrahere absque consensu Curatorum ex defectu administrationis bonorum à jure impeditæ *ex Leg. si Curatorem. ff. si certum petatur.*

2 Quæres 1. an minor & Pupillus pubertati proximus valide contrahere possint absque authoritate curatoris, vel Tutoris? Resp. si in sui commodum, & utilitatem contrahant; valide contrahunt: colligitur *ex Institution. de Author. Tutor. initio*: & ratio est, quia ea, quæ facta sunt in favorem pupilli, non debent in ejus detrimentum redundare; si ergo ad consulendum teneræ ætati sanctum est, ne pupilli contrahant sine facultate Tutoris; hoc non erit intelligendum si in eorum utilitatem, ac commodum cedat: ut docent Molina *disp. 224.* Lessius *libr. 2. capit. 17. dub. 8. numer. 60.* Gomez 2. *variar. cap. 14.* Sanchez *lib. 6. de matr. disput. 38. num. 9.* & Filliuccius *tract. 33. cap. 3. qu. 2. num. 41.*

Adnotanda sunt duo 1. quod minor non contrahat cum minore sed cum majore: cum minor gaudeat æquali privilegio, adeoque non poterit minor obligari absque consensu Curatoris. 2. quod licet major obligatus remaneat in tali casu minori, minor tamen non sic, cum non possit valide & efficaciter obligari alteri absque consensu Curatoris: quapropter hic contractus dicitur claudicans ex una parte, cum non sit mutua obligatio, sic disponente Jure. Quod si Pupillus sit, qui contrahat; debet esse pubertati proximus, ut valide contrahat in sui commodum absque authoritate Tutoris. Sic habetur *in Instit. de inutil. Stipul. §. Pupillus.* Dicitur autem Pupillus mas pubertati proximus si habeat decem annos cum dimidio; si vero femina novem annos cum dimidio: sic enim magis recedunt ab infantia; seu ab ætate septem annorum; & jure præsumuntur habere judicium sufficiens ad contrahendum, & ad obligandum alterum sibi per contractum. Vide Lessium pro dignitate de hac re tractantem *lib. 2. cap. 17. dub. 8. num. 60.* Si vero minor, aut Pupillus in sui incommodum contrahat absque authoritate Curatoris, aut Tutoris, sine controversia invalidus erit contractus, cum non possint ex dispositione juris se alteri valide & efficaciter obligare sine supradictorum authoritate: ut aperte constat *ex Leg. Si Curatorem habens. Cod. de in integr. rest.* & docet Communis sententia, quia carent libera bonorum administratione.

3 Quæres 2. an in nullo casu, & in nullo contractu obligentur Pupillus, & minor, si propria authoritate contrahant? Resp. si alienent, vel oppignorent rem aliquam immobilem, vel mobilem, pretiosam quæ servando servari potest; invalidum esse contractum, nec obligari non solum in foro externo, verum etiam interno: ratio est, quia ad talem alienationem vel oppignorationem non solum requiritur authoritas tutoris, vel Curatoris, verum etiam facultas Judicis: cum igitur hæ desint, invalidus erit contractus; & nulla erit obligatio in utroque. Sic *ex multis Legibus ff. de rebus eorum, qui sub tutela, vel curæ sunt*, sine decreto non alienandis, vel supponendis colligunt Lessius *libr. 2. cap. 17. dub. 8. numer. 61.* Molina *tract. 2. disp. 224.* Rebellus 2. *par. lib. 1. de Contr. quæst. 8. num. 14.* Sanchez *lib. 6. de Matr. disp. 36. num. 6.* & alii passim. Non requiritur autem Decretum, & facultas judicis in alienandis, aut oppignorandis rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt; sed sufficit authoritas Tutoris, vel Curatoris. Si vero alios contractus celebrent de rebus saltem, quæ servando servari non possunt propria authoritate absque illa Tutoris, vel Curatoris; tunc quamvis non contrahant obligationem civilem, quia rescindi possunt tales contractus beneficio Juris Civilis, imò ipsi Tutores, vel Curatores pro suo arbitratu rescindere possunt; nihilominus contrahunt obligationem naturalem, & tenentur stare contractui: ratio est, quia obligatio naturalis consurgit ex consensu contra-

trahentium, sed in casu adjecto habetur consensus pupilli, vel Minoris; ergo consurgit naturalis obligatio: nec lex irritat obligationem in hoc casu, esto pupillus, & Minor uti possint beneficio restitutionis in integrum, ut hanc obligationem elidere possint. Sic communior sententia cum Sanchez *lib. 6. de Matrim. disp. 38. numer. 21.* citante Bartolum, Paulum, Angelum, Salicetum, Fulgosium, Azonem, Alexandrum, Decium, Cornejum, & alios; & cum Lessio *lib. 2. cap. 17. dub. 8. num. 61.* citante Gomez, Navarrum, Lopez, Molinam, & Cordubam. Hinc deducitur: contrahentem in casu adjecto cum pupillo, vel Minore, ubi non requiritur facultas Judicis, non teneri ad restitutionem ante sententiam Judicis: eo quia ex obligatione naturali tenetur stare contractui, donec utantur beneficio restitutionis in integrum. Non nego, oppositam sententiam suam habere probabilitatem, eam enim docent Covarruvias, Bamez, Rodriquez, & alii putantes ex nullo contractu Pupilli, vel Minoris ullam oriri obligationem, adeoque repetere posse rem traditam absque beneficio restitutionis in integrum: quamvis si juramentum accesserit, nec Minor repetere poterit, nec alter tenebitur restituere.

4 Quæres 3. an filius familias possit validè contrahere absque consensu patris? Resp. ante acquisitam pubertatem non posse validè contrahere, etiam si accedat consensus patris, adeoque contractus initus non erit civiliter obligans: patet ex *Instit. de inutilib. stipul. §. sed quod his verbis*, & docent Molina *tract. 2. disp. 230.*, Sanchez *lib. 6.* de Matr. *disp. 39. num. 2.* Rebellus 2. *par. lib 1. de Contr. quæst. 8. num. 31.* & Reginaldus *lib. 25. num. 154.* Si tamen pubes sit, vel pubertati proximus, poterit de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus liberè contrahere, quorum liberam administrationem habet, secus verò de adventitiis, & profectitiis, non enim eorum liberam habet administrationem. Poterit quoque si pubes fuerit, contrahere cum aliis, seque illis obligare non solum naturaliter, verum etiam civiliter absque tamen præjudicio patris, vel alterius, ut constat *ex Instit. cit. §. item inutilis*. Quapropter poterit se obligare ad inserviendum alteri, ac suas operas artificiales alteri locare, nisi tamen à patre alimenta percipiat, ut constat *ex Leg. penul. ff. de obsequiis*. Imò poterit aliò proficisci, ut operam navet studiis, vel artem aliquam addiscat, nec poterit à patre, nisi ex rationabili causa impediri. Sic ex Rebello, Reginaldo, Sanchez, & aliis docet Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 2. pun. 5. n. 16.*

5 Restitutio in integrum, quæ est beneficium quoddam, seu remedium Juris, quo mediante aliquæ personæ læsæ restituuntur in pristinum jus, & statum; non habet locum, quando contractus fuit omnino irritus: tunc enim ex communi Jure remedium habetur. Valet igitur, quando contractus fuit validus, sed ob læsionem expedit ut rescindatur. Requiritur autem ad hoc beneficium habendum, quòd læsio sit gravis, nam ob levem læsionem, quæ quasi nihilum reputetur, non concedenda erit restitutio in integrum. Sic qui in contractu mille aureorum læditur in decem, reputatur leviter læsus; secus verò in contractu centum aureorum gravis reputanda erit læsio; cum gravitas, vel levitas desumenda sit respectivè ad totam quantitatem de qua contrahitur. In foro tamen conscientiæ facienda erit restitutio quantitatis levis, etiam si non rescindatur contractus, nisi liberaliter condonetur, vel liberalis condonatio præsumatur. Sic Covarruvias 2. *Var. capit. 3. numer. 11.*, Rebellus *lib. 1. de Contr. quæst. 8. sect. 5. numer. 58.*, Molina *tract. 2. disp. 173. num. 10.* & Gomez 2. *Var. resol. cap. 14.*

6 Conceditur 1. Minoribus restitutio in integrum, non habentibus scilicet vigesimum quintum annum completum, quando in aliquo contractu non satis prudenter, & circumspectè inito comprehenderunt se læsos, etiamsi de consensu Tutoris, vel Curatoris, aut ex facultate Judicis contractus celebratus fuerit. Constat *ex Leg. 3. & 5. Cod. de in integr. restit. & ex Leg. 1. & sequentibus ff. de Minorib.*

7 Petes 1. quænam requiruntur, ad hoc ut minor frui possit hoc beneficio restitutionis in integrum? Resp. requiri 1. ut contractus sit validus, nam ut dictum est, si irritus sit, non habet locum hoc beneficium. 2. ut læsio sit gravis, nam si modica est, ut supra notavi, nec locum habet. 3. ut læsio facta sit ex vi contractus, quem non prudenter celebravit; ex quo damnum sequitur; nam si damnum sequatur ex contractu, quem vir prudens eodem modo celebrasset; non valet beneficium restitutionis in integrum. 4. ut probetur læsio, & quod revera eo tempore minor fuerit. 5. ut non adhibitum fuerit juramentum, vel in ipso contractu, vel post ipsum, non utendi hoc beneficio. 6. ut non obtinuerit à Principe veniam ætatis, vel contractum non confirmaverit minore ætate transacta. Sic passim Doctores. Notandum ex Lessio *lib. 2. cap. 17. dub. 9. num. 64.* Extendi hoc privilegium minoribus ad alios quatuor annos integros post annum vigesimum quintum completum; adeoque durare usque ad annum vigesimum nonum completum, affert *Leg. final. Cod. de Temp. in integr. Restit.*, & ait communem esse Doctorum sententiam.

8 Petes 2. an restitutio in integrum extendatur non solum ad rem, verum etiam ad fructus ex illa perceptos? Resp. si res alienata fuerit per contractum gratuitum, posse minorem repetere, non solum rem, sed etiam fructus perceptos detractis expensis: ratio est, quia non ex alio fine conceditur hoc beneficium restitutionis in integrum, nisi ut reparetur læsio minoris; sed minor non solum fuit læsus in re, verum etiam in fructibus; ergo restitutio hæc non solum extenditur ad rem, sed etiam ad fructus perceptos. Si tamen res alienata fuerit per contractum onerosum juste celebratum, ut si res vendita fuerit justo pretio, tunc in foro conscientiæ nequeunt repeti fructus, quidquid in contrarium dixerit Covarruvias cum aliis: ratio est, quia si minor justo pretio alienavit, quamvis censeri possit læsus in re; nullo tamen modo censeri potest læsus in fructibus; ergo quamvis possit exigere in conscientia restitutionem in integrum rei, non poterit tamen exigere restitutionem fructuum. Et ratio ulterior esse potest, quod non sit læsus in fructibus, quia sicuti emptor percipit fructus ex re empta à Minore; ita etiam Minor fructus percipere poterat ex pretio habito ab emptore: quod si fructus non perceperit, suæ negligentiæ imputet. Sic Molina *disp. 575.* Reginaldus *lib. 25. num. 146.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 10.* Filliucclus *tract. 33. cap. 4. numer. 70.* & Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 1. pun. ult. numer. 18.*

9 Petes 3. quando censendus est læsus Minor ex vi contractus? Resp. quamvis hoc potius dignoscendum sit in casibus particularibus judicio prudentum; nihilominus regula aliqua generalis assignari potest, quando videlicet contractum aliquem celebrat, ex quo solum damnum ipsi resultet, nec ullam utilitatem reportare possit ex eo, ut bene advertit Bonacina *loc. cit. num. 4.*

Hinc sequitur 1. censendum esse læsum minorem, si rem notabilem donavit absque rationabili causa: nam si ex rationabili causa donavit, ac justa, non reputandus erit læsus: ut si ob beneficia sibi collata decentem munerationem præstiterit. Sic Molina *tract. 2. disp. 573. num. 14.* Reginaldus *lib. 25. num. 114.* Azor. 3. *par. lib. 6. cap. 14.* Sanchez *de Matr. lib. 6. disp. 38. num. 4.* & alii. 2. læsum censeri, si hæreditatem adivit sibi incommodam, ac damnosam; adeoque uti posse beneficio restitutionis in integrum: ut docet Oddus *quæst. 36. art. 6.* & constat *ex Cod. si minor hæreditatem*. 3. si mutuam pecuniam accepit, & eam ludo perdidit; posse uti privilegio restitutionis in integrum ad negandam solutionem mutuanti; ita ut id tantum restituat, in quo factus est ditior. Sic Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 9. num. 63.* Molina *loc. cit. numer. 15.* Azor. & Reginaldus *locis citatis*. 4. si rem suam amiserit usucapione, vel præscriptione; tunc enim censendus erit notabiliter læsus, & hoc privilegio restitutionis in integrum uti poterit *ex Leg. 1. Cod. si adversus usucapionem*. Sic Molina *tract. 2. disp. 80.* & alii. 5. si minori facta fuerit solutio à debitore absque licentia Tutoris, vel Curatoris, poterit tunc minor compellere debitorem ad novam solutionem penes Judicem; nisi tamen pecunia extet, vel conversa fuerit in utilitatem ipsius. Sic *ex Instit. Quibus alienare licet. §. Ut ex contractu*. Sic Rebellus *de Contr. lib. 1. qu. 8. sect. 5. n. 54.* Lessius, Sanchez, Reginaldus *locis citatis*.

10 Conceditur 2. beneficium Restitutionis in integrum per quadriennium Ecclesiæ, & Reipublicæ: constat *ex cap. 1. & 2. de Restit. in integr. & ex Leg. Respublica*.

Col.

Cod. ex quibus cauſis. Sed controverti hic ſolet, quid veniat nomine Eccleſiæ, vel Reipublicæ? Reſp. nomine Eccleſiæ non ſolum venire Eccleſias, verum etiam Monaſteria, hoſpitalia, & loca pia, quibus Eccleſiæ privilegia concedi ſolent, ut communiter Doctores habent. Non veniunt tamen Perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi in bonis privatis ad ſe ſpectantibus læſæ fuerint: eo quia nec Eccleſiæ ſunt, nec ad loca pia pertinent. Secus vero dicendum, ſi læſæ fuerint in aliquo ſecundum ſe ſpectante ad Jura beneficii; tunc enim gaudent privilegiis Eccleſiæ, ut fert communis Sententia. Hoc tamen non intelligitur in læſione locationis beneficii, quia non eſt aliquod ex ſe ſpectans ad Jura beneficii: ut recte advertit Bonacina *de Contr. diſp. 3. quæſtion. 1. pun. ult. num* 23. Nomine Reipublicæ veniunt tum Reſpublica ſuprema, tum Civitas quælibet, Caſtrum, Oppidum, ſeu quælibet Communitas Oppidi, nec non univerſitates ſtudiorum: cum omnibus his Jure merito aptari poſſit nomen Reipublicæ: ut docent Mol. *diſp.* 374. Filliuccius *tract. 33. cap. 4. num. 67.* & Bonacina *loc. cit. num.* 24. qui ſatis colligunt hanc doctrinam *ex Leg. 4. Cod. Quibus ex cauſis major in integrum.*

11 Extenditur etiam Privilegium iſtud Reſtitutionis in integrum ad Rudes, & Mulieres, quibus jura non innoteſcunt. Ad filios familias circa contractus oneroſos, vel lucroſos de licentia Patris celebratos ad dotandas Sorores, vel ad alias cauſas. Ad milites pro eo tamen tempore, pro quo militiæ dant operam. Ad eos, qui abſunt ob adminiſtranda negotia Reipublicæ, ne contra eos currat præſcriptio. Ad Principes quoad bona Fiſci, quæ cenſentur bona Reipublicæ. Vide Molinam egregiè de hac re pertractantem *diſp.* 574. & alios

CAPUT IV.

An Contractus celebrati abſque ſolemnitate à jure requiſita ſint validi? Et ex qua culpa teneantur Contrahentes ad Reſtitutionem?

1 *Solemnitas ad Contractum requiſita alia eſt ſubſtantialis, Accidentalis alia.*
2 *Contractus celebratus abſque ſolemnitate ſubſtantiali invalidus eſt pro utroque foro, excepto Teſtamento ad pias cauſas facto.*
3 *Cur excipiatur Teſtamentum ad pias cauſas factum?*
4 *An Legata non pia in Teſtamento principaliter ad pias cauſas facto ſine ſolemnitate; valida ſint, & obligent in conſcientia ad executionem?*
5 *An eo ipſo quod contractus à Jure prohibeatur, invalidus ſit?*
6 *Culpa contingens in Contractibus alia eſt Theologica, alia Juridica.*
7 *Quando contractus initus cedit in utilitatem ſolius accipientis, tenetur hic ad reſtitutionem, non ſolum ſi dolus interceſſerit, verum etiam ſi culpa lata, levis, vel leviſſima.*
8 *Quando contractus cedit in utilitatem ſolius dantis, tunc accipiens ſolum tenetur ad reſtitutionem ex dolo, & culpa lata.*
9 *Quando contractus initus cedit in utilitatem tum dantis, tum accipientis; tenebitur ad reſtitutionem accipiens ex dolo, & culpa lata, ac levi, non vero leviſſima.*
10 *Ex dictis colliguntur quinque in variis contractibus.*
11 *Ex qua nam culpa teneantur ad reſtitutionem Sartores, Molitores, & ſimiles artifices, Nautæ, Caupones, Aurigæ, ſtabularii pro cuſtodia rerum?*
12 *Ad quid teneatur accipiens rem aliquam ex contractu, quæ caſu fortuito perit?*

1 SOLEMNITAS ad contractum requiſita alia eſt ſubſtantialis, accidentalis alia. Subſtantialis illa dicitur cujus omiſſio efficit invalidum contractum: eo quia omittentes illam redduntur inhabiles ad contrahendum; vel irritatur aliter factum ab ipſo jure. Accidentalis vero illa eſt, ſine qua ſtat validitas contractus. His notatis

2 Dicendum: contractum celebratum abſque ſolemnitate ſubſtantiali à jure requiſita invalidum eſſe in utroque foro, excepto tamen Teſtamento ad pias cauſas facto: ratio eſt, quia tam Poteſtas Eccleſiaſtica, quam Civilis hanc facultatem habent inducendi nullitatem, & irritationem contractibus, quibus deeſt ſolemnitas ab ipſis præſcripta ita ut nullam inducant obligationem naturalem; Ergo in utroque foro tales contractus invalidi erunt. Antecedens probatur, nam ſi contrahentes apponere poſſunt ex conventione inter ſe conditiones aliquas, ſine quibus invalidus ſit contractus, & nullam obligationem inducat etiam naturalem; cur non poterit hoc præſtare poteſtas Eccleſiaſtica, & Civilis ob bonum commune, maxime ſi ſolemnitatem illam non mere requirant ob probationem in judicio? Confirmatur magis: eo quia poteſtas Eccleſiaſtica, vel Civilis quando reddit irritum contractum ob defectum ſolemnitatis, adimit à contrahentibus facultatem ſe ad invicem obligandi, & reddit ſolemnitatem illam veluti formam eſſentialem contractui; ſed nullum compoſitum poteſt naturaliter ſubſiſtere ſine ſua forma; Ergo nullus contractus poterit civiliter ſubſiſtere ſine tali forma à jure requiſita, adeoque non poterit naturaliter obligare. Sic Covarruvias *in Capit. Quamvis pactum. par. 2. §. 4. num. 7.* Sarmiento *de Reditib. par. 1. capit. 1. numer. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 19. dub. 3. numer. 35.* Salas *de Legib. diſputat. 16. ſect. 4.* Azor. *3. par. lib. 6. cap. 9.* Aragonius *de Domin. concl. 2.* Suarez *lib. 5. de Legib. capit. 24. num. 4.* Bonacina *de Contr. diſp. 3. quæſt. 1. pun. 3. num. 2.* & alii contra Molinam, Reginaldum, Bannez, & alios apud Sà *verb. Contractus num. 1.*

3 Exceptum fuit Teſtamentum cauſa pietatis factum, ad cujus validitatem ſufficit ſolemnitas juris gentium, nec requiritur ſolemnitas Juris Civilis: ut conſtat *ex capit. relatum. 1. cap. Cum eſſet de Teſtam.* Et ut docet Covarruvias *in capit. cit.* talis juris diſpoſitio non ſolum ſervanda erit coram judice Eccleſiaſtico, verum etiam Civili, Sà *verb. Teſtamentum numer. 4.* & alii.

Hinc Fit 1. ad hoc ut validum ſit Teſtamentum ad pias cauſas, non requiri neceſſario Teſtes in foro conſcientiæ: cum hæc ſolemnitas à jure introducta ſit, quamvis duo Teſtes requirantur à jure canonico, ut in judicio probari poſſit diſpoſitio Teſtatoris facta ad pias cauſas. Sic docent Covarruvias *in Cap. Relatum cit. numer. 8.* Vaſquez *in Opuſc. de Teſtam. capit. 3. num. 11.* & Bonacina *de Contr. diſp. 3. quæſt. 1, pun. 3. num. 16.*

Fit 2. poſſe adhiberi in teſtem fœminam in Teſtamento facto ad pias cauſas: quia jure Gentium non excluditur fœmina à teſtando: ut idem Covarruvias docet *l. c. num. 5.* Sà *verb. Teſtamentum loc. cit. num. 15.* cum aliis.

Fit 3. revocari prius Teſtamentum, quamvis ſolemne ad pias cauſas per ſecundum Teſtamentum non ſolemne ad pias cauſas: ut docent Sà *verb. Teſtamentum num. 5.* Sylveſter *eod. verb. quaſtion. 7. numer. 7.* Molina *tractat. 2. diſput. 153.* & Covarruvias *de Teſtamen. par. 2. num. 1.* cum aliis.

Fit 4. hæredem teneri in conſcientia adimplere voluntatem Teſtatoris circa ea quæ pertinent ad pias cauſas, etiamſi expreſſa fuerint in ſchedula ſcripta, aut ſubſcripta propria manu ſi ſemel conſtet, eam fuiſſe Teſtatoris voluntatem: nam ad obligationem in conſcientia ad pias cauſas ſufficit, quod conſtet, Teſtatorem potuiſſe libere diſponere, & ſic libere diſpoſuiſſe; & eum, in cujus favorem diſponit, capacem eſſe. Sic Menochius, Covarruvias, Sà, Sylveſter, Graffius, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Contract. diſput. 3. quæſt. 1. punct. 3. num. 16. & 17.*

4 Quæres 1. an Legata non pia contenta in Teſtamento principaliter facto ob piam cauſam, quamvis ſine ſolemnitate, valida ſint, & obligent in conſcientia ad executionem? Reſp. quamvis probabilis ſit ſententia Covarruviæ, Leſſii, Sà, & aliorum apud Julium Clarum *§. Teſtamentum. quæſt. 6. verſ. ſed quæro.*, docens valida eſſe, & obligare in conſcientia, quia acceſſorium ſequitur principale. Nihilominus probabilius eſt, non eſſe valida, nec obligare in conſcientia: ratio eſt, quia cum ſimilia legata ſpectent ad cauſas non pias, ſubjacent diſpoſitioni Juris legitime irritantis contractus ſpectantes ad cauſas non pias, abſque requiſita ſolemnitate celebratos; ergo nec valida ſunt, nec obligant in conſcientia. Nec valet ratio adducta principalis, & acceſſorii quoad ſubſtantiam, & validitatem, ſed quoad conditiones principales:

pales : patet ex absurdo, quod sequeretur in Legatis piis contentis in Testamento principaliter facto ad causas profanas sine solemnitate; essent siquidem invalida, cum invalidum sit Testamentum, quod est principale; & tamen non conceditur ab ipsis adversariis. Sic Julius Clarus *loc. cit.* Curtius, Jason, & alii apud Vasquez *in Opusc. de Testamen. cap. 3. num.* 13. cum Bonacina *de Restitut. disput. 3. quæst. 1. punct. 3. num.* 18.

5 Quæres 3. an eo ipso quod contractus prohibeatur à Jure, invalidus sit? Resp. si habeatur prohibitio tantum, absque eo quod actus declaretur irritus per ipsum jus; validus erit contractus: ratio est, quia aliud est prohibere, aliud irritare; si ergo Jus prohibet tantum, sed non irritat contractum, validus erit; quamvis illicitus. Sic contractus prohibitus, ne fiat tali loco, vel tempore; aut ob decentiam personæ, ut est negotiatio prohibita Clericis, ob transgressionem talium circumstantiarum non censendus erit actus invalidus. Imò nec invalidus censendus erit, si prohibeatur actus ipse quoad substantiam, & apponatur pœna transgredientibus prohibitionem; dummodo non apposita fuerit irritatio, nec constet, mentem prohibentis irritare velle; nam multa prohibentur, ne fiant, quamvis tamen facta teneant, dum non constet de irritatione, aut de mente ipsius prohibentis. Sic Molina *tract.* 2. *disp.* 153. *num.* 3. Baldus, Paulus de Castro, & alii apud Suarez *lib.* 5. *de Legib. cap.* 25. *num.* 10., & Bonacina *de Contract. disput. 3. quæst. 1. punct. 3. num.* 23. Considerandum igitur erit, quando Lex præscribit aliquod circa actum: vi enim præscribit aliquid, ut bene fiat actus; non irritando tamen illum, si diversimodè fiat; tunc actus erit validus, etiamsi præscripta à Lege non observentur: clarè constat in matrimonio, in quo præviæ denunciationes præscribuntur à Lege Ecclesiastica, quibus tamen prætermissis matrimonium validum erit: eo quia ita præscribuntur denunciationes in Matrimonio, ut ab ipsa Lege Ecclesiastica non irritetur Matrimonium aliter factum. Secus verò, si ita Lex præscribat aliquod circa actum, ut invalidet illum, si aliter fiat; tunc invalidus erit. Sic quia Tridentinum requirit ad Matrimonium præsentiam Parochi, & saltem duorum Testium, irritatque ipsum Matrimonium aliter initum; ideo Matrimonium celebratum ab his à Tridentino præscriptis invalidum erit. Sic passim Doctores.

6 Culpa, quæ in contractibus contingere solet; alia est Theologica, alia Juridica. Theologica est quodlibet peccatum, sive mortale sit, sive veniale: & dicitur Theologica, quia à Theologis consideratur ad differentiam Jurisperitorum, eam aliter considerantium, ut rectè notavit Adrianus *in 4. de Restit. §. Utrum in foro animæ*. Juridica verò, prout à Jurisperitis consideratur; est omissio alicujus diligentiæ, quam quis adhibere tenetur, ex qua omissione sequitur incommodum alterius.

Jam vero culpa Juridica alia est lata, alia levis, levissima alia. Culpa lata dicitur omissio illius diligentiæ, ac circumscriptionis, quam homines ejusdem conditionis adhibere solent: ut si quis habens librum commodatum relinquat illum ante fores suæ domûs, vel in publica via; dicitur committere latam culpam, etiamsi ex oblivione id faciat, & absque culpa Theologica, seu sine peccato: stat enim culpa juridica sine theologica, quia communiter homines non sic custodiunt librum sibi commodatum. Hinc sequitur, quod ignorantes ea, quæ homines communiter sciunt, aut professores ejusdem artis; dicuntur ignorare ex culpa lata.

Culpa levis illa est, qua omittitur diligentia, & circumspectio, quæ adhiberi solet à diligentioribus illius conditionis, professionis, vel artis. Sic si liber commodo acceptus relinquatur in cubiculo, aperto tamen ostio; committitur culpa levis: quia omittitur diligentia illa in custodiendo libro claudendi ostium, quam diligentiores adhibere solent.

Culpa levissima dicitur omissio diligentiæ illius, quam adhibere solent diligentissimi, & prudentissimi: sic si liber commodatus relinquatur in cubiculo clauso ostio, sed non aptata manu, an bene clausum sit; committitur culpa levissima in custodiendo libro, quia prudentissimi hanc diligentiam adhibere solent. Vide Navarrum *in Summ. cap.* 17. *numer.* 177. Sylvestrum *verb. Culpa*, *in princip.* & Lessium *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6.

Duo hìc adnotanda. 1. quod quamvis in Jure culpa lata aliquando accipiatur pro dolo; revera tamen differt dolus à culpa lata: nam dolus est calliditas illa, fallacia, aut machinatio ad aliquem decipiendum, itaut semper conjungatur cum intentione decipiendi; culpa vero lata minime dicit intentionem hanc decipiendi, ut bene observat Azor. 3. *par. lib.* 6. *cap.* 4. 2. Casum fortuitum nihil aliud esse, nisi eventum rei inopinatæ, qui à diligentissimis, ac prudentissimis Viris nec prævideri, nec præcaveri poterat: ut colligitur *ex Leg. In rebus commodatis §. 1. ff. Commodati*. Sic Molina *tract.* 2. *disp.* 293: His declaratis

Dicendum 1. quando contractus initus cedit in uti- 7
litatem solius accipientis, tenetur accipiens ad restitutionem, non solum si dolus intercesserit; verum etiam culpa lata, levis, vel levissima. Sic qui librum, vestem, aut equum commodo accepit; tenebitur ad restitutionem, si furto subtata fuerint, sive ex dolo, sive ex culpa lata, levi, vel levissima: ratio est, quia æquitas exposcere videtur, quod qui gratis utitur re alterius in sui tantum utilitatem; teneatur illam custodire non solum adhibendo eam diligentiam, quam communiter homines in suis rebus similibus custodiendis adhibere solent; verum etiam eam, quam diligentiores, ac diligentissimi adhibent, cum jus naturæ ex gratitudine id exposcere videatur. Sic statutum est *in Cap. unic. de Commodat.* ubi dicitur: Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur. Idem statuitur *in Leg. In rebus commodatis. ff. Commodat. & in Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Item ig.* Sic communiter Doctores.

Excipitur, si aliquid acceptum fuerit in precarium; tunc enim accipiens tenebitur ex dolo, & lata culpa; non vero ex culpa levi, vel levissima: ut statutum est *in Leg. 5. §. precarium, & Leg. Quæsitum. ff. de Precario*, & docent Vasquez, Reginaldus, Azor, Molina, & alii apud Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 1. pun. 6. num. 5. in fin.* Ratio autem, cur hoc statutum fuerit in precario, non vero in commodato esse potest: quia accipiens precarium habet dependentiam à tradente precarium ad ejus libitum, non verò accipiens commodatum; adeoque quia gravatur ob dependentiam illam non tenetur de tanta culpa, etiam levi, vel levissima.

Ubi tamen Jus Commune non servatur, standum erit tum in Commodato, tum in Precario Juri Naturæ. Sed controversia est: an Jus naturæ non solùm obliget ob dolum, & culpam latam; verum etiam ob culpam levem, & levissimam? Turrianus *de Just. disp.* 11. *dub.* 5. *num.* 7. quem sequitur Bonacina *l. c.* putat, obligare ob quamcumque ex prædictis culpis. Sylvester tamen, Lessius, Filliuccius, & alii apud ipsum Bonacinam existimant obligare tantum ob dolum, & culpam latam: ratio est, quia Jus naturæ non potest requirere majorem diligentiam præ illa, quam aptant homines in rebus propriis custodiendis; sed homines communiter in rebus propriis non aptant diligentiam, quam diligentiores, & diligentissimi utuntur; ergo Jus naturæ non obligabit ad hoc. Prima sententia videtur mihi rigida, hæc secunda benigna, & magis accommoda operationibus humanis communiter contingentibus, licet utraque probabilis ob doctos Patronos.

Dicendum 2. quando contractus initus cedit in uti- 8
litatem solius dantis, tunc accipiens solum tenetur ad restitutionem ex dolo, & culpa lata: constat hæc doctrina *ex Leg. Quod Nerva. ff. Depositi. & ex Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Interea.* Et quidem quod teneatur ex dolo patet ex eo, quia qui dolo utitur, facit alteri injuriam, & peccat contra justitiam. Quod autem teneatur ex culpa lata tantum, non vero ex alia culpa; probatur ex eo, quia nemo tenetur majorem diligentiam adhibere in custodiendis rebus alterius, maximè si nullum incommodum custodienti resultet, præ ea, quam communiter homines adhibent in custodiendis rebus propriis. Sic Lessius *libr.* 2. *cap.* 7. *dubit.* 8. *num.* 41. & Bonacina *de Contract. disp. 3. quæst. 1. pun. 6. num. 6.*

Dicendum 3. quando contractus initus cedit in uti- 9
litatem tum dantis, tum accipientis; tunc tenebitur ad restitutionem accipiens ex dolo, lata culpa, & le-

& levi; non verò leviſſima: conſtat *ex Leg. Contractus, ff. de Regul. Jur.*, & *ex Leg. Si diviſa, Cod. Locati*; & *ex Inſtitut. cit. §. Creditor.* ratio eſt, quia cum res aliena traditur in ſolam utilitatem ipſius accipientis, æquitas videtur expoſcere, ut quàm diligentiſſimè eam cuſtodiat; ergo quando traditur in utilitatem utriuſque tum accipientis, tum tradentis, non tenebitur ad illam exactiſſimam diligentiam; ſed ſufficiet, ſi tenebitur ex dolo, lata culpa, & levi; non verò leviſſima, aliàs nullum diſcrimen aſſignaretur. Sic Leſſius *l. c. n.* 42. & Bonacina *l. c. num.* 7.

Petes hìc: an ſupradictæ Leges obligent in conſcientia ante ſententiam Judicis ad reparationem damni, etiamſi ex levi, vel leviſſima culpa ortum ſit? Reſp. quamvis Sotus, Sà, Henriquez, & alii putent, non obligare in conſcientia ante ſententiam Judicis, quorum ſententiam non reputat improbabilem Leſsius *lib.* 2. *capit.* 7. *dub.* 8. *numer.* 43. Nihilominus communior, & probabilior ſententia ſuſtinet, obligare ad reparationem ante Judicis ſententiam, & hanc in praxi ſervandam eſſe, advertit Leſsius *loco citato numer.* 45. eam docent Covarruvias, Navarrus, Azor. Turrianus, Leſsius, Navarra, Filliuccius, & alii apud ipſos, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Contr. diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *numer.* 20. ratio eſt, quia Leges præſcribentes hanc diligentiam ſervandam à contrahentibus ſunt diſpoſitivæ, & ſanciunt id, quod æquitati naturali conſentaneum videtur; & contrahentes implicitè ſe obligant ad ſervandam curam, ac diligentiam à Legibus præſcriptam; ergo tenentur in conſcientia ante quamcumque Judicis ſententiam ad reparandum damnum ex tali omiſsione ſecutum, etiamſi per oblivionem, inadvertentiam, & abſque culpa theologica ſecutum fuerit. Nec dicas: prædictas leges eſſe pœnales, adeoque non poſſe obligare in conſcientia ante ſententiam Judicis. Contra enim eſt: quia reſtitutio impoſita à Legibus non eſt pœna, adeoque Leges pœnales non erunt: nam declarant obligationem, quæ habetur reſarciendi jus alterius læſum ob omiſſam diligentiam.

10 Ex dictis claritatis gratia colligitur 1. accipientem aliquid in commodatum teneri non ſolùm ex dolo, & culpa lata; verùm etiam levi, & leviſſima, cum in gratiam ſolius accipientis commodatum fiat. Accipientem verò in precarium teneri ſolùm ex dolo, & culpa lata, non verò ex levi, & leviſſima, ut Jura ſtatuunt.

Colligitur 2. eum, cui aliquid locatur; teneri tantùm ad reſtitutionem de dolo, & lata culpa: eo quia contractus locationis vergit in utilitatem utriuſque, locantis ſcilicet & locatarii.

Colligitur 3. Depoſitarium teneri tantùm ad ſervandum depoſitum de dolo, & lata culpa: eo quia in gratiam deponentis fit depoſitum: Quòd ſi Depoſitarius accipiat pretium pro depoſito ſervando; tenebitur non ſolùm de dolo, & culpa lata; verùm etiam levi, quamvis non teneatur ex leviſſima: ratio eſt, quia tunc contractus depoſiti vergit in utilitatem tum Deponentis, tum Depoſitarii.

Colligitur 4. pignoratarium non teneri de leviſſima culpa, quamvis teneatur de dolo, lata, & levi culpa: ratio eſt, quia hic contractus cedit in utilitatem utriuſque, Pignorantis ſcilicet, & Pignoratarii. Pignorantis, quia aliquid recipit ob pignus; Pignoratarii ob ſecuritatem ſui crediti. Quapropter non rectè Cajetanus *tom.* 2. *Opuſcul. tract.* 6. cum aliis docuit, teneri pignoratarium de leviſſima culpa: eo quia pignus ſolùm cedit in utilitatem pignoratarii. Sic contra ipſum docuerunt Navarra, Molina, Rodriquez, Garzias, Azor. Angelus, Sylveſter, Vaſquez, Turrianus, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Contr. diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 12.

Colligitur 5. famulos, qui ex Officio, & ſtipendio accepto cuſtodire ſpecialiter debent res domini ſibi commiſſas; teneri ad reparationem damni ſecuti ex ſua levi culpa: ratio eſt, quia talis contractus cedit in utilitatem tum famulorum, tum Dominorum: ut docent Sayrus *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 14. *nu.* 9. Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *controv.* 2. Aragonius *ibidem corollar.* 3. & Bonacina *l. c. num.* 14. Idem dicendum de Artificibus accepto ſtipendio laborantibus, ſi res alterius pereat ex eorum levi culpa. Sic etiam de Cuſtodibus, qui accepta mercede conducuntur ad res alterius cuſtodiendas, tenentur etiam de levi culpa, cum iſti contractus cedant in utilitatem utriuſque contrahentis.

Quæri hìc ſolet: ex quanam culpa teneantur Sartores in cuſtodiendis alienis veſtibus; Molitores in cuſtodienda farina aliena; & ſimiles artifices, qui res alienas accipiunt vel poliendas, vel reficiendas, ſicuti etiam Nautæ, Caupones, Aurigæ, ſtabularii pro cuſtodia rerum penes ſe depoſitarum? Reſp. quamvis in foro externo multi ex his, ut ſunt Nautæ, Caupones, & Stabularii teneantur de culpa leviſſima, ut patet *ex Leg.* 1. *ff. Depoſiti*, & *ex Leg.* 5. *§. ad hoc ut Nautæ, eod. tit.* quod etiam extendi ad forum internum docuerunt Sylveſter *verb. Nauta, n.* 1. & Angelus *eod. verb.* præſertim ſi expreſsè iis res traditæ fuerunt in cuſtodiam. Nihilominus communior ſententia docet, eos tantùm teneri in foro conſcientiæ de culpa levi, ſicuti tenentur Sartores, Molitores, & ſimiles artifices: ratio eſt, quia tales contractus celebrantur in utilitatem utriuſque contrahentis; & forum externum niti videtur in præſumptione fraudum, quæ ab his committi ſolent: maximè ſi res depoſitæ fuerint in navi, diverſorio, aut ſtabulo non expreſsè, & ſingillatim, ſed tantùm ipſis videntibus, non committendo illis ſpecialem curam, & ob multitudinem accedentium, & recedentium difficile eſt, maximam diligentiam adhibere in cuſtodiendis illis. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *nu.* 16. Rebellus, Molina, Reginaldus, Turrianus, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 19. 11

Quæri inſuper ſolet: ad quid teneatur accipiens, quando res aliena accepta perit caſu fortuito, quamvis ex contractu eam acceperit? Reſp. ſi nullum præceſſit pactum obligandi ſe etiam in caſu fortuito; & ſi nulla præceſſit culpa, aut mora; ad nihil teneri, etiamſi rem acceperit in utilitatem ſui tantum, non modò alterius contrahentis, aut utriuſque: ratio eſt, quia contrahens tunc tenetur ad reſtitutionem, quando res perit culpa ipſius; ſed quando perit fortuitò, non perit culpa ipſius: probatur hæc minor, quia caſus fortuitus cum ſit inopinatus rei eventus, qui nec præcaveri poſſit à viro diligentiſſimo; inde eſt, quòd non ſit in poteſtate contrahentis illum evitare, adeoque abſque ejus culpa accidit; & res, quæ perit nulla intercedente culpa, domino perit. Sic conſtat *ex Leg. Contractus, ff. de Regul. Jur.* & ſic communiter Doctores. Si tamen præceſſit pactum, quo contrahens accipiens obligavit ſe contrahenti tradenti rem, etiam in caſu fortuito; tunc tenebitur ad reſtitutionem: ratio eſt, tum quia non repugnat naturæ contractus talis obligatio, ut paſſim fit in aſſecuratione mercium, & ſupponimus accipi juſtum pretium in compenſationem oneris aſſumpti; tum quia contractus ex conventione facta Leges, ac vires ſumit: ut conſtat *ex Leg. Contractus, cit.* & ſic docent Molina, Azor. Sylveſter, Angelus, Armilla, & alii apud Vaſquez *cap.* 2. *de Reſt. §.* 2. *dub.* 7. *num.* 58. 12

Adnotandum tamen: quod obligans ſe ad caſum fortuitum debeat illum exprimere ſive in genere, ſive in particulari: nam ſi ſe obligaret ad omnes caſus, non expreſſo fortuito; non teneretur ad illum: eo quia verba generalia non comprehendunt caſus fortuitos, utpote inſolitos, ac humanam induſtriam, & ſolertiam ſuperantes: ut conſtat *ex Leg. Sed & ſi quis, ff. de Cautionib.* & docent Sylveſter *verb. Caſus, quæſt.* 3. Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *nu.* 21. & alii. Etiam tenebitur ad reſtitutionem accipiens, ſi præceſſit culpa, aut mora in caſu fortuito: ſic qui equum ſibi commodavit, ut peteret Panormum, & petiit Meſſanam, ubi equus præceps in flumen irruit, aut aliquo morbo periit; tenebitur ad equi reſtitutionem ob culpam comiſſam contra obligationem, & conventionem petendi Panormum. Sicuti ſi equum ſibi commodavit ad decem dies, quibus elapſis mora commiſſa eſt in reſtituendo, & interim fortuitò perit equus; tenebitur ad reſtitutionem equi ob moram factam in reſtituendo ultra præfixum terminum. Sic Molina, Rebellus, Vaſquez, Salon, & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *q.* 1. *p.* 6. *n.* 21.

CAPUT V.

De Promiſſione, & Donatione.

1 *Definitur Promiſsio gratuita, & explicatur Deliberatio ad ipſam requiſita.*
2 *Debet Promiſsio eſſe vera excludens fictionem.*
3 *Debet eſſe Spontanea, & excluditur promiſsio extorta per vim, metum, & dolum.*
4 *Promiſſio debet importare obligationem fidei.*

5 *Debet esse promissio de re bona, & possibili; non verò de re turpi, aut impossibili.*
6 *An promissio prodiga obliget?*
7 *Quomodo differat Promissio à Donatione, Pollicitatione, Stipulatione, & Pacto?*
8 *An Promissio interna obliget?*
9 *An promissio interna facta cum juramento obliget?*
10 *Quanta debeat esse res promissa, ut violatio promissionis sit graviter peccaminosa?*
11 *Quænam promissiones irritæ sint, & invalidæ?*
12 *Definitur Donatio gratuita, & explicatur ejus definitio.*
13 *An Donatio facta à Religiosis de consensu Superiorum alicui Personæ ob merita præcedentia prohibita sint in Constitutione Clementis VIII.*
14 *Quænam Personæ donare possint. Et quænam res possint donari?*
15 *An Donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum valida sit?*
16 *An requiratur Insinuatio ad Validitatem Donationis?*
17 *An Donatio aliquando revocari possit? Et ob quas causas fieri possit revocatio?*

1 ABSOLUTIS iis, quæ spectant ad Contractus in genere; explicandi remanent Contractus in particulari: & initium facimus à Promissione, & Donatione.

Quamvis Promissio nomen sit generale, quod possit extendi ad omnes Contractus, etiam oneroſos, sicuti & nomen Stipulationis; accipitur nihilominus in præsenti pro promissione gratuita, quando scilicet aliquod gratis promittitur ex liberalitate, vel gratitudine, & sic definiri solet: Est deliberata, vera, & spontanea fidei obligatio alteri de re bona, & possibili. Explicantur singula verba. Dicitur 1. deliberata, quia ad promissionem requiritur ea plena deliberatio, seu attentio, quæ requiritur ad peccatum mortale, meritum, & ad validitatem voti. Quapropter si semiplena deliberatio habeatur, non advertens, qui promittit ad id, quod facit; ne sub veniali quidem obligabitur ad promissionem adimplendam juxta ea, quæ dicuntur de Voto: cum liberalis promissio afferat sibi onus quoddam spontaneè assumptum, & nemo præsumitur imponere sibi onus, nisi perfectè consenserit in illud. Sic Navarrus *in Summ. cap.* 18. *num.* 7. Molina *disput.* 267. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dubit.* 1. *nu.* 2. & alii. Hinc fit: infantes, amentes, ebrios, aut eos, qui ex vehementi animi perturbatione promittunt, itaut mentis, & rationis compotes, non sint; non validè promittere. Quamvis si dubium insurgat an deliberatè promiserint; standum sit promissioni, de qua constat, factam fuisse, quamvis dubitetur, an deliberatè. Sic Sanchez *lib.* 1. *de Matr. disput.* 8. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 94. & Bonacina *quæst.* 12. *de Contr. punct.* 1. *num.* 5.

2 Dicitur 2. vera, ut excludatur fictio, quæ reperitur in eo, qui promittit absque animo promittendi, & se obligandi: quapropter qui exteriùs promittit absque interiori animo promittendi, imò cum animo non promittendi, & se non obligandi; non tenebitur ad promissionem adimplendam ex vi promissionis præcisè, cum promissio obligare nequeat ultra intentionem, & animum promittentis; & nemo se ipsum obligare censetur, nisi voluntatem obligandi se habeat *ex Leg.* 3. §. 1. *ff. de Actionib. & Oblig.* Accidere tamen potest, ut obligetur aliunde, nempe si alter putabat, sibi ex animo promissionem fieri, quapropter damnum illi sequitur; adeoque promissionem adimplere tenebitur ad damnum alterius reparandum, aliter censeretur causa damni proximi per deceptionem. Sic Sylvester, Angelus, Henriquez, Navarrus, Rebellus, Azor. Lessius, Sanchez, & Reginaldus, quos refert, & sequitur Bonac. *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 12. *pun.* 1. *num.* 7.

3 Dicitur 3. Spontanea, ut excludatur Promissio extorta per vim, metum, aut dolum; non enim habetur obligatio talem promissionem adimplendi, nisi jurata fuerit: ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Et quamvis metus levis fuerit, non ideo inducet obligationem, saltem in foro conscientiæ: ratio autem est, quia qui metu quantumvis levi, aut fraude promissionem extorquet; injuriam irrogat, adeoque non acquirit jus, ut promittens stet promissis, non enim est æquitati consentaneum, ut per actionem injuriosam acquirat jus. Sic Sylvester *verb. Restitutio* 2. §. 7. Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 30. Sà *verb. Promissio*, *nu.* 1. & Lessius *lib.* 2. *capit.* 18. *dub.* 1. *num.* 4. cum aliis. Idem dicendum de promissione facta ob metum reverentialem, sine quo facta non fuisset; vel si reverentia debita Superiori conjuncta fuerit cum minis, vel alio modo, quòd prudenter timeatur. Idem etiam de promissione extorta precibus importunis, quando scilicet tales sunt, ut judicio prudentum reputentur vim inferre, & consequenter voluntarium tollere: in his enim casibus promissarius nullum jus acquirere videtur, cum injustè promissionem extorqueat. Secus dicendum, si blanditiis, vel muneribus extorta fuerit: non enim auferunt voluntarium, sed potiùs movent hominem ad voluntariè, & cum amore promittendum. Sic Molina, Navarrus, Turrianus, & alii apud Sanchez *lib.* 4. *de Matr. disp.* 11. *num.* 2. Nec metus justè incussus, & licitè ad finem, ad quem incuti potest ad promittendum; reddit promissionem factam invalidam: ut si Judex metu compellat aliquem ad promittendam satisfactionem debitam ob injuriam, vel debitum; vel urgeat usurarium ad restitutionem usurarum promittendam, aliàs eum damnabit: & ratio est, quia metus iste licitè, & justè incussus non est injuriosus promittenti, adeoque non tollit in promissario jus acquisitum per promissionem factam, hoc enim est discrimen inter metum justè incussum, & injustè incussum. Sic Turrianus *disp.* 65. *dub.* 5. *nu.* 2. & Bonac. cum aliis *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 12. *pun.* 1. *n.* 14.

4 Dicitur 4. obligatio fidei, quia non sufficit ad promissionem dicere, ego faciam, significando tantùm voluntatem faciendi; sed ulteriùs requiritur, quòd fides detur, ac obligetur, seu quòd dans fidem obliget se alteri ex virtute fidelitatis, ut rectè observavit. Sotus *lib.* 7. *de Just. quæst.* 1. *art.* 2. Quapropter qui dicit, promitto me hoc facturum, significans solùm animi sui propositum, non verò intendens dare fidem; non dicitur revera se obligare, ac promittere. Sicuti qui dicit urbanitatis causa, vel ad demonstrandum animi sui affectum, ac promptitudinem promitto me facturum quidquid jusseris; omnia mea parata sunt in tui commodum; faciam, ibo, visitabo, orabo, & similia verba generalia, & loquendi formulas, quæ passim usurpantur ad potiùs testandum animum, & promptitudinem voluntatis, quàm ad demonstrandam intentionem se obligandi, & dandi fidem; ideoque non erunt revera promissiones, nec vim obligandi habebunt; sed erunt modi exprimentes suum propositum, & propositum cum non sit promissio, obligare nequibit. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 1. *nu.* 6. Navarrus *in Summ. cap.* 12. *num.* 26. Molina *disput.* 262. *num.* 1. Rebellus *lib.* 18. *quæst. unic. numer.* 5. Sà *verb. Promissio*, *num.* 1. & alii.

5 Dicitur denique, de re bona, ac possibili; ut excludatur promissio de re turpi, ac impossibili: cum nulla contrahi possit obligatio ad id, quod sine peccato fieri nequit: *ut constat ex Cap. ult. de Pactis*. Et ad impossibile nemo teneri potest *ex Regul.* 6. *de Regul. Jur. in* 6. Non nego tamen, quòd si res promissa partim sit bona, partim turpis; sicuti si partim sit possibilis, partim impossibilis, & commodè separari possunt; adimplenda sit promissio secundum partem bonam, & possibilem: ratio est, quia utile non vitiatur per inutile *ex Regul.* 37. *de Regul. Jur. in* 6. ergo secundum partem utilem adimplenda promissio erit, relicta parte inutili, à qua vitium non patitur.

6 Dubitabis hìc, de promissione prodiga an obliget, cum enim profusio rerum suarum mala sit; inde est, quòd promissio prodiga obligare nequibit. Verùm cum distinctione respondendum erit, si excessus ille prodigus nequit executioni mandari sine peccato; promissio prodiga obligare nequibit, etiam si juramento firmata fuerit; ratio est, quia nequit obligare quatenus promissio est, cum sit de re turpi; neque quatenus firmata juramento, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Sic Sotus *lib.* 4. *de Just. quæst.* 7. *art.* 1. Bannez *quæst.* 62. *art.* 5. *dub.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 1. *num.* 9. & Sanchez *de Matr. lib.* 1. *disp.* 14. *nu.* 1. Secus tamen dicendum, si excessus prodigus executioni mandari poterit absque peccato, quamvis cum peccato facta fuerit prodiga promissio: ratio est, quia multa imprudenter, & cum peccato fiunt, quæ tamen facta tenent, nec facilè rescindi possunt: ut patet in puella nobili promittenti contra voluntatem parentum Matrimonium viro ignobili, & pauperi; quæ licèt peccet sic promittendo, obligatur tamen ad matrimonium promissum, cum sine peccato executioni mandari possit. Vide Sanchez *l. c.*

7 Quær. 1. Quomodo differat promissio à donatione, pollicitatione, stipulatione, & pacto? Resp. promissionē differre à Dona-

Donatione, quia Donatio ex natura sua habet vim transferendi dominium; & licèt facta cum reali traditione rei transferat dominium, non verò si verbaliter fiat sine rei traditione; nihilominus hoc habet à Jure positivo, non verò ex sua natura. Secus tamen Promissio ex natura sua non habet transferre dominium, cum respiciat donationem futuram, cujus est dominium transferre. Differt à Pollicitatione, quia Pollicitatio *ex Leg. 3. ff. de Pollicitat.* est solius offerentis promissio, non secuta ejus acceptatione. Promissio verò ultra Pollicitationem dicit acceptationem promissarii. Differt à stipulatione, quia stipulatio *ex Leg. 5. §. Stipulatio, ff. de verbor. obligat.* Est contractus verborum sub certa formula verborum celebratus præcedente interrogatione creditoris, & responsione debitoris: ut si aliquis dicat, promittis mihi dare centum, & alter respondeat promitto; tunc habetur stipulatio. Secus verò promissio non servat hujusmodi formulam verborum. Et quamvis non solùm dicatur stipulari, qui promittit; verùm etiam qui rogat, & accipit; communiter tamen accipiens dicitur stipulator. Denique differt à Pacto, quia Pactum *ex Leg. 1. ff. de Pactis*, est duorum, vel plurium consensus, & conventio in idem, ex qua oritur obligatio, sive utrinque, sive ex una tantùm parte. Promissio verò inducit tantùm obligationem in promittente; insuper Pactum est quid generalius ipsa Promissione.

8 Quæres 2. an Promissio interna obliget? Resp. si fiat Deo; certum est obligare promittentem Deo, cum sit cordium nostrorum inspector. Si fiat tamen homini, certum pariter est, non obligare promittentem homini: eo quia ut promissio obliget, acceptari debet, cum ante acceptationem promissio non sit; sed promissio interna acceptari nequit, nisi exteriùs manifestetur; ergo promissio purè interna obligare nequibit; favet etiam *Lex 1. ff. de Verbor. obligat.* ubi dicitur. Animum in mente retentum non inducere obligationem.

Sed controversia hìc est inter Doctores: an Promissio, ac etiam Donatio purè interna facta homini insufficiens sit, & invalida ad obligandum ex Jure positivo tantùm, an etiam ex Jure nature. Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. quem passim Thomistæ sequuntur, quamvis non omnes, Sanchez, Lessius, Azor. Turrianus, Vasquez, Henriquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 12. pun. 2. num. 1.* contra Ledesma, Palacium, & alios putant, etiam Jure naturæ invalidam, ac insufficientem esse ad obligandum: ratio est, quia tam promissio, quàm Donatio sunt signa practica efficientia id ipsum, quod significant; sed non solùm significant internam cogitationem, & affectum promittendi, aut dandi; verùm etiam ipsum actum promittendi, & dandi, ex quo sequitur obligatio in promittente, & jus in promissario; ergo cum actus purè interni non sint signa sufficientia ad significandum alteri actum promittendi, & dandi; neque erunt sufficientia signa ad se obligandum alteri: cum hæc sufficientia, & aptitudo tota fundetur in significatione ad alterum. Quæ quidem sententia mihi videtur probabilior.

9 Quæres 3. an promissio interna facta cum juramento obliget, itaut revocari nequeat ante acceptationem, saltem quando juramentum fuerit factum de ea non revocanda? Resp. non obligare, & revocari posse ante acceptationem, etiam facto juramento de non revocando: ratio est, quia juramentum sequitur naturam principalis; cum igitur promissio sit principale, & juramentum accedat promissioni, si promissio revocabilis est ante acceptationem, & juramentum illi accedens revocabile erit ante acceptationem. Non loquimur hìc de promissione facta Deo de re cedente in honorem ipsius Dei; hæc enim promissio maximè cum juramento facta haberet rationem Voti. Sic Sanchez *de Matr. lib. 1. disp. 7. num. 24.* Rebellus *lib. 17. quæst. 2. num. 1.* Bonacina alios referens *disp. 3. de Contr. quæst. 12. pun. 2. num. 3.* referens Panormitanum, Jasonem, & alios. Sic etiam Card. Delugo *disp. 23. de Just. num. 50.*

10 Quæres 4. quanti momenti debeat esse res, quæ promittitur, ut violatio promissionis sit peccatum mortale? Resp. debere materiam promissam excedere notabilem illam quantitatem, quæ communiter requiritur ad furtum mortale, adeout sit quadruplo major: ratio est, quia obligatio solvendi rem promissam communiter reputatur minor, quàm obligatio solvendi furto ablata, magis enim sunt inviti ii, quibus ablata non solvuntur; quàm ii, quibus non solvuntur promissa, ergo major quantitas requiritur ad obligationem sub mortali ob promissionem factam, quàm ad restitutionem rei ablatæ. Sic Rebellus *lib. 18. quæst. 4. num. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 8. num. 56.* Lopez *lib. 2. de Contr. cap. ult.* Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 5. num. 24.* & Reginaldus *lib. 25. num. 88.* cum aliis.

11 Quæres 5. quænam promissiones sint irritæ, ac invalidæ? Resp. jure naturæ esse irritas, ac invalidas omnes promissiones, quarum adimpletio est illicita, & peccaminosa: ratio est, quia nemo obligari potest ad peccatum tum Jure positivo, tum Jure Naturæ. Jure verò positivo esse irritas omnes promissiones, quibus præbetur occasio peccandi: ut si promittatur alicui, quòd imposterum non tenebitur de dolo, de injuria, vi, furto, & similibus, ut constat *ex Leg. 27. ff. de Pactis*. Quamvis post injuriam jam factam si accedat condonatio libera, teneat condonatio: non enim Leges prohibent condonationem, sed nolunt inducere obligationem ad illam ex vi promissionis antecedentis, ut rectè adnotat Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 4. numer. 23.* Insuper eodem Jure irritas esse promissiones omnes, quibus adimitur facultas disponendi de rebus suis: ut si quis promitteret alicui, se electurum illum in hæredem, non revocaturum Testamentum &c. constat *ex Leg. Pacta, Cod. de Pactis*.

12 Donatio Gratuita, de qua nobis hìc sermo est, definiri solet: Datio liberalis alicujus rei. Per Dationem namque exprimitur, & intelligitur actio donantis, quæ ex natura sua apta est transferre dominium, sive conjungatur cum actuali traditione rei, & dicitur completa donatio actu transferens dominium; sive verbalis sit non conjuncta cum actuali traditione rei. quæ quamvis natura sua apta sit ad transferendum dominium, actu tamen impeditur ad illud transferendum ex Jure Positivo sic statuente, ut superiùs notavimus. Per Liberalem intelligitur Datio illa, quæ non fit ex obligatione, itaut sit jure debita, sed tantùm ex liberalitate, & gratitudine: ideo vera Donatio erit illa, quæ ex mera liberalitate, & munificentia prodit, non verò ex alia causa. Hinc sequitur, non esse veram Donationem eam, quæ remuneratoria dicitur, seu antidoralis, & fit ad recognoscenda beneficia accepta: cum fiat ob causam, scilicet ob officia præstita, vel ob merita, & obsequia, non verò ex mera liberalitate. Sic Doctores communiter. Sequitur etiam, non esse veram donationem, quando solvitur, quod promissum fuit: cum talis solutio fiat ob causam, nempe ob antecedentem promissionem, quæ obligationem inducit. Erit tamen vera, ac liberalis Donatio remissio debiti liberaliter facta à Creditore *ex Leg. Modestinus, ff. de Donationib.*

13 Petes hìc: an Donatio facta à Religiosis de consensu suorum Superiorum alicui Personæ ob merita præcedentia comprehendatur in Constitutione Clementis VIII. prohibentis largitionem munerum Religiosis? Resp. si res data non excedit merita; non comprehenditur similis Donatio in supradicta Constitutione: ratio est, quia Constitutio loquitur de Donatione simpliciter, adeoque de Donatione propriè accepta, non verò antidorali. Quapropter si munera data non excedant merita, non erit donatio simpliciter, sed remuneratoria. Secus verò si excedant in eo, in quo habetur excessus; erit vera donatio subjecta pœnis, à Pontifice in sua Constitutione statutis. Sic Bonac. *de Contr. disp. 3. quæst. 13. pun. 1. nu. 6.* referens pro hac sententia Azorium, Filliuccium, Sylvestrum, Sà, Bartolum, Rodriquez, Riccium, Sanchez, & Menochium.

14 Quæres 1. quænam Personæ donare possint, & quænam res donari? Resp. eas personas liberè donare posse, quæ habent dominium, & administrationem cum facultate alienandi. Quapropter hæc tria requiruntur ad liberam donationem valide factam; quòd habeatur dominium, & hoc tantùm non sufficit, quòd habeatur administratio bonorum; & facultas alienandi: nam hac deficiente, quando videlicet impeditur à Jure; donatio valida esse non poterit. Sic communis Doctorum Sententia. Quapropter donare validè non poterunt Prodigus, qui Curatorem habet à Magistratu, & cui interdicta est bonorum administratio. Impubes sine facultate Tutoris. Filius familias, etiam si pubertatem ingressus sit, sine consensu expresso, vel tacito patris, nisi tamen Donatio facta fuerit de bonis Castrensibus, vel

quasi Castrensibus; Minor vigintiquinque annis, si subsit Curatori, absque ejus consensu tacito, vel expresso. Uxor, quæ alia bona non habet præter dotem, absque sui Viri consensu, juxta tamen ea, quæ diximus de furto Uxorum. Ecclesiastici nequeunt donare fructus beneficii, qui ex congrua, vel decenti sustentatione supersunt, ad usus profanos, quamvis qui acceperint, ex probabili sententia non teneatur ad restitutionem. Superiores Regularium non possunt donare *ex Cap. Abbati, dist.* 14. nisi juxta suas Constitutiones, & Consuetudines. Subditi denique Regulares donare non possunt etiam ad causas pias, absque tacito, vel expresso consensu suorum Superiorum.

Res verò, quæ donari possunt; sunt omnes illæ, quarum dominium transferri potest: sic sunt res omnes corporales, ut Domus, fundus, vestis, equus &c. ac etiam incorporales, ut jura, actiones, nomina debitorum &c. nam de his omnibus transferri potest dominium in donatarium: ut docuere Navarrus *in Summ. cap.* 4. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 616. Lessius, Molina, & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de Contr. disp. 3. quæst.* 13. *punct.* 2. *num.* 17.

15 Quæres 2. an donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum valida sit? Resp. invalidam esse, si alteri pio operi, aut juramento confirmata fuerit; ratio invaliditatis desumitur ex eo, quia aufert potestatem testandi, nil enim remaneret testandum, quod à Jure Cæsareo improbatur; ut patet *ex Leg. Stipulatio hoc modo, ff. de Verbor. obligat.* & docent communiter Doctores cum Julio Claro, Covarruvia, Gomez, Molina, Lessio, Azorio, Sà, Rebello, & aliis, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst.* 13. *punct.* 5. *num.* 1. Si autem causa mortis fiat, valebit donatio, cum non auferat potestatem testandi, posset enim Testator non obstante tali donatione alium hæredem instituere, qui falcidiam detrahere possit, hoc est quartam partem bonorum donatorum. Sic Julius Clarus *§. Donatio, quæst.* 19. *num.* 7. Gomez 2. *Var. capit.* 4. *num.* 22. Molina *disp.* 280. *num.* 11. & alii cum Bonacina *l. c.* Valebit pariter, si tantum bona præsentia donentur, non verò futura, cum non adimatur hic testandi facultas. Insuper valida erit, si Ecclesiæ fiat, aut alteri pio operi: cum Jus Civile non habeat facultatem impediendi pietatis opera. Sic Molina, Lessius, Azor. Bonac. *l. c.* contra Clarum, Bartolum, & Gomez.

16 Quæres 3. an Insinuatio requiratur ad validitatem Donationis? Resp. supponendo priùs Insinuationis nomine nihil aliud venire, nisi manifestationem illam, qua donans declarat Judici suam mentem, quòd scilicet liberè donet tantam summam alteri, absque eo quòd requiratur causæ cognitio, vel facultas à Judice; sed sufficit mera ejus præsentia: ut docent Julius Clarus *§. Donatio, quæst.* 19. *num.* 5. quamvis possit Judex inquirere, an omnino liberè facta sit donatio. His supositis, Dico Insinuationem requiri ad validitatem Donationis excedentis quingentos solidos, itaut si excedat invalida sit quoad excessum. constat expresse *ex Leg. penul. Cod. de Donation.* & optimè quidem sic statutum fuit: ne de facili homines donationibus temere factis exhaurirentur, & prodigè rebus suis uterentur. Quid autem veniat nomine solidi, non una est Doctorum explicatio: communiter accipitur pro nummo aureo æquivalente quindecim Juliis, aut Regalibus. Sic Bonacina *disp. 3. de Contr. quæst.* 13. *punct.* 6. *nu.* 3. ex Covarruvia, Molina, Julio Claro, Lessio, & aliis.

Hinc fit 1. quòd donans ultra quingentos solidos invalidè donet quoad excessum supra quingentos solidos absque insinuatione; in eo tamen, quòd quingentos solidos comprehendat, valida erit: ut constat *ex Leg. Sancimus, Cod. de Donat.* Fit 2. invalidam esse remissionem debiti liquidi supra quingentos solidos absque insinuatione: eo quia talis remissio fit instar Donationis: ut adnotat Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 13. *n.* 98.

Adnotandum 1. non obligari Donatarium ad restitutionem summæ excedentis quingentos solidos, nisi à Donante, vel ejus hæredibus exquiratur: ratio est, quia Leges non intendunt reddere donatarium inhabilem ad excessum illum, itaut sponte restituere debeat; sed tantùm concedere facultatem donanti, ut possit excessum repetere, si velit. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 13. *num.* 99. Rebellus *lib.* 18. *quæst.* 8. Molina *disp.* 278. *num.* 21. & Turrianus *disp.* 73. *dub.* 5. *nu.* 2.

Adnotandum 2. dari aliquos Casus, in quibus Donatio ultra quingentos solidos absque Insinuatione valida sit. Et 1. si juramento firmata fuerit: ratio est, quia contractus alioqui invalidus, dummodo non sit contra bonos mores, vel de re illicita; juramento validatur juxta communem sententiam. Et quamvis antiquiores Legistæ, & Canonistæ oppositum docuerint, hoc tempore tamen nostram sententiam docent: ut notat Julius Clarus *§. Donatio, quæst.* 18. 2. si facta fuerit ad pias causas, cum Jus Civile non possit aliquid statuere in præjudicium piarum causarum, non enim Principes Sæculares Leges statuere possunt in detrimentum piorum operum. Sic Bartolus, Felinus, Jason, Julius Clarus, Covarruvias, Molina, Lessius, Rebellus, Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst.* 13. *pun.* 6. *num.* 2. 3. si fiat ad redemptionem captivorum, vel ad reparationem ædium incendio, vel ruina destructarum. Si fiat Principi, aut militibus à Duce; ut habetur *in Leg. Sancimus, & in Leg. Penult. Cod. de Donation.* Si fiat in remunerationem obsequiorum, & beneficiorum acceptorum, dummodo merita æqualia sint Donationi, cum revera non sit propriè Donatio. Sic Julius Clarus *§. Donatio, quæst.* 16.

17 Quæres 4. an Donatio aliquando revocari possit? Resp. donationem inter vivos factam, etiam si res acceptata fuerit, & tradita, ex triplici causa revocari posse. Dicitur autem Donatio facta inter vivos, cum quis ita rem aliquam donat, ut etiam se vivo velit se spoliare illa, & absolutè fieri alterius. Prima igitur causa est Ingratitudo Donatarii, ut habetur *ex Leg. ult. Cod. de revoc. Donat.* modo tamen donatio non fuerit facta ob causam, ut propter obsequia, & beneficia accepta; vel Ecclesiæ, aut piis operibus: nam his locis facta censetur ob gravem causam facta; aut cum expresso juramento non revocandi ob ingratitudinem: ut notat Julius Clarus *l. c. nu.* 3. Per quinque Casus explicatur ab eadem Lege citata Ingratitudo Donatarii. 1. si injuriis atrocibus Donantem affecerit, sive præsentem, sive absentem. 2. si manus impias in ipsum Donantem intulerit. 3. si non levem jacturam ejus bonis attulerit. 4. si vitæ periculum, aut insidias ei machinatus fuerit. 5. si appositam conditionem Donationi non adimpleverit. Addunt Doctores. 6. casum, si videlicet Donantem inopia, & egestate pressum non aluerit, quia maxima videtur ingratitudo frui ejus bonis, & non succurrere illi. Secunda causa est susceptio prolis legitimæ non præcogitatæ, ut constat *ex Leg. Si unquam, Cod. de revoc. Donat.* cum semper intelligatur facta Donatio sub hac tacita conditione, nisi legitimam prolem habuero: modo Donator non renunciaverit huic privilegio; vel condo confirmaverit Donationem cum juramento de non revocando, etiam legitima prole susceptа; aut facta fuerit ob causam; vel fuerit donatio de re levis momenti, de qua Leges non videntur curare: ut docent Molina, Lessius, Julius Clarus, Rebellus, & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de Contr. disp. 3. quæst.* 13. *pun. ult. n.* 8. Adnotandum tamen, quòd si donatio facta sit extraneo; revocatur in totum *ex Leg. ult. Cod. de inoffic. donat.* Si verò facta sit avo, patri, aut filio emancipato; vel si facta sit Ecclesiæ, vel piis locis; revocatur, quantum necesse est ad legitimam filiorum susceptorum *ex Leg. Totas, Cod. de revoc. donat.* Sic Molina, Covarruvias, Rebellus, Azor. Gomez, Sylvester, Lessius, Turrianus, relati à Bonac. *l. c. n.* 11. Tertia causa est inofficiosa Donatio, quando videlicet pater contra officium paternæ pietatis in filios tantùm donat, ut filii legitima portione priventur *ex Leg.* 1. *Cod. de inoffic. donat.* cum hoc tamen, quòd si facta sit extraneo animo fraudandi filios, revocatur in totum, si verò aliquid filiis relictum sit, revocatur usque ad supplementum legitimæ. Si facta sit non extraneis, aut piis locis, revocatur ad legitimas portiones supplendas filiis *ex Leg.* 1. *Cod. de inoffic. donat.* Sic Bartolus, Baldus, Salicetus, Azor, Covarruvias, Gomez, Julius Clarus, Lessius, Rebellus, Molina, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 14. Notandum hìc: donationem inofficiosam non irritari posse, nisi cum sententia Judicis *ex Leg. Liquet, Cod. de inoffic. donat.* & post mortem patris, cum tunc debeatur legitima filiis. Et quamvis valida sit usque ad mortem donantis, sit tamen cum peccato, quia in damnum filiorum: quapropter si juramento confirmata fuerit, non tenetur donans ad juramentum servandum, cum sic sit vinculum iniquitatis, ut constat *ex multis Legibus, Cod. de inoffic. donat.*

Dona-

Donatio, quæ causa mortis fieri solet, hoc est, cum donans sic donat, ut non velit absolutè, & irrevocabiliter, rem fieri alterius, nisi post suam mortem; triplici ex causa revocari potest. 1. Causa est, si pœniteat donantem donasse, liberum namque est ipsi pro arbitrio donationem revocare; sicuti liberum est Testatori, & leganti causa mortis testamentum, & legatum revocare. Nec requiritur, quòd expresè pœniteat, sat est, quòd implicitè, aut virtualiter: ut si rem illam alteri donet, colligitur *ex Leg. Qui mortis causa, ff. de mortis causa donationib.* 2. causa, si dederit intuitu periculi alicujus imminentis, ex quo prudenter mors timeatur, transacto siquidem tali periculo censetur tacitè revocata donatio: sic evenit, si aliquid donetur in gravi morbo, in prælio, aut in tempestate ingruente: constat *ex Leg. 3. ff. de mortis causa donationib.* 3. causa est, si donatarius moriatur ante donatorem, tunc enim censetur ipso jure revocata donatio; sicuti revocatur in simili Testamentum, & Legatum. Si tamen donator promittat, se eam non revocaturum; tunc erit censenda donatio facta inter vivos: ut docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 14. *numer.* 116. referens Gomez, & Covarruviam. Non extinguitur tamen morte promissarii, aut donatarii promissio, & donatio facta inter vivos, si fuerit acceptata, sed transit ad hæredes ipsius promissarii, vel Donatarii. Vide Lessium *l. c.*

CAPUT VI.

De Emptione, & Venditione. Et quibus prohibita sit Negotiatio.

1 *Definiuntur Emptio, & Venditio.*
2 *An si ob contractum emptionis, & venditionis solvi debeat vectigal, solvendum sit statim post mutuum consensum, an post traditionem rei?*
3 *In quonam consistat Justitia contractus Emptionis, & Venditionis?*
4 *Quod nam sit justum pretium rerum venalium?*
5 *Quid faciendum, si pretium naturale discrepet à legitimo?*
6 *An Clerici teneantur in conscientia servare pretium legitimum à Potestate Sæculari statutum?*
7 *An licitum sit aliqua vendere supra legitimum pretium, quæ in bonitate excedant ea, quæ passim tali pretio venduntur.*
8 *An liceat aliquando rem pluris vendere, aut minoris emere, quàm ipsa valeat?*
9 *An res carentes pretio legitimo, vel vulgari possint quanti plurimi vendi à Domino?*
10 *An chirographa, seu credita emi possint minoris, quàm contineant?*
11 *An licita sint Monopolia?*
12 *An aperiendi sint defectus rei vendendæ?*
13 *An quærenti Vinum Syracusanum vendi possit pro eo Messanense absque læsione pretii?*
14 *An vino generoso immisceri possit aqua, & vendi currenti pretio cæterorum non generosorum?*
15 *Ad quem spectant fructus rei venditæ pro medio tempore ante contractus dissolutionem?*
16 *An Emptio, & Venditio licitæ sint cum pacto redimendi, vel retrovendendi?*
17 *An possit aliquis retinere sibi ex pretio id, quo pluris vendidit rem, aliunde taxatam in pretio à Domino?*
18 *Explicantur Personæ, quibus prohibita est Negotiatio?*

1 EMPTIO communiter definiri solet: Contractus, quo pretium pro merce solvitur, & completur ad transferendum dominium traditione mercis. Venditio è contra est Contractus, quo merx pro pretio solvitur, & completur traditione pretii. Colligitur *ex Leg.* 1. *ff. de contrab. empt.* Quapropter tria requiruntur ad substantiam hujus contractus, merx scilicet, pretium, & mutuus consensus. Merx accipitur hìc pro quacumque re vendibili, & pecunia comparabili, ut sunt res immobiles, mobiles, actiones, Jura &c. Pretium verò pro pecunia, quæ adinventa est, ut esset mensura omnium rerum venalium, ac pretium omnium, quæ per contractus humanos venire possent, ut adnotat Aristoteles *lib.* 5. *Ethic. cap.* 5. Nec ex se pecunia merx esse potest, ac vendi; nisi tantùm per accidens, vel quia vetus est, ac imminuta, vel quia pulchra est, & commoda, ut transferatur. Nec ante ejus adinventionem habebatur venditio, & emptio, sed tantùm permutatio, quæ incommoda, ac difficilis erat; adeoque ad incommoditatem sublevandam inventa est pecunia, ut facilis esset negotiatio inter homines, & commodum redderetur commercium. Mutuus consensus denotat, hunc contractum esse reciprocum, & ultro, citroque inducere obligationem; siquidem emptor obligatur ad tradendum pretium venditori, & venditor ad tradendam mercem emptori. Consistit enim hic contractus in pactione nuda, seu conventione partium; adeout ex emptione, & venditione resultet integra pactio, quæ consensum duarum partium intrinsecè includit: & licèt partes sint inter se distinctæ, respiciunt tamen se mutuò, itaut una sine altera intelligi non possit. Quamvis tamen non requirat hic contractus ad sui substantiam traditionem mercis, aut pretii, cum solo mutuo consensu perficiatur, ac inter absentes, & per nuncium effici possit; nihilominus ad sui complementum, & ad dominium transferendum requiritur traditio juxta ea, quæ superiùs dicta sunt.

Dubitabis 1. an si pro aliqua re detur simul pecunia, & alia res in pretium; dicendus sit contractus emptionis, & venditionis, an potiùs Permutationis? Resp. si res addita in pretium sit majoris valoris præ pecunia, potiùs dicendum esse contractum permutationis: ratio est, quia denominatio accipi debet à parte majori; si tamen pecunia major sit præ re addita, erit contractus emptionis, & venditionis ob eamdem rationem; si denique æquales sint inter se, liberum erit partibus nominare sive contractum permutationis, sive emptionis, & venditionis. Sic Gomez *tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 10.

Dubitabis 2. an contractus emptionis, & venditionis sit validus, antequam pretium constituatur? Resp. invalidum esse, nisi ejus constitutio referatur in tertiam personam determinatam: ut si dicatur, vendo tibi domum, quanti Petrus æstimaverit: ratio est, quia constitutio pretii requiritur ad valorem contractus, ut constat *ex Leg. In vendentis, Cod. de contrahenda empt.* Quapropter si quis dicat, vendo tibi hanc vestem justo pretio, & prout determinatum fuerit, absque tamen determinatione tertiæ personæ; invalidus erit contractus, utpote non habens constitutum pretium, nec relatum ad tertiam personam determinatam. Sic Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 7. referens Molinam, & alios.

2 2. Controvertitur hìc: an si solvendum sit vectigal ob contractum emptionis, & venditionis, solvi debeat statim post consensum mutuum, an post traditionem rei? Resp. si consensus mutuus sit absolutus, non verò conditionalis, conditio namque suspendit consensum, & contractum usque ad eventum conditionis; solvendum esse vectigal post consensum absolutum, non verò post traditionem rei: ratio est, quia vectigal debetur ex contractu perfecto, sed perficitur per mutuum consensum absolutum, non verò per traditionem rei, quæ solùm requiritur ad translationem dominii, non verò ad perfectionem substantiæ contractus; ergo post consensum absolutum solvendum erit vectigal, non verò post traditionem rei. Imò in ipso consensu conditionali purificata conditione cum remaneat perfectus contractus, fictione Juris retrotrahitur ad tempus initi contractus, ut patet *ex Leg. Qui balneum, & Leg. Qui potior. ff. Qui potior. in pign.* Quapropter vectigal spectabit ad publicanum tempore initi contractus conditionalis, non verò tempore purificatæ conditionis. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 3. Molina *disp.* 337. *num.* 5. Rebellus 2. *par. lib.* 1. *de Contr. quæst.* 3. *sess.* 5. Azor. 3. *par. lib.* 8. *cap.* 23. Gomez 2. *Var. cap.* 12. *n.* 30. Bartolus, Baldus, & alii relati à Bonac. *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 5. contra Tuscum, Vasquez, Tiraquellum, & alios.

3 Justitia contractus emptionis, & venditionis potissimùm in eo consistit, quòd pretium sit justum, & exæquet valorem rei; & è contra quòd res exæquet valorem pretii: quapropter multa, quæ ad hoc præcipuum punctum spectant; per sequentia quæsita solventur.

4 Quæres 1. quod nam sit æquale, seu justum pretium rerum venalium? Resp. justum pretium duplex esse, unum legitimum, alterum naturale. Legitimum illud dicitur, quod à Lege, Principe, vel Magistratu statuitur, consideratis priùs attentè circumstantiis, ex quibus rerum existimationes pendere solent: & hoc efficitur, ne emptores decipiantur, & necessitentur emere pro arbitrio venditorum. Hoc pretium

consistit in indivisibili, itaut notabiliter illud excedere sit grave peccatum, & obliget ad restitutionem. Quòd autem justum sit, nec revocari in controversiam possit à subditis, quibus fuerit legitimè injunctum; probatur ex eo, quia sicuti in cæteris rebus ad bonum commune spectantibus pertinet ex officio ad potestatem publicam providere; sic etiam in pretiis rerum venalium, & in negotiatione, ut fraudes vitentur: maximè quia potestas publica meliùs præ aliis considerare potest circumstantias omnes, ex quibus crescit, vel decrescit rerum æstimatio. Naturale pretium, & vulgare illud dicitur, quod à communi hominum æstimatione constituitur juxta dictamen naturalis prudentiæ, quod pariter justum est; quia ubi non habetur taxa facta à potestate publica in rerum venditionibus, firmior regula præ communi existimatione assignari nequit: ut colligitur *ex Leg. Pretia, ff. ad Legem Falcidiam*. Differt tamen naturale à legitimo, quia non consistit in indivisibili, sed habet suam latitudinem: nam non taxatur ab uno, vel pluribus in unum convenientibus, ut legitimum; sed à plurimorum judicio pendet inter se discrepantium. Quapropter triplex est. Infimum, seu Pium; Medium, seu Moderatum; & Supremum, seu Rigorosum: & quodlibet ipsorum suam pariter latitudinem habet, ut rectè notat Covarruvias *libr. 2. Variar. capit. 3. numer. 1.* Licitum tamen erit, eamdem rem vendere triplici hoc pretio, prout se dabit opportunitas, quamvis licitum non sit variare pretium à Lege statutum, ut dictum est.

5 Dubitabis 1. quid faciendum, si pretium naturale discrepet à legitimo? Resp. si pretium naturale majus sit, legitimum verò minus; servandum erit legitimum, non verò naturale: ratio est, quia verum pretium censendum est illud, quod à Magistratu, vel potestate publica statutum est, ne excedatur. Quòd si Magistratus, vel Princeps scit omnes, vel fere majorem partem Communitatis violare pretium taxatum, & nihilominus tacet, ac dissimulat, nec transgressores punit; videtur Legem revocare, & dispensare in illa. Secus verò dicendum, si nesciat, vel si non dissimulet, sed puniat; tunc licitum non erit à legitimo pretio discedere; sicuti nec licitum erit, si paucos tantùm dissimulet sive ex rationabili, aut irrationabili causa, quia cum his tantùm videtur dispensare, non verò cum omnibus. Sic Reginaldus, Molina, Salon, & alii Doctores, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst. 2. punct. 4. numer. 9.* Si tamen pretium legitimum sit majus, naturale verò minus; licitum erit à legitimo discedere, quando pretium taxatum fuit à Lege, vel Magistratu in gratiam emptorum: & ratio est, quia tunc taxatur, ne excedatur, non verò, ut non minuatur: sic evenit, quando habetur penuria rerum. Quòd si taxatum fuerit in gratiam venditorum, ut est in venditione censuum, sive perpetuorum, sive vitalitiorum, ac similium jurium, quæ non nisi necessitate coacti homines vendere solent; tunc standum erit pretio legitimo, nec tutum est in conscientia ab illo recedere: ratio est, quia ex una parte pretium authoritate publica taxatum præferendum est taxato judicio populari; ex alia parte, ratione boni communis taxatur hoc intuitu, ne minuatur; ergo tutum non erit in conscientia ab illo recedere. Sic Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 2. num. 3.* & alii.

6 Dubitabis 2. an Clerici teneantur in conscientia servare pretium legitimum à potestate seculari statutum? Resp. teneri: ratio est, quia licèt Clerici non subjaceant Principibus sæcularibus, sicuti non subjacent exteri à Regno Statutis Regni; nihilominus adstringuntur à jure naturali ad servandum id, quod à Principibus statutum est in bonum commune, & à populo servatur tamquam justum in ipso Regno. Sic Salas, Molina, Medina, Sà, Salon, Rebellus, Reginaldus, Filliuccius, Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. num. 10.*

7 Quæres 2. an licitum sit vendere aliquid supra legitimum pretium, quod in bonitate excedat ea, quæ passim tali pretio venduntur? Resp. licere, si excessus in bonitate sit notabilis: ratio est, quia sicuti æquitas exposcit, ut res, quæ venditur, triticum e. g. si est deterioris conditionis præ eo, quod passim venditur, descendat à pretio legitimo, & taxato; sic notabiliter illud excedens (nam si parùm excedit, pro nihilo reputandum erit) poterit supra pretium taxatum ascendere, cum hoc ipsum vergat in bonum emptorum: nec notabiliter excedens, & notabiliter deficiens pari pretio commensuranda erunt. Sic Reginaldus, Salas, Molina, & Filliuccius relati à Bonacina eos sequente *l. c. num. 12.* Non erit tamen licitum, imò ad restitutionem obligat, si taxato pretio à Magistratu pro vendendis fructibus permixtim bonis cum malis; segregentur boni à malis, & mali vendantur pretio taxato, boni verò supra taxam; esset enim hoc violare legem taxantem, & defraudare emptores. Sic ex Filliuccio docet Bonacina *l. c.*

8 Quæres 3. an liceat aliquando, rem pluris vendere, aut minoris emere, quàm ipsa valeat? Resp. licere, si aliquæ concurrant circumstantiæ licitæ: ratio est, quia eadem res in aliquibus circumstantiis posita pluris existimatur, in aliis verò minoris; ergo in talibus circumstantiis positam, licitum erit, pluris vendere, aut minoris emere: loquimur autem hìc de pretiis non taxatis à Lege, aut ab habente facultatem taxandi. Variæ autem sunt circumstantiæ licitum hoc reddentes.

1. Est lucrum cessans, vel damnum emergens ex alienatione rei; aut specialis affectus, qui habetur ad illam, ob quem si illa se privat; mœrorem patitur: ratio est, quia hæ circumstantiæ adaugent pretium rei supra suum valorem, cum non res nuda vendatur, sed simul lucrum cessans, vel damnum emergens, aut privatio oblectamenti illius, quæ omnia sunt pretio æstimabilia, dummodo vera sint, & prudenti rationi nitantur. Debet tamen venditor significare emptori circumstantias istas, ob quas plus exigat, quàm res ipsa valeat; ut liberum emptori remaneat, si velit tale incommodum redimere, ut rectè advertit Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 4. numer. 27.* Advertit quoque ex Navarra *lib. 3. cap. 2. numer. 23.* has circumstantias valere etiam supra pretium legitimum, ac taxatum à Principe, dummodo exponatur emptori, si velit eas redimere.

Hinc sequitur 1. posse pluris vendi triticum tempore Autumni, quod quis servare constituerat tempore Veris, & id efficit in gratiam emptoris, detractis semper expensis, ac periculo in servando illud. Sic etiam pluris vendi possunt Merces, quas quis servat vendendas in aliis locis, detractis semper detrahendis: eo quia cessat venditori tale lucrum in gratiam emptoris. Sequitur 2. pluris vendi posse merces credita pecunia præ numerata, qua aliunde venderentur: tum quia sic major intervenit copia emptorum; tum quia ex communi usu vendentium, & ementium evadit justum pretium. Sic Covarruvias *2. Var. cap. 3. num. 6.* Sotus *6. de Just. quæst. 4. art. 1.* Molina *disp. 357. nu. 2.* & alii apud Azorium *3. par. lib. 8. cap. 8. quæst. 2.* & apud Sà *verb. Venditio num. 7.* Sequitur 3. posse pluris vendi picturam antiquam, aut statuam, vel gemmam, aut quid simile, quod cariùs custoditur, ac singulari affectu æstimatur, quia proavis receptum, quàm alioqui in se valeat: cum affectus ille sit pretio æstimabilis supra rem. Sic Medina, Rebellus, Lessius, Navarra, Reginaldus, & alii penes Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 2. pun. 4. num. 15.*

2. Circumstantia est pluris vendendi copia emptorum, & pecuniarum; sicuti minoris emendi copia mercium, & raritas emptorum, & pecuniarum: ratio est, quia communis mercium existimatio crescit ob talem copiam emptorum, & pecuniarum: ut evenit accedente magno comitatu, ex quo repentè pretia rerum incrementa accipiunt, ne fortè ob multitudinem subeatur periculum carendi rebus. Decrescit autem mercium existimatio ob copiam ipsarum, & raritatem emptorum, & pecuniarum. Hinc sequitur carius vendi posse merces in principio nundinarum, cum plures confluant tunc emptores; sicuti cariùs vendere possunt Mercatores servantes meliores merces ob affluentiam emptorum ad ipsos confluentium. Idem dicendum de peritioribus artificibus cariùs vendentibus opera à se artefacta præ imperitioribus, cum ad ipsos libentiùs currant emptores: ut docent Sà, Covarruvias, Medina, Reginaldus, Lessius, Salas relati à Bonacina *loc. cit. num. 14.*

3. Circumstantia est modus vendendi; modus siquidem adauget, vel minuit æstimationem rei. Sic quod minutatim venditur, cariùs venditur, quàm si totum simul venderetur. Si ultrò offeratur res à vendente, viliùs venditur, quàm si ultrò non offerretur juxta vulgatum axioma: Merces ultroneæ pro

tertia

tertia parte vilescunt. Si sub hasta vendatur, tunc enim aliquando cariùs, aliquando viliùs emitur, secluſa semper fraude. Si res parum utilis sit emptori, & in gratiam venditoris emit, tunc poterit viliùs emere. Sic Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 4. num. 32.* referens Cajetanum, Medinam, Covarruviam, & Navarrum.

4. Circumstantia cariùs vendendi est officium Mercatoris, licitum siquidem est ratione officii Mercatoribus pluris vendere, quàm ab aliis non Mercatoribus vendatur; ratio est, quia est pretio æstimabile curam impendere in conquirendis, & conservandis mercibus ob bonum commune Reipublicæ, adeoque Mercator majori mercede dignus: ut docent Medina, Reginaldus, Rebellus, Lessius, Bannez, Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 2. pun. 4. num. 30.* Quamvis non possit Mercator pluris vendere supra pretium legitimum: eo quia in taxa facta habitus est respectus ad officium Mercatoris. Non negat tamen Lessius *loc. cit. nu. 35.* quòd si aliquis non Mercator vendat rem pretio, quod à Mercatore exigitur; non faciat emptori injuriam, dummodo res sit æquè bona, ac à Mercatore venditur: eo quia habet jus vendendi rem suam pretio currenti, etiamsi eas curas, impensas, ac incommoda non subierit, quæ Mercator subiit.

Adnotandum hìc 1. posse rem cariùs vendi dilata solutione, & credita pecunia, quàm venderetur numerata pecunia ob lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum recuperandi pretium, vel expensas faciendi in illo recuperando, ut communis sententia docet etiam supra pretium rigorosum. Non erit tamen licitum cariùs vendere supra rigorosum pretium ex solo motivo dilatæ solutionis: ratio est, quia est quoddam implicitum mutuum, & pro mutuo nihil licet accipere, & consequenter nil licebit accipere supra justum pretium ob dilatam solutionem. Est communis sententia teste Lessio *lib. 2. cap. 21. dub. 6. num. 51.*

9 Adnotandum 2. posse rem minoris emi anticipata solutione, etiam infra pretium pium, & infimum ob easdem rationes, quæ immediatè dictæ fuere: ut fit in emptione lanarum, frugum, & similium. Secus verò dicendum ob motivum purum anticipatæ solutionis: eo quia est implicitum mutuum, & ratione mutui nil licet accipere; sic ratione anticipatæ solutionis nil licebit accipere juxta communem Doctorum sensum, teste eodem Lessio *loc. cit. dub. 7. num. 59.*

Quæres 4. an res carentes pretio legitimo, vel vulgari vendi possint quanti plurimi à Domino: ut essent picturæ veteres, insignes canes, vel accipitres, aves indicæ, raræ gemmæ, & similia? Resp. negativè, quamvis affirmativam sententiam sustinuerint doctissimi Viri Sotus, Molina, Sà, Navarra, Valentia, Reginaldus, Toletus, Azor, & alii penes Bonacinam citandum: ratio est, quia quælibet res, si vendi debet, justo pretio vendenda erit; ergo si justum pretium non taxatum est à Lege, aut vulgari hominum existimatione; taxandum erit à prudenti Viro, qui perpensis omnibus illud statuat, cum non possit melior regula assignari; nec remittendum erit venditori, & emptori, qui non possunt ferre prudens judicium de Justitia pretii. Sic probabiliùs Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 3. num. 16.* Navarrus, Salas, Rebellus, Aragonius, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 2. pun. 4. n. 25.*

10 Quæres 5. an Chirographa, seu Credita emi possint minoris, quàm contineant? Resp. posse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; imò si difficilia sint exactu, posse ad dimidium, & etiam infra dimidium emi, habito semper respectu ad qualitatem difficultatis, & incertitudinis in recuperando: ratio est, quia ob talia motiva decrescit æstimatio creditorum; ergo licitum erit, ea minoris emere. Difficultas tamen est, si nullum ex prædictis motivis urgeat; & tunc respondendum negativè: ratio est, quia præcisa anticipata solutio non est motivum sufficiens aliquid accipiendi, aliàs daretur caput cohonestandi usuras; ergo deficientibus prædictis motivis non habetur caput emendi minoris chirographa, ac Credita. Sic Medina, Sotus, Sylvester, Gabriel, quos refert Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 8. numer. 71.* quamvis oppositum docuerint Innocentius, Panormitanus, Cajetanus, Navarrus, & alii.

11 Quæres 6. an licita sint Monopolia? Resp. Monopolium nil aliud esse, nisi cum pauci, vel unus efficiunt, ut aliquod genus Mercium ab ipsis vendatur pretio, quod placuerit. Quatuor autem modis hoc effici potest. 1. quando conveniunt inter se de vendenda merce pretio ab ipsis constituto. 2. si unus, vel pauci emant omnes merces eo animo, ut ipsi soli vendant, & pretio quod maluerint, inducendo sic inopiam rerum illarum. 3. impediendo ne aliæ merces adveniant, ut sic majori pretio suas vendant cum damno Reipublicæ. 4. cum unus, vel pauci vendunt ex privilegio Principis, aut Magistratus, interdicta aliis facultate vendendi.

1. Monopolium, quando scilicet conspirant inter se venditores circa pretium, si non excedat pretium legitimum, aut vulgare summum; non erit contra justitiam, nec inducet obligationem restituendi, erit tamen contra Charitatem. Quòd non sit contra justitiam secluſa vi, & fraude, probatur: quia conspirant in pretium justum, esto sit summum, & rigorosum. Quòd sit contra Charitatem, probatur: quia emptores sentiunt incommodum illud emendi merces pretio rigoroso, aliàs sine tali Monopolio empturi pretio medio, vel pio, & infimo. Sic Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 20. num. 144.* Reginaldus *lib. 25. numer. 328.* Molina *disp. 345. num. 4.* Salon, Aragonius, Salas, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 2. pun. 5. num. 2.* Secus tamen dicendum, si conspirent in pretium supra legitimum, & vulgare rigorosum; peccabunt siquidem contra Justitiam, & tenebuntur ad restitutionem: quia pretia rerum non sunt taxanda à libidine Mercatorum. Eodem modo discurrendum est de emptoribus convenientibus inter se non emere merces, nisi pretio infimo: non peccabunt siquidem contra Justitiam, sed contra Charitatem. Quamvis contra Justitiam peccabunt, & obligabuntur ad restitutionem; si conventio sit infra infimum pretium. Sic Doctores superiùs citati ob paritatem rationis.

2. Monopolium emendi omnes merces, ut asserventur, & postea vendantur cariùs ob penuriam illarum, est grave peccatum contra Charitatem, ut omnes Doctores conveniunt. Controvertitur tamen, an sit contra Justitiam, & obliget ad restitutionem. Et quamvis communior sententia putet, esse contra Justitiam, & obligare ad restitutionem; nihilominus probabilis est sententia deobligans: ratio est, quia supponimus emisse justo pretio, aliunde merces supprimere poterant, quia non habebant obligationem vendendi; nec cives habent jus emendi ab ipsis, nisi ipsis volentibus; ergo nec contra Justitiam peccant, nec obligantur ad restitutionem. Sic Molina *tract. 2. disp. 345. num. 5. in fine*, Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 20. numer. 151.* Salon *tom. 2. de Monop. numer. 5.* Aragonius 2. 2. *quæst. 77. art. 4. de Monop.* Salas *de empt. dub. 38. numer. 3.* Filliuccius *tract. 35. cap. 8. numer. 212.* & Bonacina cum aliis *de Contr. disp. 3. quæst. 2. pun. 5. numer. 4.* Hinc fit, excusari revenditores à restitutione, qui anticipate merces emunt, ut cariùs vendant, sic sibi reservatas, esto penuriam inducant: nam & copia emptorum penuriam inducit, quamvis emendo non peccent contra Justitiam. Vide Bonacinam *l. c.*

3. Monopolium impediendi vi, & fraude, ne merces aliunde importentur, ut sic inducatur inopia, & cariùs vendantur; est grave peccatum, & obligat ad restitutionem: cum sit causa injusta gravis damni tum Reipublicæ, quæ patitur majus pretium; tum Mercatoribus, qui privantur lucro, quod haberent in asportatione suarum mercium. Secus verò dicendum, si sine vi, & fraude fiat; quamvis enim peccatum sit contra Charitatem, non inde tamen obligat ad restitutionem, etiam si precibus, & suasionibus factum fuerit: ratio est, quia nulla fit injuria nec Reipublicæ, nec Mercatoribus, cum preces, ac suasiones non auferant voluntarium à Mercatoribus. Sic Navarra *lib. 3. cap. 2. n. 79.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 20. num. 153.* Reginaldus, Salonius, Salas, Filliuccius, Turrianus, Azor, Aragonius, quos refert, & approbat Bonacina *de Contr. disp. 2. quæst. 2. pun. 5. num. 8.*

4. Denique Monopolium facultate Principis, aut Magistratus erectum tunc licitum erit, quando justa causa illud permittendi concurrit, ut si Princeps pro bono publico pecunia egeret, & hoc privilegium venderet; aut si non essent alii, qui vellent tales merces advehere: & tunc debebit Princeps, si merces necessariæ sint ad vitam, pretium taxare, ne habentes Monopolium

polium iniquo pretio vendant cum detrimento Reipublicæ. Si verò merces sint merè ad delicias, & luxum, ut sunt picturæ variæ, panni serici, tapetia figuris contexta, aleæ, latrunculi, & similia; non erit necesse taxare pretium, quia nemo gravatur, nisi qui sponte voluerit. Quando tamen nulla causa justa concurrit erigendi Monopolium; illicitum, & injustum erit, & obligantur ad restitutionem primò impetrantes illud, secundò illud concedentes, cum injustè graventur venditores alii, & emptores. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 20. *numer.* 148. Medina *Cod. de Rest. quæst.* 30. Rebellus *libr.* 9. *quæst.* 7. Sylvester *verb. Emptio. quæst.* 18. Molina *disp.* 345. *numer.* 3. Sà *verb. Venditio*, *numer.* 5. Reginaldus *lib.* 25. *numer.* 327. & alii.

12 Quæres 7. an aperiendi sint defectus rei vendendæ? Resp. defectus alios esse patentes, occultos alios; alios notabiles, leves alios; denique alios versari circa substantiam rei, ut cum aurichalcum pro auro venditur, vitrum pro gemma, vinum lymphatum pro mero, & similia. Alios versari circa quantitatem rei, cum videlicet non servatur numerus, justum pondus, vel mensura. Alios circa qualitatem, ut cum vinum acescens pro bono venditur, pannus vetus pro recenti, semina corrosa pro integris; aut cera medicamina, quasi habentia virtutem aliquam, quam re vera non habent, & his similia.

Dicendum 1. vendere rem habentem defectum, seu vitium notabile occultum, quo cognito emptor non emisset; si non manifestetur, est justa causa irritandi contractum, & tenetur venditor ad resarciendum damnum secutum emptori: ratio est, quia tacere vitium, quo cognito abstinuisset emptor ab emptione rei, est exercere dolum dantem causam contractui; ergo habetur caput rescindendi illum. Insuper per taciturnitatem defectus, quem ex officio aperire debebat, est causa injusta damnorum inde sequentium emptori, ergo tenetur ad illa resarcienda. Secus verò dicendum, si etiam eo cognito emptor emisset: quia non habetur dolus dans causam contractui, sed incidens in contractum; quamvis teneatur venditor ad excessum pretii, & ad damna resarcienda: quia licet contractus sit validus, injustè tamen retinet excessum pretii, & est injusta causa damnorum sequentium. Sic Rebellus *lib.* 9. *quæst.* 8. Molina *tract.* 2. *disp.* 353. *numer.* 5. Salas *de empt. dub.* 34. Aragonius 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Salonius *ibidem*, & alii passim.

Dicendum 2. si defectus non est notabils, nec reddit rem notabiliter minus utilem ad usum, pro quo requiritur, etiam si venditor celet defectum, & laudet rem suam supra meritum; imò etiam si cognoscat, emptorem non fore empturum, si defectum agnosceret; non ideò contractus erit irritus, aut tenebitur venditor ad restitutionem: ratio est, quia non supponitur notabiliter læsus emptor, adeoque non rationabiliter invitus; & nimis durum esset imponere hanc obligationem mercatoribus detegendi omnes defectus, ac vitia: grave enim sic redderetur commercium humanum: maximè quia sic usu, ac consuetudine videtur receptum. Ita Molina *tract.* 2. *disp.* 353. *numer.* 20. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 11. *numer.* 90. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 20. *pun.* 4. *concl.* 4. Navarrus *cap.* 53. *numer.* 89. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 337. & alii. Adnotandum tamen hìc: detrahendum esse de pretio rei habentis vitium non notabile, quantum vitium minuit de pretio rei, minoris enim valet cum vitio, quàm sine illo. Monendum insuper esse post contractum emptorem de vitio, ne fortè cum illo aliis vendat pluris. Denique si emptor explicet voluntatem suam non emendi rem cum illo vitio; tunc contractus nullus erit: quia celebratur sub illa conditione, quòd careat vitio illo, quæ non purificatur. Sic Doctores citati.

Dicendum 3. Venditorem interrogatum ab emptore de defectibus rei vendendæ teneri ad eos manifestandos, non solùm si notabiles sint; verùm etiam si sint leves: ratio est, quia obligatur ad hoc faciendum ex officio, aliàs daretur aditus innumeris fraudibus, & quamvis non teneatur ad aperiendum defectum levem, de quo non interrogatur, si tamen interrogetur; obligabitur ex officio ad illum aperiendum, & contractus invalidus erit eo non manifestato, si emptor cum illo non emisset: quia habetur dolus dans causam contractui. Sic Molina *loc. cit. numer.* 20. Lessius *loc. cit. numer.* 86. Rebellus *lib.* 9. *quæst.* 10. Reginaldus *loc. cit.* Sà *verb. Venditio*, *numer.* 22. & alii passim.

Dicendum 4. venditorem non teneri manifestare emptori vitium, seu defectum patentem, nisi advertat non cognosci ab emptore ex inadvertentia invincibili: ratio est, quia non minùs spectat ad venditorem talem defectum aperire, quàm ad emptorem illum cognoscere, semel ac patens est; ergo negligentiæ suæ imputet, si non advertat. Secus dicendum si ex inadvertentia invincibili non cognoscat; tunc enim defectus esset veluti occultus emptori, & si ipsi non manifestetur, contractus erit invalidus. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Molina *disp.* 353. *num.* 7. Reginaldus *lib.* 25. *numer.* 336. Navarrus *in Summ. cap.* 23. *numer.* 89. Sotus 6. *de Just. quæst.* 3. *art.* 2. Rebellus *quæst.* 10. & alii.

Ex dictis hucusque sequitur: peccare venditorem, & teneri ad restitutionem, ac ad resarcienda damna illata, si emptori petenti rem aliquam ad certum usum vendat illi rem parùm utilem. vel omnino inutilem ad usum illum. Sic venditor dans vinum emptori, aut frumentum, quæ minimè diù servari possint, cum ille quærat vinum, & frumentum diù servanda; graviter peccat, & tenetur ad resarcienda damna. Sic etiam peccat, qui vendit semina ad generationem parum apta, & utilia quærenti illa ad hunc finem; aut medicamina inutilia, & vetera quærenti utilia, & recentia.

Petes tamen hìc: quid dicendum, si quærenti vinum Syracusanum vendatur Messanense pro Syracusano absque læsione pretii? Resp. licet peccet non aperiendo defectum, nihilominus si æquè utile est ad finem intentum Messanense, ac Syracusanum; non tenebitur ad rescindendum contractum, aut ad restitutionem: ratio est, quia non fuit illatum notabile damnum, & supponimus servari justum pretium. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 11. *numer.* 89. & Bonacina alios referens *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 6. *num.* 10. 13

Petes insuper; an si vino generoso apposita fuerit aquâ, ita tamen ut non evaserit deterius eo, quod pretio currenti venditur; licite eo pretio vendi possit? Resp. quamvis nulla committatur injustitia in simili permixtione, cum non lædantur emptores nec in re, quæ utilis æquè est ad finem intentum; nec in pretio, quod æquale est; nihilominus deterrendi sunt Venditores à similibus permixtionibus tum in vino, tum in tritico, auro, argento, &c. nam lucri cupiditas facilè à Justitia deviaret vendentes: ut rectè advertunt Lopez, Medina, Lessius, Molina, Azor, Reginaldus, Valentia, & alii plures penes Bonacinam *loc. supra cit. num.* 17. 14

Quæres 8. ad quem spectent fructus rei venditæ pro medio tempore ante contractus dissolutionem? Resp. adnotando priùs, ad hoc ut emptor acquirat dominium rei emptæ, & possit percipere fructus post venditionem productos, requiri traditionem rei, nam si ipsi tradita non est, sed remanet in potestate venditoris; stat pro venditore. Requiri insuper, ut solvat pretium, aut pignus, vel fidejussorem pro ipso præstet: nam etiam si res tradita sit, & pretium designatum non sit solutum, vel pignore aut fidejussione securum; dominium non transfertur in emptorem. Sic Molina *tract.* 2. *disp.* 366. Azor 3. *par. lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 3. & alii, colligitur *ex Leg. Quod vendidi*, *ff. de contrah. empt.* Adnoto insuper: fructus alios esse pendentes tempore venditionis, ut dum venduntur arbores, vel vineæ habentes fructus pendentes; alios verò non esse pendentes, sed vel post venditionem nascuntur, aut crescunt & ad maturitatem reducuntur. His adnotatis 15

Dicendum 1. fructus tempore venditionis pendentes, sive immaturi sint, sive ad maturitatem redacti, quoad valorem, quem tunc temporis habent; spectant ad emptorem, nisi aliter statutum fuerit inter contrahentes: ratio est, quia sunt partes rei emptæ, & eodem pretio æstimantur cum re empta; ergo si res spectat ad emptorem, ad illum pariter spectabunt fructus pendentes tunc temporis. Sic constat *ex Leg. Julianus. §. si fructibus*, *ff. de action. empt.* maxime quia si res aut periret, aut fieret deterior; emptori periret, & deterior fieret; ergo si fructificat, illi fructificare debet, cum clarum sit *ex Reg. Jur. Cujus est damnum, par est, ut sit etiam commodum.* Sic Covarruvias 1. *Var.*

cap.

cap. 15. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. *num.* 109. Navarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 152. Molina *disp.* 368. *num.* 18. Rebellus *lib.* 9. *quæst.* 17. & Reginaldus *lib.* 25. *nu.* 291. Hinc fit : quòd vendens vineam tempore vindemiæ, si post venditionem uvas colligat ; teneatur minuere ex pretio valorem uvarum, nam vinea cum uvis pluris æstimata fuit ; ut bene adnotant Molina, & Rebellus citati. Sic etiam ex Reginaldo qui exposuit equum vendendum phaleratum, ac ornatum ; non poterit post venditionem ornamenta detrahere : quia tacitè censetur venditus, prout est expositus simul cum ornamentis, nisi aliter expressum fuerit inter contrahentes.

Dicendum 2. fructus qui post venditionem nascuntur, aut incrementum accipiunt, si pretium solutum sit venditori, aut pro soluto habetur ab ipso ; spectant ad emptorem : ratio est, quia res domino fructificat, sed emptor est dominus tum propter rem ipsi traditam, tum propter pretium solutum, vel pro soluto habitum ; ergo ad emptorem spectant. Si verò nec pretium solutum sit, nec pro soluto habitum, spectant ad venditorem quoad valorem acquisitum post venditionem : ratio est, quia res domino fructificare debet ; sed dominus pretio non soluto, aut pro soluto non habito est venditor ; ergo ad venditorem spectare debent, maxime quia æquitas exposcere videtur, quòd emptor non debeat frui fructibus, si venditor non fruatur pretio. Sic Covarruvias, Lessius, Molina, Gomez, Rebellus, & alii, quos refert Bonacina, *de Contr. disp. 3. quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 4.

Petes hìc : an si res tradita sit emptori, & fructus ejus percipiat dilata solutione pretii ; teneatur solvere usuras pretii pro fructibus perceptis ? Resp. præcisè ob dilationem solutionis non debere solvere usuras pretii ; esset enim aperta usura illicita. Quod si hoc pacto convenirent à principio contrahentes inter se, tunc teneretur emptor solvere usuras pretii venditori ob dilationem, si aliquod lucrum ei cessaret, aut incommodum subiret. Secus verò dicendum, si nec lucrum ei cessaret, nec incommodum pateretur ; perciperet enim usuras illas ratione puræ dilationis, quod est damnata usura. Sic probabiliùs Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. *num.* 109. referens Sylvestrum, Mayronium, D. Bernardinum Senensem, Rosellam, & Archidiaconum testantem esse communem Theologorum. Sic etiam Vasquez, Garzias, Turrianus, & plures alii apud Salonium *de Censib. art.* 6. *numer.* 3. qui hanc sententiam probabilissimam putat, quidquid in contrarium statuat Jus Cæsareum, cujus non est licitas reddere usuras, quamvis illud sequantur Doctores magni nominis.

Dicendum 3 si contractus dissolvatur mutuo consensu contrahentium, quia apponitur novum pactum, vel alia ex causa pœniteat contractum iniisse ; sicuti etiam si dissolvatur remedio *Legis* 2. *Cod. de recind. vendit.* quia venditor deceptus fuit ultra dimidium justi pretii ; tunc fructus medii temporis ad emptorem spectant : ratio est, quia res domino fructificare debet, sed pro illo medio tempore emptor est dominus ; ergo ad emptorem spectare debent : nam valida est emptio, & sufficiens ad transferendum dominium, & sufficiens ad transferendum dominium in læsione ultra dimidium justi pretii, esto Lex concedat facultatem rescindendi contractum, & esto teneatur emptor solvere defectum justi pretii. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 122. Gomez *cap.* 2. *Var. numer.* 24. & Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 7. *num.* 8. & 9.

Dicendum 4. si contractus nullus fuit ab initio, sed ejus invaliditas cognita fuerit transacto temporis intervallo, tunc fructus hujus medii temporis spectant ad venditorem : ratio est, quia non fuit ab illo abdicatum dominium, & res domino suo fructificat. Tenebitur tamen emptor ad restitutionem juxta communes regulas si bona, vel mala fide processerit in percipiendis illis ; ut asserunt communiter Doctores.

16 Quæres 9. an emptio, & venditio licitæ sint cum pacto redimendi, vel retrovendendi ? Resp. pactum hoc apponi posse in gratiam venditoris, vel emptoris, aut utriusque. Si pactum de retrovendendo apponatur in gratiam solius venditoris, licitum erit concurrente justo pretio : nam res cum hoc pacto minus valere solet, quàm sine illo valeret : ratio est, quia nulli est injuriosum, ergo licitum erit, maximè quia contractus census, qui cum pacto retrovendendi saltem implicito celebrari solet, usu communi receptus est, ac approbatus à Pontificibus, & *Levitici* 15. conceditur facultas redimendi possessiones venditas. Est communis sententia. Si verò apponatur in gratiam solius emptoris, etiam licitum erit concurrere justo pretio, nam sic res pluris valere solet, quàm alioquin valeret sine tali pacto : ratio est quia nulli est injuriosum, & sicuti apponi potest in gratiam solius venditoris diminuto pretio ob gravamen, quod subit emptor ; ita apponi poterit in gratiam emptoris aucto pretio ob gravamen, quod subit venditor. Sic Molina *tract.* 2. *disp.* 377. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 14. *num.* 113. Azor. 3. *par. lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 1. Garziaz *cap.* 2. *de Contr.* & Covarruvias *lib.* 3. *Var. cap.* 9. *numer.* 3. referens Medinam, Majorem, Imolam, Alexandrum. Si denique apponatur in gratiam utriusque, itaut in potestate venditoris sit redimere, & emptoris revendere prout ipsis libuerit ; tunc etiam licitum erit semper concurrente justo pretio : ratio eadem est ac in supradictis, quia nulli est injuriosum, & æquale onus subeunt contrahentes. Hinc sequitur, licitum esse contractum illum, qui passim occurrit, ut Titius vendat domum mille aureis Cajo cum hoc pacto, ut Titius possit domum repetere solutis mille aureis, & Cajus possit mille aureos repetere restituta Domo. Sic Molina, Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 3. *numer.* 7. Advertendum hic : varias requiri conditiones, ad hoc ut pactum supradictum licitum sit. 1. est justum pretium, ut toties dictum est. 2. est, ut habeatur vera intentio emendi, & vendendi, non verò animus palliandi usuras. 3. ut fructus pertineant ad emptorem, qui acquisivit dominium rei emptæ : ut rectè adnotant Doctores citati.

Petes : an illicita sit venditio rei credita pecunia pretio rigoroso, & emptio ejusdem à vendente facta numerata pecunia pretio infimo, & pio, quem contractum Hispani vocant Mohatram ? Resp. si nullum præcessit pactum retrovenditionis, quod jure merito damnatum fuit ab Innocentio XI. in 40. ex Propositionibus à se proscriptis ; per se loquendo licitum esse, nisi aliud urgeat Charitas : ratio est, quia & venditio justa est, cum fiat pretio justo, licèt rigoroso ; Et emptio pariter justa, cum fiat pretio justo, licèt infimo. Sic Navarrus, Navarra, Rebellus, Salon, Armilla, Sylvester, Reginaldus, Azor. Filliuccius, Lessius, Toletus, Garziaz, & Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 2. *pun.* 3. *num.* 20.

Quæres 10. an possit aliquis sibi retinere ex pretio id, quo pluris rem vendidit, aliunde taxatam in pretio à Domino ? Resp. si aliunde mercedem habet pro venditione, vel quia tenetur ex officio vendere, ut sunt famuli Mercatorum, vel denique quia gratis officium istud suscepit præstandum ; non posse sibi retinere : ratio est, quia nequit afferri caput licitam reddens hanc retentionem ; non enim ratione rei venditæ, quia hæc spectat ad alium ; non ratione venditionis, ac laboris insumpti in ea præstanda, quia jam mercedem accipit, vel gratis se exhibuit ad hoc præstandum ; ergo nequit afferri caput licitam faciens retentionem. Nec favet taxa facta, quia præsumendum est fieri à Domino, ne inferiùs res sua vendatur, non verò supra taxam. Sic Sylvester *verb. Emptio, quæst.* 24. referens Archidiaconum. Sic etiam Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 19. & alii. 17

Petes : an possit eam rem sibi emere pretio taxato à Domino, & postea pluris eamdem vendere aliis ? Resp. si ei dominus mandavit vendere quanti intra latitudinem justi pretii inveniret, non posse eam sibi emere pretio taxato, si fortè reperiret offerentem plus supra pretium taxatum, ad quam diligentiam præstandam tenetur in conscientia, quamvis eodem pretio oblato posset eam sibi emere. Si verò dominus determinavit ita pretium, ut ex circumstantiis colligatur non requirere plus ; poterit famulus eam sibi emere, & aliis eamdem vendere pluris : ratio est, quia rem suam vendit, & nemo tenetur alteri restituere lucrum ex re sua reportatum. Sic Lessius *l. c.* cum aliis.

Quibus prohibita sit Negotiatio ? Negotiatio, quæ nihil aliud est, nisi emptio rei alicujus eo animo, ut integra, & immutata vendatur cariùs lucri causa, ut habet D. Chrysostomus *homil.* 38. *in Matth.* & refertur *in Cap. Ejiciens, dist.* 88. complectitur ultra venditionem permutationem, nam permutando negotiatio exerceri potest, ut fit apud Barbaros ; & Campsores permutatione pecuniæ negotiantur. Ex genere suo non est illicita Negotiatio, sed potiùs indifferens : nam referri 18

potest

potest ad finem bonum, malum, aut indifferentem, ut rectè probat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. quem sequuntur alii Doctores.

Quamvis Negotiatio licita sit ex genere suo, si debito modo fiat; prohibita tamen est Clericis Sacris Ordinibus initiatis, vel habentibus beneficium, & multo magis Religiosis, cum dedecere videatur eorum statum, ut constat *ex Cap. ult. de Vit. & honest. Cleric. & Cap. Secundum, Ne Cleric. vel Monach.* Quapropter graviter peccabunt, si negotiationem exerceant, cum violent prohibitionem in re gravi. Hoc tamen intelligendum erit, non si semel negotientur, sed si sæpius; nam negotiari frequentiam denotat, quæ non habetur per unicum actum; ut docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 4. *in fin.* & Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 1. *pun.* 5. *num.* 18.

Advertendum tamen hìc 1. non esse prohibitum Clericis, si materiam aliquam emant, ex qua aliquod artefactum conficiant, quod postea vendant: nam hoc non est negotiari, ut habet D. Chrysostomus citatus, sic enim olim Eremorum incolæ sanctitate prædìti sportas vendebant, ex quarum pretio, se sustentabant. Insuper posse Clericos, idem dicendum de Monachis, agros proprios colere, ut fructus inde perceptos vendant; lapides, metalla, & similia eruere ex suis fundis, ut sic etiam immutata vendant; greges in propriis pascuis alere, ut fœtus, lac, lanam vendant; posse quoque vitulos emere, ut in suis pascuis adultos, & saginatos vendant: hæc namque omnia censentur fructus, vel quasi fructus propriorum agrorum, nec speciem ullam negotiationis sapiunt. Sic Medina *Cod. de Rest. quæst.* 3. *caus.* 2. Molina *disp.* 342. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *n.* 5. Cardin. Delugo *disp.* 26. *sect.* 3. *num.* 29. & alii passim. Non posse verò agros, & aliena prædia conducere, vel similes res fructiferas, ut postea perceptos fructus vendant, & lucrum reportent: nam licèt hoc negotiari non sit rigorosè dictum, nihilominus specialiter prohibetur *in Concil. Carthag.* 1. *&* 4. sicuti etiam prohibetur ibidem Clericis, ne administrationem, vel procurationem Domus sæcularis suscipiant. Non prohibetur tamen conductio alieni prædii, si necessarium sit ad sustentationem proprii gregis, vel ad alios usus; esto fructus inde percepti, si superflui sint ad propriam sustentationem, & usum; vendantur, secluſa semper aviditate lucri reportandi, quæ indecora est statui Clericali.

Advertendum 2. posse Clericum absque ulla culpa negotiationem exercere per alium, ut si consanguineo, amico, aut fido Mercatori nummos tradat, ut justum lucrum ex suis nummis reportet, vel per contractum societatis, aut alio pacto cum aliqua semper justa cautela; nam hoc efficere ob lucrum tantum percipiendum, non putat licitum Lessius *loc. cit. num.* 6. *in fin.* quia videtur dedecere statum ecclesiasticum: ratio autem cur possit per alium licitè negotiari est, quia negotiatio personalis est interdicta Clericis, & Monachis, ut patet *ex Clement.* 1. *de Vit. & honest. Cleric.* nec potest afferri caput, in quo negotiatio per alium prohibita sit, maximè quia cessat finis prohibitionis, dum per alium exercetur, nempe indecentia status, & distractio ad terrena. Sic Medina relatus à Lessio *l. c.* sic etiam Salon, Aragonius, Turrianus, Salas, Valentia, Sà, Rodriquez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput.* 3. *quæst.* 1. *pun.* 5. *n.* 19.

CAPUT VII.

De Mutuo, & Usura.

1 *Definitur Mutuum, & explicatur ejus definitio.*
2 *Mutuum, aliud expressum, & formale; aliud tacitum, & virtuale.*
3 *Quam obligationem habeant Mutuans, & Mutuatarius?*
4 *Definitur usura, & explicatur ejus definitio.*
5 *Usura alia Realis, & externa; alia Mentalis, & interna. Insuper alia expressa, & formalis; alia implicita, & Virtualis.*
6 *An illicitum sit sperare lucrum ex mutuo?*
7 *Quid faciendum, si Mutuatarius det aliquid ultra sortem mutuanti, qui dubitet, quo animo detur?*
8 *Usura sive importet contractum usurarium, sive lucrum ex illo reportatum, sic censetur illicita, & prohibita; ut sustinere oppositum sit hæreticum.*
9 *An quacumque obligatio imposita Mutuatario sit illicita, & usuraria?*
10 *An contractus mutui, & permutationis censendus sit juxta valorem rerum; an verò juxta substantiam, numerum, quantitatem, vel mensuram?*
11 *An liceat aliquid supra sortem accipere in mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?*
12 *An ratione periculi sortis recuperandæ, aut difficultatis, vel expensarum liceat aliquid supra sortem accipere?*
13 *An liceat apponere pactum in mutuo, quòd si Mutuatarius tempore statuto non solvat, aliquid in pœnam solvere debeat supra sortem?*
14 *An ratione obligationis non repetendi mutuum ante tempus à Mutuatario statutum liceat aliquid supra sortem accipere.*
15 *An qui pignus accepit ob mutuum, teneatur fructus ex pignore acceptos in sortem deputare?*
16 *An licitum sit pactum in mutuo, quòd pignus traditum in securitatem sortis fiat mutuantis, vel ut venditum habeatur, si mutuum tempore statuto non restituatur?*
17 *An Mutuans bona fide per contractum aliàs usurarium, quem non feciſſet, si ut talem cognoviſſet; possit cognita veritate rei ratione lucri cessantis tantum sibi retinere, quantum contractu justo lucratus fuisset?*
18 *An Montes Pietatis liciti sint, & immunes à labe usuræ?*
19 *An Usurarius acquirat dominium usurarum?*
20 *Quinam cooperantes ad usuras teneantur ad restitutionem?*
21 *An licitum sit petere mutuum sub usuris?*
22 *Quanam pœnæ constitutæ sint contra usurarios?*

MUTUUM quamvis aliquando accipiatur pro re 1
ipsa, quæ mutuatur, & sic dici solet dari, vel reddi mutuum; hìc tamen accipitur pro mutuatione ipsa. Mutuum ita acceptum sic definiri solet: est traditio rei numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione restituendi similem in specie, & bonitate. Colligitur *ex Leg.* 2. *ff. Si certum petatur, & ex Instit. Quibus modis rei contrah. obligat.* Requiritur ergo ad mutuum traditio rei, sicuti ad donationem, commodatum, & depositum, & ita distinguitur à reliquis contractibus, qui verbis perficiuntur absque traditione rei, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, & similes. Differt tamen à commodato, & depositò, quia per hos contractus non transfertur dominium; sicuti etiam à donatione, quæ licèt transferat dominium; non inducit tamen obligationem reddendi similem in specie. Requiritur insuper, quòd res mutuata constet ex ponderè, numero, vel mensura, sive de reliquo usu consumptibilis sit, sive non: nam possunt mutuari aurum argentum, pecunia, quæ usu non consumuntur. Nec obligatio inducta per mutuum restituendi rem est ad eamdem numero, aliàs esset commodatum non mutuum; nec ad specie diversam, aliàs esset permutatio; sufficit ergo, quòd res restituenda sit similis in specie, & bonitate. Requiritur tandem animus in mutuante transferendi dominium rei in mutuatarium: nam mutuum secundum ipsum nomen importare videtur, quòd mutuans, dum mutuat, quasi mutuatario dicat: quod tibi do, ex meo fiat tuum, cum obligatione tamen superiùs dicta restituendi similem in specie, & bonitate, ut ex Legibus citatis colligitur.

Mutuum aliud est expressum, & formale; aliud ta- 2
citum, & virtuale. Expressum, & formale dicitur, cum quis dat pecuniam, aut triticum, vinum, oleum ad mutuum. Tacitum verò, & virtuale cum virtute imbibitur in aliis contractibus, ut si quis equum venderet pluris ob concessam solutionis dilationem ad terminum præfixum; in quo casu videtur tacitè, & virtualiter mutuare pretium emptori usque ad statutum tempus: ut rectè habet Molina *disp.* 313.

Mutuans obligatur in conscientia monere Mutuatarium 3
de vitio rei mutuatæ, aliàs obligabitur ad resarcienda damna inde sequentia. Nec poterit ante tempus statutum mutuum repetere, nisi fortè in pari necessitate constitutus sit. Mutuatarius verò obligabitur ex vi contractus, imò ex jure naturæ mutuum restituere. Quamvis ex privilegio Juris positivi aliquibus concedatur immunitas à tali obligatione. Hoc privilegio gaudent filii familias, qui

non

non creduntur esse sui Juris, nec habere bona castrensia, vel quasi castrensia *ex Leg. 1. Cod. ad Macedonium*: nam si illis detur pecunia mutua; non tenentur ad restitutionem; non verò si dentur aliæ res mutuæ, ut oleum, vinum &c. Hoc tamen intelligendum erit in foro externo, non verò interno; tenentur siquidem in conscientia ad mutuum solvendum data opportunitate solvendi, cum Jura prædicta licèt deobligent civiliter, non possunt tamen deobligare naturaliter, ut docent Covarruvias, Rebellus, Reginaldus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. punct. 1. num. 6. in fin.* quamvis probabiliter oppositum doceant Gomez, Molina, Lessius, & alii. Conceditur quoque Ecclesiæ, Locis piis, Oppidis non teneri ad restitutionem mutui, nisi à mutante probetur, conversum fuisse mutuum in utilitatem Ecclesiæ, loci pii, & Oppidi. Sic habet *Lex Civitas, ff. si certum petatur, & Leg. 1. Cod. de Solut.* Extenditur hoc privilegium ad minores, qui non tenentur mutuum solvere à Tutore, vel Curatore acceptum; nisi mutuans probet, in utilitatem minorum conversum fuisse. Sic habet *Lex. 3. Cod. Quando ex facto Tutoris*, & docent Molina, Lessius, Rebellus, Reginaldus, Gomez relati à Bonacina *loco citato*.

4 Usura secundum nomen, quod importat; tripliciter accipi potest. 1. pro lucro usurario reportato ex mutuo. 2. pro ipso contractu usurario. 3. pro voluntate contrahendi usurariè. Primo modo accepta, & de qua hìc nobis sermo est; definiri solet communiter: est lucrum immediatè proveniens ex mutuo. Quæ definitio usuræ, ut verificetur, tria requiruntur. Et 1. lucrum, seu acquisitio rei supra sortem pecunia æstimabilis, & aliàs indebitæ. Nam si quis mutuet alteri, ut desinat nocere, ut solvat debitum, aut depositum reddat, vel ut acquirat ejus amicitiam, vel patrocinium; non ideo usuram committet, cum nil supra sortem acquirat. 2. quòd lucrum immediatè proveniat ex vi contractus mutui, seu pacti mutuationis: quapropter si immediatè proveniret ex amicitia, vel gratitudine mutuatarii, vel quia sic vult mutuantem allicere ad mutuum continuandum; usura non erit, cum non immediatè proveniat ex vi pactionis mutui, nec mutuans intenderit obligare ex vi pacti mutuatarium ad hoc efficiendum. 3. quòd lucrum proveniat ex mutuo; nam etiam si lucrum sit injustum, sed tamen illud non reportat ex mutuo; non ideo usuram committere dicitur: sic vendens rem suam supra justum pretium, peccabit quidem contra Justitiam, sed usuram non committet. Vide Lessium *lib. 2. cap. 20. dubit. 3. à num. 19.*

5 Usura multiplex est alia Realis, & externa; alia mentalis, & interna. Realis illa dicitur, quando in mutuatione apponitur pactum saltem implicitum reddendi aliquid supra sortem, seu summam Capitalem. Mentalis verò quando nullum pactum apponitur à mutuante exteriùs, quamvis interiùs, ac mente intendat lucrum ex mutuo reportare. Insuper alia est expressa, & formalis, quando scilicet exprimitur in pactione mutui lucrum ab ipso reportandum; alia implicita, & virtualis, quando scilicet virtute imbibitur in ipso contractu inito: ut si quis vinum, triticum, equum, aut aliud venderet supra justum pretium credita pecunia præcisè ob solutionis dilationem: nam venditor implicitè mutuat justum pretium emptori, & supra justum pretium exigit illud plus, quod virtualiter, & implicitè est usura.

6 Dubitabis hìc: an illicitum sit sperare lucrum ex mutuo, itaut usura mentalis committatur ab eo, qui mutuat eo animo, ut lucrum reportet supra sortem traditam? Resp. illicitum esse, ac usurarium sperare principaliter, aut minùs principaliter lucrum reportare immediatè ex mutuo, tamquam sibi debitum ex obligatione justitiæ: ratio est, quia velle tale lucrum accipere, ac sibi retinere est velle accipere, & retinère alienum, quod planè illicitum, & injustum est; nam per mutuum transfertur jus in mutuatarium, adeoque mutuans nullum jus acquirere potest ad tale lucrum; nec mutuatarius obligationem in se contrahit ad illud dandum; ergo illicitum erit illud sperare, si illicitum est illud accipere; erit quoque usurarium utpote ex mutuo immediatè proveniens. Ita definitum est ab Urbano III. *in Cap. Consuluit, de usur.* his verbis: Qui mutuat, aliàs non mutuo daturus, eo proposito, ut licèt omni conventione cessante, plus tamen forte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, quam habet, judicandus est malè agere. Secus verò dicendum, si speretur lucrum mediante amicitia, gratitudine, vel liberalitate mutuatarii; itaut non immediatè speretur ex vi mutui, esto lucrum principaliter, vel minus principaliter speretur, aut sit causa impulsiva mutui: ratio est, quia tale lucrum datum mutuanti à mutuatario ex amicitia, gratitudine, vel liberalitate, nec est illicitum, nec iniquum; ergo illud sperare sive principaliter, sive minùs principaliter nec erit illicitum, nec iniquum ob prædicta media: non enim acciperetur invito domino, quia ad illud non obligaretur. Sic Sotus *lib. 6. quæst. 1. art. 1.* Navarra *lib. 3. de Restit. cap. 2. nu. 198.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 5. n. 37.* Molina *tract. 2. disp. 305.* Turrianus *disp. 61. n. 1.* & Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 2. num. 5.*

Petes: quid faciendum, si Mutuatarius det aliquid 7
ultra sortem mutuanti, qui dubitet, quo animo sibi detur, an ex amicitia, liberalitate, aut gratitudine; an verò involuntariè, ex verecundia, aut timore, ne imposterum deneget mutuum? Resp. si mutuans dubitet sive positivè, sive negativè, hoc est si habeat paria motiva pro utraque parte; vel nullum motivum habet probabile, quod datum fuerit liberaliter; non poterit datum à mutuatario supra sortem sibi licitè retinere: ratio est, quia cum tali dubio nequit rei possessionem inchoare, nisi dubium deponat, & omnibus perpensis remaneat quasi moraliter certus, gratis donatum fuisse, cum præcavendum sit periculum committendi usuram. Si verò ex circumstantiis constet, gratis, & liberaliter donatum fuisse, vel quia mutuans nullum signum petendi dedit, vel quia mutuatarius dedit animo hilari, non præseferens signum tristitiæ, aut ab omnibus reputetur gratus, & liberalis; tunc deposito dubio poterit mutuans donatum sibi licitè retinere absque labe usuræ. Sic Covarruvias *ad Regul. Peccatum, par. 2. numer. 4.* Cajetanus *tom. 2. opusc. 8. quæs. 3.* Lessius *libr. 2. cap. 20. dub. 6. numer. 45.* Filliuccius *tract. 34. cap. 5. quæs. 1. num. 27.* & Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 2. num. 11.*

Usura, sive importet contractum usurarium, sive 8
lucrum ex illo reportatum, sic censetur illicita, & prohibita, ut hæreticum sit oppositum sustinere: ita definitum est *in Concilio Viennensi* sub Clemente V. & meritò: nam omnia Jura clamant contra illam; Jus siquidem naturale docet, non posse aliquem rem suam bis vendere; aut vendere id, quod suum non est, quod planè usurarius efficit, ut rectè demonstrat Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 4. numer. 26.* Jus Divinum statuit *Psalm. 14.* Non habitaturum in Monte Sancto Domini eum, qui pecuniam suam dederit ad usuram, *& Luc. 6. Benefacite, & Mutuum date, nihil inde sperantes*, nempe ultra sortem, ut explicat Urbanus III. *in Cap. Consuluit, de Usur.* Jus denique positivum Ecclesiasticum eas prohibet, ac damnat non solùm in citato Concilio Viennensi, verùm etiam *in toto Titulo Decretalium de Usuris*. Et Jus Cæsareum si aliquando usuras permisit, abrogatum fuit quoad hoc in citato Concilio, quia opponebatur Juri Divino, & naturali. Ex quo deducitur, nec Prælatos Pontifice inferiores, nec Pontificem ipsum posse dispensare in Usuris, utpote repugnantibus Juri naturali, & Divino: quamvis possint eas permittere ad vitanda majora mala, & concurrente justa causa, ut multa alia peccata permittuntur ob similia motiva, ut rectè probat Salas *de Usuris, dub. 4. n. 3.*

Quæres 1. an quæcumque obligatio imposita Mu- 9
tuatario sit illicita, & usuraria? Resp. omnem obligationem, & conventionem in contractu mutui quasi ex justitia, quæ importet onus pretio æstimabile; esse illicitam, & usurariam, si ad illud onus aliàs non tenebatur Mutuatarius: ratio est, quia importat lucrum immediatè proveniens à mutuo, cum sit acquisitio rei pretio æstimabilis immediatè ob mutuum, absque libertate Mutuatarii; ergo illicita erit, & usuraria. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 78. art. 2.* quem sequuntur Azor. Molina, Salonius, Bannez, Aragonius, & alii penes Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 3. num. 1.*

Hinc colligitur 1. illicitum, & usurarium esse mutuare cum pacto, & obligatione præstandi officium aliquod, sive à lingua, ut esset allegare causam suam, alloqui Principem, vel Judices, canere &c. sive ab obse-

obsequio, ut esset comitari mutuantem, vel alia officia particularia ei exhibere; sive à Manu, ut esset fodere in vinea, agrum colere, domum conducere, vel sibi locare, & similia. Sic Doctores superiùs citati propter eamdem rationem, quia sunt onera pretio æstimabilia, ad quæ non tenetur Mutuatarius.

Colligitur 2. mutuare cum obligatione, ut Mutuatarius conferat Mutuanti privilegium aliquod, vel officium, aut beneficium, etiam si Mutuans illis dignus sit, aut alius ab eo propositus; usurarium esse, imò tertium simoniacum: ratio est, quia imponitur obligatio ex justitia, & vi mutui pretio æstimabilis. Sic Molina, Reginaldus, Salon, Aragonius, Salas, Filliuctius, & alii relati à Bonacina *disp. 3. de Contr. quæst. 2. pun. 3. num. 4.*

Colligitur 3. mutuare triticum, vinum oleum eo pacto, ut non restituantur, nisi eo tempore, quo pluris æstimantur; esse usurarium: quia ex vi contractus mutui obligatur Mutuatarius ad dandum mutuanti supra sortem lucrum incrementi pretii. Sic habetur *in Cap. Naviganti, de usuris.* Modò tamen mutuans non statuerit, illa reservare vendenda tunc temporis, & solùm in gratiam Mutuatarii mutuet; sic enim ipsi lucrum cessaret, ut recte advertunt Doctores.

Colligitur 4. usurarium esse mutuare cum obligatione ex justitia remutuandi sive de præsenti, sive de futuro: ut esset, si tibi mutuarem pecuniam cum obligatione, ut mihi remutues statim triticum, vinum, oleum; aut si tibi mutuem pecuniam cum eadem obligatione ex justitia, ut mihi remutues in futurum. Sicuti usurarium erit, obligare ex justitia in mutuo, ut accedas ad meum molendinum, officinam, scholam &c. ratio est, quia imponitur ex vi mutui onus pretio æstimabile, ad quod non teneris aliunde.

Idem dicendum, si hæc eadem obligatio apposita fuerit ex gratitudine, & benevolentia: eo quia militant eadem inconvenientia, & absurda, quæ militant pro obligatione ex justitia: quapropter utraque obligatio erit illicita, & usuraria, si exigatur à Mutuatario, cum utroque modo aggravet supra sortem Mutuatarium, & aditus magnus aperiretur usuris, ut patet consideranti. Hinc est, quòd si usura sit obligare ex justitia, & ex vi contractus mutui Mutuatarium ad remutuandum aliquid mutuanti, vel ad accedendum ad ejus pistrinum, ad merces emendas in ejus officina, ad ejus scholam frequentandam, & similia; usurarium pariter erit eumdem mutuatarium ad hæc obligare ex gratitudine, & benevolentia, dum liberum non sit Mutuatario oppositum efficere, hoc enim importat exigere, & obligare; erunt unum, & idem quoad gravamen illatum Mutuatario. Ideo jure optimo Innocentius XI. damnavit Propositionem illam 42. ex damnatis à se, asserentem: Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum. Et quamvis non negem obligationem antidoralem in Mutuatario, qua gratum se exhibere debeat Mutuanti; nihilominus hæc obligatio non adstringit Mutuatarium ad aliquod lucrum temporale dandum; sed solùm ad exhibenda signa gratitudinis verbis, vel factis pro suo arbitrio. Vide Cardenas *dissert. 25. capit. 6. propos. 42. num. 59.*

E contra tamen usurarium non erit mutuare cum pacto ineundi contractum pignoris, vel hypothecæ ob securitatem ipsius mutui: ratio est, quia non apponitur onus, ad quod non teneatur Mutuatarius; Mutuans siquidem non tenetur mutuare cum periculo amittendi sortem suam; ergo Mutuatarius obligationem habet reddendi immunem Mutuantem à tali periculo. Sic Navarrus *in Summ. cap. 17. numer. 269.* Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 3. numer. 12.* & alii ab eo relati. Secus verò usurarium erit, si Mutuans obliget Mutuatarium ad fidejubendum pro ipso mutuante, cum imponat onus pretio æstimabile, ad quod Mutuatarius non tenetur. Sic Molina, Salon, Aragonius, Navarrus, & alii apud Salas *de usuris dubio 11. num. 1.*

Nec usurarium erit mutuare cum obligatione reddendi, quod sibi debetur ex justitia, cum non imponatur obligatio Mutuatario, quam antea non habebat. Usurarium tamen erit obligare ad id, quod debetur ex Charitate: & ratio est, quia imponitur onus ad resarcienda damna inde sequentia ex omissione operis illius, ad quod antea non tenebatur Mutuatarius. Sic Covarruvias, Rebellus, Molina, Reginaldus, & Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 3. num. 15.*

Usurarium denique non erit mutuare cum animo, ut Mutuatarius cesset ab odio, quo Mutuantem prosequitur, vel ab injusta vexatione sive propria, sive aliena; aut ab injusta satisfactione, quam requirit: ratio est, quia Mutuatarius nullum jus habet ad illa, nec Mutuans sic aliquid pretio æstimabile lucratur supra sortem. Secus verò dicendum, si actio sit justa, & justa satisfactio, quæ à Mutuatario requiritur: nam & jus habet ad illas, & imponitur ipsi onus pretio æstimabile, quod antea non habebat. Sic Molina *disp. 307. num. 3.* Rebellus *quæst. 4. num. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 7. num. 48.* Navarrus *in Summ. cap. 17. num. 238.* Navarra, Reginaldus, Aragonius, & Salas penes Bonacinam *l. c. num. 16.*

Quæres 2. an contractus Mutui, & permutationis censendus sit juxta valorem rerum, an verò juxta earum substantiam, numerum, quantitatem, vel mensuram, si aliud expressum non fuerit? Resp. *si in contractu mutui aliud deductum non fuerit in pactum*; censendus erit juxta valorem rerum: ut si triticum detur mutuum, qnod tempore acceptionis valet quinque aureis pro singulis modiis, itaut decem *modii valeant* quinquaginta aureis; & tempore restitutionis valeat sex aureis pro singulis modiis; *non restituendi erunt* decem modii, sed octo circiter, qui tunc temporis adæquant sortem acceptam quinquaginta aureorum. Et è converso si tempore restitutionis minoris valeat triticum, augendi erunt *modii* supra decem acceptos: ratio est, quia sic melius servatur æqualitas inter datum, & acceptum, itaut nullus ex contrahentibus damnum reportet, quod aliquando reportaretur, si non attenderetur ad valorem rerum, sed ad earum substantiam, numerum, quantitatem, & mensuram, ut patet *in casibus* superiùs adjectis. Sic Navarra *lib. 3. cap. 2. num. 252.* Molina *disp. 311.* Rebellus *lib. 8. quæst. 8. num. 4.* Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. punct. 5. num. 21.* eamdem sententiam approbat Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 17. num. 149.* quamvis oppositam tueantur idem Lessius, Sotus, Azor. & alii putantes, attendendam esse æqualitatem rerum, non valoris, cùm hæc sit conditio Mutui puri. Verùm non recedendum est à prima sententia, quæ magis servat æqualitatem inter contrahentes, & servat eos indemnes, quod etiam respiciendum erit in mutuo, cujus est nec lædere Mutuantem, nec Mutuatarium: maximè quia hoc non conceditur ab adversariis in pecunia, cujus semper valor attendendus est in mutuo, si aliud non deductum fuerit in pactum; ergo cur non in cæteris rebus mutuabilibus? Si verò deductum fuerit in pactum, restituendam esse rem secundum eamdem quantitatem, vel mensuram. Hoc servandum erit, dummodo æquale periculum incrementi, vel decrementi valoris, & pretii subeant contrahentes, aliàs contractus erit injustus, non enim par esset utriusque conditio: ut si mutuans certus moraliter sit, decem modios tritici, quos nunc tradit; pluris valituros tempore restitutionis: idem dicendum de pecunia, quam scit augendam in valore tempore restitutionis; injustum inibit contractum, & usurarium, ut habetur *in Cap. Naviganti, de usuris*, & passim Doctores tradunt. 10

Quæres 3. an liceat aliquid supra sortem accipere in Mutuo ratione damni emergentis, vel Lucri cessantis? Resp. 1. licitum esse ratione damni emergentis aliquid supra sortem accipere: ut si quis ob mutuum præstandum pateretur damnum in rebus suis, quas habet, vel quæ sibi debentur: sic esset, si cogeretur pecuniam accipere ad usuram, vel res suas minoris vendere, aut domum corruentem non posse reparare, vel litem relinquere, qua sperabat rem aliquam possidere &c. dummodo tamen habeantur hæ conditiones. 1. quod damnum emergat ratione mutui, itaut mutuans non possit aliunde illud reparare, nec ex alia culpa Mutuantis proveniat. 2. ut de illo admoneatur Mutuatarius, ne fortè se deceptum existimet; & tempore contractus deducatur in pactum. 3. ut non deducatur in pactum aliud supra damnum emergens, cum sic non acciperetur ratione damni emergentis. Quòd autem his servatis conditionibus licitum sit aliquid supra sortem accipere ratione damni emergentis, probatur ex eo, quia res non æstimanda erit secundum suam substan- 11

tiam

tiam præcisè, sed etiam secundum commodum, quod domino affert, & quo eum privat; ergo pluris censenda erit, quàm si nudè consideraretur: ergo licitè illud plus deduci poterit in pactum in contractu mutui: maximè quia æquitas ipsa expoſcit, ut mutuans ex beneficio mutui non reportet damnum. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 1. quem sequuntur Salon, Bannez, Aragonius, Molina, Lessius, Navarrus, Reginaldus, Rebellus, Azor. Salas, Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst. 3. punct.* 4. *numer.* 2. Quamvis oppositum docuerit Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. eo quia Lex Divina præcipit, ne aliquid supra sortem exigatur. Verùm communis responsio est, Legem Divinam præcipere, ne ratione mutui aliquid supra sortem exigatur, non verò ratione damni, quod mutuanti emergit ratione mutui, quod præstat, cum nemo teneatur grave damnum pati ex Charitate, quam alteri præstat cum emolumento ipsius.

Adnotandum hìc: quòd si Mutuans non deduxerit in pactum in principio contractus reparationem damni sibi emergentis ob mutuum; non tenebitur Mutuatarius ad illud resarciendum: eo quia non tenetur ratione pacti, nec ratione acceptionis mutui, cum justè acceperit; aliunde si sciviſſet tale onus, forsitan non accepiſſet Mutuum; ergo non tenebitur ad reparandum damnum ex mutuo emergens. Nisi fortè Mutuatarius sit in mora culpabili: dicitur autem esse *in* mora culpabili, dum elapso termino præfixo ad restitutionem mutui non restituit, cum possit, advertens ad talem restitutionem sive explicitè sive implicitè. Nec requiritur, ut Mutuans interpellet pro restitutione, cum satis pro ipsa interpellet dies constitutus: ratio autem, cur pro mora culpabili teneatur Mutuatarius ad damnum emergens, est, quia injustè omittit solutionem, ex qua omissione emergit mutuanti damnum illud; ergo tenebitur ad illud reparandum, cum sit causa injusta illius: maximè quia *ex Leg.* 2. *§. non utique, & ex Leg.* 4. *ff. de eo, quod certo loco*; quando in contractibus constitutus est terminus solutionis, tacitè initur pactum, quòd *non* solvens teneatur ad interesse proveniens ex dilata solutione. Sic Navarrus *in Summ. capit.* 17. *numer.* 211. Molina *disput.* 314. *numer.* 6. Lessius *lib.* 2. *capit.* 20. *dub.* 10. *numer.* 69. Navarra *capit.* 3. *numer.* 282. Bannez *quæst.* 78. *art.* 2. Bonacina *de Contract. disput. 3. quæst. 3. punt.* 4. *numer.* 4. referens Salonium, Reginaldum, Azorium.

Resp. 2. licitum pariter esse ratione lucri cessantis aliquid supra sortem exigere in Mutuo, ac de eo paciſci initio contractus, concurrentibus tribus conditionibus explicandis. Dicitur autem lucrum cessare Mutuanti, quando ratione mutui impeditur à consecutione lucri, quod reportare poterat ex pecunia, vel alia re mutuo data, ut si quis haberet pecuniam designatam ad negotiationem, vel possessiones emendas, & eam vel sponte, vel jussu Principis, aut metu, & fraude daret mutuam. Conditiones verò requisitæ ad reddendum hoc pactum licitum hæ sunt. 1. Ut revera lucrum cesset ex vi Mutui, & quòd lucrum sit in spe certa, vel saltem probabili: quapropter si mutuans mille aureos, quos negotiationi destinaverat, reservet sibi alios mille aureos otiosos; non dicitur lucrum cessare ex vi Mutui, cum possit hos otiosos mutuare. Nec si nulla spes lucri habeatur, saltem probabilis; dicitur lucrum cessare. 2. Ut non statim lucrum exigatur, sed transacto conveniente intervallo, cum non patiatur damnum mutuator in principio, ideoque injustum erit obligare Mutuatarium ad illud resarciendum, cum adhuc non sit. 3. Ut non tantum exigatur, quantum est lucrum, quod futurum est, sed quanti æstimabilis est spes illius quod semper est minus: nam lucrum in spe minoris reputatur attentis periculis, expensis, & similibus. Sic Rebellus Molina, Aragonius, Reginaldus, Salon, Medina, Navarrus, Navarra, Lessius, Salas, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contract. disputat. 3. quæst. 3. punt.* 4. *numer.* 13. Quod autem servatis his conditionibus licitum sit deducere in pactum aliquid supra sortem in contractu Mutui ob lucrum cessans; probatur ex eo, quia pecunia illa, vel alia res mutuabilis non æstimari debet, quantum in se valet nudè consideratа, sed quantum valet cum commodo illo, quod domino conferre potest; ergo illud plus erit domini, ergo à domino justè exigi potest, ac in pactum deduci: maximè quia non tenetur mutuans cum suo incommodo mutuare, ut emolumentum reportet Mutuatarius. Et quamvis contrarium olim docuerint Durandus Sotus, & multi Canonistæ *in Cap. Naviganti de Usur.* nunc tamen nostra sententia est communis teste Lessio *lib.* 2. *capit.* 20. *dub.* 11. *num.* 79. eam namque docent idem Lessius, Covarruvias, Navarrà, Valentia, Molina, Reginaldus, Salon, Bannez, Salas, Turrianus, Azor. & alii innumeri relati à Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst. 3. punct. 4. numer.* 12. Adnotandum tamen, non teneri Mutuatarium ad restituendum lucrum cessans, si hoc non fuerit ab initio deductum in pactum; nisi forte fuerit in mora culpabili, juxta ea quæ diximus de damno emergente.

Quæres 4. an ratione periculi sortis recuperandæ, aut ratione difficultatis, & expensarum liceat supra sortem aliquid accipere in mutuo? Resp. licere, si hæc tria serventur. 1. Ut sit revera periculum, ob quod probabiliter timetur incommodum Mutuantis, esto nullum postea sequatur incommodum. 2. Ut non plus exigatur ratione hujus periculi, quàm ipse mutuans daret alteri pro securitate sortis illius, vel ut communiter, & prudenter existimatur tale periculum. 3. ut non cogat mutuans Mutuatarium ad eligendum se pro assecuratore, & fidejussore, sed liberum relinquat Mutuatario eligere, quem velit, aut pignore præcavere periculum: aliàs coactio illa erit usuraria, utpote imponens onus pretio æstimabile, ad quod mutuatarius non tenetur: ut constat *ex Cap. Naviganti de Usur.* & docent Lessius, Azor. Cajetanus, Navarrus, Covarruvias, Reginaldus, Salas, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. punct. 5. numer.* 2. explicans in hoc sensu *Cap. Naviganti*. Quod autem his servatis licitum sit ob tale periculum aliquid supra sortem accipere, probatur ex eo, quia probabile periculum sortis amittendæ, ac difficultates, & expensæ in ea recuperanda sunt onus pretio æstimabile, ergo non tenetur mutuans gratis illa subire, ergo poterit pro illis aliquid supra sortem accipere, esto nullum postea sequatur damnum mutuanti, qui accipit non pro damno secuto, sed pro periculo damni, quod sequi potest. Confirmatur: Fidejussor, Assecurator, & venditor credita pecunia possunt aliquid accipere ratione periculi, quod subeunt; ergo etiam & Mutuans, cum videatur paris conditionis cum illis. Sic Angelus, Sylvester, Medina, Corduba, Navarra, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 13. *numer.* 111. Sic etiam Molina, Salas, Turrianus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst. 3. punct. 5. numer.* 1. contra Navarrum, Sotum, Reginaldum, & alios oppositum docentes, qui nituntur *in Cap. Naviganti citat. & aliis Testibus*, qui omnes explicantur per hoc, quod non cogat mutuans Mutuatarium ad transferendum in se onus periculi mutui, dum pecuniam per mare, aut alia loca periculis obnoxia asportat, quod in Jure dicitur mutuum nauticum, & trajectitium; sed omnino liberum relinquat Mutuatario, quem eligere velit, ut dictum est.

Quæres 5. an liceat apponere pactum in mutuo, quòd si mutuatarius tempore statuto non restituerit, aliquid *in* pœnam supra sortem solvere teneatur? Resp. licere his concurrentibus conditionibus. 1. Ut non fiat ad palliandam usuram, & in fraudem usurariam, quod facilè conjici poterit, si mutuans pœnam apposuit sciens, aut verisimiliter credens, mutuatarium non soluturum esse tempore statuto; vel pœnam constituit pro singulis annis, aut parum curet de restitutione mutui, quæ omnia affectum ad usuram indicant. 2. Ut mora sit culpabilis, ac etiam notabilis: nam si inculpabilis esset, vel per spatium trium dierum, vel hebdomadæ; non esset caput sufficiens ad incurrendam pœnam. 3. Ut sit moderata, ac juxta mensuram culpæ exigatur: nam si partem mutui restituit, quamvis non totum, non exigenda erit integra pœna. His servatis: quòd licitum sit apponere tale pactum pœnale in mutuo, probatur ex eo, quia mutuatarius non solvens statuto tempore cum mora culpabili peccat contra justitiam, & alienum retinet; ergo dignus est ali-

qua pœna, ergo poterit deduci in pactum in contractu mutui ex consensu contrahentium, nam privati ex mutuo consensu sibi possunt imponere pœnas, licet neuter sit superior: nec est solius superioris pœnas imponere, quamvis hoc privilegio gaudeat imponendi eas, etiam invitis. Sic Navarrus *in Summ. cap. 17. num. 215.* Sylvester *verb. usura. 1. num. 18.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 15.* Molina *tract. 2. disputat. 317.* Navarra *libr. 3. capit. 2. numer. 331.* Toletus *libr. 5. capit. 32.* & alii passim.

Petes hìc an hæc pœna solvenda sit in foro conscientiæ ante Judicis sententiam? Resp. solutionem hujus petitionis pendere ab illa controversia quæ validos habet Patronos pro utraque parte; an scilicet pœna conventionalis debeatur in foro conscientiæ ante judicis sententiam, & cum adhuc sub Judice lis sit, ideo utraque pars non careat sua probabilitate, ut recte habet Lessius *loc. citat.* Nihilominus putarem in casu nobis adjecto, solvendam esse ante Judicis sententiam, nisi ex contrahentibus aliud constaret; moveor, quia sic eorum videtur intentio, exigere scilicet pœnam absque ullo incommodo requirendi sententiam Judicis, alioquin pauciissimi pœnam hanc conventionalem imponerent: ut bene observat Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 6. num. 4.*

14 Quæres 6. an ratione obligationis non repetendi mutuum ante tempus à Mutuatario statutum, liceat aliquid supra sortem exigere? Resp. negative: ratio est, quia præcisè privari, & carere pecunia, ac subire obligationem non repetendi mutuum ante statutum tempus sunt intrinseca ipsi mutuo, alias non distingueretur à precario, quod semper repeti potest; ergo aliquid accipere pro his est accipere pro mutuo præcisè, quod plane damnatum est, ac usurarium; & sic firmiter sustinendum, alias facilis aperiretur via ad reddendos licitos contractus usurarios.

15 Quæres 7. an qui pignus ob mutuum accepit, teneatur fructus ex pignore acceptos in sortem deputare? Resp. si pignus datum sit tantum in securitatem mutui, non posse mutuantem fructus ex illo perceptos sibi retinere, sed vel mutuatario restituere, vel in sortem, seu diminutionem Capitalis deducere; nisi alia justa causa concurrat, ut esset lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis, pœna conventionalis, aut expensæ factæ in pignore custodiendo. Est communis sententia, & constat *ex cap. 1. & 2. de usur.* ratio autem est, quia nullum jus habet mutuans ad fructus illos, & res domino suo fructificare debet. Si vero pignus datum sit non solum in debiti, seu mutui securitatem, verum etiam ut eo fruatur mutuans interim loco rei mutuatæ; tunc nec tenebitur fructus perceptos restituere, nec in diminutionem Capitalis deputare; sed standum pacto inito in principio contractus, quod scilicet *mutuans fruatur pignore*, & mutuatarius re mutuata; in quo semper servanda erit æqualitas, ne partes graventur. Sic Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. num. 141.*

Hinc fit 1. non posse generum retinere sibi fructus perceptos ex pignore tradito à socero in securitatem dotis; secus vero si ei traditum fuerit pignus ad sustentanda onera matrimonii loco dotis in quo advertendum, ne notabiliter fructus percepti excedant onera matrimonii, quia tunc socero restituenda erunt, nisi forte præsumantur tacite donari à Socero. Sic Lessius *loc. cit. num. 142.* Rebellus, Reginaldus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. punct. 9. numer. 1.* Fit 2. non posse viduam soluto matrimonio retinere sibi fructus pignoris in securitatem suæ dotis traditi, nisi forte & aliqua justa causa ex superius enumeratis; & nisi ex consuetudine constet, non tradi solere ad securitatem tantum, verum etiam pro alimentis sibi debitis; sic Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. num. 143.*

Petes: an Dominus proprietatis, seu directus possit sibi retinere fructus perceptos ex feudo, vel emphyteusi sibi oppignoratis? Resp. posse: ratio est, quia tales contractus semper censentur celebrari cum hac tacita conditione, quod si feudum, vel emphyteusis oppignorantur domino proprietatis; possint eorum fructus percipere non imminuta sorte: patet *ex c. 1. de Feudis & c. Conquestus de usur.* Ad hoc tamen ut licite effici possit, requiruntur à Doctoribus tres conditiones. 1. ut non exigatur à Domino directo pensio, vel obsequium. 2. ut non percipiat eos, quos res producit per beneficia facta à feudatario vel emphyteuta. 3. ut non fuerint comparata, feudum, & emphyteusis magna pecunia, vel magnis obsequiis; sed potius fuerint magna ex parte gratis tradita. Sic Sylvester, Navarrus, Gabriel, & alii, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. num. 140.*

Quæres 8. an licitum sit pactum in mutuo, quod 16
pignus traditum in securitatem sortis fiat mutuantis, vel ut venditum habeatur; si statuto tempore non reddatur mutuum? Quod pactum dici solet Legis Commissoriæ, eo quia mutuatarius incidit in commissum, seu amittit jus suæ rei ob culpam à se commissam, non restituendo scilicet tempore statuto? Resp. ex se illicitum esse, cum aliquid exigat supra sortem ex vi mutui, quod plane usurarium est. Sic patet *ex cap. Significante, de Pignorib. & ex Leg. 1. & ult. cod. de Pactis Pignor.* & docent longo ordine Doctores, quos refert Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 3. pun. 8. num. 2.* Aliquando licitum esse posse in foro conscientiæ si apponatur in pœnam: ex supradictis enim clare apparet, posse apponi pactum solvendi pœnam, si à mutuatario mutuum tempore statuto non restituatur; & hæc pœna statuta esse poterit, ut pignus intelligatur venditum mutuanti, aut aliis vendatur, servato semper justo pretio pignoris, & mutui, ne injustitia committatur, & usura. Sic Vasquez, Lopez, Navarrus, Reginaldus, Azor. Salas, Molina, Salon, Covarruvias, Rebellus, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput. 3. qu. 3. pun. 8. num. 2. & 3.*

Quæres 9. an mutuans bona fide per contractum alias 17
usurarium, & iniquum, quem si ut talem agnovisset, non utique fecisset, sed alium justum; possit cognita veritate rei ratione lucri sibi cessantis tantum retinere, quantum *contractu* justo lucratus fuisset? Resp. nisi adsint alii tituli cohonestantes non esse licitum hoc efficere: ratio est, quia emens rem bona fide minoris justo pretio comperta rei veritate tenetur defectum supplere, etiamsi cum alio contrahens aliquid plus lucratus fuisset; sic etiam vendens bona fide rem pluris justo pretio tenetur excessum restituere, absque eo quod possit illum sibi retinere ratione lucri cessantis; ergo etiam hoc servandum erit in mutuo, cum utrobique militet par ratio; ut recte observat Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 12. à num. 104.* & ratio ulterior esse potest, quia alter contrahens non consentit in illum titulum, quo vult sibi retinere acceptum alius contrahens, debebat enim prius fieri certior de hoc. Quapropter ut hoc effici possit, requiritur, ut alter contrahens consentiat in eosdem titulos: sic in casu adjecto si uterque contrahentium mutuans scilicet, & mutuatarius convenere in dando lucrum omni meliori titulo, quo juste dari poterat etiamsi non specificetur; poterit contractus usurarius redigi ad contractum justum, quo mutuans accipere possit sibi debitum ratione lucri cessantis.

Dices: ergo etiam hoc effici poterit, si mala fide contractus initus fuerit. Negatur consequentia: nam mala fide operans non contrahit cum respectu ad justos titulos, si enim ad illos respiceret non inique ageret; ergo non habet justos titulos, unde retinere possit mala fide acceptum.

Justi autem tituli esse possunt recurrere ad tres contractus solitos cum mercatoribus celebrari, de quibus infra; vel implicite intendere justo modo lucrari cum consensu mutuatarii, & cum animo parato ad non faciendum contractum illum, si alias appareret injustus; & sic excusari possunt viduæ, & pupilli tradentes pecuniam suam ad mensam, exigentes quinque pro centenario, & contrahentes juxta morem receptum, videlicet omni meliori titulo, ac justo, quo eis permissum est lucrari, & hoc animo contrahere solent viri timorati, dum res est in obscuris, ut testatur idem Lessius *lib. 2. capit. 20. dub. 12. num. 110.*

Quæres 10. an montes qui appellari solent Pietatis; 18
liciti sint, & immunes à labe *usuræ*? Resp. notando prius, nomine Montis Pietatis intelligi summam aliquam pecuniæ, frumenti, aut rei similis publice deputatam ad mutuandum pauperibus in certa quantitate accepto ab ipsis pignore ad tempus, præfinitum, ea tamen conditione, ut aliquid solvant, licet exiguum, pro sumptibus necessariis ad Montis administra-

trationem, & conservationem, pro stipendio scilicet eorum, qui montem custodiunt, pignora conservant, res mutuas subministrant, rationem dati, & accepti in libros referunt: si vero tempore præfixo mutuum non restituitur, pignus idoneum ad mutui securitatem datum venditur sub hasta, & ex pretio monti satisfit, ut ejus consulatur conservationi, & si quid supereſt domino pignoris datur. His notatis ex Navarro *tractat. de usuris numer.* 59. & Medina *de usuris quæstion.* 10.

Clarè apparet, Montes Pietatis non solum immunes esse à labe usuræ; verum etiam Justitiam, & Pietatem continere, quidquid in contrarium dixerint Cajetanus, Sotus, & alii: ratio potissima sit approbatio eorum *in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess.* 10. imò *in Bulla* quæ incipit: *Inter Multiplices*, relata à Quaranta *verb. Montes Pietatis*, excommunicationis pœnam infligit in eos, qui contrarium prædicaverint, aut docuerint. Advertendum tamen, Cajetanum virum doctissimum, & purpura insignem scripsisse Opusculum suum de hac re anno 1498. ut constat in fine Opusculi, adeoque ante Concilium Lateranense, quod hæc definivit anno 1515. ut etiam patet ex fine *Bullæ citatæ*. Recte autem approbat Concilium hos Montes Pietatis, servatis conditionibus adjectis, cum nil exigatur ratione mutui, sed tantum ratione expensarum ad montis conservationem, & administrationem requisitarum in gratiam, & commodum mutuum petentium; ergo quod exigitur, & juste exigitur, & sine labe usuræ. Sic Navarrus, & Medina *locis citatis*, Lessius, acerrimus propugnator horum Montium *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 14. *per totum*, Molina, Valentia, Toletus, Salas, Rebellus, Bannez, Azor. Reginaldus, Turrianus, quos refert & sequitur Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 3. *pun.* 12. *num.* 2.

Adnotandum hìc 1. Personas etiam privatas posse hos montes instituere servatis conditionibus prædictis, & posse pariter illos revocare pro suo arbitrio, ac pecuniam suam in alios usus impendere. Sic Lessius, Molina, Reginaldus, & Salas relati à Bonacina *loc. cit. num.* 5. Adnotandum 2. nec à publicis, nec à privatis personis in montibus accipi quid posse ultra sortem, vel ad augendum montem, vel ad dominum locupletandum; sed præcisè quod necessarium est ad montem administrandum, vel *ratione lucri cessantis*, aut damni emergentis: quapropter si hæc sufficienter reparantur per quatuor pro quolibet centenario, non possunt exigi quinque; imò quintum restituendum erit mutuatario, cum sine justo titulo acceptum sit. Sic Medina, Toletus, Filliuccius, & alii relati à Bonacina *loc. cit. num.* 7. Adnotandum 3. quod exigi potest in Montibus Pietatis, statuendum esse judicio virorum prudentum, qui consideratis omnibus taxare debent, quod percipiendum sit, itaut quantum rationabiliter fieri possit, servetur æqualitas. Sic Molina *disp.* 325. & alii. Adnotandum 4. in montibus plus exigi posse à Mutuatariis ad longum differentibus restitutionem mutui præ diligentioribus ad restituendum; non ob dilationem præcisè, quæ esset titulus insufficiens, sed ob majorem administrationem, cum pignora diutius custodiri debeant; & qui magis fruitur beneficio montis, par est, ut plus concurrat ad ejus onera. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 23. *num.* 194. Molina, Valentia, Bannez, Salas, & Filliuccius relati à Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 3. *pun.* 12. *num.* 6.

Dubitabis: an etiam liciti sint montes à Republica, aut Principe instituti, & passim mensæ nummulariæ appellari solent, non ad subveniendum tantum necessitatibus pauperum, sed in commune bonum, vel ipsius Principis, qui pecunia indigens e. g. causa belli, vel alia de causa mensam erigit cum hac conditione, ut solvantur quinque pro quolibet centenario? Resp. licitos esse, cum sint census fundati in bonis, aut annuis redditibus, vectigalibus, & tributis sive novis, sive antiquis ipsius Principis, vel Reipublicæ: non nego tamen requiri conditiones à Pontificibus statutas ad fundationem Census, de quibus loco suo. Tituli autem, ob quos mutuantes accipere possunt pensiones illas annuas sunt lucrum cessans, aut damnum emergens; nec sufficit titulus depositi penes mensam cum non distinguatur hic à titulo mutui, qui insufficiens est: quod si nec titulus lucri cessantis, aut damni emergentis haberetur; sufficit titulus reddendi se indemnem ab expensis necessariis ad conservationem, & administrationem montis, qui instituitur ad utilitatem recipientium pecuniam. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 23. *num.* 194. Navarrus *Consil.* 1. & 2. *de usuris*. Mol. *disp.* 306. *numer.* 2. Azor. 3. *par. lib.* 5. *cap.* 8. & Bonacina *loc. cit. num.* 9.

Quæres 11. an usurarius acquirat dominium usurarum? Resp. si res ex usuris acquisitæ discerni possunt à rebus aliis licite possessis ab usurario; non acquirit earum dominium: ratio est, quia mutuatarius non intendit donare usurario id, quod solvit supra sortem; nec intendit illi solvere, nisi quod debetur ei per mutuum; sed per mutuum tantum debetur sors; ergo mutuans usurarius non acquirit jus ad id, quod solvitur supra sortem, adeoque tenebitur ad illud restituendum. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. quem sequuntur Cajetanus, Medina, Sotus, Covarruvias relati à Lessio *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 18. *num.* 158. Est contra Navarrum, Armillam, Scotum, & Paludanum putantes acquirere dominium, licet teneatur ad restitutionem. Secus vero dicendum, si res ex usuris perceptæ misceantur cum aliis rebus usurarii, itaut ab illis distingui non possint; tunc acquirit quidem earum dominium, licet teneatur ad restitutionem: ratio est, quia sic censetur translatum earum dominium, ut docet communis sententia teste Lessio *l. c. n.* 156. & constat *ex Leg. Si alieni ff. de Solut. & ex Instit. §. si duorum. Dererum division.* Quamvis siextet cumulus apud usurarium, in quo permixtæ fuere res, ex usura acceptæ; Mutuatarius habeat jus in re, itaut ante alios ei satisfieri debeat: ut docet idem Lessius cum aliis. 19

Ex dictis deducitur 1. quod si quis usuras promittat usurario, non tenetur ad solvendas illas: & ratio est, quia usurarius per promissionem factam nequit jus acquirere ad id quod sibi non debetur. Quod si cum juramento promiserit, tenebitur ad illas solvendas juxta ea, quæ de Juramento confirmante contractum dicta fuere, & constat *ex cap. Quemadmodum. de Jurejurand.* Deducitur 2. si res ex usuris acceptæ augmentum pretii penes usurarium habuere, ut essent triticum, vinum oleum, pecunia, aut alia res usu consumptibilis; teneri usurarium restituere augmentum illud mutuatario, cum semper domino suo censeatur res fructificare. Sicuti etiam tenetur restituere fructus reliquos ex rebus usurariis perceptos, quarum non acquisivit dominium: eo quia cum non habeat dominium rei, nec dominium habere potest fructuum, cum semper domino suo res fructificet. Sic Molina, Salas, Bannez, Salon, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 3. *pun.* 14 *num.* 2. Dummodo tamen non sint fructus merè industriales, quorum acquirit dominium, si usurario traditi fuere. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. Aragonius, Salonius, Lessius, Rebellus, Sà, Valentia, & alii apud citatum Bonacinam.

Quæres 12. qui nam cooperantes ad usuras obligentur ad restitutionem faciendam? Resp. omnes, qui partes agunt usurarii, & sunt causa efficax, ut solvantur usuræ, vel ut solutæ non restituantur; tenentur in solidum ad restitutionem. Sic sunt Principes, vel Judices, qui statuto aliquo, vel sententia compellunt ad solvendas usuras, vel ad non restituendum, si solutæ fuerint, imò ipso facto excommunicantur ut patet *ex Clement. unc. de usur.* Addit Bonacina *loc. citat. numer.* 12. Judices non audientes mutuatarios, qui cupiunt usuras repetere; teneri ad restitutionem, tum quia partes sic agunt usurarii, tum quia contra proprium Officium cum damno tertii delinquere videntur. Quod etiam militat contra quoscumque alios, qui non tenentur ex officio, impedientes vi, mel malis artibus repetitionem usurarum jam solutarum: ut docent Sylvester, Rebellus, Salon, Aragonius, Molina, Valentia, Lessius, & Salas penes Bonacinam citatum. 20

Tenentur pariter ad restitutionem Consulentes, & suadentes alicui, ut det ad usuras; aut contractum usurarium celebret. Quamvis hoc à Lessio, Valentia, Rebello, & Molina limitetur, nisi consulens, aut suadens id efficiat tamquam gratum mutuatariis, qui tacite consentire videntur, & ratum habere, quod in gratiam ipsorum fit. Sicuti etiam tenentur ad restitutionem consulentes, & suadentes, ut post celebratum contractum usurarium; recipiantur usuræ promissæ, quas aliunde sine tali consilio, & suasione usura-

rius non recepiſſet : ſic enim conſilium eſt vera cauſa influens in receptionem uſurarum cum damno Mutuatariorum : ut rectè advertit Salas *de Uſuris dub.* 44. *num.* 12. & alii.

Procuratores, ſeu Factores Uſurariorum, qui uſurariorum nomine contractus, & uſuras adminiſtrant ; idem dicendum de Mediatoribus quærentibus nomine uſurariorum mutuatarios pecuniis indigentes, ut eas ab Uſurariis recipiant ; tenentur ad reſtitutionem, cum omnes efficaciter cooperantur ad uſuras cum damno Mutuatariorum. Secus verò dicendum de Mediatoribus quærentibus pecuniam ad uſuram nomine Mutuatariorum, in quorum gratiam cooperantur. Sicuti etiam de famulis ſervantibus pecunias ex uſuris acceptas, vel eas deferentibus, numerantibus, aut in libros dati, & accepti referentibus : non enim cooperantur efficaciter, ac formaliter ad damnum alterius. ſed ſupponunt contractus uſurarios jam initos, & quos non intendunt, nec impedire poſſunt. Sic Sotus, Salon, Aragonius, Sà, Bannez relati à Bonacina *de Contr. diſp.* 3, *quæſt.* 3. *pun.* 15. *num.* 17.

Notarius inſtrumentum uſurarium conficiens, ac uſuras palliatas titulo venditionis, aut Mutui, invito Mutuatario ; tenetur ad reſtitutionem, ſi ex vi inſtrumenti illius cogatur Mutuatarius ad uſuras ſolvendas; cum ſit cauſa efficax damni illius, ad cuius reparationem tenetur. Secus verò dicendum, ſi inſtrumentum conficiat conſentiente Mutuatario : nam cum invitum non lædat, non tenebitur ad reſtitutionem ; quamvis graviter peccabit contra juramentum factum purè, juſtè, & fideliter adminiſtrandi Officium ſuum. Sic Leſſius *lib.* 2. *capit.* 20. *dub.* 22. *numer.* 180. Sà *verb. Uſura*, *numer.* 12. Salas *de Uſuris dub.* 44. *numer.* 7. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 4. *numer.* 19. Molina *diſp.* 336. *numer.* 6. & alii paſſim. Extenditur hæc Doctrina ad teſtes, niſi bona fide concurrant, vel cum conſenſu Mutuatariorum. Ex dictis hucuſque clarè colligitur, quòd agentes partes Mutuatarii, etiamſi ad uſuras cooperentur, non tenentur ad reſtitutionem ; cum nec Mutuatarius cenſeat ſibi fieri injuriam ab ipſis, nec ipſi putent damnum inferre illi, imò beneficium ac gratiam. Vide Sylveſtrum *verb. Uſura* 7. *quæſt.* 3. & Leſſium *l. c. num.* 184.

21 Quæres 13. an licitum ſit petere mutuum ſub uſuris? Reſp. illicitum eſſe, etiamſi paratus aliunde ſit uſurarius ad dandum ſub uſuris : ratio eſt, quia non poteſt eſſe licitum petere ab alio aliquid, quod ſine peccato facere nequit, eſſet enim cooperari ad peccatum illius, ac inducere ad peccandum ; ſed uſurarius nequit mutuum tradere ſub uſuris abſque eo quod peccet ; ergo licitum non erit petere mutuum ab uſurario ſub uſuris. Sic Aragonius, Salas, Rebellus, Turrianus, Azor. quos refert, & ſequitur Bonacina *de Cont. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun.* 13. *n.* 1. quamvis oppoſitum ſentiant penes ipſum Sanchez, Bannez, Salon, Valentia, Molina. Licitum tamen eſt petere illud ab Uſurario abſolutè juſta concurrente cauſa ; eſto non accipiatur à Mutuatario, niſi ſub uſuris, nolente illud tradere Uſurario niſi ſub Uſuris ; ratio eſt, quia non eſt idem petere Mutuum ſub uſuris, ac accipere illud ſub uſuris : primum eſt intrinſecè malum, cum ſit activè inducere ad peccatum ; ſecundum non ita, cum ſit merè Mutuum accipere, eſto uſuras permittat, & merè paſſivè ad illas concurrat, nolente alio modo tradere Mutuum Uſurario, qui aliunde poſſet illud tradere licitè ſine uſuris. Sic rectè diſtinguunt Cajetanus *in Summ. verb. Uſura cap. penul.* Rebellus cum aliis *lib.* 8. *quæſt.* 16. *numer.* 28. Juſta autem cauſa petendi Mutuum abſolute ab Uſurario erit, quamvis ſciat Mutuaturum ſub uſuris ſublevare neceſſitatem propriam, vel alienam ; mutuo indigere ad negotiationem, vel ad ſtatum augendum ob propriam ſuſtentationem, vel familiæ ; ſecus verò ſi non indigeat, ſed ob puram cupiditatem lucri, quæ non eſt juſta cauſa permittendi uſuras : ut benè advertunt Valentia, Sanchez, & Reginaldus penes Bonacinam *l. c. pun.* 13. *num.* 2. Si mutuum neceſſarium ſit ad convivia, & ſpectacula honeſta juxta exigentiam ſtatus Mutuatarii ; non verò ſi petatur Mutuum ab Uſurario, etiam aliunde parato ad dandum ſub uſuris, ob ludos ot oſos. ſuperfluas epulas, ad vana, ac inutilia, quæ non ſunt juſta cauſa permittendi uſuras in Mutuo, cum non poſſit permitti ruina ſpiritualis proximi ſine juſta, ac rationabili cauſa: quapropter graviter peccaret Mutuatarius petendo Mutuum ab Uſurario, etiam parato ad uſuras, ob hos fines : ut docent Suarez Valentia, Aragonius, Salon, Rebellus, Reginaldus, Conradus, Sà, & Bonacina eos referens *loc. cit. numer.* 3. *quamvis* Sanchez, Molina, Toletus, Salas, & Cajetanus apud eumdem Bonacinam doceant, peccare tantum venialiter, ob venialem finem.

Dubitabis hìc : an licitum ſit exigere aſſignationem ab uſurario factam ob debitum ; quamvis exigi debeat ſupra id, quod uſurario debetur ob uſuras ? Reſp. ſi revera certò conſtet, aſſignationem factam eſſe ſupra id, quod alio titulo non debetur uſurario, niſi ob uſuras ; illicitum eſſe exigere aſſignationem factam : ratio eſt, quia ageret partes uſurarii, & activè concurreret ad uſuras, qui aſſignationem illam exigeret ; & ſicuti peccat contra juſtitiam illas exigendo uſurarius, & tenetur ad reſtitutionem ; ſic creditor uſurarii peccabit contra juſtitiam, & tenebitur ad reſtitutionem exigendo aſſignationem factam ſupra uſuras. Sic Leſſius *libr.* 2. *cap.* 20. *dub.* 24. *numer.* 195. Secus verò dicendum, ſi non conſtet, exigendam eſſe titulo uſurario, vel alio injuſto, cum non ſit damnandus uſuræ proximus, niſi certò conſtet, adeoque præmiſſa diligentia ad veritatem indagandam, eaque non comperta ; licitè exigi poterit aſſignatio facta ; ut habet idem Leſſius *loc. cit. numer.* 198.

Dubitabis inſuper ; an qui pecuniam, vel aliam rem ab uſurario accepit ſub uſuris comparatam ; teneatur illam reſtituere Mutuatariis, à quibus uſurarius accepit ? Reſp. ſi certò conſtet, talem pecuniam, aut talem rem ab uſurario acceptam eſſe ſub uſuris comparatam ; reſtituendam eſſe Mutuatariis, ſeu dominis ; cum nullum jus acquiſierit ad illam Uſurarius, adeoque Dominis ſuis clamat juxta regulas reſtitutionis. Secus verò ſi non conſtet, aut conſtet permixtam fuiſſe cum aliis ſimilibus rebus Uſurarii, Sic Leſſius *loc. cit. numer.* 199.

Quæres 14. quænam pœnæ conſtitutæ ſint contra 22
Uſurarios ? Reſp. multas ſtatutas eſſe in Jure Canonico, & Civili contra Uſurarios manifeſtè tales. Illi autem dicuntur Uſurarii manifeſtè tales, ſeu notorii, qui palam dant ad uſuras, itaut nulla tergiverſatione negari poſſit, ipſos dare ad uſuras ; ſive de reliquo dent per mutuum formale, ſive virtuale, aut unica vice, vel pluribus : ut ſuſtinent Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 280. Molina *diſp.* 334. *num.* 13. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 96. Salas *de Uſuris*, *dub.* 46. Filliuccius *part.* 2. *num.* 152. & Bonacina *de Cont. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *pun. ult. num.* 3. & hæc dicitur Notorietas facti. Poſſunt etiam eſſe tales manifeſtè notorietate Juris, quando videlicet per ſententiam Judicis de hoc crimine damnati ſint, vel ex ſe ipſis confeſſi fuerint coram Judice in judicio, vel per idoneos teſtes contra ipſos in judicio de Uſuris plenè probatum ſit : cum hujuſmodi notorietas valde ſimilis ſit notorietati facti ; ut docent Covarruvias *lib.* 3. *Var. cap.* 3. *num.* 4. Navarrus, Molina, Reginaldus, & Bonacina *locis citatis*. Quamvis infamia de hoc crimine, etiam ſi extent indicia, aut ſemiplena probatio, vel confeſſio extra judicium, etiam coram Parocho, & Teſtibus ; non ſint ſufficientia ad notorietatem Juris : ut docent Molina *diſp.* 333. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 22. *numer.* 185. eo quia confeſſio extrajudicialis non inducit notorium Juris *ex Gloſſ. in Cap. Manifeſta* 2. *quæſt.* 1.

1. Igitur pœna eſt contra Uſurarios notoriè tales Infamia Juris *ex Leg. Improbum*, *Cod. ex quibus cauſis irrogetur Infamia* ; quæ quidem pœna tollitur peracta pœnitentia, & facta reſtitutione cum ſic tollatur infamiæ cauſa : ut docent Salas, Filliuccius, & alii relati à Bonacina *de Cont. diſput.* 3. *quæſt.* 3. *punt. ult. numer.* 1. *in fine*. 2. Ne admittatur ad Communionem altaris *ex Cap. In omnibus de Uſuris* . 3. Neque ad oblationes offerendas, imò qui eorum oblationes acceperint, ſunt ipſo facto ſuſpenſi ab Officio, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecerint *ex ſupracitat. Cap. In omnibus*, Quamvis ab ipſis recipi poſſint eleemoſynæ, modo non fiant ſic impotentes ad reſtituendum. 4. Nec ad confeſſionem ſacramentalem, donec reipſa ſatisfecerint pro ſua facultate, vel cautionem idoneam dederint ſuis Creditoribus, aut ipſis abſentibus Ordinario loci, vel ejus Vicario, aut Parocho coram teſtibus fide dignis, vel publico Notario habenti Mandatum ab Ordinario *ex Cap. Quamquam de Uſuris in 6.* 5. Nec ad ſepulturam Eccleſiaſticam *ex dicto Capite*, *In omnibus*, imò

qui

qui scienter eos sepelire præsumpserint, ipso facto sunt excommunicati, nec absolvendi donec arbitrio satisfecerint *ex Clement.* 1. *de Sepul.* 6. quòd Testamenta ipsorum irrita sint, & nullus assistere queat talibus Testamentis *ex Cap. Quamquam. de Usur. in* 6. nisi ante mortem restitutionem fecerint, vel idoneam præstiterint cautionem, sive pignoratitiam, sive fidejussoriam, quòd si neutram præstare possint, saltem juratoriam. De Pœnis contra Clericos manifestè usurarios videatur Molina *disp.* 334. de pœnis verò contra Ecclesiasticos sive Ordinarios, sive Ordinario inferiores permittentes Usurarios in suis Terris videantur Covarruvias *lib.* 3. *Var. c.* 3. & Sylvester *verb. Usura.* 9. *quæst.* 4. qui fusè, ac pro dignitate de hac re pertractant.

CAPUT VIII.

De Censibus.

1 *Definitur Census, & explicatur eius definitio.*
2 *Explicatur Censualista, seu Censitor acquirens jus percipiendi censum, & Censuarius qui subit obligationem illum solvendi.*
3 *Dividitur Census in Reservativum, & Consignativum.*
4 *Reservativus licitus est, & quomodo differat ab Emphyteusi?*
5 *Consignativus subdividitur in suas species ratione Materiæ, & ratione Pensionis.*
6 *An census realis Consignativus licitus sit?*
7 *An census realis Consignativus perpetuus, & irredimibilis licitus sit?*
8 *An census Personalis licitus sit.*
9 *An census Mixtus licitus sit?*
10 *An census Vitalitus licitus sit?*
11 *Quænam sint res illæ, super quibus fundari possit census realis?*
12 *An pereunte re, super qua fundatus est census; pereat etiam census?*
13 *An licitum sit pactum in censu, ut redimi nequeat, nisi eadem moneta, qua venditus fuit?*
14 *An sit illicitum pactum, ut censuarius teneatur ad pensionem, etiam si rescensita fortuito pereat?*

1 CENSUS à censendo, seu æstimando nomen trahit, eo quia bona Civium æstimabantur ut sciretur, quantum quisque tributi nomine suo Principi solvere teneretur; unde tributum ipsum dictum fuit census juxta illud *Matth.* 22. *Licet censum dare Cæsari, annon?* Et quamvis multiplices habere possit acceptiones, hìc tamen accipitur pro Jure quodam in re alterius, ut ex ea quot annis aliquid solvatur. Quapropter Census sic communiter definiri solet: est jus percipiendi aliquam pensionem ex re frugifera alterius, vel persona. Dicitur Jus percipiendi, quia census re vera non est ipsa pensio, sed jus percipiendi illam, quamvis sæpe confundantur. Dicitur insuper, ex re alterius, quia nemo super re sua censum habere potest, cum habeat in ea dominium, quod est perfectius censu: nam Census super re alterius non dat dominium neque directum, neque utile, quod est penes alterum; sed tantùm dat jus ad exigendam pensionem ex ea re. Dicitur denique, vel ex persona alterius, quia etiam super Persona census fundari potest.

2 Jam verò huic juri, quod habet Censitor, seu Censualista, ille videlicet, qui acquirit jus percipiendi aliquam pensionem; correspondet obligatio Censuarii ad solvendam illam supra agrum, aut personam suam in qua censum constituit. Sic Titius tradens Petro jus percipiendi supra suum agrum pensionem aliquam in pecunia, tritico, vino, aut oleo, dicitur censum fundare in suo agro, & constituere se censuarium Petri, hoc est obligare se Petro ad pensionem illam pecuniæ, tritici, vini, vel aliorum fructuum, cum pensio stet sive in pecunia, sive in fructibus. Petrus verò dicitur Censualista, seu Censitor Titii, quia acquirit jus percipiendi pensionem illam ex agro Titii. Quod dicitur de agro, intelligendum pariter erit de persona, si super ea census fundatus fuerit juxta dicenda.

3 Census dividitur primario in Reservativum, & Consignativum. Reservativus ille dicitur, quando quis sic contrahit cum alio, ut in illum transferat dominium rei suæ tam directum, quam utile, sive donando, legando, vendendo, sive permutando; reservata sibi super re eadem annua pensione. Consignativus verò ille dicitur, quando quis sic contrahit cum alio, ut illi consignet jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis, quarum dominium directum, & utile sibi retinet, aut super persona sua.

4 Quod autem Census Reservativus licitus sit, nulla controversia est penes Doctores, cum nulla injustitia in eo appareat ex aliquo capite; imò cum de eo non agat Bulla S. Pii V. poterit apponi in ejus fundatione pactum Legis Commissoriæ, ita ut si per biennium, aut triennium Censuarius non solvat pensionem, res supra quam census fundatus est cadat in commissum, & redeat ad Censualistam: ut docent Covarruvias *lib.* 3. *Var. cap.* 7. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 2. *num.* 4. Salas *de Censib. dub.* 26. & Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 4. *pun. unic. num.* 3. Differt autem Census Reservativus ab emphyteusi, quia in hac non transfertur nisi dominium utile; in illo verò & utile, & directum. Insuper in Emphyteusi jure suo cadit in commissum dominium utile, & coalescit cum directo, si pensio non solvatur intra biennium Ecclesiæ, intra triennium sæcularibus; in Reservativo verò non sic, sed ex pacto expresso inter contrahentes. Denique Emphiteuta nequit rem alienare domino directo non priùs monito, aliàs caderet in commissum, & tenetur ex pretio solvere ei laudemium, quas obligationes non habet Censuarius reservativus. Vide Covarruviam *l. c.*

5 Subdividitur Census Consignativus, ad quem controversia reducitur, ratione materiæ in Realem, Personalem, & Mixtum. Realis dicitur, cum super re aliqua fundatur, ut in agro, vinea &c. ex quibus pensio exigi debet; itaut in reipsa sit obligatio realis, quæ ipsam comitetur, etiam si alteri vendatur; nisi legitimè redempta fuerit obligatio. Personalis est, quæ immediatè fundatur in persona, quæ seipsam obligat ad pensionem solvendam, non qua persona præcisè est; sed quatenus sua industria, & labore potest aliquid acquirere ad pensionem solvendam; & in hoc censu obligatio est in persona, eamque comitatur, donec redimatur. Mixtus est, qui immediate super re, & super persona fundatur; itaut pereunte re, obstricta maneat persona ad pensionem solvendam, quod non evenit in censu purè reali, in quo pereunte re, non remanet obligata persona. Ratione Pensionis subdividitur in Pecunarium, & Fructuarium. Pecuniarius dicitur, cum pensio solvitur in pecunia; Fructuarius, cum solvitur in fructibus. Insuper in censum Certum, & Incertum. Certus dicitur, quando pensio constituta est in certa, & determinata pecuniæ summa; vel in certa mensura fructuum, tritici, vini, olei &c. Incertus verò, quando est indeterminata, in tertia videlicet parte fructuum, vel quinta: qui quidem modus ut adnotat Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 2. *num.* 10. non est licitus in censu Consignativo, sed Reservativo. Ratione temporis subdividitur in Perpetuum, & Temporalem. Perpetuus dicitur, quando pensio solvenda est in perpetuum, itaut Census irredimibilis sit à Censuario oblato quocumque pretio. Temporalis verò, qui non constituitur ad perpetuam pensionem, sed redimi possit oblato pretio à Censuario, etiam reluctante Censualista. Hic census Temporalis potest esse certus, ut si ad decem, vel viginti annos constituatur; & incertus, ut si ad vitam unius, vel duorum hominum constituatur, & dicitur etiam Vitalitius. Sic passim Doctores dividunt, & subdividunt Censum, Vide Mol. *disp.* 383.

6 Quæres 1. an Census realis Consignativus licitus sit? Resp. licitum esse, si concurrant conditiones inferiùs explicandæ: ratio est, quia nullum assignari potest caput, ex quo illicitus reddatur: maximè quia emitur jus pretio æstimabile per contractum Census realis Consignativi, & quidem justo pretio à Censualista; & Censuarius jus illud exigendi annuam pensionem justè vendit Censualista: nam sicut illud potest gratis donare, cur non vendere? ergo non est assignabile caput, ex quo illicitus evadat. Confirmatur: emptio prædii alicujus cum pacto de retrovendendo non est illicita; ergo neque emptio juris percipiendi pensionem cum pacto de retrovendendo erit illicita. Accedit Authoritas Martini V. Calisti III. & S. Pii V. nec non pro utraque Sicilia Nicolai V. & Gregorii XIII. qui census hos consignativos sub certis conditionibus approbant. Quapropter cum non distinguant hi Pontifices inter census antiquos, ac de novo fundandos, si licita est emptio antiquorum, licita pariter erit & novorum, quam illicitam olim putavit Henricus

quod lib. 8. quæst. 23. contra quem stant Conradus, Sotus, Medina, Covarruvias, Navarrus, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 3. num. 13.* Molina, Rebellus, Aragonius, Bannez, Valentia, Toletus, Reginaldus, & alii apud Salas *de Censib. dub. 2. num. 3.*

Conditiones vero requisitæ ad contractum census, ut licitus sit, ex natura contractus præscindendo à quacumque Constitutione Pontificia sunt 1. ut adsit intentio emendi, & vendendi, cum vis, & obligatio contractuum pendeat ab intentione contrahentium. 2. ut pretium sit justum, res enim tanti emi debet, quanti valet. Justum autem pretium erit, quod vel taxatum fuerit à Lege, vel à communi æstimatione, ac prudentum judicio attentis omnibus circumstantiis. 3. ut Censuarius habeat facultatem disponendi de re illa, supra quam censum fundat; & quod res possit censum solvere. 4. quod res sit frugifera, non enim vendi potest alicui jus percipiendi pensionem ex re infrugifera. 5. quod si res censita pereat ex toto, vel ex parte absque Censuarii culpa, ex toto, vel ex parte cesset census, cum res domino perire debeat. 6. quod si aliquod onus imponatur Censuario, ad quod non teneatur ex natura contractus census; minui debeat census, onus siquidem pretio æstimabile debita mercede compensari debet.

Conditiones tamen requisitæ à Pontificibus Martino V. & Calisto III. *in suis extravagantibus de emptione*, observari solitæ in Germania, & Polonia ad octo reducuntur à Navarro *Comment. de Usur. num. 72.* quas omnes recenset Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 12. num. 75.* Requisitæ vero à S. Pio V. *in sua Bulla*, quæ incipit, *Cum onus*, reducuntur ad quatuordecim, quas explicat Navarrus *l. c. num. 84.* & refert Lessius *l. c. num. 77.* Quæ quidem conditiones servandæ erunt in iis locis, ubi Bulla hæc recepta fuit, alias contractus Census erit irritus, & fœneratitius, ut habet idem Pontifex, & docent Salon, Bannez, Valentia, Molina, Rebellus, & alii relati à Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 4. pun. unic. num. 15.*

Pro Sicilia citra, & ultra Pharum extant pro Censibus speciales Constitutiones Nicolai V. & Gregorii XIII. cum tribus conditionibus, quarum 1. est, ut census constituatur super aliqua re certa, una, vel pluribus, quamvis addi possit generalis obligatio aliorum bonorum. 2. ut possit Censuarius, seu venditor censum redimere, quando voluerit. 3. ut census non sit ultra decimam partem pretii, seu sortis. Verum sicuti jussu Caroli V. pro Germania redactus fuit census ad vigesimam partem pretii, videlicet ad quinque pro quolibet centenario; ita etiam pro Sicilia Pragmaticæ Regiæ ad eumdem tenorem redegere: quod quidem pretium cum taxatum sit à Lege, in conscientia servandum erit; itaut si aliter fundetur census pro utroque foro fœneratitius sit.

7 Quæres 2. an census realis consignativus, perpetuus tamen, ac irredimibilis sit licitus? Resp. quamvis Rebellus, Azor. & alii putarint, damnari à Pontificibus hos census consignativos perpetuos, & irredimibiles, cum semper apponatur ab ipsis conditio, ut redimi possint. Nihilominus Navarrus, Salon, Valentia, Lessius, Molina, Filliuccius, & alii apud Salas *de Censib. dub. 12. num. 4.* putant, damnari tantum est census irredimibiles, qui emuntur communi pretio cum redimibilibus; si tamen augeatur pretium supra redimibiles, vel si dentur juxta Leges, vel juxta communem æstimationem virorum prudentum, attenta perpetuitate oneris; nec ex se illiciti erunt, nec à Pontificibus damnati: ratio est, quia sicuti est licitum emere fundum in perpetuum, nec hoc à Pontificibus damnatur; ita etiam licitum erit emere in perpetuum jus percipiendi aliquid ex illo fundo, justo semper concurrente pretio. Et quod idem respectivè est, sicuti quis potest donare totum suum fundum, vel jus percipiendi aliquid in perpetuum ex suo fundo, cur hoc ipsum non poterit vendere? alioquin donationes, venditiones, aut emptiones tot tantorumque censuum, in quibus beneficia Ecclesiastica fundantur, & à Prelatis percipiuntur in perpetuum; illicitæ forent, quod non est dicendum. Damnabile tamen est, imò damnatum, ac injustum, & iniquum pactum appositum in fundatione census redimibilis, quod si intra tale tempus non redimatur; evadat perpetuus, ac irredimibilis: ut rectè adnotant Salon. *Controvers. 20.* Salas *de Usur. dub. 24.* & Reginaldus *num. 434.*

Quæres 3. an census Personalis licitus sit? Resp. 8 quamvis census ex Juris positivi dispositione fundari nequeat super Persona, ut patet ex Pontificiis Statutis requirentibus rem immobilem: quapropter multi Doctores, quos sequitur Navarrus *Comm. de Usur. num. 81.* putarunt illicitos esse. Nihilominus si non sic constituantur in persona, uti constitui solent in prædiis, adeo ut si non solvatur pensio, possit censualista censuarium vendere, ac distrahere in sui dominium, ut fit de prædiis; sed solum fundetur jus exigendi pensionem, non in persona nuda, sed in eis, quæ sua industria, & labore acquirit, vel acquirere potest, addita ad securitatem hypotheca in omnibus bonis; non reputandi erunt illiciti, nec à Pontificibus damnati: ratio est, quia sicuti persona habet jus exigendi, quod sibi debitum est ex propria industria, & labore; ita poterit tale jus in alterum transferre, sive per donationem, sive per venditionem, cur non? Confirmatur, quia olim debebantur Ecclesiæ decimæ personales, ex acquisitis labore manuum, aut negotiatione; ergo etiam instituti poterunt census personales. Sic Lessius *lib. 2. cap. 22. dubit. 4. numer. 18.* referens Conradum, Majorem, Gabrielem, Sotum, Medinam, & Covarruviam. Sic etiam Bonacina de *Contract. lib. disput. 3. quæst. 4. punct. unic. num. 3.* referens Salas, Valentiam, Reginaldum, Bannez, Gomez, & Filliuccium.

Quæres 4. an licitus sit census Mixtus ex reali vi- 9 delicet, & personali? Resp. affirmativè juxta superiùs dicta: nam si separatim uterque licitus est secundum ea, quæ hucusque explicata fuere, cur & non conjunctim? Sic Doctores citati pro censu reali, & personali, ac expressè habet Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 4. à num. 23.* qui objectiones in contrarium solvit.

Quæres 5. an census Vitalitius licitus sit? Resp. censum vitalitium sive ad vitam ementis, sive vendentis, aut ad aliquos determinatos annos decem, vel viginti licitum esse, justo semper servato pretio secundùm consuetudinem, vel judicium virorum prudentum: ratio est, quia hic census potest donari, ergo etiam & vendi; insuper licita est venditio, aut emptio ususfructus ad vitam usufructuarii, ut constat *ex Leg. Necessario. ff. de pericul. & commod rei venditæ*; ergo etiam licita erit emptio, aut venditio annui census ad vitam. Sic Rebellus, Tuscus, Lessius, Bannez, Salas, Azor. Covarruvias, Medina, Molina, Reginaldus, Valentia, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contract. disput. 3. quæstion. 4. punct. unic. numer. 18.*

Difficultas tamen est: an licitus sit census vitalitius 10 ad emendis, vel vendentis vitam, itaut eo mortuo census extinguatur absque obligatione reddendi sortem, seu capitale? Resp. cum eodem Bonacina *l. c.* licitum esse concurrente justo pretio: ratio est, quia uterque contrahens subit æquale periculum, aut lucrandi, aut perdendi; qui quidem modus contrahendi reducitur ad contractum sponsionis, & merè fortuitum, qui licitus loco suo demonstrabitur, aliquibus servatis conditionibus. Nec Bulla S. Pii V. extenditur; ubi viget, ad hos census vitalitios, ut adnotat Bonacina *l. c. num. 19.* & affert varias Doctorum opiniones circa pretium taxandum in his censibus.

Quæres 6. quænam sint res illæ, super quibus fun- 11 dari possit census realis? Resp. res omnes immobiles natura sua frugiferas, ut sunt ager, sylva, vinea, aptas esse ad census realis fundationem. Equiparantur etiam his rebus immobilibus vectigalia, annui redditus, vel menstrui super civitate, pascuis, sylva, piscatione, venatione, aucupio, & similibus; nec non officia perpetua fructus consuetos reddentia: super his enim census realis fundari potest, cum habeantur pro rebus immobilibus, & natura sua frugiferis. Imò census fundari poterit super alio censu, dummodo minor sit eo, in quo fundatur. Sic Navarrus, Tuscus, Molina, Salas, Lessius, Sà, Valentia, relati à Bonacina *de Contractib. disput. 3. quæst. 4. punct. unic. num. 17.* Advertendum hic: non requiri ad fundationem census, ut res censita ferat fructus naturales, sed sat est, si reddat pecuniam, ut evenit in Censibus constitutis in Palatiis, Domibus, Molendinis, & similibus. Nec requiritur, ut producat eos fructus, ex quibus pensio solvitur: sic super vinea solvi poterit pensio tritici, ut habet Salas *dub. 7. num. 8.* cum Molina *disp. 389.*

Quæ-

Quæres 7. an pereunte re, super qua census fundatus fuit; pereat etiam census? Resp. si res tota periit, vel sterilis. & infrugifera reddita est in perpetuum; census perire debet in totum; si vero non tota, sed ex parte periit, vel infrugifera reddita est; census minuendus erit pro rata: ratio est, quia ex dispositione Legis Censualista habet jus percipiendi ex re illa pensionem pereunte ergo, re in perpetuum, vel tota, vel secundum partem, perire debet jus percipiendi pensionem vel totum, vel ex parte. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 88. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 22. *pun.* 1. Filliuccius *tract.* 35. *par.* 2. *num.* 258. & Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 4. *pun. unic. num.* 13. Si denique ad tempus pereat res ex parte, vel infrugifera facta est ob alluvionem fluminis, vel alia ex causa; tunc census integer solvendus erit, cum res maneat salva, & ad tempus infrugifera; quod præjudicare non potest Juri, quod habet Censualista. Sic Lessius *l. c.* Adnotandum hic: quod si res perierit dolo, aut culpa Censuarii, tenetur in conscientia restituere sortem principalem, aut eumdem censum fundare super alia re immobili, cum sit causa efficax damnorum, quæ Censualista patitur, ad quorum reparationem obligatur.

12 Petes: an si res, Domus e. g. vel Molendinum ex toto destructa fuerit, sed iterum refacta, & reædificata; subjaceat censui, qui prius impositus fuerat? Resp. negative, etiamsi ex eadem materia reædificetur: ratio est, quia non censetur eadem Domus, vel idem molendinum, super quibus census fundatus fuit, sed quid diversum; cum igitur census fundatus fuerit in illis, quæ periere; ideo pereuntibus illis, & census perire debet. Secus vero dicendum, si non ex integro domus, aut molendinum reædificata fuere, sed ex parte, aut per partes; tunc enim urgebit obligatio solvendi censum: cum eadem moraliter reputentur, super quibus census constitutus fuit. Sic *ex Leg. Quod tamen §. in navis quoque. ff. Quibus modis usufructus.* colligunt Molina *disp.* 394. *num.* 3. Navarrus *Commen. de usur. num.* 420. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 91. qui recte advertit, in hoc spectandam esse locorum consuetudinem.

13 Quæres 8. an sit licitum pactum in Censu, ut non possit redimi, nisi eadem moneta, qua venditus fuit? Resp. affirmative dummodo non habeatur motivum probabile quod augendus sit valor monetæ: ratio est, quia si tale pactum licite apponi potest in mutuo, etiam & incensu, cum non apponatur gravamen supra naturam census. Quod si Censualista speret probabiliter augendum esse valorem monetæ, illicitum erit pactum appositum, utpote gravans Censuarium ad onus pretio æstimabile, & ad quod ex natura talis contractus non tenetur. Si denique ex utraque parte contrahentium dubia res erat, an valor monetæ augendus, vel minuendus foret; licitum erit pactum, cum uterque contrahens æquale subeat periculum, & pari fortunæ subjaceat, quod reducitur ad contractum Sponsionis. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 8. *num.* 49. Salas *dub.* 56. *num.* 11. & Bonacina *de Contr. disput.* 3. *quæst.* 4. *pun. unic. num.* 36.

Quæres 9. an pactum, ut censuarius teneatur ad pensionem solvendam, etiamsi res censita casu fortuito pereat; sit illicitum? Resp. iniquum esse, & injustum, ac contra naturam contractus censualis, cum per illud apponatur gravamen pretio æstimabile Censuario. Quod si gravamen illud justo pretio compensetur supra emptionem census, considerato à viris prudentibus periculo eventus, ut si parvum sit, parvi æstimetur, si magnum magni pendatur, & per alium contractum assecurationis ineatur; non erit illicitum: ratio est, quia interveniunt duo pacta ambo licita. 1. est emptio census absolute justo pretio. 2. assecuratio ejusdem census justo pretio; & si divisim licite, & juste fieri possunt, cur non conjunctim? Confirmatur, quia assecuratio census non repugnat naturæ contractus censualis ut probat Bonacina *de contr. disputat.* 3. *quæst.* 4. *pun. unic. num.* 30. innumeris relatis authoribus. Et quamvis subdat, vetitum esse à Jure obligare Censuarium ad casus fortuitos; intelligendus erit de puro contractu censuali, non vero mixto cum assecuratione, & aucto pretio assecurationis supra emptionem census. Sic expresse Lessius *loc. cit. dubitat.* 11. *num.* 66.

Quæ hactenus dicta sunt de Censibus explicata fuere juxta naturam Contractus Censualis, qui ut justus sit, nil aliud requirit, nisi æqualitatem inter censum, & pretium. Quod si aliqua onera hinc inde à contrahentibus apponantur præter naturam ipsius contractus; compensanda erunt judicio virorum prudentum, ubi tamen non repugnant juri Canonico, & Civili, quod sancte servandum erit juxta ea loca, ubi viget, & rite promulgatum est.

CAPUT IX.

De Cambiis.

1 *Quid sit Cambium, & quomodo differat à Permutatione proprie accepta?*
2 *Cambium aliud Reale, aliud Siccum. Et Reale aliud minutum, aliud Locale.*
3 *An in Cambio Sicco licitum sit aliquid accipere supra pecuniam datam?*
4 *An in Cambio reali minuto licitum sit aliquid accipere supra pecuniam datam?*
5 *An licitum sit Campsori aliquid accipere ob Cambium Locale, quando pecuniam accipit, ut alibi restituat?*
6 *An licitum sit Campsori aliquid accipere ob Cambium locale, quando pecuniam dat, ut alibi accipiat?*
7 *An cambium reale per litteras cum recambio sit usurarium, & illicitum?*
8 *An cambium ad Nundinas sit licitum pro majori, vel minori intercapedine temporis ad ipsas Nundinas computans lucrum?*
9 *An Campsor possit opponere pactum in cambio, quod si Campsarius fuerit in mora ad solvendum tempore designato, vel loco statuto; accipiet pecuniam illam ad cambia, & recambia ejus expensis?*
10 *An Campsor possit exigere pignus, vel fideiussionem in cambio ob suam indemnitatem, si non fidat Campsario?*
11 *An si campsor bona fide dederit ad cambium in locum aliquem, ubi putabat Campsarium habere pecuniam, vel numeratam, vel creditam quam non habet; possit damnum, quod patitur in lucro exigere à Campsario?*
12 *An teneatur Campsor, cui debet Campsarius non solum sortem principalem, sed etiam lucra; acceptare partem solutionis campsarii potius in extinctionem sortis principalis, quam lucrorum?*
13 *An licitum sit accipere lucrum ex cambio, cujus indiget Campsor?*

CAMBIUM generice sumptum idem significat, quam Permutatio, cambire siquidem est permutare. Hic tamen accipitur non pro quacumque permutatione unius rei pro alia diversæ rationis, sed pecuniæ tantum pro pecunia. Quapropter passim definiri solet cambium: Permutatio pecuniæ pro pecunia. Differt autem Cambium à permutatione proprie accepta, quæ perficitur per traditionem utrinque rerum diversæ rationis à mutuo, quod tradit rem præsentem cum dilatione ad solvendum impostetum, ita ut concessio dilationis sit ex intrinsecis mutui, non sic in cambio, ut patet in cambio minuto, in quo una species pecuniæ præsentis cum alia præsenti cambitur; à venditione in qua res pro pecunia traditur. Sic Doctores apud Salas *de Cambiis*, *quæst.* 1. 1

Si quæras ad quamnam speciem contractus referatur Cambium? Resp. cum Navarro *cap.* 17. *num* 294. parum referre, ad quamnam speciem reducatur, dummodo semper servetur æqualitas inter datum, & acceptum; in quo consistit justitia cambii. Ipse vero reducit ad Contractum innominatum, do, ut des, quæ quidem sententia mihi arridet. Cajetanus cum Sylvestro reducunt ad emptionem, & venditionem, Mercatores siquidem vendunt tamquam mercem pecuniam absentem pro præsenti. Lessius reducit ad contractum Locationis, & Conductionis operarum, ut patet in cambio locali, & per litteras, in quo censetur Campsor pecuniam acceptam ex uno loco in alium transferre suis expensis, labore, & industria. Notandum hic: Eum, qui pecuniam dat ad cambium, dici Campsorem: eum vero, qui recipit ad cambium, dici Campsarium.

Dividitur Cambium in Reale, & Siccum. Reale 2
est,

est, cum re vera pecunia cum alia pecunia commutatur, ac cambitur. Siccum vero dicitur, cum re vera non cambitur, sed fingitur cambiri, & præsefert imaginem quamdam cambii, quam revera non habet: ut quando fingit Campsor petenti pecuniam hìc, eam habere alibi, quam si velit, suis expensis cambiet hìc; & revera pecunia est præsens, quamvis per litteras fingatur esse alibi; dicitur istud Cambium Siccum, cum careat humore, seu justo titulo ad lucrandum.

Subdividitur Cambium Reale in Minutum, & Locale, seu per litteras. Minutum est permutatio numismatum diversæ rationis, & speciei, videlicet æreorum cum argenteis, argenteorum cum aureis, majorum cum minoribus, patriorum cum externis, & similibus. Locale vero, seu per litteras dicitur, cum accipitur pecunia præsens, ut alibi restituatur absens mediis litteris. Et hoc tripliciter evenire potest. 1. quando Campsor accipit à Campsario pecuniam prius hìc Messanæ, e. g. quam postea solvat Romæ. 2. quando priùs tradit pecuniam Messanæ, quam postea accipiet Romæ. 3. cum Campsor tradit Campsario pecuniam Messanæ, sed cum recambio, quam videlicet accipere debet Messanæ post recambium: e. g. accipit hìc Messanæ Petrus pecuniam à Titio campsore, quam promittit solvendam Romæ, eamque Romæ solvit per Paulum Titio, vel ejus Procuratori; Paulus autem qui factus est creditor Petri per solutionem ejus nomine Romæ factam, transmittit creditum suum, & recambit Messanam missis litteris ad Titium campsorem, vel ad alium, ut exigat à Petro pecuniam Romæ ejus nomine solutam; & hoc dicitur cambium cum recambio.

3 Quæres 1. an in cambio sicco licitum sit aliquid accipere supra pecuniam datam? Resp. negativè, esset enim aperta usura, ut constat ex Bulla S. Pii V. damnantis cambium siccum: ratio est, quia cambium siccum est verum mutuum, sed accipere lucrum pro mutuo est vera usura; ergo accipere aliquid pro cambio sicco est usurarium, acciperetur siquidem ob solam dilationem temporis, non verò ob alium justum titulum. Sic Doctores communiter, Bannez, Salon, Reginaldus, Navarrus, Tuscus, Toletus, Sotus, & alii apud Salas *tract. de Camb. dub. 39.*

4 Quæres 2. an in Cambio reali minuto licitum sit aliquid accipere supra pecuniam datam? Resp. licitum esse, si concurrant justæ causæ: ut si quis haberet à Republica, vel Principe cambiendi officium, posset aliquid exigere ratione officii; quod multa onera secum afferret in gratiam Campsorum, & pretio æstimabilia: sic sunt retinere parata varia pecuniarum genera, paratos Ministros ad numerandum, & assiduè custodiendum; dummodo non habeat sufficiens stipendium à Republica ad eum modum quo potest aliquid accipere ratione officii, qui destinatus est ad mutuandum in Monte Pietatis. Quod etiam extenditur ad privatum Campsorem, qui sponte propria hoc obsequium præstat in gratiam Campsariorum; habet enim justas causas aliquid accipiendi, uti Campsor publicus, qui plures, & majores habet titulos, quos non habet privatus, ut rectè advertunt Doctores. Imò si vetitus sit hìc cambiendi modus privatis Campsoribus à Republica, non ideo tamen tenebuntur ad restitutionem moderati lucri accepti: cum prohibitio à Republica facta non irritet contractum initum, nec reddat privatum Campsorem inhabilem ad acquirendum jus illius lucri moderati, & justi. Sic Lessius *libr. 2. capit. 23. dubit. 2. numer. 8. & 9.* Navarrus *in Summ. cap. 17. num. 283.* Rebellus *lib. 11. quæst. 4. numer. 6.* Sylvester *verb. Usura. 4. quæst. 3.* Sà *verb. Cambium. num. 5.* Molina *disput. 399. numer. 7.* & alii passim.

Aliæ causæ enumerantur à Doctoribus, nempe lucrum cessans, ut si Campsor pecuniam illam destinasset ad emendas merces alibi, ubi pecunia ad cambium data pluris valeret; vel quia privat se lucro mercium, quas pecunia illa emere poterat; tunc exigere poterit ob cambium, quanti prudenter æstimatur spes illa lucri. Labor in numerando pecuniam, qui si tenuis sit, tenuem meretur mercedem; verò ingens sit pecuniarum summa, majorem meretur mercedem, habito semper respectu ad moderationem, & ad æqualitatem pretii cum labore. Materia ipsa monetæ, vel quia purior est, vel quia antiqua, & præsefert imagines requisitas; vel tandem quia facilior ad expendendum, & commodior ad conservandum, & transferendum. Sic Lessius *loc. cit. numer. 11.* referens Cajetanum, Sotum, & Navarrum contra Medinam putantem, non posse plus exigi ex pecunia supra pretium à Principe taxatum, quod quidem verum est, si consideretur pecunia, prout est pretium. & mensura rerum venalium, non vero prout est materia purior, antiquior, aut alias secum habens commoditates. Vide Lessium *loc. citat. num. 14.* & Bonacinam *de Contr. disput. 3. quæst. 5. punct. unic. num. 3. versic. Objicies*, cum Medina.

Hinc fit 1. vendentem pecunias exteras aurificibus supra pretium, quod habebant à Principe taxatum; non teneri ad restitutionem, quia non vendit eas, ut pretium rerum venalium, sed veluti mercem quamdam, 2. Famulum, aut Procuratorem, qui pecunias acceptas à Domino ad solvendum Creditoribus, vel ad res necessarias comparandas minutè cambit; non teneri ad restitutionem lucri, si ex tali cambio nullum sequatur detrimentum domino: ratio est, quia reputatur fructus industriæ illius, concurrente pecunia ut instrumento, licet infœcundo. Sic Doctores superiùs citati.

Dubitabis hìc: an qui pecuniam adulterinam, ac falsam scienter, vel inadvertenter habuit; possit illam expendere, aut aliis cambire non detecto vitio? Resp. negativè; ratio est, quia cum vitiosa sit saltem notabiliter, non poterit expendi, aut alteri in solutionem tradi non detecto vitio, quo laborat juxta communes regulas venditionis. Nec favet, fuisse deceptum, quia deceptio passiva non dat jus, nec reddit licitam deceptionem activam cum damno alterius. Sic Azor. *3. par. lib. 7. cap. 6. quæst. 1.* & alii multi apud Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 23. num. 23.*

Quæres 3. an licitum sit Campsori aliquid accipere 5
ob cambium locale, quando accipit à Campsario pecuniam, ut alibi restituat, e. g. accipit Panormi, ut restituat Romæ? Resp. affirmativè, eo quia concurrunt justi tituli aliquid accipiendi supra id, quod restituere debet: primus est virtualis translatio pecuniæ, quæ est pretio æstimabilis, non quanti si reipsa transferretur, sed quanti reputatur à Viris prudentibus, aut consuetudine. Secundus est assecuratio, quia suscipit in se onus, & periculum restituendi pecuniam in loco designato, quæ si perit, Campsori perit, quod quidem onus est pretio æstimabile. Sic Lessius *libr. 2. cap. 23. dub. 3. num. 19.* referens Gabrielem, Conradum, Cajetanum, Medinam, Navarrum, & Sotum. Sic etiam Azor. Molina, Valentia, Salas, Sà, & alii relati à Bonacina *disp. 3. quæst. 5. punct. unic. num. 7.* Neque dicas: cambium esse veluti quoddam mutuum, adeoque sicuti in mutuo illicitum est lucrum, sic etiam in cambio. Contra enim est, primo quia cambium, ut supra notatum fuit, distinguitur à mutuo. Secundò quia sicuti in mutuo, non præcisè qua mutuum, concurrere possunt justi tituli ad aliquod accipiendum supra sortem, sic etiam in cambio.

Quæres 4. an etiam licitum sit Campsori aliquid 6
accipere ob cambium locale, & per litteras, quando tradit pecuniam Campsario, ut eam alibi recipiat: ut tradit Romæ, ut accipiat Panormi? Resp. affirmativè: quia concurrunt justi tituli supra explicati, virtualis translationis, & assecurationis: Campsor siquidem subit incommodum, onus, & periculum transferendi pecuniam Campsarii Panormi Romam, quæ si perit, Campsori perit, non Campsario, quæ omnia sunt pretio æstimabilia: insuper emitur pecunia absens, quæ minoris æstimatur, cum præsenti, quæ pluris reputatur. Sic Navarrus, Rebellus, Lessius, Reginaldus, Salon, Valentia, Molina, Toletus, Sà, Bannez, Salas, Garzias, & alii penes Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 5. pun. unic. num. 6.* Adnotandum hìc: cambia realia localia, non sicca, licita esse non solum ad loca distantissima, verum etiam ejusdem Regni, & Provinciæ, nisi specialis exter prohibitio; quamvis semper habendus respectus ob lucrum ad distantiam locorum, ad pericula itinerum, & similium incommodorum, ut adnotant Doctores.

Quæres 5. an Cambium reale per litteras cum re- 7
cambio sit usurarium, & illicitum? Resp. hoc cambium cum recambio, si revera reale est, & non pura fictio, ac pallium usuræ; itaut mittantur litteræ, quæ suum sortiantur effectum, & remittantur cum eodem effectu, quia ibi Campsarius suum correspondentem

tem habet, aut fidem penes ipsum, servatis semper conditionibus, & justo pretio ad cambium per litteras requisitis, non video, cur damnandum sit ab aliquibus Authoribus: & ratio est, quia est duplex cambium locale, quod singillatim acceptum licitum est, ergo etiam si conjunctim accipiatur.

Difficultas tamen est in cambio, & recambio, quod passim dicitur Cambium Besuntinum, aut Placentinum, quia in his urbibus erat in usu, sed decursu temporis ad alias Regiones extensum est: & fit hoc pacto, dirigitur cambium à campsore ad locum distantem, ubi nec campsarius pecuniam habet, nec correspondentem, nec creditum, nec fidem; petit ergo ab ipso campsore, ut nomine campsarii scribat ad aliquem, vel ad suum factorem, ut procuret recambium, quod per litteras remittit eidem campsori, & fit solutio cambii, & recambii in eodem loco, ubi primum cambium acceptum fuit. Hoc est cambium cum recambio, quod passim usurpatur à Mercatoribus, & etiam ab aliis non exercentibus negotiationem; & quod magis considerabile est, extenditur hæc continuatio cambii, & recambii ad plures annos: eo usque pervenit humana lucrandi aviditas, ut tot involucra, & ambages invenerit; quæ merito dant suspicionem injiciendi pallium usuris.

Cambium cum recambio hoc modo factum, quamvis speculative probabile sit, & ut tale à nonnullis Doctoribus concedatur, ut videre est penes Bonacinam *de contr. disp. 3. quæst. 5. pun. unic. num.* 10. Nihilominus in praxi periculosum est, cum ut plurimum reducatur ad cambium siccum, & fictum, quod ex communi sensu Doctorum illicitum est, & est nova adinventio tegendi usuras: maxime quia communiter constat campsori, non habere campsarium *in illo loco* distanti nec præsentem, nec creditam pecuniam; adeoque campsor nec permutat pecuniam absentem cum præsenti, nec transfert in se onus absentem illam pecuniam reducendi ad locum ubi fit primum cambium, quia revera non habetur pecunia absens, quæ fingitur; quapropter erit emptio, & permutatio sicca, carens videlicet humore, ac titulo percipiendi lucrum; sicuti qui emeret domum à non habente illam, quam ipsi vendenti locaret; utique locatio esset sicca, & ficta, quamvis præseferret speciem locationis. Et qui sic contraheret, injuste contraheret, ut habet communis sententia teste Lessio *lib. 2. capit. 23. dubitat. 7. numer.* 68. referente Sylvestrum, Navarrum, & alios. Adde tandem, intentionem campsoris in cambio supradicto, esse dare pecuniam cum obligatione, ut restituatur in eodem loco cum lucro; de reliquo, cætera, quæ adduntur, non serio fiunt, sed ut pallium texatur usuris, & ut sub specie cambii accipiatur majus lucrum ex mutuo. Quapropter me subscribere nequeo sententiæ faventi huic cambio cum recambio modo explicato; & multo magis sententiæ concedenti continuationem ipsius ad multos annos, in quibus semper renovatur, redacto etiam ad sortem capitalem lucro præteritorum cambiorum: moveor ultra rationes adductas, quia saltem semper est contra Charitatem proximi, & inducit præsumptionem usurarum de jure, ut constat ex Bulla S. Pii V. de Cambiis, adeoque in foro externo puniri potest. Vide Lessium non minus docte, quam recte de hac materia pertractantem *loc. cit. n.* 71. & 72. Molinam *disp.* 404. & alios apud Salas *dub.* 17. *num.* 1. & Toletum *lib.* 5. *cap.* 52. Non nego tamen, quod si Campsor habeat pecuniam ad cambiendum paratam, & defacto cambit in locis distantibus, ubi suos correspondentes habet, qui ad eum vicissim alia cambia remittant percepto utrinque justo lucro; & quis velit ab isto campsore pecuniam mutuam; possit licite eam tradere ad cambia, & recambia, id est, possit exigere quantum lucri juste percipit ex cambiis, quæ ipse facit; & ex cambiis, quæ ipsi mittuntur, monito priùs de hoc mutuatario. In hoc enim casu, ut patet, justo titulo lucri cessantis cambia, & recambia exigeret, regulando se cum justo lucro, quod ex illis percipit.

8 Quæres 6. an cambium ad Nundinas sit licitum pro majori, vel minori intercapedine temporis ad ipsas nundinas computans lucrum, quod alio vocabulo dici consuevit cambium Francofurtense? Resp. exigere ob cambium ad nundinas solvendum plus, aut minus, si plus aut minus distent nundinæ, præcisè ob distantiam majorem, vel minorem temporis à nundinis in quibus solutio facienda est; usurarium esse, ac illicitum: eo quia aliquid exigere præcisè ob dilatam solutionem est penes omnes usurarium. Si vero id fiat ob justos titulos lucri cessantis, quod magis cessat ob privationem pecuniæ ad longum tempus, quam ad breve; non erit illicitum variare lucrum secundum majorem, vel minorem temporis intercapedinem, servatis semper conditionibus justi pretii à viris probis, ac peritis similis negotiationis taxatis. Sic Lessius *lib. 2. cap. 23. dub. 6. à num.* 55. Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 19. num. 9.* & alii.

9 Quæres 7. an Campsor possit apponere pactum in cambio, quod si campsarius fuerit in mora ad solvendum tempore designato, vel in loco statuto; accipiet pecuniam illam ad cambia, & recambia ejus expensis? Resp. hoc onus imponere alias nimis grave campsario ob præcisam dilationem solutionis; esse illicitum, ac injustum, saperet siquidem manifestam usuram. Si tamen campsor esset moraliter certus, ac probabiles haberet conjecturas, quod si solutio fieret tempore condicto, & loco statuto, exigeret similia lucra cambiorum, & recambiorum; posset tale pactum apponere ratione lucri cessantis ob dilatam solutionem, habito semper respectu ad æstimationem prudentem lucri cessantis in pacto hoc apponendo. Sic Lessius *loc. cit. dub. 9. num. 83.* Salas *de Cambiis dub.* 22. *concl.* 2. Graffis 1. *par. Decis. lib. 4. cap.* 110. *num.* 15. Filliuccius *tract.* 35. *n.* 471. & Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 5. pun. unic. num.* 22.

10 Quæres 8. an campsor possit exigere pignus, vel fidejussorem in cambio ob suam indemnitatem, si non fidat Campsario? Resp. affirmative, licitum siquidem est cuicumque, se indemnem servare quantum cum contractu, quem celebrat, compossibile est; ergo poterit hoc exigere campsor, sicuti potest exigere mutuans, vendens credita pecunia, aut *emens* anticipata solutione; quamvis si pignus frugiferum sit, campsario fructificare debeat. Sic Lessius, Azor. Salas, & Tol. relati à Bonac. *de Contr. disp. 3. qu. 5. pun. unic. n.* 21.

11 Quæres 9. an si campsor bona fide dederit ad cambium in locum aliquem, ubi putabat campsarium habere pecuniam, vel numeratam, vel creditam, quam revera *non* habet possit; ut fraudem rescierit, exigere tantum lucri à Campsario, quantum ibi percepisset, si solutio facta fuisset? Resp. affirmative cum Molina *tract.* 2. *disp.* 404. *num.* 7. & Lessio *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 7. *num.* 69. Et quamvis videantur contrarii Salas, Salon, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 24. qui tamen probabilissimam dicit nostram sententiam; revera nihilominus concedunt id quod admittitur à Molina & Lessio: nam isti Doctores volunt indemnem campsorem ob contractum bona fide celebratum, quæ quidem *indemnitas* dat jus ad percipiendum justum lucrum, quod percepisset ibi, si campsarius non egisset cum fraude; illi vero Doctores negant, posse percipere quantum percepisset ibi, secluso tamen lucro cessante; sed jam cessat lucrum, quod juste sperabat in illo loco campsor; ergo potest illud percipere, ut servetur indemnis; ergo tandem concedunt id, quod admittitur cum nobis à Mol. & Lessio.

12 Quæres 10. an teneatur campsor, cui debet campsarius non solum sortem principalem, sed etiam lucra; acceptare partem solutionis, quam campsarius tradit in extinctionem sortis principalis potius, quam lucrorum? Resp. non teneri ad acceptandam potius partem illam *solutionis* in extinctionem sortis quam lucrorum: ratio est, quia quando ex debito principali oriuntur tamquam ex radice alia debita, veluti fructus; semper censetur solutio primo fieri pro pendentibus fructibus, postea si superfit pro sorte principali: ut clare constat *ex Leg.* 1. *Cod. de Solut. & ex Leg. si usuras. Cod. de usur.* & praxis ipsa demonstrat in Censibus, in redemptione quorum prius solvuntur fructus, postea summa capitalis. Quod si aliquæ Leges *in* contrarium afferuntur, non sunt ad rem, cum loquantur de debitis ex diversis causis, in quibus debitor habet electionem, ad quod debitum applicare voluerit; non vero de debitis provenientibus ex eadem causa, & radice. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 10. *num.* 81. & Salas *dub.* 25. *num.* 2.

13 Quæres tandem: an licitum sit accipere lucrum ex cambio, cujus indiget Campsor: e. g. Campsor indiget Messanæ nummis, quos Panormi habet; Campsarius vero indiget Panormi nummis, quos Messanæ habet; quid faciendum, si lucrum campsor reportavit

ex

ex hoc cambio ? Resp. si prævenitur à campsario in cambio, ita ut rogatus fuerit ab ipso ad cambium faciendum; poterit licite retinere cambii lucrum, esto cambio illo indiguerit : ratio est, quia subit onus pretio æstimabile in gratiam Campsarii, quamvis per accidens reportet commodum asportandi pecuniam sine expensis; ad eum modum quo iturus Messana Panormum peditus, si inveniat aliquem, qui transmittere debeat equum Messana Panormum, cui locet operam suam in asportando equum; licite retinere poterit pretium suæ locationis, quamvis per accidens commodum reportet, quo fruatur : maxime quia nulla fit injuria, cum in utroque casu si non istis personis, aliis facienda esset solutio lucri cambiorum, & locationis ad vehendum equum; & sicuti merx ultronea vilescit ob ipsam spontaneam oblationem; sic campsarius viliorem reddit conditionem suam, per hoc, quod prior roget campsorem ad cambium, esto per accidens cambio illo indigeat. Secus tamen dicendum, si campsor, non fuerit præventus à Campsario, sed ipse prior campsarium præveniat; tunc viliorem reddit conditionem suam, & Campsarius lucrum reportare debebit ob rationes supradictas. Sic Molina *tract.* 2. *disp.* 406. Salas *de Cambiis dub.* 20. Salon *quæst.* 4. *de Cambiis art.* 2. *controv.* 2. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 455. & alii cum Bonacina *disp.* 3. *de Contr. quæst.* 5. *pun. unic. num.* 25.

CAPUT X.

De Emphyteusi, Feudo, & Livello.

1 *Emphyteusis quid nominis importet, & quid rei?*
2 *Emphyteusis alia Perpetua, Temporalis alia; alia Ecclesiastica, alia prophana.*
3 *Quinam possint ad emphyteusim concedere; & quinam accipere?*
4 *Quænam conditiones requirantur ad contractum Emphyteuticum?*
5 *Quonam tempore solvenda sit Pensio ab Emphyteuta?*
6 *An cadat in commissum Emphyteuta, qui obtulit Pensionem domino directo, sed hic noluit eam acceptare?*
7 *An incurratur caducitatis pœna, si pensio non solvatur ob ignorantiam Emphyteusis, vel ob aliud legitimum impedimentum?*
8 *Quid sit Feudum, prout importat contractum, & quomodo differat ab Emphyteusi?*
9 *Quanam conditiones requirantur in contractu feudali?*
10 *An bona Ecclesiæ possint à Prælatis in feudum concedi, Emphyteusim, aut ad longum tempus locari?*
11 *Livellum, quamvis confundi possit cum contractu feudali, aut emphyteutico; propriè tamen distinguitur ab illis.*

1 EMPHYTEUSIS idem est, ac insitio, & implantatio : quapropter dare agrum ad Emphyteusim, est illum concedere, ut arbores, vel segetes conserantur, aut si sylvestres reperiantur per insitionem domesticæ reddantur. Inde est, quod emphyteusis constitui debeat in rebus immobilibus, quæ meliores, ac fructuosiores reddi possint. Sic ergo accepta emphyteusis definiri communiter solet : Concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis retento directo, sub onere certæ pensionis realis solvendæ proprietario in recognitionem dominii directi. Sic colligitur *ex Leg.* 1. *Cod. de Jur. emphyteut.* Qui dat ad Emphyteusim dicitur Dominus directus, seu proprietatis, qui vero accipit ad eumphyteusim, seu recipit domininm utile, dicitur emphyteuta.

2 Emhyteusis multiplex est, alia perpetua, quæ conceditur sine præfixione temporis; alia Temporalis, quæ conceditur ad unam, duas, vel tres vitas; aut ad determinatos annos, quindecim, viginti, aut triginta; non possunt tamen esse pauciores decem. Alia Ecclesiastica, quæ res Ecclesiæ respicit; alia denique prophana, non spectans scilicet ad res Ecclesiasticas.

3 Omnes illi concedere possunt ad emphyteusim, qui habent dominium directum super re immobili, quæ melior effici possit; & habent alienandi facultatem: nam concedere ad emphyteusim est alienare, cum importet abdicationem dominii utilis. Et omnes illi accipere possunt in Emphyteusim, qui possunt rem meliorare, & obligare se ad pensionem realem solvendam. Denique omnes illæ res concedi possunt in emphyteusim quæ & immobiles sunt, & capaces, ut meliores & fructuosiores reddi possint, & spectant ad Dominum directum.

Quæres 1. quænam conditiones requirantur ad con- 4
tractum emphyteuticum ? Resp. quamvis conditiones variæ apponi possint huic contractui juxta voluntaria pacta contrahentium, quæ maxime dant legem huic contractui ut clare constat *ex Leg.* 1. *& 3. Cod. de Jure emphyteut.* quapropter diversæ consuetudines, & statuta municipalia de hoc contractu resultarunt in variis Provinciis, quibus standum. Nihilominus de Jure Communi, ac Cæsareo; servandæ sunt sequentes, *ut ex Legib. cit. colligitur*. 1. est, ut contrahatur de rebus immobilibus, & frugiferis solo adhærentibus, ut sunt agri, sylvæ, pascua, stagna, Domus, & similia, quæ cultura, ac industria meliora reddi possint. Nam ex sua primæva origine instituta fuit emphyteusis ad terras steriles fœcundandas, quamvis progressu temporis extensa fuerit ad res jam fœcundas, ut magis fœcundarentur. 2. Conditio : ut dominium directum, & possessio Civilis maneat apud Dominum, qui dat rem in emphyteusim, translato tantum in emphyteutam dominio utili cum onere pensionis realis. Ex quo fit, non posse emphyteutam præscribere quoad dominium directum, quia semper dominus manet in possessione Civili; quamvis præscribere possit quoad dominium utile, & quidem spatio annorum triginta contra sæcularem; quadraginta contra Ecclesiam privatam, centum contra Ecclesiam Romanam : ut tradit Lessius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 8. *num.* 44. 3. ut emphyteuta teneatur ad pensionem realem annuam Domino directo solvendam; quæ licet soleat esse minor fructibus detractis expensis, potest tamen æquare. 4. quod si pensionem non solverit intra certum tempus; amittat emphyteuta rem cum melioratiouibus factis; ita ut si sit Ecclesiastica, sufficiat biennium, si vero sæcularis, & profana triennium; nec requiritur interpellatio domini, ut cadat in commissum. 5. si res absque culpa emphyteutæ pericrit, ut si à Maris alluvione absorbeatur, vel ab hostibus accipiatur; non teneatur ad pensionem solvendam. 6. si emphyteuta rem notabiliter deteriorem reddat; eam amittat, & ab eo auferri possit : & quamvis hæc conditio apposita fuerit pro emphyteusi Ecclesiastica, ut patet *ex Authen. Qui rem. Cod. de Sacros. Eccles.* Nihilominus extenditur à Doctoribus ad sæcularem, & communem ob finem intentum in emphyteusi meliorandi rem. 7. ne emphyteuta vendat suum jus utile & meliorationes factas non prius monito domino directo, alias cadet in commissum. 8. ut quoties vendatur, solvatur laudemium Domino directo ab emente pro investitura, ac possessione, quam ab illo accipit : solet autem Laudemium esse quinquagesima pars pretii rei venditæ ex Jure Communi, quamvis in hoc servanda sit consuetudo locorum. Hæ sunt conditiones ex Jure Communi.

Quæres 2. quonam tempore solvenda sit pensio ab 5
emphyteuta ? Resp. in hoc servandam esse conventionem factam inter contrahentes, vel consuetudinem locorum; quamvis passim fiat in fine anni. Sic Rebellus *libr.* 13. *quastion.* 7. *numer.* 8. Valasco *quæst.* 8. *num.* 14. & Julius Clarus *quæst.* 12.

Quæres 3. an cadat in commissum emphyteuta, qui 6
obstulit pensionem Domino directo, sed noluit eam accipere ? Resp. negative, si oblatio facta fuerit opportuno tempore, & loco : ratio est, quia caducitas solum data est in pœnam dilatæ solutionis, & quando emphyteuta est in mora solvendi; non vero quando offert illam, sed accipere minime velit Dominus directus, qui tenetur ad illam accipiendam, nisi velit remittere; ne damnum Juri suo patiatur emphyteuta. Sic Rebellus *lib.* 13. *quæst.* 10. *num.* 3. Julius Clarus *quæst.* 8. Sylvester *verb. Emphyteusis num.* 14. *quæst.* 8.

Quæres 4. an si pensio non solvatur ob ignorantiam 7
emphyteusis, vel ob legitimum impedimentum; incurratur pœna caducitatis ? Resp. negative : ratio est; quia cum caducitas sit pœna, non convenit eam incurrere, qui culpam non commisit; sed ignorans, aut legitime impeditus non commisit culpam, ergo non debet pœnam incurrere. Sic Julius Clarus *quæst.* 8.

num.

num. 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 8. *num.* 48. Sylvester *loc. cit. num.* 10. & alii.

8 Feudum à fide, seu fidelitate denominationem accepit, & significat tum feudum feudalem, tum contractum feudalem. Prout significat contractum feudalem, de quo loquimur; definiri solet: Concessio rei immobilis, seu æquipollentis cum translatione dominii utilis retenta proprietate sub onere fidelitatis, & pensionis personalis, ac obsequii præstandi. Qui concedit in feudum, dicitur Infeudator, seu dominus directus feudi; qui recipit in feudum dicitur Feudatarius, sive vassallus. Videatur Julius Clarus *de Feudis quæst.* 4. & 5. Contractus feudalis, & emphyteuticus solum discrepant inter se ratione pensionis; de reliquo conveniunt in translatione dominii utilis, & retentione proprietatis. Pensio siquidem in feudo mere consistit in obsequio personaliter exhibendo, & cum fidelitate; in emphyteusi vero consistit in re; quæ solvitur in recognitionem dominii directi. Quod si in feudo ultra recognitionem personalem apponatur recognitio realis; ex hac parte declinat à feudo, & accedit ad emphyteusim: ut bene notat Lessius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 1. *num.* 5.

9 Quæres 1. quænam conditiones requirantur in contractu feudali? Resp. similes illis requiri, quæ ad emphyteusim, à qua parum discrepat, videlicet, ut constituatur in re immobili, scilicet in agro, pago, arce, civitate, Provincia, Regno; ut dominium directum, & ejus possessio civilis maneat apud Infeudatorem, utile vero, & ejus possessio Civilis penes Feudatarium; ut non teneatur Feudatarius ad aliam pensionem præter personalem obsequii, quando de hac interpellatus fuerit, si est feudum merum; ut feudum amittat Feudatarius, si obsequium debitum non præstiterit; ut non possit illud alienare, aut oppignorare sine consensu Infeudatoris sub pœna amissionis feudi; ut investiatur ab Infeudatore, cui fidelitatem jurare debet: hæ tamen conditiones variæ esse solent pro varietate locorum, ac generum feudorum.

10 Quæres 2. an bona Ecclesiæ possint à Prælatis in feudum concedi, aut emphyteusim, vel ad longum tempus locari? Resp. si prædicta bona jam antea data fuerunt in feudum, aut emphyteusim; & non fuerint incorporata Ecclesiæ ob caducitatem, vel quia contractus expiravit; possunt iterum sic concedi, si id vergat in evidentem Ecclesiæ utilitatem absque nova solemnitate: ratio est, quia non fit nova alienatio, sed ante facta continuatur, ut communis sententia docet cum Julio Claro *de Feudis quæst.* 13. & *de emphyteus. qu.* 6. Covarruvia *lib.* 2. *var. cap.* 17. *num.* 4. Lessio *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 10. *num.* 19. & aliis. Si vero antea nec tradita sic fuere, aut expirante contractu Ecclesiæ incorporata fuere per designationem fructuum; non possunt in feudum tradi, aut emphyteusim, vel alio modo alienari sine justa causa, & solemnitatibus à Jure requisitis: ratio est, quia similem alienationem Jura Ecclesiastica vetant sine præscriptis solemnitatibus à jure requisitis, & sine justa causa, ut constat *ex cap. sine exceptione.* 12. *quæst.* 2. *ex extravag. Ambitiosæ. de empt. & vendit. ex cap. Nullis. de Rebus Eccles. alienan. vel non & ex cap.* 1. & 8. *de iis, quæ fiunt à Prælat. absque consens. capitul.* vetat quoque jus Cæsareum *in Authen. hoc jus porrectum, Cod. de Sacros Ecclesiis.*

Quod spectat ad locationem, dicendum, non posse locari bona Ecclesiæ ad vitam, aut ad longum ultra tempus triennium, ut constat *ex Extravag. Ambitiosæ, citata.* Quamvis si res non fructificet quolibet anno, sed quolibet biennio, possit ad sex annos locari; sicuti si fructificet quolibet triennio, poterit ad novem annos locari absque solemnitate Juris: cum dicta extravagans loquatur de rebus, quæ quolibet anno fructificant: ut bene notat Covarruvias *lib.* 2. *variar. cap.* 17. *num.* 6.

11 Livellum, seu Libellum, quamvis sit contractus, qui confundi possit cum feudali, vel emphyteutico; revera tamen, & proprie est contractus ille, quo Feudatarius, vel emphyteuta tradit alteri rem acceptam in feudum, vel emphyteusim cum pensione sibi solvenda, servatis semper conditionibus à jure requisitis: quapropter Livellum erit potius contractus subfeudalis, aut subemphyteuticus, quam feudalis, aut emphyteuticus. Vide Julium Clarum *lib.* 4. *Senten. §. emphyteusis, qu.* 3. Ad contractum Livellaticum, ut recte ineatur; requiritur ne dominus directus aliquod damnum patiatur; & pariter servari debent conditiones ad feudum, aut emphyteusim requisitæ, & respectu habito ad dominum directum.

CAPUT XI.

De Locatione, & Conductione.

1 *Definitur Locatio, & explicatur Definitio; & quomodo differat à venditione, Feudo, & emphyteusi.*
2 *Conductio correspondet Locationi, & definitur, quid sit.*
3 *Quænam res locari possint? Et qui nam locare, & conducere possint?*
4 *Quas nam obligationes locator habeat?*
5 *Quas nam obligationes habeat Conductor?*
6 *An si Conductor impediatur ab usu, vel fructibus rei conductæ; teneatur solvere pretium locationis.*
7 *An teneatur Conductor solvere integram pensionem locationis, si sterilitas, vel alia calamitas absque culpa ipsius supervenerit?*
8 *Quodnam reputandum est justum stipendium in conductione Operariorum, famulorum, aliorumve Officialium?*
9 *An licite locari possit domus, aut res alia, quæ censetur debere inservire Conductori ad peccatum grave?*

1 LOCATIO est contractus ille, quo persona, vel res aliqua conceditur ad usum, vel fructum pro pretio. Dicitur 1. persona, aut res; eo quia non solum res mobilis vel immobilis locari potest; verum etiam persona, cum possit quis se ipsum, aut servum suum locare alteri. Dicitur 2. ad usum, vel fructum; eo quia aliqua locantur ad usum tantum, ut servus, equus, domus, & similia; nam eorum fructus est usus; aliqua vero ad fructum, ut sunt agri, pascua, redditus, vectigalia, armenta vaccarum, greges ovium, vineæ, viridaria &c. Dicitur tandem pro pretio eo quia requiritur pecunia ad hunc contractum, sicuti requiritur ad venditionem, & emptionem; nam si alia res tradatur, non erit contractus locationis sed alius innominatus, videlicet, do, ut des; do, ut facias. Quod si nec pecunia, nec alia res tradatur, erit potius contractus precarii, & commodati, in quibus nullum intervenit pretium, sed gratis iniuntur. Vide Molinam *disp.* 486. & Sylvestrum *verb. Locatio, num.* 2. Differt Locatio à Venditione, quia per eam nec transfertur dominium directum, nec utile, ut in venditione. Differt quoque à Feudo, & emphyteusi, quia in his transfertur dominium utile; non vero in Locatione. Differt denique à Precario, & Commodato, quia, ut dictum est, in his contractibus nullum intervenit pactum, ut intervenit in Locatione.

2 Locationi correspondet Conductio, sicuti venditioni correspondet emptio; nam unus, & idem contractus ex parte unius dicitur venditio, ex parte alterius emptio; sic idem, & unus contractus respectu unius dicitur Locatio, respectu alterius Conductio: nam locans usum, vel fructum alicujus personæ, vel rei, illos vendit Conductori, quos emit ipse conductor. Quapropter sic definiri potest Conductio: Est contractus, quo pro pretio accipitur persona, vel res ad usum, vel fructum; ita ut qui pretium solvit pro usu, vel fructu dicatur Conductor, qui vero accipit Locator. Sic Lessius *lib.* 2. *c.* 24. *dub.* 1. & Molina *tract.* 2. *disp.* 489.

3 Quæres 1. Quænam res locari possint; & qui nam locare, & conducere possint? Resp. omnes res, quæ vendi possunt, locari pariter poterunt, nisi tamen specialis habeatur prohibitio: nam multa prohibentur locari: sicuti multa prohibentur vendi. Et omnes, qui possunt vendere, & emere, possunt etiam locare, & conducere, secluſa prohibitione: ratio est, quia non plus requiritur ad locationem, & conductionem, quam requiratur ad venditionem, & emptionem: ut recte advertit Molina citatus.

4 Quæres 2. quas nam obligationes habeat Locator? Resp. varias habere obligationes, quarum 1. est, aperire conductori vitium rei locatæ, juxta ea, quæ dicta fuere de venditore, nam utrobique militat par ratio. Quapropter si vasa locavit vitiosa, aut pravo liquore delibuta; aut equos assuetos se dimittere inaquas, quam ob rem conductor passus est detrimentum in mercibus appositis, non admonitus de vitio rei tenebitur ad damnum resarciendum dummodo dolus, vel culpa lata,

aut

aut levis interceſſerit, ut docent Navarrus *in Summ. cap.* 17. *num.* 196. Sylveſter *verb. Locatio*, *quæſt.* 18. Molina *diſp.* 494. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 5. *num.* 29. Non verò tenebitur, ſi culpa leviſſima, aut caſus fortuitus interceſſerit; cum contractus locationis celebretur in commodum utriuſque contrahentis.

2. Obligatio eſt, reſarcire Conductori expenſas neceſſarias ab ipſo factas in reparanda re conducta; & expenſas utiles, quæ tamen duraturæ ſint ultra locationis tempus, non verò eas, quæ à re conducta ſeparari poſſunt abſque rei detrimento: ratio eſt, quia ſi locator ſentit commodum ex meliorationibus, & expenſis rei ſuæ factis; par eſt, ut ſentiat incommodum expenſarum. Sic Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *diſput.* 496. *num.* 3. Gomez 2. *Variar. Reſol. cap.* 3. *num.* 20. & Reginaldus *lib.* 25. *cap.* 40. *num.* 508.

3. Obligatio: non repetendi rem locatam ante præfixum terminum locationis: ratio eſt, quia non debet reſilire à contractu, nam conductor jus acquiſivit ad tempus ſtatutum, à quo deturbari nequit. Excipiuntur quatuor Caſus, in quibus ex Jure Cæſareo *Leg. Cum Domini ff. locati*, & inſinuatur à Jure Canonico *Cap. propter ſterilitatem §. Verum de locato*; licitum eſt, rem locatam repetere à Conductore, illumque expellere ante tempus ſtatutum. 1. eſt, ſi Conductor, qui rem locatam habuit ad plures annos; per biennium non ſolverit. 2. ſi Domus locata indigeat reparatione quæ fieri nequit, inhabitante ibi conductore, quamvis reſtauratione finita Conductori reſtituenda ſit. 3. ſi domus locata neceſſaria ſit locatori, quia ei ſupervenit inopinatus eventus: nam Domus, quam inhabitabat; corruit, vel combuſta eſt, nec locator commodè aliam invenire poſſit. 4. denique, ſi conductor abutatur re conducta, ſive damnum inferendo, aut Meretrices illuc introducendo, aut alio modo abutendo.

4. Obligatio: ſolvere debet onera, & tributa pro re locata impoſita, ut taxam factam pro qualibet Domo, vel ad reficiendam viam ante domum, cenſus, & ſimilia: ratio eſt, quia ſunt onera impoſita pro re locata, & ſicut dominus rei ſentit commodum pro locatione, ita ſentire debet incommodum pro oneribus. Secus tamen dicendum pro oneribus impoſitis ſuper fructibus: nam conductor, qui fructus percipit, & commodum ſentit, tenetur ſolvere illa onera, & incommodum ſentire. Sic Azor. 3. *part. lib.* 8. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 9. Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 2. *num.* 7. & alii.

5 Quæres 3. quaſnam obligationes habeat Conductor? Reſp. quatuor paſſim enumerari. 1. eſt, ut tantùm utatur re conducta ad eum uſum, ob quem conduxit, niſi rationabiliter præſumat, non diſſentire locatorem ad alium uſum; ſic enim ſtaret conventioni factæ, nec uteretur re aliena invito Domino. Ita colligitur *ex leg. Qui jumenta ff. de Furtis*, & docent Conradus *de Contr. quæſt.* 87. Rebellus 2. *part. libr.* 14. *quæſt.* 15. *num.* 5. & Filliuccius *tract.* 36. *num.* 70. Hinc ſequitur, quod conducens equum Syracuſas verſus, ſed illo utitur Panormum verſus, ubi moritur, non moriturus, ſi ad locum in conductione expreſſum, perrexiſſet; tenebitur ad reſtitutionem Equi. 2. ut non poſſit rem conductam dimittere ante ſtatutum tempus conductionis, non interveniente juſta cauſa: qualis eſſet, ſi res conducta deterior effecta eſt ad uſum, ob quem conducta fuit ſine conductoris culpa: ut in caſu ſuprapoſito, ſi equus infirmaretur, dum Syracuſas petit, ſine culpa conductoris; vel ſi domus conducta ex parte corruat ſine culpa: nam reſiliri nequit à conductionis contractu ſine juſta cauſa. 3. ut finito conductionis tempore rem conductam reſtituat eamdem numero, ac integram; niſi aliter conventum fuerit inter ipſos contrahentes: ut obſervat Gomez *tom.* 2. *Variar. cap.* 3. *num.* 21. cum enim per locationem non transferatur dominium rei, ideo eadem numero, & integra tranſacto locationis tempore reſtituenda erit. 4. ut ſolvat pretium ſtatutum pro locatione ſecundum conventionem contrahentium, aut conſuetudinem loci, cum Conductio dicat ex intrinſecis ſuis ſolutionem pretii, ut ſuperiùs dictum eſt.

6 Quæres 4. an Conductor, ſi impediatur ab uſu, vel fructibus rei conductæ; teneatur ſolvere pretium, ſeu penſionem locationis? Reſp. ſi impedimentum ſuperveniens ſe teneat ex parte rei conductæ abſque culpa Conductoris, ut ſi peſtis, vel bellum ingrueret; non tenebitur ad penſionem pro tempore illo, quo re uti, aut frui non potuit: ratio eſt, quia non cenſetur voluntas, & intentio Conductoris promittere, & obligare ſe ad penſionem, niſi quatenus poterit re uti, aut frui; cum igitur contractus obliget juxta contrahentium intentionem, inde eſt, quòd non poterit ultra illam extendi. Sic Navar. *in Summ. cap.* 17. *n.* 187. Molin. *diſp.* 493. *n.* 2. Rebel. 2. *par. lib.* 14. *quæſt.* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 2. *n.* 7. Covarr. *lib.* 3. *Variar. cap.* 13. *n.* 8. & alii apud Molin. citatum, & fundantur *in leg. Habitatores §. ult. & leg. Si fundus ff. locati.* Si verò impedimentum ſuperveniat culpa Conductoris, vel ab ipſo oriatur abſque culpa; ut ſi relinquat domum, quia aliò proficiſcitur ſui commodi cauſa, vel ut damnum vitet; tenebitur ad penſionem ſolvendam: ratio eſt, quia non debet locator ſuo commodo privari ob impedimentum ſuperveniens Conductori; ſicuti conductor non privatur ſuo commodo ob impedimentum ſe tenens ex parte locatoris, aut rei conductæ, Sic Doctores citati colligunt *ex leg. Qui operas, & ex leg. Si uno ff. Locati.* Adnotandum hic cum Leſſio, & aliis Doctoribus communiter: quod ſi locator ob impedimentum ſuperveniens Conductori, alteri Conductori rem ſuam locaverit; quantum exigit ab hoc ſecundo conductore, refundere debet in pretium à primo conductore debitum: quia illi debetur ob primam conductionem, quamvis ſupplere debeat, ſi quid deſit, ut integra ſit ſolutio, quæ locatori debetur.

Quæres 5. an Conductor rei fructiferæ teneatur ad 7 integram penſionem, ſi ſterilitas, vel alia calamitas abſque culpa ipſius ſupervenerit? Reſp. ſi initio contractus conventum fuerit inter contrahentes ſolvendi integram penſionem quocumque eventu ſuperveniente, etiamſi magna ſterilitas ob caſum fortuitum ſupervenieret ob grandines ſcilicet, nives, inſolitos imbres, inundationes, vermes, aut hoſtiles incurſus devaſtantes ſegetes; & pomaria; conductor tenebitur ad integram penſionem, eo quia ceſſit juri ſuo, & ſic habetur *ex leg. Conducto §. ſi vis ff. Locati*, nec obſtat naturæ contractus locati, & conducti, quia affinis eſt contractui Venditionis, & emptionis. Si tamen nulla conventio inter contrahentes præceſſerit, & ſterilitas tanta fuerit, ut Conductor nil perceperit; ad nihil tenebitur. Si verò aliquid perceperit, quamvis magna fuerit ſterilitas; tenebitur ad ratam penſionis: ut ſtatuitur *in Cap. propter ſterilitatem. De Locato, & Conducto; & in leg. ſi merces §. vis major. ff. locati.* Sic enim ſtatutum eſt ex æquitate quadam, ne ſolus Conductor ſubjaceat damnis, indemni ſemper Locatore. Eſt communis ſententia teſte Gomez *tom.* 2. *cap.* 3. *n.* 18.

Difficultas tamen ſita eſt in eo, quando ſterilitas cenſenda ſit magna, ut penſio remittenda ſit pro rata. Hac de re tres ſunt probabiliores ſententiæ, quarum prima docet, eam dici magnam ſterilitatem, quæ vulgò ſic reputatur. Secunda, quando ex fundo conducto non percipitur Medietas fructuum, quos reddere conſueverat. Tertia, quando detractis expenſis, & ſemine, quod ſupereſt, non ſufficit ad medietatem penſionis ſolvendæ: nam ſi ſufficit ad Medietatem non reputanda erit magna ſterilitas, ſed modica, quæ non obligat ad remiſſionem penſionis; ſicuti non dicitur læſus enormiter, qui citra dimidium juſti pretii, non verò ultra læſus fuerit. Hanc tertiam ſententiam plures amplectuntur Doctores, Rebel. Leſſius, Covarr. Sà, Tuſcus, Mol. & alii penes Bonac. *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 5. *num.* 13.

Adnotandum hìc 1. non teneri locatorem ad remiſſionem penſionis, ſi fertilitas annorum præcedentium compenſet ſterilitatem præſentem; ſicuti exigere poterit remiſſionem factam ratæ penſionis, ſi fertilitas conſequens annorum compenſet antecedentem ſterilitatem: cum æquitas expoſcat, quòd ſi per ſterilitatem fiat remiſſio, per fertilitatem compenſetur; ut communis ſententia docet *ex leg. ex conducto ff. locati*, & *ex Cap. propter ſterilitatem de locat. & Conduct.*

Adnotandum 2. ea, quæ de ſterilitate dicta ſunt, intelligenda etiam eſſe, quando caſu fortuito fructus jam collecti pereunt in area, vel fundo abſque Conductoris culpa, antequam commodè in horreis ſervari poſſent; ut conſtat *ex leg. ex conducto §. 1. ff. Locati.* Quòd ſi in horreis jam ſervati fuere, putat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 3. *n.* 18. idem dicendum, ac antequam in horreis ſervati fuiſſent: cum improviſa calamitas ſuperveniens abſque culpa conductoris eadem ferè reputetur in horreis, ac extra illa. Quamvis oppoſitum docent

Docto-

Doctores plures cum Bartolo penes Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 7. pun. 5. n. 15.* eo quia fructus sunt verè collecti, & Conductori per re debent, si in horreis pereant. Utraque sententia probabilis, sed prima magis pietati consentanea, cum remissio pensionis ratione calamitatis introducta sit, non ratione loci, in quo evenit.

8 Quæres 6. quodnam reputandum sit justum stipendium, ac pretium in conductione operariorum, famulorum, aliorumve Officialium? Resp. supponendo priùs, licitum, ac validum esse contractum, quo Operarii, famuli, aut alii locant operas suas, suumque laborem alteri ad res licitas, nam ad illicitas nemo se potest obligare, sed potiùs ab illis abstinere. Ideoque si isti locantes licitè operas suas fideliter laboraverint, conductor tenetur ad justum stipendium illis tradendum; aut si alia facta fuerit conventio, ad servandam conventionem factam, dignus namque est Operarius Mercede sua. His suppositis

Illud reputandum erit justum stipendium, ac pretium in conductione Operariorum, famulorum, ac aliorum Officialium, præscindendo semper à conventione facta in principio; quod communiter dari consuevit talibus Operariis, Famulis, & Officialibus; cum hoc tamen quod non sit minus infimo stipendio ex currentibus, nec majus supremo ad instar rerum venalium: ratio est, quia dum pretium rei non fuerit lege taxatum, illud erit justum, quod communi æstimatione tale reputatur, ut æquet rem venditam intra latitudinem summi, medii, & infimi; ideoque si locator vendat operas suas conductori supra pretium supremum, peccat contra justitiam, & tenebitur ad restitutionem, sicuti peccabit contra justitiam Conductor, & tenebitur ad restitutionem, si emat operas illas pretio minori infimo. Quòd si in principio facta fuerit conventio de pretio, standum erit conventioni factæ, dummodo Operarius, famulus, vel alius sponte, ac liberè convenerit; non verò si invitus, & necessitate compulsus, cum contractus legem accipiat à voluntate, & libera contrahentium conventione: & sicuti non tenetur ad aliquid conductor, si Operarius liberè convenerit inservire gratis; ita nec tenebitur ad aliud supra conventionem liberè factam. Quapropter famulus, vel alter Operarius, si aliquid accipiat supra conventionem liberè factam, vel supra illud pretium, quod ei non constat esse intra limites justi pretii; tenebitur ad restitutionem, nec poterit compensationis titulo retinere, cum in dubio an aliquid ex justitia sit debitum; non habeat locum compensatio, quæ supponit debitum saltem moraliter certum.

Petes hìc 1. si nulla facta sit conventio de stipendio, sed res à famulo relicta sit arbitrio Domini; quodnam erit justum stipendium? Resp. saltem debere esse infimum ex stipendiis currentibus: ratio est, quia intentio famuli remittentis mercedem arbitrio Domini non est præstare illi operas suas, vel partem ipsarum gratis; sed solùm relinquere ejus arbitrio mercedem justam, & æquam; sed inter mercedes justas currentes non datur minor infima; ergo saltem dominus tenebitur ad mercedem infimam. Excipitur ab hac doctrina conductor, qui revera non indigeat opera famuli se locantis; sed ejus precibus motus, ac misericordia conducit; tunc enim non peccat, nec ad restitutionem obligabitur, si non attingat pretium infimum, sed tantùm alimenta præbeat: cum justum pretium in hoc casu alimenta reputentur, dummodo ejus operæ non excedant pretium allmenti notabiliter. Excipitur quoque conductor, qui famulum conduxit in necessitate constitutum, & ultrò se offerentem; non enim tenebitur ad pretium infimum, sed minus infimo: ratio est, quia licèt necessitas non diminuat pretium rei, nihilominus sicut merces ob spontaneam oblationem vilescunt, etiamsi ex necessitate offerantur; sic etiam operæ sponte oblatæ ad conductionem pari modo vilescunt infra pretium infimum. Sic Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 4. à num. 26.* Sotus *lib. 5. de Just. quæst. 3. art. 3.* Vasquez *in Opusc. de Rest. cap. 5. dub. 10. n. 61.* & alii.

Petes 2. an si famulus præstet alia obsequia ab iis, ad quæ conductus fuit; teneatur conductor illa resarcire, itaut si non resarciat, uti possit famulus compensatione? Resp. si famulus in illis exercendis demonstravit animum liberalem, & gratis velle illa exercere; nec teneri conductorem ad illa resarcienda, nec posse famulum compensatione uti: ratio est, quia censetur illorum mercedem Domino condonasse per exhibitionem animi liberalis. Si verò non liberaliter se exhibuit nec gratis, sed cum intentione Mercedis recipiendæ; quod colligi potest, quia invitus detentus fuerit à Domino in illis exercendis supra id, quod conventum fuerit, & postulet mercedem requisitam; tenebitur conductor ad illa resarcienda, & si non resarciat; poterit famulus justa compensatione uti: eo quia non præsumitur sic famulus liberè, & spontaneè mercedem conductori condonasse. Sic Navarrus, Lessius, Vasquez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contract. disp. 3. quæst. 7. pun. 4. num. 4.*

Petes 3. an teneatur Conductor ad mercedem solvendam famulo infirmo, pro eo tempore, quo in infirmitate detinetur? Resp. prænscindendo à conventione, si facta fuerit sic; & à loci consuetudine, si ita observetur; non teneri ad solvendam mercedem illam pro infirmitatis tempore: ratio est, quia Dominus non utitur re conducta ob defectum se tenentem ex parte locatoris; non verò ex parte ipsius conductoris. Insuper si merces solvitur ob quotidianas operas, quibus privatur conductor ob defectum locatoris; non poterit obligari ad mercedem solvendam ob obsequium, quo privatur. Nec tenebitur ad expensas faciendas pro infirmitate ipsa, nisi velit ex motivo Charitatis famulo subvenire. Sic Gomez *tom. 2. Var. cap. 3. de Locat. n. 3.* Molin. *disp. 493.* Reginaldus *lib. 25. n. 517.* Sà *verb. Conductio n. 5.* & alii.

9 Quæres 7. an licitè locari possit domus, aut alia res, quæ putatur inservire debere ad peccatum grave conductoris? Resp. certum esse penes Doctores, non posse locari licitè domum, vel aliam rem ad hunc finem, ut ibi Meretricium e. g. exerceatur, vel alia præbeatur opportunitas ad peccata gravia: sic enim evidenter esset cooperari illis peccatis, ut rectè habet Navarr. *in Manual. cap. 17. n. 195.* Sicuti si locator possit, & teneatur impedire peccatum alterius, non poterit licitè rem illi locare: ut si locentur arma ei, qui paratus est ad occidendum; vel si locetur domus latroni, quem locator scit, ibi habiturum opportunitatem nocendi civibus; aut si locetur domus Meretricibus, aut Usurariis in eo loco, ubi non expedit eos inhabitare, eo quia alibi commodam domum non invenirent suis malis artibus: sic enim esset præbere illis auxilium, & cooperari eorum sceleribus cum obligatione resarciendi damna inde sequentia.

Controversia igitur est, quando locatio fieret ob finem indifferentem, ad providendum tantùm de habitatione; nec locator possit, aut teneatur impedire peccata illa, quæ possent ibi committi: an inquam peccet sic locando secluso scandalo? Resp. non peccare: ratio est, quia locatio illa est indifferens ex se, nec malitiam habet à fine, aut prava intentione, vel alia circumstantia prava; aliunde aliæ domus æquè commodæ non deficerent, nec spectat ad ipsum locatorem talia peccata impedire, aut conductores ab urbe ejicere, cum sit persona privata; imò à Republica permittuntur Meretrices, & Usurarii ob vitanda majora mala; ergo absque peccato secluso scandalo poterit illis domos locare, sicuti etiam illis necessaria vendi possent absque peccato, cum nulla intercedat intentio cooperandi eorum peccatis. Et quamvis prohibitum sit *in Cap. 1. de Usur. in 6.* domum locare Usurariis alienigenis; non tamen videtur usu recepta talis prohibitio, cum passim à Magistratibus, & Rebus publicis admittantur, non reclamantibus Prælatis. Sic tandem Navarrus *in Manual. cap. 17. numer. 195. post multa dicta in principio*, allegans Majorem, & universam Orbis consuetudinem, & Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 7. num. 40.*

CAPUT XII.

De Dopósito, Commodato, & Precario.

1 *Definitur Depositum, & explicatur ejus definitio, at quomodo differat à Mutuo, Venditione, & Donatione, & aliis contractibus.*
2 *Quinam deponere possint? Quinam acceptare in depositum? Et quæ res deponi possint?*
3 *An Depositarius uti possit re deposita?*
4 *Ex qua culpa teneatur Depositarius, si pereat Depositum, aut deterius evadat?*
5 *An possit aliquando non reddi Depositum exposcenti illud?*
6 *Definitur Commodatum, & explicatur quomodo differat ab aliis contractibus.*

7 *Quænam res commodari possint? Et quænam requiruntur ad Commodatum?*
8 *Ex quanam culpa teneatur Commodatarius, si res commodata pereat, aut deterior fiat?*
9 *An expensæ factæ à commodatario tempore commodati spectent ad ipsum, an verò ad commodantem?*
10 *An Commodatum retineri valeat titulo compensationis?*
11 *An Commodatum repeti possit ante tempus statutum?*
12 *Explicatur quid sit Precarium; & quænam requirantur ad illud?*

1 DEPOSITUM significare potest rem, quæ deponitur custodienda penes depositarium; & contractum, quo res traditur custodienda à Deponente Depositario, & hic suscipit illam custodiendam, ut integram restituat. Agimus hìc de Deposito, prout significat contractum inter Deponentem, seu tradentem rem, & Depositarium, seu suscipientem rem in custodiam. Sic igitur acceptum Depositum definiri solet: Contractus, quo res traditur custodienda alteri, ut integra restituatur. Colligitur *ex Leg. 1. ff. Depositi*: quapropter ad contractum Depositi rectè perficiendum requiritur, ut res, quæ traditur à Deponente, ut custodiatur; suscipiatur in custodiam à Depositario: tradere siquidem rem, vel eam ponere in aliquo loco, nisi alter acceptet ejus custodiam; non erit contractum depositi inire. Quamvis qui tenentur ex officio ad custodiam rerum depositarum, ut sunt nautæ, aurigæ, caupones, stabularii; teneantur, statim ac vident res deponi in navi, curru, diversorio, aut stabulo, ad earum custodiam: sufficit enim ad contractum depositi pro his, ut ipsis videntibus deponantur, ut bene docet Gomez 2. *Variar. cap. 7. num.* 2. & alii.

Differt Depositum à Mutuo, Venditione, & Donatione; quia in his transfertur dominium, non sic in Depositio, ubi sola custodia rei committitur retento dominio. Differt quoque à Commodato, & Precario, quia in his conceditur certus usus, non verò in Depositio. Differt denique à Feudo, & Emphyteusi, quia transferunt dominium utile, quod non transfert Depositum. Et differt à Pignore, quia pignus datur in securitatem, & cautionem Creditoris, Depositum verò in custodiam.

Depositum aliud est Judiciale, Privatum aliud. Judiciale fieri solet, quando deponitur pecunia à debitore, quam acceptare non vult creditor; aut quando lis exagitatur de re aliqua, & interim penes tertium deponitur pendente lite, donec ea finita restituatur integra illi, cui sententia favet, & alio vocabulo appellatur Sequestrum. Privatum verò fieri solet, quando penes virum confidentem deponitur res custodienda. Vide Molinam *disp.* 522.

2 Quæres 1. quinam deponere possint; & quinam acceptare in depositum; & quæ res deponi possint? Resp. omnes, qui habent administrationem rei alicujus; possunt illam deponere; nam non est caput, cur prohibeantur, committere custodiam rei illius alteri consentienti. Imò injustus usurpator rei alienæ, si eam deponat custodiendam penes aliquem acceptantem; habet ratione contractus actionem repetendi illam à Depositario, ut docet Bonacina *de Contract. disput. 3. quæst. 14. punct. 2. numer. 1.* referens Azorium, & Filliuccium. Quamvis si Depositarius postea sciat, rem depositam esse alienam, non debeat deponenti restituere, sed eam vero Domino servare, pro quo clamat; nisi moraliter, ac prudenter existimet eam repetere, ut domino restituat. Sic docent Garzias *de Contr. cap. 2. num.* 10. Filliuccius *tract. 34. cap. 1. quæst. 4. num.* 17. Bonacina *l. c.* & alii.

Omnes usum rationis habentes possunt esse Depositarii, & acceptare aliquid in custodiam: nam pollentes usu rationis adhibere possunt eam custodiam, quæ ad depositum requiritur. Sic possunt esse Depositarii Pupillus, Fœmina, Clericus, Religiosus, quamvis hic absque consensu saltem præsumpto sui Superioris non debeat depositum acceptare, Sic Molina *disp.* 525. & alii.

Res, quæ deponi possunt; communiter solent esse res mobiles, aut se moventes, ut pecunia, gemmæ, libri, vestes, animalia, frumentum, vinum, & simlia; quamvis aliquando etiam res immobiles deponantur, ut evenit in depositio Judiciali per Sequestrum pendente lite, ut habet Sylvester *verb. Depositum, num.* 1.

Quæres 2. an Depositarius possit re deposita uti? 3
Resp. negativè, imò furtum committere censetur, si ea utatur: ut habetur *ex Leg. Si Saculum, ff. depositi*, & tenetur ad restitutionem pretii usus rei depositæ, si usus est pretio æstimabilis, ut esset usus vestis, Equi &c. ratio est, quia utitur re aliena invito domino, quæ non ad usum, sed ad custodiam tradita fuit; modò non præsumat rationabiliter, non esse invitum, & velle sibi usum illum condonare. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst. 63. art. 6.* Azor. *3. par. lib. 7. cap. 6.* Rodriquez *tom. 1. cap. 72. numer. 6.* Reginaldus *lib. 25. num. 556.* Molina *disp. 529. num. 1.* & alii.

Permittitur tamen à Doctoribus in aliquibus casibus, quòd possit Depositarius depositio uti. 1. quando à Deponente conceditur expressè, vel tacitè usus rei depositæ: per hanc enim facultatem transit depositum in mutuum, si res depositia est usu consumptibilis; in commodatum, si usu consumptibilis non est. Sic Navarrus *in Man. cap. 17. num.* 181. Molina *disp. 523. num. 2. in fin.* Reginaldus *lib. 25. numer.* 157. Sà *verb. Mutuum, numer. 6.* Rodriquez *tom. 1. cap. 72. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 27. dub. 2. num. 6.* & colligunt *ex Leg. Certi condictio, §. ult. ff. de rebus creditis.* 2. quando depositum est de rebus usu consumptibilibus, nec ei interdictus est usus, nec expressè, nec tacitè, ut si pecunia, vel vinum, aut triticum essent in receptaculis clausis, & obsignatis; & Depositarius speret tempore solutionis habere paratam similem pecuniam, vinum, aut triticum absque damno Deponentis; poterit Depositarius illis uti: ratio est, quia nulla injuria fit Deponenti, imò commodum reportat: nam etiamsi casu periret res depositia, vel culpa levissima Depositarii, ipsi periret, non Deponenti, cui perire deberet. Sic Sylvester *verb. Depositum, n.* 10. Azor. *3. par. lib. 7. cap. 7. quæst. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 27. dub. 2. n.* 8. Molina *disp.* 524. Reginaldus *lib. 25. n.* 558. & alii.
3. Si depositarius bona fide existimet, id non displicaturum Deponenti; non peccaret utendo depositio, nec furti actionem præberet; etiamsi postea ipsi constaret, revera displicuisse Deponenti: ratio est, quia fur non est censendus, qui bona fide putat, rem alienam contrectare non invito domino, Sic Reginal. *lib. 25. n.* 558. Covarruvias *lib. 3. Variar. cap. 15. nu. ult.* Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 2. num. 7.* Molina *disp.* 524. *num.* 2.

Quæres 3. ex qua culpa teneatur Depositarius, si pe- 4
reat depositum, aut si deterius efficiatur? Resp. depositionem fieri posse in gratiam, & commodum Deponentis solius, vel solius Depositarii, vel in gratiam utriusque. Ideo si depositio fiat in gratiam solius Deponentis; tenebitur tantùm Depositarius ad damnum resarciendum ex dolo, & culpa lata; non autem ex levi, vel levissima. Si autem fiat in gratiam ipsius Depositarii, ut si deponens tradit pecuniam Depositario, ut ipsa utatur; tenebitur etiam Depositarius de culpa levi, & levissima. Si verò fiat in gratiam utriusque; tenebitur de dolo, culpa lata, & levi; non verò levissima, juxta ea, quæ diximus *de Contr. in genere cap. 4.*

Adnotandum hic: quòd si Depositum sit penes Prælatum Regularem, vel ejus subditum cum sui facultate, & ex eorum culpa perierit, vel deterius factum sit; non teneri Monasterium ad depositum resarciendum. Sicuti non tenetur Ecclesia ad resarciendum depositum apud Episcopum, vel Canonicum: ratio est, quia delictum personæ non est in damnum Ecclesiæ, aut Monasterii convertendum, ut constat *ex Cap. Episcopum, 16. quæst. 6. & ex Cap. Delictum, de Regul. Jur. in 6.* Tenetur tamen sive Ecclesia, sive Monasterium, si constet, vel ex toto, vel ex parte conversum fuisse depositum in utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterii: cum par sit, quòd incommodum sentiat, qui commodum percepit. Sic Molina *disp.* 525. Lessius *lib. 2. cap. 27. dub. 3. n.* 12.

Quæres 4. an possit aliquando non reddi depositum 5
Deponenti? Resp. posse id fieri in quatuor Casibus, & quidem 1. si deponens id petat, ut alteri noceat: ut si quis deposuit ensem, quem repetit, ut occidat. 2. si bona Deponentis adjudicata fuere Fisco; tunc enim Fisco, non deponenti, tradendum erit depositum *ex Leg. Bona fides, ff. Depositi.* 3. quando fur deposuit, & concurrit cum vero domino; tunc enim non furi deponenti, sed vero domino tradendum erit depositum. 4. si Depositarius creditor sit deponentis, nec alia via suppetit recuperandi suum creditum; tunc enim justa compensatione uti poterit in foro conscientiæ: ratio est, quia jure naturæ, & gentium potest quisque sibi consulere ex qualibet

bet ré alterius, ne in satisfactus remaneat, quando alia non suppetit via recuperandi suum. Sic Navarrus *in Man. cap.* 17. *numer.* 115. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 4. *numer.* 16.

6 Commodatum, quod significare potest tum rem, quæ
7 commodo traditur, tum etiam ipsum contractum; accipitur hìc pro contractu, & sic definitur: Gratuita concessio rei alicujus quoad certum usum. Colligitur *ex Institut. quibus modis contrahatur obligatio §. item* 15. Differt Commodatum à Mutuo, cum in Mutuo transferatur dominium, non verò in Commodato. A Locatione, quæ non fit gratis, ut Commodatum, sed pretio. A Deposito, in quo non conceditur usus, ut in Commodato. Denique à Precario, quia licet Precarium concedatur ad aliquem usum, non conceditur tamen, ad certum usum, seu ad usum certi, & determinati temporis, vel explicitè ad mensem, annum; vel implicitè, ut si commodem librum ad transcribendum; tunc enim tantum temporis conceditur, quantum necessarium est ad commodè librum transcribendum. Precarium namque repeti potest ad nutum, & arbitrium concedentis; non sic commodatum quod repeti nequit ante tempus concessum. Vide Sylvestrum *verb. Commodatum num.* 1. & Molinam *disp.* 295. *n.* 2.

Res, quæ commodari possunt, sunt non solùm res mobiles, sed etiam immobiles, Domus siquidem, Palatia, & similia commodari possunt, ut est usu receptum: in commodato res restitui debet eadem, quæcumque sit. Illi autem, qui commodare possunt, sunt omnes qui habent jus utendi re aliqua; nisi usus rei illius ipsi tantum concessus fuerit ex pacto, non verò aliis: ratio est quia jus suum potest quilibet alteri cedere: & sic statuitur *in Leg.* 1. *§. Inter commodatum ff. Commodati.* Qui concedit ad commodum dicitur Commodans, qui recipit dicitur Commodatarius.

7 Tria riquiruntur ad perficiendum Contractum Commodati. 1. Est mutuus contrahentium consensus, Commodantis scilicet, & Commodatarii. 2. Ut gratis tradatur res commodata ad certum usum, & certum tempus. 3. Ut dominium Commodati remaneat penes Commodantem; adeoque si res commodata pereat absque Commodatarii culpa, Commodanti perire debet.

8 Quæres 1. ex quanam culpa teneatur Commodatarius, si res commodata perierit, vel deterior facta sit? Resp. non solum teneri ex dolo, culpa lata, & levi, verum etiam levissima: ratio est, quia contractus hic celebratur in gratiam, & commodum commodatarii juxta ea, quæ superius diximus de Deposito, quando fit in gratiam tantum Depositarii. Sic Lessius, Rebellus, Azor. Molina, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *de Contr. quæst.* 14. *pun. unic. numer.* 3. Non tenetur tamen de casu fortuito, seclusso semper pacto, culpa, & mora; ut constat *ex Cap. Unic. de Commodato*. Nec tenetur ad restitutionem, etiam si fuerit in mora ultra statutum tempus, si res commodata apud Commodatarium perierit, æquè peritura si fuisset penes Commodantem: & ratio est, quia Commodatarius ratione moræ non fuit causa damni, cum res, ut supponitur, æquè peritura fuisset penes commodantem: ad summum tenebitur ad restitutionem pretii ultra terminum præfixum, & sibi præscriptum. Sic Sylvester *verb. Commodatum pun.* 9. Navarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 183. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 475. & alii penes Molinam *disp.* 295. *num.* 5.

9 Quæres 2. an expensæ factæ à Commodatario tempore commodati spectent ad ipsum, an verò ad Commodantem? Resp. expensas ordinarias spectare ad Commodatarium: sic alere equum e. g. commodatum, providere ei de laminis ferreis, solvere stationem stabulario attinent ad Commodatarium, in cujus commodum cedunt; & qui commodum percipit, par est, ut etiam incommodum sentiat. Expensas verò extraordinarias, si magnæ sint, spectare ad Commodantem; cedunt siquidem in ejus utilitatem; sic si equus ægrotaret absque culpa Commodatarii, aut si paries Palatii commodati ceciderit; utique expensæ in curando equo, aut pariete reficiendo spectarent ad Commodantem, quia in ejus utilitatem fierent. Dixi, si expensæ magnæ sint, nam si tenues essent, spectarent ad Commodatarium, qui usum rei commodatæ percipit. Sic *ex Leg. In rebus, §. possint, ff. Commodati* colligunt Reginaldus *lib.* 25. *num.* 582. Garzias *cap.* 5. *numer.* 8. cum aliis hanc doctrinam extendentibus ad rem conductam, ut habet Sà *verb. Conductio, num.* 5. referens Sylvestrum, & Lopez.

Quæres 3. an commodatum retineri possit titulo com- 10
pensationis? Resp. quamvis in foro externo minimè liceat, cum gaudeat speciali privilegio, uti gaudet Depositum *ex Leg. ult. Cod. de Commodato*, nihilominus in foro conscientiæ licitum erit, ut dictum est de Deposito, quando alia non suppetit via Commodatario recuperandi creditum suum à Commodante, cum jure naturæ, & Gentium possit sibi consulere ad satisfactionem obtinendam. Sic Navarrus *in Manual. cap.* 17. *num.* 106. Sylvester *verb. Commodatum quæst.* 3. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 583. & Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 16. *pun. unic. num.* 1.

Quæres 4. an Commodatum repeti possit ante tem- 11
pus statutum? Resp. negativè: nam Commodatarius per concessionem gratuitam factam à Commodante acquisivit jus ad usum rei commodatæ pro tempore statuto; ergo si extorqueat commodans ante tempus, facit commodatario injuriam, & tenebitur ad resarcienda damna inde sequentia, ut habent communiter doctores.

Solùm controversia est: an quando simile damnum, quod commodatario impendet, impendeat etiam Commodanti; possit rem commodatam à commodatario repetere? Resp. affirmativè: ratio est, quia quisque sibi magis obligatur, quàm aliis *ex Cap. Si cum licet.* 23. *quæst.* 5. nec commodans censendus est in tali casu voluisse concedere cum suo damno in utilitatem Commodatarii: ut bene docent Molina, Angelus, Sylvester, Lessius, Azor. Lopez, Garzias, & Sà penes Bonacinam *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 16. *pun. unic. in fin.* contra Navarrum, & Reginaldum. Secus dicendum, si commodans præviderit damnum sibi secuturum, & nihilominus commodaverit; tunc enim repetere non poterit ante tempus cum damno commodatarii, ut sibi consulat; quia cessit jam juri suo per prævisionem illam, & voluntariam concessionem. Sicuti etiam cedit juri suo per pactionem expressam, ut quidquid acciderit, non teneatur ante tempus statutum repetere, ut docent passim Doctores.

Petes: quid si Commodatarius sciviset, repetendam rem commodatam ante tempus, noluisset acceptare, sed alia via à commodato sibi consulere? Resp. si hoc non deduxerit in pactum, teneri ad restituendam rem commodatam ante tempus: ratio est, quia semper debet esse paratus privari cum suo incommodo re commodata, quando æquale damnum commodanti imminet: cum in principio acceptationis cogitare debuerat, talem eventum posse accidere; & dum in pactum expressum non deduxerit, prævalet jus Commodantis. Sic Molina *disp.* 294. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 5. *numer.* 19.

Precarium est contractus, quo gratis conceditur al- 12
teri res aliqua cum facultate illam repetendi, quoties voluerit Dominus. Dicitur Precarium à precibus, quas facit ille, in cujus commodum res conceditur. Ad Precarium tria requiruntur, Mutuus scilicet consensus contrahentium, Traditio rei, & facultas rem repetendi ad arbitrium concedentis. Quapropter in Precario apponi nequit pactum, ut non possit res repeti ante tale tempus; esset enim contra naturam Precarii *ex Leg. Cum Precarium, ff. de Precar.* & per hoc differt à Commodato, nam Commodatum repeti nequit ante tempus statutum pro arbitrio Commodantis. Cætera, quæ exagitari solent de Precario, sunt communia cum Commodato.

CAPUT XIII.

De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca.

1 *Definitur Fidejussio, & explicantur Conditiones requisitæ ad illam.*
2 *Quinam possint validè fidejubere?*
3 *An possit Fidejussor aliquid accipere pro Fidejussione?*
4 *Ad quid teneatur debitor Principalis, si Fidejussor damna patiatur ob Fidejussionem?*
5 *Ad quid teneatur Fidejussor pro Reo, cui impendebat periculum capitis, aut Mutilationis, & è carcere fugit?*
6 *Assecuratio quid sit; & ad quem Contractum reduci possit?*

7 *Quænam Conditiones requirantur ad justitiam Contractus Assecurationis?*
8 *Quomodo teneantur Assecuratores pereunte re?*
9 *An habens scientiam privatam, quòd non sit periculum pyratarum, nec futuram tempestatem in mari; possit licitè lucrum Assecurationis accipere?*
10 *Pignus quid sit; & quommodo differat ab Hypotheca?*
11 *Quinam possint oppignorare? & quænam res oppignorari possint?*
12 *An possit Creditor uti Pignore accepto in securitatem sui crediti?*
13 *An Pignus acceptum à Creditore possit ab ipso alteri oppignorari?*
14 *An res hypothecari possit pluribus?*

1 FIDEJUSSIO est contractus, quo suscipitur aliena obligatio, & fides adhibetur ad eam adimplendam? si principalis debitor non solvat: sic communiter Doctores eam definiunt. Et quamvis ex Jure Civili, ut pariat actionem in foro externo; requiratur forma stipulationis, ut constat *ex Leg. Blanditius, Cod. de Fidejuss.* ex Jure tamen Canonico, ac in foro conscientiæ non requiritur forma stipulationis, sed sufficit si consensus fuerit expressus verbis. Vide Lessium *de Fidejussione lib. 2. cap. 28. dub. 1.* Quatuor conditiones ordinariè requiruntur ad validitatem hujus contractus, ut ejus natura subsistat. 1. est, ut obligatio Fidejussionis non sit principalis, sed accessoria; supponere namque debet alium debitorem habentem obligationem principalem, sive præsentem, sive futuram; ideoque si aliquis constituat se debitorem principalem pro alio; non dicitur fidejubere: quia non se accessoriè obligat, sed æquè primò, & statim conveniri poterit. 2. conditio, ut non possit obligari Fidejussor ad plura, ad quæ non tenetur Principalis, pro quo fidejubet; sic *ex Inst. de Fidejuss. §. Fidejussores. 3:* quòd si obligatio principalis debitoris sit invalida, invalida pariter sit obligatio fidejussoris, constat *ex Leg. Cum Lex, ff. de Fidejussor. 4.* quòd non possit conveniri fidejussor, antequam petatur solutio à Principali, de quo constare debet non posse solvere: ita habetur *in Authen. Præsente. Cod. de Fidejussor.* Vide Gomez 2. *Variar. capit. 13. numer. 14.*

2 Quæres 1. Quinam possint validè fidejubere? Resp. omnes illos fidejubere posse, qui habent bona sufficientia ad solvendum pro debitore principali, & habeant liberam bonorum administrationem, nec à Jure repellantur à fidejubendo. Sic Gomez *l. c. n. 13.* Reginaldus *lib. 25. numer. 220.* Azor. *3. par. lib. 11. cap. 22. dub. 1.* & Lessius *lib. 2. cap. 28. dub. 2.*

Hinc fit 1. quòd pauperes non possint fidejubere, quia non habent bona sufficientia ad solvendum pro principali debitore. Nec pupilli, cum non habeant liberam bonorum administrationem, quamvis bona habeant. Idem dicendum de filio familias, nisi bona Castrensia, vel quasi Castrensia possideat; ac de Minoribus absque facultate Curatorum. Excipitur Casus, in quo Minor fidejuberet pro patre in carcere detento; tunc enim valida esset fidejussio, ut constat *ex Authen. Si captivi, Cod. de Episcop. & Clericis.*

Fit 2. non posse Clericos fidejubere pro laicis extra necessitatem, & frequenter sub pœna depositionis *ex Cap. Te quidem, 11. quæst. 1.* quamvis fidejussio teneat, si facta fuerit *ex Cap. ult. de Fidejuss.* consuetudo tamen, quæ antiquis Canonibus derogavit, forsitan est, quòd saltem rarò possint fidejubere extra detrimentum Ecclesiæ, & quantum patitur eorum patrimonium, & fructus beneficiorum, ne in egestatem redigantur. Vide Lessium *lib 2. cap. 28. dub. 2. num. 19.*

Fit 3. religiosos non posse fidejubere sine licentia suorum Superiorum, vel Majoris partis Capituli, quod si aliter factum sit, non tenebitur Conventus ad satisfaciendum pro ipsis, nisi in commodum ipsius Conventus redundaverit Fidejussio *ex Cap. Quod quibusdam, de Fidejussion.* Vide Sylvestrum *verb. Fidejussor. num. 4.*

Fit 4. non posse fidejubere Mulierem pro Marito, & si fidejusserit, erit irrita fidejussio *ex Authen. Si qua Mulier, Cod. ad Senatus consultum Vellejanum*; si tamen juramento fidejusserit; servanda erit fidejussio, cum executio hujus juramenti non sit saluti noxia *ex Cap. Quamvis pactum, de Pactis in 6.* Si verò fidejubeat pro aliis, & instrumento publico id fecerit, & cum tribus; testibus tenebitur ad fidejussionem, nisi velit uti exceptione, & privilegio Senatus Consulti Vellejani, dummodo non renunciaverit huic privilegio coram Magistratu; aut fidejussionem cum juramento confirmaverit; aut pro fidejussione facta pretium acceperit. Sic passim DD. penes Gomez 2. *Var. cap. 17. num. 17.*

3 Quæres 2. an fidejussor possit aliquid accipere pro fidejussione? Resp. affirmativè: eo quia suscipit in se obligationem pretio æstimabilem, quam non tenetur gratis suscipere, habito semper respectu ad periculum solvendi, quod subit, & ad alia incommoda, juxta quæ regulandum erit id, quod accipit. Sic Molina *disp. 319.* Sà *verb. Fidejussio, numer. 2.* Reginaldus *lib. 25. num. 218.* Covarruvias *3. Variar. cap. 2.* Et magis confirmatur hoc idem, quia creditor ex citatis Doctoribus potest aliquid accipere à fidejubente, ut eum eximat ab obligatione fidejussionis; ergo fidejubere est pretio æstimabile, & sicuti fidejussor, ut se eximat ab hac obligatione; debet aliquid solvere; itaut eam in se suscipiat, poterit aliquid accipere.

4 Quæres 3. ad quid teneatur debitor principalis, si damna sequantur fidejussori ob præstitam fidejussionem? Resp. si ex parte ipsius debitoris dolus intercesserit, aut culpa; teneri non solùm debitum restituere à fidejussore solutum, verum etiam expensas, ac damna omnia, quæ ob fidejussionem passus est: eo quia est injusta causa illorum damnorum, quæ fidejussor patitur: non enim par est, ut quis reportet damnum ex officio, quod in gratiam, ac commodum alterius præstitit; si ergo debitor principalis potuit solvere tempore statuto, & non solvit, ut tenebatur ex justitia primo loco, ac servare indemnem fidejussorem; peccavit contra justitiam, & habet obligationem resarciendi omnia damna, inde sequentia. Si verò nec dolus, nec culpa intercesserit ex parte debitoris principalis; tenebitur quidem ad restitutionem debiti principalis, sed non damnorum & expensarum; ratio est, quia ob impotentiam absque culpa, & dolo non peccavit contra Justitiam non restituendo, ergo non habet obligationem resarciendi damna, & expensas; licèt teneatur ad debitum principale. Sic Sylvester *verb. Fidejussor. n. 10.* Angelus *eod. verb. numer. 20.* Salon. *de Contract. Fidejuss. num. 10.* Azor. *3. par. lib. 11. cap. 22. dub. 10.*

5 Quæres 4. ad quid teneatur fidejussor pro reo cui impendebat periculum capitis, aut mutilationis membrorum, & è carcere fugit? Resp. si absque culpa Fidejussoris fugam arripuit; non poterit ullatenus pro illo plecti pœna capitis, mutilationis, aut flagellorum: ratio est, quia non intendebat obligare se ad hoc fidejussor, nec poterat intendere, cum non sit dominus vitæ suæ, & membrorum; sed solùm ad pœnam pecuniariam, si à Judice damnaretur: nec hic est modus solvendi debita, quem intendit fidejussio, sed subeundi supplicia criminum patratorum. Sic Sylvester *verb. Fidejussor. quæst. 6. numer. 6.* Tabiena *quæst. 5.* Sà *verb. Fidejussor. num. 8.* & Lessius referens Julium Clarum *lib. 2. cap. 28. dub. 7. num. 41.*

6 Assecuratio est Contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel certo pretio ad eam compensandam, si perierit. Contractus hic reducitur vel ad promissionem, si gratis fiat; vel ad venditionem, & emptionem, si pretio fiat: assecurans siquidem vendit suam obligationem servandi dominum rei assecuratæ indemnem, ut docent Molina *disp. 507. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 28. dub. 4.* & alii.

7 Ad justitiam hujus contractus requiruntur variæ conditiones. 1. ut detur æqualitas inter pretium, quod assecurator accipit, & obligationem, quam suscipit, attentis periculis, & circumstantiis loci, & temporis, ac à Viris prudentibus consideratis; sicuti enim in venditione, & emptione attendenda est equalitas inter rem, & pretium; sic in assecuratione attendenda erit æqualitas inter pretium, & obligationem assumptam. 2. ut eventus sit utrique contrahenti incertus: quapropter si ante contractum Assecurationis sciat assecurator, rem esse in tuto. v. g. navim pervenisse incolumem in portu; injustè assecurationis pretium accipit, & tenetur ad restitutionem, cum nullum subeat periculum, ratione cujus lucrari potest. Sicuti etiam iniquè contrahit, & tenetur ad restitutionem Mercator, qui assecurationem petit rei, quam certò scit, periisse; petit enim obligationem ad impossibile, & init contractum cum dolo dante causam, ac assecuratorem decipit. 3. ut res, de qua assecuratio petitur, revera existat, aliàs defice-

ret

ret materia assecurationis; cum assecurator intendat obligationem suscipere rei extantis; & haberetur, si non existeret, dolus dans causam contractui. Poterit tamen assecurator retinere sibi pretium assecutationis rei non existentis: quia quantum est ex parte sua voluit justum inire contractum assecurationis, nec pretium retinet invito domino. Sic Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 9. pun. 3. n. 3.* 4. Conditio, ut Assecurator admoneatur de periculis veris, quibus res assecuranda subjacere potest: cum enim pericula non sint omnibus nota, ut si navis factura sit iter non consuetum; aperiri debeat Assecuratori, ne deceptus remaneat, putans suscipere pericula communia itineris consueti, & alia suscipiat extraordinaria itineris non consueti.

8 Quæres 1. quomodo teneantur assecuratores perennte re? Resp. teneri juxta conventionem initam, itaut si se obligaverit ad assecurationem totius, teneatur ad totum, si ad partem, teneatur ad partem. Quòd si plures sint assecuratores, & dimidium rerum assecuratarum perierit; tunc si res assecuratæ designatæ fuerint unicuique assecuratori, tenebuntur solùm illi, quorum partes periere; si verò designatæ non fuerint, tenebuntur pro rata ad partem deperditam. Sic Molina *tom. 2. disp. 507.* Lessius *lib. 2. cap. 28. dub. 4. num. 39.* & Bonacina *l. c. num. 5.*

9 Quæres 2. an habens scientiam privatam, quod non sit periculum pyratarum in mari; vel ex vi astrologica non futuram tempestatem; possit accipere assecurationis lucrum? Resp. si scientia ista privata est infallibilis, non posse ullatenus assecurationis lucrum accipere: quia nullum periculum subit perdendi: & sic verissima est sententia Salonii, Azorii, Bonacinæ, & Cardinalis Delugo docentium, non posse accipere lucrum. Verùm quia hæ notitiæ privatæ, ut plurimum fallibiles sunt, maximè si habeantur ex Astrologia, ut experientia quotidiana comprobat; ideo nimis probabilem puto sententiam *Lessii l. c. num. 27.* posse lucrum assecurationis accipere juxta communem existimationem: quia revera illud periculum subit, & est suo pretio æstimabile, nam notitiæ illæ occultæ passim multos fefellere.

10 Pignus significat tum rem pignori datam in securitatem, & communiter sic accipitur; tum ipsum contractum, quo res pignori datur. Prout contractum significat definiri solet: est contractus, quo res alicui traditur in securitatem crediti. Sic passim Doctores *ex Instit. de Obligationib. §. furti.* Differt revera ab Hypotheca, quamvis cum illa aliquando confundatur: nam pignus est de re Mobili, & traditur creditori in securitatem; hypotheca verò est de re immobili, quæ licet obligetur creditori, ut ex ea solutionem petere possit, remanet tamen penes debitorem hypothecantem. Sic qui tradit gemmam suo creditori in securitatem crediti, init cum eo contractum pignoris; si verò obliget fundum suum in securitatem crediti, quamvis fundus penes se remaneat; init contractum hypothecæ. Si verò fundus, aut alia res immobilis tradatur creditori in securitatem, & penes creditorem remaneat; potiùs erit contractus pignoris, quàm hypothecæ. Sic Lopez, Rodriquez, Rebellus, Molina, Azor. & alii penes Bonacinam *de Contr. disp. 3. quæst. 10. pun. 1. num. 3.*

11 Quæres 1. quinam possint oppignorare, & quænam oppignorari possint? Resp. omnes, qui habent liberam bonorum administrationem, oppignorare possunt: & ratio est, quia si ea vendere possunt, quod est plus; poterunt etiam oppignorare, quod est minus. Sic colligitur *ex Leg. Solum. §. ult. ff. de Pignorib.* Hinc fit, pupillum non posse oppignorare absque decreto Judicis in obligatione voluntaria; aut authoritate Tutoris in obligatione necessaria. Sic Azor. *3. par. lib. 7. tit. de Pignorib. cap. 5. quæst. 2.* Nec Prælatum posse oppignorare res Ecclesiæ, aut speciali hipothecæ subjicere *ex Cap. Nulli de Rebus Eccles. non alienand.* Nec socium posse oppignorare rem communem cum aliis consociis non habito eorum consensu *ex Leg. 1. Cod. Si communis res pignori data sit.* Nec ptocuratorem posse oppignorare, nisi habeat ad hoc speciale mandatum, aut universalem administrationem bonorum cum libera potestate *ex Leg. ult. Cod. de rebus alien. non alienan.* Nec defunctum posse obligare bona hæredis absque consensu ipsius hæredis: & ratio est, quia hi omnes non habent liberam bonorum administrationem. Res verò quæ oppignorari possunt; sunt omnes illæ, quæ vendi, ac alienari possunt: ratio est eadem, quia si res vendi, & alienari possunt, quod est majus; oppignorari etiam poterunt, quod est minus. Sic Vasquez, Molina, Rodriquez Salon, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 10. pun. 1. num. 5.* Hinc fit, quòd res, quæ vendi, aut alienari nequeunt; oppignorari minimè poterunt: sic Ecclesia, Cœmeterium, Sepulchrum oppignorari nequibunt; quia vendi, aut alienari non poterunt *ex Leg. 1. §. ult. ff. quæ res pignori, vel hypothecæ.* Sic etiam Jus Patronatus *ex Cap. Bartholdus, de Senten., & re judicat.* Calices, Casulæ, & alia vestimenta, aut vasa sacra, ac mobilia pretiosa cultui Divino dicata, & etiam immobilia oppignorari non poterunt, secluſa tamen necessitate, & causa urgente: nam tunc etiam vendi possent cum debita solemnitate ut docent Navarrus *in Man. cap. 17. num. 205.* Sylvester *verb. Pignus quæst. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 28. dub. 7. numer. 39.* Sà *verb. Pignus num. 2.* & Rodriquez *2. par. cap. 24. num. 1.* Poterunt tamen bona Ecclesiastica obligari titulo hypothecæ generalis, non verò specialis: ut deducitur *ex Cap. Nulli de rebus Ecclesiæ alienandis vel non.* Sic Sylvester, & Lessius *locis citatis.* Homo liber oppignorari non potest, quia vendi non potest ex Juris dispositione; potest tamen tradi in obsidem, præsertim causa belli à Principe, vel Republica: ut docent Garzias, Molina, Rebellus, Lessius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst. 10. punt. 1. numer. 5.*

12 Quæres 2. an possit creditor uti pignore accepto in securitatem sui crediti? Resp. negativè, nisi habuerit consensum debitoris vel expressum, vel tacitum; & ratio est, quia est res aliena ad securitatem tantùm tradita, non ad usum: maximè si damnum domino sequatur ex usu, ut bene docent Navarrus *in Man. cap. 17. num. 203.* Sylvester *verb. Pignus quæst. 7. num. 7.* Sà *eod. verb. num. 1.* Molina *disp. 535. num. 2.* & Reginaldus *lib. 25. num. 589.* Sine damno tamen debitoris non apparet illicitus usus pignoris; tum quia præsumitur tacitus consensus illius; tum quia nulla illi irrogatur injuria, & aliquando habetur utile, quia pignus ventilatur, ac otio non corrumpitur. Sic Bonacina *loc. cit. numer. 10.*

13 Quæres 3. an pignus acceptum à Creditore possit ab ipso alteri oppignorari? Resp. affirmativè, & constat *ex Leg. 1. & 2. Cod. Si pignus pignori datum sit*, dummodo tamen non oppignoretur pro majori quantitate pecuniæ, pro qua oppignoratum fuit: & ratio est, quia potest quis jus, quod habet in eo pignore, tradere alteri in pignus, quamvis non possit tradere majus jus supra id, quod ipse habet. Definit tamen hæc secunda oppignoratio statim ac satisfactum est primæ oppignorationi: & ratio est, quia hæc secunda fundatur in prima; ergo deficiente prima deficit secunda. Sic Angelus *verb. Pignus quæst. 8. num. 8.* Sà *eod. verb. num. 3.* Rodriquez *cap. 24. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 28. dub. 7. numer. 44.* Molina *disp. 509. num. 17.*

14 Quæres 4. an res hypothecari possit pluribus? Resp. si sufficiens sit ad securitatem plurium creditorum; poterit illis hypothecari: cum omnes habeant unde possint sibi satisfacere, si debitor non solvat. Secus verò dicendum, si pro omnibus sufficiens non sit: non enim securi essent, unde solutionem sibi debitam accipere possent; adeoque graviter peccaret sic hypothecans. In dubio si sufficiens sit pro omnibus, admonendi erunt posteriores Creditores de prioribus hypothecis, sic enim nulla fieret injuria ipsis scientibus, ac consentientibus: ut docent Azor. Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Cont. disput. 3. quæst. 10. punct. 1. numer. 8.*

CAPUT XIV.

De Societate.

1 *Quid sit Societas?*
2 *Quænam requirantur ad validitatem Contractus Societatis?*
3 *Quinam possint Contractum Societatis inire?*
4 *Quænam damna, & quænam expensæ debent esse communia Sociis?*
5 *An licitum sit in Contractu Societatis apponere pactum cum sociis servandi indemnem sortem collatam, & percipiendi parvum aliquod lucrum?*
6 *Quomodo Contractus Societatis licitè iniri possit, quando alter confert sortem, alter operam?*

7 Qui-

7 Quibus modis terminetur Societas?

1 QUAMVIS Societatis ſpecies variæ eſſe poſſint, alia enim eſt Negotiationis; alia Vectigalium, & officiorum; alia animalium; alia denique bonorum omnium. Hìc tamen prout facit ad propoſitum noſtrum accipitur pro contributione aliquarum rerum vel frugiferarum, vel ad lucrandum idonearum; quaproter reſtringitur ad Societatem Negotiationis, quæ dici conſuevit quæſtuoſa, & lucroſa, ſive de reliquo contributæ ſint pecuniæ, ſive animalia, ſive induſtriæ, aut labores commune aliquod lucrum reportantia. Societas ſic accepta definiri ſolet: Eſt conventio duorum, vel plurium ad contribuendum aliquid in uſum, vel lucrum commune, aut damnum, quod pro rata dividendum eſt inter ſe. Ad hoc ut perficiatur hìc contractus ſufficit ſolus conſenſus exteriùs expreſſus, nec requiritur alia Juris ſolemnitas, ut docet Gomez *tom. 2. cap. 5. num. 1.*

2 Ad validitatem hujus contractus requiritur 1. ut fundetur in negotiatione licita, & honeſta: nam fundata Societas in negotiatione illicita non inducit obligationem, cum nemo obligari poſſit ad illicitum *ex Leg. Nec permittendum, ff. Pro Socio*, ut docent Azor. *3. par. lib. 9. cap. 5. q. 8.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 24. pun. 1.* Reginaldus *lib. 25. cap. 27. nu. 380.* 2. requiritur, ut ſinguli Socii aliquid in commune contribuant, ut ſic participes fiant lucri, ſive de reliquo omnes conferant pecuniam; ſive aliqui pecuniam, aliqui verò operam, induſtriam, ac inſtrumenta, vel animalia, aut alia bona, prout inter ipſos facta fuerit conventio: nam ſi nil in commune contribuant, quo cooperentur ad lucrum; carent titulo participandi de lucro, ut advertit rectè Bonacina *diſput. 3. de Contr. quæſt. 6. punct. 1. n. 1. 3.* ut id, quod in commune contributum fuerit, eo animo conferatur, ut ſtatim cedat in dominium ſingulorum Sociorum; itaut ſinguli evadant domini totius ſortis partialiter, hoc eſt partiali, non adæquato dominio. Nam ſi contribuens non habet talem animum, res contributa non erit communis, nec cedet in dominium Sociorum; ut evenit, quando communio fit ſolùm in lucro, non verò in Capitali, ut ſi quis contribueret pecuniam, alter verò induſtriam. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 25. dub. 1. numer. 3. 4.* lucrum, vel damnum, & expenſæ ſint communia; itaut ſervetur æqualitas inter Socios ſecundum proportionem ſortis à ſingulis contributæ; nam commodum percipiendum eſt ad ratam oneris, & onus ſentiendum eſt ad ratam Commodi. Sic colligitur *ex Leg. 1. & ſequentibus, Cod. Pro Socio, & ex Leg. Verum, ff. Pro Socio.* Inſuper quod ſors collata a Socio in commune ſubjaceat periculo conferentis, ſi pereat abſque culpa: quapropter Societas injuſta erit, & uſuraria, ſi quis tradens pecuniam Mercatori ad negotiandum eo pacto traderet, ut periculum pecuniæ ſit penes Mercatorem, lucrum verò ſit commune, niſi alium contractum aſſecurationis inierit, ut videbimus. Sic Navarrus *in Man. cap. 17. num 251.* Navarra *lib. 2. num. 461.* Sotus *6. de Juſt. quæſt. 6. art. 1.* Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 415.* & alii communiter.

3 Quæres 1. quinam poſſint contractum Societatis inire? Reſp. omnes qui habent liberam poteſtatem pro ſuo libito de rebus, quas in Societatem contribuunt. Quapropter rectè deducitur, quòd qui non habent liberam facultatem ſic diſponendi de rebus; nequeant Societatis contractum inire; adeoque carentes uſu rationis, furioſi, ebrii, amentes, & omnes, qui non poſſunt actus humanos exercere ex defectu conſenſus, non poſſunt Societatem contrahere, cum non poſſint liberè diſponere. Sic colligitur *ex Leg. Societates contrahuntur, §. ult. ff. Pro Socio.* Et ſic conſtat ex dictis de contractibus in genere. Pupilli quoque, & minores non poſſunt valide Societatem inire abſque conſenſu Tutorum, vel Curatorum: cum liberam diſpoſitionem non habeant independenter ab illis. Vide Rebellum *lib. 10. quæſt. ult.* Aliquando tamen libera diſpoſitio impeditur à Jure: ſic Medicus non poteſt contrahere cum infirmo durante infirmitate, Advocatus cum Cliente, Tutor cum pupillo, & Curator cum minore, detentus incarcere in ſui perniciem, pro quibus omnibus Leges aſſeruntur prohibentes contradictionem, ac diſponendi facultatem. Vide Bonacinam *de Contr. diſp. 3. quæſt. 6. pun. 2. n. 9.*

4 Quæres 2. quænam damna, & quænam expenſæ debent eſſe communia Sociis? Reſp. ea damna debere eſſe communia, quæ proveniunt ex cauſa proxima Societatis, modò tamen abſit culpa lata, & levis Socii, aut dolus; tenetur namque Socius ad conſulendum bono Societatis, etiam de levi culpa, cum in gratiam, & commodum commune Sociorum ineatur Societatis contractus; quamvis non teneatur de caſu fortuito, & de culpa leviſſima. Sic colligitur *ex Leg. Cum duobus §. quidam, ff. Pro Socio*, & docent Molina *diſp. 418. n. 5. & 7.* Reginaldus *lib. 25. n. 394.* Angelus *verb. Societas, 1. n. 15.* Sylveſter *eod. verb. quæſt. 9.* Rodriquez *cap. 47. n. 6.* & alii: ratio eſt, quia ſi lucra provenientia ex cauſa proxima Societatis ſunt communia, æquitas expoſcit, ut communia ſint damna ex cauſa proxima Societatis provenientia. Quòd ſi damna non proveniant ex cauſa proxima Societatis, ſed ex occaſione Societatis, non debebunt eſſe communia, ſicuti nec communia erunt lucra provenientia ex occaſione Societatis; non enim habetur ratio comprobans, alium Socium, vel Socios obligari ad hæc damna reſarcienda, & compenſanda, quæ non ex cauſa, ſed ex occaſione Societatis eveniunt. Sic non tenebitur Socius ad damna, quæ alter ſocius patitur, dum iter agit pro Societate, & ob privatas inimicitias vulneratur, Sicuti è converſo non tenebitur Socius, qui ex occaſione Societatis Principem adit, à quo ob ſpeciales, & egregias ſuas dotes donum accipit pretioſum; illud dividere inter ſocios: quia ex occaſione Societatis illud reportavit, non verò ex cauſa proxima Societatis. Sic Molina *diſp. 418. num. 7.* Gomez 2. *Var. cap. 7. de Societ. numer. 4.* Azor. *3. par. lib. 9. cap. 4. quæſt. 8.* & alii. Pari modo diſcurrendum eſt de expenſis ex cauſa proxima Societatis factis, dummodo aliter non conventum ſit inter contrahentes, aut aliter ſervetur ex conſuetudine loci; vel ſi unus ex contrahentibus appoſuit pecuniam alter verò induſtriam ſuis ſumptibus exercendam. Quapropter expenſæ factæ, dummodo tamen ſuperfluæ, aut prodigæ non fuerint, in mercibus conſervandis, aſportandis, in præcavendis latronibus, illiſque profligandis cum militibus; dividendæ erunt inter ſocios, & ex communi lucro, aut ſorte deducendæ, cum ob cauſam proximam Societatis factæ fuerint. Sic Sylveſter, Angelus, Navarrus, Rebellus, Molina, & alii penes Bonacinam *de Contr. diſp. 3. quæſt. 6. pun. 4. num. 3.* Sic etiam dicendum de expenſis factis à Socio in itinere, ſi in defendendis mercibus Societatis vulneratus fuerit; aut ſuo equo, veſtibus, aliiſque propriis rebus ſpoliatus. Ita *ex Leg. Secundum Julianum ff. Pro Socio*, colligit Molina *diſp. 418. num. 2.* Sic etiam Leſſius *lib. 2. cap. 25. dub. 4. n. 35.* colligit *ex Leg. Cum duobus §. venit, ff. Pro Socio*, qui addit, deducendum eſſe in commune pretium Socii datum latronibus ad ſe redimendum à captivitate ob Societatem. An verò ex his expenſis factis in itinere detrahendum ſit, quantum domi ſuæ inſumpſiſſet Socius. Negant Navarrus, Salon, Molina, Reginaldus, Leſſius, Azor. & Filliuccius, quos refert, & ſequitur Bonacina *loc. cit.* Affirmant apud eumdem Sylveſter, Navarra, Angelus, Rebellus, & alii. Sequor negativam ſententiam, utpote conformiorem Juri, & praxi: nam ſi *in Leg. Si fratres, §. ſi quis ex Socis, & in Leg. Secundum Julianum, ff. Pro Socio*, ſtatuitur Socium proficiſcentem ad negotia Societatis poſſe de communibus bonis extrahere expenſas, quas fecerit, abſque eo quòd diſtinguat Jus, aut velit detrahi expenſas, quas domi ſuæ feciſſet; nec Doctores diſtinguere, vel detrahere debent: forſitan reſpexit Jus ad ſpeciales labores Socii arripientis iter, & ad alia incommoda in bonum Societatis aſſumpta.

5 Quæres 3. an licitum ſit in contractu Societatis apponere pactum cum Socis ſervandi indemnem ſortem collatam, & percipiendi parvum aliquod lucrum? Reſp. ex vi præciſe Contractus Societatis, niſi ſimul alii contractus ineantur; illicitum eſſe, cum non exponat periculo ſortem ſuam, quod Sanctus Pius V. *in ſua Bulla* vult remanere penes apponentem. Si tamen contractui Societatis addantur duo alii contractus Aſſecurationis videlicet Capitalis, & Venditionis lucri incerti ſervando æqualitatem juxta arbitrium prudentis Viri; non erit illicitum tale pactum apponere. Sic contribuens in Societatem mercatori mille aureos cum ſpe lucrandi ſimul cum mercatore centum aureos ſingulis annis, vel trecentum aureos; init ſimul cum Mercatore contractum aſſecurationis Capitalis contributi, & ſolvit juſtum pretium aſſecurationis deducendo

illud

illud ex lucro, Insuper vendit Mercatori spem illam lucri incerti magni pro aliquo certo lucro parvo, quod obtinet; utique isti contractus liciti erunt: & ratio est quia contractus Societatis, assecurationis, & venditionis singiliatim accepti, & cum diversis Personis liciti sunt, ut fatentur adversarii; ergo liciti erunt simul, & cum eadem persona, quæ enim justa sunt, si ineantur cum diversis personis; justa erunt, si cum eadem ineantur, æqualitas enim justitiæ respicit rem ad rem, non diversitatem subjectorum, & personarum. Sic Major, Angelus, Sylvester, Covarruvias, Navarrus, quos refert, & sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 25. *dubit*, 3. *num.* 24. Sic etiam Moderniores ferè omnes contra Cajetanum *tom.* 1. *opusc. ult.* & Sotum *lib.* 6. *quæst.* 6. *art.* 2.

6 Quæres 4. Quomodo contractus Societatis licitè iniri poterit, quando alter confert sortem, alter operam? Resp. variis modis iniri posse hunc contractum. 1. si unus Socius confert sortem, alter verò operam, ac instrumenta, cum hoc tamen, quòd habeat aliquotam partem lucri, quam ob suam operam meretur; reliquum verò lucri cum sorte spectet ad alium Socium. Hic contractus, qui potiùs est Locationis, & Conductionis operarum, quàm Societatis, ut bene reflectit Navarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 152. & iniri solet à Mercatoribus cum suis factoribus, ut diligentiores sint; ad hoc ut justus sit, requiritur, ut pars aliquota lucri tanta sit, quanta spes accipiendi ampliùs, quàm opera exhibita mereatur; & quantum periculum accipiendi minus, aliàs merces assignata pro opera exhibita non erit ad æqualitatem, hoc tamen taxandum erit judicio prudentum. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 2. *nu.* 7.

2. Sic iniri potest, ut alter Socius, qui confert operam; sit verus Socius, sed lucrum participet juxta æstimationem operarum redactarum in Capitale; itaut æstimentur operæ exhibitæ, & pretium æstimationis reducitur in Capitale, quasi collatum in Societatem; ideoque si æstimentur operæ centum aureis, quasi centum aureos contulisset in Societatem. Hic contractus est ex se iniquus, & Societas sic inita esset leonina, non humana: ratio est, quia Socius, qui confert operam, certo illam amittit, cum pereat opera ejus; alter verò, qui confert sortem; non certò illam amittit, imò retinet sibi salvam; ergo conditio Sociorum non est æqualis, sed alter solum damnum, alter solum lucrum reportat contra *Legem*, *Qui non fuerit*. §. *fin. ff. Pro Socio*, quidquid in contrarium dixerint nonnulli Doctores. Solùm poterit reddi licitus hic contractus, si augeatur lucrum Socio conferenti operam in compensationem æqualitatis conditionis, ut rectè observat Lessius *l. c. num.* 8. & 9. itaut sic non minùs particeps sit lucri reportati ex sorte, quàm ipsius sortis. Quamvis in hoc casu, si pereat sors ante exhibitionem totius operæ; teneatur exhibens illam ad partem æstimationis operæ remanentis, & non adhuc exhibitæ, ut notat idem Lessius *l. c. num.* 9.

3. Iniri poterit hoc pacto, ut qui operam præstat, non sit particeps sortis, sed tantùm lucri: quapropter si negotiatione finita supra sortem nil remaneat; nil habere debebit; si aliquid remaneat dividendum. Hic contractus potest esse justus, si fiat comparatio ad pericula utriusque Socii, & juxta talem comparationem, & considerationem judicio prudentis viri fiat divisio lucri: nam qui pecuniam tradit, suscipit periculum amittendi sortem, ad quam compensandam non tenebitur exhibens operam; suscipit etiam periculum amittendi pretium lucri ex illa sorte sperati. E contra qui operam confert, solùm suscipit periculum amittendi pretium operæ; comparanda igitur erunt inter se hæc pericula, & secundum prudentem æstimationem illorum, detracta priùs sorte, dividendum erit lucrum superans; & sic servabitur æqualitas in simili contractu. Sic Navarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 452. & Lessius *lib.* 2. *capit.* 25. *dub.* 2. *num.* 12. Pariter discurrendum erit in similibus contractibus, quando unus Socius confert animalia, alter verò operam; attendenda namque semper erit æqualitas inter æstimationem fructuum ex animalibus provenientium, & æstimationem operæ, quæ aliquando pluris valere potest, quam fructus illi; quæ regula communis esse debebit in cæteris Societatibus non dissimilibus.

7 Quæres 5. Quibus modis terminetur Societas? Resp. terminari 1. finito tempore ad Societatem constituto, aut negotiatione finita. 2. per mutuum consensum Sociorum Societatem dissolventium. 3. per mortem alicujus Socii, cum Societas regulariter non transeat ad hæredes: *sic ex Leg. Verum*, §. *fin. ff. Pro Socio*, & *ex Instit. de Societate*, §. *solvitur*. 4. si alter Socius redactus sit ad egestatem; vel quia publicata fuerint ejus bona; vel quia pressus ære alieno bonis suis cessit *ex Leg. Actiones*, *ff. Pro Socio*, 5. quando res circa quam Societas inita est, ita passa sit variationem; ut inepta remanserit ad Societatem, *ex Leg. Verum*, §. *fin. ff. Pro Socio*.

CAPUT XV.

De Sponsione, & Ludo.

1 *Quid sit Sponsio? Et quænam requirantur, ut licita sit?*
2 *An spondens cum altero de re, quam certò scit, & scientiam suam illi manifestat, qui nihilominus spondere vult; licitè spondere possit?*
3 *An licita sit sponsio, quando alter spondens non certò scit rem futuram, sed probabiliter putat futuram ex signis, conjecturis, & fide humana?*
4 *An spondens, Cajum intra annum occisurum Titium, vel in prandio superaturum illum in comedendo, & potando; licitè spondeat?*
5 *An spondens, per quem stat, ne sponsio adimpleatur; teneatur ad solvendam illam?*
6 *Quid sit Ludus?*
7 *Ex genere suo Contractus Ludi non est illicitus.*
8 *Quænam requirantur ad Ludum licitum?*
9 *An ludens, qui exercet aliquas astutias in ludo; teneatur ad restitutionem lucri reportati?*
10 *An habens majorem dexteritatem in ludendo colludenti ignotam teneatur ad restituendum lucrum reportatum?*
11 *Ad quid teneantur suffurantes chartas lusorias, vel eas peculiaribus notis signantes, aut taxillos adulterantes, vel si utantur inspectoribus, qui admoneant?*
12 *An attrahens alium ad ludendum minis, vel conviciis, qui sic attractus perdidit, quamvis potuisset æqualiter lucrari; teneatur restituere lucrum.*
13 *An in Ludo, vel Sponsione possit lucrari ille, qui perdere nequit?*
14 *An ludens aliena pecunia, si lucretur, possit sibi lucrum retinere?*
15 *An qui lucrum reportavit ex aliena pecunia in ludo exposita sive à fure, sive ab Usurario; possit illud sibi retinere?*
16 *An possit quis in ludo plus lucrari, quàm perdere?*
17 *An qui in ludo vetito lucrum reportavit, teneatur restituere?*
18 *An qui in ludo vetito perdidit, teneatur in conscientia solvere?*

SPONSIO est contractus, in quo duo de veritate, 1
aut eventu alicujus rei contendentes; spondent aliquid ad invicem, ut ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit: sic communiter Doctores. Contractus hic Jure naturæ licitus est, si concurrant tamen debitæ conditiones: ratio est, quia sicuti potest quis rem suam alteri absolutè donare, ita etiam transferre ejus dominium in alterum dependenter ab aliqua conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industria, ut docet Lessius *lib.* 2. *capit.* 26. *dub.* 1. *numer.* 3. Conditiones verò ad Sponsionem requisitæ, ut licita evadat, sunt tres. 1. ut fiat super re dubia, nam si certa sit uni spondenti, alteri verò dubia; sponsio erit illicita, cum non sint æquales in contentione, nec eventus est dubius in utroque. 2. ut sit æqualitas in re, quæ spondetur, nam si unus spondeat centum aureos, alter verò quinquaginta; non subeunt æquale periculum spondentes; nisi ex mutuo consensu id fieret, quia sic cederet juri suo, qui plus sponderet. 3. ut uterque spondens accipiat in eodem sensu id, de quo contentio habetur, ut omnis fraus, & æquivocatio tollatur. Sic Card. Delugo *disp.* 36. *sect.* 6. cum Molina, Lessio, & aliis.

Quæres 1. an spondens cum altero de re, quam certò 2
scit, & scientiam suam illi manifestat, qui nihilominus contendere, & spondere vult, licitè spondere possit? Resp. affirmativè: ratio est, quia nullam infert illi injuriam, semel ac suam scientiam illi manifestat, & nihilominus contentionem vult prosequi, volenti siquidem, scienti, & consentienti, nulla fit injuria. Sic

Rebel-

Rebellus, Leſſius, Molina, Lopez, Navarrus, Sayrus & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 3. punct. 1. num.* 18.

3 Quæres 2. an licita ſit Sponſio, quando alter ſpondens non certò ſcit rem futuram, ſed probabiliter putat, & credit futuram ex ſignis, & conjecturis, ac fide humana; adeoque exiſtimat, alterum ſpondentem decipi? Reſp. affirmativè, quia ſigna adducta cum non ſint infallibilia, imò fallacia, ut quotidiana experientia comprobat; inde eſt, quòd probabilitatem tantùm pariant, quæ ſtat cum ſponſione licita; non verò certitudinem. Sic Azor. Rebellus, Filliuccius, quos refert, & ſequitur citatus Bonacina contra Molinam.

4 Quæres 3. an ſpondens, Cajum intra annum occiſurum Titium; vel in prandio Cajum ſuperaturum Titium in comedendo, & potando; licitè ſpondeat? Reſp. negativè: ratio eſt, quia datur occaſio captandæ mortis; vel ſe ingurgitandi, ac inebriandi, quæ quidem abſque gravi culpa fieri nequeunt; adeoque illicita erit Sponſio. Quamvis poſt factum retinere poſſit ſpondens pretium ob ſponſionem acceptum: quia licèt illud acquiſierit ob turpem cauſam contra Leges, non tenetur tamen reſtituere, cum nullam committat injuſtitiam contra alterum Spondentem. Sic Azor. *3. par. lib. 11. cap. 19. quæſt. 6.* Filliuccius *tract. 37. capit. 2. quæſt. 6. num.* 27. & omnes qui deobligant ad reſtituendum accepta ob turpem cauſam. Hac occaſione adnotandum: prohiberi à Gregorio XIV. *in ſua Bulla*, incipit, *Cogit nos*, ſub pœna Excommunicationis tranſgredientibus, Sponſiones de Vita, Morte, ac Creatione Summi Pontificis, & promotione Cardinalium: nam illicitæ ſunt ex Jure Canonico, quamvis ex natura rei poſſint eſſe licitæ. Vide Azorium *l. c. cap.* 20.

5 Quæres 4. an ſpondens, per quem ſtet, ne ſponſio adimpleatur; teneatur ad ſolvendam illam: ut ſi Cajus ſpoponderit cum Titio ſuperandi illum in emittendo jaculo, in pondere elevando, in ſaltando, currendo; & poſtea per Cajum ſtet, quin Sponſio adimpleatur; an inquam teneatur ad ſolvendam Sponſionem Titio? Reſp. affirmativè: injuſtè ſiquidem renuit ſponſionem adimplere, & contractum jam initum: quapropter cedere præſumitur juri ſuo, & cenſetur conditio adimpleta pro Titio, qui jam paratus eſt. Sic Azor. Filliuccius, & Bonacina *loc. cit.*

6 Ludus quamvis propriè accipi poſſit pro dictis, vel factis ad animi oblectamentum deſtinatis, ut bene notat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 2. hic verò accipitur pro contractu, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque depoſcit. Quapropter uniuſquiſque ex ludentibus ſubit periculum perdendi rem ſuam, ut rem alienam ludo expoſitam acquirat. Ludus ergo quà contractus eſt pactum, ut victori certaminis tribuatur res ab utroque expoſita; quà Ludus eſt veluti certamen duorum ad animi oblectamentum ſpectans.

7 Contractus Ludi ex genere ſuo non eſt illicitus, imò poteſt eſſe actus Virtutis, ſi ob honeſtam animi recreationem cum debitis requiſitis fiat; quamvis ex indebitis circumſtantiis fieri poſſit illicitus: ut ſi ludens ob ludum die feſtivo velit omittere Sacrum; vel non ſolvere penſum Horarum Canonicarum, ad quod tenetur; aut ob amorem ludi paratus ſit aliquod grave damnum perpetrare. Inſuper ſi cum fraude, dolo, vi, aut contra Leges ludi exerceatur. Si blaſphemiæ, rixæ, convicia, aut irreverentia contra Deum, vel Sanctos immiſceantur in ludo. Si exerceatur cum eo, qui non poſſit pecuniam ludo exponere, donare, alienare, aut ſi fiat ludus per Legem poſitivam prohibitus. In his enim circumſtantiis ludere, ſuppoſita gravitate materiæ, mortaliter illicitum erit: ut bene notat Bonacina alios referens *de Reſtit. diſput. 2. quæſt. 3. punct. 1. num.* 10. *in fin.*

8 Requiſita ergo ad ludum licitum ſunt. 1. ut qui ludunt liberam habeant facultatem diſponendi de re ludo expoſita, cum non poſſint periculo exponere res alienas, aut quas alienare non poſſunt. 2. ne ludens alterum ludentem compulerit ad ludendum per vim, aut dolum, vel convicia: ſic enim per injuriam compelleret, ideoque tenebitur ad reſtitutionem. 3. ne utantur fraudibus contra leges ludi, aliàs tenerentur non ſolùm ad reſtitutionem lucri, quod fraude accepere; verùm etiam ad reparationem lucri, quod juſtè alter ludens reportare poterat, niſi per fraudem impeditus fuiſſet. 4. ut habeant animum ſolvendi, ſi perdant, nec repetendi jam perditum, aliàs retinere non poſſent lucrum reportatum, nec lucrari poſſent; non enim alter ludere vellet, ſi hoc ſciret. 5. denique ut ſit æqualis conditio ludentium, nam ſi æqualitas requiritur in cæteris contractibus; ratio expoſcit, ut magis ſervetur in ludo, niſi cedant ludentes juri ſuo. Sed quia multæ inſurgere poſſunt difficultates in hac materia ideo per ſequentia quæſita eas reſolvemus.

9 Quæres 1. an ludens, qui exercet aliquas aſtutias in ludo; teneatur ad reſtitutionem lucri reportati? Reſp. ſi exerceat aſtutias conſuetas communiter in ludo, ut ſimulare timorem ex oris mutatione, ac vultus, ut objiciat pactionem reſtantis pecuniæ, & ſimilia, quæ ex conſenſu tacito, vel expreſſo ludentium adhiberi ſolent; non teneri ad reſtitutionem: ratio eſt, quia non facit injuriam ſemel ac adhiberi conſueverunt tales aſtutiæ, nec alter luſor fidem adhibet illis. Secus verò dicendum, ſi adhibeat non conſuetas, nec alteri notas aſtutias: ut fingere ſe minùs peritum ad ludendum, ut ſic revera imperitos ad ludendum alliciat, alioquin non luſuros, ſi imperitiam illam non finxiſſet; aut ſinere ſe vinci bis, aut ter, ut dein ſic allectos de facili vincat: ſimiles enim aſtutiæ, ac fraudes pariunt injuriam, & damnum inferunt per dolum, ac obligationem inducunt reſtituendi. Sic Rebellus *quæſt. 3. num.* 5. Azor. *3. par. lib.* 5. *cap.* 24. Sayrus *lib. 11. cap.* 12. *num.* 18. & 21. Leſſius *lib. 2. cap. 26. dubit. 2. num.* 15. & alii.

10 Quæres 2. an habens majorem dexteritatem in ludendo colludenti ignotam teneatur ad reſtituendum lucrum reportatum? Reſp. teneri non ad integram reſtitutionem, cum poſſit aliquid ſibi retinere juxta proportionem periculi, cui ſe expoſuit: nam ſi nullum ſubiiſſet periculum perdendi, teneretur ad integram reſtitutionem. Sic Rebellus, Molina, & alii penes Bonacinam *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 3. punct. 2. num.* 5.

11 Quæres 3. ad quid teneantur ſuffurantes chartas luſorias, vel eas notis peculiaribus ſignantes, aut ſupponentes taxillos adulteratos, vel ſi utantur inſpectoribus, qui eos admoneant de punctis colluſorum, à quibus pendeant in ludo? Reſp. non ſolùm teneri ad integram reſtitutionem lucri reportati, ſed etiam lucri probabiliter impediti colluſoribus: ratio eſt, quia non ſolùm injuſtè reportarunt per fraudem lucrum, verùm etiam injuſtè per fraudem fuere cauſa damni colluſorum, qui impediti fuerunt à lucro probabiliter reportando; ergo & tenentur ad lucri reportati reſtitutionem, & ad reparationem lucri à colluſoribus probabiliter reportandi. Sic Reginaldus *lib.* 10. *num.* 385. Navarrus *in Man. capit.* 19. *num.* 17. Rodriquez *capit.* 189. *num.* 5. Molina *diſp.* 517. *num.* 5. & alii.

12 Quæres 4. an attrahens alium ad ludendum minis, & conviciis, qui ſic attractus perdidit, quamvis potuiſſet æqualiter lucrari; teneatur reſtituere illi lucrum reportatum? Reſp. quamvis communior Doctorum ſententia cum Salonio, Valentia, Bannez, Soto, Leſſio, Rebello, Azorio, Reginaldo, Sayro, Rodriquez, Filliuccio, Salas, Turriano, & aliis penes Bonacinam *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 3. punct. 2. num.* 9. doceat, teneri ad reſtitutionem: quia contractus per injuriam extortus fuit, imò auferendo libertatem, & arbitrium animi. Nihilominus non caret ſua probabilitate Sententia docentium, non teneri ad reſtitutionem lucri reportati in ludo, ſed ſolùm ad ſatisfactionem injuriæ arbitrio prudentis viri: ratio eſt, quia per Doctores contrariæ ſententiæ, ſi attractus vinceret, non teneretur ad reſtitutionem lucri; ergo neque ſi attrahens vincit, tenetur ad lucri reſtitutionem: conſequentia tenet, quia ſi attractus non tenetur, contractus eſt juſtus; ergo non minùs juſtus eſt pro ipſo attrahente, quàm pro attracto, ergo ſi attractus non tenetur ad reſtitutionem, neque tenebitur attrahens. Non nego, quòd magis mereatur privationem lucri attrahens, quàm attractus; ſed hoc non probat, quòd privetur ipſo facto lucro, ſed quòd privari poſſit per ſententiam Judicis. Sic Molina, Garzias, quos refert, & ſequitur Bonacina *l. c.*, & alii apud Lopez *1. par. cap. 34. concl. 2.* & apud Sà *verb. Ludus, num.* 7.

13 Quæres 5. an in ludo, vel Sponſione poſſit lucrari ille, qui non poteſt perdere? Reſp. negativè, quia non eſt par contrahentium conditio, & habetur dolus dans cauſam contractui: ut ſi Religioſus, vel filius familias ludo, vel ſponſioni exponere, quam rem indubitanter Conventus, vel pater repeteret; utique non poſſet lucrum reportatum retinere, cum alter colludens non luſiſſet,

lusisset, si res exposita non potuisset exponi, imò justè repetenda. Quòd si notum ei sit, rem expositam non posse exponi, tunc si lucrum reportatum fuerit à filio familias, poterit licitè ab eo retineri: quia non adeptus est lucrum per actionem injuriosam, cum scienti, & consentienti non fiat injuria: sic Rodriquez, Valentia, Salonius, Rebellus, Lessius, & Sayrus penes Bonacinam *de Rest. disp. 2. quæst. 3. punct. 2. num. 15.* Si verò reportatum fuerit à Religioso absque consensu sui Superioris; restituendum erit: ratio est, quia sine tali consensu sicuti non potest quidquam exponere ludo, sic non poterit in eo quidquam lucrari: ut notat Lessius *lib. 2. capit. 26. dub. 5. num. 32.* cum facultate tamen sui Superioris lucrari, & perdere poterit, adeoque lucrum reportatum retinere.

14 Quæres 6. an ludens aliena pecunia, si lucretur, possit sibi lucrum retinere? Resp. si ludens aliena pecunia habet animum, si perdiderit, resarciendi ex propriis bonis, quæ revera habet, pecuniam alienam expositam; poterit lucrum reportatum retinere, etiamsi fur sit, aut famulus, vel Usurarius, aut Depositarius. Secus vero dicendum, si nec bona habeat, quibus deperditam pecuniam resarciat, vel si habeat bona, non habeat tamen animum resarciendi: & ratio est, quia iniretur contractus ludi per dolum dantem illi causam, adeoque invalidè iniretur: collusor enim si notum habuisset, pecuniam esse alienam; non lusisset: nec præsumendum est, ludere voluisse, ut ex Salas, Filliuccio, & aliis adnotat Bonacina *de Rest. disput. 2. quæst. 3. punct. 2. nu. 16. in fin.* quamvis oppositum sentiat Molina *disp. 518.* dummodo tamen alter collusor nesciat, pecuniam esse alienam.

Sed quid dicendum: si collusor, qui perdidit; scierit, pecuniam ab altero collusore expositam alienam esse, & furto ablatam? Resp. tunc vincentem posse sibi retinere lucrum reportatum cum pecunia aliena: & ratio est, quia non facit actionem injuriosam collusori, qui scit pecuniam esse alienam, & tamen consentit ad ludendum: scienti siquidem, ac consentienti non fit injuria; ergo lucrum absque injuria Socii reportatum sibi retinere poterit: sicuti superiùs dictum est numero præcedenti de filio familias, qui potest lucrum reportatum retinere, si sciens collusor, rem ludo expositam non posse ab illo exponi: quia non minùs rem alienam exponit collusor furans in nostro casu, quàm filius familias in illo casu; adeoque huic sententiæ, cui expressè favet Bonacina *l. c. num. 17.* favere videntur Doctores illic citati.

Neque dicas cum Molina, & Lessio, teneri ludentem cum aliena pecunia, si fur sit, ad restituendum lucrum collusori *ex Leg. Si in Emptione, §. si item Emptor, ff. de contrah. Emption.* Nam Lex citata, & similes loquuntur solummodo de Venditione rei alienæ, non de lucro reportato per rem alienam. Vide citatum Bonacinam.

15 Quæres 7. an qui lucrum reportavit ex pecunia aliena exposita in ludo sive à fure, sive ab Usurario; possit illud sibi retinere? Resp. si pecunia illa exposita immixta fuerit cum aliis pecuniis propriis furis, vel Usurarii; poterit collusor lucrum sibi retinere: ratio est, quia per immixtionem illam acquisivit fur, vel usurarius dominium rei furtivæ, vel usurariæ, quamvis teneatur ad restituendum æquivalens, & resarciendum damnum: quapropter collusor lucrum reportavit ab habente dominium rei. Si verò fur, vel Usurarius ludens non acquisierat rei expositæ dominium, non poterit collusor lucrum reportatum retinere, statim ac scierit, rem ludo expositam fuisse alienam: cum teneatur ex re accepta ad illam restituendam domino, vel furi juxta ea, quæ superiùs dicta sunt de possessore bonæ, vel malæ fidei. Quamvis fur, vel Usurarius teneatur collusori vincenti ad evictionem illius lucri reportati, cum bona fide luserit. Sic Molina *disp. 518. num. 1.* Reginaldus *lib. 10. num. 389.* Rebellus *quæst. 4. sess. 1. nu. 16.* Salas *de Ludo disp. 8.* & Filliuccius *tract. 37. cap. 6. quæst. 1. num. 87.*

16 Quæres 8. an possit quis in ludo plus lucrari; quàm perdere? Resp. respectu unius collusoris non posse plus lucrari, quàm perdere, aliàs non esset æqualis ludentium conditio, nisi fortè hic sciens velit cedere juri suo, loquimur autem hic de eodem ludo, & eadem commissione; nam in pluribus ludis, & commissionibus plus lucrari poterit successivè. Respectu tamen plurium collusorum in eodem ludo, plus lucrari poterit, quàm perdere: ut per se patet. Sic Rebellus *qu. 4. num. 5.* Molina *disput. 519. num. 4.* & Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 5. num. 38.*

Quæres 9. an qui in ludo vetito lucrum reportavit, 17
teneatur restituere? Resp. quosdam ludos Lege Civili prohiberi laicis, sic est ludus aleæ, nomine autem Aleæ accipitur hìc omnis ludus, qui magis à fortuna, & casu pendet, quàm ab arte, aut industria: sic sunt ludi chartarum lusoriarum, taxillorum, & similium; quamvis nonnulli permittantur ab ipso Jure Civili, ut Cursus, Saltus, hastiludium, lucta, & hippomodrus. Jure verò Canonico prohiberi Clericis ludum alearum, ut videre est *in Cap. Clerici, de Vit. & honest. Cleric. & in Cap. Inter dilectos, de Excessib. Prælator. & in Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. de Reform.* Verùm Leges Civiles respectu laicorum contraria consuetudine abrogatæ videntur; adeoque Laici non peccabunt graviter sic ludendo; ita Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 1. n. 6.* nisi ratione circumstantiarum: sic etiam Salas *de Contr. dub. 3.* Valentia 2. 2. *disp. 5. quæst. 6. punct. 5.* & alii. Major tamen difficultas est de Sacris Canonibus respectu Clericorum: sed etiam hi Canones non sunt in usu cum tanto rigore, nec Superiores curant sic rigidè executioni mandari; quapropter graviter non peccabunt Clerici sic ludendo, nisi fortè cum scandalo id faciant, & sint aleatores, hoc est frequenter huic ludo operam dent; non verò rarò, & honestæ recreationis causa. Sic Lessius *l. c. numer. 5. in fine*, Sayrus Rebellus, Molina, Reginaldus, Azor. & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp. 2. quæst. 3. punct. 1. num. 2.* His præjactis

Qui lucrum ex ludo vetito reportavit, non tenetur in conscientia ad illud restituendum ente Judicis sententiam, modò per vim, & dolum non impedierit sententiam Judicis: ratio est, quia jure naturæ ludentes sunt habiles ad contrahendum, vel transferendum dominium; nec Leges positivæ irritant talem contractum, aut impediunt dominium facta traditione, sed tantùm concedunt perdenti repetitionem faciendam in judicio, & post sententiam, ergo ante sententiam tuta conscientia retinere poterit. Sic Covarruvias, Castro, Medina, quos refert, & sequitur Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 3. num. 19.* Sayrus, Sà, Sotus, Molina, Rebellus, Azor. Salas, Filliuccius; quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp. 2. quæst. 3. punct. 3. num. 8.* contra Paludanum.

Quæres 10. an qui in ludo prohibito perdidit, teneatur in conscientia solvere? Resp. si credita pecunia luserit, & non fecerit juramentum de solvendo; non teneri solvere ex Jure Cæsareo; ratio est, quia *in Authen. Ut alearum, Cod. de Religios. & sumptib. funer.* conceditur, ut victus non cogatur solvere, & per consequens conceditur facultas, ut non solvat, quod amisit; imò conceditur hæredibus victi, ut possint repetere solutum; ergo ex Jure Communi clarè constat, non teneri solvere. Sic Covarruvias *ad Regul. Peccatum, par. 2. num. 8.* Molina *disp. 515. num. 5.* Reginaldus *lib. 25. num. 151.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 23. num. 144.* Navarrus *in Man. capit. 27. num. 17.* Lessius *lib. 2. capit. 26. dub. 4.* & alii. Ex Jure tamen naturæ teneretur solvere: eo quia validus, & justus est contractus jure naturæ, & ex eodem jure quilibet tenetur ad standum promissis, nisi aliter constaret ex Jure positivo sic rectè disponente, ut bene advertit Bonacina *l. c. num. 2.* Si autem numerata pecunia luserit, datur ei actio ad repetendum solutum, ut constat *ex Auth. citata*. Quòd si ludentes ludo vetito cesserunt juri suo, ac renunciarunt beneficio Legis; non poterunt repetere, quæ ludo vetito amiserunt, cum sit valida cessio illa: nam facultas repetendi non concessa est proximè in bonum commune, sed in bonum particulare perdentis; & quilibet juri suo, ac bono particulari cedere potest. Sic Salas, Azor. Filliuccius, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *de Restit. disput. 2. quæst. 3. punct. 3. num. 5.*

18

CAPUT XVI.

De Tutela, Curatela, Testamentis, & Legatis.

1 *Quid Tutela, & Tutor? Quid Curatela, & Curator? Et quomodo inter se differant?*
2 *Ad quid teneatur Tutor respectu pupilli?*
3 *Ad quid teneatur Curator respectu Minoris.*

4 *Ex quâ nam culpa teneantur Tutores, & Curatores, si in proprio Officio delinquant?*
5 *Testamentum quid sit?*
6 *Testamentum aliud Clausum, & in scriptis; aliud Apertum, seu Nuncupativum. Et quanam requirantur ad Clausum, quænam ad Nuncupativum?*
7 *An Testamentum factum sine Solemnitatibus à Jure Civili requisitis sit validum? Et an Legata in eo contenta solvi debeant?*
8 *Quinam testari possint; & qui non?*
9 *An Clerici Beneficiarii sæculares testari possint?*
10 *Quinam possint institui in Testamento hæredes, vel legatarii, & qui non?*
11 *An Religiosi possint institui hæredes, vel Legatarii?*
12 *An filii illegitimi institui possint hæredes?*
13 *An Testamentum, & Legatum revocari possint?*
14 *Quid sit Legatum strictè acceptum?*
15 *Quinam Legata facere possint? Quæ res legari? Et quibus Personis?*
16 *Quomodo Legata incerta executioni mandari possint?*
17 *An hæres possit sibi aliquid retinere, si hæreditas non sit sufficiens ad satisfaciendum legatis relictis?*
18 *An Religiosus, cui commissa est Testamenti, & Legatorum executio; possit legatum pium suo Monasterio applicare?*
19 *An Legata ad certas pias causas relicta possint in alium pium usum commutari?*

1 TUTELA, & Tutor à tuendo pupillum, & impuberem nomen accepere; sicuti Curatela, & Curator à curandis rebus Minorum. Sunt enim Tutela, & Curatela veluti contractus quidam, quibus Tutor, & Curator obligantur ex Justitia ad tuenda, & procuranda bona, & commoda Pupillorum, & Minorum, ac si ex contractu obligatio illa suscepta fuisset, supplente Contractus Lege, aut Magistratu.

Differunt inter se Tutor, & Curator cum diversa munia exerceant, ac diversis Personis dentur. Nam Tutor datur Pupillis, & Impuberibus extra patris potestatem existentibus *ex Instit. de Tutela, §. 1.* ut eorum personas defendat principaliter, quæ ob imbecillitatem ætatis nequeunt se defendere; secundariò ad tuenda bona ipsorum pupillorum. Impubes autem dicitur, si sit masculus, qui non attingit annum decimum quartum completum; si sit fœmina, quæ non attingit duodecimum. Curator verò datur minoribus *ex Instit. de Curator. §. 1.* ut principaliter eorum bona curet, ac defendat; secundariò tamen eorum personas; Minor autem ille dicitur, qui annum decimum quartum explevit, sed nondum pervenit ad annum vigesimum quintum completum ex Jure Communi, quamvis Leges Municipales diversimodè statuant, quibus standum erit. Dari etiam potest Curator majoribus, qui negotia sua, & res ob judicii defectum non possint administrare: ut essent furiosi, mente capti, prodigi, & similes. Jure Communi non datur Curator invitis, sed petentibus, nisi in certis casibus. Tutor verò dari potest invitis.

2 Quæres 1. ad quid teneatur Tutor respectu Pupilli? Resp. teneri 1. personam pupilli defendere, dum opus erit, eumque bonis moribus imbuere, & educare, ut decet, sive per se, sive per alios, assignando videlicet stipendium præceptoribus juxta conditionem pupilli: & ratio est, quia in hunc finem constituitur Tutor, & loco patris substituitur. 2. teneri, bona pupilli fideliter, & ritè administrare, cum etiam ad hunc finem instituatur Tutor; adeoque suscepto Officio debet statim inventarium conficere, quod si non conficiat; tenetur in conscientia, omnia damna, quæ revera passus est pupillus ob eam causam, resarcire. Sic Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 19. punct. 4. num. 2.* 3. teneri conservare omnia Jura, & actiones pupilli; & bona aliàs peritura vendere, pretiumque applicare in emptionem bonorum stabilium, vel in censum, prout commodum visum fuerit. Sic Rebellus 2. *par. lib. 17. quæst. unic. num.* 10. referens Bartolum, Covarruviam, & Cordubam. 4. teneri exigere nomina debitorum, ut quæ debent, pupillo persolvant; quamvis etiam teneatur, persolvere debita ipsius pupilli, cum hoc tamen quòd semper consulat utilitati, & commodo pupilli; ideoque si vendenda essent bona pupilli ad satisfaciendum ære alieno, priùs vendere debeat res inutiles, dein minùs inutiles, postremo stabilia, sicætera non sufficiant juxta dispositionem Juris; Sic Sylvester *verb. Tutor. §. 4.* Tabiena *eod. verb. §. 2.* & Rebellus *l. c. num.* 12.

Quæres 2. ad quid teneatur Curator respectu Minoris; & quænam actiones communes sint Tutoribus, & Curatoribus? Resp. etiam Curatorem teneri ad bona minoris fideliter, & ritè administranda, cum hoc sit principale ejus munus: quamvis etiam debeat de bonis moribus minoris curam habere, ut bene instituatur; teneri quoque omnia jura, & actiones minoris defendere, credita exigere, & debita persolvere secundum ea, quæ de Tutore dicta sunt. Tutores, sive legitimi sint, hoc est à Lege præscripti; sive dativi, hoc est à Judice, vel Magistratu constituti; sicuti etiam Curatores tenentur non solùm juramentum præstare de Officio suo fideliter administrando, verùm etiam cautionem dare de restituenda integra re pupilli, vel minoris, quamvis ad cautionem præstandam non teneantur Tutores, & Curatores testamentarii, hoc est, in Testamento, vel Codicillo patris relicti, ut testatur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 19. punct. 4. numer. 2. ex Instit. de satisdation. Tutor. §. Ne tamen.* Tenentur quoque Tutores, & Curatores deductis expensis restituere omnes fructus, quos pupillus, & minor percipere poterant ex bonis suis, sed culpa eorum minimè perceperunt: ut docent Sylvester *verb. Tutor. §. 4.* Rebellus 2. *par. lib. 17. quæst. unic. num.* 14. & Bonacina *l. c.* Sicuti etiam tenentur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, si pecuniam pupilli, vel minoris in proprios usus converterint cum detrimento illorum. Sic Rebellus 2. *par. lib. 17. quæst. unic. num.* 15. & Gama *Decis.* 110. Tutores, & Curatores non possunt alienare bona, quæ administrant, sine Judicis decreto, sive immobilia sint, sive mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt. Nec possunt emere similia bona sive per se, sive per alios, nisi cum authoritate Judicis. Nec possunt de illis bonis donationes, vel remissiones gratiosas facere: cum non dentur Tutores, & Curatores ad destruendum, sed ad conservandum, & defendendum. Quamvis excipienda sint munera consueta Magistris, & aliis similibus; in his enim se gerit ut bonus negotiorum administrator, & gestor. Sic Sylvester *verb. Restit. 3. quæst. 8. dist. 4.* Trullench *lib. 7. cap. 17. disp. 8.* & alii. Tenentur denique Tutores, & Curatores rationem Officii sui reddere, cum hoc onus commune sit omnibus bona aliena administrantibus, quamvis finito officio teneantur ad hoc, *ex Leg. Rationes, Cod. de administrat. Tutor.* Vide Bonacinam *l. c. num. 4.*

Quæres 3. ex quanam culpa teneantur Tutores, & 4
Curatores si contra proprium officium delinquant? Resp. si hoc officium exerceant accepto pretio, quod debet in principio constitui, aliàs gratis præsumuntur exercere, & juri suo cedere; non solùm tenentur ex dolo, & lata culpa, ut constat *ex Leg. 2. Cod. Si Tutor, vel Curator*, ubi habetur: Latæ culpæ ratio omnes æqualiter tenet; sed etiam ex levi culpa: cum non minùs tale Officium utile sit pupillis, & minoribus, quàm Tutoribus, & Curatoribus. Si verò sine pretio exerceant, tenentur tantùm ex dolo, & lata culpa ad restituendum, & ad resarcienda damna, quæ pupilli, & minores patiuntur ob delictum commissum contra tale Officium. Quapropter infertur, graviter peccare ultra obligationem restituendi, ac resarciendi damna illata Tutores, & Curatores, si notabiliter negligentes sint in fideli administratione talium Officiorum. Sic Bonacina *l. c. num. 1.*

Testamentum, quamvis varias habeat significationes; 5
hìc tamen accipitur ad significandam testationem mentis, & voluntatis, quam quis habet, & fieri vult post suam mortem de suis rebus, ut constat *ex Instit. de Testam. ordinan. in principio*. Quapropter Testamentum sic acceptum definiri poterit cum Theologis, & Jurisperitis *ex Leg. 1. ff. de Testam.* Est voluntatis justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult cum directa hæredis institutione. Optima est definitio, cum illa verba; voluntatis justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, stent loco generis, convenit siquidem per illa cum Codicillo, Legato, Fideicommisso, & Donatione causa Mortis; per reliqua verba, cum directa hæredis istitutione, discriminatur ab illis, cum non ordinentur ad directam hæredis institutionem, sed ad explicandum, addendum, mutandum, detrahendum aliquid in testamento, & ad

insti-

instituendum Legata &c. & non nisi ex privilegio militiæ conceditur militi, posse hæredem instituere in Codicillo, ut constat *ex Leg. militis Codicillis, ff. de milit. Testamen.* Adnotandum hìc : rectè dici Testamentum, Voluntatis justa sententia, seu decretum justum; ac justa definitio; nam si dispositio per Testatorem facta in testamento non esset de re justa; servanda non esset; quapropter si quis in Testamento injustè privet filium hæreditate; aut mandet corpus suum humari in sterquilinio, vel projici in mare; vel aliquid contra bonos mores statuat, & contra pietatem; non diceretur habere voluntatis justam sententiam, sed injustam, & non obligantem. Sic Julius Clarus, *§. Testamentum, quæst.* 1. Molina *tom.* 1. *disp.* 124. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 621. & alii passim.

6 Testamentum duplex est, Clausum, seu in scriptis; & Apertum, seu Nuncupativum. Clausum illud dicitur, quando Testator sive sua manu, sive alterius Testamentum scribit, & obsignat, ut lateat, quid in eo contineatur. Apertum verò, seu Nuncupativum, quando Testator sine scriptura declarat coram testibus, quid fieri velit post mortem suam; etiam si fortè in scripturam redigatur secundum quotidianam praxim in Testamentis Nuncupativis; ut adnotat Julius Clarus, *§. Testamentum, quæst.* 4. *in principio.*

Ad Testamentum Clausum, seu in scriptis ex Juris dispositione requiruntur hæc, ut valorem habeat. Quòd post confectam scripturam sive sua, sive alterius manu clausam, & obsignatam coram septem testibus idoneis simul existentibus illam proferat Testator, ac fateatur esse suum Testamentum, illudque propria manu subscribat, si scribere sciat, aliàs octavus testis adhibendus erit, qui pro illo subscribat, vidente Notario, deinde cæteri Testes omnes pro eodem tempore subscribant, si sciant, aliàs unus ex ipsis subscribat pro singulis. Testes autem, ut sint idonei ad hoc, debent esse non defectuosi, non cœci, non muti, non surdi, nec furiosi, nec prodigi, nec infantes, nec Religiosi absque licentia sui Superioris, nec in potestate Testatoris constituti; non ipse hæres, aut qui in potestate hæredis sunt. Sed debent esse masculi, puberes, liberi, rogati, & vocati ad hunc finem. Sic Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 1. *num.* 10.

Ad Apertum verò, seu Nuncupativum, quod minorem exposcit Solemnitatem; requiri, ut Testator voluntatem suam declaret coram septem testibus idoneis, ut supra, qui audiant simul, & intelligant voluntatem Testatoris, sive voce prolatam, sive scripto expressam. Nec necessaria est subscriptio, vel sigillum, aut Judicis, vel Notarii præsentia, sive redigatur in scriptis Testamentum, sive non; sed sat est, quòd per testes constet voluntas Testatoris. Hæ sunt Solemnitates ad Testamenta requisitæ ex Jure Communi, ut constat *ex Leg. Hac consultissima, Cod. de Testam.* cæterùm si aliæ requiruntur ex Statutis Locorum, observandæ erunt. Quòd si Testamentum careat solemnitate debita, & dubium insurgat, an Testator voluerit conficere Testamentum in scriptis, an verò Nuncupativum; valeat ut Nuncupativum, ne actus corruat omnino, quod non debet præsumi de Testatoris voluntate : ut observant Cardin. Delugo *tom.* 2. *disp.* 24. Bardi *disp.* 6. *quæst.* 10. *§.* 1. & Sanchez *lib.* 4. *Consil. Moralium.*

7 Quæres 1. an Testamentum factum sine solemnitatibus à Jure Civili requisitis sit validum? Et an Legata in eo contenta valida sint? Resp. si Testamentum factum sit ad pias causas validum esse, tum pro foro interno, tum pro foro Civili. Quòd autem validum sit pro foro interno probatur ex eo, quia sufficit ad validitatem talis Testamenti pro foro interno, & conscientiæ habere ea, quæ Juris naturalis sunt, nempe potestas in disponente, capacitas in eo, in cujus favorem disponitur, & libertas in disponendo : ut patet *ex Cap. Relatum* 1. *de Testamen.* cum possit Pontifex his solemnitatibus Juris Civilis derogare ex plenitudine potestatis, quæ penes ipsum residet. Et quamvis in dicto *Cap. Relatum* requirantur duo Testes, non requiruntur tamen ut sit validum in foro conscientiæ, cum sine ipsis validum esse possit; sed ut possit probari in foro externo, quantum satis est Judici ad sententiam ferendam. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 29. *dubit.* 2. Covarruvias *in Capit. Relatum, numer.* 8. Vasquez *in Opusc. de Testam. cap.* 3. *nu.* 11. & Bonacina *de Contr. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 3. *nu.* 16. Quòd etiam validum sit pro foro Civili, sufficit, quòd habeat duos testes, & ea, quæ à Jure naturali requiruntur : ut patet *ex Capit. Relatum, cit.* nam his positis habet ea omnia, quæ ad ejus validitatem requiruntur in dicto Capite, & sic docent passim Doctores. Imò si manus Testatoris subscripti adsit, nec testes requiruntur, inter quos potest esse fœmina : ut sustinent Covarruvias *l. c. nu.* 1. Bonacina *l. c. num.* 15. Sà *verb. Testamentum, nu.* 4. & Diana *par.* 4. *tract.* 6. *Resol.* 16.

Si verò Testamentum sine solemnitatibus factum fuerit ad profanas causas, quamvis invalidum sit in foro externo; validum tamen erit, ac obligationem inducet in foro conscientiæ, licèt actionem non tribuat pro foro externo : ratio est, quia ex tali Testamento oritur obligatio naturalis, nam est Communis Sententia tam Canonistarum, quàm Juris Civilis Peritorum, quòd ex Testamento minùs solemni oriatur obligatio naturalis; ut testantur Julius Clarus, *§. Testamentum qu.* 90. *n.* 1. & Covarruvias *cap.* 10. *n.* 10. sed hoc idem est, ac Testamentum istud obligare in foro conscientiæ; ergo si obligat in foro conscientiæ, validum est pro tali foro. Accedit sententia Theologorum asserentium, validum esse pro tali foro. Sic Adrianus, Angelus, Tabiena, Sylvester, Medina, Lopez, Molina, quos refert, & validis argumentis sequitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3. *n.* 14. & Delugo *disp.* 22. *sect.* 9. Non nego tamen suam probabilitatem sententiæ Covarruviæ, & Bonacinæ, ac aliorum apud ipsos putantium, etiam in foro conscientiæ invalidum esse, & non inducere obligationem.

Quoad Legata contenta in Testamento facto sine solemnitatibus à Jure requisitis dico : Si pia sint, etiam si Testamentum fiat ad causas profanas; valida esse, cum non irritentur nec à Jure Civili, quia dispositio facta ad pias causas non subjacet Legibus Civilibus; nec à Canonico, adeoque oritur obligatio solvendi talia Legata Civiliter, & in foro externo; ac naturaliter, & in foro interno. Sic Doctores passim cum Covarruvia *in Cap. Relatum de Testam. num.* 3. Si verò Legata profana sint, sed in Testamento minus solemni contenta facto ad pias causas; quamvis probabilis sit sententia Covarruviæ, Lessii, Sà, & aliorum apud Julium Clarum, *§. Testamentum, quæst.* 6. *versic. Sed quæro*, docens valida esse, ac obligare pro foro conscientiæ. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam ipsius Julii Clari, & aliorum penes ipsum, Bonacinæ *de Contr. disput.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 18. & Cardinalis Delugo *tom.* 2. *disput.* 22. *sect.* 9. asserentem, invalida esse, nec obligare in conscientia : ratio est, quia Legata ista, utpote profana, subjacent dispositioni Juris Civilis ea irritantis. Nec valet ratio, cui innititur contraria sententia, quod accessorium sequi debeat principale; ergo si testamentum est validum pro foro conscientiæ, valida erunt & Legata. Non valet, inquam, aliàs sequeretur, quod Legata pia in Testamento minus solemni ad profanas causas invalida essent, quod non concedunt Adversarii. Vide quę diximus de hac re *Capit.* 4. *de Contractibus in genere à nu.* 1. *usque ad* 6.

Ut verum tamen fatear : si revera Solemnitates à Jure requisitæ in Testamentis, & Legatis profanis in ipsis contentis solùm institutæ fuerint ad cavendam deceptionem, & ad probationem in foro externo, & fidem faciendam; non verò ad irritandum actum, ut notat Lessius *lib.* 2. *capit.* 19. *dubit.* 3. *numer.* 35. puto, legata profana in Testamento minus solemni ad causas pias contenta inducere obligationem in conscientia, uti dixi de Testamentis ad profanas causas minus solemnibus, cum utrobisque militet par ratio.

Quæres 2. Quinam testari possint; & qui non? Resp. 8 omnes, qui liberam habent suorum bonorum administrationem, ac sufficientem rationis usum, nisi à Jure prohibeantur; testari possunt : cum possit quilibet de re sua disponere, nisi prohibeatur à Jure, ut communiter Doctores fatentur. Testari tamen prohibentur Jure naturali infantes, furiosi, amentes, qui non habent lucida intervalla, nec in una tantùm materia delirent, non verò in aliis : nam actus testandi debet esse humanus, & humano modo nequit ab illis exerceri, qui non habent sufficiens judicium, ac voluntatem ad disponendum de re sua. Quapropter qui testari cœpit, & inducit in phrenesim antequam perficiat testamentum; invalidè testatur : ut habetur *in Leg. Furiosum, Cod. Qui Testamen. facer. non possint.* Jure positivo

tivo testari prohibentur surdus simul, & mutus à Nativitate ad causas profanas; quia ad causas pias testari poterit, cum causæ piæ non subjaceant Juri Civili: sic ex *Leg. Discretis, Cod. Qui Testam. facere possint*. Qui articulatè loqui nequit, itaut hæredem exprimere nequeat *ex Leg. Jubemus, Cod. de Testamen.* Impubes, dummodo non testetur ad causas pias *ex Leg. A qua ætate, ff. Qui Testamenta; & ex Leg. ult. Cod. de Testam. milit.* quia etiam milites comprehendit. Filius familias dum est sub patria potestate; etiamsi pubes sit, dummodo non testatur de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, vel de bonis adventitiis, quæ post Clericatum acquisivit *ex Leg. Nemo, Cod. Qui Testamenta*. Prodigus, cui prohibita est bonorum administratio *ex Inst. Quibus non est permissum. §. Prodigus*. Damnati ad mortem naturalem, vel Civilem, aut ejecti in perpetuum exilium, vel perpetuos carceres, nisi ad causas pias testentur *ex Leg. Is cui, §. 1. ff. Qui Testam. facer. poss.* Omnes, qui committunt crimen aliquod, cui à Jure annexa est pœna, ut ipso facto evadant intestabiles. Sic sunt Usurarii notorii, insequentes hostiliter Cardinalem, capientes, aut percutientes, & qui ad hoc faciendum cooperati sunt *ex Cap. Felicis, de Pœnis in 6.* Hæretici, & eorum fautores, receptatores, & defensores, si intra annum non satisfecerint *ex Eod. Cap. Felicis, & ex Authen. Credentes, Cod. de Hæretic.* Damnati ob libellos famosos *ex Leg. Is, cui, §. si quis crimen, ff. Qui Testamen. facer. poss.* Servi, qui verè, & propriè servi sunt, & sub aliena potestate, ut etiam Captivi. Denique Religiosi; qui professi sunt in Religione approbata, nisi ex facultate Summi Pontificis. Vide Covarruviam *de Testam. cap. 2. num. 17.* Quamvis in his, & similibus prohibitionibus standum sit consuetudini locorum.

9 Petes hìc: an Clerici beneficiarii sæculares possint testari? Resp. testari posse etiam ad causas profanas de bonis patrimonialibus, ac de aliis, quæ suo labore, ac industria acquisierunt, vel ex congruenti sustentatione proventuum beneficii detraxerunt: ratio est, quia dominium illorum habent, & liberè de illis disponere possunt. Sic Lessius *lib. 2. capit. 19. dubit. 4. num. 41.* Reginaldus *lib. 25. numer. 624.* Molina *disput. 138.* & alii. Difficultas ergo est: an etiam testari possint de proventibus suorum beneficiorum? Resp. quamvis ex Jure Canonico minimè testari possint de his proventibus non solùm ad profanas, verùm etiam ad pias causas: ut clarè constat *ex Cap. Quia nos, ex Cap. Relatum 2. & ex Cap. Cum in Officiis, de Testam.* Nihilominus consuetudine multis in locis abrogata fuere talia Jura non solùm quoad Clericos beneficiarios, verùm etiam quoad Episcopos, quibus solis teste Covarruvia *in Cap. Cum in Officiis*, necessaria erat testandi licentia. Sic Tuscus, Lessius, Molina, Reginaldus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 17. punct. 2. num. 4.* Quapropter Clerici, & Episcopi validè, & licitè testari possunt de his proventibus acquisitis ad causas pias: & ratio est, quia sunt veri domini illorum, aliunde prohibitio Ecclesiastica per contrariam consuetudinem ablata est; ergo validè, & licitè testantur de illis ad causas pias. Sic Doctores supracitati, & alii quamplurimi. Ad causas tamen profanas, & in favorem consanguineorum, quamvis validè testentur, illicitè tamen testantur, & graviter peccant, licèt non teneantur ad restitutionem. Et quidem quòd validè testentur, probatur ex eo, quia sunt veri domini proventuum illorum; ergo validè transferunt dominium illorum sive domtione inter vivos, sive per ultimam voluntatem; & aliunde per consuetudinem habiles redditi sunt ad testandum; ergo per talem translationem non tenentur ad restitutionem, cum neminem læserint. Quòd autem illicitè testentur, & graviter peccent; probatur ex eo, quia faciunt contra districtum Ecclesiæ præceptum, ut patet *ex Tridentino sess. 25. cap. 1. de Reform.* per illa verba: Omnino eis interdicit (Episcopis scilicet, & quibuscumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, etiamsi fuerint S. R. E. Cardinales) ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant. Maximè quia isti proventus tum ab Ecclesia, tum à Donatoribus in Dei cultum, & honorem destinati videntur, quapropter res Dei vocari consueverunt. Quamvis hoc præceptum afficiat personas testantes, non verò hæredes, qui validè succedunt. Vide Lessium pro dignitate hanc materiam tractantem *lib. 2. de Justit. capit. 4. dubit. 6. numer. 43.* qui refert Sotum, Adrianum, & Covarruviam, & Doctores hujus temporis passim, quos habes penes Bonacinam *l. c.* contra Navarrum, & antiquiores.

10 Quæres 3. quinam possint institui in Testamento hæredes, vel Legatarii; & qui non? Resp. omnes homines non solùm privati, etiam si amentes sint, Surdi, Muti, Cæci, servi; verùm etiam Communitates possunt institui hæredes, vel Legatarii, dummodo non repellantur à Jure: & ratio est, quia in tali Institutione habentur ea, quæ requiruntur à Jure, nempe potestas plena in disponente, forma descripta ab ipso jure, & capacitas ad hæreditatem, dum per jus non repelluntur. Qui verò hæredes, vel Legatarii institui nequeunt ex juris prohibitione sunt Apostatæ, & Hæretici *ex Leg. His, qui sanctam, Cod. de Apostat., & ex Leg. final. Cod. de Hæreticis*. Insuper Credentes, Receptores, Defensores, & Fautores hæreticorum, si intra annum non resipuerint *ex Authen. Frederici Imperatoris, Cod. de Hæretic.* Civitas hostium, & Communitas Infidelium, & Judæorum *ex Leg. Omnibus, ff. ad S. C. Trebellianum, & ex Leg. 1. Cod. de Judæis*. Persecutores Cardinalium, vel qui eos capiunt, aut percutiunt *ex Cap. Felicis, de Pœnis in. 6.* Committentes crimen læsæ Majestatis *ex Capit. Quisquis cum Militibus, de Pœnit. dist. 1.* Omnes, qui ob crimen aliquod commissum testari prohibentur, prohibentur pariter, non posse ex Testamento hæredes institui, vel Legatarios *ex Leg. Is, cui, §. 1. ff. Qui Testam. facer. possint*.

11 Petes hìc: an Religiosi possint institui hæredes, vel legatarii? Resp. omnes Religiosos, quibus *ex Tridentino, sess. 25. capit. 3. de Regular.* permissum est bona immobilia possidere in communi, sive de cætero mendicantes sint, sive non Mendicantes, aut Mendicantium Privilegiis gaudentes; posse hæredes institui, ac legatarios; cum ex jure novo Tridentini capaces sint hæreditatis, ac legati, non ut sibi acquirant, sed Monasterio; eorumque Monasteria, & Conventus posse hæredes institui, ac legatarios, ut patet ex eodem Tridentino. Insuper religiosos Societatis Jesu, qui vota tantùm simplicia biennii emiserunt; & Collegia ejusdem Societatis, quamvis hæc succedere non possint ab intestato in bonis suorum Religiosorum ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, & ex Bulla ejusdem. *Quanto fructuosius*.

Excipiuntur à capacitate hæreditatis, & Legatorum Fratres Minores de Observantia, & Capucini D. Francisci, & eorum Conventus, cum privilegio, ac permissioni Tridentini renunciarint, ut constat ex eodem Tridentino citato. Insuper Professi Societatis Jesu, Coadjutores Spirituales, & Temporales formati; nec non Domus Professorum ejusdem Societatis, cum incapaces sint hæreditatis, & legatorum: ut clarè constat ex Bullis citatis Gregorii XIII. Imò nec Domus Professorum, nec Collegia ipsa Societatis, ut superiùs notavi, succedere possunt ab intestato in bonis suorum Religiosorum, cum non valeat pro ipsis vulgatum illud axioma: Quidquid Mònachus acquirit, suo Monasterio acquirit.

Adnotandum hìc: quòd licèt Fratres Minores de Observantia, & Capucini non possint absolutè hæredes institui; itaut acquirant jus ad bona illa, vel legata, ut dictum est; possunt tamen hæreditas, vel legatum ipsis relinqui, ut vendantur per aliquem executorem extraneum, & pretium tradatur Fratribus in subsidium; sic enim nullum jus acquirunt, nec paupertatem violant. Idem dicendum de Domibus Professorum Societatis Jesu. Quòd si Legatum relinquatur ipsis ad fabricæ usum, vel Ecclesiæ; tunc poterit acceptari, cum hoc tamen quòd nec per ipsos administretur, nec jus, aut actionem habeant ad illud. Sic Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 17. punct. 3.* referens Navarrum, Rodriquez, Lessium, & Sylvestrum; sic etiam Sanchez *in Oper. Moral. lib. 6. cap. 18. num. 11.*

12 Quæres 4. an filii illegitimi institui possint hæredes; Resp. illegitimos alios esse Naturales, Spurios alios. Naturales illi dicuntur, qui nati sunt à Parentibus solutis, nec habentibus impedimentum dirimens tempore conceptionis, vel Nativitatis. Spurii verò, qui nati sunt ex Parentibus habentibus tempore conceptionis, vel Nativitatis impedimentum dirimens. Sub his duabus speciebus continentur à jure Canonico illegitimi, quidquid sit de jure Cæsareo, ut docet Covarruv-

varruvias *de Matrimonio part. 2. capit. 8. §. 4. numer. 4.* Quamvis adnotandum ex eodem Covarruvia: quod filii nati ex parentibus habentibus impedimentum dirimens ipsis ignotum, vel uni ipsorum dum matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiæ; censendi sunt legitimi ex privilegio : ut constat *ex cap. Pervenit. & ex cap. ex tenore. Qui filii sint legitimi.* His declaratis

Dico 1. si Parentes careant legitima prole, possunt hæredes instituere filios Naturales, quamvis relinquenda sit legitima ascendentibus : sic constat *ex Leg. Licet. Cod. de Filiis Naturalibus.* Quod si non fuerint hæredes instituti à Genitoribus non habentibus legitimam prolem, non possunt succedere ipsis intestatis, nisi in sextam partem bonorum *ex Authen. de hæredib. ab intestato.* Sic julius Clarus *quæst. 31.* Sylvester *verb. hæreditas. 1. num. 2.* Sà *eod. verb. num. 1.* Molina *disp. 166.* & alii passim. Poterunt tamen succedere matri intestatæ non habenti legitimam prolem ex asse seu in tota hæreditate : sic *ex Leg. si qua illustris. Cod. ad S. C. Orficianum* colligunt Covarruvias *1. par. cap. 8. num. 15.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 6. num. 75.* Sylvester *verb. Filiis, quæst. 3.* Molina *loc. cit. concl. 7.* & Vasquez *de Testamentis. cap. 5. §. 6. dub. 5.*

Dico 2. Filii spurii non legitimati non possunt hæredes instituì à suis Genitoribus, nec potest illis aliquid relinqui præter alimenta *ex Leg. Licet. Cod. de Natural. Liber.* Quod si præter alimenta aliquid in Testamento ipsis relictum fuerit, tenentur in conscientia ad restitutionem faciendam legitimis hæredibus, cum non acquirant jus ad illud *ex Leg. citata*; & docent Covarruvias, Julius Clarus, Lessius, & Molina *locis citatis.* Nec succedere possunt in bonis matris intestatæ, maxime si nati sint ex adulterio, incestu, vel sacrilegio punibilibus à Lege humana. Sic Vasquez *de Testam. §. 8.* Molina *disp. 167. concl. 4.* & Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 17. pun. 3. num. 12.*

13 Quæres 5. an Testamentum, & legatum revocari possint ? Resp. semper revocari posse à Testatore usque ad mortem nisi à Religioso ante professionem fuerint instituta, cum per professionem mortuus reputetur : sic omnia jura, Doctores omnes, & quotidiana experientia testantur, etiam si pœnam sibi adjecerit non revocandi, aut si dixerit, se non revocaturum : cum semper voluntas hominis sit deambulatoria usque ad mortem ut constat *ex Leg. 4. ff. de adimplen. Legat.*

Sed difficultas est : an revocari possit Testamentum vel Legatum cum juramento confirmatum de non revocando ? Resp. quamvis graviter peccet, & operetur illicite revocando Testamentum, & legata in eo contenta contra juramentum factum de non revocando : eo quia juramentum factum de re licita, quod absque dispendio salutis æternæ adimpleri potest ; servandus est, ut clare apparet *ex cap. Quamvis pactum, de Pactis, in 6.* & docent communiter Doctores. Nihilominus si revocetur per aliud Testamentum valida erit revocatio, quamvis illicita, & peccaminosa : & ratio est, quia multa, quæ illicite fiunt, facta tamen tenent, & valida sunt : sic qui juravit contrahere cum Berta, & postea ducit Joannam ; valide contraxit cum Joanna, quamvis illicite ; sic etiam qui juravit vendere suum equum Petro, & postea vendidit Paulo ; valide vendidit, sed illicite. Sic Sylvester *verb. juramentum. 4. quæst. 12.* Angelus *eod. verb. 5. num. 15.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 8. num. 98.* Molina *disp. 149.* Bonacina *de Contr. disp. 3. quæst. 16. pun. 6. num. 5.*

Adnotandum hic ex Lessio, Molina, & Bonacina *locis citatis*, quod si is, in cujus favorem factum est Testamentum juramento confirmatum sed postea revocatum ; illud acceptavit sciens, & volens ; oritur statim ex eo obligatio non solum Personalis in Testatore adimplendi Testamentum acceptatum, & Legata in eo contenta pariter acceptata ; sed etiam realis, quæ transit ad hæredes ; adeoque hæres institutus per secundum Testamentum revocans primum ; tenebitur ad restitutionem hæreditatis hæredi per primum testamentum instituto, cum per acceptationem juramenti acquisierit jus ad bona Testatoris, qui contraxit obligationem realem transeuntem ad hæredes. Secus vero dicendum, si non fuerit acceptatum, aut nescivit Testamentum factum ; tunc enim ex illo juramento quamvis remaneat obligatio personalis in Testatore, non remanet tamen obligatio realis transiens ad hæredes, ut dicitur de promissione non acceptata.

Legatum stricte acceptum est donatio quædam, quam 14
Testator præstandam relinquit ad hæredes de eo, quod esset hæredis. Sic Doctores passim. Imponit siquidem Testator onus quoddam hæredi tradendi certam rem alteri à se designato. Multiplex est Legatum, aliud est Pium, quod videlicet Pietatem continet, & intuitu Pietatis fit : ut est Legatum in Dei honorem, vel Sanctorum relictum ; aut legatum Ecclesiæ, hospitali, Monasterio. Pauperibus, Viduis, Peregrinis, vel Pupillis factum. Aliud non Pium, seu Profanum, ut sunt cætera legata, quæ Pietatis causa non fiunt. Insuper Legatum, aliud est absolutum, quod videlicet absque conditione, vel determinatione temporis, vel loci fit : & hoc debetur Legatario statim ac sequitur Testatoris mors. Aliud Conditionale, quod videlicet conditionem aliquam continet, sive expressis verbis additam, sive implicitis, quod quidem solvendum est ab hærede conditione adimpleta, ut dicitur de cæteris contractibus.

Quæres 1. Quinam legata facere possint ? quæ res 15
legari ? & quibus Personis ? Resp. omnes qui testari possunt, nec à Jure repelluntur ad testandum ; possunt pariter legata conficere ; non enim major capacitas requiritur ad legata conficienda, quam ad testandum. Res, quæ legari possunt, sunt illæ, ad quas Testator legans habet jus, & liberam ipsarum administrationem ; sicuti enim illas vendere potest, aut alio modo alienare ; sic etiam legare. Quod si jus ad illas non habeat, minime legare poterit cum non possit transferre jus, quod in se non habet, ut patet ex principiis notis. Personæ quibus legatum fieri potest ; sunt omnes illæ ; quæ capaces sunt bonorum, & non sint omnino incertæ : valor siquidem legati consistit in voluntate legantis, sic deponentis, & in capacitate legatarii acceptantis, ut habent communiter Doctores. Quod si personæ sint omnino incertæ corruit legatum, & redditur inutile, cum ignoretur quibus fiat, & quibus debeatur *ex Instit. de Legat. §. Incertis.* Secus vero dicendum, si non sint omnino incertæ, sed ex aliqua circumstantia certæ fieri possint, tunc solvendum erit ut constat *ex Instit. citata.*

Quæres 2. quomodo legata incerta executioni man- 16
dari debeant ? Resp. si incertitudo proveniat ex parte legatarii, ut si legatum relictum sit alicui expresso ejus nomine, & cognomine, & causa amicitiæ erga legantem ; & casu duo sint ejusdem nominis, & cognominis, ac æqualis amicitiæ cum legante ; tunc ex Jure Civili corruit legatum *ex Instit. cit.* nec hæres pro foro externo tenebitur ad illud solvendum. Pro foro tamen interno, & conscientiæ obligatur hæres, aut executor inter eos pro æquali portione dividere, si consenserint, cum re vera unus ipsorum jus acquisierit ad tale legatum, esto dividendum sit inter eos pro qualitate dubii. Sic ex Molina, Trullench & Diana docet Busembaum *de Testam. lib. 3. tract. 5. cap. 6. dub. 4.* Si vero legatum sit pium, & incertitudo proveniat ex parte loci, hospitalis videlicet, aut Ecclesiæ, tunc non corruit, nec caducum evadit ; sed dandum erit pauperiori hospitali, aut Ecclesiæ de quibus dubium insurgit. Si vero incertitudo proveniat ex parte rei legatæ, tunc si terminos habeat à natura, ut bos, equus, ovis &c. danda erit una ex his rebus mediocris ; si tamen terminos habeat ab arte, vel industria, ut domus, vestis &c. aut à pondere, numero, vel mensura ; tunc tradenda erit ab hærede, vel executore, ad quos in tali casu spectat electio ; minima pars utilis ; ut diximus in simili *de voto cap. 9. num. 13.* cum Castropalao *de voto pun. 12. num. 24.* referente Azorium, Sanchez, Valentiam Suarez, & Layman.

Quæres 3. an hæres possit sibi aliquid retinere, si 17
hæreditas non sit sufficiens ad satisfaciendum pro legatis relictis ? Resp. si hæres necessarius sit, cui hæreditas ab intestato competit ; poterit suam partem legitimam prius detrahere, & postea legatariis satisfacere : eo quia hæres necessarius nequit sua legitima parte privari. Si vero sit hæres non necessarius, cui non debetur legitima portio ; tunc poterit falcidiam seu quartam partem bonorum defuncti detrahere pro rata à Legatariis, dummodo legata non sint ad pias causas, & à Testatore expresse non fuerint

prohibita detractio Falcidiæ. Vide Bonacinam *de Contr. disput. 3. quæst. 17. §. 7. à num.* 4.

18 Quæres 4. an Religiosus, cui commissa est Testamenti & legatorum executio; possit legatum pium suo Monasterio applicare? Resp. præmittendo prius, Testatorem posse nominare in Testamento executorem suæ ultimæ voluntatis unum, vel plures sive ex hæredibus, sive ex non hæredibus, aut masculi sint, vel fœminæ; aut laici, vel Clerici, aut Religiosi, & hi quidem cum facultate suorum superiorum, Generalis tantum, si sint è societate Jesu, exceptis Fratribus de Observantia S. Francisci, & Capucinis, qui nullo modo executores esse possunt Testamentorum, ac Legatorum. Quod si nullum nominaverit executorem, pertinet executio ad hæredem, etiam quoad legata pia; quamvis locorum Ordinarii jure communi pertrahere ad se possunt executionem legatorum piorum. His præmissis, Poterit Religiosus applicare suo monasterio legatum illud pium; & ratio est, quia ejus monasterium non debet esse deterioris conditionis præ cæteris locis piis, cum non fuerit positive exclusum à Testatore, Nec valet dicere in contrarium; quod sicuti non potest legatum illud sibi applicare, sic etiam non poterit suo monasterio. Nam hoc verum est, quando Testator scit ejus indigentiam, non vero quando nescit; nam si scit, & legatum illi non relinquit, per hoc ipsum remanet exclusus; non ita tamen si nesciat, aut alia major indigentia advenerit; Sic Sanchez *in Oper. Moral, lib. 6. cap. 11. num. 54.* Bonacina *de Contr. disp. 3, quæst. 18. punct. 3, num. 9.* referens Divum Thomam, Cajetanum, Aragonium, Rodriquez & Tabienam. Adde, quod causa executoris non est distincta à causa sui ipsius; sicuti est distincta causa executoris Religiosi à causa sui monasterii,

19 Quæres? 1. an Legata ad certas pias causas relicta possint in alium pium usum commutari? Resp. non posse, quando legantis voluntas potest juste, & honeste adimpleri, etiamsi in opus melius commutandum esset: cum semper quantum fieri potest Testatoris voluntas servanda sit *ex Cap. Ultima voluntas. 13. quæstion. 2.* Quod si justa causa commutandi advenerit, tunc poterit Summus Pontifex dispensare in Testamentis, & Legatis piis; sicuti Supremus Princeps ex justa causa dispensare poterit in Testamentis, & Legatis profanis, Dicitur autem Supremus Princeps, qui in Temporalibus non agnoscit alium supra se. Nec inferior Summo Pontifice dispensare poterit in Testamentis, & Legatis piis: ratio est, quia cum sit actus supremæ Jurisdictionis, ipsi reservari debet, ut constat *ex Clement. Quia contingit. de Relig. Domib.* Poterit tamen Episcopus cum consensu hæredis, & loci pii, cui legatum relictum fuit interveniente justa, & rationabili causa per Epykejam voluntatem Testatoris interpretari convertendo legatum ad unum usum pium relictum in alium usum pium; sic legatum relictum ad comparandos calices, quibus non eget Ecclesia; sed casulis, & sacris vestibus; aut si relictum fuerit ad depingendam Ecclesiam, quæ corruit, cum potius indigeat restauratione; poterit in his, & similibus casibus ab episcopo cum consensu hæredis, & loci pii prudenter commutari, non ex authoritate ordinaria, sed interpretando voluntatem Testaroris: & ratio est, quia sic utiliter gerit negotium Testatoris, cui nulla fit injuria, cum prudenter præsumatur ejus voluntas, nec fit injuria hæredi, aut loco pio, quorum consensus habetur. Idem dicendum de legato facto ad pium usum, quod adimpleri nequit, cum sufficiens non sit; tunc enim caducum non evadit; sed authoritate Episcopi cum consensu hæredis ad alium pium usum applicari poterit; ita tamen ut quoad fieri possit accedat ad voluntatem Testatoris, sunt enim Episcopi ex Tridentino *sess. 22. cap. 8.* Piarum dispositionum executores. Sic Bonacina *de Contr. disput. 3. quæst. 17. pun. 8. §. 9. num. 4.* referens Covarruviam, Molinam, Sylvestrum, Rodriquez, Angelum, Vasquez, Riccium, Barbosam, & alios. Plura de hac matetia addere superfluum est, & extra nostrum Institutum; spectant enim potius ad Juris Peritos, qui pro Dignitate de illis pertractant, quam ad Theologos Morales,

OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

NON FALSUM TESTIMONIUM DICES.

QUÆSTIO XXII.

DE INJURIIS CONTRA PROXIMUM

Sive in Judicio, sive extra.

PROHIBET hoc Octavum Decalogi Præceptum omnem injuriam, quæ proximo fieri potest sive in Judicio, sive extra illud, sive per mendacium, falsum testimonium, iniquam sententiam; sive per Detractionem, Contumeliam, Infamiam, judicium Temerarium, & similia; ideo de his distinctè pertractandum erit,

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Mendacium? Quotuplex sit? Et quale peccatum?

1 *Definitur mendacium.*
2 *Tria requiruntur ad Mendacium.*
3 *Mendacium directe, & formaliter opponitur veritati.*
4 *Qui æquivocè loquitur non dicit mendacium.*
5 *Quatuor modis mendacium formale committi potest.*
6 *Ratione finis dividitur mendacium in jocosum, Officiosum, & Perniciosum.*
7 *Ratione signi dividitur mendacium in verbis, & in factis.*
8 *Omne Mendacium esse peccatum, etiam si fiat ad magnum malum vitandum, aut magnum bonum obtinendum.*
9 *Hinc non sequitur, omne mendacium esse peccatum grave.*
10 *An possit dari ignorantia invincibilis respectu Mendacii jocosi, vel Officiosi?*
11 *An peccent mortaliter, qui frequenter mendacia jocosa, vel officiosa dicunt?*
12 *Mendacium perniciosum ex genere suo grave peccatum est.*
13 *Mendacium in rebus fidei, vel Scripturæ Sacræ grave peccatum est. Idem dicendum de fictione miraculorum, Reliquiarum, de doctrina falsa cum mendacio in medicina, aut aliis scientiis, ex quo sequi possit grave damnum, ac de fingente Sanctitatem Vitæ.*
14 *An sit mendax mulier, quæ bonis artibus, ac me-*

mediis licitis tegit defectum Virginitatis utendo verbis amphibologicis?

1 MENDACIUM nihil aliud est, nisi locutio contra mentem; quando videlicet aliud exteriùs loquimur, seu significamus verbis, gestis, nutibus, aut alio modo exteriori; & aliud interiùs sentimus: ideoque rectè dicitur, quod mentiri sit contra mentem ire, ut habent communiter Doctores. Hinc sequitur, simulationem esse mendacium, quia licèt non fiat verbis, exprimitur tamen gestibus contra id, quòd interiùs sentimus.

2 Tria requiruntur ad mendacium, voluntas scilicet dicendi falsum, ipsa locutio, seu significatio mentis per aliquod signum exterius, difformis judicio mentis, & ipsum mentis judicium difforme, sicuti passim dicitur de veritate, ad quam etiam tria requiruntur, voluntas videlicet dicendi verum; ipsa locutio, & manifestatio mentis per aliquod signum externum, conformis judicio mentis; & ipsum mentis judicium conforme. Et quamvis positis his tribus necessariò requisitis ad mendacium sequatur deceptio alterius; non inde tamen sequitur, deceptionem, aut voluntatem decipiendi necessariò requiri ad rationem mendacii: ut bene notat D. Thomas 2. 2. *qu.* 10. *art.* 1. cum possit quis mentiri absque eo, quòd intendat decipere, esto regulariter loquendo hoc intendat: quapropter deceptio erit effectus regulariter consequens ad mendacium.

3 Ex dictis colligitur 1. Mendacium directè, & formaliter opponi veritati: nam veritas procedit ex affectu veri, quòd videlicet locutio sit conformis menti; Mendacium verò ex affectu falsi, quòd scilicet locutio sit difformis menti: & sicuti Veritas est expressio veri prout est in mente, & opinione nostra; sic etiam mendacium est expressio falsi, prout subsistat in mente, ac opinione nostra. Quapropter si quis verum in se dicat, quamvis in sua mente, & opinione reputet falsum; mentitur, & mendacium formale dicit; cum ex affectu falsi, & ex intentione dicendi falsum loquatur, esto materialiter, ac præter intentionem verum dicat. Et contra, qui falsum dicit in se, quamvis in sua mente, & opinione reputet verum; formaliter verum dicit, & ex affectu veri loquitur, esto materialiter, ac præter intentionem falsum dicat.

4 Colligitur 2. non dicere mendacium, qui æquivocè loquitur: quia non intendit contra mentem ire, nec falsum dicere: nam locutio, aut alia signa externa, quæ ponit; *non sunt* contra judicium mente efformatum, esto audientes decipiantur ob æquivocam signorum externorum significationem. Secus dicendum si purè mentaliter restringat significationem illorum signorum; tunc enim formale mendacium committeret.

5 Quatuor modis mendacium formale committi potest. 1. quando aliquid affirmatur esse, quod mente reputatur non esse. 2. quando aliquid negatur esse, quod mente reputatur esse. 3. quando scienter res dubia affirmatur pro certa. 4. quando res certa scienter affirmatur pro dubia: *nam* his modis & habetur intentio dicendi falsum saltem sub dubio, & contra mentem itur; adeoque in ipsis ratio formalis mentiendi continetur.

6 Mendacium ratione finis, ob quem committitur; dividi solet in Jocosum, Officiosum, & Perniciosum. Jocosum illud dicitur, quod causa voluptatis sive propriæ, sive alienæ fit absque alterius nocumento. Officiosum verò, quod causa boni utilis alicujus fit, vel ad removendum damnum ab illo, absque tamen nocumento proximi. Perniciosum denique, quod fit ut alteri noceat, sive de reliquo alicui profit, sive *non*: & hoc mendacium est contra honorem Dei, & bonum proximi: sic sunt *mendacia* commissa in materia Religionis, in Sacramento Pœnitentiæ, in juramentis, detractione, iniquis contractibus, & similibus.

7 Ratione signi dividitur mendacium in verbis, quod est revera mendacium propriè tale; & in factis, quod dicitur simulatio, seu mendacium in actionibus vitæ, quibus exteriùs significatur quid diversum ab eo, quod in animo sentitur. Sic mentiuntur, qui per externos motus declarant mœstitiam, dolorem, gaudium, compassionem, amicitiam, amorem, & his similia, quæ revera interiùs non habent. Ad simulationem spectat Hypocrisis, cujus est species: & quamvis significet simulationem alienæ personæ, ut fit in Theatris; in Scripturis tamen, & apud Sanctos Patres accipitur pro simulatione justitiæ, & Sanctitatis, quam in se non continet Hypocrita.

8 Jam verò omne mendacium esse peccatum, etiamsi fiat ad vitandum grave incommodum, vel obtinendum magnum bonum; est certissima sententia, quidquid in contrarium dixerint aliqui antiquiores, quos redarguit Div. Hieronymus, *Apolog. 1. contra Ruffinum*, Div. Augustinus *lib. de Mendacio cap. 5. & sequentibus*, Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. quos sequuntur omnes Doctores tum Scholastici, tum Morales. Consonant Scripturæ *Prov. 13. Verbum mendax justus detestabitur, & Capit. 30. Vanitatem, & verbum Mendacii longè fac à te. Ad Colossen. 3. Nolite mentiri invicem*. Ratio autem est, quia mendacium est intrinsecè malum, & hanc intrinsecam malitiam trahit ab usu signorum, quæ data, & instituta sunt à natura ad exprimendum judicium mentis, & mendax contra naturalem ipsorum institutionem, & contra dictamen naturæ utitur illis contra judicium mentis, itaut sit contradictio inter linguam, & mentem, nam quod una affirmat, altera negat; quod quidem turpe, & vituperabile est etiam per ipsum Aristotelem, qui hanc veritatem rectè percepit, quando *Ethicor. libr. 4. cavit. 7.* dixit: Per se autem mendacium quidem malum, & vituperabile est; Verum autem & honestum, & laudabile. Ad comprobandum etiam, quòd omne mendacium sit peccatum, accedunt incommoda, quæ ex eo sequuntur, nempe deceptio proximi, offensio socialis amicitiæ, & politicæ conversationis, quibus additur repugnantia cum propria concupiscentia, & ingeneratio falsæ opinionis in intellectum alterius, quæ omnia reddunt mendacium haud rectè appetibile in quocumque casu.

9 Ex dictis tamen *non* sequitur, omne mendacium esse peccatum lethale, cum Mendacium jocosum, aut officiosum, etiam à viro gravissimo prolatum, dummodo grave scandalum absit, & non confirmetur juramento; grave peccatum non sit: ratio est, quia nulli injuriam infert, nec ejus materia gravis censetur; adeoque veniale tantùm peccatum erit. Sic Doctores communiter.

10 Petes hìc 1. an possit dari ignorantia invincibilis respectu Mendacii jocosi, vel officiosi; itaut sic mentiens excusetur ab omni culpa? Resp. affirmativè: sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. Cajetanus *ibidem*, & alii apud Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 9.

11 Petes 2. an peccent mortaliter, qui frequenter mendacia jocosa, vel officiosa dicunt? Resp. negativè: nam cum ista mendacia, secluso scandalo, & juramento, ex suo genere venialia sint, etiam si multiplicentur, semper venialia erunt, nec ad mortale pertingere poterunt: ut docent Doctores superiùs citati.

12 Mendacium verò Perniciosum ex genere suo grave peccatum est: eo quia opponitur dilectioni Dei, & Proximi; & omne, quod opponitur dilectioni Dei, & proximi, ex se grave peccatum est, quamvis per accidens veniale fieri possit ratione levitatis materiæ, vel indeliberationis, & inadvertentiæ, ubi tamen levitas materiæ admitti potest, ut in parvo nocumento proximi, parva detractione, deceptione, & similibus. Sic Div. Thomas, Cajetanus, & alii *loc. cit.*

13 Hinc colligitur 1. Mendacium in rebus fidei, vel Scripturæ Sacræ grave peccatum esse, in quibus non datur parvitas materiæ: ut rectè adnotant Navarrus *in Man. cap.* 18. *n.* 4. Filliuccius *tract.* 40. *cap.* 2. *nu.* 40. & Bonac. *disp.* 10. *Decal. quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. cum sit in materia Religionis, & directè contra honorem Deo debitum. Non ideo tamen graviter peccat, qui citationes variat in numero Capitum, aut in Prophetis unum adducens pro alio: non enim mendacium committit in doctrina, sed in accidentibus ad doctrinam spectantibus: ut docent Navarrus *in Man. capit.* 18. *num.* 14. Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 6. Cajetanus 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. & alii.

Colligitur 2. grave peccatum esse nostram fidem falsis, ac fictis miraculis confirmare; sacras reliquias fingere; falsa, aut incerta miracula pro veris, & certis populo prædicare: ratio est, quia sic mentiens injuriam facit veritati miraculorum, & venerationi Sacrarum Reliquiarum, ac proximos in re gravi deciperet. Sic Bonacina *disput.* 10. *Decal. quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 7. cum aliis.

Colligitur 3. docentem falsa in medicina, aut aliis scientiis; quę ut talia extent in ejus opinione, ex quo sequi possint

possint gravia detrimenta proximis; graviter peccare : cum Mendacium adeo pernicioſum committat in damnum boni communis. Sic Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 6. & Filliuccius *tract.* 40. *cap.* 2. *num.* 40.

Colligitur 4. hypocritam fingentem ſanctitatem vitæ, ut facilius errores diſſeminet, aut incautos decipiat; vel ut largiores eleemoſynas, & pinguiora conſequatur beneficia, etiamſi illis dignus ſit; graviter peccare. Sicuti etiam graviter peccat pauper fingens probitatem vitæ, morbos, vulnera, plagas, ut majores percipiat eleemoſynas ſupra ſuam indigentiam, & ſuſtentationem ſibi convenientem : ratio eſt, quia ex mendacio ſic pernicioſo grave damnum ſequitur proximis, & graviter eos decipit. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 4. Navarrus *in Manual. cap.* 18. *n.* 8. Azor. 3. *par. lib.* 13. *capit.* 4. *dub.* 1. & 2. & alii quamplurimi.

14 Quæres : an Mulier mendax ſit, ſi bonis artibus, ac mediis licitis defectum ſuæ virginitatis tegat, utendo verbis amphybologicis, ut ſic poſſit Matrimonio conjungi? Reſp. negativè, ſi non intendat decipere virum : & ratio eſt, quia jus ſuum tuetur mediis licitis, nec tales defectus manifeſtari ſolent à contrahentibus Matrimonium, aliàs onus nimis grave ipſis imponeretur, maximè quia nemo tenetur prodere ſeipſum. Si tamen Maritus expreſſerit voluntatem ſuam non contrahendi cum illa, niſi Virgo fuerit; tunc mendax eſt, quia Maritum decipit, illique injuriam irrogat, ac damnum injuſtè infert contra ejus rationabilem voluntatem. Nec ipſa habere poteſt jus Matrimonium contrahendi cum gravi, & rationabili detrimento Viri. Sic Sanchez *lib.* 6. *de Matr. diſp.* 22. *numer.* 8. Navarrus *Cap. Inter verb. concl.* 1. *coroll.* 16. *numer.* 60. & Sotus *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 2. *art.* 3. & alii.

CAPUT II.

De Injuriis, quas in Judicio Judex committere poteſt.

1 *Quid ſit Judicium?*
2 *Ad Judicium ſtrictè acceptum tria requiruntur.*
3 *Authoritas in Judice adeo neceſſaria eſt, ut ipſa deficiente deficiat ſententia.*
4 *Uſurpatio Judicii ex genere ſuo grave peccatum eſt.*
5 *Quotuplex ſit Authoritas, ſeu Poteſtas, & Juriſdictio Judicantis?*
6 *Explicantur quatuor Caſus, in quibus habetur Uſurpatio Judicii.*
7 *Requiritur in Judice Certitudo in cognitione cauſæ.*
8 *An poſſit Judex ſecundum allegata, & probata ad mortem, vel mutilationem damnare, quem privata ſcientia ſcit eſſe innocentem?*
9 *An idem dicendum de Innocente in cauſis Criminalibus mutioribus, & in Cauſis Civilibus amiſſionis bonorum, Officii, Beneficii?*
10 *An Judex poſſit damnare aliquem, quem privata ſcientia nocentem ſcit, quamvis ex publico judicio conſtet eſſe innocentem?*
11 *An teneatur Judex ſequi ſcientiam publicam aliorum, omiſſa propria privata in collatione Officiorum, Diſpenſationum, & aliis electionibus, quæ arbitrio ipſius relinquuntur?*
12 *Requiritur in Judice Juſtitia in ipſo actu judicandi; & quid hæc importet?*

1 JUDICIUM quamvis largè acceptum poſſit ſignificare ſententiam intellectus veram, vel falſam, de quacumque reſit, prout ab apprehenſione diſtinguitur. Strictè tamen ſumptum ſignificat ſententiam Judicis exteriùs prolatam ſecundum determinationem juris, per eam ſiquidem definitur, quid cuique debeatur in controverſiis, & quæſtionibus juris, ſive ad contractus ſpectent, ſive ad delicta, vel ſimilia. Extenditur quoque judicium ad ſignificandam totam cauſæ diſcuſſionem præcedentem ad ſententiam.

2 Ad juſtum judicium ſtrictè acceptum tria requiruntur. Authoritas in judicante, Certitudo in cognitione cauſæ, & juſtitia in ipſo actu judicandi, quæ non ſolùm importat, ut ſervetur æqualitas in reddendo cuique jure ſuo; verùm etiam ut ſecundum Leges judicetur, & ſervato juris Ordine : quapropter his deficientibus graviter peccat judex proferens ſententiam, quia falſum judicat contra proximum, & contra octavum Decalogi Præceptum : ut habet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 60.

Requiritur ergo 1. in judice Authoritas, quæ explicatur per poteſtatem, & juriſdictionem : & adeo neceſſaria eſt hæc Authoritas, ut ſi ipſa deficiat in judice; ſententia lata nulla ſit, & gravem inferat injuriam. Quòd ſententia nulla ſit, probatur ex eo, quia eſt lex quædam particularis, & lex non poteſt validè ferri, niſi ab habente Authoritatem *ex Cap. Ut ſi Clerici, de Judiciis*. Quòd gravem inferat injuriam, probatur, quia facit contra jus Perſonarum judicandarum, ſi exemptæ ſint; aut cauſæ, ſi ipſa exempta ſit; & contra jus legitimi judicis, cujus Authoritatem ſibi uſurpat. Vide Divum Thomam *loco citato*. 3

Uſurpatio autem judicii, judicando videlicet eum, qui vel abſolutè ſubditus non eſt; vel ſi eſt ſubditus, non tamen in ea cauſa, in qua judicatur; ex genere ſuo grave peccatum eſt : eo quia ex communi ſenſu gravem irrogat injuriam tum partibus, tum legitimo judici, tum Authoritati publicæ, quam violat. Sic docet Leſſius *libr.* 2. *capit.* 29. *dub.* 6. *num.* 13. 4

Quæres hìc : quotuplex ſit Authoritas, ſeu Poteſtas, & juriſdictio judicantis, ratione cujus quis ſit alteri ſubjectus in judicio? Reſp. quadruplicem eſſe Ordinariam, Delegatam, Arbitrariam, & Acceſſoriam. Ordinaria illa dicitur, quam quis habet ratione Officii, vel Dignitatis, cui ex Jure, vel Conſuetudine, aut præſcriptione competit Authoritas, & Poteſtas judicandi : hanc habent Pontifex reſpectu omnium fidelium in rebus Spiritualibus; Epiſcopi reſpectu ſuorum Diœceſanorum; Reges, & Supremi Principes reſpectu ſuorum Civium in Temporalibus, & ſimiles : ſic Covarruvias 3. *Variar. cap.* 20. *numer.* 6. Azorius 3. *par. libr.* 13. *capit.* 13. referens Divum Thomam, & Sotum, Suarez *tom.* 5. *de Cenſur. diſput.* 2. *ſect.* 2. Delegata eſt illa, quæ competit alicui non ex Officio, vel Dignitate; ſed ex conceſſione, vel Commiſſione habentis poteſtatem Ordinariam : Arbitraria eſt illa, quæ ex conventione partium habetur, quando ſcilicet partes aliquem ſibi judicem conſtituunt ad litem componendam, ut evenit in Compromiſſo. Quod duobus modis effici poteſt : 1. ſtrictè eligendo illum judicem, ut judicem, ſeu verum Arbitrum; & tunc judicare debebit ſecundum jura, & ſervato ordine juris; & partes ſub mortali tenentur ſtare ſententiæ illius, & à Principe adſtringi poſſint ad ſtandum. 2. largè eligendo illum, ut Arbitratorem, ac amicabilem partium compoſitorem; & tunc judicare tenebitur ſecundum æquitatem juris naturalis; non ſervato juris Ordine; quamvis etiam partes teneantur obedire ejus ſententiæ. Et hoc eſt diſcrimen inter Arbitrum, & Arbitratorem, quamvis ſæpe confundantur. Sic Sylveſter *verb. Arbitr. qu.* 2. Sanch. *in Oper. Moral. libr.* 6. *capit.* 13. *numer.* 12. Acceſſoria denique illa eſt quæ accedit alicui aliunde, vel ratione delicti perpetrati in aliena Diœceſi, aut Territorio, ut conſtat *ex Cap. Poſtulaſti, de For. competen.* & *ex Leg. ult. ff. de Accuſat.* vel ex alio juſto titulo. Qui habet aliquam ex his recenſitis Authoritatibus & validè, & licitè judicat ſibi ſubditum. Secus verò qui nullam ex his habet, cum non recognoſcat ſibi ſubditum. 5

Ex dictis infertur 1. eſſe uſurpationem judicii, ſi quis vi, vel fraude extrahat ab Eccleſia, qui jam confugerit ad illam; ut ad mortem, vel mutilationem eum condemnet : cum jam exceptus ſit ab ejus poteſtate, & tenetur judex Eccleſiæ reſtituere, ut conſtat *ex Cap. Inter alia, de Immun. Eccleſ.* 6

Infertur 2. eſſe uſurpationem judicii, ſi judex judicium exerceat, aut ſententiam proferat in Eccleſia, cum in tali loco poteſtatem non habeat id faciendi; & quidquid geſtum eſt; irritum, ac nullum evadit : conſtat *ex Cap. Decet, §. Ordinarii, de Immun. Eccleſiar. in* 6.

Infertur 3. graviter peccare uſurpatione judicii, ultra Sacrilegium, & Excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini, judices ſæculares de Perſonis Eccleſiaſticis, vel

vel de rebus Spiritualibus, vel quasi Spiritualibus judicantes, cum exemptæ sint à Judicio sæculari tam in Civilibus, quàm in Criminalibus; non solum Jure humano, verùm etiam Divino. Vide Lessium *libr.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. & 4.

Infertur 4. Judicem excommunicatum vitandum graviter peccare usurpatione judicii judicando? caret enim omni authoritate, & ejus acta sunt irrita: ut constat nimis clarè *ex Cap. ad probandum, De Senten. & re judic.* Est autem vitandus, cum nominatim excommunicatur, aut est notorius Clerici percussor. Quòd si excomunicatus non vitandus sit, non peccat judicando, nec ejus acta irrita sunt post Concilium Constantiense: ut docent Navarrus, Sotus, Henriquez, D. Antoninus, quos refert, & sequitur Lessius *libr.* 2. *capit.* 29. *dubit.* 7. *à numer.* 56.

7 Requiritur 2. in Judice Certitudo in cognitione causæ, cum teneatur veritati adhærere juxta illud *Deuteron.* 17. *Venies ad Sacerdotem, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem.* Nec poterit Veritatem judicii judicare, nec unicuique suum tribuere; nisi certitudinem in cognitione causæ habeat, quamvis sufficiens sit certitudo moralis, quæ habetur secundum allegata, & probata, etiam si res aliter se habeat à parte rei: ut docent communiter Doctores.

8 Dubitabis 1. an Judex qui privata scientia scit, aliquem esse innocentem, quamvis ex publica scientia, & secundum allegata, & probata constet esse nocentem; possit illum ad mortem damnare? Resp. negative: ratio est, quia directè innocentem occidere est intrinsecè malum, & Juri naturæ, ac Divino repugnans; ergo non est ullo titulo cohonestabile: antecedens probatur quoad omnes partes, & quidem quòd sit intrinsecè malum, constat ex eo, quòd adimere vitam alicui absque authoritate per se malum est; sed Judex non habet authoritatem in vitam innocentis, cum soli Deo subjecta sit; ergo est intrinsecè malum. Quod repugnet Juri naturæ, probatur: quia ratio naturalis ideo dictat, debere Judicem sequi notitiam publicam secundum allegata, ne aberret à vero, & à justitia in judicando; ergo si ei est omnino evidens, quòd si secundum allegata, & probata judicet; judicium sit falsum, & aberret à vero, ac justo, judicando secundum allegata, & probata facit contra jus naturæ. Quod denique repugnet Juri Divino, patet ex illo *Exod.* 23. *Insontem, & Justum non occides.* Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 10. pro dignitate hac de re agens, qui refert Lyranum, Adrianum, Angelum, Navarram, Hostiensem, Calderinum, & Panormitanum. His adde Sà *verb. Judex*, Filliuccium *tract.* 29. *capit.* 2. *numer.* 32. Bonacinam *disputat.* 10. *Decal. quæst.* 2. *punt.* 2. *numer.* 2. Cardin. delugo *disput.* 37. *sectione* 4. Hinc fit, quòd teneatur in hoc casu Judex omnes vias, ac rationes inire quibus possit innocentem liberare, impediendo accusationes, examinando melius testes, extrahendo judicium, etiam aperiendo carcerem, ut fugiat, si absque incommodo, & scandalo id fieri possit. Et si his modis non possit innocenti favere, docet Cajetanus *quæst.* 67. *artic.* 2. quòd si Judex inferior sit, debeat remittere causam ad Superiorem Judicem, & se adhibere testem in favorem innocentis deposita Persona Judicis. Si tamen his modis non possit innocentem liberare, adhuc non poterit illum ad mortem damnare secundum allegata, & probata, etiam si Officium suum amittere debeat, vel vita privandus sit: cum sit intrinsecè malum, quod minimè faciendum est, ut eveniant bona. Sic Doctores superius citati, quibus omnino adhæreo: quamvis non negem D. Thomam, Salonium, Aragonium, Covarruviam, Reginaldum, Sayrum, & Valentiam relatos à Bonacina *loco citato*, putare, in hoc casu posse Judicem secundum allegata, & probata damnare ad Mortem: & quamvis venerer tantorum Authorum sententiam, à nostra tamen non puto discedendum.

Quod dictum est de pœna Mortis, extendunt etiam Doctores superius citati ad Mutilationem, cum militent eædem rationes: audiatur præ cæteris Raymundus *in sua Glossa*, relatus à Sylvestro *verb. Judex* 2. *quæst.* 5. sic dicens: debere Judicem potius omnia mala tolerare, quam condemnare talem ad Mortem, aut Mutilationem, etiam ad præceptum Superioris; vel exponere condemnandum. Et quod dictum est de Judice; extenditur à fortiori ad Ministrum Justitiæ, qui non poterit ullatenus executioni mandare sententiam Mortis, vel Mutilationis, quam certò scit esse injustam, & iniquam: cum intrinsecè malum sit occidere, aut Mutilare eum, quem certò scis innocentem esse; sicuti intrinsecè malum est, militare in bello, quod certò scis esse injustum, etiam urgente præcepto Principis. Secus tamen dicendum, si tantum esset dubius de ejus innocentia; tunc enim potiùs deberet Superiori credere, quàm sibi: ut docet Lessius *libr.* 2. *cap.* 29. *dub.* 10. *numer.* 83.

Dubitabis 2. an idem dicendum de Innocente, si 9
judicandum sit de eo extra periculum Vitæ, & Mutilationis; sed tantùm in causis criminalibus mitioribus exilii, carceris, pœnæ pecuniariæ; vel Civilibus amissionis bonorum, Officii, Beneficii &c.? Resp. quamvis Judex teneatur omni industria curare, ut falsitas detegatur, aut impediatur processus; nihilominus si id efficere, aut impedire nequeat; poterit juxta allegata, & probata sententiam proferre: ratio est, quia in his casibus habetur justa ratio privandi innocentem suis bonis, aut infligendi illi minores penas, quæ non habetur in occisione, aut mutilatione: nam Respublica in bonum publicum habet authoritatem disponendi de fortunis suorum Civium, easque de uno in alium transferre; ergo ne forma publicorum judiciorum pervertatur, ac impediatur cum magno incommodo Legum, & scandalo populi, nec adest ratio avertendi hoc incommodum ab innocente; poterit illum justa allegata, & probata condemnare. Conveniunt in hoc etiam Doctores, qui asserebant, in Mutilatione, & Occisione posse damnari innocentem juxta allegata, & probata; discrepant tantùm à negantibus Lyranus, Angelus, Panormitanus, & quidam alii putantes, non solùm hoc fieri non posse in Mutilatione, & occisione; verùm etiam in aliis causis Criminalibus Minoribus, & Civilibus: sed ut diximus, verius est contrarium. Vide Lessium *libr.* 2. *capit.* 29. *dubitat.* 10. *numer.* 84. Nec verum est, quod dicit Covarruvias *libr.* 1. *Var. capit.* 1. *numer.* 7. non posse scilicet assignari disparitatem inter Occisionem, & Mutilationem, ac inter cæteras causas Criminales Minores, & Civiles; adeoque si potest Judex juxta allegata, & probata in his judicare, poterit etiam *in illis*. Nam lata assignatur disparitas: eo quia licet Respublica habeat jus disponendi in bonis Civium, & in aliquibus pœnis mitioribus; nullatenus tamen habet jus disponendi de vita, & membris innocentium, quæ immediate soli Deo substant; adeoque rectè, & justè statuere poterit, ut servetur publica Judiciorum forma contra scientiam privatam *in causis* criminalibus mitioribus, & Civilibus: maximè quia damnum reparari potest, si tandem publicè elucescat veritas; non poterit tamen hoc statuere de vita, & membris contra privatam scientiam, cum damnum postea reparari non possit, si veritas publicè appareat.

Dubitabis 3. an Judex possit aliquem damnare, quem 10
ex privata scientia nocentem scit; quamvis ex publico judicio constet esse innocentem? Resp. si Judex inferior sit, omnes conveniunt, ei non licere: & ratio est, quia non potest dispensare in Legibus superioris ad ordinem Juris spectantibus: ordo autem Juris est, ut quis non condemnetur, nisi secundum allegata, & probata constet, esse nocentem juxta illud *Deuteron.* 17. *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur.* Imò neque hoc efficere poterit in aliis minoribus Legibus, quæ non sunt Juris Divini, sed humani tantum: cum non possit, ut dictum est, dispensare in Legibus Superioris. Vide Covarruviam *loco citato*. Si verò Judex superior sit, ac supremus Princeps, maior habetur difficultas, quia ejus scientia privata æquivalet publicæ: cum magis credendum sit ipsi, quam duobus, vel tribus testibus efficientibus scientiam publicam. Nihilominus ordinariè loquendo, & per se, non poterit reum ex sola sua scientia privata damnare, si crimen occultum sit, & publicè probari nequeat: ratio est quia jus defensionis propriæ, & probatio testium competit reo non solùm jure Gentium, ut sustinet Lessius *libr.* 2. *capit.* 29. *dub.* 11. *num.* 99. sed etiam jure naturæ ut ostendit Sayrus *libr.* 12. *capit.* 8. *num.*

num. 20. *ex Clement. Pastorali. de Sentent. & re judic.* ergo cum supremus Princeps non possit dispensare in iis, quæ ad jus naturæ spectant; non poterit absque peccato, & obligatione restituendi damnare reum ex privata scientia talem, quem ex publica constat esse innocentem, maxime quia, cum sit persona publica, juxta publicam scientiam damnare poterit, non vero privatam, cum non sit Judex occultorum, quæ Deo reservantur *ex can. Tua nos, de Simon. & aliis Sacris Canonibus*, Sic Navarra *lib. 2. cap. 3. num.* 122, Aragonius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Lessius *lib. 2. cap. 29. dub.* 11. *num* 94. qui refert Cajetanum, Navarrum, Sotum, & Divum Thomam contra Covarruviam, & alios. Imò Bonacina *disp.* 10, *Decal. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 5. referens Lessium, Sayrum, Navarrum, Navarram, & Cajetanum extendit hanc eamdem doctrinam contra eumdem Covarruviam ad condemnationem in bonis, ultra condemnationem ad mortem; eo quia eædem militant rationes.

De potentia vero extraordinaria poterit supremus Judex, ac Princeps in aliquibus casibus sine citatione, defensione, & processu juridico morti tradere reum, Et 1. si crimen publicum sit, & notorium: sic latrones in notorio crimine capti statim suspenduntur; cum ipsa publicitas facti notorii valeat pro accusatore, & testibus, absque eo quod relinquat reo jus defensionis in judicio; ut docent Navar. *in man. cap.* 25. *num.* 10. Lessius, Sayrus & Bonacina *loc. cit.* 2. si sit periculum rebellionis, vel alterius gravis damni in Republica, maxime si reus esset valde potens, quamvis privatim discutienda esset ejus causa, nisi esset omnino evidens, & nulla tergiversatione excusabilis. Sic Navarrus, Lessius, & Bonacina *loc. cit.* sic etiam Sylvester *verb. homicidium.* 1. *quæst.* 1. referens Archidiaconum. 3. si crimen soli Principi notum sit, & tribus aliis, itaut plene probari possit in judicio, sed non expedit, ut probetur ex justis causis; ut si reus Reginam aggressus fuerit, vel morte plectendus sit Filius Principis ob atrox delictum, qui publice absque gravi scandalo occidi nequeat; tunc enim privatim occidi poterit; nam si crimen est sic evidens, ut de facili in judicio probari possit; non habet reus jus aliquod ad justam defensionem in judicio. Sic Navarra *lib. 2. cap. 3. num.* 192. Aragonius 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2, Covarruvias *lib. 1, var, c 1, num.* 3. Lessius *lib. 2. cap. 29. dub.* 11. *num.* 101.

11 Dubitabis 4. an teneatur Judex sequi scientiam publicam aliorum, omissa propria privata in collatione Officiorum, Dispensationum, & in aliis electionibus, quæ ipsius arbitrio relinquuntur? Resp. negative: ratio est, quia in his, & similibus non est proprie judex, sed Dispensator: & quamvis Judex teneatur scientiam publicam sequi ex suo officio, non sic tamen dispensator, cujus proprium est Officia pro meritis dispensare: merita autem non ex testibus, sed ex ipsa re, quæ potest judici innotescere, & non testibus, comprobanda sunt. Sic Salon 2. 2. *quæstion.* 67. *art.* 2. Sylvester *verb. Judex*, 2. *quæst.* 5. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 18. & alii.

12 Requiritur 3. in Judice Justitia in ipso actu judicandi, quæ non solum importat, ut actus procedat ex intentione justitiæ, & non ob alium pravum finem, ob vindictam scilicet, odium, jactantiam &c. verum etiam ut servetur æqualitas, reddendo scilicet utrique jus suum secundum statuta Legis, & juris ordine servato; ut communiter tradunt Doctores.

Hinc infertur 1. necessariam esse in judice scientiam, qua sciat suo munere recte fungi: cum teneatur quilibet scire ea quæ ad suum munus recte obeundum necessaria sunt, & sine quibus illud exercere non potest. Quapropter graviter peccat judex suscipiens Officium judicandi, quod digne exercere nequit, ita ut probabile sit periculum, quod notabile damnum sequatur proximis. Sic Navarrus *in man. cap.* 25. *num.* 12. imò si ex imperitia notabili male judicet; tenebitur resarcire interesse parti læsæ, ac expensas litis, quas pars læsa passa est ob culpabilem ignorantiam Judicis: ut docet Bonacina *disputat.* 10. *Decal. quæst.* 2. *pun.* 3. *num* 1. *ex Instit. de Obligationibus*. Addit Divus Thomas 2. 2. *quæstion.* 76. *art.* 2. cum Cajetano, Sayro, Reginaldo, Navarro apud Bonacinam *loc. cit.* non posse absolvi, nisi facta renunciatione Officii, aut saltem habeat firmum propositum renuntiandi: cum non possit retinere Officium, cujus dubia resolvere nequit.

Infertur 2. non solum obligari judicem ad causas judicandas, verum etiam ad eas celeriter expediendas, ut constat *ex Leg. Properandum, Cod. de Judiciis*: & ratio est, quia cum teneatur ex officio cuique jus suum tribuere, si differt sine justa causa; utique non tribuit, ergo & peccat differendo notabiliter sine justa causa contra proprium Officium, & contra jus alterius; & tenetur ad resarcienda damna parti læsæ, ac expensas ob injustam dilationem factas. Sic Sylvester *verb. Judex* 1. *quæst.* 12. Sayrus *cap.* 12. *numer.* 8. Navarrus *in man. capit.* 25. *numer.* 14. & alii.

CAPUT III.

De Injuriis Judicis contra Formam Juris.

1 *Judex ut juste judicet, debet servare Formam Juris. Et quid hæc importet.*
2 *An Judex judicare debeat secundum verba Legis?*
3 *Judex inferior non potest relaxare pœnam à jure taxatam ordinarie loquendo. Judex vero supremus dispensare poterit justa causa concurrente.*
4 *An Sententia injuste lata obliget in conscientia?*
5 *An sententia injusta, quæ fundatur in falsa præsumptione facti sicuti non obligat in foro conscientiæ pro rebus Privatorum; ita etiam non obliget pro beneficiis Ecclesiasticis, aut publicis Officiis?*
6 *Judex non solum debet servare formam Juris in proferendo sententiam, sed etiam in modo procedendi contra crimina.*
7 *Quando juridice procedit Judex via Accusationis?*
8 *Quando juridice procedit Judex via Denunciationis Judicialis?*
9 *Quando juridice procedit Judex via Inquisitionis?*
10 *Non requiritur prævia infamia, vel Accusator, aut Denunciator; si Judex procedat via Inquisitionis Generalis.*
11 *Judex, ut via specialis Inquisitionis procedat juxta formam Juris ob pœnam infligendam delinquenti; requiritur prævia infamia, aut clamorosa Insinuatio.*
12 *Quid sint Infamia, Clamorosa Insinuatio, Indicia, & Semiplena Probatio?*
13 *An sufficiant Indicia manifesta, aut semiplena probatio ad specialem Inquisitionem statuendam?*
14 *Quomodo procedere debeat Judex juxta formam juris, si via Inquisitionis mixtæ procedat?*
15 *An Prælati Regulares specialiter inquirere possint de delictis suorum Subditorum absque prævia infamia?*
16 *An Judex interrogare possit reum, jam suum crimen confessum, de criminibus Sociorum?*
17 *Quid sit licitum Judici circa Torturam? Et quænam in hac re advertenda sunt?*
18 *Quænam semiprobatio plena, & quænam Indicia sufficientia sint ad reum legitimè subjiciendum Torturæ?*
19 *Quænam munera licite accipi possint à judice?*

JUDEX tenetur servare formam juris, ut cum justitia judicet juxta ea, quæ, diximus. Jam vero Forma Juris duo importat, & modum ferendi sententiam, & modum procedendi. Quod spectat ad modum ferendi sententiam, debet eam proferre juxta dispositiones Legis, & juris; ut constat *ex c. 1, de Sentent. & re judic.* eo quia cum sententia sit declaratio Legis, & juris in casibus particularibus ut revera juridica sit; debet secundum dispositionem Legis, & juris ferri. 1

Hinc dubitabis 1. an debeat judex judicare secundum verba Legis? Resp. judicem inferiorem secundum verba Legis judicare debere per se loquendo: quia subditus adstrictus est Legibus superioris, nec potest in illis dispensare; ergo tenetur secundum verba legis judicare. Idem dicendum de judice superiori; non quia adstringatur, & subditus sit legibus quoad vim coercitivam, par enim imperium non habet in parem; sed solum quoad vim directivam; ratio enim naturalis dictat, ut caput suis membris conformetur; adeoq; naturalis æquitas requirit, ut secundum verba legis judicet, quando ex ipsis nulla sequitur iniquitas, & injustitia, 2

Sic

Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 5. Aragonius, & Salonius *cod. loc.* Valentia 2. 2. *tom.* 3. *disp.* 5. *pun.* 2. Reginaldus *lib.* 25. *cap.* 54. *num.* 641. Sayrus *l.b.* 12. *cap.* 9. *num.* 3. Dictum est, per se loquendo, nam extraordinariè, & per accidens licitè sententia ferri potest, non stando verbis legis: ut si aliquæ circumstantiæ adessent loci, temporis, personæ, & similium quæ exposcerent in bonum Reipublicæ non judicandum esse secundum verba Legis, & ita sentiret ipse Judex; tunc per Epykejam casus reputaretur exemptus à verbis Legis: cum hoc tamen quod Judex inferior, si possit, & periculum non sit in mora, debeat Superiorem consulere. Sic D. Thomas, & Doctores cum eo citati.

3 Ex doctrina tradita aperte colligitur: nullum Judicem inferiorem posse relaxare pœnam à Jure taxatam, per se, & ordinariè loquendo; præsertim si pars læsa, vel accusator, aut alius actor non consentiant; faceret enim illis injuriam, habent siquidem jus petendi satisfactionem à Lege taxatam; faceret quoque injuriam ipsi Legi, & bono communi; ob quod Lex lata fuit. Quòd si pars læsa, & accusator consentiant, & circumstantiæ loci, temporis, & personarum exposcant in bonum commune pœnæ diminutionem, non verò totalem relaxationem; tunc poterit Judex inferior, si facilis aditus non pateat ad Superiorem; extraordinariè, & per Epykejam pœnam diminuere à Lege taxatam: ut ex Farinacio, Menochio, Reginaldo, Sayro, & Molina colligit Bonacina *in Decal. disp.* 10. *quæst.* 2. *pun.* 7. *n.* 4. Poterit quoque Judex inferior pœnam arbitrariam, seu Judicis arbitrio commissam à Lege minuere, vel augere intra limites æquitatis pro circumstantiis Temporum, Locorum, & Personarum, habito semper respectu, si injungatur ob bonum publicum, vel in satisfactionem partis læsæ tantùm: nim si bonum publicum illam exigat, n n poterit absolutè remittere, alioquin fieret ei injuria. Si verò bonum partis tantùm illam exigat, & cedit juri suo; poterit absolutè remittere, quia nulli fieret injuria. Vide Bonacinam *l. c. n.* 1. Judex verò supremus non solùm in pœnis arbitrariis, verùm etiam in taxatis à Lege dispensare poterit justa concurrente causa, & sic expostulante bono communi, dummodo resarciatur damnum, si quid obvenit parti læsæ, etiamsi ipsa non consentiat: ratio est, quia Judex Supremus plenariam habet potestatem dispensandi in Jure Communi justa causa interveniente; nec bonum privatum partis læsæ prævalet bono communi, adeoque non esset rationabiliter invita. Nequit tamen dispensare in restauratione damni illati parti læsæ, quia est ex jure naturæ, nisi adsit legitima causa privandi illam bonis suis. Vide Bonacinam *loc. cit. num.* 3.

4 Dubitabis 2. an sententia injustè lata obliget in conscientia? Resp. tripliciter sententiam injustè proferri posse à Judice 1. si eam ex odio, prava intentione, vel ob favorem partis proferat. 2. si eam ferat non servato ordine à Jure præscripto; ut si non judicaret secundum allegata, & probata; vel alio modo ab eo, qui in Jure disponitur. 3. si eam proferat contra veritatem facti, & fundatur in dictis Testium falsum deponentium. Si sententia primo modo injusta sit; obligat in utroque foro, esto peccet Judex eam sic proferendo: ratio est, quia nihil ipsi deest, cur non obliget in utroque foro; non enim deficit Authoritas in Judice, non alteri damnum infertur, servatur forma Juris; ergo habet omnia, ut inducat obligationem in utroque foro. Si secundo modo injusta sit, non obligat pro utroque foro: & ratio est, quia est invalida, cum non sit conformis Juri, nec tribuit unicuique jus suum; & sicuti Lex injusta non obligat, sic etiam & sententia injusta, cum sit Lex quædam particularis; obligare nequibit. Si denique injusta sit tertio modo, quamvis non obliget in foro conscientiæ, obligat tamen pro foro externo tantùm. Et quòd non obliget pro foro conscientiæ, probatur ex eo, quia cum sententia sit actus Justitiæ, obligare non poterit contra finem intentum ab ipsa Justitia, qui est unicuique tribuere, quod suum est, non verò spoliare illum rebus suis, & alteri tradere, etiamsi sententia lata fuerit secundum allegata, & probata. Quòd autem obliget pro foro externo probatur, quia in foro externo non tam attenditur ad veritatem facti, quàm ut probatio procedat secundum allegata, & secundum Juris Ordinem ut juridica sit: supponimus autem bonam fidem in Judice, & quòd sententia lata sit materialiter injusta & falsitas refundatur in Testes, non verò in Judicem; nam si esset formaliter injusta, quòd videlicet Judex absque bona fide judicaret, & falsitas refunditur in ipsum; tunc sententia sic injustè lata nec pro foro externo obligabit, cum Judicium iniquum non sit verum Judicium ex Bonacina *disp.* 10. *in Decal. quæst.* 2. *pun.* 4. *à num.* 3.

Dubitabis 3. an sententia injusta, quæ fundatur 5
in falsa præsumptione facti, sicuti non obligat in foro conscientiæ pro rebus Privatorum; ita etiam non obliget pro beneficiis Ecclesiasticis, aut pro publicis Officiis? Resp. si sententia lata privativa sit quia videlicet privat beneficio, vel Officio ob crimen commissum, vel appositum; dummodo materialiter tantùm injusta sit, & procedit cum bona fide Judicis secundum allegata, & probata; obligat pro utroque foro: ratio est, quia cum hæc sint bona publica, poterit cum majore libertate de illis disponere Ecclesia, vel Respublica, quàm de bonis privatorum; adeoque ob bonum Ecclesiæ, vel Reipublicæ, earumque rectam gubernationem poterit Officium, vel Beneficium ex uno in alterum transferri absque injuria. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 10. *n.* 84. referens Panormitanum, Sotum, & Innocentium. Sic etiam Bonacina *disp.* 10 *Decal. quæst.* 2. *pun.* 4. *num.* 9. referens Sayrum, Salonium, Aragonium, & Valentiam. Si verò sententia lata declarativa sit, hoc est declaret ex duobus litigantibus Beneficium, vel Officium uni potiùs competere, quàm alteri, etiamsi materialiter tantùm injusta sit; non habet vim obligandi pro foro conscientiæ, nec poterit Jus conferre alteri, in cujus favorem lata est: eo quia sententia injusta declarativa etiam cum bona fide Judicis solùm declarat obscuritatem Jurium, non tamen tribuit titulum, aut jus; ergo si non confert jus, obligare nequibit in conscientia; nec ille, cui beneficium, vel Officium adjudicatum est, poterit tuta conscientia retinere, si conscius fiat illius materialis injustitiæ. Sic probabiliùs Sotus *de Just. lib.* 3. *quæst.* 4. *art.* 5. Angelus *verb. Sententia num.* 8. Bonacina *l. c. num.* 10. referens Innocentium, Panormitanum, & alios. Quamvis oppositum probabiliter doceant Sayrus, Barnez, Salon, Valent. & alii.

Non solùm Judex debet servare Formam Juris in 6
modo proferendi sententiam, ne injustitiam committat; verùm etiam in modo procedendi adversus crimina. Quia verò tribus modis procedere potest contra criminosos, via scilicet Accusationis, Denuntiationis, aut Inquisitionis; ideo injustitias, quæ in his tribus modis committi possunt, declarabimus.

Via Accusationis tunc juridicè procedit Judex, quan- 7
do declarata accusatione ab actore, qui spondet, se probaturum objecta; interrogat priùs, ac examinat Testes, & habita saltem semiplena probatione procedit dein ad interrogandum reum: ratio est, quia minùs requiritur ad interrogandum reum, quàm ad condemnandum illum; ergo si ad condemnandum illum sufficit plena probatio per duos, aut tres Testes omni exceptione majores; ad interrogandum illum sufficiet semiplena probatio per similes Testes. Sic Sà *verb. Iudex num.* 1. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 27. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 11. *pun.* 3. & Bonacina *in Decal. disp.* 10. *quæst.* 2. *pun.* 6. *n.* 1.

Notandum tamen hic: Judicem non semper procedere via Accusationis strictè acceptæ, sed frequenter per Querelam; quæ duplici modo fieri potest, quando scilicet Actor deponit Querelam penes Judicem adducendo Testes; & tunc Judex posita Querela procedit ad capiendas informationes, & examinandos Testes ab actore nominatos; & dein procedit ad reum interrogandum. Vel quando quis defert apud Judicem crimen ab altero commissum, qui postea procedit ex Officio ad informationes capiendas, & examinandos informatos de crimine; qui si deponant contra reum, legitimè procedit ad reum interrogandum, & tenetur respondere Judici interroganti. Sic Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 25. *dub.* 3. Julius Clarus *lib.* 5. *quæst.* 9. & Bonac. *in Decal. disp.* 10. *quæst.* 2. *pun.* 6. *n.* 3.

Via Denunciationis Judicialis, quæ scilicet fit Supe- 8
riori tamquam Judici ad differentiam Denunciationis evangelicæ ad emendationem proximi, quæ fit Superiori tamquam Patri; tunc juridicè dicitur procedere Judex,

dex, quando delato crimine à denuntiante, qui non vult ſuſcipere onus probandi objecta; procedit ad capiendas informationes ex Officio, & examinandos Teſtes, vel à denunciante nominatos, vel alios, quos reperit de crimine informatos; & poſtea legitime examinat, ac interrogat reum; ut ex conſueta praxi docent Azor. *loc. cit.* Julius Clarus *loc. cit. quæſt.* 7. & Bonacina *loc. cit. num.* 4.

9 Via Inquiſitionis procedit Judex, quando ex Officio procedit vel ad inveſtigandum authorem alicujus ſceleris commiſſi, vel ad purgandam Provinciam ſibi commiſſam, illamque reformandam. Jam verò triplex eſſe poteſt, Inquiſitio Generalis videlicet, quando in genere quæritur de perſonis in communi crimen in communi, an ſubditi Leges ſervent, an ſint aliqui, qui crimen aliquod commiſerint. Specialis quando de certa perſona quæritur certum crimen, an Cajus occiderit Titium. Mixta denique, quando Generalis miſcetur cum ſpeciali; ut ſi de incerta perſona quæratur certum crimen. e. g. ſi quæratur, quis nam occiderit Petrum, qui ex occiſione repertus eſt mortuus; vel de certa perſona quæratur incertum crimen. e. g. ſi de Cajo quæratur, quæ nam flagitia commiſerit. Vide Julium Clarum *in Pract. quæſt.* 5. & Farinacium *in Pract. Crimin. quæſt.* 1. *n.* 4.

10 Si via Inquiſitionis Generalis procedat judex, ad hoc ut juridice agat juxta Formam juris, non requiritur prævia infamia, vel Accuſator, aut Denunciator: ratio eſt, quia talis inquiſitio eſt valde neceſſaria ad bonum commune ut vitia extirpentur in Republica, ac mores reformentur; nec ulli fit injuria, cum de nemine in particulari fiat inquiſitio; ergo ex ſolo ſuo Officio abſque prævia infamia, aut accuſatore vel denunciatore poterit eam inſtituere judex, & defacto præcipitur in jure Prælatis Eccleſiaſticis, & ſuperioribus, ut inquiſitiones Generales inſtituant in ſuis viſitationibus: ut conſtat *ex cap. Perniciosam, de Offic. judic. Ordin.* & eſt communis ſententia Doctorum teſte Leſſio *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 13. *num.* 108. & videri poſſunt penes Bonacinam *diſp.* 10. *Decal. quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 7.

Advertendum tamen hic: quod poteſtas judicis via generalis Inquiſitionis procedentis non ſe extendit ad crimina occulta de quibus nulla infamia præceſſit: quapropter interrogatus à judice ſic procedente, aut etiam compulſus per cenſuras ad crimina occulta manifeſtanda abſque prævia infamia; aut etiam ſub juramento rogatus; non poterit tales criminoſos occultos manifeſtare, imò peccat contra juſtitiam ſi manifeſtet. Idem dicendum, ſi crimen nullo modo probari poſſit, nec aliud ſequeretur ex revelatione, quam ſola infamia; aperte enim contra juſtitiam peccaret, cum nullum jus habeat revelandi. Eſt communis Sententia Doctorum teſte Leſſio *loc. cit. num.* 110.

Duo tamen Caſus excipiuntur, in quibus licitum eſt revelare crimen occultum ſine prævia infamia judici. 1. ſi revelatio non tam in pœnam, quam in emendationem ipſius criminoſi intendatur, quamvis tunc, ut bene advertit Leſſius *loc. cit. num.* 112. fieri debeat judici tamquam Patri, ut ſua authoritate, & paterna prudentia corripiat. 2. quando aliquod malum ſpirituale, vel temporale imminet bono Communi, & maxime Religionis: quapropter jure præcipitur, ut Inquiſitoribus S Officii occulta crimina detegantur, etiam ſi diffamata non fuerint, nec probari poſſint: ut eſt communis Sententia.

Colligitur ergo ex dictis: Generalem Inquiſitionem non eſſe inſtitutam ad manifeſtandum occultum crimen, aut occultum delinquentem ſine prævia infamia. Quapropter debet eſſe cautus interrogatus, ut manifeſtet ea, quæ manifeſtare poſſit in tali inquiſitione, nempe crimina publica vel ea, quorum authores laborant infamia de illis, exceptis duobus caſibus ſuperius dictis. Non tenetur tamen judex admonere eum, quem interrogat per generalem Inquiſitionem, ne revelet ea quæ occulta ſunt, nec diffamata; quia utitur jure ſuo interrogando ex Officio; & per accidens eſt, ſi interrogatus parum cautus revelet ea, quæ revelanda non ſunt; alias Judex eſſet ſuſpectus ipſi interrogato corruptelæ, & favoris erga criminoſos. Sic Navarrus *in Rubric. de judiciis, num* 87. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 14. *n.* 115. Filliuccius *tract.* 40. *c.* 6. *qu.* 9. *n.* 188. & Bonacina *diſp.* 10. *Decal. quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 8.

11 Si via ſpecialis Inquiſitionis proceditur ordinata ad pœnam infligendam delinquenti, ut judex juxta formam juris procedat, requiritur prævia infamia, aut clamoroſa inſinuatio, quæ infamiæ æquivalet: ratio eſt, quia judex ad criminum punitionem procedens debet ex ſcientia publica procedere; ſed ſcientia publica habetur vel per infamiam, aut clamoroſam inſinuationem, aut per accuſationem, vel per confeſſionem ipſius rei in judicio, aut per evidentiam facti in conſpectu judicis, & aliorum; ergo ſi aliquod ex his non habetur, non poterit juxta Formam juris procedere ad ſpecialem inquiſitionem ob pœnam infligendam. Confirmatur, quia judex ut ad ſpecialem inquiſitionem procedat requiritur accuſator vel formalis, vel ſaltem virtualis; ſed virtualis accuſator eſt infamia, vel clamoroſa Inſinuatio; ergo ſine his non poterit ad pœnam infligendam ſpecialiter inquirere. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 3. Azor. Sayrus, Reginaldus, Valentia relati à Bonacina *diſp.* 10. *in Decal. quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 10. ſi vero ſpecialis Inquiſitio inſtituatur non ad pœnam infligendam, ſed ad impediendum malum, quod poſſet evenire in conferendis beneficiis, in electionibus, in diſpenſationibus votorum, in matrimoniis celebrandis, & ſimilibus; licitum erit ſpecialiter inquirere de perſonis particularibus abſque prævia infamia, vel clamoroſa inſinuatione: ratio eſt, quia tenetur judex ex ſuo Officio præcavere, ne beneficia, vel officia conferantur indignis, & ne cum impedimentis contrahantur matrimonia; alioquin bonum commune rueret, & omnia plena forent inceſtibus, nefariis conjugiis, ac pravis, & ineptis rerum Eccleſiaſticarum, vel Civilium miniſtris. Idem dicendum, ſi Inquiſitio ſpecialis fiat ad impediendum malum futurum publicum, maxime animarum, ut eſſet hæreſis, Apoſtaſia, crimen læſæ majeſtatis, & ſimilia, vel eorum occaſiones tollendas; tunc enim non requiritur prævia infamia vel clamoroſa Inſinuatio: quia cum hæc crimina valde perniciosa ſint Reipublicæ bonum privatum cujuſque cedere debet bono communi ipſius Reipublicæ. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 15. *num.* 122. referens Navarrum. Sic etiam Valentia, Sayrus, Avila, & Salon, relati à Bonacina *diſp.* 10. *in Decal. quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 15. Adnotant hi Doctores; quod ſicuti cavere debet interrogatus, ne talia crimina alteri aperiat, niſi ſoli judici, & quidem ſecreto; ita etiam judex inquirens cavere debet, ne aliis detegantur, quibus non eſt neceſſe detegere, ut ſic quantum fieri poſſit famæ alterius conſulatur.

12 Quæres hìc 1. quid ſit Infamia, Clamoroſa Inſinuatio, Indicia, & ſemiplena probatio? Reſp. Infamiam ſic communiter deſcribi: eſt vox bonorum, & proborum virorum, & quidem frequens, quæ hominem de tali crimine ſuſpectum reddit rationabiliter. Quapropter ad infamiam maxime in judicio requiſitam neceſſe eſt, ut vox, & opinio de tali crimine ſit virorum proborum, & non diſcolorum, aut temere loquentium, ut ſolent eſſe gentes infamæ notæ; inſuper debet eſſe frequens; nam ſi ſemel, aut bis vox, & opinio de tali crimine ſit penes probos; non ſufficit ad infamiam judicialem, quæ reddat rationabiliter ſuſpectum. Sic Sayrus *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 12. Avila 2. *par. de Cenſ. cap.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 2. Sanchez *lib.* 2. *de Matr. diſp.* 46. *numer.* 16. & Bonacina alios referens *loc. cit. pun.* 5. *n.* 4.

Sed petes: quot viri probi requirantur ad infamiam? Reſp. communiter requiri, ut talis vox, & opinio ſit majoris partis Civitatis, vel Parochiæ, aut ſaltem viciniæ. Sic Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 152. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 15. *num.* 123. referens Sotum, & Cajetanum; quamvis aliqui doctores putent, ſufficere decem; alii vero cum Salonio, Sayro, Molina, Avila, & aliis relatis à Bonacina *de Cenſ. quæſt.* 2. *pun.* 1. *§.* 1. *num.* 5. putant, relinquendum hoc eſſe judicio prudentis viri, cum nil de hoc numero expreſſum habeatur in jure. Vide Farinacium *de Indiciis quæſt.* 47. *num.* 302.

Clamoroſa Inſinuatio eſt publicus rumor inter multos, vel vox totius populi extra judicium de tali crimine. Sic Navarrus *cap. inter verba, quæſt.* 3. *concl.* 6. *num.* 697. & Salon 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 2.

13 Indicia ſunt ſigna quædam, & circumſtantia, ex quibus prudenter & rationabiliter judicatur de actionibus aliorum. Et ex his autem ſignis alia ſunt levia, alia gravia, alia deniq; indubitata, ſeu graviſſima. Vide Jul. Clar. *lib.* 5. *q.* 21.

Semiplena probatio eſt dictum unius teſtis oculati, vel fide digniſſimi deponentis cum juramento, ſe vidiſſe, vel audiviſſe tale crimen; & hic teſtis ſolet dici omni exceptione major. Vide Cardinalem Tuſcum *tom.* 8. *concl.* 282.

Quæres 2. an ad ſpecialem Inquiſitionem inſtituendam 13

ſuffi-

sufficiant indicia manifesta, vel semiplena probatio? Resp. nisi extet specialis consuetudo loci legitimè introducta; non esse ex se sufficientia: ratio est, quia requiritur infamia, vel clamorosa Insinuatio, ergo his deficientibus nequibit procedi ad specialem Inquisitionem, ut patet *ex Cap. Inquisitionis de Accusat.* ubi dicitur: quòd duo, vel tres Testes omni exceptione Majores non sufficiunt ad specialem Inquisitionem; quapropter multo minùs sufficient indicia manifesta, vel semiplena probatio, quæ sunt minoris activitatis, & efficaciæ in probando. Sic Navarrus, Sotus, Sayrus, Valentia, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 10. *in Decal. quæst.* 2. *pun.* 5. *num.* 12. Sic etiam Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 15. *n.* 131. qui testatur, esse communem sententiam Theologorum, & Canonistarum. Non nego tamen, ut dixi, quòd sit permittenda consuetudo, ubi habetur, procedendi ad specialem Inquisitionem ex indiciis manifestis, vel denunciatione publici Officialis, vel ad querelam partis offensæ non suscipientis in se onus probandi, ut rectè ostendit idem Lessius *l. c. n.* 132. & approbant hanc praxim Sà, Navarra, Azor. Molina, Julius Clarus, & alii penes Bonacinam *l. c.*

Notandum hic 1. Judicem procedentem ad Inquisitionem specialem ob infamiam teneri priùs illam examinare, & probare saltem per duos testes, qui nominent personas illas, à quibus publicè id audierint: ut docent Navarrus *in Rubricis de Iudiciis*, & Trullench *lib.* 8. *cap.* 1. *disp.* 17. Notandum 2. non posse Judicem interrogare aliquem infamatum de uno crimine de alio, de quo non est infamatus: sic enim esset inquisitio specialis de hoc secundo absque prævia infamia, quod licitè fieri nequit: ut docent Salon, Cajetanus, & Trullench eos referens *lib.* 8. *cap.* 1. *disp.* 18. dummodo tamen crimina illa non sint inter se connexa, vel unum sit circumstantia alterius, ut cum citatis Doctoribus docet Sanchez 2. *par. Consil. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *disp.* 21.

14 Si via Inquisitionis Mixtæ procedat Judex, qua de crimine certo, & noto inquirit authorem occultum, & incertum; ut juridicè juxta formam Juris procedat, debet generaliter inquirere authorem, non verò specialiter, nisi præcesserit infamia, vel semiplena probatio, aut accusatio: ut docent Molina, Sayrus, Salon, Aragonius, Bannez, Valentia, & Reginaldus relati à Bonacina *disp.* 10. *Decal. quæst.* 2. *pun.* 5. *n.* 14. contra Sotum. Si verò Inquisitio Mixta sit specialiter de persona, & generaliter de crimine; ut si inquiratur de Titio, quodnam crimen commiserit; ad hoc ut juxta formam Juris eam instituat Judex; debet præcedere infamia, aut accusatio, vel semiplena probatio, aut saltem manifesta Indicia juxta consuetudinem locorum juxta ea, quæ superius diximus numero præcedente.

15 Quæres 3. an Prælati Regulares specialiter inquirere possint de delictis suorum subditorum absque prævia infamia? Resp. si delicta gravia sint, non posse specialiter inquirere contra aliquem, nisi infamia præcesserit, vel saltem manifesta indicia habeantur, cum militet eadem ratio superiùs allata pro reliquis; nisi fortè Regulares illi cesserint Juri suo in gravibus cognitis extra confessionem, ut est in Societate Jesu. Si verò de levibus agatur, non requiritur prævia infamia, nec modus supra præscriptus: quia passim censentur cedere juri suo Regulares in levibus: sic docet Salon ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 3. cum aliis communiter.

16 Quæres 4. an Judex possit interrogare reum, qui jam suum crimen confessus est, de criminibus Sociorum? Resp. si ipsorum crimen est occultum, & non est de illis, quæ etiamsi occulta sint, manifestari debeant; non posse reum revelare crimina Sociorum, nec posse Judicem interrogare: cum nec Judex habeat hanc facultatem interrogandi specialiter, nec reus possit absque infamia crimina sociorum revelare. Nisi tamen constet ex alterius mandato crimen commisisse, tunc enim interrogari poterit de Mandante, vel nisi crimen sit ejus rationis, ut sine complice committi nequeat, ut sunt Adulteria, Sodomiæ; aut denique non sint crimina bono publico valde nociva in quibus ex reo fatente suum crimen Socii; ac complices inquirendi sint, ut fit cum latronibus, & grassatoribus viarum, falsificantibus monetas, & cum committentibus crimina *læsæ Majestatis Divinæ*, vel Humanæ. Sic Azor. Sayrus, Lessius, Sotus, Navarrus, & Julius Clarus penes Bonacinam *disp.* 10. *Decal. quæst.* 2. *pun.* 5. *n.* 17.

Quæres 5. quid liceat Judici circa Torturam? Resp. 17
Torturam non esse institutam in pœnam delicti commissi, sed potiùs in subsidium probationis: nam puniri nequit delictum, quod plene probatum non sit. Adhiberi ergo tunc poterit Tortura à Judice, quando crimen est semiprobatum, vel quando vehementia indicia habentur, ut fere moraliter sit certum, torquendum esse authorem criminis, ut accedente postea ejus confessione veritatis, suppleatur, quod requiritur ad plenam probationem. Sic Covarr. *pract. Quæst. quæst.* 23. & Julius Clarus *quæst.* 64. *n.* 6. ex communi Doctorum sententia: ratio autem est, cur adhiberi possit in tali casu ad confessionem, quia alias impunè, & audacter improbi scelera committerent, ac damna aliis inferrent; nisi scirent, uno teste, vel indiciis posse torturæ subjici; sic enim se continent, & à maleficiis abstinent; & sic consentaneum videtur rationi naturali, ac bono Reipublicæ valde necessarium. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17 *n.* 151.

Advertendum 1. peccare graviter Judicem, si antequam ad Torturam deveniat; non tentet alia mitiora remedia ad veritatem aperiendam: nam si eam via mitiori consequi potest, non debet tortura uti; alias ordinata esset in pœnam, non ad confessionem Veritatis. Sic etiam graviter peccat Judex, quando habet plenam delicti probationem, ut si esset reus legitimè convictus per testes; & nihilominus eum Torturæ subjiceret: quia ea frustra uteretur ad finem intentum plenæ probationis, nisi alios haberet fines, qui torturam exposcerent. Sic Navarrus *in man. cap.* 18. *num.* 59. Julius Clarus *quæstion.* 64. *num.* 8. & Lessius *l. c. num.* 152.

Advertendum 2. non posse Judicem Tortura uti, nisi in criminibus gravioribus, quæ scilicet pœna corporali puniri debent, videlicet Mortis, Mutilationis, triremium, perpetui carceris, ac defossionis Metallorum; non verò in iis criminibus quibus minor debetur pœna, ut exilium, carcer ad tempus, pœna pecuniaria: & ratio est, quia aliàs reus, nondum convictus pœnam majorem pateretur ea, ad quam damnandus esset, si convinceretur: ut bene observat Gomezius *tom.* 3. *cap.* 13. *num.* 2.

Advertendum 3. non omnes reos torqueri posse, cum multi à Jure prohibeantur torqueri, nisi in quibusdam Casibus exceptis, hæresis videlicet, Proditionis, aut similis criminis læsæ Majestatis: sic sunt impuberes ob ætatem, & Senes ob debilitatem, & vacillationem memoriæ, Mulieres prægnantes ob periculum abortus, nisi priùs confirmatæ fuerint à partu; ob privilegium Viri in Magna dignitate constituti, Officiales Principum, Gubernatores Civitatum, Nobiles equestris Ordinis, Doctores, Milites, & eorum filii. Vide Gomez *cap.* 13. *n.* 3. & Julium Clarum *quæst.* 64.

Advertendum 4. peccare Judices, si in causis criminalibus, & notabilis infamiæ antequam probationem habeant contra reum *illum* juramento adstringant ad fatendum veritatem de omnibus ad Casum illum spectantibus, ob quem comprehensus fuit; & idem dicendum, si absque juramento, sed minis, terroribus, ac ostensione tormentorum id efficiant; ut sic reum turbent, & implicent, ac in dictis sibi contradicat, & puniatur. Sic Navarrus *in man. cap.* 25. *num.* 36. & Cardinalis Delugo *disp.* 40. *n.* 1.

Advertendum 5. quod si Judex induxerit reum ad confitendum delictum *sine indiciis sufficientibus*, vel malis artibus, dolo, mendacio, ficta promissione impunitatis; aut si excesserit notabiliter in modo torquendi; confessio erit per injuriam extorta, adeoque nulla, nec ex vi illius procedi poterit ad condemnationem, imò obligabitur ipse Judex ad resarcienda damna reo illata. Adde quod si reus illam postridie ratificet; non poterit Judex procedere ad punitionem: eo quia sic ratificaret irritam confessionem *ex leg. penul. ff. de Quæst.* sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 18. *n.* 173. Cardin. Delugo *disp.* 37. *sect.* 14. *n.* 157. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 5. & alii.

Advertendum denique: reum semel tortum, si nil confessus fuerit, non deberi iterum torqueri, dummodo nova indicia non supervenerint; tunc enim licèt eliserit priora indicia, attamen tortura repeti poterit *ex leg. Unius. ff. de Quæst.* ad purganda indicia, quæ

de

de novo acceſſerunt. Si tamen poſtridie reus confeſſionem revocet in tortura factam; poterit iterum ſubjici torturæ, quamvis nova indicia non ſupervenerint eo quia non ſunt eliſa priora indicia per revocationem imò inconſtantia ipſa eſt novum indicium. Si tamdem tertiò tortus, ac confeſſus in Tortura, tertio revocet extra illam, quæ in tortura dixit; non erit ulteriùs procedendum, quia imponendus erit terminus actui tam odioſo: quapropter condemnari non poterit, imo abſolvi, cum præſumendum ſit, vi tormentorum extractam fuiſſe confeſſionem. Sic Gomez *cap.* 12. *n.* 22. Leſſius *l. c. dub.* 17. *n.* 168.

18 Petes hic: quænam ſemiprobatio plena, & quænam indicia ſufficientia ſint ad reum legitimè ſubjiciendum Torturæ? Reſp. eam ſemiplenam probationem ſufficere, quæ fundatur in uno teſte omni exceptione majore, & contra quem nulla ſit exceptio, adeout ejus teſtimonium reddat rem pluſquam probabilem. Sic Julius Clarus *quæſt.* 21. *n.* 2. & Gomez *cap.* 13. *n.* 3. Indicia verò ſufficientia ad Torturam; quæ licèt minora ſint ſemiprobatione plena; hæc præcipuè enumerantur. Fama publica de authore criminis à viris honeſtis orta, ac per teſtes probata, adjuncta cum aliis adminiculis, ut ſi habeatur ſimul teſtis minùs idoneus aſſertio ſocii, vel minoris, veſtigium aliquod facinoris in armis, veſte, aut perſona, confeſſio rei extra Judicium, ut ſi apud duos, vel tres dixerit, ſe fuiſſe authorem delicti; idem dicendum, ſi confeſſionem ſimilem fecerit coram Judice incompetente, aſſertio duorum, vel trium ſociorum, qui cum juramento deponant, & non ſit ſuſpicio juſta, quòd ex malevolentia id agant. Plura de his Indiciis vide penes Leſſium *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. Hoc tamen ſemper ſervandum erit in ſimilibus Indiciis, ut ſufficientia ſint ad Torturam, quòd reddant crimen pluſquam probabile, aliàs injuſtè reus torqueretur.

19 Quæres tandem: Quænam munera licitè accipi poſſint à Judice? Reſp. ſi munera parva ſint, & conſiſtunt in Eſculentis, & poculentis, quæ intra duos, vel tres dies conſumi poſſunt; accipi poſſunt à quocumque Judice ſive Sæculari, ſive Eccleſiaſtico; ſive Ordinario, ſive Delegato, dummodo liberaliter donentur, & non extorqueantur: ratio eſt, quia nec Jure prohibentur, nec talia ſunt, ut poſſint corrumpere animum Judicis. Sic Sayrus, Azor. Sylveſter, Tabiena, Cajetanus, Angelus, Reginaldus, & Farinacius, quos refert & ſequitur Bonacina *diſp.* 10. *Decal. quæſt.* 2. *pun.* 8. *num.* 5. *in fine*. Si verò munera ſponte oblata majoris ſint Momenti, quæ appellari conſueverunt ſportulæ ad differentiam minorum, quæ dicuntur Xenia, etiamſi in cibo, potu, vel aliis rebus, aut pecunia dentur ultra ſtatutum ſtipendium; prohibetur in Jure Canonico, ne dentur Judicibus Ordinariis Eccleſiaſticis *ex Cap. Cum ab omni de Vit. & honeſt. Cleric.* Extenditur quoque ad Judices Delegatos Eccleſiaſticos *ex Cap. Statutum De Reſcript. in* 6. Et tenetur Judex accipiens ea reſtituere donatori, etiamſi remiſſionem fecerit ante finitam litem. ſecus verò ſi remiſſionem fecerit finita lite. Judicibus verò ſæcularibus prohibetur *ex Authen. de Judicib. §. ne autem collat.* 6. ne aliquid accipiant, ſi lis non attingat centum aureos; ſi verò excedat, permittitur, ut accipiant duos aureos à ſingulis partibus in principio ipſius litis, & duos in fine. Hæc ex Jure Communi. Non nego tamen, quòd etiamſi Lege poſitiva prohibeatur talis acceptio Munerum; non teneatur nihilominus accipiens ad reſtitutionem faciendam ante ſententiam Judicis, quia licet illicita ſit, non eſt tamen invalida acceptio, niſi expreſsè invalidetur à Jure. Vide Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 9. & Bonacinam *in Decal. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 8. *n.* 5.

CAPUT IV.

De Accuſatore, Denuntiante, & Teſtibus.

1 *Quid ſit Accuſatio propriè accepta?*
2 *Quomodo differat à Denuntiatione?*
3 *Tria præcavenda ab Accuſatore, ut juſtitiam ſervet in Accuſatione.*
4 *An Monitio ſecreta præcedere debeat Accuſationem Judicialem?*
5 *An licitè fieri poſſit Accuſatio.*
6 *An in aliquibus Caſibus teneamur accuſare, vel denunciare?*
7 *An Accuſator deſiſtere poſſit ab accuſatione incæpta?*
8 *Quænam motiva deobligent ab onere accuſandi, vel denunciandi?*
9 *Quinam prohibentur accuſare?*
10 *Quænam ſit Denuntiatio, & quotuplex?*
11 *Teſtes ut legitimam, & plenam probationem faciant in Judicio; ſaltem debent eſſe duo cum debitis requiſitis.*
12 *Enumerantur quatuor requiſita in Teſtibus, ut legitimam probationem faciant.*
13 *Quinam repellantur à teſtificando?*
14 *An ſemper quis teneatur teſtificari, aut denuntiare Judici præcipienti?*
15 *Quænam ſint juſtæ cauſæ veritatem retiendi, aut non teſtificandi, vel non denuntiandi Judici etiam præcipienti?*
16 *Ad quid teneatur Teſtis, ſi teſtificari nolit; aut veritatem occultet?*
17 *Ad quid teneatur Teſtis ob falſum teſtimonium prolatum?*
18 *An poſſit teſtis pecuniam accipere pro teſtimonio ferendo, aut expenſas exigere ad teſtimonium faciendum neceſſarias?*

ACCUSATIO propriè accepta nihil aliud eſt, 1
niſi delatio Rei de crimine ad vindictam publicam libello facta. Quapropter finis intentus in Accuſatione eſt publica vindicta ad exemplum, & terrorem cæterorum, ut à criminibus abſtineant. Ad hoc ut Accuſatio legitima ſit, varia requiruntur à Jure Communi *ex leg. Libellorum ff. de Accuſation.* videlicet ut fiat in ſcriptis; ut exprimatur dies, & annus, quo accuſatio fit; ut contineat nomina Accuſatoris, & Accuſati; ut declaretur ſpecies delicti; ut inſinuetur locus, & tempus commiſſi delicti; ut habeatur ſubſcriptio Accuſatoris. Vide Iulium Clarum *quæſtion.* 12. *numer.* 7.

Differt Accuſatio à Denuntiatione, nam Accuſatio 2
fit in ſcriptis cum requiſitis enumeratis, ac ſubjicit accuſantem pœnæ talionis ferendæ; niſi onus, quod in ſe ſuſcipit probandi crimen delatum; relevet per probationem. Denuntiatio verò fieri poteſt ſolis verbis, & ſine requiſitis ſupradictis, nec ſubjicit denuntiantem pœnæ talionis, nec transfert in illum onus probandi crimen denuntiatum. Sic communiter Doctores, videatur Sayrus *lib.* 12. *cap.* 14. *n.* 11.

Accuſator, ut juſtitiam ſervet in Accuſatione; tria 3
præcavere debet. 1. ne calumniam inferat imponendo falſum crimen; nam hæc inducit obligationem reſtituendi famam, & reſarciendi damna, ſi quæ illata fuere; ac ſubeundi pœnam talionis, vel aliam arbitrio Judicis infligendam. 2. ne accuſatio ſit ſimulata, & cum prævaricatione, videlicet colluſione cum Reo ex qua ſi damnum Reipublicæ ſequatur; inducit obligationem reſtituendi, & reſarciendi illud. 3. ne tergiverſatio fiat in accuſatione inchoata abſque juſta cauſa; non enim deſiſtendum eſt à judicio inchoato abſque legitimo motivo, & juſta concurrente cauſa. Vide Filliuccium *tract.* 40. *cap.* 7. *n.* 205.

Quæres 1. an Accuſationem præcedere debeat mo- 4
nitio ſecreta? Reſp. ſpectata natura accuſationis non eſſe neceſſariam præviam monitionem, nec ulla fit reo injuſtitia, ſi non præcedat: ratio eſt, quia finis, ob quem conceſſa fuit accuſatio; eſt punitio in bonum publicum, & exmplum cæterorum; ergo nulla fit reo injuria, ſi ante accuſationem, non moneatur de ſuo delicto. Nec obſtat, quòd ad Denuntiationem evangelicam requiratur prævia monitio, quam multi ex Juſtitia requirunt; ergo etiam in Accuſatione Judiciali. Negatur enim conſequentia ob diſparem rationem: nam denuntiatio Evangelica inſtituta eſt ad fratris emendationem, quę ſi obtineri poteſt abſque fratris infamia, non habetur jus ad illam violandam; ſecus verò Accuſatio inſtituta eſt in bonum, & exemplum publicum per criminum punitionem. Adde, quòd ſi crimen denuntiandum vergit contra bonum publicum ſive ſpirituale, ut eſſet hæreſis; ſive temporale, ut Rebellio, aut quid ſimile; nec Juſtitia, nec Charitas exigunt pręviam Monitionem ſecretam, ſed ſtatim denuntiari debet Iudici, ut tantum malum averver-

vertat : sic est si hæreticus occultus adveniat in Urbem ; aut quis occultè cum hostibus agat de deditione Civitatis, vel Consilia Magnatorum illis patefaciat aut falsam Moneram cudat. In his enim, & similibus Casibus non est scrupulosè agendum de emendatione per privatam monitionem, cum bonum publicum præferendum sit privato, & in re tanti momenti, quod tutius est, sequi debemus. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 2. *n.* 13. allegantem D. Thomam. Si verò delictum sit occultum, & ex illis, ex quibus non impendet malum publicum, sed privatum tantùm, vel ipsi reo, vel alteri, & speretur emendatio ex privatis monitis, & quod ad debitam satisfactionem inducatur; tunc ante accusationem, vel denuntiationem præmittenda erit ex Lege Charitatis erga proximum monitio secreta, maximè si persona honesta sit, & speretur, quòd à crimine desistat. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 1.

5 Quæres 2. an licitè fieri possit Accusatio? Resp. affirmativè, licèt non teneamur eam facere de injuriis nobis factis. Et quòd licitè accusare possimus, patet ex eo, quia accusatio debito modo facta absque odio, vel vindicta est actus Virtutis Justitiæ ; ergo licitus. Nec Leges accusationem permittentes permittunt actum illicitum : neque illud Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; est opus præceptum quatenus dimissio injuriæ nobis factæ excludit accusationem injuriantis, etiam sine odio illius. Sic Sayrus, Salon, Bannez, Aragonius, Cajetanus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 10. *in Decal. quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 5. Et hinc probatur, quòd licèt possimus accusare, & quidem licitè de injuriis nobis factis ; non tenemur tamen ob Consilium prædictum.

6 Quæres 3. an in aliquibus Casibus teneamur accusare, vel denuntiare? Resp. affirmativè, quando scilicet crimina immediatè inferunt damnum Communitati, & Rejpublicæ, ut est hæresis, conspiratio in Principem, Falsificatio Monetæ, & similia : maximè si in procinctu sint, ut fiant, & per accusationem impediri possint, etiamsi sub naturali secreto, vel sub juramento de non revelando cognita fuerint, dummodo extra confessionem : ratio est, quia quilibet obligationem habet impediendi damnum publicum eo meliori modo, quo potest; ergo si non potest alio modo impedire præter accusationem; obligabitur ad illam. Nec Secretum naturale, & juramentum obligant ad rem illicitam, & peccaminosam. Sic Navarrus, Valentia, Sayrus, Toletus, Layman, Bannez, Salon. Aragonius cum D. Thoma relati à *Bonacina disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 6. Insuper habetur obligatio accusandi, vel denunciandi crimen grave, quod imminet privato, & est in procinctu, ut fiat ; si alia via non suppetit avertendi illud, nisi per accusationem, vel denuntiationem. Et quamvis hæc obligatio non sit ex Justitia, est tamen ex Lege Charitatis, quæ nos urget ad impediendum damnum grave proximo, quantùm licitè fieri potest; ideoque habetur obligatio saltem denuntiandi insidiantem vitæ alterius, dum alia non suppetit via impediendi homicidium illud præter denuntiationem. Sic Salon 2. 2. *quæstion.* 68. *art.* 1. *contr.* 5. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 23. *cap.* 16. *n.* 6. Filliuccius *tract.* 40. *cap.* 2. *quæst.* 6. *n.* 212. & Bonacina *l. c. num.* 6. Secus verò dicendum, si crimen non vergat in damnum publicum, vel privatum ; aut si privatum jam factum sit, nec datur locus, ut impediri possit : sic esset homicidium occultum jam patratum; tunc enim non urget obligatio accusandi, vel denunciandi, cum non immineat damnum, quod impediri possit; dummodo non habeatur præceptum à legitimo Superiore latum illud crimen revelandi, & dummodo non interrogetur à Judice legitimè. Sic Doctores superius citati.

Tenentur accusare, vel denuntiare Fiscalis, Custodes gabellarum, Vinearum, Sylvarum, & similium : imò si damnum est notabile, & non accusant, vel denuntiant; tenentur ad restitutionem damni insurgentis ex omissa accusatione, aut denuntiatione : ratio est, quia tenentur ex Officio, & contractu inito, adeoque justitiam violant non accusando, vel denuntiando, & damnum debent resarcire. Quamvis non teneantur ad restitutionem, qui tantùm obligantur ad accusandum, vel denuntiandum ex motivo Charitatis : cum obligatio restituendi ex sola violatione Justitiæ oriatur; non verò Charitatis, aut cæterarum Virtutum. Sic Salon, Sayrus, Filliuccius, cum Bonacina eos referente *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *pun.* 1. *num.* 7.

Quæres 4. an accusator desistere possit ab accusatione incœpta? Resp. si deprehenderit, se errasse in crimine apposito, aut si incipiat esse dubius de veritate facti, & post diligentem inquisitionem in dubietate perseverat, aut si videt, se probare non posse; tenebitur desistere : & ratio est, quia sic accusationem prosequi, esset calumniam inferre. Poterit quoque ab accusatione desistere, si Judex accusationem refutet, vel quia deficit in substantialibus ; vel quia persona accusata puniri nequeat sine magna Reipublicæ perturbatione, maximè si Judex sit Supremus. Cæterùm non potest accusator ab accusatione desistere nulla interveniente justa causa ex supra enumeratis, aliàs incurret pœnas à Jure taxatas. Vide Sylvestrum *verb. Accusatio numer.* 8. & Lessium *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 3. *n.* 18. 7

Quæres 5. quænam motiva deobligent ab onere accusandi, vel denunciandi? Resp. si crimen non est notorium, sed occultum ; & delinquens perfectè sit emendatus, nec est ullum periculum relapsus, vel damni sibi imminentis, vel aliis, & parti læsæ sit satisfactum, etiamsi sub præcepto adsit obligatio denuntiandi, non tenetur denuntiare, etiam in Societate Jesu, ubi ceditur Juri suo, & etiamsi denuntiatio fiat tamquam patri : quia cessat motivum denuntiandi, adeoque esset infamare, quod est ex genere suo grave peccatum. Sic Sanchez *in oper. mor. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 40. Castropalaus *de Charit. tract.* 6. *disp.* 3. *pun.* 12. Trullench *lib.* 1. *cap.* 5. *disp.* 14. Cardinal Delugo *in Respon. moral. lib.* 4. *dub.* 46. alios referens. Si crimen innotuit ex secreto naturali tamquam Consultori, Advocato, Medico, nisi tamen sit ex illis, quæ secretum non admittunt. Sic Cardin. Delugo *de Just. disp.* 14. *num.* 142. Si immineat grave periculum honoris, Vitæ, & rerum suarum, aut si cogeretur probare accusator, & non posset. Videatur Delugo *disp.* 38. *sect.* 2. 8

Quæres 6. Quinam prohibeantur accusare? Resp. prohiberi 1. excommunicatos, proditores, publicos concubinarios, vel Usurarios, & quidem in pœnam suorum scelerum ; insuper omnes, qui Jure infames sunt : ut constat *ex Cap. prohibentur* 2. *quæst.* 1. *& ex leg. Qui accusare ff. de Accusat.* Sic Clarus *lib.* 1. *art.* 10. 2. prohibentur filii respectu suorum Parentum, Servi respectu suorum Dominorum, & subditi respectu suorum Prælatorum ob reverentiam ipsis debitam. 3. Clerici maximè in causa Sanguinis ob decentiam Status. Excipiuntur tamen crimina hæresis, & læsæ majestatis, aut alia vergentia contra bonum publicum, in quibus si Clerici sint, accusare poterunt *præmissa* protestatione, quòd non intendant pœnam sanguinis, sed Commune bonum. Sic Covarruvias, Julius Clarus, Farinacius, Sayrus, Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *pun.* 1. *n.* 10. Advertendum tamen, quòd prædictæ personæ non prohibeantur denuntiare evangelicè in correctionem fraternam, & ad emendationem, quia hæc præscribitur Jure Divino, nec prohiberi potest à Jure humano. 9

Quæres tandem : quænam, & quotuplex sit Denuntiatio? Resp. quamvis denuntiatio Criminis diversimodè exponi possit, ac variè dividi soleat ; nihilominus prout facit ad praxim, alia est Evangelica ordinata in correctionem, & emendationem fratris ; quæ secundum ea, quæ de Correctione fraterna statui solent; fieri debet. Alia Regularis, quæ secundum præscripta, ac statuta cujuscumque Religionis fieri debet ad Religiosorum culpas evitandas. Alia Canonica, per quam solùm intenditur, ut Prælatus subditum corripiat, & sic à culpa desistat, non verò ut illum puniat. Alia denique est Judicialis, quæ defertur Judici, qua Judici, non verò qua Patri. Et hæc subdividitur in Privatam, & Publicam. Privata dirigitur ad bonum proprium denuntiantis obtinendum, quo conqueritur fraudatum fuisse. Publica dirigitur ad bonum publicum externum : sic est obligatio imposita denuntiandi penes Quæsitores Fidei patrantes delicta, quorum cognitio ad ipsos spectat: sic etiam denuntiandi sunt, qui crimina publicè prohibita committunt, deferentes scilicet arma prohibita, asportantes clam Merces, defraudantes Vectigalia, & similia. 10

Te-

11 Teſtes, ut legitimam, & plenam probationem in Judicio efficiant; ſaltem debent eſſe duo cum debitis requiſitis. Judex enim ſi non habeat confeſſionem ipſius Rei, vel ſi non deprehenſus fuerit Reus in flagranti crimine, ut ſi deprehenſus fuiſſet ab ipſo Iudice cum tribus, aut quatuor aliis in flagranti crimine furti, homicidii, adulterii; non poterit Reum condemnare in cauſis criminalibus, aut aliquid probare in præjudicium tertii, niſi habeat duos Teſtes cum prærequiſitis dicendi. Sic *ex cap. licet univerſis & ex cap. In omni negotio de Teſtib.* & ſic communiter Doctores.

12 Ut autem duo Teſtes legitimam, ac plenam probationem faciant in Iudicio, hæc requiſita habere debent. 1. ut ſint conteſtes, ideſt ambo teſtentur idem factum, & ſub iiſdem circumſtantiis loci, temporis, ac ſpeciei delicti: nam ſi diſcrepant in circumſtantiis non erunt conteſtes, ſed teſtes ſingulares tantùm, non ſufficientes ad plenam probationem faciendam; quamvis magnam pariant præſumptionem ad torturam, vel ad pœnam extraordinariam infligendam. Sic Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 4. n. 5.* 2. ut ſenſu externo perceperint id, de quo teſtantur; nempe ſe vidiſſe furantem, occidentem; aut audiviſſe blaſphemiam, prædicantem hæreſes &c. *ſic ex cap. Si teſtes 4. quaſt. 3. & ex leg. Solam, Cod. de Teſtib.* Ideoque teſtantes de auditu delictum, quod factis, non voce committitur, ut audiviſſe furtum patratum à Titio, non verò vidiſſe; non plenè probant, quamvis dent indicium ad inquirendum. Vide Layman *l. c. 3.* ut in Iudicio jurent quod aſſerunt: cum faciliùs mentiri poſſint, ſi juramento non adſtringantur; ideoque Teſtibus non juratis minimè credendum erit in præjudicium alterius: ſic *ex Cap. Fraternitatis, & ex Cap. Tuis de Teſtib.* 4. ut ſint Teſtes omni exceptione majores, hoc eſt, contra quos nihil poteſt jure opponi, aut deſiderari, quo minùs teſtari poſſint; adeoque immeritò repelluntur à teſtificando. Nam minùs idonei ad teſtificandum dicuntur illi, qui patiuntur exceptionem, & aliquid illis opponi poteſt, vel ex natura rei; vel ex Juris diſpoſitione.

13 Repelluntur ergo à teſtificando ex natura rei non habentes uſum rationis, amentes, deliri, cæci in iis, quæ ſpectant ad viſum, ſurdi circa pertinentia ad auditum. Ex Jure poſitivo in Criminalibus repelluntur Mulieres ex Iure Canonico *in Cap. Forum, de verbor. ſignifi.* Iure verò Civili admittuntur in omni cauſa exceptis Teſtamentis. Minores viginti annis *ex leg. in teſtimonium ff. de Teſt.* Inimicus ejus, contra quem Teſtimonium fertur, quamvis inimicitia debeat eſſe gravis *ex cap. per tuas, de Simon.* Aſcendentes, & Deſcendentes Accuſatoris, inſuper Collaterales uſque ad quartum Gradum: quod etiam extenditur ad Affines ex Gomez *capit. 12. num. 25.* & ex Leſſio *libr. 2. cap. 30. dub. 5. num. 37.* Domeſtici ipſius Accuſantis. Perjuri, qui in aliqua cauſa falſum cum juramento depoſuerunt. Socii criminis *ex Cap. Veniens 1. de Teſtibus, & ex leg. Finali Cod. de Teſtib.* Infames infamia Iuris, vel facti ex Iulio Claro *cap. 12. num. 13.* Perſonæ viles, & inopes, quæ facilè pecunia corrumpi poſſint *ex leg. 3. & 4. ff. de Teſtib.* Vide Sylveſtrum *verb. Teſtis quaſt. 1.* & Leſſium *l. c.* Adnotandum hic: quòd licèt multi ex his repellantur Iure poſitivo à Criminalibus, non repelluntur tamen à Civilibus. Item admitti poſſunt in aliquibus criminibus exceptis, aut in non exceptis, quando commiſſa ſunt in circumſtantiis talibus loci, & temporis, ut copia Teſtium haberi non poſſit: ſic colligitur *ex cap. final. de Teſtib.*

14 Quæres 1. an ſemper quis teneatur teſtari, vel denunciare Iudici præcipienti? Reſp. poſito præcepto Iudicis tenetur quis teſtari, vel denuntiare, ſi author Criminis laboret infamia; vel ſi non laboret infamia, magnum imminet damnum bono publico in futurum, quod averti nequeat niſi per Iudicem; & in hoc caſu etiam ſine præcepto Iudicis obligabitur. Si tamen grave damnum immineat alicui privato; quod averti non poteſt niſi per teſtificationem, aut denuntiationem; etiam obligabitur: nam urget Charitas ad hoc præſtandum. Quapropter ſi Iudex præceperit teſtificationem, aut denuntiationem ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eam incurret, qui non obedierit, cum teneatur obedire ex Navarro *in man. cap. 17. num. 34.* & ex Leſſio *lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 43.* Tenetur inſuper teſtari, quando delictum ſemiplene probatum eſt, aut plene probari poſſit via accuſationis, vel denunciationis, & teſtis eſt citatus: ratio eſt quia ſi in his caſibus non poſſet teſtis cogi ad teſtificandum, aut denuntiandum, nec citatus teneretur teſtificari aut denuntiare, nemo auderet accuſare, & ſic crimina impunita remanerent cum magno Reipublicæ detrimento. Sic Sotus *lib. 5. Juſt. quaſtion. 2. art. 1.* Azor. *3. par. lib. 13. cap. 28.* Salon 2. 2. *quæſtion. 70. art. 1. Controv. 1.* Sayrus *lib. 12. cap. 20. num. 6.* Valentia 2. 2. *diſp. 5. quaſt. 14. pun. 1.* & alii.

Ex dictis colligitur: Iudici legitime interroganti, & præcipienti debere teſtem aperire veritatem, niſi juſtam cauſam habeat reticendi illam. Quamobrem in inquiſitione generali, aut etiam ſpeciali tenetur teſtis interrogatus manifeſtare delinquentem, ſi præceſſerit infamia delicti, & delinquentis, ſecus vero ſi non præceſſerit infamia. In inquiſitione vero mixta in qua inquiritur ſpecialiter de perſona, & generaliter de crimine; tenetur teſtis interrogatus veritatem aperire, ſi præceſſerit infamia, aut quid æquivalens, nempe ſemiplena probatio, aut manifeſta indicia criminis à reo patrati. Via tamen Accuſationis, & Denuntiationis, aut querelæ tenetur teſtis veritatem aperire Judici interroganti, vel cum delictum ſemiplene probatum eſt, aut plene probari poteſt juxta ſuperius dicta.

Quæres 2. Quæ nam ſint juſtæ cauſæ veritatem reti- 15
cendi, aut non teſtandi, vel denuntiandi etiam Judici præcipienti? Reſp. multas enumerari. 1. ſi ex confeſſione ſacramentali notitiam veritatis habuit, etiam ſi ſalus totius Reipublicæ periclitaretur ratione Sigilli Sacramentalis. Eſt, & debet eſſe communis Doctorum Sententia. 2. ſi ſub ſecreto naturali habita fuerit, ut Conſiliarius, Advocatus, Medicus, Obſtetrix: non enim par eſt, quod reus petens Conſilium, vel auxilium animæ, aut corpori reveletur: dummodo tamen teſtificatio, vel denuntiatio non ſit neceſſaria ad avertendum damnum aliquod publicum ſpirituale, vel temporale, aut etiam damnum privatum; tunc enim promiſſio ſecreti etiam juramento confirmati non tenet, cum non obliget injuſto damno alterius. Sic Corduba *lib. 1. quaſt. 43. dub. 2.* Navarrus *in man. cap. 25. num. 46.* Navarra alios referens *lib. 2. cap. 4. num. 222.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 45.* Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 4. num. 9.* & alii penes Bonacinam *diſputat. 10. Decal. quæſtion. 3. punct. 3. numer. 6. 3.* ſi ex tuo teſtimonio, vel denunciatione timeat teſtis ſibi, vel ſuis notabile damnum probabiliter ſecuturum; niſi tamen prævaleat damnum publicum vel privatum ut recte adnotat Card. Delugo *de Juſt. diſputat. 39. numer. 10.* nam lex Charitatis non obligat cum tanto diſpendio ad ſubveniendum proximo, niſi prævaleat bonum commune, aut bonum privatum. Sic Sotus, Navarrus, Azor. Reginaldus, Leſſius, Layman penes Bonacinam *loc. citat. numer. 8.* Quapropter raro habetur obligatio teſtandi contra conſanguineos, & affines ob magna incommoda, quæ ſequerentur: ut advertit idem Bonacina referens Sayrum, Bannez, Reginaldum, Filliuccium, Layman, & Salonium. 4. ſi notitiam habuit ex injuria reo facta aperiendo ejus litteras, vel quid ſimile. Sic Layman *lib. 3. tract. 6. cap. 4. num. 5.* & Molina *diſp. 5. num. 5. 5.* ſi ex juſta compenſatione accepit, non tenetur teſtis deponere contra illum: cum non commiſerit delictum, contra quod inquirit, & interrogat Judex. Sic Navarrus *in man. cap. 17. numer. 115.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 50.* & alii. Notandum hìc ex Leſſio *loc. cit. num. 51.* in omnibus caſibus, in quibus non tenetur quis revelare ſine juramento; non teneri etiam cum juramento facto de veritate dicenda, modo juramentum factum fuerit convenienti modo, utendo verbis amphibologicis abſque tamen reſtrictione pure mentali: cum non poſſit Judex imponere præceptum jurandi ſecundum mentem ſuam illi, qui ex Jure non habet talem obligationem, ut ſupponimus.

Quæres 3. ad quid teneatur teſtis, ſi teſtari nolit, 16
aut veritatem occultet? Reſp. ſupponendo 1. neminem teneri per ſe loquendo offerre ſe ipſum in teſtem, quando ex ſuo teſtimonio ſequitur mors alterius: & ratio eſt, quia Charitas obligare non poteſt ad ferendum juvamen uni cum tanto detrimento alterius. Quamvis ſi juridicè interrogatus fuerit à Iudice, teneatur

tur veritatem aperire etiam cum periculo mortis alterius; & peccat graviter, si falsum dicat etiam absque juramento judici legitimè interroganti. Sic Navarrus *in Man. cap.* 15. *num.* 17. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 23. Filliuccius *tract.* 40. *cap.* 8. *quæst.* 9. *num.* 250. Suppono 2. neminem teneri ex justitia offerre seipsum ad testandum, dum ejus testimonium necessarium est ad avertendum damnum proximi; sed solùm teneri ex Charitate, dummodo non incumbat ex Officio, vel alia conventione: ratio est, quia sicuti tenetur quis subvenire proximo in reliquis necessitatibus ex Charitate, non verò ex justitia, quando non incumbit ex Officio; sic etiam in testando ad avertendum damnum proximi. Sic Salon 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. *contr.* 2. Bannez, *ibidem dub.* 3. Lessius *lib.* 2. *capit.* 30. *dub.* 6. *num.* 56. Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 8. *numer.* 67. Sayrus *lib.* 12. *capit.* 20. *num.* 26. & Navarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 41. His suppositis

Si Testis fugiat, vel se occultet, ne citetur ad testimonium ferendum; nec peccat contra justitiam, nec tenetur ad resarciendum damnum inde sequens proximo: ratio est, quia si contrahitur hæc obligatio testificandi, & nascitur jus parti ad testimonium ferendum; est ex præcepto Superioris legitimè intimato; ergo si non est legitimè intimatum, non inducit obligationem restituendi. Sicuti qui fugit à conspectu Superioris, ne ei præceptum tradat, quamvis malè hoc faciat; non tenebitur ad præceptum servandum. Sic Doctores superiùs citati, & alii penes Bonacinam eos sequentem *disput.* 10. *Decal. quæst.* 7. *punct.* 3. *numer.* 12. Poterit tamen graviter peccare contra Charitatem proximi, si grave damnum sibi vel suis non sequatur, cum quilibet teneatur proximo indigenti subvenire. Sic Doctores citati.

Sed quid dicendum: si legitimè, ac juridicè citatus fuerit, nec ex testimonio ullum grave damnum sibi, vel suis immineat; an inquam teneatur ad damni reparationem, & peccet contra justitiam, si fugiat, aut alia arte testimonium evitet? Resp. quamvis communis sententia cum Navarro, Soto, Salonio, Filliuccio, Reginaldo, Azorio, & aliis apud Sayrum *lib.* 12. *cap.* 20. *nu.* 25. & apud Bonacinam *loc. cit. numer.* 13. putet, peccare non solùm contra Charitatem, in quo conveniunt Doctores oppositæ sententiæ; verùm etiam contra justitiam, & teneri ad restitutionem: quia est efficax, & moralis causa damni proximo illati. Nihilominus videtur mihi probabilis sententia asserens, peccare quidem contra Charitatem, & contra justitiam Legalem; non verò contra Commutativam: ratio est, quia citatio legitimè, ac juridicè intimata non inducit obligationem justitiæ, sed tantùm obedientiæ; adeoque non comparens erit contumax, & inobediens; non verò injustus, & ad damni reparationem obligatus. Sic Molina, & multi Viri docti Academiæ Lovaniensis suppresso nomine relati à Lessio *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 8. *num.* 59. quos sequitur, & Bonacina *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 3. *nu.* 13. referens in simili Sanchez *in Oper. Moral. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 5.

17 Quæres 4. ad quid teneatur Testis ob falsum testimonium prolatum? Resp. si falsum testimonium tulit sciens, vel ignorans ex ignorantia crassa; tenetur ad impediendum omnia damna, quæ ex ipso sequuntur alteri, vel ad eorum reparationem per restitutionem; tenetur insuper testimonium revocare cum pari suo damno, ac periculo, etiamsi fuerit vitæ, dummodo putet, quòd revocando aliquid efficiat; ratio est, quia est causa efficax illorum damnorum, & in æquali damno potior est causa innocentis, quàm rei. Sic Doctores communiter, quos vide penes Bonacinam *loc. cit. num.* 15. Adnotandum tamen: quòd si falsum testimonium nihil efficit, quia reus jam convictus erat per alios testes, nec major pœna adaucta fuit propter tale testimonium, aut firmior redditus judex ad majorem pœnam infligendam; tunc quamvis testis perjurus sit, non tenebitur tamen ad restitutionem damnorum: ratio est, quia non est causa efficax damni, quod præscindendo ab ejus falso testimonio jam inferendum erat. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 30. *dubit.* 7. *nu.* 52. Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 8. Bonacina *loc. cit. num.* 15. *in fine*, referens Salonium, Rebellum, Molinam, Navarram, Sayrum, Navarrum, & alios. Si verò Testis adhibita priùs morali diligentia ad testandum requisita, nihilominus ex ignorantia inculpabili, vel inadvertentia, aut oblivione sine culpa, falsum testatus fuerit, quamvis conscius factus post testimonium teneatur impedire damnum, si possit; nihilominus si sequatur, non tenetur ad resarciendum illud: ratio est, quia non est causa injustæ damnificationis cum culpa; nam ut injusta damnificatio obliget ad restitutionem; culpam supponere debet. Sic Sylvester *verb. Testis, quæst.* 8. Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 7. *art.* 4. Cajetanus 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. Salon *ibidem concluf.* 5. Navarrus *in Man. capit.* 25. *num.* 40. Navarra *lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 253. & Lessius *libr.* 2. *capit.* 30. *dubit.* 7. *numer.* 55.

Quæres 5. an Testis pro vero testimonio ferendo 18
possit pecuniam accipere, aut expensas exigere ad testimonium faciendum necessarias? Resp. peccare quidem contra Charitatem, si nolit verum testari absque pecunia, si nullum aliàs incommodum patiatur; non teneri tamen ad restitutionem, si acceperit: ratio est, quia peccatum contra justitiam inducit obligationem restituendi, non verò contra Charitatem. Quòd autem possit exigere expensas necessarias ad ferendum testimonium, patet ex eo, quia nemo tenetur cum suo incommodo, & damno juvare ex Charitate proximum, ac suis stipendiis pro alio militare. Sic Sayrus, Valentia, Sotus, Vasquez, Bannez, Navarrus, & Azor. penes Bonacinam *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *pun.* 3. *nu.* 18. Ex dictis colligitur, Testem peccare posse, 1. si affirmet id, quod ignorat. 2. si veritatem aperiat, quam celare debet; vel si veritatem celet, quam aperire tenetur. 3. si teneatur testari, & occultet se, ne rogetur. 4. si judici justè interroganti non obediat. 5. si absque causa pecuniam pro veritate dicenda accipiat; quamvis non teneatur ad restitutionem, si acceperit.

CAPUT V.

De Reo, Advocato, Procuratore, & Notario.

1 *Reus non habet obligationem aperiendi veritatem, vel se adstringendi ad illam cum juramento Judici nec juridicè interroganti, nec servanti juris Ordinem. Secus verò si juridicè interroget, & servet juris Ordinem.*
2 *Quando dicitur judex interrogare non servato juris Ordine?*
3 *Quid faciendum, quando reus dubitat, an juridicè interrogetur à judice, & an servet juris Ordinem?*
4 *An semper teneatur reus veritatem aperire judici juridicè interroganti, & Ordinem juris servanti?*
5 *An Confessarius teneatur cogere reum, qui injustè veritatem negavit in judicio, ad se retractandum?*
6 *An teneatur reus in conscientia obedire sententiæ latæ secundum allegata, & probata?*
7 *An teneatur in conscientia reus solvere pœnam, quam solvisset si veritatem in Judicio non negasset?*
8 *An possit reus è carcere fugere, vel illum confringere, aut vincula; ut fugiat?*
9 *An teneatur reus reparare damna, quæ ex sua fuga sequuntur custodi, Carceri, & vinculis?*
10 *An possint alii fugam reo suadere, aut auxilium præbere ad fugam?*
11 *An licitum sit reo decipere custodem ad fugam opportuniùs capiendam?*
12 *An licitum sit reo occulta crimina Testium aperire ad eorum testimonium infirmandum?*
13 *An reus possit impingere crimen Mendacii, vel calumniæ accusatori?*
14 *Advocatus ut rectè munus suum obeat in patrocinandis causis; debet sufficientem habere scientiam, ac diligentiam requisitam adhibere.*
15 *An quilibet Officium Advocati exercere valeat?*
16 *An teneatur Advocatus gratis patrocinari pauperibus?*
17 *Quas obligationes habet Advocatus in causis suscipiendis à suis Clientibus?*
18 *An possit Advocatus causam dubiam suscipere?*
19 *Quod nam stipendium accipere possit Advocatus?*
20 *Procurator obligationes habet valde consimiles illis Advocati.*
21 *Notarius Publicus habet varias obligationes, quæ recensentur.*

REUS non habet obligationem aperiendi veritatem, 1
vel se cum juramento adstringendi ad illam Judi-

ci, nec juridicè interroganti, nec ſervanti Juris ordinem : ratio eſt, quia tunc Judex non habet facultatem interrogandi, nec imponendi reo obligationem aliquam : conſtat *ex Cap. Qualiter, & quando; ex Capit. Oporteat; & Can. Inquiſitionis, de Accuſationib.* Secus verò dicendum ſi juridicè interroget, ac ſervato Ordine Juris; tunc enim obligationem habet reus aperiendi Judici veritatem : quia poteſtatem habet Judex obligandi reum ad illam; aliàs poteſtas Judicum fruſtranea eſſet, & ad nihil inſerviret, ut eſt communis Doctorum ſententia.

2 Dicitur autem Judex interrogare non ſervato Juris Ordine, quando de crimine occulto interrogat reum, de quo non præceſſit infamia, nec ſemiplena probatio, vel manifeſta indicia : nam ut judex imponat obligationem reo ad fatendum crimen ſuum; debet aliquo modo eſſe deductum ad notitiam publicam per aliquod ex dictis; itaut non habeat reus probabilem rationem celandi occultum ſuum crimen, aut ſe defendendi; adeoque ſi nullo ex prædictis modis deductum ſit ad notitiam publicam, non poterit judex interrogare ſervando Ordinem Juris. Sic Valentia *tom. 3. diſput. 15. quæſt. 13. punct. 2.* Navarrus *in Man. capit. 25. num. 36.* Azor. *3. par. lib. 13. cap. 25. dub. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. dubit. 2. numer. 9.* & alii cum Layman *lib. 3. tract. 6. capit. 5. num. 2.* Hinc infertur : teneri Judicem manifeſtare reo ſtatum cauſæ, & quæ indicia, vel ſemiplena probatio extent contra ipſum; alioqui non agnoſcet, ſe juridicè interrogari, ac ſervato Juris Ordine, & per conſequens non teneri reſpondere. Sic Doctores citati, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp. 10. Decal. quæſt. 3. punct. 2. num. 2.*

3 Sed quid faciendum, quando reus dubitat, ſi juridicè interrogetur à Judice, ac ſervato Juris Ordine? Reſp. quamvis probabile ſit, tunc teneri veritatem fateri, quia in dubio præſumendum eſt pro Superiore, ut docent Sylveſter, Paludanus, Suarez, Vaſquez, Salon, & alii, quos refert, & ſequitur Bonacina *l. c. num. 4.* Nihilominus ſuam etiam habet probabilitatem, quòd non teneatur : eò quòd nemo tenetur cum gravi ſuo, vel alterius incommodo ſuſcipere in ſe onus parendi Superiori, de quo non conſtat, habere authoritatem obligandi : maximè quia in dubiis favendum eſt reo. Quando verò nullum inde ſequitur damnum reo, vel aliud notabile incommodum; favendum eſt Superiori. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 10.* referens Cajetanum, Sotum, & Adrianum; ſic etiam Sayrus, Reginaldus, Azor. Filliuccius, & Layman penes citatum Bonacinam, quibus adde Sanchez *lib. 6. Oper. Mor. cap. 3. n. 31.* Salas, & Card. Delugo *diſp. 41. n. 1.*

4 Quæres 1. an ſemper teneatur reus veritatem aperire Judici juridicè interroganti, & ſervanti ordinem juris? Reſp. quamvis communior ſententia cum D. Thoma 2. 2. *quæſt. 69. art. 1.* quem ſequuntur Cajetanus, Henricus, Paludanus, Gabriel, Sotus, Navarrus, Covarruvias, & Gomez penes Leſſium *lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 12.* docear, teneri veritatem aperire, etiamſi capite plectendus eſſet. Nihilominus valde probabilis eſt ſententia aſſerens, non teneri in cauſis capitalibus, vel gravioribus non capitalibus, ut eſſent damnatio ad triremes, ad carcerem perpetuum, vel confiſcationem bonorum omnium, dummodo ſpes ſit evadendi, quia delictum eſt ita occultum, ut niſi ex confeſſione rei probari poſſet; & nullum grave damnum Reipublicæ, & bono communi ſequatur, nec ſe obſtrinxerit juramento ad veritatem aperiendam : ratio eſt, quia Lex humana non videtur obligare cum tanto diſpendio; maximè quia conſanguineus *ex Leg. 4. ff. de Teſtibus*, non poteſt cogi ad teſtandum contra conſanguineum; ergo multò magis contra ſe non poteſt cogi ad teſtandum, cum nemo teneatur præbere arma ad ſe occidendum. Nec videtur actus iſte, qui adeo difficilis eſt, & heroicus, ac ſupra imbecillitatem humanam; ſic de facili præcipi poſſe; ergo nimis probabile eſt, non poſſe præcipi. Sic Sylveſter, *verb. Confeſſio delicti, quæſt. 1.* Fumus *eod. verb. num. 8.* Navarra *lib. 2. capit. 4. num. 142.* Sà *verb. Reus, numer. 6.* Leſſius *lib. 2. capit. 31. dubit. 3. num. 16.* Rodriquez *tom. 2. Quæſt. Regul. quæſt. 19. art. 4.* Reginaldus *lib. 24. num. 37.* Filliuccius *tract. 40. capit. 9. quæſt. 4. nu. 226.* Bonacina *diſp. 10. Decal. quæſt. 3. punct. 2. num. 7.* Tannerus *diſput. 4. queſt. 4. dubit. 5.* & Card. Delugo *diſput. 40. numer. 15.* qui aſſerit, eſſe ſententiam valde probabilem, & in praxi tutam.

Hinc infertur 1. valere etiam hanc doctrinam ad deobligandum reum à comparendo ante Judicem ſic jubentem, quando ſcilicet vitæ, bonorumque temporalium, aut alterius graviſſimæ pœnę imminet periculum juxta ſuperiùs dicta. Sic Sotus *lib. 5. de Juſt. quæſt. 6. art. 2.* Reginaldus *lib. 14. numer. 42.* & Bonacina *loc. cit.* Infertur 2. non teneri ad jurandum reum juxta mentem Judicis; ſed poſſe verbis amphibolicis uti. Sic Reginaldus *loc. cit.* Bannez 2. 2. *quæſt. 69.* & Azor. *3. par. lib. 23. capit. 25. dubit. 9.* Infertur denique, Confeſſarium non teneri adſtringere reum in iſtis caſibus ad veritatem Judici aperiendam, ſi ſpem habet evadendi, & aliunde pœna valde gravis eſt, nec de facili tolli poteſt. Secus verò ſi pœna eſſet ſpiritualis, ut Excommunicatio, aut alia cenſura, maximè ſi eſſet Medicinalis. Vel etiam ſi corporalis eſſet, nulla tamen effulgeret ſpes evadendi, ut ſi aliunde crimen poſſet facilè plenè probari; tunc teneretur eum obligare ad parendum Judici præcipienti. Sic Leſſius *libr. 2. capit. 31. dubit. 3. numer. 19.* Sà, *verb. Reus*, Bonacina *loc. cit.* & Card. Delugo *diſp. 40. num. 20.*

Quæres 2. an Confeſſarius teneatur cogere reum, qui 5
injuſtè veritatem negavit in Judicio; ad ſe retractandum? Reſp. ſi Judicium eſt jam finitum, nequibit illum cogere : ratio eſt, quia finito Judicio, finitur obligatio rei ad veritatem aperiendam; tenetur tamen illum admonere de obligatione, quam habebat. Sic Layman *lib. 3. tract. 6. capit. 5. num. 3.* Si verò nondum finitum eſt Judicium, quia reus adhuc eſt ſub poteſtate Judicis; non tenetur illum cogere ad ſe retractandum, cum nemo teneatur prodere ſeipſum *ex Leg. Nimis grave ff. de Teſtib.* ſed tenetur illum admonere, ut poſterum veritatem aperiat, ſi iterum interrogetur : nam obligationem habet veritatem aperiendi Judici juſtè, ac legitimè interroganti; niſi fortè uti velit ſententia probabili, quam ſupra explicuimus, in cauſis ibi allatis. Sic Azor. *3. par. libr. 13. capit. 28. dubit. 5.* Sanchez *in Oper. Moral. lib. 3. cap. 7. nu. 5.* Layman *l. c.* Bonacina referens Leſſium *diſp. 10. Decal. quæſt. 3. punct. 2. num. 8.* & Card. Delugo *diſp. 40. num. 17.*

Quæres 3. an reus teneatur in conſcientia obedire 6
ſententiæ latæ ſecundum allegata, & probata? Reſp. ſi revera ſententia eſt injuſta, quia falſis probationibus, aut falſa præſumptione nititur, quamvis ſecundum Ordinem juris lata fuerit; non teneri reum ad illam ſervandam, eique obedire : ratio eſt, quia ſententia eſt lex quædam privata, & lex non obligat ad ejus obſervantiam, ac obedientiam, quando ſequitur contrarium fini à ſe intento; ergo neque obligabit ſententia, cujus finis eſt tribuere unicuique jus ſuum, ſi ex ejus injuſtitia ſequitur contrarium. Sic Valentia *tom. 3. diſput. 5. quæſt. 13. punct. 4.* Sotus *lib. 5. de Juſt. quæſt. 6. art. 4.* Reginaldus *lib. 25. numer. 146.* Filliuccius *tract. 40. capit. 9. quæſt. 5. numer. 269.* Bonacina *diſput. 10. Decal. quæſt. 3. punct. 2 num. 22.* & Leſſius *lib. 2. capit. 31. dubit. 4. num. 24.* qui dicit, eſſe communem. Notandum tamen, quòd non poſſit in tali caſu reus per vim ſe defendere contra Judicem, aut contra ejus Miniſtros volentes ſententiam exequi : & ratio eſt, quia Judex habet jus exequendi ſententiam, ſi eam protulit ſervato juris Ordine; ergo reus nequibit ei reſiſtere, niſi per injuriam, maximè quia ſequeretur ſcandalum, & perturbatio Reipublicæ, & boni communis, cui cedere debet bonum privatum. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt. 69. art. 4.* quem ſequuntur Leſſius, Reginaldus, Suarez, Sayrus, & alii penes Bonac. *l. c.*

Quæres 4. an teneatur in conſcientia reus ſolvere 7
pœnam, quam ſolviſſet, ſi veritatem in judicio non negaſſet? Reſp. ſi tenebatur ad illam etiam ante judicis ſententiam, teneri etiam poſt denegatam veritatem in judicio : cum denegatio in judicio non eximat ab ejus ſolutione, & ab onere contracto. Sic qui denegavit debitum contractum ex juſtitia coram judice, non inde eximitur in foro conſcientiæ ab onere ſolvendi illud. Sic etiam qui denegavit in judicio damnum illatum tertio ex ſua injuſta actione; non ideo eximitur ab onere reſarciendi illud, cum ſit pœna jure naturæ conſequens ad injuſtam actionem. Secus verò dicendum de pœnis non debitis, niſi poſt ſententiam judicis : ut ſi quis ob tale furtum damnari deberet ad mulctam aliquam pecuniariam, vel ad carceres, triremes &c. utique denegata veritate furti non tenebitur

bitur in conscientia ad illas pœnas: ratio est, quia denegans veritatem in Judicio, quamvis peccet contra Justitiam Legalem, non peccat tamen contra Commutativam, ex violatione cujus oritur restituendi obligatio: maximè quia pœna non debetur ante Sententiam Judicis. Sic Vasquez, Sanchez, Sayrus, Lessius, Reginaldus, Navarrus, Azor. relati à Bonac. *disp.* 10. *in Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 23.

8 Quæres 5. an reus possit è carcere fugere, vel illum confringere, aut vincula, ut fugiat? Resp. si non adstrinxerit secum juramento ad manendum in carcere, poterit fugere non solùm ante Judicis sententiam, verùm etiam post illam: ratio est, quia non solet conjici in carcerem, ut ibi sponte maneat, sed custoditur; ergo hoc ipsum signum est, quod retinet jus fugiendi; & sicuti potest Ministros Justitiæ vitare, ne capiatur; ita captus; & inclusus potest vitare, ne ibi detineatur: maximè si damnatus sit, vel damnandus erit ad pœnam capitis, vel mutilationis, aut ad æqivalentem, perpetuum scilicet carcerem, perpetuum exilium, aut triremes: cum quilibet tam magnum jus habeat à natura ad suæ vitæ conservationem, ut nulla potestas hominis adstringere eum possit ad non conservandam illam, si commoda spes effulgeat, nisi tamen huic bono privato bonum publicum opponatur. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Covarruvias *lib.* 1. *Var. capit.* 2. *num.* 11. Cajetanus, Salon, Aragonius 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Reginaldus *lib.* 24. *nu.* 148. Sotus *lib.* 5. *de Just. qu.* 6. *art.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 5. & alii multi.

Advertendum tamen: quod licèt reus fugere possit è carcere perpetuo, ad quem est damnatus; è perpetuo exilio; è triremibus, quia cogi nequit ad subeundas spontè tam graves pœnas. Nequibit tamen licitè è carcere temporaneo fugere in pœnam sui delicti: ratio est, quia jure ad hanc pœnam obligari potest à potestate humana, cum non sit adeo gravis, ut non teneatur eam spontè pati. Sic Lessius *l. c. nu.* 39. asserens, esse communem, Sà, *§. de Reo, nu.* 10. Angelus *verb. Fugere, num.* 1. & alii, quos refert Bonacina *disp.* 10. *in Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *nu.* 14. Poterit quoque reus, qui licitè potest fugere è carcere, & è vinculis illa perfringere: ratio est, quia cui finis licitus est, licita erunt & media ad finem necessaria; & sicuti licitum est reo damnato ad ignem, vel bestias, ignem extinguere si possit, vel bestias interimere ad mortem vitandam; sic vincula, vel carcerem disrumpere. Ita Lessius *l. c. n.* 36. referens Cajetanum, Sotum, & Navarrum. Sic etiam Valentia, Salon, Aragonius, Bannez, Filliuccius, Azor. Sayrus, & Reginaldus penes Bonacinam *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 16. contra Covarruviam, Sylvestrum, & Angelum. Neque dicas, sic permitti per fractionem, quòd inferatur injuria potestati publicæ, quo nil absurdius. Respondetur enim, potestatem publicam non consistere in lapidibus, & ferro carcerem, & vincula constituentibus; sed in Judice, ejusque Ministris, quibus minimè licitum est injuriam inferre. Sic Doctores superiùs citati.

9 Quæres 6. an teneatur reus reparare damna, quæ ex sua fuga sequuntur Custodi, carceri, & vinculis infractis? Resp. non teneri ad damna, quę Custodi sequuntur; nam si licitè fugere potest, utitur jure suo fugiendo; & damnum, quod sequitur, per accidens est, & suæ negligentiæ imputet Custos, si meliùs non custodierit. Sicuti neque tenetur ad reparanda damna, quæ sequuntur aliis; si effracto carcere alii inclusi effugiant cum damno actorum: quia per accidens sequuntur ex fuga licita rei, nec tenebatur illa impedire non utendo jure suo. Sic Cajetanus, Salon, Lessius, Aragonius, Reginaldus, Sotus, & alii penes Bonacinam *disput.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 13. & 18. Circa reparationem Carceris, & vinculorum effractorum, quamvis non obligent reum ad illam, etiam si justè detinebatur, Valentia, Sayrus, Reginaldus, & Bannez penes Bonacinam *l. c. nu.* 17. eo quia non habetur radix eum obligandi, si licitè fugam arripere possit. Nihilominus Salon, Aragonius, Toletus, Cajetanus, Sotus, Navarrus, Lessius, cum Bonacina eos referente probabiliùs illum obligant, si justè detinebatur, non ratione injuriæ illatæ, sed ratione taciti contractus: nam si justè detinetur, videtur consentire tacitè in compensationem damni, si quod directè inferatur per fugam. Verùm ut benè advertit Lessius, vix talis restitutio est in usu.

10 Quæres 7. an alii possint reo fugam suadere, aut auxilium præbere ad fugam arripiendam? Resp. licitum esse suadere reo fugam, si ei licitum est fugere; dummodo tamen suasor non sit Minister Justitiæ, cui ex Officio incumbit, potiùs reos custodire, quàm dimittere: ratio est, quia quod licitum est alteri, licitè suaderi potest; nec videtur cur consuli non possit id, ad quod alter habet jus, nisi id specialiter prohibeatur ratione Officii. Sic Lessius *lib.* 2. *capit.* 31. *dub.* 6. referens Cajetanum, & Sotum. Sic etiam Bonacina *disput.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 19. referens Sà, Reginaldum, Azor. Salonium, Toletum, & Filliuccium. Licitum quoque erit præbere instrumenta reo ad infringendum carcerem, vel vincula: quia si licitè consuli potest finis, cur non possint dari media ad finem consequendum? Sic Lessius *l. c. num.* 41. referens Cajetanum, & Salonium. Sic Tannerus *disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 5. referens Sylvestrum, Turrianum, & Vasquez. Sic denique Bonacina *l. c.* referens Azorium, Sayrum, & Filliuccium, contra Sotum, Valentiam, & Toletum oppositam sententiam sustinentes. Notandum hìc ex Lessio, Azorio, & Reginaldo, posse authoritate publica justis de causis prohiberi, ne quis auxilium, instrumenta, vel consilium præbeat reis ad fugam capiendam; & tunc in conscientia standum erit observantiæ prohibitionis illius: eo quia cum respiciat bonum commune, ejusque utilitatem; rectè obligare poterit in conscientia; nec illud jus, quod habet reus ad hæc facienda, habent reliqui, maximè quia observantia prohibitionis illius non est ita dura aliis, ut est dura reo. Licitum tamen non erit adiuvare reum, & cooperari cum illo ad fractionem carceris, vel vinculorum: ratio est, quia ad hanc immediatam operationem propter maximum incommodum, quod reo imminet; ipse solus jus habere videtur, non verò reliqui, aliàs nil esset securum, & firmum Ministris Justitiæ in reis custodiendis cum maximè Reipublicæ detrimento: est communis sententia teste Lessio *l. c. num.* 44.

Quæres 8. an licitum sit reo decipere custodem ad fu- 11
gam opportuniùs capiendam? Resp. præcisa omni vi, & injuria, quæ nullatenus fieri potest Custodi, sic enim violaretur jus ipsius, quod habet detinendi, & conservandi reum; poterit licitè reus uti mediis licitis ad fugiendum: ratio est, quia habet jus ad fugam, ergo ad media licita conducentia ad illam. Sic licitè tradere poterit cibum, vel potum, etiam in magna quantitate, ut somno oppresso custode faciliùs fugiat; quamvis cibus, & potus non debent esse medicati ad hunc finem ingerendi somnum innaturaliter, aliàs inferretur custodi injuria. Licitè quoque tradere poterit munera, & pecuniam ad custodis benevolentiam captandam, ut meliùs fugam arripiat; non verò tradere poterit, ut custos fugam concedat, quam minimè concedere potest. Licitè denique uti poterit æquivocationibus, & signis ambiguis, quæ facilè potuisset cognoscere Custos, aut probabiliter conjicere: cum uti his non sit vim inferre, sed potius demonstrare incuriam, & inadvertentiam custodis. Sic Azor. Sayrus, Reginaldus, Angelus, Tabiena, & Filliuccius relati à Bonacina *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 20. & 21. Illicitum tamen erit reo adhibere fraudem, quam custos cognoscere non possit; vel illum ligare, aut obturare ejus os, ne clamet, aut dum non evasit è carcere, trahere custodem illum retinentem, ne fugiat. Vide Reginaldum *lib.* 24. *num.* 150. & citatos Authores.

Quæres 9. an sit licitum reo occulta crimina Testium 12
aperire ad eorum testimonium infirmandum? Resp. si revera illa criminum occultorum manifestatio valet ad infirmandum testimonium, nec alia suppetit via reo repellendi à se incommodum, quod patitur; poterit ea aperire, nec peccat contra justitiam: ratio est, quia potest quisque se ipsum tueri mediis cum justo moderamine ordinatis ad sui defensionem; nec alter queri potest de injuria, cum sit invasor sponte. Crimina autem, quæ tunc aperiri possunt; sunt perjurium, crimen falsi, & omnia illa, ob quæ ipso facto incurritur excommunicatio, si non jam sit absolutus; vel incurritur infamia Juris, vel facti. Potest tamen accidere, quòd talis manifestatio sit contra Charitatem, ut si testis non se spontè ingesserit ad testimonium ferendum contra reum, sed coactus à Judice; vel si alia via minùs noxia data fuisset ad repellendum testem, & cum minori incommodo. Sic Lessius *libr.* 2. *cap.* 31. *dub.* 1. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 14. *pun.* 3. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 7. *art.* 3. Reginaldus *lib.* 24. *n.* 140.

Quæres 10. an reus possit impingere crimen menda- 13

cii, vel calumniæ accusatori? Resp. si accusatus sit de crimine occulto, quod juridicè probari nequeat, quamvis non peccet contra justitiam crimen negando, vel crimen mendacii, aut calumniatoris accusatori impingendo, eo quia accusator non patitur jacturam fam.ę, cum is, qui accusat de eo, quod probare nequit; calumniam inferre præsumitur, & per consequens mentiri. Peccat tamen contra Charitatem, cum posset se defendere simpliciter negando absque læsione accusatoris; nam infert majus malum accusatori, quàm necesse est ad sui defensionem. Sic Sylvester, Navarra, fundati in Div. Thoma, quos sequitur, & refert Lessius *lib.* 2. *capit.* 31. *dubit.* 2. *numer.* 6. Sic etiam Azor. & Filliuccius, quos refert Bonacina *disput.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 2. *numer.* 10. Si verò crimen non est occultum; aut si occultum sit; probari tamen possit in judicio; mortaliter peccat contra Justitiam reus similia crimina impingendo accusatori; ratio est, quia nullum habet jus apponendi hæc crimina, cum utatur Accusator jure suo, & sine sua culpa has pateretur injurias. Sic Doctores supraçitati.

14 Advocatus, ut rectè Officium suum in causis patrocinandis exerceat; debet sufficientem habere scientiam, ac diligentiam requisitam adhibere: nam si Cliens ob Advocati imperitiam, aut negligentiam causam suam perdiderit; tenebitur Advocatus ad restitutionem damnorum, quæ Cliens passus est: eo quia contra Justitiam peccavit, cum ea non fecerit, ad quæ ex Officio tenebatur. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 8. *nu.* 47. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 19. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 27. *nu.* 10. Rebellus, Sylvester, Soïus, Azor. relati à Bonacina *in Decal. disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 3. Adnotandum tamen: quod scientia Advocati non debet esse eximia, sed sufficit conveniens ad causam patrocinandam. Nec tenebitur ad eamdem diligentiam in omnibus causis, sed ad eam, quæ pro causę conditione requiritur; itaut si causa magni momenti sit, & magis difficilis; majorem teneatur adhibere diligentiam, ac studium; minorem verò, si causa minoris sit momenti, ac facilis. Sic ex Doctoribus çitatis.

15 Quæres 1. an quilibet Advocati Officium exercere valeat? Resp. affirmativè, si revera habilis sit ad illud exercendum, & non repellatur à Jure: ratio est, quia cum sit exercitium liberum, à quolibet agi poterit, dummodo habilitatem teneat ad illud: nam si naturalem impotentiam haberet, à tali exercitio ab ipsa natura repelleretur, ut mutus, surdus, furiosus, ac mente captus; vel si Juvenis esset, in quo scientia necessaria ad hoc munus pro dignitate obeundum non supponeretur, ut non supponitur ex Jure Canonico in non attingentibus decimum octavum annum,

Repelluntur à Jure Religiosi ab hoc munere exercendo, nisi in causis civilibus monasterii ob necessitatem etiam coram Judiçe laico: sic *ex Cap.* 1. *& Cap. final. de Postulan.* Clerici insuper in Sacris constituti, vel etiam in minoribus, si beneficium habeant *ex Capitib. çitat.* dummodo causa non sit pro sua Ecclesia, vel propria, vel pro conjunctis per consanguinitatem, non habentibus idoneum Advocatum; vel pro pauperibus, & miserabilibus personis. Quòd si Clerici in minoribus constituti beneficium non habeant; advocare poterunt non solùm in Civilibus, sed etiam in Criminalibus coram laicali Curia; ratio est, quia sicuti sine peccato possunt ad laicalem statum transire, ita etiam munus Advocati exercere. Vide Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *çap.* 26. *num.* 11. multos Doctores referentem,

16 Quæres 2. an teneatur Advocatus patrocinari gratis pauperibus? Resp. si in extrema necessitate constituti sint, & Advocati opera indigeant, nec reputatur, quòd alius tale patrocinium susceperurus sit; tenebitur Advocatus succurrere eis, & quidem gratis; ratio est, quia præçeptum Charitatis urget ad succurrendum extremè indigentibus, ut omnes Doctores fatentur cum Div. Thoma 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 1. & patet in eleemosym eroganda. Dicitur autem quis in extrema necessitate constitutus in nostro casu, quando illi apponitur crimen, quo damnandus sit capite, aut spoliandus omnibus bonis, & in extremam inopiam conjiciendus; ut rectè notat Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 7. *nu.* 45. In gravi verò necessitate erit, si damnandus esset ad triremes, ad carceres, exilium longo temporis spatio, vel ad publicam flagellationem, aut quid simile,

Sed difficultas insurgit: an eodem modo teneatur Advocatus succurrere in gravi necessitate constituto, ac tenetur in extrema? Resp. quamvis Navarrus, Cajetanus, & alii docuerint, non teneri sub gravi peccato Advocatum succurrere pauperi in gravi necessitate constituto, præbendo illi suum patrocinium. Nihilominus probabiliorem reputo sententiam eum obligantem, dummodo sine magno suo incommodo id præstare possit, videlicet si tempus quod insumit ad pauperem defendendum; superfluum sit ad comparanda ea, quæ suum statum decent: ut communiter dicitur de eleemosyna facienda in gravi necessitate constituto, cum utrobique videatur militare par ratio. Sic Sylvester, Sotus, & alii, quos refert, & sequitur Lessius *l. c. num.* 46. Sic etiam Banncz, Aragonius, Salon, Valentia, Sayrus, Angelus, Filliuccius, & alii penes Bonacinam *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 2.

Quæres 3. quas obligationes habeat Advocatus in causis susçipiendis à suis Clientibus? Resp. varias habere obligationes. Et 1. non potest sub gravi peccato causam susçipere, quam scit, esse injustam: ratio est, quia cooperaretur damno alterius, & censeretur causa efficax illius, adeoque teneretur ad restitutionem: & quidem parti adversæ teneretur ad restitutionem ex peccato commissionis ob damnum, quod illi positivè infert; Clienti verò teneretur restituere ex peccato omissionis, cum illum certiorem non fecerit de injustitia causæ, ad quod ex Officio tenebatur. Quòd si Cliens certior erat de injustitia causæ, non tenebitur Advocatus ad illi aliquid restituendum, cum scienti, & consentienti non fiat injuria; licèt teneatur ad restitutionem faciendam parti adversæ. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 8. *nu.* 48. Bonac. alios referens *l. c. nu.* 4. 17

2. Graviter peccat, & ad restitutionem tenetur Advocatus defendens articulum aliquem justum, sed causæ injustæ eo animo, ut sic adversam partem vexet, impediat, ac distrahat. nam censetur causam injustam defendere. Sic Trullench *lib.* 8. *cap.* 5. *dub.* 3. ex Cajetano, Sayro, & aliis, quos refert:

3. Tenetur sub gravi ante causæ acceptationem examinare ejus justitiam, & probabilitatem, ac eam sincerè Clienti aperire; nam si inani spe victoriæ, ac falsis promissionibus eum ad litigandum alliciat: peccat contra justitiam, & tenebitur ad reparandum damnum illatum clienti: eo quia si cliens sincerè statum causæ sciviset, non litigasset. Quòd si Advocatus statum causæ aperuerit clienti, & nihilominus eam prosequi voluerit; ad nihil tenebitur Advocatus, dummodo tamen causa illa aliquam probabilitatem habuerit; nam si esset apertè injusta, deberet Clientem deserere. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 8. *nu.* 48. Bonacina *de Peccatis disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 9. *num.* 16. & alii.

4. Peccat graviter Advocatus, si paratus sit ad quamcumque causam susçipiendam, nec absolvi potest: cum promptus sit ad favendum injustitiæ, si occurrerit, ac ad damnum inferendum, adeoque paratus erit ad peccandum. Sic Sayrus *libr.* 12. *capit.* 23. *numer.* 18. Quapropter si causa nullam probabilitatem habeat, aut ferè nullum, itaut nulla spes sit obtinendi victoriam, cum semper rejiciatur à Judicibus; nequibit illam Advocatus susçipere: eo quia talis causa communiter habetur, ut improbabilis. Sic Card. Delugo *de Justit. disp.* 41. *num.* 10.

5. Tenetur Advocatus, si progressu temporis videat injustitiam causæ; statim admonere clientem, ac suadere, ut desistat, aliàs obligabitur ad restitutionem, cum teneatur ad hoc faciendum ex Officio. Sic Tanner *quæst.* 4. *disput.* 6. *num.* 127. Nec potest vel ipse aut Judex compositionem suadere, vel transactionem: quia hæ cum damno partis non habent locum, sed solùm in causa dubia, non verò injusta. Quòd si sine damno partis, ac sine metu, fraude, aut vi inducat ad compositionem, vel transactionem; ad nihil obligabitur, quia nulli injuriam infert Advocatus, aut Judex. Sic Bonacina *disp.* 10. *Decal. quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. referens Velentiam, Navarrum, Sayrum, Lessium, & Layman.

6. Tenetur Advocatus sub gravi ad fidelitatem servandam Clienti in causa justè susçepta: quapropter si rationes fundamentales, & secreta causæ parti adversæ aperiat, ob quod litem amittat cliens; tenebitur ad damnum resarciendum: cum contra obligationem sui Officii faciat, ac injustè operetur. Sic Fagundez *in* 8. *Decal. Præc. cap.* 47. *num.* 13.

7. Tenetur denique incumbere expeditioni causarũ, ne

cum

cum prejudicio Clientum differat, poſtponat, aut plures acceptet, quàm par ſit : ſic enim eſſet cauſa damnorum, quæ Clientes patiuntur. Nec poteſt ſine peccato nimias dilationes, aut illicitas teſtium ſubornationes parti adverſæ apponere, maximè ſi hæc juſtam cauſam habeat. Aut utrique parti patrocinari, cum repugnet, utramque partem defendere poſſe in eadem cauſa; licèt poſſit in diverſis cauſis. Nec in eadem cauſa, in qua eſt Judex, vel Aſſeſſor; poteſt eſſe ſimul Advocatus : cum duo Officia oppoſita exercere non valeat. Vide Sylveſtrum, *verb. Advocatus, quæſt.* 2. Nec licitum eſt Advocato etiam in cauſa juſta producere ſcripturas, inſtrumenta, aut falſos teſtes; vel Leges falſas, abrogatas, aut doctrinam reprobatam adducere; vel bonas Leges ſciens, & prudens in falſos detorquere ſenſus. Vide Div. Thomam 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 1. quem ſequuntur paſſim Doctores.

18 Quæres 4. an poſſit Advocatus cauſam dubiam ſuſcripere? Reſp. in civilibus poſſe ſuſcripere cauſam, quam voluerit ex dubiis, & probabilibus, imò minùs probabilem, dummodo tamen probabilis ſit, dummodo tamen admoneat Clientem de minori probabilitate : ratio eſt, quia utraque pars habet jus proferendi in judicio ſuas rationes, etiamſi minùs probabiles ſint; ergo Advocatus poterit illarum patrocinium ſuſcipere, maximè quia non ſemper eſt verius in judicio, quod probabilius videtur extra illud. Sic Vaſquez, Salas, & Cardin. Delugo relati à Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 4. In Criminalibus verò licèt poſſit ſuſcipere cauſam rei, etiam nocentis, ut mortem, vel aliam pœnam evadat, cum non teneatur reus ad tales pœnas, niſi convictus & dum convictus non eſt, poteſt per ſe, vel per alium eam avertere. Quapropter fit quòd Advocatus dum reum defendit contra Fiſcum, nil Fiſco teneatur reſtituere ob damnum, quod patitur ex non confiſcatione bonorum rei : cum pœna non debeatur, niſi poſt ſententiam : ut docent expreſsè Leſſius, Salon, Bannez, & Sayrus penes Bonacinam *in Decal. diſput.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *numer.* 7. Non poteſt tamen ſuſcipere cauſam dubiam actoris contra reum : ratio eſt, quia ſi peccat actor in cauſa criminali dubia agendo contra reum; debebit pariter peccare Advocatus cauſam illam advocando. Sicuti non poteſt in Civilibus cauſam dubiam ſuſcipere actoris contra poſſidentem, ſi nil evincere poſſit ſuperans dubietatem; aliàs ſi in dubietate videat remanſuram cauſam, injuſtè poſſeſſorem vexabit, pro quo judex tandem judicare debebit. Vide Cardin. Delugo *de Juſt. diſp.* 41. *num.* 7. & Salas *in* 1. 2. *diſp.* 5. *ſect. ult. num.* 108. alios referentem.

19 Quæres 5. quod nam ſtipendium accipere poſſit Advocatus? Reſp. ſi à Lege taxatum fuerit, huic ſtandum erit, cum ſit legale, & ab habente authoritatem impoſitum ob evitanda inconvenientia. Quod ſi à Lege non fuerit taxatum, illud reputandum erit juſtum ſtipendium, quod à conſuetudine approbatum ſit. Quod ſi ex conſuetudine colligi non poterit, ſtandum judicio prudentum, attenta qualitate negotii, ac labore, nec non dignitate, peritia, ac ſcientia Advocati. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 4. Salon, Bannez, Aragonius *ibidem*. Non poterit tamen paciſci de certa quantitate litis, aut de medietate, ſi victoriam reportet : cum hic aditus vincendi lites per fraudes præcluſus ſit Advocatis *ex Leg. Sumptus, ff. de Pactis*. Vide Navarrum *in Man. cap.* 15. *num.* 30. Non erit tamen illicitum convenire de aliquo præmio ultra ſtatutum ſtipendium, ſi victoriam conſequatur; dummodo tamen moderatum ſit, nec à Lege prohibitum : cum hoc non ſit pactum de parte litis, quod à jure damnatur. Sic Divus Antoninus, Sayrus, Navarrus, Azor. Reginaldus, Sylveſter, Layman, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſput.* 10. *Decal. quæſt.* 3. *punct.* 4. *numer.* 10. An verò teneatur ſtipendium promiſſum pro lite relinquere, ſi cliens litem inchoatam deſerat, vel alio modo ſe componat cum Adverſario? Reſp. negativè dummodo paratus ſit ex parte ſua ad litem proſequendam, nec per ipſum deficit, quin Clients utatur opera ejus : ratio eſt, quia *ex Leg. Qui operas, ff. Locat.* conductor, qui ob ſuam culpam non utitur re conducta; tenetur integram penſionem ſolvere; ergo Advocatus, qui operam ſuam clienti locavit, poterit illam recipere. Sic Molina, Reginaldus, Azor. & alii relati à Bonacina *de Contract. diſput.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *numer.* 11. Secus verò dicendum, ſi cul-

pa, vel impedimento, aut majori emolumento Advocati id fiat; tunc enim ob defectum locatoris non uteretur Conductor re conducta. Sic Doctores citati.

Procurator multas habet obligationes valde conſimiles Advocato; quapropter ne actum agamus, eas breviter reſtringimus. Debet igitur ſufficientem habere ſcientiam, ac convenientem Officio, quod exercet; aliter graviter peccabit, & ad reſtitutionem damni ſequentis tenebitur. Debet pariter eam diligentiam adhibere, quam qualitates, & momenta cauſarum requirunt. Juſtitiam cauſæ conſiderare debet, antequam acceptet. Fidelitatem ſervare juxta obligationem Officii, quod exercet. Stipendium juſtum accipere juxta Statuta Legum, vel receptas conſuetudines, aut juxta arbitrium Virorum prudentum attentis, & perpenſis circumſtantiis. Hinc fit, graviter peccare Procuratorem, ſi plures acceptet cauſas, quas expedire non poteſt. Si ob ſuam incuriam, negligentiam, aut aliam culpam lis deperdatur. Si juret nomine partis abſque particulari informatione partis, cum ſe exponat periculo pejerandi. Si ob ſuam culpam Tribunali non adſit. Si reo, vel parti ſuadeat injuſtè denegationem veritatis. Si clientem inducat ad concordiam iniquam. Si cauſam protrahat, vel Judicem pervertat, aut ſuperfluas dilationes, ac terminos impertinentes petat. Si teſtes inducat ad teſtandum falſum. Perſpicuum namque eſt in his peccare, ſunt enim contra proprium Officium, & cum detrimento aliorum, quod obligationem reſarciendi inducit. Vide Reginaldum *libr.* 25. *numer.* 68. Toletum *libr.* 5. *capit.* 61. & alios. 20

Notarius Publicus, ſeu Tabellio ſuas etiam habet obligationes, contra quas peccare poteſt. Tenetur ergo ad ſcientiam convenientem ſuo Officio eorum, quæ propria ſunt Officii ſui : ſic ſunt Clauſulæ, quæ in contractibus apponi conſueverunt; & aliæ Solemnitates, quę à Jure præſcribuntur, & ſervari, ac adhiberi ſolent : cum quilibet teneatur ea ſcire, quæ ad proprium Officium ſpectant, ut ritè ac dignè illud exercere poſſit. Hinc fit : quòd ſi ob Notarii negligentiam, aut ignorantiam aliqua ſolemnitas omiſſa fuerit, ex qua ſequatur damnum parti; teneatur ad illud reſarciendum. Unde jure optimo Tridentinum *ſeſſ.* 22. *capit.* 10. *de Reform.* ſtatuit : ut Epiſcopus Notariorum ſufficientiam ſcrutetur, & minùs idoneos à negotiis Eccleſiaſticis repellat. Vide Covarruviam *capit.* 20. *Practic. Quæſtion.* 21

Peccat ergo Notarius contra obligationem ſui Officii, ſi acta, & protocolla cum negligentia, & damno partium cuſtodiat. Si Teſtamentum conſcribat hominis non habentis uſum rationis. Si juramentum à ſe emiſſum violet contra fidelitatem debitam bono publico. Si ſecretum violet aperiendo parti adverſæ ea, quæ ſecretum requirunt, ut eſſent dicta Teſtium ante publicationem. Si occultet parti petenti inſtrumenta, quæ denegare non poteſt; maximè ſi legata contineat. Si in depoſitione Teſtium aliquid addat, vel detrahat, quod ſit notabile. Si examen committat Miniſtro tranſcriptori cum periculo erroris, & damni alterius. Si in ſcripturis erogandis ultra juſtum pretium exigat, aut dilationem intromittat, ut pecuniam extorqueat. Si ſcienter inſtrumentum uſurarium, vel falſum coficiat. Si amiſſo inſtrumento antiquo publico aliud ſimile conficiat. Si legata ad pias cauſas facta non manifeſtet intra tempus ſtatutum. Vide Bonacinam alios referentem *diſput.* 10. *Decal. quæſt.* 3. *punct. ult.*

CAPUT VI.

De Judicio Temerario, Suſpicione, & Dubitatione.

1 *Quid ſit Judicium Temerarium? Quid Suſpicio? Quid Dubitatio, & quomodo differant inter ſe?*
2 *Si Judicium oriatur ex juſtis cauſis, & ſufficientibus indiciis; non erit Temerarium?*
3 *Quænam ſint juſtæ cauſæ, & ſufficientia indicia ad non judicandum temere?*
4 *Judicium temerarium deliberatè, & cum plena advertentia factum de gravi malo proximi*

ordinariè est grave peccatum, & contra Justitiam.

5 *An sit peccatum grave temerè judicare de aliquibus defectibus naturalibus proximi, ac inculpabilibus?*

6 *An temere judicare de aliquo indeterminatè in re gravi; aut de aliquo determinato, qui nec cognoscitur, nec cognosci potest; sit grave peccatum?*

7 *An ex Judicio temerario oriatur restituendi obligatio?*

8 *Suspicio Temeraria regulariter est leve peccatum.*

9 *An qui de alio malè suspicatur cum sufficienti motivo, possit suspicionem suam alteri aperire?*

10 *Quomodo discerni possit suspicio à judicio temerario, quando non est expressa formido de oppositio?*

11 *Dubitatio temeraria, si ex errore humani intellectus procedat; est leve peccatum; si ex pravo affectu, & malevolentia est grave peccatum.*

12 *An ex indiciis dubiis possit quis dubitare, ita rem esse; ac opinari rem illam probabilem, ac verosimilem.*

13 *An dubia in meliorem partem interpretanda sint?*

14 *An licitum sit aliquando, dubia in deteriorem partem explicare?*

1 EXPLICATIS iis, quæ ad læsionem famæ proximi in judicio spectant; remanet pertractandum de aliis læsionibus famæ extra Judicium, cum æquè prohibeantur per hoc Octavum Decalogi præceptum: & primò de judicio Temerario, Suspicione, & Dubitatione. Judicium Temerarium, Suspicio, & Dubitatio differunt inter se: nam judicium Temerarium est firma animi sententia, & assensus indubitatus malitiæ proximi ex levibus indiciis: quod si ex justis causis, & sufficientibus indiciis haberetur firma sententia, & assensus indubitatus; non esset judicium temerarium, sed rationi consonum, ac fundatum. Suspicio non est assensus, & judicium determinatum, sed inclinatio ex levibus indiciis ad assensum cum formidine oppositi, quæ fit per motus quosdam imperfectos, & indeliberatos assentiendi, vel quia species aliqua veri subluceat potiùs in hac parte, quàm in alia. Dubitatio tandem est, cum animus hæret suspensus in medio in neutram partem inclinans. Sic communiter Doctores.

2 Dixi, quòd judicium non sit temerarium, si ex justis causis & sufficientibus indiciis oriatur: cum sit assensus indubitatus, & firma sententia innixa non levibus indiciis sed probabilibus, & sufficientibus; adeoque non temere efformata, sed cum conformitate ad rectam rationem, ac prudentiam: quapropter jus proximi minimè violari poterit per tale judicium, cum proximus non habeat jus, ne alter malè judicet dè se ipso, quando probabilia, & sufficientia indicia habet. Sic Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. & cum eo Valentia. Sayrus, Molina, Navarra, Reginaldus, Aragonius, Bannez, Salonius penes Bonacinam *de Restitut. disp.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. *num.* 2.

3 Inquiritur ergo hìc: quænam sint probabilia, & sufficientia indicia, ac justæ causæ ad non temere judicandum? Resp. illa esse, quæ bene perpensa sufficienter movere possunt virum prudentem, & cordatum ad tale judicium formandum. Colligi autem possunt ex variis circumstantiis Loci: ut si judicium formetur de adolescente ingrediente domum, in qua Meretrices inhabitare solent; vel in obscuro loco lascivè puellam amplectente, quæ non sit ejus sponsa; quod peccare velit: nam tale judicium temerarium non erit, quia simile judicium vir prudens, & cordatus formaret. Temporis: ut si noctu de ascendente scalam, & ingrediente domum alterius per fenestram, aut aliam partem inusitatam pedetentim, & cum silentio judicetur, quod aliquod malum patrare velit per furtum, homicidium, aut quid simile, nec hic, & nunc aliud judicari potest; non temere judicabit: quia vir prudens, & cordatus simile judicium formaret. Personæ laborantis infamia: ut si de aliquo, quem constat, varia commisisse furta, vel homicidia; judicetur, furtum, aut homicidium ab eo commissum fuissè: nam simile judicium vir prudens formaret, cum de eo minora indicia requirantur ad judicandum, quàm de aliis non laborantibus tali infamia, nec solitis similia facere. Addi possunt aliæ circumstantiæ famæ, & personæ: ut si persona aliqua fide digna referat de alia persona non honesti nominis delictum aliquod ab ea commissum probabiliter; non erit temerarium judicare, rem ita esse; aut si fama habeatur per Urbem, Cajum fuisse, qui Petrum occidit: si quis ità credat, vel judicet; non temere judicabit: quia vir prudens, & cordatus non imprudenter sic crederet, & judicaret. Non nego tamen, quòd aliquando unum sufficiat indicium ad firmiter judicandum; aliquando verò plura requirantur juxta arbitrium virorum prudentum, & cordatorum. Sic Navarra *lib.* 2. *capit.* 4. *numer.* 447. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 11. Sotus 3. *de Justit. quæst.* 4. *art.* 3. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *punct.* 3. & Reginaldus *lib.* 24. *num.* 24.

4 Judicium Temerarium de gravi malo proximi deliberatè, & cum plena advertentia factum ordinariè est grave peccatum, & contra justitiam: ratio est, quia irrogatur gravis injuria proximo, dum sine causa, & absque sufficientibus indiciis improbus reputatur: habet siquidem jus proximus ad suum bonum nomen, ac famam; & res perinde se haberet, ac si ei falsum quoddam crimen apponeretur: maximè quia ex judiciis temerariè factis gravia sequi solent mala, ac incommoda, si in actum externum prodeant; & si interiùs maneant, inferunt pravam opinionem proximi, bonam extinguunt, contemptum generant, & Charitatem impediunt. Confirmatur ex Scripturis, nam *Matth.* 7. & *Luc.* 6. ait Christus Dominus: *Nolite judicare, & non judicabimini*, quibus verbis, ut rectè observant D. Basilius, Ambrosius, & Augustinus inter cætera prohibet judicium temerarium. Pauli 1. *ad Corinth.* 4. *Nolite ante tempus judicare. Ad Romanos* 14. *Tu qui es, qui judicas alienum servum? Jacobi* 4. *Qui detrahit fratri suo, aut qui judicat fratrem; detrahit Legi, & judicat Legem*; & infra, *Tu autem qui es, qui judicas proximum*. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2. *à num.* 11. & alios Doctores passim.

Tria hìc adnotanda sunt. 1. quòd ut judicium temerarium sit grave peccatum, debeat esse de re gravi; nam si absque sufficientibus indiciis judicaretur de proximo in re levis momenti, & quam proximus parvi penderet; non esset grave peccatum, sed leve: ut si judices, militem furibundum deditum esse rixis; aut juvenem effrenem deditum esse amoribus: ratio est, quia tale genus hominum parvi existimat similia judicia, adeoque nulla illis gravis injuria irrogatur. Sic Lessius *l. c. num.* 14. Bonacina *de Restit. disp.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. *num.* 4. referens Molinam, Valentiam, Salonium, & Sayrum.

2. Quòd deliberatè, & cum plena advertentia fiat; nam si indeliberatè, & inadvertenter fiat, etiamsi in materia gravi; non erit grave peccatum: e. g. si quis videns adolescentem cum puella loquentem statim mente concipiat inhonestum aliquod, non reflectens non habere signa sufficientia ad hoc judicandum, seu ad temeritatem sui judicii; non deliberatè, & cum plena advertentia judicabit, sed potiùs ex indeliberatione, & inadvertentia, ac ex primo motu præveniente libertatem in voluntate: quapropter non peccabit graviter sic judicando, etiam si ad longum tempus sic perseveret. Quamvis incipiente advertentia, vel dubietate de suo temerario judicio, non habente sufficientia indicia; teneatur statim repellere, & peccat perseverando in illo, cum incipiat esse deliberatum, & voluntarium, ac de re gravi formatum. Sic Bannez, Aragonius, Salonius, Valentia, Reginaldus, Sayrus, Lessius, Sà, & alii penes Bonacinam *de Restit. disput.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. *num.* 4.

3. Quòd judicium non habeat magnam probabilitatem, nam licèt indicia, quæ habet, non sint sufficientia ad certum, & firmum judicium ferendum, seu non fundent moralem certitudinem; nihilominus si magnam habent probabilitatem, quę reddit rem credibilem, & verosimilem quamvis non moraliter certam; judicium subsequens non erit temerarium, graviterque peccaminosum sic qui adolescentem reperit cum puella in solitario loco, vel obscuro; judicat inhonestum aliquod meditari; non graviter peccabit: ratio est, quia moralis certitudo, & magna probabilitas parùm inter se distare videntur: quapropter judicans moraliter certum, quod est valde probabile; parum aberrat, maximè cum hæc certitudo non excludat omnem formidinem in oppositum. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2. *nu.* 13. Molina *tom.* 4. *disp.* 16. *num.* 9. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 448. Sotus 3. *de Just. quæst.* 4. *art.* 3. & Reginaldus *lib.* 24. *num.* 27.

5 Quæres 1. an sit peccatum grave temere judicare de aliqui-

aliquibus defectibus naturalibus proximi, ac inculpabilibus? Resp. si ex tali judicio nil deperdatur bonæ opinionis, ac existimationis proximi, nec aliquid ei sequitur incommodi, & contemptus; non esse grave peccatum: ratio est, quia cum tales defectus sint naturales, & ex se non imputabiles ad culpam proximo, & ex alia parte nullum ei sequitur incommodum; nulla ei irrogatur injuria per tale judicium. Sic temere judicare aliquem spurium, vel ex Judæis, aut Saracenis trahentem originem, aut esse claudum, aut surdastrum; sed sua dexteritate occultare defectum, aut quid simile, non erit grave peccatum, dummodo ex hoc non sequatur contemptus proximi, aut diminutio bonæ opinionis, vel impedimentum non consequendi aliquod Officium, beneficium, Matrimonium, &c. Sic expresè Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2. *num.* 14. referens Navarram, Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 11. *dub.* 4. & Filliuccius *tract.* 40. *quæst.* 3. *num.* 19. Secus vero dicendum, si similia incommoda sequantur; erit tunc grave peccatum sic temere judicare de defectibus naturalibus, ac inculpabilibus proximi: eo quia absque sufficientibus indiciis sequerentur hæc incommoda proximo, adeoque violaretur ejus jus. Sic Lessius *l. c.* Valentia, Sotus, Molina, Sayrus, Reginaldus, Sà, & alii, quos refert Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 6.

6 Quæres 2. an temere judicare de aliquo indeterminatè in re gravi; aut de aliquo determinato, qui nec cognoscitur, nec cognosci potest; sit grave peccatum? Resp. negative, quia nulli irrogatur gravis injuria secundum prudentem existimationem hominum. Secus tamen esset, si licèt non cognoscatur, cognosci tamen posset; tunc enim irrogaretur injuria; ut rectè advertit Turrianus *disp.* 53. *dub.* 10. *num.* 14.

7 Quæres 3. an ex judicio temerario oriatur restituendi obligatio? Resp. ex eo præcisè non oriri obligationem restituendi: ratio est, quia cum sit actus merè internus non poterit ex eo consurgere talis obligatio; sicuti non consurgit ex actibus merè internis furandi, occidendi, adulterandi; actiones siquidem externæ injustè damnificantes inducunt obligationem restituendi. Si tamen exteriùs prodeat, ut si manifestaretur tale judicium temerarium, non manifestata levitate indiciorum; committeretur grave peccatum detractionis obligans sub gravi ad restitutionem, supposita tamen gravitate materiæ. Ita Molina *disp.* 16. *num.* 13. Rebellus *lib.* 2. *quæst.* 10. *sect.* 10. *num.* 4. Filliuccius *tract.* 30. *cap.* 1. *quæst.* 7. *num.* 9. Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 11. & alii.

8 Suspicio temeraria, præcipuè si oriatur ex errore intellectus putantis, illa indicia esse sufficientia ad suspicandum; regulariter est leve peccatum: ratio est, quia per suspicionem non irrogatur gravis injuria bonæ existimationi proximi, cum non deturbetur totaliter à possessione illius, maximè si habeat animum paratum ad suspicionem corrigendam, ubi adverterit insufficientiam indiciorum. Adde quòd talis suspicio potiùs provenit ex imbecillitate judicii humani, quàm ex malitia, aut pravo affectu; est enim suspicio ista judicium imbecille, & vacillans, conjunctum cum notabili formidine de oppositò; ergo regulariter erit leve peccatum. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. ex D. Augustino *tract.* 90. *in Joannem*, Navarra *lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 454. Navarrus *in Rubric. de Judiciis num.* 48. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 3. *num.* 18. & Bonac. cum aliis *de Restit. disp.* 7. *quæst.* 7. *pun.* 1. *n.* 4. Si verò non tam ex errore intellectus, quàm ex pravo affectu voluntatis, ac malevolentia temeraria suspicio haberetur de proximo, & cum advertentia ad levitatem indiciorum; grave peccatum esset: nam talis suspicio non oriretur ex fragilitate, & errore humano; sed ex malitia, & malevolentia, ut contemnat, & pro nihilo habeat, ac injuriam inferat: sic si quis de viris probis, & religiosis malè suspicaretur, eos esse hæreticos, impuros, & honoris causa ac quæstu omnia facere, ductus tamen ex levitate indiciorum; graviter peccaret, & gravem inferret injuriam, & si in tali suspicione persisteret, pertinax esset in suo peccato, nec ullam excusationem mereretur, cum voluntariè persisteret. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 3. *num.* 21. Bannez, Aragonius, Salon, Valentia, Reginaldus, Filliuccius, Sayrus, Azor. Sà relati à Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 4.

9 Quæres 1. an qui de alio malè suspicatur cum sufficienti motivo, possit suspicionem suam alteri aperire? Resp. non posse: quia læderet ejus famam, ac bonam ejus existimationem; ad eum modum quo proximi famam læderet, qui verum delictum, sed occultum alteri patefaceret. Nisi tamen hoc fieret à fuspicante ob finem honestum consultationis cum viro prudente; & nisi res sit adeo manifesta, ut eadem suspicio habeatur in aliis: quia tunc non læderetur saltem notabiliter fama proximi. Sic Salon 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 20. Sà *verb. Judicium Temerarium num.* 2.

Quæres 2. quomodo discerni possit suspicio à judi- 10
cio temerario, quando non est expressa formido de oppositò? Resp. attendendum esse ad conscientiam dubitantis de suspicione, aut de judicio temerario: nam si dubitans est timoratæ conscientiæ, & interrogatus, si advertisset tunc, judicium esse temerarium, liberè consensisset, & respondeat, quod non; tunc censendus erit, merè suspicionem habuisse ex errore humani intellectus; non verò judicium temerarium: quia viri timoratæ conscientiæ semper præsumuntur agitari scrupulis, & ferè credunt temere judicasse, quando suspicantur involuntariè, & ex errore humano. Si verò dubitans non sit timoratæ conscientiæ, & interrogatus, an rem illam pro certo habuerit, si respondeat, ubi certam, vel ferè certam videri; judicium temerarium fecit: si verò dicat, non videri certam, imò facilè falli posse; suspicionem habuit. Sic Sayrus *l. c. num.* 9. & 15. Molina *tom.* 4. *disp.* 13. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 24. *nu.* 25. Bonacina cum aliis *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 10.

Dubitatio temeraria, si ex errore humani intelle- 11
ctus procedat; erit leve peccatum: si verò ex pravo affectu, ac malevolentia procedat; erit grave peccatum, ut dictum est de suspicione temeraria, nam de illis pariter discurrunt Doctores: ideoque si quis dubitans de probitate proximi sui, & advertit non habere justam causam dubitandi, nec dubitationem repellit, sed pertinaciter in ea persistit; graviter peccat, quia gravem irrogat injuriam proximo, supposita gravitate materiæ dubitationis. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 3. *num.* 25. & DD. supracitati pro Suspicione temeraria. Adnotandum hic ex Lessio *l. c. dub.* 2. *num.* 7. & *dub.* 3. *num.* 25. dubitare minus esse, quàm suspicari, & suspicari minus esse, quàm judicare: adeoque majora indicia requiri ad judicandum, quàm suspicandum, vel dubitandum; & majora ad suspicandum, quàm dubitandum: ratio est, quia qui dubitat de probitate proximi, hæret anceps, & in neutram partem inclinat; qui verò suspicatur, in unam partem inclinat; qui randem judicat assensu firmo, fertur in unam partem absque formidine alterius partis.

Quæres 1. an ex indiciis dubiis possit quis dubitare, 12
ita rem esse, ac opinari rem illam probabilem, ac verosimilem? Resp. affirmativè: & ratio est, quia habens indicia sufficientia ad firmiter judicandum licitè judicat; ergo habens indicia dubia sufficientia ad dubitandum, & opinandum, rem ita se habere probabiliter, & verosimiliter; licitè dubitat, & opinatur: cum eadem militet ratio, & utrumque conforme sit rectæ rationi Confirmatur, quia per tale dubium, ac opinionem non infertur gravis injuria proximo, cum non deturbetur, à totali possessione suæ bonæ æstimationis. Sic Navarra *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 448. Molina *tract.* 4. *disp.* 16. *num.* 7. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 11. *dub.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 4. *num.* 38. & Reginaldus *lib.* 24. *numer.* 26.

Quæres 2. an dubia in meliorem partem interpre- 13
tanda sint? Ad clariorem quæsiti intelligentiam præmittere oportet nonnulla. Et 1. dubium esse posse de Personis, an scilicet Cajus sit bonus vir, aut improbus; an occiderit Titium, aut aliud crimen commiserit, an non. Et posse esse de rebus, seu actionibus, quæ ob bonum finem fieri possunt, vel malum, aut saltem indifferentem; an scilicet talis contractus sit licitus potiùs, an illicitus; an deambulatio Caji fuit ob bonum finem, an potiùs malum, vel indifferentem.

2. Dubium dupliciter posse interpretari, ac explicari positivè scilicet, quando quis, quod melius est, judicat, aut quod deterius est. Et negativè, quando quis nec melius judicat, nec deterius, sed rem in ancipiti relinquit, aut suspendit judicium à judicando in bonum, vel malum applicando mentem ad aliud: nam aliud est dubitare de re aliqua, aliud judicium suspendere de re illa.

3. Dupliciter dubium interpretari posse in deterio-

rem

rem partem ſpeculativè, & praticè. Speculativè interpretatur in deteriorem partem, quando quis opinatur in dubio, an Cajus occiderit Titium e. g. verius eſſe, quòd occiderit, quamvis non reputet Cajum homicidam, cum adhuc res incerta, ac dubia ſit. Practicè quando non ſolùm opinatur, ut verius, Cajum occidiſſe Titium, ſed interno actu ſuo cenſet, & reputat Cajum homicidam. His præmiſſis

Reſp. 1. in dubiis de rebus, & actionibus externis, præſcindendo à fine interno, & voluntario, quo factæ fuerint à Perſonis; non habetur obligatio iterpretandi dubium ortum de illis in meliorem partem; ſed æſtimandæ erunt ſecundum earum momenta, quæ extrinſecus apparent: ratio eſt, quia in judiciis rerum inquirenda eſt veritas, & ad hanc attendendum eſt præſcindendo ab eo, an alicui injuria inferatur: ſic in dubio orto, an talis contractus celebratus ſit illicitus, vel licitus. Theologus non habet obligationem interpretandi illum illicitum, ſed attentis momentis illius judicare illum illicitum, vel licitum. Eſt communis ſententia.

Reſp. 2. in dubiis ortis de bona, vel mala æſtimatione perſonarum; vel de bono, aut malo fine ſuarum actionum; erunt in bonam, & meliorem partem interpretanda: ratio eſt commune illud Doctorum effatum, in dubio non eſſe præſumendum delictum; nam ſtat in poſſeſſione ſuæ bonæ famæ proximus, à qua per dubium minimè deturbari poteſt: colligitur *ex Leg. Merito, ff. Pro Socio*, ſic expreſsè D. Thomas 2. 2. *quaſt.* 60. *art.* 4. qui refert D. Auguſtinum *de Sermon. Domin. in Monte ſuper illa verba*: *Nolite judicare*, ſic dicentem: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant; in meliorem partem interpretemur.*

Sed difficultas inſurgit: an teneamur poſitivè interpretari dubium in meliorem partem, per actum ſcilicet poſitivum, quo putemus, & credamus, noſtrum proximum probum non peccaſſe; aut bonam intentionem, & finem habuiſſe; vel ex ignorantia inculpabili, & inadvertentia feciſſe? An tantùm negativè, non cenſendo illum improbum, patratorem delicti, aut peccaſſe? Quapropter

Reſp. 3. non teneri nos dubium interpretari in meliorem partem poſitivè; ſed ſufficere negativè tantùm: ſic ſi videat quis Titium bene comedentem, & bibentem; non tenetur poſitivè judicare, eum ſic comedere, & bibere ex neceſſitate naturæ potiùs, quàm ex paſſione gulæ; ſed ſat eſt ut non judicet, eum ex gula moveri; aut ſuſpendat judicium ſive de neceſſitate, ſive de gula: ratio eſt, quia licèt proximus habeat jus, ne de illo malè judicemus; non habet tamen jus, ut de illo bene poſitivè judicemus, maximè quia hic modus judicandi, utpotè expoſitus notabili periculo errandi, non poſſet eſſe actus virtutis, aut ad actum virtutis neceſſarius; ergo non tenemur ad ponendum illum. Sic Bannez 2. 2. *quaſt.* 60. *art.* 4. Salonius, & Aragonius *ibidem*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *pun.* 4. Molina *tract.* 4. *diſp.* 17. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub* 4. *n.* 33. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 23.

Adnotandum tamen hic quòd ſi velimus actum poſitivum elicere in judicando; tenemur ad bene judicandum potiùs per actum poſitivum, quàm malè: ratio eſt, quia in dubiis, & in pari cauſa *ex Regul.* 65. *de Regul. Jur. in* 6. melior eſt conditio poſſidentis; ergo ſi ſtat in poſſeſſione bona fama proximi, nec indicia ſunt ſufficientia ad deturbandam illam à ſua poſſeſſione, una ſemel quòd per actum poſitivum judicare velimus; debemus actum poſitivum de bono elicere, non verò de malo. Quapropter in caſu ſuperiùs adjecto, una ſemel quòd non velimùs judicium ſuſpendere de comeſtione, & compotatione Caji, non judicando benè, neque malè, ſed poſitivè judicare velimus; tenemur ad judicandum bene, quòd ſcilicet non ex gula, ſed ex neceſſitate comedat, & bibat. Sic Doctores ſupracitati.

Reſp. 4. in dubio negativo de bonitate, vel malitia proximi, quando videlicet in neutram partem ſuppetunt rationes, neque pro bonitate, neque pro malitia; erit contra juſtitiam malè opinari de proximo, non ſolùm practicè, verùm etiam ſpeculativè: ratio eſt, quia unuſquiſque habet jus, ne de ipſo mala opinio habeatur, dum non extant ſufficientia indicia, & poſitivæ rationes ad illam inſinuandam. In dubio verò poſitivo, quando videlicet habentur rationes, & argumenta ad probabiliter opinandum utramque partem; erit contra juſtitiam malè opinari practicè, hoc eſt, non ſolùm interiùs animo, verùm etiam exteriùs habere proximum tamquam malum, & improbum: ratio eſt, quia in dubio expoſcit juſtitia, ut nemo condemnetur criminis non ſolùm interiùs, verùm etiam exteriùs: cum unuſquiſque habeat jus, ne pro crimine incerto inferatur ipſi certa infamia. Non erit tamen contra juſtitiam opinari malè de proximo ſpeculativè cum formidine de oppoſito: ratio eſt, quia in dubio poſitivo non habet jus proximus, ut de illo malè non ſuſpicemur, aut opinemur, habentur ſiquidem ſufficientia indicia, & argumenta ad probabiliter opinandum de malo, & bono; ergo non infertur illi injuria per malam opinionem ſpeculativam, maximè quia habetur formido de oppoſito, & practicè non reputatur talis. Erit tamen contra Charitatem ſic opinari, & ſuſpicari; quia Charitas expoſcit, & obligat nos ad vitandam omnem malam opinionem de proximo, etiam ſpeculativam, eſt enim aliquod malum proximi, nec in dubiis de bono, vel malo neceſſitamur, ac cogimur ad opinandum potiùs malum, quàm bonum; nec hoc exigit Prudentia, cum talis opinandi modus ſit fallax, & eligibilius eſt errare circa proximum cum bona opinione illius, quàm cum mala. Vide Leſſium doctè de hac re pertractantem *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 4. *à n.* 36.

Quæres 3. an licitum ſit aliquando dubia in deteriorem partem interpretari, ac explicare? Reſp. ſi aliquod damnum vitandum ſit, aut aliquod remedium adhibendum: ut ſi novum ſervum domi tuæ accipias, cujus fidelitas, & probitas tibi ignota eſt, & de qua dubites, Aut ſi Superior dubitet de crimine ſubditi, cui aptare velit remedium ad emendationem, vel cautelam mali; licitum erit in deteriorem partem dubium ortum accipere, non judicando quidem definitivè, & poſitivè ſubditum, aut ſervum furem, vel criminoſum; ſed ex quadam ſuppoſitione, & ſuſpicione ad cautelam interpretando dubietatem illam in deterius propter incertitudinem fidelitatis, & probitatis: ratio eſt, quia non ſunt contra rectum, ac prudentem agendi modum hæc media adhibita ad mala præcavenda, aut ad remedia malis aptanda; ergo licita erunt, maximè quia ſtant cum interna affectione, ac æſtimatione bonæ opinionis proximi. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 3. *ad* 3. Molina *tract.* 4. *diſp.* 14. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 31. Leſſius *l. c. n.* 42. Sanchez *in Summ. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 17. qui aſſerit, eſſe communem ſententiam. Advertendum hìc ex Doctoribus citatis: ne in aptandis remediis ob ſuſpicionem, & dubietatem ad cautelam modus excedatur, vel proximus aliis ſuſpectus reddatur; aut de ejus virtute nimis diffidatur: cum poſſit ſic illi inferri injuria. Advertendum inſuper, quòd ſi non agatur de damno vitando, aut de remedio adhibendo ad malum præcavendum; ſemper judicare, & æſtimare debeamus interiùs, & exteriùs proximum probum, ac ſi revera talis eſſet, quamvis nobis ignotus; non definitivè, & poſitivè judicando illum in re talem, ſed ex quadam ſuppoſitione. 14

CAPUT VII.

De Detractione.

1 *Definitur Detractio; & explicantur, quæ requiruntur ad eam.*
2 *Quid ſit Fama; & Honor.*
3 *Detractio alia Directa, & Formalis; alia Indirecta, & Materialis.*
4 *Utraque Detractionis ſpecies Formalis, & Materialis eſt grave peccatum ex genere ſuo, ſi ſit de materia gravi, & cum advertentia, ac deliberatione.*
5 *Omnes detractiones ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi ſecundum ſe conſiderentur; quamvis una poſſit eſſe gravior altera ex gravitate materiæ.*

DETRACTIO ſic definiri ſolet: occulta, & injuſta alienæ famæ denigratio, aut violatio. Quapropter ad Detractionem requiritur, quòd occultè fiat, hoc eſt, abſente eo, de quo detractio habetur: nam ſi in præſentia illius fieret, non eſſet detractio, ſed contumelia, quæ habet coram violare alterius honorem. Inde eſt, quòd Detractio directè famam lædat, Contumelia verò Honorem; & ſpecie differunt inter ſe: nam per detractionem læditur proximus clam, per contumeliam tamen palam, & coram, ad eum modum quo diximus de furto, & rapina; adeoque minus peccatum erit detractio præ Contumelia, ſicuti minus eſt furtum præ rapina, cum moleſtiùs injuriæ ſuſtineantur palàm, & in præſentia, quàm occultè, & in abſentia. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 1. & communiter Doctores. 1

Re-

Requiritur quoque ad Detractionem, quod denigratio, seu læsio, aut violatio famæ habeatur, scilicet ut aliquid dicatur, vel tali modo dicatur, ut possit famam, & bonam æstimationem, quam proximus habet, in alterius mente extinguere, vel diminuere; nam si quis de aliquo peccato proximi loquitur cum alio conscio ejusdem rei; non dicitur detrahere: quia apud illum non lædit, denigrat, aut violat famam proximi; posset tamen aliunde peccare ob pravum finem, aut affectum contra proximum: ut rectè notat Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. & alii plurimi cum eo.

2 Requiritur tandem, quod denigratio, & violatio famæ sit injusta, ut detractio habeatur: nam si ob justam, & rationabilem causam fieret non esset detractio, cum non haberetur injusta læsio, aut denigratio famæ proximi. Sic qui accusat, denuntiat, aut defert penes superiorem juxta superius dicta crimen alterius, ut delinquens corrigatur, ut consulatur ejus saluti spirituali, ac emendationi; non dicitur detrahere, cum habeat justam causam exponendi periculo famam proximi. Sic communiter Doctores.

Inquires hìc: Quid sit Fama, & honor? Resp. Famam esse bonam opinionem communem de excellentia, seu vita, & moribus alterius quando igitur aliquis communiter æstimatur probus, & in opinione, & judicio interno multorum talis reputatur; dicitur bonam famam habere; quæ aliquando respicit unum bonum morale solum, v. g. Castitatem, Justitiam, vel Temperantiam: quapropter si penes plures reputetur quis castus, vel justus, aut temperans; dicitur habere bonam famam Castitatis, Justitiæ, vel Temperantiæ. Fama, quæ à fando originem trahit; aliquando potest esse mala, cum videlicet in opinione, & interno judicio multorum reputatur improbus, vel in multis vel in uno tantum crimine. Verum Fama passim solet dici bona tantum, mala vero Infamia dici consuevit: quapropter infamem dicere solemus qui bona fama communiter caret.

Honor autem est testificatio per signa externa excellentiæ alterius animo conceptæ; ita ut immediate testetur honor nostram Opinionem de excellentia alterius per signa externa expressam, sive verbis appellando Justum, misericordem, sapientem, magnificum, nostrum Dominum &c. sive signis aliis inclinatione corporis, genuflexione, cessione loci nobilioris, erectione statuæ &c. mediatè verò excellentiam ipsius: ut bene docet Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 1. *ad* 2.

Excellentia verò, quæ tam à Fama, quàm ab honore respicitur; præcipue consistit in sapientia, & virtute, quæ etiam sanctitas dici consuevit; dein in aliis perfectionibus, ac Dignitatibus vel moralibus vel realibus à Deo communicatis. Hinc patet discrimen inter Famam, & honorem; quia Fama consistit in interna opinione, & judicio Excellentiæ alterius; Honor vero in externa attestatione, & significatione excellentiæ alterius, prout est in nostra opinione, & judicio interno; quapropter Honor est excellentior fama, quia ultra ipsam famam, seu opinionem excellentiæ dicit etiam testificationem, & manifestationem ipsius excellentiæ; adeoque magis quis læditur in Honore, quàm in Fama. Vide Molinam *tract.* 4. *disp.* 1. *num.* 4. Lessium *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 1. & Sayrum *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4.

3 Detractio alia est Directa, & Formalis; alia Indirecta, & Materialis. Directa, & Formalis illa dicitur, quæ fit ex intentione lædendi famam proximi, Indirecta verò, & Materialis illa est, quæ fit absque intentione lædendi famam proximi, sed potius ex levitate quadam, ac loquacitate. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. & passim Doctores.

Octo modis fieri potest Detractio ex eodem S. Doctore *loc. cit. art.* 1. *ad* 3. Quatuor scilicet directè, & totidem indirectè. Fit 1. directè imponendo falsum crimen alteri, 2. manifestando crimen occultum. 3. amplificando crimen verum. 4. sinistrè interpretando factum alterius. Indirectè vero fit 1. negando rectè facta alterius, & bonas dotes. 2. illa extenuando, ac diminuendo. 3. tacendo bona alterius, ac laudes eo tempore, & loco, quo astantes silentium interpretari possint in tacitam vituperationem, & opprobrium. 4. simulatè ac frigidè laudando; itaut hoc ipsum potius cedat in vituperationem laudati, quàm in ejus laudem.

4 Utraque Detractionis Species Formalis scilicet, & Materialis grave peccatum est ex genere suo, si sit de materia gravi cum advertentia, & deliberatione: ratio est, quia utraque ex sua natura grave damnum infert proximo in fama; & sicuti furtum ex natura sua grave peccatum est attenta gravitate materiæ, ita potiori jure erit Detractio, cum hæc bonum nomen lædat, & illud divitias, & *ex Proverb.* 22. habetur: *Melius esse bonum nomen, quàm divitias multas*. Et quamvis per Detractionem materialem non intendatur læsio famæ proximi expressè, intenditur tamen implicitè quia intenditur id, ex quo per se sequitur læsio famæ proximi. Sic communiter Doctores. Dictum est, Detractionem esse grave peccatum ex genere suo, nam poterit esse leve peccatum ratione parvitatis materiæ, ut si quis leves defectus, ac imperfectiones proximi narraret, quæ non inferrent notabilem injuriam in fama, vel ratione indeliberationis, & inadvertentiæ, etiam supposita gravitate materiæ; cum absque advertentia, ac deliberatione plena grave peccatum haberi non possit, ut in plurimum evenit detrahentibus ex loquacitate, & inadvertentia, & audientibus constat, non habere animum inducendi malam opinionem de proximo; sed loquuntur, & obmurmurant, ut loquantur.

5 Omnes Detractiones sunt ejusdem speciei, si secundùm se considerentur, quamvis una possit esse gravior altera ratione gravitatis materiæ, ut etiam evenit in furtis, contumeliis &c. ratio est, quia omnes opponuntur cum eadem specie virtutis, & perfectionis; ergo omnes erunt ejusdem speciei in se consideratæ. Sic docent Sà *verb. Contumelia, n.* 1. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 4. Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 17. *pun.* 1. Filliuccius *tract.* 40. *cap.* 4. *quæst.* 1. *num.* 88. & Bonacina cum aliis *quæst.* 4. *de Rest. pun.* 1. *n.* 8. Ratione tamen alterius circumstantiæ superadditæ, quæ aliam malitiam contineat; possunt esse diversæ speciei, & inducere obligationem aperiendi eam in confessione. Sic est detractio contra Sacerdotes, quæ ultra malitiam Detractionis habet etiam malitiam contra reverentiam Sacerdotibus debitam *ex Cap. Sacerdotes* 6. *quæst.* 1. Sic etiam Detractio contra Parentes habet adjunctam malitiam contra Pietatem Parentibus debitam *ex eod. Cap. cit.* Detractio denique facta ex odio, vel ira habet annexam malitiam odii, vel iræ necessariò aperiendam in confessione; ut docent Reginaldus, Sayrus, Valentia, Filliuccius, & alii cum Bonacina eos referente *l. c. num.* 9.

CAPUT VIII.

Quænam sit Materia gravis, vel levis in Detractione?

1 *Gravis Materia in Detractione est, ex cujus manifestatione graviter læditur fama proximi. Levis verò, si leviter lædatur.*

2 *Manifestare grave peccatum proximi est ex se sufficiens materia ad peccatum mortale Detractionis.*

3 *Manifestare leve peccatum proximi non est per se sufficiens materia ad grave peccatum Detractionis, quamvis esse possit per accidens.*

4 *Manifestare defectus naturales animi, vel corporis sive cum culpa, sive sine ea contractos non est ex se sufficiens materia ad grave peccatum detractionis, quamvis esse possit per accidens.*

5 *An sit grave peccatum detractionis referre crimen aliquod defuncti?*

6 *An manifestans, aliquem laborare morbo gallico occulto, graviter peccet?*

7 *An dicens, multos ex tali Civitate, Oppido, Conventu esse scelestos, & improbos; aut unum Religiosum è tali Conventu furtum commisisse; aut unum Canonicum ex tali Capitulo simoniam fecisse; committat grave peccatum detractionis?*

8 *An referens audita absque assecuratione, sed dubitanter; graviter peccet?*

9 *An liceat revelare crimen occultum proximi uni, vel duobus id secretò retinentibus?*

10 *An licitum sit manifestare complicem in confessione absque detractione famæ?*

11 *An narrare amico, vel alteri injuriam gravem sibi factam sit grave peccatum?*

12 *An excuset à gravi peccato detractionis manifestare crimen occultum alterius ob impediendum damnum imminens proximo?*

13 *An liceat crimen publicum proximi in uno loco manifestare in alio, ubi est ignotum?*

14 *An liceat infamare in aliquo genere criminis eum, qui est infamis in altero genere?*

15 *An*

15 *An liceat ad evitanda gravia tormenta alium infamare detegendo ejus crimen occultum?*
16 *Quid dicendum de conficientibus libellos famosos?*

1 MATERIA gravis in detractione illa erit, ex cujus manifestatione graviter læditur fama proximi; Materia vero levis, quando leviter læditur ideoque materia gravis requiritur, ad hoc ut detractio sit grave peccatum, nam sic injuste infertur notabile damnum famæ alterius. Si vero materia levis sit, leve damnum infertur, nec detractio ista grave peccatum esse poterit, sed leve: maxime quia ab his, quæ non notabiliter famam lædunt; nemo immunis esse potest. Sic communiter Doctores.

2 Hinc fit 1. manifestare grave peccatum alterius, esse ex se sufficientem materiam ad peccatum mortale detractionis, quia ex se talis manifestatio inferre potest notabile damnum famæ alterius: dixi: ex se, eo quia aliquando per accidens non infert notabile damnum famæ alterius, adeoque talis manifestatio ob parvitatem damni, quam infert; erit leve peccatum. Sic qui narrat peccata mortalia, ac delicta certarum personarum, quæ ratione suæ conditionis solent se jactare de illis; non censetur notabiliter famam illarum lædere: adeoque qui refert, militem commisisse duellum, Virum sæcularem gulosum fregisse jejunium; non peccat graviter, sed leviter, quia non infert notabile damnum, sed leve famæ alterius. Sic etiam dicendum erit, si quis de aliquo dicat generaliter esse superbum, iracundum, avarum: quia similia nomina regulariter non accipiuntur ab auditoribus, prout sonant peccata mortalia; sed potius inclinationem quamdam ad illa, vel veniales defectus in illis. Nam si ratione dignitatis Personæ, de qua referuntur; accipienda essent pro vitiis gravibus; grave peccatum esset ea referre, quia graviter famam læderet. Sic Navarrus *in Man. cap.* 18. *n.* 24. Sylvester *verb. Detractio num.* 2. D. Antoninus *par.* 2. *tit.* 8. *cap.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *à num.* 17. cum aliis. Nec grave peccatum erit narrare grave, & enorme delictum, non manifestata persona, in cognitionem cujus deveniri non poterit: quia sic nulli notabile damnum inferretur in fama: ut rectè docet Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2.

3 Fit 2. manifestare leve peccatum alterius non esse per se sufficientem materiam ad peccatum mortale detractionis: eo quia talis manifestatio non solet afferre notabile damnum famæ alterius, cum nullus immunis sit absque speciali gratia Dei à peccato veniali. Dixi, per se, nam per accidens potest graviter lædere famam proximi, & dare sufficientem materiam peccati mortalis. Sic de Prælato, aut Viro aliquo gravi, & religioso dicere, quòd sit mendax, scilicet quòd crebro mentiatur; erit grave peccatum, utpote graviter lædens famam illius. Secus verò si diceret, semel, aut bis mentitum esse: quia tunc non graviter læderet illius famam, ut bene notat Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *n.* 13. Addunt Navarra, Reginaldus, Sayrus, Salon, & alii relati à Bonacina *disp.* 2. *de Rest. quæst.* 4. *pun.* 2. *nu.* 7. idem dicendum de manifestante, similes Personas graves esse nugis deditas, inanis gloriæ cupidas, & similia: graviter enim læderet earum famam, quia personæ graves habentes similes consuetudines solent communiter parvipendi ab hominibus.

4 Fit 3. manifestare naturales defectus animi, vel corporis, sive cum culpa contractos sive sine culpa; ut si quis de altero diceret, esse ignarum, parvi judicii, obtusi ingenii, impertinentem, imprudentem; vel claudum, gibbosum, luscum, magni nasi, hermaphroditum &c. non esse ex se sufficientem materiam ad peccatum grave detractionis: eo quia talis manifestatio non solet graviter famam proximi lædere. Nisi per accidens esset contra justitiam, quando occulti essent, & ex eorum manifestatione notabile damnum inferretur alteri ob amissionem consecutionis alicujus boni, vel magnam illi afferrent tristitiam ex manifestatione facta aliis: nam sic manifestatio esset injusta causa proximo damni, quod patitur; & tristitiæ, quam experitur, ut per se patet, & lumen naturæ dictat. Sic Navarra, Reginaldus, Sayrus, Filliuccius, Lessius, Molina relati à Bonacina *disp.* 2. *de Rest. quæst.* 4. *pun.* 2. *num.* 8.

Major difficultas est: an manifestare defectus natalium, aliàs occultos, sit grave peccatum detractionis? ut aliquem natum esse ex adulterio, incestu, sacrilegio; ex Judæis, Saracenis, hæreticis &c. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *n.* 15. referens Nav. & Navarrum, Sayrus *lib.* 11. *c.* 6. *n.* 8. referens Regin. & Filliuc. putant, ex se non esse grave peccatum, nisi forte ex manifestatione talium defectuum occultorum magnus contemptus sequeretur proximo, aut notabile damnum pateretur ob amissionem boni notabilis: quia tales defectus ex se inculpabiles sunt, & aliunde nullus contemptus, aut detrimentum famæ alterius sequitur. Nec Mol. Azor. Med. & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 2. *n.* 11. oppositam sustinentes sententiam sunt revera contrarii: ratio est, quia supponunt injustam lesionem famæ, quæ habetur vel per notabile damnum, quod proximo fit; vel per magnum contemptum, qui sequeretur proximo ex tali revelatione, quibus seclusis cum prima sententia non video cur injuste læderetur fama proximi; maxime quia, ut dictum est, sunt defectus ex se inculpabiles.

5 Quæres 1. an sit grave peccatum Detractionis referre crimen aliquod grave alicujus defuncti, ut Sacrilegium Sacerdotis, vel adulterium Matronæ defunctorum? Resp. affirmative, ratio est, quia notabiliter læditur fama defuncti, quæ adhuc vivit inter homines, ultra lesionem consanguineorum, & Amicorum defuncti. Sic Salon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *contr.* 21. *concl.* 3 Sayr. *lib.* 11. *c.* 7. *n.* 31. Nav. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 351. & Mol. *tract.* 4. *disp.* 44. *n.* 3. Qui propter facienda erit restitutio famæ defuncto eo meliori modo, quo poterit, maxime exhibendo suffragia pro anima illius; & consanguineis ac amicis, si forte ad eos pervenerit læsio. Vide Mol. citatum, qui tamen putat, non restituendam esse famam, si revera constaret, esse damnatum. Sed propabilius docent, adhuc restituendam esse Salon. *l. c.* & Bonac. *l. c. n.* 5. ratio est quia semper resarciendum est damnum illatum injuste, quando non constat de voluntaria condonatione creditoris: maxime quia sequeretur, quod non restituenda esset fama Judæo, Hæretico, vel Turcæ, quando constaret ob eorum pertinaciam pœnis inferni damnandos esse.

6 Quæres 2. an manifestans aliquem laborare morbo gallico, alias occulto; graviter peccet peccato detractionis? Resp. attendendam esse personam de qua narratur: nam cum communiter supponat fornicarium, vel meretricium congressum; inde est, quod si diceretur de persona, cui notabile detrimentum in fama sequeretur ob suppositionem congressus fornicarii, vel meretricii, ut de Religioso, Sacerdote, viro singularis virtutis; grave peccatum esset, nisi constaret ex alia causa provenire, nempe à lacte infecto nutricis, ob usum pannorum infectorum, à frigiditate, & intemperie loci, ac similibus. Si vero de persona diceretur, cui non grave detrimentum famæ sequeretur ex suppositione congressus inhonesti, ut esset de milite, de Juvene non timoratæ conscientiæ; non esset grave peccatum. Sic Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 2. *num.* 9.

7 Quæres 3. an dicere multi ex tali Civitate, Oppido, vel Conventu sunt improbi, scelesti, usurarii, vel hæretici aut unus ex Canonicis talis Capituli Simoniam commisit; vel unus ex Religiosis talis Conventus grave furtum commisit, fornicatus est; sit grave peccatum detractionis? Resp. quamvis ex similibus casibus, & modis loquendi nullius fama in particulari lædatur, adeoq; non videatur grave peccatum detractionis; maxime si non dicatur omnes esse improbos, scelestos &c. Nihilominus attendendum erit, ne aliqua dicantur etiam de indeterminata persona, quæ redundare possint in malam famam totius Communitatis, quæ in bona æstimatione est penes multos. Sic referre delictum de Canonico, quod non frequens est in tali Capitulo; vel de Religioso, quod non frequens est in tali Conventu, & Religione; vel de viro nobili alicujus Familiæ, quod non frequens est in tali familia; grave peccatum erit, utpote graviter lædens bonam famam totius Communitatis, contra quam redundaret. Secus vero dicendum, si non redundaret contra bonam famam Capituli, Religionis, vel Familiæ, vel quia similia delicta frequentia essent in illis; vel quia non redundarent in alios, cum non omnia delicta redundent in alios ut patet in proditione Judæ, quæ non est transfusa in omnes Apostolos. Sic Mol. *tom.* 4. *disp.* 27. Nav. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 358. Reg. *lib.* 24. *n.* 81. Sayr. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 21. & Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 7. *dub.* 6.

8 Quæres 4. an referre audita absque asseveratione, sed dubitanter; sit grave peccatum detractionis? Resp. si referens has conditiones observet, ut scilicet audientes non sint credituri ei; ut non dicat, audivisse à Personis, quæ authoritatem præstent; ut non augeat audita,

dita, nec ea magis confirmet ; ut non referat auditoribus, qui ea aliis manifestaturi sint, imò exaggeraturi, ut crimina non sint valde gravia, ut possint malam suspicionem, & graviter peccàminosam inducere apud audientes; sic sunt hæresis, proditio, libido nefanda; his inquam observatis conditionibus non erit grave peccatum audita referre : ratio est, quia non est probabile periculum sequendi damnum proximo in fama; ergo referens nec graviter peccat, nec ad restitutionem obligabitur. Secus verò dicendum, si prædictæ conditiones non concurrant ; tunc referens censeretur causa efficax damni proximi in fama,& non solùm graviter peccabit, verum etiam graviter obligabitur ad restitutionem illius. Sic Navarrus,Navarra, Les.Azor. Rebel. Mol, Sayr. & alii penes Bonac. *de Rest. disp.2. qu. 4. pun.5, n.1.* Adnoto tamen hic ex eodem Bonacina, rarò referentem audita, etiam absque asseveratione, imò dubitanter excusari à gravi peccato detractionis : quia licèt speculativè possint simul haberi tales conditiones, practicè tamen difficillimum est, quod habeantur.

Dubitabis : an referens audita, quæ non sunt fide digna, quamvis prævideat audientes credituros ex sua levitate, ad quod ipse sufficientem occasionem non dat; peccet graviter, & ad restitutionem famæ teneatur ? Resp. quamvis graviter peccet contra Charitatem, quia quilibet tenetur ad abstinendum ex Charitate à dictis vel factis, si sine suo incommodo potest, quibus proximus lædi potest notabiliter, non ex sua, sed ex alterius culpa; non peccabit tamen contra Justitiam, nec ad restitutionem famæ tenebitur : quia non est per se causa efficax damni proximi, sed merè per accidens, & occasionaliter; cum ex se narratio non sit sufficiens ad fidem præstandam, sed provenit ex levitate audientium. Hinc fit, quòd narrans audita ab hominibus non fide dignis, iis citatis, non teneatur ad famæ restitutionem, etiam si audientes ex sua levitate credant. Sic Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 5. num. 26.* referens Cajetanum, Navarrum, Adrianum, & Sylvestrum.

9 Quæres 5. an liceat revelare crimen occultum proximi sui uni, vel duobus id secretò retinentibus, vel ob alium honestum finem? Resp. si finis honestus, & justa causa non habeatur detegendi crimen occultum uni, vel duobus, etiam si secretò retinebunt ; grave peccatum erit detractionis : ratio est, quia tali revelatione graviter læderetur fama proximi, etiam si fiat penes unum, aut duos viros taciturnos, maximè si graves sint, aut Prælati ; cum potiùs aliqui velint sua crimina patefieri multis externis plebeis, quàm uni viro gravi, maximè Prælato, à quo pendent, & cum quo versantur. Sic probabilior, & communior sententia, quam docent Salon, Bannez, Molina, Sotus, Rebellus, Suarez, Filliuccius, Turrianus, Aragonius, Valentia, & alii penes Lessium *lib. 2. cap. 11. dub. 11. num. 70.* Sayrum *lib. 11. cap. 6. num. 12.* & Bonacinam *de Rest. disp. 2. quæst. 4. pun. 3. num. 2.* Non nego, sententiam oppositam, quam docent Cajetanus, Reginaldus, Navarra, & alii; probabilem reputari à Lessio, & Bonacina *locis citatis*, dummodo non adsit periculum evulgationis, aut alterius incommodi, quia sic leve detrimentum esset famæ. Si verò finis honestus, & justa causa habeatur, ut esset bonum publicum, correctio, & emendatio ipsius delinquentis, vel aliud bonum spirituale, aut temporale illius ; licita erit manifestatio talis criminis uni, vel duobus viris prudentibus, & taciturnis ; cum non sit censendus delinquens rationabiliter invitus in illa jactura famæ, quam patitur ob finem honestum, & justam causam. Est communis Doctorum sententia.

10 Quæres 6. an licitum sit manifestare Complicem in confessione, & absque detractione famæ? Resp. si pœnitens non potest aliter explicare speciem sui peccati, nec habet alium Confessarium, cui complex ignotus sit, nec sibi, nec complici, aut alteri timet grave damnum probabiliter in vita, vel fama extra confessionem; non peccabit peccato detractionis, si Complicem manifestet, non intendendo detractionem famæ proximi penes Confessarium : ratio est, quia sic exposcit integritas confessionis, quæ est ex præcepto Divino; & si in judicio fori externi licitum est ob graves causas, & honestas complicem revelare ; multò magis licebit in foro interno pœnitentiæ, cum complices magis sint inviti in illo, quàm in isto. Denique Complices voluntariè huic periculo se exposuerunt peccantes cum alio : sciendum namque erat ab ipsis, quod aperiendum erat in confessione peccatum ; ergo non fit illis injuria. Sic ex authoritate plurium Doctorum sustinent Suarez *3. par tom. 4. disp. 34. sect. 2.* Navarra *lib. 2. cap. 4. par. 2. n. 271.* Rebellus *lib. 4. quæst. 13. n. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 51. n. 70.* & Bonacina *de Rest. disp. 2. quæst. 4. pun. 4. n. 2.* Secus verò dicendum, si alium confessarium habeat, cui complex non sit notus, aut ex revelatione complicis timeat grave damnum sibi, vel complici, aut alteri ; tunc enim poterit confessionem omittere, si sibi non fuerit necessaria. Quòd si necessaria fuerit, nec alium Confessarium habeat, cui sit ignotus complex ; poterit circumstantiam istam omittere, explicatis aliis peccatis ; cum præceptum integritatis confessionis non obliget cum tanto detrimento ad omnes circumstantias : maximè quia esset materialiter non integra, quamvis formaliter talis.

Quæres 7. an narrare amico, vel alteri injuriam gravem sibi factam ; sit grave peccatum detractionis ? 11
Resp. si fiat animo petendi consilium ab amico, vel ut dolorem suum relevet cum ipso narrando injuriam acceptam, ne solus, & in silentio injuriam suam concoquat; non videtur grave peccatum detractionis : ratio est, quia utitur jure suo in relevando animum, & nimis durum, ac onus valde difficile esset non exposcere solatium ab amico ; & si aliqua injuria famæ injuriantis resultat, ipsi imputanda erit. Advertendum tamen erit, ne personam injuriantem nominet, si ad consilium accipiendum non sit necesse ; nec pluribus amicis referat, quam opus fuerit ad consilium, vel solamen accipiendum. Si verò narret injuriam acceptam Amico, vel alteri animo detrahendi, & veluti in vindictam; absque dubio grave peccatum erit Detractionis formalis, ut ex se patet. Sic Navarra *lib. 2. cap. 4. nu. 345.* Lessius *lib. 2. capit. 11. dub. 12.* Molina *disp. 29. nu. 5.* & Sayrus *lib. 11. cap. 6. num. 10.* cum aliis.

Quæres 8. an excuset à gravi detractione manifestare crimen occultum alterius ob impediendum damnum imminens proximo ? Resp. si damnum sit alicujus momenti, sive temporale, sive spirituale sit, nec alia suppetit via ad illud præcavendum absque manifestatione criminis ; licitum erit illud manifestare, quantum necessarium est ad damnum avertendum, & quantum in minimo lædi potest fama proximi, ut Charitas postulat: ratio est, quia damnificator non habet jus retinendi famam suam cum damno alterius, cui probabiliter imminet. Insuper sicuti quilibet ob bonum redundans sibi ipsi potest alterius crimen revelare servatis servandis, cur non poterit illud revelare in bonum proximi innocentis, cum utrobique militet par ratio? maximè si damnum, quod impeditur, præponderet damno, quod ex revelatione sequitur. Sic Navarrus, Sotus, Lessius, Navarra, Rebellus, Bannez, Salon, Filliuccius, relati à Bonacina *de Restitut. disput. 2. quæst. 4. punct. 8. numer. 1.* In dubio tamen, an damnum, quod impeditur; præponderet damno, quod ex manifestatione sequitur ; præsumendum erit in favorem proximi innocentis : cum jus innocentis in pari causa magis prævaleat ; ut bene ex Lessio, & Filliuccio notat Bonacina citatus. 12

Sed controvertitur hic : an revelare crimen ad impediendum damnum proximi, quod impediri poterat absque revelatione, sed alia via, nempè correctione fraterna ; sit peccatum grave contra Justitiam, obligans ad famæ restitutionem ? Communior sententia docet, esse contra Justitiam, & obligare ad restitutionem, præcipuè si ille, de quo crimen revelatur, erat bonæ famæ, ut testatur Lessius *libr. 2. capit. 11. dubit. 9. numer. 62. in fine, & dubit. 25. numer. 132. in fine*. Nihilominus ipse Lessius *locis citatis*, sustinet probabiliter cum aliis recentioribus, esse solùm contra Charitatem, nec obligare ad restitutionem : ratio est, quia una semel quod crimen nocere potest alteri, videtur delinquens ammittere jus, ut crimen suum occultetur, & sibi imputare debet, quod detegatur alteri, cui nocere possit ; adeoque manifestatio non erit contra Justitiam, quamvis contra Charitatem.

Ex dictis colligitur 1. non posse manifestari crimen occultum alterius, si nulli noceat : ut si quis fictis virtutibus famam sibi præparaverit, ex qua non sequitur damnum proximo, e. g. pauper simulans pietatem, & devotionem, ut eleemosynas facilius exquirat;

rat ; non poterit ejus crimen occultum revelari ſine peccato gravi detractionis, quia cum ſit revera pauper, capax eſt eleemoſynæ, nec ſimulatio illa, & hypocryſis damnum affert. Imò addit Leſſius *lib. 2. cap. 11. n. 66.* eſſe contra Juſtitiam, adeoque inducere obligationem reſtitutionis famæ : quia dum ejus malitia eſt occulta, jus habet, non ut judicetur poſitivè probus, ſed ut non judicetur improbus. Quamvis oppoſitum ſuſtineat Adrianus *quodlib. 11. quæſt. 1.* quia hypocryta cum comparaverit ſibi famam cum fraude, & mendaciis factorum, non videtur jus habere ad illam ; adeoque erit tantùm contra Charitatem, non verò contra Juſtitiam. Idem dicendum de ſimulantibus eruditionem, nobilitatem, vel peritiam aliquam abſque tamen periculo damni contra proximos. E contra tamen ſi ſimulatio vergat in damnum aliquod proximi, vel ſit periculum probabile, quod vergat; licitum erit aperire ſimulationem illam ; ut ſi quis fingeret ſe peritum Medicum, Confeſſarium, Advocatum, Magiſtrum, Pharmacopolam, & mihi revera conſtaret non eſſe talem ; potero ejus ſimulationem aperire ad præcavendum damno proximorum dummodo probabiliter, & prudenter timeatur : ratio eſt, quia non habet jus ad famam illam malis artibus ſibi comparatam cum periculo, & incommodo aliorum; & eſt ea fama indignus, quæ tota in errore fundatur. Sic Leſſius *l. c. n. 65.* Sayrus *cap. 6. n. 18.* Filliuccius *tract. 40. cap. 4. quæſt. 10. num. 106.* & Bonacina *de Reſtit. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 8. num. 4.*

Colligitur 2. non eſſe peccatum detractionis revelare impedimentum alicujus volentis Matrimonium contrahere, Religionem ingredi, aut beneficium obtinere, ſi ex reticentia impedimenti notabile ſequatur damnum. Sicuti nec erit peccatum detractionis revelare defectum alicujus ei, qui informationes capit ad admittendum ad aliquod Collegium, Dignitatem, aut Officium, ſi ex reticentia defectus damnum notabile ſequatur. Denique non erit detractio, ſi quis noverit, aliquem eſſe furem, & admoneat eos, cum quibus habitat, ut ſibi caveant ; vel admonere ægrotum de imperitia Medici eum curantis, ut ſibi conſulat, ſi revera conſtat de tali imperitia : ratio eſt, quia nemo iſtorum habet jus ad retinendam famam ſuam cum notabili detrimento, quod injuſtè aliis accideret. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 9.* & Bonacina *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 8. à n. 4.* cum aliis.

Colligitur 3. nec eſſe peccatum detractionis revelare homicidium commiſſum à Titio, quod ſempronio injuſtè imputatur, itaut plectendus ſit capite innocenter : cum non habeat Titius jus ad retinendam famam ſuam cum tanto damno Sempronii innocentis. Sic Sotus *lib. 5. de Juſt. quæſt. 7. art. 1.* Navarrus *in Manual. cap. 18. num. 31.* Leſſius *l. c. dub. 9. num. 57.* & Bonacina *l. c. n. 7.* referens Reginaldum, Navarram, & Filliuccium.

13 Quæres 9. an liceat crimen publicum proximi in uno loco manifeſtare in alio, ubi eſt ignotum? Reſp. crimen poſſe eſſe publicum triplici modo. 1. ſi ſit notorium jure, quando videlicet conſtat ex confeſſione ipſius rei in judicio, vel ex legitima Teſtium depoſitione, aut ex judicis ſententia. 2. ſi ſit notorium facto, quando ſcilicet in præſentia multorum, vel majoris partis Viciniæ commiſſum fuit, aut in foro, vel celebri platea eo tempore, quo multis innoteſcere potuit. 3. ſi ſit famoſum, quando videlicet ejus fama ex ſufficientibus indiciis oritur, & pervenit ad multos; adeo ut major pars Civitatis, Oppidi, Parœciæ, aut Viciniæ illud ſciat. Quod ſi notorium ſit majori parti Congregationis, ubi non ſint pauciores decem perſonis, quamvis reſpectu Congregationis, illius dici poſſit notorium ; non erit tamen abſolutè tale, nec abſolutè publicum dici poterit: ut notat Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 13. n. 74.* His declaratis

Dico 1. non eſt peccatum grave contra Juſtitiam revelare in loco, ubi ignotum erat, crimen aliquod publicum in alio loco uno ex tribus modis dictis : ratio eſt, quia auctor criminis per publicitatem illam amiſit jus ad famam, adeoque revelans illud non facit injuriam auctori, nec contra Juſtitiam peccat. Confirmatur ex conſuetudine ubique recepta proſcribendi delicta publica, illaque promulgandi, ut ab omnibus ſciri poſſint, ac legi ; & per conſequens ex uno in alium locum referri. Sic Cajetanus, Navarrus, quos refert, & ſequitur Leſſius *l. c. nu. 75.* Azor. Molina, Navarra, Bannez, Salon, Reginaldus, Filliuccius, Sà penes Bonacinam *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 2.* contra Rebellum, Sylveſtrum, Sayrum, Turrianum, & alios. Addit Leſſius *l. c. num. 77.* non eſſe contra Juſtitiam talem revelationem, etiam ſi crimen evaſerit publicum per injuriam : & ratio eſt, quia ſemel ac revera factum eſt publicum ſive jure, ſive injuria, amittit jus delinquens, ut non publicetur ; ſicuti amittit jus ad non manifeſtationem ſuorum criminum occultorum, ſi ea per tormenta confeſſus eſt in Judicio. Quamvis probabile ſit oppoſitum.

Dico 2. eſt tamen peccatum grave contra Charitatem crimen publicum, ſed ibi ignotum, revelare; ſi fama communis non erat ibi brevi tempore extitura, ſed vel numquam, vel poſt longum tempus : ratio eſt, quia læderetur proximus in re magni momenti ob talem manifeſtationem, quæ ægerrimè ferri ſolet ; & cauſaret proximo materiam magnæ contriſtationis, & mœroris revelans, quod eſt apertè contra Charitatem; perduraret ſiquidem proximus in illo bono nomine, quo ſpoliatur abſque detractoris commodo. Sic Doctores citati.

Dico 3. non eſt peccatum contra Juſtitiam enarrare crimina publica alicujus penes ignotos, quamvis nunc rectè vivendo bonam famam acquiſierit, modò non detur occaſio opinandi illum actu improbum, & infamem; ſed tantùm erit contra Charitatem : ratio eſt, quia licèt habeat jus ad famam, quam ſibi comparavit pro eo tempore, pro quo bene vivit; non tamen acquirit jus, ut dicatur probus etiam pro tempore præterito, pro quo crimina illa publica commiſit, ob quæ infamis redditus fuit. Charitas tamen exigit juxta ſuperiùs dicta, ut non enarrentur ſimilia crimina de reſipiſcentibus, niſi ad eum finem, ut magis commendetur eorum reſipiſcentia, & vera vitæ veteris emendatio. Sic Leſſius, Azor. Filliuccius, & alii Recentiores, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 6. num. 4.*

Ex dictis infertur 1. non peccare contra Juſtitiam eos, qui vel loquuntur de captivitate alicujus, vel ſciſcitantur de cauſa captivitatis : ratio eſt, quia cum captivitas ſit publica, & publicè detineatur in carcere; videtur etiam facta publica cauſa detentionis. Sic Sayrus *lib. 11. cap. 6. numer. 22.* Bonacina *loc. cit. num. 8.* & Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 11.*

Infertur 2. nec eſſe contra Juſtitiam recenſere pœnas juſtè delinquentibus inflictas in Judicio, v. g. pœnas perpetui carceris, triremis, fuſtigationis, detruncationis naſi, manus, linguæ &c. quia cum per ſententiam latæ fuerint, factæ ſunt publicæ. Sic Navarrus *in Man. cap. 18. num. 26.* Molina *tract. 4. diſp. 33.* & Reginaldus *lib. 24. num. 85.*

Quæres 10. an liceat infamare in uno genere cri- 14
minis eum, qui infamis eſt in altero? Reſp. ſi crimina licèt diverſa, valde affinia ſint, & regulariter conjuncta inter ſe per connexionem moralem, ita ut unum, quod de novo narratur, ordinariè connectatur cum graviori crimine, quod publicum eſt ; non erit grve peccatum illud manifeſtare apud eos, qui publicum non ignorant; ſed veniale tantùm. Sic de publico adultero referre, quòd munera miſerit, conſcripſerit amatorias litteras ; vel de publico hæretico quòd ſpreverit Sacras Imagines ; de Ebrio, quòd rixas faciat ; aut de publico latrone, quòd aureum furatus ſit ; non erit grave peccatum : ratio eſt, quia non reputatur nova infamia, aut notabiliter augens primam. Quapropter advertendum, ne notabiliter augeat infamiam, etiam ſi occultum, quod detegitur, ſit ejuſdem ſpeciei cum delicto, de quo fuerat diffamatus. Sic de fure, de quo publicè conſtat, quòd ſurripuerit aureum unum, minimè narrari poteſt, quòd ſurripuerit mille aureos, ſi hoc furtum occultum ſit : quia notabiliter augeretur infamia, cum eſſet crimen atrox, & enorme, quamvis ejuſdem ſpeciei cum primo. Si verò crimina nec connexa ſint inter ſe, nec affinia, imò diſparata ; non ſolùm erit grave peccatum contra Charitatem, verùm etiam contra Juſtitiam revelare occultum crimen in alio genere ab eo, quo proximus diffamatus fuit : ut ſi de publico homicida dicas, eſſe furem ; vel de publico Uſurario dicas, eſſe adulterum : ratio eſt, quia infamis in uno genere criminis non deperdit jus ad famam in alia materia virtutis : cum fama non conſiſtat in indiviſibili, & ſuas habeat partes ; nec ex deperditione unius partis deperditur alia ; ergo facit illi injuriam, qui in alio genere infamat ab eo, in quo diffamatus eſt, & tenetur ad reſtitutionem. Sic Navarrus *in Manual. capit. 18. num.*

num. 92. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 14. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 331. Sayrus *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 28. & Bonacina referens Salonium, Aragonium, Azor. & Filliuccium, *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 7. *n.* 3. *in fine.*

15 Quæres 11. an liceat ad vitanda gravia tormenta alium infamare detegendo ejus crimen occultum? Resp. si crimen sit verum, & illud sine vi & fraude, ac extra confessionem acceptum fuit; licitum erit revelare illud ad vitanda tormenta gravia, etiam si infamia, & periculum mortis deliquenti immineat: ratio est, quia non tenetur quis cum tanto suo incommodo servare famam, & vitam proximi; nec facit illi injuriam, cum jus habeat ad hoc revelandum ob necessitatem adeo gravem, in qua constitutus est, & cum periculo suæ vitæ. Et sicuti qui depositum occultum penes se servat, non tenetur ad occultationem cum magno incommodo gravium tormentorum, ac cum periculo vitæ; ita neque tenetur ad occultum crimen alterius sic servandum cum tanto suo incommodo. Excipe tamen nisi secretum esset Principis, vel Reipublicæ, aut exercitus ob gravissima incommoda, quæ inde sequerentur ex revelatione: ut recte notant Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 10. *art.* 2. Navarrus *in man. cap.* 18. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 8. *num.* 53. Si vero crimen falsum sit, aut vi, & dolo extortum; illicitum erit illud revelare: quia nullum jus habetur ad talem revelationem, etiam si gravissima sint tormenta sustinenda; & non solum erit contra Charitatem verum etiam contra Justitiam obligantem ad restitutionem. Sic communior sententia.

16 Quæres 12. quid dicendum de conficientibus libellos famosos? Resp. 1. conficere libellum famosum nihil aliud esse, nisi efficere signum aliquod, vel scripturam continentem alicujus infamiam nondum publicam eo animo, ut fiat publica sive statim, sive paulatim. Et licet postea per accidens non publicetur, sive quia laceretur ab aliquo, aut comburatur, vel alia ratione occultetur; non ideo amittit rationem libelli famosi: quia quantum ex se erat, ad publicitatem tendebat, & eo animo erat confectus. Sic Sylvester *verbo Libellus*, Molina, Julius, Clarus, Graffius, & alii penes Bonacinam *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 9. *num.* 1. Requiritur ergo ad rationem libelli famosi, quod eo animo fiat, ut evadat publica infamia in ipso contenta: quapropter mittens epistolam privatam suo amico, in qua alicujus occultum crimen contineatur, quamvis infamatorium sui authoris; non dicitur, libellum famosum conficere: cum non fuerit facta epistola privata eo animo, ut crimen fiat publicum; quamvis peccatum detractionis committat, ac si loquela narrasset. E contra tamen, si brevem scripturam efficeret eo animo, ut crimen occultum in eo contentum publicum fiat; revera libellum famosum conficiet, quamvis non sit parvus liber. Idem dicendum si non utatur scriptura, sed signo aliquo exprimente infamiam, ut publicetur: sic esset apponere cornua ad portam alicujus domus ad significandam adulteram conjugem inhabantis, aut quid simile. Vide Julium Clarum *lib.* 5. *sentent. quæst.* 68. *num.* 25. & Molinam *tract.* 4. *disp.* 33. Putat insuper idem Molina *loc. cit. disp.* 35. cum aliis, apponentem schedulam tacito suo nomine super mensam superioris, vel alio loco continentem delictum occultum alicujus eo animo, ut superior inquirat de crimine illo, illudque notum efficiat notorietate Juris, etiam si exprimat in ea personas conscias, & quæ testari possint de crimine illo; conficere revera libellum famosum, de quo agimus: ratio est, quia cum superior nequeat procedere ad inquisitionem per talem scripturam, cui nullatenus est adhibenda fides *ex cap. Inquisitionis, §. tertiæ, de Accusat.* sequitur manifeste habere rationem libelli famosi, quidquid in contrarium dixerint alii cum Filliuccio. Requiritur quoque ad libellum famosum, ut contineat delictum occultum, nam si exprimit delictum publicum; non dicetur libellus famosus, ut constat ex definitione tradita.

Resp. 2. conficientes libellos famosos, vel concurrentes ad illos efficiendos graviter peccare contra Justitiam, & teneri ad restitutionem faciendam: ratio est, quia graviter lædit jus proximi ad famam suam, illudque violat; ergo tenebitur ad resarciendum damnum illatum, cum ex violatione Justitiæ Commutativæ oriatur talis obligatio. Sic Molina *tract.* 4. *disp.* 35. *num.* 6. Angelus *verb. Libellus*, Sylvester *eod. verb.* cum aliis.

Petes hic: quomodo facienda sit hæc restitutio? Resp. faciendam esse publice, prout fuit causa publica infamiæ: eo quia restitutio facienda est ad æqualitatem, sed non servaretur æqualitas, nisi restitutio esset publica; ergo publice facienda erit judicio prudentis, & docti Confessarii; itaut si opus sit, fiat voce præconis, aut Concionatoris, vel aliqua scriptura publica, quæ authoritatem faciat. Sic Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 442. Molina *lib.* 1. *cap.* 14. Sayrus *lib.* 12. *c.* 4. *num.* 9. & Sà *verb. Infamare, n.* 8.

Resp. 3. conficientem libellum famosum *ex capit. Qui in alterius, 5. quæstion.* 11. excommunicandum esse. Quod si libellum famosum confecerit contra statum Ordinis Prædicatorum, & Minorum, ipso facto incurrit excommunicationem Romano Pontifici reservatam, ut constat ex Bulla Alexandri IV. incipit: *Ex alto*. Extenditur hoc privilegium ad omnes alios Ordines Religiosos communicantes cum illis in Privilegiis: ut docent Sayrus, Salonius, Molina, Graffius, Filliuccius relati à Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 9. *num.* 9. Advertendum tamen hìc: incurri hanc excommunicationem à conficiente libellum famosum contra statum Ordinis, non vero contra Personam particularem Ordinis, etiam si aliquo modo vergat contra statum Ordinis: eo quia privilegium hoc in favorem totius Religionis in communi factum fuit, non vero Personæ particularis.

CAPUT IX.

An quis possit infamare se ipsum?

1 *Infamare se ipsum ex genere suo non est contra Justitiam, & Charitatem.*
2 *Ex aliquibus circumstantiis additis poterit esse grave peccatum.*
3 *An ex rationabili causa licitum sit sua peccata manifestare, & sic suam famam prodigere?*
4 *An ad tormenta evitanda possit quis falsum crimen sibi apponere, ob quod morte plectendus sit?*
5 *An qui ex vi tormentorum fassus est cum perjurio crimen sibi falsò appositum; teneatur illud retractare, si prudenter timeat, iterum ad tormenta revocandum esse?*
6 *An possit quis sibi falsò crimen apponere ob liberandum Parentem, vel Amicum à morte, vel à gravibus tormentis?*

TOTA hæc quæstio pendet ab illa controversia: an quisque sit Dominus famæ suæ, sicuti dominus est suarum opum, & divitiarum. Sed quia communior sententia docet cum Div. Thoma 2. 2. *quæstion. 73. art.* 4. *ad* 1. quem sequuntur Sotus, Adrianus, Covarruvias, & alii Recentiores penes Lessium *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 11. revera esse dominum famæ suæ; ideo dicendum est, se ipsum infamare non esse contra Justitiam, nec contra Charitatem ex genere suo. Et quod non sit contra Justitiam, probatur ex eo: quia est dominus famæ suæ, sicuti est dominus suarum opum; ergo si dissipando bona sua non facit contra Justitiam cum nullius jus violet; neque dissipando famam suam peccabit contra Justitiam. Nec assignari potest lex Justitiæ obligans hominem ad retinendam suam bonam æstimationem penes alios. Nec afferas illud *Eccles.* 41. *Curam habe de bono nomine*: Hoc enim non probat esse contra Justitiam, aut adesse præceptum illam conservandi saltem ex Charitate propria, sed quod non sit negligenda sine juxta causa. Hinc probatur, nec esse contra Charitatem se ipsum infamare: eo quia Charitas con obligat ad conservanda, aut comparanda ea bona, quæ extra nos sunt, nisi quatenus necessaria sunt ad bona spiritualia propria, vel proximorum; ergo si præscindatur ab his non erit ex genere suo grave peccatum contra Charitatem eam prodigere. Et sicuti Prodigalitas ex se non est grave peccatum contra Charitatem propriam, sed solum veniale contra virtutem Liberalitatis; sic famam propriam prodigere, cum sit bonum quoddam externum; non erit contra Charitatem, sed se habebit ad instar Prodigalitatis contra Liberalitatem. Sic expressè Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 6. Navarrus *in man. cap. num.* 27. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 10. *art.* 2. Sà, Rebellus, Ledesma, Molina, Salon, Sayrus penes Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 10. *num.* 1. Contra Cajetanum, Valentiam, Turrianum, & alios. 1

2 Dictum est, ex genere suo : nam ex aliquibus circumstantiis superadditis poterit esse grave peccatum se ipsum infamare, ut si ex infamia propria grave sequeretur scandalum proximo, itaut esset illi causa ruinæ spiritualis; vel redundaret infamia propria in infamiam filiorum familiæ, Religionis, aut aliorum, aut quando fama propria est necessaria ad munus, quod exercetur: ut si Prælatus, Abbas, Parochus, aut publicus Judex infamarent se, nec vellent Officium deponere; tunc enim graviter peccabunt contra Justitiam, cum jam per infamiam facti sint inepti ad munus illud recte obeundum. Sic Lessius, Rebellus, Sotus, Molina, & Filliuccius, quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 1. Ex dictis infertur, per se posse quemlibet cedere suæ famæ, maxime si in proprium bonum spirituale redundet: ratio est, quia est dominus illius, & unusquisque pro libito cedere potest juri proprio.

3 Quæres 1. an licitum sit manifestare sua peccata ex rationabili causa, & sic famam suam prodigere? Resp. affirmative: ratio est, quia si licitum est ex causa rationabili suas opes prodigere, licitum pariter erit famam prodigere; cum non minus sit dominus opum, quam famæ: maxime quia à Viris Sanctis, scilicet Div. Augustino, Div. Anselmo, & aliis, factum fuisse, narrant eorum historiæ. Sic Navarra *lib.* 2. *c.* 4. *num.* 113. Salon 2. 2. *quæst.* 74. *controv.* 3. §. *An sit peccatum*, & Rebellus *quæst.* 1. *num.* 4. cum aliis.

Advertendum tamen: ne ex tali manifestatione propriorum peccatorum aliqua redundet infamia in complicem, qui cognosci possit; vel in filios, & familiam: ut si quis absque ulla necessitate manifestaret, se commisisse crimen læsæ Majestatis Divinæ, vel humanæ; aut in Religionem, vel Monasterium: ut si Religiosus gravia manifestaret sine causa, quæ bonum nomen Religionis, vel Conventus denigrarent. Denique si ex manifestatione sequeretur periculum propriæ vitæ: ut si quis revelaret peccatum à se commissum cum filia viri potentis, ob quod imminentem mortem sibi timere deberet. Sic Navarrus *in man. cap.* 18. *num.* 28. Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 6. *dub.* 3. Bonacina referens Salonium *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 10. *num.* 5.

4 Quæres 2. an ad vitanda tormenta possit quis falsum crimen sibi apponere, ob quod morte plectendus sit? Resp. si tormenta levia sint, licitum non erit falsum crimen sibi apponere, ex quo mors sequi debet, ad illa vitanda: ratio est, quia quisque tenetur ad vitam suam servandam cum levi dolore, & incommodo; adeoque periculo mortis illam exponere ad levem dolorem, & tormentum vitandum grave peccatum erit. Quamvis non sit grave peccatum ad tormenta levia vitanda manifestare crimen occultum verum, ex qua manifestatione mors inde sequatur; eo quia revera meretur mortem; ergo poterit illam sibi procurare, & exoptare, si finem honestum ac bonum sibi proponat, nempe in vindictam suorum scelerum: ut sic melius se disponat ad mortem obeundam, & ne imparatus discedat è vita in alio crimine; in publicum exemplum, & similia. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 7. *numer.* 36. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 134. Salon, Molina, Sayrus, Filliuccius, & Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 10. *num.* 7. qui addit, non solum manifestari posse Judici legitime interroganti, ut certum est, verum etiam injuste interroganti. Si vero tormenta gravia sint, non erit grave peccatum falsum crimen sibi apponere ad illa vitanda, etiam si mors inde sequi deberet dummodo non addat perjurium: ratio est, quia nemo tenetur ad vitam suam conservandam cum tanto cruciatu, & incommodo; aliunde nulli perniciem afferret per tale mendacium: non Judici, quia potius Judex affert ipsi perniciem; non testibus, quia plus ipsi præponderant mala physica tormentorum, quam bonum physicum vitæ; ergo nulli infert injuriam. Sic Lessius pro dignitate de hac re pertractans in favorem horum miserabilium, Angelus *verb. Detractio*, *num.* 6. Sylvester *eod. verb. quæst.* 3. Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 6. Toletus *lib.* 5. *c.* 66. Bonac. *l. c.* referens Sayrum, Sà, Filliuccium, & Turrianum, contra Navarrum, Molinam, Reginaldum, & alios.

5 Dubitabis hìc: an teneatur retractare crimen sibi falsò appositum, qui ex vi tormentorum illud fassus fuit cum perjurio; si prudenter metuat, iterum ad tormenta revocandum fore? Resp. negative: ratio est, quia perjurium jam transiit; & sufficit, quod illius pœniteat coram Deo absque retractatione externa; aliunde nemini fecit injuriam, ut supponimus; ergo non tenetur revocare. Et quamvis Sylvester cum Panormitano imponant obligationem revocandi in extremo vitæ, quando non adest periculum iterum torquendi. Nihilominus eum deobligat Lessius *loc. cit. num.* 49. si ea revocatio nihil prosit, ut regulariter non prodest. Quod si prodesset suæ famæ, & familiæ; teneretur eam facere. Si verò ex confessione falsi criminis in tormentis cum perjurio, vel sine illo sequeretur notabile damnum, & gravis infamia Religioni, vel bono publico; haberetur obligatio eam retractandi, etiam cum periculo redeundi ad graviora tormenta: cum bonum publicum semper prævalere debeat privato. Sic Lessius *loc. cit. num.* 50. Filliuccius *tract.* 32. *capit.* 9. *quæstion.* 4. *numer.* 238. & Bonacina *de Restitution. disputat.* 2. *quæstion.* 4. *punct.* 10. *num.* 7.

6 Quæres 3. an possit quis falsò sibi crimen apponere ad liberandum Parentem, vel Amicum à morte, aut gravibus tormentis cum periculo propriæ vitæ? Resp. si Judex juridice, & legitime procedit, non posse, imò graviter peccare: ratio est, quia sic perverteret justum Judicium, ac impediret executionem dignæ mortis; faceret quoque injuriam Judici, Testibus, Accusatoribus, & Reipublicæ. Secus tamen dicendum, si non procedat juridice Judex in quæstione, dummodo absit perjurium; non graviter peccabit apponendo sibi falsum crimen ad patrem, vel Amicum liberandum à morte, aut gravibus tormentis: ratio est, quia si licet exponere vitam ad vitanda gravia tormenta, cum mors, & tormenta gravia patris, vel amici sint quasi tormenta propria, & aliunde nil mali sequitur aliis; licitum erit propriam vitam exponere pro illis. Adde, quod si pater, vel amicus sint omnino inculpati, nec alia via suppetit illos eripiendi à morte; licitum erit mortem obire pro illis, ut non mimus docte, quam pie docent Sotus *lib.* 5. *de Just. quæstion.* 1. *art.* 6. Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 7. *num.* 40. Navarrus, Navarra, Reginaldus, Molina, quos refert, & sequitur Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæstion.* 4. *punct.* 10. *num.* 9.

CAPUT X.

De audiente Detractionem.

1 *Audiens detractionem, & excitans, ac inducens ad illam censetur non minus peccare, quam ipse detractor, imò magis ipso.*

2 *Audiens detrahentem, quamvis nec excitet, nec inducat illum; sed latatur, & gaudet de detractione gravi, graviter peccat.*

3 *Si Audiens tantum delectetur de eloquentia detrahentis, & curiositate rei narratæ ab ipso; præcisè ex hoc non peccat graviter.*

4 *An peccet graviter, & ad restitutionem teneatur, qui ostendit, sibi gratam esse detractionem proximi?*

5 *An interrogans absque justa causa de defectibus aliorum, & interrogatus graves proximi defectus revelet; graviter peccet?*

6 *An excitans ad detrahendum invincibiliter ignorans, detractionem futuram esse gravem; graviter peccet, & teneatur ad restitutionem?*

7 *Audiens detrahentem, licet nec inducat ad detractionem, nec de ea delectetur; si tamen impedire potest, & non impedit; peccat contra Charitatem juxta materiam.*

8 *An possit aliquando leviter peccare tantum, qui graviter detrahentem audit, nec corrigit, cum possit?*

9 *An possit aliquando nec leviter, nec graviter peccare audiens graviter detrahentem; si nec corrigat, nec impediat?*

AUDIENS detrahentem, ac excitans, & Inducens ad detrahendum, vel verbis, aut gestibus plaudens, ac animans ad detrahendum, & prosequendum in detractione incœpta, non minus censetur peccare, ac ipse detractor, imò magis præ ipso: ratio est quia non solùm est injusta causa detractionis illius, & damni quod patitur proximus in fama contra Justitiam; verum etiam est occasio scandali, & ruinæ spiritualis detrahentis inducendo 1

do

do illum ad detrahendum, quod est contra Charitatem. Quapropter jure Divus Bernardus *lib. 2. de Consideratione in fine* sic ait : *Detrahere, vel detrahentem audire utrum horum deteſtabilius ſit, non facile dixerim*. Sic Navarrus *in man. cap. 18. num. 27.* Sotus *lib. 5. de Juſt. quaſt. 10. art. 4.* Rebellus *1. par. lib. 4. quæſt. 6. num. 2.* Molina *tract. 4. diſp. 34.* Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 4.* & alii communiter.

2 Audiens detrahentem, quamvis nec excitet, nec inducat ad detrahendum, ſi tamen lætetur, & gaudeat de detractione, quæ injuſte alteri damnum affert in fama ; graviter peccat ſaltem contra Charitatem : ratio eſt, quia delectari de gravi malo proximi grave peccatum eſt contra Charitatem, & non poteſt provenire niſi ex aliquo odio contra proximum. Dixi ſaltem contra Charitatem, quia putant aliqui Doctores, eſſe contra Juſtitiam, licet non obligent ad reſtitutionem. Probabilius tamen eſt, eſſe tantum contra Charitatem : ratio eſt, quia non eſt cauſa damni illius, nec ad ipſum ſpectat ex Officio detractionem impedire; ſecus vero ſi ex officio teneretur. Sic Bonac. multos referens *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 11. num. 4.*

3 Audiens detrahentem, ſi neque excitet ad detrahendum, neque de detractione lætetur, ſed tantum delectatur de eloquentia detractoris, aut curioſitate rei narratæ, nec complaceat de detractione, aut illam deſideret ; non peccabit graviter præcisè per hoc : ratio eſt, quia delectatio illa cum ſpeciem ſumat ab eloquentia detrahentis, & novitate rei narratæ, non vero à detractione, quæ ex ſe mala eſt ; inde fit, quod non ſit graviter peccaminoſa ex hoc capite ; quamvis poſſit evadere talis ex alio capite : ut ſi non corrigeret graviter detrahentem, quando poſſet, ac ſperaret profuturam correctionem faciendam. Sic Leſſius *l. c. dub. 4. n. 20. in in fine*, Navarrus *in man. c. 23. n. 26.* Rebellus *l. c. n. 6.* Reginaldus *lib. 24. n. 96.* & Bonac. *l. c. pun. 11. n. 5.* Advertendum hìc ex communi Doctorum : ad hoc ut audiens graviter peccet ſive incitando, ſive lætando de detractione, opus eſt, ut materia detractionis gravis ſit ; aut ſi levis eſt, fiat gravis ex circumſtantiis, nam ſi abſolute levis eſt ; nequibit graviter peccare, cum non ſit cauſa efficax notabilis famæ proximi.

4 Petes 1. an graviter peccet, & ad reſtitutionem teneatur, qui oſtendit, ſibigratam eſſe detractionem proximi ? Reſp. affirmative : ratio eſt, quia ſicuti palpans, & laudans furem in materia gravi furti cenſetur cauſa efficax damni alterius ; & graviter peccat, ac ad reſtitutionem tenetur ita etiam qui demonſtrat, gratam ſibi eſſe gravem detractionem proximi, laudat enim, & palpat detrahentem, adeoque efficaciter concurrit ad damnum famæ proximi. Sic Bonacina *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 11. num. 2.*

5 Petes 2. an interrogans abſque juſta cauſa de aliorum defectibus ſi quis ex hac interrogatione promotus revelet graves defectus proximi ; graviter peccet, & teneatur ad reſtitutionem ? Reſp. affirmative : ratio eſt, quia eſt cauſa efficax, & injuſta damnificationis proximi in fama ; non enim rationabile motivum habebat interrogandi de defectibus proximi ; ergo & graviter peccat, & ad reſtitutionem tenebitur. Sic Navarrus *in man. cap. 23. num. 26* & alii.

6 Petes 3. an incitans ad detrahendum invincibiliter ignorans, futuram eſſe gravem detractionem, quamvis incitatus præter opinionem incitantis in gravem proruperit detractionem ; mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur ? Reſp. negative : ratio eſt, quia invincibiliter, & ignoranter damnificans ſicuti excuſatur à culpa, ita excuſari debet à pœna : ergo in caſu noſtro ſic incitans ad detrahendum non ſolum excuſari debet à peccato, verum etiam à reſtitutionis pœna. Advertendum tamen, ne aliud exigat Charitas. Sic Bonacina *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 11. num. 3.*

7 Qui detrahentem audit, licet non inducat ad detrahendum, nec de detractione delectetur, ſi tamen poteſt reſiſtere, ac impedire detractionem, & non reſiſtit, ac impedit ; peccat graviter contra Charitatem, ſi materia gravis ſit ; leviter ſi materia ſit levis : ratio eſt, quia Charitas obligat non ſolum ad impediendum grave damnum proximi, quod invitus patitur ; verum etiam ad corrigendum proximum, ubi graviter peccat contra fratrem, aut alio modo ; ergo potens impedire gravem detractionem ſi non impedit ; graviter peccat contra Charitatem. Quod ſi materia levis ſit cum leve ſit damnum, quod proximo ſequitur ex ea ; inde eſt, quod graviter non peccet, cum non obliget graviter Charitas ad impediendum, ſicuti non graviter obligat ad proximum corrigendum ob levia. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 4. num. 21.* & paſſim Doctores. Si tamen potens impedire detractionem, & non impediens, teneatur ad hoc faciendum ex officio, ut eſſet ſuperior reſpectu ſuorum ſubditorum ; peccabit etiam contra Juſtitiam, & tenebitur ad reſtitutionem famæ in defectu detrahentis : ratio eſt, quia ſicuti qui tenetur ex Officio impedire damnum illatum proximo à fure, & potens impedire non impedit, peccat contra jus proximi, & obligationem ſuam, ac tenetur ad reſtitutionem in defectu juris, ita etiam qui ex Officio tenetur impedire damnum proximi in fama, & potens non impedit : violat jus proximi, & tenetur illud reſarcire. Sic Leſſius *loc. cit. in fine*, & Bonacina *loc. cit. num. 6.* cum aliis.

8 Petes hìc 1. an poſſit aliquando venialiter tantum peccare, qui detrahentem de re gravi audit, & non corrigit, cum poſſit ? Reſp. affirmative ; & 1. ſi non corrigat, & impediat ex quadam animi puſillitate, aut ex nimio rubore, & verecundia : eo quia cum his valde difficile eſt impedire ; adeoque non poterit ſub gravi obligari. Excipitur tamen, ſi infamia ex detractione eſſet atrox, aut gravia, & notabilia incommoda ex ea ſequerentur : quia tunc non teneretur vim ſibi facere, ac verecundiam excutere, ac ſuaviter, ſed fortiter contradicere. 2. ſi non impediat, aut corrigat, quia putat auditores non credere detrahenti ; tunc enim venialiter tantum peccabit. 3. ſi putet, imò ſperet, detrahentem ſponte revocaturum, ac emendaturum quod dixit per detractionem, & quidem brevi, ac efficaciter in priſtinum redacturum famam proximi ; tunc enim non peccabit graviter non corrigendo, ſed leviter. Vide Leſſium *lib. 2. cap. 11. dub. 4. num. 22.*

9 Petes 2. an poſſit aliquando nullo modo peccare audiens detrahentem de re gravi, ſi non corrigat, nec impediat ? Reſp. affirmative. 1. ſi non ſperet profuturam correctionem, imò timeat, magis debere incaleſcere detrahentem in detractione incœpta. 2. ſi aliquod grave damnum ſibi timeat, ut contumelias, injurias, verbera, cum non obliget Charitatis præceptum cum gravi incommodo. 3. ſi audiens ſic famulus, aut non tantæ authoritatis reſpectu detrahentis. 4. ſi res gravis, de qua detrahitur ; publice conſtat, & conſtat etiam de perſona, quæ illam commiſit, cum in tali caſu nulla ſequatur injuria. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 7. num. 45.* & Bonacina *de Reſt. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 11. num. 7.*

Adnotandum 1. ex Leſſio *l. c. num. 23.* audientem detractorem, ſi non poſſit commode impedire, aut corrigere illum ; debere ſaltem diſcedere, ſi id commode facere poſſit ; vel ſermonem alio divertere interponendo facetias, ac ſales, aut faciem non hilarem, ſed triſtiorem, ac ſeveram demonſtrare. Sic enim detrahentis fervor minuitur ſaltem, ſi non ex toto ceſſat juxta illud *Prov. 25. ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguas detrahentium*. Sic D. Chryſoſt. *hom. 3. ad Popul. Anthio.* & D. Bernardus *ſerm. 24. in Cant. & ſerm. de triplici cuſtodia manus, linguæ, cordis*.

Adnotandum 2. ex Bonacina *l. c. n. 8.* non eſſe injiciendos ſcrupulos privatis Perſonis, ſi detractioni non obſtent : nam ſæpe ſæpius à mortali excuſantur, quia nulla eſt ſpes reſipiſcentiæ detractoris, & audientes indubio non debent præſumere loquentem malum eſſe, niſi ſufficientes habeant rationes præſumendi illum talem. Inſuper non eſt ipſis notum, an delictum narratum ſit publicum, vel occultum ; an juſte, vel injuſte narratum ; adeoque poſſent facere injuriam narranti, eum impediendo à narratione, vel corrigendo quaſi à peccato, quod revera neſciunt eſſe tale.

Adnotandum 3. ex Rebello 1. *par. lib. 4. qu. 6. n. 9.* quamvis communior ſententia obliget Prælatum ad reſtitutionem famæ, quia non obſtiterit ſuis ſubditis detrahentibus ; nihilominus poſſe excuſari à tali reſtitutione facienda ; ratio eſt, quia non incumbit Prælatis ex Officio, & Juſtitia commutativa conſervare famam proximi ; nec cenſentur ſuſcepiſſe Officium cum tanto onere ; adeoque licet teneantur ad impedienda peccata detractionis ſubditorum, non tamen tenentur ad reſtitutionem famæ ob talem detractionem.

CAPUT XI.

Quomodo facienda sit Restitutio Famæ? Et à quibus Personis? Et quibus?

1 *Habetur gravis obligatio restituendi famam injuste ablatam?*
2 *Qui alterum infamavit apponendo falsum crimen tenetur aperte se retractare penes audientes, & revocare efficaciter dictum, etiam addito juramento, & testibus.*
3 *An satisfaciat obligationi restituendi famam qui alium infamavit in uno genere peccati, sed ejus æstimationem resarcit in alio genere virtutis?*
4 *An si infamia penitus abierit in oblivionem, teneatur infamans illam resarcire?*
5 *An sit obligatio restituendi famam, quando alia via infamatus eam recuperavit?*
6 *An manifestans crimen alterius uni, vel duobus teneatur famam restituere, non solum penes illos, verum etiam penes alios, quibus ipsi manifestarunt?*
7 *An manifestans crimen alterius bona fide putans esse verum, & publicum; teneatur cognito errore famam restituere?*
8 *An manifestans crimen Titii, Auditores tamen intelligant de Fulano; teneatur ad famam Fulano restituendam?*
9 *An si infamans restitutionem famæ non fecerit, ad quam tenebatur; obligentur ad illam restituendam hæredes?*
10 *An teneatur infamans ad totum damnum resarciendum, quod ex infamia consecutum est?*
11 *An Superior non impediens infamiam à suo subdito provenientem alteri, teneatur ad restituendam illam?*
12 *An licite condonari possit restitutio infamiæ?*

1 QUAMVIS nonnulla dicta sint de Restitutione Famæ *in Septimo Decalogi Præcepto Qu.* 20. *de Rest. c.* 24. *n.* 4. nihilominus multa hic supersunt pertractanda. In primis occurrit gravis obligatio restituendi famam injuste ablatam, quæ urget detractorem, nisi sit causa excusans. Sic communis omnium Doctorum sententia, ut patet ex natura ipsa Justitiæ, quæ si obligat ad restitutionem in bonis fortunæ, quæ sunt minora; potiori Jure obligare debebit ad restitutionem famæ, quæ est in superiori ordine: cum melius sit nomen bonum, quam divitiæ multæ. Difficultas igitur est, quomodo facienda sit talis restitutio.

2 Dico 1. qui alterum infamavit falsum crimen imponendo, tenetur aperte retractare penes audientes, ac revocare efficaciter dictum, sive significando deceptum fuisse, aut falsum dixisse, vel mentitum fuisse; pro ut opus fuerit, addito juramento, ac testibus, si alias audientes crediturі non essent, & sic exigeret gravitas materiæ: ratio est, quia tenetur adhibere media ad efficaciter revocandum. Sic Lessius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 20. Salon, Sayrus, Turrian. Filliuc. Molina, & Reginald. penes Bonacinam *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 4.

Dico 2. qui alterum infamavit ejus occultum crimen, quamvis verum manifestando; non obligatur ad famam restituendam dicendo, se falsum manifestasse; aut mentitum fuisse, alias obligaretur ad mendacium committendum; sed tantum obligabitur ad laudandum infamatum, & honorifice de eo loquendum, ac signis externis publice honorandum arrepta occasione apud audientes. Sic Lessius *l. c. n.* 110. in fine referens Sotum, Cajet. & & Navarrum. Sic etiam Bonac. *l. c. n.* 3. referens Molinam, Reginaldum, Aragon. & Filliuccium.

Dico 3. qui alterum publice infamavit, tenetur ad publicam restitutionem faciendam; qui vero privatim, ad privatam: ratio est, quia fama restituenda est ad æqualitatem, nec sic restitui potest, nisi per modos prædictos; ergo tenebitur ad illos, adeoque infamans per libellos famosos, per publicam scripturam, aut publicos libros debet famam restituere, ut habet communis Doctorum sententia.

3 Quæres 1. an satisfaciat obligationi restituendi famam, qui alium infamavit in uno genere peccati, sed ejus æstimationem tantundem resarcit in alio genere virtutis? Resp. negative per se loquendo, nisi infamatus illam acceptet: ratio est, quia restitutio facienda est in eadem specie, quando fieri potest; sic enim melius servaretur æqualitas, quam restitutio respicit. Et sicuti loco centum aureorum furto sublatorum nequit dari equus, vel alia res tantundem valens, nisi dominus acceptaverit; ita etiam & in casu nostro. Sic Navarrus *in c. Inter verba. n.* 358. Navarra *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 369. Turrianus *disp.* 13. *dub.* 3. *n.* 4. & Bonacina *de Restit. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 15. *num.* 4.

Quæres 2. an si infamia penitus abierit in oblivionem, 4 teneatur infamator ad illam restituendam? Resp. non teneri, sive crimen verum fuerit, sive falsum: ratio est, quia actu infamatus nullum damnum patitur; & illud, quod passus est, jam evanuit; aliunde per restitutionem posset revivisсere vulnus, quod jam consenuerat, adeoque potius esset novum damnum inferre, quam antiquum resarcire. Secus tamen dicendum esset, quando non ita abiit in oblivionem, ut non sit periculum, quod denuo non resurgat; tunc enim urget obligatio restituendi famam. Sic Navarrus *in man. c.* 18. *n.* 48. Molina *tract.* 4. *disp.* 41. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 18. Navarra *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 423. Reginaldus, Valentia, Rebellus, Sayrus, Turrianus & alii penes Bonacinam *de Rest. disp.* 3. *quæst.* 4. *pun.* 13. *num.* 1.

Dubitabis tamen hic: quantum temporis requiratur, ad hoc ut crimen reputetur oblivioni traditum? Resp. quamvis communior sententia doceat, requiri spatium viginti annorum; nihilominus Navarra *l. c. n.* 424. & Bonacina *l. c. n.* 2. putant potius colligendum esse ex eo, quod multo tempore jam elapso nulla facta fuerit mentio criminis illius, etiam si non pertingat ad spatium viginti annorum; ideoque prudenter censetur, audientes jam oblitos esse. Nec tenetur infamans interrogare auditores, quibus olim crimen narravit; an recordentur illius: nam tali interrogatione refricaret potius vulnus, quam illi mederetur; sufficit ergo, quod probabiliter putet jam oblitos esse,

Quæres 3. an sit obligatio restituendi famam, quan- 5 do alia via infamatus illam recuperavit, aut bene vivendo, aut testimonio gravium virorum? Resp. non teneri ad restitutionem famæ: quia nequit restitui id, quod jam recuperatum est; sicuti non tenetur fur ad restituendum domino rem furto ablatam, si eam dominus jam recuperaverit. Tenebitur tamen ad restitutionem damnorum, quæ secuta fuere ex infamia illa, dum extitit; eo quia fuit causa efficax illorum. Sic Lessius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 17. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *pun.* 4. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 372. Sà *verb. Restitutio. n.* 30. Molina *tract.* 4. *disp.* 40. & alii passim contra Navarrum. An tamen aliquid restituendum sit pro medio tempore ante recuperationem? Communis responsio est, dandam esse aliquam satisfactionem, si eam infamatus exposcat. veniam petendo, honore, & laude afficiendo, aut signa doloris demonstrando; si vero non exposcat, nullam exhibendam esse, quia censetur condonata. Vide Lessium *loc. cit.*

Quæres 4. an manifestans crimen alterius uni vel 6 duobus teneatur ad restitutionem famæ non solum penes illos, verum etiam penes alios, quibus ipsi manifestarunt? Resp. si illi silentium promiserunt, ac de eorum silentio, & taciturnitate prudenter non dubitabat manifestans; non tenebitur ad restitutionem famæ penes alios, quibus ipsi manifestarunt; sed sufficit, quod restituat penes immediatos, & primos: ratio est, quia infamia irrogata per ipsos, qui taciturni censebantur, est casualis respectu manifestantis: sed nemo tenetur ad resarciendum damnum casuale; ergo sufficit, quod penes immediatos restituat; ad ipsos autem spectabit restituere penes mediatos. Si vero manifestans dubius erat de eorum taciturnitate, imò timebat probabile periculum ulterioris diffamationis; tenebitur manifestans etiam ad famam restituendam penes alios, quibus ipsi manifestarunt, si ipsi tamen restituere nolint: & ratio est, quia censetur causa efficax infamiæ, etiam penes mediatos. Sic Rebel. *lib.* 4. *de Rest. quæst.* 12. *n.* 4. Turr. *disp.* 53. *dub.* 2. *n.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 20. *n.* 111. & Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 443.

Quæres 5. an manifestans delictum alterius bona fi- 7 de putans, esse verum, & publicum; teneatur ad restitutionem cognito errore? Resp. statim ac errorem cognoscit, tenetur ad famæ restitutionem, etiamsi penes Superiorem infamaverit bono fine correctionis fraternæ: ratio est, quia jam alienam famam retinet accedente mala fide invito domino; ergo tenetur ad illam restituendam, sicuti tenetur ad rem alienam domino restituendam posteriori ex errore, statim ac errorem suum cognoscit. Non nego tamen, quòd non teneatur illam restituere cum sua infamia, vel alio gravi incommodo, vel magno dispendio: ratio est, quia sine culpa

inju-

injustitiæ eam abstulit; ad differentiam illius, qui cum culpa injustitiæ abstulit, & hic quidem tenetur ad restituendum cum æquali *sua* infamia, & damno. Nec tenetur ad damna resarcienda, si fortè aliqua secuta fuerint ex suo errore ante cognitionem illius, cum non reputetur causa injusta illorum, sicuti non reputatur causa injusta *infamiæ*. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 22. *à num.* 115.

8 Quæres 6. an manifestans crimen Titii, auditores tamen intelligant de Fulano; teneatur ad famam Fulano restituendam? Resp. quamvis non teneatur ex Iustitia, quia revera non fuit directa causa infamiæ Fulani manifestatio illa, sed potiùs erronea intelligentia audientium; tenetur tamen ex Charitate ad famam Fulano restituendam: nam lex Charitatis postulat, ut damnum proximi avertamus, quando sine notabili incommodo id fieri potest. Sic Lessius *l. c. num.* 119.

9 Quæres 7. an si infamans restitutionem famæ non fecit, ad quam tenebatur; obligentur ad illam hæredes? Resp. quamvis non teneantur hæredes ad famę restitutionem loco infamantis jam defuncti; eo quia cum obligatio hęc sit personalis, & ad aliquid agendum, non verò dandum; transferri nequit in alium, ut est etiam obligatio personalis voti. Nihilominus obligantur ad resarcienda damna ex illa infamia secuta: ratio est, quia talis obligatio non est purè personalis, sed afficit etiam bona defuncti, quę apud hęredes extant, & cum hac obligatione transeunt ad illos. Sic Navar. *in man. cap.* 18. *n.* 45. Adrian. *quodlibet* 11. & Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 21.

10 Quęres 8. an infamans teneatur ad totum damnum resarciendum, quod infamato consecutum est ex infamia? Resp. si damnum sequitur ex infamia criminis falsò appositi; resarciendum erit in integrum: ratio est, quia est infamia omnino injuriosa, cum non solùm contineat calumniam, seu crimen falsò appositum innocenti, cognito ut tali; verùm etiam infamiam penes alios; ergo inducit obligationem restituendi in integrum est communis sententia teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 19. *n.* 101. Difficultas tamen est, quando damnum sequitur ex infamia criminis occulti veri: nam Sotus *lib.* 4. *de Just. quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. cum aliis putarunt, in hoc casu non esse integrum damnum resarciendum, sed juxta arbitrium prudentis viri. Sed verior, & communior sententia docet, etiam damnum ex infamia criminis veri, sed occulti proveniens integrè resarciendum esse ab infamante: ratio est, quia est ęquè causa principalis secundum æstimationem prudentum damnorum sequentium, qui falsum crimen apposuit, ac qui verùm injustè manifestavit; ergo non minùs ille, quàm iste tenebitur ad integrum damnum reparandum: maximè quia crimen sive verum, sive falsum, dum manet occultum, damnum non infert, & vim inferendi damnum à manifestatione accipit; ergo manifestans, sive verum, sive falsum crimen æquè se habet quoad damnum illatum. Sic Navar. *in man. cap.* 18. *n.* 45. Sayr. *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 17. Regin. *lib.* 10. *n.* 335. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 19. *n.* 104. Salon, Navar. Mol. & alii penes Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 16. *n.* 1.

Advertendum tamen, quòd si infamans spoliavit per infamiam infamatum aliquo bono, sive Officio, sive Beneficio, quod actu possidebat; teneatur ad integrum valorem boni, quo privavit; si verò actu non possidebat, sed spes erat obtinendi illud; non teneatur ad integrum valorem boni impediti per infamiam, sed ad valorem illum, quanti arbitrio boni viri spes illa æstimatur, quæ semper minoris æstimari solet. Sic Lessius *l. c. num.* 103. & Bonacina *l. c. n.* 2.

11 Quæres 9. an Superior non impediens infamiam à suo subdito provenientem alteri; teneatur ad restitutionem? Resp. si poterat talem infamiam impedire, & non impediat; tenetur ipse famam restituere, non restituente subdito; aut si nolit illum compellere ad restituendum: ratio est, quia cum Superiori incumbat subditum corrigere, & impedire, ne noceat injustè alteri; inde est, quòd si possit impedire, & non impediat reputetur causa moralis damni illius ob infamiam; sicuti Prætor potens impedire damna, ac latrocinia, quæ in Civitate fiunt, & non impediens; reputatur causa illorum, & ad illa resarcienda obligatur. Sic communior sententia Doctorum, quamvis ut superiùs adnotavi in fine Capitis præcedentis, excuset illum à restitutione Rebellus. Si verò subditus alterum infamavit in absentia Superioris, ac ipso inscio, quamvis teneatur ex Officio compellere subditum ad famam restituendam; nihilominus subdito non restituente non tenetur ipse restituere: nam non censetur causa damni, eo quia absens non potuit impedire. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 23.

Dubitabis hìc: quinam Superiores obligentur ex Officio ad hoc faciendum? Resp. non solum obligari Superiores Regularium, verùm etiam Episcopos, & ex parte Parochos; Parentes respectu suorum filiorum, dum sunt sub patria potestate; Dominos respectu suorum servorum; ac etiam Principes, & Magistratus: sicuti enim ad hos spectat contumelias impedire, ita etiam & detractiones, præcipuè publicas, & per libellos famosos. Quamvis non teneantur compellere infamantes ad restituendum, nisi juridice instante parte, aliàs præsumi potest condonata injuria, ut consuetudo habet.

Quæres 10. an licitè condonari possit Restitutio famæ? Resp. quamvis ex se licita sit condonatio restitutionis famæ, sicuti licita pariter est condonatio restitutionis cæterorum bonorum externorum; nihilominus illicita reddi potest ex circumstantiis, si videlicet necessaria sit restitutio infamato ad ædificationem proximorum, ad scandalum vitandum, vel si infamia redundet in alios, aut si ritè obiri nequit Officium, quo infamatus obstringitur erga proximos. Regula tamen generalis in hoc esse poterit, quòd solùm in iis casibus licita sit condonatio infamiæ, in quibus licet se ipsum infamare; & in iisdem, in quibus graviter peccat se infamando, nam in istis graviter peccabit condonando restitutionem famæ. Sic Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 28. 12

Quapropter infertur 1. graviter peccare, & illicitè condonare restitutionem famæ, qui de crimine hæresis, vel Apostasiæ à fide, aut Rebellionis infamatus fuit, grave enim sequeretur scandalum, & magna infamia in familiam. 2. graviter peccare, & illicitè condonare restitutionem famæ Virum valde celebrem, & Reipublicæ utilem sua doctrina, ac suis concionibus: cum ex infamia non restituta magnus impediretur fructus in proximis. 3. si infamia condonata redundet in alios, qui remanerent infamati, & suspecti: sic est infamia Parentum, præsertim de crimine hæresis, vel Proditionis, quæ redundat in filios, qui haberentur ut viles, & inhabiles ad Officia; & vice versa infamia filiorum, quæ redundat in Parentes; infamia Religiosi, quæ redundat contra Monasterium, & Religionem; & similes, quæ illicite condonantur. 4. condonari nequit licitè infamia, si expedit ad rectam Officii administrationem non condonare; nisi velit infamatus Officium deponere: sic Prælati omnes condonare licitè nequeunt cum retentione Officii, fierent siquidem inepti ad munus suum ritè obeundum cum infamia illa. Sic Sotus *lib.* 4. *de Just. quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 24. & Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 29.

CAPUT XII.

Quænam excusent à Restitutione Famæ?

1 *Condonatio juste facta excusat à restitutione Famæ.*
2 *Compensatio justa cum æqualitate excusat à restitutione Famæ.*
3 *Si crimen occultum sit, & postea publicum fit absque culpa infamantis, sed alia via; non tenetur infamans ad restitutionem.*
4 *Si restitutio famæ evadat impossibilis, non tenetur infamans ad illam.*
5 *Si fama alia via recuperata fuerit ab infamato, non tenetur infamans ad restituendum.*
6 *Si prudenter judicetur, ita infamiam oblivioni traditam, ut per restitutionem revivìscat, quod sepultum est; desistendum erit à restitutione.*
7 *Si infamans nullius fidei esset penes auditores, ita ut infamia non fuerit efficax; non tenetur ad restitutionem.*
8 *Putans bona fide delictum, quod narrat, esse verum, & publicum, quod postea tale non comperit, si absque notabili famæ suæ deperditione restituere nequeat; non tenetur ad illam.*
9 *Si habeatur periculum propriæ vitæ ob restitutionem famæ, non tenetur infamans ad restitutionem.*
10 *An si fama ob justam causam restitui nequeat, compensari debeat pecunia?*

VARIÆ afferri solent causæ excusantes à restitutione famæ, inter quas 1. est Condonatio obligationis

nis restituendi famam, dummodo justa sit, nec contra alium vergat, aliàs invalida erit, cum cedat in damnum innocentis: quòd si contra justitiam non cedat, tantummodo erit contra Charitatem, adeoq; valida, licèt illicita. Sic Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 5. Salon *ibidem*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 24. *n.* 125. Regin. *lib.* 10. *n.* 338. & Sayrus *lib.* 11. *cap.* 6. *n.* 16.

2 2. Causa erit Compensatio justa, quæ fieri potest in restitutione famæ, servata tamen æqualitate; quapropter si Titius Cajum infamavit, & ideo tenetur ad famæ restitutionem, si pariter à Cajo infamatus fuerit nolente restitutiorem famæ facere; poterit Titius titulo justæ compensationis famam ablatam non restituere Cajo, dummodo tamen servetur æqualitas, hoc est, quòd non plura delicta de Cajo manifestaverit Titius præ illis; quæ de Titio manifestavit Cajus: nam si damnum, quod passi sunt in fama, non sit æquale; tenetur excedens ad excessum, ut patet ex natura ipsa rei. Adnotandum tamen diligenter, hoc tantum posse fieri in restitutione famæ jam ablatæ, non verò auferendæ, aliàs esset manifesta ultio, & vindicta, cum non sit reddendum malum pro malo; Sic Arag. Sal. Rebel. Lessius, Sà, & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun. ult. n.* 1.

Dubitabis hic 1. an ille per quem stat ne fama restituatur; graviter peccet, cum alter paratus sit illam restituere? Resp. affirmative: ratio est, quia censetur injusta causa damni, quod patitur alter. Dubitabis 2. an Titius, qui Cajum infamavit de crimine longè graviore ab illo, quo à Cajo infamatus fuit; possit absque peccato restitutionem famæ differre, donec paratus sit Cajus ad restitutionem? Resp. affirmativè; ratio est, quia infamia illa retineri potest à Titio loco pignoris, donec Cajus restituat; sicuti potest Titius retinere sibi loco pignoris gemmam auream ob paucos aureos, quos ipsi deberet Cajus nolens illos restituere, ut sic cogeret ad restitutionem. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 25. *n.* 134. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *contr.* 23. *concl.* 2. & Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun. ult. n.* 2.

3 3. Causa: si crimen occultum, ob revelationem cujus secuta est infamia, fiat alia via publicum, & manifestum absque culpa infamantis: quia sic infamatus amisit jus ad famam suam. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 26. *n.* 137. Cardin. Delugo *disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 37. & alii.

4 4. Causa: si restitutio famæ evadat impossibilis: quia infamatus, & audientes longè abierunt, nec spes sit redeundi; aut alio modo: ratio est, quia ad impossibile nemo obligari potest, ut ex se patet.

5 5. Causa: si fama alia via recuperata fuerit ab infamato, vel bonis actibus Virtutis, aut testimonio gravium virorum, vel aliis mediis: nam ut supradictum est, nequit haberi obligatio restituendi id, quod jam recuperatum est, quamvis restitui debeat damnum inde secutum.

6 6. Causa si prudenter judicetur oblivioni tradita infamia, & per testimonium potiùs reviviscceret, quod jam sepultum est, ut supranotatum fuit: & esset vulnus dolenter refricare. Vide Card. Delug. doctè non minùs, quàm prudenter de hac re pertractantē *disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 37.

7 7. Causa: si infamans nullius esset fidei penes audientes; vel quia audientes similia sciebant de infamato, itaut infamia non fuerit efficax, quia apud ipsos nil additum est circa opinionem, quam habebant de infamato: & ratio est, quia ut infamia inducat obligationem restituendi; debet esse efficax, hoc est effectum præstare, si ergo in casu adjecto inefficax est, quia nullum causat effectum; inducere nequibit obligationem restituendi. Sic Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *pun.* 5. Navarr. *in man. cap.* 18. *n.* 44. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 26. *n.* 138. *in fin.* Sayrus *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 13. & Farinacius *disp.* 53. *dub.* 2. cum aliis.

8 8. Causa: si bona fide putans quis delictum, quod narrat, esse verum, & publicum, quod postea non comperit tale; nec possit absque notabili famæ suæ deperditione restituere. Imò absolutè putant Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 26. *n.* 138. Sotus, Tolet. Corduba, & Covarruv. ab eo relati. Salon, Navarra, Valent. Turr. & Filliuc. penes Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun. ult. n.* 12. & 13. notabilem jacturam propriæ famæ præ damno alteri illato in fama, ut si Prælatus, vel Vir illustris virum plebejum infamaret, & longè major esset infamia, quæ ipsis sequeretur ex restitutione, quàm non fuisset damnum, quod plebejus passus esset; non obligarentur ad restitutionem faciendam: cum Justitia obligare nequeat cum detrimento notabiliter majore quamvis deberet alia via compensare, vel remissionem obtinere, si posset. Licèt Navarrus, Sayrus cum aliis oppositum docuerint.

9 9. Causa est periculum propriæ vitæ, quod ex restitutione sequitur: ratio est, quia nemo tenetur ad restitutionem bonorum inferioris ordinis cum periculo bonorum superioris Ordinis: cum igitur vita sit in superiori Ordine ad famam, inde est, quòd cum periculo vitæ non erit obligatio restituendi famam. Dummodo tamen infamia alteri illata non fuerit in bonis spiritualibus, aut in vita corporali, sed in aliis rebus inferioris Ordinis; insuper ne ex infamia illa notabile detrimentum, & grande malum Reipublicæ sequeretur: quia tunc etiam cum periculo vitæ fama esset restituenda, non solùm ratione infamiæ illatæ, verùm etiam damni publici, quod semper præferri debet damno privato. Sic esset infamia illata Pontifici, Prælato, Regibus, Ordini Religioso, & similibus. Sic Cajet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Navarrus *in man. cap.* 17. *n.* 89. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 405. Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 9. Turr. *disp.* 13. *dub.* 6. *n.* 3. & alii.

10 Quæres hic: an si fama restitui nequeat vel ob vitæ periculum, aut ob aliam justam causam, pecunia compensari debeat? Resp. quamvis Sayrus *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 25. & alii relati à Salonio, Turriano, & Sà docuerint, teneri ex Justitia infamantem compensare pecunia famam ablatam, quando restitui nequit modo consueto; nihilominus communior, & probabilior sententia docet, non adesse talem obligationem ex Justitia, quando revocatione dictorum, & narratorum tolli nequit; secluso semper damno ex infamia sequente, quod pecuniariam restitutionem exigit juxta supradicta: ratio est, quia justitia commutativa exigit, ut restituatur id, quod ablatum fuit, vel æquivalens illi juxta communem prudentum æstimationem; & si neutrum reddi possit, cessat obligatio restituendi; sed fama in nostro casu nequit restitui, ut supponitur, & aliunde pecunia non æstimatur communiter æquivalens famæ ablatæ, cum fama sit supra omne pretium, melius namque est nomen bonum, quàm divitiæ multæ; ergo qui nequit famam restituere, nequit ex Justitia obligari ad compensandam illam pecunia. Sic Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 417. Navarrus *in man. cap.* 17. *n.* 90. Sylv. *verb. Detractio quæst.* 4. *casu* 2. Turrian. *disp.* 54. *dub.* 2. *in fin.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 16. Sà *verb. Restit. n.* 55. Regin. *lib.* 10. *n.* 342. Azor. 3. *par. lib.* 5. *cap.* 9. *quæst.* 13. & alii passim.

Neque dicas: mensuram omnium rerum humanarum esse pecuniam. Nam licèt sit mensura rerum humanarum venalium, non tamen est mensura earum, quæ vendi nequeunt, ut est fama, quæ neque natura sua, neque ex communi omnium æstimatione vendibilis est: consonat illud *Ecclesiastici* 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.*

Adnoto tamen ex Lessio *l. c. n.* 96. & ex Bonacina *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun. ult. n.* 14. *in fine*, quamvis non habeatur hæc obligatio ex Justitia, ut probatum est, possit tamen haberi ex æquitate quadam, & Charitate: ut si infamatus esset pauper, & ad sublevandam suam tristitiam ex infamia ortam compensationem pecuniariam exposceret, quam commodè infamans exhibere posset; Lex Charitatis infamantem adstringeret ad hoc præstandum.

Sed quid dicendum: si infamans damnatus esset à Judice ad satisfactionem reddendam pecunia infamato; vel si ex pacto convenerit cum illo de certa pecunia reddenda pro restitutione? Resp. tunc infamantem teneri ex Justitia ad pecuniam restituendam pro fama: ratio est, quia Judex supposita injuria potest in pœnam talem satisfactionem injungere; ergo infamans cum teneatur ex Justitia obedire sententiæ justæ, tenebitur etiam ex Justitia illam exequi. Insuper conventiones, & pacta justè inita obligant ex justitia; ergo si pactum, & conventio de restituenda pecunia pro fama sunt justa, cum infamatus jus habeat accusandi infamantem, ac exigendi restitutionem prout à Judice statutum fuerit; obligabunt ex Justitia ad executionem. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 16. *n.* 97.

CAPUT XIII.

De Contumelia, Derisione, Susurratione, & earum Restitutione.

1 *Quid sit Contumelia, & quomodo differat à Detractione?*

2 *Ex*

2 *Ex genere suo Contumelia est grave peccatum, licèt possit esse leve ex levitate materiæ.*
3 *An excusentur à gravi peccato Mulierculę, pueri, & homines infimæ notę ad invicem se contumeliis afficientes?*
4 *An omnes Contumeliæ sint ejusdem speciei?*
5 *Quid sit Derisio, & quomodo à Contumelia differat?*
6 *Est grave peccatum Derisio ex genere suo, quamvis ex levitate materiæ possit esse leve.*
7 *Quid sit Subsannatio, & an specie differat à derisione?*
8 *Violans injustè honorem alterius sive per Contumeliam, sive per Derisionem, aut Subsannationem tenetur ad restitutionem.*
9 *An inhonorans alium in ejus absentia dictis, vel factis teneatur ad restitutionem faciendam inhonorato penes illos, coram quibus inhonoravit?*
10 *An omittens honorem debitum Superioribus, vel æqualibus teneatur ex Justitia illum resarcire?*
11 *An ex eo præcisè, quod affectus contumelia, derisione, aut subsannatione conversetur cum inhonorante; censeatur condonare injuriam?*
12 *Recensentur varii modi restituendi honorem.*
13 *Quid sit Susurratio, & quomodo distinguatur à Contumelia, & Derisione?*
14 *Ex genere suo grave peccatum est Susurratio, quamvis ex inadvertentia, & deliberatione possit esse leve peccatum.*
15 *An aliquando possit esse licita Susurratio?*
16 *An licitum sit aliquorum amicitiam disrumpere, ut quis eam sibi conciliet?*

1 CONTUMELIA est injuria, qua violatur honor alterius objiciendo crimen, aut quid simile in ejus præsentia. Sic communiter Doctores cum Navarro *in man. cap.* 18. *n.* 111. Differt à detractione; quia detractio violat famam, contumelia honorem; insuper detractio fit in absentia, contumelia verò in præsentia; ideoque est gravius peccatum præ detractione, cum læsus scienter invitus, & coram patiatur injuriam, quod non evenit in detractione ob absentiam. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *ad* 2. & alii passim.

2 Ex genere suo Contumelia est grave peccatum, eo quia ex natura sua tendit ad graviter lædendum honorem proximi, licèt ex levitate materiæ, & ex levitate intentionis lædendi proximum possit esse leve peccatum, imò aliquando nullum peccatum: ut si quis invincibiliter putaret, nullam honoris læsionem secuturam esse; vel Superiores ex munere suo acriter subditos in suis defectibus reprehendentes absque intentione violandi eorum honorem, imò potiùs redigendi ad meliorem frugem: ut rectè adnotarunt Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 16. *pun.* 2. Salon 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. *concl.* 2. & Sayr. cum aliis *lib.* 11. *cap.* 8. *n.* 5. Aut denique Parentes sæpius filios increpantes, aut Magistri discipulos, appellantes ignaros, duræ cervicis, nullius habilitatis &c.

3 Quæres 1. an excusari possint à gravi peccato contumeliæ Mulierculę, pueri, & homines infimę notę sępiùs inter se altercantes & ex irę promptitudine variis probris, & contumeliis inter se afficientes? Resp. si non habeant intentionem graviter lędendi conviciis illis, & contumeliis, etiamsi materiam gravem sibi objiciant; non peccare graviter: ratio est, quia non solent audientes præstare fidem ipsorum dictis, adeoque parùm lędditur eorum honor. Secus verò dicendum, si pravum animum, & pravam intentionem habeant graviter nocendi; dummodo irę ardor non pervertat omnem deliberationem sufficientem ad peccandum, nec sciant, lęsionem futuram gravem. Sic Sayr. *lib.* 12. *cap.* 4. *n.* 8. Salon, & Fiulliuc. quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *pun. ult. n.* 4.

4 Quęres 2. an omnes Contumeliæ sint ejusdem speciei? Resp. affirmativè, quia omnes sunt comprehensę sub eadem ratione formali violandi honorem; quamvis inter se differant secundùm magis, & minus, quod non sufficit ad speciem variandam. Sic Mol. *tract.* 4. *disp.* 19. *n.* 3. Azor. 3. *par. lib.* 23. *cap.* 5. *dub.* 1. Cajet. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 1. Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 9. *art.* 1. Sà *verb. Contumel. n.* 1. Regin. *lib.* 24. *n.* 102. & alii. Adnotandum hic: Contumeliam Parentibus illatam habere specialem malitiam, eo quia opponitur speciali Virtuti Pietatis debitæ Parentibus; quod etiam extenditur ad Derisionem, subsannationem, & alias illusiones ipsis factas. Sic probabiliùs Molina *tract.* 4. *disp.* 21. *n.* 6. & Bonacina cum aliis *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 1. *n.* 7.

5 Derisio est violatio honoris alterius verbis, aut factis cum intentione inducendi illi confusionem, & erubescentiam, ut communiter Doctores habent. Differre solet à contumelia per hoc, quia fit joco, quamvis habeat pro fine inducere confusionem, & erubescentiam; Contumelia verò non fit per jocum, sed seriò. Est gravius peccatum Derisio prę Contumelia, quia importat majorem contemptum, nempè confusionem, & erubescentiam proximi coram aliis: ut docent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 2. *in corp.* Salon 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 2. *concl.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *pun.* 2. & Bonac. *l. c. n.* 11.

6 Est grave peccatum Derisio strictè sumpta ex genere suo, ut est Contumelia, prępcipuè si fiat cum animo graviter confundendi proximum, manifestando grave vitium illius, & in circumstantiis, in quibus proximus valde contristari posset, quamvis ex levitate materię, aut parvitate possit esse veniale peccatum; aut si ex indeliberatione procedat Derisio. Imò poterit esse immunis à peccato mortali, & veniali, si fiat animo corrigendi à suis vitiis proximum, aut honestę recreationis causa, dummodo absit omnis animus confundendi proximum: & tunc derisio esset latè sumpta quamvis hoc peragendum sit magna prudentia, & circumspectione, ne derisus gravem patiatur erubescentiam, & mœrorem non sine gravi culpa deridentis. Sic Salon *l. c.* Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 18. *pun.* 2. Mol. *tract.* 4. *disp.* 21. *n.* 4. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 5. *n.* 9. & alii.

7 Petes hic: an Derisio specie differat à subsannatione? Resp. formaliter contineri sub eadem specie, cum ambę ordinentur ad violandum honorem proximi inducendo erubescentiam, & confusionem; & solùm differre materialiter, eo quia Derisio fieri solet verbis irrisoriis, & jocosis; Subsannatio verò signis jocosis, & irrisoriis, nempe aperitione oris, extensione labiorum, rugis in naso, plausu manuum &c. Vide Salonium 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 1.

8 Violans injustè alterius honorem sive per Contumeliam, sive per Derisionem, aut subsannationem tenetur ad restitutionem, seu satisfactionem dandam, non solùm privatim, si id fecerit coram solo dehonorato; verùm etiam publicè, si illum coram aliis dehonoraverit, ita ut satisfactio sit penes dehonoratum, & penes alios: ratio est, quia fecit veram injuriam contra Justitiam Commutativam; sed ex violatione justitiæ commutativę oritur obligatio restituendi ad ęqualitatem, nec ęqualiter satisfacit, nisi honorem imminutum penes inhonoratum, & alios coram illis resarciat; ergo tenetur ad satisfactionem dandam coram aliis, si publicè dehonoravit; coram solo dehonorato, si privatim tantùm dehonoravit. Est communis sententia teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 27. *n.* 140.

9 Quęres 1. an inhonorans alium in ejus absentia dictis, vel factis, sive per Contumeliam, sive per Derisionem, aut subsannationem; teneatur ad restitutionem faciendam dehonorato, si probabile est, ejus honorem diminutum fuisse penes illos, coram quibus dehonoravit? Resp. quamvis non teneatur ad restitutionem faciendam coram inhonorato, cum in ejus absentia inhonoratio facta fuerit; tenebitur nihilominus penes illos, apud quos inhonoravit, restitutionem facere: ratio est, quia sic resarcit injuriam alteri factam in honore, retractando dicta, vel facta penes illos; & sicuti honor penes illos imminutus fuit, sic penes eosdem augeri debet: ad eum modum quo infamans penes illos, apud quos famam alterius imminuit, apud eosdem resarcire debet. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 27. *n.* 143. cum aliis.

10 Quæres 2. an omittens debitum honorem Superioribus, vel æqualibus teneatur ex Justitia illum resarcire? Resp. per se non obligari ad resarciendum honorem omissum ex Virtute Justitiæ: ratio est, quia omittendo non positivè inhonorat, sed tantùm cessat ab honore debito; sed cessatio, & omissio honoris debiti non opponitur Justitiæ Commutativæ, ut opponitur positiva inhonoratio; ergo nequit inducere obligationem ex Justitia: probatur Minor, quia omissio honoris debiti opponitur Virtuti Observantiæ, quæ non inducit obligationem restituendi, sicuti inducit Violatio Justitiæ Commutativæ. Potest tamen ratione alicujus circumstantiæ additæ inducere obligationem restituendi: ut si transeunti Superiori alii caput aperiant, & assurgant; & quis capite velato, ac torvis oculis nullum reverentiæ signum exhiberet; teneretur ad restitutionem: ratio est, quia virtualiter, & interpretativè censeretur contumeliam inferre, ex qua oritur restituendi obligatio. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 27. *n.* 142. Filliuc. *tract.* 32. *cap.* 9. *quæst.* 10. *n.* 251. & Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 5. *pun.* 2. *n.* 3.

Quæ-

11 Quæres 3. an ex eo præcisè quòd affectus contumelia, derisione, aut subsannatione conversetur cum inhonorante; censeatur remittere injuriam, & cesset obligatio illam restituendi? Resp. negativè; ratio est, quia sicuti per familiarem conversationem non censentur remissa alia debita, sic nec censeri debet remissum debitum insurgens ex contumelia, aut alia inhonoratione. Idem dicendum de infamia, non enim statim ac infamatus conversetur cum infamante, censeri debet, quod condonet obligationem restituendi famam, nisi id alia via exprimat, ex qua colligatur condonatio contumeliæ, ut esset nimis familiaris, & magna communicatio Secretorum: cum præcisa conversatio provenire possit ex indigentia, vel ob scandalum vitandum, aut civilem tantùm consuetudinem. Sic Navarrus *in man. cap.* 18. *n.* 46. Regin. *lib.* 10. *n.* 356 Sayr. *lib.* 12, *cap.* 5. *n.* 14. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 74. & Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 29.

12 Modi restituendi honorem varii esse possunt, qui ut plurimùm remittendi erunt judicio virorum prudentum ac peritorum in hoc genere, quorum erit discernere æqualitatem, ut tanta sit restitutio, quanta fuerit honoris læsio: ut rectè docet Cajet. *Opusc.* 31. *resp.* 13. *dub.* 5. Communiter hi recensentur, 1. honorificè salutando, compellendo, & demonstrando signa extraordinariæ benevolentiæ: qui modus sufficiens reputatur inter Prælatos, & inferiores; ac inter viros nobiles, & plebejos, etiamsi satisfacere possint veniam petendo, ad quam non est necesse obligare, ne despectui habeantur, & aliunde restituitur æquivalens: ut expressè D. Agust. habet *in sua Regula de Superioribus*. Sic Cajet. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 3. Rebell. *lib.* 4. *de Rest. quæst.* 12. Molina *tract.* 4. *disp.* 46. Navarra *l. c. n.* 66. Lessius *l. c. n.* 144. 2. veniam petendo, qui modus efficacissimus reputatur ad satisfactionem dandam Superioribus, & à fortiori æqualibus ante Judicis sententiam, quamvis post illam standum sit satisfactioni injunctæ à Judice; ratio autem cur sufficiens modus restituendi censeatur petitio veniæ cum humili submissione, ac doloris signis exhibita; fundatur in eo, quia talis reputatur penes omnes viros prudentes, & sic usu receptum est etiam pro summis injuriis; adeoque si inhonoratus majorem exigat satisfactionem, eam per Judicem obtinere debebit, nam inhonorans non tenebitur ad illam ante prolatam à Judice sententiam. Sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 27. *n.* 145. Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 5 *pun.* 2. *n.* 5. & alii. 3. dando locum honorificum inhonorato, adhibendo illum cum affectu ad mensam, propinando illi in convivio; qui quidem modus reputatur sufficiens in exhibenda satisfactione inter eos, qui paris sunt conditionis; dummodo tamen gravitas inhonorantis non videatur exigere majorem satisfactionem judicio Virorum prudentum; ut rectè adnotant Lessius, & Bonacina *l. c.*

13 Susurratio nihil aliud est, nisi manifestatio defectus alterius ad seminandas discordias inter amicos: ut habet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 1. Navarrus *in man. cap.* 18. *n.* 13, & alii communiter. Distinguitur à Detractione, & Contumelia ex fine, quem respicit: nam detractio respicit injustam denigrationem famæ proximi, Contumelia injustam læsionem honoris, Susurratio verò disseminationem discordiarum, & disruptionem amicitiæ. Est gravius peccatum Susurratio præ detractione, & Contumelia, tum quia semper includit illas, nam ad discordias seminandas, vel narratur delictum falsò appositum, vel verum sed occultum, & aliquando in præsentia, aut in absentia; tum quia Susurratio majus damnum affert præ illis, dirimit siquidem amicitiam, quæ pluris æstimatur præ bono famæ, vel honoris: ut habetur *Eccles.* 6. *Amico fideli nulla est comparatio*. Vide Salonium 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 1. & Bonacinam *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 6. *pun.* 2. *&* 3.

14 Grave peccatum est Susurratio ex genere suo, eo quia grave damnum injustè infert, adeoque inducit obligationem restituendi: quod enim contra Justitiam fit, talem obligationem inducit, ut per se patet. Aliquando tamen ob inadvertentiam, & indeliberationem susurrantis excusari potest à gravi culpa, ut dictum est de Detractione, Derisione, & similibus, ut advertit Salon *l. c. art.* 2. Adnotandum hic ex Molina *tract.* 4. *disp.* 25. & Sayro *lib.* 12. *cap.* 5. *n.* 1. susurrationem continere aliquando plures malitias necessariò aperiendas in confessione: ut si quis discordias disseminaret inter conjugatos animo faciliùs adulterandi cum uno ex illis: tunc non solùm aperire deberet malitiam susurrationis, sed etiam adulterii ob pravam intentionem, quam habet, faciliùs adulterandi disrupta conjugali amicitia.

Quæres 1. an aliquando licita esse possit susurratio? Resp. affirmativè, si finis honestus habeatur in manifestando defectum sine mendacio, ut esset dissolvere perniciosam, ac scandalosam amicitiam concubinariorum aut similium, narrando concubinam esse deformem, morbo affectam, publicam meretricem &c. in suppositione tamen, quòd alia via dissolvi nequeat: ratio est, quia si licet manifestare alterius delictum ad evitandum grave damnum juxta superiùs dicta de detractione; licebit etiam alterius defectum narrare ad periculosam, & scandalosam amicitiam dissolvendam. Sic Sayrus, Azor. Rebell. Filliuc. quos refert, & sequitur Bonac. *de Rest. disp.* 2. *quæst.* 6. *pun.* 2. *n.* 4. *&* 5.

15 Quæres 2. an licitum sit aliquorum amicitiam disrumpere, ut quis eam sibi conciliet? Resp. si secluså fraude, & dolo, ac aliis modis illicitis id fiat; fas erit amicitiam disrumpere, sive ob finem merè sibi illam conciliandi, sive ob consequendum bonum aliquod gratuitum, ut esset ob consequendam hæreditatem gratuitam, legatum, vel aliud simile beneficium, ad quod tertius non habeat jus: ratio est, quia sicuti licitum est procurare, ut testator mihi relinquat hæreditatem, legatum, aut alterum beneficium, quod alteri non habenti jus conferre vult; aut ut mutet testamentum jam factum, & illud in meum favorem de novo conficiat; vel rem mihi tradat, quam alteri precario concesserat secluså fraude, ac dolo; ita procurare possum, ut amicitiam, & familiaritatem suam, quam alteri tradidit, mihi det: cum non magis sint bonum gratuitum hæreditas, legatum, & beneficium pendens à libera voluntate conferentis, quam amicitia; ergo si secluså malis artibus licitum est illa procurare, licitum pariter erit procurare istam. Sic Sotus *lib.* 5. *de Just. quæst.* 11. *art.* 1. Arag. 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 2. Bonac. *de Rest. disput.* 2. *quæst.* 6. *pun.* 2. *n.* 6. & alii. Nihilominus nimis probabilis est sententia docens, hoc licitè fieri non posse, eam namque sustinent Bannez, Salon, Azor. Sayr. & Filliuc. penes citatum Bonac. Et ut verum fatear, licèt non putem, esse contra Justitiam disrumpere amicitiam cum supradictis limitationibus; erit tamen contra Charitatem, cujus potiùs est fovere, quàm dissipare amicitias ritè initas.

Finis Secundæ Partis

LAUS DEO, ET BEATÆ VIRGINI.

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Tomi Primi.

Prior Numerus Paginam indicat; Secundus Numerum Marginalem.

A

Abbas.

ABBATES exempti jurisdictionem quasi Episcopalem habentes leges condere possunt pro suis Territoriis in materia non reservata. pag. 23. num. 14. Vide Prælati.

Abbatissæ.

An Abbatissæ gaudant facultate irritandi vota suarum Monialium? 389. 16. An Abbatissæ potestate legislativa gaudeant pro suis Monasteriis? 24 19.

Absolutio.

An differenda absolutio habenti consuetudinem pejerandi 333. 5.

Abstinentia.

Quid sit abstinentia? est virtus quæ moderatur ac refrænat inordinatas cupiditates, & delectationes ciborum, & in eorum fruitione, & usu debitam moderationem præscribit 217. 1. Quænam sint hæ inordinatæ cupiditates, & delectationes ciborum 217. 2. Assignatur debita moderatio à ratione præscripta in usu ciborum 217. 3. Abstinentia major à temperantia præscripta potest procedere ex affectu formali ad alias virtutes 217. 4. Abstinentia secundum legem naturæ 217. 5.

Abstinentiæ vitia opposita

Gula, Stupor; & hæc directè opponuntur. Impatientia, & superbia; & hæc indirectè.

Abusus.

Abusus privilegii multis modis evenire potest 108. 19. Vide an Privilegium amittatur per non usum.

Accessus ad Monasteria Monialium qualis sit prohibitus, & sub quibus pœnis?

Accessus prohibitus ad Monasteria monialium explicatur 458. 1. Quid veniat nomine monasterii, ad quod prohibetur accessus 458. 2. Ex quibus capitibus prohibitus accessus ad monasteria monialium? 458. 3. Quid veniat nomine accessus prohibiti in Cap. monasteria de Vit. & honest. Cleric. & Cap. periculoso de stat. Monach. in 6. 458. 4. An missio litterarum ad moniales comprehendatur sub accessu 458. 5. An scribentes litteras monialibus quas mittunt, sed ad manus earum non perveniunt; incurrant pœnas contra mittentes litteras monialibus 458. 6. Sub qua culpa prohibetur accessus, & frequentia ad monasteria monialium 459. 7. Enumerantur pœnæ impositæ contra frequentantes monasteria. 1. contra laicos. 2. contra Clericos. 3. contra Religiosos 459. 8. Subduntur causæ excusantes à culpa, & pœnis Laicos, & Clericos monasteria frequentantes 459. 9.

Accusatio.

Quid sit accusatio propriè accepta 674. 1. Quomodo differat à denuntiatione 674. 2. Tria præcavenda ab accusatore, ut justitiam servet in accusatione 674. 3. An monitio secreta præcedere debeat accusationem judicialem 674. 4. An licitè fieri possit accusatio 675. 5. An in aliquibus casibus teneamur accusare, vel denuntiare 675. 6. An accusator desistere possit ab accusatione inceptа 675. 7. Quænam motiva deobligent ab onere accusandi, vel denuntiandi 675. 8. Quinam prohibentur accusare 675. 9.

Accusator. Vide Accusatio. Acedia, & ejus filiæ.

Quid sit acedia 175. 14. Quale peccatum 253. 20. Enumerantur filiæ acediæ 254. 21. Ultra acediam specialem oppositam charitati, datur acedia generalis opposita aliis virtutibus 175. 5.

Actus indifferens.

Quid sit actus indifferens 240. 4. statuitur eum dari quoad speciem. Ibid. Actus deliberatus, & advertente ratione factus nequit esse in individuo indifferens 240. 5.

Adjuratio.

Adjuratio definitur 358. 1. Adjuratio alia propria, & perfecta; alia nec propria nec perfecta 358. 2. Alia solemnis, Privata alia; & utraque alia deprecativa, imperativa alia 358. 3. Quando utendum deprecativa, quando verò imperativa 358. 4. Quænam requiruntur, ut adjuratio licitè fiat, & sine peccato 358. 5. Quinam sunt qui adjurare possint 359. 6. Quinam adjurari possunt 359. 7. Quænam servanda in adjuratione Dæmonis, ut fiat sine periculo 359. 8. Adjurans non potest aliud Dæmoni imperare, nisi desistat à nocendo 359. 9. Adjurans ea solùm interrogare potest à Dæmone, quæ spectant ad utilitatem aliorum & ipsum expellendum 359. 10. Nequit adjurans petere à Dæmone opem ad tempestates repellendas 359. 11. Non peccat adjurans si in contemptum Dæmonis rutam, Stercus Caprinum, aut similia adhibeat; sicuti si obsessum flagellat, aut alapis, vel sputis afficiat 360. 12. Poterit adjurans absque peccato connivere pactioni Dæmonis non petentis rem malam ob egressum 360. 13. Poterit sine peccato petere signum egressus à Dæmone 360. 14.

Adjurans. Vide Adjuratio.

Adoratio.

Adoratio est præcipuus actus religionis 258. 1. Quando definiatur 258. 2. Excellentia non eadem est in Deo, ac creaturis; ideo dividitur in Increatam, & Creatam 258. 3. Celebris divisio adorationis in Latriam, Hyperduliam, & Duliam 258. 4. Adoratio alia Interna, Externa alia 258. 5. Alia absoluta, respectiva alia 259. 6. An sit idem Honor, & adoratio 259. 7.

Adoratio Latriæ.

Adoratio Latriæ competit soli Deo. An adorari possit una Persona Sanctissimæ Trinitatis distinctè ab aliis duabus 259. 1. Quomodo adorandus Christus Dominus ut Homo 259. 2. Cum anima Christi Domini, tum ejus corpus in triduo mortis adorari poterant adoratione Latriæ 259. 3. An Humanitas Christi Domini adoranda adoratione Latriæ 259. 4. Quomodo adoranda Eucharistia 259. 5. Quomodo adoranda Crux, Clavi, Spinæ, & cæteræ Reliquiæ, quæ Christum tetigerunt 259. 6. Non omnis contactus, Christi sufficiens est ad adorationem Latriæ 260. 7. Non solùm Crux, cui affixus fuit Christus; sed etiam cæteræ adorandæ sunt per Latriam 260. 8. Quomodo adorandum Sanctissimum nomen Jesu 260. 9. An Imago Christi, ejus Crux, & Clavi simul adorari possint eadem adoratione qua Christus adoratur 260. 10. An si sub Imagine Christi lateret Dæmon, adorans committeret peccatum Idololatriæ 260. 11.

Adoratio Hyperduliæ, & Duliæ.

Adoratio Hyperduliæ competit Beatis. Virgini, ejus reliquiis, Imaginibus, & ejus sancto nomini 260. 1. Adoratio Duliæ competit Sanctis Angelis, Hominibus sanctis, & Beatis, sive vita functis, sive viventibus 260. 2. Ad quam virtutem reducitur Adoratio Hyperduliæ, & Duliæ 261. 3. An adoratio Hyperduliæ emanet à diversa virtute ab adoratione Duliæ 261. 4. Quinam viri sancti adorari possint per adorationem Duliæ 261. 5. An adorari possint viri sancti in hac vita degentes 262. 6. An licitus sit usus Sacrarum Imaginum Dei, Sanctis. Trinitatis, & Angelorum 262. 7. Quænam actiones exerceri possint ante has Sacras Imagines 262. 8. Templa, Altaria, Dies festivi, & vota institui possunt non solum in Dei honorem, & Sanctissimæ Trinitatis; sed etiam sanctorum Angelorum, & hominum 262. 9. Licèt eadem adoratio competat Sacræ Imagini, & ei, cujus est Imago, attamen aliqua diversitas intercedit in modo 262. 10.

Adoratio Sacrarum Reliquiarum.

Quænam veniant nomine Sacrarum Reliquiarum 262. 1. Reliquiæ Sanctorum adorandæ eadem veneratione, qua adorantur Personæ, quarum sunt Reliquiæ 262. 2. Absolutè adorandæ sunt Reliquiæ, à Pontifice, vel ab Episcopo approbatę 263. 3. Quas Reliquias Sanctorum approbare

bare possint Episcopi 263. 4. modus servandus ab Episcopis in approbatione Reliquiarum noviter inventarum 263. 5. Quænam diligentia requiratur ad adorandas privatim Reliquias Sanctorum 263. 6. Quid faciendum si Reliquiis certis dubiæ misceantur, nec discerni possint 263. 7. An possint absolutè adorari ea corpora sanctorum quæ dicuntur esse in uno loco, affirmantibus aliis esse alibi 263. 8. An sit licitus usus deferendi Reliquias Sanctorum è collo pendentes 263. 9. An sit licitus usus ornandi crucem in altari locatam Reliquiis Sanctorum, nondum à Pontifice, vel Episcopo approbatis 263. 10. An possint Reliquiæ ostendi adorandæ populo extra capsulas, ubi reconditæ sunt 263. 11. An possint Reliquiæ transferri ex uno loco in alium 264. 12. An surripientes Reliquias alicujus eo invito committant furtum sacrilegum 264. 13. An Laici, & Clerici minores tangere, vel deferre possint Reliquias in supplicationibus 264. 14. An licitè accendi possint Cerei ad sepulchra, Reliquias, vel Imagines Sanctorum 264. 15. An sine Simoniâ dari possit pecunia ad habendas, vel videndas Reliquias 264. 16. Quomodo adorandi Agni Dei in cereis formis expressis 264. 17. An occasione deferendi Thus in venerationem Reliquiarum, & Imaginum possit etiam deferri Thus ad Laicos 264. 18.

Adulterium.

Adulterium definitur 564. 1. Ex se gravissimum peccatum est importans ultra malitiam simplicis fornicationis, injustitiæ contra conjugem 564. 2. An sit adulterium copula habita à soluto cum conjugata consentiente ejus marito 564. 3. Quibus modis adulterium committi possit 564. 4. An adulter per adulterium commissum deperdat jus petendi debitum ab uxore 564. 5. Quænam pœnæ adulteris impositæ sint 564. 6. Quam obligationem habeant adulterantes 564. 7. An adulter precisè ratione commissi adulterii teneatur ad restitutionem aliquam faciendam marito adulteræ 565. 8. Ad quid teneantur duo cognoscentes eamdem fœminam conjugatam, vel solutam, ex qua proles habita sit 565. 9. An teneatur adultera prodere suum adulterium, ne defraudentur filii legitimi in portione hæreditatis 565. 10.

Adulter. Vide Adulterium.

Advocatus.

Advocatus ut rectè munus suum obeat in patrocinandis causis, debet sufficientem habere scientiam, ac diligentiam requisitam adhibere 680. 14. An quilibet officium advocati exercere valeat 680. 15. An teneatur advocatus gratis patrocinari pauperibus 680. 16. Quas obligationes habet advocatus in causis suscipiendis à suis clientibus 680. 17. An possit advocatus causam dubiam suscipere 681. 81. Quodnam stipendium accipere potest advocatus 681. 19. Advocatus patrocinari poterit causam probabilem sui Clientis contra probabiliorem partis oppositæ 8. 16.

Aggressus an teneatur fugam arripere, si sic possit evadere mortem imminentem ab injusto aggressore.

Viri nobiles non tenentur fugam arripere, etiamsi possint, ut vitent mortem aut percussionem injusti aggressoris 542. 3. Milites & exercitia militaria agentes non tenentur ad fugam ob vitandum injustum aggressorem 542. 4. Qui nec nobiles nec milites sunt tenentur ad fugam 542. 5. Personæ Ecclesiasticæ tenentur ad fugam ad evitandam injustam aggressionem 542. 6.

Aggressorem injustum bonorum, honoris, & pudicitiæ an licitum sit occidere?

Licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem bonorum magni valoris occidere, cum aliàs servari, aut recuperari nequeant 543. 1. An iste defensor suorum bonorum incurrat excommunicationem Canonis, aut irregularitatem 543. 2. Illicitum est defendere defensione occisiva ab injusto aggressore ea, quæ non possidentur 543. 3. Illicitum est occidere injustum aggressorem bonorum magni momenti si post injustam aggressionem recepit se in loco tuto, & cœpit pacificè possidere 544. 4. Illicitum est defendere defensione occisiva proprium honorem 544. 5. Quid veniat nomine calumniæ, cujus defensio occisiva prohibetur 544. 6. An licitum sit occidere aggressorem honoris factis quando hæc ignominia aliter vitari nequeat ab aggresso 5547. An sic defendens honorem suum incurrat excommunicationem Canonis, aut irregularitatem 554. 8. An teneatur vir honoratus fugere ob vitandam ignominiam à sicario inferendam 544. 9. An possit vir honoratus repercutere, & insequi sicarium qui post inflictam plagam fugit 544. 10. An possit innocens cui magnum imminet damnum interficere falsum accusatorem, falsos testes, aut injustum judicem 545. 12. Licitum est virgini, aut uxoratæ, vel adolescentis ob defensionem pudicitiæ, & Castitatis cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem occidere 545. 14.

Aggressorem injustum an liceat interficere ob defensionem vitæ, Bonorum, Honoris, & Pudicitiæ proximi, & à quibus

Licitum est in eo casu, quo vita proximi aliter defendi nequeat, ejus injustum aggressorem occidere 545. 1. Licitum est defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ bona proximi magni valoris, si amplius recuperari nequeant. An ita teneamur succurrere proximo innocenti vim patienti ab injusto aggressore in vita, vel bonis magni valoris; ut si id omittamus peccemus saltèm contra charitatem 545. 2. Quinam teneantur ex justitia ad hoc præstandum, itaut si omittant obligentur ad restitutionem 546. 4. Licitum est defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ honorem proximi factis injustè aggressum; sic etiam ejus pudicitiam, & Castitatem. Ibid.

Amor erga Deum. Vide Charitatis præceptum.

Annata.

Quid sit Annata 297. 2. Annata regulariter solvi nõ debet ex beneficiis consistentibus in solis distributionibus 297. 7.

Aperientes aliorum Litteras. Vide Avaritia.

Archiepiscopus.

Archiepiscopi, & Episcopi dispensare possunt in legibus Diœcesanis à se latis, vel à suis prædecessoribus, & in legibus populorum sibi subjectorum 67. 4. An Archiepiscopi, vel Episcopi suffraganei dispensare possint il legibus sui Concilii provincialis 67. 5. Archiepiscopi, & Episcopi ut dispensant cum suis Clericis, an dispensare pariter possint cum religiosis exemptis 71. 10. Archiepiscopi ferre possunt leges pro suis Diœcesibus; pro natione verò, & Provincia extra Concilium eas ferre nequeant 23. 13. An possit Archiepiscopus abrogare constitutiones synodales à se factas inconsulta synodo 56. 12. An Archiepiscopus dispensare valeat in Votis emissis à suis Episcopis suffraganeis 392. 15.

Assassinium.

An dicendus assassinus, qui pretio conductus aliquem occiderit, quamvis pretium non receperit 505. 27. An si pretium datum ob assassinium tenue fuerit, liberet ab assassinio 505. 28. An promissio facta sicario verbis generalibus sufficiens sit ad assassinium 505. 29. An si mandans promittat sicario in pretium homicidii, se daturum ei in uxorem aliquam fœminam, quam promissionem acceptet, committat assassinium, si occidat 505. 30 An occidens inimicum suum, quamvis pretio conductus sit ab alio, committat assassinium 505. 31. An pretio, vel promissione conductus ad vulnerandum dicatur assassinium committere si vulneret 505. 33.

Assecuratio.

Quid sit assecuratio, & ad quem contractum reduci potest 656. 6. Quæ conditiones requirantur ad justitiam contractus assecurationis 656. 7. quomodo teneantur assecuratores pereunte re 657. 8. An habens scientiam privatam quod non sit periculum pyratarum, nec futuram tempestatem in mari, possit licitè lucrum assecurationis accipere 657. 9.

Assecurator. Vide Assecuratio.

Avaritia, & ejus filiæ.

Quid sit Avaritia, & quale peccatum 251. 4. Explicantur quinque filiæ avaritiæ 251. 5. Explicatur sexta avaritiæ filia, nempè proditio 252. 6. Aperientes aliorum litteras, & legentes, quinam peccet peccato proditionis, & quinam non 252. 7.

Aucupio animalia capta.

Quibus competant. Vide Venatione animalia capta.

Audacia.

Audacia opponitur fortitudini per excessum, quæ ut plurimum oritur ex jactantia 213. 5. Quodnam peccatum sit audacia 213. 6.

Audiens detractionem.

Audiens detractionem & excitans, ac inducens ad illam censetur non minus peccare, quam ipse detractor imò magis ipso 690. 1. Audiens detrahentem quamvis nec excitet, nec inducat illum; sed lætatur, & gaudet de detractione gravi, graviter peccat 691. 2. Si audiens tantùm delectetur de eloquentia detrahentis, & curiositate rei narratæ ab ipso precisè ex hoc non peccat graviter 691. 3. An peccet graviter, & ad restitutionem teneatur, qui ostendit, sibi gratam esse detractionem proximi 691. 4. An interrogans absq; justa causa de defectibus aliorũ, & interrogatus graves proximi defectus revelet, graviter peccet 691.

691. 5. An excitans ad detrahendum invincibiliter ignorans detractionem futuram esse gravem, graviter peccet & teneatur ad restitutionem 691. 6. Audiens detrahentem, licèt non inducat ad detractionem, nec de ea delectetur; si tamen impedire potest, & non impedit peccat contra charitatem, juxta materiam 691. 7. An possit aliquando leviter peccare tantùm, qui graviter detrahentem audit, nec corrigit, cum possit 691. 8. An possit aliquando nec leviter, nec graviter peccare audiens graviter detrahentem, si nec corrigat, nec impediat 691. 9.

Aurigæ.

Ex quanam culpa in custodiendis alienis animalibus teneantur ad restitutionem si pereant 629. 11.

B

Bellum; quotuplex sit; An licitum. & quomodo?

Bellum aliud defensivum; Offensivum aliud 553. 1. Bellum defensivum authoritate privata susceptum licitum. Offensivum verò si sub certis conditionibus suscipiatur licitum erit 553. 2. 1. Conditio est ut indicens bellum authoritatem habeat. 2. Conditio est, ut justa, & gravis causa interveniat. 3. ut recta intentio habeatur 553. 3. 4. 5. An habens facultatem indicendi bellum possit illud semper indicere, dum habet justam causam 553. 6. An dubitans, si justam causam habeat indicendi bellum possit illud indicere 553. 7. An bellum possit esse justum ex utraque parte bellantium 554. 8. An milites, ut licitè militent in bello teneantur examinare justam causam belli 554. 9. An licitè inferri possit bellum infidelibus eosque vita, & bonis privare 554. 10. A quibus bellum exerceri possit, & quonam tempore 554. 11. Quænam licitè fieri possint in bello justo 554. 12. Ad quem spectant bona hostibus sublata 555. 13. An possint occidi hostes, qui seditionem fecere 555. 14. An servus bello justo captus fugere possit, & in libertatem se redigere 555. 15.

Benefactor.

Benefactores præferendi non benefactoribus; fideles infidelibus; justi non justis 160. 21.

Beneficiarius.

An Beneficiarius teneatur ad restitutionem, si in profanos usus expendat fructus excedentes congruam sustentationem 164. 20. An eodem modo discurrendum de beneficiariis Religiosis 164. 21. Beneficiarii beneficium Ecclesiasticum habentes, etiamsi in sacris non fuerint tenentur ad recitandum 272. 8. Quinam veniant nomine beneficiarii 272. 9. An beneficiarius obligatus ad recitationem juxta Breviarium Romanum, si in Diœcesi Mediolanensi commoretur, possit ritu ambrosiano recitare 274. 4. Beneficiarius non recitans primis sex mensibus ab obtento pacificè beneficio non est obligatus ad restitutionem 280. 2. Elapso semestre si culpabiliter non recitavit, tenetur ad restitutionem pro rata temporis post semestre; secus verò si inculpabiliter non recitavit 280. 3. Vide officium divinum non recitantibus &c. An beneficiarius vendere possit sine Simonia pro sua vita fructus à suo beneficio provenientes 324. 6. Beneficiarius habens jus acquisitum in beneficio poterit sine labe Simoniæ vexationem sibi redimere factam contra tale jus, secus verò si firmum non 331. 5. An beneficiarius teneatur ex fructibus beneficii sororem pauperem alere 535. 8. An teneatur ad eam dotandam ex eisdem fructibus 535. 9.

Beneficium.

Beneficium habens distributiones, & fructus si Pensio ipsi imponatur, gravatur in fructibus, non verò in distributionibus nisi exprimatur 286. 8. In beneficio impetrando mentio fructuum facienda est, non distributionum; quando sequestrantur fructus beneficii, non sequestrantur distributiones, nisi exprimantur 286. 6.

Beneficia Ecclesiastica an vendi possint sine Simonia?

Beneficia annectuntur rebus spiritualibus. Et quid ea sint 324. 1. Quonam jure invendibilia sint 324. 2. Quomodo componatur sententia Theologorum opposita sententiæ Canonistarum circa invendibilitatem beneficiorum quoad jus percipiendi fructus 324. 3. Potest summus Pontifex separare jus percipiendi fructus à jure administrandi spiritualia, & uni, vel sibi applicare primum, alteri secundum 324. 4. Beneficium formaliter est invendibile; & si venditur jus percipiendi fructus Pontifici reservatos, non ideo venditur beneficium 324. 5. An Beneficiarius vendere possit sine Simonia pro sua vita fructus à suo beneficio provenientes 324. 6.

Bestialitas.

Quid sit Bestialitas 575. 1. Bestialitas ex se gravissimum peccatum est; & an specie differat pro diversitate specierum brutorum. Ibid.

Blasphemia quotuplex sit, & quomodo committatur?

Blasphemia alia Oris, alia Cordis, alia Scripturæ; alia Hæreticalis, alia simplex 307. 1. Enumerantur quinque modi blasphemandi hæreticaliter 307. 2. An sit blasphemia hæreticalis, quæ hæresim sapit, sed non procedit ex animo infideli 307. 3. An Deum denegare, Crucem, Evangelia non absolutè, sed conditionatè sit blasphemia hæreticalis 307. 4. An dicere, hoc verum est sicuti Deus est in Cœlo, sicut incarnatus est, vel sicuti verum est Evangelium; sit blasphemia hæreticalis 308. 5. Blasphemiæ simplices ad duo genera reducuntur 308. 6. An sit blasphemia jurare per vitam Dei, vel per ejus Corpus, & Sanguinem, aut per vitam alicujus sancti 308. 7. An jurare per partes pudendas Christi vel Sanctorum; aut tribuere sanctis viris partes pudendas mulierum sit blasphemia 308. 8. An dicere: pereat talis, renego talem, malum habeat talis, non nominando Deum, vel Sanctum sit blasphemia 308. 9. An sit blasphemia maledicere creaturis 308. 10. Quænam reducantur ad secundum genus blasphemiæ 308. 11. An sit blasphemia dicere ad conspectum Dei, potentia Dei, Corpus Dei cum tali homine 308. 12. An jurare per intemeratam Dei Genitricis Virginitatem sit blasphemia 308. 13. An juramenta falsa, & injusta sint blasphemia 308. 14.

Blasphemia quale peccatum? quamnam obligationem inducat? Et quibus pœnis subjaceat?

Blasphemia ut peccatum religioni oppositum 308. 1. ex genere suo grave peccatum est, nec admittit parvitatem materiæ 308. 2. An habitualiter blasphemantes, & non sufficienter advertentes graviter peccent 308. 3. An deneganda absolutio Sacramentalis blasphemantibus habitualiter 309. 4. An omnes blasphemiæ in ratione blasphemiæ specie differant inter se 309. 5. Quam obligationem habeat blasphemans 309. 6. Quam obligationem habeant audientes blasphemantem 309. 7. An præmitti debeat fraterna correctio ante denunciationem blasphemiæ 309. 8. Cui judici facienda sit denunciatio blasphemiæ 309. 9. Pœnæ impositæ pro jure contra blasphemos non habentur, sed imponendæ à Judice 309. 10.

Blasphemus; Vide Blasphemia quale peccatum?

Bona vacantia, quibus ex jure debeantur?

Bona vacantia quæ remanent non relictis hæredibus, & non confecto testamento ex jure civili communi devolvuntur ad fiscum, si non habeantur hæredes inter decimum gradum 606. 1. Bona vacantia peregrini alicujus ab intestato demortui penes hospitem aliquem, non spectant ad ipsum hospitem, sed tradenda sunt per loci Episcopum hæredibus, si hoc fieri possit, vel in pia opera eroganda. Ibid.

Bona derelicta quibus competant?

Bona derelicta, quæ abjiciuntur animo non amplius ea recuperandi, vel Dominus recuperare non curat sunt primi occupantis 606. 2.

Bona tempestate, aut alluvione projecta an connumeranda sint inter bona derelicta?

Bona tempestate, aut alluvione projecta connumeranda non sunt inter bona derelicta 606. 2. Si reperiantur in littore, vel jaceant longo temporis intervallo in fundo maris connumerari debent inter bona derelicta. Ibid. Si dubium insurgat an bona censeantur derelicta præsumendum erit non esse derelicta. Ibid. An eripiens tempestate ingruente, quæ verè peritura erant possit sibi ea retinere tamquam derelicta. Ibid. An arbores, Ligna, & alia similia, quæ alluvione fluminum asportantur, censenda sint derelicta, & retineri possint ab eripientibus illa apposita industria. Ibid.

C

Cambium.

Quid sit cambium, & quomodo differat à permutatione propriè accepta 647. 1. Cambium aliud Reale, aliud Siccum. Reale aliud est minutum, aliud Locale 647 2. An in cambio sicco licitum sit aliquid accipere supra pecuniam datam 648. 3. An in cambio Reali minuto licitum sit aliquid accipere supra pecuniam datam 648. 4. An licitum sit Campsori aliquid accipere ob Cambium locale quando pecuniam accipit ut alibi restituat 648. 5. An licitum sit Campsori aliquid accipere ob cambium locale quando pecuniam dat ut alibi accipiat 648. 6. An cambium reale per litteras cum recambio sit usurarium, &

licitum 648. 7. An Cambium ad nundinas sit licitum pro majori, vel minori intercapedine temporis ad ipsas nundinas computans lucrum 649. 8. An Campsor possit apponere pactum in Cambio, quod si Campsarius fuerit in mora ad solvendum tempore designato, vel loco statuto; accipiet pecuniam illam ad cambia, & recambia ejus expensis 649. 9. An Campsor possit exigere pignus, vel fidejussionem in cambio ob suam indemnitatem, si non fidat Campsario 649. 10. An si Campsor bona fide dederit ad cambium in locum aliquem, ubi putabat Campsarium habere pecuniam, vel numeratam, vel creditam, quam non habet, possit damnum quod patitur in lucro exigere à Campsario 649. 11. An teneatur Campsor, cui debet Campsarius non solùm sortem principalem sed etiam lucra, acceptare partem solutionis Campsarii potius in extinctionem sortis principalis, quam lucrorum 649. 12. An licitum sit accipere lucrum ex cambio cujus indiget Campsor 649. 13.

Campsarius. Vide Cambium.

Campsor. Vide Cambium.

Canonici, & Præbendati an graviter peccent, si non assistant Divinis Officiis in Choro?

Canonici, & Præbendati Cathedralium, & Collegiatarum habentes distributiones afficiuntur obligatione publicè recitandi in Choro 283. 1. Obligatio ista sub gravi peccato afficit, & si ultra Trimestre à Tridentino concessum absint, tenentur ad restitutionem 283. 2. An mortaliter peccet præbendatus ultra Trimestre absens à Choro sine causa, etiamsi cedat distributionibus, nec ob ejus absentiam ommittatur divinum officium 283. 3. Probabilior sententia docet graviter peccare 283. 4. Resolvuntur rationes adductæ in contrarium 283. 5.

Cappellaniæ an vendi possint absque Simonia?

Non est Simoniacum obtinere pecunia Cappellanias non erectas authoritate Episcopi 325. 8.

Castitas.

Quid sit Castitas genericè, quid specialiter accepta 218. 1. Castitas alia perfecta, imperfecta alia 219. 2.

Caupones.

Ex quanam culpa in custodiendis rebus penès se depositis teneantur ad restitutionem si pereant 629. 11.

Census.

Definitur census 645. 1. Explicatur Censualista, seu Censitor acquirens jus percipiendi censum, & Censuarius, qui subit obligationem illum solvendi 645. 2. Census alius est reservativus, alius Consignativus 645. 3. Reservativus licitus est, & quomodo differat ab emphyteusi 645. 4. Census consignativus subdividitur in Realem, Personalem, & Mixtum ratione materiæ 645. 5. Ratione pensionis subdividitur in pecuniarium, & fructuarium. Ibid. An Census Realis consignativus sit licitus 645. 6. An census Realis consignativus, & Irredimibilis licitus sit 646. 7. An census personalis licitus sit 646. 8. An census mixtus licitus sit 646. 9. An census vitalitius licitus sit 646. 10. Quænam sunt res illæ super quibus fundari possit census Realis 646. 11. An pereunte re, super qua fundatus est Census, pereat etiam census 647. 12. An licitum sit pactum in censu, ut redimi nequeat nisi eadem moneta qua venditus fuit 647. 13. An sit illicitum pactum, ut Censuarius teneatur ad pensionem, etiamsi res censita fortuitò pereat. Ibid.

Censualista. Vide Census.

Censuarius. Vide Census.

Charitas.

Charitas accipi potest ut actus, & ut habitus 152. 2. Amor benevolentiæ, quo Deum prosequitur Charitas, debet esse distinctus ab amore concupiscentiæ 152. 2. Charitas non solùm est virtus amans Deum amore benevolentiæ, sed etiam amicitiæ 152. 3. Charitas sive per amorem benevolentiæ, sivè amicitiæ debet Deum diligere tamquam ultimum finem rerum omnium 152. 4. Objectum primarium virtutis Charitatis est Deus secundum omnes suas perfectiones; secundarium verò est Proximus quatenus Deo refertur 152. 5. Assignatur discrimen Charitatis à Fide, & Spe 153. 6.

Charitatis præceptum erga Deum, & quo tempore obliget.

Charitatis præceptum aliud Positivum, Negativum aliud, & an detur speciale præceptum Positivum distinctum à cæteris 153. 1. Quonam tempore obliget Negativum, & quantum positivum 153. 2. Primò obligat quando homo habet sufficientem usum rationis, ac Dei cognitionem 153. 3. Secundo quando validæ insurgunt tentationes odii Dei 153. 4. Tertiò quando quis adultus baptismum recipit 153. 5. Quartò instante periculo mortis, etiamsi non sit conscius peccati, aut sacramentaliter confiteatur 153. 6. Quomodo amandus Deus, ut huic obligationi satisfiat 154. 8. Graviter peccat, qui amore appretiativo magis amat creaturas, quam Deum 154. 9.

Charitatis præcepta erga proximum.

Quinam sunt proximi nostri 154. 1. De fide ut dari præceptum charitatis ad diligendum proximum 154. 2. non solùm homines justi, sed etiam peccatores, & reprobi diligendi sunt 154. 3. Obligat præceptum Charitatis proximi ad amorem internum, & formalem, nec sufficit amor externus, & virtualis 154. 4. Extat expressum præceptum Christi diligendi inimicos 154. 5. Nemo potest velle suo inimico, aut alicui peccatori malum aliquod, qua tale illi 155. 6. Injuriatus obligatur ad remittendam ex corde offensam injurianti etiamsi injurians illam petat 155. 7. An liceat inimicum excludere à beneficio, auxilio, oratione, aut alio opere in gratiam communitatis facto, cujus ipse est pars 155. 8. An extet obligatio faciendi inimico signa specialia dilectionis 155. 9. An sit obligatio non solùm interius, sed etiam exterius remittendi offensam inimico petenti veniam 155. 10. An sit obligatio resalutandi inimicum, qui salutat 156. 11. An possit licitè Pater in locum pœnæ denegare reconciliationem filio eam petenti ob indignas nuptias, & cum dedecore familiæ factas 156. 12. Quisnam ex duobus se mutuo offendentibus teneatur prior reconciliationem petere, & satisfactionem exhibere 156. 13. An offendens semper teneatur veniam petere; & satisfactionem exhibere, itaut absolvi nequeat, si id non præstet 156. 14. An sit obligatio alloquendi, vel alia signa benevolentiæ demonstrandi inimico, quibus fortè ab odio desisset 156. 15. Vide dilectio Proximi.

Chirographa.

An chirographa, seu credita emi possint minoris; quam contineant 635. 10.

Clausura Monialium quid sit, & quonam Jure introducta.

Explicatur, quid importet Clausura, & quinam sint ejus Termini 445. 1. Violat clausuram monialis egrediens è limitibus Clausuræ, etiamsi ad alia loca Monasterii ejusdem extra Clausuram se conferat, & etiam clausis horum januis 445. 2. Monialis accedens ad domum aliquam monasterio contiguam; ubi inhabitant mulieres designatæ servitiis monasterii; clausuram violat 445. 3. Clausuram violat monialis per tectum monasterii transiens ad tectum domus monasterio contiguæ 445. 4. Violat clausuram monialis, si utroque pede extra januam, & limites clausuræ egrediatur 446. 5. Valde probabile est monialem in rota positam, & versam ad eam partem, quæ sæcularibus patet; violare clausuram, etiamsi è rota non egrediatur 446. 6. Monialis semel egressa è clausura non eam violat toties quoties ex una domo ad aliam pergit 446. 7. Jus indicens clausuram monialibus non est naturale, nec Divinum, sed tantùm humanum Ecclesiasticum 446. 8. Ostenditur, quod jus Ecclesiasticum possit obligare Regulares ad clausuram 446. 10. Quomodo possit derogari juri Ecclesiastico, quod Clausuram introduxit 446. 11.

Ad clausuram quænam moniales teneantur? sub quibus pœnis, & quinam jus habent cogendi illas ad Clausuram?

Omnes & singulæ moniales in congregatione viventes, cujuscumque ordinis, & Congregationis fuerint post emissam professionem tenentur servare clausuram 447. 1. Non tenentur eam servare fœminæ solemnem emittentes professionem sub ea conditione, ut domi suæ vivant 447. 2. An eximantur ab obligatione Clausuræ moniales viventes in congregatione, & professionem emittentes sed cum animo non servandi clausuram 447. 3. Quotuplex peccatum committat monialis clausuram violans 447. 4. expliçantur pœnæ impositæ monialibus violantibus clausuram 447. 5. An sufficiat ad has pœnas incurrendas utroque pede egredi è clausura 447. 6. An moniales legitima ex causa & facultate egressa è monasterio, cessante postea causa si non revertatur, incurrat prædictas pœnas 447. 7. An Episcopi incurrant prædictas pœnas, si sine justa causa licentiam exeundi concesserint 447. 8. Quid veniat nomine dignitatum officiorum, & administrationum, quibus privantur moniales, & inhabiles ad illa fiunt si injustè egressæ fuerint 447. 9. Quid veniat nomine comitatus, & Receptionis monialium injustè egressarum, ob quæ incurritur excommunicatio Pontifici reservata 447. 10. An prædictæ pœnæ ipso facto incurrantur 447. 11. Quisnam possit ab hac excommunicatione absolvere, & in prædictis

ctis pœnis dispensare 448. 12. Episcopi jus habent cogendi moniales ad clausuram authoritate ordinaria respectu monasteriorũ sibi subjectorum; respectu subjectorum immediatè Sedi Apostolicæ authoritate delegata; respectu subjectorum immediatè Prælatis Regularibus simul cum istis 448. 13. Episcopi, & Superiores monialium tenentur recurrere ad brachium sæculare, cum opus fuerit, ad continendas moniales in clausura. Et quomodo teneantur magistratus ad brachium porrigendum, ne excommunicationem incurrant 448. 14. An hæc excommunicatio sit Pontifici reservata 448. 15. An Episcopus, & alii Prælati ordinarii teneantur singulis annis publicare in suo districtu decretum de Clausura Monialium 448. 16.

Clausuræ violatio per quem ingressum fiat? Vide violatio Clausuræ.

Clausura Virorum Religiosorum.

Tenentur Religiosi viri ad clausuram non perpetuam, sed temporalem; Et quomodo intelligenda 460. 1. An clausura perpetua imponi possit religiosis viris à suis Superioribus 460. 2. Violatio clausuræ à Religiosis viris facta, dummodo non fuerit per nocturnum, & furtivum egressum; ex genere suo non excedit peccatum veniale 460. 3. Ut Religiosus vir immunis sit ab omni culpa ob egressum è Monasterio, licentiam habere debet à suo Superiore 460. 4. Egressus sine licentia non solùm prohibitus est religiosis viris jure positivo ecclesiastico, sed etiam probabile est, quod prohibeatur jure naturali, & ex voto obedientiæ 460. 5. Declarantur varii modi, quibus clausura violari potest à religiosis viris 460. 6.

Prohibitum est Fœminis postquam ad annos discretionis advenerint monasteria virorum ingredi sine speciali facultate Sanctæ Sedis 482. 1. Comprehendit prohibitio omnes mulieres exceptis Imperatricibus, Reginis ac earum filiabus, & Nepotibus: & quid dicendum de fundatricibus 482. 2. Mulieres sive titulo regio, sive ex privilegio Sanctæ Sedis monasteria virorum ingredientes secum deferre possunt decentem comitatum 482. 3. Prohibitio non ingrediendi afficit eas religiosas domos, in quibus permanenter inhabitant 482. 4. Extenditur prohibitio ad ea loca monasterii, quæ sunt sub Clausura contenta 483. 5. Ecclesiæ Monasteriorum non afficiuntur hac prohibitione, nisi fuerint intra clausuram 483. 6. Chorus habens aditum ab Ecclesia probabile est quòd hac prohibitione afficiatur 473. 7. Atrium scholarum Societatis Jesu, ubi etiam continentur sodalitia Beatæ Virginis, non subjacent huic prohibitioni, cum non contineantur intra clausuram 483. 8. Mulieres absque legitima facultate ingredientes excommunicantur ipso facto 483. 9. Excusantur ab excommunicatione, si bona fide fecerint 483. 10. An Mulier certa, nullum religiosum virum esse in Monasterio, si illud ingrediatur, graviter peccet, & incurrat excommunicationem 483. 11. Religiosi viri permittentes ingressum mulieribus, vel eas introducentes incurrunt ipso facto suspensionem à Divinis, privationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa 483. 12. Mulieres hanc excommunicationem incurrentes absolvi solùm poterunt à Pontifice, vel ab habentibus facultatem ab ipso. Religiosi viri eas introducentes, vel permittentes ingressum absolvi poterunt ab Episcopo, vel ab habentibus Privilegia mendicantium 483. 13. Excusat ab hac excommunicatione, & aliis pœnis speciale Privilegium à Pontifice obtentum post Constitutiones S. Pii V. & Gregorii XIII. 483. 14. excusat necessitas, cui commodè succurri nequeat, nisi per ingressum mulieris 484. 15. Excusat denique pietas, & Religio, quæ explicantur quid importent 484. 16.

Clementia, & vitia opposita.

Quid sit Clementia 222. 11. Quænam requirantur ad eam. Ibid. Clementiæ opponitur crudelitas per excessum, lenitas nimia per defectum 222. 12.

Clerici.

Omnes Clerici Ecclesiæ cathedralis, aut Collegiatæ admissi ad distributiones, si Choro assistant juxta constitutiones suæ Ecclesiæ, jus habent ad distributiones 287. 1. Eximuntur Clerici ab obligatione servandi leges civiles, quando eis directè impositæ sunt. Secùs verò si directè impositæ sint Communitati, nec repugnent statui Ecclesiastico 521 9. An Clerici minores gaudere possint Ecclesiastica libertate 515. 4. Vide de Immunitate, seu libertate Ecclesiastica. Clerici committentes crimina læsæ Majestatis, perjurii falsæ monetæ, Homicidii, Conspirationis Principum, & similia an amittant Privilegium fori, scilicet sint exempti à Laica potestate 519. 2. Vide Ecclesiastici. Non est licitum Clericis malefactores occidere, nec privata, nec publica authoritate 539. 8. Quinam Clerici comprehendantur in prohibitione non immiscendi se in causa Sanguinis 539. 9. An Clerici Religiosi teneantur fugere ne Sicarius fuste percutiat 545. 11. An Clerici turpibus comœdiis intervenientes graviter peccent 561. 12. An Clerici teneantur in Conscientia servare pretium legitimum à potestate sæculari statutum 634. 6. Non possunt Clerici fidejubere pro Laicis extra necessitatem, & frequenter sub pœna depositionis; fidejussio tamen tenet si facta fuerit 656. 2. An Clerici beneficiarii sæculares testari possint 664. 9.

Clericus Negotiator.

Quando Clericus dicendus sit Negotiator, & an sit exemptus à Gabellis, & Tributis Realibus 523. 4. 5. Vide Ecclesiastici Negotiatores.

Coadjutoriæ beneficiorum an vendi possint absque Simonia?

Probabilius est quod Coadjutoriæ beneficiorum obtineri non possint absque Simonia 325. 7.

Columbaria.

An licita sint 609. 7. An licitum sit columbas ex alieno columbario ad proprium allicere. Ibid.

Comendæ an vendi possint absque Simonia?

Comendæ spirituales vendi non possunt absque Simonia, secus verò sæculares, 325. 6.

Comestio.

An comestio carnium hominum interfectorum licita esse possit? 225. 7.

Commodatarius. Vide Commodatum.

Commodatum.

Definitur commodatum, & explicatur quomodo differat ab aliis contractibus? 655. 6. Quænam res commodari possint? & quænam requirantur ad commodatum? 655. 7. Ex quanam culpa teneatur Commodatarius, si res commodata pereat, aut deterior fiat? 655. 8. An expensæ factæ à commodatario tempore commodati spectent ad ipsum, an verò ad commodantem? 655. 9. An commodatum retineri valeat titulo compensationis? 655. 10. An commodatum repeti possit ante tempus statutum? 655. 11.

Communitas.

Communitas quæ facit usum, vel non usum legis non solùm est communitas universalis, sed etiam quælibet particularis capax legis, 29. 21. Communitas appellans ad Legislatorem pro revocanda lege lata non potest pendente appellatione contra legem agere. 29. 23. Quænam communitas potest consuetudinem introducere? 60. 15. Communitas si sit in gravi necessitate spirituali succurrendum ei erit cum periculo propriæ vitæ. 158. 10.

Communicatio quænam prohibita sit fidelibus cum infidelibus.

Quæcumque communicatio jure divino, & naturali prohibetur cum infideli si periculum adsit perversionis. 132. 1. Prohibetur quoque jure divino, & naturali communicatio cum infideli in suis ritibus, qui sunt contra naturam etiamsi exterius tantùm fierent. 132. 2. Jure Ecclesiastico prohibetur communicatio cum hæretico infideli, & excomunicato denunciato. 132. 3. Specialis prohibitio extat. Primò non cohabitandi cum Judæis. Secundò non comedendi eorum azyma. 132. 4. Tertiò non advocandi Medicum Judæum, aut Saracenum. Quartò non recipiendi medicinam à Judæo. Quintò non ingrediendi cum Judæo in idem balneum lotionis causa. 132. 6. Sextò non admittendi convivia judæorum, nec eos invitandi ad convivia fidelium. 133. 9. Septimò non accedendi ad eorum nuptias, solemnitates, synagogas dum suos ritus superstitiosos agunt, nec Choreas, aut alios ludos cum ipsis agere. 133. 10. Octavò non nutriendi filios judæorum. 133. 11. Nono non instituendi judæos hæredes, aut Legatarios 133. 12. Decimò non famulandi judæo. Non subjiciendo se vinculo servitutis Judæo: & non committendi publica Officia Judæis in Regnis Christianorum 133. 13. Extra casus prohibitos licitum est cum Judæis, & infidelibus communicare 133. 14. An sit grave peccatum violare quemcumque casum ex prohibitis 133. 15. An prohibitiones specialiter factæ pro Judæis extendantur ad paganos 133. 16. Quis dispensare possit in casibus prohibitis 133. 17. An permitti, aut concedi possit libertas Religionis & conscientiæ 133. 18. An semel introducta permitti possit à Principe Christiano 133. 19. An si eam promiserit, teneatur stare promissioni factæ 134. 20.

Commutatio Voti.

Quid sit Commutatio Voti; nil aliud importat quam loco prioris obligationis per votum contractę aliam substituere

tuere 394. 1. Quomodo differat ab irritatione & dispensatione Ibid. Quonam modo vota commutari possint, & quanam ex causa 395. 4. Vide Voti obligatio quomodo tollatur per commutationem.

Commutatio juramenti. Vide juramenti irritatio.

Concubinatus.

Concubinatus reducitur ad simplicem fornicationem, sed continuatam cum eadem persona 562. 9. Quid sit concubinatus ex jure Civili, antiquo, novo, & ex jure canonico 563. 10. Concubinatus ex se grave peccatum est, nec absolvendus concubinarius, nisi concubinam, quam domi habet, ejiciat 563. 11. An Concubinæ, de quibus fit mentio in Sacra Scriptura; fuerint uxores 563. 14. An sit pœna aliqua specialis jure canonico lata contra Clericos concubinarios notoriè tales 563. 15. An sæculares, qui concubinarii sunt, puniri possint ab ordinariis locorum 563. 16.

Concupiscentia.

Concupiscentia an auferat voluntarium, aut saltem minuat 225. 2.

Conductio. Vide Locatio.

Conductor. Vide Locatio, & Conductio.

Confessarius.

Confessariis habentibus quasdam qualitates præsentari possunt dispensationes Pontificiæ pro foro conscientiæ 76. 1. Confessarius sive ordinarius, sive delegatus extra valorem Sacramenti sequi poterit opinionem probabilem penitentis relicta propria, quam ipse putat probabiliorem 7. 12. Confessarius quid facere debeat cum pœnitente laborante ignorantia mysteriorum 119. 21. Confessarius non tenetur denunciare pœnitentes, si ipsi eum sollicitent 146. 19. Confessarius quid facere debeat cum pœnitente obstricto obligatione restituendi 611. 4. An Confessarius teneatur cogere reum, qui injustè veritatem negavit in judicio, ad se retractandum 678. 5.

Confessarius sollicitans ad Venerem.

Materia sollicitationis spectat ad Inquisitores, aut Ordinarios locorum 143. 1. Afferuntur variæ Bullæ quibus datur facultas Inquisitoribus, aut Ordinariis locorum procedendi contra quoscumque confessarios sollicitantes ad Venerem 143. 2. Deducitur ex Bullis stricta obligatio pœnitentis denuntiandi confessarium sollicitantem 143. 3. An ubi non est recepta Bulla Gregorii XV. adhuc ex vi aliarum Bullarum extet obligatio denunciandi confessarios sollicitantes Viros 144. 4. An denunciandus sit confessarius sollicitans ad actus venialiter inhonestos 144. 5. An sola sollicitatio ad Venerem non verò ad alia peccata denuncianda sit 144. 6. An sollicitatio ad Venerem facta in aliis Sacramentis denuncianda sit 144. 7. Quænam sollicitatio dicenda sit facta ante vel post immediatè ad confessionem 144. 8. Non dicitur sollicitatio ante confessionem, si neque confessarius, neque pœnitens in sollicitatione cogitarunt de confessione facienda 144. 9. An si pœnitens nollet statim confiteri, & diceret confessario, se velle in crastinum confiteri, & confessarius eum sollicitaret; esset sollicitatio ante confessionem 144. 10. Quid dicendum si confessarius disuadeat confessionem pœnitenti volenti confiteri, & sollicitet: est ne denunciandus 144. 11. Explicantur septem casus, in quibus censetur sollicitatio facta in confessione 145. 12. Quid si mulier sollicitet confessarium ad congressum nefandum, ipse verò suadeat ad naturalem 145. 13. Quando censenda sit sollicitatio facta simulando confessionem 145. 14. Qui veniant nomine Confessarii, seu Sacerdotis sollicitantis 145. 15. Episcopi, Nuntii, & Officiales Sedis Apostolicæ sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ 145. 16. An denunciandi Laici fingentes se Sacerdotes, & sollicitantes in confessione 145. 17. Interpres sollicitans in confessione non est denunciandus ex tenore Bullarum 146. 18. Non tenetur confessarius denunciare pœnitentes, si ipsi eum sollicitent 146. 19. An obligatio denunciandi confessarium sollicitantem sit in aliis à pœnitente 146. 20. Quando cessare potest obligatio denunciandi confessarium sollicitantem 146. 21. Non eximitur Pœnitens sollicitatus à sua obligatione si confiteatur cum ipso confessario, & hic non imponat obligationem denunciandi 146. 22. Non sunt motiva deobligantia à denunciatione esse sollicitantem emendatum, aut non esse infamatum, aut quia prior pœnitens sollicitaverit. 146. 23.

Congressus cum Dæmone.

Quid sit congressus cum Dæmone, est omnium scelestissima peccati species contra naturam 576. 2. Quibus modis accidere possit, ibid.

Conjunctio naturalis indebito modo facta.

Quandonam habeatur conjunctio naturalis, sed indebito modo facta 576. 3. Quale peccatum sit conjunctio naturalis indebito modo facta 576. 4.

Conjux.

An Conjuges possint se obligare voto religionis; Et ad quid teneantur, si illud emiserint 382. 6. Vide voti obligatio quomodo dissolvi possit. Conjuges matrimonio jam consummato quomodo possint statum Religiosum assumere 400. 7. An Conjux, quæ in absentia alterius conjugis delectatur de actu conjugii præteriti, vel futuri mortaliter peccet 558. 11.

Conscientia.

Conscientia est dictamem rationis, quo judicatur aliquid sequendum, vel fugiendum esse 1. 1. Conscientia quid nominis, & quid rei, ibid. Conscientia multiplex esse potest, recta videlicet, erronea, certa, probabilis, dubia, & scrupulosa 1. 2. Quid conscientia recta, & quid erronea 1. 3. Quid certa, & probabilis 1. 4. Quid conscientia dubia, & scrupulosa 2. 5. Recta, erronea, & probabilis sunt revera conscientia; non sic tamen dubia, & scrupulosa 2. 6. Quid conscientia speculativa, & practica 2. 7. Non semper inter se pugnant conscientia speculativa, & practica 2. 8.

Conscientia erronea.

Conscientia erronea est quando dictat aliquid aliter, ac in se sit 1. 3. Conscientia erronea alia est invincibilis, alia vincibilis 2. 1. Peccat non faciens quod faciendum dictat conscientia invincibiliter, errans; sicuti faciens quod dictat omittendum; & operans juxta eam meretur secundum speciem virtutis propositæ 3. 4. Peccat operans juxta dictamen conscientiæ vincibiliter errantis, nisi errorem deponat, qui, si deponi nequeat, transit in invincibilem 3. 5. Sequens unam partem contradictionis ex duabus æquè propositis ut malis, ex errore invincibili non peccat; secus verò si sequatur eam, quæ ut majus malum proponitur 3. 6. Detentus in carcere, etiam si putet ex conscientia erronea, se graviter peccare non audiendo sacrum; reverà non peccat 3. 7. Non obedire conscientiæ invincibiliter erranti est peccatum mortale, vel veniale juxta naturam rei dictatę, & ejusdem speciei objecti propositi 3. 8. Efficere aliquid contra conscientiam dictantem illud ut peccatum in confuso non distinguendo inter materiam gravem, vel levem; mortalem aut venialem; est grave peccatum 3. 9. Operans contra conscientiam non actu, sed habitu errantem non peccat 4. 10. Putans ex conscientia erronea aliquod indifferens esse malum in genere: si id efficiat, peccat ea specie, qua vult Deum offendere 4. 11. An gravius peccet sequens conscientiam vincibiliter errantem, quam si eam non sequeretur 4. 12. An Conscientia errans gravius liget, quam præceptum superioris 4. 13. Quomodo deponenda conscientia errans 4. 14. An aperienda in confessione circumstantia mutans speciem ex errore concepta 4. 15. An attendenda conscientia sequens post actum commissum 4. 16.

Conscientia Opinans, & Probabilis.

Conscientia opinans, & probabilis est illa, quæ ex opinione, & probabilitate aliquid dictat 5. 1. Prænotantur septem ad opinionem probabilem necessaria; & 1. Non requiritur ad licitè operandum veritas certa. 2. Debet importare moralem certitudinem probabilitatis. 3. Probabilitas opinionis alia est intrinseca, extrinseca alia. 4. Utraque probabilitas intrinseca, & extrinseca potest esse una major alia. 5. Opinio probabilis non debet importare rationes majores tales, quæ manifestè convincant falsitatem opinionis probabilis oppositæ. 6. Inter opiniones probabiles datur una tutior alia. 7. Non semper tutior opinio est probabilior 5. 2. Quamvis in materia sacramentorum illicitum sit sequi opinionem probabilem relicta tutiori; extra verò illam, & extra materiam judicii licitum erit sequi sententiam probabilem, & tutam, relicta probabiliori, & tutiori 5. 3. Duo adnotanda pro recto usu opinionis probabilis in concursu probabilioris. 1. Quod opinio probabilis habeat omnia requisita ad probabilitatem, quam adhuc retinere debet. 2. Quòd non immineat rationabile aliquod periculum, vel contra reverentiam Sacramentis debitam, vel contra justitiam, aut charitatem 6. 5. Non censenda est probabilis opinio per hoc quod reperiatur in libro alicujus junioris typis excusso 6. 7. An dictum, vel scriptum unius authoris sufficiens sit ad constituendam opinionem probabilem 6. 8. Communis opinio quænam dicenda sit 6. 9. An factum viri docti, & pii constituat opinionem probabilem 7. 10. Non utendum in administratione Sacramentorum opi-

nione

nione probabili relicta tutiori, quando utraque est in potestate administrantis; secus verò si necessitas urgeret, & probabilis tantùm esset in ejus potestate 7. 11. Confessarius sive ordinarius, sive delegatus extra valorem Sacramenti sequi poterit opinionem probabilem pœnitentis relicta propria; quam ipse putat probabiliorem 7. 12. Extenditur doctrina tradita ad doctorem consulentem 7. 13. Judex nequit sententiam proferre ex opinione minus probabili relicta probabiliori 7. 14. Quid facere debeat cum opiniones litigantium sunt æquè probabiles 7. 15. Advocatus, & Causidicus patrocinari poterit causam probabilem sui Clientis contra probabiliorem partis oppositæ 8. 16. Tenetur Medicus in concursu medicaminum uti certis, relictis probabilibus, & dubiis 8. 17. Nequit Medicus applicare ægroto etiam destituto medicamen, de quo omninò dubitat. 8. 18. Nequeunt assistentes infirmis alia medicamina ab ordinatis à medicis ipsis ministrare, & quę putant non expedire infirmis 8. 19. An teneatur subditus contra propriam opinionem obedire superiori præcipienti 8. 20. Quam opinionem faciat Horologium circa jejunium naturale, vel ecclesiasticum, & Horas canonicas recitandas 9. 21. Non licet sequi opinionem alienam tenuis probabilitatis, relicta propria probabiliori 6. 6.

Conscientia Dubia.

Conscientia Dubia quid sit 9. 1. Quotuplex Dubium afficiens conscientiam 9. 2. Adnotantur duo de dubio practico & speculativo 10. 3. Operans cum conscientia practicè dubia peccat peccato ejusdem speciei, de quo dubitat 10. 4. Practicè dubitans an aliquod sit mortale, & illud efficit, peccat mortaliter. Practicè dubitans an aliquod sit mortale, vel veniale, si illud efficit peccat mortaliter. Practicè dubitans an persona quam percutit, sit Ecclesiastica, vel laica, & percutit, peccat contra reverentiam personis ecclesiasticis debitam, & tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire. Practicè dubitans de valore matrimonii contracti, & accedit ad meretricem, debet aperire in confessione hanc circumstantiam adulterii cui se exponit. Practicè dubitans, an quod accipit, suum sit, vel alienum, peccat peccato furti etiamsi suum postea repererit 10. 5. Qui speculativè certus, sed practicè dubius de actione aliqua si illam efficiat non deposito dubio peccat 10. 6. Practicè dubius tenetur vincere dubium antequam operetur; nec sufficit affectus, & voluntas non peccandi; nec protestatio nolendi peccatum 10. 7. Quid faciendum in dubietate orta ex præceptis incompatibilibus 10. 8. Quomodo deponenda dubia speculativa & practica 10. 9. 11. 10. 11. 12. 13. 14. 15. In dubio an lex sit imposita, vel præceptum, aut consuetudo, vel censura, aut Irregularitas. Si præmissa sit debita diligentia ad veritatem investigandam, dubium superari, & vinci non possit non tenetur dubitans ad Legem, Præceptum, Consuetudinem, Censuram, aut Irregularitatem 11. 16. Secùs dicendum, si certò sciat illa imposita esse; sed dubitat an acceptata, & recepta fuerint, tenebitur ad illa, dum dubium non vincit. 12. 17. Dubius an eximatur à Lege, vel præcepto, quæ certò ei constant, tenebitur ad illa, nisi probet exemptionem 12. 18. Dubius de satisfactione legis, aut Præcepti obligantis nisi probet satisfactionem, tenebitur ad illam 12. 19. Subditus dubitans de honestate rei præceptæ, aut de materia præcepta, an excedat potestatem superioris; tenebitur obedire, nisi probet inhonestatem, aut excessum 12. 20. Idem dicendum de subditis religiosis 12. 21. An subditus dubitans de honestate rei præceptæ. aut de excessu potestatis, eximatur ab obediendo, si timeat sibi probabiliter non leve damnum 12. 22. Extenditur quæsitum ad Præceptum nimis molestum, & durum 12. 2. 23. Dubius de media nocte quomodo se gerere debeat circa jejunium 12. 24 An dubius de jejunio naturali post mediam noctem communicare possit 12. 25. Dubius an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur ad jejunium 13. 26. Dubius de excommunicatione, an ipsa sit latæ, vel ferendæ sententiæ; vel si adimpleta sit conditio, ob quam imposita est, aut si eam incurrerit non tenetur se gerere ut excommunicatum 13. 27. An in dubio detur locus Epykejæ 13. 28.

Conscientia Scrupolosa.

Conscientia scrupolosa dicitur talis à scrupulis quibus agitur 13. 1. Signa ad conscientiam scrupulosam dignoscendam 14. 2. Causę ex quibus dimanant scrupuli 14. 3. Licitum est scrupuloso agere contra scrupulos, & eos contemnete 14. 4. Non tenetur scrupulosus ad rectitudinem operationis ad deponendum scrupulum 14. 6. Scrupulosus ut rectè operetur, quamvis judicare debeat scrupulum ut tale; non obligatur tamen ad hoc in singulis actibus 14. 7. Remedia ad conscientias scrupulosas sedandas 14. 8. Diversimodè agendum cum scrupulosis non omninò timoratæ conscientiæ 15. 9.

Consentiens damnum inferri ad quid teneatur.

Qui suo consensu, & suffragio est causa efficax damni alterius, tenetur ad illud resarciendum 593. 2. Vide Cooperans ad damnum alienum

Consiliarius Regis.

An Consiliarii Regii possint examinare litteras Apostolicas à Sancta Sede emanantes, earumque executionem impedire, si jus Regium lædant 522. 16.

Consilium verum.

Quomodo revocandum ante patratum damnum, ut deobliget à Restitutione facienda 592. 5. Vide cooperans ad damnum alienum,

Consilium falsum.

Quomodo revocandum ante patratum damnum ut deobliget à restituendo 592. 4. Vide cooperans ad damnum alienum,

Constantia, & vitia opposita.

Quid sit Constantia, quomodo differat à perseverantia 215. 15. Constantiæ, & perseverantiæ opponuntur per defectum inconstantia, seu mollities, & perseverantiæ opponuntur per defectum inconstantia, seu mollities animi; per excessum pertinacia, seu duritię animi 215. 18.

Consuetudo.

Consuetudo quid sit 58. 3. Quotuplex sit. ibid. Quomodo distinguatur consuetudo à Stylo, Foro, & Præscriptione 58. 4. Quænam conditiones requirantur ad consuetudinem inducendam 58. 5. Ut consuetudo rationabilis sit debet esse de re honesta 58. 6. Debet insuper esse de re utili, & bono communi favente 58. 7. Consuetudo debet esse legitimè præscripta, & introducta 59. 8. Consuetudo intra decennium non debet esse interrupta per actum contrarium 59. 9. Requiritur ad consuetudinem frequentia, & iteratio actuum 59. 10. An consuetudo debeat esse approbata in contradictorio judicio 59. 11. Ad consuetudinem legitimè præscribendam requiritur qualitas actuum, quòd videlicet sint voluntarii ex intentione introducendi consuetudinem, & externi 60. 12. Requiritur insuper consensus legislatoris; sed sufficit tacitus, vel legalis 60. 13. Requiritur denique, ut consuetudo inducatur ab eis, qui habent capacitatem activam condendi leges, vel saltem passivam eas recipiendi 60. 14. Quęnam communitates possint consuetudinem introducere 60. 15. Quosnam effectus pariat consuetudo legitimè introducta 61. 16. Legem præexistentem abrogat, ac ejus obligationem tollit, & quid de pœna 61. 17. An consuetudo abrogare possit legem prohibentem consuetudinem futuram 61. 18. An consuetudo abrogare possit legem humanam circa administrationem Sacramentorum latam 61. 19. Consuetudo legem interpretatur 62. 20. In dubiis circa intelligentiam legum standum consuetudini 62. 21. Consuetudo introducit legem irritantem 62. 22. An consuetudo introducta abrogari possit 62. 23. Quomodo lex abrogare possit consuetudinem 62. 24. Abrogari potest consuetudo introducta per novam consuetudinem contrariam 63. 25. An allegans consuetudinem eam probare debeat 63. 26. Quomodo probanda consuetudo, dum onus urget eam probandi 63. 27. An peccent introducentes consuetudinem adversantem legi vel alteri consuetudini legitimè receptæ 63 28.

Consuetudo jurandi. Vide jurandi Consuetudo.

Consuetudo nequit abrogare, neque diminuere privilegium immunitatis Ecclesiasticæ 525. 7.

Consulens damnum inferri ad quid teneatur.

Consulens alteri inferre damnum proximo tenetur ad illud resarciendum 592. 2. Vide Cooperans ad damnum alienum.

Contemptus.

Contemptus formalis est speciale peccatum, & necessariò aperiendum in Confessione 237. 8. Vide peccatum ex genere suo veniale.

Contentio.

Quid sit Contentio 176. 17.

Continentia, & vitia opposita.

Quid sit Continentia 220. 1. Quænam ad eam requirantur? Ibid. Incontinentia est vitium ei oppositum, & quodnam peccatum sit 220. 2.

Contractus quid sit, & quotuplex.

Definitur contractus largè acceptus 622. 1. Definitur contractus strictè acceptus 622. 2. Explicantur divisiones contractus latè sumpti 622. 3. An omnis contractus pariat

pariat obligationem in foro interno, & externo 623. 4. An jus positivum facultatem habeat irritandi contractus 623. 5.

Ad contractus validitatem quinam consensus requiratur.

Necessariò requiritur ad validitatem contractus consensus contrahentium 623. 1. An sufficiat ad validitatem contractus consensus per errorem habitus 623. 2. An sufficiat consensus per dolum habitus 623. 3. An sufficiat consensus per metum habitus 624. 4. Contractus per metum gravem, aut levem celebratus validus est jure naturę 624. 5. Etiam per jus positivum validus est contractus per metum gravem aut levem celebratus, exceptis aliquibus, qui recensentur 624. 6. Contractus metu gravi celebratus injustè incusso ad extorquendum consensum irritandus est in foro conscientiæ. 624. 7. Contractus metu levi celebratus injustè incusso ad extorquendum consensum, etiamsi non tribuat actionem in foro externo; pro interno rescindi potest excepto matrimonio, & voto solemni religionis 625. 8. Contractus celebratus per metum juste incussum etiam ad extorquendum consensum; non est rescindendus 625. 9.

Contracta quinam facere possint.

Omnes usum rationis habentes, si administrationem habeant bonorum, & non fuerint à jure impediti contrahere possunt 625. 1. An Minor, vel Pupillus pubertati proximus contrahere possit absque authoritate Curatoris, vel Tutoris 625. 2. An si Pupillus, vel Minor propria authoritate contrahant, in nullo contractu obligationem incurrant 625. 3. An Filius familias valide contrahere possit absque consensu Patris 626. 4.

Contractus celebrati absque solemnitate à jure requisita an sint validi.

Solemnitas ad contractum requisita alia est substantialis, accidentalis alia 627. 1. Contractus celebratus absque solemnitate substantiali invalidus est pro utroque Foro, excepto Testamento ad pias causas facto 627. 2. Cur excipiatur Testamentum ad pias causas factum 627. 3. An legata non pia in testamento principaliter ad pias causas facto sine solemnitate valida sint, & obligent in conscientia ad executionem 627. 4. An eo ipso quòd contractus à jure prohibeatur invalidus sit 628. 5.

Contrahentes ex qua culpa teneantur ad restitutionem.

Quando contractus initus cedit in utilitatem solius accipientis, tenebitur hic ad restitutionem, non solùm si dolus intercesserit, verùm etiam si culpa lata levis, vel levissima 628. 7. Quando contractus cedit in utilitatem solius dantis, tunc accipiens solùm tenetur ad restitutionem ex dolo, & culpa lata 628. 8. Quando contractus initus cedit in utilitatem tum dantis, tum accipientis, tenebitur ad restitutionem accipiens ex dolo, & culpa lata, ac levi, non verò levissima 628. 9. Accipiens aliquid in comodatum tenetur non solùm ex dolo, & culpa lata; verùm etiam levi, & levissima 629. 10. Is, cui aliquid locatur, tenetur tantùm ad restitutionem de dolo, & culpa lata ibid. Ex quinam culpa teneantur ad restitutionem Sartores, Molitores, & similes Artifices, Nautæ, Caupones, Aurigæ, Stabularii pro custodia rerum 629. 11. Ad quid teneatur accipiens rem aliquam ex contractu, quæ casu fortuito perit 629. 12.

Contumelia.

Quid sit contumelia, & quomodo differat à Derisione 695. 1. Ex genere suo contumelia est grave peccatum, licèt possit esse leve ex levitate materiæ 695. 2. An excusentur à gravi peccato Mulierculæ, Pueri, & homines infimæ notæ ad invicem se contumeliis afficientes 695. 3. An omnes contumeliæ sint ejusdem speciei 695. 4. Violans injustè honorem alterius sive per contumeliam, sive per derisionem, aut subsannationem tenetur ad restitutionem 695. 8. An ex eo præcisè quod affectus contumelia, derisione, aut subsannatione conversetur cum inhonorante, censeatur condonare injuriam 696. 11.

Cooperans ad damnum alienum an teneatur ad restitutionem.

Novem modis potest quis cooperari ad damnum alienum. Consulendo, mandando, consentiendo, laudando, receptando, & participando, non clamando, non impediendo, non manifestando 590. 1. Qui positivè concurrunt ad damnificationem proximi aliquo ex primis sex modis, etiam si participes non fuerint rei acceptæ, tenentur ad restitutionem 590. 1. Qui negativè, & indirecte concurrunt ad damnificationem proximi tribus ultimis modis, si obligantur ex officio, tenentur ad restitutionem 590. 3. An qui tantùm est occasio damnificationis proximi, non verò causa efficax illius, teneatur ad restitutionem 590. 4. An dubitans in sua actione, vel omissione cooperatus efficaciter sit ad alterius damnum, teneatur ad restitutionem 591. 5. An efficaciter cooperans, seu alio modo inferens damnum volenti, & consentienti teneatur ad restitutionem damni illati 591. 6.

Qui dicatur jubens, aut mandans 591. 1. Qui ita jubet, aut mandat, ut sua jussione, aut mandato moveat animum alterius ad inferendum damnum proximo, tenetur ad resarciendum damnum inde secutum 591. 2. Qui mandatum revocavit sive expressè sive tacitè ante damnum patratum, & revocatio innotuit Mandatario, non tenetur in conscientia ad damnum resarciendum, si sequatur 592. 3. Inducentem alium precibus, blanditiis, vel promissis ad damnum proximo inferendum non teneri ad restitutionem damni secuti, si ex parte sua ante damnum retraxit suum influxum 692. 4. Mandans Titio occidere Petrum, cum quo postea mandans reconciliatus est, quod quidem Titio innotuit ante Petri occisionem, si dein Titius Petrum occidat, non tenetur mandans ad restitutionem. Ibid. mandans non tenetur ad resarcienda damna illa, quæ mandatarius intulit excedendo fines mandati accepti. Ibid. Mandans occidere Petrum, & mandatorius per errorem occidit Paulum tenetur ad restitutionem homicidii hominis, non verò homicidii Pauli. Ibid. An ratum habens damnum nomine suo factum mandans teneatur in foro conscientię ad resarciendum illud 592. 5.

Quisnam veniat nomine consulentis 592. 1. Consulens alteri inferre damnum proximo tenetur ad illud resarciendum. 592. 2. Quid dicendum, si consilium revocaverit ante damnum patratum, quod tamen secutum est 592. 3. Quomodo revocandum consilium falsum ante patratum damnum ut deobliget à restitutione 592. 4. Quomodo revocandum consilium verum ante patratum damnum ut deobliget à restitutione facienda 592. 5. An consulens damnum aliquod, quod alter consuluisset teneatur ad restitutionem 593. 7. An consulens minus damnum ut majus impediat teneatur ad restitutionem 593. 8. An consulens majus damnum parato facere minus, teneatur ad totum majus damnum 593. 9.

Quisnam dicatur consentiens damno alterius. 593. 5. Qui suo consensu, & suffragio est causa damni alterius tenetur ad illud resarciendum 593. 2. Qui vero non est causa efficax non tenetur 593. 3. Qui fert suffragium cum damno alterius, quod necessarium fuerit, tenetur ad restitutionem damni illati. 594. 4.

Quisnam dicatur Palpans. 594. 1. Tenetur Palpans ad restitutionem damni secuti. 594. An laudans delictum, sed non approbans illud, ex quo sequitur lętitia in malefactore, quamvis non moveat illum, teneatur ad restitutionem? 564. 3.

Quisnam dicatur Receptans? 594. 4. Tenetur receptans ad resarciendam damnum illatum. 594. n. 5. Quid dicendum de occultante furem simul cum furto insecutum à ministris justitiæ ne occidatur; tenetur ne ad manifestandum furem & furtum? 594. 6. An Caupones, & alii recipientes à filiis familias, vel servis pecunias, aut alias res à parentibus, vel Dominis invitis subreptas, teneantur ad restitutionem 594. 7. An si prędicti nil recipiant à filiis familias, aut servis; sed tantùm concedant locum aptum ad ludendum, & sic res subreptas insumant, teneantur ad restitutionem 594. 8. An receptans furem, aut alium malefactorem ratione amicitię, consanguinitatis, aut necessitatis, non præbendo tamen securitatem imposterum, teneatur ad restitutionem 594. 9.

Quisnam dicatur participans 594. 10. Particeps damni alterius per suam actionem injustam, & intrinsecè malam tenetur ad restitutionem, sive id faciat liberè, sive coactè 595. 11. Particeps damni alterius per suam actionem indifferentem, si id faciat metu justo compulsus, aut ex rationabili causa, non tenetur ad restitutionem 595. 12. Particeps damni alterius per suam actionem indifferentem si id fecerit sponte sua, aut nullo metu coactus, aut sine rationabili causa tenetur ad restitutionem 595. 13.

Mutus quisnam dicatur 595. 1. Quisnam non obstans 595. 2. Quisnam non manifestans 595. 3. Omnes isti omittentes actionem positivam, ad quam ex justitia tenentur, obligantur ad restitutionem. Secùs verò si non teneantur ex justitia 595. 4. Omnes illi, qui per modum contractus se obligarunt ad custodiam stipendio accepto, si custodiam omittant, tenentur ad resarcienda damna 595. 6. Famuli, quibus cura domus commissa est si non impe-

impediant furta confamulorum, & extraneorum, tenentur ad restitutionem. 596. 7. An accipiens à fure aliquid ne impediat possit acceptum retinere, & deobligari ab onere restituendi 596. 8. An impediens ex pravo animo alium, qui ex charitate impedire volebat damnum; teneatur ad resarciendum damnum secutum 596. 9. An custodes ex contractu saltuum, Lacuum, & vectigalium teneantur non solùm resarcire damna dominorum, sed etiam pœnas, si non manifestent defraudantes 596. 10. An graviter peccent tradentes aliquid custodibus, ut non manifestent 596. 11. An teneantur ad restitutionem confessarii, si sua culpa, vel malitia non cogant pœnitentes ad illam, quam fecissent, si coacti fuissent 596. 12. An inducens suo pravo exemplo alium ad damnum inferendum, teneatur ad resarciendum illud, si sequatur 596. 13.

Cooperantes ad damnum alterius an teneantur restituere in solidum, & quo ordine?

Cooperantes ad damnum alterius positivè consulendo, mandando, consentiendo, laudando, receptando, & participando tenentur ad totum damnum si causa fuere totius; vel partis, si causa tantùm fuere partis 599. 1. Quid dicendum de participante cum plures simul damnificant 599. 2. Miles gregarius injustè cum aliis aggrediens urbem non tenetur in solidum 599. 3. Qui sine justo metu, & causa, sed voluntariè comitatur fures, custodit sarcinas, abigit pecus, ostendit iter, agit excubias tenetur in solidum 599. 4. Dux exercitus tenetur in solidum ad damnum illatum à Militibus in injusta invasione urbis 599. 5. Quid dicendum de pluribus depopulantibus eamdem Vineam, aut Pomarium 599. 6. Negativè cooperantes ad damnum alterius non clamando, non impediendo, non manifestando, si tenentur ex officio, obligantur in solidum 599. 7. Explicatur Ordo servandus inter obligatos ad restitutionem, si res aliena extet, aut consumpta sit 599. 8. Explicatur Ordo servandus in pura damnificatione absque acceptatione rei: & primo loco tenetur qui imperavit, coegit, aut fraude induxit ad damnificandum 600. 9. 2. loco tenetur Executor, qui physicè cooperatus est ad damnum 600. 10. 3. loco tenentur cæteri qui cooperati sunt consulendo, consentiendo, laudando, recursum præbendo, præstando obsequium, comitatum, aut instrumenta 600. 11. An servandus sit aliquis ordo inter eos, qui tenentur ad resarciendum post imperantem, & exequentem 600. 12. An resarciente damnum causa principali cæteræ immunes remaneant ab obligatione restituendi 600. 13. An restituente causa minus principali teneatur ad aliquid principalis 600. 14. Quid dicendum de pluribus causis æquè principalibus, vel minus principalibus 600. 15. An si Dominus, qui passus est damnum; condonet uni ex pluribus æqualiter damnificantibus obligationem restituendi; reliqui immunes maneant ab onere restituendi 601. 16.

Correctio Proximi.

Quid sit correctio 167. 1. Quotuplex ibid. Tenemur ad correctionem non solùm ex præcepto Divino, sed etiam naturali 167. 2. Præceptum correctionis oritur ex virtute charitatis Dei, & proximi 167. 3. Præceptum correctionis est affirmativum, & non obligat semper, sed in aliquibus circumstantiis, quarum prima est, si proximus constitutus est in gravi necessitate spirituali 168. 4. An locum habeat correctionis præceptum, si proximus non peccavit, sed sit in periculo peccandi 168. 5. An si proximus peccaverit, & sit habitualiter in peccato, quamvis non habeatur periculum iterum peccandi; locum habeat præceptum correctionis 168. 6. An sit obligatio corrigendi proximum publicè peccantem, sed à Magistratu toleratum 168. 7. An sit obligatio corrigendi proximum pro peccatis venialibus 168. 8. Si peccans venialiter subditus sit, & ex eo nimia licentia similiter peccandi oriretur in aliis, tenetur Superior sub gravi illum corrigere 168. 9. 2 Circumstantia est, ut habeatur notitia moraliter certa de necessitate correctionis 169. 10. An desistendum à correctione, quando ignoranter proximus peccat 169. 11. 3. Circumstantia quod habeatur spes fructus emendationis 169. 12. Quinam teneantur ad correctionem faciendam, quando instat præceptum corrigendi 169. 13. An peccator teneatur ad correctionem faciendam, dum est in peccato 169. 14. Quænam personæ corrigi debeant 170. 15. Quænam causæ excusent à correctione facienda 170. 16. Qui gravem pudorem patiuntur in correctione facienda excusantur à mortali, si eam non faciant 170. 17. An statim facienda correctio, itaut differri nequeat 170. 18. Quinam ordo servandus in correctione facienda 170. 19. Quantum fieri potest semper consulendum famæ, & honori in corrigendo 171. 20. An adhibitis testibus sine fructu gradatim alii adhibendi sint 171. 21. An possit huic ordini ex præcepto divino servando abrenunciari 171. 22. An omissa secreta correctione possit peccatum secretum deferri Prælato, si speretur, quod meliori modo correcturus sit 171. 23. An si delinquens jam emendatus sit, & nullum periculum relapsus habeatur, possit denunciari Prælato, etiam ut Patri 171. 24. Quænam præstare possit Prælatus ex denunciatione sibi facta, ut Patri 172. 25.

Creditores.

Alii sunt reales, alii personales 612. 1. An possit creditor uti pignore accepto in securitatem sui crediti 657. 12. An pignus acceptum à creditore possit ab ipso alteri oppignorari 657. 13.

Culpa in contractibus.

Culpa contingens in contractibus alia est Theologica, alia juridica 628. 6.

Cultus Latriæ. Vide adoratio Latriæ.

Cultus falsus. Vide Superstitio.

Curatela. Curator.

Quid sit Curatela 662. 1. Quid sit Curator 662. 1. Quomodo differat à Tutore, ibid. Ad quid teneatur Curator respectu minoris 662. 3. Ex quanam culpa teneantur Tutores, si in proprio officio delinquant 662. 4.

D

Ad Damnum alienum cooperantes ad quid teneantur? Vide Cooperans ad damnum alienum.

Debita.

Debita alia sunt certa, alia incerta. Debita dicuntur certa, quæ certò constat deberi, ac certò scitur cui debeantur. Incerta dicuntur, de quibus dubitatur an debeantur 612. 1.

Decalogus.

Quid sit Decalogus 258. 1. Omnia præcepta Decalogi sunt ex jure naturali, & divino positivo; non tamen omnia sunt prima principia juris naturalis 258. 2. Indispensabilia sunt tum jure humano, tum à Deo Legislatore 258. 3. Omnia Dei præcepta possibilia sunt hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes vires, quas habent: nec deest gratia sufficiens ad ea observanda 258. 4. Quælibet violatio horum mandatorum ex genere suo est grave peccatum; nisi habeatur ratio excusans 258. 5. Obligant fideles omnes ad eorum observationem in lege Gratiæ, non ex vi Moysis Legem publicantis; sed ex vi, & authoritate Dei Legislatoris, & juris naturalis, nec obligant ad jus cæremoniale si quod continent 258. 6.

Decima Spiritualis.

Quid sit Decima spiritualis 297. 5. Quamvis Decima regulariter solvi non debeat ex fructibus beneficii, & distributionibus quotidianis, si Pontifex tamen id expressè mandaverit solvenda erit 298. 9.

Delectatio, & desiderium objecti mali.

Quomodo differat delectatio morosa objecti mali à desiderio 240. 1. An delectatio, & libera complacentia objecti mali formaliter absque proposito exequendi illud sit grave peccatum 240. 2. Delectatio, & Complacentia de cogitationibus objecti mali, non autem de ipso; non est peccaminosa & mala 241. 4. In materia luxuriæ nulla datur in hominibus solutis delectatio liberè quæsita, & deliberatè, quæ sit venialis ex parvitate materiæ 241. 5. Extra materiam luxuriæ delectari morosè de opere malo ex aliqua circumstantia peccaminosum erit juxta ipsum opus 241. 7. Delectatio de quolibet objecto jure positivo prohibito potest esse sine peccato mortali, si intellectus repræsentet illud voluntati denudatum circumstantia vitiante 242. 8. Delectatio de objectis jure naturali prohibitis semper est mala 242. 9. An teneatur voluntas reprimere positivè delectationem carnalem 242. 10. An desiderium objecti mali sub conditione, quod malum non esset sit grave peccatum 242. 11. An delectatio appetitus sensitivi cum commotione corporis sit grave peccatum, quando voluntas non consentit expressè in talem delectationem 242. 12. An delectatio morosa de objecto turpi contineat in se omnes illas species, quas continet desiderium illius, adeòque in confessione aperienda 243. 13. Quodnam peccatum sit jactare se, aut permittere jactari de peccatis, vel virtutibus 242. 14. Peccatum est, dum alius si te jactat de peccato, tu complaceas, gaudeas, & laudes, acceptes 243. 15. Eodem modo dicendum, si alium jactes, aut laudes de peccato commisso; aut exprobres, quod illud non commiserit 243. 16. Jactantia de peccatis est ejusdem speciei cum peccatis jactatis 244. 17. Jactantia de bonis naturalibus ingenii, fortitudinis, nobilitatis, si immoderata sit, & sine damno Tertii, est Veniale peccatum. Secus verò si

cum damno Tertii 244. 18. Jactantia de operibus virtutis ob humanam laudem sine damno Tertii veniale peccatum est. Nullum verò peccatum, si fiat ad excitandum alios ad illa præstanda 244. 19. An si quis eligeret minus malum in comparatione majoris, peccaret, etiamsi haberet voluntatem vitandi utrumque 244. 20.

Delectatio morosa de re venerea an sit peccaminosa?

Explicatur delectatio morosa, quæ alia est de cogitatione, alia de re cogitata 557. 7. Delectatio morosa versans circa cogitationem tantùm rei illicitæ, si ex se consideretur præscindendo à periculo, & motivo malo non est peccaminosa 558. 8. Si verò versetur circa rem turpem, & malam cogitatam, mala erit juxta rationem illam formalem, quæ fertur in suum objectum 558. 9. An Vidua vel Sponsa quę delectantur de actu conjugali; semper graviter peccent 558. 10. An Conjux quę in absentia alterius conjugis delectatur de actu conjugii præteriti, vel futuri; mortaliter peccet 558. 11. An delectatio morosa sit ejusdem speciei cum opere externo 558. 12. An possit dari parvitas materiæ in delectatione venerea 559. 13. An habens actum velleitatis, desiderii, aut delectationis de re mala, & graviter illicita, sub conditione tamen si liceret; graviter peccet 559. 14.

Delegatio.

Delegatio quando est personalis, & quando Realis, quomodo cognoscendum 102. 16. Delegatio realis tranfit ad successorem, sive res integra sit, sive non 103. 17. Delegatio si committeretur alicui, & nomine proprio, & nomine dignitatis: quid dicendum 103. 18. Delegatio commissa canonico habenti specialem titulum, & prębendam transit ad successorem, Si commissio facta sit expresso nomine Canonicatus 103. 19. Vide Privilegium 100.

Dæmon.

Quid possint Dęmones per suam scientiam & naturalem potestatem 305. 2. Nil possunt Dęmones ex se circa animas separatas 305. 3. Vide Maleficium. Quid potest Dęmon circa futura contingentia sive libera, sive necessaria? & quomodo instruere possit Divinatores 301. 1.

Denunciatio.

Quænam sit denunciatio, & quotuplex 675. 10. In quibus casibus teneamur denunciare 675. 6. Quænam motiva deobligent ab onere denuntiandi 675. 8. Quęnam sint justę causę non denuntiandi judici etiam præcipienti 676. 15.

Denunciandi Hæreticos, & Apostatas quando urgeat obligatio?

Denunciatio hæreticorum, & Apostatarum à fide, quando urget obligatio eam faciendi, debet esse judicialis, & quomodo differat ab accusatione 138. 1. Obligatio ista denunciandi est non solùm de jure ecclesiastico, sed etiam divino 138. 2. Ab obligatione denunciandi hæreticos, & Apostatas à fide nemo excluditur 139. 3. Non solùm denunciandus est hæreticus, sed etiam leviter suspectus de hæresi 139. 6. An sit denunciandus hæreticus occultus soli denunciaturo cognitus 139. 7. An urgeat obligatio denunciandi hæreticum occultum jam emendatum 139. 8. An accipiens hæresim sub secreto naturali jurato teneatur eam denunciare 139. 9. An sit obligatio denunciandi socios criminis hæresis 139. 10. An damnum emergens ex denunciatione deobliget ab illa 140. 11. An denunciandi sint Inquisitoribus ii, qui ipsis non subduntur 140. 12. Quas pœnas incurrant non denunciantes obligati ad denunciandum 140. 13. Quinam dicantur credentes hæreticis 140. 14. Quænam sunt signa, quibus manifestatur consensus internus credentis hæretico 140. 16. Quinam dicantur fautores hæreticorum in causa hæresis 141. 17. Quinam receptatores hæreticorum in causa hæresis 141. 18. Quinam defensores hæreticorum in causa hæresis 141. 19. Per quas actiones possit quis dici, & censeri fautor hæreticorum 141. 20. An si persona privata omittat capere, vel indicare hæreticum, cum possit, vel jam captum, & sibi commissum diligenter non custodit censeatur favere hæretico 141. 21. An favor, receptatio, aut defensio hæretici dicatur, an sufficit, quod redundet in favorem hæresis 141. 22. An si favor præstitus hæretico effectum non habeat, eximat ab incurrendo pœnas 142. 24. An favor prębstari debeat hæretico verè tali, an verò sufficit si sit jure præsumptus 142. 25. Pœnæ impositæ fautoribus hæreticorum 142. 26. Adnotantur aliqua circa incurrendum has pœnas 142. 27. Fautores, Receptatores, & Defensores hæreticorum incurrunt etiam suspicionem hæresis 142. 28. Aliæ pœnę speciales contra Episcopos, Principes, & Magistratus faventes hæreticis 142. 29.

Depositum.

Definitur depositum. Explicatur ejus definitio, & quomodo differat à mutuo, venditione, & donatione, & aliis contractibus 654. 1. Quinam deponere possint? Quinam acceptare in depositum? Et quę res deponi possint 654. 2. An depositarius uti possit re deposita 654. 3. Ex qua culpa teneatur depositarius, si pereat depositum, aut deterius evadat 654. 4. An possit aliquando non reddi depositum exposcenti illud 654. 5.

Depositarius.

Depositarius tenetur ad restitutionem si depositum pereat ex dolo, & culpa lata 629. 10. Vide Depositum.

Derisio.

Quid sit derisio, & quomodo à contumelia differat 695. 5. Est grave peccatum derisio ex genere suo, quamvis ex levitate materię possit esse leve 695. 6. An ex eo præcisè, quod affectus contumelia, derisione, aut subsannatione conversetur cum inhonorante censeatur condonare injuriam 696. 11.

Desiderium objecti mali. Vide delectatio objecti mali.

Desperatio virtuti spei contraria.

Quid sit Desperatio, quæ virtuti spei opponitur 150. 1. Desperatio non consistit in actu judicii, quo quis judicat, se non esse salvandum 150. 2. An semper desperatio sit grave peccatum 150. 3. An cui revelata est ejus damnatio, adhuc teneatur sperare salutem 150. 4. An peccatum desperationis possit esse sine hæresi 150. 5. Quodnam peccatum sit desperare salutem proximi; & cui virtuti opponitur 151. 6.

Detractio.

Quid sit detractio, & quæ requirantur ad eam 684. 1. Detractio alia directa, & formalis; alia indirecta, & materialis 685. 3. Octo modis fieri potest detractio 685. 3. quatuor directè, & totidem indirectè. 1. Directè imponendo falsum crimen alteri. 2. Manifestando crimen occultum. 3. Amplificando crimen verum. 4. Sinistrè interpretando factum alterius. Indirectè verò. Fit 1. Negando rectè facta alterius, & bonas dotes. 2. Illa extenuando, ac diminuendo. 3. Tacendo bona alterius, ac laudes eo tempore, & loco, quo astantes silentium interpretari possint in tacitam vituperationem, & opprobrium. 4. Simulatè ac frigidè laudando 685. 3. Utraque detractionis species formalis, & materialis est grave peccatum ex genere suo, si sit de materia gravi, & cum advertentia, ac deliberatione 685. 4. Omnes detractiones sunt ejusdem speciei, si secundum se considerentur; Quamvis una possit esse gravior altera ex gravitate materiæ 685. 5.

Detractionis materia gravis, vel levis.

Gravis materia in detractione est, ex cujus manifestatione graviter lædit fama proximi; levis verò si leviter lædatur 686. 1. Manifestare grave peccatum proximi est ex se sufficiens materia ad peccatum mortale detractionis 686. 2. Manifestare leve peccatum proximi non est per se sufficiens materia ad grave peccatum detractionis, quamvis esse possit per accidens 686. 3. Manifestare defectus naturales animi, vel corporis, sive cum culpa, sive sine ea contractos non est ex se sufficiens materia ad grave peccatum detractionis, quamvis esse possit per accidens 686. 4. An sit grave peccatum detractions referre crimen aliquod defuncti 686. 5. An manifestans, aliquem laborare morbo gallico occulto graviter peccet 686. 6. An dicens, multos ex tali Civitate, oppido, Conventu esse scelestos, & improbos; aut unum Religiosum è tali Conventu furtum commisisse, aut unum canonicum ex tali capitulo simoniam fecisse, committat grave peccatum detractionis 686. 7. An referens audita absque assecuratione, sed dubitanter graviter peccet 686. 8. An liceat revelare crimen occultum proximi uni, vel duobus id secretò retinentibus 687. 9. An licitum sit manifestare complicem in confessione absque detractione famæ 687. 10. An narrare amico, vel alteri injuriam gravem sibi factam, sit grave peccatum 687. 11. An excuset à gravi peccato detractionis manifestare crimen occultum alterius ob impediendum damnum imminens proximo 687. 12. An liceat crimen publicum proximi in uno loco manifestare in alio, ubi est ignotum 688. 13. Non est peccatum detractionis revelare impedimentum alicujus volentis matrimonium contrahere, religionem ingredi, aut beneficium obtinere, si ex reticentia impedimenti notabile sequatur damnum 688. An liceat infamare in aliquo genere criminis eum, qui est infamis in altero genere 688. 14. An revelare crimen ad impediendum damnum proximi, quod impediri poterat absque revelatione, sed alia via nempè correctione fraterna, sit grave peccatum contra justitiam obligans ad famæ restitutionem 687. 12. Non potest manifestari crimen occultum alterius si nulli noceat, ibid. An liceat ad evitanda gravia tormenta alium infamare detegendo ejus crimen occultum 689. 15. Quid dicendum de con-

confitentibus libellos famosos 689. 16. Non est peccatum detractionis revelare Homicidium commissum à Titio, quod Sempronio injustè imputatur 688.

Detractionem audiens. Vide audiens Detractionem.

Devotio.

Devotio definitur, & explicatur 265. 1. Lætitia ob oblationem sui Deo factam, & Tristitia de offensis Deo factis sunt effectus devotionis 265. 2. Ex quonam excitetur Devotio 265. 3.

Deus.

Deus nequit dici causa peccati etiamsi ad actum peccaminosum creaturæ rationalis concurrat ad exigentiam illius 254. 2. Vide peccatorum causæ, subjectum, & effectus.

Dilectio proximi quisnam Ordo?

Unusquisque tenetur ad ordinem Charitatis, quem in se habet 157. 1. An semper teneamur præferre nos proximis in amore appretiativo quoad spiritualia 157. 2. Numquam licitum est, velle carere charitate Dei ob salutem proximorum. Licitum tamen est velle ad aliquod tempus ob eam beatitudinis dilectionem 157. 3. Non tenemur semper nos præferre proximis in bonis spiritualibus extra obligationem 157. 4. An in bonis temporalibus, & in vita semper teneamur nos præferre nostris proximis 157. 5. Quandonam adsit obligatio ex charitate præferendi salutem spiritualem proximi nostris bonis fortunæ, & vitæ 158. 6. In periculo extremæ necessitatis spiritualis proximi tenemur non solùm bona temporalia, sed propriam vitam profundere, ut illi subveniamus 158. 7. Advertuntur duo de Indis, & de filia dissentiente tradita Lenoni à Patre ob paupertatem 158. 8. Extra necessitatem extremam spiritualem proximi non urget personam privatam obligatio ex charitate subveniendi illi cum periculo vitę, aut alio notabili detrimento 158. 9. Si respublica, aut communitas sit in gravi necessitate spirituali, succurrendum ei erit cum periculo propriæ vitæ 158. 10. Cum levi detrimento proprio semper succurrendum erit cujuscumque gravi necessitate spirituali proximi 158. 11. Non omnes æqualiter obligantur ad subveniendum necessitati extremæ, vel gravi proximi in spiritualibus cum periculo propriæ vitæ 158. 12. An unus proximus magis diligi possit præ alio 159. 3. Quinam proximi præferendi sint aliis, & quisnam ordo servandus quoties urget obligatio subveniendi, & nequit omnibus subveniri 159. 14. Conjunctio naturalis præferenda est conjunctioni spirituali non solùm in temporalibus necessitatibus, sed etiam spiritualibus 159. 15. Conjunctio naturalis in primo gradu præferenda est amicis, & benefactoribus 159. 16. In extrema necessitate conjuncti naturaliter in primo gradu præferendi sunt creditoribus 159. 17. Quisnam ordo servandus inter conjunctos conjunctione naturali 159. 18. Quisnam ordo servandus inter patrem, matrem, uxorem, & filios 159. 19. Quisnam ordo servandus inter conjunctos spiritualiter 160. 20. Benefactores præferendi non benefactoribus; fideles infidelibus; Justi non justis 160. 21. An Consaguinei peccatores postponendi sint extraneis justis 160. 22. Persona publica prę ferenda est privatę 160. 23

Dimissio habitus suæ Religionis quomodo interdicta sit Religiosis.

Temeraria dimissio habitus prohibetur omnibus religiosis professis sub pęna excommunicationis ipso facto incurrendæ 461. 1. Quid dicendum de Religiosis professis societatis jesu, & ligatis votis bienii 461. 2. Non quælibet dimissio habitus excommunicationem inducit, sed temeraria 461. 3. Ut sit temeraria dimissio habitus, quænam requiruntur 461. 4. Dimissio habitus ob dormiendum, natandum, commodius laborandum, aut illum lavandum non est temeraria 461. 5. Dimissio habitus ad actionem turpem exercendam absque animo occultandi se, & statum Religiosum, sed ad facilius peccandum; Non est dimissio temeraria 461. 6. Religiosus fugiens è monasterio detento habitu non incurrit hanc excommunicationem 461. 7. Religiosus per sententiam carceri perpetuò damnatus sine habitu, si inde fugiat sine habitu religioso, non incurrit hanc excommunicationem 461. 8. Excusatur ab hac excommunicatione religiosus dimittens habitum, ut occultet se, & statum suum ob actionem cedentem in salutem animarum 461. 9. Dimittens habitum Religiosum cum ignorantia hujus prohibitionis, dummodo non fuerit affectata, non incurrit hanc excommunicationem 461. 10. Non retinens habitum cum dispensatione liberatur à peccato, & à Censura 462. 11. An ad incurrendam hanc excommunicationem depositionis habitus religiosi requiratur, quòd aliis vestibus induatur 462. 12. An qui dimittit habitum religiosum aliquid ipsius retinens ex quo dignosci nequeat incurrat hanc excommunicationem 462. 13. An professus dimittens habitum suum, & induens illum Novitiorum incurrat hanc excommunicationem 462. 14. An religiosus non dimittens habitum, sed alium super induens ut occultet statum suum hanc excommunicationem incurrat 462. 15. An dimittens habitum propriæ Religionis, & induens habitum alterius religionis incurrat hanc excommunicationem 462. 16. An si dimissio temeraria habitus fiat intra clausuram, quamvis postea dimittens non egrediatur, incurrat excommunicationem hanc 462. 17. An dimissio habitus, ut temeraria sit, fieri debeat cum animo non amplius assumendi illum 462. 18. An religiosus promotus ad beneficium parochiale, si habitum suæ religionis dimittat incidat in hanc excommunicationem 463. 19. An religiosus promotus ad episcopatum, vel Cardinalatum si habitum suæ religionis dimittat incurrat hanc excommunicationem. 463. 20. An excommunicatio ista sit reservata 463. 21.

Discordia.

Quid sit Discordia 176. 16.

Dispensare simoniacos quis possit? Vide Simoniaci à quibus possint dispensari?

Dispensatio Legis.

Quid sit Dispensatio largè, quid strictè accepta 64. 1. Differt ab interpretatione legis; à permissione; ab absolutione à peccatis & censuris; à simplici licentia; à cessatione, & abrogatione legis, & à Privilegiis 64. 2. Dispensatio legis valde differt à Dispensatione Voti, aut juramenti 64. 3. Dispensatio alia expressa, tacita alia 64. 4. Ad valorem dispensationis requiritur internus consensus superioris legitimè dispensantis 64. 5. An dispensatio cadere possit super ea, quæ sunt juris naturalis 64. 6. Nequit directè cadere super ea, quæ sunt juris naturalis præceptivi, etiamsi sit à Deo; vel ab alio ejus vicesgerente 64. 7. Potest dispensatio cadere indirectè super ea, quæ sunt juris naturalis probativi, & concessivi, si mutetur materia ab hominibus habentibus potestatem dominativam 65. 9. Potest dispensatio indirectè cadere super præcepta naturalia mutando materiam illorum si in eam potestatem dominativam superiores habeant 65. 10. An dispensatio cadere possit super ea, quæ sunt juris Divini positivi 65. 11. Nequeunt Reges, & Seculares Principes, aut Prælati, Pontifice inferiores dispensare in jure Divino positivo 65. 12. Nec ipse Pontifex dispensare potest in aliquo jure Divino positivo 65. 13.

Dispensatio Legis Humanæ.

Legislator, ejus successor æqualis in jurisdictione, & à fortiori ejus superior dispensare possunt in legibus humanis ecclesiasticis, vel civilibus 66. 1. Pontifex dispensare potest in legibus à se latis à Concilio Generali, Provinciali, & Synodali à suis Prædecessoribus, & ab Apostolis, tamquam ab Episcopis 66. 2. Imperatores, Reges, Principes absoluti, & Respublicæ habentes potestatem legislativam dispensare possunt in legibus à se latis, à suis Prædecessoribus, & in Legibus populorum sibi subjectorum 67. 3. Archiepiscopi, & Episcopi dispensare possunt in legibus Diœcesanis à selatis, vel à suis Prædecessoribus 67. 4. An Archiepiscopi, vel Episcopi suffraganei dispensare possint in legibus sui Concilii Provincialis 67. 5. An Prę latus inferior dispensare possit in legibus sui superioris non reservatis expressè; nec expressè prohibita facultate dispensandi 67. 6. Quinam sint casus in quibus inferiores Prælati dispensare possint in legibus sui superioris 68. 8. 1. Casus est si in lege expressè concedatur talis facultas Ibid. 2. Casus si consuetudo legitimè præscripserit, ut inferiores Prælati dispensent 68. 9. 3. Casus si materia dispensationis levis sit 68. 10. 4. Casus si urgeat gravis necessitas pro extraordinario eventu, & periculum sit in mora, nec facilis sit recursus ad Legislatorem 68. 11. 5. Casus si dubitetur, an res dispensatione indigeat 68. 12. Facultas dispensandi in casibus enumeratis est potius ordinaria quàm delegata 68. 13. Quinam dispensare possint in pęnis à jure, vel ab homine latis 69. 14. Non potest judex ex jure civili augere, minuere, aut alio modo tollere pęnam per sententiam latam impositam; sive ad instantiam partis, sive ex officio; nisi prius Principem consulat; poterit tamen judex ex jure canonico 69. 15. Nequit Provincialis, aut Generalis post sententiam latam à superiore locali, & judice ordinario dispensare in pęna injuncta eo reluctante 69. 16.

Dispensari cum quibus personis possit?

Dispensatio facienda est cum subditis capacibus legis, & obligationis 69. 1. An quilibet Superior dispensare possit cum se ipso 69. 2. Potest Superior directè dispensare secum

ſecum ipſo in legibus ſuperioris, Votis, & juramentis à ſe emiſſis, ſi poteſt cum ſuis ſubditis, niſi expreſsè prohibeatur 70. 3. Nequit ſuperior ſecum ipſo directè, & immediatè diſpenſare in cenſuris, etiamſi poſſit cum ſuis ſubditis 70. 4. Quis diſpenſare poteſt cum vagis 70. 5. Quis diſpenſare poteſt cum forenſibus, & peregrinantibus 70. 6. An ſubditi ſuffraganeorum diſpenſare poſſint à Metropolitano 70. 8. Quis diſpenſare poteſt cum Religioſis exemptis in votis, juramentis, & pœnis 71. 9. An Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ut diſpenſant cum ſuis Clericis, an diſpenſare pariter poſſint cum Religioſis exemptis 71. 10. Regulares licèt ex jure communi nequeant ex eorum Prælatorum licentia adire ordinarios locorum ob diſpenſationem; poſſunt tamen ex privilegio Pontificis 71. 11. Subjecti Prælatis ordinis Militantium, & ſæculares gaudentes privilegiis ipſorum poſſunt ex licentia Prælati ordinis recurrere pro diſpenſatione ad Epiſcopum loci, ubi commorantur; vel ad Metropolitanum, ſi nullius Diœceſis ſint; vel ad Nuntium, aut Legatum à latere 71. 12.

Diſpenſationis Cauſæ.

Diſpenſatio facta ab habente facultatem ſine juſta cauſa aliquando eſt illicita, & invalida; aliquando illicita, ſed valida 71. 1. Legislator aut alius habens authoritatem illius ſi diſpenſet in lege humana ſine juſta cauſa, valida erit diſpenſatio, ſed illicita 71. 2. Aliquando videntur Legislatores ſine juſta cauſa diſpenſare, ſed eam habent 72. 4. Quodnam peccatum ſit diſpenſare ſine juſta cauſa 72. 5. An Legislator poſſit validè, & licitè ſecum ipſo diſpenſare ſine juſta cauſa 72. 6. An Superior dubitans de ſufficientia cauſæ peccet diſpenſando 72. 7. An peccet ſubditus diſpenſationem petens ſine cauſa juſta 72. 8. An ſit valida diſpenſatio abſque ſufficienti cauſa ſi bona fide conceſſa, & petita fuerit 72. 9. Utens diſpenſatione ſine legitima cauſa obtenta bona fide non peccat 73. 10. Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris naturali, Divina, aut humana ſine juſta cauſa eſt illicita, & invalida 73. 11. Quodnam peccatum ſit diſpenſare in lege ſuperioris ſine juſta cauſa 73. 12. An diſpenſans teneatur judicialiter agnoſcere juſtam cauſam, an verò poterit eam extrajudicialiter agnoſcere 73. 13. An neceſſariò requiratur cognitio cauſæ ad validam diſpenſationem, ſive judicialem, ſive extrajudicialem 73. 14. An credendus ſit Prælatus diſpenſans, quòd præmiſerit cognitionem cauſæ 73. 15. An credendus ſit aſſerens ſe habere facultatem diſpenſandi 74. 16. An habens facultatem diſpenſandi in lege ſuperioris poſſit diſpenſandis imponere mulctam pecuniariam, aut aliud onus perſonale 74. 17. An cognitio cauſæ requiratur non ſolùm in diſpenſatione expreſſa, ſed etiam tacita, & ſub qua forma concedenda diſpenſatio 74. 18. An ſtante juſta cauſa ſemper teneatur ſuperior diſpenſare 75. 19. Quænam ſint juſtæ cauſæ ob quas diſpenſatio in Legibus fieri poſſit 75. 20.

Diſpenſationis revocatio. Vide Privilegii revocatio.

Diſpenſationis Pontificiæ iis, quibus committitur executio, quænam conditiones ſervandæ.

Diſpenſationes Pontificiæ aliæ ſunt pro foro externo, & committi ſolent Epiſcopis, aut eorum officialibus; aliæ pro foro conſcientiæ, quæ præſentari poterunt Confeſſariis habentibus quaſdam qualitates 76. 1. Quatuor conditiones enumerantur quæ apponi ſolent in diſpenſationibus Pontificiis pro foro externo. 1. Reſpicit perſonam, cui committitur expeditio, & executio diſpenſationis à Sede Apoſtolica emanatæ. 2. Conditio reſpicit cauſas, ob quas expedienda diſpenſatio eſt, quæ conceditur ex cauſa. 3. Reſpicit modum verificandi cauſas allatas ob diſpenſationem. 4. Conditio eſt, ne aliquid etiam ſpontè oblatum accipiatur, ſed fiat gratis; quæ extenditur quoque ad diſpenſationem pro foro conſcientiæ, ne detur locus Simoniæ 76. 2. An Officiales Diœceſani quibus committitur diſpenſatio Pontificia, poſſit eam ſubdelegare 76. 3. 1. Conditio pro diſpenſationibus in foro conſcientiæ, ut executor ſit inſignitus laurea doctorali in Theologia, aut jure canonico 76. 4. Non ſufficit doctoratus in jure civili; nec quod ſit licentiatus in Theologia, aut jure canonico; aut quod Theologiam, aut jus canonicum publicè doceat in Univerſitate approbata 76. 5. 2. Conditio, ut Confeſſarius Doctor ſit approbatus ab ordinario loci 77. 6. 3. Conditio, ut inquirat veritatem cauſarum ad diſpenſationem obtinendam allegatarum 77. 7. 4. Conditio, ut præmittatur confeſſio ſacramentalis ad diſpenſationem 77. 8. 5. Conditio, ut imponat pia opera, quæ prudenter imponenda putarit 77. 9. 6. Conditio, ut in impedimentis matrimonii impedimentum diſpenſandum ſit occultum 78. 10. 7. Conditio, ut in matrimonio nulliter contracto ante diſpenſationem conjuges ſeparet, & eos certiores faciat de nullitate illius 78. 11. 8. Conditio, ut gratis fiat expeditio diſpenſationis 78. 12. 9. Conditio, ut abſoluta diſpenſatione lanientur litteræ 78. 13. Adnotantur duo circa legitimationem prolis, & formam concedendi diſpenſationem, quæ ſemel obtenta durat poſt mortem Pœnitentiarii, aut Pontificis. 1. Quod poteſtas legitimationis prolis, quæ apponi ſolet in his diſpenſationibus ob dirimens impedimentum occultum; ſolùm prodeſſe poteſt pro foro conſcientiæ; non verò pro foro externo. 2. Eſt, quod non eſt neceſſaria certa verborum forma ad concedendam diſpenſationem; cum nullo jure præſcripta inveniatur; ſed ſufficiens erit conſueta forma à rituali Romano probata, quæ indicet fieri diſpenſationem 78. 14.

Diſpenſationis reſcriptum quibus de cauſis poteſt eſſe invalidum.

Si deficiat conſenſus diſpenſantis, qui ex variis capitibus deficere poteſt; invalidum eſt reſcriptum 79. 1. An ſi habeatur metus, & dolus in diſpenſatione obtinenda, deficiat conſenſus 79. 2. An conſenſus præſtitus per errorem, & ignorantiam invalidet diſpenſationem 79. 3. Reſcriptum gratiæ per ſubreptionem obtentum ipſo jure eſt nullum 80. 4. Reſcriptum juſtitiæ per ſubreptionem obtentum non eſt nullum ipſo jure, quamvis annullari poſſit 80. 5. Nulla eſt impetratio reſcripti, ſi Procurator diſpenſandi ſubreptionem committat etiam abſque culpa ipſius diſpenſandi 80. 6. Error commiſſus circa ſubſtantialia, etiam inculpabilis vitiat reſcriptum 80. 7. Error commiſſus circa perſonam, cui executio committitur, à quocumque proveniat; non vitiat reſcriptum, quod exequi poterit ordinarius diſpenſandi 80. 8. An ſæpe per ſuppreſſio veritatis, aut expreſſio falſi reddant reſcriptum ſubreptitium 80. 9. Si in reſcripto unica tantùm cauſa ponitur; cenſenda erit motiva non impulſiva 80. 10. Non omnis taciturnitas veri, aut expreſſio falſi reddit diſpenſationem ſubreptitiam 80. 11. Valida eſt diſpenſatio obtenta tacito nomine impetrantis 81. 12. Validum eſt reſcriptum, ſi narrata veritate Pontifici, error irrepſerit in tranſcribendo 81. 13. An ſubreptio commiſſa in parte reſcripti vitiet totum reſcriptum 81. 14. Si in eodem reſcripto contineatur diſpenſatio pro voto Religionis, & pro voto peregrinandi ad loca Sancta, & ſubreptio abſque fraude, & malitia ſit pro voto Religionis, non verò pro voto peregrinandi ad loca ſancta; valida eſt diſpenſatio pro voto peregrinandi, non verò pro voto Religionis. 81. 15. Impetrantem reſcriptum ad beneficium obtinendum, cum primò vacaverit, ſive Curatum, ſive ſimplex, tacita bona fide ætate requiſita ad beneficium curatum poſſe beneficium ſimplex obtinere 81. 15. Si pars in qua non eſt ſubreptio, ordinetur ad eumdem finem cum parte habente ſubreptionem, vitiat totum reſcriptum. Sicuti vitiat, ſi ſubreptio ex parte commiſſa ſit ex malitia, fraude, vel ignorantia cum ingenti temeritate 81. 16. Quænam ſint cauſæ, quas jura, conſuetudo, & ſtylus exprimi volunt in diſpenſationibus 81. 17. An ſit forma jure requiſita exprimere in petitione diſpenſationis, quòd prius petita fuerit, ſed non obtenta 82. 18. An ſit etiam forma jure requiſita exprimere in petitione diſpenſationis, quod alia diſpenſatio de eadem re obtenta fuerit 81. 19. Enumerantur aliqui caſus quibus facienda eſt expreſſio prioris diſpenſationis. 1. Eſt, ſi ob crimen uxoricidii quis obtinuit diſpenſationem ad nubendum, & poſtea aliud uxoricidium committat, & velit ſecundò nubere, ac diſpenſationem petat, tenetur diſpenſandus exprimere primam diſpenſationem obtentam. 2. Si quis obtinens diſpenſationem ad ducendam Bertam in uxorem conſanguineam ſuam, & poſtea reſipiſcat, & velit Titiam pariter conſanguineam ducere, reclamante Berta facienda utique erit in ſecunda petitione mentio primæ diſpenſationis. 3. Si quis per diſpenſationem beneficium obtinuit, & velit per aliam diſpenſationem ſecundum beneficium obtinere; debet prioris beneficii obtenti mentionem facere, etiamſi beneficia ſint tenuia. 4. Obtinuit quis diſpenſationem non reſiſtendi in beneficio per quinquennium, quo elapſo ob eamdem cauſam vult aliud quinquennium obtinere; debet tunc de neceſſe prioris quinquennii mentionem facere. 5. Obtinens diſpenſationem ſolvendi partem decimarum, ſi velit aliam diſpenſationem obtinere ob abſolutam exemptionem; debet mentionem facere prioris diſpenſationis, & exemptionis; aliàs ſecunda ſubreptitia erit & nulla 82. 20. Enumerantur alii, in quibus non neceſſariò fieri debeat. 1. Si quis impetravit diſpenſationem voti caſtitatis cum limitationibus ſolitis apponi ex ſtylo

Curiæ,

Curiæ, nempè ad unicum matrimonium, & facta commutatione in confessiones menstruas, & alia pia opera; si velit aliam absolutam dispensationem obtinere *non* tenebitur mentionem facere *prioris*. 2. Si ad tollendum scrupulum, vel dubium ortum circa primam dispensationem, secunda petatur; tunc *non* necesse erit mentionem facere primæ dispensationis obtentæ. 3. Obtinens dispensationem comedendi carnem in una Quadragesima, si velit aliam dispensationem obtinere pro alia Quadragesima non tenetur mentionem facere prioris dispensationis 83. 21. Quid si quis obtenta dispensatione ad contrahendum cum una consanguinea nolit ea uti & aliam petit pro alia consanguinea sine expressione prioris 83. 22. An ligatus multiplici impedimento debeat in petitione mentionem facere omnium 83. 23. In dispensatione Matrimonii omnia exprimi debent. Afferuntur tres limitationes: 1. Nisi alia impedimenta, quæ tacentur, possint alia via tolli per irritationem, aut Remissionem. 2. Quando habens duo impedimenta quorum unum est publicum, alterum verò occultum. 3. Quòd si quis habens votum Castitatis, vel Religionis, aut non nubendi & velit matrimonium inire cum consanguinea 83. 24.

Dispensatio quibus modis cessare potest, & vim suam amittere.

Enumerantur quinque modi, quibus cessare potest dispensatio 84. 1. 1. Est cessatio causæ, & explicatur prima differentia, qua cessare potest 84. 2. Explicatur secunda differentia temporis 84. 3. Explicatur tertia differentia 84. 4. Explicatur quarta differentia 84. 5. 2. Modus est mors concedentis 84. 6. 3. Est renunciatio dispensationis 84. 7. 4. Est revocatio dispensationis 85. 8. An requiratur justa causa ad revocationem faciendam 85. 9. An inferior revocare possit sine justa causa dispensationem à Superiore factam 85. 10. 5. Est, an cesset per primum actum 85. 11.

Dispensatio Cujus expensis obtinenda sit?

Dispensatio obtinenda est expensis ejus, in cujus commodum resultat 85. 1. Quid dicendum, quando contrahentes consentiunt in dispensatione obtinenda; sed neuter ipsorum suscipit in se onus faciendi sumptus 85. 2. An si quis, nondum facta conventione Matrimonii, dispensationem obtineat altero inscio, possit jure ratam expensarum petere 85. 3. Quid dicendum si conscius fuisset 85. 4. An si in conventione matrimonii pactum fiat de solvendis expensis, & futura sponsa annuat; tunc teneatur ad ratam 86. 5. An si ex communi consensu obtenta sit dispensatio, & *unus injustè* resiliat, teneatur ad *integras* expensas 86. 6. Si justè resilit absque culpa alterius, tenebitur ad ratam 86. 7. Si justè resilit ob culpam alterius, ad nihil tenebitur 86. 8. Idem dicendum si fœmina resiliat ob fornicationem Viri, aut Vir ob fornicationem mulieris 86. 9. An si ob fornicationem commissam ante promissionem matrimonii alter resilire velit; teneatur ad expensas factas 86. 10. An qui post matrimonii promissionem impedimentum dirimens contraxit teneatur ad dispensationem propriis expensis obtinendam 86. 11. Ad dispensationis validitatem non requiritur scientia aut mandatum dispensandi 92. 1. Imò per se loquendo obtineri potest pro invito & nolente 92. 2. Dispensandi facultas, & absolvendi specialiter concessa aut delegata, & expressis personis, strictè explicanda est 98. 15. Dispensatio quando dicatur in statu integro; & quando in statu incœptionis 100. 1. Dispensandi commissiones à Sancta Sede factæ, vel à Sacra Pœnitentiaria non expirant morte concedentis 101. 6. Dispensandi facultas concessa alicui sacerdoti, aut absolvendi aliquam determinatam personam in gratiam cujus data est, si res sit integra, expirat morte concedentis secùs verò si non sit integra 101. 7. An dispensationes, Privilegia, & rescripta cessent morte illius cui conceduntur, & delegantur 102. 15. Dispensationis forma quænam sit in pœnis ob Simoniam contractis 335. 8. Vide Simoniaci à quibus possint dispensari?

Dispensatio Voti.

Quid sit Dispensatio Voti, & quomodo differat ab irritatione 390. 1. Dispensare est actus jurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ 390. 2. Quibus competat. Ibid. Vide Voti obligatio quomodo tollatur per dispensationem.

Distributiones quid sint; quæ species eorum? Quo jure introductæ; & an distinctæ à fructibus?

Distributiones largè acceptæ varias significationes habent 285. 1. Explicatur, quid sint strictè acceptæ 285. 2. Distributiones genericè acceptæ dividuntur in suas species 286. 3. Distributiones inductæ fuere jure humano Ecclesiastico 286. 4. Distributiones strictè acceptæ per se distinguuntur à fructibus beneficii 286. 5. Privatus distributionibus ob crimen commissum non ideò privatur fructibus 286. 6. Cui concessum est tempore absentiæ percipere fructus, non est concessum percipere distributiones 286. 7. Beneficium habens distributiones, & fructus, si pensio ipsi imponatur, gravatur in fructibus, non verò in distributionibus, nisi exprimantur 286. 7. In beneficio impetrando mentio fructuum facienda est, non distributionum 286. 8. Quando sequestrantur fructus beneficii, non sequestrantur distributiones, nisi exprimantur 286. 9.

Ad distributiones acquirendas qualitates requisitæ.

Prima qualitas ad distributiones lucrandas est titulus, & possessio beneficii 286. 1. 2. Qualitas est ut sit illius ætatis, ut intra annum promoveri possit ad ordinem à beneficio requisitum 286. 2. 3. Qualitas est scientia eorum quæ ad ordinem sui beneficii rectè administrandum spectant 287. 3. 4. Qualitas est sufficiens peritia, & instructio in cantu 287. 4.

Distributiones lucrandi jus quibus competat?

Omnes Clerici Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ admissi ad distributiones, si Choro assistant juxta constitutiones suæ Ecclesiæ, jus habent ad distributiones 287. 1. Quid dicendum de Canonicis supra numerum admissis simpliciter & cum juribus Canoniæ 287. 2. Si præbendati verà non assistant, vel fictione juris non sint præsentes in Choro, non lucrantur distributiones; & si eas acceperint tenentur restituere 287. 3. Ad quem spectat assignare quotam distributionum horis canonicis 288. 4. An resignans, aut permutans beneficium cum alio jus habeat ad distributiones si resignatarius, aut permutatarius nondum possessionem acceperit 288. 5. An habens Canonicatum, & Dignitatem aut duos Canonicatus, si interveniat Choro duplicem lucretur distributionem 288. 6. An jus habeat ad distributiones, qui Choro assistit per Coadjutorem, aut Vicarium 288. 7.

Distributiones quomodo acquirere possit absens à Choro.

Assignantur tres causæ ob quas Præbendatus absens acquirat distributiones 289. 1. Quænam infirmitas excuset à Choro, & lucrari faciat distributiones 289. 2. Quænam justa & rationabilis corporis necessitas excuset à Choro, & distributiones concedat 289. 3. Sumptio medicinæ, sectio venæ, & convalescentia sunt justa necessitas corporis 289. 4. Mutatio aeris ex præscripto Medici, ad Balnea se conferre, aut ad aliam civitatem ob consulendum eximium medicum, vel ad reassumendos spiritus consumptos in nimia defatigatione cantus, sunt justa corporis necessitas 290. 5. Senio confectus habet justam, & rationabilem corporis necessitatem 290. 6. Timor pestis grassantis, & quilibet metus gravis injustè incussus quomodo sint justa, & *rationabilis corporis* necessitas 290. 7. An Præbendatus ab hostibus captus, vel in carcerem conjectus à judice, aut in exilium pulsus lucrari possit distributiones 290. 8. An Præbendatus excommunicatus lucretur distributiones 290. 9. An Præbendatus suspensus distributiones lucretur 290. 10. An præbendatus interdictus, aut si ipse interdictus non fuerit, possit in Ecclesia interdicta distributiones lucrari 291. 11. An tempore cessationis à Divinis, aut polluta Ecclesia, possit Præbendatus distributiones lucrari 291. 12. An Præbendatus irregularis privetur ob irregularitatem distributionibus 291. 13. An Præbendatus privatus beneficio possit distributiones lucrari 291. 14. An si depositus, vel degradatus fuerit, possit distributiones lucrari 291. 15. Evidens Ecclesiæ utilitas lucrari facit distributiones Præbendato à Choro absenti 291. 16. Enumerantur sex casus, in quibus Præbendatus dicitur abesse à Choro in evidentem Ecclesiæ utilitatem. 1. Si Præbendatus mittatur à Capitulo ut Doctor Theologus, Canonista, aut suæ Ecclesiæ Procurator ad Concilium Generale, aut Provinciale. 2. Si à Capitulo mittatur ad jurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ annexam exercendam. 3. Si mittatur ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum ejus nomine, vel ipsum Episcopum comitetur pergentem ad visitanda limina Apostolorum 292. 17. 4. Si Præbendatus curam animarum habeat; dum enim abest à Choro, ut Sacramenta ministret, aut alia exerceat ad animarum curam spectantia; distributiones lucrari poterit. 5. Si Præbendatus absit ob defendenda jura suæ Ecclesiæ, vel Capituli, aut sui beneficii. 6. Si Præbendatus ex mandato Capituli detineatur tempore Divinorum Officiorum in iis, quæ ad Capitulum faciunt: ut rationes dati, & accepti sumere; aut redditus, & bona Ecclesiæ computare, ac portiones unicuique competentes

per

per calculos dividere; poterit utique distributiones lucrari 292. 17. In dubio an absentia fuerit in evidentem Ecclesiæ utilitatem standum judicio Doctorum virorum, regulariter tamen si absentia sit ex commissione capituli ad negotium peragendum, constat de evidenti utilitate 292. 18. An Præbendatus absens à Choro ob suum votum adimplendum, aut ob facienda exercitia spiritualia, vel consulendum Theologum in suis scrupulis; censeatur in utilitatem Ecclesiæ abesse 292. 19. An Præbendatus occupatus à Capitulo in expediendis negotiis, si possit ea expedire alio tempore à Divinis Officiis; distributiones lucretur 293. 20. An Præbendatus cui commissa fuere negotia expedienda matutino tempore, ipse verò expediat vespertino, & matutino expediat propria; lucretur distributiones 293. 21. An absens in Ecclesia utilitatem absque facultate Episcopi lucretur distributiones 293. 22. An absens à Choro ob inserviendum Pontifici, aut ejus legato lucretur distributiones 293. 23. An absentes à Choro, ut Capitulo assistant, lucrentur distributiones 293. 24. An Præbendati absentes à Choro, quia Episcopo inserviunt, ut Vicarius Generalis, Visitator Diœcesis, Examinator Synodalis, aut illum in visitatione comitentur; Distributiones lucrentur 293. 25. An Canonicus Pœnitentiarius absens à Choro lucretur distributiones 293. 26. An Præbendatus habens Præbendam magistralem, aut doctoralem distributiones lucretur in absentia 294. 27. An Præbendati à Choro absentes docendi, vel studendi causa distributiones lucrentur 294. 28. An possit ex privilegio lucrari distributiones Præbendatus à Choro absens 294. 29. An ex statuto alicujus Ecclesiæ absentes lucrari possint distributiones 294. 30. An id possint ex consuetudine; & explicantur variæ consuetudines, quarum aliquæ reprobantur 295. 31. An ex consuetudine introduci possit, ut absentes ex quacumque causa, etiam à jure permissa non lucrentur distributiones 296. 32. An absentes lucrari possint distributiones per Donationem, Remissionem, Collusionem, aut Transactionem eorum quibus accrescunt 296. 33.

Distributiones absentium à Choro quibus accrescant.

Declarantur variæ distributionum quotidianarum species 298. 1. Distributiones quotidianæ ordinariæ, quæ conferuntur intervenientibus Choro, sive distinctæ sint ab aliis redditibus, sive cum illis confusæ, accrescunt intervenientibus Choro 298. 2. Debent tamen intervenire, nec sufficit esse legitimè impeditos 298. 3. Si omnes Præbendati absint ex propria culpa, accrescunt Ecclesiæ defraudatæ suo servitio 299. 4. Si consuetudo sit, ut accrescant Ecclesiæ, aut alteri pio operi; sanctè servanda erit 299. 5. Distributiones extraordinariæ, & impropriæ in absentia dignitatis, aut Personatus, cui addictæ sunt, non accrescunt Canonicis Choro intervenientibus, sed fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio operi arbitrio Episcopi 299. 6. Distributiones determinatæ, & assignatæ cuilibet Præbendato non accrescunt aliis Præbendatis intervenientibus; sed Ecclesiæ 299. 7. Quibus accrescant distributiones, quas Præbendatus amittit non ob absentiam à Choro, sed in pœnam criminis 299. 8. An Præbendati debeant subire pœnam amissionis distributionum ante ullam sententiam Judicis 299. 9. Ex quonam tempore incipiant præsentes in Choro lucrari distributiones absentium 299. 10.

Divinatio.

Quid sit Divinatio, & quid possint Dæmones circa futura contingentia sive libera, sive necessaria? & quomodo instruere possint Divinatores 301. 1. Divinatio duobus modis fieri potest per expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem 301. 2. Utraque divinatio serio facta gravissimum peccatum est, nec parvitatem materiæ habet 302. 3. Quot modis fieri potest divinatio per expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem 302. 4. Quænam fides danda somniis. Et quando est superstitio, & grave peccatum 302. 5. Quando divinatio censenda est evenire cum tacita Dæmonis invocatione 302. 6. Quodnam peccatum sit consulere Ægyptios de bona vel sinistra fortuna 307. 7. An Divinatio per sortes sit superstitiosa 303. 8. An divinatio sit ejusdem speciei sive per aquam, sive per ignem, astra, somnia, & aerem fiat 303. 9. An aperienda in confessione circumstantia, quod divinatio, vel superstitio facta sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione 303. 10.

Divinatores.

An Divinatores Dæmonem alligantes, aut invocantes sint ipso facto excommunicati 305. 10. Divinatores quomodo instrui possunt à Dæmone 301. 1.

Dolus.

Dolus, & error in juramento versari possunt circa substantiam, vel circa qualitatem, insuper circa causam finalem, & motivam, vel circa impulsivam 345. 1.

Dominium.

Dominium soli naturæ rationali competit 197. 1. Dominium Dei, cum sit absolutissimum, & independens, extenditur ad omnes creaturas, & ad quæ extendatur Dominium Angelorum, & Hominum 197. 2. An parvuli; & Amentes carentes rationis usu Dominium habere possint 197. 3. An Homo Dominium habere possint in alium hominem 197. 4. An Homo Dominium habeat suæ vitæ, & membrorum 198. 5. An homo dominium habeat in suam famam, & honorem 198. 6. An filii familias possint habere dominium aliquarum rerum 198. 7. An servi, & mancipia dominium habeant nonnullarum rerum 198. 8. An Religiosi possint habere dominium aliquarum rerum 199. 9. An Clerici habeant nonnullarum rerum dominium 199. 10.

Dominium rerum, & hominum.

Dominium, quod acquiri potest, aliud est rerum sub nullius potestate existentium, aliud rerum sub potestate alicujus existentium 201. 3. Quomodo acquiri possit dominium in homines, & jus seruitutis in illos 201. 4. Quam potestatem habent domini in suos servos 201. 5. An possint servi à suis Dominis fugere, & libertatem recuperare 201. 6. Quomodo acquiratur dominium per ædificationem, & præcipuè per constructionem molendinorum, & per arborum plantationem 202. 7. Quale dominium acquiritur per alluvionem, mixtionem, & confusionem, scriptionem, formationem, & accessionem 202. 8.

Dominium per Præscriptionem, & Usucapionem quomodo acquiratur.

Quomodo acquiratur dominium in res, quæ dominum habent 203. 1. Quot modis accipi potest præscriptio 204. 2. Quomodo differat Usucapio à præscriptione 204. 3. Beneficium Usucapionis, & præscriptionis meritò introductum fuit à jure communi 204. 4. An quis renunciare possit beneficio præscriptionis 204. 5. An præscriptio prosit pro foro conscientiæ 204. 6. Quinam præscribere possit, & quinam immunes à præscriptione 204. 7. Quænam res præscribi nequeant 204. 8. Quandonam dicendum quòd præscriptio non procedat, dormiat, aut interrumpatur 205. 9. Quibus concessa sit restitutio in integrum adversus præscriptionem factam 205. 10. Quatuor conditiones requisitæ ad præscriptionem, & Usucapionem, & 1. est possessio 205. 11. 2. Conditio, Titulus probabiliter præsumptus 205. 12. 3. Conditio, bona fides 205. 13. An dubitans si res sit propria, an aliena impediatur in bona fide præscriptionis 205. 14. An ignorantia invincibilis juris, cum qua quis rem ut suam sibi usurpet, & existimet, sufficiens sit ad bonam fidem præscriptionis 206. 15. An mala fides authoris defuncti noceat bonæ fidei successoris ad usucapiendum 206. 16. An qui bona fide accepit rem à possessore malæ fidei titulo Legati, Donationis, Emptionis, aut similis, præscribere possit tempore à lege statuto 206. 17. 4. Conditio est continuatio possessionis secundum tempus à lege statutum 206. 18. Ad usucapionem, & præscriptionem rerum mobilium privatæ personæ, aut Ecclesiæ, si titulus habeatur sufficit possessio bona fide continuata per triennium 206. 19. Ad usucapionē, & præscriptionem rerum immobilium privatæ personæ, si titulus adsit, requiritur spatium decem annorum inter præsentes; inter absentes viginti annorum; si titulus non adsit triginta annorum 207. 20. Ad præscriptionem rerum immobilium contra Ecclesiam Romanam requiritur spatium centum annorum, contra alias Ecclesias, & loca pia quadraginta annorum 207. 21. Ad præscriptionem rerum immobilium contra monasteria ordinis Divi Benedicti, & Religiosorum participantium cum ipsis requiritur spatium sexaginta annorum 207. 22. Ad præscribenda bona immobilia spectantia ad Civitates titulo Donationis, Legati, vel Emptionis requiritur spatium centum annorum; in reliquis verò titulis quadraginta annorum 207. 23. Inter bona immobilia connumeranda sunt jura, & actiones, quæ ad ipsa immobilia referuntur. Insuper inter immobilia connumerari debent beneficia, census, cathedra, officium, & redditus, jus patronatus, ususfructus absque limite, & servitus 207. 24. Quomodo præscribi possit beneficium Ecclesiasticum 207. 25. Quomodo præscribatur jus patronatus 207. 26. Quomodo præscribi possunt servitutes 207. 27. Quomodo præscribi possint debita, actiones, obligationes, hypothecæ, legata, & fideicommissa 208. 28. Declaratur specialis præscriptio contra quinque genera bonorum Principis 208. 29. 1. Genus est illorum bonorum, quæ per sententiam incorporata sunt

sunt fisco Principis ob aliquod delictum commissum. 2. Genus est eorum, quæ Principi debentur in recognitionem propriæ subjectionis, & ejus supremæ potestatis ac jurisdictionis. 3. Genus est obedientia Principi debita. 4. Genus est eorum, quæ licèt intrinseca non sint dignitati Principis; attamen ei reservantur, ac propriè conveniunt. 5. Genus est bonorum, quæ ad ipsum Principatum ejusque coronæ annexæ sunt 208. 29.

Dominium.

Dominium est prima species juris realis, & quid hoc sit 192. 2. Dominium genericè acceptum dividitur in dominium jurisdictionis & proprietatis. Et hoc ut perfectum sit debet continere dominium directum, & utile 192. 3. Vide juris realis species.

Dominorum obligatio erga Servos.

Tenentur Domini, & Superiores non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia curam habere salutis spiritualis suorum servorum, & subditorum 536. 1. Graviter peccant domini notabiliter negligentes, ne assuescant servi vivere pravè non observando mandata Dei, & Præcepta Ecclesiæ 536. 2. Graviter peccant domini permittentes servis occasionem peccandi, aut eos non corrigentes in publicis peccatis 536. 3. Graviter peccant domini denegantes alimenta suis servis 536. 4. Graviter peccant Domini impedientes metrimonia suorum servorum 536. 5. Graviter peccant Domini gravibus injuriis suos servos afficientes, vocando eos Canes, Diabolos, absque fide, non solùm contra charitatem, sed etiam contra proprium officium 536. 6.

Dominus.

Domini quænam vota servorum irritare possint 588. 12.

Donatio.

Definitur donatio gratuita, & explicatur ejus definitio 631. 12. An donatio facta à Religiosis de consensu Superiorum alicui personæ ob merita præcedentia prohibita sint in Constitutione Clementis VIII. 631. 13. Quænam personæ donare possint. Et quænam res possint donari 631. 14. An donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum valida sit 632. 15. An requiratur insinuatio ad validitatem donationis 632. 16. An donatio aliquando revocari possit, & ob quas causas fieri possit revocatio 632. 17.

Dubitatio.

Quid sit dubitatio, & quomodo differat à judicio temerario, & suspicione 682. 1. Dubitatio temeraria, si ex errore humani intellectus procedat, est leve peccatum; si ex pravo affectu, & malevolentia est grave peccatum 683. 11. An ex indiciis dubiis possit quis dubitare, ita rem esse, ac opinari rem illam probabilem, ac verosimilem 683. 12. An dubia in meliorem partem interpretanda sint 683. 13. Dubium dupliciter potest interpretari positivè, & negativè. Ibid. An licitum sit aliquando dubia in deteriorem partem explicare 684. 14.

Dubitans.

Praticè dubitans an aliquod sit mortale, & illud efficit peccat mortaliter 10. 5. Vide conscientia dubia.

Dubium. Vide Dubitatio.

Dubium afficiens conscientiam.

Quotuplex sit 9. 2. Vide conscientia dubia.

Duellum quid sit; an aliquando liceat, & quale peccatum.

Quid veniat nomine duelli 551. 1. Duellum ex genere suo grave peccatum est 551. 2. Damnatur ab Ecclesia sub gravibus pœnis, & quæ sint 551. 3. Advertuntur septem circa materiam duelli. 1. Bellum non esse duellum, cum non servetur in bello idem numerus personarum, nec pugna est ex condicto, statuto loco, & tempore, quod de necesse requiritur ad rationem duelli. 2. Non esse propriè duella quotidianos conflictus, qui altercatione, & subito iræ furore miscuntur. 3. Invitationem ad pugnandum ex calore rixæ, aut iracundiæ, etiamsi fiat cum assignatione loci. 4. Non committit duellum, qui videns inimicum suum in Ecclesia ob reverentiam loco sacro debitam, dicit illi, exi foras ut ibi pugnemus. 5. Principes Christianos permittentes duellum in suis terris non incurrere pœnas contra permittentes duellum, si duellantes sint infideles, quia expressè prohibetur contra Christianos. Quod si ex duellantibus unus sit infidelis, alter Christianus; utique prædictas pœnas incurrent, ut patet ex Constitutione Clementis VIII. 6. Pœnas contra duellantes incurri effectu secuto, secus verò si non sequatur effectus. 7. Spectatores ex composito, seu ex proposito, qui adjuvandi causa, aut favendi duellanti in pugna quem comitantur; incurrere excommunicationem, etiamsi pugna non sequatur, cum fiant sic talis criminis socii 552. 4. Quisnam habeat facultatem absolvendi ab excommunicatione contracta ob causam duelli 552. 5. An duellum ita illicitum sit ut numquam reddi valeat licitum 552. 7. An licitum sit acceptare duellum, si magna infamia ex recusatione sequatur 545. 13.

E

Ebrietas. Vide Sobrietas. Vide Gula.

Ecclesiastici.

An Ecclesiastici teneantur ad eleemosynam faciendam 163. 18.

Ecclesiastici quando teneantur servare leges Civiles & quando non?

Quando leges civiles directè impositæ sunt Clericis, eximuntur Clerici ab obligatione eas servandi, secùs verò si directè impositæ sint communitati, nec repugnent statui Ecclesiastico; debent namque eas observare quoad vim directivam, non coactivam 521. 9.

Ecclesiasticorum exemptio in causis civilibus, & ab obligatione servandi leges civiles.

Clerici minores servantes præscripta à Tridentino exempti sunt à potestate laica in causis civilibus. Idem dicendum de Clericis conjugatis 521. 1.

Ecclesiastici quando non sint exempti à Potestate laica in causis civilibus?

In causa Feudali Ecclesiastici non sunt exempti, quando scilicet lis est de proprietate, aut possessione Feudi 521. 2. In causa de bonis legalibus, & de bonis relictis sub conditione, quod lite occurrente agitari debeat coram judice sæculari 521. 3. Si Clericus citetur à judice sæculari ad componendum in Tribunali ea conditione, si sua putaverit interesse; nil alio addito 521. 4.

Ecclesiasticorum exemptio à Gabellis, & Tributis Realibus.

Eximuntur Ecclesiastici à Tributis Realibus impositis super bona ipsorum à potestate sæculari etiam regia 523. 2. Omnes Clerici sive in sacris, sive in minoribus servantes requisita Tridentini immunes sunt à Tributis in suis bonis 523. 3. An teneatur Clericus solvere tributa, quæ pro reparatione pontium, fontium, murorum, viarum, & similium imposita sunt 524. 8. An teneatur Clericus solvere gabellas stabiliter impositas in venditione panis, carnis, vini, olei. & similium 524. 9. An Clerici exempti sint à tributis, & obsequiis personalibus 524. 10. Quæ dicta sunt de Clericis intelligi debent de omnibus Religiosis 524. 11.

Ecclesiastici Negotiatores.

An sint exempti Ecclesiastici negotiatores à gabellis impositis rebus negotiationi expositis 523. 4. Qando Clerici dicendi sunt Negotiatores 523. 5. Si exemptione prius facta rerum, quæ mutatæ venduntur lucrum formaliter intenditur; aperta negotiatio est 523. 6. Ecclesiasticus vendens fructus perceptos ex suis beneficiis, decimis, aut fundis patrimonialibus nullatenus dici debet Negotiator 523. 7.

Egressio Monialium è Monasterio à quibus concedi possit, & quibus de causis.

Concedere facultatem exeundi monialibus in monasteriis Episcopis subjectis, vel immediatè sanctæ Sedi spectat ad Episcopos; in monasteriis exemptis spectat ad Episcopos, & Prælatos regulares in rigore juris 449. 1. Spectat etiam ad Vicarium Generalem Episcopi, non verò foraneum: indiget tamen Vicarius Generalis speciali mandato 449. 2. Abbatissa, vel Priorissa nequeunt hanc facultatem concedere 449. 3. Facultas exeundi, cognita prius causa, de necesse tradi debet in scriptis 449. 4. Quid faciendum, si urgente necessitate, & stante legitima causa nolint Episcopus, vel Superior regularis facultatem exeundi concedere 449. 5. Causæ exeundi debent esse legitimæ, justæ, & graves, quas statuit S. Pius V. 450. 6. Quid veniat nomine magni incendii, infirmitatis, Leprę, & Epidemiæ 450. 7. An facultas exeundi extendi possit ad alias similes tribus enumeratis 450. 8. Quid dicendum ingruente inundatione fluvii, bello, aut terræmotu continuato 450. 9. An juramentum fidelitatis præstandum ab Abbatissa Principi sit causa legitima exeundi 450. 10. An sit causa legitima exeundi ad fundandum Monasterium, vel illud reformandum; si fuerit ejusdem ordinis, & habitus 450. 11. Ex facultate Episcopi poterit monialis ex uno Monasterio transferri ad aliud 450. 12. Ob bonum commune Monasterii poterit monialis ex uno monasterio transferri ad aliud, ut ibi pœnitentiam agat, & corriga-

tur 450. 13. An infirmitas non contagiosa aliis, sed periculosa ipsi moniali infirmę sit causa sufficiens ad egressum 451. 14. Cessante causa, quæcumque fuerit, tenetur statim monialis redire ad Clausuram 455. 15.

Eleemosyna.

Quid sit Eleemosyna 160. 2. Quotuplex sit? Ibid. Eleemosyna, beneficentia, & misericordia genericè accepta erga proximos duplex est juxta duplicem necessitatem eorum, & plures actus habet, qui enumerantur 160. 3. An sit præceptum faciendi eleemosynam 161. 4. Quando urgeat Præceptum istud 161. 5. Si proximus laborat extrema necessitate, urget præceptũ subveniendi illi 161. 6. Non solùm ex superfluis vitæ, sed ex necessariis statui 161. 7. Si à causa extrinseca justa proximus sit in extrema necessitate, non est obligatio subveniendi ei 161. 5. Extra necessitatem extremam extat sub gravi obligatio faciendi eleemosynam ex bonis superfluis vitæ & statui proximo indigenti necessitate gravi, aut communi 161. 9. An quando extat obligatio subveniendi, & non subvenitur; restituendum sit ei, quod omissum fuit 162. 10. An si multi sint Divites, qui sciant necessitatem proximi, singuli arctentur subvenire 162. 11. An moraliter peccet denegans levem eleemosynam pluribus pauperibus, si tota collectio eleemosynæ sit notabilis materia 162. 12. An satisfiat præcepto eleemosynæ per hoc quod detur indigenti mutuum, vel res ei vendatur dilata solutione, aut cum conditione restituendi in meliori fortuna 162. 13. An sine ullo onere facienda sit eleemosyna habenti gravem necessitatem, aut communem 162. 14. An habens extremam necessitatem teneatur rem suo creditori reddere laboranti simili necessitate 163. 15. An accipiens rem alienam in necessitate teneatur eam restituere, cum in meliorem fortunam devenerit 163. 16. An licitum sit habenti extremam necessitatem aliena accipere, & consumere 163. 17. An non solùm sæculares, sed etiam Ecclesiastici teneantur ad eleemosynam faciendam 163. 18. Quid dicendum de beneficiariis? Ibid. Quid de pensionariis 164. Quinam eleemosynam facere possint 165. 22. Ex quibus bonis possit eleemosyna fieri 165. 23. Quibus eleemosyna facienda sit 165. Quid dicendum de quæstoribus eleemosynarum 165. 24.

Emptio.

Emptio definitur 633. 1. An si ob contractum emptionis solvi debeat vectigal, solvendum sit statim post mutuum consensum, an post traditionem rei 633. 2. In quonam consistat justitia contractus emptionis 633. 3. An Chirographa, seu credita emi possint minoris, quam contineant 635. 10. An emptio licita sit cum pacto redimendi, vel retrovendendi 637. 16.

Episcopi.

Episcopis committi solent dispensationes Pontificiæ pro foro externo 76. 1. Episcopi pro suis Diœcesibus facultatem habent concedendi leges Ecclesiasticas 227. Vide lex Ecclesiastica. An Episcopus abrogare possit constitutiones synodales à se factas inconsulta synodo 56. 12. Episcopi sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ 145. 16. Episcopus an possit Clericis minoribus recitationem horarum canonicarum imponere 271. 2. An Episcopus statuere possit, ut Clerus suæ Diœcesis officium alicujus sancti recitet, cum aliàs ex Breviario Romano recitandum sit de alio sancto vel de Feria 274. 6. Episcopi ex vi muneris Episcopalis non tenentur ad recitandum in Choro quamvis sanum Consilium sit interesse diebus festivis 282. 9. An possit Episcopus dispensare in inhabilitate orta ex Simonia occulta 335. 7. Episcopus in sua Diœcesi irritare potest juramenta facta à beneficiariis ipso non consulto in materia suæ dispositioni subjecta 356. 7. An Episcopus extra Diœcesim dispensare possit in Votis sui subditi 392. 14. An Episcopus dispensare possit in Votis novitiorum 392. 16. Vide Voti obligatio quomodo tollatur per dispensationem Episcopi absque licentia Pontificis statum religiosum assumere nequeunt relicto Episcopatu 399. 2. An debeat Episcopus in cognitione causæ immunitatis servare solemnitates juris 510. 8. An detur appellatio à Sententia Episcopi declarantis gaudere, vel non gaudere immunitate Ecclesiastica 510. 9. Vide judex Ecclesiasticus. Episcopi possunt ex jure communi Festa instituere cum consensu Cleri, & populi pro suis Diœcesibus 486. 2. An invalida sit institutio facta ab Episcopis sine consensu Cleri, & populi 486. 3. An Episcopi non impedientes infamiam à suis subditis provenientem alteri, teneantur ad restituendam illam 693. 11. Episcopi possunt facultatem concedere ingrediendi monasteria monialium 452. 6.

Error.

Error & Dolus in juramento versari possunt circa substantiam, vel circa qualitatem, insuper circa causam finalem, & motivam, vel circa impulsivam 345. 1.

Error in Voto.

Error, & ignorantia circa quatuor ad Votum spectantia versari possunt 362. 9. Vide Voto libertas requisita.

Eutrapelia, & Vitia opposita.

Quid sit Eutrapelia 223. 17. Quomodo differat à modestia? Ibid. Eutrapeliæ opponitur immoderatus jocus per excessum, Inurbanitas, & Rusticitas per defectum 223. 18.

F

Facultas.

Facultas data audiendi confessiones non expirat morte concedentis 101. 5. Vide Privilegium rescriptum, & dispensatio an amittantur per mortem concedentis.

Famæ Restitutio. Vide Restitutio Famæ.

Vide Contumelia.

Famuli.

Famuli, qui ex officio, & stipendio accepto custodire specialiter debent res Domini sibi commissas tenentur ad reparationem damni secuti ex sua levi culpa 629. 10.

Fautores Hæreticorum. Vide denunciandi Hæreticos.

Festorum observatio.

Quid importet præceptum observandi Sabbata, & cur dies Dominicus designatus 485. 1. A quonam jure sit observantia festi in die Dominico 485. 2. Quinam sint dies festi pro tota Ecclesia à Pontificibus designati 485. 3. Ob quem finem instituta fuit observatio festorum 486. 4.

Festa quinam possit instituere, & quinam obligentur ad observantiam earum?

Pontifex, & Concilium Generale ex approbatione ipsius possunt Festa instituere 486. 1. Possunt ex jure communi festa instituere Episcopi cum consensu Cleri, & Populi pro suis Diœcesibus 486. 2. An invalida sit institutio facta ab Episcopis sine consensu Cleri, & Populi 486. 3. Nequit Laica potestas quæcumque sit dies festos instituere 486. 4. An possit institui dies festus usque ad meridiem 486. 5. Quandonam sit initium, & finis diei festi. Ibid.

Ad festorum observationem quinam teneantur?

Explicantur quænam personæ teneantur ad observationem festorum 486. 6.

Festa observandi præceptum an sit affirmativum, vel Negativum, & an detur in eo parvitas materiæ.

Explicantur, quænam contineat præceptum observandi festa, & ex qua parte sit affirmativum, vel negativum 487. 1. Parvitas materiæ datur in hoc præcepto 487. 2. Quodnam tempus constituat in hoc præcepto parvitatem materiæ 487. 3. An peccet mortaliter, qui in pluribus diebus festis multas parvitates materiæ committit 487. 4. An si in eodem festo quis plures leves materias commiserit contra auditionem Sacri, cessationem à servilibus, recitationem horarum, & jejunium, si inciderit eo die, peccet mortaliter 487. 5.

Festivis diebus quænam opera præcipiantur, & quænam opera servilia prohibeantur.

Præceptum observationis festorum duo continet, unum de positivo, alterum de negativo 488. 1. Ex vi præcepti observationis festorum opus tantùm auditionis sacri præstandum est 488. 2. Ex vi præcepti observationis festorum prohibentur omnia opera servilia 488. 3. An scribere, vel transcribere lucri causa, sit opus servile 488. 4. An pingere, vel delineare ædificium construendum sit opus servile 488. 5. An venatio, aucupatio, & piscatio sint opera servilia 489. 6. An præliari, digladiatoriam, aut exercitia militaria facere sint opera servilia 489. 7. An iter agere sit actio servilis 489. 8.

Festis diebus quænam actiones liberales licitæ sint, & quænam prohibitæ?

Omne opus liberale, quod est opus animæ, licitum est die festo 489. 1. Enumerantur opera liberalia, quæ à jure prohibentur 490. 2. Quid sit mercatus à jure prohibitus die festo 490. 3. Quid sit placitum à jure prohibitum die festo 490. 4. Quid sit judicium criminale à jure prohibitum die festo 490. 5. Quid sit Sacramentum publicum à jure prohibitum die festo 491. 6. Quænam prohibeantur die festo circa citationem rei 491. 7. Quænam prohibeantur die festo circa formationem processus, & cognitionem causæ 491. 8. Quænam prohibeantur die festo circa prolationem sententiæ 491. 9. An etiam sententia arbitri,

arbitri, & amicabilis compositoris prohibeatur die festo 492. 10.

A Festorum dierum observatione quænam causæ excusent?

Quatuor sunt causæ excusantes ab observatione festi 492. 1. Quænam opera religionis, & cultus divini gratia exerceri possint die festo 492. 2. Quænam opera pietatis fieri possint die festo 493. 3. Quænam necessitas exercendi servilia excuset ab observatione festi 493. 4. An sit sufficiens causa ad laborandum die festo sustentatio sui, & familiæ, aut laborare ad peccatum vitandum, & ad quem recurrendum in dubio ibid. A quonam petenda dispensatio non cessandi à servilibus die festo 493. 5.

Feudum.

Quid sit Feudum prout importat contractum, & quomodo differat ab emphyteusi 651. 8. Quænam conditiones requirantur in contractu feudali 651. 9. An bona ecclesiæ possint à Prælatis in Feudum concedi, emphyteusin, aut ad longum tempus locari 651. 10.

Fidejussio.

Definitur Fidejussio, & explicantur conditiones requisitæ ad illam 656. 1. Quinam possint valide fidejubere 656. 2. An possit Fidejussor aliquid accipere pro fidejussione 656. 3. Ad quid teneatur debitor principalis, si fidejussor damna patiatur ob fidejussionem 656. 4. Ad quid teneatur fidejussor pro Reo, cui impendebat periculum capitis, aut mutilationis, & è carcere fugit 656. 5.

Fidejussor. Vide Fidejussio.

Fidelibus quænam communicatio cum Infidelibus prohibita. Vide Communicatio.

Fidentia, & vitia opposita.

Quid sit Fidentia 213. 2. Huic opponuntur incredulitas, & desperatio ibid.

Fides, ejusque essentia.

Enumerantur variæ acceptiones fidei: & 1. Fides accipi potest pro fiducia. 2. Pro Constantia in exequendis promissionibus, ac pro firma veritate dictorum. 3. pro æstimatione, & judicio; quod de alio habetur, ut stet promissis. 4. Pro bona conscientia, & dictamine rationis. 5. Denique pro virtute supernaturali inclinante ad credendum res à Deo revelatas propter ejus authoritatem 114. 1. Fides ut virtus Theologica est definitur 114. 2. An ad objectum formale fidei requirantur propositio Ecclesiæ, Miracula, Patientia Martyrum, Sanctitas fidelium, & similia 114. 4. An aliud à contentis in Symbolo Fidei, Sacris Bybliis, & traditionibus apostolicis possit esse objectum materiale fidei 115. 5. Quotuplex sit Fides 115. 6. An in Angelis & primis parentibus, cum primò creati fuere, resedit habitus fidei 115. 7. An in beatis sit actus, vel habitus fidei 115. 8. An in animabus purgatorii detur actus, vel habitus fidei 115. 9. An in damnatis in inferno detur actus, vel habitus fidei 115. 10. An in hæreticis liberè negantibus aliquem fidei articulum detur ejus actus, vel habitus 115. 11.

Fides exercetur per actum internum, & externum 116. 1. Actus fidei internus initium salutis est supernaturalis quoad modum, & quoad substantiam 116. 2. Fides initium salutis secundum habitum justificat initiativè, secundum actum disponit ad initium justificationis 116. 3. Fides importat actum credendi; alia explicita, implicita alia 116. 5.

Fidei necessitas, & ejus obligatio.

Necessarium ad salutem aliud est necessitate medii, aliud præcepti; Salus alia prima, alia secunda 116. 4. Fides habitualis omnibus necessaria ad salutem necessitate medii 116. 6. Fides actualis necessaria est necessitate medii ad salutem habentibus usum rationis 117. 7. Fides actualis non solùm est necessaria necessitate medii ad primam, & secundam salutem; sed etiam necessaria necessitate præcepti 117. 8. Quænam mysteria, & articulos credere debeat per fidem actualem necessitate medii habens usum rationis; & quomodo credere debeat explicitè, an implicitè 117. 9. An post promulgationem legis Evangelicæ credenda sint explicitè necessitate medii mysteria Incarnationis, & Sanctissimæ Trinitatis 117. 10. Quænam mysteria credenda sunt explicitè necessitate præcepti 117. 11. Omnes fideles postquam usum rationis habuere tenentur scire, & credere explicitè omnes fidei articulos in Symbolo Apostolorum contentos 117. 12. Qualis notitia, & scientia habenda est ex præcepto de mysteriis in symbolo contentis 118. 13. Qualis de præceptis Decalogi, & Ecclesiæ 118. 14. Qualis de Sacramentis 118. 15. An sit obligatio memoriter retinendi articulos fidei, mysteria, præcepta, & orationem Dominicalem 118. 16. Prælati, Pastores, & Rectores animarum quomodo scire debeant mysteria fidei suo muneri correspondentia 119. 17. Quando fideles obligantur addiscere mysteria fidei 119. 18. Quando Parochi tenentur eos instruere 119. 19. An possit dari in infidelibus, vel fidelibus ignorantia invincibilis mysteriorum fidei 119. 20. Quid facere debeat Confessarius cum pœnitente laborante ignorantia mysteriorum 119. 21. Quando obligetur Homo ad actus fidei exercendos 119. 22. Pueri baptizati in infantia cum usum rationis attingunt, & eis sufficienter proponuntur mysteria Fidei, tenentur ad actum fidei eliciendum ex obligatione orta ex ipsa fide 120. 23. Idem dicendum de infidelibus post adeptum usum rationis 120. 24. An sit alia obligatio directa ex vi præcepti fidei exercendi ejus actus pro alio tempore 120. 25. Quando nam censenda erit Fides sufficienter proposita infideli 120. 26. An si mysteria nostræ Fidei proponantur infideli ut probabiliora præ illis suæ sectæ, teneatur se convertere ad nostram fidem 120. 27. Quando nam Fides erit sufficienter proposita fideli, ut teneatur ad actum illius 121. 28.

Fidei denegatio per Paganismum, Judaismum, Hæresim, aut Apostatam an sit circumstantia aperienda in confessione 129. 8.

Fides quando confitenda est externis?

An sit præceptum de externa Fidei confessione; & duplex est, affirmativum, & negativum 121. 1. Præceptum affirmativum obligat, dum confessio necessaria est ad salutem propriam, vel proximi 121. 2. Tenetur infidelis, cui sufficienter proposita sunt mysteria Fidei, ad petendum, & suscipiendum baptismum 121. 3. Teneturfidelis ad confessionem fidei, si ex ejus omissione magnus honor subtraheretur Deo, aut magna injuria fieret Ecclesiæ 121. 4. Idem dicendum, si necessarium putet, ut infidelis ad fidem accedat; vel ut fideles in fide confirmentur 122. 5. In dictis casibus obligatio est ex vi fidei, in aliis ex exercitio aliarum virtutum 122. 6. Præceptum negativum Fidei obligat semper, & ad semper 122. 7. Denegatio externa Fidei duobus modis evenire potest 122. 8. An teneatur fidelis interrogatus de sua fide, fateri illam interroganti 122. 9. Quid si interrogatio fieret generaliter 122. 10. Non tenetur fidelis ad confessionem fidei, quoties alicujus honor subtrahitur Deo; sed quando magnus honor subtraheretur, aut magna injuria sequeretur 122. 11. Si sub nomine Christiani intelligit infidelis interrogans hominem nationis alicujus; non peccat fidelis interrogatus contra fidem denegando, se esse Christianum 122. 12. An possit fidelis declinare Tyrannum sævientem in fideles 123. 13. An licitum sit uti verbis, aut signis significantibus sectam veræ fidei contrariam, quando non urget præceptum affirmativum manifestandi fidem 123. 14. Quid dicendum de actionibus, signis, & factis, quæ ita indicant falsam Religionem, ut aliam indifferentem significationem habere possint 123. 15. Quando licitum fidelibus uti vestibus, vexillis, & idiomate Turcarum, ne ab illis capiantur 124. 16. Illicitum semper est uti signis, actionibus, vestibus ex se ordinatis ad profitendam falsam religionem 124. 17. Quando poterit fidelis commorans in Regnis infidelium vesci carnibus ad se occultandum ab illis 124. 18. Quando poterit fidelis Catholicus ingredi templa hæreticorum, ac eorum cæremoniis, & precibus interesse 124. 19. Quando potest Catholicus ad se occultandum ingredi templa hæreticorum, si Princeps hæreticus ingressum præcipiat sub gravi pœna 124. 20. Non est licitum Catholico sumere Eucharistiam è manibus ministri hæretici; nec matrimonium celebrare coram illo 125. 21. Christianus Sacerdos interrogatus ab infideli, num Sacerdos sit? si neget quamvis peccet mentiendo, non peccat tamen contra fidem 125. 22. Fidelis ex justa causa occultare se poterit non deferendo signum præscriptum à Principe infideli fidelibus commorantibus in suo regno 125. 23.

Fidei professio à quibus debeat fieri?

Enumerantur illi, qui ex Trident. & aliis constitutionibus Pontificum tenentur professionem fidei facere 125. 1. Hæc obligatio adstringit sub gravi 126. 2. Qui obligatur ad professionem fidei faciendam intra bimestre, eo elapso non eximitur, sed tenetur quamprimum 126. 3. Tenetur ad illam commendatarius cum facultate disponendi de

fructibus; non verò Commendatarius sine tali facultate 126. 4. Prælati Regularium cujuscumque ordinis tenentur ad illam faciendam, nisi extet consuetudo in contrarium 126. 6. Idem dicendum de docentibus artes liberales 126. 7. Canonici, & dignitates Cathedralium tenentur etiam eam facere in capitulo 126. 8. Si fecerit in capitulo præsente Episcopo, aut ejus Vicario generali, non tenentur postea eam facere coram solo Episcopo aut ejus Vicario 126. 9. An Parochus, aut Canonicus dum novum beneficium, aut canonicatum acquirit, teneatur denuo eam facere 126. 10. An si eam fecerit intra bimestre occasione Doctoratus, aut Synodi; teneatur denuo eam facere 127. 11. An fieri possit coram Vicario generali 127. 13. An sede vacante facienda sit coram Capitulo, an ejus Vicario Generali 127. 14. Quomodo intelligendæ pœnæ statutæ à Tridentino contra non facientes illam intra bimestre 127. 15. An omittens professionem fidei teneatur fructus perceptos restituere ante sententiam declaratoriam Judicis 127. 16. An credendum sit affirmanti, se fecisse professionem Fidei 128. 17.

Filii ad quam obedientiam, reverentiam, & honorem teneantur erga parentes ex vi quarti præcepti.

Tenentur filii sub mortali ad obediendum parentibus in iis in quibus subjiciuntur circa gubernationem domus 527. 1. Non tenentur filii obedire parentibus præcipientibus res pravas, & contra legem Dei 527. 2. Non tenentur filii obedire parentibus in iis quæ spectant ad viræ statum capiendum in materia Religionis, aut Matrimonii, & an peccent, si pro suo libito eligant uxorem dignam, relicta æquè digna à parentibus proposita 527. 3. Ex vi hujus præcepti tenentur filii ad reverentiam non solùm internam recognoscendo parentes ut Superiores per timorem filialem; verùm etiam externam 527. 4. An graviter peccent filii ex vi hujus præcepti, si probra, convicia, & maledicta conjiciant in genitores demortuos 528. 5. An semper illicitum sit percutere, & occidere parentes, itaut numquam sine peccato fieri possit 528. 6. Tenentur Filii, ad amorem, obedientiam, reverentiam, ac subveniendum necessitatibus suorum Parentum 526. 1. Non sufficit amor interius conceptus nisi etiam signis externis demonstretur 526. 2. Præceptum honorandi Parentes includit Præceptum negativum non habendi odio illos 526. 3.

Filii quomodo teneantur subvenire parentibus.

Filii tenentur ad subveniendum parentibus in eorum necessitatibus spiritualibus 528. 1. Tenentur quoque eis subvenire in gravibus necessitatibus temporalibus, si possint 528. 2. An teneatur filius alimenta subministrare parenti damnato à Judice ad pereundum inedia 529. 3. An Filii Catholici teneantur alimenta præbere parentibus hæreticis 529. 4. An teneantur filii ad non ingrediendum Religionem, vel exeundum ab ea, ut suis parentibus alimenta ministrent 529. 5. Filii habentes votum Religionis non tenentur ad exequendum illud in gravi, aut extrema necessitate parentum 529. 6. Si tempore Novitiatus parentes sint in gravi, vel extrema necessitate; tenetur filius è Religione egredi ut illis subveniat dummodo possit subvenire 529. 7. Si Filii professi sint, & parentes reperiantur in extrema necessitate, tenentur sub gravi ad egrediendum, ut subveniant, etiam reluctantibus Prælatis 539. 8. Si verò non sint in extrema, sed gravi necessitate, non tenentur egredi 530. 9. An teneantur filii solvere debita parentum, si hæc excedant facultatem hæreditatis 530. 10. An teneantur filii, qui nil acceperunt ex bonis patris mortui; aut uxor quæ nihil accepit ex bonis mariti solvere debita illorum ex propris bonis 530. 11.

Filius familias.

An filius familias validè contrahere possit absque consensu patris 626. 4. Filius familias non potest fidejubere nisi bona castrensia, vel quasi castrensia possideat 656. 2.

Filius illegitimus.

An Filii illegitimi instituì possint hæredes 664. 12. Filii illegitimi alii sunt naturales, alii spurii ibid.

Filius Spurius.

Filii Spurii non legitimati non possunt hæredes instituì à suis genitoribus, nec potest illis aliquid relinqui præter alimenta 665.

Fornicatio.

Fornicatio alia est simplex, & strictè accepta; alia non simplex, & largè accepta 561. 1. Fornicatio simplex, & strictè accepta ex se grave peccatum est, & intrinsecè mala 562. 3. An copula habita cum alterius sponsa sit simplex fornicatio 562. 4. Non solùm accedere ad meretrices est grave peccatum toties quoties, sed etiam eas inducere ad peccandum etiamsi ex se paratæ sint 562. 5. An fœmina si comprehendatur vi à juvene in loco remoto, & cogatur ad actum turpem nolens, & renuens; dicatur fornicari 562. 6.

Fortitudo.

Quid sit Fortitudo. Fortitudo genericè accepta significat tum vires, & robur corporis, tum animi 212. 1. Quid speciatim accepta ibid. Quodnam munus fortitudo exerceat 212. 2. Quamvis fortitudo vigeat in aliis materiis, maximè tamen viget in superandis periculis, & difficultatibus mortis 212. 3.

Fortitudini vitia opposita.

Timiditas, Stupiditas, Audacia, Ignavia 212. 213. à 2. usq. 7.

Fortitudini virtutes annexæ, & vitia eis opposita.

Quas virtutes sibi habeat annexas fortitudo 213. 1. Vitia opposita 213. 214. 215. à 1. usq. 16.

Fratrum, & Sororum obligatio inter se.

Non solùm Charitas, sed Justitia, & quædam naturalis pietas obligat fratres, & sorores ad sibi subministranda alimenta in extrema necessitate 534. 1. An frater dives teneatur alere, & dotare sororem pauperem 534. 2. Quid dicendum si Soror sit tantùm ex patre non verò ex matre 534. 3. Quid si sit tantùm uterina, & non ex eodem patre 535. 4. An frater uterinus teneatur dotare sororem uterinam ex ea portione, quam insumere debebat in alendo eam 535. 5. An frater dives teneatur dotare sororem debitè à Patre exhæredatam 535. 6. An saltem teneatur eam pauperem alere 535. 7. An frater clericus beneficiarius teneatur ex fructibus beneficii sororem pauperem alere 535. 8. An teneatur ad eam dotandam ex eisdem fructibus 535. 9.

Furtum quid sit, & quale peccatum?

Furtum definitur, & explicatur definitio 577. 1. An qui absente Domino perfringit fores ejus domus, ut inde aliquid auferat, furtum committat, an rapinam 577. 2. An auferens rem vidente Domino, sed non contradicente; furtum committat 577. 3.

Furtum ut sit peccatum mortale quæ quantitas requiratur? & quommodo peccet, qui minuta furta committit?

Mensura magnitudinis, & parvitatis moralis furti est judicium prudentum 578. 1. Non eodem modo discurrendum de magnitudine quantitatis simul ablatæ, ac paulatim per parva furta, & longo temporis intervallo 578. 2. Ea quantitas simul ablata magna censetur, & sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ consideratis omnibus infert grave damnum proximo 578. 3. Considerari etiam debent aliæ circumstantiæ à prudenti Confessario, quæ augere, vel minuere possint quantitatem furti; dummodo pertingens ad unum aureum magnum, & grave peccatum regulariter sit 578. 4. An furtum ex se veniale possit ratione notabilis circumstantiæ fieri mortale 578. 5. An parvitas materiæ semper sit eadem in rebus 579. 6. Quid dicendum de iis, qui minuta furta committunt 579. 7. An furripiens notabilem quantitatem ab eodem Domino per parva furta, si quando ultimum furtum committit complens gravitatem materiæ immemor sit furtorum præcedentium, mortaliter peccet 579. 8. Quid requiritur ad moralem continuationem parvorum furtorum 580. 9. An plures auferentes quid leve ab eodem Domino, quæ plurima lævia integrent quantitatem notabilem; graviter peccent 580. 10.

Furtum in necessitate an licitum sit?

In extrema necessitate constitutus si furripiat quantum sufficit ad suam necessitatem sublevandam; non peccat nec tenetur restituere 580. 2. An licitum sit furripere aliquid à Dominis ob succurrendum extremè indigenti 580. 3. An licitum sit extremè indigenti mori potius quam furripere alienum ibid. In gravi necessitate constitutus peccat juxta quantitatem gravem, vel levem, si alienum furripiat 580. 3.

Furta Filiorum.

Graviter peccat filius furripiens notabilem quantitatem à Patrefamilias ex illis bonis, quorum poſſeſſio, & uſusfructus ad Patrem ſpectant 581. 1. Major quantitas requiritur ad peccatum grave furti pro filiis, quæ non requiritur pro famulis, aut extraneis reſpectu bonorum patris 581. 2. Bona filiorum alia ſunt Caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Alia Adventitia, alia Profectitia 581. 3. Ad quem ſpectant prædicta bona, ad filios ne, an ad Patrem 581. 4. An filius accipiens clam à Patre avaro quantum ſubminiſtrare ſolent Patres ejuſdem conditionis ſuis filiis, peccet peccato furti 582. 5. An peccet mortaliter filius, & ad reſtitutionem teneatur, ſi pecuniam à Patre datam ad libros emendos, aut alia neceſſaria eroget in fœminas, ludos, & compotationes 582. 6. An furta nimia filiorum in eſculentis, & poculentis communi uſui deſervientibus, ſi continuentur ad longum tempus, attingant gravem culpam 582. 7.

Furta Uxoris.

Uxor magnam quantitatem auferens furto à Marito è bonis ad ipſum ſpectantibus graviter peccat 582. 8. Non peccat Uxor, nec furatur, ſi inſcio marito capiat, donet, aut alio modo conſumat quantitatem bonorum paraphernalium. An peccet clam donando, vel alio modo expendendo bona quę ſibi donata fuerunt à conſanguineis ſui Viri 582. 9. Graviter peccat Uxor, ſi ex fructibus ſuæ dotis magnam quantitatem clam accipiat, & conſummat invito marito 582. 10. Graviter peccat uxor, ſi ex bonis communibus ſibi, & marito, aut ex bonis propriis mariti notabilem quantitatem accipiat 582. 11. Quænam accipere poſſit Uxor inſcio Marito abſque peccato furti 12.

Furta Religioſorum.

Religioſus profeſſus connumerandus eſt inter filios reſpectu domus Religioſæ. Et furtum ipſorum ut mortale attingat; dignoſcenda erit quantitas à filiis parentum mediocriter divitum, non verò ditiſſimorum 583. 13. An quantitas ſufficiens ad peccatum grave furti in Religioſis ſufficiat ad peccandum contra votum Paupertatis 583. 14. An Religioſus accipiens minima exculenta, & poculenta ad proprios uſus ab extraneis ſine licentia graviter peccet, & votum paupertatis violet 583. 15. An Religioſus ſuam indigentiam Superiori aperiens, qui injuſtè deneget ſuccurrere; poſſit clam à ſæcularibus ſpontè dantibus, vel à monaſterio accipere, ut ſuæ indigentiæ ſubveniat 583. 16.

Furta Famulorum.

Famuli ſive ſimul, ſive ſucceſſivè notabilem quantitatem furto auferentes à Dominis ſuis graviter peccant 583. 17. An peccent famuli auferendo eſculenta, & poculenta non tamen in magna quantitate ibid. Famuli quibus cura Domus commiſſa eſt, ſi non impediant furta confamulorum tenentur ad reſtitutionem 596. 7.

G

Gemmæ & ſimilia in littore maris, & in fluminibus inventa quibus competant?

Gemmæ, Lapilli pretioſi, Corallium, Succinum, & alia ſimilia, quæ in promontoriis, aut in littore maris, vel fluminibus reperiuntur, fiunt primi occupantis 608. 4.

Gloria inanis.

Gloria inanis quid ſit 214. 7. ejus triplex actus explicatur ibid.

Gratia.

Gratia quando dicitur facta; & quando facienda 100. 2. Gratia ritè obtenta, ſeu facta, ſi ſimpliciter conceſſa fuerit, & ſine reſtrictione, non amittitur per mortem concedentis: ſecus verò ſi facienda ſit 101. 4.

Gratiarum actio.

Quid ſit gratiarum actio? eſt recognitio quædam Divinorum beneficiorum, quæ Deo præſentatur, & offertur in ejus obſequium 265. 5.

Gula.

Quid ſit gula 217. 6. Gula opponitur abſtinentiæ per exceſſum ibid. Stupor per defectum ibid.

Gula, & ejus filiæ.

Quid ſit Gula, & quale peccatum 252. 12. An implere ſe cibo, & potu uſque ad ſatietatem, & vomitum ob ſolam voluptatem præciſo ſcandalo ſit grave peccatum, an leve 253. 13. Enumerantur filiæ Gulæ ex parte corporis, & ex parte animæ; ex parte corporis eſt immunditia, Vomitus, Effuſio ſeminis. Ex parte animæ, eſt hebetudo mentis, ſeu ſtupiditas quædam orta ex crapula 253. 14. Ebrietas ſpectat ad Gulam, quæ ſi plena, & perfecta ſit, eſt grave peccatum 253. 15. Afferuntur ſigna plenæ, & perfectæ ebrietatis 253. 16. Inebriare alium, vel illum ad æqualia pocula invitare, ut inebrietur, eſt grave peccatum 253. 17.

H

Habitatio.

Habitatio eſt quarta ſpecies juris Realis, & quid ea ſit 194. 9.

Habitus dimiſſio quomodo Religioſis interdicta?

Temeraria habitus dimiſſio prohibetur omnibus Religioſis profeſſis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ 461. 1. Vide Dimiſſio Habitus.

Hæreſis, & Apoſtaſia à Fide.

Quid ſit Hæreſis 184. 1. Quotuplex ſit 184. 2. An quælibet ignorantia excuſet à peccato Hæreſis 184. 5. An errans ex ignorantia, ſi monitus de ſuo errore non reſipiſcat cenſendus ſit hæreticus 135. 4. An proteſtatio facta per profeſſionem fidei excuſet à pertinacia 135. 5. An dubitans voluntariè in Myſteriis Fidei cenſendus ſit hæreticus 135. 6. An opinans circa Myſterium Fidei ſufficienter propoſitum cenſendus ſit hæreticus 135. 7. An diſſentiens revelationi ſpeciali ſibi ſufficienter propoſitæ, ſit revera hæreticus 136. 8. An retinens fidem interius, ſi eam exterius verbo, vel facto deneget ſit hæreticus 136. 9. An negans concluſionem Theologicam deductam ex præmiſſis, una de fide, altera naturali; ſit hæreticus 136. 10. An neceſſariò requiratur, ut hæreſis punibilis ſit, quòd committatur à baptizato 136. 11. Quid requiritur, ut propoſitio cenſenda ſit hæretica 136. 12. An omnis hæreſis, & apoſtaſia ſubjecta ſit pœnis eccleſiaſticis 137. 13. Quænam verba, aut facta ſufficientia ſint ad manifeſtandam exterius hæreſim internam 137. 14. Afferuntur aliqua ſigna in particulari 138. 15. Quiſnam ſit hæreticus, vel apoſtata affirmativus, & quiſnam negativus 138. 16.

Hæres.

Hæredes non obligantur ad vota perſonalia defuncti adimplenda, quamvis obligari poſſint ex aliis capitibus 378. 2. Vide voti obligatio an tranſeat ad hæredes.

An Hæres poſſit ſibi aliquid retinere, ſi hæreditas non ſit ſufficiens ad ſatisfaciendum legatis relictis 665. 17. Hæredes quinam poſſint inſtitui in Teſtamento 664. 10.

Hæreticus quis cenſendus?

An dubitans voluntariè in Myſteriis Fidei cenſendus ſit Hæreticus. Vide hæreſis, & apoſtaſia. Hæreticos denunciandi quando urgeat obligatio. Vide Denunciandi Hæreticos.

Herus.

An Herus irritare poſſit vota ſuorum famulorum 388. 13.

Homicidium.

Homicidium definitur 537. 1. Dividitur Homicidium in id, quod ſit authoritate publica, & quod ſit authoritate privata 537. 2. Graviſſimum peccatum eſt homicidium, & declaratur ejus gravitas 537. 3. An homicidium innocentis ſit aliquando cohoneſtabile 226. 6.

Honor.

Quid ſit Honor 685. 2.

Honor debitus parentibus quid ſit; & an vi quarti Præcepti teneantur parentes filios honorare?

Explicatur quid veniat nomine honoris debiti à filiis ſuis parentibus 526. 1. An hoc præceptum adſtringat tam filios erga parentes, non verò parentes erga filios 526. 3. Honor Filiorum erga Parentes. Vide Filii.

Honoris reſtitutio.

Recenſentur varii modi reſtituendi honorem. 1. Honorificè ſalutando, compellendo, & demonſtrando ſigna extraordinariæ benevolentiæ: qui modus ſufficiens reputatur inter Prælatos, & inferiores. 2. Veniam petendo, qui modus efficaciſſimus reputatur ad ſatisfactionem dandam Superioribus, & à fortiori æqualibus ante judicis ſententiam, quamvis poſt illam ſtandum ſit ſatisfactioni injunctæ à Judice. 3. Dando locum honorificum inhonorato, adibendo illum cum affectu ad menſam, propinando illi in convivio: qui quidem modus reputatur ſufficiens in exhibenda ſatisfactione inter eos, qui paris ſunt conditionis

tionis 696. 12. Violans injustè honorem alterius, sive per contumeliam, sive per derisionem, aut subsannationem tenetur ad restitutionem 695. 8. An inhonorans alium in ejus absentia dictis, vel factis teneatur ad restitutionem faciendam inhonorato penes illos coram quibus inhonoravit 695. 9. An omittens honorem debitum Superioribus, vel æqualibus teneatur ex justitia illum resarcire 695. 10.

Honoris violatio. Vide Contumelia.

Horas canonicas recitare qui teneantur?

Tenentur omnes Clerici in Sacris, & quinam hi sint, & quo jure teneantur 270. 1. An possit Episcopus Clericis minoribus hanc recitationem imponere 271. 2. An Clerici minores teneantur ex præcepto recitare psalmos ab Episcopo post ordinationem impositos 271. 3. Religiosi professi choro addicti tenentur ad recitationem horarum canonicarum 271. 4. Quinam veniant nomine Religiosorum professorum Choro addictorum 271. 5. An professi addicti choro nondum ad sacros ordines promoti, & moniales si è choro absint, teneantur ad hanc recitationem 271. 6. An etiam teneantur professi addicti choro, qui ex dispensatione Pontificis perpetuo extra claustra vivant 271. 7. Beneficiarii beneficium ecclesiasticum habentes etiamsi in sacris non fuerint, tenentur ad recitandum 272. 8. Quinam veniant nomine beneficiarii 272. 9. Quid dicendum de habentibus Cappellaniam sacram, aut aliquod beneficium manuale, vel Præstimonia, aut beneficium in commendam 272. 10. Quid de Pensionariis Laicam, vel Clericalem pensionem habentibus 272. 11. An habens beneficium tenue obligetur ad recitationem 272. 12. An sit obligatio recitandi pro beneficio, cujus fructus percipi nequeunt 272. 13. An habens solum titulum beneficii cum spe possessionis, quam tamen non habet; recitare teneatur 273. 14. An stante consuetudine alicujus Ecclesiæ non percipiendi fructus beneficii pro aliquo tempore, adhuc pro eo tempore urgeat obligatio recitandi 273. 15. An omittere recitationem Divini officii uno vel altero die in anno, sit grave peccatum 273. 16. Vide officium Divinum.

Horologium.

Quam opinionem faciat Horologium circa jejunium naturale, vel ecclesiasticum, & horas canonicas recitandi 9. 21.

Hospitalia Religiosa an vendi possint absque Simonia.

Hospitalia Religiosa, vel authoritate Episcopi erecta, & sub ejus cura obtineri nequeunt pecunia sine simonia; secus verò Hospitalia privata authoritate erecta 325. 9.

Humilitas, & vitia opposita.

Quid sit Humilitas 221. 3. Quodnam ejus munus ibid. Quomodo excitentur actus humilitatis 221. 5. Quomodo intellectus, & voluntas concurrant ad humilitatem 221. 4. Humilitati opponitur superbia per excessum, abjectio inordinata per defectum 221. 5.

Hypotheca.

An res Hypothecari possit pluribus 657. 14.

I

Idololatria.

Quid sit Idololatria strictè accepta, quid amplè 301. 1. Idololatria sive cum hæresi, sive sine illa gravissimum peccatum est, & summa blasphemia 301. 2. An qui Idololatriam materialem, & fictam committit ob metum mortis, incurrat excommunicationem latam contra Hæreticos 301. 3. Idololatria strictè accepta est prima species superstitionis 301. 1.

Jejunium.

Quam opinionem faciat horologium circa jejunium naturale 9. 21. Dubius de media nocte, quomodo se gerere debeat circa jejunium 12. 24. An dubius de jejunio naturali post mediam noctem communicare possit 12. 25. Dubius an expleverit vigesimum primum annum non tenetur ad jejunium 13. 26. An jejunare die Dominico sit gravis superstitio falsi cultus 300. 7.

Ignavia.

Ignavia opponitur fortitudini per defectum, & confunditur cum timiditate 213. 7.

Ignorantia.

Ignorantia quid sit, & quotuplex 227. 14. & seq. Ignorantia alia est juris, alia facti. Utraque hæc ignorantia potest esse invincibilis, & inculpabilis; & potest esse vincibilis, culpabilis, & improbabilis. Ignorantia invincibilis dicitur antecedens, justa, & probabilis. Vincibilis verò dici solet consequens injusta, & improbabilis &c. ibid.

Ignorantia invincibilis.

Quænam requirantur ad ignorantiam invincibilem 228. 16. Quarum rerum dari possit invincibilis ignorantia 228. 18. Sola ignorantia invincibilis antecedens, justa, & probabilis aufert voluntarium 225. 15. Vide voluntatis passio.

An possit dari ignorantia invincibilis respectu mendacii jocosi, vel officiosi 667. 10.

Ignorantia vincibilis.

Ignorantia vincibilis an minuat culpam 228. 19. An ignorantia vincibilis quæ non sit affectata, vel crassa, ita culpam minuere possit, ut ex mortali venialem reddat 229. 20. An peccatum ex ignorantia vincibili commissum sit ejusdem speciei cum eo, quod ex scientia procedit 229. 21. Quænam requiratur ad ignorantiam vincibilem 228. 16. Vide voluntatis passio.

Imago sacra.

An licitus sit usus sacrarum imaginum Dei Sanctissimæ Trinitatis, & Angelorum 262. 7. Quænam actiones exerceri possint ante has sacras imagines 262. 8.

Immunitas Ecclesiæ quid sit, & quo jure introducta.

Quid sit immunitas ecclesiastica genericè accepta, & quid specialiter sumpta 494. 2. Cur immunitas ista dicta fuerit ecclesiastica 494. 3. Immunitas ecclesiastica genericè accepta est de jure divino naturali, in particulari verò de jure humano canonico 494. 4.

Immunitas quibus locis debeatur.

A jure ecclesiastico concessa est immunitas omnibus Christianorum ecclesiis, & aliis locis piis 495. 1. Ecclesiæ authoritate Episcopi erectæ gaudent immunitate ecclesiastica, etiamsi nondum consecratæ, aut benedictæ fuerint, nec in eis celebrata sint Divina officia 495. 2. extenditur immunitas ad ecclesias non ex integro constructas, sed ædificari cœptas 495. 3. Ad ecclesias polluras, & interdictas 495. 4. Ad ecclesias dirutas, dummodo dirutæ non fuerint authoritate Superioris sine spe reædificationis 495. 5. Extenditur immunitas ad totam ecclesiæ fabricam interius, & exterius 495. 6. Extenditur etiam ad fines ecclesiæ per circuitum; itaut si cathedralis fuerit, aut matrix habeat quadraginta passus; si minor triginta 496. 7. Hospitale authoritate Episcopi erectum cum altari ad celebrandum gaudet immunitate 496. 8. Oratorium authoritate Pontificis, vel Episcopi erectum, ac perpetuò Divino cultui dicatum gaudet immunitate 496. 9. Monasteria, & Domus Religiosæ virorum, & mullerum gaudent immunitate quoad totum suum ambitum septum 496. 10. Quid dicendum de Palatiis Cardinalium, tum intra, tum extra urbem 497. 12. Palatium Episcopi immunitate gaudet etiam eo absente, vel mortuo 496. 11. Quid de statuis magnorum Principum, & de confugientibus ad illas 497. 13. Quid de Sacerdote sacram Eucharistiam deferente, & de confugiente ad illum 497. 14.

Immunitate quænam personæ gaudere possint?

Quilibet fidelis ad loca sacra confugiens gaudet immunitate ipsis concessa 497. 1. Excommunicatus, & interdictus ab ingressu ecclesiæ immunitate ecclesiæ gaudere possunt 497. 2. Quid dicendum de Hæretico ad ecclesiam confugiente 498. 3. Quid de Judæis, Saracenis, & aliis infidelibus 498. 4. An Clerici immunitate ecclesiæ gaudeant respectu suorum Judicum ecclesiasticorum 498. 5. An fures etiamsi famosi sint gaudeant immunitate ecclesiæ 499. 6. An jam damnati per sententiam, si ad ecclesiam fugiant gaudeant immunitate illius 499. 7. An capti, aut in carcere detenti, si confugiant ad ecclesiam gaudeant ejus immunitate 499. 8. Quid dicendum de eo qui fidem dedit cum juramento Custodi carceris de redeundo, si fugiat ad ecclesiam, gaudeat ne immunitate illius 499. 9. Quid de Servo respectu Domini sui confugiente ad ecclesiam 499. 10. An Debitores, quibus non est solvendo, gaudeant immunitate ecclesiæ 500. 11. An raptores virginum, & adulteri gaudeant immunitate ecclesiæ 500. 12. An incendiarii gaudeant hac immunitate 500. 13. An Banniti, & exules gaudere possint immunitate 500. 14. An homicida gaudeat immunitate ecclesiæ 500. 15. An ea gaudere possint Perjuri, falsi Testes, & Sacrilegi 500. 17. An ministri, & judices violenter extrahentes aliquem è loco sacro ob casus non exceptos, si ad ecclesiam confugiant, gaudeant immunitate illius 500. 18. Quid de deferentibus

arma

armain Ecclesia contra edictum Principis, vel Episcopi 500. 19. Quid de falsam monetam construentibus, aut veram adulterantibus 501. 20.

Immunitate Ecclesiastica quinam priventur?

Privantur immunitate Ecclesiastica Publici Latrones 501. 2. Viarum Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident 501. 3. Depopulatores agrorum 502. 4. Occidentes, vel mutilantes in Ecclesia 502. 5. Occidentes, vel mutilantes in Cœmeterio 502. 6. Occidentes & mutilantes in dictis locis, sive ex proposito, sive ex subitanea, & impensata rixa 502. 7. Etiamsi prædicti sine spe immunitatis occiderint, aut mutilaverint 502. 8. An hæc privatio immunitatis extendenda sit ad alia delicta in Ecclesia, vel Cœmeterio commissa 502. 9. An vulnerans aliquem in Ecclesia, si non sequatur mors immunitate privetur 502. 10. An existens in Ecclesia, si alium extra illam, aut ejus Cœmeterium occidat, vel mutilet, privetur immunitate 503. 11. An existens extra Ecclesiam, & ejus Cœmeterium, si occidat, vel mutilet alium in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio existentem, immunitate careat 503. 12. An extrahens dolo, aut vi aliquem in Ecclesia receptum, quem postea occideret, aut mutilaret privari debeat immunitate 503. 13. An mandans occidere, vel mutilare aliquem in Ecclesia privandus sit immunitate 503. 14. An occidens, aut mutilans propè Ecclesiam ductus spe confugiendi ad illam immunitate privetur 503. 15. An occidens, aut mutilans in Ecclesia privari debeat immunitate ob alia delicta, pro quibus gaudere posset 503. 16. Immunitate privantur, qui proditione proximum suum occiderint 504. 17. An volens proditoriè occidere, sed tantùm vulneret non secuta morte, immunitate careat 504. 23. An occidens proditoriè infidelem carèat immunitate 504. 24. An procurantes abortum falsi testes, & iniquus judex in causa mortis immunitate privemur 504. 25. Immunitate Ecclesiæ privantur rei assassinii 505. 26. An non solùm immunitate careant committentes assassinium, sed etiam cooperantes ad illud 505. 32. An committens assassinium in infidelem careat immunitate 506. 34. Immunitate carent rei hæresis 506. 35. Immunitate privantur rei læsæ majestatis in Personam ipsiusmet Principis 506. 36. An immunitate priventur lædentes personas Cardinalium 506. 37. Quinam priventur immunitate Ecclesiastica ob crimen læsæ majestatis in personam Principis. Et quodnam sit hoc crimen 506. 38. & seq.

Immunitatis Ecclesiasticæ effectus.

Primus effectus est, ut nequeant confugientes ad Ecclesiam extrahi ab illa inviti à potestate laica sine consensu Ecclesiæ 507. 2. Etiamsi casus exceptus fuerit nequit fieri extractio à potestate laica sine consensu Ecclesiæ 507. 3. Secundus effectus, ne impediatur recepto in Ecclesia alimenta, Vestes, & reliqua ad vitæ sustentationem necessaria 508. 4. Tertius effectus, ne ulla vis, aut damnum inferatur recepto in Ecclesia 508. 5. Quartus effectus ne receptus in Ecclesia possit damnari ad mortem, aut aliam pœnam 508. 6. Quintus effectus, ut extractus per vim ab Ecclesia restituatur ipsi 508. 7. Cuinam Ecclesiæ restituendus sit extractus 508. 8. Quid faciendum in controversia an reus captus sit in Ecclesia, an extra illam 509. 9. Sextus effectus, ut si extractio fiat non servata forma in Constitutione Gregoriana præscripta, nulla, & invalida sit 509. 10. Septimus effectus ut tum à recepto, tum ab Ecclesia resisti possit mediis licitis potestati laicæ tentanti injustam extractionem 509. 11.

Ad immunes locos confugientes quando tradi possint potestati sæculari, & quomodo id efficiendum.

In casibus exceptis debent judices Ecclesiastici tradere potestati sæculari receptos in Ecclesia, si à potestate sæculari requisiti fuerint 509. 1. Nonnullæ conditiones servandæ 509. 2. 1. Conditio est ut extractio ab Ecclesia non fiat à potestate sæculari nisi ex expressa facultate judicis Ecclesiastici. Ibid. 2. Conditio est; ut in extractione interfit persona Ecclesiastica Episcopi 509. 3. 3. Est, ut extractus non statim tradatur Curiæ sæculari, sed servandus in carcere nomine Episcopi, donec ab eo causa recognoscatur 509. 4. An possit recognitio causæ immunitatis, si videlicèt casus exceptus sit vel non, spectare ad judices sæculares 510. 5. An delictum certò, & plenè constare debeat Episcopo, antequam tradat extractum Curiæ sæculari, an sufficiat, si constet per conjecturas, & præsumptiones 510. 6.

Ad immunes locos confugientes, si indebitè extrahantur quam culpam committant, & quam pœnam incurrant tali modo extrahentes, vel consulentes, & quinam absolvere possint ab excommunicatione huic peccato à jure imposita.

Extrahens indebitè ab Ecclesia receptum in ea sacrilegè peccat 511. 1. Peccat insuper peccato injustitiæ. & tenetur ad restitutionem 511. 2. Ex jure civili puniendus est pœna capitali 511. 3. Extrahentes indebitè publica pœnitentia judicio Episcopi imponenda est, addita pœna pecuniaria 511. 4. Incurrit ipso facto excommunicationem juxta Constitutionem Gregorianam 511. 5. Quænam personæ incurrere possint hanc excommunicationem 511. 7. An incurratur hæc excommunicatio effectu non secuto, sed attentato 511. 8. An consulentes aliqu'd contra formam, vel præter formam in hac constitutione exhibitam incurrant hanc excommunicationem 512. 9. Quis possit ab hac excommunicatione absolvere 512. 10. An possint Episcopi per delegatum à se specialiter deputatum absolvere ab hac excommunicatione 512. 11.

Immunitas personarum Ecclesiasticarum, seu libertas Ecclesiastica quid sit. Et quo jure introducta, & qui tollere possint exemptionem à laica potestate quoad Causas temporales, & Civiles Ecclesiasticis concessa à jure Pontificio.

Quid importet libertas Ecclesiastica 513. 2. De fide est, Personas Ecclesiasticas liberas esse à potestate laicali, quamvis controvertatur, quo jure introducta sit 513. 3. Exemptio personarum Ecclesiasticarum à laica potestate quoad causas spirituales est à jure divino 513. 4. Quoad causas temporales, & Civiles, sive Criminales, fundamentum habet à jure divino; sed immediatè est à jure Pontificio 513. 5. Exemptio ista jure Pontificio immediatè concessa à nulla potestate humana tolli potest 513. 6. Nec ipse Pontifex potest absolutè tollere quoad omnes personas Ecclesiasticas, & omnes causas hanc exemptionem à jure Pontificio immediatè concessam 514. 7. An summus Pontifex inducere potuerit hanc immunitatem Ecclesiasticam invitis sæcularibus principibus 514. 8. An summus Pontifex immediatè habeat hanc exemptionem à Christo Domino 514. 9. An possit summus Pontifex facultatem dare Laicis cognoscendi causas Ecclesiasticas 514. 10.

Immunitate, seu Libertate Ecclesiastica, & Privilegio Fori, quænam personæ Ecclesiasticæ gáudeant?

Personæ, quæ ex speciali Deputatione ad Dei cultum, & Ministerium dicatæ sunt, Ecclesiasticæ dicuntur, & gaudent Privilegio Fori, & Libertatis Ecclesiasticæ 514. 1. Quid dicendum de Clericis minoribus, & Initiatis prima Tonsura 514. 2. Quid requiratur ex Tridentino, ut Clericus minor Privilegio Fori gaudeat 515. 3. An Clerici conjugati gaudeant Privilegio Fori 515. 4. An deferentes habitum clericalem ex licentia Episcopi sine Tonsura gaudeant privilegio Fori 515. 5. An Uxor Clerici Græci, vel Latini, & eorum filii legitimi gaudeant privilegio Fori 516. 7. Religiosi omnes sive mares, sive fœminæ sunt Personæ Ecclesiasticæ 516. 8. An ordines militares gaudeant privilegio Fori 516. 9. An Eremitæ habeant Privilegium Fori 516. 10. An Tertiarii D. Dominici, & D. Francisci gaudeant privilegio Fori 516. 11. An patrans delictum in sæculo, si postea assumat habitum Religiosum gaudeat Privilegio Fori 516. 12. An Rectores Hospitalium censendi sint Personæ Ecclesiasticæ 516. 13. An Clericus minor sive solutus, sive conjugatus habitum dimittens possit illum reassumere, & privilegio Fori gaudere 516. 14. An si Clerici isti ad longum tempus habitum non deferant, & delictum committant, quamvis postea habitum reassumant, gaudeant privilegio Fori 517. 15. An si arma deferant, priventur privilegio Fori 517. 16. An si se immisceant mercaturis, & negotiationibus deperdant Privilegium Fori 517. 17.

Immunitatis Ecclesiasticæ Privilegium quando à Clerico amittatur, & quando non; quando tradi possit Judici Sæculari, nec non ab ipso judicari, & puniri?

An Clerici committentes crimina læsæ majestatis perjurii, falsæ monetæ, Homicidii, conspirationis in Episcopum, & similia amittat Privilegium Fori 519. 2. Clericus assassinium committens amittit ne Privilegium Fori? 519. 3. An possit Clericus criminosus tradi à judice Ecclesiastico potestatis sæcularis, si non fuerit incorrigibilis 519. 3. An Clericus possit per revocationem judicari, & puniri à judice sæculari 519. 4. An Clericus, qui fuit socius

cius criminis cum laico principaliter agente, possit cum laico à judice sæculari judicari, & puniri 519. 5. An Judex sæcularis possit supplere negligentiam judicis Ecclesiastici in puniendo Clericos delinquentes 520. 7. An possit aliquando judex sæcularis clericum capere, & incarcerare 520. 8. Judex sæcularis si mandatum habeat à judice Ecclesiastico, poterit capere clericum delictum grave committentem tribus concurrentibus circumstantiis, quæ enumerantur 520. 10. Prædictis circumstantiis concurrentibus poterit judex laicus ad instantiam creditoris, clericum debitorem capere 520. 11. Servatis supradictis circumstantiis non solùm à potestate publica laica; sed etiam à privata persona capi poterit clericus volens delictum contra tertium committere, quod alia via impediri nequeat 520. 12.

Immunitati Ecclesiasticæ leges Civiles, & statuta repugnantia quomodo dignoscantur, & quænam sint?

Quomodo dignoscendum, quòd leges Civiles, & Statuta non repugnent statui Ecclesiastico 522. 10. An statutum civile præscribens modum in funeribus, & conviviis, repugnet statui Ecclesiastico 522. 11. An statutum civile obligans cives ad non vendenda bona immobilia exteris repugnet statui Ecclesiastico 522. 12. Statutum civile à Laicis factum, ne vendantur Clericis, quæ aliis vendi solent, aut ne emantur ab illis, quæ ab aliis emi solent; vel ne potiantur Clerici Privilegiis aliis Civibus concessis. apertè est contra libertatem Ecclesiasticam 522. 13. Quid de statuto Civili privante Clericos beneficiis à Regibus concessis, si declinaverint jurisdictionem sæcularem 522. 14. Quid de lege prohibente ne exteris beneficia Ecclesiastica, aut pensiones conferantur 522. 15.

Immunitatem, seu Libertatem Ecclesiasticam violans, quam culpam committat, & quam pœnam incurrat?

Violans immunitatem istam mortaliter, & sacrilegè peccat, ac injustitiam committit 524. 1. Pœnæ, quas incurrit violans, sunt excommunicatio lata in Bulla Cœnę, restitutio tributi exacti; & omnia ejus acta nulla, & irrita sunt 525. 2.

Immunitatis Ecclesiasticæ Privilegium an possit renuntiatione, vel consuetudine amitti, vel diminui?

Clericus neque expressè, neque tacitè renuntiare potest privilegio Fori 525. 2 An saltem renuntiare possit consentiente Episcopo 525. 4. An Clericus delinquens fingendo se laicum, si captus à sæculari judice confiteretur suum crimen coram illo, & patereturjudicari ab illo; teneret judicium factum 525. 6. Nequit Consuetudo abrogare Privilegium istud, nec diminuere 525. 7.

Immunitatem Ecclesiasticam actiones lædentes.

Explicantur actiones illæ, per quam læditur immunitas Ecclesiastica 511. 6.

Imperator.

Imperatores, Reges, Principes absoluti, & Respublicæ habentes potestatem legislativam dispensare possunt in legibus a se latis, à suis prædecessoribus, & in legibus populorum sibi subjectorum 67. 3. Imperator non potest civiles leges condere pro toto orbe terrarum, sed pro Regnis suæ ditioni subjectis 19. 5.

Impedientes alios à consecutione alicujus boni ad quid teneantur?

Impediens alium à consecutione boni ipsi debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem etiamsi sine dolo, & fraude, aut vi faciat, sed fundendo, aut consulendo 597. 2. Impediens alium à consecutione boni ipsi non debiti ex justitia non tenetur ad restitutionem, etiamsi ex animo nocendi id faciat 597. 3. Qui vi, aut dolo alium impedit à consecutione hæreditatis gratuitæ, Legati, Donationis, aut Beneficii, quibus dignus erat; tenetur ad resarciendum damnum pro valore spei 597. 4. Qui sine vi, aut dolo impedit dignum à consecutione boni ut detur indigno, tenetur ad resarciendum damnum, quod petitur Ecclesiæ, vel Reipublicę 597. 5. Quid dicendum, si bonum datum indigno vi, aut dolo impeditum fuerit digno, non habenti tamen spem consequendi illud 598. 6. An vi, & fraude impediens dignum à consecutione boni, ut digniori detur, teneatur ad restitutionem aliquam faciendam digno 598. 7. An vi, & fraude impediens digniorem à consecutione boni, ut digno detur, teneatur ad restitutionem aliquam faciendam digniori 598. 8. An teneatur ad restitutionem, qui postquam suis dictis falsò collatorem beneficii informavit, & apud eumdem retractavit 598. 9.

Impubes.

Impubes dicitur, si sit masculus, qui non attingit annum decimum quartum completum, si sit fœmina, quæ non attingit duodecimum 662. 1.

Inadvertentia.

De Inadvertentia discurrendum est sicuti de ignorantia 228. 14.

Incestus.

Quid sit Incestus 568. 1. Cognatio ad incestum requisita quadruplex est 568 2. An tantùm per Copulam, an etiam per alios actus impudicos committi possit incestus 569. 3. An Copula habita à Confessario cum pœnitente sit revera incestus 569. 4. Incestus ex se gravissimum peccatum est, & constituit speciem luxuriæ distinctam ab aliis 569. 5. An omnes incestus sint ejusdem speciei, & an omnes gradus sint ejusdem speciei 569. 6. An gradus incestus aperiendus sit in confessione 569. 7. Quænam pœnæ debeantur incestuosis 570. 8. An incestus commissus ab uxorato cum consanguinea propria inducat obligationem, & pœnam non petendi debitum, & non transeundi ad alias nuptias uxore mortua 570. 9.

Infamatio sui ipsius an sit licita?

Infamare seipsum ex genere suo non est contra justitiam, & charitatem 689. 1. Ex aliquibus circumstantiis additis poterit esse grave peccatum 690. 2. An ex rationabili causa licitum sit sua peccata manifestare, & sic suam famam prodigere 690. 3. An ad tormenta evitanda possit quis falsum crimen sibi apponere, ob quod morte plectendus sit 690. 4. An qui ex vi tormentorum fassus est cum perjurio crimen sibi falsò appositum teneatur illud retractare, si prudenter timeat, iterum ad tormenta revocandum esse 690. 5. An possit quis sibi falsò crimen apponere ob liberandum parentem, vel amicum à morte, vel à gravibus tormentis 690. 6.

Infamans ad quid teneatur? Vide Restitutio famæ.

Infamia.

Quid sit infamia 672. 12. Quot viri probi requirantur ad infamiam. Ibid.

Inferior.

Inferior an revocare possit sine justa causa dispensationę à Superiore factam 85. 10. Inferior nequit abrogare legem à Superiore latam 56. 11. Inferior an revocare possit dispensationem justè à se factam in lege Superioris absque causa 111. 12.

Infidelitas.

Quid sit infidelitas 128. 1. Enumerantur tres species infidelitatis, & explicantur 1. Est Paganismus. 2. Est Judaismus. 3. Est Hæresis 128. 2. An Paganismus, Judaismus, & Hæresis comprehendant omnes species Infidelitatis 128. 3. An differant essentialiter inter se, an verò accidentaliter 129. 4. An denegatio Fidei per Paganismum, Judaismum, Hæresim, aut Apostasiam sit circumstatia aperiendà in confessione 129. 5. Quænam ex prædictis speciebus infidelitatis sit gravior 129. 6. An infidelis possit habere ignorantiam invincibilem omnium eorum, quæ vera fides proponit credenda 129. 7. An omnia opera Infidelis, & Hæretici sint peccata 129. 8. An licitum sit Catholico cum infideli, vel hæretico de rebus fidei disputare 129. 9. An infidelis compelli possit ad res fidei audiendas 130. 10. An infideles compelli possint ad fidem recipiendam 130. 11. An infideles cogi possint ad suos errores, & falsam Religionem deponendam 131. 12. An infideles sint privati, aut privari possint suo Dominio circa fideles 131. 12.

Infidelis. Vide Infidelitas.

Infidelium communicatio quænam prohibita fidelibus? Vide Communicatio.

Ingressum ad monasteria monialium quinam concedere possit? Vide Violatio Clausuræ.

Innocentem occidere an liceat? Vide occidere innocentem.

Interdictum.

Interdictum est tertia pœna à jure lata contra Simoniacè ordinantes, & contrà Prælatos recipientes beneficium in confidentia 335. 5.

Interpretatio Legis. Vide Lex humana quonam pacto interpretanda?

Interpretatio.

Interpretatio alia est lata, alia stricta 96. 1.

Invidia.

Quid sit Invidia 174. 11. Multipliciter quis dolere potest, & tristari de bono alterius 175. 12. Quando dolor de bono alterius, & gaudium de malo illius spectat ad invidiam 175. 13.

Invidia, & ejus Filiæ.

Quid sit invidia, & quale peccatum 252. 10. Filiæ invidiæ sunt odium proximi: Detractio de fama proximi: Gaudium in malis proximi, & susurratio, seu oblocutio mala de proximo 252. 11. Omnes istæ filiæ invidiæ sunt ex genere suo grave peccatum. Ibid.

Ira, & ejus Filiæ.

Quid sit ira, & quale peccatum 252. 18. 19. Filiæ Iræ aliæ sunt ex Corde, ut Indignatio; Tumor mentis. Aliæ sunt ab ore, ut sunt Clamor; Blasphemia; Contumelia, maledictio. Aliæ denique sunt ex opere ut Rixæ, Pugnæ, Seditiones, Vulnera. Ibid. An Ira, aut alia passio auferat voluntarium, aut saltem minuat 225. 2.

Irritatio juramenti. Vide juramenti irritatio.

Irritatio Voti.

Quid sit irritatio, est actus liber, quo is à quo Votum pendet, tollit ipsius Voti obligationem 386. 1. Irritatio ad quæ vota extendatur. Ibid. An irritatio sit actus jurisdictionis, an Dominii 386. 2. Vide Voti obligatio quomodo dissolvi possit.

Irritatio quomodo impediri possit. Vide Lex irritans.

Jubens damnum inferri ad quid teneatur.

Qui jubet ut sua jussione moveat animum alterius ad inferendum damnum proximo tenetur ad resarciendum damnum inde secutum 591. 2. Vide Cooperans ad damnum alienum.

Judæorum communicatio quænam prohibita fidelibus? Vide Communicatio.

Judex.

Authoritas in judice adeo necessaria est ut ipsa deficiente deficiat sententia 668. 3. Quotuplex sit authoritas, seu potestas, & jurisdictio judicantis 668. 5. Judex excommunicatus vitandus graviter peccat usurpatione judicii judicando 669. Requiritur in judice certitudo in cognitione causæ 669. 7. An possit judex secundum allegata, & probata ad mortem, vel mutilationem damnare, quem privata scientia scit esse innocentem 669. 8. An id dicendum de innocente in causis criminalibus mitioribus, & in causis civilibus amissionis bonorum, Officii, Beneficii 669. 9. An judex possit damnare aliquem, quem privata scientia nocentem scit, quamvis ex publico judicio constet esse innocentem 669. 10. Judex supremus de potentia extraordinaria poterit in aliquibus casibus sine citatione, defensione, & processu juridico morti tradere reum 670. An teneatur judex sequi scientiam publicam aliorum, omissa propria privata in collatione Officiorum, dispensationum, & aliis electionibus, quæ arbitrio ipsius relinquuntur 670. 11. Requiritur in judice justitia in ipso actu judicandi, & quid hæc importet 670. 12. Necessaria est in judice scientia, qua sciat suo munere rectè fungi. Ibid. Non solùm obligatur judex ad causas judicandas, verum etiam ad eas celeriter expediendas 670. 11. Judex ut justè judicet, debet servare formam juris. Et quid hæc importet 670. 1. An judex judicare debeat secundum verba legis 670. 2. Judex inferior non potest relaxare pœnam à jure taxatam ordinariè loquendo. Judex verò supremus dispensare poterit justa causa concurrente 671. 3. An sententia injustè lata obliget in conscientia 671. 4. An sententia injusta, quę fundatur in falsa præsumptione facti sicuti non obligat in foro conscientiæ pro rebus privatorum; ita etiam non obliget pro beneficiis Ecclesiasticis, aut publicis officiis 671. 5. Judex non solùm debet servare formam juris in proferendo sententiam, sed etiam in modo procedendi contra crimina 676. 6. Quando juridicè procedit judex via Accusationis 671. 7. Judex non semper procedit via Accusationis strictè acceptæ, sed frequenter per querelam. Ibid. Quando juridicè procedit judex via Denunciationis judicialis 671. 8. Quando juridicè procedit judex via inquisitionis 672. 9. Non requiritur prævia infamia, vel accusator, aut denunciator; si judex procedat via inquisitionis Generalis 672. 10. Potestas judicis via Generalis inquisitionis procedentis non se extendit ad crimina occulta, de quibus nulla infamia præcessit 672. 10. Licitum est, aliquando revelare Crimen occultum sine prævia infamia judici 672. 10. Generalis Inquisitio non est instituta ad manifestandum occultum crimen, aut occultum delinquentem sine prævia infamia 672. 10. Judex ut via specialis inquisitionis procedat juxta formam juris ob pœnam infligendam delinquenti requiritur prævia infamia, aut clamorosa insinuatio 672. 11. An sufficiant indicia manifesta, aut semiplena probatio ad specialem inquisitionem statuendam 672. 13. Judicem procedentem ad inquisitionem specialem ob infamiam teneri prius illam examinare, & probare saltem per duos Testes 673. Quomodo procedere debeat judex juxta formam juris, si via inquisitionis mixtæ procedat 673. 14. An Prælati Regulares specialiter inquirere possint de delictis suorum subditorum absque prævia infamia 673. 15. An Judex interrogare possit reum jam suum crimen confessum, de criminibus sociorum 673. 16. Quid sit licitum judici circa Torturam, & quænam in hac re advertenda sint 673. 17. Quænam semiprobatio plena, & quænam indicia sufficientia sint ad reum legitimè subjiciendum Torturę 674. 18. Quænam munera licitè accipi possint à judice 674. 19. Judex ex jure civili augere, minuere, aut alio modo tollere non potest pœnam per sententiam latam impositam sive ad instantiam partis, sive ex officio; nisi prius Principem consulat. Poterit tamen judex ex jure canonico 690. 15. Judex nequit sententiam proferre ex opinione minus probabili relicta probabiliori 7. 14. Quid facere debeat cum opiniones litigantium sunt æquè probabiles 7. 15. Si Judex in judicando non habeat aliam certam legem, poterit à similis casus decisione sententiam ferre 54. 32. An judex damnare possit ad mortem secundùm allegata, & probata, quem privata scientia scit revera esse innocentem 550. 5. Quando dicitur judex interrogare non servato juris ordine 678. 2.

Judex Ecclesiasticus.

An debeat judex Ecclesiasticus stare processui à Curia sęculari formato in causa immunitatis 510. 7. An debeat judex Ecclesiasticus, seu Episcopus in cognitione hujus causæ servare solemnitates juris 510. 8. An detur appellatio à sententia Episcopi declarantis gaudere, vel non gaudere immunitate Ecclesiastica 510. 9. An judex Ecclesiasticus, antequam extractum à loco immuni consignet, debeat exigere à judice sæculari cautionem non puniendi cum pœna sanguinis 510. 10.

Judex Ecclesiasticus in quibus casibus possit laicos judicare.

In casibus omninò spiritualibus judex Ecclesiasticus judicat laicos 518. 6. Laici hæresim, aut Simoniam committentes, vel suspicionem de illis dantes à solo judice Ecclesiastico condemnari debent 518. 7. Causæ temporales simul, & spirituales laicorum, quæ mixti fori dicuntur, judicari poterunt tam à judice Ecclesiastico, quàm à Laico, dummodo prævenerit 518. 8. Causæ temporales, & profanæ laicorum tunc judicari poterunt à judice Ecclesiastico, quando aliqua qualitas religionis eas affecerit 518. 9.

Judex in dubiis de Privilegio fori quisnam sit?

In dubio juris decisio spectat ad judicem Ecclesiasticum 528. 4. Etiam in dubio facti decisio privativè spectat ad judicem Ecclesiasticum 518. 5.

Judex Laicus.

An teneatur judex Laicus delinquentem remittere ad judicem Ecclesiasticum, si delinquens ex publica fama, & possessione alleget se esse Clericum 518. 3. An possit aliquando judex laicus clericum capere, punire, & incarcerare 520. 8. Vide immunitatis Ecclesiasticæ privilegium quando à Clerico amittatur.

Judicium.

Quid sit judicium 668. 1. Ad judicium strictè acceptum tria requiruntur 668. 2. Usurpatio judicii ex genere suo grave peccatum est 668. 4. Usurpatio judicii est, si quis vi, vel fraude extrahat ab Ecclesia, qui jam confugerit ad illam; ut ad mortem, vel mutilationem eum condemnet 668. 6. Est usurpatio judicii, si judex judicium exerceat, aut sententiam proferat in Ecclesia. Ibid. Graviter peccant usurpatione judicii, ultra sacrilegium, & excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini, judices sæculares de personis Ecclesiasticis, vel de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus judicantes. Ibid. judex excommunicatus vitandus, graviter peccat usurpatione judicii judicando 669.

Judicium temerarium.

Quid sit judicium temerarium 682. 1. Quomodo differat à suspicione & dubio? Ibid. Si judicium oriatur ex justis causis, & sufficientibus indiciis, non erit temerarium 682. 2. Quænam sint justæ causæ, & sufficientia indicia ad non judicandum temerè 682. 3. Judicium temerarium deliberatè, & cum plena advertentia factum de gravi malo proximi ordinariè est grave peccatum, & contra justitiam 682. 4. An sit peccatum grave temerè judicare de aliquibus defectibus naturalibus proximi, ac inculpabilibus 682. 5. An temere judicare de aliquo indeterminatè in re gravi, aut de aliquo determinato, qui nec cognoscitur, nec cognosci potest, sit gra-

sit grave peccatum 683. 6. An ex judicio temerario oriatur restituendi obligatio 683. 7.

Juramentum.

Quid sit juramentum 336. 2. Et explicatur definitio. Ibid. A quo nomen trahat juramentum 336. 1. Cur dicatur invocatio, non verò enunciatio 336. 3. Juramentum per falsos Deos factum non est propriè juramentum 336. 4. Quodnam peccatum committat sic jurans 336. 5. Concionatores adducentes testimonia scripturæ in confirmationem eorum, quæ dicunt non jurant 336. 6. Quando vim juramenti habeant verba illa: coram Deo loquor, Deus scit, Deus videt conscientiam meam 336. 7. An juret, qui interrogatus de aliquo facto, aut dicto respondet, non feciſſe, non dixiſſe in rei veritate, per fidem meam, fide boni viri, Sacerdotis, Religiosi, in mea conscientia 337. 8. An sit juramentum proferre ex ira, per Deum, per Vitam, per Corpus Dei 337. 9. An semper requiratur ad juramentum expressa invocatio Dei, an sufficiat tacita 337. 10. An semper sit verum juramentum, quoties adhibetur verbum juro 337. 11. Utens verbis, quæ falsò putat importare, tenetur ex vi illius 337. 12.

Juramentum quotuplex sit.

Multiplex est juramentum ex parte modi jurandi 338. 1. Juramenta supradicta non differunt specie inter se, nec eorum diversitas aperienda in confessione. Possunt tamen habere malitiam aperiendam in confessione ex aliquo capite 338. 2. An juramentum execratorium falsum ex vi execrationis contineat malitiam specie differentem ab aliis 338. 3. An dicere occidar, non possim vivus pervenire ad domum meam, amputetur mihi manus, pes; sit verum juramentum execratorium 338. 4. Ex parte rei juratæ dividitur juramentum in assertorium, & promissorium: addunt alii comminatorium, & explicantur eorum essentiæ 338. 5. An juramentum assertorium in ratione juramenti differat essentialiter à promissorio 338. 6. An juramentum de re futura faciendâ sine promissione illius, sed cum proposito sit diversum à juramento de re faciendâ cum promissione 339. 7.

Juramentum an licitum sit, & quæ requirantur ut sit tale?

Juramentum non solùm est licitum, sed etiam est actus virtutis 339. 1. Juramentum ut sit licitum, & actus virtutis; debet esse cum justitia, judicio, & veritate 339. 2. Ad omne juramentum honestandum requiritur necessariò veritas, & explicatur quid sit 339. 3. Requiritur etiam ad omne juramentum judicium, & explicatur quid sit 339. 4. Requiritur pariter justitia, & explicatur quid sit 339. 5.

Juramentum promissorium, vel assertorium factum sine veritate, justitia, & judicio, quodnam peccatum sit?

Grave peccatum est defectus veritatis in juramento Assertorio, & promissorio sive res asserta, & promissa gravis sit, sive levis 340. 1. Jurare falsum joci causa est grave peccatum 340. 2. Est quoque grave peccatum rem certam ut dubiam jurare, vel è contra 340. 3. Promittens aliquid cum juramento, sive licitum sit, sive illicitum absque animo exequendi illud graviter peccat 340. 4. In judicio jurans absolutè aliquod, quod accepit à viris fide dignis peccat. Extra judicium verò non peccat 340. 5. Defectus justitiæ in juramento assertorio est gravis, vel levis non ex re asserta, sed ex modo asserendi gravi, vel levi 340. 6. In juramento Promissorio defectus justitiæ est gravis, vel levis ex materia 340. 7. Defectus justitiæ in juramento assertorio, vel promissorio ex se non excedit peccatum veniale, nisi tamen nascatur ex negligentia gravi ad veritatem inquirendam 341. 8.

Juramenti materia quænam sit?

Materia juramenti assertorii non semper est licita, & non peccaminosa. Quamvis materia juramenti promissorii semper debeat esse talis 341. 1. Juramentum promissorium in gratiam Dei factum confunditur cum voto; adeoque ejus materia non solùm debet esse licita, & honesta; sed etiam non impeditiva majoris boni. Secùs verò si fiat in gratiam hominum 341. 2. An materia juramenti possit esse aliquod impossibile 341. 3. An possit esse res indifferens 341. 4. An factum alienum possit esse materia juramenti promissorii 341. 5. Factum alienum aliquando juratur non sub promissione, sed sub enunciatione 342. 6.

Juramentum Amphibologicum, aut fictum in judicio vel extra illud quodnam peccatum sit?

Juramentum Amphibologicum explicatur 342. 1. In judicio, & in contractibus requirentibus firmitatem juramenti grave peccatum est 342. 2. Juramentum Amphibologicum per restrictionem mentalem sive in judicio, sive extra illud, sive cum necessitate, & utilitate, sive sine illis, semper est grave peccatum 342. 3. Juramentum Amphibologicum sine restrictione mentali; sed verbis equivocis efformatum cum necessitate, & honesta causa extra judicium, & contractum, non est peccaminosum 343. 4. An jurans in alio sensu sine restrictione mentali ab eo, quem auditores percipiunt, sed sine justa causa æquivocandi, teneatur ad juramentum 343. 5. An utens orationi amphibologica joci causa illamque juramento confirmans mortaliter peccet 343. 6. Juramentum fictum tripliciter potest esse tale 343. 7. Grave peccatum est jurare in judicio, vel extra illud sine animo jurandi, si falsum sit quod juratur; si tamen verum, grave erit in judicio, veniale extra illud 343. 8. Ex juramento facto sine animo jurandi non oritur obligatio ex vi juramenti ex foro interno; sed oriri potest ex vi scandali 343. 9. Jurare sive in judicio, sive extra illud cum animo jurandi, sed non se obligandi est grave peccatum 343. 10. An ex tali juramento oriatur obligatio 343. 11. Animus se obligandi, nisi expressè excludatur à jurante includitur in animo jurandi 343. 12. Jurare cum animo jurandi, & se obligandi absque intentione adimplendi quod juratum est; sive fiat in judicio, sive extra est grave peccatum 343. 13. An ex juramento sic facto oriatur obligatio 343. 14. Quid dicendum de juramentis factis à Parentibus minantibus filios; & juramentis factis urbanitatis gratia 344. 15.

Juramentum an possit exigi ab eo, qui periuraturus existimatur, aut juraturus per falsos Deos?

Licitè exigi potest juramentum ab eo, qui perjuraturus censetur, aut juraturus per falsos Deos justa, & honesta causa interveniente 344. 2. Inferuntur quatuor ex dictis; & assignatur regula generalis ad licitam petitionem talis juramenti 344. 3. An exigi possit à determinato ad jurandum falsum, aut jurandum per falsos Deos 344. 4. Nulla existente justa, & honesta causa grave peccatum erit tale juramentum exigere 345. 5. An exigi possit juramentum promissorium ab eo, qui censetur violaturus 345. 6.

Juramentum factum dolo, vel errore an inducat obligationem?

Juramentum ex Dolo, vel errore circa substantiam rei promissæ non inducit obligationem 345. 2. Extenditur ad Dolum, vel errorem concomitantem 345. 3. Dolus, & error versari possunt circa substantiam, vel circa qualitatem, insuper circa causam finalem, & motivam, vel circà impulsivam 345. 1. Juramentum ex Dolo, vel errore circà qualitatem rei inducit obligationem 345. 4. Juramentum ex Dolo, vel errore circà causam finalem, & motivam non inducit obligationem 345. 5. Inducit tamen ex Dolo, vel errore circa causam impulsivam 345. 6.

Juramentum per injuriam exactum, vel metu extortum an inducat obligationem?

Jurans solvere Usuras, aut stare contractui, in quo læsio habetur ultra medietatem justi pretii, tenetur ad juramentum servandum, nisi fuerit relaxatum 346. 2. Relaxato juramento possunt statim repeti Usuræ solutæ, nisi aliud juramentum præstitum fuerit de eis non repetendis, quod etiam relaxari debet 346. 3. An non obstante juramento de non repetendis usuris poterit denunciari Prælato Usurarius 346. 4. Juramentum metu non solùm levi sed etiam gravi extortum validum est jure naturali 346. 5. Si versetur circa rem licitam, & absque dispendio æternæ salutis. Obligatorium est jure Ecclesiastico, & naturali 346. 6. Adnotantur alia circa obligationem hujus juramenti 346. 7. Quamvis jus Civile asserat, juramentum metu gravi extortum non inducere obligationem; videtur tamen correctum à Canonico 346. 8. Obligatio juramenti metu extorti est ne sub gravi, an sub levi 347. 9. An ex metu gravi jurans teneatur rem juratam adimplere, si postea dubius sit de animo se obligandi quando juravit 347. 10. An jurans reditum ad carcerem teneatur juramentum servare 347. 11. Si inscius erat, dum juravit, tanti periculi, quod postea agnoscit in reditu; non tenetur redire 347. 12. An possit hoc juramentum ab Episcopo relaxari 347. 13. Relaxatio juramenti injustè exacti nequit fieri si grave scandalum contra Religionem catholicam sequatur 347. 14.

Juramenta, quorum materia dubia est, an sint licita, & inducant obligationem?

An juramentum non ludendi sit licitum, & obligans 348. 1. An juramentum non mutuandi, aut fidejubendi inducat obligationem 348. 2. An juramentum non emendi ca-

di cariori pretio, aut non vendendi minori pretio obliget 348. 3. An obliget juramentum non accusandi, aut denunciandi delinquentes 348. 4. An juramentum accusandi, vel denunciandi aliorum crimina obliget 348. 5. Quomodo obliget juramentum præstitum à medicis monendi infirmos, ut confiteantur 349. 6. An juramentum factum contra Promissionem, Votum, aut aliud juramentum obliget 349. 7. An valeant gesta, & actus qui fiunt contra obligationem juramenti præstiti 349. 8.

Juramentum factum circa materiam per Legem prohibitam an possit obligare?

Juramentum factum circa materiam lege naturali, Divina, aut Canonica prohibitam nequit obligare 349. 1. Juramentum factum circa materiam lege Civili prohibitam spectantem ad bonum commune, aut in præjudicium tertii obligare non potest 349. 2. Non obligat juramentum factum contra legem civilem immediatè disponentem de bonis, & actionibus civium, si lex obliget ad culpam 330. 3. Quando nam lex civilis disponens de bonis, & actionibus civium obliget ad culpam 350. 4. Juramentum factum contra legem civilem, quæ immediatè respiciat bonum privatum; inducit obligationem; secùs verò si respiciat bonum commune 350. 5. Juramentum factum contra solos bonos mores civiles respicientes bonum privatum obligat. Secùs verò contra respicientes bonum commune, aut contra bonos mores naturales 350. 6.

Juramentum an confirmare possit contractum alioqui invalidum?

Aliud est juramentum firmare contractum invalidum, aliud inducere obligationem, ut servetur 350. 1. Contractus dupliciter potest esse irritus jure positivo 350. 2. Juramentum non firmat contractum invalidum propter bonum commune 350. 3. Firmat tamen contractum invalidum propter bonum privatum, modo juramentum servari possit sine peccato 350. 4. Ut juramentum firmet contractum debet esse Promissorium, & de futuro 350. 5. An juramentum firmet contractum factum, si aliud juramentum contrarium præcesserit 351. 6. An juramentum firmans contractum fieri debeat in ipso contractu 351. 7. Quos effectus præstet juramentum contractui, quem firmat 351. 8.

Juramentum quomodo explicari possit.

Si constet de intentionis jurantis explicari non debet. Si non constet, explicandum secundum proprietatem verborum strictè 351. 1. Restringendum juramentum juxta naturam actus super quem cadit 352. 3. Jurans dare equum Titio promittenti dare vestem juranti; si Titius promissionem non servet, non tenebitur jurans dare equum 352. 4. Promittens cum juramento nuptias Bertæ sanæ, diviti, Virgini, & bonæ famæ non tenetur ad juramentum, si post promissionem incidat in infirmitatem, paupertatem, fornicationem, ob quam diffamatur 352. 5. Jurans se soluturum centum Titio non tenetur ad solutionem, si jus habeat compensandi 352. 6. Jurans obedirè Petro Superiori non adstringitur hac obligatione, si Petrus à suo Officio Superioris removeatur 352. 7. Jurans parere mandatis Ecclesiæ, vel stare sententiæ judicis poterit appellare, si se gratuitum sentiat 352. 8. Jurans se non illaturum damnum inimico non peccat contra juramentum, si ex nova causa superveniente noceat 352. 9. Jurans servare statuta alicujus Academiæ, vel Reipublicæ non tenetur servare ea, quæ minima sunt, nec in usu 352. 10. Jurans se dicturum omnia judici non tenetur ad occulta revelanda 352. 11. Jurans urbanitatis gratia non præcedere in loco, non tenetur juramentum servare 352. 12. Juramentum tunc obligat, quando res permanet in eodem statu, non verò quando res est notabiliter mutata ab intentione jurantis 352. 13. Quomodo dignoscenda hæc notabilis mutatio 352. 14. Jurans residere in Ecclesia potest se absentare pro utilitate, & necessitate Ecclesiæ non obstante juramento 352. 15. Jurans non alienare bona Ecclesiastica sine Pontificis, vel Superioris facultate, potest urgente necessitate ea alienare, si Superior, vel Pontifex adiri non possint 352. 15. Jurans non petere beneficium à se renunciatum, potest illud acceptare, si denuò ipsi conferatur 352. 16. Quando juramentum censetur factum in præjudicium tertii semper restringendum 352. 16. Quomodo interpretandum juramentum dubium 353. 17.

Jurandi consuetudo, an inducat gravem culpam.

Consuetudo jurandi ex se non est grave peccatum; & duplex esse potest 353. 1. Consuetus jurare absque advertentia, an verum, vel falsum sit, quod jurat, graviter peccat, si eam consuetudinem non extirpet 353. 2. Consuetus jurare cum advertentia ad veritatem, itaut verum sit, quod juret; non tenetur sub gravi eam consuetudinem evellere 353. 3. Quid dicendum si cum consuetudine jurandi verum, simul consuetudo habeatur mentiendi, quamvis sine juramento 353. 4. An differenda absolutio habenti consuetudinem pejerandi 353. 5. Quomodo juvandus, qui prava consuetudine pejerandi laborat 353. 6.

Juramenta à quibus fieri possint?

Extra judicium omnes Personæ rationis compotes jurare possunt exceptis atheis 354. 1. In judicio jurare nequeunt pueri ante decimum quartum annum, & puellæ ante duodecimum in causis civilibus. In Criminalibus nequit admitti minor viginti annis 354. 2. An isti admitti possint ante ætatem, si sponte se offerant 354. 3. Excluduntur à jurando mulieres in judicio pro causis Criminalibus, non verò pro Civilibus 354. 4. Excluduntur perjuri in judicio ut tales convicti, & condemnati 354. 5. Quonam modo excludantur Sacerdotes, & Prælati à jurando 354. 6. excluduntur à juramento judiciali infames infamia juris, vel facti, Socius criminis, & inimicus ejus contra quem juramentum ferri debet, persona vilis, Saraceni, & Judæi 354. 7. Quando excluduntur Laici à testificando contra Clericos, & qui non possunt esse Sacerdotes à testificando contra Sacerdotes; & consanguinei, & affines contra consanguineos, & affines 355. 8. An qui jurat in judicio debeat esse ie unus, & quando prohibetur jurare 355. 9. An juramentum præstari possit per Procuratorem; Et quænam requirantur ad hoc 355. 10.

Juramenti Irritatio, Relaxatio, & Commutatio.

Differt Irritatio à Relaxatione, & Commutatione juramenti 355. 1. Irritatio, Relaxatio, & Commutatio versantur circa obligationem inductam, non verò inducendam, quamvis hæc possit aliis modis impediri 355. 2. An lex civilis impedire possit obligationem juramenti antequam præstetur 356. 3. Obligatio juramenti jam inducta tolli potest per irritationem factam à Superiore, cui subjecta est materia juramenti 356. 4. Quinam Superiores irritare possint juramenta facta in Dei honorem 356. 5. Quinam Superiores irritare possint juramenta in favorem hominum facta 356. 6. Episcopus in sua Diœcesi irritare potest juramenta facta à beneficiariis ipso non consulto in materia suæ dispositioni subjecta 356. 7. Prælatus regularis irritare potest juramenta à suis Religiosis subditis facta 356. 8. Maritus irritare potest juramenta ab uxore facta in favorem tertii, si materia sit suæ dispositioni subjecta 356. 9. Dominus juramenta servi irritare potest in præjudicium Domini vergentia 356. 10. Parentes, & Tutores irritare possunt juramenta pupillorum, & impuberum, quibus firmant contractus de rebus suis 356. 11. An Superior consentiens in juramento subditorum, & Pater filiorum possint postea ea irritare 356. 12. Tolli potest obligatio inducta juramenti per Relaxationem, seu dispensationem 356. 13. Assignatur duplex causa legitima relaxandi juramentum 357. 14. Extorsio juramenti per injustitiam, vim, & metum gravem per dolum incidentem in contractum, & per læsionem injustam in contractu, dat causam relaxationis 357. 15. A quonam petenda relaxatio juramenti legitima causa interveniente 357. 16. An sit sufficiens ad relaxationem causa dubia 357. 17. Obligatio juramenti tolli potest per commutationem 357. 18. Quinam habeant facultatem commutandi juramenta 357. 19. An ipsemet jurans propria auctoritate possit sibi commutare juramentum 358. 20.

Jurisdictio.

Jurisdictio concessa à Delegante Personæ delegatæ, si res sit integra, expirat morte concedentis. Secus verò si res integra non sit 102. 11. Jurisdictio subdelegata à Delegato, si res sit integra, morte Delegati cessat in utroque 102. 14.

Jus.

Jus multipliciter accipitur, nimis largè, minùs largè, strictè, & strictissimè 191. 1. In quanã ex prędictis acceptionibus,

nibus consistit jus prout est objectum justitiæ 191. 2. Jus strictissimè acceptum est objectum formale quod justitiæ particularis 191. 3. Æqualitas alia est rerum, alia proportionum 191. 4. Jus prout est objectum justitiæ, dividitur passim in jus ad rem, & jus in re 192. 5. Jus prout importat Legem, seu Regulam justi dividitur in Naturale, & Positivum; & hoc in divinum, & humanum 192. 6. Jus prout importat legitimam potestatem ad rem aliquam faciendam, obtinendam, vel exercendam, dividitur in Naturale, & Positivum 192. 7. Jus gentium quid sit 18. 10. Jure gentium facta fuit divisio rerum, licèt propriè non fuerit facta jure naturæ, aut Divino 200. 2.

Juris Realis Species.

Actio Realis, ex qua jus dictum est Reale multiplex esse potest, & multiplicem speciem constituere 192. 1. 1. Species juris Realis est Dominium: & quid hoc sit 192. 2. Dominium genericè acceptum dividitur in Dominium jurisdictionis, & proprietatis. Et hoc ut perfectum sit debet continere Dominium directum, & utile 192. 3. Definitur Dominium plenum, & perfectum includens utrumque dominium 193. 4. Ad acquirendum dominium requiritur titulus, & traditio 193. 5. 2. Species juris Realis est ususfructus. Et quid sit 193. 6. 3. Species est usus nudus rei. Et quid sit 193. 7. An usus distinguatur à Dominio in rebus, quæ ipso usu consumuntur 193. 8. 4. Species est habitatio. Et quid ea sit 194. 9. 5. Species est superficies. Et quid sit? Ibid. 6. Species est servitus. Et quid sit 194. 10.

Jus patronatus, & alia officia Ecclesiastica an vendi possint absque Simonia?

Venditio juris Patronatus Simoniaca est jure Humano, & Divino 326. 1. Præsentans imponens onus præsentato, ad quod non tenetur; Simoniam committit 326. 2. Quomodo jus patronatus in alios transferri possit 326. 3. An jus Patronatus personale transferatur venditis bonis personæ 326. 4. An ultra modos dictos vendi, aut emi, vel transferri possit jus Patronatus sine Simonia 326. 5. An venditio Officiorum temporalium Ecclesiæ sit Simoniaca 326. 6.

Justitia.

Quid sit justitia 188. 2. Quotuplex sit 584. 3. Quænam sit acceptio justitiæ prout constituit virtutem Cardinalem 188. 1. Justitia est virtus specialis 188. 3. An justitia intercedens inter patrem, & filium; Dominum & servum; maritum & uxorem sit justitia simpliciter dicta 188. 4. Primariò & per se versatur justitia circa actiones; Secundariò circa res, & passiones 189. 5.

Justitia Generalis, seu Legalis.

Quid sit justitia Generalis 189. 2. Quodnam ejus munus; & an distincta à reliquis virtutibus, quarum complexionem requirit? Ibid. Datur justitia Generalis, seu Legalis 189. 1. Justitia Legalis diversimodè obligat subditos, ac Superiorem 190. 6.

Justitiæ Divisio.

Justitia simpliciter dicta, & particularis dividitur in Commutativam, & Distributivam 190. 1. Approbatur ferè ab omnibus supradicta divisio 190. 2. Non datur alia species justitiæ, quæ dicatur vindicativa 190. 3. An justitia distributiva distinguatur à commutativa 190. 4. Aliquando justitia distributiva in commutativa includitur 191. 5.

Justitiæ virtutes annexæ, & vitia eis oppositæ.

Enumerantur virtutes annexæ justitiæ quarum aliquæ inducunt obligationem legalem, & strictam; aliquæ verò moralem 209. 1. 1. Virtus annexa justitiæ inducens obligationem strictam est Religio. Et quid ea sit 209. 2. 2. Est pietas quæ plures habet acceptiones 209. 3. 3. Est observantia, quæ plures habet gradus 209. 4. 4. Est obedientia, cujus radices assignantur 210. 5. 1. Radix ex virtutibus inducentibus obligationem moralem est gratitudo 210. 6. Vitium gratitudini oppositum est Ingratitudo, & explicatur quid sit 210. 7. 2. Est vindicatio, seu ultio injuriæ, quæ authoritate publica fit 210. 8. 3. Est veritas, cujus quinque functiones explicantur 211. 9. 4. Est affabilitas, seu comitas 211. 10. explicantur duo vitia affabilitati opposita, unum per excessum, & dicitur adulatio; alterum per defectum, & dicitur morositas, seu litigium 211. 11. 5. Est liberalitas cui opponitur per excessum prodigalitas, per defectum avaritia 211. 12. 6. Est Epykeja; & explicatur quid sit 211. 13.

L

Laici.

Laici hæresim, aut Simoniam committentes, vel suspicionem de illis dantes à solo judice ecclesiastico condemnari debent 518. 7.

Latriæ adoratio, Vide adoratio Latriæ.

Laus.

Quid sit Laus, & in quonam consistat 265. 4.

Legatarius.

An Legatarius obligetur ad vota Realia legantis, sibiè impotens factus sit 380. 12. Vide voti obligatio an transeat ad hæredes. Vide Legatum.

Legatum.

Quid sit legatum strictè acceptum 665. 14. An legatum revocari possit 665. 13. An legata in testamento facto sine solemnitatibus à jure civili requisitis contenta solvi debeant 663. 7. Quinam legata facere possint. Quæ res legari? Et quibus personis 665. 15. Quomodo legata incerta executioni mandari possint 665. 16. An hæres possit sibi aliquid retinere, si hæreditas non sit sufficiens ad satisfaciendum legatis relictis 665. 17. An Religiosus cui commissa est testamenti, & legatorum executio, possit legatum pium suo monasterio applicare 666. 18. An legata ad certas pias causas relicta possint in alium pium usum commutari 666. 19. Legata relicta sub aliqua conditione, hac non servata percipi nequeunt 44. 7.

Legislator.

Legislator, ejus successor æqualis in jurisdictione, & à fortiori ejus superior dispensare possunt in legibus humanis ecclesiasticis, vel civilibus 66. 1. Legislator, aut alius habens authoritatem illius, si dispenset in lege humana sine justa causa, valida erit dispensatio, sed illicita 71. 2. Legislatores aliquando videntur sine justa causa dispensare, sed eam habent 72. 4. Legislator an possit validè, & licitè secum ipso dispensare sine justa causa 72. 6. Legislatores primarii possunt privilegia concedere, etiam derogantia juri communi 92. 4. Si legislator audita appellatione taceat censendus erit annuere 29. 24. Legislator non tenetur legibus à se latis ex obligatione coactiva, sed tantùm directiva, quæ quidem obligat sub levi 30. 5. Legislator, qui non ex se solo, sed simul cum populo legem condit tenetur ad observantiam legis latæ non solùm quoad vim directivam sed etiam coactivam 31. Legislator, sive sit summus Pontifex, sive Imperator, aut Rex, vel alius supremus Princeps, non tenetur ad statuta particularia provinciarum sibi subditarum, & ad leges municipales oppidorum, etiamsi ibi commoretur. Ibid. Legislator dum aliquid præcipit, præcipit etiam media necessaria ad executionem illius 42. 1.

Lex.

Lex definitur 15. 3. Variæ ethymologiæ legis 15. 1. Varia ejus nomina, & appellationes. Ibid. 2. Ejus explicatio 15. 3. Tres conditiones requisitæ ad legem obligantem 16. 4. Aliæ conditiones, quæ afferuntur, vel continentur in dictis, vel non sunt necessariæ 16. 5. Differentia legis à Præcepto, Consilio, & Petitione 16. 6. Lex injusta, & omninò inutilis bono communi non obligat 16. 7. Servanda est lex à Tyranno lata, si pacificè regnum possideat, & toleretur à Republica 16. 8. An lex extendi possit ad præterita 54. 33. Si lex lata nimis dura sit, & gravis, vel consuetudini contraria poterunt à culpa excusari inobservantes 29. 22. Quomodo Lex abrogare possit consuetudinem 62. 24. Vide consuetudo lex absolutè non cessat respectu totius communitatis; quando cessat pro causa particulari, & particulari persona 55. 7.

Legum Divisio.

Lex alia est Divina, alia naturalis, alia Humana 16. 1. quid sit lex Divina. Ibid. Quid sit lex naturalis 16. 2. An dictamen, & lumen naturale dici debeat lex 17. 3. An lex naturalis semper obliget 17. 4. Quid sit lex humana 17. 5. Quid lex humana Ecclesiastica. Et quid civilis 17. 6. Lex alia præceptiva, alia pœnalis, alia irritans contractum; alia prohibens illum 17. 7. Alia affirmativa, alia negativa 17. 8. Alia favorabilis, odiosa alia 17. 9. Quid lex, seu jus gentium 18. 10.

Lex Civilis.

Lex civilis quid sit 17. 6. Nullus homo in particulari habet à natura potestatem condendi leges Civiles, sed potestas est in communitate, quæ eam concedit particulari 18. 1. Particularis accipit immediatè à natura 18. 2. Immediatè accipere à Republica non facit, quin immediatè accipiat à Deo 18. 3. Pontifex pro terris suæ ditioni temporali subjectis condere potest leges Civiles, non verò

verò pro aliis 18. 4. Imperator non potest civiles leges condere pro toto orbe terrarum, sed pro Regnis suæ ditioni subjectis 19. 5. Non potest populus revocare ab Imperatore facultatem condendi leges 19. 6. An teneantur Regna, & Provinciæ extra ditionem Imperialem sequi leges Cæsareas, si propriis careant 19. 7. Reges, & alii Supremi Principes possunt leges civiles condere pro suis Regnis, & Provinciis 20. 8. Possunt quoque leges civiles condere perfectæ Reipublicæ 20. 9. Quid dicendum de Regina 20. 10. Principes subditi, Communitates, & Civitates pariter subditæ, non nisi à Supremo Principe, vel consuetudine habent facultatem condendi leges 20. 11. An ratione Dominii habeatur facultas condendi leges 20. 12. Leges Civiles ut obligent non requirunt necessario acceptationem populi 28. 18. An detur lex civilis pœnalis imponens pœnas delictis ante quamcumque judicis sententiam obligans in conscientia 43. 4. Lex civilis disponens de bonis, & actibus civium quamdonam obliget ad culpam 350. 4. An lex civilis impedire possit obligationem juramenti antequam præstetur 356. 3. Leges civiles quando directè impositæ sunt Clericis, eximuntur Clerici ab obligatione eas servandi: secùs verò si directè impositæ sint communitati, nec repugnent statui Ecclesiastico 521. 9. Leges civiles repugnantes immunitati Ecclesiasticæ quæ sint? Vide Immunitati Ecclesiasticæ Leges civiles, & statuta repugnantia. Leges civiles de facto nec præcipiunt, nec prohibent actus merè internos 25. 9. Quomodo dignoscendum, quòd leges civiles non repugnent immunitati Ecclesiasticæ 522. 10.

Lex Canonica.

Lex canonica Romæ promulgata sine temporis determinatione statim obligat 28 15. An requiratur acceptatio populi ut leges canonicæ, vel civiles obligent 28. 16. Leges canonicæ ut obligent, non expectant consensum, aut acceptationem fidelium 28. 17. Leges canonicæ nec præcipiunt, nec prohibent de facto actus merè internos 25. 6.

Lex Ecclesiastica quid sit, & qui possit eam condere.

Lex Ecclesiastica quid sit 17. 6. Pontifex immediatè habet à Christo Domino facultatem condendi leges ecclesiasticas 21. 1. Potestas ista in Pontifice est absoluta independens à Conciliis, & Cardinalibus 21. 2. Concilium universale juxta facultatem à Pontifice acceptam potest leges ecclesiasticas condere; quę ut obligent à Pontifice confirmari debent 21. 3. Concilia nationalia, provincialia, & synodalia possunt condere leges obligantes suas nationes, provincias, & Diœceses; extra illas obligare nequeunt nisi fuerint pro tota ecclesia à Pontifice approbatę 22. 4. Cardinales in ecclesiis suorum titulorum condere possunt leges obligantes suum Territorium; non sic verò sacrum Collegium pro toto orbe 22. 5. Legati summi Pontificis condere possunt leges pro provincia sibi commissa, quæ durant, donec ab habente facultatem revocentur 22. 6. Episcopi pro suis Diœcesibus facultatem habent condendi leges Ecclesiasticas 22. 7. A quonam Episcopi immediatè accipiant facultatem legislativam 22. 8. An Episcopi statim ac electi, & confirmati sunt, habeant facultatem legislativam 23. 11. An Episcopi indigeant consensu Cleri, vel Capituli in ferendis legibus 23. 12. Primates, & Archiepiscopi ferre possunt leges pro suis Diœcesibus; pro natione verò, & Provincia extra Concilium eas ferre nequeunt 23. 13. Abbates exempti jurisdictionem quasi Episcopalem habentes leges condere possunt pro suis Territoriis in materia non reservata 23. 14. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sede Vacante leges ferre potest pro Diœcesi, non verò vivente Episcopo, nisi pro bono regimine Capituli 23. 15. Quid dicendum de Capitulis Collegiatarum, & similium 23. 17. Communitates Regulares, in quibus extat potestas dominativa, & potestas jurisdictionis à Pontifice concessa, possunt leges condere 24. 18. Quid de Abbatissis, & aliis præfectis Monialium 24. 19. An Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores habuerint facultatem condendi leges Ecclesiasticas 24. 20. An potestas condendi leges delegabilis sit, & quibus 24. 21. Lex ecclesiastica sive tradita sit per modum statuti sive Decretalis, aut extravagantis, si usu recepta non sit, aut desuetudine non acceptata non obligat 29. 20. An detur lex Ecclesiastica imponens pœnas delictis ante quamcumque judicis sententiam obligans in conscientia 43. 4.

Legum materia.

Materia Legum tam præcipientium, quàm prohibentium sunt actiones humanæ 25. 1. Omnis materia legum debet esse honesta, & virtuti conformis; adeoque nequit præcipere lex, nisi quod bonum est, nec prohibere, nisi malum 25. 2. Notatur discrimen legum canonicarum, & Civilium in respicienda honestate 25. 6. Quando utantur legibus civilibus judices ecclesiastici 25. 7. An actus interni possint esse materia legum 25. 8. Leges Canonicę, aut Civiles de facto nec præcipiunt, nec prohibent actus merè internos 25. 9. Possunt tamen præcipere, aut prohibere actus internos necessariò conjunctos cum externis 25. 10. Nequeunt leges Canonicæ, & Civiles præcipere, aut prohibere actus internos non necessariò connexos cum externis, sed per accidens 25. 12.

Legibus tam Civilibus, quàm Ecclesiasticis qui subjecti?

Homo rationis compos, ac subditus, est legi subjectus 30. 1. Infideles, & Catechumeni nullis legibus Ecclesiasticis tenentur 30. 2. Dormientes, Ebrii, Amentes, & Ignorantes invincibiliter legem excusantur à Transgressione legis 30. 3. Pueri ante usum rationis non tenentur legibus, secùs tamen eo adepto, nisi fuerint exempti à benignitate Legislatoris 30. 4. Legislator non tenetur legibus à se latis ex obligatione coactiva, sed tantùm directiva, quæ quidem obligat sub levi 30. 5. An Uxor Legislatoris teneatur legibus à suo Viro latis 31. 6. An Peregrini, & Forenses teneantur legibus patriis, dum alibi breviter commorantur, ubi non vigent 32. 8. An existentes in loco exempto, quamvis intra Diœcesim, subjaceant legibus Diœcesis 33. 9. Quomodo vagi teneantur legibus, & consuetudinibus locorum ubi sunt 33. 10. Quomodo obligentur Clerici, & Religiosi legibus civilibus 30. 11. Ut obligantur Clerici ad observationem legum civilium statui Clericali non repugnantium; sic obligantur Religiosi, si statui Religioso non repugnent 34. 12.

Lex humana tam Civilis, quam Ecclesiastica an obligare possit sub mortali?

Tam lex civilis, quam ecclesiastica habet vim obligandi in conscientia, & sub peccato 34. 1. Omnes, & singulæ leges vim habent obligandi in conscientia 34. 2. Leges institutæ sine animo obligandi ad culpam, vel pœnam in rigore nec leges, nec Præcepta sunt 35. 3. Idem dicendum de legibus, quæ propriè non sunt præceptivę, aut pœnales; sed vel sunt Conventionales, vel Conditionales, aut Morales 35. 4. Quomodo dignoscendum, quando lex Civilis, aut Ecclesiastica obligat sub gravi 35. 5. Recensentur Capita ex quibus id dignosci possit 35. 6. & seq. An lex injusta obligare possit in conscientia 36. 14. An Leges à Tyranno latæ obligent in Conscientia 36. 15. Lex injusta ex parte subditorum nullatenus obligare potest in conscientia 37. 16. Non cessat obligatio legis fundata in præsumptione periculi delicti, si periculum cesset pro aliquo casu particulari; non verò absolutè 37. 17. Si ex rationabili causa in impositione tributorum Lex inæqualiter afficiat subditos, non ideo censenda erit injusta 37. 18. An lex humana obliget cum periculo cujuscumque gravis nocumenti 37. 19. An lex humana obliget, quando periculum vitæ non est annexum rei præceptæ à Lege; sed vel à natura, vel ab extrinseco incursum 37. 20. Traditur alia regula dignoscendi prædictam obligationem 37. 21.

Lex humana irritare potest actus subditorum contra præscriptum legis factos 47. 1. An actus irritus à lege humana obligationem naturalem in conscientia inducat 48. 11. Quando lex humana obliget cum periculo vitæ quomodo dignoscendum 227. 11.

Lex humana quonam pacto interpretanda sit?

Lex humana non clarè loquens licitè interpretari potest 50. 1. Proprietas verborum legis alia naturalis, alia Civilis, & Interpretatio alia Authentica, alia Doctrinalis 50. 2. Authentica interpretatio spectat ad Legislatorem, vel ejus successorem, aut superiorem 50. 3. Quid demandatum sit Sacræ Congregationi Concilii Tridentini ad illud interpretandum 50. 4. Quam cum habeant declarationes hujus Sacræ Congregationis 50. 5. An ante publicationem, quamvis de illis constet, habeant vim legis 50. 6. Doctrinaliter interpretari legem humanam licitum erit cuicumque juxta regulas explicandas 51. 8. An licita sit Epykeja contra verba legis generaliter loquentis 51. 9. Quid faciendum, quando causa excusans non attingit probabilitatem, & interpretans hæret dubius, an Legislator incluserit casum illum 51. 10. An quando lex prohibet interpretationem, prohibeat etiam interpretationem Doctrinalem 51. 11. Quomodo concessum judicibus inferioribus interpretari legem sui Superioris 51. 12. Prima Regula interpretandi legem est: Si mens Superioris ex circumstantiis constet, ei stan-

standum erit, etiamsi verba legis possint aliud significare 51. 13. Secunda Regula, ut interpretatione servetur verborum proprietas 51. 14. Tertia Regula: ut in Odiosis fiat interpretatio secundum proprietatē naturalem verborum, & mitiorem sensum 52. 15. Quarta Regula: ut in favorabilibus fiat lato modo non solùm juxta proprietatem naturalem, sed etiam civilem verborum 52. 16. Quinta Regula est: si lex ex parte sit favorabilis & ex parte odiosa, & pœnalis 52. 17. Sexta Regula ut in dubiis de valore actus interpretatio fiat pro valore illius: in dubiis de materia pœnali fiat secundum mitiorem partem 52. 18. Septima Regula, ut si lex duplicem sensum habeat in suis verbis fiat secundum proprium, non verò improprium 52. 19. Octava Regula quid faciendum sit cum lex habeat plures sensus proprios 52. 20. Nona Regula, ut lex nova semper interpretetur secundum antiquam 52. 21. Ultima Regula, ut in interpretandis legibus humanis quantum fieri potest servetur mens, & sensus à Legislatore intenti 52. 22. Quænam observanda ad dignoscendum in dubiis mentem Legislatoris 52. 23. Quomodo facienda explicatio alicujus particularis constitutionis disponentis aliquod etiam in jure communi contentum 53. 24. An ob paritatem rationis extendi possit lex ex uno casu ad alium 53. 25. Non datur extensio ex uno casu ad alium in Legibus pœnalibus, & irritantibus 53. 26. Nec datur in legibus correctoriis 53. 27. Nec in legibus exorbitantibus 53. 28. Nec denique in legibus favorabilibus 29. 53. Quomodo admittatur extensio in correlativis, Æquiparatis, Connexis, mensurante, & mensurato. 53. 30. Si casus, vel persona apposita fuerit à Legislatore in lege ad explicandum in particulari, quòd lex generaliter disponit, non limitatur lex ad illum casum tantum, vel personam 54. 31. Si judex in judicando non habeat aliam certam legem; poterit à similis casus decisione sententiam ferre 54. 32. An lex extendi possit ad præterita 54. 33. Quomodo explicandæ in interpretatione legis particulæ illæ, &, vel, aut, seu, sive, ve 54. 34.

Legi, aut Præcepto, qua intentione sit satisfaciendum?

Intendens satisfacere legi, aut Præcepto duplicem intentionem habere potest 38. 1. Ad legem adimplendam, vel Præceptum, requiritur intentio faciendi id, quod ab ipsis imponitur 38. 2. Valet hæc doctrina pro satisfactione Præceptorum positivorum, non verò Negativorum 38. 3. An metus & coactio, quibus opus impositum sit, auferant satisfactionem legis aut Præcepti 38. 4. Non requiritur intentio ponendi, opus impositum ut legi, vel Præcepto satisfiat 39. 5. Audiens missam præcepto satisfacit, etiamsi immemor sit præcepti, aut ignoret esse diem festum 39. 6. An faciens opus præceptum cum animo non satisfaciendi præcepto, cujus nec immemor, nec inscius est, possit per illud opus satisfacere præcepto 39. 8. Extenditur responsio ad Votum, Juramentum, & Pœnitentiam Sacramentalem 40. 9. Assignantur aliqua præcepta positiva, specialem intentionem requirentia 40. 10. An requiratur ad satisfaciendum præcepto, ut qui opus præceptum posuit sine animo satisfaciendi præcepto, illud applicet in satisfactionem, & animum mutet 4. 11.

Legi, aut Præcepto quibus actibus satisfieri possit?

An possit satisfieri per actum peccaminosum ex fine, aut alia circumstantia extrinseca 40. 1. An unico actu satisfieri possit pluribus Præceptis 40. 2. Quando requiritur alius actus distinctus ob aliam supervenientem obligationem 41. 3. Non satisfit Pœnitentiæ impositę à confessario per opus debitum ex alio Præcepto 41. 4. Nec satisfit obligationi dandi eleemosynam ex voto, aut pœnitentia per restitutionem incertorum Pauperibus factam 41. 5. Si opus faciendum sit multiplex ex multiplici obligatione, cui obligationi satisfit, si unicè tantum fiat 41. 6. An possit satisfieri pluribus obligationibus per plures actus eodem tempore factos 41. 7.

Lex, ut adimpleatur, quæ obligatio habetur apponendi media, vel tollendi impedimenta, quæ observantiam legis, aut præcepti impediunt?

Dum Legislator, aut Superior aliquid præcipit, præcipit etiam media necessaria ad executionem illius 42. 1. Præcepta naturalia per se obligationem imponunt apponendi media necessaria ad ipsorum executionem 42. 2. Præcepta positiva cum pendeant à voluntate Legislatoris non semper absolutè imperant opus, sed sub conditione, si subditus liber sit, & expeditus 42. 3. Quænam regula certa tradi possit ad dignoscendam obligationem apponendi media, & removendi impedimenta ob executionem rei præceptæ 42. 4. Graviter peccat projiciens in mare Breviarium ut non recitet; aut illud scienter non asferens ubi putabat non reperiri; sanus nolens surgere à lectulo ut missam audiat; aut occupans se ludo; vel voluntariè se inebrians, ne missam audiat 42. 5. Quandonam urgeat obligatio removendi impedimenta, quæ obstant rei præceptæ 42. 6. Adnotantur aliqua impedimenta, quæ ex consuetudine apponi possunt sine culpa, & eximunt ab obligatione, & aliqua, quæ non eximunt 42. 7.

Lex Pœnalis.

Lex pœnalis dicitur, quæ aliquid faciendum, vel omittendum statuit adjecta transgressoribus pœna 43. 1. Quotuplex sit pœna. Ibid. An Lex pœnalis possit in conscientia obligare transgressores ad pœnam ante sententiam Judicis saltem declaratoriam criminis 43. 2. An dentur Leges pœnales Ecclesiasticæ, vel Civiles imponentes pœnas delictis ante quamcumque Judicis Sententiam 43. 5. Pœna conditionalis, seu imposita à Lege sub conditione, conditionatè obligat 44. 6. Legata relicta sub aliqua conditione, hac non servata percipi nequeunt 44. 7. Gestatio habitus ut Clerici minores non beneficiati fruantur privilegio fori, non est pœna, sed conditio ad fruitionem privilegii: idem dicendum de Clericis conjugatis, & de filiis, ut sint legitimi 44. 8. An sit pœna, an verò conditio statutum collegiorum contra collegiales aliquod delictum committentes, ut privilegiis priventur, & teneantur Collegio restituere quidquid accepere 44. 9. Quomodo explicandum effatum illud: nullam pœnam reo imponi absque judicis sententia præter Censuras Ecclesiasticas, & irregularitatem 44. 10. An intelligendum de pœnis privativis privantibus jure quæsito 44. 11. An intelligendum de pœnis privativis privantibus jure quærendo 45. 12. Ante quamcumque judicis sententiam tenetur in conscientia habens beneficium Parochiale, si nondum Sacerdos sit, ad Sacerdotium intra annum suscipiendum 45. 13. Tenetur Episcopus, qui non consecratur intra sex menses à sua confirmatione Episcopatum dimittere ante declarationem judicis. Ibid. Beneficiarii non residentes in suis Ecclesiis tenentur ad restituendos fructus pro rata absentiæ, quos suos non faciunt 45. 13. Tenentur simili modo beneficiarii ad fructus restituendos non recitantes horas Canonicas pro rata temporis, in quo non recitarunt 45. 13. An pœna conventionalis ex mutuo consensu contrahentium imposita debeatur ante judicis sententiam 45. 14. Quas pœnas tenetur exequi reus post latam à judice sententiam 45. 15. Enumerantur, quas subire tenetur 46. 16. Enumerantur, quas subire non tenetur 46. 17. An pœnæ à solis delinquentibus solvendæ sint 46. 18. An possit dispensare judex in pœna à jure statuta 46. 19.

Lex Irritans.

Lex irritans est quando contractus aliquos celebratos sine certis conditionibus irritat, ac invalidos reddit 17. 7. Lex humana irritare potest actus subditorum contra præscriptum Legis factos 47. 1. Irritare potest ipso jure, aut expectata judicis sententia 47. 2. Irritare insuper potest explicitè, vel implicitè 47. 3. An Lex irritans dicenda sit pœnalis 47. 4. An ex eo quod Lex prohibeat actum censeatur illum irritare 47. 5. Quomodo dignoscendum quando Lex ipso facto actum irritat 47. 6. An ex hoc quòd Lex irritet actum, eum prohibeat in foro conscientiæ 48. 7. An irritatio ipso jure imposita requirat ad sui effectum sententiam judicis 48. 8. An Lex irritans actum ob non servatam solemnitatem à se præscriptam reddat illum nullum in conscientia ante sententiam judicis, si actus ille in particulari fundetur in falsa præsumptione 48. 9. An ad incurrendam irritationem requiratur scientia Legis 48. 10. An actus irritus à Lege humana obligationem naturalem in conscientiam inducat 48. 11. Quænam omissio formæ substantialis à jure requisitæ reddat actum irritum 49. 12. An actus sine solemnitate à jure præscripta factus ob justam, & urgentissimam causam validus sit? an verò non, & Epykejam excludat 49. 13. Quando pœna imposita actui irrito afficiat illum? Et quando afficiat actum validum 49. 14. Quomodo impediri possit irritatio 49. 15.

Legis Cessatio.

Cessare potest Lex ex multiplici causa à vi obligandi 55. 1. Cessat in totum Lex, si tota causa finalis, & motiva cessat 55. 2. An cessatio finis attendi debeat ex fine intrinseco, an ex extrinseco, an verò ex ambobus 55. 3. An requiratur declaratio Legislatoris, ut cessante causa finali totali Legis non obliget Lex 55. 4. An cessatio finis totalis

totalis legis, ut deobliget ab observatione, debeat innotescere toti communitati; an sufficit, si innotescat cuilibet particulari 55. 5. An si cesset causa finalis in aliquo casu particulari, cesset lex pro persona particulari 55. 6. Lex absolutè non cessat respectu totius communitatis, quando cessat pro casu particulari, & particulari persona 55. 7. Cessat in aliquibus casibus obligatio legis ob epykejam 56. 8. Cessat lex per ejus abrogationem, vel derogationem 56. 9.

Legis abrogatio.

Quinam possint legem abrogare 56. 10. Inferior nequit abrogare legem à Superiore latam 56. 11. An possit Archiepiscopus, vel Episcopus abrogare constitutiones Synodales à Sede factas inconsulta Synodo 56. 12. An statutum factum à Prorege, & confirmatum à Rege; aut statutum Synodale factum ab Episcopo, & confirmatum à Pontifice; possint à Prorege, vel Episcopo abrogari 56. 13. An ad faciendam abrogationem legis requiratur causa 57. 14. Quænam publicatio requiratur pro abrogatione legis 57. 15. Quomodo lex posterior priorem abrogans eam abrogare debeat 57. 16.

Legis Promulgatio.

Quænam Legis promulgatio necessaria sit ad inducendam obligationem sub gravi 26. 8. sufficienter promulgatur voce præconis, vel per affixionem in loco publico, aut simili modo consuecto, nec intimari debet singulis subditis 26. 9. Sciens legem non obligetur ad illam ante ejus publicationem 27. 10. Quænam promulgatio requiratur in legibus civilibus 28. 13. Quænam in Legibus Canonicis, & Ecclesiasticis 28. 14. Lex promulgata à Principe, si usu recepta non sit, aut desuetudine non acceptata, non obligat 29. 19. Idem dicendum de Lege Ecclesiastica sive tradita sit, per modum statuti, sive decretalis, aut extravagantis 29. 20. An post promulgationem legis Evangelicæ credenda sint explicitè necessitate medii Mysteria Incarnationis, & Sanctissimæ Trinitatis 117. 10.

Legis obligatio.

Ad obligationem legis an necessario requiratur scriptura, aut præcedens consultatio 29. 25. Enumerantur verba explicantia voluntatem Legislatoris, aut præcipientis, nec non Equipollentia 26. 3. An verba imperativo modo expressa revera præceptum contineant 27. 5. Nonnulla verba assignantur ex se indifferentia ad Præceptum, aut Consilium 26. 6. Quomodo dignoscendum quando lex obligat sub gravi 35. 5. Quibus verbis costituenda Lex ut obliget 26. 1. Quænam Legis promulgatio necessaria sit ad inducendam obligationem sub gravi 27. 8. Vide Legis promulgatio.

Legis Revocatio.

Revocatio Legis antiquæ ut obliget, debet eodem modo publicari, ac lex 27. 11. Idem dicendum de interpretatione legis authoritativè factæ 27. 12.

Legis dispensatio. Vide dispensatio Legis.

Libertas Conscientiæ, & Religionis.

An permitti, aut concedi possit 133. 19. An semel introducta permitti possit ibid.

Libertas Ecclesiastica.

Quid sit libertas ecclesiastica 513. 2. Vide immunitas personarum ecclesiasticarum.

Litaniæ recitatio. Vide Officium Divinum.

Litteræ Apostolicæ.

Litteras Apostolicas à Sancta Sede emanantes an examinare possint Consiliarii Regii, earumque executionem impedire, si jus Regium lædant 522. 16.

Litteras aliorum aperientes. Vide Avaritia.

Livellum.

Livellum quamvis confundi possit cum contractu feudali, aut emphyteutico; propriè tamen distinguitur ab illis 651. 11.

Locatarius.

Locatarius tenetur tantùm ad restitutionem si res locata pereat ex dolo, & lata culpa 629. 10. Vide Locatio.

Locatio, & Conductio.

Definitur Locatio, & explicatur Definitio; & quomodo differat à Venditione, Feudo, & Emphyteusi 651. 1. Conductio correspondet Locationi, & definitur quid sit 651. 2. Quænam res locari possint? & quinam locare, & conducere possint 651. 3. Quasnam obligationes Locator habeat ibid. Quasnam obligationes habeat Conductor 652. 5. An si conductor impediatur ab usu, vel fructibus rei conductæ; teneatur solvere pretium locationis 652. 6. An teneatur conductor solvere integram pensionem locationis, si sterilitas, vel alia calamitas absque culpa ipsius supervenerit 652. 7. Quodnam reputandum est justum stipendium in conductione operariorum, famulorum, aliorumve officialium 653. 8. An licitè locari possit domus, aut res alia, quæ censetur debere inservire conductori ad peccatum grave 653. 9. An licitè locari possint domus Meretricibus 562. 8.

Loca Sacra,

Loca Sacra, quorum violatio est Sacrilegium, quæ sint 311. 6.

Locator. Vide Locatio, & Conductio.

Longanimitas.

Quid sit Longanimitas 215. 13.

Ludus.

Quid sit Ludus 660. 6. Ex genere suo contractus Ludi non est illicitus 660. 7. Quænam requirantur ad Ludum licitum 660. 8. An Ludens, qui exercet aliquas astutias in ludo teneatur ad restitutionem lucri reportati 660. 9. An habens majorem dexteritatem in ludendo colludenti ignotam teneatur ad restituendum lucrum reportatum 660. 10. Ad quid teneantur suffurantes chartas lusorias, vel eas peculiaribus notis signantes, aut taxillos adulterantes, vel si utantur inspectoribus qui admoneant 660. 11. An attrahens alium ad ludendum minis, vel conviciis, qui sic attractus perdidit, quamvis potuisset æqualiter lucrari teneatur restituere lucrum 660. 12. An in Ludo, vel sponsione possit lucrari ille, qui perdere nequit 660. 13. An ludens aliena pecunia, si lucretur possit sibi lucrum retinere 661. 14. Quid dicendum si Collusor, qui perdidit scierit pecuniam ab altero collusore expositam alienam esse, & furto oblatam ibid. An qui lucrum reportavit ex aliena pecunia in ludo exposita sive à fure, sive ab usurario, possit illud sibi retinere 661. 15. An possit quis in ludo plus lucrari, quam perdere 661. 16. An qui in ludo vetito lucrum reportavit teneatur restituere 661. 17. An qui in ludo vetito perdidit, teneatur in conscientia solvere 661. 18. Ludus alearum, & taxillorum est prohibitus Clericis, & Religiosis 468. 27.

Ludens. Vide Ludus.

Luxuria, & ejus filiæ.

Quid sit Luxuria, & quale peccatum 252. 8. Enumerantur filiæ luxuriæ, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis ibid.

M

Magia.

Magia alia naturalis, & mathematica, alia diabolica 306. 4. Magia naturalis, aut mathematica, nec est malefica, nec superstitiosa 306. 5. Vide Maleficium

Si Magus sciat media licita ad dissolvendum maleficium etiamsi sciat illicita licitum erit ab eo petere media licita 306. 10. Non est licitum Mago maleficii nocumenta alio maleficio reparare 306. 7. Vide maleficium.

Magnanimitas, & Vitia opposita.

Quid sit magnanimitas 213. 4. Huic opponuntur per excessum præsumptio, ambitio, & inanis gloria; per defectum pusillanimitas 213. 5.

Magnificentia, & vitia opposita.

Quid sit Magnificentia 214. 9. Quomodo differat à Liberalitate ibid. Magnificentiæ opponitur profusio per excessum, parvificentia per defectum 214. 10.

Magus. Vide Magia.

Malefactores occidere, an licitum?

Licitum est malefactores occidere publica authoritate 538. 1. Licitum est hominibus privatis interficere proscriptos per sententiam publicam capitis 538. 2. Licitum est proscriptis proscriptos occidere; ob præmium, vel libertatem promissam 538. 3. Illicitum est Marito Uxorem in adulterio deprehensam occidere, & patri filiam in adulterio deprehensam, nisi ipsi tradantur occidendæ per sententiam publicam 538 4. An licitum sit filio occidere patrem publicè proscriptum 538. 5. An licitum sit Principi, vel Magistratui ante sententiam ritè prolatam dare facultatem occidendi malefactores 538. 6. Extra causam necessariæ defensionis numquam est licitum malefactores authoritate privata occidere 538. 7. Non est licitum Clericis malefactores occidere nec privata, nec publica authoritate 539. 8. Quinam Clerici comprehendantur in prohibitione non immiscendi se in causa sanguinis 539. 9. An Prælati

Eccle-

Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possint constituere judices sæculares ad sententiam proferendam in causa sanguinis 539. 10.

Maleficium,

Maleficium quid sit? & declaratur ejus essentia 305. 1. Quid possint Dæmones per suam scientiam, & naturalem potestatem 305. 2. Nil possunt Dæmones ex se circa animas separatas 305. 3 Magia alia naturalis, & mathematica; alia diabolica 306. 4. Magia naturalis, aut mathematica nec est malefica, nec superstitiosa 306. 5. Illicitum est Magos adhibere ad maleficium faciendum curiositatis gratia, vel etiam ob bonum publicum non solùm privatim, sed etiam coram judice 306. 6. Non est licitum Mago maleficii nocumenta alio maleficio reparare 306. 7. Illicitum est petere à Mago, etiam ex se parato ut maleficium maleficio dissolvat; nec licitum est eum cogere ad faciendum 306. 8. In dubio an medium, quod assumitur ad maleficium dissolvendum, sit superstitiosum, vel non; non est licitum id petere à Mago 306. 9. Si Magus sciat media licita ad dissolvendum maleficium; etiamsi sciat illicita; licitum erit ab eo petere media licita 306. 10. Non est licitum petere à Dæmone dissolutionem maleficii, vel ut cesset à nocendo 306. 11. Licitum est uti remediis supernaturalibus ad maleficia dissolvenda 306. 12. Quid præstare debeat prudens confessarius cum Mago 306. 13. Quibus pœnis subjaceant Malefici 306. 14.

Malitia peccati. Vide peccati malitia.

Mandans damnum inferri ad quid teneatur?

Qui mandat ut suo mandato moveat animum alterius ad inferendum damnum proximo tenetur ad resarciendum damnum inde secutum 591. 2. Vide cooperans ad damnum alienum.

Mansuetudo, & vitia opposita.

Quid sit Mansuetudo 222. 9. Quodnam ejus munus ibid. Mansuetudini opponitur Iracundia per excessum, Lenitudo per defectum 222. 10.

Mariti obligatio erga Uxorem.

Tenetur Maritus Uxorem diligere internè, & externè eo animo, ut Christus dilexit Ecclesiam 533. 1. Tenetur eam honorare actibus internis, & externis, ut sociam, & coadjutricem suam 533. 2. Tenetur ad obedientiam præstandam Uxori in iis, in quibus ei subest 533. 3. Tenetur sub gravi ad cohabitandum cum Uxore, si non adsit legitima causa 533. 4. Tenetur ad alimenta subministranda Uxori 533. 5. An Maritus teneatur potius subvenire uxori extremè indigenti, An verò parentibus aut filiis 534. 6. Graviter peccat Maritus verba infamatoria, aut injurias proferens contra Uxorem; aut eam immoderatè verberans; vel eam impediens ab observatione præceptorum Dei, & Ecclesiæ 534. 7.

Mater.

Mater tenetur sub gravi administranda alimenta filiis, posita impotentia patris 531. 5. Vide Parentum obligatio.

Mater non impediens infamiam à suis filiis provenientem alteri an teneatur ad restituendam illam 693. 11. Mater an teneatur lactare filios per se ipsam 531. 6.

Matrimonii Dispensatio.

An si quis nondum facta conventione Matrimonii, dispensationem obtineat altero inscio, possit jure ratam expensarum petere 85. 3. Quid dicendum si conscius fuisset ibid. 4. Quid dicendum quando cotrahentes consentiunt in dispensatione obtinenda; sed neuter ipsorum suscipit in se onus faciendi sumptus 85. 2. An si in conventione Matrimonii pactum fiat de solvendis expensis, & futura sponsa annuat; tunc teneatur ad ratam 86. 5. An si ex communi consensu obtenta sit dispensatio, & unus injustè resiliat; teneatur ad integras expensas 86. 6. An qui post Matrimonii promissionem impedimentum dirimens contraxit, teneatur ad dispensationem propriis expensis obtinendam 86. 11.

Medicus.

Medicus tenetur in concursu medicaminum uti certis relictis probabilibus, & dubiis 8. 17. Nequit applicare ægroto, etiam destituto, medicamen, de quo omninò dubitat 8. 18.

Mendacium.

Quid sit Mendacium 667. 1. Tria requiruntur ad mendacium 667. 2. Mendacium directè, & formaliter opponitur veritati 667. 3. Qui æquivocè loquitur non dicit mendacium 667. 4. Quatuor modis mendacium formale committi potest 667. 5. Ratione finis dividitur mendacium in Jocosum, Officiosum, & Perniciosum 667. 6. Ratione signi dividitur mendacium in verbis, & in factis 667. 7. Omne mendacium est peccatum, etiamsi fiat ad magnum malum vitandum, aut magnum bonum obtinendum 667. 8. Hinc non sequitur omne mendacium esse peccatum grave 667. 9. An possit dari ignorantia invincibilis respectu mendacii jocosi, vel officiosi 667. 10. An peccent mortaliter, qui frequenter mendacia jocosa, vel officiosa dicunt 667. 11. Mendacium perniciosum ex genere suo grave peccatum est 667. 12. Mendacium in rebus fidei, vel Scripturæ Sacræ grave peccatum est. Idem dicendum de fictione miraculorum, Reliquiarum, de Doctrina falsa cum mendacio in medicina, aut aliis scientiis, ex quo sequi possit grave damnum, ac de fingente Sanctitatem vitæ 667. 13. An sit mendax mulier, quæ bonis artibus, ac mediis licitis tegit defectum Virginitatis utendo verbis amphibologicis 668. 14.

Metalla è Venis erута.

Quibus competant 608. 5.

Metus.

An metus voluntarium auferat, aut saltem minuat 225. 3. Metus mortis excusat ab observatione legum humanarum ecclesiasticarum, & civilium; dummodo non respiciat bonum Religionis, aut bonum commune 227. 9. Vide Voluntatis passio.

Metus in Voto.

Metus incussus à causa Intrinseca, & Naturali non reddit votum invalidum 362. 2. Metus incussus à causa extrinseca libera sive justè, sive injustè dummodo non sit ad extorquendum votum non reddit illud invalidum 362. 3. Vide Voto libertas requisita.

Minor.

Minor dicitur qui annum decimum quartum explevit, sed nondum pervenit ad annum vigesimum quintum completum 662. 1.

Moderamen inculpatæ tutelæ in occisione.

Ut servetur debitum moderamen inculpatæ tutelæ, ob quod licitum est vim vi repellere, & injustum invasorem occidere requiritur 1. Ut tantum efficiatur id quod præcisè est necessarium ad vitam defendendam, & conservandam ab injusto aggressore. 2. Ut vis inferatur ab aggressore, & quòd injustè aggrediatur. 3. Ut occisio licitè fiat ob justam defensionem, quòd sit in ipso actu aggressionis injustæ; non verò quòd præcedat, aut sequatur ipsam aggressionem. 4. Ut fiat animo se defendendi, non vero animo ulciscendi, & quod aggressus probabiliter existimet, se fore graviter lædendum, vel occidendum ab injusto aggressore 539. 1.

Modestia, & vitia opposita.

Quid sit Modestia 222. 13. Quodnam ejus munus ibid. Modestiæ opponitur Immodestia per excessum, rusticitas per defectum 222. 14.

Molitores.

Ex quanam culpa teneantur ad restitutionem in custodienda farina aliena si pereat 629. 11.

Monasteria Monialium ingredientibus pœnæ impositæ.

Enumerantur pœnæ impositæ contra frequentantes Monasteria Monialium. 1. Contra Laicos, 2. Contra Clericos. 3. Contra Religiosos 459. 8. Vide Accessus ad Monasteria Monialium.

Monasteria Monialium facultatem ingrediendi quis concedere possit?

Monasteria Monialium facultatem ingrediendi concedere possunt Episcopi, & eorum Vicarii Generales, Abbates, & Priores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suis Territoriis exemptis, nec non Prælati Regulares respectivè ad sua Monasteria 452. 6. Vide Violatio Clausuræ

Monopolia.

An licita sint Monopolia 635. 11.

Motus sensualitatis an peccaminosi?

Motus sensualitatis alii sunt primò primi, alii secundò primi. Motus primò primi omnis rationis advertentiam prævenientes non sunt peccaminosi 556. 1. 2. Motus secundò primi si proveniant ex causa nullam habente honestatem, erunt peccaminosi 557. 4. Vide sensualitatis motus.

Mulier.

An Mulier se ornans, & conspectui virorum se præbens, peccet peccato scandali 181. 13.

Mutilare. Vide occidere, aut mutilare.
Mutuans, & Mutuatarius. Vide Mutuum, & Usura.
Mutuum, & Usura.
Definitur mutuum, & explicatur ejus definitio 638. 1. Mutuum aliud expressum, & formale; aliud tacitum, & virtuale 638. 2. Quam obligationem habeat Mutuans, & Mutuatarius 638. 3. Definitur usura 639. 4. Usura alia Realis, & externa; alia Mentalis, & interna; alia expressa, & formalis; alia implicita, & virtualis 639. 5. Usura sive importet contractum usurarium, sive lucrum ex illo reportatum, sic censetur illicita, & prohibita, ut sustinere oppositum sit hæreticum 639. 8. An illicitum sit sperare lucrum ex mutuo 639. 6. Quid faciendum, si Mutuatarius det aliquid ultra sortem mutuanti, qui dubitet, quo animo detur 639. 7. An quæcumque obligatio imposita mutuatario sit illicita, & usuraria 639. 9. Illicitum, & usurarium est mutuare cum pacto, & obligatione præstandi officium aliquod, sive lingua, sive ab obsequio, sive à manu ibid. Usurarium est mutuare cum obligatione, ut mutuatarius conferat mutuanti privilegium aliquod, vel officium, aut beneficium, & si mutuans illis dignus sit 640. Usurarium est mutuare Triticum, Vinum, Oleum, eo pacto ut non restituantur nisi eo tempore quo pluris æstimatur ibid. Usurarium est mutuare cum obligatione ex justitia remutuandi sive de præsenti, sive de futuro ibid. Usurarium est mutuare cum obligatione ex gratitudine, & benevolentia 640. Mutuare cum pacto ineundi contractum pignoris, vel hypothecæ ob securitatem ipsius mutui non est usurarium, nec mutuare cum obligatione reddendi quod sibi debetur ex justitia ibid. Usurarium erit obligare ad id, quod debetur ex charitate 640. Mutuare cum animo, ut mutuatarius cesset ab odio, quo mutuantem prosequitur, vel ab injusta vexatione sive propria, sive aliena, aut ab injusta satisfactione non erit usurarium 640. An contractus mutui, & permutationis censendus sit juxta valorem rerum; an verò juxta substantiam, numerum, quantitatem, vel mensuram 640. 10. An liceat aliquid supra sortem accipere in mutuo ratione *damni emergentis*, vel *lucri cessantis* 640. 11. An ratione periculi sortis recuperandæ, aut difficultatis, vel expensarum liceat aliquid supra sortem accipere 641. 12. An liceat opponere pactum in mutuo, quod si mutuatarius tempore statuto non solvat aliquid in pœnam, solvere debeat supra sortem 641. 13. An ratione obligationis non repetendi mutuum ante tempus à mutuatario statutum liceat aliquid supra sortem accipere 642. 14. An qui pignus accepit ob mutuum, teneatur fructus ex pignore acceptos in sortem deputare 642. 15. An licitum sit pactum in mutuo quòd pignus traditum in securitatem sortis fiat mutuantis, vel ut venditum habeatur, si mutuum tempore statuto non restituatur 642. 16. An mutuans bona fide per contractum aliàs usurarium, quæ non fecisset, si ut talem cognovisset, possit cognita veritate rei, ratione lucri cessantis tantum sibi retinere, quantum contractu justo lucratus fuisset 642. 17. An montes pietatis liciti sint, & immunes à labe usuræ 642. 18. An usurarius acquirat dominium usurarum 643. 19. Quinam cooperantes ad usuras teneantur ad restitutionem 643. 20. An licitum sit petere mutuum sub usuris 644. 21.
Mysteria Fidei. Vide Fidei Necessitas.

N

Nautæ.
Ex quanam culpa in custodiendis alienis mercibus teneantur ad restitutionem si pereant 629. 11.
Necessarium ad salutem.
Necessarium ad salutem, aliud est necessitate medii, aliud præcepti 116. 4.
Necessitas.
Necessitas alia est levis, alia gravis, alia extrema. Quando dicatur levis, quando gravis, quando extrema 158.
Negotiatio quibus prohibita sit.
Explicantur personæ, quibus prohibita est Negotiatio 637. 18.
Notarius.
Notarius publicus quas obligationes habeat 681. 21.
Novitii obligationes.
Prima Novitii obligatio est, ut servet regulas, & constitutiones religionis assumptæ 405. 5. Novitius secluso scandalo non tenetur aperire statum suum, si fortè egerit contra paupertatem, castitatem, aut obedientiam. Novitii si tempore Novitiatus parentes sint in gravi necessitate tenentur à Religione egredi, ut illis subveniant, dummodo possint subvenire 529. 7. Secunda obligatio est non contrahendi Matrimonium 405. 9. Obligatio non deserendi Religionem assumptam sine causa, ne notam levitatis, & inconstantiæ sibi incurrat; per se nullam culpam inducit 405. 10. Ad quid teneatur Novitius habitum Religiosum deserens ob expensas à Religione factas in eo alendo 406. 11.
Novitiorum Privilegia.
Enumerantur sex privilegia Novitiis concessa 406. 12.
Novitiatus quomodo peragendus ut licita, & valida sit professio post ipsum emissa?
Annus probationis, & Novitiatus necessarius ad validam professionem 406. 1. Excipiuntur ab hoc anno milites ordinum, nisi habeant ex proprio instituto 406. 2. Quid dicendum de professis unius Religionis transeuntibus ad aliam 407. 3. *Annus novitiatus* ita integer esse debet, ut de momento ad momentum numerari debeat 407. 4. Quid dicendum de anno bisestili 407. 5. *Annus novitiatus* debet esse continuus, & non interruptus 407. 6. Quænam interruptio sufficiens sit ad discontinuationem; & quid de depositione habitus 407. 7. Quid per egressum à Monasterio animo fugiendi asperitatem Religionis; aut subjectionem Prælato, etiam habitu retento 407. 8. Quid de amentia, & furore superveniente Novitio 407. 9. Continuatio novitiatus debet esse usque ad professionem 408. 10. Tempus novitiatus computandum ab eo momento, quo Novitius habilis est ad ingressum 408. 11. Vir habilis est ad ingressum post completum decimum quartum annum; Mulier post duodecimum completum; nec in hoc malitia supplet ætatem 408. 12. Non est adeo addictus Novitiatus Monasterio ex jure communi, ut ex licentia Superioris peragi nequeat extra illud 408. 13. Si constitutiones speciales habeant sacri ordines circa locum novitiatus, sanctè observandæ erunt 408. 14. Præpositus Generalis Societatis Jesu admittere potest impuberem regendum inter Novitios quamvis novitiatum computare debeat à pubertate acquisita 408. 15. Potest insuper expleto integro novitiatus anno, legitimè peracto ad professionem admittere 408. 16. Ex licentia Superioris potest in Societate Jesu novitiatus peragi extra locum Tyrocinii 409. 17.
Novitii Dispositio suorum bonorum ante Professionem.
Dupliciter disponere potest Novitius de suis bonis per testamentum videlicet, & per donationem, vel renuntiationem 409. 1. An Testamentum, & Legata in eo facta à Novitio infirmentur per professionem 409. 2. An hæreditas, & Legata concedenda sint hæredibus, & Legatariis à puncto professionis emissæ à Novitio 410. 3. An Testamentum sic factum à Novitio revocetur per Decretum Tridentini requirentis fieri intra duos menses professioni proximos; & licentiam ordinarii 410. 4. An donatio facta à Novitio de suis bonis comprehendatur in Decreto Tridentini 410. 5. An valida sit dispositio facta à Novitio Societatis Jesu per viam testamenti? Dispositio per modum donationis, & renunciationis à Novitio facta de suis bonis debet esse secundum Decretum Tridentini, ut valorem habeat secuta professione 410. 6. An Decretum Tridentini comprehendat non solùm dispositionem factam ante professionem, sed etiam factam ad ingrediendum novitiatum 410. 8. An Decretum Tridentini non solùm comprehendat Novitios minores sexdecim annis, sed etiam majores illis 410. 9. An sub hoc Decreto includatur donatio facta à Novitio irrevocabiliter inter vivos, & sit magni momenti 410. 10. An possit Novitius dare mutuum monasterio cum sufficienti cautione reddendi illud ante professionem 410. 11. Quomodo intelligenda conditio à Tridentino apposita, quod renunciatio fieri debeat intra bimestre professioni proximum 410. 12. Quomodo intelligenda conditio à Tridentino apposita, ut renuntiatio fiat de licentia Episcopi, aut ejus Vicarii 412. 13. An Novitius perseverans in Religione possit renunciationem jam factam revocare 412. 14. Quando transferatur dominium bonorum à Novitio renunciatorum in renunciatarium 412. 15. An necessariò requiratur consensus Monasterii, aut cessatio illius ad validam renunciationem à Novitio factam paternæ hæreditatis vivente patre, aut alterius consanguinei in favorem alicujus extranei 412. 16. Quid speciale importent renunciationes factæ à Novitiis Societatis Jesu 412. 17.

Obedien-

O

Obedientiæ Votum. Vide obligatio Religiosi professi.
Obedientia filiorum erga parentes. Vide Filii ad quam obedientiam &c.
Obligatio Legis. Vide Legis obligatio.
Obligatio Religiosi professi, ex vi voti paupertatis.
Votum paupertatis, si solemne sit, jure ecclesiastico privat ipso facto voventem jure, & dominio pecuniæ, & rerum pecunia æstimabilium, ac incapacem reddit 425. 1. Votum solemne paupertatis compati potest cum juribus spiritualibus 425. 2. Vota biennii Societatis Jesu non privant voventem dominio, nec incapacem reddunt 425. 3. Quomodo peccare possint, qui vota biennii in societate emiserunt; si nondum bonis suis renuntiarunt 425. 4. An si emittens vota biennii de suis bonis disponeret via Testamenti, renunciationis, aut donationis sine facultate Superioris; valida consisteret dispositio 426. 5. Quonam jure ad Monasterium transeant bona illa, de quibus professus ante professionem non disposuit 426. 6. Quænam bona professi non disponentis de suis bonis ante professionem transeant ad Monasterium capax successionis 426. 7. Quomodo Societas Jesu, & ejus Religiosi capaces sint hæreditariæ successionis, aut cujusvis alterius Legati 427. 8. Quonam modo prohibeatur Religiosis Societatis Jesu non recipere stipendia pro Missis, Concionibus, aliisve ministeriis spiritualibus propriis Societatis 428. 9. Quonam pacto prohibitum sit Religiosis professis testamenta condere 428. 10. An possit Religiosus validè contrahere sine facultate Superioris; & an ipse, & contrahentes cum ipso teneantur stare contractui 430. 11. An Monasterium subeat obligationem aliquam ex delicto sui Religiosi, vel ex ejus contractibus 430. 12. Quænam bona possit secum deferre Religiosus transiens ex una Religione ad aliam 431. 13. Ad quid teneatur Religio circa Religiosos suos expulsos, fugitivos, aut in aliena Religione recluſos? Cuinam acquirat Religiosus Episcopus, vel Beneficiarius, aut Fugitivus ejectus, vel reclusus 431. 14. Quale peccatum committatur à violante religiosam paupertatem 433. 16. Quænam acceptio, retentio, & expensio violent paupertatis votum 433. 17. An licitum sit Religiosis in particulari eleemosynas facere 434. 18. Quænam licentia Superioris requiratur, ne paupertatis votum violetur 434. 19. Religiosi paupertatis votum violantes quibus pœnis subjaceant 435. 20.
Obligatio professi ex vi voti Castitatis.
Obligantur Religiosi ex vi voti castitatis ad non contrahendum Matrimonium, & abstinendum ab omni voluntaria actione venerea interna, & externa 435. 1. Desumitur gravitas, vel levitas peccati contra votum istud ex gravitate, vel levitate materiæ contra castitatem 435. 2. Desumi debet gravitas, vel levitas ex violatione castitatis propriæ non alienæ 435. 3. Hinc non infertur dari levitatem materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsita. Plura spectantia ad votum castitatis dicta sunt de voto, & plura dicentur in sexto Decalogi Præcepto, & in Sacramento pœnitentiæ 435. 4.
Obligatio professi ex vi voti obedientiæ.
Quid formaliter contineat votum obedientiæ 436. 1. In traditione sui, quam Religiosus facit; virtualiter continetur promissio exequendi ea, quæ Prælati Religionis præceperint 436. 2. In violatione religiosæ obedientiæ plures malitiæ continentur, quæ omnes enumerantur 436. 3. Tenetur Religiosus ex vi voti obedientiæ servare omnia quæ continentur in suis regulis, & constitutionibus, prout obligant 436. 4. Dupliciter regula potest leviter obligare 436. 5. Trasgrediens regulam obligantem sub gravi duplicem malitiam committit, unam contra votum, alteram contra virtutem, circa quam versatur actus imperans 436. 6. Licèt transgrediens regulam sub nulla culpa obligantem nullam culpam committat ex vi voti; regulariter tamen semper annectitur venialis culpa 436. 7. Et licèt nullam culpam committat, tenetur tamen subire pœnam transgredientibus 437. 8. An Religiosus transgrediens regulas sub nulla culpa obligantes, vel tantùm sub levi, sit in statu peccati mortalis 437. 9. Ad quid teneatur Religiosus ex vi suæ professionis 437. 10. Quibus Superioribus tenetur obedire Religiosus professus, vel incorporatus Societati Jesu 437. 11. An ex vi voti obedientiæ teneantur Moniales obedire suæ Abbatissæ, vel Priorissæ 437. 12. Regulares omnes sive mares, sive fœminæ tenentur obedire summo Pontifici præcipienti 438. 13. Tenentur Moniales non exemptę ex vi voti obedientiæ obedire suo Episcopo 438. 14. Quonam modo præcipere debeat Superior ut teneatur Religiosus obedire ex vi voti obedientiæ 438. 15. Quænam Prælatus precipere possit ex vi voti obedientiæ à subditis emissi 438. 16. An possit Religiosus obligari ad relinquendam debitam subjectionem, quam in statu religioso assumpsit 440. 17.
Obligatio Mariti erga Uxorem. Vide Mariti obligatio.
Obligatio parentum erga filios. Vide Parentum obligatio.
Oblivio.
De oblivione discurrendum est; sicuti de ignorantia 228. 14.
Observatio vana.
Quid sit observatio vana; & quomodo differat à divinatione 303. 1. Semper est gravissimum peccatum, sive fiat cum pacto expresso Dęmonis, sive tacito; nec suffragatur præmissa renunciatio omni pacto sive explicito, sive implicito 304. 2. Species vanæ observationis tres enumerantur 304. 3. 1. Est ars notoria; & explicatur quid sit 304. 4. An acquisita jam scientia ope Dęmonis licitum postea sit ea uti 304. 5. 2. Est observatio Sanitatum; & explicatur quid sit 304. 6. 3. Est observatio eventuum; & explicatur quid sit 305. 8. An Divinatores, & Aruspices, Dœmonem alligantes, aut invocantes sint ipso facto excommunicati 305. 10.
Observatio Festorum. Vide Festorum observatio.
Occasio proxima. Vide periculum proximum.
Occisio. Vide Homicidium. Vide Malefactores occidere. Vide Agressorem injustum.
Occisio cum moderamine inculpatæ tutelæ.
Cuique licitum est in omni loco occidere injustum invasorem vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ 539. 1. Licitum est etiamsi aggressus causam dederit aggrediendi 539. 2. Cum moderamine inculpatæ tutelæ licitè occidi poterunt Furiosus, Amens, Ebrius, Noctambulus 540. 3. Licitum est Vassalis contra Principem, Subditis contra Superiorem, Filiis contra Patrem, & Servis contra Dominos injustè aggredientes se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 540. 4. Locum habet moderamen inculpatæ tutelæ contra satellites, & ministros justitiæ injustam vim inferentes 540. 5. Qui injustè aggreditur in principio, si decursu aggressionis manifestet aggresso, se velle desistere ab aggressione, & nolit aggressus; uti poterit moderamine inculpatæ tutelæ 540. 6. An injustè aggressus ita teneatur se justè defendere ut peccet graviter contra propriam charitatem, si à justa defentione desistat 540. 7. An licitum sit prævenire paratum ad aggrediendum injustè vitam nostram 540. 8.
Occidere invasorem injustum quando est licitum, an liceat id facere per alium?
Quando licitum est injustè aggresso invasorem injustum occidere, licebit etiam per alium id facere, præcipuè si non possit per se injustè aggressus 541. 1. An occidens inimicum post promissionem factam de non offendendo, proditorie agat 504. 18. An occidens inimicum post reconciliationem cum eo factam, postquam nova causa inimicitiæ advenit, proditoriè occidat 504. 19. An proditoriè occidat, qui se alteri comitem dat in via, quem sine rixa occidit 504. 20. An occidens per insidias inimicum dormientem, aut alio modo incautum, proditoriè occidat 504. 21. An occidens inimicum per industriam, non verò per insidias proditoriè occidat 504. 22.
Occidere, aut Mutilare seipsum an liceat?
Nemo potest directè, & immediatè seipsum occidere 547. 2. An qui directè, & immediatè seipsum occidit, peccet contra charitatem, & contra justitiam 547. 3. Qui jejuniis, abstinentiis, & aliis corporum macerationibus directè intendit mortem, aut notabile detrimentum sibi inferre, peccat contra propriam charitatem, & jus Dei ad vitas hominum 547. 4. Nec permissivè directè intendi potest propria occisio 547. 5. An licitum sit militibus, & ducibus classium ex communi consensu naves comburere, & absumi, si alia via evadendi ab hostibus non suppetat 548. 6. An liceat seipsum occidere ut citò transeat ad Beatam gloriam, vel malum aliquod effugiat, aut grave peccatum vitet 548. 7. An liceat pro vita temporali proximi amici, aut consanguinei voluntariè se morti offerre 548. 8. Illicita est mutilatio membri, aut partis membri ad vitandas carnis molestias, peccatum fugiendum, aut perfectius vitam spiritualem agendam 548. 9. Sic mutilans se graviter peccat, & si est ecclesiasticus incurrit excommunicationem Canonis 548. 10. Licitum est sibi membrum, vel membri partem abscindere, si hoc necessarium sit ad totius corporis conservationem 548. 11. An

teneatur

teneatur quis ad hanc mutilationem patiendam, si magnis doloribus, & cruciatibus fieri debeat 549. 12.

Occidere Innocentem an liceat?

Illicitum est directè innocentem occidere 549. 1. Illicitum est pueros Saracenorum, & Turcarum, aut alios innocentes in bello justo captos occidere 549. 2. Illicitum est occidere obsides innocentes, etiamsi illi, qui eos miserunt non stent promissis 549. 3. Aliquando licitum est indirectè cooperari ad mortem innocentis, non tamen eam directè intendendo 550. 4. An judex damnare possit ad mortem secundum allegata, & probata quem privata scientia scit reverà esse innocentem 550. 5. An licitum sit dare pharmacum matri gravidæ, si timeatur periculum abortus 550. 6.

Odium.

Quid sit odium 173. 2. Et quotuplex ibid. Odium Dei gravissimum peccatum, & ex genere suo maximum 173. 3. Adnotantur duo circa odium Dei 173. 4. Odium proximi ex se grave peccatum, quamvis possit esse leve ex levitate materiæ 173. 5. An Odium Dei specie differat ab odio proximi 173. 6. An in odio proximi reperiri possint plures actus specie distincti aperiendi in confessione 173. 7. An aliquando liceat velle malum proximo 174. 8. An liceat appetere ob bonum temporale grave malum temporale proximo 174. 9. An odium distinguatur ab ira, & indignatione 174. 10.

Officium Divinum.

Recitandum est Divinum officium juxta formulam Breviarii Romani exceptis iis, qui aliter in suis ecclesiis recitare solebant per annos ducentos ante constitutionem S. Pii V. 273. 1. An hoc præceptum recitandi juxta Breviarium Romanum urgeat singulis diebus, ita ut per unum diem non possit alio Breviario recitari 273. 2. An qui tenetur ex consuetudine recitare officium alio Breviario à Romano, si illud recitet per Breviarium Romanum; graviter peccet 274. 3. An beneficiarius obligatus ad recitationem juxta Breviarium Romanum, si in diœcesi Mediolanensi commoretur; possit ritu Ambrosiano recitare 274. 4. An teneantur Religiosi ad recitanda officia sanctorum illius Diœcesis in qua commorantur 274. 5. An Episcopus statuere possit, ut Clerus suæ Diœcesis officium alicujus Sancti recitet, cum aliàs ex Breviario Romano recitandum sit de alio Sancto, vel de feria 274. 6. An possit Divinum officium recitari alia lingua à Latina 274. 7. An sit obligatio recitandi Officium Defunctorum in die commemorationis eorum; & Litanias in festo D. Marci, & Rogationum 275. 8. An additio aliqua fieri possit Divino officio 275. 9. An fieri possit diminutio aliqua de Divino Officio 275. 10. An mutans officium de feria cum Sancto, vel vice versa; aut unum officium pro alio, satisfaciat obligationi recitandi 275. 11. An recitans hodie per errorem officium crastinum teneatur cras repetere, & an omittens ex aliquo impedimento officia diebus assignatis possit ea reassumere diebus sequentibus 275. 12. Graviter peccat projiciens in Mare Breviarium ut non recitet; aut illud scienter non asserens ubi putabat non reperiri 42. 5.

Officii Divini recitandi modus.

Præcipitur studiosa, & devota celebratio. Et ad studiosam celebrationem tria requiruntur 276. 1. Ad devotam celebrationem duo requiruntur, attentio, & intentio 276. 2. An requiratur intentio satisfaciendi præcepto 276. 3. An si non habeatur attentio ad verba, non satisfiat præcepto recitationis 276. 4. An recitans ita proferre debeat verba, ut seipsum audire possit 276. 5. Quænam proferenda sint, quando recitatur officium cum socio 277. 6. An si ita festinanter cum socio quis recitet, ut antequam socius finiat versiculum, ipse præveniat, satisfaciat præcepto 277. 7.

Officii Divini recitandi Tempus, Ordo, Locus, situs Corporis.

Quotidie est recitandum, & quomodo computandus dies 277. 1. Quamvis Ecclesia designaverit horas recitandi, non obligat tamen graviter pro privata recitatione 277. 2. Ex recepta consuetudine anticipari potest matutinum cum laudibus sequentis diei, & assignatur hora, qua recitari possit 277. 3. An qui sacris initiantur, vel Religionem profitentur, aut possessionem beneficii habent meridie; teneantur ad totum officium recitandum 277. 4. An si manè ex devotione recitaverint integrum officium; teneantur repetere 277. 5. Assignatur modus servandus in recitatione officii 277. 6. An invertere ordinem sit peccatum 277. 7. Si ordo invertatur inter partes eamdem horam componentes, quodnam peccatum sit 277. 8. An sit peccatum non recitare matutinum cum laudibus antè celebrationem Missæ 278. 9. Nullus locus designatus est ab ecclesia pro privata recitatione divini officii 278. 10. Sedere cum standum est, vel genuflectendum in privatâ recitatione non est peccatum, si fiat citra contemptum; in choro verò aliqualis culpa incurritur 278. 11.

Ab Officii Divini recitatione causæ excusantes.

Prima causa est impotentia orta ex obligatione, ignorantia, infirmitate, vel carentia Breviarii; & singulæ explanantur 278. 1. Secunda causa est gravis occupatio; & quænam hæc sit 278. 2. Tertia est dispensatio vel à Pontifice, aut Episcopo, vel Prælato Regulari 279. 3. An censuratus irregularis, vel degradatus eximatur à recitatione 279. 4. An impotens ad totum officium; & potens ad partem; teneatur ad illam 279. 5. An dubius ob infirmitatem, si teneatur recitare absque notabili detrimento; obligetur ad recitandum 279. 6. An cæci, & Breviario carentes recitare teneantur ea, quæ memoriter sciunt 279. 7. An qui solus recitare sit impotens; & potens cum socio; teneatur recitare cum socio 279. 8. An prævidens futurum impedimentum vespere teneatur manè recitare 279. 9.

Officium Divinum non recitantibus pœnæ impositæ.

Pœna imposita non recitantibus est restitutio fructuum, & afficit Beneficiarios 280. 1. Beneficiarius non recitans primis sex mensibus ab obtento pacificè beneficio non est obligatus ad restitutionem 280. 2. Elapso semestre, si culpabiliter non recitavit; tenetur ad restitutionem pro rata temporis post semestre, secus verò si inculpabiliter non recitavit 280. 3. Cessante legitimo impedimento post primum semestre tenetur ad restitutionem pro rata, etiam si pro uno die non recitet 280. 4. Quid dicendum de non recitante partem aliquam horæ canonicæ 280. 5. Recitans sine ulla attentione eodem modo obligatur restituere, ac si non recitasset 280. 6. Beneficiarius non recitans pro uno, vel pluribus diebus tenetur ad restitutionem ratæ illis diebus correspondentis; etiamsi beneficium alia munia annexa habeat 280. 7. Hæc obligatio restituendi adstringit beneficiarium ante sententiam Judicis 280. 8. Facienda est restitutio fabricæ beneficii, vel pauperibus 280. 9. Beneficiarius post semestre non recitans; si monitus intra quindecim dies saltem bis non recitaverit; potest excommunicari, suspendi, & beneficio privari 280. 10. Quæ dicta sunt de beneficiariis, intelligi debent de Pensionariis non recitantibus officium parvum B. Mariæ Virginis 280. 11. An Pensionarius post semestre non recitans possit pensionem à beneficiario accipere; & an hic possit eam illi denegare, & sibi retinere 281. 12.

Officii Divini recitatio publica; & quinam ad eam teneantur?

Quàm laudabilis hæc institutio recitandi Divinum officium *in choro*, quæ non solùm spectat ad Clericos sæculares, & regulares, sed etiam ad Laicos 281. 1. Extat sub obligatione præcepti in Ecclesia Dei hæc institutio psallendi in choro 281. 2. In rigore juris afficit hæc obligatio Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, Regulares, & Parochiales 281. 3. Eximuntur ab hac obligatione rigorosa juris canonici ex sua institutione obligati tantùm ad recitandum aliquibus diebus, vel in una hebdomada, non verò in alia. Idem de Ecclesiis ex consuetudine recitantibus solis festis diebus 282. 4. Ubi viget consuetudo quotidie recitandi, sub gravi culpa tenentur Superiores id procurare 282. 5. Clerici sæculares non tenentur ex vi ordinis ad psallendum in choro, sed ex vi beneficii deputantis illos choro 282. 6. Clerici Regulares choro deputati tenentur ad recitandum in choro juxta regulas, & consuetudines suæ Religionis 282. 7. Parochi ex inveterata consuetudine regulariter eximuntur à recitatione Divini officii in choro; nisi alia vigeat consuetudo in contrarium 282. 8. Episcopi ex vi muneris Episcopalis non tenentur ad recitandum in choro, quamvis sanum consilium sit interesse diebus festivis 282. 9. Vide Horas Canonicas.

An non solum præbendati teneantur interesse choro, verum etiam ibi canere 284. 1. An præbendati teneantur per se assistere choro, an possint per alium 284. 2. Quonam pacto assistere debeant Præbendati choro, ut distributiones lucrentur 284. 3. Quid dicendum si Præbendatus, vel non recitaret partem suam, aut eam submissa voce diceret, & tantùm attenderet ad alteram partem chori, an possit dimidiam partem distributionum lucrari 284. 4. Quonam ordine, tempore, loco, habitu, & situ corporis assistendum choro 285. 5. Quam pœnam incurrant Præbendati non assistentes choro 285. 6. Vide Præbendati.

Opera ſpiritualia. Vide Simonia an ſit accipere pretium pro labore in operibus ſpiritualibus?

Opinio communis.

Opinio communis quænam dicenda ſit? 6. 9.

Opinio probabilis. Vide ſcientia opinans, & probabilis.

Oratio.

Oratio definitur, & explicatur 265. 1. An Oratio, ſeu petitio ſit potius actus intellectus, quàm voluntatis 266. 2. Oratio alia mentalis, vocalis alia; & hæc ſubdividitur in publicam, & privatam 266. 3. Tria requiruntur ad orationem publicam 266. 4. Quænam à Deo peti poſſint in oratione 266. 5. Petens abſolutè bona temporalia, ſi putet illis ſe benè uſurum; non ideo peccat 266. 6. Abſolutè peti poſſunt ea, quæ Chriſtus petenda docuit in oratione dominica 266. 7. Ex quibus partibus conſtet oratio dominica 266. 8.

Orare quos poſſumus, & qui poſſunt orare?

Deum orare poſſumus, & debemus; quomodo orandus; poſſumus quoque orationem noſtram dirigere ad unam ex divinis perſonis non excludendo reliquas 267. 1. Sanctos quoque orare poſſumus, ſive Angelos, ſive homines 267. 2. An poſſimus orare, & commendare nos ſanctis animabus Purgatorii 267. 3. Qui orare poſſunt neceſſariò habere debent naturam rationalem, quamvis Deus orare non poſſit 267. 4. Chriſtus ut homo, orare poteſt, non tamen ut Deus 267. 5. Beatiſſima Virgo, Sancti Angeli, & Animæ Beatorum orare poſſunt 268. 6. Animæ in purgatorio exiſtentes orare poſſunt pro ſe, & pro aliis 268. 7. Dæmones, & damnati orare nequeunt 268. 8. Omnes homines viatores ſive juſti, ſive injuſti orare poſſunt 268. 9.

Orationis circumſtantiæ, pro quibus orandum, & an oratio neceſſaria ad ſalutem?

1. Circumſtantia in oratione ſervanda eſt voluntas formalis, vel ſaltem virtualis, & implicita orandi 269. 4. 2 Circumſtantia eſt attentio, quæ triplex eſſe poteſt 269. 5. 3. Circumſtantia eſt pietas 269. 6. Fructus orationis tres ſunt meritum, ſatisfactio, & Impetratio 269. 7. Quatuor conditiones requiſitæ ad debitum modum orandi 269. 8. An poſitis omnibus conditionibus ad orandum requiſitis concedat Deus ex juſtitia petitum 269. 9. An oratio facta pro pluribus æquè proſit ſingulis 269. 10. Orare non poſſumus pro Gloria eſſentiali Dei, Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, Sanctorum Angelorum, & Beatorum omnium; poſſumus tamen orare pro eorum gloria accidentali 268. 1. Pro animabus in Purgatorio detentis orare poſſumus 268. 2. Pro hominibus viatoribus ſive juſtis, ſive injuſtis orare poſſumus 268. 3. Oratio neceſſaria eſt ad ſalutem omnibus adultis 269. 11.

Ordo ſervandus in reſtitutione. Vide Cooperantes ad damnum alterius.

Ordo ſervandus in dilectione parentum. Vide Dilectio proximi quiſnam Ordo.

Oſcula, Amplexus, Tactus, Turpiloquia; & aſpectus extra Matrimonium. An, & qualia peccata ſint.

Oſcula, Tactus, Amplexus, Aſpectus, ſi fiant à ſolutis Matrimonio ob delectationem veneream; erunt gravia peccata ejuſdem ſpeciei cum actibus perfectis ad quos ordinantur 560. 1. An Oſcula, Tactus, Aſpectus liceant inter conjugatos, vel ſponſos 560. 2. An fœmina advertens ſe libidinoſè tangi à viro, ſi non ſe retrahat; pecet mortaliter 560. 3. An vellicare fœminam, aut ejus digitos intorquere, vel leviter manum tangere, aut pedem, ſit grave peccatum 560. 4. An oſculari pueros, eorumque carnes tangere, cum magna ſuavitate; ſit grave peccatum 560. 5. An aſpicere fœminas, vel alias perſonas pulchras ſit peccatum 560. 6. An in turpibus aſpectibus aperienda ſit in confeſſione circumſtantia perſonæ, de qua delectatio venerea habita eſt 561. 7. An adoleſcentulæ, quæ ſe præbent aſpiciendas è feneſtris, aut ſimilibus locis juvenibus, à quibus putant inhoneſtè amari; graviter peccent 561. 8. An mulier fucans faciem, & ornans ſe graviter peccet 561. 9. Loqui turpia, & obſcœna, aut illa legere; aſſiſtere inhoneſtis comœdiis, & audire cantiones laſcivas ex animo venereè delectandi gravia peccata ſunt 561. 10. Geſtus, Nutus, amatoriæ litteræ, ac dona ex animo incitandi ad libidinem ſunt gravia peccata 561. 11. An Clerici turpibus Comœdiis intervenientes graviter peccent 561. 12. An graviter peccent exhibentes turpes comœdias, vel illas componentes, aut alios obſcœnos libros 561. 13.

P

Pactio in componenda lite pro beneficiis exorta quænam ſit licita?

Omnis Pactio, & Conventio facta in beneficiis litigioſis propria authoritate eſt ſimoniaca 330. 1. Idem dicendum, ſi ceſſio fiat propter penſionem, aut aliud beneficium ibid. Pactio oneroſa ad litem componendam authoritate Prælati facta non eſt ſimoniaca 330. 2. Solvitur dubium quiſnam Prælatus authorizare poſſit ibid. Si collitigantes prius convenerint inter ſe de penſione, non poterit Epiſcopus eam authorizare 330. 2.

Palpans, ſeu inducens ad damnum inferendum ad quid teneatur?

Tenetur palpans ad reſtitutionem damni ſecuti 594. 2. Vide Cooperans ad damnum alienum.

Parcitas, & vitia oppoſita.

Quid ſit parcitas 222. 15. Circa quæ verſetur ibid. Parcitati opponitur Luxus per exceſſum, Cultus incompoſitus per defectum 222. 14.

Parentum obligatio erga filios.

Ex vi quarti præcepti tenentur parentes ad tria erga filios; ad alimenta videlicet, bonam educationem, & diſciplinam, ad non cogendum eos ad vitæ ſtatum 531. 1. Explicatur quid importet obligatio alimentorum ibid. Peccant graviter parentes, ſi cum poſſint, filiis alimenta denegent 531. 2. Tenentur etiam ad miniſtranda alimenta filiis excommunicatis 531. 4. Poſita impotentia patris tenetur ſub gravi mater ad miniſtranda alimenta filiis 531. 5. An mater teneatur lactare filios per ſe ipſam 531. 6. Quam obligationem habent parentes quærendi nutricem ibid. Quodnam peccatum committant parentes, qui cum poſſint alere filios ſive legitimos, ſive illegitimos; eos tamen exponunt in Templis, Hoſpitalibus, aut aliis locis 532. 7. An teneantur parentes filias ſpurias dotare ſi nubere velint, vel Monaſterium ingredi 531. 8. Obligatio parentum circa educationem filiorum, ut addiſcant neceſſaria ad ſalutem æternam 532. 9. Obligatio parentum erga filios circa vitæ ſtatum 532. 10.

Parochus.

Quando Parochi teneantur inſtruere fideles 119. 19. An Parochus dum novum beneficium acquirit teneatur denuò profeſſionem fidei facere 126. 10. Parochi ex inveterata conſuetudine regulariter eximuntur à recitatione divini officii in Choro, niſi alia vigeat conſuetudo in contrarium 282. 8.

Parochi quando inſtruere debent fideles. Vide fidei Neceſſitas.

Participans damni alterius à ſe illati ad quid teneatur.

Participans damni alterius tenetur ad reſtitutionem 595. 11. Vide Cooperans ad damnum alienum.

Pater.

Tenetur Pater ex vi quarti præcepti ad tria erga filios, ad alimenta videlicet, bonam educationem, & diſciplinam, ad non cogendum eos ad vitæ ſtatum 531. 1. Vide Parentum obligatio.

Pater non impediens infamiam à ſuis filiis provenientem alteri, an teneatur ad reſtituendam illam 693. 11.

Patientia, & vitia oppoſita.

Quid ſit Patientia 215. 11. Huic opponitur inſenſibilitas per defectum, impatientia per exceſſum 215. 12.

Patris, & Matris nomine quid veniat?

Explicatur quid veniat nomine Patris, & Matris 526. 2.

Paupertatis votum. Vide obligatio, Religioſi profeſſi.

Peccatum Originale.

Dari peccatum originale fide ſanctum eſt; & aſſignatur ratio cur dicatur tale 229. 2. Definitur ejus eſſentia, & explicatur 229. 3. Quomodo peccatum originale veram rationem peccati habeat 230. 4. Quænam perſonæ peccatum originale contrahant 230. 5. Unuſquiſque ex hominibus per generationem ſeminalem ab Adamo deſcendens ſuum contrahit peccatum originale ex peccato Adami, non verò Evæ 230. 6. Si Adam alia peccata commiſiſſet, ſed non contra pactum cum Deo initum; non transfuſa fuiſſent originaliter in poſteros 230. 7. Si Adam ante peccatum, & pactum cum Deo initum filium genuiſſet, hic poſt peccatum Adæ non contraxiſſet originale; ſecus verò filius hujus poſt originale conceptus 230. 8. Homo per miraculum à Deo creatus, vel etiam ex ipſa carne Adami infecti non contraheret, ſic creatus, originale 231. 9. Enumerantur varii effectus ex peccato originali provenientes,

231. 10. An parvuli decedentes ex hac vita cum originali adducendi sint in universale judicium, & an post illud naturali Beatitudine fruentur 231. 11. Quid dicendum de eo, qui sola macula originali infectus decederet ex hac vita cum solo veniali actuali, quamnam pœnam sensus mereretur 231. 12.

Peccatum Mortale.

Quodnam sit peccatum mortale 233. 1. Peccatum mortale aliud tale ex genere suo, aliud per accidens 233. 2. Quomodo differat peccatum mortale à veniali 233. 3.

Peccatum ex genere suo mortale quibus de causis fieri possit veniale per accidens?

Quænam requiruntur ad peccatum mortale 233. 1. Si ex parte intellectus non sit perfecta advertentia malitiæ, seu deliberatio, peccatum mortale potest evadere veniale 233. 2. Defectus considerationis gravitatis in committendo peccatum, non excusat à peccato 234. 4. An ad materialiter peccandum requiratur plena advertentia peccati mortalis 234. 5. Quænam sint judicia distinguentia plenam advertentiam à semiplena 234. 6. An semiplena advertentia reddere possit veniale peccatum aliàs ex se grave 234. 7. Ex quibus indiciis possit deduci in dubiis plena, vel semiplena advertentia 234. 8. Defectus pleni consensus ex parte voluntatis transire facit peccatum ex se grave in veniale 235. 9. Parvitas materiæ, ubi datur, facit ut mortale ex se transeat in veniale 235. 10. Quomodo cognoscenda parvitas materiæ in iis, in quibus dari potest? & assignatur prima regula 235. 11. Assignatur secunda regula 235. 12. An ex intentione Legislatoris peccatum mortale evadere possit veniale 236. 13.

Peccatum Veniale.

Quodnam sit peccatum veniale 233. 1.

Peccatum ex genere suo veniale quomodo fieri possit per accidens mortale?

Ratione finis mortalis adjuncti veniale ex se transire potest in mortale 236. 1. An contemptus absolutus, & formalis transire faciat veniale in mortale 237. 2. Si sit contemptus formalis Dei Legislatoris semper erit grave peccatum 237. 3. Idem dicendum de contemptu formali cujuscumque divini præcepti, aut consilii, etiam levissimi 237. 4. Contemptus formalis Legislatoris humani, quatenus talis est, & habens authoritatem à Deo, etiam si præcipiat in materia levi, aut consilium det, semper est grave peccatum 237. 5. Tunc contemptus formalis est veniale peccatum in re levi, quando non contemnitur Deus, aut superior qua talis 237. 6. Contemptus formalis est speciale peccatum, & necessariò aperiendum in confessione 237. 8. Contemptus formalis magis latè patet præinobedientia formali 237. 9. Ad quam speciem peccati reducitur contemptus 238. 10. Periculum proximum, & morale incidendi in mortale facit transire veniale in mortale 238. 11. Quodnam dicatur periculum proximum, & morale incidendi in mortale 238. 12. An licitum sit se exponere indirectè ob aliquam gravem causam probabili periculo peccandi 238. 13. Quid facere debeat Confessarius cum Pœnitente, qui est in proxima occasione peccandi 238. 14. Additio materiæ transire non facit veniale in mortale, sed quod veniali succedat mortale 239. 15. Scandalum transire facit veniale in mortale 239. 16.

Peccati malitia quanta sit?

Malitia peccati non est simpliciter, & intrinsecè infinita 239. 1. Extrinsecè tantùm, & terminativè est infinita 239. 2. De utroque peccato actuali, & habituali hæc intelligenda sunt 239. 3.

Peccatorum distinctio specifica, & Numerica.

Distinctio specifica peccatorum desumenda est ex privatione perfectionis specie diversæ ab aliis 245. 2. An diversitas specifica peccatorum desumi possit ex diversitate præceptorum 245. 3. Explicantur aliqui casus, in quibus per eumdem actum duo peccata specie distincta committuntur 245. 4. Explicantur alii casus, in quibus unum peccatum committitur, licèt actus peccaminosus pluribus præceptis distinctis opponatur 245. 5. An faciens aliquod prohibitum ex eodem motivo à duplici præcepto, unum quorum annexam habeat excommunicationem duplex peccatum committat 246. 6. An plura peccata committat, qui votum violat pluries repetitum, & per repetitionem illam intendat vovens novam sibi obligationem imponere 246. 7. An peccatum omissionis specie differat à peccato commissionis 246. 8. An peccata cordis, oris, & operis specie differant inter se 246. 9. An peccatum inferioris-speciei possit augeri, & pertingere ad malitiam peccati superioris speciei 246. 10. Enumerantur septem capita, ob quæ peccatum crescere possit, & gravius fieri 246. 11. Distinctio numerica peccatorum non desumitur ex distinctione physica actuum, nec ex distinctione objectorum 247. 12. Desumitur à pluralitate actuum moralium sub eadem specie morali: & hoc clarius explicatur 247. 13. Quomodo agnoscendum quando actus voluntatis moraliter interrumpantur 247. 14. Ex quibus signis cognosci possit actum voluntatis esse moraliter interruptum 247. 15. Retinens rem alienam, & volens eam restituere, si postea pœniteat boni propositi, duplex peccatum committit, utrumque aperiendum in Confessione 248. 16. Ductus ex eodem impetu iræ, odii, vel rixæ, si plura convicia, blasphemias, vel plagas infixerit, unum peccatum committit 248. 17. Probabile est proferentem contra alium plures injurias specie diversas pro eodem tempore unum peccatum committere 248. 18. Actus odii, detractionis, vel desiderii occidendi plures adinstar unius; aut non recitandi divinum officium per annum; aut non jejunandi per quadragesimam integram; cum contineat in virtute plura peccata, explicanda erit in confessione talis gravitas 248. 19. Actiones externæ procedentes, concomitantes, & subsequentes actum principalem pravum, si ordinentur ad illum; non sunt aperiendæ in confessione 249. 20.

Peccatum omissionis ejusque causæ.

Peccatum omissionis, quamvis consistat in duplici privatione; regulariter semper est conjunctum cum aliquo actu positivo incompossibili cum re præcepta 249. 1. Tunc incurritur omissio, quando implendum est præceptum 249. 2. Quando incurritur malitia peccati commissionis 249. 3. Quæ dicuntur de omissione intelligi possunt de commissione 249. 4. Quando peccat, qui poterat scire leges, & præcepta; sed neglexit, quamvis postea agat contra illa dum scire non potest 250. 5. An eodem modo discurrendum de eo, qui voluntariè se inebriat prævidens perjuria, blasphemias, pollutionem, homicidium inde secutura; ac de eo qui voluntariè se inebriat prævidens tantum contumelias, injurias, & convicia 250. 6. An omnes actiones, quæ sunt causa omissionis peccaminosæ sint malæ, & peccaminosæ 250. 7. An non solùm sit causa omissionis actus internus voluntatis omittendi rem præceptam, verùm etiam omnes illæ actiones, quæ per se eliguntur, & sunt incompossibiles cum re præcepta 250. 8. An actiones indifferentes, imò bonæ si sint causa omissionis imputabilis ad culpam malæ sint 250. 9. Quodnam præceptum omittendum ex duobus servandis pro eodem tempore, & utrumque servari nequeat 250. 10. Assignatur ordo servandus inter præcepta 251. 11. Quodnam peccatum committat, qui majus præceptum omittit, & servat minus 251. 12.

Peccata capitalia.

Quænam sint peccata capitalia; & cur ita dicta 251. 1.

Peccatorum causæ, subjectum, & effectus.

Peccatorum causæ efficientes plures sunt, & omnes enumerantur 254. 1. Nequit dici Deus causa peccati, etiamsi ad actum peccaminosum creaturæ rationalis concurrat ad exigentiam illius 254. 2. Nec dici potest quod prædeterminet, aut impellat voluntatem ad eligendum malum 254. 3. Subjectum peccati illud est in quo ejus malitia residet; quæ alia est actualis, & formalis; alia objectiva, & materialis 254. 4. Malitia formalis & actualis peccati actualis residet in illis potentiis, à quibus eliciuntur actus peccaminosi, & in quibus consummantur 255. 6. Peccatum, si consideretur ut quid voluntarium, residet in voluntate; si consideretur ut est quidam actus, residet in potentiis illud elicientibus 255. 7. Subjectum peccati habitualis, & ejus malitiæ, prout habituale importat privationem gratiæ, & amicitiæ Dei, est anima prout importat perfectionis debitæ privationem, est potentia illa, quæ tali perfectione privatur 255. 8. Enumerantur septem effectus peccati actualis 255. 9. An quis puniri possit pro peccato alterius 255. 10.

Pecunia.

Vendentes pecunias exteras aurificibus supra pretium, quod habebant à Principe taxatum non tenentur ad restitutionem 648. 4.

Pecunia falsa.
An qui pecuniam falsam scienter, vel inadvertenter habuit possit illam expendere 648. 4.
Pensionarius,
Pensionarius tenetur ad restitutionem si in profanos usus expendat fructus excedentes congruam sustentationem 164. 20. An Pensionarii, qui vel Laicam, vel Clericalem pensionem possident beneficiis impositam inter beneficiarios connumerandi sint cum obligatione horarum canonicarum 272. 11. An Pensionarius post Semestre non recitans possit pensionem à beneficiario accipere; & an hic possit eam illi denegare, & sibi retinere 281. 12. Vide Officium Divinum non recitantibus &c.
Pensio an vendi possit absque Simonia?
Pensio alia Clericalis, alia Laica 324. 1. Venditio pensionum Laicalium non est contra jus Divinum, sed contra stylum Curiæ 325. 2. Venditio pensionum Clericalium est Simoniaca jure humano, & Divino 325. 3. Fructus pensionis vendi possunt absque Simonia pro tota vita pensionarii 325. 4. Præstimonia vendi nequeunt absque Simonia 325. 5. Quid sit pensio 297. 6. Regulariter solvenda non est ex distributionibus quotidianis 297. 8. An imponi possit pensio ad vitam pensionarii, an tantum ad vitam solventis pensionem 331. 4.
Peregrini,
An Peregrini teneãtur legibus loci, per quem transeunt. Vide legibus tam civilibus, quam ecclesiasticis qui subjecti.
Periculum proximum.
Periculum proximum quodnam dicatur 238. 12. Vide peccatum ex genere suo veniale,
Permutatio beneficiorum, & aliarum rerum spiritualium an fieri possit absque Simonia.
Permutatio beneficiorum, & cujusvis alterius juris spiritualis beneficia continentis privata authoritate facta, Simoniaca est jure Ecclesiastico 327. 1. Non est tamen Simoniaca jure Divino 327. 2. An sit Simoniacum, & illicitum tractare partes de beneficiorum permutatione ante consensum Prælati etiam sub conditione, si Prælatus consenserit 327. 3. Licita est, & ab omni Simonia immunis permutatio beneficiorum authoritate Superioris facta 327. 4. Quisnam sit superior, cujus consensus requiritur ad permutationem 327. 5. An sufficiens sit ad licitam permutationem consensus illius, qui non habet Episcopalem jurisdictionem, sed ad eum spectat collatio beneficii 327. 6. Adnotantur tria circa permutationem 327. 7. Permutatio beneficii cum pensione, commenda militari, aut alia re temporali non erecta in titulum beneficii simoniaca est sine facultate Pontificis 327. 8. Declaratur quomodo fieri possit à Pontifice 328. 9. Simoniacum est pactum etiam coram Episcopo factum inter permutantes, ut unum ex illis solvat integras expensas Bullarum 328. 10. Extra materiam beneficiorum non est Simoniaca permutatio spiritualis cum spirituali 328. 11. Permutatio rei spiritualis cum alia spirituali habente annexam rem temporalem quando est Simoniaca 327. 12.
Perseverantia,
Quid sit perseverantia, & quodnam ejus munus 215. 14.
Personæ Sacræ.
Personæ Sacræ, quarum violatio est sacrilegium, quæ sint 311. 6.
Pignoratarius.
Pignoratarius non tenetur ad restitutionem si pignus pereat ex levissima culpa, sed tantum si ex dolo, & culpa lata, vel levi 629. 19.
Pignus.
Pignus quid sit; & quomodo differat ab hypotheca 657. 10. Quinam possint oppignorare, & quænam res oppignorari possint 657. 11. An possit creditor uti pignore accepto in securitatem sui crediti 657. 12. An pignus acceptum à creditore possit ab ipso alteri oppignorari 657. 13.
Piscatione animalia capta.
Quibus competant? Vide Venatione animalia capta.
Pœnæ Legum transgressoribus impositæ.
Vide Lex Pœnalis.
Pœnæ impositæ simoniacis. Vide simoniacorum pœnæ.
Pollutio, seu Mollities.
Pollutio, seu Mollities quid sit 573. 4. Quandonam pollutio sit sufficienter voluntaria, & imputabilis ad peccatum 573. 5. An semper sit peccatum grave procurare pollutionem 573. 6. An liceat sumere medicinam resolventem semen in alium humorem 573. 7. An sit peccatum lethale non reprimere pollutionem inchoatam in somno, quamvis seminis effusio sequatur in vigilia 573. 8. An liceat procurare vi medicinæ emissionem seminis corrupti in fœmina patiente venenosa accidentia 574. 9. An licitum sit pollutionem desiderare, aut de ea jam secuta complacere 574. 10. An pollutiones sint ejusdem speciei; & an habeant circumstantias aperiendas in confessione 574. 11. An sit grave peccatum procurare magnam spirituum commotionem ad pollutionem ordinatorum, vel ad magnam distillationem 574. 12.
Pollutio Ecclesiæ.
Pollutio Ecclesiæ quomodo accidere possit per seminis effusionem 572. 14. Vide Sacrilegium contractum per peccatum luxuriæ,
Pontifex,
Pontifex dispensare non potest in aliquo jure divino positivo 65. 13. Pontifex dispensare potest in legibus à se latis à Concilio Generali, Provinciali, & Synodali, à suis prædecessoribus, & ab Apostolis, tamquam ab Episcopis 66. 2. Pontifex pro terris suæ ditioni temporali subjectis condere potest leges civiles non verò pro aliis 18. 4. Pontifex immediatè habet à Christo Domino facultatem condendi leges Ecclesiasticas 21. 1. Potestas ista in Pontifice est absoluta independens à Conciliis, & Cardinalibus 21. 2. Vide Lex Ecclesiastica
Potest summus Pontifex separare jus percipiendi fructus à jure administrandi spiritualia & uni, vel sibi applicare primum, alteri secundum 324. 4. Solus Pontifex ante Simoniam juris Ecclesiastici contractam dispensare potest 335. 1. Vide Simoniaci à quibus possint dispensari
Pontifex non habet potestatem directam irritandi Vota fidelium, sed tantùm indirectam; potest tamen irritare vota Religiosorum, quæ irritari possunt à suis Prælatis 386. 5. Pontifex non potest absolutè tollere exemptionem quoad causas temporales, & civiles Ecclesiasticis immediatè concessam à jure pontificio quaod omnes personas ecclesiasticas 514. 7. An summus Pontifex inducere potuerit hanc exemptionem invitis sæcularibus Principibus 514. 8. An summus Pontifex immediatè habeat hanc exemptionem à Christo Domino 514. 9. An possit summus Pontifex facultatem dare laicis cognoscendi causas Ecclesiasticas 514. 10. Pontifex potest festa instituere 486. 1. Pontifices limitare solent potestatem Legislativam Episcopis 22. 9.
Possessio.
Connumeratur possessio inter species juris Realis. Unde nomen traxit. Et quomodo accipiatur 195. 1. Definitur possessio facti, & explicatur definitio 195. 2. Definitur possessio juris, & explicatur definitio 195. 3. Dividitur possessio facti in naturalem, & civilem 195. 4. Possidere quis potest rem vel per se, vel per alium 195. 5. Possessio eodem modo, & circa eamdem rem nequit insolidum reperiri in pluribus. Secùs verò possessiones diversæ & distinctæ inter se 195. 6. Possessio respicere debet rem certam & determinatam 195. 7. Primus modus acquirendi possessionem est apprehensio vera 195. 8. Secundus modus est apprehensio ficta, per fictionem juris 195. 9. Tertius modus est per dispositionem Legis 196. 10. Quomodo acquiratur possessio servitutum, & jurium incorporalium 196. 11. Enumerantur privilegia, quæ confert possessio possessori bonæ fidei 196. 12. Varii modi, quibus amittitur possessio tum naturalis tum civilis rerum mobilium, & immobilium 196. 13. Modi, quibus specialiter amittitur possessio naturalis, & civilis rerum immobilium 197. 14. Tres modi, quibus amittitur possessio naturalis, & civilis rerum mobilium 197. 15.
Possessor bonæ fidei ad quid teneatur?
Possidens rem alienam bona fide tenetur ex justitia statim, ac conscius est, rem esse alienam, eam Domino tradere 586. 1. An bona fide possidens rem alienam, quam à fure, vel ab alio emit; possit exigere à Domino rei pretium à se solutum 586. 2. Qui bona fide rem alienam possidet, tenetur restituere Domino una cum re fructus ejusdem, si percepti sint & extent; sive naturales sint, sive industriales mixti cum natura, non verò merè industriales 586. 3. Consumens bona fide rem alienam, vel ejus fructus tenetur ad restituendum id, in quo factus est ditior 586. 4. Quisnam censendus est ditior factus ex re aliena 586. 5. Quid dicendum in dubio, an factus sit ditior ex re aliena 586. 6. Si res aliena casu periit, aut cum culpa possessoris putantis eam suam, ad nihil tenebitur 586. 7. Emens bona fide rem alienam, & eadem fide illam vendens æquali, vel minori pretio, ad nihil tenetur 587. 8. Utens bona fide re aliena, non usurus alia, si non haberet rem alienam, quam suam putat non tenebitur ad restituendum pretium usus illius 587. 9. Qui bona fide rem alienam dedit, quam bona fide dono acceperat, si a-

liundè non daturus erat aliam; ad nihil tenebitur 587. 10. Ad quid teneantur consumens vestem alienam bona fide; comedens eadem fide apud amicum res alienas; milites bona fide militantes; & celebrantes contractum bona fide, qui postea usurarius dignoscitur 587. 11.

Possessor bonæ fidei dubitans rem esse alienam ad quid teneatur?

Possidens rem alienam bona fide si dubitare incipiat, & sufficientem diligentiam adhibeat post dubium, poterit eam sibi retinere 587. 2. Dubitans rem esse alienam, quam diligentiam adhibere debeat 587. 1. An possessor bonæ fidei, qui post dubietatem ortam poterat diligentiam adhibere sed neglexit; Impotens postea factus teneatur ad restitutionem 588. 5. An possessor bonæ fidei, qui dubitare incæpit possit re uti, dum diligentiam adhibet ad veritatem inquirendam 586. 6.

Possessor malæ fidei dubitans rem esse alienam ad quid teneatur?

Qui mala fide rem accipit, & dubitat esse alienam, tenetur omnem diligentiam aptare pro inquisitione veritatis, qua non comperta debet eam restituere iis de quibus dubitat pro rata dubii 588. 8. Cui facienda sit restitutio rei mala fide acceptæ, de qua dubitatur an aliena sit, sed ignoratur Dominus ad quem spectat 588. 9.

Possessor dubitans rem esse alienam ad quid teneatur?

An æqualiter dubius an res sit propria, an aliena, teneatur ad aliquid restituendum 587. 3. An æqualiter dubius, & præmissa diligentia magis inclinet in eam partem, quod aliena sit teneatur ad aliquid restituendum 587. 4. An dubitans rem esse alienam possit eam emere, aut dono accipere 588. 10. Dubitans rem esse suam nequit eam auferre à possessore bonæ fidei, & si aufert tenetur ad integram restitutionem, ut possessor malæ fidei 588. 11. Primò occupans rem nondum ab alio possessam, si dubitet an sua sit, an aliena; non poterit eam sibi totam retinere, sed partem illius pro qualitate dubii 589. 12. Quam diligentiam adhibere debeat dubitans rem esse alienam 587. 1.

Possessor malæ fidei, seu inferens injuriam damnosam formaliter ad quid teneatur?

An qui fuit causa damni alterius ob culpam venialem tantùm, teneatur ad resarciendum totum damnum illatum 589. 3. An talem restitutionem facturus ob culpam venialem obligantem ad notabilem restitutionem teneatur eam facere sub gravi 589. 4. An dans operam rei illicitæ, & injustæ si damnum inferat, nec prævisum, nec intentum, sed per accidens sequens teneatur resarcire illud 589. 5. Possessor malæ fidei, seu inferens injuriam damnosam formaliter tenetur ad restituendum Domino rem, si eam habet, quod si non habeat tenetur ad ejus valorem 590. 6. Tenetur ad resarcienda omnia damna allata Domino ob injuriam formaliter damnosam. Ibid. Tenetur insuper ad reddendos fructus ex ipsa re injustè detenta provenientes, & omne id in quo ex ipsa re factus ditior exceptis fructibus merè industrialibus 590. 6.

Præbendatus.

Præbendati Cathedralium, & Collegiatarum habentes drstributiones afficiuntur obligatione publicè recitandi in Choro 283. 1. Obligatio ista sub gravi peccato afficiat, & si ultra Trimestre à Tridentino concessum absint; tenentur ad restitutionem 283. 2. Vide Canonici. Vide Officii Divini recitatio publica. Vide Divinum Officium.

An non solùm Præbendati teneantur interesse Choro, verum etiam ibi canere 284. 1. An Præbendati teneantur per se assistere Choro, an possint per alium 284. 2. Quonam pacto assistere debeant Præbendati Choro, ut distributiones lucrentur 284. 3. Quonam ordine, Tempore, Loco, habitu, & Situ Corporis assistendum Choro 285. 5. Quam pœnam incurrant Præbendati non assistentes Choro 285. 6. Si Præbendati reverà non assistant, vel fictione juris non sint præsentes in Choro, non lucrantur distributiones, & si eas acceperint tenentur restituere 287. 3. Assignantur tres causæ ob quas Præbendatus absens acquirat distributiones 289. 1. An Præbendatus ab hostibus captus, vel in carcerem conjectus à judice, aut in exilium pulsus lucrari possit distributiones 290. 8. An Præbendatus suspensus distributiones lucretur 290. 10. An Præbendatus privatus beneficio possit distributiones lucrari 291. 14. Vide Distributiones.

Si omnes Præbendati absint à Choro ex propria culpa distributiones accrescunt Ecclesiæ defraudatæ suo servicio 299. 4. An Præbendati debeant subire pœnam amissionis distributionum ante ullam sententiam Judicis 299. 9. Vide Distributiones.

Præbendati à Choro absentes, & qui distributiones non lucrantur an teneantur solvere onera distributionibus annexa?

Recensentur onera, quæ annecti possunt distributionibus, nempe Annata, Quindennium, subsidium charitativum, Decima spiritualis, & pensio 297. à 1. usq. 7. Neque Annata, neque Quindennium regulariter solvi debent ex beneficiis consistentibus in solis distributionibus 297. 7. Nec subsidium charitativum, neque pensio regulariter solvenda sunt ex distributionibus quotidianis 297. 8. Quamvis decima regulariter solvi non debeat ex fructibus beneficii, & distributionibus quotidianis, si Pontifex tamen id expresè mandaverit solvenda erit 298. 9.

Præceptum.

Præceptum ut obliget quibus verbis constituendum 26. 1. Præcepto satisfacere intendens duplicem intentionem habere potest 38. 1. Ad Præceptum adimplendum requiritur intentio faciendi id, quod ab ipsis imponitur 38. 2. An possit satisfieri præcepto per actum peccaminosum ex fine, aut alia circumstantia extrinseca 40. 1. An unico actu satisfieri possit pluribus præceptis 40. 2. Vide Legi, aut Præcepto.

Præcepta naturalia per se obligationem imponunt apponendi media necessaria ad ipsorum executionem 42. 2. Præcepta positiva cum pendeant à voluntate Legislatoris non semper absolutè imperant opus, sed sub conditione si subditus liber sit, & expeditus 42. 3. Dantur aliqua præcepta positiva, quæ specialem aliquam intentionem, ac voluntatem necessariò requirunt. Alia verò, quæ non requirunt specialem intentionem 4. 10.

Prælatus.

Prælati, Pastores, & Rectores animarum quomodo scire debeant Mysteria fidei suo muneri correspondentia 19. 17. Prælati regularium cujuscumque ordinis tenentur professionem fidei facere nisi extet consuetudo in contrarium 126. 6. Prælatus Regularis irritare potest juramenta à suis Religiosis subditis facta 356. 8. Prælati Regulares quænam vota suorum subditorum irritare possint 389. 14. Quid possint contra suos Religiosos fugitivos vel apostatas. Et an obligentur revocare ejectos. fugitivos, & apostatas 475. 11. An Prælati Regulares dispensare possint in Votis Novitiorum 392. 17. Prælatus Regularis, aut Superior non potest præcipere novitio, nisi eo modo, quo potest Prælatus Ecclesiasticus suis Clericis subditis proportione servata 405. 7. An Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possint constituere judices sæculares ad sententiam proferendam in causa sanguinis 539. 10. An Prælati Regulares specialiter inquirere possint de delictis suorum subditorum absque prævia infamia 673. 15. Prælati regulares concedere possunt facultatem ingrediendi monasteria monialium sibi subjecta 452. 6. Prælatus inferior an dispensare possit in Legibus sui Superioris non reservatis expresè; Nec expresè prohibita facultate dispensandi 67. 6. Nequeunt Prælati Pontifice inferiores dispensare in jure divino positivo 65. 12.

Præscriptio.

Præscriptio quot modis accipi potest 204. 2. Præscriptionis beneficium meritò introductum fuit à jure communi 204. 4. Præscriptionis beneficio an quis renunciare possit 204. 5. Præscriptio an prosit pro foro conscientiæ 204. 6. Quatuor conditiones requisitæ ad præscriptionem 205. 11. Vide Dominium.

Præsumptio.

Præsumptio quid sit 151. 7. Gravissimum peccatum est præsumptio, nec habet parvitatem materiæ 151. 8. Multipliciter committi potest peccatum præsumptionis 151. 9. Aliquando præsumptioni est admixta hæresis 151. 10.

Precarium.

Explicatur quid sit Precarium, & quænam requirantur ad illud 655. 12.

Princeps.

Princeps an teneatur probare causam, ob quam privilegium revocat 110. 6. Quid si Princeps deroget privilegio per aliud privilegium contrarium 112. 23. Vide Privilegii revocatio.

An licitum sit Principi ante sententiam ritè prolatam dare facultatem occidendi malefactores 538. 7. Nequit Princeps dies festos instituere 486. 4. An liceat Principibus locum permitere meretricibus in civitate 562. 7. Nequeunt Principes dispensare in jure divino positivo 65. 12. An Princeps conferens dignitatem, vel officium digno, relicto digniore teneatur ad restitutionem 584. 5. An possit princeps licitè sibi reservare venationem, aucupium,

cupium, aut piſcationem in locis, quæ ſunt publici juris 609. 9. Princeps ſupremus de potentia extraordinaria poterit in aliquibus caſibus ſine citatione, defenſione, & proceſſu juridico morti tradere reum 670. An Princeps impediens infamiam à ſuo ſubdito provenientem alteri, teneatur ad reſtituendam illam 693. 11.

Prioriſſa.

An Prioriſſæ gaudeant facultate irritandi vota ſuarum monialium 389. 16.

Privilegiatus. Vide Privilegium.

Privilegium.

Privilegium quid ſit 86. 1. Privilegium varia nomina ſortitur. Ibid. Definitur privilegium, & explicatur ejus definitio 86. 2. Debet importare ex natura ſua conceſſionem ſpecialis beneficii 87. 3. Privilegium debet intelligi cum hac regula, quòd ſpeciale beneficium contineat 87. 4. Differt privilegium à lege 87. 5. Differt à diſpenſatione 87. 6. Differt à reſcripto 87. 7.

Privilegium quotuplex ſit?

Privilegium aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum 87. 1. aliud pro foro externo, aliud pro interno 88. 2. Aliud perſonale, reale aliud 87. 3. An privilegium conceſſum religioni, civitati, univerſitati, monaſterio, collegio, dicendum ſit reale 88. 4. An privilegium conceſſum alicui perſonæ ob ejus excellentiam dicendum ſit perſonale, an reale 88. 5. Quid faciendum ſi conſiderata materia, & verbis privilegii adhuc recurrit dubium, an perſonale, an reale ſit 89. 6. Privilegium aliud perpetuum, aliud temporale 89. 7. Aliud gratioſum, aliud remuneratorium 89. 8 Aliud conventionale, aliud purum 89. 9. Aliud immediatè reſpiciens bonum commune, aliud bonum ſingulare 89. 10. Aliud favorabile, aliud odioſum 89. 11. Aliud affirmativum, aliud negativum 89. 12. Aliud ad inſtantiam partis, aliud motu proprio conceſſum 89. 13. An Privilegium motu proprio conceſſum debeat excludere petitionem factam à privilegiato 89. 14. An per clauſulam motus proprii tollatur à privilegio vitium ſubreptionis 89. 15. Privilegium aliud abſolutè conceſſum, aliud ſub conditione, aut modo 90. 16 Aliud adinſtar, aliud per communicationem 90. 17. Aliqua diligenter notanda circa communicationem privilegiorum 91. 18. Quam vim habeat privilegium ex certa ſcientia, & in forma communi 91. 19. Quam vim habeat privilegium, ex certa ſcientia confirmatum 91. 20. An privilegium ſubreptione obtentum, aut à Concilio Generali revocatum confirmetur per clauſulam ex certa ſcientia 91. 21. An ſi privilegium confirmandum nullum ſit, & fuerit inſerta in confirmatione clauſula ex certa ſcientia; renovetur 91. 22. Quid important clauſulæ illæ: ſupplendi omnes juris & facti defectus, ſi qui intervenerint, & dummodo Decretis Concilii Tridentini contraria non ſint 91. 23.

Privilegia quis concedere poſſit, & cui, & an requiratur cauſa ad Privilegium concedendum?

Ille tantùm privilegia concedere poteſt, qui leges condere poteſt 92. 1. Poteſtas concedendi privilegia requirit poteſtatem juriſdictionis 92. 2. Concedens privilegium debet habere juriſdictionem in privilegiatum ſaltem ratione materiæ 92. 3. Primarii Legislatores poſſunt privilegia concedere, etiam derogantia juri communi 92. 4. Privilegia diſpenſativa Legis, ſolis perſonis ſubditis concedi poſſunt. Privilegia verò conceſſiva, etiam non ſubditis concedi poſſunt 92. 5. Privilegium abſque cauſa conceſſum validum eſt 92. 6. Conceſſum tamen ſine cauſa eſt illicitum 92. 7.

An Privilegium obtinendum, vel Diſpenſationem an requiratur ſcientia, aut mandatum Privilegiati, & an ante acceptationem vim habeat?

Ad Privilegii validitatem, aut diſpoſitionis non requiritur ſcientia, aut mandatum privilegiandi, aut diſpenſandi 92. 1. Imò per ſe loquendo obtineri poſſunt pro invito, & nolente 93. 2. Privilegium ante acceptationem vim non habet, niſi conceſſum fuerit per modum legis, ſtatuti, aut conſtitutionis, vel in remunerationem operis præſcripti 93. 3. Non poteſt validè privilegiatus uti privilegio ſibi abſente conceſſo; niſi ei conſtet acceptatum fuiſſe à ſuo procuratore, vel Nuncio 93. 4. Valida ſunt geſta à privilegiato facta poſt acceptationem procuratoris, aut Nuncii 93. 5. Non eſt neceſſaria acceptatio, ſi privilegium conceſſum fuerit per modum legis ſtatuti, conſtitutionis, vel in remunerationem operum præſtitorum 93. 6, An privilegiatus uti poſſit privilegio cum gravamine alterius conceſſo antequam innoteſcat huic privilegium 93. 7.

Ad Privilegii validitatem an requiratur Scriptura aut Notitia, ſeu promulgatio illius?

Privilegium à Legislatore conceſſum non requirit per ſe loquendo ad ſui valorem ſcripturam 93. 1. Valida eſt pro foro conſcientiæ conceſſio facta à Pontifice ſubſcribente ſupplicationem admiſſam verbo, fiat, aut placet 93. 2. Requiritur ſcriptura ad privilegium, ſi lex, conſuetudo, aut uſus eam requirant 94. 3. Promulgatio privilegii neceſſaria eſt reſpectu illorum, qui vel ex jure naturæ, vel ex præcepto tenentur non impedire 94. 4. Reſpectu privilegiati requiritur promulgatio privilegii, ſi per modum legis ipſi conceſſum fuerit 94. 5.

Privilegii materia, & effectus quomodo, & quo loco privilegiatus uti poſſit Privilegio?

Privilegii materia debet eſſe honeſta, & rationabilis 94. 1. Enumerantur effectus privilegii reſpectu diverſorum 94. 2. Non tenetur privilegiatus uti privilegio ſibi ſpecialiter conceſſo 94. 3. Locus ubi privilegiatus uti poſſit privilegio; attendendus eſt ab ejus tenore 94. 4. Limitatio loci colligi poteſt tum ex verbis, tum ex fine, & motivo concedendi 95. 5. In dubio an concedens extendat privilegium ad omnia ſua regna, attendendus erit modus loquendi concedentis 95. 6. An privilegiatus uti poſſit privilegio abſque terminatione loci conceſſo extra Territorium concedentis 95. 7. An ſi Privilegium ſit diſpenſatio alicujus impedimenti, vel inhabilitatis ad functiones communes, poterit privilegiatus eo uti in quolibet loco 95. 8. An privilegiatus uti poſſit ſuo privilegio adverſus alium privilegiatum 95. 9.

Privilegium quomodo interpretandum ſit?

Interpretatio alia lata, alia ſtricta 96. 1. Interpretatio privilegii tunc facienda, quando verba ſunt dubia, vel obſcura 96. 2. Privilegium purè favorabile latè interpretandum ſervata verborum proprietate 96. 3. Privilegium mixtè favorabile ex cauſa interpretari debet, vel ut abſolutè favorabile, vel ut abſolutè odioſum 96. 4. Privilegium odioſum favens privilegiato, & derogans juri communi eſt ſtrictè interpretandum 97. 5. Limitationes de ſtrictè explicando privilegio odioſo juri communi contrario 97. 7. An privilegium derogans conſuetudini, aut ſtatuto ſpeciali ſit latè, an ſtrictè explicandum 97. 8. Privilegium derogans juri Tertii eſt ſtrictè explicandum 97. 9. Privilegia ad lites, ad plura beneficia obtinenda, ad obtinenda beneficia vacantia ſunt ſtrictè explicanda 97. 10. An facienda differentia in explicandis privilegiis in jure communi contentis, & in aliis extra illud 97. 11. Quibus verbis concedi debeat privilegium, ut derogare poſſit juri communi, vel tertii 98. 12. An privilegium diſpenſandi, aut abſolvendi à reſervatis ſit ſtrictè, aut latè explicandum 98. 13. Facultas diſpenſandi, & abſolvendi ſpecialiter conceſſa, aut delegata, & expreſſis perſonis, ſtrictè explicanda eſt 98. 15. An privilegium favorabile extendi poſſit ad alias perſonas, aut res præter in ipſo expreſſas 98. 16. Ratione ſignificationis vocis extendi poterit 98. 17. Etiam ratione connexionis materiæ 99. 18. Ratione quoque connexionis actionis 99. 19. Ratione denique diſpoſitionis juris 99. 20. Si nullo modo ex prædictis exprimantur in privilegio, extenſio fieri nequibit 99. 21. An privilegium extendi poſſit ad caſus, & perſonas, in quibus militat ſimilis, aut efficacior ratio 99. 22.

Privilegium, reſcriptum, & diſpenſatio, an amittantur per mortem concedentis; aut illius cui conceduntur, vel delegantur?

Quando privilegium, reſcriptum, & diſpenſatio dicantur in ſtatu integro, & quando in ſtatu incæptionis 100. 1. Quando dicitur gratia facta, & quando facienda 100. 2. Quomodo dignoſcendum, quando reſcriptum, aut privilegium eſt in favorem perſonæ delegatæ; & quando in favorem perſonæ, cum qua exercendum eſt 100. 3. Privilegium ritè obtentum, ſeu gratia facta, ſi ſimpliciter conceſſa fuerit, & ſine reſtrictione, non amittitur per mortem concedentis: ſecùs verò ſi facienda ſit 101. 4. facultas data audiendi confeſſiones non expirat morte concedentis 101. 5. Commiſſiones diſpenſandi à Sancta Sede factæ, vel à Sacra Pœnitentiaria non expirant morte concedentis 101. 6. Facultas conceſſa alicui Sacerdoti diſpenſandi, aut abſolvendi aliquam determinatam perſonam in gratiam cujus data eſt, ſi res ſit integra expirat morte concedentis: ſecùs verò ſi non ſit integra 101. 7. Enumerantur aliquæ facultates conceſſæ abſolutè, & abſque limitatione temporis, quæ non expirant poſt mortem concedentis re integra 101. 8. Privilegium gratiæ conceſ-

concessum pro limitato tempore nonexpirat pro eo tempore mortem concedentis 102. 9. An ultra annum extendatur concessio illa dicens : valeat ad annum ad nostrum beneplacitum, etiamsi concedens vivat 102. 10. Jurisdictio concessa à delegante personæ delegatæ si res sit integra expirat morte concedentis : secùs verò si res integra non sit 102. 11. Doctrina tradita valet ipso jure, non ope exceptionis 102. 12. Valet quoque si delegatus sit à Principe, vel ad universitatem causarum, aut si delegatio commissa fuerit ad beneplacitum delegantis; vel si partes consenserit, ut delegatus jurisdictione utatur 102. 13. Jurisdictio subdelegata à delegato, si res sit integra morte delegati cessat in utroque 102. 14. An privilegia, rescripta, & dispensationes cessent morte illius cui conceduntur, & delegantur 102. 15. Quomodo cognoscendum quando delegatio est personalis, & quando realis 102. 16. Delegatio realis transit ad successorem sive res integra sit, sive non 103. 17. Quid dicendum si delegatio committeretur alicui, & nomine proprio, & nomine dignitatis 103. 18. Delegatio commissa Canonico habenti specialem titulum, & præbendam transit ad successorem, si commissio facta sit expresso nomine Canonicatus 103. 19. Delegatio commissa judici synodali non transit ad successorem 103. 20. delegatio facta à legato etiam sub nomine dignitatis non transit ad legatum successorem 103. 21. Delegatio facta à Vicario Episcopi, seu Officiali Diœcesano expresso tantùm nomine Officii, & consuetudine, & praxi transit ad successorem 103. 22. Quis veniat nomine Vicarii Episcopi, & Officialis Diœcesani 104. 23. An veniat Vicarius capituli sede vacante 104. 24. Quæ dicuntur de Vicario Episcopi, intelligi debent de Vicario Prælati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem 104. 25. Quid faciendum si Episcopus duos Vicarios, seu Officiales habeat 104. 26. Delegatio facta Vicario Episcopi nequit expediri per alium ab Episcopo designatum ad hunc finem 104. 27. In rescriptis contentiosis, & pro foro externo electo uno Officiali, nequit adiri alius habens æqualem potestatem 104. 28. Vicarius Episcopi electi, & confirmati sed nondum consecrati, potest delegationes istas expedire 104. 29. An si Vicarius cui comissa est delegatio, à Vicariatu removeatur; possit delegationem exequi 105. 30.

Privilegium an amittatur per Renunciationem?

Controversia sit de privilegio cedente in bonum particularis, & privati, & de renunciatione, non verò de non usu privilegii 105. 1. Amittitur privilegium per liberam renunciationem facta à privilegiato, & acceptatam à concedente 105. 2. Poterit beneficiarius renuncians non acceptata renunciatione; beneficium retinere mutata voluntate. Idem dicendum de electo, & de Judice delegato 105. 3. An tacita renunciatio sit sufficiens ad amittendum privilegium 105. 4. Dispensatus ad plura beneficia, vel illegitimus ad beneficia, si matrimonium inierit, mortua uxore possunt privilegio uti 106. 5. Idem dicendum de dispensato ad contrahendum cum consanguinea, aut in impedimento publicæ honestatis, si cum alia contrahat non habente tale impedimentum, ea mortua dispensatione uti poterit 106. 6. An solus concedens, an verò alter ab illo poterit renunciationem privilegii acceptare 106. 7.

Privilegium an amittatur per non usum, contrarium usum, aut Abusum illius?

Non usus tantum habet locum in privilegiis affirmativis 106. 1. Non usus privilegii affirmativi sine gravamine aliorum non tollit regulariter privilegium 106. 2. Tollit verò non usus cum gravamine aliorum 106. 3. Non habet locum præscriptio in privilegio in quo expresse apponitur, quod privilegiatus eo uti possit pro suo arbitratu 107. 4. Quando sufficiens sit decennium ad præscribendum per non usum 107. 5. Amissio privilegii per præscriptionem non usus est pro utroque foro 107. 6. Contrarius usus locum habet in privilegiis negativis, & facit ut amittantur 107. 7. Usus non solùm debet esse contrarius privilegio materialiter, sed etiam formaliter 107. 8. Debet contrarius usus fieri pro eo tempore pro quo concessum fuit privilegium 107. 9. Debet fieri contrarius usus ab ipso privilegiato 107. 10. Si privilegium sit absolutè concessum, & cedit principaliter in utilitatem privatam privilegiati, poterit ab hoc amitti per contrarium usum 107. 11. Si verò concessum fuerit principaliter in bonum communitatis nequit amitti per contrarium usum privatæ personæ 108. 12. Si privilegium non habeat tractum successivum cessat per contrarium usum 108. 13. Si verò habeat, non cessat per unicum actum contrarium 108. 14. Aliquando licèt privilegium non cesset per actum contrarium, cessat tamen pro ipso actu 108. 15. Ut privilegium amittatur per contrarium usum, requiritur, ut actus sit contrarius toti privilegio 108. 16. Ad præscribendum contra privilegiatum in favorem gravati sufficit cæteris habitis unus actus continuatus non retractatus 108. 17. Amissio privilegii per contrarium usum obligat pro utroque foro 108. 18. Abusus privilegii multis modis evenire potest 108. 19. Abutens privilegio quolibet ex prædictis modis regulariter non amittit privilegium ipso facto 108. 20. Si concedens privilegium posuit conditionem, ut per abusum ipso facto amittatur, posito abusu, sic amittitur 109. 21. Abutens privilegio extendendo illud amittit privilegium in parte extensa 109. 22. Notantur aliqua circa abusum privilegii resistendo fini illius 109. 23.

Privilegii Revocatio.

Privilegia non omnia, & eodem modo revocantur 109. 1. Quomodo revocetur privilegium gratuitum concessum subdito faciendi contra legem, vel præter illam 110. 2. Quomodo revocandum, si concessum fuerit non subdito 110. 3. Privilegium transferens Dominium semel exceptum revocari nequit sine justa causa, & sufficienti 110. 4. Ad validam revocationē hujus privilegii requiritur etiam compensatio 110. 5. An teneatur Princeps probare causam, ob quam privilegium revocat 110. 6. Privilegium per contractum oneros um datum revocari nequit sine legitima causa 110. 7. Quod dictum est de privilegio oneroso extenditur ad remuneratorium 110. 8. Quomodo dignoscendum privilegium remuneratorium 110. 9. An merita sufficienter probentur ex sola affirmatione concedentis privilegium 111. 10. In quonam resideat facultas revocandi privilegia 111. 11. An inferior revocare possit dispensationem justè à se factam in lege superioris absque causa 111. 12. An superior revocare possit absque causa dispensationem factam ab inferiore 111. 13. Revocatio fieri potest ab habente facultatem expresse, vel tacitè 111. 14. Revocatio facta expresse per clausulam generalem sufficiens est ad revocandum 111. 15. Extenditur ad privilegia exempta si clarè constet de voluntate derogatoria; secùs verò si clarè non constet 111. 16. Eximitur 1. Privilegium concessum cum clausula, quod ipsi derogari nequeat nisi ejus fiat specialis mentio 111. 17. Eximitur 2. Privilegium concessum per modum contractus, sive oneros um, sive remuneratorium fuerit 112. 18. Eximitur 3. Privilegium insertum in corpus juris, cui derogari nequit, nisi per clausulam specificam exprimentem illud 112. 19. Eximitur 4. Privilegium concessum à Concilio Generali quod revocari debeat per clausulam mentionem facientem Concilii 112. 20. Revocatio tacita ut valida sit debet procedere ex scientia, & notitia privilegii 112. 21. Quando præsumenda est scientia, & notitia privilegii in Principe derogante; precipuè si privilegium sit insertum in corpus juris 112. 22. Quid si Princeps deroget privilegio per aliud privilegium contrarium 112. 23. Posterius privilegium derogat priori inserto in corpus juris, secùs verò si fuerit extra illud, & non faciat speciale motionem ipsius 113. 24. Si revocatio fiat per specialem mandatum, præceptum, aut rescriptum Principis, nequit extendi ad privilegium extra corpus juris sine mentione ipsius 113. 25. Quid dicendum de revocatione facta per sententiam latam ab habente facultatem revocandi 113. 26. Quomodo facienda publicatio revocationis privilegii 113. 27. An privilegiatus abstinere debeat à privilegio per hoc, quod revocationem quocumque modo nescierit 113. 28.

Privilegium Fori. Vide Immunitas Ecclesiastica.
Vide Judex in dubiis de Privilegiis Fori.
Privilegium Oneros um. Vide Privilegii Revocatio.
Privilegium Remuneratorium. Vide Privilegii Revocatio.

Privilegiatus.

Privilegiatus uti non tenetur privilegio sibi specialiter concesso 94. 3. Locus ubi privilegiatus uti possit privilegio; attendendus est ab ejus tenore 94. 4. An privilegiatus uti possit privilegio absque terminatione loci concesso extra territorium concedentis 95. 7. An privilegiatus uti possit suo privilegio adversùs alium privilegiatum 95. 9. Privilegium odiosum favens privilegiato, & derogans juri communi est strictè interpretandum 97. 5. An privilegiatus abstinere debeat à privilegio per hoc quod revocationem quocumque modo nescierit 113. 28. Vide privilegium.

Proditio. Vide Avaritia.
Probabilitas Opinionis. Vide Conscientia Opinans, & Probabilis.
Procurator.
Procurator obligationes habet valde consimiles illis Advocati 681. 20.
Professio quibus modis fieri possit? Vide status Religiosi susceptio per Profess.
Professio ut sit valida quænam Conditiones requirantur ex parte profitentis, vel admittentis?
1. Conditio requisita ex parte proficientis est ætas legitima 415. 1. 2. Quod præcedat annus integer Novitiatus 415. 2. 3. Ut sponte fiat, & libera à metu cadentem in constantem virum 415. 3. 4. Ut non intercedat error, & ignorantia circa substantialia instituti 416. 4. 5. Ut profitens liber sit à servitute 416. 5. 6. Ut profitens non sit ligatus vinculo matrimonii consummati 416. 6. 7. Ut profitens liber sit à dignitate Episcopali 417. 7. 8. Ut parentes profitentis non sint in gravi necessitate; quamvis hæc conditio requiratur ad licitam, non verò validam professionem 417. 8. 9. Ut profitens immunis sit à debitis, & ratiociniis reddendis; & hæc etiam requiritur ad licitam non verò validam professionem 417. 9. 10. Ut profitens non sit ligatus vinculo strictioris Religionis 418. 10. 11. Ut profitens non sit excommunicatus, aut Simoniæ labe infectus; sed hæc requiruntur ad licitam, non verò validam professionem 418. 11. Pro monialibus requiritur ante professionem examen juxta præscriptum Tridentini; quod quidem requiritur, ut licita non verò ut valida sit professio 418. 12. Ex parte admittentis nomine Religionis requiritur acceptatio, & simul quod obliget Religionem ad alendum, retinendum, & dirigendum profitentem juxta statuta Religionis 418. 13. Quinam possint professionem religiosam admittere 418. 14. An si admittens professionem excommunicatus vitandus fuerit, admissio nulla sit 418. 15.
Professio facta sine aliqua conditione essentiali, an inducat aliquam obligationem, & an professio nulla ratificari possit?
Professio emissa cum defectu conditionis essentialis nullam inducit obligationem servandi vota per eam emissa 419. 1. An urgeat obligatio ratificandi professionem nulliter factam, sive bona fide, sive ex malitia 419. 2. Quid dicendum si professionem nulliter factam probare nequeat, an teneatur eam ratificare 419. 3. An Religio cogere possit nulliter professum ad ratificandum, si postquam tentavit probare nullitatem, eam non probavit 420. 4. Ratificatio professionis nullius fieri potest expressè, & tacitè 420. 5. Professio nulla sive ex impedimento ex parte professi, sive Religionis, sive utriusque ratificari nequit, nisi sublato impedimento, & adveniente novo consensu professi, & Religionis acceptantis 420. 6. Consensus iste procedere debet ex notitia nullitatis professionis 420. 7. An Revalidatio professionis invalidæ fieri possit gestatione habitus professorum per annum 420. 8. An repetendus novitiatus ob revalidandam professionem 420. 9. An tacitè professus frui possit omnibus privilegiis expressè professorum 420. 10. An in societate jesu dari possit ratificatio incorporationis invalidæ, aut invalidæ professionis per tacitam professionem 421. 11. Quomodo liceat invalidè professis, & invalidè incorporatis in Societate Jesu Religionem deserere, & reclamare contra illam 421. 12. Quinquennium computandum à die professionis emissæ 421. 13.
Professionis Religiosæ effectus.
Professus transit in potestatem, & Dominium Religionis, cui obsequium præstare debet juxta statuta Religionis; & religio obligatur ei, ut mater filio 423. 1. Per professionem religiosam, & vota biennii Societatis Jesu remittuntur peccata quoad pœnam 423. 2. Per professionem religiosam commutantur omnia vota antecedenter ad illam facta, non solùm si personalia fuerint, sed etiam realia 423. 3. Tollitur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam, sed non quoad prælaturam, aut beneficium curatum 424. 4. Professio religiosa purgat inhabilitatem ad aliquos actus temporales ratione delicti commissi 424. 5. Delet notam ingratitudinis antea commissæ, ob quam exhæredari poterat, vel legitima portione privari 424. 6. Dirimit matrimonium subsequens, ut etiam dirimunt vota biennii Societatis Jesu 424. 7.
Promissio.
Definitur promissio 630. 1. Debet promissio esse vera excludens fictionem 630. 2. Debet esse spontanea, & excluditur promissio extorta per vim, metum, & dolum 630. 3. Promissio debet importare obligationem fidei 630. 4. Debet esse promissio de re bona, & possibili; non verò de re turpi, aut impossibili 630. 5. An promissio prodiga obliget 630. 6. Quomodo differat promissio à donatione, pollicitatione, stipulatione, & pacto 630. 7. An promissio interna obliget 631. 8. An promissio interna facta cum juramento obliget 631. 9. Quanta debeat esse res promissa, ut violatio promissionis sit graviter peccaminosa 631. 10. Quænam promissiones irritæ sint, & invalidæ 631. 11.
Promulgatio Legis. Vide Legis Promulgatio.
Publicatio Revocationis Privilegii.
Quomodo facienda 113. 27.
Pudicitia.
Quid Pudicitia, & quomodo à Castitate differat 219. 2.
Pueri.
Pueri ante usum rationis non tenentur legibus; secus tamen eo adepto, nisi fuerint exempti à benignitate Legislatoris 30. 4. Pueri, qui nondum pubertatem attigerunt non adstringuntur censuris, & pœnis Ecclesiasticis ab homine latis ex benignitate Ecclesiæ. Ibid.
Pupillus.
An si pupillus, vel minor propria authoritate contrahant in nullo contractu obligationem incurrant 625. 3. pupilli fidejubere non possunt 656. 2.
Pusillanimitas.
Quid sit pusillanimitas 214. 8. Quale peccatum? Ibid. eam expellunt consideratio divini auxilii, exempla sanctorum, & magnitudo præmiorum 214. 8.
Prudentia.
Prudentia à quo nomen traxit 184. 1. Quid speciale est prudentiæ, per quod distinguatur à cæteris virtutibus 184. 2. Et est virtus specialis à cæteris distincta 184. 5. Prudentia alia naturalis, & acquisita; alia supernaturalis, & infusa 185. 1. Quodnam sit munus prudentiæ 186. 7. Dupliciter peccari potest specialiter contra prudentiam per defectum scilicet, & excessum. Quadruplici modo peccatur per defectum contra prudentiam 186. 9. Quodnam peccatum sit deficere in prudentia per enumeratos defectus 186. 11. Peccatur per excessum contra prudentiam sex modis. Et 1. Per prudentiam carnis 187. 6. 2. Per altitiam 187. 7. 3. Per dolum 187. 8. 4. Per fraudem 187. 9. 5. Per sollicitudinem temporalium 187. 10. 6. Per sollicitudinem futurorum 187. 11.

Q

Quinquennium.
Quinquennium in reclamatione computandum est à die professionis emissæ 421. 13.
Quindennium.
Quid sit Quindennium 297. 3. Quindennium regulariter solvi non debet ex beneficiis consistentibus in solis distributionibus 297. 7.

R

Rapina quid sit, & quale peccatum.
Rapina propriè accepta definitur 577. 4. Ex genere suo tam Furtum, quam Rapina gravia peccata sunt, licèt levia esse possint ratione parvitatis materiæ 577. 5. Rapina specie differt à furto; & est circumstantia aperienda in confessione 578. 6.
Raptus.
Quid sit raptus 567. 1. Ex se grave peccatum est, & constituit speciem à simplici fornicatione distinctam 568. 2. An qui puellam sibi matrimonio conjunctam eo non consummato intra bimestre eam per vim abducit ad libidinem explendam; dicatur raptum committere 568. 3. Quæ pœnæ constitutæ sint contra raptores 568. 4.
Ratificatio professionis. Vide professio facta sine aliqua conditione essentiali, an inducat aliquam obligationem?
Receptans malefactorem ad damnum inferendum ad quid teneatur.
Receptans tenetur ad resarciendum damnum illatum 594 5. Vide Cooperans ad damnum alienum.
Receptatores Hæreticorum. Vide denunciandi Hæreticos.
Reclamatio de nullitate professionis.
Reclamatio fieri debet coram superiore illius conventus in quo professio emissa fuit, & coram ordinario loci illius, in quo situs est conventus 421. 14. Ut possit nulliter professus causam suam dicere coram prædictis intra quinquennium debet pro eo tempore habitum religiosum gestare,

gestare, nec ab obedientia discedere 421. 15. Elapso quinquennio nequit admitti nulliter professus ad allegandas causas nullitatis suæ professionis 422. 16. Quinquennium computandum à die professionis emissæ 421. 13.

Reges. Vide Rex. Regina.

An Regina facultatem habeat condendi leges civiles in suo Regno 20. 10.

Regulares promoti ad Cardinalatum, Episcopatum, vel Parochiam quomodo teneantur ad vota, & præcepta suæ Religionis?

Religiosi promoti ad Cardinalatum, vel Episcopatum remanent ligati Votis essentialibus suæ Religionis 480. 1. Religiosus promotus ad has dignitates servare debet paupertatem statui dignitatis accommodatam, Castitatem absolutè; Obedientiam summo Pontifici 480. 2. Obedire debet Pontifici ex vi Voti Obedientiæ in eis, quæ sunt secundum regulam 480. 3. Religiosus assumptus ad Episcopatum si ei renuntiaverit, vel privatus fuerit non tenetur redire ad observantiam regularem, & subjectionem prælatorum 480. 4. Non sic verò si assumptus ad Cardinalatum ei renuntiaverit, vel ab eo depositus fuerit nam tenetur ad observantiam regularem redire; & obedientiam 480. 5. Non tenetur Religiosus assumptus ad Cardinalatum vel Episcopatum obedire. Non tenetur sic assumptus ad austeritates, jejunia, & alias corporis afflictationes à Regula præscriptas 481. 8. Non afficitur Censuris, & pœnis à regula impositis contra transgressores Votorum paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ 481. 9. Quid dicendum circa comestionem carnium die Natalis Domini, si venerit die Veneris aut Sabbathi, eam prohibente religione dictis diebus 481. 10. Non tenetur recitare officium juxta ritum sui Ordinis 481. 11. Non tenetur ad deferendum habitum juxta formam, & figuram, sed tantum secundum colorem 481. 12. An Episcopus Regularis Titularis tantùm gaudeat his privilegiis, & Exemptione à Regulari observantia 481. 13. A Quonam tempore exemptio ista incipiat 481. 14. An Religiosus assumptus gaudeat privilegiis, & gratiis suæ Religionis 481. 15. An quæ dicta sunt de Religioso assumpto ad Episcopatum intelligi debeant de Religioso assumpto ad alias Dignitates 481. 16. Quid dicendum de Religiosis assumptis ad parochiam 481. 17.

Regulares,

Regulares licèt ex jure communi nequeant ex eorum Prælatorum licentia adire ordinarios locorum ob dispensationem, possunt tamen ex privilegio pontificis 71. 11. regulares Clerici choro deputati tenentur ad recitandum in Choro juxta Regulas, & consuetudines suæ Religionis 287. 7. An regulares juxta sua privilegia absolvere possint ab excommunicatione contracta ob Causam Duelli 552. 6. Vide Religiosi professi. Vide Clerici.

Relaxatio Juramenti. Vide Juramenti Irritatio.

Religio.

Religio quas expensas teneatur solvere pro revocatione Ejectorum, fugitivorum, & Apostatarum 476. 12. An Religio exigere possit pecuniam sine simonia ab ingredientibus Religionem 321. 6.

Religiosorum exemptio à Gabellis, & Tributis Realibus. V. Ecclesiasticorum. Religiosus.

Religiosi, & Clerici quomodo obligentur legibus civilibus 33. 11. Religiosi an possint habere Dominium aliquarum rerum 198. 8. An teneantur Religiosi ad recitanda officia sanctorum illius Diœcesis in qua commorantur 274 5. Religiosus non potest fidejubere sine licentia sui Superioris, vel majoris partis Capituli 656. 2.

Religiosus professus.

Religiosi professi obligatio ex vi voti paupertatis, castitatis, & obedientiæ 425. & seq. Religiosi professi, si parentes reperiantur in extrema necessitate tenentur sub gravi ad egrediendum ut subveniant etiam reluctantibus prælatis 530. 8. Si verò non sint in extrema, sed gravi necessitate, non tenentur egredi 530. 9. Quinam veniant nomine Religiosorum choro addictorum 271. 5. An Religiosi possint institui hæredes, vel Legatarii 664. 11. An Religiosus cui commissa est Testamenti, & Legatorum executio possit legatū pium suo Monast. applicare 666. 18.

Religiosis quomodo prohibitus transitus ex una Religione ad aliam?

Transitus ex Religione stricta potest esse ad aliam minus strictam, æqualem, vel strictiorem 469. 1. Jure communi nulla facta est prohibitio Religiosis transeundi è religione minus perfecta ad perfectiorem, benè tamen jure speciali, & ex privilegio 469. 3. Secluſis privilegiis transitus ad perfectiorem Religionem jure communi concessus est omnibus Religiosis 469. 4. Quænam conditiones servandæ sunt, ut transitus ad perfectiorem religionem licitus, & validus sit 470. 5. An defectus prædictarum conditionum irritet professionem jam emissam à transeunte in perfectiori Religione 470. 6. Quomodo ex jure communi licitus sit transitus ad Religionem æqualem, vel laxiorem 471. 7. An fieri possit transitus in eadem religione è statu Laicali ad Clericalem, & viceversa 472. 8. Quomodo spectatis privilegiis specialibus Religionum prohibitus sit transitus, sive ad perfectiorem, sive æqualem, sive laxiorem Religionem? Et explicantur privilegia societatis Jesu in hoc 472. 9. Explicantur pœnæ impositæ Religiosis ad alias Religiones transeuntibus 473. 10.

Religiosus Fugitivus, Apostata, & Ejectus.

Dupliciter Religiosus è sua Religione, & Clausura fugere potest 474. 1. Ad fugam, vel Apostasiam à Religione requiritur, ut Religio sit approbata 474. 2. An dicendus Apostata Religiosus indebitè transiens è sua Religione ad aliam, in qua invalidè profitetur 474. 3. An Religiosi perpetuo carceri damnati, vel ad Triremes, si fugiant, dicendi sunt fugitivi 474. 4. An censendus sit fugitivus religiosus confugiens ad prælatum Superiorem, si absque facultate immediati Superioris confugiat 474. 5. An censendus sit fugitivus, vel Apostata religiosus discedens à Religione animo recedendi ad tempus, vel in perpetuum; & postea mutata voluntate statim rediit 475. 7. In jure nullæ pœnæ impositæ sunt Religiosis fugitivis tantùm, sed puniendi juxta pœnas à sua Religione statutas 475. 8. Apostatis religiosis nullæ pœnæ impositæ sunt ipso jure, sed imponendæ arbitrio superioris. In Societate jesu ipso facto excommunicantur 475. 9. Quid possint prælati Regulares contra suos religiosos fugitivos, vel Apostatas 475. 10. Quam obligationem habeant prælati Religionum revocandi ejectos, fugitivos & Apostatas 475. 11. Quas expensas teneatur solvere Religio pro Revocatione ejectorum, fugitivorum, & Apostatarum 476 12. Apostata, vel fugitivus, non dimittens habitum suæ Religionis fruitur privilegiis illius 476, 13. Religiosus Apostata nequit sacros ordines in Apostasia recipere; & si recipit manet suspensus ab illis 476, 14. Cooperantes ad fugam vel Apostasiam religiosorum incidunt in excommunicationem à Paulo IV. latam 476. 15. Quinam dicatur ejectus, & expulsus à Religione 476. 16. Quænam sit justa, & legitima causa ejiciendi professum à Religione 476. 17. An emittens professionem non manifestato impedimento aliquo, quod si manifestasset non fuisset admissus, det legitimam causam expulsionis 476. 18. An Religiosi societatis Jesu ad sæculum emitti possint 477. 19. An Religiosus ejectus teneatur suos mores corrigere, ob quos ejectus fuit, & reditum ad religionem procurare 478. 20. An Religiosus ejectus, si emendatus non recipiatur à sua possit ad aliam religionem transire, 478. 21.

Religiosis actiones, & officia prohibita.

Contractio Matrimonii absque licentia Pontificis prohibita est Religiosis professis viris, & fœminis sub pœna excommunicationis 463. 1. Prohibitum est Religiosis proficisci ad partes ultramarinas absque licentia Superioris sui Ordinis per litteras patentes concessa sub pœna excommunicationis 463. 2. Quomodo prohibitum sit monachis, & Canonicis Regularibus non habentibus administrationem se conferre ad Curias Principum sine licentia speciali suorum Prælatorum 464. 3. Religiosis professis prohibetur accedere ad quævis studia litterarum sub pœna excommunicationis, nisi à suo Prælato cum consilio Conventus licentiam habuerint 464. 4. Prohibetur Religiosis egredi è Claustro ad audiendas leges, vel medicinam; & nisi intra bimestre redierint incurrunt excommunicationem 464. 5. Prohibentur Religiosis actus judiciales, & alii actus extrajudiciales; qui omnes explicantur 464. 6. Quomodo prohibitum sit Religiosis officium judicis exercere in negotio forensi, & Ecclesiastico 464. 7. Quomodo prohibitum Religiosis esse actores, vel Reos in Causis Civilibus, & Criminalibus 464. 8. Explicantur aliqui casus, in quibus Religiosus potest esse actor, vel Reus tam in Civilibus, quam Criminalibus absque licentia sui Prælati 465. 9. Prohibitum est religiosis officium Advocati aut Procuratoris exercere in judicio, sive sæculari, sive Ecclesiastico, absque licentia Superioris, & utilitate Monasterii 465. 10. Prohibitum est Religiosis Procuratorem substituere, aut constituere absque licentia Superioris 465. 11. Extrajudicium per se non est prohibitum religiosis officium Advocati aut Procuratoris agere 465. 12. Officium Tabellionis, & Notarii prohibitum est Religiosis 465. 14. Quomodo Religiosus possit esse Testis judicio, & extra illud 466. 15. An actus illorum officio-

ficiorum, quæ exerceri debent à Religioso cum licentia sui superioris, irriti sint absque illa 466. 16. Nequit esse religiosus executor Testamentarius absque licentia sui superioris 466. 17. Fidejussio prohibita est religiosis, & quomodo 466. 18. Quomodo religiosus possit esse depositarius 466. 19. Prohibitum est religiosis tutoris, vel curatoris officium suscipere 467. 20. Officium Medici, vel Chirurgi cum incisione, & adustione prohibitum est religiosis 467. 21. Negotiatio propriè dicta prohibita est Religiosis, & Clericis in sacris 467. 22. Quænam conductio prohibita sit Religiosis, & Clericis in sacris 467. 23. Prohibitum est Religiosis assistere nundinis, vel in foro exercere officium proxenetæ 467. 24. Venatio prohibita Clericis, à fortiori prohibetur religiosis 468. 26. Ludus alearum, & taxillorum est prohibitus Clericis, & Religiosis 468. 27. Eligere sibi sepulturam prohibitum est religiosis 468, 28. An prohibitus gradus litterarum religiosis in jure civili, vel medicina 468. 29.

Reliquiæ Sanctorum. Vide adoràtio Sacrarum Reliquiarum.

Renunciatio.

An tacita renunciatio sit sufficiens ad amittendum privilegium 105. 4. Vide Privilegium.

Repressaliæ.

An licitæ sint 555. 16.

Rescriptum.

Rescriptum invalidum est si deficiat consensus dispensantis, qui ex variis capitibus deficere potest 79. 1. Rescriptum gratiæ per subreptionem obtentum ipso jure est nullum 80. 4. Rescriptum justitiæ per subreptionem obtentum non est nullum ipso jure quamvis annullari possit 80. 5. Rescripti impetratio nulla est si Procurator dispensandi subreptionem committat etiam absque culpa ipsius dispensandi. Vide dispensationis causæ. A rescripto differt privilegium 87. 7. Quando rescriptum dicatur in statu integro; & quando in statu incœptionis 100. 1. Rescripta, privilegia, & dispensationes, an cessent morte illius, cui conceduntur, & delegantur 102. 15. In rescriptis contentiosis, & pro foro externo electo uno Officiali, nequit adiri alius habens æqualem potestatem 104. 28.

Res Sacræ.

Res sacræ, quarum violatio est sacrilegium, quæ sint 312. 18.

Resignatio, & quænam Simonia accidere possit in ea?

Quid sit resignatio 328. 1. Quotuplex sit resignatio 328. 2. Licita est, & sine labe simoniæ resignatio purè, & absolutè facta coram legitimo superiore eam acceptante 328. 3. An liberè resignans, sed supplicans à superiore, vel etiam cum tali intentione resignans ut determinatæ personæ conferatur, violet limitationem 328. 5. Resignatio non absolutè facta, sed sub aliqua conditione coram Prælato Pontifice inferiore est simoniaca, & invalida 329. 6. Resignationes reciprocæ inter duos, vel tres, si fiant coram Prælato Pontifice inferiore, simoniacæ sunt; secùs verò si fiant per duplicem resignationem puram 329. 7. Resignatio facta coram Prælato Pontifice inferiore cum onere pensionis, vel cum alio pacto oneroso simoniaca est 329. 8. Resignatio facta coram ordinario titulo permutationis cum alio tertio, qui reverà beneficium non habet, simoniaca est 329. 9.

Resignatio Confidentialis. Vide Simonia in Resignatione Confidentiali beneficii.

Respublica.

Respublica perfecta condere potest leges civiles 20. 9. Si Respublica sit in gravi necessitate spirituali; succurrendum ei erit cum periculo propriæ vitæ 158. 10.

Restitutio famæ quomodo facienda? A quibus personis, & quibus?

Habetur gravis obligatio restituendi famam injustæ ablatam 692. 1. Qui alterum infamavit apponendo falsum crimen tenetur apertè se retractare penes audientes, & revocare efficaciter dictum, etiam addito juramento, & testibus 692. 2. Qui alterum infamavit; ejus occultum crimen quamvis verum manifestando, non obligatur ad famam restituendam dicendo, se falsum manifestasse, aut mentitum fuisse. Ibid. An satisfaciat obligationi restituendi famam, qui alium infamavit in uno genere peccati, sed ejus æstimationem resarcit in alio genere virtutis 692. 3. An si infamia penitus abierit in oblivionem, teneatur infamans illam resarcire 692. 4. An sit obligatio restituendi famam, quando alia via infamator eam recuperavit 692. 5. An manifestans crimen alterius uni, vel duobus teneatur famam restituere, non solùm penes illos, verùm etiam penes alios, quibus ipsi manifestarunt 692. 6. An manifestans crimen alterius bona fide putans esse verum, & publicum, teneatur cognito errore famam restituere 692. 7. An manifestans crimen Titii, auditores tamen intelligant de Fulano, teneatur ad famam Fulano restituendam 693. 8. An si infamans restitutionem famæ non fecerit, ad quam tenebatur, obligentur ad illam restitutionem hæredes 693. 9. An teneatur infamans ad totum damnum resarciendum quod ex infamia consecutum est 693. 10. An superior non impediens infamiam à suo subdito proveniente alteri, teneatur ad restituendam famam 693. 11. An licitè condonari possit restitutio famæ 693. 12.

Restitutio facienda.

Quid restituendum pro injuria illata corpori, privita, membro, cicatrice 619. 1. Restitutio facienda pro stupro illato 619. 2. Restitutio facienda pro Adulterio 620. 3. Restitutio facienda pro fama 620. 4. Restitutio facienda pro damno spirituali 621. 5. Restitutio facienda pro privatione facta per injuriam memoriæ, usus rationis, vel alicujus sensus, sive philtro, sive veneno, aut alio modo 621. 6.

Restitutio in integrum ob damnum ex contractu, quibus concedatur?

Quid sit restitutio in integrum 626. 5. Conceditur minoribus, & quando 626. 6. Quænam requirantur, ut minor frui possit beneficio restitutionis in integrum 626. 7. An hæc restitutio extendatur non solùm ad rem sed etiam ad fructus ex ea perceptos 626. 8. Quando minor censendus est læsus ex vi contractus 626. 9. Conceditur restitutio in integrum per quadriennium Ecclesiæ, & Reipublicæ. Et quid veniat nomine Ecclesiæ, aut reipublicæ 626. 10.

A Restitutione famæ quænam excusent?

Condonatio justè facta excusat à restitutione famæ 693. 1. Compensatio justa cum æqualitate excusat à restitutione famæ 694. 2. An ille per quem stat ne fama restituatur; graviter peccet, cum alter paratus sit illam restituere. Ibid. Si crimen occultum sit, & postea publicum fiat absque culpa infamantis, sed alia via; non tenetur infamans ad restitutionem 694. 3. Si restitutio famæ evadat impossibilis, non tenetur infamans ad illam 694. 4. Si fama alia via recuperata fuerit ab infamato, non tenetur infamans ad restituendum 694. 5. Si prudenter judicetur, ita infamiam oblivioni traditam, ut per restitutionem reviviscat, quod sepultum est; desistendum erit à restitutione 694. 6. Si infamans nullius fidei esset penes auditores, itaut infamia non fuerit efficax; non tenetur ad restitutionem 694. 7. Putans bona fide delictum; quod narrat, esse verum, & publicum, quod postea tale non comperit, si absque notabili famæ suæ deperditione restituere nequeat; non tenetur ad illam 694. 8. Si habeatur periculum propriæ vitæ ob restitutionem famæ; non tenetur infamans ad restitutionem 694. 9. An si fama ob justam causam restitui nequeat compensari debeat pecunia 694. 10. Si infamans damnatus esset à judice ad satisfactionem reddendam pecunia infamato, infamans tenetur ex justitia ad pecuniam restituendam pro fama. Ibid.

Restitutio Honoris. Vide Honoris restitutio.

Restituendi obligatio, ex quibus radicibus oriatur.

Omnis radix ex qua oritur restituendi obligatio, supponere debet injuriam damnosam illatam sive materialiter, sive formaliter 585. 2. Qui injuriam intulit, sed non damnosam non tenetur in conscientia ad restitutionem 586. 3. Qui intulit injuriam damnosam materialiter, tenetur restituere tantùm id, quod ex re aliena extat adhuc, vel id in quo ex re aliena factus est ditior. Ibid. Qui intulit injuriam damnosam formaliter tenetur ad restitutionem non solùm si res extet, verum etiam si non extet. Ibid.

Restitutio quid sit, & quomodo necessaria ad salutem.

Explicatur quid veniat nomine restitutionis 584. 1. Restitutio est actus justitiæ 584. 2. Non cujuscumque justitiæ, sed commutativę 584. 3. Sola violatio justitiæ commutativæ inducit obligationem restituendi 584. 4. Restitutio est necessaria ad salutem necessitate Præcepti 585. 6. An Præceptum restituendi sit potius negativum, quam positivum 585. 7.

Restitutionis obligatio ut adimpleatur, quid restituendum, & quantum?

Si res aliena extet, ea restituenda erit domino compensato damno, si aliquod intercesserit 601. 1. An re accepta extante possit æqualis domino restitui eo invito 601. 2. Si extat cumulus ille in quo permixta est res aliena, an dominus rei permixtæ habeat jus in re, & uti possit occulta compensatione 601. 4. Tantum restituendum est, quantum requiritur ad æqualitatem cum debito, vel damno illato 602. 5. Ad quid tenentur projicientes in mare merces alienas ingruente tempestate 602. 6.

Restituenda an sint accepta ob causam honestam aliàs debitam.

Accepta ob causam honestam aliàs debitam ex justitia restituenda sunt 602. 1. Accepta ob actionem, vel omissionem proximo debitam ex charitate non importantem laborem, aut incomodum, restituenda sunt 603. 2. Accepta ob actionem, vel omissionem aliquam cedentes in utilitatem ipsius accipientis, vel in Dei honorem, & gloriam non sunt restituenda 603. 3.

Restituenda an sint accepta ob turpem causam, & cui.

Accepta post factum ob turpem causam, si pactio intercesserit, non sunt restituenda, dummodo accipiens non sit factus inhabilis ad retinendum 603. 2. An acquisita ob turpem causam à filiis, servis, uxoribus, restituenda sint parentibus, dominis, maritis 604. 5.

Restituenda an sint bona incerta, & cui.

Si bona incerta Dominum habent, licèt incertum, restituenda sunt 605. 2. Bona inventa, quorum Dominus ignoratur post diligentem inquisitionem restituenda sunt pauperibus, aut aliis piis locis 605. 3. Bona incerta acquisita sive ex delicto, sive ex contractu injusto, si Dominus ignoretur post diligentem inquisitionem restituenda sunt pauperibus, aut piis locis 605. 4. Quinam veniant nomine pauperum, quibus facienda est hæc restitutio 605. 5. An facta restitutione pauperibus, si dominus compareat, remaneat obligatio aliqua erga illum 605. 6. An restitutio incertorũ fieri possit quibuscumque pauperibus 605. 7. An si non ignoretur dominus, quamvis ignoretur ubi sit, vel ita ejus habitatio longinqua sit, ut difficilis reddatur, possit restitutio fieri pauperibus 605. 8. An habens rem incertam teneatur restituere cuicumque asserenti esse suam 605. 9. An inventor rei alienæ possit aliquid petere pro inventione illius 606. 10. An compositio incertorum fieri possit non solùm authoritate Pontificis, sed etiam Prælati, aut Principis sæcularis 606. 11.

Restitutionis, tempus, locus, & modus.

Tempus restitutionis faciendæ ob rem acceptam, vel injustam acceptionem urget statim, ac commodè fieri potest. Idem dicendum ob injustam damnificationem ob contractum tamen statim ac elapsus est terminus constitutus 610. 1. An non restituens cum possit, maneat in statu peccati, & teneatur resarcire damna provenientia ex non restitutione 610. 3. Locus ubi facienda est restitutio ob rem bona fide acceptam est ille ubi primò agnoscitur esse alienam 611. 6. Locus ubi facienda est restitutio ob contractum, erit ille qui designatus fuit; vel si non fuit designatus attendendus erit ille, in quo res accipitur 611. 7. Modus quo facienda est restitutio, non requirit, ut immediatè fiat per ipsum debitorem, nec semper fieri debet publicè 612. 8.

Restitutionis Ordo servandus inter debita, & inter personas quibus facienda est

Prius restituenda sunt debita certa, posteà incerta 612. 2. Inter debita certa ex delicto, & certa ex contractu justo oneroso non datur Prælatio cum omnia paris juris sint 612. 3. Debita ex contractu oneroso proferenda sunt debitis ex contractu gratuito 613. 4. Prius solvenda sunt debita creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus, postea creditoribus personalibus non habentibus illa 613. 5. Quid faciendum cum eadem res pluribus creditoribus hypothecata sit, & non est omnibus solvendo 613. 6. An servandus aliquis ordo inter creditores personales non habentes hypothecam, nec jus prælationis 613. 7. An possit debitor satisfacere creditori personali non habenti jus prælationis quia pauper est postpositis cæteris creditoribus 613. 8. An inter creditores personales non habentes jus prælationis possit prius ei satisfieri, qui prior petiit 614. 9. An peccet debitor, qui sponte restituit creditori non prius petenti solutionem, ut illi rem gratam faciat, cum sic fiat impotens ad solvendum cæteris 614. 10. An peccent debitores non servantes hunc ordinem in restitutione facienda 614. 12.

Restitutionis differendæ causæ.

Quatuor causæ ad differendam restitutionem considerari possunt 614. 1. Grave damnum creditoris, aut alterius personæ; quod prudenter, & probabiliter timeatur, est causa sufficiens ad differendam restitutionem 614. 2. Damnum debitoris si est longè majus præ eo, quod patitur creditor ex dilata solutione, est causa sufficiens ad differendam restitutionem 615. 3. Quodnam esse debeat magnum damnum debitoris quod differri possit restitutio 615. 4. An quis teneatur restituere bona inferioris ordinis cum notabili detrimento bonorum superioris ordinis 615. 5. An debitor possit restitutionem differre, si absque æquali suo detrimento cum illo creditoris eam facere non possit 615. 6. An differri possit restitutio ob spem magni lucri quod debitor reportaret 615. 7. Impotentia debitoris est sufficiens causa ad dilationem restitutionis 615. 8. An necessitas gravis debitoris, suorum, vel proximi sit sufficiens causa ad differendam restitutionem 616. 9. An transacta necessitate extrema habeatur obligatio restituendi rem 616. 10. Cessio bonorum est causa sufficiens ad restitutionem differendam 616. 11. An habens justam causam differendi restitutionem teneatur resarcire damna, quę creditor patitur ob dilatam restitutionem 616. 12.

Restitutionis omittendæ causæ.

Enumerantur quatuor causæ principaliores ob restitutionem omittendam 617. 1. Condonatio facta à creditore cum debitis conditionibus est sufficiens causa omittendi restitutionem 617. 2. An compositio facta à debitore cum creditoribus contentis minori summa sit sufficiens caput deobligandi illum à restitutione, etiamsi venerit in meliorem fortunam 617. 3. An excusetur à restituendo, qui habet moraliter certam voluntatem formalem, vel præsumptam creditoris de condonatione 617. 4. Compensatio facta à creditore est sufficiens causa omittendi restitutionem 617. 5. Compensatio facta cum Pontifice, aut alio habente facultatem ab illo est causa sufficiens omittendi restitutionem 618. 6. Præscriptio legitima est causa sufficiens pro utroque foro ad omittendam restitutionem 618. 7. An excommunicatio creditoris liberet debitorem ab onere restituendi 618. 8. An ingressus in Religionem liberet ab obligatione restituendi 618. 9.

Restitutio ob Simoniam.

Restitutio facienda est ex jure communi Ecclesiæ beneficii, ab eo qui simoniacè beneficium adeptus est, quamvis ex arbitrio superioris fieri possit pauperibus 334. 5. Non est improbabile, quod restitutio ante sententiam judicis fieri possit danti 334. 6. Vide simoniacè acquisita.

Restituere qui teneantur?

Ille qui jubet, mandat, ac præcipit damnum fieri. Qui consulit fieri damnum. Qui consentit ac suo consensu in damnum influit. Qui palpat, seu approbat, ac laudat damnificantem. Qui recipit, favet, ac securum reddit damnificantem ad se recurrentem. Qui participat, adiuvat, & socius est criminis. Hi omnes positivè, & directè dicuntur ad damnum alterius concurrere, & tenentur ad restitutionem. Qui mutus est, videlicet qui tacet cum ex justitia loqui teneatur. Qui non obstat, cum ex justitia obstare teneatur. Qui non manifestat, & tenetur ex justitia manifestare, & hi dicuntur indirectè, & negativè ad damnum alterius cooperari, & ad restitutionem tenentur 590. usq. 596. Ad restitutionem tenentur omnes qui partes agunt Usurarii, & sunt causa efficax, ut solvantur usuræ. Consulentes, & suadentes alicui, ut det ad usuras 643. 20. Procuratores, seu fautores usurariorum, notarius instrumentum usurarium conficiens 644. Ad restitutionem ex justitia tenentur impedientes alios à consecutione boni ipsis debiti, etiamsi sine dolo, fraude, aut vi faciant; sed suadendo, aut consulendo 597. 2. Vide impedientes alios à consecutione alicujus boni. Vide contrahentes. Vide cooperans ad damnum alienum.

Restituere in solidum qui teneantur?

Cooperantes ad damnum alterius positivè consulendo, mandando, consentiendo, laudando, receptando, & participando tenentur ad totum damnum si causa fuere totius, vel partis, si causa tantum fuere partis 599. 1. Negativè cooperantes ad damnum alterius non clamando, non impediendo, non manifestando si tenentur ex officio obligantur in solidum 599. 7. Vide cooperantes ad damnum alterius an teneantur in solidum.

Restituendi Ordo.

Explicatur ordo servandus inter obligatos ad restitutionem 599. 8. Vide cooperantes ad damnum alterius an teneantur restituere in solidum, & quo ordine.

Revalidatio Voti.

An revalidari possit votum invalidum ob defectum voluntatis vel alterius requisiti 364. 7.

Revalidatio Professionis invalidæ. Vide Professio facta sine aliqua conditione essentiali.

Revocatio Legis. Vide Legis revocatio.

Revocatio Privilegii. Vide Privilegii revocatio.

Revocatio Dispensationis. Vide Dispensationis Revocatio.

Reus.

Reus non habet obligationem aperiendi veritatem, vel se adstringendi ad illam cum juramento judici, nec juridicè interroganti; secus verò si juridicè interro-

terroget, & ſervet juris ordinem 677. 1. Quando dicitur judex interrogare non ſervato juris ordine 678. 2. Quid faciendum quando reus dubitat, an juridicè interrogetur à judice, & an ſervet juris ordinem 678. 3. An ſemper teneatur reus veritatem aperire judici juridicè interroganti, & ordinem juris ſervanti 678. 4. An Confeſſarius teneatur cogere reum qui injuſtè veritatem negavit in judicio, ad ſe retractandum 678. 5. An teneatur reus in conſcientia obedire ſententiæ latæ ſecundum allegata, & probata 678. 6. An teneatur in conſcientia reus ſolvere pœnam, quam ſolviſſet ſi veritatem in judicio non negaſſet 678. 7. An poſſit reus è carcere fugere vel illum confringere, aut vincula, ut fugiat 679. 8. Quamvis reus fugere poſſit è carcere perpetuo, ad quem eſt damnatus, è perpetuo exilio, è triremibus, quia cogi nequit ad ſubeundas ſponte tam graves pœnas: nequibit tamen licitè è carcere temporaneo fugere in pœnam ſui delicti 679. 8. An teneatur reus reparare damna, quæ ex ſua fuga ſequuntur cuſtodi, carceri, & vinculis 679. 9. An poſſint alii fugam reo ſuadere, aut auxilium præbere ad fugam 679. 10. An licitum ſit reo decipere Cuſtodem ad fugam opportunius capiendam 679. 11. An licitum ſit reo occulta crimina teſtium aperire ad eorum teſtimonium infirmandum 679. 12. An reus poſſit impingere crimen mendacii, vel calumniæ accuſatori 679. 13.

Rex,

Reges, & ſæculares Principes nequeunt diſpenſare in jure poſitivo divino. Vide diſpenſatio legis 65. 12. Reges, & alii ſupremi Principes poſſunt Leges civiles condere pro ſuis Regnis, & Provinciis 20. 8.

Sacrilegi. Vide Sacrilegium.

Sacrilegium.

Quid veniat nomine ſacrilegii latè ſumpti, quid ſtrictè accepti 310. 1. Quomodo differat à ſuperſtitione, perjurio, blaſphemia, & tentatione Dei 311. 2. Triplex genus ſacrilegiorum 311. 3. Primum contra perſonas ſacras, & quænam hæ ſint 311. 4. Violatio harum perſonarum multipliciter evenire poteſt. Secundum genus contra loca ſacra, & quænam hęc ſint 311. 6. Frangentes, ſpoliantes, incendentes, vel deſtruentes loca ſacra ſunt ſacrilegi 311. 7. Excitantes conclamationes, ſeditiones, rixas, & impetus in locis ſacris ſunt ſacrilegi 311. 8. Facientes turpes ludos, & turpia ſpectacula, ac comedias in Eccleſia ſunt ſacrilegi 311. 9. Facientes abſque neceſſitate de re merè ſæculari, temporali, & politica gubernatione Concilia, Conciones, & publica parlamenta, ſunt ſacrilegi 311. 10. Facientes convivia, hoſpitium parantes, lectum ſternentes in Eccleſia abſque urgenti neceſſitate ſunt ſacrilegi 311. 11. Convertentes Eccleſiam in profanos uſus ſine debita facultate, niſi periculum ſit in mora ſunt ſacrilegi 311. 12. Introducentes jumenta in Eccleſiam ſunt ſacrilegi 311. 13. Exercentes negotiationes, & mercaturas in Eccleſia ſunt ſacrilegi 311. 14. Agentes cauſas civiles ſæculares in Eccleſiis, & earum Cæmeteriis ſunt ſacrilegi 311. 15. Effuſio ſanguinis injurioſa, & ſeminis culpabilis in Eccleſia, ac extractio perſonæ ab illa eſt ſacrilegium. Furtum in Eccleſia ſive ſit rei ſacræ, ſive non, eſt ſacrilegium 311. 16. Tertium genus contra res ſacras, & quænam hæ ſint 311. 18. An retinere legata, & Decimas non ſolvere ſit ſacrilegium 312. 19. An violatio temporis ſacri ſit ſacrilegium 312. 20.

Sacrilegium quale peccatum: & quænam pœnæ debeantur ſacrilegis?

Sacrilegium ex genere ſuo eſt grave peccatum 312. 1. Quandonam ſacrilegium poſſit eſſe leve peccatum 312. 2. Sacrilegium aliquando conjunctum cum malitia alterius peccati aperiendum erit in confeſſione, aperta malitia peccati illius, & pariter aperta materia ſacrilegii 312. 3. Explicantur tres pœnæ ipſo jure impoſitæ ſacrilegis; aliæ imponendæ ſunt arbitrio judicis 312. 4.

Sacrilegium contractum per peccatum luxuriæ.

Quid ſit ſacrilegium prout conſtituit luxuriæ ſpeciem ab aliis diſtinctam 570. 1. Ex ſe graviſſimum peccatum eſt 570. 2. An habens turpes delectationes, & prava deſideria peccandi cum perſona ſacra committat ſacrilegium 570. 3. An perſona ſacra cum perſona ſacra pariter aliquod luxuriæ peccatum committens gravius peccet, quam ſi illud committeret cum alia perſona non ſacra 570. 4. An ſi committens aliquod luxuriæ peccatum ſit ſimul religioſus profeſſus, ſacerdos, aut ſacris initiatus, plura ſacrilegia committat 570. 5. An ſi committens aliquod luxuriæ peccatum habeat ſimul votum ſolemne, & ſimplex caſtitatis debeat utrumque votum aperire in confeſſione 571. 6. An Sacrilegium committatur, ſi perſona non ſacra copulam habeat cum perſona non ſacra habente ad collum appenſas reliquias, aut agnos Dei benedictos 571. 7. An committatur ſacrilegium per copulam conjugalem in loco ſacro habitam 571. 8. An qui delectatur de fœmina in loco ſacro exiſtente, vel illam concupiſcat, ſacrilegium committat 571. 9. An inhoneſtè mulieres reſpicere in Eccleſia, loqui obſcœna, habere oſcula, aut tactus impudicos; ſit ſacrilegium 571. 10. Quænam ſint ea loca ſacra, in quibus ſacrilegium committitur per copulam, aut pollutionem 571. 11. An omnes Eccleſiæ partes veniant nomine loci ſacri 571. 12. An ſi Eccleſia deſtructa ſit, committatur hoc ſacrilegium 572. 13. Quænam requirantur ad Eccleſiam polluendam ob ſeminis effuſionem 572. 14.

Salus.

Salus alia prima, alia ſecunda 116. 4.

Sartores.

Ex quanam culpa in cuſtodiendis alienis veſtibus teneantur ad reſtitutionem ſi pereant 629. 11.

Scandalum.

Quid ſit ſcandalum, & quotuplex 179. 1. Tripliciter intendi poteſt ruina proximi 179. 2. Scandalum indirectè volitum non habetur, niſi ſuccedat ſpiritualis ruina proximi; ſecùs verò ſcandalum directè volitum, & intentum 179. 3. Aliquando excuſantur aliqui à peccato ſcandali, etiamſi peccent coram aliis 179. 4. An non ſolùm graviter peccet, qui dat proximo occaſionem ruinæ ſpiritualis mortalis; ſed etiam venialis 179. 5. An inducens proximum ad peccandum, & intendit ejus ruinam ſpiritualem peccet duplici peccato 180. 6. An inducens proximum ad peccatum non intendens ejus ruinam; nec conſummans peccatum cum illo fiat reus peccati à proximo commiſſi 180. 7. An ultra peccatum, quo peccat inducendo; peccet peccato ſpeciali ſcandali 180. 8. An peccet peccato ſcandali publicè peccans, quamvis neſciat, quiſnam movendus ſit ad ruinam ex ſuo pravo exemplo 180. 9. An offerens proximo occaſionem peccandi, ſemper dicatur cauſa ſcandali activi 180. 10. An vendens, & ſubminiſtrans indifferentia abſque juſta cauſa, ſi proximus ſumat ex eis occaſionem peccandi; dicatur cauſa ſcandali 180. 11. An permittere peccatum alterius non auferendo occaſionem, quæ tolli poterat; ſit peccatum ſcandali 181. 12. An mulieres ſe ornantes & conſpectui virorum ſe præbentes; peccent peccato ſcandali 181. 13. An peccet peccato ſcandali petens, vel faciens aliquid proximo parato ad peccandum, etiamſi ipſe non peteret, nec faceret 182. 14. An filii, famuli, & ſervi poſſint miniſtrare ſuis parentibus, Heris, & Dominis in peccatis eorum abſque peccato ſcandali 182. 15. An locantes, vel vendentes domos meretricibus, & Uſurariis peccent peccato ſcandali 182. 16. An pingentes concubinam amaſio vel amaſium concubinæ; aut imagines obſcœnas ad preces petentium; vel idolum infideli peccent peccato ſcandali 182. 17. An Caupones vendentes vinum probabiliter inebriandis, vel cibos vetitos probabiliter violaturis præceptum; peccent peccato ſcandali 182. 18. An ſine peccato ſcandali poſſint miniſtrari munera Concubinæ judicis ob favorem inferenda ſententia juſta 183. 19. An excuſentur à peccato fideles captivi remigantes, vel inſervientes in bello Turcis 183. 20. An omittendum opus Conſilii, vel præcepti ad evitandum ſcandalum proximi 183. 21. An ſit obligatio faciendi jacturam bonorum temporalium, ne proximus peccet 183. 22.

Schiſma.

Quid ſit Schiſma 176. 18. Enumerantur aliqui caſus, in quibus non committitur ſchiſma 176. 19. Recenſentur alii, in quibus committitur 177. 20. Schiſma graviſſimum peccatum eſt ex genere ſuo 177. 21. Multipliciter quis ſchiſmaticus eſſe poteſt 177. 22. Enumerantur pœnæ pro ſchiſmaticis, & prima eſt privatio Eccleſiaſticę poteſtatis 177. 23. An ad incurrendã hanc pœnam requiratur, ut ſchiſmaticus ſit nominatim denunciatus ut talis 177. 24.

Secun-

Secunda pœna est excommunicatio ipso facto incurrenda 178. 25. An schismaticus non hæreticus comprehendatur sub hac pœna 178. 26. An quomodolibet inobediens Pontifici incurrat hanc excommunicationem 178. 27. An fautores, receptatores, & defensores schismaticorum eam incurrant 178. 28. 3. Pœna est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in futurum 178. 29. Quis possit in hac inhabilitate dispensare 178. 30. An schismaticus remaneat etiam privatus beneficiis ante schisma obtentis 178. 31. An schismaticus incurrat irregularitatem 178. 32. Aliæ pœnæ enumerantur, quibus schismatici subjacent 178. 33. Enumerantur pœnæ, quibus subjacent recipientes scienter ordines, vel beneficia, aut dignitates à schismatico 178. 34.

Schismaticus. Vide Schisma.

Scrupulosus.

Scrupuloso licitum est agere contra scrupulos, & eos contemnere 14. 4. Non tenetur scrupulosus ad deponendum scrupulum 14. 6. Scrupulosus, ut rectè operetur, quamvis judicare debeat scrupulum ut talem, non obligatur tamen ad hoc in singulis actibus 14 7. Diversimodè agendum cum scrupulosis non omninò timoratæ conscientiæ 15. 9. Vide conscientia scrupulosa.

Securitas.

Quid sit securitas 213. 3. Huic opponitur nimius timor. Ibid.

Sensualitatis motus an peccaminosi?

Sensualitas, seu concupiscentia secundum se considerata non est peccaminosa. Ejus motus alii sunt primò primi, alii secundò primi 556. 1. Motus primò primi omnis rationis advertentiam prævenientes non sunt peccaminosi 556. 2. Motus secundò primi, si proveniant ex causa nullam habente honestatem, erunt peccaminosi 556. 3. Si proveniant ex causa habente honestatem, non erunt peccaminosi 557. 4. An requiratur advertentia, ut motus sensualitatis peccaminosi sint 557. 5. Qualis consensus requiritur, ut motus sensualitatis sint graviter peccaminosi 557. 6.

Servitus.

Servitus est sexta species juris realis. Et quid sit 194. 10.

Servorum Obligatio erga Dominos.

Quinam veniant nomine servorum 537. 11. Tenentur servi, & subditi ad amorem, reverentiam, & obedientiam suis Dominis, & Superioribus 536. 7. Tenentur servi ad ea præstanda non solùm dominis probis, sed etiam dyscolis 536. 8. Tenentur servi, & subditi ad alimenta ministranda suis Dominis, & Superioribus in necessitate constitutis 536. 9. Tenentur sub gravi servi non solùm ad non inferendum damnum grave dominis suis, sed etiam ad impediendum illud, ne patiantur ab aliis 537. 10. An servi possint ministrare dominis in peccatis eorum absque peccato scandali 182. 15.

Simonia quid sit, & quotuplex?

Simonia à quo nomen traxit 313. 1. Definitur quid sit & explicatur definitio 313. 2. Simonia alia prohibita jure Divino, & naturali; alia jure humano, & Ecclesiastico 313. 3. An Simonia juris humani, & Ecclesiastici sit propriè Simonia 313. 4. Celebris divisio Simoniæ in mentalem, conventionalem, & realem 313. 5.

Simonia quibus actionibus committatur?

Temporale habens rationem pretii, ut labe Simoniæ inficiatur, tradi debet ut pretium rei spiritualis 313. 1. Quæ habent rationem pretii ad Simoniam requisiti ad hæc tria reducuntur, munus à manu, munus à lingua, munus ab obsequio 314. 2. Quænam comprehendantur in munere à manu, & explicantur aliqui casus in particulari per quatuor illationes 314. 3. Quænam comprehendantur in munere ab obsequio 314. 4. Simoniaca est collatio beneficii cum onere docendi grammaticam, musicam, theologiam, vel aliud honestum, & à fortiori si honestum non sit 314. 5. Simoniaca est electio, vel collatio beneficii, si intendatur ipso beneficio persolvere debita contracta ex justitia ratione obsequii præstiti 314. 6. Quænam comprehendantur in munere à lingua 315. 7. An preces, intercessiones, laudes, & adulationes exhibitæ collatori ad obtinendum aliquid spirituale injiciant scrupulum Simoniæ 315. 8.

Ut Simonia cognoscatur in traditione rerum temporalium, quænam observanda sint.

Ad dignoscendum an temporale traditum sit ut pretium rei spiritualis opus est examinare intentionem tradentis 315. 1. Assignatur prima regula dignoscendi ex materia dati, vel accepti; vel ex modo dandi, & accipiendi 315. 2. Assignatur secunda regula an adsit titulus tradendi rem temporalem 315. 3. Quando non habetur titulus excusans, & dubitatur an traditio rei temporalis facta sit gratis, recurrendum est ad circumstantias probabiles, quæ assignantur 315. 4.

Simonia mentalis, conventionalis, & realis.

Quænam sit Simonia mentalis, sive ex parte dantis, sive recipientis, aut utriusque 316. 1. An semper committatur Simonia mentalis, dum temporale intenditur per actionem spiritualem, aut è converso 316. 2. An committatur Simonia mentalis per actum internum circa ea, quæ Simoniaca sunt, quia ab Ecclesia prohibita 316. 3. Quid addat Simonia conventionalis supra mentalem, & quid realis supra mentalem, & conventionalem 316. 4. An Simonia realis, ut talis sit requirat mutuam traditionem ex parte utriusque 316. 5. An possit dari simonia realis, vel conventionalis sine mentali 316. 6. Ad quam simoniam reducatur conventionalis 316. 7.

Simonia quo jure prohibita; & quale peccatum:

Jure Divino, naturali, & humano prohibita simonia 317. 1. Quòd possit jure humano prohiberi satis clarè demonstratur 317. 2. Simonia est grave peccatum contra religionem; non est tamen ejus malitia per se conjuncta cum malitia injustitiæ 317. 3. An adeo mala simonia, ut numquam licita esse possit 317. 4. An possit simonia esse veniale peccatum ob parvitatem materiæ 317. 5.

Simoniæ materia.

Assignantur septem modi continentes materiam Simoniæ jure humano prohibitę 318. 1. An venditio functionum Officiorum extrinsecè tantùm ordinatorum ad res sacras sit simonia, saltem jure humano prohibita 318. 2. An venditio bonorum sive mobilium, sive immobilium Ecclesiæ sit simonia 318. 3. Res sacræ spirituales & supernaturales sunt materia simoniæ jure Divino prohibitæ, & naturali 318. 4.

Simonia quoad Sacramenta.

Pretium exigere pro administratione Sacramentorum simoniacum est 318. 1. An extendatur etiam ad ministrandum sacramentum matrimonii 318. 2. An licitum sit in casu urgentis, vel extremæ necessitatis pretium afferre pro administratione sacramenti 318. 3. Quomodo afferri possit pecunia sine simonia injustè deneganti ministrationem sacramenti 318. 4. Simoniaca est venditio potestatis communicandi Spiritum Sanctum; sicuti etiam venditio gratiæ sanctificantis characteris sacerdotalis, & similium 319. 5.

Simonia quoad Sacramentalia, & Sepulturam?

Quid sacramentalia sint, & alia transeuntia, alia permanentia 319. 1. Pro transeuntibus pretium accipere simoniacum est 319. 2. Idem dicendum pro permanentibus 319. 3. An ratione materiæ, & artificii sacramentalia vendi possint sine simonia 319. 4. Vendere Agnos Dei benedictos simoniacum est jure humano 320. 5. An exigere pretium pro sepultura fidelium sit simoniacum 320. 6. Quomodo Religiosi, aut Clerici Domini alicujus Ecclesiæ, vel Capellæ cum sepultura possint vendere dominium, & proprietatem illius 320. 7. An sine simonia dari possit pecunia ad habendas, vel videndas reliquias 264. 16.

Simonia an committatur vendendo exercitium cujusvis virtutis?

Simoniacum est vendere actus virtutis cedentes in aliorum utilitatem 320. 1. Pro his functionibus aliquid temporale recipi potest in sustentationem Ecclesiæ, & ministrorum; imò pro eis pacisci 320. 2. Cohonestatur usus aliquarum Ecclesiarum promittentium erogantibus talem eleemosynam ministerium spirituale exequiarum, & missarum 320. 3. An Clerici obligati ad aliqua sacra munia obeunda, si ultra congruam sustentationem taxatam aliquid recipiant pro ea; simoniam comittant 320. 4. Quomodo pro actibus virtutis cedentibus in utilitatem propriã non sit simoniacum dare, aut recipere pretium 320. 5. An exigi possit pecunia sine simonia ab ingredientibus religionem 321. 6.

Simonia an sit accipere pretium pro labore in operibus spiritualibus, & pro obligatione faciendi illa.

Labor in operibus spiritualibus alius illis intrinsecus, alius extrinsecus, & accidentalis 321. 1. Simoniacum est pro labore intrinseco operibus spiritualibus pretium accipere 321. 2. Pro labore extrinseco, nec necessario non est simoniacum pretium recipere, & pacisci potest pro obligatione subeundi illum 321. 3.

Simonia an committatur vendendo exercitium cujuslibet scientiæ?

Exercitium cęterarum scientiarum præter theologiam, vendi potest sine simonia 321. 1. Exercitium Theologiæ, excepta interpretatione scripturarum ex speciali instin-

instinctu Spiritus Sancti vendi potest sine Simonia 322. 2. Consilium dare in materia theologica, sive practica, sive speculativa accepto pretio, non est Simoniacum 322. 3. Consilium dare ad pacandam alicujus conscientiam accepto pretio, non est Simoniacum 322. 4. Vendere licentiam ad docendum theologiam, vel ejus magisterium, & Doctoratum, non est Simoniacum 322. 6. An pretium accipere, vel tradere pro docendo Doctrinam Christianam sit simoniacum 322. 7. Pretium accipere, aut tradere pro concione est Simoniacum, nisi sit in sustentationem 322. 8.

Simoniæ materia, an sint tantùm res sacræ spirituales, an etiam res annexæ?

Explicantur duo genera rerum sacrarum, & spiritualium 323. 1. Quænam sint res sacræ, & spirituales per annexionem, & explicantur tres modi annexionis 323. 2. Annexa antecedenter rei sacræ si considerentur, ut annexa illi, vendi nequeunt sine Simonia 323. 4. Annexa consequenter rei sacræ vendi nequeunt absque Simonia 323. 5. Annexa rei sacræ, si cum facultate summi Pontificis vendantur; non habetur Simonia 323. 6.

Simonia in Resignatione confidentiali beneficii.

Quomodo committatur Simonia confidentialis, & quonam pacto prohibita 329. 1. Materia hujus Simoniæ sunt resignationes, collationes, electiones, & præsentationes beneficiorum animo superius explicato factæ; nec non pensionum 329. 2. Quænam personæ subjaceant his constitutionibus; & Quænam actiones per eas prohibeantur 329. 3. Explicantur accessus, regressus, & ingressus ad beneficia 330. 4. An prohibeantur tantùm resignatio beneficii, & pensionis cum accessu, regressu, & ingressu prædicto, An etiam permutatio 330. 5. An resignans beneficium ea intentione, ut resignatarius obligetur vel iterum resignare beneficium in favorem resignantis, vel solvere fructus; violet constitutiones prædictas 330. 6.

Simonia in Resignatione Beneficiorum. Vide Resignatio.

Simoniacorum pœnæ.

Non fit mentio in jure de pœnis imponendis Simoniacis, generaliter fit mentio de simoniaco in beneficio, quod deponendus ab illo, & repellendus ab Ecclesia 331. 1. An pœna depositionis imponi possit pro qualibet Simonia 332. 2. Pœna infamiæ imponi potest pro quacumque gravi Simonia 332. 3. Quibus Simoniis ipso jure sint impositæ pœnæ 332. 4. Quænam impositæ sint simoniacè ingredientibus religionem, & acceptantibus sic ingressos 332. 5. Adnotantur tria spectantia ad simoniam ob ingressum 332. 6. Quænam pœnæ impositæ pro ordine simoniacè dato, vel suscepto 432. 7. Quænam pœnæ impositæ dantibus, vel recipientibus simoniacè beneficia 332. 8. An Simonia in beneficio commissa privet etiam beneficiarium aliis beneficiis ritè acceptis 333. 9. An Simonia in beneficio reddat in habilem ad alia beneficia obtinenda 333. 10. Quænam pœnæ impositæ simoniæ confidentiali 333. 11. An contra mediatores, & interventores in simonia statuta sit pœna 333. 13. An simonia debeat esse completa, ut simoniacus incurrat pœnas ipso jure statutas 333. 14.

Simoniacè acquisita quænam restitui debeant, & Cui?

Simoniacè spiritualia acquisita non sunt obnoxia restitutioni 334. 1. Comparans Reliquias sanctorum, Grana benedicta, jus patronatus, vel licentiam eligendi confessarium; licet peccaverit non tenetur ea dimittere; quamvis dimittenda sint beneficia per simoniam realem comparata 334. 2. Temporalia simoniacè acquisita pro præsentatione, collatione, confirmatione beneficii, aut alterius juris spiritualis restituenda sunt danti non adimpleta conditione 334. 3. Quæ quidem restitutio fieri debet ante judicis sententiam 334. 4. Facienda est restitutio ex jure communi Ecclesiæ beneficii, quamvis ex arbitrio Superioris fieri possit pauperibus 334. 5. Non est improbabile, quòd restitutio ante sententiam judicis fieri possit danti 334. 6. Temporale pro qualibet alia Simonia ex jure Ecclesiastico acceptum non debet restitui ante sententiam judicis 334. 7. Pretium simoniacè acceptum sine injustitia contra tradentem non est obnoxium restitutioni ex jure naturali Divino. Secùs si cum injustitia 334. 8.

Simoniaci à quibus possint dispensari?

Ante Simoniam juris Ecclesiastici contractam solus Pontifex dispensare potest 334. 1. Pœnæ ferendæ, si jam impositæ sint à judice; non possunt dispensari à judice Pontifice inferiore 335. 2. Pœnæ ipso jure latæ à solo Pontifice dispensari possunt ex jure communi 335. 3. Adnotantur aliqua circa pœnam suspensionis 335. 4. Adnotantur aliqua circa pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ 335. 5. Quid dicendum de dispensatione inhabilitatis contracta à recipientibus simoniacè beneficium 335. 6. An possit Episcopus dispensare in inhabilitate orta ex simonia occulta 335. 7. Quænam sit forma dispensationis in pœnis ob simoniam contractis 335. 8.

Sobrietas, & vitia opposita.

Tripliciter accipi potest sobrietas, genericè, minus largè, strictè 217. 1. Tertio modo accepta est species temperantiæ 218. 2. Quodnam sit munus sobrietatis 218. 3. Quibus personis maximè necessaria sobrietas 218. 4. Vitium sobrietati oppositum per excessum est ebrietas, per defectum non datur 218. 5.

In Societate Jesu ingressum quæ specialiter impediant?

In Societatem Jesu aliqua impedimenta sunt primaria, & substantialia; aliqua verò secundaria, & accidentalia 401. 1. Primum impedimentum substantiale est infidelitas, quæ quatuor partes sub se continet, & omnes explicantur 401. 2. Secundum est homicidium perpetrasse, aut perpretrari jussisse cum deliberatione effectu secuto, aut infamem esse ob enormia peccata commissa 402. 3. Tertium est habitum sumpsisse alicujus Religionis fratrum, aut Clericorum, vitam aliquando cum eis agendo in obedientia, etiamsi professionem non emiserit, aut si quis eremita fuerit cum vestibus monachalibus 402. 4. Quartum est vinculum matrimonii consummati 403. 5. Quintum est infirmitatem pati, unde obscurari, vel parum sanum judicium alicui esse soleat; aut dispositionem notabilem ad hujusmodi infirmitatem habere 403. 6. Aliquod ex istis impedimentis in examine reticere, aut in eo mentiri, itaut ex admissione grave incommodum societati oriatur, grave peccatum est, & superioribus ejusdem Societatis reservatur 403. 7. Impedimentum originis ex Hebræis, vel Saracenis, quamvis inter substantialia non enumeretur; indispensabile tamen est à Præposito Generali 403. 8. Explicantur impedimenta accidentalia, quæ reddunt illicitum ingressum in societatem jesu 493. 9. Sex enumerantur, quæ spectant ad interiora hominis 403. 10. Enumerantur tria spectantia ad exteriora hominis 403. 11. Additum his impedimentis gaudere in Hispania jure majoratus 403. 12. Ligatus aliquo ex impedimentis accidentalibus, si admitteretur in societatem à non habente facultatem dispensandi in illis; invalidè reciperetur, sive ei detectum fuerit impedimentum, sive non 404. 13. Quid dicendum de ligato admisso ab habente facultatem dispensandi, si non detegat impedimentum, sed malitiosè taceat 404. 14. Facultas admittendi novitios in societatem jesu est penes Præpositum Generalem, nec alii superiores admittere possunt, nisi ab eo communicatam habeant facultatem 404. 15. Ligatus impedimentis substantialibus admitti poterit in Societatem ex facultate summi Pontificis, vel ejus Legati, aut Nuncii, vel summi Pœnitentiarii non repugnante Præposito Generali 404. 16.

Societati Jesu vota annexa præter solemnia.

Omnes ferè Religiones votis essentialibus alia vota adjungere solent; sed enumerantur tantùm ea quæ spectant ad Societatem Jesu 441. 1. Qui vota substantialia, quamvis simplicia biennii emiserunt obligantur etiam voto ab illis distincto ingrediendi Societatem, ut vitam in ea perpetuo degant, omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones 441. 2. Professi Societatis Jesu, & Coadjutores spirituales formati ligantur voto distincto à substantialibus speciali curæ circa puerorum eruditionem 442. 3. Professi quatuor votorum Societatis Jesu ultra tria vota solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ ligantur voto solemni, & substantiali specialis obedientiæ summo Pontifici circa missiones 442. 4. Professi Societatis Jesu tam quatuor, quam trium votorum solemnium ligantur quinque votis simplicibus, quorum primum est, nulla ratione agere, aut consentire, ut quæ in constitutionibus circa paupertatem ordinata sunt immutentur 442. 5. 2. Est ne unquam agant, ut prætendant, ne indirectè quidem, ut in aliquam prælationem, vel dignitatem in societate eligantur, vel promoveantur 443. 6. 3. Est numquam curare, vel prætendere extra societatem prælationem aliquam, vel dignitatem; nec consentire in sui electionem quantum in se fuerit, nisi coactus obedientiâ ejus qui ei præcipere potest sub pœna peccati 443. 7. 4. Est; quod si sciant aliquem curare, vel prætendere Prælationes, & Dignitates intra, vel extra Societatem; manifestabunt illum,

& rem totam Societati, veleius Præpoſito 444. 8. 5. Eſt. quod ſi fortè in Præſides aliquarum eccleſiarum promoti fuerint, non detrectabunt audire conſilia Præpoſiti Generalis, vel alterius ab eo ſubſtituti; & ea ſequi, ſi meliora, & Deo gratiora judicaverint præ illis, quæ ipſis in mentem venerint 444. 9. Prædicta quinque vota ſunt ſimplicia, & cur 445. 10. Pontifex tantùm diſpenſare poteſt primum, & tertium ex prædictis votis 445. 11. Alia præcepta, & cenſuræ impoſita ſunt Religioſis Societatis Jeſu, quorum tamen obligatio non oritur ex vi voti ſpecialis, ſed ex vi præcepti Præpoſiti Generalis, aut Congregationum generalium 445. 12.

Societatis Jeſu Privilegia.

Religioſis Societatis Jeſu ad alias Religiones tranſeuntibus privilegia explicantur 472. 9.

Societatis Contractus.

Quid ſit Societas 658. 1. Quænam requirantur ad validitatem contractus ſocietatis 658. 2. Quinam poſſint contractum ſocietatis inire 658. 3. Quænam damna & quænam expenſæ debent eſſe communia ſociis 658. 4. An licitum ſit in contractu ſocietatis apponere pactum cum ſociis, ſervandi indemnem ſortem collatam, & percipiendi parvum aliquod lucrum 658. 5. Quomodo contractus ſocietatis licitè iniri poſſit, quando alter confert ſortem, alter operam 659. 6. Quibus modis terminetur ſocietas 659. 7.

Sodomia.

Definitur Sodomia 574. 1. Sodomia ex ſe graviſſimum peccatum eſt, turpiſſimum, & nefandum 574. 2. An Sodomia ultra ſuam malitiam aliam habere poſſit aperiendam in confeſſione 574. 3. Quænam pœnæ inflictæ ſint contra Sodomitas 575. 4. An in confitendo Sodomiam aperienda ſit circumſtantia agentis, vel patientis 575. 5.

Sollicitatio ad Venerem. Vide Confeſſarius ſollicitans.

Somnia.

Quænam fides danda ſomniis; & quando eſt ſuperſtitio, & grave peccatum 302. 5.

Spes?

Spes quid ſit 146. 1. Dari virtutem Spei eſt fide ſanctum 147. 2. Aſſignatur ejus objectum præcipuum 147. 3. Licèt ſpes reſpiciat Deum viſum, & ſuum præcipuum objectum, reſpicit tamen alia, ut ſua objecta ſecundaria 147. 4. Aſſertur diſtinctivum ſpei à fide, & charitate 147. 5.

Spei actus, & habitus.

Spei actus eſt duplex, unus proſecutionis in bonum ſibi conveniens, & vocatur ſpes; alter verò fugæ à malo ſibi diſconveniente, & dicitur timor 147. 1. An actus proſecutionis circa alienam beatitudinem ſit actus ſpei 147. 2. An licitum ſit ſperare beatitudinem ex propriis meritis 147. 3. An bona temporalia ſperari poſſint virtute ſpei 148. 4. An fugere à malo, & juſtitiam proſequi ex præciſo timore gehennæ; ſit actus ſpei 148. 5. Habitus ſpei, & timoris habentur in Viatoribus juſtis 148. 6. Beati qui ſunt in termino, non habent propriè actus ſpei, quamvis in ipſis remaneat habitus ſpei 148. 7. Idem dicendum de timore orto ex virtute ſpei 148. 8. In animabus Purgatorii dantur veri actus ſpei 148. 9. Damnati in inferno nec habitum ſpei habent, nec ejus actus exercent 148. 10. Chriſtus Dominus in hac vita degens habitum ſpei habuit, & ejus actus exercuit 149. 11.

Spei præceptum an detur; & quando obliget.

Spei præceptum duplex, & de fide eſt utrumque obligare 149. 1. Quando obliget præceptum negativum ſpei, & quando affirmativum 149. 2. Obligatio eliciendi actum ſpei cum quis graviter tentatur contra ſpem, potius provenit à præcepto vincendi tentationem, quàm à præcepto ſpei 149. 3. Satisfit præcepto poſitivo ſpei à fidelibus, tum quando dolent de peccatis, tum quando propoſitum faciunt non peccandi de cætero 149. 4. An ſit præceptum eliciendi actum timoris? & quando obliget 149. 6. Ad juſtificationem peccatoris non requiritur formaliter, & expreſſè aliquis actus timoris, ſed ſat eſt, ſi virtualiter concurrat 150. 6. Etiamſi daretur ſpeciale præceptum de actibus timoris rarò homines illud omitterent 150. 7.

Sponſa.

An Sponſa, quæ delectatur de actu conjugali ſemper graviter peccet 558. 10.

Sponſio.

Quid ſit Sponſio? & quænam requirantur ut licita ſit 659. 1. An ſpondens cum altero de re, quam certò ſcit, & ſcientiam ſuam illi manifeſtat, qui nihilominus ſpondere vult, licitè ſpondere poſſit 659. 2. An licita ſit ſponſio; quando alter ſpondens non certò ſcit rem futuram, ſed probabiliter putat futuram ex ſignis, conjecturis, & fide humana 660. 3. An ſpondens Cajum intra annum occiſurum Titium, vel in prandio ſuperaturum illum in comedendo, & potando; licitè ſpondeat 660. 4. An ſpondens per quem ſtat, ne ſponſio adimpleatur, teneatur ad ſolvendam illam 660. 5.

Stabularii.

Ex quanam culpa in cuſtodiendis alienis animalibus teneantur ad reſtitutionem ſi pereant 629. 11.

Status religioſi natura: & quotuplex ſit.

Natura ſtatus religioſi quid eſt 397. 1. Dicitur ſtatus, ut denotet immutabilitatem 397. 2. Eſt ſtatus perfectionis adipiſcendæ non adeptæ 397. 3. An tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ debeant eſſe omnimodè talia 397. 4. An ad eſſentiam ſtatus Religioſi requiratur, quod tria vota ſolemnia ſint 398. 5. In quonam conſiſtat ſolemnitas votorum 398. 6. Ex parte ſuſcipientis ſtatum Religioſum requiritur traditio ſui religioni 398. 7. Requiritur inſuper quod tria vota, & traditio ſui fiant in religione à S. Sede approbata 398. 8. Status Religioſus ſuam originem trahit à Chriſto Domino 398. 9. Multiplex eſt Religioſus ſtatus multiplicitate accidentali, non verò eſſentiali 398. 10. Ratione finis dividi ſolet religioſus vivendi modus in vitam activam, contemplativam, & mixtam 398. 11.

Statum religioſum quæ perſonæ aſſumere poſſint, & quæ impediantur ab eo ſumendo?

Omnes fideles, qui ſui juris ſunt, nec aliis obſtricti, ſi jure naturæ, aut poſitivo non impediuntur, ſtatum religioſum aſſumere poſſunt 399. 1. Epiſcopi abſque licentia Pontificis ſtatum religioſum aſſumere nequeunt relicto Epiſcopatu 399. 2. Filii familias, impuberes, & ſervi nequeunt ſtatum religioſum aſſumere 399. 3. An filii puberes impediantur à ſtatu religioſo aſſumendo ob neceſſitates parentum 399. 4. An quis impediatur ab eo aſſumendo ob neceſſitates Avorum, Fratrum, aut Sororum 400. 5. Obſtrictus debitis, & ratiociniis reddendis impeditur à ſtatu religioſo aſſumendo 400. 6. Conjuges matrimonio jam conſummato quomodo poſſint ſtatum religioſum aſſumere 400. 7. An ob paupertatem Domus religioſæ excludi queant volentes aſſumere ſtatum religioſum 400. 8.

Status religioſi ſuſceptio per profeſſionem & quibus modis fieri poſſit profeſſio?

Suſceptio ſtatus religioſi fit per profeſſionem, quæ ſita eſt in traditione ſui Religioni à S. Sede approbatæ per tria vota perpetua 413. 1. Profeſſio alia eſt expreſſa, alia, tacita, explicatur expreſſa 413. 2. An ad profeſſionem expreſſam requiratur ſcriptura 413. 3. Conveniens eſt ut fiat ſcriptura. Et Religio compellere poteſt tacitè profitentem ad eam faciendam in ſcriptis 413. 4. Ex parte admittentis profeſſionem non requiruntur verba, aut ſcriptura; ſed ſufficit quodlibet ſignum acceptationis illius 414. 5. Profeſſio quamvis conveniens ſit fieri per propriam perſonam; facta tamen per Procuratorem valida eſt 414. 6. Valida eſt profeſſio facta extra eccleſiam, vel nondum ſuſcepto habitu religioſo 414. 7. Profeſſio fieri debet per traditionem continentem vota paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ 414. 8. Quænam dicatur tacita profeſſio 414. 9. Conditiones à Tridentino requiſitæ pro expreſſa profeſſione ſervanda ſunt in profeſſione tacita 414. 10. In Societate Jeſu nequit habere locum profeſſio tacita 415. 11.

Studioſitas, & vitia oppoſita.

Quid ſit ſtudioſitas 221. 7. Quod nam ejus munus ibid. ſtudioſitati opponitur curioſitas per exceſſum, negligentia per Defectum 221. 6.

Studioſitas.

Stupiditas & vacuitas opponuntur fortitudini per exceſſum 212. 3. Quod nam peccatum ſit ſtupiditas, ſeu Intimiditas 213. 4. Ad ſtupiditatem reducitur ſecuritas peccantium. Ibid.

Stupor.

Quid ſit Stupor 217. 7. Stupor opponitur abſtinentiæ per Defectum 217. 6.

Stuprator. Vide ſtuprum.

Stuprum.

Quid ſit ſtuprum 565. 1. Ex ſe grave peccatum eſt habens malitiam diſtinctam à ſimplici fornicatione 565. 2. An liberè conſentiente Virgine in ſui defloratione habeatur ſtuprum 565. 3. Ad quid teneatur corruptor Virginis ſpontè conſentientis 566. 4. Ad quid teneatur ſtuprator occultus, qui vi, & metu, aut mendaciis copulam à Virgine extorſit 566. 5. Ad quid teneatur ſtuprator occultus puellæ per vim, & fraudem ſtupratæ æque benè nuptæ,

nuptæ, ac si non fuisset corrupta 566. 6. Ad quid teneatur stuprator cognoscens fœminam per vim & fraudem quam Virginem putabat, sed corruptam invenit ab alio 566. 7. Ad quid teneatur ille, qui vi, ac fraude & mendaciis ita puellam sollicitavit, ut fuerit ipsi causa infamiæ, ac si eam defloraſſet 566. 8. An si puella condonaverit stupratori obligationem restituendi, adhuc stuprator aliquid restituere teneatur ipsi, vel ejus parentibus 556. 9. Ad quid stuprator se offerens ad ducendam virginem stupratam in Matrimonium, si ipsa nolit, aut ejus parentes 566. 10. An si stuprator precibus importunis tantùm, aut blanditiis, vel muneribus copulam à virgine extorserit; teneatur ad aliquam restitutionem 567. 11. An virgo corrupta per copulam, vel alio modo velari possit, & sacrari 567. 12. An virgo occultè corrupta; quæ jam velata, & sacrata est; teneatur desistere ab illis officiis, quæ virginibus velatis, & sacratis conferuntur 567. 13. An dispensare in hoc possit cum virginibus occultè corruptis 567. 14.

Subditus.

Subditus an peccet dispensationem petens sine justa causa 72. 8. Subditus an teneatur contra propriam opinionem obedire superiori præcipienti 8. 20. Subditus dubitans de honestate rei præceptæ, aut de materia præcepta an excedat potestatem superioris; tenebitur obedire, nisi probet inhonestatem, aut excessum 12. 20. Idem dicendum de subditis religiosis 12. 21. An subditus dubitans de honestate rei præceptæ, aut de excessu potestatis, eximatur ab obediendo, si timeat sibi probabiliter non leve damnum 12. 22. Extenditur quæsitum ad præceptum nimis molestum, & durum 12. 23. Subditi diversimodè obligantur à justitia legali, ac obligetur superior 190. 6.

Subsannatio.

Quid sit subsannatio, & an specie differat à derisione 696. 7.

Subsidium charitativum.

Quid sit subsidium charitativum 297. 4. Subsidium charitativum regulariter solvendum non est ex distributionibus quotidianis 297. 8.

Superior.

Superior directè dispensare potest secum ipso in legibus superioris, votis, & juramentis à se emissis, si potest cum suis subditis; nisi expressè prohibeatur 70. 3. Superior nequit secum ipso directè, & immediatè dispensare in censuris etiamsi possit cum suis subditis 70. 4. Superior an dubitans de sufficientia causæ peccet dispensando 72. 7. Superior an stante justa causa semper teneatur dispensare 75. 19. Aliquando verba superioris ex se præceptiva non important ex recepta consuetudine obligationem sub gravi 26. 7. Superior dum aliquid præcipit, præcipit etiam media necessaria ad executionem illius 42. 1. An superior revocare possit absque causa dispensationem factam ab inferiore 111. 13. Superior diversimodè obligatur à justitia legali, ac obligentur subditi 190. 6. Quinam superiores irritare possint juramenta facta in Dei honorem 356. 5. Quinam superiores irritare possint juramenta in favorem hominum facta 356. 6. An superior consentiens in juramenta subditorum, & Pater filiorum possint postea ea irritare 356. 12. An possit Superior irritare votum religiosi subditi, si ejus facultate sit factum 389. 11. Superior, aut Prælatus non solum poterit novitium punire, si contra regulas, & constitutiones deliquerit, sed etiam si contra leges egerit 405. 6. Superior non impediens infamiam à suo subdito provenientem alteri tenetur ad restitutionem, si poterat talem infamiam impedire, & non impediat 693. 11. Superiores tenentur non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia curam habere salutis spiritualis suorum subditorum 536. 1.

Superstitio.

Quid nominis superstitio, & quid rei 300. 1. Superstitio alia qua Deo tribuitur cultus indebitus; alia qua cultus Deo debitus tribuitur creaturæ 300. 2. Superstitio per cultum Deo indebitum evenire potest dupliciter, si sit superfluus, aut si falsus. Et explicatur cultus superfluus 300. 3. Explicatur cultus falsus 300. 4. Superstitio falsi cultus ex genere suo est grave peccatum 300. 5. An admiscere in divinis officiis turpem sonum, aut cantum vanum sit superstitio falsi cultus, & grave peccatum 300. 6. An jejunare die Dominico sit gravis superstitio falsi cultus 300. 7. Tripliciter cultus Deo debitus tribui potest creaturæ 301. 8.

Suspensio.

Adnotantur aliqua circa pœnam suspensionis contractæ ab eo qui simoniacè ordinatus fuit 335. 4.

Suspicio.

Quid sit suspicio? quomodo differat à judicio temerario, & dubitatione 682. 1. Suspicio temeraria regulariter est leve peccatum 683. 8. An qui de alio malè suspicatur cum sufficienti motivo possit suspicionem suam alteri aperire 683. 9. Quomodo discerni possit suspicio à judicio temerario quando non est expressa formido de opposito 683. 10.

Susurratio.

Quid sit susurratio, & quomodo distinguatur à contumelia, & derisione 696. 13. Ex genere suo grave peccatum est susurratio, quamvis ex inadvertentia, & deliberatione possit esse leve peccatum 696. 14. An aliquando possit esse licita susurratio ibid. An licitum sit aliquorum amicitiam disrumpere, ut quis eam sibi conciliet 696. 15.

T

Tactus, Aspectus, Amplexus, & Turpiloquia extra Matrimonium an, & qualia peccata sint? Vide Oscula.

Temperantia.

Quid Temperantia largè, quid strictè accepta 216. 1. Quænam sit materia temperantiæ 216. 2. Quodnam ejus munus 216. 3. Assignatur regula temperantiæ in delectationibus cibi, & potus 216. 4. Dividitur temperantia in partes integrales, subjectivas, & potentiales, & assignantur integrales 216. 5. Assignantur subjectivæ 216. 6. Assignantur Potentiales 216. 7.

Temperantiæ vitia opposita.

Vitia Temperantiæ opposita sunt Intemperantia, & stupor 216. 8. Intemperantia opponitur per excessum, stupor, seu insensibilitas per defectum ibid.

Temperantiæ virtutes annexæ, & vitia eis opposita.

Continentia, Humilitas, Studiositas, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Parcitas, Eutrapelia 220. 221. 222. 223. 1. usq. à 18.

Tentatio Dei.

Quid veniat nomine tentationis Dei 309. 1. Tentatio alia conjuncta cum infidelitate, alia sine illa, & hæc est multiplex 310. 2. Absque justa causa Deum tentare regulariter loquendo est grave peccatum 310. 3. Peccat mortaliter qui Deum tentat cum aperto periculo gravis damni, aut cum periculo scandali, vel ex intentione videndi opus supernaturale 310. 4.

Testamentum.

Quid sit Testamentum 662. 5. Testamentum aliud est clausum, & inscriptis; aliud apertum, seu nuncupativum 663. 6. Quænam requirantur ad clausum, quænam ad nuncupativum ibid. An Testamentum factum sine solemnitatibus à jure civili requisitis sit validum? & an legata in eo contenta solvi debeant 663. 7. Quinam testari possint; & qui non 663. 8. An Clerici beneficiarii sæculares testari possint 664. 9. Quinam possint instituì in Testamento hæredes, vel Legatarii, 664. 11. An filii illegitimi instituì possint hæredes 664. 11. An Testamentum, & Legatum revocari possint 665. 13.

Testis.

Testes ut legitimam, & plenam probationem faciant in judicio; saltem debent esse duo cum debitis requisitis 676. 11. Enumerantur quatuor requisita in testibus, ut legitimam probationem faciant 676. 12. Quinam repellantur à testificando 676. 13. An semper quis teneatur testificari, aut denuntiare judici præcipienti 676. 14. Judici legitimè interroganti, & præcipienti debet testis aperire veritatem, nisi justam causam habeat reticendi illam ibid. Quænam sint justæ causæ veritatem reticendi, aut non testificandi, vel non denuntiandi judici etiam præcipienti 675. 15. Ad quid teneatur testis, si testificari nolit, aut veritatem occultet 676. 16. Si testis fugiat, vel se occultet, ne citetur ad testimonium ferendum; nec peccat contra justitiam, nec tenetur ad resarciendum damnum inde sequens proximo 677. Si legitimè ac juridicè citatus fuerit, nec ex testimonio ullum grave damnum sibi, vel suis immineat; an inquam teneatur ad damni reparationem, & peccet contra justitiam si fugiat, aut alia arte testimonium evitet 677. Ad quid teneatur testis ob falsum testimonium prolatum 677. 17. An possit testis pecuniam accipere pro testimonio ferendo, aut expensas exigere ad testimonium faciendum necessarias 677. 18.

Thesauri abscónditi quibus competant?
Quid veniat nomine Thesauri, & quibus competant 607. 3.

Timiditas.
Timiditas opponitur fortitudini per defectum 212. 1. Quodnam peccatum sit timiditas 212. 2.

Timoris habitus. Vide Spei actus.

Transitus ex una ad aliam Religionem quomodo Religiosis probibitus?
Transitus ex Religione stricta potest esse ad aliam minus strictam, æqualem, vel strictiorem 469. 1. Vide Religiosis quomodo prohibitus transitus.

Tutela.
Quid sit Tutela 662. 1.

Tutor.
Quid sit Tutor 662. 1. Ad quid teneatur Tutor respectu pupilli 662. 2. Ex quanam culpa teneantur Tutores, si in proprio officio delinquant 662. 4. Quomodo differat Tutor à Curatore 662. 1.

V

Vagi.
Quomodo vagi teneantur legibus, & consuetudinibus locorum ubi reperiuntur? Vide Legibus tam civilibus, quàm ecclesiasticis qui subjecti?

Venatio.
Venatio prohibita Clericis à fortiori prohibetur Religiosis 468. 26.

Venatione animalia capta quibus competant?
Animalia quædam ex natura sua fera sunt, quædam domestica. Ex feris quædam mansueta redduntur, sicuti è domesticis quædam sylvestria evadunt 608. 1. Animalia fera fiunt primi occupantis 608. 2. Animalia ex natura sua domestica etiamsi longo tempore aberrent à dominis suis, non ideo fiunt primi occupantis 608. 3. Animalia ex natura sua fera usu, & consuetudine reddita jam mansueta non fiunt primi occupantis, sed sub potestate Domini sunt 608. 4. Quandonam animalia fera, quę sub potestate Domini erant, dicuntur in suam pristinam libertatem redire 608. 5. Quando animalia mansuefacta dicuntur amisisse consuetudinem redeundi ad Dominum 609. 6. An licitum sit Columbas ex alieno columbario ad proprium allicere? & an licita sint columbaria 609. 7. Cujus sint animalia fera 609. 8. An possit Princeps licitè sibi reservare venationem, aucupium, aut piscationem in locis, quæ sunt publici juris 609. 9. An licitum venari in alieno prædio; & ad quid teneantur venantes, & piscantes contra prohibitionem factam 609. 10. An injustè prohibens alicui venationem, aucupium, aut piscationem teneatur resarcire damnum illatum illi 609. 11. Cujus sit fera ab uno vulnerata, ab alio tamen capta 609. 12. An fera capta instrumento parato ab alio, si capiatur à transeunte fiat hujus 610. 13.

Venditio.
Definitur venditio 663. 1. An si ob contractum venditionis, & emptionis solvi debeat vectigal, solvendum sit statim post mutuum consensum, an post traditionem rei 633. 2. In quorum consistat justitia contractus venditionis, & emptionis 633. 3. Quodnam sit justum pretium rerum venalium 633. 4. Quid faciendum, si pretium naturale discrepet à legitimo 634. 5. An licitum sit aliqua vendere supra legitimum pretium quæ in bonitate excedant, quæ passim tali pretio venduntur 634. 7. An liceat aliquando rem pluris vendere, aut minoris emere, quam ipsa valeat 634. 8. An res carentes pretio legitimo, vel vulgari possint quanti plurimi vendi à Domino 635. 9. An aperiendi sint defectus rei vendendæ 636. 12. An quærenti vinum Syracusanum vendi possit pro eo Messanense absque læsione pretii 636. 13. An vino generoso immisceri possit aqua, & vendi currenti pretio cæterorum non generosorum 636. 14. Ad quem spectant fructus rei venditæ pro medio tempore ante contractus dissolutionem 636. 15. An venditio, & emptio licitæ sint cum pacto redimendi, vel retrovendendi 637. 16. An possit aliquis retinere sibi ex pretio id, quo pluris vendidit rem, aliundè taxatam in pretio à Domino 637. 17.

Venæ Metallorum.
Quibus competant 608. 15.

Vexatio in Beneficiis an possit redimi: & quomodo?
Beneficiarius habens jus acquisitum in beneficio poterit sine labe simoniæ vexationem sibi redimere factam contra tale jus; secus verò si firmum non fuerit 331. 5. Habens jus ad beneficium per institutionem certam, aut liberam electionem poterit sine simonia redimere vexationem ab injuste impediente possessionem 331. 6. Secus verò dicendum de jure nondum acquisito, si vexatio sit ab iis ad quos spectat collatio beneficii; non verò si sit ab aliis ad quos non spectat 331. 7.

Vicarius Episcopi.
Nomine Vicarii Episcopi, & Officialis Diœcesani quis veniat 104. 23. An veniat vicarius capituli sede vacante 104. 24. Quæ dicuntur de vicario Episcopi intelligi debent de vicario Prælati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem 104. 25. Vide Privilegium, Rescriptum, & Dispensatio an amittantur?

Vidua.
An Vidua quæ delectatur de actu conjugali, semper graviter peccet 558. 10.

Violatio Clausuræ per quem ingressum fiat?
Ingredi monasteria clausurata monialium, seu septa intra januam semper clausam; ita ut verificari possit, quod ingrediens sine legitima facultate sit completè in clausura; est violatio clausuræ sub pœnis prohibita 452. 1. Personæ quibus prohibetur ingressus in clausuram monialium sunt omnes cujuscumque generis, conditionis, & sexus. Tacitè excluduntur aliquæ ab hac prohibitione 452. 2. An virgo volens habitum religiosum assumere possit monasterium ingredi sine licentia ad illud invisendum; Et an monialis cum facultate egressa possit aliud Monasterium ingredi sine licentia ad illud invisendum 452. 3. An infantes usum rationis non habentes illud ingredi possint sine licentia 452. 4. Quid dicendum de perpetuo amentibus, ac rationis usu carentibus 452. 5. Qui possunt facultatem concedere ingrediendi monasteria sunt Episcopi, & eorum Vicarii Generales, Abbates, & Priores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suis Territoriis exemptis; nec non Prælati Regulares respectivè ad sua Monasteria 452. 6. An facultas ista delegari possit Abbatissæ, vel Confessario Monasterii pro casibus sepè contingentibus 452. 7. An Episcopus, aut Superior regularis possint Monasteria ingredi 453. 8. Quomodo concedenda sit licentia ista ab habentibus facultatem eam concedendi 453. 9. An etiam scriptura requiratur pro casibus frequenter contingentibus, & à jure concessis 453. 10. An quando licentia nec in scriptis, nec oretenus peti possit à Superiore, saltem peti debeat ab Abbatissa 453. 11. An ingrediens Monasterium extra casum urgentis necessitatis cum licentia oretenus obtenta graviter peccet, & incurrat pœnas latas contra ingredientes 453. 12. An licentia in scriptis concessa finiatur primo actu 453. 13. Quænam causæ sint necessariæ ad concedendam hanc licentiam 454. 14. Quomodo causa necessaria debeat esse manifesta 454. 15. Subduntur nonnulli casus particulares dandi licentiam ob necessitatem Monasterii 454. 16. Excluduntur aliqui casus non dantes in hoc sufficientem causam ad licentiam 454. 17. Subduntur aliqui casus dantes causam ob necessitatem singularum monialium 455. 18. Excluduntur aliqui casus non sufficientes pro tali necessitate 455. 19. Subduntur aliqui casus dantes causam ob necessitatem Ingredientium 455. 20. An ingrediens Monasterium cum facultate ob necessitatem, si finita necessitate non statim egrediatur; clausuram violet, & incurrat pœnas 455. 21. An ingrediens, ex prętextu necessitatis, si revera opus necessarium præstare non intendat; clausuram violet, & pœnas incurrat 456. 22. An si simul cum intentione præstandi opus necessarium curiositate ductus videndi Monasterium ingrederetur, violaret clausuram, & incurreret pœnas 456. 23. An ingrediens ex causa vera tempore concessionis, sed non existente tempore ingressus; violet clausuram, & pœnas incurrat; & quid si viceversa eveniret 456. 24. An sit licitus ingressus concessus sine causa, vel cum ea cognita insufficiente 456. 25. An concedens facultatem sine legitima causa incurrat excommunicationem 456. 26. Enumerantur pœnæ impositæ contra ingredientes sine debita facultate 456. 27. Enumerantur pœnæ impositę contra facientes ingredi, aut permittentes ingressum 457. 28. Enumerantur pœnæ impositæ contra Moniales præsumentes admittere ingredientem prætextu licentiarum ab Episcopo, vel Superiore concessarum ibid.

Violatio Honoris. Vide Contumelia.

Violatio Personarum sacrarum.
Violatio personarum sacrarum multipliciter evenire potest 311. 5.

Virginitas, & vitia opposita.
Quid sit Virginitas, & quid addat supra castitatem per-

perfectam 219. 4. Virginitas amittitur omnibus modis, quibus amittitur castitas 219.5. Assignantur quatuor modi, quibus ita amittitur virginitas, ut recuperari nequeat 219. 6. An virgo involuntariè passa stuprum velari possit velo consecrationis 220. 7. Quid dicendum de violata mente, & corpore, sed occultè; itaut penes omnes virgo reputetur 220. 8. Vitia castitati, pudicitiæ, & virginitati opposita sunt Luxuria, & ejus species 220. 9.

Vis.

An vis voluntarium auferat 227. 13.

Voluntarium.

Voluntarium quid sit 223. 1. Quid addat liberum voluntario 223.2. Voluntarium aliud directè tale, & in se; aliud indirectè, & in causa 224. 3. Datur voluntarium etiam expressum, & interpretativum 224.4. Quomodo voluntas cum non sit, permanere censeatur 224. 5. Quomodo imputari possit ad culpam effectus, qui ex actione voluntaria emanat, sed actu vitari nequit 224. 6.

Voluntatis passio in se, & in suis potentiis, & quænam possint voluntarium auferre.

Voluntas in sua nativa inclinatione vim pati nequit; secus verò secundum appetitum elicitum 225. 1. An ira, concupiscentia, aut alia passio auferant voluntarium, aut saltem minuat 225. 2. An metus voluntarium auferat, aut saltem minuat 225. 3. An metus mortis, vel alterius gravis damni excuset à transgressione præceptorum 225. 4. Non excusat in iis, quæ intrinsecè mala sunt 226. 5. An homicidium innocentis sit aliquando cohonestabile 226. 6. An comestio carnium hominum interfectorum licita esse possit 226. 7. Metus mortis excusat ab observatione præceptorum divinorum positorum, respicientium utilitatem specialem operantis; non verò bonum commune 226. 8. Metus mortis excusat ab observatione legum humanarum ecclesiasticarum, & civilium; dummodo non respiciat bonum Religionis, aut bonum commune 227. 9. Quomodo dignoscendum quando lex humana obliget cum periculo vitæ 227. 11. Quid dicendum de alio gravi damno extra periculum vitæ 227. 12. An vis voluntarium auferat 227. 13. An ignorantia voluntarium auferat 227. 14. Sola ignorantia invincibilis, antecedens; justa, & probabilis aufert voluntarium 228. 15. Quænam requirantur ad ignorantiam vincibilem, & quænam ad invincibilem 228. 16. Suborto dubio de obligatione aliqua nequit ignorantia dici invincibilis nisi adhibita diligentia investigandi veritatem 228. 17. Quarum rerum dari possit invincibilis ignorantia 228. 18. An ignorantia vincibilis minuat culpam 228. 19. An ignorantia vincibilis, quæ non sit affectata; vel crassa, ita culpam minuere possit, ut ex mortali venialem reddat 229. 20. An peccatum ex ignorantia vincibili commissum sit ejusdem speciei cum eo, quod ex scientia procedit 229. 21. An ipsamet ignorantia vincibilis peccatum sit 229. 22. Ad quam specie peccati reduci potest ignorantia vincibilis 229. 23.

Votum quid sit?

Quid veniat nomine voti, & quomodo definitur 360. 1. Quinque requiruntur ad perfectam rationem voti, & explicantur 360. 2. Quonam actu compleatur votum, intellectus ne, an voluntatis 360. 3. An propositum exequendi rem aliquam honestam in Dei cultum sufficiens sit ad votum 360. 4. An plura peccata committat qui votum violat pluries repetitum, & per repetitionem illam intendat vovens novam sibi obligationem imponere 246. 7.

Ad Votum constituendum quænam deliberatio, seu libertas requiratur?

Requiritur ad votum perfecta deliberatio, & libertas 361. 1. Et sufficit quæ ad peccandum mortaliter sufficiens est 361. 2. Semiplena deliberatio, & libertas non sufficit 361. 3. Qui repentino quodam motu, & consuetudine vovent non advertentes ad id, quod faciunt, caret plena deliberatione ad vovendum 361. 4. Obligat ne votum, quando dubitatur an plena deliberatione sit factum 361. 5. An actu, dum votum omittitur requiratur usus rationis 361. 6. An deliberatio virtualis sufficiens sit ad votum 361. 7. Vovere absque plena deliberatione quale peccatum sit 361. 8.

Voto libertatem requisitam, quomodo metus, error, aut ignorantia impediant.

Multiplex est metus, & explicatur ejus multiplicitas 362. 1. Metus incussus à causa intrinseca, & naturali non reddit votum invalidum 362. 2. Metus incussus à causa extrinseca libera, sive justè, sive injustè dummodo non sit ad extorquendum votum, non reddit illud invalidum 362. 3. Metus gravis ab extrinseco injustè incussus ad votum extorquendum non invalidat illud 362. 4. Metus gravis ab extrinseco injustè incussus ad votum extorquendum dummodo innotescat voventi; invalidat votum jure ecclesiastico, non verò naturali 362. 5. Nullum est votum religiosæ professionis fœminæ, quæ illud emittit ob timorem patris minitantis graves injurias 362.6. Non tenetur ad votum castitatis accedens ad sacros ordines metu cadente in constantem virum 362. 7. Metus levis nec reddit invalidum votum solemne, nec aliud quodcumque simplex 362. 8. Error, & ignorantia circa quatuor ad votum spectantia versari possunt 362. 9. Si versentur circa essentiam voti irritant illud 362. 10. Si versentur circa materiam, & objectum voti irritant illud 363. 11. Si versentur circa conditiones, & circumstantias voti non irritant 363. 12. Si versentur circa causam finalem, & motivam irritant 363. 12. Non irritant si versentur circa causam impulsivam 363. 14. Quomodo dignoscenda causa finalis, & quomodo impulsiva 363. 15.

Ad Votum Voluntas requisita.

Requiritur ad validitatem voti, voluntas vovendi saltem tacita, aut virtualis 364. 1. An accedens ad sacros ordines sciens illis annexum esse castitatis votum, quod positivè respuit nolens se obligare ad illud, revera teneatur ad illud 364. 2. An ex voto facto cum intentione positiva non obligandi se oriatur obligatio 364. 3. Quid dicendum si votum sit factum cum animo negativo hoc est sine expressa, vel tacita intentione se obligandi 364. 4. An votum factum cum animo vovendi, & se obligandi; sed cum animo non adimplendi promissionem; inducat obligationem 364. 5. An peccet vovens, si cum animo non vovendi, aut se non obligandi, vel non exequendi promissionem voveant 364. 6. An possit revalidari votum invalidum ob defectum voluntatis, vel alterius requisiti 364. 7.

Vota an soli Deo fieri possint; & quomodo fiant de meliori bono?

Vota prout sunt actus Religionis, soli Deo fiunt sive immediatè, sive mediatè, sive expressè, sive tacitè 365. 1. Ad votum non solum requiritur, quod ejus materia sit bona, & honesta; verum etiam quod sit melior suo contradictorio 365. 2. An votum non vovendi sit de meliori bono 365. 3. An votum non petendi dispensationem, aut non utendi ea sit de meliori bono 365. 4. An votum non acceptandi Episcopatum, aut Prælaturas regulares, vel sæculares, sit de meliori bono 365. 5. An votum contrahendi Matrimonium sit de meliori bono 366. 6. An votum perpetuò inserviendi alicui Hospitali sit de meliori bono 366. 7. An vota non ingrediendi aliam Religionem, nisi hanc; non recitandi coronam nisi flexis genibus; non dandi eleemosynam minorem decem aureis, & similia sint de meliori bono 366. 7.

Votum quotuplex sit; & quomodo obliget conditionale?

Quænam vota sub conditione facta valida sint, & obligent 367. 2. Explicantur variæ species votorum 367. 1. An votum sub pluribus conditionibus emissum obliget illis omnibus non adimpletis 367. 3. An conditio adimpleri debeat in forma specifica; an sufficiat æquivalens 368. 4. An vovens sub conditione futura aliquid contingente teneatur expectare eventum conditionis; an possit se reddere ineptum ad voti executionem, ante eventum conditionis 368. 5. Quomodo peccet contra votum, qui conditionem impedit, sub qua obligari debebat 368. 6.

Voti materia quænam sit.

Votum necessariò debet esse de re bona, & honesta 369. 1. An res indifferens possit esse materia voti 369. 2. An votum factum de re honesta ob malum finem, vel indifferentem validum sit 369. 3. An votum factum ob finem temporalem obtinendum validum sit 370. 4. Quid dicendum in dubio, an materia promissa sit indifferens, vel bona 370. 5. Quale peccatum sit rem turpem, vel indifferentem vovere ob turpem, vel indifferentem finem 370. 6. An res præceptæ possint esse materia voti 370. 7.

Voti materia quomodo debeat esse in potestate voventis; & quid dicendum de materia partim apta ad votum, & partim non?

Voti materia debet esse possibilis voventi. Et quid de votis incompossibilibus 370. 1. An votum numquam peccandi sit de materia possibili 371. 2. Quid dicendum de voto cujus materia partim est possibilis, partim impossibilis, partim honesta, partim turpis 371. 3. Quid dicendum, quando quis adimplere possit objectum principale voti, licèt adimplere nequeat modum promissum in voto

371. 4. An vovens teneatur exequi accessorium voti, si non possit principale 372. 5. An votum disjunctivè emissum, cujus una pars est apta, altera inepta, inducat obligationem 372. 6.

Voti obligatio Quæ, & qualis sit; Et quomodo adstringat, quando ejus materia non est determinata.

Votum est opus laudabile, & meritorium, ac à virtute Religionis elicitum 372. 1. Ex fide constat, & lumine naturæ, obligationem voti adstringere voventem ad executionem rei promissæ 372. 2. Ex genere suo hæc obligatio gravis est; licèt controvertatur, an possit fieri levis ex intentione voventis, aut materia promissa 372. 3. Quomodo dignosci possit gravitas, vel levitas in materia voti 373. 4. An possit dari votum non obligans ad culpam aliquam, nec gravem, nec levem 373. 5. Quomodo obligatio voti adstringat voventem, quando materia voti non est determinata 373. 6. Qui vovit audire sacrum quotidiè satisfacit voto, si die festo unum sacrum audiat 373. 7. vovens recitare Rosarium, aut sacrum audire tenetur ad debitam attentionem 373. 8. Vovens assumere religionem, aut sacros ordines non tenetur ad castitatem ante assumptionem illorum 373. 9. Qui perpetuam virginitatem vovit tenetur ad abstinendum à qualibet delectatione venerea, etiamsi semel veneree delectatus fuerit 373. 10. Vovens longam peregrinationem satisfacit, si equester arripiat iter, quamvis cogitaverit arripere pedester. Satisfacit etiam, si negotii causa, vel curiositatis; aut coactè, vel mercede conductus iter illud arripiat cum animo pariter satisfaciendi voto peregrinationis 373. 11. vovens jejunare tenetur ad jejunium eodem modo, quo tenetur ad ecclesiasticum 374. 12. Indeterminatio proveniens à tempore non tollit obligationem voti 374. 13. Indeterminatio proveniens à qualitate, vel quantitate rei promissæ non obstat obligationi voti 374. 14. Quomodo tollenda indifferentia in materia indeterminata voti 375. 15. Indeterminatio proveniens ab individuo non tollit obligationem voti, quamvis vovens eligere possit quodlibet individuum sub specie contentum dummodo sit utile 375. 16.

Voti obligatio pro quo tempore urgeat, ad hoc ut adimpleatur.

Votum emissum pro tempore præscripto tenetur vovens exequi pro eo tempore 375. 1. An si prævideat vovens impedimentum pro eo tempore teneatur prævenire 375. 2. An vovens jejunium in vigilia alicujus sancti teneatur jejunare in vigilia proximè adveniente 275. 3. Votum emissum non præscripto tempore adimplendum est, ut primum commodè potest 376. 4. Quæ nam dilatio sit mortalis in votis emissis sine temporis præscriptione 376. 5.

Votum an ita obliget voventem ut non possit per alium adimpleri.

Votum personale ita obligat ipsum voventem, ut non possit per alium adimpleri 376. 1. An votum personale ita adstringat solum voventem, ut non possit alios adstringere 377. 2. Votum Reale non ita obligat voventem, ut non possit per alium adimpleri 377. 3. Votum mixtum ex ea parte, qua personale est, non potest per alium adimpleri; secus verò ex ea parte, qua Reale est 377. 4.

Voti obligatio an transeat ad hæredes

Nemo potest suo voto alium obligare ex vi voti 378. 1. Hæredes non obligantur ad vota personalia defuncti adimplenda, quamvis obligari possint ex aliis capitibus 378. 2. Hęredes obligantur ad vota Realia Testatoris juxta vires hæreditatis 378. 3. ad vota mixta Testatoris obligantur hæredes quoad partem Realem, non vero personalem 378. 4. An Domus religiosa, vel quilibet alius hæres professi religiosi teneatur ad vota Realia illius 378. 5. Quomodo se gerere debeat hæres circa vota defuncti persolvenda 376. 6. Quid faciendum ab hærede si hæreditas sufficiens non sit ad persolvenda omnia vota Realia Testatoris defuncti 379. 7. Ad quid teneatur hæres Testatoris voventis duas res ejusdem rationis sed diversi valoris 379. 8. Ad quid teneatur hæres certus de voto emisso à Testatore, sed dubius de obligatione 379. 9. An quando hæredes multi sunt, omnes teneantur in solidum ad vota defuncti persolvenda 379. 10. An Donatarius obligetur ad vota Realia donantis, si hic impotens factus sit 379. 11. An Legatarius obligetur ad vota Realia Legantis, si hic impotens factus sit 380. 12. An teneatur adimplere votum mortuus redivivus 380. 13.

Votum Castitatis, & Votum non nubendi quamnam obligationem inducant?

Votum castitatis inducit obligationem abstinendi ab actibus venereis internis, & externis, à contractione matrimonii, & ejus actibus 380. 1. An obstrictus simplici voto Castitatis, si matrimonium ineat, teneatur, antequam consummet, religionem ingredi ob servandum votum 380. 2. An Votum Castitatis æquivaleat voto simplici Religionis 381. 3. Votum non nubendi obligat voventem ad non contrahendum matrimonium 381. 4. An matrimonio jam contracto possit postea petere, aut reddere debitum 381. 5. An vovens non nubere teneatur, contracto matrimonio, sed nondum consummato religionem ingredi 381. 6. An Votum non fornicandi sit æquale voto non nubendi 381. 7. An votum non cognoscendi fœminam obliget ad Abstinendum à contractione matrimonii, & actibus conjugalibus 381. 8.

Votum Religionis quam obligationem inducit,

Religionem vovere, & alios inducere ad vovendum eam est opus meritorium; quamvis illicitum sit inducere ad vovendum minis, vi, importunis precibus, vel Simonia 382. 1. Votum ingrediendi certam aliquam Religionem obligat voventem ad ingrediendum si in ea serventur substantialia regulæ 382. 2. An vovens mori in Religione censeatur emittere votum Religionis 382. 3. An satisfaciat voto ingrediendi Religionem, qui assumit Habitum Divi Jacobi, Calatravæ, aut Alcantaræ 382. 4. An vovens Religionem, si non admittatur à Superiore nisi ad statum laicorum teneatur eam ingredi 382. 5. An Conjuges possint se obligare voto Religionis, & ad quid teneantur, si illud emiserint 382. 6. Vovens Religionem determinatam si à Superioribus non admittatur; an remaneat liber ab obligatione voti 382. 8. An vovens repulsus à Religione, si superiores repellentes voluntatem mutent; teneatur eam ingredi 383. 8. An vovens Religionem, si à Superioribus repellatur ob insciitiam, vel inertiam; teneatur litteras addiscere, aut artem, ut suo voto satisfaciat 383. 9. An vovens Religionem determinatam, si non admissus fuerit in monasteriis propriæ provinciæ; teneatur alia monasteria inquirere extra illa 383. 10. An teneatur vovens determinatam religionem declarare votum à se emissum, si per ejus aperitionem probabiliter reputet se admittendum 383. 11. Votum simplex religionis non amplius obligat voventem si post ingressum ante professionem egrediatur, dummodo de professione emittenda nil determinaverit. Quid dicendum si non constet de intentione voventis circa professionem 383. 12. 13.

Vota quænam personæ emittere possint?

Omnes homines rationis usum habentes vota emittere possunt, nisi specialiter ab ecclesia impediti fuerint 384. 1. Præter casum religiosæ professionis ante decimumquartum annum non constituit ecclesia fideles inhabiles ad alia vota emittenda 384. 2. Votum emissum circa materiam præceptam, cujus impletionem non potest impedire superior; validum est, nec pendet à consensu superioris 384. 3. Votum emissum à Religiosis impuberibus, uxoribus, servis versans circa materiam ipsis prohibitam absolutè nullum est. 384. 4. Votum ab his emissum circa rem honestam, sed ipsis prohibitam quoad modum, non verò absolutè, validum est, & tenet. 385. 5. Votum de materia à nulla lege prohibita, nec impeditiva majoris boni à quacumque Persona emittatur, validum est 385. 6. Quid dicendum de voto emisso absque facultate superioris vetantis votum sine sua facultate 385. 7. Quomodo obliget votum Religiosi, de aliqua eleemosyna facienda 385. 8. Quomodo obliget votum uxoris, Filiorum familias, & servorum de eleemosyna facienda 385. 9. Quomodo obliget votum episcoporum Parochorum, & Clericorum Beneficiatorum ad residentiam obligatorum de Religione, aut Peregrimatione enumeranda 385. 10.

Voti irritatio. Vide voti obligatio quomodo dissolvi possit. Voti obligatio quomodo dissolvi possit per Irritationem.

Explicatur Irritatio, & ad quæ vota extendatur 388. 1. An Irritatio sit actus jurisdictionis, an Dominii 386. 2. Si potestas irritandi sit ex jure naturali an verò humano 386. 3. Quibus personis competat potestas irritandi vota 386. 4. Pontifex non habet potestatem directam irritandi vota fidelium sed tantùm indirectam; potest tamen irritare vota Religiosorum, quæ irritari possunt à suis Prælatis 386. 5. Patres, & Tutores possunt vota tam Realia quam personalia, & mixta filiorum; & pupillorum irritare intra tempus impubertatis

387.

387.6.Quinam veniant nomine,Patris & filiorum circa vota irritanda 387. 7. Quid dicendum de votis emissis à filiis puberibus 387. 8. Maritus quænam vota uxoris irritare possit 388. 9. An maritus irritare possit votum uxoris cum facultate ipsius emissum 388.10. An uxor irritare possit vota viri sui 388. 11. Domini quænam vota servorum irritare possint 388. 12. An Herus irritare possit vota famulorum suorum 388. 13. Prælati regulares quænam vota suorum subditorum irritare possint 389. 14. Quinam veniant nomine Prælatorum, qui possint vota in religione irritare 389. 15. An Abbatissæ, & Priorissæ gaudeant facultate irritandi vota suarum monialium 389. 16. An possit Superior irritare votum religiosi subditi, si ejus facultate sit factum 389. 17. Quinam veniant nomine Religiosorum, quorum vota irritari possunt à suis Prælatis 390. 18.

Voti Dispensatio. Vide Voti obligatio quomodo tollatur per Dispensationem.

Voti obligatio quomodo tollatur per Dispensationem?

Quid sit voti Dispensatio, & quomodo differat ab irritatione 390. 1. Dispensare est actus jurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ. Et quibus competat 390. 2. Ad licitam, & validam dispensationem voti requiritur justa causa 391. 3. Quænam sint causæ sufficientes ad voti dispensationem 391. 4. Adnotantur quinque circa voti dispensationem 391. 5. 1. Causa sufficiens ad dispensandum est occasio majoris ruinæ spiritualis 391.6. 2. Causa est experiri gravem difficultatem non sufficienter prævisam in emissione voti 391. 7. 3. Si dubium insurgat, an votum factum impediat majus bonum 391. 8. 4. Si bonum commune Reipublicæ impediatur à voto 391. 9. 5. Si ex voto emisso sequatur damnum propriæ domus, vel familiæ 391. 10. Adnotantur duo circa has causas 392. 11. Quinam habeant ordinariam facultatem dispensandi; & ad quæ vota extendantur 392. 12. Quinam veniant nomine subditorum, in quos Episcopus exercere valeat potestatem dispensandi 392. 13. An Episcopus extra Diœcesim dispensare possit in voto sui subditi 392. 14. An Archiepiscopus dispensare valeat in votis emissis à suis Episcopis suffraganeis 392. 15. An Episcopus dispensare possit in votis Novitiorum 392. 16. An Prælati regulares dispensare possint in votis Novitiorum 392. 17. An Episcopus dispensare possit in votis religiosorum exemptorum 392. 18. Quænam sint vota specialiter reservata summo Pontifici 392. 19. Quænam vota Castitatis, Religionis, & Peregrinationis reservata dicantur 392. 20. An Prælati inferiores Pontifice possint aliquando dispensare in his votis 393. 21. Adnotantur duo circa hanc dispensationem 393. 22. An Prælati inferiores dispensare possint in his quinque votis, si fuerint conditionalia 393. 23. Quinam habeant delegatam facultatem dispensandi in votis 393. 24. An concessa facultate generali dispensandi in votis intelligatur comprehensa facultas dispensandi in votis reservatis 394. 25. An si Pontifex in facultate data excipiat tria minora vota, nulla facta mentione duorum majorum; intelligatur hæc concedere 394. 26. An votum sit reservatum per hoc, quod vovens voluerit illud reservare Pontifici, itaut ab alio dispensari nequeat 394.27.

Voti commutatio. Vide Voti obligatio quomodo tollatur per commutationem.

Voti obligatio quomodo tollatur per commutationem?

Quid sit commutatio voti 394 1. Quomodo differat ab irritatione, & dispensatione ibid. An habentes ordinariam potestatem dispensandi in votis habeant pariter facultatem commutandi illa 394. 2. An habentes facultatem delegatam dispensandi in votis, habeant pariter facultatem delegatam commutandi illa 394. 3. Quonam modo vota commutari possint, & quanam ex causa 395. 4. An commutatio facta in minorem, vel æqualem materiam sit valida 395. 5. An facta legitima commutatione voti ita extinguatur prioris materiæ obligatio, ut nunquam reviviscere possit 396,6, An etiam vota juramento firmata commutari possint 396. 7. Quænam facultas commutandi vota concedatur per Jubilæum, & Bullam Cruciatæ 396. 8.

Votum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, Vide Obligatio Religiosi Professi.

Usucapio.

Usucapio quomodo differat à præscriptione 204. 3. Usucapionis beneficium meritò introductum fuit à jure communi 204. 4. Quatuor conditiones requisitæ ad Usucapionem 205. 11. Vide Dominium.

Usura,

Definitur usura 639. 4 Usura alia realis, & externa; alia mentalis, & interna, alia expressa, & formalis; alia implicita, & virtualis 639. 5. Vide Mutuum, & Usura.

Usurarius.

An Usurarius acquirat dominium usurarum 643. 19. Contra usurarios quænam pœnæ constitutæ sint 644. 22.

Usus.

Usus non solum debet esse contrarius privilegio materialiter, sed etiam formaliter 107. 8. Usus nudus rei est tertia species juris Realis; & quid sit 193. 7. An usus distinguatur à dominio in rebus, quæ ipso usu consumuntur 193. 8.

Usus Contrarius.

Contrarius usus locum habet in Privilegiis negativis, & facit ut amittantur 107. 7. Contrarius usus debet fieri ab ipso privilegiato 107. 10. Debet fieri pro eo tempore, pro quo concessum fuit Privilegium 107. 9.

Ususfructus.

Ususfructus est secunda species juris realis; & quid sit 193. 6.

Uxoris obligatio erga Maritum.

Uxor tenetur ad amorem, honorem, & obedientiam Marito in eis, in quibus subest; & graviter peccat, si illum provocet ad iracundiam, & blasphemias, aut sibi usurpet jus administrandi rem familiarem, aut gubernationem domus 534. 8. An uxor irritare possit vota viri sui 388. 11. Uxor, quæ nihil accepit ex bonis mariti, an solvere teneatur illius debita ex propriis bonis 530. 11. Uxor non potest fidejubere pro marito, & si fidejusserit erit irrita fidejussio, dummodo juramento non fidejusserit 656. 2. An uxor Legislatoris teneatur legibus à suo viro latis 31. 6.

Finis Tomi Primi.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Catalano, Pietro

Universi Juris theol. moralis Corpus integrum

Bd.: 1.

Venetia 1728

2 J.can.u. 49-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10489478-1